BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLIII
F
21
NAPOLI

Digitized by Google

VIRI QVONDAM ILLVSTRIS

HERMANNI CONRINGII,

POLYHISTORIS CELEBERRIMI, MEDICINAE AC POLITICES
IN ACADEMIA JVLIA, QVAE HELMSTADII EST,
PROFESSORIS MERITISSIMI,

MVLTORVM REGVM AC PRINCIPVM
CONSILIARII,

OPERVM

TOMVS IV.

CVIVS ELENCHVS POST PRAEFATIONEM CONSPICITVR,
CONTINENS

VARIA SCRIPTA

POLITICA ET HISTORICA,
INPRIMIS

DESCRIPTIONES POTIORVM

TOTIVS ORBIS RERVMPVBLICARVM,
ET

DISSERTATIONES IVRA

MAIESTATICA,
ET

QVAE AD COMMERCIA PROMOVENDA

FACIVNT, ILLVSTRANTES.
CVRANTE
COMMENTARIISQVE SVIS HÆC OPERA PASSIM AVGENTE
ET ILLVSTRANTE

JOHANNE WILHELMO GOEBELIO

IN ACADEMIA JVLIA JVRECONSVLTO,
REGIÆ SCIENTIARVM SOCIETATIS BEROLINENSIS MEMBRO.

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO SERENISSIMI DVCIS BRVNSVICENSIVM ET LVNEBVRGENSIVM.

BRVNSVIGÆ,
SVMTIBVS FRIDERICI WILHELMI MEYERI. MDCCXXX.

Digitized by Google

Digitized by Google



PRAEFATIO

ad Tomum IV. operum Conringianorum.

In hoc tomo primum ſe Lectori benevolo ſiſtit exercitatio *de notitia ſingularis reipublicæ*. Scriptum hoc ſingulare eſt, multamque rerum politicarum notitiam & ſubactum Auctoris exhibet judicium. An typis unquam editum ſit, me latet. Animo Conringium voluiſſe prelo ſubjicere, ex epiſtola ejus ad Bœcklerum anno 1675. exarata pateſcit, ubi ſcribit, argumentum id eſſe hactenus fere intactum aliis; ſumme tamen utile. *Sed*, inquit, *fefellerunt me Lipſienſes, qui impenſas promiſerant*. Huic tomo etiam inſerere conſultum putavi *Potiorum rerumpublicarum deſcriptiones*, quas ſe invito ab OLDENGVRGERO editas, ejusque quisquiliis commaculatas, graviter CONRINGIVS conqueſtus eſt, ut apparet ex præmiſſa *admonitione*. Fateor quidem, hocce Conringii opus extemporaneum eſſe, multaque in eo deſiderari, quæ videbantur ejus editionem diſſuadere; ſed quum tot etiam in eo occurrerent utilia, & ab aliis aut plane non dicta, aut ſaltem non tanto judicio examinata, illud potius criticorum cenſuræ ſubjicere, quam præterire conſtitui. Et ut eo accuratius ederetur, ex quinque codicibus MSptis inter ſe collatis meliorem elegi, eumque deinde typographo excudendum dedi. Dolendum ſaltem, ob correctorum incuriam tot typica irrepſiſſe ſphalmata. In animum quidem induxeram, ea, in quibus reſpublicæ a Conringio enarratæ, poſt illius mortem mutationem paſſæ ſint, & quæ ad pleniorem earum notitiam pertinent, nec non reſpublicas ab eo plane omiſſas, inprimis germanicas addere; verum temporis ratio me brevitati ſtudere coëgit. Auctores, qui eundem cum Conringio in illuſtrandis rebuspublicis ſuſceperunt laborem, recenſet clariſſimus EVERHARDVS OTTO *in præcognitis notitiæ rerumpublicarum*. Quæ ſumtibus *Regneri* Halæ editæ ſunt reſpublicæ, non omnes ejusdem ſunt pretii. Inter eas excellunt, quæ GVDIVM, MARQVARDI filium, autorem habent. Quod ad *reſpublicas Elzevirianas* attinet, exiguum in iis deprehendis ſelectum, cum editores in ſpem lucri conſarcinaverint, quicquid illius argumenti occurrerit. Ex earum, quæ calculum eruditorum meruerunt, numero ſunt STRANSKII *Bohemia* & SMITHI *Anglia*. Quid de AVITY laboribus ſentiendum ſit, iis, qui judicio pollentes ejus librum evolverunt, ignotum

eſſe non poteſt. Reſpublicæ, quas illuſtravit, vetera pariter & recentiora referunt, atque comparatio, quam inter ea inſtituit, ſatis oſtendit, quanto valuerit judicio. Galliam, ne veritas ipſi forte odium pareret, omiſit, quam deinde FRANCISCVS RANCINI ſuperaddidit. Novam Avityi librorum, quibus titulus: *Hiſtoire du monde*, editionem adornavit ROYAVLTVS, eosque tomo V. complexus eſt, quem quatuor alii, ab ipſo Royaulto in Avity emendationem aut ſupplementum collecta continentes, antecedunt. Verſionem hiſtoriæ mundi Avityanæ GOTHOFREDO debemus. Vſum hic etiam inſignem præſtant *relationes*, quarum illæ, quæ BOTERVM habent auctorem, a LVNDIO Helmſtadii 1670. prodierunt. Celebrantur quoque *relationes*, quæ a BENTIVOGLIO ſunt exaratæ. Relationum hujusmodi primordia Venetis tribuuntur; ſolent enim hi nobiles ſuos ex itineribus, in quibus legatos plerumque, licet ſuis ſumtibus, comitati fuerunt, reduces in examen vocare, ubi deputatis quibusdam ea, quæ ad reſpublicas ſpectantia in peregrinis oris obſervarunt, litteris mandata exhibeant; unde relationum nomen exortum dicitur. Ad horum librorum cenſum referendus perilluſtris Dni de ZECH *heroldus europæus*. Opus hoc conſummatiſſimam continet eruditionem & ſummam Viri rerum imperii notitiam una cum judicio ejus pragmatico ſatis prodit. Sunt tamen, quæ in eo a viris doctis deſiderantur, nimirum quod ſæpe quædam omiſerit, quæ tamen ad notitiam ſtatus reipublicæ faciunt. Nec minus lectu utilis & jucundus eſt liber qui gallico idiomate ſub nomine *l' eſpion de la cour* comparuit. Dici non poteſt, quanta libertate hujus libri autor in rerumpublicarum vitia invectus ſit, ita, ut ne quidem conterraneis ſuis pepercerit. Optandum foret, ut Domini GVNDLINGII rerumpublicarum deſcriptiones, quas *ſtatus* vocavit, lucem vidiſſent. Sed poſtquam vir celeberrimus vitam poſuerit, illud minus ſperandum eſt. Aliqua ex ejus diſcurſibus refert auctor *des beſchæfftigten* Secretarii.

Conringianas reſpublicas, DISSERTATIONES POLITICAE varii argumenti excipiunt, quarum compendia tradere, eo minus neceſſarium puto, cum ipſæ diſſertationes materiarum, de quibus agunt. compendia ſint. Interim hic in limine Voluminis indicandum duxi, eas majeſtatica jura, quatenus ſe exſerunt circa ſacra & profana, inprimis circa leges & judicia, nec non ad commercia, vectigalia & legatorum jura ſpectare.

Elen-

Elenchus Tomi IV.

I. Exercit. de notitia ſingularis reipublicæ p. 1
II. Admonit. de theſauro rerumpublicarum Genevæ publicato 44
III. Examen Rerumpublicarum totius orbis 47
IV. Diſſ. de ratione ſtatus 549
V. De majeſtate civili 580
VI. De majeſtate ejusque juribus circa ſacra & profana potiſſimis 605
VII. De majeſtatis civilis auctoritate & officio circa ſacra 615
VIII. De conciliis & circa ea ſummæ poteſtatis auctoritate 644
IX. De majeſtatis civilis officio & auctoritate circa leges 660
X. De legibus 670
XI. De privilegiis recte conferendis & revocandis 684
XII. De judiciis in republica recte inſtituendis 698
XIII. De cauſſa judiciorum efficiente, formali & finali 702
XIV. De forma judiciorum in republica recte inſtituenda 707
XV. De re nummaria in republica quavis recte inſtituenda 731
XVI. De contributionibus 744
XVII. De ærario boni Principis recte inſtituendo 756
XVIII. *Iohannis Bodini* Reſp. ad Paradoxa Maleſtretti 783
XIX. Ejusdem de republica Libr. VI. Excerpta 813
XX. Excerpta ex *Ioach. Hopperi* Lib. 7 & 8. de vera jurisprudentia 844
XXI. De commerciis & mercatura 851
XXII. De maritimis commerciis 857
XXIII. De vectigalibus 933
XXIV. De dominio maris 946
XXV. De importandis & exportandis 959
XXVI. De fœderibus 966
XXVII. De bello & pace 973
XXVIII. De jure belli 980
XXIX. De legatione 990
XXX. De legatis 1000

Herman-

HERMANNI CONRINGII
Exercitatio Hiſtorico-Politica de Notitia ſingularis alicujus Reipublicæ.

Caput I.

De Notitiæ ſingularis reipubl. variis differentiis, & quarumvis in gerenda republ. peculiari uſu.

NOtitia *reipubl. ſingularis* (a) non unius eſt generis, ſed diverſa, cum objecti, tum ipſiusmet cognitionis ratione. Etenim nunc circa totum reipubl. corpus verſatur notitia, nunc circa hanc aut illam reip. partem. Intelligimus autem hoc loco reip. nomine, non πολιτείαν ſ. formam regiminis, ſed recepto hodie loquendi more integrum corpus civilis alicujus ſocietatis; quod Romanis olim civitas, ut Græcis πόλις audiit. A quibus tamen vocibus jam abſtinemus; quoniam illæ antiquam ſignificationem pene perdiderunt, & nonniſi oppida aut urbes deſignant, uſus autem communis loquendi ſit obſervandus. Ceterum reip. cujusque ſingularis res etiam inter ſeſe tempore differunt, quod aliæ ſint præſentes vel novæ, aliæ veteres ac præteritæ, aliæ denique futuræ. Notitia igitur etiam reipubl. rerum alia præſentium eſt, alia præteritarum, alia futurarum. Quæ notitiæ diverſitas omnis eſt a varietate objecti.

§. 2. Differentiarum illius notitiæ, in ipſa ſciendi ratione collocatarum potiſſima eſt, quod notitia illa nunc duntaxat ſit, ut Ariſtoteles ſolet loqui, τὸ ὅτι, nunc τὸ διότι. Etenim interdum novimus nihil aliud, quam res alicujus reipubl. quemadmodum ſeſe habeant, quod eſt τὸ ὅτι noviſſe; interdum vero ſimul cognoſcitur, quibus de cauſis res iſtæ hunc aut illum in modum ſe habeant. Eſt autem poſterioris ordinis illa notitiæ ſpecies, qua novimus, utrum res illæ civiles bene an ſecus ſint inſtitutæ; & quidem ratione futuri temporis, utrum corrigi vel in totum vel ex parte poſſint, aut potius nullam emendationem admittant, ſi minus recte ſint conſtitutæ; quodſi vero bene ſeſe habeant, utrum conſervari in illo ſtatu poſſint, nec ne. Commune denique omni notitiæ generi eſt, quod alia ſit perfecta, alia imperfecta. Et vero perfectio atque imperfectio iſthæc poteſt eſſe, cum reſpectu objecti, quod ſcil. aut omne, quod ad objectum aliquod pertinet, plene cognoſcatur, aut non omne; tum ratione ipſiusmet notitiæ in ſeſe ſpectatæ, quod ſcil. interdum ſive τὸ ὅτι ſive τὸ διότι tantum ex parte intelligatur, interdum autem utraque illa notitia omnibus ſit numeris abſoluta. Cum autem usque adeo variis modis habere ſeſe poſſit hæc, qua de nunc agimus, notitia, obſervato illo diſcrimine, quem quævis notitia in reip. adminiſtratione uſum præbeat, accurate eſt attendendum. Et vero nulla omnino reip. curatio poteſt inſtitui ſine aliqua ſingulari ejusmodi notitia; non tamen promiſcue quælibet notitia ad quamlibet reipubl. adminiſtrationem requiritur: ſed alia huic, alia illi ſatis eſt, prout ſcil. & ipſa reip. adminiſtratio alia eſt atque alia.

§. 3. In univerſum igitur id quidem conſtat, nulli adminiſtrationi oportere deeſſe ſufficientem notitiam, quantumcunque ejus deeſt, tantum quoque non poſſe non adminiſtrationem ipſam laborare. Perinde videl. atque omnis artifex ſuum, circa quod verſatur, ſubjectum, quod appellant, quatenus uſus ipſius poſtulat, neceſſum & probe habeat perſpectum. Verumenimvero varia eſt ratio adminiſtrandi remp. eaque & notitiæ adminiſtrationis cuilibet ſufficientis, non idem modus eſt. Differt autem curatio reip. potiſſimum quidem eo diſcrimine, quod alia circa reip. ſummam atque totum eius, ut ita dicam, corpus occupetur: alia vero ſeorſim circa hanc aut illam partem ſumma iſthac comprehenſa. Illam haud injuria quaſi architectonicam appellaveris, quandoquidem nimirum ſimilis eſt illi curationi, quam in conſtruendis ædibus architecti exercent. Univerſa ſcil. dirigens quidem, non tamen niſi dirigendo ipſum illud, unde omnia dependent. Poſſis hanc notitiam etiam univerſalem, ut alteram particularem dicere. Alio tamen ſenſu, quam ab Ariſtotele VI. Nicomach. libro prudentia vocata eſt, quædam velut architectonica atque univerſalis, quædsm particularis: ceu oſtendimus *lib. de Civ. Prudentia Cap. IX.* Eſt porro & alia quædam magni momenti differentia adminiſtrationis reipl. quod videl. vel exſequatur duntaxat ea, quæ conſtituta ſunt, ac velut ex præſcripto agat, vel etiam conſtituat atque ordinet ea, quæ ſunt ex reipubl. uſu, ſive totum civitatis corpus ſpectes, ſive aliquam ejus partem. * Sicut impoſſibile eſt, medicum dare conſilium ad recuperandam vel conſervandam ſanitatem, niſi habeat aliquam ſaltem cognitionem corporis: ita quoque impoſſibile eſt, eum qui non habet ſcientiam vel notitiam Reip. poſſe vel totam vel partem eius curare. Dicitur autem, ſufficientem debere eſſe eam notitiam, quæ an ſufficiens ſit, ex objecto judicandum: nam hoc variat. Sic omnis artifex debet eſſe notitia ſufficienti inſtructus, ſed non omnibus eadem ſufficit. Architectus debet habere notitiam lignorum & lapidum, ſed nemo exigit ab eo plenam Philoſophiam lignorum &

(a) *reipubl. ſingul.*) De ſpecialibus Rom. Germ. imperii rebuspublicis doctiſſima HERTII exſtat diſſertatio.

eſt enim Batavia quaſi aſylum Germaniæ, unde copia hominum ibi ſuperflua, dum apud nos eſt ſolitudo. Cœterum ſi architectonice ſit adminiſtranda Reſp. tota, oeceſſe eſt, uti talis teneat totam Rempublicam *

§. 5. Ea ſecundo adminiſtratio civilis, quæ taotum exſequitur conſtituta, non poſtulat notitiam aliam, quam τοῦ ὅτι. Satis nimirum eſt, ſi ſcias, quid ſit conſtitutum, & quemadmodum juxta normam illam expediri aliquid poſſit, vel debeat. Quo tempore, quibus de cauſis, utrum eum fructu vel noxa reipubl. præſente; denique an futuro malo aut bono, vel conſtitutum quid olim actumque ſit, vel nunc agatur, ad exſecutionem probe inſtituendam, nihil intereſt iotelligere. Præteritorum, aut futurorum, aut eauſarum, ſecura poteſt eſſe, quæ exſecutioni ſatis eſt, notitia. Et vero omnis illa cooſiſtit, (1) In eorum, quæ pro norma ſunt conſtituta, (2) in rerum ſecundum normam illam dirigendarum, & (3) in modi exſequendi cognitione. Ulterius nihil hie requiritur.

§. 6. Plurimum vero diverſa adminiſtratio illa, quam civilium rerum conſtitutivam dixeris. Nec enim bæc prudenter exerceri poteſt, niſi teneas non præſentis duntaxat temporis ſtatum, ſed etiam futuri. Imprudentis enim fuerit, non conſuluiſſe rebus etiam in futurum, id quod tamen nequit fieri, niſi futuri temporis præhabita etiam aliqua notitia. Præterita quoque noviſſe, non ſemper quidem, interdum tamen neceſſarium; ſemper apprime eſt utile. Etenim ſæpenumero conſtitui aliquid nequit; niſi habita ratione eorum, quæ olim facta ſunt. Expedit præterea ad omnem conſultationem, nnviſſe quæ olim obtinuerint, quove omnia ſucceſſu, proſpero nimirum, an adverſo fueriot exercita. Non fieri etiam poteſt, ut probe ſeſe babeat illa adminiſtratio, omni ſane ex parte, niſi præter τὸ ὅτι etiam τὸ διότι rei cujusque, ſive conſtituendæ, ſive abrogandæ, ſive conſervandæ, accurate teneas. Quanto ſane exactius illa omnia cognoſcuntur, tanto accuratior ac felicior poteſt eſſe hæc adminiſtratio: defectusque omnis plenæ notitiæ cum vitio eſt conjuncta hujus quidem adminiſtrationis. Cujus cauſa eſt, quod, ut res aliqua probe ſeſe habeat, neceſſum ſit, ejus quatuor proprie dictas cauſas, imo & cauſas ſine quibus non, quæ appellantur, *locum* inquam & *tempus*, juſta proportione ſibi mutuo reſpondere. Quod eſt usque adeo certum, ut nec de una aliqua cauſarum queat recte quicquam conſtitui, oiſi reſpectu habito ad cauſas reliquas. Qua de re jam pridem nonnulla, cum in diſſertatione ad Legem primam Codicis Theodoſiani de ſtudiis liberalibus urbis Romæ & Conſtantinopolis tum, plura cap. IX. libri de civili prudentia, docuimus; in apodicticis autem proprio hujus doctrinæ loco aliquando fortaſſis juſta prolixitate acturi ſumus: * Rei hujus exemplum poteſt eſſe judicium. In judice omnino requiritur notitia LL; quia illæ ſunt norma, juxta quam ſunt omnia expedienda. Sed in eo nulla alia notitia requiritur, quam τοῦ ὅτι, ſcil. quid ſit conſtitutum. Quare autem, quo fine & quomodo fuerint conſtituta, non eſt neceſſum, uti *teneat judex*: (a) & ita comparatum eſt de LL. divinis, ut talia non poſſint *ſciri*. (b) Codicem enim quod attinet, in eo legere eſt norma imperatorum, a quibus tamen illæ conſtitutiones *non ſunt profectæ*. (c) Nam eam partem ſibi ſumſit Tribonianus auctoritate a Juſtiniano adtributa, uti mutaret veterum imperatorum conſtitutiones, & præſcriberet nomine imperatorum, quæ vellet: quod manifeſte reperitur in conſtitutione de vetere jure enucleato & de Codice. Ita quoque in ff reperiuntur nomina JCtorum: ſed non debet quis temere credere, eſſe ea omnia a JCtis illis deſumta; ſed ſunt ſæpe longe aliorum, imo *ipſius Triboniani*, (d) quod *Anton. Faber*, (e) Cujacius, Alciatus aliique, qui notitiam

ſtare operas, quorum exercere rus & agriculturæ ſudore alimenta parare. Hinc ex vicinis terris maxima incolarum ad ſtivam in patria nauſeantium aut ei lucri cauſſa valedicentium Batavia ſumit incrementa. Quod autem ad Germaniæ ſolitudinem attinet, illam etiam ex bello, quod octodecim annos patriam noſtram graviſſime afflixit, multum trahere dicunt.

(a) *teneat judex*) Conducit tamen maximopere, ſi & rationum legum peritus ſit, eæ enim inſignem præbent utilitatem, ut recte circa legum applicationem verſetur.

(b) *ſciri*) Sermo hic haud dubie eſt de legibus politivis divinis, quarum cauſa nec ex lumine rationis, nec ex lumine revelationis nota eſt.

(c) *non ſunt profectæ.*) Conſtitutiones tam ex Gregoriano, Hermogeniano quam Theodoſiano codice, moderante Triboniano, in juſtinianeum relatas, mutatas & mutilatas eſſe, admodum veroſimile eſt. Id quoad conſtitutiones ex Theodoſiano codice depromtas probatum ivit JACOBVS GOTHOFREDVS *in notis & commentario ad cod. Theodoſiun.*

(d) *ipſius Triboniani*) HOTTOMANNVS in antitriboniano c. XII. hæc babet: *Sunt alia, quæ lector conſiderabit, ut digna notari de conſummato hoc opere* (pandect.) *hoc eſt arroſionem, circumciſionem & congeriem particularum ex noviſſimis JCtis Græco latinis congeſtarum. Nihilominus poſtquam aliquo abhinc tempore hominum aures animosque bonæ literæ aperuerunt, compertum eſt, Tribonianum non tantum de ſuo immiſcuiſſe duo aut tria verba, ſed integros etiam verſus & ſententias, quin paginas etiam, veluti in l. 2. de origin. jur. quam nihil niſi fabulas & deliria Triboniani eſſe patet ſuppoſitamque ſub falſo nomine & titulo Pomponii. Hinc refer l. 25. §. 1. ff. de probat. l. 1. de interrogat. Sed ut ſine ulla difficultate judicium hac de re fiat, conferatur ſolum liber ſententiarum Pauli, ante triginta abhinc annos inventus, quas Tribonianus inde excerpſit, atque in pandectas ſuas retulit, tum apparebit ſancta illa & bona Triboniani conſcientia.* Atque Triboniano jus immutandi, mutilandi & augendi veterum JCtorum placita datum eſſe, ex *Juſtiniani conſtit. de conceptione digeſt. ad Tribonianum* §. 7. apparet.

(e) *Antonius Faber*) Hic inprimis *conject. lib. V. c.* 19. *lib. X. c.* 20. *lib. XI. c.* 12. & 17. *lib. XII. c.* 1. *c.* 16. *c.* 17. & 20. Tribonianismos notat. Confer quoque, quæ de geminationibus, omiſſionibus & inverſionibus monuit PANDVLFVS PRATEVS. Quanquam geminationes in digeſtis occurrentes excuſare allaboret GREGORIVS LOPEZ *animadverſ. jur. civil. c. ult.* Quamplurima menda in jure Romano oſtendit Cujacius in doctiſſimarum obſervationum libris; quorum inſignis pars haud dubie Triboniano ejusque debetur collegis.

notitiam antiquitatis ad eam rem adtulerunt, optime adverterunt; idque e Codice Theodoſiano, qui nunc quoque extat, *licet non integer*, (a) poteſt perſpici. Itaque hoc manet, non requiri, ut judex ſciat, a quo LL. illæ ſint prolectæ, ſed ſaltem ſi ſciat mentem LL. easque poſſit adplicare ad facta. Scil. diverſa eſt peritia hæc ab illa interpretativa. Cujacius erat aptiſſimus ad interpretationes, ſed tamen ineptus ad judicia. Jam tum olim in libro de Civ. Prudentia c. 3. ubi ago de Jurisprudentia judiciaria & legislatoria, idem diſcrimen obſervatum eſt. Sic etiam in judice non requiritur prudentia alia, quam qua ſciat, *quæ nunc obtinent:* (b) quæ olim obtinuerint, non requiritur. Similiter non curat is, qui exſequi vult, an LL. *ſint mutandæ*, (c) an non; ſed ſaltim, quæ nunc obtinent. Similiter quoad modum exſequendi tantum requiritur ſcientia & notitia rerum præſentium: quis autem olim obtinuerit modus exſequendi, aut qui alioquin ſit obſervandus, non curat. Itidem quoad res, in quibus verſatur executio, præſentes tantum curat, non vero præteritas aut futuras. Ideoque facile apparet, illam notitiam executivam non eſſe, niſi admodum proletariam: certe non eſſe plenam & perfectam.

Alteram illam notitiam vocavimus ad differentiam, conſtitutivam: namque etiam cum aliquid abrogatur, conſtituitur. Hæc vero valde differt ab altera illa, nam 1. ratione temporis neceſſe eſt, ut teneas præſentia 2. uti teneas, quemadmodum ſe res habituræ ſint, ſi hoc aut illud conſtitueris; alias inſipienter profecto aliquid conſtitueris, requiritur etiam in illo, non quidem ſemper, ſed tamen requiritur etiam 3. præteriti temporis cognitio. Non quidem id ſemper neceſſarium, ſed tamen eſt utile. Hac etiam de cauſa ſolent conſcribi hiſtoriæ rerum civilium, ut inde earum cognitio peti poſſit, & exinde aliquid diſci, quod faciat ad aliquem uſum in conſtituendis rebus civilibus. Qui ejus enim ſunt prorſus rudes, illi graviter errant, & etiamſi putent, ſe optime rem gerere, tamen ceſpitant interdum in claro meridie. Diximus porro, hic etiam requiri cognitionem τȣ̃ διότι, cauſas quatuor *illas primarias*, (d) formam, finem, materiam, efficientem, tum etiam illas, ſine quibus non, tempus & locum. Has ſi noveris, longe rectius circa omnia poteris verſari: & quanto ejus deeſt, tanto pejus ſe habet conſtitutio rei civilis. Cauſa autem hæc eſt: Omnis omnino res etiam civilis habet ſuas quatuor cauſas, & impoſſibile eſt, ut ullus cœtus civilis poſſit eſſe absque quatuor illis cauſis: ſive autem res aliqua ſit tota de novo conſtituenda, ſive vero ex parte mutanda, omnis conſultatio & definitio aut eſt de omnibus, aut ſaltem de aliqua cauſarum, ſicuti & omnis quæſtio politica. Notandum etiam porro, nihil poſſe vel effici vel conſervari, niſi quatuor cauſæ & duæ cauſæ ſine qua non adſint, & niſi inter illas cauſas juſta ſit proportio. Quodſi non ſit juſta proportio, neceſſario aut non ſequitur effectus, aut ſaltem non bene: Uti ſi non ſit juſta proportio inter cauſam efficientem & finem e. g. ſi velis conſtituere aliquid de architecto aliquo, quis eſſe debeat, quomodo hoc velis ſcire? Neceſſe eſt, uti teneas, utrum ille etiam ſit idoneus *ei ſcopo*, (e) qui eſt illi propoſitus. 2. Utrum poſſit verſari *bene circa materiam*, (f) quæ ad id requiritur. 3. Utrum ejus actiones ſint tales, vti per illas domus bene poſſit conſtrui. Inter illa omnia debet eſſe juſta proportio. Quapropter etiam deficiente harum cauſarum una, neceſſe eſt, uti & coetera deficiant. Sic locus etiam & tempus ad illa requiruntur. Coeterum tota hæc doctrina pertinet ad doctrinam de demonſtratione, quæ hactenus imperfecte eſt tradita. Habemus quidem Ariſtotelis libros duos analyticos, quod tamen opus eſt imperfectum & mutilum, ac plurima habet disjecta, ut ſæpe non poſſis divinare, quid ſibi velit. *Mathematici quidem* (g) nonnulli hac de re operam dederunt, ſed luſerunt, hactenus enim neminem vidi, qui id plene ſit executus: neque poſt Ariſtotelem quenquam Philoſophorum.

Quod

(a) *licet non integer*) Et codex Theodoſianus, quatenus a Jacobo Gothofredo editus, lacunis non deſtituitur. vid. MAVRIT. *opuſc. p.* 94. 95. Libri illi XVI. hujus Codicis, quos JOHANNES SICHARDVS Prof. Tubingenſis anno 1528. Baſileæ in lucem protulit, non ſunt niſi Breviarium Aniani. At quos JOH. TILIVS edidit anno 1549. octo libri poſteriores, niſi quod poſtremus adhuc mutilus eſt, legitimi & incorrupti Codicis Theodoſiani pars ſunt. Libri quoque ſextus, ſeptimus & octavus, cum ſupplemento poſtremi editi a CVIACIO Pariſiis anno 1566. nullam legitimam ſuſpicandi cauſſam præbent, quin ſint genuini. Omnes autem veteres antecellit editio Genevenſis ejusdem anni, in qua ſub titulos leges digeſtæ ſunt, quotquot reperiri potuerunt. *Breviarium Aniani* eſt compendium ex Codice Theodoſiano collectum, quod majori in Occidente valuit auctoritate, quam ipſe fons, unde deſumtum erat; putatque JAC. GOTHOFR. id potius Gotrico, quam Aniano eſſe tribuendum. Hiſtoriam Codicis Theodoſiani vide in hiſtoria Juris Juſtinianeo-Romani, ab HOFFMANNO conſcripta *Sect. III. p.* 218.

(b) *quæ nunc obtinent*) In judice requiritur legum & facti accurata notitia, & tanta judicii practici vis, ut commode factum ad legem applicare & ſecundum eam ſententiam ferre queat. Quid in judice requiratur, ſingulatim docet ZIEGLER *in dicaſtice.*

(c) *ſint mutandæ*) Hæc ſpectant ad jureconſultum, qui & legislatoriam & conſultatoriam & judiciariam callere debet prudentiam.

(d) *illas primarias*) Olim methodus cauſarum admodum placuit, quoniam ſcire nihil aliud eſt, quam rem per cauſas cognoſcere & ſic conveniens admodum videbatur, omnia, quæ de tractationis ſubjecto dicenda eſſent, ad quatuor potiſſimum referre loca, quanquam hanc methodum & ſuos habere defectus, non ignorem.

(e) *ei ſcopo*) i. e. ſi recte ſciverit delineare ædificium exſtruendum, atque judicare, quisnam architecturæ ordo in eo magis convenienter ſit adhibendus.

(f) *bene circa materiam*) Hoc potius ad fabrum lignarium, quam ad architectum ſpectat.

(g) *Mathematici quidem*) Optandum, ut omnes diſciplinæ juxta ductum elementorum EVCLIDIS diſpoſitæ eſſent.

Quod ſine jactantia dicam, non pauca circa hanc rem laboravi nondum reviſa, ſed tamen ſi otium ſuppetet, *eam tradam.* (a)

CAPUT II.
De perfecta notitia integræ alicujus ſingularis reipublicæ.

Hiſce præmiſſis, conſequens eſt, ut rem ipſam aggreſſi, quænam ſive ad integræ reipubl. ſive ad partium ejus quarumlibet notitiam requirantur, luculentius definiamus. Ac primo quidem de integræ reipublicæ accurata agemus notitia; quandoquidem ex iis probe perſpectis haud difficile fuerit, & imperfectionem quamque & partis cujuscunque notitiam exponere.

§. 2. Igitur, quandoquidem jam tum conſtat, ut naturalium, ita & civilium rerum omnium, *quatuor* (b) eſſe proprie ſic dictas cauſas, duas item, *locum* ſcilicet & *tempus*, quaſi cauſas, ſine quibus non; omnem autem cujuslibet rei perfectam cognitionem in cognitione cauſarum ejus conſiſtere, integræ etiam reipublicæ ſingularis notitiam, illa ejus cauſarum notitia abſolvi, manifeſtum eſt. Non eſt porro hujus inſtituti, multis docere, quid illis cauſarum nominibus venire nobis debeat, quidque adeo demum ſit, vel finis, vel materia, vel forma, vel effectrix cauſa, quot item ſingularum ſpecies, aut differentiæ. Etſi enim illud omne exacte tenere plurimum ad reipublicæ quoque ſingularis notitiam conducat, ex Metaphyſicis tamen ſcholis huc afferendum, non autem hic vel diſcendum vel docendum eſt. Ac proinde, quæ alibi præclare ſunt tradita, iis, velut conſtitutis & certis & notis, nunc in rem noſtram utemur.

§. 3. Igitur ad omnem ſingularis reipublicæ notitiam comparandam, initium faciendum eſt a fine ſeu ſcopo reipublicæ illius: idque quandoquidem a fine potiſſimum omnia dependent, & ad finem univerſa, tanquam ad *ſupremam normam*, (c) ut alias ſemper, ita & in reipublicæ cujusque negotiis ſunt exigenda. Ante omnia ergo inquirendum, quemnam ſuarum actionum finem, aut quem ſcopum, quod idem eſt, reſpublica aliqua ſingularis propoſitum habeat. Et quidem, cum interdum non unicus ſoleat eſſe, etiam alius humanarum actionum finis, nempe alius præcipuus, alius minoris curæ, & qui nonniſi obiter ſolet reſpici: hoc ipſum circa finem quoque ſingularis reipublicæ cujuslibet, frequentiſſime uſu venit; ac proinde etiam hoc atque etiam in ſingulis rebuspublicis eſt attendendum. Finis præterea alius ſolet eſſe, & dici remotus, alius proximus; & remotorum alius magis, alius minus eſt remotus; quidam vero ultimus. Quorum hic demum primarius eſt, reliqui ſunt intermedii & propter illum ultimum. Adhoc finis alius ſolet externus audire, internus alius. Quidam præterea eſt univerſalis, quidam particularis. Omnes illæ differentiæ habent ſuum uſum inſignem, etiam ad notitiam ſingularium rerumpublicarum comparandam: adeoque non temere ſunt negligendæ, ſed potius juſta cura attendendæ. * In omnibus actionibus primum eſt finis: ab eo omnia dependent, & ad eum omnia ſunt exigenda. ARISTOTELES *l.* 1. *Nic.* præclare docet, omnes artes omnemque prudentiam primo omnium ſcopum propoſitum habere, & ad eum omnia dirigere. Quapropter etiam concludit, quandoquidem in ethicis docendum ſit, quomodo humana vita ſit feliciter inſtituenda, ante omnia debere ſciri, quisnam ſit ſcopus & in quo conſiſtat felicitas noſtra. Hoc itaque agit integro l. 1. ARISTOTELES. Sic etiam omnis reſpublica habet ſibi propoſitum certum finem. Quapropter id quidem eſt extra controverſiam, eum etiam maxime eſſe obſervandum, ſi quidem quis accuratam reipublicæ cognitionem cupiat. *

§. 4. Præter vero illa ex Metaphyſicis diſcenda, ex civili etiam Philoſophia ad notitiam ſcopi ſingularum rerumpublicar. afferendum eſt: Quod meliores reſpubl. quæque propoſitum primario ſibi habeant univerſæ ſuæ ſocietatis civilis, ſecundario autem bonum eorum, quos penes eſt imperium; Quod porro aliæ, quæ Ariſtoteli dicuntur παρεκβάσεις, primario reſpectent dominantium utilitatem, nonniſi vero per accidens & ſecundario commoda ſubditorum, idque quandoquidem etiam ſubditis niſi aliquo modo ſit bene, nec dominantes queant frui deſiderata ſibi felicitate, ut proinde in hiſce quidem civitatibus ſubditi proprie ſint *propter dominos*, (d) Domini propter ſubditos tantum ex accidente. Etiam hoc præterea neſcire haud oportet, quod reipublicæ vere beatæ ſcopus eſſe debeat, Civium ſuorum omnium virtus, ejusque exercitium, conjunctum tamen cum rerum ad vitam civilem commode agendam ſufficientia; velut nec ignorari debet, quid ad illam αὐτάρκειαν vel ſufficientiam pertineat. Et, quantumvis ita comparatum eſſe debeat cum republica vere beata, ſolere tamen perfrequenter

(a) *eam tradam*) Hoc opus mihi non eſt viſum. Laudari merentur, quæ de demonſtratione VIOTTUS & ZEIDLERUS tradiderunt. Adde SCHILTERI *praxin artis analyticæ.*

(b) *quatuor*) ARISTOTELES *lib. IV. phyſ.* tam in naturalibus quam civilibus. Deus nec efficientem, nec materialem, nec finalem, cum ſibi ipſi finis ſit, ſed formalem tantum, juxta autoris noſtri philoſophiam, cognoſcit. Matheſis nullam admittit cauſam materialem, nec ibi multum ad cauſam finalem vel efficientem, ſed ad ſolam fere formalem, attenditur. In opticis & aſtronomicis reliquæ quoque cauſæ locum habent.

(c) *ſupremam normam*) Cum ex cognitione finis in practicis reliquorum dependeat cognitio. igitur in effectivis primum de fine, deinde de ſubjecto operationis & tandem de mediis agendum.

(d) *propter dominos*) Nulla civitas hunc in finem eſt inſtituta. Igitur ARISTOTELES has respublicas minus exactas ſocietates civiles, non autem plane iniquas dicit. Tales hodie dari, docet autor Cap. V. *de prudentia civili.*

ter ſingularibus civitatibus pro ſcopo potiſſimo eſſe magnam potentiam, interdum & amplas divitias, nonnunquam luxurioſam voluptatem, haud ſecus atque uſu venit in vita hominum privata, conſtat. * Cæterum παρεκβάσεις illæ ſunt quidem aberrantes, non tamen plane adverſantes ipſi naturæ iuri. Ariſtoteles autem hoc ſaltem animadvertit, eſſe eas minus exactas quidem ſocietates civiles, non tamen tales, uti naturæ juri adverſentur. Quod ideo obſervandum, quia hodie tales reſp. ſunt frequentiſſimæ: ſi autem eas omnes velis iniquitatis accuſare, profecto non poteris non magnas turbas dare. Ea de re actum in libro *de civ. prudentia cap.* 5. Habet hic ſeſe res perinde,ut alias in ſocietate domeſtica. Omnis ſocietas domeſtica conſtituitur ex domino & ſervo. Iam vero ita ſeſe habet illa ſocietas ſeu conjunctio, uti non quæratur commune bonum ex æquo: non enim ideo ſervus adſciſcitur, ut illi æque bene ſit ac domino, ſed per ſe ut bene ſit domino, per accidens ſervo. Id autem non locum habet in ſervitute mancipiorum, ſed alias quoque in omni tali ſocietate. Quemadmodum autem talis ſocietas non eſt contra jus naturæ, ita quoque civilis aliqua talis ſocietas non eſt contra naturam. Notandum autem, ita ſemper ſeſe rem habere, non poſſe eſſe dominis bene, niſi aliquo modo bene *etiam ſit ſervo.* (a) Non poteſt enim in domeſtica ſocietate bene ſe habere herus, niſi habeat ſervum fidelem, juſtum, diligentem, induſtrium & non amantem otii. Unde ſi etiam ſubditi amant otium, male eſt dominis. Non amare autem otium,eſt virtutis. Requiritur etiam aliqua ſaltem prudentia, alias enim non poterit quis iis uti, ſicuti ſi ſint ebrioſi. Ita res quoque ſe habet in rep. tali aberrante. Nulla enim eſt virtus moralis, quæ non exigatur in ſubditis ad id, ut dominantibus ſit bene: unde id debent operam dare dominantes, idque non tam primario ut ſubditis, ſed ut ſibi ſit bene. Quodſi αὐτάρκειαν videamus, etiam illa aliquo modo debent eſſe proviſi ſubditi. Fac enim illis deeſſe victum, eos corripi morbis, non eſſe inſtructos commodis ædificiis, imperantibus peſſime erit conſultum. Certe ubi imperantes non id dant operam, ſemetipſos perdunt. Habet ſe talis conjunctio, uti ſe habet conjunctio paſtoris & ovis. Solent ab Homero quam maxime commendari imperantes, quod ſint paſtores: an ibi quæritur ex æquo utilitas ovium & paſtoris? Non: ſed ovibus bene ſit propter paſtorem: alias enim perit paſtoribus ſalus propria. Quodſi poſſit illa conſtare paſtoribus abſque ſalute ovium, certe non curabunt illi oves. *Ariſtoteles in l.* 8. ubi diſputat de vere beatæ reip. ſcopo (quam tamen doctrinam non habemus integram, ſed tantum primam partem de ſcopo) & diſſerit,veram beatam vitam non debere hero aliam eſſe propoſitam,quam alicui in vita privata. Docet autem *L. I. Nicom:* quis debeat eſſe finis hominis vere beati, poſtquam expoſuerat, qui ſoleat eſſe vulgo finis: concludit autem,eſſe I. ſi operetur & ſtrenue agat ea, quæ ad virtutem faciunt. Requirit etiam 2. ut habeat τὸ αὔταρκες tantum, quantum ſatis ad vitam commode degendam. Eſt enim Ariſtoteles in alia á Stoicis ſententia, qui docuerunt, in ſola virtute & ejus exercitio conſiſtere beatitudinem. Ita *in Seneca* (b) non reperietis aliam doctrinam. Peripatetici vero aliter ſtatuerunt, docentes ſimul hominem vere beatum eſſe non poſſe, niſi quoque aliqua ex parte iis ſit *inſtructus*, (c) quæ ad vitam beate degendam pertinent. Itaque ſi hoc requiritur ad privatam vitam hominis, omnino quoque ad remp. ea requiruntur. Et non poſſum aliter judicare, quam eſſe infelicem remp. quæ non habeat illa bona, quæ ad vitam requiruntur. Sed aliam αὐτάρκειαν eſſe ſemper,aliam interdum neceſſariam. In univerſum enim omnis reſp. quæ quidem debet eſſe felix,utique debet eſſe inſtructa omnibus iis,quæ ad victum, ad amictum,commodam babitationem reqoiruntur. Non tantum autem iis debet eſſe inſtructa, ſed & iis, quæ faciunt ad elegantiam quandam, non quidem ſuperfluam aut nimiam. Quod usque adeo eſt verum, ut ipſe quoque Deus O. M. inſtruxerit ſuam remp. nnn tantum ad neceſſitatem, ſed etiam ad elegantiam, uti ex cultu ſacerdotum & regum ſingulari patet. Quanquam per ſe in hoc non conſiſtat felicitas, tamen oportet id adeſſe, ne ſit plane ſordida reſpublica. Debet etiam eſſe inſtructa reſpublica ad avertendam omnem vim. At vero ad id non ubivis eadem requiruntur, quia vis non ſemper eſt eadem, neque ſemper imminet idem periculum. Fac enim te vivere apud potentem vicinum, & qui velit ſuam potentiam augere: igitur ibi majores apparatus ſunt neceſſarii, quam ſi vicinus ab alio ſit animn, a minori potentia. Victus & amictus quoque ubivis non poſſunt eadem felicitate comparari, alibi enim aliunde debent acquiri, alibi domi naſcuntur ea omnia. Facile itaque apparet, ad αὐτάρκειαν non ubivis eadem requiri. Verum tametſi ita habere ſeſe debeat ſingularis reſpublica vere beata,

(a) *etiam ſit ſervo*) Nihil turpius, nihilque reipublicæ magis noxium, quam ſubditis, quibus omnis propemodum fortuna eſt ademta, imperare. Si nummi, qui in arca aſſervantur, in ſubditorum manerent manibus, eis neceſſitatibus ſuis conſulere, in licitum illos collocare ſoenus, aut in commercia, & principi ſemper, ſi eis indigeret, præſto eſſe poſſent. Quid ſi hoſtis locum illum, ubi totius regni opes aſſervantur, in ſuam redigeret poteſtatem, nonne de toto regno actum eſſet? Neque ſubditi tanto animo pugnaturi erunt, ſi non tam pro ſuo, quam pro alieno arma corripient.

(b) *in Seneca*) Affectatam tamen hanc Senecæ fuiſſe philoſophiam tradunt. DREXELIVS *in Aurifodina* opes ejus privatam excedentes ſortem enumerat. Suilius Senecam ſequentibus increpat: *Qua ſapientia, quibus philoſophorum præceptis intra quadriennium regiæ amicitiæ ter millies ſeſtertium paraviſſet.* TACITVS *A. lib. XIII. c.* 43

(c) *inſtructus*) Et hanc ſententiam veriorem puto. Beatus enim dici nequit, qui non niſi ærumnis conflictatur, ita ut nequidem neceſſaria ipſi vitæ ſubſidia ſuppetant. Rarior aut ſaltim non plenus & perfectus ſine aliquibus opibus eſt virtutis uſus.

beata, interim tamen non omnis reſpublica ita ſe gerit: & ſicut, docente *Ariſtotele l. I. Eth.* varia ſunt ſtudia hominum, dum alii alia pro fine habent,ita quoque res ſe habet de rebuspubl. Sic alii in magoa poteotia collocaot ſuam ſelicitatem: id magni monarchæ frequentiſſime ſolent ſibi *habere propoſitum* (a) e.g. Perſa, Turca, Mogol, Moſcus &c. Plurimis quoque Europæ principibus is idem mente hæret, ſed deſtituuntur viribus, igitur non poſſunt. Itidem aliquibus aliis rebuspubl. propoſitum eſt, uti Lacedæmooiis tempore Ariſtotelis. De Athenienſibus, Athenis vivens non auſus fuit, idem propoſitum fateri. Ad belli artes tum temporis in regnis omnia fere fuere compoſita, ad pacis non ita: quod etiam in Lacedæmoniis obſervat Ariſtoteles & reprehendit. Non puto, tales haud reſpubl. dari: de Helvetia tamen, Belgio & Veneta repubI. id non dicendum putem. Aliis rebuspubl. divitiæ & magna opulentia propoſita, unde ſi quærunt potentiam, quærunt per accidens, uti divites evadant: an hoc de Belgis dici poſſit, patebit alias. Non tamen id dixeris de Helvetis; *Veneta* (b) reſpubl. habet aliquid â regnis, nam regna quærunt quidem divitias, ſed potentiæ cauſa. Clariores ſuot reſpubl. quæ voluptatem habent pro fine. Homines privati & reges ſolent hoc interdum agere, ſed per accidens reges. Obſervare licet tameo,monarchias interdum hoc vitio laborare & Optimatum reſpubl. Memini antea de ſcopo reipubl. Polonicæ, & reprehendi id, quod plerique Optimates ſectentur luxum & voluptates, aſſeruique Polonicæ reipubl. potiſſimum ſcopum eſſe *luxurioſam vitam.* (c) Ne nunc quidem poſſum mutare, licet maxime optarem, ſententiam: quia magno noſtro malo ſit, quod illi paulatim ſcopum reipubl. ſuæ ponant in luxurioſa vita: quia illa reſpubl. eſt hactenus murus noſter contra Turcam & alios exteros, quæ ſi concidat, profecto nos erimus in periculo. Ut dictum,diſſerui ita jam tum, non tamen ita crude,uti id accepit quidam auditorum, homo revera minus probus, quique ipſa ſectatur pocula & voluptates, edito ſingulari contra me libro. Cui tamen cum reſponſum ſit ab alio anonymo, qui ea de re volunt plura ſcire, poſſunt utrumque librum legere & exinde judicare. *

§. 5. Hiſce probe perſpectis non difficile fortaſſis fuerit, reipublicae cujusvis ſcopum ac propoſitum pervidere. Obſervandum tamen & hoc eſt, quandoquidem haec ſocietas conſtat magna moribus & inſtitutis diverſorum hominum multitudine, ad ſingulorum actus & propoſitum reſpectare, huic quidem notitiæ acquirendæ non eſſe neceſſarium: quoniam bona pars ſolet propria potiſſimum,non publica curare, nec ſolet quoque ad publicas curas admoveri. Et vero in Monarchiis, ut & in paucorum, ſive divites ſive optimates fuerint, Politiis plerique arcentur a reipublicæ negotiis. In univerſum vero is demum eſt reipublicæ cujusque ſcopus, quem illi, qui eam regunt, propoſitum habent & quidem non privatis, ſed in publicis negotiis.

§. 6. Inquirendum igitur primo, utrum regatur reſpublica per ſe quidem, non vero ex accideote, ad illum aliquem ſcopum, an vero potiſſima quidem ex parte ad unum, aliqua tamen ad alium itidem ſummum. Per ſe, inquam; Nec enim hoc nunc quæritur, quid ſecundario & propter aliud fiat. Ceu enim jam ante diximus, ſunt ſæpenumero finium alii aliis quaſi ſubordinati: Qui proinde per ſe noo expetuntur, ſed quaſi duntaxat ex accidente. Fieri vero ideotidem ſolet, ut æque primo ac per ſeſe multa ſint reipublicæ alicui propoſita, etſi unum magis,alterum mious. Id quod vitio fieri tamen plerumque certum eſt. Perinde enim atque omnis prudens artifex, operum ſuorum unicum aliquem ſummum finem primo ac per ſe reſpicit; ad eundem modum id facit prudens Politicus, ſive omnis reipublicæ cujusvis ſingularis gubernator.

§. 7. Secundo loco inquirendum, & quidem ante omnia eſt, an cunctorum civium pari ratione quærantur commoda: an vero potiſſimum ſpectetur imperantium ſalus, reliquorum vero nonniſi per accideos, & in quantum intereſt imperantium, ut etiam reliquis illis non ſit male.

§. 8. Videndum tertio eſt, quidnam tandem illud ſit, ad quod tanquam ſcopum ultimum, ſive unice, ſive maxima, aut minori etiam ex parte, omnia reipublicæ negotia diriguntur. Utrum nempe ſit vera felicitas civilis, in virtutis ſcilicet exercitiis, & omnium ad vitam illam neceſſariarum rerum ſufficientia collocata,an vero ſit *potentia magna*, (d) & latum imperium, an opulentia, eaque *vel publica* (e) duntaxat, vel *civium ſingulorum*, (f) an deni-

que

(a) *habere propoſitum*) *Optimi quippe mortalium altiſſima cupiunt:* Verum hoc quoad famam intelligendum,cujus & illi, quibus ſunt ſola bona, quæ honeſta,mala, quæ ſunt turpia, appetentiores eſſe ſolent. Cupido gloriæ ſapientibus noviſſima exuitur. TACITVS *ann. lib. IV. c. 38. Hiſtor. lib. IV. c. 5. 6. in Agricola c. 9.*

(b) *Veneta*) Venetiarum vires imminuit, quod late dominari voluerint.

(c) *luxurioſam vitam.*) Hanc ſententiam a veritatis tramite deviam eſſe, oſtendit perſonatus autor FRANCISCVS MARINIVS *de ſcopo reipublicæ polonicæ.* Sub MARINIO JOANN. SACHSIVM latitare, jam alibi monui. Nec placent Polonis, quæ de eis BARCLAIVS *in icone animorum* habet, cui ſe oppoſuit anonymus, quem OPALINSKIVM dicunt. CONRINGII partes defendendas ſuſcepit itidem anonymus, qui fuit MOTNIVS Daniæ regis ſecretarius, *Schediaſmate de Script. Polonicis.*

(d) *potentia magna*) Talem Galliæ & Hiſpaniæ regnis, potiſſimum ſub Henrico IV. Ludovico XIV. Carolo V. & Philippo II. metam fuiſſe, tradunt.

(e) *vel publica*) Non deſunt terræ, ubi illi, quibus Deus ſummum rerum arbitrium dedit, conglomerandis nummis ſunt intenti. Sed hoc rarius eſt in principatibus. Ii enim ad famam & ſplendorem cuncta dirigere ſolent.

(f) *civium ſingulorum*) Tale quid Batavos aliasque gentes, qui commerciorum ſtudio florent, moliri,compertum habemus. Sunt qui putant,Batavicam rempublicam pro

ſcopo

que voluptas ſive *vita luxurioſa.* (a) Nec enim non ex integro reſpublicæ perfrequenter aberrant a veræ felicitatis civilis propoſito: quanquam pauciores per ſe ſpectent divitias, plures autem eas quærant, majoris potentiæ ergo, pauciſſimæ tantum in id, ut luxurioſius ſibi vivere liceat, ſive in luxuriæ inſtrumentum; Nec vero id, niſi perquam raro fieri ſolet & quidem vix alibi, quam in dynaſtiis, infima ſpecie Oligarchiarum, & Tyrannidibus.

§. 9. Poſtremo quidem de fine quidem interno, quoniam is idem eſt cum ipſa eſſentia ſive forma reipublicæ, non eſt quod ſeorſim hoc quidem loco quispiam ſit ſollicitus: Attendendum tamen eſt ad fines quosvis particularium reipubl. ſingularis munium, examinandumque, quam illi bene vel male ad finem externum ultimum ſint compoſiti. Cum utique juſta debeat eſſe reſpectu iſtius finis ultimi, quantumvis etiam ille minus probe ſeſe habeat, proportio & harmonia, reliquorum iſtorum particularium finium, qui reſpectu ultimi illius & communis, quaſi ſunt intermedii, ut nec ultimus poſſit comparari, niſi illis intermediis eum iſtoc ultimo convenientibus. Quod niſi fiat, gravi utique morbo laborat reſpublica * Omnis civilis ſocietas conſtat ex variis vitæ generibus. Singulis autem generibus ſui ſunt mores. Merito itaque quis dubitet, quomodo poſſit intelligi, quis ſit ſcopus reipubl. Itaque monui, non privata eſſe videnda, ſed ea, quæ ad publicum uſum faciunt. Nam privatim ſinguli agunt, quod ſuum eſt: ex illis autem non licet colligere, quemnam ſcopum respubl. habeat ſibi propoſitum. Sed ex publicis ſolis negotiis eſt judicandum, quis ſit ſcopus reipubl. Quandoquidem autem illa, quæ pertinent ad negotia publica, ſolent peragi ab iis, qui regunt rempublicam, itaque ad eorum quoque actiones eſt reſpiciendum: ex operibus enim eorum, qui regunt rempubl. demum poteſt cognoſci, quis ſit ſcopus reipubl. Accurate deinde reſpiciendum ad actus civiles, & animadvertendum, an unum, an plures ſcopos habeat ſibi propoſita reſpublica. Scilicet perfecta reſpublica habet tantum unum ſcopum, & ſi habet alios, illi ſunt tantum ſubordinati. Sæpe numero autem fit, ut illi non ad unum aliquem ſcopum, ſed etiam ad alios reſpiciant: id quidem vitio fit, & per imprudentiam, aut quoniam reſpubl. non eſt vere una: ſed tamen fit. Ita in Germania nemo dixerit, omnium eſſe unum communem ſcopum: id fit, quia reſpubl. non eſt *vere una.* (b) Id imprimis in mixtis rebuspubl. obſervare eſt: illæ tamen ita ſunt diverſæ ut alius huc alius illuc tendat. Non autem omnia ſunt æſtimanda ex eo, quod fieri debet, ſed quod fit: prius enim docetur in generali doctrina politica, ibi ad hoc attentum eſt. Porro pergendum & accurate conſiderandum, utrum, qui regunt rempubl. eam, regant ex æquo ad utilitatem totius reipubl. an vero primario ad utilitatem totius reipubl. ſecundario ad utilitatem parentium. Vere perfectæ enim reſpubl. debent reſpicere communem utilitatem: Verum etiamſi hoc fieri debet, revera tamen non fit. Et, ſi circumſpicias tantum leviter quæ fiunt in Europa, pauciſſimas tales reperias; Sed per accidens tantum quæritur ſalus ſubditorum. Quandoquidem intereſt imperantium, uti & ſubditi habeant, quæ ad vitam pertinent & ſufficienter quidem, utque ſint inſtructi virtute, in tali quoque republ. danda eſt opera: non uti ipſi ſubditi diteſcant, ſed ut poſtea poſſint contribuere principibus. Itaque hoc in omni conſultatione proponitur. Si ita exhauriantur ſubditi, non poſſunt poſtea ſuis rebus ſufficere, juxta illud: tondendæ oves, non deglubendæ: ita enim ſufficiunt in annos plures, alias autem cito actum eſt. Poſteaquam hoc cognitum eſt, porro videndum, quemnam ergo ſcopum habeant ſibi propoſitum, qui imperant: an veram felicitatem civilem, an vero non. Revera enim vera felicitas civilis in eo conſiſtit, ut illi, quorum ſalus quæritur, ſint inſtructi abundantia rerum neceſſariarum & virtutis exercitio. Si ad id omnia componuntur in republ. illa habet ueram felicitatem civilem. Quodſi ad utilitatem populi ſit directa reſpublica, hoc debet agi, ut omnes cives ſint ad hanc rem apti & educati. Eſt autem hoc quoque obſervandum in rebuspublicis illis, quæ ſpectant non utilitatem populi per ſe, ſed per accidens. Poſt cognitum finem proxime agendum eſt de materia. Aut enim agitur de re jam confecta, aut conficienda, ad utrumque opus eſt cognitio materiæ. Materiæ autem civilis ſocietatis ſunt revera quam maxime homines, qui vivunt in civili ſocietate. Ideoque ante omnia illorum hominum natura accurate eſt cognoſcenda. Omnium enim hominum ingenia non ſunt apta ad idem. Sicut non ex quocunque homine civis cujuscunque civitatis: ad magnam partem acquirendam, non apti ſunt ignavi deſides. Sed ad hanc partem non ſpectant ii, qui ad cauſam efficientem ſpectant, ſcilicet imperantes; nam ii non pertinent *ad materiam.* (c) Exemplum

ſcopo divitias habere, quoniam latiſſima terrarum ſpacia, quibus in Aſia & Africa dominantur, non late imperandi ſed divitiarum acquirendarum animo occupaverint. Quamobrem & ſocietates, quæ ſub Indiæ orientalis & occidentalis nominibus notæ ſunt, originem acceperunt. Collineant huc, quæ habet autor libri, cui titulus: das *Intereſſe* von Holland.

(a) *vita luxurioſa*) Hunc ſcopum Sybaritarum habuiſſe dicitur reſpublica. STRABO *lib. VI. p.* 263. Talis hodie vix dabitur. Videtur non tam facile in democratiis, quam tyrannidibus & illis oligarchiis, quæ Ariſtoteli dynaſticæ dicuntur, locum habere poſſe. Omnia enim, quæ ibi fiunt, nonnunquam ad luxurioſam ſunt directa vitam.

(b) *vere una*) Vera & perfecta unitas eſſe non poteſt in rebuspublicis mixtis, in quibus actus majeſtatici per plura exercentur ſubjecta, quæ diverſas in exercitio illo habent partes & diſcrepantes non raro fines, diverſasque inter ſe & ad totum relationes. Eſſe tamen in eis quædam poteſt unitas, quam nec CONRINGIVS in imperio germanico negavit, quæque ſuum in imperii receſſibus fundamentum habet. KVLPIS *de unitate republica in S. R. I. C. II.*

(c) *ad materiam*) Quod ſi vero homines conſiderantur, ut de

plum habemus in cooclavi Pontificio. Legatur liber elegantiſſimus germanicus **der Cardinals Zuth**/ (a) qui de omni illa re prolixe tradit.

§. 10. Poſtquam comparata ſatis eſt ejus, quod pro ſcopo regiminis reſpublica aliqua habet, ootitia, proximum eſt, ut inquiratur in omne illud, quod materialis cauſæ vice eſt in civili aliqua ſingulari ſocietate. Sicut ſane alias io artis operibus, ſive illa confici adhuc debeant, ſive jam confecta ſint, prima poſt ſcopum animo conceptum cura ſolet eſſe de materia: quemadmodum materia illa,quæ parari poteſt, vel eſt ad manum, ſeſe habeat, apta ne ſit, ut iode aut confici poſſit opus ſcopo propoſito conſentaneum, aut ſi opus ſit jam confectum,utrum materia operis ſit idonea illi uſui, quem opus præſtare debet. Ad eundem modum eſt proximum a notitia ſcopi intelligere, num illud, unde aut conſtrui debet, aut jam conſtructa eſt civilis aliqua ſocietas, quadret propoſito reipublicæ fini. Enimvero, perinde ut in artis operibus, interdum ne quidem illud ſuppetit, unde civilem ullam ſocietatem poſſis condere, interdum deeſt illud, unde poſſit parari reſpublica, aut ad hunc aut illum ſcopum conſequendum idonea. Jam tum coodita item republica, nonnunquam deficit materia, unico reipublicæ ſcopo apta, perfrequenter illa, quæ apta eſt huic aut illi ſcopo. Nec vero vel unico corpori civili, vel etiam ſimpliciter vitæ civili vere beatæ, vel magno imperio, vel amplis divitiis, vel voluptatibus quilibet populus (is autem maxime pro materia eſt civili) promiſcue poteſt inſervire. Velut *non ex quovis ligno fit Mercurius*, ceu in proverbio eſt. Sed omoino certa populi cooditio requiritur cum ſimpliciter ad omnem rempublicam vere unam & perfectam, tum ſeorſim ad varios reipublicæ ſcopos.

§. 11. Sunt autem cujuslibet civilis ſocietatis materia potiſſima homines; Omnis enim civitas utique primo conſtat hominibus conſociatis. Ad materiam vero pertinent præterea & bona humana: quoniam hæc quaſi appendices ſunt hominum, in quantum ſanc illi ſunt capaces civilis vitæ. Nec enim homines nudi & omnium bonorum egeni civilem ſocietatem colere apti ſuot: ſed neceſſum eſt, ut illi vel jam habeant, vel promte ſibi parare poſſint bona vitæ humanæ neceſſaria. * Quidam homines ſunt ita comparati, ut non poſſint eſſe membra civilis ſocietatis ob mores efferatos: Eleganter Statius de Creoote

- - - ferro cogendus & armis
In mores hominesque Creon - - -

Talis populus eſt Polonicus, quem ſi Sueci uno vel altero *prælio viciſſent*, (b) optime de eo actum fuiſſet, nunc autem manent ſciſſi & incapaces *reipublicæ conſtituendæ*. (c) Germanica reſpublica eſt ſciſſa, ut non poſſit in unam rempublicam coire, ſi autem etiam velis in unum redigere,remedium pejus eſſet malo ipſo. Ita & Hollandia oon poteſt unam conſtituere rempublicam, quia ſingulæ civitates ſunt potentes, hinc fœdera inter ſe ineunt, non autem unam faciunt *rempublicam*. (d) Videtis itaque, populum præprimis conſiderandum & multum facere ad rempublicam. Ita Romulus conſtituturus rempublicam,quæ dominatum ad ſe raperet, non deſides homines accepit, ſed paſtores, raptores, & qui ſcelera commiſerunt, congregavit. * Nec tameo ad hanc materialem claſſem promiſcue homines omnes pertinent, in quantum ſano nonnulli reipublicæ rectores agunt: hactenus enim illi ad cauſam pertinent efficientem. Proprie vero hujus quidem loci ſunt homines omnes ita in civili ſocietate aliqua degentes, ut regimine publico contineantur. Primum omnium ergo in iſtorum hominum, inde in bonorum conditionem omnem, ad plenam quidem ſingularis alicujus reipublicæ notitiam parandam, ioquiſitio inſtituenda fuerit.

§. 12. Sunt autem & hominum in republica aliqua degentium varii ordioes. Principio enim alii ſuot vere cives aut certe ingenuæ partes civilis ſocietatis: alii ſunt duntaxat *inquilini*, (e) ooo autem cives: alii denique ſunt vere *peregrini*, (f) atque ſine fixa ſede in civitate commorantes. Differunt porro homines illi inter ſeſe cum ſexu, tum ætate, ut alias nunc differentias ſileam. Facit potiſſimum ad reipublicæ notitiam cognitio civium, quandoquidem il demum

de inſtituenda republica ſoliciti, quando ſcilicet inter ſe paciſcuntur de reipublicæ forma, & deinde cum eo, cui majeſtas conferri debet,non ad objectum civitatis, ſed ad ejus cauſam efficientem pertinent.

(a) **Cardinals Huth**) Add. *Hiſtoire du conclave,& il Cardinaliſmo* di GREGORIO LETI.

(b) *prælio viciſſent*) Loquitur de prælio decretorio. Nam conflictibus nonnullis Polonos a Suecis ſub Guſtavo Adolfo, Carolo Guſtavo & Carolo XII. ſuperatos eſſe, commentarii rerum geſtarum, quos Puffendorffius compoſuit,& libri, qui de Caroli XII. vita tradunt, teſtantur. Quod ad Caroli Guſtavi res attinet, ibi Polonorum fortunam admodum fluctuaſſe, ex equitis Poloni apologia,quam pro Lubomirskio mareſcallo regni & campi ducis conſcripſit,patet. *Experimentum*, inquit, *fecit fortuna, tunc quando Suecica potentia e transmarinis erumpens provinciis totam pene inundaverat Poloniam. Fugiebant pene ad Antipodas, ſolo duntaxat Suecici acinacis fulgore perſtricti Senatores,& regni hujus proceres,nec ullus pro tuenda regiæ maeſtatis integritate, vagina educere auſus enſem.* Sed neſcio,an Polonorum rebus magis conſultum fuiſſet, ſi reſpublica eorum a victore ad formam perfectæ monarchiæ eſſet redacta.

(c) *reſpublica conſtituenda*) Polonorum reſpublica, ut aliæ mixtæ, habet ſua commoda & incommoda, non tamen ita inepta eſt, ad ſalutem populi promovendam. Fateor tamen,ibi ex nimia libertate vitium eſſe.

(d) *rempublicam*) Foederatum Belgium non unam eſſe civitatem, docent BVSIVS *diſp. polit.* 16. §. 29. & HVGO GROTIVS in apologetico. De hoc argumento alibi plura dicentur.

(e) *inquilini*) vide ZAHNII *politiam municipal.*

(f) *peregrini*) Qui tamen in civitate quamdiu ſunt, ejus leges & conſuetudines ſequi debent; ſunt enim ſubditi temporarii.

demum propria ſunt membra civilis ſocietatis: aliqua tamen ratione ex uſu etiam eſt, noviſſe quemadmodum ſeſe habeant inquilini, imo & illi, qui ſine fixo vivunt domicilio; ordines etiam ſexus atque ætatis, quam maxime ſpectandi ſunt in civibus: circa inquilinos & illos vagos peregrinos non perinde opus eſt, accurate in talia inquirere. Quapropter & nos trademus initio illa, quæ ad cives attinent: paucis deinde agemus & de reliquis, inquilinis inquam, & iſtis, quos diximus peregrinos, cum & eorum cognitio aliquo modo ad uſum faciat. Idque ideo, quoniam magnus ſæpe eorum eſt numerus, in quem & omnino intendendum, ne novi quid moliantur. Sic in civitate Mediolanenſi aliquot millia ſunt peregrinorum & inquilinorum. Mulieres æque dimidiam reipublicæ partem obtinent: itaque ſi quis eas non novit, ignoraverit etiam dimidiam partem reipublicæ.

§. 13. Obſervandum vero etiam hoc venit, quod ad plenam ac numeris omnibus abſolutam civium notitiam ſit neceſſarium, indagaſſe ante omnia quidem, quemadmodum illi reapſe jam tum ſeſe habeant, ſecundo tamen loco noviſſe etiam oporteat, quales illi eſſe poſſint, accedente ſive diſciplina, ſive prudenti regimine. Ita enim demum patere poteſt, & quomodo nunc adeo reſpublica ſeſe habeat, & num fortaſſis in futurum rectius illi poſſit, nec ne, conſuli.

§. 14. Igitur homines quod attinet, cum omnium ordinum, tum maxime civium, primo quantitas, deinde & qualitas ſpectanda venit. Et quidem cum duplex ſit quantitas, alia continua, alia diſcreta, continua minus ad publicum uſum facit, adeoque ejus ratio multum ut habeatur, neceſſum non eſt. Non tamen nihil refert, qua magnitudine ſint civium corpora. Quandoquidem enim in bellicis præcipue negotiis manu aut tuto corpore multa peragenda ſunt, ad actus autem ejusmodi exercendos intereſt, qua cives ſint corporum magnitudine, utique hactenus etiam illam ſpectaſſe, ad integram facit reipublicæ notitiam. Majoris tamen longe commodi eſt, noviſſe numerum civium: idque quoniam numerus non corpora duntaxat, ſed animas quoque ipſas adeoque integros homines comprehendit. Conſiſtit vero magnitudo corporis, in quantum quidem illa aliquem civilem uſum præbet, partim in proceritate aut brevitate, partim in tenuitate aut craſſitie, vel ut clarius dicamus, membris toroſis. Et vero obſervare eſt, interdum integros populos, alios proceros, alios breves, exiles alios, alios toroſos & craſſos, quosdam denique mediocri eſſe habitudine. Interdum vero & magnam eſſe corporum diverſitatem, ſive non eundem corporis habitum; ſicut olim Germanis unus fuit corporis modus, isque perquam procerus. Ex adverſo Tyriæ originis Carthaginenſes puſillos fuiſſe, indicant illa Silii Italici:

> *Princeps ſigna tulit, Tyria Carthagine pubes,*
> *Membra levis, celſique decus fraudata ſuperbum*
> *Corporis* - - - -

Illa autem ſua altitudine Germanos fuiſſe Romanæ improceritati terrori, ne ipſi quidem *Romani ſcriptores* (a) veteres diſſimulaverunt. Unde Vegetius: *Quid adverſus Germanorum proceritatem Romana brevitas potuiſſet?* Etiam vero hodie videre eſt, gentes integras multum corpore differre, atque adeo hac etiam de cauſa alias aliis ad res bellicas magis minusque idoneas eſſe. Velut *Samojedas* (b) & *Lappones* (c) ceteroſque ſeptentrionalium extimos, ſtaturæ quoque brevitate ineptos eſſe ad bellum cum vicinis Norwegis aut Sueonibus, aut Ruſſis longe celſioribus & robuſtioribus gerendum, liquidum eſt. Cum negotia quoque nautica requirant corpora toroſa & valida, facile apparet, illos, qui exili aut tenui ſunt habitudine, populus iſtis quidem nauticis expeditionibus idoneos non eſſe.

§. 15. Ceterum, ceu ante dictum, majus reipublicæ momentum eſt in numero collocatum. Hic itaque diligenter eſt obſervandus omni reipublicæ alicujus ſingularis ſcrutatori. Eſt autem numerus vel promiſcue omnium ſive civium, ſive inquilinorum ſive & peregrinorum, vel certarum claſſium, in quas præcipue cives illi, quos appellavimus, diſpeſci ſolent. Et vero ſatis plerumque eſt, peregrinorum & inquilinorum numerum noviſſe, tantum univerſim, ſine ullo eorum diſcrimine. *Plerumque* ajo. Interdum enim, ſi quæ eorum fuerint differentiæ majoris uſus, requiritur, ut ſpeciatim quoque magis horum numerus ineatur. Velut ex. gr. In emporiis negotiatorum, ut & Artificum, alibi Militum, alibi eorum, qui operas præſtant manu, alibi pauperum ſimiliumque, quamvis peregrini illi fuerint, nec inter reipublicæ membra debeant computari. * Germanorum olim in tanta hominum multitudine unus & idem omnium fuit corporum habitus, proceri perquam omnes, glauci oculi, *coma flava* (d) & promiſſa. Sed illa in nobis omnia variant. Cauſas & antiqui & moderni habitus corporum Germanicorum indagavi in peculiari libro, qui eſt legendus. Contra ſeptentrionalium omnium, uti Samojetarum, Lapponum, Americanorum illorum omnium, qui ſeptentrionem propius accolunt, brevis admodum neque ultra 3. vel. 4. pedes eſt ſtatura. Unde falſum eſt, quod dicunt

(a) *Romani ſcriptores*) vid. quæ Cæſar de Arioviſti militibus habet.

(b) *Samojedas*) *Nouveau voyage du Nort c. LII. & LXV.*

(c) *Lappones*) BODIN. *method. hiſtor. c. 5. p.* 112.

(d) *coma flava*) Unde Juvenalis cantat:

> *Cærula quis ſtupuit Germani lumina flavam*
> *Cæſariem & madido torquentem cornua cyrrho.*

vid. BODINI *method. hiſtor. p.* 112. 113.

dicunt, Guſtavum Adolphum Sueciæ regem ſecum Lappones adduxiſſe ad bellum: Nam ob eorum improceritatem bella gerere non poſſunt, & nequidem unquam in bello ſuere a Suecis adhibiti, neque hodienum adhibentur. Sed uti dixi, Africani quoque omnes ejus erant ſtaturæ: nunc autem Africa alit homines valde proceros: adeo omnia mutavere. Sed hæc tantum conſiderari merentur ob uſum militarem & nauticum. Majoris vero, uti in textu diximus, uſus eſt conſideratio numeri. Et quidem quod ad peregrinos attinet, magna eorum multitudo ſæpe eſſe poteſt noxia reipubl. ideoque ad eam eſt reſpiciendum. Amſtelodami ultra 30000. peregrinorum quotidie vivunt: Tantus autem numerus meretur omnino conſiderationem. Tum ex his alii ſunt apti ad opificia cum magno emolumento emporiorum, ſi multi ſunt: alii autem ad militiam ſuſcipiendam, quorum magnus numerus eſt Hamburgi, ita ut ibi colligi poſſit facillimo negotio miles. Validi autem *illi mendicantes* (a) non ſunt ferendi in republica, itaque pauperum quoque numerus eſt conſiderandus. *

§. 16. Attamen ut ἁπλῶς plena civium notitia neceſſaria eſt, ita & numerum noviſſe ſingularum quarumcunque claſſium civilium, operæ eſt pretium. Sunt autem ejusmodi claſſes aliæ honoratorum civium & vulgi, aliæ bonorum & malorum, aliæ ſacrorum & profanorum, aliæ nobilium & ignobilium, aliæ divitum & pauperum, aliæ militum aut militiæ aptorum & imbellium, aliæ artificum & quidem varii generis, aliæ agricolarum, aliæ mercatorum, aliæ prudentum & idiotarum, aliæ doctorum & indoctorum, ſimilesque. Numerus porro ſimpliciter quidem alius magnus, alius parvus, alius mediocris eſt. Habito autem ſcopi reipublicæ reſpectu alius ſufficit, alius deficit, alius & abundat. Fit enim interdum, ut respublica laboret nimia multitudine, non minus atque alia paucitate. Quorum poſterius hodie *in Hiſpania* (b) eſt obſervare; cum Galliæ ea parte deſit nihil. Jam olim obſervavit Ariſtoteles, Athenis nauticam turbam usque adeo invaluiſſe, ut hinc nonnihil mutaverit ibi respublica. Sed & alius, aliusque finis reipublicæ aliam atque aliam exigit civium multitudinem. Et vero, quæ ex voto eſt optima, contenta eſt haud magno numero, ſi Ariſtoteli quidem credimus: At ex. gr. quæ latum imperium ſibi propoſitum habet, illa poſtulat bellicoſorum civium *ingentem multitudinem*, (c) qualis quondam fuit Romæ. Quæ opulentiam, illa ſine mercatorum artificumque numeroſa plebe, eujusmodi nunc eſt in Hollandia, non poteſt deſiderii ſui fieri compos. Quæ omnia exacte docere, politicæ eſt univerſalis ſcientiæ.

§. 17. In hunc modum quantitate omnium, qui in republica aliqua vivunt, cumprimis vero eorum, quos cives appellavimus, perſpecta, proxima cura impendenda eſt notitiæ qualitatis. Imo vero hæc priorem iſtam utilitate pariter & amplitudine longiſſimo intervallo ſuperat. Enimvero alteram utilem, hanc vero neceſſariam merito dixeris, quoniam ad omne reipublicæ momentum plurimum qualitas, quantitas autem nonniſi ad pauca aliquid confert, præſertim continua; quæcunque autem numerus adfert, illa potiſſimum a qualitate proveniunt.

§. 18. Ceterum qualitatum humanarum aliæ corporis, aliæ animæ ratione inſunt. Illæ pauciores ſunt, eæ minoris uſus hisce: cognitu tamen ad rempublicam regendam perquam utiles. Ad hunc cenſum demum pertinent (1) ſanitas eique oppoſita valetudo: (2) robur & imbecillitas: (3) ad injurias aëris victusque ferendas induratus, aut mollis & impatiens ejusmodi moleſtiarum corporis habitus: (4) gravium laborum tolerantia, aut deſidiæ & quietis ſtudium. Attendenda autem hæc ſunt cum promiſcue in omnibus, tum præcipue in civibus. Cumque & hi differant ſexu, ætate variisque, quos jam diximus, ordinibus, prima claſſis harum qualitatum ſine diſcrimine in omnibus civibus, reliquæ in iis maxime, quorum in officio eſt, corporis operibus reipublicæ inſervire, & quidem in belli potiſſimum negotiis, ſpectandæ veniunt: cujusmodi, & qui ſunt maſculini ſexus, & in hoc juvenes maxime ſunt & viri, non item ſenes aut pueri. Eapropter ſane accurate olim talia in noſtris Germanis & Gallis, hoſtibus ſuis maxime formidabilibus, Romani notaverunt. Taciti de Germanis in univerſum omnibus hæc ſunt verba: *Magna corpora* (d) *& tantum ad impetum valida, laboris atque operum non eadem patientia, minimeque ſitim æſtumque tolerant, frigora atque inediam cælo ſoloque aſſueverunt.* Idem libro *Hiſtor.* 2do de Germanis loquitur: *Jam Germanos, quod genus militum apud hoſtes atrociſſimum, fluxis corporibus, mutationem ſoli cælique haud toleraturos.* De Cimbris gente Germanica Polyænus l. 8. *Marius cum Cimbris conflicturus ex rigidis regionibus profectis, ſciebat, eos glaciem & nives ferre poſſe, calorem ac ſolem non item: æſtu confectos plurimum ſudorem cum ſpiritu emittere.* De milite Prætoriano Gallico pariter & Germano Tacitus: *Adjacentia Tibri Germanorum Gallorumque obnoxia morbis corpora, fluminis aviditas & æſtus impatientia labefecit.* Seorſim de Gallis eleganter PAVLVS OROSIVS: *Incaleſcente ſole, fluxa Gallorum corpora in modum nivium diſtabuerunt.* Qualia de Gallicis antiquis corporibus etiam Livio, Plutarcho, Paterculo, Polybio,

(a) *Illi mendicantes*) vid. FRITSCHII *tractat. de validis mendicantibus.*

(b) *in Hiſpania*) Relatum autem legimus, ſub hodierno rege Philippo V. numerum Hiſpaniæ incolarum valde auctum eſſe.

(c) *ingentem multitudinem*) Summa igitur Athenienſium imprudentia fuit, latiſſime imperare voluiſſe, cum civium ſuorum numerus non multum decem millia ſuperaverit PVFFENDORF. *introduct. ad hiſtoriam tom. I. p.* 12.

(d) *Magna corpora*) TACITVS *in Germania c.* 4. & *lib.* 5. *hiſtor. c.* 14.

bio, aliisque ſunt notata. Similis corporum diverſitas obſervare hodieque eſt, cum in aliis Europæ gentibus, tum in Hiſpanis, Gallis, Italis, Germanis, maxime illis, qui extremum colunt ſeptentrionem, haud difficulter omnibus apparet. Quapropter alios aliis ad rem nauticam aut bellicam aut manuarias graves operas magis minusve aptos eſſe, uſus atque experientia docet.

§. 19. Inquirendum denique cum cura eſt, num bona aut mala corporum diſpoſitio naturalibus cauſis, an vero adſuetactioni debeatur: ut &, num ſive arte medica, ſive civili aliqua ratione alterutram in partem flecti illa poſſit. Et vero quæ ſola aſſuefactione conſtat, illa mutabilis eſt contraria conſuetudine. Qualis regimine publico poteſt inſtitui; etſi interdum prævalentibus in adverſum populi moribus difficillime obtineri quid poſſit. Ita ſane aëris victusque injurias tolerare, corpora Germanorum noſtri ævi quam multorum, rei cumprimis nauticæ deditorum, ſola majorum vivendi ratione mutata, idonea ſunt reddita. Morbida quoque populi corpora mutatione ſola vel aëris vel aquarum, vel *alimentorum vitioſorum* (a) ſæpenumero ſanitati ſunt reſtituta. Interdum vero & ſanitatem integri populi ejusmodi aliquibus vitiis labefactatam eſſe, notum eſt artis medicæ peritis. Ut proinde hæc etiam quemadmodum ſeſe habeant, ſi totius quidem reipublicæ juſta debeat cura inſtitui, ſcire plurimum interſit. * Notum eſt, Romanos nunquam inſtituiſſe bella cum Germanis tempore hiemali, aut eo loco, ubi ſatis eſſet potus ad ſitim reſtinguendam: ſed locis aridis, & flagrante maxime Sirio. Eo obſervato Marius Cimbros, gentem toti orbi formidabilem poſt aliquot exercitus Romanos trucidatos, devicit. Notum eſt medicæ artis peritis, diſpoſitionem corporum deberi interdum quidem naturalibus cauſis, interdum tamen aſſuefactioni. Quod quidam malo ſunt habitu & vitioſo corpore, id debent *compotationibus* (b) nimiis & luxuriæ. Interdum vero integros populos naturalibus ex cauſis morbidis eſſe corporibus. Corporum autem diſpoſitio variat pro diverſa ratione aeris: in aliquibus regionibus is eſt ſanitati admodum conducibilis & commodus, interdum contrarius: dependere quoque ſolet ab aquis, quæ quantam vim habeant ad corporum diſpoſitionem variandam, incredibile eſt dictu: quodſi in Schola Medicorum viverem, innumeris exemplis poſſem demonſtrare. 3. Ratione alimentorum: quorum cum alia ſunt ſicca, alia liquida, maxima vis eſt in liquidis. Illa enim magnam & majorem vim habent ad corpora varianda, quam ſicca. Ab his tribus dependet omnis mutatio corporum. Majores noſtri Germani vinum ad ſe nolebant deferri: cauſam addit Cæſar: quia illud corpora enervat. Ipſi ſtrenui potores a vino abhorrebant, & ſua cereviſia uti malebant. Et ſero admodum noſtri majores cœperunt vinum admittere. Nam ſec. 3. poſt Chriſtum natum, imperante Probo, primum ripa Rheni cœpit conſeri vitibus. Quod multi non obſervant: Nam vino non ſolum, ſed etiam vino aduſto tabaccoque adeo enervant corpora ſua, uti non ſit mirum, eos in prima juventute ſeneſcere. Itaque hoc legislatori incumbit uti præcaveat. Lycurgus ſuis Spartanis præſcriptit victus rationem. Deus O. M. in republ. ſua Iudaica itidem victus rationem præſcripſit. Si autem vitia a naturalibus cauſis dependeant, obs. uti emendentur illa vitia. Nam notum eſt medicis, poſſe emendari aëris rationem vitioſam. Ita in Suetonio de Auguſto memoratur, quod partem Campaniæ reddiderit ſalubrem ſuccißis ſylvis & obſtructis paludibus. Quandoquidem tamen talis cura incumbit rectori reipubl. id debet curari. Quantum autem dependeat ab aſſvefactione, id in ſuperioribus ex Tacito probatum dedimus. Ait is, aſſvetos fuiſſe coeli ſolique ratione ad ferendum frigus & inediam. Mutata autem ratione agriculturæ, & hoc mutavit. In Batavis reperies, qui non tantum frigus, ſed etiam æſtum poſſunt tolerare, & quidem id omne ex educatione. At quoque corpora agricolarum & ruſticorum reperies ſatis dura: ob educationem itidem. Itaque id LLator debet dare operam, ut ex republ. exulet omnis mollities. Atne quidem adtenduntur hæc; ſed male: Idque fit propterea, quandoquidem pauciſſimi norunt, quid ſit obſervandum ad id, ut rempubl. felicem conſtituat. Principio nunc eſt animadvertendum, in notitia animorum, qui in republ. verſantur, plurimum eſſe ſitum; quia juxta illorum habitus eſt inſtituendum regimen. Ea propter Ulyſſes magnam laudem prudentiæ meruit, quod fuerit peritus rerum & *morum humanorum*. (c) Idem propoſitum eſt omnibus, qui peregrinantur, ſed non ſciunt ſæpe quid ad mores illos pertineat, & magis opus habent, ſcire proprios mores, quam alienos IVSTVS LIPSIVS *l. 4. politicorum c. 5.* ait, duos prudentiæ eſſe fontes, ingenium populi noviſſe & regni. Quanquam ea doctrina, quam ibi Lipſius de ingenio vulgi tradit, ſit egregia, tamen fallitur ea in re, quia plura requiruntur. Nam omnium hominum juxta ætates, ſexus & vitæ genera, mores ſunt cognoſcendi. Scriptores quidem, qui de moribus ejusmodi ſcripſerunt, ex antiquioribus legendi ſunt ARIST. *l. 2. Rhetoricorum* & HORATIVS, qui ſpecula vitæ humanæ præbent. Ex recentioribus JOH. BARCLAII *Icon animorum*, qui jungitur Euphormioni ejusdem, cum

(a) *alimentorum vitioſorum*) Dici non poteſt, quantum aër & alimentum in hominis conſtitutionem influxum habeant. Alimenta enim producunt, reſtituunt aut augent ſanguinem & humores in corpore humano. Ex diverſitate ſanguinis & diverſo ejus nexu cum humoribus diverſitas oritur temperamenti, ex diverſitate vero temperamenti, differentia indolis quodammodo oriri dicitur.

(b) *compotationibus*) Sæpe tamen tanto corporis robore valent homines, ut nec nimio baccho, nec venere flacceſcant, niſi dixeris, ſenii incommoda plerumque maxime inde augeri.

(c) *morum humanorum*) Hinc αστει περι οιδε νοησαι HOMER. *iliad.* X.

eum ſcripſit natus annos 21. Poſtea laudem meretur SCIPIONIS (a) CLARAMONTII *Cæſenatis liber de conjectandis hominum moribus*, præſertim ejus *lib.* 2. & 3. Nam cœteri libri magis ſunt philoſophici: & licet legi debeant illis, qui eruditionem perfectam ſequuntur, non tamen faciunt tam ad uſum civilem. Iis autem, qui eum ſectantur uſum, philoſophandum eſt, ſed paucis, nam omnioo decet, uti hoc in caſu oon male dixit quidam, licet alias falſum ſit. Laudatur quoque liber gallicus de la Chambre, & quidem laudatur a Politicis, ut illi itaque laudem non derogem, ſed optima quæque de eo mihi promittam.*

§. 20. Poſt exploratas corporis, ſumma eum cura indagandæ veoiunt animi qualitates. Et vero harum notitia potiſſimus & primarius gradus eſt, ad reipubl. cujusque regimen prudenter ſive iolliituendum ſive dijudicaodum. Huc ſane pertinere voluit ſuum illud Martialis.

Principis eſt virtus maxima, noſſe ſuos.

Et jam tum olim Ulyſſis prudentiam ex eo voluit æſtimare Homerus, quod

Multorum mores populorum vidit, & urbes.

Ceterum cum bioæ ſint aoimi quaſi ſummæ potentiæ, intellectus & voluntas: utraque ut habeat ſeſe in populo civilis ſocietatis participe, etiam atque etiam eſt videndom. Utriusque vero aliæ ſunt atque aliæ in humano genere differentiæ, partim naturæ quodam inſtinctu, partim vero aſſvetudine & uſu comparatæ. Quod diſcrimen ideo eſt accurate attendendum, quoniam hinc demum pateſcit, quænam animorum diſpoſitio aut nullam, aut facilem, aut difficilem mutationem admittat, & ſi quæ mutatio iovenit locum, quemadmodum illa poſſit debeatque inſtitui. Nec enim a natura, aut looga conſuetudine adſcita facile mutaveris: alia mutatu non perinde ſunt difficilia.

§ 21. Quæcunque vero naturæ quaſi debentur, illa vel omoi homano generi aut ſaltem mortalium plerisque communia ſunt, vel propria certis hominum ordinibus. Homines ſane omoes aut pleriqque in quam multis conveoimus, ſive imbecillitatibus, ſive etiam dotibus cum voluntatis pariter tum intellectus. Alia vero propria ſunt, idque potiſſimum juxta ſexus & ætatis differentias. Magnum vero ad animorum conditionem momentum adfert quoque natura, etiam a loco, ubi vivitur, idque vi cum aëris tum aquæ, ut & ab alimentis & omni victus ratione. Hinc ſane corporum temperies ingentem accipit diverſitatem, mores vero aliæque animorum diſpoſitiones pertrequenter ſequuntur corporis temperameotum. Unde manifeſtum eſt, ne nihil te lateat eorum, quæ ad animos pertinent ſociorum civilium, cum cura præter iſthæc communia intelligendum eſſe, quæ animorum in illis ſit ratio, ſecundum ætatem, ſexum, loca, alimenta, omneque adeo corporis temperamentum.

§. 22. Quandoquidem porro, ad humanos actus exerceodos, neceſſaria eſt facultas ſive potentia quædam, id agendi, quod animo eſt propoſitum, hinc adeo, prout illa facultas ſive adeſt, ſive deficit, ſoleot etiam animi plurimum differre. Ac proinde hac de cauſa alii ſunt animi poteotum, alii divitum, alii pauperum, alii genere illuſtrium ſive nobilium, alii promiſcui vulgi. Quae omnia neceſſum eſt, ut ſingulatim teneas rempublicam curaturus. Nec vero ſatis eſt politico homini, ſolius vulgi ingenium noviſſe, quod tamen videtur LIPSIVS voluiſſe, quando L. IV. Cap. V. Polit. duos duntaxat fontes humanarum rerum prudentiæ commooſtrat, ingenium populi & regni. Æque id ſenſit TACITVS, quem quaſi auctorem laudat, ſed is vulgi notitiam, ad Democratici aut Ariſtocratici ſtatus regimen, maxime eſſe utilem profeſſus eſt; non autem ſimpliciter & in univerſum tale quid dixit, multo mious habito reſpectu ad Monarchicum regimen, quod tamen formare Lipſio unicè fuit propoſitum.

§. 23. Et vero etiam atque etiam obſervandum eſt, eorum quæ diximus, notitiam poſſe accipi, interdum ἁπλῶς, interdum vero cum aliqua relatione ad ſtatum reipublicæ. Jam vero ad ſingularis reipublicæ accuratam cognitionem, atque adeo ad uſum politicum, oon ſatis eſt illa prior ootitiæ animorum ſpecies, ſed omnino poſterior ſummo eſt ſtudio adiungenda, ut oempe teneas, quemadmodum animati ſint illi, qui in republica vivunt, erga præſentem aut futurum reipublicæ ſtatum. Hoc ſane eſt, quod TACITVS notavit de vario reipublicæ Romanæ regimine, hisce verbis: *Olim plebe valida, vel cum patres valerent, noſcenda vulgi natura, & quibus modis temperanter haberetur: Senatusque & optimatum ingenia qui maxime perdidicerant, callidi temporum & ſapientes credebantur.* Hac etiam de cauſa idem TACITVS deſcripturus romaoas res, quæ Neronis finem exceperuot, prudentiſſime omoem animorum illius temporis civilium ad rempublicam inclinatiooem, ſive ab ea averſionem duxit præmittendam. *Ceterum*, inquiens, *antequam deſtinata componam, repetendum videtur, qualis ſtatus urbis; quæ mens exercituum, quis habitus provinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid ægrum fuerit: ut non modo caſus eventusque rerum, qui pleriumque fortuiti ſunt* (vel potius creduntur eſſe) *ſed ratio etiam cauſaque noſcantur.* Idem illud TACITVS paſſim non in hiſtoriarum duntaxat, ſed annalium libris obſervavit. Quod neglectum ab aliis, hiſtoricos libros politico commodo minus utiles ſolet reddere.

§ 24. Duplici porro ratione animorum examen ad rempubl. tanquam ad amuſſim poteſt, ac debet inſtitui. Nempe primum in communi, quomodo illi, qui ſunt regendi, ad hanc

aut

(a) *Scipionis*) De hoc argumento ad ipſum CLARAMONTIVM Tomo III. horum Operum inſertum, eſt actum.

aut illam formam, aut ad hunc vel illum ſcopum reipubl. animis ſint compoſiti. Deinde ſpeciatim magis examinato, quemadmodum iidem ſint animati erga regimen, quatenus illud aut jam adminiſtratur, aut, ut adminiſtretur, futurum eſt, ſive in omnibus, ſive duntaxat in arduis quibusdam reipubl. negotiis. Enimvero quælibet reipubl. forma ſuum animorum populi habitum expoſcit: popularis videlicet ſive ſimplex ſive mixta, erectum, libertatis cupidum & bellicoſum, reliquæ fere omnes ſubmiſſum, humilem, obſequioſum, quædam & ſervilem. Ad eundem modum, ſi reipubl. ſcopus fuerint divitiæ, populus neceſſum eſt induſtrius ſit in operis, artificils, & commerciis exercendis: ſi potentia, promtus ad arma: ſi voluptas, mollis & luxuriæ amans: ſi vera felicitas, ſtudioſus recti & honeſti, ſimulque eorum, quibus in vita indigemus ad neceſſitates commode explendas. Tametſi vero hactenus fuerit populus erga ſcopum & formam reipubl. bene animatus, præſens tamen regimen illi interdum non placet, ſolo reſpectu babito ad reipubl. rectores. Hinc ſane fiunt ſæpenumero ſeditiones non adverſus reipubl. ſtatum, ſed ſolos regentes. Ad hoc magna quæque, belli cumprimis negotia, ſuam quoque ſingularem poſtulant animorum in populo habitudinem, prout illa alia ſunt atque alia aut ſcil. invidiæ vel offenſæ obnoxia vel grata ac læta. Talis animorum inclinatio negotiis poſcitur, ſiquidem proſper eorum eventus fuerit exſpectandus, cumprimis vero, ſi & populi ad illa expedienda opes viresque ſint neceſſariæ. Sin enim, aut, ſi populi benevolentia non fuerit opus, ut fere fit in aliquo potente dominatu, non eſt, cur animi popularis multa habeatur ratio.* Ut homines agant, requiritur voluntas & facultas: ſi enim alterutrum horum deſit, fruſtra actus expectatur. Jam vero mutantur animi populorum, prout ſe habet aliter atque aliter illa facultas id exſequendi, quod animo eſt propoſitum. Hoc obſervare eſt imprimis in potentibus; ii enim ſunt longe aliis moribus quam imbelles. Dicit ARISTOTELES: potentes quicquid poſſunt, id volunt. Nam ſicut in divitibus ſe res habet:

Quo plus ſunt potæ plus ſitiuntur aquæ;

ita etiam potentes ſemper aſpirant ad majorem potentiam: Itaque ad illam conſequendam magni reges, quicquid poſſunt, id quoque volunt. Hinc in magnis illis regibus, qui neminem agnoſcunt ſuperiorem quam Deum & gladium, non eſt reſpicienda voluntas, ſed poteſtas, pro huius enim ratione ſe habet etiam facultas. Ita mores etiam divitum & pauperum variant, prout variat potentia. Cum itaque omnis respubl. habeat cives alios potentes, alios pauperes, alios divites, illos omnes noſſe, Politici eſt. Nec ſatis eſt unam ſpeciem noviſſe, ſed oportet omnes ſcire. Hinc non potui non reprehendere Lipſium, cujus opus eſt quidem egregium, ſed tantum ad uſus monarchiæ reſpicit, & tamen non omnia habet ad eam facientia. Ille ait duos fontes eſſe prudentiæ civilis, notitiam vulgi & regni. Per vulgus intelligit populum: qui tamen diſtat a vulgo, quia vulgus eſt tantum infima ſors populi. Is quidem egregie vulgi ingenium deſcripſit, ſed non ſufficit id noſſe; eſt bona illa doctrina, ſed valde imperfecta. Adducit autem quaſi in teſtimonium Tacitum: qui tamen revera ita non docuit. Tacitus enim, uti inter omnes Hiſtoricos non habet parem in prudentia & notitia ingenii humani, hoc tamen obſervavit, olim in republ. Romana, quo tempore ibi prævalebat plebs, aut cum optimates prævalerent (inter eos enim perpetua fuerunt diſſidia, ut mirum ſit, populum iſtum, republ. tam male poſt exactos reges compoſita, tam magna potuiſſe gerere: nam tanquam canes bello ſopito ſe invadebant) ſemper ſolere ſpectari populi ingenium & optimatium, & qui id ſcirent, eos habitos fuiſſe ſapientes. Coeterum non dicit, in hoc uno collocari omnem prudentiam, & hoc ſufficere ad omnem rempubl. ſed diſerte docet contrarium. Tacitus vero etiam peregregie obſervavit, ad res arduas plurimum conducere, noſſe inclinationes animorum. Quapropter etiam Tacitus, uti princeps eſt omnium hiſtoricorum, ſemper præmittit hiſtoriam animorum, cum vult deſcribere aliquod arduum: uti ex lib. I. hiſtoriarum adductum eſt exemplum: Ubi etiam hoc NB., quod ibi additur, non eſſe revera fortuitos illos caſus eventusque rerum, ſed videri ſcil. imperitis. Peritis vero tantum abeſt, ut illi etiam poſſint hoc vel illud futurum prædicere, quia cauſas rerum noverunt. Ex differentils rerumpublicarum patet, non eſſe aptum unumquemque populum ad unamquamque rempubl. Nam cum ad Democratiam requiratur magnus, erectus & libertatis cupidus animus, & ſimul quoque valens intelligentia, talem quoque populum ad eam requiri patet. Aliæ vero contra ſerviles ſubditorum animos requirunt. Itaque opus quoque eſſe ait philoſophus, ut videantur omnia, quæ populi animos erigant: uti etiam ſub Turca, Moſco &c. hodie fit. Præterea NB. pro diverſitate ſcopi etiam debere eſſe diverſa ingenia populi. Sic cui propoſitæ ſunt magnæ divitiæ, ille debet habere populum aptum commerciis exercendis & opificiis. Solet enim quam maxime respubl. ad divitias pervenire per commercia diverſi generis. Ad magnam potentiam acquirendam, neceſſe eſt, uti habeas populum bellicoſum. Sic populus Romanus parum aptus ad commercia, aptiſſimus vero ad bella. Quodſi respubl. debeat eſſe optima ex voto, ibi requiritur populus virtutis amans, reipubl. enim ſcopus eſt, virtutis exercitium & ſufficientia rerum. Quapropter ARISTOTELES *lib. 7. Polit:* ubi agit de ingenio civium optimæ reipublicæ, ait: quædam eſſe voto optanda, quædam autem aſſvetudine paranda. Nam animi nonnulli ſunt quaſi averſi a virtute, quidam vero rudes. Jam vero ſtolidos illos non dixeris aptos, ut vivant in civitate beata. Ergo voto optandum, uti habeas populum aptum ad id, uti LL. & aſſuetudine ad virtutem componi

poſſit

poſſit. Sic Deus O. M. ad rempubl. ſuam elegit populum, non quod eſſet aptus ad ejusmodi vere felicem rempubl. ſed ob promiſſionem patribus factam. Unde etiam Deus coactus quaſi fuit tolerare plurima vitia in illo populo, uti Chriſtus ait, ob duritiem cordium eorum, & vero ejusmodi duras cervices & refractaria corda, Deus apud prophetas paſſim vituperat. Coeterum ſæpe numero quidem forma reipubl. talis & talis eſt, ſed adminiſtratio non eſt conſentanea, idque vitio eorum, qui regunt rempubl. ARISTOTELES autem *l. 5. Polit*: docet, ſeditiones interdum contingere non contra formam reipubl. ſed contra eos, qui regunt rempubl. Usque adeo multum intereſt, quomodo populus ſit animatus erga rempubl. Cumprimis autem tale quid eſt NB. quoniam populus debet auxilium ferre reipubl. Sæpe populus non fert auxilium, ſed imperatur illi, quid agere debeat. Tum autem non opus eſt, ut ad odium vel amorem populi attendas; nam vanæ voces ejusmodi populi non curantur. Obſervavere id cumprimis imperatores romani ſec. 2. 3. & porro: illi parum attenderunt ad populi amorem, ſed ad militum, quod probe obſervavit Machiavellus. Nam cogebatur populus agere, quod imperabatur, & erat in promtu miles, qui cogeret. Contra vero agendum, ſi auxilium ferant reipublicæ. Hodie ruſticorum animi, quomodo ſint erga rempubl non curantur, quia nihil poſſunt. Reliquorum autem aliqua habetur ratio, pro ratione diverſarum rerumpublicarum. *

§. 25. Quandoquidem porro plurima homines non tam more agunt, quam ex ſubito quodam animi affectu, cumprimis vero magna eorum vis ſit in animis vulgi; hinc apprime etiam utile eſt, noviſſe, quis affectus forte vel jam regnet, vel exſpectari, aut metui poſſit in populi animo, tum vero etiam, quemadmodum ille affectus vel excitari vel componi poſſit debeatque. Incredibile ſane dictu eſt, quantum interſit ad prudenter regendam rempublicam, iſthæc quoque accurate noviſſe. Certe longe in vita civili eſt utilior hæc notitia, quam ſi orator illam teneat: in cujus tamen uſum, & morum pariter & affectuum rationem omnem magna cum cura enarrare non dubitavit Ariſtoteles. Nec vero quicquam eorum, quæ Ariſtoteles in commodum oratorium prolixe congeſſit, fas eſt, politicum virum etiam in id, ut populi omnia integre pernoſcat, ignorare. De ira ſcilicet ac lenitate, de amore ac odio, de metu & fiducia, de pudore, de gratia, de miſericordia & indignatione, de invidia. poſtremo & de æmulatione. Cumprimis vero intereſt hujus quidem loci noviſſe, quemadmodum ad hæc omnia ſeſe populus habeat, ſive ſimpliciter paſſimque, ſive is duntaxat, qui vivit in republica iſtac ſingulari, quam conſiderandam examinandamve ſuſcepiſti. Eſt enim etiam populi non eadem ſemper atque ubivis ratio, ſed multum quoque ratione propenſionis in affectus varios diverſa. Perinde atque privatim hominum alii aliis exempli gratia ſunt iracundiores, aut metui, fiduciæque vel æmulationibus obnoxii. In univerſum tamen etiam noviſſe expedit affectuum animi omnia: præcipue vero quibus de cauſis affectiones illæ oriri, qui effectus civiles eas conſequi, in quantum denique durabiles aut mobiles eſſe ſoleant. Hæc enim noviſſe, politicum maxime uſum habent, licet Ariſtotelicus orator ad ~~ea minus attendat~~; commodum tamen fuerit noviſſe & omnia alia, quæ ab Ariſtotele ſummo ſtudio de affectibus ſunt tradita.

§. 26. Verum, ut ea, quæ ad animum populi attinent, in uſum politicum exacte plene que cognoſcantur, operæ fuerit pretium, reſpicere ad omnis generis virtutes, atque ad illas, tanquam ad certam amuſſim iſthæc explorare.

§. 27. Primum igitur inquirendum fuerit, qua in re populus felicitatem ſuam civilem potiſſimum collocet; cumque virtutes aliæ ſint morales, aliæ vero intellectuales, omnium omnino virtutum habenda erit ratio. Tametſi enim non perinde omnes vitæ civili proſint, aliqua tamen tenus nihil non earum iſtue facit. Et vero ipſarummet moralium virtutum magna eſt diverſitas, quia quædam majoris, quædam minoris ſunt ordinis, nonnullæ ſemivirtutes audiunt, aptæ ſcilicet duntaxat elegantiori converſationi.

§. 28. Igitur videndum, quemadmodum compoſiti ſint civium animi ad fortitudinem, ad temperantiam in cibo potuque & Venereis cupiditatibus, ad liberalitatem, omniaque adeo opum ſtudia, ad magnificentiam, ad magnanimitatem, ad conſtantiam; cumprimis vero ad juſtitiam, utpote quæ omnium maxime civilem ſocietatem contineat, perinde atque illa, quæ huic adverſantur, diſſolvunt eam & perdunt. Verſatur autem juſtitia partim circa homines, & res humanas, partim circa Deum ac cœleſtia. Cumque homines alii ſint peregrini, & exteris in locis, alii in ipſa civitate tua vivant, examinandum fuerit, quam æque vel inique populus erga hos aut illos vel utrosque ſeſe gerat, idque quoniam & olim multi populi juſtitiam quidem erga ſuos exercuerint, peregrinis vero per fuerint graves & iniqui, idque adeo fas eſſe, & ſibi licere exiſtimaverint, & ne hodie quidem deſint ita animati. Attendenda vero etiam atque ſimul eſt populi in Deum pietas. Eſt ſane religio, ut recte libro contra Colothem Epicureum aſſerit Plutarchus, *coagulum omnis ſocietatis & fundamentum legislationis*, aut, ut cum Platone loquamur: *Propugnaculum poteſtatis ac legum, & honeſtæ diſciplinæ vinculum.* Ex adverſo *pietate ſublata* (verba ſunt Tullii) *fides etiam ac ſocietas humani generis, & una excellentiſſima virtus juſtitia tollitur.* Cum porro religio alia recte ſeſe habeat, alii falſi nonnihil, interdum multum ſit admiſtum, & nunc quidem in ſuperſtitionem, nunc in negligentiam, aut diſtorſionem divini cultus inclinet: multumque interſit, quænam obtineat; videnda utique eſt & inquirenda penitius, cumque accurato ſtudio quælibet religionis ratio. Quælibet, in-

quam, ratio: potiſſimum tamen, in quantum illa eſt *naturali luminis intellectus* (a) humani conſpicua, quoniam hæc demum vitam civilem regit, altera, quæ revelationi debetur, faciente magis ad æternam felicitatem obtinendam. Plurimum vero intereſt ad vitam civilem, ceu paulo ante monuimus, recte an ſecus religio etiam illa naturalis ſeſe habeat. Longe enim eſt veriſſimum Lucretii iſtud:

- - Quod ſæpius olim
Religio peperit ſceleroſa atque impia facta,

quod latius hic docere, non patitur inſtitutum.

§. 29. Non perinde multum refert quidem ad civilis populi uſus notitiam, ſcire, quemadmodum ille civili ſit idoneus converſationi, perinde atque omne hoc non adeo multum ad civilem felicitatem attinet, quoniam tamen etiam in eo eſt vitæ quædam elegantia collocata, & eorum, quibuscum converſandum tibi eſt, amorem aut averſionem parere ſolet, hinc etiam hæc morum diſpoſitio fuerit obſervanda. Moroſus & agreſtibus videlicet populus ſitne moribus, an vero blandus, & debitæ urbanitatis. Pertinet vero huc & cultura linguæ *vernaculæ* (b) ejusque commoda pronunciatio. Quinimo facit huc & peritia *exoticarum* (c) linguarum, ſi cum diverſæ linguæ gentibus populo alicui multum commercii intercedat, aut ſi linguarum iſtarum cognitio & uſus ex recepta, quamvis interdum minus prudenti opinione, pars elegantioris vitæ cenſeatur.

§. 30. Longe majus momentum ſitum eſt in virtutibus intellectualibus. Nec harum tamen æqualis eſt utilitas. Enimvero aliæ ſunt mere θεωρητικαὶ, ut prima quæ appellatur philoſophia, ac varii generis ſcientiæ, naturales & mathematicæ; quæ proinde ad civilem uſum parum faciunt. Poſtulat tamen perfectio reipublicæ bene conſtitutæ, ut hæ ſaltem ab aliquibus civibus juſta cura *excolantur*. (d) Itaque hoc etiam obſervandum erit, in quantum & quomodo philoſophia contemplativa in ſingulari quaque civili ſocietate ab eruditis exerceatur, quantaque eius cultores ſint in exiſtimatione. Practicæ, quæ appellantur, virtutes atque adeo prudentiæ variæ, morales cumprimis, civiles & œconomicæ, earumque diverſæ facultates ad vitam civilem commode agendam perquam utiles ſunt, imo neceſſariæ interdum; longe igitur magis ad has reſpiciendum eſt. Cumprimis vero in iis rebuspublicis, ubi populus eſt particeps regiminis. Etenim illæ expoſcunt in populo aliquid politicæ etiam prudentiæ. In aliis non eſt, cur hanc quidem quoque prudentiam deſideres. Moralis tamen & œconomica prudentia apprime eſt utilis in omnis, recte quidem ſeſe habentis, reipublicæ populo. Certe defectus harum in populo nocet toti reipublicæ. Eoque ubi populus eſt ſtolidior, aut ſimplicior, vel ſi callidus ille quidem ſit ſatis, ad iniquitatem tamen putiſſimum, ibi multum decſt felici vitæ. Obſervare autem eſt, integras etiam gentes, alias aſtutas eſſe, alias ad virtutis opera prudentes, alias œconomicæ rei ſatagentes; alias contra ſimplices, ineptas, & nec publice nec privatim intelligentes. Attendendum denique eſt ad omnis generis artes, non illas duntaxat, quæ manu opus exercent, ſed etiam quas Græci λογικας appellavere, ſuntque manuariis artibus longe præſtantiores, & eruditionis bonam conſtituunt partem, quemadmodum in populo omnes illæ ſeſe habeant. Sunt autem illarum aliæ ſociali vitæ vel ſimpliciter omni, vel ſaltim illi, quam respublica aliqua ſingulatim inſtituit, plane neceſſariæ, aliæ nonniſi utiles, idque magis minusve, aliæ ad ornatum & cultum duntaxat aliquem faciunt, aliæ poſtremo etiam noxiæ ſunt: quod latius exponere, non eſt hujus inſtituti. Singulæ itaque claſſes artium erunt examinandæ ad ſcopum cumprimis reipublicæ cujusque ſingularis, an ſcilicet in populo, cujus in officio eſt eas exercere, harum vel numerus vel cultura ſufficiat, an vero aliqua ex parte deficiat. Hinc de reipubl. alicujus felicitate aut minus commodo ſtatu non leve poteſt indicium accipi.

§. 31. Ceterum de iis, quæ ad explorandum populum faciunt, ſatis forte eſt dictum. Nec enim neceſſum eſt, ſeorſim aliquid diſſerere de animorum & corporum dotibus, earumque juxta ſexum & ætatem, fortunam diverſitate, quoniam hæc jam tum monuimus eſſe attendenda. Prius vero quam a civibus ad bona reipublicæ indaganda progrediaris, ex uſu fuerit, attendere etiam parum ad totius populi εὐγένειαν primo, deinde & ad εὐτεκνίαν. Eſt enim haud leve momentum reipublicæ etiam in utraque hac collocatum.

§. 32. Eſt autem totius populi εὐγένεια ſive generoſa ſtirps, in eo collocata, ut recte definivit ARISTOTELES *l.* 1. *Cap. V.* Rhetor. *Si cives quaſi ex eo ipſo ſolo progeniti ſint* (Græce illi olim

(a) *naturali luminis intellectus*) Vid. GROTIVS *de J. B. & P. lib. II. c. XX. §* 44. ſeqq. PVFFEND. *de habitu relig. ad vit. civilem.* Mea diſſ. *de iure principis circa religionem.*

(b) *vernaculæ*) Inprimis maximo eſt uſui reipublicæ patriæ operam aliquando navaturis, ad vernaculam diligentiſſime incumbere. Sæpe enim verborum concinnitas exiguum argumentorum robur adjuvat, aut mire res commendat.

(c) *exoticarum*) Ad res gerendas animum adpellens, Italicæ, Anglicæ, inprimis autem Gallicæ linguæ ſit curioſus. Nonſolum enim publica, ſed & privata negotia hac lingua pertractantur, & ſi purpuratorum conſortia deguſtari detur, ſine linguæ hujus uſu eis intereſſe, vix conſultum erit.

(d) *excolantur*) Inſignem enim in republica habent uſum, inprimis autem ſcientiæ mathematicæ, quæ tamen potius ad diſciplinas effectivas, quam contemplativas ſunt referendæ, cum non in nuda ſubſiſtant contemplatione. Uſum earum inſignem in ſocietate civili ſolidiſſime oſtendit GEORG. BERNHARD. BVLFFINGER in *oratione auſpicali*, in primo academiæ ſcientiarum, quæ Petropoli eſt, Conventu habita, p. 27. ſeqq.

olim αὐτόχθονες audiebant) *aut antiqui, aut ſi primi ejus conditores ac duces illuſtres fuerint iis rebus, quibus hominum ſtudia commoventur.* Si ſane populus talis fuerit, raro eſt demiſſis animis, ſed elatior. Multum autem ad regimen quoque reipublicæ ipſum facit, utrum hac aut illa populus ſit mente: ne ounc dicam, quanti hoc referat ad pacis ac belli oegotia. Eſt porro ab eodem Ariſtotele recte etiam definita ἡ εὐτεκνία integri populi, quando ait: *Ipſa univerſitas bonis liberis abundare dicitur, ſi juventus & multa fuerit, & bona.* Bona autem virtute quidem corporis, ut proceritate, pulchritudine, robore, aptis ad certamina publica viribus. Virtus autem animi juveoum eſt *temperantia & fortitudo.* (a) Plurimum vero publice refert, utrum civitas tali juventute fuerit inſtructa, nec ne. Eſt eoim illa noo ornamento duntaxat reipubl. ſed ad belli quoque paciſque negotia apprime utilis. Ex adverſo deſtituta tali juvenum multitudine civitas nec bello ſuorum quidem civium manu gerendo eſt apta, ſed militem aliunde conducere cogitur: quorum hoc aut illud quantum interſit, io noſtris ad Machiavelli Principem aoimadverſionibus prolixe oſtendimus, nec idonea ſatis etiam eſt omoibus pacis negotiis expediendis, ac proinde peregrinos in id adſciſcere neceſſum habet. Id quod itidem magno cedit tum incommodo, tum deſpectui cuilibet reipublicæ.

§. 33. De notitia ipſorummet civium ſive perſonarum, quæ reguntur in aliqua civitate, adeoque primi membri eorum, quæ ad materialem quaſi cauſam reipubl. cujusque faciunt, hactenus. Conſequens eſt, ut notitia quoque rerum illarum, quas civitas quæque ſiou ſuo comprehendit, atque ita membri ſecundi, materialis comparetur. Res autem hoc loco nobis audit id, quod Græcis alias vocatur κτῆμα ſive quicquid poſſidetur. Qua ſignificatione & Romanis τὸ *Res* olim in uſu ſuit, & hodieque frequentiſſima eſt romano juri, ac perſonæ contradiſtinguitur. Sunt autem ejusmodi res reſpectu quidem habito eorum, quorum ſunt in poſſeſſione, aliæ publicæ aliæ privatæ. Publicæ ſunt in patrimonio totius reipublicæ immediate. Etſi enim & privatæ res *dominio ſubſint* (b) reipublicæ, non ἀμέσως tamen & proxime illi ſubſunt, ſed privatim ad cives alios atque alios pertinent. Illæ vero itidem aut ſunt univerſitatum, vel collegiorum & corporum, quæ in civitatibus quibusque frequeoter ſolent reperiri, aut ſingulorum. Poſterioris ordinis ſunt etiam illa, quæ in regnis quam multis ſolent eſſe *in privato regum patrimonio*, (c) diſtincta omnioo ab iis, quæ nunc ſolent paſſim domanii (domaine) nomine venire, ſuntque in regni ipſiusmet poſſeſſione collocata. Audiunt præterea jure romano res aliæ corporales, aliæ incorporales. Corporales, quæ tangi poſſunt, veluti fundus, homo, veſtis, aurum, argentum, & denique aliæ res innumerabiles. Incorporales, quæ tangi non poſſunt, qualia ſunt ea, quæ in jure conſiſtunt, ſicut hæreditates, uſusfructus, uſus & obligationes quoquo modo conjuoctæ. Corporales porro res aliæ ſuot immobiles, aliæ mobiles, aliæ poſtremo ſe moventes.

§. 34. Etſi vero circa talium rerum dominium ſive acquirendum, ſive cooſervandum, ſive amittendum verſatur ſere duntaxat forenſi uſui dicata **juriſprudentia**; politica tamen longe ulterius ſeſe extendit, oempe in quantũ eorũ quicquã civili felicitati, aut prodeſſe poterit aut nocere. Quamobrem & ootitia politica rerum civitatis, illa etiam, quam materialem ouocupaveris, & in qua comparanda nunc occupamur, exigit, (1) ne quid temere fugiat te omnium earum rerum, quæ intra reipublicæ limites continentur ſive corporalium ſive incorporalium (2) ne igoores, quaotum ſingulæ rerum harum reipublicæ commodent, & quantum efficiaot, ac (3) uti ſcias, quemadmodum fortaſſis vel augeri ſiogulæ res poſſint, vel diminui. Hæc ſi teneas, tum demum plena notitia materialis rerum comparata eſt: in quantum hujus aliquid ignoras, in tantum deficit hæc notitia. Quandoquidem tamen res privatæ, cumprimis illæ, quæ ſuot ſiogulorum, non proximo ſed remotiori quodam gradu tangunt publicam totius civitatis felicitatem, res autem publicæ quæ dicuntur, unice iſtuc faciunt; unice ad ſingularis civitatis hanc materialem notitiam quam maxime pertinet, publicas quasque res ſive corporales illæ ſuerint, ſive incorporales, adeoque io jure tantum conſtiterint, perſpexiſſe. Privatarom autem rerum ootitiam, earum potiſſimum, quæ ſingulorum ſuot, ſufficit ſi teneas minus exquiſite, & duotaxat quateous illæ, res quoque publicas nonnihil attiogunt. * Mentionem non ſecimus hic diſtioctionis illius, quæ babetur in Ioſtitutionibus, qua res aliæ dicuotur *communes*, (d) aliæ univerſæ. Nam jure romano plura dicuntur commuoia, quæ revera noo ſunt ac falſo inſtillaotur animis incautorum juvenum e. g. mare dicitur commune eſſe jure oaturæ & tamen revera non eſt. De bac controverſia ſcripti ſuot libri controverſi. Nam pro Hollandorum jure ad commercia Indica

(a) *temperantia & fortitudo*) Sub hac includitur modeſtia, quæ, teſte Cicerone, in juvene ſumma eſt virtus.

(b) *dominio ſubſint*) Ita ut tempore neceſſitatis & ſummæ reipublicæ utilitatis, majus ſit jus in res privatorum illius, ſub cujus ſunt imperio, quam ipſorum dominorum.

(c) *in privato regum patrimonio*) Romani patrimonium principis diſtinguebant ab ærario reipublicæ, & illud vel publicum ſive fiſcale vel privatum dicebant. Publicum illis idem erat, quam quod nos hodie domanium vocamus, quæ vox in veteribus chartis non plane eſt incognita. CHOPPINVS *de domanio Franciæ lib. I. tit. I. p. 3.* Autores *de domanio* conjunctim editi. Celeberrimus KRESSIVS *in præfat. ad Thummermuth.* OCKEL. *de præſcript. imm.* Erant tamen & privati principis patrimonii præ aliis privatorum bonis prærogativæ quædam. vid. tit. C. de *privilegiis domus Auguſtæ vel res privata.*

(d) *communes*) Hæ juxta hodiernam praxin regalibus accenſentur.

Indica ſcripſit librum Grotius adhuc juvenis viginti annorum,ubi voluit mare eſſe liberum; ſcriptum autem eſt id occaſione illius pacificationis *Batavo-Hiſpanicæ* (a) ubi Hiſpani Batavos volebant excluſos ab omni *commercio Indico.* (b) Grotio autem ſe oppoſuit Seldenus Anglus, qui ut primo

(a) *Batavo Hiſpanicæ*) Libellus Luſitanis, Batavos ab indica navigatione excludere volentibus oppoſitus eſt. vid. MEVRSII *Athen. Batav. p.* 206. *La bibliotheque choiſie de* COLOMIES p. 157.

(b) *ab omni commercio Indico*) Quanquam Batavi mare eſſe liberum contendant, pacto tamen commercia ad aliquam maris partem reſtringi poſſe, iidem volunt. Hanc in rem *diſſertatio de jure, quod competit ſocietati privilegiatæ foederati Belgii, ad navigationem & commercia Indiorum orientalium,* affert locum ex HIERONYMI DE MONTE *libr. de finibus regundis c.* 39. *Quanquam*, inquit ille, *in mari confines non ſunt, cum aqua communiter eſt uniformis, eſſe tamen pertinentias aliquas,* cui hunc ex BALDO addit: *jure Gentium in mari regna diſtingui poſſe, ſicut in terra arida.* Exempla horum pactorum vetera & recentiora leguntur apud AVCTOREM *dictæ diſſertat.* & apud SELDENVM de *dominio maris lib.* I c. II. ſeqq. GROT. de J. B. & P. lib. 2. c. 3. § 15. Huc referri poteſt tractatus inter Hiſpanos & Luſitanos 6. Junii 1494. Tordeſillæ initus, qui diviſioni Indiæ occidentalis, inter has gentes Pontificis Alexandri VI. bulla ſtatutæ, mutationem induxit. Haud dubie nullam aliam ob cauſam gens utraque in hujusmodi controverſiis in papam compromittere voluit, quam ut vicarii Chriſti ſuffragio, id quod forte occupationibus iſtis ineſſet vitii, demeretur. Papa autem ambabus amplectebatur manibus occaſionem, univerſalis ſui vicariatus ſummi Numinis, quem adulatores ejus ipſi tribuunt, actus aliquos exercendi. Quo pertinent bullæ Nicolai V. & Sixti IV. HERERA *hiſtoire des Indes occidentales tom. I. liv. II. ch.* 5. & 10. GOMARRA *hiſtoire des Indes occidentales liv.* 3. *La verité du fait du droit & de l'interêt Sect. I. §. VI seqq.* Notæ ſunt, quæ noſtro tempore inter gentes de libertate commerciorum exortæ ſunt controverſiæ, cum Oſtendæ ſub Cæſareæ majeſtatis auſpiciis 1722. commerciorum ſtabiliretur ſocietas. Utriusque partis præcipuas adducam rationes, judicium de controverſia ipſis gentibus relinquendo. *Batavorum* (1) ratio eſt, art. 5. & 6. pacis Oſnab. inter Philippum IV. Hiſp. reg. & Ordines foederati Belgii concluſæ, quorum ſequens eſt tenor. *Ut navigatio & commercia ad Indias orientales & occidentales ſubſiſtant, & defendantur ſecundum privilegia data aut in poſterum danda: quæ rata & firma redduntur per hoc ipſum fœdus & ratihabitionis inſtrumenta utrinque edenda: Quo comprehendentur omnes Principes, nationes & gentes, quibuscum altememorati D. D. Ordines pacem, & amicitiam colunt; aut quibuscum privilegiatæ Societates Indiarum orientalium & occidentalium eorum nomine, intra terminos privilegii ſui, in fœdera pacis & amicitiæ, ad mutuam defenſionem & utilitatem, coierunt. Retinebit paciſcentium utraque pars, ſcilicet altememoratus Rex & D. D. Ordines Generales omnia Dominia, Caſtella, Oppida, Fortalitia, Agros & Commercia in Orientalibus & Occidentalibus Indiis, in ora Braſilienſi, atque in tractibus Aſiæ, Africæ, & Americæ ſita, eo modo, quo illa tempore hujus tractatus poſſederunt, & commodis illorum uſi fruiti ſunt. Cedantur Fœderato Belgio omnia loca, per Luſitanos a Belgis capta & occupata ab anno* 1641. *quæque Belgæ, illæſo hoc fœdere, in poſterum erunt occupaturi atque poſſeſſuri, &c. cum ſtipulatione atque conventione ulteriore, ut Hiſpanis integra maneret navigatio ad Indias orientales, eo modo, quo illam habebant, aut exercebant tempore hujus fœderis, neque liceret illis orientem verſus ulterius progredi, aut (ut verba habent) ulterius ſe extendere. Quemadmodum etiam incolis Fœderati Belgii interdicitur commerciorum cauſa frequentare loca Caſtellana in India Orientali ſita. Quod autem ad Occidentales Indias attinet, prohibentur itidem ſubditi atque incolæ regnorum, provinciarum, & agrorum altememorati Regis & D. D. Ordinum, navigationem & commercia exercere ad loca, portus, Caſtella, & Fortalitia, ab alterutra parte occupata, aut ubi nationes ſive domus, mercaturæ cauſa inſtitutas habent, &c.* (2) Leges & pacta dubia a conſuetudine ita interpretanda eſſe, ut a tali interpretatione non ſit recedendum. (3) Societatem Indiæ orientalis fœderati Belgii vi privilegiorum ſuorum, ipſi ab Hiſpaniæ rege per induciarum fœdus indultorum, in Monaſterienſi autem tractatu, nec non in fœdere illo, quod traité de barriere dicitur & in tractatu Antwerpienſi, quo Carolo VI. imper. Belgicæ provinciæ tradebantur, confirmatorum indicis navigationibus & commerciis operam dare poſſe; reliquos autem omnes, præter Hiſpanos ab eis excludi, (4) omnibus Belgii Hiſpanici incolis, per ceſſionis inſtrumentum, quo Belgium illud a Philippo II. Ferdinando & Iſabellæ permittebatur, omnia ad indias orientales & occidentales interdicta eſſe commercia. METTERANVS *ad ann.* 1598. (5) Cæſaream majeſtatem vi pacti Antwerpienſis, inter eam, magnæ Britanniæ regem & ordines fœderati Belgii initi, plus non nactam eſſe juris, quam reges Hiſpaniæ ejus anteceſſores in iis habuerint provinciis. (6) Fœderatum Belgium niti præſcriptione, cum penes illud ſit poſſeſſio ex juſta cauſa per longiſſimum tempus continuata, & ab altera parte ſcientia & patientia, nec deeſſe titulos, quorum numero etiam eſſet acquiſitio in bello. (7) Indias orientales in duas diviſas eſſe partes, quarum pars occidentalis cederet Hiſpanis, orientalis vero ſocietatis Indiæ orientalis eſſet. (8) Regem fœdus facientem, illud pro omnibus ſuis ſubditis feciſſe, credi. (9) Hiſpaniæ regem per inſtrumentum ratihabitionis, ut ajunt, non ſolum ut talem, ſed etiam ut ducem Brabantiæ & comitem Flandriæ omnes ſuos ſubditos obligaſſe. (10) Principem non ſolum ſuos ſubditos, ſed etiam ſucceſſores & hæredes obligare, atque ſic Auguſtiſſimum noſtrum Imperatorem deceſſorum ſuorum in belgio facta præſtare debere. Cæſaream cauſam tuentes ad commerciorum libertatem provocant, Belgasque Imperatori parentes per pactum ſuo diſceſſiſſe jure negant. Ad Batavorum vero rationes reſpondent: (1) Ex Weſtphalica liquere pace, verba, *ut navigatio & commercia ad Indias orientales & occidentales ſubſiſtant & defendantur ſecundum privilegia data aut in poſterum danda,* non ſolum ad Batavos ſed & Hiſpanos ſpectare, cum hi non ſint excluſi & pro excluſione nulla ſit praeſumtio, atque violentiam eſſe, verba ad illum, qui Batavis placet, detorquere ſenſum. & ſi quid forte (2) in alia pace hiſpanicæ ad Indias orientales libertati modum ponens admiſſum ſit; illud tamen ad Belgas non pertinere, quippe qui ab Hiſpanis plane diſtincta ſint gens & nihil cum ipſis commune, quam regem habuerint principem. Imo hoc ad Caſtilianos reſtringendum eſſe, ex inſtructione, quam ordines F. B. ſuis ad pacis tractatus proficiſcentibus legatis præſcribebant, patefcere. *Aitzma Verbael der Nederlandſche Vredehandelinge* p. 204. *Saacken van Staat und Orlogh. liv.* 25. *anno* 1645. Et licet, (3) quod tamen negatur, Belgæ ſub Hiſpanorum nomine venerint, illos tamen eo tempore nulla ad orientales Indos exercuiſſe commercia. Porro (4) articul. 26. tractatus illius, quem Gallicis vocabulis traité de barriere dicunt, de alio non agere commercio, quam quod inter utriusque Belgii incolas viget; præterea (5) in memorato articulo ut & art. X. pacis Ultrajectinæ id quod in Monaſterienſi placuit tractatu, ſimpliciter confirmari, eum autem Belgis Cæſari ſubditis in Indiam navigantibus non obſtare, demonſtratum eſſe. Sic & (6) in vanum urgeri donationem Belgii Philippi II. in filiam Iſabellam ejusque maritum Albertum collatam; cum prohibitio navigationis, quæ ibi reperitur, cum donatione ipſa, poſtquam conditio, ſub qua facta, usque dum ſcilicet alteruter conjugum abſque prole decederet, impleta, exſpiraverit. *vindiciæ luculenta* §. 5. atque Belgas contra illam clauſulam proteſtatos eſſe. Nec non (7) ſi Belgæ ab Hiſpaniæ regibus, ut talibus a commercio, quod hodie eſt in controverſia, fuerint excluſi, illud

primo lib. optima tradidit (uti & Grotius ſuam ſententiam *revocavit* (a) quaſi in tract. de jure belli et pacis) ita lib. 2. adeo abſurdus eſt, ut Angliæ Regi univerſi *maris dominium* (b) adſcribat: qua in re illi non dubitavit ſe opponere IOH. ISACIVS PONTANVS *in diſcuſſionibus Hiſtoricis*, ubi de Norwegorum regibus ait, illis competiiſſe jus in mare ſeptentrionale. Præterea etiam ſcripſere de hoc argumento IOH. STRAVCHIVS, (c) qui idem de Romanis docet & probat. Non attuli etiam diſtinctionem, qua dicunt res quaſdam eſſe nullius. Nam in republ. nullæ res tales ſunt, ſed omnes ſunt in dominio, ſi non privatorum, *tamen reipubl.* (d) Præterea res quædam ſacræ ſunt aut eccleſiaſticæ, de quarum dominio ipſi Canoniſtæ diſſentiunt: quidam id adſcribunt Pontifici Chriſti Vicario, quidam ipſi Chriſto, quidam vero utramque ſententiam abſurdam judicant, uti *& revera eſt.* (e) Sic olim de bonis mendicantium Monachorum diſputatum eſt *inter ipſos Pontifices.* (f) Nam quidam eorum ſummam hominis perfectionem poſuerunt

illud ut rem meri facti, nullum intuitu juris potuiſſe habere effectum; quod ſi vero per illos reges, ut Belgii principes, ab eo prohibiti fuerint, has prohibitiones tantum temporarias fuiſſe. Neque unquam (8) ejusmodi prohibitionem in Belgio publice eſſe affixam, aut actorum publicorum libro inſertam. Tandem (9) præſcriptionem Batavorum prætenſioni nullatenus inſervire poſſe, cum præſcriptio non currat, niſi agere valenti. Belgæ autem ab Indicorum commerciorum uſu remotos eſſe; ut ſileatur, navigationes ad Indos, res meræ facultatis, nulli ſubeſſe præſcriptioni.

(a) *revocavit)* Non revocavit, ſed repetiit lib. II. de J. B. & P. c. 2. §. 4. Rationes ejus tamen, quæ ibi reperiuntur, non ſtringunt. Nam dubium valde, an mare omnium piſcationibus ita ſufficiat, ut nihil inde ei, qui maris dominio potiri poſſet, decedat; deinde ſi promiſcuus piſcationis eſt uſus, lucrum ejus haud dubie valde minuetur, qui mare occupare, & alios a piſcatione excludere potuiſſet; porro libertati commerciorum non officit, mare eſſe in dominio. Inſtantia dari poteſt a terreſtribus commerciis, quippe quorum libertas non impeditur, etiamſi territoria ſint occupata; imo quæ de libertate commerciorum & tranſitus, jure gentium competente, vulgo dicuntur, non levibus expoſita ſunt dubiis. Sic & non ſolum maris, ſed & fluviorum & marium, quæ a territoriis, quæ alluunt, magnitudine ſuperantur, natura fluxilis eſt & continuas patiens mutationes. Hæc tamen & ex ipſius Grotii ſententia ſunt in dominio. Denique mare terminorum eſſe capax, SELDENVS *lib. I. c. 22. de m. c.* & PVFFENDORFIVS *de J. N. & G. lib. IV. c. 5.* docent. Cæterum de hoc argumento ad differt. de dominio maris paulo prolixius agendum erit.

(b) *maris dominium)* SELDENVS totum Britannici vel Septentrionalis maris dominium Angliæ regi tribuit, quatenus ille claſſibus ſuis dominatur.

(c) *Johannes Strauchius* Junge PETR. BAPTISTAM BVRGVM, in quo refutando non ſatis feliciter Graswinckel verſatus eſt.

(d) *tamen reipublicæ)* GROTIVS *de J. B. & P. lib. II. c. III. §. IV. XIX.*

(e) *& revera eſt)* Quis enim res, ut par eſt, perpendens Chriſto Servatori tale dominium, ac eſt inter homines, adſcriberet. Numne unquam rerum ſacrarum poſſeſſio ab ipſo occupata, aut ad eum ab alio devoluta eſt? Quod autem de Chriſto dici nequit, multo minus de Pontifice, ut ejus vicario, dici poteſt. Cæterum Stephano, Anacleto, ac Bonifacio octavo pontificibus familiare fuit, eccleſiæ bona, patrimonium ſive peruniam Chriſti vocare *c.* 1. 12. 2. *c.* 6. *ead. & c.* 33. *de elect. & elect. poteſt. in* 6. De appellatione, qua patrimonium Petri & pauper. vocatur, vid. ANTON. DE DOMINIS lib. 9. c. 3.

(f) *inter ipſos pontifices)* Honorius III. & Gregorius IX. Innocentius IV. Alexander IV. conſtituerunt, illud, quod in Franciſci eſſet regula, eius nimirum ordinis profeſſores nihil ſibi appropriare debere, ſervandum eſſe. Atque voluit Gregorius, *ut omnium utenſilium & librorum, rerumque mobilium & præſentium & etiam futurorum, nec non & aliarum rerum & eleemoſynas divinis oblatarum ſeu conceſſarum dictis fratribus (in quibus tamen offerentes ſeu concedentes ipſa nihil in ipſis ſibi ducerent reſervandum) proprietatem & dominium plene & libere ad ſe & Romanam eccleſiam pertinere; ipſa in ſe recipiens ac antedictam eccleſiam, ſimplici uſu facti duntaxat in rebus & bonis hujusmodi reſervato fratribus antedictis. Et quia nonnunquam libros & alia mobilia ſupradicta vendi expedit ſeu etiam commutari, Fratribus ipſis in eadem ordinatione conceſſit, ut res ipſas cum aliis rebus, quarum uſum licet habere ipſis fratribus (dummodo generalis & provincialium miniſtrorum conjunctim vel diviſim autoritas intercederet) poſſent libere commutare. Sed & quia fratribus ipſis pecuniam per ſe vel per alium recipere ipſorum regula diſtinctius interdicit, voluit & conceſſit, quod ſi vendi contingeret res mobiles ante dictas pretio æſtimato, quod hujusmodi pretium per procuratorem deberet recipi a præfata ſede, vel Cardinale gubernatore ejusdem ordinis, deputandum per procuratorem eundem in rem licitam, cujus uſus eſſet permiſſus ejusdem ordinis fratribus expendendum hoc adjecto, quod poſſent de vilibus rebus mobilibus, vel parum valentibus fratres ipſi pietatis ſeu devotionis intuitu vel pro alia honeſta cauſa & rationabili (obtenta tamen ſuper hoc ſuperiorum ſuorum licentia) intra vel extra dictum ordinem ordinare.* Cum autem Johanni XXII. dominium tale palliaticum Romanæ eccleſiæ abſurdum & inutile videretur; cum nemo ſimplicem uſuarium dicere poterit, cui rem uſuariam licet permutare, vendere ac donare, Romanæque eccleſiæ exinde multæ obortæ ſint lites: conſtituit, *quod in bonis, quæ inpoſterum conferentur, vel offerentur, aut alias quomodolibet continget fratribus ſeu ordini ſupra dictis (exceptis eccleſiis oratoriis officinis & habitationibus, ac vaſis, libris & veſtimentis divinis officiis dedicatis vel dedicandis, quæ ad ipſos obvenient in futurum, ad quæ ſe non extendunt adeo inconvenientia ſupradicta; propter quod conſtitutionem iſtam ad illa extendi nolumus) nullum jus ſeu dominium aliquod occaſione ordinationis prædictæ, ſeu cujusvis alterius a quocunque prædeceſſorum noſtrorum ſupra hoc ſpecialiter edita, acquiratur, ſed quoad hoc habeantur prorſus ordinationes hujusmodi pro non factis. c. ad conditorem Canon. Xvag. Joann. de verb. ſignificat.* Verum enim vero non decrant, quibus hæc papalis diſplicebat conſtitutio, veterum ſubſcribentes opinioni, ſacris & divini Numinis cultui rectius operam dare poſſe, qui ab omni rerum mundanarum & proprietatis curis eſſent alieni, atque in eo Chriſti & Apoſtolorum inhærerent exemplo. THOMASINI *vetus & nova eccleſiæ diſciplina part. III. libr. III. c. I. ſeqq.* Johannes ut ſanctionem ſuam vindicaret, alias duas Avenioni 1322, 1325. edidit, in quarum prima docet, opinionem, quæ aſſerit, Chriſtum & ejus diſcipulos nihil habuiſſe, & in his quæ habuerunt, nullum jus eis fuiſſe, erroneam eſſe & hæreticam; & in ſecunda omnes, qui conſtitutionibus ſuis refragari auderent, hæreticos & rebellionis damnat. E contra hæc tria ſtatuta Ludovicus Bavarus hæreticalia & deteſtanda vocat, eaque quæ *in c. ad condit. canon.* continentur, examinat. LVNIGII *ſpicileg. eccleſ. contin. I. n. XXII. p.* 65. In Gallia quoque exorta eſt quæſtio, an Franciſcani bonorum immobilium hæredes ſcribi poſſint, & tam a parlamento Tholoſano, quam Pariſienſi & concilio Viennenſi ſtatutum, ut eorum eſſent capaces, ea tamen lege, ut intra annum & diem alienarent. vid. MARTÆ *digeſtum noviſſimum p.* 222. In concilio vero Tridentino *ſeſſione* 25. c. 3. decretum, fratribus S. Franciſci Capucinis & eis, qui minores de obſervantia vocan-

Digitized by Google

poſuerunt in eo, quod nihil poſſideant proprii. Iohannes vero XXII. Papa, ut & alii poſt eum ſecuti profeſſi ſunt, impoſſibile eſſe, ut illa ſaltem, quibus Monachi veſcuntur, in eorum non ſint dominio. Diſtinxere inter bona, quæ conſiſtunt in abuſu, & quæ non illa ſunt, quæ veſci nata ſunt. Franciſcanos hoc usque adeo male habuit, ut ſe oppoſuerint Pontificibus. Illi autem usque adeo ſuam ſententiam defenderunt, ut etiam nonnullos combuſſerint. De qua tamen controverſia nunc noſtrum non eſt agere. Saltem quod volebamus, bona ſacra eſſe *in dominio reipubl.* (a) Hoc tamen recte Inſtitut. Iuſtin. Scriptores notarunt, bona alia eſſe publica, alia univerſitatum (Collegiorum & corporum) alia privatorum. Romæ autem olim talia corpora quam multa erant. De corporibus ſcripſit elegantem tractatum Guido Pancirollus, elegans JCtus. Talia autem corpora ſemper habuere ſua bona, quæ reſpectu totius reipubl. ſunt bona privata, ſingulorum vero reſpectu quodammodo ſunt communiora. Jam in omni omnino republ. reperias talia Univerſitatum bona, uti neque in Germania ulla vel parva urbs absque his eſt. Huc itaque pertinent bona Monaſtica: unumquodque enim monaſterium eſt collegium aliquod ſacrum. Porro ſacra ſunt bona ea etiam, quæ ſingulorum ſunt, uti jus Patronatus. itaque bona ſacra & eccleſiaſtica ſunt ſub *dominio reipubl.* (b) vel univerſitatis vel privatorum, vel reipubl. immediata poſſeſſione. Ad privatorum bona autem pertinent etiam patrimonia regum & principum: Domania vero non, quia ea non tenent pleno jure. Eſt autem & alia rerum diviſio omnino notanda, recte propoſita in lib. 2. Inſtit. tit 2. ſcil. res quæ poſſidentur, aut ſunt corporales aut incorporales. Illæ ſunt, quæ tangi poſſunt: nam ut Lucretius canit:

Tangere nam & tangi niſi corpus nulla poteſt res.

Tales ſunt pleræque res quæ poſſidentur. Præter eas autem res, quædam ſunt, quæ dicuntur incorporales: quæ tangi non poſſunt, ſed conſiſtunt in aliquo jure. Jura ſcil. ſunt res incorporales, Gerechtigkeiten: Jam vero tales res ſolent eſſe admodum variæ. Quod autem attinet ad res corporales, ſolent illæ vulgo dividi in mobiles & immobiles, ac *denique in res ſeſe moventes.* (c) Immobiles ſunt, quæ per ſe conſtant, ut integræ ædes &c. aliæ vero moveri poſſunt, aliæ ſe ipſas movent, uti vel ipſa animalia & ſervi, qui annumerantur poſſeſſionibus & ſemet ipſos movent. Ita eſt, omnis generis animalia revera tamen ſunt in poſſeſſione. Obſervandum jam eſt, in quantum Politici ſit agere de illis rebus, & in quantum non. Nam ICtus & Politicus agit de rebus, ſed diverſimode. ICTus de eo, quod circa eas juſtum eſt & non, & hoc pertinet ad forum. At vero Politicus longe aliter verſatur circa res, & quidem (1) omnes publicas, in quantum ſunt publicæ: illæ enim ſunt publicæ conſtitutionis. (2) Debet noſcere, in quantum unaquæque res utilis aut noxia eſſe poteſt reipubl. (3) etiam debet ſcire, an ſufficiant uſui & utilitati publicæ. Et (4) ſi non ſufficiant, quomodo poſſint augeri, aut ſi ſuperflua, quomodo poſſint ærario reponi, quæ cura Satrapatia ab Ariſtotele dicta, ſolet demandari iis, qui præſunt bonis Cameralibus. *

§. 35. Ceterum publicarum cujuslibet civilis ſocietatis rerum primariæ ſunt corporales, illarum vero immobiles, ut harum denique ipſa regis. Itaque ex uſu eſt, ordine iſtoc obſervato res quoque ſcrutari.

§. 36. Circa regionem vero cum integram, tum ejus quamlibet partem, tria cumprimis veniunt ſpectanda; quantitas, qualitas & ſitus, voce *ſitus* latius ſumta, ut τὸ *ubi* etiam comprehendat.

§. 37. Et vero quantitas regionis ſingularis cujusque reipubl. interdum ampla, interdum anguſtis finibus incluſa eſt, ceu olim Aſſyriacum, Perſicum, Alexandri, & Romanum imperium bonam univerſæ terræ partem complectebatur. Hodie Turcicum & *Hiſpanicum* (d) reliquis fere præſtat magnitudine. Multum autem intereſt, hoc an illo ſeſe habeat modo regio. Integræ reipubl. partes quoque regionis variant prolixitate; unde itidem diverſa oriuntur commoda aut incommoda.

§. 38. Plus tamen ſitum eſt in qualitate regionis. Etenim magna quidem interdum eſt regio, ſed vaſtis conſtat *ſolitudinibus* (e) ac proinde parvi eſt uſus. Collocata autem eſt qualitas regionis partim in aëre; etiam aër ſcilicet calore, frigore, ventis iisque aliis atque aliis, exhalationibus porro aut ſerenitate, atque adeo ſalubritate etiam, aut inſalubritate, magnam affert regioni cuique varietatem, atque ad uſum vel noxam ingens momentum. Aquarum porro alicubi ſufficiens ad uſus civilis vitæ quoslibet duntaxat copia ſupereſt: et ipſæ aquæ differunt qualitatibus omnis fere generis ſenſibilibus; tactilibus inquam, odore, ſapore, colore: interdum & abditis quibusdam viribus; unde itidem multæ oriuntur ratione utilitatis aut noxæ differentiæ. Jam & regiones nonnullæ fluviis, nonnullæ rivis, nonnullæ ſtagnis aut lacubus, iisque nunc

vocantur &c. bona immobilia poſſidere non licere. vid. BARBOSA *c. 3. X. V. S. in 6.*

(a) *in dominio reipubl.*) GROT. *de J. B. & P. lib. III. c. 5. §. 2.* Et quod jure romano traditum, res ſacras nullius eſſe, ex Romanorum mente eo interpretandum, quod res ſacræ nec privatorum ſint nec fieri queant.

(b) *dominio reipubl.*) Vid. RHETII & MAVRITII *differt. de ſecularisat. bonor. eccleſiaſtic.* GROTIVS *de J. B. & P. lib. III. c. 5. §. 6.*

(c) *denique in res ſeſe moventes*) Sub generali tamen mobilium vocabulo etiam ſe moventia comprehenduntur KLOCK *conſil. XII.*

(d) *Hiſpanicum*) Quod a Gallia ſubditorum numero, & a Moſcovia terrarum amplitudine longe ſuperatur. Voyage hiſtorique de l' Europe p. 2.

(e) *ſolitudinibus*) Et Moſcovia ſolitudinibus frequens eſt. Atque in Suecia quoque & Norwegia multa ſunt loca inculta & ab habitatoribus vacua.

nunc parvis nunc magnis diſtinguuntur; quædam alluuntur vaſto aliquo mari, quale eſt mediterraneum aut balticum, quædam & ipſo oceano. Maria porro illa vel ipſe oceanus alluens alicubi ſcopulis brevibus intutæ ſunt fidei, alibi navigantibus præſtant ſecuritatem. Quibus in rebus, quantum ad felicitatem vel infelicitatem reipubl. ſit poſitum, haud temere quem fugit.

§. 39. Terra poſtremo alibi eſt montibus aut rupibus aſpera, ſylvis horrida, paludibus foeda, triſtis cultu aſpectuque, qualem Tacitus veterem deſcripſit Germaniam; alibi undequaque læta adeoque plana vel collibus molliter edita, amoena frugiferis nemoribus, lacubus fluviisque commodis irrigua, ipſa gleba ubere, aptaque aut paſcuis aut frugibus, aut viti aut arboribus plantisque, alibi ex adverſo arenoſa, paluſtris, lapidoſa, exſucca & ſterilis, quæ discrimina maximi utique ad vitam civilem itidem ſunt momenti.

§. 40. Inhærent præterea terræ res plurimæ immobiles, & quidem ipſiusmet naturæ diſpoſitione, quæ proinde terræ partes haud immerito cenſeri poſſunt; earum alias vero intra, alias ſupra terram reperias. Intra ſunt omnis generis metallica, & lapides & ſucci concreti, uno verbo omoia foſſilia, mixta *Georgio Agricolæ* (a) appellata, quorum nonnulla perquam ſunt pretioſa, vel ſaltem vitæ utilia. Supra terram itidem lapidum gemmarumque variæ exſtant differentiæ. Cumprimis vero obſervandæ veniunt arborum ſtirpiumque ſpecies pene innumeræ, hominibus nobis utiles magis minusque, quædam & noxiæ.

§. 41. Inſiſtunt adhæc terræ res arteſactæ immobiles, præ omnibus etiam illis naturalibus, maximi in quamvis vitæ partem momenti. Hujus etenim ordinis ſunt: cujusvis regionis oppida, vici, arces, exſtructa quævis munimenta, aliaque id genus, hominum confecta ingenio, quibus utique infinita arte facta alia comprehenduntur, tanti ad civilem ſocietatem uſus; ut bonam reipublicæ partem iis ſolis conſtare, haud injuria propemodum dixeris.

§. 42. Vt regionis autem integræ, ita & illorum, quæ modo enumeravi, omnium quantitas, qualitatesque ſingulæ accurate expendendæ veniunt, idque ratione habita civilis uſus. Ad ſitum vero itidem, cum totius regionis, tum ejus aquarum terrarumque, & quæ terris inhærent ſingularum partium, etiam eſt atque etiam attendendum. Plurimum enim intereſt ad belli pariter pacisque negotia, quonam omnia illa ſint ſitu. Et negotia quidem pacis pleraque inter cives ejusdem reipublicæ ſolent exerceri, adeoque intra ejus limites, quapropter neceſſum eſt, ut quo ſaltem illa commode peragantur, ad mutua civium reipublicæ commercia, ſingulæ regionis partes apto ſint ſitu collocatæ. Veniunt vero & cum exteris multa inſtituenda commercia, ſive exportanda fuerint, quibus respublica abundat, ſive importanda, quibus indiget, itaque & talium ratione neceſſum eſt, univerſæ regionis ſitus ut probe ſeſe habeat. Eſt autem vel in vulgus cognitum, ad poſterioris ſaltem generis, cum exteris ſcilicet negotiationes, nihil eſſe commodius uſu fluminum aut marium magnorum, cumprimis vero oceani. Etiam vero ad multa, quæ intra regionem actitanda ſunt, navigia adeoque & flumina navigabilia perquam ſunt commoda. Ad rem bellicam facit vero potiſſimum aptus ſitus extremorum regionis, ſive defendenda ſit univerſa regio, ſive arma exteris fuerint inferenda. Et vero montes excelſi, loca paluſtria impervia, flumina aut maria ampla in finibus ſita tutelæ adverſus externos inſultus perquam ſunt idonea. Inferendis etiam armis adverſus hoſtes maria illa & flumina proſunt, modo a navigiis bellicis resp. ſimul modice fuerit inſtructa. Ceteroquin enim, ſi major nimirum fuerit navium vis, peregrioo hoſti flumina aut maria obſunt potius, quam proſint. Etiam vero intra regionem ſitus partium ejus quatumcunque, utrum commodus ſit rei bellicæ nec ne, multum refert: quo nempe undique ad extremos limites poſſint ſine moleſtia transferri impedimenta, commeatus, aliaque bello neceſſaria. Quodſi etiam intra regionem hoſtis ſeſe effuderit, quo poſſint commode partes quæque mutuo ſibi eſſe auxilio.

§. 43. Vnde manifeſtum utique eſt, vel ſolas has ob cauſas magna cum cura ſitum & integræ regionis, & quarumvis ejus partium eſſe expendendum. Eſt vero ſimul reſpiciendum ad ingenium conditionemque, ſive vires vicinorum populorum, quemadmodum videlicet illi cum ad pacis commercia, tum ad bellum ſeſe habeant. Multum ſane intereſt in vita etiam privata, qualis ſit vicinus tuus: non minus vero, imo longe plus refert integræ reipublicæ, omnia viciniæ habere explorata: idque quoniam tutandæ vitæ privatæ ad manum eſt communis magiſtratus, rerumpublicarum autem omne præſidium adverſus vim hoſtilem in armis eſt collocatum. Saltem igitur vicini quoque populi ſitus ante omnia accurate erit examinandus.

§. 44. Quid? quod ab aquis velut utilitatis, ita etiam damni plurimum poſſit inferri regioni, prout ſita illius eſt terra aquis proxima, ſi nempe depreſſior ſit atque ita pateat inundatiooibus. A ventis quoque cum ratione ſalubritatis aut inſalubritatis, tum ratione violentiæ aut mitioris motus nunc utilitas nunc noxa exſpectanda ſit, prout ſitus regionis alius eſt atque alius. Quin huc igitur etiam animum advertere prudentis & cauti politici ſit, non eſt, quod dubitemus. * Situs multum confert ad negotia tum pacis tum belli. Nam commercia quidem mirum in modum ratione ſitus vel commodi vel incommodi differunt. Si fluvii

(a) *Georgio Agricolæ*) *Nota Conringii.* Georgius Agricola ſcripſit decem libros *de foſſilium natura*, egregie ſane. optime enim calluit ea, quæ ad hanc materiam pertinent, ita ut nullus eum ſuperaverit notitia ejus, nec & fortaſſe ſuperaverit.

fluvii aut amnes navigabiles, ſeu qui ſcaphas ferunt, miro modo commodus eſt ad commercia inter cives. Sic Hollandia tam eſt commoda, ut nullus alius locus. Sic etiam Galliæ regnum multo eſt commodius ad commercia cum exteris, quam noſtra Germania. Nos enim præter Albim, Viſurgim, Amaſum, *Rhenum* (a) non habemus fluvios, qui ſeſe in mare exonerant: ſunt illi quidem apti commerciis in terra. Gallia autem tales plurimos habet. Hiſpania caret iis; & Italia adhuc multo magis. Anglia non habet fluvios navigabiles, qua in parte Scotia, propter multos ſinus præſtat illi. Nec Dania habet multos fluvios. Verum quam maxime attendendum fuerit ad commercia externa, in quibus ſitus regionis plurimum valet. Germania una tantum parte propinqua eſt Oceano, & patet, quantum illa præſtet ceteris. Nusquam reperias adeo multas urbes opulentas, quam ad mare Balthicum, & tales eas reddidit ſitus commoditas. Cumprimis notandus ſitus Cimbricæ Cherſoneſi, hic opportuniſſimus eſt partim ratione fluviorum quorundam, quam quia eſt peninſula quædam, ita ut talis ſitus non reperiatur in univerſa Germania. Regni Daniæ opportuniſſimus eſt ſitus ratione dominii *maris Balthici*, (b) ſi cœtera reſponderent. Regnum Hiſpaniæ eadem in re Galliæ præſtat ratione ſitus ad conſequendam potentiam maris, ſed cœtera deſunt. Gallia autem adhuc poteſt, ſi rerum ſuarum ſatagat. Olim & nos, cum regnum Arelatenſe & Burgundia ad Germaniam pertineret, hac in parte aliquid potuimus, ſed incuria poſtea *ea omiſſa* (c) ſunt. Nunquam enim Germania rerum ſuarum accuratam habuit curam. Gallia olim eadem negligentia laborabat, ſed nunc alia agitat altiora. In bello quædam loca ſunt ab omni irruptione ſecura, quæ ſcilicet ſunt præcluſa magnis & præruptis montibus. Sic Suecia ratione & horum & maris Balthici. Hoc ipſum eſt, quod non dubitavit Suecus Electori Saxoniæ, prono ad prælium ineundum cum Cæſareanis occentare, non eſſe illi tutum omnia uni credere prælio, ſe quidem ſi vincatur, præſidii ſat habere in ſua regione. Mare enim foſſam, montes vallum præſtare, prius deſtitutos navibus Cæſareanos non poſſe facile transgredi. Attamen tum demum maria pro præſidio ſunt, ſi resp. eſt inſtructa navibus aut numeroſo milite domeſtico, & hoſtis careat navibus. Sic ſeculo V. Anglia, quoniam inſula fuit, ſed navibus deſtituta ac *populo bellicoſo*, patuit omnibus ac miſerrima fuit ejus conditio tantum propter ſitum. Querelæ eorum adhuc ſuperſunt, ſe pelli a mari ad mare, ac piratis omne littus eſſe obnoxium, Saxonibus, Danis, Norwegis. Eadem conditione paulo poſt tempora Caroli M. a populis ſeptentrionalibus habebatur Gallia, qui in eam ſævierunt ultra quam dici poteſt. At hodie contra ſe habet. Anglia nonſolum tuta eſt a vicino hoſte, ſed & reliquos poteſt invadere ob potentiam bellicam. Ante ſecula aliquot, populi qui habitabant ad littus Balthicum, & quidem a noſtro littore, admodum graves fuere Daniæ ac Sueciæ. Suecii a Curis & Æſtiis ſibi metuebant maxime, & quidem contra Curos exſtructa fuit primum Holmia. At poſtea omnia mutaverunt. Dani fuere graviſſime infeſtati a vicinis Venedis ex ducatu Megapolitano, ita ut vix in mediis inſulis fuerint tuti. Hodie ipſa Conſtantinopolis propter Pontum Euxinum etiam cogitur eſſe in metu ob eruptiones Coſaccorum, qui ſæpe aliquot centenis ſcaphis infeſtant Pontum Euxinum, & excurrunt ſæpe ad Conſtantinopolin omniaque diripiunt. Ut ita non ſimpliciter ſit utilis ſitus marium. Neque ſolum externa, ſed & interna ratione belli ſunt conſideranda, ſcilicet ut poſſint ex meditullio regionis omnia ex ea facili negotio transferri ad extrema. Fieri poteſt, ut hoſtis irruptionem fecerit in regionem & tranſcenderit fines, ibi ſitus quoque multum poteſt. Sic in urbe multum ſitum eſt in ſitu platearum. Nam ſæpe propterea tranſverſis etiam mœnibus hoſtes expulſi ſunt. Nunc porro nota, ſitum quoque ad id eſſe examinandum, nempe ratione vicinorum populorum habita: plurimum enim refert etiam in vita privata, qualem vicinum habeas. Sic Cato de R. R. ait, fundum non eſſe emendum, niſi habeas cognitum ingenium vicini. Multo majus autem ſitum eſt in cognitione vicinorum reip. quæ non habet ſupra ſe alium magiſtratum. Igitur videndum, quales ſint vicini, an magnarum virium? an benevoli reip. alienæ, an non? Nam ut Tacitus ait: inter impotentes & validos non tuto quieſcas. An habeat vicinum hoſtem, an non. Nam nonnullæ resp. ea parte felices ſunt, nonnullæ infelices. Ita Germania alicubi ſatis eſt ſecura; habet enim vicinos imbecilles, a quibus non metuendum, alicubi autem valde potentes; qui ſi moveant quid, omnino ſunt ſuſpecti. Ita ſi videamus vicina regna, Polonia cincta eſt Moſco, Turca, Tartaro & Germano: a nobis non eſt, quod ſibi metuant, ab iſtis autem plurimum. Itaque nunquam quieta eſſe poteſt illa resp. idque propter ſitum. Populi enim illi potentes ſunt, ſuſpectæ fidei, & qui inhiant Poloniæ. Similiter quam miſerum eſt regnum Hungariæ ratione ſitus; potentem atque infidum habens vicinum Turcam. Commercia quod attinet, multum intereſt ratione commerciorum, qualem habeas vicinum. Nonnulli enim ſunt vicini, qui tamen iis rebus indigeant, unde tu diteſcas: alii, qui poſſint tuam indigentiam ſupplere. Noſtra oppida ad mare Balthicum non ſunt vetuſta, antehac tamen ditiſſima, idque ob ſitum, quum vicinos habuere populos, quibuscum ſummo cum commodo potuerunt commutationes inſtitue-

(a) *Rhenum*) In Gallia navigabilia flumina præter Ligerim, Garumnam, Sequanam, Rhodanum maria non ſubeunt: portuum tamen numero Germaniam ſuperat. vid. *La Geographie univerſ. tom. III.* p. 11.

(b) *maris Balthici*) In Balthicum mare ſibi Suediæ Daniæque reges, dominium tribuunt. LOCCENIVS *de jure maritimo lib.* I. c. *IV*. §. 3.

(c) *ea omiſſa*) Quoad poſſeſſionem ſcilicet, non tam Germanorum negligentia, quam calamitatibus, multisque tam externis quam inteſtinis bellis, & occupantium jusque ſuum Germanico imperio intervertere ſtudentium aſtutia & mala fide.

re. Sic Sueci erant domi pauperrimi, quia nullis artefactis gaudebant, quapropter ex urbibus Balthicis ſummo cum earum lucro fuere inſtituta cum iis commercia: allatis enim in Sueciam omnis generis arte factis, omnia quæcunque poterant, inde retulerunt. Similis ratio Daniæ: quæ ante 100. annos non exercebat commercia, ut ne quidem hodie Norwegia, ſed uſi fuere translatis ex Hanſeaticis urbibus. Porro ſitus ratione aquarum eſt conſiderandus. Depreſſa enim terra facile patet irruptinnibus aquarum. Sic Friſia ab incurſu aquarum Oceani eſt vallis defendenda: & niſi lucrum ſumtus æquaret, impoſſibile eſſet, quenquam hnminum ibi poſſe vivere. Idem periculum a fluviis, ſi ripæ ſint depreſſiores. Ventos quod attinet, non omnes venti ſunt ſalubres; orientales & ſeptentrionales apud nos ſunt ſalubres, ſed etiam ſunt ſicci, unde omnia exſiccant. Cœteri autem ſunt humidinres & calidiores, unde magis vel minus frugifera eſt regin, prnut calidioribus & humidioribus ventis patet. Alii ſunt vinlentiores. Sic Cæcias omnium eſt violentiſſimus & metuendus omnibus, qui ad oceanum habitant, aut naves in oceann habent."

§. 45. Poſt comparatam publicarum immobilium rerum notitiam, conſequens merito cura eſt de rebus mobilibus; quo nnmine nunc & illas comprehendimus, quæ ſeſe moventes ſingulatim audiunt. Sunt autem illæ in triplici differentia: aliæ quales natura, ut ita loquar, crudas producit: aliæ, quæ eſſentiam quaſi ſuam arti debent: aliæ poſtremo, quæ ab humana induſtria nonniſi levem acceperunt præparationem. Ne nimis ſollicita videatur partitio, poſſunt ultimæ primis accenſeri, & haberi in naturalium ordine. Nec vero ad politicam rerum nntitiam exquiſitiore illa diviſione opus eſt. Omnium autem cum quantitas h. e. magnitudo & numerus, tum qualitas, eaque reſpectu uſus, quem præſtare aptæ ſunt res vitæ humanæ ad negotia aut pacis aut belli, eſt attendenda. Ac primo quidem naturales, inde res artificiales merito veniunt ſpectandæ.

§. 46. Naturalium vero rerum ne quid effugiat politicam conſiderationem, obſervare fuerit operæ pretium, primo illud earum diſcrimen, quod aliæ ſenſu careant, aliæ nobili iſthac dote ſint præditæ; illarum eſſe hanc differentiam, quod aliæ ſint vegetabilium ordinis, aliæ etiam infra hunc cenſum. Quod tertio harum aliæ in aquis natent, aliæ in aëre circumvolitent, aliæ verſentur in terris. Poſſis vero ſeorſim ultimas illas poſtremo diſtinguere in eas, quæ hominibus nobis tantum non domeſticæ ſunt, & eas, quæ naturæ ſunt feræ. Etſi enim & aliorum animalium interdum quædam ſint nobis familiaria, atque itidem quaſi domeſtica, rarius id tamen, eoque parum refert, etiam in illorum ordine diſcrimen hoc obſervare. Annumeramus vero hoc loco bonis propriæ poſſeſſionis etiam fera animantia: neutiquam ſcilicet adtendentes illorum romani juris magiſtrorum ſententiam, qui illas non ſolummodo naturæ permiſſu, ſed etiam juſſu nullius eſſe arbitrantur; cum illis confutandis nunc quidem ſufficiat ſola *conſenſio gentium omnium* (b) hujus ævi plane contraria. Tantum ſane abeſt nefas eſſe, proprio jure populi alicujus feras poſſideri, ut in privatam quoque ſingulorum poſſeſſionem transire aptæ ſint, & paſſim terrarum jam pridem tranſierint; perinde atque uſu jam receptum eſt circa volatilia pariter & aquatilia omnis generis.

§. 47. Cæterum inter naturalia corpora ea, quæ ſenſu aut anima carent, reſpiciendum quam maxime eſt ad omnis generis metallica, metalla inquam ipſa, & ſuccos metallicos, ut & ad lapides; deinde ad frumenta & ligna; in quantum ſcilicet omnia hæc non omninn ſunt cruda, ſed aliquam licet levem præparationem ab arte acceperint. Præ aliis autem hæc expendi nierentur, quoniam his ad umnem vitam, in belli pariter ac pacis negotiis potiſſimum, magis licet minusve indigemus. Quo poſſis autem examen illud eo rectius inſtituere, opus eſt, ut ante intelligas neceſſitates quasque & uſus humanæ vitæ, quorum ingens eſt differentia. Eſt autem horum ſive omnium, ſive nonnullorum alicubi quantum ſatis eſt, alicubi abundantia, alicubi defectus: quapropter alibi atque alibi belli & pacis negotia bene aut ſecus ſeſe habent. Et vero alibi penuria aliunde ſuppleri poteſt, alibi non poteſt: eaque de cauſa alibi neceſſum eſt, ut ſive pacis, ſive belli negotia omnino deficiant, & reſpublica non poſſit non infelix eſſe. Sicubi tamen aliunde penuria ſuppleri poteſt, fit interdum, ut reſpublica in multarum, imo vero omnium rerum defectu ſic ſatis feliciter ſua inſtituere poſſit.

§. 48. Inter animalia cumprimis reſpiciendum ad ea, quorum in bello & pace uſus eſt neceſſarius, cujusmodi ſunt equi: ad bubulum item & ovillum genus, nec non ad proventus, qui ex illis poſſunt accipi, ſive ex carne ipſa ſive ex lacticiniis, ſive ex pellibus aut lana; quin etiam ad porcos & feras majores minoresque flectendi ſunt nculi: idque quandoquidem omni vitæ humanæ horum uſus tantum non neceſſarius, apprime certe eſt utilis. Aquatilia quoque cujuslibet reipublicæ in examen revocanda ſunt, ut & volucria, ſive domeſtica ſive alia. Quid quod etiam inter inſecta, apum & bombycum cura ſit habenda, utpote quæ aliis atque aliis regionibus commoda præſtent pereximia. Ut autem jam tum monuimus, attendendum eſt tum ad qnantitatem, tum ad qualitatem horum omnium, & quidem partim quemadmodum

(b) *conſenſio gentium omnium*) GROTIVS *de J. B. & P. lib. II. c. 8. §. 5.* An jus venandi apud Hiſpanos æque ac apud Æthiopes hodie adhuc omnibus competat, dubium eſt.

modum actu ſeſe habeat, partim, quemadmodum ſeſe habere poſſit per induſtriam humanam. Utrum porro hæc intra reipublicæ fines naſcantur, an aliunde neceſſum ſit importare, idque num ſine magna moleſtia aut impendio poſſit fieri, nec ne, accurate tenendum eſt in uſum quoque regendæ reipublicæ cujuslibet ſingularis.

§. 49. Eorum porro, quæ arte humana conficiuntur, itidem omnino comparanda eſt notitia ad uſum politicum. Ne quid autem horum temere effugiat politicam conſiderationem, differentiæ eorum attendi poſſunt, partim ratione materiæ, ex qua confiunt, partim ratione uſus, quem præſtare ſunt idonea. Et vero artificialium pleraque ex inanimata materie componuntur: vel ex terra nimirum, vel ex lapidibus cum pretioſis, tum magis obviis, vel ex metallis aut ſuccis metallicis, vel denique ex lignis aliisque vegetabilibus. Pauciora multo ex animalium partibus ſolent præparari, quædam tamen. Ratione uſus autem alia tantum rei bellicæ inſerviunt, cujusmodi ſunt arma omnis generis, non gladii duntaxat, ſed etiam tormenta recentiore ævo excogitata, quæve iis ſunt neceſſaria. Alia pacis duntaxat uſibus apta, alia utrisque temporibus & negotiis commoda ſunt. Et quidem alia ſunt neceſſaria omnino, alia utilia, alia nonniſi ad elegantiam laciunt. Indubie veio politica conſideratio maxime ſpectat uſum. Et facile liquet, ante omnia ad neceſſarias ſive belli pariter & pacis, ſive alterutrius res, ſecundo autem loco ad utilia, & tertio demum ad reliqua, quemadmodum omnia iſthæc ſeſe habeant, politico viro attendendum eſſe. Omnibus porro artefactis ratione uſus quandoquidem alimenta, medicamenta, veſtimenta, & nummi, ſive pacem ſive belluin ſpectes, antecellant, utique omne illud, quod huc pertinet, omnisque adeo res nummaria, publica cumprimis, quæ in ærario aut fiſco eſt, magna cum cura cognita ex uſu eſt civili. Quoniam vero interdum materia quidem naſcitur domi, ars autem alibi quærenda eſt; interdum materia aliunde adfertur, præparatio autem in republica ipſa inſtituitur: interdum utrumq; intra reip. fines producitur: interdum utrumq; foris petendum eſt; plurimum vero refert, quo horum quodlibet ſeſe modo habeat, haſce quoq; omnes diverſitates intime pernoviſſe, magnum utiq; fuerit ad regendam rempublicam, ſaltim ratione ſufficientiæ rerum omnium, momentum.

§. 50. Ceterum de paranda rerum corporalium cum immobilium tum mobilium notitia, fortaſſe ſatis. Supereſt, ut quoque de notitia rerum incorporalium publicarum (nam in his ſolis verſamur) nonnulla addamus: et vero etiam hæ omnino pernoſcendæ veniunt, quia ad uſum reipublicæ faciunt maxime. Conſiſtunt autem res incorporales publicæ in juribus, iisque ſive in res, ſive in rebus illis, quæ non ſunt publicæ poſſeſſionis. Sunt autem tales res partim intra reipublicæ limites, partim extra collocatæ. Initio igitur videnda ſunt jura in res ſive rebus civium, ſive univerſitatum, ſive ſingulorum alicujus reipublicæ. Pertinent huc omnis generis jura, etiam in perſonas aut bona civium, non profanorum duntaxat, ſed etiam ſacrorum, quorum ratio alibi atque alibi ſolet eſſe pervaria. Hujus claſſis ſunt: jura perſonas regendi, aut etiam advocandi in militiam, exigendi item vectigalia & tributa. Reperiuntur autem interdum & jura publica in res extra territorium ſitas, eaque longe ampliſſima. Quorum alia proficiſcuntur vel ab ipſa naturali lege, vel communibus gentium moribus. Hujusmodi ſunt itinera, jura quædam commerciorum, navigandi item per maria, aut fluvios alienos libertas. Quædam vero nonniſi certis pactis, eisque aut apertis, aut tacitis cum exteris initis ſunt recepta: ſic licet alicubi piſcari, in alieno quamvis territorio, ceu Batavi aliique populi in mari Britannico harengorum quæſtuoſiſſimam quotannis piſcationem inſtituunt jam a 200. amplius annis. Similes ſervitutes reperiuntur paſſim alibi. Intereſt vero etiam hæc intime pernoviſſe, idque interdum non minore multum commodo, quam res ipſas corporales. * In Suecia memini videre importari omnia figulini & latericii generis, quoniam ibi nulla eſt terra, ex qua poſſit ejusmodi res parari, idque hodienum *ibi fit.* (a) Ex piſcatione Batavica Harengorum in Hollandia aluntur 450000. *homines* (b) mulieribus & liberis non ſupputatis.*

Caput III.

De cognitione cujusvis reipublicæ formæ.

POſt comparatam eorum omnium, quæ regenda veniunt, ac proinde ſunt inſtar materiæ, notitiam, conſequens eſt, ad cognitionem ipſiusmet reipublicæ formæ animum attendere.

§. 2. Etiamſi vero vulgo credatur, ad id ſatis eſſe, ſi noveris, quænam ratio ſit cum ſummæ poteſtatis, tum reliquarum, quæ a ſumma illa dependent (velut ab ipſo Ariſtotele ἡ πολιτεία non aliter definitur, quam τῇ τάξει poteſtatum regentium civitatem, cumprimis vero ſummæ: neque nos negamus, potiſſimum in hoc formam reipublicæ verſari) omnino tamen modus etiam ipſe regendi intelligendus eſt. Hic autem a poteſtatibus illis earumque conſtitutione, (al. *conſecutione*) multum eſt diverſus, plurimumq; refert, quemadmodum regimen ipſum exerceatur. Et vero duo illa pene habent ſeſe, ut in metaphyſicis ſcholis appellati actus primus & ſecundus. Pene inquam: quoniam actus ſecundus totus fit vi primi. Modus autem regiminis

(a) *ibi fit*) Cognitum habemus, magnam ollarum fictilium, quæ in pago Electoratus Brunſvicenſis, cui Duing vel Duja nomen, finguntur, copiam in Sueciam transportari.

(b) *homines*) Halecum captura nonniſi ſub magnæ Britanniæ littore fit, & quidem tribus diſtinctis vicibus diverſis in locis. Longe majorem hominum numerum, qui ex halecum captura vivunt, AVTOR *der Anwyſinge der heilſame politike Gronden en maximen van de republique van Holland: c. VI.* adfert.

minis ſua habet propria principia, a regentium poteſtatum natura multum diſtincta, adeoque differt plurimum, etiamſi ipſæ poteſtates ſint eædem: quod alibi latius docendum eſt. Nos hoc loco primum agemus de notitia eorum, quæ ad regentes poteſtates attinent, deinceps ad notitiam modi regendi pergemus; idque quoniam in paranda ipſa reipublicæ cognitione hoc ordine eſt progrediendum.

§. 3. Ut prima vero conſideratio probe inſtituatur, quinque ex ipſamet politica doctrina petita, promte ſunt memoria tenenda. Horum *primum* eſt, cum civilis ſocietas omnis generis ſocietates quaſi ſinu ſuo comprehendat, eorum omnium, quorum obtinendorum gratia ſocietas aliqua humana iniri ſolet, qualia ſunt cuncta, quibus ad vitæ civilis felicitatem opus eſt, regimen civili ſocietati ſive reipublicæ competere. *Alterum* eſt, interdum alicubi multa quidem eorum omnium imperandorum jura reperiri, nonnulla tamen interdum deficere, ac proinde tales ſocietates non eſſe perfectas reſpublicas, ſed prout illorum jurium major eſt minorve penuria, ita & ſocietates ejusmodi naturam reipublicæ magis minusve referre. Quodſi tamen permulta jura deſint, tum ſocietatem illam ne quidem cognomentum amplius reipublicæ mereri. *Tertium* eſt, illa regendorum omnium jura primo ac per ſeſe nunc uni eidemque ſubjecto ſive æqualiter, ſive inæqualiter inhærere, nunc eſſe diviſa in ſubjectis diverſis: primi generis ſocietates civiles eſſe reſpublicas ſimplices, earumque alias plane æquales, alias inæquales. ſecundi mixtas eſſe ſolereque ita appellari. *Quartum* eſt: illa jura, quæ primo ac per ſeſe ſubjecto alicui competunt, exerceri tamen ab eodem omnia raro poſſe, eoque quædam ſaltem horum neceſſario aliis committenda. Ac prioris quidem generis jura pertinere ad ſummam poteſtatem cujusvis reipublicæ, poſterioris ad magiſtratus. Quoniam vero multum refert, quemadmodum jurium illorum poteſtas ſit magiſtratibus commiſſa, itaque ad notitiam reipublicæ cujusvis accuratam pertinet, non ſummæ duntaxat poteſtatis, ſed etiam magiſtratuum rationem omnem intelligere. *Quintum* poſtremo eſt, poteſtatem quamvis regendæ reſp. interdum legibus conſtitutis vere convenientem eſſe, interdum multum reapſe a legibus & inſtitutis differentem, vel vero nonniſi ſpecietenus iis conſentaneam. Ut noſcatur ergo intime reſpublica, ad utrumque reſpiciendum eſſe, cumprimis autem ad id, quemadmodum vere ac reapſe illa ſint compoſita, ſive id legibus conforme, ſive non fuerit. * Notum eſt, neminem accurate judicare de rep. poſſe, niſi cognitione politicæ inſtructus ſit univerſali: veluti medicus, qui arte medica bene inſtructus eſt, de morbis accurate judicare poteſt, ita & politicus, qui doctrina civili ſeu politica inſtructus eſt, de republica. Utrum quis claudicet, nec ne, an ſurdus ſit, nec ne, vel quilibet judicare poteſt: cauſas vero noviſſe, ſolius medici eſt. Ad eundem modum nemo de rebuspublicis ſingularibus recte judicare poteſt, niſi peritus philoſophiæ politicæ. Imprimis autem forma reip. ſemper animo & memoria circumferenda eſt. (1) Attendendum eſt, ſocietates omnes humanas alicujus boni cauſa inſtitui, & easdem eſſe admodum varias: quippe bona ſunt varia, ergo & ſocietates variæ eſſe debent, bonorum cauſa quæ inſtituuntur. Inter magiſtrum & diſcipulum eſt ſocietas capeſſendæ doctrinæ ergo, inter compotores ſocietas voluptatis cauſa. Ergo aliæ ſocietates bonæ ſunt, aliæ malæ, ut vel proſint, vel non. Inter ſocietates, quæ proſunt, eſt ſocietas maris & fœminæ, domini & ſervi, hæ tamen non ſunt civiles ſocietates proprie, licet ſint in civili ſocietate. *Civilis ſocietas* proprie eſt, quæ omnis generis bona, quorum uſus eſt ad vitam civilem, comprehendit, eaque ſocietas eſt omnium perfectiſſima, comprehendit enim omnes ſocietates bonas, atque adeo omnis generis bona. Quæcunque bona & commoda per varias obtinentur ſocietates, illa omnia ſunt in civili ſocietate proprie dicta ſeu perfecta. (2) Obs, rempubl. perfectam ita quidem ſe habere, ſed multas reperiri, in quibus talia multa deſint, ut non liceat participem fieri omnium bonorum civilium. Illæ ſunt omnes imperfectæ reſp. non veræ aut perfectæ. Ad hunc modum ſe habet imperii Romano Germaniei reſp. non enim in illa licet omnis generis bona adipiſci. Si circumſpexeris plures imperfectas reſp. deprehendes quam perfectas. Defectus autem ejusmodi nunc major eſt nunc minor. Si minor aut etiam majuſculus, nomen reip. manere poteſt: ſin aut pleraq; defecerint, non meretur illa ſocietas cognomentum reip. ſocietas tamen dici poteſt. Imperium Rom. Germ. quandoquidem non pleraq; ibi deficiunt, reip. nomen retinet. (3) Obs, eſt, quod poteſtas ſive jus regendæ reip. non ſemper ſit penes unum idemque ſubjectum, ſed diviſim ex parte penes hoc, ex parte penes aliud, unde aliæ reſp. dicuntur ſimplices, aliæ mixtæ. Mixtæ, quoniam ſummæ poteſtatis partes diviſim ſunt penes hos & illos. Hæc quæſtio, an detur mixta reſpublica, inter politicos agitatur. I. Bodinus Politicus Gallus putat, nullam remp. dari *mixtam*, ſed omnes eſſe ſimplices. Hunc ſequuntur haud pauci, etiam Monzambanus. Ego in alia jam diu ſum ſententia, nempe revera dari mixtas reſp. nec hodie duntaxat reperiri, ſed & olim repertas. Nam & ipſe Ariſtoteles earum facit mentionem, quanquam rarius. Extra controverſiam igitur ponendum, reſp. alias eſſe ſimplices, quoniam omnia jura majeſtatis penes unum ſubjectum ſunt, alias mixtas, quoniam diviſim partim penes hos, partim alios. Quod remp. ſimplicem attinet, notavi, reperiri interdum penes unum idemque ſubjectum omnia jura majeſtatis, ſed inæqualiter. Fieri enim poteſt, ut alicubi jus belli ſit quidem penes totam rempublicam, attamen in republica deprehendatur quædam diverſitas, ut alii plus, alii minus poſſint e. gr. in Suecia & Polonia de bello conſtituere regis eſt & omnium ordinum regni, verum regis alicubi ma-

jor, alicubi minor eſt auctoritas. In Polonia populus *prævalet regi.* (a) In Suecia rex populo. Tales respublicæ vulgo etiam dicuntur mixtæ, ſed non proprie. (4) Obſ. Summa poteſtas ſeu poteſtas regendæ reip. tametſi interdum ſit penes unum idemque ſubjectum, quod propterea abſoluta poteſtate gaudere dicitur, impoſſibile nihilominus eſt, unum eundemque omnia ſummæ poteſtatis jura poſſe exercere. Magnus enim eſt numerus negotiorum civilium, ac proinde unus omnia immediate agere non poteſt. Cum tamen omnia exercenda ſint, neceſſario in omni rep. conſtituendi ſunt magiſtratus, ita ſumto vocabulo, ut ab initio hujus capitis dictum eſt. Hi magiſtratus regunt quidem remp. ſed ſumma ſeu independens poteſtas penes hos non eſt, ſed ab independenti dependent. Apprime boc apparet in regnis & principatibus, omnes, qui præter regem aut principem adminiſtrant, ſunt magiſtratus. Circa democratias multi falluntur, dum credunt, penes Senatum eſſe ſummam poteſtatem, Falſa hæc eſt ſententia. Inde inter Senatum & populum reliquum tot controverſiæ, dum Senatus arbitratur, ſummam poteſtatem reip. *penes ſe eſſe*, (b) & e contrario populus non levem partem ſibi tribuit. Varia autem ſunt diſcrimina democratiarum, ARISTOTELI L. 4. obſervata. Breviter. Summa poteſtas ſive omnia jura penes unum quidem ſubjectum ſæpe ſunt, ſed non illorum exercitium. nam multa committenda ſunt aliis. (5) Obs. quod resp. ſoleat babere leges ſacras, ſive non ſacras publicas. Has appello illas, quæ faciunt ad ſtatum reip. nam quælibet resp. habet ſuum jus publicum & quidem aliud atq; aliud pro diverſitate temporum: neq; enim rom. resp. idem jus publicum habuit temporibus regum, Coſſ. & Impp. ſed ſemper diverſum. Male igitur a nonnullis docetur, unum idemque jus publieum omnes omnino respublicas obligare. Notandum jam venit, ſecundum jus publieum non ſemper remp regi. Aliud vero eſt jus publicum, aliud reapſe *ipſum regimen*; (c) hinc non ſequitur, ſi jus publ. ita ſe habet, Ergo & regimen. Aliquando tamen LLbus conſentaneum eſt regimen reip. Porro obſervari meretur, quando fiunt mutationes & præſertim arcanæ, illos qui mutant, non ſolere temere mutare LL. publicas, ſed nec vocabula, res quamvis ipſæ mutentur, nonmutatis quippe legibus & vocabulis imprudentior populus plerumque putat, unam eandemque eſſe reip. formam. Hac in parte admodum callidi fuere Romani, ut patet ex legum latione. Quæcumque enim Impp. & reliqui magiſtratus jubebant, leges dici nolebant, ſed vel edicta vel conſtitutiones vel alio nomine appellabant, ne populus ſentiret, imminutam eſſe libertatem. Egregium eſt hoc ſophisma politicum. De Auguſto ſcribit Tacitus, eadem retinuiſſe *magiſtratus vocabula*: (d) rex Auguſtus reapſe erat, rex tamen dici nolebat, quia exoſum erat vocabulum, ſed principis nomine, quod ſamiliare erat, contentus vivebat. In Anglia ſuperioribus annis inſigne exemplum præbuit Olivarius Cromwell Angliæ protector. Hic ipſe revera rex erat & majori pollebat poteſtate, quam ullus regum Angliæ unquam polluit, ut tamen populum ſpecie libertatis delectaret, regis nomine faſtidito Protector tantum audire voluit. Poſtquam vero ambitio hominem excoecaverat, ut boc nomine non amplius contentus eſſe vellet, ſed rex dici cuperet, actum fuit de omnibus Cromwelli *conſiliis & auſis.* (e) Tunc enim ſtatim aut apparuit populo aut ei non difficulter perſuaderi potuit, ſe ſpecie libertatis eludi, cum revera ſub rege viverent. Igitur ſtatim poſtquam exceſſit Cromwell, ad priſtinum ſtatum omnia rediere, & rex ſuit revocatus tum temporis exul, alias forma Cromwellianæ reip. procul dubio firmiores radices egiſſet.

§. 4. Principio igitur in ea inquirendum, quorum agendorum libera facultas penes illam ſocietatem ſingularem, quæ in conſiderationem venit, aut adeſt, aut non adeſt. Et vero docet uſus, raras eſſe, quæ in omnibus omnino rebus, ad civilem felicitatem pertinentibus, libero valeant arbitrio, quoniam in plerisque ſocietatibus ſaltem nonnulla ſunt vel legibus aut conſvetudine certo modo ita conſtituta, ut ne ſummis quidem poteſtatibus illa mutare fas ſit, vel omnino extra curam publicam privati ſunt juris. Nec vero nudum cognomentum ſive regni, ſive alterius alicujus reip. ſpeciei certam præſumtionem parere aptum eſt exactæ integritatis, aut undequaque pleni imperii: quandoquidem, ceu ante diximus, ad tale aliquod nomen impetrandum ſatis eſt, ſi plerorumque regendorum libera adſit facultas. Sed & vulgi, nomina ſocietatibus humanis indentis, judicium in talibus ſæpenumero errat graviter; quod nimirum imperite credatur, in unum reipublicæ corpus concreviſſe populos, qui tamen reapſe nonniſi in quibusdam, magni licet momenti, pacis nempe & belli rebus ſocietatem colunt, vel unum aliquem communem obſervant regentem. Velut de fœderatis Helvetiis Cantonibus, quos vocant SIMLERVS & BODINVS: de Belgico Germanis ſeptem provinciis, perdocte Hugo Grotius animadvertit. Eſt vero ab aliis pridem etiam monitum, neutiquam e. gr. unius reip. eſſe omnia, quæ Rex Hiſpaniæ unus ſuo imperio continet, nec olim vel iſta omnia, quæ intra limites romani Imperii fuere poſita, vere fuiſſe partes illius Romanorum imperii. Non difficile præterea oſtenſu eſt, ſiquidem inſtitutum pateretur, id quod ſæpius pridem affirmavimus, Germanicum Imperium ob multa communia haud indignum eſſe unius reipublicæ appellatione, exactam

(a) *prævalet regi*) HARTKNOCHI *de republ. Polona lib. 2. c. 2.*

(b) *penes ſe eſſe*) Exemplum Hamburgi habemus.

(c) *ipſum regimen*) Sæpe legum fundamentalium quædam uſu antiquatur; inprimis in rebus publicis mixtis, prout ſcilicet illius, qui aliorum coimperantium eſt caput, jura augentur aut minuuntur. Leges tamen ipſæ in ſpeciem in complexu legum & pactorum manent. Unde ingens oritur difficultas, de vera actuali reipublicæ forma recte judicandi.

(d) *magiſtratus vocabula*) *Poſito Triumviri nomine conſulem ſe ferens & ad tuendam plebem tribunitio jure contentum. lib. 1. Ann. c. 2.*

(e) *conſiliis & auſis*) vid. LVDLOVII *comment.* p. 565. ſqq.

exactam tamen unam remp. nequaqoam eſſe. Principatus item Germanicos parum quidem a regnis,& imperialium urbium ſtatus ab ariſtocratiis aut democratiis abeſſe, non tamen vel ſic eſſe omnino perfecta corpora civilia. Par vero ratio eſt multarum ſocietatum aliarum, quæ hodie ſuperſunt, nec aliam fuiſſe veterum quarundam, ARISTOTELI eſt etiam obſervatum *l. 3. cap. VI. Polit.* * Videndum ante omnia eſt,num illa omnia,quæ ad ooam remp. requiruotur, adſint, an vero non. Si adſunt, eſt undiquaque perfecta reſpublica. Si pleraque, merentur cognomentum reipublicæ. Si noo adſunt, iodigna ſunt eo nomine. Raras autem tales eſſe reſp. quæ liberrimam habent poteſtatem omnium conſtituendorum, uſus docet. Nooulla enim ſunt conſtituta ſive LLbus ſive conſuetudine, ut *mutari non poſſint*, (a) etiam illæ,quæ vulgo Souveraines dicuntur. Nemo eſt, qui poſſit dubitare, Turcarum Imperatorem libere adminiſtrare remp. & tamen in regno illo quædam legibus ita ſunt conſtituta,ut nullus audeat mutare Imperator. Ita ſi quis Turcarum Imperator religioni chriſtianæ accedat, non erit fas mutare religionem in territoriis ſibi ſubjectis. Talis ratio eſt Czaris Ruſſorum, de quo licet in novellis narrabatur, eum inclinare ad Turciſmum, facile tamen liquet, eum non id poteſtatis habere, ut mutet etiam ſubditorum religionem. Similiter ooo licet Turcarum Imperatori conſtituere ſucceſſorem alium, quam ex *ſtirpe Ottomannica.* (b) Si enim id liceret, jam diu hodiernus ſuos fratres occidiſſet. Similiter *in Gallia* (c) non licet regi, exterum ſucceſſorem deſignare. Ad hunc modum res ſe habet in omnibus rebuspublicis, ita ut rariſſime liceat invenire rempublicam, quæ ſit plane libera. Cranzius in hiſtoria Norw. miratur inſolens regis Norwegiæ factum, qui teſtamento *ſucceſſorem inſtituit*, (d) qui & ſucceſſit: quæ libertas io quibuslibet regnis eſt rariſſima. Neque ex cogoomeotis eſt judicandum; nam ſæpe talia nomina dantur. Rex Galliæ ſouverain dicitur ſive liber & ſuæ poteſtatis. Talia enim cognomenta (1) a vulgo,imperito rerum judice dantur. (2) Prout pleraque ſe habent, etiam cognomenta poſſunt eſſe. Si pleraque ſunt libera, etiam reſpublica erit libera. Itaque facile apparet, ex cognomentis non poſſe peti certum judiciom. Regem Galliæ & Turcam nemo rerum gnarus cognomento αυτοκρατορος *fraudabit*, (e) & tamen non omnia ſunt in eorum poteſtate, ſed cognomentum illud ideo ſaltem merentur, quia pleraque habent libera. Obſervatu porro dignum eſt, quod vulgus adeo inepte judicet, ut credat unius reip. eſſe eos, qui pauca habeant cõmuoia e. g. putat, Helvetios conſtituere unam remp. cum tamen ſint diverſæ fœdere junctæ. Septem illæ Belgii provinciæ ſunt uoum corpus quidem, ſed non una reſp. licet communem magiſtratum agnoſcant, quem vulgo dicimus de Hoogmoogende Georael Staten. In regno Poloniæ etiam orta eſt controverſia, an Polonia & Lithuania unam facerent remp. Lithuani negaot; ſunt tameo *fœderati.* (f) Ideo oon ſequitur: his ſunt communia belli & pacis jura, ergo ſunt una eademque reſp. nam omnia jura eadem requiruntur, ut una reſp. dicatur, belli & pacis negotia oon omnia jura exhauriunt. Alii credunt, ubi unus idemque magiſtratus eſt, ibi quoque unam eſſe remp. Sed oppido errant. Rex Hiſpaniæ in Hiſpaoia, Italia, India & Germania multa tenet, ſed admodum diverſimode, oeque illa omnia unam conſtituunt remp. Siogula regoa io Hiſpania ſuas habent reſpublicas. Omnia illa regna uoum quidem caput habent, ſed inde haud ſequitur, ergo revera unam remp. conſtituuot, quanquam quodammodo in aliquibus conveniant. Cæterum ne quidem iidem limites unam faciunt remp. Imperium romanum vetus intra limites multa habebat, quæ tamen non una erant reſp. ſed maxime inter ſe differebant. Vulgo diſtinguitur inter illud, quod eſt in territorio, & quod *eſt de territorio.* (g) Non omne quod in territorio eſt, eſt de territorio. In territorio id eſſe dicitur, quod communibus limitibus ambitur atq; circũſcribitur, ſed iſtiusmodi ſæpe non ſunt de territorio, ſeu non revera partes illius territorii. In ipſo hoc ducatu Brunſuicenſi multa comprehenduntur communibus limitibus, in quo tamen nihil jurium habet Dux Brunſuicenſium. Porro ſi quis velit aſpicere res Germanici imperii, patebit, mereri quidem nomen reip. ſed non perfectæ. Monzambanus dixit, imperium Germaoicum non mereri nomen reip. ſed eſſe monſtroſum, quo nomine a multis fuit accuſatus. Ego fateor, corpus germanicæ reip. eſſe imperfectum, hoc argumento. Cuicunque oon competit jus, quod ad regendam civilem ſocietatem attinet, ille ooo habet poteſtatem plenam integræ reip. regendæ. Atqui nec Cæſari, nec toti conventui Ordinum imperii competit hoc jus &c. E. Sed tamen non nego, mereri nomen reip. quia multa habet communia, quæ ad civilem ſocietatem regendam pertineot. Ex parte ſocietatem colit, ex parte non, quædam enim ſunt ſui juris. Principatus ſuot regna quædam imperfecta, neque enim principatus habent

(a) *mutari non poſſint*) vid. LIMNÆI *præfat. ad capitulat. imperat.*

(b) *ſtirpe Ottomannica*) Conf. LEVNCLAVIVS *in pandectis hiſtor. Turcica* & CRVSIVS *in Turco-græcia.*

(c) *in Gallia*) LIMNÆVS *in notitia regni Galliæ lib. 2. c. 2.* GROTIVS de J. B. & P. lib. II. c. 7. §. 27.

(d) *ſucceſſorem inſtituit*) Hoc olim apud Suecos, jam apud Ruſſos receptum eſt.

(e) *fraudabit*) Abſolutæ in Gallia poteſtatis fundamenta jecit Ludovicus XI. eam autem ad perfectionem ſuam Ludovicus XIV. deduxit.

(f) *fœderati*) KOIALOWICZ *part. II. hiſtor. Lithuan. lib. II. p.* 66. JANVS JANVSZOVIVS *lib. VI. conſtit. regn. polon. tit.* 3. p. 750.

(g) *de territorio*) Præſumtio tamen eſt, omnem qui eſt in territorio, etiam eſſe de territorio & ab allegante exemtio eſt probanda. Quicquid enim turbare poteſt ſtatum reipublicæ, illud in ea eſſe non præſumitur, & in republica regulariter non ſunt niſi imperantes & parentes vid. ANONYMI Adliches Ritter Feld. p. 19. ſeqq. *Nobilis territorio ſubjectus part. IV. p.* 99.

habent omnia jura, nam ſubjacent judiciis, ſed libera reſp. eſt ſui juris & αὐτόδικος. Par eſt ratio urbium imperialium, nam *plena libertate* (a) non pollent, ideo nec illæ revera ſunt liberæ, vulgo quidem ita appellantur, ſed reſpectu municipiorum, nam his majore libertate valent. Eorum quæ paulo ante dicta ſunt, exemplum poteſt præbere Peloponnenſus. In eo multæ poſſunt eſſe eæque diverſæ reſp. licet uno limite circumſcribantur. Scotia & Anglia hactenus diverſæ ſunt reſp. licet unum caput habeant & eundem limitem. Nuper tamen de uniendi hiſce regnis conſilia agitata fuerunt, quo ſucceſſu, tempus docebit.

§. 5. Illis vero quæ diximus, probe cognitis, conſiderandum deinceps, num omnis poteſtas regendæ publicæ rei, indiviſim uni inſit ſubjecto, an diviſim aliis atque aliis. Quodſi non uni ſubjecto univerſa illa poteſtas inhæreat, diſpiciendum porro, quænam ejus portio his, quænam illis inſit. Ita nempe demum apparebit, mixta, an ſimplex ſit reipublicæ forma, & cujusmodi mixtio (poſſunt enim omnis generis ſimplices formæ variis modis miſceri, ceu alias oſtenditur) obtineat. * Interdum jura regendæ reipublicæ uni ſubjecto inſunt, & ſic reſpublica ſimplex eſt, interdum *non uni* (b) & tum mixta eſt. Quippe jura regendæ reipublicæ poſſunt dividi, ut pars huic, pars illi ſubjecto conferatur. Sunt, qui negant, dari mixtas reſpublicas, ſed fruſtra, cum pleraque regna & reſpublicæ ſint mixtæ: v. g fieri poteſt, ut quis ferat LL., ſed non omnes, ſic poteſtas LL. ferendarum eſt partim penes hoc, partim penes aliud ſubjectum. Qualia vero jura diviſim his & illis competant, obſervari debet, & notandum eſt, nullas non ſpecies reipublicæ poſſe inter ſe miſceri, nam mixtio poteſt eſſe admodum varia. Iis obſervatis diſtinguere potes, an reſpublica ſimplex ſit nec ne, ſi mixta, qualis ſit mixtio & an bene an ſecus ſe habeat. *

§. 6. Quali porro ſubjecto univerſa regendi poteſtas in ſimplicibus rebuspublicis competat, videndum. Et quidem primo num uni perſonæ, ut in regnis, an multis & quidem vel paucis, ut in ariſtocratiis & obligarchiis, vel omnibus civibus, ut in democratiis. Cum porro diverſis de cauſis & poſſit, & ſoleat regendi jus competere, idque cumprimis faciat ad formam reipublicæ, in numero quidem regentium minus eſt momenti ſitum, quotumvis etiam numero differant inter ſeſe varie, & ariſtocratiæ & obligarchiæ & democratiæ, earumque hinc etiam variæ ſpecies oriantur. Et hactenus etiam numerus ſeorſim veniat conſiderandus; potiſſimum tamen in alias quoque cauſas regendi juris, quæ obtentui eſſe ſolent, accurate eſt inquirendum. Et vero in regnis nunc ſola virtus ſpectatur, ſive propria ſive majorum, (etſi nusquam fortaſſis tanta regum reperiatur virtus, quantam in regno ſimpliciter juſto requirit ARISTOTELES) ceu obtinet in regnis, quæ habentur meliora & æquiora; nunc vis & potentia potiſſimum ſaltem, ſive ab anteceſſoribus accepta, ceu uſu venit in Monarchia herili & tyrannide. In Ariſtocratia porro omni proprie quidem ſic dicta, virtus unice attenditur. In oligarchiis habita olim eſt opulentiæ duntaxat, & hinc enatæ potentiæ ratio. Sunt vero hodie & aliæ oligarchiæ, in quibus nobilitas generis ſive præ reliquis civitatis incolis antiquior familiarum quarundam inhabitatio cenſetur æquiſſima regendi cauſa, quæ reſpublicæ vulgo ariſtocratiæ nomine itidem audiunt: reapſe tamen a veris ariſtocratiis diverſæ ſunt. Popularis denique regiminis jus omne in æquali eſt libertate civium ſingulorum collocatum. * Tempore Ariſtotelis fundamentum erat Oligarchiæ divitiæ, quod hodie vix apud nos obtinet. Requiritur enim hodie aliud, nempe nobilitas generis. v. g. patriciatus, ut exemplo nobis eſſe poteſt Noriberga. Originem hujus fundamenti videntur præbere Romani, hi enim in ordinem Duumvirorum neminem recipiebant, *niſi ex nobilitate* (c) eſſet. Verum admodum mutata eſt illa reipublicæ ſpecies, ut vix liceat hodie reperire talem oligarchiam, ſi excipias Noribergam, ubi nemo admittitur, niſi patricius nobilis, admittuntur etiam quidam ex plebe, ſed tantum dicis gratia & in ſpeciem. Sic etiam obtinet in republica Venetorum, ubi etiam patricii ſoli recipiuntur. Quamvis autem hæc ſpecies etiam Ariſtocratia dicitur, attamen multum diſtat a vera Ariſtocratia, ubi nihil præter virtutem attenditur, ſicut fit in rebuspublicis Hollandicis, quæ revera ſunt Ariſtocratiæ, ubi non genus ſed virtus attenditur. In rebuspublicis Saxonicis raro habita eſt ratio generis, ſed ferme πολιτεία in illis obtinet ſive mixta ex Ariſtocratia & Democratia. Nam ſenatus non omnem habet poteſtatem regendi rempublicam, ſed etiam populus, quamvis Senatus maximam habeat partem. *

§. 7. Inquirendum porro, utrum illi, quibus poteſtas independens regendi reipublicæ omnino competit, æqualiter juris iſtius ſint participes, nec ne. Utrumque enim ſolere fieri, jam tum monuimus. Liquet vero, multum referre, hoc an illo modo ſeſe res habeat.

§. 8. Adhæc videndum, quidnam ipſimet illi, quos penes independens regendæ reipublicæ poteſtas eſt, exerceant, & quid magiſtratibus ſit commiſſum. Ubi obſervandum (1) quanta ſit ſingularum magiſtratus functionum auctoritas & quodnam officium; (2) quæ functiones conjungantur, & quænam ſeorſim ſoleant expediri; (3) utrum omnibus expediendis ſint

(a) *plena libertate*) vid. LUDWIGII *diſſert. de impari nexu civitatum imperii*, cui aliam diſſert. Schwederus oppoſuit.

(b) *Non uni*) GROTIUS *de J. B. & P lib.* I. c. 3. §. XVII.

(c) *niſi ex nobilitate*) Penes Romanos nobilitas ab imagine, & imago a magiſtratu proficiſcebatur, ut ita nobilis eſſet, cujus majores magiſtratum geſſerant. SIGONIUS *de antiquo jure civium Romanorum* c. 20. ab initio nulli niſi patricii magiſtratibus fungi potuerunt, qui tamen & deinde ad plebem ſunt delati.

ſint certi magiſtratus conſtituti, nec ne, idque quandoquidem multa interdum negligi ſoleant: etiam ſane hæc omnia quemadmodum ſint compoſita, plurimum intereſſe, ex philoſophia politica notum eſt. Ut autem jam ante diximus, hoc loco magiſtratus voce non utimur arcta illa ſignificatione pro functione iſta ſola, quæ imperio ſimul inſtructa eſt, ſed laxiore, ut quosvis comprehendat, etiam judices & curatores reipublicæ rerum honoratiores. * Attendendum autem etiam in regnis, qua de cauſa hic aut ille regia poteſtate fruatur. Ut de Monarchia prius agamus, ARISTOTELES *l. 3. polit.* duobus ultimis capitibus, ubi de regno diſſerit, affert nobilem propoſitionem de regno, utrum Monarchia ſit juſta reipublicæ ſpecies. Græciæ populi omnes dediti erant libertati, ideoque nihil illis erat magis inviſum atque nomen regium. Injuſtum enim eſſe dicebant, ut unus toti alicui populo libero imperaret. Servorum eſſe parere, non autem liberorum. Itaque apud Græcos ſcriptores paſſim reperire licet maximas regnorum inſectationes. Et *Romani* (a) ſcriptores eadem erant ſententia, & apud eos virulenta dicta plurima in omnis generis regna invenies. ARISTOTELES itaque *l. 3. pol.* ſub finem agitat nobilem illam quæſtionem de παμβασιλεια, qua quis præeſt populo, ſed in ejus utilitatem, jam enim ante egerat de alia illa monarchia in utilitatem regentium. Talis ſpecies erat apud *Perſas*, (b) & hodie apud *Turcas*, (c) *Perſas*, (d) Mogolem & *Czarem Ruſſicum* (e) Obſervat autem Ariſtoteles egregie, tales exerceri vel invito vel conſentiente populo. Quæ invito, ſolent eſſe illegitimæ, & vocantur Tyrannides: quæ autem conſentiente, heriles vocantur monarchiæ. Sicuti in ſtatu herili herus ſervis omnibus imperat, neque ad eorum utilitatem niſi per accidens: ita & tales ſe habent monarchiæ, quas δεσποτικὰς vocat Ariſtoteles. Ita recte magnus Dominus audit Turca: cui omnes Baſſæ ſunt mancipia, & omnes cœteri ſubditi mancipia. Παμβασιλείαν (f) itaque Ariſtoteles eam vocat, qua unus omnibus in ſuam utilitatem imperat. Concludit autem, tum demum eſſe juſtam, quando unus ille præſtat virtute, & aliis omnibus bonis civilibus univerſo populo, aut ſaltem ei par ſit collective ſumto. Fortaſſis autem tale regnum nusquam repertum eſt, neque hodie reperitur. Servatori noſtro, ſi quidem in hisce terris voluiſſet regnare, tale competiiſſet imperium, quia omnibus bonis civilibus præſtabat. Populus igitur eum voluit eligere regem eandem ob cauſam. Poterat verbo omnis generis morbos curare, divino miraculo cibare, præſtabat virtute. Sed ejus regnum non erat de hoc mundo. In altera autem vita illi competet tale regnum absque fine. David erat vir præſtans, & indubie præſtabat ſingulis, præ omnibus quippe a Deo electus & comprobatus. Præ univerſo autem populo, neſcio an poſſit probari eum eminuiſſe. Si itaque talis vir ſit in civitate, ait Ariſtoteles, ille debet excedere civitate, aut fiat rex. Epheſiis lex erat: *nemo ex nobis unus excellat.* Non illi volebant hoc, neminem ſtudere debere virtuti, in hac enim parte ſit illis injuria, ſed cupiebant, ne quis illis omnibus præcelleret, neque injuſte: nolebant enim mutatam ſuam rempublicam & tamen ſi juſte vellent agere, danda illi erat ſumma poteſtas. Itaque magis placuit, ut exiret talis urbe. Hac de cauſa apud Athenienſes *Oſtraciſmus* erat introductus. Obſervandum igitur eſt, regiam poteſtatem deferri vel propter virtutem eximiam, ſi non propriam, ſaltem majorum. Et vero hoc ſolet etiam hodie in uſu eſſe & cumprimis in regnis electitiis. Ita nuper in Polonia creatus fuit rex non habito reſpectu generis: (licet enim eſſet *ex familia illuſtri*, (g) tamen ejusmodi plures fuerunt in Polonia, & qui competebant, illi longe illi prævalebant genere) ſed ratione virtutis, quod crederetur inter omnes præeminere virtute & mereri regiam poteſtatem. Nemo putavit, eum Wisno wicinm præſtare univerſo populo, ſed tantum ſaltem ſingulis. Tale quid ſæpe numero fit in regnis electitiis. Ratio quoque ſæpe habetur virtutis majorum: ſcilicet ſi illi fuerint præclare de regno meriti. Ita pulſo *Chriſtierno* (h) ex Dania, electus fuit Fridericus, reſpectu virtutis & propriæ, & maxime avitæ, quoniam pater & avus ejus fuit bene meritus de regno illo. Hactenus etiam in Germania ita ex domo Auſtriaca accepimus reges: quia & potentiſſimi ſunt & ditiſſimi, & poſſunt vel maxime mereri bene de imperio noſtro, quia expoſiti ſunt Turcæ, & ideo maxime poſſunt avertere malum, quod a Turca imminet. In Suecia ſuperiori ſeculo creatus fuit rex *Guſtavus*: (i) non ob divitias, quia exutus omnibus bonis, neque ob nobilitatem, quia alii erant majore dignitate: ſed ob virtutem, qua non tantum ſingulis, ſed pene dixerim toti populo, qui tunc vivebat, præſtabat: & præterea optime erat meritus in excutienda tyrannide Chriſtierni.

Interdum

(a) *Romani*) Ita & TACITVS regnum libertati opponit.

(b) *Perſas*) GROTIVS *de J. B. & P. lib. I. c. III. §. XVI.*

(c) *Turcas*) *Hiſtoire de l'etat preſent de l'empire Ottoman par* BRIOT *Ch. II. & III. liv. I.*

(d) *Perſas*) TAVERNIERI *itinerarium Perſ. c.* 9.

(e) *Czarem Ruſſicum*) *Voyages Hiſtoriques de l'Europe par Moſcobie ch. VI. p.* 72. Adde Gallum & Danum. Ante Caroli XII. obitum & Suecus horum numero erat.

(f) Παμβασιλειας. GROTIVS *de J. B. & P. lib. I. c.* III. §. XX.

(g) *ex familia illuſtri*) Michael *Koribythus* dux in Wisnio vice a Wladislao Jagellonis fratre deſcendens, patre Jeremia & matre Griſelda principe Zamoiski utebatur. KOJALOWICZ *hiſtor. Lithuaniæ lib. VIII. p.* 354.

(h) *Chriſtierno*) Vide MEVRSIVM *in vita Chriſtiani* II. Non defuit Chriſtierno defenſor. Neque enim cum Columbula commercia ipſum regno privare potuiſſent, niſi in aliis permultis, contra pactorum fidem egiſſet, ſeſeque, fluctuantibus rebus, regno ſubtraxiſſet. *Hiſtoire de la revolution de Suede tom. II. p.* 16.

(i) *Guſtavus*) LOCCENIVS *hiſtor. Suec. lib. IV. p.* 220. *Hiſtoire de la revolution de Suede tom. II. p.* 23. ſeqq.

Interdum etiam non virtus aut genus ſpectatur, ſed inſignis potentia, quæ poteſt coercere populum. Sic Turca neque ipſe meritus bene eſt de populo neque majores: & tamen eſt rex, quia nemo ei poteſt reſiſtere. Sic & in Ruſſia. Qui primus hujus familiæ fuit Czar *Michael Fedrowiz* (a) electus fuit a populo, habita ratione virtutis, quod liberaſſet populum ab impotentiſſimo dominatu Polonico. *Fridericus III.* (b) etiam in Dania fuit electus monarcha, quod bene eſſet meritus de republica & populus videret, regimen quod antea obtinuiſſet, non eſſe ſalutare reipublicæ: ſed talia raro fiunt. Potentia autem illa eſt vel acquiſita vel a majoribus accepta. Cæſar dictator perpetuus factus eſt, cum omnia ad unum deferri pacis intereſſet, *l. 1. Ann. c. 1. Tacitus* (c) ait. Nec enim licebat alias rempublicam ſervare ob eius & Auguſti potentiam, quæ tanta erat, ut etiam invito populo imperaret. Hac de re itaque accurate eſt inquirendum. *

§. 9. Excutiendum præterea cumprimis eſt, quemadmodum conſtituantur, ſive muneribus ſuis præficiantur: primo quidem illi, qui ſumma atque independente ſunt præditi poteſtate, deinde vero etiam ii, qui magiſtratibus funguntur. Utrum ſcilicet prævia aliqua electione iſthæc munia adeantur, an vero citra omnem electionem, *citra omnem*, inquam: interdum enim non omnino quidem & ſola electio obtinet, ex parte tamen. Et vero poſteriore modo habuit ſeſe olim ſucceſſio regia ipſamet in omnibus pene Germanicis gentibus, etiam nuperrime in Dania pariter ac Polonia. Pene ſimile quid hodie obſervatur quoque in collationibus magiſtratuum cum aliis, tum feudalibus, ubi feuda ſcilicet ſunt hæreditaria; confirmatio tamen eorum quodammodo ſuſpenſa eſt ab arbitrio feudalium dominorum. Quandoquidem vero ſtata illa, ut ſic dicam, ratio obtinendarum ſive independentium ſive dependentium regendæ reipublicæ poteſtatum, itidem moribus atque inſtitutis populorum perquam varia eſt, ceu liquet vel ex iis, quæ ab H. Grotio docentur *cap. 3. l. 2. de Jure Belli ac Pacis.* Accurate in id, quod receptum eſt, oportet inquirere, non autem ex inſtituto unius, aut multorum etiam populorum de ſingulis aliquid eſt præſumendum. Circa electionem porro eorum, qui magiſtratibus aut judiciis funguntur, Ariſtoteles præclare monuit tria eſſe attendenda, (1) a quibus (2) ex quibus & (3) ſorte an ſuffragio fiat electio. Habet autem idem locum interdum, etſi rarius, in ſummarum poteſtatum collatione, quoniam nimirum illæ etiam electione nonnunquam conferri ſolent, etſi quam multis perſuaſum ſit, ſolas dependentes poteſtates vel magiſtratus electione obtineri. Eſt autem electionis aliqua ſpecies etiam illa, qua regna transferuntur a parentibus in liberos ex arbitrio. Obſervandum quoque eſt, nonnunquam non ſolum ſuffragium, nec ſolam obtinere ſortem, ſed aliquid ex utroque mixtum: quod ut illo tempore inſolens, Ariſtoteles indicare neglexit.

§. 10. Quandoquidem porro ſtatus reipublicæ nunc eſt legibus atque inſtitutis, tum ſcriptis, tum non ſcriptis conveniens, nunc ab iis diſſentit, non poſſum non denuo monere, ad utrumque reſpiciendum eſſe. Et vero neutiquam ad intelligentiam reipublicæ ſatis eſt tenere, quid de ejus forma ſit conſtitutum, ut nec ſcire, quemadmodum forma iſthæc in præſens ſeſe habeat. Etſi enim poſtremum hoc noviſſe, ſufficiat exteris ad ſua gerenda negotia, attamen domi nequeunt ſaltem vitiis reipublicæ, ſi quæ fuerint, commoda inveniri remedia, quando ignoras, quantum a legibus & inſtitutis ſit receſſum & quidnam leges exigant. Quinimo ſi leges probe ſeſe habeant, ſalus reipublicæ poſtulat ſtrictam earum obſervationem; quod ut fiat, leges illæ publicæ non ſunt profecto ignorandæ. Sed & non ſatis eſt, noviſſe duntaxat, quidnam lege ſit conſtitutum, aut quid mutaverit, ſed etiam in legum mutationumque cauſas eſt inquirendum, quoniam hoc non ignorare, eſt noviſſe jam leges publicas ad uſum magis politicum.

§. 11. Quammaxime poſtremo opera eſt danda omnium, quæ modo diximus, examini, utrum & in quantum commoda aut incommoda ſint. Hæc ſane notitia unice eſt demum politica, atque ad rempublicam regendam perquam neceſſaria, eoque prudentis ſcientiæ legum publicarum, ſtatusque publici cognomentum meretur. Judicari autem id ipſum poteſt contentione facta initio ad finem reipublicæ externum jam ante cognitum, deinde ad finem internum h. e. ad illam reipublicæ formam, quam ſibi quælibet propoſitam habet. Et vero ſæpenumero contingit, ut neutri vel non ſane utrique ſed alteri tantum fiuium conveniat præſens reipublicæ ſtatus. Nec enim e. gr. quævis forma apta eſt potentiæ comparandæ, & quæ monarchica eſſe vult, illa interdum deſtituitur inſtitutis monarchiæ, ſive conſtituendæ ſive conſervandæ utilibus, interdum plane noxiis inſtructa eſt. Ad hoc opus eſt comparatione facta ſtatus præſentis cum iis omnibus, quæ ad materiam docuimus pertinere. Cumprimis vero inſtituenda eſt comparatio cum populo, quandoquidem populus nonnunquam aptus eſt, qui meliore regatur forma, ut proinde liceat tum mutare rempublicam in melius: nonnunquam illi ne præſens quidem ſtatus eſt commodus: quandoque autem hic populo quadrat optime ac proinde eſt conſervandus.

§.12.Hiſce

(a) *Michael Fedrowiz*) Erat hic Roſtovienſis metropolitæ apud Uladiſlaum Poloniæ regem Moſcoviæ inhiantem captivi filius, familiam veterum Moſcoviæ ducum ſanguine attingens. Conſ. KOBIERZIKII *hiſtor. Uladiſlai lib. VII. p.* 469.

(b) *Fridericus III.*) *L'etat de Danemarc c. VII. & la deſenſe du Danemarc* eodem capite.

(c) *Tacitus*) Hic de Auguſto l. c. ait: *qui cuncta diſcordiis civilibus feſſa ſub imperium accepit.*

Digitized by Google

§. 12. Hiſce omnibus exacte cognitis, haud temere quidquam fugiet eorum, quæ in prima collocavimus claſſe ad formam reipublicæ cognoſcendam facientium. Quanquam enim proxime tantum de ſimplicibus rebuspublicis verba fecerimus, non opus tamen eſt, ut de mixtarum notitia ſeorſim hic differamus, quia eadem omnino, non alia circa mixtas veniunt conſideranda, quæ hactenus ad ſimplicium ſtatus cognoſcendos neceſſaria eſſe docuimus. Quapropter etiam licet jam nobis ad notitiam modi regendi, quod alterum eſt eorum, quæ ad formam publicam pertinent, progredi. * Monui obſervandum eſſe, an independens ſeu ſumma poteſtas ſit æqualiter collata, nec ne; nam varie ſe habet. Ita in Democratia ſumma poteſtas eſt penes populum universum, fieri tamen poteſt, ut non omnes valeant eadem potentia ſive ut ſint inæquales. Exemplum ſuppeditat romana reſpublica: populus romanus variis *tribubus* (a) conſtabat. Tribus libertinorum numeroſiſſima erat, non tamen libertini tanta valebant auctoritate ac reliquus populus. Ad magnas dignitates v. gr. Conſulatum libertini non admittebantur, tametſi divitiis & virtute quandoque præſtarent. Hinc apparet, non æqualiter omnes de ſumma potentia apud Romanos participaſſe. Exemplum quoque præbet reſpublica Germanica. In comitiis non poteſt quidpiam conſtitui, niſi ex omnium ſententia, jus igitur ſuffragii eſt penes omnes ordines, ſed inæqualiter. Cæſar tantum valet, *quantum reliqui omnes*, (b) plus valent electores, quam principes, & ſic porro. Vulgo, ubi inæqualiter de juribus ſummæ poteſtatis participant, ibi mixta reſpublica eſſe creditur. Ego non repugno. Tamen magna eſt differentia, ubi diviſim penes hos & illos jura majeſtatis ſunt, quemadmodum in mixta republica ſe res habet. Certum eſt, imperium Germanicum eſſe mixtam rempublicam, quædam jura uni imperatori, quædam electoribus conveniunt. Præterea diximus, independentem poteſtatem non poſſe omnia negotia immediate expedire. Hoc fit imprimis in regnis, vel ob regum ſocordiam vel ingenii imbecillitatem. Obtinent illi quidem jura ſummæ poteſtatis, ſed non exercent ipſi, verum per magiſtratus ſive miniſtros. *Philippus IV.* (c) Hiſpaniæ rex & *Ludovicus XIII.* (d) per ſummum aliquem miniſtrum omnia curarunt expediri. Hodie in Gallia rex ipſe potiſſima expedit, coetera per tres miniſtros: per priorem regni negotia, per alterum extera, per tertium, quæ ad ærarium, commercia & rem nauticam ſpectant. Atque ita attendendum, an, penes quem ſunt jura ſummæ majeſtatis, quædam ipſe & qualia, an vero per magiſtratus quædam & qualia expediat. Non enim omnes magiſtratus pari valent auctoritate. Et præterea quænam munia miniſtris commiſſa conjungantur, quænam non, obſervare decet. Ariſtoteles docet, in republica non temere multa magna munia uni *committenda eſſe*, (e) hoc enim reipublicæ expedire, quoniam ſi multa dividantur, rectius expediri poſſint, & ita plures ſint honorati, tunc vero populus ſit quietior. Conducit ergo, ne ſummi magiſtratus ſint diuturni, ſed in multos transferantur, quicquid ex adverſo hoc habeat periculi, quod multi hoc modo ſint *rerum ignari*. (f) Ad conſervandam rempublicam facere, dicit Ariſtoteles, non unum magnum facere, & propter periculum belli & pacis negotiis unum non præficere, qua in parte Turca peccat, primum *Veziriun* (g) utriſque præficiens. *

§. 13. Et vero regimen eſt, tanquam actus ſecundus, poteſtatem autem regendi habent inſtar actuum primorum, ut nunc utar vocabulis ex metaphyſica Latinorum ſchola petitis, ac proinde ad formam reip. non quælibet duntaxat poteſtas regendi, ſed regimen quoq; ipſum attinet. Quemad-

(a) *tribubus*) Vid. PIGHII *Annal. Romanorum.* SIGONIVS *de antiquo jure civium Romanorum.*

(b) *quantum reliqui omnes*) Summam imperii poteſtatem in duas dividere ſolent ſemiſſes, quarum unam Cæſari, alteram ordinibus tribuunt. PAVRMEISTER *de juriſdict. lib. II. c. 2. n.* 20. SCHVZ *Vol. I. diſput.* 10. *theſ.* 15. LAMPADIVS *part. 3. c. 5. §.* 13. Sunt porro, qui cum *Reinkingio* contendunt, imperatorem diſſentientibus ordinibus pro plenitudine poteſtatis ſtatuere & decernere poſſe. Sed hæc ſententia æque ac illa, quod Cæſare ab ordinibus diſſentiente nec diſſidium componi queat, ſtatuum concluſio vim comitialis decreti nanciſcatur, imperii legibus repugnat, *J. P. artic. VIII. §. gaudeant*, & refutatur ab HIPPOLITO *a Lapide part. I. c. IV. Sect. III. p.* 51. *ſqq.* Denique id, quod de ſemiſſe traditum, minus recte ad ſtatum imperii noſtri quadrare, docet HERMES *in faſcic. juris publici c.* 36. §. 80. SCHWED. *introd. J. P. part. ſpecial. ſect. I. c.* 30.

(c) *Philippus IV.*) In aula patris ejus marchio Deniæ, dux Lermæ deinde conſtitutus, nimium valebat autoritate, eamque ob rem rex ſuorum ſibi attraxit contemtum PETRVS MATTHÆVS *in hiſtor. Henrici IV. p.* 187. Hic ad purpuratum poſtea confugit ſacerdotium. VASSOR. *Tom. III. p.* 175. Apud Philippum IV. eodem propemodum auctoritatis gradu erat comes dux d' Olivarez. *Hiſtoria de don filippo quarto par DON GONZALEZ Ceſpedes Meneſes.*

(d) *Ludovicus XIII.*) *La vie du Cardinal de Richelieu p.* 113. *liv. II.* Richelio in purpuratorum principatu ſucceſſit Mazarinus, PRIOLVS *lib. I. p.* 11. *ſeqq* qui & Ludovici XIV. in aula miniſtrorum primus fuit.

(e) *committenda eſſe*) Minus recte namque curantur. Et ille cum ſolus tantarum rerum non ſit capax, ſæpe eas per alios geret, qui ſibi placent, licet ad res gerendas non æque ſint apti.

(f) *rerum ignari*) Hinc aliis magiſtratus perpetui reipublicæ utiliores videntur. Sunt enim alia media, quibus reipublicæ conſuli queat, quominus ſummi magiſtratus ex eo, quod perpetui ſint, reipublicæ detrimenti quid inferre queant. Rerum imperitum male provincia ſua functurum certum eſt, & rerum peritiam non niſi longo temporis tractu acquiri: econtrario incertum admodum, an quis ex eo, quod ad vitæ ſuæ tempora muneri ſe præfectum ſciat, peccandi occaſionem ſumet. Cenſores & Commiſſarii principis conſtitui poſſent, qui in magiſtratuum actiones inquirant, & ſi deinde aliquem officio non, ut par erat, functum eſſe invenerint, removendus & condigna pœna afficiendus eſſet. Si ſub initium in tempus ſumatur, verendum, ne tempori & occaſioni inſerviendum eſſe ſtatuat.

(g) *Vezirium*) Hic in omnibus rebus tam belli quam pacis imperatoris Turcici ſummus eſt vicarius. *Hiſtoire de l' etat preſent de l' empire ottoman par Mr.* BRIOT *ch. XI.*

Digitized by Google

Quemadmodum autem inter poteſtates regendi, illæ, quæ a nulla dependent ſuperiore, quæ item circa maxima reipublicæ negotia occupantur, ſtatum publicum præ aliis conſtituunt, ita & regimen, quod exercetur a poteſtatibus independentibus, quam maxime aliam atque aliam formam efficit. Longe profecto magis id præſtat, quam illud, quod a magiſtratibus inſtituitur. Nec tamen non & magiſtratuum adminiſtratio valet haud parum ad ſtatus publici multiplicem formam, id quod manifeſto patet, quandoquidem formæ rerumpubl. ſolent mutari interdum etiam propter magiſtratuum non ſatis convenientem reipublicæ adminiſtrationem.

§. 14. Eapropter, ut reipublicæ alicujus forma exacte innoteſcat, ante omnia in illius regiminis, quod a poteſtatibus independentibus & ſummis adminiſtratur, modum & rationem cum cura eſt inquirendum. Cumque præcipui momenti negotia verſentur in legumlatione, in belli & pacis conſtitutione, in pactione omnis generis ſoederum cum exteris, in cuſtodia civitatis, in vectigalibus & tributis omnique adeo ærario, in ordinatione magiſtratuum judicumque, in exigendis poſtremo rationibus eorum, quæ a magiſtratibus & judicibus geſta ſunt; ad hæc præcipue erit attendendum, quemadmodum in republica ab ipſis ſummis poteſtatibus adminiſtrentur. Deinceps vero pergendum quoque eſt ad magiſtratuum quorumcunque & judicum publicas adminiſtrationes: atque adeo & illæ quomodo inſtituantur, inveſtigandum.

§. 15. Sicut autem non ſatis eſt politicæ quidem accuratæque peritiæ acquirendæ, ſcire duntaxat nudam rationem omnium reipublicæ regendæ poteſtatum, ſed omnino pernoſcendum quoque, utrum illa poteſtatum τάξις aut ratio reipublicæ ſit ſalutaris an noxia; ſic & regiminis quoque omnis commoda & incommoda ſunt intelligenda. Quod ut ordine atque exacte fiat, regiminis univerſi cum ipſarum poteſtatum juſto officio erit collatio inſtituenda, num ſcilicet illud, quod exigit officium cujusque poteſtatis, reapſe præſtetur, nec ne: ſæpe enim numero rem habere ſeſe longe aliter, uſu compertiſſimum eſt. Animadvertendum ſecundo venit, num regimen idoneum ſit cum interno tum externo fini illi, quem respublica ſibi propoſitum habet: namque & iſthac in re ſæpe eſt deprehendere errores inſignes, quibus adeo, niſi corrigantur, mutatur reipublicæ forma, inque aliam tranſit, ſive clam & ſenſim, ſive aperte & ſubito. Attendendum poſtremo eſt, num regimen iis, quæ ad materialem civitatis partem attinere docuimus, & cumprimis quidem an populo regendo ſit conveniens. Frequentes ſane, ſi regimen non conveniat populo præcipue, tum ſeditiones excitantur, imo pereunt juſtæ rerumpublicarum formæ. Id quod caveri non poteſt, niſi hiſce ſaltim perſpectis omni ex parte, ceu in arte medica ignorato morbo remedium inveniri non poteſt.

§. 16. Unum adhuc monendum venit, nempe leges etiam ipſas a ſumma poteſtate jam latas, ut & alias jam factas conſtitutiones ignorari haud oportere, ſi quidem plena notitia ſtatus ſit comparanda; omnes quippe leges omnesque conſtitutiones ſtatum reipublicæ concernunt. Et vero jus quidem publicum quam maxime iſtuc facit: etiam tamen jus privatum huc, quamvis minus, pertinet. Par ratio eſt & aliarum quarumcunque conſtitutionum. Id quod, quandoquidem liquide alibi demonſtratur, non eſt quod hoc loco multis a nobis repetatur.

Caput IV.

De notitia eorum, qui adminiſtrant rempublicam.

Pergendum porro ad notitiam eorum, qui cauſæ agentis ſunt vice, hoc eſt eorum, qui rempublicam adminiſtrant.

§. 2. Horum alii vero quoniam ſummis atque independentibus funguntur poteſtatibus, alii tantum magiſtratus agunt, indubie illorum quam maxime notitia eſt comparanda. Quandoquidem nempe hi illorum imperiis ſunt obnoxii, flectique adeo poſſint huc illuc imo & removeri. Longe pluris autem intereſt, quinam & quales ſint alteri iſti αὐτεξούσιοι; quorumque adeo felicitate, infelicitate, virtutibus, vitiis reipublicæ cujusvis ſalus propemodum conſtat.

§. 3. Haud parum vero ſitum eſt & in iis, qui magiſtratibus funguntur, qui illi, & cujusmodi ſint: quandoquidem horum dexteritate & prudentia interdum ipſorummet ſuperiorum vitia & errores ne multum noceant, cavetur; ex adverſo ſocordia, malitia aut ſtoliditate illorum, optima etiam ac prudentiſſima imperia ſummorum imperantium vim ſuam ac juſtum ſucceſſum frequenter amittunt.

§. 4. Quandoquidem vero & magiſtratuum ingens eſt diverſitas, aliique plus alii minus ad ipſummet reipublicæ faciunt ſtatum, liquet, potiſſimum ad illos, qui primarios obeunt magiſtratus, attendendum eſſe. Nec tamen non & reliquorum habenda eſt ratio: non quidem ſummæ publicæ rei cauſa, quippe quæ iſtuc parum pertineant: aliquatenus tamen boni etiam publici gratia, quia omnes, qui magiſtratum aliquem, quamvis levem obeunt, commodo publico quadamtenus inſerviunt, ejusque ergo ſunt inſtituti. Hosce omnes noviſſe tamen non quidem cujusvis intereſt: cujus tamen eſt talia curare (quod fieri ſolet etiam, quando tibi eſt cum illis minoris dignitatis hominibus aliquid commercii) illi profecto fas non eſt, minutiores illos officiales ignorare

§. 5. Quid? quod & eos, qui illis, penes quos ſummæ poteſtates ſunt aut magiſtratus publici, vel familiares agunt, vel miniſtrant, imo & ſerviunt, intime pernoſcere multum referat ad uſum civilem; ac proinde omnino nec horum notitia ſit negligenda. Fit autem hoc,

hoc, quandoquidem vix quisquam magnatum non ſaltem aliquatenus iſtis, quos diximus, familiaribus aut miniſtris aut ſervis obnoxium ſeſe præbet, multi illorum ſeſe a ſuis iſtis etiam regi patiuntur, nunc bono nunc damno reipublicæ. Et vero hoc in regnis & principatibus quam maxime eſt conſpicuum, maxime etiam vel utile vel noxium; quoniam regis & principis omnia quam maxime conſpicuo ſunt loco, maxime etiam propter eminentem potentiam vel proſunt vel obſunt. Attamen in ipſis etiam popularibus rebuspublicis talia ſolent iis, qui regunt, uſu venire, licetque proinde talia & in reliquis ſtatibus omnibus animadvertere. Huc ſane pertinet, quod integri populi interdum audiant male hoc nomine, quod ſcilicet ſint uxorii atque adeo γυναικοκρατούμενοι. * Claudius etiam regebatur a *ſervis*, (a) ſicut Tacitus ait: Non novit, quem amore, quem odio proſequi debeat, ſed ſervi, qui circa illum fuerunt, huc vel illuc eum moverunt; & ita Ingenium ipſius Claudii erat infra ſervos. * Sunt ſcilicet uxores ac liberi omni in domo familiarium præcipui, ac proinde in omnibus rerumpublicarum formis vim aliquam illorum perfrequenter reperire eſt. Pertinent denique ad hanc claſſem etiam adulatores & delatores exteri quique, quotquot eorum magni ſunt apud regentes exiſtimatione & fide. Vere enim & hi per ipſos regentes regimen reipublicæ quodammodo participant & adminiſtrant.

§. 6. Ceterum quotquot rempublicam gerunt, duplicem quaſi vitam agunt, aliam publicam, aliam privatam. Etſi enim, in quantum ſunt reipublicæ adminiſtratores, perſonas agunt publicas, ſimul tamen & privatim ſua illis domus eſſe ſolet, & privata negotia iis curanda veniunt. Id quod & ipſis in regnis fieri notum eſt: paſſim accurate etiam obſervata diſtinctione bonorum, quæ in regum ſunt poteſtate, publicorum privatorumque. Quin autem ad publicam omnium regentium vitam etiam ſit atque etiam attendendum, nemini non perſpicuum eſt: quoniam ſcilicet illa occupatur in ipſamet rerum civilium adminiſtratione. Uſu tamen venire ſolet, ut domeſtica quæque vitæ ratio auctoritati publicæ regentium (qua in re plurimum eſt boni publici collocatum) & detrahere multum poſſit, ſi recta ſit, & addere, ſi laudabilis. Adhoc privatæ rei adminiſtratio ſæpe eſt indicium publicæ. Eo ſane argumento uſus ſanctiſſimus Apoſtolus Paulus 1. Tim. III. illum voluit eſſe epiſcopum, qui domi ſuæ bene præeſt; *quod ſi quis* (inquiens) *domui præeſſe non novit, quomodo eccleſiam Dei curabit.* Privatæ porro adminiſtrationis vitia & virtutes longo uſu ita fiunt propria, ut in publicum quoque redundent, atque ita nunc bene nunc male rempublicam afficiant. Unde manifeſtum itaque eſt, ad id, ut nihil te lateat eorum, quæ ad regentes attinent, ſaltem aliqua ex parte privatam quoque eorum vitam eſſe pernoſcendam.

§. 7. Quandoquidem porro omnes hominum actiones a voluntate & facultate agendi proficiſcuntur, neceſſum eſt, regendi actus quosque itidem dependere a voluntate & facultate iſtac, ac proinde hæc duo quemadmodum in iis etiam, qui regunt, comparata ſint, attendenda eſſe. Et vero in eorum cognitione conſiſtit primo ac per ſeſe regentium notitia, quatenus quidem illa civili uſui inſervit: ſi nempe intellexeris, & quid cupiant regentes, & quid valeant efficere. Utrumque vero diſtinctim & ordine eſt invettigandum, quoniam bina iſthæc neceſſum quidem eſt, uti ad actum quemvis producendum conveniant, ſunt tamen multum inter ſeſe diverſa, & ſæpenumero alterum adeſt, alterum deficit, adeoque nullus tum ſubſequitur effectus. Quapropter & nos hic præibimus viam rerum civilium ſtudioſis ſeorſim ad voluntatis, ſeorſim ad facultatis eorum, qui regunt, notitiam comparandam.

§. 8. Voluntas igitur ſive affectus animi regentium cum ſummorum tum etiam aliorum conſiderandus eſt, qualis ſit (1) erga ipſam ſuam rempublicam (2) erga rectores ſuæ reipublicæ (3) erga ſubditos, (4) erga exteras respublicas aut earum rectores. In rempublicam porro qui fertur affectus, aut ad totam pertinet, idque ratione finis vel externi vel interni, aut ejus aliquam partem. In rectores autem aut præcipuos, aut illos, qui minoris ſunt ordinis. Affectus ipſe præterea vel nullus eſt, vel benevolus, vel adverſus. Et vero ii, qui regunt, interdum ea ſunt oſcitantia, ut eorum, quæ rempublicam attinent ſive ſuam ſive exteram, nihil aut parum habeant curæ, vel certe multa eorum plane negligant, atque ita nec amore nec odio talia proſequantur. Interdum vero in univerſam ſuæ reipublicæ formam, interdum in partem ejus, interdum in rectores hoſce aut illos, interdum in populum infeſto ſunt animo: interdum improbant ſcopum hactenus reipublicæ propoſitum, ex gr. vel potentiam, ſi ipſi nempe ſint imbelles & ſocordes, aut vere pacifici: vel tranquillam vitam, ſi ipſi fuerint turbulenti aut bellicoſi. Nonnunquam ex adverſo regentes præſentem reipublicæ ſtatum omnem amant ſalvumque cupiunt, id quod demum eſt bonorum civium. Nonnunquam ſeorſim ſtudent populo ſubdito, nonnunquam his aut illis reipublicæ rectoribus. Eſt etiam, ut illi, qui regunt, ſingulatim bene vel male erga exteras respublicas aut earum rectores ſint affecti, attendendum.

§. 9. Plurimum

(a) *ſervis*) *Cæde Meſſalinæ convulſa principis domus, orto apud libertos certamine, quis deligeret* uxorem *Claudio cælibis vitæ intoleranti & conjugum imperiis obnoxio.* TACITVS *lib. XII. annal. c. 1.* Claudius uxoribus libertisque addictus. SVETONIVS *in Vitellio c. 2. & in vita ejus c. 29.* Sæpe quæ aſtutiſſima aulæ arcana creduntur illecebrarum, quibus purpurati a mulieribus ſe deliniri patiuntur, effectus ſunt.

§. 9. Plurimum vero cum interſit, hæc quemadmodum ſeſe habeant, (nam ad ſalutem vel damnum reipublicæ etiam multum valet affectus hic aut ille in extera,) utique omnino neceſſum eſt ad reipublicæ quidem regendæ uſum, in iſtæc omnia accurate inquirere.

§. 10. Ceterum propenſiones illæ animorum, ſi quidem exſerant ſeſe aperte ſuis effectibus, ex illis effectibus quam optime & certiſſime poſſunt accipi. Sin vero, atque adeo ſi lateant adhuc & in occulto ſint, tum difficiliores ſunt cognitu, adeoque ſingulari quadam opus tum fuerit arte ad iſtas cognoſcendas. Quandoquidem autem poſt ea, quæ ARISTOTELES cumprimis in *rhetoricis primo & ſecundo libro*, HORATIVS *in ſermonibus* docuere, præclariſſime omnium artem hanc perſecutus eſt Scipio *Claramontius*; (a) ejus de hoc argumento libros familiares ſibi reddidiſſe, atque ita utiliſſimam hanc artem habere ſemper in promtu, ex re omnino fuerit.

§. 11. Ipſorummet igitur quidem regentium voluntas in hunc modum exploranda eſt. Quandoquidem vero, ceu ante diximus, nonnulli regentium obnoxii ſunt ſuis familiaribus aliisque ſibi caris, ab iisque flecti huc illuc ſeſe patiuntur, tum ſane danda quoque eſt opera, ut talium etiam omnium animos, quosnam nempe & quidnam illi vel ament vel oderint, quantumque apud regentes valeant, habeas cognitos. Adhoc, quid in regentium animis poſſint aut voluptatum, aut opum, aut potentiæ, aut denique & veræ virtutis magiſtri amatoresque, quorſumque illi propendeant, eſt attendendum, quo omnino exacte & plene regentium voluntas tibi perſpecta fiat.

§. 12. Voluntate regentium cognita, conſequens eſt, inquirere in eorum facultatem agendi. Quamvis enim ita comparatum ſit cum animis hominum, ut quamplures, quicquid poſſunt etiam velint, ac proinde ex multorum facultate voluntas eorundem queat colligi, ac notitia facultatis frequenter deducat nos in voluntatis cognitionem, adeoque illa hanc tunc poſſit præcedere: quoniam tamen nonniſi per accidens tale quid fit, & reapſe voluntas omnis actionis ſit primum movens, inſtitutus inquirendi ordo non eſt quod temere mutetur.

§. 13. Quemadmodum autem multiplex eſt voluntas, aut eorum, quæ cupiunt regentes, ingens multitudo; ita indubie æque magnus eſt numerus in regentibus facultatum agendi. Omni ſiquidem voluntati uti actio ſuccedat, neceſſum eſt, reſpondeat facultas aliqua. Requiritur præterea ad omnem actionem civilem, ſive etiam in univerſum humanam, juſta proportio facultatis voluntatisque, ſive eorum, quæ cupimus & potentiæ illa obtinendi. Eapropter ut facultatis notitia habeatur, accurata inter id, quod concupiſcitur, & facultatem comparandi, opus eſt collatione. Sed & fieri nequit, ut probe perſpicias facultatem ipſam, niſi probe ſimul perſpecta rerum, quæ cupiuntur, ad patiendum motum aptitudine, imo & omnibus ad motum neceſſariis exacte cognitis. Hinc vero liquet, ad facultatis notitiam accuratam comparandam, ad hæc itidem omnia attendendum eſſe.

§. 14. In univerſum porro eorum, quæ in vita civili expedienda veniunt, alia ſine vi, alia non citra vim queunt peragi. Quæ inter cum multum interſit, ex re utique eſt, cum cura differentiam illam animadvertere. Idque cum aliis de cauſis, tum quia expedit reipublicæ abſtinere a vi, quandocunque illius nulla eſt neceſſitas.

§. 15. In hisce communibus probe exercitatum oportet ulterius pergere ad propiorem facultatis illius agendi, quæ in regentibus eſt, conſiderationem, atque initio quidem obſervare fuerit, nonnulla ab ipſis regentibus ſine ullo aliorum adminiculo peragi poſſe, ad nonnulla vero expedienda aliorum etiam opem requiri. Prioris generis quæ ſunt, eorum cauſa efficiens quaſi ſolitaria eſt ipſemet regens: poſterioris autem, quorum numerus eſt maximus & momentum potiſſimum, principalis quidem cauſa eſt regens; alia vero tamen ſimul tanquam inſtrumenti ſunt vice, & inſtrumentalium proinde cauſarum nomen promerentur.

§. 16. Quandoquidem vero utriusque generis res, atque adeo in univerſum omnia civilia negotia a regentibus dependent, manifeſtum eſt, in proprias regentium vires ante omnia, deinceps vero ſeorſim etiam in auxiliorum facultatem, tanquam inſtrumentorum, inquirendum eſſe. Quapropter & nos nunc illo ordine procedemus.

§. 17. Poteſt autem prius quam commodiſſime fieri, ſi attendatur ad animum pariter & corpus regentium. Eſt autem animi potiſſima habenda ratio, quoniam hic longe præſtat corpori etiam in agendi viribus; & niſi animus valeat, corpus nihil aut perparum præſtare eſt idoneum. Pernoſcitur autem animus demum, cognitis moralibus pariter & intellectualibus, quæ appellantur, virtutibus aut vitiis. Prout ſane virtutibus vitiisque imbutus fuerit regentium animus, ita rebus, quas volunt, atque adeo ex voto gerendis aut apti illi ſunt, aut inepti, id quod in omnibus hominibus uſu venire ſolet. Virtutes porro morales regentium non tam æſtimandæ ſunt juxta normam, ad quam vir bonus eſt expendendus, quam ad uſum ſuæ reipublicæ. Multum ſane intereſt inter virum & civem bonum, nec in omni republica eadem eſt tum aliorum, tum etiam regentium civium bonitas, ſed pro diverſitate rerumpublicarum alia atque alia: id quod caute olim obſervavit paſſimque docuit Ariſtoteles. Pertinet tamen hoc quam maxime ad ſolam juſtitiam: utpote quam ſolam nonnullæ respublicæ omnibus numeris abſolutam non ferant, quamvis juſtitiæ tamen ſaltem bona ex parte quævis in univerſum respublica tanquam

(a) *Claramontius*) *Tomo III. horum Operum inſertus eſt cum præfat. Conringii.*

tanquam fundamento innitatur. Nihil ſane vetat, quo minus regentes omnes reliquis virtutibus, etiam in illis a juſto nonnihil abeuntibus rebuspublicis, ad amuſſim præditi ſint: imo vero id ipſum ut ſint, in omnibus ſine diſcrimine rebuspublicis plurimum profuerit.

§. 18. Conſiderandum porro, quemadmodum & circa homileticas, quæ appellantur, virtutes regentes ſeſe habeant. Etſi enim illæ reapſe non ſint tanti, hominum tamen animis conciliandis plurimum valent, ac proinde hactenus potentiam regentibus addere perquam ſunt idoneæ. Ut ex adverſo ruſticitas, moroſitas, aditus difficiles, acerbitas ſermonis, mores ab eo, quod vulgo placet, diſſoni, averſum ſolent populum reddere, magno eum regentium damno.

§. 19. Quod intellectuales refert virtutes, non eſt, quod attendamus multum ad artes manuarias, aut alias etiam, ſi logicam & oratoriam excipias, nec etiam ad ſcientias contemplativas. Etſi enim nonnullæ illarum regentes ornare poſſint, nonnullæ tamen dedecent potius illos, nullæ inſtruunt ad regendum. Imo niſi regentes capaci admodum ſint ingenio, aut artibus vel ſcientiis moderate detur opera, detrahitur plurimum auctoritati regentium. Quoniam blanda illarum dulcedine a moleſtia regendæ reipublicæ ſeducuntur, & quaſi effoeminantur regentium animi. Quo ipſo regentes in contemtum veniunt; qui tamen quam maxime illis eſt cavendus.

§. 20. Præ omnibus vero intellectualibus virtutibus ad prudentiam regentium eſt attendendum. Quia inter omnes virtutes intellectuales hujus potiſſimum eſt, negotia expedire, atque adeo hæc demum virtus regentibus quaſi propria eſt. Cum autem varia ſit prudentia, obſervandum quidem venit, quemadmodum in quolibet ejus genere regentes ſeſe habeant, cumprimis tamen ad civilem prudentiam eſt attendendum. Cumque hujus alia pars ſit primaria & quaſi architectonica, præque aliis digna civilis prudentiæ cognomento, uniceque exigatur in uſum ſummorum regentium; alia circa partem duntaxat aliquam negotiorum civilium verſetur, & conveniat proinde regentibus minorum ordinum: conſiderandum omnino venit, in quantum ſive omni hac civili prudentia, ſive ejus parte ſint inſtructi regentes, prout nempe illi circa reipublicæ negotia alia atque alia ſunt occupati.* Salomo inuſitata quadam capacitate ingenii admodum deditus fuit ſcientiis *contemplatvis.* (a) ita etiam Alexander M. Quæ quidem ſtudia non faciunt ad ipſum eſſe, ſed ad melius eſſe. Nero fuit juvenis vivido ingenio, anteceſſor vero *Claudius* (b) ſtolido. TAC. *l.* 13. ann. dicit, quod Nero male fuerit in juventute *inſtitutus* (c) adeoque ingenium appulerit ad multas ineptias, ſaltare, cantare, ad regimen equorum &c. Apud Græcos ingenii juvenes didicerunt *canere fidibus & cantare*, (d) & dum talia diſcerent, intermiſerunt neceſſaria & neglexerunt ad rempublicam facientia. Plutarchus ait de *Themiſtocle*, (e) quod callidus fuerit & prudentiſſimus nobilis Atticus & inſtitutus quidem fuit in Muſicis, ſed parum profecerat, cumque rideretur: *At ego*, inquit, *liram tractare neſcio, urbem claram & magnam reddere id ſcio.* Philippus erat rex prudentiſſimus Macedonum, & inter pocula *tibicine voluit certare*, (f) optime autem fuit reſponſum a tibicine: *Abſit rex, ut me*

(a) *contemplatvis*) Nimiæ ſpeculationes ſæpe principes a rebus agendis abſtrahunt, quod eruditi in Rudolpho II. & Jacobo I. Angliæ rege animadvertunt.

(b) *Claudius*) SVETONIVS *in vita ejus*

(c) *inſtitutus*) *Nero puerilibus ſtatim annis vividum animum in alia detorſit, calare & pingere cantu, aut regimen equorum exercere, & aliquando carminibus pangendis, ineſſe ſibi elementa doctrinæ oſtendebat.* TACITVS *lib.* 13. *Ann. c.* 3. A puero princeps imbuendus eſt pietate, juſto affectuum regimine, morumque honeſtate & elegantia, quæ principem decet. Deinde artibus, quæ tam in bello quam pace uſum habent, inprimis rectoriis opus eſt. Cumque potiſſimum prudentia & juſtitia rempublicam moderantes indigent, Legum præcepta, quæ univerſum orbem & ſuam rempublicam obligant, in compendio a fidiſſimo rerumque perito ſunt proponenda Ephoro, quique hiſtoriæ principum ſcholæ & experientiæ, quæ prudentiam progenerat, magiſtræ cum rerumpublicarum, imprimis cui aliquando imperaturus eſt & vicinarum tam civili quam geographica cognitione addat notitiam. Cavendum autem præcipue, ne liberius juſto de Deo rebusque divinis loquentium, adulatorum, mollium & effeminatorum, laſcivorum & luxurioſorum, crudelium & audaculorum commercia principum juvenum bonos corrumpant mores. Quo ſemel enim imbuta recens olla, odorem ſervabit diu. Monendus ſedulo, qui gentibus aliquando præeſſe debet, non illas propter ſe, ſed ſe propter illas natum eſſe, & principibus a Deo ſummum rerum arbitrium datum, ita tamen ut ejus, cui aliquando adminiſtrationis ſuæ rationem reddere debent, tantum vices gerant. *Tambien conviene enſeñar al principe desde ſu juventud a domar, y enfrenar el potro del poder, porque ſi quiſiere revale con el filette de la voluntad, dará con el en grandes precipicios.* SAVEDRA *Idea de un principe politico Chriſtiano empreſa XX. p.* 172.

(d) *canere fidibus & cantare*) Plato & Ariſtoteles in optimis rebuspublicis pueris muſicam addiſcendam eſſe ſtatuerunt, quia animorum ſolatio ac jucunditati ſtudet, moresque hominum aliquo pacto componere apta eſt. MERCVRIALIS *in gymnaſtica lib.* 3. p. 56. Lacedæmonii nullam præter citharam & tibiam admittebant muſicam, utpote gravitatem cum vetuſtate repræſentantem. CRAGIVS *de republ. Lacedæmon. lib. III. inſtit. IX.*

(e) *de Themiſtocle*) Vid. ÆMILIVM *in vita ejus.*

(f) *tibicine voluit certare*) De Nerone TACITVS *lib. XIV. Annal. c. XIV.* ait: *Vetus illi cupido erat curriculo quadrigarum inſiſtere, nec minus foedum ſtudium cithara ludicrum in modum canere, cum cœnaret, quod regibus & antiquis ducibus factitatum memorabat, idque votum laudibus celebre & deorum honori datum. Enim cantus Apollini ſacros talique ornatu adſtare non modo Græcis in urbibus, ſed Romana apud templa numen præcipuum & præſcium: nec jam ſiſti poterat, cum Senecæ ac Burro viſum ne utraque perovinceret, alterum concedere clauſumque valle Vaticana ſpatium, in quo equos regeret haud promiſcuo ſpectaculo. — Poſtremo ipſe in ſcenam deſcendit, multa cura tentans citharam & præmeditans adſiſtentibus familiaribus acceſſerat cohors militum, centuriones tribunique & moerens Burrus ac laudans.* Mollis illa muſica animos molles & effoeminatos reddit, & qui principi loco habent ejus concentui indulgere, ad ſerio & ponderis cujusdam res hebeſcere ſolent & deſtuere. De tribus generibus muſicæ apud veteres agit BARTHOLINVS *de tibiis veterum c.* 1.

me vincas, nam hoc meum eſt. Quare etiam poſtea rejecit, & cum audiſſet, Alexandrum egregie cantare, dixit: *Nonne pudet tam bene canere?* & ſane indignum erat. Apud Romanos nemo diſcebat muſicam, quare Virgilius ita canit:

Tu regere imperio populos, Romane, memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacique imponere morem,
Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos.

§. 21. Cum porro respublicæ variis formis ſcopisque differant, nec una omnium gubernandi ſit ratio, utilisque ſit quidem regentibus univerſa civilis philoſophia, cumprimis tamen ſcire neceſſarium, quemadmodum illa reipublicæ forma, quæ in ſingulari iſthac republica, quam cognoſcere animus eſt, & regentes, quorum notitiam ſtudemus acquirere, obtinet, regius e. gr. an democraticus ſtatus ſit gubernandus, liquet, ad hanc præcipue cognitionem regentium eſſe ſpectandum. Ceterum eſt regentium, non ſcire communia tantum prudentiæ ſcita, ſed etiam poſſe illa exercere. Videndum ergo, quam ſinguli regentium officium ſuum prudenter facere apti ſint. Cumque ſine notitia ſingularis ſuæ reipublicæ ſive totius ſive ejus partium hac illa non poſſit illud exercitium inſtitui, obſervandum & hoc venit, num illi, qui regunt aut univerſam reipublicæ ſummam, aut ejus hanc illamve partem, quam moderari debent, probe habeant cognitam. Si ſane ignoraverint, æque inepti erunt gerendis rebus atque olim Glaucus ille Athenienſis apud Xenophontem, qui omnium talium patriæ ſuæ rerum rudis, affectavit totum reipublicæ regimen, & hoc nomine a Socrate graphice perſtringitur. In libro meo de civili prudentia cap. 12. retuli verba Xenophontis, quibus refert hiſtoriam lepidam de Glauco regimen Athenarum ambiente, & tamen omnium rerum ignaro. Imo vero quoniam & aliarum rerumpublicarum, quibuscum tuæ intercedit aliquid commercii, notitia ſaltem illis, qui clavum reipublicæ moderantur, ſit neceſſaria, etiam hoc venit attendendum, num iſthæc notitia adſit vel deficiat. Complura ſane poſſe iſtac ignorantia peccari in adminiſtratione rerum, aut feliciter peragi auxilio talium notitiæ, uſus docet. * Neutiquam vero ſufficit, intelligere omnia, quæ ad prudentem adminiſtrationem reipublicæ poſtulantur, ſed ut cuncta iſthæc ſtrenue exerceantur, etiam eſt neceſſum. Nam & ſine gnavo exercitio, quantumvis maxime intelligens fuerit, reapſe nemo eſt prudens: & in actu rerum ſpectanda cumprimis diligentia & ignavia regentium. Otii ſane & deſidiæ ſtudioſi nequaquam apti ſunt magnis gerendis rebus. Ex adverſo, qui indefeſſi ſunt laboris, nec temere quicquam procraſtinant, & valent auctoritate & ſolent feliciter negotia quamvis difficillima expedire. Eapropter ad plenam regentium notitiam requiritur etiam id uti attendatur, utrum illi, qui regunt ſint ignavi, aut lenti, aut celeres, aut præcipites, vel num temperata quadam tarditate feſtinare ſuas operas ſoleant.

§. 22. Longe minus, quam civilis prudentia ad res agendas auxilii præſtare idonea eſt eloquentia (etſi olim nonnulli eam Politicæ æquare, imo hanc illius nomine venditare haud dubitaverint, in quos prolixius animadvertimus *Lib. de civili Prud. cap.* 4.) quoniam tamen eximia etiam hujus vis eſt, animis huc iſtuc commovendis, & quia auctoritatem regentibus magnam conciliat, quantumvis haud a paucioribus id exiſtimetur, par eſt, in hanc quoque regentium dotem inquirere.

§. 23. Logica ars ad veri quavis in re cognitionem comparandam (qua utique regentes valere oportet præ aliis) unice neceſſaria eſt. Ac proinde, ſi, qui adminiſtrant rempublicam, illa inſtructi fuerint, minus frequenter, imo raro errabunt. Videndum igitur, an & quantum in iſtac arte regentes profecerint. Quodſi nihil aut parum hujus ſibi acquiſiverint, ut quidem plerumque fieri adſolet, id attendendum, num & quemadmodum nativa *judicii ſolertia* (a) valeant. Et vero ea in nonnullos mortalium naturæ eſt benignitas, ut artium doctrina haud fere egeant, imo interdum ſuperent ſui ingenii præſtantia ipſosmet intelligendi exercitatos artifices. Quod tamen naturæ beneficium rarius eſt: ut adeo plerisque doctrina logica ſit opus.

§. 24. Ars porro militaris non requiritur quidem in regentibus omnibus, ut nec conducit omnibus reipublicæ negotiis; quibus tamen bellica curare in officio eſt, ceu fieri par eſt in omnibus omnino rebuspublicis, cumprimis in illis, quæ latum imperium affectant, aut quæ inter potentes vicinos poſitæ, ſemper in excubiis quaſi ſtare debent, illos artem militarem haud ignorare oportet. Ad hoc multum dignitatis addere regentibus, & exiſtimationis domi pariter forisque poteſt exacta militaris notitia. Quantumvis igitur politicæ, ſive regendi prudentiæ nonniſi miniſtra ſit ars militaris, & circa belli etiam negotia aliud politicum, aliud militare ſit artis, ceu jam tum alibi oſtendimus, quia tamen ſaltem illis, qui ſummæ præſunt reipublicæ, magnam conciliat exiſtimationem auctoritatemque ars illa, ac proinde multum interſit, utrum deſit, an adſit, ut plenam regentium notitiam aſſequare, utique ad hanc etiam attendere, operæ erit pretium. * Non ſufficit, ut ſint regentes prudentes, ſed requiritur etiam, ut eam prudentiam exerceant. Porro videndum num ſint lenti, num tardi, providi e. gr. Hiſpani ſunt tardi, Galli celeres, interdum præcipites, hac ratione ſua Galli celeritate Hiſpano-

(a) *judicii ſolertia*) Hoc Dei donum potiſſimum in iis, qui reipublicæ præeſſe debent, optandum. Et quod natura dedit, crebris judicandi exercitiis excolendum. Talia exercitia naturalem ad majorem perfectionem producent logicam. Interim & brevia quædam præcepta uſum aliquem præbebunt.

Hiſpanorum conſilia irrita ſecere, & vice verſa. *Alexander M.* dixit: μηδὲν διαβαλλόμενος; verum Ille ſæpe præceps fuit. *Auguſtus* dixit: *Feſtina lente.* Guſtavus Adolphus rex Sueciæ erat celer & interdum præceps. *Oxenſtirna* vero erat lentus & providus, hinc ille temperabat regis celeritatem, & rex hujus tarditatem. Eſt autem hæc inclinatio animorum partim oativa, partim a conſuetudine. Celeres ſatis natura poſſunt ſe dedere otio & ignaviæ, imprimis in prima juventute, ſi ſe dant ſympoſiis & converſationibus otioſorum. Ego omnibus ſuadeo, ut ſint φιλόπονοι Homerus alicubi ait, quod illi, qui velint gubernare rempublicam, ne debeant integram quidem noctem *dormire.* (a) Porro dixi etiam, principi eſſe alia quædam oeceſſaria, in quibus primum locum tenet *eloquentia:* (b) non ea quidem adeo neceſſaria & utilis atque prudentia, interim valet etiam multum ad animos hominum movendos. Eſt autem ea varia, alia perfectior, alia imperfectior. In regentibus requiritur eloquentia principum. TACITVS *L. XIII. c. 3. ann.* notat, Neronem primum Cæſarum fuiſſe aliena lingua uti coactum, hoc eſt, non valuiſſe ulla eloquentia, vividum ingenium ſuum deflexiſſe ad alia, cælare, pingere &c. Julium Cæſarem fuiſſe eloquentiſſimum, quem etiam Cicero diſertiſſimis oratoribus annumerare nullus dubitavit. Auguſtum fuiſſe præditum Principe digna eloquentia. Tiberium fuiſſe cautum in vocabulis colligendis. Caligula turbidus ſed tamen eloquens; Claudius ſtolidus, ſed tamen præmeditata diſertiſſime proferens. Hodie principes *non ſunt diſerti* (c) & ſplendoris eſſe putant, ſi cancellarius vel alius eorum nomine loquatur, olim nooita fuit. Noſtro ſeculo diſertiſſimus fuit Carolus Guſtavus rex Sueciæ, omnia in ſenatu proponebat, & per aliquot horas orationem habere poterat. Fateor, non dehoneſtare quidem regentes defectus eloquentiæ, interim tamen valet, & præſertim ea opus eſt, ad populum ſi verba fiant: ſi enim princeps orationem habet, ejus auctoritas multum movet animos vid. *c. 4. de civ. prud.* Secundum Logica eſt. Hodie eam pauciſſimi diſcuut, magno quidem malo. Ducit nos ea ad cognitionem omnis veritatis: verum pervidere eſt regentis, ergo non debet ea eſſe deſtitutus. Raro autem diſcitur (1) quoniam multi non tam per ſe, quam alios ſapiunt, (2) quoniam multi valent ingenio, & quos ipſa natura arte logica inſtruxit, reperiantur: exemplo eſſe poteſt *Themiſtocles.* (d) Quia autem rarum eſt, ideo plerique arte adjuvandi. Tertium eſt Ars militaris. Hodie ſunt, qui eam artem credunt omnibus regentibus neceſſariam. Non facio cum iis, ſed non multum diſſentio. Ea eſt miniſtra civilis prudentiæ, quæ circa & bellum verſatur. Politicus itaque teneat etiam artem militarem vid. *lib. de civ. prud. c. 6. p.* 86. ubi adduxi etiam verba Andronici Rhodii apti commentatoris Nicomacheorum Ariſtotelis. Sunt quidem belli negotia attendenda, pacis vero ſuot præcipua. Hoc fateor, in bellicis rebuspublicis, quarum ſcopus eſt, bello acquirere aliena, reges ipſos debere ea notitia neceſſario eſſe præditos, in aliis vero non æque neceſſaria eſt. Interim quia facit ea ad exiſtimationem eius, qui eam tenet, princeps ea ſaltem aliquatenus *debet eſſe imbutus.* * (e)

§. 25. Poſtremo & linguarum, quarum in vita eſt civili uſus (reliquæ enim parum vel nihil ad regentes faciunt) peritiam in conſiderationem venire, æquum eſt. Et vero multum omnem in partem animis movendis valet, ſine interprete poſſe cum civibus, imo & cum exteris, ſaltem potioribus, quibuscum majus aliqood commercium intercedit, agere. Quemadmodum ex adverſo illi, qui quaſi ſunt elingues, minus ſolent in amore & laude eſſe cum civium tum peregrinorum, ac proinde hacteous minus apti agendis rebus.

§. 26. Ceterum poſt animi regentium ad corporis conſiderationem pergendum. Et quidem ante omnia operæ fuerit pretium, phyſiognomicum corporis examen inſtituere. Cum enim in univerſum omni in vita humana adprime ſit utile, occultas etiam animorum inclinationes corporum iudicio intelligere, multo magis ex re eſt, circa reipublicæ rectores hoc agere. *De cetero primam* (f) inquiſitionem jure optimo meretur corporum valetudo. Quia plurimum ad res agendas valet, ſano ſint an ægro corpore illi, qui rempublicam reguot, numve longa an brevis eorum ætas futura ſit. Pulchritudo corporis ornat, & deformitas nonnihil dehoneſtat regentes: exiguum tamen in utramque partem momentum hine adſertur rebus expediendis, niſi

(a) *dormire*) οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βυληφόρον ἄνδρα. *Iliad. compoſit. II. v.* 24.

(b) *eloquentia*) Hac potiſſimum indiget princeps, qui in publicum, ut in Anglia moris eſt, loqui debet. Sæpe uamque diſplicet, ſi aliena egent facundia. Sufficit in principe eloquentia naturalis, quæ aliquod ab arte habet ſubſidium.

(c) *non ſunt diſerti*) Putant, infra purpuram eſſe, aliquod tempus eloquentiæ ſtudio dare. Credunt enim ſi quando opus habeant, ſibi non defore Senecas. Sed deſtituimur ſæpe noſtro ævo viris, quibus ingenium amœnum & temporis noſtri auribus accommodatum.

(d) *Themiſtocles*) *Celeriter, qua opus erant, reperiebat. Neque minus in rebus gerendis promptus, quam excogitandis erat: quod & de inſtantibus veriſſime judicabat, & de futuris callidiſſime coniiciebat.* CORNEL. NEP. *cap. I. in vita Themiſtoclis.*

(e) *debet eſſe imbutus*) Imo conducit, illum ea penitus eſſe imbutum, ut non ſolum de exercitus ſui ejusque ducum actionibus recte judicare, quid factu opus ſit, in medium conſulere, ſed & ſi ratio reipublicæ requirat, ipſe exercitui præeſſe queat.

(f) *De cetero primam*) Conringii annotatio. Nam prout ſe habet valetudo, ita apti ſunt, aut minus apti ad res gerendas. Attendendum porro, an quis ſit futurus longævus, nec ne. Si quis afflictæ valetudinis adhibetur ad imperium, judicare poſſum, iſtum haud fore longævum. Ita hodiernus rex Hiſpaniæ infirmioris eſt valetudinis. Pulchritudinis etiam habenda ratio: conciliat enim amorem, deformitas quandoque odium parit.

niſi quod abnormis plane deformitas contemtum *ſoleat parere.* (a) *Par ratio eſt prolixa* (b) aut brevis ſtaturæ, modo ſcilicet itidem neutra nimis modum excedat. Robur quoque corporis aut imbecillitas potius inter dotes ac beneficia conditionesque miniſtrantium attendenda ſunt, quam regentium. Ut ſane robur queat videri pro tutela vitæ regentibus eſſe, nequaquam tamen hoc præſtat. Unde prudenter olim Maximino imperatori, fiducia robuſtiſſimi corporis ferocienti, in theatro mimus occinuit: *Cave multos, qui ſingulos non times.* Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, præter valetudinem corporis in politicum quidem uſum reliqua non adeo accuratam conſiderationem mereri. Longe maximam vero vim habet ad res gerendas, ætas & ſexus: quæ differentiæ itidem ſunt corporum. Hæc duo itaque attendenda magnopere veniunt in omnibus iis, qui rempublicam adminiſtrant. Quantum autem valeat quælibet ætas, ut & quilibet ſexus, hic docere non patitur inſtitutum. Aliunde id accipiendum fuerit. * Phyſiognomia eſt ſingularis quædam ars, quæ docet, quomodo ex intuitu corporis judicium capere quis poſſit de latentibus animi inclinationibus. Omnia non licet inde deſumere, ſed plurima tamen. Dolendum, quod hodie multis illa vanitatibus inquinetur. Ariſtoteles & ante eum Pythagorei plurimi eam fecerunt. Exſtat adhuc Ariſtotelis *de phyſiognomia* libellus, qui hac in re eſt omnium antiquiſſimus. Itaque quoniam regentes debent accurate cognoſci, operæ pretium erit, circa illos ejusmodi examen inſtituere. *

§. 27. Poſt ea, quæ corporibus regentium propria ſunt, inquirendum in ea, quæ aliena quidem ſunt a prioribus iſtis, a corporibus tamen regentium quaſi dependent, ſunt certe iis perquam affinia. Inter illa prima inquiſitio generi debetur, quod in utramque partem magnum affert momentum gerendarum rerum. Eſt autem genus vel peregrinum vel indigenum, bene vel male, vel nihil de republ. meritum, reipublicæ quidem reſpectu: ratione autem honoris nobile vel ignobile, idque ſecundum varias nobilitatis vel ignobilitatis *differentias.* (c) Haud parum autem refert, peregrino vel inquilino, bene an male, an nihil merito, nobili item aut ignobili eſſe ſanguine genitum, idque auctoritatis ſive augendæ, ſive perdendæ, adeoque majoris minorisve ad negotia expedienda promtitudinis gratia, ſaltem paſſim terrarum, & apud plerosque. Plerosque ajo; eſt enim, ubi horum nulla vel exigua habetur ratio. Eoque attendendum ſimul eſt, quid in illa republica, quæ ſub examen venit, obtineat. *Ad res gerendas plurimum valet genus, ergo & generis rationem habendam eſſe diximus. Non quidem ubivis, quia non ubivis terrarum generis ratio habetur: ubi autem habetur, ibi prout generis ratio ſe habet, ita etiam valet auctoritas. Per Europam generis ratio quam maxime habetur. Tacitus refert, Germanos reges ſibi creaſſe ex *nobilitate*, (d) imperatores ſeu belli duces ex virtute: igitur apparet, circa creandos reges habitam fuiſſe rationem generis. Sane apud omnes Germanos vel qui fuerunt germanicæ originis, ſemper fuit habita generis ratio. Quod itaque ad genus attinet, obſervandum, quod illi, qui regnant ſeu regunt rempublicam, interdum nati ſint ex indigenis, alii ex exteris, alii ex bene meritis parentibus, alii etiam ex non bene meritis. In Polonia jam aliquamdiu reges creati ſunt non indigenæ ſed exteri. Poſt Sigismundum rex Stephanus Ungariæ rex creatus eſt, deinde Valeſius Gallus, & rurſus Sigismundus Suecus, omnes de republica nec bene meriti nec male. Non igitur habita fuit ratio indigenatus. Noviſſime *indigenam* (e) crearunt ſibi regem Poloni, generis tamen ratio ſemper habita fuit, quanquam hodiernum regem ſtemmatis nobilitate alii iſtic vincant. Ex ignobilibus certe nullæ gentes Europææ hodie ſibi regem temere creabunt. Henricus VII. rex Angliæ patrem habuit *ſartorem aulicum* (f) Olaum Tuderum, ut igitur non ratio generis, ſed virtutis habita fuerit. Familia Otto-

(a) *ſoleat parere*) Tito majeſtas oris, quo decorabatur, multorum conciliabat favorem. Cui accedebat ingenium natura & arte compoſitum adliciendis etiam Muciani moribus. TACITVS *hiſtor. lib. II. c. 5.* E contrario Tiberius ob corporis deformitatem contemtim habitus. *Erant enim, qui crederent in ſeneƈtute quoque corporis habitum pudori fuiſſe, quippe illi prægracilis & incurva proceritas, nudus capillo vertex, ulceroſa facies, ac plerumque medicaminibus interſtincta* TACITVS *Annal. lib. IV. c. 57.* Et hoc inter cauſas abſceſſus ab urbe refertur.

(b) *Par ratio eſt prolixa*) Conringii annotatio. Quemadmodum pulchritudo ad ornamentum regentium facit, ita etiam ſtatura. Primus regum a Deo ordinatus Saul fuit valde procerus, David erat puſillus, & hic tamen longe majores res geſſit, quam Saul. Ne tamen nimis ſit enormis, tum enim contemtui quis erit v. g. ſi vel nanus fuerit vel etiam gigas. Robur quoque corporis ſub hunc cenſum venit: parum autem facit ad id, ut quis auctoritate valeat ad res gerendas. *Maximinus imperator* (*) natione Thrax nullum habuit robore ſibi parem. *Valentinianus* (**) imperator una manu potuit ſiſtere currum, qui trahebatur quatuor equis. Iſthæc omnia ad res gerendas parvi, ne dicam nullius ſunt momenti. *Juſtinianus* (***) imperator ferreas ſoleas poterat manu frangere. Aetatis vero & ſexus ratio potior eſt. In juvenibus Ariſtoteles dicit το κριτικον eſſe ἀτελές. Sexus ſequior rarius *dexteritate* vincit maſculum: ideo dicit Ariſtoteles, in fœminis τo κριτικον eſſe ἄκυρον.

(*) *Maximinus imperator*) CAPITOLINVS *in Maximinis duobus c. II. III. IV.*

(**) *Valentinianus*) Hunc corporis robore valuiſſe, ex AMMIANO MARCELLINO conſtat.

(***) *Juſtinianus*) Tantis imperatorem hunc corporis fuiſſe viribus, ea, quæ de habitu corporis eius PROCOPIVS *hiſt. arcan. c. 8.* tradit, credere non ſinunt.

(c) *differentias*) Vid. KNIPSCHILD *de nobilitate lib. I. c. II.* & mea *diſſ. de ſtatu nobilitatis Germanicæ.*

(d) *nobilitate*) *In Germania c. 7.* Eo tempore nobilis ingenui quodammodo videtur fuiſſe ſynonymon

(e) *indigenam*) Et Michael & Joannes Sobiesky a popularibus ſuis electi ſunt reges. Hodie Saxoniæ elector Fridericus Auguſtus Poloniæ præeſt, æmulo Stanislao in generi Francorum regis territorio ſplendidum patienter ferente exilium. Et Sueci quoque jam ex Haſſia peregrinum, ſed clariſſimum habent regem.

(f) *ſartorem aulicum*) Hoc fabula eſt. Habuit enim patrem Edmundum Tudorem, Richemonti Comitem.

Ottomannica prævalet in imperio Turcico, reliqui Baſſæ ſe jactant humili genere oriundos virtute emerſiſſe. Eapropter quid in ſiogulari republica, quam tibi examinandam ſumis, valeat, multum refert an nobili & præclaro genere regentes ſint, an ſpectentur bene merita parentum nec ne. *

§. 28. Poſt genus ad ipſos parentes regentium, ſi quidem illi in vivis adhuc fueriot, flectendi ſunt oculi, cumprimis vero ad uxores, liberos, agnatos & affines. In hiſce omnibus vero ſpectandum primo quidem, quonam ſint erga regentes animo affecti, ſecundo quantum poſſint regentibus vel prodeſſe vel nocere. Nec enim ſine diſcrimine omnes illi ſolent eſſe præſidio, etiam alias in commuoi vita, ſed ſæpe quam maxime noxii. Multo magis id uſu venit iis, qui magno ſunt loco conſtituti, adeoque plus aliis invidiæ & odio expoſiti. Sunt igitur horum alii ioterdum tutelæ & auxilio regentibus, interdum damno, interdum oec utiles, nec inutiles. Oportet vero & voluntatem & facultatem illorum omnium iisdem explorare indiciis, quibus ipſimet regeotes examinantur. Etſi rigido perinde examioe circa ſingulos quosque opus oon ſit, idque quoniam ſingulorum vel voluntas minus poſſit eſſe dubia, vel facultas alterutram in partem parum valeat. * Illi, qui reguot rempublicam, interdum habent parentes adhuc dum vivos: hi quemadmodum ſe habeant, videndum. Quid parentes regentium queant, ſuo malo experta eſt Gallia. Defuncto Henrico IV. filii Ludovici XIII. tutricem egit mater Maria Medicea: hæc quantum turbarum dederit in regoo, incredibile eſt dictu. Rex cum matre poſtea perpetuum quaſi conflictari coactus eſt. Si bene ſe habent parentes, ſi probi ſint, ſi prudentes, reipublicæ erit bene: ſio mali atque ambitioſi, non poterit non reipublicæ male eſſe. Poſt parentes conſideranda venit uxor, liberi, cognati & affines. Ut iſti omnes ſe habeant, etiam privatim intereſſe conſtat. Sufficit autem circa illos inquirere, quonam ſint in regentes animo, & quid poſſint. Utrum uxores bene velint maritis ſuis, liberi bene cupiaot parentibus, & an ſingulatim valeant aliqoa potentia. Par ratio eſt agnaturum, fratrum nempe & ſororum &c. Plurima damna afferre poſſunt, interdum vero & juvare. Apud Tacitum Titus Veſpaſianus fratrem apud parentem affectati imperii cauſa delatum excuſaturus, liberos vocat *munimenta reipublicæ*, (a) recte quidem. Si eoim carent liberis principes, multum illis per orbitatem detrahitur. Sed ſi maligno ſint animo erga parentes, quam maximo detrimento ſunt reipublicæ. In ſacris nobile exemplum eſt in Davide & degenere ejus filio Abſolone, qui perniciosſus erat reipublicæ. Auguſtus in munimentum ſuæ domus adoptavit filiæ, quam habebat unicam, filios. & iis defunctis privignum ſuum Tiberium. Fratrum & ſororum eadem eſt ratio. Ludovico XIII. Galliæ regi frater *dux Aurelianenſis* (b) ingentes exhibuit moleſtias. Ob pericula a fratribus imminentia in domo Ottomannica adeo frequentia ſunt fratricidia: qui hodie regoat, puer erat, cum ad imperium admoveretur, ideo id effectum dare nequit, nuoe vellet, ſed noo poteſt: hinc illæ turbæ, quibus hodie Turcicum imperium agitatur. Ab agoatis & cogoatis reſpublica interdum ſibi caveat, præſertim ſi illi ſpem habeaot ſuccedendi. Factionibus eorum frequeoter laboravit Gallia. A Condæo & Aurelianenſi quantæ turbæ fuerunt coocitatæ! Incepit iſtiusmodi tumulus, qua erat prudentia, cohibere Richelius, quos poſtea *Mazarinus* (c) fregit iſtius veſtigiis inſiſtens. Hodiernus rex eo redegit rem, ut agnati nihil poſſint, quod vero velint, noo poteſt eſſe occultum. Ea ibi prudentia omnia geruotur, ut ipſe frater regis ad nutum ſtare teneatur. Quod ad affines attinet, habet hic locum illud poetæ: - - *Non hoſpes ab hoſpite tutus,*

Non ſocer a genero, fratrum quoque gratia rara eſt.

Inter affines Galliæ regem Ludovicum XIII. & Hiſpaniæ regem graviſſima bella geſta ſunt. Igitur atteodendum, quid velint, quid poſſint. Exemplum habemus in Chriſtierno rege Daniæ, qui *affines habuit* (d) Carolum V. imperatorem, regem Angliæ & alios, tamen nihil ab omoibus auxilii ſperare potuit, aut ſaltem fruſtra ſperavit. *

§. 29. Hiſce porro jam cognitis, progrediendum ad illorum, qui regentibus quaſi proprii ſunt miniſtri, non autem ad reipublicæ notitiam fuerit. Hos inter primario merito habeodi illi, qui ſunt a conſiliis: qui, inqnam, ſunt, quales frequenter etiam ſunt illi, qui iſthoc dignitatis titulo non audiunt, ceu jam ante indicavimus. In univerſum autem etiam in hiſce ſpectandus aote omnia eſt animus erga regentes, quibus miniſtrant, & deinceps videndum, in quantum illi polleant prudeotia, adeoque hactenus revera valeant, tum potiſſimum, quanam ſint apud regentes exiſtimatione. * Joſephus valde ſapiens erat & regis ſtudioſus, ſed niſi apud Pharaonem in ea exiſtimatione fuiſſet, nihil potuiſſet efficere. * Et vero quantumvis optime cupiant dominis ſuis illi, qui miniſtrant, vere etiam poſſint utiliſſimam operam præſtare, niſi tameo juſta ſimul valeant apud dominos opioione, reapſe valent nihil.

Poſt

(a) *munimenta reipublicæ*) *Ne criminantium nuntiis temere accenderetur, integrumque ſe ac placabilem filio præſtaret. Non legiones, non claſſes perinde firma imperii munimenta, quam numerum liberorum.* TACIT. *lib. IV. hiſtor. c.* 52.

(b) *dux Aurelianenſis*) VASSOR *hiſtoire du regne de* LOVIS XIII. *liv. XXIV. p.* 596. ſeqq.

(c) *Mazarinus*) *Miniſtere de Mazarin p.* 54. 55. RIENCOVRT *hiſtoire de Louis XIV. p.* 31.

(d) *affines habuit*) *Neque Saxones avunculi, nec ſororius Brandenburgicus, neque uxoris item frater Carolus V. unquam eum reſtituere potuere, neque reges fœderati, idque blande potius culpam exulantis deprecando, quam vim aliquam comminando, tentavere.* Ambitionis & propriæ utilitatis vincula fortiora, quam conſanguinitatis & affinitatis eſſe ſolent. Sæpe affinitatibus cum potentioribus via ad acciſam libertatem paratur. *Nouveaux interets des princes p.* 19. 20.

Poſt Conſiliarios autem proxime habenda eſt ratio eorum, qui armis miniſterium præſtant, quoniam hi præ illis, qui paci inſerviunt, præpotentes ſunt, ac proinde alterutram in fortuna regentium partem majus reliquis queunt pondus afferre. Itaque & in horum cum animos, tum vires eſt inquirendum, idque diligenter. Poſtremo tamen poterit etiam ad reliquos miniſtros, ſaltem potiores attendi, etſi non multum adeo id referat. Illorum vero miniſtrorum, qui minimi ſunt ordinis, non eſt, quod *cura habeatur*. (a) Ut plene porro regentium domus omnia pateant, operæ fuerit pretium, *exacte in eorum opes*, (b) illas, quæ in patrimonio ſunt, & a regentium nutu ac arbitrio dependent, inquirere. Cujusmndi ſolent eſſe aliæ immobiles aliæ mobiles. Quorum omnium varias differentias jam tum ſupra in tractatione enrum, quæ ad materiam reipublicæ pertinent, qunniam indicaverimus, ejusdem vero nrdinis hactenus quidem ſint & civitatis publica, & regentium privata bona, non eſt, cur hoc loco repetantur. Satis eſt monere, præ aliis ſpectandum eſſe, quantum regentibus vel paratæ vel cito parabilis ſit pecuniæ, quia hæc demum promtiſſimus eſt nervus rerum agendarum.

§. 3n. Et hæc quidem de notitia virium, quæ regentibus quaſi domeſticæ ſunt, monuiſſe ſufficiat. Extra domum vero regentlum verſantur, quntqunt ſunt reliquorum hominum. Nec enim in eos regentibus domeſticum aliquod imperium competit, ut üs poſſit uti ex arbitrio, ſed ſunt illi ſuæ ſpontis, ſi non omni, ſaltem pntiſſima ex parte. Quandoquidem tamen fortuna regentium propria in illis quoque tantum non intime collocata eſt, itaque omnino, ut plene noſcas regentium omnia, ad alios quoque iſtos flectenda eſt inquiſitio. Illorum vero alii indigenæ ſunt, aut partes reipublicæ alicujus ſingularis, cui regentes præſunt ı alii autem exteri. Quoniam vero indigenæ potiſſimum apti ſunt, regentibus robur áddere vel demere, hi maxime conſiderandi veniunt. Igitur primo quidem in populum univerſum, deinceps in populi partem majorem, poſt in potiores ſive divitiis, ſive dignitate, ſive exiſtimatione factioneque; denique in eos; qui magiſtratibus funguntur, omnes vel ſaltem potiſſimos, inquirendum erit, quonam adverſus regentes ſint animo, & quidnam commodi aut incommodi regentibus queant præſtare. Ad ultimum tandem eadem ratione exterorum quoque animi & vires, qunmndo ſeſe habeant regentium reſpectu, explorandi erunt. Hisce autem omnibus exacte cognitis, perinde atque ante in voluntatis, ita jam & in facultatis regentium notitia, nihil poterit deſiderari. * Hiſpaniæ rex hodie viribus per ſe non multum valet, ſed ob fœdus ictum inter Succos & Belgas & *Anglos* (c) quod, defendendo Hiſpaniæ rege, poteſt reſiſtere regi Galliæ. *

§. 31. Obſervandum vero etiam atque etiam, agere hic nos de notitia virium propenſionumque non ipſiusmet reipublicæ, *ſed regentium* (d) duntaxat: quæ inter plurimum eſt diſcriminis, cumprimis in omnibus illis rebuspublicis, ubi non eſt regentium infinita poteſtas, ſed legibus circumſcripta, atque ubi præter ens, qui regentium nomine audiunt, alii quoque cives ſua quadam pnllent auctnritate. Quantumvis in herilibus rebuspublicis, aut iis, ubi univerſa rerum ſumma unice in regentium arbitrio collocatur, alia ſit ratio, imo in monarchiis nonnullis inter publica & privata regentium nulla nbſervetur differentia. Ceterum, quid ad vires faciat ipſiusmet reipublicæ & quemadmodum illæ ſint æſtimandæ, jam tum liquet ex iis, quæ de materiæ & formæ ſingularium rerumpublicarum notitia propnſita ſunt. Ut proinde nunc quidem ſatis ſit, ſeorſim in regentium magis prnpria omnia inquiſiviſſe.

§. 32. Comparata porro in hunc modum regentium nntitia, ad *magiſtratuum* (e) ſaltem

præcipuorum

(a) *cura habeatur*) Sed ſæpe illi in animum principis plus poſſunt, quam majores illi.

(b) *exacte in eorum opes*) Conringii annotatio. Ago jam de patrimonio regentium, non de bonis publicis reipublicæ. Bona autem ſunt vel mobilia vel immobilia. Immobilia alia infra, alia ſupra terram ſunt. Mobilia alia animata, alia inanimata: quædam vero valent tantum ex impoſitione hominum v. g. pecunia. Machiavellus agitat quæſtionem, utrum recte dicatur, pecuniam eſſe nervum rerum gerendarum, & id negat. Fateor quidem, per *ſe non eſſe*, (*) cum valeat ex arbitrio hominum: ſed interim ſi aliæ res ſatis ſuppetant, tum ſi adeſt pecunia, eſt certe maximus nervus rerum gerendarum. Imprimis autem videndum, num ea ſint inſtructi principes.

(*) *per ſe non eſſe*) Non enim pecunia, ſed prudentia & fortitudine res magnæ geruntur. Verum negari nequit, & iu bello & in pace maximum pecuniæ, ut cauſæ ſine qua non, ſit tamen venia verbis, maximum eſſe uſum. Sæpe talis ſubſtantia plus valet, quam ingentes exercitus.

(c) *Anglos*) Triplici hi, ut vocatur, fœdere ſe junxerant, quod nunquam pati vellent, ut Belgium Hiſpanicum in Gallorum veniret poteſtatem, cui illi ex prætextu juris devolutionis inhiabant. Nihil enim Galli ſtabiliendæ univerſali, quam Ludovicus XIV. meditabatur, monarchiæ, quam utroque potiri Belgio, utilius crediderunt. Hinc nihil finis hujus conſequendi cauſa inexpertum reliquerunt. Artes, quas adhibuerunt, innoteſcunt ex ESTRADII *commentariis* & libro, qui inſcribitur: *recherches des cauſes de la preſente guerre*. Sed ad fœdus illud memoratum, quod ſociorum unicuique, prætee naves, quiudecim militum millia imperabat, redeamus. Id uamque illico & aſtu & nummis Ludovicus XIV. diſſolvere ſcivit; atque conceptam ex eo iram in fœderatos Belgas maximo illorum malo deinde effudit. *Hiſt. de Hollande par* DE LA NEUVILLE *tom. III. ch. XXI. Hiſtoire ſecrete tom. I. p.* 113. ſeqq.

(d) *ſed regentium*) Conringii annotatio, Nam in quibuslibet rebuspublicis magnum eſt diſcrimen intee bona regentis & reipublicæ, cumprimis in mixtis e. g. Germanici imperii ærarium diſtinguendum eſt a fiſco Cæſaris. Et hæc diſtinctio etiam apud Romanos valuit, quanquam Juſtiniani ævo nomina quidem ſuperfuerint, ſed reapſe uulla inter res ipſas diſtinctio fuerit. In aliis rebuspublicis, ſcilicet iu vera monarchia & democratia nullum eſt diſcrimen inter fiſcum & ærarium.

(e) *magiſtratuum*) Conringii nota. Magiſtratuum curam eſſe habendam, inde patet, quia ſi ipſi nimis potentes fiunt, etiam ipſis principibus formidini ſint. Exemplo poſſunt eſſe majores domus tempore Merovingorum Franciæ regum. Item tempore Tiberii Sejanus erat primus ſtatus miniſter ipſi Tiberio formidabilis; & ſi hic non anteverti ſſet, eum occidendo, ipſe imperium invaſiſſet.

præcipuorum,cognitionem pergendum fuerit. Nec tamen eſt, cur quæ huc faciunt, ſingulatim doceamus, cum eadem via, qua ad notitiam regentium itur, etiam hic calcanda veniat: niſi quod non ſit neceſſum,ſimilem in omnibus diligentiam adhibere, idque, quoniam magiſtratus omnes multum ſint inferiore regentibus conditione. Saltem in rebuspublicis pleriſque & recte ſeſe habentibus. Ceteroquin enim alicubi interdum, ſed vitio, magiſtratuum major, quam regentium eſt auctoritas.

Caput V.

De notitia loci & temporis.

§. 1.

HActenus, quæ ad notitiam reipublicæ ſingularis ſecundum quatuor cauſarum proprie ſic dictarum genera attinent, perſecuti ſumus. Quanquam vero illis perſpectis abunde ſatis omnia nota videri poſſint, revera tamen ad duo adhuc, locum ſcilicet & tempus, quæ in civilibus non minus, quam naturalibus rebus cauſarum, ſine quibus non (quæ appellantur) vice ſunt, attendendum; ideoque ſaltem paucis & de horum notitia aliquid a nobis addi, neceſſum erit.

§. 2. Ac loci quidem nomine, ariſtotelicam doctrinam ſecuti, intelligimus, quicquid civitatem ſive rempublicam ambitu ſuo comprehendit: ſolet autem illud itidem plerumque reſpublica aliqua eſſe, imo non una, ſed alia atque alia. Plerumque dico: alicubi enim etiam ab oceani parte aut magni alicujus alterius maris parte, quæ libera eſt & in nullius poſſeſſione, aut vaſta ſolitudine reſpublica ambitur. Intereſt vero plurimum cujuslibet reipublicæ, quales habeat vicinos: ac proinde viciniæ omnis notitia omnino etiam comparanda fuerit. Quoniam vero notitia illa ambientium tendit ſolummodo in uſum reipublicæ ſingularis, quæ ambitur; hinc facile apparet, ſufficere, ſi hactenus duntaxat illa notitia comparetur, quatenus reipublicæ illius ſingularis res exigunt. Quod ipſum fieri poterit, probe perſpectis primo animorum erga rempublicam illam inclinatione ſive benevola ſive maligna, ſecundo ratione eorum omnium, quæ prodeſſe, aut officere poſſunt in pacis pariter ac belli negotiis. Ita enim demum recte poteſt conſuli reipublicæ, ſaltem hac parte, & nunc commodum ex vicinia quæri, nunc malum imminens averti. Id quod utique apprime eſt utile. Parari vero talis notitia poteſt methodo eadem, quæ ad notitiam reipublicæ ſingularis cujusque ducit, & jam a nobis tradita eſt, obſervata. Quapropter nihil etiam opus, ſingularem aliquam hujus notitiæ doctrinam nunc adjicere.

§. 3. Tempus ut omnium aliarum rerum, ita & civilium aliud præſens, aliud præteritum, aliud futurum eſt. Sunt autem & univerſæ reipublicæ & ſeorſim quarumcunque ejus partium, ſua tempora. Nec enim cum totios reipublicæ corpore ſingulæ partes oriuntur, ſed pleræque illarum paulatim, alia poſt aliam. Non mutantur etiam aut pereunt partes eodem momento, ſed perquam diverſo; & fiunt iſtæ mutationes ſæpenumero, ſtante quaſi immobili reipublicæ ſumma compage. Perinde enim atque multarum plantarum quædam partes variis temporibus oriuntur, mutantur, occidunt, integro permanente eo, quod in planta quaſi præcipuum eſt corpus. Id quod accidit quadamtenus etiam omnibus animalibus, cumprimis imperfectioribus. Unde manifeſtum eſt, ut accurate omnia reipublicæ ſingularis intelligantur, ſigillatim ad univerſi corporis, & quarumvis partium tempora eſſe attendendum. Indubie vero partes quæque, prout ſunt nobiliores, aut ignobiliores, prout etiam notitia earum, exigente uſu,magis aut minus eſt utilis, ita etiam diverſam cognoſcendi induſtriam promerentur. Eſt autem & momentorum temporis notitia cum utilitatis, tum facilitatis ratione, non unius ejusdemque modi. Præſentis enim temporis notitia longe eſt utiliſſima præ reliquorum: proxima autem huic eſt cognitio futuri. Nec enim de republica vel ejus partibus judicium inſtitui poteſt, niſi ſaltem cognito præſente ſtatu. Exigit vero ejusdem ſalus, non ignorare & futura, in quantum illa quidem aſſequi datum eſt humanæ prudentiæ. Præteritorum notitia minoris quidem eſt commodi, habet tamen in vita civili uſum inſignem. Primum enim,ſi de juribus, aut contractibus reipublicæ alicujus controverſia orta fuerit, tum ſane recurrendum eſt ad præteriti temporis memoriam, quo intelligatur, quid olim conſtitutum aut pactum; utque ita pateat, quemadmodum præſentia illis olim conſtitutis pactisque conveniant nec ne. (2) Ad deliberationes quoque conducit plurimum, noviſſe præterita, quemadmodum ex proſpero aut adverſo eorum ſucceſſu præſumi & de futuris non immerito poteſt. Ad perſuaſionem (3) in omnibus conſultationibus, præteritorum reipublicæ tuæ in omnem partem ſive fauſta, ſive infelicia, modo quidem illis, quibus perſuadendum aliquid eſt, nota fuerint: ſi ignota enim ſint, tum ad perſuadendum apta illa vetera non eſſe,ultro fateor. Ut vero nulla etiam invitet utilitas ad præteritorum cognitionem, decet tamen ingenuum & bonum civem, patriæ ſuæ vetera quoque haud neſcire. Ornat certe hæc notitia quemvis, etſi non in rude vulgus aut alios divitiarum,voluptatum aut honorum unice ſtudioſos, apud intelligentes tamen quosque & patriæ amantes. Quæ tempora igitur, & quarum rerum noſcenda ſint, hinc etiam eſt manifeſtum. De modo autem temporum notitiam acquirendi, & jam tum libro de *civ.*

prud. cap. XII. docuimus, & breviter quædam cap. ſeq. attingemus, ac proinde nunc quidem in paucis hiſce ſubſiſtere poſſumus.

§. 4. Quæ utilitatis, eadem etiam eſt facilitatis, comparandi temporum variorum notitiam diverſitas. Præſentia nimirum facillime omnium intelliguntur, quandoquidem bonam partem inter oculos quaſi noſtros & manus verſantur: magis certe quam præterita & futura. Etſi etiam præſentium conſilia cauſasque plerumque occultari haud negemus, atque adeo hactenus etiam præſentium notitiam eſſe difficilem, fateamur. Præterita nonniſi aliena fide aut ratiocinatione addiſcuntur: idcirco etiam hactenus notitia illorum eſt impeditior. Quandoquidem tamen perfrequenter occulta eorum, quæ facta ſunt conſilia, & arcanæ rationes tempore redduntur manifeſtæ, cumprimis accedente hominum prudentum ſtudio, hinc præteritorum cauſæ ſæpenumero facilius, quam præſentium ſolent intelligi. Futura denique non aliter plerumque, quam ſagaci conjectura datur aſſequi, quæ quoniam interdum fallit, & quandoquidem illa ſagacitate rari mortalium inſtructi ſunt, hinc adeo futurorum cognitio omnium eſt difficillima. Pauca certe vere & certo futura noſcere nobis datum eſt, qualia ſcilicet illa ſunt, quæ nituntur certiſſimis cauſis, jam tum præſentibus, & quidem ſi ab arbitrio hominum dependeant, fidis ſignis humanæ voluntatis.

CAPUT VI.
De modo comparandi ſibi reipublicæ notitiam.

§. 1.

HActenus, quænam faciant ad ſingularem quamque rempublicam, quæque adeo intelligenda ſint, quo plenam ejus notitiam teneas, perſecuti ſumus. Quamvis autem haud immerito fortaſſis credi queat, jam inſtituto eſſe factum plus ſatis, quoniam tamen, qua ratione illorum omnium notitia comparari poſſit, non omnibus in vulgus pateat, quin imo poſſit nonnullis videri, ea, quæ nos recenſuimus, accipi non poſſe, ac proinde ad ea, quæ acquiri non poſſunt, reipublicæ adminiſtros fruſtra nos adegiſſe, idque ita ſi ſeſe habeat, non ſimus extra imprudentiæ culpam, operæ facturi forte pretium ſumus, ſi quoque modum, plenam illam notitiam acquirendi, hic doceamus.

§. 2. Principio igitur fatemur & nos, perfectam undique & exactam omnium notitiam, non ſine diſcrimine quemlibet ſibi comparare, imo non temere unum aliquem eam aſſequi poſſe. Neutiquam vero hinc colligere eſt, ipſam illam notitiam omnino acquiſitu impoſſibilem eſſe. Nec enim, quod non quivis valet, idem nemo valet; nec, quod non unus efficere poteſt, idem ἁπλῶς nequit effici. In univerſum autem non dubitamus affirmare, nihil eorum, quæ diximus, non poſſe exacte intelligi: imo præſtari id ipſum ab uno etiam aliquo poſſe, modo juſtis ille cognoſcendi adminiculis fuerit inſtructus. Tametſi vero unus aliquis id raro aſſequatur, ſatis tamen eſt, ſi multi hoc valeant ſaltem per partes, atque ita collatitia opera reipublicæ conſulere ſint idonei. Multorum ſcilicet hominum reſpublica ſocium aliquod corpus eſt, quorum alter alterius indiget ope: unus omnia præſtare non poteſt, neque id ut fiat, ulla poſtulat neceſſitas.

§. 3. Cum ita vero res ſeſe habeat, liquet, de modo notitiam iſtam, cujus objecta hactenus recenſuimus, comparandi agere, non inutilem ſed neceſſariam quoque operam eſſe. Quapropter etiam, ceu diximus, comparandi illum modum nunc docebimus. Nec tamen eſt, cur multis id nunc agamus, quoniam ex parte jam tum *cap. XII.* plenius *cap. XIII.* libri de *civili prudentia* idem argumentum a nobis tractatum eſt, & peti inde, quæ huc faciunt, poſſint. Tantum igitur brevibus nos expediemus.

§. 4. Ergo quia omnium rerum & naturalium, & civilium notitia partim ſenſibus, partim intellectus ratiocinatione acquiritur, (nec enim nunc eſt, quod attendamus doctrinam, quæ revelatione divina aut angelica acquiritur) uterque modus ad hanc quoque ſingularis reipublicæ notitiam indubie fuerit obſervandus. Præſtari autem id ipſum poteſt partim a nobismet ipſis, partim ab aliis, quorum tamen peritia ad nos poteſt & debet derivari teſtimonio fide digno.

§. 5. Ceterum iſtud omne quo commode fiat, opus eſt nativis illis ingenii dotibus, quæ ad accuratiorem quamque & diffuſiorem notitiam comparandam ſunt neceſſariæ. Harum prima eſt illa, quæ Ariſtoteli audit ἀγχίνοια aut δεινότης: ingenii ſcilicet indoles nativa ſubito penetrandi in quævis etiam abdita rerum ſingularium. Altera eſt φιλομάθεια ſive ardor ſciendi civilia ejusmodi omnia. Tertia denique eſt φιλοπονία ſive ſtudium laborandi circa talia civilia. Sine hiſce ingenii dotibus ſane non eſt, quod temere quis in politica iſtac rerum civilium peritia magnos progreſſus fecerit. Cumprimis vero neceſſaria erunt φιλομάθεια & φιλοπονία; quoniam ab ignavis, aut harum rerum incurioſis effici plane nihil poteſt. Quantumvis autem ἀγχίνοια plane eximia non adfuerit, qualis nempe olim laudata fuit Themiſtoclis, modo tamen illa non omnino deficiat, (nec enim ſtupidus quis huic notitiæ noſtræ comparandæ eſt idoneus) tum vero adminiculis aliis ſtudio acquiſitis, labore item ac diſcendi ſtudio poteſt ſaltem multum compenſari.

§. 6. Horum

§. 6. Horum vero acquiſitorum adminiculorum primum, & aliis quoque parandis commune, ab apodictica doctrina exſpectandum eſt; non quidem cujusmodi illa vulgo traditur, ſed uti doceri & poteſt & debet, forte etiam a nobismet ipſis alias docebitur. Proprium vero adminiculum in peritia exacta civilis philoſophiæ integræ collocatum eſt. Perinde ſcilicet atque in re medica imperiti etiam artis nonnulla, quæ ad ſingularium hominum ſanitatem & morbos attinent, intelligunt, nonniſi pauca tamen, aſt medica arte inſtructi plurima, nec tantum evidentia ſed latentia quoque facillime perſpiciunt. Ad eundem modum & civiles philoſophi infinito intervallo ſuperant indoctorum non ruditatem duntaxat, ſed etiam ſagacitatem, ſive naturæ beneficio ſive uſu multo comparatam. Nihil enim non bonorum malorumque reipublicæ cujusvis perſpiciunt, quorum pleraque indoctorum curam fugiunt. Quæ vero & a vulgo attenduntur; hi acie judicii intime demum penetrant; res, eventa, actusque civiles primum ratione τῦ ὅτι; deinde vero & ratione τῦ διότι, conſiderantes, quorum poſterius multorum etiam perquam ſagacium captum ſuperat. Et vero utilitatem noxamque eorum, quæ in republica fiunt, diſtinguere, vix alterius eſt, quam philoſophia civili imbuti, rariſſime illum defectum ſupplente inuſitata quadam ingenii bonitate. Inter propria porro adminicula haud injuria ſecundo loco numeraveris hanc noſtram de notitia ſingularis reipublicæ doctrinam. Non diffitemur tamen, eſſe illam reapſe portionem quandam civilis prudentiæ, non minus atque σημειωτικὰ omnia artis medicæ partibus accenſentur. Quandoquidem tamen noſtra hæc doctrina hactenus civili philoſophiæ nondum eſt inſerta, imo a nemine quoquam tradita, hinc fortaſſis meretur ſeparatum aliquem a civili prudentia locum. Tertium vero proprium notitiæ hujus comparandæ adminiculum ab uſu & exercitio eſt omnino advocandum. Quemadmodum ſane univerſim in omnibus aliis cum artis, tum prudentiæ ſpeciebus, ita & hic uſus artificem facit. Nec vero uſu omni deſtituetur quis, niſi tarde & minus, quam par eſt, rempublicam aliquam pernoverit. Exercitato autem in hisce omnia ſunt facilia & expedita. Ideoque cumprimis ex re fuerit, in rerumpublicarum ſingularium notitia acquirenda ſubinde cum cura ſeſe exercere.

§. 7. Ad hunc modum indole & doctrina inſtructo non difficile multum fuerit, reipublicæ alicujus omnia, ne arcanioribus quidem exceptis, addiſcere. Oportet vero ante omnia, quicquid ſenſibus accipi propriis poteſt, ipſarummet reipublicæ rerum nihil negligere, nihil prætervidere, ſed ſumma cura ſingula quæque quoad licet perveſtigare. Quæcunque porro ſive conſtitutiones, ſive conventiones, ſive quæ *aliæ tabulæ*, (a) de reipublicæ rebus ſcripto conſignatæ fuerint, illæ omnes legendæ, colligendæ, atque expendendæ; idque non ad præſentis duntaxat, ſed præteriti etiam temporis notitiam acquirendam. Imo cum præteritorum notitia hinc potiſſimum queat accipi, talia monumenta volvere & habere in promtu, cumprimis eſt utile. Ratiocinatio præterea propria ad quævis eſt accurate adhibenda, præſentis, præteriti, ac futuri temporis; et quidem primum τῦ ὅτι, deinceps vero etiam τῦ διότι ratione. Quinimo quam maxime poſterius hoc agendum, quo commoda & incommoda rerum omnium, præſentia maxime & futura, non omnino neglectis tamen & præteritis, intelligantur.

§. 8. Conſulendi porro, quanta licet induſtria, etiam alii ſunt, reipublicæ rerum periti, & quidem itidem de omnibus omnino. Et vero etiam de iis, quæ jam novimus, aliorum conſenſus exploratus, reddere nos certiores valet, ac confirmare in ſententia. Multa adhoc, quæ vel ſenſus, vel ratiocinationis noſtræ aciem fugiunt, intelligentum ac ſapientum relationibus accipiuntur. Hi proinde ſpectandi fuerint, hi conſulendi, hi rogandi, quo non minus velint, quam poſſunt, docere te atque inſtruere. Horum autem alii coram atque oretenus id præſtare ſunt idonei, alii ſcriptis. Poſterioris ordinis ſunt ad notitiam quidem rerum præteritarum comparandam aptiſſimi Hiſtorici, illi maxime, qui ſimul cauſas eventorum bona fide narrant. Non tamen ſpernendi & reliqui, quoniam ex omnibus ſaltem aliquid diſci poteſt eorum, quæ ad τὸ ὅτι pertinent: & ſæpenumero a ſapientioribus omiſſa, a plebejis iſtis memorantur, quæ non neſcire ex uſu eſt. Hujus præterea cenſus ſunt conſilia & *epiſtolæ* (b) prudentum de reipublicæ negotiis ad amicos, cumprimis ſolito apertius exaratæ; quales ex veteri ævo ſunt Tullianæ ad Atticum aliosque primores illius ævi Romanos ſcriptæ. Sunt autem ejusmodi ſcripta eo magis habenda in pretio, quo plerumque & de rebus momenti majoris, & ſapientiora ſunt, ſine fuco item ac fallacia: quia etiam cum in futurum ſæpe conſulunt, tum præſentium occultiora quæque manifeſtant. Præter vero illos quaſi mutos magiſtros, omnino operæ fuerit pretium, viventes coram conſulere, quotquot rerum fuerint gnari; potiſſimum quidem prudentiſſimos, non tamen non & alios inferioris ordinis, ſi præſertim illi rempublicam regentibus familiares fuerint. Enimvero ut particeps fias illorum etiam, quæ in arcano agitantur, in rem interdum fuerit, exigente quidem id uſu, fidem & benevolentiam talium hominum obſequio, nummis, aliisque commodis ad revelationem occultiorum flectere.

§. 9. Quæ omnia ſi obſerventur, quoniam non poterunt non reipublicæ ſingula ſic ſatis exacte innoteſcere, non eſt, cur nos amplius huic argumento immoremur. HER.

(a) *aliæ tabulæ*) Tabularum & diplomatum collectiones ſua laborant multitudine, ita ut multi, ſi aliis quis diſtrahatur negotiis, eis pervolvendis vix ſufficiant anni.

(b) *epiſtolæ*) Celebrantur inprimis GROTII, BONGARSII, LANGVETTI, FöRSTNERI & AVTORIS noſtri, quarum tamen magnus numerus, publicas attinentium res, in Archivo Hannoverano latent. Habemus jam & procerum epiſtolas a LVNIGIO collectas. Ex Gallicis potiſſimum eæ, quæ ESTRADII commentariis incluſæ ſunt, commendari merentur.

HERMANNI CONRINGII
Admonitio de theſauro rerumpublicarum totius orbis quadripartito Genevæ Anno MDCLXXV. publicato.

PRodiit in lucem hoc ipſo anno Genevæ in Allobrogibus, apud Samuelem de Tournes, Opus quatuor in partes diviſum, titulo THESAVRI RERVMPVBLICARVM TOTIVS ORBIS; cujus editio quooiam me haud parum attioet, intereſt exiſtimationis meæ pariter & commodi Lectorum, ut de illo publica quædam in tempore fiat admonitio, atque ad ipſam poſteritatem proteſtatio.

Igitur annus hic eſt decimusquartus, quum manuducendi academicam tunc noſtram juventutem ad rempublicam quamvis recte quondam exercendam animo, de potiſſimis uoiverſi orbis, noſtri tamen duntaxat temporis, rebuspublicis, domi meæ quotidie, in cooventu auditorum ſic ſatis oumeroſo, aliquamdiu diſſerere inſtituerem. Et primo quidem iſthoc impetu perſecutus ſui illa, quæ ad ſtatum publicum pertinent, initio Hiſpaniæ & omnium, quæ in obſequio ſunt Hiſpaniæ regum per Europam, Africam, Aſiam & Americam: deiude Portugalliæ: tertio rerumpublicarum aſiaticarum in commuoi: quarto regni Japooici: quinto Tatarorum In communi: ſexto regni Sineoſium: ſeptimo magni Mogolis: octavo regni perſici: nono Imperii Turcici: decimo regni Tatarorum precopenſium: undecimo regnorum Marocci & Feſſæ: duodecimo regni Abaſſinorum: decimotertio imperii Moſchovitici: decimo quarto regni Poloniæ: decimo quinto regni Sueonum: decimo ſexto regni Daniæ: decimo ſeptimo regni Scotiæ: decimo octavo regni Angliæ & Hiberniæ: decimooono regni Francogallici: viceſimo Reipublicæ Venetæ; & denique regiminis Papæ romani. Eandem operam, altera vice, fine anni ſexageſimi ſecundi aggreſſus, docui ea, quæ ad rempublicam faciunt primo ſeptem fœderatorum Belgico-Germaniæ populorum & in communi & ſingulorum, deinde Helvetiorum omnium Rhætorumque. Quam cum abrupiſſent varia negotia, tertia vice idem penſum abſolvere tandem propoſitum quidem habui; ſed cum egiſſem de republica Hungariæ, Bohemiæ ejusque appendicum omnium, Archiducatus auſtriaci aliarumque auguſtæ illi Principum familiæ obtemperantium regiooum, & denique Bajoariæ, abruperuot iterum hanc telam, infinitæ aliæ occupatiooes, & in his conquieſcere hactenus me coëgerunt. Cæterum nihil horum calamo à me fuit conceptum: nihil etiam ad calamum auditoribus dictatum: omoia ex tempore & ſolius memoriæ beneficio à me diſſertata ſunt. Quoniam vero captus auditorum, tanto in promiſcuo numero, multum diverſus, univerſi autem juvenilis ætatis eſſent, & ſatis induſtrii quidem, tyrones tamen: hinc officii mei eſſe duxi, ita temperare ſemper ſermonem, ne vel illi audiendo vel ego verba faciendo operam perderemus. Itaque ego quidem ſemper continere me coactus fui infra rerum ſublimitatem, ioterque auguſtos limites, ad prolixiora autem & majora quæque digitum duotaxat intendere. Quotieſcunque vero, ut fieri ſolet, ne ſic quidem omnes me ſatis aſſequi obſervabam, repetenda eadem mihi ſubinde fuerunt, idque aliis atque aliis verbis: pro meo io docendo nunquam non uſitato more. Nec enim licuit in extemporaneis illis diſſertationibus elegantiam latini ſermonis affectare: quinimo exiſtimavi ſufficere, ſi perſpicue omnia aoribus juvenilibus proponerentur. Quapropter etiam, ut alias quoque ſoleo, nec lenta fui in diſſereodo uſus voce, nec concitata, ſed familiari dicendi ratione. Quemadmodum auditoribus ſingulis ſucceſſerit ſua opera, equidem neſcio: nunquam tamen deſinens illorum audiendi ſtudium & frequentia bene me fecerunt ominari. Plærosque vidi notare quædam in memoriæ ſubſidium. Deprehendi etiam denique nonnullos, præ aliis ταχυγράφυς & maturiore judicio valentes, quamplura calamo excepiſſe, & redegiſſe in ordinem non inconcinnum.

Et vero curavi ipſimet mihi ea quæ illorum nonnemo, quem judicavi aptiſſimum huic negotio fuiſſe, annotaverat, deſcribi. Ab illo autem libro multum diverſa eſſe, & dictionis & ipſarummet notatarum rerum ratione, quæ alii calamo exceperant, intellexi ex iis, qui collationem inſtituerant. Nec fieri aliter potuit, quia auditores omnes non pari fuerunt vel induſtria, vel judicii captu, vel hæc aut illa ſciendi amore, vel ταχυγραφίᾳ, vel ſtili promptitudine.

Quandoquidem vero hunc in modum & ego docui, & auditores ſeſe geſſerunt, manifeſtum utique eſt, ſaltim mihi extemporaneas illas diſſertationes inſtituenti nihil mious fuiſſe propoſitum, quam in publicum uſum diſſertata iſthæc proferre. Eoim vero cruda iſthæc omnia erant, non abs me ipſomet calamo tradita, non ad calamum cuiquam communicata; omnia ad uſum & captum eorum tantum, qui præſeotes me audiebant, quorum nemo non juveois & hactenus ejusmodi rerum rudis, compoſita erant & accommodata. Qualia ſua nemo ſani cordis ſolet publicare.

Non etiam arbitror, quenquam auditorum iſtorum ea fuiſſe φιλαυτίᾳ, aut ſtultitia, ut voluerit aliquaodo ſuam illam privatam operam, ſive lucelli ſive nominis aucupaodi gratia, facere publicam. Cum ſanè elapſis aliquot annis intellexiſſem, nihilominus haud deeſſe, qui publicationem meditarentur, non paſſus fui mihi perſuadere adeo ſtolidum facinus. Sed & credidi neminem, me quidem vivo, tale quid auſurum, meo conſenſu haud impetrato, quia id foret

foret nimis iniquum: conſenſurum autem me unquam in id, nec ſperare quisquam potuit. Me clam ne quis tale quid agere ſuſciperet, metuere prohibuerunt illa a Sereniſſimis Vicariis Imperii, tempore proximi interregni, conceſſa privilegia; quorum ſummam curavi ab anno usque quinquageſimo octavo omnibus libris meis præfigi, ut in omnium conſcientiam venirent. Iis vero diſerte hoc eſt cautum: *ne quis libros mea cura ſcriptos vel editos, citra meum heredumque conſenſum, unquam vel imprimat vel alibi impreſſos divendat: pœna delinquentibus dicta, omnium ejusmodi librorum amiſſionis & ſolutionis decem marcarum auri.* Hæc ſane privilegia jure me potuerunt ſecurum hac parte reddere: cum pœnæ iſtæ fuerint utique delinquentibus exſpectandæ.

Igitur, fateor, obſtupui, quum in catalogo librorum lipſienſi autumnali, ante biennium, promitti viderem librum hoc titulo: *Theſaurus rerumpublicarum quadripartitus; in quo textus celeberrimi viri Dn.* HERMANNI CONRINGII *notis politicis illuſtratur, variisque excerptis, rerumpublicarum noviſſima exhibentibus, ita augetur, præſertim quod Germaniam noſtram attinet, ut quis totius orbis, hodie imperantis, notitiam hiſtorico-politicam, civilemque ſapientiam, cum fructu uberrimo, & jucundiſſimæ lectionis voluptate ſibi comparare poſſit: cura & ſtudio Philippi Andreæ Oldenburgeri.* (a) *Genevæ apud Samuelem de Tournes.* Non deſii tamen ſperare, irritum brevi

(a) *Oldenburgeri*) PHILIPPVS ANDREAS OLDENBVRGERVS, ex ducatu Celleſi oriundus, Jurisprudentiæ tam publicæ quam privatæ in Genevenſi republ. profeſſor, magnam inprimis nobilium iuvenum eo adventantium multitudinem elegantioribus ſtudiis inſtituit, multisque ſcriptis innotuit, quæ tamen varia variorum experiuntur judicia. Et ſane multa imprudenter typis mandavit, quæ non tantum diverſis regionibus magno ſunt præjudicio, ſed & in nimiam multorum calumniam vergunt. Mirum eſt, cum ejusmodi ſtudiorum genus elegerit, quod numeroſam librorum copiam & multorum annorum lectionem requirit, eum a libris fere deſtitutum fuiſſe: unde ſumme reverendus Hildeſinſium Superintendens JACOBVS FRIDERICVS REIMMANNVS, cujus magna in hiſtoriam litterariam celebrantur merita, *parte V. introductionis ſuæ in hiſtor. litter. ſect. III. §. 41.* conjicit, Oldenburgerum maximam ſcriptorum a ſe editorum partem manuſcriptis undique collectis debere, teſtemque hujus rei citat GEORG. PETR. SCHVLZIVM *Diſſ. I. epiſtolica de claris Marchicis.* In Lexico vitarum eruditorum, quod auſpiciis viri celeberrimi JOHANNIS BVRCHARDI MENCKENII prodiit, narratur de eo, quod duo itinerarii ſui Germaniæ folia, in quibus principis cujusdam famam, illius commercia venerea detegendo, vellicaverat, pœnæ loco devorare adactus fuerit, verberibus inſuper non adeo laute exceptus; cujus tamen narrationis fides ſit penes auctorem. Interim pœnam ejusmodi devorationis famoſorum ſcriptorum præteritis ſeculis ab ipſis judiciis injunctam fuiſſe delinquentibus, conſtat ex ANTONII WECKII *Chronico Dreſdenſi* p. 482. ubi anno 1523. auctor cujusdam famoſi libelli contra monachos & clerum compoſiti, hac ignominia ex decreto judiciali adfectus memoratur, numellis inſuper, dum paſquillum deglutiret, adfixus, poſtea aliquot menſes carceri mancipatus, & denique regione exire juſſus. Sed hæc obiter. Quod ad ſcripta Oldenburgeri attinet, polypum litterarium ſe in iis præſtitit, dum ſub variis nominibus & ſpecie ea publicavit, modo ſe *Burgoldenſem*, modo *Conſtantinum Germanicum*, modo *Francimontum*, modo *Franciſcum Irenicum*, modo *Pacificum a Lapide* nominando. Sub Burgoldenſis nomine edidit *Notitiam imperii, ſive diſcurſum juridico-politico-hiſtoricum ad inſtrumentum pacis Osnabrugo-Monaſterienſis.* Oldenburgerum hujus libri auctorem eſſe, docent GEISLERVS *Dec. 2. n. 6.* PLACCIVS in *theatro Pſeudonymorum n.* 498. p. 146. & confirmat STRVVIVS *in hiſtoria juris c.* 10. §. 29. p. 853. Editio hujus libri ſecunda a Waremundo von Friedberg aucta in tres partes diſtincta eſt, quarum I. diſcurſus XXXII. p. 531. II. diſcurſus XXII. p. 251. III. diſcurſus XIX. pag. 136. continet. Subjecta ſunt operi excerpta hiſtorica, juris publici & privati item politica, ut & theologica. Sub perſonato FRANC. IRENICI nomine anno 1670. prodiit Oldenburgeri *Collegium juris publici romano-germanici in Burgholdenſis diſcurſus ad inſtrumentum pacis cæſareo-ſuecicum conſcriptum:* cuius burgholdiani ſcripti ipſe auctor eſt, ut ſupra monui. Vid. PLACCIVS *l. c. n.* 1479. p. 397. Huc fortaſſis ſpectat cenſura REIMMANNI *in introd. ad hiſt. litter. l. c.* Oldenburgerum tot fictitiis nominibus ſua publicaſſe, ut ipſe laudes ſibi tribuere & ſeipſum allegare poſſet. Quam ſententiam quoque fovet auctor præfationis, germanicæ Monzambani tranſlationi præmiſſæ. Edidit quoque, Conſtantini Germanici nomine aſſumto, *Epiſtolam politicam ad Juſtum Sincerum de peregrinationibus Germanorum recte & rite juxta interiorem civilem prudentiam inſtituendis.* Vid. REIMMANN. *l. c.* & PLACCIVS *l. c. n.* 715. *p.* 195. In qua epiſtola principum Germaniæ ſui temporis mores, animi adfectus, arcana conſilia, aularum vitia, omniumque purpuratorum indolem tanta ſentiendi libertate vel potius imprudentia depingit, ut libellus a plerisque Germaniæ proceribus proſcriptus & damnatus ſit. Adſcribunt ei etiam *ſatyram in Sarcmaſium*, quæ adhæret dicto libello *de peregrinatione Germanorum politica.* Vid. PLACCIVS *l. c. n.* 1079. p. 290. PACIFICVM A LAPIDE ſe nominat in *ſtricturis ad Monzambanum de ſtatu imperii germanici.* Vid. KVLPISIVS in *editione Monzambani p.* 3. 4. 5 ubi ſententiam, *Conringium* aut *Boineburgium* ſub Monzambano latere, refutat, & pro iis, conjectura SCHOOKII ſuffultus, Eſaiam Pufendorfium Cancellarium Suecicum & ad aulam Viennenſem Legatum reponit: rectius autem SAMVELEM eius fratrem libri auctorem feciſſet. THOMASIVS *in ſcholiis ſuis ad Monzambanum* p. 2. ſequens de Oldenburgeri in eum conatibus fert judicium: *Ipſe Pacificus a Lapide, quamvis autori infeſtior, virtutes tamen eius quasdam tacere non potuit p. 3. Obſcuritas autem, quam ei ibidem objicit, nonniſi eorum reſpectu intelligenda eſt, qui rerum germanicarum ignari ſunt, & rempublicam Germaniæ ex Ariſtotele aut Juſtiniano illuſtrare ſatagunt.---* KVLPISII *commentationes eo magis præ reliquis commendandæ, quo & rariore judicio, & rerum germanicarum notitia & libera modeſtia reliquos præcedit vir encomio noſtro major. Contra & judicio & libertate & modeſtia ſubinde deſtitui* PACIFICVM A LAPIDE, *ſingula ejus folia oſtendunt, quamvis ſeipſum in* BVRGOLDENSIS *perſona commendet p.* 10. & 23. Conſ. Auctorem præfationis, verſioni Monzambani germanicæ præmiſſæ, & REIMMANNVM *l. c. P. V. ſect. III. p.* 252. & *P. VI. §.* 120. *p.* 452. ubi allegorice & ſatyrice Oldenburgerum perſtringit, nec non PVFENDORFF. Diſſertat. *de republica ſingulari.* In Lexico Menckeniano adſcribuntur præterea Oldenburgero ſequentes tractatus: (a) *De rebuspublicis turbidis in tranquillum ſtatum reducendis* (b) *De quatuor elementis juridice conſideratis*, notis adjectis. (c) *Manuale principum chriſtianorum de vera eorum felicitate.* (d) *De ſecuritate juris publici ac privati.* (e) *De poenitentia legali.* (f) *De origine & progreſſu juris romani.* (g) *Caſus juridici tum veri, tum ficti, ad ſeriem Inſtitutionum juris* Juſti-

brevi illum quoque conatum fore; haud ignarus ſcilicet, quam inanis frequenter eſſe ſoleat fides ejuſcemodi promiſſorum. Advenerunt aliquamdiu puſt etiam ipſiusmet clariſſimi Oldenburgeri literæ, non tamen conſenſum meum petentes, ſed narrantes, quid Genevæ jam tum ageretur. Ubi diſplicere illud ſignificaſſem, non omnino quidem ceſſavit incuſſus metus; ſaltim ſufflaminatum tamen iri iſtos conatus, exiſtimavi. Verum decollavit, quantum video, etiam illa juſta mea exſpectatio. Ceu enim initio dixi, iuſperato promiſſus ille tanti nominis Theſaurus tandem prodiit in lucem.

Non potui hactenus, fateor, ab animo impetrare, ut cum cura opus omne evolverem; dum aliam atque aliam partem perluſtro, magis magisque crevit indignatio. Deprehendi nimirum, exemplum libri, quo uſus eſt editor, vir bonus & non uno nomine mihi carus, fuiſſe perquam mendoſum; ac proinde tantum non innumera in iis, quæ mihi tribuuntur (reliqua enim me non attinent) occurrere & rerum ipſarum, quæ narrantur, & ſermonis haud toleranda vitia. Sæpenumero ſane ea, quæ aſſerui, ibi negantur, quæ negavi, adſtruuntur: ut ἀνισομοίας aliaque fœda errata quamplurima ſilentio prætercam.

Quoniam ad hunc modum vero habeant ſeſe illa, quæ in iſthoc Theſauro mihi adtribuuntur, cogor equidem publice profiteri, falſo iſthæc meum nomen præ ſe ferre, & nulla mea culpa carbones pro theſauro venditari. In iis reperiri bonam partem illa, quæ à me ſunt aliquando

Juſtinianei. (h) Edidit quoque PETRI AERODII *rerum ab omni antiquitate judicatarum Pandectas.* (i) & ALBERTI ALDERISII tractatum *de contractibus ſymbolicis.* Sed veniamua ad theſaurum rerumpublicarum ab illo Genevæ publicatum, cujua editionem Conringius noſter præſenti ſcripto adeo improbat. Teſte MORHOFIO *Polyhiſt. T. III. Lib. II. §.* 6. incepit quidem Conringiua hunc laborem, & jam aliquot folia excuſa eſſe ibidem teſtatur, ſed non credit, illum tam prolixum opus abſoluturum, aut tantum illi ſtu eſſe, ut apponat manum ultimam, additque: *Creſcit enim cum tempore talis labor, & librorum exoticorum, linguis gallica, italica, aliisque editorum, quorum tamen uſus neceſſarius eſt, rarior videtur fuiſſe apud Conringium lectio.* Oldenburgerus quid conſilii & ſubſidii in theſauro iſto publicando habuerit, perſpici poteſt ex ſequentibus præfationis ejus verbis: nam integram hic ſiſtere, opus non eſſe ducimus, cum initium eius tantum de utilitate operia præſentia agat.
„Ut autem, B. L. ſciat, quid
„duro & improbo labore in boc politico theſauro con-
„geſtum ſit, breviter ſic accipiat. Cum ingens & pro-
„fundiſſimus ſcriptorum hiſtorico-politicorum de re-
„buspublicis quaſi oceanus ſit, quem omnes & ſinguli
„literati & docti homines ob vitæ bujus brevem ætatem
„enavigare vix ac ne vix quidem poſſunt; ego putavi,
„publici boni ergo me operæ pretium facturum, bo-
„naſque horas non male collocaturum, ſi ex optimis
„& præſertim noviſſimis, hujus illuſtris argumenti
„auctoribus (v. g. Honorio, Nicolao Bello, Botero,
„Boxhornio, Hornio, Guicciardino, Schoockio, Lan-
„ſio, Luca de Linda, Micrælio, Sprengero, Fran-
„ckenſteinio, Boſio, manuſcriptis meia aut proprio
„marte NB. compoſitis, aut ab amicis communicatis
„&c.) ea, quæ ad politica, moralia, naturalia, & ali-
„as res curioſas ſpectant, excerperem, in bonum &
„jucundiſſimæ lectionis voluptate plenum ordinem di-
„gererem, atque compendioſe contractum ac typis ex-
„preſſum in publicam rei literariæ utilitatem omnium
„obtutui ſiſterem. Ut vero eo majus autoritatis robur
„bona mea intentio adquireret, collegium de rebuspu-
„blicis ſummi & incomparabilis viri, nobiliſſimi domini
„HERMANNI CONRINGII, calamo olim exceptum
„(quod in Gallia alias ob innumerabilia errata mendoſe
„imprimere tentabant) notis additis atque hinc inde in-
„ſertia conjunxi: ſimulque paſſim, quomodo ex parti-
„cularibus univerſalia ſint conficienda, monſtravi. Quin
„etiam tum antea vir doctus CHRISTOPHOR. FVNC-
„CIVS pleraque illius famigeratiſſimi Conringiani
„collegii, quod per quatuor cauſſarum genera orbem
„politicum nobis accuratiſſime repræſentat, publici
„juris fecit. Lapides quidem & ligna majori ex parte
„ab aliis clariſſimis viris accepi, ædificii tamen illius
„politici exſtructi Architectus ego ſum & materiam va-
„riam undique conduxi. Ex alienis libavi, ut apes flo-
„riferis in ſaltibua ſolent, ita tamen, ut ſimul per to-
„tum hoc opus & mancipio nexuque proprius Mars
„paſſim arma ſua ac tela vibret, prœliaque & inferat &
„ſuſtineat. Annuus fuit potius omnibus (niſi exſpecta-
„tio me fallit) prodeſſe, quam placere; interim non
„ſolum me labi & errare poſſe, ſed etiam debere, præ-
„ſertim in tam illuſtri materia, ingenue fateor, confi-
„teor atque præ me fero. Omnium enim habere me-
„moriam, magis eſt divinitatis quam mortalitaua. Ne
„etiam B. L. hoc lateat, ITINERARIVM GERMA-
„NIÆ POLITICVM muſa gravi & verecunda jam e-
„mendatum & triplo auctius redditum ſuo loco inſer-
„tum; in quo Germaniæ illuſtres aulas atque reſpublicas
„vivis, ut ajunt, coloribua depictas intueri jam licet. Præ-
„terea inclitæ GENEVENSIS REIPVBLICÆ deſcri-
„ptio prodit in publicum; adjunctis conſiliis, quæ ante
„paucoa annos pro illuſtribus rebuspublicis BERNEN-
„SI & BASILEENSI compoſui. Ut jam nihil de cauſſa
„KoNIGSTEINENSI dicam. In ſumma res germani-
„cæ, in hoc tractatu relatæ, ulterius meum LIMNÆ-
„VM ENVCLEATVM illuſtrant. Hoc itaque opus
„magni laboris B. L. complectere, atque in bonos po-
„liticos uſus, imo etiam in ſuccum & ſanguinem con-
„verte. Neque porro B. L. te latere volo, quod du-
„rante hujus operia impreſſione, nonnullæ illuſtres per-
„ſonæ, quarum mentio facta, jam finito & abſoluto
„tractatu diem obierint ſupremum. - - - - - -
„Ordinem autem & methodum excerptorum hujua the-
„ſauri rerumpublicarum quod concernit, eam in omni-
„bua accurate quærere noli. Miſcellanea enim omnia
„fere ſunt, lectoremque ad tædium avertendum, ab una
„jucunda materia ad aliam continua ſerie deducere, vo-
„lupe habui. Quodſi enim in ullo argumento, certe
„in hoc varietas variegata (ut ita loquar) delectat,
„gaudioque omnes reddit quaſi delibutos. - - - -
„Habes igitur B. L. hoſce QVATVOR hujua theſauri
„rerumpublicarum partes. De reliquo ſive hic in Ge-
„nevenſi litterario otio, ſive alibi in Germania, dum
„ſpiritus vitalia hoſce regit artus, INSTITVTIONES
„JVRIS PVBLICI & PRIVATI abſolutiſſime ad mo-
„dernam Germaniæ praxin in lucem proferentur. Ex
„THEATRO porro & DIARIO EVROPÆO, ME-
„TERANO, KEMNIZIO de bello ſuecico, OLEA-
„RII itinerario Rutheno-Perſico, MANDELSLOVIO,
„PETRO DELLA VALLE & Dn. ANDERSON
„(Orientaliſche Reiſe-Beſchreibung) item prænobilis
„domini FVRERI ab HEIMENDORF & domini
„NEVSCHVZ (itinerariis in Palæſtinam) JOSEPHO
„ACOSTA (de rebua Indiæ occidentalia) ac pluribus
„aliis excerpta politico-ethico-phyſico-hiſtorica ſub cer-
„toa titulos, juxta alphabeti ſeriem redacta, aliaque
„ſubſequentur. &c. Obiit Oldenburgerua anno MDCLXXVIII. Plura qui de eo noſſe deſiderat, adeat WITTII *diarium biographicum*, & KOENIGII *bibliothecam veterem & novam.* Nos in præſentia theſaurum vel examen rerumpublicarum edimus ex tribus collatis inter ſe codicibus manuſcriptis, quorum illum, qui dictionis perſpicuitate ſeſe quam maxime probavit, elegimus, ſuppletis iis, quæ ex aliis addenda digna ſunt viſa.

do diſſertata, noo diffiteor. At vero nec omnia quemadmodum a me ſunt diſſertata, ibi continentur, oec quidquam eorum abs me habitum eſt digoum luce publica. Pridem didici, quid cooveniat tyronibus, quid orbi erudito & poſteritati. Quin igitur rogo atque obteſtor bonos omnes & intelligentes, ne mihi imputent illius falſo dicti Theſauri turpes aberrationes, cum nec ab animo meo oec a manu promanaverint. Imo vero deteſtentur usque adeo magnam mihi factam injuriam, donec lege io illam animadvertere licuerit. Nec vero hac in parte defuturos mihi illos, penes quos judicia ſuot Germanoiæ noſtræ, confido: præſertim quia etiam ſubreptitie eſſe impetratum, quod operi præmiſſum eſt electorale privilegium, oemini non, me haud monente, jam tum liquido pateat. Iotererit ſane boni publici, ne ejuſmodi delicta maneant impunita, utque auctoritas Vicariorum Imperii, magnorum utique principum, ſancte cooſervetur. Quodſi valetudinem atque otium Deus concelſerit, ipſemet ego hanc curam in tempore ea, qua par eſt, diligentia ſubibo: quooiam cumprimis agnoſco, rerumpublicarum noſtri ævi notitiam oon duntaxat jucundam eſſe, ſed etiam ſumme deliberatiooibus quibusvis circa negotia, quæ cum exteris populis interceduot, neceſſariam. Et vero jam tum in eo verſor, ut in publicos uſus edam librum *de notitia ſingularis cujusque reipublicæ:* quod argumeotum hactenus fuit intactum ſapientiæ civilis magiſtris, ad cognoſcendum vero accurate rempublicam aliquam ſingularem apprime eſt utile, adeoque io diſſertationibus quoque meis noo omnino præteritum. Haoc meam operam exſpectare magis ex re utique fuerit, quam pati ſibi imponi ſuppoſititiis libellis. Simili ſane de cauſſa libros meos de finibus imperii recenſitos & auctos dabo ipſe propediem: quos lucripeta quidam nequiſſime ouper edidit, itidem mendoſiſſimos adeoque lectu indignos.

In univerſum, noo equidem agnoſco librum ullum, quem non ipſe publicaverim. Si quidquam aliud meum oomen habeat præfixum, id ceu ὑποβολιμαῖον ut omnes rejicere velint, etiam atque etiam peto. Nec feret impune, quisquis porro ſancta principum privilegia violaverit, aut mea mihi iovito ſurripere fuerit auſus.

HERMANNI CONRINGII EXAMEN RERVMPVBLICARVM POTIORVM TOTIVS ORBIS.

OPVS EX TRIBVS CODICIBVS MANVSCRIPTIS LONGE EXACTIVS EDITIONE OLDENBVRGERIANA ADORNATVM IN QVO RESPVBLICAE SEQVENTI ORDINE ILLVSTRANTVR.

I. De Hiſpania & omnibus ad eam per totum orbem ſpectantibus regionibus.
II. De Portugallia.
III. De regno Franco-Gallico.
IV. De regnis Angliæ, Scotiæ & Hyberniæ.
V. De ſeptem foederatis Belgio-Germaniæ populis.
VI. De Archiducatu Auſtriae aliisque Germaniæ provinciis.
VII. De regno Bohemiæ ejusque appendicum omnium.
VIII. De republica Helvetiorum omnium Rhætorumque.
IX. De regno Hungariæ.
X. De republica Veneta.
XI. De regimine Papæ romani.
XII. De regno Daniæ.
XIII. De regno Suecorum.
XIV. De regno Poloniæ.
XV. De imperio Moſchovitico.
XVI. De rebuspublicis Aſiaticis in communi.
XVII. De imperio Turcico.
XVIII. De regno Perſico.
XIX. De regno magni Mogulis.
XX. De regno Sinenſium.
XXI. De regno Tartarorum in communi.
XXII. De regno Tartarorum Precopenſium.
XXIII. De regno Japonico.
XXIV. De regnis Marocci & Feſſæ.
XXV. De regno Abyſſinorum.

Digitized by Google

PROGRAMMA.

CONſilium meum de eoarrandis rebuspublicis noſtri ævi celeberrimis, præter imperium germanicum, cui jam tum proxime operam locavi & aliam dabo ſeorſim, cum videam placere quam multis, nec ego morabor exſpectationem. Itaque ſtatim die craſtini domi meæ hora decima poteruot convenire, quibus viſum fuerit, nobiliſſimis & looge utiliſſimis diſſertationibus illis atque exercitationibus intereſſe. Initio enim præmittam nonnulla de uſu tantæ peritiæ, ſimulque docebo in commuoi, quid ad plenam notitiam ſingularis cujusque reipublicæ requiratur atque unde illa ſit petenda. Iode vero ad ſingulas reſpublicas faciam progreſſum, exordio ab Hiſpanica facto. Valete. E muſeo d. 20. Novembr. 1660.

HERMAN. CONRINGIVS D.

PROOEMIVM.

ADgrediemor bono cum Deo opus, quod nuper admodum promiſimus, enarrationem nempe omnium rerumpublicarum, præter Germaniam: de illa enim antehac in explicatione libelli Lampadiani de republica romano-germanica ſatis, ut puto, prolixe egimus, fortaſſe etiam poſthac pluribus de illa agendi dabitur occaſio. Agemus, ut dixi, de noſtri ævi rebuspublicis per orbem univerſum ſparſis, quod quidem opus nunquam ego antehac ſum aggreſſus; nec impoſterum facile agitabo. E re vero fuit viſum, prætermittere quædam de uſu talis ſtudii, item de modo ſtudium illud tractandi, quomodo oempe perveniamus ad ſingularum rerumpublicarum notitiam. Monſtrabo jam procemii loco, quem uſum præſtet cognitio rerumpublicarum noſtri ævi.

Principio accipiendum eſt, quod non poſſimus pervenire ad prudentiam univerſalem, niſi adjuvemur hiſtoria civili. Nemo itaque poteſt eſſe providus & prudens conſiliarius, niſi valeat uſu rerum, vel proprio vel alieno, experieotiam autem talium rerum exhibet nobis hiſtoria. Inter hiſtorias porro ingens eſt diſcrimen, & præter alia hoc etiam, quod aliæ verſentur circa deſcriptiones ſiogulares rerumpublicarum, aliæ vero circa res tantum aliquot geſtas: ita Livius & multi cum eo alii tantum vel maxime verſantur circa res geſtas. Circa deſcriptiones rerumpublicarum pauci oppido ſunt verſati ex veteri etiam ævo. Ex hoc quidem habemus pauciſſima & quidem nonnulla apud Strabonem, qui in Geographiam ſuam [illegible] aliqua inſeruit de moribus & legibus quarundam geutium. Habemus etiam Xeoophontis libellum de republica Athenienſium, qui tamen potius eſt illius reipublicæ quædam cenſura. At vero Ariſtoteles conſcripſit hiſtoriam omnium rerumpublicarum ſui ævi. Hujus tempore variæ erant respublicæ, præſertim in Græcia; hodie tam variæ respublicæ non reperiuntur, cum magnis monarchiis mundus ſit occupatus. Ante mille autem & ſexcentos annos tota quoque Germaoia in varias reſpublicas fuit diviſa, hodie vero unum conſtituit corpus. Cognitio rerumpublicarum longe plus facit ad prudeotiam ſibi comparandam, quam hiſtoria rerum geſtarum. Ratio hujus rei eſt, quoniam ille, qui rempublicam vult adminiſtrare, debet formam & ideam illius comprehendere, hoc vero non fit ex hiſtoria uoiverſali, ſed ſingulari. Porro ſi quis teneat alicujus regni integram coſtitutiooem, longe felicius poteſt tum docere, tum etiam longe felicius diſcere. Politices enim magiſter teoere debet omnis ævi hiſtorias, & ſi docere velit, omnia probare tenetur per hiſtorias. Si quoque diſcipulus hujus ooo ſit inſtructus hiſtoria, non intelligere poteſt, num recte omnia dicantur ſive proponantur. Et hoc eſt, quod Ariſtoteles dicebat, juvenem non eſſe idoneum politices auditorem, cum ille non in enumerato habebeat *notitiam hiſtoriarum.* (a) Hinc Ariſtoteles non prius docuit philoſophiam civilem, niſi ante edito opere de rebuspublicis, quarum 250. amplius deſcripſerat, nec forte quenquam ad philoſophiam admiſit, niſi qui in lectione operis illius verſatus eſſet. Videatur præfatio noſtra ad politicam Ariſtotelis.

Alter fructus hujus tractationis eſt, ut poſſimus rectius perſuadere. Qui vult perſuadere, inſtructus debet eſſe exemplis & hiſtoria. Hinc exempla potiſſima in rhetorica memorantur perſuaſionis argumenta, & quo quis tenet plus hiſtoriarum, eo magis etiam perſuadet; qui vero tenet rerumpublicarum notitiam, poteſt exemplis ſibi fidem facere. Hoc ipſum eſt, quod ARISTOTELES agit *lib. 1. Rhetor.* ubi egregie ſuadet, ut quisque mores gentium ſibi reddat familiares. Hoc autem obſervandum eſt, ad parandam univerſalem prudeotiam parum referre, ſi teneas hiſtoriam rerumpublicarum veterum, vel etiam noſtri hujus ævi, ſed ſufficere, noſſe hiſtoriam illarum rerumpublicarum, quæ prudenter res ſuas geſſerunt. Quare notitia reipublicæ Atticæ vel Spartanæ juvat ad prudeotiam, ad perſuadendum noo item. Nam qui vult perſuadere, uti debet exemplis notis, ad quam rem noſtri ævi hiſtoria præſtat. Si legatis de rebuspublicis antiquis, quæ conſcripta ſunt ab Ubbone Emmio, populari meo, vos juvare poſſunt ad prudentiam, non vero ad perſuadendum. Hinc agere mihi eſt conſtitutum de noſtri ævi rebuspublicis, quia fructum hunc inde percipere poteſtis, ut aptiores ſitis ad perſuadendum.

Tertius

(a) *notitiam hiſtoriarum*) Ante omnia tamen animi, cum vegetiori adhuc ſunt memoria, hiſtoriarum notitia eſſent imbuendi.

Tertius uſus eſt, quod ad praxin politicam, hoc eſt, ad actuum civilium negotia neceſſaria ſit cognitio rerumpublicarum. Omnis ſiquidem praxis rerum civilium verſatur in ſingularibus, nec enim in genere verſatur in regno aliquo, ſed in hoc regno e. gr. Sueciæ, Daniæ &c. Si quis jam velit facere praxin, omnino debet eſſe inſtructus prudentia univerſali, & accurate præterea noſſe ſtatum illius reipublicæ, in qua verſatur e. gr. ſi quis conſilio velit prodeſſe Germaniæ, utique ſtatus Germaniæ illi non debet eſſe incognitus. Hinc adeo facile apparet, neceſſe eſſe, ut quis ad civilis prudentiæ cognitionem adjungat etiam reipublicæ illius notitiam, in qua eſt verſaturus, illiusque conditionem ſibi reddat familiarem. Sed dicant quidam, nobis non adeo erit neceſſum, ut addiſcamus etiam illarum rerumpublicarum conditionem, quæ ſunt extra Germaniam. Sed ℞. diximus jam ante, qui verſaturus eſt in republica, debet tenere ſtatum illius reipublicæ, in qua eſt verſaturus. Deinde etiam noſſe debet ſtatum vicinarum rerumpublicarum, cum quibus aliquid commercii cum illa republica, in qua verſatur, intercedit, etſi non per omnia accurate noveris illas reſpublicas, tamen etiam ſufficit, eas eatenus cognitas habere, quatenus commercii aliquid cum illis intercedit. Ita ſi quis vivat in Germania, debet ſcire vicinas reſpublicas Hiſpaniam, Galliam, Sueciam, Daniam, imo etiam Turcicam rempublicam. Habemus etiam in vicinia rempublicam Venetam, Helvetiam, Belgiam, has etiam reſpublicas omnes ille tenere decet, qui accurate & cum laude vult defungi conſiliarii munere. Quod attinet ad reſpublicas Aſiaticas, ſunt quædam, fateor, quarum cognitio ad nos non pertinet. Habemus tamen regnum Tartarorum & Perſicum, quæ propter bella cum Turcis nobis gerenda, non ignota eſſe debent. Similiter habemus regnum Ruſſicum vel Moſcowiticum, cujus *vel vicinia* (a) nos terret, hinc tenere debemus illius reipublicæ cognitionem propter periculum, quod imminere nobis ab his populis poſſet. Quod concernit regnum Sinenſe & Magni Mogulis, ad noſtras res gerendas hæc regna non pertinent, interim ſi quis deferatur in Belgium, ibique velit conſiliarii munere defungi, utique tenere debet conditionem regnorum illorum, utpote cum quibus ibi locorum commercia intercedunt. Hinc patet, quod ad praxin etiam politicam attinet, neceſſarium eſſe, ſtatum noſſe rerumpublicarum noſtri ævi.

Quartus uſus eſt, quod notitia ſingularum rerumpublicarum homini conciliet exiſtimationem & auctoritatem. His utique opus eſt in vita humana, hinc bene ARISTOTELES *in rhetoricis* obſervat, in genere deliberativo requiri, ut orator ſit in opinione, tum etiam bonæ ſit voluntatis erga rempublicam. Breviter, qui cum laude vult verſari in republica, debet eſſe in opinione ea, quod ſciat, quid utile ſit, & hoc deinde poſſit in medium conſulere. Jam vero exiſtimationem prudentiæ maxime ſibi acquiſiverit, ſi prudens ſit hiſtoriarum & rerumpublicarum ſui ævi, & non aliter ac ſapiens Ulyſſes.

Multorum mores hominum qui vidit & urbes, magnam ſibi apud homines parabit exiſtimationem. Hac vero in parte prævalet cognitio rerumpublicarum noſtri ævi, quam ſi quis de rebuspublicis veteribus multum diſſerat. Pauci enim ~~hoc intelligent~~, & non facile niſi apud doctos ſavorem ſibi conciliare poteſt, apud indoctos, qui veteres res non ſunt edocti, in parva erit exiſtimatione. Non vero hæc faciunt ad inanem gloriam, cum nemo poſſit munere aliquo in republica fungi, niſi ſit in ea autoritate. Pauci quidem rationes intelligere poſſunt, plerique autoritate ducuntur: hinc ut Poëta canit 1. *Æneid. verſ.* 156.

Tum pietate gravem ac meritis, ſi forte virum quem
Conſpexere, ſilent, arrectisque auribus adſtant,
Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Et hic etiam uſus minime eſt vulgaris.

Quintus fructus, qui capitur ex ſingularium rerumpublicarum cognitione, eſt ingenua voluptas, quæ ex hac percipitur. Omnis hiſtoria vim habet delectandi ingenuum animum, ſtupidum enim & illiberalem non magis delectat, quam bovem aut aſinum. Ingenuus ſane animos maximam ex cognitione rerum percipit voluptatem, & maxime profecto eſt jucundum, quod poſſit domi extra omnia pericula conſtitutus ſedere & res remotiſſimas animo agitare, quia videtur eſſe inſtar regni alicujus. vide *præfat. noſtram ad Tacitum de moribus German.* Ex recenti itaque hiſtoria major eſt voluptas, quam ex veteri, cum recentia magis videantur credibilia & magis hæc appetamus, quam mortua illa & obſoleta. Hinc fit, ut multi, qui nunquam animum appulerunt ad rempublicam, hac voluptate tamen ducantur. Audivi ego ipſe adoleſcens in Batavia homines, qui nunquam ad res gerendas cogitationes adjecerant, prudentiſſime tamen de quibuslibet rebuspublicis noſtri ævi diſſerentes, & hoc ingenua hujus rei voluptas efficit. Perfundimur voluptate, ſi legerimus novellas iſtas, quæ quibuslibet ſeptimanis ad nos deferuntur, & has majori cum voluptate legemus, ſi ſimus periti cognitione rerumpublicarum: ſi ſecus, profecto multa harum rerum, quæ in novellis referuntur, non intelligimus, indecens vero eſt, ſi homo literatus ea non intelligat, & æquiparet ſutoribus & ſartoribus & hujus generis cerdonibus: liberalem enim animum maxime decet, voluptatem hinc capere. Et hi ſunt fructus, quos pollicere audeo, ſi addiſcatis rerumpublicarum noſtri ſeculi

ſtatum

(a) *vicinia*) Præſertim in illo ſtatu, quo hodie eſt, cum Petro I. res moderante ad tantum potentiæ gradum hæc gens delata ſit, ut omnibus propemodum ſit terrori.

ſtatum, & ſi quis ſe in ea re exercuerit, ita ingenium acuet, ut deinde admotus conſiliis,longe majori cum fructu poterit in conſiliis illis verſari.

Proximum eſt, ut ad ſecundum progrediar, *ut ſcilicet doceam, quidnam faciat ad exactam notitiam & peritiam alicujus reipublicæ. Tenere aliquid alicujus reipublicæ, facile eſt, habere exactam notitiam,eſt difficilius.* Et hoc ſciendum eſt, ut, ſi fortaſſe quis verſatus eſt in quadam republica, non ſibi perſuadeat, ſe omnia illa acquiſiviſſe, quæ ad notitiam ejus reipublicæ ſpectant, adeoque opinione ſit doctior, quam revera eſt. Alterum eſt, ut noſcas attendere ad omnia illa, quæ occurrunt ad rempublicam pertinentia. A pauciſſimis ad illa attenditur, quia illi ignorant, hæc pertinere ad cognitionem reipublicæ, nam ſi hoc noſſent, non leviter curarent; hinc fit, ut res magni momenti prorſus ab illis negligantur. Pauci etiam fructum juſtum capiunt ex hiſtoria & novellis, quæ adferuntur, quia non norunt, quod hæc faciant ad cognitionem reipublicæ & propterea animo oſcitante legunt. Tertium eſt, ut quis poſſit magis curare ea, quæ faciunt ad plenam cognitionem acquirendam. Si quis hæc noverit, & præterea valeat aliquo judicio, videre poteſt, quibus adminiculis ſibi opus ſit. Si hoc vero quis ignoret, de adminiculis neque eſt neque poteſt eſſe ſollicitus: nemo enim de mediis eſt ſollicitus, qui ignorat ſcopum vel finem. Quartum eſt, ut poſſis judicare de ſcriptis & ſcriptoribus rerumpublicarum ſingularium. Habemus horum varios, at vero utrum illi ſatisfecerint expectationi, nec ne, non potes judicare, niſi noveris, quid valeat ad cognitionem reipublicæ. Judicare hinc potes, an ſit ſcriptum jejunum, an magni momenti vel uſus. Ego ubi acturus ſum de ſingulis rebuspublicis, non omittam præire etiam hac in parte & ſententiam ferre, quænam ad notitiam & deinde etiam ad cenſuram cujuslibet reipublicæ faciant.

Agemus jam porro de eo, quid faciat ad exactam cognitionem alicujus reipublicæ & quomodo illa comparetur: diſſeruimus jam tum de hac re *libro de civili prudentia cap. XII. p.* 241. ubi etiam confutavimus illorum errorem, quo creditur, cognitionem alicujus reipublicæ conſiſtere in ſola legum cognitione: oſtendimus, id eſſe vanum & a veritate remotiſſimum, multa enim alia requiruntur. Verius dicitur ſufficere, ſi teneamus quinque illa, quæ Ariſtoteles recenſet *l. I. Rhetor. c. IV.* hæc maxime venire in deliberationem. Enumerabo illa breviter I. In civitate aliqua venire ſolent in deliberationem ea, quæ pertinent ad vectigalia & reditus. Huc pertinet, ut ſcias, quinam ſint reditus civitatis, & quænam impenſæ veniant unicuique reipublicæ. Hæc omnino debes noſſe, ut poſſis inſtituere ea, quæ pertinent ad ærarium. II. Deliberatur de bello & pace. Hac ratione debemus ſcire, & de qualibet republica certi eſſe, quantum valeat illa bello, a quibus metuere poſſit bellum. & a quibus periculum imminere poſſit. III. Deliberatur de iis, quæ faciunt ad cuſtodiam regionis. Hoc pertinet ad illud, quod alias dicimus bellum defenſivum. Et quia per hanc cuſtodiam reſpublica ſecura redditur, ſcire debemus, quemadmodum ſe illa habeat, & quomodo ſit expoſita periculis, quæ præcaveri debent. Cum quoq; hæc res utique pertineat ad quamlibet rempublicam, ego in poſterum ſemper illud indicabo. IV. Genus deliberationis pertinet ad ea, quæ exportantur & importantur. Neceſſario enim ſciendum eſt, quibusnam reſpublica egeat aut abundet, ut illa, quibus eget, procurari & importari, & quibus abundat, alio transferri poſſint. Et hoc etiam inpoſterum mihi erit agendum. V. Genus deliberationis eſt circa leges. Quid conſtituendum ſit, ut reſpublica bene ſe habeat, requiritur, ut quis ſit peritus legum & præſertim juris publici, ex parte etiam juris privati, quamvis *non quoad omnia.* (a) Omnino vero plura requiruntur ad cognitionem alicujus reipublicæ, quam hæc quinque. Nam Ariſtoteles tantum dicit eſſe τα μέγιςα id eſt, illa quam maxime venire, in deliberationem: nec adfirmat, quod nihil præterea requiratur. Res vero docebit, ubi pervolveritis ſcriptores nonnullos rerumpublicarum, eos ſolere circa hæc maxime occupatos eſſe, plerumque reliqua omittere, maxime vero agere de bello & pace. Explicabo igitur jam ſententiam meam, quid ad plenam cognitionem reipublicæ alicujus requiratur. Principio obſervandum eſt, me voce reipublicæ intelligere integrum corpus civilis ſocietatis. Eſt alias vocabulum reipublicæ ambiguæ ſignificationis: primo enim ſumitur pro integro corpore civilis ſocietatis, quæ apud latinos antiquos ſcriptores vocatur civitas. Nec enim vocabulum hoc apud antiquos ſcriptores denotabat urbem, uti hodie illæ voces confunduntur, ſed notabat integrum corpus. Sic tota Polonia, vel tota Suecia, vel tota Hiſpania unam conſtituit civitatem, quoniam illa omnia conſtituunt integra corpora civilis ſocietatis, quæ ſunt ſui juris. Secundo ſumitur reipublicæ vox pro modo regiminis, quod obtinet in aliqua civili ſocietate: hac ratione apud Græcos & Ariſtotelem reſpublica ſolet definiri πολιτεία, quæ vox apud Græcos etiam eſt ambigua & ſignificat interdum corpus integrum civilis ſocietatis, interdum modum regiminis, qua ratione definit Ariſtoteles, quod ſit τάξις ſeu ordinatio poteſtatum, inprimis ſummarum. Venit nunc porro conſiderandum, quid requiratur ad integrum corpus civilis ſocietatis. Quid eſt tale integrum corpus? Eſt nihil aliud, quam multitudo hominum inter ſe conſociata, vitæ civiliter vel bene agendi gratia.

Videtis hic multitudinem hominum, videtis ſcopum hujus multitudinis, videtis denique finem. Quemadmodum porro omnium rerum civilium, ita etiam integri hujus corporis cognitio

(a) *non quoad omnia*) Multa enim ſunt in jure privato, quæ regendæ reipublicæ plane non inſerviunt.

gnitio conſiſtit in cognitione quatuor cauſarum. De his ſingulis agemus. Primo videndum de materiali cauſa. Hæc eſt multitudo hominum, ergo ante omnia ad cognitionem ſingularium rerumpublicarum requiritur, ut cognoſcamus homines, qui ſunt regendi, porro ſcire debemus, quantus ſit populus, vel quis populi ſit numerus. Multum enim profecto intereſt, utrum respublica conſtet magno vel exiguo numero. Secundo noviſſe debemus hominum illorum qualitates, quæ ſunt triplices, aliæ ſunt corporis, aliæ animi, aliæ fortunæ. Quod corporis qualitates attinet, notum eſt, homines inter ſe multum differre corpore: alii ſano ſunt corpore, alii ægro, alii robuſti, alii imbecilles & ſimiliter, alii ſunt ad triſtitiam proni, alii non item. Cognoſcendum etiam eſt, quibus dotibus corporis populus aliquis valeat, & quibus vitiis ſit obnoxius. Potiſſimum autem obſervandum eſt, quemadmodum ſe habeat populus quoad qualitates animi, quas vel habet a natura, vel ab educatione, vel a conſuetudine. Ratione naturæ ingens eſt diſcrimen inter homines. Alii ſunt ingenio obtuſo, alii acuto, alii ſunt propenſi in ferociam, alii in metum, alii in audaciam, alii in timiditatem ſunt proni. Natura autem hominum animis inſevit quaſi ſemina quædam virtutum & vitiorum, & ſemina illa in populo aliquo admodum diverſe ſe habent. Deinde ſunt virtutes ac vitia ab educatione & conſuetudine. Scire ergo debemus, quibus virtutibus & vitiis populus adſueverit. Virtutes aliæ ſunt intellectuales, aliæ morales, ut ex Ethicis notum. Allaborandum itaque eſt, ut ſciamus, quemadmodum ſeſe habeat populus ratione virtutum moralium & intellectualium. Quod ad prudentiam attinet, videas alios ſapientes, alios rudes & omni carentes ſapientia, alios videas ſapientiæ amatores, alios ejuſdem oſores. Ratione virtutum moralium alius populus eſt fortis, alius timidus, alius ferox, alius temperans in victu, & in iis, quæ ad corpus pertinent, alium videas populum vel voluptatibus venereis vel gulæ eſſe deditum. Noſcendum porro eſt, quomodo ſe habeat populus. Alius eſt fraudulentus, alius æquitatis amans, & erecti animi, alius eſt liberalis, alius avarus & ad rem attentus. Ad religionem quod attinet, cujus tamen Ariſtoteles non meminit, accurate noſcendum eſt, quomodo illa ſe in populo quodam habeat. Hic videas alios vere pios, alios vero ſuperſtitioſe impios, alios plane impios, & parcos Dei cultores. Hæc omnia quodammodo pertinent ad cauſam materialem. Pertinent etiam huc, quæ ad bona fortunæ attinent, quæ ſunt i. cum mobilia tum immobilia. Ingenium certe populi alicujus noviſſe, inter prima deliberationis genera eſt numerandum. Si populus ſit animo miti & ad obſequium compoſitus, ibi potes principatum etiam durum condere, ſi vero populus ſit *durus*, (a) non ibi durus principatus habebit locum; ſi populus ſit bellicoſus, res magnas potes gerere. Debet ita quilibet populus examinari ſecundum virtutes intellectuales, & morales. Attendendum porro eſt ad bona fortunæ, quemadmodum ad hæc ſeſe habeat populus. Bona fortunæ poſſunt dividi in bona mobilia & immobilia, deinde in bona neceſſaria & non neceſſaria, in bona utilia, & in ea, quæ faciunt ad elegantiam. Inter immobilia in qualibet civitate eſt ipſa regio & ipſa terra. In regione autem poſſunt eſſe bona neceſſaria, utilia & quæ faciunt ad elegantiam. Quædam regiones omnia habent, quædam his carent, vel omnibus vel aliquibus. Multum autem differunt reſpublicæ circa hæc. Faciamus jam regioni cuidam deeſſe bona neceſſaria, ſcilicet victum & amictum: ſi deſint hæc, aliunde adferenda ſunt, & deliberationes ſemper de his inſtituendæ. Poſſunt autem facile aliqua aliunde adferri, aliqua non. Si terræ deſint frumentum, oleum, vinum, mel, cera, arbores &c. plurimum refert, ergo cumprimis hoc notandum. Deinde quoque hoc obſervandum eſt, quemadmodum ſingulæ regiones ſeſe habeant reſpectu finium, an faciles habeant adpulſus, & quinam cum illa poſſint communicare & quales ſint, qui communicare poſſint. Pertinet huc deliberatio de cuſtodia regionis, quædam enim regiones a natura ita ſunt ſitæ, ut *cuſtodia non indigeant*, (b) quædam vero artificiali cuſtodia egent. Quæ ſitæ ſunt in montibus, ad fluvios, aliiſque natura munitis locis, ibi non opus eſt multa cuſtodia, quæ vero hoc modo non ſunt ſitæ, egent cuſtodia. Notandum deinde, utrum regio arte ſit bene conſtituta & cuſtodita, & quidem, ut hoſtes facile depelli poſſint. Reſpublica, quæ hoſtibus patet, non eſt bona, e contrario, quæ hoſtibus eſt inacceſſa, eſt optima. Ardua porro eſt deliberatio de commerciis. Attendendum itaque venit, utrum regio facile commercia inſtituere poſſit, nec ne. Ita enim ſolet eſſe comparatum, ut aliquæ regiones plus habere ſoleant, aliæ minus, hinc multa vel ſunt exportanda vel importanda. Nemo profecto de republica quadam recte deliberationem inſtituere poteſt, niſi ſciat, quænam facile inferri poſſint, quæ deſunt, & quænam exportari, quæ ſuperſunt. Quædam reſpublicæ hac ratione ſunt miſeræ, quænam felices. Porro regiones multum differunt ratione coeli vel aëris: aliæ ſunt ſalubres, quæ multos poſſunt ferre homines, aliæ ſunt inſalubres, quæ hoc non poſſunt. Hoc vero maxime attendendum. Ego hoc obſervabo in ſingulis rebuspublicis, & ante omnia de ſitu & regione diſſeram. Primum quidem aliquam Chorographiam præmittam, qua in parte Cluverum ſequar, illam quidem editionem, quæ nuper prodiit Guelpherbyti (c) opera Johannis Bunonis, hæc enim editio meo judicio omnium maxime correcta & accurata videtur. Comparabitis vobis hunc librum, alias ſine fructu

me

(a) *durus*) Si enim ille molliter non habebitur, in rebelliones erumpet, cum ex duritie profluat audacia.

(b) *cuſtodia non indigeant*) Talia ſunt Anglia, & certo reſpectu Suecia. In hæc enim non niſi claſſibus inſtructus hoſtis aliquid efficere poterit.

(c) Huic editioni præmiſit Conringius præfationem.

me poſthac audietis differentem. Attendendum porro eſt in republica ad bona mobilia, nam hac ratione respublicæ multum differunt. Multum enim intereſt ratione bonorum mobilium, utrum abundet regio frumento, utrum ſit dives pecoris, utrum abundet pecunia vel metallis. Requiruntur hæc tum ad res gerendaa, tum ad illa, quæ pertinent ad vitam. Releren-da huc doctrina de vectigalibus, quæ ſunt bona mobilia. Plurimum autem refert, an respublica valeat vectigalibus an non? Quæ valet, eſt apta ad rea gerendas, cumprimis ſi rea ſit gerenda milite conductitio. Si careas vectigalibus, non poteris alere talem militem, adeoque res magnas gerere nequis. Hæc etiam videntur pertinere ad caulam materialem.

Deinde conſideranda ſunt, quæ pertinent ad ſcopum reipublicæ. Regio quælibet conſiſtit in ſocietate, cuius ſelicitas in virtute & ſufficientia rerum poſita eſt. Quilibet ergo in ſingulis rebuspublicis ſibi ſcopum eligere deber, hunc nimirum, utrum in illa republica cives poſſint beatam vitam vivere. Ratione virtutis quemadmodum ſe homines in illa republica habeant, & quemadmodum ſeſe habeant ratione ſufficientiæ vitæ, an in republica illa ita vivatur, ut cives ſint virtute præditi, qua debebant, an habeant omnium rerum ſufficientiam. Hic debet eſſe ſcopus cujuslibet civitatis. Verum ab hoc ſcopo multæ respublicæ ſæpe abeunt. Multæ enim non habent pro ſcopo vitam beatam ex omnium æquo, ſed potiſſimum dominantium; nonniſi ſecundario & per accidens parentium. Plurimum vero refert ſcire, num respublica quædam ſcopum illum, quem debebat habere, ſibi propoſitum habeat, an vero a ſcopo multum aberret. Obſervandum eſt, an habeat pro ſcopo beatitudinem domini, vel ex æquo omnium ſubditorum ſalutem, & quemadmodum hæc ſe habeat. Vera deinde beatitudo civitatis conſiſtit in eo, ut quælibet civitas exerceat virtutem in ſufficientia vitæ. Quemadmodum vero ſæpe in vita privata, ita etiam ſæpiſſime in republica ab hoc ſcopo aberratur. Quædam enim pro ſcopo habent latum imperium, quod tamen maximus eſt error. Attamen multis eſt perſuaſum, quemadmodum privati ſæpe putant, ſe eſſe ſelices, ſi aliis imperare poſſint. Ita Romani habebant pro ſcopo latum imperium: eundem etiam ſcopum, referente Ariſtotele, habuerunt Lacedæmonii. Et tales ſunt hodie respublicæ, quibus hic eſt ſcopus: nunquam itaque quieſcere poſſunt, ſed quotidie imperium extendere ſtudent, putantes, ſe tum vere eſſe beatos, ſi latum ſint nacti imperium. Aliæ vero aliter ſunt conſtitutæ & rebus ſuis ſunt contentæ. Quemadmodum enim alii in privata vita in divitiis beatitudinem collocant, & hoc unice ſtudent, ut magnas divitias acquirere poſſint, qui etiam ſcopus ſolet eſſe mercatorum in magnis emporiis; ita etiam hic ſcopus ſolet eſſe integris rebuspublicis, & talia ſunt magna emporia. Romana quidem respublica ſtudioſa erat divitiarum, has tamen non habebat pro ſcopo, ſed ad res magnas gerendas his utebatur. Aliæ deinde respublicæ pro ſcopo habent voluptatem. Si vero in voluptatibus verſeris, maxime utique erras circa ſcopum. Sæpe vero fit, ut respublicæ illum habeant ſcopum, nec tamen de mediis ſint ſollicitæ. Quilibet ergo ſcopus ſua debet habere media, Hinc conſiderandum venit, quibus mediis uti debeamus in qualibet republica, quæ ad acquirendum ſcopum ſint idonea. Et hoc proprie ad cauſam efficientem & formalem pertinet.

Supereſt jam, ut dicamus, quæ notanda in ſingulis rebuspublicis ad genus cauſæ formalis. Ad hoc pertinent omnia, quæ faciunt ad regimen reipublicæ, ut ſcilicet ſciamus, quemadmodum quælibet respublica gubernetur: in forma enim regiminis tota conſiſtit ſocietatis civilis eſſentia. Habet autem ſe aliter atque aliter pro variatinne formæ. Videndum ergo, quemadmodum ſe ratio habeat omnium poteſtatum, quæ rempublicam gerunt. Sunt vero duplicia generis poteſtates: una eſt poteſtas ſumma τὸ κύριον, quæ autoritate ſua & juribus adminiſtrat omnia. Deinde ſunt poteſtates ſecundariæ, quæ rempublicam adminiſtrant autnritate & poteſtate dependente, vel mandata potius poteſtate. Poſterioris generis poteſtas apud veteres latinoa ſcriptores dici ſolet *magiſtratus*: hoc enim nomine ſumma poteſtas nunquam ſolet accipi, ſed ſemper dependens. Forma regiminis conſiſtit cumprimis in ſumma poteſtate, deinde etiam in poteſtate ſecundaria, quo etiam judicia pertinent. Ad plenam ergo ſingularia reipublicæ cognitionem requiritur, ut ſciamus, quemadmodum ſe habeat ſumma poteſtas, deinde etiam quemadmodum reliquæ, penes quas regimen eſt reipublicæ non quidem primarium, ſed ſecundarium. Summa poteſtas verſatur (1) circa poteſtatem ſerendi *leges*: poteſtas enim legislatoria ſummæ eſt poteſtatis, hinc ſecundariæ poteſtates leges ſerre non poſſunt, ſed ſi ferant, conceſſum id ipſis eſt a ſumma poteſtate. Summa poteſtas verſatur (2) circa *bellum* & *pacem*. Pertinent huc foedera omnia, quæ referuntur vel ad bellum vel ad pacem. Verſatur ſumma poteſtas (3) circa *vectigalia* & *tributa* indicenda. Nam & hoc ſummæ eſt poteſtatis, & nil aliud præter hanc cives ad id obligare poteſt. Verſatur ſumma poteſtda (4) circa conſtituendos *magiſtratus*: quia enim omnes magiſtratus a ſumma poteſtate dependent, etiam conſtitutio horum ad hanc pertinebit, inque arbitrio ſummæ poteſtatis erit ſitum, conſtituere magiſtratus nec ne? Verſatur ſumma poteſtas (5) circa *vitam* & *necem* omnium civium. Atque adeo eſt juris ſummæ poteſtatis, ea quæ ad fortunam populi vel civis, vel ad vitam honoresque pertinent, promovere, vel non. Nolo ego late diſputare, quod tanta debeat eſſe vis ſummæ poteſtatis, ſed tantum id jam pono extra controverſiam, quod etiam alias eſt demonſtratum. Apparet hinc, pertinere huc con-

ſtitutionem judiciorum, quæ ſunt vel de bonis, vel de capite civium, quod utique eſt ſummæ poteſtatis. Jam itaque ſi inveſtigandum, penes quem ſit ſumma poteſtas, attendendum eſt, quis habeat poteſtatem ſerendi leges, quis vectigalia & tributa indicet, &c. ſi jam teneam, quemadmodum omnia hæc ſe habeant, ſcio, apud quos ſumma ſit pnteſtas. Ea autem ſummæ poteſtatis eſt ratio, ut tota interdum ſit penes unum idemque ſubjectum, hoc eſt, ut unus ſaltem integram habeat poteſtatem, interdum vero partem aliqui habeant ſummæ poteſtatis, & tales ſunt reſpublicæ mixtæ. Et hoc etiam vnbis apparebit, in nonnullis rebuspublicis id valde diverſimode ſe habere, & alibi ſummam poteſtatem eſſe integram, alibi vero diviſam, idque uſu venit in plerisque Europæ rebuspublicis. Summa porro poteſtas integra diverſimode ſe poteſt habere: nam vel eſt penes unum mnnarcham, qui in manu ſua habet ſummam poteſtatem, interdum vero eſt penes paucos vel optimates vel ſolos divites: ſed talis reipublicæ ſpecies, quantum ego quidem ſcio, nusquam in tnto terrarum orbe invenitur. Tales oligarchiæ quidem Ariſtotelis *temporibus fuere*, (a) hodie vero nonniſi oligarchiæ improprie dictæ obtinent, qualis eſt reſp. Veneta, quæ quodamodo eſt oligarchia, alibi vero reſpublica eſt penes multitudinem. Acturus ego inpoſterum de Helvetiorum & Belgarum rebuſp. mnnſtrabo ſedulo, quomodo hæ gubernentur. Ante omnia vero in qualibet republica eſt obſervandum, quemadmodum ſe habeat regimen illius, an ſit ſtatus ſimplex vel mixtus, qui ſtatus multum differunt. Deinde etiam eſt conſiderandum, quemadmodum ſe habeat ratio magiſtratuum ſecundarinrum, & quis ſit hos conſtituendi modus: ratio enim conſtituendi judices & magiſtratus eſt alia atque alia, quam ſcire permultum refert. Obſervandum præterea, quemadmndum ſe habeant judicia in qualibet republica, etſi primario reſpiciendum ſit ad ſummam poteſtatem, *Ariſt. III. Rhetor.* dicit πολιτειαν τάξιν τῶν ἀρχαίων, inprimis τῶν κυρίων. Talia omnia & cumprimis modus regiminis, an ſcilicet violenter, an benigne, & quibuscunque tandem modis reſpublica adminiſtretur, accurate eſt attendendus. Quapropter ego etiam inpoſterum hæc debeo exponere, & ſi hæc omnia non expoſuero, deficiet nmnino oratio mea, & ſi hoc in libris vel ſcriptoribus rerumpublicarum omittatur, non tradita in illis erit integra cognitio alicujus reipublicæ.

Attendendum porro ad genus cauſæ efficientis. Regimen reipublicæ non poteſt inſtitui, niſi ſint, qui regant, & hoc pertinet ad cauſam efficientem. Hæc eſt duplex, alia eſt principalis, alia vero inſtrumentalis. Quod ad principalem attinet, in quolibet actu civili hæc eſt homo aliquis, quapropter etiam in regimine alicujus civitatis hæc eſt aliquis homo. Cauſa efficiens inſtrumentalis eſt duplex, vel animata vel inanimata. Animata rurſus vel eſt rationalis vel irrationalis. Quæcunque nos homines agimus beneficio alicujus inſtrumenti, & nil ſine hoc poterimus agere: homn homini eſt pro inſtrumento, ſervus eſt inſtrumentum ſui domini, qund etiam docuit Ariſtoteles *l. 1. polit.* Servus vero eſt inſtrumentum rationale, equus etiam & bos eſt cauſa efficiens ~~inſtrumentalis animata~~, ſed irrationalis. Dantur etiam cauſæ inſtrumentales inanimatæ: ſic pecunia eſt inſtrumentum inanimatum, quæ nobis cedit in multos uſus. In univerſum res aliæ ſive artificiales ſive inartificiales cedunt nobis in inſtrumenta, utimur enim ligno, ære &c. Debemus itaque in qualibet republica noviſſe cumprimis cauſam principalem, quæ eſt homo, & deinde cauſas inſtrumentales omnes. Ad hominis alicujus notitiam requiritur, ut alicujua hnminis animum & corpus cognoſcas, hinc etiam primo ſciendum, quemadmodum ſe habeat cauſa principalis animo & corpore. Animum quidem cognoſces, ſi attendas ad intellectum & voluntatem, quibus virtutibus, vel quibus vitiis ſit præditus, & quomodo ſe habeat illius voluntas. In republica monarchica cauſa principalis eſt rex: attendendum ergo, quomodo hic ſe habeat & animo & corpore. Scire debemus, an ſit imbecilli, an vero valido corpore, an poſſit vitam longævam, vel brevem vivere, cumprimis vero noſcere debemus animum. Ratione intellectus debemus ſcire, utrum ſit prudens & rerum ſuarum ſatagens, an vero ſtupidior & rerum minus obſervans. Nemo profecto ſcire poteſt, quemadmodum ſe habeat reſpublica, niſi ad cauſam principalem attendat. Scire debemus, an res ſuas ipſe vel per miniſtros gerat: noſſe debemus, quibus virtutibus moralibus ſit præditus, an ſit juſtus vel injuſtus, liberalis, ſævus, immitis, temperans an intemperans &c. Hæc omnia attendenda ſunt in cauſarum inſtrumentalium cognitione, cumprimis potiorum. Inter miniſtros magnum eſt diſcrimen, alii enim ſunt majoris, alii minoris auctoritatis. Danda vero eſt opera, ut ſcias ingenium miniſtrorum primariorum, ſcire enim debemus potiſſimum miniſtrorum horum animum. Plenius quidem accipiemus cognitionem alicujus reipublicæ, ſi teneas etiam reliquorum miniſtrorum mentem. Interim non multum refert, talia noviſſe, ſufficit, ſi teneas miniſtros primarios. Ad res enim gerendas interdum magis refert, primariorum miniſtrorum animum noſſe, quam ipſorum principum. Inter cauſas inſtrumentales reperiuntur etiam inanimatæ, & quidem cumprimis inter has eſt pecunia. Hinc ad plenam cognitionem reipublicæ alicujus requiritur, ut attendam, quomodo paretur pecunia, & quomodo augeatur ærarium, quemadmodum etiam colligi & expendi ſoleat pecunia. Qui itaque ad plenam alicujus reipublicæ cognitionem adſpirat, accurate ſcire debet

(a) *temporibus fuere*) Conf. ARNISÆVS in *relect. politicis c. 4. ſect. 3.*

debet rationem redituum & vectigalium. Præter pecuniam ſunt multa alia, ſine quibus vita civilis non recte inſtituatur. Hic maxime in conſiderationem veniunt duo tempora, bellum & pax. Multa hsbemus pertinentia ad bellum & pacem. Debemus enim attendere, an reſpublica quædam ſatis ſit inſtructa inſtrumentis ad bellum gerendum, & pertinet huc inquiſitio armorum, & quoniam hodie arma bellica aliter atque aliter ſe habent, attendere debemus, quomodo illa ſe in qualibet republica habeant. Notum eſt, ad bella gerenda requiri magna illa tormenta, gladios, bombardas, haſtas &c. Audietis inpoſterum, respublicas nonnullas armis abundare, alias vero his deſtitui. Tempore pacis debemus edere & bibere, debemus veſtibus indui, tunc de his rebus oobis eſt proſpiciendum: apparebit etism impoſterum, reſpublicas aliquas cogi, importatis aliunde uti, alias vero exportandis mercibus aliis ſuccurrere. Hinc perſpiciendum, quomodo in qualibet republica ea, quibus abundat, exportsri, & quibus deſtituitur, importari poſſint.

Dicendum erit porro, unde & quemadmodum cognitio talis comparari poſſit. Primo in memoriam revocandum eſt, cognitionem rerum ſingularium eſſe triplicem, ratione diverſi temporis, aliam eſſe rerum ſingularium præſentium vel præſentis temporis, aliam præteriti, aliam denique futuri. Inter illas quam maxime opera danda, ut accipiamus præſentis temporis cognitionem, ut ſcilicet ſciamus, quemadmodum ſe nunc reipublicæ alicujus res habeant, Omnino quoque ex te eſt ſcire præterita, & id multis de cauſis. Si enim noſcas præterita, præſentia quoque rectius cogooſces, quomodo nimirum in hunc vel illum ſtstum respublica pervenerit. Scire præterita adprime utile eſt, & ſic præclarius ſentire poteris de qualibet republica: ſæpe enim inciduot controverſiæ de jure, quod huic aut illi competit, & tales non poſſunt decidi, niſi exacte præterita noveris. Ita ante aliquod tempus oriebatur controverſia inter Moguntinos & Colonienſes de jure coronandi: hæc agitari non poterat, niſi adductis in medium rebus præteritis, quomodo ſe ſemper babuerit coronatio. Diſputavi tum pro jure Moguntino, oon uno libello, & factum etism eſt, quod Moguntinus triumphaverit. Itaque etſi præſens ſtatus ſit utilior, tamen etiam cognitio ſtatus præteriti adprime eſt utilis. Eſt & utilis cognitio ſtatus futuri. Multum enim refert ſcire, quid de hac aut illa republica ſit expectandum, quid ab hac vel illa republica ſit ſperandum vel metuendum, quod ſcire non poteris, niſi futuri etiam ſis certus. Sic res nobis cum plerisque rebuspublicis Europæ eſt, inprimis vero cum regnis vicinis Galliæ, Sueciæ, Daniæ &c. ideoque intereſt ſcire in futurum aliquid de ſtatu illorum regnorum, quid ab his ſperare, quid metuere poſſimus. Si hoc ſciamus, rectius res noſtras diſponere, iisque melius conſulere poterimus. Prudentis enim eſt, non ſolum præſentia atteodere, ſed etiam de futuris proſpicere, id quod adprime eſt utile, quamvis, quod fateor, non adeo ſit utile, quam cognitio rerum præſentium, quæ majori cura ſunt obſervaoda. Futura enim ſunt incertiora, & præteritorum cognitio nos non adeo tangit. Cum igitur triplex ſit notitia ratione diverſi temporis, inquirendum porro, quemadmodum notitia hæc poſſit comparari. Brevibus hoc ita accipite. Quæcunque homioes nos novimus, aut novimus ſenſibus, aut intellectu per ratiocinationem, nam hæc Deus optimus maximus nobis conceſſit, quibus aliquid cognoſcamus. Res ergo rerumpublicarum ſingularium aut addiſcimus ſenſu aut iotellectu. Res quidem præteritas ſenſibus adſequi oon poſſumus, cum hæ memoria noſtra exceſſerint, nihil ergo hic ſenſus juvant. Præſentium vero quædam, non autem omnia, ſenſibus aſſequi poſſumus. Quod ad ſtatum futurum attinet alicujus reipublicæ, ſenſibus hunc non percipimus, ſed ſola ratiocinatiooe. Duplex hæc eſt, alia certa, alia incerta, veroſimilis tamen ſive probabilis. Rerum futurarum certam non poſſumus habere notitiam, habere tamen poſſumus *veroſimilem.* (a) Sic de regoo Galliæ, Hiſpaniæ &c. homo prudens multa

(a) *veroſimilem*) Qui præterita & præſentia accurate comparare ſcit, futura ſæpe callidiſſime conjicere poteſt. In iſtis conjecturis profecto major eſt eertitudo, quam in aſtrologorum prognoſticis. Quis enim crederet, cauſarum mere phyſicarum & irrationalium effectus eſſe poſſe morales & rationales. Non exiſtentia autem objecti vanam facit artem, quæ circa illud verſatur. Atque ſic merito irridetur aſtrologia divinatrix. THOM. ERASTO *in epiſtolis*, JOSEPHO MARIA MARAVIGLIA *in pſeudomantia veterum & recentiorum.* BAYLE *dans les penſées ecrites à l' occaſion de la Comete, qui parut l' an* 1680. Quodſi forte aliquando contingat, ut tales eveniant effectus morales, quos alaſtor quidam ex aſtrorum contemplatione prædixiſſe fertur, illi ſane alium, quam aſtrorum influxum & neceſſitatem habebunt cauſam, & ex parte prædicentis hoc ſit tantum per accideos, æque ae ſi quis per numerationem globulorum, quos in tunica habet, de reditu cujusdam conjicit. Videmus divinatores iſtos prædictiones ſuas & eloquia ad modum impoſtorum illorum, qui ſub oraculorum figmentis fallebant, obſcuris locutionibus & amphiboliis aliisq; fallaciis involvere. Ingentem numerum falſarum prædictionum, quæ Cardanum autorem habent, notant Scaliger & Angelus. Imo ipſe CARDANVS *in biographia ſua c.* X. *& in libro de prudentia civili c.* 130. fatetur, ſe arti huic plus juſto ſiſum eſſe. Cum tamen non omnem ipſi derogare conſtituerat certitudinem, memoriæ proditur, ipſum ad patris exemplum ſe fame necare, quam altera vice in indicando mortis ſuæ die aberrare maluiſſe. THVANVS *lib.* 62. *Verſchiedene Anmerckungen über gegenwärtiger Zeiten Prophezeiungen.* Illi, qui huic arti fidem adhibent, provocant ad THVANI & BRANTOMII teſtimonia, qui perhibent, Catharinæ de Medices a GAVRICO prædictum fuiſſe, Henricum maritum ex vulnere, quo oculus læderetur, moriturum. Sed huic obſtat, quod GAVRICVS *in tractat. aſtrolog.* vaticinatus ſit, Henricum regibus imperaturum & tandem brevi ante vitæ, quam non ita brevem ei auguratus eſt, finem univerſalem adepturum monarchiam. Non puto, autorem tractatus ex Suecico in Germanicum tranſlati idioma paulo ante citati ridendum eſſe, Cardanum nimirum poſt Hen-

multa veriſimiliter poteſt prædicere. Fit autem hoc, ſi primo ſciamus doctrinam politicam univerſalem, & ſi ſciamus, quinam effectus has aut illas ſoleant ſubſequi cauſas. Sic medicus prudens poteſt prædicere ſanitatem, vitam & mortem ægroti, modo veriſimiliter, modo certo, & hoc fit ex peritia artis. Ita homo inſtructus arte politica & notitia ſtatus præſentis, prædicere poteſt futura, fit autem id tantum per ratiocinationem. Et veriſſima hæc ſunt, quamvis aliis ſecus videatur. Ratiocinatio autem cum ſola ſit prudentum, apparet hinc, ſolos etiam prudentes id præſtare poſſe. Præterita, quæ noſtram exceſſerunt memoriam, non poſſumus niſi ratiocinatione percipere, quæ niti poteſt teſtimonio humano. Ex veterum autem monumentis certo poſſumus ſcire, quid contigerit. Tale teſtimonium noo habet locum in futurum, quia nemo de his teſtari poteſt. Evolvenda itaque veterum monumenta, vel teſtes vivi erunt advocandi, ſenes, qui confirmare poſſunt, quæ nos ſenſibus non percepimus. Teſtimonium igitur humanum eſt vel orale, vel ſcriptum, poſterius tamen alteri prævalet, hinc eleganter Livius: *Literæ ſunt cuſtos memoriæ fidelis rerum geſtarum.* Narrationes ſæpiſſime fallunt. Quanta autem ſit *fides hiſtoriarum* (a) ſingulari aliquo libello tradam, quod a nemine hactenus eſt factum. Quod ad res præſentes attinet, illæ poſſunt ſenſibus accipi ex parte. Multa enim rerum præſentium poſſumus ſentire, at non omnia. plurimis enim non admovemur, hæc itaque diſcere debemus teſtimonio alieoo vel ratiocinatione: ſi videam ratas cauſas & effectus, poſſum deinde colligere, hanc cauſam talem habere debere effectum. Cognitio ſenſitiva eſt omnium optima, propterea opera quammaxime danda, ut ipſi ſemper experiamur ſtatum noſtris ſenſibus, quod tamen ſemper non licet. Si non, debemus ad teſtimonium humanum nos recipere. Debemus habere fidas aliorum relationes, quæ vel ſunt orales vel ſcriptæ, ad utrumque genus eſt attendendum. Ergo ſi fieri poſſit, ut cum magnis & prudentibus viris familiaritas poſſit intercedere, debemus exquirere, quid pertineat ad hanc vel illam rempublicam: hi enim multa adferre poſſuot, quæ ſcriptis alias non committuntur. Felix ille, qui rempublicam adminiſtrare cupit & incidat in notitiam magnorum virorum, nam ſi ille noverit, quid ex illis quærere debeat, multum iode proficiet. Quæ itaque accepimus, a nobis debent ootari, vel firmiter memoriæ imprimi, melius tamen eſt notare, cum facile alias memoria excidant. Alterum eſt, ut recurramus ad monumenta ſcripta, ergo quælibetcuoque moouımenta ſunt colligenda. Mirum enim, quam multum chartæ illæ, quæ viles videri poſſent, aliquem juvare poſſint: ſunt profecto magno uſui, & propterea illæ chartæ de rebuspublicis noo negligendæ & regerendæ. Legendæ autem inprimis ſunt hiſtoriæ accurata cum cura, quod longe rectius poſthac a vobis fiet, ſiquidem intellexeritis, quid ad alicujus reipublicæ notitiam requiratur. Autor enim oon poſſum non eſſe, ut conficiatis vobis adverſaria, inque iis *omnia notetis.* (b) Dicam vero quomodo: curet quis compingi ein oder zwey Buch Papier, rudi quidem forma, nur zuſammen geheſſtet, deinde capiat einen bogen & in primam paginam inſcribat, *regnum Daniæ*, altera pagina notet: *regnum Hiſpaniæ*, & ita porro. Notet, quæcunque vel in lectione vel narratione etiam occurrunt, ſic brevi tempore ſibi ingentem comparabit theſaurum. Ubi compleverit unam paginam, inſerat & incipiat alteram, non autem eſt neceſſum, ut quis ordinem obſervet, nam non ſpero, vos primo anno illa editura in lucem: ſunt tantum pro memoria. In margioe notet uno vel altero verbo, quod ibi notaverit. Ad hunc modum ego admodum adoleſcens mea adverſaria inſtitui, & alios id etiam docui, qui deinde magnas mihi egêre gratias, & novi ego, qui hoc modo ſibi compararunt ingentem & mirandam omnium rerumpublicarum cognitionem. Quo autem cognitio alicujus reipublicæ magis eſt neceſſaria, eo major etiam illius eſt cura habenda. Initio quidem illa videntur eſſe rudia, ſed opus eſt diligentia & accurata lectione, tum poterit ſibi omnium rerumpublicarum cognitionem inſignem comparare, credite mihi experto, & aliis viris doctiſſimis.

Jam dicam de libris in genere, qui ad cognitionem rerumpublicarum quam maxime poſſunt eſſe utiles. Quemadmodum Ariſtoteles non dubitavit ſcribere de omnibus rebuspublicis, ita noſtro tempore ioventi ſunt, qui tantum opus fuêre adgreſſi, interim diverſimode. Alii faſſi ſunt, ſe non deſcribere integram rempublicam, ſed tantum partem aliquam. Noviſtis autem ex ſuperioribus, ad reipublicæ notitiam requiri cogoitiooem chorographicam, ergo & vos ante

Henrici mortem vaticinium illud finxiſſe. Quo haud dubie PASQVIERIVS inductus, qui Henrico tragicam ſuam mortem a Cardano prædictam dicit. Similis furfuris ſunt Noſtradami aliorumque vaticinia. Notari meretur ſequens STEPHANI JODELLI in NOSTRADAMVM programma:

Noſtra damus, cum falſa damus, nam fallere noſtrum eſt;
Et cum falſa damus, nonniſi noſtra damus.

Miror Morhofium Noſtradamianæ arti aliquid tribuiſſe ob ſequentes verſus, qui memoratum Gallum autorem habent:

En gran cite, qui n' a pain, qu' a demi
Encore un couple ſaint Barthelemi.

Nam talia ſunt verba, ut ad multa alia etiam, quæ in Gallia acciderunt, trahi poſſint, quam ad reformatorum lanienam, qua Henrici IV. nuptiæ Lutetianæ famoſiores factæ ſunt.

(a) *fides hiſtoriarum*) De hoc argumento exſtat: EISENHARTI *tractatus*, in quo tamen multa deſiderantur. Adde STRVVII *diſſ. de pyrrhoniſmo hiſtorico*. In hiſtoria nec nimis creduli nec increduli ſimus. vide, quæ BODINVS *de recto hiſtor. judicio* ſcripſit.

(b) *omnia notetis.*) Hanc excerpendi rationem ad ſingularis induſtriæ ſpecimen refert CASPAR. SAGITTARIVS in eleganti libello *de variis excerpendi modis cap.* 13. §. 19. ubi verba Conringii integra adſcripſit.

ante omnia debetis eſſe inſtructi libris quibusdam geographicis, & inpoſterum cum fructu me audire non poteſtis, niſi inſtructa Geographia quadam, hinc rurſus non poſſum vobis non denuo commendare Geographiam *Cluverii*, (a) cujus tabulas ſeorſim impingi curabitis, id quod & ego feci. Igitur quædam monumenta faciunt ad notitiam omnium rerumpublicarum, quædam autem ad hujus tantum vel illius reipublicæ. Poſterioris generis jam quidem non tangam, ſed ea laudabo in examine uniuscujusque reipublicæ, jam autem commemorabo tantum illa, quæ quodammodo ad omnium rerumpublicarum notitiam poſſunt eſſe adjumento.

Jamtum vero audiviſtis, ad omnium rerumpublicarum notitiam comparandam cumprimis facere libros geographicos, ea ſaltim parte, qua docent ſitum regionum, & quæ hujus ſunt generis. Quidam libri geographici ſolent præterea etiam diſſerere de omnibus populis, & præter ſitum regionum etiam multa alia continent. Fuit hoc in uſu apud veteres. Habemus enim ex veteri ævo geographiam magni geographi STRABONIS, quæ propter ſitum etiam regionis multa alia inſperſit. Et licet etiam in hoc libro reperire deſcriptionem omnium rerumpublicarum ſuo tempore maxime celebrium. Superſunt tamen etiam ex veteri ævo libri geographici, qui tale quid non tradunt, qualis eſt geographia PTOLOMAEI, quæ a Straboniana toto cœlo differt. Nam jamtum apud veteres diſcrimen aliquod tradendi geographiam eſt obſervatum: tradi enim poteſt geographia mathematice, quem modum ſecutus eſt Ptolomæus, vel hiſtorice, quem modum Strabo ſecutus eſt. Oſtendi autem ego in præfatione editionis nuperæ *Cluverianæ* (b) tractationem geographicam mathematicam eſſe vere geographicam, & hinc ipſum Strabonem excuſare non poſſum, qui hac in parte modum exceſſiſſe videtur: omnia tamen, quæ habet, ſatis ſunt præclara. Interim & ARISTOTELIS tempore in uſu fuiſſe, talia in libris geographicis tradere, monet ipſe *lib. 1 rhetor.* cum dicit, ea, quæ ad ſtatum populi faciunt, peti debere ex itinerariis. Ita in Atlante tam majore, quam minore plura reperiuntur, quæ ad ſtatum cujuslibet populi in ſingulis rebuspublicis pertinent. Porro fuère noſtro ævo quidam, qui de omnibus rebuspublicis univerſi terrarum orbis ſunt commentati, quemadmodum etiam Ariſtoteles fecerat ſuo ævo. Inter hos primo loco occurrunt duo Itali. Alter eſt FRANCISCVS SANSOVINVS, qui de rebuspublicis univerſi orbis librum ſcripſit, & quidem ſermone italico, hic liber autem *nondum in latinum* (c) eſt verſus, ideo, ut ego quidem exiſtimo, quia illum longe ſuperavit JOHANNES BOTERVS, natione etiam italus, qui itidem de rebuspublicis univerſi orbis ſcripſit. Opus hoc Boteri quamvis mole ſit exiguum, eſt tamen peregregium. Minime autem tradit plenam omnium rerumpublicarum notitiam, tradit tamen perquam egregia & docta. Scripſit & hic italice, verſus tamen eſt ejus liber una cum eleganti ejus geographia in ſermonem germanicum, deinde etiam in *latinum*, (d) quem vobis poteſtis comparare. Prodiit non ſemel in Germania etiam Lubecæ, ridiculo quidem titulo, tali ſcilicet: *Amphitheatridium*, quod poſſit dici theatrum. Ridicule, cur enim, ſi poſſit dici theatrum, ei hoc nomen non impoſuerunt, prodiit & alias. Deinde nonnemo italus ante annos 60. præterpropter cœpit colligere varias relationes, & diſſertationes *de præcipuis orbis terrarum rebuspublicis*, quæ ſunt editæ primum Mediolani, & quidem italice, ſunt autem non unius, ſed variorum auctorum. Obiter hic quidem noto, quod respublica Veneta prudenter inſtituit, ut legati ſui, qui in aulis principum, vel in aliis rebuspublicis degunt, deſcribant ſtatum illius reipublicæ, & quidem quoad fieri poteſt, accurate easque deſcriptiones tenentur mittere Senatui Veneto. Ita crediderim, nusquam terrarum tantum reperiri theſaurum, quo ſibi quis poſſit rerumpublicarum omnium notitiam comparare, quam Venetiis: reperiuntur enim ibi relationes de omnibus rebuspublicis, quibus ſubnixus Senatus Venetus, notitiam poteſt habere totius orbis rerumpublicarum & accuratam quidem, quamvis Veneti raro peregrinentur & in alias regiones excurrant. Senatus Veneti exemplum ſecuti ſunt hac in parte quidam romani pontifices, qui idem ſuis mandarunt legatis. Solent quidem tales relationes plerumque haberi in arcano, interdum tamen etiam venire ſolent in aliorum manus. Ex talibus autem relationibus congeſtum eſt opus ante memoratum. Verſum eſt hoc opus in latinum ſermonem & editum aliquoties, diverſis tamen titulis. Primo latine editum eſt a CASPARO ENS, ſub titulo: *Theſauri politici tomis tribus Coloniæ.* Et vero plane idem cum italico. Deinde prodiit idem opus ſub titulo variarum diſſertationum, & editum eſt a NICOLAO BELLO. Mutavit hic ſaltim ordinem, quem Caſparus Ens ſervaverat, & quasdam interdum adjunxit, quasdam vero rejecit, quæ tamen ibi habentur, inveniuntur etiam totidem verbis apud Caſparum Ens. Porro idem opus & italice & latine prodiit curante quodam, qui ſe appellavit *Philippum Honorium.* (e) Prodiit initio in 4to, pleraque autem pauciſſimis exceptis & habentur apud Ens & apud

(a) *Cluverii* De hoc & aliis geographis recentioribus vid. Dni. REIMMANNI *hiſtor. liter. part. 3. cont. lib. II. ſect. III. p.* 390. ſeqq.

(b) Præfatio iſta Tomo ultimo operum Conringii inſerta reperitur ſub *epiſtolis ſparſim editis, nunc uno volumine collectis.*

(c) *nondum in latinum*) Si recte memini, jam in latinum translatus eſt ſermonem. Exſtat quoque *Chappuys deſcription des royaumes & republiques du monde anciennes & modernes.* De recentioribus hujus argumenti ſcriptoribus agit Dn. PFEFFINGER in notis ad VITRIARII *prooemium.*

(d) *latinum*) Latina verſio debetur GVILIELM. DV BRAYS & continuatio alteri italo. *Biblioth. Fabriciana* p. 196.

(e) *Philippum Honorium*) Hic eſt JVLIVS BELLVS, Juſtinopolitanus, Cardinalis Dietrichſteinii in Moravia ſecretarius, uti monent BOSIVS *de comparanda prudentia civili*

apud Bellum. Quapropter hi tres libri ejuſdem plane ſunt argumenti, titulis ſolummodo differunt. Interim horum trium nemo quidquam ſcripſit, ſed tantum verterunt. Poſt hos ſcriptores Gallus quidam anonymus grande opus edidit de omnibus rebuspublicis totius orbis, quod deinde in latinum ſermonem verſum eſt, editumque Francoſurti ſub titulo *Archontologiæ Coſmicæ*, (a) non quidem eſt opus contemnendum, at profecto non æquat laudem Boteri vel diſſertationum politicarum, habet tamen multa egregia, & multum juvare poteſt. Eſt in folio. Verſum etiam deinde eſt in ſermonem germanicum. Autor Gallus nomen noluit præfigere, niſi tantum literis initialibus, hinc verum ejus nomen me latet. Poſt hos in Batavis idem quid nonnulli conati ſunt. Auctores enim quidam fuerunt ELZEVIRIIS celebribus illis typographis & bibliopolis, ut ipſi Enchiridion ederent omnium rerumpublicarum, ita factum, ut ab anno 1625. illi in hac ipſa re magnam collocaverint operam.

Notandum autem eſt, omnes illos libros eſſe egregios, & intervallo longo omnes reliquos ſuperare, qui cum his non ſunt comparandi, omnes tamen non eſſe ejuſdem notæ. Præ reliquis mihi ſemper placuerunt,quos edi curavit JOHANNES de LAET,familiariter mihi notus, vir magnæ dignitatis, magnarum opum & valde doctus. Hic e variis ſcriptoribus collegit de rebuspublicis quibuſdam, quæ viſa ſunt præcipua: præſtant autem præ reliquis 1. reſpublica Hiſpaniæ. 2. Galliæ. 3. Angliæ, non quidem primæ, ſed tertiæ editionis. 4. libellus de principatibus Italiæ, ſecundæ editionis. 5. reſpublica Perſiæ & 6. de regno magni Mogulis. Hi debentur omnes Johanni de Laet, & maxime mihi placent. Præter hos elegans eſt libellus de rebuspublicis Helvetiorum JOSIÆ SIMLERI. Fuit hic munere quidem presbyter, at vir magnæ prudentiæ. Laudem quoque meretur maximam libellus de Veneta republica CASPARI CONTARENI, & de eodem argumento liber JANOTTI. Reliqua opuſcula omnia laude ſua non ſunt privanda. Prodierunt etiam nonnullæ reſpublicæ deſcriptæ ex officinis Blavianæ & Mairiana. Ita habemus Moſcoviam ex officina Mairiana; Elzeviriana editio tamen melior eſt. Poſt hos conatus Elzevirianos nonnemo Dantiſcanus idem hoc argumentum eſt adgreſſus libro non magno in 8v. LVCAS DE LINDA. Hujus liber quidem non eſt contemnendus, ſed fuit juvenis, quod etiam quodammodo ex ſtylo eſt cognoſcendum, interim non comparandus cum conatu Elzeviriano. Et hi ſunt, qui noſtro ævo opus hoc ſuere adgreſſi. Poterunt porro ad cognitionem rerumpublicarum noſtri ævi etiam conducere hiſtoriæ illæ, quæ omnium populorum noſtri ævi res geſtas continent. Inter illos unum vobis laudo JACOBVM AVGVSTVM THVANVM, qui non dubitavit conſcribere hiſtoriam univerſi orbis, ſed ſui ævi. Hac occaſione etiam diſſerit de omnibus rebuspublicis totius orbis, & quoties aggreditur narrare aliquam hiſtoriam alicujus populi, præmittit totam illius populi vel reipublicæ hiſtoriam. Fuit Thuanus vir ſane infinitæ lectionis & maximæ prudentiæ, apud quem fere habetis omnia. Quia vero Thuanus ab omnibus haberi non poteſt, habere quis poteſt excerpta illa ſub titulo *Thuani enucleati*, (b) qui hic prodiit, quamvis mallem, alium illi libro eſſe titulum, quis enim poteſt enucleare Thuanum, in quo omnia ſunt quaſi nucleus & nulla putamina. Cumprimis autem prodeſſe poteſt hic liber, & quidem imprimis parte quarta, quæ eſt omnium optima. Qui paria Thuano fecerit, equidem novi neminem. Seorſim nonnulli quædam ad notitiam rerumpublicarum facientia quaſi decerpere conati ſunt. Primum ergo non poſſum non commendare ad ingenium, animum & mores alicujus populi cognoſcendos, opuſculum quidem parvum, attamen valde elegans, *icones animorum* JOHANNIS BARCLAI, ſolet conjungi ſatyrico Euphormionis Luſinini, qui eſt ipſe Barclaius. Deſcripti autem ſunt in hoc libello mores omnium gentium noſtri ævi. Poteſtis vobis illum comparare, nam illius ductum ego poſthac ſequar. Pertinent huc libelli, qui deſcripſerunt varium ſtatum religionis totius orbis. Nam jam notum eſt, quod etiam ad plenam reipublicæ cognitionem religio pertineat. In hoc autem argumento cumprimis tres libri poſſunt eſſe uſui. Primus eſt AVBERTI MIRÆI, qui parvo libello egit de ſtatu religionis per univerſum orbem. Longe autem majori uſui poteſt eſſe EDOARDI BREREWODI Angli liber, editus Francoſurti, dictus *Scrutinium religionum*, quod collegit ex variis optimis ſcriptoribus. Hos longe ſuperat prudentia, doctrina & judicio Anglus item, EDWINVS SANTES, qui anglice ante annos 70. ſcripſit librum de ſtatu religionis per totum orbem. Fuit eques anglus, peregrinatus eſt per Italiam, Galliam & Hiſpaniam, & ad ea,quæ ad religionem pertinent, attendit accuratiſſime. Ex anglico ſermone verſus eſt hic liber in italicum & gallicum, & ante non multos annos in germanicum ſermonem & editus eſt Francoſurti, titulus hujus libri eſt: *Vom Zuſtande der Religionen.* Valuit Santes ingenio, judicio & æquitate moderata animi. Et hi ſunt libri, qui poſſunt ad notitiam ſingularium totius orbis rerumpublicarum maximum adferre uſum.

De

civili §. 75. *p.* 32. & DECKHER *de ſcriptis adeſpotis p.* 314. Verſionem latinam *theſauri politici Lottini legati Veneti in aula cæſarea Francofurti* 1610. editam, Honorio non tanquam interpreti, ſed tanquam auctori adſcribunt HYDE *in catal. biblioth. Bodlei p.* 342. & KöNIG *in biblioth. veteri & nov, p.* 411. de Bello autem uterque ſilet. Vid. PLACCIVM *de ſcriptor. pſeudonymis n.* 1385, *p.* 367.

(a) *Archontologia Coſmica*) Hic liber a Joh. Ludovico Gothefredo ex gallico libro, qui inſcribitur: *les etats empires & royaumes du monde par le Sr. D. T. V. V.* translatus eſt.

(b) *Thuani enucleati*) Hujus auctor eſt GERHARDVS von S[illegible]EN. Thuani de viris doctis judicia ſeorſim ſub ti[illegible]logiorum *Thuaneorum* Lond. 1671. edita ſunt.

Digitized by Google

DE REPVBLICA HISPANICA.

ABſolutis prolegomenis cooſequens jam eſt, ut adgrediamur ſiogulas noſtri ævi respublicas. Faciemus autem initium a regoo *Hiſpaniæ*, (a) duas cumprimis ob cauſas, 1) quia illud regnum inter omnes respublicas latiſſime patet, ita, ut poteotiam ſuam habeat diſperſam per Europæ magnam partem, per Aſiam, Atricam & Americam, & ita in omnibus terrarum orbis partibus. Hac de cauſa non dubitavit Johannes Boterus regoum Hiſpaniæ appellare *rempublicam univerſalem.* (b) Duas eoim dicit univerſales respublicas, regnum Hiſpanicum & deinde Turcicum. 2) Quia ipſa Hiſpaoia in ordine Europæ eſt quaſi prima, ſi ab occidente numerare velis. Antequam autem rempublicam hiſpanicam adgrediamur, notanda primo ſuot varia edita ſcripta, quorum quædam ad hiſtoriam rerum hiſpanicarum, quædam vero ad deſcriptionem ipſius reipublicæ faciuot. Scriptores rerum hiſpanicarum ſunt varii, & quod attinet mediam ætatem, extant varii ſcriptores in unum volumen congeſti, titulo *Hiſpaniæ illuſtratæ*, (c) qui Francofurti apud Moſcheros ſunt editi, non tamen niſi mediæ ætatis hiſtoriam attiogunt, ideo quoque mious vos juvare poſſunt. Habent etiam alias Hiſpani *varios hiſtoricos* (d) ſua lingua conſcriptos, quos ipſi magni faciunt. Inter ſcriptores latinos omnibus, meo quidem judicio, palmam præripit *Johannes Mariana* (e) natione Hiſpaous & Jeſuita. Edidit hic grande opus rerum hiſpanicarum & prodiit Moguntiæ anno 1605. deinde Francofurti plenius nonnihil in 4to. Valuit & eloquentia & prudentia, tum etiam magoa libertate

(a) *Hiſpaniæ*) Si autor regnorum ſitum ſequi voluiſſet, ipſi a Luſitania fuiſſet incipiendum. Sed ex ipſa tractatione cooſtat, eum ordinem plane arbitrarium ſecutum eſſe. Conſtitueramus quidem, primo loco Luſitaniam ponere, ſed cum auctor noſter eam, tanquam acceſſorium Hiſpaniæ quodammodo conſideret, ob illum nexum huic eam ſubiungere quoque conſultum putavimus.

(b) *rempublicam univerſalem*) Quoniam Philippi II. potiſſimum tempore in quavis mundi parte latiſſima Hiſpaniæ ſuberant terrarum ſpacia. Hinc CAMPANELLA *de monarchia hiſpanica c. IV.* dicit, in Hiſpania nunquam noctesceere. Conſ. quoque JOH. DE LAET *de regis Hiſpaniæ regnis & opibus c. VI.*

(c) *Hiſpania illuſtrata*) Scriptorum nonnullos, qui de rebus hiſpanicis latino ſermone commentati ſunt, collegit BELLVS. Pleniorem autem eorum collectionem SCHOTTO ſub titulo: *Hiſpaniæ illuſtratæ*, cujus hic Auctor meminit, debemus. Conſtat opus hoc quatuor tomis, quorum primus ſequentes continet ſcriptores.

I. Hiſpaniæ chorographiam & tabulam *Marii Aretii* ſyracuſani.
II. *Abrahami Ortelii* tabulam vet. & nov. Hiſpaniæ.
III. *Joh. Margarini* Paralipomenon Hiſpaniæ Lib. X.
IV. Roderici Santii hiſtoriæ hiſpanicæ Partes IV.
V. Alfonſi a Cartagena Regum Hiſpan. anacephalæoſin.
VI. *Lucii Marinæi Siculi* de rebus Hiſpaniæ memorabilibus Libros XXII.
VII. *Francisci Taraphæ* de origine ac rebus geſtis regum Hiſpaniæ Libr. I.
IIX. Brevem deſcriptionem rerum a Philippo II. geſtarum.
IX. *Joh. Vaſæi* Hiſpaniæ chronicon.
X. *Laurentii Vallæ* Patricii romani de rebus ſub Ferdinando Arragoniæ rege geſtis Lib. III.
XI. *Aelii Antonii* rerum a Ferdinando II. & Eliſabe geſtarum decades II.
XII. Ej. de bello Navarienſi Lib. II.
XIII. *Alvari Gomecii* de rebus geſtis Franciſci Ximenii AEpi Toletani Lib. VIII.
XIV. Inſcriptiones aliquot Tarraconenſes.
XV. *Damiani a Goes* Hiſpaniam.
XVI. *Michaelis Ritii* de regibus Hiſpan. Lib. III.
XVII. Genealogiam Regum Hiſpaniæ ab orbe condito.

Tom. II.

I. *B. Iſidori Hiſpalenſis* Epiſcopi & B. Ildefonſi de claris præſertim Hiſpaniæ ſcriptoribus atque epiſcopis, cum appendicibus *Felicis, Juliani, Braulionis* & incerti auctoris.
II. *Roderici Ximenii* de rebus Hiſpan. Lib. IX. ej. Oſtrogothorum, Hunnorum ac Vandalorum hiſtoriam ej. Arabum ac Romanorum hiſtoriam.
III. *Petri Pantini Toletani* de dignitatibus atque officiis Gothorum.
IV. *Jo. Mariana* de rebus hiſpanicis Lib. X[illegible]
V. *Alfonſi Garſi Matamori* de academiis & [illegible] Hiſpaniæ ſcriptoribus.
VI. Damiani a Goes vita ej. epiſtola ad Joh. Jac. Fuggerum pro defenſione Hiſpaniæ cum reſponſione Jac. Fuggeri.
VII. L. *Andr. Reſendii* epiſtola hiſt. de aera hiſpanorum.
IIX. Nomenclatura urbium Hiſpaniæ.
IX. *Hier. Pauli* de fluminibus & montibus Hiſpaniæ.
X. *Hier. Blanca*, Regum Arragoniæ Catalogus & vita.
XI. *Ambroſii Moralis* Corduba.
XII. *Caroli Verardi* expugnatio regni Granatæ.
Quibus adjecta ſunt Luſitanica & Indica, nec non Aethiopica.

Tom. III.

I. Indices rerum ab Aragoniæ regibus geſtarum Lib. III.
II. *Gaufredi Malaterræ* rerum geſtarum a Roberto Viſcardo Calabriæ Duce & Rogerio &c. Lib. IV.
III. Alexandri rerum geſtarum a Rogerio Siciliæ rege Lib. IV.
Genealogia Rob. Viſcardi & aliorum Siciliæ regum & *Ptolomæi de Luca* excerpta.
IV. *Bernardini Gomeſii Miedis* de rebus geſtis Jacobi I. Regis Arragonum Lib. XX.
V. *Hier. Blanca* commentarii rerum Aragonenſium.
VI. *Tabula genealogica* regum Aragoniæ & familiæ aragonicæ Lanuzarum & nordmannicorum principum, qui Apuliam, Calabriam & Siciliam rexere: item Gironum familiæ & aliarum quæ ex iis propagatæ Tabulis 37.
VII. Legum Wiſigothorum Codicis Lib. XII.
IIX. *Iſidori Hiſpalenſis* de Gothis Vandalis & Suevis chronicon.
IX. *Procopii Cæſarienſis* rhetoris ex Lib. VIII. hiſtor. locus de Gothorum origine.
Quibus Appendicis loco accedit *Joh. Marianæ* hiſtoriæ hiſpanicæ Lib. XXI. usque ad XXX.

Tom. IV.

I. Lucæ Tudenſis chronicon mundi usque ad æram 1274.
II. Victoris Tunnunenſis chronicon a 18. conſulatu Theodoſii junioris usque chriſti 563.
III. Johannis Biclarenſis chronicon ab initio regni Juſtini.
IV. Idacii chronographia.
V. Eulogii opera & vita
VI. Ludov. Nonii Hiſpania.

(d) *varios hiſtoricos*) De ſcriptoribus hiſpanicis præter ANTONII *bibliothecam hiſpanicam*, Catalogi biblioth. *Thuanea, Bultelliana, Carljoniana, Duboiſiana, Heinſiana, Marcelliana, Oizeliana &c.* conſulendi.

(e) *Johannes Mariana*) Caſtiliano quoque idiomate Marianæ opus, ipſo autore 1608. prodiit. Latine primum Toleti 1595. *in fol. XXV. libr.* deinde Moguntiæ 1605. *in* 4to *XXX. libr.* a gentis origine usque *ad ann.* 1516. pertingentibus, editum eſt, & jam in Schotti collectiooe conſpicitur. Animadverſiones in Marianæ hiſtoriam hiſpanice conſcripſit PETRVS MANTVANVS, cui ſe in eadem lingua oppoſuit THOMAS TAMAIO DE VARGAS. In additiones autem hujus hiſtoriæ M. COHON DE TRVEL animadverſiones caſtiliano ſermone conſignavit.

bertate & ſentiendi & loquendi, ideoque in ipſos ſuos reges quandoque eſt mordaciſſimus. Fuit ſuperſtitioſiſſimus Jeſuita, quo nomine etiam inter ſuos male audit. Tanta inſuper fuit ejus audacia, ut ediderit etiam libellum *de morbis ſuæ ſocietatis*. Libellus hic a Jeſuitis, qui non facile morbos ſuos detegi patiuntur, ſolet ſupprimi, in Germania itaque nusquam venalis reperitur, editus eſt in media Rnma. Nunquam ego ipſe hunc impetrare potui libellum, ex eo tamen habeo varia excerpta. Extat & alius ejus libellus valde famoſus *de inſtitutione regis*, in quo habet præclara multa, & de artibus regis Hiſpaoiæ varia non dubitat in medium libere quidem proferre: ioſcripſit hunc librum Philippo III. regi Hiſpaniæ. Dixi eſſe famoſum libellum propterea, quia aperte dicit, ſi rex legitimus a pontifice fulmine anathematis percutiatur, vel ut vulgo loquuntur, excommunicetur, ſi quidem noonihil devius ſit a ſeotentiis romanæ eccleſiæ, licere in illum animadvertere, & quidem gladio, igne, &c. Ea tamen voluit eſſe pietate, ut dixerit, ſibi æquum non videri, ſi veneno interficiatur, quaſi vero! Diſſenſum ſuum fateri hac in re coacti ſunt Jeſuitæ, quamvis revera omnium hæc eorum ſit ſententia, peſſime propterea hic liber audiit, & manu etiam carnificis combuſtus eſt Pariſiis. Non dubitavit qunque hic Johannes Mariana ſceleſtum illum ſicarium, qui optimum regem Henricum III. non quidem hæreticum, ſed etiam ſuperſtitioſe pontificium ſica interfecit, inter Sanctos referre. Et propterea eſt valde famoſus. Eſt in forma 8v. Quod attinet ipſius reipublicæ hiſpanicæ ſcriptores, primo loco laudo *Johannem Boterum*, (a) cujus extat relatio ſeu diſſertatio *de republica hiſpanica*. Obiter autem noto, nimis eum dediſſe adfectui ſuo in regem Hiſpaniæ, ſcripta vero hæc relatio anno ſuperioris ſeculi nonageſimo, quo tempore erat rex difficilimo bello implicatus cum Belgis, & vires regni ſunt valde attritæ, ingentem quoque jacturam ſuarum rerum fecerat Philippus: omnia hæc mala ſilentio præterit, & vix uno verbo tangit, quod eſt indicio, nimis illum affectibus iodulſiſſe. Extat hæc *relatio* (b) inter Boteri diſſertationes, inſerta etiam eſt *theſauro politico*, quem dixi nuper, ter eſſe editum. Deſideret autem merito quis, relationem Boteri eſſe inſertam libro Caſpari Entis item Nic. Belli & Phil. Honorii, diſſimulato tamen ſemper nomine Boteri. Et hoc propterea moneo, ſi poſthac in hos libros incidatis, ut poſſitis eſſe certi de hujus relationis auctore, nam qui non legit Boterum, ille, quæ hujus ſint, non novit, contuli tamen ego exemplaria. Eſt autem diſſertatio XVII. tom. I. in Nic. Bello. Extat & alias in opere N. Belli alia relatio de republica hiſpanica & eſt tom. I. diſſert. XII. lectu digna. Auctorem autem ejus neſcio, videtur fuiſſe legatus reipublicæ Venetæ. Habetur etiam egregia diſſertatio de origine potentiæ reipublicæ hiſpanicæ apud THVANVM *lib.* 1. & *in Thuano enucleato parte IV.* Vellem etiam, in manibus veſtris eſſe libellum THOMÆ CAMPANELLÆ *de monarchia hiſpanica*, ideo, quia illo libro monachus hic, homn portentoſi & ſtupendi ingenii, conatus fuit docere rationem, quomodo reſpublica Hiſpaniæ poſſit potiri *monarchia totius* (c) orbis. Inveniuntur & in hoc libro multa, quæ faciunt ad rempublicam hiſpanicam, & differit de omnibus rebuspublicis univerſi orbis. Factum autem fuit, ut, cum rex ſibi metueret ab hoc Campanella, ne quid moliretur in regno Neapolitano, in quo vivebat, curaverit illum in carcerem compingi & duriſſime haberi, in quo degit ultra XXV. annos. Interdictus ei fuit omnis uſus chartæ & atramenti, habuit tamen ante cancellos carceris ſuos auditores, quibus varia memoriter ad calamum dictavit, & inter alia etiam hunc dictavit librum, rogatus præcipue a nobili quodam auſtriaco, qui ſpem illi fecerat, ſe illum e carcere liberaturum. Aliquoties fuit equuleo tortus, quia erat accuſatus, quaſi motus eſſet facturus in regno Neapolitano imbellis hic monachus. Memini adhuc, libellum inter arcanos theſauros fuiſſe relatum. Scriptus eſt italice, verſus deinde eſt in germanicam linguam, & quantum judicare poſſum, a Chriſtophoro Beſoldo ex germanico deinde prodiit latina ejus verſio. Appendix, quæ illi annectitur, ingenium Beſoldi redolere videtur. Videbitis autem in hoc libello cum multa præclara, tum multa etiam inepta, ut fieri ſolet, nimis enim magni hujus hominis fuere conatus. In illis libris, qui omnium rerumpublicarum deſcriptionem tradiderunt, reperietis etiam multa de republica hiſpanica, etiam in Archontologia Coſmica. Omnes autem conatus ſuperat libellus JOHANNIS DE LAET anno hujus ſeculi XXIX. magna induſtria conceptus, adeo, ut ego pauca quidem in hoc deſiderem, deinceps tamen nonnulla illuſtrabn. Jam rem ipſam B. C. D. aggrediemur.

Plena reipublicæ alicujus cognitio, ut jam notum, conſiſtit in cognitione quatuor cauſarum. Agendum igitur primo de cauſa materiali, ad quam pertinent ea, quæ faciunt ad populum

(a) *Johannem Boterum*) Natales hic Pedemonto loco Beneſio debuit, egregie ſtudiis imbutus Emanuelis Sabaudiæ ducis filiorum juventutem rexit, ac poſtea abbas St. Michaelis factus.

(b) *relatio*) Relationes ejus univerſales Venetiis 1600. ex Bibliotheca Erneſti Sonerii editæ ſunt. Quanquam earum aliæ extent editiones, utpote anno 1596. 1620. 1640. 1665. 1667.

(c) *monarchia totius*) Hoc monacho directo conſtitutum fuiſſe, alibi mihi dubium viſum, quoniam paſſim demonſtrat, gentes quasdam ab Hiſpanis vinci non poſſe, videturq; Hiſpanis dediſſe non tam conſilia nova occupandi, quam, quæ habebant, tuendi & terrarum ſibi ſubjectarum vitia corrigendi. Ceterum librum de monarchia hiſpanica non, antequam ex carcere liberatus ſub Richelii protectione fuerit, ſcripſiſſe, docet GVNDLING *de temperamento Hiſpanor. in otiis c.* 1. p. 44. ubi tradit, exemplar ejus manuſcriptum Francofurti in bibliotheca Dn. ZVM JVNGEN reperiri, conjicitque, ab exemplaribus typis impreſſis illud differre.

populum ipſum, & propterea, quæ facioot ad illam regionem, in qua populus vivit. Diſſeram itaque jam aote omnia de regione, io quantum pertinet ad genus cauſæ materialis. Obſervandum eſt, rempublicam hiſpanicam *latiſſime patere*, (a) ſeorſim igitur de regionibus eſt diſſerendum. Pertinet enim huc Hiſpania tota, excepto regno Portugalliæ, quod ante 200. annos ab Hiſpania deſcivit, de quo ſeorſim agam. Diſſerendum 1. de Hiſpania. Pertinent huc *Majorica & Minorica* (b) inſulæ Baleares, totum præterea regnum *Neapolitanum*, (c) ducatus magous Mediolanenſis & arces quædam io Hetruria, pertinet ad Hiſpaniam tota Sicilia, in Belgio etiam magna pars: olim quidem integræ XVII. provinciæ belgicæ adeo floruerunt, ut potuerint etiam provocare florentiſſima quæque regna univerſæ Europæ. Septem autem provinciæ ſe aſſeruerunt io libertatem, Ideoque de his fœderatis provinciis ſeorſim agam. Porro magna pars io America pertinet ad Hiſpaniam. Quænam vero pertioeant, hæc dicam infra. Pertinent ad Hiſpaniam ioſulæ *Philippinæ* (d) in mari pacifico. Ante non multos annos cum regno Luſitaniæ ſive Portugalliæ magnam partem Africæ & Aſiæ imperio ſuo tenuit rex Hiſpanorum, ſed hodie longe alia rerum eſt facies. Interim & nonnulla hodie tenet in Africa, & inſulas quasdam fortunatas, quæ pertinent ad regoum Caſtellæ. Adeo late pateot regiones, quæ hactenus ſunt ſub regno Hiſpaniæ. Agam jam primo de regno Hiſpaniæ, ejusque ſtatum explicabo, deinde agam de reliquis, quæ huc pertinent, deoique de modo regimiois. Notandum autem eſt, Hiſpaniam olim diviſam in citeriorem & ulteriorem. Citerior Romanis dicta fuit illa pars Hiſpaniæ, quæ pro termino habet Iberum amnem, ſic autem dicta, quia Romanis erat finitima, erat enim proxima Galliæ. Dicta etiam alias Hiſpania Tarraconenſis, ab urbe Tarracone, colonia nobiliſſima, quam duxit ipſe Scipio. Hodie ad hanc Hiſpaniam Tarraconenſem pertinet Catalooia, Arragonia & Navarra. Hiſpania ulterior eſt longe major, quæ & olim a Romanis in duas partes fuit diviſa, io Boeticam & Luſitanicam. Boetica illa dicta, quæ ſita ad mare mediterraneum & herculeum, & oomen habet ab amne Boeti. Ambas has in provincias redegerunt *Romani*, (e) Cantabria demum acceſſit Auguſto imperatore. Hodie eſt diviſa in varias proviocias ſeu potius regna: nam in Hiſpania olim poſt tempora Romanorum plurima fuerunt regna, quæ poſtea cœperuot uniri variis de cauſis, ita ut avorum memoria quinque fuerint regna. 1. Regnum Caſtellæ, quod omnium ampliſſimum. 2. Arragoniæ. 3. Portugalliæ. 4. Navarræ & 5. regnum Legionis. De his egregie egit ante laudatus Johao. Mariana *lib. I. cap. IV.* Tandem hæc quinque regna *in unum coaluerunt*, (f) ita quidem ut Carolus V. ſub imperio ſuo tenuerit quatuor illa regna, Caſtellæ, Legionis, Arragoniæ & Navarræ. Ejus filius

(a) *latiſſime patere*) Vid. CHIFFLETIVM *in vind. hiſpan. c. XIV. p.* 225. ſeqq.

(b) *majorca & minorica*) Quomodo Baleares inſulæ, quarum una, a magnitudine haud dubie, Majorca, altera Minorca dicitur, per Arragoniæ regem ab Afris recuperatæ ſint, docet MARIANA *lib. XII. c. XI. tom. II. Hiſpan. illuſtrata* p. 576. Non procul ab his Yvica eſt, quæ cum Formentera Pityuſicarum inſularum numero venit.

(c) *Neapolitanum*) Ferdinandus Catholicus rebus neapolitanis, Carolo VIII. Galliæ rege hoc regnum expugnante, ſe immiſcebat. Cumque deinde Ferdinandus II, ejectis Gallis, ad patrium reverſus ſolium vitam poneret, Ferdinandus Catholicus, Gallis in ſocietatem aſſumtis, regnum occupavit, ſpreto Friderico ob illegitimorum natalium in patre maculam. Sed Ferdinandi aſtutia, ut aliqui volunt, & Conſalvi virtute militari prudentiaque, ſua parte Gallis mox iterum exutis, Neapolitanum regnum ſolis Hiſpanis parere cœpit. vid. MARIAN. *lib. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX.* paſſique ſunt Galli, ut tota penes eos maneret, cum Philippus, Iſabella mortua, Germanam Foxiam Ludovici XII. conſanguineam anno 1505. ſibi matrimonio jungeret. Pactis autem dotalibus, quibus etiam prætenſio, ſit venia verbo, quædam Foxiorum in regnum Navarræ ad Ferdinandum tranſibat, hæc dicta fuit lex, fore ut regnum Neapolitanum ad Gallos perveniret, ſi Germana vidua nullam enixa prolem ſupremum obiret diem. *diſcours hiſtorique par Amelot de la* HOVSSAIE *p.* 70

(d) *Philippinæ*) Hisce adde inſulas Latronicas & Salomonæas. In Africa nihil reliquum, quam Ceuta, irritis hactenus Afrorum obſidionibus notabilis. Quod de munitiſſimi hujus natura & opere loci conſervatione Hiſpanus tantopere ſit ſolicitus, hæ potiſſimum mihi videntur eſſe rationes, ut utroque, quod freto Gaditano adjacet, clauſtro potiatur, quanquam alterutrum, Gibraltarum nempe, ex pace Trajecti ad Rhenum facta, obſidio Hiſpanorum inproſpero nuper tentatum, una cum inſula Minorca Anglorum ſit; deinde ut hoc propugnaculo Afri eo magis ab irruptionibus in Hiſpaniam avertantur. Oranum & Melila, ſi recte memini, a Mauris ſunt recuperata. Quod ad inſulas, quæ Africam reſpiciunt, attinet, Canariæ in Hiſpanorum obſequio ſunt.

(e) *Romani*) Quæ ante Romanos exteræ gentes Hiſpaniæ partibus potitæ ſunt, recenſentur a VASÆO *in chr. hiſpan. c. X. & XII.* STRABONE *Geograph. lib. III. & XXVII.* DIOD. SICVL. *lib. VI.* FRANCISCO TARAPHA p. 527. LIVIO *decad. III.* JVSTINO *lib.* 44. JOAN. GERVNDA *lib. II. & X.* OROSIO *lib. VI.* MARIANA *lib. III.* De gentibus Septentrionalibus, ut Vandalis, Silingis, Suevis, Gothis, Romanis Hiſpanicas extorquentibus provincias confer. IDATII *chron. hiſpan. p.* 23. SANT. *p.* 1. *c. VII.* RODER. TOLET. *in hiſtor. Alan. Vand.* &c. L. M. SICVL. *lib. VI. rer. hiſpan.* MARIAN. *lib. V.* SIDONIVS APOLLIN. *lib. VII.* SAVEDRÆ *corona Gothica.* Quomodo Afri per Hiſpaniam, Roderici ſtupro Cuevæ illato impreſſioni occaſionem præbente, dominati ſint, tradunt RODERICVS SANTIVS *part. II. c.* 37. ALPHONSVS a CARTHAG. *Anacephal. c.* 44.

(f) *in unum coaluerunt*) Pelagius ex veterum Gothorum regum, ut ferebatur, ſtirpe oriundus, ex Aſturiæ, Biſcajæ & Galliciæ, quo ſe Gothorum receperant reliquiæ, latibulis Afros invadens, Mauris magna clade affectis, Legionenſi regno originem dedit. ALPHONS. a CARTH. *l. c. c.* 45. VILLADIEGVS *tom. I. biblioth. hiſpan. c.* 7. RODERICVS SANTIVS *part. I. c. II.* MARIANA *lib. VII. c.* 3. Hoc deinde alia oppreſſis paſſim Mauris chriſtianorum in Hiſpania exceperunt regna. vid. PVFFENDORFII *introduct. in hiſtor.* & ſcriptores, qui in SCHOTTI *collectione* continentur. Omnia denique, Granada expugnata, per Iſabellæ & Ferdinandi Catholici matrimonium ſunt conjuncta. MAR. *L.* 23. Conſtituunt autem hodie Hiſpaniam XIV. provinciæ, quas Hiſpani regna vocant, Caſtella nova, Caſtella vetus, Legio, Extremadura, Andaluſia, Granada, Murtia, Valentia, Gallicia, Aſturia, Biſcaja, Navarra, Arragonia, Catalonia.

filius Philippus I. adjecit regnum *Luſitaniæ* (a) ſive Portugalliæ, qui rerum univerſæ Hiſpaniæ fuit potitus, quale quod contigerat intra mille annos. Hodie iterum eſt diviſa, licet adhuc bellum geratur inter Hiſpanos & Luſitanos. De diviſione & unione horum regnorum dicam alias.

Quod ſitum Hiſpaniæ attinet, parum abeſt, quin tota ſit inſula quædam, niſi ea parte, qua mons Pyrenæus cohæret cum terra continente Galliæ. Cingitur itaque mari & quidem *non uno.* (b) Pars ſeptentrionalis cingitur oceano Cantabrico: dictus ſcilicet a provincia Cantabria, appellatur alias die Spaniſche See. A parte occidentali eſt oceanus Portugallicus, deinde a parte Auſtrali ex parte habet oceanum usque ad fretum Herculeum, dictum alias fretum Gaditanum ſive Gibraltar, Gaditanum ab inſula Gadana, Gibraltar a potenti urbe: vulgo vocatur die Straſſe, & Belgarum nautæ, qui iſtic iter faciunt, vocantur dee Straetſahrers, quia per hoc fretum intrant in mare. Qua parte Hiſpania annectitur Galliæ, cingitur *Pyrenæo*, (c) qui ejusdem magnitudinis cum alpicis montibus. Hinc pedeſtri itinere non poteſt adiri niſi duobus in locis, circa Cataloniam & circa regnum Navarræ, alias non, quia mons hic plane eſt invius, & nullus exercitus in Hiſpaniam penetrare poteſt; & quidem circa Baionam & Jean de Luz, qui locus eſt notus, quia nuper ibi convenere rex Hiſpaniæ & *Galliæ.* (d) Datur ergo difficillimus aditus in Hiſpaniam, in Cataloniam autem facilior: hinc etiam olim exercitus Gallici in Cataloniam primo irruperunt. Dixi, Hiſpaniam pene eſſe inſulam, quod notandum, ut ſciatis, quid ſentiendum ſit de cuſtodia regionis, quæ & maxime pertinet ad cognitionem reipublicæ. Cum autem Hiſpania ſit peninſula, & non facile ita adiri poſſit, hinc patet, Hiſpaniam terra ſic ſatis eſſe cuſtoditam, & mari etiam cuſtodiri, ſolosque Gallos terra, circa montes ſcilicet Pyrenæos, illam adire poſſe, qua in parte longe eſt felicior noſtra Germania. Primo notandum, quod ea parte, qua annectitur Galliæ, uno tantum loco exercitus ex Gallia in Hiſpaniam poſſit tranſire, in regnum ſcilicet Cataloniæ, in Navarram autem difficillime: viciſſim non poteſt ex Hiſpania in Galliam exercitus tranſire, niſi per Cataloniam. Olim Hannibal nonniſi hac via migravit in Galliam, ex hac vero in Italiam; montes enim Pyrenæi adeo excelſi ſunt, ut ne unus quidem hos aſcendere poſſit. Videtur etiam hoc iter munimentis impediri poſſe, & certe ſi Hiſpanus rebus ſuis provideret, nec internis diſſidiis Hiſpania laboraret, milite non multo tranſitus omnis impediri poſſet, & Gallia nihil contra Hiſpaniam poſſet. Ita porro ſita eſt Hiſpania, ut maritimos hoſtiles appulſus non multum poſſit metuere, quia in Hiſpania rari ſunt *fluvii magni:* (e) igitur nonniſi paucis in locis per fluvios hoſtis penetrare poteſt in mediam Hiſpaniam. Porro fluviorum magnorum oſtia plerumque obſidentur magnis urbibus, ita ut hoſti non facile incurſus pateat. Similiter littora Hiſpaniæ tenentur multis urbibus, quod itidem facit ad cuſtodiam regionis. Hac de cauſa, quamvis inter Turcam, Belgas, Anglos & Hiſpanos uno tempore fuerit bellum, non tamen irruptionem inſignem potuerunt in Hiſpaniam facere. Habeo ego conſilium de oppugnanda per claſſem Hiſpania, quod eſt excuſum in Belgio. Homo quidem non fuit imperitus, viſum tamen mihi hoc conſilium ridiculum, quoniam Hiſpania a claſſe ſibi non multum poteſt metuere, ob cauſas jam adductas. Qua parte piraticam facere ſolent Africani, exſtructas habet Hiſpania multas arces & ſpeculas, ex quibus, ſi navis quædam inſignis in mari naviget, ſtatim illud indicari poteſt, ut homines ſibi ab ea caveant. Quia autem Hiſpania multos habet portus, claſſis Hiſpanica facile poteſt in alias terras irruptionem facere: habet enim faciles excurſus, nec tamen eſt, quod nobis multum metuamus a claſſe Hiſpanica, quod apparebit infra alias ob cauſas. Poteſt claſſis Hiſpanica undique excurrere, per mare mediterraneum in Africam, per reliquum oceanum in omnes terræ plagas. Notandum etiam eſt circa fines Hiſpaniæ, quod ſit apta ad res tam importandas quam exportandas. Eſt autem inter maximas deliberationes de republica & hæc de exportandis & importandis. Dico iam, Hiſpaniam eſſe aptam ad importanda & exportanda propter multitudinem portuum, ubi poſſint excipi & iterum extrudi naves.

Portus autem maxime hodie in uſu ſunt ſequentes: in parte ſeptentrionali portus urbis

S. Se-

(a) *Luſitania*) Vid. HIERONYM. CONESTAGGIVS *de Portugallia & Caſtilia conjunctione tom. II. Hiſpan. illuſtr.* HERERA *hiſtoria general del mondo parte II. lib. IX.* ANTON. VASCONCELLI *anacephalæoſ. p.* 345 ſqq. Philippo IV. regnante Portugallia Johannem de Braganza ſibi regem conſtituens, Hiſpanico obſequio valedixit & Gallorum opera potiſſimum adjuta, ut ſeparatum & independens plane ab Hiſpania eſſet regnum, Anglo conciliatore, per pacem, anno 1668. ſub immatura Caroli II. ætate concluſam, obtinuit. NANI *dell' hiſtoria Veneta lib. VIII. p.* 355. 373. 463. 464.

(b) *non uno*) Hinc rerum periti colligunt, tribus Hiſpanis opus eſſe claſſibus, niſi dixeris, quartam Americam requirere. Putat auctor noſter, Hiſpaniam ob rationes ab eo adductas, non multum a claſſe hoſtili metuere poſſe. vide BOTERVM *de regno Hiſpaniæ* p. 170.

(c) *Pyrenæo*) *relation du voyage d' Eſpagne lettre II.* MARIANA *de reb. Hiſpan. lib. I. p* 222. LEODIVS *in vita Friderici II. p.* 26. PAVL. BARCINON. *de montibus fluminibusque Hiſpan. tom. II. ſcr. Hiſp. p.* 834. ſeqq.

(d) *Galliæ.*) Conventus hic anno 1660. celebratus eſt. *Hiſtoire de Louis XIV. par* RIENCOVRT *tom. I. p.* 311.

(e) *fluvii magni*) Vid. HIERONYM. PAVLVS BARCINON. *l. c.* Singulare eſt, quod fluvii majores in Hiſpania, ut Tagus, Durius, Minhius, Bætis, Anas, Iberus non ſint navigabiles. *relation du voyage d' Eſpagne p. 3. lettre* 14. p. 188. JOANN. DE LAET p. 77. *edit. Elzevirian.*

S. Sebaſtian (a) celeberrimus prope Bajonnam. Deinde in Biſcaja eſt *Bilbao* (b) celebris quoque portus, ab Hamburgenſibus & Lubecenſibus cumprimis frequentatus. In Gallicia portus *Coronna* (c) magni nominis, cujus ſæpiſſime in oovellis fit mentio, & appulit ibidem nuper gaza Hiſpaoica, & ibi etiam quam maxime reparatur claſſis Hiſpanorum, quia illa Hiſpaniæ pars apta eſt ſtruendis navibus, reliquæ partes non ita. De portubus Portugalliæ jam non dicam. Io Andaluſia ſeu circa ſinum Gaditanum ſunt tres portus celebres. 1) portus urbis S. Lucar, ſitæ ad fluminis nobiliſſimi oſtium Baetis, hodie Guadalquivir, voce arabica; (eſt eoim Hiſpania referta vocibus arabicis, qua de cauſa, dicam ioſra) Sita eſt ad eundem fluvium urbs *Sevilia*, (d) olim dicta Hiſpalis, unde tota Hiſpania nomen ſortita eſt, emporium nobiliſſimum, & ditiſſima omnium urbium Hiſpanicarum. 2) Portus Gades olim dictus, hodie *Cadiz* (e) io inſula quadam, famam accepit a Carthaginenſibus, qui ibi habebaot ſtationem ſuarum navium & mercaturam ibidem exercebant, ut eraot celeberrimi mercatores, 3) circa ſretum Gaditaoum, urbs & portus nobilis *Gibraltar*. (f) Fretum Herculeum eſt ſere ita ut ſretum Danieum, paulo tameo dilatius, ideoque oon poſſuot ibi naves detioeri, ut in freto Danico. Ex altera parte io Africa eſt urbs *Tanger*, (g) clauſtrum Africæ. Succedit portus & civitas *Malaga*, (h) quæ ante aliquot ſeptimanas ingentem jacturam per diluvium aliquod fecerat. Sequitur in Murcia portus *Cartagena* (i) hodie, olim Carthago nova conoita a Carthagineoſibus, portus tamen mious celebris. In Valentia eſt portus *Alicante* (k) hæc eſt illa urbs, quæ nobis dat Alicanteo Wein, & maxime ibi inſtituitur commercium vini. Eſt etiam ibi ad flumen Iberum portus *Tortoſa* (l) ad urbem Tortoſæ celeberrimæ, quia ibi merces poſſuot per Iberum eo traduci & viciſſim per transverſum fluvium in regnum Arragoniæ. Poſtremo notandus ibi portus *Tarragonæ*: (m) hujus portus urbs non ita quidem commerciis eſt nobilis, eſt tamen magoa, Catalooia, Hiſpaoicarum provinciarum fertiliſſima, habetur portum *Barcelona* (n) magni oomiois. *Roſes* (o) itidem eſt portus celebris & ab Italis frequeotatur maxime. Urbs *Perpignan* (p) etiam portu oobilis, ubi maxime Galli Narbonenſes & Itali commercia inſtituot. Et hi ſuot portus Hispaniæ maxime præ aliis celebres. Videndum jam, quibus vel abundet, vel egeat Hiſpania, nam ſuper his tota ratio importandorum, & exportandorum conſtituitur.

Notaodum autem, fieri poſſe, ut regio aliqua abundet rebus duplici modo 1) naturæ beneficio 2) aliunde importatis. Attendendum igitur eſt cumprimis in regione aliqua, quæ in ea abundent & deſint beneficio & vitio naturæ. Hiſpania multis rebus abundat, oon naturæ beneficio, ſed plurima ex America io Hiſpaniam advehuntor. Ita ex novellis accepimus, magnam vim argenti ae mercium aliarum advectam eſſe Hamburgum & in Belgium ex Hiſpania, quæ utique Hiſpaoia noo genuerat, ſed allata eraot ex America. Dicam primo de iis, quæ Hiſpaoia debet naturæ beneficio vel vitio. Notandum autem, ſolum Hiſpaniæ diverſimode ſeſe habere, alibi eoim eſt lætiſſima ſoli Hiſpanici facies, alibi ſunt ſterilia omnia, ut non multum poſſis laudare. Porro Hiſpaniæ plaga ſeptentrionalis longe aliter eſt cooſtituta, quam reliquæ tres plagæ

(a) *S, Sebaſtian*) *Relation du voyage d' Eſpagne* p. 31. Eſt hic in provincia, quam Guipuſcoam dicunt.

(b) *Bilbao*) *l. c.* Hollandi navium ſocietatem, quam claſſem Flaviobrigenſem dicunt, eo commercii cauſa mittunt. In hac provincia adhuc ſunt portus S. Andreæ, Laredi, portus Paſſagius, *ſ. le Paſſage.* Regio, quæ hæc continet loca, Cantabria dicebatur, unde & reliquum eſt nomen Cantabrici, quod mari littora illa alluenti inditum eſt.

(c) *Coronna*) Galliciæ urbs, cujus portum commodo ſitu paucos æquare dicunt. Portus Vigos, deletis ibi anno 1702. Gallicis navibus bellicis, Hiſpanicas naves argento Americano oneratas conducentibus, famam aliquam nactus eſt.

(d) *Sevilia*) Cujus clavem ſinum S. Luciferi (St. Lucar) dicunt. Opibus & elegantia Sevilia excellit.

(e) *Cadiz*) Gaditanus merito inter celeberrimos orbis portus eſt referendus. Quæ Angli in eum A. 1625. & fœdere contra Ludovicum XIV. nepotemque ejus Philippum V. juncti An. 1702. moliti ſunt, proſpero caruerunt eventu. RVSHWORTHS *hiſtorical collections vol.* I. p. 126. *Vita Caroli III.* p. 769. ſeqq. Conf. JOH. DE LAET *deſcr. Hiſpan.* p. 33.

(f) *Gibraltar*) Olim hic locus ſub Heracleæ nomine notus fuit. Situs eſt ad radices Calpe montis, qui alterutram columnarum Herculis conſtituit. HVBNERI *geogr. cap.* 4. §. 15. Hic mons fere totus mari ambitur. JOH DE LAET p. 33. Quam ſit munita Gibaraltaria, non ſolum ex nupera ejus obſidione, quæ male Hiſpanis ceſſit, ſed & ex illa, qua Galli Hiſpanique eam in vanum cinxerunt, ex quo a ſocia claſſe occupata ipſique præſidiarius Anglorum miles immiſſus fuit, videre eſt.

(g) *Tanger*) Tingis ist. Luſitanorum olim fuit. Cum Carolus II. principem Portugallicam uxorem duceret, dotis partem locus hic conſtituit. Septus deinde aut magis firmatus eſt ab Anglis munitionibus, quas ob nimium ſumtuum copiam demoliti ſunt, locumque dereliquerunt.

(h) *Malaga*) In Granatenſi provincia hic ſitus eſt portus.

(i) *Carthagena*) Portus ad mare mediterraneum hodie percelebris eſt.

(k) *Alicante*) Alone caſtrum, quod portum tuetur, belli quoque mala, cum inter Carolum III. & Philippum V. de Hiſpanica contenderetur monarchia, expertum eſt.

(l) *Tortoſa*) Et in bello Ultrajectinam antecedente pacem a belli incommodis non una vice hæc Cataloniæ afflicta eſt urbs. Eſt quoque Villa Vitioſa Aſturiæ urbs, ad quam ancipiti in nupero bello pugnatum eſt fortuna, portu memorabilis.

(m) *Tarragona*) Hæc civitas olim omnium Hiſpanicarum celeberrima fuit. Romani ibi ſuas appellere ſolebant naves.

(n) *Barcelona*) Hæc civitas ob fidem in cæſarem noſtrum ſummas promeretur laudes. Non una vice in Gallorum fuit manibus, ſed ab eorum poteſtate aut vi aut pactionibus eſt liberata.

(o) *Roſes*) Rhoda urbs a Gallis Hiſpaniæ per Ryſwicenſem eſt reſtituta pacem. Præter portum munitiſſima arce nobilitatur.

(p) *Perpignan*) Perpinianum, comitatus Ruſcinonenſis metropolin, cum omnibus aliis comitatus & Cerdaniæ locis Carolus VIII. Galliæ rex Ferdinando Catholico, nullo accepto ære reſtituit. A patre ejus Joanne Arragonio, Ludovico XI. trecentis uncialium millibus terræ illæ fuerunt oppignoratæ. Redditionis cauſam nonnulli fuiſſe ſuſpicantur, quo ſecurius in regnum Neapolitanum impetus fieri poſſet. GVICCIARD. *Lib. I. H. 7. Diſcours hiſtorique d' Amelot de la Houſſaie* p. 47. ſeqq. Omnia tamen ad Gallum pace Pyrenæa reverſa ſunt.

plagæ. Addam hic quædam ex JOHANNE MARIANA. *l.* 1. *c.* 1. ubi docet, omnium rerum abundare Hiſpaniam, Præconium autem alias videtur nimis benignum, & poſtea ipſe Mariana ita differit, ut facile appareat, illum initio nobis verba dediſſe. Dicit enim poſtea: *Soli multiplex & varia eſt natura, alibi multa ſunt arbores, alibi nullæ, rari ſæpe fontes, magna pars ſqualida ſiccitate* (a) *rupesque & ſaxa horrida eam tenent &c. Mediterranea non habet piſces* &c, *niſi per æſtatem aliquando ariditate & inopia pluviæ laboraret* (fit hoc fere ſemper) *rebus omnibus abundaret, & omnes alias regiones vinceret* &c. Breviter ita habete, mediterranea Hiſpaniæ non eſt inſtructa pecore, ligno, frumento, & omni fere inopiâ *laborat*, (b) igitur inde nihil poteſt efferri, ſed omnia curribus debent advehi. Maritima autem pleraque habent agrum fœcundum, & rebus omnibus abundant. In media Hiſpania nullus bos, nulla vacca reperitur. Eſt autem regnum Caſtiliæ ſitum in media Hiſpania. Paſcuntur ibi tantum oves & capræ, ideoque lana Hiſpanica eſt omnium optima, quia oves in locis ſiccis paſcuntur. Poteſtis hæc etiam petere ex Hub. Thomæ Leodio, qui deſcripſit vitam Friderici II. electoris Palatini variaque ejus itinera; cum autem ſæpe etiam in Hiſpaniam ſit profectus Fridericus, hac occaſione deſcripſit quoque Hiſpaniam, imprimis mediterraneam. Jucunda eſt hiſtoria *lib. VI. annalium Leodii*, (c) ubi palam fit, qualis ibi ſit omnium rerum inopia. Narrat autem, ſe nihil butyri reperire

(a) *ſqualida ſiccitate*) Vid. LANSIUM *in orat. contra Hiſpan.* p. 360. ſeqq.

(b) *laborat*) LEODIUS *de vita Friderici II. Palatini lib. II.* p. 27.

(c) *annalium Leodii*) Verba ejus ſunt hæc: *Tum vehemens autem erat æſtus, ut nobis fere omnibus edendi appetitum adimeret, et ſine intermiſſione bibere cogeret. Quare varie excogitans princeps, quo comedendi revocaret deſiderium, interrogat hoſpitem, num venale reperiretur butyrum. Cum annuiſſet et reperiri ſatis, dixiſſet, converſus ad me, ecce inquit, tu negas, in Hiſpania butyrum inveniri. Vade et eme, quantum uni mulæ ferendæ ſit ſatis, et ut quotidie habeam ova frixa, cura. Sequor hominem, ille me ad aromatarium ducit, ſciſcitor de butyro, ſibi mediocrem eſſe copiam, et quantum habere velim, interrogat. Reſpondeo ducentas vel trecentas libras. Admirabundus quaerit in quem uſum? in coquinam, inquam ego. Atqui, inquit, tota Caſtilia non ſuppeditaret tantum, in Extremaduram tibi foret eundum, ubi ſunt boum armenta. In his terris nihil herbarum creſcit, & ab illis emimus pro emplaſtris ad ulcera conficiendis, alias nullus nobis eſt butyri uſus, & ſimul protulit capellæ veſicam, axungia potius quam butyro plenam, et ibi omne ſuum eſſe butyrum dicit. Quod ego ridens cum principi retuliſſem, in maximos converſus eſt cachinnos. Propterea ego hac retuli, ut ſciatur, in mediterraneis Hiſpaniarum nihil herbarum creſcere & arida omnia eſſe, vixque tellurem capris & ovibus pabula præbere, quorum ut & lignorum magna eſt inopia* &c. Quæ de butyro LEODIUS narrat, Gomarræ, eleganti Cardinalis Toletani oppido, acciderunt. Miſerrime autem ſe diverſoria in Hiſpania habent. Audiamus de his loquentem Leodium: *adeo tamen*, inquit, *inhoſpitalis eſt Hiſpania, niſi hac omnia tecum feras* (ad rem culinariam neceſſaria) *lactucis ſolis, quae non ubique reperiuntur, veſcendum ſit. Dum in hoſpitium divertes, quod unum qualibet civitas ſaltem habere cogitur, invenis arietis cornu parieti annexum, ad quod jumentum tuum religas. Deinde tibi dicitur, ſi quidquam aliud petas, vade ad forum. Quod ſi roges, ut vel famula vel famulus tibi accommodetur, ut pro te eat, te remuneraturum, mox audies vadas tu ipſe, opus habeo famulitio meo: neque eſt, quod avenam, paleas aut fœnum petas. His caret Hiſpania, hordeum emere poteris & equo tuo dare, terram pro ſtrato boni conſulet, tibi vero pro lecto vel culcitra, mattam a vicino, pretio impetrabis.* Cum [illegible] fere coincidunt, quæ in *Comteſſe* D' AUNOY *relation du voyage d' Eſpagne part. p.* 110. ſeqq. reperiuntur. *Mais il faut bien vous dire*, inquit, *comme l' on eſt dans les hotelleries, & comptez qu' elles ſont toutes ſemblables. Lorsqu' on y arrive fort las & fort fatigue, roti par les ardeurs du Soleil, ou gelé par les neiges (car il n' y a guere de temperament entre ces deux extremitez) l' on n' y trouve ni pot au feu, ni plats lavez; l' on entre dans l' ecurie & de la l' on monte en haut. Cette ecurie eſt d' ordinaire pleine de mulets & de muletiers, qui ſe font des lits des bats de leurs mulets pendant la nuit, & le jour ils leur ſervent de tables. Ils mangent de bonne amitie avec leurs mulets, & fraterniſent beaucoup enſemble.*

L' eſcallier, par ou l' on monte, eſt fort etroit, & reſſemble a une mechante echelle. La Senora de la caſa vous reçoit en robe detrouſſee & en manches abbatues: elle a le tems de prendre ſes habits du Dimanche, pendant que l' on deſcend de la littiere, & elle n' y manque jamais; car elles ſont toutes pauvres & glorieuſes. L' on vous fait entrer dans une chambre, dont les murailles ſont aſſez blanches, couvertes de mille petits tableaux de devotion fort mal faits, les lits ſont ſans rideaux, les couvertures de coton a houpes paſſablement propres, les draps grands comme des ſerviettes, & les ſerviettes comme de petits mouchoirs de poche, encore faut il etre dans une groſſe ville, pour en trouver trois ou quatre, car ailleurs il n' y a qu' une taſſe dans toute la maiſon, & ſi les muletiers la tiennent les premiers, ce qui arrive toujours, ſ' ils le veulent (car on les ſert avec plus de reſpect, que ceux qu' ils conduiſent) il faut attendre patiemment, qu' elle ne leur ſoit plus neceſſaire, ou boir dans une cruche. Il eſt impoſſible de ſe chauffer au feu des cuiſines ſans etouffer, elles n' ont point de cheminees. Il en eſt de même dans toutes les maiſons, que l' on trouve ſur la route. On fait un trou au haut du plancher, & la fumée ſort par là. Le feu eſt

rire potuiſſe io tota Caſtilia &c. Videatur pluribus dicta hiſtoria apud dictum auctorem. De ſitu etiam Hiſpaniæ pluribus aget Joh. *de Laet* (a) *libello de republ. Hiſp. c.* 2.

Ad vitam in ſocietate civili commode degendam, multa requiruotur: ante omoia igitur, ſi vis rempublicam beatam condere, eam debes inſtituere omnium rerum abundantia; ſi in talibus deficit, minus erit ſelix. Videndum igitur, qua parte aliqua reſpublica ſit felix, ſi qua re careat, videndum, num aliunde res illa poſſit comparari, quod ſi fieri nequeat, tum tota reſpublica eſt inſelix. Hiſpanica terra non eſt unius ejus modi: ſi veteres quidem ſcriptores evolvamus, illi ita loquuntur, quaſi Hiſpania omnibus rebus abundet, adeoque nmnibus partibus ſit felicifſima. Antequam deſeram, quæ adduxi de ſterilitate Hiſpaniæ, adducam lectu & obſervatu dignam hiſtoriam ex Leodii *lib. VI.* ubi Leodius dicit, ſe eum Friderico II. non procul a regno Granatæ circa fluvium Aoam, incidiſſe in *ventam* aliquam (ita vocant Hiſpani ædes, a regibus io magois deſertis exſtructas, in quibus ſæpiſſime oullus reperitur homn, ut ibi peregrinantes a cœli injuriis & tempeſtatibus, noctu prælertim ſint immunes) ubi invenerit hominem, qui ei porrexerit vinum frigidiſſimum, (ſed frigidſſum ita factum in foſſa ſerpeotibus & colubribus pleoa: ea enim eſt natura ſerpentum, ut omoia, quæ tangunt, reddant frigidiſſima) & comederit inſcius carnem aſioinam pro ſerina. Legat & quis *Nicolai Clenardi* epiſtolas, poſt editionem Antverpienſem Francofurti etiam ſeorſim *editas*, (b) revera quidem in huoc finem editas, ut ægre fieret Hiſpanis, orbique innoteſceret, qualis eſſet Hiſpania, adeo autem hæ epiſtolæ lectu ſunt jucundæ, ut nemo eas abſque riſu legere poſſit. Hæc de Hiſpaniæ meditullio.

Maritima Hiſpania longe aliter ſe habet, ut Biſcaja, Gallicia, Aodaluzia, Granada, Valentia, Eſtremaduga, Catalooia, Murcia. Habet nonnulla, quæ huc faciunt Barelajus in icone animorum, ex quo nonnulla produxit *Jo. de Laet* (c) Tota Hiſpania olim de fertilitate fuit decaotata, ſed revera mediterranea Hiſpania nunquam aliter ſe habuit, quam hodie ſe habet. Notum autem eſt, hominibus ex terra ſuggeri varia. Quædam naſcuntur in interraneis locis, quædam vero in terræ ſuperficie. Loci interranei ſubminiſtrant metalla. His tempore Romanorum abundavit Hiſpania, ita ut nulla terra metallis *ditior fuerit*, (d) quam Hiſpania, & maxime ob metallorum abundantiam a veteribus

eſt au milieu de la cuiſine. L' on met ce que l' on veut faire rotir ſur des tuilles par terre; & quand cela eſt bien grille d' un cote, on le tourne de l' autre. Lorsque c' eſt de la groſſe viande, on l' attache au bout d' une corde ſuſpendue ſur le feu, & puis on la fait tourner avec la main; de ſorte que la fumée la rend ſi noire, qu' on a peine ſeulement de la regarder.

Je ne croi pas qu' on puiſſe mieux repreſenter l' enfer, qu' en repreſentant ces ſortes de cuiſines, & les gens que l' on trouve dedans; car ſans compter cette fumee horrible, qui aveugle & ſuffoque, ils ſont une douzaine d' hommes & autant de femmes, plus noirs que des diables, puants & ſales comme des cochons, & vetus comme des Gueux. Il y en a toujours quelqu' un qui racle impudemment une mechante guitarre, & qui chante comme un chat enroüé. Les femmes ſont toutes echevelées, on les prendroit pour des Baccantes. Elles ont des coliers de verre, dont les grains ſont auſſi gros que des noix; ils font cinquo ſix tours a leurs col & ſervent a cacher la plus vilaine peau du monde.

Ils ſont tous plus voleurs que des Chouettes, & ils ne s' empreſſent a vous ſervit que pour vous prendre quelque choſe, quoi que ce ſoit, ne fut ce qu' une epingle, elle eſt priſe de bonne guerre, quand on la prend a un Francois. Avant toutes choſes, la Maitreſſe de la maiſon vous amene ſes petits enſans, qui ſont nuds tête au coeur de l' hyver, n' euſſent ils qu' un jour. Elle leur fait toucher vos habits, elle leur enfrotte les yeux, les jolies, la gorge, & les mains. Il ſemble, que l' on eſt devenu Relique, & que l' on guerit de tous maux. Ces ceremonies achevees, l' on vous demande ſi vous voulez manger; & fut-il minuit il faut envoyer a la boucherie, au marche, au cabaret chez le boulanger, enfin de tous les cotez de la ville, pour aſſembler dequoi faire un tres mechant repas. Car encore que le mouton y ſoit fort tendre, leur maniere de le frire avec de l' huile boüillante n' accommode pas tout le monde; c' eſt que le beurre y eſt tres rare. Les Perdrix rouges s' y trouvent en quantité & fort groſſes, elles ſont un peu ſeches, & a cette ſccheresſe naturelle, l' on y en ajoute une autre, qui eſt bien pire; je veux dire, que pour les rotir, on les reduit en charbon.

(a) *de Laet*) Poſtquam Hiſpaniæ præconia explicuit, p. 74. 75. addit: *Soli multiplex & varia natura, alibi multa arbor, alibi arboribus nudi montes agrique rari ſæpe fontes, pingue ſolum cum vigeſimo trigeſimoque ſæpe efficit, nonnunquam octogeſimum excedit, ſed rara ea felicitas agrorum eſt. Quae mitiora ſunt frugibus, frumentoque ſerviunt cætera pabula pecorum. Magnam Hiſpaniæ partem ſqualida ſiccitate loca rupes horrida (nonnulla ea injuria eſt) qua certe parte ad ſeptentrionem vergitur, auſtralia benigniora ſunt, eximiaque felicitate conſpicua.*

(b) *editas*) *In Gallia velis nolis pecuniam profundes, in Hiſpania ſi velis maxime, non poteris.* CLENARD. *lib. I.* p. 23. Igitur difficillime admodum crede la Cerda, ubique in Hiſp. Elyſios campos inveſtiri.

(c) *Joh. de Laet*) p. 77. ſeqq.

(d) *ditior fuerit*) Olim Hiſpaniam auri & argenti fodinis abundaſſe, docet ARISTOT. de *mirabil. auſcultat. p.* 879. *edit. Aurel. Allobrog.* DIOD. SICVL. *lib. V. biblioth. p.* 247. STRABO *lib. III.* BOCHARDVS *lib. I. Chanc. c.* 34. Dubito valde, quin eorum ex vero aliquid habeat opinio, qui credunt, auri argentique fodinas, poſtquam Americani aſſerri cœperint theſauri, a regibus aperiri prohibitas. Quis enim crederet, in tanta nummorum penuria, quæ ſæpe Hiſpaniam afflixit, per venarum aperturam reges ſuæ noluiſſe conſulere indigentiæ. Noſtro ævo fama percrebuit, Hiſpanos ad ſerutanda metalla in natali ſolo redire velle. Potius Puffendorfii ſequendam putarem ſententiam, venas illas penitus eviſceratas & exhauſtas eſſe.

Digitized by Google

bus ſcriptoribus laudatur. Romani enim tantum auri & argenti nacti ſunt in Hiſpania, quantum nullibi terrarum, ita ut Romanis Hiſpania talis fuerit, qualis Hiſpanis hodie eſt America. Eruta autem ſunt metalla præſertim ex montibus Aſturiæ. Tagus fluvius tum auro inclaruit & dictus eſt aurifer, qui cum arena aurum ferret. Longe hodie alia eſt ratio: nam non memini, me legere ullam memorabilem argenti, multo minus auri fodinam in tota Hiſpania reperiri, niſi quod Boterus narret, ſun tempore fuiſſe in Hiſpania argenti fodinam, quæ tamen paucos annos duraverit, hodie nulla ibi reperitur, neque argenti neque auri fodina; neque tamen dixerim, defeciſſe hac in parte naturam rerum, ſed potius quia nemo metalla inquirit. Lege præterea vetitum eſt, ne quis ſcrutaretur auri vel argenti venas, & hoc prudenter eſt inſtitutum: quamdiu enim ſufficiunt venæ Americanæ, non eſt opus, ut homines in Hiſpanica metalla ſcrutentur, ideoque puto, poſſe Hiſpaniam aliquando divitias ſuggerere. Ferri fodinæ celebres ſunt, imprimis in *Cantabria* (a) & Biſcaja ſive Vaſconia ferrum eſt optimum, ibique parantur & ad nos deferuntur die Spaniſchen Klingen, optimæ notæ gladii. Cantabria præſertim ſuggerit vim ferri magnam, in aliis quidem locis etiam reperiuntur ferri fodinæ, ſed hæ non ſunt celebres. Non autem in tanta copia ferrum reperitur, ut in alias terras deportari queat, igitur inter ea, quæ exportantur, Hiſpania nnn poteſt numerare ferrum. Minium & argentum vivum ad nos inde defertur: ubi enim eſt minium, ibi quoque eſt argentum vivum: interim nnn copioſe evehitur, quia ejus non adeo magnus ēſt uſus. Habet quoque Hiſpania plumbi affatim, ſed non plus, quam requiritur ipſis ad proprium uſum. Habet & ſtannum, ſed parum, inde cogitur importato ſtanno uti: argentum & aurum importantur, item & æs. Magno lucro Sveciæ coepit æs vehi in Hiſpaniam, nam hodie utitur Hiſpania maxime æneis nummis ex Svecico ære, cum tantum non habeat æris, quantum ſufficit ad nummos cudendos. Num vero prudenter æneis nummis utantur Hiſpani, dicam infra. Pertinet huc etiam *ſal*. (b) Portugallia abundat ſale foſſili, ſed de Portugallia jam non dicam. Habet Hiſpania ſalem circa Inſulam Gades, & effoditur ibi magna vis, ut etiam non ſolum Hiſpaniæ ſufficiat, ſed etiam alio deferatur & quidem in Belgium. Deinde Hiſpania habet ſatis marmoris & lapidum; non tamen iis abundat ita, ut alio devehi poſſit. Hæc de interraneis.

Quæ in terræ naſcuntur ſuperficie, ad vitam humanam maxime requiruntur, fruges ſeu frumentum: jam vero ſi legamus antiquos ſcriptores, dixerimus, Hiſpaniam abundare frugibus. Et hoc dicit Juſtinus, & ex eo *Nonnius*. (c) Certum autem eſt, totam mediterraneam Hiſpaniam non *ferre fruges*, (d) quantum ſufficit ad victum. Maritima vero, imprimis Boetica videtur ſatis eſſe pinguis & ſufficere toti Hiſpaniæ. Hodie non habet tantum tritici Hiſpania, quantum requiritur ad victum, et ſecale omne infertur in Hiſpaniam. Cujus rei videtur cauſa eſſe, quod non ea induſtria colatur ager, qua debebat, aut olim factum eſt, itaque fruges videntur deficere non vitio ſoli, ſed vitio culturæ. Cur autem ſic conjiciam, facit, quod meminerim, me legere, ante 100. præter propter annos, cum Belgium magna annonæ caritate laboraret, magnam frumenti copiam advectam eſſe ex Hiſpania, ita ut caritati pellendæ ſufficeret; poſt illa tempora autem nunquam iterum evectum quidquam eſt. Exiſtimo ergo recte omnium dixiſſe: æque ac priſcis ſeculis in omni genere frugum eſt Hiſpania fœcunda, ſed deeſt induſtria. Duplici autem de cauſa ager in Hiſpania negligentius tractari ſolet, quia is 1) eſt ſtultiſſimus faſtus Hiſpanorum, ut quemadmodum opificia exercere, infra ſuam magnificentiam habent, ita agris etiam ingemere, *indignum* (e) putant. 2) Quia majus lucrum ſe percipere poſſe putant e *re militari*, (f) ſi tranſeant

in

(a) *Cantabria*) Sed lameæ ex cantabrica chalybe æque, ac panni ex Caſtiliana lana in aliis fabricantur & texuntur territoriis. Hiſpani enim maximam partem ab opificiis abhorrent, unde multi Gallorum ſub aliarum gentium nominibus, cum Gallicum nomen Hiſpanis olim in odio fuerit, opificia & artificia ibi curabant. Videntur tamen & hi in Hiſpanorum tandem concedere gradus, & nonniſi lento gradu in opere procedere, nec illorum acceſſus opificum defectum reſarcire potuit. Sic matrimonium inter Ludovicum XIV. & Infantem Hiſpanicam ſtatuto tempore compleri non potuit, quoniam veſtimenta aliique apparatus ſolennitatibus illis deſtinata, abſolvi non potuerunt. *Mais je m' aperçu*, ſunt verba Cardinalis Mazarinii in epiſt. ad Tellerium, quæ in volum. 29. p. 216. eſt, *que la veritable raiſon etoit, que leurs livrées & les autres preparatifs neceſſaires pour une telle action ne pouvoient pas être achevez ſi tôt, parcequ' il me dit, qu' on ne feroit pas a Madrit en deux mois ceqū on faiſoit en quenze jours a Paris, ou l' on trouvoit tant d' ouvriers — j' ai appris depuis, que c' eſt la veritable cauſe de ce retardement Don Antonio Pimentel me l' ayant avoue confidemment par ordre de Dom Louis, qui vint l' autre jour me viſiter ici. Il me dit entre autres choſes, que, quand le Roy d' Eſpagne voudroit donner une million d' or d' avantage, il ne pourroit pas avancer les preparatifs de quatre jours; que les grand Seigneurs, qui les devoient accompagner neceſſairement, en vertu des charges, qu' ils ont dans maiſon, avoient eté contraints de depecher a Naples et a Milan, pour faire leurs habits et leurs livrees.* LANSIUS *orat. contra Hiſpaniam p.* 367.

(b) *ſal*) De exportandis ex Hiſpania agit PUFFEND. *introd. in hiſtor. part. I. p.* 127.

(c) *Nonnius.*) LANSII *oratio pro Hiſpania p.* 109.

(d) *ferre fruges*) *Il croit peu de bled dans la Caſtille, on en fait venir de Sicile, de France & de Flandres. Et comment en viendroit il, a moins que la terre n' en voulut produire d' elle meme comme dans le pays de promiſſion. Lettr.* 14. p. 190.

(e) *indignum*) *Les eſpagnols ſont trop pareſſeux, pour ſe donner la peine de la cultiver, & comme le moindre paiſan eſt perſuadé, qu' il eſt hidalgo, c' eſt a dire gentil homme;* &c. *Relation du Voyage d' Eſpagne l. c.*

(f) *re militari*) Sed Hiſpani hodierni a ſago abhorrere, ſeque potius togæ mancipare dicuntur. *La guerre eſt un metier*, inquit auctor diſſertationis de Hiſpanorum moribus, *ou ils ſont fort peu enclins, & meme ils le mepriſent, l' on voit ſur tout fort peu de perſonnes de*

qualité

in Indiam & Americam, (a) ibi enim ad divitias facilem dari aditum, putant. Videtur addi poſſe tertia cauſa, paucitas ſcilicet hominum in Hiſpania, quæ tanta eſt, ut pauci ſuperſint, qui agrum colere poſſint: unde autem ſit illa paucitas, dicam poſtea. Hiſpaniæ enim incolæ hodie atteruntur multis tributis: hinc qui alias agrum vellent colere, inde fugere malunt. Notandum etiam, ex quo tempore Hiſpania agrum colere deſiit, perpetuo laboraſſe annonæ caritate, & hoc aliter fieri non poteſt, quia illud frumentum, quod advehitur, admodum care venire ſolet. Hoc ipſum cedit magno lucro Hamburgi, Lubecæ, Dantiſci, & univerſæ Poloniæ, urbiumque Anſeaticarum: utitur enim Hiſpania frumento ab his importato. Hinc adeo magnas ſibi inde collegeruot divitias urbes illæ, præſertim tum temporis, ubi Hiſpania cum Batavis bellum gereret, tum enim Belgæ eo non poterant frumentum inferre. Hodie paulo aliter ſeſe res habet. Nam Belgæ potiſſimam partem lucrum illud, quod ceperant urbes ante nominatæ, intercipiunt. Laboratum autem eſt in Hiſpania de remedio aliquo, agrum colendi, & emendanda hominum paucitate, & propterea illud promulgatum eſt anno hujus ſeculi XXII, cujus capita recenſet Joh. de Laet c. 4. Remedium hoc alias examinabo, utrum aptum fuerit his malis emendandis. Notandum præterea, in Hiſpania non naſci *avenam*, (b) hordeum quidem naſcitur optimum in maritima Hiſpania, ideo equi Hiſpanici hordeo magis veſcuntur quam avena, qua vel plane non, vel certe importata veſcuntur: legumina non habet Hiſpaoia. Fabæ tamen in magna copia invehuntur; uam ſcio, ex ſola mea patria ultra 50. naves fabis tantum repletis, mitti quotannis in Hiſpaniam, quæ ibi hominibus in victum cedunt. Boetica ſuggerit *vinum*, (c) ficus, *citreaque quoque mala* (d) in magna copia. Ea enim copia ibi *naſcitur vinum*, (e) ut in varias terras deportari poſſit. Varia autem ſunt vina illa Hiſpa.

qualité l' embraſſer, croyant, qu' il' eſt plus convenable a leur gravité de demeurer oiſifs a Madrit, d' ou ils ne ſortent quaſi jamais, que d' aller a l' armée. du moins s' ils y vont quelque fois, c' eſt toujours aux depens du Roy d' Eſpagne, autrement ils ne ſervent point. de la vient, que les Eſpagnols ne font auſſi jamais des grandes fortunes par les armes & le poſte le plus haut, ou ils parviennent, ordinairement c' eſt ſeulement etre maitre de camp. Ils aiment beaucoup mieux ſe jetter dans les poſtes de la robbe ou de la plume. Quanquam hæc nimis ab homine Gallo aucta crediderim: otio tamen nobiles illos addictiſſimos eſſe, & ex ſatyra, quam Ducis de Alba Gallica in aula Legati ſecretarius Michael Cervantes conſcripſit, eique nomen *don Quixote* indidit, conſtat; inquit enim: *los ratos, que eſtava ocioſo (que eran los mas del anno) ſe dova a leer libros de Cavallerias.*

(a) *in Indiam & Americam*) Sed nummis quibusdam conglomeratis, in Hiſpaniam redire, & ibi privati, ſi ſunt ex procerum numero, quam in America, aut aliis terris, quæ olim ſub Hiſpania erant, regia quaſi cum auctoritate vivere malunt. *Diverſes obſervations ſur les maximes des eſpagnols* p. 127.

(b) *avenam*) *On n' y voit point d' avoine, le foin y eſt rare & les mules mangent de l' orge avec de la paille hachée.*

(c) *Vinum*) *Relation du voyage d' Eſpagne lettre* 14. p. 190. De vinis, quæ Hiſpanica fert tellus, ſequentia LVCIVS MARINEVS SICVLVS *de reb. Hiſpan. lib. I.* apud SCHOTTVM *in Hiſpania illuſtrata* p. 296 tradit: *Hujus enim venti (Favonii) flatu prægnans Hiſpaniæ tellus non ſolum fruges luxuriatas, ſed omne quoque leguminum genus, & optima vina foecundiſſime praebet. Cæterum etſi vino tota ſatis abundat Hiſpania, pauca tamen quæ præcipua ſunt, & ab odore, colore & guſtu maxime probantur, a locis, ubi largiſſime leguntur, nominabo. Legitur itaque vini albi optimique maxima copia apud oppidum nomine Sancti Martini vallis eccleſiæ, & in oppido Matrigali, item in Guadalcano oppido Bæticæ provinciæ, in quo etiam rubeum legitur quam optimum. Vinum præterea Tarraconenſe ab antiquis ſcriptoribus fuit maxime commendatum. In Ribadavia apud Callecos, & in oppido Caparico Portugalliæ, in Ocania quoque & Tepes, bona leguntur. In quibus & Lucanum in Bætica, ſi non primum, ſecundum tamen obtinet locum. Sed inter candida vina, quod in oppido Olivari legitur, non eſt ſilentia dignum, ſed memorabile. Rubeum vero, quod in Hiſpania plurimum legitur, quod in oppido, quod Arenas appellant, funditur cæteris multo melius habetur. Poſt hoc autem in regione Toletana fere tota, maxima eſt vini copia, & præcipue in Scalona, Mantua Carpentana, quod oppidum Madrit appellant, in Xetapho, Pinto, Valdemoro, Caſaruvio, Turrilacona, ſed hoc copia magis, quam bonitate laudabile. Quibus præterea vinum oppidi, quod vulgo Santorquatium dicitur, minime cedit. Sunt & in aliis civitatibus & oppidis, in Tauro ſcilicet Cantalpino & Cantalapetra, vina quæ magno habentur in pretio. Salmanticenſe quoque vinum eſt ſuaviſſimum, apud puteum præſertim, quem Amarillum vocant.* Sed audiamus quæ de vino Hiſpanico COMES (Comteſſe) D' AVNOY *dans le voyage d' Eſpagne tom. II. p.* 157. ait: *Quant au vin, il ne me ſemble point bon; ce n' eſt pas de ce Pays ci, que l' on boit l' excellent vin d' Eſpagne, il vient de l' Andalouſie & des Isles Canaries, encore faut-il qu' il paſſe la mer pour prendre cette force & cette douceur qui le rend bon. A Madrid il eſt aſſez fort, & même un peu trop, mais il n' a point le goût agreable. Ajoûtez à cela, qu' on le met dans les peaux de bouc, qui ſont apprêtées, & il ſent toujours la poix, ou le brûle. Je ne ſuis pas ſurpriſe, que les hommes faſſent ſi peu de debauches avec une telle liqueur. On en vend pour ſi peu d' argent, que l' on en veut pour un double ou pour deux; mais celui qui ſe debite ainſi aux pauvres gens, devient encore plus mauvais, parce qu' on le laiſſe dans de grandes terrines de terre tout le jour à l' air, & l' on en prend la pour ceux qui en veulent. Il s' aigrit & ſent ſi fort, qu' en paſſant devant ces ſortes de cabarets, l' odeur en fait mal à la tête.*

(d) *citreaque mala*) Vid. BOSII *Hiſpan. &c. notit. ſect. III. c. 1. §. 5.*

(e) *naſcitur vinum*) Biſcaya tamen & Cantabria vinis deſtituuntur. BOSIVS *l. c. p.* 59. ZEILERI *itinerarium* p. 14.

Hiſpanica; vinum illud, quod vocamus *Malvaſier* (a) advehitur quidem ad nos ex Hiſpania, interim tamen in Hiſpania non naſcitur, ſed eſt vinum Græcum & naſcitur in inſula Chio & aliis Græcis inſulis. Vinum *Alicanthinum* (b) eſt Hiſpanicum, & illud, quod appellatur Petriximeneum (vulgo Peterſimeen). Petrus enim *Ximenes* (c) nobilis Hiſpanus, quo tempore rerum potitus eſt Carolus V. tranſtulit *vites Rhenanas* (d) in Hiſpaniam, in illis natum eſt vinum, quod poſtea nomen ab ipſo tulit. Præter vinum copioſe etiam profert ficus, ad quod etiam pertinent uvæ paſſæ (roſinen): porro magnam etiam vim præbet *olei*, (e) ut tantum non adferatur ex alia aliqua regione: quamvis enim Gallia quoque ferat, non tamen in tanta præbet copia, quam Hiſpania. Præbet præterea magnam copiam pomorum *citrorum* (f) Apparet hinc, eas res, quæ magna egent cultura, ab *Hiſpanis negligi*, (g) quibus vero non adeo multum curæ impendatur, adhuc ibi naſci. Quod reliquas arbores attinet, harum non abundat. Pomorum noſtrorum magna vis adfertur in Hiſpaniam, quamvis etiam intelligo, illorum copiam haberi in Cantabria. Quod concernit reliquas arbores, quæ ligna præbent ad uſum architectonicum, & ad claſſes parandas, habet horum lignorum aliquid Hiſpania ſeptentrionalis. Attamen non reperitur lignum in Hiſpania in tanta copia, ut ſtruendis magnis claſſibus ſufficeret: chare igitur illis conſtat ſtructura navium, cum extraneo ligno indigeant, & majori pretio naves conſtant in Hiſpania, quam *in Belgio*; (h) ut ſæpe etiam ligna ex Norwegia ſibi advehi curaverint Hiſpani, ad naves fabricandas, quia magis & magis ligna deficiunt in Hiſpania & poſthac deficient. Reliqua Hiſpania eſt calidior, & non multum ligni ad uſum foci habet neceſſarium. In Hiſpania Boetica eſt magna copia *mororum* (i) (Maulbeern) & quoniam hæc Hiſpaniæ pars eſt calidior, ſericum quoque ibi legitur cum inſigni lucro, non vero in Luſitania, nec in meditullio, ſed tantum in Hiſpania ſeptentrionali. Quod ad *ſal* (k) foſſile attinet, circa Gades apud Antigueram, ejus uno in loco tanta effoditur copia, ut non tantum ſatis ſit toti Hiſpaniæ, ſed etiam devehi poſſit.

Quod armenta attinet, mediterranea Hiſpania caret omni armento, horum etiam parum eſt in regno Navarræ: interim inveniuntur in Eſtremadura circa Anam fluvium, ubi ſunt læta paſcua, non tamen adeo multa, ut toti ſufficerent Hiſpaniæ; propterea ex terris ſeptentrionalibus ſalitæ carnes adferuntur in Hiſpaniam. Contra mediterranea & alias tota Hiſpania abundat ovibus, quæ propter *ſicca paſcua* (l) vellus præbent ſubtiliſſimum & lanam omnium optimam & præſtantiſſimam, ex qua pannus conficitur optimus. Et ita hac parte Hiſpania eſt dives, & non tantum habet lanæ, quantum ſufficit, ſed etiam non tam panni, quam lanæ copioſe devehuntur *ex Hiſpania*, (m) ex qua deinde conficiuntur panni, qui vocantur Hiſpanici, (Spaniſch Laken) Ita in Belgio, imo etiam Hamburgi conficitur pannus Hiſpanicus, quia eſt confectus ex lana Hiſpanica. Equi porro Hiſpanici ſunt in magno pretio, & laudati etiam priſco ævo a ſua agilitate, hinc veteres dixerant, ventum *eos habere parentem*. (n) Tempore etiam Romanorum, non alii quam Hiſpanici equi, fuerunt in laude, & hodie cumprimis illi equi habentur pro optimis, qui vocantur Chinetti: illi etiam, qui veniunt ex Aſturia, & olim *Aſturcones* (o) inde ſunt dicti. Quamvis autem Hiſpani equos alant optimos, non tamen adeo eos habent copioſe, ut aliis ſubminiſtrare poſſint. Hiſpani equi nec avena, nec ſtramine, nec fœno, ſed ſolo hordeo veſcuntur, non etiam his ſtramen ſubſternitur, quia eo carent. Non quoque equos illi potant, ut noſtri populares faciunt, ſunt enim Hiſpani pauci cibi & potus, contra Germani, ut libenter nimium bibunt, ita etiam equos ſuos frequenter & valde potant. Interiora Hiſpaniæ tantum abeſt, ut abundent piſcibus, ut potius magnus illorum ſit defectus, adeo quidem, ut quamvis ſint ſuperſtitioſiſſimi curiæ Romanæ cultores, tamen diebus piſculentis, ut vocant, non ſoleant veſci ſolis piſcibus, ſed etiam

carni-

(a) *Malvaſier*) Merum hoc vitibus, quas inſula Chio alit, deberi, SPONIVS *in itinerario per Dalmatiam* &c. p. 41. non tradit. Ejus aliquam in inſula Cypro eſſe copiam, relatum legi: optima ejus ſpecies uvis, quæ in Teneriffa, ad Canarias ſpectante inſulas, leguntur, exprimitur. DAMPIER. *dritter Theil der Reiſen* p. 14.

(b) *Alicanthinum*) *Alicanthicum ſeu Illicitanum*, inquit *Dom.* BEHRENS *in ſelectis diaeticis, ex regno Valentia craſſum ac rubrum eſt, adeo ut non raro excretiones ipſas rubro colore tingat, ſtomacho magis utile cenſetur.*

(c) *Ximenes*) Aliqui Germanum fuiſſe putant, cui nomen Peter Simens fuerit.

(d) *vites Rhenanas*) BOSIVS *l. c. p.* 53.

(e) *olei*) *l. c. p.* 52.

(f) *citreorum*) Ut & Granatenſium & olivarum.

(g) *Hiſpanis negligi*) Gens enim tanta inflata ſuperbia infra ſuam prope putat dignitatem, ad exercendum rus & colendas arbores incumbere & manus operi cuidam accommodare. *Voyage d' Eſpagne p.* 190. 14. *lettre.* Econtra in corripienda tela impetu quodam ex temperamento cholerico-melancholico, quo agitantur, propullulante, ardeſcere dicuntur. Quid autem cauſæ ſit, quod fortitudo eorum recentiori ævo nonnunquam lenteſcere reperit, Dn. GVNDLING *in otiis p.* 26. 27. *part.* I. *c.* 1. de Hiſpanorum temperamento ratiocinans, inquirit. Imo ſunt, qui omnem propemodum Hiſpanorum fortitudinem intra defenſionis limites ſubſiſtere, contendunt.

(h) *in Belgio*) Hinc Hiſpani ſæpe in Belgio naves coemunt aut fabricari curant.

(i) *mororum*) BOSIVS *l. c. p.* 53. LANSII *oratio pro Hiſpania p.* 209.

(k) *ſal*) Mineralium, quæ Hiſpania profert, numero quoque ſunt: calx foſſitia, alabaſtrum, alumen cruſtæ lapideæ. Tanta etiam gaudet copia picis, ſaponis, terebinthinæ, ceræ & mellis, ut ad exteros tranſmittere queat.

(l) *ſicca paſcua*) Ex nimis ſabuli quantitate, fluviorum paucitate & ventorum penuria, quæ paſſim Hiſpaniam affligit, fit, ut tanto omnia propemodum hic adurantur calore. Nec Itali cujusdam joco, ſi purgatorio locus quidam figendus, uſtulationes illas in Hiſpania quærendas eſſe, omnis defuit veriſimilitudo.

(m) *ex Hiſpania*) Lana Hiſpanica maximam partem in Hollandiam ad fabricandos pannos defertur. Unde Batavis Hiſpanorum amicitia valde utilis videtur.

(n) *eos habere parentem*) Confer RESENDII *antiquitates Luſitanicas* apud SCHOTTVM *in Hiſpania illuſtrata p.* 913. BECMAN *in hiſtoria orbis terrarum p.* 156.

(o) *Aſturcones*) LANSII *oratio pro Hiſpania p.* 210.

carnibus aliis, (a) & ad hanc rem ſingulares indulgentias a Papa impetrarunt: adegit autem illos ad indulgentias illas impetrandas piſcium defectus. Maritima autem Hiſpania abundat piſcibus, præſertim tinnorum ibi reperitur copia maxima, quia autem ad nos non advehuntur, nobis ſunt ignoti. Etiam nos piſcibus abundamus, & ſane nullum mare eſt piſcium fertilius, quam ſeptentrionale, quod alluit Germaniam. Hæc de animalibus Hiſpanicis.

Dicam jam etiam aliquid de ſalubritate aëris ejus, quia & hoc ſcire,pertinet ad integram alicujus reipublicæ notitiam. Mariana laudat Hiſpaniam a fertilitate & ſalubritate; de priori quid ſentiendum ſit, jam audiviſtis, & ſcitis jam, non omnino ſe rem ita habere, ut dixerat Mariana. Quod addit de ſalubritate, verum eſt, & Hiſpania ideo quidem eſt ſaluberrima, quia non eſt foeda paludibus nec ſylvis impedita, adeoque ventis perflabilis, talis vero regio habet aërem ſereniorem. Contra terræ, quæ ſunt paludibus foedæ & ſylvis impeditæ, minus ſunt ſalubres. Hiſpania igitur quia non multos habet lacus, ſylvas, fluvios, igitur aër ejus eſt *ſalubris.* (b) Cauſam ſalubritatis Hiſpaniæ etiam bene adduxit JOHANNES BOTERVS. Habet etiam Hiſpania prærupta littora, ita ut non opus habeat aggeribus, quemadmodum Hollandia, Friſia &c. ad ſuſtinendum maris impetum, ideoque mare non poteſt irrumpere in terram eamque fœdare. Hac de cauſa Hiſpania rariſſime inficitur peſte, & longe certe frequentius apud nos graſſatur peſtis quam ibi: Septentrionalis Hiſpania cumprimis eſt ventis expoſita, venti autem ſeptentrionales maximi ſunt nubium diſſipatores, quia ſunt frigidiores quam auſtrales, qui ſunt nubium collectores, quia ſunt calidiores. Hæc nunc ſufficiant de ſitu Hiſpaniæ ejusque ſolo, de terræ fertilitate & ſalubritate &c.

Pertinet quidem huc quoque cognitio *præcipuorum oppidorum*, (c) verum, quia nimis diffuſum foret, omnia hæc videre, nolo hoc jam agere, moneo autem, ut quis ſaltem diſcat ex libellis geographicis (e. gr. Cluverio) ſitum præcipuarum urbium, earum cumprimis, ubi rex degere ſolet. Sic hodie rex Hiſpaniæ reſidet *Madriti* in regno Caſtellæ, qua de cauſa autem Madriti quaſi in carcere deſideat, & quibus arcanis conſiliis hoc fiat, dicam *infra.* (d)

Sequitur jam,ut aggrediamur in conſideratione cauſæ materialis,ipſum populum. Omne enim regimen in qualibet republica maxime verſatur inter homines. Quemadmodum igitur faber lignarius, ſeu ædificator domus habere debet notitiam lignorum, lapidum &c. ſic & politicus debet cognitum habere populum, non quidem accuratiſſime, ita ut noverit omnia, quæ de populo ſciri poſſunt, ſed ita, quantum ſufficit ad regimen politicum; quemadmodum non neceſſe eſt, ut faber lignarius accuratam & omnimodam cognitionem lignorum & lapidum habeat. Debet ergo politicus in tantum populum noſſe, in quantum illud facit ad regimen politicum. In populo, ut noſtis, conſiderandus primo eſt numerus. Quod jam attinet numerum populi Hiſpanici, ſi legamus vetera monumenta, videmus, fuiſſe ſic ſatis magnum. Habuit enim jam tum tempore Romanorum Hiſpania varias multas populoſasque urbes, varios populos. Nunquam tamen adeo fuit populoſa, ut Germania noſtra & terræ ſeptentrionales. Interim ſatis fuit populoſa. Animadvertere etiam hoc quis poterit in lectione hiſtoriarum Hiſpanicarum, ut in Mariana, qui deſcribit bella a populis Hiſpanicis multo populo geſta. Hodie vero res longe aliter ſe habet, & videtur nulla parte magis laborare. Et quamvis olim ex Hiſpania educi potuerint numeroſi exercitus, hodie tamen id fieri minime poteſt, ſed pauci admodum in aciem *produci poſſunt.* (e) Poteſt hoc etiam ex novellarum lectione patere, quando narrant, Hiſpanos cum Portugallis belligerare. Portugallia autem eſt parva Hiſpaniæ pars, & rex Portugalliæ *non alit plures* (f) quam 700. fere milites externos, & tamen potuit ſe defendere hucusque contra univerſam vim Hiſpani-

(a) *carnibus aliis*) *Ajoutés à cela que le poiſſon eſt très rare, il eſt impoſſible d' en avoir de frais, qui vienne de la mer, car elle eſt eloignée de Madrid de plus de quatre vingt lieues. Quelquefois l' on y apporte des ſaumons, dont on fait des patés, qui ſe mangent a la faveur de l' epice & du ſafran. Il y a peu de poiſſon d' eaux douce, & l' on ne s' embaraſſe guère de tout cela, puisque perſonne ne fait careme ni maitres ni valets a cauſe de la difficulté, qu' il y a de trouver, de quoi le faire. On prend la bulle chés Monſieur le Nonce, qui coute quinze ſols de notre monnoye. Elle permet de manger du beurre & du fromage pendant le careme & les iſſues les Samedis de toute l' année. Je trouve aſſez ſingulier, que l' on mange ces jours là les pieds la tete, les geſiers & que l' on n' ose pas manger autre choſe du meme animal. La boucherie eſt ouverte le careme comme le Carneval. Voyage d' Eſpagne p.* 156. Additur ibi, quid in carnium Hiſpanicarum venditione deſideretur, easque non tam externa ſpecie, quam intrinſeca bonitate valere. *Cette viande*, inquit comes D' AVNOY, *fait mal au coeur, tant elle eſt maigre, ſeiche & noire, mais telle qu' elle eſt, il en faut moins, qu' en France pour faire une bonne ſoupe. Tout eſt ſi nourriſſant ici, qu' un oeuf vous profite plus, qu' un pigeon ailleurs: je crois que c' eſt un effet du climat.*

(b) *ſalubris*) Subtiliſſimi in Hiſpania aeris, ex multis ſulphureis particulis commixti, effectus recitat GVNDLING *l. c. p.* 20.

(c) *præcipuorum oppidorum*) Vid. BOSIVM *p.* 24. BECMANN. *p.* 158. ſeqq. *Voyage d' Eſpagne tom. III. p.* 188. 189.

(d) *infra*) Atque ſic nos quoque, quæ de hac urbe dicenda ſunt, ad illum differemus locum.

(e) *produci poſſunt.*) Carolus V. plerumque non ultra ſeptem millia peditum & octingentos equites ex Hiſpanis lectos in caſtris habebat. THVANVS *lib.* 51. LANSII *oratio contra Hiſpaniam p.* 435. Numeroſiorem Philippi V militem non minima ex parte ex peregrinis conductum eſſe, compertum habemus.

(f) *non alit plures*) Gallorum inprimis & Anglorum ſubſidiario milite res adverſus Hiſpanos præclare geſſerunt. Deinde bello Cataloniæ, quod Hiſpanos fatigabat, & comitis-ducis negligentia adjuvabantur. *La vie du Cardinal de Richelieu tom. II. p.* 566. PASSARELLI *bellum Luſitano Caſtellanum lib.* 6. *p.* 298. VERTOT *hiſtoire des revolutions de Portugal p.* 352.

Hiſpanicam, hodieque dux *Jean de Auſtria* (a) hæret circa Anam fluvium extra Luſitaniam in Eſtramadura, & hactenus non audet ingredi Portugalliam,imo unam tantum *Olivenzam* (b) in regno Luſitaniæ hactenus occupavit Hiſpanus, reliqua omnia adhuc ſunt integra. Indicio autem illud eſt, Hiſpaniam magna hominum penuria laborare: nam quamvis Hiſpanus adduxerit exteros milites multos ex Flandria, Brabantia &c. tamen nondum quidquam memoratu dignum contra Luſitanos effecit. Auſus quidem nuper eſt aliquid Hiſpanus circa *Bragantiam* (c) in parte Luſitaniæ ſeptentrionali, non tamen plane penetrare audet in Luſitaniam. Notandum autem hoc, nam numerus requiritur utique ad res magnas gerendas. Fatentur omnes ſcriptores uno ore, rem ita ſe habere, Hiſpaniam laborare hominum penuria & nemo illud negare audet. Egit de hoc argumento etiam egregie Joh. de Laet *c. IV.* Adjicit etiam *pag.* 103. quædam ex libello Madriti edito a Secretario aliquo regis Hiſpaniæ *Navarreta dicto*, (d) de infrequentia Hiſpaniæ: voluit autem ſecretarius ille regi conſilium dare, quomodo induci iterum in Hiſpaniam poſſet numerus hominum. Adducit etiam Laet edictum Hiſpanicum, quod eo ſpectat,ut reſtauretur numerus hominum, & reducantur ad agriculturam.

Dicam autem jam, quomodo Hiſpania ad eam hominum infrequentiam devenerit. Notandum ergo 1. Hiſpanicas gentes naturæ quodam vitio non eſſe multum foecundas; diſcrimen enim ingens eſt inter populos, quod attinet foecunditatem & ſterilitatem. Populi Septentrionales ſunt natura fœcundiores, itaque potuerunt etiam univerſum orbem inundare olim. Terræ autem, quo magis ſole aduruntur, non ſunt adeo foecundae, loca vero nonnihil frigidiora ſunt etiam foecunda. In terris calidis inauditum fere eſt, unam mulierem parere X. vel XI. liberos, in terris ſeptentrionalibus nihil eſt frequentius. Hiſpania quia eſt calidiſſima omnium Europae regionum, hinc etiam eſt ſteriliſſima hominibus procreandis totius Europæ, & hoc *naturæ vitio.* (e) 2. Mediterraneæ porro Hiſpaniæ non ſunt aptæ hominibus multis alendis, loca enim, quæ carent rebus ad victum neceſſariis, fugiuntur ab hominibus, ut contra ea loca, quæ ſunt apta alendis, ſolent etiam multos alere homines & hominibus abundare. Hinc nuſquam terrarum tanta eſt hominum multitudo, *quam in Batavis*, (f) primum quia homines ejus loci alias etiam ſunt fœcundi; ſecundo, quia apta eſt hominibus alendis. Eadem de cauſa maritima Hiſpaniæ longe ſunt populoſiora, quam mediterranea, quia illa magis apta ſunt hominibus alendis. 3. Accedunt mali Hiſpanorum mores, nam *ſcortationes* (g) immane quantum foedant Hiſpaniam, & ea ibi olim fuit, & adhuc hodie eſt lupanarium multitudo, qualis non reperitur in tota Europa. Vbi ita impune licet ſcortari, ibi plerumque eſt hominum paucitas, ubi autem nulla ſunt lupanaria, ibi eſt hominum multitudo. Si ergo vis augere populum, proſcribere debes lupanaria & ſcortationes. Ita cum Deus optimus maximus augere vellet populum Judaicum ſeu Iſraeliticum, poſuit talem legem: *Nulla eſto meretrix in Iſrael.* Nihil enim adeo facit ad multitudinem hominum indocendam, quam ſi ſevera lege prohibeas omnem ſcortationem. Etiam hodie Judæi obſervant hanc legem, adeoque filiis ſuis anno ætatis 15. vel 16. dant uxores; hinc vero multum augetur gens Judaica. Gentes Septentrionales nulla ſciverunt ſcorta, ideo Tacitus de juvenibus Germanicis dicit: *ſera juvenum venus.* Dignum lectu eſt, quod Salvianus Maſſilienſis in tractatu de *gubernatione divina*, quem ſeculo 5. compoſuit,cum gentes Septentrionales inundarent quaſi multas regiones, & inter has etiam Italiam,ſcripſit: ubi cumprimis laudat Gothorum caſtitatem,dicitque,ante adventum Gothorum Italiam repletam fuiſſe meretricibus,Gothos vero omnes expuliſſe, & nullam jam in Gallia & Italia apparere. Obſervandum hic eſt obiter, unde ſit,quod Hiſpani adeo ſint ſcortationibus dediti. Fuit magna Hiſpaniæ pars per aliquot centum annos ſub Mauris, Mahumedanæ religioni addictis: quia autem Mahumedana religio permittit polygamiam,hi Mauri fuerunt polygami, & hinc ſub Mauris populus in Hiſpania abundavit. Poſtea cum Chriſtiani pulſis Mauris, rerum iterum potirentur, & vero Chriſtiana religio non permitteret polygamiam, hinc adeo factum eſt, ut Hiſpani pluribus mulieribus *aſſueti* (h) ſint, & dum vituperant Maurorum polygamiam, non vident, quod in tergo ſit, & ex polygamis fiant ſcortatores & adulteri. Et ſane ex eo tempore, quo iterum Mauri pulſi ſunt

(a) *Jean d' Auſtria*) Hunc Philippus IV. ex Maria Chalderona concubina ſuſcepit. Biographia & mors ejus legitur *dans la relation du Voyage d' Eſpagne de Mad. d' Aunoy tom. III. p.* 183.

(b) *Olivenzam*) Hæc eſt urbs Transtaganæ munita.

(c) *Bragantia*) Transmontanæ urbs in Hiſpaniæ eſt finitibus. Inde ſtirpi, quæ hodie Portugalliæ ſceptra moderatur, Braganziæ ducum nomen inditum eſſe,novimus.

(d) *Navarreta dicto*) Epitome ejus libri in MERVLÆ *Coſmograph. part. II. lib. II. p.* 75. legitur.

(e) *hoc natura vitio*) Deeſt enim Hiſpanis ſanguinis alteriusque ad amplificandam ſobolem aptæ materiæ copia. Dn. GVNDLING. *in otiis c.* I. p. 22. PVFFENDORFII *introductio in hiſtor. c. II.* §. 19.

(f) *quam in Batavis*) In cauſas inquirit TEMPLE *dans les remarques ſur l' etat des provinces unies ch. VI. p.* 200. ſeqq.

(g) *ſcortationes*) Ruunt adhuc pueri propemodum in venerem, & excuſſis immaturis viribus deinde quoque ad amplificandam ſobolem ſunt inepti. Nec uxoribus juncti a pellicibus & concubinis, quas magnis alunt ſumtibus, abſtinent. *Relation du voyage d' Eſpagne tom. III. p.* 134. LANSIVS *l. c. p.* 401. 402.

(h) *aſſueti*) Imo externi caloris & choleræ impetus faciunt, quod tam ſalaces ſint. Notavit autem jam tum Bodinus & ante eum alii, quo magis quis externo calore in venerem ardeſcat,eo minus ad ſobolis propagationem aptum eſſe. PVFFENDORFII *introductio* p. 125.

ſunt Hiſpania, impura illa Venere foedata eſt valde Hiſpania. 4. Non dubito ego etiam profiteri, cauſam paucitatis hominum in Hiſpania eſſe deductionem plurimarum coloniarum in Indias. Notum enim eſt & poſtea late narrabo, Americæ potiſſimam partem teneri hodie ab Hiſpanis. Ex quo tempore autem Hiſpani tenuerunt Americam, ſcilicet per annos fere 120, coloniæ Hiſpanicæ ſemper eo ſunt deductæ, & videas hodie in America *plures habitare Hiſpanos, quam in Hiſpania* (a) ipſa. Quam utilitatem præſtent coloniæ, diſputatum a me eſt ad Machiavelli principem, ubi Machiavellus laudat Ferdinandum Catholicum eo nomine etiam, quod colonias deduxerit in Americam: animadverti autem hoc in Machiavello, & in Ferdinando prudentiam deſideravi. Exonerant quidem coloniæ regiones, ſed multitudine hominum laborantes, Hiſpania autem non laborat multitudine, ſed penuria hominum, & vaſtas eduxit colonias, ita ut hodie Hiſpani habitent extra Hiſpaniam. Roma quidem olim quoque duxit colonias, verum cum multitudine laboraret hominum, nam hæc tanta erat Romæ, ut urbs omnes capere interdum non poſſet. Deductio coloniarum etiam cauſa eſt, quod Portugallia raritate hominum laboret, tanta enim etiam in Portugallia eſt hominum paucitas, ut mirum ſit, rempublicam illam adhuc ſtabilem eſſe, in aliis enim inſulis videas Portugallos, in Portugallia vero deficiunt. 5. Accedit etiam, quod Hiſpani multa ac gravia bella geſſerint, & hodieque gerere cogantur. Geſſerunt enim bella graviſſima in Belgio, & regno Neapolitano, quæ ingentem vim hominum *conſumpſerunt.* (b) Sit autem hoc conſilium univerſale, regiones, quæ non habent multum populi, non poſſunt, nec temere debent bella gerere: nam dum alibi res magnas gerere volunt, domi laborant. Etiam quotannis *claſſes* (c) mittit Hiſpania in Americam ad avehendam inde gazam. Mare vero ingentem hominum numerum abſorbet, & morbis perimit, itaque non dubito aſſerere, brevi fore, ut Hiſpania non poſſit armare claſſem. Et quam imbecilles ſint Hiſpanorum claſſes, quam ſibi ſemper metuant, quia non habent bene armatas & milite repletas naves, docent novellæ. Anglia ſane & Hollandia longe locupletior eſt plebe nautica, quam Hiſpania. Hinc non poteſt non deficere populus Hiſpanicus, nam dictu eſt incredibile, quanta vis hominum marino morbo & aliis calamitatibus pereat. 6. Centum præterpropter ſunt anni, cum Hiſpani adeo cœperint inſanire, ut noluerint quemquam, niſi eccleſiæ Romanæ addictum, in Hiſpania tolerare. Quo tempore hæc inſania cœpit, rerum potiebatur Ferdinandus, multique Judæi & Mahumedani erant in Hiſpania, qui omnes aut Chriſtianæ religioni nomen dare cogebantur, aut excedere Hiſpania jubebantur. Igitur plurimi (nam nullibi tanta fuit Judæorum multitudo, quam tum temporis in Hiſpania) ut ſaltem manerent, dederunt nomen religioni Chriſtianæ, ſed nihil præter nomen dederunt, & baptizati ſunt. De hac ratione regiminis dicam infra, & indicabo, quam ſit abſurda, ut ut *Jeſuitis* (d) valde placeat, ut ſunt hi homines in prudentia reipublicæ gerendæ valde rudes. Expulſi autem ſunt, qui religionem Chriſtianam mentiri nolebant, infiniti. Ipſe Mariana docte de hoc argumento diſſerit *lib XXVI. c.* 1. Dicit rationem expulſorum accuratam ſubtrahi non poſſe, credi tamen, exceſſiſſe tum ex Hiſpania familias 170000. (e) vel capita 800000. Poſtea ejecti etiam ſunt, qui Chriſtianiſmum ſimularunt, vel elegerunt ipſi ſimulatores ſpontaneum exilium, cum ſimulare amplius nollent, aut ut effugerent gravia ſupplicia & tormenta. Tale quid cumprimis factum eſt etiam anno hujus ſeculi XI. cum Jeſuitæ & id genus alii eo deduxerunt Hiſpaniæ regem, ut ex Andaluſia, Granada & Boetica omnes Chriſtianiſmi ſimulatores excedere juſſerit, & factum eſt, ut ſimul ſupra 150000. exceſſerint. Quid ergo mirum eſt, Hiſpaniam laborare hominum paucitate, cum tot hominum myriades ejecerit? Poteſt his addi ſeptima cauſa, *inquiſitio* (f) ſcilicet Hiſpanica, qua efficitur, ut nemo niſi cum pontifice Romano accurate faciens, pedem Hiſpaniæ inferre audeat. Perit autem quotannis per hanc inquiſitionem ingens hominum vis, diris ſuppliciis, & tamen quicquid ſæviant, ſupereſt Maurorum & Judæorum non parvus

(a) *plures habitare Hiſpanos, quam in Hiſpania*) Multos Americam Hiſpanis detraxiſſe incolas, negari non poteſt. Id & ex eo manifeſtum eſſe ajunt, quod Ferdinandus Catholicus, America Hiſpanis nondum cognita, Malagæ obſidioni 20000. equites & 50000. pedites admoverit, cum tamen tunc temporis nec Navarra, nec Luſitania Hiſpanis pareret, & Arragonia in partem ſumtuum huic bello impendendorum venire nollet. Quod autem hic auctor tradit, ac ſi Hiſpani Americani eos, quos Hiſpania tenet, numero ſuperent, aliquid ex dubio habet, ad minimum omnes illis, qui aliquid ex Hiſpanico trahunt ſanguine, accenſendi eſſent, nimirum Criolii, Meſtecii, Treſalvi, Quatralvi.

(b) *conſumpſerunt*) Vid. LANSII *orat. contra Hiſpaniam p.* 368. THVANVS *lib.* 51.

(c) *claſſes*) *Relation du voyage d' Eſpagne tom. III. p.* 65. ſeqq. Reditus claſſis gaza refertæ magna in Hiſpania excitat gaudia, quanquam maxima divitiarum illarum pars ad alias promanet gentes, ita ut Hiſpani theſaurorum Americanorum ſint quaſi depoſitarii tantum & promi condi. *Relation du voyage d' Eſpagne tom. III. p.* 108. LANSII *oratio pro Hiſpania p.* 212.

(d) *Jeſuitis*) Hi Hiſpanorum oracula ſunt, unde quidam ex Burgundiæ delegatis dicebat: *Un Eſpagnol ſans Jeſuite eſt une perdrix ſans orange.* Vid. LANSII *orat. contra Hiſpaniam p.* 371. ſeqq.

(e) 170000.) Hoc Ferdinando Catholico & Iſabella regnantibus poſt Granatenſe finitum bellum 1492. factum eſt per edictum, voce præconis denunciatum. Judæis parando exilio quatuor dabantur menſes, cum facultate eo ſpatio vendendi bona, ſecumve inde redactam pecuniam, quo vellent, aſportandi. Id edictum nova Thomæ Turrecrematæ inquiſitoris ſanctione fuit aſtrictum menſi Aprili, piis omnibus vetantis cum ea gente commercium, gravique ſupplicio ſancientis, ſi quis eo decurſo tempore victu aut alia re quapiam eos homines juvaret. MARIANA *l. c. p.* 144. *append. tom. III. Hiſpan. illuſtrat.*

(f) *inquiſitio*) *Relation du voyage d' Eſpagne tom. II. p.* 68. ſeqq. ubi rigor & iniquitas hujus judicii deſcribitur. Ex profeſſo hoc argumentum Limbrog & auctor aliquis Gallus pertractant.

parvus numerus. Priusquam hunc locum deſeram, addam aliquid de modo, quem Hiſpani in medendo hoc morbo voluerunt obſervare, & diſſeram, utrum modus ille ſit probus & ſufficiens.

Quod Hiſpania paucitate hominum laboret, facile jam apparet, nec hoc diffiteri poſſunt ipſi Hiſpani, res enim id nimis aperte loquitur. Dixi antea de Johanne de LAET, eum *cap. IV.* tradere, quod anno hujus ſeculi XXVI. editus fuerit libellus vel conſilium, autore Petro Joh. Navarreta, regis Hiſpaniæ ſecretario, quo hic docuit modum emendandæ hominum penuriæ. Adducit vero Laet ſumma capita edicti regii promulgati anno 1623. Quæ recenſebo, & num hæc malo huic pellendo ſufficiant, examinabo. 1. Quicunque ante annos 18. usque ad annum 25. uxorem duxerit, liber ſit per ſeptennium ab omnibus oneribus & Incommodis &c. Qui autem poſt annum 25. contraxerit matrimonium, non eſto liber. Hoc primum. Audiviſtis antehac, inter alias cauſas raritatis hominum in Hiſpania eſſe & hanc, quod nimiis & graviſſimis tributis ſubditi atterantur, itaque cum vident, plus ſibi lucri adparere ex commerciis Indicis vel ex militia, Hiſpaniam deſerunt, & alio fugiunt. Perinde ut fit in noſtra Germania, ubi ſi quidem principes ſubditos maximis tributis premunt, malunt Germaniam deſerere, & vacuas principibus ſedes relinquere, quam nimiis tributis exſugi. Hanc cauſam abeundi ut præcaveret rex Hiſpaniæ, talem legem tulit, & Immunitatem propterea nominatis jam jam conceſſit. Verum enim vero remedium illud mihi videtur nimis tenue. Nam quamvis quis ſit liber per annos ſeptem, reliqua vero ætate maximis & immenſis tributis ſit obnoxius, non multum proderit. Graviſſimis enim tributis ſi ulibi alias, certe in Hiſpania ſubditi emunguntur: quamvis itaque per ſeptennium quis ſit omnibus tributis liber, nemo tamen facile propter illam immunitatem *rei uxoriæ dabit operam,* (a) & ſe ſuosque ita in maximam conjiciet miſeriam. 2. Qui ſex mares ex conjuge ſuſtulerit, omnes vivos &c. immunis eſto. Sed non eſt verum hoc remedium: nam non eſt in poteſtate parentum, utrum velint liberos mares procreare? Olim apud Romanos tres liberos mares ſi quis procreaſſet, jus habebat immunitatis. 3. Pauperibus certa pecuniæ ſumma aſſignetur in dotem. Hoc non eſt malum conſilium. Nam multæ puellæ manent innuptæ propterea, quia non ſunt dote inſtructæ, Igitur apud gentes foecundas puella marito non afferebat dotem, ſed hic puellæ. Ita etiam factum eſt olim apud Germanos, apud quos, ſi puella virtute inſtructa eſſet, optimum nanciſci poterat virum, quamvis profecto multum ſe res noſtræ mutarint, poſteaquam uxores maritis adduxerunt dotem. In univerſum nihil faceret æque ad nuptias puellis conciliandas & hominum numerum augendum, ſi non promitteretur, uxorem marito *afferre dotem.* (b) Obſervavit hoc etiam Deus ter optimus maximus: nam cum vellet populum Iſraeliticum valde creſcere, prohibuit, ne uxores maritis dotem afferrent, quod legi poteſt in lege Moſaica. 4. Ne quis cum familia & bonis e regno migret. Non male, ſi quidem habeant domi, unde vivant, ſi enim non cures, ut incolæ habeant, unde vivant, fruſtra eſt, & ſi deinde maxima velis indicere tributa, tumque prohibere, ne aufugiant, tyrannis & maxima crudelitas erit, quam Deus vindicabit. 5. Omnes alienigenæ ſi ſint catholici nec hoſtes Hiſpanorum, ſi velint agriculturam & mechanicas artes 20. leucas a mari exercere, perpetuo liberi erunt. Quod remedium melius eſt præcedentibus. Hoc ipſo voluit rex Hiſpaniæ allicere populos alienos, voluit item, Hiſpaniam mediterraneam excoli. Putavit enim, ſatis hominum eſſe circa littora, igitur immunitatem promittit illis, qui 20. leucis a mari agriculturam exercent, quia littora hominibus ſunt referta, mediterranea autem iis carent. Videtur autem, illud reſtringi ad *ſolos catholicos*, (c) nec ad hos tantum, ſed quoque ad eos, qui non ſunt e regione Hiſpanis infeſta oriundi; non poſſunt itaque huc migrare Galli, Angli &c. quibus bellum cum Hiſpanis intercedit. 6. Lupanaria publica ſint prohibita. Bonum hoc quidem eſt conſilium, interim non ſufficit, ſi prohibeas lupanaria, & tamen permittis, magnam incontinentium hominum copiam *in coelibatu vivere.* (d) Obſervandum autem eſt, Hiſpaniam magnam habere vim coelibum, non tamen caſtorum. Ingentem enim alit copiam clericorum, ut non dubitem aſſerere, eorum ultra *centum millia* (e) ibi degere, & hac de cauſſa innumera fuerunt in Hiſpania lupanaria. Hodie ipſa Roma non poteſt carere lupanariis. Sæpe quidem pontifices Romani laborarunt de lupanariis tollendis, ſed ſine effectu, in tanta monachorum & clericorum

(a) *rei uxoriæ dabit operam.*) Non dubito tamen, quin aliqui, ſibi de ſeptennii illius immunitate multa pollicentes lucra, maritali ſe permiſerint nexui. Raro talia excogitari poterunt conſilia, in quibus nihil plane deſiderari queat. Tributi onera Hiſpani inter neceſſaria ponunt, & ſic inter maxima referunt beneficia, matrimonii etiam onere redimenda, ab iis ad tempus ſaltim liberari.

(b) *afferre dotem*) Quid dos humani generis multiplicationi obeſſe queat, non video: quinimo illa eſſe ſolet, qua mares ad ſuſcipiendum matrimonii jugum alliciantur, niſi dixeris, pinguioris dotis ſpe eam ſæpe eligi thori ſociam, cui ſpes extendi ſobolem decoxit, aut aptiorem tantum amplificando humano generi negligi.

(c) *ſolos catholicos*) Quid hic facto opus, Hiſpanis a Belgis addiſcendum eſſet.

(d) *in coelibatu vivere*) Suadendum forte Hiſpanis, ut Hageſtolaiatus jura introducant.

(e) *centum millia*) Sunt qui putant, ex ducentis & triginta mille canonicis, vicariis, monachis & monialibus, ad quem numerum multitudo eorum in Europa aſcendere creditur, tertiam partem & quod excurrit, Hiſpaniæ incubare.

clericorum copia, hinc etiam Romæ *libere ſcortantur.* (a) Ideoque laudaverim ego hoc conſilium, ſed non ſufficiens. Et hæc ſunt ſex capita edicti regii, quæ pertinent ad emendandam hominum paucitatem. Secretarius hic præterea ſuaſit: ne conderentur monaſteria nova &c. Bonom hoc eſt conſilium. Monaſteria enim maxime officiunt reipublicæ, nam in his ſæpe ſaginantur homines deſides, pinguia & pigra corpora, quæ nulli vel *eccleſiæ vel reipublicæ uſui.* (b) Jam ſi omnes monachos ad matrimonium adegeris, poſſent uno anno plures, quam centum mille homines procreare.

Addam jam ego, quomodo illa hominum penuria emendari poſſet. Audiviſtis, penuriam illam hominum provenire ex naturali ſterilitate. Hoc vitium totum emendari non poteſt, poteſt tamen aliqua ex parte. Si connubia nempe Hiſpanicæ mulieres contraherent cum viris ex Septentrionalibus populis. Et hæc ad fœcunditatem hominum plurimum facere, ſæpe docuit eventus. Svadet hoc etiam THOMAS CAMPANELLA *C. XV.* Cauſæ, quare hoc procedat, non ſunt hujus loci, ſed peti poſſunt ex phyſica vel arte medica. Dixi quoque, cauſam penuriæ hominum eſſe pravam educationem, quia Hiſpani peſſimis moribus & ſcortationibus nimium ſunt dediti. Ad hoc credo valere, ſi quidem graviſſimis poenis omnes afficerentur ſcortatores, qualescunque tandem eſſent, & cumprimis ſi omnes cœlibes cogerentur ducere uxores. Apud Romanos Auguſtus Cæſar ſollicitus fuit de ſupplenda hominum penuria, & hinc orta eſt lex Papia Poppæa, quæ tamen non ſufficere poterat. Multa quidem prudenter hac lege erant interdicta, ſed quia ſcortatores non cogebantur uxores ducere, *nihil vel parum juvit.* (c) In republica Ebræorum ſi quis ſcortaretur cum maritata, afficiebatur poena capitali, ſi autem cum libera, eam cogebatur ducere. Dicat vero quis, eſt in Hiſpania magna copia clericorum & monachorum, hi ad matrimonium cogi non poſſunt. Quidni? nec matrimonium lege divina eſt prohibitum, ſed coelibatus tantum eſt lex poſitiva, quæ temperari debet ad ſalutem reipublicæ. Dicas autem: Obſtat votum. Talis homo, qui votum cœlibatus vovit, & caſte vivere non poteſt, Deum roget, ut remittat ſibi peccata, quod voverit talia, *quæ præſtare* (d) non ſunt in ejus poteſtate. In Hiſpania ſerius cœlibatus in clericos eſt introductus, anno quidem hujus ſeculi ſexto: tum antea Hiſpani potuerunt eſſe boni Chriſtiani, cum non in cœlibatu viverent, cur igitur jam non poſſent? ſi vero omnes monachi uxores ducerent, poſſet rex Hiſpaniæ ingentem vim hominum inde cogere. Et huc pertinet omnium lupanarium prohibitio. Audiviſtis etiam, frequentes colonias ſufficere ad emendandam hominum paucitatem. Fateor ego, non potuiſſe Hiſpanos multitudinem hominum coercere, niſi per colonias. Potuiſſent autem optime ſibi conſulere, ſi homines ex America transtuliſſent in Hiſpaniam, ſed ibi crudeliter tractarunt 1000. hominum myriades, ex innata crudelitate & ſuperbia, vel quod metuerent, ſe tantum hominum numerum in officio continere poſſe. Hodie illud remedium adhiberi non poteſt, nam hodie etiam ipſa America paucitate hominum laborat, quia *tanta crudelitate* (e) miſeros Americos tractaverunt. Video etiam Campanellæ illud, quod modo dixi, placere. Tandem hanc inter paucitatis incolarum Hiſpanicorum cauſas numerare poſſum, quod ſcilicet in Hiſpania nolint alios a religione papiſtica alienos tolerare, hinc & jam dixi, Hiſpania pulſos eſſe omnes Judæos & Mahumedanos. Item anno hujus ſeculi X. edicto Philippi III. expulſi ſunt ex Granada, Andaluſia, & Murcia Maurorum ſupra 900000. (f) tantum ideo, quod eſſent Mahumedani & Chriſtianismum ſimularent. Permiſſum tamen ipſis eſt, migrare in Valentiam: quodſi etiam inde omnes pellerentur, qui Chriſtianismum ſimulant, regnum Valentiæ plane redderetur vacuum. Tot vero hominibus in locum pulſorum revocandis non facile invenies remedium aliquod. Si tamen libertas daretur redeundi pulſis, & libera eſſet religio, magna ſine dubio vis pulſorum rediret in Hiſpaniam, & omnes Judæi profecto illuc reverterentur, qui Hiſpaniam tanquam patriam ſuam amant, moribus enim apte convenit. Non tamen facile hoc eſt ſperandum. Oſtendi

(a) *libere ſcortantur*) LANSII *oratio contra Italiam p.* 831. 838. 839. *Il Decamerone di Bocacio giornata prima novella II.* Summam narrationis hujus ſequentibus ALCIATVS *contra vitam monaſticam p.* 5. exprimit. *Sed non ſatis perſpicio, quonam modo poſt tuum ab urbe Roma diſceſſum ſententiam mutaveris, Judæumque illum ſis imitatus, qui cum nullis rationibus flecti potuiſſet, ut Chriſti ſacris initiaretur, cum reluctante amico Romam iviſſet deprehendiſſetque ſacerdotum avaritiam, libidinem ſcelera, ſtatim Judaiſmum exuit, Chriſtique factus eſt cultor, quoniam exiſtimabat, niſi Chriſtus non ſolum ſummus prophetes, ſed veriſſimus etiam Deus eſſet, haudquaquam poſſibile fuiſſe, ejus cultus tam diu ut duraret, cum illum nequiſſimi etiam quidam homines inter primos tractarent.* Sixtus IV. vitam ſuam nobili condito lupanari celebriorem reddidit. Pendunt ſcorta pontifici in ſingulas hebdomadas Julium nummum, qui cenſus annuus nonnunquam XX. millia ducatorum ſuperat.

(b) *eccleſiæ vel reipublicæ uſui*) Conf. ALCIATVS *contra vitam monaſticam p.* 23.

(c) *nihil vel parum juvit*) TACITVS *Annal. lib. III. c.* 25.

(d) *quæ præſtare*) Ad impoſſibile enim nemo tenetur, poteſtque princeps aliquem a tali liberare voto. Sed excutiendum eſt pontificis jugum. GROT. *de J. B. & P. lib. II. c. XIII. §. XX.* PVFFEND. *de J. N. & G. lib. IV. c.* 2. *§. ult.*

(e) *tanta crudelitate*) Idem, quod in Machiavelli dogmate eſt, ſcilicet quod devicti ſubditi, quantum fieri poſſit, ad pauciores ſint redigendi numeros, ab Hiſpanis in America obſervatum eſt. Neque crudelitatis fama ipſis aliquo fuit loco. *Et tra tuti i principi, al principe nuovo e impoſſibile fuggire il nome di crudele, per eſſere li ſtati nuovi pieni di pericoli. Onde Vergilio per la bocca di Didone eſcuſa la inhumanita del ſuo regno, per eſſere quello nuovo dicendo*: Res dura & regni novitas me talia cogunt moliri, & late fines cuſtode tueri. *Il principe di* MACHIAVELLI *c.* 17.

(f) 900000.) LANSIVS *orat. contra Hiſpan. p.* 368.

Oſtendi tamen ego in diſputatione de *majeſtatis civilis autoritate & officio circa ſacra*, non modo utile, ſed & licitum illud eſſe. Ita hodie Belgium non alia de cauſa ita abundat hominibus, quod omnes religionis variæ homines ibi vivere permittantur; quemadmodum & olim Romulus aſylum Romam noviter conditam conſtituebat, ad quam omnis generis homines confluebant. Libertas enim religionis unice conſervat regnum Turcicum, quia Turcæ nemini ſunt graves, quamcunque tandem religionem profiteri velint. Quin ſi ille hoc modo procedere vellet, & omnes a Mahumedismo alienos regno ſuo expelleret, non minus penuria hominum laboraret Turcia, quam hodie Hiſpania. Eadem de cauſa cum Ferdinandus Catholicus rex Hiſpaniæ edicto omnes Judæos ex Hiſpania pelleret, magnam eorum vim excepit papa Romanus, & dicuntur hodie ultra 15000. Judæi, qui olim pulſi ſunt Hiſpania, Romæ vivere. Ita pontifex Romanus, qui tamen ſe profitetur eccleſiæ caput, maluit rebus ſuis conſulere, & homines illos ad ſe invitare, quos alii regno expulerant. Hæc ſufficiant de numero populi Hiſpanici.

Progrediar jam ad qualitates, quæ in omni populo duplicis ſunt generis, corporis ſcilicet & animi. Dicam primo de corporum Hiſpanicorum qualitate. Quod attinet igitur corpora Hiſpanorum, eſt in iis quod mireris, ſcilicet quod pene omnes Hiſpani, pauciſſimis exceptis, eodem ſint corporis temperamento. Videas enim Hiſpanos omnes nigricantes, non proceros, non obeſos, ſed macros. Mireris autem non injuria illud, quomodo fiat, cum tot & tam variæ gentes in Hiſpaniam migraverint. Diſſerit etiam hac de re Joh. Mariana: commigrarunt autem eo primo Carthaginenſes & Africani; deinde etiam Romani, qui Hiſpaniam deinde domuerunt, poſtea Suevi, & his numero longe majores *Weſt-Gothi*, (a) gentes Germanicæ, ultimo Mauri & Africani. Mirum ergo eſt, cum ex tot variis regionibus incolas acceperit Hiſpania, omnes tamen eſſe ejusdem temperaturæ corporis. Dicam ſententiam meam. Exiſtimo autem ego, ſupereſſe hodieque, & potiſſimam partem Hiſpanorum hodiernorum originem ducere a primis Hiſpaniæ incolis. Carthaginenſes, qui eo migraverant, a Romanis ſunt exciſi, qui parvo tempore Hiſpaniam tenuerant, ita ut ſanguis Punicus Hiſpaniam non potuerit immutare. Romanos quod attinet, frequentes non videntur commigraſſe in Hiſpaniam: varias quidem in Hiſpaniam miſerunt colonias, ſed non adeo multas. Gothos quod concernit, non reperias veſtigium aliquod temperaturæ Gothicæ in Hiſpania; ſunt enim flavo capillitio, & proceri, ut omnes fere olim gentes Germanicæ erant, Suevos autem extinxerunt Gothi, Gothos ad internecionem dederunt Mauri, ſeculo poſt natum Chriſtum VIII. Ergo etiam parum ſanguinis Germanici in Hiſpania remanere potuit. Similiter & Mauri paulatim ab Hiſpanis ſuperati & *ejecti ſunt*, (b) quod ex hiſtoria Hiſpanica, Mariana & aliis eſt manifeſtum. Præterea Mauri temperatura corporis convenerunt cum veteribus Hiſpanis, quia etiam veteres Hiſpaniæ incolæ ex Africa commigrarunt in Hiſpaniam. Quod porro attinet temperaturam corporis, apparet ex nigredine *oris & corporis*, (c) Hiſpanos eſſe melancholicos, & abundare in illis *humorem melancholicum*, (d) & hinc eſt illa nigredo, ob quam Hiſpania Barclajo ſolet appellari Melandria. Ab illo autem humore oritur reliqua corporis temperatura, quod nimirum non ſint proceri neque obeſi, (neque enim melancholici ſolent pingueſcere) quo tamen etiam accedit victus ratio tenuis, quæ temperaturam hanc fovet. Sunt præterea Hiſpani ſicco corpore, ideoque magnis morbis raro ſunt *obnoxii*, (e) niſi illis tantum, quos inordinata ſua libidine ſibi contrahunt; igitur *lue venerea* (f) ſæpe laborant.

Spectandæ jam ſunt Hiſpanorum qualitates animi. In cujusque animo conſideranda eſt voluntas & intellectus, quo pertinent virtutes morales & intellectuales. Dicam primo de Hiſpanorum

(a) *Weſt-Gothi*) Præter Marianam inprimis hic conferendi ſunt GERVNDINENSIS, IDATIVS, ISIDORVS, TARAFA, VASAEVS.

(b) *ejecti ſunt*) Hoc a Gothorum reliquiis factum eſt. Sed non dubito, quin ab avito corporis habitu maxime tunc temporis diſcreparent; aliis enim, quam ſuæ gentis connubiis mixti Gothi, ſui ſimiles non amplius procreabant. Huic accedit, quod æſtus, quo Hiſpani laborant, illos inſigni ſanguinis parte privet, cumque quem retinent, tam volatilem reddat & in celerrimum propellat motum, ut particulæ oleoſæ, ex quibus corpus humanum augetur, conglomerari & cum reliqua ſubſtantia concreſcere nequeant. Hinc Hiſpanis corpora ſunt exilia, macra & arida.

(c) *oris & corporis*) Subfuſco ſolet eſſe Hiſpanus colore, nigrumque alit capillum.

(d) *humorem melancholicum*) Hiſpanorum temperamentum ex cholera & melancholia eſt commixtum, ita tamen, ut cholera præponderet.

(e) *obnoxii*) Morbos, quibus ſunt expoſiti, Gundlingius ex temperamento eorum cholerico melancholico derivat, atque eorum ſequentes nominat; Sanguinis vomitus, pleuriſim, febres malignas, phreneſin, palpitationes cordis, colicam, eriſipelatem, conſtipationes hypochondriacas, oculorum morbos & myopſiam. Variis modis Hiſpanorum oculos affligi, ita ut viſu nonnunquam noceant, docet Mad. D'AVNOY *dans le voyage d' Eſpagne tom. II. p.* 66. 67. LANSIVS p. 397. Et hebetiori quo ſunt viſu, factum ut perſpicilla quaſi in pompam & oſtentationem ſint aſſumta. Hinc Marchio d' Aſtorga, & dux d' Oſſuna Aurelianenſi principi, Caroli II. regis Hiſpaniæ ſponſæ, obviam miſſi magnis naſos ornaverant, vel potius oneraverant perſpicillis. *Memoires de la cour d' Eſpagne p.* 129. Cum Archiepiſcopus Burgorum Aunienſem comitem in itinere Hiſpanico Buytragi commorantem viſeret, naſum perſpicillis conſtrinxerat. *Relation du voyage d' Eſpagne tom. II. p.* 51. Strumis quoque laborare dicuntur, quod aquæ calce infectæ adſcribunt.

(f) *lue venerea*) Ex itinerario comitis d' AVNOY conſtat, morbum hunc in Hiſpania frequentiſſimum & prope hereditarium eſſe, ita ut de eo utriusque ſexus perſonæ, utpote penes nos de dentium doloribus fit, loquantur.

norum virtutibus moralibus, & in his de temperaotia. Et vero temperantia duplex 1. ea, quæ exercetur circa cibum & potum, 2. quæ circa voluptates: prioris generis temperantiam optime exercere norunt Hiſpani, dum *parum comedunt & bibunt*, (a) præſertim ſi vivendum ſit ipſis propriæ crumenæ periculo, alias enim vorare & potare poſſuot. Parce vero bibunt, & plerique vivunt raphanis, lactuca, pomis &c. Poteſtis de his cum voluptate legere epiſtolas Nicolai Clenardi, qui dapſilem victum Hiſpanrum, quem ipſe faſtidiebat, jucunde deſcribit. Legi etiam poteſt liber, cui titulus: *Vita Lazarelli de Tornes.* Lepidus eſt libellus, & deſcribit Hiſpanorum arcanam vivendi rationem. Autor ejus creditur Didacus Mendoza legatus Cæſaris, qui eum ſcripſit Hiſpanice. Deinde verſus Belgice, Germanice, Italice, Gallice &c. non profecto amore Hiſpanorum, ſed ut eorum contemtus creſceret. Profuit autem *tenuis vivendi ratio* (b) Hiſpanis ad res magnas gereodas, & ſane niſi ita vixiſſent, non fuiſſent apti dominandis lodis. Hollandica certe claſſis magis morbis eſt obnoxia, quam Hiſpanica, quia omnes fere gentes Germanicæ laborant intemperantia circa victum & potum. Recte hac de re diſſerit Mariana *lib. 1. cap. IV.* Laborum atque inediæ, quibus reliquos ſuperant Hiſpani, habent patientiſſima corpora. Alterum genus temperantiæ verſatur circa voluptates Veoereas, in quo genere Hiſpani non ſunt temperantes, ſed a caſtitate abſunt maxime, usque adeo, ut libidine ſuperent omnes gentes.

Fortitudinis (c) bellicæ laus merito tribuitur Hiſpaois. Magno eoim animo ſolent pericula & labores aggredi, & in bella admodum ſunt propenſi, hinc nihil non tentare audent. Laudat etiam ob juſtitiam Hiſpanos Mariana, cum inquit, *Juſtitiæ ſunt cultores maximi* &c. Verum inter ſuos quidem ſatis ſunt *juſti*, (d) at vero erga alios ſunt iniquiſſimi. Credunt, ſibi nihil

(a) *parum comedunt & bibunt*) GVNDLING *l. c. p.* 28. *Memoires d' Eſpagne p.* 124 *Ils mangent fort peu & a peine veulent ils boire du vin. La coûtume qu' ils ont d' etre toujours ſeuls à table, contribue à les entretenir dans leur frugalité. En effet, leurs femmes ni leurs filles ne mangent point avec eux. Le maître a ſa table, & la maîtreſſe eſt par terre ſur un tapis avec ſes enfans a la mode des Turcs & des Mores. Il ne convient aucune familiarité dans leur commerce, ils ſont toujours en ceremonie les uns avec les autres, ſans jouir de cette liberté, qui fait la veritable union, & qui produit l' ouverture de coeur.* BRANTOMIVS *in vitis hominum illuſtrium* Carolum V. non niſi ter quotidie bibiſſe tradit. In quam Galli hanc Hiſpanorum frugalitatem interpretentur partem, patet ex CAROL. GARSIAE libro *de antipathia Hiſpanorum & Gallorum*, ubi ſequentia, prout illa in linguam Italicam a VILOPOGGIO translata ſunt p. 123. reperiuntur verba: *I Franceſi credono che l' aſtenerſi da queſti eccesſi, e la regola & ordine, che tengono gli Spagnuoli naſca da baſſezza, miſeria & avaritia, e ſolo per non ſpendere.* Sed hæc oon ubique recte ſeſe habere, ex ſolo Caroli V. exemplo colligi poteſt, quem non equidem avaritiæ addictum fuiſſe conſtat. Imo & in hac gente liberalitati aliquem eſſe locum, foemina illuſtris D' AVNOY *in itinerario ſuo T.* III. p. 108. teſtatur. Agens enim de reditu claſſis Hiſpanicæ ex India divitiis oneratæ, inquit: *Comme on n' y eſt pas d' humeur a theſauriſer, cette abondance d' argent, qui vient tout d'un coup, ſe repand ſur tout le monde. Il ſemble que ces ſommes immenſes ne coûtent rien, & que c' eſt un argent que le hazard leur envoye, de ſorte que les grands ſeigneurs aſſignent la-deſſus leurs creanciers, & qui les payent avec une profuſion, qui ſans contredit a quelque choſe de noble & de fort genereux: car on trouve en peu de pays une liberalité auſſi naturelle qu' en celui ci.*

(b) *tenuis vivendi ratio*) *On les a vus ſoutenir des ſieges tres longs & tres penibles, ou malgré les fatigues de la guerre, ils ne ſe nourriſſoient que de pain, fait avec du bled gaté & ne buvoient, que de l' eau corrompue, bien qu' ils n' y ait pas d' hommes au monde plus delicats, qu' eux ſur la bonne eau. On les a vus, dis je, expoſez a l' injure du tems, demi nuds, couchéz ſur la dure & malgré cela plus braves & plus fiers, que dans l' opulence & la proſperité. Il eſt vrai, que la temperance qui leur eſt naturelle, leur eſt d' un grand ſecours pour endurer la faim, quand ils y ſont reduits. Relation du voyage d' Eſpagne tom. III. p.* 108.

(c) *fortitudinis*) Militari virtute Hiſpanos olim ſatis celebres fuiſſe, conſtat. Cauſæ, ob quas a patria deſciverunt virtute, variæ enarrantur 1) bonorum ducum defectus 2) Americanæ divitiæ 3) regum Hiſpaniæ a rebus bellicis ad amores tranſitus, quorum exempla ſubditi ſecuti. Hinc graviter conqueritur CAIETANVS PASSARELLVS *de bello Luſitanico*, quod in caſtris, Luſitanis oppoſitis comœdiis & ſpectaculis indulſerint. Addit his Dom. GVNDLING *p.* 27. ſtipendiorum tenuitatem. Deniq; ſunt, qui omnem Hiſpanorum fortitudinem, etiam illam, quæ ſub Ledii ductu in Sicilia renata dicitur, ad defenſioois terminos reſtringunt.

(d) *juſti*) Hiſpanos maximopere alieni rupidos eſſe ferunt, inde frequentiſſima in iſta gente dicuntur eſſe furta. LANSIVS *in orat. contra Hiſpanos p.* 405. ſeqq. Juſtitiam in Hiſpania ſæpiſſime negligi, docet comes D' AVNOY *dans la relation du voyage d' Eſpagne tom. III. p.* 105. *Quant a Madrid, il n' y faut point chercher de plus grands voleurs que les gens de juſtice: ce ſont ceux qui s' approprient impunement les droits du Rei, & qui le pillent d' une telle maniere, qu' il ne faut pas s' étonner, s' il manque ſi ſouvent d' argent. Ils ne ſe contentent pas de faire tort a leur ſouverain, ils n' epargnent pas le peuple: & bien que les loix du pais ſoient tres bonnes & même tres equitables, perſonne ne s' en reſſent. Ceux qui les ont en main, & qui ſont prepoſez pour les executer, ſont les premiers, qui les corrompent. En donnant quelque argent à un Alcalde ou à un Alguazil, on fera arrêter la perſonne du monde la plus innocente, on la fera jetter dans un cachot & perir de faim, ſans nulle procedure, ſans ordre, ſans decret: & quand on ſort de priſon, il ne faut pas ſeulement penſer à prendre à partie cet indigne officier de la juſtice. Les gens de cette eſpece ſont ordinairement fort intereſſez par tout, mais ici c' eſt une choſe outrée, & les bons iuges ſont plus rares en ce pais, qu' ailleurs. Les voleurs, les aſſaſſins, les empoiſonneurs & les perſonnes capables des plus grands crimes demeurent tranquilement à Madrid, pourvu qu' ils n' ayent pas du bien: car s' ils en ont, on les inquiette pour le tirer. On ne fait juſtice que deux ou trois fois l' année: ils ont la derniere peine à ſe reſoudre de faire mourir un criminel, qui eſt, diſent-ils, un homme comme eux, leur compatriote & ſujet du Roi. Ils les envoyent presque tous aux mines, ou aux galeres*

nihil non in alios licere, & nulla juſtitiæ ratio habetur erga alieoos. Idem obſervavit Ariſtoteles de Lacedæmoniis, qui ſibi perſuaſerunt, non eſſe erga exteros juſtitiam exercendam, ſed eam domi eſſe colendam. Idcirco Hiſpani foris rapiunt, capiunt, diripiunt, omnia furantur, domi autem ſic ſatis ſunt juſti.

Si porro attendas virtutes homileticas, ab his Hiſpaoi plane ſunt alieni. Laborant enim *intolerabili faſtu*, (a) (ſuperbus autem noo eſt ὁμιλητικὸς) quapropter nec ipſi inter ſe, multo minus cum aliis amicitiam colunt. Eo ſunt faſtu, ut omnes præ ſe cootemnant, & quisque ſe regem eſſe exiſtimet. Similiter ſunt triſtes omnes, & oihil in illis reperias veouſtatis aut jucundi. Non ſunt jucundæ converſatioois, ſed graves & auſteri, & hoc ipſo ſibi omnium populorum odium conciliant. Quis eoim cum talibus ſuperbis hominibus amicitiam colere poteſt. Et hoc ingenio illos eſſe, ipſe Joh. MARIANA diffiteri non potuit *lib. I. cap. VI.* Noſtra ætate noo ſunt tam bellicoſi, quam hactenus, et laudem fortitudiois bellicæ amittunt &c. Multo magis hoc diceret Mariana, ſi hodie viveret, mortuus autem jam eſt 40. præter propter annos. Pergit ille: *obſequio principum* (b) rapiuntur in ſervitutem &c. Obſervandum hic, Marianam ſuiſſe libertatis ſtudioſiſſimum, ideoque ſæpe indigne eum de Rege ſuo loqui. Pergit: quicquid alibi corruptum per partes, quaſi confuſis omnibus vitiis in mores Hiſpanicos invaſit, morum auſteritate, vultus ſeveritate, arrogantia & ſuperbia omoium odium ſuſtineot.

---

leres, & quand ils font pendre quelque miſerable, on le mene ſur un ane, la tête tournée vers la queue. Il eſt habillé de noir, on lui tend un échafaut, ou il monte pour haranguer le peuple, qui eſt à genoux tout en larmes, & qui ſe donne de grands coups dans la poitrine. Apres avoir employe le tems, qu'il veut, à parler, on l'expedie gravement: & comme ces exemples de juſtice ſont rares, ils font beaucoup d'impreſſion ſur ceux qui les voyent.

(a) *intolerabili faſtu*) Hiſpani ſuperbia omnes aliaa ſuperant gentes, cujus radix in temperamento cholerico eſt quærenda. Sunt, quæ probando buic argumento inſerviunt *dans la relation du voyage d'Eſpagne tom. II. p.* 63. *tom. III. p* 113. *p.* 122. Cum Archiepiſcopi Burgorum coquus, imperata domini, ut comiti d'Aunoy cibi aliquid ex archiepiſcopali præberetur olla, facere nollet, & a rebua oeconomicis archiepiſcopalibua præfecto obinde coargueretur, reſpondit: *No puedo pacer la rina ſiendo Chriſtiano viejo hidalgo como el Rey, y poco mas.* i. e. Reprehenſiones tales pati non poſſum, cum veterum Chriſtianorum ſanguine ſatus, nobilitate regi æqualis ſit, imo ipſum gradu aliquo in nobilitate ſuperet. Sutoris ſtultum ſaſtum in emendis tribus Salomonis libris, licet tribua conſtarent thaleris, ut ſaltim venditricis a ſe averteret opinionem, quæ ſibi perſuaſerat, eum nec unam libram piſcis illius uno redemturum unciali, comes D'AVNOY *p.* 113. *l. c.* ſatis mirari non poteſt. Spectant huc, quæ *l. c. tom. II. p.* 65. habet: *Il eſt vrai que les Eſpagnols ſoutiennent leur indigence avec un air de gravité.* Imo & mendici ab hoc vitio non ſunt immunes. *Les pauvres meme*, inquit Comes D'AVNOY, *ont de la gloire & quand ils demandent l'aumone c'eſt un air imperieux & dominant. Si on le refuſe, il faut que ce ſoit avec civilité en leur diſant: cavaliere perdone uſted non tengo moneda: cela veut dire cavalier pardones moi, je n'ai point de monnoye.* LANSIVS *in oratione contra Hiſpaniam* ex BARCLAII *Euphormione* hæc habet: *Sutori cuidam & egeno cum jam fata inſtarent, aderat filius in paternam ſortem natus. Is cum rogaſſet, ecquid ſibi deceſſurus preceptorum relinqueret, jam defecta voce pater: ut, inquit, memineris in majeſtatem tua familia dignam aſſurgere.* vide plura apud LANSIVM *l. c p.* 395. ſeqq. ubi refert quoque, quæ BARCLAIVS *in icone animorum p.* 83. 84. habet. Adde GVNDL. *l c. p.* 35. 36. Memoranda etiam hic ſunt, quæ ſæpe laudata D'AVNOY *l. c. tom. III. p.* 114. habet: *On ne voit pas un menuiſier, un ſellier, ou quelque autre homme de boutique, qui ne ſoit habillé de velours & de ſatin comme le Roy, ayant la grande epée, le porgnard & la guitarre attachée dans la boutique. Ils ne travaillent, que le moins qu'ils peuvent, & je vous ai deja dit plus d'une fois, qu'ils ſont naturellement pareſſeux. En effet il n'y a que l'extreme neceſſité, qui les oblige de faire quelque choſe, alors ils travaillent les dimanches & les fetes ſans façon, tout comme les autres jours.* Ex ambitione itaque, cui Hiſpani ſunt addictiſſimi, multi propullulant effectus, qui buic genti inprimis conveniunt. His accenſenda multorum titulorum congeries & ceremoniarum ſolennitatumque multitudo, quem morem Hiſpani deinde ad alias transmiſerunt gentes. Huc quoque ſpectat, quod inſtitutorum penes majorea receptorum, avitæ religionis & philoſophiæ antiquæ ſint tenaciſſimi. Nec reges ab inſtitutis & moribus, qui anteceſſoribus ſuis, inprimis Carolo V. in uſu fuerunt, facile diſcedunt. *Relation du voyage d'Eſpagne tom. III. p.* 107. 221. 222. Ex eodem fluit principio, tam quod nimiam affectent gravitatem, & omnem propemodum fugiant converſationem, ne nimium familiares aliis fiant; *Antipatia d'Franceſi & Spagnuols p.* 127. quam quod vindictæ avidiſſimæ ſint; ſibi namque perſuaſum habent, ultione mactandum eſſe, qui tantorum meritorum virum Hiſpanum nempe offendit. *Relation du voyage d'Eſpagne tom.* III. p. 77. 78. Et ſi hæc deductio aliquid forte ex coacto haberet, negari tamen non poteſt, ultionis cupiditatem æque ac zelotypiam cum ſuperbia choleram commune habere principium. Quod autem Hiſpani zelotypiæ maxime ſint dediti, dubio procul eſt, quanquam foeminæ earumque amatores maritorum vigilantiam eludere noverint. *Antipatia d'Franceſi & Spagnuols p.* 127. *Relation du voyage d'Eſpagne tom.* III. p. 77. 78. 132. 137. ſeqq. Nec minus ſuperbiæ, aut ad minimum coleræ, adſcribendum eſt, quod ſilentio maxime ſtudeant, cum enim alias gentes raro pectoris arcana celare videant, & in eo quoque ab iis ſe diſtinguere annituntur, quod ſecretorum admodum ſint patientes. GVNDLING *l. c. p.* 45.

(b) *obſequio principum*) Nulla gens Hiſpanos obſequio in principem ſuum vincit, ſibique perſuaſum babent, ſuum regem omnes alios nobilitate & dignitate antecedere. Atque boc reges quoque in ſingulares, multum ex alto trahentes faſtu, mores egit. Sic Philippus III. ex ardentibus prunis calidam contrahere maluit febrem, & ereſipelatem, quæ degenerarunt in purpureas maculas & ejus mortem, quam eas in foco, qui appoſitus erat, removere, aut in alium conclavis illius ſe conferre locum. Mirandum hic quoque, quam tenaces ſint Hiſpani partium, quæ officia ſua conſtituunt; nam Marchio de Pobar & Albæ dux, qui regi aderant, ipſum prunarum ardoribus vultum ejus vehementiſſime afficientibus permittere, quam in removendo foco ea, quæ ad abſentis ducis d'Uſeda munus ſpectare dicebant, implere voluerunt. *Relation du voyage d'Eſpagne tom.* II. p. 15. 16. Peculiare quoq; eſt, quod nemo reginam in terram forte prolapſam præter regem erigere aut ei auxiliatrices præbere manus poſſit. *Relation du voyage d'Eſpagne tom.* III. p. 227. Vidua regis & pellex, quam deſerit, ſe monaſterio mancipare coguntur, nec equus, cui rex una ſaltim inſedit vice, in alterius adhiberi poteſt uſus. *Relation du voyage d'Eſpagne tom.* II. p. 123.

ſtinent. Profitetur hic ingenue Mariana, Hiſpaniam eſſe ſentinam vitiorum omnium, eamque ſuſtinere odium omnium. Eodem omnes fere Hiſpani ſunt animo, quod non eſt mirum, ſiquidem ſupra dictum eſt, temperaturam corporum omnium Hiſpanorum eſſe pæne eandem; quod ſi verum eſt, & vera corporis temperatura inclinat animum ad hoc vel illud vitium, ad hanc vel illam virtutem; non mirum ſane eſt, etiam Hiſpanos omnes, cum ſint eadem corporis temperatura, animo etiam eſſe eodem. Quod Hiſpani ſupra modum ſint arrogantes & ſuperbi, oſtendit BOTERVS homo Italus, ex quo deſcripſit quædam JOAN. DE LAET *c.* 3. Idem hoc etiam oſtendit BARCLAIVS Scotus & omnes denique Hiſpanicarum rerum ſcriptores. Igitur omoium populorum & ſcriptorum judicio conſtat, Hiſpanos eſſe maxime arrogantes & ſuperbos, & per conſequens non idoneos eſſe ad amicitiam colendam. Quia porro Hiſpani ſunt melancholici, hinc fit, ut nihil temere moliantur, ſed tardi ſint, & melancholicus iſte humor ipſis pro cote eſt, Ita ut non ſint leves, & non facile mutent animum, ſed ſint *pertinaciſſimi*, (a) & propoſiti tenaciſſimi, qua ratione efficitur, ut alios homines quando facile alicujus rei tædium capit, pertinacia ſua ſuperent. Sic Galli ſunt leves, ideoque eos facile capit tædium laborum: hos autem quamvis victores, tamen pertinacia ſua ſæpe frangunt Hiſpani, ita ut Galli victores cedant Hiſpanis victis. Et ſane niſi proximis his bellis Italicus *Cardinalis Mazarini*, (b) moderans Gallicam levitatem acceſſiſſet ad Gallos, nunquam tanta geſſiſſent; jam vero cum regerentur Galli ab homine Italo, qui proxime ad naturam Hiſpanorum accedebat, magna geſſerunt Galli. Quod ſi committas omnem rem Gallo, hic etiam victor tameo cedet victi Hiſpani pertinaciæ. Quod attinet liberalitatem, Hiſpani *minime ſunt liberales*, (c) ſed *rapaces*, (d) avari, prodigi tantum in iis, quæ ad ſuperbiam faciunt: hinc in veſtimeotis ſunt immodici, hæc enim faciunt ad ſuperbiam & oſtentationem foris, alias domi ſatis ſunt parci, foris autem, præſertim ſi aliena quadra vivere debeot, valde ſunt magnifici. Obſervavit hoc egregie *in icone animorum* BARCLAIVS, (quod mirandum opus ſcripſit juvenis XXV. annorum) adduxit ex eo quædam Joh. de Laet. Hæc de virtutibus & vitiis Hiſpanorum moralibus.

Agendum jam de intellectualibus. Quia Hiſpani ſunt animo valde elato, hinc præcipue appellant animum ad rem & prudentiam bellicam, & hoc eo magis, quia ex re bellica gloriam facile & opes parare poſſunt. Igitur ex omnibus artibus nullam magis exercent quam bellicam, & profecto hac parte valent, niſi quod hodie fiant molliores, fracti ſcilicet luxuria & mollitie per opes inventas, ita etiam de illis loquitur Mariana. *Artes mechanicas haud temere exercent, nec etiam agriculturam*, & hinc eſt, quod Hiſpaoia deſtituatur opificibus & agricolis, & per conſequens arte factis, & evehi patiatur interea, quæ ſolent evehi rudia & infecta, veluti lanam. Quodſi rebus ſuis proſpicere vellent, ipſi deberent lanificio operam dare, & pannos evehere, majori lucro id fieret. Efferri etiam patiuntur ſericum infectum. Tantum in Catalonia, quod notandum, reperitur copia opificum, ſed Gallicæ, & noo Hiſpanicæ originis, qui colunt agrum, & ibidem exercent opificia. Hiſpanos ipſos opificia exercere, agrum colere non videas, indignum enim ſua ſuperbia, talia facere, putant. Paoni & ſerica, quæ in Hiſpania conficiunt, conficiuntur maxime opera Gallorum; nam in *Catalonia & Valentia* (e) ea eſt Gallorum copia, ut illorum lingua propius accedat ad Gallicam.

Quod

(a) *pertinaciſſimi*) Pertinacia partim a cholera, partim a melancholia dependet. THOMASII *fundamenta juris nat. & gent. c. III.* § 59.

(b) *Cardinalis Mazarini*) Vid. *Lettres du Cardinal Mazarin.*

(c) *minime ſunt liberales*) Eorum avaritia melancholico, quo laborant, temperamento eſt adſcribenda; cholera autem, quæ ſæpe in eis prædominatur, efficit, ut in ſplendorem & liberalitatem ſint effuſi, inprimis autem ſe eccleſiis & hoſpitalibus beneficos præbent. *Diſſertation des moeurs des Eſpagnols p.* 127. Faſtus igitur & nauſea ad conficiendas res, quæ manufactorum nomine veniunt, cauſantur, quod omnes fere divitiæ, quæ ex India in Hiſpaniam deferuntur, ad alias transeant gentes. *On remarque*, inquit Madame D' AVNOY *l. c. tom. III. p.* 103. *qu' il vient des Indes tous les deux ans plus de cent millions de livres, ſansque le quart entre dans les coffres du Roy d' Eſpagne. Ses threſors ſe repandent dans toute l' Europe, les Francois, les Anglois, les Hollandois & les Genois en tirent la meilleure partie. Il ſemble, qu' il n' eſt pas d' une politique aſſez raffinée, qu' eſt celle des Eſpagnols, de conſommer leurs propres ſujets a tirer l' or des mines, pour en laiſſer profiter des nations, avec leſquelles ils ſont bien ſouvent en guerre, mais la pareſſe naturelle, qui les empeche de travailler, & d' avoir ches eux de manufactures les obligent, d' avoir recours a ceux, qui peuvent fournir, des marchandiſes pour ce prix la.* Solent itaque Galli Hiſpanos mulis comparare, qui auro in aliorum uſus onerantur.

(d) *rapaces*) *Archontologia p.* 191. *Diverſes obſervations ſur les moeurs & maximes des Eſpagnols p.* 126.

(e) *parte valent*) Armorum ſtudio potiſſimum celebrantur Catalauni, & quidem a ſilveſtribus montium partibus oriundi, qui Micholetti dicuntur. SIRI *tom. II.* p. 39. BOSII *notitia Hiſpania* p. 141. LANSIVS *in orat. pro Hiſpania p.* 222. ſeqq. Bellicæ rei gloria apud ipſos, ut bellorum præludium, pugnas cum tauris peperiſſe nonnullis videtur. Afri cruentorum horum ludorum autores eſſe traduntur. Confer. de iis *relation du voyage d' Eſpagne tom.* III. p. 23. ſeqq. *& le Mercure Eſpagnol p.* 6. ſeqq.

(f) *Catalonia & Valentia*) LANSIVS *in orat. contra Hiſpaniam p.* 367. Quod autem tantum laborum, imprimis exercendi agri Hiſpanos tædium ceperit, inde potiſſimum provenire ſupra monui, quod ſe nobiliſſimos mortalium talia non decere arbitrentur. Hic recenſeri merentur, quæ habet BOCCALINI *centuria ſeconda ragguaglio XLIII. p.* 142. *Che a ſua maeſtá al pari della ſteſſa ignoranza faceva nauſea il ſapere, che in uno regno principaliſſimo d' Europa, ſi trovaſſero ſudditi di tanta vanitá, e boria, che con la ſuperbia pretenſion della nobilitá loro tant oltre foſſero arrivati, che fino ardiſſero dire, che coſi erano nobili, come lo ſteſſo re.* Quod autem ad peregrinos in Hiſpania artifices attinet

eorum

Quod ſcieotias attinet, notum eſt eas eſſe varias; alias eſſe magis amœnas, alias ſeveras & triſtiores. Inter has quam maxime amant Hiſpani triſtiores, & eas excolunt felicisſime, reliquas amœniores vero *faſtidiunt.* (a) *Ab homine Gallo* (b) hoc fruſtra exſpectes, qui præ aliis eligit ſcientias amœniores. Hinc apparet, ab Hiſpanis illam partem Theologiæ, Jurisprudentiæ & *Philoſophiæ* (c) quam maxime excoli, quæ eſt magis triſtis, & multis meditatiooibus, magna opera, magnoque labore indiget. Quod Theologiam attinet, ea ab Hiſpanis potiſſimum excolitur, quam veteres dixere *Scholaſticam*, (d) & ſane in tota Europa nusquam invenias ſubtiliores Scholaſticos, quam in Hiſpania. Sæpe miratus ſum, qui factum fuerit, ut hæc pars Theologiæ tantos in Hiſpania fecerit progreſſus: obſervavi id autem in lectione DOMINICI de BANNES Hiſpani, ordinis Dominicani, in Theologia Scholaſtica plane excellentis. Hic ſtatim ſub initium comment. *in part. I. Theolog. D. Thomæ de Aquin.* prolixe diſſerit, quomodo Theologia Scbolaſtica cœperit & progreſſus fecerit in Hiſpania. Tribuit id FRANC. VICTORIÆ Hiſpano, qui eam hauſit Pariſiis, tanta felicitate, ut etiam ſuos præceptores longe ſuperaverit, quia ejus ingenium, utpote quod erat triſte pro natura Hiſpaoorum, aptius erat excolendæ huic parti Theologiæ, quam Gallorum. Extat hujus Victoriæ liber titulo *relectionum*, qui inſigni ſane non tantum uſui eſſe poteſt Tbeologis, ſed etiam Jurisconſultis, quia de rebus moralibus accuratiſſime & ſubtiliſſime diſſerit, ita ut ego ounquam librum illum, niſi cum admiratione legere poſſim. De uſuris, de jure belli, de jure regis Hiſpaniæ in Indos diſſerit peregregie, & omoia, quæ adſert ille, valde ſunt docta. Vixit autem hic Victoria ante annos præterpropter 150. His initiis cœpit Theologia Scholaſtica in Hiſpania. Primus enim Victoria cœpit agitare moralia. Hodie ſane in Hiſpania adeo operoſe & ſubtiliter Theologia & Philoſophia excutitur, ut hæc res fidem peoe ſuperet. Ad hæc enim ſtudia populus hic eſt ingenio ſubtili & laboribus ſubacto. Fruſtra autem tu talia expectares ab homine Gallo, Germano aut Batavo, quia borum ingenium talibus *non eſt aptum.* (e) Ideoque ſæpe miror, Hugonem Grotium adeo proficere potuiſſe in hoc genere præter ſolitum. Fuit autem ingenium Grotii ſingulare. Quod tamen io Philoſophia morali excelluerit præter modum, ut etiam condiderit incomparabile illud opus *de jure belli & pacis*, debet lectioni Jurisconſultorum Hiſpanicorum, Ferdinandi Vasquii & Didaci Covarruviæ. Hi autem uſi ſunt præceptore *Fran-*

---

eorum numerus 20000. impleviſſe dicitur. *Voyage d' Eſpagne de anno* 1667. p. 132. Allegabat quoque Ludovicus de Haro, ut Hiſpaniæ principis Ludovici XIV. matrimonio deſtinatæ diſceſſus remoram excuſaret, artificum, qui veſtimentis & apparatui conficiendis adhibendi eſſent, penuriam. Nec plane fictam hanc fuiſſe cauſam, Cardinalis deinde ab Antonio Pimentelio percepit. *Lettres du Cardinal Mazarin p.* 217. 218. modo huic tuto fides haberi potuerit.

(a) *faſtidiunt*) Hinc Hiſpanorum poeſis amœnitate, quam in aliis habet gentibus, deſtituitur, & comœdiæ eorum peregrinis harum rerum peritis riſum excitant. *Relation du voyage d' Eſpagne tom. III. p.* 21. *Diſſertation de Monſ. C. ſur le genie des Eſpagnols pour les lettres p.* 118. 119. ubi inquit: *point de chronologie, point de geographie, point d' art poetique, point d' oratoire, tout leur fait n' eſt que Agudezas & en cela ils font conſiſter le merite de l' eſprit — pour voir combien les Eſpagnols ſont ridicules en matiere des comedies, il ne faut que lire el arte nueva de comedias, de leur Coryphée Lopez de Vega, ou il tombe en termes formels de ſa barbarie.* Nec præclaris Hiſpania gaudet hiſtoricis, ſi Marianam & paucos alios excipias. Quod autem ad amœniora illa ſtudia parum ferantur, & rariſſime in eis excellant, indoli eorum eſt adſcribendum, quæ a cholera & melancholia agitatur, & ſic in res judicii & ingenii acuminis magis, quæ profundam requirunt meditationem, quam in ea, quæ ſunt ingenii velocis & amœni, quod ſanguineis ineſſe ſolet, propendent, & in iis excellunt. Nec ab uno aut alio, qui inter Hiſpanos forte ingenio tali pollet, ad totam gentem argumentari poſſumus. Id ſaltim dolendum, a quampluriinis Hiſpania, inprimis illuſtri loco natis, animi & ſtudiorum cultum negligi. *Relation du voyage d' Eſpagne tom. III. p* 88. ſeqq.

(b) *Ab homine Gallo*) Hic ſanguine plerumque abundat, & obinde ad amœniora illa ſtudia, quæ ab iis *belles lettres* vocantur, & non tam judicium & meditationem requirunt, quam ingenium, fertur. Ad meditationes enim profundas, quæ continuam ſeriem & temporis tractum poſtulant, propter nimiam ſanguinis volubilis copiam, quæ non patitur, ut diu uni inhæreat rei, eſt inidoneus.

Ex temperamentis igitur Hiſpanorum & Gallorum diverſis, diverſi propullulant effectus, qui in antipathiam deſinere ſolent. Talem revera inter Hiſpanos & Gallos dari, contra Baylium celeb. Gundlingius probatum ivit. LA MOTHE LE VAYER qualitatum inter Gallos & Hiſpanos diverſarum, in diſcurſu *de la contrarieté d' humeur, qui ſe trouve entre des certaines nations & ſingulierement entre la Françoiſe & l' Eſpagnole*, meminit. Libello, in quo non una debet CAROLO GARSIA *de antipathia Gallorum & Hiſpanorum*, autorem affinxit Fabricium Campolini Veronenſem. Gallicorum & Hiſpanicorum morum diverſitas quodammodo apparuit in Ludovici XI. Galliæ & Henrici Caſtiliæ regis conventu. *Memoires de Comines liv. II. ch. VIII. Lettres du Cardinal Mazarin p.* 46. & *je n' eſpere pas*, inquit Cardinalis, *veu la contrarieté de ces deux nations, que quelque paix que ſe faſſe jamais nous nous puiſſions rencontrer habillés de la meme façon.*

(c) *Philoſophiæ*) Sub philoſophiæ profundioris larva ſæpe ſomniis & viſionibus ſe permittunt. *Cette grande retraite les livre a mille viſions, qu' ils appellent philoſophie, ils ſont particuliers, ſombres reveurs, chagrins jaloux, au lieu que, s' ils tenoient un autre conduite, ils ſe rendroient capables de tout, puisque ils ont une vivacité d' eſprit admirable, de la memoire, du bon gout, du jugement, de la patience &c.* Laudatur hic ingenium vividum & memoria. Hac pollere ſolent melancholico præditi temperamento; per ingenium autem vividum hic acutum, quod propius ad judicium accedit, non amœnum illud, quod Gallis ineſſe ſolet, intelligendum puto.

(d) *Scholaſticam*) GUNDLING *in otiis part.* I. p. 49. LANSII *oratio pro Hiſpania. p.* 235. ſeqq.

(e) *non eſt aptum*) Sed nec Germanis talis deeſſe ingenia, Puffendorfius & Thomaſius aliiq; ſatis oſtendunt: largibe tamen, moralis philoſophiæ ſtudium non ita in Germania excoli, quam olim in Hiſpania factum eſt; & Hiſpanorum ſubtilia ingenia ad quæſtiones illas ſpinoſas, plerumque tamen inutiles, magis quam Germanorum aut Gallorum ingenia apta eſſe.

Franciſco Victoria. (a) Et hi etiam ſæpius in opere Grotiano adducuntur. Jurisprudentia Hiſpanica longe alia eſt ab Gallica: hic enim tantum laudantur Cuiacius, Hottomannus, Balduinus &c. qui amoeniora libris ſuis interdum inſperſerunt; in Hiſpania autem quam maxime excolitur Jurisprudentia naturalis, quæ nullibi felicius diſcetur, quam in Hiſpania. Et hoc omne Hiſpania debet Victoriæ. Par ratio eſt Philoſophiæ. Nam moralem Philoſophiam quam *maxime excolunt.* (b) Qui igitur ad ſubtiliſſimam Philoſophiæ moralis cognitionem adſpirat, comparet ſibi Hiſpanos: Germani enim & Galli ſi cum his conferantur, nihili ſunt. Hac ratione etiam eſt factum, ut Hiſpani feliciter excoluerint Metaphyſicam, quia ad hanc requiritur ingenium aliquantum triſte. In Phyſica vero ſunt pueri, quia eius ſtudium eſt amœnius. Hinc etiam Medicina ea ſaltim parte, qua triſtior eſt, ab illis excolitur, qua vero parte eſt amœnior, ab illis negligitur. Hæc etenim eſt ratio, quod humaniores literæ plane frigeant in Hiſpania. In tanto hominum numero vix unum aut alterum laudaveris, qui literas excoluerit. Agnoſcit & hoc Mariana, qui alias ſatis fuit inſtructus *bonis literis.* (c) *Cultus*, inquit, *humaniorum literarum deſideratur.* BARCLAIVS idem agnoſcit *part.* 4. *c.* 7. cum inquit: *In Hiſpania non latinæ eloquentiæ ſtudium viget, non venuſtas poetices, non hiſtoriæ, priſcorumque rituum utilis & robuſta lepiditas &c.* Inter Hiſpanos Theologos habemus hominem Ciceroniane doctum MELCHIOREM CANVM: extat ejus opus inſigne ſub titulo *locorum communium.* Hac ratione etiam factum eſt, ut, cum Philippus IV. inſtinctu Jeſuitarum academiam regiam conderet in urbe Madritienſi, in univerſa Hiſpania, ne quidem inter Jeſuitas ipſos, ullus ſit repertus, qui aptus eſſet humanioribus literis: ex Gallia itaque fuerunt accerſendi. Igitur præter unum Marianam neminem novi hiſtoricum, qui literas humaniores fuiſſet edoctus. In univerſum tamen artibus & ſcientiis ſua in Hiſpania ſunt præmia. Non quidem tam numeroſas habet Hiſpania academias, quam Germania, habet tamen longe opulentiores, & cumprimis collegia Jeſuitarum ſunt opulentiſſima, quæ inſtitutioni juventutis ſunt conſecrata. Memorat ALPHONSVS DE VARGAS, ſub quo nomine latere videtur CASPAR SCIOPPIVS *de ſtratagematibus Jeſuitarum*, libro perquam eleganti & pleno bonæ frugis, Jeſuitas in Hiſpania reditus habere annuos decies centena millia aureorum; (eine Million Goldes) & rex hodiernus Philippus IV. inſtituens academiam Madritienſem ante annos præterpropter 40. indulſit annuos reditus 10000. aureorum, quos reditus non habet ulla academia Germaniæ. Si quis legat rationem academiarum Hiſpaniæ, non poterit ſatis mirari, quanto in honore habeantur Profeſſores, & quam laute tractentur. Hæc de virtutibus *moralibus* (d) & intellectualibus Hiſpanorum.

Cauſam

(a) *Franciſco Victoria*) Fuit ordinis S. Dominici: prælectiones ejus, quibus Grotium multa debere dicunt, magno redimuntur pretio. MORHOFII *polyhiſt. tom.* II. p. 98.

(b) *maxime excolunt*) Recte Gundlingii l. c. ſeſe habet cenſura, quod nimium ſæpe minutiis & inutilibus ſubtilitatibus extricandis ſe addicant. Inter moralis Philoſophiæ doctores, quorum multitudine laborant, celebriores ſunt Vaſquez, Henriquez, Roderiquez, Ferdinandez, Dicaſtillo. Nec male hujus generis libris annumeres Quixoti ſive Michaelis Cervantis ſatyram, qua ſub comici libri larva popularium ſuorum audaciam, quæ fortitudinem aut imitatur aut mentitur, altum, quo turgent, faſtum & vanam jactantiam traducit.

(c) *bonis literis*) Sed hic in Gallia literis operam navavit.

(d) *moralibus*) Conducet, quæ ab autore noſtro & aliis de Hiſpanorum animi & corporis habitu ſparſim proſequuntur, una ſerie & in compendio Comitis d' Aunoy verbis, quæ ſe hæc ex Friderici ſocii cujuſdam itineris Hiſpanici relatione hauſiſſe dicit, verbis adſcribere: *Les Eſpagnols ont toujours paſſé pour etre fiers & glorieux. Cette gloire eſt mêlée de gravité; & ils la pouſſent ſi loin, qu' on peut l' appeller un orgueil outré. Ils ſont braves ſans être temeraires, on les accuſe même de n' être pas aſſez hardis. Ils ſont colères, vindicatifs ſans faire paroître d' emportement, liberaux ſans oſtentation, ſobres pour le manger, trop preſomtueux dans la proſperité, trop rampans dans la mauvaiſe fortune. Ils adorent les femmes, & ils ſont ſi fort prevenus en leur faveur, que l' eſprit n' a point aſſes de part au choix de Maitreſſes. Ils ſont patiens avec exces, opiniatres, pareſſeux, particuliers, philoſophes; du reſte gens d' honneur & tenant leur parole au peril de leur vie. Ils ont beaucoup d' eſprit & de vivacité, comprennent facilement, s' expliquent de même & en peu de paroles. Ils ſont prudent, jaloux ſans meſure, deſintereſſez, peu oeconomes, cachez, ſuperſtitieux, fort catholiques, du moins en apparence. Ils font bien de vers & ſans peine. Ils ſeroient capables des plus belles ſciences, s' ils daignoient s' y appliquer. Ils ont de la grandeur d' ame, de l' elevation d' eſprit, de la fermeté, un ſerieux naturel, & un reſpect pour les Dames, qui ne ſe rencontre point ailleurs. Leurs manieres ſont compoſées, pleines d' affectation; ils ſont entetes de leur propre merite, & ne rendent presque jamais juſtice à celui des autres. Leur bravoure conſiſte à ſe tenir vaillamment ſur la defenſive, ſans reculer & ſans craindre le peril, mais ils n' aiment point à le chercher, & ils ne s' y portent pas naturellement; ce qui vient de leur jugement plûtôt, que de leur timidité. Ils connoiſſent le peril & ils l' évitent. Leur plus grand defaut, ſelon moi, c' eſt la paſſion de ſe vanger & les moyens qu' ils y employent. Leurs maximes la deſſus ſont abſolument oppoſées au Chriſtianiſme & à l' honneur, lorsqu' ils ont receu un affront, ils font aſſaſiner celui qui le leur a fait. Ils ne ſe contentent pas de cela; car ils font aſſaſiner auſſi ceux qu' ils ont offenſez, dans l' apprehenſion d' être prevenus, ſcachant bien, que s' ils ne tuent, ils ſeront tuez. Ils pretendent, s' en juſtifier, quand ils diſent, que leur ennemi ayant pris le premier avantage, ils doivent s' aſſeurer du ſecond. Que s' ils y manquoient, ils feroient tort à leur reputation; que l' on ne ſe bat point avec un homme, qui vous a inſulté; qu' il ſe faut mettre en état de l' en punir, ſans courir la moitié du danger. Il eſt vrai, que l' impunité autoriſe cette conduite: car le privilege des egliſes & des convents d' Eſpagne, eſt de donner une retraite aſſurée aux criminels; & tout autant qu' ils le peuvent, ils commettent leurs mauvaiſes actions proche du ſanctuaire, pour n' avoir guére de chemin a faire juſqu' a l' autel. On le voit ſouvent embraſſé par un ſcelerat le poignard encore à la main, tout ſanglant du meurtre, qu' il vient de commettre. A l' egard de leur perſonne, ils ſont fort maigres, petits, la taille fine, la tête belle, les traits reguliers, les yeux beaux*

Google

Cauſam virtutum & vitiorum, ideoque indolis Hiſpanorum HVGO GROTIVS *lib. 1. annalium* non dubitavit adſcribere Gothis. Audiviſtis autem, Gothos ad internecionem eſſe caeſos, & Gothici ſanguinis nihil, vel parum ſupereſſe. Quod vero Hiſpani ſuperbiam ſuam non debeant Gothis, poſſum autorem dare JVLIVM FIRMICVM inſignem mathematicum, qui vixit tempore Conſtantini M. & dudum, antequam Gothi in Hiſpaniam commigraverunt. Ejus verba *lib. 1. c. 1.* hæc ſunt: *Hiſpani elata jactantia, animo ſunt præpoſtero &c.* Conſ. *cap.* 10. Fuiſſe jam olim conſiliorum pertinaces, liquet ex hiſtoria Romana: non enim legas ullos ea fuiſſe pertinacia, quam Numantini & Saguntini; hi quomodo ſe Carthaginenſibus, illi quomodo ſe Romanis oppoſuerint, non certe ſine ſtupore & admiratione leges. Non reperies talem pertinaciam in ulla gente, niſi apud Judæos tempore Veſpaſiani. Omnino autem ego maneo in ea ſententia, deberi omne nativo Hiſpanorum ingenio, & vero hodie in Hiſpania non reperitur aliquid ſanguinis Punici aut Gothici. Priusquam hoc argumentum deſeram, adducam duas hiſtoriolas ex icone animorum Joh. Barclaji. Is ita *c.* 7. ſcribit: *In ultima paupertate ſupercilium non amittunt. Sutori & egeno, cum jam fata inſtarent, aderat filius in paternam ſortem natus. Is cum rogaſſet, ecquid ſibi deceſſurus præceptorum relinqueret, jam defecta voce pater: ut memineris in majeſtatem adſurgere familia tua dignam.* Ea eſt ſutoria majeſtas. Altera eſt de muliere mendica Hiſpanica ſatis vix centonibus tecta, quam Gallus quidam a trium liberorum onere, qui eam, ſtipem collectitiam quærentem comitabantur, quodammodo liberare voluit, majorem natu ſibi ad ſervitia ejus ætati paria depoſcens, ita ut adultior factus ſumtibus Galli artificio quodam imbueretur. Sed mulierculæ ſatius viſum, ſi ita fata tulerint, filium ſuum inedia exſtingui, quam ad ſervitutem, ſub externo præcipue domino, egregiis hominibus indignam accedere.

Supereſt, ut jam aliquid dicamus de religione Hiſpanorum. In univerſum pronunciare licet de animo Hiſpanorum erga religionem, quod jam diſſeruimus de iis reſpectu reliquarum virtutum. Deprehendimus enim eos eſſe circa religionem pertinaciſſimos conceptarum ſententiarum, ſæviſſimos item erga diſſentientes. Initio in Hiſpania obtinuit idololatria, & tum temporis ſuperſtitioſiſſime coluerunt ſua idola, ita ut Hiſpania intuitu reliquarum regionum habita fuerit religioſiſſima. Poſteaquam Apoſtoli prædicarunt evangelium, atque ita orbis de idololatria ad pietatem eſt deductus, in Hiſpania ſeminatum eſt evangelium, ſed initio exiguo cum fructu, ita ut nusquam terrarum minus incrementi coeperit Chriſtiana religio, quam in Hiſpania: poſtea tamen paulatim, quamvis difficillime, Hiſpania Chriſtiana religione eſt imbuta. Quibus auctoribus evangelium in Hiſpania ſit ſeminatum, eſt incertum. Ipſi tamen Hiſpani olim aliquamdiu non dubitaverunt jactare, ſe a Jacobo Apoſtolo accepiſſe evangelium, & dicunt, illum eſſe *Compoſtellæ* (a) in Gallicia ſepultum, quapropter per aliquot ſecula multæ & magnæ peregrinationes ſuſceptæ ſunt Compoſtellam ex variis regionibus, imo ex ipſa Germania peregrinati ſunt eo, nach St. Jacob. Redeuntes incedere ſolent amicti multis conchyliis, quas legunt in littore & quidem capite viridis terræ. Aliquamdiu dico hoc de St. Jacobo creditum eſt, interim tamen eſt figmentum; quin etiam non defuerunt in ipſa Hiſpania, qui omne id de S. Jacobo crediderunt eſſe fabulam. Etenim cum Epiſcopus Compoſtellæ gloriaretur hac de re, & propterea reliquis ſe vellet præferre, Epiſcopus Toletanus ſe illi oppoſuit, & omne id de S. Jacobo figmenti coepit accuſare. Ipſe Baronius, qui alias fabularum eſt rigidus defenſor, has fabulas de S. Jacobo liquido non audet affirmare, ſed eas tantum proponit in utramque partem, ut nil certi hac de re ſtatuat. Idem facit in ſuo martyrologio ad diem XXV. Julii, qui eſt Jacobo ſacer. Diſerte

beaux, les dents aſſez bien rangées, le tein jaune & bazanne: ils veulent que l' on marche legerement, que l' on ait la jambe groſſe, & le pied petit, que l' on ſoit chauſſe ſans talon, que l' on ne mette point de poudre, qu on ſe ſepare les cheveux ſur le côté de la tête, & qu' ils ſoient coupez tous droits & paſſez derriere les oreilles, avec un grand chapeau double de taffetas noir, une Golille plus laide & plus incommode qu' une Fraiſe, un habit toujours noir, au lieu de chemiſe, de manches de tafetas ou de tabis noir, une epée etrangement longue, un manteau de friſe noir par la deſſus, de chauſſes tres étroites, des manches pendantes, & un poignard. En verité tout cela gâte à tel point un homme, quelque bien fait qu'il puiſſe être d' ailleurs, qu'il ſemble qu' ils affectent l' habillement le moins agreable de tous & les yeux ne peuvent s' y accoûtumer. Quod impetus Hiſpanorum militaris defenſionis limites vix excedat, & hæc ſuadent, quæ habet autor obſervationum *ſur les moeurs & les maximes des Eſpagnols*, ubi inquit: *La guerre eſt un metier, ou ils ſont fort peu enclins & meſme ils le mepriſent; l' on void ſur tout fort peu de perſonnes de qualité l' embraſſer, croyant qu' il eſt plus convenable a leur gravité de demeurer oiſif a Madrid, d' ou ils ne ſortent quaſi jamais, que d' aller a l' armée &c.* Madritum enim inhabitantem, cætera miſerrimum felicitate abundare ſufficienti exiſtimant, ibique tantum regem & aulam eſſe contendunt. Vide plura *dans la relation du voyage d' Eſpagne.*

(a) *Compoſtellæ*) Dubium eſt, an Jacobus unquam in Hiſpaniam venerit. Vide, quæ pro ſententia negativa diſputat NATALIS ALEXANDER in diſſertatione de *fidei propagatione in Hiſpaniis*, cui varii ex Hiſpanis ſe oppoſuerunt autores, quos recenſet SAGITTARIVS *in hiſtor. eccleſ. tom. II. p.* 332. Eſt inter eos quoque MARIANA *de rebus Hiſpaniæ lib. IV. c. II. Hiſpania illuſtr. tom. II. p.* 293. Tradunt, eum ex Hiſpania Hieroſolymam reverſum, ab Herode Agrippa necatum, corpus autem ejus a diſcipulis ſublatum, navi in Hiſpaniam delatum, & diu oblivione obrutum cœleſti indicio eſſe inventum. MARIANA *lib. II. c. II.* SAVEDRAE *corona Gothica parte I. p.* 11. Sed valde dubia hæc eſſe, nonnulli ex ipſis Hiſpanis fatentur.

Diſerte præterea dicit, *ea, quae feruntur acta ſub Iſidori nomine, eſſe plane indigna Iſidoro et coagmentata mendacia.* Tandem concludit, *eſſe plane impoſſibilia, ita ut poſſint pro monſtroſis haberi fabulis.* Dicitur tamen ea ſuperſtitione eſſe Hiſpanorum vulgus, ut Compoſtellam tanquam ad aliquod aſylum confugiat: ita deditus eſt populus ſuperſtitioni & fabuloſis commentis. Non adeo diu eſt, cum Archiepiſcopus Hiſpalenſis miſit in Bataviam ad Thomam Erpenium, Profeſſorem orientalium linguarum tum temporis peritiſſimum, petens ab illo explicationem tabularum quarundam plumbearum, inventarum in regno Granatæ: prodebat autem Archiepiſcopus, illas tabulas eſſe conſcriptas a duobus Jacobi diſcipulis, literas vero eſſe veteris Salomonis regis. Talia credidit Archiepiſcopus Hiſpalenſis, evenit autem, ſcriptas eas eſſe a quodam impoſtore, tamen vulgus has fabulas credidit.

Evangelii doctrina paulatim coepit in Hiſpania promoveri, ita ut *ſaeculo IV.* (a) non exiguus fuerit numerus Chriſtianorum in Hiſpania, cum antea parum admodum promoviſſet religio Chriſtiana. Statim autem ſeculo IV. cum cœpiſſet dare nomen Hiſpania Chriſtianæ religioni, Chriſtiani novi pateſecerunt crudelem ſuum animum. Vixit eo tempore in Hiſpania *Priſcillianus* (b) magnus hæreticus, qui impia ſua ſuperſtitione multos in Hiſpania infecerat, at vero novi illi Catholici Chriſtiani non dubitaverunt novo exemplo contra illum agere. Incluſerunt illum in carcerem, & capitali ſupplicio in illum animadverterunt, id quod hactenus nunquam fuerat auditum, & primum eſt exemplum ſupplicii in hæreticum. Totum hoc negotium diſplicuit S. Martino, qui propterea noluit communionem colere cum epiſcopis Hiſpanis. Poteſtis pluribus id legere apud Severum Sulpitium in *ſacra hiſtoria*, (c) qui fuit diſcipulus S. Martini & eo tempore etiam vixit. Poſtea Gothi advenientes in Hiſpaniam ſecum adduxerunt *Arianiſmum*, (d) a quo alias libera fuit Hiſpania: cæterum tandem ipſe Gothorum rex ad Catholicas partes ſe recepit. Porro etiam deprehendere licet, quo animo fuerint Hiſpani erga diſſentientes. *In concilio Toletano VI.* (e) eſt decretum, reges inpoſterum ſimulac regnum accipiunt, ſe juramento debere obſtringere, ſe neminem quenquam velle pati a Catholica fide alienum. Hoc hactenus inauditum erat in univerſo Chriſtiano orbe. Ita ſemper pertinaces & crudeles fuerunt Hiſpani erga diſſentientes.

Seculo poſt natum Chriſtum VIII. ingens vis Maurorum, Mahumedana religione imbutorum, ceſſit in Hiſpaniam, atque ita univerſa fere Hiſpania repleta fuit ſacris Mahumediſmi. Initio pauci quidem huic religioni nomen dederunt, paulatim vero per univerſam Hiſpaniam invaluit. Tamdiu vero res Mahumedanæ floruerunt per Hiſpaniam, donec deveſcere coeperunt, prævalentibus paulatim Chriſtianis, & ita ſenſim regiones illæ ex Mahumediſmo ſunt ereptæ. Vltimo auſpiciis Ferdinandi Arragonii & Iſabellæ ante annos præterpropter 170. regnum Hiſpaniæ coepit converti, cum ante habuiſſet Mahumedanos. Ex quo res Chriſtianæ convaleſcere coeperunt, abegerunt Mauros, vel coegerunt ad ſacra Chriſtiana, non pari tamen violentia. Illi Chriſtiani Hiſpani obſervaverunt alios ritus, & quidem tales ſacros ritus, quales inſtituerant reges Gothici. Illi vero a ritibus Romanæ eccleſiæ plurimum erant diverſi. Cum autem Romani pontificis autoritas ſeculo poſt natum Chriſtum XI. connitente Gregorio VII. coepiſſet fieri illuſtris, mutati ſunt ritus Gothici, & miſſa Gothica lege eſt vetita, ea tamen pertinacia ab illis defenſa, ut qui legerit illam hiſtoriam in Mariana, non poſſit ſatis mirari, quomodo abhorruerint a ritibus Romanis. Tempore Ferdinandi Arragonii & Iſabellæ inſolito modo coepit ſaevitia Hiſpanorum erga diſſentientes. Audiviſtis jam, uno tempore fuiſſe ex Hiſpania pulſos plus quam 150000. familiarum Judaicarum, audiviſtis etiam, abactos & pulſos Mauros, reliquos adactos eſſe ad Chriſtianam religionem. Cum vero hi eſſent a Chriſtianiſmo plane alieno animo, ingens fuit numerus eorum, qui tantum nomine eſſent Chriſtiani. Hinc factum, ut anno hujus ſeculi XII. Mauranorum ejecti plus quam 90000. ex regno Granatenſi: & tamen ſupereſt adhuc horum hominum multitudo, Judæorum nempe & Maurorum, qui ſimulant Chriſtianiſmum. Adeo tamen coepit ſaevitia Hiſpanorum in diſſidentes, ut inſtituerint novum genus judicii ſacri, quod appellatur judicium inquiſitionis. Hæc eſt illa famoſa inquiſitio, quæ nunquam antehac erat audita. Ingentes libri ſunt conſcripti de hoc inquiſitionis judicio, & de crudeli carnificina hominum, quos nemo abſque horrore leget. HVBERTVS THOMAS *lib. VII. de vita Friderici II. p.* 104. de inquiſitione hunc in modum ſcribit: *Delatus unus ab altero ſtatim conjicitur in carcerem, ibique ad tres vel quatuor menſes detinetur, priusquam ſcit cauſam ſuæ captivitatis,* deinde

(a) *ſeculo IV.*) Vid. JOHANNIS MARIETAE *hiſtor. eccleſ. Hiſpaniæ.*

(b) *Priſcillianus*) Vid. SAGITTARII *introductionem in hiſtoriam eccleſiaſticam tom. I. p.* 1153. ſeqq. Nobili familia natus & opibus abundans egregias animi dotes perverſiſſimis conſpurcavit erroribus, qui l. c. recenſentur.

(c) *in ſacra hiſtoria*) *lib. II. c.* 46.

(d) *Arianiſmum*) SAVEDRAE *corona Gothica part. I. p.* 11.

(e) *in concilio Toletano VI.*) *Ne quem in ſuo regno, qui manſit Catholicus, degere ſinat & ut quiſquis ſuccedentium temporum regni ſortierit apicem, non ante conſcendat regiam ſedem, quam intra reliqua conditionum ſacramenta pollicitus fuerit, hunc ſe catholicam non permiſſurum eos violare fidem &c. Ergo poſtquam ordine praemiſſo ad gubernacula acceſſerit regni, ſi ipſe temerator exſtiterit hujus promiſſi, ſit anathama marantha in conſpectu ſempiterni Dei & pabulum efficiatur ignis aeterni.*

deinde inquiritur, ſi negat, hoc ipſo combuſtionis ſupplicium incurrit, ſi affirmat, amittit omnia ſua bona &c. Conferantur ea, quæ narrat *lib. XI. p.* 126. 127. Hanc inquiſitionem cum etiam Philippus II. vellet inducere in Belgium, Belgæ ſunt commoti, & natum hinc eſt bellum, adeo ut rex amiſerit hinc omnes confoederatas provincias. Cœpit, ut jam dixi, inquiſitio ſub Ferdinando Arragonio, qui primus dictus eſt *Catholicus*, (a) quo nomine adhuc reges Hiſpaniæ gaudent: cœpit vero ante 150. vel 160. præterpropter annos. Eſt illud inſolens pœnæ genus, & nunquam ullibi antehac uſitatum, penetravit deinde etiam in Italiam, ſed minore cum violentia. In regno tamen Neapolitano & ducatu Mediolanenſi acerrime diſquiritur in diſſentientes, ſubſunt enim hæc regna Hiſpano. In ditione pontificis Romani clementius tractantur *diſſidentes*, (b) reperiuntur enim ibi & tolerantur Judæi, quos expulerant Hiſpani.

Quæres, quo ſucceſſu iſte exerceatur rigor? ℞. Fit eo ſucceſſu, quod maxima pars vulgi Hiſpanici vix teneat capita religionis Chriſtianæ, certe præter externos ritus nihil tenent. Hinc qui peregrinati ſunt per orbem, uno ore aſſerunt, nusquam terrarum tantam eſſe vulgi de rebus religionem ſpectantibus ignorantiam, qualis eſt in Hiſpania. Imponunt illis recitare: *credo* & *ave Maria*, præterea nihil, ita non exercent cultum cum ratione, ſed tantum bajulant religionem tanquam aſini, plane enim non informati ſunt in religione. Loquor de vulgo tantum, non autem de hominibus doctis, quorum alias in Hiſpania quoque ingens eſt numerus. Interim vulgus Hiſpanicum natura ſua eſt admodum ſuperſtitioſum, quemadmodum & omnes melancholici perpetuo quaſi agitantur multis phantasmatibus, ideo etiam vulgus Hiſpanicum admodum pronum eſt in enthuſiasmum, & fingit ſibi apparitiones. Hinc adeo etiam apud Hiſpanos clanculum ſerpere coepit ſecta illuminatorum, qui revera nihil aliud fuerunt, quam Enthuſiaſtæ, & quales hodie habet Anglia, quos Quackers appellamus. Ingens talium illuminatorum numerus fuit in Hiſpania, qui jactaverunt apparitiones & illuminationes divinas, & apparitionem ſpirituum. Tandem autem in talia etiam dogmata ſunt abrepti, ut non minus in illos, quam in alios, Hiſpani animadverterint. Hodie tamen nusquam adeo homines in Enthuſiasmum ita ſunt proni, quam in Hiſpania, & memini, me aliquando legiſſe, ibi eos eſſe in tanta vi, ut tribunal inquiſitorium in illos propter ingentem multitudinem adeo ſevere ſævire non auſit. Non mirum autem eſt, homines ibi adeo apparitionibus ſuis dementari, quoniam non inſtituuntur in religione Chriſtiana, tum etiam arcentur a lectione S. codicis. Hinc etiam illi, qui alias credi & dici volunt Catholici, nihil non jactant de apparitionibus, nec dubito, illos etiam interdum iis agitari; quando enim animus eſt ſuperſtitioſus, tum ſolent ſe objicere tales apparitiones & phantasmata, accurrente inprimis diabolo, qui iis paſcitur & oblectatur. Cum ita etiam pronus eſſet in has apparitiones *Ignatius Lojola*, non potuit etiam effugere eluſiones diabolicas. Scripſit etiam inter alios ejus vitam PETRVS RIBADENEIRA, Ignatio familiariſſimus ejusque ſummus admirator, unus item ſociorum. Ille multa narrat de variis ejus viſionibus. *lib.* 1. *c.* 7. Hic ipſe non potuit diſſimulare, Ignatium jam ſæpe fuiſſe deceptum a diabolo. Ipſe Ignatius jam ſenex ſuſpectas habuit revelationes, quapropter etiam ſocios illi deditos frequenter in viam revocavit, & acriter ſæpe reprehendit. Legatur hac de re RIBADENEIRA *lib. V. c.* 10. Quod autem ſæpe numero diabolus hac ratione illudat hominibus, exemplum luculentum nobis præbuit Hiſpania in fœmina quadam *Magdalena Cordubenſi*, dicta *de la Cruz*, quæ crucis imaginem pectore haberet impreſſam, & præterea Salvatoris noſtri ſtigmata referret in manibus & pedibus. Ea hujus mulieris in Hiſpania habebatur ſanctimonia, ut eam ferme adorarent, & tanquam divam aliquam venerarentur. Deprehenſum autem tandem eſt, ſagam eam fuiſſe, & apparitionibus ſuis hominibus illuſiſſe, pacto cum diabolo inito. Multi diſſimulare ſolent hanc hiſtoriam, quæ nimis manifeſtam reddiderit Hiſpanorum ſuperſtitionem, ſagam quandam pro Dea adorantium, non potuit tamen diutius diſſimulari, nimis enim manifeſta facta eſt. Videatur RIBADENEIRA *lib. V. c.* 10. Plus autem quam 40. annos fuit apud Hiſpanos in cultu hæc ſaga, quin ipſe rex Hiſpaniæ cum claſſes mitteret in Belgium, non dubitavit hanc compellare Magdalenam, ut claſſi ſuæ benediceret & precibus illam commendaret. Ea ratione etenim fit, ut nulla gens ſe adeo decipi patiatur a narrationibus fabuloſis de apparitionibus Mariæ & Sanctorum, quam in Hiſpania, ubi impune audiuntur mendacia. Ribadeneira diſerte & expreſſe fatetur, Ignatium nulla unquam miracula patraſſe: in Hiſpania tamen non una vice edita eſt vita Ignatii, plena de ejus miraculis mendaciorum, adeo ineptorum quidem, ut homo prudens non ſatis poſſit mirari, eſſe adhuc, qui talia credant. Poteſtis hac de re etiam legere Alphonſum de Vargas in relatione ad reges & principes *de ſtratagematibus Jeſuitarum c.* 2.

(a) Catholicos) *Hæc de regibus ſucceſſoribus ſancta ſynodus (Tolet. VI. c. 3.) rege ipſo favente decrevit, ut appareat haud eſſe recentem vel indebite uſurpatum titulum Hiſpaniarum regum, ut Catholici cognominentur, utpote tanto facti titulo digni, quod non ſolum jurent, ſe fore catholicos, ſed neque paſſuros, quenquam non catholicum in ampliſſimo ſuo regno penitus reperiri.* BARON. *ad ann.* 638.

(b) *diſſidentes*) Curieuſe und vollkommene Reiſe-Beſchreibungen von gantz Italien. p. 392.

c. 2. 3. & 4. Auctor ille non fuit e numero proteſtantium, ſed rigidus illorum hoſtis & perſecutor. Tamen non potuit concoquere inepta iſta commenta.

Notandum autem eſt, tametſi ita ſæviat in Hiſpania inquiſitio, tamen ſupereſſe ibi non tantum magnam copiam Enthuſiaſtorum clanculum, ſed etiam Maranorum, qui ſunt Mahumedani. Si quis legat, quæ diſſerit Edwin Santes, apparebit, quanta ſuperfuerit ibi copia Maranorum, poſt illa tamen tempora minori numero verſati ſunt in Hiſpania, quoniam ille ſuum librum ſcripſit, ni fallor, ſub Clemente VIII. Poſt hæc tempora expulſi ſunt omnes Hiſpania. In regno tamen Valentiæ eorum ſupereſt adhuc magna vis. Hodie multi reperiuntur in Hiſpania Judæi, qui tamen ſe profitentur Chriſtianos, cum alias religionem Chriſtianam odio proſequantur maximo. Jubentur autem recitare *credo* & *ave Maria*, præterea vero nihil. Sæpe quidem miratus ſum, tantum numerum Judaeorum confluxiſſe in Hiſpaniam, & quomodo hoc ſit factum. Dicam breviter, quid hac de re ſentiam. Videntur mihi plerique Judæi, non tam origine Judæi, quam potius proſelyti h. e. Hiſpani, qui Judæi facti. Id autem factum, quoniam Hiſpania erat tum diviſa in Chriſtianam & Mahumedanam religionem, & dum ita diſſiderent Hiſpani Judæi, qui tum temporis fuerunt in Hiſpania, multos in ſuas traxerunt partes ſub hoc prætextu, Judæorum religionem eſſe antiquiſſimam, & ita plerique præ inopia judicii amplexi ſunt religionem Judaicam. Ita fit hodie in Batavia, ubi etiam ſunt varia de religione diſſidia, his efficitur, ut multi amplexentur religionem pontificiam, præ inopia judicii exiſtimantes, hanc eſſe antiquiſſimam.

Obſervandum eſt præterea, in Hiſpania quam maxime dogmata illa Romanæ curiæ, de vicedeatu Romani pontificis eſſe in vulgus recepta. In Italia contra pauci reperiuntur, quibus illud ſit perſuaſum. Ipſi quidem reges Hiſpaniæ ſæpiſſime abuſi ſunt hoc dogmate in ſua præſertim commoda. Primus hoc dogma cœpit oſtentare, & ſub hoc prætextu ambitioni ſuæ frena laxare Ferdinandus Catholicus, ita dictus a Romano pontifice, quod totam Hiſpaniam liberaſſet a dominio Maurorum. Et hæc *eſt prima origo* (a) illius tituli, quo adhuc gaudent Hiſpaniæ reges a 150. præterpropter annis. Hic Ferdinandus cum eſſet imperii propagandi cupidiſſimus, & tamen ſæpe eſſet deſtitutus prætextu aliquo juris, hinc adeo cœpit adhærere Romano pontifici, ut ab illo peteret cauſas juſtas occupandi aliena regna. Et hoc quidem prætextu occupavit regnum Navarrenorum, cujus rex adhaerebat regi Galliæ, quem Julius II. Papa anathemate percuſſerat: dudum autem huic regno inhiaverat Ferdinandus, cum vero rex Navarræ excommunicato *regi Galliæ* (b) ſe adjungeret, putavit ſatis juſtam cauſam eſſe, ſi occuparet illud regnum. Ejecit itaque ſuo regno miſerum regem, propterea quod is romano pontifici eſſet inviſus. Eodem hoc prætextu idem Ferdinandus arrogavit ſibi poteſtatem in totum novum orbem ſive Americam, certe enim nulla erat juſta cauſa regi Hiſpaniæ occupandi Americam, ſed Alexander VI. pontifex totam Americam dederat Ferdinando, cum tamen *ipſi papæ* (c) nihil

(a) *eſt prima origo*) Vide quæ de origine hujus tituli alibi monuimus.

(b) *regi Galliæ*) Inter cauſas, ob quas Hiſpani Johannem Albretanum Navarræ regno legitime exutum dicunt hæ memorantur: foedus & amicitia, quam cum Ludovico XII. Gallo, Hiſpanorum coluerit hoſte, & odium, quo Hiſpanos proſecutus ſit, quippe quibus ne quidem tranſitum in Gallicas concedere voluerit terras. His addunt Julii II. fulmine Ludovicum ut ſchismaticum vapulaſſe, ejusque terras æque ac illorum, qui cum eo ſteterint, papæ juſſu a quovis occupari potuiſſe. ANTONIVS NEBRISSENSIS *de bello Navarr. lib. I. c. I. & II. p.* 909. *tom. I. Hiſpan. illuſtr.* GOMECIVS *in vita* XIMENII *lib. V. l. c. p.* 1063. ſeqq. *Annales del regno de Navarra por* JOSEPH MORET. *Hiſtoria apologetica y deſcription del regno de Navarre por don Garcia de* GONGORA & TORREBLANCA. MARIANA *lib. XXX. c. XI. & XII.* Quæ Gallorum circa Navarræ occupationem mens ſit, vide apud THVANVM *lib. I. p.* 7. PELARIVM *lib. XIV.* §. 6. 7. Vana & ſæpe irriſa de pontificis dominatu univerſali alibi examinavimus. Ceterum legi hic merentur, quæ GROTIVS de cauſis belli *lib.* 2. *c.* 1. & 22. *de J. B. & P.* habet.

(c) *ipſi papæ*) Merito igitur Hiſpani, Americam ex papæ dono ſibi adſcribentes, occidentalibus irriſioni fuerunt. Impoſſibile enim eſt, aliquem jus, quod non habet, in alium transferre poſſe. Non ab inſtituto noſtro alienum erit, ſi pontificis auſus circa territoria Luſitanis & Hiſpanis adjudicanda ab ovo, ut ajunt, exordiamur, breviterque recenſeamus. Johannem I. Portugalliæ regem a papa Martino V. anno 1420. facultatem Ceutam occupandi impetraſſe tradunt. Minus autem dubii habet, quod Alfonſo V. & nepoti ejus Henrico Nicolai V. tabulis jus vel potius juris ſpecies & figmentum datum, Africæ, quotquot earum ſuo ſubjungere poſſent imperio, potiundi partibus. Verba bullarum prout illa in tractatu, qui inſcribitur: *La verité du fait &c. de tout ce que concerne le commerce des Indes aux pays bas autrichiens* § 6 habentur, ſequentia leguntur: *Conceſſion, attribution & donation au dit Roy Alfonſe & ſes ſucceſſeurs de tous les royaumes, duchés, comtes, ſeigneuries & poſſeſſions biens meubles & immeubles, qu' ils pourroient prendre & concourrir ſur les Sarazins, payens & autres ennemis de Jeſus Chriſt en quelque lieu du monde fuſſent ſitues & meme de reduire leurs perſonnes dans une perpetuelle ſervitude avec defenſe & prohibition a tous autres chretiens & fideles de s' immiſcer dans leurs conquêtes.* Bullam de anno 1452, quæ hæc habet, haud dubie alia anteceſſit, idem referens. Acceſſit deinde alia ejusdem pontificis anno 1454. bulla, quæ hujusmodi eſt tenoris: *que tout ce que ledit roy Alfonſe & l' infant ſon neveu ont gaigné ſur les Mores en Afrique depuis les caps de Bojador & de Nou, jusques par toute la Guinée & aux regions meridionales leur apartient de plein droits pour eux & pour leurs ſucceſſeurs a toujours, comme auſſi toutes les provinces, isles, ports, lieux & mers, qu' ils viendront a gaigner & conquerir par aprés, depuis lesdits caps de Bojador & de Nou en Afrique & par de la.* Nec minor Ferdinandi Catholici & Iſabellæ animos

Digitized by Google

nihil juris eſſet in Americam, niſi tantum quod, ut profitebatur, eſſet vice-deus in his terris, adeoque poteſtatem haberet dandi regna totius mundi, cui velit. Succeſſor Ferdinandi Carolus V. minus ad commoda ſua uſus eſt dogmatibus de vice-deatu, quia cum Carolo eſſet infenſus Clemens VII. papa, omnem poteſtatem & auctoritatem papæ Carolus *in Hiſpania abrogavit*, (a) imo ipſum papam captivum tenuit per octo menſes. Succeſſor Caroli Philippus magis inclinavit ad ingenium Hiſpanicum, ideoque addictior etiam fuit papæ, magisque etiam uſus eſt dogmate illo curiæ Romanæ. Galli ſane alias non tolerant illa dogmata de Romano pontifice, quod reges & principes poſſit deponere, quod in his terris ſit vice-deus &c. & libri Jeſuitarum, qui talia continent dogmata, manu carnificis in Gallia ſolent comburi. At vero reges Hiſpaniæ nunquam in hujusmodi ſcripta animadverterunt; nec mirum eſt, quia reges Hiſpaniæ ſæpiſſime, prout ſibi expediebat, uſi ſunt neſario hoc dogmate. Uſus eo dogmate eſt Ferdinandus optime ad occupanda regna aliena, in quæ non habebat poteſtatem, ut jam audiviſtis. Ita Philippus propterea uti voluit hoc dogmate, & occupare univerſam Britanniam, quam ei papa donaverat, & poteſtatem ei dederat illud occupandi, excommunicaverat præterea Eliſabetham Angliæ reginam, & ſubditos *a juramento fidelitatis* (b) liberaverat. Et certe ſub hoc prætextu occupaſſet univerſam Britanniam, non potuit autem, Deus enim prohibuit. Nota eſt in hunc finem parata illa ſtupenda claſſis, qualis non viſa erat poſt homines

animos invaſit cupido, ſua amplificandi territoria, ſuæque bullis illis papalibus nihil ademtum eſſe facultati, a Chriſtianorum fide alienos ditionibus exuendi. Hæc res, non ſine ſtomacho a Luſitanis intellecta, novæ expetendæ bullæ, quæ bellum, quo Luſitani cum Hiſpanis contenderunt, inſecuta eſt, occaſionem præbuit; Sixtus namque IV. componendis utriusque gentis diſſidiis intentus, talia dictatoria anno 1481. propoſuit auctoritate: *Les roys Catholiques y cedent aux roys de Portugal toutes ſes conquetes en Guinée avec les iles cotes terres & mers decouvertes, & à decouvrir nommement, les Isles de Madere, de Porto Santo, & l' Isle Deſerte, comme auſſi les isles Açores, ſçavoir celle des Eperviers, & celle des Fleurs, les isles du Cap-verd, & en general toutes celles, qui ſe pouront par aprés decouvrir, & acquerir, depuis les isles de Canarie, & au de là vers la Guinée, excepté ſeulement les isles Canaries, Lanſarote, la Palma, Forteventura, la Gomera, l' isle de Fer, la Gratioſa, la Grande Canarie, la Tenariſe, & en general toutes celles qui ſe comprennent ſous le nom de Canarie, les quelles reſteront à la Couronne de Caſtille. Ils y promettent auſſi de ne point ſe meler de la conquete du royaume de Fez, & que les ſujets ne pourront entreprendre aucune ſorte de commerce ou de frequentation dans les pais, terres & lieux, cedes au roy de Portugal.* Sed recruduerunt lites, detecto per Columbum novo orbe: Portugalliæ enim rex libertati ſuæ, incognitas verſus occidentem æque ac meridiem inveſtigandi terras, nullum poni voluit modum. Adeundus igitur a Ferdinando & Iſabella Hiſpaniæ regibus fuit Alexander VI, qui, lætus de nova imaginarii ſui in orbem juris exercendi percepta occaſione, anno 1493. talia in bulla ſua adhibuit verba: *C' eſt une donation pure ſimple ſaite ex mera liberalitate, certa ſcientia ac de apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, aux rois Ferdinand & Iſabelle en recompenſe de leur zele & de leur pieté ſignalée, pour eux leurs heretiers & ſucceſſeurs roix de Caſtille & de Leon de toutes les isles & terres ſermes deja decouvertes, ou qui ſe decouvriront par apres vers l' occident & le midy, & vers les Indes, au dela d' une ligne qui ſera tirée d' un pole a l' autre, ſur le globe terreſtre, a cent lieu des isles Azores & celle du Cap verd, vers l' occident & le midy a l' exception ſeulement des isles & terres ſermes, qui ſe trouveroient avoir eté decouvertes & reellement poſſedées en ces regions la par quelque autre roy & prince chretien avant la nativité du Seigneur, dernierement paſſé avec defenſe a toutes perſonnes de quelque etat ordre condition on dignité, que ce puiſſe etre, ſut elle imperiale ou royale ſur peine d' excommunication encorue, lata ſententia, defrequenter, on ſeulement d' aborder les dites terres & isles, ſoit pour y ſaire commerce, ou pour quelque autre raiſon, que ce puiſſe etre, ſans la promiſſion expreſſe & ſpeciale des dits roys Catholiques & de leurs heretiers & ſucceſſeurs.* Verum Luſitani hoc pontificis eloquium iniquum credentes, eo ſe nequaquam obſtringi contenderunt. Et cum lis hæc anno 1493. componi non poſſet, a Ferdinando & Iſabella ad ſacram ſuam interponendam autoritatem ſollicitatus eſt, quam ſequentibus impertivit verbis: *qu' il avoit deja marque cequi devoit apartenir a un chacun, & qu' il le confirmoit concedant de nouveau aux roys catholiques la conquete & poſſeſſion des isles & terres d' orient & d' occident & du midy, qui ſe trouveroient ſituées dans les bornes de la ligne preſcritte & il en fit expedier une bulle 26. Septembre* 1493. *La verité du fait &c. in der Rube des jetzt lebenden Europa p.* 279. HERERA *hiſt. des Indes orientales tom I. liv. 2. chap.* 5. Sed nec novi hujus effati Portugalli rationem habuerunt, unde Hiſpani coacti ſunt, Tordeſillæ anno 1494. in ſequentes cum iis convenire pacti leges: *que le meridien, marqué par le pape a cent lieues des isles du Cap verd, ſeroit avancé jusques a deux cent ſeptante lieux plus loin vers l' occident.* HERERA *tom. I. liv. 2. ch.* 10. GOMARA *hiſtor. des Indes occidentales.* Interim Emanuel Portugalliæ rex a papa Leone X. anno 1514. omnium bullarum anteceſſoribus ſuis datarum confirmationem obtinuit. Novæ denique inter gentes de Moluccis inſulis enatæ ſunt controverſiæ, de quibus alibi dicendi erit occaſio.

(a) *in Hiſpania abrogavit*) Hoc factum eſſe, me in aliquo ſcriptorum Hiſpanicorum legiſſe, non memini. Imo, nec Romam ſuo juſſu captam, nec papam captivum detentum, ſimulavit SVRIVS & RAYNALDVS ad 1527. Vid. GVICCIARDIN. *lib. XVII. XVIII.* BELCARIVS *lib. XIX. p.* 593. MASENIVS *in vita Caroli & Ferdinandi p.* 165. CAMBDENVS *in act. Garneti p.* 123.

(b) *a juramento fidelitatis*) Vide bullam Pii V. *part. II. Hiſtoriarum p.* 183. ſeqq. *p.* 217. 218. Veſtigia Pii legit Gregorius XIII. *l. c. p.* 294.

Google

mines natos, quæ tamen non ſine evidentiſſima divini Numinis opera diſſipata & *profligata eſt.* (a) Manifeſtum eſt exemplum, Deum interceſſiſſe. Interim, ut dixi, non alius erat prætextus occupandi Britanniam, quam donatio papæ & excommunicatio Eliſabethæ, quæ per excommunicationem regno facta eſſet iodigna. Hoc modo uſi ſunt & utuntur Hiſpaniæ reges auctoritate pontificis pro ſua utilitate. Interim tamen non ſunt usque adeo religioſi reges Hiſpaniæ, quin, ſi papam minus ſibi ſavere ſentiant, reſiſtant & reluctentur ipſi. Ita cum Paulus IV. adverſus eſſet Philippo regi Hiſpaniæ, hic non dubitavit, bellum illi indicere. Similiter cum Sixtus V. adverſaretur Hiſpano, eique regnum Neapolitanum eripere vellet, rex Hiſpaniæ usque adeo exarſit in papam, ut ſparſerit hinc inde libellos, quos vulgari curaverat, papam eſſe magum & propterea ſede apoſtolica indignum. Et Sixtus V. paulo poſt ſubito obiit, non ſine ſuſpicione, quaſi veneno ab Hiſpanis eſſet interemtus. Ita Vrbanus VIII. cum videretur minus ſavere Auſtriacis miſſis ad eum legatis, Philippus IV. acriter eum increpavit. Quanquam autem reges Hiſpaniæ ita ſint animati, vulgus tamen Hiſpaniæ adorat papam. Hinc in America vulgo dictum: *Unus Deus, unus papa* (ſcilicet vice-deus) & *unus rex.* (Hiſpaniæ ſcilicet) Reges vero colunt papam, prout id rebus ſuis expedire credunt.

Obſervandum porro eſt, Hiſpaniam dediſſe orbi autores duos maximorum & celeberrimorum ordinum religioſorum. Alter fuit *Dominicus* (b) autor omnium monachorum mendicantium ſive prædicatorum, ingenio plane Hiſpanico i. e. ſuperſtitioſo. Vixit is Dominicus ſeculo poſt natum Chriſtum XIII. ſub initium, quo tempore etiam in Italia vixit *Franciſcus* (c) autor ordinis Franciſcanorum ſive Minorum. Sunt Franciſcanorum plurimæ iterum differentiæ, eſt autem regula Franciſci maxime auſtera. Inter has familias Franciſcanorum & Dominicanorum perpetuæ fuerunt lites, uterque enim eſt ordo mendicantium, uterque voluit eſſe primus, ideo ſemper inter eos fuere æmulationes. Hiſpani interim ſemper faverunt Dominico, Itali vero Franciſco. Hinc adeo hodie in univerſitatibus Hiſpanicis inter Theologos primo loco ſunt Dominicani, ut in *Salmanticenſi*, (d) quæ eſt omnium celeberrima, item Complutenſi &c. Certe ſi non omnes, primo tamen loco ſunt Theologi Dominicani. Hi autem jurare ſolent in verba S. Thomæ Aquinatis, quin academiæ Salmanticenſis Theologi juramento ſpoſponderunt, ſe defenſuros doctrinam D. Thomæ, idque in odium præcipue Jeſuitarum. Habeo ego exemplar illius juramenti, quod jurare tenentur illius academiæ Doctores.

Alter fuit *Ignatius Lojola* (e) Cantaber, qui avorum memoria condidit celebrem illam ſocietatem Jeſuiticam. De illa ſocietate jam agere non vacat, agam autem de illa, ubi pervenero ad rempublicam pontificis Romani. Interim hoc obſervandum eſt, pontifices Romanos retentam auctoritatem ſuam debere Jeſuitis, paparum enim auctoritas, quæ jam inclinare incipiebat, per Jeſuitas iterum eſt erecta. Notandum autem, nullum reperiri ordinem religioſorum, qui ita juraverit in papæ Romani incrementa, quemadmodum fecerunt Jeſuitæ. Quartum enim Jeſuitarum votum eſt, incrementum & obedientia Romani pontificis, quale quod non jurant reliqui monachorum ordines. Io ipſa Hiſpania inter Dominicanos, qui alias primum locum in Academiis tenent, & Jeſuitas ſunt odia capitalia. Audite quæſo, quibus verbis Dominicani Salmanticenſes inceſſerunt Jeſuitas. Adduxit ea ALPHONSVS DE VARGAS, relationis ad reges & principes Chriſtianos de ſtratagematibus & ſophismatibus politicis ſocietatis Jeſu *cap. IV. p.* 12. verba hæc ſunt: *Academiæ Hiſpaniæ in libello ad regem miſſo typisque deſcripto Jeſuitas ita deſcribunt;* (f) *ut homines palam avaros, inſatiabiles æruſcatores, regiorum vectigalium fures, arrogantes, ambitioſos, principum aſſentatores, aulicos, & negotiis ſecularibus ubique ſe implicantes, fraudulentos, mendaces, veritatis interceſſores, infamatores virtutis, vitæ religioſæ hoſtes, deliciarum amatores, impoſtores pietatis velo opertos, lupos in veſtimentis ovium, novitatum amicos, ſanctorum Doctorum contemtores, Lutheri & Calvini partiarios, ac de hæreſi ſuſpectos, pacis publicæ perturbatores, diabolicæ induſtriæ homines, ſerpentes, ipſosque Cacodæmones ab omnibus cavendos & fugiendos.* Ipſi Jeſuitæ fateri coguntur, hoc ita accidiſſe. Quamvis vero ita perſtringuntur Jeſuitæ, tamen regnant in aula & io animis vulgi, niſi quod jam incipiant ſuſpecti fieri, propter nimias voluptates & honores, quos ſectantur, hinc nonnihil incipiunt vileſcere, cum alias revera Jeſuitæ regnent in Hiſpania. Digna ſane lectu ſunt, quæ babet Vargas

(a) *profligata eſt*) CAMBD. l. c. p. 516. ſeqq. Sixtus etiam V pontifex Romanus ne officio ſuo deeſſe videretur, Alano Cardinali Anglo in Belgium miſſo, bullas declaratorias Pii V. atque Gregorii XIII, renovat, reginam excommunicat, ſubditos ab omni fidelitate abſolvit, cruciatamque ut contra Turcas & infideles publicat, qua omnibus adjutoribus plenarias ex eccleſiæ theſauro elargitur indulgentias. Ferunt tamen, Sixtum Eliſabethæ ſecretum pandiſſe, invincibilem in Angliam parari claſſem.

(b) *Dominicus*) Vid. LVCIVS MARINEVS SICVLVS *lib. V. p.* 347. *tom. I. H. Illuſtr.* Multa, quæ ad hiſtoriam ordinis Dominicanorum ejusq; autoris attinent, leguntur in LVDOVICI GRANATENSIS *hiſtoria Barthelemy archiepiſcopi Granatenſis.*

(c) *Franciſcus*) Vitam Franciſci conſcripſit Bonaventura, qui liber cum Sedulii commentario editus eſt.

(d) *Salmanticenſi*) MATVMORVS *de Academ. & doctis viris Hiſpan. p.* 811. ſeqq. *Tom. II. Hiſp. Illuſtr.*

(e) *Ignatius Lojola*) Varii ſunt, qui hujus vitam literis mandarunt. Celebriores inter eos ſunt PETRVS RIBADENEIRA, PETRVS MAFFEIVS, JOHANNES EVSEBIVS NVREMBERG. Multa etiam, quæ ſocietatis Jeſuitarum conſtitutionem concernunt, reperiuntur in TVRSELLINI *vita Franciſci Xaverii.*

(f) *ita deſcribunt*) Vide *tubam magnam de neceſſitate longe maxima reformandi ſocietatem Jeſu* & MONTALTII *literas paſtorales.*

Vargas, quomodo incitaverint Jeſuitæ regem Hiſpaniæ ad condendam academiam Madritienſem. Legitur & ibi inter alia, quomodo dementent bonum regem, cum vulgaverint theſes hoc titulo: *Theſes politicæ ſub regis domini noſtri præſidio.* Quomodo vero rex diſputationis in academia ſit præſes. Videatur VARGAS *c. V. p.* 13. Dominicani D. Thomam ſecuti docent, virginem Deiparam eſſe conceptam, ut alii homines, in peccato originali. Franciſcani vero, quibus hodie accedunt Jeſuitæ, contra docent, Mariam eſſe conceptam ſine omni labe peccati originis; *vident enim, nihil ad aures imperiti populi gratius accidere poſſe, quam ſi falſa de S. Maria jactent*, ideoque hanc doctrinam acriter defendunt. Moverunt inſuper Jeſuitæ Philippum IV. regem, ut ad papam Vrbanum VIII. magnis impenſis mitteret legationem oratum, ut definiret tandem papa ſub anathemate, Mariam eſſe conceptam ſine peccato originali: verum papa Urbanus VIII. longe erat prudentior, noluitque iis adſentiri, juſſitque eos diſcedere domum. Legationis illius acta edita ſunt in folio a Jeſuita quodam LVCA WADDINGO. Habet ALPHONSVS DE VARGAS multa lectu digniſſima de hoc negotio *c. XVI. p.* 33. ſeqq. JOHANNES BAPTISTA POZA homo Cantaber, ea non dubitavit in publicum ſpargere, quæ nulli unquam homini circa virginem S. Mariam in mentem venerant, ſcilicet eam non minus Chriſti patrem, quam matrem fuiſſe, & omnia, quæ pro perpetuo naturæ tenore patrem oportebat ad generationem ejus contuliſſe, habuiſſe, eaq; re mereri, ut matri-pater, vel patri-mater Chriſti audiat: eam nec ſalivam, nec lotium, nihil ſordium nihilque omnino *excrementorum habuiſſe.* (a) Ob has & ſimiles ineptias & fraudes papa Romanus omnes libros Pozæ prohibuit, nihilominus invitis ipſis cenſoribus. Poza tamen doctrinam ſuam in Hiſpania ſparſit, & maximam ejus partem ſua monſtroſa doctrina infecit. Et huc tandem mentes hominum perveniunt dementiæ, niſi verbo divino erudiantur, quod apud vulgus Hiſpanicum nullatenus obſervatur. vid. omnino VARGAS *l. c. c. XVI.* & *XVII.*

De terris Americanis regi Hiſpaniæ parentibus.

Pergamus ad alias provincias regi Hiſpaniæ ſubditas, easque itidem ſecundum cauſam materialem examinemus. Agam autem de *America* (b) ſive novo orbe. Quanquam enim multa etiam in Europa præterea teneat rex Hiſpaniæ; quia tamen hæc quam maxime tenet vi & opibus Americanis, & vero nullam provinciam ita tenet, ut Americam, igitur de America primo loco erit diſſerendum. Operæ autem pretium fortaſſis erit, priusquam rem ipſam aggrediar, præmittere quædam, quomodo rex Hiſpaniæ nactus ſit Americam. Sic ergo habete: America quarta pars terrarum orbis, plane olim fuit ignota, & Europæ & Aſiæ, certe in antiquis monumentis vel Græcis vel Romanis ne minima quidem fit mentio novi orbis. Conjectando quidem aliquid aſſecuti ſunt, eſſe ibi aliquas terras, certo autem id nemo unquam affirmare auſus eſt. Equidem exiſtimo, ſi modo quis attendat ad conſtitutionem orbis terrarum, veriſimiliter illum poſſe aſſerere, etiam alias adhuc terras eſſe præter Europam, Aſiam & Africam, *aliquot argumentis*, (c) inter quae praecipuum eſt illud, meo quidem judicio, quod etiam adduxi in præfatione ad noviſſimam editionem geographiæ Cluverii. Ponimus ſcilicet nos, terram eſſe ſitam in medio univerſi hujus, non poteſt autem terra eſſe in centro univerſi, niſi habeat idem centrum gravitatis cum centro univerſi. Notum autem eſt ex phyſicis, quid ſit centrum gravitatis & magnitudinis. Quodlibet corpus grave habet ſuum centrum, quo ſcilicet tendant omnia illius corporis, cum centrum gravitatis ſit quaſi medium: centrum autem magnitudinis ſolet eſſe diverſum a centro gravitatis, et illa demum corpora, quæ ſunt exacte rotunda, habent idem centrum gravitatis & magnitudinis; quæcunque autem corpora non ſunt exacte rotunda, non poſſunt habere hæc duo centra eadem, ſeu in illis non poteſt coincidere centrum magnitudinis

(a) *excrementorum habuiſſe*) Idque ex ſola corporis temperatura, quomodo etiam Chriſti carni eam vim tribuit, ut ex ſimili temperaturæ excellentia nihil ſe admiſcente, divina virtute ſolo contactu mortuos in vitam revocare potuerit. l. c. p. 97.

(b) *America*) Scriptores nonnulli, res Americanas illuſtrantes, edente THEODORO DE BRY Francofurti in lucem prodierunt, quibus alios addidit Merianus. conf. BECMAN. *hiſtoria orbis terrarum p.* 273. Celebrantur autem maxime ANTONII HERERÆ *deſcriptio novi orbis*, JOSEPHI A COSTA *de natura novi orbis*, LOPEZ DE GOMARA *hiſtor. novi orbis*, JOHANNIS DE LAET *deſcriptio novi orbis ſeu Indiæ occidentalis*, cujus nominis auctorem Columbum dicunt. CONSAVII FERDINANDI D' OVIEDO *hiſtoria naturalis & generalis Indiæ occidentalis. Nouvelle relation contenant les voyages de Thomas Gage dans la nouvelle Eſpagne. Hiſtoria de Mexico con el deſcubrimento de la nueva Eſpanna, conquiſtada por Fernando Cortes deſde al anno* 1518. *eſcritta por Franceſco Lopez de Gamara.* Cum hunc librum inſpicere non fuit datum, dicere nequeo, an ab hiſtoria novi orbis differat. *Hiſtoria Verdadera de la conqueſta de la nueva Eſpanna por* FERNANDO CORTEZ *eſcritta por el Capitan* BERNAL DIAZ DEL CASTILLO *uno de ſus Conquiſtadores. Parte primera de la chronica del Peru, que tratta la deſcription de ſus provincias* &c. *por* PEDRO *de Cieça. Primera parte de los commentarios reales, que tratta de l' origen de los Yncas reges del Peru* &c. & II. *parte de los commentarios reales, que trata el deſcubrimento deſte reyno en al anno* 1525. &c. *por el* YNCA GARCILASSO DE LA VEGA; *Hiſtoria del deſcubrimento y conquiſta del Peru el anno* 1525 &c. *por* AVGVSTIN DE ZARATE.

(c) *aliquot argumentis*) Docebatur illo tempore publice in ſcholis ſyſtema Ptolomæi, quod terram orbis formam referre, oſtendit. Conſtabat autem, globi illius terreſtris nec quartam cognitam eſſe partem. Quod vero & ſpatia illa ignota animalia continerent, ex eo colligi potuit, quod eodem nobiscum ſole & luna uterentur, quorum lumina & vires in illis partibus inutiles eſſent, ſi inhabitatoribus deſtitutæ aquis tantum tegerentur.

nis & gravitatis. Jam quæcunque corpora habent eadem centra, ſeu in quibuscunque corporibus coincidit centrum gravitatis cum centro magnitudinis, illa debent habere æqualem gravitatem, quod ſi non habeant æqualem ab omnibus partibus gravitatem, non coincidunt contra illa. Orbis autem terrarum, ut antea dictum, a Deo optimo maximo ita eſt conſtitutus, ut obtineat locum in centro univerſi, neceſſum ergo eſt, ut hoc univerſum & terra habeant unum idemque centrum, quod fieri non poteſt, niſi centrum magnitudinis & gravitatis terræ ſit unum idemque, & coincidat cum centro hujus univerſi. Ergo neceſſe eſt, ut terra omnibus ſuis partibus ſit ejusdem gravitatis. Cum jam globus hic terraqueus tantum conſtaret ex tribus terræ partibus, olim tantum notis, tum plus, quam dimidium orbis eſſet aqua; quia autem aqua non eſt adeo gravis, quam terra, altera pars terraquei globi majoris eſſet ponderis, quam pars altera, & ita centrum gravitatis & magnitudinis terræ non coinciderent, quod eſt abſurdum. Argumentum hoc fortaſſis eſt difficilius & ſubtilius, quia eſt ex intimis Phyſices penetralibus petitum, interim meo judicio eſt firmiſſimum, ideoque etiam non dubito, propter idem hoc argumentum adſerere, quia circa noſtrum polum arcticum tot terræ circumjacent, verſus alterum polum antarcticum totidem eſſe terras, quot circa hunc noſtrum polum. Quantumvis autem hoc argumento veriſimile fiat, ſupereſſe adhuc terram, præter tres illas partes jam olim notas, tamen nihil certi de terris illis in ullis monumentis ab omni retro antiquitate reperitur, nec ullibi præterea memoratur, homines eo migraſſe aut navigaſſe. Singulari itaque Dei beneficio incompertæ illæ antehac terræ hominibus coeperunt innoteſcere.

Nam cum Ferdinandus & Iſabella rerum potiti eſſent, ejectis Mauris, tactum eſt, ut *Chriſtophorus Columbus*, (a) Genuenſis natione, ſed qui diu vixerat in Hiſpania, ducta etiam uxore Luſitanica, rerum nauticarum peritiſſimus, impetraret a Ferdinando tres naves, exploratum novas terras. Rem omnem, quomodo geſta ſit, quibus auſpiciis & quo ſucceſſu, legere poteſtis apud Marianam *lib. XXVI. c. 3.* Res eſt profecto memoratu digna, nam ex eo ab exiguis initiis totus terrarum orbis eſt immutatus. Quæ Mariana narrat, edoctum fuiſſe Columbum a navarcho quodam, qui ad ignota littora appulerat, ſociiſque fere omnibus amiſſis, ſemianimis domum redierat, cujus ſchedæ, in quibus fata ſua conſignaverat, Columbo ceſſerint, ipſis Hiſpanis figmenta videntur. Columbus autem certo ſibi perſuaſerat, ſupereſſe aliquas novas terras, igitur hac de re mentem ſuam aperuit regi Luſitaniæ, petiitque ut naves ad propoſitum hoc conficiendum daret: abnuit autem rex, & pro inſano illum habuit, fecit hoc idem *rex Angliæ*. (b) Contulit ſe deinde ad Ferdinandum Arragonium, qui primo quidem illum ſomnia narrare credidit, poſt ſeptennium vero tres naves illi dedit, mutuo ſumtis 17000. *aureorum*. (c) Regis enim ærarium erat bellis exhauſtum, cum hodie tot milliones auri rependat Hiſpaniæ regi America &c. videatur hac de omnino *Mariana*. d) Secunda vice miſſus Columbus invenit inſulam Hiſpaniolam, Cubam, Jamaicam, & partem continentis. Subſecutæ ſunt deinde expeditiones anno 1493. cumprimis autem felix fuit

(a) *Chriſtophorus Columbus*) Ante ipſum aliis jam tum de America conſtitiſſe fertur. Sunt qui ſub Platonis Atlantide inſula eam intellectam dicunt. LOPEZ DE GOMARA *part. II. gentis hiſtor. Indicæ.* quam tamen meo judicio recte Becmannus in Canariis inſulis quærit. Alii Salomonis Ophyram Hiſpaniolæ vindicant. PETRVS MARTYR *de rebus oceanicis decad. I. lib III. p.* 29. Verum rectius mihi videtur Ophyra ſub illis terris, quæ hodie Peguſiorum, Malaccæ & Sumatræ nominibus veniunt, contineri. Vid. CASPAR. VERERII *comm. de ophyra regione.* Alii Madoccum Walliæ principis fratrem anno MCLXX. colonias in Floridam & Canadam deduxiſſe, contendunt. Vid. POWELL. *in hiſtor. Walliæ.* Alii contra ſentiunt, Franciſcum & Nicolaum Zenos ante Columbum in America fuiſſe. Alii denique, Columbum ſuam, quam de America fovebat opinionem, navarcho cuidam, quem Sanchez de Huelva, Aldretem vocant, debere. Conf. GARCILASSO DE LA VEGA *in hiſtor. Tucarum* & FRANCISCVS LOPEZ DE GOMARA. Sed quomodocunque hæc ſe habeant, dubitationibus valde ſunt obnoxia, & Columbo inventionis nihilominus adſcribenda eſſet laus. cum ante eum nemo viam in Americam docuerit. Columbus Colonus nobiles, ut fertur, natales Cucurio, Genuenſis territorii oppidulo debui. FERDINANDVS COLVMBVS *in vita Chriſtophori Columbi c. IV.* Alii natales ejus pagulo Arbiaolo prope Savonam adſcribunt. PETR. BIZARRVS *rer. Genuenſ. lib. XV. p.* 371. ſeqq. *Die unbekante neue Welt lib.* I. *c.* 3. *p.* 44. Hoc autem, quod origine nobilis fuerit, dubium habere, ex eo conſtat, quod rex illum & fratrem ex America reduces nobiles creaverit, eisque facultatem dederit, inſignibus ſuis Leonis & Caſtiliæ inſignia addendi, adſcripto lemmate: *a Caſtilla a Leon, mundo nuevo dio Colon.* i. e. ex Columbi dono Leonis & Caſtiliæ regna novum habent orbem.

(b) *rex Angliæ*) Præter Luſitanum & Anglum etiam Genuenſes, ut ſibi demigrationis præberent ſubſidia, ſollicitaſſe dicitur. CASPAR ENS *hiſtor. Indiæ occidentalis lib. I. c.* 2. JOH. LVDOV. GODOFREDI *hiſtor. Indiæ occident. P.* 2. *p.* 203.

(c) 17000. *aureorum*) Alii ponunt 16000. quos a Secretario S. Angelo mutuo accepit, pignori ipſi unionum linea data. CASP. ENS *in hiſtor. Indiæ occident. lib. I. c.* 2.

(d) *Mariana*) *lib. XXVI. c.* 3. Columbus Hiſpania die 3. Auguſti 1492. profectus, intra quinque & quod excurrit menſes tanto confecit iter ſucceſſu, ut multas ſub Hiſpanorum poteſtatem redigeret inſulas. Nomina, quæ quibusdam earum, prima aut ſecunda navigatione occupatis indidit, ſunt ſequentia: S. Salvatoris, Conceptionis, Ferdinandi & Iſabellæ, Joannæ, Cubæ, Hiſpaniolæ & Jamaicæ. Biennio elapſo per Aaores inſulas & Uliſiponam, ubi Luſitaniæ regem, qui eum videndi cupiditate flagrabat, ſalutavit, prima vice in Caſtiliam reverſus eſt. De morte Columbi Mariana hæc habet: *Obiit poſt annos quatuordecim vir immortali gloria, æterno præconio prædicandus, vivo & mortuo honores habiti, minor meritis gratia (neque enim par merces eſſe poterat.) dux quamvis Beragnæ & præfectus maris Indici fuerit conſtitutus.* Vid. *navigat. Chriſtophori Columbi. c. II. ſeqq. c. VIII. ſeqq. c. XV.*

fuit *Americus Veſputius*, (a) Florentinus, rei nauticæ peritiſſimus: hic jam inſtructus a navigationum Columbi deſcriptione, exploravit omne fere illud littus Americanum, & deprehendit, non eſſe ibi inſulam, ſed continentem. Ab hoc Americo Veſputio, homine profecto feliciſſimo, tota illa terra dicta eſt America. Dictus autem eſt Americus longa penultima, licet vulgo corripiatur.

Hiſpani terram illam vocare ſolent novum orbem, vel Indiam occidentalem: nolunt enim inventori tantum honorem tribuere, ut terram de ejus nomine vocent Americam. Factum vero eſt anno demum 1500. ut innotuerit, eſſe ibi terram continentem. Adhuc tamen interiora terræ erant incognita. Primus omnium Hiſpanus quidam Vaſcus Nonnius Balboa, cum per ſinum Mexicanum navigaſſet, exſcenſione facta invenit alterum illum oceanum, quem vocamus mare pacificum, ſive mare Del zur, in loco qui dicitur *Nombre de Dios*, (b) (nomen Dei) portus hodie celeberrimus, & *Panama*, (c) ubi eſt *Iſthmus* (d) omnium anguſtiſſimus, qui inter oceanum Atlanticum & mare pacificum latus eſt tantum ſeptem milliaribus, plenus rupibus, ne mare illum interrumpere poſſit. Ita Deus optimus maximus rupes illas huic impoſuit, ut arcere poſſent vim oceani, cum nollet ibi fieri marium horum concurſum. Facit etiam hujus rei mentionem Mariana. Cœpit autem maris hujus auſtralis notitia anno 1513. interea tamen omnia terræ illius manſere incognita. Auſpiciis deinde Caroli V. Hiſpani maximos fecere in America progreſſus, & cum America ſit diviſa in ſeptentrionalem & auſtralem, ambæ hæ partes ſubjectæ tum ſunt dominio Hiſpanorum.

Primus, qui hac parte res magnas geſſit, fuit FERDINANDVS CORTESIVS, qui parva Hiſpanica manu ingreſſus in Americam ſeptentrionalem, an. 1521. domuit & ſub jugum ſuum miſit vaſtum regnum Mexicanum, hodie novam Hiſpaniam dictam. Non multo poſt ab altera parte Americæ ſeptentrionalis regnum *Peruvianum* (e) itidem ſubjecit anno 1529. eo miſſus FRANCISCVS PIZARRVS. Hi igitur duo magnam Americæ partem ſubjecerunt Hiſpanis. Vide omnino Marianam, qui narrat, quantas divitias, quantam vim auri & argenti ibi acceperint. Sævierunt autem adeo in miſerrimos Americanos, ut non ore profari vel ullo calamo deſcribi poſſit. Quod dicit Mariana de rege Mexicano, ictu lapidis *a tumultuantibus occiſo*, (f) verum non eſt, & mentiuntur illud Hiſpani, ut modo effugiant aliorum voculas: pudet ſiquidem eos ipſos *ſuæ crudelitatis*. (g) Poſſum enim ipſorum Hiſpanorum

(a) *Americus Veſputius*) MARIANA *lib. XXVI. c. III.* Hic anno MCCCCXCVII. primam juſſu Ferdinandi, anno MCCCCXCIX. alteram, anno MDI. tertiam, & anno MDIII. quartam ſuſcepit navigationem, in qua Braſilia eſt detecta. Impingit itaque Mariana, qui ait Breſiliam univerſam Emanuelis Portugalliæ regia auſpiciis anno MD. primum exploratam eſſe." Vid. quæ Americus de navigationibus ſuis ad Renatum Hieruſalem & Siciliæ regem, Lutharingiæ ducem ſcripſit. Tametſi inventæ Breſiliæ laudem hiſtorici Luſitani ad Petrum Alvarum Capralem ablegent. Eodem tempore varias Alonſus niger detexit gentes locosq; prope innumeros. Adde, quæ de navigatione Pinzonii, Columbi ſocii literis mandata ſunt.

(b) *Nombre de Dios*) Hanc æque ac Panamam, Caſtiliæ aureæ urbes, Diego de Niqueſa condidit. Nomen habere dicitur, quod autor ejus diu maris conflictatus malis, tandem navem ſuam in ejus appellens portum, comites ſuos ex navibus in terram in nomine Dei egredi juſſerit. Verum enim vero præcipiente Philippo Hiſpaniæ rege ob aeris intemperiem anno 1584. deſtructa eſt. *Nouvelle relation des Indes occidentales part. 2. p. 33.* Nec aliqua ſaltim hujus urbis exſtare veſtigia, docet DAMPIERIVS *in itinerario part. 1. p. 114.* Dicitur Don Pedro de Arias ex ruinis ejus Porto bello condidiſſe. Hic bellus portus naves recipit, quæ argentum Peruanum, quod Panama mulis petitur, in Europam vehunt. In hac regione Franciſcus Drackius & ſub ejus imperio Oxenbamius inprimis res præclare geſſerunt. Tantum Drakius Hiſpanis incuſſit pavorem, ut adhuc hodie nominis ejus compellatione infantes in ordinem redigant. *Nouvelle relation des Indes occidentales part. II. p. 34.*

(c) *Panama*) Veterem eques Henricus Morgan ruinis dedit, nec poſtea reſtaurata eſt. Ab hac quatuor milliaribus plus minus Panama nova diſtat, quæ inter pulcherrimas & ditiſſimas Americæ urbes merito eſt referenda. DAMPIER *part II. p. 333.*

(d) *Iſthmus*) Hoc America meridionalis & ſeptentrionalis cohærent, adjacentibus ab auſtro terra firma, a borea Veragua provinciis, viamque præbet deferendis Americæ meridionalis in Hiſpaniam opibus, ſupellectile argentea primo in portum Iſthmi hujus, itidem Panama dictum, abducta, indeque terreſtri itinere in portum maris Atlantici tranſmiſſa, & ſic demum in Hiſpaniam tendente. BECMANNI *hiſtor. orbis terrar. p. 276.*

(e) *Peruvianum*) In hujus regni provincia Charcarum ſunt metallifodinæ Potoſienſes, quæ Americæ ſunt ditiſſimæ.

(f) *a tumultuantibus occiſo*) Conferat. FERDINANDI CORTESII *narratio ſecunda p. 308. Nouvelle relation contenant les voyages de Thomas Gage &c. p. 131.* Ab aliis vero dicitur, quod Corteſius Moteſumam ſtrangulari juſſerit. Vide JOHANNEM LEONARDVM BEREWOVT *in præfat. novi orbis i. e. navigationis prima in Americam.*

(g) *ſuæ crudelitatis*) De Hiſpanorum crudelitate, quam in Americanos exercuerunt, teſtatur BARTHOLOMAEVS DE LAS CASAS Archiepiſcopus Chiapenſis, qui tempore Caroli V. floruit. Verba ejus, prout ex Hiſpanico in Gallicum ſunt translata idioma, ita ſeſe habent: *Pour cequi regarde la terre ferme, nous ſommes certains & nous le ſçavons par experience, que les Eſpagnols y ont ruiné dix roiaumes plus grands, que toute l' Eſpagne, aprés y avoir commis toutes ſortes d' excés & de cruautes inouies. Ils en ont chaſſé & tue tous les habitans; tous ces roiaumes ſont encore deſerts aujourd' hui, & reduits dans un état deplorable, quoique ce pais eut eté autre fois le plus peuplé de tout le monde. Nous pouvons aſſeurer ſans craindre, qu' on nous puiſſe reprocher d' exagerer, que durant les quarante années, que les Eſpagnols ont exercé leur inſuportable tyrannie dans ce nouveau monde, ils y ont fait perir injuſtement plus de douze million de perſonnes comptant les hommes, les femmes, & les enfans, & l' on peut dire ſans faire tort a la verité, apres l' avoir ſupputé, que durant cet eſpace de temps, il eſt mort dans ces contrées plus de cinquante millions de perſonnes. Les*

norum teſtimoniis confirmare, regem hunc Mexicanum miſere ab Hiſpanis eſſe occiſum. De divitiis dicit Mariana, omnia vaſa, lebetes &c. confeciſſe ex auro; & ſane in univerſo terrarum orbe a mundo condito non ſunt repertæ tot & *tantæ divitiæ*, (a) quam in America, quæ omnes ceſſerunt inſatiabili Hiſpanorum prædæ. Ceſſit ſingulis gregariis militibus ſupra 90000 *aureorum*. (b) Senſerunt tamen invaſores, qui in Americanos, ſudibus tantum & jaculis armatos, crudeliſſime ſævierunt, vindictam divinam: nam diſcordes facti, bellis inteſtinis ſeſe mutuo abſumpſerunt, ita ut pauci, qui intraverant, illic redierint. Bella iſta quomodo geſta ſint, late narrare non patitur inſtitutum, legatur modo HIERONYMI BENZONIS *hiſtoria novi orbis*, qui ipſe his omnibus interfuit, item PETRVS MARTYR *de cladibus marinis*. Sane ſi hæc omnia fuiſſent geſta ante annos circiter 1000. nunquam ego crederem, hæc ita eſſe geſta, jam vero ſunt veriſſima. Notatu dignum eſt, quod Hiſpani in illis terris invenerint innumeros populos, nec populos tantum, ſed etiam vaſtiſſima regna, & ſic ſatis prudenter inſtructa.

Quod attinet conditionem regnorum Americæ ante Hiſpanorum adventum, diſcere poteſtis ex JOSEPHI ACOSTAE, Jeſuitæ doctiſſimi pariter & pientiſſimi *hiſtoria Americana*, qua complexus eſt hiſtoriam Americæ naturalem, civilem & eccleſiaſticam, ea fide, ea accurata cura, ut ego non dubitem, eum referre inter potiſſimos hujus argumenti ſcriptores. Scripta autem eſt hæc hiſtoria primum Hiſpanice, verſa deinde in ſermonem Belgicum, ex hoc in Germanicum. An unquam Latine ſit verſa, equidem neſcio, digniſſima autem profecto eſt, quod *vertatur*. (c) Scripſit alias etiam hiſtoriam, vel duos libros *de natura novi orbis*, qui conjuncti ſolent eſſe ejuſdem auctoris libello *de prædicatione evangelii apud Indos*. Certe qui adſpirat ad cognitionem rerum civilium, magnum ex his libris fructum percipere poteſt. Utilis etiam eſt Theologis & Medicis. Nunquam illius hiſtoriam novi orbis legi ſine admiratione, quanquam eam ante hos annos 30. perlegerim. Deſcripſit vaſta illa regna Ingarum, Mexicanum & Peruvianum, quomodo ſe habuerint ante occupationem Hiſpanorum. Sunt revera omnia ibi ſtupenda. Superſunt hodieque in America populi, quos rex Hiſpaniæ *non potuit vincere*: (d) ita Peruvianis proximi ſunt Chilenſes, qui *non obtemperant* (e) Hiſpanis, ſimiliter mediterranea Americæ auſtralis adhuc hodie ſunt incognita. Braſilia etiam pertinet ad regnum *Caſtellanum* (f)

Jam merito quis quærat, quo jure rex Hiſpaniæ ſibi potuerit ſubjicere vaſtas tales terras, & populos ſub jugum mittere, qui neque Hiſpanum, neque Europæorum quenquam hactenus offenderant. Sane ſi de jure quæras, aqua hærebit. Cum hæ terræ jam eſſent occupatæ, tum demum

Les Eſpagnols, qui ont abordé dans ces isles, & qui ſe vantoient d' etre Chretiens, ſe ſont principalement ſervi de deux moiens, pour exterminer ces inſulaires: le premier eſt la guerre injuſte, cruelle, barbare & ſanguinaire, qu' ils leur ont faite; l' autre eſt la deteſtable politique, qui leur a inſpiré de maſſacrer tous ceux, qui avoient encore quelque reſte de liberté, ou qui ſe mettoient en devoir de ſecouer une ſi injuſte tyrannie & de s' affranchir d' une ſi dure ſervitude, c' eſt ce que tachoient de faire les plus braves, les plus puiſſans & les plus belliqueux de ces peuples. Apres que les Eſpagnols eurent égorgé tous les hommes dans la guerre, qu' ils leur firent, ils laiſſerent aux femmes, & aux enfans la liberté de vivre, mais ils leur impoſoient un joug si rude & ſi inſupportable, que la condition des bêtes n' eſt pas plus malheureſe. Les Eſpagnols ſe ſont encore ſervi d' une infinité d' autres moiens, pour detruire les nations, qui habitoient le nouveau monde; mais on peut les rapporter aux deux premiers. L' or & l' argent, que ces peuples poſſedoient, etoit le motif qui pouſſoit les Européens a les perſecuter, & a les detruire: le deſir qu' ils avoient de s' enrichir en peu de temps, pour parvenir à des honneurs, & à des dignités, qui etoient fort au deſſus de leur etat, leur inſpiroit toutes ces cruautés. Enfin leur avarice & leur ambition, qui etoient montées a un excés, qu' on ne ſcauroit imaginer, les richeſſes immenſes du nouveau monde, la docilité, la douceur, la bonté de ſes habitans; qui rendoient l' entrée du pais facile a tous ceux, qui vouloient y aborder, ont été la cauſe des ravages, des horreurs, des maſſacres, des cruautez, que les Eſpagnols y ont exercées. Ils avoient tant de mepris pour ces inſulaires, & je le puis dire ſans craindre, qu' on m' accuſe d' impoſture, ou de parler legerement, puiſque je dis ce que j' ai vû; ils avoient, dis je, tant de mépris pour ces inſulaires, qu' ils en faiſoient moins de cas, que des bêtes & qu' ils les traitoient avec plus d' inhumanité. Ils ſe ſoucioient ſi peu de leurs ames, & de leur ſalut, qu' ils n'ont pas pris ſeulement la peine de parler de la foi, ou des ſacremens à cette multitude infinie d' hommes, & de femmes qu' ils ont fait perir ſous leur tyrannie. Ce qui augmente l' enormité de leurs crimes, eſt que les Indiens n'ont fait aucun tort aux Eſpagnols, au contraire, ils les honoroient & les reſpectoient, commes ils euſſent été envoiez du Ciel, juſqu' à ce que laſſés par tant d' outrages, & par les maſſacres, qu'ils en faiſoient, ils ſe virent contraints malgré eux de recourir aux armes, pour repouſſer la force par la force, & pour ſe mettre à couvert de leurs inſultes, & des horribles ſupplices, qu' ils inventoient pour les tourmenter, avec une barbarie, qu' on ne peut decrire. Adde *nouvelle relation contenant les voyages de* THOMAS GAGE *part. III. ch. VII.*

(a) *tanta divitiæ*) *Nouvelle relation contenant les voyages de* THOMAS GAGE *chap. XIV. ſeqq. Relation du voyage d' Eſpagne tom. III. p.* 58. ſeqq.

(b) 90000. *aureorum*) Ingentes etiam divitias, Athalipa Ynca proelio ſuperato & capto, nacti ſunt. Vid. *Pars IV. ad* PVFFENDORFII *introduct. in hiſtoriam.*

(c) *vertatur*) Hodie eam Latio donatam, & apud Batavos nitide typis excuſam habemus.

(d) *non potuit vincere*) THOMAS GAGE *l. c. part. III. ch. VI.*

(e) *non obtemperant*) Ex anno 1535. detecti ſunt, Hiſpanis parent fanum St. Jacobi & civitas conceptionis.

(f) *Caſtellanum*) Eſt hodie in Luſitanorum obſequio.

demum de jure occupandi in Hiſpania dubitatum eſt, hinc ſuperant aliquot præclara ſcripta de hoc argumento. Præ omnibus vero,qui hoc argumentum tractarunt, laudem mihi mereri videtur *Franciſcus Victoria*, (a) qui duplici diſſertatione in opere relectionum, diſputat de jure, quo uſus ſit Hiſpanus in occupandis & dominandis novi orbis terris. Valde ſe hic torquet Victoria, nec tamen idonea argumenta, quibus jus illud ſtabiliat, invenit. Cæterum obſervandum eſt, Ferdinandum & ſequentes reges videri niti donatione pontificis Romani pro jure occupandi Americam. Alexander enim VI. papa, natione Hiſpanus, pro eo, quem papæ ſibi adrogant, vice-deatu, non dubitavit, regi Hiſpaniæ donare Americam. Dooationis illius bulla paſſim *extare ſolet*, (b) Inſerta etiam eſt *lib. VII. Decretalium* MATTHAEI JCti. In bulla illa papa orbem dividit in duas partes linea ducta, alteram partem, quæ continet Americam, donavit regi Hiſpaniæ. Bulla pontificialis perſcripta eſt Romæ anno 1493. & huic bullæ innixi Hiſpani putaverunt, ſibi jam eſſe cauſam juſtiſſimam occupandi Americam. Geographus inſignis ANTONIVS DE HERERA narrat verba, quibus uſi ſunt duces Hiſpaniæ ad regem Peruvianum Athalipam, quibus de donatione papæ gloriantur, & monent regem, ut ſe dedat Hiſpanis, quod ſi facere recuſet, ſe omnia rapturos & occiſuros &c. quod ſane præſtiterunt egregie. Ex ipſis verbis elucet impietas hominum. Memini me legere in Benzone, regem Athalipam reſpondiſſe, *ſe non noviſſe papam*, oportere illum eſſe hominem *ſtultiſſimum*, (c) qui velit Hiſpano ſuas donare terras, in quas nihil habeat juris. Adeo hæc autem impia ſunt, papam aliis permittere aliena invadendi & homines vi cædendi, ut ipſi Theologi Hiſpani oon auſint,factum id papæ probare, imo quidam palam improbant, & tamen hi homines credunt, papam eſſe infallibilem, quæ quomodo cohæreant, non intelligere poſſum, & fateri cogor, quod ſuperent meum captum. Quoniam ante laudatus Victoriæ liber inventu eſt rarus, legite ſaltim egregium libellum HVGONIS GROTII, titulo *maris liberi*, quandoquidem *a Grotio* (d) juvene præterpropter 20. annorum eſt conſcriptus, paria tamen nemo hactenus Grotio facere potuit. Scripſit hunc librum,cum res agerentur de ioduciis inter Hiſpanos & Batavos, & controverſiæ eſſent, ne Batavi migrarent in Indiam. Omnia autem, quæ ibi diſputat cootra Luſitanum, applicari poſſunt & debent etiam ad Hiſpanum. Verum,ut antea dictum, non reperitur temere inter Theologos pontificios, oe inter ipſos quidem Jeſuitas, qui dicat, papam habuiſſe jus in terras illas antehac incognitas, adeoque juſtam fuiſſe donationem illam.

Docent quidem vulgo Theologi pontificii & Jeſuitæ, papæ eſſe omnia ſubjecta, non quidem directe, ſed indirecte (ut etiam loquitur Bellarminus in *libro de temporali poteſtate papæ*) quæ poſſidentur a Chriſtianis, ubicunque autem non ſunt Chriſtiani, ibi papæ nullum jus ſupereſſe. Jam autem in novo orbe nunquam Chriſtiani fuere, ergo etiam papa in illum nunquam ullum jus habuit. Et tametſi doceant quidam, papam jus habere in omnes terras, non tamen admittunt, illum habere dominium privatum in reges & populos omnes, nec quemquam poſſe rerum ſuarum dominio privare, ſi recte ſe gerat: facile ergo apparet, Alexandrum VI. reges Americanos regnis privare & exuere non potuiſſe. Hæc doctrina adeo jam eſt recepta, etiam inter pontificios, ut oemo hac parte audeat papam defendere ipſiusque factum approbare. Neque tameo ſolus Alexander VI. tale quid fecit, ſed idem & *multi* (e) fecere, quod probare poſſum, ſi quidem cum pontificio aliquo res ſit: in ſolum ergo Alexandrum culpa non eſt derivanda. Communis præterea curiæ Romanæ eſt doctrina, papam poſſe reges & principes dominio ſuo privare, & habere indirectam in omnes reges & principes, quia vice-deus ſit, poteſtatem. Non autem exiſtimandum eſt, dogmata curiæ Romanæ omnia probari a Theologis omnibus, pontificiæ religioni addictis. Curia enim Romana looge plurima ſibi ſumit, quæ Theologi pontificii approbare nolunt. Nec debetis credere, omnia, quæ Jeſuitæ docent, eſſe etiam doctrioam curiæ Romanæ. Cum Cardinalis Bellarminus *quinto libro de poteſtate papæ in temporalibus* diſputaret, papæ nonniſi indirecte ſubeſſe reges & principes; Sixtus V. tum temporis papa valde arrogans & ſuperbus, admodum indigne id tulit, ut parum abſuerit, quin librum illum Bellarmini, qui tum temporis oondum erat Cardinalis, ioter libros prohibitæ lectionis & condemnatos referret. Adeo Romanæ curiæ dogmata hæc non placeot, qoa de re etiam dicam, cum pervenero ad pontificis Romani imperium. Patet igitur, donationem Alexandri VI. non efficere, ut Hiſpanum jure occupaſſe Americam, dici poſſit: interim tamen,ut ante audiviſtis, donatione hac innixi Hiſpani occupaverunt terras illas, & adhuc hodie poſſident.

Ex

(a) *Franciſcus Victoria*) Adde Cajetanum.

(b) *exſtare ſolet*) Bulla legitur in *annal. eccleſ.* BZOVII *ad ann.* 1493. *in bullario Cherubini tom. I. Opp. Sepulved. fol.* 442. BECMANN. *hiſtor. orbis terrar. part. II. c. I. p.* 439.

(c) *ſtultiſſimum*) Late hanc rem proſequitur AVTOR *partis IV. ad* PVFFENDORFII *introduct. in hiſtor. p.* 348. ſeqq. Athalipa ab Hiſpanis in proelio captus, reſte exſtinctus eſt,multique ex ſuis crudeliſſime ab iisdem vita privati ſunt. De regibus,qui poſt Athalipæ mortem ibidem a Pezarro in ſpeciem ſaltim, ſub obſequii Caroli V. debiti nexu,conſtituti ſunt, & de bellis ibidem etiam inteſtinis Hiſpanorum, idem autor legendus eſt.

(d) *a Grotio*) *de mari libero c.* II. III. IV. V. GRYPHIANDER *de inſulis c. XXIV.*

(e) *multi*) De aliorum paparum bullis ſupra dixi. Quod ad ſcriptores attinet, papæ cauſam hic agunt DIANA *reſolut. moral. tom. VII. tr. VII.* SOLORZAN. *de Indiar. jure lib.* 2. *c.* 23. PARAMVS *de origine inquiſit. lib.* 3. *quæſt. I. n.* 45.

Ex eo tempore Americani in ſervitutem ſunt acti duriſſimam, qua etiam occaſione diſputatum eſt in Hiſpania, utrum Americani ullo jure in ſervitutem redacti ſint vel non? magnates, quorum id intererat, affirmabant, Theologi contra religioſiores contrarium ſtatuebant, dicebantque Americanos adſerendos eſſe in libertatem, quod etiam placuit Carolo V. qui curavit homines Americanos liberari ex graviſſima illa & duriſſima ſervitute, eosque in majorem adſeruit libertatem. Interim ſic ſatis adhuc hodie ſerviunt Americani, quamvis non adeo duriter, ut olim. Editi ſunt de ſervitute Americanorum libelli: cumprimis quod jure ſerviant, defendit vir alias magnæ doctrinæ & Politicorum Ariſtotelis verſor & commentator celeberrimus JOHANNES SEPVLVEDA, Hiſpanus. Habuit autem hujus ſuæ adſertionis pro ſundamento maxime & illud, quod Americani eſſent natura ſervi, perinde ut Ariſtoteles diſputat *lib. VIII. Politicor.* dari natura ſervos, qui debent ab aliis regi. Oppoſuerunt autem ſe *Sepulvedæ* (a) Dominicani & Jeſuitæ, & quidem inter hos maxime JOSEPHVS ACOSTA, quem a multiplici eruditione & accurata in ſcribeudo diligentia jam commendavi. Inter Dominicanos præ reliquis ſe oppoſuit DOMINICVS SOTO, vir egregie doctus, cujus extant præclari libri *de juſtitia & jure.* Quo autem *jure vel injuria* (b) pareant Americani, licet diſquiratur, maxima tamen eorum pars paret.

Invenerunt autem Hiſpani regna omnium vaſtiſſima & ampliſſima *Peruvianum* (c) ſeu Ingarum, dictum a nobiliſſima regia ſamilia, quæ longa ſerie in regno Peru imperaverat, & dicebatur familia Ingarum, alterum *regnum Mexicanum.* De quorum ſtatu ante adventum Hiſpanorum legi debet Joſephi Acoſtæ hiſtoria Americana. Conſtat hiſtoria iſta libris VII. quorum quatuor priores agunt de iis, quæ pertinent ad res Indiæ naturales, quos accurata induſtria conſcripſit: quintus liber agit de ſacris & religione antiquæ Americæ, quem librum nemo, qui cupidior cognoſcendæ veteris idololatriæ, ſine ſtupore legere poteſt: apparet enim inde, quomodo dæmones miſeros iſtos populos in poteſtate ſua continuerint. Fuit ibi etiam dæmon nomine *Fizlipuzli*, qui Mexicanos eodem ſere modo, quo Deus ter optimus maximus Iſraelitas in deſertum ex Ægypto, duxiſſe *fertur.* (d) Et certum eſt, nullibi tantam vim *humanarum victimarum* (e) dæmonibus eſſe mactatam, quantam in America factam eſſe, Acoſta memorat: aliquot enim millia hominum dæmonibus ſæpe ſunt immolita. *Libro VI.* Acoſta cumprimis agit *de moribus & inſtitutis regni Peruviani. Libro VII.* agit *de republica Mexicana veteri.* Habuit autem hic Acoſta omnia explorata, nam vixit per 18. annos in America. Apparet ex duobus libris ultimis, Americanos non fuiſſe natura ſervos, & non fuiſſe ibi tantam barbariem, ut vulgo creditur. Imo ego non dubito adſerere, minorem multo repertam eſſe barbariem apud Americanos, quam apud majores noſtros Germanos tempore Taciti, quin imo dixerim ego, æque civiles fuiſſe Americanos & homines politicos, quam ullas alias vel Europæ, vel Aſiæ, vel Africæ gentes, imo quam *ipſos Romanos.* (f) Provoco ad Joſ. Acoſtæ teſtimonium, cui cur fidem abrogare velimus, non video, ex quo

(a) *Sepulveda*) Sepulvedæ inprimis negotium faceſſivit BARTHOLOMÆVS DE LAS CASAS *in appendice ad libr. de crudelitate Hiſpanorum.*

(b) *jure vel injuria*) Jus Hiſpanorum in Americanos nec ab inventionis, nec a juſti belli titulo derivari poſſe, contra DIANAM aliosque docet GROTIVS *de mari clauſo c. IV*, atque in eo ſequitur Cajetanum aliosque recte ſentientes.

(c) *Peruvianum*) Utriusque regni tam Peruviani quam Mexicani, nec non inſularum Americæ brevem, ſed accuratam deſcriptionem geographicam vide in GAGII *itinerario.* De Lima totius Americæ elegantiſſima urbe, proregis Peruani ſede, vide FREZIERI *itinerarium part.* II, p. 274. *c.* VI. ſeqq. Habet quoque archiepiſcopum & academiam. Immenſæ olim hujus urbis fuerunt opes. Hoc ex eo quoque conſtare dicunt, quod cum anno 1682. dux de la Palata novus prorex urbem introiret, plateæ de la merced & de los mercadores argento, quod 80000000. thaleros complectebatur ſtratæ fuerint.

(d) *fertur*) Vid. HORNII *diſſertat. hiſtor. politic. XXXII.*

(e) *humanarum victimarum*) *Ferdinandi Corteſii narratio II. p.* 268. ſeqq.

(f) *ipſos Romanos*) Barbaros tamen, nonnullas Americanarum gentium, & feroces referre mores, inprimis eas, quæ provinciam de Quivira inhabitant, videtur. Hæc non procul diſtat a magna Tartaria. & ſi ea reliquo in loco non cohæret, ab ea tamen, GAGIO teſte, nonniſi anguſto diſtinguitur freto. Hic autor, inde gentes in Americam eſſe delatas, conjicit, quia 1. pars occidentalis, quæ Aſiam reſpicit, multo magis inhabitantibus abundat, quam pars orientalis, quæ verſus Europam vergit, ex quo colligit, citius has, quam illas partes fuiſſe inhabitatas. 2. inconditis moribus & barbaris incolæ illius territorii nullis, quam Tartaris, ſunt ſimiliores. 3. vitæ genere & rei pecuariæ ſtudio Tartaros æmulantur. Atque hæc ſententia veriſimilior videtur illa, quam in Grotio improbat Laetus, Americanos illam orbis partem, quæ trans fretum eſt, colentes, incolas ſuos a cultioribus Sinenſibus accepiſſe, niſi dixeris, Sinenſes ab hoc cultu, quo hodie ſunt, olim abhorruiſſe. Neque puto, Grotium plane a vero aberrare, quando inter Sinenſium modum, exprimendi animi ſui ſenſa per rerum notas, & eum, quo Peruani utuntur, ſimilitudinem aliquam eſſe aſſirmat. Etenim quamvis Laeto, ad Acoſtam & Garcilaſſum de la Vega provocanti, concedendum ſit, Peruanis chartam aut ſcripturam non fuiſſe, ſiquidem illi rerum geſtarum memoriam ne quidem picturis conſervabant, ſed funiculis quibusdam, qui variis modis erant impliciti: his non tantum geſta ſuorum Incarum poſteritati transmittebant, ſed & fœdera contractus indices accepti & expenſi. RELANDVS *diſſ. X. de linguis Americanis diſſert. XII. p.* 167. GARCILLASSO *de la Vega in hiſtoria Yncarum lib.* VI. *c.* 8. Interim tamen omnis hic inter Americanos & Sinenſes non deficit ſimilitudo. Audiamus celeberrimum RELANDVM l. c. ſequentia proferentem: *Iſtiusmodi Hieroglyphicis, uti olim Ægyptii fuere uſi, ita quoque Sinenſes, quorum characteres nihil aliud eſſe videntur, quam picturarum hieroglyphicarum compendia, & hinc illos a ſummo ad imum diſponunt, uti multi Americani in hieroglyphicis ſuis faciunt. Quod ſi inter Americanos viri fuiſſent tam ingenioſi in excolendis artibus, ac apud Sinenſes, aut ſa-* ...

mulo

quo conſtat, multa in America longe præclarius fuiſſe inſtituta, quam in multis Europæ rebuspublicis. Igitur hos populos natura ſervos appellare, utique cum injuria eſt conjunctum. Non mihi jam eſt propoſitum, de rebus antiquis agere, alias multa de prudentiſſimis rerumpublicarum Americæ veterum inſtitutis producere poſſem.

Porro dicendum eſt de rebus Americanis, quales illæ ſint hodie. Principio itaque ſic habete: America eſt ingens terræ tractus a polo ſeptentrionali usque ad *fretum Magellanicum*: (a) tametſi autem ingens hic tractus auſpiciis Hiſpanorum ſit inventus, non tamen omnis Hiſpanis hodie paret. Sic in America meridionali *tota fere Braſilia* (b) tenetur a Portugallis. Similiter in America ſeptentrionali plurimæ ſunt terræ, quarum dominium ne ſibi quidem arrogant Hiſpani. Sic ſunt in America *Virginia*, (c) Nova Anglia, *Nova Francia*, (d) &c. ubi nullus Hiſpanorum reperitur. Præterea ſuperſunt in America populi plane liberi & ſui juris. In meridionali America quædam circa oras tenent Hiſpani: *tractus Chilenſis* (e) & Arauco eſt *adhuc liber*. (f) Similiter in mediterranea ſeptentrionali America pleraque adhuc ignota, & nemini Europæorum vel Aſiaticorum vel Africanorum parent, pleraque enim mediterranea ſunt vel vaſta vel deſerta, vel plane libera & ſui juris. Quænam autem Americæ proprie pertineant ad Hiſpanum, & quænam terrarum illarum, quas Hiſpanus tenet, ſit conditio, quæque munimenta &c. præclare, prout omnia reliqua Americæ, peculiari opere deſcripſit Johannes de Laet, quod in folio, ut ajunt, editum eſt. Edituro autem illud opus plurimum profuit ſcriptum aliquod Hiſpanicum, ante annos 50. præterpropter editum, auctore Antonin HERERA. Continet illud topographiam accuratiſſimam terrarum, Hiſpano in America ſubditarum, quod ſane multum nocuit Hiſpano; nam inde Batavi acceperunt accuratam illarum terrarum notitiam. Verti illud ſcriptum curaverunt in ſermonem Belgicum, ex hoc deinde verſum eſt in ſermonem Latinum, non ſane amore, ſed potius odio Hiſpanorum

---

culo uno alterove ſerius America nobis innotuiſſet, ad majorem perfectionem ſcriptionis ille modus fuiſſet deductus, & absque ullo dubio habuiſſent jam illi ſcripturam Sinicæ ſimilem ea ſaltem parte, quod paucis ductibus ſaltem partem aliquam indicare poſſent & non picturis ſed lineis ut ſymbolis vocum uterentur. Olim enim Sinenſes ſolebant res ipſas imaginibus quibusdam repræſentare, uti ſolem gallinam, montem, ſed quoniam id infiniti laboris erat, lineas nullas ita diſpoſuerunt, uti tractus in illis legibus erant diſpoſiti: quod clariſſime oſtendit exhibitis nonnullis exemplis J. NEVHOF *in hiſtoria legationis Sinica prima Antwerpiæ edita anno* 1666. *p.* 328. Dolendum profecto, multos Americanorum libros ab Hiſpania eſſe combuſtos. Credebant enim, ligna magiaa iis contineri & ſic ſe & poſteros plurimarum rerum, quæ inde hauriri potuiſſeot, privarunt cognitione.

(a) *fretum Magellanicum*) Hoc ſeparat Americam a terra incognita verſua polum occidentalem. Nomen ipſi inditum a Magellano Portugalliæ nobili, quem anno 1519. inventorem habuit. Hic ſub Emanuele rege in India ſtipendia merens, tantam rerum illarum hauſit notitiam, ut non facile in ea ſuperiorem habuerit. Sed a popularibua deinde neglectus, Carolum V. Cæſarem adiit, & ab eo quinque impetravit naves, quibus inſtructus ad inveſtigandum fretum, per quod ex mari ſeptentrionali in meridionale penetrari poſſit, Sevilia diſceſſit. Nec ſpe fruſtratua eſt, reperit enim id ad 52. gradum latitudinis meridionalis, eoque centum pene milliaria longitudine ſua æquana in vaſtum ductua eſt mare meridionale. Hoc facto nihil ipſi reliquum fuit dubii, ut inde ad Moluccas usque inſulaa penetrare poſſet; pervenit quoque usque ad inſulas Philippinas, in quarum præcipua, quæ Lucon dicitur, hoſtili telo in conflictu aut per inſidiaa in convivio ſublatus, iter ad Moluccas propoſitum proſequi non potuit: DAMPIER *part. I p.* 564. Naves tamen duæ, quæ ipſi ex quinque erant reliquæ, ad Moluccas contenderuot, unde una, cui ex Trinitate nomen, Americam petiit, altera, quæ Victoria dicebatur, Hiſpaniam repetiit, navisque anno 1522. tribus annis & quatuordecim diebus in itinere conſumtis, ad Seviliam appellebatur. Atque hæc navis princeps totum circumiit orbem. Navi huic moderantem, maximo Carolua V. excepit gaudio. Et ot in publicum conſtaret, quonam penes eum eſſet loco, inſignibua terraqueum globum referentibus ipſum decoravit, adſcripto lemmate: *primus circumdediſti me. La verité du fait p.* 280. ANTONII PIGAFETTÆ *hiſtoria Magellan.* BERNHARDVS LEONHARD D' ARGENSOLA *in hiſtor. occupat. inſul. Moluccar.* & OSORIVS *in rebus geſtis Eman. lib.* II. Cœterum notandum eſt aliud adhuc fretum, quod duo illa maria jungit, anno 1616. a JACOBO LE MAIRE inventum & ab eo *Meraum* dictum. Vid. FREZIERI *noviſſ. iter ad mare meridionale inſtit.* c. VII.

(b) *tota fere Braſilia*) In terra Amazonum adſunt populi, qui ab externo ſunt liberi jugo. Haud dubio eorum inopia libertatem ipſis conſervavit. Surinamum munimentum in littore ab Hollandia eſt exſtructum.

(c) *Virginia*) Floridæ adjacens, ab Eliſabetha Angliæ regina, quæ extra matrimonium vixit, nomen ſortita. Jacobipolim habet Metropolim, quæ anno 1693. Academia eſt ornata. Huic finitima eſt nova Suecia, quæ hodie Anglis paret. Partem ejus a Carolo II. rege Pymius Quackerorum ſectæ addictua obtinuit, a quo Penſilvaniæ nomen habet. Contigua huic eſt nova Hollandia, quæ hodie quoque ſub novi Eboraci nomine Anglis ſubeſt. Huic vicina eſt nova Anglia, inter quam & novam Britanniam, quæ a ferocibua quibusdam inhabitatur gentibua, & alias Eſtotilandia aut terra laborados vocatur, interjacent Canada & Acadia, quæ Gallo parent. Vid. HVBNERI *Geograph. in deſcript. America.*

(d) *Nova Francia*) Ad S. LAVRENTII flumen ſita eſt. Quebecum regioni metropolis eſt. Novæ Franciæ pars eſt Louſianæ, Virgineæ & Mexicanæ contigua, quam Galli anno 1678. inventam ex rege ſuo Ludovico XIV. nominarunt. Indigenæ ejus Gallis dicuntur Iroquoix. vid. *Nouveau voyage* DE MR. LA HONTAN Noſtro tempore ſub Miſiſſipi nomine admodum celebris fuit, Laviania enim artibua, exhauriendi Gallorum aliorumque crumenas, occaſionem præbuit. *Beſchreibunge des an dem Fluſs Meſiſipi gelegenen herrlichen Landes Louſiana.* Cæterum omnes has enarratas regiones Canada provincia complectitur. Huic vicina eſt inſula Terraneuf, quæ Anglis per pacem Ultrajectinam ceſſit.

(e) *tractus Chilenſis*) Hunc ex anno 1535. Hiſpanis ex aliqua parte ſubeſſe, ſupra docui. Id tamen negari non poteſt, Chilenſia bella magni Hiſpanis conſtitiſſe, multaque eorum millia a fortiſſimis Aracaunis occiſa eſſe. Anno vero 1650. pax facta eſt. Conſ. *P. IV. ad* PVFFEND. *introduct. in hiſtor. p.* 372. FREZIERI *itiner. part.* I. *c.* XIV.

(f) *adhuc liber*) Rediere quoque ad libertatem terræ Magellanicæ incolæ, quippe quos ad frigidum & ſterile illud ſolum nauſeantes deſeruere. Sunt qui memorant, in hac regione gigantes habitare. FREZIER. *itiner. part.* I. *c.* XIV.

Digitized by Google

norum, ut ſcilicet manifeſtum fieret, quænam & qualis eſſet Hiſpanorum potentia. Opus illud omnibus debet eſſe commendatum, quia non poteſt ab omnibus comparari. JOH. DE LAET breviter in libello *de monarchia Hiſpanica c. XI.* agit de terris, quas in America Hiſpani poſſident. Omnia autem, quæ hac de re dici poſſent, huc afferre,non eſt mei inſtituti. Officio meo me ſatisfeciſſe puto, ſi autores monſtrem, unde hæc accerſi poſſunt. Summatim tamen ita habete.

Eorum, quæ rex Hiſpaniæ poſſidet in America, duæ ſunt quaſi partes, alteram conſtituunt inſulæ, alteram continens. Inſulæ ſunt in ſinu cumprimis Americæ ſeptentrionalis ſeu ſinu, qui eſt interceptus fere inter Americam ſeptentrionalem & meridionalem. In hoc ſinu veniunt notatu dignæ inſulæ quatuor magni nominis, quæ etiam primo omnium occurrerunt Columbo. Potiſſima inter has & magni nominis eſt *Hiſpaniola*, (a) 2. *Cuba*, (b) 3. *Jamaica*, (c) 4. *S. Johannis*, (d) vel Borichena ſeu Borico, & quamplures præterea *aliæ*, (e) ſed minores. Notandum, Jamaicam hodie poſſideri ab Anglis, Angli enim occupare volebant initio Hiſpaniolam, inde autem repulſi, occuparunt Jamaicam auſpiciis Cromwelli, eamque hodie poſſident. Continens, quem poſſident Hiſpani,inſulis his multo eſt amplior. Dividitur autem omnis continens totius Americæ in partem ſeptentrionalem & auſtralem, quæ connectuntur per anguſtum Iſthmum, circa Nombre de Dios & Panamam. In parte ſeptentrionali quædam ad latus maris Atlantici tenet Hiſpanus. *Caliphorniam* (f) non totam tenet, ultra Caliphorniam nihil tenet in meridionalis partis tractu. In ſeptentrionali poſſidet etiam quædam Hiſpanus, ultra littora raro excurrit dominium Hiſpanicum. Verum exacte deſcribere omnem illius terræ ſtatum,excedit noſtrum inſtitutum, & peti illud debet ex Johanne de Laet, vel etiam ex Herera. Dicendum autem aliquid jam eſt in genere de tota America.

Obſervandus eſt primum ſitus generalis. Cingitur America ex parte occidentali mari del Zur, a parte orientali mari Atlantico, a meridie habet terram auſtralem incognitam. Ex Europa per mare Atlanticum facilius poteſt adiri, quam per mare del Zur. In univerſum autem apparet, ita ſitam eſſe univerſam Americam, ut non poſſit niſi navigiis adiri. Ergo Americani non poſſunt ſibi metuere a populis non inſtructis claſſe potenti, nec poſſunt etiam cum populis niſi claſſe inſtructis commercia exercere. Jam quia inter Europæos non eſt populus, qui magna valeat claſſe, præter Hollandos & Anglos, non poteſt Hiſpanus illis terris quidquam metuere a populis Europæis, præterquam a Batavis & Anglis. Ita quia in Africa non ſunt præter piratas Africanos, qui claſſem aliquam inſtituere poſſint, neque etiam præterea Aſiatici populi claſſe valeant, non eſt quod Americæ ſuæ ab Africanis & Aſiaticis multum Hiſpanus metuat. Tantum Hollandi & Luſitani in India orientali tenent *loca quædam*, (g) ibique claſſem

(a) *Hiſpaniola*) An hæc inſula Californiam magnitudine æquet aut ſuperet, incertum eſt. Mille & quingenta milliaria in circuitu habere dicitur. Omnis generis fructibus terræ marisque donis & pecoribus abundare fertur, & aeris temperie maxime celebratur. Olera & radices intra viginti dies ad illam ibi maturitatem pervenire dicuntur, ut comedi queant. Addunt,eam Cubam auri,quod ibi legitur,puritate & terræ fertilitate,quæ ſemina centuplo numero reddere fertur, ſuperare. Inſignem hanc fertilitatem magnis quatuor, quæ terram rigant, vindicant fluminibus.Incolarum vero paucitate graviter laborat, cum tres ibi Indorum milliones ab Hiſpanis cæſi dicantur. Metropolis inſulæ S. Dominga tribunal,& archiepiſcopum habet, qui totius Americæ primas eſt, licet quoad reditus Limæ regni Peruani metropolis & Mexicano archiepiſcopis,non autem illi,qui locum in urbe,quæ a ſancta fide nomen habet, tenet, ſit inferior. Sub his quatuor archiepiſcopis ultra triginta ſunt epiſcopi. Præſes, qui Dominicopoli commoratur,æque ac Guatimalæ præſes parem cum vice-rege Peruano & Mexicano habet poteſtatem, nec niſi a Senatu Hiſpaniæ Indico dependet. Aliis vero præfectis urbium & præſidibus a duobus iſtis proregibus juſſa dantur.

(b) *Cuba*) Hæc fuit ſecundi itineris, quod Columbus inſtituit, fructus. Longitudo ejus trecenta milliaria complecti dicitur. Latitudo autem ſeptuaginta, ſilvis, montibus & lacubus admodum frequens eſt. Olim aurum, hodie cuprum terra ſuppeditat optimum. Saccharo, Zingibere aliisque aromatibus,nec non animalibus varii generis & piſcibus hæc abundat inſula. Principes ejus urbes ſunt, quæ a S. Jacobo nomen habet & Havana. Hæc, quam Hiſpani Americæ clavem vocant, minutiſſima eſt. Hic naves, quæ Indiæ occidentalis divitias Hiſpaniæ vel potius toti Europæ adducunt,conveniunt. BELLEGARDI *itin. Americ. §. XVI.*

(c) *Jamaica*) De hac alibi dictum. Vid. *nouvelle relation des Indes occidentales par* TH. GAGE *p.* 42. Hiſpani in ea duas condiderunt urbes, quarum una Sevilia, altera Oriſtan dicebatur. Saccharo & Cacao, qui arboris fructus compoſitioni illi, quam Chocolate vocant, inſervit, uberrima gaudet copia. Alterum, quod ad compoſitum hoc conſtituendum adhibetur, vocatur Banille, et inprimis littus loci ab Hiſpanis vacui,quem Boccatoco vocant,profert.DAMPIER *part. II. p.* 76. De hac compoſitione & variis modis, quibus hauſtibus aptatur, vid. *nouvelle relation des Indes occidentales part. II. ch. XIX. DAMPIER part. I. p.* 10. ſeqq. *part.* II. *p.* 744. *part.* III. *p.* 78 390. Cum anno 1692. graviter a terræ motu concuteretur, Galli eam occupare audebant, ſed fortiter ab Anglis ſunt repreſſi.

(d) *S. Johannis*) *Nouvelle relation des Indes occidentales l. c. p.* 45.

(e) *aliæ*) Inprimis memorari meretur, quam appellant Margaritam.Haud multum diſtat ab aurea Caſtilia,nec non ab inſulis Cubagua & S. Trinitatis, ab omni propemodum re utili vacua eſt, præter margaritas, unde nomen inſulæ. Maximam hic olim vim auſtrearum, quæ ejusmodi ſcrobibus laborarunt, piſcati ſunt. *Nouvelle relation des Indes occidentales l. c. p.* 40. 41. DAMPIER *part. I. p.* 32. 85. 323. 327.

(f) *Caliphorniam*) Hæc inter omnes alias inſulas, quæ Americæ, a qua per mare purpureum vel rubrum ſeparatur, vicinæ ſunt, maxima eſſe dicitur. Dubium tamen eſt, an in cenſum inſularum revera ſit referenda, quoniam nonnullæ ex recentioribus Hiſpaniæ tabulis geographicis continenti eam jungant. DAMPIER *part. I. p.* 505. Dicitur California margaritis abundare.

(g) *loca quædam*) Luſitani in regno Cuncamo Goam habent. Olim & Moluccæ inſulæ, in quas Hiſpani quoque ſibi jus tribuebant, cui Carolus V. renunciaſſe creditur,

claſſem paratam habent. America autem ab Aſia, qua parte diximus claſſe valere Luſitanos & Hollandos, multum eſt remota: inter Indiam enim & Caliphorniam vel reliquam Americæ partem ingens intercedit ſpatium. Similiter longe diſtant etiam Europa & America, igitur non facile quis ex adeo remotis locis impetum in has terras faciet.

Porro cum Americæ quædam adjecta ſint mari Pacifico, quædam mari del Nort ſive Atlantico, illa, quæ Atlantico mari adjacent, magis patent incurſionibus hoſtilibus, quam quæ adjacent mari del Zur, ideoque etiam Batavi & Angli impetum aliquando fecerunt in partem illam maris Atlantici: & vero ideo factum etiam eſt, ut ſocietas Americana Batavorum *occupaverit Braſiliam*, (a) & eripuerit Hiſpano ingentem gazam anno hujus ſeculi XXIX. *circa celeberrimum* (b) totius Indiæ orientalis portum Havanam in inſula Cuba. Immanis erat gaza illa, qualem præter Hiſpaniam nunquam viderat Belgium, imo totus terrarum orbis. Vidi ego tum in Batavis degens partem illius gazæ nun ſine ſtupore: erat enim *infinitus argenti numerus*, (c) tantum tamen partem vidi. Pars Americæ verſus mare Atlanticum minus eſt tuta, ſiquidem Hiſpano bellum intercedat cum Anglis vel Batavis: quamvis enim cum Gallis ipſi ſit bellum, nihil refert, Cum iſti non ſint claſſe inſtructi. Notandum autem, qua parte America ſibi maxime metuit ab incurſionibus Anglorum & Batavorum, exſtruxiſſe Hiſpanum arces firmiſſimas, & quidem tum temporis, cum Hiſpanus bellum gereret cum Anglis. Ubi maximæ in America ſunt divitiæ, firmas habet arces, quas profecto non eſt facile occupare. Ideoque quamvis America alias patere fortaſſe poſſit incurſionibus hoſtilibus, attamen propter arces illas munitas hodie ſic ſatis eſt firma. Et licet *Franciſcus Dracus*, (d) celebris pirata Anglicanus, qui ſtupenda effecit ab Anglorum regina conductus, non dubitaverit, aliquot oppida in parte verſus mare Atlanticum expugnare, & omnia diripere, hodie tamen omnia ſunt firmiora; poſtquam enim Hiſpanus animadvertit, hoſtes ſuos poſſe irrumpere in illas terras, muniri magis littora curavit. Interim ea parte terræ Americanæ Hiſpano ſubditæ, cumprimis inſulæ, laborant, quod deſtituantur incolis. Repererunt quidem in iis advenientes Hiſpani magnam vim hominum, at vero dici non poteſt, quantam hominum copiam, imbellem ſcilicet multitudinem, interemerint. Legere hoc fuerit ex ipſorum Hiſpanorum libris, cumprimis eo, quem conſcripſit BARTHOLOMÆUS DE LAS CASAS Hiſpanus, ordinis Dominicanorum, factus deinde Epiſcopus. Conſcripſit autem librum ſuum ideo, ut oſtenderet regi Hiſpaniæ, quam immania fuerint Hiſpanorum facinora, moveretque eum, ne poſthac permitteret, crudeliſſimos illos Hiſpanos in America ſæviſe. Nemo librum hunc legere poteſt ſine maximo horrore.

Etiamſi autem continens Americæ, qua parte habet Atlanticum mare, ſic ſatis firma & munita, & arcere facile poſſit hoſtes, nec ab his multum ſibi metuere debeat: commercia tamen & evectiones omnes poſſunt impediri, quo minus Hiſpanus gazam ſoam tuto poſſit transferre in Hiſpaniam; poſſunt namque hoc impedire claſſes hoſtiles. Fieri hoc cœpit a Belgis tum inprimis, cum ſocietas mercatorum Americanorum (die Weſtindiſche Compagnie) ante annos fere XL. inſtitueretur, quæ primum peſſumdedit Hiſpanum. Hiſpanus enim nervum rerum ſuarum gerendarum accepit diu jam ex America: ſiquidem quotannis binas claſſes ſibi ex America adferri curavit, alteram ex America ſeptentrionali vel nova Hiſpania, alteram ex parte Americæ meridionali, quæ ſolet dici claſſis Terræ firmæ. Per has quotannis rebus adhuc integris immanes accepit divitias. Simulac coiit illa ſocietas, res Hiſpanicæ cœperunt turbari: ſtatim enim inſidias ſtruxit ſocietas illa claſſi Hiſpanicæ, ideoque non potuit tum juſto tempore propter incurſionum hoſtilium metum ſolvere, & ita Hiſpanus non potuit interdum toto anno accipere ſuam gazam. Propterea etiam domi deficiebant Hiſpano nervi rerum gerendarum, & cogebatur ſubinde, tributis onerare ſuos ſubditos, quæ res ſæpe excitavit inteſtina bella. Semel etiam, ut dictum, integram Terræ firmæ claſſem interceperunt Batavi, *duce Petro Heinio*, (e) quem memini me triumphantem vidiſſe in Belgio. Solet autem utraque claſſis Hiſpanica convenire in inſulæ Cubæ portu Havana celeberrimo

creditur, eis paruerunt, quæ hodie in Hollandorum ſunt poteſtate. In horum quoque ditione eſt Malacca regni Siamenſis portio, & Batavia in inſula Java, ubi ſedes præfecti generalis, quem ſocietas Indiæ orientalis ad inſtar regis ibi alit. De aliis geographici ſunt inſpiciendi libri & itineraria.

(a) *occupaverit Braſiliam*) Hollandos hac iterum exutos eſſe, ſupra docui.

(b) *circa celeberrimum*) Argentiferæ Hiſpanorum claſſi circa Marancæ portum ad inſulæ Floridæ latus, quo naves ejus prope Havanæ portum ante morantes infeſto delatæ mari, obviam factus, eam Hiſpanis rem male gerentibus cepit, & in Bataviam maximo popularium ſuorum, inprimis ſocietatis Indiæ occidentalis, gaudio ſalvam abduxit. Maritimum illum heroem Hiſpani vocant pie-de-palo. *Nouvelle relation des Indes occidentales part.* III. *p.* 45. ſeqq.

(c) *infinitus argenti numerus*) *Il s' y trouva pour ſept millions deux cens mille livres d' argent, pour trois millions ſix cens mille livres de marchandiſes, & pour quatre millions de canons, de cordages & d' autres equipages de mer. Hiſtoire de Hollande par Neuville tom.* II. *ch.* XIII.

(d) *Franc. Dracus*) Vid. CAMBDENI *Annal. p.* 319. 327. 414.

(e) *duce Petro Heinio*) *Il n' y eut point d' honneur, ni d' actions de graces, qu' on ne rendit a Pierre Hein, tant a la Haye, ou les peuples etoient accourrus pour le voir, que dans les autres villes des provinces unies par des feux de joie, par la charge du canon & par le carillon des cloches. Il fut regalé publiquement par le prince d' Orange en la compagnie du roy de Boheme electeur palatin & des ambaſſadeurs de couronnes. Les etats le firent chevalier, lui donnerent un train magnifique, le couronnement d' un l' aurier d' or, & l' honnorerent de la charge d' Amiral d' Hollande &c.*

rimo: *in ipſo hoc portu* (a) Heinius claſſem Hiſpanicam intercepit. Facile jam hinc apparet, quemadmodum ſe habeant res Hiſpanicæ in parte Americæ, quæ ſpectat mare Atlanticum; in ipſis ſcilicet terris eſſe ſatis tuta omnia, at vero non ſatis eſſe tutam Americam, ſi videas commerciorum gazas, vel aliarum rerum in Hiſpaniam translationem. Quinimo hodie, poſtquam increvit piratica Turcica, Hiſpanus claſſi luæ metuere cogitur valde, & quo propinquior eſt illa (die Silberflotten) Hiſpaniæ, eo magis illi metuere debet. Hæc quoque eſt ratio, cur rex Hiſpaniæ coactus ſit, etiam iniquis conditionibus paciſci cum Batavis, quod turbarent res ſuas, & gazæ ſuæ inſidiarentur. Eadem de cauſa a nemine ſibi ita metuit rex Hiſpaniæ, quam ab Anglis. Et profecto ſiquidem foedus illud, ut ajunt, pangatur inter Anglos & Luſitanos, & Angli accipiant portum *Tangir*, (b) res Hiſpaniæ difficili loco erunt poſitæ; poteſt enim tum ab Anglis *prohiberi* (c) tranſitus divitiarum in Hiſpaniam. Rem ita ſe habere, ocularis demonſtratio docere poteſt. Omnino accurate eſt obſervandum, occupatam eſſe Jamaicam ab Anglis, & hanc, ſi quidem multis munimentis certi ſui juris reddiderint, resque ſuas magis firmaverint in Virginia & bellum oriatur inter Gallos & Hiſpanos, ſupra modum turbare poſſe res Hiſpanicas: poteſt enim impediri, quo minus Hiſpani tuto poſſint transferre & navigare in Hiſpaniam. Nec poteſt dici, quantum momenti ſit ſitum in occupata Jamaica. Et hæc etiam eſt ratio, quod Angli admodum ſint ſolliciti de defenſione & retentione Jamaicæ, Hiſpani contra valde laborent in illa recuperanda. Cæterum utrum Angli *firmam poſſeſſionem* (d) Jamaicæ obtinere poſſint, valde dubito, cum multum ſit ab Anglia remota, tum etiam nimius in illa ſit æſtus: Angli vero perinde ut Germani noſtri admodum ſunt bibaces, & talibus potatoribus nocent loci æſtuoſi. Quod attinet porro illam partem, quæ adjacet oceano Atlantico, non eſt, quod terreſtri expeditione Hiſpano negotium faceſſere poſſit. Neque enim in America, tametſi non deſint barbari, qui carpant Hiſpanorum vires, adeo potentes ſunt, ut poſſint expellere Hiſpanos: nam hi munimentis res ſuas ſtabiliverunt, ut paucis etiam militibus obtinere poſſint Americam. Alteram partem alluit mare vaſtum auſtrale ſeu oceanus Pacificus, qui major eſt oceano Atlantico. Et ab hac parte non eſt, quod Hiſpanus ſibi metuat ab ullo populo. Nam Aſiatici populi non valent claſſe, ut poſſint in hanc partem irruptionem facere. Et licet Batavi ibi degant, quorum vires dependent a ſocietate Indica, tamen tanti non ſunt, ut rem expedire poſſint, multo minus hi occupabunt regnum Peruvianum. Tam late præterea patet oceanus, ut claſſe vix *navigari* (e) poſſit, & omnis claſſis in hoc mari navigans, maximis eſt obnoxia periculis, quare nemo hactenus quid in hoc mari tentavit, neque audietis, piraticam ibi feciſſe Batavos. Societas enim Indica domi habet, quæ agat, præterea inter illos & Hiſpanos omnia jam ſunt compoſita & placata. Angli in Aſia nihil firmi habent, ideoque etiam nihil nocere poſſunt.

Ex Europa, ſi quidem noxa deberet inferri Americæ, neceſſum eſt, ut claſſis ducatur vel infra Americam meridionalem, vel ſupra ſeptentrionalem, & ſi claſſis debet eo appellere, neceſſe eſt, ut via vel tranſitus detur vel circa polum arcticum vel antarcticum. Obſervaverunt enim populi Europæi, ſiquidem poſſet reperiri tranſitus aliquis in parte ſeptentrionali in mare Pacificum, hoc ipſum cum ſummo emolumento futurum; nam facili negotio poſſent tranſire in Indiam orientalem. Jam vero tangere debent univerſam Africam & Aſiam, quod eſt iter longiſſimum & multis periculis expoſitum. Quodſi vero daretur aliquis tranſitus, expeditiſſima eſſet via in Americam, & claſſis eo facili negotio pervenire poſſet. Videntes itaque Angli & Batavi, hoc rebus ſuis maxime expedire, acerrime de inveniendo tali tranſitu vel ſupra Europam vel Americam inveniendo laborarunt. Angli quidem hac in re ingentes ſumtus fecerunt, & horum induſtria accepimus omnem peritiam Americæ ſeptentrionalis. Batavi vero maxime laborarunt de tranſitu ſuper Europam. Hiſtoria illorum conatuum paſſim extat, & quidem conatus ſtupendi circa novam *Zemblam.* (f) Hactenus conatus fuere omnes fruſtranei. Ab extrema enim Septentrione omnia glacie & frigore & tenebris ſemeſtribus impedita fuerunt, ut jam de tranſitu deſperaverint Batavi. Num adhuc laborent Angli, neſcio, dudum equidem nihil hac de re audivi. Qui illorum conatuum hiſtoriam breviter legere velit, evolvat, quæ habet PAVLVS MERVLA in tractatu *de mari.* De eodem argumento præter alios egregie diſſeruit JOSEPHVS ACOSTA hiſtoriæ Americanæ *libro III. cap. XII.* Narrat ille, Hiſpanos ipſos inquiſiviſſe in talem

(a) *in hoc ipſo portu*) Paulo ante, hoc a veritate alienum eſſe, monui.

(b) *Tangir*) Ab Anglis derelictum eſſe hunc locum, ſupra docui.

(c) *prohiberi*) Sed Hiſpani divitias illas in alio exonerare poſſunt, quam portu Gaditano, ita ut non cogantur, Tingim navibus præterire. Deinde Anglos, hoc etiam portu deſtitutos, claſſis argentiferæ adventum impedire poſſe, experientia conſtat.

(d) *firmam poſſeſſionem*) Hanc Anglorum poſſeſſionem perennem fore, nullum eſt dubium, quoniam Hiſpani viribus maritimis Anglis longe ſunt inferiores.

(e) *navigari*) Sed neſcio, quid oceani latitudo impedire poſſit, quo minus claſſe navigari queat.

(f) *Zemblam*) Hujus notitia ex trium navigationum Hollandicarum, eo ſub finem ſeculi XVI. inſtitutarum, itinerariis eſt haurienda. Dani quoque per fretum Voygatt penetrare niſi ſunt: ſed omnem perdiderunt operam, cum glaciei moles ingentes æmulantes montes, & concretæ ejus tabulæ ipſis obſtaculo fuerunt. *Nouveau voyage du Nort. p.* 289.

Google

talem tranſitum, quod feciſſe videntur propter metum, oam ita turbare poſſent hoſtes omnem rem Hiſpanicam. Narrat quoque, ipſos Hiſpanos fuiſſe in ea ſententia, dari talem tranſitum, ſed falſus fuit rumor. Per hoc itaque fretum nemo hactenus navigavit, & a parte ſeptentrionali Hiſpanus hactenus eſt tutus. Poſſet quidem credi, Americam noo eſſe ſatis firmam, ſi quidem hoſtium claſſis adpellat ad Iſthmum Nombre de Dios, & ibi magnam vim hominum exponi poſſe, qui in Americam adpellere poſſint pedeſtri itinere. Obſervandum vero eſt, hoc fieri non poſſe, cum Iſthmus ille impeditus ſit pluribus & immanibus rupibus. Omnem præterea tranſitum Hiſpanus fulcivit munimentis & caſtellis, ita ut ſibi ab hoſte metuere non poſſit.

Verum quidem eſt, quod aliquando pirata celebris Anglicanus Franciſcus Dracus urbem *La Conception* ibi occupaverit & expilaverit, ſed omnia jam magis ſunt munita: urbs quoque una expilata non facit ad rem, & non ſtatim propterea obtinuit tranſitum omnem per Iſthmum. Si porro claſſe velis tranſire, neceſſe eſt, ut infra Americam meridionalem tranſeas. Jam tum Caroli V. auſpiciis FERDINANDVS MAGELLANES Luſitanus, regi ſuo infenſus invenit tranſitum & fretum, quod ab illo appellatur fretum Magellanicum, circa gradum altitudinis 52. Primus omnium poſt hunc per idem illud fretum tranſiit ante dictus *Franciſcus Dracus* (a) anno 1579. qui ex improviſo venit in mare Pacificum, & valde perturbavit res Hiſpanicas. Nec enim hac parte ſibi metuebant ab hoſte Hiſpani. Intercepit ibi multas naves, & immanem prædam ſecum tulit in Angliam, & toto circumnavigato orbe rediit per Indiam, quo ipſo æternam nominis ſui memoriam reliquit. Navis quidem illa, qua vectus eſt Magellanes, totum etiam orbem circumnavigavit, ſed ipſe Magellanes periit in itinere *caſus a barbaris.* (b) Navis hæc, quæ totum circumvexit orbem, adhuc reperitur in Hiſpania & vocatur *Victoria.* Poſt hunc Dracum eadem via infeſtavit Americam pirata Anglicanus THOM. CANDISIVS anno 1587. Hac ratione demum excitati ſunt Hiſpani, ut conſilium inirent de freto hoc muniendo. Videatur JOSEPHVS ACOSTA *lib: 3. cap. XI. & XIII.* Verum fruſtra laborarunt Hiſpani; ipſi enim obſervarunt, non tantum per fretum Magellanicum, ſed etiam aliis viis hoſtes pervenire poſſe in Americam. Hæc omnia tempore Joſephi Acoſtæ fuere incognita.

Batavi deinde etiam invenerunt vias. Pirata quidem Batavus OLIVERIVS de NORT, natione Oſtfriſius quoque tranſiit per fretum Magellanicum, ſed parum effecit. Hiſpani enim tum fuere attenti ad res ſuas. Alius Batavus JACOBVS LE MAIRE invenit aliam ſatis pateotem viam circa fretum Magellanicum, quod facile eſt tranſitu, & ab illo vocatur fretum Meræum. Hic etiam parum effecit: licet interceperit nonnullas naves. Exorta deinde mercatorum *Indica ſocietate*, (c) miſſæ ſunt naves aliquot, ducibus LEREMITA & alio, nomine SPIEGELBERG; verum & hi parum effecerunt. Licet interdum naves aliquot exceperiot, tamen hoc nihil eſt ad maximos ſumtus, qui navibus impenduntur, & ad maxima pericula, quæ incurrunt in mari turbulento navigantes, ubi ſæpe integræ claſſes pereunt. Ex eo tempore nil quidquam fuit tentatum; nam ſi lucrum cum damno computes, omnes iſtæ expeditiones maxime ſuot damnoſæ. Et hoc experti Batavi, noluerunt ulterius quid tentare. Tantum valet, habere accuratam cognitionem ſitus, & ſine hac nihil certi deliberare poſſumus.

Videoda jam porro ſunt, quæ pertinent ad Americam, ratione cauſæ materialis. Obſervandum hic eſt, quid ferat Americæ ipſa terra. Sufficit autem uno verbo affirmare, nullam eſſe America fructuoſiorem terram in univerſo terrarum orbe. Nam ſive loquamur de iis, quæ terra proveniunt & naſcuntur, uberrime omnia creſcunt; ſive ſermo ſit de iis, quæ ſub terra naſcuntur ſeu de metallis, nusquam terrarum in univerſo orbe tantæ divitiæ ſunt erutæ, quam in America meridionali. Vim vero argenti innumeram dedit Hiſpanis *mons Potoſi*, (d) in Americæ meridionalis parte Chilenſi. Suppeditat etiam Hiſpaniæ multum argenti America ſeptentrionalis, non tamen hujus divitiæ accedunt ad divitias Potoſi, qui eſt mons univerſi orbis ditiſſimus, qui quidem hacteous ſunt cogniti; poſſunt enim majores divitiæ ſub terra latere, quæ non eruuntur. Late de his rebus agere non patitur inſtitutum, meretur autem hac de re legi Joſeph. Acoſta *Hiſt. Amer. lib. IV.* a capite ſecuodo usque ad decimum quartum incluſive, in quibus agit de metallis Americæ. Hinc Hiſpanus ex America quotannis accipit immanes divitias. Antequam accepit Americam, argenti in Europa fuit parum. Nam

aote

(a) *Franciſcus Dracus*) Hic res in America pro regina Eliſabetha præclare geſſit. Multa ejus loca cepit aut vaſtavit: pertinent huc nova Albion & Carthagena, quam Galli anno 1697. direptam Vulcano addixerunt. Drakii viſcera in inſula Scuda ſepulta dicuntur. DAMPIER *part. II. p.* 76.

(b) *caſus a barbaris*) De hoc ſupra monitum eſt.

(c) *Indica ſocietate*) Vid. FVNCCII *orb. imper. c. VII.* §. 107.

(d) *Potoſi*) Montem hunc præfectura Charcarum, quæ regni Peruani pars eſt, habet. Mirum non eſt, fodinas Urontinas hodie Ptoſianis ditiores haberi, quoniam hæ tanta auri & argenti vi liberatæ ſunt. Sunt qui contendunt, quantitatem eius ad 500. aſcendere milliones. Peruanum regnum Franciſcus Pizarrus, Atabalipa Yncarum ultimo ejecto, anno 1525. in Hiſpanorum redegit poteſtatem.

ante annos 100. præterpropter parum his in terris habuimus argenti: ex eo autem tempore cœpit abundare auro & argento, nam non tantum manſit in Hiſpania, ſed etiam ceſſit in Europæarum gentium uſus. Non dubito, vos nuper obſervaſſe ex novellis, quantum argenti evectum ſit ex America in Hiſpaniam; olim tamen major erat numerus. Nam montis Potoſi divitiæ, ut audio, decreſcunt, ut ſolet fieri. In America reperiuntur etiam reliqua *metalla* (a) & quidem ferri & æris affatim, quæ tamen vix evehuntur, nec etiam his eruendis Hiſpani operam impendunt: hinc ex ipſa Hiſpania ferrum advehitur in Americam; non, quod ibi deſit, ſed quod nolint eruere, putant enim majoris eſſe lucri, ſi aurum & argentum effodiant, quam æs & ferrum. Reperitur etiam in America magna copia *unionum* (b) & *gemmarum* (c) & cumprimis ſub occupationem Americæ Hiſpani invenerunt unionum incredibilem copiam, ita ut etiam integras ciſtas iis repletas miſerint in Hiſpaniam. Jam tamen defecit illa unionum piſcatura: id quod etiam uſu venit circa Britanniam. Cum illa occuparetur a Romanis, mare unionum erat feraciſſimum, ſed ab avaris Romanis omnia ſunt exhauſta. Notum eſt, uniones reperiri in oſtreis, quæ quo ſunt antiquiores, eo etiam plures habent uniones. Jam vero a Romanis omnes antiquæ oſtreæ ſunt exhauſtæ, ita ut jam circa Angliam rariſſime inveniantur uniones, cum olim quotannis magna eorum vis deferretur in Italiam. Idem factum in America, inveniuntur qnidem & hodie ibi uniones, ſed rariſſime, poſtquam omnia maria ſunt exhauſta. Quanquam etiam porro in America reperiantur gemmæ, non tamen inveniuntur in ea copia, quam in India orientali, longe autem major eſt copia auri & argenti in America, quam in India.

Quod attinet fructus terra natos, obſervandum eſt, Americam primo habuiſſe innumeros fructus ignotos Aſiæ, Africæ & Europæ. Plantas Braſiliæ eo tempore, quo ſub nomine ſocietatis Indicæ Braſiliam cepit Mauritius Naſſovius, magna induſtria collegerunt duo, *alter Batavus*, (d) alter Miſnicus Germanus. Plantas Americæ etiam deſcribi curavit rex Hiſpaniæ, ut refert JOSEPHVS ACOSTA *lib. IV. cap.* 29. Cujus operis epitome prodiit Neapoli ante annos præterpropter 20. curante quodam medico Neapolitano. Extat & breve compendium omnium plantarum Americanarum, conſcriptum ab Hiſpano NICOLAO MONARDE. Sunt libelli duo de plantis Americæ, quæ reperiuntur in ditione regis Hiſpaniæ; ſed tantum eas deſcripſit, unde Hiſpani lucrum facere ſolent. Adſeruntur etiam ex America multa alia, ut balſama & radices, quæ medicis ſunt notæ, vel ſaltem debent eſſe. Quod attinet ad fructus terra natos, qui faciunt ad victum hominum, horum eſt adſatim ibi. Notandum autem eſt, quibus nos ad victum uti ſolemus fructibus terra natis, in America non eſſe inventos, ſed eſſe translatos ab Hiſpanis. Itaque translatæ eo ſunt vites, triticum, hordeum & arundines ſacchariferæ, quæ omnia ſic ſatis læte jam in America creſcunt. Hiſpani vero malunt, non adeo læte hæc ibi creſcere, ut ipſi ſic poſſint cum illis commercia inſtituere. Adfertur etiam ex Hiſpania in Americam oleum olivæ, & vinum Hiſpanicum: ſi vero iis vellent operam impendere Americani, omnia ibi adſatim creſcere poſſent, ut nihil iis, quod ad victum pertineret, deeſſe poſſet.

De animalibus Americæ præclare diſſerit ACOSTA *lib. IV. a cap.* 33. usque ad finem libri. Sunt vero *animalia* (e) triplicis generis 1) Sunt ibi, quæ non ſunt reperta in America, ſed iſtuc translata per Hiſpanos, 2) Sunt ibi, quæ in Europa vel in orbe cognito & in America ſimul reperiuntur v. g. urſi, leones, lupi, tigrides, vulpes. 3) Quædam Americæ ſunt propria, & non niſi ibi reperiuntur. Quod attinet ea, quæ ex Hiſpania in Americam ſunt translata, ſunt equi, (nam nulli horum in America inventi,) muli, aſini, boves & oves; nec etiam canes fuerunt in America. Hæc omnia animalia tam excreverunt in America, ut ſuperaverint pene numerum animalium Europæorum. Inprimis vero oves maxime ibi excreverunt. Memini me legere in HERERA, in inſula Hiſpaniola ex duabus ovibus intra 20. annorum ſpatium 3000. ovium proveniſſe. Præterea in inſula Hiſpaniola in tantum numerum excreverunt *boves*, (f) ut ſint innumerabiles, nec cujusquam hominis proprii. Solent quoque interfici non *carnis gratia*, (g) ſed propter corium. Tanta enim ibi mactatur quotannis copia boum

(a) *metalla*) In Potoſi monte & ſtanni ſunt fodinæ.

(b) *unionum*) An America quoque unionem, quem Hiſpaniæ rex ornamentis ſuis ſub Peregrinæ nomine annumerat, produxerit, dubium eſt. Credunt Hiſpani, eum omnes alios puritate & magnitudine ſuperare.

(c) *gemmarum*) Vid. *Hiſtoire de joyaux*, quæ Mercurio Hiſpanico adhæret.

(d) *alter Batavus*) In Oldenburgeriana editione ſequentia leguntur: *Liber ab illis ingens editus in folio de herbis. Ita Hiſpanus rex magna induſtria curavit inveſtigare in plantas Americanas, & impenſa facta ſunt* 60000 *aureorum: in ſumma eas collectas edidit* BERNHARD. ANTONIVS *medicus Neapolitanus, Hiſpanus itidem. Medicinales nimis ſunt.*

(e) *animalia*) De fructibus, plantis & animalibus Americanis DAMPIERII *itinerarium* legi meretur.

(f) *boves*) De bovium inſula videatur DAMPIER *part. II. p.* 510. 511. 524. Non ſolum autem inſulæ Cuba, des Pins, Hiſpaniola, S. Johan. de porto Rico; ſed & terræ, quæ ſunt in continenti, animalibus inprimis autem ſuibus, ex Hiſpania quoque adductis, abundant. DAMPIER. *l. c. p.* 545.

(g) *carnis gratia*) Guſtant tamen Americani frequenter ſatis ex bubula carne, etiam ſale infecta & fumo quodammodo indurata, quam Taſſajo vocant. *Nouvelle relation des Indes occidentales par* GAGE *tom. III. p.* 85.

boum & vaccarum, coriorum cauſa, ut hodie etiam inter opulentiſſimos Americæ proventus & coria numerentur, & hinc etiam claſſibus ex America advehi ſolet ingens coriorum copia, teſte Joſepho Acoſta. Quæ etiam videtur ratio, quod calcei jam non magno pretio vendantur, cum magna coriorum vis ex America advehatur. Ante centum annos nemo fere ruſticorum erat indutus calceis ex corio factis; jam vero omnes ſine diſcrimine iis utuntur, & hoc debent præcipue Americæ. Conſequens eſt, ut dicamus de hominibus Americanis, iis ſcilicet, qui hodie incolunt Americam, ut eo rectius deinde diſſerere poſſimus de regimine, quo hodie America a rege Hiſpaniæ tenetur.

Quod ſpectat ad incolas Americæ, ſunt illi in triplici differentia, 1) alii ſunt Americani antiqui, 2) alii ſunt Hiſpani novi advenæ, 3) alii itidem ſunt advenæ, ſed Æthiopes. Poteſt his addi quartum illud genus hominum, quod natum eſt ex connubio Hiſpanico & Americano: nam & illi connubia invicem inierunt, unde natum eſt hominum genus, quod vocant *Meſtechos.* (a) Sunt autem ingenio multum inter ſe diverſi. Antiquos incolas quod attinet, non eſt, quod diſputem de eorum origine, qua illi ſint nati, & qui factum, ut potuerint in Americam in longe diſſitas regiones pervenire. Si quidem ex ſacra Scriptura nobis eſſet ignotum, omnes homines ab uno Adamo proſatos, & propagationem generis humani deberi Noacho ejusque filiis, non eſſet opus hac diſputatione; qui enim ſtatuunt, mundum eſſe æternum, non ſolliciti ſunt de hac quæſtione. Pertinet etiam huc ſcriptor ille *ineptiens*, (b) qui nuper ſtatuit, fuiſſe homines ante Adamum, & ita poſt Adamum paſſim in orbe fuiſſe homines, non ab Adamo & Noacho proſatos. Quoniam vero rem rectius ſumus edocti, jam nos fatigare non poteſt illa quæſtio. Egregie de hoc argumento diſputavit Joſephus Acoſta *lib. 1. Hiſt. Americanæ*, qui factum fuerit, quod homines & animalia pervenerint in illum mundum. Poſt illum idem argumentum non adeo pridem in Belgio egerunt viri præclari HVGO GROTIVS, cujus duplex extat diſſertatio *de origine gentium Americanarum.* Grotio ſe oppoſuit duobus itidem libris JOHANNES DE LAET, & quanquam maxime faveam H. Grotio, hac tamen in re mihi minus videtur veritatem aſſecutus, & hac in parte Laetum illi præferendum cenſeo. Præterea hac de re diſſeruit GEORGIVS HORNIVS Palatinus, qui eſt Profeſſor Lugduni Batavorum. Quibus placet, curioſum hoc argumentum tractare, poterit quatuor jam nominata ſcripta excutere, quæ ſunt docta, & neminem poenitebit lectionis. Ad me non pertinet illa quæſtio, quia jam tracto politica. Tangam ſaltem ea, quæ ad politica pertinent. Notandus itaque eſt hominum numerus, qui primo venit in conſiderationem politicam. Eſt autem numerus pro latitudine regionis ſatis exiguus. Olim quidem ſatis magnus fuit, ſed immani Hiſpanorum ſævitia aliquot hominum myriades interierunt, ut hodie vix pauci ſuperſint, ſi computes ad vaſtam Americæ magnitudinem. Inter ipſos incolas minimus numerus Hiſpanorum, maximus autem Americanorum veterum. Lego enim, univerſam Americam vix 3000. aut 4000. Hiſpanorum tenere. Proximi numero ſunt Americanis veteribus Meſtechi, qui nati ſunt ex ſanguine commiſto Hiſpanorum & Americanorum. Tertio loco ſunt Æthiopes, qui ex Africa in ſatis magna copia devecti in Americam ad ſervitia præſtanda, & hi etiam multitudine ſuperant Hiſpanos.

Quod attinet autem hos homines, ingenio ſunt diverſo, & quidem ſi in conſiderationem veniunt virtutes & vitia. Notandum hoc eſt, tametſi Americani peſſime ſint habiti ab Hiſpanis olim, tamen hodie non ſupereſſe illud odium inter Americanos & Hiſpanos. Ratio eſt, quoniam Americani hodierni omnes ſunt nati poſt occupationem, & priſtinum ſtatum nonniſi fando acceperunt, nec quisquam ſupereſt, qui antiquum ſtatum noverit, ſed cognitionem hujus debent narrationibus & traditionibus, quas a majoribus ſuis *acceperunt.* (c) In univerſum uſu venit, ut populus, qui natus eſt in ſervitute, cum ignoret libertatem antiquam, ſtatum præſentem minus oderit: at vero populus, qui ſtatus melioris eſt [illegible]eritus, præſentem ſtatum, ſi ſit pejor, maxime odio habet. Non etiam male erga Hiſpanos affecti ſunt Meſtechi, cum ſint nati ex Hiſpanico ſanguine, & vero una cum antiquis incolis acceperunt *mores Hiſpanicos.* (d) Æthiopes ſunt genus hominum vile & ſervile, ſequiturque ſuos dominos, & quoniam magna pars nonniſi pueri adveniunt, de meliori ſtatu neſciunt, & ſic ſatis ſtatu ſuo præſenti contenti ſunt. Par ratio eſt Hiſpanorum, quorum quia magna pars nata eſt in America, minus affecti ſunt erga ipſam Hiſpaniam, ut ſolet uſu venire in omnibus coloniis; nam qui mittuntur in colonias, amare ſolent matricem urbem, poſtea exuunt amorem priſtinæ originis, & amant terram, in qua nati ſunt. Hodie Hiſpanorum illorum, qui in America vivunt, minor amor eſt in Hiſpaniam, cujus eos non poteſt amor tenere, quoniam ipſi nunquam viderunt Hiſpaniam, & quia vident, ſe laborare pro Hiſpanis, eosque omnia ſua intercipere, quæ ipſi in ſuos uſus poſſent convertere. Hinc patet, ſi quis videat hodiernorum incolarum

(a) *Meſtechos*) Vide, quæ ſupra de diverſis Americanorum, qui ab Hiſpanis ortum trahunt, nominibus dixi. Quid Meſtechi ſint, autor paullo poſt docebit. Criolii vero ſunt, qui ex Hiſpanicis parentibus in America ſunt nati.

(b) *ineptiens*) De Peirerio loquitur, qui tamen errorem ſuum agnoviſſe dicitur.

(c) *acceperunt*) DAMPIERI *itinerar. part. I. p.* 238. 239. *Nouvelle relation des Indes occid. part. III. ch. XVI.*

(d) *mores Hiſpanorum*) *Nouvelle relation des Indes occidentales part. II. ch. XV. XVII. part. III. ch. XV.*

colarum mores, non videri, eſſe extra periculum Hiſpanos, ne aliquando perdant Americam. Et ſi dux aliquis belli rebellionem concitet, poſſunt privari poſſeſſione univerſæ Americæ. Initio hujus anni (1661) & ſub finem ſuperioris, adferebatur ad nos, motus eſſe excitatos in America ſeptentrionali, nactos eſſe ibi ducem & ab Hiſpania velle deſciſcere. Sive verum hoc ſive falſum fuerit, certum eſt interea, aliquando hoc evenire poſſe. Et ſi hoc contingeret, Hiſpanus non adeo eſt potens, ut amiſſa poſſet recuperare. Cum ſuperiori ſæculo Franciſcus Pizarrus deſciſceret a fide regis ſui, rex Hiſpaniæ Philippus non auſus, mittere illuc militem ad domandum Pizarrum, ſed transmiſit iſtuc Doctorem juris canonici, hominem callidiſſimum & veram vulpeculam. Hic Doctor, ut erat callidus, ſe ſimulabat amicum Pizarri, effecit vero ut capite plecteretur, & verſutia ipſius tum ſervatum eſt totum regnum Peruvianum. An autem ſemper ſperare hoc liceat, equidem neſcio: adparet, non æque ſemper favere fortunam.

Quod attinet porro ad virtutes & vitia Americanorum, Ita deſcribuntur, quod ſint *moribus ſimplices*, (a) non mali aut feroces, ſed civiliter probi, & eorum probitas præfertur ipſis Hiſpanis. Meſtechi tenent aliquid morum Hiſpanorum & Americanorum. Æthiopes ſunt animo ſervili, et ſi hi habeant modo, quod edant aut bibant, ſatis ſunt contenti: illud enim hominum genus virtutibus imbutum non eſt, nec tot etiam vitiis laborat. Quod attinet ad Hiſpanos, qui incolunt Americam, non adeo ſunt impii, quam fuere, qui primum occupaverunt Americam; hi enim adeo fuere avari & crudeles, ut eorum vitia omnem ſuperent fidem. Hodie mitigati ſunt animi Hiſpanorum, quoniam omnium rerum ibi eſt abundantia. Quod concernit virtutes intellectuales, quemadmodum Hiſpania caret artificiis, ita etiam America. Deſtituitur *artibus omnibus* (b) fere præter metallicam; in metallis enim elaborandis omnes ſunt occupati. Quinimo videntur hoc conſulto agere Hiſpani, ne America habeat opifices, ut ipſi ſuis mercibus poſſint majores res facere. Alias intelligo, populum ſic ſatis eſſe ingenioſum ad omnes artes diſcendas: neque enim adeo ignotum, præclara opificia inveniſſe ibi Hiſpanos advenientes & occupantes Americam, ut quis artificia & induſtriam illorum hominum non poſſit ſatis laudare & mirari: cumprimis tales habuit regnum Peruvianum. Quod ad reliquas virtutes intellectuales ſpectat & ſcientias, an quisquam Americanorum fuerit ſcientiis imbutus, non *ſatis habeo compertum:* (c) interim certum eſt, quod in illis terris non deſint collegia opulentiſſima & inſtructiſſima Jeſuitarum. Cumprimis magni nominis ſunt collegium Mexicanum & Limanum in Peruvia. Quum autem Jeſuitæ plurimum verſentur circa inſtitutionem juventutis, ideo fortaſſe etiam inſtituerunt Americanos.

Quod religionem & pietatem Americanorum attinet, eſt in medio liber præclarus Acoſtæ *de prædicatione evangelii apud Indos.* Ille docet, quomodo evangelium ſit propagandum in America. Rediit autem ille ex America anno 1587. & librum hunc conſcripſit ſub initium hujus ſæculi. (1606) Ex illo opere adparet, Chriſtianam religionem parum profeciſſe, baptizatos quidem eſſe & aqua tinctos Americanos & in numerum Chriſtianorum eſſe adoptatos, ſed præter nomen nihil eos habere. Plerique enim Americani veram religionem non acceperunt, hinc *plerique idololatriam* (d) clanculum exercent, & domi idola adhuc colunt, quamvis non aperte. Cauſas, quare parum profecerit Chriſtiana religio, noluit diſſimulare etiam Acoſta; prima enim, ipſo teſte, cauſa eſt, quod incredibilis ſit improbitas Hiſpanorum, imo etiam ſacrificulorum, & illa impietate homines arcentur a religione Chriſtiana, & maledicunt illi Deo, cujus cultores adeo ſunt impii. Altera cauſa eſt, quia non inſtituuntur in religione: baptizantur quidem, poſtea ulterius non informantur, & nemo illorum inſtitutionis habet curam. Refert idem Acoſta, diſputatum eſſe a ſacerdotibus Americæ, non eſſe opus, ut de Chriſto Americani doceantur, ſed ſufficere, ſi credant, quod credit Eccleſia. Si quæras ex illis hominibus,

(a) *moribus ſimplices*) Simplicitati Americanorum multum accedit, quod ab Hiſpanis ſub duriſſimo habentur jugo & ſervitute. *Nouvelle relation des Indes occidentales part. III. chapitre VIII. XIII. XIV. XV.*

(b) *artibus omnibus*) Sunt tamen & in Indorum pagis opifices & artifices. *Nouvelle relation des Indes occidentales part. III. ch. XII.*

(c) *ſatis habeo compertum*) Indi plerumque præter artem legendi, pingendi literas, & muſicam nihil callent *l. c. & ch. XVII.*

(d) *plerique idololatriam*) GAGIVS *part. III. p.* 108. inquit: *Pource qui regarde le culte de Dieu, ils profeſſent en apparence la meme religion, que les Eſpagnols; mais dans le coeur ils ont beaucoup de peine a croire cequi ſurpaſſe les ſens & cequi ne paroit viſible aux yeux. Il y en a meme encore aujourdhui pluſieurs, qui adorent des Idoles de bois, de pierre, qui ſont adonnés a la ſuperſtition, qui obſervent la rencontre des betes, qui traverſent les chemins, le vol des oyſeaux & de leur chant aupres de leurs maiſons en certain tems, qui n'ont pas accoutumé, d'y venir. Il y en a auſſi pluſieurs, qui ſont adonnez aux ſortilege, & a qui le diable fait a croire, que leur vie depend de celle de quelque bete, qu'ils gardent aupres d'eux, comme leur eſprit familier, & s'imaginent, que lorsque cette bête meurar ils doivent auſſi mourir, que lorsqu'on les pourſuit a la chaſſe le coeur leur fremit, lorsque il manque a cet animal la, il leur manque auſſi a eux* &c. Indos dogmatum fidei, quæ Hiſpani profitentur, plane rudes eſſe, hiſtoriola, quam Gagius narrat de muliercula quadam, hoſtiæ S. Jacobum cum cane & aliis, quæ imagini ejus adpicta erant, ineſſe credente, comprobat. Gagio autore Americanorum mentes Chriſtiana, juxta Hiſpanorum formulam, ut par eſt, non imbuuntur religione, quoniam ſacerdotes Hiſpani magnam partem aut ventri & lætiori vitæ aut conglomerandis nummis operam dent. Huic accedit, quod Hiſpani vereantur, ne Indi a ſimplicitate & ignorantia in religione revocati, ad alia quoque tantopere, ut hactenus fecerunt, cæcutire deſinant.

nibus, quid credat eccleſia, dicunt, quod ego credo. Conqueritur hic Jeſuita Acoſta de illa re. Interim homines ad hunc modum in America inſtitui, eſt certum. Non dubito tamen, nonnullos inter Americanos eſſe Chriſtiana religione imbutos: & Ipſe Acoſta teſtatur, non deeſſe quoque, qui amplexentur Chriſtianam religionem, & Ii ſunt prudentiores. Par ratio eſt Æthiopum, qui etiam baptizati ſunt, nil vero præterea: quin, ut vulgus Hiſpanicum in ipſa Hiſpania parum in Chriſtiana religione eſt inſtructum, ita etiam in America eſt admodum rude. Ergo quod ſumme dolendum eſt, pauci in tanto hominum numero reperiuntur veri Chriſtiani. Hoc propterea dico, quia Jeſuitarum fæx, quæ paſſim in terris noſtris reperitur, jactat eccleſiam, & Chriſtianos ſuos Americanos homines rudes rerum ſuarum, & ſi ſermo incidat vobis cum tali homine, jubete illum legere librum hunc Jeſuitæ Acoſtæ. Hæc de America ſint ſatis.

DE INSVLIS AD REGEM HISPANIÆ PERTINENTIBVS.

Tenet præterea Hiſpanus inter Aſiam & Americam inſulas *Philippinas* (a) numero multas: In genere noviſſe ſufficit, eſſe inſularum illarum nonnullas *opulentas* (b) & Hiſpano præbere opes plurimas, abundare præterea ſufficientia omnium rerum. Quod ad ſitum harum inſularum attinet, propinquiores ſunt Americæ, quam Aſiæ. Nam ex America intra duorum menſium ſpatium navigari poteſt in inſulas illas, ex Aſia vero vix ſpacio ſemeſtri: & propter hunc ſitum facilius teneri poſſunt ab Hiſpanis Americanis, quam invadi ab aliis Aſiæ populis, quia hi claſſe non valent, & gentes Hiſpani claſſe ſunt potiores. Hæ inſulæ ſub jugum Hiſpanorum miſſæ anno poſt natum Chriſtum 1564. Non ſibi metuere poſſunt, niſi aliquando a *Batavis*, (c) qui tenent & paulatim occupare incipiunt inſulis Philippinis proximas, & præterea admodum ſiunt potentes in India orientali. Vocantur inſulæ Philippinæ, quia Philippi regia Hiſpaniæ auſpiciis ſunt inventæ, ſunt etiam remotiores, quam ipſa America. Quod jam attinet ad incolas, occupaverunt illas inſulas quidem Hiſpani, ſed horum exiguus numerus in iis adparet: lego enim, in iis ægerrime 2000. Hiſpanos reperiri, at vero incolarum ibi ſunt aliquot myriades. Itaque adparet, has inſulas poſſe ſe aliquando in libertatem adſerere, nam in his potentia Hiſpanorum eſt infirma. Incolæ ſunt rudes & barbari & maximam partem idololatræ, minus enim feliciter propagatur ibi religio Chriſtiana, prout in America: more enim Hiſpanico, i. e. frigide, in hac informantur.

Poſſidet & rex Hiſpaniæ quaſdam inſulas propinquas Africæ, quæ appellantur *Canariæ*, (d) quod præcipua earum dicatur Canaria a multitudine *canum*: (e) parum ſunt remotæ ab Hiſpanis, ſub Hiſpanorum tamen jugum venerunt demum tempore Ferdinandi Arragonii. Hæ inſulæ jam fuerunt notæ Carthaginenſibus, & ex horum relatione etiam Græcis, & dictæ ſunt inſulæ Fortunatæ, deſcribuntur etiam a Ptolomæo. Dictæ autem ſunt Fortunatæ ab incredibili fertilitate ſoli, ſunt enim revera fortunatæ, quia ſunt fœcundæ. In inſulis his etiam parum ſupereſt incolarum veterum, in quorum locum ſucceſſerunt Hiſpani. Facilius poſſunt teneri ab Hiſpanis, quia Hiſpaniæ ſunt vicinæ. Sunt autem *ſeptem numero*, (f) & pleræque habent arces munitas. Numerus habitatorum ibi eſt exiguus, interim pro loci magnitudine ſatis eſt magnus, tenentur enim hæ inſulæ ab *Hiſpanis* 7000. (g) Quod fertilitatem loci attinet, præbent ingentem vim ſacchari & copiam vini optimi: nusquam reperitur tam *generoſum vinum*, (h) & ſaccharum nusquam naſcitur melius, quam in his inſulis. Hinc ex vectigalibus hujus inſulæ, rex Hiſpaniæ quotannis capit ultra 50000. ducatorum. Solet vinum illud dici Canarien Wein, aut Malvaſier. Quanquam alias verum Malvaſier naſcatur in inſula Chio: quia autem hinc vites ſunt translatæ in inſulas Canarias, & feliciſſime ibi creſcunt, ideo etiam vinum Canarium ſolet vocari Malvaticum.

Aggrediemur jam inſulas & provincias ad Hiſpanum ſpectantes, ſitas in mari mediterraneo, de quibus omnibus docte etiam egit JOHANNES LAET *cap. VI.* quod eſt de regnis, quæ

(a) *Philippinas*) DAMPIERII *itinerarium part. I. c. XI.* p. 563. ſeqq.

(b) *opulentas*) Pleræque earum inter viſcera ſua aurum continent.

(c) *Batavis*) Hinc omne commercium earum inhabitatoribus cum Batavis æque ac Anglis ab Hiſpanis eſt interdictum.

(d) *Canariæ*) DAMPIER. *tom. III. p.* 5. ſeqq. Has inſulas Hiſpaniæ regis nomine moderans Lagunæ commoratur.

(e) *canum*) Vel etiam, quod in quotidianum victum canum carnes elegerint.

(f) *ſeptem numero*) Lanzarota, Forteventura, Canaria magna, Teneriffa, Gomera, Pierro, Palma. Quæ ab hiſce inſulis proferantur, & quæ in iis alantur animalia, docet DAMPIER *l. c. p.* 15. *Allgemeine Einleitung zu allen bisher ans Licht getretenen Reiſen des Herrn von Bellegarde p.* 8. Veteres Geographi in una Canariarum, quam Junonem dicunt, primum conſtituunt meridianum.

(g) *Hiſpanis* 7000.) Dubium, an hæc, quæ hic ab autore traduntur, ſatis recte ſe habeant, quoniam ſola Teneriffa, teſte DAMPIERO 12000. hominum, ad arma tractanda aptorum, ſiſtere poteſt. Vid. plura in BELLEGARDI libro, ex Gallico in Germanicum idioma translato, ſub hoc rubro: *allgemeine hiſtoriſche Einleit. p.* 7. In hac inſula montem, qui inter altiſſimos refertur, mirantur. Vocatur *pico de Teneriffa*. Altitudinem ejus ad 17. milliaria aſcendere dicunt.

(h) *generoſum vinum*) Optimum in Canaria magna, Teneriffa & Palma uvis exprimitur. Habet quoque hujusmodi generis vinum Candia, nomen autem Malvatii a Moreæ caſtello Malvaſia trahere dicitur. Vinum Canarienſe nulli obnoxium eſt corruptioni, nec id usque ad Polos delatum, ut alia vina, in glaciem convertuntur.

quæ rex Hiſpaniæ tenet in mari mediterraneo. Poſſidet autem plures provincias exteras, quas ſi recte curaret, longe plus lucri inde capere poſſet. Inter illas quædam adjacent Italiæ, quædam propinquiores ſunt Hiſpaniæ. Inter illas, quæ adjacent Hiſpaniæ, quatuor ſunt numero, quarum duæ priores Græcis dictæ ſunt inſulæ *Pithiuſæ*, (a) qoæ vero ſunt remotiores, dictæ ſunt Baleares. Inter inſulas Pithiuſas una eſt majuſcula, altera minor: majuſcula hodie dicitur Yvica, olim Ebuſus vel Ebuſa. Quod attinet Ebuſum & alteram Columbariam, utraque inhabitata eſt a Græciæ populis, poſt illos ceſſit Romanis, poſteaquam Hiſpaniam ſui juris fecerunt. Deinde utraque a Gothis, qui rerum potiti ſunt per Hiſpaniam, occupata eſt. Habitæ enim ſunt quaſi appendices Hiſpaniæ. Denique utraque cum Balearibus ceſſerunt Saracenis ſive Mauris, qui cœperunt ſubiugare Hiſpaniam. Ubi Maurorum imperium debilitatum eſt, per Hiſpanos occupatæ ſunt a regibus Arragoniæ: huic enim quatuor hæ inſulæ *ſunt proximæ*, (b) factum hoc ſeculo poſt natum Chriſtum XIII. rege Jacobo. Quomodo hæ inſulæ ſint occupatæ, late deſcribit Mariana: hodie ſunt juris regum Arragoniæ. Dicam de ſingulis, quantum quidem pertinet ad cauſam materialem. Ebuſus non eſt magna, & quia ea parte, qua portus habet, caſtellis eſt munita, ſatis tuta eſt ab hoſtibus: & hæc eſt ratio, quod non audiamus temere, piratas Turcicos impetum feciſſe in has inſulas, qui alias ſunt potentes in mari mediterraneo. Frumenti ſatis eſt ferax, quapropter ſibi non tam ad victum ſufficit, ſed etiam poteſt frumentum ſuppeditare Hiſpaniæ & Italiæ; Arragoniæ cumprimis, quæ frugibus minus abundat. Abundat etiam ſale foſſili, quod transferri ſolet in Hiſpaniam & Italiam, & potiſſimum commercium hujus inſulæ ſitum eſt in mercatura *ſalis.* (c) Habet hoc memorabile hæc inſula, quod non ferat ullum animal venenatum: imo ſi talia animalia conſpergantur terra hujus inſulæ, moriuntur. Vicina autem inſula *Columbaria* (d) adeo abundat animalibus venenatis & ſerpentibus, ut vix poſſit habitari. In Ebuſa non eſt hominum multitudo, interim ſibi & ſuis alendis ſufficit. Sequuntur inſulæ duæ, quæ dicuntur Baleares, ſic olim dictæ ab inſigni peritia hominum ſagittandi & *fundis bellandi:* (e) ſunt autem duæ, altera eſt major, altera vero minor, hinc prior dicitur Majorica, poſterior Minorica. Majorica longe major & nobilior eſt Ebuſo. Olim habuit incolas Græcos, adeo libertatis ſtudioſos, ut poſt bellum Punicum tertium demum ſit domita a Metello duce Romanorum, qui accepit nomen Balearicus. Majorica ſatis eſt nobilis, attamen non eſt adeo ferax frumenti, ut viciniam alere poſſit, ſibi vero ſufficit. Abundat omnis generis feris. Reperiuntur ibi in magna copia cervi, lepores, apri, hinnuli, capræ ſylveſtres &c. ut magnam vim poſſit mittere vicinis. Cumprimis cuniculis adeo abundavit hæc inſula, ut fere coacti ſint incolæ, excedere inſula illa. Jam autem cum ſciant, quomodo ſint capiendi, non eſt quod ſibi metuant, olim illos omnis ars venandi cuniculos latebat. Habet *urbes aliquot & caſtella*, (f) ubi ſunt portus nobiliores, habet tamen etiam portus minus nobiles nec munitos, & hac parte patet piratis Turcicis, qui in illa excurſiones ſolent facere. Qua parte vero maxime colitur, ſatis eſt munita, & ea parte etiam *abundat hominibus.* (g) *Ingenium* (h) incolarum eſt pene ut Siculorum, non malum. Minorica, ut revera eſt minor, ita minoris eſt momenti. Habet unam & alteram urbem, qua parte habet *portus* (i) & ſic ſatis tuta eſt. Quomodo hæ inſulæ regantur ab Hiſpanis,

(a) *Pithiuſæ*) CLVVER. *geograph. c.* VIII. BOTERVS *part.* I. *vol.* II. *lib.* IV. *p.* 55. ſeq. JOAN. DE LAET *ſect.* 6. p. 143.

(b) *ſunt proximæ*) Majorca a continenti Hiſpaniæ juxta MARINVM diei unius, juxta *archontologiam coſmicam* vero quatuor aut quinque horarum itinere maritimo diſtat. BOSIVS p. 164. Minorca ex ſententia Laeti, quinque aut ſex milliarium intervallo a continente abeſt. Yvica juxta *archontologiam* 50. milliaribus, juxta LAETIVM X. aut XII. leucarum, Formentera autem LXXX. millibus paſſuum a continente ſeparatur.

(c) *ſalis*) Teſte BOSIO p. 169. §. 169. magnus hic eſt mancipiorum numerus, quæ nihil aliud agunt, quam ut in ſalinis laborent. Conficiendi autem ſalis hæc ratio eſt: penetrat aqua marina certis anni temporibus, quæ ſe certis cavernis inſinuat, ſolisque potiſſimum auxilio in ſal coaleſcit.

(d) *Columbaria*) Nomen hoc ortum debet colubris, quibus abundat. Ab Hiſpanis dicitur Formentera & latine Ophiuſa. Promontorium in littore potius habet, cui Mora nomen.

(e) *fundis bellandi*) Quæ græca voce baleæ appellantur JOANN. GERVND. *paralipom. lib.* II. p. 35. *Hiſpan. illuſtrata.* Alii nomen derivant a Baleo quodam Herculis comite, alii aliam voci tribuunt originem. Vid. BOSII *Hiſpan. notitiam ſect.* II. c. II. §. 35.

(f) *urbes aliquot & caſtella*) Major jam hæc eſt inſula ac Strabonis tempore erat, monente namque Mangino tunc latitudine 75. milliaria æquavit, hodie centum milliaria complecti dicitur. Boterus autor eſt, in circuitu 300. paſſuum millia continere, quæ alii minuunt, alii usque ad quingenta millia extendunt. Urbs Majorica cum portu Pini ſita eſt in intimo ſinus, qui ad occiduum inſulæ littus inter caput Figueranum & Carpendoracatum eſt. Dicitur adhuc duas alias urbes & triginta oppida & caſtella continere. Alter ſinus ad littus orientale, quem Golfo de Alcudia vocant. Flumina omnia, quæ inſulam rigant, nec non portus ejus & promontoria memorat BOSIVS *l. c. p.* 164. 165. Inter inſulæ memorabilia referendum dicunt, quod ranæ ex continente in eam delatæ coaxare deſinant. Minores inſulæ, quæ Majoricæ adjacent, ſunt Cabrera & Dradomera.

(g) *abundat hominibus*) De inſulæ fertilitate agit BOSIVS p. 166.

(h) *Ingenium*) De incolarum Majoricæ & Minoricæ moribus evolvi debent *Archontologia coſmica*, HEIDMANNI *manuductio ad geographiam* & MAGINVS.

(i) *portus*) Metropolis inſulæ *Citadella* eſt & Magonis nec non Forrelli portus habet. Hic, quem Furnerius male Tornelli vocat, ad meridiem eſt, alter ad ſeptentrionem. Hic duos alios adhuc Furnerius memorat portus Notalibi, & Citadelli. Hodie inſula ſub Anglis eſt. Adjacet ei haud procul portu Maonio exigua inſula, quæ in tabulis *Laire de Maon*, & alia parva ad ortum, quæ *Daya* appellatur. Præterea minores quædam, ad ipſa Hiſpaniæ littora, in mari mediterraneo inſulæ reperiuntur, quas enarrat BOSIVS p. 170.

Hiſpanis, dicam intra. Tempore Saracenorum habuerunt peculiares ſuos reges, ideoque rex Hiſpaniæ, ſi velit titulum ſuum omni ex parte recenſere, ſe etiam adpellat regem Majoricæ & Minoricæ. Hodie reguntur per Proregem, ita ut reliquæ.

Sequuntur jam in mari mediterraneo inſulæ adjacentes propius Italiæ. Inter illas primo occurrit Sardinia, altera eſt Sicilia,& poteſt tertia etiam addi,MALTA,quæ ſemper fuit accenſita Siciliæ, & ab iis, qui rerum potiti ſunt per Siciliam, Malta fuit poſſeſſa. Sic ſatis tamen procul diſſita eſt a Sicilia, & propior Africæ videtur. Ceterum jam non dicam de Malta. Eſt quidem juris Hiſpanici, ad Hiſpaniam namque pertinet ejus dominium directum. Aſt vero dominium utile eſt penes Equites ordinis Johannitici, qui totam inſulam poſſident, ſedemque ſuam ibi collocarunt. Dedit eam *Carolus V.* (a) Equitibus hujus ordinis, cum eſſent pulſi inſula Rhodo, a Turca. Prudentiſſimo conſilio hoc eſt factum: parum enim lucri hæc inſula præbuit regi Siciliæ,& paulatim invaleſcente potentia Turcica, impoſſibile fuiſſet, eam defendere. Dedit ergo eam Equitibus, ut hi eſſent præſidio & Siciliæ & reliquis terris. Editus eſt hoc loco liber elegans de inſula Malta, auctore *Nederſtedio* (b) ubi poteritis invenire,quæ pluribus ibi traduntur de hac inſula.

DE SARDINIA REGI HISPANIAE SVBDITA.

In pleno dominio Hiſpani eſt Sicilia & Sardinia. Quod attinet ad Sardiniam, victa eſt illa paulatim a Romanis: quemadmodum autem ſe olim habuerit Sardinia & Corſica, etiam cum eſſent ſub Græcis, ſingulari & præclaro opere docuit Cluverius. Eam enim diligentiam adhibuit CLVVERIVS, ut ipſe pedibus *luſtraverit Siciliam*, (c) & omnia memoratu digna adnotaverit, ita ut hodie ipſi Siculi, quod tam accurate omnia deſcripſerit, eum mirentur. Agit vero præcipue de ſtatu inſularum illarum antiquo. Liber hic Cluverii quoniam ab omnibus non poteſt haberi & præterea ſatis prolixus eſt,poterit ſibi quis comparare epitomen elegantem inde extractam a JOH. BVNONE. Fuerunt autem hæ inſulæ deinde ſub imperio Romano. *Sardinia* (d) nunquam eſt habita magni, quod minus commode habitari poſſit vitio aëris, igitur non ſemper habuit multos incolas, cumprimis in parte auſtrali. Deinde illam inſulam ut & Siciliam occuparunt *Saraceni* (e) primum vero Sardiniam & Corſicam. Deinde Pipinus & *Carolus M.* (f) cum inducti eſſent a papa,magnam Italiæ partem,tanquam S. Petro debitam, donare Papæ, etiam perſuaſi ſunt,donare Corſicam & Sardiniam: nunquam autem eas poſſedit papa, quia eam tenebant Saraceni. Sardinia deinde occupata eſt a Piſanis, Corſica a Genuenſibus. Hodieque papa prætendit jus directum in has inſulas. Genuenſes hoc papæ non concedunt, ſed dicunt ſe Corſicam tenere jure belli. Cum Fridericus II. imperator Germanus quidem domo, interim ex materna hæreditate accepiſſet regnum Neapolitanum & Siciliam, ipſe etiam ea fuit potentia, ut totam poſſederit Sardiniam, quam dedit filio ſuo notho, quem Itali ſolent vocare *Entium*, dictum autem illum puto nomine germanico *Hintzæ*. Nec enim papæ quicquam juris in eam ceſſit. Collapſa autem Svecica poteſtate in Sicilia, collapſa etiam eſt in Sardinia, & ceſſit regibus Arragoniæ, qui ſolent aliquid hodieque concedere papæ. Certe papa & in Siciliam & in Sardiniam prætendit dominium directum, quod tamen negant *Arragones*, (h) ad quos hodie pertinent. Eſt ſic ſatis magna & fertilis, & iis, quæ ad victum pertinent,ſatis abundat, niſi,quod ſit ſylvis horridior, idque quia a paucis colitur ob vitium aëris: alias ſane ſibi ſufficere poſſet Sardinia. *Portus* (i) quidem habet egregios, ſed quia non ſunt muniti, maxime ipſis ſunt noxii, & refugium præbent

(a) *Carolus V.*) Inter conditiones, ſub quibus dat[illegible] Malta una cum Goao, vulgo Gaulo & Comino inſulis, c[illegible] illa erat, ut Siciliæ domino, in recognitionem dominii directi, Falconem quotannis exhiberent. BECMAN. *de ordine Johannitico c. II. p.* 72. GVRTLERVS *de ordinib. equeſtr. p.* 25. Uterque liber Germanica eſt conſcriptus lingua. *Hiſtoire de l'ordre de S. Jean de Hieruſalem par* BAVDOIN *liv. X. ch. IV. V. p.* 231. ſeqq. NEDERSTEDII *deſcriptio Maltha* [illegible]. ſeqq.

(b) *Nederſtedio*) Liber auſpiciis & juſſu Blumenthalii,cujus olim fuerat ephorus, editus eſt. Præmiſſa libro eſt Conringii epiſtola, in qua eum omnium, quos in eo argumento vidit, & optimum & nitidiſſimum & abſolutiſſimum vocat. Agitur in Conringii epiſtola de pontificum circa ſacras expeditiones artibus ipſarumque expeditionum injuſtitia.

(c) *luſtraverit Siciliam*) Vid. epiſtola Blumenthalii ad Fridericum Wilhelmum electorem Brandenburgicum,quæ ante Nederſtedii librum citatum legitur.

(d) *Sardinia*) Non ſine inſigni labore Romani Sardinia potiti ſunt. VITALIS *annales Sardiniæ part. I. p.* 72.ſqq. Occupata etiam fuit a Gothis. PROCOPIVS *de bello Gothic. lib. IV. c.* 24.

(e) *Saraceni*) De his & iis, quæ ſequuntur, alibi diximus. Vid. *Annales Bertin. tom. II. ſcriptor. Ital. p.* 508.

(f) *Carolus VI.*) BARONIVS *tom. XI. annal. ad ann.* 1073. Jus quoque in eam ſibi vindicant Galliæ reges. vid. SCHWEDERI *theatrum pratenſ. p.* 196.

(g) *Arragonia*) Iacobo Arragoniæ regi anno 1295. (1297) a Bonifacio VIII. in feudum collata dicitur, quod a Clemente V. anno 1305. repetitum eſt. BERNARD. GVIDO *vit. pontif. tom. III. S. I. p.* 674. Hanc rem ægre tulerunt Genuenſes & Hiſpani, quippe quos illa, tanquam beneficio,pontifex donaverat, eo ſub pacto,ut Saracenis eriperent. Exortum propterea inter hos & Arragonios bellum, quod ſub Alphonſi Jacobi filio proſpere geſtum, ita ut inſula potitus ſit. BZOVIVS *tom. XIII. annal. ad ann.* 1295. SVRITA *ind. rer. Arragon. ad ann.* 1295. 1297. 1323.

(h) *Arragones* Nec Sabaudiæ dux, qui hodie hanc tenet, hic aliquid concedit.

(i) *Portus*) Inter quos excellit, quem Calaria regni metropolis,& Proregia & archiepiſcopi ſedes habet. Nobilitat hunc quoque locum academia. Dividitur inſula in duas partes: ea, quæ in meridiem vergit, dicitur Capo di Cagliari, altera, quæ ſeptentrionem reſpicit, Capo di Logudori. Quæ utriusque ſint loca notabiliora, enarrat *la geographie univerſelle par de* LA CROIX *part. II. p.* 119.

præbent piratis, qui ibi ſolent latitare, ut commodo tempore irruant in Siciliam. Habet tamen urbes nonnullas ſic ſatis munitas, ut & caſtella, quæ incolis poſſunt eſſe præſidio. Incolæ ut ſunt numero pauci, ita etiam ſunt invalidi, & quidam illorum ſolent exercere piraticam & pugnare in mari cum piratis Turcicis. Non eſt alias, quod Sardos laudemus, vel vituperemus a virtutibus & vitiis, ſunt ingenio viles & non facile reperies Sardum doctum. Olim cum ingens eorum numerus eſſet venalis ſub Romanis, & non reperiret emptores, natum inde eſt proverbium: *Sardi venales*, id eſt mores viles, qui non facile reperiunt emptores.

DE SICILIA SVB REGIS HISPANIAE DOMINIO.

Quod ad Siciliam attinet, illa eſt longe nobiliſſima & ſemper fuit celeberrima, habitata a Græcis, inprimis Doricis, qui fuere ingenio eleganti & docto. Igitur & olim dedit *viros doctos*, (a) oratores, poëtas & philoſophos, imo primo in hac eſt inventa *cauſidicina*, (b) ut & comœdiæ, & ſane tum temporis referta fuit multis rebuspublicis liberis & magnis. Inprimis autem celebris fuere *Syracuſæ*, (c) *Agrigentus* (d) & *Chimæra*. (e) Hodieque ſuperſunt plures urbes exſtructæ a Græcis. Poſtea magnam partem hujus inſulæ ſui juris fecerunt *Carthaginenſes*. (f) Cum autem Romani viderent, eos adeo dilatare imperium ſuum, & ipſi inhiarunt Siciliæ, tandemque pulſis Carthaginenſibus, eam totam ſui juris fecerunt, & per complura ſecula conſtanter tenuerunt. Inde factum eſt, ut linguam Græcam mutarint & ruſticam illam *linguam Italicam* (g) didicerint, nec lingua Sicula & Italica multum differunt; exuerunt autem cum lingua etiam omnes Græcos mores. Cum vero deficeret & concideret Romanum imperium, occupata eſt cum Italia ab *Oſtrogothis*, (h) ſed iterum Juſtiniani imperatoris auſpiciis recuperata eſt pulſis Gothis, & ita Sicilia & regnum Neapolitanum aliquamdiu manſit in dominio imperatorum Conſtantinopolitanorum. Deficiente autem horum potentia, ceſſit Sicilia *Saracenis*, (i) qui etiam occuparunt magnam partem regni Neapolitani: hi etiam per longum tempus hanc inſulam ſub imperio ſuo tenuerunt. Seculo autem XII. felicibus auſpiciis *Normannorum*, (k) paucorum hominum, concitatis incolis Siciliæ & regni Neapolitani, exuti ſunt Saraceni omni hujus inſulæ imperio. Hi Normanni ex Normannia Galliæ (qui ſunt *Danicæ aut Suecicæ* (l) originis) tenuerunt deinde imperium. Connubii deinde jure facta eſt juris Suevici. Henricus enim Barbaroſſæ filius ducta *Conſtantia* (m) factus eſt rex Siciliæ & Neapolitanus. Seculo autem XIII. dum *defeciſſet familia illa* (n) Suevica, occupata ſunt hæc regna a Gallis. Hi cum impotenter regerent Siciliam, Siculi clanculum conſpirantes interfecerunt omnes Gallos per totam inſulam, & ita ſe ab horum imperio *liberaverunt*. (o) Hinc in proverbium abierunt *Veſpera Sicula*, quod ſcilicet campanæ convocaſſent Siculos ad ſacra veſpertina, ut omnes Galli ex compacto interficerentur. Hæ ſunt veſperæ Siculæ, quas imitari voluit Carolus rex matutinis ſuis ſacris in nuptiis Pariſienſibus. Ita deinde pervenit ad *Petrum*

(a) *viros doctos*) Et vetuſtioribus temporibus inter Siculos fuere, qui eruditionis & ſcriptorum tam Græcorum quam Latinorum celebritate inclaruerunt. Conſ. *nota ad epiſtolam Theodoſii monachi Script. Ital. tom. I. part.* II. *p.* 262. 263. HVGONIS FALCANDI *hiſtor. Sicula p.* 261. 262.

(b) *Cauſidicina*) Nonnullis videtur prima cauſidicinæ origo Africæ deberi. Juvenalis eam cauſidicorum nutriculam vocat.

(c) *Syracuſa*) De his a Corinthiis conditis confer. CELLAR. *geograph. antiq. lib.* II. *c.* XXI. p. 981. ſeqq. STRABON. *lib.* VI. p. 266. ſeqq.

(d) *Agrigentus*) De Agrigento celebri Siciliæ emporio & Ionica colonia vid. STRABO *lib.* XII. p. 266. 272. CELLARIVS *l. c. p.* 288.

(e) *Chimæra*) Epiri caſtellum haud procul mari in ipſis Ceraunîis montibus, ſub quo portus Panormus Strabonis & Ptolomæi. CELLARIVS *G. A. lib.* II. c. 13. p. 1084.

(f) *Carthaginenſes*) *Hiſtor. miſcell. lib.* II. p. 12. 19. *tom.* I. *ſcript. Ital.*

(g) *linguam Italicam*) Siculi olim lingua Græca tum Latina uſi ſunt, deinde Græcam viciſſim, poſtquam Gothi per Beliſarium inſula ejecti ſunt, frequentius adhibuerunt. Conſtat tamen veterum teſtimoniis, nec Græcam nec Latinam linguam in ſua puritate ibi obtinuiſſe. Poſtmodum cœpit illa imminui per Saracenorum inundationes, qui urbibus, portubus, montibus, fluviis, agris, artium inſtrumentis Saracenica indiderunt nomina. Duravit tamen adhuc aliquis Græcæ linguæ ſub his uſus, usque dum ſub Normannis regibus plane deſierit, & in novum pedetentim degeneraverit idioma, per vocabulorum acceſſiones, quæ a vicinis mutuabantur gentibus. Vid. *notas ad Theodoſii monachi epiſt. tom.* I. *ſcript. Ital. part.* II. *p.* 262. 263.

(h) *Oſtrogothis*) PROCOPIVS *de bello Gothico lib.* III. *c.* XVI.

(i) *Saracenis*) Hi anno 878. vel juxta alios 880. irruptionem in Siciliam fecerunt, & capta per vim Syracuſarum urbe eaque exciſa, magnam ibi civium ediderunt ſtragem. Ceperunt autem jam tum antea Moslemii, quo nomine ſe fideles vocabant Mahumedanæ ſuperſtitionis cultores, Meſſanam & Panormum. vid. *Chron. Siculum ex codice Arabico Cantabrigienſi tom.* I. *part.* II. *ſcript. Ital.* p. 245. ſeqq. *Excerpta ex chronologia univerſali l. c. p.* 251. ſeqq. THEODOSII *monachi epiſtola ad Leonem archidiaconum, de Syracuſana urbis expugnatione.* JO. BAPTISTAE CARVSII *præfat. ad chronic. Cantabrigienſe. Excerpta ex* HAZI ALIPHÆ MVSTAFÆ *chronologia Italica l. c. p.* 283. *Chron. Caſſinenſe lib.* I. *c.* 21. HEREMPERTI *epitome tom.* V. *ſcript. Ital. p.* 1[illegible]

(k) *Normannorum*) Conſ. *epiſtola fratris Conradi dominicani tom.* I. *part.* II. *ſcript. Ital. p.* 277. GAVFRIDI MALATERRÆ *hiſtor. Sicul. lib.* II. *c.* 1. Anonymi *hiſtoria liberationis Meſſanæ a Saracenorum dominatu per comitem Rogerium tom.* VI. *ſcript. Ital. p.* 614. ſeqq. BALVZ. *tom.* VI. *miſcellan. p.* 174.

(l) *Danica & Suecica*) Vid. ADAMVM BREMENSEM *in hiſtor. eccleſ.*

(m) *Conſtantia*) Fabulam, quod hæc fuerit monialis provectioris ætatis, alibi exploſi.

(n) *defeciſſet familia illa*) In Conradino, qui ſuaſu papæ, Carolo Gallo jubente, Neapoli capite truncatus eſt.

(o) *liberaverunt*) Et regnum in Arragoniorum pervenit poteſtatem. CAFFARI *annal. Genuenſ. lib.* X. *p.* 576. *tom.* VI. *ſcript. Ital.*

Petrum (a) regem Arragoniæ, qui duxerat Manfredi, filii naturalis Friderici II. filiam *Conſtantiam*, atque ita in Arragoniorum imperio fuit Sicilia per 400. amplius annos. Pontifex Romanus aliquando prætendit dominium directum in Siciliam, & fateor, id aliquando habuiſſe, verum poſtea res mutarunt; Arragones enim dicunt, ab Vrbano II. papa ſibi conceſſum eſſe jus plenum Siciliæ, curia Romana vero hoc negat. Interim quidquid ſit, Hiſpanus nihil juris concedit papæ in Siciliam, & dicit, ſe eſſe hujus monarcham. Late de hoc argumento diſſeruit Cardinalis CÆSAR BARONIVS *tomo XI. annalium.* Hæc autem res adeo offendit Philippum regem Hiſpaniæ, ut, quamvis eſſet alias devotus papæ cultor, tamen manu carnificis comburi curaverit tomum illum Baronii, imo etiam vetuerit, legere vel vendere eundem in toto ſuo imperio. Baronius ſe excuſare volens, epiſtolam exaravit ad Philippum III. regem Hiſpaniæ, in qua dicit: *Ego ſto ſuper petram.* Verum Hiſpanus novit diſtinguere inter petram novam & antiquam. Dicit præterea, ſibi hoc eſſe mandatum a papa & tomum XI. ab eodem eſſe approbatum. Habeo ego epiſtolam illam Baronii, ut & edictum regis Hiſpaniæ, quo legere vel vendere illum tomum vetuit. Ne quis credat, reges adeo devotos eſſe cultores papæ, ut vulgo ſibi habent perſuaſum. Quomodo ſit exceptus C. Baronius, quod contra regem Hiſpanum & monarchiam Siculam diſputaſſet, legere poteſtis apud THVANVM *lib.* 134. Summa etiam epiſtolæ, qua ſe defendere voluit Baronius, itidem recitatur a Thuano. BARONIVS fuit certe *vir doctiſſimus*, (a) ſed amore curiæ Romanæ ita fuit excœcatus, ut magnas protulerit ineptias. Tulit propterea Baronius multa adverſa, & certe poſt obitum Pauli V. fuiſſet papa factus, niſi obſtitiſſent Hiſpani: hi enim exiſtimabant, non expedire ſuis rebus, ſi Baronius eligeretur. Dicit, *a Petro comprobatam eſſe ſuam diſputationem.* Quis vero ille Petrus? Papa Clemens octavus. Dicit porro: *intelligant laici iſti homines* &c. Hic intelligit regem Hiſpaniæ ejusque proceres. Eſt quidem dogma eccleſiæ Romanæ, pontificem eſſe infallibilem in dogmatibus fidei & morum: ultra hæc dogmata nemo hactenus credidit, papam eſſe infallibilem, & fatentur omnes, ſæpe in aliis rebus papam graviſſime falli. Jam vero de regno Siculo, utrum illud Romano pontifici competat, non eſt quæſtio de fide, ſed eſt quæſtio mere ſecularis, & tamen bonus Cardinalis Baronius non dubitavit, regi Hiſpaniæ objicere, quod Romani pontificis judicio ſemper ſit ſtandum: quod hactenus nemini, quamvis ſuperſtitioſiſſimo papæ cultori, fuit perſuaſum. Tantum autem abeſt, ut rex Hiſpaniæ illas ineptias curaverit, imo quinquennio poſt edicto publico tomum XI. Baronii proſcripſit ex toto imperio Hiſpaniæ. Habeo hic illud edictum, ex quo nonnulla prælegam, ut etiam audiatis regis Hiſpaniæ *titulum.* (b) *Philippus D. G. rex Caſtiliæ, Legionis & Arragoniæ, utriusque Siciliæ* (id eſt regni Siciliæ & Neapolitani) *Navarræ, Granadæ, Toleti, Valentiæ, Galliciæ, Majoricæ, Hiſpalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ,* (prætendit in hanc quidem jus, ſed hodie eſt Genuenſium) *Murciæ, Giennis ſ. Iaen, Algarbiorum, Algecuræ, Gadi, inſularum Canariarum, orientalis & occidentalis Indiæ inſularum & continentis, oceani, Archidux Auſtriæ &c. Comes Barcinonis, Ruſſino* (hodie poſſidetur a Gallo) *Cordubiæ, Cantabriæ &c.* Hæ fere omnes ſunt ditiones in Hiſpania ſitæ, & adeo magni tituli latent in una Hiſpania, ideoque *rex Galliæ* (c) unum titulum his omnibus opponit. Sequuntur verba proſcriptionis: *Hoc edicto conſtituimus, ne cuiquam, cujuscunque ſit ordinis, tomum undecimum annalium Baronii vel excuſum vel manuſcriptum, cum adjuncta diſſertatione, ſine examine licitum ſit exponere, habere, vendere, & in regnis Hiſpaniæ ſubditis habere &c.* Factum hoc anno MDCX. Edictum regis datum eſt ad S. Laurentium 3. Octobris, publicatum Panormi in Sicilia a Prorege tum Siciliæ Cardinale. Adeo parum etiam Cardinales curant papam: non enim adorant papam in omnibus. Res antiquæ Siculæ ad noſtrum inſtitutum non pertinent, quemadmodum ſe habuerint poſt Romanum imperium. Deſcripſit eas, præclare repetita rerum Sicularum memoria ab omni ævo, THOMAS FACELLVS. Dicam de Sicilia, prout hodie ſe habet.

Principio obſervandum eſt, Siciliam eſſe ita ſitam, ut facilis ſit adpulſu claſſe: terra non poteſt adiri a quaquam gente, ſed navigiis. Habet autem faciles adpulſus ob *multos portus.* (d) Olim quidem Sicilia habuit longe plura munimenta quam hodie, & fuit etiam longe rectius inſtructa, ſed vetera munimenta & caſtella ſunt diruta. Qua parte tamen floret, habet inſignes portus & fortiter munitos, & quamvis non poſſit prohiberi, ut hoſtes non poſſint penetrare in Siciliam, tamen non facile poſſunt nocere in parte florentiſſima. Quæ etiam eſt cauſa, quod non temere audiamus, ei vim eſſe factam a piratis Turcicis. Accedit & hoc, quod rex Hiſpaniæ in illa perpetuo claſſem habeat, quamvis exiguam, quæ tamen

(a) *Petrum*) Vide *Gundlingiana parte* VI. §. 38. ſeqq. ubi docetur, quonam iure Petrus Arragoniæ rex ſibi Siciliam vindicaverit.

(b) *vir doctiſſimus*) Multa tamen ſunt, quæ in eo a viris eruditis deſiderantur. Vid. *obſervationes Hallenſes.* Sola Pagii critica abunde docet, permultos a Baronio in vaſto opere, cui triginta inſudavit annos, commiſſos eſſe errores.

(c) *titulum*) Vid. SPENERI *explicationem Hiſpaniæ inſignium.*

(d) *rex Galliæ*) Franciſcum I. in titulorum farraginis, quam Carolus V. adhibebat, ludibrium toties *rex Galliæ & Navarræ* repetiiſſe, quoties hic novum adſcripſerat titulum, ferunt.

(e) *multos portus*) Tales ſunt Panormitanus, Mazarenſis, Meſſanenſis, Catinus, Cephaludienſis, Syracuſanus.

men reſiſtere poteſt piratis. Inter omnes portus celebris eſt Panormitanus ſeu *Palermo*. (a) Panormus eſt metropolis inſulæ,ut olim Syraeuſæ, & præbet ſedem Proregi Siciliæ. Alterum portum præbet urbs Meſſina ſeu *Meſſana*. (b) Hæc inter urbes Siculas eſt opulentiſſima & poſt regiam nobiliſſima; maxime ibi exercentur commercia, & ſtudiis bonarum litterarum eſt inſignis. Reliquæ urbes ſunt *ignobiliores*, (c) neque ad antiquum ſplendorem adſurgunt. Fuit apud veteres Sicilia in magna laude, & creditum fuit horreum Italiæ: erat enim omnis generis frumenti feraciſſima. Hodie hæc felicitas mutavit, ſibi plerumque ſufficit. Triticum non niſi raro inde ſolet evehi, & hæc eſt ratio, quare Itali cogantur uti tritico,per Belgas & Hamburgenſes invecto. Quæ cauſa hujus mutationis ſit, fateor me neſcire, an forte propter paucitatem hominum vel ſoli vitio acceperit. Solum illud Siculum eſt totum cavernoſum & habet ignes ſubterraneos, qui ſemper & perpetuo effumant *in monte Ætna*. (d) Hic mons non ita noxius eſt hodie, quam fuit olim, perpetuo tamen fumat. Et quia inſula hæc habet multas cavernas & ignes ſubterraneos, valde etiam laborat *terræ motibus*, (e) per quos maximæ urbes ſunt dirutæ, & optima ædificia & monumenta vetera corruerunt. Eadem inſula adhuc hodie eſt ferax vini, ſed non ultra,quam ad vitam incolarum ſufficit; unde hujus inſulæ vina in exteras terras rariſſime ſolent devehi. Ferri etiam olim fuit ditiſſima, hodie quamvis ferro non egeat, non tamen illo abundat. In univerſum habet, quantum ſibi ſufficit, non adeo autem omnibus abundat,ut olim. Longe porro minor eſt numerus incolarum hodie, quam fuit olim, quanquam Sicilia non usque adeo laboret penuria horum, quam ipſa Hiſpania. Revera tamen penuria hominum laborat, nec ibi reperitur tantum, quantum ſufficit ad agrum colendum, & pro amplitudine regionis longe plures homines requirerentur.

Quod concernit mores illorum hominum, laudantur ab humanitate & *moribus* (f) non malignis, nec ſunt aſtuti, & vivunt parvo contenti. Hac de cauſa non reperias opulentos homines in Sicilia, niſi Meſſinæ, ubi ſunt mercatores, qui magna inſtituunt commercia, maxime circa ſericum,cujus magna etiam vis defertur in alias terras. Quod ad artes attinet, Siculi non ita multum iis ſunt dediti: reperias quidem opifices, ſed non multum laudatos: maxime circa ſericum & lanam ſunt occupati. Similiter quanquam olim Siculi fuerint ingenioſiſſimi & dediti rei literariæ, utpote quum philoſophiam egregie excoluerint, item artem rhetoricam, & magnam partem poetices, quum comœdiam & artem bucolicam illis debeamus; tamen hodie ab artium peritia non laudantur. Quin hodie non invenias Siculum quendam doctum, qui ſcriptis inclaruerit, cum tamen hodie noſtrum ſeculum ſcriptorum ſit feraciſſimum. Inter JCtos olim laudatus eſt *Abbas Panormitanus*, (g) qui commentatus eſt in corpus juris canonici; præter hunc paucos Siculos doctos reperies. De cætero populus, ex quo paruit Romanis, eſt imbellis, quanquam olim fuerit bellicoſiſſimus: hinc factum: quod nunquam *adſpiraverit* (h) ad libertatem, deinde ſemper paruerit exteris, quod eſt indicium imbellis animi. Quodſi eſſent bellicoſi, poſſent ſe in libertatem adſerere eamque tueri. Habet tamen Sicilia ſcholam publicam ſive Academiam ſic ſatis frequentem in urbe Meſſanenſi, quanquam neminem Siculum noverim, qui nomen ſibi comparaverit. Familiaritas quidem antehac per litteras eſt mihi culta cum uno aut altero profeſſore Meſſanenſi, ſed illi erant vel Itali vel Belgæ; Siculum neminem novi, qui mihi unquam fuiſſet notus.

DE REGNO NEAPOLITANO SVB DOMINIO HISPANICO.

Jam ex Sicilia commigrabimus in Italiam, quoniam etiam in hac rex Hiſpaniæ tenet inſignem partem. Tenet enim integrum regnum Neapolitanum, quod plus quam tertiam partem

(a) *Palermo*) Sicilia tres complectitur provincias 1. Val di Mazara. 2. Val di Demona. 3. Val di Noto. Prima & totum regnum metropolin habet Palermum,proregis & archiepiſcopi ſedem. Celebratur admodum nobilium multitudine, terræ fertilitate, elegantioribus ædificiis & mole, qua portus a maris fluctibus vindicatur.

(b) *Meſſana*) Caput Vallis Demonæ haud procul a Pharo diſtat. Archiepiſcopo, portu, munimentis, commerciis, habitatorumque copia, dignitate & divitiis illuſtris eſt.

(c) *ignobiles*) Recenſentur hæ *dans la geographie univerſelle de* LA CROIX *tom. II. p.* 117. ſeqq. In parte illa, quæ Vallis de Noto dicitur, ſita eſt Syracuſa, quæ olim percelebris & totius regni caput erat; hodie vero a priſtino ſuo ſplendore valde deceſſit.

(d) *in monte Ætna*) In vernacula gentis lingua monte Gibello vocatur. Locus, ubi ſe Empedocles in ejus cortinam projeciſſe dicitur, ſaltum philoſophi appellant. De ignibus, quibus anno 1669. ſæviit,videndum *diarium Europæum contin.* 19. *f.* 398. & 450. nec non BECMANNI *hiſtor. orb. terrar. c. VII. §. XII.*

(e) *terra motibus*) In recenti adhuc eſt memoria, quam atrociter anno 1726. ignes ſubterranei Siciliam concuſſerint.

(f) *moribus*) De Siculorum moribus tam veterum, quam recentiorum agit LVDOVICVS DE LINDA *p.* 569. ſeqq. qui magis vituperio,quam laude digni ſunt.

(g) *Abbas Panormitanus*) Conf. PANCIROLLVS *de claris legum interpretibus lib. III. c. XXXII.* Cataniæ obſcuris natus parentibus, nomine Nicolai Tudiſei uſus eſt. Præceptorem habuit Franciſcum Zabarellam, qui jam tum Cardinalis ipſi ſummos in jure contulit honores. Parmæ & Bononiæ jus pontificium docuit. A papa Martino V. Mohicenſi cœnobio abbas præfectus, poſtea Referendarius & generalis cameræ auditor, & tandem archipræſul Panormitanus factus eſt, unde ipſi Panormitani nomen exortum. Ab Alfonſo Arragonio cum Cardinale Tarentino ad ſynodum Baſileenſem miſſus,ſtrenue Eugenii IV. partes tutatus eſt.

(h) *adſpiraverit*) Non una tamen vice in Hiſpanos quoque inſurrexerunt. Sed male obinde mulctati ſunt. *La relation du voyage d' Eſpagne part. I p.* 125. ſeqq. *La vie de l' Admiral de Ruyter lib.* XVII.

partem Italiæ conſtituit. Quomodo hæ terræ ſint cultæ ante *Romanos*, (a) & qua ratiooe pervenerint ad Romanos & ſubtus ſint habitæ, non attinet memorare. Hoc modo addiſcere ſufficit, omne illud regnum, quod hodie regni Neapolitaoi nomine venit, tenuiſſe olim Græcos, ideoque dictum eſſe *magnam Graciam.* (b) Olim diſtinctum fuit in varias liberas reſpublicas & potentes. Potentia cumprimis valuerunt *Tarentini*, quorum reſpublica ſæpe etiam laudatur ab Ariſtotele: hæc enim tum temporis reſpublica fuit florentisſima. Magoi etiam nominis fuere *Brutii*, qui late per illam Italiæ partem dominati ſunt, & pars illa, quam olim tenuerunt, hodieque dicitur Abruzzo. Quomodo tum temporis ſe omnia habuerint, peti poſſunt ex hiſtoria Romana antiqua, & præterea etiam ex CLVVERII *Italia antiqua.* Omnes autem hæ terræ domitæ ſunt a Romanis, ſub quorum jugo etiam manſerunt, donec univerſam Italiam occuparunt *Oſtrogothi.* (c) His regionem hanc eripuit Juſtinianus imperator. Deiode diu fluit hæc terra ſub dominio imperatorum *Conſtantinopolitanorum.* (d) Tametſi enim reliquam Italiam omnem occuparent Longobardi, hanc tamen partem non fecerunt ſui juris, niſi ad breve tempus, & ſtatim iterum ſunt *ejecti.* (e) Quo tempore Caroli M. auſpiciis io Francorum poteſtatem venit Italia, hæc regio maxima parte manſit ſub imperio Cooſtantinopolitano, inde etiam ſæpenumero nata eſt magna lis. Poſtea tamen occupata eſt magna pars a *Saracenis.* (f) Hos iterum ejecerunt *Normanni*, (g) qui faciles ſe præbuerunt populo Neapolitano ad recuperandam libertatem. Exinde habuit hæc terra peculiares ſuos reges, qui non dubitarunt, regnum illud in feudum accipere a Romano pontifice: obtulerunt enim hi reges feudum illius regni papæ, & ex eo tempore usque ad hodiernum diem regnum Neapolitanum fuit feudum ſedis Romanæ. Cogitur enim adhuc hodie rex Hiſpaniæ, tanquam vaſallus, jurare in fidem Romani pontificis, & *ſingulari aliquo dono* (h) profiteri vaſallatum ſuum. Quidnam juris *imperium noſtrum* (i) Germanicum prætendat vel habeat in regnum Neapolitanum, late a me eſt diſputatum in libro *de finibus imperii.* Quemadmodum hoc regnum in poteſtatem regis Hiſpaoiæ pervenerit, late poteritis legere narratum a Francisco *Guicciardino*, (k) qui ſimul monet, quod ſæpe a juſtis dominis auferantur regna, propria ipſorum incuria. Conferre cum hoc poteritis *Paulum Jovium.* (l)

Pene ſub finem ſeculi XV. in regnum Neapolitaoum invadere auſi ſunt Galli, auſpiciis CAROLI VIII. regis Francorum, qui conatus eſt illud regnum ſui juris facere. De illa expeditione legere poteſtis PHILIPPVM COMINAEVM, qui præclare omnia deſcripſit. Tametſi initio Carolo ceſſerint cuncta feliciter, & celeriter omnia occupaverit, tandem vero infelici uſus fortuna, ſubito rurſus cuncta amiſit. Deinde *Ludovicus XI.* regnum illud conatus eſt occupare, & in hunc finem conduxit ingentem exercitum. Sed huic ſe objecit *Ferdinandus Arragonius*, & quidem cum Ludovico iniit pactum de dividendo illo regno, quanquam nil juris in illud haberet, & fuerit bellum injuſtiſſimum. Deinde ipſe Ferdinandus ductu ducis ſui *Conſalvi* occupavit totum regnum ejectis Gallis, & ita pervenit in manus regum Arragoniæ, & poſtea ad domum Auſtriacam. Ante annos 160. præterpropter reges juſti & legitimi expulſi ſunt per ſummam injuriam, & miſerrime habiti *perierunt.* (m) Legendus de his omnibus eſt ante laudatus GVICCIARDINVS. Pars *illius regni* (n) adeo olim celebris fuit propter fertilitatem & amœnitatem, ut etiam in admirationem venerit. Hujus pars eſt *Campania felix*, (o) quæ adeo placuit Romaois, ut omnes ſuas delicias Campaniæ poſtpoſuerint, & quæ maximum bellatorem Hannibalem fregit ſuis deliciis. Adhuc hodie eſt feraciſſima frugum & arborum; longe tamen minor eſt ejus fertilitas, quam olim, quia aliquamdiu graviſſime terra hæc infeſtata fuit incendiis montis *Veſuvii.* (p) Hic non procul eſt a Neapoli, & noſtra ætate aliquoties paſſus eſt ingens incendium, imo hoc ipſo anno a magoo rurſus incendio ſibi metuerunt Neapolitani. Hinc factum eſt, ut regnum illud fertiliſſimum, & præcipue Campania, cineribus, favillis & lapidibus, quos magoo fragore *Veſuvius* ejicit,

(a) *Romanos*) Vid. CELLARII *geograph. antiq. lib.* II. c. IX. p. 842. ſeqq.

(b) *magnam Graciam*) Hujus Græciæ nulli certi erant fines: continebat quoque Siciliam.

(c) *Oſtrogothi*) PROCOPIVS *hiſtor. Goth. lib. I. II. III. Hiſtor. miſcell. lib. XVI. p.* 106. CELLAR. *Geograph. antiqua lib. II. c. IX.*

(d) *Conſtantinopolitanorum*) *Chron. Caſin. c.* 58. *lib. II.* CAMIL. PEREGRINI *differt. de ducatu Beneventano p.* 173. 174. *tom. V. ſcript. Ital.*

(e) *ejecti*) CAMILLI PEREGRINI *hiſtor. Longobard. p.* 238. *tom. II. ſcript. Ital.*

(f) *Saracenis*) JOHANN. *chron. p.* 315. *Chron. Vulturnenſe p.* 404. *tom. I. p.* 11. *ſcript. Ital.*

(g) *Normanni*) ROMVALDI SALERNITANI *Chron. tom. VII. ſcript. Ital. p.* 165. LVPI PROTOSPATAE *chron. p.* 41. ſeqq. *tom. V. ſcript. Ital.* ARNVLPHVS MEDIOLANENSIS *tom.* III. *ſcript. Brunſv.* LEIBNITII *p.* 731. & GVILIELMVS APVLIVS *de rebus Normannorum* &c. *tom. I p.* 579 ſeqq.

(h) *ſingulari aliquo dono*) MACHIAVELL. *in hiſtor. Florentina lib. I.*

(i) *imperium noſtrum*) SCHWEDERI *theatr. pratenſ. c. VI.*

(k) *Guicciardino*) *lib. I.*

(l) *Paulum Jovium*) *lib. II.*

(m) *perierunt*) Vide, quæ de his omnibus alibi tradita ſunt.

(n) *illius regni*) De diviſione hujus regni in duodecim provincias vid. *La Geographie univerſelle par de La* CROIX *tom.* II. *p.* 99.

(o) *Campania felix*) STRABO *lib. V.* CELLARIVS *in geograph. antiq. lib.* II. c. IX.

(p) *Veſuvii*) Hunc montem de Somma vocant. KIRCHERVS *in mundo ſubterraneo tom. I. præfat.* Extra incendium vero optimi vini Falerni ferax eſt. BECMAN. *hiſtor. orbis terrar. p.* 302. Hodie regnum hoc imperatoris armis acquiſitum, ex Badenſi pace, Carolo VI. victorioſo imperatori paret.

ejicit, in magnam deformitatem & penuriam ſit redacta. Totum præterea regnum illud valde infeſtatur terræ motibus, & quotannis aliquot urbes per eos corruunt, imo hoc ipſo anno 1661. paſſa eſt tale quid regio illa, & propterea valde redditur delormis. *Mons Apenninus* mediam illam ſecat, & hac parte adhuc eſt fœcunda. Olim hoc regnum abundavit hominibus: hodie in Neapoli & circa eam invenias plures homines, & unam illam urbem incolunt *aliquot* 100000. *hominum*, (a) omnesque incolæ videntur in hanc urbem confluxiſſe. Hinc ante aliquot annos graviſſima peſte laboravit, ut ultra 100000. hac perierint hominum. Ingenia horum ſunt *ferocia*, (b) ſed cum iis deficiant arma, & a bellicis negotiis arceantur, nihil poſſunt. Hiſpanus tamen poteſt ibi militem *conducere* (c) magis, quam in multis partibus Hiſpaniæ. Erga ſuos reges nunquam fuere fidi, ſed ſemper *refractarii*, (d) ideoque etiam hodie indignis modis ferunt jugum Hiſpanicum. *Abundant vitiis* (e) Italicarum gentium, qualia ſunt laſcivia & ſcortationes: *nusquam ſunt tam immanes ſcortationes, quam in regno Neapolitano.* Plenior hujus regni cognitio peti poteſt ex variis monumentis: ſufficere autem poſſunt, quæ de hoc regno indomito ſunt coacta a JOH. DE LAET in libello *de principatibus Italiæ.* Duæ ſunt libri hujus editiones; optima eſt non antiquior, ſed quæ prodiit anno 1631. quæ ante prodiit, minus eſt perfecta. Ex hoc libro poteſtis petere neceſſaria: ſufficit, ſi vos manuduxero ad *optimos ſcriptores*, (f) e quibus talia peti poſſunt.

Refertum eſt hoc regnum multa *nobilitate*; habet multos *duces*, *comites*, *Barones* &c. Non autem quis ſibi imponi patiatur amplis nominibus ducum. Eſt enim hæc vox ambiguæ ſignificationis, & *in Italia duces ſæpe dicuntur, qui nil habent præter unum vel alterum vicum, & gaudent magnis titulis, ſub quibus parum latet*; ſunt tamen homines ſuperbisſimi. Non debet etiam quis ſibi perſuadere, eſſe ibi magnos ducatus; ſunt exigui duces multi. Solet rex Hiſpaniæ ducibus illis pagum unum vel vendere vel in feudum concedere pro magno pretio & ingenti pecunia, onde ingens capit lucrum. Sunt enim in Italia nobiles ſic ſatis pecunioſi, & quoniam non habent, unde ſe titulo antiquo jactent, emunt a rege Hiſpaniæ talia bona. Cumprimis id fecerunt *nobiles Genuenſes*, qui ſunt opulentiſſimi. Hi in regno Neapolitano ſibi complura *emerunt bona*, (g) idque regi Hiſpaniæ eſt pro ſtatus triplici ratione 1) hoc ipſo multum pecuniæ cogit, venditis exiguis quibusdam locis. Habet 2) rex Hiſpaniæ multos homines opulentos, quos, ſi lubet, poteſt ſatis emungere. 3) Hoc ipſo Genuenſes, cum multa habeant bona, quaſi vinculo quodam obligantur Hiſpano. Poſſident præterea Genuenſes bona in Hiſpania & America, quæ vendidit illis Hiſpanus, igitur etiam ipſi obligantur. Conſilio ſatis acuto & prudenti Genuenſes ſolent imitari nepotes Romanorum pontificum, quod etiam fit maximo regis Hiſpaniæ commodo. Qui eliguntur in pontifices Romanos, rariſſime ſolent eſſe orti e *familia ducum*: (h) ſed plerumque orti humili loco: inde etiam eorum nepotes rarisſime habent bona immobilia. Cum autem beneficio Romani pontificis pervenerint ad magnas divitias, ſtudent etiam bonis immobilibus comparandis, quæ ipſis dantur in regno Neapolitano magno quoque pretio: hoc modo rex ſibi conciliat auctoritatem in aula papæ, & capit propterea ingens lucrum. Hac de cauſa paparum illorum, qui intra 100. annos vixerunt, & cognatos opulentos reliquerunt, cognati habent bona in regno Neapolitano. Etiam BARBERINI hodie ibi habent bona, qui primo ea non audebant emere, quia Hiſpanus oderat papam, Barberina familia ortum. PAMPHILII, LVDOVISII, ALDOBRANDINI aliique poſſident bona in regno Neapolitano. Numerum illorum & plerorumque nobilium

(a) *aliquot* 100000. *hominum*) Urbs hæc incolarum frequentia, nobilium numero, archiepiſcopali & proregis ſede, ſitu & munimentis tam urbis, quam variorum caſtrorum celeberrima eſt. Sunt quoque ibi duæ ſocietates, quas Galli *académies des beaux eſprits* vocant. Qui unam conſtituunt, gli ardenti, & alteram, gli otioſi vocantur. In regno numerantur 24. archiepiſcopatus, 125. epiſcopatus, 60. principatus, 100. ducatus, 100. marchionatus, 70. comitatus & plus minus 1000. baronatus.

(b) *ferocia*) Ab Hiſpanis graviter domita, quod more ſuo in ſatyra ab equo deſumta Boccalini proponit.

(c) *conducere*) Neapolitanus miles in Caroli V. & Philippi II. caſtris frequens fuit.

(d) *refractarii*) De rebellionibus, quæ proregum ſuperbia & avaritia maximam partem fuerunt excitatæ, alibi a nobis actum eſt.

(e) *Abundant vitiis*) *Ses habitans paſſent pour les plus mechants de tous les Italiens, ce qui a fait dire: que le royaume de Naples eſt le Paradis de l' Italie, mais qu' il eſt habité par les demons. Dictionaire geographique de* BAVDRAND p. 691. *Alexander de Pontaymeri de la nobleſſe Françoiſe* apud LANSIVM *in orat. contra Italiam* hæc habet: *Nous allons en Italie*, inquit, *achepter avec une diſpenſe incroyable la ſeule ombre de la civilité, & nous en rapportons la maſſe entiere du vice. Ceux de Milan nous apprennent la tromperie: le Boulognois nous enſeigne le menſonge: le Venitien nous rend hypocrite: le Romain nous plonge en un Ocean d' atheisme & d' impieté: & le Neapolitain nous change en un Satyre, ou plus tot nous fait un esgout & un cloaque de toute laſcivetè, molleſſe & paillardiſe: j' avois oublie les Florentins ennemis jurez de bonnes meurs.* &c.

(f) *optimos ſcriptores*) Circa hoc argumentum verſantur etiam: *Deſcrittione del regno di Napoli da Scipione* MAZELLA; *Ragionamenti di* TOMASO COSTO; *Il regno di Napoli deſcritto da* HENR. BACCO *Alemanno con l' aggiunte di* CESARE D' ENGENIO; *deſcrittione del regno di Napoli da Ottavio Beltrano*; MARCI ANTONII SVRGENTIS *Italia illuſtrata.*

(g) *emerunt bona*) De vinculis, quibus Genuenſes Hiſpanis fuere addicti, ſequentia BAVDRAND *in lexico geographico* p. 474. habet: *Les Eſpagnols ont eu l' adreſſe d' attacher les Genois à leurs interes par deux puiſſans moyens, par un emprunt de douze millions, que fit Philippe ſecond de cette republique, & que lui, ni ſes ſucceſſeurs n' ont eu garde de rendre, & par diverſes terres erigées en principautes, Marquiſats &c. dans le Milanois, dans la Sicile, & dans le royaume de Naples, & vendues aux principaux de Genes.*

(h) *familia ducum*) Hodiernus tamen pontifex & anteceſſor ejus ex illuſtriſſima prognati ſunt ſtirpe.

nobilium recenſet JOH. DE LAET *pag.* 133. unde peti poteſt. Pergendum jam ad alia.

Quæ hactenus recenſuimus, ea tenet Hiſpanus ſummo & independente jure; nec enim illa, quæ in regno Hiſpaniæ tenet, ulli credit ſe debere, præterquam ſoli Deo. Item quæ tenet in America & oceani inſulis, item in *Sicilia* (quanquam papa in hanc *ſibi vindicet* (a) jus aliquod, tamen id non agnoſcit, ut audiviſtis, rex Hiſpaniæ) ſummo tenet jure. De *regno Neapolitano* audiviſtis, quod hujus ratione rex Hiſpaniæ ſit vaſallus Romani pontificis. Dicam jam de aliis, quæ itidem rex Hiſpaniæ tenet jure feudi, verum non a papa; ſed magnam partem ab imperio noſtro Germanico & imperatore.

DE PIOMBINO, POPVLONIA ET SIENA.

Inter ea occurrunt duo caſtella cum ſuis oppidulis in Hetruria ad mare Tyrrhenum. Ad hoc mare rex Hiſpaniæ Philippus II. ſibi comparavit (quibus *artibus* (b) non dicam) duo munimenta, alterum appellatur *Piombino*, (c) alterum *Populonia*. (d) Hæc duo ſunt munimenta, & tenentur præſidio ſatis amplo. *Pomoeria* ſive *territoria* horum locorum ſunt exigua, ſed ratione ſitus hæc loca magni ſunt momenti, toti enim ducatui Hetruriæ ſunt quaſi pro freno aliquo. Habet præſidium Hiſpanorum, & horum caſtellorum beneficio poteſt incurſiones facere in mediam Italiam, cumprimis Hetruriam ſive Tuſciam, quæ maxime eſt potens. Porro beneficio horum caſtellorum ſecuram poteſt reddere navigationem ex regno Neapolitano in ducatum Mediolanenſem. Itaque hæc caſtella non exiſtimantur ex ſua exiguitate, ſed ſitus commoditate. Et profecto, quoniam rex Hiſpaniæ intendit, aliquando totam Italiam occupare, & vinculo quaſi conſtringere, facile apparet, quantum in duobus his caſtellis ſit ſitum. In ipſo porro magno ducatu Hetruriæ feudi nomine idem Philippus II. ab imperio accepit poſſeſſionem antiquæ, amplæ & præclaræ urbis *Sienæ*. Hæc fuit quondam urbs imperii libera, quam, cum Carolus V. bello fuiſſet adortus, & præſidium Gallorum inde ejeciſſet, Philippus II. accepit in feudum. Cæterum artibus COSMI Hetruriæ ducis factum eſt, ut Hiſpanus feudi ratione transtulerit eam in ipſum Hetruriæ ducem, qui jam eſt hujus urbis poſſeſſor, dum eſt vaſallus Hiſpani, Hiſpanus vero eſt vaſallus imperii. Revera autem artibus COSMI hoc ita factum eſt, alias Hiſpani non fuiſſent paſſi, hanc urbem in aliorum manus pervenire, cum inhient alias Italiæ. Si quis legat in *Thuano*, (e) quibus artibus & quanta calliditate COSMVS MEDICES hanc urbis poſſeſſionem a rege Hiſpaniæ impetraret, apparebit, ſuperius ſeculum non habuiſſe hominem callidiorem & ſimul feliciorem, quam illum.

DE DVCATV MEDIOLANENSI SVB DOMINIO REGIS HISPANIAE.

Pervenimus jam ad Italiam, quæ Germaniæ eſt propinquior, in qua ſitus eſt grandis *ducatus Mediolanenſis*, qui hodie eſt in manibus regis *Hiſpaniæ*, (f) ſed jure feudi ab imperio noſtro collatus. Quapropter ea parte rex Hiſpaniæ eſt vaſallus imperii & cogitur jurare noſtro imperatori. Quomodo hic ducatus pervenerit in manus Hiſpanorum, breviter & obiter ſic habete. Mediolanum jam tempore Romanorum fuit habita *urbs præclara*, (g) poſt autem excidium imperium pervenit in manus Longobardorum, in quorum regno fuit inter urbes potentiſſimas & pretioſiſſimas. De hoc regno quomodo ſit factum juris Germanici, late a me eſt actum in libro *de finibus imperii*. Ex quo autem regnum Longobardorum factum eſt juris Germanici, urbs Mediolanum adeo creſcere cœpit potentia & viribus, & in eam adſurrexit arrogantiam, ut parum vel comiter vellet cæſares revereri, una cum multis urbibus Italiæ. Hinc ortum eſt graviſſimum bellum auſpiciis *Friderici Barbaroſſæ*, (h) anceps omnino, quo factum, ut Mediolanum urbs ſit occupata & ſolo æquata, tandem tamen rurſus nonnihil refloruit.

Fuit

(a) *ſibi vindicet*) Quæ circa hanc rem noſtro tempore in Sicilia accidêre, docet Dn. GVNDLING. *part. V. art.* III. *Gundlingianorum.*

(b) *artibus*) Qua ratione hæc loca in Hiſpani pervenerint poteſtatem, alibi docui.

(c) *Piombino*) Territorium, quod Italis Stato di Piombino dicitur, in littore maris Tyrrheni e regione inſulæ Ilvæ ſitum eſt. *Deſcrittione di tuta Italia di* LEANDRO ALBERTI *fol.* 31. ſeqq. PFLAVMERVS *itiner. Ital. part.* II. *p.* 144. MERVLA *c.* XII. BOSII *notitia imperii Hiſpanici ſect.* III. *c.* III. *§.* VIII. Piombini territorium, teſte RICCIO *in hiſtor. Italiæ narrat.* XXII. quatuor complectitur oppida, quæ præter Piombinum in tribus caſtris *Bariano*, *Scarlino* & *Subereto* haud dubie ſunt reliqua. Vid. LEANDRVM ALBERTI *fol.* 53. BOSIVM *l. c. p.* 196. Olim Apianorum genti parebat, cui Coſmo Mediceo incitante, ab Hiſpanis ademptum, & ſuaſori datum. Sed rediit jubente Carolo V. ad Jacobi Apiani filium impuberem, & ab eo denuo ad Coſmum, a quo denique ad Apianos reverſum. Poſtquam vero Senenſe territorium ſub fiduciario vinculo ab Hiſpaniæ rege Philippo II. Coſmo fuerit datum, Piombini arcem rex ſibi reſervavit, reliquum autem territorium ad Nicolaum Ludoviſium, famoſæ illius Olympiæ Maldechinæ generum, haud dubie ſub beneficii nexu pervenit. Refert hæc BOSIVS ex ZEILERI *collectaneis*, additque, hunc in itinerario Italiæ dominum ejus *marchionem del Monte* dixiſſe. BAVDRANDVS in *lexico geographico* de Piombino inquit: *Il a ſon prince particulier, de la maiſon de Ludoviſi feudataire du duché de Milan & ſous la protection du roy d' Eſpagne, qui tient garniſon a Piombino.* Hiſpanorum etiam fuit in mediterraneis dynaſtia *Pontremuli* cum locis, quæ ſtatum præſidii conſtituunt. BOSIVS *in notit. imper. Hiſpan. ſect.* III. *c.* 3. *§.* 6. 10.

(d) *Populonia*) Hodie Capo di Campania dicitur. Juxta hanc conſpicitur portus *Barattus*, olim navale populoniæ dictus. BOSIVS *l. c. p.* 195.

(e) *Thuano*) *lib.* XVIII. *ad ann.* 1557.

(f) *Hiſpaniæ*) Hodie ſub Carolo VI. imperatore eſt.

(g) *urbs præclara*) Mediolanum ab Inſubribus conditum eſt. LIVIVS *lib. V. c* 34. CELLARIVS *in geograph. antiq. lib.* II. *c. IX. p.* 682. LEANDRO ALBERTI *fol.* 416. ſeqq.

(h) *Friderici Barbaroſſæ*) De his actum eſt ad librum de *finibus imperii.*

Digitized by Google

Fuit autem tanta hominum copia refertum, ut in aciem potuerit producere plus quam 30000 milites cives, etiamſi adhuc domi omnia bene eſſent conſtituta, nec Mediolanum ulum fuit milite mercenario, dum pugnavit milite proprio. Pervenit deinde in poteſtatem familiæ Mediolanenſis, quæ dicta fuit nomine *Vice-Comitum*, in quorum poteſtate fuit per centum aliquot annos, donec deficiente illa familia pervenit ad Franciſcum Sforziam *hominem ignobilem*, (a) & bellicoſum, qui duxerat in matrimonium notham ultimi vice-comitis. Hic occupavit ingentem illum tractum, & multa adhue alia ſuperaddidit. Orta hinc eſt *familia Sforzia*, quæ brevi tempore adeo per Europam inclaruit, ut etiam ex familia illa puellam in matrimonium ſibi adſciverit MAXIMILIANVS I. Imperator, nec non duces atque *principes regni Italiæ* (b) imo etiam ipſe *rex Poloniæ.* (c) Quomodo autem illa familia defecerit, deficientibus poſteris a virtute Franciſci Sforziæ, diſcere poteſtis ex F. GVICCIARDINO. Pervenit deinde mox in manus Gallorum, mox Hiſpanorum, donec tandem felicibus auſpiciis & armis Carolus V. totum illum tractum domuerit & obtulerit *Philippo II.* filio ſuo.

Inter urbes, quibus hic ducatus eſt inſtitutus, præ aliis eminet *Mediolanum.* (d) Principio notandus eſt ſitus hujus ducatus. *Situs eſt* (e) circa clauſtra Italiæ, qua incipit; qua parte finit, eſt Neapolitanum regnum; in *medio ſunt* (f) duo ante notata clauſtra & caſtella. Videtis ergo, quomodo vinxerit quaſi rex Hiſpaniæ Italiam, & niſi obſtitiſſet ducatus Mediolanenſis,. jam dudum Galli irrupiſſent in Italiam. Et hæc eſt cauſa, quare nuper omnem moverit lapidem rex Galliæ, ut rerum in illo ducatu potiretur. Obtinuit tum quidem *aliquid*, (g) ſed illud aliquid jam nihil eſt, nam iterum ceſſit regi Hiſpaniæ. Ergo quod ſitum attinet, jam perſpicere poteſtis, quantum momenti ſit ſitum in hoc ducatu. Perſpicere etiam poteſtis, quam multis ſit expoſitus periculis: præſertim, ſi cum Gallo faciat *dux Sabaudiæ*, eſt in magno periculo. Notatu porro dignum eſt, ducatum Mediolanenſem, qua parte habet Alpes, conterminam habere Helvetiam. Et vero Helvetii tenent partem veteris ducatus Mediolanenſis. Ab altero latere habet dominium Venetum, habet itidem ducem Parmæ & Placentiæ vicinum, nec non ducem Sabaudiæ & ratione hujus ſunt etiam vicini Pedemontii. Itaque omnibus his vicinis poteſt imminere rex Hiſpaniæ ratione illius ducatus, & hi contra poterunt interdum damno eſſe regi Hiſpaniæ. *Veneti* certe ſibi metuunt a rege Hiſpaniæ propter hunc ducatum Mediolanenſem.

Porro quod attinet ipſam terram, eſt *fertiliſſima* (h) omnis frumenti, cumprimis *tritici*, (i) habet etiam vinum generoſum. Ager circa Mediolanum eſt ad mirationem usque fertilis, & non tam ad victum ſibi ſufficit, ſed etiam abundat, ut abunde multa poſſint evehi. Habet præterea *munitas urbes* (k) & caſtella fortiſſima. Abundat præterea *hominum copia*, (l) ad arma capienda apta, quanquam rex Hiſpaniæ cavere ſoleat, ne populus armis inſtruatur, quod ſibi ſcilicet aliquando metuat. Certum tamen eſt, populum illum eſſe animo militari, & ingentem militem inde poſſe educi. Si quidem rex Hiſpaniæ non uteretur regimine tyrannico, poſſet provinciam hanc in tutum collocare & munire propriis incolis. Jam vero urbem Mediolanum tenet arce, & in illa ſemper habet locatum præſidium Hiſpanorum. Bene, an ſecus, alibi dicam.

Ducatus Mediolanenſis eſt remotior a mari, itaque hoc ſemper eſt incommodum viſum regi Hiſpaniæ, quod illuc navibus non poſſit pervenire. Arte igitur Philippi III. ante annos 50. factum eſt, ut *marchio Finalis*, (m) qui erat vaſallus imperii, cederet jus ſuum regi Hiſpa-

niæ

(a) *hominem ignobilem*) Natalia debuit *Mutius*, cui a virtute bellica *Sforziæ* cognomen inditum, *Cotignolæ*, antiquo Galliæ togatæ oppido. Patre uſus *Johanne Attendulo*, qui agrum coluit. Matrem habuit *Eliſam*, ex factioſa Petrucina gente, mulierem virilis animi, quæ viginti partus enixa eſt. Vid. IMHOF. *geneal. Sforzian. exegeſ. hiſtorica p.* 248.

(b) *principes regni Italiæ*) Vid. *Sfortianæ genealogiæ tabulas* apud IMHOFIVM. Maximiliano I. imperatori Blanca Maria, Galeatii Mariæ filia anno 1445. oupſit.

(c) *rex Poloniæ*) Sigismundo regi Poloniæ *Bona*, Joh. Galeatii filia anno 1518. oupſit.

(d) *Mediolanum*) Celeberrimam hanc urbem 170. anno poſt Romam conditam a Gallis exſtructam eſſe, tradunt. *Magnæ* nomen haud dubie promeretur, cum circuitus latitudine decem milliaria æquet. Munimentis eſt inſtructa, caſtroque, quod ſui ſimile in Italia non habet, defenditur & conſtringitur. Vid. LEANDR. ALBERTI *fol.* 416. ſeqq. PFLAVMER. p. 205. ſeqq. SCHOTTVS p. 113. ſeqq. BOSIVS p. 154. MERVLA *lib.* IV. c. 35. PIGHIVS *in Hercule prodicio* p. 221. ſeqq. *Voyage d' Italie par* MISSON *tom* 2. *lettr.* 31.

(e) *Situs eſt*) Ducatus hic ad *occidentem* Pedemontio terminatur & Montisferatenſi ducatu; ad *meridiem* Genuenſes, ad *orientem* Parmenſes, Mantuanos Venetosque & ad *ſeptentrionem* Walleſiam, Rhetiam, præfecturas Helvetiorum Italicas, quæ ipſis anno 1512. a Mediolanenſi ſunt celtæ duce, & vallem Telinam vicinas habet.

(f) *medio ſunt*) Status enim præſidii ad mediam Italiæ partem ſpectat.

(g) *aliquid*) RIENCOVRT *dans l' hiſtoire de Louis XIV part. I. p.* 94.

(h) *fertiliſſima*) LOSCHI *in compendio hiſtorico p.* 89. verba huc faciunt: *La delizia & abondanza de queſto impareggiabile paeſe come gratia d' Italia, non mai a baſtanza fu da piu rinomati Scrittori rappreſentata.*

(i) *tritici*) Vid. BOSIVM *ſect.* 3. *c.* 3. *p.* 178. 179. Fertilitati inſerviunt flumina, & quidem navigabilia Padus, Ticinus, Abdua, Ollius, & lacus, quibus terræ iſtæ rigantur, BOSIVS *l. c.*

(k) *munitas urbes*) Ut Ticinum ſive Papiam, Cremonam, Laudam, Comum, Navariam, Alexandriam, Dertonam, Vigevanum, Bobium. Vide autores ſupra citatos & BOSIVM p. 186. ſeqq. Ubi & reliqua loca celebriora in ducatu Mediolanenſi enarrantur.

(l) *hominum copia*) Si WELSCH. c. 1038. fides habenda, civium ſolius metropolis commode CC millia armare poſſunt.

(m) *marchio Finalis*) Olim ad Carrectorum familiam pertinuit. Conf. BOSIVS *ſect.* 3. *c.* 3. §. 7. Marchionatum hunc reipublicæ Genuenſi Carolus VI. imperator una millione & ducentis mille petiis vendidit. vid. diploma apud LVNIG. *tom. I. Cod. Ital. diplom. p.* 2373.

niæ factus eſt marchio Finalis, & hic habet eximium portum, quo poteſt pervenire in ducatum Mediolanenſem. Eſt quidem *Finalis* exiguum oppidum, ſed tamen ita munitum, ut etiam poſſit certare cum quibusvis munimentis, ſupra modum dolentibus Gallis & Genuenſibus. Vident enim propinqui Genuenſes, regem Hiſpaniæ poſſe hoc modo vires ſuas conjungere cum Mediolanenſibus, ſiquidem jam claſſe eo poteſt adpellere. Obiter: *Genua* eſt reſpublica libera, de qua infra pluribus dicam; tamen rex Hiſpaniæ habet illam ſibi devinctam. Siquidem Carolus V. deinde Philippus II. magnam vim pecuniæ, aliquot ſcilicet milliones ab eis mutuo ſumſerunt, & illis dederunt in poſſeſſionem multa loca in America & regno Neapolitano.

DE REGNO ARELATENSI ET LOTHARINGIA.

Pergendum jam nobis eſt ad alias Hiſpaniæ regis terras trans Alpes; vel ut nos loqui debemus, cis Alpes. Priusquam autem de his agere incipiamus, duo ſunt præmittenda: 1) ut dicamus paucis de regno *Arelatenſi & Lotharingiæ* (a) 2) ut dicamus de ratione, qua terræ illæ pervenerint in unum corpus & ad unum dominum. CAROLO MAGNO Francorum regi paruit tota Gallia & Germania tantum non univerſa, & potiſſima præterea pars Italiæ. Huic ſucceſſit filius LVDOVICVS PIVS, & unus ille adeo multa obtinuit. Deinde autem, neſcio quo malo conſilio, res aliter cœperunt conſtitui. Ludovico pio fuere filii tres, natu major LOTHARIVS, ſecundus LVDOVICVS & tertius CAROLVS, qui poſtea *Calvus* appellatus. Inter hos tres fratres multa fuerunt cruenta proelia, donec tandem amplum Francorum imperium diviſum eſt in tres partes, & una pars *Lothario*, ſecunda *Ludovico*, tertia *Carolo* obvenit. *Lothario* ceſſit cis Alpes media quædam pars, decurrens inter hæreditatem Ludovici & Caroli. *Ludovico* ceſſit Germania, *Carolo* vero Gallia. Lotharius mediam partem inter utrumque fratrem *obtinuit.* (b) Et ejus portionis, a parte Galliæ pro limite fuit mare mediterraneum, deinde fluvius *Rhodanus*, item *Araris*: decurrit ita usque ad *montem Vogeſum.* (c) Trans hunc montem itidem pro limite habuit fluvium *Moſam*, pene usque ad *Namurcum*: deinde vero pro termino fuit fluvius *Schaldis* (die Schelde) qui fluit obliquo curſu circa Gandavum, & prope Antverpiam miſcetur oceano.

Et hic fuit terminus regni Lotharii a parte Galliæ. Reliquum ceſſit Carolo, & hoc proprie eſt regnum Galliæ; & rex Galliæ adhuc hodie eſt *hæres Caroli.* (d) Ab altera parte, qua eſt Germania, pro termino Lothario fuit Rhenus, & omne, quod fuit cis Rhenum, cœpit pertinere ad Germaniam, donec Rhenus miſcetur oceano. Fuit hic perpetuus terminus; niſi quod tres urbes trans Rhenum cum pertinentibus terris ceſſerint Germaniæ, *Moguntia* ſcilicet, *Spira* & *Wormatia.* Ceſſerunt autem hæ Ludovico propter vinum: nolebat enim expers eſſe vini, ideoque illas cum territoriis accepit. Et hoc tantum ſpatium ceſſit Lothario. De hac diviſione accurate a me eſt actum ex antiquiſſimis monumentis *in lib. de finibus imperii.* Hinc in omnes illas terras, quæ ſunt trans Rhodanum & Ararim, reges Galliæ antiqui nihil habent juris. Quicquid enim cis Ararim poſſident, habent vel ex conceſſione noſtrorum imperatorum, vel per vim & injuriam. Notatu autem dignum eſt, paulatim totum ſpatium, quod poſſedit Lotharius, *ceſſiſſe regno Germaniæ:* (e) atque ita noſtri imperatores regni Francorum Caroli acceperunt duas partes, Lotharii nempe & Ludovici. Reges vero Galliæ tantum unam partem, Caroli videlicet Calvi. Et hinc maxime crevit imperium Germanicum, quod duas partes in poſſeſſionem accepit. In illis autem terris cis Alpes poſſeſſio fuit dubia; natum enim in ſpacio Lotharii *regnum Arelatenſe*, cujus fines fuere Rhodanus & Araris fluvii, & mons Vogeſus, deinde Rhenus, Alpes & mare mediterraneum. Ita ad regnum Arelatenſe olim pertinuere *Helvetii*, *Sabaudi*, *Pedemontani*, *Gallia provincialis*, *Delphinatus*, totus *Comitatus Burgundiæ*, *Baſilea*, *Argentoratum.* Huc usque patuit regnum *Arelatenſe*, (f) ſed factum illud eſt iuris Germanici, ut oſtendi libro *de finibus imperii.*

Ultra montem Vogeſum altera pars dicta fuit regnum Lotharingiæ, quæ pars olim dicta fuit Gallia & Belgica. In illo tractu regni Lotharii, vel potius in ejus poſſeſſione, rex Hiſpaniæ habet quam multa. Tenet in regno Arelatenſi comitatum *Burgundiæ.* Magnus hic eſt comitatus, & pertingit usque ad montem Vogeſum. Contingit ſpatio ſuo in longitudinem 90. milliaria, in latitudinem vero 60. Tenet etiam ducatum *Luxeburgenſem*, *Limburgenſem*, *Brabantiæ*: item comitatum *Hennegau* (in tabula male ſcribitur Henneberg) *Namurcum* & ex parte *Flandriam.* Præter illas terras rex Hiſpaniæ poſſidet in ſolo Gallico magnam partem Flandriæ,

(a) *Arelatenſi & Lotharingiæ*) Vid. GVNDLING. *part. XXXVI. c.* 4. & quæ nos ad librum *de finibus imperii* commentati ſumus.

(b) *obtinuit*) Vid. MIRÆI *cod. donat. piar. noviſſ. edit. p.* 23.

(c) *montem Vogeſum*) Gallis mons de Faucilles dicitur.

(d) *hæres Caroli*) Magnam autem limites iſti & jura, quæ olim Caroli Calvi erant, per pacta & temporum lapſus paſſa ſunt mutationem.

(e) *ceſſiſſe regno Germaniæ*) Conf. MIRÆI *codic. donat. piar. noviſſ. tom. I. p.* 28.

(f) *Arelatenſe*) Vide SAXII *pontificium Arelatenſe*, quod collectioni ſuæ ſcriptorum rerum Germanicarum inſeruit celeberr. MENCKENIVS.

Flandriæ item Arteſiam, & io ſolo Germaniæ *Geldriam*, (a) hodie vero tenet ejus partem: habuit etiam olim *Hollandiam*, *Seelandiam*, *Ultrajectum*, & quæ dicuntur Niederländiſche confoederirte Provincien, qoæ etiam ſunt in ſolo Germaolæ.

Quo pacto vero rex Hiſpaniæ ad illas res pervenerit, dicam breviter. Provinciæ illæ fuerunt in patrimonio hereditario ſuorum principum, usque adeo, ut earum hæreditas potuerit etiam pervenire *ad foeminas*. (b) Feudi quidem jure, ut hodie, ita etiam olim, *noſtro imperio* (c) adſtrictæ fuere, ita ut deficlente maſculo, fœminæ quoque jus feudi nbtinere poſſeot. Hinc divina providentia factum, ut per connubia omnes hæ provinciæ ad unum principem perveoerint. Et quidem quod attinet Burgundiam, ducatus Burgundiæ datus fuit a JOHANNE *rege Galliæ* fratri ſuo *Philippo*, cujus filius, ducta in matrimonium hæreditaria Burguodiæ, factus eſt comes Burgundiæ: *dictus eſt Philippus audax.* (d) Factus eſt ſimul dux & comes, dux fuit ex hereditate paterna, comes ex inito conoubio, & fuit vaſallus regis Galliæ & ſimul imperii. Deinde io regno Lotharingiæ per conoubia coocreverunt in uoum Flandria, Arteſia, Brabantia & *Hollandia* (e) cum Seelandia. Acceſſit per mattimonium ducatus *Luxenburgenſis* (f) & *Limburgenſis*, (g) & pervenere ad ducem Burgundiæ, ſcilicet per Philippum, qui per conoubia factus eſt harum terrarum poſſeſſor. Apparet hinc, quam periculoſum ſit rebuspublicis, feuda etiam eſſe fœminea, & hac ratione tota reſpublica poteſt allenari & in *aliorum manus* (h) pervenlre. Hinc adeo crevit ducum Burgundiæ potentia, ut etiam formidini fuerit *regi Galliæ* (i) & nnſtro imperatori. Caroln audaci fuit ſuperſtes unica filia MARIA, quæ fuit hæres omnium booorum paternorum. Rex autem Galliæ noluit illi concedere ducatum Burgundiæ, prætendens, eſſe *feudum maſculinum;* (k) voluit etiam eripere Arteſiam, ſed non potuit. Hanc Mariam accepit uxnrem MAXIMILIANVS AVSTRIACVS nimirum imperator: ille etiam tot bonorum factus eſt domlnus. Maximiliano huic fuit unicus filius PHILIPPVS, qui tot bnnorum & paternorum & maternorum factus eſt hæres. Philippus hic duxit in matrimnnium JOHANNAM filiam regis Hiſpaniæ Ferdinandi & Iſabellæ, & hac ratione poſſeſſio vel hæreditas omnium regni Hiſpaniæ & quæ ad illud pertinent, pervenit ad familiam Auſtriacam. PHILIPPO fuere filii duo, CAROLVS V. & FERDINANDVS: huic ceſſeruot omoia bona Germaniæ, quæ Auſtriaca domus poſſederat in Germania, reliqua omoia ceſſerunt Carolo, atque ita ad reges Hiſpaniæ perveoerunt. Facile ergo apparet, quod jus habeant io has terras, nnn tamen tanquam reges Hiſpaniæ, ſed tantum ut duces Belgii, & comites Burgundiæ. In quantum eſt rex Hiſpaniæ, exiguum vel nihil tenet trans Alpes, ſed hoc pertinet ad domum Auſtriacam. Videmus itaque; quod omnium illarum terrarum poſſeſſio pervenerit ad domum Auſtriacam *jure incruento*; (l) cum alias regna exnriri aut augeri ſnleant bello & armis. Iſte tamen modus eſt æquiſſimus & ratio ſanctiſſima hæreditandi. Quoniam autem rex Hiſpaniæ ut & reliqui Auſtriaci duces ſe appellaot duces Burguodiæ, ducatum tameo non poſſident; inde prætendunt ſibi iojuriam fieri a rege Galliæ: retineot interim titulum. Habent tamen *comitatum Burgundiæ.* (m) Hic ſolet dici *Franche Comte*, id eſt, comitatus liber, idque ideo maxime

(a) *Geldriam*) Hodie inter imperatorem, Pruſſiæ regem & Hollandos diviſa eſt.

(b) *ad foeminas*) Vid. *Gundlingiana l. c.* §. XXI. ſeqq.

(c) *in noſtro imperio*) Hoc argumentum juvenis peculiari libello *de ſucceſſione foeminarum in feudis illuſtribus* pertractavi.

(d) *dictus eſt Philippus audax*) De hoc ad librum *de finibus imperii* locutus ſum.

(e) *Hollandia*) de qua conjunctione ad librum *de finibus imperii* egi.

(f) *Luxenburgenſis*) Henricus VII. imperator Luzelburgenſem ducatum ad filium ſuum Joannem Bohemiæ regem transmiſit, a quo ad Wenceslaum Caroli IV. fratrem conſanguineum, jubente patre, pervenit. Hoc ſine prole extincto ducatus ad Wenceslaum imperatorem pervenit. Hic in conſortium regiminis ducalis aſſumſit Jodocum conſanguineum, Moraviæ marchionem, ut conſtat ex diplomatibus, quæ in BERTELII *hiſtoria principum Luxenburgenſium* p. 559. ſeqq. *edit.* Janſonii, leguntur. Wenceslaus & Jodocus omni ſpe ſuſcipiendæ prolis deſtituti, Eliſabetham Gorlitiam neptem Antonio Brabantiæ duci nuptui dant, eique centum & viginti millia florenorum aureorum Rheni dotis nomine promittunt. Et cum ob ærarium exhauſtum hæc ſumma perſolvi non poſſet, ipſi ducatus Luxenburgenſis oppignoratus eſt, ex lege, ut non reſtitueretur, donec memorata ſumma ſoluta eſſet. Antonio duce in prælio circa Morinum, ubi Galli adverſus Anglos adjuvabat partes, occiſo, vidua ejus ſub pignoris nexu ducatum retinuit, quanquam ſubditi, ſe potius ad Sigismundum ejusque heredes, quam ad hunc ſpectare, proteſtarentur. Secundo matrimonio ſe junxerat Eliſabetha Joanni Bavaro, qui Leodienſi epiſcopatui valedixerat, ſed neque ex hoc mater facta eſt. Hic æque ac prior Eliſabethæ maritus ducatum, ſuffragante Sigismundo, moderatus eſt. Joanne vero mortuo, lis de ducatu recruduit. Generi enim Sigismundi, quorum unus Guilielmus Saxoniæ dux, alter Caſimirus Poloniæ rex erat, jus conjugum ſuarum in ducatum urgebant, & propterea non parum moleſtiæ Eliſabethæ Gorlitiæ faceſſebant. Hæc in auxilium advocavit Philippum Burgundiæ ducem, ſibi cognatione conjunctum, qui res illi proſpere geſſit, atque ducatum ab hoſtibus liberatum Eliſabethæ reſtituit. Illa grati animi ſignificationem Philippo exhibitura, ei ejusque ſucceſſoribus jus pignoris, quod in ducatum habebat, ceſſit, reſervata alimentis ſuis annua decem millium florenorum penſione.

(g) *Limburgenſis*) Limburgenſem comitatum a Friderico Barbaroſſa ducatus titulo donatum eſſe, ferunt. Henrico duce ſine deſcendentibus maſculis mortuo, anno 1293 ad Brabantiæ ducatum pervenit & poſtea cum eo ad Burgundiæ ducem devolutus eſt. *Deſcription de tous les pays par Guicciardin. p.* 158.

(h) *aliorum manus*) In Portugalliæ regno fundamentalem adeſſe legem dicunt, regiam filiam extraneo priocipi nubentem ſuccedendi juris expertem eſſe debere.

(i) *regi Galliæ*) Vid. COMINÆVM *in rebus geſtis Ludovici XI.*

(k) *feudum maſculinum*) Feuda Burgundica etiam ad fœminas devolvi, alibi docui.

(l) *jure incruento*) Matrimonia res Auſtriacorum; ſacerdotia, in primis purpurata, res Gallorum valde promoverunt.

(m) *comitatum Burgundiæ*) Hic ex pace Neomagenſi ad Gallum ſpectat.

Digitized by Google

xime, quod dominus illius terræ non ſit adeo adſtrictus ſuo domino feudi, quemadmodum alii vaſalli adſtricti eſſe ſolent; & propterea,quoniam incolæ in majori libertate vivunt, quam in ducatu: nam comitatus Burgundiæ longe præſtat ipſi ducatui, ſive *amplitudinem* (a) ſive fertilitatem attendas. Si fines ſpectes, patet *hoſtilibus incurſionibus*; (b) ab una parte ſunt *Helvetii*, ab altera parte habet *Galliam* & ſimiliter limites ſuos non habet munitos. A parte tamen Helvetiorum eſt tutior, quoniam totus *Bernenſium* tractus in tutelam Helvetiorum eſt conceſſus. Hinc etiam ubi nuper bellum Hiſpano cum Gallo intercederet, totus hic comitatus magnam partem fuit ſecurus ab armis Gallicis, ſola tutela Helvetiotum; nam hos offendere nolebat rex Galliæ.

Quod attinet regionem ipſam, itidem in illa ſunt *oppida egregia*, (c) ſed non probe munita. Primaria urbs eſt *Dola*, (d) quæ eſt totius comitatus metropolis. Hodie accenſetur iſti comitatui *Veſontio*, (e) quæ fuit libera civitas imperii; habet enim archiepiſcopum principem imperii, & ſemper inter civitates imperii liberas fuit relata. In proximis autem comitiis Ratisbonenſibus unanimi omnium conſenſu data fuit regi Hiſpaniæ, qui illam in feudum accepit, ideoque deſiit eſſe civitas libera, & accrevit ita comitatui Burgundiæ. Porro comitatus eſt fertilis, ut omnibus ad vitam neceſſariis abundet; ferax eſt optimi *tritici*, *hordei* & omnis generis frumenti, item optimi vini,nec non *ſalis* (f) circa oppidum Salinum, quod inde nomen accepit. Deeſt itaque comitatui nihil, niſi quod non ſit munitus & propterea hoſtibus pateat, & hac ratiooe etiam eſt infelicior.

Quod populum concernit, abundat copia hominum; populus tamen non eſt *bellicoſus*, (g) ut ſolet fieri in terris fertilibus. Vivunt in re lauta, & animi eorum rebus ſecundis ſolent eſſe emolliti. Abundat *copia nobilitatis*, (h) habet ſub ſe *comites*, ſed minorum gentium, plurimos præterea *barones*.

In regno Lotharingiæ paret Hiſpano DVCATVS LVZEBVRGENSIS egregius, qui tamen non adeo *late patet*, (i) & magnum præterea decrementum eſt paſſus io bello nupero Gallico. *Aliqua hujus ducatus* (k) per nuperam pacificationem ceſſere Gallo. Eſt alias regio, quæ incolas ſuos poteſt alere, non tamen omnibus ita abundat, & non ſatis eſt munita, a latere præſertim Gallicano. Alias habet arces & oppida muoita ope Hiſpanorum, quod vicina ſit Galliæ.

DE SEPTEM CONFOEDERATIS BELGII PROVINCIIS.

In univerſum illarum terrarum maxima pars, quæ pervenere in poſſeſſionem Philippi & Caroli, eſt erepta regi Hiſpaniæ. Nam SEPTEM CONFOEDERATAE PROVINCIAE plane ſunt ſui juris, & nullius hominis imperium agnoſcunt, & inter has & regem Hiſpaniæ ante annos non multos Monaſterii *pax perpetua* (l) eſt conſtituta, conditiooibus a parte Hiſpaniæ ſatis duris. Superſunt tamen hodienum in illa parte Lotharingiæ veteris provinciæ amplæ. Verum quoniam in vicino eſt Gallus, qui quaſi perpetuo odio inſectatur potentiam Hiſpanicam, illæ terræ patent multis damnis & bellis Gallicanis. Sunt alias terræ nobiliſſimæ, & nusquam

(a) *amplitudinem*) Sed amplitudine comitatus cedit ducatui. Nam ducatus Burgundiæ, qui etiam *Burgundia inferior* dicitur, longitudine quinquaginta milliaria & latitudine triginta duo æquat. Comitatua vero, qui etiam *Burgundia ſuperior* audit, quadraginta longitudine & viginti latitudine complectitur.

(b) *hoſtilibus incurſionibus*) Verſua *occidentem* comitatua Burgundiæ a Burgundiæ ducatu & Campaniæ parte includitur, verſus *ſeptentrionem* Lotharingos habet vicinos; Helvetii & comitatus Mompelgardenſis verſus *orientem*,& Breſſia nec non regio Gicarum (Gex) ei verſua *meridiem* imminent.

(c) *oppida egregia*) Talia ſunt præter ab auctore adducta Grajum ad Ararim, Veſulum, Salinæ. Ortum in Burgundiæ comitatu *Scaldis* habet.

(d) *Dola*) Hæc munimentis a Gallis auctis inſtructiſſima academia gaudet, quæ olim fuit celeberrima. Non adeo diu Gallorum impreſſionibus anno 1668. 1674. reſtitit.

(e) *Veſontio*) Huc Dola Parlamentum eſt tranſlatum. Caſtro munitiſſimo eſt firmata, quod tamen Galli anno 1674. breviſſimo ſpacio æque ac urbem ſub ſuam redigebant poteſtatem. *Medailles ſur le regne de Louis le grand* p. 114.

(f) *ſalis*) Vid. BAVDRAND in *lexico geograph.* ſub voce *Bourgogne*.

(g) *bellicoſus*) Abundantia enim & mollities plerumque ſunt conjunctæ. Natura videtur in gentibua, rerum ad vitæ mollitiem procurandam facientium copia deſtitutis, penuriam banc animorum alacritate & fortitudine penſare voluiſſe. Imo ipſa paupertas optima ſæpe magiſtra eſt. De rationibus phyſicis, quare regiones ſteriles & montibus horridæ fortes plerumque alant, vide BODINI *methodum hiſtoriarum*.

(h) *copia nobilitatis*) Inter proceres hujus comitatus etiam *princeps Auraicus* erat. Ordinum provincialium autem tres erant claſſes; *nobilium*, ſub qua principes & comites continebantur, *Cleri*, & *urbium*. In dictis provincialibus comparebat etiam *præfectus montis Juræ*.

(i) *late patet*) Ducatus hic ab oriente in occidentem viginti, & a meridie in ſeptentrionem 17. milliaria continere dicitur. Vicinoa habet archiepiſcopatum Trevirenſem, Lotharingos, Campaniæ partem & epiſcopatum Leodienſem. Ducatui caput eſt urbs oatura & opere munitiſſima. Galli eam cum caſtro, quod habet inſigne, anno 1684. captam novis auxerunt munitionibus & per Ryſwicenſem pacem Hiſpania reſtituerunt. *Medailles de Louis le grand* p. 203. De aliis urbibus & comitatibus, quoa plures continet ducatus hic a Carolo IV. creatus, vide BERTELII *deſcr. princ. Luxemb.* & *Europaiſchen Herold part. I p.* 417.

(k) *Aliqua hujus ducatus*) Ad Gallos in ducatu Luxemburgenſi pertinent *Mons medius* caſtrum fortiſſimum, quod monti incubat, *Theodenis villa*, munitiſſimus ad Moſellam locus, quem anno 1643. ceperunt. RIENCOVRT *hiſtoire de la monarchie Francoiſe part. I. p.* 19. *Eporſus*, *Damvillerium*, *Martia villa* & *Stenacum*, quod tamen Lotharingiæ annumerant.

(l) *pax perpetua*) *Annales de provinces unies par* BASNAGE *tom. I. p.* 100. ſeqq. Quam Galli omnimode intervertere nitebantur. AIZMA *tom. I.* NEUVILLE *dans l'hiſtoire de Hollande tom. III. p.* 4. ſeqq.

nuſquam terrarum eſt adeo magna copia urbium & arcium munitarum, quam ibi. Et cum rex Hiſpaniæ adhuc teneret ſeptem illas provincias, poterat eertare cum omnibus monarchis. In illis terris eſt abundantia & ſunt opulentæ inprimis per commercia, nec adeo abundat terra natis, quam quæ poſſunt adferri.

Quod ad populum attinet, eſt ſic ſatis libertati deditus: olim quidem revera potitus eſt libertate, eſt alias animo ingenuo & ad bellum ſic ſatis idoneo. Rex quidem Hiſpaniæ nuſquam terrarum habet tot munitas urbes, quam ſuperſunt in iſtis provinciis. Habet quidem in Hiſpania urbes, ſed non adeo munitas. De provinciis illis in Belgio late agere, non patitur inſtitutum. Septem illæ provinciæ ſunt liberæ, & excuſſerunt omne Hiſpanorum jugum. Tenaciſſimus præterea populus eſt rerum ſuarum, cumprimis lucro & quæſtui intentus. Non poteſt autem temere terrarum illarum ratio addiſci, quam ex *deſcriptione Belgii* ſuperioris ſeculi LVDOVICI GVICCIARDINI Nobilis Florentini, & nepotis ex fratre magni & celebris Hiſtorici FRANCISCI GVICCIARDINI. Hic cum magnam ætatis partem triviſſet in Belgio, deſcripſit *topographiam* accuratiſſimam univerſi Belgii usque ad annum 1560. qualis nunquam antehac lucem viderat. Hoc tempore incipiebat horribile bellum Belgicum, ex quo longe alia rerum omnium facies facta eſt. Manſit vero idem in Belgio, quapropter ſecunda editione nonnulla, ſed tamen pauca mutavit. Prodiit hæc anno 89. præterpropter, quam poſtea aliæ inſecutæ ſunt. Eſt opus præclarum, & lectu cumprimis eſt digniſſima deſcriptio *Antwerpiæ*, (a) quæ tum fuit emporium celebre & incomparabile, quale orbis tum non habuit. Hodie in Antwerpiæ locum ſucceſſit AMSTELODAMVM, quod longe vincit Antwerpiam, niſi quod rurſus jam incipiat nova rerum facies. Tanta autem pertinacia fuit bellum illud geſtum, quale non eſt geſtum ab aliquot mille annis. Accepit illud *varios ſcriptores*. (b) Lingua Belgica uberrime eſt deſcriptum a duobus. Primus eſt EMANVEL de METERA aut METERRANVS, cujus hiſtoria verſa deinde eſt in omnes pene linguas, quanquam *Latinam* (c) non viderim. 2) Ampliſſimos de hoc bello tomos edidit PETRVS BOOR, qui in Batavia cenſetur alicujus pretii. Belgice etiam belli initia edidit EVERHARDVS REIDANVS: eſt præclara hiſtoria, quam elegantiſſime latine vertit DIONYSIVS VOSSIVS.

A partibus Hiſpaniæ accepit latinos ſcriptores, inter quos meo judicio eminet NICOLAVS BVRGVNDVS, qui perſecutus eſt initia, quale ſe habuit usque ad *Albani* tempora. Favet tamen magis partibus Hiſpanorum. Interim omnia optime & latiniſſime deſcripſit; eſt quidem parvus liber, ſed comparari poteſt cum optimis antiqui ævi hiſtoricis. Magnam præterea laudem ſuo conſecutus eſt merito FAMIANVS STRADA *Jeſuita Romanus*, (d) qui Romæ edidit præclaros de hoc bello commentarios. Perſecutus vero eſt illud bellum usque ad mortem *Alexandri Parmenſis*. Sunt tomi duo. Quæ ab *Ambroſii Spinolæ* temporibus usque ad inducias contigerunt, non attigit, vel ſi attigit, non viderunt lucem. Si quando vero prodierint, debent eſſe commendata. Me vero judice omnes hos vicit HVGO GROTIVS, qui, ſi judicii integritatem ſpectes, omnium elegantiſſime hoc bellum deſcripſit, ita ut paria fecerit Tacito, quem ſumſit æmulandum & feliciter omnia *conſecutus eſt*. (e) Nemo alioquin, niſi rerum Belgicarum peritus, Grotii librum cum fructu legere poteſt: nam ut Tacitus propter brevitatem eſt obſcurus, & uno atque altero verbo res magnas attingit, quas nemo, niſi peritus intelliget: attamen non ſine maxima jucunditate legi poteſt. STRADA quidem etiam Tacitum ſibi ſumpſit æmulandum, ſed non adeo feliciter, ut Grotius adſecutus eſt. Minus eſt obſcurus, magis tamen perſpicuus eſt BVRGVNDVS. Si quis præterea velit res Burgundiæ plenius noviſſe, ſibi comparet PONTVM HEVTERVM Delphenſem, qui partibus Hiſpanicis fuit addictus: diſertiſſime hiſtoriam Burgundiæ deſcripſit. Meretur is accenſeri primariis noſtri ævi hiſtoricis. Quemadmodum autem CAROLVS AVDAX contra Helvetios pugnans, amiſerit omnem auctoritatem, diſcere poteſtis ex PHILIPPO COMINÆO, qui fuit hujus aulicus, deinde vero auſugit ad Ludovicum Galliæ regem; unde JACOBVS MEIERVS, hiſtoriæ Flandricæ ſcriptor, inſectatur Cominæum, tanquam profugum & patriæ proditorem.

Quod Flandriam attinet, olim fuit fertiliſſima, & hujus res optime perſequitur dictus JAC. MEIERVS juſta prolixitate & ſtudio veri. De ſeptem provinciis fœderatis dicam alias ſeorſim.

DE SCOPO REIPVBLICÆ HISPANICÆ.

Quæ pertinent ad cauſam materialem omnium illorum, quæ ad regnum Hiſpaniæ pertinent, hactenus perſecuti ſumus. Pergamus jam ad reliquas cauſas. Quod attinet cauſam finalem, breviter eam explicabo. Debetis in memoriam revocare, quod ſcopus reipublicæ ſoleat eſſe

(a) *Antwerpiæ*) p. 73. ſeqq.

(b) *varios ſcriptores*) Vid. STRVVII *biblioth. hiſtoric.*

(c) *Latinam*) Latina editio, quæ exſtat, ipſum METERRANVM habet autorem. Celeberrimus autem ſcriptor eſt AIZMA, qui actorum publicorum theſauris perdives eſt.

(d) *Jeſuita Romanus*) Et hic partium Hiſpanicarum ſtudio abreptus fuit.

(e) *conſecutus eſt*) Vid. BAYLE ſub voce GROTIVS *tom. II. p.* 1327. Multi viri doctiſſimi ſtili, quo in hoc libro uſus eſt, brevitatem & obſcuritatem improbant. Atque BIGNONIO ſuaſore conſtituerat reſcribere, teſtaturque NEUVILLVS *in hiſtoria Hollandiæ* Gallice ſcriptæ, eum id operis auſpicatum eſſe.

eſſe duplex: interdum ſpectatur ſalus dominantium primario, ſecundario *ſalus populi* (a) & ſubditorum, deinde ſpectatur pariter ſalus populi & dominantium. Quod ad ſalutem attinet, ea de re diverſæ ſunt ſententiæ: alii populi ſalutem ſuam ponunt in magna potentia, alii in divitiis, alii in voluptatibus, alii denique in *ſtudio virtutis*, (b) quæ eſt demum beata reſpublica.

De rebuspublicis, quæ ſunt ſub Hiſpano, in univerſum licet pronunciare, quod in omnibus illis quæratur potiſſimum commodum dominantis: ratio populi non ibi habetur, niſi per accidens & ſecundario. Inter ipſos deinde Hiſpanos quæritur ſalus *Caſtellanorum*, non item reliquorum Hiſpanorum. Inter ipſos Caſtellanos autem præcipue quæritur ſalus *Grandium* (c) ſive *Nobilium*. Ita licet uno verbo adſerere, primo loco quæri ſalutem regis Hiſpaniæ, deinde vero nobilitatis Caſtellanæ, tertio loco Hiſpanorum reliquorum. Regis Hiſpaniæ felicitas collocatur in magna & ampla potentia, in amplo imperio. Nec contentus eſt iis, quæ obtinet, verum adſectat imperium *reliqui orbis terrarum*. (d) Cumprimis certe hoc maxime egit PHILIPPVS II. qui non dubitavit & Galliam & Angliam jam ſpe devorare, & hac de cauſa in Gallia bella maxima geſſit, & deinde etiam voluit quaſi uno momento univerſam Angliam devo-

---

(a) *ſalus populi*) In quamplurimis regnis ſub hac larva dominaotis paſſiones latitare ſolent.

(b) *ſtudio virtutis*) Talis reſpublica potior in idea, quam in veritate ſubſiſtit.

(c) *Grandium*) Iſti, qui Gothorum tempore proceres, magnates, primates & optimates dicti, deinde in vernacula gentis lingua *Ricos hombres* Pelagii tempore dici cœperunt. MOLINA *de primogenitura lib. I. c. 2. n.* 13. PALAC. RVB. *de obtent. & retent. regni Navarr. p.* 6. §. 9. AMBROSIVS DE MORALES *hiſtor. lib.* 13. *c.* 14. SALVZAR DE MENDOCA *de las dignidades lib. I. c.* 9. *fol.* 11. *ſeqq. Concil. Tolet. IV. c.* 74. SAVEDRA *hiſtor. Goth. c.* 14. *fol.* 211. *& c.* 30. *fol.* 458. *Origen de la dignidad de grande de Caſtilla por don Alonſo Carillo fol.* 1. ſeqq. Dicebantur enim nobiles illi Ricos hombres, qui coeteris dignitatibus & bonis prævalebant, majoremque conſtituebant nobilitatem, utpote, qui comitum, ducum, marchionum & baronum numero fuerunt. Conſtat namque, olim comites in Hiſpania ante duces fuiſſe. VASEVS *in chron. Hiſpanis tom. I. c.* 22. *Nobiliario genealogico por* ALONSO LOPEZ DE HARO *parte ſegunda lib. IX. c. XIII.* ALONSO CARILLO *l. c. In Hiſpania*, inquit THOMAS *de regemine principis c.* 22. *omnes ſub rege principes rics homines dicuntur.* Conſtituebant autem hi ordines regni, votumque & ſeſſionêm in comitiis habebant. *Relation du voyage d' Eſpagne part. II. p.* 27. ALDERETE *origen de la lengua Caſtellana lib. II. c.* 2. *p.* 163. Apparet itaque, illo tempore inter Grandes & Ricos hombres non fuiſſe differentiam. *Antiquamente*, inquit ALONSO DE CARTHAGENA, *en ſu dottrinal de Cavalleros en Eſpanna ſennaladamente en Caſtilla, y Leon a todos los grandes ſennores llamavan ricos hombres, entiendando por ſi los Duques y Condes & todos los otros grandes ſennores.* Quo etiam tendunt, quæ CARILLO *l. c.* habet ſequentia: *Que en Caſtilla ſe llamavan ricos homes los, que oy tienen calidad de Grandes, porque las miſmas hiſtorias hablan de la ricohombria, nome de la dignidad mas principal deſpues de la regia.* Adde AMBROSIO *de Morales en el Linage de Santo Domingo fol.* 235. BOBADILLA *c.* 16. *n.* 38. *Tam magnum*, inquit ZVRITA *lib. IV. annal. Arragoniæ c.* 93. *quondam fuit ricorum hominum nomen, tam magna ſpecies, tantaque apud nos dignitas, ut ab ipſis regibus reges conſerentur.* Sunt tamen, qui putant, antiquiſſimis jam temporibus ricos hombres ut genus ſpeciei fuiſſe contradiſtinctum, de quo JOHANNES DE LARREA *in allegationibus fiſcalibus allegat.* 8. ſequentia habet: *Igitur inde apparet, ut quamvis antiqui magnates eſſent Rici homines, tamen non erat conſequens, omnes ricos homines eſſe magnates, quia ad horum dignitatem neceſſarium eſſe praediximus, poſſidere potentatum, Baronias & regalia; & hodie eſſe non poſſunt, niſi duces, marchiones & comites: at vero rici homines plures inveniuntur in confirmatione privilegiorum, qui nec titulum, potentatum aut varoniam habebant, ſed ſolum aliquo munere vel officio in aula regum aut in bello vel gubernatione regum fungebantur.* COMES D' AVNOY *in relatione itineris Hiſpanici part. II. p.* 27. ait, Ricos hombres cum iis coincidere, quos hodie Hiſpani titulados vocant; ita tamen, ut illis competierint privilegia, quæ hodie Hiſpaniæ Grandibus ſunt reſervata. Leguntur autem de titulatis *l. c* ſequentia: *Les titulados peuvent avoir un dais dans leur chambre, un caroſſe dans Madrid a quatre chevaux, avec los tiros largos; ce ſont des longs traits de ſoye, qui attachent les derniers chevaux aux premiers. Quand il y a des fetes de taureaux, on leur donne des balcons dans la grande place, ou leurs femmes ſont regalees de corbeilles remplies des gands des rubans, d' Eventails de bois de ſoye, avec une magnifique collation de la part du Roy ou de la ville, ſelon que c' eſt le Roy, ou la ville, qui donne ces fetes au public. Ils ont leurs banc marqués dans les ceremonies, & quand le Roy fait un titulades marquis de Caſtille, d' Arragon ou de Grenade, ils entrent aux etats de ces royaumes la.* Quod ad Grandes attinet, illorum in Hiſpania tres ſunt claſſes. Quosdam rex ſimpliciter jubet, ut caput operiant, & hi dignitatem ad poſteros non trammittunt; aliis in coſpectu ſuo jus tegendi caput concedit, ita ut eos a terra quadam, quam habent, compellet, additis hiſce verbis: *operias caput pro te & tuis*, atque tunc Grandatus, ut ajunt, dignitas terræ adhæret, & deficiente filio, etiam ad filias, eam maritis conciliantes, aliosque tranſit heredes. Tertiæ denique claſſis Grandes caput operire nequeunt, niſi poſtquam regi locuti ſunt. Neque id umittendum reor, eſſe, qui caput tegunt, antequam regi loquantur, & hi omni tempore regi loquentes aut ei auſcultantes, operto ſunt capite; alii non niſi abſoluto ſermone, quem cum rege miſcent, tecto incipiunt eſſe capite; alii denique, cum ex regis conſpectu diſcedunt, facultatem operiendi caput habent. Quodſi vero regi in publicis adſint functionibus, ut in capella, nulla inter eos eſt differentia & omnes operto ſunt capite: in conclavi autem, quod vocatur *la ſale obſcure* nulli caput tegere poſſunt. Vid. *relation du voyage d' Eſpagne part. II. p.* 29. Quamvis autem Grandium origo multo antiquior ſit, quam ut ad Caroli V. tempora referri queat; id tamen certum, ab hoc imperatore nova quædam ad ordinem eorum ſpectantia eſſe introducta. De differentia inter titulados & Grandes conſulendi CARILLO *l. c. diſcurſo II. p.* 7. ſeqq. RAMIREZ DE ARELLANO *en el memorial por el conde de Aquilar fol.* 10. *D. Diego del Corral memorial por el principe de Eſquilaque fol.* 2. *n.* 2. Coeterum tres ſupra nonaginta in Hiſpanica monarchia perpetui eſſe dicuntur Grandes, 50. nempe duces, 8. principes, 21. marchiones, 14. comites, quos recitat ALONSO CARILLO *fol.* 9. ſeqq. Sed quidam eorum hodie ſunt extincti. De divitiis Grandium confer *Europaiſchen Herold. tom. II. p.* 112.

(c) *reliqui orbis terrarum*) Sunt, qui dicunt, hanc in rem CAMPANELLAM in libello de *monarchia Hiſpanica* conſilia ſuppeditaſſe, quod tamen dubii quid habere, alibi monui.

devorare, exſtructa *immani claſſe*, (a) qualem hactenus ſol non viderat; plures quidem naves ſunt viſæ, ſed non tam magnæ repertæ ab orbe condito. Sed fruſtra fuerunt omnia; Deus intervenit & fregit ejus potentiam. Et fortaſſis adhuc hodie non deſinunt tale quid moliri reges Hiſpaniæ. An autem ea in re prudenter agant, & aliquid aſſequi poſſint, adparebit ex iis, quæ dicam. Stultum eſſe dicitur ſperare, quæ aſſequi non potes. Jam Philippus II. non potuit adſequi, quod ſperabat, & longe infeliciores reddidit vires & potentiam ſuam, quam fuit ſub rege CAROLO V. ſub quo maxime res Hiſpanorum floruerunt; ſub Philippo autem decreverunt & adhuc hodie decreſcunt.

Dixi ſecundo loco, in regno Hiſpanico ſpectari commoda Hiſpanorum & cumprimis Caſtellanorum; illorum autem ſcopus longe eſt alius: nec enim illi, quoniam ſunt miniſtri, ſperare poſſunt lata & ampla imperia, ſed id agunt, ut diteſcant, rex vero in paupertatem redigatur: inde regis res maxime decreſcunt, horum autem divitiæ indies creſcunt. Nusquam reperias tam opulentos nobiles, quam in regno Caſtiliæ. Procul autem dubio hi miniſtri divitias quærunt & corradunt propter luxum & voluptates: in hoc conſiſtit ſummum eorum bonum.

Quod attinet ad reliquos Hiſpanos, quorum commodum maxime quæritur, eorum felicitas collocatur in luxu & voluptatibus: volunt aliis imperare, ut ſic poſſint explere ſuam ſuperbiam, adeo ut eorum ſummum bonum dixeris potentiam & voluptates. Interim tamen etiam habetur ratio reliqui populi, ſed non niſi per accidens & ſecundario, quemadmodum alias nulla reſpublica ita potuit inſtitui, ut non habeatur ratio populi. In omni republica populo eſt bene, in optima vero republica populo eſt optime. In Hiſpaniæ vaſto imperio populo alicubi non eſt peſſime, neque etiam optime, alicubi ne quidem bene, quod apparebit etiam ex ſequentibus. Oſtendendum ergo jam per omnes partes, quomodo ſe habeat ratio regiminis, ut veritas eorum, quæ diximus, adpareat. Obſervandum eſt, quod regimen Hiſpanicum conſiderandum ſit dupliciter. 1) quemadmodum id ſe habeat reſpectu populorum, qui ſunt in ditione regis Hiſpaniæ: 2) illorum, qui ſunt extra Hiſpaniam. Jam tum audiviſtis, regem Hiſpaniæ pro ſcopo habere quaſi monarchiam totius imperii, ideoque ſeorſim dicendum, quomodo rex ſe gerat ad id, ut rerum per alienas regiones poſſit potiri. Et vero hoc eſt notandum, quando reſpublicæ pro ſcopo habent imperium in alios, non ſufficit ſcire, quemadmodom domi omnia gubernentur, ſed etiam quemadmodum res inſtituantur, ut aliis poſſit dominari. Ergo primo diſſerendum de ipſis Hiſpanis, quemadmodum ibi regimen rex inſtituat, deinde progrediemur ad alios populos extra Hiſpaniam, & videbimus, quomodo hi gubernentur. Notandum autem eſt, aliter ſe habere interdum regimen, ſi videas leges, aliter ſi rem ipſam ſpectes: non ſufficere autem ſcire, quemadmodum ſe regimen habeat ſecundum leges, ſed quomodo ſe reapſe habeat regimen. Sæpe enim leges aliter ſe habent, atque reapſe ſe habet reſpublica. Quam maxime attendendum eſt, non quid legibus conſtituatur, *ſed quid fiat;* (b) deinde revocandum eſt in memoriam, ſummam poteſtatem conſiſtere in poteſtate legislatoria, & in poteſtate belli & pacis, tertio in poteſtate plena vitæ & necis civium & rerum etiam bonorumque civium. Iam vero etiam meminiſtis, maximam poteſtatem etiam continere, ſi non omnium, ſaltim maximorum magiſtratuum conſtitutionem: ex vetere autem horum conſtitutione varia dependet conſtitutio reipublicæ.

Videnda jam eſt Hiſpania, & in hac ante omnia *regnum Caſtiliæ.* Tametſi enim rex late imperet, tamen ſedem quaſi firmam elegit in regno Caſtiliæ. Primus hoc fecit PHILIPPVS II. Nam Carolus V. longe aliter res ſuas conſtituit, & nusquam fixam habuit ſedem, ſed peragravit Germaniam, Hiſpaniam, Africam, Italiam, Belgium. Idem conſilium Philippo filio dederat, & inter alia inculcaverat, ne ullam ſedem fixam haberet, ſed *regiones peragraret;* (c) hoc enim facere ad amorem populi ſervandum & eo facilius retinendum. Philippus autem in uno regno Caſtellæ habuit ſedem, igitur hodieque Madrit ſive Madritum eſt ſua ſedes regibus, & metropolis imperii univerſi Hiſpaniæ. Hoc cum ita ſit introductum, agendum erit primo de regno Caſtellano, ad quod in ipſa Hiſpania pertinet 1) *Biscaja*, 2) regnum *Legionis*, 3) *Aſturiæ*, 4) *Gallicia*, 5) *Andaluſiæ*, 6) *Granadæ*, 7) *Murciæ*, 8) *Caſtilia vetus & nova*, 9) regnum *Navarræ* & 10) *Eſtramaduræ.* (d) Navarreoum enim regnum additum a Ferdinando Caſtiliæ, monente MARIANA, ut poſſit eo commodius regi. Quod

(a) *immani claſſe*) METERRANVS *lib. XV. p.* 470. ſeqq.

(b) *ſed quid fiat*) Sæpe reſpublica exoletis laborat legibus, quæ nunquam plene in uſum redactæ ſunt, aut illico ab eo receſſerunt. Accidit hoc ex negligentia aut inconſtantia regentium, vel eorum, quibus vices ſuas in republica moderanda committunt. Sæpe etiam, quo in anteceſſorem flagrant, odium, aut æmulatio efficit, ut placita ejus ſusque deque habeantur. Nonnunquam autem forma reipublicæ mutata, aut ejus adminiſtratio, vel ſtatus ſubditorum converſus novum regimen inducit.

(c) *regiones peragraret,*) Quanquam ſua ſint commoda translationibus regiarum ſedium ex una in aliam provinciam; cum hoc modo reges ſubditorum ſuorum ſtatum accuratius contemplari, & quod ei emendando inſervit, rectius in medium conſulere, nec non oppreſſos a Vicariorum, quibus ſæpe affliguntur, aliorumque injuriis vindicare queant: fatendum tamen, viciſſitudinibus illis etiam non deeſſe incommoda. Sæpe magis ex longinquo colitur majeſtas, & ea, quæ ad regiam deferri debent aulam, quæque celerem ſæpe requirunt expeditionem, per itinera illa moræ ſubſunt. Ut ſumtus itinerum & plura ſæpe inde obvenientia taceam mala.

(d) *Eſtramadura*) Deſcriptio harum provinciarum in BOSII *Hiſpania notitia p.* 77. ſeqq. legitur.

Quod regimen harum terrarum attinet, in illo regno abſolute imperat rex Hiſpaniæ, & habet poteſtatem ferendarum legum, belli & pacis, vitæ & oecis civium, & booorum in univerſa republica. Idem rex habet poteſtatem in regno Caſtellæ creaodi Archiepiſcopos, Epiſcopos & Abbates. Quum enim antea electiones horum eſſent penes capitula, ut hodie in Germania, paulatim hoc eſt mutatum, ut capitula debuerint regibus nominare eligeodum, & deinde regi coocedere eligendi poteſtatem. Accepit hoc rex EVGENII IV. beneficio, poſtea vero id,quod ab ADRIANO VI. conceſſum, Carolus V. accepit, ita ut papa nihil hodie habeat, niſi poteſtatem confirmandi.

In Hiſpania deinde liberrimi fuerunt *magiſtri ordinum militarium* (a) ſacrorum, quemadmodum Germania habet ordinem Iohanniticum liberrimi arbitrii. Ferdinandus autem Catholicus impetravit, ut ipſe eſſet *magiſter omnium ordinum*, (b) quod hodieque obtinet. Porro per totum hoc regoum omoes magiſtratus,etiam politici,inſtituuntur a ſolo rege. Apparet ergo, regem in Caſtilia eſſe monarcham plenum. Parum etiam populo Caſtellano ſuperfuit libertatis: olim quidem longe aliter ſe habuit regimen, & obtinuit in Caſtella, potiſſimum quamdiu Gothi ibi imperatuot, regnum mixtum; ut io aliis Germaoiæ regois & populis. Quamvis autem populus Caſtellanus ita adducte regatur, ut moribus legibusque hoc jam ſit receptum, non deſuot tameo inter ipſos Caſtellanos, qui regimen illud averſentur. MARIANA ipſe Caſtellanus nunquam non prodit amorem libertatis, & improbat durum illud Hiſpanicum regimen, cumprimis in libro, quem ſcripſit de *regni & regis inſtitutione*, ubi aperte ſatis oſtendit, olim aliter ſe habuiſſe rempublicam Hiſpanicam, & ſuo tempore nimis eam eſſe monarchicam. Adducit in hanc rem hiſtorias antiquas, quæ oſtendant, quomodo ſe olim regimen in Hiſpania habuerit; imo non dubitat ipſe monere regem Hiſpaniæ, ut mutet durum illud imperium. Diſcere itaque fuerit ex illo libro Marianæ, quale regimen ſibi opteot Caſtellani; quamvis moribus hodie regimeo regium ſit introductum. Similis cum Mariana animus apparet in magno ICto FERDINANDO VASQVEZ, Caſtellani itidem & magoi nominis; interque primos ICtorum, cujus extat opus *illuſtrium controverſiarum* præcla-

(a) *magiſtri ordinum militarium*) Ordinum in Hiſpania celebriores ſunt 1) S. Jacobi, Compoſtellæ ſive gladii (Spathæ) qui omnes alios opibus antecedit. Anno 1160. (1170.) ſub Alphonſo, Alphonſi imperatoris nepote & Ferdinando Legionenſi thio ejus, inſtitutus dicitur, ab Alexandro autem III. 1175. confirmatus eſt. Vid. *acta Ferdinandi Sancti in tom. VI. maji act. Sanct. c. 1. §. 2. p. 52. Chronica de S. Jago por Franciſco de Rades fol. 1.* Sunt tamen, qui contendunt, diu ante & quidem ſub Ferdinando I. in Hiſpania S. Jacobi ſocietatem jam tum duraſſe. Atque hoc probatum eunt per privilegium, in monaſterio S. Spiritus Salamancæ repertum. FRANCISCO DE RADES *l. c. fol.* 3. b FRANCESCO CARO DE TORRES *lib. 1. fol.* 1. & 2. Hinc colligunt, ſub Ramiro Legionis rege, cui Jacobus apoſtolus ante proelium cum Mauris apparuiſſe, eumque de victoria certiorem feciſſe dicitur, originem ſumſiſſe; ita ut in pejus prolapſa Alphonſi IX. tempore tantum reformata fuerit. FRANCISCO DE RADES *y Andrada fol.* 4. & 5. Petrum Ferdinandum de Fuente Eocada primum ordinis magiſtrum habuit. Sexcenteſimum numerum equites, quibus uxores ducere conceſſum, implent. Præter bos tamen etiam ſacerdotes ordo continet. Signum ejus crucem purpuream enſis capuli formam babentem refert. Hoc ſigno mulieres quædam matrimonii expertes S Jacobi Canoniſſæ, Madriti ſunt ornatæ. FRANCISCO DE RADES *c.* 4. Inſtituti ordinis ratio bellum contra Mauros & verſus Compoſtellam peregrinantium ſecuritas fuerunt. Reditus, quos ordo ex 87. Commendariis habet, 272000. ducatos æquare traduntur. Cœterum notare adhuc meretur, in bulla Alexandri III. conſtitutum, ut tredecim (trezes) eligerentur fratres, ordinis magiſtro in conſilium. Et hi mortuo magiſtro a priore convocati alium per electionem ſubſtituunt. *Chronica de S. Jago por* FRANCISCO DE RADES *fol.* 14. Auctores, qui de boc ordine aliquid literis mandarunt, enarrat GVRTLER. p. 104. ſeqq. 2) Calatravæ ordo ab Alphonſo ſancto anno 1121. aut ut alii volunt, 1155. conditus creditur. Originem ei duo ordinis Ciſtercienſis monachi Raymundus abbas monaſterii S. Mariæ de Fitero & Diego Velazquez Calatravam, fluctuante Templariorum fortitudine, ſtrenue adverſus Afros tuentes, dediſſe feruntur. Addunt, obtinuiſſe inde, ut equites ordinis Ciſtercienſis ſequerentur regulas, cujus hbitu, rubra in pectore cruce inſignes, ab initio induti erant. Sed Benedicti XIII. beneficio monacbalem exuerunt cuculum, & rubra cruce in lilia deſinente & duobus compedibus imminente, ut ordinis ſigno, conſpicui ſunt. Alexander III. & Innocentius III. ordinem approbarunt. A Paulo III. autem habent, quod eis matrimonium contrahere, non autem ad ſecunda vota tranſire liceat. Bunis ſuis 34. commendarias & 8. prioratus, ex quibus quotannis 820000. ducati redigi poſſunt, annumerant. Vide plura apud CRISTYNVM *in jurisprud. heroica p.* 76. ſeqq. MARIAN. *de rebus Hiſpanicis lib. II. c.* 6. FRANCISC. CARO DE TORRES *hiſtoria de las ordines militares de S. Jago, de Calatrava, y Alcantara.* FRANCISCO DE RADES *y Alcantara chronica de Calatrava fol.* 4. ſeqq. Alios auctores ex Antonii bibliotheca Hiſpanica citat GVRTLERVS p. 115. 3) Ordo Alcantharæ ſub nomine S. Juliani de Pereyro regnantibus Ferdinando & filio ejus Alphonſo, anno 1176. inſtitutus eſt. Hoc nomen ab epiſcopatus Civitatis Rodrigi oppido, in quo cœpit, habet; & a papa Alexandro 1177. eſt confirmatus. *Chronica de Alcantara por* FRANCISCO DE RADES *fol.* 1. ſeqq. Poſterius nomen ab urbe Alcantara, quæ ipſis Afris erepta per mittebatur, aſſumſerunt. FRANCISCO DE RADES *fol.* 7. 8. Hic ordo Ciſtercienſium regulam ſequitur, ita tamen, ut æque ac Calatravenſes ſibi uxores jungere queant. Antiquum ordinis ſignum erat pirus vireſcens, quæ deinde, Benedicti XIII. venia in crucem viridem, liliati quid habentem, mutata eſt. Calatravenſi ordini ad tempus hi ſubfuerunt equites, a quo per Julii II. bullam liberati ſunt, Calatravenſibus graviter obtinentibus. Habent 33. Commendarias, 4. Alcaidas & 4 prioratus, quorum reditus 80000. ducatos valent. MARIANA *lib.* 12. *c.* 3. CHRISTYN. *l. c. art.* 8. §. 84. GVRTLER *von geiſtl. und weltl. Ritter-Orden p.* 113.

(b) *magiſter omnium ordinum*) Id Ferdinandus & Iſabella ab Inoocentio VIII. obtinueruut, quod deinde Hadrianus VI. Carolo V. confirmavit. Ex ordinum magiſteriis regis ærarium ad 400000. thaleros augetur. Exercent autem Hiſpaniæ reges magiſteria illa per vicarios, qui commendadores mayores dicuntur, & aliquot millium ducatorum reditus habent. GVRTLER p. 104. 114. *Europaiſcher Herold part. II. p.* 114.

præclarum, doctum & multiplicis eruditionis, quo adeo libere diſſerit de authoritate regia, ut non poſſim ego ſatis mirari, nec vero auſim etiam omnia, quæ ibi habet, probare. Diſſerit enim ibi ita, quaſi omnis reſpublica ex natura & jure gentium debeat inſtitui ad uſum populi, quod ego quidem falſum eſſe, exiſtimo. Diſſerit præterea VASQVEZ ita pro libertate, quale non eſt factum a quoquam Batavo, aut ullo alio homine libero. Dico hoc ideo, ut ſciatis, quomodo etiam reperiantur in ipſa Hiſpania & regno Caſtellæ, qui regimen hodiernum improbent. Quantumvis autem addicte ita regantur Caſtellani, tamen ita ſunt animati, ut in aliis populis libertatem ferre non poſſint, & putent, in alios regimen maxime durum & dominicum eſſe ſtatuendum, quamvis idem in ſe improbent. Verum hoc jam longo uſu eſt receptum. Leges Arragoniæ ab antiquiſſimis temporibus longe aliter ſe habent: ita enim ſunt conſtitutæ, ut videri poſſint regiæ poteſtates parum apud ipſos eſſe, penes populum autem eſſe maximam regiminis partem. Legendus hac de re, regimine ſcilicet politico Hiſpanico, LAET *de republ. Hiſpan. cap. 5.* Et vero fuiſſe olim quidem in Arragonia regimen mixtum, ſatis apparet ex legibus illius regni. Videndus modo laudatus LAET *cap. 5. p. 26.* ubi adducit ex HIERONYMO BLANCA leges hujus regni: inter alias etiam lex adducitur in hunc ſenſum: *Bellum inire, pacem pangere, inducias facere, remve aliam magni momenti agere, caveto rex ſine conſenſu procerum.* Iura dicere regi nefas eſto, ſine conſenſu & adhibito conſilio ſubditorum. Vectigalia nova a rege imponi non poſſunt, niſi conſenſu regni. In univerſum ſi leges regni Arragoniæ videas, non habet regnum regimen monarchicum, ſed mixtum, in quo plus poſſunt proceres & ſtatus regni, quam rex, ut hodie in Germania & Polonia. Porro regnum Arragoniæ fuit olim electitium, donec tandem populus iſte conceſſit, ut fieret hæreditarium. Legantur hic, quæ habet LAET *p.* 132. Non potuit in regno Arragoniæ quicquam agi a rege, niſi in comitiis. Hoc autem ubi fit, eſt regimen mixtum: regimen enim pure monarchicum non patitur comitia proprie dicta. Legenda hic, quæ habet LAET *de judiciis Arragonum:* debuit rex contendere cum ſubditis in judicio, & accuſari etiam potuit. At vero poſtea paulatim res mutaverunt, primusque libertatem Arragonum tentavit *Philippus II,* (a) qui exoſam habebat tantam Arragonum libertatem, incitatus ſine dubio a Caſtellanis, qui jam tum ferebant jugum regium. Itaque contra pacta conventa (jurare enim, antequam eligeretur, coactus erat) libertatem Arragonum conculcavit. Agit hac de re THVANVS *lib.* 104. & ex eo quædam adducit LAET *p.* 106. Initio poſt Mauros pulſos in Arragonia conſtituta eſt reſpublica mere Ariſtocratica, inſtitutusque eſt humanus aliquis judex, titulo *juſtitiæ Arragoniæ.* (b) Ultimus Arragonum rex electitius fuit PETRVS ACINACES. Hodie quantum intelligo, æque addicte reguntur, ac Caſtellani. Dolent autem hoc vehementer Arragones, & impatientiſſime ferunt jugum ſibi impoſitum. Igitur ante annos XXIII. non dubitavit tota *Catalonia* (c) cum urbe Barcinone aſſerere ſe in libertatem, excuſſo jugo regio. Pertinet autem Catalonia itemque Valentia ad regnum Arragoniæ. Verum, cum Catalonii impares eſſent regi, non diu libertatem ſuam potuerunt tueri, ſed coacti ſunt, primo invocare auxilia Gallorum. Animabat quidem Catalonios exemplum Batavorum, qui felici exitu excuſſerunt jugum Hiſpanicum; verum longe minoribus erant viribus, quam Batavi. Galli autem dubitaverunt primum, an auxilium eis mitterent, nec ne: videbant enim, Catalonios adfectare plenam libertatem. Gallus autem æque adfectat dominatum ac Hiſpanus. Tandem tamen recepti ſunt in tutelam a Gallis; verum æque impatienter ac dure regebantur a Gallis, quam ab Hiſpano. Igitur Catalonii tandem vi belli redacti ſunt ſub jugum, & hodie admodum aſpere reguntur, habentur enim, ut armis victi. Reliqui autem Arragones non audent ſe movere; quod ſi vires ipſis ſuppeterent, non ſane diutius duram conditionem æquo animo ferrent. Videtis autem, leges hujus regni aliter ſe habere atque praxin & conſuetudinem, & olim quidem fuiſſe regnum mixtum, hodie autem æque eſſe monarchiam atque Caſtiliam.

Magna porro fuit etiam libertas Biſcajorum, verum æque adducte reguntur, quantum intelligo, & ſi ſuppeterent auxilia, jugum excuterent. Aſſerendum itaque eſt, regnum Hiſpaniæ totum, ne excepta quidem Arragonia, eſſe mere monarchicum. Quæ hodie ſit facies in regno Cataloniæ, *vix dicere poſſum.* (d) Quod autem hodie rex ſibi adhuc metuat, nec

(a) *Philippus II.*) Perezio Philippi antea ſtatus ſecretario anſam rei præbente. Vid. PEREZII *relat. p.* 4. ſeqq. THVANVS *lib. CIV.* PETRVS MATTHÆVS *in hiſtoria Henrici IV. lib. IV. narrat. I.*

(b) *juſtitia Arragoniæ*) Hic magiſtratus Lacedæmoniorum Ephori certo modo rationem habebat, regique ne privilegia & jura Arragonum invaderet, invigilabat. Quanta ejus olim fuerit poteſtas, vid. *dans la relation du voyage d' Eſpagne part. I. p.* 147. Singulare erat, quod rex electus coactus fuerit, detecto capite & flexis genibus, ei in ſolium quoddam elevato promittere, quod Arragonum privilegia intacta ſervare vellet. Quo facto Arragones regi quidem fidem promittebant, ſed formula, quæ ſatis denotabat, quam imbecillis ejus foret poteſtas. Verbis autem, ut leguntur in relatione itineris Hiſpanici, ſequentibus utebantur: *Nous qui valons autant que vous, nous vous faiſons notre Roy & ſeigneur, a condition que vous garderiz nos privileges & franchiſes, autrement nous ne vous reconnoiſſons point.*

(c) *Catalonia*) Conf. VITTORIO SIRI *vol.* 8. *p.* 820. PASSARELLVS *lib. I. p.* 7. *Theatrum Europæum tom. IV. p.* 124. VERDIER *abregé de l' hiſtoire d' Eſpagne tom. II. p.* 457.

(d) *vix dicere poſſum*) Catalaunos in fide Caroli VI. conſtantiſſimos, & tandem Carolo ad imperium Germanicum diſcedente, ab Hiſpanis Gallorum ope in ordinem redactos fuiſſe, in recenti omnium memoria eſt.

nec fidat Arragoniis, patet ex multis indiciis, quorum quædam poſtea attingam. Dixi jam regem Hiſpaniæ, ſi *Luſitaniam* (a) excipias, eſſe plenum monarcham, & penes eum eſſe ſummam poteſtatem. Alias quis dixerit, rempublicam eſſe in manu paucorum miniſtrorum regis, qui cum omnes ſint Caſtellani, patet, res omnes eſſe in poteſtate paucorum Caſtellanorum ſive Grandium.

Audiviſtis autem, regis Hiſpaniæ monarchiam inde poſſe æſtimari, quod rex habeat poteſtatem creandorum *Archiepiſcoporum & Epiſcoporum.* (b) Illo namque jure ceſſerunt Romani pontifices. Adriani enim VI. papæ favore, qui Caroli V. præceptor fuerat, Carolus V. impetravit omnium Epiſcopatuum collationem, quod nunquam antehac fuerat auditum. Impetrarunt etiam a papa reges Hiſpaniæ, ut eſſent magiſtri omnium ordinum militarium. Habet Hiſpania ordines equeſtres opulentiſſimos, qui fuerant ſub Romano pontifice. Adhuc hodie papa adrogat ſibi juriſdictionem in ordinem Johanniticum, & ipſi non ſuperiorem agnoſcunt, niſi papam. Jam impetrarunt reges Hiſpaniæ a papa, ut ipſis liceret conſtituere tales ordinum magiſtros (Groſsmeiſters) imo deinde etiam obtinuerunt, ut ipſi reges tali munere fungi poſſent. Habuerunt autem tales magiſtri magnos annuos reditus: itaque non eſt mirum, regem Hiſpaniæ jam plurimum poſſe, qui quomodo tales magiſtros ſubjecerit, legere eſt apud MARIANA *l.* 26. *c.* 25. Non ſolum autem, ut dictum eſt, rex Hiſpaniæ Archiepiſcopos & Epiſcopos *creat*, (c) & ſumma ordinum militarium ſibi vindicat magiſteria: ſed & conſtituit idem rex omnes magiſtratus politicos ſive civiles, omnes item gubernatores pro ſuo arbitrio, omnes item judices per univerſum regnum, ſi quidem non omnes, tamen potiores; hæc poteſtas autem ſi ſit penes unum, eſt monarchica.

DE REGIMINE REIPVBLICAE HISPANICAE.

Videamus porro, quomodo rex adminiſtret illa omnia. Adminiſtratio omnis pertinet aut ad res ſacras, aut ad profanas. Res ſacræ in Hiſpania omnes adminiſtrantur per Archiepiſcopos & Epiſcopos, tanquam magiſtratus. Habet autem rex Hiſpaniæ Archiepiſcopatus in regno ſuo hodie quidem octo. Primus eſt *Toletanus.* 2) *Burgenſis.* 3) *Compoſtellanus.* 4) *Hiſpalenſis.* 5) *Granatenſis.* 6) *Cæſar-Auguſtanus.* 7) *Tarraconenſis.* 8) *Valentinus.* Sunt præterea tres Archiepiſcopatus, ſed pertinent illi ad regnum Luſitaniæ. Sub illis Archiepiſcopis ſunt Epiſcopi, quos omnes enumerare, nimis longum foret. Poteſtis hac de re legere eximium libellum AVBERTI MIRÆI *de ſtatu religionis Chriſtianæ lib. I. c.* 17. Ad ſacrorum illorum adminiſtrationem referendæ etiam ſunt Univerſitates, quas Hiſpanus habet præclaras. Præcipuæ autem ſunt in regno Caſtellæ, ſcilicet *Salmaticenſis* & *Complutenſis.* Et Salmaticenſis quidem uſque adeo egregie eſt conſtituta, ut non dubitaverit ANT. POSSEVINVS, quamvis Jeſuita, formam illius tanquam in ſpeciem bene conſtitutæ Academiæ commendare in opere ſuo *Bibliotheca ſelecta.* Notaſtis autem jam tum antea, in utraque ſchola, quod quidem cathedram theologicam attinet, eam commiſſam eſſe monachis Dominicanis & Franciſcanis. Voluerunt etiam Jeſuitæ eas cathedras invadere, & id egerunt magno conatu, verum fruſtra hactenus, quantum ego quidem novi. Quoniam autem illi Theologi ſunt monachi, ſectantur etiam dogmata, quæ alias placent Dominicanis & Franciſcanis. Solent enim Dominicani maxime ſequi dogmata THOMÆ AQVINATIS. Hic autem quoniam in doctrina de prædeſtinatione ſecutus eſt rigidam ſententiam S. AVGVSTINI de abſoluto decreto, & præterea etiam docuit, virginem Mariam eſſe *conceptam cum macula* (d) peccati originalis; hinc Hiſpani Theologi Dominicani rigide hactenus defenderunt eam ſententiam. Igitur ipſis perpetua lis eſt cum Jeſuitis.

Obtinent Jeſuitæ plurima collegia per Hiſpanos, quæ enumerat MIRÆVS *l. cit. lib. I. c.* 19. Fortaſſis autem ex eo tempore plura inſtituerunt; nam ſemper illi ſua collegia ſolent extendere.

(a) *Luſitaniam*) Hæc non amplius eſt apud Hiſpanos.

(b) *Archiepiſcoporum & Epiſcoporum*) De jure hoc regis Hiſpaniæ vid. GONZALEZ TELLEZ *ad Decretales Lib. I. Tit. VI. c. 2. T. I. p.* 227. ubi etiam idem ius Galliæ regi competere, aſſerit.

(c) *creat*) Catalogum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Hiſpanicæ monarchiæ vide *dans la relation du voyage d'Eſpagne part. II. p.* 53. ſeqq. De reditibus eorum agit LVCAS DE LINDA p. 267 ſeqq. Ut autem redituum illorum tantum exemplum aliquod exſtet, notamus reditus archiepiſcopi Toletani complecti thaleros 350000, capituli ejusdem 400000. Sevillenſis 350000, capituli ejus 100000, Compoſtellanus 60000, capituli ejus 100000, Granatenſis 40000, Burgorum 40000, Saragoſſani 50000, Valentiarum 40000, Epiſcopi Avilæ 20000, Aſtorgæ 12000. Cuencæ 40000, Cordubæ 40000, Siguencæ 40000, Segoviæ 25000, Calahorræ 20000, Salamancæ paulo minorem ſummam, Placentiæ 50000, Jaeni 30000 & quod excurrit, Malagæ 40000, Oſmæ 22000, civitatis Rodrigi 10000, Zamaræ 20000, Coriæ 20000, Lugi 8000, Mondomedi 10000, Oviedi 20000, Legionis 22000, Pampelonæ 28000, portus Gaditani 12000, Orenſeæ 10000, Almeriæ 5000, Guadixenſis 9000, Tuyenſis 40000, Badojozani 18000, Valliſoleti 15000, Hueſcæ 12000, Taraſmæ 14000, Balbaſtri 7000, Albaracini 6000, Turueli 12000, Jacæ 6000. Ex hiſce epiſcopis Ovetanus, Oſſunenſis, Malaccanus, Gaditanus, Almerienſis, Patenſis & Canarienſis ſedi Romanæ immediate ſubſunt. *Relation du voyage d'Eſpagne part. II. p.* 55. ſeqq. *Europ. Herold tom. II. p.* 145.

(d) *conceptam cum macula*) Cum de hoc dogmate ſuperiori ſaeculo inter Dominicanos & Franciſcanos acerrime diſputaretur, Paulus V. papa quidem totam litem ſententia peremtoria finire noluit; confirmavit tamen anno 1617 bullas Sixti IV. & Pii V. quibus cavetur, *ne quis publice doceat, Mariam in peccato originali eſſe conceptam.* Vid. ARNOLDI *hiſtor. eccleſ. & hæreticor. P. II. L.* 17. *c.* 14. *§.* 2. FEVRBORN *de R. P. infallibilitate §.* 12.

tendere. Et vero libellus iſte MIRÆI ſcriptus eſt anno hujus ſeculi 19. & 20. & ex eo tempore magnam autoritatem & poteſtatem Ieſuitæ acceperunt. Obtinuerunt etiam, ut ſupra dictum, apud regem Philippum IV. ut inſtituerent academiam in ipſa regia ſede Madritienſi, pro qua academia annuorum redituum plus quam 10000. ducatorum ſortiti ſunt. De reditibus Ieſuitarum ex univerſa Hiſpania, & quomodo eorum inſtinctu Philippus II. ad Urbanum VIII. legationem miſerit, ut papa ſub pœna amiſſionis vitæ æternæ immaculatam B. virginis Mariæ conceptionem decerneret, ſupra dictum eſt. Quod tunc autem non revelatum erat URBANO IIX., revelatum eſt hodierno pontifici ALEXANDRO VII, qui, ut etiam referebant nuperrimæ novellæ, decrevit, immaculatam conceptionem B. virginis eſſe credendam. Crevit itaque etiam hodie ſymbolum fidei per *Alexandrum VII.* (a) Nos quidem non audemus illud credere, per doctrinam Apoſtoli Pauli: *Quicunque prædicaverit aliud evangelium præter id, quod annunciatum eſt, anathema ſit.* Ægerrime hoc ſine dubio ferent Dominicani, quia jam vident, ſe a Ieſuitis ſub jugum eſſe miſſos, & authoritatem eorum eſſe conculcatam. *Quoniam autem volunt inſanire, inſaniant.* Sine quo dogmate orbis Chriſtianus antehac potuit eſſe Catholicus, jam non licet eſſe, & jam augmentum cepit fides Chriſtiana technis Ieſuitarum. Hodiernus enim pontifex totus eſt Ieſuiticus, & antequam fieret pontifex, effecit apud INNOCENTIVM X. anteceſſorem ſuum, ut doctrina Thomæ circa abſolutum decretum condemnaretur, invitis plane Dominicanis. Iam hodie ipſe alterum Dominicanorum dogma damnavit. Licebit autem Dominicanis fortaſſe poſthac dubitare, utrum pontifex ſit infallibilis, quoniam aliquid decernit abſque concilio. Gravis enim controverſia eſt inter papiſtas, utrum papa *poſſit errare:* (b) alii adfirmant, eum errare poſſe extra concilium, quod multi etiam Dominicani credunt. Ieſuitæ autem aſſerunt, papam plane non poſſe errare, & hoc ſtatuunt ipſi, quia commodum eſt, & papa illis favet. Iam hæc abſque concilio papa decrevit, ergo dubitabunt Dominicani merito, utrum papa in eo ſit infallibilis.

Quod porro ad res ſacras in Hiſpania attinet, homines non adeo inſtituuntur in doctrina Chriſtiana, ſed jubentur credere, quod credit eccleſia; conſtituto propterea acerrimo & crudeliſſimo inquiſitionis judicio. Hoc modo continentur homines in confeſſione doctrinæ pontificiæ, alias ſane oſtenderent, quali ſint religione; aliquot enim millia in Hiſpania *Enthuſiaſtarum*, ſive ut illi vocant, *Illuminatorum*, & eorum etiam, qui corde profitentur Judaiſmum vel Mahumediſmum, reperiuntur. Adeo autem ſolet ſævire inquiſitio, ut non dubitaverit Philippus II. rex Hiſpaniæ, omnes monachos S. Iſidori, in quorum monaſterio ultimum vitæ tempus trivit Carolus V. interque eos Conſtantinum, Confeſſionarium Caroli V., in cujus brachiis exſpiraverat Carolus, *comburere*, (c) non attento, quod ſuſpicio oriri poſſet, quaſi & Carolus V. ejusdem cum monachis fuiſſet *religionis.* (d) Latius hac de re agere, non puto neceſſum.

Si conſideres reliquum Hiſpaniæ ſtatum civilem, hoc quidem eſt legere, judicia in Hiſpania ſic ſatis *ſanctè excoli*, (e) & horum ratione unicuique jus ſuum tribui: nusquam autem eſt legere, ad reliquas virtotes Hiſpanos adſueſcere. Fuere ibi lupanaria frequentiſſima, quæ quidem hodierni regis mandato ſunt vetita, ſed nonniſi vetita: nam etiam hodie eorum ingens eſt multitudo, & ſcortari in Hiſpania non eſt crimen aliquod, quare ob temperantiam non ſunt laudandi Hiſpani. *Fortitudini* (f) porro dare operam, non coguntur, utitur enim rex milite conductitio; qui ergo non vult dare nomen militiæ, effæminatur; perinde ut ſemper fit, ubi milite conductitio utuntur. Quapropter hac in parte Hiſpania non bene adminiſtratur.

Inter Hiſpanos ipſos ſic ſatis laute vivunt omnes incolæ regni Caſtellani, quia his ſolis permittitur, percipere fructus ex Americæ ditiſſimis terris; præterea, quoniam Caſtellani admoventur ad omnis generis officia, non tantum in regno Caſtiliæ, ſed ubivis alibi in tota Hiſpania. Rex Hiſpaniæ hodie fixam ſedem tenet in regno Caſtellæ, in urbe Madritienſi conſtituta aula: in hac quaſi obſeſſum tenent regem Caſtellani. Hinc ſolis Caſtellanis patet aditus ad regem, & pene ſoli illi ad munia publica & dignitates admoventur. Notandum autem eſt, illos, qui primo loco ſunt apud regem, omnes eſſe *Caſtellanos.* (g) Qui nuper deceſſit primarius

(a) *Alexandri VII.*) Hujus vitam conſcripſit SFORZIAS PALLAVICINVS. Quomodo peculiari bulla immaculatam B. virginis Mariæ conceptionem aſſeruerit, de eo vid. GOTTFRIED ARNOLD *Kirchen- und Kätzer-Hiſtorie P. II. Lib. XVII. Cap.* 14. §. 2.

(b) *poſſit errare*) Quænam hic ſit moderatiorum Catholicorum ſententia, vide apud DV PIN *in hiſtor. diſciplinæ eccleſ. diſſ. IV. V. VI. VII. & de la puiſſance temporelle eccleſiaſtique.* Adde FEVRBORNII *diſſert. de Romani pontificis infallibilitate*, & TITII *oſtenſionem ſummariam* &c. c. 2.

(c) *comburere*) THVANVS *lib.* XXIII. Traditque JOH. LEONHARD WEID Dominicanus Hiſpanus c. IV. p. 28. in inquiſitionis tribunali quæſtionem ventilatam, an Caroli corpus terræ mandatum, inde ad flammas repeti deberet.

(d) *religionis*) Sunt, qui putant, ipſum non ita procul a proteſtantium dogmatibus abfuiſſe. Ex abbatis de St. REAL libro, qui inſcribitur *Don Carlos*, pateſcit, ipſum ſuſpicionem incurriſſe, ac ſi magnum Catechiſmorum Lutheri numerum in Hiſpaniam deferri curaſſet. Vide tamen BAYLE *reponſe aux queſtions d'un provincial tom.* II. *ch.* CXXII. & SANDOVALIS *hiſtoriam vitæ Caroli V. in monaſterio S. Juſti* §. VII. IX. XVI.

(e) *ſanctè excoli*) In Hiſpania non ubique ſatis recte juſtitiæ operam navari, alibi docui.

(f) *Fortitudini*) Et de hoc argumento alibi actum.

(g) *Caſtellanos*) Noſtro tempore RIPERDA Belga, Vienneniſis

primarius regis miniſter LOVISIVS DE HARO, qui eum præceſſit, dux item MEDINA, omnes fuere & ſunt Caſtellani. Primarii in *reliquis regionibus* (a) regis Hiſpani tantum non ſemper ſunt Caſtellani: ita qui hodie eſt prorex Neapolitanus, gubernator item Mediolanenſis CARAVNA, ſunt Caſtellani, & ita in univerſum. Ne quid nuoe dicam de America. Hoc ipſo fit, ut Caſtellani ad tantas opes perveniant, ut exhauriant ipſum regem, ſunt enim ipſo rege ditiores. Poteſtis legere ſatyricam relationem in *lapide lydio* TRAIANI BOCCALINI *relatione vigeſima*, ubi narrat, quemadmodum magnates Caſtellani ærarium regis exhauriant. Hic TRAIANVS BOCCALINVS hoe ipſo ſe ulo magnum ſibi nomen adquiſivit in Italia. Fuit patria Romanus, admotus deinde a Romano pontifiee *provinciæ* (b) regeudæ fuit, aoimo plane *infeſto in Hiſpanos.* (c) Scripſit ille duos libros, plane novi argumenti; *Satyras*, quas inſcripſit *relationes ex Parnaſſo*, (d) & liber primus ſolet appellari *lapis lydius politicus*, quo libro ſemper perſtringit Hiſpanum, altero oonniſi ſemel & iterum. Verſus etiam deinde eſt in Germanicum ſermonem. Hinc Hiſpani ulti ſunt hane hominis *proterviam;* (e) nam curarunt illum Venetiis (ubi illi tantum vivere licebat) egregie vapulare, ut inde etiam animam exhalaverit. Poſſunt autem hæ ejus relationes legi cum inſigni fructu: habet certe in illis multa egregia. JOHANNES DE LAET *cap.* 28. (f) ubi agit de ærario regio, adducit libellum p. 505. anoo hujus ſeculi XXVI. Madriti impreſſum, auctore PETRO FERDINANDO NAVARELLA, Canonico eccleſiæ S. Jacobi Complutenſis, & Secretario regio, cui titulus *Conſervatio Monarchiæ Hiſpanica.* Ex eo libello p. 507. adfertur cauſa *paucitatis* (g) incolarum & agricolarum in Hiſpania, immaniumque tributorum onus. Verba hæe ſunt: *Atque hujus mali haud alia cauſa eſt, quam enormitas tributorum & aliorum onerum, quæ ſubditis imponuntur, cui cum ferendo minime pares ſint, coguntur uxores ſuas & liberos familiamque deſerere, ut famem vitent & alio ſe conferre, ubi ſpes aliqua melior adſulget, atque ita agrorum ſuorum culturam penitus omittunt, & curam poſſeſſionum ſuarum abdicant.* Ex eo autem tempore tributa longe creverunt, cumprimis cum rex Hiſpaniæ bello peteretur a ſocietate Americana Batavica, idque propterea, quoniam ſocietas illa Americana ſemel intercepit claſſem gazæ Americanæ, præterea etiam quotannis dubiam fecit gazæ poſſeſſionem, & ita eum bellum illud creſceret, rex Hiſpanus coactus eſt, ſubditos ſuos tributis onerare, plus quam bellum illud exigeret. Et propterea rebelliones factæ ſunt in Sicilia, Neapolitano regno, Catalonia & Luſitania, ut poſtea patebit. Vix igitur dici poteſt, quemadmodum onerentur hodie tributo. Poteſt hae de re legi etiam IOHANN. DE LAET p. 402. & 405.

Quaotumvis autem ita comparatum ſit cum vulgo per Hiſpaniam; longe tamen alia conditio eſt magnatum & clericorum ſive religioſorum. Primum enim magnates nullom pendunt tributum, ſicut & reliqua nobilitas Hiſpaniæ ab illo onere eſt ſoluta. Similiter elerus Hiſpanorum eſt immunis a tributis, niſi quod interdum, neceſſitate cogente, rex etiam ſoleat conſenſu papæ clerum onerare aliquo tributo, qua de re prælara quædam adfert IOHAN. DE LAET p. 405. ex *epiſtolis* (h) Oſſati, qui diu fuit legatus regis Galliæ in aula pontificis, factus etiam deinde Cardinalis. Literæ ejus ſunt gallice conſcriptæ, & habentur in magno pretio *apud Politicos.* (i) Clerus tamen ordinarie a tributis eſt immunis, & quando iis oneratur, non fit niſi *conſenſu papæ*, (k) ea enim eſt authoritas papæ in Hiſpania, ut & alibi, ut ille credatur dominus eleri ejuſque bonorum & facultatum, quaſi vero ille ſit ejus dominus. Ita etiam fieri ſolet in Gallia, quanquam rex Galliæ nuper iogens tributum exegerit a clero, ne quidem rogato Romano pontifice. Ingens hoc fuit onus & fortaſſe obſervatum in novellis nuperis. Non tantum autem clerus in Hiſpania immunis eſt a tributis, quibus vulgus premitur, & tantum non opprimitur, ſed etiam ſtupendos quotannis habet reditus. De *magnatibus* (l) notum eſt, non adeo diu eſſe, ex quo eorum ordo cœpit. Primus, qui eum inſtituit, fuit Henricus II. rex Caſtellæ & Legionis. Adpellantur alias Grandes, quo nomine intelliguntur comites, duces, marchiones. Heoricus autem II. rerum potiri cœpit anno 1369.

Omnes

nenſis pacis inſtrumentum, ſummæ rerum ſub rege admotus fuit: ſed Caſtellanorum artibus, mox carceri mancipatus eſt.

(a) *in reliquis regionibus*) Vid. *diſſertation des moeurs & maximes d' Eſpagnols p.* 125.

(b) *provinciæ*) Et ſuo exemplo docuit, illos nonnunquam, qui optimos de republica libros conſcribunt, ad regendas reſpublicas ineptiſſimos eſſe.

(c) *infeſto in Hiſpanos*) Boccalini natalia ſua Romæ debuit. Sub initium ſeculi XVII. ſatyrico percelebris fuit ingenio, quo potiſſimum Hiſpani vapularunt. Hoc ipſi violentam, Hiſpanorum artibus & ære, procuraſſe mortem, dicitur. vid. MORERI *lexicon hiſtoricum.*

(d) *relationes ex Parnaſſo*) Hæ in varias translatæ ſunt linguas. BAYLII *dictionarium in artic. Boccalini tom.* I. p. 178. Sunt, qui putant, ſcriptorum nomen ejus præ ſe ferentium partem, Cardinali Cajetano deberi. Rectius ſentire videtur IANVS NICIVS ERYTHRÆVS *in pinacoth.* III. p. 131. Cardinalis Henrici Cajetani ſecretarium Perendam ei in conſcribendis relationibus auxiliatrices præbuiſſe manus.

(e) *proterviam*) Nihil periculoſius eſt, quam calamum in eos, quibus longæ ſunt manus, ſtringere.

(f) *cap.* 28.) De reditibus regis agit c. 22. & quæ de eis Linſcotanus habet. *c.* 23. referuntur.

(g) *paucitatis*) De hoc argumento ſupra monitum.

(h) *epiſtolis*) 76. p. 203. 204. & *epiſtol.* 274. p. 705.

(i) *apud Politicos*) Vide, quæ de iis AMELOT DE LA HOVSSAIE habet.

(k) *conſenſu papæ*) Vide LAETVM *l. c.* ſeqq.

(l) *magnatibus*) Confer, quæ de his ſupra diximus, & iis adde IMHOF. ſcriptum *de l'origine des grands d'Eſpagne.*

Omnes itaque magnates orti ſunt intra trecentos annos, alii ſerius, alii citius; nam pene omnes reges ex eo tempore crearunt magnates, an bono conſilio id fiat, *merito dubitaveris.* (a) Factum enim hinc eſt, ut inter Hiſpanos magna ſit facta inæqualitas. Ante enim populus diviſus erat in duas partes, *in nobiles & ignobiles*, (b) poſtea autem ubi facti ſunt Grandes, facta eſt inæqualitas, quæ nocet omni reipublicæ, 1) quoniam inferiori loco nati invident aliis, & qui ſunt evecti, alios deprimere volunt. 2) Magnates multi ſi quidem conſtituti ſint, evadunt in eam ſententiam, ut ipſi regi ſint formidabiles, præſertim ſi habeant magna bona hereditaria. Et ſane hodie Grandium ea eſt ratio, ut rex non immerito ſibi metuat, jure id quidem non fieret, ſed attendendum eſt, quid in republica fieri ſoleat. Improbo itaque conſilio in tantum excreverunt magnates, & ad tantas evecti ſunt divitias. Quia autem tantum imperium Hiſpanicum a *Grandibus regitur;* (c) igitur præcipuæ ſaltim familiæ debent eſſe *notæ.*

(a) *merito dubitaveris*) Id tamen nihil habet vitii, quod meritorum gloria excellentes præ aliis ad honorum gradus extolluntur. Ex eo enim multis ad res præclare gerendas ſtimuli adduntur, deinde rex ſibi horum fidem magis conciliat. Sit tamen modus in rebus, nec honorum gradus & prærogativæ indignis conferantur, aut elevatis facultas alios opprimendi, ſibique tanta comparandi bona, quæ ultra ſubditorum ſortem ſunt, concedatur.

(b) *in nobiles & ignobiles*) In Hiſpania inferioris nobiles ordinis, qui non ſunt Grandium numero, dividuntur in hidalgos, qui extra Arragoniam prædia non poſſident, ſed in urbibus commorantur; cavalleros, qui fiduciaria habent prædia, & barones (Varones) qui dynaſtias regalibus inſignibus præditas habent.

(c) *a Grandibus*) Paulo ante de Grandibus jam tum quædam dicta ſunt. Jam tantum ſpicilegium aliquod inſtituamus. Dictum eſt, quod inter Grandium ſive magnatum prærogativas ſit, quod ſe præſente rege in publicis actibus tegere poſſint. Olim omnes ſe tegebant Titulati & Grandes in ſignum, ſe abſoluto nullius ſubeſſe imperio; ſed ad partem curarum, ut regni membra, concurrere. Cum vero CAROLVS V. Aquiſgrani diadema ſumeret Germanicum, ibique nulli Germani, niſi electores & alii potentes principes imperatore præſente caput tegerent; Caſtilianis quoque, qui eum comitati erant, perſuaderi curavit, ut nulli eorum, præterquam generis antiquitate & opibus plane inſignes, caput, præſente in publicis conventibus rege, operirent. Hic mos deinde ex Germania in Hiſpaniam traductus eſt: ita ut omnis ibi differentia, quæ eſt inter diverſos modos, quos rex ſervat, quando proceres jubet, ut caput tegant, ad Carolum V. ſit referenda. ALONSO DE CARILLO *l. c. fol.* 14. Nullus autem niſi jubente rege ſe tegere poteſt. Nonnunquam reges Hiſpaniæ exteris quoque ad vitæ dies Grandium dignitatem largiti ſunt. Tales fuerunt duo CAROLI Lotharingiæ duces, Fridericus Landgrafius & Cardinalis Haſſiæ RVDOLFVS, dux Saxoniæ OCTAVIVS FARNESIVS & HERCVLES ejus frater. Ut ſic nihil novi ſit, quod Philippus V. quibusdam ex Gallis Grandium dignitatem contulerit. Competit autem his æque ac aliis Grandibus jus tegendi caput coram rege. Sunt adhuc alii præter Grandes, qui hoc jure gaudent, ut *cardinales*, *patriarcha Indiarum*, *archiepiſcopi*, *regum legati primi ordinis*, *nuncius apoſtolicus*, *equites aurei velleris* in generalibus capitulis, nec non ordinum S. Jacobi, Calatravæ & Alcantaræ, quando rex ut magnus ordinum magiſter adeſt. An hæc facultas Barcellonæ conſiliariis olim competierit, dubium eſt. SANDOVAL *in hiſtoria Caroli V. lib.* 24. §. 8. ALONSO DE CARILLO *Origen de la dignidad de grande de Caſtilla fol.* 18. CHIFLETIVS *in hiſtoria equitum aurei velleris* c. II. SALVZAR MENDOZA *en la vida del Cardinal Tabera c.* 20. ANTONIO DE MENDOCA *relation del juramento de principe don Baltaſar Carlos fol.* 3. Si qui ſingulatim in conſpectum regis admittuntur, iis facultas caput operiendi non datur, niſi hoc alicui ex ſpeciali concedatur gratia. Exemplum habemus in *marchione de Peſcara*, cui id privilegii a Carolo V. datum. SANDOVAL. *lib. II. §.* 13. Idem obtigit *Franciſco Borgia* ſocietatis Jeſu membro, olim Gandiæ duci. RIBADENEIRA *in vita ejus lib.* 2. *c.* 13. Sunt adhuc aliæ permultæ Hiſpaniæ procerum prærogativæ. Olim ſemper inter regni ſtatus congregatos erant. Hi enim ex eccleſiaſticis, quorum caput eſt *archiepiſcopus Toletanus*; nobilibus, quorum caput eſt Admirans Caſtiliæ, & civitatum deputatis conſtabant. Sed cum CAROLVS V. in comitiis Toletanis anno 1535. animadverteret, rebus expediendis nimiam votorum multitudinem nocere, juſſit, ut octodecim tantum civitatum, quæ provinciarum ſuarum metropoles ſunt, deputati inter Cortes eſſent. Tales ſunt: *Burgos*, *Leon*, *Granada*, *Sevilla*, *Cordova*, *Murcia*, *Toledo*, *Valladolid*, *Segovia*, *Salamanca*, *Avila*, *Toro*, *Zamora*, *Cuença*, *Galicia*, *Soria*, *Guadalaxara*, *Madrid*. Si generales regni ordines ad homagium forte regi aut Aſturiæ principi præſtandum congregantur, Grandes ante omnes illius regni ſeculari quadam dignitate gaudentes loca occupant, exceptis tamen Conneſtabile & Architḥalaſſo. Regis, qui ſub canopeo ad Evangelii cornu ſacris intereſt, lateri in ſella officialis, quem *mayor domo* vocant, adhæret. Ab hoc proximi ſedent Grandes in ſcamno, ſupra quem tapes quidam extenſus eſt. Non autem inter illos tunc ulla proëdriæ ratio habetur, ſed qui prior adventat, ſuperiorem occupat locum. Ad cornu epiſtolæ in ſcamno ſub tapete ſedent regum legati, inter quos etiam reipubl. Venetæ legatus propter Candiæ regnum admittitur. Quod ad prælatos eccleſiaſticos attinet, illi ſeparatam habent ſedem. Hi ſecundum antiquitatem conſecrationis ſuæ ſedent, olim hic ad provinciarum prærogativam, in quibus epiſcopatus habebant, reſpiciebatur. VALDES *de dignitate regum Hiſpaniæ c.* 2. Primum tamen ſemper locum habet Indiæ patriarcha. Quodſi inter eos Cardinalis, illi ſeparata ab aliis præbetur ſedes. Plura vide apud ALPHONSVM DE CARILLO *l. c. fol.* 20. Sed redeamus ad magnates. Quando conventus equitum ordinis aurei velleris celebrantur, Grandes non comparent & illi horum ſcamnum occupant. Bruxellis tamen diverſas a Grandium ſcamno habebant ſedes aurei velleris equites. *Hiſtoria de don Juan d' Auſtria por* LORENSO VAN DEN HAMMEN *lib. I.* CHIFLETIVS *de ordine equitum aurei velleris c.* 2. SANDOVAL *in hiſtoria Caroli V. c. ult.* Magnates hi regiæ aulæ hereditariis etiam præſunt officiis, & ſanctioris conſilii cum duobus archiepiſcopis membra ſunt, aliisque conſiliis præſident. Status conſilium, cui rex ipſe præſidet, autorem habet Carolum V. In hoc præter archiepiſcopos, qui Cardinalium dignitate eſſe ſolent, & Grandes viri in ſago & toga illuſtres leguntur; deinde celebratur conſilium regium juſtitiæ, quod cameræ conſilium includit. Hoc ſub Ferdinando ſancto cœpiſſe dicitur. PEDRAZZA *in hiſtoria Hiſpaniæ part. IV. c.* 3. De his aliisque Hiſpaniæ conſiliis conſ. ALPHONSVM DE CARILLO *fol.* 22. ſeqq. PERILLZECHIVM *in Europaiſchen Herold tom. II. p.* 131. LVCAM DE LINDA p. 250. ſeqq. Hic quæ membris eorum porrigantur ſtipendia, addit. Inter prærogativas magnatum quoque merito referendum, quod regium palatium, etiamſi rex adhue in lecto hæreat, intrare & ad usque conclave, quod *Galeria de retratas* vocatur, penetrare queant. In hoc enim loco præter cameræ nobiles, illi, quibus hoc ſpecialiter a rege eſt conceſſum, comparere poſſunt. Hic autem nemo caput tegere poteſt. Olim Grandes etiam conclave, in quo rex veſtiebatur, antequam indutus eſſet, adire potuerunt;

nota. (a) De hac re præclare diſſerit JOHANN. DE LAET *capite integro* 17. Notandum porro, quod de ingeotibus Grandium illorum *opibus* (b) adnotavit idem LAET *p.* 373. ex JOHANN. BOTERO & MARINÆO SICVLO. Verba ejus ſuot: *Johannes Boterus annotavit in ſuis relationibus, in Hiſpania eſſe* 26. *duces*, (c) *quorum reditus annui ſunt ſesqui milliones ducatorum. Porro eſſe* 40. *marchiones*, (d) *quorum reditus ſunt* 80000. *ducatorum. Porro eſſe* 60. *comites*, (e) *quorum reditus ſint multo adhuc majores. Marinæus Siculus inquit, eos tantum poſſidere, quantum ipſe rex.* (f) Hodie cooditio eorum longe eſt amplior. Ex eo autem tempore decrevit ærarium regis, & contra creverunt divitiæ Grandium, in tantum, ut reditus eorum multo ſint majores quam regis. An id expediat reipublicæ, quisque facile judicat. Certe cum magno detrimento eſt conjunctum.

Clerum quod attinet, de archiepiſcopis & epiſcopis eorumque reditibus præclare diſſerit IOH. DE LAET *cap.* 20. & hoc ex MARINÆO SICVLO, qui rerum Hiſpanicarum fuit peritiſſimus. Pagina 381. quædam refert ex DAMIANO A GOES Luſitano, viro docto. Tum temporis clerus reditus habuit 400000. ducatorum, ex eo autem tempore (vixit enim Damiaous a Goes ante 100. annos) multum creverunt reditus cleri; nam ſoli Ieſuitæ, qui tamen noodum erant orti, habent hodie ſuper Millionem Ducatorum. Apparet ex his, quaotum hi homines abſumant. Sunt præterea plurimi *ordines equeſtres* (g) in Hiſpania, cumprimis in regno Caſtellæ ſuot *tres.* (h) De hoc argumento diſſerit LAET ex Marinæo Siculo p. 185. Magnates itaque & clerus vivunt lautiſſime in Hiſpania. An autem id expediat reipublicæ, tantos ſumptus facere, quis facile judicare poteſt. Tanta enim cleri copia non eſt opus in republica; nec opus eſt tanta copia Archiepiſcoporum & Epiſcoporum; multo mious Canonicorum. Quodſi atteodamus ad ordines monaſticos, quid opus eſt tanta multitudioe monachorum, qui non ſuot utiles reipublicæ, nec ei ullam præſtant operam, eripiunt paoem miſero vulgo, ipſi vero lautiſſime vivunt. Quare multitudo mooachorum eſt oneroſa regno. Impoſſibile præterea eſt, tot homines vivere caſte, & ita noo procreant ſobolem: hinc regno deficiunt milites, quia tot cælibes regnum alit, qui rempublicam non juvant procreanda ſobole. Opera autem maxime danda eſt, ut respublica ſit ſatis inſtructa multitudine hominum. Hac de cauſa auctor ille, qui ſcripſit de *conſervatione monarchiæ Hiſpanicæ*, ſuadet regi, ne patiatur poſthac, oova *collegia monachorum* (i) aut Ieſuitarum exſtrui in Hiſpania. Ieſuitæ enim tot

condunt

tuerunt; ſolebantque cameræ nobiles, quorum magna in Hiſpania eſt dignitas, aliquando concedere, ut regi linteum ad faciem & manus ex lavatione madidas ſiccandas præberet. In Caſtiliæ præſide ſiogulare eſt, quod facultatem babeat, regem ex adverſa valetudine ſorte decumbentem, finito conſilio, una cum conſilii membris adeundi. Ipſe præſes regio appropinquare poteſt lecto, & de ſalute regis inquirere, juſſaque ejus expetere, membris conſilii ipſum in proximo conclavi expectantibus. Admittuntur Grandes cum regiis conſiliariis ad regiæ manui oſculum ponendum primo Paſchatos die, ſi princeps regi natus, victoria ab hoſtibus reportata, aut alius felix quidam regno acciderit eventus. Nulli præter magnates *Excellentiæ* titulus tribui poteſt. *lib.* 16. *tit. I. nov. recop.* A viceregibus autem nemini magnatum, qui regnorum, quibus extra Hiſpaniam præerant, ſubditi fuerunt, excellentiæ titulus impertiri potuit. Ipſos Neapolis & Siciliæ proreges rex Hiſpaniæ vocare ſolitus fuit *illuſtres, primos.* De viceregibus eorumque dignitate agit FRANCISCVS DE PONTE *de poteſtate principis c.* I. *n.* I. ANDREAS BOSCH *de titulis honorum lib.* 2. §. 36. POBLICER *en el memor por el duque de Montalto art.* 2. *n.* I. Rege abſente ex Grandibus ſumuntur, qui reipublicæ gubernacula ejus nomine moderentur; nec non ex his legati, qui ad exteros mittuntur reges, leguntur. Vide SANDOVAL *in hiſtoria Caroli V. lib. VI.* §. 19. CARILLO *diſcurſo IX.* Ex hoc quoque conſtat, Cardinales in Hiſpania in ſuis ædibus dignoſrem præ Grandibus, eos viſitantibus, occupare locum molitos eſſe, ſed graviter magnates ipſis obnixos eſſe. Quæ ſint Grandium jura & prærogativæ in proceſſionibus & ſpectaculis, ubi cum tauris pugnatur, aliisque ſolennitatibus, quidve eis incumbat, quando regem & reginam comitantur, docet CARILLO *l. cit.* Adde *tontado de nobleza & de los titulos & ditudos, que oy dia tienen los varones claros & grandes por* JOAN. BENITO *Guardiola*, & *diſcurſos de la nobleſa de Eſpanna por* BERNABE MORENO DE VARGAS.

(a) *nota*) Vid. *Europaiſchen Herold tom. II. p.* 122. ALONSO DE CARILLO *l. c. diſcurſo II. Nobiliario Genealogico de los Reyes y titulos de Eſpanna por* ALONSO LOPEZ DE HARO.

(b) *opibus*) AVTOR *Heroldi Europæi* memorat. *tom.* II. p. 112. Gallum quendam facete in Hiſpani ricos hombres & Grandes luſiſſe, quando monuit, res ejus meliores fore, ſi nobiles illos pauperiores baberet; fore enim tunc, ut meliorem compareт exercitum, rectiusque reipublicæ neceſſitatibus ſubvenire poſſet.

(c) *duces*) De his vide *origen de las dignidades ſeglares de Caſtilia y Leon lib.* 3. *c.* 15. 16. 17. *Nobiliario Genealogico por* ALONS. LOPEZ DE HARO *lib.* 9. *c.* 2. ſeqq.

(d) *marchiones*) SALAZAR DE MENDOZA *l. c.* c. 12. 13. 14. ALONSO LOPEZ DE HARO *nobiliario genealogico parte* II. *p* 310. ſeqq.

(e) *comites*) SALAZAR DE MENDOZA *l. c. lib.* III. *c.* 5.

(f) *quantum ipſe rex*) Incertum eſt, quanti ſint regii reditus, quoniam illi per vices augentur. Suot, qui arbitrantur, ſub initium ſuperioris ſeculi, cum Portugallia adhuc Hiſpaniæ eſſet juncta, reditus regni 22. thal. milliones æquaſſe. Sed poſtea omnia in pejus prolapſa ſunt, & longe Hiſpania a ſtatu, in quo ſub Philippo II. erat, diſceſſit. Tradunt enim, illum in agone conſtitutum graviter doluiſſe, quod 700. milliones in dona impenderit. Forte tamen hoc hyperbolen ſapit. Sed quomodocunque bæc ſe habeant, putarem tamen, ſub hodierno rege rectius, quam ſub Carolo II. fiebat, ærarium curari.

(g) *ordines equeſtres*) Conf. GVRTLER *de ordinibus equeſtr.*

(h) *tres*) De quibus jam locuti ſumus.

(i) *collegia monachorum*) Infinita propemodum in Hiſpania ſunt monachorum & monialium cœnobia, quorum aliqua bonis abundant. In Burgorum civitate eſt monialium monaſterium, cujus abbatiſſa ſub ſua poteſtate 24. civitates & 50. pagos habet. Quod autem ad ingentem monachorum numerum, qui in Hiſpania aluntur, attinet, ille ex eo quoque colligi poteſt, quod Franciſcanorum Generalis 22000. monachorum ſui ordinis, qui viginti annis non minores, nec quadraginta ætate ſuperarent, in militiam Carolo V. obtulerit, quos tamen imperator, cum otio & ventri aſſuetos crediderit, reſpuiſſe dicitur.

condunt collegia (a) & incumbunt theſauris ſuis, tanquam dracones: quid vero opus eſt alere homines *ſemidoctulos* (b) & nunquam reipublicæ utiles.

Poſtquam de regno Hiſpanico egimus, properandum nobis eſt ad regna alia: inter illa primo occurrit America, quoniam hæc ſola eſt provincia regni Caſtellæ. Habet autem Caſtella jus in Americam & *inſulas Canarias*, (c) ut in veram provinciam. *America* (d) regitur per duos proreges; quia 1) dividitur in duas partes, in ſeptentrionalem & meridionalem, quarum quælibet habet ſingularem proregem. *Prorex Americæ meridionalis* (e) reſidet in urbe Lima regni Peruviani, & hæc eſt Americæ meridionalis metropolis. Prorex Americæ ſeptentrionalis reſidet in urbe *Mexicana:* (f) Proreges illi non ſolent ordinarie quidem niſi *triennii ſpacio* (g) munere iſthoc fungi, idque prudenter, ne ſcilicet diuturnius regimen noceat reipublicæ. Cum enim prorex valeat *regia auctoritate*, (h) ſi permitteretur diutius ibi reſidere, poſſet ita firmare res ſuas, ut regi eriperet ipſam Americam. Romani fuere hac in re cautiores adhuc, nec enim paſſi ſunt, Proconſules in provinciis permanere ultra ſpatium annuum. Prodeſt 2) ad vitandam invidiam magnatum inter ſeſe: ſiquidem enim nimis diu ibi regnaret, flagraret invidia, & ad hanc compeſcendam valet illud minus diuturnum regimen. 3) Facit itidem ad conſervandam majorem *æqualitatem*. (i) Proreges dum funguntur illa dignitate, cumulant ingentes opes, & ſi ipſis hæc dignitas permitteretur in plures annos, opes ingentes poſſent corradere, ut regibus ipſis eſſent formidabiles. 4) Prodeſt, ut ita poſſint plures dignitatibus ornari: in republica autem quam maxime eſt utile, ſi honores cum pluribus communicentur. Iudicia Americæ quod attinet in ſeptentrionali America ſunt judicia ſumma tria. Tantum ſunt etiam in America meridionali, ubi datur jus ſummum. Notandum autem eſt, omnia hæc tribunalia per ſolos Caſtellanos adminiſtrari, magno detrimento reliquorum Hiſpanorum. Proceſſus autem juridicus longus non obtinet in America, ſed ſolus proceſſus *ſummarius*. (k) Nam rex Hiſpaniæ vetuit longos illos proceſſus, & hoc valde prudenter: itaque judicia & res Americanæ non laborant hoc malo, quo alias noſtra Germania, in qua proceſſus longi forenſes immanem pecuniæ vim abſumunt. Quod

(a) *condunt collegia*) *Europaiſcher Herold tom. II. p.* 145. Præter Jeſuitarum collegia in Hiſpania academiæ celebrantur Salamancenſis, Complutenſis, Toletana, Granatenſis, Valentina, Sevillenſis &c.

(b) *ſemidoctulos*) Fatendum tamen, hanc ſocietatem viros etiam doctos, inprimis in Gallia & Belgio, habuiſſe.

(c) *inſulas Canarias*) De his ſupra actum. Annotaſſe tamen hic non inutile erit, incolas pro Cananæorum ab Hornio propagine haberi. Sed forte nullum aliud, quam affinitatem quandam nominis, aſſerti ſui habebit fundamentum. Verum quod ad etymologiam attinet, rectius videntur illi ſentire, qui nomen deducunt a canibus, ex quorum carnibus pinguetudine obductis guſtarunt incolæ, aut quod iis deſtitutæ aut æque ac capris inſulæ, cum a Juba detegerentur, abundaverint. Per plura deinde ſecula harum inſularum memoria obliterata fuit, usque dum Theodoſius Doria & Ugolinus de Vivaldo ad illas inveſtigandas ex Genuenſi duobus navigiis ſolverint portu. Sed cum nihil ab iis poſtea inauditum fuerit, veroſimile eſt, maris eos periiſſe undis, aut pedem in inſula quadam figentes ab habitatoribus ejus obtruncatos fuiſſe. Animo etiam volvit inſulas Ludovicus de la Cerda, Clermontanus comes adire: ſed propoſitum caruit effectu, licet a papa Clemente VI. Avignoni Canariarum regis coronam ſumſiſſet. Seculo decimo quarto aliquas harum inſularum Johan. de Bethecourt ſub fiduciario juramento, Hiſpaniæ regi præſtando, in ſuam redegit poteſtatem. Qua occaſione deinde Caſtiliæ reges eas conſecuti ſint, docet CHEVRAV *dans l' hiſtoire du monde tom. IV. p.* 122. 123.

(d) *America*) Hanc Columbi opera detectam eſſe, ſupra monui; *relation du voyage d' Eſpagne part. III. p.* 58. quanquam ſint, qui contendunt, veteribus ſub Atlantidis & Ophiris nominibus notam fuiſſe. Horum numero eſt CHEVRAV *part. IV. liv. VIII. p.* 135. ſeqq. Sed confer, quæ hanc in rem ſupra diſſerui. Non autem, quæ Columbi opera innotuerunt, una vice manifeſtata ſunt, ſed quatuor, quæ in iſtas oras inſtituit, itineribus.

(e) *Prorex Americæ meridionalis*) Proreges, gubernatores & capitanei generales, ut vocantur, terrarum & civitatum Americæ recenſentur *dans la relation du voyage d' Eſpagne part. III. p.* 60. ſeqq. De archiepiſcopatibus autem & epiſcopatibus eorumque reditibus agitur ibidem *part. II. p.* 60. Eſt autem rex abſolutus tam in ſpiritualibus, quam temporalibus Americæ dominus, ita ut archiepiſcopatus, epiſcopatus & alia beneficia eccleſiaſtica conferat. Adminiſtratores, quibus India regitur, regi a conſilio Indico præſentantur. Eſt autem hoc conſilium Madriti ſtabilitum, penes quod omnis rerum Indicarum cura eſt. Deputantur ex hoc conſilio antiquiora quatuor membra, quæ de reditibus ſunt ſolicita & ſecretarios jubent, quæ expedienda ſunt. Præter hoc conſilium Sevillæ adhuc eſt collegium aliquod, quod vocant domum contractionis. Hoc ex præſide & pluribus conſiliariis, viris in ſago aut toga celebribus, conſtat; hi juri dicundo operam dant; illi curam rerum, quæ ad navium cœtus, qui la Flotte & les Gallions vocantur, pertinent, habent. Quæ autem ſit differentia inter has navium cohortes, legitur *dans la relation du voyage d' Eſpagne part. III. p.* 65. ſqq.

(f) *Mexicana*) *l. c. p.* 70.

(g) *triennii ſpatio*) Non ſolum viceregum dignitas, ſed omnia aliorum adminiſtratorum in America officia in quinque ad ſummum dantur annos. In hoc autem tempore ingentes conglomerare poſſunt divitias, ita ut vicereges inde interdum duos thalerorum milliones in Europam adferre ſoleant, nec alii niſi nummis admodum onuſti diſcedunt, quod & ad ipſos eccleſiaſticos pertinet. *Relation du voyage d' Eſpagne part. III. p.* 59. 64. Officia autem, quæ juriſdictionem in Hiſpania non adjunctam habent, æque ac in America venditioni ſunt obnoxia. Et ſi qui officia ſua ad heredes tranſmittere volunt, cenſum quotannis regio ærario perſolvere obſtricti ſunt.

(h) *regia auctoritate*) In caſtra tamen & munimenta terrarum, quibus præſunt, nullum ipſis competit imperium. Hoc prudentiſſimum conſilium jam tum Perſis notum, & hodie a Venetis quoque obſervatur.

(i) *æqualitatem*) Sunt tamen & temporarii magiſtratus ſua incommoda. Tempus enim requiritur, antequam quis ſui officii & eorum, quæ ipſi recte fungendo inſerviunt, notitiam acquirere poſſit, & cum deinde aliquam ejus ſcientiam ſibi comparaverit, illud deponere debet, & novus ſuccedit, qui in rebus agendis plane novus eſt. 2) Temporarii magiſtratus contemtui ſubſunt. 3) Ex illa mutatione reſpublica damnum ſentire ſolet. Res enim bonæ nondum ſatis firmatæ a novo magiſtratu per æmulationem deſtrui aut ſaltim negligi ſolent.

(k) *ſummarius.*) In quo ſaltem, quæ jus naturæ requirit, obſervantur.

Quod ad regimen ſacrum attinet, habet America meridionalis ſuum *Archiepiſcopum*, (a) & ſub hoc epiſcopos varios. Eodem modo eſt conſtituta America ſeptentrionalis. Qua de re poteſt legi AVBERTVS MIRÆVS (b) *lib.* 4. *c.* 4. 5. 6. *de ſtatu religionis Chriſtianæ.* Eadem America habet *complura monaſteria*, (c) & quidem etiam complura collegia Jeſuitica, de quibus etiam agit MIRÆVS *lib.* 1. *c.* 9. & 10. Condidit præterea rex Hiſpaniæ in America *duas Univerſitates*, (d) alteram in America meridionali in urbe *Lima*, alteram in America ſeptentrionali in urbe *Mexica*. Quemadmodum autem incolæ regantur ſecundum virtutem, notum eſt, *triplices eſſe incolas* (e) Americæ, Hiſpanos, Æthiopes, Americanos; quarto loco eſſe mixtos, quos appellare ſolent *Meſtecos*, qui ſunt oriundi ex connubiis Hiſpanorum & Americanorum. Conditio veterum incolarum eſt admodum dura. Ad religionem & cultum divinum non educantur. Quam miſere ſe habeant res Americanorum circa religionem, diſci poteſt ex libro ſæpe laudati Jeſuitæ ACOSTÆ *de promulgatione evangelii apud Indos.* Jubentur ediſcere *Credo, Pater noſter*, *Ave Maria*, & deiode per vim baptizantur. Ad reliquas virtutes oon educantur, quinimo ab Hiſpanis male viventibus diſcuot omnia vitia. Quoad rerum ſufficientiam miſere habeotur; vivunt enim in miſerrima ſervitute, Hiſpanorum autem conditio melior eſt. Nam veteres incolæ vel Æthiopes aut Meſteci ad nullas dignitates admoventur, ſed omne illud, unde aliquid lucri poteſt ſperari, relioquitur *ſolis Hiſpanis*, (f) reliqui miſeram ſerviunt ſervitutem. Tantum autem abeſt, ut reliqui iocolæ exerceantur ad ſortitudinem, quinimo ſtudioſe arcentur ab omni ſtudio armorum. Sunt itaque imbelles, & opera maxima id agunt Hiſpani, quia ſcilicet putant, ſe aliter non poſſe eſſe ſalvos, niſi ita fiat. Omnis militia ibi conſtat ex Hiſpanis vel aliis Europæis advenis.

Par etiam eſt ratio inſularum Canariarum, nam hæ eodem modo, quo Americani reguntur, & eodem cum his ſunt loco. Quod attinet ad inſulas Majoricam, Minoricam, Sardiniam & Siciliam, quæ proprie pertinent ad regnum Arragoniæ; quemadmodum rex Arragoniæ in majori ſemper vixit libertate, ita etiam omnes hæ inſulæ vixeruot in magna libertate, & fuere florentiſſimæ usque ad tempora Ferdinandi Catholici. Cæterum ex eo tempore, quo Arragonia amiſit libertatem ſuam ſub Philippo II. maxima ibi etiam facta eſt mutatio, ita ut paulatim decerptæ ſint libertates & privilegia harum ioſularum, & redactæ in magnam ſervitutem, licet jam tum ſub Ferdinando Catholico ſtrictius regnari cœperint. Dicam de ſingulis. Quod Majoricam & Minoricam attinet, reguntur illæ manu regia ſimpliciter, ut ſumma poteſtas ſit peoes ſolum regem. Solet autem rex Hiſpaniæ ea regere per Proregem, qui merito deberet eſſe Arragonenſis; raro autem talis admovetur, ſed plerumque eſt Caſtellanus, Sub hoc præſertim rege & etiam priore, magna facta eſt hac quidem parte felicitas Caſtellanorum. Quoad regimen eccleſiaſticum ſunt ſub Epiſcopo, qui ſubeſt Archiepiſcopo *Tarraconenſi*, (g) ut ita appareat, regimen ioſulæ dependere a rege Arragoniæ. Io eadem inſula erexere olim reges Arragooiæ ſcholam ad docendam philoſophiam. Ex inſula etiam Majorica oriundus olim ſnit Raymuodus *Lullius*, (h) qui vixit ſeculo poſt natum Chriſtum XIII. & novum philoſophiæ genus invexit. Fuit homo mirifici ingenii & magnus Alchymiſta, nam ars chimica ipſi multum debet: certe illi etiam debemus inventionem ſpiritus vini (des Branteweins) Opera illius ſunt in medio, condidit novam Logicam, Rhetoricam &c. Quanquam vero ejus doctrina ſit inepta, tamen nunquam ipſi defecere ſectatores, & illius ſecta habet in Majorica ſcholam publicam, alibi vero, quod ſciam, nullibi. Regimen politicum idem ibi eſt, quale eſt in Hiſpania. De miſeria populi non habeo, quæ ſeorſim dicam, quoniam etiam qui non monitus, facile poteſt ſcire, non meliorem ibi eſſe populi conditionem, quam in Hiſpania.

Sardinia itidem pertinet ad regnum Arragoniæ, eſt tamen *feudum pontificis* (i) Romani. Regitur manu regia, rex enim Hiſpaniæ eſt ibi monarcha, & adminiſtrat omnia per proregem.

(a) *Archiepiſcopum*) America cum inſulis ſuis ſex archiepiſcopos & 32. epiſcopos habet. Vid. *La relation du voyage d'Eſpagne part. II. p.* 60. ſeqq. ubi eorum reditus quoque recenſentur. Sed præter hos aliæ multæ ibi clero diteſcendi patent viæ.

(b) *Miræus*) *In notitia epiſcopatuum c.* 26. *lib. IV.*

(c) *complura monaſteria*) Sed monaſteria illa quamplurimum homines continent, qui magis carni & vitæ mollitiei, quam ſpiritui operantur. Legi merentur, quæ THOMAS GAGIVS *de Priore coenobii monaſterii S. Dominici* ad S. Johann. de Ulhua *part. I. c. VII.* tradit, & quæ *c. IX. l. c.* habet.

(d) *duas Univerſitates*) Academiæ Americanæ exornant Mexicam, Guatimalam, urbem, quæ a S. Dominico locum habet, Limam & Quitum.

(e) *triplices incolas*) In quintuplici eſſe differentia, ſupra monui 1. Hiſpani ex Europa delati. 2. Criolii, qui ex Hiſpanicis parentibus in America nati ſunt. 3. Meſtecii, qui Hiſpano patre & Americana matre nati ſunt. 4. Quatralvi, qui ex Meſtecio & Hiſpana aut Meſtecia & Hiſpano originem trahunt. 5. Treſalvi, qui alterutrum parentem Meſtecium, alterutrum autem Americanum habent.

(f) *ſolis Hiſpanis*) Ex Europa eo delatis, qui ſoli omnibus funguntur muneribus, excluſis etiam Crioliis, qui hanc rem iniquo ſatis animo ferunt, & ſunt, qui putant, eos aliquando in everſionem imperii Hiſpanici in America conſpirare poſſe.

(g) *Tarraconenſi*) Mayorcanus epiſcopus Tarraconenſis in Catalonia archiepiſcopi ſuffraganeus eſt. Subſunt etiam huic Barcinonenſis, Gerundinenſis, Ilerdenſis, Helenenſis, Vicenſis, Celſonenſis, Urgellenſis, Dertuſanus epiſcopi.

(h) *Lullius*) MARIANA *lib.* 12. *c.* 14. *lib.* 15. *c.* 4. MORHOFII *polyhiſtor.* In Africa ob religionem a Mauris anno 1301. occiſus & in urbem patriam relatus, magna ibidem colitur veneratione. In academia Majoricenſi & Barcinenſi libri ejus hodieque explicantur. vid. MIRÆVS *notit. epiſcopat. lib. V. p.* 260.

(i) *feudum pontificis*) Hunc nexum fiduciarium dubium eſſe, alibi monui.

proregem. Habet illa *inſula* (a) quatuor *archiepiſcopatus* (b) ſed minoris momenti. Germania noſtra tantum habet 4. archiepiſcopatus, cum tamen plus quam decies & multitudine populi & magnitudine ſuperet ipſam Sardiniam. Inter Sardiniæ Archiepiſcopos primus eſt Caliguritanus. Quod reliqua attinet, omnia ſe habent, prout eſt regimen aliarum regionum ſub Hiſpano, igitur quod ſingulariter de illo dicam, non habeo.

Siciliam quod attinet, audiviſtis, quam præclara & dives ſit inſula, & quam ſit inſtructa a copia omnium rerum. Et hæc adminiſtratur manu regia & nutu *regis Hiſpaniæ.* (c) Notandum eſt, quod *Sicilia* (d) itidem adminiſtretur per *proregem*, (e) cujus ſedes eſt præclara urbs Panormus, quæ, ut aliæ etiam hujus inſulæ civitates, inſtructa eſt caſtellis & munimentis. Præcipue hoc factum eſt auſpiciis Caroli V. qui cum videret, ſibi imminere vim Turcicam, poſtquam occuparunt Rhodum inſulam, itidem Cyprum, cœpit munire Siciliam. Tenetur a perpetuo milite Hiſpanico. Notandum autem eſt, quod Siciliæ populo non ita ſint *ademta arma*, (f) nam ſemper plus eſt conceſſum Siculis, quam aliis populis, quoniam de eorum fide non tam eſt dubitatum. Proportione habita inter regnum Neapolitanum & Siciliam, ſemper Sicilia mitius eſt habita, quam Neapolis. Cumprimis mitiſſime eſt habita ſemper urbs Meſſana, quæ eſt ditiſſima & florentiſſima a commerciis. Quoniam autem in illa inſula perpetuum militem rex Hiſpaniæ cogitur alere, & quidem *tam numeroſum* (g) quod ſufficere poſſit adverſus eruptiones piraticas, hinc adeo quamvis reditus ſint magni, tamen expenſæ ſunt majores. Itaque dux Oſſanæ prorex olim Siciliæ, egit cum Meſſanenſibus, quod erat juſſum a rege. Quare de hoc negotio edidit librum Ferdinandus de Madute conſiliarius Siculus, & hoc probavit, Meſſanenſes teneri ad majores impenſas. Tandem etiam plus ſolvere ſunt coacti. Ex eo autem tempore & hoc rege, immane quantum creverunt tributa Sicula, quibus miſerum vulgus fuit gravatum. Hinc *orta eſt ſeditio* (h) pene per totum regnum, vulgus enim inſurrexit adverſus immania tributa, quod factum anno 1647. Impetravit vulgus & extorſit proregi Siciliæ, ut uno tempore cogeret abolere omnia tributa, quibus populus gravabatur: fuit autem præcipue populus Panormitanus. Habeo etiam libellum *de motibus Neapolitanis*, qui eodem tempore contigerunt, in quo p. 5. narratur, quo eventu tandem motus Siculi vulgi adverſus proregem fuerint ſopiti. Omnia vectigalia, quæ populum ſunt gravata, uno momento ſunt *abolita*, (i) deinde in Panormo ſunt conſtituti duo Tribuni plebis, qui curam populi haberent. Hi ſunt fructus immanium illorum tributorum, quod ideo dico, ut alii diſcant rectius ſapere, ne vulgus & miſeros homines immanibus tributis ad deſperationem adigant. Edictum, quo abolita ſunt omnia vectigalia, promulgatum eſt in urbe Panormitana die 21. Maji anno 1647. Quæ hodie populi ibi ſit conditio, non poſſum narrare, nam me latet. Creverunt autem olim tributa propterea, quoniam rex Hiſpaniæ incipiebat egere, quia tum erant res florentiſſimæ ſocietatis Americanæ Batavicæ, quæ impediebat gazam regis Hiſpaniæ. Et non dubito, ſi quando America rebellaverit, & ita erepta fuerit regi Hiſpaniæ, tum actum eſſe de tota Hiſpania. De reliquis, quæ ad hoc regnum pertinent, non eſt opus multa diſſerere. Notandum tamen, Siciliam habere *multos alios magiſtratus* (k) ex Siculis, Neapolitanis, Hiſpanis &c. Prorex plerumque hodie quidem eſt Caſtellanus. Quod autem Caſtellani ſe reliquis prætulerint, factum eſt præcipue ſub Philippo III. & IV. Tum valuerunt ſoli Caſtellani magna cum indi-

(a) *inſula*) Hodie Sabaudiæ duci paret.

(b) *Archiepiſcopatus*) Tales ſunt Calarienſis, Saſſarienſis, Arboreenſis: Villa eccleſiæ, Leſſa, Boſſa, Algerium, Caſtrum Aragonenſe autem ſunt, in quibus epiſcopi, quorum duo priores ſub Calarienſi, reliqui ſub Saſſavitano ſunt, commorantur. MIRÆVS *l. c. p.* 393.

(c) *regis Hiſpaniæ*) Jam penes imperatorem Carolum VI. eſt.

(d) *Siciliæ*) Nexum vaſalliticum Siciliæ regis, quo ſedi Romanæ obnoxius dicitur, etiam GONZALEZ DE TELLEZ *c.* 14. *X. de jurejurando* defendit, atque io eo ſequitur *c. venerab. de elect. clement. de jurejurando c.* 14. *X. eodem* BARON. *ad ann.* 1059. & 1139. Sed quomodocunqne hoc etiam ſeſe habeat vinculum fiduciarium, tam apud Hiſpanos novo titulo Sicilia fuit, quam hodie apud imperatorem eſt, armorum ſcilicet jure.

(e) *proregem*) Hic Palermi ſedem habet.

(f) *ademta arma*) Sed vide *la relation du voyage d' Eſpagne part. I. p.* 127.

(g) *numeroſum*) Regis miles, qui in Sicilia olim, cum adhuc Hiſpanis parebat inſula, numerum 2000. peditum & 2500. equitum implere ſolebat, præter ducentos viceregis prætorianos, ex Hiſpanis conſtitit. Ad pellendos prædones maritimos duodecim navigia, quæ Galeras vocant, ſemper ad ſulcandum mare parata ſint. Ad militum igitur & miniſtrorum in toga ſtipendia & navium harum munimentorumque, quæ Sicilia habet, Meſſinam, Auguſtam, Syracuſam, Trapanum, Catanam, Lentinum & Melazzum, ſumtus vix regni reditus, qui aureorum millionem excedere dicuntur, ſufficient.

(h) *orta eſt ſeditio*) Anno 1674. Siculi annonæ caritate & tributorum multitudine ſub Marquiſio de Boyona vicerege graviter preſſi, ab Hiſpano ſeſe alienarunt, & Gallo permiſerunt, qui eo vicerégem comitem de Vivone miſit: ſed hoc rem Siculam minus recte gerente effecit, ut paucis annis poſt Galli inde ſub Fevilladio diſcedere coacti fuerint. Quo facto Gonzaga ad proregia ſceptra, Hiſpani juſſu acceſſit, qui Siculos caſtigare, ſed moderate coepit: ſucceſſor autem ejus dura regis in Siculos executus eſt mandata. Cumque nulla calamitas ſola eſſe ſoleat, anno 1693. ingentem paſſi ſunt terræ motum, ex quo 700. templa, 250. monaſteria, 49. urbes & oppida & 63554. homines perierunt.

(i) *abolita*) Sed omnia in priſtinum ſunt reducta ſtatum.

(k) *multos alios magiſtratus*) Præcipui, qui ad reipublicæ adminiſtrationem adhibentur, ſunt magnus Admiralius, magnus Conneſtabilis, magnus Cancellarius, magnus ſtabuli præfectus, magnus theſaurarius & conſervatores Hi conſilii ſanctioris membra ſunt. Primum a vicerege locum habet Stradigo di Meſſina, & ab illo Illuſtriſſimi oomioe compellatur. Iuſtitia a tribus adminiſtratur collegiis. Res reipublicæ in parlamento pertractantur. Hoc tres conſtituit claſſes, quæ regni brachia vocantur, quarum una brachium eccleſiaſticum prælatos, altera brachium militare principes, comites & barones, tertia brachium domaniale cameræ miniſtros complectatur. *Europæiſcher Herold tom. II. p.* 118.

indignatione reliquorum populorum. Habet Sicilia tres *Archiepiſcopos*, (a) Panormitanum, Meſſanenſem & Montis regii; nec non academias duas, Meſſanenſem & Catanenſem. Fuit inſula florentiſſima usque ad tempora Caroli V. poſtea autem decrevit illius felicitas.

Malta inſula eſt quaſi portio regni Siciliæ, hodie eſt in manibus equitum Melitenſium, qui coguntur tamen, dominum directum agnoſcere regem Hiſpaniæ, cui in ſignum directi dominii, ſolent offerre quotannis accipitrem album. Conceſſa autem eſt hæc inſula equitibus a Carolo V. ut eſſent munimentum regni Hiſpaniæ & Siciliæ. Igitur perpetuum bellum his eſt cum piratis Turcicis. Non eſt, quod plura de hac *inſula* (b) addam. Legatur modo deſcriptio Maltæ Niderſtedii, hic typis impreſſa.

Pergimus ad regnum Neapolitanum. Hoc armis eſt partum, expulſis Gallis, a Ferdinando Catholico, *cui ſucceſſit* (c) Carolus V. Antehac regnum illud fuit in nimia libertate, cumprimis ipſa urbs *Neapolis* (d) ſuis regibus fuit gravis. Per bellum autem populus Neapolitanus fuit domitus. Initio habitus eſt ſatis clementer; adſueverat enim Ferdinandus, ut rex Arragoniæ, molliori regimini; ſimulac vero ibi cœpit rerum potiri, licentiæ priſtinæ aliquid eſt ademptum & nonnihil addictius eſt regnatus. Antehac habuerat reges ſtirpis Arragonicæ: ex quo autem ſtirps illa interiit, non habuit proprios reges, ſed ſemper gubernati ſunt per Proregem a temporibus Ferdinandi. Quod attinet regimen, eſt hodie vere monarchicum, & quidem notandum eſt, quod *rex Hiſpaniæ* (e) tanquam Neapolitanus rex, ſoleat etiam clerum, Prælatos, Archiepiſcopos & Epiſcopos non minus *ſub imperio* (f) continere, quam alios, fruſtra ringente clero, imo Romano pontifice. Solent quidem prætendere immunitates jure divino, verum rex Hiſpaniæ hoc non agnoſcit. Igitur ſi quidem per regnum Neapolitanum crimen aliquod civile commiſerint clerici, ſolet eos graviter plectere, imo capitali pœna afficere; ſuſpenduntur enim monachi habitu monachali, de qua re vidi multas querelas. Quod vero attinet Archiepiſcopatus & Epiſcopatus, ratione collationis, minor eſt poteſtas regis: pertinent enim collationes ad papam. Dependet etiam hoc regnum a papa, ut feudum, quare quotannis rex Hiſpaniæ Romano pontifici debet mittere *equum album* (g) cum 7000. ducatis in recognitionem directi dominii. Rex Philippus voluit etiam in regnum Neapolitanum inducere inquiſitionem, ſed parum profecit: nam hic orti ſunt magni tumultus: tandem tamen eſt introducta, & hodie etiam obtinet, quamvis mitior ſit, quam in Hiſpania. Habet *Archiepiſcopos* 20. (h) & Epiſcopos *longe plures*, (i) qui amplis gaudent proventibus. Papa autem horum magnam partem ſolet nepotibus ſuis concedere, & ita epiſcopis ipſis parum relinquitur: Ita ſe habet praxis curiæ Romanæ.

Quod ad *magiſtratus civiles* (k) attinet, regitur longe durius hodie, quam

(a) *Archiepiſcopos*) Panormitano ſubſunt epiſcopi Mazarienſis, Agrigentinus, Melitenſis, Meſſanenſis. Suffraganei ſunt Liparenſis & Pactenſis, uniti per Bonifacium VIII. Cephalœdenſis. Montis regii Archiepiſcopo parent Catanenſis, Syracuſanus. MIRÆVS *l. c. p.* 172.

(b) *inſula*) Vide, quæ de ea ſupra diximus.

(c) *cui ſucceſſit*) De fatis & mutationibus regni Neapolitani alibi locuti ſumus.

(d) *Neapolis*) Elegantem hujus urbis deſcriptionem MISSONII *epiſtola XXI.* refert. Eſt autem metropolis hæc æque ac Salernum, academia illuſtris.

(e) *rex Hiſpaniæ*) Jure victoriæ & ſucceſſionis Neapolitanum regnum Carolo VI. imperatori paret.

(f) *ſub imperio*) Et hoc jus ad bullam Urbani II. referunt. Quanquam ſedes pontificia, id juris tantum Rogerio & poſteris ejus datum eſſe, clamitet.

(g) *equum album*) Equum album, ephippio & ornamentis ex holoſerico rubro ornatum. BECMANN. *in hiſtoria orbis terrarum p.* 437. Sed cum imperator illud regnum Gallis, cum quo pontifex colludebat, armis eripuerit, maximo jure imperator a nexu fiduciario, quem papa ſibi vindicat, diſcedere potuiſſet.

(h) *Archiepiſcopos* 20.) Sunt in regno Neapolitano Archiepiſcopatus Neapolitanus, Capuanus, Salernitanus, Amalphitanus, Surrentinus, Compſanus, Acheruntinus & Materranus uniti, Tarentinus, Brunduſinus & Orenſis uniti, Barenſis & Canuſinæ ſedis antiſtes, Hydruntinus, Tranenſis Archiepiſcopus & Salpenſis, Sipontinus olim, nunc Manfredoniæ & montis Gargani, Nazarenus Archiepiſcopus titularis eſt & habet unitos epiſcopatus Caſſinenſem & Montis viridis, Theatinus, Lancianenſis, Rhegienſis, Conſentinus, Roſcianenſis, S. Severinæ, Beneventanus. MIRÆI *notitia epiſcopat. lib. IV. c. II.* qui ſua hauſit ex MARINI FRECIÆ tractatu *de ſubfeudis*, & PROSPERI AVGVSTINI notis ad STEPHANI QVARANTÆ bullarium.

(i) *longe plures*) *l. c.* dicitur, quod in regno Neapolitano CXIV. epiſcopatus numerentur. Adde *le tableau de la cour de Rome p.* 57. ſeqq. VIII. autem archiepiſcopatus & XVIII. epiſcopatus ex bulla, a Clemente VII. Carolo V. data, ad regiam, ut loquuntur, ſunt præſentationem.

(k) *magiſtratus civiles*) Reipublicæ adminiſtrandæ præter regem, hic operam dant magnus Conneſtabilis, quod officium principali Colonnenſi familiæ hæreditarium eſt; ſupremus campi Mareſchallus, magnus Admiralius, magnus Camerarius, magnus Protonotarius, magnus Cancellarius. Proregis magna hic eſt poteſtas, ita ut multa etiam in rebus civilibus, non adhibitis conſiliariis, expedire queat: in militaribus vero ſtatus conſiliarios adhibeat, neceſſum eſt. Jurat tamen ſub initium regiminis, ſe nihil gentis privilegiis adverſum moliturum. Quod ad conſilia attinet, eſt Neapoli, ubi Vicerex locum tenet, conſilium a latere, quod ſummi tribunalis rationem habet. Criminalia pertractantur in conſilio de Caprana, cui ſubeſt vicaria, aut camera criminalis executionis; domanialia a Camera delle ſummarie, & militaria ab Audientia di campi curantur. Hiſpanorum tempore 4000. pedites, 1000. equites & 400. dimachi militem regni conſtituebant; quibus tamen illi, qui Viceregi in corporis cuſtodiam deſtinati, non annumerabantur; ſed rariſſime integer militum adfuit numerus. Cæterum ex 300000. hominum, qui regnum inhabitare dicuntur, 50000. ad ferenda arma aptos eſſe, tradunt. Atque ſic videmus, regnum Neapolitanum Siciliam hominum numero admodum præponderare, cum hæc vix 10000. peditum & 3000. equitum præbere queat. Vires Neapolitanorum ſub Hiſpanis admodum imminutæ fuerunt: videntur autem noſtro tempore aliquo modo emendatæ eſſe. Cumque in rem navalem militarem, miniſtrorum & officialium ſalaria, magni faciendi ſunt ſumtus, vix cæſareo ærario, ex quinque aureorum, ut loquuntur, millionibus, quæ regni reditus efficere dicuntur, aliquid inferetur.

quam Sicilia. Extat ea de re elegans quædam diſſertatio Trajani Boccalini in lapide lydio politico, qua fingit, equum Neapolitanum (eſt inſigne regni) admodum ſtrigoſum, dure ſcilicet habitum, productum eſſe: cum autem adhuc eſſet animoſus, ab Hiſpano eſſe juſſum, ut adhuc durius habeatur, quam ulla regio Hiſpanorum. Tandem vero cum populus tam graviſſime & duriſſime haberetur, res pervenerunt ad immanem ſeditionem. Verum eſt in regno Neapolitano reperire plurimos magnates, qui æque ſunt graves & ſubditos premunt, quam ipſi Proreges; cum his enim conſpirant ad premendum, imo opprimendum populum. Certe ibi opprimitur populus feralem in modum.

Orta eſt igitur immanis & ingens ſeditio, cujus ſimilem ulla hiſtoria neſcit. Contigit hæc in urbe Neapoli, ad exemplum Panormitanorum, anno 1647. duce aliquo *piſcatore* a) homine Thoma Aniello. Superiori quidem ſeculo etiam exorta ibi erat ſeditio, ſed magnatum, duce itidem aliquo homine nomine Thoma Aniello. Fuit autem illa ſeditio adeo immanis, ut fidem ipſam ſuperet, duravit per IX. dies. Legendus eſt hac de re Jani Nicii *Pinacotheca*, in qua deſcripſit viros illuſtres, *parte tertia.* Certe piſcator hic geſſit res magnas. Editus eſt de hac ſeditione libellus ſeorſim, & quidem Italico ſermone, qui deinde eſt verſus in Germanicum, & editus anno 1648. In Batavia etiam eſt editus ſermone Batavico. Autoris hujus verba ſunt p. 3: *Alphonſo I. hat die Stadt Neapolis verſprochen XI. Caroliner von ieglicher Fewerſtedt. Ferdinando aber iſts auf 5. Caroliner zu ewigen Zeiten verſteigert, nachgehends iſt ſolches mehr und mehr gewachſen, biſs es uff 66. Caroliner kommen, welche allezeit bezahlet, und trägt iährlich auff 3. Millionen &c. Es ſind derowegen groſſe Zolle gelegt auf alle Eſs-Wahren.* Apparet ergo ex his, plebem his tributis quam maxime eſſe preſſam: in poma & alios fructus indicta ſunt vectigalia, quæ non preſſerunt niſi pauperes. Extorſit autem Thomas hie Aniello Proregi per vim, tributa conſtituere ad eum modum, quo fuerunt tempore Caroli V. Num adhuc hodie ſervetur, dubito. Ego ut verum ſatear, non exacte ſcio, quomodo hodie habeatur populus Neapolitanus, num adhuc fruatur avitis privilegiis, an vero iis rurſus exciderit, quod tamen vereor; præſertim cum anno ſuperiori uno tempore peſtis ibi abſumſerit 200000. hominum, & quidem In una urbe Neapolitana. Ita numerus hominum eſt imminutus, & fortaſſe iterum redactus eſt populus ſub jugum, priſtiniſque privilegiis rurſus excidit.

Quærat autem quis, qui fieri poſſit, cum rex Hiſpaniæ adeo dure habeat populum, non tamen excidat Imperio? Pereunt Imperia per nimias exactiones: adſerit enim populus ſe tum in libertatem, & excutit ſervitutis jugum. Dicam meam ſententiam 1) populus Neapolitanus maximam partem eſt inermis, adeoque etiamſi velit, non tamen multum poterit. 2) non poteſt facile inter *ſe conſpirare*, (b) quia regnum eſt diviſum in *partes minutas:* (c) ſingula enim fere oppida a ſingulis magnatibus teneotur: diviſio itaque hæc obſtat conſpirationi populi. Ariſtoteles *l. 5. polit.* docet, nihil magis ſacere ad continendum populum, etiam in Tyrannide, ne populus conſpiret: non poſſe autem conſpirare, ſi ſit multum diviſus. In una urbe Neapoli eſt ingens multitudo populi, igitur ibi excitata eſt ſeditio, fruſtra tamen. Primo, quia urbs Neapolis *tribus validis arcibus* (d) continetur. Carolus enim V. novas arces exſtruxit & reparavit, ita nt jam teneatur tribus arcibus firmiſſimis, quarum duæ ad mare ſunt ſitæ. Caſtellum S. Elmo, caſtellum ad mare, caſtellum del Uovo. Hinc quamvis populus ſe moveat, poteſt tamen cogi ad officium. In arcibus enim his ſemper eſt miles præſidiarius, populus autem Neapolitanus eſt inermis. In proximis novellis accepimus, Hiſpanos meditari, arcem quartam imponere urbi Neapolitanæ. Quem in finem? Ad populum ſcilicet continendum, ne exſurgat, & ſe in libertatem denuo adſerat. Porro populus raro quid poteſt, niſi nactus ſit egregium ducem. Siquidem autem quis magnatum Neapolitanorum valeret amore apud populum, tum poſſent forte res magnæ ibi geri; jam vero magnates non amantur a populo, quia ſunt nimis duri, igitur nunquam magnates conſpirabunt cum populo. Dicat quis, magnates poſſe inſurgere adverſus regem; arcentur enim magnates Neapolitani a præcipuis honoribus, inhonoratum autem eſſe civem, in civitate excitat motus, ut etiam docet Ariſtoteles. Atqui cives ſunt inhonorati in Neapolitana urbe, ergo quis dicat, eos poſſe inſurgere. Sane per magnates ante Hiſpanos magni orti ſunt tumultus. Cauſa hæc eſt, quod ante Hiſpanos magnates, duces, comites &c. erant rari admodum in regno Neapolitano; qui autem erant, poten-

(a) *piſcatore*) De hac rebellione conf. JANVS NICIVS *in pinacotheca p.* 300. BRACHELIVS *lib. VI.* PIASECIVS *in chron. p.* 350. *Theatrum Europæum tom. V. ad an.* 1647. *Europaiſche Herold tom. II. p.* 117. Ambaſſad. de WICQVEFORT *liv.* I. p. 21. Hanc æque ac Siculam conſpirationem, in eadem fere tempora incidentem, Mazarinii artibus excitatam, dicunt. Verum enim vero, Aniello ſublato & Guiſio, qui ut populi caput eſſet, acceſſerat, ob Gallici auxilii defectum diſcedente, res compoſitæ ſunt.

(b) *ſe conſpirare*) Notat autem autor *Heroldi Europæi*, intra 470. annos Neapolitanum regnum ſe 28. rebellionibus foedaſſe.

(c) *partes minutas*) De duodecim regni Neapolitani provinciis, quæ ſingulæ gubernatorem habent, agit BOSIVS *in notitia imperii Hiſpanici p.* 204.

(d) *tribus validis arcibus*) BAVDRAND *in dictionar. p.* 691. quinque caſtrorum mentionem facit: *Elle eſt*, inquit, *bien peuplée, riche, marchande, bien fortifiée a la moderne & defendue par cinq citadelles, le chatau Normand appelle auſſi le chateau de l'oeuf, parce qu'il eſt bati en ovale ſur un rocher environné des eaux de la mer, le chateau neuf, ou il y a toujours cinq cent Eſpagnols naturels en garniſon, le chateau S. Elme, nommé la bride de Naples, la tour S. Vincent & le torrion des Carmes.*

potentes erant. Ex quo vero Hiſpani rerum potiti ſunt, prudenter illi multiplicarunt magnatum numerum, ut hodie is pene ſit infinitus. Moliuntur ergo Hiſpani, ut habeant Neapolitani magnates titulos magnos, ſed tamen parum poſſint. Sunt ibi duces, qui poſſident unum vicum, qualis eſt urbs Lotharienſis vicina, ſub illis autem nominibus nihil latet. Quin imo Hiſpani diviſerunt potentiam illam. Ut ſinguli nihil poſſint, faciunt magni tituli, & cum gens Neapolitana ſit ſuperba, omnia ingentibus ſumptibus abſumunt, qoia nomen ducis & comitis ita illos inflat, ut faciant impenſas ſupra ſuam ſortem. Hæc eſt arcana ars, ut rex aliquis multis magnos tribuat titulos, qui homines inflant, ut ita magnos faciant ſumptus & ſeipſos enervent. Eſt ars præclara, quam quidem Ariſtoteles non ita tradit, eſt tamen notanda. Præterea etiam, ut non conſpirent, egregium artificium excogitarunt Hiſpani. Introduxerunt multos homines novos, quos ex humili loco evexerunt ad ducatus. Horum origo plerumque eſt tenuis, & non ſunt nobilitati. Si quis ſit dives mercator, ſolet ſibi in regno Neapolitano emere vicum, & patitur, ſe ornari grandi aliquo titulo, tales ſunt plerique magnates Neapolitani. Hinc fit, ut non conſpirare poſſint, nunquam enim inter antiquos & novos nobiles *convenit.* (a) Igitur ſemper ſunt diſſidia inter nobiles & ignobiles, & quamvis velint, non poſſunt conſpirare. Advolabat *Guiſius* (b) ex Gallia nupera rebellione, & volebat dux eſſe rebellionis, ſed propter diſſidia *nihil poterat.* (c) Videte, quod poſſint contineri dura etiam imperia & ſervilia, & quibus artibus id fiat. Tantum unum periculum Hiſpano eſt a papa; eſt enim regnum Neapolitanum feudum papæ. Quodſi papa eſſet aliquis vir autoritatis magnæ, & fieret ſeditio, papa attractis magnatibus poſſet regno potiri. Et hoc agitavit Sixtus V. papa: ſi quidem ille ſupervixiſſet, turbaſſet ſane res Hiſpanicas in regno Neapolitano. Hic brevi ſpacio 5. *milliones* (d) auri congeſſit & repoſuit in caſtro S. Angeli addito, theſaurum illum ſemper ad manum debere eſſe in rebus anguſtis. Videbat Hiſpanus, hoc ſibi non eſſe ex re, & adverſatus eſt maxime papæ, & ſublatus eſt hic, quod nemo *dubitat, veneno.* (e) Igitur hodie Hiſpani ſemper dant operam, ut habeant papam, a quo non metuant tantum propter regnum Neapolitanum.

Poſſem quidem plura de regno Neapolitano dicere, ſed deſino, & pergo ad ducatum Mediolanenſem. Hic *eodem fere modo* (f) regitur, quo Neapolis, ſed longe mitius, duabus de cauſis. 1. Quia ſi dure æque haberetur, facile poſſet per ſeditionem dubium facere imperium, quia a latere habet Gallum, Sabaudum, Venetos & alios *principes Italiæ.* (g) Verentur itaque Hiſpani, ne ſi dure habeantur, ſeditione mota vicinum arceſſant, & ſe in libertatem adſerant. Satis tamen aſperum eſt eorum imperium. Notandum eſt, quod in Mediolanenſi ducatu populus longe ſit *bellicoſior*, (h) quam Neapolitanus. Quod autem non rebellet, fit, quia, quod attinet *Sabaudum*, (i) *Venetos* (k) & principes Italos, non ſunt tantæ potentiæ, ut putent, ſe poſſe retinere Mediolanum, quamvis occupaverint. Si Veneti vellent aliquid moliri in Mediolanenſes, non audent, quia habent vicinum Auſtriacum, & principes Italiæ alios; vident igitur, tum ſibi imminere periculum. Eſt enim æmulatio mutua inter principes Italiæ & Venetos, nec alter alterum *creſcere patitur.* (l) Sabaudus deinde non eſt par Hiſpano. Reliqui principes ſunt adhuc longe impotentiores, quia luxu & luxuria omnia perdunt. Major metus eſt *a Gallo*, (m) non tamen facile Genuenſes, Veneti & reliqui patientur, ut Gallus perveniat in *ducatum Mediolanenſem.* (n) Metuunt enim ſibi a rege Galliæ, quia is æque impotenter regnat, ut Hiſpanus. Gallus enim ſi occuparet ducatum illum, ulterius pergeret. Curant igitur, ut res Hiſpanicæ ibi ſint firmæ; præſtant enim, dum Mediolanenſem ducatum *defendunt* (o) a Gallo,

(a) *convenit*) Veteres enim ægre ferunt, quod homines novi ſe ipſis æquales putent, & recentiores veteribus ſuccenſent, quod ſe ab his videant contemni. Igitur & hic politicorum juvat arcanum, divide & imperabis. PELZHOFFER *arcan. ſtatus lib. II. §. 14. 15.*

(b) *Guiſius*) Hærebat tunc temporis Romæ, ut a papa libellum repudii conjugi ſuæ mittendi impetraret facultatem. Vid. *hiſtoire de Louis XIV. par* RIENCOURT *P. I. p.* 146. ſq.

(c) *nihil poterat*) Sed proditione Januarii Anneze, quem Aniello interfecto alienati ſibi ducem conſtituerant, in Hiſpanorum venit poteſtatem. *Hiſtoire de Louis XIV. par Riencourt part. I. p.* 143.

(d) 5. *milliones*) Hanc pecuniam non in Hiſpanos, ſed in Turcas collectam eſſe, quidam Sixti V. vitæ ſcriptores tradunt.

(e) *dubitat, veneno* De hoc nec Ciaconius, nec Palatius tradunt.

(f) *eodem fere modo*) Et non minoribus, ſed majoribus Hiſpanorum tempore ſubfuit oppreſſionibus. Reditus annui ad 5000000. florenos aureos aſcendere dicuntur.

(g) *principes Italiæ* Vicina quoque ſunt Mediolano verſus orientem, Parmenſe & Mantuanum territoria, & ad ſeptentrionem Helvetiorum præfecturæ, Rhæti & vallis Telina.

(h) *bellicoſior*) Et ſic nonnullis mirum videtur, quod jugum Hiſpanicum non excuſſerit.

(i) *Sabaudum*) Hunc non una vice Mediolanenſi inhiaſſe ducatui, ex NANII *hiſtoria Veneta*, & iis, quæ in nuperis bellis & pactis, ea antecedentibus geſta ſunt, conſtat.

(k) *Venetos*) Et his nonnunquam ducatus Mediolanenſis ſalivam movit. Vid. CORIO. Decerpſerunt ei Bergamum & Brixiam. *Deſcrittione di tutta Italia di* LEANDRO ALBERTI *fol.* 403.

(l) *creſcere patitur*) Ex quo Venetorum res imminui coeperunt, etiam invidia, quam Italiæ principes in eos conceperant, quodammodo decrevit; quanquam non omne plane in eos, ut potentiores, extinctum ſit odium, quod facile, ſi Veneti res novas moliri vellent, in conjuncta illis inferenda arma deſinere poſſet.

(m) *a Gallo*) Præſertim ſi ille Sabaudo fœdere jungatur, ita ut per hujus terras libere in Italiam irrumpere queat.

(n) *in ducatum Mediolanenſem*) Eſt enim ille in meditullio ſuperioris partis Italiæ ſitus, multisque locis munitis gaudens, ex quibus reliqua Italiæ territoria ab omni parte invadi queunt. Experientia tamen conſtat, hactenus Gallis in Mediolanenſi ducatu res non ſatis diu ex voto fluxiſſe. Atque igitur in eo quoque orbi documento fuerunt, ſe ad parta tuenda minus idoneos eſſe.

(o) *defendunt*) Cum ducatus ille fortiſſimo jam cæſareorum armorum tutamine nitatur, minus adhuc a Gallis timendum habet.

a Gallo, ſalvam etiam reliquam Italiam. De reliquo æque eodem modo regitur hic Ducatus, ut regnum Neapolitanum. Mittitur enim eo *Prorex Caſtellanus*, (a) reſidens *in arce Mediolanenſi*, (b) qui poteſt retinere in officio totam urbem, & tenetur præſidio ſemper Germanico: nam non credit vel Italis, vel etiam aliis. Habet ducatus Mediolanenſis unum tantum Archiepiſcopum, qui conſtituitur a Papa, & ſedem habet Mediolani. Porro habet aliquot *Epiſcopos*. (c) Nam in Italia quotquot ſunt urbes paulo majores, tot ſunt etiam epiſcopi. Habet ſcholas Ticinenſem & Mediolanenſem ſatis præclaras, quamvis non ita celebres, ut reliquæ ſunt Italiæ. De caſtellis illis Piombino &c. dicere non eſt neceſſe; nam etiam ibi monarchiam tenet Hiſpanus, & ſemper ibi habet præſidium.

Burgundiam mitius tenet Hiſpanus, quam ullam terram (regit tamen ibi monarchice) quia metuit, ne Burgundi vel tranſeant in fœdus Helveticum, vel Gallo ſe dedant. A Gallo tamen minus metuit; (1) Quia dominatus Gallicus eſt perquam durus & aſper, igitur nemo ſponte ſe ſubjicere temere *vult Gallo*. (d) 2) Quia comitatus iſte eſt ſub tutela Helvetica, cumprimis urbis Bernenſis, cujus maxime intereſt, ne comitatum illum teneat Gallus; tum enim in magno eſſet periculo urbs Bernenſis. Sane nunquam patientur Helvetii, fortis populus, rerum potiri Gallum per Burgundiam, quia vident, id ſibi non expedire.

Dicam jam de Belgicis provinciis, quæ ſingulæ a ſe ſunt diſtinctæ, igitur non tenentur uno communi regimine ab Hiſpano. Voluit id quidem facere *Carolus V.* (e) & Philippus II. poſtea vero excuſſere aliquot provinciæ jugum. Gubernator ſemper eſt Hiſpanus, & a tempore Philippi III. ſemper Caſtellanus. Sub Philippo quidem dux Parmenſis & *Spinola* (f) erant Itali, poſtea omnes facti ſunt Caſtellani. Cum antehac omnes provinciæ Belgicæ fuiſſent ſub variis epiſcopis, extra Belgium conſtitutis, Philippus II. impetravit a Papa, ut Belgium Hiſpanicum haberet *epiſcopos proprios*, (g) & ſubduceretur Epiſcopis prioribus, quæ res dedit magnas turbas; ideo enim ex parte turbæ illæ motæ ſunt in Belgio. Et ſane hæc res conjuncta fuit cum magna injuria Archiepiſcoporum & Epiſcoporum vicinorum, ut Cameracenſis, Moguntini, Leodicenſis & Trevirenſis, & Abbatum quoque. Nam rex Hiſpaniæ, cum illi deeſſent opes, Abbatias multas abolevit, & ſumptus contulit in reditus Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, ringentibus Abbatibus, qui propterea primi moverunt ſeditionem. Archiepiſcopus Mechlinenſis hodie eſt primus Belgii; reliquæ enim provinciæ, quæ excuſſerunt jugum, abegerunt etiam Epiſcopos ſuos. Regimen harum provinciarum eſt quidem durum, reſpectu tamen cœterarum terrarum longe eſt mitius; veretur enim Hiſpanus, ne ſe adſerant in libertatem exemplo Hollandorum, mitius ergo eos habet. Percepiſtis etiam ex novellis, Hiſpanum petiiſſe 40000. florenorum in ſubſidium ab Antwerpienſibus: verum illi renuerunt. Merito itaque quæri poſſet, qui fiat, cum populus ille Brabantinus, & reliquarum terrarum videat, feliciter reliquas provincias adſeruiſſe ſe in libertatem, ut non illi etiam abjiciant jugum. Cauſæ videntur eſſe quam maxime tres. 1) Quia rex Hiſpanor. mature dedit operam, ut populus Brabantinus & reliqui odio magno proſequantur omnes diſſidentes in religione, quod quam maxime effecit per Jeſuitas. Populus hoc odio adeo eſt dementatus, ut nolint vel quærere auxilia Batavica vel hæreticorum: dein veretur populus, ne Batavi aliquod imperium arripiant in ſe & mutent religionem. Et hac in re peccarunt Batavi, quod occupatis quibusdam locis mutarint religionem; quodſi ſolos Jeſuitas ejeciſſent, prudentius feciſſent. Accedit, quod Batavi non adeo adpetant libertatem illarum provinciarum. Cumprimis tale quid nolle videtur Amſtelodamum, quæ civitas veretur, ſi Antwerpia in libertatem adſeratur, ne commercia vigere ibi iterum incipiant. Longe enim opportunior eſt Antwerpia commerciis, quam Amſtelodamum. Supereſt adhuc unum. Fervente bello inter Batavos & Hiſpanos, inter Batavos & Gallos erat fœdus de *occupandis his provinciis*. (h) Egerunt hæc feliciter; nam eos progreſſus fecerat Gallus, quantos nunquam: quod cum viderent Batavi, ſtatim inierunt conſilia de redeundo in pacem cum Hiſpanis, & nolebant adjuvare Gallum; verebantur enim, ne acciperent Gallum vicinum. Vident ſiquidem, periculoſiorem fore viciniam Galli,

quam

(a) *prorex Caſtellanus*) Imperatoris proregem hic Daunius, armorum gloria celeberrimus, agit. Eſt autem magna hic proregis autoritas, quoniam & magiſtratus illos, quos podeſtà vocant, conſtituit. Cauſas juſtitiæ & politiæ civitatum conſiliarii pertractant: res vero reipublicæ ſanctiorum conſiliariorum collegio ſubeſt. Hoc ex ſummo militiæ Præfecto, Mediolanenſi Caſtellano, Cancellario ſummo urbis & ſenatus præſide, nec non Archithеſaurario conſtat. Eſt ibi quoque Senatus Concilium, quod Præſes cum duodecim Senatoribus, ex præcipuis Ducatus urbibus lectis, conſtituit. Ab hoc Concilio ad aliud provocari non poteſt. *Europaiſche Herold. tom. II. p.* 124.

(b) *in arce Mediolanenſi*) Miſſon. *part. II. p.* 124.

(c) *epiſcopos.*) Archiepiſcopo Mediolanenſi ſubſunt: Epiſcopus Cremonenſis, Laudenſis, Novarienſis, Alexandrinus, Terdonenſis, Viglebanenſis, Ticinenſis habet jus pallii. Sunt adhuc alii hujus Epiſcopi in aliis territoriis ſuffraganei, quos recenſet MIRÆVS *l. c. p.* 173.

(d) *vult Gallo*) Armorum & pacis Neomagenſis ope jam penes Gallos eſt.

(e) *Carolus V.*) GROTII *annales lib. I. p.* 7.

(f) *Spinola*) Hic ſub Alberto & Iſabella, ſummo cum imperio militibus in Belgio præfuit Hiſpanico.

(g) *epiſcopos proprios*) Facultas dividendi Epiſcopatus novosque inſtituendi, regi Hiſpaniæ per bullas Pauli IV. de anno 1559. & Pii IV. de anno 1560. data eſt. Vid. *hiſtor. tumult. Belgicorum p.* 41. ſeqq.

(h) *occupandis provinciis*) Eadem res a Gallo, cum Wittii conſilia unitum regerent Belgium, agitata eſt. Sed non defuerunt, qui in Galli artes penetrarunt. Vid. ESTRADII *commentarii*.

quam Hiſpani. Quemadmodum igitur principes Italiæ volunt conſervatas res Hiſpanicas in ducatu Mediolanenſi, qui ſit pro obice contra Gallum; ſic Batavi pro obice voluerunt habere Hiſpanum contra Gallum.

Dicam jam de artibus, quibus ſubjicere ſibi vult Hiſpanus *reliquum orbem* (a): verum quia non facile eſt dicere, num hæc ſint prudenter inſtituta, vel inſtitui poſſint; dicam prius pauca de ipſo rege, & per quem rex omnia adminiſtret, unde patebit, num conatus, quibus reliquus orbis appetitur, ſint prudentes, & ex iis, quid ſperari poſſit, an vero ſint plane irriti. Quod *regem* (b) attinet, notandum eſt, illum eſſe oriundum ex domo Auſtriaca noſtra Germanica, atque ideo arctiſſime eſſe junctum domui Cæſareæ. Notandum porro. cum ad illa regna & provincias maxime quidem perveniſſe jure connubiali, atque adeo ſucceſſionem hoc jure ſtare. Philippus ſcilicet Archidux, Belgii dux, Maximiliani filius in uxorem duxit filiam *Ferdinandi Arragonici*, (c) ex qua natus eſt Carolus V. & Ferdinandus, quorum uterque factus eſt imperator. Hinc apparet, regnorum illorum ſucceſſionem etiam ſucceſſione filiarum niti, quale quid non obtinet usquam in Germania vel in regno Galliæ. Apparet igitur, extincta hac familia regia maſculina fieri poſſe, ut nova familia ibi rerum potiatur, utpote cum regna jure dotali poſſint ad alios pervenire.

Longe aliter autem a Caroli V. tempore reges res ſuas inſtituerunt. Succeſſit Carolo unicus hæres Philippus II., qui patris non inhæſit veſtigiis. Carolus enim fuit miles egregius, & in Germania, Italia, Hiſpania &c. geſſit *præſens* (d) bella, quamvis multa etiam bella geſſerit per duces. Philippus autem per ſolos duces geſſit bella, & ne pedem quidem extulit ex Hiſpania, poſtquam Belgium reliquerat, fixa ſibi *ſede Madriti* (e) conſtituta. Interim tamen ut præſtabat ingenio, res omnes geſſit conſilio quidem aliorum, proprio tamen maxime fretus ingenio. Et vero cum fortuna illi quaſi ad monarchiam Europæ conſtituendam viam aperire videretur, ille id negligere nolebat. Laborabat ergo, ſub ſuam redigere poteſtatem regnum *Galliæ* (f) & præcipue Angliæ; hoc enim variis modis invadere conſtituit. Ingente claſſe eam voluit uno momento quaſi occupare, qualis *claſſis* (g) non fuit viſa ab orbe condito, ſed infeliciter omnia tentavit. Poteritis hujus claſſis hiſtoriam legere apud ſcriptorea rerum Anglicarum, cumprimis apud CAMDENVM, HONORIVM BELLVM & Batavici belli ſcriptores. Claſſis autem hæc adeo infeliciter res geſſit, ut reges poſtea animum deſponderint de occupanda Anglia, & non videntur usque adeo de ea occupanda aperte quidem poſtea laboraſſe. Cum immanes divitias & ſumptus Philippus profudiſſet in illam claſſem, immanes item impenſas fecit, ut occuparet Galliam, & quemadmodum omnia tum geſta ſint, legite apud *Thuanum*. (h) Inanes etiam hi conatus fuere, & Deo optimo maximo placuit contrarium, ut ſcilicet per Henricum IV. frangeretur maxime vis Hiſpanica: una tamen parte Philippus II. felix fuit occupato regno Luſitaniæ, quo ipſo potuit alia damna ſolari; quo jure autem id fecerit, dicam poſt in regno Purtugalliæ. Multa autem, quæ poſſederat pater, perdidit. Amiſit in Africa regnum Tuoctanum, in Belgio amiſit 7. provincias tanto cum damno, ut fere ipſe deſperaverit de reliquo Belgio retinendo; ſub finem tamen nonnullæ res duce Parmenſi iterum *ſunt ſtabilita*. (i) Legenda eſt hac de re hiſtoria belli Belgici, cumprimis hiſtoria Stradæ, Meterani, Burgundi, Grotii. Hi quatuor ſufficient, quamvis multi alii hac de re ſcripſerint; nullum enim bellum eſt nactum adeo illuſtres *ſcriptores*, (k) quam hoc. Miſere autem obiit Philippus; incidit enim ſubito in morbos plane inuſitatos. Extat de morbis Philippi liber Hiſpanicus, verſus inde in latinum ſermonem, interprete Chriſtophoro Guillimanno, juſſu Rudolphi imperatoris. Non poteſt autem quis morbos iſtos ſatis mirari. Non tamen memoratur illo libro, quod etiam fuerit *a pediculis* (l) corpus ejus conſumptum, quod alii omnes narrant. Stupenda tamen ſunt, quæ habet liber ille Hiſpanicus, ut pateat, Deum ſingulari modo animadvertiſſe in regem illum. Et quidam ſane ita illud acceperunt, quaſi Deus ultus eſſet immanem ejus tyrannidem erga miſeros Proteſtantes.

Succeſſit huic filius Philippus III. mitis quidem, ſed non adeo *ingenio acuto*, (m) quam pater: non

(a) *reliquum orbem*) HAHNII *collect.* *tom.* II. p. 785. 786.

(b) *regem*) Qui hodie rerum in Hiſpania potitur, eſt Philippus V. Ludovici XIV. & Mariæ Thereſiæ nepos, quem Carolus II. contra domus Auſtriacæ pacta & renunciationum Gallicarum fidem heredem teſtamento ſcripſit. *La verita vindicata dei ſofiſmi di Francia p.* 8. ſeqq. *Hiſtoria Veneta d' Nani tom.* II. *lib. XI. p.* 359. ſeqq. Ut ſileam, controverſum admodum eſſe, an regna per teſtamenta transferri queant. Cæterum jam ipſi per pacem Viennenſem melius partum eſt jus, cum imperator noſter Carolus VI. ſibi tantum ad dies vitæ, Hiſpaniæ reſervaverit titulos.

(c) *Ferdinandi Arragonici*) Vid. *Jus Auſtriacum in ſucceſſione regnorum Hiſpaniæ vindicatum.*

(d) *præſens*) Paucis tamen ipſe interfuit prœliis.

(e) *ſede Madriti*) GROTIVS *Annal. lib. I. p.* 8. 9.

(f) *Galliæ*) GROTIVS *Hiſtor. lib. I. & II.*

(g) *claſſis*) GROTIVS *hiſtor. lib. I. ad ann.* 1588. STRADA *dec. II. lib.* 9. REIDANVS *lib. VIII.*

(h) *Thuanum*) *Hiſtor. lib. LXXXIX. ad ann.* 1588. 1590.

(i) *ſunt ſtabilita*) Et forſan fortiſſimi hujus viri opera alienatos in ordinem redigere potuiſſet, ſi omiſſa Anglia & Gallia, omnes in unitos vertiſſet vires Belgas. Sed cum hoc facere neglexerit, 570. ducatorum milliones inutiliter profudit. METERANVS *lib. XIX. p.* 413.

(k) *ſcriptores*) Vid. STRVVII *biblioth. hiſtor.*

(l) *a pediculis*) PETRVS MATTHÆVS *in hiſtoria Henrici IV. p.* 75. THVANVS *lib.* 120. *ad ann.* 1598. GALLVCIVS *lib. X. hiſtor. Belgica p.* 468. HARÆVS *tom. III. p.* 551.

(m) *ingenio acuto* De ſoloeciſmis politicis Philippi II. agit Caſpar Ens in duabus diſſertationibus, quæ *theſauro* ejus rerumpublicarum ſunt inſertæ: defendit autem eum ADAMVS EBERTVS *in diſſertat. de juſtitia alienum Philippi II.*

R 3

non ergo tam rexit, quam ſe *regi paſſus eſt.* (a) Conceſſit enim rempublicam uni gubernandam, ipſe ſe otio dedit. Sub hoc igitur magis magisque res Hiſpanicæ *decreverunt:* (b) unus enim miniſter Duc de Lerma omnia regebat. Succeſſit inde Philippus IV, qui etiam *in otium* (c) ignavum reſolutus & voluptatibus deditus fuit, quamvis alias non malus; parum itaque etiam ille curavit rempublicam, & unus miniſter omnia etiam rexit, ipſe vero nihil geſſit. Hoc rege cumprimis valuit quidam, qui omnia gubernavit, Comes Dux de Olivarez. Hic revera fuit rex & omnia gubernavit, & tandem infeliciter: nam res regiæ magis magisque decrevere, & cumprimis, poſteaquam bellum Belgicum renovatum eſt. Exorta enim ſocietate Americana, quæ impediebat gazam Hiſpanicam, omnia magis ſunt perturbata; ex eo enim miles non potuit ſtipendio ali, & vero deinde nata ſunt ubique magna bella, præcipue civilia, ne audita quidem antea in Hiſpania.

Primi ſe moverunt *Catalauni*, (d) pertæſi jugi Hiſpanici. Et ſane hic rex omnia adminiſtravit per Caſtellanos, indignantibus reliquis ſubditis. Deinde etiam defecit totum *regnum Portugalliæ.* (e) Alii motus orti ſunt in Sicilia & Neapoli, ſopiti quidem illi, recruduit autem bellum Gallicum, quo plurima ubique perdidit Hiſpanus. Igitur res quidem hujus regis valde fuerunt attritæ, & tantum abeſt, ut potuerit tum Hiſpanus de aliis regionibus occupandis cogitare, ut ne quidem domi ſatis tutus fuerit. Cum autem tam infeliciter regnaret Olivarez, ſummo ſuo munere eſt exutus, quod tum temporis erat admodum mirandum. Extat de hujus principis regimine liber, verſus ex Italico in Germanicum ſermonem, titulo *Favoriten Spiegel*, lectu digniſſimus, ex quo apparet inter alia, qua fortuna utantur magni viri, & quam infeliciter regantur terræ, ſi reges ſe dent otio. Extat ſimilis libellus de delectione Portugalliæ, verſus itidem ex Italico in ſermonem Germanicum. Quamvis autem videret rex, quam mala eſſent omnia adminiſtrata, non potuit tamen id emendare, & Olivaretio dedit ſucceſſorem Ludovicum de Haro, pari cum eo poteſtate. Ille nuper admodum eſt mortuus, cui inde ſucceſſor eſt *datus* (f) pari cum prioribus poteſtate.

Habuit hic rex Philippus IV. filium unicum ex uxore Gallicana, qui *obiit:* (g) habuit item ex altera Auſtriaca *filium,* (h) qui itidem obiit. Peperit illi nuper iterum *uxor filium*, (i) qui jam eſt aliquot ſeptimanarum. Videtis autem, quam tenui filo pendeant omnes res Hiſpanicæ. Rex jam eſt LX. annorum, fragilis admodum valetudinis, corrupit enim illam nimiis in juventute *voluptatibus*, (k) quod qui faciunt, non longinquæ ſunt ætatis. Habent præterea infirmam & morbidam ſenectutem. Si hic rex igitur moriatur, quid tum futurum? Si etiam infans moriatur, quid tum eventurum? Habent quidem filiæ jus ſucceſſionis, primogenita autem filia regi Galliæ nupſit, & abdicavit omne jus in terras Hiſpanicas. Quidam tamen dicunt, certis conditionibus illam jus *omne abdicaſſe*, (l) quænam autem ſint *illæ conditiones*, (m) neſcio,

(a) *regi paſſus eſt*) HVBERVS *in hiſtoria civili part. II. lib. II. ſect. II. c. VI.* METERANVS *lib. XXXVII. p.* 93.

(b) *decreverunt*) Regnante Philippo III. vel potius duce de Lerma, induciæ ad duodecim annos cum unitis Belgis pactæ, & claſſis Hiſpanica a Belgica in Gibraltari portu deleta eſt.

(c) *in otium*) HVBERVS *l. c. part. II. lib. II. ſect. III. c. XVI.*

(d) *Catalauni*) FREIBERGER. *Germ. perturbata part. IV. diſc. III* VITTORIO SIRI *Vol. VIII. p.* 820. ſqq.

(e) *regnum Portugalliæ*) BRACHELIVS *part. II. ad ann.* 1641. PIASECIVS *in chron. p.* 517. *Ambaſſadeur de* WICQVEFORT *liv.* I. p. 19. 20. *Hiſtoria d' Italia del* BRVSSONI *lib. XIV. p.* 458. ſeqq. 480.

(f) *datus*) *Les affaires de l' etat ſont gouvernées par un premier miniſtre, que l' on nomme Privado. Il a ſous lui un ſecretaire d' Etat. Relation du voyage d' Eſpagne p. III. p.* 100.

(g) *obiit*) Hic Balthaſaris nomine utens anno 1629. natus, & anno 1646. denatus eſt. Plures ex Gallica uxore etiam ſuſcepit filias, quæ omnes præter Mariam Thereſiam, quæ Ludovico XIV. Galliæ regi nupſit, immatura morte defunctæ ſunt.

(h) *filium*) Hujus filii genealogiæ, quas habeo, non faciunt mentionem. Liber, qui inſcribitur *Catalogo real y Genealogico de Eſpanna por* RODRIGO MENDEZ SILVA *fol.* 166. præter Margaretham Mariam (Thereſiam) adhuc alterius filiæ ex Auſtriaca natæ, non diu autem ſuperſtitis, mentionem facit.

(i) *uxor filium*) Intelligit haud dubie Carolum II. qui anno 1661. in lucem editus eſt. Hic abſoluto nondum quarto ætatis anno, patre privatus, ſub matris fuit tutela. Huic ut conſiliarii in adminiſtranda tutela juncti erant Caſtiliæ præſes, Arragoniæ vicecancellarius, generalis inquiſitor, comes de Penaranda, Archiepiſcopus Toletanus & Marchiſius d' Aytona. Sub hoc rege res Hiſpanicas admodum decreviſſe, conſtat; non ſolum enim jure in Portugalliam per pacem anno 1667. decedere, ſed & multa Belgii loca per Aquisgranenſem, Neomagenſem & Ryſwicenſem paces Gallis permittere coactus eſt. Omnis ex binis conjugibus, una Aurelianenſi principe, altera Palatina prolis expers, condito inprimis in Ludovici XIV. nepotis Philippi favorem teſtamento, anno 1700. imbecillis corporis exuvias depoſuit. Bellum, quod inde inter Gallum & domum Auſtriacam eique fœdere junctos enatum, & quomodo illud per pacem Ultrajectinam, Badenſem & Viennenſem terminatum ſit, in recenti omnium eſt memoria.

(k) *voluptatibus*) *Philippes IV*, inquit auctor *des nouveaux interêts des princes p.* 223. *eut quitté les plus grandes affaires du monde, pour une femme, dont quelque miniſtre de ſon plaiſir eut fait une nouvelle decouverte. Toutes lui etoient egales depuis le ſceptre jusques a la houlette, pourveu neanmoins, qu' elles ne lui coutaſſent, ni ſoins ni peines, & qu' on les lui amenât, s' il faut ainſi dire, jusques dans ſon lit.* Pergit deinde hic auctor de Carolo II Philippi filio addere. *Pour ce qui eſt du Roi d' aujourdhui, s' il n'a pas les memes inclinations, on ne s' en doit prendre, qu' au pere, qui l' a formé d' un ſang ſi corrumpu, que quoiqu' il ait cela de commun avec tous les hommes, qu' il n' eſt venu au monde, que pour mourir, il differre deux neanmoins en une choſe, qu' il y va en poſte au lieu, que les autres eſperent quelque terme &c.*

(l) *abdicaſſe*) Sed abdicationes illæ Gallis ſemper fuerunt ludibrio. Hoc etiam ex Gramondo, de renunciatione conjugis Ludovici XIII. loquente, pateſcit.

(m) *illæ conditiones*) Inter conditiones, quas Galli ab Hiſpanis non eſſe impletas dicunt, promiſſæ quoque dotis omiſſa numeratio refertur, ut ex Eſtradii commentariis liquet. Nos alibi hac de re locuti ſumus. Interim vide MEISSII *diſſertat. de ſucceſſione Hiſpanica*, ubi Gallorum refert argumenta, & ad ea reſpondet.

Digitized by Google

neſcio, nam in arcano babentur. Habet illa adhuc ſororem puellam & infantem; quodſi infans puer aliquot ſeptimanarum obiret, haberet hæc puella jus ſuccedendi, ſed eſt tenera puella, quid hic ergo fiet? Non dubito, ſi rex nbeat, excitatum iri motus, maxime, ſi obeat infans & puella, tum proximi eſſe videntur *Auſtriaci noſtri*, (a) noſter Cæſar aut ejus frater, niſi fortaſſe aliter cautum fuerit ln pactis dotalibus cum Gallo; hactenus autem non conſtat, quænam illa ſint. Conſtat autem hoc, malle Hiſpanos dominum ex Auſtriacis, quam Gallum, cui ſunt valde inimici. Habet etiam feuda ab imperio Hiſpanus, latet autem me, num *Comitatus Burgundiæ & Mediolanenſis ducatus* (b) ſint feuda fœminina. Belgium quidem tale eſt feudum. Si oriantur aliquando hac de re bella, turbabunt pene totum terrarum orbem, præcipue ſi jam moriatur rex Hiſpaniæ. Scitis jam, gubernare regem omnia per unum, & deinde Caſtellanos ubique, quod conjunctum eſt cum damno reliquorum ſubditorum, & præterea cum magno malo. Reſpublicæ enim, in quibus multi ſunt inhonorati, non poſſunt eſſe tutæ. Pœnæ & præmia continent rempublicam. Omnes autem res reipublicæ pertinent ad res belli & pacis, de poſterioribus dixi.

Quod ad res bellicas attinet, Hiſpanus bella omnia gerit *conductitio milite.* (c) Quantum autem hoc ſit damni, late diſſerui io notis politicis ad MACHIAVELLI *principem.* Conſtat hoc in univerſum, bella talia, quæ geruntur conductitin milite, cum maximis impenſis geri debere, & ſi deficiat ærarium, tum bella non poſſe feliciter geri. Miles autem talis, ſi deſint ſtipendia, non poteſt conduci ad res feliciter gerendas. Deinde rex Hiſpanus, quamvis habeat regiones ampliſſimas, non tamen audet, ubivis militem conducere. Ita gerit bellum cum Luſitanis, nec tamen audet militem conſcribere in Arragonia, & terris huc pertinentibus, quia metuit ſibi a Catalaunis armatis. Primum ergo non poteſt militem legere omnino in Hiſpania, nec ubique conducere. Advocatur ergo milites ex Italia, Germania, Belgio, miſerum autem illud eſt. Præterea ſi bellum ſit in Belgio gerendum, non audet conducere Belgos, in Neapoli non audet conducere militem Neapolitanum, quia non audet ſubditis credere. Quare vero? Quia ſubditos ſuos regit tyrannice. Ergn omnis tyrannus debet ſemper uti milite conductitio peregrino. Ita Hiſpanici miniſtri rempublicam gerunt. Jam ad militem conductitium alendum requiritur ditiſſimum ærarium, qnod Hiſpaniæ regi *deficit.* (d) In *libello de duce Olivarez* p. 99. ſatetur auctor, in Hiſpania eſſe inopiam auri & argenti, quod iden cogantur nummo æneo uti, quo ad incitas redacta ſit reſpublica. Pertinet etiam hoc ad doctrinam de re nummaria. Si enim nummo improbo utatur reſpublica, ad incitas tandem redigitur. Fatetur etiam Navarreta, ſumma egeſtate laborare ærarium regium, quamvis liber ille ſit excuſus in Hiſpania. Suadent etiam profeſſores Hiſpanici regi ſuo, ne tantos & non neceſſarios ſumptus faciat in *Jeſuitas*, (e) quia ærarium ſit exhauſtum. Habeo etiam librum Erici Puteani, qui epiſtola quadam ſuaſit, ut rex pacem cum Belgis ineat, quod etiam poſtea eſt factum: inter alia adducit hoc argumentum, ærarium regis eſſe exbauſtum. Jam ſi ita ſe habeat ærarium regis, & hoc jam iiquet ex ortis motibus propter graodia tributa, apparet, quod jam minus valeant potentia & vires Hiſpanicæ. Dico autem ſic: Rex Hiſpaniæ vult uti milite conductitio, non autem poteſt conducere militem, ubi bellum gerit; potentia itaque minus eſt valida.

Dicendum jam eſt do conatibus Hiſpanicis erga alias regiones occupaodas, & quibus mediis illud velit efficere, & quid de illis ſit judicandum. Ponendum autem eſt, Hiſpanum meditari monarcbiam Europæ, ſi non totius mundi. Philippus ſane II. hoc eſt meditatus, quod nimis eſt manifeſtum, & ex eo tempore etiam ſequentes id molitos eſſe, patet, ut omnes fere populi Europæ de eo ſint conqueſti. Si autem quæras, *quibus mediis* (f) bæc velint efficere, apparebit, quid ſit ſentiendum. Aliæ regiones occupandæ ſunt vel dnlo vel vi aperta. Utroque modo proceſſere Hiſpani. Dolo quidem in eo maxime, quod nunquam non illos, qui paſſim ſunt in exiſtimatione, ſibi obligarint magna pecunia, adeoque in regum & principum conſilia penetrarunt, cum ſemper baberent conſiliarios ſibi nbſtrictos. Vi autem id egerunt, dum Angliam, Germaniam, Italiam, Galliam aperto belln ſunt aggreſſi. Et certe Philippo II. fortuna videbatur favere ln Britannia & Gallia. In Germania

(a) *Auſtriaci noſtri*) Ex familiæ pactis, quibus per teſtamentum Caroli VI. *part. II. Heroldi Europæi* relatum, derogari non potuit. Vid. FABRI *Staats-Canzeley part. V. c.* XVIII. Licet enim ſucceſſioni renuncianti, per teſtamentum illius, cui ſuccedi debet, novum pariatur jus: illud tamen non obtinet, ſi pacta, quibus teſtator obligatur, adverſentur.

(b) *comitatus Burgundiæ & Mediolanenſis ducatus*) Feuda foeminina eſſe, in quibus foeminæ deficientibus maſculis ſuccedant, ad librum *de finibus imperii* docui. Crederem tamen, Gallos ad comitatum Burgundiæ, Francico corpori inſertum, fictitiam ſuam Salicam legem jam extenſam velle.

(c) *conductitio milite*) *Europaiſcher Herold part.* II. p. 127. 129.

(d) *deficit*) Quam male ſe res Hiſpanorum pecuniaria habeat, ſi claſſe argentifera deſtituantur, noſtro quoque ævo edocti ſumus. Fama enim ad nos perlatum eſt, ad pecuniam, in Gibaraltari obſidionem a Genuenſibus mutuo accipiendam, reginæ quoque gemmas & uniones oppignoratos eſſe.

(e) *Jeſuitas*) Vide Alphonſum de Vargas, quem Scioppium eſſe, ſupra monui. Hoc ex SCIOPPII *epiſtolis*, quarum TENZELIVS *in Monathlichen Unterredungen ad annum MDCCI.* mentionem facit, pateſcit.

(f) *quibus mediis*) Auctor libri *des nouveaux interets des princes p.* 227. medis, quibus prolapſæ Hiſpaniæ vires reſtaurari poſſint, proponit.

mania jam tum magna eſt vis domus Auſtriacæ, cum qua ratione conjunctionis & præterea conſanguinitatis conſtricti ſunt. Certum autem eſt, nullam familiam totius orbis eſſe ita ſibi adſtrictam per cognationem, quam eſt familia Auſtriaca, ut quidam *inceſtus* (a) accuſariot domum hanc, quod verum non eſt, ſi ſeponas jus civile & canonicum, nam non factus eſt inceſtus contra naturam; papa quidem ſæpe in connubiis Auſtriacis contrahendis diſpenſavit, quod tamen non fuiſſet opus.

Quod attinet Italiam, tenet Hiſpanus jam Mediolanum & Neapolim, & in media Italia ſunt arces Piombino & Populonia, item Marchionatus Finalis. Patet ergo, Hiſpanum quaſi vinculo ligaſſe Italiam, appropinquarunt etiam Rhetiæ. Audiviſtis autem, vim illam apertam, qua petierunt Britanniam & Galliam, fuiſſe irritam. In Belgio præterea & Africa jam perdidiſſe plurima. Luſitaniam item defeciſſe. Hactenus ergo ſane propoſitum non potuerunt efficere, ſed experti ſunt contraria, & multa poſſeſſa rurſus amiſeruot. Quæri jam poteſt, utrum conatus Hiſpanici impoſterum poſſint eſſe irriti? Prudentis eſt ſcilicet, futura proſpicere. Dicam breviter: ſunt 1) quidam in ea ſententia, hanc eſſe vim imperii Hiſpaoici, ut non tam ullum habeat ſimile in orbe, ſed ut etiam poſſit illa potentia omnia adquirere. Quædam etiam de hoc argumento diſſerit JOHANN. DE LAET *cap. XXVI. & XXVII.* Capite priori propoſuit judicium Boteri, magni & ſapientis politici, de potentia Hiſpanica, quod etiam reperitur inter relationes Boteri *cap. XXVII.* Primum proponit judicia contraria, & adfert judicia Gallorum. Trajanus Boccalini Italus in *lapide lydio politico* eleganter fingit, a Laurentio Medices viro prudentiſſimo librata & ponderara eſſe in ſtatera, qualia eſſent regna orbis, cumprimis Hiſpania, & obſervaſſe illum, Hiſpaniam ipſam quidem eſſe magni momenti, Neapolim autem, Mediolanum & Belgium cum reliquis ad Hiſpaniam pertinentibus plus officere *potentiæ Hiſpanicæ*, (b) quam ut proſint. Ita ille eleganter ludit, & profecto eſt elegans relatio. Ibidem etiam relatione X. narrat, imperium Hiſpanicum quæſiviſſe ex oraculo Delphico, num poſſit potiri imperio totius orbis, reſponſum autem, nunquam id eſſe futurum. Pergit Laet, & ceoſuram ſuam addit, Boteri judicium eſſe falſum; non euim eam eſſe poteotiam Hiſpanicam, ut poſſit orbi intentare imperium.

Dicam jam meam ſententiam. De conatibus autem Hiſpanicis eſt dicendum, prout nunc ſe habet regimen, oon prout ſe poſſet vel deberet habere. Quod autem hodiernum regimen attinet, non dubito pronuociare, impoſſibile eſſe, ut Hiſpanus poſſit aliqua adquirere, imo difficulter ſua poſſe retinere. Ratio eſt, quia, ſi quid velit vel dolo vel vi, neceſſe eſt, ut id fiat magna pecunia: at vero hodie ærarium laborat, igitur non poteſt facere ſumptus ad doloſos conatus, multo minus ad vim apertam. Porro adparet, ſiquidem quis comparare velit vires Hiſpanicas hodiernas cum viribus aliquorum regnorum Europæ, magnam partem tutos eſſe Hiſpanos contra Anglos nonniſi fœdere Batavorum, qui ſe olim liberarunt a jugo Hiſpanico. Tantum ergo abeſt, ut hodie poſſit Hiſpanus finem ſuum aſſequi, & alios ſibi ſubjicere, quum difficulter propria poſſit tueri. Cauſa autem, quod hoc non poſſit, hæc eſt, quod regiooes inter ſe multum ſint diſſitæ. Belgium enim & Neapolis longe nimis abeſt. Bellum ergo extra Hiſpaniam geri debet immanibus ſumptibus, quia pecunia debet eo mitti, quod fieri non poteſt niſi cambiis: his autem ſupra quam credi poteſt, exhauritur ærarium regium. Quodſi io *provincia* (c) bellum gereret, non opus eſſet tantos ſumptus facere. Solvere autem cogitur Hiſpanus 10. 12. 15. pro 100. in Belgio, et his uſuris exhauritur ærarium. Batavi ergo cum nuper haberent bellum cum Hiſpano, potuerunt 100000. aureis tantum efficere, quantum Hiſpanus 700000. Deinde ſi bellum oriatur in diſſitis regionibus, Hiſpano deficit miles, quia non audet, ubi bellum gerit, conducere militem; cogitur ergo militem eo mittere, quod eſt damnum maximum. Accedit, quod ubique non habeat ſubditos faventes, quod ſi ſit, reſpublica eſt in magno periculo. Hiſpanus ergo difficulter impoſterum ſua poteſt tenere, præſertim cum ærarium regis magis magisque poſthac deficiet. Habetis hujus rei indicium in Portugallia, quæ puſilla eſt reſpectu Hiſpaniæ, & tamen Hiſpaous nihil poteſt contra illam. Igitur quum tali regimine regis vires adeo ſint exiguæ, ut ſua non poſſit tueri, non poteſt alias regiones adpetere. Certe ſi Americæ altera pars tantum rebellaret, actum eſſet de omni Hiſpanico imperio. In gaza enim Americana repoſita eſt omnis vis Hiſpanica. Facillimum autem eſt, *Americam rebellare*, (d) & ſi rebellaret unquam,

nunquam

(a) *inceſtus*) Hoc crimen Philippo II. a Wilhelmo Auriaco objiciebatur. Hic Maximiliani II. filiam ſibi uxorem junxit. Philippus III. autem Caroli archiducis filiam & Philippus IV. Ferdinandi III. imperatoris filiam uxores duxerunt. Econtrario Maximilianus II. Mariam Caroli V. filiam, Albertus Maximiliani II. filius Claram Iſabellam Eugeniam, Philippi II. filiam, Ferdinandus III. Mariam Annam, Philippi III. filiam, & Leopoldus Margaretham Thereſiam Philippi IV. conjugem thororum legerunt ſocias.

(b) *potentia Hiſpanica*) Hiſpani provinciarum Europæarum extra Hiſpaniam olim ipſis parentium onere jam liberati ſunt.

(c) *provincia*) Satius tamen eſt, ſi hoſtile territorium belli ſedes eſt. Verum enim vero auctor noſter comparative hic loquitur, nimirum intuitu ſumtuum, qui plures requiruntur, ſi bella in provinciis longe a regia ſede diſſitis geruntur, quam ſi in provincia aliqua viciniori belli luditur alia. Alias periculoſius multo eſt, quod ad ſummam rerum attinet, ſi bello in provincia, haud ita a primaria provincia remota, decertatur; præſertim ſi hæc nullis eſt munita propugnaculis. Nam ſi in pugna decretoria magna accipitur clades, de regno actum eſſe poteſt.

(d) *Americam rebellare*) Nonnullis hoc difficile videtur, quoniam Americani ſunt inermes & ad ſervile plane redactum ingenium. Niſi Criolii aliquando pro ejiciendis adventitiis Hiſpanis aliquid auſuri ſint.

nunquam poſſet eam recuperare Hiſpanus. America enim non iodiget Hiſpaoico dominio. Alia autem longe eſt ratio, ſi Hiſpanus inſtitueret aliter ſuum regimen; tum eoim profecto longe aliter judicarim. Dicat quis,quomodo? Si durum regimen emendet, & det operam, ut benevolos maxime habeat ſubditos, tum noo opus fuerit milite mercenario ad ſua defeodenda, quin habebit ſatis ad plurima occupaoda. Hiſpaoia quidem laborat paucitate hominum: interim Rex noo poteſt ſibi metuere a vi externa, ſi habeat benevolos ſubditos. Io Italia autem eſt multitudo hominum. Quodſi in Neapolitana regiooe, item io Sicilia & Mediolanenſi ducatu omnes ſubditos haberet benevolos, noo opus ibi eſſet milite conductitio, ſed ſibi populus ſufficeret, quin poſſit vim intentare toti Italiæ ejusque dominus fieri propter commoditatem locorum, quæ ibi tenet. Teoet enim ab una parte Neapolim, ab altera Mediolanum, in medio habet fortiſſima duo caſtella, habet item in promptu Siciliam.

Quod ad Germaniam attinet, poteſt etiam hic ſibi vires parare, quamvis oon ita,ut in Italia. Belgium eſt oportuniſſimi ſitus: iode enim ex Germania poteſt accipere ingentes vires, adeoque ſi in Belgio haberet ſubditos ſaventes, maximas res gerere poſſet, & impetum facere in Galliam, quia etiam Gallus non habet *fideles & faventes* (a) ſubditos. Quod autem Gallus non temere ſibi a quoquam metuat, facit, quod omnia ſua ſint contigua. Thomas Campaoella *in libro de monarchia Hiſpanica* docet, quomodo ſe Hiſpanus gerere debeat, ut poſſit rerum per orbem potiri. Varia antem in illo libro ſunt conſilia, & itidem ooo probatur hodiernum regimen, & fatetur Campanella,iſto modn regiminis, quo jam Hiſpanus utitur, non poſſe taotum Hiſpaniam oon proficere, ſed fieri etiam poſſe, ut reliquam Hiſpaniam amittat. Memini etiam,me legere conſilium itidem Hiſpano datum, quomodo rex Hiſpanus ſe poſſet contra aliorum vim defendere, & provincias ſuas tueri. Videtur illud eſſe deſumptum ex Boteri diſcurſu; tendit autem eo,regem ſe poſſe defendere & alios impetere, ſi alat io oceano claſſem 40. oavium. Verum ridiculum hoc & ineptum eſt conſilium, quia in oceaoo Hiſpanorum ſuot acerrimi hoſtes, & multæ terræ ſuot defendendæ: talis ergo claſſis ad tantas res nimis eſt exigua. Hæc de Hiſpania ſufficiant. Fateor autem, me quidem non omnia, quæ ad accuratam reipublicæ iſtius *cognitionem pertinent*, (b) adduxiſſe, interim tamen ſufficiat, me manuduxiſſe vos ad ea, unde plenius peti poſſint.

DE

(a) *fideles & faventes*) Sed de contrario ſatis perſuaſi ſumus. Conſtat enim,illos pro fide in regem ſuum etiam ultima paſſuros eſſe. Documento oobis ſint, qui ob reformatam religionem regno ejecti ſunt: illi quoque Ludovicum XIV. ſummo plerumq; venerati ſunt honore.

(b) *cognitionem pertinent*) Inter omiſſa referendum etiam eſt prætenſionum, ut ajunt, caput; niſi dixeris, autorem ooſtrum hoc inutile credidiſſe, cum illæ aut temporis diuturnitate exoletæ, aut pacibus terminatæ ſint. Vindicant autem ſibi Hiſpani jus aliquod in Portugalliam, qua ſub Philippo II. Albani ducis opera occupata, ſub Philippo IV. exciderunt. Sed huic juri per pacem com Petro Portugalliæ rege anno 1686. initam renunciaveruot. Deinde Burgundiæ ducatum ſibi deberi contenduot, jus ſuum a Caroli audacis filia unica & herede, quæ in Maximiliani I. matrimonium conceſſit, deducentes. Quæ Gallorum, poſſeſſionis beatitudine gaudentium, in contrarium ſint argumenta, docet illuſtris ZECHIVS *in Heroldo Europæo tom. II. p.* 140. & SPENERVS *in opere Heraldico tom. II. p.* 177. 178. Id tamen certum, Hiſpanos nunquam hoc jure expreſſe deceſſiſſe. Porro jus in Britanniæ ducatum, in ſolo Gallico ſitum, ſibi ex matrimonio Philippi II. cum Iſabella Clara Eugenia, Henrici III. Galliæ regis ſororis filia, adſcribunt. Atque hanc prætenſionem, in Pyrenæa pace per generalia ſibi reſervarunt. Aſſerit quoque Hiſpania, ſibi comitatum Ruſſinonenſem, regnum Hieroſolymitanum, Corſicam & imperium Conſtantinopolitanum deberi. Sed juri in comitatum Ruſſinonenſem per pacem Pyrenæam *art.* 42. uti nuper Belgio & terris Italicis per Viennenſem pacem, valedixit. Reliquæ illæ prætenſiones merito inter exoletas ſunt referendæ.

Quod reliquum, miſſis ob temporis anguſtiam, quæ addenda eſſent, tantum de vicinis adhuc pauca quædam dicenda erunt. Privata jam Hiſpania terris, in aliis Europæ partibus ſitis, proprie dictos ibi non habet vicinos, quam Gallos & Luſitanos, quorum illi viribus omnique re ad bellum pacemque utili, Hiſpanos longe ſuperant. Et profecto verendum eſſet, ne Gallia Hiſpaniam plane ſub ſuam redigeret poteſtatem, niſi aliorum principum intereſſet, ne immodicæ vires inde in immenſum augerentur, totique deinde incubaret Europæ, præſertim ſi victoriæ præmium Americanæ quoque eſſent terræ. Hinc haud dubie ad impediendum Gallum, ſi tale quid moliri auderet, ſocia reliqui Europæ principes junctura ſunt arma. Quod ad ſanguinis vinculum attinet, ei a principalibus domibus parum aut nihil dari, cum de proferendis finibus agatur, conſtat. Inter munimenta præcipua Gallis oppoſita eſt Fontarabia, a qua Condæos, magnus ille ſuperioris ſeculi heros, infectis rebus diſcedere coactus fuit. Alter Hiſpanorum vicinus eſt Portugalliæ rex. Hic quidem eis potentia inferior eſt; interea ab Hiſpanis nihil metuendum habebit, quoniam res Hiſpanorum admodum ſunt detritæ, & a nonnullis ædificio, quod ruinam minatur, comparantur; deinde Hiſpanorum ærarium plane exhauſtum, Portugallorum econtrario nummis abundat. Imo apparet, Hiſpanos viribus ſuis ad audendum aliquid in Portugalliam diffiſos eſſe; alias haud dubie, cum ibi motus ob dejectum regem per fratrem ejus Petrum gliſcerent, arma illi intuliſſent. Sic & in nupero bello parum aut nihil in Luſitanos efficere potuerunt. Denique nec Galli, nec Angli & Belgæ unquam patientur, ut Hiſpanus Luſitaniam ſibi ſubjiciat. Illorum enim rationibus adverſatur, Hiſpanum ex tanto augmento, quod etiam Braſilienſes comitaturæ eſſent divitiæ, vires reſtaurare. Horum autem commercia requirunt, ne Hiſpanus Portugallis dominetur. Cum Anglis & Hollandis Hiſpania coluit amicitiam, quippe quorum ope, ne a Gallis abſorbeatur, deſtitui nequit. Nuper autem maximo ſuo malo Anglorum tentavit arma, cum nulla cauſæ juſtitia innitens, Gibraltarum una cum inſula Minorca Ultrajectina pace ceſſum irrita cinxerint obſidione. Hiſpanorum omnino intereſt, Anglos habere amicos, non ſolum, ut eorum auxiliis adverſus Gallos fulciri queant, ſed & ne claſſes argen-

DE REPVBLICA PORTVGALLIAE SIVE LVSITANIAE.

SI adhuc hodie omnia reipublicæ Portugallicæ ſe haberent, ut ante annos XXII. præterpropter, cum adhuc eſſet ſub rege Hiſpano, non jam opus eſſet, ſingulatim de rebus Portugallicis agere. Jam vero cum ſingularem Portugallia conſtituat rempublicam, nunc mihi peculiariter de ea erit agendum. Notandum igitur eſt primo, exſtare *deſcriptionem Portugalliæ* (a) aliquam, editam in Belgio, cum aliis ejusdem generis libellis, quæ pleraque eorum, quæ ad Portugalliam pertinent, comprehendit. Pleraque tamen hujus libelli jam antea tradidit JOH. DE LAET *in deſcriptione reipublicæ Hiſpanicæ*, ut ita, qui habet librum Laetii, non poſſit multum ſollicitus eſſe de illo libello. Prioribus tribus capitibus agit Laet *de Chorographia Hiſpanica*; item *de ſitu*, ubi pariter deſcribitur ſitus Portugalliæ. *Cap. VIII. de oppidis & provinciis*, quas rex Hiſpanus tenet in Africa & Atlantico mari. *Cap. IX. de caſtellis in India. Cap. X. de Braſilia. Cap. XV. de ſucceſſione regum Caſtellanorum in regnum Portugalliæ. Cap. XXII. & XXIII. de reditibus regni Portugallici*, & ita porro. Pauca ergo habentur in *libro de republica Portugalliæ*, quæ non etiam ſunt in libello Laetii. Edita etiam eſt egregia Portugalliæ deſcriptio autore Nicolao Olivaira, ſed lingua Luſitanica anno hujus ſeculi XX. ex quo libro pleraque deſumpſit JOHANN. DE LAET. Cum autem Laetii libellus prodierit anno hujus ſeculi 29. apparet, illo non contineri, quæ ex eo tempore contigerunt in Portugallia. Extat etiam egregia diſſertatio *de regno Portugalliæ* inter eas, quas edidit Honorius Bellus; habetur autem parte prima & eſt diſſertatio XIII. Conſcripta eſt illa ſuperiori ſeculo, non multo poſt, cum *Philippus II.* (b) Portugalliam in ſuam poteſtatem redegiſſet. Habuit etiam Boterus diſſertationem de regno Portugalliæ. Scripſit autem hic circa annum 1590. cum anno 1580. Hiſpanus Portugalliam occupaſſet. HIERONYMVS CONESTAGIVS *de conjunctione regni Portugalliæ cum Caſtellæ regno*, initio libri primi ea inſeruit, quæ pertinent etiam *ad ſtatum illius* (c) regionis. Extat & *apud Thuanum* (d) diſſertatio *de regno Portugalliæ*. Hi libri poſſunt omnes eſſe uſui. Res geſtas Portugalliæ quod attinet, de iis ſcripſere *Reſendius* (e) Portugallus ſuperiori ſeculo; item Mariana in *Hiſtoria Hiſpanica*. (f) Ex his peti poſſunt res Luſitanicæ ſeu Portugallicæ.

Notandum eſt, res Luſitanicas cœpiſſe florere rege Emanuele, qui, niſi fallor, rerum potiri cœpit anno 1495. Hoc enim rege florentiſſimæ fuerunt res Portugallicæ, & cœpere ingens imo admirabile incrementum. Ex eo autem tempore paulatim iterum decreverunt, ut jure dicere poſſis, cum Emanuele floruiſſe & iterum cecidiſſe res Portugalliæ. Emanuelis hujus auſpiciis Portugalli nacti ſunt *Indiæ Orientalis* (g) multas & ditiſſimas regiones, Braſiliam etiam in America, & loca quædam alia Africæ. Extant hiſtoria & res geſtæ hujus regis docte & prudenter ſcriptæ ab HIERONYMO OSORIO Epiſcopo Algarbiorum, qui fuit vir variæ eruditionis & bonarum litterarum peritiſſimus. Meretur hic liber accuratam lectionem, & reperiuntur in eo perquam memoratu digna. Sane meretur *hic Oſorius* (h) referri inter ſuperioris ſeculi hiſtoricos præſtantiſſimos. Quomodo Portugallia ſit facta juris Hiſpanici, ſeorſim docuit Patricius Genuenſis Hieronymus *Coneſtagius*, (i) cujus liber etiam deinde verſus eſt in ſermonem

ciferæ Anglorum navibus turbentur. Addam ſequentia ex libro, cui nomen *nouveaux interêts des princes p.* 257. *Mais comme Anglois ſont extremement puiſſans ſur l' ocean & qu' ils peuvent troubler la flotte, qui lui vient des Indes de tems en tems, c' eſt une necesſité pour elle d' etre toujours bien avec eux.* Cum Hiſpania adhuc terras in Italia haberet, rationes ejus requirebant, ut in principum, qui ibi rerum potiuntur, inprimis reipublicæ Venetæ eſſet amicitia, ne illi ſe jungerent Gallo, a quo tamen ob vicinam abhorrent potentiam. Hodie illa amicitia non amplius uti videntur, niſi quatenus ea ad conſequendum Tuſciæ magnum ducatum indigeant. Quod vero ad rempublicam Genuam ſpectat, commoda ſemper ejus Hiſpanis eſt amicitia, quoniam eorum opus habeant nummis. Denique cum Helvetiorum pagis, inprimis Catholicis, amicitiam jungant, ut in illorum terris militem legere, & cum Germanis, ut eorum opera contra Gallos uti queant.

(a) *deſcriptionem Portugalliæ*) Exſtat deſcriptio Portugalliæ per DVARTEM NVNES DE LEANO, Luſitanica conſcripta lingua.

(b) *Philippus II.*) Vid. ANTONII VIPERANI *de obtenta Portugallia a rege Catholico Philippo Hiſtoria* apud SCHOTTVM *in Hiſpania illuſtrata tom.* II. p. 1037. ſeqq.

(c) *ad ſtatum illius*) *Tom.* II. *Hiſpania illuſtrata p.* 1062. ſeqq.

(d) *apud Thuanum*) *lib. LXXXI.*

(e) *Reſendius*) Loquitur hic haud dubie autor de RESENDII *antiquitatibus Luſitanicis & Ebora*, in quas JACOBVS MENOETIVS VASCONCELLVS ſcholia conſcripſit. *Conf. tom. II. Hiſpan. illuſtrat. p.* 899. ſeqq.

(f) *Hiſtoria Hiſpanica*) Hic ſparſim quædam de Luſitania habet.

(g) *Indiæ orientalis*) Vid. JOANN. MATALII METELLI *comm. de reperta ab Hiſpanis & Luſitanis in Indiam orientalem & occidentalem navigatione. Hiſtoire de Portugal, contenant les entrepriſes, navigations & geſtes memorables des Portugais, tant en la conquete des Indes orientales, qu' es guerres d' Afrique.*

(h) *hic Oſorius*) De rebus ſub hoc rege geſtis exponit etiam Damianus a Goes in chronica, Luſitanice ſcripta.

(i) *Coneſtagius*) Sebaſtiano, ut creditum, in Africa cæſo, ad patruum ejus Henricum Ex-Cardinalem regnum pervenit. Quo defuncto Philippus II. Portugalliâ ſub ſanguinis prætextu armorum ope potitus eſt. Varii ſunt autores, qui de hiſce rebus aliquid literis mandarunt. *Ciro Spontone ragguaglio del fatto d' arme ſeguito nell' Africa tra don Sebaſtiano Rè di Portugallo e Muley Auda Malucco.* ANTONIO *de San Roman Jornada & muerte del Rey don Sebaſtian de Portugal. Jornada de Africa por el Rey don Sebaſtian y union del regno de Portugal a la corona de Caſtilla por Sebaſt. de Meſa. Hiſtoire des dernieres guerres avenues en barbarie & de la mort du Roy D. Sebaſtien de Portugall.* Inter illos, qui ſibi Henrico mortuo jus ſuccedendi adſcribebant, erat Antonius infantis Ludovici nothus, magnus Prior Cratenſis. Hujus partes tuitus eſt DVARTVS NONIVS Luſitanus, quem Joh. Texera refutavit. Pro Philippo II. habemus quoque reſponſum MICHAEL AB AQVIRRE.

ſermonem latinum, & prodiit ex officina Wecheliana Francofurti. Eſt hæc Hiſtoria præclare ſcripta & *lectu digniſſima*, (a) quia circa occupationem illius regni plurima contigerunt memorabilia. Liber eſt non magnæ molis. Quemadmodum nuper ante annos 20. aut 22. mutaverint iterum res Portugallicæ, atque Johannes IV. hujus Regis pater, regnum illud occuparit, pulſis Caſtellanis, ſingulari libro Italica lingua deſcripſit *Johannes Baptiſta Biragius* (b) libro quidem non magno, erudito tamen, qui recte etiam verſus in Germanicum ſermonem. Meretur hic liber accurate legi, cum mutatio illius reipublicæ ſit facta perquam magna.

His præmiſſis aggredimur jam in examine reipublicæ Portugallicæ cauſam materialem, & dicamus primo de ſolo & cœlo regionis: paucis id agam, quia plura aliunde diſci poſſunt. De nomine, ut etiam hoc paucis dicam, controvertitur inter ipſos Portugallos. Inter varias tamen de origine nominis ſententias, illa mihi videtur verior, qua ſtatuitur, originem nominis Portugalliæ eſſe ortam ab urbe quadam, quæ habuit portum celebrem, dictum portum *Cale*, (c) & ſedem juxta portum hunc locaſſe primum expulſores Arabum & Maurorum. Videtur autem veriſimile, illud oppidum, quod eſt inſigne portu ad Durium amnem, dediſſe nomen huic regioni. Germanis noſtris vulgo dicitur Port a Port, quaſi portus a portu, & eſt inſigne emporium. Occupat autem Portugallia *veteris Luſitaniæ* (d) & Boeticæ partem. In tabulis Bunonianis Luſitania extra Portugalliam collocatur, quod vitio eſt factum. Totam quidem Luſitaniam non continet Portugallia, ſed ejus etiam partem tenet Caſtilia; potior tamen Luſitaniæ pars conſtituit Portugalliam, igitur etiam apud eruditos Portugallia ſolet audire Luſitania. Regio ipſa potius *in longitudinem*, (e) quam in latitudinem eſt porrecta. Si latitudinem ſpectes, eſt anguſta, ſi vero longitudinem, eſt ſatis magna, maxime ſi velis ei adjungere Algarbiam, ſingulare olim regnulum (eſt enim exigua regio) pollet tamen regali dignitate, ideo etiam reges ſe vocant reges Portugalliæ & Algarbiæ. Habet ab Occidente oceanum, itidem ex parte a Septentrione. Similiter a parte Meridionali habet oceanum ſeu ſinum Gaditanum, magnam tamen partem cingitur Andaluſia, a parte Septentrionali Galliciam, & a parte orientali regnum Legionenſe & Extremaduram Hiſpaniæ habet.

Habet porro terra illa inſignes fluvios, inter quos eminent *tres*. (f) Primus eſt Tagus, qui circa Lisbonam miſcetur oceano. Hic fluvius hodie adpellatur Tajo. Olim aurifer dictus, quod haberet arenas auriferas, quamvis Clenardus in ſuis epiſtolis ludat, quod dicatur aurifer, non quod ferat, ſed quod aurum auferat: dicit enim, omnia ibi eſſe ſumptuoſa & cariſſima. Secundus eſt Durius, qui circa Port a port miſcetur oceano. Tertius eſt Anas, quem alias vocant vocabulo Arabico Gvadiana. Hic nonniſi ex parte tangit Portugalliam & effunditur in fretum Gaditanum. A meridionali & occidentali non poteſt a quoquam quidquam pati, niſi claſſe valeat. Nam hic eſt Portugallia quaſi cincta oceano, ut terra quidem non ſibi metuat. Qua parte autem jungitur Caſtellæ & Galliciæ, alia eſt ratio: nam ibi omnia incurſionibus magis patent, & terreſtri expeditione hic Portugallia poteſt periculum incurrere. Pars etiam, quæ adjacet oceano, magis adhuc tuta eſt a claſſe; nam non habet multos portus, & quos habet, multitudine hominum illis eſt proviſum. Inter portus autem Portugalliæ eminent præcipue tres, ad commercia utiles: 1) Ulyſipponenſis ſive, ut hodie vocant, *Lisbonenſis*. (g) 2) *Port a port*, (h) ad Durium amnem. 3) *Setubal*. (i) Sunt quidem adhuc alii, ſed minoris momenti. Oppidorum autem Portugalliæ oceano adjacentium, nullum eſt præclare munitum, ne *Lisbona* (k) quidem, cujus præcipua

(a) *lectu digniſſima*) WICQVEFORT *dans l'ambaſſadeur liv. I. ch. VII.* inter libros, qui ſedula manu ab adſpirante ad legationes pertractandi ſunt, refert Coneſtaggium, & addit: *Hierome Coneſtaggio & Pierre Jean Capriata ſont des tres bons Hiſtoriens & approchent fort de leurs bonne maniere d'ecrire, qui recommande les deux derniers tomes de Hieronymo Zurita, bienqu'ils ne ſoient ni ſi longs, ni ſi ſujets a redites commê le dernier.*

(b) *Biragius*) *In Hiſtoria della diſunione del regno di Portugall.* Alii adhuc ſunt autores, qui hoc argumentum pertractant. Sufficiat jam ex iis nominaſſe NANI *lib.* XI. VASSOR *tom. X. p.* 269. ſeqq. ANTONII DE SOVSA *Jus ſuccedendi in Luſitaniæ regnum Dominæ Catharinæ regis Emanuelis ex Eduardo filio neptis, addita appendice de actu poſſidendi & jure poſtliminii ſereniſſimi Regis Joann. IV. Joannis IV. Regis Portugalliæ tractatum analyticum compoſitum & vulgatum regni nomine pro juſtitia actionis ſuæ a Franciſco Velaſco Goveano; Panegyrim apologeticam pro Luſitania vindicata a ſervitute injuſta & tyrannide immani Caſtellæ; Diſſertationem juridicam pro jure Philippi Hiſpaniarum Regis contra Bragantum intruſum.*

(c) *Cale*) VASCONCELLVS p. 6.

(d) *veteris Luſitaniæ*) RESENDIVS *tom.* II. *Hiſpaniæ illuſtrata p.* 900,

(e) *in longitudinem*) Longitudinem hujus regni centum milliaria, & latitudinem quinquaginta abſolvere, dicuntur.

(f) *tres.*) Tribus hic enarratis fluviis addendi ſunt Munda (Mondego) Minius (Mioho)

(g) *Lisbonenſis*) Hic duobus defenditur caſtellis, magnitudine, profunditate & ſecuritate celeberrimus.

(h) *Port a port*) Portus in provincia Interamnenſi ſitus, a Belgis admodum frequentatur, qui eo petunt vinum, quod ex loco cognomen habet, ſeſeque virtute ſua & dulcedine potiſſimum ſeptentrionalibus commendat gentibus.

(i) *Setubal*) Extremadura hunc ſuis annumerat locis. Promptuarium hic eſt ſalis, quod maxima inde navibus in alias vehitur terras copia.

(k) *Lisbona*) Nobiliſſimis merito Europæ urbibus ob commerciorum copiam, palatiorum & locorum publicorum multitudinem & ſplendorem annumeranda. Duorum milliarium ſpacium magnitudo ejus ad longitudinem,

præcipua pars caret mœnibus. Quod quam periculoſum ſit, facile apparet. Urbs Port a Port multo melius eſt muoita, quam Lisbona, interim tamen ad noſtrarum urbium morem (habemus enim nos urbes præclare & ſupra modum munitas) non eſt *munita*. (a) Par etiam eſt ratio reliquarum Portugalliæ urbium. Audiviſtis ex nuperis novellis, ducem belli Schombergium, in eo jam eſſe occupatum, ut muniat *quasdam urbes*, (b) cumprimis Caſtellæ regno vicinas, ut urbem Elvas. An id natura & ſitus loci etiam permittat, non facile dixerim. Quamvis autem terra ſit conjunctum regoum Portugalliæ cum regno Caſtellæ, tamen ea parte habet *montes ſatis excelſos*, (c) ita ut per montana illa loca tutior ſit ab irruptionibus ſubitis Caſtellanorum, ut nec etiam ſubito quis ex Portugallia poſſit erumpere in Caſtiliam. Superſunt tamen circa mootes illos loca, ubi ſatis traoſitus patet, attamen non ſunt multa.

Solum Portugalliæ, qua parte noo habet montes, ſatis eſt fertile, qua parte autem ſunt montana, ſterilius eſſe ſolet. *Tritici ferax* (d) non eſt, nec tantum habet, unde incolis ad victum poſſit ſufficere (utuntur autem incolæ maximam partem pane triticeo, non ut nos ſiligineo) hinc triticum eo devehitur per naves Hamburgeoſes, Lubecenſes & etiam Bremenſes. Indicio autem illud eſt, regionem illam ſibi non ſufficere: nam quæ regio non habet tantum frumenti, quantum ad victum incolarum ſufficit, illa ubique ſibi non eſt ſufficiens. Hordeo multo non indigent Portugalli, quia non bibunt cereviſiam, ut nos, ſed maximam partem bibunt aquam. *Vini ſatis*, (e) imo abunde habet Portugallia, ita ut illud alio poſſit transferri, ideo etiam, quoniam Portugallorum maxima pars eſt *abſtemia*. (f) Ferax etiam eſt Glaſti, (quo tinctores utuntur) mororum, & per conſequens etiam ſerici probatiſſimi, quod habetur in magno pretio. *Sericum* (g) enim habet copioſum, quia habet multa moreta; bombyces autem, ut notum, ſoliis mororum aluntur. Abundat etiam *ſale*, (h) ita ut quotanois aliquot 100. imo 1000. doliorum ſalis evehere poſſit: igitur naves illæ, quæ frumentum eo deſerre ſolent, redeunt onuſtæ ſale Portugallico, qui tamen rurſus indiget nova excoctione, cum alias minus ſit purus; excoquitur autem arte noſtratium. Metallorum non eſt ferax; habet quidem ferri fodinas, *ſed egenas:* (i) utitur ergo ferro e Gallicia & Cantabria invecto.

Quod attinet animalia, armenta habet multa, & ſatis eſt inſtructa Portugallia bobus & *ovibus*, (k) & quamvis in aliquibus locis iſthæc animalia deficiant, peti tamen poſſunt ex Eſtremadura, & ita defectus ſuppleri. *Equi* (l) tamen deficiunt, & inveniuntur ibi rariſſimi, quare non poteſt alere equeſtrem militiam, niſi equi aliunde fuerint invecti: ſolent autem uti equis Hiſpanicis. Hinc etiam ab antiquis usque temporibus non babuit militem equeſtrem, valuit tamen ſemper milite pedeſtri. Quamvis igitur, ut jam dictum, ipſa Portugallia habeat pauca exportanda, ſed multis indigeat: tenet tamen loca ditiſſima aromatibus. Hinc Luſitanorum commercia ſuot lautiſſima, quæ ex aliis locis eo ſuot allata, ut ex Iodia, America & Africa. Sic ingens copia ſacchari defertur ex Lisbona; non quidem ſaccharum ibi naſcitur, ſed eo deſertur ex aliis terris, quæ parent Portugallis. Qua parte habet fluvios illos magnos, eſt ſatis *piſcoſa*, (m) & habet plus piſcium, quam reliqua Hiſpania. Cumprimis oceanus Portugallicus vel occideotalis abundat tinois, qui ſunt piſces pelagi. Illud geous piſcium in oceano noſtro ſeptentriooali ooo reperitur, quare eſt ignotum: alias circa Africam &

nem, qua Tago adjacet, computata, æquare dicitur. Idem Luſitani de hac urbe, quod Hiſpani de Madrito, quod C. D' AVNOY p. II. p. 113. ſeqq. deſcribit, ſentiunt. Proverbium enim in iſta gente receptum eſt, *Quien no ha viſto Lisboa, no ha viſto coſa boa.* Sano hic, ut fere in tota Portugallia, utuntur aëre, ita ut nihil metropoli ad commode habitandum, quam juſta platearum amplitudo, deſit. Superbum palatium, quod regiam excipit domum, Tagi exornat ripam. *Relation du voyage d' Eſpagne part.* II. *p.* 103. ſeqq. *La Geographie univerſelle par de la Croix.* Præterea Archiepiſcopali ſede & Academia illuſtris eſt. Non procul Lisbona diſtat Belem, locus, regiæ ſepulturæ deſtinatus, amœniſſimus. *Relation du voyage d' Eſpagne part.* II. *p.* 105.

(a) *munita*) Duo ſunt caſtra, quibus urbs contra hoſtiles impetus tutior eſt.

(b) *quasdam urbes*) Portugalliæ regnum in quinque dividitur provincias, quarum nomina ſunt Eſtremadura, Transtagana, Beira, Interamnenſis, Transmontana. Unaquæque earum urbes aliquot continet non incelebres, quæ aut Archiepiſcopales aut Epiſcopales ſedes ſunt. BAVDRAND *dictionaire Geographique p.* 783. Munita loca in provincia Tranſtagana ſunt, Eloa, Olivenzia, Portus alacris. In Transmontana autem Miranda Durii. Atq; hæ munimenta ſua, curante Schombergio, nactæ eſſe dicuntur. Quod ad Algarbiam attinet, nulla præter Tavilam metropolim & Phari urbem, quam la CROIX *in Geographia univerſali* regionis metropolim vocat, notabilia habet loca. Adhæret huic provinciæ ultimum Europæ promontorium, quod Sacrum, aut S. Vincentii dicitur.

(c) *montes ſatis excelſos*) *Geographie univerſelle par* LA CROIX *part.* I. *p.* 227. BAVDRAND *l. c.*

(d) *Tritici ferax*) Imo nullius generis frumenti admodum ferax eſt.

(e) *Vini ſatis*) Celebratur inprimis Algarvia ob vini excellentis copiam.

(f) *abſtemia*) In hoc cum Hiſpanis conveniunt.

(g) *Sericum*) LA CROIX & BAVDRAND *l. c.*

(h) *ſale*) Etiam oleo, melle, citreis, Auriacis & Granatenſibus pomis, nec non Amygdalis.

(i) *ſed egenas*) BAVDRAND *in dictionarie Geographico* hæc habet: *On y trouve auſſi des mines d' etaing, de fer, de plomb, d' alun, de roche, de criſtal, de rubis, des emerandes, des jaccinthes & des carrieres de marbre blanc & de jaſpe. Les Romains y venoiet chercher autre fois ces pretieux metaux, que les Portugaix trouvent maintenant avec plus de facilité dans les Indes orientales & dans l' Afrique, qu' ils ne feroient chés eux.*

(k) *ovibus*) Nec ſues deficiunt, quoniam ex petaſonibus, qui ibi fumo indurantur, & a nonnullis ipſis Weſtphalicis præferuntur, magnum redigunt lucrum.

(l) *Equi*) Contrarium Baudrandus aſſerit.

(m) *piſcoſa*) BAVDRAND & LA CROIX *l. c.* Inter piſces fluviales præter truttas inprimis celebrantur murænæ & anguillæ. Quod ad terreſtres feras attinet, nec illis deſtituuntur; inprimis autem abundant perdricibus & leporibus.

& Græciam abundat. Incredibilis autem eſt copia horum piſcium circa Portugalliam, unde etiam rex Portugalliæ ejusque ærarium reditus accipit ſatis multos & magnos. Inter terra nata referre etiam debebam arbores: harum, ex quibus confici poſſunt naves, habet multas, niſi quod non ſit ſatis ex omni parte inſtructa a malis navis: quare illud genus arborum, ex quibus conficiuntur, cogitur ſibi aliunde comparare.

Quoad homines obſervandum, ante annos 200. præterpropter ſatis populoſam fuiſſe Portugalliam, creviſſe vero porro hunc numerum poſt annum 1482. quo anno Ferdinandus & Iſabella expulerant regnis ſuis Mauros, omnes item *Judæos.* (a) Cum autem non tam cito poſſent ſedem alibi reperire, uno tempore circiter 20000. familiæ Judæorum ceſſerunt in Portugalliam & quidem, ut refert Hieronymus Coneſtaggius *libro I.* quædam, imo fere omnes familiæ conſtiterunt 10. hominibus. Ingens igitur hominum multitudo ita pervenit in Portugalliam, unde etiam ingens cœpit incrementum ærarium regium. Exegit enim rex Johannes II. a ſingulis capitibus 8. ducatos, & præterea non niſi ad certum tempus conceſſit illis manendi facultatem: ſi ultra tempus conſtitutum manerent, dixit, omnes in ſervitutem eſſe redigendos. Cæterum, ne quidem illud tempus præſcriptum illis ſuit ſervatum, & contra fidem datam plerique Judæi in ſervitutem ſunt redacti. Quanquam vero ita fide fruſtrati ſint Judæi, & illi, qui non potuerunt navigia nanciſci, redacti ſint in ſervitutem: tamen ſucceſſor Johannis conceſſit Judæis iterum libertatem, quod egregie etiam docet OSORIVS *lib. I. de vita Emanuelis regis, editionis Colonienſis pag.* 5. Manſit itaque ingens multitudo in Portugallia. Emanuel autem Rex, qui hactenus ſuerat mitis in Judæos, tandem incenſus a Ferdinando Catholico, cœpit magna immanitate ſævire in Judæos, illisque breviſſimum tempus emigrandi indixit; qui vero intra illud tempus eſſent remanſuri, eos velle in ſervitutem redigere, declaravit. Itaque tum denuo magna Judæorum multitudo ejecta fuit: plerique tamen remanſerunt, ſed in ſpeciem ejurarunt religionem Judaicam & Chriſtianam aſſumpſerunt. Narrat etiam HIER. OSORIVS *lib. I.* quomodo tantis injuriis ſint adfecti Judæi, ut quis non ſatis poſſit deteſtari tam crudelem immanitatem. Oſorius autem vehementer improbat, cum Judæis eſſe actum contra datam fidem, tum etiam illos per vim coactos eſſe ad Chriſtianam religionem. Dicit, hoc eſſe impium, & Deum exigere cultum ex animo libero, ideoque homines non debere per vim cogi ad Chriſtianam religionem, ita ſancte ille diſſerit. Maluerunt autem illi Judæi Chriſtianam religionem profiteri & callide ſimulare, quam Portugalliam evitare. Qui ex ſtirpe illa ſunt nati, adhuc hodie ſolent adpellari novi Chriſtiani, & horum numerus ſic ſatis eſt magnus. Omnes coguntur, religionem Chriſtianam profiteri: durantibus tamen regiminibus Portugalliæ veteris mitius ſunt habiti; at ſub regibus Caſtellanis durius in eos ſuit inquiſitum & plurimi fuere combuſti: nam tum etiam *inquiſitio* (b) cœpit obtinere in Portugallia. Hoc ipſo autem eſt factum, ut multi eorum alio commigrarint, vel clanculum ſe ſubduxerint. Hinc omnes illi ſunt orti, qui Hamburgi vel in Batavis vivunt, quorum magnus utique eſt numerus, nec illi amplius potuerunt ſimulare religionem Chriſtianam, quin proderentur. Monet etiam hoc CONESTAGIVS *p.*26. Hodie in Portugallia quam multi ex nobilibus nati ſunt Judæi: verum clanculum ſuſtentantur & foventur, quod familiæ nobiliſſimæ affinitates junxerint cum Judæis propter divitias: teguntur itaque a Nobilibus affines Judæi. Sæviente inquiſitione, Caſtellani vix potuerunt latere.

Quanquam vero ita haud parum creverit hominum multitudo in Portugallia, tamen ſequentibus temporibus multum decrevit per longinquas navigationes. Præcipue anno 1597. in longinquas regiones, imo in ipſam Indiam Portugalli miſerunt claſſes ſuas quotannis. Deduxerunt autem Portugalli ſuas colonias in longinquas terras, per quas non poteſt non decreſcere hominum multitudo. Hodie enim reperias Luſitanos per *Americam, Aſiam & Africam*, (c) quo ipſo non poteſt non ipſa Portugallia in egeſtatem hominum delabi. Tertia cauſa defectionis hominum in Portugallia hæc eſt, quod Portugalli gerant bella in regionibus exteris; jam vero illis bellis etiam maxima hominum multitudo abſumitur. Accedit & hoc, quod itidem per inquiſitionem Hiſpanicam magna hominum multitudo coacta ſit, in alias terras migrare. Denique juvit ad hominum penuriam, quod reges Hiſpanici, ex quo cœperunt rerum potiri per Portugalliam, cum ipſis Portugalli eſſent ſuſpecti, operam dederint, ut multitudo hominum in Portugallia minueretur, & quicquid hominum ſupereſſet, in militiam deduceretur. Hinc rex Hiſpaniæ, com illi eſſet bellum cum Belgis, conduxit Luſitanum militem majori ſemper ſalario, quam ullum alium.

(a) *Judæos*) Quod in magnum regni Hiſpanici ceſſiſſe malum, ſupra dixi. Non magni ponderis ſunt argumenta, quæ in contrarium affert MARCO DE GVADALCIRA *in libro*, quem inſcribit: *memorabile expulſion, & juſtiſſimo deſtierro de los Moriſcos d'Eſpanna.*

(b) *inquiſitio*) Tribunal aliquod inquiſitionis Evoræ eſt Lisbonæ & Coimbræ.

(c) *Americam, Aſiam & Africam*) In mari Atlantico Luſitanis parent inſulæ Azores, Madera, portus ſancti, & capitis viridis (Capo Verde) e cujus regione ſunt, in mari Æthiopico inſula S. Thomæ & vicinæ quædam. In littore Congenſi habent Loandam, S. Pauli, in Zangabarenſi Melindam, Monbazam, Quiloam, Mozambicam. In littore Caffrorum regnum Soffalæ ſub eorum eſt protectione. Quod ad Indiam orientalem ſpectat, ibi habent Diu Damman, Gaul & Goam, magnæ notæ urbem: in America vero tota Braſilia eorum eſt.

Majus dedit ſalarium, ut poſſit eo frequentius militem in Luſitania cogere, quod metueret ſibi a Luſitanis. Egit autem hoc clanculum, ut multitudo hominum in Portugallia minueretur. Accedit & illud, quod in Luſitania mulieres minus ſint fœcundæ, & quod ſcortationes & libidines minus debito ibi puniantur. Lupanarium quoque in Portugallia iogens eſt multitudo, &, ubicunque vivant Luſitani, ibi ſcortantur. Quantumvis itaque Portugallia hodie habeat multitudinem hominum, reſpectu reliquæ Hiſpaniæ & regni Caſtellæ, tamen plurimum deficit a priſtina hominum frequentia.

Quod attinet animos hominum, idem eſt eorum animus cum Hiſpanorum, arrogans, *ſuperbus*, (a) elatus, & verbis admodum magnificis, & hinc hoc ſequitur: prout ſunt elato animo, ita etiam nihil humile ſpirare, ſed animo ſemper nonniſi res magnas agitare, perinde ut reliqui Hiſpani, de quorum arrogantia plurima traduntur. Fuere autem alias Luſitani maxime *bellicoſi*, (b) idque ideo, quod habuerint reges bellicoſos, qui aſſidue bella geſſerunt, primo cum Mauris, ſecundo cum Caſtellanis. Sub finem enim ſeculi XI. & ſub initium ſeculi XII. reges Portugalliæ cœperunt. Omnia enim Portugalliæ, prout etiam reliquæ Hiſpaniæ, tenuerunt Mauri ſeu Mahumedani: ſed hi paulatim ſunt expulſi, auſpiciis præcipue Alphonſi IV, qui feliciter adverſus Mauros *pugnavit*. (c) Simul autem hos expulerunt, bella ipſis ſunt nata cum *Caſtellanis* (d) & his bellis ſemper fuere exercitati, donec tandem cum illis pax eſt inita in tot annos, quod eſt factum *anno* 1479. (e) Cum autem perpetuum geſſerint bellum milite ex ſuis lecto, non mirum eſt, populum redditum eſſe *bellicoſum*, (f) & animo infeſto factum erga Caſtellanos; per 200. enim annos cum illis bella geſſerunt. Inter hos itaque eſt odium plus quam hoſtile, & Portugalli neminem magis oderunt, quam Caſtellanum. Acceperunt tandem, & quidem ſuperioris ſeculi anno 80. eundem cum *Caſtellanis regem*, (g) unde magis magisque odium crevit; Caſtellani enim illos tractarunt impotenti dominatu. Tametſi autem Portugalli olim fuerint bellicoſi, paulatim tamen in mollitiem & luxum ſunt relapſi, cumprimis poſtquam inuſitata felicitate progreſſus fecere in Indiam, & commercia Indica ad ſe traxerunt. Inde creverunt divitiæ, cum divitiis luxus, cum luxu mollities & vitia alia. Hinc populus factus eſt mollis & luxurioſus, cumque ante virtutem in fortitudine bellica collocaſſent, tum cœperunt operam dare divitiis, & in his ſummum bonum collocarunt. Ita commercia opulenta mutarunt animos Portugallorum. Notat etiam hoc de ipſis HIERONYMVS CONESTAGIVS *lib. I.* Ubi enim *p.* 27. Portugallos laudaſſet ab inſigni bellicoſitate, poſt tamen longe aliud & diverſum ſubjungit judicium *p.* [illegible]. Ex quo tempore diteſcere cœperunt, ex eo fuere effœminati & molles facti, & hodie adhuc ipſis *idem eſt animus*. (h) Interim tamen quoniam

(a) *ſuperbus*) Hinc etiam ingentem numerum ſervorum, ancillarum & aliorum domeſticorum alunt. An autem hic æque ac in Hiſpania, nullis præter Magnates & Legatos licitum ſit, quando in publicum prodeunt, frequentem habere comitatum, me fugit. *Relation du voyage d' Eſpagne part. II. p.* 117.

(b) *bellicoſi*) Res adverſus Romanos præclariſſime, inprimis Viriato duce, geſſerunt. Hic a Cæpione Romano aliter vinci non potuit, quam fraudibus; duos enim ſatellites pecunia corrupit, qui Viriatum humi depoſitum perimerent. LIV. *lib.* 52. FLORVS *lib.* 7. *c.* 17. OROSIVS *lib.* 5.

(c) *pugnavit*) Henricus, cujus majores incerti ſunt, ducta in uxorem Thereſia, per ſubſequens matrimonium legitimata, ab Alphonſo rege Legionenſi, id quod tum temporis ab Afrorum dominio vacuum erat, Comitatus titulo ſub imperium accepit. Sunt, qui putant, ſub fidelitatis & ſervitiorum bellicorum lege id terrarum Henrico a ſocero eſſe datum: VASCONCELLVS econtrario in *anacephalæoſi p.* 5. Comitatum plane liberum & ne obolo quidem vectigalem fuiſſe contendit, rationem addens: *nullam enim patiebantur beneficii deductionem, vel Henrici merita, vel Alphonſi munificentia, quem ob effuſam largitatem, Hiſpani pertuſa manu Regem dictitabant.* Henricum excepit Alphonſus filius. Hujus prima expeditio in Comitem Traſtamarenſem vitricum ſuum fuit. Quo victo vinctoque & matre in captivitatem data, Alphonſum Caſtiliæ regem, qui ad Thereſiam ex carcere liberandam advolabat, inimicum nactus: ſed & hujus res in bello inferiores fuerunt, putantque illi, qui Luſitaniam Henrico a ſocero beneficii tantum pacto permiſſam fuiſſe, tradunt, hoc modo fiduciarium nexum exſtinctum eſſe. Devicit deinde Alphonſus Iſmarum, Mauris trans Tagum imperantem, qui ſibi alios quatuor gentis ſuæ regulos, infinitæ popularium ſuorum multitudini in aciem ducendæ, præſidentes junxerat. Victoriam ei, annunciante Eremita, per Servatoris noſtri miraculoſam in coelo apparitionem prædictam fuiſſe, nonnulli ex Luſitanicis ſcriptoribus, in miracula proniores, affirmant; atque addunt, Chriſtum cum Alphonſo blandiſſime ſermones miſcuiſſe, eumque ſingulari munere, ſcuto nempe, quinis vulneribus interpuncto, proſecutum eſſe; nec non juſſiſſe, ut poſtea regia titulo, ita petentibus ac faventibus civibus, uteretur. VASCONCELLVS *l. c. p.* 16. Hic autor memorat, inde obtinuiſſe, ut puncta illa, quinque Servatoris vulnera ſignificantia, in regia ex quinque parmulis, crucis formam referentibus, conſtantia, cooptata ſint inſignia. Alii quinque vulnera ab Alphonſo in proelio accepta, alii quinque vexilla hoſti detracta rei originem dediſſe, ferunt. SPENER. *oper. Geneal. part. II. p.* 281. Verum enim vero quomodocunque hæc ſe habeat res, multo certius eſt, hunc Alphonſum, claſſe ex Germaniæ, Galliæ, Angliæ ac Flandriæ populis collecta, adjuvante anno 1147. Olyſiponem Afris eripuiſſe. VASCONCELLVS *l. c. p.* 17.

(d) *Caſtellanis*) Tradunt nonnulli autores, inter Caſtellanos & Luſitanos enata eſſe bella, quod hi a vinculo fiduciario, quo illis adſtricti fuiſſe dicuntur, diſceſſerint: Verum hos refutat VASCONCELLVS in Alphonſo III. p. 73.

(e) *anno* 1479.) Pax ſub Alphonſo V. infeliciter in Caſtellanos pugnante, facta eſt. VASCONCELLVS *l. c. p.* 210.

(f) *bellicoſum*) Crebriores enim uſus faciunt artificem, & miles vulneribus aſſuetus, nec omnia eſſe lethalia ſciens, majori animo corripit arma, hoſtique obviviam it.

(g) *Caſtellanis regem*) Vid. quæ ſupra hac de re dicta ſunt.

(h) *idem eſt animus*) Quam male ſub duce ſuo Das Minas in proelio ad Alamanzam res geſſerint, in recenti omnium eſt memoria.

quoniam hodie conſpirant pro ſalute ſua contra Caſtellanos; hinc fit, ut cogantur ad animum & virtutem priſtinam relabi. Itaque hoc bellum, quod hodie ab ipſis geritur, ipſis *virtutem addet*. (a) Fuere alias tam molli & effæminato animo, ut mirum ſit, eos tam diu potuiſſe immanem ſervitutem ferre. Nec hodie tam divites ſunt, ut olim. In univerſum longa pax & res ſecundæ animos hominum emolliunt: bellum vero & res adverſæ eos luxuria & mollitie preſſos erigunt.

Quod ad religionem attinet, æque ſunt ſuperſtitioſi ac reliqui Hiſpani, quinimo in univerſa Hiſpania nunquam tanta vis obtinuit Jeſuitarum, quam in Portugallia. Jeſuitæ enim pene dementarunt populum Portugallicum; an adhuc ita res ſe habeat, neſcio. Habent tamen ibi Jeſuitæ tot collegia, quot nunquam in univerſa Hiſpania. Jeſuitæ ipſis dicti ſunt Apoſtoli, & hoc inde, quia inſigni felicitate Chriſtianam religionem propagarunt in India. Imo Johannes III. rex Portugalliæ, apud quem Jeſuitæ fuerunt in magna autoritate, eos quaſi curatores teſtamenti filii ſui Sebaſtiani conſtituit, & Jeſuitæ etiam hunc Sebaſtianum educaverunt, & malis, ſtultis & ineptis ſuis conſiliis peſſumdederunt illum cum toto regno. Apud Henricum quoque, ultimum regem Portugalliæ, tantum potuerunt, ut omnia ex Jeſuitarum ſententia agerentur. Eſt alias Portugallia parva regio, & eximiam imo propemodum tertiam ejus partem poſſidet dux *Bragantinus*, (b) quorum familia orta eſt ex familia regum Portugalliæ veterum. Hinc etiam adeo inſignem partem plagæ ſeptentrionalis acceperunt Luſitani, quæ quidem eſt ſterilior, interim tamen fovet incolas præ cæteris fortes. Habet Luſitania multas urbes, ſed non bene munitas. Accepiſtis ex novellis, eos laborare circa muniendas urbes, quæ propiores ſunt regno Caſtellæ. Reperiuntur etiam in Portugalliæ regno equites ſacri, ſed quibus licentia eſt data *connubiorum*, (c) & hoc Emanuel rex impetravit a Papa Alexandro, idque propterea, quod quidem cœlibatum foverent illi equites, viverent tamen in perpetuis ſcortationibus. De illo argumento & de ordinibus illis equeſtribus præclare diſſerit HIERONYMUS OSORIUS *lib. I.* Et quæ ibi dicit Oſorius, ad noſtros Germaniæ Commendatores ſeu Conters accommodari poſſunt. De academiis nihil eſt, quod dicam: habet præclaram academiam *Conimbricenſem* (d) ſatis celebrem & aliquot *epiſcopatus*. (e)

Notandum autem, reges Portugalliæ extra regnum ſuum late extendiſſe imperium, & florentiſſima imperia ſibi ſubjeciſſe. Regiones pertinentes ad Portugalliam *extra Portugalliam* (f) quædam victæ ſunt ante regem Emanuelem, quædam ſub eo, quædam poſt eum. Poteſt itaque Portugallia dividi in duas partes, vel in eam, quæ ante Emanuelem, vel quæ poſt Emanuelem fuit. Quod ad illas regiones attinet, quæ ad Portugalliam pervenerunt ante Emanuelem, inter illas quædam ſunt in Africa. Poſtea vero Portugalli videntes, illorum locorum poſſeſſionem rebus ſuis non conducere, pleraque ſponte ſua reliquerunt. Retinuerunt autem cumprimis tria circa fretum Herculeum 1) Tangir 2) *Septam* (g) 3) Arſiliam. *Arſiliam* (h) autem poſtea, tanquam parum

(a) *virtutem addet*) Gallorum ducibus, inprimis Schombergio debetur, quod Luſitani Caſtilianorum jugo excuſſo, his pares, imo ſuperiores fuerint. Coeterum domeſticus Portugallorum miles, ſi bellum exarſit, viginti quinque millium numerum implere ſolet.

(b) *Bragantinus*) *Europ. Herold tom. II. p.* 150.

(c) *connubiorum*) Ordo Aviſiorum olim a *Santa Maria d' Evora* compellabatur, nomen a ſede habens. Alexander VI. ei, ſibi thori legendi ſocias facultatem, anno 1496. conceſſit. Neſcio, an hoc privilegium, quod Philippus II. Portugalliæ imperans aboleverat, reſtitutum ſit. Originem anno 1146. (1147.) debet, quo autore Alphonſo I. cœpit. Sequitur Benedicti regulam, quatenus illam Ciſtercienſes habent. Cruce viridi, ad liliorum formam faſtigiata, inſignes ſunt. Hunc ordinem in Portugallia 42. Commendarias, quarum reditus 770350. ducatorum ſummam exhaurire dicuntur, habere ferunt. Supremus hujus æque ac aliorum in Portugallia ſacrorum ordinum magiſter, rex eſt. GURTLER *von geiſtl. und weltlichen Ritter-Orden p.* 108. 109. *Europaiſcher Herold tom. II. p.* 161. *Jurisprudentia Heroica artic.* 6. §. 89. 90. Secundus ordo Equitum Chriſti, a rege Dionyſio anno 1319. inſtitutus eſt, ut æque ac Aviſiorum ordo Mauris opponeretur. Nigro induti ſunt equites habitu, quem duplicata rubra & alba crux exornat. Jus ducendi uxores ab Alexandro VI, cujus bulla in LEIBNITII *Cod. juris gent.* reperitur, nacti ſunt. Omnium hic ordo ditiſſimus eſt, narratque Antonius Suſa in Portugallia liberata, ipſius 454. eſſe Commendarias. Atque de opimis ejus reditibus ex illo quoque conſtat, quod ad ſupremum ordinis magiſtrum quotannis 100000. ducati perveniant. Tertius ordo eſt equitum S. Jacobi, quem anno 1320. cœpiſſe dicunt. Sexaginta commendariæ & coronarum millio in annuos reditus ipſis adſcribitur. Hi ut tales, matrimonii expertes maneant. Erant olim quoque in Portugallia equites, quibus ab ala S. Michaelis nomen inditum. Rationem hujus compellationis refert VASCONCELLUS *l. c. p.* 21. 22. Cœterum hic ordo ante multos annos eſſe deſiit.

(d) *Conimbricenſem*) Lisbona quoque & Evora ſuas habent academias.

(e) *epiſcopatus*) Tres in Portugallia ſunt Archiepiſcopatus Liſebonenſis, Eborenſis & Bragenſis, qui cum Toletano de Hiſpaniæ primatu certat. Sub Liſebonenſi ſunt Epiſcopi Coimbricenſis, Portalegrenſis, Elvenſis & in Africa Ceutenſis, Funchalenſis in inſula Madera, Angrenſis in inſula Tercera, Sancti Salvatoris in regno Congenſi, Riberæ Grandis in inſula Capitis viridis, Angolenſis & S. Thomæ. Sub Archiepiſcopatu Bragenſi Portenſis, Guardienſis, Viſeenſis, Lamegenſis, Mirandenſis; ſub Evorenſi Pharenſis in Algarbia & Tingitanus in Africa. Habent quoque archiepiſcopum Goæ, qui Indiarum Patriarchæ nomine venit, & in metropoli Braſiliæ, quæ a S. Salvatore nomen habet, reſidet. Uterque varios ſub ſe habet epiſcopos. Conſ. *Europaiſche Herold l. c. p.* 161.

(f) *extra Portugalliam*) Vide JACOBUM TEVIUM & ANDREAM RESENDUM *de rebus a Luſitanis in India geſtis tom. II. Hiſpania illuſtrata p.* 1347. ſeqq.

(g) *Septa*) Ceuta in Hiſpanorum eſt poteſtate. Urbs tot annorum irrita obſidione, qua a Mauris cincta fuit, nobilis.

(h) *Arſilam*) Hanc anno 1471. captam, omnibus incolis in Portugalliam abductis nudarunt, relicto ibi forti præſidio: ſed jam ad Mauros rediit.

parum utilem rurſus reliquerunt. Reliqua duo loca usque huc retinuerunt,in quibus magnum momentum eſt ſitum. Accepiſtis ex novellis, Tangir a Luſitanis ceſſum eſſe *Anglis.* (a) Sunt autem hæc duo loca clauſtra freti Herculei. Septam adhuc hodie tenent, quæ eſt majoris momenti, & ſita eſt e regione Gibraltari. Tangir vero aliquantum eſt remotius. Portugalli itidem ante Emanuelem occupaverant nonnullas inſulas oceani Atlantici, nimirum *inſulam Maderam*, (b) quæ conſpicitur in tabula Africæ & eſt propinqua Luſitaniæ, cumque ante incolis careret, Portugalli illam coloniis ſuis repleverunt, & adhuc hodie conſtat coloniis Portugallicis. Non multo poſt homo Flander, ex Flandria Gallica oriundus, invenit inſulas *Azores*, (c) quæ conſpiciuntur in tabula Americæ circa gradum latitudinis 40. Cum autem ille videret,ſe non eſſe parem retinendis illis,omne jus ſuum vendidit Portugallis. Dicuntur illæ inſulæ adhuc Flandricæ,nec non Azores,quaſi dicas Accipitrum inſulæ: vocantur etiam Terceræ,a præcipua earum inſula. Has omnes fecerunt juris ſui Portugalli, & coloniis ſuis inſtruxerunt, cum ante non colerentur,& adhuc hodie ibi vivunt ſoli Portugàlli. Poſtea ſub regibus Henrico & Johanne II. alia adhuc occuparunt. Et cumprimis Johannes II. fuit avidiſſimus propagandi imperii & claſſe inſtructa cœpit legere littora Africæ,& usque ad Caput bonæ ſpei omnia occupavit.

Obſervandum etiam eſt, olim ex parte haud fuiſſe incognitas illas terras. Patet hoc ex Strabone & Ptolomæo. Carthaginenſes enim,domini Africæ & commerciis maximis utentes, illas cognoverunt; illos autem ultra promontorium Capitis bonæ ſpei perveniſſe, non legitur. Johannis vero regis auſpiciis non tantum illa pars Africæ, verum etiam reliquum littus in notitiam Europæorum pervenit. Navigatum autem eſt illud littus usque ad Caput bonæ ſpei, promontorium extimum Africæ. Dictum eſt ſic, quod Johannes rex crederet, ſe aliquando viam inventurum ad Indiam. Audierat de Venetis, quantas divitias ex India adveherent, hinc etiam ille voluit viam inquirere; non proceſſit autem amplius,usque ad hoc Promontorium & tum cœpit deſperare; expertus eſt enim ibi maximas tempeſtates,hinc Portugalli Promontorium illud vocarunt tormentoſum. Rex autem voluit, ut appellaretur Promontorium bonæ ſpei, quod ſcilicet ſperaret,viam illi forè patefaciendam in Indiam. Hucusque proceſſit Portugallorum virtus tempore Johannis II. Succeſſit huic rex Immanuel, cujus auſpiciis ſupra quam credi poteſt, creverunt res & felicitas Portugalliæ. Hic rex primum miſit claſſem quatuor navium duce *Vaſco Gama* (d) ad explorandas terras ulteriores, & hic dux usque in Indiam pervenit. Hoc cum feliciter ſucceſſiſſet, miſſus eſt Jacobus *Almenida*, (e) & huic Alphonſus *Albaquercius* (f) ſucceſſit. Jacobus Almenida nil regi Portugalliæ magis credidit conducere, quam commercia Indica, ſed Albaquercius conſilia agitavit longe alia, & credidit conducere, ſi occuparet loca munita, & ceſſit quidem hoc feliciter. Lectu ſunt digna,quæ de hoc argumento conſcripſit Oſorius. Eodem tempore regis Emanuelis,aliquis Luſitanus tempeſtate adactus eſt ad Braſiliam, quam initio non multum exiſtimarunt Portugalli, quia colebatur ab Antropophagis. Dicta fuit hæc terra S. Crucis. Ut ita, quæcunque ex eo tempore fuerunt ditionis Portugallicæ, ſint occupata tempore regis Emanuelis. Huic ſucceſſit rex Johannes III. ſub quo nihil aliud actum fuit, quam quod in regno Angolæ fuerint conſtitutæ arces & in Africa paſſim. Si in univerſum rem videas, res Portugalliæ ſub rege Emanuele fuerunt florentiſſimæ, & ſi quis acta ſui temporis legat, fidem ſuperant, & tamen ſunt veriſſima.

Dicam jam de terris,ad Portugalliam pertinentibus. Quod ad loca Africana attinet, fuere illa quaſi propugnacula Hiſpanis adverſus Mahumedanos. Facile autem apparet, ex quo tempore Tangir ceſſit Anglis, in quantum periculum ſit conjecta Hiſpania: jam enim proxime accepit Britannum potentem & claſſe valentem. Et ſi ille ſit erga Hiſpaniam hoſtili animo,poteſt maximo eſſe impedimento rebus Hiſpanicis. Alias neceſſarium eſt, ut illa terra teneatur perpetuo præſidio, quod non poteſt aliunde ali,quam ex regio ærario. Et quia ærarium Portugalliæ hodie deſinit, proniores ſunt facti Portugalli ad Tangir Anglis cedendum. Inſula Madera eſt ſaccharifera & vinifera. Azores non ſunt adeo divites, & ſi quis accuratam harum deſcriptionem velit legere, evolvat CONESTAGIVM *lib. IX.* Tenentur ibi aliquot *caſtella* (g) a coloniis Portugalliæ, quorum opera ut plurimum conſiſtit in agricultura. Pluribus eſt perſuaſum, Africam

(a) *Anglis*) Hæc ceſſio anno 1661. facta eſt: ſed Angli locum hunc majori incommodo, quam commodo ſibi fore rati, dejectis munimentis eum dereliquere.

(b) *inſulam Maderam*) Hanc aliqui Ptolomæi Cernen Atlanticam dicunt. Sub primo longitudinis & 32. latitudinis gradu ſita, longitudinem 20. & latitudinem 8. milliarium habere, circuitu vero 40. milliaria patere, dicitur. Luſitani, qui inſulam ex anno 1420. poſſident,inde vinum, mel, saccharum, frumentum aliaque terræ dona in alias tranſmittunt terras. BAVDRAND p. 622.

(c) *Azores*) Inter Hiſpaniæ & Canadæ littora jacent.

(d) *Vaſco Gama*) Vid. VASCONCELLVS in Emanuele.

(e) *Almenida*) Petro Alvaro Caprali Præfecto anno MD. in ſecunda expeditione patefacta ex occurſu eſt Sanctæ crucis terra, quæ vulgari nomine appellata Braſilia. VASCONCELLVS *l. c. p.* 265. In India autem orientali arces ædificatæ Coccini, Canunoris, Coularſi, Quiloæ, Sofalæ, Moſambici, Stucchedivæ, Socotoræ, Muhli, Armuziæ, Goæ, Pacenæ, Pedirenſis, Calecutana, Zeilandia, Malacenſis.

(f) *Albaquercius*) Hic Goam,proregum Luſitanorum ſedem,a Barbaris ſtrenue tuitus eſt, Armuziamque & Malacam Emanuelis imperio adjecit.

(g) *caſtella*) Loca in inſula præcipua ſunt urbs de S. cruce nomen habens & Fonzalium,quod Proregis ſedem conſtituit.

Africam omnem tenere Luſitanos, ſed hoc eſt falſum. Tenet enim *inſulas Capitis viridis*, (a) & habent aliquot arces in Africa circa Caput viride. In *Gvinea* Illorum eſt arx *S. Georgii*, (b) & eſt Gvinea regio aurifera. Habent deinde inſulam in regno *Angolæ.* (c) Arcem Capitis viridis nuper occupaverunt Batavi, ſed illam rurſus ſui juris per vim fecerunt Britanni. Usque adeo autem ſocietas Americana Batavica fuit valida, ut pleraque, quæ rex Portugalliæ hactenus ſive in America, ſive in Africa cis *Caput bonæ ſpei* (d) occupaverat, illi rurſus eripuerit. In Africa in regno Angolæ illi eripuerunt oppidum *S. Pauli*, (e) in quo maxime exercetur commercium hominum, & quidem ſemper maxima vis Æthiopum eſt venalis, quos tanquam mancipia emunt Portugalli, & in Braſiliam mittunt. Braſilia præterea fere tota ceſſerat ſocietati Americanæ, & quemadmodum illam ſuperaverint, legendum eſt in Hiſtoria rerum geſtarum *Principis Mauritii.* (f) Cæterum pari celeritate, qua ſocietas Americana Braſiliam occupavit, rurſus amiſit; nam pervenit rurſus in manum Portugallorum, ut & pleraque Africæ. Et hæc eſt cauſa diſſidii inter Batavos & Portugallos. Batavi dicunt, Braſiliam ſibi contra datam fidem eſſe ereptam, quod forſan ita eſt. Portugalli autem reſpondent, ſe recepiſſe, qnod illi eripuerant.

Quod Braſiliam vero attinet, eſt illa omnium regionum Portugalliæ optima & fertiliſſima. Non autem Portugallus tenet integram Braſiliam, ſed tantum littora illius regionis, cum interiora teneant *Anthropophagi*, (g) quorum quidam in fœdere ſunt cum Portugallis: alii vero hoſtili in Portugallos ſunt animo. Eſt autem Braſilia maxime fertilis ſacchari, & Portugalli arundines ſacchariferas tranſtulerunt in Americam, quæ ibi feliciſſime creverunt, & hinc opulentiſſimos proventus Portugalli accipiunt ex Braſilia. Quod attinet reliqua loca, quæ ſunt ultra Caput bonæ ſpei, occuparunt multa Luſitani, & quidem cumprimis regiam ſedem conſtituerunt in urbe *Goa*, (h) quæ eſt præcipua & regia Luſitanorum ſedes. Præter Goam plurimas arces conſtituerunt per univerſam inſulam, quinimo ſoli ibi commercia inſtituerunt usque ad annum ſuperioris ſeculi 94. Antehac aromata & alia, quibus India abundat, Europa acceperat per Venetos, qui claſſem miſerunt in Ægyptum, & ſemper naves ſuas habuerunt in mari rubro in ſinu Arabico, inde in Indiam ſunt progreſſi & aromata Alexandriam retulerunt, inde Venetias devexerunt, & hinc ſunt ortæ ingentes Venetorum divitiæ per aliquot ſecula. Simulac vero Luſitani cœperunt penetrare in Indiam, ex eo tempore illa commercia Venetorum deſierunt. Anno ſuperioris ſeculi 94. Hollandi cœperunt eo aliquot naves mittere, donec tandem plena illa ſocietas Americana oriretur, quæ tanta felicitate progreſſus fecit per Indiam, ut pleraque, quæ Portugalli occupaverant, omnia illis eripuerit. Et adhuc hodie commercia maximam partem ſunt in manibus Hollandorum, imo etiam arces & loca munitiſſima.

Aromatibus (l) abundat India, idoque Luſitani attulere piper, nuces muſchatas & cinnamomum: illam inſulam vero, ubi nuces muſchatæ naſcuntur, tenent Batavi. Inſulas *Moluccas*, (k) quæ ſolæ fere ferunt cariophyllos, tenent Batavi, niſi quod adhuc unam & alteram arcem poſſideant Portugalli. Quod piper attinet, Batavi anno hujus ſeculi 17. conſtituerunt ſibi oppidum

(a) *inſulas capitis viridis*) Hæ dicuntur Heſperides f. Gorgone & ſunt S. Jago, S. Luza, S. Nicolao, S. Vincendo de bona viſta & Portugalliæ hodieque ſubſunt.

(b) *Georgii*) Hoc caſtrum hodie ad Hollandos pertinet.

(c) *Angolæ*) In maxima hujus regni parte, quæ Luſitanis paret, Laonda S. Pauli præcipua eſt urbs. Longitudinem æque ac latitudinem ejus octoginta milliaria æquare dicuntur. Hoc ſpatium tanta hominum multitudine abundare fertur, quod Luſitani inde qootannis 20000. mancipia trahere poſſint. Ad ſeptentrionem Congam ad meridiem Mataman, ad orientem lacus Zaire & Malemba, ad occidentem mare mediterraneum jungunt.

(d) *caput bonæ ſpei*) Munimentum, qood idem habet nomen, ad radices montis, qui a menſa appellatur, ſitum, in Hollandorum eſt poteſtate. Omnes naves Hollandorum, quæ Indiam petunt, aut Europam repetunt, ibi appellunt. Temperatiſſimus hic ſpirat aer, qui haud dubie inter cauſas eſt, quod in horto, qui ſocietatis Indiæ orientalis eſt, omnis generis arbores & plantæ, quæ in toto pæne terrarum orbe creſcunt, coli queant. Vid. *le voyage* DV PERE TACHARD. & KOLBII *itinerarium part. I. p.* 52. *ſeqq.* p. 61. *ſeqq.*

(e) *S. Pauli*) Sed hodie eſt penes Portugallos.

(f) *principis Mauritii*) Vid. CASPARIS BARLÆI *hiſtoriam rerum per octennium in Braſilia geſtarum ſub præfectura Comit. J. Mauritii Naſſov.*

(g) *Anthropophagi*) Vid. BAVDRAND. *dans le dictionaire Geographique p.* 219. 220. & DAPPER IN BRASILIA.

(h) *Goa*) Eſt pars regni Decan. ab Alfonſo Albuquertio 1510. capta. Sita eſt in inſula quadam, quam formant flumina Mandoua & Guari. Quinque defenditur caſtris, & portu gaudet celeberrimo, qui cum Conſtantinopolitano & Tulonenſi omnes alios ſuperare dicitur. Eſt hic tribunal inquiſitionis & magnus Jeſuitarum confluxus. Denique inter maxima hujus urbis memorabilia refertur hoſpitale, qnod omnibus aliis ubicunque etiam ſint, anteferendum dicunt.

(i) *Aromatibus*) Vid. *Hiſtoire des Indes orientales par* SOVCHV DE RENNEFORT. *Hiſtoire des drogues epiceries & medicamens ſimples, qui naiſſent es Indes, traduite du latin de Charles de l' Ecluſe par* Colin.

(k) *Moluccas*) Inſulæ Moluccæ dividuntur in magnas & parvas. Illarum magnus eſt numerus, dicunturque ſeptuaginta earum Regi Ternatenſi ſubeſſe. Quod ad parvas attinet, illæ olim inter Caſtellanos & Portugallos admodum erant controverſæ. Hodie reguli, qui ipſis præ ſunt maximam partem ſub Hollandorum ſummo ſunt imperio. Veniunt autem Moluccarum ſtricte dictarum nomine Ternate, Tidoro, Motir, Machian & Bachian, quæ, non multum a ſe invicem diſtantes, cis aut trans æquatorem ſunt.

pidum in illa inſula, ubi piper optimum creſcit, vocatur illud oppidum *nova Hollandia.* (a) *Ceilon* (*) inſula una ſert cinnamomum, quæ eſt inſula omnium npulentiſſima & feliciſſima in toto terrarum orbe. In illa habuerunt adhue Portugalli oppidum, ſed ante annos 6. illud eripuerunt illis Batavi, indeque pulſi ſunt Portugalli, & jam nmnia commercia ſunt in manibus *Batavorum.* (b) Uno verbo: iſthuc redactæ ſunt res Portugallicæ per Indiam, ut amplius ſe tueri nequeant, oam pene ad incitas ſunt redacti. Et hæc eſt cauſa, quare Luſitani quærant amicitiam Anglorum. Inter hos enim & Batavos ſunt æmulationes maximæ. Angli invident Batavis maxima commercia, contra Batavi iniquo ferunt animo, Anglos ad ſe etiam commercia illa velle trahere. Hactenus tamen Angli arcem nullam in India habeot, ſed commercia inſtituunt precario, Batavi vero jam per vim ad ſe rapuerunt *commercia.* (c) Si jam legeritis hiſtorias Indicas, cooſcriptas aooo ſuperioris ſeculi 15. 20. 30. 40. non debetis exiſtimare, adhuc eſſe eandem rerum Portugallicarum faciem: ſed jam inde longe alia rerum eſt conditio, & quæ tum ibi tenebant Portugalli, iis jam ſunt exuti, ita ut jam majora commercia ibi Angli inſtituant, quam Portugalli. Si quis etiam legerit librum LAETII *de republica Hiſpanica* aut *de republica Luſitanica*, apparebit, quanta ſit facta omnium rerum mutatio. Et vero fortuna Portugallorum per Indiam magis magisque decrevit. Videtur autem Deus optimus maximus Portugallis eſſe inſenſus propter multa vitia, quibus abuodant, & quæ exercuerant in America & Aſia. Quid impoſterum ſit futurum, Deo relinquimus. Poteſt is aliquando caſtigare Batavorum ſuperbiam, quod non rectius poſſit fieri, niſi per Anglos. Superſunt tameo etiam Portugallis loca eximia, ſed ſi fortunam veterem reſpicias, jam pæne ad incitas ſunt redacti. Et hæc eſt ratio, quod vix in novellis narretur de navibus, quæ in Portugalliam venerunt ex India orientali. Supereſt & ipſis Goa, ſed aliquandn narratum eſt in novellis, ipſam urbem Goam teneri obſeſſam a Batavis, quod ſi ita eſt, actum profecto eſt ipſi de univerſa re Portugallica. Urbis Goæ aceuratam deſcriptionem habemus in *itinerario* ALBERTI A MANDELSLO, qui in Indiam commigravit: hic opuleotiam *deſcripſit Goæ.* (d) Præterea etiam non tacuit *vitia maxima*, (e) quæ ibi fuerunt frequentiſſima, & ſane non poterit quis absque indignatione legere de maximis illis vitiis, quæ ibi io vigore fuerunt.

Certum autem eſt, Portugallos admodum fines ſuos dilataſſe, ut jam in præcedeotibus diximus. Fortaſſis autem haud immerito quæri poteſt, utrum expediverit Portugallis, ita dilatare fines ſuos, an vero profuiſſet, manere iotra anguſtos antiqui imperii limites. Nonoullis hæc quæſtio poteſt videri inanis. Prudentior quis merito dubitaverit, utrum hoc Portugallis profuerit: in lata enim potentia non eſt ſita alicujus reipublicæ felicitas. Nam ſæpenumero illæ respublicæ, quæ longe lateque dominantur, multo infeliciores ſunt, quam quæ minus habent latum imperium. Certe imperii Romani magnitudo maximo fuit vitio. De hoc argumento nuper dixi in examine reipublicæ Hiſpanicæ, num illi profuerit, occupaſſe Americam atque, tot colonias conſtituiſſe. Antequam autem de Portugallia dicam, certæ quædam hypotheſes, quibus obſervatis facillimum erit judicare de toto hoc negotio, præmittendæ erunt. Obſervandum itaque eſt, primo imperium aliquod dilatari vel quæſtus faciendi, aut *potentia extendend* (f) gratia. Nonnulli populi ſoleot extendere ſuos limites, ut quæſtum faciant majorem. Et vero mercatores huic maxime ſtudent; collocant enim ſummum bonum in divitiis, quicquid ergo ad divitias facit, probant, cootrarium vero non item. Qui in potentia collocant ſummum bonum, tametſi noo capiant lucrum, late tamen imperare volunt. Videndum jam, an Portugalli quæſtus vel potentiæ cauſa extenderint ſuum imperiom. Eſt autem & hoc notum, ſi respublica quoddam detrimenti capit ex lato imperio & nimis remoto, potius conducere reipublicæ, ut minus lati ſint fines, quemadmodum de Auguſto obſervatur, qui latum imperium Romanum contraxit in eertos terminos. Notandum igitur etiam eſt de Portugallis, an illi

potueriot

(a) *nova Hollandia*) Optimum piper in littore Malabarico creſcit. Sed quod ibi urbem tali nomine habeant, ignoro. Habent in regno Canonorio Cananorum, in Cochino Cochinum. DAMPIER. *itiner, tom. II. p.* 344. In regno quopue Negapotano, quod eſt littoris Cormandelici portio, piper creſcit. Exſtructum eſt in hoc regno ab Hollandis munimentum, cui Geldriæ nomen eſt inditum. Quantum mihi conſtat, tres tantum ſunt novæ Hollandiæ 1) continet magnam terrarum Auſtralium regioueu, quam Hollandi 1644. invenere, ſed ſedes ibi non fixerunt. 2) Peninſula, quæ eſt inter inſulam Canadam & novum Belgium. Hæc terra hodie ad Anglos ſub nomine Eboraci novi pertinet. 3) Parva terræ portio ad fretum Weigaz e regione novæ Zemblæ ſita. BAVDRAND, p. 527.

(*) *Ceilon*) Conf, SAARS *funff zehnjährige Oſtindiſche Kriegsdienſte p. 55. ſeqq.*

(b) *Batavorum*) Penes hos etiam eſt Malaca, quæ regni Siamenſis portionem conſtituit. Hæc peninſula, quæ olim aurea dicebatur Cherſoneſus a Portugallis anno 1511. occupata, anno 1641. in Hollandorum venit poteſtatem. Præter aurum & adamantes variaque aromata hic quoque piper legitur.

(c) *commercia*) Lumen rei conciliant, orationes, quas Cancellarius Angliæ Shaftsburi anno 1672. in Parlamento de neceſſitate belli Hollandis inſerendi habuit.

(d) *deſcripſit Goa.*) Vid. TAVERNIER *Itinerarium Indicum c.* 13.

(e) *vitia maxima*) *lib. II. p.* 85. *ſeqq.* Confer quoque TAVERNIERVM *l. c.* Quam maxime autem illos ſuperbia exagitat, Luſitani enim in Indiam contendentes, ex quo caput bonæ ſpei prætergreſſi ſe nobiles credunt. Hinc plerumque per ſcomma capitis bonæ ſpei nobiles vocantur.

(f) *potentia extendenda*) Nonnunquam tamen de limitibus quis extendendis ſolicitus eſt, ut eo majorem a potentiori vicino ſecuritatem habeat. De conſignavit libello, in quo Auguſtus ſua manu, opes publicas, quantum civium ſociorumque in armis, quot claſſes, regna provinciæ, tributa aut vectigalia & neceſſitates ac largitiones, addito conſilio coercendi intra terminos imperii incertum metuagit an per invidiam TACITVS *lib. I. Annal. c. XI.*

potuerint propagare imperium ſine detrimento. Stultum alias ſane eſt, aliis eſſe formidabilem foris, domi vero ſibi ab aliis metuere, quando domi non ſatis eſt tutus, inſanit, ſi aliis velit eſſe formidabilis. Obſervandum itaque eſt, quemadmodum domi ſit conſtitutum. Obſervandum etiam de Portugallia, an domi ſit tuta & aliis formidabilis. His poſitis facile poteſt definiri, quid ſit ſentiendum de conatibus Portugallicis. Accepiſtis Jacobum Almenidam, qui miſſus fuit a Rege Emanuele in Indiam orientalem, ſuaſiſſe tantum, commercia ſtatim debere libere fieri, & hoc conducere: Alphonſus autem Albuquertius contra exiſtimavit, tum demum fore felices Portugallos, ſi varias haberent arces & urbes in India, quibus poſſent domare & in officio continere barbaros. Poteſtis hoc late legere *in hiſtoria vitæ Regis Emanuelis*, quam deſcripſit Hieronymus Oſorius. Breviter itaque ſic habete, quod quæſtum quidem attinet, verum eſt, ſiquidem in conſervationem & ſtructuram arcium non multum ſit impendendum, ſufficere ad quæſtum, ut etiam populus quaſi nulla arce ſit inſtructus, modo quosdam *habeat faventes*, (a) cum quibus vult commercia inſtituere: ratio eſt, quia multa in arces ſunt impendenda, tum ſæpenumero etiam impenſæ ipſæ ſuperant cenſum, ſtolidum autem eſt, res ſuas ita comparare, ut ſumptus ſuperent cenſum. Quod autem res Portugallicas attinet, Portugallis utique ſemper fuere ſtruendæ arces magnis impenſis, majoribus vero ſumptibus conſervandæ, quia initio etſi Indi erant imbelles, paulatim tamen facti ſunt bellicoſiores, & cumprimis poſtquam eo cœperunt deferri arma Europæa; deinde populus initio nihil ſibi verebatur ab arcibus, poſtquam autem ſunt exſtructæ arces, populi illi, qui illas exſtruxerunt, ſemper fuerunt inviſi Indis. Hi enim viderunt, arces illas ſibi admodum fuiſſe infeſtas, quare, quia arcibus nituntur, omnibus ſunt valde exoſi.

Obſervandum autem eſt, in India orientali & in Africa ingentem eſſe hominum multitudinem, quæ prævalet arcibus illis, quæ hic vel ibi exſtruuntur, cumprimis conſervatio arcium Luſitanis cœpit eſſe *gravis*, (b) cum in India ab Hollandis & Anglis cœperunt inſtitui commercia. Unde etiam ventum eſt ad arma, & bellum atrox inter Portugallos & Hollandos eſt ortum, unde conſervatio arcium Portugallis facta eſt perquam difficilis. Teſtatur Coneſtagius, ſuo ævo circa annum 1580. coactos fuiſſe Portugallos, quotannis in conſervationem arcium millionem ducatorum impendere; quanto majores ſumptus fecerunt, poſtquam eo venerunt Hollandi & Angli, quod factum anno 1594. Ex eo tempore Batavi ſedem & pedem fixerunt in India, & dubiam fecerunt fortunam Portugallicam, donec ante annos 20. omnia ſunt compoſita inter Anglos & Portugallos, inter quos antehac fuerant bella graviſſima; Angli enim tum temporis juvabant Batavos.

Quod quæſtum itaque attinet, non videtur ex re eſſe, uti ad hunc modum ſtabiliuntur commercia, arcibus exſtructis & milite præſidiario, niſi reſpublica iterum poſſit multum lucri capere, quod tamen non fit ſemper. Hæc eſt ratio, quare prudens ille Legatus Regis magnæ Britanniæ Jacobi, ad magnum Mogolem, Thomas Roë Anglis diſſuaſerit, ne arces in India ſtruerent, ſed omne illud, quod per Anglos in India geritur, per mercatores geritur, qui tantum curant quæſtum. Igitur quia hoc fit, dixit Legatus, melius eſſe, ſi non dent operam exſtruendis arcibus. Eadem etiam de cauſa quidam nomine Uſſelm, in libro Argonauticorum Suecicorum ſeu Guſtaviaorum, itidem diſſuadet arcium exſtructionem; nam ille propoſitum ſibi habebat quæſtum, arcium autem conſervatio eſt ſumptuoſa, quomodo iterum exhauritur, fructus perceptus. Verum quidam non tam ſpectant quæſtum, quam potentiam, ut multi Principes: veriſſimum autem hoc eſt; ſiquidem tu alibi ſis potens, domi autem impotens, admodum imprudenter eſſe ut factum. Et vereor, ne etiam tale quid contingat Portugalliæ; domi enim hæc eſt facta impotentior, cumprimis, quia paulatim penuria hominum laborare cœperit, & hoc propter multas inde eductas colonias, ad bella & claſſes, quæ etiam magnam vim hominum abſumunt. Res autem Portugallicæ antehac domi fuerunt multo meliores, quam nunc ſunt. Potuit enim in aciem producere Portugallia 50000. imo 100000. hominum. Hodie admodum ſunt pauci, & mirum eſſet, ſi hodie in aciem poſſet educere 20000. *peditum*, (c) quod indicat, domi eos factos impotentiores, cumprimis cum bella gerunt cum Batavis, qui longe ſunt populoſiores, quam Portugalli, & facile illuc imo libenter & varii homines confluunt, propter libertatem ſive veram ſive in ſpecie talem. Præterea eo confluunt propter commercia, & alias vitæ ſuſtentandæ rationes. Hollandia etiam abundat hominibus, quia variæ religiones ibi tolerantur. Diverſum ab his fit in Portugallia, ubi tantum religio Pontificia toleratur. Apparet ergo maximam harum regionum eſſe diverſitatem. Videntur etiam hac parte Hiſpani peccaſſe, melior tamen eſt conditio Hiſpanorum, quam Luſitanorum, idque propterea; quoniam Hiſpani, poſtquam occuparunt Americam, ſemper fuerunt in poſſeſſione tranquilliſſima, quia populum Ameri-

(a) *habeat faventes*,) Sed favor & amicitia hominum multis ſæpe ſubeſt mutationibus; atque ſic major in munimentis, quam in hominum favore & amicitia eſt ſecuritas. Probe tamen hic ad populi genium eſt reſpiciendum.

(b) *gravis*) Sed ſi arcibus non fuiſſent iuſtructi, haud dubie citius inde pulſi eſſent.

(c) 20000. *peditum*) Vide quæ ſupra hac de re dixi.

Caſtellanis Regibus alia cœpit facies rerum fieri, & non aliter ſive ad alium ſcopum eſt adminiſtrata Portugallia, quoniam in quem ſcopum ſunt adminiſtratæ reliquæ regiones Hiſpanicæ. Habita enim eſt Portugallia quaſi provincia Caſtellanorum, & fuit non minus libera quam regnum Caſtellæ, quamvis antea fuit regnum liberum, &, licet acceperint hæ duæ regiones unum Regem, non debuit tamen haberi Portugallia, ut provincia Caſtellæ. Itaque quod nuper diſſerui de ſcopo imperii Hiſpanici, quemadmodum ſeſe habeat, id & hic in Portugallia habet locum; adminiſtrata enim eſt ad commodum regentis.

Produxi jam tum ex parte querelas Luſitanorum de duro regimine & omnibus juribus violatis, quod indicat, rempublicam eſſe adminiſtratam, non in commodum populi, ſed in dominantium Caſtellanorum. Quod attinet tertium tempus, ex quo proprium accepit Regem, quod factum anno hujus ſeculi *XL.* (a) menſe Decembri cœpit nova rerum facies, & videtur dicendum, quod tum redierit priſtina fortuna reipublicæ, & cœpit regi cum ad utilitatem populi, tum etiam dominantium, cujus indicium eſt ingens amor populi erga ſuum Regem. Et tametſi populus Portugallicus ſenſerit magnum damnum, & vixerit in magno periculo, non deſiit tamen amare ſtatum præſentem, quod ſi fit, indicium eſt, populo eſſe bene, & hoc fit, *ſi populi commodum quæratur.* (b) Audiviſtis, quam nihil potuerint efficere Hiſpani contra Portugalliam, *licet nullis auxiliis munitam*, (c) cum nullum habeat Hiſpanus hoſtem, & tamen nihil poteſt contra exiguam regionem, propterea quia populus amat ſtatum præſentem, & hoc eſt indicium, quæri ſalutem populi, nemo enim amabit ſtatum malum. Quales fuerint res Portugallicæ tempore Emanuelis Regis, patet ex lectione rerum Portugallicarum. Tum vero etiam populi fuit ratio habita, & illius ſalus etiam maxime eſt quæſita, imo tum feliciſſime floruit Portugallia. Hodie, poſtquam regimen rediit ad Ducem Bragantinum, inſtitutio regiminis rediit ad priorem modum. Fuiſſe autem hoc ipſum juris, ut etiam respublica conſtitueretur ad utilitatem populi, liquido apparet ex legibus, in quas jurare debuit Philippus, cum occupaſſet regnum Portugalliæ anno ſuperioris ſeculi 80. Videri illa poſſunt apud H. *Coneſtagium lib.* 8. (d) ubi illas producit leges, quas ſe obſervaturum Rex Philippus ſancte promiſit. Manifeſto autem ex his apparet, omnia tum fuiſſe inſtituta ad utilitatem cum populi tum etiam Regis. Quemadmodum ſub Caſtellanis ſe habuerit ſcopus reipublicæ Portugallicæ, docere poterit *Coneſtagius lib. ult.* (e) primo enim momento ſtatim res aliter inſtituit Philippus. Deinde magis magisque respublica illa degeneravit. Cogimur hac in parte ſequi querelas Luſitanorum, quæ habentur in libro, cui titulus: *brevis diſſertatio &c.* qui etiam eſt additus *lib. de republica Luſitanica* in Batavia edito. Ex hoc apparet, ſiquidem ipſis Luſitanis ſit adhibenda fides, non poſſe aliter judicari, quam rempublicam eſſe adminiſtratam, cum ſummo incommodo populi ad utilitatem tamen dominantium. Magis etiam hoc apparet ex libello, qui germanice verſus de motibus Luſitaniæ, ex quo conſtare poteſt, rempublicam inſtitutam eſſe ex utilitate dominantium contra leges. Poteſt autem respublica adminiſtrari ad utilitatem dominantium vel juxta, vel contra leges. Si priori modo adminiſtretur, non quidem eſt tyrannicum, quia legitimum; quando vero adminiſtratur contra leges, eſt tyrannicum. Si fides eſt Portugallis adhibenda, regimen Hiſpanicum *fuit tyrannicum* (f) compoſitum ad utilitatem dominantium contra leges. Adparet hoc primo ex

(a) *XL.*) *Deſcription de l' univers par* MALLET *tom. IV. p.* 320.

(b) *ſi populi commodum quæratur*) Nihil magis in odio, quam peregrinum ſolet eſſe jugum, [illegible]minus ſæpe toleratur malum, ut a majori liberi maneamus.

(c) *licet nullis auxiliis munitam*) Gallorum tamen & Anglorum milite & ære adjutum eſt.

(d) *Coneſtagius lib.* 8.) *tom. II. p.* 1283. *Hiſpan. illuſtrata* Philippus II., artium regnandi peritiſſimus, populum donis, & quamplurimos ex proceribus & nobilitate muneribus & honoribus pellexit. VASCONCELLVS p. 347. Quum tamen liberalitas ejus & munificentia non omnium reſponderet votis, non pauci alieno magis ab eo cœperunt eſſe animo, inter quos etiam Bragantinus, nondiu deinde ſuperſtes, & Marchio villæ regalis erant. Conf. CONESTAGIVS in fine libri IX.

(e) *Coneſtagius lib. ult.*) Non memini, me in libro X, qui ultimus eſt, hujus argumenti aliquid legiſſe: ſed in eo potiſſimum agitur de inſulæ Terceræ occupatione.

(f) *fuit tyrannicum*) Archiminiſtrorum Hiſpaniæ imprudentia & ſuperbia potiſſimum hic peccatum eſt, quoniam duriſſimo Luſitanos tenuerunt ſub jugo, & vatinianum avitumque, quo Luſitani in Caſtellanos ferebantur, odium graviter inde auxerunt. Ex longo jam tum tempore Caſtilianorum oppreſſionibus feſſi, obſequium, quo his devincti erant, exuere moliebantur. Agebant tantum arcanis conſiliis de liberatore, quem in Joanne Bragantino, quippe qui veteres Portugalliæ Reges neceſſitudine attingebat, tandem reperire cogitabant: Verum hic, prudentiæ locum dans, diu hæſitavit aut hæſitare ſimulavit, an ſpem aliquam popularibus ſuis præbere vellet, fore, ut collatum acceptaret Regnum. Interim indies magis averſo in Caſtilianis cœperunt eſſe animo, cum Olivarezius, Philippi IV. juventute mollitie & facilitate abutens, novum in Vasconcello mancipio ſuo, quem ibi rebus ſub vice-Regina gerendis præpoſuerat, calamitatibus addidit incrementum. Huic accedebat, quod Luſitanicam Nobilitatem ad arma, Catalaunis, qui jugum excuſſerant, ſub Rege Philippo inferenda, idem excitaret Archiminiſter. Verum Nobiles has technas in ſuum tendere exitium rati, majori inde in Caſtilianos & aulam Hiſpanicam inflammabantur odio, & de excutiendo jugo conſilia maturanda eſſe credebant; præſertim cum jam bello Catalaunico, cui ſe Galli immiſcebant, vires Hiſpaniæ diſtraherentur, & ſi ulterius rem traherent, accidere poſſe, ut Hiſpani, qui fidem eorum ſuſpectam habebant, Catalaunicis rebus compoſitis, omnem in ſui perniciem Luſitaniæ immitterent militem. Ducebantur quoque Catalaunorum exemplo, ſibique ipſis, quod ita ad fortiter agendum & patiendum pro patria torperent, vitio vertebant

ex eo, quod tributa iotolerabilia coacti fuerint ſolvere Portugalli in luxum dominantium, jam vero tributa ſi conſerantur a populo ſecundum leges io uſum regoi, juſtum eſt, ſi vero id fiat in luxum, & in uſum dominantium, eſt injuſtum & contra leges. Herile eſt, ſi rex erigat tributa pro ludibriis vanitatibus &c. ſi etiam id fit contra leges, eſt tyrannicum. Io univerſum, in bene conſtituta republica noo debent tributa excedere facultates civium, ut etiam ſubditi poſſint ſatis beate vivere, ſi vero ſupra modum tributa exigantur in uſum dominantium, tyrannicum id eſt, ſi fiat etiam contra leges. Digoitates, quæ alias debeotur bene merentibus, conferre iis, qui plus pecuniæ afferunt, & ita dignitates vendere, non eſt tolerandum in ulla bene conſtituta republica, & ſi id fiat contra leges, eſt tyrannicum. Ex bonis ſubditorum venditis quatuor partes capere & quintam adhibere in uſum regni, eſt tyrannicum. In Portugallia promiſerat Rex ſe omnem militem Luſitanicum relicturum in Luſitania, & non uti velle inſtrumentis bellicis, niſi ad uſus Luſitaniæ. Jam Hiſpanus, qui hæc omnia promiſerat, omnia adhibuit in uſum regni Caſtellæ, in quem etiam vertit 7000. tormenta. Ergo tyraonice egit. Hiſpanus quoque ditionum Portugallicarum noo magnam habuit rationem, majorem tamen habuit, ut regnum Caſtellæ defenderet, minus defendit Luſitanos, ſed arcibus Luſitanicis uſus eſt ad defenſionem Caſtellæ. Verum eſt, quod oon licuerit Regi leges antiquas & conſuetudines infringere: jam vero ſi hic Luſitanis credendum, Hiſpanus in meram provinciam conatus eſt redigere Luſitaniam, contractis & rejectis omnibus *legibus & antiquis conſuetudinibus*, (a) quod eſt vere tyrannicum. Revera enim regnum Luſitaniæ erat regnum *diſtinctum* (b) a regno Caſtellæ, & erat plane ſui juris, & non ſe ſubjecit regno Hiſpaniæ. Igitur iniquiſſimum erat: Regem Hiſpaniæ miniſtros Caſtellanos dare Portugallis. Siquidem ergo his querelis credendum, ut plane ego non dubito, apparet, tempore Hiſpanorum rempublicam eſſe adminiſtratam ex utilitate dominantium, & cum id factum ſit contra leges, etiam tyrannice.

Quod attinet formam reipublicæ, videtur illa magna ex parte fuiſſe monarchica, idque ideo, quoniam pleraque jura ſive poteſtates potuerunt libere inconſulto populo adminiſtrari a Rege. Habuit enim Rex potentiam ferendi leges *magna ex parte*, (c) habuit item poteſtatem *belli & pacis*: (d) habuit poteſtatem conſtituendi Magiſtratus, habuit poteſtatem conſtituendorum

tebant. Audiamus hac de re prudentiſſimum NANIVM *in hiſtoria Veneta p.* 544. 545. loquentem: *Ma la ſteſſa congiuntura*, inquit, *ſervì a Portogheſi, per iſvegliare in loro gli antichi penſieri, onde molti nelle private converſatione, ſoliti a frequentemente lagnarſi, che un Regno famoſo, & eſteſo nelle quattro parti del Mondo, foſſe ridotto in Provincia, e divenato appendice al Dominio de' loro naturali nemici, hora conſideravano la Nobiltà oppreſſa, il popolo conculcato, e per le geloſie del Conte Duca ſnervato il Paeſe, i Grandi perſeguitati; infranti i privilegii, e sfigurata quell' imagine, che al Portogallo reſtaua, di libertà, ed' apparente decoro. Paſſando poi dalle querele de' tempi al rimprouero di loro ſteſſi, quaſi che ne' Portogheſi mancaſſe quell' ardire, e quel cuore, che coſi altamente nobilitava il popolo Catalano. Dimſavano la facilità d' eſeguire ogni grande attentato, retti da una Donna, e da vn odiato Miniſtro con pochi preſidii, e provisioni minori in tempo, chera tutta la Spagna commoſſa, le forze diſtratte, il Re impotente a reſiſtere in tante parti, e pronta la Francia al ſoccorſo Margherita, Infanta di Savoia ſoſteneua il titolo di Vice-Reina, il governo però riſiedeva in alcuni Caſtigliani, & in particolare nel Segretario Vaſconcellos, che le aſſiſteva, e che, confidente dell' Olivares, e dal ſuo favore innalzato, tutto tirava alle di lui maſſime, d' abbaſſare i grandi, e d'eſercitare aſſoluto comando.* Atque hic quoque rerum humanarum mirari poſſumus incertitudinem. Id quod Olivarezius ſibi natum credebat, ad contuodenda potiora Hydræ Luſitanicæ, ut loquebatur, capita, in propulſum a gentis illius humeris Hiſpanicum jugum evadebat. Suaſerant nonnulli ex ſanctioribus Philippi miniſtris ut miles, qui in Catalanos parabatur, ex improviſo in Portugalliam effunderetur, atque ita genti illi, quam magis magiſque nova moliri Margaretha codicillis ſuis docuerat, vires adimderentur; quominus ab ipſa in poſterum aliquid timendum foret, aut ad minimum Joannes Bragantinus dux armata manu in caſtrum aliquod, ubi ſub Caſtilianorum cuſtodia abduceretur: ſed Olivarecius perfecte malus eſſe ignorans, omnia fictionibus & calliditatibus machinationibusque ſecretioribus effici poſſe ſibi, perſuaſum habebat. Hinc Bragantinum ſummis, quos ei offerebat, honoribus, in aulam Hiſpanicam, inde in captivitatem attrahere annitebatur; & cum perciperet, calidiſſimum illum Principem has ſuas oleſacere artes, alio modo rem aggrediendam eſſe rebatur. Igitur ipſum ſub Conneſtabilis nomine copiis Hiſpanicis, quæ in Portugallia erant, præfecit, ut hoc modo, ſi vi officii ad milites luſtrandos, aut inviſenda caſtra accederet, in cuſtodiam compingeretur, quam in rem illis, qui caſtris & copiis præerant, arcana dederat, mandata: ſed omnes illas evitavit machinationes Bragantinus, ad res gerendas ubique nauſeantem, & vitæ privatæ venandique tantum ſtudio ſe addictum fingens.

(a) *legibus & antiquis conſuetudinibus*) FRANCISCVS GOVEANVS in libro cui titulus: *fidelidad de los Portugueſes lib. II. tit. V. art. VII.* poſtquam inter Caſtilianæ Tyrannidis ſigna novorum tributorum impoſitionem retulerat, eidem adſcribit claſſi, quod Portugalliæ Regno, contra fidem, quam Philippus II., cum regnum adipiſceretur, per Oſſunenſem Ducem dederat, & deinde in conventu Ordinum Thomavienſi confirmaverat, privilegia, exemtiones, libertates, inſtituta, antiquæ conſuetudines ademtæ ſint. Huic accedebat, monente eodem autore, quod in eo quoque fidem fallerent, quod rem Luſitanicam non uni ex regia familia adminiſtrandam darent, officia & bona non Luſitanis, ſed Caſtilianis aliiſque peregrinis conferrent, cauſas Portugallicas ad extranea traherent fora. Pergit deinde idem autor & iam hoc ut tyrannicum quid & promiſſis repugnans notare, quod nummos, apparatum bellicum & militem aliorſum, quam in regni Luſitanici defenſionem converterint.

(b) *diſtinctum*) Philippus I. jurejurando fidem adſtrinxerat, fore, ut Portugallia res ſuas ab Hiſpaniæ regnis ſeorſim ſemper haberet, nec alium terrarum harum futurum eſſe nexum, quam ut ſub uno eſſent Rege: verum Hiſpaniæ Reges datæ fidei incurioſi, Luſitaniæ regnum ut Caſtiliæ acceſſorium habuerunt. Hanc in rem manifeſtum, ut vocatur Portugallicum hæc habet: *Tudo ceſſou com a uniaon de Caſtella, porque avendoſe incorporado ambos Regnos in huna monarchia.*

(c) *magna ex parte*) Sed in partem legum, ad totum populum attinentium, ferendarum Ordines regni veniebant. Sed forte major hodie hic eſt Regis poteſtas.

(d) *belli & pacis*) Et hoc jus æque, ac jus foederum & mittendi Legatos, nonniſi ſuffragantibus Ordinibus a Rege adminiſtratum eſt. *Europaiſcher Herold tom. II. p.* 158. 159.

dorum judiciorum in conſulto populo: non tamen habuit poteſtatem cundendi leges, aut adminiſtrandi rempublicam, niſi ad utilitatem populi. Ergo adminiſtratio, licet fuerit monarchica; tamen non plane fuerit libera, ſed quantum illa vergere potuit ad utilitatem populi, de reliquo fuit libera, ſaltem magna ex parte. Habiti autem ſunt conventus populi, ſi graviora tributa *erant indicenda:* (a) Sic etiam populi conſenſus fuit invocandus. Quando etiam grave aliquod bellum fuerit gerendum, atque hoc ipſum indicat, olim quidem *non fuiſſe* (b) omni ex parte regimen monarchicum. Leviora vero bella inconſulto populo ex arbitrio Regis gerebantur.

Quod collationem Magiſtratuum eccleſiaſticorum attinet, illa non videtur fuiſſe libera, & fortaſſis ne hodie quidem eſt libera, nam in regno Portugalliæ collegia Canonicorum potuerunt nominare Epiſcopos: jus vero conſtituendi fuit penes Pontificem Romanum. In Hiſpania idem hoc obtinuerat, verum indultu Adriani Papæ Carolo V. etiam fuit conceſſa collatio Archi-Epiſcoporum & Epiſcoporum. Portugallia autem nondum erat conjuncta Hiſpaniæ. Non audivi autem Papas ex eo tempore aliquid hac in re juris conceſſiſſe Regibus Hiſpaniæ, quoad Portugalliam. Quia contrarium videtur adparere. Luſitani vero acerrime hanc cauſam egerunt apud Pontificem Romanum, & petierunt Epiſcopos in vacua loca ſubrogari. In quo tamen hactenus Papæ noluerunt Luſitanis morem gerere. Quapropter plurimi Epiſcopatus hodie vacant, conqueſti hac de re ſæpiſſime ſunt Luſitani, ſed *hactenus fruſtra.* (c) Extat libellus elegans inſignis illius Mathematici ISMAELIS BVLLIALDI pro Eccleſiis Luſitanis ejus argumenti, ut ſi pergat Papa, & nolit conſtituere Epiſcopos, ut ipſi tandem in conſulto Pontifice Epiſcopos conſtituant. Eſt libellus aliquot plagularum, & ni fallor, Argentorati excuſus. Patet ergo, quod in regno Portugalliæ plus juris ſcripſerit Papæ, quam in Hiſpaniæ regnis. Et ſi pergat ita Papa miſeros Luſitanos torquee, tandem poſſet fieri, ut omnia *ſacra ceſſarent,* (d) quia Luſitanis eſt perſuaſum, nulla ſacra eſſe legitima, niſi habeantur in ſacrificulis Papiſticis, nullos autem Presbyteros eſſe legitimos, niſi ordinatos ab Epiſcopo, nullos vero Epiſcopos eſſe legitimos, niſi conſtitutos ab Archi Epiſcopis, & hos non eſſe legitimos, niſi confirmatos & conſtitutos a Papa. Eſt vero hæc *inanis perſuaſio,* (e) ut etiam oſtendi in libello, cui titulum feci *Defenſio Eccleſiæ Proteſtantium.* Cauſa vero hæc eſt, quod Pontifices Romani nolint offendere Regem Hiſpaniæ, & propterea parum curant Luſitanos. Obſervaſtis autem fortaſſis ex novellis, Papam jam ſibi metuere, ne jam propterea Luſitani nuncium mittant papiſticæ religioni: verum id non facile fiet, ob nimiam eorum ſuperſtitionem.

Tametſi autem ita, ut jam eſt dictum, adminiſtrata ſub Hiſpanis Portugallis, ad utilitatem dominantium, habita tamen eſt aliqua ratio populi, ut fieri etiam ſolet in Tyrannide, ſed per accidens nec omnia mutata ſunt: Retinuere enim ſacra ſua Portugalli. Habent enim *Archiepiſcopos tres,* (f) quibus poteſt addi quartus *Goenſis* (g) in India. Habent autem hi proventus eximios, & creduntur eſſe reditus *cleri ſuperiores* (h) ordinariis *reditibus regni,* (i) imo etiam Magnatum regni reditus æquare credo reditus Cleri. Obſervandum autem eſt etiam ſub Caſtellano regimine raro aliquem ad Archiepiſcopatum & Epiſcopatum admiſſum eſſe, quod non eſſet Luſitanus, ſed factum id ſtudio Romani Pontificis, qui non audet alium præter pacta conſti-

(a) *erant indicenda*) Erat itaque inter præcipuas Luſitanorum querelas, quod Philippus inconſultis Ordinibus, nova & quidem gravia indixiſſet tributa. *La primera fue de los nuevos y exceſſivos tributos,* inquit VELASCVS DE GOVEA in libro qui inſcribitur *fidelidad de los Portugueſes lib. II. tit. V. art. VII. p. 373. que impuſo ſin conſentimento del Regno junto en cortes; como en la ſal, en el acucar, en la carne, y vino, en el accrecentamento de las ſiſas, y en las provisiones de los officios de juſticia, y hazienda, y eſtanco, que mando hacer de muchas mercederias.* Vide plura in *manifeſto portugallico* p. 17. ſeqq.

(b) *non fuiſſe*) Reſpublicæ tales mixtæ, ubique fere olim inter gentes obtinuere europæas. Atque tales illibatas & ſalvas fore Reges ſub regni initium pollicebantur, quod inter alias pactorum leges a futuro ſuo Principe exigebant. Hinc ſpectant Portugallorum leges fundamentales, quæ de Lamego nomen habent. Vid. *riſpueſta al manifeſto del Regno de Portugal por Caramuel Lobkowitz p.* 142.

(c) *hactenus fruſtra*) Recentiori tamen ævo Portugalliæ Rex Eſtræo Cardinale ad id potiſſimum incumbente, a Papa jus impetravit, tertiam partem redituum epiſcopalium quibuscunque vellet conferendi. Præterea a ſuo imperio clerum non eſſe exentum Portugalliæ Reges contenderunt. Hinc Johannes IV. Archiepiſcopum Bragenſem & Epiſcopum inquiſitorem generalem alioſque ex clero, qui Hiſpanorum fovebant partes, in captivitatem dedit. Atque hoc nihil iniqui continuiſſe, cum criminis læſæ majeſtatis rei fuerint, multi etiam juris canonici doctores ſtatuunt. Id adhuc peculiare eſt, quod Regi Portugalliæ indulgentiarum venditio, ut ærarii meremertum permittitur. *Europaiſcher Herold p.* 159.

(d) *ſacra ceſſarent*) Noſtro tempore graves inter Regem Portugalliæ & aulam Romanam exortæ ſunt lites, quoniam Pontifex Nuncium ſuum, quem in Portugallia habuit, a Rege ad Cardinalitiam nominatum purpuram illa induere voluerit. Sunt qui magnum inde pontificiæ autoritati in Luſitanorum regno augurantur decrementum, præſertim cum Rex tam illum, quem purpurato Sacerdotio adſcribi noluit, quam novum quoque Pontificis Nuncium regno exire juſſerit.

(e) *inanis perſuaſio*) Nihil enim hac de re in ſacro reperitur codice: ſed eſt inventum Hierarchiæ eccleſiaſticæ. Quoad inſtitutum Apoſtolorum ordinatio toto competit presbyterio. ZIEGLER *de Epiſcopis c. VIII.* §. 24.

(f) *Archiepiſcopos tres*) Tales ſunt Bracarenſis, Oliſiponenſis, Eborenſis. MIRÆVS *in notitia Epiſcopatuum p.* 191. 192. ubi quinam ſingulis ſubſunt Archiepiſcopi traditur.

(g) *Goenſis*) Vid. MIRÆVS l. c. Habet quoque Braſilia ſuum Archiepiſcopum.

(h) *cleri ſuperiores*) *Europaiſche Herold tom. II. p.* 161.

(i) *reditibus regni*) Sunt, qui putant, hos ſeptem millionum thalerorum ſummam complecti.

conſtituere, quam Luſitanum. Sunt alias per Regnum Portugalliæ *innumera monaſteria*, (a) quibus maxime laborat: in una urbe Lisbona creduntur plus quam 4000. Monachorum & Nonnarum; ſunt enim in una illa urbe ultra 80. monaſteria, ut taceam collegia Jeſuitarum, qui nunquam majori numero reperiuntur, quam in Portugallia, & nusquam in majori exiſtimatione fuerunt, quam in illo regno. Ibi enim primo obtinuerunt invidendum illud nomen, & quod longe dignitates Jeſuitarum ſuperat, Apoſtolorum.

Quod regimen reliquum attinet, quoad *judicia* (b) conſtituta fuerunt ex æquo, niſi quod conquerantur Luſitani, ſibi factam eſſe injuriam, ſe enim debuiſſe emere *ſententias judiciorum*, (c) quod ſpectat ad uſum dominantium. Hæc de cauſa formali.

Differendum jam porro nobis eſt de iis, quæ pertinent ad cauſam efficientem, h. e. ut magis politice loquamur ad *Gubernatores*. (d) Hic occurrit Rex ipſe, qui qualis ſit, & quemadmodum ad regimen pervenit, operæ pretium eſt cognoſcere. Initio obſervandum eſt, cum Sebaſtianus Rex Portugalliæ *Johannis III. filius* (e) inſigni temeritate moviſſet bellum in Africa adverſus Mauros, inductus inani impulſu Jeſuitarum, a quibus infelix puer erat *educatus*, (f) ibi non tam ipſe infelici prælio ſuccubuit, verum etiam magnam virium regni partem perdidit, & ſimul cum ipſo interemptum, quicquid erat in Portugallia forte, periit ſimul magna copia Nobilium & Principum, adeoque flos ipſe interiit. Erat Sebaſtianus ille adhuc adoleſcens vel juvenis cælebs, igitur obiit nulla relicta ſobole. Succeſſorem eſt nactus Henricum patruum, qui cardinalitia gaudebat dignitate, & ita agebat hominem clericum, & præterea erat *decrepitus ſenex*. (g) Igitur apparuit tum, poſt Henrici obitum orituros motus de ſucceſſione in regno, cum eſſet impar ad *ſobolem procreandam*. (h) Cum nullus itaque ſupereſſet maſculinæ ſtirpis, ex familia regia, motus ſunt orti adhuc vivo Henrico. Quomodo hæc omnia contigerint, & quomodo occupatum ſit regnum ab Hiſpano, poterit uberrime docere Coneſtagius. Erant tunc temporis rivales aliquot in regni petitione 1) Philippus II. Rex Hiſpaniæ 2) Duciſſa vidua Bragantina 3) familia Ducum Parmæ & Placentiæ, 4) Antonius Ludovici Luſitani filius nothus. Ortæ hinc ſunt magnæ controverſiæ, & etiam convocati ſunt ICti, qui pronunciarunt, aliter atque aliter, *alii pro Rege Philippo*, (i) alii pro Duciſſa

(a) *innumera monaſteria*) Inter monachos, quibus Portugallia laborat, reperiuntur quoque, qui a Jeſu Chriſto nomen habent, quos nullibi locorum, quam ibi eſſe tradunt.

(b) *judicia*) Præcipua in regno judicia ſunt 1) tribunal palatii, quod Luſitani ſua lingua Deſembargo de Paco vocant. Ad hoc judicium deferuntur appellationes, in eo privilegia publicantur, legitimationes & adoptiones fiunt, civitatum officiales eliguntur, & omnes actus jurisdictionis, ad Regem ſpectantes, perficiuntur. *Europaiſche Herold tom. II. p.* 158. Sigillum, quod in hoc & in aliis adhibetur tribunalibus, penes Cancellarium, qui inter ſummos Regni proceres eſt, aſſervatur. Eodem ſigillo regia privilegia & donationes muniuntur. Secundum judicium, quod non ut memoratum tribunal Regiam ſequitur aulam, ſed ſemper Liſibonæ manet, vocatur tribunal relationum aut Caza de ſupplicaçon. Devolvuntur ad illud appellationes a ſententiis, quæ in judicio Portuenſi, cui nomen Caza de civel eſt, latæ, quando ſumma litis in mobilibus 100000. in immobilibus 80000. reis, (eſt ſpecies monetæ Portugallicæ minoris pretii) ſuperat. Præterea eſt ibi tribunal criminale & inquiſitionis. Quod ad reliqua attinet collegia, Ulyſſiponi eſt conſilium ſtatus, in quo per Conſilarios nobilitate aut magis illuſtri dignitate gaudentes negotia ſtatus expediuntur. Locum quoque in hoc conſilio habet ſtatus, ut hodie vocatur, Secretarius, quem olim gentis lingua eſcriva de puritade dicebant. Hic de iis, quæ in hoc pertractata ſunt conſilio, Regem certiorem facit. Cum eo quoque agunt, qui ad Regem aliquid deferre volunt, ſive ſint exterorum Principum Legati, ſive alii. Deinde Ulyſſiponi eſt Camera regia, quæ de fazenda appellatur, in qua res, quæ ad regios reditus, bellicum & claſſium apparatum ſpectat, pertractantur Hoc collegium, cui IV. ex regni proceribus præſident, rationum Cameram, quam Caza de dos contos vocant, ſub ſe habet. Conf. *Europaiſcher Herold*.

(c) *ſententias judiciorum*) Hoc malo etiam aliæ terræ laborant.

(d) *Gubernatores*) Portugallia & Algarbia in ſex dividuntur gubernationes, ut vocantur generales, quarum prima complectitur territorium, quod eſt inter Minium & Durium 2) Provinciam trans montes 3) Beiram 4) Extremaduram 5) Alentejum 6) Algarbiam.

(e) *Johannis III. filius*) Fuit Johannis III. nepos & Johannis Principis proles poſthuma.

(f) *educatus*) Præceptorem habuit Ludovicum Conſalvum Cameram e ſociet. Jeſu, fuitque huic ſocietati addictiſſimus. Hoc ex eo quoque liquet, quod multa ſatia in uſum ejus exſtruxerit collegia. Quod ſi autem Vasconcello in Sebaſtiano fides adhibenda, præceptor Sebaſtiano expeditionem Africanam, de qua ab usque puero cogitavit, diſſuaſit; cumque ex primo Africæ tentamine epiſtolis in patriam revocavit. Invehitur quoque hic autor in peregrinos ſcriptores, qui contrarium docent. Poſt præceptoris demum mortem, alteram infelicem nempe illam in Africam ſuſcepit expeditionem, toto regno obnitente. Erat namque illi animus Molcimum Muhametum, quem avunculus Molcimus Abdemelechus Marochienſi regno exuerat, reſtituere. Cruentiſſimum prælium in quo Sebaſtianus cæſus dicitur, memorat VASCONCELLVS p. 322. Adde autores in *catalogo Thuaneo p.* 336. citatos.

(g) *decrepitus ſenex*) VASCONCELLVS *in Henrico p.* 337. Hic maxime ſocietatem, quam a Jeſu cognominant, fovit.

(h) *ſobolem procreandam*) Actum tamen fuit de matrimonio, ſed ipſe, antequam conſilium ad aliquem venire potuerit effectum, e medio viventium eſt ſublatus, cum unum annum 5. menſes & totidem dies regnaverat.

(i) *alii pro Rege Philippo*) Plurimi erant autores, qui pro Philippo cauſam decidebant. Nominaſſe jam ſufficiat: Franciſcum Hareum, Duardum Nonium Suerum Bernardinum Gomez, Michaelem Aguerram, Vaſconcellum, Aubertum Miræum, Carnerum, Thuanum, Michaelem de Iſſelt, Coneſtaggium, Natalem Comitem, Ludovicum Aurelium, Dionyſium Petavium, Thomam Coſte, Abrahamum Bucholzerum,

Digitized by Google

Duciſſa Bragantina, alii pro *Ducibus Parmæ & Placentiæ*, (a) alii *pro Antonio*, (b) alii etiam *pro populo*, (c) illum habere liberam poteſtatem eligendi, quem vellet. Cum primis JCtos habuit faventes Philippus, quod non erat mirum, erat enim dives, & poterat plurimam pecuniam impendere. Prævalebat itaque Philippus, & interventu Jeſuitarum, qui plurimum apud Henricum ſeniorem poterant efficere, effecit, ut *Henricus ad huc vivus* (d) non omni tamen ex parte, eſſet a ſuis partibus, quamvis ille animo favebat Bragantinæ Duciſſæ. Itaque Philippus, cum videret calamo amplius de hac re controverti non poſſe, armis ſibi vindicavit totum illud regnum. Quæritur hic non immerito de cauſa juſtitiæ. Sic ergo habete: Emanueli Regi fuere aliquot liberi maſculi & fæmellæ. Omnium primogenita erat Iſabella, quæ Caralo V. nupſit, & ita mater erat Philippo II. Secundo genita erat Maria Parmenſis, quæ Duci Parmenſi nupſit. Jam inter filios primo loco erat Johannes, qui etiam ad regiam dignitatem pervenit, & filium *habuit Sebaſtianum*, (e) item alterum Eduardum, & porro Ludovicum & Henrieum Cardinal. Ex Eduardo nata fuit filia Catharina, quæ nupſit Duci Bragantino *Theodoſio*. (f) Ludovico fuit filius unus, ſed nothus Antonius. Henrico Cardinali filius fuit nullus. Cum itaque hic nulla maſcula ſtirpe relicta obiiſſet, Philippus II. dixit, ſibi jam debere regnum, cum natus eſſet ex filia primogenita Iſabella. Duciſſa vero Bragantina idem prætendit, quod illa nata eſſet ex Eduardo, & ita ſuum patrem repræſentaret. Antonium filium nothum non poſſe ad ſucceſſionem pervenire, quamdiu ſupereſſent hæredes ex legitimo toro nati, a multis credebatur, *populus tamen Luſitanicus* (g) propendebat in partes Antonii, idque tamen non illius amore, vel quod illius cauſam credebat eſſe potiorem, ſed odio Caſtellanorum, à quibus ſibi metuebat. Quantumvis autem non deeſſent JCtorum alia exempla, Phillippus eſt factus Rex. Quod ſi tum Dux aliquis Bragantinus vixiſſet adultæ ætatis & bellicoſus, potuiſſet facili negotio regnum occupare, qui vero natus erat Catharinæ, valde ad hue erat puer, & præterea Catharina laborabat inopia conſilii & auxilii. Hanc rem uberius vos docebit Coneſtagius. Id quod Philippo à JCtis ſuis contra Duciſſam Bragantinam, quæ dieebat ſibi regnum deberi, quod patrem repræſentaret, hoc fuit: Jus poſitivum repræſentationis eſſe jure poſitivo Romano invectum, & ſic eſſe jure mere arbitrario invectum, non vero illud obligare reſpublicas liberas, ſed eas obligari ad jus divinum & naturæ, & jus cuilibet regno proprium. Quod fuit verum. Et vel adhue in quæſtione, utrum *jus repræſentationis* (h) non obtineret in Luſitania? Reſponderunt ad hoc JCTI, tantum inter privatos

(a) *Parmæ & Placentiæ*) Pro Catharina Bragantiæ duce Doctores Conimbricenſes, Bononienſes & Peruſini ſtatuebant; Ticinenſes vero Doctores, qui Philippi erant ſubditi, Principis Parmenſis partes tutabantur. Inter illos, qui ſibi in Portugalliam jus tribuebant, erat quoque Catharina de Medicis: ſed ipſius jus, teſte THUANO *lib. LXV.* ut longius petitum neque veris fundamentis innitens, fuit exploſum.

(b) *pro Antonio*) Erant, qui contendebant, Antonii matrem Ludovico matrimonio fuiſſe junctam: Sed hos refutat CARAMUEL LOBKOWITZ *in Philippo II.*

(c) *Alii pro populo*) Qui populi cauſam agebant, opinabantur, penes eum eſſe jus eligendi Regem; cum Sebaſtianus abſque prole deceſſiſſet, neque maſcula ſtirps per ſexum maſculinum a Portugalliæ Regibus deſcendens amplius exſtaret: Verum hi aberrabant, quoniam in Portugalliæ regno ſucceſſio linealis cognatica obtinet.

(d) *Henricus adhuc vivus*) Urgebat populus Luſitanus Henricum, ut ſibi ſucceſſorem denominaret. Quamobrem 1579. comitia ſunt inſtituta, in quibus Catharina Medicæa & Antonius plane excluſi ſunt: cauſa autem Philippi, Sabaudi, Parmenſis Bragantini & Rainutii acerrime eſt ventilata. Nec ordines inter ſe convenire potuerunt. Hinc aliqui ſuadebant, ut res Pontificis committeretur arbitrio: a quo tamen Philippus abhorrebat. Interim hic Jeſuitarum ope, qui multum in eum valebant autoritate, eo rem dirigere novit, ut cum ejus oratoribus de transferendo in Philippum regno pactus ſit, additis conditionibus de dignitatibus quibusdam regni, quarum ſoli capaces forent Luſitani. Verum enim vero antequam res ad optatum perducere potuerit finem, diem obiit ſupremum. Sed quomodocunque hæc, quæ in favorem Philippi ab Henrico conſtituta ſunt, ſe habeant: penes Henricum tamen non fuit jus decernendi de regno; nam hæc facultas non eſt ſub regno. Et licet populus hoc jus Henrico tribuiſſet: ille tamen juri, quod ex legibus regni fundamentalibus quæſitum erat, abſque cauſa derogare non potuit.

(e) *habuit Sebaſtianum*) Hic Johannis III. non filius, ſed nepos fuit.

(f) *Theodoſio*) Non Theodoſio, ſed Joanni Bragantino nupſit, ex quo filium Theodoſium enixa eſt.

(g) *populus tamen Luſitanicus*) Antonius quidem nomen & officium Regis adeptus eſt: ſed Hiſpanorum viribus inferior in Galliam, inde in Angliam confugit; verum adverſa ejus fortuna nec gallicorum, aut aliorum ſcriptorum, qui pro eo calamum ſtrinxerunt voluminibus, nec utriusque gentis artibus aut opibus corrigi potuit. Vid. VASCONCELLUM *in Philippo I.* LOBKOWIZ *in Philippo* diſput. III.

(h) *Jus Repræſentationis*) Ut breviter de hac ſucceſſionis controverſia mentem meam exponam. Si Maria Philippi conjux in vita fuiſſet, aut prolem aliquam reliquiſſet, ad eam haud dubie, etiam ante Henricum Cardinalem, ſucceſſio in regno Luſitanico ſpectaſſet. Eſt enim ea ſucceſſionis linealis natura, ut poſtquam regnum in Johannis III. linea fuerit, ab ea nec propter ſexum ad aliam lineam ſaltus fieri potuiſſet. Exſtincta autem plane Johannis ſtirpe, & ſublato Henrico, ſucceſſio ad Eduardum, excluſa utraque ſorore Iſabella & Beatrice, ſpectaſſet. Nam inter collaterales in ſucceſſione lineali cognatica primo ad ſexum, deinde ad ætatem reſpicitur, & mortuorum jus, ſi prævaleat, tranſit ad eos, qui ab ipſis deſcendunt. Atque igitur jure Eduardi ad filias ejus tranſmiſſo, per has merito Philippus ex Iſabella & Eman. Philibertus ex Beatrice nati, excludi debuerunt. GROTIUS *de J. B. & P. lib. II. c. VII. Fidelidad de los Portugueſes lib. II. tit. IV. art. IV. §.* 22. Cumque autem Margaretha uxor ducis Parmenſis filia natu major Eduardi fuerit, ad ipſum & ejus filium omnino ſucceſſio pertinuiſſet: Verum hæc excluſa fuit per leges regni fundamentales, quæ a Lamego nomen habent, in quibus ſequentes leguntur articuli. §. VI. *Dixerunt* etiam *filia domini Regis ſunt de lumbis ejus, & volumus eas intrare in regno, & quod fiant leges ſuper iſtud, & Epiſcopi & Nobiles fecerunt leges de iſto modo. §. VII. Si Rex Portugalliæ non habuerit maſculum*

tos nbtinere. Adhunc modum Rex Philippus regni potiri cæpit, ejusque ſucceſſores Philippus II. & III. donec tandem anno 40. hujus ſecull ipſis Cal. Decembris ſeditione orta jugum Hiſpanicum Portugallia excuſſit, electn Johanne Duce Bragantino. Qua ratione id factum, & quemadmodum regnum potuerit eripi Hiſpanis & ſeditio invaleſcere, dicam paulo poſt; graviſſimi enim *errores politici*, (a) commiſſi ſunt a Conſiliariis hiſpanicis.

Pro juſtitia cauſa, quemadmodum Rex Johannes ſit legitimus Rex, prodierunt aliquot libelli *Luſitanice*, (b) qui deinde verſi ſunt in ſermonem latinum. Inter alios eſt quidam titulo: *Manifeſtatio regni Portugalliæ*, ibi itidem quisquis Autor ſit, vult oſtendere, revera competere jus regni Duci Bragantino, non vero Philippo. Utuntur autem hodie Luſitani in defendenda cauſa Regis aliquot argumentis. (1). Quod Catharinam Duciſſam Bragantinam attinet, fuiſſe illam legitimam regni hæredem, adeoque per injuriam Philippum factum eſſe Regem. Hic jam oriuntur veteres illæ diſputationes, utrum Philippo præferenda Catharina, an vero huic Philippus. (2.) Etiam fortaſſis cauſa Catharinæ non fuiſſet potior, & illa cauſa regnum non legitimum perveniſſet ad Johannem Regem: tamen dicunt Regem Philippum jure excidiſſe omni imperio propter tyrannicum imperium, quod exercebat contra datam fidem. Multis hoc oſtendunt, quemadmodum tam inique Rex Hiſpaniæ Portugalliam adminiſtrarit. (3) Cum Philippus *jure ſuo exciderit*, (c) fuiſſe in libera poteſtate populi eligere Regem, quem vellent, elegiſſe ſe jam Johannem Regem, & illum jam eſſe Regem legitimum. Sane

tum & habuerit filiam, poſtquam Rex fuerit mortuus de iſto modo: Non accipiet virum niſi de Portugal, nobilis & talis non vocabitur Rex, niſi poſtquam habuerit de Regina filium varonem. Et quando fuerit in congregatione, maritus Reginæ ibit in manumanca, & maritus non ponet in capite coronam. Cumque hæc verba etiam Philippo II. obſtabant, CARAMUEL LOBKOWIZ *in reſponſo ad Portugalliæ manifeſtam* ea interpretatione quædam Philippo faventia reddere ſtudet. Ait enim, Carolum V. ab Eduardo I. Portugalliæ Rege mediante proavia Ferdinandi III. conjuge orginem trahere, & ſic dici non poſſe, quod Iſabella cum peregrino nuptias contraxerit: verum ex gente illa quis dicitur, ubi pater domicilium habuit; aſt Caroli V. pater domicilium in Portugallia non habuit; deinde genti illi adſcribantur filii, ex qua pater, non ex qua proavia eſt; porro ex tenore ipſius legis apparet, quod Portugalli non niſi indigenas regiis nuptiis beari voluerint. Denique putat Caramuel, illam legem Regi Philippo obinde quoque opponi non potuiſſe, quoniam cum Iſabella Carolo V. nuberet, multi ejus ſuperſtites fuerint fratres, & ſic caſum non extitiſſe. Verum non video rationem differentiæ, ſi filia nubat peregrino exiſtentibus fratribus, aut nullos habeat fratres, & patrio regno ſucceſſura ſit. Conſtat enim ſatis, Portugallos non niſi ex ſua gente voluiſſe Reges & Reginarum regentium maritos. Vid. *Fidelidad de los Portugueſes* Artic. *I. II. III. IV.*

(a) *errores politici*) Aut enim mollius, aut durius ſubditi haberi debuiſſent. Si priorem & ſaniorem viam Hiſpani incedere voluiſſent, par fuiſſet, ut omnia Luſitanis promiſſa exacte ſervaſſent, non nova impoſuiſſent tributa, ſed & in regno ſub priſtino Rege conſueta imminuiſſent; imo populo aliquando immunitatem ab omnibus conceſſiſſent oneribus, eumque donis, nobilitatem premiis & honoribus pellexiſſent, nec ad bella externa evocaſſent, ſed vitæ otio permiſiſſent, ad officia nullos niſi Luſitanos promoviſſent, eosque potiſſimum quos genti gratos ſciviſſent, curate quoque allaboraſſent, ne ad beneficia eccleſiaſtica, niſi gentis illius cives admitterentur; imprimis Archiepiſcopum Ulyſiponenſem, ut caput ejus, faventem habere ſtuduiſſent, rariorem ibi aluiſſent militem, & quantum fieri potuiſſet, tantum ex gente Portugallica oriundum; rebus ibi aliquem ex liberis regiis præfeciſſent; resque regni ibi ſeorſim pertractari, nec ad conſilium ſanctius Madritenſe pertrahi debuiſſent; ſic & cauſas juſtitiæ nonniſi in Portugalliæ tribunalibus ventilari fas fuiſſet; ut omne hoc modo ſublatum fuiſſet dubium, ac ſi Portugallia inſtar regni Caſtiliæ inſerti haberetur. Quod ſi vero duriorem illam & æquitati repugnantem viam eligere voluiſſent, frequentiſſimum Portugallis militem ex Caſtilianis lectum immittere; Caſtella benemunita in magnis extruere urbibus; in provinciis loca ad id aptiora propugnaculis ſepire; ad omnia officia, quæ momenti cujusdam fuiſſent, ſenſim Caſtiliones tantum adhibere; nobilitatem quantum fieri potuiſſet opprimere, & exſcindere, viresque ejus labefactare; procerum & ditiorum liberos in aula Caſtiliana, ut obſides, habere; ducem Bragantiæ, quo etiam illud modo fieri potuiſſet, in ſuam redigere poteſtatem; ut eccleſiaſtica beneficia potiora penes Caſtilianos fuiſſent, operam dare, aliaque, quæ Machiavellus memorat, & chriſtiana politica improbat, dominationis flagitia amplecti debuiſſent; Imo rebus Hiſpanorum in Luſitania adhuc opem ferri potuiſſe credo ſi in omnes Olivarius, quæ Margaretha de imminente in literis ſuis referebat conjuratione, non neglexiſſet, aut cum jam motus proruperunt, omiſſo ad tempus bello Catalonico in regnum alienatum Hiſpaniæ vires extemplo omnes effudiſſet.

(b) *Luſitanice*) Lisbonæ liber quidam pro Johannis cauſa lucem vidit, qui ex Caſtiliana in linguam latinam translatus, titulum nactus: *Portugallia parenesis ad Principes Chriſtianos.* Comparebat etiam in lingua Hiſpanica EMANUELIS DE MORAEZ. tractatus. Huc pertinet quisque Ferdinandi de Caſtro liber, cui titulus: *perfidia de Alemaniay de Caſtilia.* Hujus poſterior pars inſcribitur: *fidelidad. de los portugueſes*, tubi Luſitanorum ſibi Johannem IV. Regem conſtituentium, cauſam contra Nicolaum quendam egit. Hisce jungendus liber belgica lingua ſcriptus, qui titulum præ ſe fert: *Kort en grondigh verhael auot gene ſich herſt toe ghedraghen in Portugal toe op den* 23. *Maert.* 1641. *&c. & commentarius anonyms de Regis Portugallia regnis & opibus.* Hiſpanorum partes propugnavit CARAMUEL LOBKOWIZ *in reſpueſta al manifeſto de Portugal* & DON JOSEF DE PELLECER, ſed hunc refutavit doctus Souſa de Macedo.

(c) *Jure ſuo exciderit*) Hiſpani potiſſimum urgent, quod proceres Philippum verum & legitimum Henrici ſucceſſorem pronuntiaverint, eique & ſucceſſoribus ſuis æque ac populus homagium præſtiterint. Cumque eorum numero etiam Bragantines Dux fuerit, eum Juri ſuo, ſi quid habuiſſet, tacite renunciaſſe, addunt; Sed Luſitani reſpondent, omnia quæ hic facta eſſent, potentiæ exercitusque hiſpanici metu contigiſſe, & ſic licitum fuiſſe, regno ſe in integrum reſtituere; nec juramentum metu elicitum, vim obligandi habere, cum deſit conſenſus, qui nonniſi a libera procedit voluntate; deinde Hiſpanos non ſervaſſe pacti leges, ſub quibus regnum arripuiſſent, atque ſic licet aliquid obligationis in Portugallis fuiſſet, eos ab obſequio Hiſpanis debito diſcedere, ſibique alium conſtituere potuiſſe Regem. Vide, quæ hanc in rem loquitur Pinto Ri-

Sane mirabile eſt dictu, quam unanimi conſenſu *electus a populo* ſit Johannes, aliqui quidem Nobiles auſi ſunt rebellionem concitare, ſed ſeditio facile rurſus ſopita eſt, *capite plexis* (*) illius auctoribus. Nec tantum ſtatim acceſſit populi Portugallici in Portugallia conſenſus, ſed etiam reliquorum Portugallorum, qui in Aſia, Africa & America degebant, quam primum audiverunt, excidiſſe imperio Hiſpanum, ſtatim omnes cenſenſerunt, quaſi aliquod ſignum expectaſſent, excutiendi jugi Hiſpanici. Et hoc ſane maxime eſt mirum. Quod attinet primam illam rationem, qua nititur jus Bragantinum, fateor me hærere, an jus potius ſit Catharinæ vel Philippi. Facit tamen pro Philippo, quod populus & ipſi Duces Bragantini ipſum agnoverint Regem, & juramentum fidelitatis præſtiterint. Caramuel origine Bohemus, ſed patria Hiſpanus, cum jam tum videret, ſerpere illa diſſidia anno hujus ſeculi 39., edidit ſcriptum haud indoctum, cui titulus: *Philippus prudens Catholicus, Rex legitimus Portugalliæ.* Hic conatus fuit delendere jus Regis Philippi adverſus clancularios Portugallorum conatus. Idem ille anno 1641. lingva hiſpanica edidit librum doctum, qui etiam deinde eſt verſus in latinum ſermonem, ſub titulo: *Johannes Bragantinus Luſitaniæ illegitimus Rex demonſtratus*, quo aliquid eſt conatus reponere libro, cui titulus: Manifeſtatio Regis Portugalliæ. In illo quoque oſtendit, Reges Caſtiliæ eſſe legitimos Dominos Portugalliæ, non tantum jure hereditario Mariæ uxoris, ſed jure etiam antiquorum Regum Alphonſi VI. & aliorum. Hæc tamen meo judicio ſunt nullius momenti & longe petita. Philippus quoque ipſe jure antiquo noluit niti, ſed tantum jure matris ſuæ Iſabellæ. Et ſi vera eſſent, quæ Caramuel docet lib. 2. & 3. omnes Reges Portugalliæ fuiſſent illegitimi, & nullo jure Philippus prætendere potuiſſet jus Iſabellæ matris. Interim quæ faciunt, pro partibus Philippi, ſic ſatis feliciter diſputat. Ad ſecundum illud Portugallorum argumentum fere nihil reſpondet Caramuel, nimirum quod propter Tyrannidem ſuo jure exciderit Philippus. Conatus eſt quidem capite V. nonnulla reſpondere, ſed ſunt valde frigida, imo pene inepta. Etiam non audet negare Tyrannidem Hiſpanorum, ponit autem hoc, etiamſi res illa ita ſe habuerit, non tamen ab eo debuiſſe Portugallos deficere, quoniam fuerit Rex legitimus. Recidit autem hæc res in controverſiam, utrum Rex, ſi incipiat agere Tyrannum, non excidat jure regni. Sum autem omnino in ea ſententia, ſiquidem Rex hæreditarius violet jura regni omnia, & velit in ſervitutem populum redigere, illum non amplius eſſe Regem, ſed Tyrannum, & eum illo ut Tyranno eſſe agendum. Hoc etiam nititur fundamento libertas Batavica; dicunt enim Batavi Regem Hiſpaniæ in eos Tyrannidem exercuiſſe, quare ſibi jus datum eſſet, eum privandi ſuo imperio. Redit autem nobilis illa quæſtio: an liceat jugum Regis excutere, ſi conculcet omnia regni jura, & populum quaſi ſub ſervitutem velit redigere. Eſt hæc quæſtio agitata

to Ribequo & Archiepiſcopus Lisbonenſis electus a populo apud Vaſſor tom. X. 287. 279. 280. 293. 284. Luſitani Caſtilianorum oppreſſionum tædio capti, de liberatore admodum ſoliciti erant. Et cum Pinto Ribequo, Bragantini Ducis rerum œconomicarum adminiſter, hujus rei notitiam hauriret, heri ſui animum, an veterum Portugalliæ Regum ſanguine ortus, ad Regium adſpiraret diadema, expiſcatus eſt. Hunc, cum ab eo alieno non eſſe animo, perciperet, omnia in id convertit conſilia, ut herum & ſe voti compotem faceret. Rariſſime enim homines, aliorum licet principum ſuorum cauſam agentes, ita eorum retenti ſuoi amore, ut ſui penitus ſint obliti. Nec difficile erat Pintoni, in tanto Luſitanorum in Caſtilianos odio, machinationum ſuarum ſocios reperire. Erant inter eos præcipui Archiepiſcopus Uliſſiponenſis, qui minus gratia Hiſpanorum florebat, quam Bracarenſis provectioris quidam ætatis, ſed integris viribus & excelſi animi, qui Almeiræ nomine utebatur. Quo magis autem tempus appropinquaret, ut res in effectum duci deberet, eo minus ad audendum aliquid pro Regia dignitate animum Bragantinus determinare potuit, ita ut Mendozam, a fœderis ſociis ad ipſum miſſum, nutante adhuc aliqua ex parte dimiſerit reſponſo. Oculos enim haud dubie intendebat ad rei & periculi magnitudinem, Hiſpanorum vires in propinquo, Gallorum, Anglorum & Hollandorum auxilia dubia, procerum amicitiam incertam, & vulgi favorem fluctuantem ratus. Attamen obfirmarunt animum ejus Antonius Paeaius Viegas, qui Duci erat ab epiſtolis & conſiliis, nec non conjux Ludovica Guſmanna, Ducis de Medina Sidonia filia, quæ virilis & clari animi, ingenio judicioque ſupra ſui ſexus perſonas valebat, regiam dignitatem tanti pretii rem arbitrabatur, ut morte etiam redimenda eſſet, licet tantum per horæ quadrantem ea frui daretur. Non ſatis profecto Ludovica ponderaverat, quam arduum ſit cuncta regendi onus. Verum enim vero cum res jam eo delatæ eſſnet, & Bragantinus in dies Aulæ Madritenſi magis ſuſpectus fieret; quod & ex eo colligere licebat, quod omnes Olivarecius adhiberet artes, ut eum in Aulam pertraheret; aliud remedium rebus ſuis & vitæ, aut ad minimum libertati conſulendi, Bragantino non ſuit reliquum, quam pro impetrandis Luſitanicis ſceptris omnia experiri. Id ſane nullum habet dubium, ſi Bragantinus jacta alea a propoſito audendi aliquid pro conſequendo regio inſigni deſtitiſſet, conſilia quæ hanc in rem formata erant, Hiſpanis innotuiſſe, quæ tanto tunc involvebantur ſilentio, ita ut Caſtilianorum nulli, licet eorum etiam mulieres quædam, quæ corpore quæſtum faciebant, ut inſtrumenta augendi in Hiſpanos odii, conſciæ eſſent, puteſcerent. Tam univerſale omnium in eos erat odium. Sed ut ſæpe in rebus humanis fieri ſolet, ita & hic factum, multa verebatur Johannes, quorum nullum accidit; tam proſpero enim & incruento in regium eſt elevatus ſolum ſucceſſu, ut nullus plane ex iis, qui ejus ſequebantur partes, necatus ſit: ex illis vero, qui cum Hiſpanis ſtabant Suarea de Albergaria, cauſarum civilium curam habens, & Vaſconcellus, penes quem omnis erat autoritas, interimibantur & Margaretha, quæ vice Reginæ habebat nomen, in pace dimittebatur. Accurate rem omnem deſcribit VASSORIUS *in hiſtor. Ludovici XIII. lib. XLVII. p. 275. ſeqq.* Hic ſua deſumſit ex BIRAGI Scriptoris Itali hiſtoria *reunionis Portugalliæ cum Caſtiliæ Regno* a Helevo aucta, & Gallico ſcripto, cui titulus: *la conjuration de Portugal.* quanquam, in hoc ultimo ſcripto multa ficta eſſe, non ſine ratione conjiciat.

(*) *capite plexis*) Vaſſor tom. X. *p.* 329.

agitata à multis populis. Dicat autem quis, quomodo ſit factum, ut excuſſerint jugum illud Portugalli, quod adſpiraverint ad libertatem, & dudum id meditati ſint, nullum eſt dubium; nam ægerrimo animo tulerunt jugum Hiſpanicum. Dixi jam antehac, de libro quodam verſo in Germanicum ſermonem ſub titulo: Dux de Olivares, eſt conſcriptus à legato quodam Veneto, in illo p. 29. auctor incipit diſſerere de ratione ſeditionis illius, & quomodo factum, ut potuerint illa in nervum irrumpere, inter alia utitur his verbis: Die Portugalliſche Völcker haben nach Abſterben Königs Sebaſtiani ein ſolches Mißgefallen an dem Regiment gehabt/ daß auch die Pfarrherrn nach gehaltener Predigt dem Volcke zugeſprochen/ ſie ſolten 2. Ave Maria beten/ daß ſie GOtt behüten wolte für der Caſtilianiſchen Tyranney. Certum etiam eſt, quod Reges Hiſpaniæ populum Portugallicum irritaverint duriſſimo regimine, quo eos preſſerunt. Primum peccatum Hiſpanorum in eo fuit ſitum, quod populum jam tum animo averſum a Caſtellanis, contra leges regni, & pacta conventa adeo ſerviliter tractaverint. Eſt alias populus Portugallicus animo generoſo, & jam tum erat inimicus Caſtellanis, ſic ne igitur adeo ſerviliter tractare, eſt ad deſperationem illum adducere Pebuiſſent. Si quidem eſt populus ſervili ingenio, ille etiam eſt ſerviliter tractandus, populus autem generoſus, eſt libere tractandus. Tand m res eo devenit, ut omnia prona fuerint ad ſeditionem, modo eſſet dux aliquis. Jam vero, eum Hiſpani adeo irritaſſent populum, proximum erat, eum nolentibus velleot imperare, uti caverent, ne popùlus facile poſſet invenire aliquod rebellioois caput, & oe facile haberet, quem Regem eligeret.

Erant autem omnium Hiſpanorum oculi intenti in Ducem Bragantinum, facile igitur apparet, debuiſſe Hiſpanos operam dare, ne Bragantinus res oovas moveret, & amplius ſibi animos populi eonciliaret. Sub Philippo quoque II. & III. ita ſunt dure habiti Duces Bragantini, eorumque vires circumciſi, ut nihil potuerint, ſemper propterea fuerunt a populi conventibus remoti. Cum autem anno 1639. incolæ regni Cataloniæ in libertatem ſe adſeruiſſent, & Rex Hiſpaniæ undique peteretur a Belgis & Gallo, tunc redactus eſt in tantas anguſtias, ut plane alia conſilia cæperit agitare. Convocavit igitur omnes Nobiles Portugalliæ, militatum in Catalonia. Hie eſt primus error convocare Nobilitatem, quæ alias ſemper fuerat diviſa, jam vero in unum eſt coacta, ut potuerint invicem conſilia agitare. Eſt vero contra principia politica; illud, ſi populus invitum ferat jugum permittere eonventus populi. Caput illius militiæ conſtitutum eſt a Duce Olivares Dux Bragantinus, igitur libere tunc poterat venire Lisbonam, (quo antea non poterat venire) & oſtendere ſe populo, quam primum venit Lisbonam, cæpit acclamatio populi, vivat vivat Johannes Dux! & tum ſane ſtatim eſſet electus Rex dux ille, ſi populus noviſſet *illius animum*, (a) non noverat autem populus, quod ille oblatam eoronam vellet accipere. Poſtea uno momento omnia ſunt turbata, cum jam ille eſſet expiſcatus animum populi, & hic ſcilicet populus eontra illins animum. Maximi ergo errores politici hic commiſſi ſunt a Duce de Olivares, qui revera erat Rex Hiſpaniæ, ita quidem, ut manifeſto appareat, hie ſubfuiſſe manum divinam, quæ illum dementavit, cum alias eſſet inſignis politicus & vir prudentiſſimus. Sane apparet hinc divina vindicta. Legat etiam quis de hoc argumento, quæ habet JOHANNES DE LAET *in libello de republica Hiſpanica* C. XV. quæ eſt de ſucceſſione Regum Caſtellæ in regnum Portugalliæ. Deinde hoc etiam diſci poteſt ex Coneſtagio & Thuano, quomodo Reges Hiſpaniæ ad Regnum Portugalliæ pervenerint. Quæ ad res Ducum Bragantinorum pertinent, peti poſſunt ex illis monumentis, quæ jam tum laudavi, partim etiam legi poſſunt ſeorſim in libello de republica Luſitanica in Belgio edito.

Qui hodie rerum potitur in Luſitania, adbuc eſt minorennis, totum enim regimen eſt adhuc ſub *imperio matris viduæ*, (b) eſt illa oriunda ex regno Caſtellæ, ex familia (niſi me fallit memoria) Ducum Medinæ Sidoniæ. Fæmina eſt, quantum omnes narrant, animi virilis & perquam prudens. Hactenus apparet, quo in ſtatu ſit regnum. Rex eſt minorennis, vidua autem regnat; notum autem eſt, quantum interſit inter regna, quæ regnantur a Regibus ipſis, & inter ea, quæ a mulieribus, ſi non ſint ſuffultæ ſobole; hie eſt quidem ſoboles, ſed minorennis, & hoc indicat, regoum non eſſe ſine periculo. Quid ſi vidua decedat? Quid ſi Dux ille vel Rex minorennis etiam decedat, nulla relicta ſobole, vel non ſatisfaciat expectationi? Patet ergo non eſſe ſine periculo regnum, quamvis etiam pervenerit ad Duces Bragantinos. Certiſſimum eſt illud: Væ illi regno, cujus Rex puer eſt! Patet ergo domi res Portugalliæ non

(a) *illius animum*) perfecte namque artem diſſimulandi callebat.

(b) *matris viduæ*) Johannes mortuus eſt anno 1656. & filius ejus Alphonſus, poſtquam in prælis ad Amexial, & villam Vitioſam, victores Luſitani fuiſſent, anno 1668. pacem nactus eſt, inter cujus articulos ſequentes erant 1) Ut Joanni a Rege Hiſpaniæ titulus Regis impertiretur, hujus opera ille benedictionem papalem hactenus ſemper denegatam conſequeretur 2) Ut loca utrinque occupata reſtituerentur; Ceuta tamen maneret penes Hiſpanos. 3) Ut iisdem Portugalli privilegiis, quæ Angli in Hiſpania haberent, aut ipſi tempore Sebaſtiani habuerant, gauderent &c. GASTEL *de ſtatu publ. Europæ lib.* 10. *p.* 44. Sunt quidem circa pacis executionem diſſidia quædam exorta: ſed hæc aut lam cabiliter compoſita, aut diſſimulata ſunt. BRUSSONI *delle hiſtorie d' Italia lib.* 38. *p.* 969.

liæ non vacare periculo. Erat Johanni IV. frater Eduardus magni ingenii & animi bellicoſi militabat hic Ferdinando II. Imperatori: ſimul autem motus illi ſunt nati, traditus eſt cuſtodiæ, cum ad id Ferdinandus Imperator inductus eſſet a Rege Hiſpaniæ, licet ille tamen *omnium rerum fuerit ignarus.* (a) Ductus eſt deinde in arcem mediolanenſem, ibique miſere periit. Et ita familia Ducum Bragantinorum pendet ex tenui filo. In quas conditiones duxerit Rex Angliæ filiam primogenitam Regis Portugalliæ, equidem neſcio, ſi autem deceſſerit *Rex Portugalliæ*, (b) proximus hæres erit Rex Angliæ ratione matrimonii; admittit enim Portugallia regentes fœminas. Obſtat tamen maxime, quod Portugalli ſint ſuperſtitioſi cultores Rom. Pontificis: ex adverſo Anglus ſit diverſæ ſententiæ, quod niſi obſtaret, aliquando Rex Angliæ *fieri poſſet Rex* (c) Portugalliæ, quod num ex re eſſet futurum Portugallis, non equidem dixerim. In univerſum vero verum eſt, quod regnis ſibi ſufficientibus minus conducat, uniri aliis regnis: certum autem eſt, juncta regna minora a majoribus abſorberi. Præterea latum dominium magis obeſſe Regibus, quam prodeſſe, perſpicuum eſt.

Quod *reliquos* (d) attinet, per quos adminiſtratur regnum Portugalliæ, mihi non ſunt noti, hactenus autem non potui aliud dici, quam regnum illud adminiſtrari per ſolos Portugallos, quod ad robur regni facit plurimum. Rex reſidet in regno proprio, habet regimen in ſua terra, habet etiam omnes miniſtros in regno, hoc modo multum accreſcit robori regni. Nam quæcunque reſp. adminiſtratur a popularibus maxime eſt firma, ſtudent enim hi commodis patriæ ſuæ, in regnis præcipue, quæ inſtituuntur ad utilitatem populi; nam in Tyrannide alia eſt ratio. Notandum eſt porro, ſolere Regem Portugalliæ exteras ſuas regiones adminiſtrare per proRegem & archi Epiſcopos. Quod Braſiliam atttinet, quæ eſt hodie Regis Portugalliæ potiſſima regio, adminiſtratur per proRegem, qui ſolet reſidere in urbe Baja, quæ alias dicitur. *Todos les ſantos*, (e) quaſi portus omnium ſanctorum. Hæc eſt metropolis Braſiliæ, quam occuparunt etiam Batavi, ſed illam rurſus amiſerunt. Habent etiam pro-Regem in India, qui reſidet Goæ. Obſervandum, Portugallos æque ac Hiſpanos non permittere, pro-Regem ditius permanere in provincia illa, quam per triennium. Et hoc prudenter, ne abuſi ſua poteſtate, fortaſſe res novas moliantur, vel etiam ne divitias nimias ſibi quærant, quæ hic alias facile comparari poſſunt. Et hoc ſi fieret, ita homines ad inæquilitatem pervenirent, & fortaſſis moverent ſubditos, ad molienda nova. Alibi, ubi minores ſunt regiones, habent etiam ſuos gubernatores, ut in Aſia & *Africa*, (f) qui partim ſubſunt vice-Regibus iſtis, ad quos iſta regio ſpectat, partim etiam ſubſunt ipſi regno. Obſervandum tamen, hodie Regem Portugalliæ etiam habere conductitium Generalem militiæ, patria quidem Gallum, origine tamen Germanum, Comitem *de Schomberg*. (g) Eſt ille Nobilis Miſnicus, patrem habuit Mareſchallum Fridericum Caſparem de Schönberg. Cum hic ſit peregrinus, non refertur inter Ordines, niſi ſit receptus inter Nobiles Portugallos. Scio equidem hac de re ſpem illi eſſe factam, an vero hactenus ſit factum, neſcio. Quod reliquos miniſtros quoad res pacis attinet, omnes ſunt Luſitani, quantum equidem mihi eſt notum. Hodie Reges Potugalliæ non habent militem conductitium peregrinum. Cum primum ſe opponerent Hiſpano, conduxerunt militem Batavicum, Gallum & Germanum, cum primis vero Gallum: quam primum autem pax eſt rupta inter Batavos & Portugallos, revocatus eſt miles Batavicus una cum Germanico; Gallicus item eſt revocatus, poſtquam pax conſtituta eſt inter Gallum & Hiſpanum. Accepimus autem nuper ex novellis, receptos eſſe 700. Gallos, qui ſoli hodie clanculum militant inter exteros. Antehac vero crediderunt Portugalli, ſe ſalvos eſſe non poſſe, niſi haberent

(a) *fuerit ignarus*) Cauſam ejus egit VELASCUS DE GOVEA in libro qui inſcributur *perfidia de Alemania & de Caſtella.*

(b) *Rex Portugalliæ*) Sed præter Alphonſum, qui anno 1666. a matre ad ſe regni moderamen transferebat, erat etiam Petrus ſuperſtes. Ad hunc deinde, Alphonſo exauctorato, regnum ſub adminiſtratoris titulo & fratris uxor Maria de Nemours, quæ ſe ab Alphonſo impotente, illibatam habere virginitatem dicebat, diſpenſante, Pontificis nomine, Cardinale Vendomio reginæ cognato, delata eſt. *Paſarellus lib. VI. p.* 444. *ſeqq. memoires d'Ablancourt p.* 65. *ſeqq. Relation de la Cour. de Portugal p.* 92. *ſeqq.* Petro anno 1706. mortuo, ex ſecunda conjuge Philippi Wilhelmi Electoris palatini filia natus eſt Johannes V. qui hodie Portugalliæ regnum moderatur. Hic a patre adverſus Philippum V. Hiſpaniæ cœptum & ambigua fortuna geſtum bellum, uſque ad pacem Ultrajectinam, anno 1713. factam, continuavit.

(c) *fieri poſſet Rex*) Sed ipſi obſtaret lex fundamentalis, quam ſupra memoravi. Ex relatione de Aula Portugallica cap. VI. conſtat, intuitu matrimonii, quod inter hodiernum Sabaudiæ Ducem & filiam, quam Petrus ex prima conjuge ſuſceperat, meditabantur, legem de Lamego, quod regia filia, extero nubens, jus ſuccedendi amitteret, limitatam.

(d) *Reliquos*) Vid. quæ ſupra de ſummis regni Officialibus diximus.

(e) *Todos les ſantos*) Braſiliæ metropolis a Servatore nomen habet. Vid. DAPPER *in Braſilia c. IV. p.* 432. 451. *ſeqq.* Incolitur autem adhuc Braſilia a multis Barbaris, quæ Portugallis plane non ſubſunt.

(f) *Africa*) Habent etiam præfectum Mazagani in Maroccano regno, quod munimentum nuper improſpere admodum Afri adorti ſunt.

(g) *de Schomberg*) Hic pace Pyrenaica, excluſis Luſitanis, facta cum multis aliis belli ducibus Burdigalo, maritimo itinere, in Portugalliam profectus eſt. Simulabat quidem Gallica aula, ac ſi ſe invita hoc fieret. Hinc propterea illos in ſpeciem ad ſonum buccinarum & tympanorum revocari, eorumque bona fiſco addici juſſit. Verum illico bona eis reſtituta ſunt. PASARELLUS *lib. VI. p.* 298. FRANCKENSTEINS *Theatrum Hiſtoricum c. de* PORTUGALLIA p. 100.

rent militem conductitium, ita desveverant a militia. Hodie omnis populus eſt armatus, & pro libertate ſua tanquam pro aris & focis pugnat. Multum itaque intereſt, habere populum benevolum, qui jam libertatem ſuam defendit, cum antea eſſet mollis & luxurioſus, jam tamen ad ſui defenſionem adactus eſt. Sane ſi populus amet rempublicam magnum eſt lucrum. Non tameo ſatis fidunt Portugalli ſuis viribus; verentur enim ne ſenſim reſp. Hiſp. potentia prævaleat, quam maxime tamen ſibi metuunt a Batavis.

Quo tempore fuerunt Portugalli ſub jugo & imperio Caſtellanorum, aote aonos 40. Batavi, inſtituta ſocietate Americana, magnam partem eorum, quæ tenebant Portugalli in Africa & Braſilia, occuparant, & omnia hæc erant in manibus ſeeietatis Weſtindicæ, eum deficerent Portugalli, & videbantur relinquere ſe velle ea Batavis, ſi ferrent modn ſuppetias, vel certe poſtea de iis acturos eſſe. Cum autem crederent ſe ſatis tutos ab Hiſpanis, ſuboixi auxiliis Gallicanis, non dubitaverant clanculum repetere artibus. In Braſilia, quæ amiſerant, adeo feliciter, recuperunt, ut vel hodie omnia in Braſilia receperint, item in regno Angolæ, ita ut Batavi jam in illis terris nihil amplius poſſideant. Qui autem hoc factum ſit, ut loca illa omnia Batavi rurſus amiſerint, dicam, ubi acturus ſum de rebus Batavicis; peccata enim politica hie ſunt a Batavis commiſſa. Hac autem de re valde ſunt conqueſti, contra datam fidem ſibi Braſiliam & loca Africæ eſſe erepta, & hæc eſt cauſa belli inter Batavos & Portugallos, alias inter eos jam convenerat. Hoc bellum ne hodie quidem eſt *compoſitum*, (a) agitur quidem, ut ex novellis percepimus, de ejus compoſitiooe: verum quantum exiſtimo, obſtant claneulum Aogli, qui non facile illas pacis conditiones, quas præſcripſerunt Batavi, volunt ratas habere. Quid facturum ſit, tempus docebit. Ex novellis nuper accepimus, Legatum hujus rei cauſa fuiſſe Hagæ Comitis. Batavi certe poſſent exſeindere omnem Portugalliam, niſi obſtarent Angli; hos eoim metuunt, & hi illis ſunt præſidio, quod ſi hi deſciscerent, actum eſſet de eis. Non qoidem ſibi tantum metuuot Portugalli ab Hiſpanis, ſed tamen metuunt, ne hi cum Batavis vires ſuas conjungant. Quibus conditionibus auxilia Anglorum ſibi conciliaveriot Portugalli, oeſcio. Sane duris conditiooibus matrimonium illud a parte *Portugallorum eſt contractum*, (b) quod eſt indicio, eos ſibi metuere. Hactenus quidem Angli Portugallis non miſeruot *ſuppetias*, (c) quid ſit futurum, neſcio. Si paciſci poſſent cum Hiſpanis & Batavis, advocatis auxiliis Anglorum melius eſſet; externa enim auxilia multum nocent, & ſemper debent eſſe ſuſpecta; quoniam ſæpe eos, quibus veniunt opitulatum, opprimunt. Notum porro eſt, non tantum homines, ſed etiam opes eſſe adminiſtros reipublicæ; nulla enim reſpublica adminiſtrari poteſt ſine ope divitiarum & redituum. Quod igitur attinet opes & reditus Portugalliæ, præclare hoc argumentum perſecutus eſt Laet capite 24. reipublicæ Hiſpanicæ, ubi multa adduxit ex Linſebottano & Oliveria. Obſervandum autem eſt in univerſum, apparere quidem ex Laetil libro, regnum Portugalliæ habere reditus ordioarios ſatis magnos, attendeodum autem propterea etiam eſſe ad expenſas, quas facere coguntur Portugalli; nam proventus certe parum proſuot, ſi illis ſumptus ſint majores. Quemadmodum hodie hac parte ſe habeat Portugallia, fateor me neſcire; apparet tamen ex iis quæ hactenus diſſerui, Portugalliam quidem habere reditus ſic latis magnos, ſatis magnas tamen etiam facere expeoſas. Non autem eſt exiſtimandum, reditus hodieque eodem modo ſe habere, quemadmodum tempore Lindſchottani, ex quo plurima deſumpſit Laet; ex eo enim Portugallia iogens paſſa eſt rerum ſuarum decrementum. Quamvis enim hodie receperint Braſiliam: plurima tamen, quæ uſui eſſe poterant, bello in India perpetuo periere. De regni Portugallici reditibus, quales quidem ſuo tempore ante annos 60. ſe habuerunt, accurate egit CONESTAGIUS *edit. Francofurtenſi. p.* 41. Tradit reditus Portugalliæ ordinarios tum fuiſſe millionem præterpropter ducatorum: Indiam autem jam tum abſumſiſſe integram millionem. Ex eo autem tempore, quoniam commercia Indicana minus florent, & præterea bellum geſtum eſt, & adhuc hodie geritur

noſtra

(a) *Compoſitum*) Pax anno 1661. facta eſt, per quam Braſilia quidem penes Luſitanos manſit, e contra hi paſſi ſunt, ut in poſterum Hollandorum eſſent, Malacca aliaque in Inſula Ceilon, Malabariæ & Cormandeli littoribus.

(b) *Portugallorum eſt contractum*) Hoc matrimonum Hydii Cancellarii & Gallorum ſuaſu contractum dicunt, ut Jacobo II. eo major ſuccedendi enaſceretur ſpes, quoniam Catharinam nullam unquam ſobolem enixuram eſſe, ſcirent. Sed quænam duræ fuerint hujus matrimonii leges, quas Portugalli ſubire debuerunt, ignoro. Nec inde ad Anglos aliquid præter aliquam pecuniæ ſummam & Tangirum perveniſſe puto, quem tamen locum deinde munimentis nudatum dereliqueunt, ut ſupra monui, quicquid etiam operæ Galli darent, ut in ſuam pertraherent poteſtatem. Quod autem Portugallius paratiſſimus eſſet, filiam ſuum Carolo in matrimanum collocare ratio haud dubie hæc fuit, quod amicitiam, Anglorum ſib & ſuæ genti maxime utilem credebat. in quo nec a vero aberravit. Audiamus hac de re loquentem autorem *des nouveaux interets des Princes. C'eſt par cette raiſon la* inquit, *que le feu Roy* de Portugal donne *ſa fille au Roy d' Angleterre, ſans ſe mettre en peine, ſ'il etoit d' une autre religion car comme nous avons dit ci devant, La religion n' eſt que le pretexte pour les grands, au lieu que leurs interets ſont leur veritables maximes.*

(c) *ſuppetias*) Imo miſerunt ſuppetias Vid. VERTOT. *Hiſtoire des revolution de Portugal p.* 352. *ſeq.* inprimis autem gallicorum ductorum & Anglicorum militum virtuti inſignis illa, quam Portugalli a Marchione de Caracenas, exercitus Hiſpanico præſidente, ad montes claros aut Villam Vitioſam reportabant, victoria debebatur. Memoriæ proditum eſt, Anglis, in peculiare premium, Tobaci, qui ad purgandum cerebrum adhibetur, angnum datam eſſe copiam.

contra Hiſpanum apparet, Portugalliam non habere amplius tam divites *reditus*, (a) ut antehac. Legi his diebus articulos pacis propoſitos inter Batavos & Portugallos, ubi Batavis Portugall promittunt magnam vim pecuniæ. Promiſerant itidem magnam pecuniæ ſummam Anglis in pactis dotalitiis. Mirabor ego multum, ſi Portugalli omnia poſſint præſtare. Olim quidem hæc poterant fieri: hodie tamen *alia eſt ratio*. (b) Miror ego ſane tantum eos audere promittere, ſiquidem promiſſis ſuis aliquando ſtare velint. Hæc de Portugallia diſſeruiſſe *ſufficiat*. (c)

DE REGNO

(a) *reditus*) Hi colliguntur ex vectigalibus & acciſis, ut vocantur, quæ in Portugallia in tantam exereverunt magnitudinem, ut ex ſingulis centum thaleris, quibus peregrinæ merces venduntur 23. ærario regio ſolvi debeant. Ex unaquaque libra carnis, quæ in macellum defertur, ſeptem reis (eſt moneta Portugallica) & ex tribus vini cantharis, idem pretium fiſco regio eſt inferendum: Ea centum vero thaleria, qui ex recentibus rediguntur piſcibus, 47. ſunt præſtandi. Si bona immobilia alienantur, aut pecora aliæque res, regio ærario ex centum 10. debentur. Præterea Regi monopolium Tobaci, ad purgandum cerebrum deſtinati, nec non indulgentiarum venundatio competit. Conf. *Europ. Herold tom. II. p.* 159.

(b) *Alia eſt ratio*) Tradunt tamen, Johannem IV. filio Alfonſo pecuniæ numeratæ quinquaginta milliones reliquiſſe.

(c) *Sufficiat*) Luſitanorum hic memorandæ ſunt prætenſiones, quæ ab Autore Heroldi Europæi enarrantur ſequetes: in littoris Guineenſis quam plurima loca, in inſulam Ormum, Maſcaten in Arabia, Monbazam in littore Zanguebarico, Cananorem in littore Malabarico, in quædam loca inſulæ Ceylon, & in inſulam Manaar, & regni Siami peninſulam Malaccam.

Quod ad eos, cum quibus Luſitanis præ aliis belli aut pacis negotia intercedunt, attinet, nominandus primo eſt Pontifex Romanus. Hujus olim ſumma in Portugalliæ regno fuit autoritas, ita ut ejus Nuntius, Olyſſiponi plerumque locum tenens, magna in clerum, monaſticam ſectantem vitam, dominatus fuerit potentia, ſic ut ab ejus ſententia ne quidem Romam provocari potuerit. Non tamen clerici ſeculares a Pontificis plane libri ſunt imperio, tributum enim aliquod ei pendere, & beneficia eccleſiaſtica, magnis redimere coguntur ſummis. Quamobrem, cum jubente Petro II. monetæ Portugallicæ valor augeretur, Papa contra id, utpote rationibus ſuis adverſans, proteſtatus eſt. Conf. *relation de la Cour de Portugal ſous D. Pedre II. part. II. c. I. p.* 321. Cœterum jus, quod ſibi Pontifices in Portugalliæ Regnum tribuunt, ex variis arceſſunt fundamentis: 1) Contendunt, ab Alphonſo Henriquez diadema regium ſub hoc ſumtum eſſe pacto, ut tributi lege Pontificiæ adſtrictum eſſet ſedi. Quem in finem ad Alphonſi & Alexandri III. Pontificis provocant diplomata & Innocentii III. ad Alphonſi filium literas MARIAM a HISTOR. *Hiſpan. lib.* 10. *c.* 20. CONESTAGGIUS *de conjunctione Portugalliæ lib.* 1. *c.* 21. CARAMUEL a LOBKOWIZ *in Philippo prudente lib.* 5. *diſput. p. l.* 84. FARIA *dans l'epitome de l'hiſtoire de Portugall part* 3. *c.* 2. ANTON. MARCELLI *de jure ſecul. Pontific. c.* 26. BARONIUS *tom. XII. Annal. ad anno* 1179. *Corps diplomatique tom. I. p.* 125. Sed licet, quæ de ſacro tributo quotannis ſedi Pontificiæ pendendo Alphonſus pollicitus dicitur, veritati eſſent conſentanea: attamen Papæ inde nihil ſuperioritatis in Portugalliam partum eſt; novimus enim, tributi legem ſupremæ poteſtatis civilis jura nequaquam imminuere, præſertim cum cenſus ille, ſi unquam ſolutus, Pontifici, ex Servatoris noſtri placito, omnis imperii incapaci, ut ſubſidium aliquod charitativum datum ſit. 2) Fiduciarium crepant vinculum: ſed nexus vaſalliticus ſummæ poteſtati in Republica nihil demit. Neque Principes Chriſtiani, ſedi Romanæ regna ſua in feudum offerentes, Papæ propterea jus aliquod conferre voluerunt, ita ut eum ſupremum quaſi haberet arbitrum, & regna fiduciaria, deficientibus ſucceſſoribus feudalibus, ipſi cederent: ſed eo ipſo tantum terras Pontificis, qui ſe Chriſti vicarium venditabat, precibus commendare, easque ſacræ illius committeret tutelæ, Voluerunt, quo tum adverſus ſubditos forte immorigeros, quam exteros tutiores eſſent.

Sunt adhuc alia argumenta, quibus Pontificiæ ſedis cauſam agentes incumbunt. Horum numero ſunt: Sanctium Favilam in Algarvia ordini S. Johannis donantem, huic rei Papæ Innocentii ſuffragium conciliaſſe; eundem Papam memorato Regi regnum abrogaſſe; hunc liberos & regnum Pontificis tutamini commendaſſe. Innocentium II. cum diſſidia inter Alphonſum II. & ſorores ejus componeret, Regem juſſiſſe, ne res regni in ſucceſſorum detrimentum imminueret. Alphonſum III. Papam in teſtamento animi & corporis ſui dominum vocare, & Sebaſtiano titulum obedientiſſimi Eccleſiæ filii placuiſſe SCHWEDERUS *in theatro prætenſionum p.* 335. 336. Verum res accurate perpendentibus facile conſtabit, devotum illorum temporum morem, quo Papam colebant, formulas quasdam interdum Regibus elicuiſſe, quæ non niſi verborum lenocinia, hodie complementa dicta, referebant. Quis autem inde ad jus aliquod Pontifici collatum argumentaretur. Sic & abſonum plane eſt, ex commendatione, quæ ſacro Pontificis favori eſt facta, illi imperium aliquod vindicare. Porro apparet Pontificis, ut arbitri, laudum, falſo pro judicis & ſuperioria accipi ſentententia. Quamquam facile concedi poſſit, Papas aliquando facultatis, quam ex compromiſſo habebant, limites tranſiliiſſe, & plus, quam par erat, ſibi indulſiſſe: Reges autem Portugalliæ illud, quoniam a ſancto proficiſcebatur patre, diſſimulaſſe, umbram illam ſuis, & regni juribus nocere non poſſe credentes. Quapropter Pontifex, extincto anno 1580. Henrico, ſibi in Luſitaniam jus aliquod vindicans, omnibus recte ſentientibus irriſioni fuit, ut autor eſt THUANUS lib. 65.

Pontifici jungamus Hiſpanum, qui, licet jure, quod forte ipſi in Portugalliæ regnum competere poterat, per paces deceſſerit: aliquando tamen animum denuo ad Portugalliam adjicere poterit; præſertim cum Borbonici ſanguinis Principes Hiſpanica moderantur ſceptra. Huic accedit, quod odiis, quæ inter Galliam & Hiſpaniam durabant, ſublatis, duo illa regna Portugalliam aliquando invadere poſſint. Neque enim inter Principes matrimonii vinculum alicujus momenti eſſe ſolet. Ut autem Luſitani a conjunctis Galli & Hiſpani viribus tutiores ſint, inprimis de Anglorum amicitia ſint ſolliciti. Huc pertinent, quæ apud autorem libri, cui titulus: *nouveaux interets des Princes*, leguntur: *Il eſt de l'intereſt de ſa majeſte Portugaiſe, d'entretenir une alliance ferme & ſtable avec l'Angleterre, non ſeulemant a cauſe du commerce, quily a entre les deux nations, mais encore parce quil en peut etre ſecouru dans le beſoin.* Nec Hollandorum fœdera Portugallis ſunt negligenda; nam & hi commodam ipſis adverſus Hiſpanos Galloſque præſtare poſſunt operam. Satius igitur eſt, eorum colere amicitiam, quam, quod tot ab ipſis emuncti ſint locis, alta repoſtum habere mente. A Cæſare nihil ipſis exſpectandum eſt auxilii, cum claſſibus non valeat. Niſi quatenus Gallo aut Hollandis, ſi bellum cum Luſitanis ſuſciperent, domi negotia faceſſere queat.

DE REGNO GALLIÆ.

PRoximum eſt, ut de regno Galliæ agamus. Initio dicemus, quinam maxime ſcriptores ſint evolvendi; ſiquidem ad accuratiorem ejus reipublicæ cognitionem pervenire velimus. Francorum itaque rempublicam omnes illi, qui reſpublicas noſtri ævi deſcribendas ſibi ſumſere, etiam deſcripſerunt. Habetis itaque de hoe regno præclaram diſſertationem BOTERI, ut & quædam in theſauro politico PHILIPPI HONORII, NICOLAI BELLI, & CASP. ENS. Invenitur etiam diſſertatio de hac republica in magno illo volumine, de rebuspublicis auctore anonymo, quod opus gallice primum prodiit. Porro etiam inter libellos, qui in Batavia de variis rebuspublicis ſunt editi, comparent itidem libri duo ejusdem argumenti, attamen plane diverſi. Initio autem in Belgio prodiere aliquot libri, cumprimis autem JOHANNIS TILII, CLAUDII SESELLII, ex gallico quondam latine verſus a SLEIDANO, & VINCENTII LUPANI. Hi tres libri in unum collecti, prodiere primo in Hollandia: ſecunda vero vice prodiit plane alia deſcriptio Galliæ, curante Johanne de Laet, & quidem quantum ad notitiam rerum Gallicarum attinet, melior & utlior priori editione, & quidem elegans liber, ſtilo profecto præclarus. Cæterum ille maxime pertinet ad jus publicum, ut ita loquar Francorum, quale illud, durante ultima ſamilia Capetingica fuit, non autem in illo invenitur, qualis fuerit ratio ultimorum temporum. Vixit Tilius ſuperiori ſeculo, & fuit vir præclarus, & juris gallici antiqui peritiſſimus. Factus eſt deinde Epiſcopus Meldenſis in Gallia. Claudius Seſellius etiam fuit Epiſcopus, quia autem ille non tum deſcripſit, qualis fuerit ſtatus Galliæ, ſed qualis eſſe debeat, itaque ille Philoſophum potius agit, quam deſcriptorem. Vincentius Lupanus pene eodem modo Galliam deſcripſit, quo Tilius, quare etiam ejus liber pertinet ad jus publicum, ita tamen, ut multa non attigerit. Aliud vero eſt ſcire jus publicum, aliud rempublicam ipſam, ſæpe autem aliter ſe habet jus publicum, aliter ipſa reſpublica. Imo, quæ ab iſtis autoribus tacta ſunt, multum ſubierunt mutationis; reſpublica enim ipſa eſt magnam mutationem paſſa. Ad præſentem vero ſtatum Laetiana deſcriptio plus longe prodeſt; multa enim habet non tacta ab antedictis ſcriptoribus, & ſtudioſe ea omnia collegit, quæ ad præſentem ſtatum magis faciunt. Conſcripſit quoque LIMNÆUS vaſtum volumen de notitia hujus reipublicæ, quod omnino prodeſſe poterit; arguit enim hominem multæ lectionis, ordo tamen politicus ibi non obſervatur, & paſſim ibi ſunt inculcata ad politicam non pertinentia, poſſunt tamen eſſe uſui. Eſt illud volumen ſtudioſe collectum, ſeorſim poterunt ad manus eſſe libelli, qui magis ſunt chorographici, utpote qui debent in pretio haberi. Amplas variorum *deſcriptiones* (a) Gallice conſcriptas nunc non numerabo, non poſſum tamen non laudare librum non magnum ſed perquam utilem, illis præſertim, qui volunt aliquando peregrinationes gallicanas inſtituere. Conſcriptus ille eſt autore ABRAHAMO GOLNIZIO Dantiſc. ſub titulo Ulyſſes Gallo Belgicus. Hactenus ego librum iſtius argumenti meliorem non vidi, tantum in eo deſidero pleniorem deſcriptionem urbis Parienſis, *quam quidem promiſit*, (b) ſed quod ego ſciam, nondum prodiit. Fuit mihi ſamiliaris amicus, cum in Batavis adoleſcens degerem. Erat certe illi rei aptiſſimus, & valebat rerum gallicarum peritia. Cum mihi cum illo intercederet familiaritas, vix jam viſitaverat Galliam, & tertia vice eo redire cogitabat. Reperitur etiam itinerarium non contemnendum *Jodoci Sinceri.* (c) Reperiuntur etiam alias variæ *deſcriptiones geographicæ*, (d) ſed pleræque lingua gallica exſtant. Etiam *mappæ geographicæ* (e) eximiæ, editæ in Batavia & Gallia omnium Provinciarum Franciæ ſeorſim. Quod attinet Hiſtoriam, habet Francia plures rerum ſuarum *Hiſtoricos.* (f) Non dicam jam de iis, qui *lingua Gallica* (g) eorum res ſunt perſecuti, ſed tantum de latinis ſcriptoribus.

Primus

(a) *deſcriptiones*) Pertinent huc *les antiquités de Gaule par* FAUCHET; *VALESII notitia Galliarum; les antiquites & recherches des villes chateaux & places plus remarquables de France par ANDRE DU CHENE; & nouvelle deſcription de la France* par PIGANIOL *de la FORCE.*

(b) *quam quidem promiſit*) Habemus jam exactiſſimam Lutetiæ deſcriptionem, lingua Gallica exaratam per GERMAN BRICE.

(c) *Jodoci Sinceri*) Elogio quoque dignum eſt, VERDIERII itinerarium lingua Gallica conſcriptum.

(d) *deſcriptiones geographicæ*) Conf. *tome troiſieme de la Geographie univerſelle par DE LA CROIX*; *LABBEI Diſquiſitiones geographicæ, la France Seigneuriale, ou Principautes, Duchez, Marquiſats, Comtes, par DU VAL ZEILERI topygraphia; MERULÆ lib. III. Coſmographia & PHILIBERTI MONETÆ deſcriptio Galliæ tam. veteris quam recentioris.*

(e) *mappæ geographicæ*) Præcipuæ earum in fine hujus operis memorabuntur.

(f) *Hiſtoricos*) Magna eorum pars enarratur in CHENII *bibliotheque des autheurs, que ont eſcrit l' Hiſtoire & topographie de la France:* Recentiores autem rerum Gallicarum ſcriptores inprimis vernaculam gentis ſuæ linguam adhibentes, addiſci poſſunt, ex Thuanæo, Bultelhano & Duboſiano catalogis. Illorum infinitus propemodum eſt numerus, ſi qui de provinciis & civitatibus, nec non de argumentis ſingularibus ad Galliam ſpectantibus aliquid memoriæ prodiderunt, huc referantur.

(g) *lingua Gallica*) Haud inutile tamen erit, aliquos eorum memorare, & quidem NICOL. GILLES annales & *chroniques de France*; JEAN *du Tillet recueil des Rois de France;* DU HAILLAN *Hiſtoire de France*; FRANCOIS DE BELLE FOREST *les grandes Annales & hiſtoire generale de France.* CORDEMOY Hiſtoire de France. *Sommaire de l' Hiſtoire de France, extrait de la Bibliotheque hiſtoriale par* VIGNIER. DU HAILLAN

Hiſt.

Primus omnium latinam Hiſtoriam rerum francicarum cæpit in unum congerere PETRUS PITHÆUS magni nominis vir & ICtus, Cujacio fere par. Edidit ille primum varios ſcriptores rerum francicarum antiquiſſimarum, cumprimis conſcriptos tempore Caroli M., quæ fuit ſecunda familia Regum Francicorum. Deinde collegit ſcriptores antiquos rerum Francicarum ad Capetingicam familiam ſpectantium. Utraque collectio eſt edita Francofurti ex officina Weicheliana. Cum autem viderent Galli, *homines Germanos* (a) eſſe perquam induſtrios in colligendis antiquis Hiſtoriis, & inde magnam laudem rebus germanicis eſſe illatam, ſecutus exemplum Germanorum & Pithæi præter alios *Andreas Quercetanus* (b) qui ſtudioſe ex omnibus angulis epiſcopatuum, cænobiorum & urbium univerſæ Galliæ ſcripta collegit in unum, & varis voluminibus varios ſcriptores edidit in lucem: verum illi ſcriptores ſunt antiquiores, itaque non temere conſulendi, niſi ad antiquarum rerum notitiam. Quare etiam vobis non ſunt adeo *expetendi*. (c) Quod ſi quis compendioſam hiſtoriam rerum Francicarum velit legere, comparet ſibi Hiſtoriam Pauli Æmilii Veronenſis Itali, quæ eſt præclara Hiſtoria. Vixit ille ſub initium ſuperioris ſeculi. Eſt profecto præclarum ſcriptum, & meretur comparari cum antiquitate. Unum tamen hoc habet vitii, quo dictio nimis ſit commatica & conciſa, quodque affectione antiquitatis vocabula hominum & locorum mutet in aliam flectionem; unde non poteſt non in legendo oriri obſcuritas. Geldriam ille vocat Geldubram. Non quidem dubito, vocem Geldriam à Geldubra eſſe ortam, interim tamen vox Geldria jam eſt in uſu. Nec eſt cauſa, quare vetera illa affectemus, poſſumus ſic loqui, ut intelligamur.

Ubi Æmilius deſiit, res Galliæ eſt perſecutus Arnoldus Ferronus vir præclarus & rebus gerendis magnus, qui etiam interfuit tanquam legatus regius concilio Tridentino; Et profecto habuit orationes maſculas, quibus Cleri & Patrum Tridentinorum res geſtas eſt inſectatus. Deinde etiam vixit tanquam legatus in republica Veneta, ut & Romæ: ſed deſertus ab aula; non niſi grandi ære oppreſſus rediit ex Italia. Hic ſolet eſſe mos aulicorum, ut, ſi Legatis non bene velint, denegent ſtipendium, eosque ſinant perire; Deinde tamen invenit locum apud Henricum Navarræum. Hic Arnoldus egregie perſecutus eſt res geſtas ſui temporis usque ad exceſſum Franciſci. Ubi autem Arnoldus deſivit, ibi fere incipit Thuanus, ut ita hi mutuo ſeſe exceperint; quanquam Thuanus non tantum commoratus ſit in enarrandis rebus gallicis, ſed ſibi ſumſerit univerſum orbem memorandum, nunquam tamen majorem fidem meretur, quam in rebus gallicis, & has res ex Thuano tuto petere licet. Perſecutus eſt Thuanus omnia uſque ad cædem Henrici IV. vel ad annum hujus ſeculi X. Cæterum, cum jam primo volumine tantum edito laboraret invidia magna, & infeſto odio multorum, vivus non edidit Hiſtoriam, uſque ad annum tamen hujus ſeculi VII. prodiit poſt obitum ejus, reliquorum annorum hiſtoria adhuc latet, & non alia de cauſa abſconditur, & edi prohibetur quam odii evitandi cauſa; ſi enim unquam alibi, certe in Hiſtoria ſcribenda locum habet illud: Veritas odium parit. Hiſtoriam itaque ſui temporis ex vero ſcribere, & rerum geſtarum memoriam ad poſteritatem transferre, eſt animi valde generoſi. Cumprimis laboravit Thuanus odio Zelotarum eccleſiæ Pontificiæ. Fuit quidem ipſe Thuanus in eccleſia Pontificia, nec ab ea nunquam deceſſit: interim tamen, qui non dubitat, ſcelera neſanda ſuorum ad poſteritatem transferre, uſque adeo habita veritatis ratione, ut curiæ Romanæ non pepercerit, perpetuo flagravit odio; cumprimis Jeſuitarum, qui adhuc ſunt in illa ſententia, nullam hiſtoriam eſſe peſtilentiorem, quam Thuani, quia ſcripſit ex vero, quod ſuperiori ſeculo turbaverint Jeſuitæ plane univerſum orbem. Primum volumen in indicem expurgatorium relatum eſt Romæ, deinde autem illud non reperi in indice expurgatorio Coloniæ edito. Diſplicet autem illis præfatio Thuani, qua tamen nil eſt doctius, ſi certe quis legat, admirabitur prudentiam eloquentem & generoſum animum. Me itaque judice Thuanus eſt omnium Hiſtoricorum & hujus & ſuperioris ſeculi *princeps*, (d) cumprimis propter ſtudium veritatis & omnium rerum experientiam. Totum ille orbem habuit exploratiſſimum. Hoc quidem facile eſt dictu, ſed quanti ſit laboris, is demum obſervavit, qui fuerit conatus tale quid aggredi. Doleo certe, eam eſſe conditionem noſtrorum temporum, ut ultima iſtius Hiſtoriæ pars non prodeat in lucem. Inter omnes autem editiones meo quidem judicio eſt ultima illa, quæ ante 30. annos prodiit Francofurti, idque multis de cauſis. Habet illa omne, quicquid eſt in editione Genevenſi, quæ eſt longe

Hiſt. generale de France; JEAN DE SERRES *inventoire general* de l' hiſtoire *de France*; SCIPION DUPLEIX *inventoire des erreurs fables & deguiſemens en l' inventuire* de Serres MEZERAI *Hiſtoire de France*; MICHAEL DE MAROLLES *Hiſtoire de Rois de France*; GUIL MARIEL *Hiſtoire de l' origine & des progrès de la monarchie Françoiſe* DUPLEIX *Hiſtoire generale de France*, CORDEMOY *Hiſtoire de France*; LE GENDRE *Hiſtoire de France* PRADE *Hiſtoire de France*; GABRIEL DANIEL *Hiſtoire de France*. Cenſuram hujus autoris & Mezeræi vide apud Comitem de BOULAINVILLIERS *dans l' Hiſtoire du gouvernement &c. p.* 195. 229. *ſeqq.*

(a) *Homines germanos*) Habemus *corpus Hiſtoriæ Franciæ veteris* a MARQUARDO FREHERO collectum. Autores, qui in eo congregati ſunt, recitat STRUVE *in ſelecta bibliotheca hiſtorica*.

(b) *Andreas Quercetanus*) Duos edidit tomos ſcriptorum Hiſtoriæ franciæ veteris, & unum Normannor. Hiſtor. ſcript. quos deinde filius ejus Franciſcus aliis tribus tomis auxit. Novam operis hujus rariſſimi jam expectamus editionem.

(c) *expetendi*) ſcilicet ad notitiam ſtatus gallici.

(d) *princeps*) Cum his collineant, quæ habentur in Schurzfleiſchiano judicio de Chriſtiani Freytagii Hiſtoria Valeſiana, ubi inquit: *Superioris Franco Gallorum Hiſtoriæ princeps Thuanus fuit, & gravitate ac ſcribendi judicio omnibus præſtitit.*

eſt longe locupletior Parienſi. Hoc deinde peculare habet, quod habeat notas marginales, ita, ut facile poſſint quævis inveniri, quod in Genevenſi eſt difficilius, multis præterea aliis de cauſis hæc editio reliquis præſtat.

Poſt Thuanum hiſtoriam Ludovici XIII perſecutus eſt Ludovicus Gramoodus, vir generoſa ſtirpe natus, & Præſes Parlamenti Tholoſani, non autem ille ita ſe diffundit, uti Thuanus, ſed res Francicas tantum perſecutus eſt, reliquis rebus intactis, in quibusdam autem ille convenit cum Thuano, in aliquibus etiam diſſentit. Primo dictio Thuani eſt plana & perſpicua, & fere qualis eſt in commentariis Julii Cæſaris, & huic cumprimis operam dedit, ut plane & perſpicue omnia narraret. Gramondi autem dictio eſt conciſa, cootorta, & affectatæ veritatis. Voluit imitari Taciti dictionem, ſed laudem illam minime eſt conſecutus. In iis deiode, quæ ad ſacra attineot, oſtendit magis animum zeloticum, non tamen ita, ut ejuraverit omnem veritatis curam. Hoc autem Thnano habet par, ut intrepide dicat, quod ſentiat, nam certe ille non tacet peccata commiſſa ab aula & magnis viris gallicis. Prudentia etiam non deeſt; nam vidit & prævidit omnia, quæ geſta ſunt in illa republica, ſatis novit. Cæterum ille idem fatum expertus, quod Thuanus, ſimulac enim prodiit prima illius hiſtoriæ pars, taotum in ſe odium coocitavit, ut vix potuerit Tholoſa degere, haoc ille tulit gratiam laborum ſuorum. Hactenus itaque, quantum ego ſcio, non prodiit, niſi taotum prima illius hiſtoriæ pars, quod ſi aliquaodo prodierit, reliqua hiſtoria erit incomparabile & cum aotiquitate comparandum opus, docebit illa hiſtoria permulta, areaoiſſima enim illius reipublicæ penetravit, & quæ contigere, ex vero eſt perſecutus, ejus itaque Hiſtoria eſt lectu digniſſima. Qui poſt Gramondum latine perſecutus res *Ludovici XIII.* (a) & *Ludovici XIV.* (b) hujus Regis, oeminem novi, gallice quidem aliqui habeotur, ſed quos ego inſpexi, videntur potius *adulatores agere*, (c) quam veros Hiſtoricos. Noſtis autem, cumprimis eſſe legendas hiſtorias *recentiſſimas*, (d) ut & vos de rebus gallicis poſſitis ſcire, quæ noſtris rebus ſunt vicinæ, & cum iis maxime congruunt. Itaque autor ego ſum, ut ſaltem illas Hiſtorias rerum gallicarum vobis faciatis familiares, quæ cootigere a tempore *Franciſci*, (e) hac in parte vos juverint commentarii Aoonymi de rebus in Gallia geſtis, circa religionem & rempublicam ad exemplum Sleidani noſtri, quemadmodum enim ille deſcripſit res illas, quæ in eccleſia noſtra contigere, ad euodem modum prodiere commentarii de rebus in eccleſia & republica gallica geſtis. Sunt illi conſcripti ab autoribus u[illegible] vel pluribus partibus Reſormatorum addictis, & quantum intellexi, autor præcipuus eſt Theodorus Beza. Ita refertur, certe tamen ego oon dixerim. Suot illi commentarii lectu digoiſſimi, & habeot multa præclara, quicquid tamen in iis eſt memoratu dignum vel veriſimile, omne perſecutus *eſt Thuanus*, (f) qui ergo illum habet, omnia habet. Obiter non poſſum non memorare, duos ſcriptores,

---

(a) *Ludovici XIII.*) VASSORIUS lingua gallica res, regnante Ludovico XIII. in Gallia alibique geſtas X tomia conſignavit. Stylo utitur hiſtorico, & æquabili ſatiaque inſtructua ad annales illos conſcribendos acceſſit, & ubique magnum veritatia oſtendit ſtudium: Videtur tamen in partes illas, quas deſeruit, paululum eſſe iniquior. Exſtat etiam *decade commencant l' Hiſtoire de Louis XIII. depuis* 1610. *jusques a l' an* 1617. *par* BAPTISTF LE GRAIN, *& continuation de l' Hiſtoire du regne de Louis le juſte par* SCIP. DUPLEIX. Sed hi Vaſſorio rerum copia, fide, judicio, & dictione longe inferiores ſunt. Imo ſunt, qui contendunt, DU PLEIXII hiſtoriam Henrici IV. majori conſcriptam eſſe judicio, quam id, quod de Ludovici XIII. regno meditatua eſt. Quod autem ad Henricum IV. attinet, id, quod ſub eo geſtum eſt, deſcribunt quoque PETRUS MATHÆUS & PEREFIXIUS, quorum hic ob prudentiam maxime & eleganam in lingua gallica ſcribendi genus celebratur, alter autem quam plurimis diſplicet, quod nimis de ſententiis veterum adducendis ſit ſolicitus, & digreſſionibus ſæpe ſatis amplis & comparationibus, quæ filum Hiſtoriæ rumpunt, indulgeat. Cæterum ex Hiſtoriarum ejus libris uſque ad annum 1610. continuatis, ad prudentiam comparandam maxime directis, multa addiſci poſſunt, non minus, quam ex ejus hiſtoria Ludovici XI. ubi hujus flagitia dominationis tangit.

In Rodolphi Boteri commentariis de rebus toto pæne orbe geſtis, judicium ordo & elegans planusque ſtylus laudantur. Gramondi labores, ad acquirendam prudentiam faciunt. Interim negari nequit, ipſum nonnunquam iræ & odio aliquid dediſſe. Nihilominus tamen majorem commentarii illi præ ſe veritatis habent opinionem quam ea, quæ Varillaſius in variis voluminibus eleganti ſtylo in lucem miſit. Interim nec huic veritatis opinio ubique eſt deroganda. Neque negari poteſt, ipſi multorum eſſe factam copiam, quæ in aliorum non venere manus; quanquam inter anecdota ejus multa ſint, quæ alii ante eum jam tradidere autores.

(b) *Ludovici XIV.*) PRIOLUS de rebus gallicis hiſtorias ab exceſſu Ludovici XIII. anno 1643. uſque ad annum 1664. enixus eſt. Stylo utitur affectato & obſcuro, cogitavitque ubique imitari Tacitum. Quod ad rem ipſam attinet, inſignem ubique Mazarini agit adulatorem, & veritati non ſatis ſtudet. Interim ob res geſtas illorum temporum, quæ deſcribit, non plane negligendus.

(c) *adulatores agere*) Huc pertinent RIENCOURT *Hiſtoire de Louis XIV. Memoires pour* ſervir *a l' Hiſtoire de Louis le grand par le Sr.* DEVIZE; *Eſſais de l' hiſtoire du regne de Louis le grand jusques a la paix generale* 1679. *par* LE GENDRE; Hiſtoria *de Ludovico il grande deſcritta da* PHILIPPO COSONI.

(d) *recentiſſimas*) Hi potiſſimum ab iis, qui rebus gerendis intereſſe volunt, diligentiſſima ſunt terenda manu.

(e) *Franciſci*) Præter VARILLASIUM circa ejus Hiſtoriam tradendam occupati fuerunt PETRUS MATHÆUS *dans l' hiſtoire de France depuis Francois jusques a Louis XIII.*

(f) *eſt Thuanus*) Quæ ad res Henrici II. Franciſci II. Caroli IX. pertinent peculiaribus Varillaſius proſecutus eſt voluminibus. Huic jungendi: *Commentaire de Fr.* ROBIN *ſur le fait de guerre en la Gaule Belgique entre* Henry II. & Charles V. LA POPELINIERE *Hiſtoire depuis l' an* 1550. *jusqu' en* 1577. COMMERII ALENCONII *res geſta Henrici II.* SERRANUS *de ſtatu religionis & re-*

ptores, qui res Henrici IV. deſcripſere. Fuit ille Rex Henricus ob magnitudinem rerum geſtarum admirandus, virtutibus eximiis, ſed & non *ſine magnis vitiis.* (a) Duo ejus res gallice ſcripſere, ſed ſunt verſi in latinum ſermonem, alter eſt Petrus Matthæus, alter eſt Rudolphus Boterus. Quanquam vero multi ſoleant commendare Petri Mathæi Hiſtoriam: ne tamen quid diſſimulem, illa ſcribendi ratio mihi plane non arridet; nova enim ille plane uſus eſt ſcribendi ratione. Apparet etiam, illum habuiſſe calamum adulatorium, & ſcribendi non adeo fuiſſe peritum; quanquam multi eum commendent, qui gallica lingua optime ſcripſerit, quod ego relinquo ſuo loco: Interim græce & latine fuit doctus, & ſolet inſpergere ſententiam aliquam ex antiquis ſcriptoribus, hoc tamen eſt Philoſophum agere, non Hiſtoricum; nam politicum diſcurſum ita deſcribere, eſt inepta ſcribendi ratio. Notum quidem eſt, idem a veteribus aliquando eſſe factum, ſed tamen parcius. Hic a multis ſuis narrationibus ab Hiſtoria alienis hiſtoriam reddit obſcuram: alter eſt Rudolphus *Boterus ICtus.* (b) Cujus ſcripta mihi præ altero perplacent; fuit enim vir prudens, & videtur ſcribendi magis fuiſſe peritus, quam Matthæus. Si quis Thuanum habeat, non eſt, quod tempus in illis hiſtoriis legendis perdat. Hi ſcriptores jam laudati videntur ſufficere poſſe ad res gallicas, poſſem quidem plures laudare, ſed non videtur neceſſum. *Jeſuita* (c) quidam dedit nobis epitomen Hiſtoriæ Franciæ perelegans, & quod mireris, etiam in enarratione ultimorum temporum, magis quam alias poſitum eſſe ſolet in more ſocietati ſuæ ſtudioſus veritatis. Non dubitat etiam ille laudare Thuanum, quod tamen Jeſuitis eſt inſolens. Fateor quidem, *totam ejus hiſtoriam* (d) a me non eſſe lectam, quantum autem legi, tantum placuit. Hæc de ſcriptoribus ſufficiant.

Illam terram, quæ hodie Franciæ nomine dicitur, tenuere olim Galli, & totus populus eſt olim dictus gallicus: Galliam vero univerſam *in provinciam redegit* (e) Julius Cæſar, quod, quomodo factum ſit, deſcripſit ipſe in commentariis ſuis de bello gallico. Jamdudum antea illa pars galliæ; quæ *Narbonenſis dicitur,* (f) & Italiæ eſt propinquior; ad Rhodanum Fl. erat Provincia Rhodanorum, itaque adhæſit illud nomen, ut diceretur Gallia Provincialis. Hæc eſt omnium *prima provincia,* (g) quam tenuere Romani in Gallia-Tranſalpina. De Gallia antiqua ejusque republica dicere non eſt mei inſtituti: ſed hoc petendum ex Cæſare & *aliis,* (h) manſit vero omnis Gallia juris romani, & eximia fuit portio imperii romani. Deinde ſeculo V. univerſum plane imperium occidentale Romanorum tranſiit in ditionem Germanorum. Tum enim Franci, Burgundi & Gothi cœpere Galliam in poteſtatem ſuam redigere. Omnes illi populi fuere germanici Franci, vixere *ubi eſt Franconia,* (i) & in Palatinatu. Burgundi etiam fuere populi germanici, & occuparunt Galliam Romanis dictam Lugdunenſem, hodieque ibi manſit nomen Burgundicum, & ducatus & comitatus ibi ſuperſunt reliquiæ veterum Burgundorum. Gothi occuparunt univerſam Galliam Aquitanicam, conſtituta ſede regni primaria Tholoſæ: ſed ea fuit felicitas Francorum, ut & Burgundos & Gothos vicerint. Burgundos ſub jugum miſere, Gothos expulere in *Hiſpaniam.* (k) Erant autem hi Weſtrogothi.

Ita univerſa Gallia, erepta Romano imperio, facta eſt juris *populi Francici.* (l) Nota eſt, felicitas Francorum, ut & Germaniam & Italiam ſibi ſubjecerint. Ita univerſa Germania unum ſceptrum cœpit colere auſpiciis Caroli M., qui ut Francorum, Italiæ & Galliæ, ita & Germaniæ univerſæ dominus fuit. Non attingam jam tempora antiqua imperii Francorum, ſed quicquid

---

& republica in Gallia ſub Regibus Henrico II. Franciſco II. & Carolo IX. Hiſtoire de l' etat de France tant de la religion, que de la republique ſous le regne de Henry II. Memoires de CASTELNAU *des choſes plus remarquables, qu' il a veues & negotiees ſous les Rois François II. & Charles IX.* HOMERO TORTORA *da* PESARO. *Hiſtoria di Francia nelle quale ſi contengono le coſe avenate ſotto Franciſco II. Carolo IX. Enrico III. Enrico IV. Henr. Caterino d' Avila. Hiſtoria delle guerre civile di Francia,* FREYTAGII *Hiſtoria Henrici III. Memoires de la ligue.*

(a) *ſine magnis vitiis)* Henrici IV. habitum corporis, indolem, virtutes & vitia deſcribit PEREFIXIUS *dans l' hiſtoire de Henry le grand p.* 513. Libidinibus fuit addictiſſimus, & nonnunquam ridicula ſecutus conſilia, quod ex iis quoque apparet, quæ de ſyſtemate aliquo rerumpubl: Chriſtianarum formando fuerit ſollicitus; niſi dixeris, ſub illo involucro arcana latitaſſe conſilia, in Hiſpanorum perniciem tendentia.

(b) *Boterus)* vid. quæ ſupra de utroque in notis dixi.

(c) *Jeſuita)* Loquitur hic haud dubie de Joanne de BUSSIERES.

(d) *totam ejus hiſtoriam)* primum Lugduni anno 1661. in 12. 4. voluminibus prodiit, Hodie etiam habemus editionem, ut vocant, in 4. quæ 1688. Coloniæ duobus tomis typis eſt impreſſa. Sæpe nimium amori patriæ & religionis, cui deditus fuit, tribuit: magis tamen, quam alii quidam ex popularibus ejus ab adulatione & partium ſtudio abhorret.

(e) *in provinciam redegit)* In domanda autem Gallia Julius Cæſar decennium prope conſumſit.

(f) *Narbonenſis dicitur,* Hæc ab Italia Narbonem & ad Pyrenæos patebat. CELLARII *Geograph. antiqua,* p. 176.

(g) *prima provincia)* Hanc non deſcripſit Julius Cæſar.

(h) *& aliis)* Ad horum cenſum ſpectant GAUDENTIUS MERULA *Gallorum Ciſalpinorum antiquitate,* FORCATULUS *Gallorum imperio & Philoſophia;* *Geſſelius hiſtoria veterum Gallorum.*

(i) *ubi eſt Franconia)* De Francorum origine & ſedibus a nobis ad librum de *finibus* imperii actum eſt. Ceterum ad autores, qui circa argumentum hoc pertractandum verſati ſunt, pertinent *Charles de* MOULIN *de l' origine progres & excellence du Royaume de France;* VIGNIER *de ſitu & origine veterum Francorum;* CLAUDE DU PRE *abrege fidel de la veraye origine & genealogie des François;* PONTANI *origines Franc.*

(k) *Hiſpaniam)* Vide quæ de hac materia alibi diximus.

(l) *populi Francici)* BUSSIERIS *Hiſtoria Francica lib. I. p. 8. ſeqq.*

quid allaturus ſum, pertinebit ad tempora Francici imperii, poſtquam illud cœpit dividi a Germania. Germania, priusquam imperatorium titulum adepta, audiit nomine regni Francorum orientalis, ſicut Gallia regnum Francorum occidentale fuit vocatum. Carolo M. ſucceſſit filius Ludovicus pius, qui itidem omnia unus obtinuit. Fuere autem illi tres filii. Hinc magnum illud Francorum imperium fuit diviſum *in tres partes*. (a) Et ita cœpit imperium orientale, & occidentale Francorum, ut medio ſpatio inter utrumque regnum decurreret regnum Lotharii. Tres Ludovici filii fuere 1) Lotharius, 2) Lodovicus, & 3) Carolus. Lotharius natu major accepit mediam portinem, & ita Italiam cum titulo Imperatorio. Carolo Calvo minimo ceſſit regnum Franciæ occidentale, quod hodie κατ᾽ ἐξοχὴν regnum Francorum dicitur. Ludovico medio filio contigit regnum Franciæ orientalis ſeu Germania. Origo igitur germanici regni repetenda eſt a fratribus illis filiis Ludovici pii; origo Galliæ Francicæ itidem ab iis eſt petenda.

Quinam fuerint fines iſtorum regnorum, accurate a me eſt traditum, & antiquorum teſtimoniis probatum in libro de finibus imperii germanici. Fines *hodierni regni gallici* (b) primo oceanus, deinde montes Pirenæi verſus Hiſpaniam, verſus orientem Rhodanus uſque Lugdunum, deinde fl. Araris ab Arari usque ad Vogeſume montem, & ita ad fontes Moſæ, & ſurſum uſque Trajectum ad Moſam, ubi Scaldis eſt terminus, quæ miſcetur oceano. Hi ſunt limites regni Francorum. Noſtri autem Germani tranſcenderunt illos limites; hinc eſt graviſſima controverſia, quo jure Gallus Lothariogiam poſſit occupare, cum hæc ſit extra legitimos limites regni Galliæ, legitimus enim terminus eſt Moſa: jam vero cis Moſam eſt ducatus Lotharingiæ, adeoque non eſt intra *limites regni gallici* (c)

Proximum nunc eſt, ut dicamus de finibus regni Galliæ, & ita de cœli & ſoli qualitatibus. Initio autem obſervandum eſt, quod jam tum dixi, regnum Galliæ, quale eſt hodie, accepiſſe proprios ſuos fines, demum poſt tempora Caroli M. cum regnum Francorum eſſet *diviſum* (d) inter filios Ludovici II. Etenim regnum Francorum, quod univerſam Galliam, Germaniam, Italiam, magnam Pannoniæ partem & partem Hiſpaniæ uſque ad Iberum continuit, fuit diviſum, & Germania fuit dicta regnum Francorum *orientale*, (e) Gallia occidentale. Regnum occidentale, quod hodie κατ᾽ ἐξοχὴν Francia dicitur, ab oriente accepit Rhodanum, a parte occidentali accepit terminos Hiſpaniam, quia, quicquid erat trans Pirenæos, Francis *non parebat*. Deinde etiam oceanum accepit limitem, & ex parte mare mediterraneum: ſed poſt illa tempora paulatim cœpit amplificari illud regnum, partim per vim, partim per *liberas donationes* (g) variorum principum. Itaque illud regnum Francorum occidentale in parte illa, quæ obtigerat Lothario, accepit Galliam provincialem, & Delphinatum Vennenſem, itemque urbem Lugdunum, accepit & alia in regno Lotharingiæ proprie dicto. De illis omnibus, & quomodo pars Lotharingiæ, quæ ceſſerat noſtræ Germaniæ, ſit decerpta, late a me eſt actum in libro de finibus imperii. Quantum autem certa fama accepimus, regnum illud ingentem accipere molitur acceſſionem regno Lothariogiæ; *per contractum enim* (g) initum inter Ducem Lothariogiæ & regem Galliæ, poſthac totus ducatus Lotha-

(a) *in tres partes*) Vid. librum *de finibus imperii* & ad eum notas.

(b) *hodierni regni gallici*) PIGANIOL DE LA FORCE *dans la nouvelle deſcription de la France tom. I.* ſequentes regni Galliæ ponit limites. *Il eſt borné* inquit, *au nord par l'ocean & les pays bas Eſpagnols, a l'orient par l'Allemagne, la Suiſſe la Savoye & l'Italie, au midi par la mediterranée & l'Eſpagne & au couchant par l'ocean Atlantique ou occidental.* Paulo aliter hæc exprimuntur a BAUDRANDO *dans le dictionaire geographique p.* 444. Hic quoque in eo diſcrepat a priori, quod regnum hoc ponat inter 15. & 29. gradum longitudinis & inter 42. & 52. gradum latitudinis: ille autem eam ſitum eſſe tradit inter 15. & 29. gradum longitudinis & 42. & 51. latitudinis. Dicitur hoc regnum ab occidente in orientem ducenta milliaria, & a meridie in ſeptentrionem centum & octoginta milliaria complecti. In univerſum illud triginta millia milliarium quadratorum æquare tradunt. Hæc non quinque, ut Voſſius aberravit, ſed 19. hominum milliones & quod excurrit, habitare dicuntur. Quam inter Galliam & alia regna ratione magnitudinis comparationem LA CROIX inſtituit, vide apud ipſum *dans la Geographie univerſelle tom. III. p.* 9.

(c) *limites regni gallici*) De hoc argumento a nobis alibi ſermo factus.

(d) *diviſum*) Vide, quæ de hac diviſione ad librum de finibus imperii diximus.

(e) *orientale*) Francia tamen orientalis quædam comprehendebat, quæ Germaniæ ut tali accenſeri non potuerunt.

(f) *liberas donationes*) Hæc potiſſimum ad Delphinatus donationem, quæ ab Humberto Philippo Valeſio, ſalvis imperii juribus, facta eſt & ad Provinciæ Andegavi & Cenomanenſis agri tranſlationem, quam ex Caroli Andegavenſis teſtamento obtigiſſe Galli dicunt, ſpectant. LEIBNITII *C. D. p.* 155. *Corps diplomatique tom. I. p.* 211. BUSSIER. *Hiſtor. Franciæ part.* 2. *p.* 36. MEZERAI *tom. III. p.* 328. COMIN. *lib. IV. c.* 8. Aliis adhuc, quam ab autore enarratis modis Galliæ res auctæ ſunt. Regulorum nonnulli, quibus Gallia ſub Capetingis laborabat, bona regno accedebant, poſtquam abſque prole denati ſunt. Deinde matrimonia quoque incrementis Galliæ favebant. Ex matrimonio Alfonſi Ludovici ſancti filii cum comitis Tholoſani filia & herede hic comitatus regno junctus eſt. Sic & Carolus VIII. Britanniæ ducatum Galliæ addidit, Annam Britannicam ſibi matrimonio, jungens *Puffend. introd. ad Hiſtoriam tom.* I. *p.* 350. VARILLAS Hiſtoire de Charles VIII. P. ÆMILIUS *p.* 558. MEZERAI *tom.* III. *p.* 372. Emtione quoque Gallia augmenta ſumſit. Sic Philippus Valeſius Montem Peſſulanum & comitatum Ruſcinonenſem ære redemit, qui, poſtquam per aliquot tempus in Hiſpanorum poteſtate fuit, ad Galliam rediit.

(g) *per contractum enim*) De hoc contractu in notis meis ad librum de finibus imperii agitur.

Lotharingiæ, qui eſt ingens tractus extra veros limites regni Galliæ cedet. Non autem tantum illum ducatum accepit Rex Galliæ: ſed & ſingularia quædam feuda imperii germanici. Ille contractus, an ſit irritus futurua, an vero ratihabendus, equidem neſcio. Ne autem quid diſſimulem, videtur eſſe ille contractus iniquior duabus de cauſis, 1) quod contractus ille eſt noxius imperio noſtro, nec enim videtur fas fuiſſe Duci Carolo, ut ille vendiderit feuda imperii. Et tametſi feuda imperii tranſeant cum onere: interim multum intereſt, quis illa *feuda teneat* (a) quia etiam Carolus Dux non contraxit de re plene ad ſe ſpectante. Ita enim eſt comparatum cum Lotharingia, ut Dux ille, qui pro tempore gubernat ducatum, non pleno jure poſſideat, ſed debet etiam agnoſcere jura agnatorum ſuorum. Itaque ille non poteſt vendere, niſi quoque *conſenſerint* (b) agnati. Horum autem quidam noluerunt conſentire: nonnullos autem conſenſiſſe fateor, & illos quidem, qui non habent proximam ſpem ſuccedendi, omnemque favorem habent poſitum in Rege Galliæ. An vero alii adhuc conſenſuri ſint, tempus docebit. Obſervandum autem eſt, Lotharingiam *non amplius eſſe feudum* (c) ſed in quantum illa eſt feudum imperil, a me dictum eſt in libro de finibua imperii.

Intra ſpatinm porro centum annorum ingens regno Galliæ facta eſt acceſſio. Multa per vim ſunt *erepta Hiſpano*, (d) multa etiam ſunt erepta Imperio, dein per *Inſtrumentum pacis* (e) in perpetuum regno Galliæ conceſſa. Ita magis magisque gallici regni vires excreſcunt. In Hiſpania itidem nonnihil crevit vis illius regni; comitatum enim *Roſſilionenſem* (f) in Hiſpania ſui fecit juris hujua Regis pater. Hiſpaniæ etiam pars fuit regnum Navarræum, exiguum quidem, ſed tamen antoritate regia pollens. Hoe regnum Ferdinandus Catholicus primus omnium intercepit ſuperiori ſeculo, nulla juſta de cauſa, nec enim temere quis probavit juſtitiam hujus belli. Hodieque regnum illud eſt in manibus Hiſpanorum; quamquam titulus maneat regibus Galliæ, qui nil ibi tenent præter provinciam Bearnenſem, exiguam illiua regni portionem. Trans moutem Pirenæum omnia ſunt juris hiſpanici. Hiſce obſervatis patet, quemadmodum ſeſe habeant fines Galliæ. Ab Hiſpania dividitur montibus Pirenæis. Ab Italia vero ſeparatur per Alpes; niſi quod *nonnulla Alpina* (g) etiam invaſerint. Hac in parte moleſti Duci Sabundiæ. Cingitur etiam ex parte mari mediterraneo, quam maxime autem patet verſus Germaniam, nec ibi videas terminum a natura quaſi poſitum. Quos autem habuit terminos naturales ſc. Ararin. Rhodanum, & Moſam, transgreſſum eſt hoc regnum.

Itaque inter Galliam & Germaniam non amplius ſunt termini naturales. Obſervandum autem eſt in *medio delphinatu* (h) adhuc hodie ſupereſſe principatum Aroſianenſem & comitatum Avenionenſem, utraque autem terra deberet agnoſcere ſuperiorem Cæſarem noſtrum, de quo egi in libro de finlbus Imperii. Comitatus Avenionenſis poſſidetur a Papa, quo jure quave injuria diſputavi in eodem libro. Principatus *Aroſianenſis* (i) ſuos habet principes, eſt ditio tamen exigua, titulis magis ſplendens, quam viribus & proventu, uti autem percipimus, arcem ipſam Aroſianenſem occupavit rex Galliæ, utrum illam ſit reſtiturus, nec ne, tempus docebit. Non autem facile credo, arcem reſtitui, niſi omnibua munimentis denudatam. Si Cardinalis Mazarinus adhuc vixiſſet, Papæ etiam circa comitatum Avenionenſem manus intendiſſet, & vero Pontifex ſibi metuebat a Mazarino. Provinciæ ſunt exiguæ, & undiquaque ambitæ ab illia provinciis, quaa tenet Rex Galliæ.

Inter illas porro provincias, quas Rex Galliæ vi occupavit, & eripuit regno Burgundiæ, etiam eſt Delphinatua, qui hoc habet præcipuum, quod primogenitus Regis Galliæ filius accipiat titulum Delphini; quia ſc. credatur, illum eſſe Ducem Delphinatus. Referunt ſcriptores, ultimum Humbertum Ducem Delphinatus vel vendidiſſe vel donaſſe *Regi Galliæ* (k) Delphinatum, ea tamen conditione, ut Regis primogenitus filius ſemper eſſet Dux illius Delphinatus, & hac origine dicti ſunt primogeniti Regia Galliæ filii Delphini. Circa fines porro eſt obſervandum, quia Gallia adjacet mari mediterraneo, ea quidem parte, qua eſt Gallia Provincialis

(a) *feuda teneat*) Hinc ſalutariter in Jure feudali eſt conſtitutum, ut feudum ſine domini conſenſu alienari nequeat.

(b) *conſenſerint*) Feudum antiquum ſine agnatorum conſenſu alienari nequit. Imo ab antiquiſſimis temporibus in Germania obtinuit, ut nulla plane bona immobilia ſine proximorum ſuffragio in alios devolvi potuerint.

(c) *non amplius eſſe feudum*) Vide tamen, quæ nos ad librum de finibus Imperii diximus.

(d) *erepta Hiſpano*) Sermo hic eſt de terris Belgio Hiſpanico detractis, quas ad librum de finibus Imperii recenſui.

(e) *pacis*) Metis, Tullum & Verdunum cum Alſatia Gallo per pacem Weſtphalicam ceſſa ſunt, quibus deinde Argentoratum acceſſit.

(f) *Roſſilonenſem*) De hoc comitatu & regno Navarræ alibi locutus ſum.

(g) *nonnulla Alpina*) intelligit forte Pinarolium & Suſam, quæ per aliquod tempus in Gallorum fuerunt poteſtate.

(h) *medio Delphinatu*) Principatus Aroſionenſis & comitatus Avenionenſis Provinciæ partes ſunt.

(i) *Aroſionenſis*) Conf. quæ de hoc principatu in notis ad librum de finibus imperii dicta ſunt. Adde LUDOVIGII *Aroſionem ſupremo imperio vindicatam opuſc. tom.* I. p. 274. *ſeqq.*

(k) *Regi Galliæ*) Philippo Valeſio. Vid. annotat. noſtras ad libr. de finibus imperii.

cialis, aptam eſſe commerciis exercendis. Et vero etiam exercentur commercia opulentiſſima in urbe *Maſſilienſi*, (a) olim Colonia Græcorum hodie nobili emporio. Similiter etiam patet aliis malis, quæ a mari imminent, qualia ſunt piratica, quibus hodie maxime infeſtatur Gallia. Altera parte, qua habet oceanum, etiam eſt apta commerciis exercendis. Commerciis autem maxime valet *Normannia.* (b) Oceano quidem finitima etiam eſt Bretaigne: ſed illa *commerciis* (c) non ita eſt dedita, niſi ex parte. Magis commerciis floret Aquitania, cum primis autem *Burdegala* (d) ad Garumnam Fl. maximum Galliæ. Si porro regnum Galliæ cum reliquis commercia exercere velit, debet intueri terreſtri itinere cum Hiſpanis, Italis, & ex parte Germanis, niſi quod Hamburgum Brena Batavi commercia exercent mari.

Jam de ipſo ſolo. Obſervandum vero eſt, vaſtum illud regnum non eſſe eadem ubivis conditione, non eadem fertilitate, & ſterilitate, ſunt nonnulla loca fæcunda, nonnulla etiam ſterilia: dixerim tamen ego, Galliam eſſe *fertiliſſimam* (e) licet alicubi ſit *ſterilis* (f) illud malum tamen aliunde facile corrigitur. Itaque pronuntiare licet, eorum, quæ ad victum pertinent, Galliæ nil deeſſe, niſi cœlum interdum minus faveat, id quod etiam jam contigit, Galliæ enim pars alias fœcundiſſima hodie laborat fame. Si autem omnia recte ſeſe habent, Gallia iis, quæ ad victum pertinent, abundat. Affluit porro vino univerſa Gallia, niſi quod vite carent Picardia & Normannia, quamquam forte id non ſit vitio, & culpa terræ, quam *ignavia incolentium*, (g) agreſtibus iſtis hominibus in Normannia ſufficit potus ex piris & pomis *ſylveſtribus* (h) pro vino, veteres vocarunt illum potum piraceum pomaceum. *Generoſo certe* (i) vino abundat Gallia Provincialis & Aquitania, quæ regiones ſunt expoſitæ viribus ſolis. Abundat etiam Gallia ſatis copia variarum arborum, quarum uſus eſt ad vitam, ad ſtructuram ædium, ſed ad rem nauticam magnam quidem habet vim lignorum, non tamen quantum *ſufficit.* (k) Et hoc etiam credo eſſe in cauſa, quod hodie Gallia non ſit inſtructa navibus, quia non habet eam vim arborum ad ſtructuram, navium neceſſariarum, quæ aliunde ſunt parandæ.

Quod attinet fluvios, habet Gallia fluvios navigabiles, inter quos eminent Rhodanus & Garumna. Sequana etiam eſt fluvius nobilis, *reliqui* (l) non merentur comparari cum noſtro Rheno & Albi. Certe magnitudine fluviorum cedit Gallia Germaniæ.

A *metallis* (m) non adeo eſt inſtructa Gallia: in nonnullis tamen locis Britanniæ reperies ferrum, plumbum, & nonnihil argenti; ſed nusquam reperitur ferrum & plumbum in ea copia, quantum ſufficiat ad vitam; Coguntur ergo incolæ de hoc ſibi aliunde proſpicere. Deficit etiam Galliæ æs, argenti parum, uti dictum, præbet Bretannia, reliquæ partes horum vel nil præbent, multo minus præbent aurum. Hac in parte regnum illud cedit Germaniæ, quæ longo intervallo hac parte ditior eſt, qui itaque peregrinantur per Galliam, fruſtra quæſiverint metalla. Hinc peregrineris per Galliam, Italiam, & magnam partem Hiſpaniæ, & tamen non invenies ea, quæ nobis præbet Hercinia. Alias etiam in montibus Pirenæis propinquioribus fertilis eſt ſalis. Qui conficitur ſal partim ex fontibus, ſed non multum, maxima autem copia paratur ex aqua marina, quæ excoquitur ardore ſolis, partim etiam artificio humano.

(a) *maſſilienſi*) De conditoribus ejus, & quomodo civitas ſe ſub Romanis habuit vid. PETRI HENDREICH *Maſſiliam p. 3. ſeqq. Les antiquités & recherches des villes par* ANDRE DU CHENE *tom.* II. *p.* 365. *ſeqq. La geographie univerſelle* PAR LA CROIX *tom.* III. *p.* 305. *deſcription de la France par* DE LA FORCE *tom.* III. *p.* 319. *ſeqq. Voyage de P. Lucas tom.* I. *p.* 3. *ſeqq.* Hæc urbs Italico, Hiſpanico, Aſiatii & orientali commercio eſt celeberrima. Eminet etiam Provincia Telo Martio (Toulon) urbe portu & munimentis celeberrima.

(b) *Normannia*) Commercium potiſſimum Rothomagi in regionis metropoli exercetur *nouvelle deſcription de la France par* DE LA FORCE *p.* 43. 67. DU CHENE *l. c. p.* 353. *ſeqq.* LA CROIX *l. c. p.* 102. SINCERI *itinerarium Galliæ p.* 212. 213. (Deppe) itidem portu gaudet: ſed commerciis Rothomago multum inferior eſt. Vid. DE LA FORCE *tom. V. p.* 60. 61. Idem de portu Gratiæ dicendum eſt.

(c) *commerciis*) Nannetum tamen commerciis floret, portuque valde eſt celebris DE LA FORCE *tom. V. p.* 337. *La Geographie univerſelle par* DE LA CROIX *tom. III. p.* 185. 186.

(d) *Burdegala*) DU CHENE *l. c. p.* 151. *ſeqq.* DESCRIPTION *nouvelle de France par* DE LA FORCE *tom. IV. p.* 179. 187. *ſeqq.* BAUDRAND *p.* 209.

(e) *fertiliſſimum*) *La Geographie univerſelle par* LA CROIX *p.* 9. & 10.

(f) *ſterilis*) Hic ante omnia *deſcription nouvelle de la* FRANCE par DE LA FORCE eſt conſulenda.

(g) *ignavia incolentium*) Parum vini ibi colitur. Cauſam ejus non tam habitantium ignaviam puto, quam quod territorium ejus non ſit patiens. Econtra frumento abundat, ita, ut Lutetiæ horreum vocari ſoleat. *La Geographie univerſelle par de la Croix tom.* III. *p.* 121. Licet enim Murciæ & Vacunæ litent: attamen Bacchi delitiæ haud dubie ad aliquam in colendis vitibus incitarent diligentiam, modo ſolum eas ferret. *Nouvelle deſcription de France tom.* III. *p.* 6. Rothomagenſis quoque & Eboricenſis Ducatus Normanniæ tractus vites alunt, vinum autem, quod inde exprimitur, minoris eſt pretii *Nouvelle deſcription de la France par* DE LA FORCE *tom. V. p.* 4.

(h) *ſylveſtribus*) Et aliarum arborum, ad quas colendas diligentia adhibetur, infinita ibi eſt multitudo, quibus potus ille, quem Galli Cidre & Poire vocant. *l. c.*

(i) *Generoſo*) vid. tamen *nouvelle deſcription de la France tom. III. p.* 275.

(k) *ſufficit*) BAUDRAND *dictionaire Geographique p.* 445.

(l) *reliqui*) Fluminum majorum, ut & minorum, quæ Galliam rigant enarrationem, vide in citata nova Galliæ deſcriptione.

(m) *metallis*) BAUDRAND *l. c. p.* 445. *la Geographie univerſelle par* DE LA CROIX *p.* 10.

mano. Mare gallicum eſt ſalſius mari germanico, & quo oceanus eſt magis ſeptentrionalis, eo minus eſt ſalſus, quo autem magis eſt auſtralis, eo magis eſt ſalſus. Cauſa hæc eſſe videtur, quod Septentrio abundet ingentibus fluviis, qui, cum effundunt aquam dulcem in oceanum, contemperant ſalſedinem maris. Sal illud confectum ex marina aqua, bonitate & elegantia multum cedit ſali noſtro germanico. Hinc ſolet denuo excoqui. In Gallia tamen cariſſimo pretio venditur, quia omnis eſt regis.

Quod cœlum attinet, in univerſum dixerim, cœlum gallicum eſſe *benignius* (a) cœlo germanico, noſtrum enim cœlum propter vicinam ſeptentrionalem plagam eſt horridius: gallicanum autem eſt mollius. Hinc fructus terræ in Gallia magis excoquuntur, & majorem dulcedinem acquirunt, ita pira & poma ſunt benigniora, quam noſtra, in nonnullis etiam locis ſponte creſcunt, quæ apud nos cum magna cura educantur. Qua conditione Gallia Provincialis eſt omnium fertiliſſima & nobiliſſima, illa nobis præbet *poma aurantia* (b) Rosmarinum & Lavendula, quæ apud nos in hortis magna cura educantur, ibi circa ſepes reperies. Vina etiam Provincialia ſunt dulciora vino noſtræ Germaniæ ob ſolis calorem. Uti enim ſolis fervor hactenus prodeſt Galliæ, ita etiam ſæpe obeſt, & quæ nos ſæpe in frigore, illi in ardore patiuntur. Hiſpania tamen eſt temperatior, ab eadem mollitie cœli factum, ut cura Henrici IV. magna copia ſerici parari in Gallia Provinciali cœperit. Henricus IV. obſervans homines admodum eſſe deditos ſericis veſtibus, unde ingens vis pecuniæ ex Gallia deferretur in Italiam, curavit in Gallia Provinciali magnam vim Mororum conſeri, quæ tanta felicitate ſuccreverunt, ut *bombyces* (c) ſerica conficientes ibi ali, & ſerici magna vis confici poſſit, ita ut jam Gallia ſerico invecto non indigeat. In Germania hoc fruſtra tentaveris tametſi enim apud nos Mori naſcantur, ſed non in ea copia creſcunt, nec apud nos eſt tanta cœli benignitas, ut bombyces tuto ſub *dio alere* (d) poſſis. Gallia porro eſt ſatis inſtructa ab armentis *& equis*, (e) non tamen ibi ea eſt bonitas ovium, quam in Britannia, ſed tamen ſibi hac in parte *ſufficit*, (f) & ſatis lanæ præbet. Itaque eorum, quæ ad vitam pertinent, ſatis Gallia abundat, ita ut poſſis dicere, Galliam eſſe optimam terram, quæ ſufficiat civibus ſuis alendis, ſi *pauca metalla* (g) excipias, quibus Gallia caret, quem defectum tamen commercia maritima ſatis ſupplere poſſunt.

Dicendum jam de gente ipſa, & quidem primo de numero illius gentis, quod itaque numerum attinet, univerſa Francia eſt hominum *plena* (h), nec eſt, quod ibi accuſes ſterilitatem aliquam, aut defectum hominum, perinde ut in Hiſpania, Gallia enim & ab antiquiſſimis temporibus hominibus ſemper abundavit. Hinc etiam Galli ab antiquis temporibus ſe in varias terras effuderunt. Olim *Brenno duce* (i) non dubitavere Galli Aſiæ partem occupare, quæ a Gallis Gallatia eſt dicta. Occuparunt etiam bonam Italiæ partem, quæ Romanis eſt dicta Gallia *Ciſalpina*. (k) Hujus autem nomine venit tota *Longobardia*, (l) quam Galli occuparunt, pulſis inde Hetruſcis & Græcis. Imo & *ipſam Romam* (m) florentibus adhuc rebus adiere. Ex Tacito apparet, Galliam adeo hominibus abundaſſe, ut etiam Germaniam *invaſerint* (n) Boy gens antiqua gallica, Boichemum fuit illorum populorum ſeſſio; pulſi autem ſunt illi Boii in Vindeliciam, & partem Pannoniæ a germanica gente Marcomannorum, qui in terras *Bojorum venere*, (o) Unde meo judicio eſt natum nomen Bajorariorum ſeu Bavarorum. Ab antiquo etiam illa terra fuit minus fœcunda hominibus: hodie tamen abundat. Nec quantum colli-

(a) *benignius*) LA CROIX *l. c. p.* 9.

(b) *poma aurantia*) *Nouvelle deſcription de la France tom. III. p.* 273.

(c) *bombyces*) Ex China vel Perſia a monachis quibusdam Conſtantinopolim ſunt allatæ; unde in Italiam & Galliam translatæ ſunt PANCIROLLUS *de novis repertis tit.* 24. ALEXIUS *Comnenus tom. III. Hiſtor. in vita Juſtiniani.*

(d) *dio alere*) Sed bombyces ſub dio alere non eſt neceſſum, in conclavi ad hoc aptato haberi poſſunt. Vid. *neue Seidenmanufactur part. II. c.* 1. Et non video, quare non ſufficientem bombycibus in pabula Germania producere poſſet Mororum copiam. Quod autem negotium hoc penes nos hactenus improſpere proceſſerit, verum ab aliis proficiſci puto cauſis, quas aliis inveſtigandas permittes.

(e) *equis*) Quod ſi autem equitatus conſcribendus eſt, quam plurima in hunc uſum ex aliis terris adducuntur jumenta.

(f) *ſufficit*) Ludovicus XIV. animum induxerat pannorum in Gallia ſtabilire fabricas: ſed rem non ex voto proceſſiſſe arbitror.

(g) *metalla*) Argenti tamen & auri venis Galliam non deſtitui, ex eo colligunt, quod Rhodanus & alii non nulli ejus fluvii aurum vehant: deinde ad veterum, ut Strabonis aliorumque provocant teſtimonia.

(h) *plena*) Vid. quæ hac de re ſupra diximus.

(i) *Brenno duce*) Sunt qui putant, hunc ductorem fuiſſe Germanorum, qui generali Gallorum ſive Celtarum nomine appellati fuerunt.

(k) *Ciſalpina*) quæ etiam togata & Italia ſub Alpina dicitur. CELLAR. *Geograph. antiqua lib. II. c. IX. p.* 641. 642. Poſt Auguſti, qui Italiam in XI. regiones deſcripſit, tempora rariſſime hæc occurrit denominatio.

(l) *Longobardia*) De finibus ejus vid. CELLAR. *l. c. p.* 644.

(m) *ipſam Romam*) LIVIUS *lib. V. c.* 35.

(n) *invaſerint*) CÆſar *de bello gallico lib. VI. c.* 24. *Tacitus de moribus* Germanorum *c.* 28. COCC. *in proem juriſpubl. prud.* §. 17

(o) *Bojorum venere*) Boji a Marcomannis pulſi ad Iſtrum habitatum conceſſere, unde in Italiam digreſſi, ancipiti diu cum Romania pugnarunt fortuna; Italia ejecti in Norico inter Danubium & Dravum ſedes fixerint. Pars eorum deinde, quæ Helvetiis in Galliam tendentibus ſocia junxerant arma, poſtquam a Julio Cæſare repreſſi, ob virtutem ab Æduis recepti ſunt; Alia gentis pars in Norico ab Herulis, Hunnis aliisque graviter

colligitur ex Strabone, & Julio Cæſare, qui tempore illo bellum geſſit cum Gallis, ea ibi fuit copia hominum, quæ jam eſt, idque ideo, quia tum terra non erat admodum exculta, hodie tamen floret ars excolendi agrum, & mores Gallorum etiam jam ſunt meliores; ſunt enim contenti ſuis ſedibus, quærunt victum commerciis, & ex terra vivunt. Quod ſi autem jam moribus antiquis majorum ſuorum viverent, Gallia non caperet illam hominum copiam. Non itaque eſt, quod queratur de defectu hominum in Gallia, abundat illis non minus ac Germania. Ante *ferale hoc* (a) bellum Germania videbatur laborare copia hominum, ſed illo bello aliquot milliones hominum *periere* (b) in Germania.

Quoad rationem corporis obſervandum eſt in omnibus Gallis, non quidem omni ex parte eſſe eundem corporis habitum, magna tamen ex parte videas, pleroſque Gallos corpore eſſe agili, & ſana corporis habitudine non ſunt tardi, *ſed veloces*, (c) contra Hiſpani tardi incedunt, quod Galli non poſſunt, quamvis maxime vellent, Germani noſtri quaſi medio ſunt loco; nec eſt apud eos Gallorum levitas, nec Hiſpanorum tarditas. Quoad animum Gallorum notandum eſt, jam ab antiquis temporibus, ex quo Galli innotuerunt Romanis, in Romanis eſſe obſervatam diverſam animorum rationem. Olim Galliæ nomine Romanis venit, quicquid pertingit uſque ad Rhenum, & nobis eſt trans Rhenum, & in hac ſignificatione ſemper accipitur cumprimis apud Cæſarem & Tacitum. Obſervata jam tempore Cæſaris diverſitas animorum in Gallis, ita ample uſurpato nomine Galli; propterea quod illi, qui proxime tenebant ripam Rheni, Belgæ & omnes, qui erant germanicæ originis, etiam Germanorum mores præ ſe ferrent. Tempore Cæſaris omnes Belgæ & alii illo Rheno proximi Germanis ſunt accenſiti, præterea quod a gallicis moribus eſſent multum diverſi tempore Taciti. Belgæ & Rheno proximi erant bellicoſi: reliqui autem Galli erant imbelles, ita eorum mores deſcripſit CÆSAR *lib. I. de bello gallico.* Apparet porro ex Tacito, omnes homines Rheno proximos Germanos habitos fuiſſe, & qui hodie tenent ripam gallicam, lingua ſunt diverſi a reliquis Gallis; utuntur enim lingua germanica, ut eſt notum. Tanta autem vis Germanorum conſedit in illa parte, ut etiam omnis regio diviſa fuerit in Germaniam primam & ſecundam. Hoc nomine apud Romanos ſcriptores ſec. III. & quarto non intelligitur noſtra Germania, quæ eſt cis Rhenum in ripa gallica. Germaniæ primæ metropolis fuit Moguntia: Germaniæ autem ſecundæ Colonia *Agrippina*. (d) *Treviri* (e) etiam nobilis populus tunc ſunt habiti Germani, & hodieque utuntur lingua germanica. Quamvis vero Germani illi ſint Galli dicti: tamen ſemper eſt obſervata morum diverſitas ingens, quod illi, qui vere erant Germani, non eſſent iis moribus, quibus reliqui Galli.

Commigrarunt etiam in Galliam non pauci ex Italia, quo tempore romanum Imperium floruit, ſimiliter poſtquam Gallia eſt occupata a Burgundis & Francis populis Germaniæ, eo etiam commigrarunt Britanni veteres, a Germannis *loco ſuo pulſi*. (f) Ex Suecia, Dania & Norwegia multi etiam eo pervenerunt occupata *Normannia*. (g) Paulatim autem omnes, qui commigrarunt in Galliam, non tantum linguam maternam plane amiſerunt: ſed & in mores gallicanos ſunt quaſi commutati, id cumprimis factum eſt, quo tempore connubia cæpere promiſcua cum antiquis Gallis, antehac autem illa non fuere promiſcua. Franci enim & Burgundi aliique populi germanici credidere imo contaminari generoſitatem ſuam, ſi nuptias inirent cum fœminis gallicanis: ſed deinde factum eſt, ut illi animum mutarent, ita, ut hodie in Gallia non ita liceat obſervare magnam morum diverſitatem, niſi quod ſint alibi ruſticiores, alibi vero civiliores.

Quod animum Gallorum veterum attinet, Romani ſemper illis verterunt vitio levitatem illorum. Dicebantur autem Romanis leves, quod nulla in ipſorum actionibus eſſet conſtantia, & conſilia facile inciperent, & facile *mutarent*, (h) Johannes Bodinus in ſua methodo hiſtoriæ eleganti & docto libro, cum eſſet Gallus, non poteſt negare *levitatem animi* (l) ſemper fuiſſe vitio verſam Gallis: ſed dicit ille, hanc levitatem Gallis non eſſe vitio vertendam, ſed potius laudi. Levitatem illam ait non veram levitatem, ſed potius *agilitatem* (k) eſſe, ideoque

---

viter laceſſita, tandem ſubmerſa iisque inter mixta. Tertia denique pars veteres trans Iſtrum repetiit ſedes, atque hæc a Clodovæo ſub jugum miſſa. COCCEJUS *in juriſpublici prudentia c. III.* LAZIUS *de migrat. gent. p.* 285. LIVIUS *lib. V. c.* 35 *lib.* 32. 33. 34. & 36. AVENTINUS *annal. Boic. lib. I. & 3.* MEGISSERUS *Annal. Carinthea lib. I. & V.*

(a) *ferale hoc bellum*) Loquitur de bello, quod ſub Ferdinando II. & III. Germaniam afflixit.

(b) *periere*) Unde tot adhuc hodie in Germania deſerta ſunt loca.

(c) *ſed veloces*) *Antipatia de Franceſi e Spagnuoli c. XI.* BAYLE *reponſe aux queſtions d' un provincial tom. I. p.* 102. GUNDLINGII *otia part. I. p.* 83.

(d) *Agrippina*) ÆGIDUS BUCHERIUS *in Belgio Romano lib. I. c.* 22. DIO CASSIUS *lib.* 53. Ptolemæus lib. 8. Mentio quoque ſuperioris & inferioris Germaniæ fit apud TACITUM annal. *lib.* 3. *c.* 41. *lib.* 4. *c.* 41, SUETON. *in Vitellio c.* 7. *& in Domitiano c.* 6.

(e) *Treviri*) BROWERI *annal. Trevirenſes II. c. IX. X.*

(f) *loco ſuo pulſi*) *Nouvelle deſcription de la France tom. IV. p.* 289.

(g) *Normannia*) *Nouvelle deſcription de la France tom. V, p.* 2.

(h) *mutarent*) *Cæſar lib. IV. de bello gallico* LIVIUS *decad. III. lib. II.* AMMIANVS MARCELLINUS *lib. XV.*

(i) *levitatem animi*) BARCALI *icon animorum c. III. p.* 23.

(k) *agilitatem*) Vide quoque eum *lib. V. de republica n.* 501.

que non vituperium, ſed laudem mereri. Ita ille decertat pro moribus gallicis. Cæterum certum eſt, quod Romani illam levitatem ſemper Gallis vitio verterint. Quicunque levis eſt, celeris eſt ingenii, ſed omnis celeritas ingeoii non eſt conjuncta cum aliqua levitate. Levitas in eo conſiſtit, quod oulla ſit conſtaotia conſiliorum, quod multa minus proſpere gerantur, in multis reperiatur pertinacia. Illa animorum habitudo eſt obſervanda io Gallis, facile illos capit tædium & pœnitentia alicujus loci vel rei. Gallis præterea a natura eſt datum, ut ſint celeri ingenio, cito ad hæc vel illa agenda commoveantur, cito etiam deſinant. Nulla ibi patientia eſt laborum ac pertinacia, res magnas non facile poſſunt gerere, quæ cum impetu geruntur, bene procedunt, quod proprium eſt illis, qui ſunt celeri ingenio, ſi autem illis ſufflaminetur, ſtatim retroceduot. Hæc aoimorum habitudo eſt communis toti illi genti. Non dixerim quidem, ibi non reperiri aliquos conſtantes: numerus tamen ille eſt rarus, plerique ſunt, mobiles. Ex illa autem mobilitate dependent multæ virtutes & vitia, quæcuoque igitur in virtutibus moralibus aut theoreticis agunt, neceſſe eſt, ut ſint comparata cum impetu & lætitia. Omnes hoc habent Galli, ut remoti ſint ab omoi triſtitia. Omnia igitur ſevera ouoquam ſuot idonea Gallis. Videamus virtutes morales & intellectuales, & apparebit, me verum dixiſſe. Quod fortitudioem bellicam attinet, illa, quæ cum impetu expediuntur, optime geruotur a Gallis, & tum non verentur hoſtem, verum hoſtem victum tenere ſub imperio, non eſt illis facile; ſiquidem ille impetus nonnihil ſufflaminetur, ſtatum languent. Hoc norunt Hiſpani, qui plane ſunt contrarii ingeniis, in rebus agendis tardi: itaque dant operam, ut illum impetum frangant, deiode captis pertioaciter inſiſtunt, & illa pertinacia Gallos poſſunt vincere. Hiſpani trahunt, moram quod oon poſſuot facere Galli, itaque ſæpe illa, quæ multo *ſanguine acquiſivere* (a) iterum amittunt, moram quia ferre non poſſunt. Quod temperantiam attinet, & vitia temperaotiæ contraria, plerique ſunt *incontinentes:* (b) ſed non ita ſuot dediti intemperantiæ & amoribus ac Hiſpani, qui *ad inſanian usque* (c) amant. Galli leviter amant, & leviter etiam amorem deponunt, non ita perdite mulieres amant, ut Hiſpani, & hic ſe etiam prodidit eorum levitas.

Quod virtutes homileticas attinet, non temere reperies gentem quaodam, quæ ea ſit levitate, nec populum, qui ſit tam *mobilis in veſtibus:* (d) ea tamen eſt eorum agilitas & hilaritas, ut quamvis hac parte inſaniant, tamen videntur poſſe *excuſari.* (e) Nos Germani, cum ſimus tardiores, miramur eorum agilitatem, & *affectamus* (f) eandem, minus tamen feliciter, ita ut etiam Gallis ſimus ridiculi. V. BARCL. *in icone animor. c. III.* Ea levitas apparet in omni veſtitu gallico, quo oil eſt mobilius, & ſæpe nil ineptius, quod hodie eſt elegans, poſt menſem non eſt amplius elegans. Nova etiam eſt inventa *ſaltatio*, (g) nova etiam ſalutatio, imo omoia ſunt mobilia, & hac mobilitate Galli maxime ſibi placent. Nos Germani, cum ſimus plane alterius iodolis, conamur tamen Gallos imitari more ſimiarum. Eadem hæc levitas & apparet in ſtudiis, omois enim generis artificia, quæ multo conſtant labore, ſtudia item illa, quæ *multis vigiliis* (h) & indefeſſo labore conſtant, non placent Gallis: quæcunque vero artificia & ſtudia *ſunt amæna* (i) & ludicra illa ſuot ad ingenia Gallorum, & nusquam felicius, quam in Gal-

(a) *ſanguine acquiſivere*) BODINUS *de republica lib. V. n.* 501.

(b) *incontinentes*) LANSIUS *in orat. contra Galliam p.* 309. *ſeqq.*

(c) *ad inſaniam uſque*) Conf. COMITIS D' AUNOY itinerarium Hiſpaniæ.

(d) *mobilis in veſtibus*) Omni vero momento Galli aliam veſtitus formam eligunt. Hinc vilioris pretii ibi texuntur telæ, quo magis ſumtibus, in crebriores veſtitus impendendis, ſufficere queant.

(e) *excuſari*) Levitas enim illa & inconſtantia aliquo modo ex eorum profluit temperamento.

(f) *affectamus*) Ridendi profecto ſunt Germani, qui Gallorum geſticulationes & vitia imitari annituntur. Hinc populares noſtri ex itineribus, quæ in Italiam & Galliam inſtituunt, ſæpe nihil domum reportant, niſi delicias quasdam vitiorum tranſalpinis inuſitatorum & formulas blaſphemandi rariores, nec non ut ſordidius deinceps tuburcinari, gradusque venereæ ſcabiei ex propriis, ut plurimum experimentis recenſere norint. MONZAMBANO *c. VII.* Dolendum, in hunc finem tot patriæ adimi nummos, qui per exoticas vanitates & affectatos peregre allatos mores ſæpe penſantur. Salutare itaque maxime eſt conſilium, promiſcuam peregrinandi libidinem compeſcere; cum id, quod morum elegantiam vocant, æque in Germania excultum habeamus, quam alibi. Et quod ad ſtatum reipublicæ cognoſcendum attinet, paucis datum, plura quam in libris formis exſcriptis de hoc argumento leguntur, experiri.

(g) *ſaltatio*) Gallorum ſaltandi ratio paſſim in Europa eſt recepta, ita ut agreſtium opibus valentium nonnunquam liberi in urbem mittantur, ut ad gallicum morem genua flectere, corpus incurvare pedem movere, & paſſus in ſaltationibus ad menſuram facere diſcant. Cumque Galli perpetuis obnoxii ſint mutationibus: hinc novas quotidie excogitant choreas, easque in peregrinas oras æque ac novos veſtiendi modos tranſmittunt. Imo tanta cepit gentem noſtram mentis imbecillitas, ut, quicquid Lutetiæ fabricatum aut elaboratum, ei quod a noſtris in arte peritis factum, promiſcue anteponere ſolent

(h) *multis vigiliis*) ob nimium enim ſanguinem, diu eidem inhærere rei, aut ſedentariæ aſſueſcere vitæ, non poſſunt.

(i) *amæna*) Hinc Gallorum libelli poetici, & quos de eloquentia, moribus, & gubernandi civitatem ratione conſcripſerunt, nec non hiſtorici, quos ſua lingua memoires vocant, placent. Non tamen ipſis plane defuerunt ſeverioribus ſpeculationibus addicti, & tales, qui inter Hiſtoricos vere tales nomen ſuum profiteri poſſunt; quanquam non ubique attulerint ea, quæ BAСYLIUS *diction. hiſtor. tom. III. p.* 2570. *in Hiſtoria* requirit, attulerint, niſi Thuanum excipias. Crepant plerumque Galli id, quod vocant bel eſprit: ſed ſi mentem eorum recte intueamur, apparet, per facultatem illam

in Gallia excoluntur, omnis triſtis Philoſophia Gallis non arridet, hinc raro invenias Gallorum aliquem ſeveriora illa doctum, in Hiſpanis contra. Scio quidem, noſtros voluiſſe imitari ſtudia Gallorum, & voluiſſe conſcribere *ludicra ſcripta*, (a) ſed in quibus ea gratia non eſt, quam in ſcriptis Gallorum, nam nos decet morum gravitas, & a tali levitate ſimus alieni. Eandem Gallorum levitatem & hilaritatem videas quoque circa peregrinos, erga quos ſunt admodum *venuſti*, (b) quare? quoniam ſemper ſunt animo erecto & *hilari*, (c) & contra, ſi quædam incidant pericula gravia, ad quæ evitanda magno opus eſt labore, non tantum peregrinos deſerunt, ſed etiam erga ſuos nulla ducuntur miſericordia. Et hæc etiam eſt ratio, quare ſint minus apti *rei maritimæ*, (d) quoniam ad res nauticas opus eſt labore & pertinacia. Labores præterea nautici duri ſunt, & proinde non apti Gallorum ingenio, attentiures vero ſunt ad rem nauticam Angli & Batavi. Vid. deſcriptio Galliæ in Batavia edita. Obſervandum etiam eſt, ob eandem levitatem Gallos eſſe minus aptos ad *mercaturam*, (e) exercent quidem illam, ſed inſelicius, quam Angli & Batavi. Inter Gallos omnium feliciſſime commercia exercent *Normanni*, (f) quod meo judicio videtur redolere veterem indolem. Sunt enim Normanni *conſtantiores*, (g) quam reliqui Galli, & ad commercia præ reliquis valent more majorum ſuorum. In univerſum notandum, nullum non artificium pene excoli a Gallis ad elegantiam, ita ut etiam elegantiſſimis artificiis nulli nationi totius urbis Gallia cedat. Similiter, poſtquam populus ductu *quorundam Regum* (h) militiæ pedeſtri fuit aſſuetus, feliciter etiam illam militiam exercet, quod antehac non fecere. Agricultura, quæ indiget majori labore, a *Gallis deſeritur*, (i) quæ vero eſt levior, ea exercetur; ea tamen ſoli gallicani eſt bonitas, & nil ferme non ferat, quod ad vitam ſit neceſſarium.

Jam de regimine differemus, acturi primum de ſumma poteſtate, & quæ iſtuc pertinent. Videbimus primo, uti illa, quæ ad ſummam poteſtatem in Gallia pertinent, adminiſtrentur; deinde quomodo negotia ſacra & profana belli & pacis conficiantur. Hiſce cognitis nil amplius ignoratur, eorum ad regimen Galliæ pertinentium. Quod ad ſummam poteſtatem ejusque negotia omnia attinet, notandum, longe alium fuiſſe ſtatum in regno francico, atque nunc eſt. Itaque præmittam quædam de ſtatu ejus antiquo, ut pateat, quo factum ſit, ut in ſtatum hunc regnum redierit. Obſervandum, regnum Franciæ occidentale non aliter fuiſſe adminiſtratum, atque alia regna Germaniæ, & ut clarius dicam, ut regnum Franciæ occidentale ceu noſtrum imperium. Scilicet olim in Gallia non obtinuit plena monarchia, ſed ſtatus mixtus, ita ut potior pars ſummæ poteſtatis fuerit penes Ordines. Antiquiſſimam memoriam populorum Franciæ repetentibus patet, ſero Francos accepiſſe unum regem, & ante Merovæum non fuiſſe unum regem, ſed populum diviſum fuiſſe in ſingulos pagos, & *ſingulis pagis* (k) fuiſſe ſuos regulos. Hi tamen non habuerunt ſummam poteſtatem, totus populus francicus rectus fuit ab Optimatibus; ita tamen, ut ne quidem apud illos fuerit ſumma poteſtas, ſed magnam partem apud populum plene eodem modo, quo apud Germanos ſe res habuit. V. TACIT. Sed ſec. V. poſt N. C. omnis Francorum populus in unum coaluit corpus, unumque regem cæpit eligere, *unamque familiam* (l) regiam, inſolito plane exemplo. Illi tamen reges, licet in Gallia eſſent ſummæ autoritatis, nunquam tamen obtinuerunt

---

dam ipſos nihil aliud intellectum velle, quam aptitudinem ad jocandum, luſus verborum, nænias & loquelas, quæ muliérculis placere ſolent, & cachinnum excitant, proferendas, & dicteria ſannaque, quibus aliorum defectus artificioſe & occulte laceſſuntur, effutienda. Sed abſit, gentem noſtram eos hac quoque in parte imitari velle. Interim non deficiunt, inprimis in aulis, qui & hic Gallorum affectant mores. Vid. MURALTII *epiſtolas de Anglis Galliſque.*

(a) *ludicra ſcripta*) Per hæc haud dubie intelligit libros comicos, & eos, quos Romans vocant. Habemus tamen etiam in lingua germanica hujus generis librorum aliquos, ſat eleganter ſcriptos.

(b) *venuſti*) Verborum lenocinia, titulorum figmenta, & ad præſtanda ſervitia promtitudo, quam Galli oſtentant, ut alias ſileam illecebras, multos in Galliam trahunt peregrinos.

(c) *hilari*) Unde fit, ut plerumque, licet duriter & parce ipſis vivendum ſit, cantionibus indulgeant.

(d) *rei maritimæ*) Sub Ludovico tamen XIV. non una Galli ediderunt documenta, ſe rei maritimæ quoque ſatis aptos eſſe.

(e) *mercaturam*) Sed hodie mercatura in Gallia ſatis floret. Debet hoc potiſſimum Henrico IV. & Ludovico XIV. quanquam & Richelius ad illam promovendam ſub Ludovico XIII. diligentiſſime incubuit.

(f) *Normanni*) Normannorum commercia multum etiam ſitus locorum adjuvant. Rotbomagus urbs celeberrima maximæ partis commercii, quod in mari, quod καθ᾿ ἐξοχὴν oceanus vocatur, exercetur, ſedes eſt. Et hanc ob rem multos in hunc locum incolas confluxiſſe, reor: dicitur enim, plus quam ſexaginta millia hominum continere: *Nouvelle deſcription de la France par* DE LA FORCE *tom. V. p.* 68. 70. Aliquid etiam commercii habent Dieppæ, Franciſcopoli ſive in portu gratiæ, aliiſque Normanniæ locis.

(g) *conſtantiores*) Solent etiam Normanni vitiis quibuſdam præ aliis Gallis notiores eſſe.

(h) *quorundam Regum*) Id potiſſimum ſub Franciſco I. cæpiſſe puto; antea enim flos pedeſtris Gallorum exercitus ex Helvetiis conſcribebatur; quanquam hodieque milites ex illa gente & Germanis lecti pedeſtris exercitus præcipuum conſtituere robur videantur.

(i) *a Gallis deſeritur*) Sunt tamen & ex hac gente, qui agri culturæ ſatis inſudant.

(k) *ſingulis pagis*) Hanc in rem ait Comes de BOULAINVILLIERS *in Hiſtoria de l' ancien gouvernement de la France p.* 27. ait: *Les Rois François n' etoient a proprement parler, que des Magiſtrats civils choiſis & nommes par Cantons.*

(l) *unamque familiam*) *Nouvelle deſcription de la France ch. II. tom. I.* Adde, quæ nos alibi ex RUINARTI *præfat. Gregorio Turonenſi præmiſſa*, adduximus.

nuerunt ſummam poteſtatem: ſed tantum ex parte, quum potiori ex parte autoritas fuerit *penes Ordines.* (a) Talem fuiſſe rationem regiminis tempore familiæ 1. & 2. oſtendi in lectione ad Lampadium. Sub *familia III.* (b) regia itidem non alia fuit ratio regiminis. Cæterum cumprimis ante annos 200. præterpropter cæpit paulatim mirum in modum omnis reipublicæ ratio mutari. Primus omnium ad monarchiam plenam firma jecit fundamenta Ludovicus XI. de quo vide *Cominæum* (c) & annales Flandricos Meieri, & apparebit, quibus artibus fuerit uſus. Hic Ludovicus XI. id egit, ut paulatim Optimatum autoritate ſublata & ſubmerſa omnia ad unum Regem deferrentur, atque ita tota reſpublica fieret monarchica, qui illum ſunt ſecuti, inſtiterunt ejus veſtigiis, bene jactis fundamentis monarchiæ; ita tamen, ut quædam manſerint reliquiæ autoritatis Optimatum. Cæterum imperante Ludovico XIII. hodierni Regis patre omnia ad plenam monarchiam pervenere, artibus *Cardinalis Richelii*, (d) qui tandem effecit, ut regnum Galliæ ſit plena monarchia facta. Si accurate & cum judicio politico expendas, apparebit, quemadmodum omnia paulatim ſunt inducta. Quod reges tanta potuerint moliri, & tale quid perficere potuerit Ludovicus XIII. effectum eſt ſingulari quadam felicitate, & quidem hoc modo regnum illud non ſemper fuit electitium, ſed hæreditarium, habuitque varios principatus & comitatus cum ampliſſimis juribus & magna poteſtate feudi. Itaque feudi tantum jure adſtricti illi principatus regiæ familiæ, non niſi comiter regem colebant, & ipſi in ſuis regionibus *agebant regia autoritate.* (e) Fuere certe in Gallia potentes principatus, cumprimis fuit Regi Galliæ perquam grave, quod inſignes principatus cum poteſtate regia teneret Rex

(a) *penes Ordines*) Ratio illa regiminis omnibus fere Europæ gentibus erat communis; non enim totum unius imperium gentes libertati magis adhuc aſſuetæ ferre potuerunt. Penes Francos æque ac alios moris erat, ſi de reipublicæ negotiis agendum, Proceres tam ſeculares quam eccleſiaſticos & populi deputatos convocare, & cum iis de talibus negotiis deliberare & ſtatuere. Letre II. du C. de BOULAINVILLIERS. Enim vero antiquioribus temporibus Ordines cum Principe ad actus majeſtaticos quamplurimos exercendos, ut conçauſæ concurrebant, dicebanturque hæc concilia, in quibus etiam cauſæ juſtitiæ magni momenti pertractabantur, Placita & deinde Parlamenta; quanquam vox Parlamenti curiis poſtea ordinariis, quæ in Parlamento Pariſienſi fixam habere cœperunt ſedem, frequentius in Gallia tributum ſit. Id autore Philippo pulchro factum tradunt: LA CROIX autem *dans la Geographie univerſelle tom. III. p.* 49. Pariſienſe Parlamentum a Pipino inſtitutum, & a Philippo pulchro reſtauratum dicit. Refert hic autor 15. Parlamenta, quæ in terris, gallico dominio obnoxiis, litigantibus jus dicunt. Magna olim in negotiis regni quoque Parlamenti Pariſienſis, quod ſolum eſt ſedes Parium, erat autoritas: ſed illa imperante Ludovico XIV. penitus eviluit. Vid. de Parlamentis Galliæ BERNARDUM DE LA ROCHE & quæ FAUCHETUS de hoc argumento in tractatu de *dignitatibus & magiſtratibus* habet.

(b) *ſub Familia III.*) Maximam partem Ordinum regni convocationum ſub IV. Regum Franciæ ſtirpibus recenſet Comes de BOULAINVILLIERS *dans ſes XIV. lettres hiſtoriques ſus les Parlemens ou Etats generaux.* Cœpit eorum autoritatem quodammodo jam tum imminuere Hugo Capetus, & minus veritati conſentaneum eſt, hunc, exclusis Caroliogicæ ſtirpis reliquiis, a generali Ordinum conventu regni gubernaculis eſſe admotum; ex Gerberti enim ad Dictericum Epiſcopum Metenſem epiſtola, quam Chenius refert, conſtat, paucos Ordinum Compendii congregatos ab Hugone diſiectos & depulſos eſſe. Interim deinde in ſpeciem Aureliæ Ordines congregavit, ut ſibi ſceptra, quæ invaſerat, confirmarent. Fuit tamen ſub ſucceſſoribus ejus aliqua adhuc conventuum illorum autoritas, quæ augebatur aut minuebatur, prout illud res regni, genius Regis, ipſorumque Ordinum ferebant; licet populi deputati ſub tertia ſtirpe non ad omnia regni negotia adhibiti videantur. Vide diploma Ludovici VIII. apud Comitem DE BOULAINVILLIERS *epiſtola VI. p.* 5. Imo a nonnullis traditur, ſub Philippo pulchro demum urbium deputatos ad comitia admiſſos eſſe. C. de BOULAINVILLIERS *epiſtola VIII. p.* 64. *Nouvelle deſcription de la France tom. I. p.*138. Quod autem ad Cleri inferioris deputatos & JCtos attinet, illi a Ludovico ſancto Ordinum conventui additi dicuntur. Haud dubie Philippus pulcher ad deſtruendam Ordinum autoritatem magis adhuc incubuiſſet, niſi infauſta, quæ gerebat bella, Ordinum opem, ad corrogandos nummos, ut imploraret, ipſum adegiſſent. Valeſicæ gentis Principes non minus, diverſimode tamen, Ordinum poteſtati imminuendæ operam dederunt. Nec dubium eſt, quin Ludovicus XI. aſtutiſſimus Galliæ Regum, quicquid Ordinum ſupereſſe fuiſſet, autoritatis ſuſtuliſſet, niſi turbidus interdum & vacillans regiminis ejus ſtatus, ipſum ad Ordinum conſilia & auxilia confugere adegiſſet. Carolus VIII. & Ludovicus XII. eandem cum Ludovico XI. viam ſectari voluiſſe videntur, niſi nimium bellis externis diſtracti fuiſſent. Franciſcus I. & Henricus II. e re ſua eſſe credebant, Ordinum ſuffragiis, ſubditos ad pendenda tributa, quibus valde indigebant, paratiores habere. Carolus IX. Henricus III. & IV. aliis tantopere immerſi negotiis, ad Ludovicum XIII. vel potius Cardinalem Richelium, molimen illud tranſmiſerunt. Ultimam demum manum negotio Ludovicus XIV. impoſuit. *Nouvelle deſcription de la France tom. I. p.* 139. BOULAINVILLIERS *tom. III. p.*136. Adde JEAN SAVARON *chronologie des Etats generaux, ou le tiers Etat eſt compris, depuis* 1615. *juſques a* 422. & quæ apud LAETUM *p.* 261. *ſeqq.* de tribus Ordinibus ex SEISELIO afferuntur.

(c) *Cominæum*) Adde PETRI MATÆHI Hiſtoriam *Ludovici XI. cum* NAUDÆI *ſupplemento.*

(d) *Cardinalis Richelii*) Audiamus, quæ hanc in rem apud Comitem de BOULAINVILLIERS *l. c. tom. III. p.* 136. leguntur. *on peut remarquer cependant, qu'elles n'ont pas laiſſé, de conduire leur poſterité, au but qu'ils s'étoient propoſé, il y a deja tant de ſiecles, mais que pour atteindre efficacement ce but l' adminiſtration du Cardinal de Richelieu & le regne de Louis XIV. ont fait plus en* 30. *ans, que toutes les entrepriſes des Rois precedens n' avoient pu gaigner en* 1200. *ans.*

(e) *agebant regia autoritate*) Carolingorum ultimi, imbecillitate animi & vitæ mollitie plerumque gaudentes, Proceribus, quos in terris ſuis habebant, majora indies concupiſcendi, ſeſeque obſequio, quo Regi devincti erant, ſubtrahendi, anſam præbuerunt. Hinc Hugonis Capeti & poſterorum ejus princeps fuit cura, nimiam illam regni Optimatum imminuendi poteſtatem. Vid. PUFFENDORF. MEZERÆUM & BUSSIER in *Hugone Capeto.*

Rex Angliæ. Hi in Gallia obtinebant ducatum *Aquitaniæ & Normanniæ*, (a) utrumque jure feudali, ita tamen, ut Regi Galliæ parum obſequii præſtarent, perinde ut parum obſequii etiam præſtant noſtro Imperio Reges Hiſpaniæ, tametſi illius ampliſſimum feudum teneant. Iam vero illi clientes regii erant in ſumma poteſtate, erantque non tam pares, ſed & ſuperiores. Reges enim Angliæ, qui Duces erant Aquitaniæ & Normanniæ, potentia erant ſuperiores Rege Galliæ, & regia poteſtas in Gallia tum erat perquam acciſa. Acceſſit, quod Rex Eduardus Angliæ non dubitaverit ſibi aſſerere jus in *coronam regiam*, (b) apte ſibi hanc competere dixit, non etiam dubitavit prætendere jus hæreditarium in regnum Galliæ; imo non dubitavit armis ſibi coronam regiam vindicare, idque ea felicitate, ut Regem Johannem acie devictum *ſecum captivum abduxerit* in Angliam, etiam *aliquot prœliis* (c) vires gallicanas plane attriverit. Eo tempore regiæ res admodum erant acciſæ, inſigni tamen felicitate eſt factum, ut fractæ ſint vires Anglicanæ, auſpiciis, quod dictum, *fœminæ cujusdam ruſticanæ.* (d) Hæc eſt profeſſa, ſe miſſam a Deo, ut ſuo ductu regnum Galliæ reſurgeret, quid fit? Galli ſecuti illam fœminam, & puel-

(a) *Aquitaniæ & Normanniæ*) Nurmanniæ ducatus, Roberto filio Wilhelmi Conquæſtoris natu majore ab Henrico fratre Angliæ Rege capto & oculis privato, Angliæ additus, obtinuitque per tempus, ut princeps in ſpem regni natus Normanniæ titulo mactatus fuerit. Aquitaniam vero & Pictaviæ comitatum Henricus II. per matrimonium cum Eleonora Wilhelmi ultimi Aquitaniæ ducis filia, a Ludovico VII. Galliæ Rege ob adulterii ſuſpicionem dimiſſa, nactus eſt. Habebat hic quoque ex patre Plantageneta comitatum Andegavenſem. Exuti autem ſunt Angli a Philippo Augusto Galliæ Rege magna parte terrarum, quas in Galliæ regno habant. Fieri hoc cœpit ſub Richardo I a Philippo Auguſto, contra fidem in terra ſancta datam, laceſſito. Potiſſimum autem id factum ſub Joanne Richardi fratre & ſucceſſore. Hic ut ſe a bello, quem Arthurius Gailfridi fratris ejus filius, Britanniæ Gallicæ Comes, ipſi, Philippi Auguſti milite, ob ſucceſſionem inferebat, liberaret, juri ſuo in loca a Philippo in Normannia & Andegavenſi comitatu occupata, excepta Andegavo metropoli, renunciavit. Et ut factum hoc, in graviſſimum Johannis tendens dedecus, glaucomati alicui involveretur, ſororis ejus, Alphonſo Caſtiliæ Regi nuptum datæ, filia Philippi Auguſti filio Ludovico in matrimonium collocata, eique terræ in dotem datæ ſunt. Non diu autem pax inter Philippum & Johannem ſtabilita duravit; Johannes enim ſub conſanguinitatis, quam ſibi cum ea nimis propinquam intercedere dicebat, prætextu, priori dimiſſa uxore, Engoliſmenſis Comitis filiam thori legit ſociam. Hæc Hugoni Marchiæ comitis antea ſponſa novum ipſi excitavit bellum; Hugo namque Arthurium in belli vocavit ſocietatem, cui Philippus quoque, fidem datam fallens, acceſſit, Arthurioque in majus amicitiæ vinculum filiam natu minorem uxorem dedit. Magnam quidem hi a Johanne paſſi ſunt cladem: verum hic victoria minus moderate utens & Arthurium aliosque in prœlio captos, nec non obſides quosdam occidens, omnium inprimis Britanniæ, Andegavi & Pictaviæ incolarum ſibi conciliavit odia. Quo factum, ut hi arma induerent, querelamque ſuam, precibus Conſtantiæ Arthurii matris jungerent, ut Philippus Johannem tanquam Vaſallum ſuum ad reddendam rationem in jus vocaret. Hic tale quid commodam ratus occaſionem, pluribus Johannem in gallico ſolo emungendi, eum in jus vocavit; & cum non compareret, in contumaciæ pœnam Normannia excidiſſe pronunciavit. Coactus quoque fuit Johannes rebus domi turbidis, & victricibus deinde Philippi armis accedentibus, eum hoc inducias pangere, ipſique Normanniam permittere. Videbantur quidem res Anglorum in gallico ſolo poſt Johannis mortem aliam induere faciem, cum Ludovicus VIII. Philippi filius, Henrico III. Angliæ regnum prærepturus, ſub hac lege in patriam ſalvus dimiſſus, ut jurejurando cuicunque in Angliæ regnum juri renunciaret, & eodem fidem daret, ſe allaboraturum, ut Anglis omnia, in gallico ſolo eis erepta, loca reſtituerentur; inprimis autem illud facturum iri, ſi ipſe diadema adipiſceretur. Verum enim vero nullatenus promiſſis ſtetit. Quod autem Henricus III. jus ſuum adverſus Gallos proſequi non potuerit; ſed potius juri ſuo in Normanniam, Andegavum, Pictaviam, tractum Turonenſem, & Cenomanum, acceptis trecentis librarum millibus (3000. argenti marcis) renunciaverit, motus inteſtini, papales auſus, quibus conflictabatur, & animi imbecellitas, qua laborabat, effecerunt. Sunt qui contendunt, Johannem rei pœnituiſſe, & ſpreta pecunia Normanniæ Ducis & Andegavi Comitis titulum adhibere perrexiſſe. KNIGHTON *lib. II. c.* 1. Cæterum autores hic in uſus vocandi præter LEIBNITIUM, qui in *codice juris gentium part. I. p.* 221. inter Johannem & Ludovicum initas memorat pactiones, ſunt RIGORDUS *de geſtis Philippi p.* 44. MATH. PARIS *ad Ann.* 1200. *p.* 168. 1202. *p.* 174. *Annal. Waverl. ad ann.* 1200. *p.* 160. WESTMONAST. *ad ann.* 1202. *p.* 264. MATH. PARIS. & *Annal. Wawerleienſes ad ann.* 1203. *item ad ann.* 1216. 1217. *nec non ad ann.* 1280. VERGILIUS *lib. XV. XVI.* ANONYMI *Hiſtory, of England c. l. I. p.* 208. *ſeqq. p.* 207. 208. *Hiſtoire de l'ancien gouvernement de la France par le C. de* BOULAINVILLIERS *lettre VI. p.* 2. & 3. MEZERAI *abbregé chronologique tom. II.* 931. *ſeqq.* 706. *ſeqq.*

(b) *coronam regiam*) Eduardus III. ex Philippi pulchri, cujus maſcula proles in Carolo VI. gnato exſtinguebatur, filia eſt natus. Ius hujus in Galliæ regnum, contra Philippum Valeſium ſub legis ſalicæ larva ſuccedutitera aſſeruit LUDWIGIUS Halleuſ. JCtus in *diſſertat.* quæ in opuſculis ejus legitur.

(c) *aliquot prœliis*) Multi Galliæ Procerum Philippum Valeſium odio habebant, atque Eduardum III. ad arma ipſi inferenda magis excitabant. Primordia quidem belli per inducias terminata ſunt: recruduit tamen deinde majori ardore, quod ex crudeliſſimo ad Creciioppidum prœlio ſatis conſtat. Hoc Gallorum vires graviter afflixit. MEZERAI & BUSSIERES *in Philippo* VALESIO, VERGILIUS *in Eduardo III.* BROWERUS *in annalibus Trevirenſibus p.* 210. Quod autem ad Johannem Galliæ regem attinet, ille in pugna, qua cum Eduardo nigro Eduardi III. filio, viribus Anglis multum ſuperior, infeliciſſime decertabat, captus eſt. Ut itaque liberati reſtitueretur, & regnum ab interitu, qui ei minabatur, liberaretur, duriſſimis conditionibus ad Bretignii oppidum pax eſt inita. Cedebant per eam quam plurima Anglis in ſolo gallico loca; Angli e contra juri ſuo in Galliæ regnum renunciarunt. LEIBNIT. *part. I. cod. J. G. D. p.* 209.

(d) *fœminæ cujusdam ruſticanæ*) Caroli VI. filiam Catharinam Henricus V. Gallorum primum opes haud ita magno ſuorum numero profligans, ſibi matrimonio junxerat, eique, conſententientibus Ordinibus, regnum in dotem promiſſum; ita tamen ut, Carolo ſexto, qui turbida laborabat mente, vivo, regni adminiſtratorem, poſt ejus autem mortem regem ageret. LEIBNITII *C. J. G. D. part. I. p.* 132. Delphino, qui ſub Caroli VII. nomine inter Galliæ Reges notus eſt, mater graviter ſuccenſebat, & Proceres quoque, ob interfectum Burgundiæ Ducem & alia minus recte facta, a regiis exclu-

& puellam agreſtem ignotam, ejus ductu fregere vires Anglicas; fœmina autem illa *capta tandem eſt ab Anglis*, (a) & tanquam ſaga *concremata* (b) ejus memoria adhuc in Gallia eſt ſancta, ob res ſupra fidem geſtas, uſque adeo paulatim *concidere res* (c) Anglorum in Gallia, ut omnia etiam rurſus amiſerint, & nil ipſis ſuperfuerit, præter unum Caletum & Bononiam, reliqua parte omni Angli ſunt exuti, & ita Reges Galliæ potiti ſunt regionibus opulentis & opportunis Aquitania & Normannia, qua acceſſione Regum potentia multum crevit. Tandem etiam Angli, *Henrico II. Rege Caleto* (d) & Bononia ſunt pulſi, & Angliæ Regibus hodie nil ſupereſt, præter titulum. Creditum præterea, Regibus Galliæ divino beneficio, competere vim ſanandi ſtrumoſos, eandemque vim ſibi Reges Angliæ tribuunt, & quidem propterea, ut indicetur, ſibi jus *in regnum Franciæ* (e) deberi. Acceſſit & hoc, quod multæ familiæ Ducum mortuæ ſint, quorum terras Reges occuparunt, nec in feudum unquam ulli dederunt; cumprimis ingens incrementum autoritatis regiæ factum eſt, cum familia burgundica in Carolo Burgundo deficeret, quæ erat oriunda *ex regia familia*. (f) Antehac ab antiquis ſeculis obtinuerat in Gallia, ut regiis filiis ſecundis & tertiis cederet portio aliqua regni in feudum tamen. Hinc in Gallia excrevit magnus numerus Ducum & Principum. Ad hunc modum cæperunt etiam Burgundici, qui per connubia, partim in ipſa Gallia partim in vicinia acceperunt, præter ducatum Burgundiæ, vicinum comitatum Burgundiæ, qui erat pars imperii germanici. Acceperunt etiam jure connubiorum partem comitatus Flandrici, ducatum Brabantiæ, Hannoniam, imo *univerſum Belgium* (g) ex XVII. conſtans provinciis, quæ potentia & amplitudine ſua ipſum fere regnum Galliæ æquabant.

Hæc familia burgundica quoad maſculam prolem exſtincta eſt in Carolo, relicta filia unica, quæ nupſit Maximiliano Auſtriaco, ex qua natus Philippus Caroli V. & Ferdinandi I. pater. Crevit hoc ipſo Regum potentia in Gallia, idque ideo, quia ducatus Burgundiæ, qui alias tenebatur jure clientelari a rege, pervenit in *patrimonium regum*. (h) Qui Carolo Audaci ſucceſſit, Maximilianus non fuit par gallicis rebus; nam uſque ad tempora Caroli V. multum potentiæ ſuccrevit Galliæ regno. Ludovico XI. ſucceſſit Carolus VIII. Hoc Rege potens familia Ducum Britanniæ periit, & ipſe Rex duxit uxorem *filiam & hæredem* (i) ducatus Burgundiæ, qui hodie conſtituit inſignem partem Galliæ. Regnum Galliæ hac occaſione ingens incrementum cæpit: ſed ne ita quidem quievit fortuna, ſed ſemper ulterius proceſſit. Interim ſuperiori ſeculo non multum potuit creſcere, quia regnum illud perpetuis *bellis civilibus* (k) laborabat, quæ tamen compoſuit Rex Henricus IV. quem ipſi Galli inde Magnum vocant. Fuit ille

excludendum eſſe ſceptris, judicabant. Henrico immatura morte abrepto, ſuccedebat filius Henricus VI. admodum puer, cui Bedfordius ejus & regni tutor Lutetiæ diadema imponi curavit. Sub hoc res Anglorum in Gallia peſſum iverunt, cujus rei non leves inteſtini in Anglia motus, Ducis Burgundiæ ab Anglorum partibus alienatio, & Ducis demum Bedfordii mors erant cauſæ. Certum eſt, Johanna Darceæ Lotharienſium puellæ, quæ antea cuſtodiendis ovibus adhibita, adventu Anglorum res fluctuare cæpiſſe. Gallorum partibus ſtudentes miraculo rem annumerant, Angli, magiæ crimine eam pollutam fuiſſe, tradunt; perſpicaciores autem nonnulli ex Delphini aula arcanum domus fuiſſe credunt, ut eo magis Galli, de divina Darceæ ſubmiſſione perſuaſi, ejus amplecterentur partes. Id omnino dubio caret, Gallos ſub ejus ductu ad animos rediiſſe; præſertim cum Carolo ad ſumendum ſolenniter in Rhemorum urbe diadema, dux & autor fuerit. Varii autores circa Darceæ vitam aliquid commentati ſunt, quorum numero ſunt GOLDASTUS, JOHANNES HARDALIUS aliique in catalogo Bibliothecæ Thuaneæ enarrati. Adde DU CHENE Hiſtoire *d' Angleterre lib. XVII. p.* 551. BOUCHET *annal. Aquitania part. IV. c. VIII. p.* 245. *La Hiſtoria de la poncella d' Orleans, y de ſus grandes hechos; l' Hiſtoire du ſiege d' Orleans par les Anglois en* 1428. *avec la venue de Jeanne la pucelle, diſcours ſommaire tant du nom & des armes, que de la naiſſance & parenté de la pucelle d' Orleans*, JAC. JOLII *puellæ aurelianenſis cauſa adverſariis orationibus diſceptata.*

(a) *capta tandem ab Anglis*) Hoc cum in Anglos, qui Compendium obſeſſum, tenebant, impetum ſuſciperet, factum eſſe tradunt.

(b) *concremata*) Si vera ſunt, quæ in Mercurio gallico de prole ejus leguntur, hæc fabulis annumeranda erunt.

(c) *concidere res*) Vide Galliæ & Angliæ ſcriptores in Carolo VII. & Henrico VI.

(d) *Henrico II. Rege Caleto*) Vid. VARILLASII *Hiſtor. Henrici II.* & CAMDENI *Annales Eliſabethæ.*

(e) *in regnum Franciæ*) Vim ſtrumas ſanandi, ab Eduardo confeſſore, cui ob ſingularem pietatem ea data dicitur facultas, ad Angliæ Reges devolutam eſſe, varii tradunt autores. WILHELMUS MALMESBURIENSIS *de geſtis Anglorum p.* 92. BROMPTON *p.* 950. POLYDORUS VERGILIUS *lib. VIII. p.* 18. Galliæ quoque & Hiſpaniæ reges, id ſibi doni a ſummo datum eſſe Numine, gloriantur: attamen non legi, Angliæ reges illam potentiam ſibi, ut ſignum juris ſui in Galliam vindicare, eam enim a longe antiquioribus repetunt principiis, quam a tempore, ubi Anglis jus aliquod in Galliam partum. Illi, qui ejuſmodi miraculis non multum tribuunt, artem, dolum, aut etiam caſum in hoc interceſſiſſe negotio, credunt. Wilhelmus III. cum Angliæ diadema ſumeret, tactum illum, ut rem ineptam, omiſit, quem ſucceſſores ejus imitati ſunt.

(f) *ex regia familia*) A Philippo Johannis Galliæ Regis filio natu minimo deſcendit.

(g) *univerſum Belgium*) Quomodo XVII. provinciæ ad Burgundicos Duces ſenſim pervenerint, ad librum de finibus imperii docui.

(h) *patrimonium*) Dicebant enim Galli, Burgundiam eſſe provinciam juris ſalici & feudum proprie dictum, a cujus ſucceſſione fœminæ excluderentur: ſed quis eſt, qui legis ſalicæ figmentum ignoret; de feudi Burgundici autem natura alibi egi.

(i) *filiam & hæredem*) Hæc a Maximiliano per procuratorem (procuratorea) in uxorem ducta; ſpreto hoc vinculo, ut in Caroli VIII. thalamum concederet, ſibi perſuaderi paſſa eſt. Autorum, quæ circa hanc rem ſunt, fabulas examinat BAYLE *reponſe aux queſtions d'un provincial tom. III. ch.* 125. 126.

(k) *bellis civilibus*) MEZERAI *tom. V. p.* 206. *ſeqq.* BUSSIER. *p.* 411. *ſeqq.*

ille magna potentia, ſed ita, ut ne tum quidem poteotia Regis ſatis eſſet tuta, quia magnam regni partem habitabant illi, qui reformatæ religioni erant addicti; illis enim Rex hic debebat initium omnis ſuæ potentiæ. Hinc illis indulſit *multas arces & oppida* (a) per Galliam, qua ratiooe Reformati ipſi regi erant formidabiles, & ſi qui alii pontificiæ religioni addicti res novas molirentur, confugerunt ad illos Reformatos, & facto cum illis fœdere, non dubitarunt ſe ipſi Regi opponere. Illorum autem Reformatorum potentia tandem eſt fracta Ludovici XIII. tempore, & quantum mihi obſervare licuit, factum eſt divino fato, quia illi abuſi erant ſua potentia. Cum aliud novum civile bellum eſſet ortum, adeo magno molimine a Pontificiis pugoatum eſt adverſus Reformatos, ut ooo poſſim ſatis mirari; plebs enim ita erat ineſcata, quod Rex vellet deletam totam Reformatorum religionem, & hac ſpe decepti, nil non egeruot, ut Reformatos delerent. Cæterum cum alii, tum Cardinalis Richelius iis potentiam *& arces eripuiſſet* (b) quievere, & illos res ſuas curare juſſit; nec fuit unquam cuiquam moleſtus. Tum demum ſacrificuli, & miſera plebs non tantum religionis, quam potentiæ regiæ cauſa Cardinalem Richelium bellum geſſiſſe, ſenſere, & tum doluere, ſe adverſus miſeros Reformatos tam acriter pugnaſſe. De hoc bello legatur elegans commentarius *Gramondi*, (c) ubi deſcriplit obſidionem Rupellenſem, ubi dicit: Feliciter ceſſere omoia, modo libertas populi gallici non fuiſſet ſimul ſepulta. Et hoc verum eſt, ex quo Rupellæ captæ Reges ſunt facti Domini totius Galliæ. Rex itaque jam poteſt rempublicam gerere ex ſuo arbitrio, & ad ſummam pervenit poteſtatem, cum omnem libertatem ademiſſet religioni reformatæ addictis. Victoria hac de Rupella *obtenta* (d) Rex ſtatim bellum ſuscepit adverſus domum Auſtriacam, item Germaniam, Italiam, & Belgium, & potuit tum, cum eſſet Dominus univerſæ Galliæ.

Dicam jam magis ſpeciatim de iis, quæ ad illius reipublicæ ſummam pertinent. Obſervandum autem eſt, jamdudum in Gallia non celebrari comitia, & ultima fuere initio ſec. XVII. cum intempeſtiva cæde Henricus IV. concidiſſet, & Ludovicus etiam puer eſſet, varii erant motus in illo regno, ad illos componendos indicta ſunt *comitia* (e) Nunquam autem legi hiſtoriam comitiorum magis ineptam, quam illam. Reſpublica tum temporis fere animam agebat, & Proceres regoi ad comitia vocati, de ineptis rebus ad rempublicam nil pertinentibus cooſultabant. Vid. *continuat.* THUANI & GRAMONDUM Videtur autem id fuiſſe factum arcanis artibus aulicorum, illi ordines inter ſe commiſere, ut contendereot *de rebus nauci* (f) cum autem animi ferveſcerent, juſſi ſunt rurſus domum recedere. Antea rariſſima fuere comitia, & infra 100. annos magis inducta fuere in ſpeciem. Ubicunque ita non ſunt comitia, ibi unus neceſſario regit omnia, & obtinet ibi plena monarchia, ubi vero vigent comitia, ibi eſt reſpublica mixta, pro majori & minori autoritate comitiorum. jamdudum autem Reges hoc egere, ut poſ-

(a) *multas arces & oppida*) Quæ ad dura & turbida regni Henrici IV. initia pertinent, vid. apud MEZERAEUM *tom. V. p.* 23. *ſeqq.* BUSSIEREM *part. II. p* 542. *ſeqq.* Cum Rex ad Catholicorum tranſiret ſacra, ut Reformatorum, qui Hugenotti dicebantur, fidem & amicitiam quodammodo conſervaret, ſatis magna in edicto Nanetenſi ipſis anno 1598. largitus eſt. Conſtabat illud ex 92. articulis, quibus 56. alii addebantur, qui ſecreti vocabantur, quorum unus multa loca munita Reformatis adjudicabat. MEZERAI *tom. VI. p.* 188. Suſpicabantur illo tempore ſagaciores nimium favoris, quod in illo edicto Reformatis dabatur, Catholicorum artibus deberi, ut eo citius in nihilum converteretur. Moderata durant. Penitus autem a Ludovico XIII. ſublatum eſt. *Europaiſcher Herold tom. I. p.* 77.

(b) *& arces eripuiſſet*) Rupellarum expugnatio deſtruendis Reformatorum in Gallia rebus ultimam impoſuit manum. Dubium eſt, an Angliæ Regi animus fuerit, pro liberandis Rupellis ab obſidione, qua premebantur, quævis tentare; præſertim cum aliqua fulgeret ſpes, fore ut Galliæ vires, compoſitis domi rebus, de reſtituendo terris ſuis Palatino ſollicitæ eſſent. Uxoris quoque precibus forte, a marito aliquid datum, ne fratris ejus circuli plane turbarentur. De iis quæ ad harum rerum Hiſtoriam ſpectant, conf. *miniſtere du Cardinal de Richelieu p.* 45. *ſeqq.* *La vie du Cardinal de Richelieu tom. I. p.* 362. 484. *ſeqq.* BUSSIERES *part. II. p.* 599. *p.* 603. 604. GRAMONDUS *p.* 767. 794. *Conſiderations politiques ſur les coups d'etat par* NAUDE *p.* 210. LE VASSOR *tom. V. p.* 636. *ſeqq.* 692. *ſeqq.* 706. *ſeqq.* 732. 733. 813. *ſeqq.* 732. *ſeqq.* Ex protritis itaque in Gallia Reformatis abſoluta Regis poteſtas majora ſumſit incrementa, ita ut perſpicaciores ex Catholicis, qui avitæ favebant libertati & Ordinum juribus, rem eo perveniſſe in ſinu dolerent.

(c) *Gramondi*) *libr. XVIII. p.* 764. *ſeqq.* Verba ejus *p.* 780. ſunt ſequentia: *Quantis rebus gallicis momento deſolatio, annis mox ſequentibus trademus. Primus hic lapis, in quo fundavit Cardinalis Richelius autoritatem, qua exemplo caruerat in hunc diem, hinc ruina Calviniana ſectæ in Gallia, hinc minutio dominationis Auſtriacæ in Europa læta Gallis victoria, ſi maneret libertas, qualis erat Rupella ſtante.* Rupellæ ruinam Auſtriacorum rebus exitioſam fore, ſatis animadvertit Spinola, qui in regiis caſtris ſpectator aut potius ſpeculator hærebat. Hinc in Hiſpaniam redux Regi Catholico autor fuiſſe dicitur, ſubſidio Rupellanis expediendo. Memorant Spinolam nunquam in conclave Catholici Regis vocatum, quin ſtatim, qualiacunque proponerentur, in hæc verba ſententiam promeret: *Ego Rupellam liberari oportere exiſtimo.* Sunt qui putant hanc cauſam fuiſſe revocandi Friderici Toletani, quem Rex Catholicus cum ingenti claſſe chriſtianiſſimi Regis ſubſidium miſerat. GRAMONDUS *l. c. p.* 771.

(d) *obtenta*) omnibus munimentis fuit nudata NANI *dell Hiſtoria Veneta libr. VII. p.* 321.

(e) *comitia*) Ultima in Gallia comitia anno 1614. Lutetiæ habita ſunt. GRAMONDUS *lib. I.* LE VASSOR *tom. II. p.* 3. *ſeqq. p.* 57. *ſeqq.* Celebrata tamen ſunt ibidem anno 1626. ſuccenturiata comitia. Conventui nomen cœtus Notabilium, qualis 1617. Rothamagi indictus fuerat. GRAMONDUS *lib. XVI. p.* 713. Dicebantur autem conventus Notabilium, quod viris conſtabant regno præcipuis, ſeu Clerum ſeu Parlamenta ſpectas, ſeu Nobilium ordinem. GRAMONDUS *p.* 181.

(f) *rebus nauci*) De rebus ſatis magni momenti in comitiis de anno 1614. 1615. actum eſt: Sed Mariæ Mediceæ & qui ejus partes ſequebantur, artibus factum, ne ſtatus in unam conſpirarent ſententiam & ſic infectis rebus diſceſſum eſt. Quæ in comitiis illis acta ſunt, late refert VASSOR. *l. c.*

ut poſſent evitare omnem comitiorum convocationem. Hoc enim illis eſt agendum, qui adſpirant ad plenam monarchiam, & hoc etiam eſt, quare hodie formidentur Viennæ comitia, quia hæc potentiæ regiæ & monarchiæ adverſantur. Notat HOTTOMANNUS in eleganti & docto ſuo libro Franco Galliæ, clandeſtinis Regum artibus effectum eſſe, ut, ſenſim evitatis Ordinum comitiis, eorum *loco inſtituerentur Parlamenta.* (a) Parlamentum eſt vox gallica, & proprie notat conventum, ubi quisque ſuam poteſt dicere ſententiam, jam reges Galliæ, teſte Hottomanno, id etiam egere, ut poſſent evitare Ordinum comitia, & perſuaſere ideo populo, ſe velle habere perpetuum Senatum, ne ita Ordinibus crearentur nimiæ moleſtiæ. In comitiis præterea quoque dixere, populo comitia eſſe moleſta, velle ſe de rebus reipublicæ communicare cum Aſſeſſoribus Parlamenti, populus hoc ſibi paſſus fuit perſuaderi. *Inſtitutum igitur Parlamentum* (b) pariſienſe, & talis autoritas ei fuit conceſſa, ex eo tempore obtinuit, ut, ſi quid magnæ rei rex vellet edictum, illud prius eſſet rati habitum a Parlamento pariſienſi. Antehac edicta regia non prius promulgabantur, quam ſi eſſent ratihabita a conventu Ordinum. Vid. Hottomanus, qui Parlamenta vocat regnum vocabularium. Cæterum, quia Reges ita uſi ſunt autoritate Parlamenti, hinc etiam paulatim crevit ipſius autoritas, & Parlamentum pariſienſe cæpit ſibi arrogare, quod ipſi tantum in ſpecie erat tributum. De autoritate Parlamentorum pro monarchia regia Vid. BARCLAI *diſſert. contra Monarchomachos*, ubi egregie probat, Parlamento pariſienſi non aliam quam Magiſtratus competere autoritatem *l. 4. c. 14. uſque ad* 20. Hæ contentiones diu durabant; imprimis etiam hunc obicem autoritati regiæ tandem ſemovit Cardinalis Richelius. Hactenus obtinuerat lege regni, ut quavis Parlamentum veſpera in feria S. Martini Regi claves traderet, quæ ſequenti die rurſus illi tradebantur. Oblatio autem illa clavium ſignificabat autoritatem regiam in Parlamento. Ut itaque Parlamentum ſerio intelligeret, qua eſſet autoritate, cum claves Regi iterum eſſent traditæ, Rex per aliquot ſeptimanas Parlamento non reddidit. Multis quidem querelis tandem effecere, ut Rex eas redderet: ſed eorum autoritas eſt maxime reſtricta, & tantum imaginaria. Edicta quidem regia in Parlamento rati habentur, ſed tantum in ſpeciem, & alias non.

Aſſeſſores Parlamenti (c) regi reluctari non poſſunt: ſi autem illi de ratihabitione dubitent, Rex ipſe accedit, & jubet, vel etiam quendam mittit, qui jubeat, ut ſua edicta ratihabeant.

(a) *loco inſtituerentur Parlamenta*) Sed inſtitutis Parlamentis, comitia tamen adhuc habita ſunt. Vid. *l' Hiſtoire de l' ancien gouvernement de la France par le* C. de BOULAINVILLIERS. Sub initium enim in iſtis Parlamentis nullæ aliæ, quam juſtitiæ cauſæ pertractatæ videntur: poſtquam autem regibus animue eſſe cœperit, Ordinum jura imminuendi, res rei, publicæ ſæpe ad Parlamenta detulerunt. Imo, in majorem rei ſpeciem, Senatum ex regii ſanguinis Principibus, coronæ Officialibue, Proceribus quibusdam & Parlamenti membris legebant, & cum eis de rebus ad rempublicam ſpectantibus deliberabant, ut eo minus de comitiorum neceſſitate cogeretur. *Recherches de Paſquier p.* 9. VASSOR *lib. VI. p.* 9. Deinde ob oculoe poni curarunt, quot ſæpe inutiliter impenderentur ſumtus, cum rariſſimum eſſet, tot diverſa in unam conſpirare ſententiam capita. Fateri neceſſum habeo, nonnunquam aliquid ex vero habere, quæ GRAMONDUS *lib. XVI. p.* 716. habet. *Pauci*, inquit, *commodis proſpiciunt reipublicæ, & ut multitudine legum ita ſæpe legislatorum numero obruitur populus. Hinc factum, ut comitia totius Galliæ generalia & conventus Notabilium duo* (ſub Ludovico XIII.) *ſperato effectu, plane caruerint.* Haud dubie huc etiam quodammodo collineant, quæ habet BERNARD GIRARD *de l' etat & ſuccès des affaires de France fol.* 46. ubi ait: *mais depuis quelques ſiecles ces Parlemens* (placita, quæ ſub Carolingia durabant) *commuis en aſſemblées d' Etats n' ont fait, que du mal.* Quare autem autor ille Placita veterum Francorum recentioribus Ordinum conventibus antepoſuerit, non aliam fuiſſe rationem conjicio, quam quod in illis magis de populi ſalute ſoliciti fuerint, quam in hie, & magis ab eis aulicorum abfuerint calliditates. Cæterum de modo convocandi Ordinum conventus, quo rex uſus eſt, eisque, qui ad illos vocati ſunt, nec non de ratione in iis ſuffragia ferendi & colligendi, aliisque quæ huc pertinent, confer. *nouvelle deſcription de la France tom. I. p.* 139. LIMNÆUS *notit. regni Franciæ lib. VII.* c. I. p. 639. *ſeqq.*

(b) *Inſtitutum igitur Parlamentum*) Pariſienſe Parlamentum inſtitutum dicitur a Pipino: Philippus autem pulcher, ut fixam ibi haberet ſedem, anno 1302. conſtituit. Eodem tempore ab hoc Rege inſtituta ſunt Parlamenta Toloſanum & Rothomagenſe. Hoc tamen non niſi ſub Franciſco I. Parlamenti titulo inſignitum eſt. Parlamentum Grationopolitanum Carolum VII. anno 1453. autorem nactus eſt; Burdigalenſe autem Ludovicus XI. anno 1462. & Divionenſe anno 1476. inſtituit. Aquarum Sextiarum Parlamentum, jubente Ludovico XII., anno 1501. cœpit. Nannetenſe autem Henricus II anno 1553. ſtabilivit. Palenſe ab Henrico I. Navarræ Rege Henriri IV. avo. 1519. eſt nſtitutum. Metenſe Ludovico XIII. 1633. originem debet, Parlamentum, quod jam Veſontium habet, Ludovici XIV. Regis juſſu Dolæ 1674. erectum, Alſatiæ 1673. Enſisheimo Briſacum eſt delatum. Hiſce adde Parlamentum Tornacenſe, quod jam, ni fallor, Inſulis hæret, Perpignanenſe, Atrebatenſe. Parlamentum pariſienſe omni alia dignitate & jurisdictionis amplitudine ſuperat. Hoc tantum Gallis *la Cour des Pairs* dicitur, cum in eo primariarum dignitatum viri jurejurando fidem ſuam aſtringant, ibique locum occupant. Quindecim conſtat collegiis, quæ Cameras dicunt. LA CROIX *l. c. p.* 49. *ſeqq.* BERNARD *de la Roche* FLAVIN *des Parlements de France* GIRARD *des offices de France, des Parlemens &c. Le Parlement de Bourgogne par* PIERRE PALLIOT.

(c) *Aſſeſſores Parlamenti*) Ex decem Parlamenti pariſienſis collegiis, quas cameras vocant, maximum quod Parium camera dicitur ex 8. Præſidibus mitris inſignibus (preſidents au mortier) & triginta Conſiliariis conſtat. Eſt in hac camera præter procuratorem generalem & duos Advocatos generales, Advocatorum, procuratorum & ſcribarum varii generis infinitus propemodum numerus. Antiquioribue temporibus omnes Galliæ Epiſcopi in hoc concilio votum & ſeſſionem habuerunt: hodie autem hoc jure non niſi Archiepiſcopus pariſienſis & Abbas Monaſterii S. Dionyſii utuntur. Plura de auguſto hoc Senatu, & de vacationum camera, quinque inveſtigationum (enquetes) cameris, camera (Tournelle) civili & criminali, nec non duabus ſupplicationum Cameris vid. *Europeiſchen Herold tom. II. p.* 57.

Digitized by Google

beant. Vid. GRAMOND. *lib.* 5. Notandum itaque eſt, in Gallia nulla eſſe comitia, & autoritatem Parlamenti pariſienſis nullam eſſe. Dixit Cardinalis Richelius, lites tantum & negotia forenſia ad Parlamentum pertinere, regia autem negotia aſſeſſores noo debere tractare, niſi id forſan Rex jubeat. Hodie ſane Rex fert leges, & abrogat pro arbitrio, peneſque unum Regem & poteſtas legislatoria, & poteſtas belli & pacis. Porro Rex non curat antiqua privilegia urbium, Ordinum & populi, ſed illa omnia reſcindit & abrogat pro lubitu, quod creditur, eſſe potentiæ regiæ GRAMONDUS *lib.* 12. *p.* 498. narrat, quemadmodum Rex Galliæ pervenerit ad urbem *Toloſam*, (a) & more antiquo, priusquam limen urbis accederet, jurato promiſit, ſeſe privilegia & immunitates urbis Toloſæ conſervaturum. Sed vana fuit fides, exſtinctis ibi, neſcio quo fato, omnibus privilegiis, omnia enim jura & immunitates populi ſunt everſæ, & hoc tamen creditur ibi juſtum eſſe.

Jura etiam fœderum ſunt penes Regem, it. tributorum indicendorum, & vectigalium condendorum, creduntur in libera poteſtate Regis eſſe conſtituta, ut nemo etiam de iis omnibus dubitet, & ita Rex habeat plenam poteſtatem, quod neſcio, an ulli Europæo Principi liceat. Antehac non licuit Regi ſoli, tributa indicere, ſed tantum ex populi conſenſu: at vero narrat COMINÆUS *lib. IX.* primo Carolum VII. Ludovici XI. Regis patrem *auſum fuiſſe* (b) tributum indicere ſine populi conſenſu, poſt Anglos ex Aquitania & Normannia ejectos. Ludovicus autem hic ita afflixit populum, ut nullus Regum antehac fecerat, & primus etiam ille fundamenta dominatus fecit in Gallia, adeoque Rex hodie pro arbitrio tributa exigit. *Gramondus lib.* 5. *p.* 271. Invaluit apud Gallos, quia ærarium Regis erat exhauſtum, illud per immenſos ſumtus expleri ex fiſco publico. *Nulli Europæorum* (c) hoc licet. Dira eſt hæc lex ſubditis, Regi optima. Iam a 100. annis irrepſiſſe in Galliam peſſimum publicanorum ordinem, conqueritur Gramondus. Nuper etiam primarius publicanorum magiſter fuit *Fouquet* (d) vere ſpongia regia. Tales ſpongias habent Reges Galliæ, quas deinde exprimunt, & ita Reges Galliæ videntur eſſe domini *omnium bonorum totius populi gallicani.* (e) Habet etiam Rex jus vitæ & necis, adeoque nec Proceribus ipſis parcere ſolet. Antehac in Gallia idem mos obtinuit, quod apud priſcos Germanos, ſi quæ cauſæ inter Regem & Vaſallum orirentur, inter Pares finirentur. Ita ſunt conſtituti Pares curiæ, quales olim in Gallia plures fuere, hodie autem non niſi paucos ſupereſſe, compertum habemus. Solet enim Rex eligere, quos *Parium* (f) nomine appellare velit. Perinde ut apud Romanos tempore Cæſarum erant Conſules ſine autoritate; ita & hodie apud Gallos nomen Marechalli, Coneſtabuli & Admiralis, manet *ſine omni re & autoritate.* (g) Hinc ex vocabulis non eſt ferenda ſententia de regimine reipublicæ.

De re-

(a) *Toloſam*). Languedociæ hanc metropolin deſcribit DE LA FORCE *dans la nouvelle deſcription de la France tom. IV. p.* 70. *ſeqq.* Hic eam civium numero infrequentem eſſe tradit, & in eo diſcedit a Quercetano, qui *dans les antiquites & recherches de la France tom. II. p.* 98. urbem civium multitudine admodum celebrem eſſe tradit.

(b) *auſum fuiſſe*) Audiamus hac de re loquentem BERNARD *de l' etat & ſuccès de France livre III. p.* 274. *on ne ſcauroit dire, inquit, en quel tems elles (les tailles) commencerent en France, bien trouve-t-on, que le Roy ſaint Louis fut le premier, qui leva la taille, mais ce fut par forme de ſubſide extraordinaire, durant la guerre ſeulement, & n' en fit oncque receptes ordinaires: mais le Roy Charles VII. les fit ordinaires pour le payement de la gendarmerie, au commencement elles ne ſe levoient, que pour urgente neceſſité des guerres & de l' oktroy des gens de trois Etats.*

(c) *Nulli Europæorum*) Sed multi alii & hic Gallicos imitari cœperunt mores.

(d) *Fouquet*) *Memoires d'* ARTAGNAN *tom. II. p.* 217. Fuquettiani infortunii præcipuus faber fuit Colbertus, quem olim inter ſcribas ſuos præcipuum habuerat. Hic ut rei nummariæ principem nanciſci poſſet curam, Fuquetti exitium procurare allaboravit.

(e) *omnium bonorum totius populi gallicani*) De ingentibus Regis Galliæ reditibus & ſumtibus vid. *Europaiſchen Herold part. II. p.* 59. *ſeq.* Sunt qui putant, regni gallici ordinarios reditus annuos ad centum viginti milliones librarum aſſurgere: verum non deſunt regni illius documenta, ex quibus conſtat, ſæpe eos centum octoginta milliones librarum ſuperaſſe. Imo certum eſt, Ludovicum XIV. reditus ſuos in immenſum auxiſſe, ita ut, Colberto in congreſſu Neomagenſi narrante, tot ipſi quotannis competerent librarum milliones, quod dies annum conſtituerent. Sunt tamen, qui hanc narrationem aliquid ex gallicismo habere credunt. Proventus autem illi ex variis profluunt fontibus, quales ſunt domania, pecuniæ ſubſidiariæ, quas Galli les aides vocant; ſalis vectigal, quod Rex, cui ſalis monopolium competit, ſub abellæ gnomine exigit. Vectigalia in vinum, frumentum, aliasque res, quæ regno inferuntur, aut ad alios transmittuntur, impoſita tributa majora. quæ tailles dicunt, a quibus nobiles ſunt immunes, & tributa minora, quæ taillons dicuntur, in uſum militum, a civibus & ruſticis exacta & reditus, qui ex officiorum venditione colliguntur. Dantur tamen adhuc aliæ regiorum theſaurorum ſcaturigines, quas recenſet AUTOR *des Europaiſchen Herolds tom. II. p.* 59. *La Geographie univerſelle par* DE LA CROIX *p.* 65. 66. Illud, quo officia in familiis conſervantur, Pauletæ nomine venit. Autorem ſub Henrico IV. Pauletum habuit. Ante Franciſcum munera non venalia virtutis præmia erant. Sæpe de Pauleta abroganda actum: ſed cum medium reſarciendi illud, quod inde regio decederet fiſco, non ſuppeteret, res effectu caruit VASSOR *lib. VI. p.* 149. 183. PRIOLUS *lib. III. p.* 88. Cæterum de rationum cameris, ſubſidiorum (aides) curiis, theſaurorum receptionibus, quas generalitates vocant vid. LA CROIX *l. c. p.* 52. *ſeqq.*

(f) *Parium*) De Ducibus & Paribus Franciæ, qui non ſunt unius generis, vide *Europaiſchen Herold tom. II. p.* 55. 56. *La Geographie univerſelle par* DE LA CROIX *p.* 38. *ſeqq.*

(g) *Sine omni re & autoritate*) Habent & hi ſuam autoritatem, ſed non aliam, quam regii officiales, qui plene a regio pendent arbitrio. Cæterum de magnis regni vel potius Regis Officialibus eorumque muneribus & prærogativis conferatur *Europaiſcher Herold tom. II. p.* 53. & LIMNÆUS *in notitia Franciæ.* Inter regios autem Officiales

Digitized by Google

De rebus ſacris notum eſt, quid molita ſit curia romana, & quanta autoritate fuerint Pontifices per univerſum orbem eccleſiæ occidentalis. Voluere ſcilicet illi non tantum monarchi-

ciales, quibus alii inferiores ſubſunt, celebrantur magnus Elemoſinarius, magnus regiæ domus Magiſter; magnus Camerarius, magnus ſtabulorum Præfectus; magnus Admiralius; magnus tormentorum Præfectus. Franciæ Marechalli, magnus Cancellarius, magnus aquarum, ſylvarum & venationis Præfectus, magnus regiorum ædificiorum Præfectus, magnus Falconum Præfectus; magnus venationis luporum Præfectus, magnus domiciliorum Præfectus, magnus ceremoniarum Magiſter; & regiæ domus Secretarius. Habent Delphinus quoque & Aurelianenſis Dux ſuos Officiales proprios, & multos cum Rege communes.

Magnus Franciæ Elemoſinarius ex Cardinalium ſolet eſſe numero, omniumque Eccleſiaſticorum in Gallia eſt Princeps, unde manus ejus ſolſtitium honorum vocant. Eſt quoque regiorum Ordinum equeſtrium commendator natus, & ordinis S. Mcihaelis crucem, ut omnes Cardinales, qui Equitum numero ſunt, non pallio inſutam, ſed ex collo ſuſpenſam habet. Ex quo juramentum in regias præſtitit manus, ad muneris ſui partes expediendas, accedere poteſt. Conſiſtunt autem illæ potiſſimum in his: Archiepiſcopis, Epiſcopis aliisque eccleſiaſticis perſonis, qui Regi fidem ſuam ſupra Evangeliorum libro, plerumque durante miſſa, adſtringunt, de illo actu teſtimonium dat; Evangeliorum librum, ſi Rex fœdus aliquod jurejurando corroborat, ſuſtinet; in ſolennibus proceſſionibus ad Regis dextram eſt, &, ſi a Rege in celebratione ſacrorum ei aſſidendi venia conceditur, ad regiam quoque dextram locum occupat; per ipſum a Rege juſſa dantur, ut in diebus maxime ſolennibus captivi libertati reſtituantur; quæ Rex in uſum pauperum largitur, ab illius pendent diſpenſatione; ipſius eſt relictum arbitrio, Regis precibus matutinis aut nocturnis adeſſe, ejusque prandio aut cœnæ benedicere, hisque ſumtis, in gratiis Deo perſolvendis præire; ille precum librum, ex Clerici cujusdam capellæ regiæ manu ſumtum, Regi offert. Huic ſub miſſæ finem aquam luſtralem ſubminiſtrat, eumque in oblationibus comitatur, omnibus ceremoniis, utpote ſi Rex ſtrumas tangit, aut pauperibus quibusdam pedes lavat, adeſſe poteſt; Regi ſacram ſub utraque ſpecie præbet ſynaxin; omnes regio ſanguine natos, eosque, quorum regii ſanguinis Principes per ſe aut per alios ſunt ſuſceptores, ſacro tingit baptiſmo; nec non Principum in matrimonii ſacra conſpirantium, in Lupara jungit manus; Regi & Reginæ jejunii tempore ovorum & carnis eſum indulget, Eccleſiaſticisque aulicis, illos, qui ad aulam ſpectant, matrimonii conjungendi vinculo, & confitentium audire ſermones, jus dat, permultis ſacris fungitur operationibus, ut Aulæ Epiſcopus, in quacunque etiam reperiatur diœceſi, qui eis præſunt, conceſſionem impetrare, neceſſe non habeat; in die S. cœnæ pedo paſtorali & mitra ornatus, abſque Ordinarii conceſſione, abſolutionem dat. Loca olim in noſocomiis leproſorum concedebat, penesque ipſum jus erat conſtituendi Vicarium generalem, cum aliis Vicariis inferioribus, qui redituum illis valetudinariis dicatorum curam haberent, & de iis rationem redderent, atque hoc jus per edictum Franciſci I. ſub quo inprimis nomen magni Elemoſynarii innoteſcere cœpit, anno 1535. obtinuit; quod tamen defuiſſe videtur, poſtquam Ludovicus XIV. anno 1672. ordinem S. Lazari renovaverit, ubi noſocomia illa, membris memorati ordinis plerumque ex bellicis Officialibus, ob res bene geſtas, celebribus in commendarias, ut ajunt, dantur; ſubſunt ipſi adhuc hoſpitalia cœcorum Lutetiæ & Chartræ, nec non in Academia Lutetiana, ſeptendecim lectores collegii regii, collegium Magiſtri Gervaſii, & Navarrenſe. Annuum ejus ſtipendium 14400. libras complectitur.

Ab ipſius juſſu pendent primarius Elemoſynarius, qui abſentis magni Elemoiſinarii vices gerit, ab Officialibus capellæ & ſacrarii juramenta exigit, quod reliquis Elemoſynariis non licet; diebus dominicis panem benedictum Regi & Reginæ, Delphino ejusque conjugi & Aurelianenſi Duci ejusque uxori porrigit, quem reliqui regii ſanguinis Principes ex inferioris cujusdam, quem tunc ordo tangit, ſumunt manibus. Quando Rex ſacra utitur cœna, primarius Elemoſynarius cum alio Elemoſynario mappæ partem verſus aram extenſam ſuſtinent, ea vero, quæ verſus Regem tendit, a duobus ex Proceribus aut Ordinum regiorum equitibus fulcitur. Si Delphinus adeſt, ab eo ſolo hæc pars ſuſtinetur. Salarium 7200. libr. habet. Subſunt quoque magno Elemoſynario ipſi, Magiſter ſacrarii (oratoire) quem 4800. libr. ſalarium pellicit; & qui Regi eſt a confeſſionibus. Huic 6854. libræ in annuum porriguntur ſtipendium. Inter regii Confeſſionarii prærogativas eſt, quod ſolicitus eſſe poſſit, ut literæ regiæ ſuper beneficiis expediantur. Cura autem earum, quæ ad dona & elemoſynas attinent, ad magnum Elemoſynarium ſpectat; deinde ſolus Regi miſſæ auſcultanti de conſcientiæ rebus &, finitis iis ſacris, de rebus beneficia concernentibus loqui poteſt. Dubito autem, an hoc ita ſtricte obſervetur. Deinde magno Elemoſynario parent octo Elemoſynarii, quorum duo per anni quadrantem, alternatis vicibus, officia, quæ iis incumbunt, præſtant. Semper unus eorum, quem ordo tangit Regi ſurgenti, prandenti & miſſam auſcultanti adeſſe debet, Regisque interim pileum & chirotecas aſſervat. Conciones linteo ſupparo induti etiam coram Rege habent, & magno primoque Elemoſynario abſentibus, omnibus, quæ iis incumbunt, funguntur muniis. Quilibet eorum trecentas libras ex regio accipit fiſco, & in aula alitur, ubi eum in finem peculiaris menſa, quam Elemoſynariorum dicunt, ſternitur. Iidem Elemoſynarii ſinguli Delphino omni biennio eadem præſtant ſervitia, & obinde unusquisque eorum dimidium antedicti reditus ab eo habet, & quotidie dimidium nummi aurei, quem ſua lingua piſtole vocant, in alimentorum uſus, quando ſervitia præſtant, accipit. Præter hos, ſacris regiis operantur Capellanus ordinarius, cujus annuo ſalario 2298. libræ cedunt, & octo Capellani, quos oportet per vices, extra dies magnæ miſſæ, miſſam aliquam, non tamen alta voce, coram Rege dicere. Quivis eorum tribus menſibus coram Rege ſacris, ad quas obſtrictus, fungitur operationibus; quamobrem ſingulis ex regiis reditibus quotannis 240. libræ perſolvuntur, & ex tabula, quæ in Aula Elemoſynariorum vocatur, cibum capiunt. Sunt etiam ipſis reditus quidam pro ſacris ſervitiis, quos Delphino, ſi quis adeſt, exhibent. Denique octo ſunt Clerici Capellæ & ſacrarii regii, quorum quilibet pro ſervitiis, quæ Regi tribus per annum menſibus præſtat, 165. francos accipit. Tribus illis menſibus, in quibus ſervitia faciunt, in Elemoſynariorum tabula convictores ſunt. Quod ſi Delphino quoque inſerviunt, ab eo ſalarii ſui aliquod conſequuntur augmentum. Hi cum Capellanis abſentium Elemoſynariorum vice funguntur. Duo ſunt pulvinarium, & unus ceremoniarum eccleſiaſticarum Magiſtri, illorum quilibet 600. hic 500. libr. ſalarium habet. His anno 1681. ſacrarii cuſtos acceſſit, cui 1995. libr. ſtipendium eſt conſtitutum.

Ad ſtatum eccleſiaſticum quoque aulæ regiæ pertinet Magiſter capellæ muſicæ, quo munere Carolus Mauritius, Tellierius Archiepiſcopus & Dux-Rhemenſis, Parium eccleſiaſticorum Franciæ primus &c. anno 1686. functus eſt, Annuum ejus ſalarium 4200. libr. ſummam exhaurit. In ejus manus juramentum præſtant quatuor Capellani, ad uſus magnæ miſſæ deſtinati, muſicæ Magiſtri, Organiſtæ, Cantores & alii, de quibus vide *l'etat de la France de l'an* 1686. *p.* 34. *ſeq.* Hic alios adhuc Eccle-

narchiam quandam condere: ſed etiam illam exercere. Magna quidem adhuc eſt autoritas Papæ in rebus ſacris moderandis per Hiſpaniam & Italiam, non tamen eadem, quæ olim fuit.

Manet

Eccleſiaſticos, qui ad Aulam ſpectant *p.* 36. recenſet. Quod ſi Rex ſacris in capella adſidet, dextrum ejus latus claudunt omnes ejus Officiales eccleſiaſtici, ad ſiniſtrum vero ſunt Reginæ Officiales eccleſiaſtici, nec non Epiſcopi & Abbates *L' etat de la france p.* 36. 37.

Magni Aulæ regiæ Magiſtri munus ex officio majoris Palatii originem traxiſſe videtur. Olim illud Comitibus andegavenſibus hæreditarium erat, a quibus aliis in feudum dabatur, quod jus evanuit, & hoc munus per Principem Condæum exercitum fuit. Magni aulæ Magiſtri autoritas ſatis magna fuit, ſed non tanta, ut erat Majoris domus. Regis demortui feretro, omnibus Aulæ Officialibus præſentibus, baculum injicit, ut conſtet, aulica jam deſiiſſe munera. Quæ ad regium pertinent victum, ejus olim ſuberant diſpoſitioni: Verum Regis deinde juſſui permiſſa ſunt. Quam plurimi in ejus manus juramentum præſtant: ut primus domus Magiſter, ordinarius domus Magiſter, duodecim domus Magiſtri, primus rei panariæ Adminiſter, primus Pocillator, primus Sector menſarius, triginta tres Nobiles ſervitia præſtantes, tres cameræ Magiſtri, duo Inſpectores rationum generales, eorumque ſedecim ſcribæ, Magiſter capellæ regiæ muſicæ deſtinatæ, Magiſter ſacrarii regii, regiæ domus Elemoſynarii, magnus Magiſter ceremoniarum, Magiſter ceremoniarum, & qui eis in ſubſidium eſt datus, Legatorum introductor &c. conf. *l' etat de la France p.* 43. Quando ſolenniter regiæ menſæ adponuntur cibi, ille ab eis proximior eſt, præ aliis domus Magiſtris. Erecto modo & inſtar ſceptri baculum ſuum geſtat, & reliqui domus Magiſtri, eo præſente, demiſſius baculos gerunt. Magnus aulæ Magiſter in magnis ſolennitatibus, quando regiæ adeſt menſæ, primum Regi exhibet mappulam madidam, ejuſque ſubeſt præſidio conventus, qui ſub nomine *bureau du Roy* Martis & Veneris die coit. Congregantur tunc primus domus Magiſter, cameræ nummariæ Magiſtri, rationum Inſpector generalis, rationum, quæ ad regii oris ſumtus ſpectant, Inſpector ordinarius, rationibus reddendis inſervientes ſcribæ, & rationum Inſpectoris generalis ſcriba. Sunt adhuc alia hujus collegii membra, quæ recitantur *l. c. p.* 66. 67. ubi quoque dicitur, quænam ſint officii eorum partes. Quod ad ſalaria attinet, magnus domus Magiſter quotannis 47000. primus domus Magiſter 11028. libras accipit. Officii autem hujus partes ſunt, ut ei, qui ſacram cænam regi adminiſtrat, vinum præbeat, & regi mappulam, ad ſiccandum os, exhibeat. Quod ſi vero aliquis regii ſanguinis Princeps adeſt, mappulam hic regi offert. Si regi matutino tempore ex juſculo guſtare placet, ille eſt, qui hoc comitatur, & eo tempore, ubi Rex illud haurire conſtituit, ejus expectat juſſa, quidnam in cibum potumque regiis adponendum ſit dapibus, & quonam tempore ex iis regi guſtare placeat. Poſtquam autem regios acceperit juſſus, eos ad Officiales huic rei præfectos fert. Præter primum regiæ domus Magiſtrum, eſt quoque Magiſter ordinarius, qui magni & primi Magiſtri abſentium vice fungitur, Regique, quando in conventu ſaltatorio, comedia, aut opera cibum capit, ſervitia præſtat. Stipendium ejus annuum 2620. libras exhaurit. Huic ſubordinati ſunt duodecim domus Magiſtri, ſub Conſiliariorum & Equitum titulis, quorum quilibet quotannis 824. libras in ſtipendium conſequitur, & ille, qui apud Delphinum ſervitia præſtat, adhuc plena gaudet immunitate, quo privilegio etiam viduæ eorum gaudent. Hic abſentium ſuperiorum domus Magiſtrorum munere funguntur, & Regi cibum ſumturo, ad lavandas manus, nullo ſanguinis regii Principe aut magno domus Magiſtro præſente, madidam tradunt mappulam, matutinoque tempore, quando regi juſculum abſorbere conſtitutum, illud ad Regem ferendum comitantur. Magno aut ordinario Magiſtris domus abſentibus, de tempore, quando Regi cibum ſumere placet, certiores fiunt; præſertim vero ad illorum ſpectat provinciam, ex Rege in itinere conſtituto, tempus & locum prandii ſciſcitari. Alia, quæ eorum ſunt provinciæ, vide *l' etat de la France p.* 48. 49. Sunt quoque primus rei panariæ Adminiſter, primus pincerna, primus ſector menſionarius. Annuum ſalarium uniuſcujuſque 600. libras complectitur. Primo rei panariæ Adminiſtro omnes ſubſunt Pariſienſes & ſuburbani piſtores. Hi ex triginta ſex Nobilium inſervientium, qui Equitum titulis gaudent, numero ſunt, atque his muneribus per vices funguntur. Annui ſtipendii 700. libr. dimidiam tantum accipiunt partem, ſuntque cum viduis ſuis a reipublicæ oneribus exemti. In Aula ex regiæ tabulæ reliquiis guſtant. Quid autem ceremoniarum tam in ſolenni regio pranſu, quam minus ſolenni obſervetur, & quænam ibi uniuſcujuſque ſint munia, docet autor dicti tractatus *p.* 56 *ſeqq.* Magnus præterea eſt eorum numerus, qui culinæ cibo & potus regio inſerviunt, qui *l. c. p.* 74. *ſeqq.* enarrantur.

Archi Officialium Galliæ numero etiam eſt magnus cubiculi regii Præfectus, cujus antiquis temporibus in Galliæ regno magna erat autoritas. Sub eo ſunt omnes, qui in regio cubiculo, cubiculi veſtibulo (antichambre) regiarum veſtium receptaculo, & loco, quem cabinet du Roy vocant, ſervitia præſtant. Sub finem ſuperioris ſeculi officium illud fuit in domo Ducum Bullionenſium. Annuum ſtipendium 3600. libr. & 20000. libr. penſionem habuit: Muneris autem ejus partes potiſſimum hæ ſunt. In conventu Ordinum, aut ſi Rex tribunal juſtitiarium celebrat, ad regios pedes pulvinari ex boloſerico, liliisque aureis acu pictis ornato inſidet. Legatis ad Regem verba facientibus, poſt Regis ſellam locum tenet, ejusque dextrum primus cubiculi nobilis, regiorum veſtimentorum cuſtodiæ Præfectus ſiniſtrum occupat latus. Olim Regina abſente, in regio dormiebat cubiculo. In coronationis ſolennitatibus levioribus ocreis, a Dionyſiano Abbate acceptis, Regem induit, ipſiusque humeris dalmaticam & pallium regium circumponit. In ſepeliendis regiis exuviis cum cubiculi Nobiles comitantur. Ut olim inveſtituræ potiores in cubiculo regio fiebant, ſic hodie a Franciæ Marechallis, urbium & provinciarum rectoribus, ibi juramenta præſtantur. Olim in aula regia menſa ſub ejus nomine inſtruebatur, quam hodie primi domus Magiſtri ſub eodem tamen habent nomine. Regi induſium præbet, ſi nullus adeſt regii ſanguinis Princeps, qui hac ſparta fungitur, eique in conclavi comedenti inſervit, & madidam offert mappulam ante & poſt prandium, ſi nullus regii ſanguinis Princeps adeſt. Hoc plerumque fit, ſi Rex, nullis adhibitis hoſpitibus, accumbit, & ex mappula menſæ inſtrata cibum capit (le petit couvert.) Quod ſi vero Rex in anti camera & præter Reginam, regii ſanguinis Principibus aſſidentibus, comedit, ſolennem illum ritum le grand couvert vocant. Adeſſe nunc ſolent ſpectatores ſequioris quoque ſexus primariæ perſonæ, ubi principali aut ducali antiquitate conſpicuæ parvas ſedeculas occupant. In omnibus ſolennitatibus imo &, ſi Rex concioni adeſt, in uſus magni cubiculi Magiſtri & primi cubiculi Nobilis poſt regiam ſedem a cubiculi regii ſervis aut bajulatore quodam ſellæ collocantur. Quatuor autem ſunt, qui primorum cubiculi Nobilium titulis inſigniuntur, quorum officium ſub Franciſco I. numerus vero ſub Ludovico XIII. cœpit; cum antea non niſi duo eorum eſſent. De his, qui tali tantum titulo gaudent, hic omnis eſt ſermo. Solent autem hoc munere ducali dignitate ornati frugi. Regi juramentum fidelitatis præſtat, & inter eos illud ab omnibus cubiculi Officialibus regio nomine accipit, quem annuum tangit ſervitium. Omnia autem, quæ magno cubiculi Præfecto incumbunt, eo abſente, faciunt, oſtiariumque jubent, quem in regium intromittere debeat cu-

biculum

Manet quidem apud nonnullos Papæ autoritas, apud quoſdam vero eſt exigua. Nuſquam & nullibi,

biculum. Qui horum Nobilium ſervitia præſtat, in aula regia commoratur, & regi curru vecto comes eſſe ſolet. Suot aliæ adhuc, præter enarratas, munii eorum partes, quos vid. *l. c. p.* 103. Quilibet eorum ſub ſuo regimine ſex habet puerorum nobilium, qui a regio ſunt cubiculo. Cuilibet ſenario numero ſuus eſt datus Ephorus & ſub-Ephorus. Habent qooque in arte pugnandi, ſaltandi & matheſi ſuos magiſtros. Porro primis cubiculi Nobilibus ſubſunt quatuor cubiculi ſervi; quorum cujuslibet annuum ſalarium duorum millium thalerorum eſt. Eſt autem penes Cameræ ſervos obligatio Regi veſtimenta ſumenti aut deponenti adeſſe, ſellam honorariam exhibendi, togam (robe de chambre) tendendi, ut Rex in occulto ſe induſio veſtire queat, ipſum ea induendi & ſpeculino oculis objiciendi. Cæterum de pleniori Regem veſtibus induendi modo, & quid Galli *le petit lever & la premiere entrée & la ſeconde entrée* vocant vid. autor *des Europaiſchen Heroldsp.* 47. *tom. II.* Sedecim ſunt accenſi (Huiſſiers) qui 960. librarum ſalario mactati alternatis vicibus officio funguntur, ita, ut quatuor ſemper ad præſtanda officia adſiot. Quæ muneris eorum ratio requirat, docetur *l. c. p.* 110. 111. duo ſunt accenſi ſive oſtiarii loci interioris, quem cabinet vocant, quorum quilibet ſex menſes per annum ſervit, & eapropter reditus annuos 1260. librarum habent, & ex menſa domus magiſtrorum cibum capiunt; duo oſtiarii ante-cameræ, qui auctius jam ſalarium, quam 500. libras habent, & ex menſa cameræ ſervorum manducant. Triginta duo habentur cameræ ſervi, quorum quilibet ex regio ærario accipit 660. libras, & tabulæ cameræ ſervorum, ſi ſervitia præſtant, accumbunt, octo autem per vices ſerviunt, tituloque ecuiera gaudent. De officii eorum partibus *vid. l. c. p.* 120. Duodecim ſunt regii pallii geſtatores, quorum uni cuique 780. libræ in annuos reditus conſtitutæ. Tres ſemper alternatis vicibus in aula ſerviunt, atque omnes titulo ecuier utuntur. De munere eorum agitur *l. c. p* 122. *ſeq.* Duo catapultarum (arquebuſes) geſtatores, ex quibus quilibet 1400. libras, ut annuum habet ſtipendium, & vetuſtate detrita arma, quæ ad venationem adhibentur accipit: Oportet tamen eos plumbi & pulveris pyrcii ad venationem neceſſaria procurare. Comedunt in aula, & quidem tabulæ cubiculi ſervorum aſſident. De octo tonſoribus, octo tapetum directoribus, quatuor horologiorum fabris, qui itidem cubiculi ſervorum titulo utuntur, tribus renovatoribus, operatore uno in Regis, altero in Hoſpitalis, quod a caritate nomen habet uſus, ſex cubiculi pueris, & multis aliis ad cubiculum regium ſpectantibus, ut ſunt ſellarum portatilium bajulatores, ſellæ regiæ geſtator, lectorum aliorumque cubiculi mobilium portatores, vitriarii, ſutores, pictores, ſculptores, fabri ferarii ſubtiliores, æris lignarii fabri, conf. *l' etat de la France p.* 126. *ſeqq.*

Veniendum deinde eſt ad veſtimentorum regiorum receptaculum (garderobbe) cui præeſt magnus Magiſter, quo munere ſub Ludovico XIV. fungebatur Dux Rochefaucaudius. Hic abſentium magni cubiculi Magiſtri, aut primi cubiculi Nobilis, quem ordo tangit, Regi præſtat ſervitia, quæ ab ipſis, ſi nullus Principum regii ſanguinis adeſt, exhiberi deberent. Matutino tempore, ubi Rex veſtitur, magnus veſtiarii magiſter Regem tunicula inferiori induit, eamque torque cæruleo ordinis S. Spiritus exornat, & deinde illi ſuper imponit tunicam, Regique gladium porrigit; veſpertino autem tempore, quando Rex corporis cultum deponit, ipſi indumentum, quo nocturno tempore corpus tegit, offert, & paulo poſt capitis tegumentum & ſtrophyolum in hypopatera quadam, & ex eo quærit, quo habitu altero die uti velit. Sub ejus cuſtodia ſunt veſtimenta, lintea & calceamina regia, accipitque ille ea, quibus Rex non amplius utitur. In diebus feſtis ſolennioribus pallio regio torques ordinum regiorum alligat. In aula regia cubiculum habet, & Regi in carpento comes eſt. Quando Rex legatos audit, poſt regiam ſellam magni cubiculi Præfecti aut primi cubiculi Nobilium latus ſiniſtrum jungit. Solet autem Rex matutino tempore, antequam ſe ad conſilium ſanctius confert, legatos audire. Legatus autem, qui in Regis ducitur conſpectum, ab Introductore in conclave, quod a legatis nomen habet, recipitur, & ad conclave regii corporis cuſtodum ducitur, ubi eum cuſtodibus illis præfectus excipit, & ad Regem ducit, quem legatus ſellæ honorariæ (fauteuil) inſidentem trina corporis flexione ſalutat, eique, quæ juſſus eſt, proponit. Ambaſciadori appropinquanti Rex nudato capite aſſurgit, poſtmodum autem tecto capite in ſedem redit, facitque ei legatus primi ordinis verba aperto capite, quem deinde Principes adſtantes in tegendis capitibus ſequuntur. Quod ſi vero legato ſecundi ordinis Principis ſui juſſa proponenti a Rege auſcultatur, ei Rex nec aſſurgit, nec unquam caput detegit: legatus autem ille nudato ſemper debet eſſe capite. Nonnunquam Ambaſſiadores a Rege ſub uraniſco conſtituto ſolenniter audiuntur. Hoc a Ludovico XIV. non multo ante vitæ finem factum, cum Ablegatus Perſicus, quæ a ſuo Principe juſſus erat, ad ipſum ferret. Quotannis magno veſtiarii regii Præfecto ex regiis reditibus 19600. libræ porriguntur. Sub moderamine magni hujus Magiſtri duo veſtiarii magiſtri Regi per vices annua præſtant ſervitia, in cujus quoque manus fidem ſuam jurejurando adſtringunt. Abſentium magni cubiculi Præfecti, primi cubiculi Nobiles, & primi veſtiarii regii Magiſtri vice funguntur. Regi veſtimenta induenti vocale, ſtrophiolum, chirotecas, baculum & pileum ille magiſtrorum veſtiarii, cui ad annua ſervitia in domicilio regio cubiculum eſt, præbet. Cum Rex veſtimentum mutat, marſupia ei porrigit, ut quæ in iis ſint, ad aliud, quo indui vult, transferri queant. Poſtquam Rex nocturno tempore ſecretiori ſuo conclavi (cabinet) exit, a veſtiarii Præfecto ad januam excipitur, eique baculum, chirothecas, pileum, gladium & cingulum committit. Poſtquam Rex abſolutis precibus, quas flexis in pulvinari genibus ad finem lecti ſui fundit, ad ſellam honorariam (fauteuil) in atrio majori (ſalon) poſitam revertitur, ibique reliquum corporis deponit cultum. Exuit autem ipſum veſtiarii Præfectus tunica palla & torque cæruleo, & a Rege vocale accipit. Quinam, Rege lecto validicento obſerventur, docet *Europaiſcher Herold p.* 47. *tom. II.* Sunt deinde quatuor primarii veſtiarii regii ſervi, qui regiarum ciſtarum claves aſſervant, & in cubiculo veſtimentis regiis recipiendis deſtinato dormiunt. Regi exhibent calceamenta & periſcelides. Ac præterea in veſtiario ſerviunt ſervus veſtiarii ordinarius, & ſedecim alii ſervi, qui Regi veſtitum ſumenti crepidas, braccam, tibialia, ocreas aut calceos porrigunt, eiſque ipſum exuunt. Quæ ſunt alia horum munia, nec non de multis aliis veſtiario regio inſervientibus, ut ſunt ſacci ſarcinarii vector, quatuor ordinarii veſtiarii pueri, tres ſartores & lintearius ſubactor (empeſeur) conferatur *l' etat de la France p.* 140. *ſeqq.* ubi etiam de ſtipendiis eorum agitur. Vaſibus quoque argenteis ſui ſunt curatores, locus interior regiis epiſtolis deſtinatus, quem cabinet vocant, ſuos quatuor habet Secretarios, quorum unicuique 7500. libræ ex regiis ſolvuntur ærariis, gaudentque conſiliario horum ordinariorum regiorum titulo. Hi expeditionibus Regis privatis inſerviunt, & nonciis celeribus regis nomine juſſa dant. Eſt etiam locus libris regiis, antiquitatibus & rebus rarioribus addictus, qui ſuos habet inſpectores, & alios, qui ibi ſervitia exhibent, ab iis, qui bibliothecæ regiæ publicæ præſunt, & inſerviunt diverſos. Hanc per multos annos celeberrimus Bignonius rexit. Ex omnibus autem libris, qui ſub regio imprimuntur privilegio, unum exemplar in privatam Regis, duo in publicam ferri debent bibliothecam. Ad hanc claſſem ſpectant quoque lectores, interpretes Hiſtoriographi, Geographi, Ephori & Præceptores, quibus regii libri educandi & erudien-

erudiendi ſunt traditi. Cubiculo regio ſive Cameræ annumerantur, quibus canum regiorum tum venaticorum quam aliorum & avium, quæ ad regium ſpectant cubiculum, cura eſt commiſſa, ut & buccinatores & tympaniſtæ quidam. Sunt & ſupellectilis regiæ inſpectores & cuſtodes, qui ſuos quoque habent ſubordinatos. Nec minus huc pertinent collegii muſici membra, quæ ſub duorum inſpectorum ſunt moderamine. Præter muſicæ compoſitorem cantores & variorum inſtrumentorum muſicorum peritia excellentes alantur viginti quatuor (25.) fidibus canere edocti (la grande bande de vingt quatre violons) & alii ejusdem artis notitia celebres, qui numerum 21. implent, & petits violons dicuntur, illi in regiis epulis, comœdiis & conventibus ſaltatoriis concentu ſuo delectant, hi Regem ex ordinaria ſua ſede ad alia tendentem loca ſequuntur, modulationeque ſua Regem cænantem recreant. In regiæ coronationis, nuptiarum, & ingreſſuum publicorum, qui in urbes fiunt, aliisque ſolennitatibus iis fidicinum ſocietas ut & tibicines, qui ad regiam ſpectant ſtabulum, junguntur. Id memoratu dignum videtur, muſicorum corpus nulli Principum ſive domeſticorum ſive peregrinorum, exceptis tamen Rege & filiis ejus, detectis capitibus inſervire, niſi & ipſis nudata ſint capita. Galli hoc ut ſignum majeſtatis regiæ interpretantur.

Sed nondum finis eſt illorum, qui in hunc cenſum ſunt referendi. Sunt Regi 24. Nobiles ordinarii, ad quem numerum eos Henricus IV. redegit, cum eorum ab Henrico III. 48. creati eſſent. Servitia alternis vicibus per ſemeſtre præſtant, & obinde quotannis 2000. librarum ſtipendio demulcentur. Ipſorum opera Rex utitur, ſi ad exercitum ſe confert, ubi id muneris ei præſtant, quod eis, quos Galli aides de camp vocant, incumbit; juſſa Regis in provincias ferunt, a Rege ad aulas extraneorum Principum gratulandi aut condolendi cauſa mittuntur, & ad Proceres regni dignitatum & officiorum diplomata, honorumque ſigna deferunt. Cibum in aula ex magiſtrorum domus menſa capiant. Nobilibus domus regiæ ordinariis autor ſtatus Galliæ *ſubjungit Medicorum in aula regia principem. Hic regiæ ſanitatis curam gerit, atque igitur nonnunquam, quibusnam dapibus regia ſit inſtruenda menſa, jubet. Antequam Rex in S. cœnæ die tredecim infantum pedes aqua abluit, aut ſtrumoſos tangit, a Medicorum regiorum primo in eos inquiritur. Ordinarium ejus ſtipendium 24000. libræ conſtituunt. Præter hunc in aula Medicus ordinarius archiatri vices gerit, quo abſente & alii 8. inferiores, alternatis vicibus, per trimeſtre munus exercentes, rem gerunt. Illi 3300. horum cuilibet 2298. francorum annuum eſt ſalarium. Oportet autem, ut medicus ille, quem ordo tangit, Regi prandenti aut cœnanti, licet valeat, adſit. Sunt adhuc quatuor medici ſpagirici, & multi, qui medicorum aulicorum titulo gaudent. Porro decem ſunt chirurgi aulici, quorum primus omnia chyrurgorum per totum regnum privilegia, ad artem eorum ſpectantia, ſub ſua habet cuſtodia. Hic in aula regia conclave habet, & 2277. chyrurgus autem ordinarius, 1600. libr. ſtipendio annuo demulcentur, & quilibet aliorum chyrurgorum per trimeſtre ſervientium annuum ſtipendium 900. librar. habent. Quod ſi vero Rex ſtrumoſos tangit, æque ac medici ſeptem libras, & quod excurrit, nec non vini & carnis ferinæ aliquid accipiunt. Eſt etiam ipſis data facultas Lutetiæ tabernas habendi, quas autem per alios exercent. Chyrurgi duo, ad quos ſervitia trimeſtria ſpectant, regi ſurgenti aut cubitum eunti, æque ac Medici adſunt, nec non regem venatum aut peregre abeuntem comitantur, ita ut a regio carpento haud procul abeſſe debeant. Sic in Regis comitatu ſemper quoque eſt pharmacopolarum currus.*

Sunt autem quatuor pharmacopolæ aulici, quibus quoque jus eſt Lutetiæ exercendi tabernas. Horum quilibet quotannis 1600 libras accipit, & quatuor adjunctorum, quos habent, ſingulis 466. libr. 13. ſ. & 4. n. ſolvuntur. Incumbit autem pharmocopolis, non ſolum remedia, ſed & fructus quosdam conditos & aromata ſuppeditare.

Memorandus jam erit inter magnos Regis officiales ſupremus ſtabuli præfectus, cujus officium ex Comitis ſtabuli munere propullulavit. Poſtquam enim illis ſumma rei militaris cura eſt permiſſa, regia ſtabula alii moderari cœperunt, ſummi autem ſtabuli magiſtri manus ſub Philippo Longo, nomen autem ejus ſub Carolo VII. ortum eſt. Ludovico XIV. regnante, Ludovicus Comes Armagnaccenſis, ex Lotharingiæ Principum ſanguine originem trahens, functus eſt hoc officio. In ſignum officii ſui, Regii gladii, cuſtos eſt. In regias manus fidem jurejurando dat, ſe officio ſuo recte functurum. Omnia munia ad ſtabula aut jumentorum curam ſpectantia confert, & ab iis, quibus data ſunt, juramentum accipit. Omnes reditus & ſumtus ſtabulorum & gregis proletarii (haras) ſub ejus ſunt directione, pertinetque ad ipſum cura veſtitus, tam illorum, qui officia ad ſtabula pertinentia præſtant, quam militis prætoriani regii, ad quem etiam centum Helvetii ſpectant. Magnus quoque ſtabuli præfectus in regio carpento locum occupat, & a Rege equo vecto proximus eſt, eique urbem aliquam ſolenniter ingredienti equo elatus, gladium regium in vagina, cæruleo ſerico, aureis liliis diſtincto obducta reconditum præfert. Hunc gladium etiam in funerum regiorum ſolemnibus geſtat. Quod ſi Rex ſumtus aliquos ad carpenta fabricanda aſſignat, mille thaleri ſummo ſtabuli præfecto in novi carpenti impenſas dantur. Rege mortuo, omnes ſtabulorum & gregis proletarii equi ad ipſum ſpectant. Equi noviter urbem Lutetiam ingredientes ad eum duci debent, ut in eis jus propelii in regiorum ſtabulorum uſus exercere queat. Erat huic officio olim juncta ſuprema poſtorum inſpectio, quæ tamen ab eo, jubente Henrico IV. ſeparata eſt. Supremi ſtabulorum præfecti annui reditus 30000. libr. ſuperant. Sub ejus moderamine ſtabulum magnum regit primus Præfectus ſtabuli, qui ſupremi Præfecti abſentis vices gerit. Hic in ſtabulo magno conclave habet, poteſtque ad ſervitia ſua æque ac ſummus ſtabuli Præfectus pueros nobiles & regios pediſſequos, qui ad

magnum

magnum pertinent ſtabulum, ad ſervitia ſua adhibere. In annuum ſalarium ipſi 3257. *libræ præbentur. Qui autem a ſupremi ſtabuli Præfecti imperio, præter primum Magiſtrum, pendent, ſunt tres artis equitandi periti magiſtri ordinarii, quibus tres ſub magiſtri adjuncti ſunt. Hi pueros nobiles ſtabuli magni, quorum ordinarius numerus* 19. *complectitur, artem equitandi docent. Habent hi quoque Ephorum, duos ſub-Ephoros & Præceptorem, aliosque magiſtros, qui eos in matheſi, arte militari, arte ſaltandi, pugnandi, ſcribendi, & deſignandi erudiunt. Deinde ex eorum, qui ad magnum ſtabulum ſpectant, numero ſunt Eleemoſinarius, Theſaurarius, Genealogiſta, qui in puerorum nobilium, qui recipi debent, majores inquirit, quatuor puerorum nobilium famuli, duo culinæ inſpectores cum aliis, qui ciborum & rerum ad culinam ſpectantium curam habent;* 42. *pediſſequi magni,* 40. *hippocomi, (paleſreniers)* 8. *hoſpitiorum deſignatores, decem carpentorum & curruum conductores, octo fabri & multi alii, quos vide* dans l' état de la France p. 194. *Gregi proletario, qui ad ſanctum Legerum prope montem fortem alitur, artis equitandi peritus præeſt, qui juſſa a Magno ſtabuli magiſtro accipit. Sunt deinde* 14 *equorum cuſtodes, duo hippocomi & eorum adjutores, fabri quoque ferrarii, chyrurgi, pharmacopolæ, & medicus unus, in eorum, qui equarum armento adſunt (haras) uſus.*

Sunt quoque ſub directione magni ſtabuli Magiſtri Heraldi. Horum primus Heraldorum dicitur Rex. De veſtitu eorum & munere tam circa pacis quam belli, matrimoniorum, & ſolennitatum funebrium negotia confer. l' etat de la France p. 197. ſeq. *Sunt præter buccinatores, tubicines, fidicines & alterius generis varios muſicos, alii adhuc ſtabuli majoris officiales, quos vide l. c. Quod ad parvum Regis ſtabulum attinet, habet hoc quoque primum ſuum ſtabuli Præfectum. Annuum ejus ſalarium* 3876. *libras complectitur, & reliquorum* 20. *qui ecuiers dicuntur cuilibet* 700. *libræ quotannis deſtinatæ: qui autem inter eos ordinarius dicitur* 2995. *libr. ſtipendium habet, & marchio de Segrie, qui, Ludovico XIV. imperante, hoc munere fungebatur, adhuc* 2000. *libr. penſione gaudebat, Præſtant hi juramentum in manus magni Magiſtri domus, & ſervitia alternis vicibus faciunt, ita ut quinque eorum per trimeſtre ad ſervitia adſint, quorum ille, quem ordo tangit, Regis matutino tempore ſurgentis juſſa expectet, an ei equo vehi placeat. Regis venatum abeuntis ocreis calcaria circumponit, eaque viciſſim ipſis demit; & quamdiu regiis ocreis calcaria adſunt, tam diu hic regii gladii cuſtos eſt; calcaribus autem a regiis ocreis ſeparatis, aut ſi Rex his non indutus, jus regium aſſervandi gladium ad pallii geſtatorem pertinet. Regem ille, qui ex numero eorum, qui ecuiers dicuntur, ad ſervitia præſtanda adeſſe debet, ubique comitatur, niſi conſilio ſuo præſes adſit, aut in conclavi aliquo ſolus hærere velit, ubi reditum ejus vicino expectat conclavi. Si Rex carpento vehitur aut equo, ſemper proximus ab eo eſt, ita ut carpentum ingreſſuro, aut pedem inde relaturo, vel forte equo ejus titubante aut cadente auxiliatrices præbere queat manus. Hunc ob finem Regem per anguſtas fauces tranſeuntem proxime ante militis prætoriani quoque ducem ſequitur. Quod ſi Rex ſe prœlio committere velit, ab eo caſſide, pectorali ferreo & aliis induitur armis. In regii funeris ſolemnibus quinque illi (ecuiers) quorum trimeſtre eſt, lugubri induti veſtitu, habitum Regis militarem ferunt. Cæterum reliquæ parvi ſtabuli perſonæ eadem fere ſunt cum iis, quæ ad magnum ſtabulum ſpectant, habitus tamen quadam differentia a ſe invicem diſtinguuntur.* L' état de la France p. 208. ſeqq.

Antequam autem ad alios progrediamur regni officiales, monendum ducimus, nos hic eos, nulla juris prædriæ habita ratione recenſere, & in poſterum in reliquis enarrandis brevitati ſtudere cogi, ut propoſiti noſtri legibus, quas in præcedentibus aliqua ex parte transgreſſi ſumus, eo magis ſatisfaciamus.

Sunt officiales tam eccleſiaſtici, quam ſeculares, qui regiæ domui & toti aulæ præſtant ſervitia. Horum, qui ad victum & potum curandum pertinent, permagnus eſt numerus. L' etat de la France ch. VII. *Succedat jam ſupremus regiorum ædificiorum præfectus. Hoc munere Luvisſius Galliæ archiminiſter functus eſt. Parent huic multi alii, ut ædificiorum inſpectores, architecti &c. Vid.* l'etat de la France ch. VII. *ubi regia etiam enarrantur palatia Adde* la nouvelle deſcription de la France tom. I. art. XII. & tom. II. *Jungamus huic manſionarium (grand Marechal des logis) Huic ſubſunt metatores, qui in* 12. *marechaux des logis &* 48. *fourriers dividuntur. Præter hos tamen alii ſunt, quorum opera Rex in itineribus utitur. Juſſa, quæ a Rege de deſignandis ſibi & aulæ hoſpitationibus & conclavibus accipit, metatoribus dat. Hi quoque in manus ejus juramento fidem ſuam adſtringunt; officia vero eorum a Regis pendent collatione. Manſionario quotannis* 3000. *librar. ſalarium præſtatur, præter* 3000. *in uſum veſtitus (quatre mille livres de livrées a la chambre aux deniers) &* 600. *libras, quas Ludovicus Doger de Caroye, regnante Ludovico XIV. extra ordinem omni menſe conſequebatur. Cæterum id quoque notandum, ſalaria & emolumenta, quæ officialibus porriguntur, viciſſitudinibus eſſe obnoxia. Nos in iis, quæ notavimus, referendis unice ſecuti ſumus librum ſæpe memoratum, qui ſub titulo ſtatus Gallici, Ludovici XIV. tempore, in lucem prodiit. Ordinem paulo antedicti libri ſequentes, hic aulæ judicis mentio injicienda, qui titulo* grand prevot de France & juge ordinaire de la maiſon du Roy gaudet. *Ad hunc non una, quæ olim comes Palatinus exercebat, eſſe tranſlata, non dubito. Quænam autem hujus jurisdictionis ſint partes, & quinam ſub judice, ad exercendam, & adjuvandam juſtitiam, incumbunt docet* l' etat de la France Ch. X. Nouvelle deſcription de la France tom. I. Ch. XIX.

Ceremaniarum curam magnus ceremoniarum

Magiſter, & 115. *aggregatos* (*aide des ceremonies*) *habent*, & *in manus Magni domus præfecti juramentum præſtant. Inter munia eſt, nt aliquis eorum ad legatorum, prima aut ultima vice Regem ſalutantium, dextram a ſcalæ primordio, usque ad prætoriani militis conclave incedat, ibique relicta legato, Regi annunciatum, legatum in propinquo eſſe, abeat oportet. Stipendium annuum magni ceremoniarum Magiſtri* 3000. *Magiſtri ceremoniarum* 2000. & *Adjuncti eorum* 600. *libras continet* l. c. ch. XI. Nnuvelle deſcription de la France tom. I. art. XV.

Ad hanc claſſem pertinent quoque duo Legatorum Introductores, qui per ſemeſtre alternis vicibus per ſervitia munus ſnum exercent. Hic omnes extraneos, cujuſcunque ſint dignitatis & conditionis, qui Regem, ejus liberos, & *regii ſanguinis Principes ſalutandi, aut ab eis audiendi cauſa accedunt, introducunt. Annuum cuique ſalarium* 1200. *libr. eſt conſtitutum.* L' etat de la France ch. XII. Nouvelle deſcription de la France ch. III. artic. XVIII.

Quod ad rem nummariam attinet, quamplurimi in Gallia ſunt Theſaurarii, qui omnes Joanni Baptiſtæ Colberto regiæ demus Secretario, qui inter quatuor quoque ſtatus Secretarius fuit, ſuberant. Hujus ſalarium 4200. *libr. continebat.* L' etat de la France oh. XIII. Adde la nouvelle deſcription de la France ch. XIX. artic. XII.

Accenſendi quoque primariis Galliæ officialibus ſunt ſummus venationum Præfectus, magnus Falconum Magiſter, & *magnus luporum Venator. Infinitos pane hi habent ſubordinatos.* L'etat de la France tom. I. ch. XIV. *Sunt adhuc mercatores, artifices* & *operarii, qui per privilegia aulicis annumerantur membris* l. c. ch. XV.

Sed veniamus jam ad ſtatum, ut loquuntur, militarem. Sub magno tormentorum Præfecto ſunt omnes, qui rei, cui præeſt, operam navant: rem navalem autem Architalaſſus, quem magnum Galliæ Admiralium dicunt, moderatur. Cœpit hoc officium anno 1270. *in Florentio de Varenes, ut patet ex* ANSELMI Hiſtoria Admiralium Galliæ: *Sublatum vero eſt, ſub Ludovico XIII. anno* 1627. *poſtquam Montmorantius ſe eo abdicaſſet. In regia conſtitutione additur, quia hoc æque ac Conneſtabilis officium, quod eadem abrogatum eſt lege, magnos requireret ſumtus. Sed alia acceſſiſſe videtur, nempe ut Richelius creari potuerit* grand maitre chef & Surintendant general de la navigatinn & commerce de France. *Neque tamen hoc officium ætatem tulit: ſed, mortuo Bauſortio, finem habuit, reſtauratumque eſt anno* 1669. *magni Admiralii officium, licet in allegata Ludovici XIII. conſtitutione quod nunquam reſtitui deberet, dictum fuerit. Collatum illud eſt anno* 1683. *Tholoſano comiti Ludovici XIV. filio naturali legitimato. Licet penes magnum Admiralium jus non ſit rei maritimæ officiales conſtituendi; hanc enim facultatem ſibi Rex per edictum de anno* 1715. *reſervavit: magnæ tamen eſt autoritatis. Enim vero collegii, quod Admiralitatem vocant, præſes eſt, ibique eos, qui ejus nomine de omnibus controverſiis maritimis jus dicunt, conſtituit. Oportet autem, nt hi a Rege literas, quas proviſionis vocant, habeant. Ei ſubſunt duo, quos vice Admiralios vocant, ex Galliæ Marechallis plerumque lecti, item locum tenentes Generales rei maritimæ, nec non claſſium minorum, quos eſcadres dicnnt, capita* & *navium prætores* (*Capitains*) *qui ad terreſtria adhibiti ſervitia, eundem tum Tribunis habent locum, aliique inferioris ordinis. Ex Magni Admiralii quoque juſſu pendent rei maritimæ curatores* (*intendans*) *quorum aliquem quilibet portus habet*, & *qui eis ſubſunt inſpectores generales, necnon theſaurarii, commiſſarii* & 1000. *nobiles, Gallis gardes de la Marine dicti, qui ad rerum maritimarum ſcientiam incumbunt. Ex his rei maritimæ officiales eliguntur. Qnod ad Magni Admiralii reditus attinet, illi ſunt ſatis magni. Spectat ad illum decima pars eorum, quæ hoſti in mari eripiuntur. Opimius longe incrementum erat, quod olim ex bonis naufragorum ad ipſum perveniebat: verum iniquum hoc jus per Ludovicum XIV. anno* 1681. *eſt abrogatum.* Nouvelle deſcription de la France ch. XX. art. IV.

Diximus eadem, qua Ludovicus XIII. magni Admiralii officium ſuſtulerat conſtitutione, etiam Comitis ſtabuli (*Connetable*) *munus ſublatum eſſe. Illud autem in actibus ſolemnibus, per Marechallorum Franciæ antiquiſſimum adminiſtratur. Sunt autem Marechalli, qui rem militarem, quæ ſub Ludovico XIV. in immenſum aucta eſt, ſub Rege ſumma cum autoritate dirigunt. In Gallia æque ac alibi milites varii generis ſunt. Excellunt inter eos copiæ, quas regiam domum dicunt. Conſtituunt has maximam partem miles prætorianus regius, ad quem ſpectant* 1) *quatuor centuriæ corporis cuſtodum* 2) *centum Helvetii* 3) *portæ cuſtodes* 4) *Centuriæ corporis cuſtodum, qui dicuntur gardes de la prevoté de l' hotel* 5) *centuria equitum gravis armaturæ* (*gens d' armes*) 6) *equites levis armaturæ* (*chevaux legers*) 7) *Duæ legiones militis prætoriani gallici* & *helvetii* 8) *Duæ centuriæ militum, qui mouſquetaires a cheval dicuntur*, 9) *Centum nobiles, qui au bec de Corbin dicuntur. Hi ſub Ludovico XIV. centum aliis auctiores redditi ſunt.* L'etat de la France ch. V.

Quod reliquum, adhuc pauca de Galliæ Cancellario ſunt addenda. Sub prima Galliæ Regum ſtirpe Referendarii vocabulo veniebat, ſub ſecunda vero ſtirpe Concellarii nomen in eminenti illo ſignificatn, quem deinde habuit, adhiberi cœpit. Eſt autem Cancellarius omnium in Gallia togatorum primus. Cnm juſtitiæ caput, ut Galli eum vocant, oporteat ab omnibus affectibns eſſe immunem, in ſymbolum hujus rei conſtitutum videtur, ne Cancellarius unquam lugubrem ſumat habitum. Cancellarii dignitas non niſi cum vita amittitur: ſigillis autem, ſi eorum quoque cuſtodem agit, jubente Rege, privari poteſt. Omnium curiarum ſuperiorum & *regiorum conſiliorum præſes eſt.* La nouvelle deſcription de la France tom. I. ch. XIX. §. VIII. *Inter conſilia autem regia primum memorandum venit conſilium ſtatus,*

quod

nullibi tam parvi ſemper facta eſt *autoritas Papæ* (a) quam in Gallia, infimæ quidem plebi adhuc Deus eſt pro Papa, & Papa pro Deo. Cæterum hoc plebs ita credit. Perſuaſum id etiam ſolet eſſe quibusdam Sacerdotibus & Clericis, verum, qui regias partes tuentur, illis eſt longe aliter perſuaſum. Hos illi ſuperſtitioſi, qui Papam addictius colunt, ſolent vocare Politicos & *Atheos*, (b) ſolent Galli provocare ad libertatem ſuæ eccleſiæ, dicunt, eam non eſſe ſubditam Papæ, qui tyrannidem eccleſiæ velit intentare. De hac libertate eccleſiæ varii exſtant libri, cumprimis invenitur hujus generis liber, omnia comprehendens *Petri Pithæi*, in quem egregium commentarium ſcripſit Puteanus. Hoc opus eſt editum, primo non niſi connivente Rege & inſtante Richelio, cui erat propoſitum, regiam monarchiam condere, ideoque ne tantillum curabat Papam. Ita cum hunc terrere vellet, inſtigavit Puteanum, ut illos libros ederet. Diſſeminatum eſt Romæ, tales libros propediem eſſe edendos, tunc profecto trepidabant Romæ, tandemque prodiere illi libri, ringente Curia romana. Hisce autem libris nil magis poteſt eſſe inviſum Curiæ romanæ. Cum itaque omnibus appareret, libros illos prodiiſſe autoritate regia, & Jeſuitæ contra illos, quid vellent machinari, tum ne quidem auſi ſunt. Præterea etiam non dubitavit Richelius, quo metum incuteret Papæ Gregorio XV. profiteri, Regem Galliæ velle Patriarcham *quendam inſtituere* (c) in ſuo regno, ne eſſet neceſſum, ſemper Romam adire. Itaque omnis opera poſtea a Pontificibus data eſt, ut haberent faventem Regem Galliæ, cui ne auſi ſunt ſe opponere. Enarrabo jam quædam ſingularia, quæ manifeſto præbent libertatem regni Galliæ. In Gallia moris eſt, ne poſſit bulla pontificia, qualis etiam ſit, permulgari ab ullo Epiſcopo, vel Nuntio apoſtolico, vel etiam legato a latere, niſi Rex ſcripſerit, verbum placet. Ita bullæ papales nullam habent vim, niſi ex beneplacito regio. Hoc ipſo certe pontificia vis permultum infringitur. Non quidem negarim, hoc ipſum obſervari in quam multis locis, Hiſpaniæ Regi ſubjectis, ut in regno neapolitano. Hac itaque in re non habet aliquid præcipui Gallia. In Germania vero ſolet bulla pontificia edi, non impetrato conſenſu Principum, quod & in principatibus Italiæ fit. Argumentor ita, quæcunque edicta dependent ab alterius beneplacito, illa non habent multum autoritatis. Bullæ pontificiæ ſunt tales, ergo. Nequidem licet pedem apoſtolico Nuntio inſerre in Galliam, niſi impetrato conſenſu Regis, quod non accurate obſervatur in Hiſpania, ſed accuratiſſime in Gallia. Cumprimis notandum eſt, quod nec quidem concilium tridentinum, quo nil magis habet eccleſia romana in pretio, hodie habeat *vim legis* (d) in Gallia, idque ideo, quia Reges Galliæ nondum ſunt paſſi, illud promulgari. Finiit illud concilium anno ſuperioris ſeculi. In hoc Papa venditat, ſe non

quod ex Rege, Cancellario, ſtatus Miniſtris conſtat. In hoc cauſæ belli & pacis, fœderum aliorum hujus tenoris negotiorum pertractantur. In alio conſilio de ærarii rebus agitur. Aſſident ei, præter Regem, Cancellarius, rei nummariæ ſupremus Præfectus, tres ad ærarii res conſtituti Conſiliarii, & qui nomine Controlleur general alterius fidei in gerendo munere eſt Inſpector. Hic referentis munere gaudet. In expeditionum conſilio locum occupant Rex, Cancellarius, ſupremus rei nummariæ Præfectus, quatuor ſtatus Secretarii, cum iis, quibus ſpes facta, ut aliquando in eorum locum ſuccedere poſſint. In hoc concilio de rebus ad Galliæ provincias attinentibus agitur. Quilibet horum Secretariorum, qui ex Secretariorum regiorum & Notariorum numero ſint, certa negotia (departement) curanda habet: In conſilio, quod vocant *d' Etat & privé ou des parties* Rex rariſſime comparere ſolet; quanquam ad eum recipendum ſemper ſella honoratior (ſauteuil) adpoſita ſit. Quod ſi autem Rex adeſt, hujus conſilii membra detectis capitibus ei adſident. Pendet ex Cancellarii arbitrio, quando hoc conſilium congregari vult. Vocantur autem ad illud Conſiliarii ſtatus ordinarii, viginti & unus, quorum tres ex eccleſiaſtico & tres ex militari ordine ſunt lecti, rationum Inſpector generalis, ærarii Inſpectores (intendans des finances) & duodecim Conſiliarii, qui per ſemeſtre ſpacium ſervitia præſtant. Hi 3300. & ordinarii 5500. librarum annuum conſequuntur ſalarium. Accedunt ad hoc conſilium 22. libellorum ſupplicum magiſtri, ibique de rebus, ad ſuum diſtributionem (departement) pertinentibus, referunt. Præter hæc quatuor conſilia, ſunt adhuc conſilium conſcientiæ & commerciorum. Ille nemo, præter Regem illumque, qui ei eſt a confeſſionibus, adeſt. Habetur omni Veneris die, & extra ordinem illo tempore, quando Rex ſacra uti vult cœna, aut conferre dignitates & officia eccleſiaſtica Incumbit quoque Archiepiſcopo pariſienſi, omni Mercurii die, res eccleſiaſticas, quæ ad regiam pervenire debent notitiam, referre. Commerciorum conſilium anno 1710. acceſſit. Habetur autem illud penes antiquiſſimum regii ærarii Conſiliarium, comparentque in eo ſtatus, Secretarius, ad cujus partitionem maritimæ ſpectant res, Conſiliariorum ſtatus ſex, libellorum ſupplicum magiſtri, qui commerciorum ſunt Inſpectores, & duodecim civitatum, ad quas inprimis commercia ſpectant, Deputati. *Nouvelle deſcription. de la France tom. I. ch. XVII.*

(a) *autoritas Papæ*) *Europaiſcher Herold tom. II. p. 71. Teſtament politique du Cardinal de Richelieu ch. II. Sect. IX.* Adſunt concordata inter Franciſcum I. & Innocentium X. inita, ex quorum tenore penes Regem eſt jus nominandi aliquem ad dignitatem eccleſiaſticam vocantem, intra ſex a tempore vacationis menſes, quem Papa confirmat mantiſſa cod. J. G. Leibn. *p.* 161. 353. *ſeqq.* *Corps diplomatique tom. IV. p.* 229. *ſeqq.* Erat olim in Gallia Capitulis poteſtas Epiſcopos eligendi, quod jus per concilium baſilienſe & Caroli VII. ſanctionem pragmaticam anno 1435, factam ratum habitum, atque, vivente Carolo VII. ſanctio hæc in Gallia exacte obſervabatur, obnitente licet Eugenio IV. & Pio II. Verum hæc res ſub Ludovico XI & Carolo VII. aliquam paſſa mutationem, per concordata, ut monitum novam induit faciem. *Corps diplomatique l. c. p.* 237. *ſeqq.* Quod autem ad collationem epiſcopatuum attinet, Rex vi concordatorum tantum eos confert, qui tempore ſanctionis pragmaticæ in territorio, quod Regi parebat, fuerunt. Reliquorum epiſcopatuum, qui poſt acceſſerunt, conceſſio Regi vi indultorum papalium competit. conf. *Nouvelle deſcription de la France tom. I. ch. XVIII. art. V.*

(b) *Atheos*) Clero ſolenne eſt, eos, qui, aſſumtis a ſe principiis, non ſubſcribunt, atheos vocare.

(c) *quendam inſtituere*) Et hæc erant Ludovici XIV. minæ, cum in legato ſuo Romæ jus aſyli, quod ſibi Galliæ Rex in ædificio legati ſui contendebat, violaretur, & Papa, ſibi de tali ſatisfacere injuria, moram necteret.

(d) *vim legis*) VASSOR *lib. VI. p.* 49. 5n.

Digitized by Google

non tantum monarchiam in rebus ſpiritualibus: ſed etiam in temporalibus habere poteſtatem in Reges & Principes, ut eos poſſit de ſolo dejicere, eosque excommuoicare, ita, ut excommunicatus privetur omoibus bonis. Doctrina hæc in Gallia non potuit admitti, quod exemplo probavit Philippus pulcher, qui Bonifacii VIII. nuntium impooi fecit aſino, averſa facie, data illi aſini cauda in manum pro freno, & ita perduci eum fecit per Lutetiam, & ita coactus eſt regno egredi. Videatur etiam PALATIUS (a) *in vita Bonifacii VIII.* Hic eſt ille Boniſacius, de quo dictum. Intravit *ut Leo*, (b) regnavit ut vulpes, mortuus eſt *ut canis.* (c) Idem Philippus pulcher ſucceſſorem ejus Clementem V. coegit in *jus canonicum* (d) referre, quod illa poteſtas, quæ Pootificibus tribuitur, excommunicandi non debeat nocere Regibus Galliæ, vel, ut melius explicem, non liceat Papæ, Regem Galliæ excommunicare. Curia romana hæc cogitur ſateri, & diſerte habetur in jure canonico, ſed illi dicunt, Reges Galliæ hoc habere ex privilegio, ſi hoc vero abutaotur, poſſe utique excommunicari. Hi vero contra aſſerunt, Papam non habere poteſtatem *excommunicandi*, (e) & quicquid Papa prætendat, eſſe tyrannidem, ex eo tempore Julius II Ludovicum XII. excommunicavit: ſed illam excommunicationem omnis Clerus irritam fecit, & damoavit tanquam vitio factum, dixit, hoc non licere Papæ, niſi Rex I. maxime mereatur anathema. Ipſe Rex Ludovicus tanti ſecit hanc excommunicationem, ut oon dubitaverit, aureis nummis hæc verba ioſcribere: *Perdam* (f) *Babylonis nomen*, per quod intelligit Papam, ego talem nummum poſſideo, ſunt alias rariſſimi. Idem etiam Sixtus V. contra Henricum III. *molitus* (g) ſed fruſtra. Quicquid ſit in Gallia, hæc doctrina, qua Papa dicit, ſe habere poteſtatem in Reges & Priocipes, damnantur libri, & tale quid docentes comburuntur V. GRAMONDUS *lib. 15. p. 675.* Ultima hujus argumenti ratio eſt memoratu digna, quæ contigit anno hujus ſec. 26. quam vide apud citatum autorem *dicto loco* (h) Papa autem deponit Imperatores, quia Papæ & Chriſto dicitur, unum eſſe tribunal. Cum hic liber approbatus eſſet a Jeſuitarum Generali, accerſiti ſunt Jeſuitæ pariſienſes in ſenatum, ut ponerent ſententiam, num probarent præſidis ſui dogma oec ne; reſpondere Jeſuitæ, cum cœlo *mutari animos.* (i) Hinc, cum Jeſuitæ ſunt Romæ, credunt, Papam habere poteſtatem in Reges & Principes, cum autem ſunt in Gallia, aliter ſentiunt. Hoc itaque volo, io Gallia doctrinam de poteſtate Papæ in Reges & Principes damnari, & libros, tale quid docentes, comburi. Ita hoc ſeculo combuſtus eſt liber Marianæ & Swarezii, & parum quoque abſuit, quin idem pateretur liber Beſlarmini & Becani.

Porro curiæ romanæ in conſtitutione Epiſcoporum & jure annatarum ſe oppoſuit concilium conſtantienſe, & *baſilienſe.* (k) Deinde in Gallia authoritate Regis & totius regni conſtituta eſt ſanctio pragmatica, qua curiæ romanæ eſt abrogatum omne jus, circa conſtitutionem Epiſcoporum, ſolum illi reliquerunt Archiepiſcoporum confirmationem. Ea res vehementer romanam Curiam momordit. Hoc ipſo enim electio Archiepiſcoporum & Epiſcoporum commiſſa collegio Canonicorum, quemadmodum in Germania. Leo tameo clanculum egit cum Franciſco II. Rege Galliæ, ut inviſam illam conſtitutionem pragmaticam aboleret, & ita cum Rege pepigit, ut *ille eligeret* (l) omnes Archiepiſcopos & Epiſcopos, quod etiam factum, & ita electio a Canonicis

(a) *Palatius*) Hic late refert, quæ inter Bonifacium & Philippum acta ſunt. Apparet ſatis, ex utriusque parte peccatum eſſe, utrumque mira divexabat ambitio, inprimis autem Boniſacium, qui ſummo & univerſali in ſecularibus quoque inhiabat imperio, multumque Philippus iræ & Nogareti, ſuaſionibus dabat. Id tamen in Philippo, laudandum, quod a Boniſacio jura regni opprimi, non ſit paſſus, vaticanaque contemnere ſciverit fulmina. MEZERAI *abregé chronologique tom. II. p. 791. ſeqq.*

(b) *ut Leo*) Hujus dicti PALATIUS *in Bonifacio VIII. p. 151.* teſtes citat ROLEVINCK *in faſciculo temporum* PLATINAM, LANGIUM, WESTMONASTERIENSEM, CARANZAM *de geſtis quorundam Pontificum.*

(c) *ut canis*) muro caput concutere cœpit, & mordere digitos, qua rabie abſumtus furenti ſimilis obiit. PALATIUS *p. 169. vol III.*

(d) *jus canonicum*) Decretali Clementis V. quæ 2. *extravagant. commun. de privilegiis* habetur, bulla Bonifacii VIII. quæ incipit, *unam ſanctam*, abrogatur. Bonifacius enim in bulla, qua Philippum excommunicaverat, palam profeſſus, Galliæ Regem in temporalibus quoque ſedi romanæ ſubeſſe, quam rem Rex æque ac regni Ordines ndigniſſime tulerunt, & ad futurum concilium appellarunt. *Nouvelle deſcription de la France par de La* FORCE *ch. XVIII.* art. IX. PALATIUS *in vita Bonifacii VIII. p.* 166. Bulla excommunicationis legitur in tit. *extravagant. comm. de majoritat.* Intelligens enim, ex Anagniana captivitate Romam reverſus, quod Neapoleo de Caſtello, qui cum Sciarra Colonna, ut Columnenſibus parceretur, precatum acceſſerat, literas, quas ad Carolum Siciliæ Regem minarum plenas interceperat, & poſtea cuſtodes, quibus Papam obſidebat, auxiſſet, in furorem actus.

(e) *excommunicandi*) Et hanc veritatem contra ſedem pontificiam ſtrenue tuiti ſunt, Pithæus, Launojus, Richerius, Petrus de Marca, aliique.

(f) *Perdam*) De hoc nummo vide GROTIUM *epiſt.* 574. Male eum explicat HARDUINUS *opp. p. 905.*

(g) *molitus*) PALATIUS *in vita Sixti V. vol. III. p.* 385. Guiſianas enim maxime hic Papa fovebat partes, & cum Henricus III. Guiſium Ducem cum Cardinale fratre e medio ſuſtuliſſet, a Sixto V. anathemate vapulavit.

(h) *dicto loco*) Loquitur hic de Santarelli Jeſuitæ libeo de ſchiſmate, hæreſi, apoſtaſia &c. Romæ edito ac probato. Cumque liber multa Regum autoritati & juribus adverſantia, quæ a GRAMONDO *p.* 675. referuntur, contineret, ſervi publici manu in ignem datus eſt.

(i) *mutari animos*) Abdicarunt in Gallia ſocietatis membra Santarelli doctrinam publicam, hanc in rem conceptum inſtrumentum legitur apud GRAMONDUM *p.* 675.

(k) *baſilienſe*) CHOPPINUS *de ſacra politia lib. I. p.* 121. 122.

(l) *ille eligeret*) CHOPPINUS in ſacra politia *lib. I. p.* 23. *Deſcript. de la France tom. I. p.* 109. *ſeqq.* Gaudet etiam Rex jure, quod Galli la regale dicunt, de quo late agit CHOPPINUS *lib. I. tit. VIII. p. 87. ſeqq.* 92. 93. Ex hoc jure ad Regem nonſolum vacantium archiepiſcopatuum & epiſcopatuum temporales pertinent reditus, ſed & vacantia, durante

nicis ad Reges fuit tranſlata, credita. Papa, ſe facilius a Rege quid poſſe impetrare, quàm a Canonicis, qui juribus ſuis firmiter inhærent, opinatur. Papæ autem nil manſit juris, quam confirmatio Archiepiſcoporum, quos ſolet pallio afficere, hinc apparet poteſtas Regis Galliæ circa ſacra, cum habent in poteſtate omnes illas electiones. Habet Gallia plurimos epiſcopatus & *Archiepiſcopatus* (a) opulentos, hos omnes unus Rex conferre poteſt. Petrus de Marca Cancellarius edidit perdoctum librum de unione, ſeu concordia *regni & ſacerdotii.* (b) Propugnavit hic partes regias, multum vero depreſſit Papæ partes, cui Ludovicus XIII. donavit archiepiſcopatum tholoſſanum, non vero potuit a Papa confirmationem impetrare ob illum librum, interim plane percepit uſum fructum Archiepiſcopatus, & conſenſu totius Cleri habitus eſt Archiepiſcopus, fremente Papa. Ex quo apparet, romano Papæ in Gallia nil ſupereſſe circa Archiepiſcopos & Epiſcopos, præter confirmationem eam, quæ ad ſpiritualia pertinet, quia illi, qui non ſunt conſecrati, uſum fructum illorum bonorum percipere poſſunt. Meretur autem adhuc notàri, curiam romanam profiteri, Clerum eſſe exemtum a jurisdictione poteſtatis ſecularis, at profecto hoc Regi non videtur. De reliquo in Gallia longè aliter ſentit aula Regis. Hinc ſuperiori ſeculo Henricus III. *Cardinalem Guiſium* (c) vita privavit, idem nuper *Cardinali de Reez.* (d) contigit, quod ex novellis apparet. Itaque longe aliam eſſe rationem, & opinionem in Gallia, quam alibi. Secundum jus canonicum omnis Clerus eſt ſub poteſtate Papæ, Reges contra dixerunt, ſub noſtra poteſtate & jurisdictione. De cætero, quæ ad ſacra attinent, Rex Galliæ eſt ſacris romanæ eccleſiæ addictus, ita tamen, ut non patiatur, aliquid detrahi autoritati regiæ; ideoque etiam non admittit vicariatum romani Pontificis. Adminiſtrantur res eccleſiæ per Clerum & Cleri concilia; frequentèr enim convocantur concilia regni, notandum tamen inter Clericos & Jeſuitas, male convenire, quia Jeſuitæ aliquid volunt clanculum detractum autoritati epiſcopali, Clerus autem pro hac tanquam pro aris & focis pugnat. Quod bona ſacra epiſcopatuum & Abbatum attinet, ſunt illa perquam magna. Magnas divitias poſſident Epiſcopi in Gallia, non minus ac in Germania, nonnulli computationem fecerunt & pronuntiarunt, pene trientem Galliæ poſſideri a Clero; de quo certe non dubito, ſiquidem etiam in computationem veniant bona *immobilia* (e) quæ ingentem ſummam conficiunt. In Gallia ſolent Clerici prætendere immunitatem a tributis & oneribus, ex jure divino, & indultu Papæ. Quod Clerici ſint jure divino excluſi, docetur in jure canonico, contra autem perſuaſum eſt aulæ gallicæ, adeoque ſolet Rex exigere a Clericis ingentia tributa, ante aliquot menſes adeo ingens ſumma poſtulata eſt a Clericis, ut nonnulli Epiſcopi non dubitarint profiteri, malle ſe epiſcopatus reſignare, nec ſibi quicquam ſupereſſe, unde panem habere poſſent. Hinc apparet, quantam poteſtatem ſibi vindicet Rex Galliæ, etiam in bona Cleri, fruſtra ringente Papa. Ut etiam pateat, immunitates pontificias non concedi in Gallia. Solet Papa & Clerus nunquam non urgere Regem, ut ille prohibeat omnia ſacra reformatæ eccleſiæ: verum ne hoc quidem hactenus *impetrare potuere.* (f) Ante-

durante illo tempore beneficia. *Deſcription de la France tom. I. Chap.* 18. *p.* 171. Galliæ Reges a Caroli VIII. tempore Regaliarum juris, quatenus temporales complectitur reditus, emolumenta ſanctæ Capellæ Canonicis largiti ſunt: Verum Ludovicus XIV. illa repetiit, atque illis Canonicis damnum illud Abbatia S. Nicaſii Rhemorum penſavit. Solebat reditus illos novis Epiſcopis donare, ſed poſtea in uſus eorum, qui Reformatorum abjurarent ſacra, adhibiti ſunt. Quod autem ad Regis jus nominandi ad Archiepiſcopatus & Epiſcopatus, & Papæ jus nominatos confirmandi attinet, hæc ſequentem in modum expediri ſolent. Quod ſi Rex conſtituerit, alicui ejuſmodi conferre beneficium, ſcripturam aliquam eum in finem, qui Regi eſt a confeſſionibus, conficit, quam Rex a ſe ſubſcriptam ad Secretarium, penes quem illo tempore brevium nominationis eſt expeditio, ferri jubet. Poſtquam ab hoc nominatus nominationis, quod vocant, breve & tres Regis epiſtolas, quarum una ad Papam, altera ad Galliæ protectorem, & tertia ad Regis in aula romana legatum datur, conſecutus eſt, coram nuncio papali, qui eſt in Gallia, morum & vitæ ejus fit examen, & hoc abſente, id negotii coram Epiſcopis loci ubi natus, & ubi commoratur, inſtituitur. Hoc facto fidei profeſſionem coram Epiſcopo, in cujus degit diœceſi, edit, & quinam ſit epiſcopatus, ad quem eſt nominatus, ſtatus & conditio, in literas conjici curat. Poſtea haſce tres expeditiones cum tribus regiis literis & nominationis brevi Romam ad eum, qui Galliæ nummaria ibi curat negotia, (banquier expeditionaire) gerit. Ille omnia, quæ accepit ad Galliæ fert ablegatum, qui ſua manu nominationis literis inſcribit, expediatur. Ex quo omnia illa documenta Cardinali Protectori traduntur, qui ex cum aliis tribus Cardinalibus, qui ſunt Ordinum capita, examinat, & ſi nominatum tali dignum credunt muneri, Cardinalis Protector in proximo declarat Conſiſtorio, ſe in proxime ſequenti aliquem, cujus nomen addit ad epiſcopatum hunc vel illum propoſiturum, & hoc vocant preconizationem. Cumque deinde dies Conſiſtorii illius illuxerit, Cardinalis Protector, & epiſcopatus ſtatum & nominati dotes proponit; quo facto Papa, ex Cardinalium ſententia, ut Bullæ expediantur, ſtatuit. Cardinalis tunc Protector aut ille, qui preconizationem fecit, ſcedulam, quam conſiſtorialem vocant, de proviſione per Pontificem facta teſtantem, conſcribit, eamque ad Vicecancellarium mittit, qui aliam, ejuſdem propemodum tenoris, conficit, ſecundum cujus ductum Bullæ in Dataria expediantur. Novem autem ſunt Bullæ, quas Epiſcopus ex aula romana accipit, & ſi eſt Archiepiſcopus pallium additur *deſcription de la France tom. I. ch. XVIII. art. V.*

(a) *Archiepiſcopatus*) In Gallia ſunt 103. epiſcopatus & 14. Archiepiſcopatus. MIRÆUS *in notitia epiſcopatuum p.* 193. *ſeqq.*

(b) *regni & ſacerdotii*) THUANUS *lib. XVI. ad ann.* 1550.

(c) *Cardinalem Guiſium*) Henricus III. favorem, quo huic & fratri gallicus addictus erat populus, in ſui tendere detrimentum ratus, utrumque e medio tollere conſtituit BUSSIERES *p.* 461. *ſeqq.* MEZERAI *tom. V. p.* 330.

(d) *Cardinal de Rhez,*) Vide commentarios ejus (memoires) *& Hiſtoire du miniſtere du Cardinal Mazarin. p.* 311. *ſeqq.*

(e) *immobilia*) *Deſcription de la France* par PIGANIOL *de la Force chap. XVIII. art. X.*

(f) *impetrare potuere*) Hanc rem ingentem paſſam eſſe mutationem, in vulgus notum.

Antehac multæ libertates, arces & urbes datæ ſunt reformatæ religioni addictis ab Henrico IV. ut eſſent tuti ab inſidiis pontificiis. Hac potentia videntur Reformati abuſi. Nec quis temere *probabit bellum* (a) quod excitarunt adverſus Ludovicum XIII. ſed infeliciter ceſſit, & nocentes cum innocentibus eodem loco ſunt habiti; ita ut omnibus arcibus & oppidis exciderint. Non habent integrum oppidum, *dimidia* (b) pars conſtat ex hominibus pontificiis, ita ut hodie omne rebus reformatis ſit ereptum, & hodie non poſſint vivere, niſi ex beneficio regio, de hoc bello vide GRAMONDUM. Bellum autem illud deſiit poſt victam Rupellam, tum omnis potentia Reformatorum concidit anno hujus ſeculi 29. Sacra Reformatorum ſunt in poteſtate Regis, in cujus arbitrio eſt, num velit illos tolerare, necne. Nemo autem probaverit, quod ipſis Rex hanc libertatem eripere voluerit. Egregia eſt conſultatio in Argenide Barclaii, ubi inducit Conſiliarium Regis, primarium conſultantem de Hyperephaniis, ſecundum illam conſultationem omnia poſtmodum in Gallia ſunt ordinata. Suadet autem Barclajus, illos eſſe tolerandos, non autem permittendum illis, ut in tanta ſint potentia, nec debere illis ſingularem regni poteſtatem conſtituere. Quia vero Reformati, dum ſua inſtituerunt concilia, ſoliti ſunt agere de iis, quæ ad rempublicam, non vero ad negotia eccleſiæ pertinent: hinc Rex ordinavit, ut omnibus conventibus Miniſtrorum eccleſiæ reformatæ ſemper interſit nomine Regis Commiſſarius, quemcunque Rex miſerit. Non quidem hic ſe immiſcet eorum negotiis: cavet tamen non male, ne quid agatur, quod ad negotia reipublicæ pertinet; non enim illis hoc permittendum eſt, ita merito illis Rex talem dat Aſſeſſorem, quia comperit, conventus eſſe inſtitutos contra reipublicæ tranquillitatem, ad hunc modum ſe habet potentia regia circa ſacra.

Quod res ſeculares, aut mere civiles attinet, itidem eſt vere *monarchica* (c) Regis potentia, ſuntque pacis & belli negotia. Quoad priora notandum, quod Rex habeat jus conſtituendi magiſtratus omnes per univerſam Galliam, Præfecti provinciarum & Præſides Parlamenti, a ſolo Rege ordinantur, alibi, ubi in urbibus eſt jus eligendi, ibi jus confirmandi eſt penes Regem, ita tamen, ut poſſit etiam electos rejicere. In tota Gallia non Dux, non Comes, non Marechallius habet munitum locum, ſed omnia ſunt juris regii, quod ſane ad tranquillitatem reipublicæ maxime facit. Hinc fit, ut Præfecti Provinciarum & Parlamenti nil poſſint; in Provinciis enim paſſim eſt diſpoſitus miles, in quem Præfectis Provinciarum nil eſt juris & autoritatis. His ſolet Rex ſemper adjungere *togatum* (d) Aſſeſſorem, quo fit, ut Præfecti illi, qui alias nobilitate ſolent eſſe Duces, nil poſſint, quia ad latus habent Aſſeſſorem, quod eorum arcana Regi poſſit prodere. Hodie itaque Præfecti illi nil amplius movere poſſunt, ut antehac, ita omnes motus in ipſa quaſi herba poſſunt opprimi. Sunt quidem adhuc in Gallia Duces quidam hereditarii, qui poſſident ampla bona, ſed illi ſparſim habitant, nec ibi ſub Ducum nomine tales intelliguntur *regales dignitates*, (e) quibus noſtri Duces in Germania gaudent, ibi enim Ducum tituli plus ſplendoris habent, quam autoritatis & potentiæ. Rex ſolet largiri titulos pro arbitrio ſuo, eos velit extollere, vel deprimere. Non habent jura regalia, ſed hæc omnia unius ſunt Regis. Antehac in Gallia Duces, Comites & Epiſcopi erant multis regalibus inſtructi, quæ hodie unius ſunt juris, quod indicio eſt, rempublicam eſſe monarchicam. Curat Rex, jus dici in provinciis maximis per collegia ſenatorum togatorum, quæ vulgo vocantur Parlamenta. Longe autem eſt alia ſignificatio vocis Parlamenti in Gallia, quam in Anglia. Hic ſignificat conventum Ordinum regni, ibi conſeſſum judicum vel hominum togatorum, quibus non permittitur regimen reipublicæ, ſolent tamen ad illos deferri multa, etiam ad rem publicam pertinentia, ex arbitrio tamen Regis, qui ſi prohibuerit, illi non audent ſe illis immiſcere. Inter Parlamenta primum eſt pariſienſe, quia illud jus aliquid habet circa negotia reipublicæ, quod tamen hodie eſt valde circumciſum, uti dictum. Si Rex enim juſſerit, ut edicta ratihabeantur, coguntur illa Parlamenti Aſſeſſores ratihabere. Parlamenta omnia ſunt arbitrii regii, conſtituit ille nova, ſi libuerit, non ita pridem conſtituit Metis novum Parlamentum idem, ni fallor, facturus in Alſatia, licet ſit contra Inſtrumentum pacis. Hoc autem ipſo multum detrahitur antiquis juribus Provinciarum & adſtringitur ad Regem, quod ſane hactenus fuit inſolitum. Aſſeſſores & Præſides Parlamenti omnes conſtituit Rex, ſed diverſi-

(a) *probabit*) Non tamen Reformatis defuerunt, quæ in ſuam allegarunt defenſionem.

(b) *dimidia*) Hodie nulli conterranei in Galliis publice Reformatorum ſe addicere poſſunt ſacris, aut exulent oportet, aut receptam religionis profiteantur formulam.

(c) *vere monarchica*) Neſcio, ſi quis dubitare poſſit, Galliam abſolutam jam eſſe monarchiam; nam leges, quibus Rex adſtrictus dicitur, fundamentales non niſi umbra ſunt. In illimitatæ poteſtatis ſignum Rex adhibere ſolet formulam *Car tel eſt notre plaiſir.* De mente, quam circa enormem hanc poteſtatem gallicanus fovet populus, conf. BAYLE en Louis XIII. Neſcio, an Galli ſub duriſſimo gementes jugo, ejuſdem ſemper ſint animi; quanquam non ignorem, gentis illius fidem, in Reges ſuos plerumque fuiſſe maximam. *Il eſt conſtant, inquit,* LOUVISIUS *in teſtamento politico p. 31. que les François ſurpaſſent toutes les nations du monde dans la fidelité, qu'ils ont pour leur Monarque, & dans leur attachement pour ſa perſonne ſacrée.* Poſſent forte hæc nonnullis, ut a Gallo & Regis archiminiſtro profecta, ſuſpecta videri; igitur Jovii ex lib. XI. Hiſtor. ſequentia adjungam: *Franci non modo Regibus ſuis enixiſſime parent, ſed & eos ut mortalibus anguſtiores venerantur.*

(d) *togatum*) Quodnam ſit in Galliæ provinciis regimen tam civile, quam militare, ex ſæpe citata *Franciæ deſcriptione* & magno opere, quod BOULAINVILLIERES conſcripſit, eſt addiſcendum.

(e) *regales dignitates*) Sic Ludovicus XI. nequidem Britanniæ Duci permittere voluit, ut formula Dei gratia uteretur. *Le theatre d'honneur par* FAVYN *liv. III.*

verſimode, alibi conſeſſus habet nominandi aliquos poteſtatem, ex quorum numero eligit Rex, quem vult, leges, ſecundum quas cauſæ deciduntur, ferre, eſt arbitrii regii.

Notandum hic, Galliam eſſe diviſam in duas partes, alibi ex parte obſervatur *jus romanum*, (a) alibi vix illud agnoſcitur, ut ita ratio juris in Gallia non ſit eadem. Pariſiis ſolet obſervari jus romanum, non autem perinde, ut in nonnullis aliis locis. Hinc etiam ſchola pariſienſis non habet Profeſſores *juris romani*. (b) Prævalent conſuetudines, & reſcripta regia, quæ tantundem valent, quantum Juſtianianeæ, quæ babentur in codice. Conſcriptum eſt a Carolo *Molinæo* (c) magni nominis JCto, grande opus conſuetudinum pariſienſium, quod opus eſt in magno pretio, & in judiciis ſolet obſervari, ſancte fuit enim Molinæus doctus & prudens, & meretur æternam laudem, ex his patet, Regem in civilibus agere Monarcham.

Negotia belli dependent ab arbitrio regio, circa modum militiæ notandum eſt, ante annos 100. & ultra, militiam gallicam potiſſimum fuiſſe equeſtrem, pedeſtris militia tum fuit magna parte peregrina, pedite autem quam maxime ſunt uſi *helvetico*. (d) Hinc etiam Reges Galliæ a temporibus uſque Franciſci I. annuo ſalario conduxere Helvetios, imo & tempore pacis annuum aliquod ſalarium illis impenderunt, quo adſtricti eſſent, quotiescunque Rex juberet *pugnare*. (e) Hiſce autem proximis 20. & 30. annis mos hic multum mutavit, & cæpere etiam in Gallia multam vim ponere in pedite domeſtico, & non minus pedite, quam equite domeſtico ſunt uſi, qua parte Galli ſuæ reipublicæ feliciter conſuluere. Vid. MACHIAVELLUS. Ideo primo hoc fuit ſalutare regno, quia plebs pene ad incitas eſt redacta. Hinc facile nomen dat militiæ, qui non habet, unde vivat, ut ita numeroſum peditem Rex facile conducere poſſit, quia pedites & equites domeſtici omne ſtipendium in regno ſolent conſumere. Vid. MACHIAVELLUS, ubi docui, quantum præſtet milite domeſtico, uti præ peregrino. In Gallia autem non eſt locus militiæ lectæ: ſed tum Gallus utitur milite conductitio; alias lege regni Nobiles ſunt obſtricti pugnare, exigente neceſſitate, quod hodie non obſervatur: coguntur tamen pendere pecuniam, quod mollibus noſtris Nobilibus valde placet, eo tamen ipſo periit libertas. Demonſtravi ad Machiavellum, dominatus heriles malle uti milite conductitio, quam lecto, hunc enim dominatum eſſe periculoſum, imprimis ſi dominatus ſit impotens: ſi vero ille potentior, perinde, ut hodie in Gallia, impoſſibile eſt, ut poſſit carere milite conductio *Vid. annot. ad Machiavellum.* Stipendium militare ipſe Rex proprio arbitrio exigit, non credo, aliquod eſſe regnum, quod tributis adeo prematur, quam Gallia. Reſpublica eſt vere monarchica.

Sequitur ſcopus hujus reipublicæ monarchicæ. Aliæ ſpectant utilitatem dominantis primario, aliæ ſecundario, aliæ communem, reſpublica autem Galliæ eſt monarchia herilis, quæ ſpectat utilitatem dominantis primario, populi autem non niſi per accidens. Hinc inde apparet, modo Rex ſit potens, & imperium poſſit dilatare, tum non habetur ratio populi. Populi intereſt, ut Rex imperium non extenderet, ſed rempublicam quiete adminiſtraret: Verum longe aliter illa adminiſtratur, non attenditur, utrum populus ſit egenus, nec ne. Dictum, populum ad paupertatem eſſe redactum, & verba Gramondi memorata ſunt, privilegia in Gallia non obſervari. Hinc patet, rempublicam Galliæ adminiſtrari ad utilitatem regentium.

Pervenimus ad cauſam efficientem, hoc eſt, rectores & Miniſtros regni, inter illos primo loco occurrit Rex. Hic notandum, in regno Franco-Galliæ hactenus fuiſſe quinque familias rectrices. Franci antehac non habuere unum communem Regem, ſed demum elegerunt, quo tempore fixas ſedes ponerent in Gallia, pulſis Romanis, tunc Reges hereditarios ſibi crearunt, ſed

(a) *jus romanum*) Provinciæ Galliarum aliæ ſunt juris ſcripti, aliæ conſuetudinariæ. In illis jus ſequuntur romanum, & harum quæque ſuas habet conſuetudines, aut proprias, aut communes cum aliis, ad quas in decidendis cauſis reſpicitur. Quod ad jus romanum attinet, inter Lizetum & Chriſtophorum Thuanum lis fuit, an jus civile Romanorum ſit jus Gallorum commune, ita ut conſuetudines, ei repugnantes, ſtricte ſint interpretandæ; an vero jus romanum tantum ſubſidiarii juris rationem habeat, ita ut ex iis deciſio demum petenda, quando leges aut conſuetudines patriæ deficiunt. *Coquille ad conſuetudines Nivernenſes in præfat.* BODINUS *de republica lib.* 8. *c.* 8. THUANUS *lib.* 35. Hanc ſententiam alii veriorem dicunt, ita tamen, ut judicis arbitrio non ſit relictum, ſi patriæ mores aut leges deſunt, jus romanum ſequi, nec ne. Vide STOCKMANNI *deciſ. I. brabantinam n.* 4. & 5. Conqueritur interim graviter RANCHINUS *lib. I. varior. de effreni Gallia Magiſtratuum & judicum licentia, in dijudicandis controverſiis, quam ſibi arrogant malo more, dum leges romanas non quaſi leges, ſed nudas rationes ſibi ſequendas eſſe, autumant.* Denique omitti non debet, cum Galliæ Regum conſtitutiones infinitæ propemodum circumvagarentur, quaſdam earum in codicem, quem ab Henrico IV. henricianum dicunt, compingi cæpiſſe, quem codex ludovicianus, Ludovici XIV. auſpiciis promulgatus, inſecutus eſt.

(b) *juris romani*) Honorius III. Pontifex prohibuit, ne jus romanum in Academia pariſienſi doceretur, *vid. c.* 28. *X. de privileg.* verum per Ludovicum XIV. illud jus, ex poſtliminio quaſi, ad Academiam rediit pariſinam, ut apparet ex edictis de anno 1679, 1682, 1690.

(c) *Molinæo*) Nova editio ſequentem habet titulum: *Les coutumes de Paris avec les notes de chev. du Moulin & les obſervations, de J. Tournet Jacque Joly, & Iacque L'abbé.* Exſtant etiam CHOPPINI *de civilibus Pariſiorum moribus, ſeu commentarii ad conſuetudines pariſienſes.* Hic quoque ad Andium leges municipales commentatus eſt. Britanniæ conſuetudines Argentræum & Normandiæ Peſnellum habent interpretem.

(d) *helvetico*) COMINÆUS *lib. VIII. c.* 7.

(e) *pugnare*) Primum fœdus cum Helvetiis iniit Carolus VII. quem deinde ſecuti ſunt Ludovicus XI. Henricus II. Henricus IV. Ludovicus XIV.

ſed ita, ut ſimul aliquo modo fuerint *electitii*. (a) Populus enim francicus, ſui juris eſſe, credebat, ſi non eſſet ſatis idoneus, qui ſuccedere debebat, ſe poſſe alium eligere. Obtinuit autem in univerſum eadem ratio ſuccedendi in Francia, quæ olim in Germania. Reges, ait Tacitus, ſumunt ex nobilibus Germanis, ſi enim nobilis quædam familia in Germania eſſet, ex illa eligebant Reges, quamdiu aliquis ea dignitate dignus in illa ſupereſſet. Si autem talis non inveniretur, juris populi ſuit, ex alia familia eligere, quemcunque vellent, quod etiam apparet ex hiſtoria familiæ primæ Franciæ, quæ dicta eſt *merovingica*, (b) quia primus iſtius familiæ Rex dicebatur Merovæus, quod nomen eſt germanicum, obſoletius tamen, ſed hæc familia deſiit ſeculo p. N. C. VIII. in Rege ultimo *Childerico*. (c) Hic notatu dignum eſt, illius familiæ Reges ignaviæ & otio ſe dediſſe, & omnem curam reipublicæ in Majores domus tranſtuliſſe. Hoc erat primum peccatum, ſecundum peccatum politicum fuit primæ hujus familiæ, quod reipublicæ integram curam uni tradiderint, ARISTOTELES lib. 5. Polit. notat egregie, commune fundamentum ſalutis eſſe, *non unum magnum facere* (d) ſeu non uni omnia comittenda eſſe, ſed dividenda, ut uni partem, alteri etiam partem tradas, ſi unus autem nimium excreverit, videndum eſſe, ne nimium ſit bellicoſus, talis enim ipſi Regi poteſt eſſe formidabilis. Si quis nimium excreſcat, tunc non una vice, ſed ſenſim ei poteſtatem detrahendam eſſe, ſi aperte & ſimul velis detrahere, facile fieri poſſit, ut correptis armis ſe vindicaret, & ita Regem ſuperaret. Tertium ſic peccatum politicum ſuit, quod Majores domus, cum nimium excreviſſent, uno monumento rurſo deturbare vellent. Hinc bellum ortum inter Majores domus & Regem. Ceterum, ſuperatis regiis partibus, quam maxime crevit illorum potentia; Pipinus enim ex Majore domus Rex eſt factus. Childericus II. tantum nomine erat Rex. Cum autem Pipinus ita publice non auderet profiteri nomen Regis, miſit ad Papam quæſitum, num ille, quod tantum nominetenus Rex eſſet, deberet Rex eſſe, an non, potius is, qui potentiam haberet, Rex eſſet. Reſpondit Papa, illum, qui potentiam haberet. Indigebat enim tum Papa auxilio Pipini, adverſus Longobardos, & Pipinus viciſſim auxilio Papæ indigebat, & ita unus alterum juvabat. Nuntii itaque Româ reverſi in Galliam, ut titulum regium Childerico detraherent. Et raſerunt eum in monachum, atque ita deſiit prima familia. Succeſſit altera familia, carolingica dicta, quia Carolus, ex hac familia natus, eam ad ingentem dignitatem evexit. Ab autore ſuo alias deberet dici pipiniana. Hic Carolus M. Pipini filius Galliam, Italiam, Germaniam, & magnam Pannoniæ partem ſuo imperio junxit. Hæc autem familia, quantum in Pipino & Carolo M. floruit: ita etiam ſtatim poſt illos laborare cæpit. Tametſi enim nonnihil poſtea floreret, *ſenſim tamen* (e) decrevit, & ideo paſſa eſt, quod familia merovingica a Majoribus domus paſſa erat. Et hic obſervare licet, multa *ingentia peccata politica*, (f) De moribus enim jam nondum dicam, quibus ſimulac Deus offenditur, ſtatim eripit Regibus omnem prudentiam, ut ita illi male rempublicam adminiſtrent. Succeſſit *familia tertia* (g) ab Hugone Capeto originem trahens qui, cujas fuerit, an Italus, Gallus, vel Germanus, non convenit inter ſcriptores. Mihi certum eſt, fuiſſe Germanum, & maxime veriſimile videtur, eum ex Francia orientali fuiſſe oriundum. Hic ad eam pervenit potentiam, ut, *Rege pulſo, & in carcerem* (h) in quo contabuit,

(a) *electitii*) De his alibi dictum eſt.

(b) *merovingica*) Sed cum in vulgari Franciæ Regum catalogo, Pharamundus & Clodion antecedunt. Non autem ab uno horum, ſed, a Merovæo primam dictam fuiſſe familiam, tradunt, quod, moderante eo, Clodionis cognato, Franci fixam primum in Gallia nacti ſint ſedem, & quod ille in ſua ſtirpe regnum per plures retinuerit generationes.

(c) *Childerico*) Hic in conventu Sueſſionenſi anno 750. ſe regno abdicavit.

(d) *non unum magnum facere*) Nihil magis Principis famæ nocet, quam rerum gerendarum curam ſuis omnino committere Miniſtris, & non niſi otioſum agere ſpectatorem; eo ipſo enim, vel ineptum ſe, & rebus imparem confitetur, vel ſocordiam ſuam & mollitiem prodit. Multo minus adhuc uni rerum committenda eſt ſumma. Solet enim talis nonſolum ſubditis, ſed & Regi imperare, regiumque optare nomen. Nec clientum & adulatorum, quos beneficiorum dulcedine pellicere novit, infrequentes accedunt voces, langueſcens ſub Rege imperium, a ſtrenuo excitandum eſſe homine.

(e) *ſenſim tamen*) vid. *Hiſtoire de l'ancien gouvernement de la France par le C. de* BOULAINVILLIERS *p.* 94. *ſeqq.*

(f) *ingentia peccata politica*) Inter hæc merito referenda diviſio terrarum, quæ in carolingica ſtirpe obtinuit. 2) quod Ludovicus nimium daret affectui, quo in Clerum ferebatur, 3) Carolus Calvus Boſoni provinciæ comitatum dederit, 4) Robertum capetingicæ lineæ ſatorem Ducem, vel Comitem terrarum inter Sequanam & Ligarim creaverit, 5) quod Carolus ſimplex, ejuſque ſucceſſores ad tantam, Proceres quam plurimos aſcendere paſſi ſint poteſtatem, ut juſſa deinde eorum impune ſpernere potuerint; 6) quod reipublicæ incurioſi Procerum nonnunquam alicui ſummam rerum commiſerint, 7) quod Carolus Lotharii Regis frater Lotharingiam ab Ottone in feudum acceperit.

(g) *familia tertia*) Hanc non a Carolingis deſcendere, ſed ſaxonicæ eſſe originis, eruditiſſime probat CHIFLETIUS *dans le faux Childebrand.* Adde MEZERAI *tom. I. p.* 333. le Comte DE BOULAINVILLIERES *p.* 96.

(h) *Rege pulſo, & in carcerem*) Lothario cum filio Ludovico, qui paucis tantum, poſt patris mortem, regno præfuit, exſtincto, regnum ad Carolum Lotharingiæ Ducem pervenire debuiſſet: Verum hic popularium ſuorum, quod ab Ottone Germanorum Cæſare Lotharingiam in feudum acceperat, odium incurrit. Deinde videtur non ſatis mature, de impetrando, poſt Ludovici mortem, regno, circumſpexiſſe. Huic accedebat, quod Hugo Capetus, rumorem in vulgus ſpargi, allaboraret, ſibi a Ludovico, cuius cura ipſi a patre commiſſa dicebatur, regnum deſtinatum. Movit quidem lacertos Carolus, cum Hugo Capetus jam tum Rhemis diadema ſumſerat, nec proſpero caruit ſucceſſu: Verum, Aſſeclini proditione, Laoni una cum conjuge in Hugonis pervenit poteſtatem, qui ipſos Senlium captivos abduxit, unde in turrim aliquam, Aureliani exſtructam, delati ſunt. MEZERAI *abregé chronologique tom. I. p.* 459. Et de hoc Carolo, qui tamen Franciæ non fuit Rex, hic autor noſter haud dubie loquitur.

tabuit, detruſo, ipſe coronam ſumſerit, ſi itaque hujus familiæ exordia videas, ſatis iniqua videntur. Dei etiam judicia nobis ſunt inſerutabilia, quod *magnis beneficiis* (a) ornavit hanc familiam. Ab autore itaque ſuo eſt dicta Capetinga, & hodieque durat. Hodie in univerſo orbe non reperitur familia regia, quæ ſit adeo antiquæ nobilitatis, nec ulli Reges ſunt in univerſo orbe adeo antiquæ dignitatis. Notum eſt, hanc familiam Capetanam diviſam fuiſſe in varios quaſi ramos. Quod ſi enim plures eſſent filii, tum illis quidem eſt data portio regni, ſed non cum regio, ſed principali titulo & jure, ita ut Regem, tanquam caput & dominum agnoſcerent. Interim erant Principes hæreditarii; & hac ratione multi Principes hereditarii orti ſunt in Gallia, quorum poſſeſſores nati ſunt ex familia regia, ſed ſato divino factum, ut, excepta Borbonia familia, omnes ex Capetingis interierint. Borbonia enim eſt ultima, quæ originem ſuam Capeto debent. Superiori ſeculo in Henrico III. interiit familia Valeſia, itidem ex Capetana oriunda. Ita dein ſucceſſio pervenit ad Henricum IV. natum ex familia Borbonia, quæ ſanguine juncta erat cum Valeſia. Hæc familia hodieque rerum, quamdiu Deo placuerit, potitur. Henricus IV. ex materna hereditate dictus eſt Naverreus. Ille deinde propagavit hanc familiam, infelici autem cæde fuit interemtus ab homine extreme papiſtico *Franciſco Ravalliaco* (b) ſicario, in media urbe Pariſienſi, & quidem in ipſo curru regio. Huic ſucceſſit filius primogenitus Ludovicus XIII. patri ingenio diſpar. Pater erat bellicoſus, animoſus & perquam *laſcivus* (c) Ludovicus hic contra non fuit *ingenioſus*, (d) multo minus bellicoſus, *a laſcivia alieniſſimus*. (e) Habuit Ludovicus unicum fratrem Ducem Aurelianenſem. Secundo genitus filius Regis ſolet vocari Dux Aurelian; non, quod ducatum illum teneat, ſed quod tantum titulo gaudeat. Uti etiam primogenitus dicitur Delphin, ſeu Dux delphinatus. Dux autem hic Aurelian. alias eſt dictus *Joannes Baptiſta Gaſto*, (f) & obiit ſine maſcula ſtirpe.

(a) *magnis beneficiis*) *l' Hiſtoire du gouvernement par le C. de* BOULAINVILLIERS *p.* 128. 129.

(b) *Franciſco Ravalliaco*) VASSOR *tom. I. p.* 29. MEZERAI *tom. VI. p.* 383. *ſeq.* Animo volvebat, Hiſpanos bello in Belgio adoriri, eumque in finem, exercitum iter ingredi, juſſerat. Antequam autem huic ſe jungeret, Reginæ, quam, ſe abſente, regimini præficere conſtituerat, capiti coronam conciliare voluit. Quamobrem maximos apparatus, ſolennitatibus iſtis deſtinatos, fieri juſſit. Ad hos examinandos, Procerum aulæ, uno comite, carpento pedem intulit, ſed in plateia, cum auriga equos, ob plauſtrum fœno repletum, ſibi ob viam veniens, retinere cogeretur, a Ravalliaco, quem, a Jeſuitis in hoc facinus corruptum dicebant, cultri ictu interemtus eſt. Atque ſic magna, quæ Henricus meditabatur negotia, ſcelerata nebulonis illius manu ſunt interrupta. *Livr. X. des lettres de* PASQUIER *p.* 573. *ſeqq.*

(c) *laſcivus*) Comprobabimus hoc PEREFIXII teſtimonio, qui in ejus *vita p.* 461. ſequentia habet. *Il ſeroit a ſouhaiter pour l' honneur de ſa memoire, qu'il n' eut eu, que le defaut du jeu: mais cette fragilité continuelle, qu' il avoit pour les belles femmes, en etoit un autre, bien plus blamable dans un prince chretien, dans un homme de ſon age, qui etoit marié, a qui Dieu avoit fait tant de graces, & qui rouloit tant de grandes entrepriſes dans ſon eſprit.* Adde MEZERAI *abregé chronologique tom. VI. p.* 392. Catalogum pellicium, quas habuit, ſatis magnum legere potes *dans les intrigues de la cour de France tom. II. p.* 16. *ſeqq.* Non ſolum autem a conjuge Margaretha Valeſia talionis vel retorſionis pœna affectus, ſed & ipſæ pellices, quas alebat, furtivis aliorum paruerunt amoribus. Exemplum tantum in Gabriele, quam ob præſtantem plane formam maxime adamabat, citabimus, illa enim ſe venereis a Baſſompierio pellici paſſa eſt amplexibus. *Les intrigues de la cour de France tom. II. p.* 34. *ſeqq. p.* 59. *ſeqq.* Id autem, quod magis in eo cenſuram meretur, eſt, quod amores nonnunquam ipſum reipublicæ curæ & rebus gerendis abſtraxerint. Urbana ſunt & atrocia ſunt, quæ hanc in rem BAYLIUS *in dictionario tom. I. p.* 1441. habet verba. *Si la premiere fois, qu' il debaucha la fille ou la femme de ſon prochain, il en eut eté puni de la maniere, que Pierre Abelard, il ſeroit devenu capable de conquerir toute l' Europe, & il auroit pu effacer des Alexandres & de Ceſars.* De Abelardi, Helviſam curæ & informationi ejus commiſſam, ſtupro corrumpentis triſtibus ex amputatis teſticulis fatis, vide DUPLEIX *dans l' Hiſtoire de France tom. II. p.* 105. *Lettres du Comte de Rabutin p.* 50. 51. BAYLE *dans Heloiſe.* Nonnunquam tamen Henricus amicarum conſilia de rebus gerendis & domus arcanis exquirebat BAYLE *l. c. p.* 1445. In hoc ipſum Ludovicus XIV. ſecutus eſt. Cæterum obiter hic moneo, quæ JANINUS de Henrico IV. tom. IV. epiſtolarum *p. p.* 311. habet, verbis abundare

(d) *ingenioſus*) Huic omne ingenium, licet nullis limatum haberet literis, derogare velle, veritati repugnat. *Dict. critiq. de* BAYLE *tom. II. p.* 1785. Scio quidem, de eo in vulgari eſſe ſermone, præter ſtrumarum curationem, nihil potuiſſe. Verum falſum illud eſſe, ex Gramondo Vaſſorio gallici Mercurii tom. XII, XIII, XIV. & Sirio conſtat; quamvis negare nequeam, illum nimium Richelii, quem non amabat, ſubfuiſſe regimini. Nec minus ad bellicam rem quodammodo propendiſſe, & intrepidum fuiſſe animi, quæ Vaſſorius, de pugna cum Anglis, cum molem, quam Richelius, ad Rupellanos ab extranea excludendos ope, extrui curaverat, perrumpere niterentur, memorat, ſatis, oſtendunt. Vid. BAYLII *dictionaire critique tom. II. p.* 1785. Virtutis ſtudium, quo florebat, ipſi juſti cognomen procuravit.

(e) *a laſcivia alieniſſimus*) Caſtimoniæ & religioni Ludovicum XIII. addictiſſimum fuiſſe, & in eo a pravis Gaſtonis fratris moribus plane abhorruiſſe, ea, quæ VASSORIUS *tom. V. lib. XXV. p.* 601. habet, manifeſtum reddunt. *Louis, dit-il, etoit bigot, jusques au ſcrupule, & extremement chaſte, Gaſton affectoit d' etre libertin & debauché. Il y avoit quelque choſe de ſingulier dans la devotion de Louis.*

Sterile per multos annos cum Anna hiſpanica coluit matrimonium, quod nonnulli averſo ejus a Regina animo, zelotypiæ morbo laborante, adſcripſerunt. Ex Clarendonio, Vaſſorio, Nanio, amores, quos in Reginam Buckinghamius fovebat, addiſci poſſunt: ſed, ab illis Annam intemeratam manſiſſe, MOTEVILLIA, quæ apologiam ejus ſcripſit, *in commentariis ſuis* teſtatur. Ad Ludovicum etiam perlatum erat, Reginam animo volvere, toxico ipſum tollere, & ſecundis nuptiis ſibi Regis fratrem, ex quo, certius mater fieri, ſperaret, jungere. Nec hanc opinionem in ipſo mortis articulo, quicquid etiam Regina, ad innocentiam ſuam demonſtrandam, propoſuerit, depoſuit. *Memoires de la* ROCHEFOUCAUT *p.* 5. *Dict. critique de* BAYLE *tom. II. p.* 17280. VASSOR *tom. X. p.* 764.

(f) *Joannes Baptiſta Gaſto*) Hic diſcordis plane & tumultuarii, novaque ſemper molientis ingenii Princeps, æque ac pater Henricus, ludo & Veneri erat maxime obnoxius. Ex Mompenſeria prima conjuge, ſuſcepit Annam, ex Lotharinga vero, quam, refragante fratre, thori legit ſociam, quinque filiarum pater factus. Vide de eo VASSORIUM *tom. V. p.* 597. *tom. VII. p.* 80. *ſeqq.*

pe. Ludovico vero ultimis annis (cum alias matrimonium eſſet ſterile) nati ſunt filii duo ex uxore *Anna* (g) Regis Hiſpaniæ, qui hodie rerum potitur, ſorore. Ita *Ludovico XIII.* (h) ſucceſſit *Ludovicus XIV.* (i) qui adhuc hodie rerum potitur; Notandum autem, ſobolem illam regiam ab Henrici nomine plane abſtinere, quia obſervarunt, quatuor nominis Henrici Reges Galliæ infeliciter periiſſe. Superiori autem ſeculo Henricus II. *periit vulnere* (k) in haſtiludio accepto. *Henricus III.* (y) a Monacho interfectus eſt, itidem Henricus IV. in ipſo regio curru a Ravalliaco eſt interfectus, ſed nomen Ludovici magis illis arridet. Credunt autem, illud nomen *Galliæ ſalutare* (z) eſſe, eique aliquid boni ominis ſemper ineſſe. Hic Ludovicus XIX. cæpit rerum potiri, adhuc minorennis, patrem adhuc puer amiſit, regnum nihilominus a matre nominetenus eſt adminiſtratum: ſed reapſe a Cardinale Mazarino, qui reipſa fuit Rex Galliæ. Quod hodier-

(a) *Anna*) Ex hac, cum qua Ludovicus XIII. matrimonium anno 1615. iniit, anno 1638. filium Ludovicum, & anno 1640. Philippum ſuſcepit. Hos, anno 1643. decedens, in tenera admodum reliquit ætate.

(b) *Ludovicus XIV.*) Bello paceque & favore, quo in bonas literas & artes fuit, inclytus, virtutes ſuas, illicitis amoribus & dominandi libidine temeravit. Fluctuantibus ſuis in ultimo bello rebus, ad Deniniam pugna & arcanis conſiliis, proſpexit, ita ut Philippo nepoti hiſpanicum regnum per ultrajectinam pacem ſervatum fuerit. Anno 1715. Denatus ſucceſſorem habuit Ludovicum XV. abnepotem, anno 1710. ex Ludovici Burgundiæ Duce, & Maria Adelheide, Sabaudiæ Ducis Victoris Amadei filia, natum. Avus huic fuit Ludovicus Delphinus, & avia Maria Anna Ferdinandi Mariæ Bavariæ Electoris filia. Rhemis Ludovicus XV. anno 1722. coronatus, anno 1725. Stanislai Poloniæ quondam Regis filiam in uxorem duxit, quæ ipſum duobus puerperiis trium filiarum patrem fecit.

(c) *periit vulnere*) Majori duceretur laudi Principi, cujus fortitudinem Eliſabetha Angliæ Regina admirata dicitur, ſi in proelio occubuiſſet. *dictionaire de* BAYLE *tom. II. p.* 1429. 1430. Sed alium habuit vitæ finem; pace enim caſtro-cameracenſi, Gallis tam indigna, cum Hiſpanis concluſa in nuptiarum, quæ inter Philippum II. & Henrici filiam, juxta memoratam pacem, contrahi debebant, auſpicia, haſtiludio dimicatum eſt. In hoc Rex valoris & agilitatis magna ediderat documenta. Et cum in eo eſſet, ut finis ludo imponeretur, Rex cum Mongemerio Comite, quem diſceſſurus integram ferre lanceam perceperat, experiri conſtituit. Regina hac de re certior facta, ipſum ab hoc certamine per internuncium graviſſime dehortata eſt, revocabat enim ſibi in animum Gaurici vaticinium, Regi exitium prædicens. Verum enim vero Henricus, conjugis admonitionem negligens, cum Mongemerio manum conſeruit. Et cum hujus lancea in Regis ferreo contunderetur indumento, feſtuca quædam per caſſidis foramen, oculo ſiniſtro inſerviens, in cerebrum penetravit, ex quo vulnere, duodecim præterlapſis diebus, animam efflavit, *Hiſtoire de Henry II. par* VARILLAS *tom. II. p.* 355. MEZERAI *tom. V. p.* 721. BUSSIERES *p.* 299. Varillaſius addit, a Rege Mongomerium, a certamine abhorrentem, inſtanter in ſequioris ſexus honorem provocatum eſſe.

Autor libri *des intrigues galantes de la Cour de France tom. I. p.* 290. monet, Regem ſe velitationi illi commiſiſſe, ut agilitatem ſuam Hamiltoniæ, quæ ipſi recens filium pepererat, probaret. Ex Franciſci enim tempore ſequioris ſexus perſonæ, nonſolum in aula, ſed & in ejuſmodi comparebant ſolemnitatibus.

(d) *Henricus III.*) Hic, quo illuſtrior antequam regnaret, eo obſcurior in regno fuit; obſcurus enim omnino eſt, qui, rebus geſtis non inclareſcens, ventri & Veneri deditus, regnum adulatorum deprædationibus permittit; atque, ut illi nummos conglomerare poſſint, ſubditos deglubit, & patrimonii regni ejuſque fructuum helluonem agit. Subitaneus ejus & furtivus ex Polonia diſceſſus multis anſam præbebat ſermonibus, ipſique non levem in Polonia parebat contemtum. Nec popularium, quibus, poſt Carolum IX. regnum ſuum tot reformatorum cædibus foedantem, imperavit, unquam ſibi conciliare potuit amorem. Simulavit quidem religioni & pietati ad monachorum inſtar ſe addictum, ſed catholici, inprimis Clerus ipſum ſuſpectum habebant, ac ſi clanculum Reformatorum foveret partes, in quo magis adhuc confirmati ſunt, cum Guiſios, ligæ capita e medio tolli, & Borbonium Cardinalem carceri mancipari, curaret: Reformati autem eum quoque odio habebant; nam ipſis non ignotum erat, magnas illi in conſiliis ſanguinariis, quæ in S. Bartholomæi feſto in Reformatis exequebantur, fuiſſe partes. *Hiſtoire de Charles IX. tom. II. p.* 232. Traditur, Mompenſeriam, cujus corporis quendam maniveſtaverat defectum, ipſi forficem, quo in monachum tonderi deberet, minatam eſſe. MEZERAI *abregé chronologique tom. V. p.* 251. *p.* 315. MAIMBOURG *Hiſtoire du Calviniſme lettre III p.* 44. *Memoires de* BRANTOME *tom. II. p.* 144. *Les intrigues galantes de la Cour de France tom. II. p.* 9. 10. Sed triſtiora adhuc ejus fuerunt fata, quam quæ Mompenſeria minitabatur; nam non monachus factus, ſed a monacho Jacobino, Jacobo Clemente, cum in interiori cubiculo legendis literis, quas nequam ille arcanas mentiebatur, intentus eſſet, cultri ictu, quem in manica abſconditum habebat, lethali ſauciatus eſt vulnere. MEZERAI *l. c. p.* 354. 355. FREYTAG *in hiſtoria valeſiana p.* 57. *lettres de* PASQUIER *livre XIV. p.* 130. *ſeqq.* Colophonis loco addam hæc de Henrico III., Baylii verba: *Sa vie fut tellement partagée entre les debauches & les devotions, qu' on ne vit jamais une melange plus bizarre.*

(f) *Galliæ ſalutare eſſe*) Et Ludovici nomen in Gallis habentes, ſatis adverſa ſæpe conflictati ſunt fortuna. Ludovicus Pius, filiis ſuis autoribus, regno exutus eſt. Ludovicus III. Ludovici Balbi filius, qui fratrem Carolomannum regni conſortem habuit. Ludovico juniore, Germaniæ Rege, Lotharingia privatus eſt. Ludovicus ultra marinus in Anglia, ad tempus aliquod, exul vivere coactus eſt. Ludovicus, Carolingorum in Gallis ultimus, ignavi cognomen promeritus eſt.

Ludovicus Craſſus ancipitibus bellis & improſperis eſt divexatus. Ludovicus junior matrimonii mala, & adverſam in terra ſancta expertus eſt fortunam. Ludovicus VIII. ut Anglorum manibus elaberetur, nonſolum juri, quod, ſibi in Angliam adeſſe, credebat, ſed &, ei quod Galli in terras, quas in gallico ſolo ſitas habebant, prætexebant, renunciare coactus fuit. Ludovicus IX, quem ſanctum cognominant, a Saracenis, exercitu ejus ad internecionem deleto, captus fuit. Ludovicus, cui Hutini cognomen, nihil memorabile geſſit. Ludovicus XI. memoriam ſuam perfidia, fuco, & duriſſimo, quo Gallos premere cœpit jugo, conſpurcavit, nec pace nec bello admodum clarus fuit. Non ingratum erat lectori, nec plene extra oleas, Ludovici hujus caracterem, Varillaſii verbis intelligere: *pour ſon eſprit*, inquit ille in vita ejus, *il étoit remuant, ſubtil, & egalement capable, de deſcendre aux bagatelles ou de ſ' elever aux plus grandes choſes. Il accomodoit ſa religion a ſes affaires, & le peu, qu'il en avoit, panchoit du coté de la ſuperſtition, ſon coeur etoit inſenſible a ce, qu'il y a de plus engageant & de plus tendre dans les inclinations humaines, & il*

hodiernam familiam regiam attinet, coſtat illa paucis capitibus. Rex habet *unicum* (a) filium nuper genitum, habet quoque fratrem, qui duxit uxorem Caroli Stuarti filiam, infelicis illius Regis, ex qua ſuſcepit filiam. Ad hanc familiam regiam etiam pertinet familia condæa, & anguiniana. Condæo Duci unus eſt filius, *Anguinio nullus*, (b) ita familia illa eſt perexigua, & facile poteſt extingui. Accepimus *in contractu*, (c) quem pepigit Rex cum Duce Lotharingiæ, inter alia etiam hoc contineri. Defuncta familia regia, ſuccedat familia Ducis Lotharingiæ, num ita contractus debeat impoſterum obſervari, tempus docebit.

Pertinet præterea ad cognitionem reipublicæ, non tantum noviſſe, qualis ſit Rex, ſed etiam, quales ſunt Miniſtri. Defuncto Henrico IV. cum Ludovicus adhuc minorennis eſſet, tutela regni pervenit ad matrem *Mariam Medicæam*, (d) ipſa vero, cum par non eſſet tanto regno gubernando, is, qui plurimum apud illam valebat, omnem regnandi vim ad ſe pertraxit. Is fuit Italus, Florentia natus, Marchio Ancræus, cui *Concini nomen* (e) infimæ nobilitatis, imo ut quidam aſſerunt, ne quidem nobilis fuit. Hic quaſi Pro Rex fuit: ſed conſpiratio contra eum eſt facta. Creditur in Gallia, ſi Rex *ſit* 14. *annorum* (f) tum eſſe aptum gubernando regno, alias in Germania Principes 18. *annorum* (g) minorennes dicuntur. Aliter tamen etiam obſervari, in Germania conſtat, ita Henricus IV. cum 14. annorum eſſet, declaratus eſt Imperator, & imperio aptus, & hoc etiam reſpondi, cum interrogarer de *hodierno noſtro Imperatore*, (h) an aptus eſſet capiendæ reipublicæ, ſed ad priora redeamus. Qui apud Regem juvenem in magna erat gratia, detruſit Ancræum, ſeque viciſſim evexit, & erat *Luynæus* (i) apud quem tum potentia erat, & Ludovicus tantum titulo erat Rex, vid. GRAMONDUS. Ludovicus XIII. ab ingenio non

& il ne fut ni bon pere, ni bon fils, ni bon amy, ne deferant rien à la vertu, ni au merite, que par rapport au profit, qu'il en pouvoit tirer. Jamais il n' alloit directement a ſon but & cherchoit ſans ceſſe des detours, afin de faire perdre les traces de ſa conduite. Tous les ordres, qu'il donnoit, etoient obſcurs & ambigus pour deſavouer ſes Miniſtres, quand il le jugeoit a propos. Il etoit irreconciliable dans ſes haines, excepté quand elles etoient perilleuſes: Car alors ebranlé par le moindre revers, il ſ' abbaiſſoit par des empreſſemens, qui le rendoient mepriſſable a ſes ennemis.

Ludovicus XII. belli & pacis expertus eſt mala. Inter hæc non minimum erat, quod frequentioribus, quam ſenium ejus ferebat, tertiæ conjugis anglicæ juvenculæ indulgens amplexibus, ſibi mortem maturaverit. Quo modo vidua ejus uterum & partum mentita, docet BAYLE in Ludovico XII. Ludovicus XIII. Richelii, matris & conjugis artibus, & bellis tam inteſtinis, quam externis afflictus eſt. Tametſi enim multæ ab hoſte reportarentur victoriæ; certiſſimum tamen eſt, nullam bello ſalutem, & cum ſubditis arma conſerere. eſt. ac in propria ſævire viſcera. Quod ad Ludovicum XIV. attinet, initia ejus regni & exitus proſperis accenſeri non poſſunt; quotnam enim in ultimo bello non accepit clades; imo id inprimis in eo atro meretur notari carbone, quod dominandi libidine tam ſuos, quam exteros perdiderit, ut itaque in vaticinio videatur veritas fuiſſe, illum, qui puer nullius propemodium uberibus ſatiari potuerit, juvenilem adeptum ætatem, vicinis æque ac ſuis gravem futurum. Vid. GROTII *epiſtola* 1089. Cæterum ex nomine certi quid colligere, aut ejuſmodi inhærere velle ominibus, maximam dico vanitatem, imo ſtultitiam.

(a) *unicum*) Præter Ludovicum omnium ſanctorum ex Maria Thereſia ipſi nati ſunt duo maſculini, & tres fœminini ſexus liberi, qui tamen omnes immatura plane morte ſunt exſtincti. Ex quatuor, quas habuit pellicibus, Valeria & Monteſpania ipſum prole bearunt, & Fontangis in puerperio denata eſt; amores autem cum Maintenonia ſteriles fuerunt. Ex Valeria ſuperſtes Maria Anna, quæ Principis Condæi vidua in monaſterium ſe abſcondidit. Ex Monteſpania reliqui ſunt liberi legitimati, Dux Maineus & Comes Tholoſanus, nec non Luiſa Franciſca, Franciſca Maria, illa Borbonii, hæc Aurelianenſis Ducis vidua, qui omnes prole non deſtituuntur vid. HUBNERI *tabulas genealogicas.*

(b) *Anguinio nullus*) Neſcio, de quo Condæo & Anguinio hic autori noſtro ſermo ſit. Non dubito, quin loquatur de Ludovico II. Condæo Principe, qui anno 1694. diem ſupremum obiit. Hic filium Henricum Julium, qui, patre ſuperſtite, Enghianus Dux dicebatur, reliquit, tam maſculæ, quam fœmininæ prolis pater factus eſt. Frater Ludovici Armandus Princeps de Conty, ex filia Ludovici XIV. naturali duos ſuſcepit filios, quorum natu minor Franciſcus Ludovicus ſtirpem propagavit.

(c) *in contractu*) De hoc alibi locuti ſumus.

(d) *Mariam Medicæam*) Jubente Henrico, in mortis articulo conſtituto.

(e) *Concini nomen*) Nobili loco Florentiæ natus, Medicæam in Galliam ſecutus, per fœminæ cujuſdam, cui Galigai nomen, Reginæ omnium ſecretorum participis, matrimonium in Mariæ irrepſit gratiam. Verum ille fortunam ſuam moderate ferre ignorans, omnium ſibi attraxit odium, præcipue cum Galli ſibi perſuaſum haberent, peregrini hujus jugo ſubeſſe, genti ſuæ maximo eſſe dedecori. Quo factum, ut Luynæus, Ludovico juveni admodum Regi inprimis charus, eo ſecurius ipſum, Vitrio prætoriani militis præfecto cum facinoris ſociis operam commodante, cum Regem adire vellet, e medio tollere potuerit. Et ut Luynæo maxima pars omnium bonorum utriusque conjugis ſine ullo cedere poſſet impedimento, regiæque matri major adhuc incuteretur ægrimonia, Ancræi conjux ob varia ipſi intentata crimina capite truncata eſt. De cauſæ juſtitia inquirere, hujus loci non eſt. Vid. BAYLII dict. Hiſtor. critica *tom. I. p.* 915. *ſeqq.* GRAMONDUS *lib. II. p.* 153. *ſeqq.* VASSOR *tom. II. p.* 338. *ſeq.*

(f) *ſit 14 annorum*) Hoc ex conſtitutione Caroli V. quem ob res adverſus Anglos potiſſimum ſapienter geſtas, ſapientem cognominant, locum habere, jam tum monui.

(g) 18. *annorum*) Hi anni Electorum majori ætati ſunt conſtituti, & alii etiam nonnulli Principes hoc termino ex privilegio gaudent.

(h) *hodierno noſtro Imperatore*) Loquitur haud dubie de Leopoldo; qui cæſaream adipiſcens dignitatem, vix ætatis annum 18. abſolverat: Joſephus vero duodecimum agens annum, in Regem Romanorum electus eſt.

(i) *Luynæus*) Quem Ludovicus XIII. ad Conneſtabilis dignitatem provexit. VASSOR *lib. XI. p.* 3. *ipſum vocat homme ſans qualité, ſans appui dans le Royaume, ſans aucune experience.* Quænam dominationi ſuæ quæſiverit fundamenta, & quasnam adhibuerit artes, apud VASSORIUM *lib. XI.* legi poteſt. Cui jungi debent ROHANI *commentarii lib. I.* & GRAMONDUS *p.* 157. *ſeqq.* 163. 171. *La vie du Cardinal de Richelieu ſeqq.* 251. *tom. I. p.* 27. *ſeqq.* Sed morbo epidemico, minuta jam Regis in eum gratia, exſtinctus, tantis rebus non diu ſuperſtes fuit. GRAMONDUS *ad ann.* 1621. *p.* 520. *c'eſt la ruine d'un eſtat, que le regne abſolu d' un favori.*

nio non erat ita inſtructus, ſed a pueritia aſſuetus, ut regnum Miniſtro committeret. Luynæo autem ſublato, artibus ſucceſſit *Richelius*, (a) qui tanta fuit felicitate, ut, invita matre, invitis fratribus, invitis omnibus Principibus, Monarchiam ſtabiliret in Gallia, & ſe ipſum ad eam dignitatem eveheret. Et hic eſt Cardinalis ille, cui Gallia ultimum complimentum ſui ſtatus debet. Richelius autem paullo aote Ludovicum eſt defunctus. Hoc autem in Ludovico laudes, quod, cum imbecillitatem ſuam agnoſceret, *ingenioſo homini* (b) res ſuas crediderit. Agnati Regem rogarunt, ut animum mutaret, neque ita perdite *Richelium amaret:* (c) ſed Rex non paſſus eſt, amore abripi a Miniſtro illo. Incredibile eſt, quantum mater, frater & reliqui Principes id egerint, ut animum Regis a Miniſtro illo removerent. Nonnunquam etiam Rex viſus eſt mutare animum, ſed a Richelio iterum eſt reſtitutus. Et id in Miniſtro ſumma laude eſt dignum, quod ſciat, ſibi ita Regem devincire. Hujus Cardinalis commendatione cœpit in aula Regis Galliæ aliquo in loco eſſe. Mazarinus, patre oatus ſiculo, ex *infima nobilitate*, (d) qui bonis ceſſerat. Sed Romam, quo pater cum bonis ceſſerat, confugit. Certum eſt, quod ille omnem rempublicam, invitis Principibus, in manu tenuerit. Pulſus eſt quidem ſemel, ſed iterum fuit receptus, ſimulac Ludovicus XIII. obiiſſet, cum antehac in ſumma apud Regioam viveret gratia, tum unus omnium in animo Reginæ gratiſſimus fuit, adeo ut ipſe unus rempublicam adminiſtraret uſque ad mortem. Sic revera reſpublica fuit io manu Miniſtrorum, & tamen abſque periculo, quod paſſa erat prima familia, quia nemo eorum fuit bellator. In eo autem prima familia peccaverat, quod totam potentiam bellicoſis hominibus commiſiſſet. Nec etiam

(a) *Richelius*) Hic nobili in Pictaviæ Provincia loro natus, litteris philoſophicis, exercitiis nobilem decentibus, & poſtquam lucionenſi epiſcopatui per fratrem ejus, Carthuſianis ſe addicentem, vacuo a Rege Henrico IV. deſtinatus, theologicis quoque operam dedit. Nec ſine fructu ad ea incubuit, ſummo enim applauſu Doctoris in theologia honores conſecutus eſt. Poſtmodum controverſiarum theologicarum ſtudio eo rectius vacaturus, ſe cum Doctore quodam lovanienſi in loco quodam, haud procul Lutetia ſito, abſcondidit: Verum id ſtudiorum genus, ut ſanitati ejus adverſum, amici diſſuadebant. Hinc illi vitæ generi valedicens, ſe Romam, ad ætatis veniam impetrandam, conferre conſtituit; qua in re etiam, non tamen ſine arte, ut fertur, proſpero uſus eſt ſucceſſu. Roma redux per Conciniam in Reginæ matris gratiam irrepſit, ejusque ſanctioribus eſt adſcriptus Conſiliariis. Nec Reginæ, ab aula diſcedentis, dereliquit partes: verum conſilia, quæ ipſi ſuppeditavit, Regi gratiora, quam matri ejus utilia fuerunt. Inde factum, ut regiis poſtmodum adhibitus conſiliis, & in primam regni gallici curam vocatus. Conf. GRAMONDUS & VASSORIUS paſſim ROHANUS & ROCHEFOCAUDIUS *in commentariis* SIRI *in operibus* & CLERICUS *in vita ejus.* Erat hic homo reipublicæ natus, rebus gerendis etiam difficillimis apoſſimus, virtutibus politicis, quam ethicis addictior, licet pietatem ſimulare non ignoraret, amicis ſatis favorabilis, inimicis irreconciliabilis. Hinc in crudelitatem propendiſſe dicitur. Exempla in Thuano, Montmorantio, Quinque Martio, Ludovico in paucis caro, aliisque quærunt. Id tamen addendum puto, in eos, qui cum reipublicæ hoſtibus conſpirant, miſericordiæ non debere eſſe locum. VASSOR *tom. X.* 616. *ſeqq.* Hic autor eum *l. c. p.* 706. vocat *Prelat ambitieux, vindicatif, ſanguinaire, en un mot coupable des crimes les plus atroces.* Amplius exprimunt ejus caracterem, quæ ab eodem autore *p.* 708. referuntur. Vid. tamen CLERICUM. Gravia, quibus plerumque immerſus erat, negotia ipſi vitæ finem acceleraſſe videntur, Nec enim 58. ætatis annum abſolverat, cum animam efflaret.

(b) *ingenioſo homini*) Ingenio gaudebat practico, non ſpecalativo. Quo ſpectare puto verba relationis a Vaſſorio citatæ. *Il avoit de l' eſprit, mais du commun &c. Il aimoit les belles choſes, ſans les bien connoitre, & n' eut jamais le gout fin & delicat pour les productions d' eſprit. Sa jalouſie contre ceux, qu'il voyoit en reputation &c.* Hoc ultimum Grotius quoque expertus eſt, quem odio proſequebatur, ipſumque annua, qua a Rege donatus erat, penſione emunxit. Hoc Grotius non niſi iniquo ferre potuit animo. Cumque Oxenſtirnius Cardinali, quem in odio habebat, ægre facere voluerit, Grotium in Galliam ſuecicum mitti legatum, curaſſe tradunt.

(c) *Richelium*) Sub initium forte aliquo ipſum complexus eſt amore: poſtea autem ſemper alienato ab ipſo fuit animo. Interim Richelius ſe ita neceſſarium reddiderat, ut eum Rex dimittere non potuerit. Autor relationis, quam VASSOR *tom. X. p.* 708. citat, Regem de nulla unquam re, quam Cardinalis Richelii morte, lætiore fuiſſe animo, tradit. Ex quo ipſum vixiſſe nuntium accepit, nullo triſtitiæ edito ſigno, aulicis quibusdam, ipſis adhærentibus, dixit. *Voila un grand politique mort.*

(d) *infima nobilitate*) Piſcinæ in tractu Abbruzano 1602. natus eſt. Ad literas, ſub Jeſuitarum moderamine, incubuit, tantosque in eis fecit progreſſus, ut ſeptendecim natus annos, theſes in philoſophia, controverſas in publica tuitus ſit cathedra. Roma cum Hieronymo Colonna in Hiſpaniam diſceſſit, ibique in Alcalenſi Academia legum ſtudio dedit operam. Inde reverſus, ut patrem homicidii accuſatum defenderet, militiæ ſe addixit, & ſub centurionis locum inter copias, quas Papa in vallem Tellinam mittere voluit, nactus eſt. Accepit hic occaſionem Sachettio copiarum illarum Commiſſario generali innoteſcendi, qui operam ejus in variis & arduis negotiis ſat commodom expertus, magno illum habuit loco. Nihil autem magis expectationem, quam omnes de eo conceperant, auxit, quam commentarii [relation] ejus de rebus in valle Tellina geſtis conſcripti, quos Torquatus Conti Dux pontificiarum copiarum Papæ miſit, qui eos ſumma cum admiratione legit. Bello illo finito, ad juriſprudentiæ rediit ſtudia, ſibique morum & orationis modeſtia & humanitate, quæ in illo ſingularis plane eluceſcebat, omnium conciliavit favorem. Accedit deinde, quod Franciſcus Sachetti a Papa ad componenda, quæ ob ſucceſſionem in mantuano ducatu erant exorta, diſſidia, Mediolanum mitteretur, qui Mazarinium, ut ejus uteretur conſiliis, in demigrationis aſſumſit ſocietatem. Verum, aliquo tempore præterlapſo, Sachettus ob morbum, quo conflictabatur, & fratris mortem Romam reverti coactus eſt, quæ res Mazarino anſam præbuit magis adhuc animi ſui vires in publicum producendi, cum ſolus Pontificis curaret juſſa, quæ antea, ſub Sachetti umbra & nomine perficere, neceſſum haberet. Percrebeſcebat tunc rumor gallicum exercitum, ad opem Mantuano ferendam, Italiæ inductum iri. Igitur Pontifex conſultum putavit, ad belli motus ſopiendos Cardinalem Antonium ad Sabaudiæ Ducem, qui cum Hiſpanis ſtabat, allegare, eique Panzirollum nuncium, ut ejus adhiberet conſilia, adjunxit. Cum hac de re certior factus, legato obviam ivit, eique Bononiæ invento exactam, quo loco res eſſent, dedit notitiam. Ab hoc Romam profectus, ipſum Papam, quænam rerum in Italia eſſet conditio, docuit. Hic exactiſſimam, quam Mazarinius rerum habebat ſcientiam,

Digitized by Google

etiam ipſis hominibus Reges jus hereditarium conceſſere, In quo itidem peccarat prima familia. Ita periit Ancræus, Lunæus: Richelius autem & Mazerinus tenuere poteſtatem, quoad vixerunt: ſed uterque erat Clericus, nec liberos habebant, quod illis in officio ſuccedere potuiſſent. Henricus IV. erat bellicoſus; interim hodiernus Rex magis propria otitur autoritate. Hodie enim reſpublica non adminiſtratur per *Miniſtrum* (a) ſed per *ſenatum arcanum*, (b) in quo ſunt plures, nec ibi eſt potentia penes unum, antea autem regiminis longe alia fuit facies. Quemadmodum etiam in Hiſpania ſub Rege Philippo IV. ſemper unus Miniſter habebat omnem poteſtatem, ipſe Rex erat otioſus, deſes & effæminatus. Id autem cumprimis curavit Ludovicus

entiam, ejuſque dictionis amœnitatem, ingenii judiciique acumen & perſpicaciam admiratus, cum ad Antonium remiſit, eique, ut Mazarini, quem omnium gratia & favore florere cognoverat, uteretur conſiliis, injunxit. Erat jam in eo, ut gallicus miles Apeninos tranſiret montes, cujus, ut averteret in Italiam ingreſſum, Mazarinus ad Richelium, qui cum regio exercitu Lugduni hærebat, miſſus. Et licet Cardinalem, quicquid etiam perſuaſionum adhiberet, a propoſito abſtrahere non potuerit: occaſionem tamen nactus, illius ſe inſinuandi favori. Interea nihil inexpertum reliquit, quo Italiæ quies reddi poſſet, exoptatumque res habuit ſucceſſum; etenim Chiraſcenſis mox inſecutus tractatus, qui Mazarini prudentiæ & ſolicitudini magnam partem debebatur. Auxit hæc magnopere Mazarini exiſtimationem, commovitque eo magis Cardinalem Antonium, ut illum ſibi Avenionem Pontificis nomine regendam abeunti, cum 800. thalerorum annuo ſtipendio jungeret. Haud multo poſt Papa ipſum Præſulem ſuum domeſticum Vice-legatum Avenionenſem & Nuncium in Galliam miſit, ad corrigendas Lotharingiæ Ducis res, & componendum bellum, quod inter Cæſarem & Galliæ Regem exarſerat. Acceptiſſimus in Gallia nonſolum Richelio, ſed & Regi & reginæ fuit; non enim ignotum erat, ſuis inprimis ſtudiis factum, ut Gallis a Sabaudo Pigarolium ceſſum, quod autem Hiſpanorum ab eo valde alienavit animos. Accedebant miræ ipſius dotes, aliorum captandi gratiam & benevolentiam. Negotiorum, quæ ipſi a Papa commiſſa erant, pertractatione in Gallia abſoluta, Romam repetiit, ibique a Papa perclementer exceptus, eorum, quæ ſibi demandata erant, rationem reddidit, Pontifexque palam teſtatus, eum juſſis ſuis & opioni, quam ſemper de illo foviſſet, plene ſatisfeciſſe. Verum enim vero odium, quo hiſpanica in eum ferebatur factio, & invidia multorum, quam ipſi peculiares animi dotes excitabant, impedimento fuerant, ne ad majorem Romæ eniti potuerit fortunam. Poſtquam autem Galliarum Rex de his certior factus, compertumque habuerit, Mazarino res potiſſimum non ex voto fluere, quia Gallorum utilitates promovere ſtuduiſſet, conſtituit, ſuadente Richelio, ipſum ſuis ſanctioribus adſcribere Conſiliariis. Nec Mazarinus a tali abhorruit propoſito, ſed ad munus, cui a Rege deſtinatus erat, ſuſcipiendum in Galliam profectus eſt. Cœpit autem Richelio Joſephi Capucini, paulo ante extincti, loco eſſe, cardinalitiamque purpuram, quæ ei deſtinata erat, Regis opera eſt conſecutus. Cumque Richelius nulli popularium ſuorum, qui archiminiſtri locum occupare potuiſſent, faveret, Ludovico XIII. ſingulari Mazarinum complectente amore, facile perſuaſit, ut hunc haberet ſucceſſorem. Itaque, ex quo Richelius inter mortales eſſe deſiit, Mazarinus in locum ejus ſuffectus eſt, tantaque apud Regem valuit gratia, ut etiam aliquando, ſibi adſidere ipſum, juſſerit, quod nunquam Richelio fecerat. Cum jam in eo eſſet, ut Ludovicus XIII. huic valediceret vitæ, Cardinali manifeſtavit, ſibi animum eſſe conſilium, a quo Principes ſanguinis excludendi forent, ille autem ejus eſſet caput, ſtabilire; Sed Mazarinus, quanta hæc res ipſi conflatura eſſet odia, non ignorans, Regi perſuaſit, ut, Delphino impubere, vicaria poteſtas penes Reginam eſſet: Verum Rex huic rei alia ſubſcribere noluit ratione, quam ut Reginæ Conſilium adjungeretur, in quo ad majora reſpiciendum eſſet vota. Sed hoc Regis ſtatutum, Regina poſt mortem ejus a Parlamento nullum declarari, ſibique plenam vicariam poteſtatem, ad inſtar aliarum Reginarum, quæ ipſam anteceſſerant, dari curavit. Simulavit quidem Mazarinus, ſe invito, hoc fieri, minatuſque eſt diſceſſum: Verum hæc omnia in ſpeciem tantum eſſe facta, & Reginæ ab ipſo talia ſuppeditata eſſe conſilia, ut eo majorem in regimine poſſet habere partem, ſunt, qui putant. Quæ ſub eo, tam durante Ludovici XIV. impubertate, quam hoc ſceptra moderante, in Gallia geſta ſunt; quænam ipſum tum inteſtina, quam externa bella afflixerint; & de odiis, quibus cum Mazarinus conflictatus eſt, & auſibus ejus inimicorum, quorum numero etiam fuere Condæus cum fratre Contio & Longevillio affine, nec non funditorum capita, Baufortius & Gondi Archiepiſcopus pariſienſis, qui deinde Cardinalis Rhezius dictus, imo ipſum Parlamentum, & de diſceſſu ejus & reditu in Galliam, Vid. *Memoires du Cardinal Mazarin*, *memoires de Rubutin*, *memoires de Rebz*, *memoires d'* ARTAGNAN, PRIOLI *Hiſtoria*, & *Hiſtoire de Louis XIV par* RIENCOURT, & quæ infra occurrunt. Mortuus eſt anno 1661. cum annum 59. ageret. Quod ad ejus attinet caracterem, Richelio in arte ſimulandi & diſſimulandi, ut in arcanis & calliditatibus dominationis inveniendis endis ſuperior fuit, in liberalitate autem & religione ſervandi promiſſa longe inferior. Neſcio, an alio loco ea, quæ Rabutinius, qui optime ipſum novit, elegantiſſime de corporis ejus & animi habitu *in comm. part. II. p.* 164. 165. ſcripſit, recitaverim. Cum autor noſter diſcurſibus ſuis, repetitionibus ſæpe obnoxiis, iiſdem nonnunquam annotationibus occaſionem præbet, quod benevolus lector æque bonique conſulat, precor. Sed, quia ſuſpenſo ſum animo, an jam allata ſint, ea hic adponere non pigrabor. *Il avoit*, inquit, *la plus belle phiſionomie du monde, les yeux beaux & la bouche, le front grand, le nez bien fait, le viſage ouvert; il avoit beaucoup d' eſprit; perſonne ne faiſoit un conte plus agreablement, que lui, il etoit inſinuant, il avoit des charmes inevitables pour étre aimé de ceux, qu'il lui plaiſoit: il jouoit fort bien tous les jeux d' eſprit, & les jeux d' adreſſe - - - - Il n' avoit ni haine ni amitié, & il ne temoignoit ni l'un ni l'autre, qu' autant, que ſon interêt l' obligeoit à le faire, ſi ceux, qu'l' avoient ſervi, lui etoient encore utiles & importuns, il les recompenſoit fort bien, ſi non, il ne faiſoit pas grand cas de la reconnoiſance. On l' outrageoit, quand on les comparoit au Cardinal de Richelieu; cependant celui ci avoit eté ſon Maitre, & le ſurpaſſoit en grandes qualitéz. Le Cardinal Mazarin avoit une plus grande étendue d' eſprit, que le Cardinal de Richelieu, celui ci avoit plus d' honneur & l' ame plus belle, que l' autre. La quantité d' affaires, dont il s' etoit chargé, avoit uſé ſon temperament, qui, etant admirable, l' eut fait vivre ſans cela quarante ans plus, qu'il ne vecut.*

(a) *Miniſtrum*) Suaſit Mazarinius vitam poſiturus Regi, ne uni viciſſim ſummam rerum committeret. Hinc ipſe Rex ſummæ rerum præeſſe cœpit. *Medailles ſur le regne de Louis le grand p.* 60. RIENCOURT *tom. I. p.* 320. 321. Speciem tamen aliquam archiminiſtri Ludovilius habuit.

(b) *ſenatum arcanum*) Vide, quæ ſupra de conſilio ſtatus, ut vocatur, dicta ſunt

vicus XIII. ne poteſtatem committeret bellicoſis hominibus. Si Richelius habuiſſet liberos, & fuiſſet bellator Rex Ludovicus, potuiſſet in periculum amittendi regni incurrere. Mazarinus autem minus potuit, quia erat peregrinus, ex infima nobilitate, inviſus omnibus Gallis, non potuit itaque eſſe formidabilis regiæ familiæ. Non poſſum hic non memorare, quod legi apud Robertum Ganguinum, qui hiſtoriam rerum francicarum deſcripſit pæne ante 200. annos. Hic memorat, ſi qua proregia dignitas per Clericos adminiſtretur, tum ſemper populi libertatem aliquam jacturam facere. Hoc experti ſunt Galli in Richelio & Mazarino, ſi quid ſuperfuit dignitatis, hoc conculcarunt. Miniſtrorum Dominorum fuit maxime herilis dominatus, quod Ganguinus notat, id noſtra etiam ætas infelici exemplo confirmavit. De Rege hodierno non eſt, quod multis dicam, eſt adhuc juvenis, laudatur tamen, quod ſit majori bonitate & ingenio, quam pater, alii tamen credunt, *fratrem adhuc eſſe ingenioſiorem.* (a) Quicquid ſit, Rex ſibi hactenus bene conſuluit, quod uni regimen non crediderit. Hic enim accuratiſſime norat, ut uni omnem poteſtatem daret, non conducere ſibi, & hoc conſilium a Mazarino datum videtur. Duxit hic Rex conjugem ex Hiſpania, quo conjugio diuturnum illud bellum geſtum inter Ludovicum XIII. & Philippum IV. Hiſpaniæ Regem, ut &, cum Rex adhuc minorennis eſſet, inter matrem Annam Hiſpaniæ, & Regem Hiſpaniæ, *ſopitum tandem fuit*, (b) Regina autem nata eſt ex ſorore Ludovici XIII. Rex natus eſt ex Ludovico Annæ avunculo, ut ita pateat, Regem & Reginam ſibi proxima cognatione junctos eſſe. Non potuere autem inſtitui nuptiæ, niſi ex diſpenſatione pontificia, prout mos hodie eſt, ſi autem nuptiæ Principum ſint contra canones, tum diſpenſat Papa. Sponſalia autem jam celebrata, & *nuptia contracta* (c) cum Romam mitterentur, diſpenſationis ergo, aut dicis cauſa hæc tantum facta eſt, ſi renuiſſet Papa, non curaſſent. Ita ſe habet familia regia, *quæ ad paucos jam eſt redacta.* (d) De ſingulis autem *Miniſtris* (e) agere, non eſt mei inſtituti. *Hæc ſufficiant* (f) de regno Galliæ.

CAPUT

(a) *fratrem adhuc eſſe ingenioſiorem*) Sed opinionem hanc a veritate eſſe remotam, ea, quæ de hujus vita nota ſunt, ſatis comprobant. Pietati admodum erat addictus, & ſeveriores amabat mores. Hinc primæ ſuæ conjugis anglicanæ, Caroli I. filiæ juvenis admodum, liberam vivendi rationem pati non potuit; atque zelotypiæ violentia ita nonnulli eum abreptum dicunt, ut dura admodum in eam ſtatuerit: *Hiſtoire ſecrete des intrigues de la France tom. I. p.* 130. *ſeqq.* Neſcio, ſi quid ex vero habeat Hiſtoria Comitis de Guiche, Marechalli Gramonti filii, quæ in libro, cui titulus: *amours des dames illuſtres de notre ſiecle*, legitur.

(b) *ſopitum tandem fuit*) per pacem pyrenaicam, quæ Mazarino & Ludovico de Haro, rem gerentibus, facta eſt. Inter Mazarini quoque referendum eſt elogia, quod ſub ejus archiminiſterio weſtphalica eſt concluſa pax.

(c) *nuptia contracta*) RIENCOURT *tom. I. p.* 310. *ſeqq.*

(d) *quæ ad paucos jam eſt redacta*) Ex Ludovico XIV. ſuperſtes eſt abnepos, hodiernus Galliæ Rex, cum tribus filiabus, & nepos Philippus V. Hiſpaniæ Rex, de cujus ſtirpe confer. HUBNERI *tabula* 43. ex Philippo I. Aurelianenſi vero nepos Ludovicus poſt patrem Philippum II. Aurelianenſis Dux cum filio.

(e) *Miniſtris*) Sub Ludovico XIV. ad ſtatus negotia pertractanda, præter Mazarinum, adhibiti ſunt: Avauxius, Servientus, Noyerus (de Noyer) Tellerius, Lionnus, Eſtradius, Colbertus, Chamillartus, Ludoviſius, Phillipauxius, Torcius &c. Sub Ludovico XV. gubernaculis, Regis nomine moderandis, admoti ſunt Princeps Aurelianenſis, Cardinalis du Bois, Marchio de Maurepas, Dux Borbonius &c. & hodie Cardinalis de Fleury in aula gallica archiminiſtrum agit. Huic omnia ineſſe, quæ ad callidiſſimum conſtituendum aulicum requiruntur, ex eo colligunt, quod a Regis præceptore ſe ad tantam, tot remotis obſtaculis, evehere noverit dignitatem. Interim laude maxime dignus, quod Regi pacis conſilia & ſubditorum amorem inſpiraverit, & de pace, in Europa conſervanda, omnimode dicatur ſolicitus. Nonnulli ei vitio vertunt, quod ſedi romanæ & ſocietati, quæ a Jeſu nomen habet, nimium ſit addictus.

(f) *Hæc ſufficiant*) Quædam tamen adhuc in compendio ſunt addenda. Memoratu in Gallia dignis accenſentur, quod Regi ſacra cœna ſub utraque exhibeatur ſpecie; canonicatus aliquot & abbatias honorarias habeat, funeri ducendo non adſint; corona clauſa utantur, quem morem nonnulli a Carolo VIII. derivant &c. Figmentum ampullæ Rhemenſis jam diu exploſum vid. MORHOFFII *diſſert.* de hoc argumento.

Quod ad jus proedriæ attinet, quod ſibi præ aliis Regibus tribuit, illud in jure naturali, quod controverſiarum, quæ inter Reges exoriuntur, norma eſt, nullum habet fundamentum; nam Reges vivunt in ſtatu naturali, in quo omnes ſunt æquales. Largior tamen, pacto aut temporis diuturnitate hic alicui jus acquiri poſſe. Notæ ſunt inter Gallos & Hiſpanos hac de re controverſiæ, etiam in concilio tridentino motæ. Cauſam Galli egerunt, Vignierius, Pithæus, Bultau & Gothofredi fratres. Provocant quoque ad hoc, quod Rex Franciæ primogenitus ſit eccleſiæ filius; & quod prius in ſocietatem veniens, præ poſterius advenienti locum habere debeat: verum, quæ de primogenito eccleſiæ filio proponuntur, valde dubia ſunt, & quæ de prius in ſocietatem veniente, quod ei præ poſterius adveniente prærogativa debeatur, jure divino non eſt traditum. Recruduerunt de proedria inter Gallum & Hiſpanum lites, cum in ſuecici legati Comitis Brahæi receptu inter legati gallici Comitis Eſtradii & hiſpanici Comitis Batevillii currus ob priorem locum diſſidia exorirentur. Hæc res Gallum, cum ejus legati currus, ob interciſa ab Hiſpanis lora loco moveri non poſſet, in iram & minas de bello, Hiſpanis inferendo, egit, ut igitur hoc evitaret, Hiſpaniæ Rex ſignificavit, ſuos in poſterum legatos, ubi gallici eſſent, comparere non debere, quod Galli, contradicentibus tamen Hiſpanis, interpretantur, ac ſi ſibi prior ceſſus eſſet locus.

Galliæ Regis inſignia cæruleum ſcutum, aureos tres liliorum flores referens, conſtituit. De origine horum inſignium, & an antea aliam habuerint formam, eruditorum notæ ſunt controverſiæ. SPENERI *oper. herald. part. II. lib. I. c. XXIV.* Carolum VI. lilia ad ternarium reduxiſſe numerum, ferunt *l. c. p.* 115. Scuto imponitur corona aurea clauſa, orientale, ut aliquibus videtur, denotans imperium; Imperatores enim orientis Carolus IIX. Ludovicus XII. & Franciſcus I. proclamati ſunt. Telamones ſunt duo Angeli. Teſſera militaris addita, clamorem continet bellicum *Monjoye S. Denys* SPENER *l. c. p.* 117. Huic ſcuto aliud agglutinari ſolet ſcutulum, Navarrenum ſignificans regnum, de quo vide SPENERUM *l. c. p.* 121. Inſignibus regiorum ordinum torques circumponuntur. Potiſſimum autem in Gallia celebrantur ordines equitum S. Michaelis, quem Carolus M. jam tum ut Galliæ Patronum colebat, a Ludovico XI. 1469. inſtitutus, & ordo ſpiritus ſancti, qui

Hen-

Henricum III. cui in obtinendis diadematibus Pentecoſtes feſtum admodum fauſtum fuerat, 1579. autorem habuit. Confer. PETRUS MATTHÆUS *in hiſtor. Ludovici XI. fol.* 216. BUSSIER *Hiſtor. Franciæ lib. XIII. p.* 24. *& lib. XX. p.* 419. ETIENNE PASQUIER *epiſtol. lib. VI. p.* 448. *Art heraldique par* BARON *art. IV. p.* 140. *ſeqq.* GURTLER **von Geiſt und Weltlichen Ritter Orden** *p.* 268. *ſeqq.* S. Michaelis ordo in ordinem ſtellæ, quem Johannes primus inſtituit, vel potius renovavit, ſucceſſiſſe dicitur, & a Papa Alexandro VI., rogante Carolo VIII., confirmatus eſt.

LEIBNITII C J. G. D. *p.* 476. Cœperat Michaelis ordo ignobilioris etiam & perverſæ conditionis hominibus dari; igitur maxime obnoxius redditus contemtui, dicebaturque omnium beſtiarum receptaculum. Id quoque notari meretur, quod & reformatæ religioni addictis collatus fuerit. Exemplino nobis Archithalaſſi Ruyteri jam citaſſe ſufficiat. Plura apud Gurtlerum leguntur, qui provocat ad Hiſtoriam edicti Nannetenſis *lib. III. p.* 179. 180. *lib. IV. p.* 257. 258. Hujus libri autor *lib. XI. p.* 24. tradit, a Rege Ludovico XIV. 1665 conſtitutum, ne ullis, quam catholicæ religioni nomen dantibus, conferretur. S. Spiritus ordo nullis, niſi primariis viris ex antiqua nobilitate, romana ſequentibus ſacra, datus eſt. Equitum numerus centum implere deberet. Eorum torques hodie conſiſtit ex aureis liliis, quæ a ſe invicem coronatis, flammasque ejicientibus literis H, quibus a Ludovico XIV. litera L. juncta eſt, & trophæis diſtincta ſunt. In fine torquis eſt aurea octangularis crux, cujus extremitatibus albus color ſuperinductus eſt; *une croix pattie, a huit pointes boutonnées par les bouts, & emaillée de blanc par les bords, & dont les angles ſont garnis d' une fleur de Lys.* In uno crucis illius latere eſt columba, in altero S Michaelis imago, Draconem conculcantis. Etenim, quibus S. Spiritus ordo conferendus, illis ſub diei, quo hoc fieri debet, initium la veille du jour) S. Michaelis ordo convocatur. Hinc regiorum ordinum dicuntur Equites. In diebus ſolennibus & feſtis pallio, ex nigro ſerico confecto, cujus limbus a capite uſque ad calcem aureis liliis acu pictis ornatus eſt, induti ſunt. Reliquum pallii aureis flammis variatum eſt. Huic magno palliolum aliquod, ex textura argentea ſerico cæruleo intermixta ſuper imponunt, cui argenteæ intertextæ ſunt columbæ. Utrumque ſerico auriacorum pomorum colorem referente (orange **Farben Atlas**) firmatum eſt. **unterfuttert**) Femoralia ligaminibus ſuper genibus conſtricta ſunt (**aufgeſchürtzet**) Corpus ſubucula alba aut ad flavum colorem, quem auriacum vocant, accedente veſtiunt, & caput mitra, ardeæ plumis ornata, tegunt. Cum autem torquem illum, nonniſi in diebus ſolemnibus, collo circumponant, veſtimento, quo induti ſunt, in ſiniſtro latere ordinis crucem ligatura quadam cærulea jungunt. Unde in Gallia obtinet, ut non ſolum dicatur, hunc vel illum accepturum le cordon bleu: ſed ipſi equites tali veniunt nomine, ſi rectemenini. Palliis aliisque eorum veſtimentis, quibus ſuperiorem corporis partem tegunt, in ſiniſtra pectoris parte cruces ordinis argenteæ columbis, in medio elevatiores, acu inſeruntur. Solebant olim ordinis conventus, qui regulariter, ut ajunt, primo anni die inſtituuntur, in S. Auguſtini templo Lutetiæ celebari, Ludovicus XIV. autem eos etiam alibi habuit. Denique notatu adhuc dignum eſt, magnum ordinum Magiſtrum Regem eſſe, & ex ordinis ſtatutis, Equitibus, quatuor Cardinales & quatuor Archiepiſcopos aut Epiſcopos ut commendatores præeſſe. Præterea magnum Elemoſynarium, Cancellarium, Theſaurarium & Heroldium habent. Prætenſiones, quas vocant, Gallorum hæ ſunt, quarum non levis pars fundamento caret, initiſque repugnat conventionibus, & juris ſui per immemoriale tempus derelictioni repugnat. Nos illas tantum enarrabimus, benevolum lectorem, earum examini intentum, ad autores citandos remittentes. Sibi autem jus vindicant 1) in regni Auſtraſiæ partes, quarum numero etiam eſt Lotharingiæ ducatus DU PUY *p.* 375. OBRECHT *prodr. rer. Alſat.* SCHWEDER *in theatr. prætenſionum lib. II. c.* 1. 3. 2) in imperium germanicum & cæſaream dignitatem. *Recherches de* CASSAN *lib. II. p.* 458. *ſeqq.* 3) in Belgium, CASSANUS *l. c. c. V. p.* 625. *ſeqq.* DUPUY *p.* 245. *Traité des droits de la Reine ſur divers états de la monarchie d' Eſpagne,* ZYPÆI *beatus Caſani obſtructus.* SCHWEDERI *theatr. prætens. l. c. c.* 5. 4) *in regnum Navarræ,* THUANUS *lib. I. p.* 22. BLONDELLUS *Genealog. Fran. p. IV.* FERRONIUS *lib.* 4. *p.* 81. DU PUY *des droits du Roy de France p.* 179. CASSANUS *lib. I. c.* 4. GOMECIUS *in vita Ximenis lib. VI. p.* 1086. SPENERUS *oper. heraldici lib. I. c. XXIV. p.* 123. *ſeqq.* SCHWEDER *l. c. p.* 123. 5) in Caſtiliam, Toletum & legionem BLOND. *Geneal. Franc. tom. I.* FRANCISC. MACEDO *propugn. Luſit p.* 1 *quæſt. III. p.* 337. DU PUY *p.* 171. *ſeqq.* CASSANUS *lib. I. c.* 1. CHIFLETIUS *in vindiciis hiſpanicis c.* 12. *& in luminibus prærogat. ad vind. hiſpan. p.* 387. SPENER *l. c. c.* 38. *§. VIII. p.* 163. *ſeqq.* SCHWEDER *l. c. c. IX.* 6) In Aragoniam & Catalloniam, CASSANUS *lib.* 1. *c.* 2. *p.* 69. BLONDELLUS *Geneal. Franc. aſſert. p.* 45. VITTORIO SIRI *Mercurio tom. II. lib. I. p.* 33. SPENERUS *l. c. p.* 166. *ſeqq.* SCHWEDERUS *l. c. p.* 186. *ſeqq.* 7) in Portugalliam. CASSANUS *lib. I. c. III. p.* 119. SCHWEDER *c. XII.* 8) In Angliam DU PUY *p.* 233. SCHWEDERI *theatr. prætenſ. c.* 14. 9) In Majorcam & Minorcam. CASSAN *lib. I. c.* 6. SPENER *oper. heraldici part. Special. lib. I. c.* 38. *§.* 50. SCHW. *l. c. c.* 14. (10.) in Sardiniam, CASSANUS *lib. I. c.* 8. SPENER *l. c. lib. I. c.* 38. *§.* 52. SCHW. c. 15. (11.) in Neapolim & Siciliam, DU PUY *des droits du Roy de France ſur pluſieurs états p.* 1. *ſeqq.* CASSANUS *lib. I. c.* 5. FRANC. MACEDO *propugn. Luſit. gallic. part.* 2. *quæſt.* 2. *p.* 345. ZYPÆI *beatus* Caſſani obſtructus *lib. I.* c. 4. p. 32. SCHWEDER c. 16. 12.) in Genuenſem rempublicam, DU PUY *p.* 44. CASSANUS *lib. II c.* 4. *p.* 591. *ſeqq.* ZYPÆUS *l. c. p.* 277. SPENER *l. c. c.* 24. *§* 59. 60. 13.) in ducatum mediolanenſem, DU PUY *des droits du Roy de France p.* 132. FRANCISC. MACEDO *l. c.* 38 *§.* 63. CASSANUS *lib. I. c.* 7. SPENER *oper. herald. part. ſpec. lib. I.* c. 38. *§.* 63. SCHWED. *theatr. prætenſ. c.* 19. 14.) in comitatum Aſtenſem, DU PUY *p.* 141. SCHWEDER p. 211. 15) in Sabaudiam, CASSANUS *lib.* 2. *c.* 2. DU PUY *p.* 63. *ſeqq.* SCHWEDER *l. c. lib. II.* c. 21. 16.) in Pedemontium DU PUY *p.* 63. CASSANUS *lib. II. c.* 2. SCHWED. *l. c. c.* 21. (17.) in Nizzam DU PUY *p.* 54. CASSANUS *lib. II. c.* 2. SCHWEDER c. 22. (18.) in Avenionenſem comitatum DU PUY *p.* 397. CASSANUS *lib. II. c.* 7. SCHWED. *c.* 23. 19.) In comitatum Venuſinum DU PUY *p.* 406. 407. SCHWEDER c. 24. 20.) in principatum Auriacum, qui hodie apud Gallum eſt. DU PUY *p.* 425 434. 439. SCHWEDERI *theatrum prætenſionum* c. 25.

Quæ Regi circa rationes reipublicæ ejusque ſalutem & florem obſervanda ſint, in variis leguntur libris, quo teſtamenta politica, quæ Richelio, Colberto & Ludoviſio adſcribuntur, pertinent. Multa ſunt, quæ autor *libri des interets des Princes,* circa conſervandam & augendam Regis potentiam, profert: Verum non pauca inter illa eſſe conſilia, quæ veriora in theoria, quam in praxi ſunt, & ex circumſtantiis limitationem patiuntur, extra omne ponendum eſt dubium. Scio quidem, Galliæ Regem Ludovicum XIV. & ejus ſanctiorem ſenatum a multis ad inſtar miraculi habitum fuiſſe. • *Les interets des Princes p.* 160. Verum permulti non deſunt ſtatus ſolœciſmi, ab iis commiſſi. Horum inprimis numero eſt, quod a tractatu, de dividenda monarchia hiſpanica, diſceſſum fuerit; ſunt enim, qui ſibi perſuadent, illum monarchiæ in Europa univerſalis, quam aliquot Gallorum Reges meditati ſunt, non leve futurum fuiſſe fundamentum. Alii cum ipſo autore libri citati his annumerant, quod reformatæ religioni addictos conſcientiæ libertate, juribusque & privilegiis, quibus gaudebant, privaverit, & tandem ipſos, ut ſacra, quæ eccleſia gallicana profitetur, ſequerentur, aut ſolum verterent, coegerit. Etenim, quam diu publico religionis

ligionis exercitio & juribus ſuis emuncti in Gallia hæſerunt, tamdiu Rex ſecure alioríum arma ſua vertere non potuit: poſtquam vero multi eorum, ob perſeverantiam in reformata religione, in exilium pulſi, varias tam in bello, quam pace utiles, & maxime, ad opes acquirendas, facientes artes, ad alias detulerunt gentes. Imo tantum ſui in omnium, qui evangelicam extra Galliam profitentur religionem, conciliaverat odium animis, ut quovis modo regio adverſati ſint propoſito, & in eum, ad diſpellenda cæſaream dignitatem & monarchiam univerſalem ſpirantia conſilia, vires eo alacrius conſociaverint. Quod ad ſubditorum beatitudinem civilem promovendam attinet, ante omnia ab oneribus, quibus ſub Ludovico XIV. immenſis pæne exhauriebantur, ſunt levandi; ad pacem incumbendum ſævitiei & fraudibus eorum, qui reditus conducunt, modus ponendus; rei maritimæ & ulterioribus commerciorum progreſſibus, artibus, opificiis & agriculturæ ſtudendum; ab officiorum, inprimis eorum, quæ ad exercendam juſtitiam ſpectant, venditionibus abſtinendum. Vid. plura *in Louviſiano teſtamento politico.*

Denique pauca adhuc de vicinis addenda ſunt, & primo quidem loco de Hiſpania dicendum. Hæc imminutas admodum habet vires, ita ut ab ea ſola nihil plane Galliæ metuendum ſit. De ſanguinis vinculo, quod regias jungit familias, nihil moneo; ejus enim inter Principes, ſi de finibus amplificandis, aut alia ratione, quam ſtatus vocant, agitur, nullam propemodum haberi rationem, in vulgus notum. Inter Italiæ Principes potentia maxime valet, & Galliæ proximior eſt Sabaudus. Hujus amicitia cum Gallo ſæpiſſime fluctuavit, affinitatiſque nexus fragilis admodum, & fœdera eorum parum diuturna fuere. Si hic cum aliis contra Gallum arma jungit, multa ei inferre poteſt mala. Inter Galliam & pontificiam ſedem rariſſime conſtans hactenus culta eſt amicitia, exceptis diſſidiis, quæ ſub Ludovico XIV. intuitu juris aſyli fuerunt, quod legatus gallicus ſibi Romæ vindicabat. Equidem Pontificis terræ a Gallia, interjacentibus aliorum territoriis, ſatis remotæ ſunt, vireſque ſancti patris militares tam tenues, ſubditique ejus maxima laborantes inopia, ita ut nihil plane aut parum ab eo Gallis immineat periculi. Nec facile Papa aliorum Italiæ Principum fœderi adverſus Gallum accedet, cum hujus autoritate & auxiliis adverſus illorum in ſe auſus indigeat. Nam præſul romanus patris, quam ſibi arrogat, poteſtate non ſemper tutus eſt. Venetorum reſpublica, admodum a Gallorum diſtans finibus, horum per aliquod tempus coluit amicitiam, ut ſub tali umbra a Turcæ, qui inſulis eorum, & Italiæ Principum, qui terris, quas in continenti habent, invident, inſultibus, tutior eſſet; quanquam nexus, qui Gallis cum Turcis intercedere ſolet, efficiat, ut ea non niſi leviorem opem, quæ in ſuadenda Turcis pace ejuſque continuatione conſiſtit, ferant. Reliqui Italiæ Principes, cum Mediolanum hodie penes Imperatorem ſit, tantum numero valent *Les autres Princes d' Italie*, inquit autor, *des interets des Princes p.* 181. *ſont ſi peu conſiderables en comparaiſon du Roy de France, qu' on diroit preſque, qu'il n' eſt preſque obligé d' avoir aucun egard pour eux. Cependant le nombre fait quelque choſe, & ſi un tout ſeul eſt de peu de conſideration, il n' en eſt plus de meme, quand on les regarde tous en general.* Helvetii, ſua ſorte contenti, & Gallorum nummis deliniti, non facile cum aliis contra eam fœdus contrahent. Imperium germanicum, mixta vel irregulari laborans forma, aliiſque conflictans morbis, non ita a Gallia metuitur, cum pares alias cum Gallis vires imo ſuperiores habeat, Galliæ impar ſit. Belgium, quod hiſpanicum dicunt, a Gallis vehementer imminutum, in ſe nihil habet virium, quod aliqua saltem ex parte cum Gallorum rebus comparari poſſet: Belgium vero unitum terreſtri militia Gallis longe inferius, claſſibus olim ſuperius erat. Accedamus jam ad Angliam, quam ſolam Galliam olim domuiſſe rerum geſtarum commentariis traditum eſt, & hodie adhuc habent, quod Anglorum vires admodum metuant. *De toutes les puiſſances, il n'y en a point, qui doive etre ſi ſuſpecte a un Roy de France, que celle d' Angleterre.* Notæ ſunt prætenſiones Anglorum in Galliæ provincias. Mari quidem ſeparata eſt Anglia a Gallia, ſed Anglorum claſſibus, Gallorum maritimis viribus longe ſuperioribus, facile jungi poteſt. Scio quidem, expeditiones illas, quæ navium ope fiunt, multis obnoxias eſſe impedimentis, præſertim, quando littora, ubi deſcenſus fieri poteſt, portuſque milite & propugnaculis bene muniti ſunt. Quod ſi vero contingeret, Anglos in Normannia pedem figere, Lutetiam uſque penetrare poſſent, cum nullum in illo tractu ſit munimentum, quod ipſis remoram injicere poſſet. Plura vide *l. c. p.* 201. 202. Ceterum, conjunctis plurium viribus, Galliam ſuccumbere poſſe, imo ſuccubuiſſe & imparem fuiſſe, nuperum docuit bellum.

CAPUT XXII.
DE
REGNO ANGLIÆ.
I.

QUi de regno Angliæ ſingularem librum conſcripſerunt, non unus reperitur. Habemus etiam relationes & diſſertationes in theſauro politico Honorii Belli & Caſpari Ens. Item diſſertationem de eo in Archontologia cosmica. Exſtat etiam in Hollaodia libellus editus de Anglia, *author libri* (a) vixit in Anglia tempore Eliſabethæ Reginæ, &c, ni fallor, fuit Secretarius regius. Quemadmodum vero patet ſuit vir etiam politice doctus. Scripſit vero opus ſuum anglice, deinde non nemo illud latine vertit. Præter hos hiſturici rerum anglicarum *ſunt complures* (b) floruere

(a) *author libri*) Suſpicor, quod hic de Thoma Smitho ſermo ſit. *Hic de republica & adminiſtratione Anglorum libros III.* conſcripſit. Tranſtulit eos in linguam latinam Joannes BUDDENUS, & exſtant inter reſpublicas Elzevirianas. Sunt alii adhuc perplures libri, qui tam ad Britanniæ & Hiberniæ ſtatum geographicum, quam politicum intelligendum faciunt. Inter hos eminent CAMBDENI *Britannia*, a GIBSONIO *in verſione anglica* notis illuſtrata, & a ZIRIZÆO in compendium redacta; JOHANNIS SPEDI *theatrum imperii magnæ Britanniæ &c. Britannia ſeu deſcriptio geographica regnorum Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ, Anglorum ſpeculum ſeu Angliæ notabilia in eccleſia & republica*, ubi ſinguli comitatus deſcribuntur, & illorum antiquitates, prærogativæ ac viri illuſtres recenſentur. Hi duo libri anglice ſunt conſcripti. *Relation d' un voyage en Angleterre par* SORBIERE. Huic libro oppoſitæ ſunt: *obſervations d' un gentilhomme Anglois, enſemble quelques lettres ſur la relation precedente, avec l' arreſt du conſeil, qui ordonne la ſuppreſſion de la dite relation; reponſe aux fauſſetez & invectives de la relation precedente, memoires & obſervations faites par un voyageur en Angleterre, ſur ce qu'il y a trouvé de plus remarquable: Jac. Brome itinera per Angliam Scotiam.* HAGEMEIERI *epiſtolæ duæ de ſtatu magnæ Britanniæ; Memoires de la cour d' Angleterre par la.* C. D' AUNOY *The preſent ſtate of England by* EDWARD CHAMBERLAYNE 1684, 1687, 1694. *by Joh.* CHAMBERLAYNE 1708. WOOD *notitia Angliæ. L' etat preſent de la grande Bretagne par* MIEGE BEVERELLI *delices de la grande Bretagne*, Hiſtoriam naturalem Angliæ CAROLO LEIGHS, *Scotiæ* ROBBERTO SIBALDO, *Hiberniæ* GERARDO BOATE *debemus. vide* OTTONIS *primas lineas notitiæ rerumpubl. p.* 152.

(b) *ſunt complures*) Autores, qui de rebus anglicanis aliquid memoriæ prodiderunt, ſequentes excerpti ſunt ex Bultellianæ bibliothecæ catalogo: GILDAS, qui auctior a Th. GALE editus. BEDÆ VENERABILIS *Hiſtor. eccleſ. gentis Anglor. lib. V. cum continuat.* GUILIELM. NEUBRIGENSIS. JOH. FROSSARD. *Anglicarum rerum ſcriptores poſt Bedam præcipui.* WILHELMUS MONACHUS MALMESBURIENSIS. HENRICUS ARCHIDIAC. HUNTIDONIENSIS, ROGERUS HOVEDENUS ETHELWERDUS & INGULPHUS ABBAS CROYLADENSIS *edente Henrico Savilio*, MATTHÆI WESTMONASTERIENSIS *flores hiſtoriarum*, FLORENTII WIGORNIENSIS MONACHI Chronicon ab initio mundi ad annum Chriſti 1307. ASSER MENEVENSIS, ANONYMUS *de vita Guilliemi Conqueſtoris.* THOMAS *de la* MORE, GUILLELMUS GEMITICENSIS, GIRALDUS CAMBRENSIS *collecti & editi per* GUIL. CAMBDENUM.

SIMEON MONACHUS DUNELMENSIS, JOANNES & RICARDUS, PRIORES HAGUSTALDENSES, AILREDUS ABBAS RIEVALLENSIS, RADULPHUS DE DICETO, JOANNES BROMPTON, GERVASIUS MONACHUS DOROBORNENSIS, THOMAS STUBBS, GUILLELMUS THORN, HENRICUS KNIGHTON per ROGER. TWYSDEN, INGULFUS ABBAS CROYLALDENSIS. PETRI BLESENSIS *continuatio Chronica de Mailros, Annales Burtonenſes, Hiſtoria Croylaldenſis continuatio e theatro Scheldoniano.*

Annales Marganenſes, Chronicon THOMÆ WIKES, Annales Waverleienſes, Hiſtoria Golfridi Vineſalvi; hiſtoria WALTERI de HEMINGFORD, GILDAS ſapiens, vita Wilfridi, NENII hiſtoria Britonum, JOH. ASSERII vita Alfredi, RANULPHI HYGDERI annales; POLY chronicon, GUIL. MALMESBUR. anon. *hiſtorio Rameſienſis, Elyenſis, RADULPHUS de DICETO. JOH. FORDUN, per GALE.*

SCHERINGHAM de Anglorum origine. JOAN. SELDENI analecton Anglo-britonnicon, JOAN. MILTONI hiſtoria anglico JAC. TIRELL hiſtoria anglica univerſa tom. I. (anglice) *Chronicon ſaxonicum, ſeu annales rerum in Anglia præcipue geſtarum, ſaxonice & latine EDMUNDO GIBSONE interprete, MATTHÆI PARIS.* H*iſtoria major Angliæ, a Guilielmo Conqueſtore ad mortem Henrici III. edente WILHELMO WATS. SAM. DANIELIS Hiſtorio Angliæ* (anglice) *POLYDORI VIRGILII hiſtoriæ anglicæ libri XXVII. edente ANTONIO THYSIO, LAMBERTI WOODI Florus anglicus ſeu hiſtorio anglica*(anglice) *WINSTONI CHURCHILLI obſervationes de vitis Regum Angliæ* (anglice) *RICHARDI BAKERI hiſtorio Regum Angliæ* (anglice) *Animadverſiones in Richardi Bakeri hiſtoriam,*

 (an-

(anglice) Il theatro britannico, ove hiſtoria della grande Brettagna, dopo l' origine della natione inſino a Carolo II. da GREGORIO LETI. Hiſtoire d' Angleterre par DU CHENE, Hiſtoire d' Angleterre par LARREY; Hiſtoire d' Angleterre par RAPIN THOYRAS. Hiſtoria Angliæ a gentis origine ad Guillelmum III. (anglice) Ælfredi magni Anglorum Regis vita ex Spelmanni verſione, EADMERI MONACHI CANTUARIENSIS hiſtoria novorum libri VI. edente cum notis JOHANNE SELDENO, J. HAYWARDI hiſtoria regni Henrici IV. Angliæ Regis pars I. (anglice)

ROB. COTTONIS brevis conſpectus regni Henrici III. (anglice) JOSUÆ BARNES hiſtoria Eduardi III. (anglice) WILHELMI HABINGTONIS hiſtoria Eduardi IV. (anglice) GEORGII BUCKII hiſtoria Richardi III. (anglice) FRANC. BACONIS hiſtoria regni Henrici VII. EDUARDI HERBERT de CHERBURY hiſtoria vitæ & regni Henrici VIII. (anglice) Hiſtoria THOMÆ WOOLSEY Cardinalis & Angliæ Cancellarii, complectens ipſius negotiationes & acta ſua Henrico VIII. (anglice) Hiſtoire du divorce de Henry VIII. Roy d' Angleterre & de Catherine d' Arragon par JOACHIM le Grand.

Annales des choſes plus memorables, arrivées en Angleterre ſous, Henry VIII. Edouard VI. & Marie, JOAN. HAYWARDI hiſtoria Eduardi VI. (anglice) Vita THOMÆ SMITH ſtatus Secretarii ſub Rege Eduardo VI. & Regina Eliſabetha (anglice) GUIL. CAMDENO. Annales rer. anglic. & hibernicarum, regnante Eliſabetha; THOMÆ HEIWODII hiſtoria Eliſabethæ, & tumultuum Angliæ per ipſius minoritatem, ad coronam ei impoſitam (anglice) Diarium actorum in Parlamentis ſub Regina Eliſabetha celebratis. (anglice) EDMUNDI BOHUNI caracter Reginæ Eliſabethæ, exhibens ipſius politicum regimen, virtutes & vitia, cum ejus præcipuorum Miniſtrorum caracteribus, & ſui temporis memorabilium expoſitione (anglice) JACOBI MELVILII collectanea hiſtorica de rebus præcipue in Anglia & Scotia geſtis: (anglice) Memoires hiſtoriques, contenans pluſieurs evenemens tres importans, & qui ne ſe trouvent point dans les autres hiſtoriens, principalement par raport a l' Angleterre & a l' Ecoſſe depuis l' an 1553. juſques a l' an 1600.

ROB. JONHSTONI hiſtoria rer. britannic. nec non & aliarum CLARENDON hiſtoire de la rebellion d' Angleterre. Actio in HENRICUM GARNETUM Jeſuitam & cæteras, qui Britanniæ magnæ Regem Jacobum I. & regni Ordines pulvere fulminali e medio tollere conjurarunt anno 1605. una cum orationibus Delegatorum (anglice) interprete GUIL. CAMDENO. Regis Jacobi I. oratio in regni Ordinum conventu Weſtmonaſterii anno 1605. habita poſt eandem conjurationem detectam &c. Conſpectus aulæ & caracteris Regis Jacobi I. conſcriptus ab equite A. W. teſte aculato (anglice) Synopſis vitæ & regni Caroli I. (anglice.)

WILHELMI SANDERSONIS hiſtoria Regis Caroli I. (anglice) Hiſtorica collectio, complectens ſtatus memorabilia ſingularia legalia & acta plurimum notanda varior. Parlamentorum, edente RUSHWORTH (anglice) THOMÆ FAIRFAX collectanea hiſtorica de rebus geſtis ab anno 1642. uſque ad annum 1644. (anglice) Equitis JOAN. BERCKLEY collectanea hiſtorica complexa ipſius negatiationem. (anglice)

BENZIL BARONIS HOLLIS collectanea hiſtorica (anglice) Relation des veritables cauſes & des conjonctures favorables, qui ont contribué au retabliſſement du Roy Charles II. par. D. RIORDAN DE MUSCRY.

Relationes & Obſervationes hiſtoricæ & politicæ ſuper acta in Parlamento ab anno 1640. ad Regis Caroli I. mortem. (anglice)

Infamia proditorum, exhibens irregularem & injuſtum proceſſum Regis Caroli I. &c. (anglice) Sylloge variorum tractatuum, ex anglico latine translatorum, quibus innocentia Regis Caroli I. illuſtratur, & parricidium injuſtiſſime & immaniſſime in illum perpetratur, declaratur &c. Le Portrait du Roy Charles I. fait de ſa propre main durant ſa ſolitude & ſes ſouffrances trad. de l' Anglois par le ſieur Borrée.

L' Iconoclaſte ou reponſe au livre intitulé: le portrait du Roy durant ſa ſolitude & ſes ſouffrances trad. de l' Anglois de Jean Milton; avec quelques pieces mentionnées en ladite reponſe. RICH. PERINCHIEF vita & mors Regis Caroli I. acceſſit Ἐικων βασιλικη imago illius Regis patientis, cum ejuſdem defenſione, qua probatur, Regem ipſum autorem eſſe hujus libri contra Comitem d' Angleſey, Doctorem Walcker & alios. (anglice)

Ἐικων ἄκλαστος, hoc eſt, imago integra & perfecta, ſeu conſpectus errorum ſuppoſitionum &c. (anglice) Defenſio regia pro Carolo I. autore SALMASIO, JOAN. MILTONI pro populo anglicano defenſio contra Salmaſii defenſionem regiam. SALMASII reſponſio ad Johannem Miltonum, opus poſthumum editum a Salmaſio filio.

Carolus I. a ſecuri & Miltoni calamo vindicatur.

JOHANNIS PHILIPPI reſponſio ad Anonymi cujuſdam tenebrionis pro Rege apologiam JOAN. MILTONI defenſio ſecunda pro populo anglicano contra libellum anonymum.

Ejuſdem defenſio pro ſe contra Alex. Morum auctorem recte dictum libelli inſcripti.

TH. BLOUNT BOSCOBE ſeu hiſtoria miraculoſa conſervationis Regis Caroli II. poſt pugnam Vigornienſem (anglice) GEORGII BATEI elenchus motuum nuperorum in Anglia.

TH. SKYNNER elenchi præcedentis pars III. ſive motus compoſiti. Elenchus elenchi, ſive animadverſiones in Georgii Batei elenchum motuum Angliæ. JAC. HEATHI flagellum, ſeu vita & mors Olivarii Cromwel Uſurpatoris (anglice)

gliće) *Politicus perfectus ſive Hiſtoria vitæ Olivarii Cromwel & bellorum civilium ſui temporis* (anglice) *Hiſtoire d' Olivier Cromwel juſqu' à ſa mort.*

La vie d' Olvier Cromwel, Collectanea hiſtorica de rebus anglicis ſeu relatio rerum geſtarum & actorum ſingularium (anglice.)

EDMUNDI LUDLOWI *collectanea hiſtorica, quibus res memorabiles ab initio regni Caroli I. ad an.* 1660. *enarrantur* anglice) *Les memoires d'* EDMOND LUDLOW, *contenans ce, qui ſ' eſt paſſé de plus remarquable, depuis le commencement du regne de Charles I juſqu' au retabliſſement de Charles II. traduit de l' Anglois*

JAC. HEATHI *Hiſtoria bellorum civilium Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ, cum actis memorabilibus relativis, nec non rerum extranearum connexione, cum J. Philips continuatione* (anglice) *Revolutions d' Angleterre depuis la mort d' Olivier Cromwel.*

Diverſes pieces ſervantes de reponſe aux diſcours publiez par les Hollandois ſur ce, qui ſ' eſt paſſé entre l' Angleterre & la Hollande.

Deſcription exacte dece, qui ſ' eſt paſſé dans les guerres entre l' Angleterre, la France, les Provinces unies, & Eveſque de Munſter, depuis l' an 1664.

Relation fidelle de ce, qui ſ' eſt paſſé pendant la guerre des Anglois & des Hollandois depuis l' an 1664.

La vie du General Georg Monck Duc d' Albemarle, juſqu' a ſa mort.

Equitis WILHELMI TEMPLE *aliorumque ſtatus Miniſtrorum litteræ, exhibentes geſta memorabilia ab anno* 1665. *ad* 1672. (anglice.)

HENRICI BENNET COMITIS D' ARLINGTON *litteræ ad Equitem Wilhelmum Temple ab anno* 1665. *uſque ad annum* 1670. (anglice) *Ejuſdem Comitis d' Arlington litterarum tom. II.* (anglice)

Juſtificatio præſentis belli contra fœderatum Belgium ſeu reſponſum libello inſcripto: Conſiderationes de præſenti ſtatu uniti Belgii. (anglice)

JOAN SMITH *narratio detectæ conjurationis Papiſtarum* (anglice) RICH. DUGDALE *narratio horrenda conjurationis, auſpiciis Gundemari legati hiſpanici ſuſceptæ, ad Papiſtarum religionis & factionis hiſpanicæ incrementum.* (anglice)

TH. DANGERFEILDS *narratio inſignis Papiſtarum in Presbyterianos criminationis, qua, eos conjurationis in Regem reos pratendunt.* (anglice) *Relation veritable de l' horrible conſpiration des Papiſtes contre le Roy Charles II. & contre religion proteſtante en l' an* 1677. & 78.

ROGERII COKE *conſpectus aulæ & ſtatus Angliæ, ſub Regibus quatuor ultimis, Jacobo I. Carolo I. Carolo & Jacobo II.* (anglice) *Hiſtoire des revolutions d' Angleterre, depuis le commencement de la monarchie tom. III. comprenant depuis le regne de Charles I. par le* PERE *d' Orleans.*

Recueil de pluſieurs pieces, concernant les affaires preſentes d' Angleterre, en l' année 1687. *Hiſtoria nupera rerum mutationis in Anglia, in qua res a Jacobo Rege contra leges Angliæ, & ab Ordinibus Angliæ contra Regem patratæ, recenſentur.*

Memoires de la derniere revolution d' Angleterre, contenans l' abdication de Jacques II. l' avenement de Guillaume III a la couronne, & pluſieurs evenemens de ſon regne juſqu'en 1689.

Hiſtoire abregée du Roy Jacques II. juſqu'a ſa mort, arrivée en France, Hiſtoire du Roy Guillaume III. depuis ſa naiſſance juſqu' a ſa mort par SAMSON.

JAC. WARÆI *de Hibernia & ejus antiquitatibus diſquiſitiones.*

RICHARDI STANIHURSTI, *de rebus in Hibernia geſtis libri IV.*

JAC. VARÆI *rerum hibernicarum annales.* &c.

TH. CARVE *lyra ſive anacephalæoſis hibernica, in qua de origine, nomine & moribus gentis hibernicæ tractatur.*

HECTORIS BOETHII *hiſtoria Scotorum, a prima gentis origine.* JOAN. LESLÆI *Epiſcopi Roſſenſis de origine, moribus & geſtis Scotorum libri X.*

GEORGII BUCHANANI *rerum ſcoticarum hiſtoria.*

L' innocence de Marie Reine d' Ecoſſe, où ſont refutées les calomnies d' un livre, ſecretement divulgué en France, L' hiſtoire & la vie de Marie Stuart Reine d' Ecoſſe, en la quelle elle eſt clairement juſtifiée de la mort du Prince d' Arlay ſon mary.

Apologie ou defenſe de l' honorable ſentence & tres juſte execution de Marie Stuart Reine d' Ecoſſe.

Quod ad Hiſtoriam regni eccleſiaſticam attinet, illi ſequentia inſerviunt ſcripta: *Angliæ ſacra, ſive collectio hiſtoriarum de Archiepiſcopis & Epiſcopis Angliæ, a prima fidei chriſtianæ ſuſceptione ad annum* 1540

De antiquitate britannicæ eccleſiæ, præſertim de privilegiis eccleſiæ Cantuarienſis atque Archiepiſcopis hiſtoria.

Antiqua conſtitutiones regni Angliæ, ſub Regibus Joanne Henrico III. & Eduardo I. circa juriſdictionem & poteſtatem eccleſiaſticam, ex archivis regiis in turri londinenſi fideliter collecta per GUILLELMUM PRYNE.

Hiſtoria anglicana eccleſiaſtica de NIC. HARPSFELDIO *deſcripta ac annexa Hiſtoria Wicleffiana, adjectaque brevis narratio de divortio Henrici* VIII. *Regis ab uxore Catherina, & ab eccleſia Cath. Rom. deciſione, ab* EDM. CAMPIANO.

Florum hiſtoriæ eccleſiaſticæ gentis Anglorum libri VII., collectore RICH. SCHMITHEO. *His adjuncta eſt epiſtola ejuſdem ad Jacobum Regem de mutuis officiis inter ſummos Pontifices & magnæ Britanniæ Reges.*

Eccleſiaſticæ hiſtoriæ gentis Anglorum libri V. MICH. ALFORDI *annales eccleſiaſtici & civiles Britannorum, Saxonum, Anglorum.*

SPEL-

floruere enim ſtudia literarum in Anglia a multis ſeculis, omnium antiquiſſimus eſt *venerabilis Beda* (a) qui vixit ſec. p. N. C. VIII. & ſub initium IX. fuitque Presbyter anglicanus, præter illum, quam maxime eminet *Mathaus Paris* (b) ſeu parieſienſis, qui vixit ſeculo XIII. & hiſtoriam anglicanam pro captu illius temporis ſcripſit perquam erudite; etſi enim fuerit Monachus Weeſtmonaſterienſis ſeu S. Albani, tamen, qualis tum fuit eccleſiæ anglicanæ ſtatus, & quemadmodum illa a curia romana fuerit vexata, non reticuit; plurima etiam, quæ alibi non reperiuntur, ille habet. Bellarminus in eleganti ſub libro deſcriptoribus eccleſiaſticis illum commendat, nec dubitat ex illo uno poſſe peti hiſtoriam concilii lateranenſis, quod ſeculo XIII, contra Frid. II. fuit celebratum. Cumprimis laudandus Polydorus Virgilius Italus, qui vixit ſub initium ſeculi ſuperioris tempore Henrici VIII. Hic ab origine gentis uſque ad ſuum tempus hiſtoriam anglicanam facunde eſt perſecutus, ille a multis *reprehenditur*, (c) in multis quoque commendatur. Hiſtoriam Henrici VII. eleganti libro perſecutus eſt Franciſcus *Baco de Verulamio* (d) regius Cancellarius, quæ quidem a facundia non laudanda, incredibile tamen eſt, quam habeat prudentiæ liber ille, quamvis exiguus; prout omnia Henrici acta etiam laudem merentur. Perſequitur enim ille hæc omnia, ut oſtendat, quam prudenter ab illo omnia ſint geſta. Exſtat deinde præclara hiſtoria Wilhelmi Camtdeni de rebus geſtis Eliſabethæ Reginæ, omnibus lectu digniſſima; nam Eliſabetha prudentiſſime Angliam gubernavit, & longe ſuperavit Jacobum. Camtdenus autem ipſe, dum vixit, non niſi partem primam illius hiſtoriæ edidit, alternam non eſt auſus edere. Alteram partem hujus hiſtoriæ debemus *Nicolao Peireſcio* (e) Gallo, literarum & literatorum ſummo ut propagatori, ita & fautori. Ejus vitam deſcripſit magni nominis Mathematicus Petrus Gaſſendus, quæ legi non poteſt abſque ſumma voluptate. Præter hos adhuc plurimi alii reperiuntur rerum anglicarum ſcriptores, omnes vero illos enarrare, non videtur neceſſum.

Pergendum jam ad enarrationem earum rerum, quæ ad rempublicam anglicanam faciunt, priusquam vero illud agam, antea dicendum eſt de ipſo populo anglicano. Primum itaque notandum eſt, inſulæ Brittanniæ antiquiſſimam memoriam reperiri apud *antiquiſſimos ſcriptores* (f) ut apparet, illam inſulam fuiſſe per commercia notam apud Carthaginenſes, qui rerum in Africa ſunt potiti. Non nomine *Anglia* (g) fuit tam nota, ſed alio & quidem non uno. Alii videntur appellaſſe *Albionem*, (h) quod nomen, unde ſit ortum, non eſt neceſſum inquirere. Videntur etiam non aliæ fuiſſe inſulæ, quam quæ veteribus dicuntur *Caſſiterides* (i) ab abundantia ſtanni, quomodo hodie eſt dives Anglia præ aliis univerſæ Europæ regionibus. Ceterum Germanis cæpit eſſe cognita, ex quo Julius Cæſar domuit univerſam Galliam, eamque in provinciam redegit. Ille autem non tantum contentus fuit domuiſſe Galliam, ſed etiam bis trajecit in Angliam, & licet res magnas ibi *non geſſerit* (k) tamen fuit omnium Romanorum primus, qui in Britanniam excurrit, tum etiam eſt dicta Britannia. Prima *vocis origo* (l) non conſtat. Claudio Cæſare Romani

Cæſares

SPELLMANNI *concilia, decreta, leges, conſtitutiones in re eccleſiarum orbis britannici.*

Apoſtolatus Benedictinorum in Anglia, ſive diſceptatio hiſtorica de antiquitate ordinis, congregatuſque Monachorum nigrorum S. Benedicti in regno Angliæ, cum appendice inſtrumentorum authenticorum.

Hiſtoria reformationis eccleſiæ anglicanæ a GYSBERTO BURNET.

(a) *Venerabilis Beda*) Hic gentis Anglorum hiſtor. eccl. litteris mandavit, in qua tamen non una ſunt, quæ ad ſtatum politicum pertinent.

(b) *Mathaus Paris*) Henrico III. Pontificis tyrannidem ſatis experto, admodum charus fuit. Anglicarum rerum hiſtoriam a Wilhelmo Conquæſtore uſque ad ſua deſcripſit tempora. BARONIUS *ad annum* 996. nihil habet, quod in hoc autore reprehendat, quam quod infenſiſſimo in ſedem pontificiam fuerit animo.

(c) *reprehenditur*) Minus de Polydoro Virgilio quæſtore in Anglia pontificio favorabile eſt judicium, quod SAVILIUS *in præfat. ad rer. Angl. ſcript.* habet, ubi *hominem Italum, in rebus anglicis hoſpitem, nec magni alioqui ingenii aut judicii vocat;* hiſtoriam autem ejus mendoſam exiliter & jejune ſcriptam dicit. Adde, quæ habet VOSSIUS *de Hiſtor. Latin. lib.* III. *p.* 678. & RAPIN *preface p.* 16. OWENUS *epigr.* 49. Moderatius de eo ſentit WHEAR *in method. legend. Hiſt.* Coarguunt adhuc in eo, quod multa, ad res britannicas ſpectantia, volumina Anglis abſtulerit.

(d) *Baco de Verulamio*) Baconis libellus vere politicus anglice conſcriptus, ab ipſo ejus autore deinde latine redditus. Idem de *unione Angliæ & Scotiæ* ſub Rege Jacobo libellum edidit.

(e) *Nicolao Peireſcio*) Vel potius Petro Putejano, cui ab autore concredita, & poſt ejus demum mortem lucem aſpexit. Adulationi ipſum aliquid dediſſe, nonnulli volunt, aliterque in annalibus ſenſiſſe, quam in privatis ad Thuanum literis. Ab hac tamen ſuſpicione ipſum THOMAS SMITHUS *in vita ejus* liberare nititur.

(f) *antiquiſſimos ſcriptores*) Vide CELLARIUM *in geograph. antiqua c.* IV. ubi Agathamerum, Ptolomæum, Strabonem alioſque citat.

(g) *Anglia*) Hoc nomine primum ſub Ina veniſſe videtur. SCHERINGHAMUS *de origine gentis Anglorum.*

(h) *Albionem*) Sunt, qui putant, hoc nomen vocabulo Alp, i. e. rupes vel collis deberi.

(i) *Caſſiterides*) Sed vide CELLARIUM *in Geographia antiqua lib.* II. *c.* IV. *p.* 4E4.

(k) *non geſſerit*) de expeditione Cæſaris in Britanniam vide ipſum *lib.* IV. V. *de bello gallico &* SUETON. *in vita Cæſaris c.* 15, 47. Non admodum proſpere Cæſarem in Britannia res geſſiſſe, patet ex LUCANO *lib.* II. *p.* 698. HENRICUS HUNTIGDONENSIS *lib.* I. ASSERIUS *p.* 141. Et licet Cæſar in tertia, qua Britanniam invadebat impreſſione, majori uſus fuerit ſucceſſu: nihilominus TACITUS in Agricola de eo memorat, *oſtendiſſe poſteris, non tradidiſſe Britanniam.*

(l) *vocis origo*) Verior eſt ſententia, nomen a brit. pictum, & tania regio eſſe derivatum. GABR. DANIELIS *diſſertatio de nomine Britanniæ.*

Cæſares ulterius ſunt progreſſi, & auſpiciis *Claudii* (a) Imperatoris Julius Agricola Eques romanus, præclarus inſuper belli Dux, petiit armis univerſam Britanniam, & ulterius etiam perſecutus eſt victorias ſuas auſpiciis Domitiani. Vid. TACITUS *in ejus vita*. Tota Britannia, etiamſi armis romanis petita ſit; tamen nunquam plane eſt domita. Septentrionalem Britanniæ partem, quam Scoti inhabitant, Romani videntur ſpreuiſſe ob locorum ſterilitatem triſtitiamque, & quia omnia illa incoluerint feræ gentes, quas domare non ita fuit facile. Hinc a Romanis diuidi cœpit Britannia, ut partem illam, quam nunc conſtituit Anglia, haberent tutam ab incurſionibus britannicarum gentium. Primus *murum ex ceſpite* (b) exſtruxit Hadrianus Imperator. *Severus* (c) Imperator alium murum lateritium fecit, qua parte inſula maxime eſt anguſta. Circa Newcaſtel *alii* (d) ex aggeribus murum fecerunt; tantum propterea, quod deſperarent, partem ſeptentrionalem poſſe ab illis teneri, quodque iudicarent, in illa tetinenda magnam operam eſſe ponendam.

Quænam gentes Romanorum temporibus incoluerint Britanniam, apparet ex parte *ex Tacito.* (e) Illam partem, quam tenent Scoti, dixerunt *Caledoniam*, (f) altera pars dicta eſt Lœgria/ quemadmodum Anglia, quæ Scotiæ eſt proxima, dicta eſt *Lægria* (g) ſuperior, altera inferior. Manſit ad hunc modum Britannia major uſque ad tempora Theodoſii II. ſec. IV. Eo tempore coacti ſunt Romani, ut tuerentur Italiam & Galliam adverſus irruptiones barbararum gentium, cumprimis germanicarum, præſidium, quod alias in illa inſula habuere, revocare, & ita Britanniam relinquere. At ſimul receſſit romanum præſidium, Britanni illi, larga pace emolliti & effœminati, non amplius fuere pares ſeptentrionalibus populis illius inſulæ. Partem illam ſeptentrionalem incoluere duo populi Picti & Scoti, illi videntur eſſe germanicæ, hi vero hybernicæ originis, qui fœdere facto, inuaſere Britanniam majorem, & miſerrime vexarunt, cum Britanni non eſſent pares rebus ſuis tuendis, & deſueti arma gerere, hactenus tamen ſcilicet Romanorum præſidio fuerant tuti, numero quidem illis Britanni erant ſuperiores, animus tamen bellicoſus illis defuit. Quid fit? Miſerrime ita vexati Britanni, cum eodem tempore Saxones, quos credo, illo tempore maxime habitaſſe in Holſatia & ducatu ſleswicenſi, piratica eſſent nobiles, & infeſtarent Galliam, Hiſpaniam & univerſum littus oceani, a Britannis *in auxilium acciti ſunt* (h) contra Scotos & Pictos. Ceterum Saxones, videntes illam regionem ſua eſſe meliorem, & præterea Britannos eſſe effœminatos, violata hoſpitii & fœderis fide, ipſos Britannos cœperunt aggredi & ſolo pellere. Erant quidem illi Saxones a Britannis vocati in auxilium, ſed ipſi tandem aliquoties fuſos Britannos in magnas anguſtias, deinde in partem Britanniæ montibus cinctam, tandem partem eorum in Galliam redegerunt. Coacta ita fuit magna pars Britannorum ex patria ſua migrare in Galliam, ibique hodie incolit partem Galliæ, quæ hodie minor Britannia appellatur, pars alia remanſit in Brittannia, ſed in illas anguſtias impulſa fuit, quas adhuc hodie incolit, & quam poſteri vocarunt *Walliam.* (i) Hinc Wallia hodie utitur aliis inſtitutis, & etiam alia lingua, quam reliqui Angli, Walli certe ſeu Cambri plane ſunt diverſi ab Anglis, ſunt enim illi antiqui Britanni, cum Angli ſint nova quædam natio. Anglorum nomen occurrit apud Tacitum de moribus Germanorum, & numerantur illi inter populos Germaniæ, & quantum ex Tacito & Ptolomæo liquet, Angli videntur vixiſſe in ducatu meklenburgico. Inde videntur, relicta patria ſede, pulſi in regiones ſeptentrionales & in ducatum ſleswicenſem, in hoc ducatu ſupereſt hodie regio, quæ Angela vocatur. Hi Angli una cum *Saxonibus* (k) migrarunt in M. Britanniam. Saxonum nomen occurrit apud Ptolomæum, & quantum apparet, illi habitarunt in Holſatia. Hi Saxones cum latrociniis & piratica eſſent infames: bonam enim Germaniæ partem ſub jugum miſere, quam Chauci ſeu Cheruſci ſiue Thuringi incoluerunt. In ducatu enim brunſuicenſi & luneburgenſi & Magdeburgenſi: & quidquid fuit intra Viſurgim & Albim, tenuere Chauci, uti hoc præclare oſtendit Tacitus. Hos Chaucos alii Germani dicuntur viciſſe, & quantum ego arbitror, Saxones ſunt chaucicæ originis, & ex ſaxonico ſanguine, credo, jam ſupereſſe nullos præter aliquos nobili loco natos. De illa re alias. Saxones illi juncti Anglis, migrarunt in Britanniam, eamque terram ſui juris fecere, quam hactenus Britanni tenuere. In illa autem minu-

ta terra

(a) *Claudii*) Huic occaſionem Britanniam invadendi partam eſſe dicunt, quod Guinderius Rex tributum, quod ex Julii Cæſaris tempore Romanis pendebant, præſtare negaverit. RADULPHUS DICETUS *p.* 555. MATTH. WESTMONASTER. *ad ann. Chriſti.* 22. *p.* 46. Alias claudianæ expeditionis ſcriptores romani referunt cauſas.

(b) *murum ex ceſpite*) Vide SPARTIANUM *in vita Adriani* BUCHERIUM *in Belgio romano. p.* 190. *p.* 469. DOUSAM *in annal. belg. p.* 60. Hic murus ab Antonino pio reſtauratus dicitur.

(c) *Severus*) Hujus murus ab Hadriani vallo diſtinctus fuit. CELLARII *geograph. antiqua lib. II. c. IV. p.* 433.

(d) *alii*) Vallum etiam aliquod a Gallione Ravennate conditum dicunt. GALE *ad Antonini iter p.* 38.

(e) *ex Tacito*) *in Agricola c. XI.*

(f) *Caledoniam*) CELLARII *geographia antiqua lib. II. c. IV.*

(g) *Lægria*) Hinc Angliam diviſerunt in Lœgriam & Walliam.

(h) *in auxilium acciti ſunt*) Factum hoc eſt ſub Vortigerno Rege. *Chronicon ſaxonicum* in latiale a Gibſonio tranſlatum idioma *p.* 11. *ſeqq.* BEDA *lib. I. c.* 13.

(i) *Walliam*) CAMBDENUS *in Britannia p* 66, 67.

(k) *Saxonibus*) CAMBDENUS *l. c. p.* 96. *ſeqq.*

ta terra *VII. regna* (a) conſtituere, hodieque io Anglia ſupereſt nomen Saxonum, illique ſuam linguam appellant ſaxonicam. Superſunt & ibi oomina Eſſex & Suſſex. Eſſex eſt Oſt Sachſen/ Suſſex Südt Sachſen/ item Weſſex Weſt Sachſen. Interim inter Anglos & Saxooes oon bene coovenit; inter illos enim ſunt orta graviſſima bella. Factum eſt ſeculo X. ut, exciſis omnium Saxonum regiis familiis, taotum ſupereſſet una familia regia anglicana, cum antea Saxones Reges varios haberent, familia autem illa regia anglicani populi apud populum ita valuit, ut *Rex Egbertus* (b) etiam edicto terram illam appellari juſſerit Engeland. Ita ibi deſiit regnum Saxonum, nec populus amplius ſaxonicus, ſed anglicus eſt appellatus, & ita etiam Heptarchia Saxonum & Anglorum eſt mutata in monarchiam anglicam. Ex eo tempore omoem illam terram tenuere populi anglicani, oon quod Saxones ſiot extincti, ſed quod amiſerint nomen, illudque mutarint in uoum oomen Anglorum. Notatu dignum eſt, quamquam ad hunc modum Angli cæperiot præ aliis eminere, interim regio illa omnis per 320. annos circiter ab aliis fuit miſerrime vexata. Cum enim enormia illius gentis vitia invaluiſſent, incurſiones in Aogliam ſecere gentes ſeptentrionales. Teſtatur Matthæus Weeſtmonaſterienſis, per 230. annos a Norwegis, *Danis*, (c) Suecis, Vandalis & Friſiis adeo illam terram eſſe vexatam, ut etiam hoſtes omoia exciderint, Reges Daniæ aliquando *omnem illam terram* (d) ſuo imperio tenuerint. Interim vires reſumſerunt, oriuodi ex veteri ſtirpe anglicana regia, ſed oon multum illa fortuna duravit. Ex Gallia ſive ex Normannia, Dux Normanniæ, nomine Wilhelmus, cum juſta belli cauſa haud eſſet, oon dubitavit trajicere fretum gallicum, & milite inveſtare Britaoniam, &, in acie devicto & interfecto Rege, univerſam Angliam ſui fecit juris. Hic Wilhelmus ſolet ab Anglis dici Conquæſtor, quod armis conquæſierit, hoc eſt, ſuperaverit Angliam. Ab illo Wilhelmo deſcenduot *omnes Reges Angliæ*, (e) adeoque apparet, regiam familiam oon ita eſſe anglicanam, & Aoglos regiæ familiæ parere, ut victi ſolent victoribus. Wilhelmus autem & ejus ſucceſſores indignis modis vexarunt Angliam, eamque fere redegerunt in ſervitutem. Excideruot quoque, quicquid fuit generoſi ſanguinis ſaxonici & anglicani, ita ut *vix nobilis* (f) aliquis reperiatur, natus ex familia ſaxonica aut anglicana veteri. Qui hodie ſunt, antiquiſſimæ nobilitatis, ſunt Normannici ſanguinis uſque adeo familia illa normannica depreſſit Anglos veteres, & Angli idem ſunt paſſi a Normannis, quod Britanni olim ab Anglis. Hodie omnes & Aogli victi, & Normanni victores io unum coocreverunt corpus.

Hiſce præmiſſis, ordine conſueto illuſtrabimus ipſam rempublicam, ioitium faciendo a cauſa naturali. Facile patet, ſiquidem mappa quædam ſit ad maous, Angliam fere eſſe inſulam, & non niſi exigua parte conjungi cum Scotia, & inde porro patet, Angliam non a quoquam poſſe terreſtri itinere peti, niſi a Scotis, cum autem Scoti ſint viribus multo *inferiores Anglis*, (g) conſtat, Aogliam hac parte ſatis eſſe tutam. Hinc apparet, Angliam peti non poſſe, niſi a populo, claſſe valente Olim, ut dixi, Aogli ſunt a Saxonibus miſere vexati. Deinde a Norwegis, Danis, Vandalis Friſiis, ſed tale quid tulere Angli ab iis, qui claſſe valuerunt; Angli enim tum claſſe oon erant potentes, quum a Normannis ſunt victi. Quando autem Anglia valet claſſe, non poteſt ſibi temere a quodam metuere. Anglia non multos habet *portus* (h) a parte, qua reſpicit Germaniam & Galliam, neque habet *multos fluvios* (i) qui ſe exonerant in mare. Hoc autem juvat, quo minus hoſtilis impetus ſit metuendus; qui enim claſſe vult Angliam aggredi, non ita facile invenit portum, ubi poſſit deſceodere. Ab altera etiam parte

(a) *VII. regna*) Ultimus Britannorum Rex Cadawaldarus ſe Romæ monaſterio mancipavit. ASSERIUS, RANULPHUS HIGDENUS, RADULPHUS DICETUS *ad ann.* 689. Heptarchia illa complexa eſt: Cantium, Suſſexiam, Eaſtangliam, Weſtſexiam, Eſſexiam, Merciam. Hæc minuta regna, non eodem orta tempore, fata habuerunt, ut uoum ab alio abſorptum ſit, uſque dum omnia ſub Weſt-Saxonum venerint poteſtatem. LANGHORN *in chron. rer. anglic.* Septem illa regna diviſioni regni in 7. provincias occaſionem præbuerunt. Hæ ab Alvredo in Shyre ſive comitatus diviſæ. Horum Anglia habet 39, Wallia 13, Scotia 35. Hibernia autem in quatuor eſt diſtributa partes.

(b) *Rex Egbertus*) Hic anno 818. ſibi omnia Anglo-Saxonum ſubjecit regna, WILHELMUS MALMESBURIENSIS *lib. I. c.* 1. HOVEDENUS *annal. part. I. p.* 411. POLYD. VIRGILIUS *lib. V. p.* 124.

(c) *Danis*) CAMBDENUS *in Britannia p.* 109. Ad horum invaſiones reprimendas, populo tributum, quod Dangelt vocatur, eſt impoſitum.

(d) *omnem illam terram*) Primus, qui ex Danis in Anglia rerum potitus, fuit Canutus, cui ſucceſſit Haraldus filius. Hic prolis expers denatus, regnum ad fratrem ſuum conſanguineum Hadeknutum tranſmiſit. In hoc Danorum in Anglia regnum deſiit, & ad regni gubernacula Eduardus Confeſſor Ethelredi ex Emma filius, qui hactenus in Normannia latitaverat, vocatus fuit. Deſtinaverat Eduardus, ex docta Ednha nulla prole beatus, regnum Edgaro Adelingo Eadmundi Ironſidis filio, cui teneræ admodum ætatis regnum ab Haraldo prærеptum eſt. Contra hunc arma Wilhelmus Normanniæ Dux, ex illegitimo thoro natus, ſumſit, & militem in Angliam trajecit, pretexens, ſibi ab Eduardo Confeſſore, cum exilium in Normannia ſuis maximam partem pateretur ſumtibus, regnum promiſſum eſſe. Pugnabatur deinde ad Hoſtingium, ubi Haraldi mors Wilhelmo victoriam & regnum peperit.

(e) *omnes Reges Angliæ*) Si non ad maſculinam, tamen quoad fœmininam ſtirpem; Henricus enim Plantageneta ex Mathilde Wilhelmi Conquæſtoris nepte & Henrici I. filia natus fuit.

(f) *vix nobilis*) conf. IMHOFII *Regum Pariumque magnæ Britanniæ Hiſtor. genealog. part. poſter.*

(g) *inferiores Anglis*) Hodie Scoti cum Anglis ſub uno Rege unum conſtituunt populum.

(h) *portus*) Portuum nobiliores in littore anglico ſunt: Sandwich, Duyns, Dower, Newcaſtel, Pleymouth, Falmouth, Rocheſter, Ciceſter, Portſmouth, S. Helene, Briſtol.

(i) *multos fluvios*) Præcipui ſunt: Thameſis, Trenta, Deva, Sabrina.

parte, qua reſpicit Hiberniam, paucos habet portus, nec eſt, quod Aogli ſibl ab Hibernis metuant, cum illi claſſe noo valeant. Hodie oullus populus reperitur, qui Anglis potentia maritima par ſit. Dubiam illis palmam videntur facere poſſe Hollandi, qui quidem numero navium *mercatoriarum* (a) prævalent, ſed bellicarum & magnarum oauium oumero prævalent Angli a temporibus Henrici VII. Anglia tantum cœpit valere, itaque potentia ejus maritima crevit iotra 200. annos. Quomodo ad potentiam illam ſapientia Henrici pervenerint, dicam infra. Proxima Angliæ eſt Gallia, & facilis eſt trajectus ex Dubrio Caletum verſus, aut Greveliogam, aut Dunkerkam. Notandum autem eſt, Regem Angliæ diu tenuiſſe magnam partem Galliæ, cumprimis Caletum, ſed illud ſuperiori ſeculo tempore Eduardi Regis rurſus *amiſere* (b) Angli. Neſcio autem, qua calliditate effecerit Cromwellius, ut, ipſis Gallis curantibus, Aoglis ceſſerit Dunkerka, quæ ſupplet locum amiſſi Caleti, ſi quis videat ſitum Dunkerkæ & Aogliæ, non obſcure videbit, fretum illud teneri duobus clauſtris ab Anglis. Certe non potui ſatis admirari *conſilia* (c) Cardinalis Mazarini, qui in occupanda Dunkerka Cronwellium adjuverat. Tanta hinc profecto Anglis acceſſit potentia, ut omnibus vicinis ſint formidabiles. Hæc eſt cauſa, quare Galli, Hiſpani & Hollandi ſint ſollitici, ut Dunkerka iterum perveniat in maous Hiſpanorum, quia vident, clauſtra illius freti teneri ab Anglis, mallent autem illi, fretum illud diuidi, uti fretum ſundicum eſt diviſum, cujus alteram partem tenet Danus, alteram Suecus, cum antea illud ſoli Dani tenereot. Ioter Suecos enim & Danos nuoquam bene conveniet, itaque major erit per fretum illud navigandi libertas. Ad hunc modum vellent illi, Dunkerkam teneri ab Hiſpanis, inter quos & Anglos alias nunquam bene convenit. Ex nuperis novellis patet, quaſi Angli Dunkerkam velint *reddere* (d) Hiſpanis, ſed illis hactenus non potui credere, quod ſi fiat, majorem certe Angli non poſſent inſanire inſaoiam; tantum enim ſitum eſt in illo loco. Fretum illud gallicum noſtris aliisque navibus, quæ non ſunt adeo magnæ, eſt pervium ſed maximis navibus, quibus utuntur Hiſpani, minus eſt pervium ob multas ſyrtes & arenas, quodque mare ibi magis ſit vadoſum & obnoxium acceſſui & receſſui maris. Cum ſuperiore ſeculo Philippus II. Rex Hiſpaniæ immani claſſe, qualis non fuerat viſa a condito mundo, intenderet occupare Angliam, in illo freto non potuit aliquid facere operæ pretium, quia ſibi metuebat ab arenis, ideoque non auſus eſt aggredi Angliam. Et certe hæc omnia admirando DEI conſilio tum contigere. Hæc circa ſitum Angliæ ſunt notanda. Terra ipſa eſt fœcundiſſima, & cœlum illius regionis eſt miræ clementiæ, humidius quidem, ſed ſimul calidius, & ita omnis etiam generis *frugum ferax*. (e) Eſt certe terra illa beata, & ab omnibus ad vitam neceſſariis inſtructiſſima, fert omnis generis frumenta, ut ita Anglia ſuo populo alendo abunde ſufficiat, modo cœlum reſpondeat. Poteſt etiam adeo frumeotum devehi, arborum etiam omnis generis eſt ferax, non tamen *vitis* (f) & oleæ, qua parte præcellit Gallia Narbonenſis. *Roſmarinus* (g) ibi aliæque herbæ oobiles etiam in ſylvis io magna copia creſcunt, Arbores, cum aliæ ſint frugiferæ, aliæ ligno tantum utiles, omnis generis habet Anglia, habet arbores, quæ ad exſtruendas claſſes & domus ſunt neceſſariæ. Metallorum etiam eſt *ferax* (h) hodie cumprimis maximas habent diuitias ſtanni, ita ut ousquam terrarum tam nobile ſit ſtannum, quam Engliſch Zinn/ profecto longo intervallo ſuperat brunſuicenſe, & aliud Germaniæ ſtannum, ferri etiam tantum, quantum ſufficit, habet, auri & argenti non quidem habet magnam copiam, ſed æris, ſtanni *& plumbi* (i) plurimum habet. Non caret inſuper Anglia ſuo marmore, quamquam illud non mereatur comparari cum Italico. Aliis quoque lapidibus Anglia eſt ſatis inſtructa, ut, ſi terram videas, non temere reperiatur, quod *ſuperet Angliam*. (k) Hodie in Anglia ſunt alicubi ſolitudines, ſed illæ curâ Regum ſunt inductæ paſceodo *pecori ovillo*; (l) cum enim antehac multi ibi eſſent vici, Reges vicos exciderunt, ut regio

(a) *mercatoriarum) Relationi del Cardinale Bentivoglio Cap. VII.*

(b) *amiſere)* Caletum 1558. ad Gallos rediit.

(c) *conſilia)* Cromwelli amicitiam & auxilia, ad opprimendos Hiſpanos, hac ratione redimere coactus fuit.

(d) *reddere)* Non Hiſpanis redditam, ſed Gallis venditam, & ex ultrajectinæ pacis conventione munimentis & portu nudatam eſſe, alibi docui.

(e) *frugum ferax)* TACITUS *in Agricola c. XII. Etat preſent d' Angleterre par* CHAMBERLAIN *ch. IV.* MIEGE *ch. III. Dictionaire geographique de* BAUDRAND. *p.* 68. *Voyages hiſtoriques de l' Europe tom. IV. p.* 8.

(f) *vites)* Alit quidem tales, ſed earum uvæ in vinum non matureſcunt.

(g) *Roſmarinus)* BARCLAJUS *in icone animorum p.* 38.

(h) *ferax)* Vid. Autores ſupra citatos. In Cornvallia & epiſcopatu durhamenſi ſunt argenti venæ, ſed, ob immenſam fodinarum profunditatem, argentum inde erui non poſſe, dicitur.

(i) *& plumbi)* Nec cupro & ferri fodinis deſtituitur. His accedunt carbones terræ (Steinkohlen.)

(k) *ſuperet Angliam)* Henricus VII, qui a ſuis, ut de acquirenda Gallia cogitaret, ſolicitabatur, dixiſſe fertur: *qu' il etoit vrai, que la France etoit un beau royaume, mais que l' Angleterre a ſon ſens etoit une belle terre, pour un gentilhomme de la campagne.* CHAMBERL. *Ch. IV.*

(l) *pecori ovillo)* Hoc ſecure admodum in paſcua agitur, cum regnum lupis deſtituatur. Variæ ejus rei referuntur cauſæ. Aliqui dicunt, terram rapacia illa non pati animalia: alii vero pedetentim illa exſtincta eſſe. Huic accedit, quod Anglia fortiſſimis ſit inſtructa moloſſis, quos *dogues* vocant. Maxime miratu dignum eſt, quod, cum vicini Scotiæ montes lupis abundent, eorum nulli in Angliam penetrare audeant. Porro in Anglia tanta eſt aeris clementia, ut per novem menſes oves ſub dio manere queant. BARCLAI *icon animorum c. IV.*

ut regio illa plus ovium paſcere poſſet. Quoad animalia, notum eſt, oves anglicanas & magnitudine & *præſtantia ſua ſuperare* (a) europæas oves; oullibi præterea reperitur tanta copia ovium, quam in Anglia; gens enim illa per aliquot ſecula dedita fuit vitæ paſtoritiæ, inprimis cura Henrici VII. Regis. Abundat Anglia præſtantiſſimis equis, & bobus, & omnis generis armentis. Neſcio, unde Angli nacti ſiot illud geous moloſſorum, illi magnitudine ſua ſuperant omnes europæos canes. Inter Phyſicos controvertitur, qua de cauſa aer Angliæ ſit longe temperatior & mitior, quam Germaniæ: tametſi olim Anglia oon fuerit dives equorum; hodie tamen illis abundat; cœpit illa equorum abundantia circa tempora Eliſabethæ Reginæ, quæ juſſit, ſubditos curam equorum gerere, inde ita ſuccrevit numerus equorum, ut etiam Anglia poſſit provocare generoſitate equorum vicinas regiones omnes. Notum præterea eſt, quantum Anglia piſcibus abundet, & nullibi ea præſtantia & abundantia halecum reperitur, quam in oceano britannico. Ideoque & Batavi, qui halecum piſcationi incumbunt, ousquam eam vim halecum ſolent capere, quam in mari anglicano. Eſt autem hac de re nobilis controverſia inter *Batavos & Anglos.* (b) Angli cum videant, quantum lucri præſtet illa piſcatio, Batavos ab antiqua poſſeſſione & piſcatione voluot arcere, eo prætextu, quod illa piſcatio fiat in oceano britanoico, & intra limites regni anglicani, quod Batavi quidem fateotur, ſed contra prætendunt, quod iam a 200. annis illam piſcationem excoluerint, quotannis in recognitionem, dato exiguo canone. Batavi itaque oolunt, ſe expelli, ſibique eripi jus piſcandi, quod diu jam habuerunt. Nobilis itaque eſt controverſia partis utriusque, quænam vero gens *obtentura ſit*, (c) tempus dabit. Prodiit aotehac liber Grotii tit. *Mare liberum*, quo Grotius tacite ipſe voluit indicare jus piſcaturæ Batavis uti ubique, ita etiam in oceano britaonico competere. Ille autem liber male eſt receptus a Jacobo Rege Angliæ, fatetur autem ipſe Grotius, mare uſque adeo noo cuivis eſſe liberum, ut piſcatio cuilibet in quovis mari competat. Certe, quæ Grotius diſputat de mari, magnam partem nullius ſunt momeoti, & ab ipſo ſunt agnita, non niti firmo fundamento, ut patet ex lib. de *J. B. & P.* ubi etiam hoc argumentum, ſed breviter tractat. Illa, quæ ad ſolum Angliæ præter hæc pertinere poſſunt, petantur ex *eleganti diſſertatione* BATERI *de regno Angliæ.*

Dicam jam de ipſis hominibus & de origine incolarum. Dictum autem eſt, eos eſſe *origine Germanos*, (d) Saxones nimirum & Anglos junctis viribus occupaſſe illam inſulam. Eorum poſteritas adhuc in Anglia ſupereſt, niſi quod Normanni & alii etiam illuc pervenerint, ſed inæquali oumero. Quoad oumerum, Anglia *abundat* (e) omnis generis hominibus, ita ut etiam hac in parte Anglia poſſet videri ſuperare Galliam, licet hæc ſit longe amplior, tamen pro anguſtis illis terminis Aoglia Galliæ *prævalere* (f) videtur. Batavia adhuc majori hominum copia abundat pro reginnis anguſtia. Angli corpore ſunt *egregii*, (g) nec temere videas Anglum, non egregio ſatis corporis robore, quod indicat ſalubritatem regionis, ubi enim homines ſunt corpore ſano & bene habito, neceſſe etiam eſt, ut ibi ſit ſalubris äer, & optima victus ratio. Corpore Angli ooo ſunt deformes, & cumprimis homioes ſexus muliebris ſunt forma eleganti. Quod ad mores & iodolem populi attinet, apparet, *indolem* (h) populi eſſe eam, quæ apta *omnis generis rebus* (i) ad vitam neceſſariis, modo bene inſtituatur. Habilem eſſe gentem ad omnia, iodicant varia ſtudia eorum pro diverſitate Regum, prout enim Angli habuere Reges bellicoſos, vel pacis artibus deditos, ita & ſe illi habuere. Quam facilis ſit populus *in bellum* (k) indicant bella, tempore Eduardi III. geſta. Hic fuit omnium Regum feliciſſimus, & milite anglicaoo res geſſit maximas, in ipſa etiam Gallia adeo, ut etiam Regem Galliæ Juhannem aliquoties ſuperaverit, & in captivitatem redegerit. Superavit etiam Regem Scotiæ, & alios Principes multos; omnia enim egit milite ſuo anglicaoo. Omnia autem hæc debentur Regum curæ

(a) *præſtantiâ ſua ſuperare*) Elegantiſſimam illæ præbent lanam, quam ad exteros ferre, nefas eſt: ſed optimi inde panni domeſtica texuntur manu. Refertur autem lana inter Angliæ mirabilia, quæ ſequentibus exprimuntur verbis: *Anglia, mons, pons, fons, eccleſia, fœmina, lana.*

(b) *Batavos & Anglos*) Vid. BYNCKERSHOCCKII *diſſert. de dominio maris* BECMANN *in hiſtoria orbis terrar. c. IV. §. XIIX.*

(c) *obtentura ſit*) Controverſiam hanc conventione cum Cromwellio & Bredana pace ſopitam eſſe, alibi monui.

(d) *origine Germanos*) Britanni gallica erant propago, quibus deinde aliæ admixtæ fuere gentes. TACITUS *in Agricola c. XI.* CAMBDENUS *in Britannia p.* II.

(e) *abundat*) MIEGE *ch. V.*

(f) *prævalere*) Creditum eſt, Angliam 5446000. homines inhabitare, & inter eos millionem, ut ajunt, armis ferendis aptam reperiri. Sed numerus incolarum ex Gallis, reformata ſacra ſequentibus maxime auctus eſt.

(g) *egregii*) STRABO *lib. IV. p.* 200. CHAMBERLAIN *partie II. ch. I.* Exoptatum corporis habitum inde aliqui arceſſunt, quod inter frigidos & calidos ſint medii.

(h) *indolem*) Melaucholico plerique eorum ſunt temperamento, quod tamen multum ſæpe ex cholera & ſanguine admixtum habet. Melancholiæ gentis adſcribunt, quod in ea tot reperiantur fanatici, & autocheiriæ ſævities ibi frequens fit. BARCLAI *icon animor. p.* 44. Autocheiriam JOHANNES DONNE in tractatu βιαθάνατος ſatis lubricis tuitus eſt argumentis.

(i) *omnis generis rebus*) Solent tamen Murciæ & Vacunæ opifices litare, & horas, quas otio impendunt, ſibi quoque ab opificiorum redemtoribus ſolvi volunt. Unde caco plerumque res in Anglia factæ venduntur pretio.

(k) *bellum*) CHAMBERLAIN *part. II. ch. I. p. 243. ſeq.* ſequentia habet. *Quant au courage des Anglois, il n'y en a point de pareil au monde, car ou voit-on affronter la mort avec plus de fermeté, que parmy eux? ſoit qu'ils meurent dans leurs lits, ou ſur un echaffaut; je vous avoue, que cela ſurprend, que des gens, qui vivent ſi fort à leur aiſe, ſe ſoucient ſi peu de la mort. Pour ſe battre ils ne ſont pas ſi prompts, que le François, qui ſe querellent & ſe battent pour la moindre choſe, ce n' eſt pas manque de courage, c' eſt qu' ils reſpectent leurs loix, qui ſont fort ſeveres ſur ce point-la.*

curæ, ſi enim Reges ſint molles, populus etiam fit talis. Sic temporibus Regis Jacobi, qui a bellicis artibus erat alieniſſimus, populus etiam factus eſt effæminatus, & generoſitas populi anglicani fuit emollita: tempore autem Eliſabethæ Reginæ, quæ ſemper ſibi metuebat, & bella ſpirabat, populus ſic ſatis fuit bellicoſus. Quod ad virtutes *morales* (a) attinet, Angli rebus ſecundis ſolent eſſe molliores & intemperantiores, rebus contra arduis, ſi Regis etiam ſtudia acceſſerint, temperantes, & ſic ſatis bene vivunt. Sub Cromwellio miles fuit fortis, & temperantiſſime vixit, præter morem reliquorum Anglorum, quos diuturnæ res ſecundæ corripuerunt. Populus eſt alias *fortis* (b) & aptus ferendis malis plurimis, & variis *ærumnis* (c) apparet hoc ex ſtudio *rei nauticæ*, (d) ex quo cæpere rei nauticæ operam dare Angli, adeo hac in parte populus ſe cæpit præbere generoſum, ut non alibi temere reperias populum, qui Anglos ſuperet. Batavi quidem hac in re illos æquant, non tamen ſuperant. Rei autem nauticæ ſtudium apud Anglos non eſt adeo antiquum, ſed cæpit prudentia *Henrici VII.* (e) qui belli & pacis artibus maxime valuit. Legatur vita ejus deſcripta a Franciſco Verulamio. Breviter quidem enarrabo, unde poſſit conſpici virtus Henrici VII. Quo tempore ille cœpit rerum potiri in Anglia, obſervavit, populum anglicum ſe mutuis uſuris conficere, obſervavit, ditiores pecuniam aliis concredere in uſuram, & ita ditiores uſuris pauperes emungere. Obſervavit porro, Angliam, licet populus viveret in inſula, & terra rei nauticæ idonea, navibus non niſi parum eſſe inſtructam. Obſervauit quoque, populum pauperem agro colendo incumbere, unde tamen non magnum fructum poſſet capere. Quid fit? Cum in Anglia omnis ager eſſet regius, (inde a temporibus Wilhelmi Conquæſtoris) hinc omnes qui agrum colunt, ſunt coloni regii. Rex ille, ut, populum compellat ad rem nauticam, eripuit bonæ parti ruſticorum agros, incendit etiam vicos, & alia in ſterilioribus locis, ita, miſeris hominibus inde pulſis, nil ſuperfuit, unde victum quærerent. Tum idem Rex juſſit, ut omnes, qui pecuniam uſuræ locaſſent, redimerent, nolle enim ſe uſuras pati. Tum omnes ditiores coacti ſunt pecunias demum iterum revocare. Juſſit deinde Rex, ut pecuniam illam impenderent ſtruendis navibus & commerciis nauticis, & illi hoc facere ſunt coacti. Porro populum agris jam pulſum, juſſit naves conſcendere, ita populus agreſtis factus eſt nauticus, & brevi plurimæ naves confectæ ſunt. Tum populus agreſtis antehac pauper, factus eſt dives, & tum ex eo tempore crevit hominum numerus; reliqui enim ſponte ſua reliquere agreſtia, cum majores fructus poſſent capere ex re nautica. Ne autem agri in ſolitudinem redigerentur, Rex juſſit, ut oves magno numero in regno paſcerent. Loca enim ſterilia erant apta paſcendis ovibus, ita Anglia cœpit abundare copia ovium, navibus & commerciis nauticis. Hæc omnia ſunt

(a) *morales*) Scaliger parum æquus in Britannos eſſe videtur, quando eos *inflatos & contemtores, immanes & inhoſpitales* vocat. Audiamus hac de re loquentem CHAMBERLAINUM *part. I. p.* 246. *Le caractere, inquit, que Scaliger donne aux Anglois, en les appellant inflatos & contemptores, a quelque fondement, car ils ſont en effet un peu orgueilleux & mepriſans ſur tout a l' egard des etrangers; ſ' il y a de la raiſon a etre orgueilleux, les Anglois l' ont de leur coté plus, que nation du monde Les meme Scaliger les accuſe de cruauté & rudeſſe,* immanes & inhoſpitales. *Il eſt vrai, que les Anglois ne ſont pas generalement ſi civils & affables aux etrangers; cependant depuis la perſecution de Proteſtans en France il n'y a point de nation chretienne, qui ait receu ces pauvres perſecutéz avec plus de charité & de bonté ils, ont fait ſouvent des collectes pour eux, on en a eu un ſoin ſi grand, qu' ils n' nont manqué de rien. D' allieurs je ne vois pas, que les Anglois ſoient plus cruels, que les autres peuples, au contraire on n' y entend point parler de meurtres & d' aſſaſſins fréquens, comme dans les autres pais, on n'y force point les criminels a confeſſer leurs crimes par les tourmens de la queſtion ordinaire, on les juge ſur le temoignage de deux perſonnes. Rompre les gens tous vifs, eſt une choſe inconnue en Angleterre, & l' on accorde icy aux criminels un lieu St. pour la ſepulture. excepté, dans des cas fort extraordinaires. Il me ſemble, que tout cela eſt aſſez eloigné de la barborie, que Scaliger attribue aux Anglois.* Addam adhuc, quæ hanc in rem autor *des voyages hiſtoriques tom. IV. p.* 50, 51. habet.
Les Anglois ont ordinairement le viſage blanc, les yeux bleus, & les cheveux blonds, & on en voit peu de difformes. Leurs manieres ſont un peu rudes pour les etrangers, qu'ils n' aiment pas, ils les haiſſoient meme a tel point autrefois, qu'il y a eu des Parlemens, qui ont fait des loix expreſſes, pour empecher leurs ſouverains d' en prendre pour leur garde. Les Seigneurs & la veritable nobleſſe ſont honnetes, genereux, obligans, liberaux et civils envers tout le monde, & jaloux de la gloire de leur patrie. Ils ont beaucoup de naturel, mais ils ſe perfectionnent par le voyage. Le peuple au contraire eſt cruel, bruſque, ſeditieux & en general ſi fort ennemi de cequ'on appelle etrangers, que leurs averſion ſ' etend juſques ſur les Ecoſſois & les Irlandois, quoi qu'ils reconnoiſſent tous un meme Prince. L' abondance le rend orgueilleux & negligens. Conf. MIEGE *part. II. ch. II. III.*

(b) *fortis*) Sunt qui putant, Anglos inprimis impetu valere, BARCLAJI *icon animor.* Deinde eorum fortitudo ab inedia abhorret. Unde Mauritius Mars ille belgicus ſolebat dicere, Anglos in hoſtem ducendos, ubi ſtomachi eorum adhuc ex carne bubula calerent.

(c) *ærumnis*) Contrarium vide apud PUFFENDORF *in introduct. ad Hiſtor. part. I. p.* 305.

(d) *rei nauticæ*) Hac, potiſſimum ex Reginæ Eliſabethæ tempore florere cœpi. Poſt hoc tempus commerciorum ſtudium admodum auctum. *Nouveau état d' Angleterre par* MIEGE *part. II. ch. IV.*

(e) *Henrici VII.*) Hic temporis ſui Salomon vocatus; non tantum ob ſapientiam & divitias; ſed &, quod populum nimiis oneravit tributis. BACO *de Verulamio in vita Henrici VII. p.* 1125.

ſunt inducta prudentia Regis Henrici VII. Qui antehac pecuniam uſuris locaverant, tum facti ſunt ditiores; longe enim majores divitias comparare poteris, ſi pecuniam impendas commerciis, quam ſi eam uſuris loces. Vectigalia regni & vires nauticæ creverant in immenſum, & divitiæ magis creverunt ex re nautica, quam ex cultura agri. Initio quidem hæc omnia viſa ſunt dura & aſpera & iniqua, ſed non multo poſt apparuit prudentia Henrici VII. Angli certe hodie inſtituunt commercia pæne per univerſum orbem, ut non multum inferiores ſint populo batavico. Non tantum autem in Europa, ſed etiam in totius terrarum orbis partibus commercia inſtituuntur, omnis generis opificia excoluntur, ita ut Angli non careant opificiis, niſi *paucis*. (a) Notum eſt, quam valeat Anglia in confectione optimorum pannorum, quæ demum cœpit in Anglia, fugientibus iſtuc Flandris. Hi primi in univerſa Europa confecere pannos elegantiores. Hinc per bella civilia pulſi in Angliam artificium conficiendorum pannorum intulerunt. Crevit autem illud artificium propter bonitatem velleris, nec enim in univerſa Europa reperitur lana, quæ ſit præſtantior anglicana.

Quoad reliquas virtutes intellectuales, Anglos itidem eſſe aptos eruditioni excolendæ, multorum ſeculorum uſus jam docuit. Dedit autem Anglia nobis ingenia *præſtantiſſima*, (b) niſi quod Angli videantur hodie nimium dediti omnis generis novitatibus, vetera ſpernunt, & ne quidem legunt, ita *novitatibus* (c) delectantur: videntur ſemetipſos admirari, cum interdum ſane multum ſapiant, interdum etiam novitatibus ſuis ſint exſibilandi, hoc tamen merito in illis laudaveris, quod in experiendis rebus naturalibus multum valeant. Hac parte ſuperant pleroſque Europæos, & hæc laus merito ipſis præ aliis debetur. Notandum eſt, Anglos præ reliquis populis univerſæ Europæ uſque adeo fuiſſe deditos ſtudio ſapientiæ excolendo, ut nusquam terrarum ea reperiantur adminicula ſtudiorum ſapientiæ, quam in Anglia. Habet duas univerſitates, *oxonienſem* (d) & cantabrigienſem, quas intereſt vetus æmulatio; merito tamen primæ debentur oxonienſi. Hæ duæ Academiæ ab iis, quæ ad ſtudiorum culturam pertinent, quam maxime ſunt excultæ, ut alibi temere non recipias ejusmodi inſtructas Academias. Habet oxonienſis *ultra* 20. (e) (ut appellantur) collegia, in quibus ſumtu publico aluntur juvenes bonarum artium ſtudioſi, nec illi aluntur tantum, ſed inſtituuntur etiam. Habet etiam multa collegia univerſitas *cantabrigienſis* (f) & in nonnullis etiam Comites & Barones lautiſſime habentur. Adeo opulentos proventus habent collegia anglicana, ut una oxonia poſſit alere ſumtibus publicis *ultra* (g) 1000. imo 2000 ſtudioſos, ante hoc bellum certe potuit alere, num adhuc poſſit, neſcio. Cumprimis eſt notandum, quod nuspiam terrarum reperiantur bibliothecæ publicæ adeo copioſæ, quam Oxonii & Cantabrigiæ, non quidem adeo diu eſt, quod cœperint illæ Bibliothecæ: verum ſpatio 100. annorum, in eam multitudinem excreverunt libri optimi, ut etiam Muſarum copia nulli terrarum loco Anglia cedat. Incubuerunt in hanc rem Procerum multi & Reges, emtis aliquot librorum millibus. Ita Academiarum illarum bibliothecas locupletarunt. *Cambrio*, (h) ut notum eſt, pars etiam eſt illius regni, ceterum populus ille eſt *multum diverſus* (i) a populo anglicano, ut etiam referant originem priſcorum Britannorum. Hi ingenio plane ſunt alio, & quemadmodum vivunt in re tenui, ita etiam habent minus generoſos ſpiritus. Sunt pauperes, nec ita ſolent excolere ingenia, uti ab Anglis fieri ſolet. Hæc de populo anglico ſufficiant.

Addam jam nonnulla de forma regiminis. Apud Anglos jam ab antiquiſſimis temporibus fuit ſtatus regius, cæterum, durante prima familia anglicana, non alia fuit ratio reipublicæ apud Anglos & Saxones, quam quæ fuit apud *reliquas gentes germanicas* (k) ut ſcilicet penes populum

(a) *paucis*) Hodie, poſtquam multa per Reformatos Galliæ ejectos Angliæ adhuc illata ſunt opificia, nullis forte deſtituuntur.

(b) *præſtantiſſima*) Magnos Anglia aluit, & alit Theologos, Hiſtoricos, Philoſophos, inprimis Mathematicos, & rimandis naturæ abſconditis intentos, quod temperamento eorum melancholico adſcribunt. BARCLAI *icon animorum p.* 43.

(c) *novitatibus*) Sed abſit, ipſis vitio verti, quod de ſcientiarum incrementis, & inveniendis veritatibus ſint ſoliciti.

(d) *oxonienſem*) SPELMANNUS *in vita Ælfredi lib. III. p.* 135. 136. CHAMBERLAIN *part. I. ch. dernier.*

(e) *ultra* 20.) CHAMBERLAIN *l. c.* inquit: *il y a preſentement a Oxford* 18. *de ces colleges fondes & bien rentés, & ſept Hales, ou les ecoliers vivent ſous la meme diſcipline, on diroit, que ce ſont autant de Palais.* Multa magnaque hujus Academiæ ſunt privilegia. Cancellarius, qui Procerum numero a ſtudioſis eligitur, &, eo abſente, Vice-Cancellarius in cauſis etiam ad urbem ſpectantibus, ſi momenti cujusdam ſunt, præ urbis Præfecto [Maire] autoritate pollent. Ex Eduardi III. lege conſtitutum, ut urbi Præfectus Vice-Cancellarii juſſibus ſubſit. Omni anno primo Februarii die civium potiores, & Rector comitatus oxonienſis, in ſignum ſubjectionis, qua Academiæ adſtricti ſunt, jusjurandum Vice-Cancellario præſtant. Academia hæc duos ad curiam inferiorem mittit deputatos.

(f) *cantabrigienſis*) *Il eſt vrai, qu' il n' y a en tout, que ſeize colleges & Hales, mais il n'y a point de colleges, ny de Hales a Cambridge, qui n' ayent d' amples revenus, ce que n' ont pas les Hales d' Oxford.* CHAMBERLAIN *l. c. p.* 231.

(g) *ultra* 100.) *Le nombre des ecoliers, qui ſont dans ces colleges, qui ſont entretenus, eſt au moins de* 1000. *Il y en a trois fois d' avantage d' autres, ſans compter les Officiers. Il eſt vrai, qu' il n' y a en tout, que ſeize colleges, mais, il y a autant d' ecoliers, qu' a Oxford.* CHAMBERLAIN.

(h) *Cambria*) Hoc nomine olim Walliæ principatus venit. A Romanis etiam Britannia ſecunda vocabatur. Ab Eduardo I. in provinciæ Angliæ formam redacta eſt. Dividitur in Walliam auſtralem & borealem.

(i) *multum diverſum*) Walli & moribus & lingua ab Anglis diſcrepant.

(k) *reliquas gentes germanicas*) *Hiſtorical and political diſcourſe of the laws and gouvernement of England ch. XX. ſeqq.* SPELMANNI *in vita Ælfredi lib. II. p.* 117.

populum fuerit maxima pars regimiois, obtinuit nimirum ſtatus mixtus, ut populus multum particeps eſſet reipublicæ. Sed poſt illa omnia multum mutavere, fuere res anglicanæ deinde maligno loco, cumprimis ſub *Danorum imperio* (a) populus ſatis ſerviliter eſt habitus, quam maxime autem populus eſt reductus *in ſervitutem* (b) a Wilhelmo Conquæſtore, qui ſc. victo Rege Haraldo, omne illud regnum ſibi ſubjecit. Quam miſer fuerit ſtatus populi anglicani ſub illo Conquæſtore, uti per eum & proxime ſecutos *ſucceſſores* (c) impotenter populus ſit rectus, egregie patet ex antiquis monumentis, in unum collectis a GEORGIO CALIXTO *libro, quo cœpit deſcribere hiſtoriam ſeculi VIII. IX. & X. an.* 51. uſque ad 56. Adeo impotenter fuere dominati Reges, ut populus anglicanus tum fuerit miſerrimus.

Cæterum poſtea cœpit alia ratio reipublicæ, & populus tum ſe in majorem *libertatem*(d) recepit: cumprimis ſec. XIII. & ex parte XIV. Iterum vero crevit Regis autoritas, & contra decrevit populi libertas. Poſt tempora *Eduardi III.* (e) cum eſſet Rex feliciſſimus & optimus bellator, crevit potentia regia: & decrevit libertas populi. In univerſum notum, in perpetuo motu eſſe reſpublicas mixtas, modo prævalentibus principatibus, modo populo prævalente, hoc etiam videre liquet in Anglia. Certum tamen eſt, quod a temporibus Eduardi III. autoritas populi fuerit perexigua. Populus quidam tum eſt *vocatus ad comitia* (f) ſed tamen prævaluit autoritas regia, ut etiam tum in comitiis populi nil potuerit cooſtitui, oiſi ex voluntate Regum. Ad hunc modum ſe habuit illa reſpublica uſque ad tempora Jacobi Regis; nam, ſimulac ille voluit oſtendere ſe a belli ſtudio alienum, ex eo etiam populus factus eſt elatior & ditior. Durante autem illius regimine, fuere perpetuæ contentiones in comitiis de autoritate Regis & populi. Rex Jacobus ſemper habebat orationes, quod Rex haberet jus ſummæ poteſtatis in populum, qui in alteram vergebat partem opinonibus ſuis, quod ſcilicet autoritas reipoblicæ gerendæ eſſet *penes populum* (g) populus itaque non patiebatur, ſe premi; Jacobus autem nil poterat, decrevit itaque autoritas regia ſub Jacobo, & cœpit creſcere potentia & autoritas populi, quæ cootentiones exceperant regimen Caroli I. & tandem in nervum eruperunt. Hinc natum eſt *ferale illud bellum* (h) populus corripuit arma contra Regem, ſed, Rege infeliciter pugnante, Carolus volebat autoritatem regiam elevare, populus autem non conſervandæ, ſed & augendæ ſuæ libertati ſtuduit Illud bellum eo eventu geſtum eſt, ut quidam Angli non dubitarint Regis ſacrum caput ſecuri carnificis ſubmittere, & ſimul omnem autoritatem regiam e medio tollere. Anno hujus ſeculi 49. die 17. Martii prodiit illa, quæ vocatur declaratio Parlamenti, quo conſtitutum erat, ne ullus impoſterum Rex regoaret in Anglia, utque in comitiis aboleretur *collegium Procerum* (i) (das Oberhauß) & eſſet una duntaxat domus, quam conſtituerunt legati populi.

Hac ratione in ſpecie ſaltim electus eſt Cromwellius Protector reipublicæ anglicanæ, ubi obſervandum eſt, vocabulum Protectoris jam antehac fuiſſe in Anglia io uſu, ita Eduardi

(a) *Danorum imperio*) Canutus magnus ſatis molliter Anglos habuit. Nec Haraldi, nec Hadeknuti regnum diuturnum fuit. Ultimus hic io magno ſuorum verſabatur odio, neſcio autem, an illud ſibi magis gula, quam duritie conciliaverit. HOLINSHEDUS *lib. VII. c.* 15. *chron.* ipſum *comitem & mitem* vocat. Adde VIRGILIUM *p.* 136. Quod autem ad modu[illegible]andi Danorum attinet, TEMPLIUS *dans l' intr[illegible]ion a l' Hiſtoire d' Angleterre p.* 79. ſequentia habet *quoique cette domination eut duré au dela de deux cens ans &, qu' elle ſe fut ſouvent fortifiée par le grand nombre dee Danois, qui paſſerent dans cette Iles, cependant elle n' aporta aucun changement, ni aux loix, ni aux coutumes, ni au langage, ni a la religion, & ne laiſſa aucune trace de ſon etabliſſement, ſi ce n' eſt, qua les Danois avoient bati plusieurs chateaux.*

(b) *in ſervitutem*) WILHELMUS MALMESBURIENSIS *lib. III. p.* 104. Sunt tamen, qui ejus excuſationi inſervire dicunt, quod frequentibus divexatus fuerit rebellionibus, & quod vitia, quæ gentem invaſerant, rigorem aliquem requiſiverint. *The Hiſtory of England vol. I. p.* 124. *ſeqq. Hiſtoire d' Angleterre par* TEMPLE *p.* 134. *ſeqq.* Nimiis vero populum ab eo tributis eſſe oneratum, admodum veroſimile eſt, quoniam avaritiæ admodum fuerit addictus. HEMINGFORD *lib. I. c.* 10.

(c) *ſucceſſores*) Wilhelmus quoque Rufus avaritiæ indulſit, & arbitrario regnandi modo addictus fuit, quod ſubditi iniquo tulerunt animo. *The Hiſtory of England vol. I. p.* 156.

(d) *libertatem*) Moderati & mixti imperii ſub Johanne ſine terra majora jacta ſunt fundamenta. Sub eo enim magna charta lucem aſpexit, & ſub Henrico III. filio ejus incrementa ſumſit. SPELMANNUS *in gloſſar. p.* 374. ſub voc. magna charta *auguſtiſſimum libertatum anglicarum diploma & ſacram anchoram* vocat. Legitur autem in COKII parte II. *inſtitutionum juris anglicani.*

(e) *Eduardi III.*) Hic ex matrimonio cum Philippi Pulchri filia ſibi jus in Galliam vindicavit. Et, cum Galli ipſum legis ſalicæ prætextu repellerent, arma iis intulit, & multis victoriis ſibi pacem ad Bretigny oppidum, quæ multa ei in Gallia adſcribebat territoria, conciliavit. Scotos etiam cladibus affecit, Rege eorum Davide in Anglicam abducto captivitatem. Hoc autem, Eduardo in Gallia rem gerente, cotigit.

(f) *vocatus ad comitia*) Jam tum ſub Anglo-Saxonibus populus per Deputatos in comitiis cumparuit. Cæterum ſub Henrico I. peculiarem, qua hudie eſt, conſtituere cœpiſſe curiam, ſunt qui ferunt. Ab antiquiſſimis temporibus populum ad Parlamenta vocatum. PETITUS *in libro, qui inſcribitur: ancient rigth of the commons of England &* ATWOOD *in Jani facie altera ſtatuunto.* Adverſus hos ROBERTUS BRADY *in his introduction to the old Engliſch Hiſtory* tuetur, curiam inferiorem, prout hodie eſt conſtituta, ante annum 49. Henrici III. non cœpiſſe. vid *The Engliſch hiſtorical library part. III. by* NICOLSON. *ch. II.*

(g) *penes populum*) Jacobus autem pacis admodum erat ſtudioſus, & potius aliquid ſuæ autoritatis dimittere, quam ſe motibus expoocre voluit. Hinc ſymbolum elegerat, beati pacifici; deinde in conſiliis inveniendis erat pcomtiſſimus, in expediendis autem lentiſſimus. *The Hiſtory of England vol. III. p.* 65.

(h) *ferale illud bellum*) vid. *opus hiſtoricum in tomo VI.* ubi late de his rebus, quæ hic traduntur, agitur.

(i) *collegium Procerum*) *The Hiſtory of England vol. III. p.* 314.

duardi IV. tutor, qui revera erat pro-Rex univerſæ Angliæ, dictus eſt Protector regni, & ita antehac etiam nonnulli fuere Protectores; Protector autem idem eſt, ac ſi dicas Pro-Rex. Cæterum ille Cromwellius ſub nomioe Protectoris impoteotem dominatum exercuit, nec ab aliquibus ſeculis quiſquam regnum impotenter ita dominatus eſt, ac Cromwellius. Vidit itaque tum demum populus, ſe non recuperaſſe libertatem, nec hanc a Cromwellio ſibi eſſe conceſſam, ſed ſe potius in ſervitutem eſſe redactum: pertæſus itaque populus Cronwelliani regiminis, & cumprimis nobilitas, quæ in miſerum admodum ſtatum erat redacta, populus cœpit anhelare priſcum ſtatum.

Ideoque non pridem io Angliam eſt revocatus *Carolus II.* (a) qui hodie rerum potitur. Quemadmodum autem apparet ex omnibus narrationibus, quas legimus frequentiſſimas de Rege Aogliæ, Regem hodiernum eſſe in magna autoritate, eique magoam libertatem a populo eſſe conceſſam; interim tamen videre licet, populum etiam eſſe in magna autoritate. Videmus, omnia ferme hodie conſtitui *in Parlamento* (b) quod indicat magnam populi autoritatem. Tale quid neque Jacobus neque Eduardus fecit; comitia autem magis indicant ſtatum popularem, apparet itaque, hodieque populum haud parum eſſe participem illius reipublicæ, neque penes unum Regem eſſe ſummam poteſtatem, quia ſit veriſimile, Regem hunc non audere tale quid movere, vel ſibi petere, quale quod Jacobus & Carolus ſibi competere profeſſi ſunt. Quæ hodie in Anglia fiunt, booam partem fiuot a Parlamento. Apparet itaque, non ita temere eſſe dicendum, in Anglia ſemper obtinuiſſe eundem ſtatum. Sed obtinet ibl alius atque alius ſtatus, modo mixtus, modo monarchicus, modo magis, modo minus. Hodie mixtus ibi obtinet, ita tamen, ut populi autoritas prævaleat. Hac unica ratione Rex adhuc poteſt eſſe ſalvus, uti ex ARISTOTELE *de republica laconica* notum, quod hoc regnum fuerit diturnum, quia fuit mixtum, & quia Reges laconici multum libertatis populo indulſerint. Hinc legimus, Regem Thraſybulum uxori dicenti, illam vim regiam imminuiſſe, reſpondiſſe; ſe quidem aliquantum imminuiſſe autoritatem regiam, ſed diuturnam reddidiſſe. Hac ratione Rex ſibi conſulere poteſt, conceſſa populo libertate magis, quam antea habuit, & hac ratione hic Rex quoque populum ſibi devinxit. Tempore Cromwellii populus nil poterat, ille enim comitia pro ludibrio habebat, hic vero Rex populo eſt *acceptus* (c) Cromwellius autem odioſus & inviſus erat. Dixi antea, ſec. XII. & XIII. populo aliquid libertatis eſſe indultum, ſed ab Eduardi III. temporibus libertatem populi fuiſſe reſtrictam, & populum tum ad comitia conſultandi potius, quam deliberandi cauſa convocatum eſſe, omnia enim tum erant in poteſtate regia. Cæterum tempore Iacobi Regis populus rurſus ad libertatem aſpiravit, & ejus temporibus contentiones ſemper fuere, quæ intra verba tantum conſtiterunt. Minus autem prudenter, meo quidem judicio, Reges Jacobus & Carolus hac in re ſeſe geſſere; populus enim ſibi magnas divitias longa pace congeſſerat, & præterea rebus ſecundis redditus erat inſolentior. Reges ipſi plus juſto luxui erant dediti, & ita populi libertati indulgebant. Itaque non potuit non animus populo creſcere, & rerum novarum reddi cupidior. Nec Ita certe debemus regere rempublicam, ſi populus ſit bellicoſior, tum ſuadent politica præcepta, ut populo negotium faceſſas, illumque negotiis implices, ut non poſſit criſtas erigere. Si autem rebus ſecundis & longa pace populum emollias, non poteſt non reddi effæmioatus. Durante regimine Eliſabethæ, nulli fuere tanti motus, quia, illa regnante, Angli ſemper metuebant ſibi ab Hiſpanis & Papa. Populus itaque coluit Reginam, quia ſeotiebat, ſe non poſſe eſſe ſalvum, niſi ſub ea. Ipſa Regina erat attentior ad rem, & a luxu abhorrebat. Itaque non gravabat populum, dum autem illum non gravaret, ſemperque in metu haberet, omnia etiam fuere tranquilla. Sed Jacobi temporibus alia erat rerum facies, licet rerum theologicarum erat peritus, non tamen fuit peritus rerum politicarum, & ita gradum ad res novas fecit. Si velimus jus publicum antiquum illius regni intueri, ſecundum illud erat maxima autoritas regia, populi vero perexigua, ſed non ſufficit ſcire, quid ſit juris publici, ſed neceſſe eſt, ut omnia ſic inſtituantur, quo ea conſervari poſſent. Nulla autem major fuit contentio inter regias partes & populum, quam tempnre Caroli I. ille voluit conſtantiſſime tueri jura regia antiqua, ſed ignorabat modum tuendi. Eo autem ita delapſæ ſunt res regiæ, ut verbis, aut illis modis, qui Carolo placebant, non poſſet auctoritas regia conſervari, aliter autem debuiſſet ille ſuas res inſtituere. Non enim ſufficit, ſolam provinciam opponere, ſed neceſſum eſt, ut, ſiquidem res eo devenerint, ut autoritatem retinere nequeas, illam aliquantum connivendo conſerves; dooec meliorum temporum ratio te poſſit reſtituere in integrum. Carolus autem, dum in jure regio defendendo eſſet pertinaciſſimus, ab eoque ne latum quidem unguem vellet diſcedere, omnia perdidit. Illorum temporum hiſtoria accurate eſt cognoſcenda; ſunt enim omnia recentia, & contigere intra 20. annos, ex quo tempore adeo magna facta eſt io Anglia mutatio, ut in harum rerum cauſas inquirere non

poſſit

(a) *Carolus II.*) Hoc Monckii, qui deinde Albemarl: Dux dictus, potiſſimum ſtudio factum eſt. *The Hiſtory of England vol. III. p.* 416.

(b) *in Parlamento*) Reſervata Regis in his potiſſimum conſiſtunt. Habet jus belli & pacis, fœderum, jus mittendi & recipiendi legatos, convocat & diſſolvit Parlamentum, creat Nobiles, Epiſcopos & Patres regni, publica confert munera, habet jus cudendi monetam & totius rei monetariæ. Vide plura apud CHAMBERLAIN *part. II. p.* 23.

(c) *acceptus*) Acceptiſſimus eſt, quem hodie habent, Georgius II. Princeps omnibus elogiis major.

poſſit oon ille, qui aliqua parte valet prudentia. Quænam hodie ſit illius reipublicæ forma, facile apparet. Hic Rex Carolus II. ſolo populi cooſenſu revocatus eſt in regnum, cum alias nullæ eſſent ipſi vires ad regnum recuperandum. Apparet itaque, quicquid ille virium eſt oactus, debere eum illud liberrimo ſubditorum arbitrio. In quam miſerrimo ſtatu ille Rex exſul, & ab omnibus cognitis *deſertus* (a) vixerit, credo, eſſe notum. Ante omnia autem ille receptus, promiſit Parlamento ſalvam autoritatem. Reges Angliæ antehac habebant poteſtatem, uti iodicendorum, ita etiam diſſolveodorum comitiorum pro lubitu, indicebant illi comitia, & quia placebat, rurſus diſſolvebant. Rex Jacobus, eum populus adſpiraret ad majorem libertatem, ſæpe diſſolvit comitia, priusquam eſſeot propoſita ad rem facieotia. Coovocabat ille populum ex omnibus provioeiis; ſimulac autem ipſi viſum fuit, eos non conſenſuros io ea, quæ ille in animo conceperat, juſſit, illos domum abire ſumma cum populi offenſione. Idem etiam fecit aliquoties Carolus I. ipſe; tandem tamen fuit coactus concedere, oolle ſe Parlamentum diſſolvere, priusquam omnia ex conſenſu Parlamenti eſſeot compoſita. Hoc ipſo magnam partem ſuæ autoritatis ſuit coactus remittere. Quantum autem apparet ex iis, quæ narrantor, *non habet* (b) hic Rex poteſtatem diſſolvendi Parlamentum ex arbitrio, ſi id fieri debet, debet fieri cooſenſu eorum, qui interſunt comitiis, non præterea habet ille Rex hodiernus poteſtatem ferendi leges, quemadmodum patet ex novellis, ſed omnia ex decreto comitiorum aguntur, ut apparet. Poteſtas *legum ferendarum* (c) eſt penes comitia illa, & vectigalium atque tributorum indicendorum non eſt penes Regem, ut antea etiam non fuit: ſed hoc dopendet ab *arbitrio comitiorum*. (d) Procul dubio porro ootum eſt jus vitæ & oecis eorum, qni majeſtatis læſæ crimen admiſere, non eſſe hodie peoes Regem: ſed *penes comitia.* (e) Rex certe prudenter, antequam in Angliam rediit, comitiis obtulit, ſe nolle quicquam contra patrem curiæ commiſſum vindicare, nec in quenquam propterea animadvertere, niſi ex comitiorum conſenſu. Et hacteous etiam Rex in neminem *animadvertit*, (f) licet io patrem graviſſime deliquiſſet, præterquam in eos, qui ſententiam tulere de *capite patris*, (g) ne quidem in omoes, quibusdam enim veniam dedit, quicquid ſit, ſit ex decreto comitiorum, prudenter hac in re ſe geſſit Rex, nam ſic omnem a ſe amovet invidiam. Obſervandum porro eſt, jus quidem conſtitueodæ militiæ eſſe penes regem: attamen jus belli & pacis proprie dictum eſt penes comitia. Nec licet Regi militem cogere, quem, quantum velit, ſed quaotum permittat *Parlamentum.* (h) Itaque autoritas regia ſolito eſt reſtrictior. Interim laudo prudentiam Regis, qui malit autoritatem ſuam reſtrictam, quam omni omnino autoritate deſtitui. Certe, quicquid hodie Rex nbtinet, ex mero populi *beneficio* (i) habet. Quænam impoſterum ſit futura facies, tempus docebit.

Quia vero comitia hodie adeo magnam vim habent, illorum ratio etiam eſt accurate teneoda. Ab antiquiſſimis temporibus fuere *duo Ordines* (k) qui lo comitiis habuere locum, priorum eſt dictus das Oberhauß. Cnnventus inferiorum domus inferior, das Lagerhauß vel domus *communium* (l) das gemeint Hauß. Domus ſuperior etiam ſuas habet claſſes, ad illam pertinent omnes *Archiepiſcopi* (m) & Epiſcopi, item omnes Duces, Comites & Barooes, quicquid fuit reliquorum Nobilium,

(a) *deſertus*) Mazarinius enim, Cromwellii amicitiam, ad opprimendos Hiſpanos, colens, ipſi adverſabatur, & Batavi Cromwellio polliciti erant, ſe eum in terris ſuis pati nolle. *The Hiſtory of England vol. III. p.* 359; 410.

(b) *non habet*) Et hodie hoc jus regiis accenſetur prærogativis.

(c) *legum ferendarum*) Penes curiam inferiorem eſt, leges proponere. CHAMBERLAIN *état preſent d' Angleterre part. II. ch. III. p.* 193.

(d) *arbitrio comitiorum*) Curiæ nempe inferioris.

(e) *penes comitia*) Curia inferior jus accuſandi habet, licet ſummi ſint Proceres & regii Miniſtri, qui criminum arguuntur. CHAMBERLAIN *l. c. p.* 192.

(f) *animadvertit*) Parlamenti placito a Rege confirmato, omnibus, exceptis iis, qui in Caroli I. caput ſententiam dixerunt, aut in ejus mortem conſpirarunt, venia data. *The Hiſtory & England vol. III. p.* 418.

(g) *capite patris*) Quinam hi fuerint, *l. c. p.* 419. docetur.

(h) *Parlamentum*) Sed huic refragantur, quæ CHAMBERLAIN *part. II. ch. IX. habet.*

(i) *beneficio*) Verum hoc ad ipſum ex jure, a majoribus quæſito, ſpectavit.

(k) *duo Ordines*) Vide, quæ ſupra dicta ſunt.

(l) *communium*) CHAMBERLAYN *part. II. ch. III.* Parlamentum a Rege, vel qui ejus gerit vices, quadraginta dies ante conventum convocatur. Literæ regiæ inter alia hanc referunt formulam: *per ipſum regem & concilium.*

(m) *Archiepiſcopi*) Rex, ſi Parlamenti curiæ ſuperiori adeſt, in ſumma conclavis parte ſedili honoratiori, cui umbraculum imminet, excipitur. Ad ejus dextram poſitam ſellam Walliæ Princeps, ad ſiniſtram Dux eboracenſis occupant. Scamno, ad Regis dextram muro adhærenti, duo inſident Archiepiſcopi, & in eodem latere alia ſcamna ab Epiſcopis, ex conſecrationis tempore locum habentibus, occupantur. Ad ſiniſtram quoque regis ſcamna muro juncta per Cancellarium, qui curiæ ſuperioris oratorem agit, magnum Theſaurarium, conſilii ſanctioris Præſidem, & ſigilli Cuſtodem inſidentur. Si Baronum dignitate ſunt inſignes, Duces, regio ſanguine haud natos, antecedunt, quod ſi vero illa deſtituantur dignitate, ſaccis lana repletis, in memoriam inſignis, quam regnum ex ovino trahit vellere, utilitatis ibi poſitis, inſident Duces, Marchiones & Comites, in eodem etiam latere juxta tempus, quo ſibi aut majoribus ſuis dignitates illæ collatæ ſunt, loca tenent. In primo ſcamno, in medio conclavi, poſt ſaccos lana impletos poſito, Vice-Comites ſedent, & proximi ab iis in alio ſcamno ſunt Barones. Si Rex adeſt, Cancellarius aut magni ſigilli Cuſtos poſt umbellam (dais) locum occupat, aut in primo lanæ ſacco ad umbellæ latus, magno ſigillo & clava quadam argentea deaurata inſtructus ſedet. Judices regni, conſilii ſanctioris & cancellariæ membra, nec non, qui ad regis ſpectant comitatum, in reliquis lanæ ſaccis ſeſſus capiunt. Nemo autem, niſi Baronis axiomate inſtructus, voto gaudet, reliqui autem non niſi rogati, ſententiam dicunt. Sicut autem Rex

Nobilium, pertinet ad *domum inferiorem.* (a) Cum antiquorum regum temporibus prævaleret ſtatus eccleſiæ pontificiæ, magna fuit autoritas Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, ipſis Regibus non obtemperans; *Henricus VIII.* (b) tamen, etſi omni ex parte dogmatibus religionis chriſtianæ eſſet addictus, primus autoritatem Papæ ex Anglia ſuſtuſit, & ſe declaravit caput eccleſiæ anglicanæ, & ex eo tempore Papæ autoritas deſiit eſſe in ullo pretio. Tum *Archiepiſcopi* (c) & *Epiſcopi* (d) unum Regem, tanquam Dominum & caput ſuum ſuſpexere.

Rex, ad Parlamentum accedens, habitu regio eſt indutus: ita & Patres ſuis ornati ſunt togis. Hi autem, præſente Rege, vota detecto ferunt capite. Judices regni non niſi a rege juſſi, ſeſſus capiunt, &, abſente etiam rege, æque ac regis familiares aperto ſunt capite. In ultimo lanæ ſacco regii & Parlamenti reperiuntur ſcribæ. Ante conclavis cancellos oſtiarius virgæ nigræ, (Huiſſier de la verge noire) qui inter regios Nobiles primus eſt, ſedet, eique ſubſunt janitor, aliique duo, quorum unus vocandis iis, cum quibus loqui volunt, cum alter præferendæ Cancellario maſſæ ſit deſtinatus. Curiæ ſuperioris autoritas ſatis magna eſt. Incumbit enim in leges ferendas & abrogandas, nec non res regni, quæ non ad regis ſpectant reſervata, ſub deliberationem vocant, de litibus, inter Patres obortis, & de accuſationibus iis intentatis judicat, &c. operam autem ſuam Patres gratis conferunt, ſecus ac curiæ inferioris membra, quæ rationabiles accipiunt expenſas, quas ii, quorum ſunt deputati, præſtant.

(a) *domum inferiorem*) Inferioris curiæ membra comitatuum, civitatum & burgorum deputati ſunt. Quilibet comitatus duos Nobiles, quælibet civitas duos, & quodlibet burgum unum aut duos mittit deputatos. *The Engliſch Hiſtorical library by* NICOLSON *vol. II. p.* 65. Eliguntur hi ex Parlamenti concluſo ab Henrico VI. confirmato, ab iis, quos Angli *Freholders* vocant, id eſt, qui terras quasdam liberas in eodem comitatu poſſident, & qui annuos 40. ſchillingorum reditus habent. Deinde oportet, ut Deputati ſint Angli, aut in Anglorum numerum relati, qui 21. annos nati ſunt. Quamdiu hac gaudent qualitate, nec illi, nec domeſtici eorum carceri aut arreſto mancipari poſſunt; niſi criminis læſæ majeſtatis aut feloniæ ſint rei. In conclavi certas non habent ſedes, excepto oratore, qui in medio conclavi ſedem honoratiorem occupat, & infra ipſum ſcriba ſellæ inſidet. Eſt quoque penes hujus curiæ membra facultas leges proponendi. Vide, quæ antea dicta ſunt. Si curia inferior patribus criminum reos indicat, ipſius Deputati ante cancellos nudis capitibus teſtes producunt. Locus, ubi convenire debent, ex regis pendet arbitrio. Ex longo tempore illuſtres hi conventus in palatio regali weſtmonaſterienſi celebrantur. Omni autem die circa nonam matutinam initium habent, & circa tertiam pomeridianam terminari ſolent. Antequam vero ad deliberationes membra progrediuntur, a Rege miſſus ab iis fidelitatis & ſuprematus juramentum exigit. Cui accedit le teſt, quo doctrinam de tranſubſtantiatione, invocatione ſanctorum, & miſſæ ſacrificio abjurant. Huic non autem illi jurejurando curiæ ſuperioris membra ſunt obnoxia, & pontificiæ religioni addicti Patres, qui ab eo abhorrent, a curia ſuperiori excluduntur.

Quod autem ad Parlamenti acta ſpectat, illa ſequentem in modum fiunt. Nonſolum eas res, quas Rex proponit, ſed & alias, quæ a Rege non ſunt prohibitæ, ſub deliberationem vocant. Unicuique ſubditorum, licet non ex Parlamenti membrorum numero ſit, ſcriptum proferre permittitur, quod vocant *bill*, illudque aut ſuperioris aut inferioris Curiæ oratori exhibere. Si itaque lex eſt condenda, id quod ea præcipi debet, tali includitur ſcripto, quod plerumque poſt nonam Curiæ prælegitur, quod tunc aut communi voto rejicitur, aut ſub deliberationem vocatur. Quod ſi hoc fiat, res examinanda certo Commiſſariorum numero, quos *committé* dicunt, datur. Poſtquam autem a Commiſſariis iſtis res ſatis ponderata, inde ad Curiam refertur, & ſi illius habet aſſenſum, duobus diſtinctis diebus ei prælegitur, & deinde membranæ puriori inſcribitur, & tertia vice prælegitur. Poſtea vero in ſuperiori curia Cancellarius, in inferiori vero Orator quærit, ſi in legem vergere debeat, & ſi major pars in id conſentit, ſcriba membranæ inſcribit ſequentia idiomatis gallicani verba: *ſoit baillé aux communes, ou ſoit baillé aux Seigneurs.* Si ex curia inferiori ad ſuperiorem tale ſcriptum mittitur, illud triginta aut quadraginta membris transferendum datur. Poſtquam hi curiam ſuperiorem ingreſſi ſunt, is, qui verba facit, tribus vicibus inclinat corpus, ſcriptumque Cancellario, qui illud ad cancellos (a la barre) accipit, tradit. Quando vero a ſuperiore ad inferiorem curiam tale ſcriptum mittitur, opera alicujus ex cancellariæ miniſtris, aut Regis familiaribus, non autem Patribus regni adhibetur. Si res magni ſunt momenti, uni ex regni judicibus hæc ſparta concreditur. Mittitur autem ſcriptum, tribus corporis inclinationibus, in Oratoris manus, & ſi prælectum Curiæ inferiori non diſplicet, ei inſcribitur: *les communes aſſentent.* Si quis membrorum Curiæ inferioris aliquid circa illud, quod proponitur, monendum habet, illud modeſte faciat oportet, & ſi alius ipſi contradicat, eadem utatur modeſtia; replicare autem eodem die non licet. Si quis in Regem aut Curiam ignominioſa effudit verba, id in eo ad cancellos (a la barre) publice reprehenditur, & ſi atrocia ſunt, quæ protulit, ſæpe cuſtodiæ in turri londinenſi committitur. Quod ſi accidat, ſcriptum tale (bill) uni placere, alteri autem diſplicere Curiæ, in camera picta utriusque Curiæ Deputati conveniunt, & quidem ſuperioris Patres, tectis capitibus ſeſſus capientes, inferioris vero ſtantes, & detectis capitibus in deliberationem cöeunt. Si diſcrepare pergunt, ſcriptum (bill) nullum eſt. Quod ſi vero negantes in aliorum deinde eunt ſententiam, fit commune concluſum ſive Parlamenti actum, cui, ſi Regis accedit conſenſus, fit lex. Olim Parlamenti acta gallica conſcribebantur lingua, hodie tamen illud in gentis vernacula fit. Denique notandum, inter Regis etiam prærogativas eſſe Parlamenti conventus, ad aliquod prorogare aut ſuſpendere tempus illudque plane dimittere. Vid. plura apud, CHAMBERLAIN *l. c.* HAGEMEIER *J. P. E. epiſt. III. §.* 18. SMITH *de republica Anglorum lib. II. cap. III.*

(b) *Henricus VIII.*) *The Hiſtory of England p.* 145. *Hiſtoire de la reformation d' Angleterre vol. II. p.* 145. *ſeqq. Hiſtorical and political diſcourſe of the laws & gouvernement part. II. p.* 121.

(c) *Archiepiſcopi*) Duo in Anglia ſunt Archiepiſcopi, cantuarienſis & eboracenſis. Ille totius eccleſiæ anglicanæ primus & Metropolitanus, & primus parium regni eſt, omnesque alios, cujuſque demum ſint dignitatis, antecedit, olim etiam Hiberniæ Primas erat. *Abridgement of the eccleſiaſtical laws by* GODOLPHIN *ch. II.* In literis formula utitur: *divina providentia*, cum reliqui Epiſcopi formulam: *divina permiſſione*, adhibeant. Regis capiti diadema imponit, &, ubicunque etiam aula moretur, *Rex & Regina ſunt ſpeciales & domeſtici Parochiani domini Archiepiſcopi.* Eboracenſis quoque ſe vocat Primatem & Metropolitanum Angliæ. Olim omnes ipſi Scotiæ Epiſcopi ſuberant. Omnes regni Patres, exceptis iis, qui ex regio nati ſunt ſanguine & Cancellario, antecedit. De utriusque hujus Archiepiſcopi eccleſiaſtica curia, ut & curia eccleſiaſtica Angliæ ſuprema. *Vid. the Engliſch hiſtorical library by* NICOLSON *ch. VI. & abridgement of the eccleſiaſtical laws ch. XI.*

(d) *Epiſcopi*) Horum in Anglia ſunt 24, quorum durhamenſis, cheſtrenſis, carlislenſis, & inſulæ Mans epiſcopus eboracenſi, reliqui cantuarienſi ſubſunt. Reditus Archiepiſcorum & Epiſcoporum hodierni recenſentur in *tom. IV. des voyages hiſtoriques de l' Europe p.* 65. 66. Habet autem reditus annuos Archiepiſcopus cantuarienſis 4000. libr. ſterl. eboracenſis 2500. Epiſcopus londinenſis 2000. durhamenſis 4000. winecheſtrenſis 3500. herfordenſis 875. ſalisburgenſis 900. carliſſenſis

ſpexere. Ab eo tempore Reges multum potuerunt in domo ſuperiori comitiorum, utpote cum Archiepiſcopos & Epiſcopos ſemper obnoxios ſibi haberent. Cæterum in Anglia tempore Eliſabethæ Reginæ cœpere nonnulli Archiepiſcopos & Epiſcopos odiſſe, & regimen illud eccleſiaſticum laudare, quod Genuæ erat inſtitutum, & introductum in Belgium, Galliam & alibi. Horum hominum numerus crevit ſupra, quam dici poteſt, tempore Jacobi Regis; quos tamen Jacobus odio implacabili eſt perſecutus: ſed, cum numerus horum adeo excreviſſet, ille nil potuit efficere. Omnem tamen ille operam dedit, ut quod fieri liceret, autoritates Epiſcoporum & Archiepiſcoporum manerent ſalvæ: ſed ſub Rege Carolo eorum autoritas crevit adeo, ut is non dubitaret illis permittere, cum antea ſcriberent in titulo, ſe eſſe tales gratia regia, ut, deleto nomine Regis, ſcriberent, ſe eſſe tales *Dei gratia.* (a) Præterea Carolus illis multum indulſit, quo populum contra ſe magis magisque irritavit. Permiſit ille omnia, quæ *pontificium* (b) quid ſæpe videbantur, idque per vim voluit obtrudere. Hinc tandem, cum populus quaſi rebellaret, etiam, invito Carolo, a regimine eccleſiæ fuere rejecti omnes Archiepiſcopi & Epiſcopi, & ejecti a conciliis reipublicæ & comitiis regni, magno Regis malo. Imperante Cromwellio & Parlamentario regimine durante, nec Archiepiſcopi, nec Epiſcopi ad comitia reipublicæ admiſſi; ſimulac autem hodiernus Rex Carolus II. pedem in Britanniam intulit, nil ipſi fuit antiquius, quam poſcere, ut in integrum reſtitueretur ordo Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, & tandem impetravit. Plene ego omnia narrare non poſſum, quia omnia non plene novi, neque ad nos omnia plene perferuntur: interim tamen hodierni Archiepiſcopi & Epiſcopi computantur inter Ordines regni.

Ad ſuperiorem domum pertinent Duces, Comites & alii; ſimulac autem Carolus I. ſecuri percuſſus fuit, tota illa ſuperior domus fuit abolita, ut adeo omnes Comites, Barones ſecluſi a jure comitiorum fuerint, prætextus hic fuit, quod respublica pertineret ad populum, hi autem non repræſentarent populum, ſed quisque ſuam tantum cauſam ageret, itaque ad comitia non eſſe alios vocandos, *quam populum anglicanum*, (c) reliquis omnibus excluſis. Ab eo tempore uſque ad obitum Cromwellii omnes illi excluſi fuere, & nulla fuit ſuperior domus. Cæterum poſt Cromwellii obitum, etiam ante Regis adventum, domus illa *reſtituta fuit*, (d) quod Carolo II. commode ceſſit. Nam Duces & reliqui erant ſatis experti, ſe non poſſe eſſe ſalvos, niſi per Regem, itaque hodie ſuperior domus in integrum eſt reſtituta, & rurſus ad comitia vocatur. Tempore Cromwellii imo ſtatim poſt cædem Regis, ita eſt ordinata reſpublica, ut perpetuum eſſet Parlamentum, quod perpetuo regeret rempublicam; paulo tamen poſt hoc iterum mutatum, & eſt inſtitutum Parlamentum triennale, quod tamen abrogatum & tandem Cromwellius omnia ad ſe rapuit, & tum nulla fuit autoritas Parlamenti, nequidem minoris domus. Et hæc etiam erat cauſa, quare populus conſentiret in revocationem Regis Caroli, quia uſu didicerat, Cromwellium omnem libertatem abſorpſiſſe.

Hodie itaque inferior domus eſt in priſtina autoritate, ad quam pertinent legati, ex omnibus comitatibus regni. Regnum Angliæ eſt diviſum in 40. *provincias* (e) quas illi vocant Schire. Ex

liſſenſis 870. Rocheſterenſis 400. Norwickenſis 1000. Elyenſis 1500. Aſapheoſis 401. Conventryenſis & Lichſelfeldenſis 1000. Gloceſterenſis 425. Bathenſis & Weldenſis 1233. Cheſterenſis 625. Baugerenſis 300. Peterborouthenſis 590. Chichſterenſis 750. Lincolnenſis 5000. Wincheſterenſis 1500. Oxfordenſis 500. Exceſterenſis 608. Davidſenſis 875. Briſtolenſis 250. Landaſtenſis 225. Habent Epiſcopi ſuas curias eccleſiaſticas & peculiaria privilegia. Vid. FRANCISCUM GOUDWINUM *de præſulibus anglicanis*; PARKERUS *de antiquitate eccleſiæ britannicæ &c.* CHAMBERLAIN *ch. XVIII.* Quædam etiam huc ſpectantia in monaſtico anglicano occurrunt. A Wilhelmo Conquæſtore Baronum dignitatem nacti ſunt.

(a) *Dei gratia*) CHAMBERLAIN *part. II. ch. XVIII.*
(b) *pontificium*) CHAMBERLAIN *ch. V. p.* 302. *ſeqq.*
(c) *quam populum anglicanum*) *The Hiſtory of England vol. III. p.* 346, 347, 368, 369, 400. *ſeqq.*
(d) *reſtituta fuit*) *l. c. p.* 410. imo Cromwellii tempore curia ſuperior jam tum reſtituta fuit.
(e) *provincias*) De his & earum urbibus præcipuis, inter quas Londinum eminet, palatiis aliisque ibi rebus notabilibus vide *l'etat preſent de la grande Bretagne par* MIEGE *ch. VII. par* CHAMBERLAIN *tom. V. p.* 137. *ſeqq.* Situm autem hoc regnum eſt inter 50. & 56. gradum latitudinis, & inter 14. & $\frac{1}{2}$ gradum longitudinis. Ex latere ſeptentrionali vicinos habet Scotos, reliqua ibi terrarum ſpacia mare ambit. Verſus orientem mare germanicum, verſus meridiem britannicum, verſus occidentem hibernicum habet. Vid. plura apud BAUDRAND *in diction. geograph. ſub vocab. Angleterre.* Latitudo regni 60. & longitudo 80. milliaria æquare dicitur. Terræ, quas Angli in America, Aſia & Africa habent, recenſentur a MIEGIO *tom. II. ch. IX.* Provinciæ autem, quæ Angliam conſtituunt, ſunt ſequentes: *Northumberland*, *Durham*, *Yorkshire*, *Lincolnshire*, *Norfolc*, *Suffolc*, *Eſſex* ad mare germanicum ſitæ. *Kent*, *Suſſex*, *Hampshire*, *Dorſetshire*, *Devonshire*, *Cornouaille* mari britannico adjacentes. *Sommerſetshire*, *Monmouthshire*, ad Severni ſunt oſtium. *Cheshire*, *Lancashire*, *Cumberland*, *Weſtmorland*, ad hibernicum poſitæ mare. *Barkshire*, *Bedford*, *Buckingham*, *Cambrige*, *Darby*, *Gloceſter*, *Hartford*, *Hereford*, *Huntington*, *Leiceſter*, *Middleſex*, *Northampton*, *Nottingham*, *Oxford*, *Rutland*, *Shropshire*, *Stafford*, *Surrey*, *Warwick*, *Wilthshire*, *Worceſter* ad meridiem vergunt. Inſulæ Anglorum imperio parentes ſunt. Angleſey Man, Jerſey & Gernſey. Wallis provincias ſeptentrionales habet. Angleſey *Carnavanshire*, *Denbighshire Flintshire Mertonethire*, *Montgomryshire*: meridionales autem: *Brecknockshire*, *Carmardenshire*, *Cardiganshire*, *Glamorganshire Pembrokeshire*, *Radnorshire* JOHANES GRAUNT *in libro*, quem inſcribit: *Natural and political obſervations.* Angliam & Walliam 10000. parochias complecti, p. 87. tradit. Credo tamen, numerum earum poſt illius tempora auctiorem redditum. Urbs Londinum non ſolum provinciæ Midleſexiæ, ſed totius regni Metropolis 135. parochias intra mœnia & 16. extra ea habet. Præter has, 15. adhuc in provinciis Midleſex & Surrey, & 7. in civitate & ſuburbiis Weſtmonaſt. ad eam ſpectant. Non autem niſi 10. eccleſias parochiales habet. Sub quibus tamen S. Pauli cathedralis & Weſtmonaſterii S. Petri col-

re. Ex his omnibus mittuntur ad comitia legati populi. Ex omnibus comitatibus regni, ni fallor, ad comitia veniunt *prope* 500. (a) legati. Hi conſtituunt domum inferiorem. Quælibet domus ſolet *eligere* (b) qui omnium nomine verba faciat, quem ipſi oratorem vocant, quem Rex confirmat. Hæc comitiorum ratio bene eſt obſervanda, quia penes illa eſt *vis regni* (c)

Ad ſummam poteſtatem etiam pertinet ordinatio Magiſtratuum in republica, videndum itaque, ad quem illa pertineat. Magiſtratus ſunt vel, ſacri vel profani, ſive civiles .Eccleſiaſtici omnes conſtituuntur a Rege ſolo, ita ut ea in parte nullum ſit jus comitiorum regni. Conſtituit ergo ſolus Rex omnes *Archiepiſcopos & Epiſcopos*, (d) antehac etiam in illo regno multi fuere Abbates, ſed hos omnes ante 100. annos Henricus VIII. emedio *ſuſtulit*, (e) cum obſervaret, a monachis in monaſteriis vitam deſidioſam & peſſimam agi, & ex eo tempore Abbates fuere nulli.

Quod autem ad Magiſtratus attinet *civiles*, (f) alii ad pacis, alii vero *ad belli*

tri collegialis non comprehenduntur. Cauſa, quod pauciora ibi templa, quam parochiæ reperiantur, eſt, quod poſt immane illud, quo Londiuum 1666. afflictum eſt, incendium, quædam eorum non ſint reſtaurata. Sub illo eccleſiarum tamen numero 80. loca, non Conformiſtarum, & Gallorum ſacris deſtinata cœtibus non comprehenduntur. Magnitudo urbis ex eo colligi poteſt, quod ab oriente in occidentem ad octo milliaria extendatur: a meridie autem ad ſeptentrionem duorum & dimidii milliarium ſpacium complectatur. Continet illa urbs 5000. plateas & 20000. ædificia, quorum magna pars ſatis ſplendide eſt extructa. Quod ſi unumquodque horum ab 8. perſonis inhabitari credatur, 960000. hominum ſummam conficiunt. Superat itaque Londinum longe admodum Lutetiam domuum, & haud dubie etiam incolarum numero. Multa adhuc ſunt, quæ in celeberrima hac notari merentur urbe, ut ſunt ſpatioſæ planities (grandes places) fora, mercatorum ſocietates, hoſpitalia, collegia, curia, quæ dicitur Guildhal, locus, ubi mercatores conveniunt, ſepta, ſtatuæ, pons, quo Thameſis jungitur &c. quæ deſcribere inſtituti noſtri ratio non patitur; poſſunt tamen l. c. legi. Pauca ſaltim adhuc de munimento, ad Thameſim ſito, quod turris londinenſis vocatur, & regiis palatiis dicenda erunt. Quod ad munimentum illud attinet, nomen ab alba habet turri, quæ in ejus medio eſt poſita. Arma hic aliuſque bellicus apparatus, nec non regni inſignia & clinodia cum archivo aſſervantur. Porro cudendæ monetæ & mancipandis carceri viris primariæ dignitatis, qui ſuper enormi aliquo ſuſpecti ſunt delicto, inſervit. Alias Londini habent carceres: *Newgate, the Quens Bench, the Fleet.* Palatia regia ſunt S. Jacobi [S. James] quæ Regem cum auguſtiſſima ſua excipit familia; palatium Sommerſeti, quod Caroli II. vidua, antequam in Portugalliam diſceſſerit, inhabitavit; Kenſington in Weſtmonaſterii vicinia a Rege Wilhelmo III. extructum; Hamptencourt, in provincia Middleſex ad Thameſim a Cardinale Wolſæo conditum, duodecim milliaribus Londino diſtat; Windſor in provincia Berkana a Thameſi quoque alluitur. Viginti milliarium ſpacium inter palatium hoc & Londinum interjacet. Conventus ibi equitum ordinis periſcelidis habentur. Celebre olim fuit palatium weſtmonaſterienſe, cujus pars Henrici VIII. tempore incendio deleta eſt. Quod a flammis ſalvum eſt, Parlamenti & primariis juſtitiæ curiis recipiendis deſtinatum eſt. Aula (ſale) weſtmonaſterienſis, quam hæ juſtitiæ curiæ occupant, vernacula gentis lingua *Weſtmunſter Hall* vocatur. Omnium maxima in toto eſt chriſtiano orbe, quoniam longitudo ejus 270. & latitudo 47. pedes complectitur. Miratu dignum eſt, tectum ejus nulla ſuſtineri columna. Parlamenti curiis adeuntibus, per hanc aulam iter ſumendum. Celebrantur in hoc loco coronationis ſolennitates, & proceſſus quoque criminales contra regni Patres, capitalis cujuſdam criminis accuſatos, ibi ventilatur. In hujus aulæ vicinia cottoniana aſſervatur bibliotheca, quæ mille manuſcriptorum volumina, maximam partem ad Hiſtoriam anglicam ſpectantia, continere, dicitur. Denique omitti non debet, palatium Withalenſe, quod Wolſæi quoque erat, anno 1698. exuſtum, & illius, quod Sabaudicum dicitur, non niſi ruinas extare.

(a) *prope* 500.) Si accedunt 45, quæ Scotia, & 24. quæ Wallia mittit 553. curiam inferiorem hodie conſtituunt.

(b) *eligere*) In Patrum curia Cancellarium oratorem agere, ſupra dixi.

(c) *vis regni*) Ita tamen, ut regi ſua ſalva ſit majeſtas & præeminentia. vid. *Abridgement of eccleſiaſtical laws ch. I. of the Kings ſupremacy.* CHAMBERLAIN *tom. II. ch. VII. Diſcourſe of the laws of England* paſſim.

(d) *Archiepiſcopos & Epiſcopos*) *Abridgement of the eccleſiaſtical laws ch. III.* CHAMBERLAIN *ch. XVIII. tom. II. & ch. I. tom. III.*

(e) *ſuſtulit*) BURNET *hiſtoire de la reformation d' Angleterre tom. I.*

(f) *civiles*) *Primarii regni Officiales ſunt primus, Angliæ locum tenens (Haig Stewart, ou le grand Senechal d' Angleterre) Cancellarius, primus Theſaurarius, Præſes concilii regii, ſecretioris ſigilli Cuſtos, primus Camerarius, magnus Comes ſtabuli, Comes Marechallus & Archithalaſſus. Summi Stewarti, id eſt, locum tenentis ſive vice-Regis munus deſiit, & extra ordinem tale confertur alicui, ſi coronationis ſolemnitas celebranda, aut Procerum aliquis ob crimen magni momenti accuſatus eſt. Si Stewartus in cauſam aliquam criminalem inquirit, duodecim ipſi regni adſunt judices.*

Cumque ita plerumque non adſit ſummus Stewartus, primum a Rege ejusque familia locum habet ſummus Angliæ Cancellarius, qui omnia regia diplomata ad res ſeculares ſpectantia, ſi ea juſtitiæ conformia credat, ſubſignat. Ad hujus muneris partes ſpectat magni ſigilli regii Cuſtodem agere. Eſt penes hunc jus omnia beneficia eccleſiaſtica, quæ non ſummam viginti librarum ſterlingi exhauriunt, conferendi. Hoc officium ad hæredes non transfertur, ſed ex Regis pendet beneplacito. Cancellarii & magni ſigilli cuſtodis idem eſt munus eademque dignitas. In eo tamen eſt differentia, quod munus magni ſigilli cuſtodis abſque diplomate per ſigilli traditionem conferatur, cui juramentum accedit: Cancellarius autem per diploma conſtituitur. In Gallia dignitates hæ diſtinctis conſerri ſolent perſonis, in Anglia autem in una, ut dictum, conjunguntur. Reditus ejus 7000. libr. complecti dicuntur Cæterum de muneris hujus antiquitate & dignitate vid. Archeion or a diſcourſe upon the high courts of juſtice in England by LAMBARD p. 47. ſeqq. *Tertium locum inter coronæ Officiales occupat magnus coronæ Theſaurarius. Satis magna hic gaudet autoritate.*

toritate. Theſaurus, qui in loco, quem Echiquier dicunt, aſſervatur, ſub ejus eſt cuſtodia, omnibusque, rem nummariam per Angliam curantibus, juſſa dat. Parent, etiam ipſi & ab ejus pendent nominatione, qui in portubus vectigalium aliorumque jurium curam habent. Eſt ipſi facultas conceſſa, in dignitate viventes ab onere, quod vino eſt impoſitum, liberandi. Non diutius autem id muneris, quam, durante Regis beneplacito, penes aliquem eſt. In ſignum poteſtatis collatæ, ipſi a Rege virgula alba datur. Olim muneris ſymbolum claves theſauri regii aureæ erant. Munus hoc nonnunquam per Commiſſarios exercetur. Salarium ejus 8000. *libr. Sterl. conſtituunt* MIEGE tom. II. ch. IV. *Quartus locus inter regios Officiales conſilii Præſidi debetur. Hujus munus Carolus II. reſtauravit. In ſanctiori conſilio Regis occupans latus, proponit, regemque abſentem de iis, quæ in conſilio acta ſunt, certiorem facit. Regis eſt relictum arbitrio, quid circa muneris hujus durationem diſponere velit.*

Sigilli ſecretioris cuſtos quinto eſt loco. Hic literas & diplomata gratiæ & juſtitiæ a Rege ſubſcripta, antequam majori ſubjiciantur ſigillo, ſuo munit. Pertinet hoc etiam ad minoris momenti chartas; quæ majori non corroborantur ſigillo. Quod ſi hic ſigilli cuſtos regia legibus repugnare diplomata animadvertit, humillime de eo Regem moneat oportet, antequam illis ſignum imprimat. Stipendium 3000. *libr. ipſi decretum, traditur. Sextus inter coronæ Officiales locus magno eſt adſcribendus Camerario. Ab Archiepiſcopis & Epiſcopis, Regi homagium præſtantibus, nec non a regni Patribus, in coronationis regiæ die idem facientibus, argenti aliquid ei ſolvitur. Hic Regi illo die, ubi diadema ſumturus eſt, induſium exhibet & regios habitus, iiſque ipſum veſtit, & aquam ad lavandas manus porrigit. Ex quo autem Rex indutus eſt, omnis, quæ in ejus conclavi eſt ſupellex, ut & lectus ad magnum ſpectat Camerarium. In coronationis ſolennitate ipſi incumbit, ea, quibus Rex in coronationis utitur ſolennitate, geſtare; ſolenni, quæ in coronationis die inſtituitur, proceſſioni, corona quadam tectus, & album baculum manu tenens, adeſt. Atque ut camera, quam Proceres, ſi Parlamentum convocandum eſt, occupant, iis recipiendis aptata ſit, ſolicitus eſt. Officium hoc diu Nordfolciæ Ducibus hæreditarium fuit. Catholicæ religioni addictus illud per mandatarium exercet. Hunc in ordine ſequitur regni Comes ſtabuli. Summa olim ejus erat autoritas: verum hodie hoc officium eſt ſublatum. In coronationis & Torneamentorum ſolennitatibus alicui hæc ad tempus committi ſolet provincia.*

Octavo loco eſt Comes Marechallus. Ipſius deciſioni cauſæ bellicæ, quæ per jus commune terminari non poſſunt, ſubſunt. Præſidet quoque judicio, quod marechauſſée vocant, in quo crimina, in aula regia perpetrata, examinantur. Ultimum quidem locum inter ſummos coronæ Officiales regni Archithalaſſus habet: verum ipſius officium, quod ad lucrum attinet, omnia alia ſuperat. Hinc alicui filiorum regiorum aut regii ſanguinis Principi conferri ſolitum fuit. Ejus moderamini omnes ſubſunt res nauticæ, & ille omnium cauſarum huc ſpectantium, tam civilium, quam criminalium competens eſt judex. In hoc judicio in cauſis decidendis jus romanum cum legibus olorenſibus & Wiſbicenſibus, admittitur. Eſt penes Archithalaſſum alios rei maritimæ Præfectos, & judices in Admiralitatis, ut vocatur, curia conſtituendi. Imo facultas ei ex privilegio competit, in numerum equitum, illos, qui res admodum præclare mari geſſerunt, recipiendi. Ad ipſum pertinent multæ confiſcationes, quæ in mari & portubus fiunt, & bona naufragorum, quæ a fluctibus maris in anglicum pelluntur littus. Præterea annuo ſtipendio 7000. *libr. demulcetur. Hoc officium hodie, ſi recte memini, per Commiſſarios adminiſtratur.*

Accedamus jam ad eos, qui aulæ regiæ inſerviunt. Decanus capellæ regiæ ſummam ibi ſacrorum curam habet. Huic ſubſunt ſub-Decanus, Cantor & 34. *alii, qui in capella officia præſtant. Unus eorum agit ſacerdotem, qui matutinas in aula recitat preces, morbis laborantes inviſit, aliaque, quæ muneris ejus ratio requirit, perficit. Ex aliis unus muſicam duodecim chori pueros docet, & tres tangendo per vices organo ſunt deſtinati. In capella regia quatuor adhuc pedelli, qui argenteas præferunt virgas, aluntur. Præter capellam Rex ſuum habet ſacrarium, in quo unus ex regiis elemoſinariis, omnibus diebus laboribus deſtinatis, matutinas & veſpertinas fundit preces. Rex in duodecim magnis feſtis, qualia ſunt feſtum nativitatis, Paſchatos, Pentecoſtes, omnium ſanctorum, quod feſtum domus regiæ vocatur, circumciſionis, trium regum, purificationis Mariæ, aſcenſionis, Trinitatis, Johannis Baptiſtæ, & Michaelis, in Procerum, ceremoniarum torquibus ornatorum, comitatu, quem Heraldi antecedunt, aureum numiſma in ſignum ſpecialis dominii in ara deponit. Id notandum, regem in trium regum feſto aurum, thus & myrrhas, in aliis autem diebus feſtis aurum tantum offerre. Bizantinum hoc dicitur aurum, quoniam olim conſtantinopolitani cæſaris moneta exhibebatur. Omnia, quæ Rex & Regina offerunt, a capellæ Decano inter pauperes diſtribuuntur. Elemoſinarii* 48. *quos Rex habet, per vices unius menſis tempore ſacris in aula operantur. Eſt regi quoque magnus Elemoſinarius, cui ſubſunt Elemoſinarius ordinarius & reliqui, qui regias elemoſinas pauperibus diſtribuunt. Quem ordo tangit, die dominica & in diebus feſtis, Rege ſacris adſidente, concionem habet, & matutino tempore in dominicis diebus, ad regiorum domeſticorum uſum concionatur. Rex ſacram ſynaxin in nativitatis Chriſti, Paſchatos & Pentecoſtes feſto duobus aut tribus Epiſcopis aut regiæ familiæ aliquot comitibus, ſumit. Jejunii tempore omni dominica, Mercurii & Veneris die conciones habentur, dominica Epiſcopus, Veneris Decanus, & Mercurii die Elemoſinariorum regiorum quidam id ſuſcipit munus. In die Veneris ſancto weſtmonaſterienſis decanus, in Dominica palmarum cantuarienſis Archiepiſcopus, & in Paſchatos feſto primarius Elemoſinarius concionantur. Præter illos, qui ſacris operantur, Rex habet adhuc aliquem interioris conclavis concionatorem* (Clerc du cabinet) *& Elemoſinarium, qui ei eſt a confeſſionibus. Hic*

ad Regis, quando ſacris adeſt, hæret dextram, eumque, ſacrarium domeſticum ingredientem, comitatur & dubia, quæ Regi circa res religionis enata ſunt, reſolvit. vid. CHAMBERLAIN ch. XVII.

Inter aulæ regiæ Officiales magnus regiæ domus Magiſter primum occupat locum. Huic omnes aulæ domeſtici præter eos, qui ad capellam, cameram & ſtabula ſpectant, ſubſunt. Criminalis juriſdictio, quæ ei competit, ſe ab aula regia ad duodecim extendit milliaria; ab ea tamen urbs Londinum eſt exemta. Hic Regi virgulam albam præfert, quam a pediſſequo, qui detecto eſt capite, ubique habet comitem. Virgulam hanc fractam demortui regis injicit feretro, ut, ſuam aliorumque Officialium finitam eſſe poteſtatem, ſignificet. Qui ejus in aula regia ſubſunt juſſibus, ut ex cameræ rationum membris, Theſaurarius, domus regiæ albam ſuſtinens virgulam, alienæ fidei in gerendo munere Inſpector (Controlleur) quæſtor (payeur) &c. a CHAMBERLAINO ch. XVII. referuntur. In rationum camera magnus regiæ domus Magiſter cum aliis illius cameræ Officialibus, ſumtus, in regiæ domus ſuſtentationem impendendos, examinat, & cum iis, de comparandis ad victum neceſſariis, deliberat. Eſt in illa camera curia quædam juſtitiæ, cui a tapete viridi, (office du green cloths) quo menſa, cui magnus aulæ Magiſter, Theſaurarius, & quæſtor aliique, hoc conſtituentes judicium, aſſident, nomen eſt. Competentem in omnes, qui ad regiam ſpectant aulam, habet juriſdictionem, inque eos, qui pœnam promeriti ſunt, animadvertit. Sub magno porro aulæ Magiſtro ſunt omnes, qui in panario, artocopio, culinis, promptuario aromatorio, & cella vinaria ſervitia præſtant. Id circa hoſce inprimis notandum, quod Officialium minimus gradatim maximo ſuccedere queat. Notat autem Chamberlain, eos altius, quam ad Quæſtoris munus aſcendere non poſſe. Secundum habet locum magnus regii cubiculi Præfectus, cui omnes, qui ad cubiculum pertinent Officiales, parent. Excipiuntur tamen, qui cameræ, ubi regius eſt lectus, inſerviunt; illis enim primus cameræ Nobilis juſſa dat. In manus magni cubiculi Præfecti, aut ejus, cui vices ſuas committit, omnes aulæ Officiales, qui ab ejus pendent imperio, juramentum præſtant. Ad eum omnis rei veſtiariæ & ſupellectilis regiæ ſuprema pertinet cura, & Officialibus, qui ei deſtinati ſunt, præcipit. Juſſibus ejus quoque ſubſunt Regis Eleemoſinarii, medici, chirurgi, pharmacopolæ, barbæ tonſores, tympaniſtæ, & operarii. Ceremoniæ, quæ in diebus ſolennibus adhiberi debent, ſumtuſque, quos requirunt, ejus ſubſunt diſpoſitioni, curatque ille conclavia, quæ Parlamenti curias recipiunt, & in quo regi ejus exhiberi debent placita, (addreſſes) conſueto more ornari jubet. Novem ſunt cubiculi regii Nobiles, quorum primus, quem groom of the Stoole vocant, omnium, quæ ad regium pertinent cubiculum, curam habet, regique matutino tempore induſium exhibet. Non autem ad Nobilium horum numerum, niſi primariæ dignitatis viri admittuntur, qui regi inter privatos parietes (en particulier) cibum ſumenti inſerviunt, in ejus cubiculo per vices dormiunt, & abſentis primarii cubiculi Nobilis officio funguntur. Præter hos alii ſunt quatuor Nobiles ordinarii, præſentiæ, ut vocatur, cameræ deſtinati. Horum unus apparitoris virgæ nigræ munere in Parlamento fungitur. Locum hic in curia ſuperiore ante cancellos habet, introducitque in eam, qui prima ibi vice locum occupare volunt, nec non ad regis, in curia ſuperiore commorantis, juſſa audienda inferiorem advocat curiam.

A magno cubiculi Præfecto in ordine proximus eſt ſtabuli Comes (grand Ecuyer) Hujus moderamini omnes, quorum officia & curæ ad proletarios greges & regia ſpectant ſtabula, nec non ejus curæ redditus, ad alendos equos & alios ſumtus conſtituti ſubſunt. Si regi equo vehi placet, ſtabuli Comes equum ſuperbientem (cheval de parade) ducens, proxime Regem ſequitur. Nullus ſummorum Officialium, præter hunc, privilegio utitur Regis, pueros nobiles, pediſſequos, equos, carpenta &c. in ſuos adhiberi uſus. Magno ſtabuli Præfecto ſubſunt ſtabuli Præfectus inferior, alimentorum equeſtrium Inſpector, ſex equinæ dominicæ curatores, tres pueri nobiles (pages d' honneur) curruum Inſpector, equitum celerum curator, ſedecim pediſſequi quatuor carpentorum aurigæ, 21. hippocomi &c. CHAMBERLAIN part. II. p. 191. 192.

Ad regios Officiales duo etiam ſtatus, ut vocantur, Secretarii pertinent, qui omnium propemodum arcanorum participes, negotiis præcipue cum exteris pertractandis præfecti ſunt.

Perveniendum deinde eſt ad ſupremum veſtiarii regii Præfectum. Hic regiæ aulæ & exterorum legatis ſupellectilem, qua indigent, procurat, & de iis, quæ ad coronationis, matrimoniorum & funerum regiorum ſolennitates requiruntur, comparandis eſt ſollicitus. Pertinet quoque ad ipſum, legatis ad exteros miſſis ea, quæ a Rege ipſis ſuppeditantur, procurare. Periſcelidis ordinis inſignia, equitibus, extra Angliam commerantibus, transmittit, & alia ſuſcipit negotia, quæ a Chamberlino recenſentur. Subſunt ipſi multi inferioris ordinis Officiales, quorum cura ad magnum regium veſtiarium, quod Londini in loco, qui dicitur Vorckbuildings, aſſervatur. Præter magnum illud alia adhuc ſunt Regi veſtiaria; Withallæ, Windſorii, Hamptencurti, in turri londinenſi, Grenwichi & Kenſingtoni, quorum quodque ſuos habet Officiales. Eſt etiam veſtium receptaculum, quod ambulans dicitur, quoniam regiam comitatur aulam. Huic magnus præeſt Camerarius. Porro ad regiorum Officialium claſſem pertinent regiorum veſtimentorum & gemmarum cuſtodes, ceremoniarum Magiſter, cui aſſiſtens quidem & ceremoniarum Marechallus paret; tres inſignium Reges, ſex Heraldi, ædificiorum regiorum & rerum mechanicarum Inſpectores; Hiſtoriographus, Poeta laureatus, Bibliothecarius, Coſmographus, Hydrographus; Notarius publicus. Primus janitor (groom porter) curam habet, ut regia conclavia recte ſint ornata & inſtructa, luſorias exhibet chartas, quando Rex aut Regina ludo recreari conſtituerunt, liteſque ſuper luſu exortas decidit. Lætitiarum regiarum Magiſter comœdias, ſaltationes & larvatos conventus dirigit:

belli (a) negotia pertinent. Omnes hos conſtituit ſolus Rex, niſi quod plebs conſtituendi poteſtatem habeat aliquot minores Magiſtratus. Rex civitati londinenſi dat Præfectum, quem illi vocant

rigit; conclavis, in quo regia aſſervantur arma, cuſtos; quadraginta tabellarii, pilæ luſus director &c. Memorandi etiam adhuc ſunt: magnus Falconarius, magnus Venator, duo aquarum & ſylvarum judices; fodinarum ſtannariarum Inſpector; ſeptorum regiorum inſpectores; quatuor regii Medici, duo Chyrurgi, tres Pharmacopolæ. Denique Rex quadraginta nutrit muſicos, & duo ſunt theatra, in quibus comœdiæ aguntur.

(a) *ad belli*) Regii corporis cuſtodes non unius ſunt generis. Unam enim cohortem quadraginta conſtituunt Nobiles, qui ſuos habent Officiales, quorum caput ex regni Patribus eſt. Hi gladiis & haſtis (Partiſans) deauratis armati, Regem ædem, quam capellam vocant, aut Parlamentum petentem & inde redeuntem comitantur, eique in diebus ſolennibus adſunt. In coronationis & S. Georgii Angliæ Patroni feſto epulas regiæ adponunt menſæ. Solent autem per vices officia ſua præſtare, nec ad unum omnes, niſi in diebus ſolennibus adeſſe. Secunda cohors illos, quos Yeomen of the garde vocant, continet. Hic inferioris conditionis, ſed corporis robore admodum valens miles prætorianus, centum & ſeptuaginta implet numerum: centum autem eorum ſervitia tantum præſtant, reliqui reſarciendo centenario numero, ſi qui deſunt, inſerviunt. Locum in conclavi, quod garde chambre vocatur, habent. Sunt æque ac priores haſtis & gladiis inſtructi, nec non iisdem utuntur Officialibus; ut centurione, qui ex regni eſt Patribus, ſub centurione, vexillifero, & Secretario, in cujus manus omnes, præter centurionem, juramentum præſtant. Quadraginta eorum diurno tempore ad officia parati ſunt, viginti autem excubias agunt. Ex ſatellitum horum numero ſunt, qui cibos, exceptis antea memoratis diebus, quando regiæ ſunt inſtruendæ epulæ, afferunt, Regique iter facienti comites adſunt. Deinde ad prætorianum quoque militem ſpectant tres (4) equitum turmæ, quarum unaquaque 160. (200) complectitur capita, præter turmam igneorum globulorum jactatorum, quæ ex 145. hominibus conſtat, & duæ peditum legiones, quarum prima 28. & ſecunda 14. centurias continet; Unaquæque autem centuria ex quadraginta conſtat militibus. Equitum turmæ ſuas habent centuriones ſive Equitum Magiſtros, ſub-centuriones vexilliferos & alios quosdam Officiales; ubi notandum, Equitum Magiſtrum Tribuni, ſub-centurionem ſub-Tribuni & vexilliferum vigilum Præfecti dignitate gaudere: Peditum autem legiones a Tribuno, ſub-Tribuno & vigilum Præfecto, aliiſque centuriarum Officialibus reguntur. De prætoriani militis ſtipendiis vid. MIEGE tom. II. p. 544. ſeqq. Adde CHAMBERLAIN part. II. p. 93. ſeqq. Quod ad ceteras bellicas attinet vires, prout illæ vel terreſtres vel maritimæ ſunt, agit CHAMBERLAIN dans l' etat preſent d' Angleterre part. II. ch. X. Pacis tempore conductitii militis decem vel duodecim plus minus tantum aluntur millia, cum belli tempore quadraginta mille ejusdem generis milites, imo major ſæpe numerus ſub ſignis eſſe ſoleat. Ad regnum contra exterorum impreſſiones tutandum, domeſticus ipſis, quem provinciæ nutriunt, ſufficere poſſet miles; (la milice) ille namque & numero & robore valet. Hic, ducentorum millium numerum implere, fertur. Id certum, in quinque tantum comitatibus eum ad quadraginta millia aſcendere. Præterea tantæ ſunt maritimæ Anglorum vires, ut & a conjunctis aliorum claſſibus nihil pæne ipſis metuendum ſit; ſtupendum enim hodie bellicarum novium habet numerum, quæ omnes in arte peritis regendæ tradi poſſunt. Aliqui ducentas ſuperare dicunt. Pacis tempore quædam tantum earum ad cuſtodienda contra maritimos prædones littora, & ad comitandos mercatorias naves ſunt inſtructæ. Maxima autem pecuniæ vis nonſolum ad ædificandas, inſtruendas & conſervandas naves, ſed & alendos, qui in navibus ſunt, requiritur. In primi ordinis navem fabricandam & inſtruendam 64432. libr. ſterling. ſumtus ſunt faciendi, ex quo reliqua quodammodo colligi poſſunt.

Antequam ad alia progrediamur, paucis ſaltim monendum, & Reginæ & Walliæ Principi ſuos eſſe aulæ Officiales. CHAMBERLAIN part. II. p. 100. ſeqq.

Nunc ad conſilium ſtatus & regias curias, ut vocantur, perveniendum erit. Sanctioris conſilii, quod ſtatus vocant, membrorum numerus non eſt determinatus, ſed a Regis pendet arbitrio, quotnam eorum conſtituere velit. Ex eorum autem numero Præſes, qui ex primis regni Officialibus eſt, & duo ſtatus Secretarii, qui Regis in ſanctiori præſentis conſilio nudis capitibus, & ſtantes occupant latera, vi officii ſui ſunt. Membra hujus ſenatus binis in quavis ſeptimana, niſi a Rege extra ordinem convocentur, conveniunt diebus, & ad pertractanda negotia, ad rempublicam ſpectantia, nudis capitibus & illo ordine, quem cuilibet dignitas, qua pollet, præbet, menſæ aſſident. Votum ab ultimo primum fertur, & ſic aſcendendo usque ad primum, qui ultimum habet, pergitur; deciſio autem eſt penes Regem, qui aliquando, ſi res maximi momenti eſt, eam ad ſecretiſſimum ſuum conſilium, quod du cabinet dicitur, transmittit. Hoc nonniſi tribus conſtat membris. De ſtatus Secretariis adhuc memorandum, eos in quavis regia arce ſua habere conclavia & loca, ubi ſub-Secretarii & ſcribæ (Clercs) eorum ad expeditiones incumbunt. Sub-Secretariorum unicuique duo, & ſcribarum, quos eligunt, ſex ſunt. Præterea Secretarii ſtatus duo alia adhuc expeditionum habent loca, quorum unum vocatur bureau de cachet alterum des papiers d' etat. In primo a quatuor ſcribis, qui per vices rebus expediendis operam navant, inſtrumenta, ut ſigillo ſubjici poſſint, in altero documenta & cartæ, quæ jam expedita ſunt, aſſervantur. Omnia, ad res regni & ſubditorum preces pertinentia, ad regem ſtatus Secretariorum opera deferri ſolent. Quod ad externas attinet res, omnes regiones, cum quibus Anglis

negotia

illi vocant *Major* (a) (*Lord maire.*) Similiter ipſi Conſules londinenſes conſtituuntur a ſolo rege; niſi quæ nominatio ſit penes populum, ut qui ad comitia *mittendi ſunt* (b) ſed tales non proprie dicuntur Magiſtratus. Judices omnes Rex conſtituit, & hac in parte nullum eſt jus comitiorum, ex his manifeſtum eſt, quænam ſit forma regiminis reipublicæ anglicanæ. Eſt ibi ſcilicet ſtatus regiminis mixtus, nec ibi obtinet ſimplex regiminis forma, ſed pars eſt penes Regem, pars penes populum, ita ut circa collationem Magiſtratuum prævaleat autoritas regia, circa ea autem, quæ

negotia quædam ſunt, in duas dividuntur provincias, quarum unius negotia uni, alterius alteri ſtatus Secretariorum curanda committuntur. Si Baronum dignitatem habent, omnes alios ejusdem ordinis antecedunt; ſi vero hoc deſtituuntur axiomate, juxta tempus creationis ſuæ locum habent. Quod ſi ex equitum numero ſunt, præ omnibus aliis ejusdem dignitatis viris locum habent. Annuum eorum ſalarium duo millia librarum (piecees), conſtituunt: ſcribæ autem (clercs) nullis demulcentur ſtipendiis. Interim reditus eorum, quos ex ſuis habent expeditionibus, ſatis magni ſunt. Præterea ſingulis illorum, qui in loco, qui bureau de cachet *dicitur, ſervitia præſtant, in alimenta 200. libr. (pieces) quotannis ſolvuntur.* MIEGE tom. II. ch. XIII. CHAMBERLAIN part. II. ch. IV. *Juſtitiæ curiæ, ut vocantur, ſequentes recenſentur:* Chancery, Queens bench, common pleas, Exchequer, Dutchy of Lancaſter. *Nos de iis pauca tantum memorabimus, de cetero benevolum lectorem ad* MIEGII l. c. c. XV. ſeqq. & CHAMBERLAINI l. c. c. v. ſeqq. *tractatus remittentes, ubi etiam de curiis & judiciis inferioribus, quæ ſunt in provinciis, pertractatur.*

Cancellariæ Præſes aut judex Cancellarius eſt, qui duodecim habet aſſeſſores. Hi Maſters of Chancery dicuntur, *quorum primus* Maſter of the rolls *vocatur, quoniam Cancellariæ acta, quæ membranæ inſcripta complicantur, cuſtodiæ ejus ſunt commiſſa, reliqui referentium munere funguntur. Scribarum in hoc judicio 24. adſunt, qui* Clerici de curſu *oppellantur. Præter hos ibi ſunt: coronæ ſcribæ, Protonotarius, Secretarius* du Hamper, *ſex cancellariæ ſcribæ, qui gratiæ & juſtitiæ conceſſiones in literas redigunt, duo teſtium examinatores, tres ſcribæ, qui vocantur* Clerici du bettupay, *qui juſſa, libræ Commiſſariis danda expediunt: Commentarienſis carceris, qui* fleet *dicitur, & ſcriba, qui cum Regiſtratore & relationum Secretario in loco (bureau) qui ſub pœna dicitur, teſtium citationes conficiunt. Cauſæ juſtitiæ & æquitatis in hoc judicio pertractantur. Norma cauſarum juſtitiæ decidendarum ſunt leges conſuetudinesque regni, & tunc forenſia ſcripta & decreta in latiali exhibentur & promulgantur ſermone; aut æquitas aut conſcientia, atque tunc anglicana adhibetur lingua. Nulli hic ſunt jurati, ut in aliis Angliæ judiciis: ſed omnes ſententiæ a judice feruntur. Peculiare eſt, quod reus ibi, ad libellum & interrogatoria reſpondens, jurare teneatur, ſe verum dicere velle. Denique notandum, literas, quas circulares vocant, quibus Parlamentum convocatur, in cancellaria concipi. Vid. plura apud* CHAMBERLAIN chr. V. part. II.

Judicium, quod la cour du banc du Roy *dicitur, olim aliquando ipſum Regem, ſcamno elatiori ac judices inſidentem, præſidem habebat, unde etiam nomen originem trahit. Hodie quatuor judices a Rege conſtituuntur. Horum primus dicitur:* le Lord Chef de la juſtice du banc du Roy. *Oportet autem, ut quilibet eorum ſummos in jure conſecutus ſit honores. Cauſæ ibi coronæ & criminales, inprimis proditionis, tumultus & feloniæ pertractantur. Poteſtas eſt huic judicio, in aliorum judicum errores in jure & facto inquirendi, eosque corrigendi: Ab ejus tamen juriſdictione cauſæ, quæ ad Echiquer pertinent, eximuntur. Cauſæ ſubditorum contra ſubditos civiles in judicio, quod* la cour des plaidoyers ou cauſes communes *appellatur, ventilantur. Præſes ibi,* durante beneplacito Regis, *cum quatuor aſſeſſoribus jus dicit, & Advocati, qui cauſas perorant, ex doctorum ſunt numero.* CHAMBERLAIN l. c. c. VII. *In curia, quam Echequier dicunt, omnes cauſæ nummariæ examini & trituræ ſubjiciuntur & dijudicantur. Conſtat ex Theſaurario magno Angliæ, cujus munus per quinque Commiſſarios hactenus eſt adminiſtratum, ex ſub-Theſaurario, qui & Echequieri Cancellarius dicitur, Echiquier, Baronum capite, (Le lord chef Baron) tribus judicibus, & Barone curſitore togis, rubris aut violarum colorem referentibus indutis. Raro autem tres priores cauſis cognoſcendis & decidendis adſunt. Loci, ubi conventus hic celebratur, pars, quam* petit Echiquier *vocant, regiis reditibus recipiendis eſt deſtinata. Reditus autem illi ſub Theſaurarii, qui & ſigilli cuſtos eſt, cura ſunt. Duo Camerarii archivorum ibi curam habent. Inter chartaceos quoque illos theſauros celebris totius Angliæ liber eſt cenſualis, quem* doomsday book *dicunt. De aliis Echiquieri Officialibus vid.* CHAMBERLAIN l. c. ch. VIII. *Ultima Curia, ut loquuntur, quæ in aula (ſale) quoque Weſtmonaſterienſi habetur, eſt, quæ ducatus Lancaſtrienſis dicitur. Præſidem, Procuratorem, & alios permultos Officiales habet. Cauſæ, quæ ad eam deferuntur, ducatus illius reditus concernunt. Quatuor tantum per annum vicibus curiæ iſtæ aperiuntur. Longius ſpacium, quo apertæ manent, menſem tantum excedit, ita ut quatuor illa tempora tantum tres complectantur menſes, intra quos omnes Angliæ proceſſus, cujuscunſque demum ſint momenti, terminari debent.*

(a) *Major) De hujus electione, magna autoritate, & aliis, qui ſub eo ſunt urbis londinenſis Magiſtratibus vid.* l' etat nouveau de la grande Bretagne par MIEGE ch. IX. §. XIII. p. 274. ſeqq. *Sub ejus tamen moderamine Weſtmonaſterium non eſt, ſed in illud omnis juriſdictio Capitulo ejusdem nominis competit.*

(a) *mittendi ſunt)* Urbs Londinum præ aliis peculiare habet urbibus, quod quatuor ad Parlamentum mittat deputatos.

quæ maximi ſunt momenti in republica, prævalet autoritas populi. Nec enim hodie eſt ea ratio reipublicæ, quæ olim fuit, ceu dictum. Interim tamen nec hodie quicquam quaſi pro lege comitiorum accipitur, niſi Rex conſenſerit. Rex tamen non temere audet hac in parte repugnare, adeo tenues ei ſunt res & vires, quia tamen per Regem eſt reddita autoritas *domus dominorum*, (a) ideoque illi ſoleot nunquam non pugnare pro autoritate regia, nec quicquam conſtituere, niſi id Regi placeat.

Videndum, quemadmodum regnum illud adminiſtretur per Magiſtratus. Videamus primo res ſacras & civiles easque, quæ ad belli negotia pertinent. Quod res ſacras attinet, haud facile dixerim, quomodo ſe regnum habeat circa rerum ſacrarum admioiſtrationem. Antehac fuit *magna autoritas* (b) Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, hi enim omnia, quæ ad ſacra pertinent adminiſtrarunt, ultimis tamen temporibus huic epiſcopali regimini ſe oppoſuere multi, alii enim putarunt regimen Archiepiſcoporum & Epiſcoporum ſapere aliquod fermentum papiſticum, illudque eſſe exſtirpandum ex eccleſia *anglicana*, (c) ex adverſo eſſe introducendum regimen genevenſe, per Joannem Calvinum introductum, & in Gallia & Belgio receptum, ubi Calvini autoritas ſolet eſſe major. Hac de re accerrimæ fuere contentiones in illo regno, & quantum ego iudicare poſſum, utraque parte vergente in extremo. Archiepiſcopi & Epiſcopi non dubitavere regimen illud epiſcopale venditare, quaſi jure divino in eccleſia eſſet conſtitutum, uti etiam nonnulli in romana eccleſia id profitentur. Interim tamen ipſi Jeſuitæ id in dubium vocant, qui & Papam elevant, Epiſcopos deprimunt, & curia romana id libenter audit. Apud Anglos aperte ſunt profeſſi Epiſcopi, illud regimen eſſe jure divino inſtitutum, durantibus etiam turbis anglicanis, cum jam in Anglia omnis autoritas epiſcopalis eſſet abolita. Hammondus quidem edito libro id defendit. Scripſerat David Blondellus *librum egregium* (d) de Epiſcopis & Presbyteris, quo probavit autoritate Hierooymi Epiſcopos & Presbyteros non differre niſi jure poſitivo humano. Huic libro Hammondus oppoſuit ſuum, ex adverſo alteri illi, qui gevenenſe regimen laudabant, non dubitabant aſſerere, emineotiam Epiſcoporum ſupra Presbyteros eſſe juri divino contrariam, & omnes eſſe conſtitutos æquales. Hanc ſententiam ſec. IV. defendit Henricus quidam: verum hic tum temporis & propter hoc dogma & alia relatus eſt inter hæreticos. Credo ego, neutram ſententiam eſſe veram, quod ſcilicet Epiſcopatus debeat eſſe ſuperior Presbyteratu jure divino, & quod Presbyteri omnes ioter ſe debeant eſſe æquales: ſed omne regimen eccleſiaſticum eſt relictum humanæ prudentiæ, & prout homines obſervarunt, profuturum eccleſiæ. Ita ſas eſt conſtituere, quemadmodum inter Romanos in LL. XII. Tabb. erat cautum, *ſalus populi ſuprema Lex eſto:* Ita lex eſt in eccleſiaſticis, ut ordine & decenter omnia fiant. Verum eſt, quod in veteri eccleſia non niſi Presbyteri erant; paulatim tameo obſervarunt, e re eccleſiæ eſſe, ut Epiſcopi, Archiepiſcopi & Metropolitani conſtituerentur. Tandem etiam viderunt e re eſſe, ut etiam Patriarchæ in eccleſia conſtituerentur. Videatur de his pluribus *diſputatio de conſtitutionibus Epiſcoporum* in Germania.

In Gallia ita eſt conſtitutum, ut multa Presbyteria unum corpus conſtituant, quod illi claſſes appellant. Illis claſſibus quotannis præficitur unus Presbyterorum, qui ſit loco Præſidis. Hic eſt modus regiminis eccleſiaſtici, qui placuit Genevenſibus. Ille quidem non eſt malus, habet tamen ſua incommoda, prout omnia, quæ ſunt in mundo. Regimen illud eccleſiaſticum genevenſe eſt quodammodo ſimile conciliis. Quemadmodum enim concilia conſtituendi poteſtatem habent ea, quæ ad totum corpus pertinent, ita etiam tales poteſtates habent illæ claſſes, quæ revera nil aliud ſunt, quam comitia Presbyterorum. Sed ab initio eccleſiæ non fuere concilia, ſed quælibet eccleſia fuit ſui juris. Interim tamen, tametſi primitiva eccleſia ita ſe habuerit: tamen non creditum fuit primitivæ eccleſiæ, quaſi aliud regimen eſſet injuſtum. Cum in Anglia per has turbas civiles eſſet abolita Hierarchia eccleſiaſtica, ſtatim inter ſe collidi cœperunt Angli nonnulli. Alii enim voluerunt introductum regimen

(a) *domus dominorum*) Quanquam enim curia ſuperior ſub Cromwellio protectore reſtaurata fuerit: attamen illo regnante non magnæ fuit autoritatis.

(b) *magna autoritas*) CHAMBERLAIN *l. c. ch. XVIII.* Habet Clerus anglicanus ſuos quoque conventus, qui utriuſque Parlamenti curiæ ſpeciem referunt. Archiepiſcopi enim & Epiſcopi ſuperiorem, & alii clerici inferiorem conſtituunt. Sed hodie Cleri autoritas & opes in Anglia æque ac alibi admodum ſunt imminutæ, quod permultis diſplicet. *Le plus ſcavant Hiſtorien dans le monde* (*inquit Chamberlain l. c.*) *ne ſcauroit produire un ſeul exemple d' un état heureux, ou le Clergé eſt pauvre & mepriſé. La derniere ruſe, dont le diable ſe ſert dans le monde dit S. Gregoire, eſt, quand il ne peut pas rendre mepriſable la parole de Dieu & les ſacremens par des erreurs & par des heréſies, il tache de faire mepriſer le Clergé & de lui oter ſa reputation, comme on le voit aujour d' hui en Angleterre, ou il eſt regardé de pluſieurs, comme la pouſſiere & le rebut du peuple. On croit, qu'il eſt un deshonneur dans une famille, que de deſtiner quelqu' un a la profeſſion, & une femme a honte, de ſe marier a un homme d' Egliſe; au lieu qu' autrefois en Angleterre le Clergé étoit en ſi haute reputation, que non ſeulement les principaux d' entre les nobleſſes; mais meme les fils & les freres de pluſieurs Roys tant avant, qu' apres la conquete, ſe ſont fait honneur de prendre les ſaints ordres, comme cela ſe pratique encore aujourd' hui dans pluſieurs états chretiens &c.* Confer tamen præfationem libro, qui inſcribitur *fautes des deux cotés* præmiſſam *p. 40. ſeqq.* & ipſum librum *p. 133. ſeqq.*

(c) *anglicana*) Quænam hujus ſint dogmata vid. apud MIEGE *tom. I. p. 305. ſeqq.*

(d) *librum egregium*) Dolendum, doctam libri præfationem nimia nonnunquam laborare obſcuritate, quod & in obſervandis ad Hieronymi loca, quæ librum conficiunt, contingit.

men per claſſes, contra permulti obſtitere, & tale regimen noluerunt admittere: contendentes, tale regimen ſapere quid tyrannicum, debere ſingulas eccleſias eſſe ſui juris, & ſuas res agere. Qui id agebant, dicti ſunt *Independentes*, (a) quod regimen eccleſiæ vellent habere independens, pro illa autem independentia multi acerrime pugnarunt: qui autem regimen eccleſiaſticum per claſſes vellent introductum, dicti ſunt Presbyteriani. Ita Anglia cœpit collidi poſt abolitos Epiſcopns. Cauſa, quare multi adeo pugnarent pro independentia, revera hæc fuit, quod nimirum vulgus anglicum eſſet ſciſſum in varias ſententias ſacras, quodque multæ hæreticæ ſententiæ in populo graſſarentur. Fugiebant regimen eccleſiaſticum per claſſes, volebant eccleſias eſſe ſui juris, ne alteri tenerentur rationem reddere. Hinc etiam docuerunt, libertatem conſcientiarum pertinere ad libertatem. Hæ contentiones regnum illud graviſſime afflixerunt, & etiam hodie haud leviter vexant. Durante Cromwellii imperio prævaluere Indepedendentes; ipſe enim Cromwellius partes horum eſt *tutatus*, (b) quia tota ſua familia conſtabat ex Independentibus.

Quod hodiernum itaque ſtatum attinet, Rex conſcientiis libertatem indulſit, & cætus ſacri pene omnium religionum tolerantur in republica anglica, modo illi ſint quieti, nec dent turbas adverſus ſtatum publicum. Apparet itaque ex iis, quæ contigere in Anglia, eſſe ingentem vim eorum, qui diverſis ſententiis abeunt a *reformata eccleſia*, (c) ita ut appareat, majorem eſſe oumerum eorum, qui cum eccleſia Reformata oon faciunt. Magnus ibi eſt numerns *Anabaptiſtarum* (d) omnis generis; cum primis hodie Anglia eſt impleta hominibus *fanaticis;* (e) atque adeo, oiſi illi aliquando armis compeſcantur, certe ſint turbas daturi. Quemadmodum enim Jeſuitæ exiſtimant, a ſua ſententia alienos eſſe vita indignos, & omnem, ut illi appellant, hæreticum excidiſſe poſſeſſione omnium bonorum: ad eundem modum fanatici illi docent, omnes a ſua ſeotentia alienos eſſe iniquos regni poſſeſſores, & omnia eorum bona ad ſe pertinere, ſe eſſe populum illum ſanctum, quem Deus velit hæredem totius mundi. Plane quemadmodum Pontificii in ſuo genere putant, regnum totius mundi ſibi ſolis competere. Regimen itaque in Anglia non eſt bene conſtitutum, in tanta ſeotentiarum diverſitate.

Quod attinet regimen *civile* (f) rerum profanarum, illa omnia ſic ſatis bene ſe habent. Alit illud regnum militem perpetuum terra marique, quod ante Cromwellium non fecit, cui ad tutandam autoritatem ſuam, cum eſſet tyrannus, neceſſum fuit, perpetuum militem alere. Ita etiam Regis intererit, ut militem alat, & niſi hoc faciat, erunt omnia plena turbarum, tribus nempe de cauſis (1) quoniam maxima populi multitudo aſſuevit *armis*, (g) ita ut

(a) *Independentes*) *L' etat preſeut de la grande Bretagne par* MIEGE *tom. I. p.* 312.

(b) *tutatus*) Interim ſub religionis hujus tegumento libidinem imperandi abſcondebat. *puiſque Cromwell* inquit autor præfationis, libello cui titulns: *fautes des deux cotes, præmiſſa p.* 41. 42. *l' auteur de cette tragedie* (mortis Caroli I.) *n' avoit, qu' une apparence de religion, & que dans le fond il n' en avoit point du tout.*

(c) *reformata Eccleſia*) Illi autem omnes, qui oon conformiſtarum nomine veniunt, in articulis primariis cum eccleſia anglicana conveniunt.

(d) *Anabaptiſtarum nomine*) Notum eſt, hos paidobaptiſmum improbare, & propterea eos, qui ſectæ ſuæ ſe inſerunt, rebaptizare.

(e) *fanaticis*) In Anglia non pauci ſunt Qoakerorum. Hi Spiritus ſancti immediatam crepant inſpirationem, quam in conventiculis ſuis cum ſuſpiriis tremuli expectant; unde trepidantium nomen habent. Nullum hi io eccleſia ordineso admittunt, & a ſacramentorum uſu abſtinent, interiori ſuo, quod mentiuntur, lumine contenti. Quod civilem ad vitam attinet, omnea homines, ut in ſtatu naturali, ita & in ſtatu civili æquales eſſe debere contendunt. Hinc quoslibet, cujuſvis etiam ſiot dignitatis, cum quibus ſermones miſcent, in ſecunda perſona alloquuntur tecto capite. Juramentorum uſum penitus improbant, & a ſplendido veſtitu & lautiori vita alieni ſuot. Neque io coſpectum Regis venientes, dextræ ejus oſculum libaturi, in genu procumbunt, ſeveriſque gaudent moribus. Cumque commerciis ſtrenue operam navent, nummis plerumque abundant. Conf. MIEGE *l. c. p.* 313. Porro in Anglia quoque, qui ſomnio de Chriſti terreſtri regno laborant, reperiuntur. Ut taceam, quæ de multiplicantium & ſerutatorum (chercheurs) ſectis tom. IV. *des voyages hiſtoriques p.* 70. 71. leguntur. Sic & multi in hoc regno pontificiæ addicti ſunt religiooi, qui publicis tamen deſtituuntur ſacris. Denique ſub Cromwellio Judæi rediere, qui inſigniter aucti Loodini egregiam condidere ſynagogam.

(f) *civile*) Hoc graviter diſſenſiones inter Torys, (*rigidos*) qui tempore Caroli I. *Chevaliers de la tete ronde* dicebantur, *& Whigs affligunt.* (moderatos) Illi obedientiam mere paſſivam, hi legibus fundamentalibus convenientem profitentur. Dubium tamen non eſt, quin nonnunquam ſub illorum larva, prætendentis, quem vocant, partibus addicti latitent. Conf. liber, cui titulus, *fautes des deux cotes.*

(g) *armis*) Huic accedit, quod in Anglia primogenituræ jus locum habeat; unde filii ſecundo geniti, primariæ etiam nobilitatis, caſtra ſequi tenentur, ſi animus aut occaſio togam ſumendi, vel commerciis ſe addicendi deeſt. Olim enim nobilitati etiam inferiori dedecus videbatur, mercaturæ operam dare, aut illiberalibus artibus: hodie tamen Baronum filii, Barouetti, Equites, Nobiles tabernis & opificiis ſe dedicant. CHAMBERLAIN *part. II.* 151. Nobilitas autem Angliæ cum clero & tertio ſtatu, ut loquuntur, ſive plebe regni ordines conſtituit. Clerus primum inter eos locum habet, CHAMBERLAIN *l. c. cl. XVIII.* Ejus caput eſt Rex, qui obinde *perſona ſacra mixta cum ſacerdote* dicitur. Ipſum Archiepiſcop. Epiſcop. de quibus jam dictum, Decanorum, Canonicorum & Clericorum inferioris ordinis magnus ſequitur numerus. CHAMBERLAIN *part. III. ch. I. & II.* in quibus de regimine eccleſtaſtico, ſynodorum convocatiooe, eccleſiaſticis, quæ dicuntur, curiis, & cenſuris agitur. Adde *the Engliſch hiſtorical library part III. ch. VI.* Epiſcoporum Aogliæ multa & magna ſunt privilegia. Curiæ ſuperiori ut Barones & Epiſcopi adſunt, & ante omnes Barones laicos locum occupant. In curiis ſuis ad dicendam ſententiam nullo indigent aſſeſſore. Curiarum epiſcopalium placita non Regis ſed Epiſcoporum nomine expediuntur: *Epiſcopi aeque ac Rex autoritatem ſuam aliis, ut magnis ſuis vicariis, delegare poſſunt.* Citra Regis conſenſum ob crimen ad laicum trahi non poſſunt forum, in criminibus ultimum

ita ut aliunde non poſſit vivere, jam ſi Rex omnem militem auctoraret, populus non poterit non tumultuari, & res novas quærere, (2) quoniam Regis omnes res ſunt recentes, adeoque Regi opus eſt milite ad conſervandam autoritatem. Sunt adhuc in regno illo hodieque permulti, quibus regimen cromwellianum magis placebat, hi ſunt compeſcendi. Præterea Regi eſt miles alendus, ad compeſcendos homines fanaticos, qui adeo dementati ſunt ſuis hæreſibus, ut etiam ruant in ferrum & ignem. Quemadmodum antehac Pontificii in regno illo, ſupra quam credi poteſt, ferociam exercuerunt adverſus diſſentientes: ad eundem modum id faciunt homines fanatici. Accedit (3) quod Cromwellius oſtenderit, quanta ſit potentia Regis Angliæ, ſi quidem alat militem, ſi itaque Rex militem jam exauctoret, neceſſario Cromwellii exiſtimatio longe poſſet prævalere autoritati regiæ. Notum enim eſt, quantas res Crom-

---

ultimum ſupplicium inferentibus, Epiſcoporum judices omnes ſunt Epiſcopi. In proceſſibus criminalibus, eorum ſuperiori ventilatis curia, Epiſcopi quoque jus ſuffragii habent, antequam autem ſententia feratur, inde ſe recipiunt. Vid. plura apud CHAMBERLAIN *part. II. ch. XVIII.* Id in Epiſcopis adhuc notandum, quod Epiſcopus londinenſis cantuarienſis Archiepiſcopi provincialis ſit Decanus, Epiſcopus Wincheſtrenſis ejus magnus Vicarius, & Epiſcopus Rocheſtrenſis ejus Capellanus. Secundum regni ordinem nobilitas efficit. Hæc in primariam & ſecundariam diſtinguitur. Primariæ accenſentur: Duces, Marchiones, Comites, vice-Comites, Barones. CHAMBERLAIN *part. II. ch. XIX.* Secundi ordinis Nobiles tertio annumerantur ſtatui, tales ſunt Baronetti, Equites, Scutigeri (Ecuyers,) Nobiles ſimpliciter dicti, & primariæ nobilitatis vicorum filii etiam primogeniti. CHAMBERLAIN *l. c. ch. XX.* De dignitatibus illis late agit SELDENUS *in titulis honorum.* Rex dignitatis omnis in Anglia fons eſt, & inter eos, qui primaria gaudent nobilitate, principem locum Walliæ Princeps habet; Hic Cornubiæ Dux naſcitur, & Walliæ Princeps a patre 21. ætatis anno abſoluto, ceremoniis quibusdam adhibitis, creatur. Eodem tempore ipſi palatinatus cheſtrenſis confertur. Conf. *the law of England relating to the nobility & Gentry, by* BRYDALL *p. 5. ſeqq.* SELDEN *l. c. c. 5. n. 1.* Diploma autem creationis a Parlamento conficitur. Ante Eduardi III. tempora ducalis dignitas in Anglia fuit incognita, & primum Marchionem Oxonii Richardus II. conſtituit. Primum autem locum inter Proceres antea Comites habebant. Quæ uniuscujusque Patrum regni, qui ſuperiorem conſtituunt nobilitatem, ſint dignitatis, quam habet ſymbola, ut pallium, toga, mitra coronæ ſpeciem referens, autores citati tradunt. Differentia in eo quoque conſiſtit, quod Dux umbellam habere, conjux ejus indumenti ſui extrema (la queüe) per Baronis conjugem portari curare poteſt: ſed hoc, Rege vel Regina præſente, fieri nequit. Marchio quoque & Comes umbellis uti poſſunt; ille tamen, quem hic adhibet, ab aliorum umbellis differt. Conjuges etiam eorum, ad excipienda indumentorum extrema, Marchionis nempe Equitis uxorem, & Comitis honeſtam aliam fœminam (demoiſelle) ſequentes habere poſſunt. Quod ad jus proëdriæ attinet, poſt regem ejuſque auguſtam domum locum habent: magnus Cancellarius, magnus Theſaurarius, conſilii ſtatus Præſes & ſecretioris ſigilli Cuſtos. Hos ſequuntur Duces juxta creationis ſuæ tempus. Proximi his ſunt Marchiones, quos excipiunt Ducum filii primogeniti, & deinde ſequuntur Comites, Marchionum filii primogeniti, Ducum ſecundo geniti, vice-Comites, filii Comitum primogeniti, Marchionum ſecundo geniti, Barones, ſecundo geniti Comitum, Baronum filii primogeniti, vice-Comitum ſecundo geniti, Baronum ſecundo geniti. Tandem adhuc notari meretur, quod Procerum nonnullorum annui reditus, quos ex ſuis habent prædiis, 30000. libr. ſterling ſuperent. Primi ordinis Nobilium magna ſatis in Anglia ſunt privilegia. Regni Patrum nemo, licet Parlamentum non habeatur, arreſto, ut loquuntur, conſtringi poteſt, niſi proditionis, feloniæ, fractæ pacis publicæ aut læſæ majeſtatis reus ſit. Ob nullum debitum in carcerem dari poſſunt. Feloniæ aut magnæ proditionis (haute trahiſon) nonniſi coram regni Patribus accuſari poſſunt, qui nullo ad recte judicandum ſe juramento, ut alias fieri ſolet, obſtringunt: ſed ſufficit, quod, ſe rem ex fide geſturos, ſub honoris ſui vinculo promittant. Nulla ab eis vitæ rationis (de ſa conduite) cautio peti poteſt. Ubi aliorum requiritur juramentum, ibi illi ſub honoris fide admittuntur. Alii in Parlamento Patri votum ſuum committere poſſunt, quod Curiæ inferioris membris non licet. Sic & Commiſſarii conſtituti ſuas aliis vices concredere poſſunt. Sub Parlamenti initium, non æque ac Curiæ inferioris membra de ſuprematu ſervando, ſe jurejurando adſtringere, obligantur. Patres tantum regni, & magni coronæ Officiales *lords* vocantur; ex ſeculi autem more (par civilité) illo elogio etiam Ducum, Marchionum & Comitum filii primogeniti mactari ſolent, qui alias ſcutigeri (ecuyers) dicuntur. Ad Parlamentum aut aulam regiam vocati, in regiis ſepta venationi indulgere, & damarum unam aut alteram interficere poſſunt. Severiſſime legibus prohibitum, ne quid iis falſo adſcribatur, ex quo ignominia in illos redundare queat. Tale delictum *ſcandalum Magnatum* dicitur. Quilibet Procerum aliquot alere poteſt Eleemoſinarios, qui plurium beneficiorum, quibus animorum cura annexa eſt, capaces ſunt. Regni pater inter domeſticos ſuos ſex extraneos habere poteſt, reliqui autem tantum quatuor. Comiti in ſex vini dolia (tonneaux) immunitas ab onere vino impoſito conceditur; reliqui autem Patres pro dignitatis ſuæ differentia majori aut minore hic gaudent privilegio. Sunt tamen quædam, ubi regni Patres nulla gaudent prærogativa. Nam bona eorum æque ac plebeiorum omnis generis oneribus ſubſunt; nec alicui Patrum regi tecto capite, etſi ejus ſit filius aut frater, adeſſe licet: Eliſabetha tamen Regina genti *de Ratchs* id privilegii dedit. CHAMBERLAIN *part. II. ch. XIX.*

Circa inferioris nobilitatis, quæ ad tertium refertur ſtatum alias perſonas nihil monebo, præterquam, quod Baronetti a Jacobo I. in Valvaſorum locum creari cœperint. Dignitas autem hæc, 1200. libr. ſterling. ſumtibus, plus minus, redimitur. Hi omnes, antecedunt Nobiles inferioris ordinis, exceptis iis, qui periſcelidis ordinem habent, conſilio Regis ſanctiori adſcripti, aut equites ſub regio vexillo belli tempore creati ſunt. Si Rex aut Walliæ Princeps in exercitu ſunt, Baronetti regio adeſſe debent vexillo. Numerus eorum ad 600. auctus eſt. Sunt qui inferioris nobilitatis in Anglia ex terris annuos reditus ad 4. milliones & ſexaginta millia librarum ſterlingi æſtimant. Quanquam Nobiles ante ignobiles plerumque habeant locum. Sunt tamen horum aliqui, qui officiorum ſuorum ratione Nobilibus, ſecundi ordinis ut talibus præferuntur. Tales ſunt Decani, Archidiaconi, magni Vicarii, Canonici, Profeſſores, Doctores, Licentiati, Baccalaurei, Advocati, & omnes bellici Officiales.

Secundarii generis Nobiles ſequuntur illi, qui anglico idiomate *Freeholders* vel *Yeomans* vocantur, qui terras nullo vinculo, præterquam obſequii, quo Regi adſtringuntur, ras. Alii obnoxis poſſident. Sunt ex his in provincia Cantii, quorum annui reditus 1200. libr. ſterling. complectuntur, multi vero illorum quotannis ex bonis ſuis 200. libr. ſterling. percipere poſſunt. Ab his diſtincti ſunt Capyholders,

res Cromwellius ipſe *geſſerit* (a) inter breve temporis ſpatium. Intra ſexennium fuit formidabilis toti terrarum orbi, terra marique, cumprimis autem claſſe; ideoque neceſſum eſt, ut ſibi hodiernus Rex eandem autoritatem comparet, & hæc cauſa eſt, quare hodie ſit ea claſſis anglicanæ potentia. Et porro Angliæ regnum ad tempus belli bene eſt compoſitum. Habet populum *bellicoſum*, (b) & rerum bellicarum ſtudioſum, ſi modo ſit nactus bonum Ducem. Simul ſunt nota bella civilia, in quibus Cromwellius oſtendit, quam facile ſit militem anglicanum inſtruere, antehac etiam Anglia res maximas geſſit, non niſi milite domeſtico. Ad hunc modum ſe habet regimen anglicanum. Multa quidem adhuc poſſent adduci, ſed non videtur *neceſſe*. (c) Hiſce enim omnibus animo bene agitatis, facile apparet, quis ſit ſcopus illius reipublicæ,

pyholders, qui terrarum ſuarum tantum utile habent dominium. Conf. *Land-Lords law by* MERITON *ch. IV. p.* 156. *ſeqq.* Poſt hos mercatores memorandi veniunt, inter quos præcipuo ſunt loco, qui ad externa incumbunt commercia, quoniam alios plerumque divitiis & ſplendidiore vivendi genere antecedunt. Alterum locum inter eos habent, qui per averſionem (en gros) mercaturam exercent: poſtremus vero mercatoribus, qui res ad pondus & menſuram (en detail) vendunt, debetur. Id certum ex Angliæ legibus, mercatores ultimo omnium eſſe loco, & pupillum, cujus tutor ei mercatoris filiam matrimonio jungere vult, conquerendi cauſam habere: verum hoc hodie aliter ſe habere, videtur, nec mercaturæ ſe addicere nobilitati nocet, modo a viliori abſtineatur tyrocinio. Poſt hos veniunt artifices, & ultimum omnium locum operarii habent, quorum permulti ſatis laute vivunt. Nulla facile repecietur gens, cui tot tantaque, quam Anglis competant privilegia. Sufficit, jam aliqua ſaltim eorum memoraſſe. Nullus eorum, qui *freeman* dicuntur, i. e. qui libertate & omnis generis commercii exercendi jure gaudent, carceri mancipari poteſt, niſi antea de legitima, ob quam in carcerem compingi poſſit, cauſa edoctus ſit. 2) In carcerem dato, libertas inde ſub cautione (habeas corpus) redeundi, denegari nequit. 3) Si captivitatis nulla allegari poſſit cauſa, & ſi obtinuerit *habeas corpus*. 4) Pacis tempore a metatis liber eſt. 5) Bona ejus ab omni ſunt immunia onere, niſi in quæ ipſi per Deputatos in Parlamento conſenſerunt. 6) nemo Anglorum caſtra extra Angliam ſequi tenetur, niſi ad hoc propter ſeuda aut terras ſuas teneatur, 7) Freemannus non niſi per Freemannos, per legem aut Parlamenti diploma judicari poteſt. CHAMBERLAIN *ch. XX.*

Pauca adhuc de iis, quæ ad fœminas, filios & ſervos in Anglia ſpectant, adjicienda erunt. Sunt fœminis in Anglia ſuæ prærogativæ, pariter & onera. Nec enim paradiſus ille ſine ſpinis eſt. Dividuntur autem fœminæ in nobiles & plebejas. Illæ triplicis ſunt conditionis natæ, creatæ aut per matrimonium nobilitatem nactæ. Quæ nobiles natæ terrarum illarum, quibus Ducum aut Marchionum titulus annexus, heredes ſunt, ſi maſculina deeſt ſtirps. Atque nobilis nata qualitatem ſuam, etiamſi plebejo nubat marito, retinet; imo uſu introductum, ut fœmina ex matrimonio nobilis pro tali habeatur, etiamſi ad plebeja deinde tranſeat vota. Id peculiare eſt, quod Dux, Marchio aut Comes nata cum Barone nuptias contrahens, ejus ſequatur dignitatem, inferiori autem nubens, illam, in qua natus eſt, retineat. Porro fœminæ, in primaria natæ nobilitate, Procerum regni (paireſſes) numero ſunt, iisdemque quam regni Patres privilegiis fruuntur. Quidam autem jureconſulti excipiunt, quod proceſſum ſuper ſtatuto, *ſcandalum Magnatum*, non poſſint intentare, nec illi, qui fœminam nobilem in aula regia occiderint, feloniæ crimen committant. Si fœmina, marito etiam per plures abſente annos, partum enititur, pro legitimo habendus, modo maritus intra quatuor maria, ut loquuntur, manſerit. Sed neſcio, an hoc in viridi ſit obſervantia. Qui fœminam gravidam in matrimonium ducit, oportet ut prolem, quam poſt conſummatum matrimonium edit, pro legitimo ſuo agnoſcat herede. Fœminæ, nullo a marito donatæ dotalitio, tertia pars redituum, quæ ex terris ejus percipiuntur, debetur. In urbe londinenſi ad fœminas poſt mariti mortem tertia pars mobilium, quæ mariti fuerunt, pleno & perpetuo devolvitur jure, contra omnia fœminæ bona tam mobilia, quam immobilia ad maritum ſpectant, &, marito mortuo, non ad viduam, ſed ad mariti heredem, dote tantum excepta, perveniunt. Sic omnis fœminæ contractus, abſque mariti conſenſu initus, eſt invalidus. Maritus in uxorem, juxta legem, eandem, quam in liberos & ſervos habet poteſtatem, cujus rei, ut ſignum aliquod, intelligi poteſt, quod familiæ ſuæ nomen plane amittat: ſed ibi ac in aliis territoriis mariti, uxorum obnoxii ſolent eſſe imperiis. In liberos magna in Anglia patribus competit poteſtas; poſſunt enim omnia ſua bona uni, reliquis excluſis, relinquere; hoc tamen ad alimenta ſpectare non puto. Quod ſi pater vitam poſuerit, filius quatuordecim annos natus ſibi curatorem eligere poteſt, ut prædia, quæ habet ruſtica, nanciſcatur. Illa ætate matrimonium inire, & de bonis ſuis teſtamento diſponere poteſt. Annum 15. agens, Regi fidelitatis juramentum præſtat, &, abſoluto 21. ætatis anno, major evadit. Filius natu major omnia paterna conſequitur bona, ipſiusque eſt relictum arbitrio, quantum ex iis fratribus tribuere velit, niſi pater aliter diſpoſuerit. Si heredes maſculi deficiunt, inter filias omnia bona æqualiter dividuntur. Filia, ſeptimum agens annum, a Vaſallis & colonis patris ſui aliquid in futurum matrimonium depoſcere, novemque annos natæ dotalitium conſtitui poteſt. Quod ſi anno ætatis XII. ſponſalia rata habeat, ab iis diſcedere non poteſt. Poſtquam 14. attigerit annum, in tutela eſſe deſinit, & bonorum ſuorum adminiſtrationem habet; 21. autem nata annos, de iis plene diſponere poteſt. Tandem de ſervis monendum, nulla in Anglia haberi mancipia, ſed ad operas ſtipendio liberas conduci. Sunt tamen quidam in Anglia agreſtes, qui cum hominibus noſtris propriis affinitatem quandam habent. Servos olim duriter admodum habitos, notum proverbium, *Angliam eſſe ſervorum purgatorium, fœminarum paradiſum, & equorum infernum*, ſatis indicat; hodie tamen durities illa ſatis mitigata eſt. Interim ſi ſervus aut ancilla domino aut dominæ mortem intulerit, eadem, qua illi, qui minoris proditionis crimen commiſerunt, afficiuntur pœna CHAMBERLAIN *part. II. ch. XXII.*

(a) *geſſerit*) Conſ. *the perfect politician or a full view of the life and actions of Cromwell.* Ut taceam ea, quæ in Anglia, Scotia & Hibernia præclare geſſit. Hollandos anno 1625. aggreſſus, quinque maritimis prœliis vicit iisque ultra 1700. mercatorias eripuit naves. Prædones maritimos, qui in littore africano ſunt, caſtigavit, claſſi Hiſpanorum argentiferæ damna intulit; Gallis adverſus Hiſpanos auxilia præſtitit, quamobrem ipſi Dunckerka permittebatur, quæ ad Gallos Caroli II. venditione rediit. vid. PUFFENDORF. *introduct. part. I. p.* 299. *ſeqq.*

(b) *bellicoſum*) HAGEMEIER *in jure publico europæo epiſtola III. §.* 13.

(c) *neceſſe*) Addenda tamen adhuc quædam ſunt de Angliæ inſignibus, Ordinibus equeſtribus, juribus, quæ ſibi in alias vindicat terras, gentibus, cum quibus inprimis ei intercedunt negotia; de rationibus, quas earum & ſubditorum ſuorum intuitu obſervare debet. Utitur auguſtiſſimus Magnæ Britanniæ Rex quadripartito clypeo, quadræ prima & ultima lilia & tres aureos Leopardos linguæ & falculis cæruleis (Leones) ſecunda Scoticum Leonem, tertia hibernicam chelyn continent. De ſcuti hujus origine & explicatione. vid. SPENERI *oper. herald. ſpecial. lib. I. c. III. p.* 10. *ſeqq.*

reipublicæ, nimirum hic ſpectatur utilitas communis; nec enim omnia adminiſtrantur ad utilitatem populi, nec omnia ad utilitatem regnantium: ſed ad communem. Itaque hac in parte

Ordines in Anglia equeſtres ſunt Periſcelidis, Banneretti, balnei, & eorum, qui aurati dicuntur equites. Vulgaris eſt traditio Comitis ſalisburienſis ab Eduardo III. ad choream ducta, periſcelidem ex tibia ejus in terram defluentem & a Rege, amore ejus capto, allevatam, celeberrimæ periſcelidis ordini occaſionem præbuiſſe. Et ne Regina zelotypia malo impeteretur, a Rege additum: Honny ſoit, qui mal y penſe, *putant. Sed veriorem arbitrantur ſententiam, in victoriarum ſuarum monumentum Eduardum ordinem illum* 1350. *inſtituiſſe, Seldenus hoc ad annum* 1344. *refert. Negare non poſſum, vulgari opinioni lemma memoratum quodammodo ſavere. Ipſe Rex ordinis eſt caput: membra autem ejus ex* 26. *equitibus, Decano &* 14. *Canonicis Preſbyteris &* 26. *Nobilibus non æque bonis valentibus, conſtant. Wincheſtrenſis Epiſcopus eſt ordinis Decanus (le prelat de l' ordre) Salisburienſis Epiſcopus ejus eſt Cancellarius, & Decanus Canonicorum Windſorienſium ejus Secretarius. Habet quoque ordo hic armorum Regem, ut vocatur, qui de ceremoniis, inſtallationibus &c. ſit ſolicitus. Ordo plerumque non niſi primariæ dignitatis confertur viris. Anna imperante,* 8. *Imperatores,* 26. *Reges extranei & permulti numerabantur Principes, quibus datus erat. Equites a Rege periſcelidem gemmis & unionibus ornatam, cui lemma circumpoſitum:* Honny ſoit, qui mal y penſe accipiunt. *Siniſtram ea jungant tibiam, & qui, abſque illa, in publicum procedit, duobus mulctatur uncialibus. In feſtis ſolemnibus toga & pallio induti ſunt, mitraque ex holoſerico nigro confecta utuntur. Anno* 1626. *conſtitutum, ut Equites pallii & tunicæ parti, quæ ſiniſtrum tegit humerum, S. Georgii, quem Paeronum ordo habet, addi curarent inſignia. Conſtant autem illa ex rubra cruce, quam ſaſcia tibialis circumcingit, & ſtella admodum micante. Sæpe Equites periſcelidis illius loco cærulea tibiam induunt tænia, & corpori ejuſdem coloris vittam (ruban) cui Georgii imago adamantibus ornata, adhæret, ad inſtar ſaſciæ (echarpe) circumponunt. Cumque ordo hic in tanto habeatur pretio, nulli hæreſeos, ſumma prodiſionis (haute trahiſon) aut ignaviæ (couardiſe) rei ad eum admittuntur. Quod reliquum, ordinis conventus in arce Windſorii habentur, & ſolenne ordinis feſtum, quod S. Georgio eſt ſacrum, d.* 23. *Aprilis celebratur. vid.* THOMÆ SALMONISII hiſtoria *ſancti Georgii. Si* BURNETTO in hiſtoria relormationis *fides adhibenda, Eduardo VI. animus fuit, a Georgii patrocinio ordinem liberandi, ſed mors ejus propoſitum intervertit. De Equitibus his, ut Bannorettis, Balnei ab Henrico IV. inſtitutis, & a Georgio I. reſtauratis, & equitibus auratis conf.* POLYDORUS VERGILIUS lib. 19. The law of England relating tou the Nobility & Gentry by BRYDALL p. 39. SELDEN. tit. honor. part. II. c. V. p. 559 ſeqq. 580. ſeqq. c. 3. p. 287. ſeqq. ASHMOLE c. V. ſect. I. & ſeqq. CHAMBERLAIN part. II. ch. XX. BISÆUS in notis ad Uptomum. GURTLER von geiſt- und weltlichen Ritter-Orden part. II. §. XIIX. §. 31. CELLII eques auratus Anglo-Wurtenbergicus. *Ordinis periſcelidis ſtatuta latine & gallice in* mantiſſa codicis juris gentium LEIBNITII fol. I ſeqq. *leguntur.*

Jura, quæ Anglia ſibi in extraneas vindicat provincias, Galliam potiſſimum reſpiciunt. De hac prætenſione, ut ajunt, alibi locutus ſum. Vid. SCHWEDERI theatr. prætenſionum ſect. III. c. I. & II. *Inter emortuas Anglorum prætenſiones, ea quam in hieroſolymitanum ſibi adſcribunt regnum, magis referenda, quam jus, quod ſibi in Iſabella & Dominici inſulas tribuunt; illud enim ſibi anno* 1656. *proteſtando reſervarunt. Reliquæ ſunt Anglorum cum Gallis de terris Hudſoni freto adjacentibus, & cum Hollandis de Banteama lites, quas* SCHWEDERUS l. c. c. 6. & 7. *recenſet.*

Nulli ſunt, cum quibus Angli terra cohærent, præter Scotos. Olim inter haſce gentes perpetua quaſi durabant bella, quibus de finibus contentiones & potentiæ æmulatio frequentem præbebat occaſionem. Huic accedebat, quod Angli ſibi dominium directum in Scotiam vindicarent. Acta publica, ad hanc rem ſpectantia, in LEIBNITII codice diplomatico *reperiuntur, Odia autem illa aliquantulum quieverunt, poſtquam in Jacobo I. utraque gens unum cœpit habere Regem. Sed non penitus exſtincta ſunt: videmus enim, quam avide gentes illæ inteſtinorum motuum, qui Caroli I. regimen afflixerunt, tempore, in mutua proruerunt vulnera, nec pugnæ ceſſarunt, niſi Scottis per Cromwellium & Monckium penitus devictis &, ut reipublicæ anglicanæ ſe infererent, coactis. Poſt Caroli II. reditum res ſuas denuo ſeorſim habere cœperunt, donec ſub Anna Regina, in unam cum Anglis concreverint gentem; ubi quidem aperta vis armorum, non autem æmulatio ſorte & occulta deſierunt odia. Raro enim per arctiorem etiam conjunctionem id deſinere ſolet, quod quaſi naturale & hæreditarium ſactum. Hiberni ſub Cromwellio admodum domiti, & ſub Wilhelmo denuo caſtigati, moderatius jam ſubjectionis vinculum, quo magnæ Britanniæ adſtricti ſunt, ferunt.*

Exterorum nulli ſunt, a quibus magnæ Britanniæ magis metuendum, quam Gallis; illi enim & viribus & artibus multum valent. Atque olim penes eos imperandi libido ſuprema erat lex. Quid hodie obtineat, admodum in occulto eſt. Non tamen omnibus videtur, Britannos amicitiæ & pactorum religioni, quam purpurato ſacerdotio florens pollicetur, ſatis tuto fidem haberi poſſe. Quam lente omnia in pacis procedant negotio, in omnium incurrit oculos; & ſunt, qui putant, ſueſſionenſes tractatus operculum eſſe, quo arcana, quæ inter Gallum Hiſpanumque ventilantur conſilia, eo magis tegi queant, Gallumque larvam detracturum, eo quo Hiſpani votis ejus plene ſubſcripturi ſint.

parte Anglia bene ſe habet; ſemper enim in univerſum melinres ſunt illæ reſpublicæ quæ, ſpectant commodum commune, cum autem ſæpe aberretur a ſcopo, & aliæ reſpublicæ in divitiis, aliæ

Quo hæ nitantur conjecturæ fundamento, tempus docebit. Fateor, a multis in vacillantis fidei documentum allegari, quod gallicæ copiæ, cum Hiſpani Gibraltarum obſidione cingerent, non in Cataloniam, ut eſt in Hanoverana pactione, fecerint impetum.

Scio quidem, multis videri, a Gallis nihil propemodum Anglis imminere poſſe periculi, cum ab eis mari diſtinguantur, & maritimis viribus ipſis multo ſuperiores ſint; deinde, licet Anglorum claſſis a Gallis clade aliqua afficeretur, deſcenſum tamen copiarum in anglicas terras, tam propter regionis ſitum & munimentorum, quæ mari imminent, valorem, quam propter virorum, pro defendenda patria quævis etiam paſſurorum inſigne robur & ingentem numerum. Verum enim vero mare, quod Caletum Dubre ſeparat, vix quinque milliarium ſpacium ſuperabit, & non ſatis certum, victoriam ſemper cum iis, qui navium numero & robore valent, ſtare. Inconſtantius nihil eſt maris tranquillitate, & ventus, qui jam puppi ſavet, illico proræ adverſari poteſt. Quid ſi Galli ſuam aliorum, qui maritimis pollent viribus, jungerent claſſibus? Intereſſe enim, quod vocant, multis obnoxium eſt viciſſitudinibus, & id quod perpetuum eſſe deberet, ſæpe ex occultis rationibus admodum eſt temperarium. Fateor quidem, perdifficile eſſe, exercitum in hoſtili exponere littore, inprimis ſi illud munimentis ſit tutus & valido defendatur milite: illud tamen non plane eſſe impoſſibile, rerum geſtarum commentarii abunde ſatis teſtantur. Provoco ſaltim ad id, quod Monmuthus auſus eſt, & expeditionem, quam Guilielmus III. contra ſocerum ſuum Jacobum II. ſuſcipiebat. Sed ais, Monmuthi res improſpere ſatis ceſſerunt, & Guilielmus ſatis perſuaſus erat, omnes propemodum Anglos, reformata profitentes ſacra, a Jacobo alienato eſſe animo, eorumque nullum pæne in ſe arma correpturum. Verum quis fidem daret? gentem illam nonnunquam in partes ſciſſam, habitum, quem jam ſumſiſſe videtur harmonicum, ſemper ſervaturam; quanquam Georgius II. qui ſumma clementia & æquitate imperat, & idem in poſteris ſuis, paterna & avita haud dubie lecturis veſtigia, ſpondet regimen, quævis proſpera cum ſtirpe ſua ſibi hic polliceri poſſe videatur.

Cavendum itaque maxime ob potentiam a Gallo. Nonnulli tacite illius, quem ſuppoſititii vel ſuſpecti tantum natales & regni leges a ſucceſſione excludunt, ejusque aſſeclarum fovere partes, contendunt. Interim, quantum fieri poteſt, ejus eſt colenda amicitia. Neſcio an popyſma illud, cujus autor des nnveaux interets des Princes mentionem injicit, aliquid in callidam gentem valere poſſit. Tales non ſemper proſpero gaudent eventu artes. Sed quomodocumque hoc ſe habeat, id certum, quovis modo ab Anglis ad id incumbendum, ne Gallis unquam portum dunckerkenſem inſtaurandi, aut alio in Flandria potiundi facultas detur. Quod ſi enim hoc contingeret, multo magis illorum expoſiti eſſent invaſionibus. Hinc tam iniquo tulie gens anglica animo, quod Clarendonii ſuaſu, ut fertur, Duncherka in Gallorum pervenerit manus. Hoc inter cauſas infortunii ſui, de quibus in BURNETTI commentariis (memoirs) tom. I. p. 500. ſeqq. agitur, fuiſſe tradunt. Imo Angliæ opera omnimode danda, ne Gallia vires ſuas per Belgii hiſpanici aut aliarum etiam hiſpanicarum & germanicarum terrarum occupationem auctiores reddat. Id enim arbitri belli pacisque eſt, quo elogio Anglia merito gaudet, ut omni ſtudio in id annitatur, ne potentiori cuidam amplior enaſcatur occaſio, viribus ſuis ad opprimendos vicinos abutendi. Quid Angliæ magis noxium foret, quam ſi uniti Belgæ Gallum vicinum haberent? Quod ſi enim Rex Gallica moderaretur ſceptra, qui Ludovici XIV. veſtigiis inhæreret, inde majores profecto ſtimulos & paratiorem ſumeret anſam, unitum ſibi ſubjiciendi Belgium. Abſit autem, ne hoc unquam conſilium, cui Richelio & Mazirino autoribus, univerſalis innititur Monarchia, proſperum habeat eventum. Quantum enim periculum Angliæ immineret, ſi Gallus Belgii uniti maritimas vires ſuis jungere, & in Angliam vertere poſſet! Præſtat itaque, ut Belgium, quod Hiſpanicum dicitur in alterius, quam Galli aut Hiſpani, qui claſſibus valent; ſit manibus, Nota ſunt inter cæſaream majeſtatem & Angliam controverſiæ: verum illa tanta non ſunt, ut priſtina reduci nequeat amicitia. Anglorum partes tuetur Recherche des motifs, ſur lesquels eſt fondée la conduite de la grande Bretagne, quod ſcriptum omnino legi meretur.

Quod ad unitum attinet Belgium, ejus vires maritimæ Anglorum claſſibus hodie longe inferiores ſunt. Nec tanta amplius inter utramque gentem ob commercia videtur durare æmulatio. Raro rerumpublicarum ſyſtema de finibus ſuis extendendis erit ſolicitum, ſed omnes ſuas plerumque curas eo vertet, ut parta tueatur. Nec facile uniti Belgæ cum aliis contra Angliam fœdus nexuri ſunt; cum nemo ſit, a quo tanta, quam ab Anglis expectare poſſint auxilia, & nemo vicinorum, a quo minus eis, quam ab Anglis timendum ſit; cum eorum reipublicæ ratio, ut de amplis extra maria ſua in Europa acquirendis terris cogitent, non ferat. Econtrario nullus eſt populus, qui utiliores Anglis ſuppetias ferre poſſit, quam uniti Belgæ. Adſcribam, quæ autor des nnuveaux interets des Princes habet; quanquam in ejus verbis aliqua ſint, quæ hodie a veritate abhorreant. L' interet du Roy d' Angleterre eſt, d' etre bien uni avec la Hollande, afinque la France ne ſonge point, a uſurper rien ſur lu, ccqu' elle pourroit faire, ſi elle le voyoit brouillie avec cette puiſſance, qui ne lui cede en rien, quant au nombre des vaiſſaux & en l' experience des capitaines, pour les ſcavoir commander. De cette union reſultera toujours, que la France apprehendera les attaquer l' un on l' autre, non ſeulement a cauſe de leur forcc, mais encore, parceque ſon commerce en ſuffrioris. Cumque in

in omnium propemodum oculos incurreret, quod Ludovicus XIV. Carolum II. auro gallico corruptum bello ſuo in Hollandos ideo implicaret, ut utramque gentem mutuis vulneribus & cladibus fractam minori ſub jugum mittere poſſet opera: bellum illud anglicanus populus ægro admodum tulit animo. Vid. Hiſtoire ſecrete des Intrigues de la cour de France p. 126. ſeqq. Memoires de BURNET tom. I. p. 500. ſeqq. *Ut hiſpanicæ amicitiæ Angli aliquid dent, commerciorum quibus ſtudent, ratio requirit. Non ſolum enim pacis tempore multa in Hiſpaniam manibus Anglorum facta transferuntur, quæ, exorto bello, legibus inde excluduntur; ſed & a Biſcajenſibus aliisque, qui ſub commiſſione, ut loquuntur, piraticam exercent, tam in europæis quam indicis maribus navigationi eorum multa inferuntur mala. Hæc tamen tanti eſſe non debent, ut quæ tanto gentis ſanguine & tot ſumtibus acquiſita ſunt, reddantur. Æternum anglici nominis eſſet dedecus, ſi illis victoriarum ſuarum ſe abdicarent monumentis. Neſcio profecto, quænam Philippi V. regnum hiſpanicum habiturum fuiſſet ſata, & quam arcti Galliæ poſiti fuiſſent limites, ſi Anglorum ope pax ultrajectina non eſſet concluſa. Interim de æquitate hujus pacis, quam non tam genti anglicæ, quam factioni, quæ Annam reginam tum rexiſſe dicitur, deberi, ferunt, fœdere junctorum intuitu, nihil moneo, Vid.* memoires de JEAN KER. p. 135.

Cum Luſitanis amicitiam commerciorum potiſſimum cauſa Angli contrahunt. Nam ab iis auxilia contra Hiſpanos minus expectanda eſſe, ſi bellum continuetur, aut novum aliquando ingruat, nexus, qui hodie eſt inter duo illa regna recens, & Luſitanorum contrectata habitudo, quæ ab armorum ſtudio penitus abhorrere videntur, ſuadet.

Nec Suecorum, nec Danorum vires maritimæ anglicis pares ſunt. Videntur tamen ſub uno Rege conjunctæ illis magis metuendæ eſſe. Unde multi Anglorum Cromwellio ſuadebant, ne amicitiam, quæ ipſi cum Carolo Guſtavo intercedebat, eo vergere pateretur, ut ipſi in ſubjugonda Dania opem ferret. A Germania Angliæ nihil, præterquam ſi fœdere cum ea adverſus Gallos jungatur, expectandum erit; nocere enim ipſi non poteſt, cum ſatis longe ab ea remota, claſſe non ſit inſtructa. Sed novus jam in mari baltico eſt comparandus amicus, aut metuendus inimicus, Ruſſorum Cæſarem puto. Satis conſtat, quam valida ille, indefeſſa Petri avi opera, jam ſit inſtructus claſſe. Spolia Suecis detracta in commercii, quod Angli & Belgæ in balthico mari & in Ruſſia habebant, vergunt interitum. Quam periculoſum ſit, Ruſſos ad mare balthicum portus habere, ex Danorum quoque procuratorio, quod Iuelo ſuo ad Moſcum legato, dederunt, conſtat. Quamvis enim a Carolo Guſtavo ad incitas pene redacti erant, haud quaquam tamen ipſius auxilia, permiſſo ad mare balthicum portu, emercari voluerunt. Quid ſibi Angli de ruſſica promittere poſſint amicitia in vulgus notum. Vid. Motifs de la grande Bretagne p. 67. ſeqq.

Nihil autem internis Angliæ rationibus magis noxium videtur, quam bellum. Poſtquam enim arma ſua aliorſum convertit, inteſtini prupullulare poſſunt motus, & ſi res non ex voto geratur, adverſæ parti addicti inde criminandi occaſionem hauriunt, & numerum ſuum augent. Neque enim rationes, quas Rohanus, ut Anglis paci bellum præferendum eſſe oſtendat, affert, ſatis ſolidæ eſſe videntur. Conf. Autor des nouveaux interets des princes p. 274. *Nihil enim magis commerciorum flori, cui Anglia inprimis ſtudere debet, quam bellum adverſatur, & Angliæ Regi multo glorioſius pacis arbitrum, quam belli partem agere.* Il eſt certain, *inquit autor citatus p.* 275. que le Roy d' Angleterre ne peut entreprendre la guerre, ſans s' expoſer a mille perils, au lieu, que ſe tenant dans les termes de la mediation, il ſ' en rend mille fois plus conſiderable, ſans rien hazarder. Nnus avons vu du tems du feu Roy d' Angleterre (Charles II.) que toutes les negotiations ſe faiſoient a Londres, ce n' etoit pourtant, qu' un prince d' un eſprit de mediocre etendue, & qui plus eſt, qu' on avoit gagné par la France. *Non tamen id ſtabilire volo, ac ſi Angliæ Regi inhoneſta pax bello ſit præferenda: ſed ſumenda tantum arma, ſi pax nullo honeſto modo ſervari poteſt. Si autem uni belligerantium accedendum, debilioris partes ſunt eligendæ, tunc enim multo magis arbitri vices, quam ſi in fortioris concederet partes, explere poteſt. Hinc maxime Carolo II. vitio vertunt, quod Galli contra Hollandos ſe addixerit partibus, Nonnulli inter regis Angliæ arcana referunt, quod nonnunquam belli metu ſubditis ſuis nummos excutiat: verum tali calliditate politica Georgius II. qui cordibus imperat, non indiget. In recenti adhuc eſt memoria, quam parata inferior fuerit curia, ad neceſſaria Georgio I. in belli pacisque uſus concedenda ſubſidia. Carolo II. in annuos reditus* 1200000. *libr. ſterlingi datæ ſunt.* Voyages hiſtoriques de l' Europe tom. IV. p. 44. *Annæ Reginæ in ordinarios uſus quotannis ſexcenta millia librarum erant conſtituta, & durantibus belli motibus, quinque & quod excurrit librarum ſterlingi milliones porrigebantur.* MIEGE tom. II. ch. XII. *Obiter autem hic moneo, nonnullos nomen hujus monetæ, a loco in quo fabricari cœpit, derivare, alii autem, homines ex Germania ad cudendam monetam a Richardo advocatos Sterling eſſe dictos, atque ſuum monetæ indidiſſe nomen.* Vid. tamen *the Engliſch hiſtorical library part. III. ch. VII. Valor autem libræ Sterlingi plus minus æquat quatuordecim gallicas libras aut ſeptem germanicos florenos. Quem ex Guineenſi auro ejusdem valoris monetam fabricant, nomine a loco natali deſumto compellant. Conf.* voyages hiſtoriques de l' Europe tom. IV. p. 46. 47. *ubi de aliis quoque minoribus Angliæ monetis, quæ, non autem extraneæ, in Anglia valent, agitur. De Angliæ Regum domanio agit* HAGEMEIER epiſtola III. juris publici §. 24. *Cæterum quod ad rationes, quæ regi ſubditorum ſuorum intuitu obſervandæ ſunt, attinet, nulla re magis eum ſibi ſubditorum ſuorum conciliare poſſe amorem, dicunt, quam ſi juxta imperii britannici leges fundamentales populum ſuum moderetur, utrique curiæ jura ſua ſarta tectaque conſervet, a deſpotiſmo abhorreat, mini-*

ſtros

aliæ io voluptatibus, aliæ in potentia ſuam collocaot beatitudinem. Videtur mihi Anglia hac in parte bene ſe habere, quod ſcilicet felicitatem ſuam in vera beatitudine collocat, in operibus nempe virtutis, inſtructis omnium rerum ſufficientia. Hodie enim maximam partem dant Angli, ut omnium rerum ſufficieotia *abundent.* (a) Hioc etiam ſtudent, ut *commercia* (b) magis, quam antehac floreant, quod Angli videntur obtenturi per Luſitanos, quorum res adeo ſunt anguſtæ, ut non poſſent eſſe ſalvi, oiſi auxiliis Anglorum. Angli autem ſua auxilia iis denegant, niſi traditione locorum ad commercia aptorum. Ita audivimus, Luſitanos Anglis ceſſiſſe promontorium capitis viridis in Africa, & promontorium Tangir, quæ omnia ſunt commerciis opportuna. Eadem de cauſa Angli dant operam, ut magis magisque res nautica poſſit valere, qui procurant facta lege, ne quid mercium temere io Angliam invehatur; vel ex Anglia etiam transvehatur, oiſi per naves anglicanas. Iocredibile eſt dictu, hoc quantum valeat ad incrementum rei nauticæ. Eſt quidem hoc Batavis ſudes in oculis, ſed valde ſalutare Anglis. Coguntur ergo Angli impoſterum *plures naves conſtruere* (c) & ſic res nautica magis magisque florebit. Tale quid & olim cœpit Henricus VII; ſed tum iterum venit in deſuetudinem. Hodie rurſus illa cœpit, quam ſi tueantur, ſummo id cum emolumento fiet: qui enim ædificant naves, & præterea rem nauticam exercent, eorum eſt magna multitudo, itaque quæ ad cauſam finalem & formalem pertinent jam ſunt expedita.

Dicemus jam de cauſa efficiente, ubi primo occurrit ipſe Rex & ejus familia regia. Quæ hodie rerum potitur in Anglia orta eſt ex *Scotia*, (d) & ibi quidem ex nobili familia Stuartorum. Henricus *Stuartus* (e) nobilis Scotus duxit in uxorem Mariam Reginam Scotiæ, ex qua oatus eſt Jacobus Rex Scotiæ; qui deinde defuncta Eliſabetha etiam factus eſt Rex Aogliæ jure quaſi hæreditario, quæ ſcilicet ſucceſſio facta erat hæreditaria. Jacobi VI. avia filia fuit Henrici VII, ſtirpe hujus exſtincta *hereditario jure* (f) ſucceſſit Jacobus, de quo dixi in republica ſcotica.

ſtros ſuos non ſecuodum partium ſtudia, ſed ſecundum meritorum gloriam, probitatem, & gentis amorem eligat; commerciorum florem omnimode promovere ſtudeat; de modo luxui ponendo ſit ſollicitus; fœdera & amicitiam, quæ genti diſplicere poſſunt, evitet; partes, quæ ſub Toryś & Wighs nominibus a ſe invicem diſcrepaot, conciliare, & ſibi utraſque attrahere laboret, æquitati & juſtitiæ ubique ſtudeat, & non tam legibus, quam exemplo præeat; & ſi quæ ſunt alia hujus commatis axiomata, ex penitiori ſtatus anglicani contemplatione addiſcenda, in actum deducantur.

(a) *abundent*) COMINÆUS *lib. V. c.* 18.

(b) *commercia*) Ante Eduardum III, rarus in Anglia fuit commerciorum uſus: auctum vero eorum eſt ſtudium, cum ab illo ex Flandria lanificia tractantes iu Angliam pertraherentur. Sub Eliſabetha res hæc maxima ſumſit incrementa, cum multi pannorum texturam callentes, ut ab Hiſpaootum ſævitia tuti eſſent, in Angliam profugerent. In Scotiam Jacobus I. omnis generis opifices excivit. Hiberni autem opificia, ut rem nobilitate ſua indignam averſantur THUANUS *lib.* 44. *ad annum* 1569. OTTO *in primis lineis notitiæ rerumpubl. p.* 129.

(c) *plures naves conſtruere*) Ante Henricum VII. modica erat navalis Anglorum potentia: ſub Eliſabetha vero admodum crevit, & ſucceſſive ad tantum perducta apicem, ut nulla in toto terrarum orbe gens Britanoos claſſibus æquare valeat. Supra jam tum monui, ducentas & quod excurrit, Angliam jam in mare mittere poſſe naves, quibus tamen minora navigia ad bellicos uſus aptata non aunumerantur. Navium bellicarum ſex ſunt ordines, & britannicæ ſecundi ordinis naves tantæ maximam paetem ſunt magnitudinis, ut ab aliarum gentium primi ordinis navibus nihil pæne differant. Mirandum merito inter naves primi ordinis anglicas aliquam eſſe, quæ 179. tormentis eſt onerata. Bellicæ autem naves velis diſtinguntur, & vel alba vel cærulea vel rubra habent; uode in tria diſtinguuntur corpora. (Eſcadres) Inter navales eminent officiales Admiralii, Vice-Admiralii, excubiarum Præfecti (Schout by nacht) Confer, SELDEN de mari clauſo *lib. II. c.* 18. SPELMANN *in gloſſario p.* 11. *ſeqq.*

(d) *Scotia*) Finem, quoad maſculam prolem, habuit in Jacobo II. a Wilhelmo geoero pulſo. Habuerat ille antea in regno rivalem Monmuthum Ducem, qui contendebat, inter matrem ſuam Luciam Walters & Carolum II. matrimonium fuiſſe initum, atque ſic ſe in regno patruo eſſe præferendum: verum Carolus huic contradixit, & ſchedula quadam, inter ſe & Monmuthi matrem conjugium noo fuiſſe contractum, declaravit. Conſ. the *peerage of England part. I. p.* 22. Quam improſpere Monmuthi res ſucceſſerint ex recentiorum reruo anglicarum ſcriptoribus apparet. Ut breviter dicam, quid ei acciderit, affectati regni crimen, & imprudentiam capite luit. *Hiſtoire ſecrete des intrigues de la France, tom. II. p.* 18. *Memoires de Burnet tom. III. p.* 53. *ſeqq. Voyages hiſtoriques tom. IV. ch. XV.* Quod autem ad Auriaci Principis in Angliam expeditionem attinet, illa eo minus improſpere cedere potuit, quo magis de Anglorum favore plene perſuaſus erat. Omnium enim, præter pontificiam religionem ſequentium & aliquorum ex iis, qui ſtrictiorem profitentur obedientiam, Jacobus II. a ſe alienaverat animos, quoniam leges fundamentales pedibus conculcabat, & de papiſmo ex poſtliminio quaſi in Aogliam introducendo manifeſtiſſima edebat ſigna. Res tandem eo recidit, ut Rex, deſerto regno, in Galliam profugerit. Confer. Autor *des voyages hiſtoriques de l' Europe tom. IV. ch. XVII. ſeqq.* Hic æque ac Jeſuita cui ab Aurelia cognomen *dans l' hiſtoire françoiſe des revolutions d' Angleterre* Jacobi apologiam ſcribit. Ad illorum autem φλυαρίας diſcutiendas, egregie inſerviunt, quæ *tom. III. des memoires de Burnet, & dans l' hiſtoire ſecrete des intrigues de la France tom. II. p.* 26. *ſeqq.* reperiuntur. Cæco igitur impetu Jacobus in pontificiam religionem & deſpotiſmum latus, regnum amiſit. Maria & deinde multis poſt anois marito ejus Guilielmo exſtincto, regnum ad illius ſororem Annam, qoi Georgio Daniæ principi nupſerat, pervenit, excluſo illo, qui non ſecundum regni leges natus eſt. Poſtquam Anna progenie orbata, fato functa fuerat, ex ſucceſſionis ordine & regni lege anno 1701. & 1705. declarata, pontificiam religionem profitentes excludente, ad Georgium Electorem Brunſuicenſem Jacobi I. abnepotem britannici imperii delata ſunt ſceptra. MIEGE *tom. II. p.* 516. *ſeqq.* Hoc denato, Georgius II, omnes majorum ſuorum dotes largiſſime referens, hæreditario in ſolium aſcendit jure. Principem hunc, quem, ſi Plinii ore loqui liceret, Diis ſimillimum vocarem, incomparabilis ejus conjux Wilhelmina Charlotta maſcula æque ac ſequioris ſexus auguſta beavit prole. Immortales fœcunditati hujus debentur laudes, quoniam quot peperit capita, tot regno dedit ſuſtentacula.

(e) *Stuartus*) Vid. IMHOFFII *Hiſtoria genealogica pars prior. c. VIII.*

(f) *hereditario jure*) Conf. JOHNSTON *lib. X. p.* 357. §. 20. CAMBDENUS *part. IV. p.* 908. THUANUS *lib.* 129.

ſcotica. Quod attinet Henrici VII. familiam, orta eſt illa ex teoui loco, ſi verum fateri licet. Avus Henrici VII. fuit Owenus Tudor *homo danus* (a) ex Jutia ſartor, cui poſt obitum mariti ſui non dubitavit nubere *Regina Angliæ*, (b) quæ erat nata regio ſanguine anglicano. Oweni filius fuit Edmundus, quem deinde frater uterinus conſtituit Comitem *Richemondæ* (c) ex illo eſt natus Henricus, qui in prælio occiſo Richardo, Angliæ Rex factus. Jacobo fuit filia Eliſabetha, quæ oupſit Electori Palatino. Jacobi filius unicus *Carolus I.* infelix ille Rex, qui inuſitato exemplo a ſuis manu carnificis ſecuri eſt percuſſus. Vellem, ut, ſiquidem in manus veſtras inciderint libelli pro parte Regis, & pro parte populi editi, illos comparetis, non enim quemquam pœnitebit lectionis; qui autem pro parte Regis editi ſunt, ex anglico in latinum ſermonem ſunt verſi, & in unum collecti tit. *Sylloge variorum tractatuum pro innocentia Caroli Regis.* Scripſit pro eadem cauſa librum non contemoeodum vir magni nomiois Salmaſius, qui tamen non reſpondebit veſtræ exſpectationi: primo enim ut omnia Salmaſii, ita etiam hæc ſcriptura eſt valde tumultuaria; (2) graviter in eo peccavit, quod non bene diſtinxerit inter varias regnorum *ſpecies*; (d) ita enim loquitur, quas; regnum ſit monarchicum, & huc cooſignavit, quæ io hiſtoriis de monarchiis reperit, quæ regna habent poteſtatem ſimplicem; horum ſtatum omnibus regnis ſimpliciter attribuit, qui profecto eſt capitalis error, ut etiam ex Ariſtotele eſt notum, alia regna eſſe ſimpliciter monarchica, alia aliquid monarchici requirunt, alia ſunt abſoluta regna. In Anglia autem ſtatus mixtus, ideoque non temere argumeotandum a ſtatu unius regni ad reliqua regna, cum potius Salmaſius debuiſſet argumentari juxta LL. Angliæ. Non ſtatim, quæ in hiſtoriis de monarchiis reperit tyrannicis, debuiſſet applicare ad regnum Angliæ. Salmaſium excepit non unus Anglus cumprimis *Miltonus mordaci ſcripto*, (e) io quo tamen merito deſideres æquitatem judicii & majorem prudentiam politicam. Summa autem librorum Miltonii eo tendit, quod ſumma poteſtas debeatur ſoli populo, & penes illum, jure naturæ, eſſe ſummam poteſtatem, & quicquid contra admittatur, eſſe iniquum. Et ut verbo dicam, exiſtimavit ſtatum *democraticum* (f) in republica eſſe optimum, itaque Salmaſius & Miltonius graviter errarunt. Hæc de republica Aogliæ *ſufficiant*. (g)

CAPVT

(a) *homo danus*) Owenus Merideth. Tudor, Sandfordio referente, a Kenano Cœlia Regis Britonum filio, & Helenæ Conſtantini Matris fratre paternum derivavit genus: parentes autem ejus ad tam exiguos redacti ſunt numeros, ut nec nomina eorum poſteritati Hiſtoria conſervaverit.

(b) *Regina Angliæ*) Excellenti, qua præditus erat forma, & corporis decore Catharinæ, Henrici V. Angliæ Regis viduæ matrimonium ſibi conciliavit.

(c) *Richemondæ*) Edmundum Richmondæ & Caſparem fratrem ejus Pembrochiæ comites Henricus ſextus, per cincturam gladii ſui, ut loquitur Sandfordius, creavit Conf. IMHOF. *l. c. c. VII.*

(d) *Carolus I. infelix*) peculiaria multa de bello inteſtino ſub eo geſto, & de fine ejus tragico in Burnetti commentariorum tom. I. leguntur. Adſunt quoque ibi non pauca, quæ ad Cromwelli aliorumque, qui tum temporis celebres fuerunt, genios accuratius cognoſcendos apprime faciunt.

(e) *ſpecies*; *Hoc regnum non ex communi regnorum conditione, ſed ex ſuis legibus moribusque æſtimandum eſt, in qua Reges ab ipſis etiam regni incunabulis poteſtatem non amplam, eamque pactis adſtrictam & arctiſſime circumſcriptam habuerunt, quæ ſane ejusmodi ſemper fuit, ut omne pondus a ſuffragio ordinum acciperet, quorum poteſtas in regno non turbato ejus ordine prævaluit.* SCHVRZFLEISCH Quæ SIDNEJUS *dans le diſcours ſur le gouvernement* profert, non ubique calculum merentur. Adde *diſcours ſur le gouvernement civil* FENELON *c.* 18. imo Schurzfleiſchii verba cum grano ſalis accipienda eſſe, puto.

(f) *Miltonus mordaci ſcripto*) Hic ſub nomine Iconoclaſtis Parlamenti juſſu regiam refutare auſus eſt iconem, cum antea jam tum de jure populi in tyrannos theſes generales & collectanea ex theologorum ſcriptis, ad hanc materiam ſpectantia, ediderat. Poſtea, jubente quoque Parlamentu, in Salmaſium, defenſionis regi compilaturem in defenſione pro populo anglicano acerbiſſime & petulanter calamum ſtrinxit. Porro refutando tractatui, cui titulus: *regii ſanguinis clamor ad cælum* manum admovit. Morum hic habere adverſarium ſibi perſuaſum habebat: in quo tamen aberravit, nam librum Petrus Molinæus junior compoſuit. Cum autem Miltonus Morum graviter laceſſiviſſet, hic ſcriptum aliquod ei oppoſuit, quod pervirulento, ſcurrili, et ſcenico quoque aggreſſus eſt ſtylo. Ut Miltoni character eo magis innoteſcat, ſequentia, quæ Baylius in vita ejus habet, adſcribam *on ne peut nier*, inquit, *que ſon ſtyle ne ſoit fort coulant, vif, & fleuri, & qu'il n'ait defendu adroitement & ingenieuſement la cauſe des monarchomaques: mais ſans me meler ici de prononcer ſur la matiere, je crois pouvoir dire, que la matiere, dont il mania ce grand ſujet devint tres mauvaiſe par la peu de gravité, qu'il y garda. On le voit a tout moment, je ne dis pas etaler des railleries piquantes contre Monſieur Saumaiſe, car cela ne gateroit pas ſon ouvrage, & ſerviroit puiſſament de mettre a ſon coté les rieurs, mais a faire le goguenard & le bouffon. Ce defaut regne plus viſiblement dans ſes deux reponſes a Mr. Morus, &c.*

(g) *democraticum*) Democratia Cromwellius Anglos ineſcavit.

(h) *ſufficiant*) Spicilegium aliquod hic inſtituendum eſſe eorum, quæ omiſſa ſunt, arbitror. Anglos in nonnullis etiam foris, præter Admiralitatis curiam, juris civilis uſum admittere ex ARTHURIO DUCK. conſtat. Duplex autem eſt judiciorum ſpecies, *altera per Aſſiſam altera per juratam.* Scultetus Sherif, Scabini in Anglia dicuntur Aldermanni. Ad eruendam veritatem in criminalibus Anglos torturam non adhibere tralatitium eſt: *Smeth. de republica Angliæ lib.* 2. An vero ille mos, cum de civis capite agitur, ſententiam concipiendi, quem THUANUS *lib.* 49 *ad annum* 1572. memoriæ prodidit, adhuc in uſu ſit, valde dubito. Ex Eliſabethæ decreto plures ſunt ſtationes, quam Londinenſis turris, ubi monetæ fabricantur. Eboracenſis Archiepiſcopus reginæ vertici diadema imponit. Supra dixi, Britannos belli tempore conductitii militis quadraginta millia alere ſolere; ſed hoc de iis intellectum volo, qui ad militares extra regnum adhibentur expeditiones. Alias me non præterit, milites, quos ſub armis habuerunt, interdum octoginta millium numerum impleviſſe. *Lettre ſur la conduite de la preſente guerre p.* 27. 28. & Claſſiariorum numerus 40000. complecti tunc ſolet. Bellici terreſtris militiæ aliquando duces in hac gente rari erant. Hinc Carolus II. & Guilielmus III. Schombergii Germani, Gallorum militiæ, quibus ut Marechallus præfuerat, valedicentis opera uſi ſunt. Conferatur BAYLE in vita SCHOMBERGII

CAPUT XXIII.

DE
REGNO SCOTIÆ.

PErgendum jam nobis ad aliam Britanniæ partem. Britannia, quæ eſt maxima & florentiſſima in Europa inſula, continet duo regna, quæ ſunt plane inter ſe diſtincta, quamvis ſint ſub uno Rege *poſt obitum Eliſabethæ* (a) Angliæ Reginæ, & tunc cœperunt unum Regem colere, cum antehac habuiſſent proprios Reges plane a ſe diſtinctos. Cæterum exſtincta familia regia Angliæ, cum eſſet proximus Jacobus Rex Scotiæ, ille itidem Rex Angliæ eſt factus, & duo hæc regna cœpere uniri & in unum nomen M. Britanniæ abire. De illō argumento pro parte Regis conſcripti ſunt *docti libri* (b), cumprimis hujus argumenti librum JCtus magni nominis Albericus Gentilis edidit. Hic fuit Italus, ſed patria ob religionem profugus degit in Anglia, ubi de unione duorum regnorum pro parte regia laboravit, eſſe ſcilicet ex re, ut utriusque Regni nomen coaleſceret in unum nomen M. Britanniæ, contendit. Ipſe Rex Jacobus affectavit nomen illud, & æquiſſimis auribus audivit, & iis, qui illum ita appellarunt, gratioſiſſimus fuit. Curavit tum aureos egregios cudi, quibus fuere inſcripta hæc verba: *Henricus roſas* (c) *Jacobus regna*. Fuere ſcilicet quondam in regno Angliæ graviſſimæ diſcordiæ, & factiones, etiam in ipſa familia regia, aliis oriundis ex Eboracenſi ſtemmate, aliis ex Lancaſtrenſi; utrique autem familiæ pro inſigni fuit roſa alba, aliis rubra, ut etiam ſolet fieri in familiis nobilium von der ſchwartzen Linie und von der weiſſen Linie. Inter illas autem anglicanas familias fuere capitalia odia, & plus quam bella civilia; donec *Henricus VII.* (d) omnia conjunxit, & pacate poſſedit. Quamvis autem Jacobus plurimum de hac unione laboraverit, neutiquam tamen populi conſenſum potuit impetrare, nec enim Angli nec Scoti voluere conſentire, ſed utrique voluerunt habere libera inſtituta, & ſingula voluerunt regna cenſeri. Irriti igitur fuere Jacobi *conatus* (e), ita adhuc hodie duo regna ſunt *ſub uno Rege.* (f) Quapropter etiam mihi diſtincte venit diſſerendum de regno Scotiæ. Nec vero ibi ſe habet ratio atque in Norwegia, quæ quidem etiam eſt reſpublica, ſed ſubdita; obſervandum enim eſt, nuper auſpiciis Cromwellii totam Scotiam eſſe domitam inuſitato exemplo. Tametſi enim Scotia ſit exigua regio, nec divitiis & viribus cum Anglia poſſit comparari, libertatem tamen ſemper defendit, & quamvis Scoti interdum fuerint devicti: tamen in libertatem ſe rurſus aſſeruere, ſed Cromwellius ita domuit Scotos, ut non niſi Regis & anglicani populi conſenſu fuerint in libertatem aſſerti, alias perpetuo coacti fuiſſent ſervire Anglis, nec temere ſe potuiſſent in libertatem aſſerere. An autem hodie libertatem penitus recuperarint, neſcio. Obſervandum autem eſt, de Republica ſcotica vix aliquid memoratu dignum ſeorſim eſſe editum, nec de illo regno reperies diſſertationes vel in Honorio in Caſparo Ens, vel Bello. Similiter qui ex profeſſo Rempublicam ſcoticam libello ſingulari deſcripſerunt, neminem novi, niſi quod in Archontologia Coſmica etiam de hac republica ſingularis diſcurſus habeatur. In Batavis eſt editus libellus de republica ſcotica, ſed nil ille continet, quam collectanea varia, interim tamen quæ ad rem faciunt, poſſunt inde diſci, cumprimis etiam ex hiſtoriis.

Ag

BERGII & BURNET *Commentar. tom.* I. & III. Sed jam iis non deſtituuntur. In Anglia non habent ſummos duces, quos Marechallos vocant, ſed tantum Generales equitatus & peditatus ſimpliciter tales, locum tenentes generales, & generales excubiarum præfectos: ſumma vero rerum bellicarum ſub Capitanei generalis nomine uni committi ſolet. Hac dignitate Malborughius præditus fuit, quem tamen ad res civiles & aulæ, quam bellicas aptiorem fuiſſe, ſunt, qui putant. Defenſoris fidei titulum pro ſeptem ſacramentorum defenſione contra Lutherum Henricus VIII. a Leone X. conſecutus eſt. Conſ. SELDENI *tit. honor. part. I c.* 5. RYMER *actor. publ. tom.* 13. *p.* 14. In Anglia fœminæ quoque ſuccedunt, quod in Maria reſtauratum. BODINUS *de republica lib. VI. c. V.* Non ubique verum eſt, quod COMINÆUS *lib. IV. c.* 8. habet, Anglos bellica quidem virtute Gallos ſuperare, negotia tamen tractando ſemper iis inferiores eſſe. Ex annalibus enim abunde conſtat, pluribus vicibus in tractatuum negotiis Anglorum partes ſuperiores fuiſſe. Imo Anglos ad talia negotia, ob melancholiam, quæ in eorum temperamento prævalere ſolet, Gallis aptiores putes. Epilogi loco addo, in Angliam nullas adventare ciconias, & ex nonnullorum relatione ranas ibi plerumque mutas eſſe.

(a) *poſt obitum Eliſabethæ*) Henricus Roſas. Jacobus regna: Anna autem regnante, ut monui, in unam Britanni coaluerunt gentem.

(b) *docti libri*) Ad hunc cenſum etiam Baconis liber, qui inſcribitur: *felix Scotiæ cum Anglis unio*, referendus.

(c) *roſas*) De roſæ albæ & rubræ in Anglia litibus BLONDUS in lingua Italica librum 3. voluminibus conſtantem conſcripſit, cui titulus *l' hiſtoria delle guerre civile d' Ingleterra tralle due caſe Lancaſter & Yorck.* De eodem argumento, quem anonymus Anglus in vernacula edidit lingua; Roſimondus gallico refert idiomate. Adde CAMBDENI *Britanniam p.* 591.

(d) *Henricus VII.*) Hic Lancaſtricæ domus princeps in regale Angliæ ſolium, Richardo III. devicto & in prœlio necato, evectus eſt. Tres Henricus occupati regni aſſignabat cauſas. 1) Jus belli. 2) Matrimonium, quo Eliſabethæ filiæ Eduardi IV. Eboracenſis lineæ principis, ex Eduardi III. filio ſecundo genito deſcendentis, jungebatur. 3) natales ſuos ex Eduardi III. filio tertio genito Johanne de Gaunt derivatos. Quanquam media cauſa fortiori niteretur fundamento, minus tamen ei dabat, ne uxori diadema deberi, atque ſic ille non tam proprio quam alieno jure imperare videretur.

(e) *conatus*) Id tamen Jacobus obtinuit, ut utrumque regnum in poſterum uno magnæ Britanniæ nomine veniret. In quam unionem varia cuſa ſunt numiſmata: *Quæ Deus conjunxit nemo ſeparet. Tueatur unita Deus Faciam eos in unam gentem* JOHNSTONUS *lib. XII. p.* 388. CAMBDENUS *in apparatu annalium* Jacobi I.

(f) *ſub uno Rege*) Sub Anna in unam coaluiſſe gentem monui.

Ad pleniorem cognitionem rerum ſcoticarum, operæpretium eſt conſulere, quæ de illa parte diſſeruit Guilielmus Camdenus, ſingulari & egregio opere de Britannia. Scripſit itidem Britanniæ egregiam Coſmograpbiam. Exſtat hujus Hiſtoria Eliſabethæ Reginæ præclare deſcripta. Habent præterea Scoti duos inſignes *Hiſtoricos*, (a) quorum alter eſt Hector Boetius antiquior, in quo licet reperire multa præclara niſi, quod non nihil famam ſuam fœdaverit, admiſtis multis fabulis. Longe autem majori judicio res ſcoticas eſt perſecutus Georg. Buchananus, qui etiam coofecit latinam paraphraſin Pſalmorum Davidicorum omnium elegantiſſimam. Hic etiam deſcripſit Hiſtoriam geotis ſcoticæ ab initio, quemadmodum ſcilicet Hiſtoria eſt tradita antiquis monumentis ſcoticis. De hac autem hiſtoria meretur notari, quod judice Thuano, numeranda ſit inter præclariſſimas hujus ævi Hiſtorias. Miratur autem Thuanus, Buchananum in ſcholis ſemper verſatum, tantum valuiſſe ingenio, ut potuerit res arcaniſſimas & maximas judicio aſſequi, & elegantiſſimo ſtylo deſcribere. Certe cum antiquitate illius Hiſtoria meretur comparari. Quantum autem illa hiſtoria laudatur, tantum fuit inviſa Jacobo Regi Angliæ, & aliis Regi faventibus. Fuit Buchananus admotus pueritiæ Jacobi, fuitque ejus Magiſter. Cæterum illa Hiſtoria conſcripta, ſimul ac Rex adoleverit, malam gratiam promerita eſt, & nil magis Regem pupugit, quam illa Hiſtoria. Cauſa autem hæc fuit, quia io illa multa narraotur de matre Jacobi, quæ talia ſunt, ut apud poſteritatem nequeant ſine opprobrio regiæ familiæ commemorari. Ita demonſtravit, & deſcripſit Buchananus matrem Jacobi, quod fuerit *adultera* (b) ita certe vitam ejus deſcripſit, ut & in dubium quis vocare poſſet natales legitimos ipſius Regis Jacobi. Hinc non eſt mirum, Regem tam male faviſſe huic Hiſtoriæ Ex Epiſtolis Caſauboni magni illius viri editis Brunſuigæ liquet, Caſaubonum juſſu Regis ſcripſiſſe ad Thuanum, ne crederet Hiſtoriæ Buchanani, neque eam ſuæ Hiſtoriæ inſereret, quæ ille de Regis matre ſcripſiſſet; Regem enim jam curare, deſcribi novam Hiſtoriam de matre. Cæterum Thuanus omnia, quæ Buchananus de matre Regis refert, non dubitavit inſerere operi ſuo hiſtorico. Alias Pootificii tantum noo in cœlum *evehunt* (c) Mariam ſcoticam tanquam *martyrem* (d) ſuæ Eccleſiæ. Certe conſtantiſſime fœmina illa eſt profeſſa religionem pontificiam, alias famæ non bonæ, ea de cauſa etiam Hiſtoria Buchanani eſt in Scotia prohibitæ lectionis. Memini, me legiſſe decumbenti jam & imminente morte Buchanano adfuiſſe Regem, rogatum, ut quia eſſet morti vicinus, quaſi publice teſtimonium ferret, ſe ea quæ de matre regia tradidiſſet, incerta fama accepiſſe; ſic enim poſſe conſuli famæ matris. Sed recuſavit Buchananus dicens, ſe non poſſe ſalva conſcientia ſemel ſcripta mutare, id tamen conſilii ſe dare Regi, ut prohiberet, librum legi. Ita ſibi poſſe Regem conſulere, nec ſe committere aliquod indignum Hi ſunt Hiſtorici rerum ſcoticarum, procul dubio etiam alii reperiuntur, ſed illi hactenus in manus meas non inciderunt, nec forte erunt etiam magoi momenti. Notandum præterea eſt, Scotos ab antiquis temporibus babere ſuos Poetas fingendis hiſtoriis deditos, & hac ratione fieri, ut nulla ſit familia, quæ originem ſuam noo poſſit deducere a Noacho. Itaque non dubito, antiquam Hiſtoriam multas fabulas habere admixtas, Buchananus autem illas fabulas rejecit, addens bomines eſſe dementes, qui per Poetas res ſuas curaot narrari, quoniam Poetæ ea, quæ vera ſunt, ſuſpectæ fidei reddant. Ego certe antiquis illis Hiſtoriis, quarum etiam quædam inſerit Buchananus, nullam adhibeo fidem, quooiam a Poetis ſunt fictæ; fabulari autem Poetarum eſt proprium.

Quod jam attinet rempublicam ipſam, dicam aliquid ordine conſueto de regione & iis, quæ ad cauſam materialem pertinent. *Scotia* (e) eſt inſulæ Britanoiæ pars ſeptentrioonalis, & ratione Angliæ ſatis munita, per *Twedam* (f) autem fluvium diſtinguitur ab Anglia; eousque enim ſe extendit Northumbria, quæ extremus termious Angliæ. Romani olim ut Britanniam citeriorem deſcenderent ab incurſionibus gentium britannicarum, muro diſtinxere Britanniam, cumprimis talem *murum* (g) confici curavit Severus Imperat. Illius muri rudera adhuc exſtant, quamvis alias ſit dirutus. Regnum autem Angliæ ultra murum excurrit.

Ad

(a) *Hiſtoricos*) De ſcriptoribus ſcoticis inter anglicos dictum eſt.

(b) *adultera*) Buchananum ab amore, quo in comitem Murray fratrem nothum & Mariæ inimicum ferebatur, abreptum, multa in Mariam iniqua protuliſſe, dicunt. In Buchananum CONÆUS *in vita Mariæ Stuartæ* graviter invehitur.

(c) *evehunt*) Mariæ cauſam agunt JOH. LESLE roſſenſis Epiſcopus, pontificiæ religioni addictus, in libro de rebus ſcoticis & JOHSTON *in Hiſtoria Britannia* Sed quicquid hi etiam pro fama ejus moliantur: cum Rizio muſico tamen & Botwellio, qui Johannem Darlæum Reginæ maritum necavit, interior nexus magnam ipſi inuſſit labem.

(d) *martyrem*) Conf. CONÆI *vita Mariæ Stuartæ*.

(e) *Scotia*) olim ab incolis ſuis dicebatur Caledonia, deinde a provincia quadam Albania, & tandem Scotiæ nomen ab incolarum robore adepta eſt. Veroſimile eſt in Pictorum ibi locum ex Hibernia coloniam ſucceſſiſſe. CAMBDENUS *in Britannia p.* 83. *L' état preſent de grande Bretagne tom. II. p.* 625. *ſeq. Voyages hiſtoriques tom. IV. ch. XII. p.* 135. 136. Eſt enim aliquo inter Scotiam & Hiberniam loco duorum tantum milliarium trajectus. Id autem intellectum volo de Scotis montanis (Highlanders) qui hibernica utuntur lingua; non autem de planitierum incolis, (Lowlanders) qui ex Scotis, Anglis, Gallis, Danis, Germanis commixti ſunt. Hi anglice loquuntur, & plua ex dialecto anglo ſaxonica, quam ipſi Angli retinuerunt. Hujus rei rationes MIEGE *l. c. p.* 741. refert.

(f) *Twedam*) Fluvius hic Northumbriæ partem a Scotia ſeparat, reliqua oſtio Sorbay & continuo montium jugo ab Anglia diſtinguuntur.

(g) *murum*) BEDA *Hiſtor. gentis Anglorum lib. I. c. XII*

Ad *Scotiam* (a) pertinent inſulæ *Hebrydes* (b) majores & minores, aliaque varia, quæ proxima ſunt Scotiæ, eodem etiam pertinent *Orcades*; (c) quamquam proprie illæ pertinent ad regnum Norwegiæ, & Scotiæ ceſſerunt *certis conditionibus*, (d) cum Chriſtianus I. Rex filiæ ſuæ pro dote daret Orcades, ſed quovis tempore certa pecunia redimendas. Si enim regnum Norwegiæ 100000. thalerorum velit dare, poterit has inſulas ſibi rurſus vindicare.

Scotia eſt maxime ſeptentrionalis, quare etiam illis incommodis, quæ ſecum fert ſitus ſeptentrionalis, eſt *obnoxia.* (e) In Anglia ſunt omnia benigniora, quoniam eſt auſtralior; incipit circa gradum 57. *elevat.* (f) poli: ulterius autem excurrunt Orcades, quare etiam illæ ſunt ineptæ ad fruges ferendas, quales ſunt etiam Hebrides. Quod cœli qualitates attinet, Scotia eſt frigidior & quo magis eſt ſeptentrionalior, eo magis eſt frigida, quare etiam minus *frumenti ferax* (g) Similiter non habet multas arbores *frugiferas* (h) qua parte eſt ſeptentrionalior, atque ita hac parte regio eſt infelicior. Cæterum abundat omnis generis *piſcibus*, (i) tum maritimis, tum propterea, quia multos habet *ſinus maris*, (k) *lacus*, (l) ſtagna & *fluvios* (m) quibus ita eſt diſtincta Scotia, ut etiam multis in locis ſit invia ob *aquarum multitudinem*; (n) Suggerunt autem illæ aquæ ingentem piſcium copiam. Qui igitur *Hebrides & Orcades* (o) incolunt. iis ſunt vicini Ichthiophagi. Multis etiam in locis habet valles refertas gramine, poſſunt igitur & ibi pecus alere. Plurimi ergo incolæ vivunt ex re *pecuaria* (p) & piſcibus. Abundat.

(a) *Scotiam*] Scotis in 35. parvas provincias, quæ præfecturarum (baillay) rationem habere poſſunt. Meridionales autem a Septentrionalibus per fluvium Tay dividuntur. Sunt autem meridionales: *Galloway*, *Nithsdale*, *Anandale*, *Liddesdale*, *Tviotdale*, *Merche* aut Mers, Twedale, *Lothian*, *Fiſe*, *Strathern*, *Menteith*, *Sterling*, *Lenox*, *Lorn*, *Argyle*, *Cantire*, *Cunnigham Clydale*, *Kyle*, *Carrick*: Septentrionales vero: *Lochabar*, *Broad-Albain Athol*, *Pertshire*, *Angus*, *Merns*, *Marr*, *Buchan*, *Murray*, *Badenoch*, *Invernesſ*, *Roſs*, *Sutherland Caithnes*, *Strathnavern*. Laudaniæ & totius regni metropolis Edinburgum eſt, ſedes olim regia. Munitiſſima arce & Academia, æque ac Glaſcovia eſt notabilis. Præcipua loca provinciarum & inſularum, quæque in eis notatu digna ſunt, MIEGIUS *l. c. part. IV. ch. V. ſeqq.* deſcribit.

(b) *Hebrydes*) Vocantur etiam *Ebudæ*, *Hebudæ*, *Weſterna*, *Inch-Galles*. *Dictionaire Geographique par Baudrand p.* 1012.

(c) *Orcades*) BAUDRAND *p.* 727. Scoticarum inſularum trecentæ eſſe dicuntur. MIEGE *l. c. p.* 628.

(d) *certis conditionibus*) De inſularum harum fatis vid. MIEGE *l. c. p.* 731, 732. Jacobo III. anno 1414. a Chriſtiano I. pignori ſunt datæ. Dani de ipſis reluendis ſoliciti fuerunt, & Bredanæ paci hac de re articulum inſeri cupiebant: verum voti compotes facti non fuere. conf. *diarii Europæi append. ad contin.* XX. *p.* 114. BECMANNI *hiſtor. orbis terrarum part. II. c. V. §. II.*

(e) *obnoxia* Quamquam ſævum magis Scotiam premit gelu & diuturnior ibi bruma: attamen puriori præ Anglis & ſaniori gaudet aere. Inde fit, ut vivido ſatis & perſpicaci Scotorum multi, inprimis ſi educatio accedat, ſint ingenio, & integrum nonnunquam ætate ſuperent ſeculum, præſertim ſi intra montes habitent. MIEGE *l. c. p.* 618. Aberrat graviter autor *des voyages hiſtoriques*, qui contendit, aerem in Scotia, quam in Anglia craſſiorem eſſe.

(f) *elevat*) Scotiæ regnum inter 14. & 20. latitudinis & inter 55. & 59. latitudinis gradum ſitum eſt. BAUDRAND *l. c. p.* 394. In Scotiæ continenti dierum longiſſimus eſt 18. horarum & duorum minutorum & breviſſimus 5. horarum & 45. minutorum: In inſulis vero orcadibus dierum longiſſimus 19. continet horas. Et eſt in harum inſularum una mons Hoy, ex quo, ſolſtitii æſtivi tempore, ſol ſemper ſupra Horizontem conſpicitur. Longitudinem ejus ducenta & quinquaginta ſeptem, & latitudinem centum nonaginta milliaria æquare dicuntur; atque ſic Anglis magnitudine, inprimis autem incolarum numero longe inferior eſt.

(g) *frumenti ferax*) Scotia eadem, quæ Anglia, producit frumenta, inprimis autem avena abundat, cum eam terræ montanæ in majori, quam ſi aliis conſitæ eſſent frumentis, reddant copia. Quod ad avenæ bonitatem attinet præſtantior longe illa ibi, quam in aliis eſt regionibus, & in panem cerevifiamque præparatur. Maximam autem cerevifiæ & panis partem ex frumenti genere, ab hordeo diſtincto, quod beer vocant coquitur. Tritici non tanta ibi, quam ſiliginis ſeritur copia. Interim ſunt provinciæ, ubi tam abundantes ſunt tritici meſſes, ut vicinis ejus portio vendi queat, & triticum quod ibi creſcit tam probum eſt, ut zelandicum etiam, quod proxime ad orizam accedere dicitur, ſuperet. Hoc Scoti pane candidiſſimo, leviſſimo & maxime ſolubili veſcuntur. Creſcunt ibi etiam hordeum, piſa, faba, canabis, linum. Et ſi peculiaris Scotiam non affligat ſterilitas, quæ ibi colliguntur fruges, in uſus illam inhabitantium ſufficiunt. MIEGE *l. c. part. IV. ch. III.* LANSIUS *in oratione pro Britannia p.* 532

(h) *frugiferas*) Nec iis tamen deſtituuntur, licet non ubique in eadem inveniantur multitudine. Maxima quoque radicum & florum, qui in Anglia ſunt, pars in Scotia quoque reperitur. Neque regio hæc paſcuis deſtituitur; inprimis valles iis præditæ ſunt. Omnis generis animalia cicura, etiam porci ibi aluntur. Scotici equi non magnitudine, ſed pernicitate & duritie celebrantur; inprimis autem laudantur equi gallovenſes & in terris montanis nati MIEGE *l. c. p.* 640. *ſeqq.*

(i) *piſcibus*) MIEGE *l. c. ch. IV.* Stupenda in ſcoticis undis halecum capitur multitudo, quæ etiam ſalmonibus & morhuis fertiles ſunt.

(k) *ſinus maris*) Hos Scoti ferth vocant. Sunt autem æſtuaria Itunæ, Glottæ, Badotriæ, Varæ.

(l) *lacus*) Lacuum princeps *Momund* ſive *Lomunde* dicitur. Hic plus minus quinquaginta milliarium longitudinem habet. Triginta notabilis eſt inſulis, quarum primaris aquæ innatat. *Voyages hiſtoriques de l' Europe p.* 137. 138. MIEGE *l. c. p.* 632.

(m) *fluvios*) Horum celebriores ſunt. Tavus, (Tay) Speyus, Tiveda, Clydus, Forth.

(n) *aquarum multitudinem*) *Sita eſt ita commodiſſime*, inquit LANSIUS, *& ita æſtuariis undique interſecta, ut nulla domus in ea ſit, quæ aquam marinam ultra viginti leucas excludat.* Portus in Scotia celebriores ſunt: Lethæ, Dumbartum, Andreopolis, Donde (Dundee) Kirkubright, Garvellan, Lochrean, Pont patrick.

(o) *Hebrides & Orcades*) Inſulæ ſcoticæ incolis abundant, ita ut in iis 40000. homines numerari dicantur, quarum maxima pars non niſi ex piſcium captura vivit, & in quotidianos plerumque cibos non niſi piſces adhibet. Circa haſce & inſulas Shetland balenæ, canes marini capiuntur. Oſtreæ in Orcadibus tantæ ſunt magnitudinis, ut in tres vel quatuor partes dividi debeant.

(p) *pecuaria*) Rariora tantum ſunt pecora in terris illis, quæ frumentis conſerendis inſerviunt, qui autem ibi ad exercendum rus aut alios uſus domeſticos reperiuntur boves, angliros magnitudine æquant, cum, qui in aliis reperiuntur terris, iis longe minores ſint: caro tamen eorum excellentioris dicitur eſſe ſaporis, quam anglicana bubula. Caprarum quoque & ovium greges magno Scotis ſunt uſui, licet, quas Scotia habet oves, anglicis plerumque magnitudine cedant.

dat etiam Scotia omnis propemodum generis *feris* gaudet (a) & patet *venatoribus*.(b) Reperiuntur etiam ibi plurimæ aves feræ, cumprimis ibi reperitur magna copia illarum avium, quæ vivunt piſcibus. Alias auri & argenti non eſt *ferax*, (c) habet quidem *ferrum & æs*, (d) ſed minori copia, ſibi itaque poteſt ſufficere, ſed inde exportare non licet. Habet etiam *carbones foſſiles* (e) circa Northumbriam, quæ tota illis abundat. Lini etiam non ferax, & *aliarum ſylveſtrium arborum*, (f) inprimis etiam betularum, ut ita appareat, Scotiam eſſe numerandam inter regiones non opulentiores, ſed pauperiores. Cumprimis huc facit, quod regio illa ſit diſtincta ſcopulis & *rupibus ſterilibus*. (g) Ex quo patet, eam non eſſe aptam magnæ hominum multitudini alendæ. Nec enim in Scotia reperitur copioſa hominum multitudo, tanta tamen eſt, ut exiguus ille numerus poſſit ſufficere ſuis defendendis adverſus vim majorem. Angli certe viribus maxime ſuperabant Scotos: hi tamen in exiguo angulo collati regnum ſuum ſatis defenderunt. Scotia eſt peninſula; ex quo patet, eam non poſſe adiri terreſtri itinere, niſi ab Anglis, quoniam eſt remota ab aliis gentibus, quæ non poſſunt impetus facere in Scotiam, quoniam præterea interna Scotiæ ſunt plane invia. Hinc hoſtis adveniens non facile poteſt quicquam tentare & efficere; illa enim loca, quæ ſunt invia & paludinoſa, facile defenduntur. Scoti itaque ſufficere poſſunt ſuis defendendis, alienis vero occupandis ſunt impares. Ingenium Scotorum eſt graphice deſcriptum a Johanne Barclajo, origine Scoto, qui tamen vixit in Gallia. Certe non tacuit virtutes & vitia Scotorum.

Quod morales virtutes attinet, Scoti ſunt *temperantes* (h) fortes, & inter ſe juſtitiam colunt, ſed vindictæ, ſupra quam credi poteſt, cupidi. Malus ille mos populum illum jam ab aliquot ſeculis infeſtavit, quod ille ſit diviſus in varias factiones, cum ibi ſint multæ familiæ nobiles, quælibet harum ſibi eligit caput, jam ſi quis illius familiæ afficiatur injuria, qui ſe credit injuria affectum conqueritur non apud judicem aut Regem, ut debebat fieri, ſed apud caput familiæ ſuæ, tum ille toti familiæ præpoſitus illam injuriam credit illatam *toti familiæ*, (i) Convocatur ergo tota familia, ut deliberetur, num ſit vindicanda injuria illa. Hinc regio illa laborat perpetuis diſſidiis. Jacobus quidem Rex omnem operam dedit, ut peſſimus ille mos e medio tolleretur, multum quidem effecit, ſed totum illum eradicare non potuit: Verba BARCLAII hac de re hæc ſunt in *icone animorum cap. 4. Scotis animus ad humanæ conſuetudinis culturam facilis, cæteraque cum Gallis communia præter ſalis ubertatem.* Dicit etiam ibi Barclajus: Scotos eſſe pauperes & indigere pecunia, etiamſi domi habeant, unde vivant. Unde Anglis, qui ſunt opulenti, & aliis populis ſunt contemtui. Dicit Barclajus: inopiam æris nullo artificio emolliunt: ita eſt, nam quia ſunt Scoti elato animo, *artificiis* (k) nullis ſunt dediti, itaque ob defectum pecuniæ alibi quærunt victum. Angli ſolent fœdare ſuam ſtirpem artificiis & com-

(q) *feris*) Scotorum ſylvæ cervia & damia variiſque generis avibus abundant. MIEGE *tom. II. p.* 641. Habent tauros albi coluris ferociſſimos, qui nunquam cicurari poſſunt.

(r) *venatoribus*) *Tanta vero ubique venatio ſeſe offert, ut vel recta & quotidiana convivia tripartitis cæli ac terra mariſque ferculis onerentur.* LANSII *oratio pro Britannia p.* 531.

(s) *ferax*) Olim ad Campopelhil in provincia Lothaniæ argenti, & in Crawford Moor auri erant venæ.

(t) *ferrum & æs*) Ferri fodinæ ſunt ad Dumſerlingam in Fifæ provincia, in Lewiſi inſula & in permultis Scotiæ montibus. In comitatu hoptonenſi plumbi, in Orcadibus inſulis ſtanni & in dynaſtia airtheyenſi cupri ſunt fodinæ. De aliis, quæ in Scotiæ terra eruuntur, ut ſunt lapides &c. MIEGE *l. c. p.* 646. *ſeqq.* & quæ mare ejicit ut ſunt uniones, coralia, ambra &c. *p.* 656. *ſeq.* agit.

(u) *carbones foſſiles*) Qui non tam inſani ſunt, quam anglici, interim hi fabris meliorem præſtant uſum.

(x) *aliarum ſylveſtrium arborum*) Sunt tamen magnæ ſatis in Scotia ſylvæ, quæ omnis generis arbores condendis ædificiis inſervientes ſuppeditant; nec quod ad alendum ignem adhibetur lignum, ubique deeſt. Id certum, meridionales provincias ejus laborare penuria, cum bella, quæ in hac regione inter Anglos Scotoſque geſta ſunt etiam in ſylvas ſævierint, ubi autem ligno deſtituuntur, ibi ignem terræ uliginibus alunt.

(g) *rupibus ſterilibus*) Inter rupes, quas ſcoticum habet mare, illa, quam *Baſs* dicunt, maxime memorabilis eſt, quoniam in ejus cacumine aquæ dulcis ſcaturigo reperitur. Confer. MIEGE *l. c. p.* 633. *ſeq.* ubi de ſcaturiginibus Scotiæ notabilioribus loquitur. Addi hic poſſunt, quæ de Iſthmo inter Kantirum & Knapdatum in argilenſi provincia & de charybde Cory, quæ eſt inter inſula Juram & Searbam, a MIEGIO *p.* 630. traduntur.

(h) *temperantes*) *Les Ecoſſois ſont puiſſans robuſtes & de belle taille, ils ſont vaillans, genereux, ſobres & capables de ſupporter les fatigues de la guerre: mais ces bonnes qualités ſont accompagnées d' orgueil d' envie & de cruanté dans leur vengence Cependant on remarque, que la pluſpart ne gardent pas long tems leur colere, & que ſi l' on pouvoit eviter leur premiere fureur, ils rentreroient bientot dans les bornes de la moderation. Voyages hiſtoriques de l' Europe tom. IV. p.* 141. De veterum Scotorum moribus egregius eſt Hectoris Boethii locus, quem MIEGE *p.* 742. *ſeqq.* refert. Neſcio an aliquid ex vero habeat eorum narratio, qui memorant, veteres Scotos ita crudelitati addictos fuiſſe, ut in ſummis habuerint deliciis, ex crudis hoſtium lumbis & mammellis guſtare. Cœterum quod ad hodiernos ſpectat Scotos, illi qui Angliæ ſunt viciniores & plana inhabitant, ſeculi noſtri virtutibus & vitiis addictiores ſunt: montani autem patrios ſequuntur mores, eorumque referunt robur & fortitudinem, ſummi omnis luxus & mollitiei inimici.

(i) *toti familiæ*) Vid. quæ TACITUS *in Germania c.* 21. de Germanis habet.

(k) *artificiis*) Bellicæ autem laudis ſunt cupidiſſimi, & illi ſunt, qui permultas Europæ gentes artem militarem docuerunt. Cœterum hodie non ita amplius ab artificiis & commerciis abhorrent. MIEGE *tom. III. p.* 643.

& commerciis agendis, quibus vitam ſuſtentant. Scoti autem hoc non temere feceriot. Si enim alibi vivant, ſolent ſuos titulos jactare & nobilitatem, omnium tamen rerum egenis Deinde Barclajus peregregie perſtriogit peſſimum morem gentis ſuæ, quod nimirum in multa. factiones ſit diſtincta. Et inquit ille; Scotos caput ſuæ familiæ plus Rege ipſo veuerari. Dixi aotea, Scotos eſſe ſortes, ſunt ſcilicet illi erecto animo, neque adeo illi poſſunt animum deprimere ad vilia ſtudia, qui autem tales ſunt, plerumque ſunt ſortes & bellicoſi. Dum vero animo ſunt erecto, obtinet etiam, ut oon ita ad vitia animum appellant. Mos ille obtinet in Scotia, uti etiam in Aoglia, ut majori oatu cedat hæreditas paterna univerſa, reliqui liberi nil vel parum accipiant, & tameo Scotia eſt proliſera regio. Hinc ergo apparet, ſi unus major natu accipiat omnia, quare tunc reliqui ad egeſtatem compellantur. Interim tamen manet reliquis animus paternus & generoſus. In Anglia, qui ita ſecundo & tertio loco ſunt nati, ut inveniant victum, oon dubitant vilia ſubire officia. Hoc autem non temere videas in Scotia, nobiles ibi artem manuariam addiſcere, & tabernariam exercere nolunt. Hoc indicat, eos eſſe erectiori animo. Hinc cum illis non ſuppetat in patria, coguntur alibi victum parare nomina militiæ profiteodo. Obſervandum autem eſt, in Scotia omnes ſacerdotes eſſe plerumque oobili genere natos, qui enim nobiles 2. aut 3. ſunt loco nati, noo habent io patria unde vivant, niſi ex tali officio. Scoti non facile ad officia admovent plebejos, ſed nobiles ob paupertatem admittuntur. Qui in Germania & Suecia vivunt Scoti, a re militari ſibi nomina quærunt, omnes ſunt Cadetten ſeu oobiles. Dedit natura rerum Scotis ad militiam aptum corpus, ſuut enim duro corpore & non adeo molli ut Angli, quod tameo ſortaſſis quodammodo debetur educationi. Angli enim molliter educantur, Scoti vero duriter. Ergo ſunt decenti habitu corporis, ut Barclajus loquitur, animus eorum rectus efficit, ut minus ſint apti ad artificia, quia plerique credunt, ſibi id eſſe indignum; malunt itaque cum paupertate confli ctari, quam ullo artificio victum parare. Non exercent commercia, oon dant operam *nautica*, (a) quia ipſis hoc videtur eſſe indignum, Barclajus *Scotis, inquit, præceps ad omnia animus, quæ ſpes ſemel illis perſuaſit, ei maxime credunt, iracundia in promtu, ſed facile poſt primos impetus mitigant*, non enim diu iraſci poſſunt, quod indicat eorum generoſum animum. Pergit Barclajus: opes quærere quam ſervare meliores. Solent Scoti maxime eſſe liberales, cum tameo nil habeant. In Scotia omnia parvo pretio emuntur, quæ ad vitam pertinent, alibi autem ſi ipſis vivendum ſit, majores impeoſæ ſuot ſaciendæ. Vid. de his omnibus Barclajus. Quod attinet virtutes intellectuales, ingenio ſunt ſatis apto ad ſtudia & docuit experientia ex illa gente prodiiſſe multos ingenio *acutiſſimo*. (b) Inde ante 400. annos totus orbis miratus eſt ingenium Johaonis Duns Scoti, Fuit hic Mooachus Franciſcanus & tanti acuminis, ut tum temporis meruerit nomen Doctoris ſubtilis; omnes enim ſuperabat ille ſubtilitate ſui ingenii, qui ſi ille ingenium ad alia ſtudia, quam quæ illo tempore fuere in uſu; applicaſſet, ad miraculum uſque fuiſſet eruditus; quia autem Theologia ſcholaſtica, adeo ab eo ſuit exculta, tantum nihil profe it. Similiter uterque Barclajus, pater & filius, quantum ingenio valuerint eſt notum. Quantum vero ingenium fuit in Buchanano? valuit ille judicio, prudeotia & facundia cum oratoria & Hiſtoria, tum Pöetica, ut etiam inter primarios hujus ævi hiſtoricns poſſit numerari. Notandum vero eſt, quamquam ſit ex ingenio Scoti a natura facti, tamen non multos licet reperire, qui in omnigena eruditione magoos fecerint progreſſus, quod eſt imputandum eorum paupertati; ad id enim ut evadas in virum doctum, neceſſario requiruntur ſumtus. Longe rectius omnia diſpoſita ſunt in Anglia; nulla enim terra in toto terrarum orbe eſt magis apta ad ſtudia literarum, quam eſt Anglia. Scoti his carent adminiculis; babent tamen ſuas ſcholas, & raro reperias Scotum, qui ſit omnis literaturæ rudis. Habent etiam Scoti unam Academiam *Aberdonenſem*, (c) quæ tamen non multum floret, ad hunc modum ſe habent res ſcoticæ. Si vero de ioſulis Scotiæ loquamur, longe eſt alia ratio; qui enim habitant Hebrides & Orcades, longe miſerius vivunt, neque hi aliqua virtute bellica aut aliis virtutibus ſunt clari, nec etiam ingenio valent, ſed vivunt in magna paupertate. Fortaſſis ſatis habent, quæ expetunt, comparatione tamen cum aliis facta, miſere vivunt. Si quis legat Chorographiam ſcoticam in libro I. Buchanani apparet, quam diverſa ibi ſit viveodi ratio: Quamvis autem ita in paupertate vivant tamen revera, ſi naturæ vim ſpectes, oon adeo male vivunt: De *Orcadibus* (d) ubi agit Barclajus, ita inquit: *Ebrietatem ignorant &c.* ubi quoque refert de Scoto, qui anno ſuæ ætatis *centeſimo* (e) uxorem duxerat. Teſtantur alii io illis inſulis vivere inuſitatæ ſenectutis, cum illi non corrumpant ſuam oaturam, perinde ut oos facimus, ſed temperanter vivant, itaque non mirum, illos ad èxtremam ſenectutem pervenire.

Jam eſt diceodum de ſcopo illius reipublicæ, ſed prius de ipſa republica, uode ſcopus

(a) *nautica*) Sed hor quodammodo aliter ſe habet.

(b) *acutiſſimo*) Vid. LANSII *orat.* pro Britannia *p.* 532. ubi virorum præ aliis ex hac gente celebrium eruditione catalogum refert. In eo autem omiſſi ſunt Johannes Ærigena & Crichtonus mirabilis.

(c) *Aberdonenſem*) De Edenburgenſi & Glaſgovienſi Academiis ſupra monui. De Aberdenſi conſ. MIEGE *l. c. p.* 698.

(d) *Orcadibus*) Sed hodie mores eorum in pejus mutati ſunt MIEGE *l. c. p.* 746.

(e) *centeſimo*) Buchanannus Laurentii cujuſdam mentionem injicit, qui centeſimum agens annum matrimonium contraxit, & deinde 40. adhuc annis ſuperſtes fuit ſe Tarvius quidam in inſula Shetland 180. annos attigiſſe dicitur.

pus apparebit. Ab antiquiſſimis temporibus Scoti habuere *ſuos Reges*, (a) & quædam monumenta illorum repetunt memoriam Regum ultra ætatem Salvatoris noſtri. Verum ut jam ante dixi, incertæ hæc ſunt fidei, quod etiam non diſſimulat Barclajus. Interim certum eſt, quod ab antiquiſſima memoria Scoti habuerint Reges hæreditarios, ſucceſſio enim fuit hæreditaria, ita ut ad ſucceſſionem etiam admiſſæ fuerint filiæ, idque etiam contigit ſeculo ſuperiori. Jacobo patri Maria ſucceſſit in imperio. Ex illa eſt natus Jacobus VI. patre Henrico Stuarto. Nunquam tamen obtinuit in Scotia mera Monarchia, ſed *regio dignitas* (b) ſemper fuit temperata autoritate populi, ut par fere eſſet populi & Regis autoritas. Nun fuit apud Scotos dubitatum, ſiquidem Rex aliquid contra Leges & jura peccaverit, eum ſolio turbare, & hoc ſæpiſſime contigit. Factum eſt itidem ſuperiori ſeculo, cum enim Maria indigne ſe gereret, a Proceribus eſt exuta regia dignitate, quæ quidem ingentes turbas concitavit. Et vero non illi id primum eſt factum, ſed multis etiam antea Regibus, quod inter alia apparet ex Buchanano, qui indicat, in Scotia ſemper fuiſſe creditum, ſummam poteſtatem non eſſe in arbitrio Regis poſitam. Similiter hoc inde apparet, quia ſi bellum ſit gerendum vel fœdus ineundum vel Leges promulgandæ vel vectigalia indicenda, omnia debeant decidi in *comitiis regni.* (c) Ea vocantur voce Parlamenti, ut in Anglia, in Gallia vero non item. Interim Rex habet dimidiam quaſi autoritatem comitiorum. Rex enim habet poteſtatem *indicendorum* (d) comitiorum, & nil poteſt ibi agi, niſi de iis, qui Regi placuerint: interim tamen non licet de quibusvis agere ex Regis arbitrio, quod Regi diſplicet item non agitur. Patet ergo hinc poteſtatem comitiorum eſſe diviſam *triginta duobus proceribus* (e) ex omni populi ordine ſolet Rex proponere, de quibus in comitiis velit agi. Si conſenſerint illi, tum proponitur, ſi autem diſſenſerint, non proponi poteſt, illa quæ ordini placuere, ſi diſpliceant Regi, tunc de illis non fit decretum comitiorum, ſed ſilentio præteriuntur. Ubi Regi placent, quæ ordinibus viſa fuere, Rex omnia confirmat, & tum fit comitiorum decretum. Hæc, quibus eſt ad manum deſcriptio Scotiæ in Batavia edita, poterunt legere cap. 104. & 105. Habet tamen Rex aliquid præcipuum, nempe collationem *officiorum* (f) & Magiſtratuum, cum ſacrorum tum civilium: ſuppetunt tamen Regi admodum exigui *proventus*, (g) ut ita tametſi maxime velint, tamen non multum poſſunt. Antehac in illo regno patrimonium regium ſatis fuit amplum, ſed inconſulta liberalitate potius, quam pro dignitate Regis *Malcolmi* (h) omne illud patrimonium ceſſit Nobilibus circa annum 1404. Fuit ille Rex eo animo, quo Chriſtiana Regina Sueciæ, quæ omne patrimonium diſtribuit inter ſuos, & in privatas poſſeſſiones redegit. Hoc autem non poteſt non multum minuere autoritatem regiam, ſi nimirum illa deſint, quibus Rex poſſit autoritatem ſibi conciliare. Subventum tamen eſt Regis paupertati, eo modo, ut omnes Barones & Nobiles Scotiæ, qui ex liberalitate regia bona accepere, indulſerint Regibus, ut ſi quis moreretur, liberis ſuis nondum majorennibus, bona tantiſper cederent uſufructui *regio.* (i) Idem obtinet in *Anglia.* (k) Itaque bona orphanorum ſunt patrimonia Regis, Rex illis nihil dat præter victum, reliqua Regi cedunt; donec pervenerint ad (at.) annum. Ita eſt egeſtati Regis ſubventum, ſed ſatius fuiſſet abſtinere ab illa inconſulta liberalitate. Hinc etiam propter egeſtatem fit, ut Rex non poſſit alere militem *conductitium.* (l) Cæterum coguntur omnes nobiles, a Rege exorati ad bellum, militare propriis impenſis, & ita pro patria pugnare. Videndum jam eſt, quinam ſint in Scotia, qui conſtituant comitia præter Regem. Dictum eſt, Regem habere dimidium Comitiorum, interim pars reliqua eſt penes ordines. Ad ordines pertinent Archiepiſcopi & Abbates. Habet Scotia duos *Archiepiſcopos*, & aliquot Epiſcopos, qui conſtituunt primum ordinem, qui ſolet dici ſpiritualis der geiſtliche Orden. Alter eſt nobilium; ſunt autem nobiles etiam in duplici differentia, *alii majores* (o) alii minores. Ad nobiles majoris ordinis pertinent illi, qui dicuntur Marchiones

(a) *ſuos Reges*] Vid. BUCHNANUM.

(b) *regia dignitas*) *L' etat præſent de la grande Bretagne partie IV. ch. X.*

(c) *comitiis regni*) De Parlamento, quod olim in Scotia erat, Conf. MIEGE *l. c.*

(d) *indicendorum*) Conf. tamen MIEGE *l. c.*

(e) *triginta duobus proceribus*) Materiæ, quæ in Parlamento pertractari debebant, a certo ordinum numero (committe) a Parlamento electo, præparabantur, qui *the lords of the articles* vocabantur. Hoc inſtitutum tamen deinde mutatum.

(f) *officiorum*) Quid antiquioribus hic in Scotia obtinuerit temporibus vid. apud MIEGIUM.

(g) *proventus*) Si iis, quæ apud LANSIUM *p.* 575. leguntur fides habenda, Scotiæ regnum vix centena millia coronatorum aut non amplius Regi pendit Credo tamen, hodie longe majores inde ad Regem pervenire reditus.

(h) *Malcolmi*) Hoc a Malcolmo II. eſt factum vid *leges Malcolmi II. c. I.* n. 1. & 2. in libro qui inſcribitur, *regiam Majeſtatem Scotiæ.*

(i) *regio*) *Statuta ſecunda Roberti I. c.* 7.

(k) *Anglia*) Ex Wilhelmi conqueſtoris conſtitutione PUFFENDORF. *introductio ad Hiſtoriam p.* 179.

(l) 21) Vid. *attachiamenta ſive leges Baronum c.* 91. *in libr. citato.*

(m) *conductitium*) Quid recentioribus temporibus obtinuerit, vide apud MIEGE *l. c. ch. XIII.*

(n) *Archiepiſcopus*) De Scotiæ Archiepiſcopis S. Andreano & Glaſgovienſi, & quos quilibet eorum ſub ſe habuit, Epiſcopis vid. MIERÆUS *in notitia Epiſcopatuum c.* 22. Verum ordo epiſcopalis ibi eſt abrogatus & presbyterianiſmus, quem vocant, introductus MIEGE *l. c. c. XIV.* Carolus quidem ſecundus, ad Britannica rediens ſceptra, ordinem epiſcopalem reſtituere conſtituit, ſed hoc non ſine ſanguinis humani profuſione factum eſt, quoniam potiſſimum Cameronianica Camerone celebre prædicatore nomen habentes, graviter propoſito adverſabantur. *Memoires de Jean Ker p. I. ſeqq.* Jacobo autem e Britannia profugo ad presbyterianiſmum reverſi ſunt. De regimine igitur illo MIEGIUS *l. c.* diſtincte agit.

(o) *alii majores*) MIEGE *l. c. tom. II. p.* 787. 788.

chiones, Comites, Vice-Comites, Barones, quorum opes quidem non ſunt magnæ, dignitas tamen familiæ præ reliquis ſplendet. Deinde reliqui ſunt minoris ordinis. Omnes hi habent jus comitiorum, ſive velint ipſi comparere, ſive per mandatarios. Tertium ordinem conſtituunt urbes, & qui in urbibus degunt cives. Olim quartus ordo erat aſſumtus, videlicet reliqui populi, uti in Suecia. Scotia fuit diſtincta in 8. diſtrictus, ex illis ad Comitia miſſi ſunt duo Legati, qui repræſentarunt reliquum populum. Facta autem eſt hac in re non levis mutatio; ſuperiori enim ſeculo, cum paſſim eſſet magna mutatio religionis, idem & in Scotia contigit, tum ordo ſpiritualis cœpit nobilibus eſſe inviſus, atque adeo cum Archiepiſcopi & Epiſcopi reliquo populo reluctarentur, & ſimiliter etiam cenſerentur perturbatores reipublicæ, totus ille ordo eſt excluſus a Comitiis, & ita dignitas Archiepiſcoporum & Epiſcoporum in Scotia eſt deleta. Inſtituta tandem fuit ratio regiminis eccleſiaſtici, cui maxime occaſio eſt data a Johanne Calvino Genevæ, & cœpit obtinere per Galliam, Helvetiam & in Belgio, ubi omnes eccleſiaſtici ſunt habiti ejusdem dignitatis & pares; regimen enim eccleſiaſticum, quod placet Calvino, requirit *ἰσοδυναμίαν* aliquam Epiſcoporum, nec debet inter illos eſſe quicquam diſcriminis, niſi ad breve tempus: verum illud regimen alibi non obtinet, & ab antiquiſſimis temporibus alia fuit ratio. Parum autem refert, nam inſtitutum eſt jure poſitivo, & omnia ad normam ſalutis reipublicæ ſunt inſtituta. Ratio regiminis eccleſiaſtici, quæ eſt apud nos, ubi ſunt Superintendentes generales & ſpeciales, eſt bona, nec altera illa eſt contemnenda. Omnis ordo ſua habet incommoda, quemadmodum alias ratio humana nil habet perfectum omni ex parte & abſolutum. Forma autem regiminis Calvini placuit Scotis, quia primum illi, qui docuerant Evangelium, Invitis Regibus propagarunt religionem, magna tamen parte nobilitatis ſavente, quæ Archiepiſcopos & Epiſcopos plane habuit inviſos. In Anglia longe alia obtinet ratio regiminis, & mutatio religionis eſt facta per ipſos Reges, qui conſervare voluere antiquum ordinem. Hierarchia itaque Angliæ & Scotiæ ſibi ſunt e diametro oppoſitæ. Cum tale regimen ſit inductum in Scotiam per diſcipulos Calvini, maxime per Johannem Crokunt, inde eſt factum, ut ordo ſpiritualis a Comitiis plane ſit excluſus. Verum ſub Jacobo VI. Rege alia ratio cœpit. Hic quidem etiam eſt factus Rex M. Britanniæ, nihilque magis habuit inviſum, quam regimen eccleſiaſticum Calvini. Et credidit ille, regiam poteſtatem non fore ſalvam niſi mutato illo regimine. Et vero non defuere, qui pro forma illius regiminis pugnarunt tanquam pro aris & focis, credidere illi, jure divino hoc regimen eſſe conſtitutum, & quicquid contrarium ei eſſet, neſas. Hi ſunt dicti Puritani, qui ſingularem eccleſiæ puritatem profiterentur, & ſalutem eccleſiæ collocarent in regimine eccleſiaſtico. Hos Puritanos Rex Jacobus maxime habuit inviſos, & nullum genus hominum pejus odio habuit, quam illos. Simulac autem crevit potentia ipſius, omnibus modis laboravit, ut forma regiminis eccleſiaſtici comparetur ad formam regiminis anglicani. Tandem ille evicit ſimulac Rex Angliæ eſt factus ea autoritate, ut hoc impetraret a Scotis, quamquam illi reluctarentur. Tametſi autem hoc regimen autore Jacobo Rege ſit inductum, nunquam tamen defuere ex Nobilibus, qui fuere reluctati, unde nati ſunt ingentes motus. Quicquid ſit, Rex Jacobus ordinem Archiepiſcoporum & Epiſcoporum ad comitia rurſus reduxit, ut ex eo tempore iterum ad comitia ſint vocati. Verum enim vero ſub Rege Carolo I. exorta *ingente rebellione*, (a) quæ tandem etiam infelicis Regis collum ſubjecit carnifici, Archiepiſcopi & Epiſcopi rurſus e comitiis ſunt ejecti. Et talis forma ibi obtinuit vivo Cromwellio. Hodie tamen Rex Carolus II autoritate ſua effecit, ut Archiepiſcopi & Epiſcopi rurſus in Scotia ſint conſtituti. Merito quæres, unde fiat, ut Rex adeo pugnet pro Archiepiſcopis & Epiſcopis. Dicam breviter, quoniam videt Rex, ſe multum valere in comitiis & alibi per illos. Archiepiſcopi & Epiſcopi a Rege dependent, nec vident ſe ſalvos futuros, niſi per Regem. Hinc ſtudent Regis deſideriis. Habet itaque Rex totum ordinem, cui tuto poſſit fidere, quæ res certe eſt magni momenti. Quartus ordo paulatim autoritate Nobilium a Comitiis fuit remotus; cæterum quid futurum ſit, utrum Rex illum ordinem reſtituturus ſit, tempus docebit. Videtur autem mihi in Scotia idem futurum, quod in regno Sueciæ, ibi quicquid volunt Archiepiſcopi & Epiſcopi, volunt etiam agreſtes, qui duo ordines ſemper conſentiunt. Certe ſi in Suecia per Nobiles ſtaret, ejicerent omnes ruſticos ex comitiis, ſed Reges hoc nolunt, quia ſcilicet per Archiepiſcopos & Epiſcopos poſſunt frenare nimios ſpiritus Nobilium, qui alias Regi fierent formidabiles. Credo, hoc etiam effecturum Carolum, & certe ſi ſe velit ſalvum, neceſſe eſt, ut etiam quartum ordinem inducat. Cromwellii tempore duo *tantum fuere ordines* (b) in Scotia, quamquam deinde nullus amplius ordo in Scotia fuerit, quia Cromwellius monarchice ibi imperabat. Voluit enim, ut Scoti venirent ad comitia anglicana, ibique ſuffragia ferrent; & duo vel tria tantum haberent

(a) *ingente rebellione*) Vid. quæ hac de re alibi dicta ſunt.

(b) *tantum fuere Ordines*) Nec hodie plures ſunt. Ex 137. Scotiæ patribus ſedecim ad primum magnæ Britanniæ Parlamentum ab ipſis Patribus deputati ſunt. Communium curia olim ex 152. membris conſtabat, quorum 84. provinciarum & 66. communitatum Deputati erant. Ex unionis pacto ad magnæ Britanniæ curiam inferiorem 45. ex Scotia admittuntur membra 30. nempe provinciarum & 15. communitatum Deputati. MIEGE *part. IV. ch. XI* Hi Baronum titulis utuntur, cum anglicarum provinciarum deputati *knight of the Schir* vocentur.

berent ſuffragia, quod certe eſt relinquere alicui libertatem ſaltim in ſpeciem. Turbarat ille totam rempublicam, ſibique ſubjecerat. Ad hunc modum ſe habent Ordines illi, qui jus habent ſuffragii ferendi in comitiis. Dictum, in Scotia non eſſe in arbitrio Regis, quid velit proponere toti populo, ſed quicquid in comitiis debet proponi, id non ſine conſenſu populi proponitur. Quodcunque deciditur non fit autoritate unius Regis, nec autoritate unius populi, ſed utriusque. In Scotia, quod ſingulare eſt, Rex non poteſt proponere, quæ vult, ſed quæ placent populo. Alibi obtinet, quod liceat Regi proponere, ut in Germania, quæ velit quamvis non liceat decernere, quæ velit. Indicitur Parlamentum a Rege pro arbitrio; convocatio igitur eſt penes Regem. In Germania non licet Imperatori indicere comitia, niſi conſenſu Electorum. Cum itaque comitiorum cauſæ a Rege & Cancellario ſunt explicatæ, ſpirituales Domini ſeorſim eligunt octo a temporalibus, hi totidem ex ſpiritualibus, qui demum conjuncti eligunt ex delegatis urbium octo tantum, ita ut eligendi poteſtas ſit penes ſpirituales, & nobiles. Hi 24 deinde cum Rege & miniſtris Regni conſtituunt, quid ſit proponendum. Rex itaque proponit ſuam ſententiam, quam illi vel rejiciunt, vel probant, vel aliquid addunt, donec inter eos fuerit conventum, quid ſit agendum. Hi autem delecti dicuntur domini pro articulis, ſeu ſelecti pro condendis articulis, qui in medium ſunt proponendi. Videmus autem, quomodo ſit ſtatus mixtus, ut Regi non fas ſit, aliquid proponere, ſine conſenſu populi, & quomodo proponatur habita ratione ſpiritualium & Nobilium. Hæc ratio ibi obſervatur, ſi quid Regi diſplicet, deletur, ſi vero illi placet, tum ſceptro ſuo illud approbat. Habet Scotia non alias leges præter decreta Regni, quod eſt indicio, poteſtatem condendi leges eſſe penes comitia. Interdum in comitiis ſtatuitur, ut in nonnullis rebus judicetur ſecundum *jus Romanum* (a) quod tamen raro contingit. Quemadmodum ſe habeat ſumma poteſtas & regimen in Scotia, ex dictis jam apparet, quemadmodum etiam ſe habeat regimen eccleſiaſticum, itidem eſt dictum. Hic autem venit aliquid notandum. Erat Jacobus Rex perquam deditus ceremoniis, hisque maxime delectabatur, ſummo autem ſtudio improbabat ille, quod autore Calvino ritus veteres pæne omnes eſſent deleti; ideoque omni modo laborabat, ut ritus multi, qui jam obtinebant in Anglia, reducerentur etiam in ſcoticas eccleſias, qua in re graviter turbavit omnem rempublicam. Primum enim in illis ritibus nil eſt ſolidæ pietatis, & populus aliter inſtitutus, oderat omnes ritus tanquam papiſticum fermentum. Obtrudit autem ille hos ritus populo in fine ſui regiminis, cumprimis etiam idem contigit tempore Caroli I. qui moribus paternis inſtructus, idem voluit populo obtrudere, ſed populus maximè fremuit, & hic fuit inter primos prætextus armorum ſumtorum in Scotia adverſus Carolum. Et vero hi facile poterant arma ſumere contra Carolum, quia jam ille erat contemtui. Certe ille minus bene adminiſtravit rempublicam, & publica commiſit, quæ non facile commiſiſſet prudens aliquis Rex. Sed armis correptis obtruſos ritus populus rejecit, & omnem Hierarchiam eccleſiaſticam, quæ jam per 40 & amplius annos inoleverat, ſuſtulit e medio. Quid jam fiet, neſcio, Interim Carolus II. iisdem videtur laborare morbis, quibus pater in introducendis ritibus, quaſi vero in ceremoniis ſita ſit eccleſiæ ſalus; In toto illo regno, hodie quidem non facili reperietur aliquis magnæ autoritatis, qui ſit pontificiæ religioni addictus. In Anglia plures reperiuntur etiam ex ipſis Magnatibus. Quantis autem motibus tandem ad ſolos Reformatos pervenerint res eccleſiæ, optime licet diſcere ex Buchanano; ille autem non temere probat, quæ tam violenter ſunt geſta ſcilicet

Iliacos intra muros peccatur & extra.

Quod ad regimen *civile* (b) attinet, illud ſic ſatis bene adminiſtratur, niſi quod alibi & alibi Nobiles impotenter dominentur plebi, interque illos adhuc durent factiones, de quibus ſupra dixi. In Judiciis jus dicitur magnam partem juxta æquum & bonum, aut ſecundum leges regni, quæ tamen a pluribus *ignorantur*, (c) ex parte autem ſulet dici ſecundum jus Romanum, ſed non niſi levi ſaltem ex parte.

Quod attinet belli negotia, Scotia non ad ea adeo bene eſt compoſita, ac regnum Sueciæ, nec enim ita valet *claſſe* (d) Scotia, neque & armis ita eſt inſtructa, alias populus eſt ſatis bellicoſus, ut etiam poſſit res magnas gerere. Scoti autem non utuntur *milite conductitio* (e), quia ſunt remoti ab illis terris, ubi poſſunt militem conducere, nec etiam Anglis militant Scoti, cum his ferme res ſit cum Anglis. Præterea carent Scoti nervo rerum gerendarum pecunia ſcilicet, unde non poſſunt militem conducere. Antequam Scotia fuit conjuncta Angliæ, Scoti fuere confœ-

derati

(a) *jus romanum*) De uſu juris romani in Scotia conf. ARTHURIUS DUCK *lib. II. c. X.*

(b) *civile*) De Conſilio intimo, juſtitiæ curiis, & redituum camera (Echiquier) conf. MIEGE *l. c. ch.* 12.

(c) *ignorantur*) Magna pars legum & conſuetudinum Scotiæ, in libro, cui eſt titulus *regiam Majeſtatem*, reperitur.

(d) *claſſe*) Quid impedierit, quo minus Scotia rei maritimæ ſtuduerit, docet MIEGE *l. c. p.* 750. Habent magnum Admiralium, Admiralios, nec non admiralitatis curias.

(e) *milite conductitio*) Caroli II. tempore Scoticus miles ex 20000 peditum, & equitum 2000 conſiſtere debebat: verum hoc Parlamenti decreto mutatum; Regi tamen Guilielmo conceſſum 2797 ad regni defenſionem conducere, & in eorum ſupplementa quotannis mille legere tyrones.

derati cum Gallis per aliquot ſecula, nunquam bene convenit cum Anglis, ſemper enim inter hos populos fuere æmulationes, & *ſimultates;* (a) Quapropter Scoti credidere ex re eſſe, ſi eſſent fœdere uniti cum Gallis, ut ita gallicanis auxiliis ſic ſatis tuti eſſe poſſent adverſus Anglos. Cæterum ſuperiore ſeculo fœdera illa deſiere, cum enim Maria Scotiæ Regina dogmata pontificia vellet introducta invito populo, Scoti cœpere reſpicere ad auxilia anglicana, quoniam Eliſabetha Angliæ Regina erat ejusdem cum Scotis religionis, ex eo itaque tempore fœdus inter Scotos & Gallos non fuit propagatum, quo Scotia cum Anglia fuit conjuncta, ad hunc modum ſe habet regimen in Scotia; apparet autem ex his, quinam ſit finis illius reipublicæ. Noviſtis eſſe duplicem finem rerumpublicarum, nimirum vel commodum regentium, vel commodum ſubditorum. Ex jam dictis autem apparet, in Scotia non haberi rationem unius Regis, nec etiam ſolius populi, ſed omnia adminiſtrari ad utilitatem communem, imo non dubitant Scoti ita ſe gerere, quaſi Regis non debeat haberi ratio, ſed tantum populi. Cum ſuperiori ſeculo graviſſimi motus eſſent orti in Scotia, doctrina hæc fuit vulgaris. Exſtat liber Buchanani de jure Regni, qui meretur legi, totus autem in eo eſt Buchananus, ut oſtendat propter populum omnia eſſe, Regis autem rationem eſſe habendam non niſi per accidens. Quamquam autem titulus præ ſe ferat, ac ſi tantum agat de regno Scotiæ: tamen libere differit, ut doceat nou aliam debere eſſe rationem ubivis terrarum, & quicquid contra fieret eſſe tyrannicum, propterea hic liber prohibitus eſt in Gallia legi, quoniam cenſetur inter libros ſeditioſos. Non dubitavit autem Buchananus, librum hunc inſcribere Jacobo Regi, ſed adhuc puero; illius enim pueritiæ educendæ, ut dictum, Buchananus erat præpoſitus. Contra hunc librum, & ejusmodi argumenti calamum ſtrinxit Wilhelmus Barclajus edito libro contra monarchomachos. Meretur & ille legi, licet omnia, quæ ibi inveniuntur, non temere quis poſſit probare. Uterque exceſſit modum; Barclajus in defendendo & ampliando regio jure, hic in imminuendo. Apparet præterea, etiam ſcoticam rempublicam non habere pro ſcopo divitias, nec voluptates, quia temperanter vivunt Scoti, nec magnam potentiam, quia nunquam ultra limites propagarunt imperium, ſed de vera felicitate, ſive ſtudio virtutis, ſive neceſſariarum rerum ſufficientia ſoliciti fuerunt. Et hactenus eſt reſpublica felix.

Jam ad cauſam efficientem, quod hodiernam familiam attinet, illa eſt ſtuarta, ratione ſtirpis maſculinæ, orta ex nobilitate ſcotica, Obſervandum autem eſt, jam ante 400 annos, quendam ex familia ſtuarta duxiſſe uxorem, *Reginam* (b) heredem, & ita factum eſſe Regem Scotiæ. Jam vero illa familia Stuarta duravit usque ad Mariam, quæ ſuperiori ſeculo vixit. Ceterum hæc Maria deinde nupſit Henrico, itidem ex familia Stuarta orto. Rerum itaque in Scotia tum particeps fuit factus Henricus infelix ille, quem uxor Maria *curavit* (c) miſere interfici; ſuſcepto ex illo filio Jacobo VI, qui deinde Rex Scotiæ & Angliæ eſt factus, & ita primus fuit Rex M. Britanniæ illius nominis.

Jacobi hujus ſexti res geſtas, & quidem usque ad annum hujus ævi VII. poteſtis legere ex Thuano, qui bona fide omnia deſcripſit. Jacobo fuere ex Anna danica, Friderici II. filia, liberi tres, primo genitus Henricus magnæ indolis pariter & exſpectationis, ſed ſubita morte adhuc adoleſcens *obiit* (d. Ad hunc Henricum ſcripſit pater Jacobus librum, qui vulgo vocatur *βασιλικὸν δῶρον* (e) regium donum. Scripſit Jacobus hunc librum in gratiam ſucceſſoris ſui, quo inſtrueret eum, quomodo ſe gerere deberet, ſi quid humanitus ei obtingeret. Liber quidem eſt exiguus, ſed multa continet, quæ vera eſſe, eventus probavit. In illo magno odio Jacobus perſecutus eſt Puritanos, qui omnia volebant peragi ad morem genevenſis eccleſiæ. Hinc ſuadet filio, ut ſibi caveat ab illis; eſſe enim eos corruptores reipublicæ & eccleſiæ, & nunquam quieturam eſſe Scotiam, niſi Puritani illi expellantur. Habuit Jacobus alium filium Regni ſucceſſorem Carolum infelicem illum Regem. Habuit & filiam Eliſabetham, quæ nupſit Friderico Palatino, qui eſt factus Rex Bohemiæ ſatis etiam infeliciter. Fuit certe familia illa Stuarta ad modum infelix; Henricus enim Rex, conſcia uxore Maria interemtus eſt. Maria juſſu Eliſabethæ Angliæ Reginæ manu carnificis decollata eſt. Idem quoque contigit *Carolo I.* (f) Regi, & Eliſabetha ſoror ejus miſere admodum vixit.

Jacobus Rex fuit eruditus, & vero ipſe Rex non dubitavit conſcribere libros, & ſe in certamen dare circa controverſias illas, quæ nobis intercedunt cum Pontificiis. Acris præterea

---

(a) *ſimultates;*) Et hæc fuit ratio, quare Maria, tenerrimam agens ætatem, in Galliam, Franciſco II. aliquando nuptum, miſſa fuerit; cum tamen antea inter illam, & Eduardum Henrici VIII filium, ſponſalia inita, quæ a Scotis rupta fuere. *Memoires de* MELVIL *tom. I. p.* 27.

(b) *Reginam*) Walterus Stuartus anno 1326 Marioriam Roberti Bruſii Scotiæ Regis filiam & heredem in uxorem duxit, ex quo matrimonio Robertus, primus ex Stuartis in Scotia Rex, natus eſt.

(c) *curavit*) *Memoires* DE MELVIL *tom. I. p.* 233 *ſeqq.* 239. 240 *ſeqq.* 275. 282 *ſeqq.* 287 *ſeqq.* 290 *ſeqq.*

(d) *obiit*) Sunt qui putant, ipſum toxico ſublatum eſſe. *Memoires* DE BURNET *tom. I. p.* 13.

(e) *δῶρον*) JOHNSTONUS *rer. Britannicarum lib. VIII. p.* 243. *n.* 15.

(f) *Carolo I.*) *Memoires de Burnet. tom. I.* p. 80 ſeqq. Hic, poſtquam memoravit, Carolum ſupernaturali quadam indutum gratia, nullo perturbati animi ſigno mortem adiiſſe, addit: *Il mourut de la ſorte, plus grand qu'il n'avoit vecu, & ſervit a l'obſervation, que l'on a ſouvent faite de toute la famille de Stewards, qu'ils ſupportent*

terea fuit defenſor autoritatis regiæ, & niſi fallor nimius propugnator, ita enim ſemper de regia poteſtate eſt locutus, ut appareat eum fuiſſe in illa ſententia, quaſi omnis Rex debeat eſſe Monarcha, & quaſi eſſet de eſſentia Regis, habere omnia jura poteſtatis ſummæ, ita certe ſemper loquitur, ut omne, quod detraheretur poteſtati ſummæ, eſſet iniquum. Editi ſunt varii ſermones ipſius, quos habuit in Parlamento, & alii quoque libelli, cumprimis clarus ille liber eſt, qui eſt editus ſub titulo: *Triplici nodo triplex cuneus.* Editus hic eſt primo adjecto nomine regio; illo enim libro Jacobus oppugnavit duas epiſtolas, ſeu ut curia romana loquitur, duo brevia Pauli V. Pontificis, & unam epiſtolam Roberti Bellarmini. Cauſam hujus rei breviter enarrabo.

Jacobus, ſimul ac Rex Angliæ eſt factus, exegit *juramentum fidelitatis* (a) ab omnibus Pontificiis, quorum tum temporis magnus erat in Anglia numerus, etiam inter ipſos Magnates, nec illud immerito. Verum inter alia etiam ab illis jurari volebat, (1) quod Papa Regem non poſſet deponere, adeoque non poſſe, ſiquidem eum excommunicaret, illo anathemate Regem regia poteſtate exuere. (2) Quod Papa non poſſit quenquam abſolvere a juramento fidelitatis. Utrumque profitetur Curia romana. Etenim inter præcipua dogmata, quæ Pontificii habent, & illud eſt, quod Pontifex habeat poteſtatem in omnes Reges chriſtiani orbis, & ſi ipſi fuerit viſum, tum poſſe Reges anathemate ferire, eosque ſimul exuere omni poteſtate, & tunc etiam poſſe ſubditos a juramento fidelitatis abſolvere, & ita ad pileum, & libertatem ſubditos revocare. Hoc dogma quam maxime a Jeſuitis defenditur, qui pro eo pugnant tanquam pro aris & focis. Cum itaque exegiſſet Jacobus juramentum fidelitatis, multi Procerum, pontificiæ Religioni addictorum, non dubitarunt, ſecundum illam formulam Regi jurare fidelitatem. Inter illos eſt quidam inventus, qui quaſi caput erat omnium Presbyterorum catholicorum in Anglia, nomine Wilhelmus *Bladwellus*, (b) qui fuit in eadem ſententia, & reliquis perſuaſit, licere ita Regi fidelitatem jurare. Cum id audiviſſet Paulus V., qui erat fervidus propugnator autoritatis pontificiæ, breve aliquid miſit ad Bladwellum, eumque increpavit, quare ita docuiſſet; iniquum enim eſſet, in talem formulam conſentire. Bladwellus initio non curavit illam epiſtolam, quod crederet, eam cura Jeſuitarum eſſe expreſſam. Accedit adhuc epiſtola Pauli V. ſatis minax, & etiam monitorium Bellarmini ad Bladwellum & reliquum clerum, ut potius paterentur, ſe omnibus bonis exui, quam in illam formulam conſentirent. Contra has tres epiſtolas Rex Jacobus ſcripſit memoratum librum triplici nodo, triplex cuneus.

Dein etiam Jacobus non dubitavit, conſcribere apologiam pro juramento fidelitatis cum prolixa epiſtola ad Imperatorem, Reges, & Principes. Hæc epiſtola magnos deinde motus fecit; romana enim curia videns, ſe in invidiam adduci, nolebat ab iſtis dogmatibus deſiſtere. Non defuere, qui contra illum librum calamum ſtrinxere, cumprimis Bellarminus edidit librum ſub nomine Matthæi Torti, cui deinde Anglus quidam oppoſuit torturam Torti. In Hiſpania magni nominis Jeſuita Swarez de eodem argumento edidit librum contra Regem Jacobum. Subſecuti dein ſunt alii; inprimis Jeſuita Martinus Becanus edidit librum de controverſia anglicana. Deinde Martinus Schichtonius & alii. Cæterum in Gallia non dubitarunt, & Schichtonii & Becani & Swarezii libros de hoc argumento comburere manu carnificis, tanquam injurioſos in regiam poteſtatem. Parum etiam abfuit, quin idem pateretur Bellarmini liber, qui interceſſione ſingulari Nuntii apoſtolici a flammis liberatus eſt. Contra Bellarmini autem librum de temporali poteſtate Papæ conſcripſit librum Willhelmus Barclajus. Fuit & ipſe Barclajus religioni pontificiæ addictus. Rurſus ſe oppoſuit Bellarminus, & ſuæ doctrinæ defenſionem ſcripſit, cui deinde reſpondit Johannes Barclajus Willhelmi filius libro, cui titulum fecit: *pietas Parentis.* Sub initium hujus ſeculi incredibile eſt dictu, quantum exercuerit Theologos illa controverſia. Curia autem romana dogmata ſua defendit: attamen inter ipſos Pontificios tum fuere reperti, qui contra dogma hoc calamum ſtrinxere, frementibus Jeſuitis, qui acerrime hoc dogma defendunt, quod tamen a reliquis Pontificiis non ita acriter fieri ſolet.

Interim tamen Jacobus fuit miti animo, etiam erga *Pontificios*; (c) moderati enim fuit ingenii in controverſiis theologicis, quibus admodum fuit deditus. Hac occaſione deinde juſſu Regis de fundamento Religionis proteſtantium egregiam epiſtolam ſcripſit magnus ille vir Caſau-

portent mieux l' adverſité, que la proſperité. Quod ad Regis hujus genium & animi indolem attinet, idem ait. *Le cours entier de ſon regne, tant dans le tems de la guerre, qu'en celui de la paix, ne fut que fautes ſur fautes; & l'on diſoit, que ce Prince n' avoit point des juſtes idées des choſes. D' un coté toujours eſclave, il avoit de l'autre une foibleſſe impardonable pour les perſonnes, auxquelles il ſe confioit & particulierement pour la Reine, plein du pouvoir des Roys: qu'il portoit fort haut, la moindre oppoſition, qu'on y faiſoit, paſſoit dans ſon éſprit pour une rebellion &c.* Acerbiſſimi, præter eos, quos Miltonus fabricavit, in Regem extant libri, qui ſub *Irenæi Philaletis, & motuum Britannicorum veracis Cuſchi* titulis comparuerunt: Ipſius vero cauſam etiam agit Epiſcopus JOH. BRAMHAL *in* apologia pro R. & pop. anglicano.

(a) *juramentum fidelitatis*) JOHNSTONUS *rer. Britannic. lib. XIII. p.* 425 ſeqq.

(b) *Bladwellus*) Georgii nomen ipſi fuit, teſte Johnſtono, *l. c. p.* 425.

(c) *Pontificios*) *Memoires* de BURNET *tom. I. p.* 13.

Caſaubonus ad Cardinalem Jacobum Perronium, qui tum erat magnæ autoritatis in Gallia. Habetur illa epiſtola in editione brunſuicenſi epiſtolarum Caſauboni. Huic epiſtolæ reſpondere voluit Peronius, ſed operi illi eſt immortuus; poſthumum tamen illud ſcriptum prodiit. Contra illud calamum ſtrinxit Petrus Molinæus Theologus gallus, edito libro cui titulus *Novitas Papiſmi*; certe illud ſcriptum eſt egregium. In univerſum multum ſcripſit Rex Jacobus in theologicis.

Idem quod Politicam attinet, habuit multas orationes, de regimine, de Republica. A bellicis ſtudiis plane erat alienus, & nil rebus bellicis magis oderat; volebat enim videri maxime pacificus, interim erat amans ceremoniarum & rituum veterum, & malus curator *ſui ærarii*. (a) Hinc adeo, tametſi eſſet Rex doctus, ut eruditione ſuperaret Reges & Principes omnes, Rempublicam tamen minus feliciter rexit; nam populus anglicanus longa pace inſolentior factus, & nunquam non auſus fuit Regi obloqui. Præterea ipſe Rex erat iniquus in exigendo jure regio, credebat enim ille, omnem Regem debere habere ſummam poteſtatem, ſolutam omnibus legibus, qui eſt error capitalis.

Cum populus eſſet pronus in regimen geneveonſe, ita ut *Puritaniſmus* (b) jam magnum ſumſiſſet incrementum in Anglia, Rex ei nil præter verba & orationes in Parlamento oppoſuit; hinc revera in contemtum venit. Aliquod præterea mirum acceſſit, quod nimirum ſe pateretur ſeduci, ut curaret filium ſuum unicum ire in *Hiſpaniam* (c), ibique procari, ſed repulſam tulit; voluit autem ille ducere in uxorem ſororem Regis Hiſpaniæ, quæ poſtea Imperatori Ferdinando II. nupſit. Patiebatur inſuper Jacobus, generum ſuum *Fridericum* (d) in magnas anguſtias venire, atque omnibus dignitatibus pelli. Regimen itaque Jacobi non omni ex parte eſt *laudandum* (e), quamvis eſſet *maxime doctus* (f). Principis enim eſt, eſſe doctum eorum, quæ ad Rempublicam bene adminiſtrandam pertinent, non vero qui poſſit calamum adverſus alios ſtringere. Nam hoc ipſo Rex Jacobus amiſit ſuam autoritatem, interdum enim in contentionem ruit cum plebeiis hominibus, quod certe Regi non temere eſt committendum; agat ſcilicet ille, quod ſui eſt officii, & hanc laudem relinquat aliis.

Succeſſit *Jacobo* (g) filius Carolus a patre inſtitutus & imbutus iisdem dogmatibus, cum circa religionem ritus & ceremonias, tum etiam circa *civilem adminiſtrationem*; (h) nam & ille credidit, Regi competere abſolute ſummam poteſtatem. Acceſſit huc etiam Epiſcoporum anglorum inſolentia, & imprudentia, cum eo autem res devenit, ut in nervum erumperet; tantum abfuit, ut uterque aliquid de jure ſuo remiſerit. Hinc natum eſt ſeraſe bellum, quod Rex nil de jure ſuo remitteret, & populus ſibi nimium ſumeret. Bellum illud a parte Regis ceſſit inſeliciter; factus enim eſt captivus, e captivitate profugus in Scotiam, inde redactus in Angliam, & manu carnificis ſubjectus, exemplo nunquam alias in Anglia audito. Si porro videat quis, quemadmodum Cromwellius omnia geſſerit, apparet, illum quidem popularis ſalutis voluiſſe propugnatorem videri, atque hoc nomine applauſum populi tuliſſe (popularis enim libertas eſt vox admodum plauſibilis) Simul ac autem rerum eſt potitus, nemo libertatem populi magis depreſſit. Nemo enim antehac Regum tantum ſibi ſumſit, quam *Cromwellius*; (i) gubernavit enim Hiberniam & Scotiam, quam domuerat, abſoluta plane poteſtate. Quem-

(a) *ſui ærarii*) *Memoires de* BURNET *tom. I. p.* 23.

(b) *Puritaniſmus*) *Memoires de Burnet tom. I. p.* 28 *ſeqq. p.* 61 *ſeqq.*

(c) *in Hiſpaniam*) JOHNSTONUS *rer. britannicarum lib. XIX. & XX. p* 616 *ſeqq.* DU CHESNE *dans l'Hiſtoire d'Angleterre liv. XXII. p.* 1150. METERANUS *lib. XI. p.* 272.

(d) *Fridericum*) *La nation Angloiſe étoit toute diſpoſée, a ſoutenir l'Electeur, & l'on s'attendoit, qu'une alliance ſi étroite prevaudroit ſur l'eſprit de Jaques. Outre qu'il avoit une averſion invincibile pour la guerre, il s'étoit ſi fort coeffé de ſon ſyſteme du droit divin des Rois, qu'il ne pouvoit ſeulement ſouffrir, que ſes ſujets oſaſſent mettre en doute le droit divin d'un Roi elu par le peuple & limité par les loix de l'état. Dans cet éſprit il ne voulut reconnoitre ſon gendre pour Roy de Boheme, ni lui fournir du ſecours, pour ſe conſerver la couronne. Memoires de* BURNET *tom. I. p.* 18.

(e) *laudandum*) Maxime quoque ipſi vitio vertitur crudelitas, quam in Raleighum exercuit. BURNET *tom. I. p.* 25. *Son regne en Angleterre fut petit depuis un bout juſques a l'autre l. c.*

(f) *maxime doctus*) *Il eſt vrai, que les ecrivains affamés le flattoient chez lui ſans meſure: mais il eſt vrai auſſi, qu'il ne paſſoit dans les pays etrangers, que pour un pedant, ſans diſcernement, ſans cœur, ſans fermeté, eſclave de ſes favoris, & vendu aux conſeils ou a l'argent d'Eſpagne.* BURNET. *l. c. p.* 25.

(g) *Jacobo*) A Buckinghamio, cujus locum Sommerſeto tradere conſtituerat, veneno necatum, nonnulli dicunt. BURNET *l. c. p.* 26.

(h) *civilem adminiſtrationem*) In permultis tamen a patre diſcrepavit. Adjiciamus, quæ BURNETUS *l. c. p.* 32. ex Comitis de Lothiau ore refert. *Il me diſoit donc,* inquit, *que le Roy ſe deplaiſoit fort aux petites & obſcures manieres de ſon Pere, effets de ſon panchant a chaſſer & a boire, ou il oublioit ſouvent ſa dignité, & ne gardoit aucunes meſures de bienſeance; qu'au contraire la gravité de la cour d'Eſpagne étoit plus conformé au temperament du fils naturellement ſerieux, juſqu'a la mauvaiſe humeur, que cette diſpoſition lui fait prendre un air ſombre & reſervé fort contraire aux civilités & a l'affabilité, que la nation aime en ſes Rois, & a quoi elle étoit accoutumée, qu'en effet ce Prince ne prenoit exterieurement aucune peine d'obliger, qui que ce fut, & que tant s'en faut, il avoit ſi mauvaiſe grace, a faire des faveurs, que ſa maniere meme de les accorder étoit preſque auſſi mortifiante, que le plaiſir, de le recevoir, étoit ſenſible.*

(i) *Cromwellius*) Multa ad regimen ejus ſpectantia, quæ alibi non occurrunt, in Burnetti commentariis leguntur. Haud ingratum erit benevolo lectori, ex viri illius veritatis amantiſſimi commentarior. tom. I. p. 158. Cromwellii

Quemadmodum hodiernus Rex *Carolus II.* (k) Scotiam regat, non ita ad nos ſolet deferri. Quomodo vero in Anglia rerum potiatur, patet ex novellis. Et quantum apparet, regiæ poteſtatis una cum populi libertate magna ibi habetur ratio, quia & ibi inſtituuntur Parlamenta.

---

wellii caracterem hic adſcriptum legere: *Jamais* inquit, *il ne ſe peut defaire de certaine rudeſſe dans l'humeur, que l'education avoit fortifiée. Il parla toujours beaucoup, & de très mauvaiſe grace. L'enthouſiaſme, & la diſſimulation entroient avec un melange ſi egal dans ſes manieres, que l'on ne ſauroit dire, qui des deux l'emportoit, Que l'un & l'autre lui appartinſſent. Je le ſai de Mrs. Wilchins & Tillotſon, dont l'un avoit épouſé ſa Sœur, & l'autre ſa Niéce. C'etoit donc un vrai Enthouſiaſte; mais qui, en conſequence du ſentiment, dent pai parlé ci-deſſus, pouvoit être facilement conduit a la fourbe & a la cruanté. Ce ſentiment etoit, que les Loix morales n'obligent, que dans le cours ordinaire des choſes, & peuvent être ſaiſſiſes dans les occurences extraordinaires. A cela près, & quand ſes vues ne le faiſoient pas s'égarer, il aimoit la juſtice, la vertu, & même le ſavoir, quoi que fort décrié de ſon tems.*

(k) *Carolus II.*) De hujus in Scotia geſtis Burnetti commentarii inſpiciantur. Cœterum quod ibi inrebus eccleſ. agebat, eo tendebat, ut pedetentim Papiſmum, quem clam ſovebat, reduceret; quanquam finem, quem intendebat, ſatis diſſimulare noverit. Hinc in hoc æque ac in pleriſque aliis Tiberio ſimilis fuiſſe dicitur. *Memoires de* BURNET *tom. II. p.* 607 *ſeqq.* Quæ ſub Jacobo II. in Scotia geſta ſunt idem hic autor tom. III. refert. Wilhelmi res geſtæ a Samſonio in vita Guilielmi enarrantur. Adde VOYAGES *hiſtoriques de l'Europe* tom. IV. p. 421 ſeqq. Quæ Anna regnante in Scotia accedere, ex vita ejus & libellis hac de re tam in Anglia, quam extra eam excuſis, quorum numero etiam eſt *Mercure Hiſtorique critique*, addiſcendum eſt. Sub Georgio I. in rebelliones prorupit, quæ tamen præcipuis eorum autoribus aut punitis, aut in fuga ſalutem quærentibus, deſiere. Vid. Der gantze Proceſs oder Beurtheilung / auf die Beſchuldigungs Articul **von Hoch-Verrath ꝛc. gegen Jacob Graffen von Derwenwater / Wilhelm Lord Widdringeon / Wilhelm Graf von Nithisdale ꝛc.** Motus, qui ſub Marrii ductu Scotiam afflixerunt, tangit JEAN KERR *dans ſes memoires p.* 175 *ſeqq.*

CAPUT

CAPUT XXIV.
DE
REPUBLICA HIBERNIÆ.

SOlent etiam Reges Angliæ a multis temporibus ſe appellare Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Reges, antequam Scotia cum Anglia fuerit conjuncta, quaſi hæc tria revera conſtituant unum corpus. Non jam agam de jure eorum in *Franciam*, (a) nec etiam de bellis, quæ Angli pro obtinendo regno Franciæ geſſerunt: certum tamen eſt, quod hodie Reges Angliæ in Francia nil obtineant, licet olim obtinuerint maximam ejus partem, & Rex Eduardus III. ea tum valuerit potentia, ut Regem *Johannem* (b) captivum in Angliam abduxerit. Hibernia adhuc hodie eſt in poteſtate Regum Angliæ. Hinc de ea jam eſt differendum: Hiberniæ igitur nomine intelligitur inſula, quæ occidentem verſus omnium maxime adjacet Angliæ, atque ab illa freto non magno eſt diſtincta. Qui doctum quid de inſula illa, & ejus regimine legere cupit, adeat Camdeni Britanniam. Deſcriptioni etiam Scotiæ, in Batavia editæ, addita eſt deſcriptio Hiberniæ. Item multa de hac Inſula habentur in libro Gregorii *Giraldi* (c). Ex illis facile peti poſſunt omnia, quæ huc faciunt, niſi quædam ſint addenda, quæ recenter contigerunt. Quod itaque attinet illam Inſulam, ex ſitu apparet, illam eſſe *vicinam* (d) Angliæ, ut & parti ſeptentrionali Scotiæ, ſed a reliqua Europa latius eſſe diviſam, cumprimis maxime diſtare ab Aſia, Africa & America, ut itaque Hibernia ab iſtis ſibi regionibus non poſſit metuere, niſi forte ab una Anglia. Fuit hæc inſula cognita *Romanis* (e) ſed non paruit illis; exiſtimaverunt enim ſe in barbaris iſtius Inſulæ incolis domandis, nullum operæ pretium facturos. Ex eo itaque tempore inſula hæc fuit ſui juris, & videtur etiam ſatis cito religioni *chriſtianæ* (f) nomen dediſſe, ſeculo enim V. videntur ſemina Chriſtianiſmi ibi jacta, & ſatis feliciter ibi pullulaſſe. Ex eo itaque tempore Eccleſiæ hibernicæ innotuere, ſed non niſi fama; res enim hibernicæ ad Europæos ita non perveoeruot, Hiberni ipſi non habent antiqua monumenta, ergo quædam eorum res maximam partem ex hiſtoria rerum anglicarum ſunt petendæ.

Quod attinet ad cœli ſolique qualitatem illius inſulæ, Hibernia, qua parte eſt auſtralior, cœlum habet *mitius* (g) & clementius, quam in Anglia, pars item ſeptentrionalis habet mitiorem aërem, quam Angliæ pars ſeptentrionalis illi objecta, non glacie & nive infeſtatur Hibernia, obnoxia tamen eſt multis pluviis, & ea parte eſt triſtior. Hioe minus eſt apta ferendis frugibus, ex adverſo paſcuis lætiſſima; longe certe paſcuis lætior, quam ipſa Anglia. Incredibili eſt dictu, quanta ibi ſit copia & dulcedo pabuli omni armentorum generi paſcendo aptiſſimi. Hinc etiam opes univerſæ regionis conſiſtunt in armentis, cumprimis abundat ovium copia, ſed velleris minus boni, quod tamen non tam vitio terræ, quam vitio culturæ eſt adſcribendum. Abundat præterea copia vaccarum, taurorum, equorum non *peſſimorum* (h). Nec nunc dicam de feris animalibus, quorum etiam ibi ingens eſt copia. Ut autem non ſatis eſt inſtructa frugibus, ita abundat lacte, carne, & aliis commodis, quæ capi poſſunt ex armentis. Abundat etiam immane quantum apibus, & hac parte præſtat multum Angliæ & Scotiæ. Cum primis notandum, totam Inſulam illam eſſe immunem ab omni *animali venenato*, (i) licet talia animalia illuc inferantur, non tameo ibi vivere poſſunt, ſed moriuntur, & usque adeo ea vis eſt, ut etiam ligna Hiberniæ non ferant aran[illegible]. Memini me io Batavia confecta aliqua ex lignis hibernicis, quæ a telis aranearum erant immunia, easque non terebant, vidiſſe. Quæ hæc ſit occulta vis, ego non diſputo. Metallorum non eſt adeo ferax Hibernia, ſed quicquid metallorum habet, hoc aliunde habet. Forte & illis non caret Hibernia, ſed quis ſcrutabitur? prout eſt animus incolarum, poſt dicetur.

Quod

(a) *Franciam*) De quo Ludwigius commentatus eſt.
(b) *Johannem*) Hunc Eduardi III filius in Guienna acie victum, una cum filio ejus natu minore cepit.
(c) *Giraldi*) Adde WARÆI *antiquitates britannicas.*
(d) *vicinam*) *Elle eſt au couchant de la grande Bretagne, n'en étant ſeparée, que par la Mer d' Irlande. On lui donne ſix vingt lieues du nort au ſud, ſoixante d'orient & environ deux cens cinquante de circuit.* BAUDRAND. l. c.
(e) *Romanis*) Sunt, qui putant, Homerum & Heſiodum per inſulas fortunatas Hiberniam intellexiſſe FESTUS AVIENUS in libello, cui titulus *ora maritima*, *inſulam* ſacram vocat. Quod autem cum Ogygia Plutarchi eadem ſit, a veritate abhorrere docet WARÆUS *p.* 5. Dicta etiam olim fuit Scotia, Britannia minor occidentalis, Iverna, Ierna & Iris. CAMBD. *Brit. p.* 763.
(f) *Chriſtianæ*) vid. USSERII *opuſcula duo de origine Epiſcoporum & Metropolit. p.* 171 *ſeqq.* HARPSFELD *in hiſtor. angl. eccleſ. c.* 1. ubi docetur Britannos & Hibernos diu ante adventum Auguſtini fuiſſe catholicos.
(g) *mitius*) LANSIUS *in oratione pro Britannia p.* 534. *L'air y eſt groſſier, mais ſain, mais temperé & en hyver & en eté. Le terroir en eſt fort gras, il abonde ſur tout en paturages, ou l'on nourrit une grande quantité de boeufs, de chevaux de brebis. Il produit auſſi aſſés de ble, de fruits, de ſaffran & de chanvre, il en produiroiet beaucoup d'avantage, ſi les habitans vouloient prendre la peine, de le bien cultiver.* BAUDRAND. p. 550.
(h) *peſſimorum*) LANSIUS *in orat. pro Britannia p.* 534. Ab Anglis a molliſſimo greſſu Hobini dicuntur.
(i) *animali venenato*) *Topographia Hiberniæ lib. I. c. XXIII. Becmanni Hiſtoria orbis terrarum c. V. §. VII.*

Quod homines illius inſulæ attinet, dividuntur illi in duas partes, in indigenas ſcilicet Hibernos, & deinde anglicæ originis homines. Seculo poſt N. C. XIII. Henricus II. captata occaſione, ut poſt dicam, Hiberniam domuit, & Hiberni ſe ſubmiſere jugo Regis Angliæ, & hunc tanquam ſuum Monarcham agnovere. Ex eo tempore multæ coloniæ anglicæ migrarunt in Hiberniam, allecti fertilitate ſoli, & quidem migrarunt in partem auſtralem, & mitiorem & meliorem. Ex eo tempore ab annis 450. ibi magis magisque crevit Anglorum multitudo, ita tamen, ut reliquæ multitudini incolarum antiquorum nil ſit detractum. Quod enim attinet incolas anglos, Hiberni illis multum ſunt ſuperiores ita, ut vix unus Anglus mereatur comparari cum 10 Hibernis. Alias gens illa maxime ſtudet propagationi ſuæ gentis, & in *libidinem* (a) maxime prona, nuptiæ quoque ſunt feſtinatæ apud Hibernos, ubi 10 vel 11 annos natas puellas nuptias contrahere, non eſt inſuetum. Quod ad numerum hominum attinet, Hibernia antehac plena fuit *hominibus* (b); cæterum quæ hodie ibi ſit facies non facile dixerim. Ante annos 20 cum orirentur motus illi ſcotici & anglici adverſus Regem, indigenæ Hiberni non dubitarunt, clanculum conſpirare atrocem in modum ad omne nomen anglicum delendum, & una vice exſtirpandos omnes Anglos, Scotosque. Hac conſpiratione factum eſt, ut ſpatio 6. menſium præter propter miſerrime jugulati ſint ſupra 200000 *Anglorum* (c), nec enim barbari illi indigenæ vel ſexui vel ætati pepercerunt, ita ut appareat, Anglos ex eo tempore multum decreviſſe in Hibernia, ſed ſedatis non nihil motibus in Anglia, ſtatim oppoſuerunt Angli arma perduellibus illis Hibernis & quidem *feliciter* (d), ut brevi etiam temporis ſpatio armorum ſævitia perierint 100000 Hibernorum, & ita parvo intervallo periere ultra 300000 in illa inſula. Quicquid præterea ferocius fuit in illa inſula, Cromwellius inde curavit educi. Cum enim tum temporis Hiſpanus Anglorum auxilia imploraret, Cromwellius feroces illos Hibernos ceſſit Hiſpanis ea conditione, ut nunquam redirent. Hinc aliquot millia Hibernorum ex Hibernia abducti ſunt in Hiſpaniam, ex quo apparet numerum incolarum haud parum decreviſſe.

Quod ad illorum hominum *mores* (e) attinet ſunt illi varii. Angli illi ſunt moribus anglicanis, Hiberni vero bonam partem ſunt barbari. Hodie tamen ſunt aliquantulum mitiores, qùam olim tempore Auguſti. Cambdenus egregie deſcripſit eorum mores. In univerſum Hiberni ſunt inertes, & laborum fugientes: Interim tamen ſunt turbulenti. Latrocinia apud illos non habent infamiam, in venerem ſunt proni, juſtitiæ minime boni ſunt cultores, in univerſum ſunt homines mali, & id quidem quo magis ſylvas colunt. Sunt ibi etiam *urbes* (f) ſed quæ ſunt *oppidula* (g) potius, quam oppida. Metropolis eſt *Armack* (h) ſedes ArchiEpiſcopi, deinde eſt nonnihil *Dublinum* (i) munitum, ſedes Præſidis Regis Angliæ. Ut Deum *parum colunt*, (k) & juſtitiam faciunt flocci: ita & ad res novandas ſunt proni. Volunt tamen omnes pæne Hiberni antiqui videri maximi obſervatores religionis pontificiæ. Quoniam præterea illi, qui maxime erant feroces, & bellicoſi inde ſunt pulſi, & in exilium miſſi, reliqua multitudo jam quieſcit: itaque inſula ab illis hominibus liberata & pacata, & paulatim illuc redeunt Angli, & eo commigrant Scoti, quorum etiam moribus Hiberni mitigantur, de reliquis poteſt legi Cambdenus.

Regimen ſummum Hiberniæ ceu jam dixi, eſt penes Regem Angliæ, & tamen ut verum fatear, cauſa juſta dominandi Hibernos Anglis *defuit.* (l) Nec alium prætextum potuere habere Reges Angliæ, quam quod Papa romanus per ſuperſtitionem illorum temporum ipſis dediſſet jus aliquod occupandi Hiberniam; quoniam enim Pontifex romanus ſibi arrogat

jus

(a) *libidinem*) LANSIUS *in orat. contra Britanniam p.* 484.

(b) *Hominibus*) Hibernia producit homines fortes & ingenioſos. LANSIUS *in orat. Britannia p.* 533. In Galliæ & Hiſpaniæ copiis ſtipendia merentes multa inſignis fortitudinis edidere documenta.

(c) 200000 *Anglorum*) Vid. CLARENDON & RUSHWORTH. Carolo I. nullus hic fuiſſe partes, docet BURNET *comment.* (memoires) *tom. I.* Add. LANS. *orat. contra Britann. p.* 581.

(d) *feliciter*) Wilhelmi III quoque rationibus Hiberni, ſub Tyrconelli proregis Jacobi II. conſtantis aſſeclæ ductu, rationibus adverſabantur, ſed ab eo, licet Gallorum opibus niterentur, rem ibi gerente, & deinde in pugna cæſo Friderico Schombergio, in ordinem redacti ſunt. BAYLE *in vita hujus Schomberg tom. III. D. H. C. p.* 2540.

(e) *mores*) CAMBDENUS *in Britannia p.* 785 *ſeqq.* LUCAS *de Linda in deſcriptione orbis p.* 384. 385.

(f) *urbes*) Antiquioribus temporibus Hibernia dividebatur in *Legheninam ſeu Leghean & Leghmoam.* Hodie in quinque diſtribuitur partes: in *Momoniam*, *Lageniam*, *Conatiam*, *Ultoniam*, *Mediam.* Aliqui tantum quatuor priores ponunt. Fluvios habet Hibernia Senum & Barrojum, lacubusque & paluſtribus locis abundat. Portus ejus notabiliores ſunt Carlingfordiæ, Wexfordiæ in Lagenia, Dungaliæ in Ultonia, Waterfordiæ, Corcaviæ, Kinſaliæ & Jugaliæ in Momonia.

(g) *oppidula*) Poſt Dublinum præ cœteris notari merentur: Armacha in Ultonia, Limmericum, Corcavia & Weterfordia in Memoria.

(h) *Armack ſedes Archiepiſcopi*) Olim in Hibernia ſedes archiepiſcopales erant quatuor, & ſedes epiſcopales tringinta & unæ. MIRÆI *notitia epiſcopatuum p.* 219 *ſeqq.* Armachanus Archiepiſcopus Primas eſt totius regni. Præter hunc Archiepiſcopi ſunt: Dublinenſis, Caſſilienſis

(i) *Dublinum*) Regni metropolis a Regina Eliſabetha Academia eſt donata. Lemerico munimentis cedit.

(k) *parum colunt*) LANSIUS *in orat. contra Britanniam p.* 584.

(l) *defuit*) Occaſionem Henrici II. in Hiberniam expeditioni lites, quæ inter Regulos erant, præbuerunt. Horum unus Henrici ſuppetias expetiit. Quamobrem ille in Hiberniam militem trajecit, eamque Angliæ ſubjecit, Confer. GIRALDVS CAMBRENSIS *de expeditione Hibernia.* HEMMINGFORD *lib. II. c.* 17. Negotia autem ſua in Hibernia curanda Henricus dedit Guilielmo filio Adelmi Dapifero ſuo. WARÆUS *p.* 17.

jus in totum orbem terrarum, illud jus in Hiberniam ſibi etiam arripuere Angli, & tale jus Henrico Regi Angliæ dedit Papa *Alexander IV.* (a) ſec. XIII. Ex eo tempore fuit Hibernia ſub dominio Angliæ Regum, ita tamen ut Angli agnoverint Papam, non quidem tanquam *Feudi dominum*, b) ſed patronum, & cujus beneficio Hiberniam tenerent. Non autem Reges Angliæ tum uſi ſunt alio titulo, quam dominorum Hiberniæ. Primus omnium Henricus VIII. cum ejuraſſet omnem in Anglia pontificiam poteſtatem, non dubitavit titulum *Regis* (c) Hiberniæ ſibi adſciſcere. Ex eo tempore Hibernia Regni nomine inſignita eſt, cum antehac tantum dominii nomine diceretur. Henrico ſucceſſit filius Eduardus, qui proteſtantium religioni fuit addictus. Hujus ſoror Maria (d), quæ pontificiæ religioni adhæſit, titulum regium à Pontifice ſibi eſt paſſa confirmare. Mariæ ſucceſſit Eliſabetha, quæ tamen Pontificem ne flocci quidem fecit. Ex eo tempore ſunt Reges Angliæ titulo Regis Hiberniæ uſi, nec ullum amplius Papæ beneficium agnoſcitur. Rex autem Hiberniam regit per Pro Regem, quia regia autoritate illi inſulæ præeſt. Habet ille jus belli & pacis, ſi ita ferat conditio, nec temere alibi reperias ProRegem ejus autoritatis, quam in Hibernia. Et tanta illis autoritas debet eſſe, & neceſſario illis dare Reges Angliæ coacti ſunt, quia illa eſt indoles populi hibernici, ut ſæpe fiant rebelles & ſeditioſi. ProRex reſidet Dublini, quæ eſt arx proregia. Adminiſtrandi ratio eſt eadem quæ in *Anglia* (e), nam & ibi eſt Parlamentum, ſed minori autoritate quam Parlamentum anglicum. Revera etiam Rex Angliæ indigenis Hibernis non niſi miti imperio poteſt imperare. Hinc etiam ærarium regium non capit multum fructuum ex Hibernia; nam fere plus ad perpetuum militem, qui ibi, ad Hibernos in officio continendos, alendus eſt, impendendum eſt, quam fructus Rex Angliæ inde capit. De regimine ut ulterius dicam, non videtur neceſſum eſſe. Obſervaſtis procul dubio ex novellis, poſtquam etiam in Anglia motavit reſpublica, ibi etiam omnia mutaſſe, omnesque incolas juraſſe in nomen regium, relictis partibus cromwellianis. Quod ad ſcopum reipublicæ attinet facile apparet, illam totam regi non ad utilitatem dominantium: interim tamen narrantur varii principatus in Hibernia, ut appareat, Hibernos in ſuos plus, quam herilem dominatum exercere. Si autem videas regimen totius inſulæ, apparet illam non tam dirigi ad utilitatem regentium, quam ad communem: quod autem hæc non obſervetur, fit vitio gentis, quæ uſque adeo moribus efferа eſt, ut culturam non admittat, levi etiam de cauſa inſurgit adverſus inſulam incolentes, quos graviſſime odere antiqui incolæ. Hiberni, ut aliquid de *ipſis Regibus* (f) dicam, non eſt neceſſum, quoniam per nullos regitur Hibernia, quam per Reges Angliæ. De ProRegibus ut dicam, non etiam neceſſe videtur. Tantum hoc eſt obiter obſervandum, quod attinet Principes Hyberniæ, illos quidem, qui præ aliis prævalent, O ſemper ſolent præmittere O Baleck Eſt & ibi in nominibus frequens vocabulum Macki, quod idem eſt ac filius. Hæc de Hibernia ſufficiant. Poſſidetur vero hodie ab Anglis in *America* (g) inſula Bermudes, quam totam illi tenent. Similiter habent in ſeptentrione inſulam Virginiam, ſic dictam ab Eliſabetha virgine. Colitur hæc inſula ab Anglis, & cumprimis eſt ferax tabaci, qua herba eſt Anglis nihil acceptius, & nuſquam terrarum reperies adeo multos tabaci potores, & nullum etiam vectigal eſt opulentius & majus quam illud, quod in tabaco conſiſtit. Non adeo pridem tempore cromwelliani imperii adjecta eſt inſula Jamaica, olim ab Hiſpanis poſſeſſa, utrum autem perpetua hæc Anglorum futura ſit poſſeſſio, tempus docebit. Voluit quidem Cromwellius contra datam fidem Hiſpaniolam occupare, ſed eum res minus feliciter cederet, occupavit Jamaica, inmaximo cum damno & periculo claſſis hiſpanieæ ex America advenientis.

CAPUT

(a) *Alexander IV*) Sunt, qui putant, Henricum II non a Papa jus in Hiberniam impetrare, laboraſſe, ſed tantum, ut conſcientiæ ſuæ conſuleret, Pontificis circa hanc rem expiſcatum eſſe ſententiam. SELDENUS *in titulis honorum c. 4. p.* 62. Interim non ignoro, adeſſe diplomata, quæ ſuadere videntur, ac ſi Henricus jus, Hibernia potiundi, ſibi a Papa tribui curaverit. *Vid.* MATH. PARISIENSEM *ad ann.* 1155. JOH. SARISBER. *lib. IV. Metalogici c.* 42.

(b) *feudi dominum*) CAMBDENUS *in Britannia p.* 763.

[c] *Regis*) Domini titulus, quo hactenus Angliæ Reges uſi fuerunt, nimis durus Henrico videbatur, atque ſic credebat, Regis nomen Hibernis magis ad palatum fore. Ut autem tituli mutationem, Papa ſuffragante, ſuſciperet, Henricus a ſe impetrari non eſt paſſus.

(d) *Maria*, HERMANIDA *de Hibernia p.* 579. SELDENUS *de titulis honorum part. II. c. IV.*

(e) *Anglia*) Vid. *Hiſtorical Collections of Ruſhworth. vol. III. p.* 413.

(f) *ipſis Regibus*) *Durante pentarchia, qui Regum potentiſſimus totius inſulæ dominium ſibi arripiebat, vulgo Rex Hiberniæ dicebatur, & a nonnullis Rex Regum, non eo tamen ſenſu, quo Agamemnon, ſed cui imperii ſummam cæteri Reges vel potius Reguli permiſerunt & belli tempore & pacis. Reges non alicujus coronationis ſolennitate, nec inunctionis ſacramento, nec etiam jure hereditario, vel aliqua ſucceſſionis proprietate, ſed vi tantum & armis totius inſulæ monarchiam obtinuerunt, & ſuo more regni gubernacula ſuſceperunt.* GIRALDUS CAMBRENSIS *in topographia Hiberniæ diſt. III. c.* 45. WARÆUS *in antiquitatibus Hiberniæ p,* 15. Aliqui tamen e familia Obricuarum Hiberniæ Reges creati, & corona aurea redimiti ſunt Solebant etiam per calcei jactum trans electi caput creari. De excrando Regem conſtituendi ritu confer. GIRALDUM *l. c. diſt.* 3. *c.* 25. WARÆUM. *p.* 15. Denique adhuc notari meretur, aliquos Regulorum poſt Anglorum adventum regio titulo uſos, & eo ab ipſis Angliæ Regibus compellatos eſſe. HOVEDENUS ad annum *MCLXXV.* WARÆUS *l. c. p.* 17.

(g) *America*] Vid. RICHARDI BLOME liber, qui inſcribitur, *Amerique Angloiſe.*

Digitized by Google

CAPUT XXV.
DE
FOEDERATIS PROVINCIIS BELGICIS.

Solent illæ reſpublicæ appellari *belgicæ* (a), ab aliis Germaniæ inferioris, ab aliis Bataviæ nomine celebrantur. Igitur erit operæ pretium, ſi dicamus de illis nominibus, ut ſciamus quo jure provinciæ illæ ita appellentur.

Quod igitur attinet nomen Belgii, res ita ſeſe habet. Galliæ tempore Romanorum, & quidem

(a) *belgica*) Potiores quidam ſcriptores, ex quibus eorum, quæ ab Autore noſtro in hoc capite traduntur, amplior hauriri poteſt notitia, præmittendi erunt GUICCARDINI *Belgium univerſum. Reſpublica Belgii confœderati, ſeu Geldriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Trajecti, Friſiæ, Tranſinſulanæ, & Groningæ deſcriptio chorographica & politica.* GOTFRIDI HEGENITII *itinerarium Friſio-Hollandicum &* ABR. ORTELII *itinerarium gallo-brabanticum.* MELCH. TAKKENS *deſcriptio urbis Amſtelodamenſis.* REVII *Daventria illuſtrata.* HADR. JUNII *Batavia, in qua, præter gentis & inſulæ antiquitatem, originem, mores &c. declaratur, quæ fuerit vetus Batavia. Les delices de la Hollande, contenant ſa deſcription; avec un traité du Gouvernement, & un abregé de ce qui s'eſt paſſé de plus memorable jusqu'en* 1650. *par* JEAN DE PARIVAL. *Goudhoeven oude Kronyk en Hiſtorie van Holland. Chronyck van Holland: Seeland en Weſtfriesland.* SIMON VAN LEEUWEN *Batavia illuſtrata.* BOXHORNII *theatrum Hollandiæ. Hiſtoria Comitum Hollandiæ, ab anno* 913. *ad ann.* 1583. *cum origine & progreſſu tumultuum belgicorum ab anno* 1563. *ad* 1573. REN. SNOI *de rebus Batavicis libri XIII.* PETRI SCRIVERII *antiquitatum batavicarum tabularium, Hollandiæ, Zelandiæque, ac Noviomagi Gelrici inſcriptiones monumentaque antiqua repræſentans; acceſſere varii ſcriptores hiſtoriæ batavicæ, ab eodem Scriverio editi & illuſtrati. Annales Bataviæ & Hollandiæ, a* JANO DOUSA *filio inchoati & a Jano Douſa patre recogniti & perducti ad annum* 1122. MATTHÆI VOSSII *annales Hollandiæ & Selandiæ a Comite Theoderico I. anno* 859. *ad translatum a Jacoba in Philippum imperium anno* 1432. *editio II. auctior ex ipſius autoris autographo cura Ant. Borremanſii.* JOANNIS ISACII PONTANI *Hiſtor. gelricæ lib. XIV. Hiſtoria ultrajectina, in qua habentur* JOAN. DE BEKA *&* WILHELM DE HEDA *de Epiſcopis ultrajectinis ex recognit. & cum notis* ARN. BUCHELII. *Chronik van Seeland door Smallegange P. Box Hiſtorie der Nederlandiſche oorloghen.* JAC. EYNDII *Chronici Zelandiæ libri II. ad annum* 1305. *De rebus ultrajectinis & in primis de bello cum Covondenſibus, Tarantiis ſeu Drentinis geſto, auctoris incerti narratio hiſtorica, ab anno* 1138. *ad* 1233. *edente cum notis & additionibus Ant. Matthæo.* BERNARDI GERBRANDI FURMERII *apologia Suffridi Petri pro antiquitate & origine Friſiorum cum peroratione contra Ubbonem Emmium, acceſſit inſcriptio antiqua de Friſiorum ſub Carolo M. expeditione, una cum Doctorum judiciis de ejusdem Suffridi Petri Hiſtoria de Friſiorum origine.* FURMERII *annales Friſiæ* CORN. KEMPII *de origine, ſitu, qualitate & quantitate Friſiæ, & rebus geſtis Friſiorum ad ann. circiter* 840. *libri III. Ubbonis Emmii hiſtoria rerum friſicarum, ab ann. Chr.* 395. *ad ann.* 1564. *editio auctior, cui accedunt ejusdem de Friſia & Friſiorum republica libri aliquot, cum tabulis æneis; nec non de origine Friſiorum veritatis aſſertio contra Suffridum Petrum & Bern. Furmerium. Pierii Winſemii rerum Friſiarum ſub Philippo II. ab anno* 1555. *ad* 1581. *libri VII.* STRADA *de bello belgico.* METERANI *hiſtoria belgica.* NICOLAI *Burgundi hiſtoria belgica. La guerra de Fiandra par* BENTIVOGLIO. GROTII *Annales & Hiſtoria de rebus belgicis ab obitu Philippi Regis usque ad inducias. Ejusdem obſidio Grollæ cum annexis anni* 1627. HEINSII *rerum ad Sylvam ducis geſtarum hiſtoria.* BOXHORNII *obſidio Bredæ. Hiſtoire de Hollande depuis la treve de* 1609 *ou finit Grotius jusqu'a la paix de Nimegue c.* 1679, *par M. de la Neuville. Memoires pour ſervir a l'Hiſtoire de Hollande & des autres provinces unies, par Louis Aubery ſeigneur du Maurier. Leonis ab Aitzema Hiſtoria Pacis a fœderatis Belgis ab anno* 1621. *ad ann.* 1654. *tractata. Memoires du Comte de Montbas ſur les affaires de Hollande, en l'annee* 1672. *Hiſtoire de la Guerre de Hollande, en* 1672. *trad. de l'ital. du Comte de ſaint-Maiole. Friderici Sylvii diſcurſus de revolutionibus anni retroacti* 1672. *in fœderato Belgio. La vie & les actions memorables de Michel Ruyter Lieutenant-Admiral des Provinces-unies jusqu'a ſa mort en* 1676. *Hiſtoire metallique de la republique de Hollande par* BIZOT. AIZMA *Saken van Staat en Orlog & ejus continuator Silvius. Commentariolus de ſtatu confœderatarum Belgii provinciarum; acceſſit* PAULI MERULÆ *diatriba ejusdem argumenti, nec non Ord. Holland. decretum de antiquo reip. batavicæ jure.* MART. SCHOOCKII *Belgium fœderatum, ſive deſcriptio reipub. fœderati Belgii, exhibens illius faciem ſub auriacis Principibus & præſentem hodiernam; accedit ejusdem de juſtitia belli a Belgis fœderatis cum Hiſpaniæ Rege geſti tractatus.* PHIL. CÆSII A ZESEN *Leo Belgicus, hoc eſt reipub. Belgarum fœderatæ exordii, progreſſus, & interioris forma ac* *ſtatus*

dem cumprimis tempore Julii Cæſaris, qui primus omnium univerſam Galliam domuit, & ſubjecit populi Romani imperio, tum illius terminus erat Rhenus, adeoque quicquid erat cis Rhenum, a Romanis illud accenſebatur Galliæ, Rhenus itaque diviſit Galliam a Germania. Gallia alias fuit apud Romanos diviſa in duas partes, in Galliam *ciſalpinam* (a), & trans alpinam. Ita ut Galliæ ciſalpinæ nomine fuerit intellecta nobiliſſima pars Italiæ, quæ hodie Lombardia dicitur. Vocabatur autem Gallia, quod ipſi incolæ eſſent Galli. Ita in regno neapolitano vixerunt olim Græci, unde etiam magna Græcia dicta fuit, ita ut bona pars origine Græci fuerint. Dicti igitur illi Galli ciſalpini, ubi nunc eſt Mantua, Genua, Ducatus mediolanenſis & aliæ provinciæ.

Altera Galliæ pars κατ' ἐξοχὴν dicta fuit Gallia trans alpina. Hæc Gallia transalpina iterum fuit diviſa in duas partes, in Galliam Narbonenſem, ab urbe primaria ſic dicta, quæ alias dicitur Gallia provincialis. Dicta autem fuit propterea, quod Romani illam partem dudum in provinciam redegiſſent, cum reliqua pars demum acceſſiſſet, diu poſt tempora Julii Cæſaris, cujus terminus eſt Rhodanus, & eſt eximia ratio. Dicta olim fuit Gallia braccata ab habitu & veſtitu: transalpini vero Galli cum Romanis erant togati. Jam reliqua pars Galliæ, quæ erat omnium ampliſſima dicebatur Gallia comata, quod omnes incolæ alerent comam, alias Romani reliqui tonderentur. Hæc eſt illa Gallia comata κατ' ἐξοχὴν Gallia dicta, quam Julius Cæſar romano Imperio ſubjecit. Fuit autem illa tempore Julii Cæſaris diviſa in tres partes, ut videre eſt in *commentariis ejus de bello gallico*. Una pars dicta fuit Gallia aquitanica, quid autem Aquitaniæ nomine ſignificetur, hoc peti poteſt ex Cluvero. Altera pars dicta fuit Gallia lugdunenſis a Metropoli Lugduno, quæ hodie appellatur Lyon.

Tertia pars Galliæ dicta fuit Gallia belgica, & hos Gallos Belgas itidem domuit Julius Cæſar. Quomodo autem illa bella geſta fuerint, apparet ex commentario Julii Cæſaris de bello gallico. Cæſar quoque ipſemet fatetur, inter omnes Gallos Belgas eſſe fortiſſimos & optimos bellatores. Galli belgici vocabulo fuere intellecti omnes populi, qui habitarunt Romanis cis Rhenum, nobis autem trans Rhenum. Teſtatur porro Cæſar, ſuo tempore illos Belgas ſaltem potiore ex parte fuiſſe origine Germanos, atque adeo moribus magis fuiſſe vicinos Germanis, quam reliquis Gallis. Tacitus item de moribus Germanorum docet, ripam cis Rhenum indubie incolere germanicas gentes. In illas terras poſt tempora Julii Cæſaris commigraverunt & aliæ gentes. Sic tempore Auguſti Sicambri, hodie die Herrſchaft Bergen und Trier commigrarunt in ſolum gallicum, item omnes Ubii, populi Germaniæ. Atque hodie illas terras colunt circa Coloniam agrippinam, etiam ſequentibus temporibus multi Germani partim vi, partim ſponte transmigrarunt; donec tandem Franci univerſam Galliam ſui juris fecerunt, eique nomen ſuum indiderunt, ut hodie adhuc vocetur Francia. Rhenus autem tempore Cæſaris fuit diviſus in duo cornua, & diſſectus quaſi in duas partes ad illum locum, qui hodie vocatur Schencken-Schantz; ſed ita, ut alterum cornu amittat nomen Rheni, & accipiat Vaalis die Wahl. Miſcetur autem cum Moſa, unde accepit nomen Moſæ. Porro alterum cornu illud olim tempore Julii Cæſaris itidem diviſum fuit in duo cornua, alterum retinuit nomen Rheni, alterum miſtum fuit Flevo, ita ut tempore Julii Cæſaris fuerint *tria oſtia* (b) Rheni, quæ hodieque ſunt. Oſtium medium Rheni non procul fuit a Lugduno Batavorum ad vicum Cattorum (Cattwyck) ſed illud oſtium diu fuit obliteratum, & arena obſtructum.

Nobiliſſima antehac fuit inſula Rheni. Hanc incoluere tempore Cæſaris populi dicti Batavi. Hi populi dicuntur origine fuiſſe *Catti* (c), qui fuere populi Germaniæ, & olim habitarunt in terris Haſſiæ & parte Franconiæ. Dicti autem fuere Catti, quod felinis eſſent moribus prædıti. Manet hodieque circa Lugdunum Batavorum nomen Cattorum: Batavorum autem

ſtatus deſcriptio. Sommaire de la forme du gouvernement des provinces unies du Pais bas, lors du Gouvernement des Princes d'Orange, depuis lequel il n'y a rien eu de changé, ſi non pour la fonction de leurs perſonnes, dont les Etats Generaux ſe ſont reſervé la diſpoſition, depuis le deceds du Pr. Guillaume en 1650. Tableau de l'Hiſtoire des Princes & principanté d'orange. Pierre de touche des veritables intereſts des provinces-unies, & des intentions des deux couronnes de France & d'Eſpagne, ſur les traitez de paix a Munſter & conſiderations de religion & d'etat ſur la guerre angloiſe & autres affaires du temps, en 1655. ſuivant les intereſts de la repub. des provinces-unies, avec une critique de la pretendue charte de Charlemagne accordee aux Friſons. Conſiderationes inſtructiones & monita politica ad utilitatem reipublicæ Hollandiæ & Weſtfriſiæ. Memoires de Jean de Wit Grand Penſionaire de Hollande ſur le Gouvernement & les Intereſts de la republique. Guil. Temple etat preſent de la republique de Hollande. L'Etat de provinces-unies & particulierement de celle de Hollande, & leur vrai intereſt oppoſé au faux pour le temps preſent.

(a) *Ciſalpinam*) Vid. CELLARII *geograph. antiq. lib. II. c.* 2. ubi de omnibus, quæ hic autor de Galliæ diviſione habet ex profeſſo agitur. Adde BUCHERIUM *in Belgio Romano lib. I. c.* 1. *ſeqq.*

(b) *tria oſtia*) Vid. quæ de oſtiis Rheni ad librum de finibus imperii dicta ſunt.

(c) *Catti*) Batavos Cattorum propaginem eſſe, docet TACITUS *in Germania c.* 29. Quæ de Batone Cattorum principe apud JUNIUM *in Batavia* c. 1. & TESCHENMACHERUM *in annalibus Cliviæ part. II. p.* 484. leguntur PONTANO aliisque fabuloſa videntur.

autem nomen jam dudum obſoletum eſt; in Geldria tamen pars eſt, quæ dicitur Die Badel (a) (Betne) Batavi tenuere ripam Galliæ, quæ eſt inter Molam & Rhenum: ipſam porro inſulam tenuit quædam Friſiorum colonia dicta *Caninefates* (b) procul dubio a caniculis, quorum ingens eſt copia in collibus arenoſis Hollandiæ. Utrum vero ad inſulam Batavorum pertineant illi, qui appellantur Nord-Holländer oder West-Frießländer/ de illo litigant inter ſeſe viri docti. Videatur de his Cluverius de tribus Rheni oſtiis, & Iſaaeus Pontanus. Accenſita ante fuit illa inſula Batavorum Galliæ belgicæ, tametſi jam tum olim hi populi fuerint Germani, & germanica lingua ſemper uſi. Hinc apparet revera jam olim Belgicæ vocabulo etiam veniſſe omnes Batavos, atque adeo omnes, qui inhabitabant inſulam Rheni, quam jam tenet bona pars Hollandorum, Ultrajectorum, Geldriorum & Selandorum. Romani porro in illa inſula Batavorum ingentes fecere mutationes, & varia munimenta fecerunt adverſus impetum Germanorum.

Cum enim Rhenus in varias partes divideretur, tum Romaoi non erant tuti adverſus incurſiones Germanorum, & ut latera ſua tuerentur, tum novas foſſas inſtituerunt fodere, in quas foſſas deinde derivatus fuit Rhenus. Cumprimis autem nobilis eſt foſſa, quæ appellatur *Corbulonis* (c) dicta, a Corbulone fortiſſimo Duce Romanorum, qui illam foſſam primus inſtituit. Deinde eſt foſſa *druſiana* (d), qua junctus fuit Rhenus Iſalæ, ita ut adhuc hodie pars Rheni tranſeat in Iſulam. Sic itaque per illam foſſam druſianam in Iſala factus eſt jam ingens amnis, recepta ſcilicet bona parte Rheni. Facile autem apparet, tempore Julii Cæſaris nondum Galliæ belgicæ fuiſſe accenſitam eam partem, quæ interjacet Iſalam amnem & oceanum, quoniam ſcilicet foſſa druſiana fuit inſtituta a Druſo Auguſti privigno, adeoque poſt Julium Cæſarem.

Quicquid autem eſt trans Flevum & Iſalam, illud non tranſiit in ditionem Romanorum. Certum itaque eſt, quod omnem illam ripam Rheni antiquiſſimis temporibus inhabitarint Belgæ, qui fuerunt germanici populi. Hinc adeo factum fuit ſeculo poſt natum Servatorem II, ut Romani non amplius illam partem dicerent Belgiam, ſed Germaoiam, illamque partem dividerent in duas partes: in Germaniam primam & ſecundam. Prima dicta fuit totus ille tractus moguntiacus, cujus metropolis eſt Moguntium, altera autem illa, quæ vergit ad Oceanum, dicta fuit Germania ſecunda, cujus metropolis fuit Colonia agrippina; quando igitur mentio fit Germaniæ primæ & ſecundæ, ſemper eſt intelligenda Germania belgica. Quod autem porro attinet Weſtfriſios illos, qui vivunt inter Flevum & Ameſio amnem, illi ſemper fuere habiti extra Belgiam, & nunquam ei accenſiti, ſed ſemper habiti fuere pertinentes ad Germaniam majorem. Diviſa autem Weſtfriſia ſemper fuit in duas partes: in partem *Ciſlavicanam* (e) & Tranſlavicanam Lawenburg. Facile itaque apparet illas provincias, quæ hodie fœderatæ dicuntur, ſi reſpicimus antiqua vocabula, quæ in uſu fuere tempore Julii Cæſaris, non poſſe vindicari Belgis, & ſi quidam ſint, qui eis accenſeri velint, illi falluntur; nam illi, qui fuere cis Rhenum, ſemper fuere habiti extra Belgiam, & tametſi reliqui, qui trans Rhenum ſunt, fuerint Belgis accenſiti, interim tamen non eſt dubitandum, quin ſemper fuerint Germani.

Quod attinet autem populos illos, qui in illis terris vixere, fuere initio liberi populi, quomodo autem fuerint diviſi, non facile conſtat; interim tamen veroſimile eſt, quoniam omnes illi populi fuere germanici: ergo conſtat, coluiſſe rempublicam more germanico vetere, qualis autem tum fuerit reipublicæ ratio, hac de re legi poterit præter alios, Hugo Grotius in libro de antiquitate reipublicæ batavicæ; ſingulari enim tradit capite, quales fuerint Batavi, priusquam fuerint ſub Romanis. Quæ autem ibi habet Grotius, illa fuere communia omnibus populis germanicis, nec aliam reipublicæ formam ibi obtinuiſſe. Cæteri Romani illi utique occupaverunt omnia uſque ad Rhenum, adeoque ſaltem illos populos Belgicæ in ditionem tranſtulerunt, qui habitarunt illis cis Rhenum, nobis trans Rhenum. Quod ad inſulam Batavorum attinet, apparet ex Tacito, Batavos illos fuiſſe quidem ſub Romanis, ita tamen ut habuerint leges & Magiſtratus ex ſua gente, nec Romanis fuiſſe adſtrictos, niſi ſaltem ad arma & *bella*. (f) Nam Romani delectum inſtituerunt juventutis batavicæ, atque fortiſſimos elegerunt ad bellum, ad hunc modum fuere Batavi ſub Romanis, eo modo Friſii minores, & aliqua pars Friſiorum majorum: verum ita taotum, ot tributum aliquod penderent; donec & Friſii & Batavi tempore Neronis. & poſt eum, cum omnia tumultu eſſent impleta, jugum romanum excuſſerint. An vero Friſii poſtea redierint ſub imperium romanum, hoc videtur incertum. Batavos autem rediiſſe, certum eſt: tempore Taciti & Imperatoris Trajani fuere populi liberi.

Quo-

(a) Babel) Eſt ibi batebergenſis ditio, Batenburgum. PONTANI *Hiſtoria Geldrica p.* 373, 609.

(b) *Caninefates*) De his veterum loca refert CELLARIUS *in Geographia antiqua lib. II. c. III. p.* 355. & Junii ſententiam, quod peculiarem inhabitaverint inſulam, dubiam vocat.

(c) *Corbulonis*) dicitur hodie Vliet, & haud procul Lugduno Batavorum conſpicitur. BUCHERIO CELLARIUM junge p. 264.

(d) *Druſiana*) Hodie Iſalæ nomen habet. BUCHERIUS CELLARIUS *l. c. p.* 258. 259.

(e) *Ciſlavicanam*) UBBO EMMIUS *lib I.*

(f) *bella*) TACITUS *de M. G. c.* 29. Adſunt inſcriptiones, in quibus Batavi Romanorum fratres & amici dicuntur. PONTANUS *lib. II. p.* 20. *Cl.* DITMARUS

Quomodo autem ſeſe habuerit res Batavorum, aliorumque ſimilium populorum belgicorum ſub Romanis, de ea re diſputat Grotius in citato libro. Verum enim vero non videtur mihi ſatis probaſſe id, quod vult probare, & Batavos florentibus rebus romanis libertatem obtinuiſſe. Apparet autem ex quam multis paulatim invaluiſſe ea in parte Friſios, & eos omnes unum Regem coluiſſe. Hujus regni limites ſatis fuere lati; nam a Moſa uſque ad Viſurgim omnis ora maritima fuit in ditione Regum Friſiæ. Itaque Ultrajectum fuit circa tempora Caroli M. urbs Friſiæ, & Hollandia fuit pars illius regni. Diſſimulat hoc quidem Grotius; interim tamen hoc luculentiſſime apparet ex monumentis antiquis. Pertinuit autem ad regnum Friſiorum etiam inſignis pars ducatus Schleswicenſis, ubi eſt Eiderſtadia & Nordſtrandia, & aliæ inſulæ adjacentes, quæ omnes originem ſuam a Friſiis habent. Verum enim vero friſicum illud regnum à Francis, Carolo Martello, tum temporis Rege, qui Rabodum ultimum Friſiorum Regem expulit, ut coactus fuerit aufugere in Daniam, ibique infeliciter obiit, cum nollet chriſtianæ religioni nomen dare. Atque ita pars Friſiæ ceſſit regno Daniæ. Reliquum regnum Friſiorum à Moſa ad Viſurgim tandem Franci occuparant, adeoque omnes facti ſunt ditionis francicæ. Qualis autem fuerit ſtatus ſub Francis, itidem explicat Grotius, & vult perſuadere, ſtatum Batavorum etiam tum fuiſſe liberum ſub Francis, quod valde ridiculum eſt. Quia Holland tum fuere admodum ignobiles, & ignobiliſſima fuit potio totius regni friſii. Grotius ejus rei nullum adfert argumentum, propterea fuit illud ipſum à me in libro de finibus imperii Germaniæ rejectum; ex nulla enim hiſtoria afferi poteſt, quo veriſimile reddi poſſit. Scripſit autem hoc opus Grotius admodum juvenis, cum eſſet annorum XX.

Seculo poſt Chriſtum natum IX. circa annum 50. aut 60. populi ſeptentrionales Dani, Sueci & Normanni, quod eſt incredibile dictu, quantas fecerint excurſiones, & quantam piraticam exercuerint in oceano. Erant autem omnes pagani, eruperunt autem in Galliam, & bonam partem devaſtarunt; eruperunt etiam in Germaniam, & Germaniam mediam, cum primis autem Galliam belgicam, & uſque ad Aquisgranum pervenere, ibique caſtra poſuerunt; eruperunt etiam in Britanniam, eamque totam ſui fecerant juris. De illis calamitatibus, quæ contigerunt, lectu digna ſunt, quæ congeſſit Georgius Calixtus in Hiſtoria ſeculi IX. & X. illo tempore regnum Francorum diviſum in tres partes inter filios Ludovici Pii, quo factum eſt, ut minori natu contingeret Francia occidentalis, Ludovico obtigit Germania uſque ad Rhenum, Lothario autem media pars, & quæ eſt inter Rhenum & Scaldim. Hac ratione factum fuit, ut Hollandia pervenerit in ditionem Lotharii, item Brabantia ex parte. Videatur liber de *finibus Germanorum*, (a) irruptione autem tacta Danorum coactus fuit Lotharii Imperatoris nepos paciſci cum Danis, & redimere pacem, ita ut partem aliquam inhabitandam concederet Danis, uti in libro de finibus probavi, illam partem eſſe, quæ vocatur hodie Hollandia & Selandia, & illam partem appellatam fuiſſe Dennemarchiam, & illud nomen veniſſe à colonia Danorum; ſed non temere id ferunt Hollandi; nolunt enim videre ſe nomen iſtud accepiſſe à Danis, ſed res eſt *clara* (b). Ita Hollandia, Selandia & Weſtfriſia fuit ſub ditione *Danorum* (c) ſed non diu duravit hoc regnum. Nam Gottfiedus Danorum Rex fuit interemptus, & ſic rediit ſub ditionem Francorum, uti apparet ex Regmone Abbate.

Cum exſtincta eſſet Lotharii Imperatoris familia, atque nova diviſio eſſet inſtituta, tum ceſſit Ludovici poſteris, hoc eſt Regibus Germaniæ Hollandia atque Zelandia uſque ad Scaldim, atque ita hæ terræ factæ fuere portiones regni Francorum orientalis. Quod attinet ad Hollandos illi acceperunt *Comitem*, (d) eorum potentia coepit magis magisque creſcere. Itaque Hollandi ſemper fuere ſub Comitibus Geldriæ itidem, & Franci, quibus Comitibus deinde collatus eſt Ducatus. Friſios quod attinet, illi omni Magiſtratu externo rejecto, ſemper acriter pugnarunt pro libertate ſua, atque liberi populi ipſi fuerunt. Quod autem attinet libertatem Friſiorum, tum eſt vulgaris ſententia, inter Friſios Carolum Magnum induliſſe iis libertatem plenam, & neſcio quas non immunitates ſeu privilegia, quæ inſcripta fuere tabulæ: jam quod illam tabulam attinet, tam inepte eſt contecta, quia ex antiquis monumentis tale quid non conſtat, & nihil de ea re inveni, ſeculo poſt natum Chriſtum X. tum illos Friſios excuſſo omni jugo, in plena libertate vixiſſe, adeoque per aliquot centum annos hanc libertatem retinuiſſe, *ferunt* (e) Hac de re videatur commentarius Ubbonis Emmii.

Quod

MARUS *in annot. ad* TESCHMARI *annales Cliviæ p.* 487.

(a) *finibus Germanorum*) Et quæ nos ad eum de his rebus commentati ſumus.

(b) *clara*) Vid. tamen, quæ ad librum de finibus imperii monuimus.

(c) *Danorum*) DRUSA *in annal. Hollandiæ lib. I. p.* 72 *ſeqq.*

(d) *comitem*) DRUSA *annal. Hollandiæ lib. V.* MATHÆUS VOSSIUS *annal. Hollandiæ lib. I.*

(e) *ferunt*) Quæ UBBO EMMIUS hanc in rem diſſerit, in Hiſtoria Friſiæ orientalis germanico idiomate conſcripta tom. I. c. III. ſeqq. examinantur, & fictitium Caroli M. privilegium exploditur.

Quod autem ad illas regiones attinet, hæ ita fuere ſub imperio quidem Francorum, & adeo ſub imperio Germanorum, diſtinctæ vero inter ſe in varias partes ducatus, principatus & comitatus. Factum autem, neſcio qua benignitate divina, ut illæ provinciæ paullatim acceperint unum aliquem dominum, exſtinctis nempe familiis comitum, pleræque illæ provinciæ pervenere ſub imperium ducis Burgundiæ, adeo ut ſeptendecim provinciæ pedetentim in unum quaſi corpus coaluerint, & vero etiam Friſia ipſa coacta fuit, jugum illud *ſubire* (a) nec non Gröninga. Illæ *ſeptendecim provinciæ* (b) appellari die Niederländiſche Provincien, & apud ſcriptores latinos Belgica recens. Fuere illæ XVII. Provinciæ tantum *non omnes*, (c) jam tum ſub familia Ducum Burgundiæ, quæ exſtincta fuit in Carolo Audace. Familia autem illa Ducum Burgundiæ ſurculus familiæ *Regum Galliæ* (d) fuit. Hæc familia præter ducatum Burgundiæ, quem obtinuit in feudo, ſimul etiam bonam partem regni burgundici obtinuit, & quidem illam partem, quæ appellatur hodie *comitatus liber* (e) Burgundiæ, & deinde accepit etiam bonam partem *regni antiqui lotharingici.* (f) Hæc omnia ita pervenere ad Carolum Audacem, ita appellatum, quod eſſet bellicoſus Princeps, & turbulenti ingenii quoque modo altum ſpirabat: verum hic Carolus Audax, bello contra Helvetios moto, tandem infeliciter occubuit; ter enim acie ab iis, fuit victus, & tandem interiit, relicta unica filia ſuperſtite Maria, quæ nupta Maximiliano Auſtriaco Imperatori, hereditariam poſſeſſionem tot ampliſſimarum provinciarum attulit in domum auſtriacam. Huic Maximiliano fuit ex Maria filius unicus Philippus, qui ita, avo adhuc vivo, per hereditatem maternam crevit, & factus fuit Princeps illarum ampliſſimarum provinciarum. Huic Philippo ex Joanna Ferdinandi Catholici Hiſpanorum Regis, & Iſabellæ filia fuere nati filii duo, alter Carolus alter Ferdinandus. Carolus eſt ille, qui poſt nactam imperatoriam dignitatem dictus eſt Garolus V. Ferdinandus eſt ille, qui poſt fratrem imperatoriam dignitatem nactus, dictus eſt Ferdinandus I. Philippus autem ille per uxorem Joannam factus eſt regnorum Hiſpaniæ, & ſimul regni Siciliæ & Neapolitani Rex, adeoque per dotem ingens facta fuit virium acceſſio auſtriacæ domus; inter illos autem duos fratres, Carolum & Ferdinandum ita facta fuit diviſio bonorum, ut Hiſpania, & quicquid illi erat adjectum, ſcilicet Siciliæ & neapolitanum regnum, ſimulque illæ provinciæ belgico-germanicæ omnes, ceſſerint Carolo. Auſtriacæ autem provinciæ ceſſerint Ferdinando. Ita deinceps familia auſtriaca fuit *diviſa* (g) in duas partes, in ſtirpem Hiſpanicam & ſtirpem germanicam: à Ferdinando demum omnes deſcendunt Auſtriaci, à Carolo autem Reges *Hiſpaniæ* (h). Ut autem pæne omnibus aliis in rebus ſingulari felicitate fuit Carolus, ita quoque hac in re fuit felix, quod primus omnium provincias belgico germanicas adjecerit ſuo imperio. Hac ratione Caroli V. felicitate primum provincia ultrajectina (2) ducatus Geldriæ cum comitatu Zutphaniæ (3) *Friſia occidentalis* (i) (4) Gröninga urbs cum ſua Omlandia; adeoque Carolus V. fuit longe potentior omnibus ſuis majoribus, & adegit etiam Regem Galliæ Franciſcum, ut ducatum Arteſiæ, & comi-

(a) *ſubire*) De eis, quæ hic traduntur, ad librum de finibus imperii egi.

(b) *ſeptendecim provinciæ*) Tales ſunt: Arteſia, Flandria, Hanonia, comitatus Namurcenſis, Ducatus Luxemburgenſis, Ducatus Limburgenſis, Geldria, Brabantia, Antwerpia, Mechlinia, Hollandia, Zelandia, provincia ultrajectina, Tranſiſlana, provincia gröningenſis, Friſia occidentalis. Harum terrarum deſcriptionem, quæ Guicciardinum autorem habet, alibi laudavimus.

(c) *tantum non omnes*) Carolus V Imperator, Caroli Audacis ex Maria filia pronepos, eas in unum compilare corpus abſolvit. Illum animo volviſſe, provinciis illis in eadem jura & leges compingendis, regni titulum impertire, rem autem ob nimiam legum & privilegiorum diſcrepantiam, & ſubditorum renitentiam non ex voto ſucceſſiſſe, ferunt.

(d) *Regum Galliæ*) Ex Joannis Galliæ Regis filio natu minore Philippo deſcendit.

(e) *Comitatus liber*) Vide quæ ad librum de finibus imperii diximus.

(f) *regni antiqui lotharingici*) Brabantia, denata Joanna, ad burgundicam domum, ſalvo fiduciario jure, quo imperio obnoxia erat. BUTKENS *troph. Brabant. lib. IV. p.* 523. 525. MASCOWII *diſſertatio de nexu regni* LOTHARINGICI *cum imperio germanico* §. *XXIII, XXIV.* STOCKMAN *deciſ.* I *n.* 14. & *in tract. de jure devolutionis p.* III. *n.* 8 Limburgi ducatus ſub Joanne Brabantiæ acceſſit, nexu cum imperio non ſublatu. BUTKENS *in trophæis Brabantiæ p.* 301. MASCOW. *l. c.* §. *XXV.* DITMARI *diſſert. de origine ac ſucceſſione ducum limburgenſium.* Antwerpia imperii marchionatus ad comitem lovanienſem Gotfridum Barbatum pervenit, & ſub eo penitius cum ducatu coaluit, ita ut hodie quaſi Brabantiæ pars habeatur, ſeorſim tamen ſervato titulo. De jure imperii in eam continuato. Vid. MASCOW *l. c.* §. *XXVI.* BUTKENS *l. c. lib.* I. *c.* VII. SCRIBANIUS *in antiquitatibus Antwerpienſibus lib.* III. *c.* 1. & 10. PETRUS DIVÆUS *rerum Brabantinarum lib.* 18. Luxemburgi ducatus quomodo ad Burgundos delatus ſit, docet PONTUS HEUTERUS *rerum Burgund. lib.* IV. *p.* 292. feudum autem eſſe imperii, ex tabulis, quæ, a Carolo IV. terræ huic ducatus dignitatem eſſe conceſſam, docent, pateſcit. Alia vide apud MASCOVIUM *l. c.* §. XXVII. De Namurci comitatu, ejusque in Imperium germanicum obſequio, agitur apud GRAMMAYE *in antiquitatibus* Namurci ſect. XIII. OLIVARIUS VREDIUS *in geneal. comitum Flandriæ part.* I. *p.* 25. Hanoniam Burgundiæ ducibus & imperio paruiſſe docet HENRICUS D'OUTREMAN *in hiſtoria Valentianarum lib.* I. *c.* 12. MASCOW. *l. c.* §. 29, 30. Sic & Flandria Burgundiæ Ducum facta, ab Imperii obſequio non diſceſſit EUGUERAN DE MONSTRELET *dans ſes chroniques vol.* I. *c.* 161. JOH. BAPTISTA GRAMAYE *in Flandria imperiali.* MASCOW *l. c.* §. XXXII. De Mechlinia & Geldria vid. *la deſcription des pays bas par Guicciardin p.* 170. 171.

(g) *Diviſa*) *p.* III. ad PUFFENDORFII *introd. ad Hiſtor. p.* 259.

(h) *Hiſpaniæ*) quoad maſculinam ſtirpem uſque ad Carolum II.

(i) *Friſia occidentalis*) WINSEMIUS *Hiſtor. Friſiæ lib.* I. *p.* 40.

tatum Flandriæ, terras hactenus fiduciario jure Galliæ adſtrictas, in poſterum libera poteſtate ſibi ſuisque regendas *conceſſerit* (a). Jam quibus modis Carolus V. illas provincias adjecerit, & quomodo Regem Galliæ adegerit, ad illam conditionem ſubeundam, hoc jam narrare non eſt meum.

Interim non poſſum non repetere, Carolo V. Imperatore, omnia ſic ſatis pacata & tranquilla fuiſſe. Nactus autem eſt Carolus II *Philippum ſucceſſorem* (b) natum in Hiſpania, & moribus hiſpanicis imbutum, cum Carolus natus eſſet in Belgio, & moribus & ingenio ad ſuavitatem illarum gentium compoſitus. Simul ac itaque Carolus V. alia, ita & etiam imperium illarum provinciarum filio tradidit: ille quidem Philippus ſuſcepit illud regnum, ſed alio modo, quam pater conſuevit, voluit regere. Interea exorta fuit ſtatim aliqua inſignis ſimultas inter Hiſpanos & Belgas, & revera moribus plane erant diverſiſſimi; metuebant enim Belgæ, ne Rex Hiſpaniæ ſub jugum mitteret provincias belgicas, ideoque ſtatim ab initio imperii Philippi coeperunt gliſcere motus. Quomodo vero tandem omnia ſeſe habuerint, id peti poteſt ex Hiſtoria. Poſtea cum Philippus ſimiliter non tantum cogitaret, de infringenda libertate Procerum provinciarum; verum etiam hoc haberet propoſitum, ut ſacra romana unice obtineret, a quibus multi autem eſſent animo alieniſſimo. Philippus autem vellet promovere *Majorum religionem* (c). Hinc res delata eſt ad arma, & cumprimis cœptum eſt bellum in provinciis, *Ferdinando Albano* (d) pro Rege, illas provincias gubernante. Hinc belli initium quidem fuit levius, at cum Rex Hiſpaniæ nihil de rigore remitteret, & ſibi propoſitum haberet, ſe poſſe illos armis ad obſequium redigere: tamen non multo poſt contrarium expertus eſt; nam primum provinciæ illæ, & quidem inprimis decem, foedere inter ſe inito, non dubitarunt Regem Hiſpaniæ plane abjurare. Hoc foedus dictum fuit *Gandavenſe* (e). Verum enim vero illud non fuit diuturnum, quo multæ provinciæ ſponte redierint ſub obſequium Regis Hiſpaniæ, nonnullæ etiam per vim coactæ ſunt in obſequium redire. Itaque illud foedus non fuit diuturnum: at vero anno ſuperioris ſeculi ſeptuageſimo nono, novum fuit foedus inter provincias inſtitutum: cæterum confirmatum, & ad ſuam perfectionem perductum anno octogeſimo primo. Illud foedus initum fuit Ultrajecti, & hinc appellatur *foedus ultrajectinum*, (f) & hoc eſt illud foedus, quod hodieque durat inter ſeptem provincias foederatas. De illis itaque foederatis provinciis mihi impoſterum erit differendum, & primo quidem de foedere illarum ſeptem provinciarum, & deinde de ſingulis provinciis.

Quandoquidem autem illæ provinciæ fuere ſub ditione Regis Hiſpaniæ, atque adeo in libertatem ſeſe aſſeruerunt bello. Hinc primo quidem neceſſe eſt, accurate noſſe illius foederis rationem, ut omnino ſibi comparet notitiam illius belli, tanta felicitate geſti, inter Regem Hiſpaniæ, & provincias illas foederatas, & ſeptem provincias ſi ſpectes, eſt manipulos, ſi conferatur cum regno Hiſpaniæ; ſed ſe non tantum in libertatem vindicarunt, ſed etiam coegerunt Regem Hiſpaniæ, ut redimeret primo inducias duodecennales, deinde pacem perpetuam. Tale quod non temere quis leget, factum fuiſſe ab aliquot mille annis. Eſt itaque cumprimis operæ pretium legere Hiſtoriam omniom motuum belgicorum. Acceperunt autem motus illi varios ſcriptores, alios magis alios minus eruditos, & quidem in variis linguis. Dicam autem, qui maxime lectu digni *videantur* (g). Quod attinet primos motus uſque ad tempora Ferdinandi Albani, prudenter & inſigni eloquentia perſecutus eſt Nicolaus Burgundus. Obſervandum autem eſt in ejus lectione, Burgundum nimis interdum favere partibus pontificiis, atque ideo iniquorem eſſe in quam multis Principi Wilhelmo Auriaco; interim tamen plura egregria ex eo diſcere licet. Quæ contigerunt Ferdinando Albano imperante, ea ſigillatim perſecutus eſt Johannes Meurſius, idem etiam quæ geſta ſunt Wilhelmo Auriaco vivo inſigni commentario illuſtravit, niſi quod videatur nonnihil iniquior Hiſpanis. Idem illud bellum accepit ſcriptorem Italum, & quidem Jeſuitam Famianum Stradam, hic etiam meretur laudem a prudentia, tametſi in nonnullis non ita latinitatem obſervaverit: adeoque meretur ſcuticam Caſparis Schioppi, cujus liber eſt infamia Famiani. Interim tamen eſt præclarus ſcriptor. Conſcripta autem eſt Hiſtoria belgici belli uſque ad obitum Alexandri parmenſis ducis. Breviter etiam poteſt hiſtoria belgica peti ex Thuano. Notandum autem eſt, Thuanum in Hiſtoria ſolere ſequi Emanuelem de Mettern. Fuit autem illius Hiſto-

(a) *conceſſerit*) *Corps diplomatique tom.* IV. *p.* 402.

(b) *Philippum ſucceſſorem*) GROTIUS *Hiſtor. Belg. p.* 22. ſeqq.

(c) *Majorum religionem*) NICOLAUS BURGUNDUS *in Hiſtor. belgica.* PUFFENDORFII *introductio ad Hiſtoriam. p.* 483. *Hiſtoria belgicorum tumultuum p.* 184. *ſeqq.* WINSEMIUS *lib.* I. *Hiſtor. Friſia p.* 45. *ſeqq.*

(d) *Ferdinando Albano*) GROTII *annales Belgici lib.* I. *p.* 26. MEURSIUS *in vita Guilielmi lib.* IV. MEURSIUS *in Albano p.* 1 *ſeqq. Tumultuum in Belgio origo & progreſſus, p.* 244. WINSEMIUS *lib.* II. *Hiſtor. Friſia p.* 93 *ſeqq.* METERANUS *lib.* III. *p.* 65. *ſeqq. p.* 130.

(e) *Gandavenſe*) GROTIUS *lib.* II. *p.* 68.

(f) *fœdus ultrajectinum*) GROT. *Annal. Belg. lib.* III. *p.* 85. 86 MERULA *de ſtatu confœderatarum provinciarum Belgii p.* 3 *ſeqq. Remarques ſur l'etat de provinces unies par Temple p.* 56 *ſeqq.*

(g) *videantur*] Vide autorum catalogum, quem huic tractationi præmiſi.

hiſtoria conſcripta batavice, verſa deinde in ſermonem germanicum & *gallicum* (a). Accuratiſſime omnium & quidem ita, ut quam maxime fidem ſervaret, motus illos omnes ab initio usque ad pactas duodecennales inducias, quæ factæ ſunt anno hujus ſeculi IX. conſcripſit Hugo Grotius; id tamen obſervandum, in primis libris illum pauliſper videri obſcuriorem, ob affectatum Taciti ſtylum, in reliquis autem ſatis eſt perſpicuus. Habent etiam Batavi hiſtoriam ſuo idiomate ſcriptam a Petro Borrio. Inter illos ſcriptores numerandus etiam eſt Johannes Reidanus, qui præclaras annales lingua batavica edidit, quos convertit in latinum ſermonem Dionyſius Voſſius. Hiſtoriam illarum pactarum induciarum libro peculiari conſcripſit Dominicus Baudius, quem inſcribit de induciis belli belgici. De eodem argumento ſcripſit Johannes Meurſius. Notandum autem, in tabulis induciarum diſerte cautum fuiſſe, regem Hiſpaniæ velle paciſci cum provinciis illis tanquam liberis. Hæc vox TANQUAM varias peperit interpretationes; provinciæ enim interpretatæ ſunt, quaſi Hiſpani cum revera liberis pacti eſſent; ex adverſo autem Hiſpani dicebant, ſe pactum iniiſſe cum illis provinciis, quaſi eſſent liberæ, atque ita revera fucus factus fuit illis provinciis vocabulo TANQUAM.

Recruduit (b) bellum a parte Hiſpanorum Ambroſio Spinola Duce, ut adeo validæ res fœderatæ nonnihil detrimenti acciperent. Cæterum non multo poſt cum etiam ortum eſſet grave bellum inter Gallum & Hiſpanorum regem, eo tandem fuere redactæ res hiſpanicæ, ut, ne totum Belgium periret, pacem petere coacti fuerint ab Hollandis, atque ita provinciæ fœderatæ pacem perpetuam cum Hiſpanis inierunt Monaſterii Weſtphalorum 1648, ringente multum Gallo, qui nolebat pacem initam: ſed ſeptem provinciæ fœderatæ metuerunt, ne Gallus fieret compos illarum provinciarum, atque pro Hiſpano haberent vicinum Gallum, ideoque voluerunt iniquis conditionibus cum Hiſpanis potius paciſci, quam permittere, ut Gallus tot victorias reportaret ab Hiſpanis, nam plus debuiſſent metuere Gallum, quam Hiſpanum. Ita factum fuit, quod Hiſpani medio loco manſerint inter Gallos & Belgas. Qui res illorum temporum omnes, hoc eſt poſt inducias finitas, ſit perſecutus latine & quidem docte neminem novi. Interim tamen bella quædam illorum temporum ſunt conſcripta a nonnullis ſcriptoribus. Ita Grotius conſcripſit hiſtoriam illius belli, quod geſſit ad Grollam Fridericus auroſianenſis anno ſuperioris ſeculi XXVII. At vero exſtat quidam, qui batavico ſermone perſecutus eſt pleraque, ſi non omnia, & quidem accurata tractandi ratione, ut propterea merito ab omnibus illis, qui non tantum res illarum provinciarum, verum etiam volunt cognoſcere aliarum, ſit magni habendus. Talis hiſtoria eſt conſcripta a Leone von *Aizma* (c) qui hodieque ſupereſt, vivitque Hagæ comitum, natione weſtfriſius. Similiter in Hollandia mihi placuit hiſtoria Nicolai a Waſſennaer batavico ſermone conſcripta. Quandoquidem vero armis ſibi pararunt illam libertatem, adeoque in varias ſententias ſolet incurrere illa libertas; nonnulli enim non dubitant affirmare, injuſtam eſſe libertatia vindicationem, alii vero juſtam. Exſtat commentarius ſub nomine Armacani, latet autem ſub illo nomine Cornelius Janſenius. Hic conatus eſt ſingulari libello docere, injuſtam fuiſſe libertatis vindicatinnem, & juſtiſſimum bellum fuiſſe geſtum ab Hiſpanis adverſus Belgas. Similiter in eadem Academia lovanienſi hoc argumentum tractavit Nicolaus Vernulæus. Sed pro juſtitia illius libertatis cum alii multi libelli prodierint, tamen meretur præferri libellus Martini Schockii cui titulus eſt: *de juſtitia belli, quod fœderati Belgæ usque ad perpetuam pacem cum Hiſpanorum*

(a) *Gallicum*) In latiali quoque exſtat ſermone.

(b) *Recruduit*] HUBERUS *in Hiſtor. civil. p.* 2. *c.* 16. *p.* 429. *Nouvelle Hiſtoire de Hollande tom. I. p.* 184 *ſeqq.*

(c) *Aizma*) Judicium minime favens de Aizma: habet WICQVEFORTIUS dans l' ambaſſadeur *Part. I. p.* 172. *L'Hiſtoire ou le recit des affaires d'Etat & de guerre, qui a eté ecrite en Hollande en quatorze ou quinze volumes, contient pluſieurs traitez, reſolutions & autres pieces authentiques; de ſorte qu'elle peut ſervir comme d'inventaire a ceux, qui n'ont point d'acces aux archives de l'Etat: mais ceque l'auteur y a ajouté du ſien, ne vaut pas la gazette, de quelque façon, qu'on le puiſſe prendre. Il n'a point de ſtile, ſon langage eſt tout a fait barbare, & ce n'eſt qu'un chaos, que tout le composé de ſon ouvrage. Cela lui eſt commun, avec la plus part de ceux, qui en ce pays, ſe mêlent d'ecrire l'Hiſtoire ſans ordre & ſans permiſſion, & preſque toujours ſans jugement & ſans verité.* BAYLIUS hunc Friſiæ nobilem & civitatum Hanſeaticarum Hagæ Comitum Reſidentem circa religionis materiam, nulli partium ſtudio fuiſſe addictum, refert. BASNAGIUS *dans la prefaſe des annales des provinces unies p.* 7 pro ipſo verba facit. Ipſe Wiquefortius e gallica libertatus captivitate Belgii molitus eſt Hiſtoriam. Audiamus, quæ de ea Baſnagius l. c. p. 6. habet. *Le Miniſtere de Monſ. de Wit etant chargé de grands evenemens l'honneur de la republique & celui du conſeiller penſionaire demandoient, qu'on les ecrivit; C'eſt pourquoi on ietta le jeux ſur Mr. de Wique fort, Il auroit eté difficile de choiſir un homme plus capable, l'entaſſement de faits, dont il a composé ſon ambaſſadeur, prouve, qu'il en avoit fait un recueil prodigieux. Mais aiant ecrit une partie de ſon hiſtoire ſous les jeux & ſous la protection d'un homme auſſi habile, que l'etoit Mr. de Wit, qui lui fourniſſoit les memoires, dont il avoit beſoin, on doit en avoir une idée plus avantageuſe.* Hagæ Comitum tamen ob litteras ſecretiores, quibus arcana Batavorum conſilia prodiderat, iterum captivitati mandatus, ad perpetuos carceres, omnibus eius bonis & chartis confiſcatis, condemnabatur. Sed e carcere profugiens, an. 1681. ſe ad Ducem Zelenſem recipiebat, ubi hiſtoriam ſuam continuans ſatirice admodum in Principem arauſionenſem invectus eſt. Impreſſio hiſtoriæ Wicquefortii hollandicæ, quæ duo parva volumina in folio comprehendiſſet, a Statibus inhibebatur, ne ſatyræ orbi innoteſcerent. Opus BASNAGII, quod anno 1719. in lucem editum ſub titulo: *Annales des provinces unies depuis les negotiations pour la paix de Munſter, avec la deſcription hiſtorique de leur gouvernement*, multorum laudibus celebratur.

norum Rege geſſerunt. Exſtat ejusdem autoris ſcriptum de pace perpetua Belgarum editus Amſtelodami anno hujus ſeculi I. Itidem illud eſt ſcriptum lectu dignum. Qui hos ſcriptores evoluerit, ille quidem ea, quæ ad bellum ejusque juſtitiam, quo provinciæ fuerunt in libertatem aſſertæ, petere poteſt. Quemadmodum autem in illis provinciis duo præprimis veniunt conſideranda, aut ea quæ attinet ad commune foedus, aut ea, quæ ſingulis provinciis ſunt propria. Habemus autem itidem ſcripta, quæ poſſunt nos juvare ad plenam harum rerum intelligentiam, & quidem quod attinet foedus ipſum, de eo exſtat egregius libellus *anonimi Tit. de ſtatu Provinciarum foederatarum Belgii.* Autor autem quantum intellexi, eſt BOXHORNIUS, & eſt elegans libellus, qui multum juvare poteſt ad ipſum foedus intelligendum. Exſtat porro præclarum ſcriptum Martini Schockii titulo Belgium *foederatum* (a). Eſt autem illud opus in XVII. libros diſtinctum; liber autem primus agit de iis, quæ ſunt quaſi communia maxime, ita tamen ut ea, quæ revera ſunt communia, omnia non attingeret. Exſtat etiam alius libellus a *Johanne de Laet* conſcriptus tit. Belgium foederatum, ſed ex eo nihil peti poteſt, quam quod ad commune foedus attinet.

Obſervandum autem eſt, de nonnullis pertinentibus ad illud foedus graviſſimas controverſias fuiſſe ortas, cumprimis tempore induciarum, quæ tandem eo reciderunt, ut princeps Mauritius gubernator Hollandiæ non dubitaverit, aliquot primorum adminiſtratorum Hollandiæ non tantum in carcerem compingere, ſed etiam graviſſimis afficere poenis, ipſum Syndicum generalem capite *plectere* (b) & illud ſidus urbis roterodamenſis Hugonem Grotium *in carcerem conjicere* (c), alios etiam in exilium mittere. Sic ortæ fuere controverſiæ, quæ fuere revera juris publici illarum provinciarum, non vero juris publici veteris romani. Grotius autem cum evaſiſſet ex carcere libellum apologeticum edidit, qui totus pertinet ad jus publicum foederati Belgii. Nam diſputat quousque jus publicum pertineat nempe ad ſingulas provincias. Hic liber olim erat *probibitæ lectionis* (d): hodie vero in ſummo eſt pretio. Porro enatæ etiam fuere poſtea novæ controverſiæ, ita ut poſt obitum principis Wilhelmi Auriaci ultimi gubernatoris, parum abfuerit quin totum foedus diſſolveretur, nam bona ex parte fuit *diſſolutum* (e). Verum enim vero ſingulari benevolentia fuit in integrum reſtitutum. Exſtat de iſto foedere ſingularis liber Leonis Aezma, qui liber itidem eſt lectu dignus, & imprimis debet legi ab illis qui ſtatum foederati Belgii ſibi quam accuratiſſime cognitum habere volunt. Revera autem illa rerum facies effecit, ut omni ex parte leges antiquæ hodie obſerventur, atque ideo provinciæ ita ſint unitæ, ne facile iterum poſſint rumpi.

An autem ex re ſit, ut foedus fiat arctius, hoc diſputare non eſt meum. Habemus autem non imprudentem diſſertationem de hoc argumento Cardinalis Bentivoglii. Hic Cardinalis egit nuntium papalem & deinde legatum a latere in provinciis belgicis. Scripſit autem lingua italica librum, qui dicitur *relatio* (f). Parum abfuit, quin papalem dignitatem fuerit conſecutus. Hic Cardinalis voluit oſtendere in ſuis relationibus, foedus illud non fore diuturnum neque eſſe æternum. Contra Bentivoglium pro foederis illius diuturnitate anonymus, ſiue Boxhornius in libro, quem ante laudavi, ſcripſit. Hi ſcriptores ſunt præcipui, qui juvare poſſunt ad foederis nexum intelligendum. Quod attinet ſcriptores, qui de ſingulis provinciis egerunt, de eo poſt diſſeram.

Iam agam de foedere in genere, ubi notandum eſt, foedus illud conſtitui ex VII. provinciis, quarum primum locum occupat in *Comitiis Ducatus Geldriæ* (g) cum comitatu Zutphaniæ, non tam propter potentiam, ſed propter ducatus *dignitatem* (h). Alterum locum occupat Hollandia omnium longe

(a) *fœderatum*] Templij & Merulæ libelli ſuis non defraudandi ſunt laudibus: Baſnagius vero, quæ ad ſyſtematis hujus ſtatum ſpectant, ſatis late proponit. Quædam etiam habet HAGEMEIER *epiſtola V. juris publici europæi & autor des voyages Hiſtoriques tom. V. p. 25 ſeqq.*

(b) *plectere*] Sermo hic eſt de Barneveldio, qui Mauritii, ad ſupremam & abſolutam aſpirantis poteſtatem, circulos turbabat. Hiſtoire de Hollande *par* DE LA NEUVILLE *tom. I. ch. II.* De Mauritii indole & rebus geſtis agit CARDINALIS BENTIVOGLIO *libro terzo, c. I. & II.* Autor, qui eſt Joannes de Witt, libri, cujus titulus eſt *Anwyſinge der heylſame polyticke gronden en maximen van de republicke van Holland en Weſtfriesland part. III. c. IV*

(c) *in carcerem conjicere*) Caſtro, quod Louvenſtein dicitur, mancipatus fuit, unde conjugis opera evaſit. DU MAURIER *memoires de Hollande p.* 404.

(d) *probibitæ lectionis*) *vita Grotii p.* 424. BAYLE *dans le dictionaire critique tom. II. p.* 1322.

(e) *diſſoluta*) Ordines enim Hollandiæ & Weſtfriſiæ publico diplomate, in quod omnes jurare cogebantur Magiſtratus, anno 1667. teſtabuntur, ſe nullum in poſterum Gubernatorem (Stathouder) paſſuros eſſe: Selandia autem Wilhelmi filii ſequebatur partes. *Hiſtoire de Guillaume* PAR SAMSON *tom. I. p.* 423. *ſeqq.* Sed hoc edictum, ingruente anno 1672. bello Gallico, & interfectis Wittiis abrogatum eſt. SAMSON. *l. c. p.* 276 *ſeqq.* Guilielmo, ſub III. nomine inter Angliæ Reges noto, vitam ponente, unitum Belgium ſine univerſali Gubernatore fuit. Quænam autem ſors agnatum ejus, principem juventutis, quem Friſones, Groningenſes & Geldri Gubernatorem habent, ſors manſura ſit, tempus docebit.

(f) *relatio*) Titulus libri eſt *relatione delle provincie unite de Fiandra* in quibus multa ad uniti Belgii res, induciis cum Hiſpano initis, & bello, quod recruduit, leguntur.

(g) *Comitiis Ducatus Geldriæ*) Cum hæc ex quatuor conſiſtat partibus, quæque pars ad Ordines conſcriptos nobilem mittit. *Annales de Baſnage ch. VI.* In his, quæ Hagæ Comitum habentur, quælibet provincia tot deputatos ad comitia mittere poteſt, quot vult; omnes tamen non niſi unum habent votum: Præſidium vero quavis ſeptimana ad aliam tranſit provinciam HAGEMEIER *epiſtola* V. J. P. §. II.

(h) *dignitatem*) Alii dicunt primum ipſi datum ſuffra-

longe *potentiſſima* (a), tertium Zelandia, quæ item Comitatus titulo ſplendet, ſed minor quam Hollandia. Quartum *Friſia occidentalis*, (b) quæ hodie Weſt-Frießland appellatur, atque etiam pars Hollandiæ audit. Quintum Provincia ultrajectina. Sextum Transiſulania, ſeu vulgo Ober-Yſel. Septimum Gröninga urbs cum omni vicinia, quæ appellatur Umblanda. Hæ ſeptem provinciæ dicuntur provinciæ ſoederatæ.

Porro præter has VII. nonnullæ aliæ ſunt, penes quas non eſt majeſtas belli gerendi. Interim tamen contribuunt ad ſumtus bellicos, quantum poſſum judicare. Tales ſunt duæ provinciæ. Alia eſt *Drenthia* (c) quæ eſt plane libera ſuique juris, & non eſt obnoxia illis VII, niſi quod teneatur canonem conſerre in ſumtus bellicos. Altera eſt comitatus culenburgicus, qui itidem non accenſetur VII. provinciis. Interim etiam confert canonem. Talis quoque eſt Bredana, quæ non eſt pars VII. foederatarum provinciarum: interim tamen tenetur aliquo canone.

Sunt præterea etiam nonnulla, quæ parent foederi, & omnibus provinciis foederatis. Sunt autem in duplici differentia; quædam enim proprie & proxime parent, atque tenentur legibus foederis, & quidem omnium ſeptem provinciarum, & illarum conditio longe eſt alia atque Drenthiæ, & comitatus culenburgici. Talia quoque ſunt, quæ a Belgis foederatis erepta ſunt ducatui *brabantino* (d) & *comitatui flandrico* (e); Multa ſiquidem ditionis brabanticæ & flandricæ tenentur communibus legibus VII. foederatarum provinciarum. Sunt enim illa armis ſeptem illarum provinciarum parta, interim revera ſatis libere reguntur: ita tamen, ut omnino ſumma poteſtas ſit penes ſeptem ſoederatas provincias. Quoniam autem regimen illarum eſt admodum molle & clemens; hinc illarum ſubjectarum provinciarum conditio & ſatis mollis & temperata. Sunt autem hujus generis ditionis, nempe brabanticæ, ſic ſatis multa. Ita hue pertinet Buſcodunum Hertzogen Buſch. Similiter in Flandria ſunt eximia quædam, quorum conditio eſt eadem, quæ *Brabantinorum* (f). Quod attinet Brabantinos, illi aliquoties ſollicitarunt, in commune foedus recipi, quoniam divites ſunt, atque ita multum conferre poſſunt in publicum uſum: verum nondum obtinuerunt, ſed hactenus habiti fuere ut ſubditi, propterea ſi multi reciperentur in commune foedus, tum facile in ipſo foedere variæ oriri poſſent diſcordiæ. Nolunt itaque foedus ulterius extendere. Hæc prima eſt illorum ratio, quæ foederi ſubjiciuntur. Ad ſecundam cauſam merentur referri omnes illæ provinciæ, quas tenent Socii indici, die Oſtindiſche Compagnie, Qui ſubſont illis ſocietatibus, illi non immediate, ſed mediate VII. illis provinciis foederatis parent; adeoque dominia, quæ dependent ab autoritate, jure & privilegio illarum provinciarum, proxime & immediate ſubſunt ſocietatibus iſtis, & mediate per illas ſocietates ſubſunt VII. provinciis ſoederatis. Tales autem terræ, cumprimis per Indiam orientalem, ſunt plurimæ. Nam *ſocietas* (g) indica tenet plus, quam regias opes, adeoque regium aliquod dominium obtinet. De illa ſocietate infra dicetur. Æque late patet, imo videbatur longe potentior *ſocietas americana* (h), erepta cumprimis Braſilia Portugallis; at vero, poſtquam Portugallis iterum ceſſit, multum decrevit. Quicquid tamen ſit, etiam illa, quæ poſſidentur, ſunt ſub imperio VII. foederatarum provinciarum. Inter hæc, quæ ita ſubſunt, notandum eſt; etiam alia quædam non ad illum quidem ſubeſſe modum, ſed tamen aliquo modo accedere. Scilicet VII. illæ provinciæ foederatæ in nonnullis terris varia habent jura; & quidem alibi acceperunt jura præſidiorum, de reliquo autem nihil. Secundo alibi etiam accepere jus defenſionis, ſeu jus defendendorum finium dit Schutz-Gerechtigkeit. Tertio acceperunt jus controverſiarum nonnullarum componendarum & decidendarum, ſive qui ita lecti ſint ex compromiſſo arbitrio, ſive alia ratione id impetraverint. Hæc jura non ſunt domini: interim tamen revera ſunt haud exigua.

Quod attinet ad jus præſidiorum, habent illud VII. provinciæ fœderatæ in quam multis locis ducatus clivienſis, ex parte etiam in nonnullis Archiepiſcopatus *colonienſis* (i) fremente

gium, quia princeps unionem propoſuit. *Voyages hiſtoriques tom. V. p.* 27.

(a) *potentiſſima*) Et qui fere ad publicos ſumtus tantum confert, quam reliqui omnes. TEMPLE *remarques ſur les provinces unies ch. II. p.* 113.

(b) *Friſia occidentalis*) Sed huic de loco ultrajectina provincia controverſiam movet. BASNAGE *ch. VI. p.* 16.

(c) *drenthia*) *Baſnage ch. XXXIV.*

(d) *Brabantino*] In hoc ducatu habent: *Bergam ad Zomam, Stenobergam, Bredam, Silvam ducis, Gravam, Trajectum ad Moſam, & Ravenſteinium.*

(e) *Comitatui flandrico*) uniti Belgii in Flandria ſunt: Clauſulæ, (Sluis) *Ardenburgum, Iſendicum, Birſletum, agger ſive Cataracta Gandavienſis* (Sas van Gent.) *Axella, Hulſtum.*

(f) *Brabantinorum*) TEMPLE *ch. VII. p.* 134. MERULA c. II §. 19

(g) *ſocietas*) BASNAGE *l. c. ch.* 38.

(h) *ſocietas Americana*) BASNAGE *l. c. ch.* 38.

(i) *Colonienſis*) Nec in clivenſis nec in colonienſis territorii locis uniti Belgæ jure præſidii amplius gaudent: Habent tamen ex *art. IV.* conventionis, quæ *traité de la barrere* dicitur, jus præſidii in nonnullis Belgii hiſpanici, ut vocatur, locis. Conducet ipſius conventionis verba adponere. *Sa majeſté imperiale a accordé aux Etats generaux garniſon particuliere de leurs troupes dans les villes & chateaux de Namur & de Tournai & dans les villes de Menin, Furnes, Warneton, Ypres & le fort Knocque, & s'engagent les Etats generaux, de n'employer pas dans les dites places des troupes, qui bien, qu'a leur ſolde, pourroient étre d'un Prince, ou d'une nation, qui ſoit en guerre, ou ſuſpecte d'etre dans des engagemens, contraires aux interets de ſa Majeſté imperiale & catholique.*

te fruſtra Archi-epiſcopo. Quamvis autem malint Principes aut domioi illorum locorum præſidia mutata, quæ tamen facile non faciunt, cum hoc jus illi partum non temere e manibus emittant; cumprimis in locis opportunis. Sunt enim nonnulla loca bene ſita ad tutelam totius foederis VII. provinciarum, ut *Embda* (a) & Norda, noo qui teneantur illud præſidium alere, cum ne obulum quidem ſolvaut. Quod ad jus defenſionis attinet, illud ſibi in ducatu juliaco, clivenſi & montenſi *tribuunt* (b). Ad hune modum etiam omnino obſtricta eſt VII. provinciis foederatis Oſtfriſia; cum eoim antehac ſerverent ibi diſſidia graviſſima ioter Principem & ſubditos, quæ tandem ſunt compoſita ex compromiſſo a VII. Provinciis. Ex eo tempore acceperunt jus omnium illorum, quæ pacto conventa ſunt, non ſolum interpretandorum, ſed etiam ſtatuendorum & obſervandorum, quod jus illi vocaot *Maintenie van de Acorden.* Inquirendum autem eſt, quale ſcilicet foederis ſit imperium, utrum tale, ut poſſit meritu dici, VII. foederatas provincias conſtituere unam rempublicam. Et ſuot oonoulli in ea ſententia, revera unam eſſe rempublicam, cootra hos diſputat Hugo Grotius in *apologetico* (c), & quantum arbitror recte; ſeptem enim provinciæ illæ ſunt quidem foederatæ, attamen unam rempublicam proprie dictam oon cooſtituunt. Principio autem dicendum eſt, quid ſit una reſpublica. Videlicet una reſpublica eſt illa, quæ habet communia omnia, quæ pertinent ad regimen, ſeu quæ habet commuoe τὸ Κύριον: verum enim vero, ſiquidem accurate perſpicimus ea, quæ revera illis ſunt communia, facile apparet, aliter rem ſe habere. Controverſum eſt hac de re acerrime etiam hoc ſeculo, tempore induciarum, idque occaſione variarum contentionum, exortarum in Hollandia circa religionem. Erant eoim *duæ partes* (d) accerrime ioter ſe contendentes, altera dicta Remonſtrantium, & quidem ita dicta, quia libellum aliquem obtuliſſet, quo ordinibus Hollandiæ cauſam ſuam demonſtrare vellent. Talis libellus ab illis vocari ſolet eine Remonſtrantz. Pars adverſa dicta eſt Contraremonſtrantium a Jacobo Arminio, Theologo quodam leidenſi, qui cum doctrioam de prædeſtinatione, & libero arbitrio propooeret, multa docuit diſſentientia à communi opinione ſcholæ genuenſis. Hic Arminius multos in Hollandia flexit in ſuam partem, ita ut multi ex primoribus amplexi ſint hanc ſententiam, ex adverſo autem nonoulli ſententiam ſcholæ genuenſis *retinuerunt* (e). Ita orta ſuot illa vocabula in Belgio, quemadmodum in Germania vocabulum Proteſtantium. Nam qui ſunt Evangelici in Germania, dicuntur Proteſtantes, propterea, quod in comitiis cootra decretum Spireoſe, quoniam eſſet contra communem religionem, proteſtati fuerint.

Cum ita io Hollandia omnia ferverent diſſidiis, atque ideo Remonſtrantium pars viſa eſt prævalere, Contraremonſtrantes Principem *Mauritium* (f) traxerunt in ſuas partes, quod ut majorem autoritatem haberet, & poſſet efficere, quod vellet circa jus religionis conſtituendæ, in partem ſuam traxit reliquas provincias, & illi conſtituerunt, ut jus cooſtituendæ religionis pertineret ad ſeptem provincias, ſive ad uoiverſum foedus, Hollandis renitentibus, qui dicebant, hoc non cootineri io capitibus foederis. Bene hac de re diſſeruit. *Grotius* (g) Nec eſt hoc jus univerſi foederis, ſed cujuslibet Provinciæ. Similiter tametſi hæc fuere propoſita: tamen revera effectu res caruit; nam hodie quidem nulla provincia dubitat, ſibi multa ſingularia eſſe jura & quidem libera, quæ diſerte capitibus foederis non ſunt inſerta. In foedere ultrajectioo conſtitutum eſt, ut communibus ſumtibus adverſus Hiſpanum, commuoem illum hoſtem pugnaretur, atque adeo hoſtem haberent perpetuum, duoec pax perpetua iniretur. Revera itaque eſt foedus bellicum, & tamen noo fuit ſimpliciter bellicum. Hoc diſputatur adhuc hodie, utrum ſit ſimpliciter foedus bellicum, uſque adeo, ut provinciæ cogantur habere eundem amicum, & euodem inimicum. Et fateor, me hactenus non vidiſſe ullam aliquam legem foederis, qua id fuerit cooſtitutum, & diſerte quidem, foedus bellicum fuit conſtitutum cootra communem hoſtem Hiſpanum, at vero de reliquo non fuit conſtitutum, ut ſimpliciter omnes omnino haberent *communes hoſtes* (h), etiam amicos. Ex re quidem eſſet illarum, ſi hoc obtinerent: ſed hactenus noo ſimpliciter eſt conſtitutum. Quapropter hodie commuoem hoſtem noo amplius habeot, cum Hiſpano enim perpetue pax conſtituta eſt. Quod ſi itaque quidam nolint, non tenentur amplius legibus ultrajectini foederis. Hoc apparuit aliquaodo; nam Hollandia voluit bellum gerere reliquis provinciis invitis, aut auxilia denegantibus. Ita Hollandia, Zelandia & ex parte Weſtfriſia ſubſidium miſerunt Regi Daniæ: at Groninga & Ultrajectum ne obulum quidem. Itaque illud geſtum cootra Sueciam in Dania non communi foedere, ſed tantum *aliquot provinciarum* (i), inter ſeſe foederatarum ope. Igitur certe foedus illud ξυμμαχικὸν ſeu univerſale eſt valde exiguum

(a) *Embda*) METERANUS *lib.* 24. *Oſtfriſiſche Hiſtorien part. II. p.* 1117. Jus præſidii in embdana urbe Hollandis ex conventione hagenſi, inter eos & Friſiæ Comitem anno 1603. inita, competit. Cumque placuerit, ut præſidium illud ad tempus tantum ibi eſſet, Ordines, ut dimitteretur, aliquando ſoliciti fuerunt.

(b) *tribuunt*) Sed hoc jus ab uſu receſſit.

(c) *apologetico*) *c.* 1.

(d) *duæ partes*) Conf. HUBERI *Hiſtoria civilis p.* 373. GROTIUS *lib. XVII. Hiſtor. p.* 790.

(e) *retinuerunt*) inprimis ſacerdotes.

(f) *Mauritium*) NEUVILLE *Hiſtorie de Hollande tom. I. c. X.*

(g) *Grotius*) *In apologetico c.* 2.

(h) *communes hoſtes*) Vid. tamen MERULA *de ſtatu fœderati Belgii c.* 1. *p.* 4.

(i) *aliquot provinciarum*) Vid. AIZMA.

exiguum. Illæ enim (1) non tenentur communibus legibus, ſed ſingulæ provinciæ habent jus ferendarum legum ſibi utilium, modo excipias pauca negotia, quae ad commune foedus pertinent, jus conſtituendi leges de ſacris & profanis, ideoque jus conſtituendi [illegible]tra eſt revera pars ſingularum provinciarum. (2) Jus belli & pacis ſimpliciter non eſt penes commune foedus, ſed licet hodie etiam ſingulis provinciis alere militem, & licet etiam bellum gerere inconſultis reliquis provinciis. Cumprimis hoc jus tenet Hollandia, quæ eſt potentiſſima omnium, & quam maxime in bellis exercita. (3) Jus quoque foederis eſt ex parte commune, ex parte autem non; poſſunt enim ſingulæ provinciæ aliqua foedera inire. Hoc tamen prudenter agunt, cum videant, ſeſe ſatis eſſe non poſſe, & plus eſſe totius ſyſtematis autoritatis. Negotia communia habent cum Rege Galliæ, Portugaliiæ & magnæ Britanniæ. (4) Olim quidem etiam cuſtodia communis adverſus hoſtem communem pertinebat ad commune foedus: hodie autem non niſi ex parte. Similiter (5) jus indicendorum vectigalium, & tributorum exigendorum, ex parte pertinet ad foedus, ex parte autem non (6). Jus conſtituendorum magiſtratuum eſt etiam penes ſingulas provincias; ſingulæ enim reſpublicæ poſſunt ſibi magiſtratus conſtituere. Atque ita facile apparet ex jure magiſtratuum, illas provincias non conſtituere unam rempublicam. (7) Non habent quoque commune judicium; ſed ſingulæ provinciæ ſibi jus dicunt. Ex his itaque clarum eſt, etiam ratione judiciorum, illas provincias nou conſtituere unam rempublicam.

Obſervandum autem, ſocietates humanas eſſe admodum varias; aliæ enim magis aliæ minus ſunt inter ſe unitæ. Atque ita omnis ſocietas, in quantum eſt ſocietas, unum corpus conſtituit. Interim, quoniam ſocietates tam multum differunt, ut adeo multæ ſocietates nonniſi exigua quædam communia habeant. Ratione igitur illorum communium, conſtituunt unum corpus: in quantum autem nuh ſunt unita, non conſtituunt unum, ſed diverſa corpora. Nam quot ſunt ſocii, tot ſunt corpora diverſa. Ita in vita civili variæ ſunt conſociationes hominum; at vero illæ conſociationes hominum non merentur unius reipublicæ cognomen; niſi omnia illa, quæ pertinent ad felicitatem hujus vitæ, habeant communia. Tunc demum conſtituunt perfectam & unam rempublicam; quoniam ſocietas & reſpublica quævis, proprie ita dicta, reſpicit hominum utilitatem: ita civilis, felicitatem civilem. Hinc ergo omnes reſpublicæ, proprie ita dictæ, communia omnia habent, quæcunque ad vitam civilem requiruntur. Quæ ſocietates non ita ſeſe habent, ſed tantum aliter, & quidem interdum partem quandam, talia quædam communia habent. Multa autem, in quantum non habent communia omnia, quæ ad felicitatem pertinent, abſunt à vera ratione illius civitatis. Interim tamen homines interdum ita loqui ſolent, ut quæcunque multa habet publica communia, ſoleat communi nomine reipublicæ appellari. Interim facile apparet, ſiquidem tales imperfectæ ſocietates debent appellari reſpublicæ, tum ſumi in longe alia ſignificatione, quam cum aliqua perfecta ſocietas appellatur reſpublica: adeoque reſpicit communem utilitatem civilem.

Itaque, quod attinet foedus illud VII. provinciarum, tum conſtituit quidem re vera aliqua ex parte commune corpus, ſed non omni ex parte. Potiſſima enim ex parte reipublicæ illæ ſunt liberæ, & ſingulæ ſui juris. In quantum autem conſtituunt unum corpus, tum non aliunde apparet, quam ex legibus foederis. Qui itaque vult accurate noſſe rationem illius foederis, vel ſtatum publicum VII. illarum provinciarum foederatarum, neceſſe eſt, ut accurate inquirat in leges foederis ultrajectini, & in declarationes, quæ poſtea ſunt ſubſecutæ. Quapropter etiam cumprimis debet legi liber ille, qui ſub nomine prodiit *Leo renovatus*. Dixi ſupra, de hoc argumento diſputatum fuiſſe ab Hugone Grotio, & quidem *Cap. I.* libri apologetici; penes quamquam nationem in Belgio ſummum eſſe imperium.

Non habet itaque hoc foedus aliquid, quod etiam ex parte ſimilitudinem aliquam liceat reperire apud antiquos ſcriptores, in foedere achaico, ætolico, & multorum populorum Italiæ, priusquam omnes populos Italiæ Romani ſubegerant. Meretur cumprimis de foedere achaico & ætolico legi Ubbo Emmius de veteribus rebuspublicis Græciæ; & Sigonius de antiquo jure populorum Italiæ. Et vero habemus etiam aliquam ſimilitudinem in Helvetia, de cujus populi foederibus infra. Revera itaque nihil commune habent VII. foederatæ provinciæ, præterquam ea, quæ diſerte continentur legibus foederis ultrajectini. Interim vero facile apparet, quæ ſunt illo foedere definita, illa non amplius in ſingularum provinciarum poteſtate collocata eſſe. De reliquo, provinciæ illæ ſunt liberæ; & quot ſunt provinciæ, tot ſunt *liberæ reſpublicæ:* (a) ſed non omnino, in quantum enim foedere ſe obſtrinxere, non eſt illarum majeſtas penes ſingulas, ſed penes univerſas. Quemadmodum ſolent ſe habere res in democratiis; ſingulæ enim ibi non habent poteſtatem regendi, ſed univerſe ſumti. Vocabulum autem OMNIS dupliciter ſumi ſolet, collective & diſtributive.

Colle-

(a) *liberæ republicæ*] *Remarques ſur l'etat des provinces unies par Temple ch.* II. Sed quæris, ſi inter reſpublicas has controverſiæ exoriuntur, quomodo illæ terminandæ ſint? Reſp. hoc art. IX. & XVI. ultrajectini fœderis definitum eſt, nimirum pacto Gubernatoris generalis aut provinciarum, quæ neutrarum ſunt partium, arbitrio ſunt componendæ. METERANUS *lib. XXXI. p.* 634. 635. 663. AIZMA *editi in* 4. *part. VIII. p.* 209. 214. 218. 219. 351 *ſeqq. Part. IX. p.* 1 *ſeqq. Part. XIV. p.* 318. *plura habet* BANAGE *ch. V.*

Collective in democratia eſt ſumma imperii penes omnes, non autem penes omnes diſtributive ſumtos.

Revera itaque non poteſt ſimpliciter dici, ſi velimus accurate loqui, quod Grotius fatetur *cap. I.* quod ſcilicet ſummum imperium ſit penes quamvis nationem in Belgio; ſed quod ſummum imperium, bona ex parte, ſit penes quamque nationem. At vero, quæ legibua ſunt definita, in earum poteſtate non ſunt, ſed ad univerſas pertinent.

Hic explicandum eſt de illo foedere; utrum illud foedus poſſit videri diuturnum, aut non: & quomodo debeat aut ſoleat gubernari illud foedus, oſtendam. Obſervandum itaque, foedus illud belgico-germanicum habere duos conventus, qui duo conventus res foederis ex poteſtate expediunt. Alius eſt primarius, alius ſecundarius. *Primus conventus* (b) conſtituitur ex delegatis VII. provinciarum, in quo conventu feruntur ſuffragia à ſingulis provinciis æquali autoritate. In illo conventu ſecundum majora fit deciſio. Numerantur enim ſententiæ, atque adeo in hoc conventu, quia jam omnium eſt par autoritas, adeoque ſecundum majorem numerum feruntur ſententiæ omnes. Penes hunc conventum eſt *ſumma poteſtas* (c) eorum, quæ ad foedus pertinent.

Huic *conventui* (d) eſt vulgare nomen Hollandorum, die General Staden; ſive ordines generales foederatarum provinciarum. Similiter etiam illis titulus ſolet tribui præpotentum, der Hochmögenden. Pertinent quoque ad hunc conventum non tantum ea, quæ diſerte foederis legibus continentur; verum etiam ea, quæ communi foederi ſubjacent.

Solet autem hic conventus ita dirigi, ut quovis octiduo novum accipiat *præſidem* (e); & quidem ordine ſingularum provinciarum ita mutatur præſidendi dignitas: idque propter æqualitatem obſervandum. Ideoque *nulli provinciarum* (f) competit ſolum, ſed unicuique. Obſervandum eſt, quod ille conventus non eſſe ſoleat perpetuus, ſed ita, ut interdum quidem conveniant, interdum autem non. Præterea non iidem ſunt delegati; ſed modo hi, modo illi. Eſt vero in ſingularum provinciarum poteſtate, quos ad hunc conventum velint mittere, interdum plures, interdum *pauciores* (g). Interim tamen hi tantum *unum habent* (h) ſuffragium & votum. Fit autem hoc ipſum propterea, quoniam ad hunc conventum pertinent ea, quæ ad *ſummam foederis* (i) attinent; de reliquis vero nihil recurrit deliberandum. Hic conventus inſtituitur in nobiliſſimo vico Hagæ Comitum. Porro obſervandum, ſolitum hactenus, belli gubernatorem ad illum conventum interdum *vocari* (k), ſine tamen jure ſuffragii: auditor quidem ſit, ſed nonniſi ut Conſiliarius, hoc eſt autoritate conſulendi, non autem in modum aliquid decernendi.

Quandoquidem vero ita ſe habet hic conventus, non tamen etiam caret ſuis nævis: (1) quoniam non iidem mittuntur ad eum. Hinc ſæpenumero fit, ut ad conventum illum accedant rerum geſtarum imperiti; & qui illorum, quæ ad foedus publicum pertinent, exiguam habent notitiam. Et non dubito, hoc inter graviſſimos nævos referendum eſſe; nam dum volunt conſulere libertati, male conſulunt ſæpe conſiliis, propter inſcitiam eorum, qui delegantur. (2) Nævus illius conventus hic eſt, quod, dum quovis octiduo mutent præſidem, eo ſæpe etiam mutare ſoleant conſilia. Multum enim intereſt, qualem habeas præſidem, vel conſilii directorem. Ideoque, quando uno octiduo unus director eſt prudens: altero octiduo ſuccedit imprudentior. Ibi negotia optima ſæpe intricantur, & præſertim ſi præſides ſunt venales, uti ſæpe ſunt. Aliter autem ſeſe habuit Romæ, ibi Senatus quidem fuit perpetuus, cujus nutu omnia gerebantur, ſed rerum geſtarum fuit gnarus. Ad hunc modum ſeſe habet primarius Senatus.

Alter conventus eſt ſecundo loco, & quemadmodum primo illi conventui poſ-

(b) *primus conventus*) TEMPLE *l. c. p.* 108.

(c) *ſumma poteſtas*) MERULA *l. c. c. II. §. XI. XII.*

(d) *conventui*) BANAGE *ch. VI. p.* 14 *ſeqq.*

(e) *præſidem*) TEMPLE *l. c. p.* 109. *Il a ſa place dans une chaiſe a bras, au milieu d'une table longue, capable de tenir environ trente perſonnes - Le grefier, qui en eſt comme le Secretaire, eſt aſſis au bas bout. Lorsque un Miniſtre etranger y prend audience, on le place au milieu de la table, vis a vis du Preſident, qui propoſe toutes les matieres &c.*

(f) *nulli provinciarum*) Si Deputati impingunt, non ab Ordinibus generalibus, ſed in quemvis a ſua animadverti poteſt provincia. Id quod anno 1637. publica ſanctione conſtitutum; ſed ei derogabatur anno 1641., quo declarabatur, Sohnium quendam in omnibus ſeptem provinciis poſſe comprehendi, & cuſtodiæ tradi: in quo negotio omnes provinciæ proteſtationem interponebant, ſibi hoc non fore præjudicio: Hollandi tamen anno 1654. conſilium urgebant, quod Deputati delinquentes quidem, ubique cuſtodiæ tradi poſſent, ſed ad provinciam, cui juramento ſe adſtrinxiſſent, remitti debeant.

(g) *pauciores*) *Les provinces different auſſi a l'egard du tems, pour lequel elles envoyent leur Deputés a l'aſſamblée Temple l. c.*

(h) *unum habent*) Totum Deputatorum corpus ex triginta membris conſiſtere ſolet.

(i) *ſummam fœderis*) *Summum Imperium non eſt penes illos ditionum Legatos, qui generales Ordines dicuntur, ſed penes uniuscujusque ditionis Ordines, qui ad opem mutuam arctiſſimo foedere connectuntur: adeo quidem, ut in generalium Ordinum poteſtate ea ſint omnia, quæ ad communem ſpectant defenſionem.* MERULA. *p.* 19. Pacis & belli, monetæ, fœderum, cum exteris res, ut & ſi provinciæ cujusdam privilegia ſint mutanda, non ex votorum pluralitate, ſed unanimi omnium provinciarum conſenſu ſtatuitur. TEMPLE p. 109 ſeqq.

(k) *vocari*) Regulariter enim, ut ajunt, nec Gubernator, Capitaneus, aut belli Dux ibi locum habet. TEMPLE *l. c. p.* 108. MERULA *l. c. c.* II. §. 20.

tui poſſis tribuere particulam aliquam majeſtatis, utpote quia penes illum eſt diſpoſitio eorum, quæ ad foedus attinent; alter tamen non eſt niſi magiſtratus, & non niſi magiſtratus dignitate pollet. Hic alter conventus dici ſolet: **Rath der General Staden** (a): latine: conſilium ordinum generalium confoederatorum. Sunt enim magiſtratus; & etiam habent ſuam poteſtatem dependenter. Hic autem conventus longe ſerius eſt inſtitutus, quam prior, & quidem conſilio optime meriti de republica batavica, Ducis Wilhelmi Auraſionenſis. Penes hunc conventum eſt jus expediendi *negotia minora* (b) quæque fœderis ipſis ſingulatim ſunt injuncta ab Ordinibus generalibus. Et hic conventus eſt perpetuus, idque propterea, quoniam nunquam non minora quædam negotia occurrunt; & inprimis neceſſarius fuit hic conventus, cum bellum ferveret cum Rege Hiſpaniæ: ubi ſemper opus erat officio magiſtratuum. Quemadmodum autem ad conventum primarium ſumma fœderis pertinet, ita ad hunc minora negotia. In hoc autem conventu non omnia eodem modo adminiſtrantur, & ſuffragia feruntur, atque in conventu ſuperiori: ſed primo ſolet hic conventus haberi, & antehac habuit perpetuum præſidem, ſcilicet Imperatorem bellicum, ſummum Ducem generalem, nuncautem talem non amplius habent, ut infra dicam. Secundo etiam illi, qui in hoc collegio verſantur, non ita ſunt mobiles, ſed ſolent hanc dignitatem habere, ſi non perpetuam, ſaltem tamen ad multos annos. Habetur etiam hic conventus Hagæ Comitis, & eſt perpetuus, vel certe magis perpetuus, quam primarius. Legere in hunc conventum etiam, qui jus ibi habent ſedendi, eſt penes ſingulas provincias, & legunt, quos volunt intereſſe illi conventui, ut in ſuperiori. Tertio nec in ſuffragiis ferendis ea ſervatur æqualitas, quæ in primario conventu, ſed ad hunc modum Geldria, Zelandia & Friſia habent jus ſuffragiorum duorum. Hollandia jus ſuffragiorum trium, Ultrajectum, Tranſiſalania & Groninga jus unius tantum ſuffragii. In eodem conventu locus etiam datus fuit alicui Anglo, conſtituto a Regina Angliæ, & quidem eo tempore, quo Angli nonnulla loca in Hollandia & Zelandia, *hypothecario jure*, (c) tenuerunt. Poſtquam autem hoc jus hypothecarium deſiit, ex eo Anglis in hoc conventu nihil amplius fuit juris. Jus etiam ſuffragii in hoc etiam concedi ſolet Imperatori bellico. Hujus autem diverſitatis hæc eſt cauſa, quod circa minora negotia expedienda debeatur Hollandiæ præeminentia, aliqua etiam, ſed non tanta Geldriæ, Zelandiæ & Friſiæ; minimum vero jus ſuffragii Ultrajecti, Tranſiſalaniæ & Groningæ ſit, quod, in ſumtibus bellicis ferendis, inter Hollandiam & reliquas provincias ſit aliqua inæqualitas. Etiam obſervandum eſt, quoniam hodie ſeptem illæ provinciæ fœderatæ non habent amplius communem gubernatorem bellicum, jus præſidendi itidem in hoc conventu eſt mobile, perinde ut in altero, nec ſuffragium gubernatoris bellici amplius eſt in uſu.

Jam porro hoc etiam eſt notandum, nomine Ordinum generalium hodie omnia fœdera, omneſque contractus, qui ad ſeptem fœderatas provincias pertinent, iniri. Similiter illius conventus generalis nomine excipi omnes Legatos. Denique etiam nomine illius conventus generalis omnia alia expediuntur negotia, quæ ad fœdus pertinent. Præterea etiam non ſolum hæc, ſed & alia nonnulla, per inſcitiam externorum ſolent referri ad Ordines generales: cum tamen illi ſint conſcii, hæc minime ad ſe pertinere. Quapropter recepti moris eſt, ut talia defe-

(a) **Rath der Staden**) MERULA *de ſtatu fœderati Belgii provinciarum c. II. §. 30.* Conſtituitur ille ex talibus Legatis, ex quibus ſupremus, niſi quod in hoc perpetuum præſidem agat, & ſententiæ dicendæ jus habeat ſupremus militiæ Imperator. Ad hunc ordinaria & extraordinaria omnia minora negotia, quæ commune fœdus & militiam ſpectant, referuntur. TEMPLE *l. c. p. 112 ſeqq.* Deputatorum numerus hic pacto determinatus eſt, Geldria duos, Hollandia tres, Zelandia duos, Ultrajectum unum, Friſia duos, Tranſiſulana unum, & Groninga unum, mittunt. Ut ſingularia quædam hujus collegii jura innoteſcant, Templii hæc adjungam verba *Le conſeil d'etat, execute les reſolutions des Etats generaux: il leur propoſe & donne avis, touchant les moyens les plus faciles, de faire des levées des troupes & de deniers, comme auſſi la quantité des uns & des autres a proportion de la neceſſité d'etat. &c* BASNAGE *ch. XII.* Vota hic non juxta provinciarum, ſed Deputatorum numerum colliguntur, & quilibet Deputatus, ſeptimanæ ſpacio, præſidis munere gaudet. Locum quoque in hoc conſilio habet Theſaurarius generalis, qui miniſtrorum ſtatus primus eſt, ſed voto deciſivo non gaudet. Præter hæc duo conſilia adhuc rationum, ut vocant Cameram & Admiralitatis habent collegium. TEMPLE *l. c. p. 115.* Rationum Camera receptorum rationes examinat. Quælibet ibi provincia duos habet Deputatos, qui omni triennio mutantur BASNAGE *ch. XIII.* Admiralitatis Conſilium ex quinque conſtat collegiis, quorum unum Roterdami, alterum Amſtælodami, tertium alternative aut Hornæ aut Enckhuſæ, quartum Middelburgi, quintum Harlingæ eſt Quodvis collegium Deputatos ex provincia, in qua eſt, habet. Admiralius, aut ſi ille abeſt, locum Admiralii tenens in quovis horum collegiorum locum habet, eique præſidet. Quum ab Ordinibus generalibus conſtitutum, claſſem mari committere, cura eam inſtruendi, ad Admiralitatis ſpectat conſilium. Quodlibet vero collegium certum navium numerum præſtare debet, in quo tamen Amſtælodamenſe omnia alia ſuperat. Tertia enim pars navium, ex quibus claſſis conſtat, ab ea ſuppeditanda eſt, & reliquorum collegiorum quodlibet ſextam jungit partem. Cujusnam magnitudinis naves ſint aptandæ, ab Ordinibus generalibus jubetur: quodlibet tamen collegium ſuis navibus Officiales præficit, eisque convenienti claſſiariorum numero proſpicit. In his collegiis in delicta in mari commiſſa, animadvertitur, & in fraudes atque negligentiam. quæ circa vectigalia occurrunt, inquiritur.

(b) *negotia minora*) Addam adhuc quædam ex Templio. *Ce ſont*, inquit, *les ſurintendans de la milice, des fortifications & des contributions, que le pays ennemi paye. Ils ont la diſpoſition & l'expedition des paſſeports, des affaires & du revenu de toutes les places conquiſes depuis l'union.*

(c) *hypothecario jure*) GROTIUS *Annal. belgic. lib. V.*

deferant ad ſuos provinciales, ut illi audiant, num placeat, nec ne; & in talibus non niſi conſilio ſolent juvare, autoritatis nihil plane habent. Quinimo hodie illorum Delegatorum autoritas ſic ſatis eſt circumſcripta, ut in magnis negotiis ipſi non audeant aliquid ſtatuere, niſi conſultis prius illis, quorum nomine conventui interſunt; ita ut hodie revera Ordines generales nihil majeſtatis amplius habeant, ſed magiſtratus tantum munere fungantur.

Quandoquidem autem dictum eſt, in ſecundario conventu non ſolere ſuffragia ferri a ſingulis provinciis æquali autoritate. Hinc adeo etiam omnino eſt obſervandum, quare hoc ſit conſtitutum, jure ne, an injuria, bene, an male? Cauſa autem diverſitatis eſt hæc, quoniam hoc fœdus quam maxime initum eſt ratione belli, ut communem hoſtem poſſint arcere, & libertatem tueri. Ad bellum autem non omnes provinciæ idem contribuunt, *ſed diverſa ratione.* (a Hinc adeo etiam factum eſt, ut etiam in hoc conventu ſecundario inæqualitas obſervetur. Solet autem tanta inæqualitas in contribuendo obſervari, ut una provincia Hollandia, ſi contribuendi ſint 100 thaleri, ſolvat 57, & ita plus, quam dimidium omnium impenſarum communis fœderis præſtat. De reliquo autem Zelandia, Geldria & Friſia propemodum æqualem habent proportionem; ita tamen, ut cum illis oneribus, quæ Hollandia ſuſtinet, non poſſit comparatio inſtitui. Minimum dant Groninga, Ultrajectum & Tranſiſalania: & propterea etiam unius tantum ſuffragii jus habent, ut ſupra dictum. Apparet autem etiam hinc ſumma æquitas Hollandiæ provinciæ, quæ, ſicet ultra dimidium onerum ferat; dimidiam tamen partem ſuffragiorum ſibi non arrogat. Facit autem hoc, quoniam minus remotior eſt ab illis finibus, ubi geritur bellum. Quum enim adverſus Hiſpanum bellum gereretur, fiebat hoc non in finibus ſuis, ſed in finibus Geldriæ & Umblandiæ, maxime autem Geldriæ; neque hoc etiam omnino fuit conſideratum. Atque ita Hollandia, etſi poſſit dimidiam ſuffragiorum partem petere, hanc ob cauſam tamen non facit, ſed uno tantum ſuffragio eſt contenta. Obſervandum autem eſt, eam eſſe potentiam unius Hollandiæ præ reliquis provinciis, ut, niſi reliquæ provinciæ uterentur ære Hollandiæ, dudum jam amiſiſſent libertatem, & actum de illis fuiſſet. Unde etiam in conventu Ordinum generalium ſponte ſolet maxime attendi, quid Hollandia, & proxime Zelandia velit: proxima enim, quoad potentiam, Hollandiæ eſt Zelandia. Merito adhuc ſit, quoniam Hollandiæ & Zelandiæ viribus conſtant pene omnia reſiqua. Id autem omnino obſervandum eſt, quod, cum Hollandi viderent, reliquas provincias eſſe ſuis deſideriis iniquiores, quædam ad ſe traxerint, quæ forte communis fœderis legibus non poſſent eſſe conſentanea.

Quandoquidem porro hoc fœdus VII provinciarum quam maxime inſtitutum eſt rei bellicæ cauſa, accepit etiam commune ſigillum, quod eſt LEO TENENS UNO PEDE FASCICULUM VII. SAGITTARUM. Quo indicatur, ſeptem ſagittas uno faſciculo contineri: ſeptem autem ſagittarum nomine ſignantur totidem provinciæ. Habuerunt, ut dictum, olim Gubernatores & imperatores bellicos ex domo auraſionenſi. Wilhelmo, interpoſito tamen Leiceſtrio, in hoc munere ſucceſſit filius Mauritius. Quantas autem res geſſerint, prudentia & fortitudine *Mauritii* (b), ſeptem iſtæ provinciæ, incredibile dictu eſt. Fuit autem maxima ejus auctoritas, tum propter officium ſummum militare, tum propter res geſtas maximas, tum denique quod multarum provinciarum fuerit Gubernator. Ultimus Imperator fuit Wilhelmus, ille vero in gravem incidit *contentionem* (c) cum Hollandiæ quibusdam Ordinibus. Quæ res ſopita quidem: verum cum ille non multo poſt variolis (an den Kinderpocken) exſtingueretur in juventute, & filiolum *tenerum* (d) relinqueret, incredibile dictu eſt, quemadmodum decreverit autoritas naſſovicæ familiæ in illis terris. Hodie enim non habent communem Imperatorem bellicum, tum forte alias ob cauſas, tum quod non urgeat neceſſitas: quum hodie non habeant communem *potentem hoſtem* (e), uti tum erat Hiſpanus. Multa alia referri poſſent de illo regimine per Ordines generales, ſed non eſt operæ pretium.

Quoniam porro VII. illæ provinciæ, quod ad rem monetariam attinet, conſenſerunt in communem monetam in foedere ultrajectino. Hinc hodie etiam ſolent cudi aurea, & alia moneta, nomine foederatarum provinciarum; uti ſunt Ducati, qui circumferuntur. Itidem porro foederati ordines regunt provincias illas ſeu terras, quæ ſubjectæ ſunt foederi; adeoque etiam provinciis illis dant judices & magiſtratus: atque talis poteſtas ipſis competit. Quod bellum foederatorum attinet, ita huc usque obſervatum fuit, ut quoties *Dux communis*

(a) *ſed diverſa ratione*) TEMPLE *p.* 113.

(b) *Mauritii*) GROTIUS *lib.* 2. *annal.* Mauritium excepit frater ejus Fridericus Henricus. Hunc inſecutus Wilhelmus II.

(c) *contentionem*) NEUVILLE *tom. III. p.* 20.

(d) *tenerum*) Poſthumum habuit filium, quem ſeptimo ab ejus morte die mater enixa eſt. Rediit hic deinde ad avitum munus & Anglis quoque ſub Guilielmi tertii nomine præfuit.

(e) *potentem hoſtem*) Cum itaque ann. 1672. eos Gallus graviter bello urgeret, ad Gubernatorem & Capitaneum generalem tandem omnes rediere provinciæ *Remarques ſur l'etat des provinces unies par* TEMPLE *ch. VIII.*

munis (a) caſtra ſecutus eſt, ſemper eum comitati ſint quidam ex Ordinibus delegatis, qui eum conſilio juvarent. Vidi ego, in conſilio buscoducenſi aſſidere Principi auraſionenſi, ita ut facile appareat, illorum etiam conſilio omnia fieri. Penes eosdem Ordines etiam eſt poteſtas, conſtituendi claſſis publicæ præfectos. Habent autem Hollandia & Zeelandia, & reliquæ provinciæ ſuas claſſes, & voluerunt habere jus præfectos conſtituendi, unde orta eſt contentio.

Quod attinet *americanam* (b) & indicam ſocietatem, dictum eſt, quod illæ etiam dependeant à communi foedere, & quidem ita, ut, qui militant ſub illis ſocietatibus, omnes etiam ſint ſacramento obſtricti Ordinibus foederatis VII. provinciarum. Quoniam autem illarum ſocietatum magna eſt potentia, ſemper in eorum conventibus adſunt Delegati quidam Ordinum generalium, ut ita ab illis nihil poſſit agi aut concludi, in fraudem foederatarum provinciarum & Ordinum: quod laudandum; ſic enim proſpiciunt, ne reſpublica ab illis ferat detrimentum. Dicemus poſtea, quomodo hactenus illæ ſocietates cauſam ſuam egerint, & qua in re conſiſtat illorum potentia.

Prius autem nonnihil dicam de illo foedere, quid de eo ſentiendum ſit, futurumne ſit diuturnum, nec ne? & quid de illo ſit ſperandum? Et hæc quæſtio eſt vere politica, & *quaſi divinatoria* (c) poſſit cenſeri. Obſervandum autem eſt, ſi videas verba ſoederis ultrajectini, putare poſſis, foedus illud futurum eſſe perpetuum; revera enim perpetuum initum eſt, & ſi leges illæ obſerventur, non licebit foedus illud rumpere, & erit ita æternum. Verum enim vero de rebus civilibus non omnia ſemper æſtimanda ex legibus, quæ quidem plerumque ſatis bene ſe habent, ſed non ita ſtricte ſemper ſolent obſervari. In hoc peccat vulgus, quod omnia æſtimet ex legibus, nihilque agi putat, quam quod lege conſtitutum ſit. Attamen vel pueri norunt, leges interdum minus ſancte obſervari, atque omnia plerumque longe aliter ſolere agi, quam pacto conventum ſit. Ita neque ex verbis illius foederis aliquid de ejus felicitate judicandum eſt. Verum quod notum eſt ex Ariſtotele, id etiam quotidiana teſtatur experientia, quod omnes ſocietates humanæ ſoleant niti tribus fundamentis, aut honeſtate, aut utilitate, aut jucunditate. Horum uno fundamento ſolet ſubniti omnis amicitia, vel duobus, vel etiam omnibus tribus, & quo pluribus ſubnixa eſt, eo etiam ſolet eſſe diuturnior & firmior. Iucunditate ſocietates, & amicitiæ juveniles quam maxime nituntur. Qui vero adulti ſunt, non ſolent ita jucunditatem & voluptatem ſpectare, ſed magis vel honeſtate vel utilitate nituntur illorum amicitiæ. Honeſtatem quod attinet, ea eſt vinculum ſocietatis, ſed ſaltem inter bonos. Si ergo illæ fœderatæ provinciæ ſemper habuerint bonos viros, fœdus illud erit perpetuum, quoniam id legibus cautum eſt. Honeſtas autem non patitur id, quod ſemel placuit reprobare. Simul ac bonis numerus improborum fortaſſis prævaluerit, non ſibi quis perſuadeat, quod omnes poſſint contineri in officio. Improbi enim non ſolent obſervare honeſtum, neque quod legibus cautum eſt; neque ita fœdus perpetuum, aut diuturnum eſſe poteſt. Omnino tamen videtur, ſaltem primos fœderis autores quam maxime ſpectaſſe honeſtum, cum communem religionem ejusque tutelam, etiam libertatem & ſtudium honeſti habuerint cordi, & hinc illud fœdus honeſtati initio videtur fuiſſe ſubnixum.

Abſit, quod dicamus, omne ſtudium honeſti hodie exulare. Interim tamen non eam eſſe honeſti curam, quæ antehac fuit, nec ita hodie æſtimari veram pietatem ac honeſtatem, uti olim, liquido patet. Multum enim degeneraruntа majorum virtute, & quidem propter res nimium ſecundas, quibus invitati homines, ſolent ad pejora delabi, & patet, ab orbe condito ſimile quid felicitatis cuiquam non obtigiſſe, quod illis provinciis. Videbimus autem, quodnam ſit illud vinculum, quod illas hodie contineat in foedere: illud autem neceſſum eſt, ut ſit collocatum in communi utilitate. Verum obſervandum, utilitatis non eadem eſſe tempora, ſed alia atque alia. Illo tempore, cum primum initum eſt fœdus, efflagitabat ſumma neceſſitas ſummam & animorum & virium conjunctionem adverſus communem hoſtem Hiſpanum; & quidem non poterant eſſe ſalvi, niſi fœdere ſancte ſervato: verum paulatim commune illud periculum evanuit. Adactus enim eſt Hiſpanus primo inducias duodecennales petere, & deinde etiam pacem perpetuam. Ex eo tempore a tam immani hoſte nihil periculi amplius fuit metuendum. Hinc adeo facile apparet, longe majori vinculo tum conjunctas fuiſſe VII provincias, ſibique mutuo obſtrictas, quam nunc res ſeſe habet. Nam certe jam non eſt illa neceſſitas, quæ tum fuit, atque adeo illud vinculum fœderis nunc minus arctum eſt. Interim tamen certum eſt, illas provincias, ne nunc quidem liberas eſſe & ſalvas, neque libertatem tueri poſſe, niſi per fœdus. Hoc autem non omnibus eſt perſuaſum, quemadmodum antea. Hollandia enim putat, ſe ſibi ſufficere; Zeelandia itidem; reliquæ provinciæ non putant ſibi aliquid nocere, vel ad ſe non perinde pertinere, ſi Hollandia aut Zeelandia bellum aliquod gerendum accipiat cum Anglis, vel aliis populis exteris. Cum olim periculum eſſet commune, revera itaque illæ provinciæ non tam ſunt conſtri-

(a) *Dux communis*) BANAGE *ch. XIV. XV.*
(b) *Americanam*) BANAGE. *ch.* 38. 39. TEMPLE *ch.* VI. *p.* 226.
(c) *quaſi divinatoria*) Vid. MERULAM. *c.* IX. ubi contra Bentivoglium diſputat.

conſtrictæ, ut olim; nec dubito, quin facile aliquando accidat, penitus ut rumpatur illud ſœdus: quia ſœdera contineri ſoleot utilitate communi. Quam primum autem ceſſat communis utilitas, etiam ſanctiſſima ſœdera non ſolent eſſe ſtabilia. Hactenus quidem, quàmdiu metus communis eos continuit, optima illorum fuit conditio: poſtquam vero ille ceſſavit, & pax facta eſt, hodie aliter res ſe habet; quia utilitas illa repellendi talem hoſtem oon amplius ſpectatur; ergo nullum tum arctum vinculum ſummi ſœderis ſupereſt.

Dixerit tamen quis merito, quod etiam alias libertas & ſtatus ille, qui eſt, hodie non poſſit ſervari ſine mutuo auxilio. Verum enim vero obſervandum, id quidem verum eſſe de nonnullis provinciis, non vero de omoibus, ſcilicet proviociæ viribus inter ſe ſunt admodum inæquales; nonnullæ enim ſunt tenui re, aliæ vero valent ampliſſima poteotia. Quod attinet ad provinciam Groningam, Tranſiſulaniam, ipſam etiam Geldriam & Ultrajectium, non poſſuot forte ſibi diuturnitatem, aut felicitatem perſuadere, niſi vivaot in ſœdere; ſunt enim, ſi ſingulas ſpectes, admodum exiguarum virium. Incolæ enim a *fortitudine bellica* (a) longe abſunt, & vitiis immerſi; ubi autem ſuot vitiis immerſi, neque bellica virtute prædıti, non poſſunt libertatem ſuam tueri adverſus hoſtem externum. 2) Etiam hoc accedit, quod non poſſint uti milite mercenario, quia non ſunt in re adeo lauta, ut militem poſſiot alere. Longe vero alia eſt ratio Hollandiæ, quæ ad tantam potentiam pervenit, ut facile poſſit res ſuas tueri adverſus vim externam, qualiſcunque etiam illa ſit, & quidem *ſine auxilio* (b) reliquarum provinciarum. Poſteaquam ſcilicet Hollandiæ pax eſt cum Hiſpano, & Hiſpani vires ſunt attritæ, oon eſt quod Hollandia quemquam Regem, aut principem externum metuat. Itaque Hollandiæ non tanta eſt neceſſitas, ut ſit in ſœdere, quanta reliquarum provinciarum.

Quandocunque autem res ſpectatur, ut ſe habet, foedera ſolent eſſe admodum *lubrica* (c): ſimul ac enim nulla communis neceſſitas ea continet, & foederatos conſtringit, tum foedera facile dilabuntur. Porro etiam (3) notaodum, quod foedera inæqualia minus ſoleant eſſe diuturna. Sunt autem illa inæqualia, ubi illa, quæ ad foedus faciunt, inæqualiter conferuntur. Iam autem admodum inæqualis eſt illorum ratio, quæ a 7. provinciis conferuntur, cum ad 100. thaleros ſoli Hollandi 57. conferant, uti ſupra dictum. Hæc inæqualitas eſt mater diſcordiæ, qui eoim plus conferunt, plus ſibi arrogant, & rebus ſuis plus ſtudent, quam reliqui, & dum, ſi emergant, reliqui opprimuotur, qui ſuper his tædio capiuntur, & tandem plaoe reſiliunt. Nec multum ſæpe abfuit, quin totum hoc ſoedus rumperetur, quod etiam luculenter apparuit intra hoſce XII. annos, & quidem bis terve totum ſoedus fuiſſet diſſolutum, ceſſante metu hiſpanico. Ita factum eſt anno hujus ſeculi L. cum Hollandi bunam partem militiæ propria autoritate velleot exauctorare, quæ tamen erat communis, & juramento obſtricta etiam reliquis provinciis. Querebantur enim, multum abſumere milites, & ſe onera ferre. Et cum in hoc conſeotire nollent reliquæ, propria autoritate hoc facere voluere Hollandi, & fruſtra conqueſtæ ſunt reliquæ, & nolentes voleotes coactæ ſunt conſentire. Hoc autem, cum injuria conjunctum eſt reliquarum, quæ tum etiam ſæpeoumero deliberant de rumpendo ſoedere. Et ſane, ſi res Germaniæ bene eſſent conſtitutæ, non multum abeſſet, quin redigerentur illæ provinciæ rurſus in unum corpus Germaniæ, & videtur jam tum olim fuiſſe diſertatum. Exſtat epiſtola docta & plena prudentiæ Grotii in ejus opere poſthumo, quod edidit Gruterus, qua provinciis vult perſuadere, ut redeant io commune corpus Germaniæ.

Iterum parum abfuit, quin totum diſſolveretur foedus, anoo hujus ſeculi LIV. quum Hollandi, inconſultis reliquis provinciis, pepegiſſent cum protectore Angliæ, Cromwellio, de principe auraſionenſi perpetuo excludendo a munere gubernatoris bellici in VII. provinciis confoederatis. Hæc res multum turbæ movit, ſed compoſita eſt, invitis reliquis proviociis, quæ tandem conſentire coactæ ſuot, vel ad minimum non diſſentire. Ita aliquoties paſſim orta ſunt diſſidia, quæ indicant, quam periculoſus ſit foederis ſtatus, & quam facile poſſit mutari.

Antehac etiam haud parum periculi foederi potuit imminere ex eo, quod perpetuum habuerint Imperatorem bellicum, eumque ſimul gubernatorem multarum provinciarum. Gubernatoris autem magna eſt autoritas, & gubernator, in quantum gubernator, multum valet in provincia, cujus eſt gubernator. At Princeps auraſionenſis fuit multarum provinciarum gubernator; ut *Mauritius* (d) fuit Gubernator Hollandiæ, Zeelandiæ, Ultrajecti, Gröningæ, & Umlandiæ, Tranſiſulaniæ & Geldriæ, ita ut una tantum ſupereſſet *Weſtfriſia* (e). Frater ejus Henricus Fridericus ad eandem potentiam pervenit, cujus filius Wilhelmus fuit V. provinciarum Gubernator, & ita familiæ auraſionenſis maxima fuit autoritas.

(a) *fortitudine bellica*) Geldri ob virtutem bellicam admodum celebrantur.

(b) *ſine auxilio*) Neſcio, an Hollandia Galli, aut alterius cujusdam potentis inimici viribus par eſſe queat. vid. tamen *grondeu en maxymen van de republyke van Holland part. II. c. XIV.*

(c) *lubrica*) vid. *Hiſtoire de la ligue de* CAMBRAY.

(d) *Mauritius*) *Voyages hiſtoriques de l' Europe tom. III. ch. IV.*

(e) *Weſtfriſia*) Quæ ſuum ex naſſovica gente habuit Gubernatorem.

ritas. Quomodo autem hæc autoritas prudentia poſſit conſervari, dicam inpoſterum. Eundem autem gubernatorem habuerunt Imperatorem terra marique; & hoc maximo periculo fuit conjunctum mutandæ reipublicæ, ut parum abfuerint à monarchia. Cumprimis autem maxima fuit autoritas Henrici Friderici. Facile autem ipſi eſt, qui eſt gubernator, & ſimul Imperator bellicus, mutare rempublicam; quod etiam maxime oſtenderunt duo indicia in Hollandia, quorum unum fuit anno hujus ſeculi L. nec enim dubitavit ille, ope militum Amſtelodamum, opulentiſſimam & potentiſſimam urbem, in ſuam ſententiam, etiam invitam, flectere, & nonnullos quoque ex primoribus Hollandiæ in vincula conjicere. Et, ſi Deus ipſi prorogaſſet vitam, potuiſſet compos fieri omnium illarum provinciarum, & monarchiam in illis conſtituere. Ita res ipſa jam tum docuit, quam eſſet periculoſum illis VII. provinciis, ſi habeant unum Imperatorem bellicum. Rationes politicæ in promtu ſunt; qui enim in manibus habet militiam, ille pene eſt dominus reipublicæ, quemadmodum ipſa ratio nos docet præter artem; qui enim habet militiam, ille habet vires reipublicæ. At Imperator bellicus habet militiam ad nutum ſuum; illa enim quam maxime dependet à ſuo Imperatore, licet & ſacramento adſtricta ſit Ordinibus, & ab illis accipiat ſtipendia; jam vero tanta reverentia ſacramenti non eſt adverſus Ordines, quanta eſt erga ſuum Imperatorem. Docuit id ipſum longus rerum uſus. Quæcunque enim reſpublicæ, ſive græcæ, ſive aliæ, habuerunt Imperatorem bellicum perpetuum, illæ omnes perdidere libertatem ſuam. Occuparunt enim illi tandem rempublicam, omnemque potentiam ad ſe traxerunt, & monarchiam ita conſtituerunt. Apparet itaque, in quanto periculo hactenus illæ vixerint provinciæ perdendi ſui ſtatus.

Verum enim vero non diſputabo jam, utrum conducat illis, aliquo modo limitatam habere libertatem. Profecto libertas non ſemper conducit: multæ ſcilicet regiones, multæ gentes ita ſunt conſtitutæ, ut nec plenam libertatem, nec plenam ſervitutem ferre poſſint: & intereſt multarum gentium, ut non habeant nimiam libertatem. Et ego valde dubito, eum ſtatum in Hollandia, qui jam eſt, fore diuturnum, quia habent *nimiam libertatem* (a). Splendidum quidem eſt libertatis nomen, & dulcis ejus amor, atqui non omnibus convenit, quibusdam enim commodum eſt, ut remittant aliquid de ſua libertate, quia nimia libertas magis noxia eſt, quam prodeſt. Facile enim in vitia labuntur, qui nimia pollent libertate. Ad hunc eundem modum habent ſe imperia multorum populorum.

Verum hodie periculum ab Imperatore bellico in Hollandia non amplius urget, quoniam cum obitu Willhelmi etiam deſiit imperatoria poteſtas. Et hodie non amplius habent Imperatorem aliquem communem, nec etiam ſingulæ provinciæ habent ſuum gubernatorem, excepta Friſia & *Gröninga* (b). Itaque annis pene 12. nullum habuerunt Imperatorem communem. Quemadmodum vero illarum provinciarum fuit peculiaris gubernator, quum Hollandi non dubitaverint, foedere inito cum protectore Angliæ, in perpetuum a munere illo gubernandi & imperandi excludere principes auraſiacos, ex hoc pacto cum Cromwellio facto. Credo autem, hoc pactum rurſum fuiſſe ſublatum, quia Rex Britanniæ urget, ut iterum aſſumant principem, pupillum Wilhelmi; ſed ſurdis hactenus *canit* (c) Rex Britanniæ, quia hactenus non factum eſt.

Non autem tantum periculum illis imminet (1) ſiquidem non habent eundem & Imperatorem & gubernatorem, ſed dividunt illud munus, ut alii quidem imperandi, alii gubernandi dent poteſtatem (2). Minus etiam periculi imminet, ſi Imperatorem conſtituunt ad certum tempus, ſive ad aliquot tantum annos; & hoc certe non eſt adeo *periculoſum* (d), quam ſi unum habeant perpetuum Imperatorem. Id enim olim etiam nocuit reipublicæ romanæ, cum Romani Julio Cæſari imperium prorogarent: eo enim factum eſt, ut ille, ſubjugata tota Gallia, & aliis provinciis, monarchiam romanam inſtituerit.

Anno hujus ſeculi LIV. cum Hollandi male audirent apud reliquas provincias, quod tale pactum iniiſſent cum Cromwellio, tum ediderunt illi librum, quo cauſam ſuam probare voluerunt, ſane lectu dignum, qui vocatur: deduction offte declaration van den Staden van Holland. Credo ejus autorem eſſe de Witte. In hoc libro continetur jus publicum Hollandiæ, & eſt ſcriptum plenum prudentiæ: cum primis autem meretur legi partis ſecundæ cap. 1. ubi præclare oſtendunt, quodnam periculum immineat provinciis, ſi habeant communem Imperatorem bellicum; & non dubito illis rationibus, quas ibi afferunt, ita motos eſſe animos, ut non amplius geſtiant, habere Imperatorem bellicum. Hæc ſufficiant de foederis diuturnitate & ejus periculo. Monitum jam tum, exſtare diſſertatiunem Bentivoglii, in

(a) *nimiam libertatem*) Oris gaudent libertate; cætera ſtricte ſatis imperantur. Interim negari nequit, libertatis ſimulacrum paſſim oſtentari. Plerique hominum externa gaudent ſpecie, ipſius rei incurioſi, aut quod non poſſint, aut non debeant, eo animum advertere.

(b) *Groninga*] Geldros ſub eodem eſſe Gubernatore, ſupra monui.

(c) *canit*) Ad avitas tamen dignitates Wilhelmi filium patri cognominem, ingruente gallico bello, perveniſſe, ſupra monui.

(d) *periculoſum*) Habent tamen & temporaria munera ſua incommoda. Præſtat, ut ſint perpetua, ita tamen, ut conſtitutioni magiſtratus clauſula adjiciatur commiſſoria, fore, ut illico imperio, quod habet, ſi eo contra pacti leges abutatur, excidat.

in qua diſputat, foedus illud non fore diuturnum, quod & rationibus facit. Rationes autem omnes illius non approbo; pleræque autem, meo judicio, ſunt ſatis firmæ. Diſputat cum illo M. ZUERIUS BOXHORNIUS *cap. 9. de ſtatu foederatarum provinciarum.* ſed illius rationes ſunt valde frigidæ & ineptæ, nec probant id, quod debent. Cæterum, ut nune omnia adducam, non eſt neceſſe.

Porro vero obſervandum eſt, foederatas provincias pro munimento, & quidem inſigni, uſas eſſe ſucietatibus mercatoriis, duabus inprimis; altera indica, altera americana. Illa dicitur oſt-Indica, altera dicitur weſt-Indica. Quemadmodum autem pro munimento fuerint, dicam breviter. Fuerunt autem ita, quod ſocietas indica bonam partem fregit vires Regis Hiſpaniæ in India orientali. Deinde, & ſocietas americana fregit haud parum vires Regis Hiſpaniæ in India occidentali, ſive in America: idque duplici modo (1) Erepta Regi Hiſpaniæ univerſa Braſilia, quæ profecto ingens bonum antea attulerat Regi Hiſpaniæ; (2) intercepta ditiſſima claſſe & gaza hiſpanica; & (3) per piraticam perpetuam turbatis rebus omnibus Hiſpaniæ Regis, Hiſpaniæ ærarium quam maxime hactenus ſubnixum fuit proventibus americanis & indicis. Jam vero utraque ſocietas fregit Regis Hiſpaniæ vires, quoniam utraque ſubduxit Regis ærario pæne omne alimentum, & quidem cumprimis nocuit, turbatis proventibus americanis. Antea bis quotannis, & quidem ſtatis temporibus, incredibilem ex America ſolitus erat accipere gazam Rex Hiſpaniæ, quam militiæ paſſim impendit; adeoque Hiſpanus vim quaſi ſuam in illis provinciis collocare potuit. Simulac vero crevere vires americanæ, & primum intercepta fuit ditiſſima claſſis anno hujus ſeculi XXIX. & in Belgium allata, etiam turbatæ ſunt omnes res, quia non potuit ſcire poſtea Hiſpanus, utrum ventura eſſet claſſis, an non; ibi omnia ſunt turbata. Nam neque militibus ſtipendia certo tempore dari potuerunt, qui deinde tumultuati ſunt, nec miles potuit conduci; & novis oneribus vexati ſunt ſubditi, qui deinde arma ſumſerunt adverſus Regem, & ita rebellarunt, & ſic omnia Regis Hiſpaniæ ſunt turbata. Apparet itaque, quantum munimentum foederatis provinciis ſunt illæ duae ſocietates. Quoniam autem hæ duæ ſocietates ſint exploratæ oportet, de illis nonnihil eſt dicendum.

Principio autem obſervandum eſt, (1) prius inſtitutam fuiſſe ſocietatem indicam, hujus autem hæc fuit origo. Quum anno LXXXI, ſeculo ſuperiori provinciæ nonnullæ belgicæ Hiſpani omne regimen ejuraſſent, factum eſt illud odium, quod erat inter Hiſpanum & ſtatus, magis magisque implacabile. Hiſpania autem credidit, ſe illos non poſſe magis offendere, quam ſi prohiberet commercia, ex quibus quam maxime omnem vim petendam eſſe putabat: & ſi illa prohiberentur, poſſe paulatim omnes vires illis ſubtrahi, cum omnes illarum provinciarum opes ſtarent commerciis. Hinc adeo vetuit Hiſpanus omne commercium mutuum inter Batavos, & ſuos ſubditos; id quod (1) erat magno cum damno conjunctum, quia notiſſimum erat, commercium, quod hactenus cum Hiſpanis illæ provinciæ coluerant, ut etiam hodie, ita & tunc eſſe maximum & ditiſſimum. Hac vero ratione fiebat, ut cumprimis aromatibus omnibus carerent foederatæ provinciæ, quorum commercium ad ſolos Hiſpanos jam erat devolutum; adeoque omnia aromata petebantur ex Luſitania. Luſitani enim omne commercium aromatum ad ſe traxerant. Dolebat hoc primo foederatos vehementer, non enim carere poterant aromatibus. Ergo quum excluſos jam ſe viderent ab hoc ditiſſimo commercio, excogitarunt tandem mercatores Batavi, quod ipſi in Indiam navigare, & inde, inſalutatis Luſitanis, petere poſſent aromata. Cogebat etiam illos neceſſitas, quod Hiſpani pretium aromatum in immenſum jam auxerant. Facta itaque fuit claſſis, nullis tamen auſpiciis publicis, ſed privatorum quorundam mercatorum conſociatione, anno ſuperioris ſeculi LXXXIV. IV. aut V. navibus inſtructa. Quæ expeditio minus feliciter ceſſit: at vero mercatoribus animus non fuit ſubductus; ſed ſequenti mox anno, ab aliis novæ naves exſtructæ ſunt; atque tum, modo ab his, modo ab aliis mercatoribus navigationes in Indiam ſunt inſtitutæ feliciſſimo lucro, & ſummo quæſtu. Ita, ut ſi quis quinque, vel VI. florenos impendiſſet, lucrum ei acceſſerit ultra 100. florenorum. Hoc ingens lucrum quam plurimos incitavit: verum hactenus nondum erat inſtituta, ſed tantum ſinguli & privati tantum inſtruxerant naves, prout creditum fuit, rebus ſuis conducere. Obſervantes autem hoc prudentes gubernatores, quantum in ea re ſitum eſſet, laborarunt tandem de omnibus mercatoribus, in unam quaſi ſocietatem componendis. Cumprimis hic emicuit prudentia Barneveldii, qui tum temporis fuit Syndicus & conſiliarius Weſtfriſiæ & Hollandiæ. Ille effecit, ut inſtituta ſit aliqua ſocietas mercatorum, in Indiam navigantium, & hoc factum fuit anno 1662. Ita autem corpore ingenti compoſito, formido inceſſit Hiſpanum; vires enim unitæ multum valent. Erant autem tum temporis florenorum pæne 7. milliones in capitali ſumma.

Cum autem nemo non videret ingentem vim hujus ſocietatis & uſum, quotquot fuere mercatores, aut homines divites, & per Germaniam huic ſocietati nomen dederunt, ut ſumma capitalis intra VI. annos creverit ad 1300000. florenorum. Par profecto debellandæ univerſæ Indiæ. Itaque exordium hujus ſocietatis indicæ merito adſcribimus anno hujus ſeculi dicto. Ex eo autem tempore illa ſocietas non modo commercia ibi inſtituit, verum

rum eripuit quoque Luſitanis multas urbes, regiones etiam integras, gentes, ut hodie ibi ſit potentiſſima, & parum ſuperſit, quod pareat Luſitanis. Omne autem illud, quod occuparunt in India, ceſſit ſocietati mercatoriæ. Quantum hoc nocuerit Regi Hiſpaniæ facile apparet: patet enim, vires Hiſpanorum his proventibus bona ex parte, imo maxime ſtetiſſe; & ex illo tempore etiam ingens damnum ſenſerit ærarium hiſpanicum.

Quamquam ita paulatim redegerint ſub poteſtatem ſuam varias terras ac Inſulas; atque adeo plus quam regias opes occupaverint, in India inſtituta fuit aliqua reſpublica. Impoſſibile enim eſt, aliquod corpus poſſe conſiſtere ſine republica. Ita ante XXX. annos præter propter, occupato loco aliquo inſigni, & perquam commodo, in inſula Java condiderunt oppidum, quod vocarunt novam Bataviam. Hæc eſt metropolis omnium, quæ poſſident Batavi in India. Reſidet ibi gubernator, qui eſt ibi conſtitutus cum ſumma *poteſtate* (a) (1) ad vitam, nunc vero, nonnili ad triennium, ad modum Hiſpanorum. Neceſſe autem eſt, ut quotannis aliquod concilium cogant ex illis, qui regunt reliquas arces & oppida, quæ ibi tenent; habent immenſas claſſes. Sic accepimus non ita pridem occupatam, a Luſitanis hactenus poſſeſſam urbem, Columbo dictam in inſula *Ceilon* (b). Illius inſulæ habent monopolium omnis piperis & nucum myriſticarum, cariophyllorum, & Cinnamomi, quod naſcitur in inſula Ceilon: & ſunt ibi ditiſſima commercia indicana. Occupata itaque hac inſula, occupavere etiam omne mooopolium horum aromatum.

Pacta autem tum ſunt induciæ duodecennales, anno hujus ſeculi IX. Itaque, cum Hiſpania videret, noxiam ſibi eſſe hanc ſocietatem, nihil non egit, ut eam diſſolveret. Cæterum foederati non paſſi ſunt, hactenus illa commercia ſibi eripi. Hinc ab Hugone Grotio, tum adhuc adoleſcente, ſed ſupra modum juventutis admirando, conſcriptus eſt liber hoc titulo: MARE LIBERUM. Ut oſtendit jus, quod competit Batavis in India, eſt ſane perelegans, & cujus eruditionem in juvene nemo poteſt ſatis mirari. Ita tamen pactæ ſunt induciæ duodecennales, ut illæ eſſent inter Hiſpanum, & foederatas gentes, limite conſtituta linea æquinoctiali, ultra quam liceret bellum gerere. Et ita pactum eſt, tum utriuſque gentis conſenſione, & hoc ideo, quod Hiſpanus crederet, poſſe illam ſocietatem XII. annis iterum pelli ex India, foederati autem putarent, manente ibi bello, poſſe facilius frangi vires luſitanicas. Itaque in India ſemper fuit belligeratum, feliciſſimo ſemper ſucceſſu, à parte foederatorum.

Cum primis hiſce aliquot temporibus ita felix fuit hæc ſocietas, ut Luſitania etiam coacta fuerit Hiſpanum adjuvare. Et ex illo quidem tempore res Hiſpanorum valde decreverunt, & foederatorum vires factæ ſunt longe majores; inprimis vero hujus ſocietatis. Unum vero illos male habet, quod de commerciis in illis locis inſtituendis, etiam Angli ſint ſoliciti, & conquerebantur utrique Angli & foederati de injuriis ſibi factis. Hinc inter illos etiam hodie manet odium. Angli conqueruntur injuriam ſibi eſſe factam in inſula Amboina. Hollandi hoc negant, & quæſtio manet hodieque. Priusquam induciæ fuerunt factæ, non defuerunt, qui traderent, alio modo & ſocietatem aliquam inſtitueodam, ad debellandum Hiſpanum in India occidentali; ſcilicet in America. Et acriter hoc tum fuit geſtum, quum tamen a prudentioribus quibusdam diſſuaderetur.

Simulac ioduciæ fuerunt finitæ, denuo hoc acriter fuit agitatum, & inſtituta nova ſocietas Weſt-indica ſeu americana. Hæc inſtituta eſt in easdem leges, & eodem modo, quo ſocietas indicana. Verum enim vero longe gravius opus huic ſocietati fuit obeundum, & hoc ideo, quia America non adeo valet fructibus, & commerciis floret, quemadmodum India orientalis. Debuerunt itaque eripere loca aliqua Regi Hiſpaniæ, eique bellum indicere: bellum autem requirit ingentes opes, multasque impenſas. Initio quidem feliciter ceſſit, ut anno hujus ſeculi XXIX. interceperint claſſem, & deinde pæne univerſam, Braſiliam occuparent, verum hæc felicitas minus fuit diuturna. Braſiliam enim recuperarunt Luſitani, neque claſſis amplius potuit intercipi, ut ita hæc ſocietas, non longe poſt initia ſua, animam egerit. Superſunt hodie ejus reliquiæ ſed perexiguæ, dum autem duravit, nocuit multum Hiſpano, turbatis omnibus ejus proventibus americanis.

Primus hujus ſocietatis conſultor, & qui maxime urſerit, fuit brabantinus aliquis, qui uſque adeo hoc unum egit, ut prope omnes opes tum in conſilia nocendi Hiſpanis impenderit & prodegerit. Hic deinde, inſtituta jam ſocietate, ſui conſilii petiit aliquod ſolatium, vel mercedem impenſarum opum, ſed nihil potuit impetrare: eoque factum eſt, ut tranſierit ad Regem Sueciæ, ingenti plane ſpe novæ alicujus ſocietatis, fuit enim vir earum rerum valde prudens. Hujus prodiit ſcriptum, Argonautica Sueciæ, plenus profecto prudentiæ mercatoriæ liber, quem propterea commendo, quia commerciis ſubſiſtunt reſpublicæ. Ille autem in hoc ſcripto vatem egit, & dudum prædixit interitum novæ illius ſocietatis. Oſtendit etiam errores in illa nova ſocietate inſtituenda commiſſos.

Ad

(a) *poteſtate*) Vid. Tavernieri itinerarium. Et *Jacob Saars 15. jährige Oſtindiſche Krieges-Dienſte p. 16 ſeqq.*

(b) *Ceilon*) SAAR *l. c.* p. 55 ſeqq.

Ad hunc modum habent ſe duæ illæ ſocietates. Quoniam autem, præcipua illorum *membra* (a) vivunt in Hollandia, datum hoc eſt Hollandiæ, ut ea habeat tria harum ſocietatum collegia; unum Amſtelodami, alterum Roterodami, & 3) Enckbuſæ. Zelandia non babet niſi unum Middelburgi; Quin itaque illis ſocietatibus magnum momentum additum ſit provinciis ſœderatis, nullum eſt dubium.

Poteſt tamen quæri, utrum expediat ſœderatis, ut in poteſtate privatorum tam amplæ ſint divitiæ, & plus quam regia potentia? dicam breviter quod ſentio (1). Puto eſſe hoc extra omne periculom, idque propterea, quod illi, ad quos pertinent illæ opes, habitant ſparſim in provinciis, atque adeo ſunt homines nullius, ſi ſingulos ſpectes, potentiæ. Si una urbe omnes habitarent, poſſet illa potentia eſſe formidabilis: verum, cum non habitent, niſi paſſim & ſparſim, partim per ſœderatas provincias, partim per Germaniam, partim etiam per Angliam, nibil plane nocere poſſunt. (2) Etiam non eſt formidandum, ut conſpirent illi homines, quoniam de potentia non ſunt ſolliciti, ſed lucro tantum ſunt intenti; potentiæ, non niſi valde per accidens, ſcilicet quia vident, lucrum augeri poſſe per potentiam. Mercatoris enim ſummum bonum conſiſtit in divitiis. Non poſſunt itaque conſpirare, 1) quia non ſtudent potentiæ, 2) quia habitant ſparſim, 3) quia illorum nimis ingens eſt numerus, ut non facile poſſit inter ipſos conveniri, 4) coguntur merces ſuas vendere in Hollandia & alibi; atque adeo coguntur proceres ſeu magiſtratus ſibi conciliare, 5) & coguntur claſſem inſtruere, & hoc neceſſe eſt, ut fiar, cum bona venia ſuperiorum; nam ſine illorum conſenſu, neque merces vendere, neque claſſem inſtruere poſſunt. Nam, ne agellum quidem proprium poſſident in Hollandia, ubi claſſem poſſint inſtruere, ſed omnia debent facere conſenſu procerum. Periculum itaque nullum ab iis imminet. Ex adverſo ingens commodum affertur reipublicæ, quia olim capitalis hoſtis Hiſpanus ab illa debellatus fuit; quotannis ærarium publicum per illas immenſum crevit, & aliquot mille hominum inde victum quærunt. Accedit etiam hoc, quod ita illæ res ſint compoſitæ, ut ſi aliquando ipſæ provinciæ illam ſummam pecuniæ, quæ erat 1300000 florenorum, ſeu 13 million flor. poſſint reddere ſociis, tum illa omnia poſſent occupare, quæ tenent ſocii; quæcunque enim tenent, illa ex privilegio fœderatarum provinciarum poſſident, & non niſi privilegio gaudent illis commerciis. Hæc ſufficiant de famoſis duabus ſocietatibus. Vid, BOXHORNIUS *cap.* 8.

(a) *membra*) Conſtant hæc ex participantibus hooſt participanten, & ſocietatis curatoribus Grbich Hebbers. Hi in nonnullis provinciis a ditionis Ordinibus, alibi a magiſtratu oppidano eliguntur. Magna curatorum eſt autoritas. Conventus inſtituunt, qui cameræ dicuntur. Hi ſunt conventus ordinarii, qui in ſingulis habentur ditionibus; extraordinarii vero, eique ſupremi, aut Amſtælodami, aut Middelburgi celebrantur. Mittuntur ad eos ſingularium ditionum Legati; & quoniam talis ſocietatis Indiæ orientalis congregatio XVII complectitur viros, dicitur die Vergahdheringe von Seventhien: Americanæ autem ſocietatis ejusmodi conventus nomine der Vergahdheringe von de Negohtien venit. In hoc concilio Ordinum generalium aliquot Legati præſidis locum tenent. De Curatoribus monendum adhuc, quod quotannis adminiſtratæ rei impenſarum, atque receptarum opum rationem reddere ſint obſtricti, Vid. FUNCCI *orb. imperant p.* 863 *ſeqq.* Mittitur a ſocietate Indiæ orientalis quotannis certus numerus navium in Indiam, quæ cum redierint, merces, quibus oneratæ fuerunt, aut publice diſtrahuntur, & pecuniæ inde redactæ inter participantes diſtribuuntur aut etiam merces ipſæ dividuntur, quod ultimum rebus ſocietatis magis conſultum viſum. FUNC. *l. c. p.* 867.

CAPUT

CAPUT XXVI.

DE

HOLLANDIA.

UT Hollandiæ cognitionem habeamus pleniorem, dicemus aliquid de autoribus, qui nobis eſſe poſſunt adjumento, & notandi ſunt illi, qui de bello belgico aliquid ſcripſerunt.

Seorſim ad res hollandicas cognoſcendas multum conducit liber Hugonis Grotii, de antiquitate reipublicæ batavicæ, qui ſane elegans liber eſt, ſcriptus ab eo, cum adhuc eſſet juvenis. Apparet autem ex eo, quantum valuerit judicii acrimonia; præterea quoque egregie Hollandiam deſcripſit Hadrianus Junius, natione Hollandus: exſtant quoque antiqua monumenta, ſed minoris momenti, quæ collegit Petrus Scriverius. Annales Hollandorum, & quidem libertatem a multis ſabulis liberavit, & ſeorſim conſcribere cœpit JANUS DOUSA. Præterea etiam in libello de ſœderato Belgio JOHANNIS DE LAET, reperies ea, quæ faciunt ad rempublicam Hollandiæ. Hi ſunt qui adjumento eſſe poſſunt: quibus meretur addi *deſcriptio Belgii*, LUDOVICI GUICCIARDINI.

Dicendum jam eſt de ipſa Hollandia, & quidem ordine obſervato, quem dixi obſervandum eſſe circa quamlibet rempublicam, nempe ſecundum 4 cauſarum genera. Prius autem agendum eſt de ipſo Hollandiæ nomine & Zelandiæ. Alias ipſi Batavi inter ſe contendunt, unde nomen illud ſit. Primo obſervandum eſt, Hollandiæ nomen in nullo antiquo ſcriptore exſtare, qui vixere ad tempora Caroli M., quin imo conſtet, tempore Caroli M. eam partem, quæ nunc Hollandia audit, accenſitam fuiſſe Friſiæ, uti etiam Ultrajectum. Cæterum appellatio illa demum reperitur centum & amplius annis poſt Carolum Magnum, & ſeculo poſt natum Chriſtum tum primum nomen Hollandiæ cœpit, ſed latet origo nominis. Hollandi bonam partem in eam ſententiam deſcendunt, quod natum ſit ab arboretis: verum illud non eſt probabile, cum illa pars nulla re minus ſit dives, quam arborum: & una ſilva tantum reperitur in Hollandia, prope Hagam Comitum. Præterquam, quoad ipſum nomen Holland, multum diſtat ab origine, quod Holland diceretur quaſi Holtland: ſed mihi videtur tantum ita dicere Hollandos magis, ut diſſimulent veram originem, quam quod *vere ita ſentiant* (a).

Rhegino, Abbas Prumienſis, qui vixit ſec. IX., narrat quanta miſeria exceperit illam regionem, omnem Galliam, & univerſam Friſiam propter incurſiones normannicas, gentes ſiquidem ſeptentrionales, Dani, Norwegi & Sueci immanibus agminibus claſſe petierunt *Galliam* (b), eamque miſere tractarunt. Erant enim res Francorum Imperii diſſidiis admodum attritæ, ita, ut Franci non poſſent reſiſtere huic hoſti. Hinc factum, ut iidem Normanni expreſſerint Caroli Calvi poſteris bonam partem Galliæ, quæ àb ipſis poſſidetur, & appellatur Normannia. Ad eundem modum etiam pugnavere illi contra Germaniam, quæ ceſſerat Lothario, & Ludovico: nam & *Gothofredus* (c) Danus, expreſſit illis bonam partem Friſiæ; imo totius Friſiæ ducatum. Ille advenit cum ingenti claſſe, & bonam partem Friſiæ implevit noviſſimis Danis. Quo factum, ut tandem coacti fuerint Franci, Friſiam illis in clientelam dare, & perpetuum domicilium.

Atque hinc manifeſte apparet, tum temporis partem quandam Friſiæ, quam illi ſcilicet Dani & Norwegi ceperant, dictam fuiſſe *Dannemarckam*, (d) quæ late deduxi in libro de finibus imperii Germaniæ. Ita Dannemarckæ nomine cœpit appellari illa pars Friſiæ, quæ hodie appellatur Hollandia, & inſulæ adjacentes, quæ dicuntur Zelandia, jam, quemadmodum apparet, ex regione facile conjicere licet, a Danis & Norwegis inditum fuiſſe illud nomen Hollandiæ & Zeelandiæ. *Hollandia* (e) autem eſt pars Daniæ, & quidem continentis terræ, quæ nuoc in Suecorum eſt poteſtate. Zelandia autem eſt inſula potiſſima Daniæ; ad memoriam igitur patriæ ſuæ Dani indiderunt nomen Hollandiæ & Zelandiæ. Hinc ab Hollandia danica Holland, & a Zelandia danica Zelandia. Hæc ſententia mihi videtur magis vero ſimilis. Ex eo itaque tempore in Hollandia deſiit Friſiæ nomen, atque ita cœpit nova appellatio Hollandiæ, & diſtinguitur a Friſia, quamvis antea uno communi nomine Friſiæ appellarentur Hinc inter leges Caroli M. reperiuntur etiam leges friſicæ; & quidem ita, ut aliæ leges ſint Friſiorum, qui habitant a Rheno, usque ad Flevum, & aliæ aliorum. Si autem videas tractum illum a Rheno usque ad Flevum, neceſſe eſt, ut comprehendatur Hollandia a Flevo usque ad Lawicam amnem, a Lawica usque ad Viſurgim.

Diſtin-

(a) *vere ita ſentiant*) Sed antequam Hollandia cœpit inhabitari, ſilvis, fruticibus & vepribus potuit eſſe repleta. Sunt, qui Holland a depreſſiori ſitu, quaſi Hohlland, dictam putant.

(b) *Galliam*) DOUSÆ *Bataviæ Hollandiæque annales* p. 67. 107 *ſeqq.*

(c) *Gothofredus*) *Vid. annales Francorum.*

(d) *Danemarckam*) Vid. tamen DOUSA *p.* 155 *ſeq.*

(e) *Hollandia*) Sed hæc dicitur Hallandia, quanquam haud negaverim facillimo negotio a in o commutari potuiſſe. Interim hanc rem dubium habere alibi monui.

Diſtinctius jam de Hollandia agemus. Obſervandum autem eſt, hodie partem aliquam accenſeri Hollandiæ, quæ appellatur Weſtfriſia. Res vero ita ſe habet. Quoniam illa pars Friſiæ diu fuit extra ditionem Hollandorum, deinde 100 annis poſt ſub ejus jugum miſſa eſt, & ita comitatus Hollandiæ dictus eſt: & ſic paulatim cœpit accenſeri Hollandiæ, ut hodie unam, cum parte Weſtfriſiæ, conſtituat rempublicam. Adeoque Ordines Hollandiæ ſolent appellari Ordines Hollandiæ & Weſt-Friſiæ. Hodie dividitur in duas partes: in Hollandiam occidentalem, & orientalem, aut in Sud-Holland/ & Nord-Holland. Nord-Hollandiæ nomine venit Weſt-Friſia, Sud-Hollandia, κατ᾽ ἐξοχὴν, dicitur Hollandia: revera autem conſtituunt unam rempublicam; igitur, ſi agendum eſt de libertate Hollandiæ, & jam diſſerendum eſt de illa parte Weſt-Friſiæ.

Quod jam attinet illam terram, quæ uno nomine Hollandia audit, illa, ratione 4 cauſarum, ita ſe habet. 1) Quod cauſam materialem concernit, tum *regio* (a) illa longitudine, & latitudine non multum *patet* (b), ſed exigua eſt regio. Et certe pro multitudine populi, proque divitiis & potentia, eſt admodum exigua. Ita ut nemo ſibi facile perſuaſerit, in tam exiguo terræ tractu tantam potentiam & divitias poſſe latere. Quod vero ſoli qualitatem attinet, terra illa *non eſt frugifera* (c) ſegetis, nec frumenti. Pauciſſimis enim in locis reperies exiguum frumenti, ita ut Hollandia non poſſit centeſimam, imo non milleſimam hominum *partem* (d) proprio frumento alere. *Pecore* (e) vero abundat: plurimum tamen reperitur in Nord-Hollandia. Fit autem hoc ipſum propterea, quia, qua parte alit armenta, eſt feraciſſima lacte, butyro & caſeo, hinc caſei, lactis & butyri incredibilem multitudinem præbet, propterea, quoniam regio eſt depreſſa, & gramine luxurioſa, & non eſſet ita luxurioſa, niſi nimia aquæ illuvies educeretur arte humana per multas foſſas, & artificia molendinorum: molendinis enim utuntur ad aquæ abundantiam tollendam, & quidem feliciſſime. Profecto, niſi iis molendinis & artificiis uterentur, tota regio tecta eſſet aquis, utpote, cum ubivis fere ſit paluſtris terra. Ita tamen, ut, poſtquam ſit ab aquis liberata, fiat valde ferax, ut apta ſit alendis armentis. Jam de frumento ſatis.

Etiam ſatæ arbores, & arte cultæ, præbent quidem poma, etiam interdum numeroſa, ſed tamen minus ſapida, quod fit propter nimiam aquæ copiam, & quoniam a ſole non ſatis poſſunt excoqui. Hinc etiam flores, quamvis ſint elegantes, non tamen odore reſpondent.

Eadem de cauſa, nec alia animalia, hic multum videas, non aprum, non capreolum, non cervum, nec leporem quidem ibi invenies: at vero, qua parte Hollandia adjacet oceano, innumerum alit numerum cuniculorum, & hi ſunt loco leporum. Quia hæc regio eſt ſterilior, & arenis frequens, multo minus illa terra præbet metalla, neque lapides. Atque ita facile apparet, illam per ſe eorum, quæ ad vitam requiruntur, parum poſſe præſtare. Loco *lignorum* (f) in uſum foci, non deſunt ipſis ceſpites, nec terra paluſtris, hæc non defoſſa eſt ex terris, ſed retibus quaſi piſcata; retibus enim educunt ex fundo aquarum terram paluſtrem, & ſoli exponunt, & ita illa terra utuntur in uſum foci Vid. MARTINI SCHOOCKII *liber. de Turfis.* Terra illa paluſtris ſufficit ingenti hominum multitudini ad focum, ita, ut in Hollandia focus plerumque ligno non inſtruatur: Et inde poteſt ænigma aliquod fingi, quod aqua alat ignem. Quantumvis adeo parum ſit inſtructa illa terra iis, quibus ad vitam feliciter colendam, opus eſt; nusquam tamen reperies omnium illorum, quæ requiruntur ad vitæ ſufficientiam, inſtructiorem urbem & regionem, quam ibi. Nusquam enim *elegantius* (g) vivitur, etſi tamen omnia aliunde adducantur. Hinc bonam partem ea, quæ ibi advehuntur nimis pretioſe venduntur. Advehuntur autem, partim ex Germania, per Moſam, & Rhenum, & bonam partem oceani.

Quod attinet ſitum Hollandiæ, tum ab uno latere habet oceanum late patentem. Et notatu dignum eſt, quod ipſa Hollandia quidem adjaceat oceano, ſed non vaſto oceano, ſed ſinui oceani. Flevus enim fluvius, & alii magni lacus, conſtituunt oceani ſinum, qui

(a) *regio*) dividitur in Hollandiam meridionalem & ſeptentrionalem BAUDVAND *p.* 527.

(b) *patet*) In circuitu ſexaginta milliaria longitudine 30 & latitudine æquare dicitur. Ad occidentem mare germanicum, ad ſeptentrionem & orientem mare, quod meridionale vocant, una cum ultrajectina provincia & Geldria, & ad meridiem Brabantiam & Zelandiam habet. Rheni Moſæque oſtia in ea ſunt.

(c) *non eſt frugifera*) BAUDRAND *dictionaire geographique p.* 526. *Voyages Hiſtoriques tom. V. p.* 58. Interim licet pauciſſimum hic colatur frugum, & nullæ alantur vites: Promtuarium tamen quodammodo & vini & frumenti dici poteſt, cum tot ſint provinciæ, quæ inde grana ſua & vina accipiunt. Fructus arborum ibi quam plurimi colliguntur, ad plenam tamen maturitatem non pervenire dicuntur, & ſi aliquam attingant, tam ſuaviter tamen, quam gallici aut germanici fructus guſtum non afficere, ſunt, qui tradunt.

(d) *partem*) Anno 1678 Hollandiam inhabitantium numerus duas milliones & quinquaginta hominum millia complectebatur, qui poſtea incrementa ſumſit.

(e) *Pecore*) Paſcuis abundat excellentibus, & vaccarum, quas Hollandia nutrit uberibus ad novem lactis canthari quotidie extrahi poſſe dicuntur, ita ut lactis copiam, quam Hollandia & Zelandia præbent, omne, quod in Burgundia uvis exprimitur vinum, ſuperare ferant. Hinc tantam butyri & caſei multitudinem ad alias mittit regiones. Pecora, nullo adhibito cuſtode, in paſcua aguntur. Unde tanta veniat ſecuritas, autor *des voyages hiſtoriques de l'Europe tom. V. p.* 59, 60. docet.

(f) *lignorum*) Maximo ibi ligna ſunt in pretio, &, ut aliæ merces, nonnullis in locis venum exponuntur.

(g) *elegantius*) Sed inferioris conditionis homines, qui opibus notabilioribus non gaudent, parce admodum ob onerum copiam vivere coguntur.

qui appellatur die Süder-See. Huic ſinui adjacent inſignes urbes Hollandiæ, uti Roterodamum. Hinc etiam ipſum Amſtelodamum non adjacet proxime oceano, neque naves magnæ ſolent ipſum Amſtelodamum *ſubire* (a), ſed exonarantur circa inſulam Texel in der Süder-See. Nec ſolent ipſum Amſtelodamum intrare. Atque jam poteſt ex Hollandia navigari per univerſum oceanum; immo hac ratione Hollandiæ merces per mundum univerſum, qua parte aquæ ſunt, ſolent ſuas navigationes inſtituere. Habet etiam pro limite illum ſinum a parte ſeptentriooali; a parte autem occidentali habet ex parte Geldriam, ex parte epiſcopatum ultrajectinum & Brabantiam. Undique autem tot eſt diſtincta fluminibus, foſſis & montibus, partim naturalibus; partim arte factis, ut regio illa aquarum illarum auxilio ſit munitiſſima, & terreſtri itinere aditu ſit difficillima; præſertim autumnali tempeſtate. Si enim pluviis fœdatur terra, tunc nemo poteſt terra adire regiónem illam. Hic ſitus reginnis efficit, ut illa terra difficulter poſſit *ab hoſte adiri.* (b) Nam non poteſt eam adire a parte oceani, quoniam ibi non eſt portus, igitur ſi vult eam adire, neceſſe eſt, ut penetret in ſinum illum. Jam vero non eſt tutum, per ſinum illum intrare; ideoque ab ea parte oceani ſatis tuta eſt ab hoſte. Hoſtis quidem eas poteſt oceano pellere, non tameo facile poteſt intrare Hollandiam.

De cœli qualitatibus hoc ponendum eſt. Cœlum in Hollandia, nec aſperum nimis, ſi ratiooem Germaniæ noſtræ videas, nec tamen etiam blandum, ſed mediocre, ita, ut regio quæque, oceano propinqua, ſit ventis obnoxia, atque hinc agitationes oceani eveniunt, quæ ſæpenumero ingens dant damnum; non quidem omni ex parte, quoniam una ex parte collibus arenoſis littora ſunt præſtructa, ſed aliqua tamen ex parte, eumprimis autem imminet periculum ab Euro vento, qui iis valde eſt noxius. Eadem de cauſa, quoniam diſtinguitur multis fluminibus, ſicuti etiam Rheno: nam Rhenus ibi devolvitur in oceanum, & uti lucri, ita etiam damni multum facit.

Quod homines contiogit, Incredibile dictu eſt, quanta ibi ſit *multitudo hominum* (c). Quôd qualitates corporis & animi attinet, tum illi homines ratione corporum ſunt ſatis ſani, & valde robuſto corpore præditi in *utroque ſexu* (d). Nam fœminas ibi non videas *molles* (e) tenellas, ſed ſtaturæ conformes cum ſanitate. Quod animi qualitates concernit, primum obſervandum eſt, ingenio Batavos eſſe *ſimplici*, (f) vel antehac tales non fuiſſe verſutos & callidos, ſed candidos, moribus germanicis: & olim fuere deceptu faciliores. Ad hunc modum ſeſe habuerunt uſque ad bellum, quod cum Hiſpanis geſſerunt. Ex eo tempore alia mutatio animorum facta eſt, & quidem primo, propter innumeram hominum multitudinem, ex viciniis & aliis locis infuſam.

Sic ex Flandria & Brabantia, vicinisque locis, poſtquam libertatem bello impetraverant, ingens hominum multitudo in Hollandiam pervenit. Deinde, poſtquam commercia creverunt, poſt annum 1590. ex Germania, Anglia & Gallia, ingens hominum numerus eo commigravit. Habuerunt enim Hollandi tanquam commune aliquod aſylum libertatis, ad quod confluerent, ut emporium commune totius terrarum orbis. Si itaque velis compútare numerum priſcorum indigenarum & advenarum, dixerim vix 4. partem conſtitui a priſcis Hollandis: reliqua enim multitudo crevit ex advenis brabantinis, Flandris & Germanis. Hi advenæ mutarunt mores Hollandorum; attulerunt enim mores ſuarum gentium, quibus mores Hollandorum haud parum fuerunt mutati a priſtina ſimplicitate. Deinde acceſſit & hoc, quod intra 100 annos præter propter tota vivendi ratio mutata fuerit. Antehac enim rariora in Batavia fuere *commercia* (g); at vero intra annos 80. nulla non pars orbis terrarum cœpit adiri ab Hollandis, ita ut totus orbis cœperit cum Hollandis commercia inſtituere.

Quod, adeo brevi temporis ſpatio, tantam multitudinem advenarum in urbium incrementis liceat obſervare. Antehac per Hollandiam fuere multæ urbes, ſed non in illam mul.

(a) *ſubire*) Vid. tamen *relationi del Cardinal Bentivoglio lib. I. c. VII.*

(b) *ab hoſte adiri*) NEUVILLE *Hiſtoire de Hollande tom. IV. p.* 62. 64. 78.

(c) *multitudo hominum*) Frequentiſſima hæc regio eſt urbibus & vicis. In Hollandia meridionali celebriores ſunt civitates: *Dordracum, Harlemum, Delphi, Lugdunum, Amſtelodamum, Gouda, Roterodamum, Gorcum, Schiedam, Schonhoven &c.* in ſeptentrionali vero, quæ & Weſtfriſia dicitur: *Enckhuyſen, Hoorn, Alckmaer, Edam, Munckedam, Purmerent, Medenblyck.* Deinde in Hollandia meridionali ſunt comitatus Egmontanus, & baronatus Viannenſis: in ſeptentrionali dominia Beverwyck & Schagen. Præcipuarum Hollandiæ urbium deſcriptionem vide in BAUDRANDI *dictionario geographico*, & apud *autorem des voyages hiſtoriques de l'Europe tom. V. ch. VIII ſeqq.* Cum vero Amſtelodamum inter totius orbis principes ſit civitates, quæ ad illam attinent metropolin potiſſimum cognoſcenda ſunt. Non levia hanc in partem in Templii libello traduntur.

(d) *utroque ſexu*) *Les voyages hiſtoriques tom. V. p.* 68. 69. *Relationi di Bentivoglio lib. I. c.* 3.

(e) *molles*) Les femmes y ſont, inquit citatus autor *l. c. p.* 69. *pour la plus part grandes, bien faites blanches & blondes, mais elles n'ont pas cette vivacité des Françoiſes. Il y en a pluſieurs, qui aiment a boire auſſi bien que leurs maris, ce qui fait, qu'il y en a, qui perdent leur tein & leur beauté a vingt cinq ou trente ans.*

(f) *ſimplici*) *Remarques ſur l'etat des provinces unies ch. IV.* LUCAS DE LINDA *deſcriptio orbis p.* 851. *ſeqq. Les voyages de l'Europe tom. V. ch. VI.*

(g) *commercia*) Vid. TEMPLE. *l. c. ch.* VI. Situs autem Hollandiæ, & incolarum copia commerciorum florem admodum promovit. Inquirit etiam autor citatus in eodem capite, unde tantus in Hollandia hominum numerus ſit exortus Commerciorum fluri ſtupendos ſocietatis Indiæ orientalis progreſſus quodammodo nocuiſſe, idem autor *l. c. p.* 226 *ſeqq.* docet.

multitudinem crevere, quam nunc. Nam urbes pleræque ultra dimidiam partem intra annos 80. auctæ ſunt: quod apparet cumprimis Amſtelodami, Roterodami, Lugduni Batavorum, Harlemii &c. Itaque illa ſimplicitas morum, quæ olim fuit, hodie non adeo elucet in Hollandia, nam a *ſimplicitate* (a) priſtina morum deſcivere. Alias vero etiam apud antiquos Romanos auris Batava in proverbium abiit: quod eſſent probe auriti, & ſimplicibus moribus præditi. Alias ingenio non fuiſſe deſtitutos, apparet ex iis, quæ geſſere, & quæ adhuc hodie gerunt. Quamquam id quidem auſim proferre, niſi Deus optimus maximus dediſſet ipſis Wilhelmum Naſſovium, nunquam potuiſſent ad illam fortunam emergere, quod Grotius etiam diſerte fatetur.

Singulatim autem, ut de moribus loquamur, notum eſt, debere attendi tum ad virtutes intellectuales, tum morales. Et quidem quod attinet fortitudinem, non quidem deeſt ipſis; attamen Hollandi in univerſum a militia terreſtri ſunt animo remoto. Nautica quidem plebs illa valet; reliqui autem ſunt *imbelles* (b); Quod attinet deinde liberalitatem omnes ſunt ad *rem attenti* (c). Raro enim reperies aliquem Hollandum, qui non fuerit tenax, & ad rem domeſticam attentus. Nullum enim ibi prodigum reperies, ſed potius quæſtui *deditum* (d) ut dixeris, eos bonam partem ſummam ſuam felicitatem collocare in divitiis. Hinc adeo die nocteque contendunt, ut rem familiarem augeant; ideoque currunt ad Indos, & nihil non laborum ſubeunt, tantum ut diteſcere poſſint.

Quod juſtitiam attinet, in tantum eam colunt, in quantum commercia admittunt. De reliquo non profecto dixeris, illis aliquid iniqui accidere. Non enim vides, ut late dominentur, aliena invadant; nec etiam videas, illos aliis eſſe iniquos, ideoque excipiunt in partem libertatem quemcunque, quod eſt ſignum juſti animi. Itaque hactenus in illis urbibus multum eſt, quod profecto laudes. Juſtitia autem duplex eſt, alia ſpectat homines, alia Deum.

Quod juſtitiam erga Deum attinet, profecto fuere admodum religioſi, ita, ut temere in Hollandis non putaris hac in parte aliquid improbare. Verum res ſecundæ multum detraxerunt antiquæ pietati. Adeo ut illa pietate non amplius colatur, ut antea; præterea obſervandum eſt circa Dei cultum, ſententiis inter ſe diſſidere. Nec enim temere reperies aliquam regionem, quæ tot alat de colendo numine ſententias, atque hæc. Interim tamen hæc diſſidia ita temperantur a prudentia magiſtratuum, ne erumpant in diſcordias civiles. Sæpe enim inter Remonſtrantes & Contraremonſtrantes multæ ſunt diſcordiæ. In publico tamen alia ſacra non tolerantur, quam quæ reformata dicuntur. Interim vero *aliis* (e) etiam diſſentientibus licet, ſacra ſua celebrare undique per univerſam Hollandiam, niſi quod Pontificiis ſit vetitum; ita tamen, ut aliquot millia miſſarum quotidie celebrentur. Ideoque vetitum potius in ſpeciem, quam aliquo rigore. Iſta libertas religioſa facit ad id, ut ibi poſſint confluere homines ex univerſo orbe. Quod ſi ſacra ibi non cuilibet permiſſa, tanta multitudo hominum ibi non eſſet.

Quod attinet temperantiam, nec multum illos laudaveris, nec multum reprehenderis; multum habent morum germanicorum; multum gallicorum; ita, ut hac in parte, nec vituperium mereantur, nec etiam eos inprimis laudes. Antehac fuere, more Germanorum, *bibuli* (f); nunc minus. Præterea etiam non adeo multum eos reprehendas propter *libidines* (g). In tanta enim hominum multitudine vitium iſtud gentes contaminat. Reperies quidem, ſed pauciores numero, ideoque in univerſum dixeris, gentem eſſe caſtam.

Quod attinet magnificentiam, antehac fuere ſimplices in veſtibus, & ædibus ſuis; at vero hodie ea parte peccant. Antea propter luxum veſtium, Flandri & Hiſpani Brabantinis irriſioni fuere. Hodie vero Brabantini ſunt facti Flandri, domi in victu parci, ſed in veſtibus & ſuppellectile magis luxurioſi; & quidem ea in parte colunt ſtultitiam mulierum. Omnia ibi in ædibus nitent & ſplendent, & nusquam invenitur tanta mundities & magnificentia, quam in Hollandia: uti ex peregrinationibus notum eſt. De cætero ſunt urbani, blandi & comites,

(a) *ſimplicitate*) Magna tamen ante non ita multos annos in Hollandia frugalitatis extitere exempla. Ruytero, Archithalaſſorum, ſi quis unquam, principi, & Joanni de Witt inter primarios omnino Status miniſtros numerando nonniſi unum fuiſſe famulum, & modicam rem familiarem, tradit Temple, additque ſe nunquam Ruyterum Carpento vidiſſe vectum.

(b) *imbelles*) Non deerunt in illa gente, qui animo & terreſtri quoque valent militia: Rariores tamen ibi ſunt, quam in terris, ubi tantopere commerciis non ſtudetur. TEMPLE *p.* 168 *ſeqq.*

(c) *rem attenti*) Monet tamen Templius, illos a fraudibus eſſe alienos. *l. c. p.* 161.

(d) *deditum*) *Voyages hiſtoriques de l'Europe l. c. p.* 77.

(e) *aliis*) Quævis ibi toleratur religio, quod ad reipublicæ incrementa multum facit. *Grondeen maximen van de republique van Holland en Weſtfriesland c. XIV. XVIII.*

(f) *bibuli*) Sed hodie adhuc liquoribus, inprimis vino aduſto ut vocatur, dediti ſunt. *Temple p.* 164. 165. LUCAS DE LINDA *p.* 838.

(g) *libidines*) Neſcio, an veritati conveniens ſit, quod de Hollandorum ſexu ſequiori autor *des voyages de l'Europe l. c.* habet. *Les filles ne gardent pas toutes leur virginité jusques a l'hymenée, mais c'eſt en partie la faute de leurs ſuperieurs, qui ne les marient guere avant l'age de vingt huit a trente ans. Il ſemble que, lorsqu'elles ſont mariées elles reparent en partie ce defaut de jeuneſſe, par la foi inviolable, qu'elles gardent a leurs maris. Une fille ne peut pas etre qualifiée putain, pour un ni pour deux enfans, pour ven qu'il ne ſoit pas evident, qu'ils ſoient tous les deux d'un meme Pere. On dit ſeulement, que ce ſont des filles abuſées.*

comes, ita, ut illa parte non temere aliquid deſideres, niſi, quod præ nimia libertate etiam nimium ſibi ſoleant indulgere: & eo nomine aliis veniant de ridiculo.

Quod attinet virtutes intellectuales, in Hollandia ingens numerus eſt opificum. Quorum originem ſi ſpectes, ſunt advenæ, & ex advenis nati; nec tamen illi Hollandi ingenio ſunt admodum *magno* (a). In tanta enim multitudine invenies paucos ingenio *excellentes* (b). Hinc pauci ſtudiis operam dant, & pauci ſtudiis clari ſunt. Præ omnibus aliis laudari poteſt Eraſmus Roterodamus, qui ſuo ævo vix habuit parem; & alter Hugo Grotius, cui Batavia ſimilem non habuit. Reperies quidem quosdam doctos ibi, ſed non excellentes, præter hos duos. Ipſe quoque Grotius diſerte profitetur, pro illa multitudiue hominum, tametſi Lugdunum Batavorum floruerit ſtudioſorum multitudine; attamen paucos ibi reperies doctos: eorum enim ſtudia ſunt magis cruda. Annumerat tamen Grotius Eraſmo Longovium, qui tamen magis Flander eſt.

Cum tanta autem ibi ſit hominum multitudo, plerique quæſtui, & præprimis commerciis nauticis ſtudent: terra enim illis non ſufficit, parandus ideo victus aliunde eſt. GROTIUS memoratu digna narrat, *lib.* 4. *Hiſtoriarum ad annum* 1595, ubi docet: quo pacto ibi navigationes creverint, & commercia mutua, quæ hactenus fuerant anguſta. Inter alia hoc memoratu dignum eſt, quod Hollandi perpetuo habeant 70000 homines, qui perpetuo in mari vivant. Navium multitudine nulli cedit; bis mille * enim naves quotannis ædificantur. Adeoque omnia ibi compoſita ſunt ad quæſtum: ideo etiam magna pars ipſorum in mari vivit. Hæc ſufficiant de iis, quæ pertinent *ad cauſam materialem* (c).

Jam dicendum eſt de cauſa finali. Notum eſt, quod aliæ reſpublicæ ſalutem quærant ex æquo omnium; aliæ vero tantum ſalutem dominantium: Jam vero hollandica reſpublica non eſt compoſita ad utilitatem dominantium: imo nihil minus, quam hoc. Et hoc exinde elucet, quoniam magiſtratus ex regimine aut nullum, aut admodum exiguum poſſit quærere *lucrum* (d). Adeoque dominantium ſalus non quæritur, & hoc eſt, quod ibi conſervat rempublicam: non tamen ex æquo quæritur ſalus omnium, quia non omnibus patet aditus ad rempublicam. Primo enim multi arcentur propter diverſitatem religionum. Soli enim Reformati admittuntur ad honores præcipuos. De reliquo nullum inter eos eſt diſcrimen, ad quæſtum enim omnes ſimul eunt. Ita reſpublica autem compoſita, ut virtute quis poſſit ibi vitam agere civilem αὐτάρκη, quod ſane laudem meretur. Apparet autem, id genus reipublicæ populo valde eſſe utile. Notandum porro, quemadmodum privati homines aberrant in ſummo bono eligendo, ad eundem modum ſtatus, populus & integræ reſpublicæ ſæpe hinc labuntur. Et, quod attinet rempublicam Batavicam, tum etiam hæc non eſt immunis ab hoc vitio; ſiquidem ſi omnia inſtituta illius reipublicæ videas, apparet, ſummum bonum collocari in divitiis. Initio quidem veram felicitatem quæſiverunt; verum non ita hodie. Nam quicquid hodie agunt, plerumque quæſtus cauſa agunt. Hinc adeo non tam potentiæ ſtudent, quam quæſtui. Ipſa ſocietas indica, quæ magnæ eſt potentiæ, & *late dominatur per Indiam*, (e) quicquid agit, quæſtus cauſa agit. Non enim latum imperium obtinet potentiæ ergo, uti olim Romani ſolebant, ſed quam maxime faciunt lucri cauſa. Non tamen ita ad quæſtum in Hollandia diriguntur omnia, ut virtutem prorſus negligant. Habetur enim ratio virtutis, ſed ita, ut poſtponatur divitiis. Et accedit, quod in horatianis eſt verſiculis: O! cives! cives! quærenda pecunia primum, virtus poſt nummos. Hic verſiculus videtur perpetuo illorum aures circumſonare: ideo quidem quærunt virtutem, ſed poſt nummos. In Japonia ubi nomen Chriſtiani plane inviſum eſt, ideoque, quod mercaturam in Japonia exercent, negant ſe *Chriſtianos* (f) propter lucrum. Jam

(a) *magno*) Craſſiori quodammodo hoc adſcribitur aeri. *Temple* p. 163.

(b) *excellentes*) Nobiliores inter Hollandorum eruditos fuerunt: Eraſmus, Joannes ſecundus, Joannes Douſa, Adrianus Junius, Daniel Heinſius, Grotius, Voſſii, Boxhornius, Barlæus, Voetii, Mathæi, Noodt, Perizonius. Quod ad opificia attinet, Hollandi ad imitandum, quam inveniendum ſunt aptiores.

* *bis mille*) Neſcio, an hic calculus recte ſe habeat.

(c) *ad cauſam materialem*) Adſcribere hic licet, quæ TEMPLIUS *in fine c.* IV. habet: *La Hollande eſt un pais, ou la terre eſt meilleure que l'air, & ou l'on recherche plus le profit que l'honneur: ou il y a plus de ſens que d'eſprit; plus d'abondance que de plaiſir; ou l'on aimeroit mieux voyager que vivre: ou l'on trouvera plus de choſes a remarquer qu'a deſirer: & plus de perſonnes, qui meritent d'etre eſtimées plutot que d'etre aimées. Mais les memes qualitez & diſpoſitions ne ſont pas également conſiderables dans un Etat & en une perſonne particuliere, & celles qui rendent une converſation agreable ne rendant pas un Etat puiſſant. Auſſi n'eſt ce pas hors d'apparence, que comme un grand Roy pourroit bien faire le Gentil-homme particulier, ainſi un Gentil-homme extraordinaire puiſſe faire le Prince mediocre.*

(d) *lucrum*) TEMPLE *l. c. p.* 154.

(e) *late dominatur per Indiam*] *Quant a la compagnie des Indes orientales, que d'autres nomment les grandes Indes, elle eſt compoſée de cinquantesix Marchands, qui ſe ſont aſſociez lors de l'établiſſement de cette Compagnie, ou qui y ont été incorporez par la ſuite. Elle reſſemble a une puiſſante Republique, ayant pluſieurs Rois tributaires, plus de trente mille hommes a ſa ſolde, & cent cinquante vaiſſeaux de guerre. Elle ſe vante, d'avoir conquis plus de lieuës de pais, qu'il n'y a d'arpens de terre en Hollande.* Vid. MERULA. *c. VIII.*

(f) *Chriſtianos*) Fama percrebuit, ad Japonenſium quæſtiones, an Chriſtiani ſint, ſe Hollandos profiteri, omnesque religionis chriſtianæ libros viſitatorum oculis ſubtrahere.

Jam pergendum eſt ad cauſam formalem, ſeu ad ipſum regimen Hollandiæ: & videndum, quemadmodum reſpublica Hollandiæ ſeorſim gubernatur. Poteſt autem hæc duplici modo conſiderari; (1) ut generatim agamus de Hollandiæ republica; (2) quomodo ſe habeant ſingulæ partes reipublicæ. Quod igitur generalem ſeu communem rempublicam Hollandiæ attinet, legi ea de re poterit oratio conſcripta a D. MERULA, tum ſeorſim edita, tum HUGONIS GROTI *libro: de antiquitate reipublicæ batavicæ*, adjuncta. Meretur etiam legi BOXHORNIUS *cap.* 10. & 14. etiam LAETIUS in *hiſtoria de confœderatis rebuspublicis*; Legi etiam poterit GROTIUS *in annal. lib.* 5. *ad annum* 1588. Et multum eſt diſcriminis, inter Grotiana & reliquorum ſcripta: propterea, quoniam Grotius non tantum docet, quid obtineat; ſed etiam addit, bene an ſecus hoc vel illud fiat in aliqua republica. Accurate igitur legendus Grotius; quia attentum requirit lectorem, propter ſtyli æmulationem Taciti.

Notandum itaque eſt de regimine, quod regimen commune longe aliter ſeſe habuerit olim, atque nunc ſeſe habet. Exſtat quidem Grotii libellus de antiquitate reipublicæ batavicæ, quem ſi inſpicias, dixeris, eandem eſſe reipublicæ faciem, quæ olim fuit. Notandum autem; & illam reipublicæ formam, quæ aliquamdiu obtinuit, cœpiſſe longe poſt tempora Leyceſtriana, quamdiu provinciis præfuit Rex Hiſpaniæ, & poſt excitatos motus *Wilhelmus* (a) Auraſionenſis, principatum tenuit. Non quidem ille plenam monarchiam habuit, ſed tum reſpublica fuit mixta ex monarchia, & regimine plurium ſeu ariſtocratia. Eadem reipublicæ ratio fuit Lyceſtrii tempore, qui erat miſſus a Regina Angliæ Eliſabetha, & accepit pares conditiones, quibus functus erat Wilhelmus Auriacus: Sed Lyceſtrius non contentus illis juribus, magis altum ſpiravit, & regiam poteſtatem ambivit; motus orti ſunt in Hollandia, qui tandem, *evocato Lyceſtrio*, (b) quieverunt.

Igitur reſpublica mutata eſt, & quidem ita, ut non videam, quicquam ſuperfuiſſe, præter ſolam ariſtocratiam. Nam principatus plane evanuit. Gubernatores quidem adhuc manſerunt, ſed nihil juris retinuerunt, & fuere meri magiſtratus. Grotius hoc ipſum peregregie, ſed paucis prodit. Et ſic tota reipublicæ ſumma tracta eſt ad Ordines. Hoc ipſum autem factum eſt libertatis tuendæ cauſa; & ita valde crevit libertas Ordinum.

Quæritur? utrum ex re fuerit, illam gubernatorum potentiam præſcindere? Et dico, quod quidem ad libertatem conferat: at tamen periculoſum, ſi hoſtis adſit; concordia enim vix poteſt contineri, niſi unus ſit, qui communi vinculo ſingula membra contineat; uti dictum eſt de generali Imperatore bellico VII. provinciarum. Et hoc etiam hodie docet experientia, poſt bellum hiſpanicum difficulter concordiam retineri, quæ laborat *inter provincias* (c) confœderatas. Quid juris fuerit gubernatoribus poſt Lyceſtrium, docere poteſt BOXHORNIUS *cap.* 4. *a* §. 3. *ad* §. 28.

Primus hoc nomine Gubernator conſtitutus fuit, *Mauritius naſſovius;* (d) cui ſucceſſit in easdem leges, earumque fœdus, ipſius frater Henricus; cui poſt ejus filius Wilhelmus, ita, ut hodie Hollandia plane nullum habeat gubernatorem, & an impoſterum aliquem ſit electura, *valde dubito.* (e) Et, uti puto, non abs re erit, modo non eundem habeant gubernatorem, quem habent imperatorem bellicum. Idque propterea, quod periculoſum ſit, ſi gubernatorem habeant eundem, & imperatorem quoque bellicum. Quod ſi autem gubernatorem alium conſtituant, tunc nullum eſt periculum, & ſic ejus poteſtas quoque eſt minor. Notandum: cum ſumma reipublicæ conſtituatur in tribus; ſcilicet in eo, quod pertineat ad τὸ κυριόν, ſeu ſummum regimen; & deinde in conſtitutione magiſtratuum; & tertio in conſtitutione judiciorum; prima pars, quæ pertinet ad ſummum regimen, tum non fuit penes *gubernatorem*, (f) ſed tantum penes Ordines provinciæ. Ideoque in conventu Ordinum Hollandiæ, Gubernator nihil, niſi conſulendi habet poteſtatem & ſuadendi: jus vero decernendi nullum, & ita tantum conſiliarium agit. Quod obſervavit BOXHORNIUS *c.* 5. §. 26.

Quapropter Wilhelmus ultimus gubernator accuſatus fuit, quod ille, ea in parte limites officii tranſiliiſſet: auſus nimirum, ipſum Amſtelodamum petere milite, & quidem hoſtilem in modum, ibique mutare rempublicam urbis; cum tamen tale quid non fuiſſet decretum in pleno conventu. Ille tamen potuiſſet hoc adducere, quod nimirum plerique Ordinum mandaſſent, ut videret, ne quid reſpublica detrimenti caperet. Cum vero ad ſummam reipublicæ pertineat poteſtas belli & pacis, fœderum, legum publicarum, & quæ ſunt alia; hinc facile apparet revera rempublicam fuiſſe ariſtocraticam.

Deinde quod attinet conſtitutionem Magiſtratuum, tum ea in Hollandia ſeſe habet diverſimode. Magiſtratus enim alii ſunt communes toti fœderi, alii proprii Hollandiæ. Qui ſunt communes toti fœderi, illos Hollandia habuit poteſtatem conſtituendi una cum fœderatis

(a) *Wilhelmus*) MERULA *de ſtatu Belgii provinc. c. IV.*

(b) *evocato Lyceſtrio*) GROTIUS *Annal. lib. V.* JONHSTONUS *rerum Britannicarum p.* 106 *ſeqq.* METERANUS *lib. XIII.*

(c) *inter provincias*) Vid. *lettres d'Eſtrandes.*

(d) *Mauritius naſſovius*) GROTIUS *lib. II. Hiſtoriar.* METERANUS *lib. XIV.*

(e) *valde dubito*) Vide, quæ ſupra dicta ſunt. TEMPLE *ch. VIII.*

(f) *Gubernatorem*) Quæ ad Gubernatoris officium ſpectant, recenſet MERULA. *c. IV.*

tis reliquis provinciis. Qui autem non ſunt communes toti fœderi, ſed Hollandiæ proprii, illi ſunt itidem duplices: aut toti Hollandiæ communes ſunt; aut ſingulis partibus. Communes ſemper conſtituti ſunt, & hodie conſtituuntur, a *conventu Ordinum.* (a) Hinc, ſi Imperator eligendus eſt, ex conventu Ordinum eligi ſolet. 2) Syndicum provinciæ, quem ipſi *Penſionarium* (b) ſeu Advocatum provinciæ appellant, itidem eligit conventus Ordinum. Hi autem ſunt præcipui magiſtratus. Gubernatori autem fuit adjunctum etiam munus conferendorum quorundam *magiſtratuum*; (c) quod tamen ipſi competiit ratione magiſtratus, & ab hoc conſtituti magiſtratus, mediate ab Ordinibus totius provinciæ dependent. (2) Jus conſtituendorum magiſtratuum in ſingulis partibus dupliciter ſeſe habuit. Fuit enim ex parte penes cujuslibet loci Optimates, partim vero penes Gubernatorem, & quidem hac ratione, quotannis principi gubernatori duo nomina electorum propoſita ſunt a cujuslibet loci ſenatoribus, ex quibus duobus eligere debuit gubernator unum.

Circa judicia nihil aliud datum gubernatori, quam quod *præſederit* (d) tribunali, & quod ſententiæ latæ ſint ſub ejus nomine, quod revera plus attulit honoris, quam poteſtatis; nec enim revera jus dixit, ſed ipſius nomine tantum pronuntiatum eſt. Ideoque ab iis, qui jus dicebant, non reſpiciebatur, quid gubernator vellet, ſed quid æquum & bonum videretur. 2) Fuit ipſi poteſtas remittendi pœnas *capitales* (e).

De reliquo autem ita ſeſe habet reſpublica. Ordines Hollandiæ diſpeſcuntur in duas claſſes; (olim fuere in tres diviſi, in clericos, deinde in nobiles, & in 3. claſſes urbium.) Jam, poſt mutata ſacra romana, excluſus fuit clerus; quin imo nullo ſuperſtite clero, deſiit claſſis iſta. Cleri autem nomine venerunt Abbates, & gubernatores monaſteriorum. Claſſis nobilium in conventu Ordinum tantum *unicum ſuffragii* (f) jus habet: & quidem primum habet locum; tametſi ad eundem conventum nobiles *aliquot* (g) mittantur.

Non vero omnes urbes ad comitia vocantur, ſed *paucæ*, (h) adeoque non niſi majores, & illæ, quæ jam ab antiquo majores habitæ ſunt. Et licet hodie quædam creverint divitiis & multitudine, attamen ipſis jus ſuffragii non eſt datum. Et ſingulæ majores urbes habent unum tantum ſuffragii jus; adeoque ſingulæ urbes tantundem valent, atque omnes nobiles. Agreſtium vero, & qui in agro vivunt, plane nulla habetur ratio. Urbium majorum ſunt pene XVIIII, inter quas primaria Dordrechtum, & 5 loco Amſtelodamum; ſed autoritate prævalet Amſtelodamum. Atque adeo, quoniam potentia omnes pæne ſuperat, coguntur ſententiam Amſtelodamenſium ſequi. Ut, ſi jura videas, par quidem ſit autoritas omnibus urbibus cum Amſtelodamenſi: At quoad rem ipſam, & prout hodie fit, tum ſolet Amſtelodamum prævalere; ita ut reliquæ urbes ab amſtelodamenſi ſententia non audeant recedere. Quod ideo quam maxime fit, quoniam in tributis publicis Amſtelodamum longe plus, quam reliquæ omnes, dat. Si enim omnes provinciæ deberent centum thaleros conferre, Amſtelodamum ſolum 64. confert. Quoniam itaque Amſtelodamum plus oneris portat, tametſi non lege, tamen conſuetudine, inde fit, ut major ejus ſit autoritas, fruſtra invidentibus reliquis urbibus. Facile itaque apparet, revera magnam eſſe inæqualitatem in regenda republica, ratione ipſarum urbium, quoniam bona pars earum eſt excluſa a comitiis, & quoniam illæ urbes, quæ ad comitia mittuntur, coguntur nolentes volentes ſequi Amſtelodamum.

Quod igitur hæc res diſſidium ſit paritura, nullum eſt dubium: nam ubi magna eſt inæqualitas, ibi ſunt diſcordiæ. Et puto, non temere fore, ut bellum aliquod civile ibi oriatur; & præterea, ſi oriretur, tum Amſtelodamum facile cedet de ſuo ſupercilio. Cauſa eſt

(a) *conventu Ordinum*) Hic conventus Hagæ comitum celebratur, & conſtat ex Deputatis nobilitatis, & provinciarum Hollandiæ. Habent autem jus Deputatos mittendi Dort, Harlemum, Delphi, Lugdunum, Amſtelodamum, Gouda, Roterdamum, Gorcum, Schidamum, Schonhoeva, Brila, Alcmaria, Horna, Enckhuyſa, Edamum, Monckendamum Medenblycka & Purmerend. Huic collegio Gubernator, ſi quem habent, præſidet, duobusque gaudet ſuffragiis. *Voyages hiſtoriques de l' Europe tom. V. p.* 65. MERULA *c. X p.* 101.

(b) *penſionarium*) Hujus officium eſt perpetuum, cum Deputatorum nonnulli per triennium duret. Hic, licet ultimum occupet locum: materias tamen, quæ ad reipublicæ ſummam pertinent, pertractandas proponit, & ſuffragia colligit. In rebus maximi momenti majora non ſufficiunt, ſed omnium conſenſus requiritur. MERULA *p.* 103.

(c) *Magiſtratuum*) MERULA *l. c. c. IV. §.* 20.

(d) *præſederit*) MERULA *l. c. §* 22.

(e) *capitales*) plura vide apud MERULAM. *l. c.*

(f) *unicum ſuffragii*) TEMPLE *p.* 97.

(g) *aliquot*) Plerumque ſeptem aut octo mittuntur.

(h) *ſed paucæ*) TEMPLE *l. c.* Urbium Deputati ex magiſtratibus aut urbano Senatu ſunt, & a Senatu nominantur. Tribus autem temporibus plerumque per annum conveniunt. In cauſis extraordinariis collegium aliquod, cui nomen Der gecommitteerenden Raden eſt, coit, atque conſilii ſtatus provinciæ locum habet. Nobilitas, ut & quælibet ex octo magnis urbibus Deputatum mittit, & tres parvæ urbes Hollandiæ meridionalis quoque unum. Nominatio autem inter haſce tres parvas urbes omni triennio alternat. TEMPLE *ch. II. p.* 101.

eſt hæc, quod nimirum, ſi bellum civile oriretur, multum non poſſet non decedere de commerciis illorum, atque adeo de quæſtu, quandoquidem illis in locis in quæſtu ſummum bonum ponitur. Quod autem Amſtelodamum ſit ceſſurum, id teſtatur experimentum nuperum: cum enim Wilhelmus Amſtelodamenſes vellet in ordinem redigere, hoc effecit facillimo negotio; nam illi ſtatim, ad illius nutum, non dubitaverunt mutare magiſtratum, & imperata facere. Hinc apparet, tam magnam & *potentem urbem* (a) revera eſſe imbellem, neque temere ad arma convolaturam. Si divitias ſpectes, tantum valet Amſtelodamum, quantum reliquæ provinciæ: ex quo cognoſcitur animus illorum.

Quia vero, ut antea dixi, non omnes ad comitia Ordinum admittuntur; ſed tantum delecti, & quidem ex potioribus urbibus, hinc facile apparet, in illo conventu nihil eſſe democraticum, ſed ariſtocraticum. Ideoque vehementer fallunt ii, qui putant, ſtatum Hollandiæ eſſe democraticum. Non enim ibi eſſe ſtatum democraticum exinde patet: quia electio non fit ſorte, ſed ſuffragio; deinde electio non fit ab omnibus, neque ex omnibus, ſed ex potiſſimis urbibus, & primariis nobilibus, reſpectu habito bonorum civilium, quæ ſunt divitiæ, antiqua dignitas, & familia &c.

Solent autem delegati ordinum appellari Batavis, die Grootmogende Heeren/ (latine) magni potentes: quemadmonum delegati provinciarum in conventu generali appellantur die Hochmogenden Herren (latine) alti potentes.

Hi mittuntur ab urbibus, ſed non quilibet, verum electi, & quidem ex magiſtratibus & judicibus oppidanis, plerumque Syndico juncto, quem vocant Penſionarium. Hi omnes tantum unum ſuffragii jus habent. Solet autem hic conventus non eſſe perpetuus, ſed per tantum durat tempus, quantum negotia majora deliberanda requirunt; minoris vero momenti decreta ſunt in Ordinibus. Hinc conſtituitur ſingularis Magiſtratus, qui dicitur die gecommittirden Raden/ (Commiſſarii Senatores) & hi meri Magiſtratus ſunt, & vice ſuperiorum funguntur. Huic collegio, ut & conventui Ordinum, præſidet der Advocat von Holland/ quod munus perpetuum eſt. Et, quia perpetuo præſidet, & conſilia dirigit, tum in conventu generali, tum in altero conventu, ipſi magna eſt autoritas, propter prudentiam ſuam. Quo nomine, incredibile dictu eſt, quantum antehac floruerit Johann von alten Barnefeld/ idque propterea, quod diu hoc munere eſſet functus, & quod ſumma prudentia valeret. Attamen iniquo judicio capite mulctatus eſt tanquam proditor; erat enim quam maxime meritus de republica hollandica, & de regimine communi Hollandorum. Ad hunc modum ſeſe habet regimen commune Hollandiæ.

Quod attinet regimen ſingularum urbium, ſumma rei eſt penes collegium, quod dixeris collegium ſapientum, quod appellant die Vrontſchafft/ alibi pluribus, alibi paucioribus ſapientibus conſtant. Hujus collegii ratio ut appareat, 3. ſunt attendenda. 1) Ex quibus. 2) A quibus & 3) quomodo ſoleant eligi. 1) Non ex omni civium numero illi eliguntur, ſed excluduntur primo: omnes peregrini, quorum infinitus numerus eſt in emporiis: adeoque, niſi quis Hollandus, non poterit ad honores pervenire, imo nemo poteſt admitti in illud collegium, niſi quis avum habuerit Hollandum. Quo fit, ut non niſi paucis detur aditus ad honores, cum pleraque hominum multitudo non ſit ab Hollandis nata. a) Ne hi quidem omnes admittuntur: nemo enim poteſt admitti, niſi etiam ſacra colat publica. Hac ratione fit, ut ſi quis fuerit romanenſis, aut auguſtanæ confeſſioni addictus, aut anabaptiſta (quorum ingens numerus in Hollandia) excludatur; licet natione Hollandus ſit, & inſigni polleat prudentia. Hac ratione fit, ut ad pauciores honores deſerantur, quia plerique jure excluduntur, & incapaces honorum ſunt. Omnes etiam homines viles & improbæ notæ excluduntur.

Si etiam reſpicias, a quibus electio fiat, tum ea non fit a populo, ſed ab ipſis ſenatoribus, qui ſunt in der Vrontſchafft/ qui habent jus cooptandi. Hinc apparet multum diſſidere hac parte a democratia. Ibi enim ex omnium numero, & ab omnibus electio fit. 3) Electio ipſa non fit ſorte, (quod democraticum eſt, & quo olim Athenienſes ſuos elegerunt) ſed ſuffragio, ubi reſpectus virtutis & aliarum rerum habetur. Hinc apparet, revera regimen ipſum eſſe ariſtocraticum.

Hache.

(a) *potentem urbem*) De regimine hujus urbis Vid. TEMPLE *ch. II.* Omnis autoritas eſt penes ſenatum, cujus capita XII. Conſules ſunt. Hi ab iis, qui Conſules aut Scabini fuerunt, eliguntur. Summa rerum urbanarum penes hos eſt, ut Senatus directores. Clavium celeberrimi illius theſauri (banque) qui apud Amſtelodamenſes aſſervatur, ſunt cuſtodes, nec unquam locus, in quo ſub ſplendididiſſimo illo totius orbis ædificio, curia nempe, latet, aperitur, niſi conſulum quodam præſente. Juſtitiæ præſides ſunt Scabini, quorum novem Amſtelodami ſunt: maleficorum inveſtigatio, apprehenſio inſtituenda & executio eſt penes Schultetum. TEMPLE *p.* 93. 94.

Hactenus tamen obtinuit, ut cooſules ſoleant eligi ex conſilio ſapientum, & a conſilio ſapientum, ſed ita, ut duplicato numero delato ad Gubernatorem, penes gubernatorem fuerit, conſulem primarium eligere in proximum annum. Hoc autem hodie plane eſt abolitum; ipſi enim ſenatores eligunt conſulem. In collegio ſapientum eſt imperium totius, & nulla conſilia cum plebe commuoicantur, adeoque oihil populare habet Hollandia.

Quod judicia attinet, tum judices ſolent appellari, die Scheppen / latine, Scabini. Hi Scabini oon ex omni numero eligi ſolent, neque ab omni multitudine populi; ſed *Gubernatore*, (a) & quidem, cui tres vel duo præſentati ſunt. Ita electio aliquo modo fit apud gubernatorem, aliquo modo apud collegium judicum; ut etiam appareat, io judiciis nihil eſſe democraticum, ſed ariſtocratica omnia.

Hic autem quæritur? quomodo *ariſtocratia* (b) poſſit ſtatum ſalvum ſervare? ſiquidem oligarchià & ariſtocratia ſimplices ſunt ſtatus facile mutabiles: Democratiæ autem ſunt ſatis diuturnæ. Quod 1) ariſtocratia ſit valde mutabilis, cauſa eſt, quia ariſtocratia plures habet inhonoratos, ex quo invidia naſcitur; quod ſe injuria excluſos a regimine putabant. Cauſa duplex eſt, quare ariſtocratia Hollandorum ſit diuturnior. Prima eſt, quia magiſtratui non licet quæſtum facere ex honoribus; exiguum enim lucellum, imo ferme nihil exſpectare poteſt, qui magiſtratu fungitur. 2) Honor etiam, ſi externum habitum videas, qui magiſtratui exhibetur, eſt admodum *tenuis*. (c) Iocedunt habitu tenui, ut non videas conſuli amſtelodamenſi alium inſequentem, quam ſervulum aliquem, interdum autem plaoe nullum; hioc raro temere illis invident. Huie 3) accedit, ingenium commune populi, quæſtui deditum, qui ſe ſalvum prædicat, quod ad magiſtratum non admittatur. Nam, quando paterſamilias magiſtratu fungitur, tum ipſi decedit aliquid lucri: quando enim deliberant de republica, domi jacturam patiuntur; & reliqui contra dant operam quæſtui. Quod ſi Hollandi eſſent ingenio ambitioſo, & ſi ex magiſtratu poſſent lucrum ſperare, aut magnum honorem, profecto illa reſpublica non poſſet quieſcere io tanto numero hominum. Sed quoniam ſimplici ſunt ingenio, & dediti quæſtui, hinc ſalva eſt reſpublica. Si autem oriantur tumultus in civitate, profecto reſpublica facile mutari poteſt. Hoc apparuit anno hujus ſeculi 18, eum populus diſſideret a magiſtratu: propterea Mauritius mutavit emnes Magiſtratus in omnibus urbibus. Ideoque facile ariſtocratia mutari poteſt, ſi accedant civilia bella.

(a) *gubernatore*) A ſenatu eos eligi docet TEMPLE *l. c.* *p.* 90.

(b) *ariſtocratia*) Amſtelodamenſe regimen aliquid ex ariſtocratia habere, docet TEMPLE. p. 90.

(c) *tenuis*) Contrarium docet TEMPLE *p.* 92. *Cette charge* inquit, *eſt accompagnée d'un grand reſpect, d'une grande autorité & digniti, & d'autant plus grande, qu'elle ne rapporte point de profit, ny d'autre avantage ſi non, qu'elle prepare le chemin a d'autres employs dans l'aſſemblée des Etats generaux, dans le conſeil d'Etat de la generalité & dans les autres collegis des provinces unies. Les appointemens d'un Bourguemaitre d'Amſterdam ne ſont, que de cinq cens livres.*

CAPUT XXVII.
DE
ZEELANDIA.

POſtquam Hollandiam vidimus, operæ pretium erit, ut accedamus ad *Zeelandiam* (a) Hæ duæ provinciæ eodem tempore ſuam appellationem nactæ ſunt. Qui plus deſiderat de republica Zeelandiæ, poteſt adire eosdem ſcriptores, qui res hollandicas, aut rempublicam eorum perſecuti ſunt. Habet tamen Zeelandia ſcriptorem hiſtoriographum *Reichersbergium*, (b) qui ſcripſit Chronicon Zeelandiæ ſuperiori ſeculo, id quod in rebus Zeelandiæ commendari ſolet.

Ut autem de *Zeelandia*, (c) in quantum rempublicam ſimplicem conſtituit, agamus, principio obſervandum eſt: illud, quod pertinet ad cauſam materialem. Aër Zeelandiæ eſt longe aſperior, quam Hollandiæ; propterea, quod omnia ibi ventis ſunt expoſita, eoque etiam inſaluberrima omnibus, qui aëris hujus non aſſueti ſunt. Apud Hollandos in proverbium abiit: Febris zeelandica, quod ſcilicet ii, qui aëris illius non ſunt aſſueti, facile febri corripiantur. Interim tamen ipſi Zeelandi, quippe aſſueti aëri aſpero, ſolent eſſe ſatis corpore ſalubres. Quod attinet ad ſolum ipſum, illud diſtinctum eſt in *varias inſulas* (d) ab oceano, quem alias habet ſatis potentem; multas enim inſulas plane abſorpſit, & ne illæ quidem, quæ adhuc ſuperſunt, ſunt ſatis tutæ, propterea, quod oceanus non deſinat in illas inſulas irruptionem facere. Solent illæ inſulæ muniri ab aliqua parte collibus *arenoſis*, (e) deinde etiam aggeribus, quorum conſervatio admodum eſt ſumtuoſa. Multis urbibus etiam oceanus dat incrementum, ſed plus auffert, quam affert. Solum ipſum quod attinet, conſtat gleba ſatis *pingui*. (f) Igitur fertilis eſt, & ferax tritici optimi: adeoque hac in parte prævalet Hollandiæ. Sylvis & arboribus adeo inſtructa non eſt; & non minus quam in Hollandia, in alimentum ignis neceſſum eſt, ut cedat torſus.

Si videas etiam ſitum regionis, non poteſt adiri terreſtri itinere; ſed tantum mari. Interim tamen verſus oram maritimam ſatis tuta eſt ab incurſionibus. 1) Quia littora ſunt valde vadoſa, ita ut magnis navigiis circa littora non poſſit navigari, & parvulis navigiis nemo audebit ſe mari ferventi committere, niſi piſcationis gratia. Portus etiam habet admodum paucos, ſed quos habet, ſunt admodum muniti; nam circa portus ſita ſunt oppida & munimenta. Non patet igitur *incurſionibus*. (g)

Conſtat autem, ut ante dixi, ex variis inſulis, quarum maxima eſt, quæ Walcheria appellatur; & hæc inſula quam maxime a *Danis*, (h) cum illi occuparent etiam Hollandiam, videtur accepiſſe nomen Zeelandiæ; propterea, quod antiquo jure friſico, terræ inſulares, & proximæ, revera dictæ fuerunt Zeelandi. Hæ inſulæ ſolent appellari *friſicæ*: (i) propterea, quia ſunt proximæ Rheno & amni Moſæ, & Scaldi.

De cœtero inſulæ illæ non ſunt feraces metalli, non lapidum, ſed una ferax eſt ſalis arte confecti. Idque partim ex ſale advectitio mixto cum aqua ſalſa oceani, partim etiam ex terra ſalſa, quam appellant Barne, maximo lucro conficitur. Eſt etiam frumenti ferax, non tamen ita, ut tantam poſſit alere multitudinem hominum. Neceſſum itaque eſt, ut aliunde advehatur. Verum quoniam *triticum* (k) carius poteſt vendi, hinc ſecale vel ſiliginem aliunde curant advehi.

Porro

(a) *Zeelandiam*) de Zeelandiæ antiquis incolis, regiminis forma, quæ olim ibi obtinuit, ejusque mutationibus vide EYNDII *chron.* Zeelandiæ.

(b) *Reichersbergium*) Ad hunc GUICCIARDINUS *dans la deſcription des pays bas p.* 321. provocat.

(c) *Zeelandia*) Inter Scaldis & Moſæ oſtia, mareque germanicum eſt. Ad ſeptentrionem Hollandiam, ad orientem Brabantiam, ad meridiem Flandriam, & ad occidentem mare habet.

(d) *varias inſulas*) Tales ſunt: Schouve, Duvelant, Tolen, Walckeren, Zuydbevelandt, Noortbevelant & Wolfersdyk. Omnium harum deſcriptio apud GUICCIARDINUM p. 325 ſeqq. nec non in Baudrandi dictionario geographico leguntur. Metropolis Middelburgum, magnitudine, commerciis & munimentis admodum celebris in Walcheria eſt. Gaudet quoque hæc inſula Fliſſingæ portu. Inſulam Schowen urbs & portus Ziriczææ nobilitat.

(e) *arenoſis*) GUICCIARD. *p.* 323.

(f) *pingui*) BAUDRAND. *p.* 1035. Memorat lauri fructus hic ad maturitatem pervenire, quod in nulla unitarum Belgii provinciarum alia fit, GUICCIARDINUS *p.* 323. notat.

(g) *incurſionibus*) Ad excurſiones autem maritimos aptiſſima, quod maximo ſui malo Angli & Galli experti ſunt.

(h) *Danis*) A Danis inſulas illas occupatas certum: EYNDII *chron. Zeelandiæ c. XX.* An autem ab iis vocabuli Zeelandiæ origo derivanda, dubium eſt. Vid. HOFFERI *carmen* Eyndii chron. Zeelandiæ præmiſſum.

(i) *Friſicæ*) Sub generali Friſiæ nomine olim etiam zeelandicæ comprehendebantur inſulæ.

(k) *triticum*] GUICCIARDIN *p.* 323.

Porro egregias habent urbes, non quidem multas. Inter omnes autem eminet *Middelburgum* (a) & *Zricææ:* (b) hæ duæ urbes quam maxime valent. Olim etiam in magno fuit pretio Veera, ſed fluctibus maris magnam jacturam paſſa eſt, ita ut fere 4. pars urbis fluctibus maris ſit abſorpta. Portus celebris eſt Fliſſinga, urbs ſatis populoſa, & plena nautarum.

Armenta etiam alit, quantum ſatis eſt, non tamen, ut vendere poſſint. Sed piſcium ingens eſt copia, ideoque in inſulis illis ingentem licet reperire multitudinem piſcatorum. In univerſum itaque dixeris, huic inſulæ non multum deeſſe ad vitam, cum habeat frumenti pæne ſatis; imo etiam armentorum & pecudum. Interim non omnia adſunt, ad vitam opipare degendam.

Quod homines attinet, tum primum multitudo hominum eſt ſatis inſignis. Ingenium populi eſt *majus* (c) hollandico: & quoniam perpetuo oportet armis pugnare, ideo incrementum aliquod ingeniis accedit. *Multas divitias* (d) vero non reperies, attamen ſatis inſignes non defuere. Habitant autem homines bonam partem in urbibus, inter quas *ſex* (e, ſunt præcipuæ: non exigua etiam pars in agris habitat. Si ſtudia gentis videas, pleroſque dixerim rei nauticæ deditos, paucis exceptis. Ideoque Zeelandia etiam claſſibus valet, & appellantur die Admiralitätſchafft/ non quidem perinde, uti Holandia; interim tamen aliquo modo. Commercia etiam quam proxime inſtituit maritima, penetrando in omnes partes orbis terrarum. Itidem gens eſt ferocior Hollandis; idque propterea, quoniam totus populus eſt natus a juvenili ætate ad omnia pericula ſubeunda. Hac de cauſa primum Zeelandi adverſus Philippum, Regem Hiſpanorum, auſi ſunt inſurgere; & primi fuere libertatis VII. provinciarum fœderatarum conditores. Cum ad hunc modum ſeſe habeant ingenia, facile etiam apparet, illos nullis artibus colendis ſolere ſeſe dare. Habent quidem artifices, ſed non adeo multos, quoniam plus lucri ſperare ſolent ex re militari. Interea dum ille populus operam dat bello, propterea moribus magis ad Brabantinos accedit, quam ad Hollandos. Præſertim ſi mulieres videas, quæ nimis nitidæ ſunt. Si hactenus itaque videas & inſulas, & oppida, dixeris, illas inſulas eſſe ſatis divites. Et bello magnas divitias ſibi acquiſivere: quod etiam reperire licet; nam ad onera belli communis fœderatarum provinciarum eſt ſtatim poſt Hollandiam. Divitias enim longe majores ibi reperies quam in Weſtfriſia, Gröninga & reliquis. Illæ autem divitiæ unice debentur commerciis nauticis.

Quod attinet regimen ſeu rempublicam ipſam, ejusque finem, tum revera tota reſpublica adminiſtratur ad utilitatem omnium, non vero dominantium. Inde, quid optimum ſit in civili vita, nemini non eſt notum. Interim fere dixeris, Zeelandos eodem vitio laborare, quo Hollandi, propter ſtudium divitiarum. Sed res ſecundæ, & perpetua felicitas mutarunt mores.

Quod regimen attinet, perinde atque in Hollandia regitur *tota provincia*, (f) atque tota eſt libera, adeoque ſuperiorem agnoſcit neminem. Antea autem fuit ſub *comitibus* (g. & domino: & ante aliquot ſecula fuit habita pars imperii germanici, uti in libro de finibus imperii germanici oſtendi. Cæterum, libertatem ſuam accepit una cum reliquis provinciis fœderatis, excuſſo ſcilicet jugo Hiſpaniæ. Adminiſtratur itaque hodie regimen a duplici claſſe Ordinum; unam conſtituit nobilitas, alteram urbes. Verum nonnihil hic ſe aliter habet, atque in Hollandia. Princeps Auraſionenſis, Wilhelmus, emerat ſibi marchionatum Veeræ & Fliſſingæ, adeoque acquiſiverat ſibi plenam poteſtatem Zeelandorum. Hinc adeo in conventu Ordinum, loco nobilium, Wilhelmus jus ſuffragii, reliqui autem nullum habebant. Secundam claſſem conſtituunt VI. urbes, quæ ſingulæ ſuum habent ſuffragium. Hinc, cum princeps *Auraſionenſis* (h) duarum urbium ſit dominus, videlicet Veeræ, & Fliſſingæ, & jus habeat ſententiæ dicendæ illarum *duarum urbium* (i) in conventibus zeelandicis; adeoque pæne dimidiam partem ſuffragiorum habet. Hæc igitur eſt cauſa, quare in Zeelandia Auriaci principis res ſint longe ſuperiores, quam in Hollandia, & quare Zeelandia usque dum adverſus Hollandos pro principe Auriaco pugnaverit. Hodie, perinde atque in Hollandia, non habet gubernatorem

(a) *Middelburgum*) GUICCIARDIN. *p.* 325.

(b) *Zriczaa*) Hæc quodammodo undis eſt imminuta GUICCIARDIN. *p.* 325.

(c) *majus*) *Zeelandi mediocris ſunt ſtatura, verum robuſto & ſubacto corpore placidi, ſed callidi, & ad alias decipiendos apti.* LUCAS *de Linda p.* 860.

(d) *multas divitias*) Ad quæſtum autem ſatis incumbunt. Vide LINDAM *l. c.*

(e) *ſex*) Præcipuæ ſunt Zirckzee, Middelbourg, Veere, (Cantere) Fliſſingen, Armuyden, Tolen.

(f) *tota provincia*) BASNAGE *ch. XXVI.* TEMPLE *ch. II. p.* 130.

(g) *Comitibus*) Conf. EYNDII *chr.* Zeelandiæ *c. VI. ſeqq.*

(h) *Auraſionenſis*) Auriacus princeps Guilielmus marchionatum Veerenſem & Fliſingenſem anno 1581. accepit.

(i) *duarum urbium*) Auraſionenſes principes, ut primi & unici nobiles Zeelandiæ, in Ordinum conventu & Status conſilio primum lo um & votum habuerunt, fuitque penes ipſos jus, in duabus illis urbibus magiſtratus creandi.

torem. Non dubito, quin puer princeps *Auriacus* (a) a Zeelandis Imperator conſtituatur. Si ſpectes ſingulas urbes, apparet, non democratiam eſſe Zeelandiam; nam in ſingulis urbibus regimen eſt ariſtocraticum, & mittuntur ad conventus ex urbibus, more ariſtocratico Delegati, & perinde atque Hollandia ſuos habet conventus, ad quos mittuotur Delegati, ad eundem modum habet ſingulare collegium expediendis rebus, quod dixeris collegium ſeptemvirale, quoniam conſtat ex 7. ſuffragiis, perinde atque in Hollandia.

Habet deiode judicia, nam ea itidem adminiſtrantur ab urbibus, & quidem a Scabinis, niſi quod Gubernator, uti in Hollandia, Prætorem ſoleat conſtituere. Ille autem jus dicit una cum Scabinis, more antiquiſſimo Germanorum. Illa judicia aut ſunt oppidana aut agreſtia. Eſt etiam ibi aliquod judicium provinciale, ad quod datur provocatio. Deinde vero, habent Zeelaodi & Hollandi commune ſuum judicium, illud eſt Hagæ comitis. Notandum autem eſt, quod judicia appellatoria ſint valde noxia rebuspublicis: & certe ſufficit unum, & re factum. Videatur Hugo, de abuſu appellationum tollendo.

In rebus eccleſiaſticis, ſi quæ contingit controverſia, ad judicia illa non defertur, ſed ſolent lites controverſæ finiri a conſenſu eccleſiaſtico, qui conſtat partim ex paſtoribus eccleſiarum, partim ex Magiſtratibus oppidorum, & nobilitate. Obſervandum autem eſt, quod in Zeelandia ſit magna autoritas Eccleſiaſticorum, quoniam eorum apud plebem magna eſt ibi autoritas.

Solet autem in ipſo fœdere non nihil æmulari ſtudia Hollandorum: quod ſcilicet omnino ſit dedita commerciis, quæ æmulatiooem parere ſolent. His efficitur, ut ſæpenumero in comitiis fœderatorum magnas turbas dent Zeelandi, & cum valeant claſſe, ſæpenumero nolint, quod reliquæ volunt. Uti nupere apparuit, cum pax eſſet ineunda cum Anglis, quod plane noluerunt Zeelandi.

(a) *Auriacus*) Vide quæ ſupra dicta ſunt. Sermo autem hic eſt de Wilhelmo tertio.

CAPUT

CAPUT XXVIII.

DE

WESTFRISIA.

ANte omnia mooendam eſt, de Friſiorum rebus & republica varios hiſtoricos ſupereſſe; attamen non omnes paris autoritatis ac fidei: quippe more aliarum gentium, non defuerunt his nonnulli, qui multa fabuloſa mileuerunt hiſtoriæ Friſiorum, atque totam hiſtoriam gentis illius fecere admodum dubiam, ineptam. Præ · mnibus aliis præclara eruditione & prudentia UBBO EMMIUS, a) conſcripſit *hiſtoriam rerum friſicarum*, vaſto opere, ut nemini poſſit ſecundus haberi. Perſecutus autem eam eſt ab antiquiſſima memoria usque ad bellum, quod belgico-germani populi adverſus Hiſpanum pro libertate ſua geſſere. Præterea etiam res friſicas PIERIUS WINSEMIUS docte perſecutus eſt, qui meretur accurate legi. Quod rempublicam ipſam attinet, eam ſingulari libello perſecutus eſt UBBO EMMIUS, & quidem feliciſſime: Et prout ille præclaram laudem reportavit ex deſcriptione potiſſimarum rerumpublicarum Græciæ; ita etiam in hoc argumento omnibus præripuit palmam.

Jam memorabo nonnulla, & quidem ea, quæ potiſſimum pertinent ad ſtatum illius reipublicæ accurate cognoſcendum. Notandum autem eſt, Friſiorum nomen ſupereſſe hodie, ab antiquiſſima rerum memoria gentium *germanicarum*; (b) & quidem ſolum Friſiorum. Nam ſi quis legat Taeitum, & *Hiſtoricos* (c) reliquos, oon reperiet ullum nomen germanicum, quod tuoc temporis fuerit in uſu, & hodie ſuperſit, præter hoc unicum nomen Friſiorum. Nec tantum appellatio priſca manſit; verum etiam ſedes priſca: niſi quod poſtea per colonias propagati ſunt Friſii. Taciti tempore omnes dicti ſunt Friſii, qui habitarunt a Rheno usque ad Amaſim, poſtea ab Amaſi ad *Viſurgim*, (d) qui dicti ſunt Nordfriſii: Et propagatum deinde nomen, ubi hodie eſt Wurſatia die Murſt-Freſen. Superſunt etiam in Holſatia, & in proximis inſulis Transfriſii, qui moribus & lingua Friſii ſunt.

Quod autem hodie attinet provinciam illam, quæ κατ' ἐξοχὴν dicitur Weſtfriſia, diſtincta ab Nordhollandia, terminatur Flevo & oceaoo a ſeptentrione: ab occidente Lavica amne, olim ſatis magno, hodie perquam exigun. Quapropter etiam hæc Friſia alias ſolet appellari Friſia ciſlavicana. Cingitur etiam ex parte Drentia, & nonnullis aliis locis trajectinæ provinciæ: κατ' ἐξοχὴν apud omnes dicitur oomine Weſtfriſiæ, non, quod ſolum oomen mereatur, ſed quod retinuerit.

Quod attinet porro illam provinciam ratione ſoli, non late patet; nec enim in longitudinem nec latitudinem patet ultra 8. milliaria. Itaque facile apparet, regimen non eſſe magnum, ſed anguſtis finibus incluſum. Facile tamen apparet, etiam difficilem aditum eſſe a mari, & quidem propterea, quod non habent portus ad oceanum, ſed tantum ad Flevum ſinum, an die Süder-See.

Solum ipſum eſt diverſum: dividi autem ſolet Friſia *in tres partes*; (e) in Oſtergoam, Weſtergoam & Sylveſtriam, ſeu partem ſylveſtrem. Ratione ſoli differt Oſtergoa, & eſt paulum editior. Weſtergoa eſt depreſſior: Sylveſtria eſt arenoſa aut ſylveſtrior, unde nomen accepit. Weſtergoa cumprimis abundat paſeuis lætiſſimis, ut non temere alibi terrarum æque læta paſcua reperias. Oſtergoa etiam paſeuis *abundat*, (f) & ſimul agro frumentario; ſed non eſt

(a) *Emmius*) Vide alios ſcriptores rerum friſicarum inter Belgii ſcriptores memoratos.

(b) *germanicarum* Sunt, qui putant, apud Friſios veterem Germanorum linguam illibatam, aut non ita prorſus mutatam eſſe.

(c) *Hiſtoricus*) Conf. *Cellarii Geographia antiqua lib. II. c. V. p.* 464. 465.

(d) *Viſurgim*) EMMII *rer. friſicarum Hiſtor. lib.* I. Friſii olim omnes, qui tractum terrarum inter medium Rheni alveum, & amaſim inhabitabant, complectebantur populos. Illarum terrarum numero erant Hollandia, quæ ſeptentrionalis dicitur, trajectenſis provincia, dimidia pars urbis Leidenſis, Friſia, quæ hodie occidentalis dicitur, Tranſiſilana, Drentia & groningenſis ager. Poſterioribus deinde ſeculis etiam cis Amaſim per omnem illam oram maritimam, usque ad Albim, & ultra cum porro ad littus occiduum cimbricæ cherſoneſi Friſii degere cœperunt. Spectat huc terra, quæ hodie Friſiæ orientalis nomine audit. Ad dextram Viſurgis fuerunt Friſii Worſati, & in occidentali ducatus Sleſvicenſis littore Friſii ſeptentrionales die Nord friesen, Stadfriesen. Emmius ad Friſios quoque refert, Hadelenſes, Ködingos, terras veteres (Oldeland) Ditmarſos, ſed impingere videtur: in illis enim terrarum ſpaciis, ut Rhegino autor eſt, Caroli M. tempore Saxones habitarunt DANCKWERTH *in chron. Holſatia p.* 89 *ſeqq.* Cœterum de origine Friſiorum a Suffrido Petri & Furmerio multa fabuloſa tradi, alibi monui. Vide UBBONIS EMMII *apologeticam refutationem & veritatis aſſertionem contra Suffrids Petri & Furmerii criminationes.*

(e) *in tres partes*) Vid. EMMIUM *lib. I. Hiſtoriar.* Primariæ, quæ Friſiam exornant urbes, ſunt Loewardia metropolis, magnitudine, elegantia & propugnaculis exſplendeſcens; Harlinga portu, divitiis & munimentis nobilis, Franeckera Academia gaudens & Stauria, cujus portus, quem habet egregium, maximam partem arena eſt obſtructus. Habet inſulas Schekiugam, Amelandiam & Monicogam. Vid. GUICCIARDINUS.

(f) *abundat*) GUICCIARDIN. p. 199 ſeqq.

eſt tam dives, quam Weſtergoa. Sylveſtris autem eſt multo minor, ut & arenoſior, & paſcuis non ita inſtructa. Qua tamen parte ſeritur frumentum, non adeo infeliciter redditur; ſed neutiquam comparanda eſt cum illis duabus.

Quod attinet terræ proventus, maximus proventus Weſtergoæ conſiſtit in armentis & jumentis; atque ideo quam maxime frugifera illis proventibus, qui poſſunt accipi ex cura pecudum: ut butyro lacte, carne &c. in Oſtergoa etiam feliciter creſcit frumentum, & quidem fere ita, ut pene ſufficiat toti Friſiæ. Præter hoc autem non eſt, quod ſolum ſuppeditet, non pretioſa ligna, non lapides pretioſos. Metalla nulla habet. Facile itaque apparet, omnino importandis utendum eſſe, neque ibi ſufficere, ad feliciter vitam degendam. Interim tamen abundat piſcibus; cumprimis Weſtergoa. Piſces autem capiuntur, partim ex oceano, partim in Flevo, in lacubus & innumeris rivis. Oſtergoa etiam non deſtituitur piſcibus; ſylveſtris vero minimum eſt iis inſtructa.

Quod homines ipſos attinet, numeroſus eſt populus: implet enim omnia. Solent porro etiam corpore eſſe ſatis *ſalubri.* (a) Si temperanter vivunt, ſolent ad extremam ſenectutem pervenire; quod arguit, aërem non eſſe adeo inſalubrem. Eſt quidem aër vaporibus, ex lacubus aſcendentibus, obnoxius; attamen ille corrigitur perpetuis ventis. Si mores videas & ingenium, ingenio pæne omnes ſunt ſimplici, qui nemini graves eſſe volunt; nec etiam ab altero gravari: quale olim ingenium fuit omnium gentium germanicarum, uti Tacitus deſcribit in libro de moribus Germanorum. Cæterum ad magna raro aſpirant, contenti ſcilicet ſua ſorte. Quod autem Ingenio non deſtituantur, hoc indicat, quod libertatem ſuam potuerint per aliquot ſecula ſervare integram, inuſitato exemplo; & quod habuerint viros excellentes, ad invidiam usque doctos. Si videas virtutes morales, tum non ita reperies lucro deditos, uti Hollandos & Zeelandos. Quapropter etiam commercia minus apud eos vigent. Non adeo cupidi quæſtus: reperies quidem commerciis deditos, attamen non in tantum, uti Hollandi & Zeelandi.

Temperantiam (b) nec multum laudaveris, nec culpaveris. Laborant illi communi vitio Germanorum; ita tamen, ut non plane modum excedant. A fortitudine merito illos laudaveris; non vero a ferocia. Non ſunt jactabundi, prout ſunt milites. Fortes ſunt propugnatores ſuæ libertatis: nullius enim rei magis ſunt impatientes, quam ſervitutis. Hinc adeo per tam multa ſecula libertatem fortiter tutati ſunt.

Quod juſtitiam attinet erga Deum & religionem, videas, pleroſque eſſet religioſos; attamen diviſos inter ſe ſacrorum cultu, & quidem perquam multum. Bona enim pars adhuc pontificiis ſacris eſt dedita. Quanquam etiam haud exigua anabaptiſtis nomen dederit; attamen potior pars reformatam religionem ſectatur. Itaque hæc pars adeo prævalet, ut in publico non alias ſacras ædes perferant. Neque etiam quiſpiam ad honores admittitur; niſi profiteatur, ſe reformatæ religioni addictum. De cætero non dixeris eos eſſe iniquitati deditos; multo minus latum imperium quærere; ſed ſuis antiquis ſedibus contenti ſunt, & colonias fecerunt ex locis vacuis, uti ex Tacito patet.

Ratione virtutum intellectualium habent ſcholas eximias: item Academiam haud contemnendam, Franeckeranam, ubi ingenia excoluntur. Cæterum quod bona pars ſit locupletior, atque adeo rebus ſecundis ad ignaviam declinet, hinc ingenia minus excoluntur. Accedit etiam vitium libertatis, quæ in licentiam degenerat, ut ſi ſit circa juventutem, non illa ſolet ad culmen eruditionis pervenire. Etiam artes ibi quidem excoluntur, ſed non adeo multæ. Nullæ ſunt usque adeo præſtantes, ut tales non reperias in Hollandia. Quam maxime itaque victum ſuum quærunt ex paſtu & re pecuaria, frumentaria, re nautica & ex commerciis.

Ut hoc etiam addam, ſermo gentis multum differt a ſermone communi germanico, & batavico: nec enim Friſium aliquem intellexeris, nec ille te. Quam proxime autem lingua accedit ad anglicanam, quæ eſt vere *ſaxonica:* (c) non enim noſtra lingua eſt ſaxonica, ſed veterum Chaucorum. Niſi quod anglica ſit diſtincta multis vocabulis gallicis & latinis, friſica autem adhuc ſit magis ſincera. Illa gens gaudet etiam antiquis moribus. Hinc adeo etiam ibi ſuperſunt nomina antiqua Germanorum, quæ hodie nusquam per univerſam Germaniam reperies. Talia vocabula in hiſtoria Longobardorum reperire licet; Longobardi enim & Friſii habent eadem fere nomina. Ut appareat, Longobardos fuiſſe gentem ejusdem linguæ cum Friſiæ populo. Interim tamen vere eſt lingua germanica, uti ſuecica, danica.

Quod attinet finem regiminis, profecto hic etiam maxime apparet, omnia adminiſtrari ad communem utilitatem. Neque hic aliquid geritur ad utilitatem dominantium, neque ibi aliquis eſt dominus; ſed omnia feruntur ad utilitatem totius populi. Quanquam non nihil de illa utilitate remittatur, propterea, quod ſoli illi qui ſunt Reformati, poſſint pervenire ad honores. Hoc autem diſcrimine ſublato, omnino habetur æqualitas; ut exinde appareat feliciter ibi vivere homines.

Quod

(a) *ſalubri*) *Vid.* LUCAS DE LINDA *p.* 165.

(b) *Temperantiam*) Sera hic adhuc dicitur juvenum venus, & rariſſima in illa gente adulteria.

(c) *ſaxonica*) Vid. *Hickeſii theſ. linguarum ſeptentr.*

Quod ipſum regimen attinet, obſervandum eſt, quemadmodum ſeſe habeat, tum illud, quod toti provinciæ commune, tum quod ſingularum partium eſt. Et quidem obiter monendum eſt, apud Friſios ab antiquiſſima memoria olim Reges fuiſſe, ſed, qua olim fuere, autoritate, *magis ſuadendi*, (a) quam imperandi, uti Tacitus ait; Reges vocabantur, & fuere quaſi Gubernatores, ſalva tamen libertate; ita, ut penes Reges non fuerit autoritas publica, ſed potius conſilia. Vis in republica fuit penes populum. In ipſo Tacito narratur hiſtoria de Friſiis, qui cum eſſent a Romanis ſubacti, & vetiti, in deſolata armenta paſcere; hinc *duo reges*, (b) ut veniam peterent a Nerone, miſſi ſunt a populo, qui Romam venientes, eum intellexiſſent, quæ eſſent ſubſellia Regum & Legatorum, non dubitarunt illa ſubſellia *occupare*, (c) & quidem ſupremum in iis locum populo ridente, nullos Reges eſſe Germanis ſuperiores reſpondebant, quod Nero ægre *non tulit* (d).

Pervenere deinde Friſii ſub imperium Francorum, ſine dubio illi itidem coacti fuerunt communem ſuſtinere fortunam. Quandoquidem tamen ſeſe ſponte dediderunt, mitius habiti ſunt; ita tamen tunc temporis fuit regnatum, ut itidem libertati multum fuerit detractum. Solent alias gloriari, quod a Carolo M. plenam iterum acceperint libertatem, ut nunquam deberent regi ab alio, niſi ab eo, quem ex ſuo genere velint ſibi præficere. Atque ideo arceſſunt tabulas antiquas; ſed illæ tabulæ ſunt nimis ineptæ, atque arguunt autorem ineptum, & anilium fabularum conditorem. Quapropter non eſt, quod quisquam illis antiquis tabulis fidem habeat, quæ circumferuntur ea de re. De libertate enim illa, a Carolo M. Friſiis conceſſa, in antiquis monumentis nihil apparet.

Certum autem, quod Franci Friſiam aliquando donaverint Danis, quemadmodum jam tum narravi, cum agerem de Hollandis. Verum illud Danorum regimen non fuit diuturnum. Ex eo tempore itidem respublica adhuc fuit gubernata per populares. Hollandiæ Comites quidem, aliquot ſeculis poſt, haud dubitarunt profiteri, ſibi in omnes Friſios a regibus Francorum datum eſſe imperium & regimen; verum illa hollandorum Comitum *prætenſio*, (e) nulla nititur certa quadam fide. Interim tamen hoc nomine ab Hollandiæ Comitibus, graviſſima ſemper geſta ſunt bella cum Weſtfriſiis. Tempore Henrici IV. præfuit parti Friſiæ *Saxoniæ princeps* (f) aliquis, non jure hæreditario, ſed nomine cæſareo, ita ut appareat, illos tunc temporis habuiſſe gubernatores, & quidem a Cæſare conſtitutos. Fracta autem cæſarea poteſtate in Henrico IV, & exorto bello inter Saxones & Cæſarem, ex eo tempore non reperies, ſaxonicum Principem illis terris præfuiſſe. Igitur nihil ſuperfuit, quod ab Hollandiæ Comitibus prætenditur. Verum enim vero, geſſere quidem bella illa feliciter Hollandiæ Comites, ſæpe etiam infeliciter. Sic Wilhelmus fortiſſimus heros, Hollandiæ Comes, qui electus fuit in Romanorum Imperatorem ſec. XIII. una *cum omnibus ſuis* (g) trucidatus fuit a Friſiis. Tandem Hollandiæ Comites nil potuerunt, atque ita manſit re ipſa libertas populo. Hinc apparet, intra omnes Germaniæ populos, Friſios in libertatem ſeſe aſſeruiſſe, & ſuam libertatem fortiter defendiſſe adverſus vim intentantes. Notum autem eſt, Hollandiæ comitatum tandem perveniſſe ad burgundicam familiam. Hi Burgundi, tametſi ne glebam quidem Weſtfriſiæ poſſiderent, tamen titulo prætulerunt dominium aliquod in Friſios. Nusquam etiam in Hiſtoria burgundica reperire licet, dictos eſſe eos dominos Friſiæ.

Verum enim vero, ut ſolet libertas, ita etiam hæc laborare diſcordia ferali. Tota Weſtfriſia fuit diviſa in duas factiones, quarum altera dicta fuit *Schiringiorum*, (h) altera Vetcoperorum. Interim hæ duæ factiones feraliter pugnarunt, donec alterea prævaluit. Victi autem in auxilium vocarunt Maximilianum Imperatorem, qui deinde burguodicæ familiæ ſucceſſit.

(a) *magis ſuadendi*) TACITUS *annal. XIII.* c. 54. de Verrito & Majorige dicit, illos Friſios rexiſſe, in quantum Germani regnantur.

(b) *duo Reges*) Sermo hic eſt de Verrito & Majorige, quos memoravimus.

(c) *occupare*) Poſtquam enim quosdam in ſedibus Senatorum peregrino habitu adverterent, percunctati ſunt, quinam forent. Et cum audiverunt, earum gentium legatis illud datum, quæ virtute & amicitia Romana præcellerent: *nullos mortalium armis aut fide ante Germanos* eſſe, exclamant, digrediunturque & inter patres conſident: TACITUS l. c. Ad militarem Friſiorum virtutem ſpectant inſcriptiones, quæ apud GRUTERUM p. 600. & FABRETTUM *de columna Trajani c. VII. p.* 183. repetiuntur.

(d) *non tulit*) pergit Tacitus l. c. *quod comiter a viſentibus exceptum, quaſi impetus antiqui, & bona æmulatione. Nero civitate* ambos donavit. Suetonio enarrante, hoc ſub Claudio factum eſt.

(e) *prætenſio*) Vide tamen MATH. VOSSIUM *in annal. Hollandiæ p.* 20 *ſeqq.*

(f) *Saxoniæ princeps*) Hic erat Egbertus Saxo. Quænam ipſius fuerit ſors, docet VOSSIUS *l. c. p.* 59.

(g) *cum omnibus ſuis*) Friſios bello aggreſſurus, paludem glacie obductam ad Medenblickam ſuperare auſus eſt: Verum res admodum male ceſſit; rupta enim glacie cœno immerſus, cui, ob gravem armaturam, ſe explicare non potuit, a Friſiis cæſus eſt. MATHÆUS PARISIENSIS *p.* 621.

(h) *Schiringorum*) UBBO EMMIUS *rer. friſic. lib.* XXIX. XXX. XXXI.

ceſſit. Cæterum Maximiliano, nec tantum otii, nec tantum virium fuit ut domaret Friſios. Cum autem de Maximiliano optime eſſet meritus *Albertus*, (a) Dux Saxoniæ, & quidem usque adeo, ut meruerit nomen dextræ manus Imperii, quia rem feliciter geſſerat pro Maximiliano; cumque ipſi deeſſet pretium & ſtipendium, tum illud dedit, quod non poſſedit: dedit ſcilicet jus in Friſios, quod hic Albertus voluit vindicare: Friſii vero pugnarunt pro libertate ſua. Ea tamen fortuna bellum eſt geſtum, ut Friſii tandem ceſſerint victori Saxoni, ita ut ille fere quicquam perdiderit, quod habuerat antea opum, atque ex ditiſſimo Principe factus fuerit inops.

Hac ratione effectum fuit, ut filius ipſius Georgius, non magna accepta pecunia, iſtam Friſiam cederet Carolo V, deinde devoluta eſt ad Philippum: Verum nec ſic quidem de libertate actum fuit. Poſteaquam enim aliæ provinciæ vires iterum accepere, hæc Friſia dedit illi fœderi nomen, atque ejecto hiſpanico jugo, ſe in priſtinam libertatem aſſeruit.

Rediit itaque libertas poſt principatum non diuturnum. Atque ex eo tempore libertas manſit integra. In univerſum notandum eſt, aliam eſſe rationem regiminis atque in Hollandia. Nam *regimen* (b) illius provinciæ eſt democraticum, quemadmodum Hollandiæ regimen eſt ariſtocraticum. Quod itaque attinet commune regimen, illud eſt penes Delegatos, & quidem totius populi. Delegantur enim ad comitia & conventus publicos, ubi deliberatur de ſumma rei, partim a nobilitate, partim ab oppidanis, partim denique a potioribus agricolis. Nam etiam illi, qui agrum colunt, ad comitia veniunt: ut ita appareat, aliter ſe habere comitiorum rationem, atque in Hollandia. Quod comitia attinet, ſolent illa dividi in 4. claſſes, ſeu conclavia, & ſecundum illa quatuor conclavia omnia deciduntur. Unum conclave conſtituunt Oſtrogoi, alterum Weſtrogoi, tertium Sylveſtres, 4. Oppidani. Omnibus hiſce præſidet Gubernator, & quid placuerit majori parti, hoc ratum eſt & decretum comitiorum. Si conclavia ſint pari numero, tum decretum nullum fieri poteſt. In ipſis autem ſingulis conclavibus, eadem ratio obſervatur. Conclavia autem tria conſtituuntur ex duabus ſuffragiorum claſſibus. 1) Ex claſſe nobilium & 2) reliquorum agricolarum. Oppida autem deinde habent ſingulare collegium. Moderatur hæc conclavia Gubernator, quem ipſi elegerunt. Ideoque Gubernator revera eſt Magiſtratus. Summa autem poteſtas eſt penes populum. Mittuntur autem delegati in quodlibet conclave a ſuis; verum hac in re multum valuit ambitus. Conferuntur etiam honores publici a communi

(a) *Albertus*) UBBO EMMIUS lib. 34, usque *ad finem rer. friſic.*

(b) *regimen*) Ad ea, quæ ad Friſiæ regimen pertinent, rectius intelligenda, optime faciunt TEMPLII in libro ſæpe citato p. 131. ſequentia verba: *Le gouvernement de Friſe eſt bien different de celuy des quatre Provinces, dont nous venons de parler. Il eſt compoſé de quatre membres, ſcavoir du quartier d'Oſtergo, qui contient onze baillages: de Weſtergo, qui en a neuf: de Sevenwolden, qui en a dix, & des villes. Chaque baillage, comprend un certain nombre de villages, les uns dix ou douze, & les autres quinze ou vingt, ſelon leur étendue. Le quatricine membre eſt celuy des villes de la province, qui ſont ou nombre d'onze. Chacun de ces quatre membres a droit, d'envoyer ſes Deputez a l'Aſſemblée des Etats, ſçavoir deux de chaque baillage, & autant de chaque ville. Ceux-cy repreſentent la ſonveraineté de la province, deliberent & reſolvent toutes ſortes d'affoires, de quelque importance qu'elles puiſſent être, ſans qu'ils ſoyent obligez de conſulter la deſſus l'intention & la volonté de leurs Committeus, a quoy les Deputez des autres provinces, dont nous avons parlé, ſont tres particulierement obligez, & de ſuivre ponctuellement les inſtructione, dont leurs Committens les ont chargéz, & de ſcavoir leur intention devant que d'acquieſcer a aucune affaire nouvelle, que l'on propoſe.*

Ce ſont les Nobles & les villes, qui dans les autres provinces choiſiſſent le Deputez, dont leur Etats ſont compoſez, mais la conſtitution du gouvernement de Friſe eſt toute autre. Car chaque baillage, qui contient une certaine etendue de pais, & un certain nombre de villages, ainſi qu'il vient d'etre dit, eſt gouverné por un Baily, qu'ils appellent en leur langue Grietman, & cet Officier gouverne tout ce quartier, aſſiſté d'un certain nombre de perſonnes, qu'ils s'appellent Aſſeſſeurs, qui jugent enſemble toutes les cauſes civiles en premiere inſtance; mais l'on appelle de leurs ſentences a ce Cour de juſtice de la Province. Lors que les Etats ſont convoquez, chaque Bailly aſſemble touttes les perſonnes, de quelque condition ou qualité qu'elles ſoyent, qui poſſedent une certaine quantité d'arpens de terre en ſon baillage: & ce ſont ces gens, qui nomment a la pluralité des voix, les deux Deputez, quesle baillage envoye a l'aſſemblée des Etats.

D'autant que cette Aſſemblée repreſente la ſouveraineté de la Province, elle diſpoſe de toutes les charges vacantes. Elle choiſit les neuf Deputez, dont ce College permanent, qui fait le Conſeil d'Etat de la Province, eſt compoſé: comme auſſi douze Conſeillers, c'eſt a dire, trois de chaque quartier, qui compoſent la Cour de Juſtice de la province, & ſont Juges de toutes les cauſes civiles en dernier reſſort, & jugent ſouverainement toutes les criminelles, mêmes en premiere inſtance. En toute la Province il n'y a que cette ſeule juriſdiction criminelle; au lieu que dans les autres Provinces il n'y a point de ville, qui ne l'ait, & il y a même pluſieurs Seigneurs & villages a qui la haute, moyenne & baſſe Juſtice appartient. Plura vide apud CLERICUM *in diſcurſu, quem Hiſtoriæ uniti Belgii, gallico idiomate conſcriptæ præmiſit.*

muni ſententia populi. Verum quemadmodum omnes democratiæ facile laborant ambitu; ita etiam comitia Friſiorum ambitu vehementer laborant. Non vero ita laborant Hollandiæ comitia, quoniam ibi ſtatus eſt ariſtocraticus. Quod autem comitia illa ſint ita ambitui obnoxia, hoc non fit una de cauſa. 1) Eſt, quod ſcilicet in Friſiis non ſit tanta opulentia, quæ eſt in Hollandia. Hinc in Hollandia poſſunt homines opulenti honores adire, quique divitias ex republica non quærunt. Contra qui in Friſia ad honores aſpirant, illi lucrum ex eo capeſſunt; & dum divitias ſperant invident ſibi ipſis, & ſic facile laborant ambitu. 2) Multitudo illorum, qui ad honores admittuntur, & ſimiliter etiam habent jus ſuffragii; at vero in Hollandia penes paucos eſt reipublicæ ſumma. Hinc etiam non neceſſum eſt, ut ita per ambitum aſcendas; pauci enim ſententiam dicunt & pauci eligunt; At vero hic multorum ſuffragia & conſenſum habere, valde difficile eſt.

Prudenter autem in eo agunt, dum Gubernatorem ſibi eligunt, qui prudentia ſua & autoritate regat diſſidentem populum, & temperet omnia. Nam ſi abſque Gubernatore eſſet, tum non facile poſſet reſpublica conſervari. Obſervandum tamen eſt, varias eſſe democratiarum ſpecies. ARIST. *lib. 4. politicorum*, numerat V. quæ ſuo tempore in Græcia maxime celebres erant. Ita eſt aliqua democratia, attamen non infima. Quæ ratio eſt regiminis per univerſam provinciam, illa etiam eſt in urbibus. Nam etiam in urbibus omnia adminiſtrantur democratice, Aliter quidem atque aliter popolus eligit Senatum; & licet Senatus habeat electionem, tamen jus comprobandi eſt penes populum. In omnibus autem urbibus quoque valet autoritas Gubernatoris: non enim ille tantum præeſt communi reipublicæ, ſed ſingulis etiam urbibus. Alibi autem majorem, alibi minorem habet autoritatem, quod itidem bonum eſt reipublicæ.

Quod attinet porro judicia illius reipublicæ, tum habent quædam communia, quædam propria. Habent ſcilicet aliquod commune judicium, & quidem perpetuum, quod conſtat ex Delegatis & ex iis, qui ſunt de omnibus civitatibus conſtituti. Quandoquidem multa veniunt agenda extra tempus comitiorum; cumprimis tale quid uſu venit tempore belli, hinc adeo, & in Hollandia, conſtitutus eſt magiſtratus, qui nomine totius provinciæ adminiſtrat ea, quæ legibus publicis ſunt lata; ad quem devolvuntur ea, quæ de ſumma reipublicæ agenda veniunt. Ille Senatus appellatur, Collegium novem virorum. Non tamen habet jura majeſtatis, ſed tantum magiſtratus.

Quia autem illa reſpublica ambitu laborat, merito poſſet quis quærere, an non remedium aliquod excogitari poſſit tanto vitio præcavendo? & puto, poſſe aliquod adduci, & quidem hac ratione; (1) Si ex functionibus publicis vel nullum, vel perquam exiguum ſperetur lucrum, atque adeo illi, qui functionibus illis præſunt, coguntur honoribus contenti eſſe. ARISTOTELES peregregie itidem obſervat, *libro politicorum*: ad hunc modum poſſet democraticus ſtatus quam optime conſtitui. Hac ratione enim fit, ut reſpublica perveniat ad illos, qui ſunt principes, non vero ad eos, qui non poſſunt reipublicæ vacare, dum ſcilicet neceſſe eſt, ut ſibi de victu proſpiciant. Certe, ſi non poteſt magnus quæſtus ſperari, non adeo multi ambirent magiſtratus, atque honores, ſed pauci tantum: illi autem pauci, non per ambitum enituntur, hoc eſt, non ement ſibi ſuffragia, aut malis artibus aliorum favorem ſibi comparabunt. Exinde 2, fit, ut illi, qui ad functiones publicas ſunt admovendi, non proxime eligantur ab omni populo. Ad democratiam enim requiritur, ut electio fiat ab omnibus, & ex omnibus; jam vero hoc omnino non eſt permittendum, ut electio fiat ab omnibus, ſed a paucis. Omnes itaque habeant jus eligendi aliquot electores, qui habeant jus eligendi Magiſtratus: Eligant autem electorum magnum numerum, & quidem ſuffragiis; ita enim reſpublica non perveniet ad indignos, ſi autem ſorte fiat, ad indignos etiam perveniet. Eligant ergo ſuffragio forte 100 electores, ex his 100, ne fiat ambitus, ſorte alii ſunt eligendi, forte 10. Et his ſit poteſtas conſtituendi Magiſtratus. Ambitus itaque ibi locum habere non poterit, ubi res ſorti committitur. Hi decem alios per ſuffragia eligant, qui poteſtatem habeant de omnibus. Hic modus eſt optimus, omnem effugiendi ambitum, & rempublicam bene conſtituendi.

CAPUT XXIX.

DE

GROENINGA.

PRincipio nobis dicendum eſt, quare ſtatim poſt Weſtfriſiam agamus de Gröninga. Ratio autem hæc eſt, quia hæc eſt vere pars Friſiæ, quamvis oomen perdiderit. Friſiæ itaque nomen non amplius ſupereſt, niſi in Nordhollandia, & in ea, quæ κατ' ἐξοχὴν Weſtfriſia dicitur, ut & in Oſtfriſia.

Nomine vero Gröningæ provinciæ comprehenditur pars illa, quæ eſt inter *Lavicam* (a) & Amaſim. Primum, quod limites attinet, habet pro limite primo Amaſim amnem, quo, ut & ſinu Dollarto diſtinguitur ab Oſtfriſia. Habet deinde etiam pro limité oceanum & Lavicam amnem, quo diſtioguitur a Weſtfriſia, proprie ita dicta. Deinde ab oriente habet adjunctam Drentiam. Itaque facile apparet, terreſtri itinere eam adiri onn poſſe, niſi ex Drentia & Weſtfriſia, & quod circa Dollartum ſinum pateat aditus in eam. Cæterum claſſe adiri poteſt, attamen difficulter; propterea, quoniam non eſt portubus inſtructa. Unum tantum habet portum eximium, quem appellamus Delfziel ad Amaſim & ſinum Dollartum: adeoque ſi modo reſpublica tutata fuerit portum illum, ab incurſu hoſtili eſt ſatis tuta; quia hoſtis non poteſt claſſe appellere.

Quod amplitudinem attinet, eſt regio hæc multo minor Weſtfriſia proprie dicta, & vix æquat dimidiam partem. Qund autem attinet ſolum ipſum, revera eſt ejuſdem naturæ, uti ſolum Weſttriſiæ, niſi quod ſit minus pingue & opimum; attamen frumenti ferax. Quæ terræ oceano ſunt propiores aut Amaſi, ſunt ſatis pingues; quod autem reliquum, eſt ſterile, & minus fœcuodum, ut revera dixeris tertiam partem illius regionis ſterilem eſſe. Attamen bonitas duarum partium reliquarum exæquat defectum, & ſterilitatem partis tertiæ. Solum ipſum quod attinet, revera eſt magis paſcuorum, quam frumenti ferax; non ſufficiens tanto hominum numero, quos alit. De reliquo autem, terra illa non eſt inſtructa lapidibus, aut multo ligoo, ſed pro alimento ignis utitur ceſpite, cujus ibi eſt affatim. Quoniam tamen bona pars illius terræ eſt diſtincta multis foſſis & navigabilibus fluminibus, vti Weſtfriſia; hinc etiam eſt piſcoſa, & abundat tum illis, qui vivuot in aquis dulcibus, tum qui capiuntur ex oceano. De reliquo non eſt inſtructa feris; lepores quidem adſunt, ſed non adeo multi. Habet etiam jumenta & armeota; præter hæc autem nihil. Ita apparet, oon laute ibi poſſe vivi, niſi aliunde afferatur.

Quod attinet porro homines, ibi ſatis ingens numerus eſt, cumprimis in illis partibus, quæ ſunt proxime oceano & Dollarto ſinui, ut & in urbe Gröninga. Circa Drentiam autem eſt minus populoſa; interim tamen ea parte munita multis caſtellis & arcibus. Corpora eorum ſunt ſatis ſana, oec aër ibi eſt inſalubris, ſed propter ventorum copiam, quicqoid ex lacubus & ſtagnis oritur noxii vaporis, diſpellitur. Hinc adeo homines in ea terra ad 70. & 90. annos perveniunt. Revera tamen aër eſt aſperior, uti in aliis Friſiæ partibus, niſi, qund in ea parte ſit mitior, quæ eſt remotior ab oceano.

Si porro videas hominum mores, in univerſum licet aſſerere, homines illos haud parum eſſe diverſos moribus, a reliquis Weſttriſiis; ſunt enim cautiores & agiliores ob commixtiooem multorum peregrinorum. Adveneruot autem ex Drentia & aliis locis. Cumprimis autem peregrioorum multitudinem deprehendes in urbe *Grœninga*; (b) quio urbis eius incolas non tam eſſe Friſios, quam Drentios & Weſtpbalos, dixeris.

Eſt etiam morum diverſitas cumprimis ſi inſpicias virtutes intellectuales & morales. Quod attinet morales; primum Gröningenſes deprehendes ut plurimum graviores, & præterea etiam magis accedentes ad mores reliquorum Germanorum, perinde oti etiam illorum lingua ſapit *germanicam* (c); niſi quod jam adſueſcant linguæ batavicæ. Si vides porro temperantiam, dixeris intemperantes magis eſſe eos: ut & in victu & amictu ſuperbiores, quam reliquos Friſii & dum ſplendide vivunt, ſplendide amiciuntur, multis eſt res anguſta domi. Sunt porro alias ſatis *fortes* (d) & bellicoſi. Cumprimis urbs Grœninga oſtendit aliquot ſeculis robur ſuum, utpote non dubitavit bella plurima gerere, partim pro libertate ſua tutanda, partim etiam pro imperio.

Hodieque

(a) *Lavicam*) vid. UBBO EMMIUS *de agro Friſiæ inter Amaſim & Lavicam.*

(b) *Groninga*) Urbs ad Damum fluvium ſita, magnitudine, civium numero & munimentis percelebris. Bernhardus de Galen Epiſcopus monaſterienſis ſeculi ſui Mars, obſidionem ejus ſolvere coactus, locum ſtrenue Rabenhauptio propugnante. Deſcriptio hujus urbis legitur apud GUICCIARDINUM *p.* 212. *ſeqq.* & *Emmium l. c.*

(c) *Germanicam*) Friſii Germanorum numero fuerunt, WILHELMUS HEDA *in Hiſtoria Ultrajectina* p. 6. Moribus, lingua & inſtitutis Anglis ſimiles TEMPLE *l. c. p.* 177.

(d) *fortes*) TEMPLIUS. *l. c. p.* 132. ſe ab Epiſcopo monaſterienſi inaudiviſſe, territorium Groninganum Anglorum, qui in Britannia heptarchiam ſtabiliverunt, patriam eſſe, memorat. Atque hoc ipſi admodum veroſimile videtur.

Hodieque ingenia illius urbis incolarum ſunt ferocia, turbulenta, & novarum rerum cupida. Quod attinet juſtitiam, nec multum laudaveris, nec multum reprehenderis. Nam revera multi homines iniquiores ſunt, quam in Weſtfriſia, quoniam egeſtas domi eſt, propter nimium ſplendorem in victu & amictu. Quantumvis autem hic populus ſit ſatis fortis, & olim proprio marte, & propriis viribus, res ſatis magnas geſſerit; hodie tamen non niſi mercenario milite utuntur, hinc animi illorum effœminantur, & emolleſcunt.

In illa provincia urbes ſunt raræ. Urbs tamen Gröoinga, novo munimentorum genere, eſt inſtructiſſima, idque ex inſtituto Mauritii Ducis. Urbs eſt ampla, quanquam non ſatis ſit ædificiis inſtructa, ea parte, qua munimenta, pertingunt.

Quod regimen attinet, de ſcopo idem dixeris, quod de Weſtfriſia: omnia adminiſtrari ad utilitatem publicam, ſecus ſi fit, fit contra leges.

Principio autem notandum eſt, urbem Gröningam olim inter civitates imperiales numeratam fuiſſe, & poſtea diſcordiis civilibus inter vicinos motis, auſam erumpere in omnem viciniam, adeoque ſibi propoſitum habuiſſe perpetuum dominium univerſæ Friſiæ; Sed multum intervenit, quod Gröningenſes dejecit a tanta, & tam abſurda exſpectatione. Quapropter quidem omnis vicinia eſt Gröningenſibus obſtricta; revera tamen eſt populus liber, qui a Gröningenſibus non depeodet.

Quod ſummam reipublicæ attinet, habet poteſtatem belli & pacis, fœderum, vectigalium indicendorum &c. Illorum omnium poteſtas eſt partim penes Gröningam urbem, partim penes vicinos, qui in agro vivunt. Eſt nimirum eorum, qui in agro vivunt, conditio admodum lauta & honeſta; neque ſunt inferiores opificibus, ſutore, ſartore & reliquis.

Sunt itaque revera duæ claſſes ſuffragiorum. 1) Claſſis eſt ipſa urbs, quæ per Senatum ſententiam ſuam dicit. 2) Claſſem conſtituunt illi, qui dicuntur Umblandi, ſeu circumjacentes terræ. Quod attinet rationem ſuffragandi, revera hic ſeſe res habet, atque in Weſtfriſia. Duæ claſſes hominum, nobiles ſcilicet & agreſtes, qui proprium habent fundum 2000. Imperialium, vocantur ad Comitia: qui autem proprium fundum non habent, ad ea non admittuntur. Qui ergo non vocantur, revera ſunt ſubditi, non autem cives reipublicæ. Si quando itaque aliquid venit deliberandum & conſtituendum de ſumma reipublicæ, tum ſolent convenire *Ordines*, (a) & quidem in ipſa urbe Groninga, in curia quadam: quo fit, ut ipſa urbs in ſuffragiis ferendis tantundem valeat, atque tota Umblandia. Interim tamen neceſſe eſt, ut habeatur ratio Umblandorum, quum ſint plures & ditiores, plus etiam inſerant ærario publico.

Mittuntur ad Comitia itidem Delegati, perinde atque in Friſia, & illi Delegati ferunt ſententiam in comitiis, & decernunt; quicquid autem decretum eſt, illud vim legis habet. In eódem conventu conſtituuntur, qui functiones publicas, illius provinciæ ſubeunt, ut Gubernator: eligitur autem a populo, & ab eo dependet, & ejus poteſtas eſt legitima, & legibus circumſcripta. Modus autem regiminis eſt democraticus: omnes enim qui habent fundum proprium, admittuntur ad honores, quorum numerus eſt ingens. Interim tamen nulli ad comitia ſolent pervenire, niſi per *Deputatos*. (b) Hi deputati itaque, accepta poteſtate, in comitiis decernunt, quid ex re ſit reipublicæ, ita, ut eorum decreta deinde vim legis habeant. Si quid autem deliberaodum in urbe Gröoinga, illud in deliberationem proponitur omni populo urbano; hic de eo conſultat, & quid videt æquum & iniquum, utile & inutile, hoc ſolet Delegatis dare in commiſſis. Moderatur autem Comitia illa Gubernator.

Adhuc enim nunquam deficit ipſis Gubernator aliquis: fuit enim hæc urbs interdum ſub Hollandis, interdum ſub Geldria, interdum ſub Comite Friſiæ, interdum ſub Hiſpano; & tandem etiam a Mauritio in libertatem aſſerta eſt. Excluduntur ab honoribus ii, qui non communia ſacra colunt, & qui non habent proprium ſundum. Ad regimen etiam pertinet, quod habeant perpetuum Senatum, qui dirigit ea, quæ ad rempublicam pertinent, non autoritate propria, ſed dependente, & ex commiſſo, ita, ut ille non niſi magiſtratus ſit. Illud collegium appellatur collegium Deputatorum. Penes hujus collegii jura eſt, efficere ea omnia, quæ ſunt decreta publice.

Quod judicia attinet, habet hæc provincia judicium commune, ad quod fit provocatio a judicibus inferioribus. Illud autem judicium exercetur in urbe Gröninga. Sunt deinde alia judicia, quæ exercentur partim ab urbibus, partim ab iis, qui habitant in agris. Illi enim habent ſuos Prætores, quos ex parte ipſi eligunt, ex parte Gubernator. Gubernatorem habuerant jam dudum, & quidem magno ſuo commodo: cum enim ſtatus ſit democraticus, non poſſunt non varia inteſtina diſſidia & ambitus naſci. Hioc opus eſt Gubernatore, qui autoritate præcaveat civilia bella, & exorta tollat. Sic nunc eſt ejusmodi diſſidium, quo nomine accuſatur Schülenburg; quanquam ille bonam partem oppidanorum in ſuas partes traxerit.

Habet hæc Gröninga etiam academiam, quæ alitur bonis monaſteriorum, quæ hactenus fuere ſita in urbe ipſa, vel in Umblandia. Hujus academiæ regimen exercuit per multos annos Ubbo Emmius.

De cauſa efficiente ut dicamus, non videtur, eſſe operæ pretium, neque etiam fieri poteſt. Nec enim novi illos, niſi paucis exceptis: & ſi illos noſcam, non poſſum tamen eorum mores deſcribere. Quod Gubernatores attinet, habuit jam dum Wilhelmum Auriacum, deinde, parta libertate, accepit Wilhelmum Naſſovium, propinquum Wilhelmi Auriaci: poſt illum nacta eſt Erneſtum Naſſovium, hoc etiam defuncto, principem Auriacum Henricum Fridericum, & deinde Erneſti filium. Ita ex familia naſſoviana IV habuit Gubernatores. CAPUT

(a) *Ordines*) TEMPLE *p.* 133. (b) *Deputatos*) Hi ab iis, qui certi cujusdam agrorum numeri Domini ſunt, eliguntur.

CAPUT XXX.

DE TRAJECTINA PROVINCIA ET TRANSISALANIA.

PRiusquam autem de republica diſſeram, obſervandum eſt, Trajecti, quam urbem ſui Utrecht appellant, epiſcopatum a Francorum Regibus conſtitutum eſſe, & quidem ſimul ac Friſiorum Regum res fuere magis magiſque acciſæ. Habuere ſcilicet Friſii Trajecti caſtellum, ſed hoc, prævalentibus Francis, illis ereptum fuit.

Cum Friſii omnes eſſent pagani, illi Franci, conſtituto ibi *Epiſcopo*, (a) operam dedere, ut ad chriſtianam religionem adducerentur, idem curantibus Anglis nonnullis, ibique Epiſcopis conſtitutis. Feliciſſime ceſſit hominibus perquam piis, quique toti in eo erant, ut chriſtianam religionem propagarent. Primus epiſcopus fuit Willibrodus, cui ſucceſſit Winifridus, poſtea dictus Bonifacius, primus epiſcopus moguntinus. Hi primum religionem chriſtianam in gente friſica propagarunt. Conſtituto epiſcopatu, per Regum & Cæſarum ſcripta, partim Francorum, partim aliorum Germanorum, etiam opibus crevere epiſcopi, & multis dignitatibus. Factum autem eſt, ut *liberalitate* (b) Regum etiam multæ regiones in vicinia ipſis ceſſerint; ut ita late patuerit trajectinus *epiſcopatus* (c): quin imo non dubitarunt epiſcopi, ſibi arrogare jus & dominium in omnes Friſios, uſque ad Amaſim amnem.

Qui autem Friſii ſunt ultra Amaſim; illi nunquam ſub trajectino fuere, ſed partim ſub bremenſi, partim ſub monaſterienſi epiſcopis. Ampla igitur cœpit eſſe ditio illius epiſcopi. Factum autem fuit, neſcio quo modo, ut tandem illa ditio, ſeculo ſuperiori, in partes fuerit diſſecta, & deinde totam mutaverit naturam ſuam. Orto ſcilicet diſſidio inter Epiſcopum & ſubditos, contigit, ut bona pars illius ditionis ſeceſſerit a reliquis, & ſibi Carolum V. rectorem adſciverit; quod factum eſt, anno ſuperioris ſeculi XXVIII. Illa pars dicta eſt Tranſiſalania Ober-Yſſel. Idque propterea, quod ditio trajectina antehac fuiſſet, partim cis partim trans Iſalam extenſa, & tum demum cœpit a Trajectina diſtingui. Nec ita quievit reſpublica. Henricus enim bavarus epiſcopus, cum haberet ſibi pæne omnia adverſa, non dubitavit, cum conſenſu Capituli transſcribere omnem poteſtatem civilem, ſive temporalem totius ditionis *trajectinæ* (d) adhuc ſuperſtit Carolo V. uti paulo poſt apparebit, ipſa Tranſiſilania diviſa fuit. Drentia ſcilicet a reliquo corpore ſejuncta fuit. Hinc apparet Trajectinam provinciam & Tranſiſalaniam duas conſtituiſſe ſeparatas provincias.

Dicam jam primum de Trajectina provincia proprie dicta, & deinde etiam de Tranſiſalania ſeorſim.

Quod attinet primum Trajectinam proprie dictam, illa non late patet, & præterea, undique cincta eſt provinciis fœderatis, ut terra ubivis liceat in eam pervenire. Hactenus tamen fuit tuta, quoniam a provinciis fœderatis munitionibus undique cincta eſt. Quod ſolum attinet, illud eſt ſatis pingue, frumenti & tritici optimi fœcundum, & non ita depreſſum, uti Hollandiæ; propterea etiam paſcuis non eſt inſtructa: ſed bona pars eſt ſterilis, & abundat tum lenticetis tum ericetis.

Præter Trajectum *urbem ſplendidam*, (e) oppida habet exigua & pauca, niſi quod Amersfordiam etiam non nihil laudaveris. Cætera ſunt oppidula & vici. Quoniam incolarum multitudine non abundat, illis alendis fere ſufficit.

De cætero tota provincia trajectina, neque lapides, neque ligna, neque metalla, neque metallicum aliquid ſolet ferre; ut facile appareat, eam terram ſibi non ſufficere: multo minus divitiis abundare. Interim vero regioni nihil deeſt, propterea, quod aliunde omnia copioſe advehantur. Cingitur enim quaſi Hollandia, & inde accipit, quo indiget. A piſcibus tamen

(a) *Epiſcopo*) A Dagoberto aut Sigiberto filio ejus epiſcopatus eſt inſtitutus. HEDA *in Hiſtoria Epiſcoporum ultrajectinorum.* Epiſcopio ut ajunt, deinde trajectenſi delecto, viris morum & religionis ſanctitate, nec non eruditione conſpicuis, ex Britannia advenientibus, Willibrodo Epiſcopatus reſtitutus eſt. HEDA *l. c. p.* 25.

(b) *liberalitate*) Vid HEDA.

(c) *epiſcopatus*) Catalogum eorum, qui eccleſiæ trajectinæ fiduciario nexu adſtricti fuerint, vide apud HEDAM *p.* 110. *ſeqq.*

(d) *trajectina*) Vid. *Continuatio* SUFFRIDI PETRI *fol.* II GUICCIARDIN *p.* 310.

(e) *urbem ſplendidam*) Utrecht, inquit BAUDRAND *p.* 1004 *peut paſſer, pour une grande ville ayant du moins une lieue de circuit, ſans ſes quatre faux bourgs, qui ſont conſiderables. Elle n'eſt pas forte, n'etant environnée que d'un ſimple rempart, & d'un foſſé remplì des eaux du Rhin, de même que les deux canaux, qui traverſent la ville; mais elle eſt generalement bien batie, & bien peuplée. - - Toutes les avenuës de cette ville ſont belles, ſes environs ſont pleins de jardins, d'allier, de petits bois, tout cela joint a la pureté de l'air, qu'on reſpire a Utrecht, la rend un des plus agreables ſejours des Provinces unies; auſſi eſt elle toujours pleine d'etrangers. Elle eſt le Siege des Etats, & de la Cour de juſtice de la Province; & elle a une Cour de monnoyes, & une Univerſité fort celebre.*

tamen ſatis egregie inſtructa eſt, ideo, quoniam habet foſſas & rivos quam plurimos, nec procul abeſt a brachiis quibusdam Rheni. Fluvius, qui tangit Ultrajectum, dicitur *quidem Rhenus*, (a) ſed ne gutta quidem Rheni eo pervenit: nomen itaque tantum habet inane.

Quod homines attinet, eſt quidem ibi ſatis magnus hominum numerus; attamen non perinde, uti Hollandia, prædita eſt multitudine: idque propterea, quoniam illa provincia non eſt tam apta commerciis exercendis, uti Hollandia. Hinc adeo multos non allicit.

Quod attinet ingenium populi, parum differt ab Hollandorum, niſi quod nonnihil habeat ex moribus Geldrorum & Germanorum; lingua quoque tota eſt batavica, niſi quod ſit agreſtior ob multos diphthongos, quibus loco vocalium utuntur. Si videas porro mores, non dixeris, ita illos eſſe quæſtui deditos, atque Hollandos, ſed lautius vivere more Germanorum; adeoque victus eſt lautior, quam apud Hollandos. Hac de cauſa non eas divitias ibi reperies, quas apud Hollandos. De cætero temperanter vivunt; ſunt tamen more germanico vinolentiæ magis dediti, quam Hollandi.

Quod attinet juſtitiam, dixeris, eos eſſe juſtiores Hollandis; quoniam commercia ibi ſunt rariora: nam frequentia commercia injuſtitiam pariunt. Fortitudinem non laudaveris; olim tamen fuere admodum turbulenti. Hodie vero non feroces nec fortes ſunt; longa enim pax & tranquillitas illos pæne effœminavit.

Quod ſacra attinet, prævalent illi, qui ſunt reformatæ religioni dediti, præter hos autem magnus numerus eſt, qui Pontifici romano ſunt dediti, tum in ipſa urbe *trajectina*, (b) tum in agro. Interim tamen publica ſacra non alia coluntur, quam reformatæ religionis.

Porro quod attinet artes & eruditionem; eruditos ibi non reperies multos, ſed aliquos tantum. Non adeo pridem ſingularem & eximiam aliquam academiam conſtituerunt, quæ acuet fortaſſe ingenia gentis, quæ alias nonnihil ſunt duriora. Opificum numerum ibi videas ſatis magnum, quos ab inſigni peritia non laudaveris; mediocres enim ſunt. De cætero tamen populus eſt humanus, hoſpitalis, & quia magna ibi reperitur copia nobilium, hinc reperimus quoque ibi inſignem multitudinem hominum, quibuscum converſari & utile eſt, & jucundum. Ob eam egregiam converſationem hominum, hæc provincia cæteris præfertur; ut & propter ſalubritatem *aeris* (c). Ex illa terra ortus fuit, qui ultimus Transalpinorum ad pontificatum pervenit, *Adrianus VI*, (d) humili natus loco. Vixit autem tempore Caroli V. cujus præceptorem egerat. Contra morem alias ſuetum nomen ſuum retinuit.

Quod porro attinet regimen, re vera dixeris, adminiſtrari tantum non omnia ad utilitatem communem, niſi quod omnes illi, qui a ſacris publicis diſſentiunt, arceantur ab omnibus honoribus; nec licet illis publice ſua ſacra colere. Ad utilitatem dominantium reſpublica non adminiſtratur; ſunt enim nulli dominantes.

Forma autem regiminis eſt hæc. Regitur hæc provincia, ut aliæ fœderatæ, a delegatis Ordinibus: hoc eſt, ab iis, qui mittuntur ad comitia ab Ordinibus. Conſtant autem comitia illa non nihil aliter, quam in reliquis fœderatis provinciis. Conſtat enim 1) ordine canonicorum, adeoque *clero* (e). Quale quid in reliquis provinciis fœderatis non obſervatur. 2) Ex nobilitate, & 3) oppidis; ita tamen, ut oppidorum nomine veniat Trajectum & Amersfordia. Quia autem urbs ipſa eſt ſplendida, fit, ut ad nutum illius omnia fiant.

Principio autem obſervandum eſt circa canonicos, quod, cum hæc provincia rejiceret jugum hiſpanicum, hi, licet catholicæ religioni addicti, pugnarint contra communem hoſtem Hiſpanum; hinc, cum in Hollandia & reliquis provinciis monaſteria deſtruerentur, cautum fuiſſe, ut tolerarentur impoſterum canonici trajectini, maneretque ipſis antiqua dignitas. Cæterum epiſcopus plane rejectus eſt, ita, ut ex eo tempore nullum habuerint.

Hæc res, quod ſcilicet ibi *manſerint* (f) canonici, zelotas nonnullos admodum male habuit, inſtinctu arcano ipſius urbis. Quapropter non dubitarunt haud adeo pridem nonnulli, partim ex paſtoribus urbis, partim ex Profeſſoribus, Theologis, academiæ trajectinæ, controverſiam movere Ordini illi canonicorum, quaſi ſcilicet vita canonicorum eſſet plane iniqua, & non toleranda in republica. Tale quid ex Academicis primum movit Voëtius, homo quidem doctus, ſed turbulenti & ſeditioſi ingenii. Hæc lis acerrime agitata fuit, donec tandem prævaluit bona cauſa canonicorum, & pronuntiatum pro iis eſt, partim ab Ordinibus illius provinciæ, partim etiam ab Ordinibus generalibus fœderatorum, ad quos hæc lis eſſet dimiſſa.

Tum

(a) *quidem Rhenus*) GUICCIARDINUS p. 310.

(b) *trajectina*) GUICCIARDIN *p.* 317 *ſeqq.*

(c) *aeris*) BAUDRAND *dictionaire geographique p.* 1004.

(d) *Adrianus*) GUICCIARDIN. p. 314. 315.

(e) *clero*) *En celle d'Utrecht, il ay cela de particulier, que huit Deputés du clergé ont ſeances aux Etats, avec les Deputez des Nobles & des villes, & ſont un troiſiéme & le premier ordre des Etats de cette Province. Les Magiſtrats de la ville d'Utrecht les nomment, & les Nobles avec les quatre petites villes de la Province les éliſent conjointement, le ſuffrage de chaque Noble étant d'autant de poids que celuy de chaqu'une de ces petites villes. Et c'eſt a cauſe de cela qu'on les appelle Elus. Les avantages & les revenus de ces Chapitres, qui etoient anciennement affectéz aux gens d'Egliſe, ſont preſentement poſſedez par des Laics, qui ſont la plûpart ou Gentilshommes, ou perſonnes de condition, tant de la même Province, que de autres voiſines.*

(f) *manſerint*) Ultrajecti etiam duæ fuerunt commendæ equitum, una Teutonicorum, altera Johannitarum. GUICCIARDIN *p.* 314.

Tum autem non acquieverunt paſtores, quapropter urbe ejecti, & quidem merito, nunc autem nonnulli iterum recepti ſunt. De illo argumento varii libelli editi ſunt. Exſtat Martini *Schockii* (a) patria trajectini, Profeſſoris gröningenſis, non indoctum ſcriptum de canonicis, & iis, qui partes canonicorum propugnati ſunt, adverſus Voëtium.

Hi canonici hodie non ſunt omnes religionis pontificiæ, ſed bona pars eſt addicta religioni reformatæ, & plerumque ſunt nobili genere nati.

Quamvis igitur non ſucceſſiſſet conſilium Argentinorum, de exterminandis canonicis; tamen civibus cum iisdem non convenit. Et non potuiſſet reſpublica ſalva eſſe, niſi ab initio libertatis Gubernatorem, qui omnia ſua auctoritate continuiſſet, habuiſſent. Primus electus eſt Wilhelmus Auriacus, qui ſua prudentia ſtatum hunc non nihil in ordinem redegit. Succeſſit Mauritius prudentia valens & auctoritate. Deinde Heinricus Fridericus, & denique Wilhelmus.

Hodie autem hæc provincia caret Gubernatore, ſed cum magno ſuo damno. Niſi enim aliquem elegerit, poteſt abire in partes, & jacturam facere rerum ſuarum. Hoc autem facile fieri poteſt, propterea, quoniam omnes ſunt intenti libertati, nec quæſtui adeo dediti, ut in Hollandia, ubi parum de republica ſunt ſolliciti. Multos hic videas homines otioſos, qui difficilius continentur in officio, quam negotioſi.

Quemadmodum autem in reliquis provinciis eſt perpetuus aliquis ſenatus conſtitutus ex Delegatis, ſed qui Magiſtratus vice funguntur, expediendis omnibus reipublicæ negotiis; ita hoc etiam reperies collegium Delegatorum perpetuorum.

Quod attinet porro regimen ipſius urbis trajectinæ, antiquiſſimis temporibus obtinuit, ut reſpublica eſſet penes illos, qui genere & fortunis reliquos antecellerent. Ita reſpublica revera fuit ariſtocratica, & quidem ex illo genere, quod oligarchiæ nomine ſolet deſcribi, ſi ſcilicet habeatur ratio divitiarum & nobilitatis. Cæterum ſeculo poſt natum Chriſtum XIII, communem paſſa eſt hæc urbs fortunam, cum plerisque urbibus ad Rhenum, ſcilicet quod reſpublica illius urbis fuit devoluta ad plebem, excluſa omni nobilitate & optimatibus, non quidem per ſe, ſed tamen per accidens. Nam ſeculo XIII & XIV in omnibus illis urbibus mutata eſt reſpublica, & facta eſt democratica, ita ut omnis reſpublica devenerit ad collegia opificum. Quare autem tum temporis facta fuerit ea mutatio, hactenus non vidi explicatum, quoniam illi, qui illorum hominum vitam deſcripſere, ad ea non attenderunt. Attamen, ubi pervenero ad urbes Germaniæ, id explicabo ex ipſis principiis ariſtotelicis, & probabo, ſecundum illam doctrinam factas fuiſſe iſtas mutationes, quas potuiſſent præcavere, ſi remedium adhibuiſſent, gnarique politiæ fuiſſent.

Et hæc facies reipublicæ permanſit usque ad annum 1528, atque ita per aliquod centum annos. Hæc facies reipublicæ deinde nonnihil mutata eſt; ita nempe, ut non illa ſpecies democratiæ amplius ſuperfuerit. Manſit tamen vere democratia, quæ eſt, ubi æque admittuntur optimi; ubi autem tales excluduntur, ibi potius eſt ὀχλοκρατία, quam democratia, quæ ochlocratia quidem eſt democratia, ſed non adeo bona. Tum temporis ex deteriore ſtatu factus fuit ſtatus nonnihil melior. Cum libertatem civitas adipiſceretur, excuſſo jugo hiſpanico, idem ſtatus manſit; ſed tamen, ut paulatim iterum cœpit prævalere plebs, idque propterea, quoniam opificum collegia (die Gilden) habebantur in magno pretio. Quantum autem illa collegia proſint, aut noceant, dicam, ubi egero de rebuspublicis Germaniæ.

Fuere autem ibi perpetui motus; nec enim nobiles cives, antiquiſſimæ proſapiæ, potuerunt æquo animo ferre, ita ſe excludi: nec plebs adeo probe rempublicam adminiſtravit, ſed ſecabatur in partes. Hinc adeo Mauritius Gubernator, quemadmodum in Hollandia, ita hic mutavit reipublicæ ſtatum, ſuffultus viribus militaribus. Ultrajectum enim, quoniam eſt urbs ampla, & non procul a finibus, adeoque apta, ſuſcipiendis aliquot mille in hybernia militibus. Hinc tempore belli cum Hiſpano, copioſus miles eo eſt deductus, expetente illa hybernia urbe, utpote quod cederet in magnum commodum privatum. Illo milite Princeps Mauritius, rempublicam mutavit, & ex democratico ſtatu fecit ariſtocraticum, ad modum Hollandorum. Quantum autem mihi videtur, revera ſtatus iſte urbi non eſt conveniens. In Hollandia alia eſt ratio: ibi enim, licet ariſtocratia alias facile mutationibus ſit obnoxia; tamen tranquille ſervatur ſtatus ille, quia populus eſt negotioſus; nec ibi ſunt collegia talia opificum, qui, quando de opificiis ſermonem ſerere debebant, conſultant de republica. Et quod ſtatus ille hactenus conſervatus fuerit, inde potiſſimum factum videtur, quia a milite præſidiario plebs retenta fuit in officio, absque quo ſi eſſet, facile turbæ concitarentur. Ita tranquillitas reipublicæ adſcribenda eſt non ipſi ſtatui & legibus, ſed violentiæ. Non autem eſt bona forma reipublicæ, quæ eget violentia, ſed quæ per ſe ſine vi conſtat, atque motu.

Quod attinet judicia, tum habet provincia commune aliquod judicium, ad quod fit provocatio. Habet deinde & varia judicia alia, cumprimis urbs ipſa. Ut ulterius multa de republica diſſeram, non eſt operæ pretium; eſt enim reſpublica exigua. Qui plura de rebus trajectinis vult diſcere, legat ſcriptores hiſtoriæ trajectinæ, Johannem Becam, & Wilhelmum Heidam, quos egregio commentario illuſtravit Arnoldus Bucherius. Hi ſcriptores ipſi magnum afferent emolumentum. De cauſa efficiente nihil addam; quia illos non novi, qui rerum potiuntur, & eorum etiam fit ſemper magna mutatio.

CAPUT

(a) *Schockii*] Pro Canonicis etiam verba MARESIUS fecit, cui ſe oppoſuit MATHIAS NETHENUS.

CAPUT XXXI.
DE
TRANSISALANA.

PErgemus nunc ad provinciam Tranſiſalanam, quæ olim pars fuit trajectini epiſcopatus, donec anno 1528. ſeceſſit, & ſubjecit ſe imperio Caroli V. certis tamen legibus. · Ex eo hæc provincia fuit ſub Carolo V. & Philippo, ejus filio, Regibus Hiſpaniæ, & etiam ab his accepit Gubernatores.

Deinde etiam ipſa una cum aliis provinciis fœderatis conjuravit, pro libertate tueoda, contra vim Hiſpanorum, atque ita facta eſt una VII. provinciarum fœderatarum. Solet autem hæc proviocia dividi in tres partes: Salandiam, partem illam, quæ propinqua eſt Iſalæ amni, Tuentiam & Drentiam. Drentia tamen ſeceſſit, ut hodie non amplius Tranſiſalanæ pars habeatur: ſed plane libera ſit. Drentini quidem peculiarem conſtituere voluerunt provinciam, & fœderi nomeo dare, ſed non ſunt auditi. Itaque revera Traoſiſalana conſtituitur ex duabus partibus; ex Salandia & Tuentia.

Si videas regionem ipſam profecto aoguſtis fioibus eſt incluſa. A ſitu etiam ita ſe habet, ut pateat externo hoſti, nec ſitu loci ita defenditur, uti Hollandia & Friſia; niſi quod Geldriam pro tutela habuerit adverſus vim Hiſpanorum. Accedit etiam hoc, quod hæc regio non ſit caſtris munita, nec fluminibus defeoſa, multo minus montibus; nam ibi ſuot omnia plana. Nec multas habet urbes; ſed tres tantum munitas, quæ urbium dignitatem tueri poſſunt, Daventriam, Swollam & *Campos.* (a)

Solum ipſum potiori parte ſatis recte ſeſe habet, *frumenti ferax* (b) eſt, paſcuis non ita felix. Habet ericeta, & ſabuloſa multa; ut tertiam partem dixeris laudem non mereri. Etiam Drentia regio ſterilis eſt, arenoſa, ericoſa, paludoſa: ut itaque parum ibi boni ſit. Revera itaque illa provincia non gaudet ubertate ſoli; nec copia præſtantium armentorum, aut jumentorum, oec ferarum, lapidum aut metallorum. Si certe exceperis illas tres urbes, parum eſt in tota regione, quod multum laudaveris: usque adeo hæ regiones ſunt diſſimiles Hollandiæ. Et ſi Hollandiæ viribus Hiſpanus non eſſet fractus, reliquæ provinciæ in duriſſimam ſervitutem potuiſſent redigi.

Quod homines ipſos attinet, multitudo ibi non eſt magna. Interim tanta, quanta ſufficit, ad coolumendas fruges ibi natas. Et hoc fit inde, quia rariora ibi ſunt commercia.

Ingenium populi eſt tale, quale eſt Trajectinorum, ita ut, quæ ibi diximus, etiam his applicari poſſint. Ulterius hæc provincia inſtructa eſt inſigni gymnaſio Daventriæ, quod jam ante annos 150. eſt erectum, & in magna fuit exiſtimatione, ob laudem litterarum inſignem; in quo etiam profecit ipſe Eraſmus. Habuit ſcilicet illud Rectorem, prout tum erant tempora rudiora, hominem ſcilicet doctum, gente Weſtphalum, Alexandrum Heigium & Rudolphum Langium, qui optime de illa ſchola ſunt meriti. Ex eo tamen tempore non temere aliquem laudaveris, qui, inſigni eruditione florens, ex ea provincia prodierit.

Quod porro attinet rempublicam ipſam, etiam ibi babetur omnium ratio, nec ad utilitatem dominantium res ſunt compoſitæ, quippe cum nullum habeat. Poſſunt etiam multi ad honores adhiberi, quoniam non ea ibi eſt ſacrorum diverſitas, quæ eſt in aliis provinciis fœderatis. Et pauciſſimos reperies, qui non ſunt reformatæ religioni addicti. Dixerim autem porro, illos non ita aberrare a ſcopo, uti in Hollandia; nec enim ibi omnia ad quæſtum ita ſunt compoſita: ſed magis homines ibi aſpirant ad veram ſelicitatem civilem, quæ conſiſtit in virtutis exercitio, & rerum ſufficientia; quæ poteſt etiam parari ſine magna opulentia & divitiis.

Formam regiminis (c) quod attinet, per Delegatos Ordinum tota reſpublica gubernatur. Cæterum non eſt eadem ratio Ordinum, quæ in Trajectina. Hic enim tantum duæ ſunt claſſes, nempe Nobiles & deinde Urbes. Nobiles unnm habent ſuffragium. Urbes autem tres. Hæ urbes tametſi ſint partes illius provinciæ, & in fœdere aliarum provinciarum contineantur; non tamen dubitant, ſe ſemper profiteri liberas imperii civitates & cum quælibet habeat jus cudendæ monetæ, videas in ea licet bicipitem aquilam, & nomen Imperatoris; quod obſervare eſt in thaleris Daventriæ & Schwollæ excuſis. Nec tamen revera ſunt pars imperii, nec ad ejus comitia vocantur, nec leges imperii curant. Quid autem hac in re intendant, & quo conſilio id fiat, non video, niſi id ſorte ob hanc rationem faciant, ut fœdus provinciarum belgicarum rumperetur, iterum imperio romano germanico ut liberæ urbes accenſeantur. Sunt autem adhuc eædem civitates in fœdere hanſeatico, & ad eorum conventum ſolent Legatos mittere, licet fœdus illud hodie non ſit magni momenti. Interim quia urbes viribus & opulentia multum ſuperant nobilitatem, autoritas illarum longe major eſt. De reliquo ibi eſt collegium Deputatorum perpetuum, in quo ea peraguntur, quæ ab Ordinibus decreta ſunt extra comitia, & præter illum conventum principalem res reipublicæ adminiſtrant. Urbium regimen maxime eſt democraticum: non quidem intimæ democratiæ ſpecies ibi obinet; ſed tamen ratio habetur opificum, quia civitatis partes per collegia opificum ſunt diſtinctæ.

(a) *Campos*) GUICCIARDINUS p. 191 ſeqq. Covordia Drentiæ locus maxime notatu dignus eſt.

(b) *frumenti ferax* GUICCIARDINUS *l. c.*

(c) *Formam regiminis*) BASNAGE *ch.* XXX, XXXI, XXXIV, XXXV.

CAPUT XXXII.

DE

GELDRIA.

NUnc de Geldria. Quamvis primo loco de hac dicendum fuiſſe videatur, ob titulum ducatus, quo gaudet, & propterea, quod primum locum obtinet in conſeſſu Ordinum generalium fœderatæ Belgiæ; ultimo tamen loco hoc addo, quod Geldria quam maxime tendat in meditullium quaſi Germaniæ, & cum moribus & inſtitutis ejus quam maxime conveniat, & ſic optime cum rebus Germaniæ, de quibus impoſterum dicturi ſumus, componi queat.

Prius autem quam de republica agam, obſervandum eſt, reperiri ſcriptorem rerum geldricarum, eumque ſatis prolixum, Johannem Iſaacum Pontanum, qui inſignem ſane hiſtoriam rerum geldricarum compoſuit, quique etiam res danicas deſcripſit. Quod ut præſtaret, effecit, partim locus naturalis, partim locus ubi vivebat; natus in Dania, utroque parente Batavo. Vixit autem Hardewici, & gymnaſii Profeſſorem agebat. Ad ſcribendam hiſtoriam danicam invitatus eſt a Chriſtophoro IV. Rege Daniæ; & Geldriam deſcripſit, quia ſtipendio illorum in academia alebatur. De ipſo autem regimine pauca etiam legi poſſunt in libro Joh. de Laët, quæ tamen omnia deſcripta ſunt ex Pontano.

Principio itaque obſervandum eſt, Geldriam eſſe conflatam ex variis partibus, cum antea Geldriæ nomen admodum anguſtis limitibus fuerit indutum. Nomen toti regioni dedit, quod hodie eſt oppidulum aliquod, Gelden nomine, non procul a Moſa amne ſitum. Henricus IV. Imperator conſtituit Comitem Geldriæ & Zutphaniæ, Comitem Naſſovium, qui duo comitatus in unum concrevere. Paulatim autem fuit ille comitatus *auctus* (a) invidendis acceſſionibus. Seculo inprimis XIII. cum Wilhelmus, Hollandiæ Comes, Imperator *Ottoni III.* (b) Comiti Geldriæ pæne totam ditionem, & antiquam urbem Neomagum oppignoraſſet; ita Neomagum acceſſit Geldriæ. Acceſſere dein aliæ regiones, ut ex Pontano videre eſt.

Quod autem attinet ſtatum hodiernum, ſitus illius provinciæ eſt admodum anomalus. Habet pro limite ducatum Cliviæ; ſed adhuc graves ſunt controverſiæ de finibus, quæ quidem jam dudum arbitris commiſſæ ſunt: ſed hactenus non deciſæ, & fortaſſis nunquam decidentur. Habet etiam *vicinam* (c) Trajectinam provinciam, partem etiam Hollandiæ, mare auſtrale, Tranſiſalanam, & partem Brabantiæ, ut undique terra in eam ingreſſus pateat, mari etiam, circa Harderwiek. Solum ipſum non eſt unius modi; tota Velavia, quæ late patet, ericoſa & ſabuloſa eſt, ideoque ſterilis. Regio, quod reliquum eſt, eſt ſatis ferax frugum, adeoque ex parte bene ſeſe habet, ex parte non item. Qua parte bene ſe habet, abundat piſcibus & agro, ita ut *mereatur*, (d) inter regiones non infelices numerari. Quinimo habet etiam aliquid *ſylvarum*, (e) ſed non multum. Cum primis autem eſt notandum, eam diſtingui Rheno & Moſa, quorum fluviorum & comoda & incommoda ſentit. De reliquo hic non reperies metallum, aut lapidicinas, ut revera dixeris, tantum frumentis & paſcuis conſiſtere illam felicitatem ſoli. Hinc armentorum & jumentorum ibi, quantum ſatis; non tamen tanta copia, ut alibi.

Quia vero diſtinguitur iſtis fluviis, & præterea præ reliquis ab Hiſpano, ut maxime vicina acerrime petita, hinc coacti fuere fœderati Ordines, qua parte fieri potuit, accurate eam munire. Factum id ex parte ab ipſis Hiſpanis, in quorum manibus ex parte diu fuit. Hinc fit, ut regio habeat urbes, & contra vim hoſtium, munimenta accuratiſſima arte confecta. Factum autem id communi ære fœderatarum provinciarum; quia ex hac provincia patet aditus in Hollandiam & reliquas provincias.

Cœlum eſt ſalubre pæne ubivis, quoniam eſt editior & remotior ab oceano, nec ita paluſtris, uti Hollandia, & aliæ provinciæ, ſed perflabilis ventis. Hominum multitudo ibi eſt ſatis magna, & quidem pro ratione illius loci, ea ibi eſt copia, ut defectus arguere non poſſis.

Ingenium illorum eſt erectum & bellicoſius, ut non temere reperias aliquam provinciam inter illas VII, quæ tot generoſos *milites* (f) præbere poſſit, atque hæc Geldria. Et puto

(a) *auctus*] Hollandica Geldria tres complectitur partes: Velaviam, Betaviam, comitatum zutphanienſem. In Velavia ſunt: Arenacum, Harderwicum, quod academiam 1648. habere cœpit, Loo: in Betavia: Noviomagus, Tiela, Bommelia, arx munitiſſima a Schenckio autore nomen habens; in comitatu Zutphaniæ, Zutphania, quæ munimentis cincta eſt, Grolla, Borckeloa.

(b) *Ottoni III.*) PONTANI *Hiſtoria geldrica lib VI.p.*140.

(c) *vicinam*] Habet etiam epiſcopatum monaſterienſem vicinum.

(d) mereatur) GUICCIARDIN *p.* 172.

(e) *ſylvarum*] *Ayant peu de montagne mais force bois Guicciardin l. c.*

(f) *milites*) LUCAS de LINDA. *p.* 161.

to illud fieri duplici de cauſa. 1) Quod hæc regio non ita ſit commerciis dedita, ut incolas poſſit alere; hinc aliunde victus quærendus fuit, exercentur quidem ibi commercia, ſed non veniunt comparanda cum Hollandiæ, & aliorum commerciis, & hinc minores ibi reperias divitias, plurimi ibi ſunt mediocri fortuna. Hinc reſpublica ipſa laborat egeſtate quadam, quod ſcilicet bellum tam diu geſſerit. Altera cauſa eſt, quod ſcilicet hæc regio habuerit jam olim principes inquietos, turbidos & bellicoſos: inprimis talis fuit *Carolus*, (a) ultimus Dux Geldriæ, Princeps ferox, turbulentus, iniquus, omnibus vicinis gravis: principem autem ſuum ſemper ſunt ſecuti Geldri. Ceſſit deinde provincia Carolo V. cui cum populi ingenium eſſet ſuſpectum, noluit eorum milite uti, ſed potius ſtuduit eos emollire. Sed exorto bello belgico rediit priſca virtus, & quam maxime fuere eo tempore expoſiti periculis bellicis; habuerunt enim hoſtem aſperum in ipſo meditullio.

Literis quidem dant operam, ſed minus feliciter, quoniam ingenio ſunt ferociores: literæ autem requirunt hominem ſedatum, & mores compoſitos, quales ibi non reperias.

Dividitur autem in quatuor partes, quas quidem dicunt *tetrarchias*, (b) ſed inepte. Dictæ vero eæ partes ſunt a 4. urbibus primariis, quas dicere poſſes metropoles. 1) Ditio eſt neomagenſis, 2) arahemienſis 3) zutphanienſis, quæ integrum comitatum Zutphaniæ comprehendit, qui per aliquot ſecula Geldriæ fuit adjunctus, ſed tamen nomine diſtinctus 4) & ruræmundana, ab urbe *Ruræmunda*, (c) ſita circa oſtium Ruræ amnis. Partem etiam hujus ducatus tenet Hiſpanus, ſed non magnam; erepta eſt enim ipſi potior pars armis fœderatorum. Illa autem pars, quæ adhuc ſupereſt, perpetuo Hiſpano manebit, ob pacem perpetuam cum eo initam.

Scopum regiminis quod attinet, revera dixeris, regi omnia ad utilitatem publicam & communem, ideo, quoniam etiam hic dominantes deſunt, tum etiam inde, quia hic non ea copia eorum, qui diverſa ſacra colunt, ſed omnes pæne eadem ſacra colunt. Hinc omnibus aditus ad honores & rempublicam patet; nec ſacris arcentur, ut alibi fit. Præterea, quia ad quæſtum non omnia ſunt compoſita, componitur reſpublica magis ad veram felicitatem civilem, quæ conſiſtit in exercitio virtutis cum rerum ſufficientia conjuncta. Vivunt more communi Germanorum, & ſunt generoſiores.

Regimen ipſum quod attinet, & quidem commune, etiam ſumma rei eſt *penes Ordines* (d). Hi autem ſunt duarum claſſium 1) Nobilium 2) Urbium, quæ vero urbes plura ſuffragia habent quam Nobiles, quorum numerus ſatis magnus, tum antiquorum, tum novorum; ſi quis enim emat ibi prædia Nobilium, cenſetur inter Nobiles, etiamſi nullo antiquo genere natus ſit. Barones etiam ibi reperies, quales non ſunt in VI. reliquis provinciis fœderatis. Summa itaque rei eſt penes urbes, inprimis quatuor ſupra numeratas.

Judicia quod attinet, non habet judicia communia toti provinciæ, ſed ratione judiciorum admodum eſt diſtincta. Ita Neomagum, una cum territorio ſuo, jus dicit citra provocationem, niſi quod liceat provocare ex compromiſſo ad urbem Aquisgranum. Olim in Germania talia judicia compromiſſoria fuerunt, & hodie quædam ſuperſunt. Sic ex Bohemia, Luſatia antehac frequenter provocarunt ad judicium urbis Magdeburgenſis, non quod huic quid juris in eas ſit, ſed ex compromiſſo. Coguntur itaque ſecundum urbis ſtatuta ad Aquisgranenſes provocare; ſed Aquisgranenſibus incumbit ſecundum conſtitutiones neomagenſes judicare. Similiter & reliquæ ſua ſingularia habent judicia, ut revera ratio judiciorum in Geldria longe aliter ſe habeat, atque in provinciis aliis.

Quod attinet regimen commune, habet etiam hæc provincia communem Senatum perpetuum Deputatorum, quemadmodum reliquæ provinciæ; illi autem conventui ſemper præſidet Gubernator. Ex quo enim ſe aſſeruit in libertatem, Gubernatorem non dubitavit eligere, & hactenus etiam habuit cum magno ſuo commodo. 1) Fuit Mauritius 2) Henricus Fridericus & 3) filius ejus Wilhelmus. Hodie nullum habet *magno malo*: (e) nam in tanta libertate opus eſt aliquo, qui autoritate & prudentia refrenet nimiam licentiam, & ni iterum elegerint aliquem, vix poterunt rempublicam conſervare. In ipſo autem collegio Deputatorum primum locum tenet Geldria. In conventu autem illo Ordinum generalium Deputatorum perpetuo habet duo ſuffragia, quemadmodum & Weſtfriſia & Zeelandia.

Regimen ſingularum urbium eſt admodum diverſum; interim nulla non regitur democratice. Variæ autem ibi obtinent democratiæ, de quibus, quæ ſit melior, quæ ſit deterior, diſputare huc non pertinet, ſed ad politicam.

Cauſam

(a) *Carolus*) PONTANUS *in hiſtoria Geldriæ.*
(b) *tetrarchias*) TESCHENMACHERI *annales cleviæ p.* 480.
(c) *Ruræmunda*) Cum Geldria metropoli, quæ hodie Pruſſiæ Regis eſt, Geldriæ, quæ hiſpanica dicitur, pars eſt. Ultrajectinæ pacis verba refert DITMARUS *in notis ad Teſchenmacher p.* 482.
(d) *penes Ordines*) LUCAS de LINDA *p.* 862.
(e) *magno malo*) Friſiæ occidentalis Gubernatori jam ad ceſſit.

Cauſam efficientem ut memorem, non eſt operæ pretium, quia partim hæc a me ignorantur, partim quia ſunt in perpetua mutatione. Priſcum ſtatum quod attinet, ſemper per aliquot ſecula habuit Principes ex familia naſſovica, qua deficiente, pervenit per ſobolem fœmininam ad Duces juliacenſes, quia eſt feudum femininum, ut etiam obtinet in cliviensi ducatu. Exſtincta maſcula prole, a Ducibus juliacenſibus pervenit ad Egmondanos. Fuit autem Arnoldo Egmundano Duci Geldriæ ingenium modeſtum & depreſſum. Habuit autem filium Adolphum peſſimis moribus, & patri maxime adverſum, qui non dubitavit ipſum patrem in *carcerem* (a) detrudere, & duriſſima cuſtodia habere, nullam aliam ob cauſam, quam ob diuturnam ejusdem vitam. Hic itaque commotus fuit implorare auxilium burgundicæ domus, & quidem Caroli Audacis, cui etiam omne jus in provincias transſcripſit exhæredato filio. Quo exſtincto, pervenit ad iſtum Carolum Egmondanum, de quo dictum prius, quod fuerit iniquus, & omnibus vicinis gravis; ideoque ipſo adhuc vivente Ordines Geldriæ non dubitaverunt, eligere *clivenſem Ducem*, (b) qui itidem recepit, ſed infeliciter ceſſit. Caroli V. enim potentia fractus, exutusque omni poteſtate, coactus eſt ejurare omne jus in Zutphaniam & Geldriam. Ita per hunc ad Hiſpanum pervenit, ejusque manſit, donec cum aliis provinciis hæc quoque jugum hiſpanicum excuteret. Quam maxime autem hanc regionem ornavit Otto III. ſeculo XIII. adjecto ſcilicet urbe Neomago, & plurimis oppidis muro cinctis v. gr. Arnheimio Ruremunda, & Harderwick. Ducatus dignitatem primus conceſſit Ludovicus Bavarus Imperator Seculo XIV. anno videlicet 1339. Præter hoc nihil de Principibus memorandum. Atque ſic abſolvimus primam partem inſtituti noſtri, ſcilicet fœderatas *belgicas reſpublicas.* (c)

(a) *carcerem*) PONTANUS *lib. IX. p. 521 ſeqq.*

(b) *clivenſem Ducem*) PONTANUS *lib. XI. p. 786.*

(c) *belgicas reſpublicas*) Uniti Belgæ, fractis jam Hiſpani viribus, a Gallo potiſſimum ſibi caveant, oportet: interim nitantur, ipſum habere amicum. Contra hunc nihil magis ipſis, quam fœdus cum Imperatore & imperio germanico initum, ſalutare eſſe poteſt. Amicitia quoque cum Sueco, Dano & Ruſſo tam ob commercia, quam ut claſſes ſuas per eorum naves, & exercitus ſuos per illorum augeant militem, contrahenda eſt. De Hiſpanorum amicitia ob commercia, & ſi aliquando ipſis cum Gallis pugnandum ſit, ſolliciti eſſe debent. Inprimis autem arctiſſimum cum Anglis ineant fœdus; ii enim ſunt a quibus maximum commodum & incommodum expectandum habent. Nequaquam autem de terrarum ſuarum limitibus extendendis cogitent; nihil enim rebuspublicis magis noxium eſſe, tot edocti ſumus exemplis. *Nouveaux interets des princes p. 281 ſeqq.* Quod ad rationes, quæ unitarum rerumpublicarum interna reſpiciunt, attinet, inprimis opera danda, ut ſincera inter omnes conſervetur unio, ut reliquæ Hollandiæ opibus non invideant, & hæc ob potentiam & divitias in alias ſibi non vindicet arbitrium; ut ſubditorum ſalus ante omnia ipſis cordi ſit, ita ut alio etiam bono, quam oris libertate ſe gaudere percipiant. Ad commercia, piſcationes, manufacturas, ut loquuntur incumbant, & bella, inprimis vero maritima evitare nitantur. Plura *vide in de polytike gronden en maximen von Holland en Weſtfriesland.* Hic liber ſub nomine *memoires de Jean* de Witt in gallicam eſt translatus linguam.

Belgii uniti inſignia Leo 7 ſagittis armatus conſtituit, Colophonis loco addo, in Batavorum foris jus romanum uſum habere. DUCK *de autoritate juris civilis* lib. II. p. 276. Interim multis conſtitutionibus, conſuetudinibus & ſtatutis ad anguſtos eſt redactum terminos.



CAPUT

CAPUT XXXIII.
DE
PRINCIPATIBUS GERMANIÆ
IN GENERE.

I*Nitio* (a) diſſeram nonnihil in genere de principatibus Germaniæ, ab antiquiſſimis temporibus repetita memoria. Obſervandum autem, illa vocabula Hertzog/ (b) Fürſt/ Graff/ Marg-Graff/ Pfaltz-Graff/ eſſe nomina ſignificantia dignitatem, indicantia certa quædam munera, licet hodie non ita amplius accipiantur. Hertzog proprie denotat Ducem, aſt vocabulum eſt compoſitum. Ein Herr des Zeuges. Fürſte denotat principem ſive primum, ut apud latinos veteres principes dicebantur primores. Vocabulum Graff: eſt antiquum vocabulum germanicum, & proprie judicem denotat. Hinc vocabulum Graff vix potuit reperire vocabulum latinum, quod Germanis dicitur Ein Graff dicimus Comitem, ſed non niſi ex ſimilitudine, quia declinanti imperio romano veteri Comites illi dicti pæne, qui nobis dicuntur Graffen. Si vocabuli Comitis antiquum uſum reſpiciamus & ſignificationem, plane fuit inſolens tribus primis ſeculis. Apud antiquos igitur nonnullos Germanos ocurrit vocabulum Gravio, ut apud ſcriptores gothicos, longobardicos. Deinde illud vocabulum germanicum cœpit componi cum aliis, ut alii dicerentur Marggraffen/ comites limitanei, Burggraffen judices arcis. Landgraffen judices integræ regionis; tales fuere Landgrafi Haſſiæ & Thuringiæ, die Berggraffen / ſive rei agrariæ judices.

Ut autem clare appareat, quæ olim fuerit ratio der Hertzogen/ & ſimilium, id ab antiquis temporibus repetam. Vid. diſputationem de Comitibus & Ducibus imperii germanici. Populi germanici non habuere unam reipublicæ ſpeciem: alii habuere ſuum Principem communem, ſive Regem unum, alii non. Quantum ex Tacito aliisque patet, habuere tum Reges Friſii; & quidem duos; majorem unum, & minorem unum. Marcumanni, Quadi, Suetones habuere Reges; & apud hos poſtremos interdum fœminæ regnarunt. Apud alios non memorantur Reges, ſed primores ex nobilitate.

Poſtquam autem populi germanici in terras romanas migrarunt, easque occuparunt, plerique ſibi crearunt Reges, quia non æque commode potuere bella gerere, niſi ſumma ad unum delata. Ita ſeculo V. accepere Reges Franci, Longobardi, Alemanni (licet de his quidam dubitent) Gothi, tam Oſtrogothi, quam Weſtrogothi jam antea habuere Reges ſuos, forte etiam tempore TACITI, ſed minus noti, quod remoti eſſent a finibus imperii romani, ſcilicet Rheno & Danubio. In illis populis, ubi Reges fuere, ibi ipſi ſimul fuere Duces belli, adeoque tempore belli & pacis fuere primi; ſed major eorum autoritas videtur fuiſſe tempore belli, quam pacis.

Aliter ſe habuit res in populis, qui non habuere communem Regem. Hi belli tempore elegerunt ſibi Ducem, Hertzog. Tempore pacis nullus fuit Dux, quia non habebant exercitum. Ex Tacito patet, quomodo creaverint Ducem: Reges, ait, ex nobilitate, Duces ex virtute ſumunt. In Ducum electione igitur habita eſt ratio virtutis militaris, non nobilitatis: ſic de Arminio legimus, illum Ducem creatum Cheruſcorum, quæ dignitas non erat hæreditaria. Erat ille quidem nobilis, ſed erant in illa gente nobiliores; quia tamen hic credebatur omnibus virtute præſtare, ille hac ornabatur dignitate. Teſtatur TACITUS *lib.* a. *Annal. cap.* 45. ex Cheruſcis unum Inguionerum, ſive Hinnemarum, cum manu clientum ad Marobadium confugiſſe, non alia ex cauſa, quam quia fratris filio Himinio nolebat ſervire. Quibus ceremoniis Dux fuerit creatus, hoc docet *Cluverius* (c) in Germania antiqua, inprimis autem meretur legi apud Tacitum *Hiſtor. lib.* 4. electio in Ducem Brinionis batavi, quem ſcuto impoſitum humeris ſuis collocavere, & per caſtra portavere. Ita etiam fuere creati Reges. Placuit etiam Romanis ſec. IV. & V. At apud eos itidem Duces a militibus impoſiti ita fuerunt ſcuto. Romanus enim miles, uti erat multa ex parte germanus, ita patrios mores ſequebatur. vid. CLUVERUM *in lib. de Germ. antiqua lib. I. cap.* 40. Pacis tempore in illis populis nullus fuit Dux, Hertzog/ ſed pace conſtituta, deſiit illud officium, licet forte titulus manſerit.

Hæc ratio obtinuit etiam in noſtra Saxonia, quæ diviſa erat in três partes tempore Caroli M. in

(a) *Initio*) Autores ex quibus Germaniæ Hiſtoria haurienda collecti ſunt a SCHARDIO, PISTORIO, PITHÆO, REUBERO, FREHERO, GOLDASTO, URSTISIO, SCHILTERO, MEIBOMIO, LEIBNITIO. Vid. STRUV. *biblioth. hiſtor. c. VII.* His accedunt HENECCII & LEUCKFELDI, ECCARDI, & MENCKENII collectiones. Scriptores, qui in ſingulorum Imperatorum vitis & rebus geſtis conſignandis, nec non provinciarum Germaniæ rebus deſcribendis occupati fuerunt, recitat Struvius. Adde HERTII *biblioth. Germ.* & FREHERI *repertorium*, quod celeb. COLERUS *Profeſſ. Hiſtor. altorfinus* edidit.

(b) Hertzog) De his ad Taciti Germaniam & Lampadium actum eſt.

(c) CLUVERIUS) *lib.* I. *c.* 46.

in Oſtphalos, Weſtphalos & Angrivarios. Oſtphali tenuere has terras ab Albi ad Viſurgim: trans Albim dicti Phali, quia inſignia ipſorum fuit pullus equus. Weſtphali dicebantur, qui Rheno erant viciniores, & Friſiis. Medio loco epiſcopatus mindenſis, oſnabrugenſis, paderbornenſis, hoienſis, lippienſis & oldenburgenſis fuere terræ Angrivariorum; quamvis hodie omnes cenſeantur nomine Weſtphalorum. De illis ſaxonicis populis, & eorum republica, pauca habemus apud veteres; quædam etiam apud Wittekindum, qui lib. I. Hiſtor. optimum poteſt dare teſtimonium, quod Saxonia fuerit, antequam ſubjugaretur a Francis, a tribus principibus totius gentis adminiſtrata. Unde de republica ſenſus hic eſt: Si quando bello eſſet certandum uni populo Saxonum, ſoliti ſunt ſibi eligere aliquem Ducem; & ſinguli populi ſingulos habuere Duces, Oſtphali ſuum, & Weſtphali ſuum, & Angrivarii ſuum: peracto autem bello, quemque privatim vixiſſe. Si autem bellum fuit gerendum tribus illis populis, unus Dux fuit electus, ut etiam eſt obſervare in hiſtoria Francorum tempore Caroli M. Non habuere communem Regem; fabulæ ſunt, quæ referuntur de Wittekindo, Rege Saxonum, & contra fidem antiquorum monumentorum. Tempore Caroli M. interdum Oſtphali ſoli, interdum Weſtphali ſoli, interdum ſimul bellum geſſere contra Francos. Licet reperire in hiſtoria variorum Ducum nomina, inter quos excelluit noſter Wittekindus, non ut communis Dux, niſi ſemel ac iterum. Fuit unus ex primoribus Angrivariis, a quibus tempore belli ſæpe fuit electus.

Dicendum jam aliquid de Comitibus. Vocabulum autem Comitis in hodierna ſignificatione non occurrit apud ſcriptores medii ævi, nec etiam vox Grafionis; ſed ex Tacito & Cæſare conſtat, jam tum temporis fuiſſe Grafiones ſeu Comites. Nam eligebantur in comitiis principes, teſte Tacito, qui *jura reddebant* (a) per pagos vicosque. Tum temporis pagus non denotavit, ein Dorff / ſed tractum aliquem, quem hodie vocamus ein gantz Ambt / & qui jura dabant per pagos, dicebantur Principes regionum & pagorum. Cum igitur Grafio ſignificet judicem, patet, judices tales fuiſſe Graffen. Illi autem omnes fuere oriundi ex nobilitate; nam habita ibi eſt ratio *nobilitatis*. (b) Hi principes habuere poteſtatem, de minoribus rebus inter ſe decernendi, & de majoribus conſultandi.

Illi autem Principes ſoli non habuere poteſtatem jus dicendi, ſed ſemper aliqui ex populo adfuere judiciis; nam in omni judicio fuere pares curiæ, uti ex diſputat. de *judiciis* (c) germanicis conſtat. In judicio, ubi agendæ cauſæ populi, non ſolus Nobilis, ſed Nobilis cum aſſeſſoribus ex populari ordine, judicare poterat. Si Principum res eſſent tractandæ, nec ipſis Regibus licuit jus dicere, ſed una cum Nobilibus jus dicebant, quamvis tali judicio Reges præſiderent. Quod etiam in jure feudali *locum habet*, (d) uti hoc apparet ex diſputat. de judiciis. Nam pares curiæ, ſeu alii Vaſalli, ſimul judicabant cum domino feudi de rebus feudalibus, non ſolo domino feudi hoc licebat. Hi aſſeſſores ab antiquiſſimis temporibus dicti Schöppen/ ſcabini. Præter illam poteſtatem jurisdicendi, & conſultandi de majoribus, & decernendi res minores, nihil habuere poteſtatis Comites. Hæc ratio Ducum & Comitum manſit etiam in populis Germaniæ devictis.

Antequam oſtendam, quomodo ſe habuerit ratio Grafionum in regno Francorum, dicendum de ſingulari forma regiminis, quæ cœpit ſeculo III. in imperio romano veterinam & illum modum Francorum Reges obſervarunt & alii. Seculo IV. vocabulum Comitis & Ducis in imperio romano plane novam accepit ſignificationem, quæ non reperitur in ſcriptoribus præcedentium temporum. Duces enim dici cœpere, qui præerant rei militari, & ſimul regimini alicujus tractus ſeu regionis, & qui tali præerant muneri in parva provincia ſeu regione, dicti ſunt Comites. Supereſt hodie præclarum volumen titulo: Notitia utriusque imperii. Scriptum ſeculo IV. vel initio V. ex quo peti poteſt forma regiminis, qualis tum fuit. Sine libro illo nemo poteſt intelligere codicem juſtinianeum. Exſtat in eum librum operoſiſſimus commentarius Guidonis Pancirolli, Icti italici, ita confectus, ut non poſſit quis ſatis laudare, & diligentiam & judicium autoris. Nuper editus eſt Rothomagi & Genevæ. Omnes perquam ſunt mendoſi. Ex hoc opere apparet, quæ tum fuerit ratio Ducum & Comitum. In Germania cisrhenana, quæ Romanis parebat, fuit Dux conſtitutus Moguntiæ, dictus Dux Germaniæ primæ, alius Dux Sequanæ, alius Rhœtiæ primæ & ſecundæ, alius Dux argeotoratenſis, & ita porro.

Ex quo tempore. Oſtrogothorum regnum fuit deletum per Juſtinianum, cuilibet nobiliori urbi

(a) *jura reddebant*) *jus provinciale alemannicum c.* 167. *& Saxon. lib. III. art.* 64. Horum vicarii erant Centenarii centgraffen, qui minoris momenti res curabant. Ipſis in jure dicendo Scabini, Schulteii & Rachenburgii adſidebant. *Struv J. publ. diſſert. XX p.* 412.

(b) *nobilitatis*) A vero enim Thomaſii abhorret ſententia, generis nobilitatem dudum poſt Caroli M. tempora in Germania innotuiſſe. Omnes enim ingenui erant nobiles, & plebeji ſervi. BAIER *in ſpecimine juris germanici c. IX.* niſi ingenui qualitate donati eſſent, quod ipſo facto fiebat, ſi principi accedebant comites, aut judici aſſeſſores. An ex nobilium ordine, qui miniſterialium nomine veniebant, ſervorum numero fuerint, altioris indaginis quæſtio eſt, quam alibi tango.

(c) *judiciis*) §. 26. Aſſeſſores Carolingorum tempore a Miſſis, regis juſſu, eligebantur. *cap.* 33. *lib. III.* Ab his minoribus judiciis magna diſtincta erant, quæ ſub dio celebrabantur, quibus ſemper ex quavis pagi familia unus aderat.

(d) *locum habet*) Confer. WERNER *de judicio feudali* STRUV. *c.* 16. *theſ. IV.*

(e) Schöppen) Vid. BRUMMERUS *de* Scabinis. Plerumque ſeptem ex melioribus pagi, & deum timentibus eligebantur *Capit.* 3. *Caroli M. de anno* 803. *apud Baluz. tom.* 1. *p.* 393, 394. *Capit. I. lib. III. p.* 761. *Capitular.* 6. *p.* 963.

urbi Italiæ conſtitutus Dux; ſed illi non erant hereditarii, & ne quidem manebat ad vitam hæc dignitas, ſed quamdiu Imperator voluit. Ipſa Roma habuit ſuum Ducem. Illum ducatum manſiſſe usque ad tempora Caroli. M., probavi in libro de Germanorum imperio. Hac ratione quoque cœpit Venetiis ducatus. Veneti accepere Duces ab Imperatoribus conſtantinopolitanis, quibus parebant. Hic modus regiminis placuit quoque gentibus germanicis, qui occuparant varias provincias imperii romani; illi etiam conſtituere Duces, & quidem illos, quos ante dixere die Hertzoge/ & qui antehac dicebantur Graffen/ Comites dicti ſunt ſequioribus temporibus. Horum Ducum frequens fit mentio in hiſtoria Francorum & Longobardorum, qui etiam inſtituere ſuos Duces, quorum potentia fuit magna. Francos itaque, & reliquos Germanos morem illum romanum imitatos, certum eſt. Vid. diſputat de Ducib. theſ II.

Quanquam Romani quodammodo præiverint Germanis in electione Ducum & Comitum; mores tamen ſuos antiquos obſervarunt. Nam in imperio romano veteri nullibi habebatur ratio nobilitatis, uti hodie in turcico imperio. Aſt in Germaniæ populis nemo ad magna officia admiſſus, niſi genere nobilis, & quo nobilior, eo aptior fuit habitus ad majora munera. Inde etiam Duces ex maxima nobilitate electi, ut & Reges Similiter ad Comitum ordinem nemo niſi Nobilis pervenit, uti antea nemo eligebatur Grafio, niſi habita ratione nobilitatis.

Alterum, quo Ducum conſtitutio cœpit diſſidere a Romanis, eſt, quod filii Ducum & Comitum præ aliis eligerentur ad has dignitates, modo eſſent idonei. Erat quidem in poteſtate Regum poſitum, vellent, nec ne; interim raro excluſus eſt filius, ſi idoneus inveniretur. Apud Romanos nulla habita ratio generis; deinde ducalis dignitas vix duravit ad vitam, nedum quod filii ſuccederent. Fuere ſub Ducibus Comites, nec temere quis Dux conſtitutus, niſi ſub ſe haberet *XII. Comites.* (a) Non omnes quidem ſub Ducibus fuere, ſed aliqui immediate ſubfuere Regibus. Similis ratio regendi apparet in populo polonico. Polonicus populus diviſus eſt in Waiwodias & Staroſtias. Waiwoda nobis eſt Dux, ſub quo ſunt Staroſtæ, qui nobis ſunt Comites. Hactenus tamen ibi non obtinuit, ut Waiwodarum & Staroſtarum filii parentibus ſemper ſuccederent. Ad monarchiam conſervandam conducit, vel nullos habere ejusmodi Duces, vel non niſi brevis temporis, multo minus tales, quorum filii ſuccedant. Apud Romanos veteres ejusmodi magiſtratus non niſi annui fuere. Simul ac Julio Cæſari conceſſa eſt per octennium Gallia, tantam ille vim congeſſit, ut potuerit domare totum imperium. Nulla reſpublica poteſt eſſe ſalva, ubi magni magiſtratus ſunt diuturni. Imperatores ergo romani ſibi rectius conſuluere, ut & hodie Poloni, quam Reges Francorum & Longobardorum, talibus muneribus non conſtituendis.

Hac ratione in regno Francorum cœpere Duces & Comites hereditarii, ſed non ſimpliciter, aliquo tamen modo. Quo tempore Carolus M. regno Francorum cœpit præeſſe, duo ſupererant grandes ducatus, alter in Germania, alter in Gallia. Hic erat ducatus Aquitaniæ. Dux ille toti Aquitaniæ præfuit, & hinc præpotens fuit, atque ex antiquiſſima nobilitate; ille fuit Taſſilo, Dux ducatus bajoarici, qui regia autoritate gubernavit; obedire tamen coactus eſt regibus Francorum. De ducatu bajoarico, qualis fuerit circa tempora Caroli M, vide AVENTINI *hiſtoriam* bajoaricam. Cæterum Carolus M, ut erat prudens, obſervavit, tales ducatus non convenire regio ſtatui, & occaſionem quæſivit tollendorum iſtorum, eosque ſuſtulit. Devictum Taſſilonem exuit omnibus bonis, & in palatinatu ad Rhenum in laurensheimenſe monaſterium detruſit. Cum illo Taſſilone exſtincta eſt familia Aginolphingorum. Carolus M. totum Bajoariæ ducatum regendum commiſit Comitibus, & ita plures conſtituit potentes Comites. Dividere magnos magiſtratus in plures, intereſt. Magni magiſtratus non debent uni committi, vel non debent eſſe diuturni.

Sub Ludovico Pio fuit *Carinthiorum Dux*, (b) cui etiam videtur Stiria paruiſſe. In reliqua Germania nulli fuere Duces. Durante adhuc familia Caroli, poſt Arnolphum, cum reſpublica Francorum undique turbaretur, & vires eorum multum eſſent fractæ magna ipſorum imprudentia cœpere denuo Duces conſtitui; ita ut ultimis temporibus illius familiæ in Germania fuerint Duces: bajoaricus, ſuevicus, franconicus, lotharingicus, ſaxonicus; ſub quo etiam fuit Thuringia. Cum autem Germani tum conſtituerent ſingulare regnum, patet, quam formidabile fuerit regiæ dignitati, tot eſſe in Germania Duces hereditarios. Ex hiſtoria patet, hos Duces pertæſos regiæ ſuperioritatis, egiſſe hoc, ut ſibi ipſis regiam aſſeverarent dignitatem. Erant tum temporis res Germanorum perquam difficiles, ob Hungarorum irruptiones. Ita autem contra Hungaros viſi ſunt pugnare Duces germani, ut non tam hoſtis habuerint rationem, quam ut regnum debilitarent, & crediderunt, ſi Hungaros, qui ſibi obſtabant, viciſſent, facilius ſe, quod vellent, conſequi poſſe. *Diſputat. de Ducibus* §. 19.

Inter omnes Duces maxime potens fuit Dux Saxoniæ Otto, qui etiam electus fuit Rex; etſi autem ille recuſaſſet nomen regium, tamen penes illum ſemper & ubique viguit ſummum impe-

(a) *XII. Comites*) Sed erant, qui pauciores ſub ſe habebant.

(b) *Carinthiorum dux*) MEGISSERUS *in annalibus Carinthiæ*, Codelachum Archiducem Carinthiæ, Ludovico pio imperante, præfuiſſe, enarrat. *In vita Ludovici pii apud* PITHÆUM *p.* 374. Codlach Dux forojulienſis vocatur.

imperium. Conradus Rex, defunctoOttone, *nolebat filium* (a) ejus Henricum dignitate paterna potiri, ne ducatus ille nimium excreſceret, quare Henricum dignitate exuere voluit, & morte afficere. Henricus hoc ſentiens, rebellavit, & in plenam libertatem ſe aſſeruit, & per totam Saxoniam & Thuringiam libere regnavit, nomine Ducis, ſed auctoritate regia. Hic tandem factus eſt Rex Germaniæ, & huic ſucceſſit Otto M.

Poſtquam ad Henricum Aucupem & Ottones regia pervenit dignitas, facti ſunt illi potentiores, adjectis ſibi Italiæ, Lotharingiæ & Burgundiæ regnis, ut Duces potuerint redigere in ordinem; partem tamen regalium habuere Duces, & ex parte etiam fuere hereditarii, ex parte autem non. Otto M. novum conſtituit ducatum in Saxonia, minore tamen, quam antehac, potentia. Fuit autem Dux ille Hermannus Billingus. Regimen illarum provinciarum tunc temporis longe aliter ſe habuit; bona enim pars regiminis dependebat a Regibus. Sub Ottonibus autem aliquid inſolitum contigit; nempe illi Ottones cœpere poteſtatem ſecularem, & potentiam Comitum, committere Epiſcopis. Otto M. non dubitavit, præclariſſimas urbes Germaniæ, quæ erant ſedes Epiſcoporum, ipſis regendas committere, maximo Epiſcoporum applauſu, ſed damno reipublicæ.

Seculo IX Germania diviſa eſt in ducatus, uti & Gallia, declinante familia carolina, ſed illi periere; aſt in Germania ducatuum numerus crevit. In Gallia multi quidem ſunt titulotenus Duces, ſed non poteſtate. Simili modo Polonia diſſecta eſt in waiwodias, ſive ducatus, & ſtaroſtias, ſive comitatus. Ducatus noſtri ex parte aliqua cœperunt hereditarü eſſe ſeculo IX. Erat in poteſtate Regum, unum ex filiis creare Ducem, non ſemper quidem primogenitum, ſed alium, qui videbatur dignus; hinc conſuetudine obtinebat, ut ad neminem devolveretur alium, ſi unus ex filiis idoneus eſſet. Aſt ſeculo X. & XI. in alias familias ducatus tranſlati fuere, quod filii idonei non eſſent. Sed facilius id fuit tum, cum vires familiarum nondum eſſent confirmatæ.

Ex eo tempore ducatus cœpere pars eſſe patrimonii, & tale quid contigit tempore Conradi II. Regis. Henricum enim Aucupem volebat frangere, & dignitate privare, ſed hunc rebellem & victorem expertus eſt. Eodem pæne tempore id contigit in Gallia, ubi tum Regibus erant formidabiles Duces, quos tantum Comites colebant. Cauſa ejus rei eſt, 1) quod tantas dignitates & potentiam Reges Francorum permiſerint ad paucos pervenire, 2) quod permiſerint, illas eſſe nimis diuturnas & hereditarias. Ita non potuit, quin tandem periret regia dignitas. Obſervandum autem eſt, in imperio Francorum circa ſeuda mutationem contigiſſe, & illa ſeuda ducatuum & comitatuum cœpiſſe eſſe hereditaria, lib. I. feud. tit. I. Bona feudalia ſunt inſtituta in uſum militarem, ne deeſſet miles paratus ad pugnam, præſertim equeſtrem. Equeſtris militia indiget magnis ſumtibus; igitur germanici populi, cum adhuc eſſent tenuioris conditionis, non equeſtri, ſed pedeſtri uſi ſunt milite. Sed poſtquam experientia eos docuit, opus eſſe equeſtri milite, data opera eſt, ut ille ſemper eſſet in promtu; ad quod erat opus ſumtibus majoribus, illi autem non ſemper reipublicæ erant ad manum: ut igitur equeſtris militia eſſet in promptu, data ſunt certis viris quædam bona, quæ eſſent militaria. Idem obtinet hodie in Turcia. Turcarum enim Imperator plurima, per Aſiam, pauciora per Europam, talia habet bona *feudalia*, (b) quibus efficit, ut ſemper in promtu habeat militem equeſtrem 100000 hominum, quæ dicuntur Ritter-Güter.

Initio talia bona conceſſa ſunt ei, qui erat aptus ad *equeſtrem militiam*, (c) quamdiu domino placebat, ut hodie obtinet in Turcia. Tale quid etiam apud germanicas gentes & in regno longobardico fuit in uſu. De hujus regni conſuetudinibus loquuntur libri feudales. Tempore Conradi II. nondum obtinuit *jus repræſentationis*, (d) &, ſi filius eſſet defunctus ante patrem, non ſucceſſit avo nepos, in feudis avitis. Conradus tamen indulſit, ut nepos repræſentaret patrem, & ſuccederet avo in feudo. Antehac non niſi unus filiorum ſuccedebat patri, qui placebat domino: Conrado autem placuit, ut ſi unus filiorum eſſet defunctus ſine heredibus, frater ſuccederet, quod antehac non obtinebat.

Ita omnia mutavere, magno ſane malo reipublicæ, quia ille ſcopus, ad quem primo inſtituta fuere feuda, poſt illam mutationem, ita, ut ante, in actum deduci non potuit. Ex eo tempore reſpublica habere non potuit in promtu adeo præclarum militem, qualem potuiſſet habere, ſi feuda manſiſſent in primo ſtatu: ex quo enim cœpere feuda eſſe hereditaria, accepimus multos degeneres homines, otioſos, & ineptos *ad bellum gerendum*, (e) neque enim filii pari ſunt

(a) *nolebat filium*) De his omnibus alibi actum; igitur nullas hic adjicio notas.

(b) *feudalia*) Hæc bona cum feudis aliquam habent affinitatem.

(c) *equeſtrem militiam*) Antiquiſſimis temporibus Nobiles pedeſtri ante equeſtrem militiam nomen dediſſe, nonnullis videntur, ubi plurimum roboris penes peditem erat. ANTONIUS MATH. *de nobilitate lib. IV. c. X.*

(d) *jus repræſentationis*) 1. *feud.* 8. 2. *feud.* 50.

(e) *ad bellum gerendum*) Cum miles ille, qui de feudis præſtatur, plerumque non niſi ex tyronibus aut ſenio confectis conſtet, aut non armis, multo minus bello, ſatis exercitatus ad res fortiter gerendas parum eſt aptus, non dubito, quin a vaſallis aliquid ad conducendum militem exigi poſſit. Hoc haud dubie inter cauſas fuit, quod Pruſſiæ rex feuda in terris ſuis abrogaverit. Vide *electa juris publici*,

ſunt virtute cum parentibus. Hodie quidem bona illa obligantur ad equeſtrem militiam, ſed illi alium conducunt, qui eorum vice ſungatur.

Magis cœpit peccari tempore Ottonum, quia ducatus & comitatus cœpere Epiſcopis committi; ex eo enim noſtri Epiſcopi facti ſunt Principes ſeculares, cura eccleſiaſtica ſepoſita fuit, quod conjunctum erat cum detrimento eccleſiæ. Ante Ottonem M. quenquam Epiſcopum jurisdictionem ſecularem habuiſſe, non potui obſervare. Habuere quidem jam ante ampliſſima bona & feuda quædam, & coacti jam tempore Francorum Regum militare; magno tamen malo. Ita jam tum cœpit regnum Francorum laborare malis Epiſcopis & Abbatibus, ut apparet ex hiſtoria Ludovici pii. Milites quidem ita accepimus, ſed non bonos eccleſiaſticos; qui militat Chriſto, ille non poteſt militare ſeculo. Paulus inter militem ſecularem & eccleſiaſticum accurate diſtinguit. Wittekindus pag. 25. loquitur de *Brunone*, (a) fratre Leonis, Archiepiſcopo colonienſi, quem Otto M vice Regem Lotharingiæ conſtituebat, procul dubio ad exemplum Papæ romani, quod excuſat Wittekindus. Plurimum hoc nocuit Germaniæ: verum enim eſt Ariſtotelis monitum politicum, non debere uni magnos principatus committi, vel certe non diuturnos. Ducalis dignitas jam tum laborabat magnitudine; multo magis vero accedente archiepiſcopali dignitate. Ita ille Otto per imprudentiam præcipitavit rempublicam. Quæritur, quomodo Otto potuerit tale quid plane inſolitum conſtituere?

Puto id factum duabus de cauſis: (1) ad exemplum Papæ, quia ille, qui in ſede Petri ſedebat, jam tum magnus erat Princeps, viſum fuit, id imitandum. (2) Creditum fuit, hoc facere ad ſalutem animæ; bonis enim illis Imperatoribus, & laicis, tum erat perſuaſum, quo plus donarent clero, eo gratiores eſſe ſe Deo, & omnia peccata ita poſſe expiari. Clerus pergebat perſuadere iis, ita poſſe flammam purgatorii exſtingui potius, quam magno flumine. Cum Pipinus donaſſet Papæ magnam Italiæ partem, e cœlo dicebatur auditam eſſe vocem: *periiſſe eccleſiam.* Licet hoc ſit fabula, tamen per hoc voluere indicare, quantum hæc donatio ſit nocitura reipublicæ. Nec juſſit Deus, ut bona hominibus otioſis donarentur, ſed, ut cura reipublicæ haberetur; poſtquam autem omnia iſta ſunt donata, magnum paſſa eſt damnum & reſpublica & eccleſia.

Ex eo tempore potentia Archiepiſcoporum & Epiſcoporum accrevit, ut multo magis Imperatoribus fuerit adverſa, quam ſingularium Ducum; illa enim potentia revera erat major. Habebant Archiepiſcopi & Epiſcopi tum utrumque gladium, ſeculare & eccleſiaſticum. Multo magis autem tale quid obſervatum fuit, poſtquam eſt ereptum Cæſaribus jus eligendi Epiſcopos; quod cæpit per Gregorium VII., & deinde lege conſtitutum ab Henrico V. Ex eo tempore Archiepiſcoporum & Epiſcoporum potentia crevit, decrevit potentia Cæſarum.

Acceſſere & alia, non ſatis obſervata, quæ & eccleſiaſticis noſtris Principibus & ſecularibus multum potentiæ attulerunt. Primo quod comitatus itidem cœperint eſſe hæreditarii, adeoque in patrimonio. Ex eo igitur tempore conceſſi ſunt Ducibus comitatus, qui erant ſub juris dictione eorum, ſi exſpiraret familia aliqua Comitum; ita maxime crevit potentia omnium Principum per Germaniam. Notavi jam id in præfatione ad Politicam Ariſtotelis. Fuit ſcilicet Germania olim diviſa in infinitos ferme comitatus; quot pagi fuere, ſive Ämbter/ tot Comites. Hodie Comitum numerus exiguus eſt in Germania, quia familiæ Comitum periere, & bona addicta ſunt patrimonio Ducum; hinc non potuit non multum creſcere potentia Ducum. Si quis legat hiſtoriam eorum temporum, obſervabit inter Albim & Viſurgim plurimos comitatus, quorum nulli ſuperſunt, qui omnes in Archiepiſcoporum & Epiſcoporum manus pervenere. Epiſcopatus magdeburgenſis plures habuit comitatus, item halberſtadienſis, hildeſienſis & mindenſis. Multo magis crevere, poſtquam permiſſum, ut non tantum ducatibus comitatus, ſed & ducatus ducatibus jungerentur, ut ita multi ducatus ad paucos pervenirent.

Palatini fuere 5. aut 6. ſi non plures. Nulla lex tale quid prohibuit, magno malo; non debet enim in republica unus nimis magnus fieri. Obſervarunt illam imminutionem regiæ dignitatis quidam Regum, ſed paulo ſerius: quidam etiam voluere remedium afferre, ſed omnibus eodem modo ſucceſſit.

Primus ea de re cogitaſſe videtur Otto III, ut nonnihil obſcure indicatur in hiſtoria Dithmari, merſpurgenſis Epiſcopi; ſed ille pæne puer obiit, hinc conatus fuit irritus. Idem videtur voluiſſe tentare Conradus II, ex Sueviæ Duce factus Imperator: ſed de ejus conatibus vix pauca reperire licet. Ea de re nil potui obſervare, niſi in autore chronici colonienſis. vid. diſputat. de Principibus & Comitibus. §. 23. Id tamen credo maxime pertinuiſſe ad Saxoniæ principatus, qui erant potentiſſimi. Cum legimus hiſtoriam Henrici III, patet, eum maxima polluiſſe autoritate, nec unquam noſtrum imperium ad tantum ſplendorem perveniſſe, quam Henrico III. imperante. Fuit Princeps bellicoſus & ingenioſus; hinc aliquot Papas de ſolio *dejicere,* (b) & Principum poteſtatem arctioribus includere limitibus, non dubitavit: ſed quia ejus imperium non fuit diuturnum, non potuit multum efficere. Quantum autem ille depreſſit, tantum mox iterum crevit potentia Ducum.

Obiit

(a) *Brunone*) Vid. quæ ad Lampadium dicta ſunt. (b) *dejicere*) *Vid. annot. ad librum de imperio germanico,*

Obiit relicto puero Henrico, quem curavit ſucceſſorem declarari. Sed ut recte dicit ſapiens, væ terræ! cujus Rex puer eſt: nam ſi Rex puer eſt, ſolet regia dignitas circumcidi. Hoc etiam in Germania contigit; omnia enim, quæ ſolent comitari pueritiam Regum, mala, Germania tulit. Factum itaque eſt, ut ſepoſita autoritate regia, parum abſuerit, quin Principes in plenam libertatem ſe aſſererent. Erat ei *tutrix mater* (a) Agnes. Id ægre ferentes Principes, ſibi id officii arripuerunt, & duo facti tutores, Archiepiſcopus *colonienſis* (b) & Archiepiſcopus *bremenſis:* (c) ſed ne quidem inter hos potuit convenire, & Principes magis magisque creſcebant in altum. De ejus temporis ſtatu ex Alberti ſtadenſis chronico §. 27. notatu eſt dignus. Ille Henricus IV. adultior factus, ſenſit, (prout valebat ingenio præclaro) quantam jacturam ſe puero regia dignitas feciſſet, cæpit cogitare de refrenanda iterum autoritate Principum, inprimis *Saxoniæ*, (d) qui viſi ſunt potentiores, quam regiæ majeſtati expediret. Viſum eſt huic rei commodum, ſi domicilium in Saxonia haberet fixum; antehac enim noſtri Reges ſolebant eſſe in perpetuo motu, nec usquam habebant fixam aulam. Elegit vero ſibi ſedem *Goslariæ.* (e) Ea etiam de cauſa arctam iniit ſocietatem & fœdus *cum Rege Daniæ*; (f) ſed multa commiſit admodum imprudenter. Permiſit enim, Principes Saxoniæ laceſſi per ſuos milites. Exſtruxit in omnibus montibus ſylvæ hercyniæ, per Thuringiam & Franconiam, arces, ita ut, ſigno per flammam accenſum dato, poſſent etiam hi, qui in Franconia erant, excitari, ſi forte orirentur turbæ. In omnibus illis caſtellis habuit militem, ille autem miles populo fuit moleſtus, eumque indultu Imperatoris vario modo laceſſivit: itaque multis injuriis incitati Principes Saxoniæ, arma contra eum arripuerunt. De primis illis motibus, & quibus conſiliis id incæperint Principes ſaxonici, vid. LAMBERTUM SCHAFFNEBURGENSEM, monachum ejus temporis, prudentem, & ut tum erant tempora, ſic ſatis eloquentem. Ortum hinc bellum, tractis in partes Imperatoris Principibus Germaniæ, quibus Saxonicorum potentia erat inviſa, quod infeliciter ſemel atque iterum á partibus Principum Saxoniæ geſtum eſt, quin puto, niſi aliud interveniſſet, potuiſſe eos plane in ordinem redigi: ſed cum ille pergeret vitiis juvenilibus omnibus gravis eſſe, paulatim illi Principes, quibus antehac Saxonum potentia inviſa erat, cœpere remotiores eſſe a conſiliis, veriti, ne & ipſi, poſt Saxones in ordinem redactos, affligerentur.

Sed factum fuit, ut Papa fieret Gregorius VII. Hic molitus novam monarchiam, illos Germaniæ motus in ſuos vertit uſus, & Cæſarem anathematis fulmine percuſſit, juramento fidelitatis omnibus ſubditis ſolutis. Ita Cæſar cœpit ſuccumbere, rebellio una & alia contra eum excitata, tota Germania inundata ſanguine civili, nec credo unquam fuiſſe tam miſeram faciem Germaniæ, atque tum, ut & tempore Ferdinandi II. Hinc factum, ut cæſarea potentia magis decreſceret, cumprimis, poſtquam Henrico IV. ereptum eſt *jus eligendi Epiſcopos*; (g) potentia Paparum vero crevit.

Fuit igitur poſt Henricum IV. potentia Ducum major ſolito. Henricus V. iterum paterno exemplo Principes Saxoniæ in ordinem voluit *redigere*, (h) & pugnavit ad *Wolphisholtum*, (i) ibique *infeliciter* (k) ejus res cecidere, ut ex eo tempore animum deſponderit, potentiam Principum Saxoniæ refrenandi. Hinc ſub eo magis ea crevit. Sub Lothario contigit, quod antehac exemplo carebat, nempe ut unus poſſideret duos ducatus. Tum erant duo ducatus potentiſſimi, bavaricus & ſaxonicus. De bavarico, quam potens ille olim fuerit, Vid. AVENTINUM. Ea fuit illius ducatus potentia, ut amplitudine regionum non habuerit parem, & ipſi Epiſcopi in Bavaria ab ejus nutu fuerint ſuſpenſi. Præpotens etiam erat ducatus Saxoniæ.

Lotharius, in magnum præjudicium imperialis dignitatis, permiſit, conjugi *duos hos ducatus*

(a) *Tutrix mater*) ALBERTUS STADENSIS ad ann. 1056.

(b) *Colonienſis* Loquitur de Annoni, Archiepiſcopo colonienſi, SIGEBERTUS GEMBLACENSIS ad annum 1062.

(c) *Bremenſis*) Adalbertus, Archiepiſcopus bremenſis, juventutem Henrici moderabatur, & corrumpebat, LAMBERTUS SCHAFNABURG ad ann. 1062. 1065.

(d) *Saxoniæ*) Inde factum, ut Magno Saxoniæ ducatum dare noluerit, qui autem, ne quidem captivitate, ut paternæ renunciaret hereditati, adigi potuit. LAMBERTUS SCHAFNABURGENSIS *ad ann.* 1073. Hæc res admodum principes concitavit, ita ut eo magis ſeſe pontificiis addicerent partibus.

(e) *Goslariæ*] Non credo, ipſi animum fuiſſe, fixam ibi habere ſedem.

(f) *cum Rege Daniæ*) Ex Lamberto Schafnaburgenſi l. c. ſatis pateſcit, ipſi animum fuiſſe, Saxones in ſervitutem redigere, aut etiam ad internecionem delere, & eorum loco Suevos conſtituere.

(g) *jus eligendi Epiſcopos*] Sed ille nunquam huic juri decedere voluit, ſed hoc primum ſub ejus filio Henrico V. eſt factum.

(h) *redigere*] Vid. B. HAHNII *Hiſtoriam imperii in Henrico V. §. V.*

(i) *ad Wolphisholtum*) Nonnulli, pugnæ locum in comitatu mansfeldico prope Gerbſtetum fuiſſe, dicunt. LEUCKFELD in *antiquitatibus halberſtadenſibus p.* 594. Alii prœlium non procul Helmſtadio commiſſum eſſe dicunt: verum huic obſtare videtur ſententiæ, quod in vicinia noſtra ſilva, cui tale nomen inditum ſit, non reperiatur, niſi dixeris eam, quæ non procul a pago Wolffs (Wolphisdorf) abeſt, id nominis olim inditum habuiſſe.

(k) *infeliciter*) Anno 1115. ad dictum locum Henricus V. non levi a Lothario affectus eſt clade. *Necrologium hildeſienſe tom. I. rer. brunſuic.* LEIBNITII *p.* 763. Annales *hildesheimenſes l. c. p.* 738. HELMOLDI *Chron. Slavorum lib. I. c.* 40. ALBERTUS STADENSIS *ad ann.* 1115. *Chron. Digaug. p.* 252 *ſeqq.*

catus, (a) & eos dedit Duci Bavariæ, Henrico ſuperbo, jam tum præpotenti, filiamque unicam ei in matrimonium elocavit. Lotharius ideo ejus potentiam augere volebat, ut eum haberet ſucceſſorem imperii; ſed reliquis Principibus hoc non placebat, quibus ejus potentia erat *invíſa* (b).

Factus itaque eſt Imperator Conraduſs III, qui Henrico ſuperbo fuit infeſtus, & ducatu Bavariæ eum privavit, alio in ejus locum ſubſtituto. Fridericus Barbaroſſa, ſucceſſor Conradi III, felicius duos nimis potentes ducatus imminuit, & eorum potentiam pæne annihilavit. Cum enim de ducatu Bavariæ eſſet contentio, & per injuriam Henricus ſuperbus eo eſſet privatus, primum invenit Fridericus Barbaroſſa modum ſopiendæ controverſiæ, & ejus ducatus potentiæ minuendæ. Scilicet eum, qui ab anteceſſore conſtitutus erat *Dux Bavariæ*, (c) creavit *Ducem* (d) Auſtriæ. Tota Auſtria hactenus fuerat pars Bavariæ, ſed ille partem illam abſtulit, & ſingulatim ibi creavit ducem, qui proxime ab imperio dependeret. Ita conſtitutus marchionatus Auſtriæ, nimirum contra regnum Hungariæ. Quod reliquum erat, coactus fuit dare Henrico Leoni, Duci ſaxonico, filio Henrici ſuperbi.

Ducatus ſaxonici potentia ſub Henrico Leone ad invidiam quaſi cœperat creſcere. Tenebat Henricus Leo imperio ſuo, quicquid eſt trans Albim, usque ad mare balthicum, & quod hacteous audit nomine epiſcopatus lubecenſis, ducatus mecklenburgici, & ducatus Pomeraniæ, victricibus armis ſibi ſubjecit. Hinc illi ea fuit potentia, ut in illis vendicis terris conſtitueret novos epiſcopatus. Idem habuit clientem ad nutum, Comitem Holſatiæ, tenuit ipſam Bremam, Lubecam, eosque epiſcopatus, & in Weſtphalia usque ad Rhenum potentiam ſuum diffudit. Hæc potentia inviſa fuit Friderico I. Cum igitur data eſſet occaſio Henrico bellum *inferendi*, (e) illumque proſcribendi, in ſuam ſenteotiam alios Principes facile poterat trahere, quippe quibus ea potentia erat inviſa, quæ vicinis Principibus omnibus fuerat perquam gravis.

Proſcripto igitur eo, potentiam non tantum ejus fregit, ſed & ipſos ducatus, ſaxonicum & bavaricum imminuit, ne impoſterum haberet, quod metueret. Bavaricos omnes Epiſcopos juſſit eſſe liberos, Cæſaremque reſpicere. Regensburgum declaravit liberam urbem imperii, quæ antebac erat metropolis Bavariæ. Bavariæ potentiam immiouit, eamque adhuc in interiorem ſtatum redegit, qui hodie obtinet. In Saxonia novis Ducibus creatis præter titulum & dignitatem pæne nihil manſit; quæ enim hactenus fuerant Ducum, diviſit in partes, ita, ut diverſi acciperent, quod fuerat unius. In Weſtphalia quicquid erat trans Viſurgim, id omne ceſſit aliis. Optima pars ceſſit Archiepiſcopo colonienſi, quod etiam hodie tenet. Quæ habebat in Angrivaria, bonam partem ceſſerunt epiſcopatui mindenſi, paderbornenſi & olnabrugenſi. In Saxooia creavit novum principatum anhaltinum, qui fuerat comitatus, & ſub Ducibus. Urbem tum potentiſſimam Lubecam juſſit eſſe civitatem liberam imperii.

Duces venedicos juſſit eſſe Principes imperii liberos, ut Ducem Pomeraniæ & mecklenburgenſem. Epiſcopi, quos primum inſtituerat Henricus Leo, facti ſunt Principes imperii. Archiepiſcopo bremenſi reddidit comitatum ſtadenſem. Reliquit tamen Henrico Leoni omnia bona patrimonialia, ſive hæreditaria, ex quibus coofectus fuit ducatus brunſuicenſis & luneburgenſis. Quo factum eſt, ut Ducibus illis parum ſuperfuerit. Ex illa familia ſuperſunt ſaxolauenburgenſes Principes. Elector Saxoniæ tenet partem veteris ducatus Saxoniæ, ſed parum. Si tum obtinuiſſet in Germania hæreditaria ſucceſſio Cæſarum, uti in Gallia, non dubito, quin de ducatibus actum fuiſſet; ſed quia hæc dignitas modo ad hunc, modo ad alium devolvebatur, Cæſares nil amplius potuerunt efficere. Cum ſeculo XIII exſtincta familia Ducum Sueviæ, & concidente cum Friderico II. imperiali dignitate, qui tum ſuperfuere Principes (per hos etiam intelligo Epiſcopos) ita res ſuas conſtituerunt, ut parum abfuerint a plena libertate.

Licet autem per Cæſares non potuerit amplius Principum potentia imminui, multis tamen in locis ſunt perquam imminuti, domeſticis malis. Obſervandum, omnes reſpublicas eſſe nunc magis nunc minus poteotes, propriis ſæpe virtutibus, & propriis vitiis. Oſtendam nunc, etiam vitiis eſſe factum, ut multi ducatus amiſerint priſtinum ſplendorem. Per vitia non tantum moralia intelligo, ſed etiam imprudentiam. Ut prudentia unica eſt regentium virtus;

(a) *duos hos ducatus*) Chron. *Weingartenſe c. XI. Chron. montis ſereni ad ann.* 1127. *Urſpergenſis p.* 211. Acceſſerunt deinde terræ comitatus Northeimenſes.

(b) *inviſa*) OTTO FRISINGENSIS *lib. VII. chron. c.* 22. *& de geſtis Friderici I. lib. I c.* 22 *chron. weingartenſe c.* 13. ALBERICUS *ad ann.* 1138.

(c) *Dux Bavariæ*) Conradus in Leopoldum Auſtriæ Marchionem, Bavariæ ducatum, Henrico ſuperbo exauctorato, tranſtulerat, Gertrudiſque matris, quæ ſecundo matrimonio Henrico, Leopoldi filio, nupſerat, ſtudiis Henrici Leo impubes Bavariæ ducatui renunciaverat. Poſtquam autem mater vitam poſuerat, & ille ad adultiores pervenerat annos, ſe illa renunciatione non teneri, docuit; &, ut ſententia pro ſe ferretur, cum Henricus auſtriacus in variis ad componendas de Bavariæ ducatu lites in dictis conventibus non comparuerat, obtinuit. OTTO FRISINGENSIS *lib. II. c. VII. IX. XVII.* GUNTHERUS *in ligurino lib. II. v.* 55.

(d) *ducem*) STERO *Altbarenſis ad ann.* 1156. OTTO DE S. BLASIO *c. VI.* GUNTHERUS *in ligurino lib. V.*

(e) *inferendi*) CONRADUS URSPERGENSIS *p.* 296. OTTO DE S. BLASIO *c XXXIV. p.* 209. *Chron. Steterburgenſe ad ann.* 1178. ARNOLDUS LUBECENSIS *lib. III. c.* 24. ALBERTUS STADENSIS *ad ann.* 1180. OTTO DE S. BLASIO *c. XXIV.*

virtus; ita imprudentia maxime iis nocet. De iis vitiis actum eſt in *diſputat: de Ducibus.* §. 28. 29. 30. Inter ea merito primo loco numeratur luxus, & nulla ærarii cura. Omnis reſpublica potens demum eſt, ſi etiam ærarium habet in promtu. Quemadmodum enim privati valde ſunt inſelices, ſi nullo ſint inſtructi ære; ita & Principes. Hic fuit peccatum, & hodie maxime peccatur a Principibus, qui ærarii non habent *curam*, (a) luxu perdunt bona ſua, ut quotannis vix ipſis ſuperſit quicqnam, qui ſe credunt maxime ſelices, modo luxus non ſuperet ipſum cenſum, ut apud multos fit. Hinc fiunt obærati; & pecunia egentes. Inde coacti ſuere vendere multa bona, privilegia, ſuamque potentiam multum imminuere. Hodie *luxus* (b) eſt longe major, quam antehac; unde patet, quorſum ſint defluxuræ res Principum in tanto luxu.

Alterum eſt, quod bella inteſtina & moverint multi Principes, & inter ſe geſſerint. Si videamus hiſtoriam rerum germanicarum, ſeculi XIII, XIV, & cum primis XV, patet, omnia bellis civilibus laboraſſe, per quæ exhauſtæ ſunt regiones, & vires Principum, ita, ut coacti ſint vendere bona, etiam hæreditaria. Fuere quidem bella non magna, attamen perpetuus miles conductitius multum abſumſit.

Peccatum etiam in eo fuit, quod per imprudentiam permiſerint ſuis, vel ſuorum aliquibus, nimis creſcere, cumprimis nobilibus familiis. Sicuti enim Imperatores non ſatis cauti permiſiſſent, multos principatus & comitatus in unum conjungi; ita etiam peccatum a Principibus eſt, dum multa præclara ſeuda Nobilibus paucis permiſere. Ita familiæ quædam Nobilium pervenere ad tantam potentiam, ut potuerint ipſis Principibus eſſe *formidabiles*. (c) Opera danda eſt in omni republica, ut bona inter plures dividantur, ut rectius poſſit ſervari æqualitas inter cives, quæ civitati cuilibet utilis eſt. Nulla lex prohibuit multa feuda in unum conjungere, hinc ea partim emtione, partim donatione Principum ſuere coacervata in unum, magno Principum malo.

Similiter non caverant ſibi ſatis Principes in eo, quod etiam ſubditis ſuis permiſerint *firma caſtella* (d) & arces condere. Ius armandiarum eſt inter ea, quæ reipublicæ competunt, nec cuivis permittendum, ut liceat ſe armare; nam nocuit hoc plurimis principatibus, & occaſionem dedit *civilibus bellis*. (e) Illæ enim arces factæ ſunt Principibus formidabiles, nec temere ab illis potuere expugnari. Ubi tales arces Nobilium ſuere multæ, ibi autoritati Principum multum detractum fuit. Idem plane paſſi ſunt Reges in Ducibus; poſtquam enim iis permiſiſſent munire urbes ſuas pro arbitratu, imminuerunt illi potentiam Regum. Reipublicæ intereſt, ne ſtatus in ſtatu fiat, ſeu munimenta in alterius, quam totius reipublicæ manibus ſint. Hodie in tota Gallia nullum amplius munimentum eſt, quod non ſit in manibus Regis, & quod non habeat præſidiarium militem. Ideo cum *Fucquettus* (f) exſtruxiſſet arcem, accuſabatur criminis læſæ majeſtatis. Illa autem arx cum multis aliis deſtructa fuit.

Quarta cauſa eſt: quod coutra antiqua inſtituta feudalia ipſi cœperint inſtituere bonorum ſuorum & regionum *diviſionem*, (g) pro multitudine filiorum. Ita enim effectum eſt, ut, quæ bona ducalia, ab uno poſſeſſa, revera erant magnæ autoritatis & potentiæ, in multos ramos diviſa, omnem autoritatem perdiderint. Lex feudalis eſt: ne cui liceat feuda inter filios *dividere*, (h) in Germania etiam bona feudalia fuere tantum penes unum, vel eum, cui dominus feudi voluit concedere. Poſtquam vero receſſum eſt ab hac conſtitutione, Principes cœpere ſuis ſubditis eſſe contemtui, & principatus amiſere priſtinum ſplendorem & potentiam. Hoc primum maxime cæpit ſeculo XII.

Seculo ſuperiori demum ille pravus mos quibusdam in locis cœpit aboleri, & vetus revocari, duobus modis: primo ut penes unum primogenitum eſſet potentia, reliquis nonniſi exiguum quid ad vitæ uſum concederetur, quod gallice dicitur appannagium, ita tamen conſtituendum, ut potentiæ quantum ſatis eſt uni relinquatur, quod etiam olim fuit in uſu. Alibi inſtitutum fuit, ut res ſit penes ſeniorem familiæ.. Cujus moris haud levia ſunt veſtigia in Goldaſti *libro*, (i) cui titulus eſt, Senior, ſive de majoratu. Olim ille majoratus germanicis populis fuit ſrequentiſſimus. Quncunque modo fuerit conſtitutum, potentia & ſplendor ducatus poterunt conſervari, quæ alias pereunt. Vid. *lib. 2. feud. tit.* 55. §. 1.

Quinta

(a) *curam*) Confer. KLOCK. *de ærario.*
(b) *luxus*) MONZAMBANO in fine *c. VII.*
(c) *formidabiles*) Hæc res, poſtquam Principes perpetuo ſunt inſtructi milite, mutationem paſſa eſt.
(d) *firma Caſtella*) Etſi nonnullorum Nobilium caſtra vallis ſint inſtructa, & foſſis circumdata: munimentis tamen, prout hodie ſunt, ea augere, aut militem præſidiarium ipſis immittere, non licet; quod nec apanagiatis datum, cum hoc ad ſuperioritatem territorialem ſpectet, qua utrique deſtituuntur.
(e) *civilibus bellis*) Nobiles enim, munimentis freti, Principum juſſa ſpernere auſi ſunt. Documento nobis ſint, quæ inter Albertum Brunſuicenſium Ducem & Aſſeburgios geſta ſunt.
(f) *Fucquettus*) Sermo hic eſt de illo, qui ſub Ludovico XIV ſummam rei nummariæ in Gallia curam habuit. Regis florebat gratia, ſed ſuperbia & luxu omnium propemodum ſibi conciliavit odia & invidiam, unde tanta fortunæ ruina profecta eſt.
(g) *diviſionem*) Hunc errorem permultæ ex illuſtriſſimarum Germaniæ gentium animadvertentes, de primogeniture jure ſolliciti fuerunt.
(h) *dividere*) Controverſum maxime eſt, an principatus imperii noſtri ab antiquiſſimis temporibus fuerint diviſibiles, an vero indiviſibiles. Priorem ſententiam Arnoldus Engelbrecht, poſteriorem Goldaſtus tuetur. Vid. ITTERUS *de feudis imperii c. XIII. §. IX ſeq.*
(i) *libro*) *lib. III. c. II ſeqq.*

Quinta cauſa eſt hæc, quod Principes, perinde ut circa nobiles familias, ita peccarint etiam circa urbes. Seculo XIII. cœpit fortuna urbium germanicarum longe eſſe ſolito major; tunc enim crevere commercia, ſequatæque illa commercia, divitiæ & potentia. Non ſatis ea in parte ſibi caverant Principes, quod permiſiſſent urbibus, ſe omnibus modis munire. Urbes enim ita munitæ & divites, Principes cœperunt contemnere, præſertim dum ducatus in varias particulas erant diviſi, & non prohiberentur, nec amplius poſſent prohiberi, quo minus inter ſe fœdera inirent, non tantum pro ſua defenſione, ſed etiam ad Principes in ordinem redigendos. Si quis legat hiſtoriam rerum germanicarum, a ſeculo XII, obſervabit, quod ſæpe fuerint inſtitutæ urbium confœderationes contra ipſos Principes, quibus, cum illi non eſſent pares, præſertim cum eo res devenerat, ut non crederentur habere jus ante homagium præſtitum, coacti ſunt plurima permittere, non ſine gravi potentiæ & auctoritatis jactura. De urbium fortuna dicam infra ſigillatim.

Nonnullæ urbes, poſtquam ad eas divitias perveniſſent, autoritate Cæſarum fuere ſubductæ imperio Ducum, & factæ fuere *liberæ* (a) urbes imperii. Credo, omnes urbes epiſcopales pæne, ſeu quæ ſedes præbuere Epiſcopis per Germaniam, olim fuiſſe in ditione eorum; ſed poſtquam eæ ſunt factæ potentiores, & ipſi Cæſares mallent imminutam Principum potentiam, eæ paulatim ſe ſubduxere potentiæ Ducum & Principum, inque libertatem ſe aſſeruere. Tale quid fecit Fridericus I, Saxoniæ & Bavariæ ducatibus auferendo Regensburgum, Lubecam, liberasque imperiales declarando. Eodem modo factum eſt cum urbibus circa Rhenum, cumprimis quæ fuerunt nobiliſſimæ, & præbuerunt ſedes Archi & Epiſcopis, quæ omnes fuere illis ſubductæ, & factæ urbes imperiales, ut Colonia, Spira, Argentoratum, reclamantibus quidem Epiſcopis & Principibus, ſed fruſtra. Ea in re quaſi prodigus fuit Rudolphus I, qui omnibus pæne potentioribus urbibus libertatem conceſſit, veritus tamen rebellionem Principum, coactus fuit privilegia revocare, ut teſtatur Spigelius, in commentario ad apophtegmata collecta ab Ænea Sylvio. Hodie etiam Cæſares ſunt promtiſſimi ad talia privilegia urbibus concedenda, contra Principes.

Poſtremo multum minuit Ducum potentiam, quod multi Comites, hactenus eis ſubjecti, adeo potentes redditi fuerint, ut cœperint eſſe ſui juris, ſeque ſubduxerint Ducibus. Antehac per imprudentiam Principum factum eſt, ut ſubditorum multi creverint viribus, plus quam e re Ducum & Principum fuerit: ſed hoc germanico bello iterum multum mutavit fortuna; urbium enim multarum, ut & nobiliſſimarum familiarum res, multum decrevere, unde ex eo non poſſunt non incrementum aliquod ſumere Principes. Incredibile eſt, quantum per hoc bellum decreverit potentia ſubditorum.

Qui velit operæ pretium facere circa accuratiorem Principum cognitionem, comparet ſibi libros genealogicos, inter quos exſtant tabulæ genealogicæ Antonii Albitii, Nobilis florentini, in quibus etiam genealogiæ plerumque germanicorum Principum habentur. Hic vixit ultima ætate in Germania, alias in aula Ducis Hetruriæ. Exſtant etiam Reusneri tabulæ genealogicæ inſignes, quæ itidem ad Germaniæ principatus pertinent. Item *Henningeſii*, (b) quæ ob ſingularem diligentiam merentur commendationem, licet in iis errores eſſe commiſſos non diffitear. Editæ etiam ſunt aliquæ Tubingæ, ſine nomine, quæ poſſunt maxime prodeſſe; maxime enim verſantur circa Principes Germaniæ, eorumque familias. Conſcripſit etiam ejus argumenti non pauca, Bacelinus monachus. Item exſtant tabulæ genealogicæ Nicolai Rittershuſii, quos ego maxime commendo; valde enim fuit diligens circa res germanicas. Seorſim etiam variæ tabulæ genealogicæ reperiuntur. Hoc ſtudium primo excogitavit in Germania Philippus Melanchton, quem tamen longe ſuperavit Reineccius, cujus opus genealogicum, hiſtoriæ Juliæ nomine, in maxima eſt commendatione apud eruditos, quod tamen pertinet ad antiquas familias. In noſtri temporis genealogiis valde ſudavit David Chytreus; fuit autem, ut in aliis, ita in hac re, valde diligens, ut ex ejus Saxonia patet, ubi ſolet annectere tabulas genealogicas.

(a) *libera*) liberarum imperii civitatum primordia ad tempus, quo expeditiones in terram ſanctam cœperunt, quidam referunt.

(b) *Henningeſii*) Vid. quæ ad diſſertat. proœmialem, Conringii annotat. ad Lampadium præmiſſam, dicta ſunt.

CAPUT

CAPUT XXXIV.

DE

ARCHIDUCATU AUSTRIÆ.

NUnc initium faciemus de archidueatu *Auſtria.* (a) Meretur hie primo loco pooi; 1) quia nobis dedit tam multos Cæſares, & Principes alios; 2) quia hæc familia tam potens eſt, ut ſub ſuo imperio dimidiam vere Europæ partem *contineat.* (b)

Principio notandum, quæ provineiæ in Germania pertineant ad archiducatum Auſtriæ, & quomodo illæ paulatim coierint in uoum. Illa familia auſtriaca ante 500 circiter annos nil tenuit in Germania, præter nonnulla Helvetiæ & Alſatiae. In Helvetia tenuit comitatum *hapsburgenſem*, (c) & io Alſatia landgraffiatum Alſatiæ. Comitatu hapsburgenſi jam dudum ſunt exuti ab Helvetiis, eum illis intentarent *dominatum*; (d) non eſt itaque, ut de eo dicamus. Soleot io titulis ſuis vocari: Die gefürſteten Graffen (e) zu Hapsburg. Nupero bello germanieo etiam perdidere totam Alſatiam, quæ ceſſit Regi Galliæ. Uno verbo, auſtriaca familia nihil hodie tenet avitorum bonorum: quæcunque autem poſſidet, ea demum acoepit a Rudolphi I. Imperatoris temporibus. In Germania tenuerunt Archiduces Auſtriæ ducatum Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & arehiducatum Auſtriæ, quo hodie etiam pertinet comitatus lintzenſis, & magous eomitatus tirolenſis.

Jam dicendum eſt, quomodo hæc coovenerint in uoum eorpus. Cum antebae comitatus Bavariæ habuiſſet Marchiooem, oppoſitum regno Bohemiæ, & obtemperantem hactenus Ducibus Bavariæ, marchionatum illum plane liberum eſſe juſſit, eumque abſtraxit a ducatu Bavariæ Fridericus I. Imperator, & eum, qui hactenus audierat Marchio, creavit Ducem. Ita primus omoium Dux Auſtriæ creatus fuit Henricus, cognomine Jochſamer Gott (ja ſo mir Gott:) quod ad tertium quoque verbum hoe verbo uteretur, cui ſucceſſit ipſius filius Leopoldus, qui adjecit ducatui Auſtriæ ducatum Stiriæ & Carniolæ. Geoerum habuit Ottocarum, Ducem Stiriæ & Carniolæ, & ab en improli, partim ære, partim precario accepit hos ducatus. Factum hoc fuit circa XII & XIII.

Idem Leopoldus multa alia feuda vaeua imperii ſibi comparavit, partim vi, partim fraudibus, partim emtione, ut eomitatum welzenſem & lincenſem, qui hodie conſtituuot ſuperiorem Auſtriam. Leopoldi familia maſcula exſtincta in Friderico, Leopoldi filio, Ottocarus Rex Bohemiæ, qui ejus *ſororem* (f) duxerat in matrimonium, factus fuit Dux *Auſtriæ* (g) & Stiriæ ſimul. Sed eum ille ſe nollet ſatis morigerum præbere Rudolpho I. Imperatori, proſcriptus eſt, & *prælio victus* (h) ab eodem. Stiria, Carinthia & Carniola, ducatus Auſtriæ, tanquam feuda vacua imperii, ab illo Rudolpho data ſunt filio *Alberto* (i) atque ita ad domum habsburgicam pervenerunt.

Alberto huie fuit filius Otto, qui a Carolo IV Imperatore ducatu Carinthiæ, tanquam feudo vaeuo fuit donatus; ita & ille ducatus ad domum auſtriacam pervenit. Ejus Ottonis ex

---

(a) *Auſtria*) Inter ſcriptores, qui tam ad regiomum, quam rerum auſtriacarum notitiam faciunt, inprimis memorandi veniunt: JOHANNIS HENRICI HAGELGANS *chorographiſchen* Verſuchs erſte Vorſtellungen, das iſt kurtz gefaſte Beſchreibungen der zu Teutſchland gehörigen Käyſerlichen Erbländer. SALIVANUS *de ſitu totius Carinthea.* JOHANNIS LUDOVICI SCHONLEBENS *Carniola antiqua & nova*, GERARDI DE ROO *annales auſtriaci*, Comitis a Brandia des tyroliſchen Adlers immer grünen des Ehren Kräntzel. CUSPINIANI *Auſtria.* Spiegel der Ehren des Ertzhauſes Oeſtreich/ quod opus Fuggerum autorem habuit, in meliorem autem ordinem redactum Sigismundus a Bircken edidit. LAZII *genealogia auſtriaca. Relation* von den Kayſerl. Hoffe zu Wien. Alios autores huc ſpectantes in STRUVII *bibliotheca hiſtorica*, & HERZII *bibliotheca germanica* enarrantur. Adde LUDWIGII *Germaniam principem lib. I. c. VI.*

(b) *contineat*) Tempore, quo hæc autor ſcribebat, auſtriaci quoque provinciis, quæ Hiſpaniæ monarchiam conſtituebant, omnibus præerant.

(c) *habpsburgenſem*) Hapsburgi caſtri, unde genti nomen eſt, rudera ſuperſunt. LUDWIGII *Germania princeps p.* 127.

(d) *dominatum*] Quod reliquum erat, in manus Helvetiorum pervenit, cum in Fridericum, proſcriptum a Sigiſmundo Cæſare, Helvetii excitarentur. Oeſtereichſcher Ehren-Spiegel *c. XV. p.* 420 *ſeq.*

(e) Gefürſten Graffen/ Verior eſt ſententia, hanc appellationem ooo cum Fuggero temporibus, Rudolphum Imperatorem antecedentibus, adſcribendam eſſe, ſed demum imperante Ferdinando I adhiberi coepiſſe.

(f) *ſororem*) Friderici, una cum Conradioo capite truncati, amitam magnam, ſive avi ſororem io matrimonium duxerat.

(g) *Auſtria*) Et hic ipſi Friderico auſtriacas terras præripere auſus eſt.

(h) *prælio victus*) A Cæſare coactus, ut in tentorio a ſe flexia genibus Bohemiam in feudum acciperet. Et eum tentorii latera levarentur, ut ab utroque exercitu tum cæſareo, quam bohemico, qui io propinquo erant, conſpici poſſet, in tantum actus furorem, quem uxor admodum augebat, ut injuriam, quam ſibi contra datam fidem illatam dicebat, vindicaturus, arma in Cæſarem ſumſerit. Verum enim vero bellum ex ejus parte male admodum ceſſit, luitque ille vita, quod ſuperbiæ, iræ, & uxorio imperio nimium obnoxius fuerit.

(i) *Alberto*) Hic Auſtriam, & frater ejus Rudolphus Sueviam oacti ſunt. Præterea Alberto Mainhardi Carinthiæ Ducis genero, ejusque heredibus ſpes, aliquando in Stiria, Carinthia & Carniola ſuccedendi, facta videtur. Non enim terræ hæ, niſi Henrico Mainhardi III. filio Carinthiæ Duce exſtincto, ad Ottonem & fratrem ejus Alberti filium, Ludovici Bavari beneficio delatæ ſunt. GERARDUS *de Roo lib. III annal. Auſtriacor. p.* 90, ſola tirolenſi ditione Henrici filiæ, quæ ob oris vitium vulgo Maultaſcha dicebatur, relicta MEGISSERUS *in annal. Carinthia p.* 927 *ſeqq.*

ex Alberto II nepos Rudolphus, *ducta in matrimonium* (a) Margaretha, Comitis ditiſſimi *tirolenſis* (b) unica filia, conſecutus eſt etiam comitatum tirolenſem, omnium maximum in Germania. Porrigit enim ſe per potiſſimam Alpium partem. Ita etiam tirolenſis comitatus auſtriacæ familiæ junctus eſt. Habet itaque domus hæc ingentes opes, & ampliſſimas regiones. Carolus IV non dubitavit etiam titulum mutare, & Duces illos Auſtriæ vocare *Archi-duces* (c) quaſi ipſi præ aliis Ducibus eminerent, adeo ut mererentur, extra ordinem reliquorum collocari. Iam de ſingulis illis regionibus dicendum eſt.

Quod Auſtriam attinet, circa nomen notandum aliquid eſt. Appellatur illa quidem Auſtria, ſed, ſi originem vocis videas, perperam id fit: non enim nomen habet ab auſtro, ſed potius ab orientali regione; flexa autem eſt illa vox a vocabulo Oſten. Simile quid contigit etiam alibi; nam pars Franconiæ orientalis dicta eſt Auſtraſia, cum potius Oſtraſia dici debuiſſet. Ita etiam pars orientalis longobardici regni dicta fuit Auſtraſia. Id etiam indicat vocabulum germanicum Oeſterreich/ quod denotat regionem orientalem: fuit enim marchionatus orientalis contra Hungariam. Quia tamen uſu receptum eſt nomen illud, a nobis non debet mutari, ſufficit notaſſe, quæ ejus ſit prima origo.

Quod attinet regionem Auſtriæ proprie dictam, illa eſt ſita in veteri Pannonia. Tota certe Auſtria olim dicta fuit Pannonia, non, quod ea omnem Pannoniam contineat, ſed quod ad eum ducatum pertineat bona pars veteris Pannoniæ. Unde in ea adhue ſuperſunt veſtigia urbium veteris Pannoniæ, ipſæ autem urbes dudum ſunt dirutæ. Commigravere autem in terras has Quadi, Bajoarii, ut & Marcomanni, ut merito dixeris, incolas Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ & Carniolæ eſſe oriundos ex Marcomannis, & cumprimis Quadis. Patet, regionem illam non pertinere ad veterem Germaniam: ejus enim terminus & limes fuit Danubius, qui hodie dividit Auſtriam cum annexis provinciis a reliqua Germania.

A latere occidentali habet Bajoariam, & ex parte epiſcopatum ſalisburgenſem. A parte meridionali habet Stiriam, cum qua tamen jam dudum in unum quaſi corpus concrevit; deinde ex parte Carinthiam. Ab orientali parte habet regnum Hungariæ. Unde facile patet, pæne undique eam patere hoſtibus externis, niſi qua parte cingitur Danubio, & cumprimis verſus Hungariam hodie eſſe expoſitam turcicis excurſionibus. A parte meridionali tutior eſt nonnihil, ob montes excelſos, & ipſos etiam Alpes. Ab oriente eſt fluvius Aniſſus, eaque parte nonnihil tuta eſt contra Bavariam. Quia autem Stiria jam in unum corpus cum Auſtria concrevit, ut & Carinthia & Carniola, harum etiam limites ſciendi. Stiria propinqua eſt parti regni Hungariæ & Croatiæ, nec non Carinthia & Carniola; hinc hæ terræ ſunt expoſitæ turcicis excurſionibus. Habent Turcam in vicinia, & ideo univerſa illa terra hodie in maximo eſt diſcrimine. Auſtria ſolet dividi in *ſuperiorem* (d) & inferiorem. Qua in re geographi valde errant,

(a) *ducta in matrimonium*) Hæc eſt ſententia Cuſpiniani, Aventini & Lazii, quibus GERARDUS *de Roo lib. III. p.* 102. 103 contradicit, comitatumque tirolenſem Rudolpho a Maultaſchia donatum eſſe, tradit. Primo enim matrimonio Joannis Regis Bohemiæ filio juncta fuit; a quo tamen, ut non viro, ſe per Ludovicum Bavarum ſejungi curavit, & deinde Ludovico Brand. Marchioni nupſit. Diploma donationis COMES a BRANDIS in den Tyroliſchen Adler *part. IX. p.* 139. & *Franciſcus Neigrinus* in der von Natur verſchantzten und faſt unüberwindlicher Grafſchaft *Tyrol. p.* 125. *ſeqq.* referunt. Hic Rudolphus, poſt Ulrici Comitis mortem, ab Epiſcopo baſilienſi comitatum pfirtenſem nactus dicitur: ſed hoc a veritate alienum; nam jam tum Alberto II. qui Ulrici, ultimi comitis filiam in matrimonium duxit, ab Epiſcopo baſilienſi, cui a Comite Theobaldo 1271 in feudum oblatus, 1324 ſub fiduciario vinculo conceſſus eſt. Hodie ex pace weſtphalica penes Gallum eſt, nulla Epiſcopi baſilienſis, ut domini directi, proteſtationis habita ratione. Scriptum, quod in comitiis ratisbonenſibus Epiſcopus exhibuit, refert LIMN. *addit. tom. V. p.* 255. Vid Spener. ſyllog geneal part ſpec. p. 63

(b) *Tirolenſis*) Nonnulli arbitrantur, a Tauriſcis regionem nomen habere: Alii id a Tauris, quos Comites habuit, repetunt. Fridericus I comitatum hunc, Henrico Leone proſcripto, a Bavaria ſeparavit, & Bertholdo de Meran, in immediatum imperii feudum, contulit. Inter auſtriacos titulos etiam eſt comitatus kyburgenſis, qui per Rudolphum I Cæſarem, Hartmanni ultimi Comitis ſororis Hedwigis filium, Auſtriacis acquiſitus, ad Tigurinos pervenit. SPENER *oper. herald. part. ſpec.* p. 62. Gueritiam quoque, quam Fugger comitatum, principali dignitate coruſcantem, vocat, auſtriacis ditionibus annumerari notum eſt. Leonhardo, prolis experte, vitam ponente, ad Maximilianum I delata eſt. Oeſterreichiſcher Ehren-Spiegel *lib. II. c.* 8. *p.* 341. Alſatiam ad Hapsburgicos pertinuiſſe; nemo, hiſtoriarum quodammodo peritus, facile in dubium vocabit, Oeſterreichiſcher Ehrenſpiegel *lib. I. c. III.* SPENER l. c. p. 62. LUDWIGII *Germania princeps p.* 282. Jam, partim ex weſtphalica pace, partim ex recentioribus pactionibus, tota penes Gallos eſt. Porro Auſtriaci Venedorum Marchiones, nec non portus Naonis, & Salinarum domini appellantur. Marchionatus ille haud dubie contra Venedos inſtitutus, ultima Carniolæ portio eſt. Omnia circa veteres ejus rectores incerta ſunt. Hinc regioni æque ac reliquæ Carinthiæ & Carniolæ multa a Venetis abſtracta ſunt loca. In portum Naonis, qui a Venetis poſſidetur, domus auſtriaca ſibi jus adſcribit, aut potius titulum, & Salinarum comitatus una cum Burgundia ad eam pervenit, hodie vero, æque ac hæc, gallicæ eſt ditionis. Denique cilienſis comitatus hic memorandus eſt, quem Fridericus III, Ulrico III. ultimo Comite, a Ladiſlao Corvino cæſo, reliquis Auſtriacorum terris addidit. Ehren-Spiegel *lib. I. c. II. & III & lib.* III. *c.* 3. SPENER *l. c. p.* 64. 65.

(c) *Archi Ducis*) De veteribus ſub Romanis, Carolingis, & ſequentibus Imperatoribus Auſtriæ fatis, inſpicienda LUDWIGII *Germania princeps* p. 232 ſeqq. Quando in hac gente conſtanter Archi-ducis axioma adhiberi cœperit, non abſque dubitatione eſt. Non memini, me a fide digno autore traditum vidiſſe, archiducalem dignitatem Auſtriacis a Carulo IV eſſe impertitam; legendum forte pro Carolo IV. Carolus V, quæ ſententia magis tolerari poſſet.

(d) *ſuperiorem*) Retinuit hanc ditionem Auſtriæ Marchio Henricus, cum Henrico Leoni Bavariam reſtituere a Friderico juberetur. Ehrenſpiegel *lib.* II. *c.* 2. Utraque Auſtria, quinquaginta duo milliaria, ab oriente in occidentem, & viginti ſex plus minus, a ſeptentrione in meridiem, æquat.

errant, ſuperioris nomine appellantes, quicquid nobis eſt cis Danubium: quicquid autem eſt trans Danubium, in ſolo *Pannoniæ veteris*, a) interiorem nominantes. Non male illa pars Auſtriæ etiam, quæ eſt trans Danubium, dividitur in ſuperiorem & inferiorem. Quicquid eſt a fluvio Emß usque ad Hungariam, dicitur interior, ſuperior vocatur alias das Ländlein ob dem Emß.

Hæc amplitudine longe minor eſt inferiori Auſtria, & aliis dotibus ab ea multum differt. Solum ejus eſt quidem ferax frumenti, non tamen eo abundat: multis etiam in locis eſt ſterilius, nec fert vinum, niſi auſterum, & minus commodum. Nec a metallis, niſi a ferrifodinis, eſt inſtructa, quas habet egregias. Inſtructior eſt ab armentis, alias non adeo dives. Solum & cœlum inferioris Auſtriæ longe eſt melius. Quo Auſtria eſt vicinior Hungariæ, eo facilius eſt ſolum, hinc eſt *frugifera* (b) omnis generis frumenti. Fert etiam crocum optimum, quod vincit bonitate italicum, & cum orientali poteſt comparari. Vini etiam generoſi eſt *ferax*, (c) cumprimis circa Viennam, neque temere ei regioni quid deeſt, quod vel ad neceſſitatem vitæ humanæ, vel ad delicias reqviritur. Sale tamen nativo regio deſtituitur, nec metalli eſt ferax, niſi quod habet ferrifodinas. Quia enim regio montoſa eſt, & commoda & incommoda montium habet. Convalles lætiſſimas & frugiferas maxime habet, ut regio illa ſit beatior. *Stiriæ* (d) ſolum eſt montoſum, nec multum ferax frumenti, *multo minus vini:* (e) regio enim ob montium altitudinem frigidior & horridior eſt. Quantum autem frumento deficit, tantum abundat armentis. Ingens numerus bubuli pecoris in Stiriæ montibus paſcitur. Habet quantum ſufficit ad neceſſitatem, non ad delicias. Caret etiam ſale nativo, & advectitio utitur, ex ſalisburgenſi epiſcopatu.

Horridiores adhuc ſunt *Carniola*, (f) *Carinthia*, (g) & *marchionatus Venedorum*, (h) *ob Alpes*, (i) ſub quorum radicibus illæ regiones ſitæ ſunt. Habet multum armentorum comitatus *Tirolis*. (k) Latiſſima eſt regio inalpina, & pertinuit olim ad regnum Bajoariæ, & gentes ibi ſunt bajoaricæ originis. *Amplitudine* (l) ſuperat ipſum comitatum Flandriæ, qui alias ea eſt amplitudine, ut plurimos ducatus poſſit ſinu ſuo comprehendere. Regio illa quidem abundat montibus, ſolum tamen ſic ſatis eſt frugiferum, omnis generis frumenti. Non habet tamen *vinum*, (m) ſed paſcua & ingentem copiam omnis generis armentorum. Abundat *metallis*, (n) & fodinis argenti, plumbi, &c. Ut hæc regio, licet inalpina, poſſit gloriari de inſigni cœli & ſoli bonitate. Non de marmore & aliis lapidibus *dicam*, (o) non de feris omnis generis. Eſt cervorum, damarum & capreolorum ingens ibi numerus; venationes igitur ibi poſſunt inſtitui maxime divites.

De incolis Auſtriæ primum dicam. Numero hominum Auſtria ſatis abundat, magisque abundaret, modo priſtina maneret ſacrorum libertas; aliquot enim millia religionis cauſa abierunt. Inprimis autem iis abundat Auſtria inferior. Quod attinet ad virtutes intellectuales, ibi non reperies magnum hominum numerum, qui vel inſigni valeant prudentia, vel ſint valde docti. Quidam dicunt, illos eſſe ingenio minus apto ad diſciplinas; de quo tamen, an naturæ, an educationi potius adſcribendum, dubito. Huic illud malim adſcribere; eſt enim altera natura. Inſignis Auſtriæ inferioris fœcunditas, eſt mater *luxuriæ*, (p) quæ impedit, quo minus ad eruditionem quis pervenire poſſit. In penuria eſt vis ingeniorum, & omnes terræ, quæ ſunt fœcundæ, raro educant ingenia ſubtilia; res enim fœdæ & luxuriæ immutant ingenia.

Morales virtutes quod attinet, in univerſum de Auſtriacis licet pronuntiare, eos luxui & intemperantiæ eſſe deditos, ut in proverbium abierit, quod Auſtriaci, cumprimis inferioris inco-

(a) *Pannoniæ veteris*) CELLARII *geographia antiqua* p. 551.

(b) *frugifera*) Fertilitati regionis incrementa ex fluviis Danubio, Aniſo, Levta, Traun aliisque, quibus rigatur, accedunt. Flumina hæc Auſtriam, inprimis Danubius, commerciis exercendis aptiorem reddunt.

(c) *ferax*) BAUDRAND *p.* 121.

(d) *Stiriæ*) Ad ſeptentrionem Auſtriam, ad occidentem archiepiſcopatum ſalisburgenſem, ad meridiem Carniolam; ad orientem Hungariam habet. Dividitur in Stiriam inferiorem, ſuperiorem & comitatum Cilli: regio, quatenus hunc comitatum complectitur, quadraginta milliaria ab oriente in occidentem, & triginta a meridie in ſeptentrionem continere dicitur. Fluviis Mura, Dravo & Raba ſecatur.

(e) *multo minus vini*) Vid. tamen *dictionaire geographique de Baudrand p.* 912.

(f) *Carniola*) Ad meridiem Morlachis ac Iſtria, comitatu Goeritiæ & Friaulo, ad occidentem Carinthia, ad ſeptentrionem Carinthia & comitatu cillenſi, & ad orientem Croatia terminatur. Latitudinem ejus viginti, & longitudinem viginti ſex milliaria æquare ferunt. Savus regionem, quæ in ſuperiorem, inferiorem & mediam diſtinguitur, interfluit.

(g) *Carinthia*) Ad meridem Carniola & Friaulo, ad occidentem Tiroli & archiepiſcopatu Salisburgenſi, ad ſeptentrionem & orientem Stiria & cillenſi comitatu cingitur. Longitudo quadraginta, & latitudo quindecim milliaria complecti fertur. In inferiorem & ſuperiorem dividitur. Superior ad occidentem circa Dravi ſcaturiginem, inferior vero ad orientem ſita eſt.

(h) *marchionatus venedorum*) Nonnulli præter comitatum goeritienſem huc referunt Aquilejam, Trieſte & S. Viti urbem: ſed hæ Italiæ partes ſunt.

(i) *ob Alpes*) Interim locis non deſtituuntur, quæ vini, olei & frumenti feraria ſunt.

(k) *Tirolis*) Ad meridiem Venetos, ad orientem Carinthanos & Salisburgenſes; ad ſeptentrionem Bavaros, ad occidentem Suevos, Helvetios & Rhætos vicinos habet.

(l) *Amplitudine*) Latitudo ejus triginta quinque, & longitudo quinquaginta milliarium eſſe dicitur.

(m) *Vinum*) Imo nonnullis in locis vinum, quod eſt in pretio, profert. Præſtantiſſimum omnium eſt der Trammerwein.

(n) *metallis*) Quibus Stiria, Carinthia & Carniola quoque non deſtituuntur. Gaudent quoque varii generis lapidibus & mineris. Vid. BRUCKMANNI *magnalia Dei in locis ſubterraneis p.* 72 *ſeqq.*

(o) *dicam*) Habet quoque minerales aquas & ſalis fontes.

(p) *luxuriæ*) LUDWIG *in Germania principe lib. I. c. V. §. IV.*

incolæ dicantur *paſchales*, (a) quod perpetuum paſcha celebrent, & jejunia ſpernant. Ubi autem ita cuticula curatur, facile quis colligere poteſt, quomodo ſeſe habeat res circa Venerem. Qui quotidie cuticulam curant, raro ſunt caſti; uti jam diu regiones illæ ab impudicitia infamiam contraxerunt. De Vienna Æneas Sylvius, ipſe non ſat caſtus, non dubitavit ante ducentos annos ſcribere, in egregia illius urbis deſcriptione, quam confecit, dum ibi viveret in aula Friderici Imperatoris, non reperiri ibi temere *matronam*, (b) quæ marito ſuo ſit contenta. Fortitudinem quod attinet, pro illo numero hominum paucos, ob luxuriam, habet *milites*. (c) Qui tumultum cieant, multi ſunt; qui vero militent, pauci. Qua de cauſa Archi Dux raro ex Auſtria poreſt militem ſumere. Ferdinandus II. Cæſar plures habuit copias ex Weſtphalia, quam ex Auſtria.

Stiria incolitur partim a germanicæ linguæ, partim a ſclavonicæ hominibus. Qui in agris vivunt, ſclavonicæ linguæ & originis ſunt, qui in urbibus, *germanicæ*. (d) Nobiles fere omnes ſunt oriundi vel ex Franconia, vel Suevia, vel Bavaria; magnam enim eorum multitudinem aliquando advocavit Dux Stiriæ, ob luxuriem & pigritiam faſtidiens milites Stirios. Ingenium illorum hominum bonam partem *ſtupidius* (e) eſt, vivunt vitam paſtoritiam, ignavam Hos corrumpit ſtupiditas ingenii, Auſtriacos luxuria. Laborant etiam corpore, & concipiunt *ſtrumas*, (f) ex potu nonnullarum aquarum.

Par ingenium eſt Carniolæ, Carinthiæ, Venedicæ Marchiæ & Croatiæ incolis, niſi quod Croati, ob continuam cum Turcis pugnam, ſint fortiores. Ad artes longe ineptiſſimi ſunt Stiri *Carnioli*, (g) nec non Carinthii. Ad illos montes ædes, quaſi nidos, exſtruxerunt, in quibus habitant usque ad ſumma montium cacumina. Si numerum hominum videas, regio eſt felix, ſi virtutem & ingenium, non item. Moribus non ſunt adeo corruptis, propter ſimplicitatem ingeniique ſtuporem, & quia luxurioſe vivere nequeunt, minus laborant vitio impudicitiæ, ut Auſtriæ incolæ.

Tirolenſes pæne ſunt eodem ingenio. Mirum eſt, quod hi, cum vicini ſint Helvetiis, non tamen eodem cum illis ſint ingenio; ſunt enim ignavi. Helvetii ſunt allemannicæ originis, Tirolenſes bajoaricæ, quæ natio ſemper ſtupidior fuit & ignavior, ut illa generoſior. Nec a ſcientiis & artibus ſunt inſtructi, nec valent armis; rariſſime reperies militem *Tirolenſem*, (h) licet hominum numerus ibi ſit ſatis magnus. Unde colligi poteſt, quantum periculi auſtriacæ domui immineat, cum non habeat domi militem. Si tot haberet milites, quot incolas, pares eſſent *Turcis*. (i) In ſuperiori tamen Auſtria plures videas generoſos, hinc in nupero bello non dubitarunt arma corripere, pro libertate religionis, & credo, ſi illi exercerentur & armarentur, fore eos ſat egregios milites.

Pro amplitudine regionum paucæ ibi urbes reperiuntur, nec illæ multum munitæ. Vienna eſt antiqua urbs, & jam Romanorum temporibus nomine *Vindebinæ* (k) inclaruit, quæ munita quidem eſt, ſed non ita pridem, nec ad eum modum, quo aliæ, cumprimis in Batavia & alibi.

(a) *paſchales*) Alii hoc deducunt von der Flaſchen / quia ampullis liquoribus repletis indulgere ſoleant.

(b) *matronam*) Non tamen deerunt, quibus matrimonii vinculum curæ cordique erit.

(c) *milites*) Frequentior tamen hodie, quam olim, ex Auſtria legitur miles.

(d) *Germanicæ*) MEGISERUS *lib. VII. c. 61. hiſtor.* IRENICUS *lib. 12. exeg. p. 223.*

(e) *ſtupidius*) LUDWIG *l. c. p.* 416.

(f) *ſtrumas*) Teſtante MUNSTERO tantis onerantur ſtrumis, ut ipſis loquelam impediant, & mulieres lactantes illas poſt tergum rejiciant, ut infantibus ubera præbere queant: ſed hoc ultimum & ipſi Munſtero dubium videtur

(g) *Carnioli*] A nonnullis horum ingenium excultum laudatur. Vid. SCHOENLEBII *Carniola antiqua & moderna.*

(h) *Tirolenſem*] Aſt ipſis non deeſſe animum, in nupero bello, ubi ruſtici in Bavaros pugnabant milites, ſatis demonſtrarunt. Credo ipſos a militia, ob ſtrictius, quod ibi ſervandum eſt obſequium, aliasque belli ærumnas abhorrere.

(i) *Turcis*] Hic αὔξησιν ab autore adhibitam eſſe opinor. Interim comitatus totius terrarum orbis maximus dicitur, &, cum Flandria, regnis æquiparatur.

(k) *Vindebinæ*, Hoc nomen in tabula Theodoſii & itinerario Antonini reperitur. Apud Ptolomæum Juliobona legitur, mendoſe tamen, ut Cellarius arbitratur, apud Jurnandem Windomina ſive Vindomina, (unde Vienna) dicitur. Hujus urbis ante Ptolomæum nulla eſt memoria Tiberii tempore nondum exſtitiſſe, vel nondum claram fuiſſe, CELLARIUS ex eo conjicit, quod VELLEJUS PATERCULUS *lib. II. c.* CIX dicat, Carnutum ſive Carnuntum fuiſſe ex parte Romanorum, proximum regni Norici; ex eo enim apparere, illo tempore inter Carnutum & Noricorum fines nullum clarum fuiſſe oppidum. In veteris ævi monumentis etiam Fabana, Fabiana, Flavianum vocatur. Cœpit deinde Vienna magis magisque inclareſcere, recentioribus inprimis temporibus adverſus Turcos antemurale fuit; ſtrenue namque Carolo V & Leopoldo imperantibus, inſultus eorum toleravit & repulit. Duodecim munimentia, quæ Paſteien (baſtiona) vocant, eſt inſtructa, licet ei recentiorum muniendi ars deſit, & caſtrum (citadelle) habet. Hominum numero, imperiali aula & Academia celeberrima eſt, magnitudine non æque. Inter urbis notabilia, quorum quædam ABRAHAM SAUR recenſet, ſunt, quod duodecim ibi habeantur judicia, utpote quatuor eccleſiaſtica; Epiſcopi paſſavienſis, Epiſcopi viennenſis, academiæ & capituli, cui duo Officiales, Rector & Decanus, præſunt; & octo ſecularia: regimen ducatus Auſtriæ, cum ſuo Cancellario, camera cum ſuo Præſide, judicium ſummorum Satraparum, qui Landmarchalli dicuntur, judicium ejus, qui vocatur der Haußgraff / Senatus oppidanus, judicium vectigalium, judicium foreſtale.

Quod ad Imperatoris aulam & Miniſtros attinet, primum collegium ſanctiorum nempe Conſiliariorum, (die geheime conferenz) complecti ſolet magnum palatii Magiſtrum, (Obriſt Hofmeiſter) judicii aulici Præſidem, ſupremum Camerarium, ſupremum aulæ Marechallum, imperii Vice-Cancellarium, cum Auſtriæ & Bohemiæ Cancelleriis & intimo Secretario: ex placita tamen Imperatoris, qui plerumque illuſtriſſimo huic præſidet Senatui, & alia adduntur membra. Conſilium intimum

alibi. Adſcribo hoc nimiæ luxuriæ & ſecuritati. Nunc vero trepidant, cum hoſtis ſit ante portas, ante in utramvis aurem dormiebant. Deus avertat, ne ſua ſecuritate & luxuria toti Germaniæ damnum creent. Præter Viennam non ſunt urbes munitæ multæ in Auſtria inferiori, præter oppidula quædam & caſtella. In ſuperiori eſt vetus oppidum Pannonicum & jam Romanis notum, nomine *Linzium*, (a) magnum, & pro more regionis munitum. Stiriæ metropolis *Grazium* (b) eſt, nec præter caſtella vix aliquid habet, quod ob munimenta inclaruit. Per Carinthiam & Carniolam reperias quædam *oppida*, (c) interdum ſatis populoſa & a commerciis florentia, ſed non multum munita. Hinc patet, illas regiones, niſi quod montibus

ex clero illuſtris moderari ſolet, cui Vice-Præſes & Aſſeſſores adſunt. Conſiliarius interior 2000 florenos, Secretarius 1000, Expeditor 400, & Scriba 150 accipit. De judicii aulici Præſide, Vice-Præſide & membris in jure publico agitur. Imperii cancellariæ imperii Vice-Cancellarius præeſt. Conſilium bellicum (Hoff-Krieges-Rath) ſuum habet Præſidem & Vice-Præſidem, ejusque membra ex bellicis Prætoribus & aliis in toga celebribus viris leguntur. Conſilium camerale, (Hoff-Cammer-Rath) quod ex Præſide & Vice-Præſide multisque aliis membris conſtat. Aulici ad certas referuntur claſſes, quas Stäbe vocant, quia cujusvis claſſis Præſes in regiminis ſignum caduceo eſt munitus, ſunt autem: Der Obriſt-Hofmeiſter Stab/ Obriſt Cämmerer Stab/ Obriſt-Hofmarſchall Stab/ Obriſt-Stallmeiſter-Amt/ Cammer-Stab Magno aulæ Magiſtro, cujus annuum ſtipendium 6200 floreni, & 10000 floreni menſæ impendendi conſtituunt, ſubſunt magnus culinæ Præfectus, vaſium argenteorum Camerarii, Concionator aulicus & ſeptem Capellani, qui annuum ſtipendium 15000 florenorum habent; Director muſicæ aulicæ, cui cantor & 40 muſici ſubſunt, quibus quotannis 43702 floreni porriguntur, Nummularius, aulicarum rationum Examinatores, Medici, aulici Secretarii, hoſpitiorum deſignator, tapetum ſtructor, candelarum cuſtos, ſalæ janitor, vaſium & utenſilium argenteorum famulus eorumque lavator; horum ſalarium annuum 4282 florenos requirit. Denique huc ſpectant omnes illi, quorum officia ad culinam, cellam, aut inſtruendam menſam pertinent, nec non corporum cuſtodes, Heroldi, portitores & famuli oratorii ſpectant.

Camerarii ſupremi muneris, quod habet, præcipuum eſt, ut ea, quæ ad legatos recipiendos & ad Imperatorem ducendos & reducendos ſpectat, curet. Hunc in finem ipſi a legatis procuratoria ſunt exhibenda. Ipſi magnus Camerariorum numerus ſubeſt. Ex ordinariis, qui clave aurea ab extraordinariis diſtinguuntur, & annuum 480 florenorum ſalarium habent, bini per unum diem noctemque cubiculi cæſarei foribus adhærere, & ex cibis, imperatoriæ adponendis menſæ, prægustare debent. Porro ſub hujus ſunt regimine ſex Dapiferi, quorum quilibet 360 florenis quotannis demulcetur, cameræ ſatellites, Bibliothecarii, Hiſtoriographi.

Supremus Marechallus nonſolum in omnes, qui aulæ inſerviunt, ſed & in Agentes, Reſidentes, quanquam hoc non ſine controverſia ſit, ſollicitatores & aulæ mercatores, judæos &c. jurisdictionem habet. Si Imperatoria aula ad alium ſe conferre vult locum, ipſi ſupremum hoſpitiorum directorium competit, electionis autem, aut coronationis cæſareæ tempore, hæc ſparta ad Papenheimium ſpectat. Imperio quoque ſupremi aulæ Marchalli obnoxii ſunt meſtores, chirurgi aulici, ſatellites, qui Ambts trabanten/ & equites, qui Einſpänniger dicuntur.

Supremus quoque ſtabulorum Præfectus inter ſummos cæſareæ aulæ officiales eſt, annuum ejus ſalarium florenorum duo millia ſunt. Parent ipſi Truchſeſii ſive Dapiferi, ex Comitibus & Baronibus lecti, quorum determinatus non eſt numerus. Ejus officium requirit, ut non ſolum eos, qui cæſareæ menſæ deſtinatos cibos ferunt, ſed & in ſolennitatibus alios antecedat, virgulaque forea pulſet, ut via in anticamera, in qua nemo, niſi Principes, Comites, Barones & legati comparere poſſunt, pateat. Cæſari in equum aſcendenti, aut carpento pedem inferenti, auxiliatrices præbet manus, & ad ejus latus in urbe pedes incedit, extra urbem autem in altera imperatorii currus parte (Juncke) ſedet, octodecim pueris nobilibus, quorum pleraque pars ex Comitum aut Baronum numero eſt, juſſa dat. Horum juventutem & ſtudia Ephorus, qui quotannis 336 florenos accipit, moderatur. Sunt adhuc, qui illos ſcientias & artes nobiles decentes docent. Porro ſummo ſtabuli Præfecto duodecim buccinatores, famuli aulici non pauci, & magnus eorum, qui in ſtabulis ſervitia præſtant, numerus ſubſunt.

Ad cameræ claſſem (Kammer-Stab) pertinent Confeſſionarius cum ſocio & famulo, quatuor Archiatri, ſolutionibus quæ a camera fiunt præfectus, ſedecim cameræ ſervi, qui nigris ornati ſunt clavibus, pharmacopolæ & chirurgi aulici, horologiorum fabri, aurifabri, ſculptores, typographi &c.

Porro ſummis aulæ officialibus arcenſendi ſunt ſupremus aulæ Cancellarius, ſupremus Venator, ſupremus Falconarius, ſupremus in terris hereditariis poſtarum Magiſter, ſatellitum & corporis cuſtodum Præfecti (der Leib-Garden Hatſchier/ Hauptmann der Leib Garden Trabanten Hauptmann.) Prior ex Comitum numero ſtipendium annuum 2000 florenorum habet. Nonaginta moderatur equites, qui nobilis generis & belli non expertes eſſe debent. Haſtis, cultrorum formam referentibus, in urbe, extra eam ſclopetis ſunt armati. Singuli horum quotannis 200 conſequuntur florenos. Præterea ipſius juſſibus ſubſunt primarius hoſpitiorum deſignator, cujus ſalarium 400 floreni conſtituunt, chirurgus, qui 200, ſecundarius hoſpitiorum præfectus, qui 178 flor. quatuor buccinatores & tympaniſta, quorum ſinguli 200 flor. pronunciator, (ein Auſſager) excubiarum ſervus, quorum quisque 100 flor. & faber, qui 200 florenos accipiunt. Corporis cuſtodes qui regit, Comes aut Baro eſſe ſolet. Quotannis ipſi 2000 floreni ſolvuntur. Hujus dicto audientes ſunt 88 corporis cuſtodes, quorum cujuslibet annuum ſtipendium 108 floreni ſunt, primarius hoſpitiorum deſignator, cui 200 floreni, ſecundarius hoſpitiorum deſignator, decem Decuriones, quorum cuilibet 132 floreni, tibicen & tympaniſta, quorum cuilibet 108 floreni quotannis ſolvuntur. *Europæiſcher Herold. tom. I. p.* 137. 138. Quanta hodie ſit militis cæſarei copia, ex latiſſimis terrarum ſpatiis, quibus Imperator noſter præeſt, facile conjicere poſſumus. Sunt, qui putant, eum in hoc belli & pacis ancipiti ſtatu ducentorum millium numerum implere. Miles autem hic nonſolum numero, ſed & robore validiſſimus belloque induratus, atque ipſi optimi Duces, belli exerciti, quorum caput eſt heroum maximus EUGENIUS, Sabaudicæ domus propago. Nullum eſt dubium, quin tot in ſago & toga officiales, tantusque militum numerus, immenſos requirat ſumtus, in quos magna redituum imperatoriorum pars conſumitur. Ex imperio quos habet reditus, minoris ſunt momenti. Ex inveſtituris enim nihil ad Cæſarem pervenit, & viginti millia florenorum, plus minus, quæ ab imperialibus præſtantur civitatibus, plerumque cæſareis miniſtris in annuas cedunt penſiones. Aſt tot provinciæ hæreditariæ ingentem pecuniæ vim cæſareo præbent ærario. Vide libellum cui titulus Oeſterreich über alles & *relation* von dem Käyſerl. Hoffe zu Wien *c. III* & *IV*. Errores, qui circa earundem rem nummariam occurrunt, a SCHROETERO in der Fürſtl. Schatz und Reats Cammer perſtringuntur.

(a) *Linzium*) Hic res ſuperioris Auſtriæ diriguntur.

(b) *Grazium*) munimentis, caſtro & academia nobile, ad Muram ſitum eſt.

(c) *oppida*) Clagefurtum Carinthiæ metropolis, ſatis magna & bene munita eſt. Gurcum Epiſcopum habet, qui ex imperii Statuum numero non eſt. Sunt hujus provinciæ

tibus impediantur viæ, patere hoſtilibus incurſionibus. Qua parte Carinthia & Stiria viciniores ſunt Croatiæ, habent quædam caſtella & opidula, inter quæ munitum eſt Carl-Stadt/ non adeo pridem exſtructum a Carolo Archi-Duce Auſtriæ. Item qua parte adjacet Dalmatiæ, & vicinior eſt regioni Venedæ, ſunt quædam munitiora caſtella. *Venedi* (a) autem ipſi, tranſitus per Alpes in Italiam, longe melioribus inſtruxere munimentis, ut ſibi ſuisque rebus recte caverent. Comitatus Tirolis habet metropolim Oenipontem, (Inſprug) oppidum egregie *exſtructum* (b) quoad ædificia, non tamen bene munitum. Totus Tirolenſis ducatus non habet munimenta, ſed defenditur Alpibus, & montibus inviis, de reliquo patet.

Abundat Auſtriæ nobilibus familiis, quæ antiquioris ſtirpis ſunt ſunt plerumque Barones aut Comites, hinc infinitus eorum numerus eſt, quorum ſi opes videas, multum ſunt illorum opes infra noſtrorum nobilium divitias. Intra annos 401 aut ultra, bona pars agreſtium in nobilium ordinem ſeſe recenſeri paſſa eſt, ut hodie Auſtria abundet nobilibus, ruſticorum vero habeat parum. Bono an malo reipublicæ hoc fiat, patet; nam qui ita titulis excellunt, volnnt etiam præ aliis luxurioſe vivere, non vero titulis illis digna facta exhibere, ideoqne id potius obeſt, quam prodeſt. A priſca frugalitate multum in Auſtria receſſum eſt, ex quo cœpit nobilibus abundare.

Nobilitas auſtriaca inſignibus gaudet privilegiis, & licet auſtria i Principes ſupra quam credi poteſt, ſint addicti ſuperſtitioni papali, tamen Baronibus, ex antiquiſſimis ſtirpibus natis, ſolent permittere libertatem religionis, non vero ſubditis eorum, quibus etiam ante illud permittebatur. Habuit Auſtria a temporibus Maximiliani II. nobiles pleroſque Auguſtanæ addictos confeſſioni, admodum paucos pontificios. Quia vero illi, inſano conſilio, arma corripuerunt & conſpiraverunt contra Ferdinandum II, hic victor bonam eorum partem in exilium egit, bonis in fiſcum redactis, ſpe tamen illorum recuperandorum illis relicta, ſi redirent ad ſacra pontificia. Hinc multi præ paupertate & tædio auxilii, ad papiſtica ſacra ſe receperunt. Aliorum bona ſunt in manibus novorum nobilium papiſticorum; reliquæ multitudini erepta eſt *libertas religionis*. (c) Quomodo ſacra ibi mutata ſint, legendum in *Caroli Caraffæ* (d) Germania reſtaurata. In Stiria dudum ante, rebus adhuc pacatis, mutata ſunt priſtina ſacra, per Ferdinandum II., qui fuit a Jeſuitis educatus & Jeſuiticis placitis infectus. Tirolenſis autem comitatus nunquam habuit ferme multos, qui Auguſtanæ confeſſioni fuiſſent addicti, ut & Carinthia & Carniola. Hodie in Auſtria inferiori per *vim coguntur* (e) agricolæ & reliqui, ſacra pontificia colere, animo ſint licet alieni; ut propiores fuerint rebellioni, modo dux non defuiſſet. Aliquoties quidem arma corripuere, ſed infeliciter. Accuratior tractatio de iis, quæ ſunt cauſæ moralis, legitur in Munſteri coſmographia, qui pleniſſime omnia eſt perſecutus, cumprimis, quæ ad Tirolenſem comitatum pertinent. Exſtant etiam chronica Carinthiæ Megiſeri, lectu digna. Auſtriæ varias deſcriptiones habemus, inter quas eminent Wolfgangius Lazius, & ante eum Johannes *Cuſpinianus*. (f) Hiſtoriam Auſtriæ egregie perſecutus eſt Gebhardus de Rhoo, quæ lectu eſt digna.

Haud difficile collectu videtur ex tota regiminis ratione, quod in omnibus illis regionibus ſpectetur uſus communis Principum & ſubditorum: primo, quia omnia, quæ ſunt majoris momenti, expediuntur non tantum ex arbitrio dominantium, ſed & populi; ſecundo, quia non ſolum leges & conſtitutiones omnes videntur reſpicere utilitatem populi, ſed etiam tota reſpublica ita conſtituta eſt, ut populo bene ſit. Familia auſtriaca eſt potentiſſima in Germania, & videtur etiam hoc nunc agere, ut majorem potentiam acquirat, ſed toti reipublicæ id non eſſe poteſt propoſitum. Certum eſt, quod eam potentiam, quam in Germania habet hæc domus, non per arma, ſed per *matrimonia* (g) & donationes Principum maxime acquiſiverit, quæ commodiſſima & æquiſſima ratio eſt perveniendi ad divitias.

Voluit quidem armis acquirere multa Ferdinandus II, & modo ſibi temperaſſet a violentia in rebus ſacris, totam pæne Germaniam potuiſſet ſibi per arma ſubjicere; ſed a Suecis fracta eſt ejus potentia. Ad illa autem conſilia, non tam proprio, quam adminiſtrantium inſtinctu, videtur perveniſſe. Alias hæ provinciæ non adminiſtrantur ad potentiam, quia omnis potentia armis comparanda, vel conductitio externo milite, vel domeſtico lecto eſt paranda.

Dome-

ciæ loca, quæ ad Bambergenſem ſpectant Epiſcopum. Carniolæ metropolis Labacum, ſede epiſcopali dotata eſt, cujus Epiſcopus, æque ac Viennenſis immediatis imperii membris non accenſetur. Cœterum in hac regione notabilis maxime eſt lacus Circonienſis, qui omni anno piſcationi, venationi & meſſi, ſucceſſive patet.

(a) *Venedi*) Venedorum marchiæ metropolis Metulum, magnitudine celebris eſt.

(b) *exſtructum*) Et ſatis magnum, in hac urbe, provinciæ ærarium aſſervatur, ibique Gubernator locum tenet.

(c) *libertas religionis*) *Art. V. §. 39. ſeqq.* Inſtr. pacis, Sueci circa Auſtriacorum, evangelicæ religioni addictorum, res promovendas parum diligentes fuiſſe dicuntur. Sunt, qui Salvium ære ſopitum fuiſſe tradunt.

(d) *Caroli Caraffæ*) Et GOLDASTO *adverſus Gretſerum. c.* 90.

(e) *vim coguntur*) Hujus rei exemplis nec noſtrum deſtituitur ævum.

(f) *Cuſpinianus*) Plures recenſet LUDWIG *in Germania principe lib. I. c. VI.*

(g) *matrimonia*) Vid. DIDACUS DE QUILLE *parte II.* LEONHARD WURFBAIN *in relatione hiſtorica* durch was Mittel das Hauß Oeſterreich zum Beſitz ſeines Landes kommen. Hinc in vulgi eſt ore: *bella ducant alii, tu felix Auſtria, nube* Galli, quod & tam proſpera ipſis non contigere matrimonia, iniquo ſemper tulerunt animo. LIMNÆUS *ad lib. V. juris publici c. 2. n. 21.* LUDWIG *l. c. p.* 370.

Domeſtico Auſtria ejusque regiones non ſnnt inſtructæ; conductitium non *poteſt alere.* (a) Quamvis autem ſatis opulentes ſint illæ provinciæ, ad tantum tamen militem alendum non ſunt pares.

Nec videas ibi Principes *bellicoſos*, (b) multo minus propoſitas habentes divitias, quippe quorum ærarium plerumque eget. Poteſt igitur dici, felicitatem civilem pro ſcopo eſſe, non tantum Principum, ſed & populi, quæ conſiſtit in exercitio virtutum, cum rerum ſufficientia.

Formam regiminis quod attinet, non difficile perſpectu eſt, obtinere ibi principatum, non plane liberum & legitimum, adeoque mixtum, ubi tota ſumma rei non eſt penes unum, ſed ex parte penes proceres. Ante ferale bellum germanicum, potior longe fuit autoritas *procerum*, (c) quam nunc eſt. Fracta ſcilicet eſt populi potentia per bellum diuturnum, inprimis, poſtquam omnes nobiles familiæ paulo ferociores pulſæ ſunt Auſtria, vel ſponte abierunt propter religionem. Qui vero nunc ſunt Nobiles, beneficio Cæſarum nacti ſunt illa bona, aut alias magis ſunt obnoxii, quam antehac. Magis accedit, quod populus antehac fuerit liber ratione ſacrorum, nunc autem tyrannidem ſacram cogitur pati. Rempublicam autem lege & moribus mixtam eſſe, patet, quia antehac de omnibus rebus majoris momenti, pertinentibus ad rempublicam, actum prius eſt in conventu populi, & nil majoris momenti potuit conſtitui, niſi conſentiente populo. Igitur antehac comitia fuere frequentiſſima, cumprimis ſi quid conſtitui debuit de vectigalibus, aut aliis ſubſidiis rei bellicæ, aut pacis. Illud etiam nunc fit, ſed ſi hodie populus rogatur, pæne idem eſt, ac ſi imperetur; non enim audent renuere. In Auſtriæ provinciis, in Senatu, qui præſidet regimini regionis, ſecundum leges quidam ſemper debet eſſe ex Proceribus. Habent quidem Principes ſuos Conſiliarios, ſemper tamen ſunt Aſſeſſores ex ordine populi, partim Barones, partim Nobiles, partim etiam lecti ex clero.

Duo inprimis in omnis reipublicæ adminiſtratione attendenda ſunt: tempora belli & pacis. Quod belli tempora attinet, longa pace & rebus ſecundis fracti ſunt animi Auſtriacorum, ut pateat, domi non eſſe rempublicam ſatis inſtructam ad belli tempora. Docuit hoc eventus; in bellis enim Germaniæ Imperator ſemper uſus eſt milite peregrino; ubi vero ipſe populus non eſt bellicoſus, non bene eſt compoſita reſpublica ad tempora belli. An vero id fiat vitio regnantium, an vero ingenio populi, non facile dixerim; utrumque videtur convenire. Multi putant, ex re eſſe Principum, ut populus ſit iners, mihi tamen videtur eſſe utilius Principi, ſi populus ſit *bellicoſus*, (d) propter hoſtem vicinum atrociſſimum.

Audivimus nuper, evocatum quintum quemque, ſed nihil forte efficient, quia ſunt ſtupidi, molles, & armis non excercitati. In urbibus itaque & caſtellis munitis, que hic pauca reperias, eſt præſidiarius miles conductitius peregrinus, cui non recte credideris rempublicam: præcipue enim ſpectat *pecuniam*, (e) quæ ſi non adeſt, ſolet tumultuari, & ſe ſubducere periculis. Ad militem tamen conductitium alendum, qui ſufficiat incurſionibus non ita magnis, ſic ſatis inſtructus eſt Princeps, modo luxus non abſumeret ea, quæ in ærarium inferuntur. Memorat Iohannes Sambucus, ſubditos animo fuiſſe benefico in Maximilianum II, adeo, ut Cæſar gloriatus fuerit, ſe a ſubdilis ſuis quidvis accipere poſſe. Interdum voluntaria contributione nactum eum eſſe 700000 thaleros, quod eſt ingens tributum. In *comitatu Tirolenſi* (f) Principes ex bonis fiſci ingentem poſſunt ſumere pecuniæ vim, &, ut quidam ſcribunt, plus quam 300000 thalerorum. Plurimum autem noxæ accepit ærarium, profuſa Ferdinandi II. liberalitate in clerum & monachos.

Hodie & vectigalia & proventus publici bonam partem aliis ſunt oppignorata. Sic Viennæ urbis vectigal Ieſuitis eſt oppignoratum. Ditati ſcilicet a Principibus, non dubitarunt, quod reliquum fuerit, loco pignoris accipere. Si Ferdinandus II bona conjuratorum in fiſcum redacta ſibi reſervaſſet, Principes auſtriaci potuiſſent habere locupletiſſimum ærarium, quo nunc egent, nec cogerentur per ex actiones nimias jacturam ejus compenſare. Ad belli igitur negotia minus apte regitur reſpublica. Ferri quoque fodinæ longe plures poſſent inſtitui, quam hodie ibi ſunt; hic autem ſive per ſocordiam populi, ſive aliam cauſam non excoluntur, ut Cæſar arma cogatur emere in archiepiſcopatu Colonienſi, Leodicenſi, Bergenſi, cum domi affatim habeat, unde hæc comparari poſſint.

Quod ad pacis tempora attinet, omnia ibi rectius ſe habent, id tamen merito improbandum, quod per vim ſacra ſubditis imperentur, quod facit ad id, ut regio illa hodie ſit minus

(a) *poteſt alere*) Non dubito tamen, quin hodie accuratius, quam olim, cæſareo militi ſtipendia ſolvantur.

(b) *bellicoſos*) Nec Auſtriacis ſui defuerunt heroes; quorum numero etiam omnino hodiernus Imperator Carolus VI eſt, qui res in Hiſpania præclare geſſit & adverſam æque ac ſecundam fortunam conſtanti tulit animo. Major nulla terris obvenire poteſt felicitas, quam Principem habere, qui a non neceſſariis abhorret bellis; bella enim tam in victoris, quam devicti ſubditorum perniciem tendunt.

(c) *procerum*) Non dubito, quin hodieque in Auſtria provinciales celebrentur diætæ: ſed non majori, quam alibi, erunt autoritate. Evangelici Ordines olim peculiare habebant conſiſtorium & leges eccleſiaſticas, quæ in codice, inſcripto: Chriſtliche Kirchen agenda, compilatæ erant. LUDWIG *in Germania principe l. c.* HERTIUS *de ſpecialibus roman. german. imperii rebuspubl. §.* 28.

(d) *bellicoſus*) Bellicoſus tamen populus nonnunquam in rebelliones pronus eſſe ſolet.

(e) *pecuniam*) Præſtat militem habere, qui per alia pignora ei, ſub cujus ſignis militat, quam ſtipendiam eſt adſtrictus.

(f) *comitatu Tirolenſi*) Juri, quod Bavaris in hunc ſibi vindicabat comitatum, per pacta Scherdingana deceſſit.

nus felix. Solet adhuc Baronibus & Nobilibus, ex antiquo ſtemmate natis, permitti libertas religionis, ita tamen, ut non liceat ipſis domi ſuos baptizare, vel per miniſtros eccleſiæ ſibi exhiberi ſacram euchariſtiam, nec homiliam audire. Porro, ſi quis moritur, impuberes aut pupilli defunctorum parentum, per vim educantur in religione pontificia. Olim magna erat autoritas Principum & Archi-ducum, etiam in omnem clerum, ejusque bona. Ferdinandus autem ſecundus, perſuaſus a Jeſuitis, paſſus eſt, perſonas & bona ſacra, ſuo ſubduci regimini, ut dixeris, bonam, imo dimidiam regiminis ejus terræ partem, eſſe penes Papam. Antehac etiam in hoc ducatu & vicinis regionibus ſemper obtinebat, ut bona defunctorum clericorum pertinerent ad fiſcum; bonus autem ille Imperator credidit, id eſſe iniquum. Ingens ibi eſt multitudo Jeſuitarum, qui profitentur, jure divino ſe exemtos eſſe ab omni jurisdictione ſeculari & Epiſcoporum, hinc in aula Cæſaris perpetuo habet Nuncium Papa, cujus magna eſt autoritas.

Rerum potitur per omnes, quas enumeravi provincias, familia hapsburgica. Poſtquam Rudolphus I. e Comite habspurgico factus Imperator, Auſtriam conceſſit filio Alberto, poſteris Rudolphi reliqua paulatim adjicientibus. De familia habspurgica, unde orta ſit, & quibus initiis creverit, controvertunt ſcriptores. Alii ferunt, eam eſſe ortam ex ſtirpe *meroſingica* (a) Regum francorum, id cumprimis cœpit jactari ſeculo ſuperiori, cum Rex Hiſpaniæ Philippus II, oriundus ex familia auſtriaca, id ageret, ut totam Galliam ſibi ſubjiceret; ut itaque æquiori animo admitteretur, voluit, hoc hominibus perſuaderi. Tres familiæ in Gallia rerum potitæ ſunt, meroſingica, carolina, quæ cum Pipino cœpit, & capetana, quæ hodie ibi rerum potitur. Cum itaque capetanam familiam vellet loco trudere, & populo ſe ipſum obtrudere, cœpit ei perſuadere, auſtriacam familiam eſſe ortam ex familia meroſingica. Hinc editæ ſunt variæ tabulæ genealogicæ, quod tamen mihi totum videtur commentitium, & nullo ſubnixum fundamento.

Videtur mihi incerta eſſe ipſa *prima origo* (b) Comitum hapsburgenſium. Certum eſt, quod ſit antiquiſſima familia allemannica, quæ Helvetiam occuparunt. Quidam tradunt, eam ex nobili quadam familia *romana*, (c) quæ ex Italia in Helvetiam migraſſet, oriundam, ſed ne leviſſimo id poteſt teſtimonio probari. Longe veroſimilius quid præſtitit Fridericus *Gullimannus*, (d) peculiari libro, cui titulus Hapsburgica, editus Mediolani anno 605, qui eſt rarus *inventu*. (e) Autor Helvetius fuit. Deſcripſit etiam egregie hiſtoriam helveticam. Quidam putant, ne quidem Auſtriacos eſſe ortos ex Comitibus habsburgenſibus, niſi quoad familiam maternam, paternam fuiſſe ex Comitibus tirolenſibus. Uni horum nupſiſſe heredem comitatus habsburgici, & ita factos eſſe Comites habsburgenſes. Eſt in Helvetia cœnobium Muranum, cujus acta prodierunt in lucem, quæ ſi videas, deprehendes, ita, ut dixi, rem ſeſe habere.

A ſeculo usque XII. familia hæc rerum potita eſt in comitatu habsburgenſi, ſub finem ejus ſeculi accepit landgraviatum Alſatiæ, ut revera hi majores noſtrorum Auſtriacorum omnino fuere Comites habsburgenſe. Comitatus ille eſt in Helvetia ad Amaſum amnem, totusque hodie poſſidetur a fœderatis Helvetiis. Quippe cum illi Comites, conſecuti domum auſtriacam, potentioresque facti, Helvetios vellent ſub jugum mittere, ipſi comitatu habsburgenſi ſunt exuti, omniaque in Helvetia perdiderunt. Poſtea pace facta, patronos invocarunt Helvetios, ratione landgrafiatus Alſatiæ. Ita luſit fortuna, ut illi eiicerentur, qui alios evertere conabantur.

Unum adhuc addendum eſt. Comitatum tirolenſem nacti ſunt per connubium, quo ſimul aliquam *deformitatem oris* (f) genti intulerunt. Ultima heres comitatus tirolenſis fuit Margretha, dicta Maultaſche, ob oris deformitatem, quam propagarunt poſteri, ut perpetuo poſſint meminiſſe comitatus tirolenſis. Cum autem familia in partes eſſet diviſa, omne pervenit ſub initium ſuperioris ſeculi ad Maximilianum I, qui factus heres omnium bonorum auſtriacæ familiæ germanicorum. Idem quoque factus Imperator, jam ſuæ familiæ XV. Nulla Principum Germaniæ familia tot Imperatores dedit, quot auſtriaca. Intereſſe autem *videtur*, (g) ne temere ad aliam familiam illa dignitas deferatur.

Maximiliano fuit filius Philippus, natus matre Maria burgundica (Caroli Ducis Burgundiæ filia) herede XVII. provinciarum belgicarum; & ita ad domum auſtriacam jure matrimonii illæ provinciæ pervenere. Præter hunc Philippum fuit Maximiliano filia unica Margaretha; omnia itaque ad unum heredem pervenerunt. Sed Philippus, ducta Iohanna Ferdinandi Arragoniæ, & Iſabellæ Caſtellæ Reginæ filia & herede, factus eſt Rex Hiſpaniæ: ad filium autem ejus Carolum, omnia avi Maximiliani & Ferdinandi regna pervenere. Philippus autem

(a) *meroſingica*) LUDWIG *l. c. p.* 132.

(b) *prima origo*) Vide, quæ ſupra de hac materia dicta ſunt.

(c) *Romana*) De Perleoniis haud dubie hic autori ſermo eſt. Fabula eſt, ab his Auſtriacos ſtirpem ducere, eosque Carolum V. ſuos ſalutaſſe cognatos. Et licet hoc ex errore factum, veritati nihil inde decederet.

(d) *Gulli[illegible]annus*) Vid. LUDWIGII *German. princip. c.* 1.

(e) *inventu*) Plus una vice poſtea formis eſt exſcriptus.

(f) *deformitatem oris*; Fabula eſt, prominentia labra a Maultaſchia ad gentem auſtriacam eſſe derivata; illa enim nemini ex auſtriacis nupta fuit. De mento oblongiori vid. PIGHIUS *in Hercule prodicio p.* 119. Sunt tales familiarum notæ, quæ cum ſanguine ad poſteros tranſmittuntur.

(g) *videtur*) Confer annotationes ad Lampadium.

autem obiit ante patrem, ut defuncto Maximiliano ſucceſſerint nepotes.

Philippo duo fuere filii, Carolus dictus V & Ferdinandus, inter quos inſtituta eſt diviſio bonorum, & Carolo ceſſere XVII provinciæ belgicæ, regnum Caſtellæ & Neapolis, Siciliæ, Majorca & Minorca: ut ita hic fuerit potentiſſimus familiæ auſtriacæ. Ab hoc deſcendunt Reges Hiſpaniæ. Fratri ejus Ferdinando ceſſerunt bona Germaniæ avita. Idem poſt ita fuit felix, ut cum uxore conſequeretur regnum Bohemiæ cum ejus appendicibus, & regnum Hungariæ. Ita auſtriaca familia diviſa eſt in hiſpanicam & germanicam. Hic poſt fratrem factus eſt Imperator, & ad ejus poſteritatem perpetuo ferme pervenit dignitas imperatoria. Huic Ferdinando tres fuere filii. Primogenitus Maximilianus iterum multos generavit filios, & quidem 16 ex filia Caroli V. Maria.

Floruit illa familia aliquamdiu, creatis inde Imperatoribus, Maximiliano ſcilicet II. hujus filio Rudolpho, & fratre ejus Matthia, in quo eſt exſtincta familia Maximiliani, licet viſa fuerit filiorum numero *laborare.* (a) Alter Ferdinandi filius fuit Carolus, ex quo nati ſunt filii duo, (plures quidem, ſed hi exſtincti ſunt ſine prole maſcula) alter Ferdinandus, alter Leopoldus. Ex utroque adhuc in Germania ſuperſunt Principes auſtriaci. Ex Ferdinando II natus eſt Ferdinandus III, ex quo hodiernus Imperator, cui fuit frater unicus, Epiſcopus paſſavienſis, & magnus Magiſter teutonici Ordinis, qui tabe lenta periit. Leopoldo nati ſunt liberi, qui rurſus potiuntur rerum in comitatu tirolenſi, exuti Alſatiæ landgrafiatu, pro quo accipiunt in ſolatium a Rege Galliæ ingentem pecuniæ ſummam; ut ita hujus *familiæ* (b) bona conſiſtant in unico comitatu tirolenſi. Hæc familia germanica non adeo *firma eſt*, (c) longe vero infirmior hiſpanica, ubi Regi non niſi *unicus filiolus*, (d) ſupereſt. Obſervandum autem, licet familia hiſpanica & germanica fuerint hactenus ſic ſatis diviſæ; tamen arctiſſimam coli neceſſitudinem, rariſſimo exemplo, ut ei ſimile quod vix credam reperiri in toto orbe. Quod illud a germanica fiat, non eſt mirum, quia ſpes ſupereſt, ſe poſſe aliquando rurſus potiri in Hiſpania rerum. In Hiſpania ſucceſſio regia pervenit etiam ad filias; & ſic, per matrimonium, regna Hiſpaniæ ad alium quemque pervenire queunt. Sed in *Germania ſecus* (e) ſe habet, ubi bona ſunt feudalia, quæ non niſi ad prolem maſculam pervenire queunt.

Ingenia eorum Principum ſunt mitia & *benigna:* (f) neque enim valde ſævum aut ferocem inde novimus ortum, imo plerique fuere minus bellicoſi. Feliciter geſſere bella alieno

(a) *laborare*) Maximilianus enim ex Maria Caroli V filia quindecim ſuſcepit liberos, inter quos, præter Rudolphum & Mathiam, ſex adhuc fuerunt filii; tres tamen in tenera denati ætate.

(b) *familiæ*) Ferdinandi Caroli maſculæ prolis expertis filia Claudia Felicitas Leopoldo Imperatori nupſit, & tirolenſis comitatus ad eum delatus eſt.

(c) *firma eſt*) Leopoldo ex tribus conjugibus fœcundum ſatis fuit matrimonium. Ex ejus filio, & ſucceſſore in imperio, non niſi duæ ſunt ſuperſtites filiæ, quarum natu minor Bavariæ Electori, altera Principi, in ſpem Saxoniæ electoratus nato, junctæ matrimoniis. Carolo VI itidem non niſi filiæ ſunt reliquæ, maſculis heredibus, quorum unicuique fratrum ex guelfica conjuge unus natus eſt, in tenera ætate vitam ponentibus.

(d) *unicus filiolus*) De Carolo II ſermo hic eſt. Hoc exſtincto, de Hiſpaniæ regno ingens inter Gallos & hagenſi fœdere junctos, enatum eſt bellum, Gallis ad Delphini ex matre jura & Caroli II teſtamentum, domo auſtriaca ad Mariæ Thereſiæ renunciationem & teſtamenti nullitatem provocantibus, LUDWIGII *Germania princeps lib. I. c. III. p.* 289. Pace tandem Viennæ inter Imperatorem noſtrum, & Philippum Hiſpaniæ Regem anno 1625 facta, res ita compoſita, ut penes Philippi ejusque heredes Hiſpanicæ monarchiæ ſint reliquiæ: penes utrumque autem Regis hiſpanici titulus, ita tamen, ut ille in Carolo VI. deſinat art. X. pac. viennens.

(e) *Germania ſecus*) Imo terræ auſtriacorum in Germania, nec non in Italia & Belgio cum Hungariæ regno ejusmodi ſunt naturæ, ut etiam ad fœminas perveniant. De terris auſtriacis agit Friderici I diploma. KIEFFER *quæſt*, 41. Majus oritur dubium, an ſicut Auſtria, ita & aliæ terræ cum ea junctæ ſint indiviſibiles. LUDWIGII *Germania princeps. p.* 337.

(f) benigna) *Itaque inter domus auſtriacæ prærogativas refertur, nullos habuiſſe Tyrannos. Alia multa ſunt, quæ hujus domus prærogativis annumerantur. Fictitia ſunt privilegia, quæ a Julio Caſare & Tiberio Nerone data dicuntur. Diplomata Friderici I, Henrici VI, Friderici II, Rudolphi, Caroli IV, Wenceslai, Sigismundi majorem merentur fidem; quæ a Petro de Vineis, Cuſpiniano, Roo, Lazio, Guillimanno, Goldaſto, Londorpio, Lunigio referuntur. Pleniorem privilegiorum codicem in bibliotheca vindebonenſi exſtare, ex Lambecio LUDWIG l. c. p.* 341. *docet. KIEFFERUS* in domo Hapsburgo auſtriaca quæſt. 41. *Principum imperii conſenſu data eſſe affirmat.*

Quædam eorum memorabimus, cætera ex LUDWIGIO l. c. lib. I c IV *addiſci poſſunt. Sunt autem ſequentia: Alienandi facultas, invito etiam imperio; immunitas a tributis; jus conferendi nobilitatem etiam majorem; libertas receſſibus imperii parendi, necne? licet iis ſubſcripſerint; jus anathemate imperii verberatos recipiendi; Auſtriæ Duces Imperatoris & imperii ſanctiores ſunt Conſiliarii; Auſtriacis non currit præſcriptio, niſi centum annorum; fictitium donum ſanandi ſtrumoſos, & mutis oſculo ſermonem dandi; ordo aurei velleris, qui cum territorio innexus eſt, ejus etiam collatio ad fœminas ſpectare videtur; jus nova inſtituendi vectigalia, quod Auſtria nulli ſubſit vicariatus; jus reluendi oppignorata imperii; expectativa in Suevia feuda aperta; privilegium de non appellando; in Auſtria judicia, venationes, foreſta omnia præſumuntur feudalia, igitur libertas allodialis eſt probanda; Auſtriæ ſubvaſalli feuda, neque in ſubfeudum dare, neque elocare abſque Archiducis conſenſu poſſunt, Archidux in*

eno potius ductu. Hinc in proverbium abiit Auſtriacorum clementia, ita, ut eorum odium ſoleat præferri multorum Principum gratiæ. Hinc ad pacis quam belli artes ſunt aptiores. Hæc de auſtriacis provinciis ſufficiant.

in ſuis terris inveſtituram, mitra tectus, archi-ducale ſceptrum tenens argenteum, equoque inſidens accipit. LUNIGII CORPUS JUR. FEUD. part. I p. 210. 707. 715. 721. 723 ſeqq part. II p. 351. *Jura, quæ prætenſiones dicuntur, Auſtriacorum potiora ſunt in ducatum & comitatum Burgundiæ; in terras Hapsburgicorum, ob Helvetiis occupatas, illi enim juri in pace weſtphalica non renunciarunt; in permulta, quæ a Venetis poſſidentur, ut ſunt forum Julii, Patriarchatus aquileenſis &c. in advocatiam Abbatiæ lindavienſis & in ipſam Lindaviam, in zwifaltenſem advocatiam. Plura habet* LUDWIG l. c. lib. I. c. III. *De inſignibus, quibus Auſtria, imperialem adjunctam habens dignitatem, utitur, confer* SPENER in opere heraldico lib. I c. IX LUDWIG l. c. lib. I. c. VII.

Quod ad aquilæ Imperii bicipitis uſum attinet, vix ante Carolum IV ejus extabunt veſtigia. Id tamen certum, poſt eum Imperatores ſimplicem etiam nonnunquam adhibuiſſe. Quod fictioni Marchia brandenburgica anſam præbuerit, ut Dominus de Ludwig ſentit, inter dubia merito referendum. Confer. TREUERI noſtratis diſſertat. de vera origine aquilæ bicipitis Imperii.

Rationes, quæ Archi-duci Auſtriæ, intuitu ſubditorum ſuorum, ſunt obſervandæ, in his potiſſimum conſiſtunt: ne nimis ad ambeſam plane redigantur fortunam exactionibus; ne conſcientiis vis inferatur: ex eo enim & hanc habet utilitatem, ut Ordinum proteſtantium, qui in Imperio germanico ſunt, animos a ſe non alienet; ut commerciis ſtudeatur; ut luxui modus ponatur; ut literis elegantioribus magis, quam hactenus factum, in Academia viennenſi opera detur; ut res nummaria rectius curetur, & ne nimis penſionibus ærarium, in ſubditorum detrimentum, exhauriatur; ut legum copiæ & tricturæ forenſi modus ponatur: iis enim auſtriaca æterra, æque ac aliæ Germaniæ provinciæ, laborare videntur. Habet Auſtria ſuperior, æque ac inferior, præter jus romanum permultos leges provinciales, ſtatuta & conſuetudines, quæ a jure romano diſcedunt: documento nobis tantum ſit, quod in Auſtria fiſcus parentes a liberorum ſucceſſione excludat. Imprimis autem Auſtria conſuetudinibus gaudet feudalibus quæ literis, ſub nomine der Landtaffel und des Lehn tractats / *mandata ſunt. Circa jus patrium illuſtrandum Suttinger, Reuter & Finſterwald impenderunt operas ſuas.*

Quænam Imperatori, tam Germaniæ Principum quam exterorum ratione, obſervanda ſint, & quænam Principibus, ut ſuis rebus proſpiciant, docet autor des nouveaus interêts des Princes p. 64 ſeqq. *ſunt tamen inter ea, quæ cenſuram merentur. Adde* ROHANI *trutinam* Statuum Europæ diſcurſu V. *ſed & ibi ſunt, quæ calculum non merentur. Quod ad quietem internam attinet, Imperator a juribus, Ordinibus competentibus, imminuendis, abſtineat, & accurate, ad quæ ſe in capitulatione adſtrinxit, in actum deducat, e contra Ordines Cæſari, quæ ejus ſunt, tribuant, & quantum fieri poteſt, a fœderibus cum exteris abhorreant; illi enim non tam Principum juribus & privilegiis conſervandis, quam ſuæ utilitati, ſtudere ſolent. Diverſitas religionum animorum diſcordiæ non præbeat occaſionem, & ſolicite Imperatori eſt evitandum, ne proteſtantium religioni addicti Principes ſibi perſuadendi anſam nanciſcantur, ſe ſuasque rationes, ob religionem, in aula Imperatoris negligi. Valent enim in Imperio maxime armis, & talis ſuſpicio facile, ut fœderi cum exteris ineundo nomen darent, eos commovere poſſet. Harmonia inter caput & membra & inter hæc poſitæ iræ & æmulatione, Imperium noſtrum invincibile reddet: verum quam vellem, ut voto eventus reſponderet.*

Quem Auſtria habet vicinum ſatis potentem, eſt Turca, cui licet non ſit impar, ob lectiſſimum, quem hodie habet, militem, Turcæque maximi in bella, quæ in Auſtriæ vicino gerit, ſint faciendi ſumtus: cavendum tamen, ne ad bellum cum eo gerendum conſurgatur. Potius enim avariſſimi Turcarum animi pecunia ſunt leniendi, quam ut armorum fiat periculum; bello enim victoriis etiam exſplendeſcenti nulla eſt ſalus. Neque enim facile alii Europæ Principes concedent, ut Imperator victoriarum ſuarum curſum ulterius verſus orientem extendat. Ab Italis nihil Imperatori timendum: ei enim ad arma plerumque torpent, præſertim, cum ipſe in Italia hodie tantas moderetur ditiones. Qui armis in Italia quodammodo valent, ſunt Sabaudus & Reſpublica veneta: ſed hujus vires admodum ſunt imminutæ, & illius longe inferiores, ita, ut nec conjunctim facile aliquid in Imperatorem auſuri ſint. Quod ſi vero Gallo fœderi jungantur, rebus ejus in Italia omnino noxii eſſe poſſunt. Helvetii quieti addicti & ſuis rebus contenti, nunquam movebunt lacertos niſi excitati: deinde viribus Imperatoris haud dubie impares, cum, notante hoc quoque Puſendorfio, equitatu non admodum valeant. Poloni ad res gerendas, ob reipublicæ ſtatum quo laborant, & militis armis exercitati penuriam, ſunt inepti: Imperatori tamen, ſi quod ipſi cum Turca enaſcatur bellum, operam aliquam præſtare poſſunt. Nec Danorum nec Suecorum vires tantæ ſunt, ut Germaniæ metum incutere queant; inprimis cum Sueci maxima terrarum, quas in Germania habebant parte, privati ſint, iisque tam vicinus ſit Moſcus, qui ſtatim immitti poſſet. Cum hoc amicitia colenda, quoniam ex ejus fœdere, optima, in bello cum Turca, ſint expectanda auxilia. Nec Hollandorum & Anglorum fœdera negligenda: nulli enim ſunt, qui Imperio meliores contra Gallum, cui ingentes ſunt vires, & qui proxime Germaniæ imminet, ferre poſſint ſuppetias. Quantum autem fieri poteſt, ut cum hoc quoque pacem colamus, oportet: experientia enim conſtat, ipſum tot fœdere junctis non imparem fuiſſe; ubi autem virium paritas, ibi bellum adhuc magis anceps & periculoſum.

CAPUT XXXV.
DE
BAVARIA.

PErgamus ad vicinam Auſtriæ Bavariam. Principio autem obſervandum eſt, Bavariæ nomine non intelligi duntaxat unum ducatum, ſed ſignificare integram gentem quandam, longe lateque ſe exporrigentem; non ſecus ac ſub nomine Saxoniæ multa veniunt, quæ non pertinent ad ducatum Saxoniæ. Jam vero notum eſt, Bavariæ nomine hodie comprehendi illos, qui olim Quadi & *Marcomanni* (a) fuere dicti, & inter nobiliſſimas gentes recenſiti, donec partim ſponte, partim vi Sclavorum pulſi, migrarunt in Noricum, & bonam Pannoniæ partem. Ibi late primo Bajoariorum potentia patuit, ut ingentis regni nomine habita & comprehenſa fuerit. Comprehenſum enim fuit regni bajoarici nomine totum vetus Noricum a Danubio ad Alpes, comitatus tirolenſis, epiſcopatus tridentinus & brixenſis. Pertinuit etiam olim ad idem Bavariæ regnum Auſtria, Carinthia, Carniola, Stiria & bona Hungariæ inferioris & ſuperioris pars.

Victi Bajoarici ſunt a Francis, &, mutato regio nomine, Duces ſaltem audiebant eorum *Gubernatores:* (b) donec a Carolo M. etiam ipſe ducatus exſtingueretur. Deinde a Friderico Barbaroſſa a ducatu Bajoariæ ſejunctus eſt marchionatus Auſtriæ, & metropolis ipſa Reginoburgum, Epiſcopique liberi eſſe juſſi ſunt, adeoque his anguſtis limitibus, quibus hodie continetur, circumſcriptus eſt.

Ad pleniorem autem cognitionem Bavariæ proderit topographia, quæ prodiit ſic ſatis accurata, additis multis mappis geographicis. Exſtant quoque hiſtoriæ rerum bojoaricarum, veteres & recentes, quæ huc faciunt. Veterum non multæ ſunt; unam & alteram earum curavit edi Freherus, quæ tamen non ſunt magni momenti. Omnium locupletiſſime res Bavariæ tradidit Johannes Aventinus, etſi diverſis judiciis proſcindatur. Qui potificiis rebus addicti ſunt, his Aventinus acrius videtur perſtringere mores, ſive Paparum, ſive Epiſcoporum & monachorum, tum ejus fidem in dubium vocant, eumque ſuſpectum reddunt, quod fuerit addictus partibus proteſtantium, hæreticus ſcilicet lutheranus. Contra vero a proteſtantibus magni fit. Vixit autem ſuperiori ſeculo, cum maxima mutatio ſacrorum fieret, & multa improbavit dogmata pontificiæ religionis. Per literas familiaritatem coluit cum nonnullis proteſtantium, ut & cum Philippo Melanchtone: ſed hactenus non potui reperire, eum reliquiſſe penitus eccleſiam *romanam*, (c) licet propenſior videatur in Lutheranos. Vixit & mortuus eſt in romana eccleſia, ſepultusque Reginoburgi, in monaſterio S. Emmeriani, ceremoniis pontificiæ eccleſiæ uſitatis. Libri ejus, illo demum defuncto, Ingolſtadii ſunt editi, a Zieglero pontificio, ut pateat, primos ſaltim editores non improbaſſe, quæ in illis reperiuntur. Annales quoque ejus acriter in aula bavarica lecti & cenſiti ſunt, antequam prodierunt. In prima editione erant nonnulla omiſſa, quæ non ſatis æquis auribus accipi poſſe videbantur a pontificiis: ſed incidit genuinum exemplar in manus Ciſneri, magni Icti & hiſtorici, ſicque rectius ſecunda vice editum. Prima etiam editio debet haberi in promtu, ut os Ieſuitis poſſit obturari, ſi forte loca editionis novæ quædam, quæ etiam in prima, comprobata ab aula bavariaca, reperiuntur, nolint admittere. Aventinus ipſe fuit Bavarus, oppido Avensburg natus, unde ſibi acquiſivit nomen Aventini. Vir fuit doctus, magni judicii integritatisque, ſed fortuna admodum tenui, quam corrupit ulterius, ducta uxore rixoſa & malorum morum. Latinæ lingnæ perquam fuit peritus, & primus inter ſuos latine loqui potuit. In ſcribenda hiſtoria nimium affectavit veterem latinitatem, in flexionibus nominum, hinc eſt obſcurior. Similiter quando oratiunculas quasdam vult promere, illas ita deformat ad morem veterum Romanorum, ut illæ videantur nimis affectatæ, & fide minus dignæ. Adhibuit ad hiſtoriam conſcribendam omnis generis monumenta, vetera & recentia, ut nihil non, quod iſtuc faciat, fuerit ab eo exacte lectum. Quod tamen in nonnullis aberravit, non eſt mirum, cum nemo ei glaciem fregerit; interim tamen ea de cauſa ſæpe eum reprehendunt, qui poſtea res Bavariæ tractarunt, quod tollerari poſſet, niſi nimis amarulenter ageret. Fabulis etiam plus juſto majorem habuit fidem, alias de rebus Germaniæ accurate ſatis judicans. Poſt Aventinum alii magna diligentia res bavaricas ſunt perſecuti; ſcilicet Marcus Welſerus, vir dignitate generis & autoritate in republica auguſtana maximus. Longe hic quidem accuratius tradidit illam hiſtoriam; ſed ſine Aventino non tam omnia potuiſſet perſequi. Plurimum etiam juvare poteſt Wigulejus Hund/ qui aliquot volumina edidit, inter quæ eminet **Bayerſcher Stamm-Baum** (d), in cuius prima parte familias Ducum Bavariæ exacte per ſecutus

(a) *Marcomanni*) Vid. COCCEJI *jus publ. c. III.*

(b) *Gubernatores*) CRUSIUS *annal. Suev. part. I. lib.* 8. *c.* 9. AVENTINUS *lib. III. in principio.* In veteris ævi monumentis Thuſſilio Caroli magni Vaſallus dicitur. Ex annalibus, ipſum plus poteſtatis, quam nudum Gubernatorem habuiſſe, conſtat.

(c) *romanam*) Vide quæ hæc de re alibi docui.

(d) Bayerſcher Stammbaum) Qui liber hodie inter rariores habetur. Conſcripſit etiam Geſchlecht Regiſter der Durchl. Herrſch. in Bayern.

ſecutus eſt; in altera vero Comitum & Nobilium. Vixit ſub finem ſuperiores ſeculi, & fuit Conſiliarius bajoaricus. Docte & facunde ſcripta eſt hiſtoria bajoarica a Brunnero. Pertinent ad Bavariam etiam, epiſcopatus & archi-epiſcopatus varii, ut ſalzburgenſis, reginoburgicus, paſſavienſis, freiſingenſis, & aichſtetenſis, cum multis monaſteriis antiquis, & nonnullis immediate ad imperium ſpectantibus. Ad horum notitiam multum prodeſt Wigulejus Hund, in libro, cui titulus, metropolis ſalzburgenſis, quod opus videtur ſcriptum ad exemplum Alberti Cranzii: neutiquam tamen meretur cum Cranzii opere *comparari* (a), ſive eruditionem ſive judicium ſive prudentiam ſpectes. Liber ille prodiit anno hujus ſeculi XX cum notis Gewoldi, Conſiliarii bavarici, qui in cauſa bavarica contra Freherum ſcripſit. Prodierunt quoque duo præclara ſcripta hiſtorica, pertinentia ad res Ludovici IV Imperatoris, qui fuit Dux Bavariæ. Hic, cui plurimæ fuere contentiones cum Papis, ut ſæpe fuerit excommunicatus, male audit apud Ieſuitas. Hinc factum, ut Bzowius, natione Polonus, ſed qui vixit Romæ, ibique multa ſcripſit volumina, perſecutuſque eſt annales a Baronio cœptos, narrans hiſtoriam ſeculi XIV, & attingens Ludovici illius res, minus ex æquo easdem narraret, velut decuit hominem romanæ curiæ obnoxium. Ea res male habuit Ducem Bavariæ Maximilianum poſtea Electorem, qui, &ſi addictiſſimus eſſet Pontificibus, non tamen potuit concoquere injuriam, majoribus illatam. Fecit ergo conſcribi contra Bzowium a Cancellario provinciæ ſuæ Herwarto volumen, cui titulus: Ludovicus IV defenſus. Qua libertate ſcripſerat Bzowius pro Pontificibus, eadem ille pro Ludovico IV, ut, quemadmodum Bzowii liber Bavaris, ita & Herwarti curiæ romanæ minus fuerit acceptus, quo factum, ut in numerum prohibitorum referretur. Sed datum honori Maximiliani, ut Bzovii liber ſimul vetaretur legi; alias enim non paſſa fuiſſet aula romana, hoc recantari. Interdum Herwartus nimis acriter perſtringit Bzovium, & ita cum eo agit, quaſi nil habuiſſet judicii, in quo tamen errat. Ejusdem Maximiliani auſpiciis edita eſt elegantiſſima & prudentiſſima hiſtoria Ludovici IV, Nicolai Burgundi; ſed nec hic pepercit Pontificibus, quos acerrime perſtringit, & adeo ſæpe libere de iisdem ſcribit, ut non potuerim ſatis mirari. Editus Ingolſtadii liber; ſed ſuppreſſa eſt illa editio. In Batavia deinde recuſus eſt, ad exemplar ingolſtadienſe. Sunt & alia varia *ſcripta* (b), edita de cauſa bavarica, de ipſius jure electorali & ſimilibus, quæ faciunt ad pleniorem rerum illarum cognitionem; quæ ſi quis ſibi comparabit, ex illis pleniorem cognitionem petere poterit.

Ducatum Bavariæ quod attinet, ille non ſemper eoſdem habuit limites, ſed modo laxiores, modo anguſtiores. Antehac ducatus Bavariæ nomine venit, quicquid nobis eſt trans Danubium, qui fluvius ei ex parte fuit pro termino ſeptentrionali, una cum parte Bohemiæ & ducatu *neoburgico* (c). Ab oriente Auſtria & Stiria, ab occidente Lechus fluvius & Suevia, a meridie Alpes & in iis comitatus tirolenſis, & ex parte ſalsburgenſis epiſcopatus eundem terminarunt ducatum. Inter hos terminos per aliquot ſecula *conſtitit* (d). Tempore Taciti ad Bavariam pertinuit, quicquid in Germania Nariſci poſſederunt; eorum autem ſedes fuit, ubi hodie eſt die Ober-Pfalz, ut illi quodammodo pro termino Mœnum & montes bohœmicos habuerint. Patet, Bavaros has ſedes incoluiſſe ſeculo V. Retinuerunt autem ſemper illam terram, licet reliquerint Bohœmiam. Dicta autem illa regio olim fuit Nordgau, quod vocabulum quidam putant natum eſſe ex veteri voce Nariſcorum, ſed falluntur; quia hæc vox non facile potuit inde *enaſci* (e). Hodie plerumque ea pars ſolet dici *Noricum* (f), unde Noriberga a multis perperam vocatur urbs Noricorum, quod cum academia altorffina non eſt in Noricis, ſed in *Nordgau* (g), quæ eſt regio ſeptentrionalis Bajoariæ. Norici autem nomine apud antiquos ſcriptores venit, quicquid nobis eſt trans Danubium. Limites Norici veteris præclare oſtendit Cluverius, in Germania antiqua, ubi adjungit appendicem de Norico & Vindelicia.

Ducatus itaque antiquus Bavariæ partem veteris Norici occupat, ejus tamen nulla fit mentio in illis regionibus, quæ nobis ſunt cis Danubium. Noriberga unde nomen acceperit, *non dixerim* (h). Nordgavia per 300 pæne annos audiit Palatinatus ſuperior die Ober-Pfalz; ſcilicet, cum familia Palatinorum Comitum ad Rhenum & Ducum Bavariæ eandem habeat originem, facta diviſione bonorum patrimonialium, Comitibus Palatinis ad Rhenum ceſſit illa pars Bavariæ. Sed, ſuperiori bello germanico, cum Comes Palatinus exutus eſſet omnibus bonis, Duci Bavariæ, in fraudem totius ampliſſimæ familiæ, datus *eſt* (i) hic comitatus, atque ita iterum cum Bavaria con-

(a) *comparari*) Ob inſigniorum tamen diplomatum multitudinem, Cranzii operi metropolin illam longe præferendam puto.

(b) *ſcripta*) Alios rerum boiaricarum ſcriptores recenſet LUDWIG *in Germania principe lib. IV. c.* 6.

(c) *Neoburgico*) BAUDRAND *p.* 155. 156.

(d) *conſtitit*) ab oriente in occidentem quadraginta, & a meridie in ſeptentrionem triginta quinque milliaria complectitur.

(e) *enaſci*) Vid tamen, GUNDLINGII Erläuterungen der Ober-Pfalz.

(f) *Noricum*) Quod dividebatur in mediterraneum & ripenſe.

(g) *Nordgau*) i. e. pagus aquiloni obverſus, ut NICOLAUS BURGUNDUS *in hiſtoria Bavarica loquitur.*

(h) *non dixerim*) Verior WAGENSEILIO *in rebus Noribergæ notabilibus* videtur opinio, urbem a Norici populis, ab Hunnis ſedibus ſuis excuſſis, & in illum locum ſe recipientibus, nomen habere.

(i) *eſt*) GAUDLING *hiſtoriſche Erleuterunge von der Ober-Pfalz §. VIII. & IX.*

conjunctus. Factum autem hoc fuit a Ferdinando II, qui erat obnoxius Duci Bavariæ grandi ære alieno, ob ſumtus bellicos, factos in bellum bohœmicum. Eadem ſere de cauſa, qua Electori Saxoniæ Luſatia, data ſuit Bavariæ Duci Auſtria ſuperior (Ober-Oſterreich), quam eum redimere vellet domus auſtriaca, in ejus locum a Ferdinando II datus eſt Palatinatus ſuperior, qui hac de cauſa jungi cœpit *ducatui* (a). Mutavit quodammodo titulum Dux Bavariæ, licet forte alia de cauſa.

Apparet ratione limitum, non omni ex parte Bavariam ab hoſtilibus incurſionibus tutam eſſe. Cis Danubium nobis, palatinatus ſuperior undique *pate*[illegible]), & nil pæne habet pro munimento. At vero Bavaria, quæ nobis eſt trans Danubium, proprie ita dicta, Danubio munitur, ut & Lecho, qui tamen non poteſt arcere validum hoſtem. Non enim difficulter Rex Sueciæ Lechum potuit tranſire, & inde impetum per totam Bavariam lacere Ex parte Auſtriæ pæne nihil habet pro limite; ſed quia Bavaria ingentia habet flumina, in Alpibus orta, quæ deinde Danubio miſcentur, per illa dividitur & multis partibus munitur. Sic pro munimentis poteſt haberi Oenus, rapidus fluvius, quem non niſi per pontem aut navigium tranſire poſſunt. Mediam Bavariam ſecat *Iſera* (c) amnis, minor Oeno, qui tamen etiam non niſi ponte & navigio trajici poteſt. Alii etiam ſunt fluvii, diſtinguentes & munitientes Bavariam. Nobis cis Danubium habet Reginum fluvium, ſed tamen non talem, qui poſſit arcere hoſtem, ut inde nequeat trajicere; eſt enim vadoſus. Habet etiam pro munimento Alpes, & montes ſic ſatis excelſos verſus Stiriam. Aliqua ergo ex parte minus, aliqua ſic ſatis munita eſt ratione ſitus. Talia nunc cumprimis ſunt notanda, ob immanes incurſiones Turcarum.

Solum Bavariæ non eſt ubivis ſibi ſimile; qua enim parte eſt propinquius Alpibus cœlum habet horridius & frigidius, ex qua parte remotior ab eis eſt, lætius. In univerſum nusquam adeo lætum eſt cœlum, ut ſit ferax vini. In quibusdam locis Palatinus ſuperioris creſcit vitis, ſed fert potius acetum quam vinum. Utitur ergo vino advectitio. Ratione etiam frumenti ſe non ubivis eodem modo habet, inprimis in parte Alpibus propiore vix fert tantum, quantum ad vitam ſufficit; qua autem parte Danubio propior, eſt fœcundior. In univerſum a *fœcunditate agri* (d) non poteſt laudari. Non habet, quod in alias terras poſſit transferre, quia tamen ſylvis plurimis abundat, inprimis glandiferis, poteſt alere armenta, & immanes greges *porcorum* (e), ut nullibi in Germania tanta copia reperiatur. *Metallorum* (f) non ferax eſt, niſi quod habeat *ferri fodinas* (g), *lapidicinas* (h) plures, cumprimis qua parte Alpibus imminet Piſcibus ob multitudinem fluviorum, rivorum & ſtagnorum abundat. Videtur igitur Bavaria habere, quantum ſatis eſt.

In vicinia habet copiam ſalis, & quidem in archi-epiſcopatu ſalisburgenſi; ipſe ducatus vero ſale penitus deſtituitur. Dux vero omne illud ſal, quod ex archi-epiſcopatu ſalisburgenſi in Franconiam, Sueviam & Bohæmiam vehitur, coëmere ſolet, atque iterum paſſim divendere, non ſine ingenti ærarii ſui commodo atque incremento.

Incolarum numerus *ingens eſt*, (i) & abundat ille ducatus copia pagorum & vicorum. Habet oppida multa, multosque vicos majores Marck-Flecken, aliquot centum, & plurima cœnobia. Ingenia tamen hominum, & virtutes ſi videas intellectuales, non eſt, cur eos multum laudes. A plerisque notantur *ſtupiditatis* (k) & ruſticitatis; unde in proverbium abiit: Ein grober Bayer. Nec multum apti ad *commercia* (l), multo minus ad inſignia artificia.

(a) *ducatui*] Ceſſio hæc in *Inſtrum. pacis art. IV* §. 3. eſt confirmata.

[b] *patet*) Locorum enim, quos ibi habet Bavarus habet præcipuos, ut ſunt Amberga, Neomarchia, Chambum, nullis munimentis valet. Nec Pfreimda landgrafiatus leuchtenbergici metropolis, nec principatus ſultzbacenſis, comitatus ſtirnſteinenſis aut ſulzburgenſis quædam munita ſunt loca.

(c) *Iſera*) Lechus etiam Bavariæ fluminibus eſt accenſendus.

(d) *fœcunditate agri*) *Baudrand dans le dictionaire geographique inquit: l'air en eſt tempore & ſain, le terroir, quoique chargé de montagnes & des bois, ne laiſſe pas de produire quelque peu de vin, quantité de froment & de bons paturages. Il y a auſſi quelques mines. Quoiqu'il en ſoit, il n'eſt pas fort riche; puiſqu'il n'a pas beaucoup de commerce.*

(e) *porcorum*) In vulgari ſermone eſt: dem Churfürſten wächſt ein Klee in Garten, der güldne Blätter hat. Hoc trifolium abſolvunt copia ſalis, infiniti propemodum porcorum greges & cereviſiæ monopolium. Latius hoc explicat LUDWIGIUS *in Germania principe lib. IV.* c. V. Laudatur ſal boicum ob acrimoniam; albore autem & puritate halenſi cedit. Myriadem ex hoc quotannis monopolio ad Electorem pervenire, tradunt. Reditus ex porcorum venditionibus tres auri tonnas, ut loquuntur, æquare, & id, quod ex cereviſiis deductis deducendis ad Electorem ſpectat, ad eandem fere ſummam aut forte majorem etiam, cum Bavari hauſtibus indulgeant, aſcendere dicitur. Conſtat quoque, in Bavaria lanæ, panni & tobaci reditus regalibus fiſcalinis accenſeri. Conſ. *Europäiſcher Herold tom. I. p.* 232.

(f) *metallorum*) Spem aliquando argenti venarum montes werdenfelſianos præbuiſſe, ſed illico iterum diſparuiſſe, Adlzreeterus ad ann. 1477 docet. Sunt tamen inter fluvios, qui aurum vehunt. Olim ad Gaſtein & Rauries aurum & argentum terra erutum, dicitur.

(g) *ferri fodinas*) Meliores in Palatinatu ſuperiori ad Ambergam & in territorio ſulzbacenſi ſunt. Plumbi fodinæ in ſuperiori Bavaria, ut & in Palatinatu ſuperiori habentur. In Paſſavii vicinia uniones reperiri, ferunt.

(h) *Lapidicinas*) in Bavaria varii generis marmora, amethyſtæ, ſmaragdi, & cryſtalli montani leguntur, vitrariam ad Monachium habent.

(i) *ingens eſt*) Anno 1669. in Bavariæ electoratu 3361200 ſubditi numerati dicuntur. Miles domeſticus (Landfahn) octodecim millium numerum implere ſolet.

(k) *ſtupiditatis*) Hoc ad homines ex plebe reſtringendum eſſe nonnulli putant. Bavariæ autem. emunctioris naris & prudentiæ conſumatiſſimæ, inprimis in aula, homines, non deeſſe, experientia conſtat. Quod ad artes illiberales attinet, imprimis ſculpendi peritia valent.

(l) *commercia*) Sunt in Bavaria officinæ contexendis ſe-

ficia. Non temere mihi laudaveris ingenia doctum, quorum quidem nonnulli in Bavaria ſunt, ſed peregrini maxime. Reliquas virtutes morales quod attinet; vulgus ſuperſtitioſum eſt, ſuperſtitioſe colens Deum, & ejus ſanctos; alias inter ſe vivit ſat juſte, nemini injuriam faciens, nec ad hoc aptum, ob ingenii ſtuporem. A fortitudine eos non multum *laudaveris*. (a) Cum vero olim fortes fuerint, puto, hoc adſcribendum eſſe educationi. Vulgus eſt iners & ad arma ineptum, ſi tamen inſtrueretur in armorum tractatione, puto, redituram priſtinam virtutem; ſunt enim robuſti, & ex talibus agreſtibus optimi alias milites conſcribuntur. Sed forte arte imperantium factum eſt, ut redditi ſint ſervili animo & depreſſo, non referente virtutes marcomannicas, aut veteris Bajoariæ.

Illa ergo, quæ ibi eſt multitudo, non eſt apta rebus tuendis, niſi uti velit milite externo. Raro in Bavaria miles poteſt conſcribi, aptus ad res magnas gerendas, quod cum periculo maximo hodie eſt conjunctum; cum vicinior illis reddita potentia Turcarum. In urbibus urbaniores homines reperiuntur, quæ tamen minus debito ſunt *munita*. b) Hinc facile fuit Regi Sueciæ, totam Bavariam peragrare, pulſo ipſo Duce. Ingolſtadium ſatis eſt firmum, & ex parte etiam Landshutum; ſed ipſum Monachium *Ducis ſedes*, c) non eſt munitum: ut pateat, Bajoariam ad tempora belli minus eſſe diſpoſitam. In Palatinatu nihil muoitum eſt. Auberga una habet aliquid munimenti, non tamen multum. Non dubito, periculum turcici belli homines, alias ſocordes & rerum ſuarum minus ſatagentes, ad res bellicas & loca publica munienda excitaturum. Uti enim antehac, ob motus huſſiticos, multæ urbes in Germania cœpore muniri; ita puto quoque hic futurum.

Obiter aliquid *de nomine* (d) Bavariæ dicendum. Latine hodie eam regionem Bavariam vocamus; apud antiquos autem id nomen non reperies, ſed potius Bajoariæ, quod rectior videtur: propius enim accedit ad verum nomen, (Bäyern ſcilicet.) Ab iis, qui non fuere ſatis periti latini ſermonis, natum videtur vocabulum Bavariæ.

Monachium, quæ urbs ſedem præbet Duci Bavariæ, elegandi ſtructura tum totius urbis, tum aulæ, provocat oon tantum urbes & aulas Germaniæ, ſed etiam ſuperat longo intervallo; quin contendere poteſt cum Galliæ, Italiæ, imo Hiſpaniæ deliciis. Vid. Itinerarium Germ. Zeileri, licet fateatur, ſe imparem eſſe, omnis elegantiæ *illius aulæ* (e) enarrandæ. Aula habet bibliothecam inſignem; imprimis manuſcriptorum græcorum. Ingolſtadium præbet locum Academiæ, ſic ſatis pro illis locis florenti, & ornatæ inſigni bibliotheca. De collegio Jeſuitarum, quod eſt *Monachii*, (f) ſolet prædicari, quod non temere aliud ſimile reperiatur. Albertus enim, Electoris, qui nunc eſt, avus, ſupra quam dici poteſt deditus erat Jeſuitis, & prodigus in iis ditandis & baſilicis exſtruendis ædibus, adeo, ut ipſe tandem iis nomen ſuum daret. Quamvis enim Jeſuitæ paſſim habeant ædificia & collegia; monachienſe tamen omnibus palmam præripit. Reperiuntur etiam urbes ſplendidæ in ſuperiori Palatinatu, ſed paucæ, nec ſatis munitæ. Melius, ſi eſſent munitæ; id enim facit ad veram felicitatem: ſed hic magis data eſt opera ſplendori quam munitioni. Harum tres ſunt, Amberga, Aichſtadium, & Novum forum. Æneas Sylvius, cui Germaoia ante 200 annos ſic ſatis erat perſpecta, Italus, valens ingenio, deſcriptione elegaoti Germaniæ c. 54. ait. Bajoarii quoque Danubio transmiſſo Eichſtadium &c. in quibus multa munditics, multum nitoris; nullam eſſe in Germania nationem, cujus urbes munditiores, pretioſiores &c. Etſi autem civitates ſunt ſplendidæ, commercis tamen non valent, nec temere in magnis ſplendidisque urbibus magnas reperies divitias.

Ducatus Bavariæ, proprie dictus, ſolet dividi in duas *partes*, *ſuperiorem* (g) & *inferiorem*. Altera dicitur, quæ Alpibus & Sueviæ vicinior eſt; altera quæ Danubio propior, & archi-duca- tu

ricis deſtinatæ, & hodie ibi admodum de commerciorum flore ſunt ſoliciti. Hinc commerciorum collegium inſtitutum eſt. FABRI Staats Cantzeley tom IV. p. 310.

(a) *laudaveris*) Verum in bello bohemico, germanico, hungaricis, cum gallo geſtis, inſignia fortitudinis ediderunt ſpecimina. Quod ſi Galli in conflictu ad Hochſtetum parem cum Bavaris oſtentaſſent animum, ancipiti forte pugnatum fuiſſet marte. Exercitus electoralis nonnunquam triginta millia militum ſuperavit, inprimis in ultimo bello, ubi Gallorum pecunia accedebat.

(b) *munita*, Præter Ingolſtadium, quod natura & opere munitiſſimum eſt, inter Bavariæ munimenta referuntur: Burghauſa, Hohenaſchana, Schardinga, Amberga, Waſſerburgum, Braunavia.

(c) *Ducis ſedes*) *Munich n'eſt pas plus grand que la moitié d'Ausbourg; c'eſt une aſſez belle ville, mais mal fortifiée. Il n'y a point de commerce non plus. Et ce ne ſeroit pas ſans doute un lieu fort renommé, ſi l'Electeur n'y reſidoit pas, & ſi le palais de ce Prince n'etoit pas d'une magnificence extraordinaire*, *Voyage de Miſſon tom. I. p.* 90. Quæ in palatio videri merentur ab illuſtr. ZECHIO *in* Europæiſchen Herold *tom. I. p.* 231. recenſentur.

(d) *de nomine*; Sed hæc tractatio minus convenienti hic ponitur loco.

(e) *illius aulæ*) Purpuratorum in aula bavarica præcipui ſunt, ſupremus aulæ Magiſter der Obriſte Land-Hofmeiſter, ſupremus Camerarius, ſupremus Mareſchallus, ſupremus Venator, Palatinatus ſuperioris Gubernator, Adminiſtratores ſive Vicedomini quatuor præfecturarum (der 4 Rent Aembter) quatuor enim in Bavaria ſunt regimina, (Rent Aembter), duo in Bavaria inferiori, ut Straubinga & Landeshutum, & duo in Bavaria ſuperiori Monachium & Bruchhauſa. Ad regimen Monachii conſtituendum, varii concurrunt Proceres, ut: Conſilii intimi Cancellarius, Conſili aulici Cancellarius & Cancellarius provincialis. Conſilium intimum ex viris generis dignitate & meritorum gloria conſpicuis conſtare ſolet. Supremum dicaſterium, quod ibi eſt, ſummi appellationum tribunalis locum habet. Porro Monachii eſt Conſilium aulicum, Reviſorium, Conſilium bellicum & Collegium camerale, quæ collegia æque ac alia regimina ſuos habent Præſides & Membra, quorum una pars ex Nobilibus, altera ex Eruditis conſtat. Eodem modo ſe res in Palatinatu ſuperiori habet. *Herold. Europ. tom. I. p.* 231.

(f) *Monachii*) *Voyage* DE MISSON *tom. I. p.* 91.

(g) *ſuperiorem*) Quæ ad utramque urbes & monaſteria pertinent, in Heroldo europæo traditur.

tui Auſtriæ. Hæc diviſio inde nata eſt, quod olim Bavariæ ducatus in duas partes fuerit diviſus, & alii ſuperiorem, alii inferiorem obtinuerint. Exſtincta autem una *parte* (a) familiæ, utrumque ducatum cum ſuperiori Palatinatu unus obtinet.

Si ſpectes antiquos mores, hæc reſpublica nil habuit diverſi a reliquis principatibus Germaniæ; pars enim ſummæ poteſtatis fuit penes Principes, pars penes *Ordines*, (b) quorum magna fuit autoritas. Etiam nunc habent Ordines ſuum Cancellarium, quem alibi non reperies, niſi in Holſatia, cujus munus non eſt aliud, quam alibi Syndici provinciæ. Id vero inde patet maxime, quod, ſi de rebus majoris momenti, bello, pace, decidendum aliquid erat, ſemper convocata fuerint comitia. At, poſtquam familia Ducum potior eſt facta, & præſertim *Maximilianus*, (c) mirum quantum deceſſit autoritati Ordinum, ut parum ibi abſit ſtatus a monarchia, in quantum ejus capax eſt principatus aliquis Imperii. Hinc hodie ibi non ſunt frequentia comitia, & ſi quæ inſtituantur, hoc fit potius ea de cauſa, ut audiant voluntatem Principis, quam ut interrogentur, velint conſentire nec ne.

Regit Princeps pæne omnia nutu ſuo: diſtinguendum tamen eſt interea, quæ ad ſacra, & ea, quæ ad profana pertinent. Sacra, ut ubique locorum, ubi pontificia autoritas eſt in pretio, non ita dependent a Principe, nec adeo perſonæ ſacræ: ſed quia eſt magna Principis hujus potentia, ut Curia romana eum coli cogatur, tanquam columnam religionis romanæ; hinc ille ſua autoritate pæne quidvis poteſt ab eadem obtinere, & reapſe circa ſacra valet multum. Obſervandum, quod in Bavaria circa monaſteria inuſitata ſit Ducis autoritas, qualis alibi non temere obtinet, quippe quæ ibi cenſentur bona cameræ (Cammer-Güter). Sunt vero ditiſſima monaſteria per Bavariam, quorum Abbatibus & monachis, non, niſi demenſum, conceditur, quod ſufficiat, ad monachalem vitam ſubrie degendam, reliqua deferuntur ad cameram Principis, ideoque œconomia monaſterialis eſt apud Principes. In Auſtria etiam tale quid obtinuit, ſed mutavit hoc Ferdinandus II.

In Bavaria tamen adhuc ſuperſunt imperialia monaſteria, quæ non ſunt ſub Principis diſpenſatione. Inter alia eſt ditiſſimum monaſterium imperiale Berchtolſgaden. *Abbas* (d) berchtolsgadenſis inter Prælatos Imperii locum habet. Ipſe Archi-epiſcopus *colonienſis* (e) ſimul eſt Adminiſtrator hujus cœnobii, uti fuit ejus anteceſſor Ernestus. Reginoburgi etiam ſunt monaſteria imperialia. Ita vero adminiſtrat rempublicam Dux, ut ſtrictiſſime obſervet cultum romanæ religionis, & nuſquam in Germania adeo valet priſca *ſuperſtitio*, (f) atque in Bavaria; quod fit, quia ipſi Bavari ſunt ſtupidiores, & quia conſilio Ducum cavetur, ne quicquam in ſacris avitis mutetur. Qui ante 100 annos vixit, Albertus, non ita erat rigidus, ſed ad exempla ſoceri ſui Ferdinandi & affinis Maximiliani, multa mutata volebat in concilio tridentino. Sed ex quo Ieſuitæ ibi nidulati ſunt, ſuperſtitionis non eſt modus. Ipſe Dux Maximilianus, primus omnium in Germania cudi curavit nummos, inſculpta imagine Mariæ, addicta inſcriptione, ex pſalmo deſumta: clipeus omnibus in te ſperantibus.

Licet illi Principes ſint, & antehac fuerint, ſuperſtitioſe pii, non tamen poteſt ibi laudari pietas cleri. Bonus Albertus Princeps, poſtquam filio relicto abdicaſſet regimen, & ſe abdidiſſet in claustra Ieſuitarum, non dubitavit, anno hujus ſeculi XII edere librum piarum precum, illique inſerere formam lytaniæ, addita ſingulari precatione, ut Deus ſcandalis cleri & impuritati eorum modum velit ponere. Offenſus enim fuit Princeps impuritate & malis moribus cleri, & ab uno Deo remedium petiit, cum tamen alias ipſe haberet in promtu. Impoſſibile eſt, ut habeas homines caſtitati addictos, ſi velis ventrem alere; venter enim pinguis & luxurioſus ebullit in venerem, ut dicit Hieronimus. De reliquo illa reſpublica ſic ſatis bene, quo ad judicium & alia, ſe habet. Si pacis artes videas, hactenus ita ſe compoſuere Principes, & inprimis Maximilianus, hujus pater, ut non tam ſuis defendendis, ſed etiam alienis invadendis par fuerit.

Scopus igitur reipublicæ non alius antehac fuit, quam communis omnibus principatibus Germaniæ, nempe ſalus reipublicæ communis, Principis & ſubditorum: ſed poſtquam ad tantam potentiam pervenerunt Duces, vereor, ne hodie magis imperantis ſalus curetur. Patet hoc inde, quia, qui in agris vivunt, ſumme ſunt pauperes, & omnes modi, congerendæ pecuniæ in ærarium Principis, ibi locum habeant. Ea de cauſa Princeps ille creditur eſſe inſtructus opulentiſſimo *ærario* (g). Habet profecto in promtu, unde ſibi queat ingentem pecuniæ vim acquirere; inſtructus ſcilicet ampliſſima regione, multis oppidis & ingenti hominum multitudine, ſylvis, montibus. Nil etiam ibi omittitur, quod ad pecuniam acquirendam facit,

(a) *parte*) Haud dubie hic autori noſtro de Alberti VI, qui per matrimonium domui bavaricæ landgrafiatum leuchtenbergicum intulit, poſteris extinctis ſermo eſt.

(b) *Ordines* Vid. elegans locus NICOLAI BURGUNDI *lib. II.* Hiſtor. *bavarica*, quem refert HERT. *de ſpeccal. R. G. J rebuspubl* §. 28.

(c) *Maximilianus*) In Principe hoc mira fuit prudentia & ſumma rerum gerendarum notitia. LUDWIGII *Germania princeps lib. IV. c. I.* §. *XXIV.*

(d) *Abbas*) Præpoſitus.

(e) *colonienſis*) Fuit etiam penes Joſephum Clementem.

(f) *ſuperſtitio*) *Europäiſcher Herold p.* 232.

(g) *ærario*) Quod ultimo defuncti Electoris tempore admodum imminutum eſt. Cum conjugii, quod Ferdinando Mariæ cum Adelheida Henrietta intercedebat, occaſione, multi bojici nummi in Sabaudiam ſunt tranſlati, ibi dicere ſoliti fuerunt: *Il faut, que l'argent y croiſſe ſur les arbres.* Hodiernum Electorem Carolum Albertum, ad ærarii res reſtaurandas, diligenter incumbere, tradunt.

facit, quippe mercaturam exercet omnis generis ſalis, & omnis pæne cereviſiæ, aliarumque rerum multarum, ad vitam neceſſariarum. Quamdiu vixit Maximilianus, impendit quidem plurimum in belli ſumtus, interim tamen frugalem habuit aulam, & bonus paterfamilias fuit. Cum huic Electori natus eſſet filius, aliquot mille thaleros, in ſignum ſolennis gaudii, eſſe expenſos, dolui. Nunquam tale quid univerſa Germania factum; ſed is luxus ex Italia deductus eſt, magno Germanorum malo: luxu enim prævalente, non poſſunt non omnes viæ conquiri, ditando ærario. Duo ſunt modi univerſales ditandi ærarii 1); parſimonia 2), ampla vectigalia. Parſimonia eſt maximum vectigal.

Iam dicam de *Ducibus* (a), qui præſunt illi ducatui. Nolo autem nunc verba facere de familis Ducum dudum extinctis, quos varios habuit, etiam poſt ſeculum X & Arnolphum Imperatorem, quo tempore novos Duces accepit, & novus ibi ducatus eſt inſtitutus. Obſervandum autem eſt, celebrem fuiſſe familiam Welphorum *in Bavaria* (b), non quod omnis welphica familia illam dignitatem obtinuerit, ſed quod per aliquod tempus, ſatisque diuturnum, illa dignitate gaviſa fuerit. Nomen welph eſt uſitatum in Bavaria, aliisque ſuperioris Germaniæ populis, ſignificatque catulum. Ut igitur apud Germanos multa animalia dederunt *nomina* (c) & cognomina hominibus, ut alii dicantur Henriek, Genſeriek, Alarick, quæ nomina deſcendunt ab animalibus; ita quoque in illis locis Bajoariæ fuit nomen welph, de cujus origine lepidiſſima circumfertur fabula. Apud Romanos etiam nobiliſſima Catulorum fuit familia.

Eo nomine fuerunt in Bavaria ſex potentiſſimi Duces; deficiente vero maſcula familia Welphorum, quidam Azonis Itali, Marchionis eſtenſis, filius, natus ex matre Welpha, hereditario quaſi jure feudum illud accepit. Frequentiſſimum tunc erat, ut italici Principes in Germaniam, & vice verſa migrarent; quia & Italia & Germania ſub uno erat Imperatore. Hæc eſtenſis familia hodie ex parte in Italia ſupereſt. *Legitima ſobolis* (d) ſtrips maſcula ſuperiori ſeculo defecit in Ducibus Ferrariæ. Qui hodie eſt Dux *mutinenſis*, (e) eadem familia natus eſt, ſed minus legitime.

Ex *hac familia* (f) præfuit Bavariæ Welfus VI, & hujus filius Henricus Niger, & deinde Henricus ſuperbus, qui, ducta uxore Lotharii Imperatoris & Ducis Saxoniæ filia, ſimul accepit ducatum Saxoniæ. Ex hac natus eſt Henricus Leo, Dux Bavariæ & Saxoniæ; utroque tamen ducatu poſtea *exutus* (g) per Fridericum I, nepotem habuit Ottonem, Ducem Brunvicenſium & Lüneburgenſium. Atque ita a familia bavarica orta eſt familia noſtrorum Ducum.

Poſtquam autem Henricus Leo exutus fuit ducatu Bavariæ, datus eſt ab Imperatore Ottoni, Comiti Palatino *wittelſpachenſi* (h) & ſchierenſi Utrique fuere comitatus Bavariæ. Olim in Germania multi fuere Comites Palatini, & ſinguli ducatus habuere. Ex Comitum itaque Palatinorum Bavariæ antiqua familia ortus fuit hic Otto, Comes in Wittelsbach & in *Schieren*. (i) Schiria adhuc eſt cœnobium in Bavaria ditiſſimum. Wittelsbach etiam adhuc ſupereſt. Sed dignitas palatinatus Bavariæ dudum eſt extincta. Hodieque penes illam familiam eſt ducatus Bavariæ, & palatinatus ad Rhenum. Ottonis ſchirenſis filius Ludovicus fuit factus primus Dux; cui Ludovico fuit filius Otto, qui patri in ducatu Bavariæ ſucceſſit. Otto hic II. ducta in matrimonium Agneta, Comitis Palatini ad Rhenum Henrici, Henrici Leonis filii, unica filia, accepit ſimul dotalem comitatum palatinum ad Rhenum, atque ita factus ſimul & Dux Bavariæ & Comes Palatinus ad Rhenum. Hunc vero comitatum palatinum ad Rhenum conſecutus eſt dono Friderici II Imperatoris, anno 15 illius ſeculi.

Ab illo Ottone, Ludovici filio, orti ſunt omnes Comitea Palatini ad Rhenum, & omnes Duces Bavariæ, florentiſſimæ familiæ, utraque jam ultra 400 annos. Quomodo illa familia huc uſque perduxerit ſeriem, vid. in tab. genealog. tubingenſibus, in quibus tamen, ſtatim in initio, magnus error committitur. Hujus enim Ottonis, qui primus palatinatum accepit, avus, jam tum fuit Dux Bavariæ, non autem Comes in Schiria & Wittelsbach; ſed ejus proavus.

Deinde hæc familia cœpit dividi in duas ſtirpes: cum enim eſſent duo filii. *Rudolphus* (k) & Ludovicus, natu major accepit palatinatum ad Rhenum & ſimul ſuperiorem Palatinatum; minor vero ducatum Bavariæ proprie dictum, qui nobis eſt trans Danubium. Ab illo Ludovico omnes Duces Bavariæ ſequentes orti ſunt. Hic etiam eſt ille Ludovicus, qui ſimul factus fuit Imperator, præſtantiſſimus & prudentiſſimus Princeps. Adverſantem in electione habuit fratrem ſuum Rudolphum, *quo in exilio* (l) mortuo, cum tutelam nepotum ex fratre

cogere-

(a) *Ducibus*) SPENERI *ſylloge genealogico-hiſtorica* p. 266. LUDWIG *in Germania principe lib* 4. c. 5

(b) *in Bavaria*) Veroſimile eſt, hanc gentem primordia ex Suevia trahere. Welfum II & III Hermannus Contractus ſuevigenos vocat, & URSPERGENSIS Welfonem *illuſtrem & acrem atque bellicoſum Suevum dicit.*

(c) *nomina*) Aliis magis placet, Guelforum nomen a Germanorum vocabulo huelpen (auxiliari) derivari.

(d) *legitima ſobolis*) Verum Cæſar ex Laura Eſtochia natus, per ſubſequens matrimonium eſt legitimatus.

(e) *mutinenſis*) Loquitur autor haud dubie de Franciſco II ſed hic legitimis non fuit deſtitutus natalibus. Hodie ducatum Rainaldus moderatur.

(f) *hac familia*) Azonis nempe Eſtenſis.

(g) *exutus*) Vid ANDREAS PRESBYTER.

(h) *wittelsbachenſi*) *Chron. reicherspergenſe ad an.* 1118.

(i) *Schieren*) Vid. AVENTINI *chron. Comitum ſchirenſium.* Hi ex veteribus Bavariæ Ducibus deſcendunt.

(k) *Rudolphus*) Conf. AVENTINUS, TOLNERUS, SPENERI *ſylloge genealogica* & LUDWIGII *Germania princeps lib. IV. c. I p.* 27.

(l) *quo in exilio*) In Anglia exulavit. PAREUS *in Hiſtor. palatina p.* 152. *edit. noviſſ.*

cogeretur ſuſcipere, optime & paterne curavit eam adminiſtrari, nec quicquam bonis fratris ſui detraxit, niſi quod electoralem dignitatem voluit iis eſſe communem, cum Bavariæ familia. Eidem Ludovico IV. erectum eſt monumentum vere regium a Maximiliano, qui eum etiam curavit defendi, contra injurias bzovianas.

Huic Ludovico cum fuerint duæ conjuges, per alteram, *Hollandiæ Comitiſſam* (a), factus fuit ſimul Comes Hollandiæ, ut & poſteri ejus aliquamdiu. Quin imo, jure etiam num hic comitatus penes illam familiam eſſe deberet. Stirps autem illa Comitum Hollandiæ bavarica defecit in *Jacobo*, (b) qui ceſſit omnes ſuas ditiones Philippo bono, Duci Burgundiæ. Ducatus poſtea Bavariæ, inter poſteros Ludovici, variis modis cœpit dividi, aliis hanc, aliis aliam ſedem ſibi eligentibus.

Cæterum tandem ſuperiori ſeculo ſub initium, quaſi coocrevit *in unum* (c), exque eo tempore non ita in multos ducatus fuit diviſus, ſed ad unum revocata eſt adminiſtratio ducatus, introducto ſcilicet jure *primogenituræ* (d). Quod quantum valeat ad potentiam Principum augendam, dixi ſuperius. Hac ratione pervenere omnia ſuperiori ſeculo, primo ad unum *Albertum* (e), qui ducta in matrimonium Anna, filia Imperatoris, habuit quidem aliquot filios, non tamen niſi unum ſucceſſorem *Wilhelmum* (f). Unus filiorum Erneſtus, cum eſſet primum Epiſcopus frieſingenſis, rariſſimo exemplo electus etiam fuit hildeſienſis, & poſtea leodicenſis, tandem vero Archi-epiſcopus colonienſis, juncto paterbornenſi epiſcopatu, contra omnes canones concilii tridentini, in quibus vetitum eſt, ne quis *multos* (g) habeat epiſcopatus. Hic fuit etiam opulentiſſimi monaſterii bertolligadenſis Præpoſitus & Adminiſtrator. Unus filiorum Ferdinandi, ſed appannagiatus, ducta uxore Secretarii aulici filia, filium habuit Franciſcum Wilhelmum, nuper Epiſcopum oſnabrugenſem, ratisbonenſem & paterbornenſem. In tab. tubingenſibus hujus non fit meotio, procul dubio ob generis notam. In ritterſhuſianis ejus fit mentio, quaſi natus eſſet ex concubina, quod tamen male acceptum; juſto enim matrimonio editus eſt, licet impari.

Wilhelmo filii aliquot fuerunt, quorum tamen primogenitus in toto ducatu ſucceſſit, nempe Maximilianus. Generoſior fuit Maximilianus, ideoque nunquam potuit Ieſuitarum ſocietas tam magnum autoritatis locum apud eum impetrare, quam apud patrem. Hic fuit generoſus & præpotens Princeps, reſque ſuas domi adminiſtravit frugaliter, vixit tamen magnifice. Habuit ditiſſimum ærarium. Ideo exortis in Germania turbis, creatus fuit Dux ligæ ſacræ, & fœdus illud Principum pontificiorum direxit, adeoque factus eſt potentiſſimus; nam habuit vectigalem pæne totam Germaniam. Ejus auſpiciis Tillius militavit, qui fuit *Generalis* (h) exercitus ligæ, qui adeo feliciter pugnavit, ut & Ferdinandum reſtituerit coronæ bohemicæ, & *ipſe* (i) a Ferdinando *ſuperiorem palatinatum* (k) & electoralem dignitatem impetraret. Ab illo *Wilhelmo*, (l) qui Ieſuita factus, hodierna Ducum Bavariæ familia wilhelmina dicitur, quod nomen etiam in inſtrumento pacis occurrit.

Habuit fratres & hic, ſed itidem appannagiatos. Unum Ferdinandum, qui poſt obitum

(a) *Hollandiæ comitiſſam*) VOSSIUS *annal. holland. lib. VIII.*

(b) *Jacobo*) Id licite fieri non potuiſſe, agnatis in Bavaria diſſentientibus, dicunt.

(c) *in unum*) Variæ ſunt terræ, quæ ad Bavariæ ducatum conſtituendum junguntur, ut Bojaria ſuperior & inferior, palatinatus ſuperior, comitatus chamenſis, comitatus hagenſis & wiſenſteigenſis.

(d) *primogenituræ*, Albertus prima ejus jecit fundamenta: ille enim numeroſa admodum beatus prole, conſtituit, ut terrarum ſuarum regimen indiviſum penes duos natu majores filios eſſet, reliquis excluſis. Et ut hi regendis rebus, ſe vivo, exercitarentur, &, quod conſtituerat, ageret radices, eos in Imperii aſſumſit conſortium. Johanne triennio poſt patris mortem vitam ponente, Sigismundus Alberti ſapientis manus Bavariæ moderamen dedit; verum de imperandi dulcedine fratres ejus minores Chriſtophorus & Wolffgangus perſuaſi, ut in partem terrarum admitterentur, armis a fratre extorquere anniſi ſunt, ſed majori audacia, quam prudentia & fortuna fuiſſe, eventus docuit. Nova Alberto enata bella, cum, exſtincto Georgio divite landesbutanæ lineæ ultimo Principe, de ſucceſſione exorirentur controverſiæ: verum res ita compoſitæ, ut neoburgicæ regiones ad palatinum pervenerint domum, reliqua penes Albertum manerent: adjutoribus tamen quam plurima ceſſerunt loca. Atque ex illo tempore, nempe anno 1508 primogenituræ jus publica ſtabilitum eſt lege, cujus, antiquioribus temporibus ſub Ludovico Imperatore, quædam extitiſſe veſtigia, ferunt. Sed poſt Alberti mortem, a Wilhelmo natu majore, Ludovicus frater, ut illum de injuria conquerentem placaret, in curarum ſocietatem aſſumtus eſt.

(e) *Albertus*) Qui maximus dictus.

(f) *Wilhelmum*) Quintum. Sunt qui hunc monaſterio ſe mancipaſſe dicunt. Verum a vero alieni ſunt. Interim, poſtquam electoralibus ſe abdicaſſet ſceptris, per 28. annos auſteriorem longe quam monachi ſoliti ſunt, vitam vixit, charitate quavis admodum inclaruit, & Jeſuitis maxime favit. Frater Wilhelmi ſator eſt Comitum wartenbergicorum, quorum primum ex impari matrimonio cum peltenbeckia ſuſcepit.

(g) *multos*) Et in capitulationibus Imperatores, ne patiantur ut locum habeant die Stifts mannigfaltung, admonentur.

(h) *Generalis*) Poſt acceptam ad Lipſiam a Guſtavo Adolpho Magno cladem, fortuna ejus claudicare cœpit. In conflictu cum Suecis ad Licum, ſupra dextrum genu trilibri globo percuſſus, ac Ingolſtadium ægre delatus, inter maximos expiravit cruciatus. *Magnus ſine dubio & multarum palmarum Imperator, qui omnibus militiæ defunctus gradibus, ſummam ſibi experientiam comparaverat. Sed cujus gloriæ atrox Magdeburgi excidium non modicam labem adſperſit, nec multo poſt auſpiciis Guſtavi impar ſuccubuit.* PUFENDORF *rerum Suecicarum lib. IV. §. 14.*

(i) *ipſe*) Nempe Maximilianus Elector.

(k) *ſuperiorem palatinatum*) Quibus conditionibus hæc ad Bavarum delata ſunt, acta publica apud LONDORPIUM & LUNINGIUM docent. Maximilianus leuchtenbergenſi quoque landgraviatu & chamenſi comitatu auctus.

(l) *Wilhelmo*) Verior videtur ſententia, wilhelminæ lineæ appellationem, a Wilhelmi nomine in bavarica linea admodum frequenti, arceſſendam eſſe.

tum Erneſti patrui factus Archi-epiſcopus colonienſis, ſecundus ex Ducum Bavariæ familia, qui ea dignitate inclaruit. Idem factus Epiſcopus in omnibus epiſcopatibus patrui Erneſti, Habuit & alterum Albertum, cui permiſſum eſt uxorem ducere, quoniam Maximiliani conjugium cum Eliſabetha, filia Caroli, Ducis Lotharingiæ, erat ſterile, & metuendum, ne tota Wilhelmi ſtirps interiret. Albertus duxit uxores duas, alteram lotharingicam, ſed itidem ſterilem, alteram Langraffii leuchtenbergenſis filiam, ex qua aliquot liberos ſuſcepit. Inter eos eſt Maximilianus Henricus, Epiſcopus colonienſis, qui itidem patruo ſuo ſucceſſit in archi-epiſcopatu colonienſi, & omnibus dictis epiſcopatibus, exceptis paterbornenſi & friſingenſi.

Ipſi tandem Maximiliano, Electori bavaro, valde ſeni, nati ex ſecunda conjuge fuere filii duo. Primogenitus, ad quem devenit omnis ſucceſſio, appellatur Ferdinandus Maria Franciſcus Ignatius Wolffgangus, ſolet tamen duobus nominibus, Ferdinandi Mariæ, appellari. Hic omnium primus Germaniæ Principum adcivit nomen B. Virginis Nec unquam fuit in uſu, ut quisquam Principum diceretur Ignatius: ſed hoc debemus nimiæ ſuperſtitioni, quam in Germaniam invexere Ieſuitæ. Ex quo hi in Germania eſſe cœperunt, ſuperſtitioni & cultui Mariæ non fuit modus.

Maximilianus ipſe voluit ſingulatim videri cultor B. virginis, & primus cudi curavit thaleros, cum inſcriptione, ſoli Deo in pſalmo tributa: *clypeus omnibus in te ſperantibus*; cum qua inſcriptione nullus thalerus antehac fuerat cuſus. Franciſci nomen eadem ratione ei datum eſt, ut & nomen Ignatii, ut eos haberet Deos tutelares. Duxit uxorem Adelheidam, Victoris Amadæi, Ducis Sabaudiæ *filiam* (a), ex quo conjugio, anno ſuperiori, natus eſt filius. Fratrem habuit, ſed *appannagiatum* (b) Maximilianum Philippum Hieronymum. Quantum itaque videtur, tota illa familia pervenit ad tres perſonas, Electorem, fratrem, & illum *infantulum* (c). Supereſt quidem Archi-epiſcopus *colonienſis* (d), ſed ille eſt cœlebs & infirmæ valetudinis. Infirmis igitur pedibus ſtat illa *familia* (e). Contra familia palatina ampliſſime patet, & nulla plane in Germania *foecundior* (f) illa eſt. Tantum de *Bavaria* (g).

(a) *filiam*] Henriettam Adelheidam, ſeculi ſui heroinis accenſendam.

(b) *appannagiatum*) Appanagium Landgrafiatus leuchtenburgicus fuit.

(c) *infantulum*) Sermo hic eſt de Maximiliano Emanuele Maria, nuper defuncto Electore, qui orbi ſecunda æque ac adverſa ſatis innotuit fortuna. Princeps optimus, ſi voluptatibus & ambitioni, quibus ardeſcebat, modum ponere ſcivisſet. Poſtea Ferdinandus Maria, præter ſequioris ſexus perſonas, Ludovicum Amadeum, Cajetanum Marianum Franciſcum & Joſephum Clementem ex eadem ſuſcepit conjuge, quorum duo priores non diu ſuperſtites fuerunt, poſterior Archi-epiſcopus colonienſis, multorumque epiſcopatuum caput, fratri in gallica amicitia, & infortunio inde promanante, ſocius fuit. Per pacem badenſem una cum fratre Germaniæ reſtitutus, ann. 1729. vitam poſuit. Maximilianus autem Emanuel ex priori conjuge nulla ſuperſtite ſtirpe, numeroſæ ſatis prolis, ex Johannis III Poloniæ Regis filia, factus eſt pater. Ex hac Carolus Albertus patri in electoratu ſucceſſit, Clemens Auguſtus vero, poſt fratris Philippi Auguſti mortem, paderbornenſis & monaſterienſis Epiſcopus factus, atque Joſepho Clemente denato, colonienſis Archi-epiſcopatus, hildeſienſis & deinde oſnabrugenſis quoque epiſcopatus acceſſerunt.

(d) *colonienſis*) De Maximiliano Henrico loquitur.

(e) *familia*) Hodie præter Electorem, qui maſcula prole ex auſtriaca conjuge eſt beatus, Ferdinandus Maria frater ejus, uxori palatinæ junctus eſt, ex qua filium ſuſcepit.

(f) *fecundior eſt*) Philippus Wilhelmus, ex neoburgica ſtirpe Elector palatinus, ex ſecunda conjuge 8 filias & novem filios habuit. Horum natu major Johannes Wilhelmus, patris in electoratu ſucceſſor, abſque prole denatus eſt, quem Carolus Philippus frater excepit: Sed huic præter tres natas nihil eſt prolis. Ex his natu maxima ſulabacenſi Principi nupſerat, quæ in puerperio, nulla relicta maſcula ſtirpe, & marito ipſam in morte nuperrime inſequente, expiravit. Franciſci Ludovici, fratris Electoris filia natu major, in Ferdinandi Mariæ, Electoris Bavariæ fratris thorum conceſſit. Tertius Philippi Wilhelmi filius ſuperſtes, antea Elector trevirenſis, jam moguntinus factus Proxima ad Palatinatum Sulabacenſibus ſpes eſt.

(g) Bavaria) *Inter præcipua Electoris Bavariæ jura eſt, quod inter perpetuos Imperii Deputatos ex Principum claſſe ſit; cum Archi-epiſcopo ſalisburgenſi in circulo boico directorium exerceat; Plura vide apud LUDWIGIUM* in Germania principe lib. IV c. IV, *ubi tamen reperiuntur, quæ exoleta, dubia, aut ad eminentiam ejus, ut præcipuum quid, ſatis commode referri non poſſunt. Prætenſiones domus boicæ potiſſimum verſantur circa Hollandiam, Selandiam, tirolenſem comitatum, civitatem ratisbonenſem, urbem Donawerdam, vicariatum palatinum. conf. LUDWIG* l. c. lib. IV c. III. *De Bavariæ inſignibus agit SPENER* lib. III c. 27. & *LUDWIG* l. c. c. VII.

Bavariæ Electoris maxime intereſt, ut exhauſtos propemodum belli calamitatibus ſubditos refocillet, ſumtibus in ſplendorem aulicum impendendis modum ponat, inprimis cum Auſtriacis & domo palatina amicitiam colat: hi enim ſunt, qui maximum commodi & incommodi ei adferre poſſunt. Cogitet praeterea, ne nimio religionis catholicæ zelo Ordinum Imperii, proteſtantium religioni addictorum, animos plane a ſe alienet.

CAPUT XXXVI.
DE
PALATINATU AD RHENUM.

JAm de Palatinatu ad Rhenum agamus; quia ille poſſidetur ab eadem familia. Jam enim a 400 annis hi duo ducatus fuere juncti, & obtenti a Principibus ejusdem ſtirpis. Prima origo illius comitatus ad Rhenum, & quomodo factum fuerit, ut in unum corpus creverit, *ignoratur* (a) pæne, etiamſi omnia ſtudioſe indages. Obſcura eſt memoria horum Palatinorum ante annum 1200 poſt Chriſt. natum: aſt poſt annum hunc cœpere magis celebrari. Perſtudioſe vetera monumenta perluſtravit Marquardus Freherus, qui edidit librum originum palatinarum, in 4. Poſtea idem argumentum denuo curavit edi, duobus libris, originum palatinarum, in fol. Pars prima eſt eadem cum priori, niſi quod infinitis locis ſit auctior & melior. Prodiit anno 13 hujus ſeculi pars etiam altera. Quantumvis autem nil fuerit omiſſum diligentiæ, in indaganda prima origine, cogitur tamen fateri, pleraque incerta eſſe. Hinc Munſterus in cosmographia profitetur, obſcuram eſſe memoriam Comitum palatinorum ad Rhenum, ante Fridericum Barbaroſſam. Ipſe Marquardus cap. 94 originum palatinarum idem fatetur. Ego interea puto, ante illa tempora fuiſſe Comites palatinos ad Rhenum, quorum unius in parte 2 fit mentio, qui vixit anno 1093. Omnes gentes Germaniæ potiores, qui habuere magnos ducatus, habuere ſuos Comites *palatinos* (b), quorum fuit officium, ut vice Regis multis præeſſent judiciis; ex eo ſcilicet tempore, quo deſiit mos Miſſorum regiorum, qui inquirebant in acta judicii. vid. diſputat. de judiciis. Comes palatinus eſt vox vetuſta, & ſignificat illum, qui in palatio regio jus dicit. In regno vero Francorum nullus alius erat *Palatinus* (c), niſi qui penes Cæſarem ſeu Regem erat, eumque comitabatur in palatium. Miſſorum regiorum poſt annum 1000 *nulla fit mentio* (d). Procul dubio autem voluere Reges, hos nomine illorum eſſe judices, quapropter in omnibus provinciis conſtituti Comites palatini, qui autoritate regia jus dicerent. Hoc factum circa ſec. 11. Ex illo tempore in omnibus Germaniæ provinciis fuere Comites palatini, & quidem in *Saxonia plures* (e).

Peculiares habuit *Thuringia* (f), bis an die Unſtrut; quod enim trans fluvium, ſpectat ad Franconiæ ducatum Inter Comites der Sommerſchenburg (g) fuere etiam Comites palatini, qui exſtincti ſunt ſeculo 12, & exſtruxere monaſterium mariæ-vallenſe prope Helmſtadium. Hodie Elector Saxoniæ in feudum accipit palatinum comitatum Saxoniæ *wettinenſem* (h). *Aut. ſpec. Sax. lib. 3. art.* 53 qui vixit ſec 13. Hi Comites palatini non habuere ampla bona, ſed amplam dignitatem. Ita Comitum Palatinorum bavaricorum, ſaxonicorum, & ſuevorum parva fuit potentia, dignitas magna. Franconia etiam habuit comitatum palatinum, qui fuit phalzgraviatus ad Rhenum: nam vicinæ urbes, ut Spira & Wormatia olim præbuere ſedem Ducibus Franconiæ. Comites palatini ſuevici periere ſec. 12. Omnis autem dignitas & officium Palatinorum translatum in ipſos Duces. Ducum potentia creſcente, decrevit Comitum palatinorum nomen & poteſtas. Circa tempora Friderici I Imperatoris fuere Palatini ad Rhenum, in Bavaria & Saxonia. Quia autem antiqua Comitum palatinorum ad Rhenum familia *exſtincta erat* (i), contulit illam dignitatem *fratri ſuo* (k) Conrado, qui exinde factus heres omnium bonorum Palatinorum ad Rhenum. Et quia erat Regis frater, impetravit ab eodem multa feuda, & præſertim ab Epiſcopis vicinis, wormatienſi & ſpirenſi. Sedes autem Palatinorum antiquorum videtur fuiſſe *inſula*, (l) quæ dicitur Pfaltzgrafen-ſtat.

Hic comitatus palatinus autem ad magnam dignitatem pervenit, quia Fridericus I. ornavit eundem archi-officiali munere, declarans Comitem Archi-dapiferum. Hic Comes palatinus eminuit dignitate, non potentia, & præferebatur Duci, multo magis vero, poſtquam archi-officialem accepit dignitatem. Freherus propendet alias in eam ſententiam, quod jam olim cœ-

(a) *ignoratur*) Id ſenſim factum eſt.

(b) *palatinos*) Confer. de his juris publici doctores, & HUNDII Bayerſchen Stammbaum.

(c) *palatinus*) Vid. CANGIUS in gloſſario ſub hac voce & TÖLNERUS *in hiſtoria palatina.*

(d) *nulla fit mentio*) Verum de Henrici II Miſſis Pelegrino & Tathone dicitur, quod controverſias, Ravennæ exortas, deciderint. ROSSI *Hiſtor. Ravenna. lib. V. p.* 275. UGHELLI *Ital. ſacr. tom. V. p.* 287. Hermannus Archi-epiſcopus colonienſis, Archi-cancellarius ſacri palatii & Comes Bertulfus Conradi II, ad conventum, qui in comitatu ſiennenſi habebatur, Miſſi erant. UGHELLI *tom. III p.* 536. Adalgerius Miſſus erat Henrici III. In diplomate Friderici I Miſſi cujusdam mentio injicitur. ANTONIO *Campo nell' Hiſtoria di Cremona lib. II. p.* 30.

(e) *in Saxonia plures*) REINHARDI *diſſert. de Comitum palatinorum Saxoniæ origine* & GRIBNER *de jurib. palat. Saxon. duci Electori propriis.*

(f) *Thuringia*) Confer. STRUVII *jus publicum.* p 36.

(g) Sommerſchenburg) *In chronica brevi Principum romanorum, qui Goslariæ aut in vicinia egerunt, apud Leibnitium tom. III. S. B. p.* 1427. Dedonis palatini ſommerſeburgenſis mentio injicitur.

(h) *Wettinenſem*) Vid. ſchema genealog. tom. III. ſcriptor. MEIBOMII *p.* 253.

(i) *exſtincta erat*) Fallitur SPENERUS, quando in opere heraldico p. 669. cum Hoffmanno in genealogia Comitum palatinorum Rheni, Hermannum II, veteris Comitum palatinorum ad Rhenum ſtirpis, ultimum vocat. TÖLNER, *Hiſtoria palatina c. XIV.*

(k) *fratri ſuo*) TÖLNERI *hiſtoria palatina c. XV.*

(l) *Inſula*) Vid. HUBERTI LEODII *de Palatinorum origine commentar. apud* FREHERUM *de Palatinorum origine.*

cœperit electoralis dignitas cum Ottone III; ſed hanc ſententiam multis confutavi argumentis. Ego puto, *eam cœpiſſe* (a) ſec 12, & inſtitutam a Friderico I, & quod factum ſit ex eo tempore, ut hic Comes palatinus omnibus aliis Ducibus ſit prælatus. Scripſit etiam doctiſſimum tractatum de origine *comitatus palatini* (b) ad Rhenum, Petrus Pythæus, homo Gallus doctiſſimus, & antiquarum rerum peritiſſimus, quem ex gallica in latinam linguam vertit Marquardus Freherus.

(a) *eam cœpiſſe*) Vid. quæ ad *diſſert. de Electoribus & ad* LAMPADIUM dicta ſunt.

(b) *Comitatus palatini*) PITHÆUS *memoires des Comtes de Champagne & Brie*, ex quo libro Freherus parte I originum palatinarum, nobis excerpta *de Comitibus palatinis tam Germaniæ quam Galliæ* ſiſtit.

Manca admodum eſſe, quæ hic Conringii de Palatinatu aſſerimus, unicuique in oculos facile incurrit. Sed nihil amplius in codicibus, qui ad manus meas pervenerunt, inveni. Optarem, ut nonſolum hæc integra, ſed & aliæ Germanorum adeſſent reſpublicæ, qui defectus, ut a me ſuppleatur, nec inſtituti nec temporis ratio patitur. Interim non inutilem, hic perilluſtris autor Heroldi europæi parte prima præſtat, ad quem igitur harum rerum cupidum remitto. Ne autem de Palatinatu omnia ſilentio tranſeam, pauca tantum addam. Scriptores, qui ad res Palatinatus intelligendas faciunt, præcipui ſunt: TRITHEMII *chronicon Comitum palatinorum ad Rhenum*; THOMÆ LEODII *annales palatini*; FREHERI *origines palatinæ*; PARCI *hiſtoria palatina cum additam.* JOHANNIS HOFMANNI *genealogia Comitum palatinorum & Electorum ad Rhenum*; TÖLNERI *hiſtoria palatina*. LUDWIG. *l. c. lib. V c. VI.*

Gentem, quæ eum jam moderatur, wittelſpachleæ eſſe ſtirpis, in bojeis dictum. Quinam ejus ſint cami ſuperſtites, ex genealogicis eſt addiſcendum. Terræ Palatinatus pinguedine luxuriant, omnisque generis arborum, frugum, olerum, graminum & florum patientes ſunt. Sylvæ caſtaneis & montes vitibus ſunt referti. Lacus, ſtagna & fluvii piſcibus abundant. Animalium cicurorum & ferarum omnis generis, in primis cervorum, in regionis illius tractibus ingens eſt copia.

Metalli fodinas palatinatus hodie pæne nullas habet, præterquam quod ad Trarbachum quædam cupri fodinæ ſint reliquæ. Argenti fodinæ, quæ ad Creuzenacum, & in comitatu ſponheimenſi erant, exaruerunt. Lapillos, qui ſunt in pretio, ut ſunt amethyſtæ & achates, nec non mineralia, ut cinnabarim nativam & argentum vivum porrigit. Sale deſtituitur, idque ex Bavaria aut Suevia petitur. Frigidiori paululum utitur aere, ſed ſano. Palatinatus inferior, in tota ſua acceptus latitudine, complectitur: ducatum ſimmerenſem, bipontinum, comitatum ſponheimenſem, cujus pars eſt principatu bieckenfeldenſis, principatum veldentinum & palatinatum proprie dictum. Hæc terrarum compages vicinos habet ad ſeptentrionem & orientem electoratum moguntinum & landgrafiatum darmſtatinum, ad meridiem ducatum wurtenbergicum, marchionatum badenſem & Alſatiam, & ad occidentem Lotharingiam & electoratum trevirenſem. Palatinatus ſtricte dictus, ſive electoratus, tam longitudine, quam latitudine viginti quatuor milliaria æquare dicitur. Flumina, quibus irrigatur, ſunt Naba, Neccarus & Rhenus, qui auri vehit grana, ex quibus ducati, a Rheno nomen habentes, ſunt cuſi. BAUDRAND. *p.* 739, 740.

Oppida regionis celebriora ſunt: Heidelberga, academia nobilis & Electorum quondam ſedes, quæ Hiſpanorum & Gallorum, æque ac alia Palatinatus loca, ſævitiem admodum eſt perpeſſa, Creuzenarum, Oppenheimium, Kaiſers-lutera, Ingelheimium. Inter munitiora habebantur loca: Manheimium, Franckenthalium & Fridericoburgum; ſed eorum munimenta a Gallis deſtructa ſunt; quanquam Manheimio, hodierni Electoris, qui ibi locum tenet, ſtudiis, reſtituta ſint. Incolæ, quos quindecim, quæ Palatinatum conſtituunt, præfecturæ tenent, nec numero nec opibus plerumque valent. Hujus penuriæ variæ concurrunt cauſæ, inter quas merito referendæ ſunt belli calamitates, quas hi, ſi qui unquam, experti ſunt. Accedit nimius Electorum ex neoburgica ſtirpe in catholica religione fervor, quo aliquando ſe eo abduci paſſi ſunt, ut evangelicos ſuos ſubditos iis, quæ ad illos ex weſtphalica pace aliisque pactis pertinent, prohibuerint. Hinc tot enata religionis gravamina, & tot reformatæ religioni addicti ſolum vertere, quam conſcientiarum vim pati, maluerunt. Quod ad Palatinorum corporis & animi dotes attinet, corporis ſtatura ſatis valent: in opificia tamen & mercaturam magis, quam in bellum propendere videntur. Stupidioris illos eſſe ingenii, nemo facile dixerit. Comitatem & urbanitatem, quam in moribus præferunt, haud dubie ſanguineo adſcripſeris temperamento, quod frequentioribus vini hauſtibus adjuvari creditur. Negari tamen non poteſt, alimenta illa larga, quæ terra, non quidem in eum finem, ſed in neceſſarios vitæ humanæ uſus profert, ſæpe ab iſta gente in luxum adhiberi, ipſaque libidinum eſſe fomenta. Cum Palatinis ſub uno capite ſunt juliacenſis & montium ducatus, qui, ſoli fertilitate & abundantia, palatinatu non ſunt inferiores. Moſella, Rhenus & Moſa iſtas terras commerciis & opificiis, quibus præcipue vacant, aptiores reddunt. Montium ducatus argenti, cupri & plumbi habet fodinas. Inprimis cupri fodina, quæ ad Duſſeldorpium, ducatus metropolin, eſt, celebratur. In vicinia eſt Solinga, quam egregii, qui ibi parantur gladii, commendant. Animi & corporis virtutibus & vitiis iisdem fere harum regionum habitatores cum Palatinis gaudent, niſi quod Juliaci marte præſtare dicantur.

Quod ad terrarum, quæ ſub palatinis ſunt ſceptris, moderamen ſpectat, ſubditi impente ſatis regnantur, & in Palatinatu ne quidem Ordinum provincialium nomen ſupereſt. Summi, qui in palatina aula ſunt Miniſtri, cum iis, quos in Bavaria recenſuimus, quoad honorum gradus & nomina, quodammodo coincidunt. Manheimii jam eſt Conſilium ſanctius, & Heidelbergæ Judicium aulicum, a cujus ſententiis nulla ad ſumma Imperii Judicia datur provocatio, nec non Conſiſtorium, in quo evangelici ſunt aſſeſſores, habentur. Regimina, quæ vocant, etiam ſunt Duſſeldorpi, ubi bergenſes & juliacenſes res, & Neoburgi, ubi Palatinatus junioris negotia curantur. LUDWIG *l. c. lib. V.* c. 5.

Nullum eſt dubium, quin aula, quam palatinus Elector ſatis ſplendidam habet, & ii, qui in ſago & toga operas præſtant, non leves requirant ſumtus. Hiſce accedit miles, quem ad viginti millium numerum aliquando auctum fuiſſe, tradunt; licet ordinarius numerus decem aut duodecim millia non excedat. Quanti autem electorales ſint reditus, non ſatis eſt notum: id tamen certum, eos longe quatuor auri tonnas ſuperare.

Inter prærogativas Electoris palatini merito referendum eſt, quod ſit Imperatoris judex; Imperii vicarius; jus creandi Comites & Barones, jus Wildfangiatus conducendi & vectigalium in terris vicinis, ſed ex heilbrunnenſi compromiſſo limitate exercet; jus Albergariæ & aperturæ. Jus reluendi a Cæſare aut Imperio oppignorata; privilegium de non provocando; tot advocatiarum, in quarum numero erant, archi-epiſcopatus trevirenſis & colonienſis, item urbium, Wormatiæ, Spiræ, Sweinfurti, Heilbrunnæ, protectiones: ſed maxima earum pars exolevit; directorium, quod in circulo rhenano inferiori cum moguntino, in ſuperiori ut Dux ſimmerenſis, in weſtphalico, qua Juliaci ſucceſſor, alternis vicibus cum Pruſſiæ Rege habet; Rheni & capitulationis cæſareæ cuſtodia. His forte accenſendum, quod magni Germaniæ tractus ahenorum fabri & reſtauratores (Keſſelflicker) ex Ruperti Cæſaris privilegio ſub ejus ſint clientela, quamque protectionem Rathmanshauſii in Alſatia & Zobelii de Gibelſtadt in Franconia in ſubfeudo habent. Vergit hoc in culinarum emolumentum, ita, ut Sub-protectoribus illis omnia, quibus utuntur, ahenea vaſa, gratis præſtari debeant. HEROLD. *Europ. tom. I p.* 298. LUDWIG *lib. V c. IV.* Sed quanta

etiam ſit Electoris eminentia, male ſe ejus habebunt res, ſi reipublicæ ratio non recte curetur; ut autem hoc recte procedat, tam quæ ipſi quoad reipublicæ interna, quam quoad externa incumbunt, in compendio examinanda ſunt. Ante omnia opera danda, ut proteſtantium religioni addictis ſua ſint ſalva jura & privilegia, & ne conſcientiis eorum vis inferatur. Quo facto nonſolum enim ſubditorum a ſe non alienat animos, ſed & Principum Imperii, qui eadem ſequuntur ſacra, ſibi conciliat favorem, quæ eo minus ab ipſo levi ſunt pendenda, quo majorem amicitia eorum ipſi afferre poteſt utilitatem. Luxui modus ponatur, & ſubditi, quantum fieri poteſt, ab immodicis liberentur oneribus; plura in illis locis, quæ Gallorum ſunt obnoxia invaſionibus, exſtruantur munimenta. Potiſſimum Bavari amicitiæ ſtudeat; hujus enim ſubſidia, quo propinquiora, eo magis commoda & ob ſanguinis nexum paratiora erunt. Caveat, ne novis litibus cum vicinis de jure Wilſangiatus anſam præbeat, conjuncta enim illorum arma maxime ipſius rebus nocere poſſent; inprimis ſi exteri cujusdam potentis ſibi compararent ſuppetias. Cum Pruſſiæ Regis, armis admodum valentis, terræ quædam rum ditionibus, quæ Palatino ſubſunt cohæreant, curatius ab inimicitia cum eo abſtineat, de controverſiis cum eo exortis amicabiliter componendis admodum ſit ſolicitus. Galli quoque & Hollandorum fœdera ipſi utilia eſſe poſſunt; curet autem, ne ſi talia ineantur, in Imperii vergant detrimentum. Summa enim diligentia ad id incumbendum, ut Cæſaris & Imperii tutamine frui poſſit, quoniam nihil ei ſalutarius eſſe queat. De Comitum palatinorum prætenſionibus LUDWIG *l. c. c. III.* & de inſignibus SPENER *in opere herald.* conferatur. Quod reliquum, præter jus romanum in Palatinatu plures ſunt leges provinciales, quarum quædam in ordinatione judicii aulici palatina leguntur. Singulares inprimis circa homines proprios habent conſtitutiones, quas ordinatio de hominibus propriis juliaca refert.

CAPUT XXXVII.
DE
REGNO BOHŒMIÆ.

JAm dicendum nobis eſt de regno *Bohœmiæ* (a). Præmittenda autem nonnulla erunt, ſcitu valde neceſſaria, & quidem de veteribus incolis illius terræ. Ab antiquiſſima igitur memoria terram illam inhabitarunt Boii, gens gallica, de quibus præclare diſſerit CLUVERIUS *lib. 3 cap.* 30. Boios autem illas tenuiſſe terras, apparet ex Tacito, Strabone & aliis. Libro de moribus Germanorum Tacitus ſic dicit: *Ulteriora Boii* &c. Hi ab antiquiſſimis temporibus terram illam inſedere, illique *indidere nomen*, quod adhuc hodie ſupereſt. Hanc gentem Boiorum ſeceſſiſſe in terras illas, anno 500 præter propter ante N. C, præclare demonſtravit Cluverius. Ductor Boiorum fuit Sigovejus, ſub quo, trajecto Rheno, pervenere in germanicas terras, & occuparunt Bohœmiam, non ſecus ac Helvetii, (itidem *gallica gens*) (b) quicquid eſt circa Rhenum & Alpes occuparunt, quæ loca dicta ſylva hercinia; non vero illa, quæ hodie ſic dicuntur.

Hi Boii vixere in illis terris usque ad Julii Cæſaris & Auguſti tempora. Tum vero gens germanica, dicta marcomannica, qui meo judicio vixerunt in Palatinatu, & comitatu Marca, aſſumtis aliis populis germanicis, duce *Maroboduo*, (c) commigrarunt in Bohœmiam, & terram illam, pulſis Boiis, occuparunt. Quo vero illi ſeceſſerint, nondum conſtitit: interim tamen, in Noricum & partem Pannoniæ, eos ſeceſſiſſe, teſtantur hiſtorici, ubi nunc eſt Bavaria. Nonnulli putant, Bavaros nomen accepiſſe a Boiis, & hos eſſe antiquos Boios; in quam ſententiam propendet JOH AVENTINUS, *in annalibus baioaricis.* Non negaverim, veſtigia Boiorum nominis in Bavaria ſupereſſe, ſed Baioarios non eſſe priſcos Boios, apparet inde, quod Baioarii ſemper habiti ſint Germani, cum Boii fuerint Galli, & moribus & lingua ab his diſtincti.

Hic Maroboduus valuit prudentia & fortitudine, nec Auguſtus nec Tiberius magis timuit quenquam. Fuit animi generoſi, & propenſior ad *dominatum.* (d) Hinc Marcomannis cœpit eſſe inviſus, ut & aliis germanicis populis, qui ſemper libertatis erant ſtudioſi. Quamvis autem ſecunda uteretur fortuna, & varios populos germanicos ſub ſuo teneret imperio, inter quos erant Longobardi; tandem vero, cum potentiam ſuam vellet ulterius extendere, Arminius, Cheruſcorum Dux, fortiſſimus liberator Germaniæ a ſervitute Romanorum, feliciter cum eo pugnavit. Inde ortum eſt bellum Cheruſcorum, quod videtur geſtum in Miſnia: Cheruſci enim in ea, ut & in Thuringia habitarunt. Miſniam a Thuringia dividit Sala amnis. Maroboduus autem fugatus recepit ſe in montes bohœmicos. Poſt Arminium quoque *Catualda* (e) contra Maroboduum ſurrexit, excitata domi ſeditione. Adeo feliciter res Catualdæ ceſſit, ut Maroboduus, regno pulſus, coactus fuerit ſedem petere in Italia, ubi & ſenex obiit. Vehementer ſibi ab eo metuit TIBERIUS, (f) uti patet ex VELLEII *lib.* 2. in fine hinc gratulatus eſt ſibi, quod coactus fuerit ſedem in *Italia* (g) petere. Poſteri vero ejus iterum ad regiam dignitatem pervenerunt, ut patet ex TACITO, qui dicit: *manſiſſe* (h) Marcomannis

(a) *Bohemia*) Quæ & Czechia dicitur.

(b) *gallica gens*] Vid. tamen COCCEJUS *in prolegomenis juris publici* §. 17.

(c) *Maraboduo*) VELLEJUS *Paterculus lib. II. c. CVIII & c. CIX* TACITUS *l. c.* STRABO *lib. VII. p.* 201.

(d) *dominatum*) TACITUS *lib. II annal. c.* 44. 46. 62. 63.

(e) *Catualda*) TACITUS *annal. lib. II. c.* 62. 63.

(f) *Tiberius*) TACITUS *lib. II. annal. c.* 63.

(g) *in Italia*) Ravennæ eſt habitus. TACITUS *l. c.*

(h) *manſiſſe*) TACITUS in Germania c. 42.

nis & Quadis poſteros Marobodui. *Quadi* (a) vixere in Moravia, CLUV. *lib. 3. c. 31*, qui certe non fuerint optimi, cum placuerit nomen Quadorum, ſive der böſen.

Hi Marcomanni iterum formidabiles facti Romanis, tempore Marci Imperatoris: illi enim vicinos populos germanicos & ſarmaticos in ſocietatem trahere, &, trajecto Danubio, Italiam petere conſtituerant. Sed fato divino conſpiratio illa populorum fuit irrita. Vid. *Capitolinum* (b) de bello Marcomannorum, tempore Marci Imperatoris. Ex eo tempore Marcomannorum nomen non inclaruit amplius, ſed plane interiit. Marcomannicum bellum fuit celeberrimum. *Marcomanni* (c) fuere Germani, qui vero nunc Bohœmiam incolunt, ſunt Venedi, (Wenden) ſarmaticæ linguæ, & pæne ſarmaticorum morum. Quando vero Marcomanni terras illas reliquerint, aut quo migrarint, non eſt proditum memoriæ. Mihi tamen videntur commigraſſe in Bajoariam ſec. V, & Bajoarios eſſe illos *Marcomannos.* (d) Teſte enim Tacito, p[...] Bojis, manſit nomen Bojohœmi, & paulatim effectum, ut Marcomanni acciperent nomen a loco, & dicerentur die Beiern. Marcomanni coluerunt terras illas per 400 aut 500 annos, & amplius; unde non mirum, quod mutarint nomen, cum gens illa, quæ hodie terram incolit, denuo mutaverit nomen, & dicantur die Böhmen apud vicinos, cum tamen non ſint Boii, ſed Venedi. Ipſi ſe appellant Czechos. Apparet ex antiquis monumentis, germanicas gentes ſub finem ſec. V. migraſſe in Pannoniam & Noricum, & ex eo tempore Bajoariorum nomen primo innotuit. Sed merito quis quærat, utrum & ipſi tandem pulſi, an vero ſponte, relictis antiquis ſedibus, eo commigrarint? Deſtituimur quidem antiquis monumentis, videntur tamen partim ſponte, partim pulſi, migraſſe. Terræ enim, Noricum & Pannonia, erant tunc cultiores quam Bohæmia, erant oppida, & culta a Bojis terra. Ut igitur populi germanici, ad Rhenum accolentes, occuparunt Galliam, ita hi Pannoniam & Noricum. Non tamen eſt vero ſimile, voluiſſe Marcomannos ſponte relinquere antiquas ſedes. Eſt enim bohœmica terra fertilior Bavaria, & nemo volens mutabit conditionem ſuam in pejus. Videtur etiam Marcomannorum pars retinuiſſe Bohœmiam, ſed pulſa a ſuperveniente gente venedica. Venedi, quantum apparet, habitarunt *trans Viſtulam* (e) fluvium, tempore Taciti & Ptolomæi.

Hi Venedi in ſedibus vacuis a populo germanico relictis, in longum ſe extenderunt, tenueruntque illud omne, quod eſt inter Albim & mare balthicum, & quod cis Albim ad Salam usque fluvium fuit. Factum hoc videtur ſub finem ſec. V. & initium VI: quod apparet ex Iornande, qui vixit tempore Juſtiniani, ſub quo vehementer tumultuati ſunt Venedi. In Ptolomæi geographia, ubi deſcribit Germaniam, in media Bohœmia collocat civitatem, dictam *Marobodium*, (f) quæ civitas videtur dicta a Maroboduo, qui primus Marcomannos eo deduxerat. Meminit quoque Tacitus caſtelli alicujus & regiæ arcis Marobodii: verum ubi fuerit Marobodium, non niſi conjectura licet aſſequi. Videtur autem vero ſimile, Pragam eſſe, ita vocatam vocabulo *venedico*, (g) & caſtellum, ſive arcem regiam eſſe eandem, quæ eſt ſedes Regis Pragæ. Praga dividitur in aliquot partes, quarum una vocatur Retſchos, quæ videtur fuiſſe ſedes regia. Secatur a Mulda fluvio, arx adjacet Muldæ, quæ commoditas loci videtur invitaſſe incolas, ad condendam arcem ipſamque civitatem, & eligendi eam in metropolin. In ducatu Bavariæ diximus plura de Marcomannis.

Gens venedica proprio nomine vocatur czechica, *a primo Duce*, (h) quo ſe ferunt commigraſſe in Bohœmiam. Referunt Poloni, ſe in illas terras, quæ nobis ſunt cis Viſtulam, commigraſſe Lecho duce. Zechus illis dictus frater Lechi. Hinc Poloni ſe appellant gentem lechicam, & occuparunt tunc temporis terram illam, quam adhuc tenent, majorem & minorem Poloniam.

Venedi, quorum Dux erat Zechus, non Bohœmiam tantum, ſed & Miſniam occuparunt, (Miſnia eſt vocabulum ſarmaticum) & eam usque ad tempora Henrici Aucupis retinuerunt, a quo, ejusque filio tota rurſus ejecti ſunt regione. Venedorum primam mentionem facit *Strabo* (i). Reperitur etiam eorum mentio apud *Plinium* (k), qui eos annumerat Sarmatis.

Tacitus (l) dubitat, an ſint Sarmatæ, an vero Germani: dicit tamen, linguam eſſe ſarmaticam, & moribus convenire cum Germanis; quod vivebant in locis paluſtribus.

Jornandes (m) ſcriptor rerum gothicarum, narrat multa de moribus uſitatis apud Venedos, tempore Iuſtiniani. Obiter moneo, vehementer falli eos, qui Venedos appellant *Vandalos* (n), uti fit in titulis Regum Sueciæ & Daniæ, qui ſe vocant Reges Vandalorum.

(a) *Quadi*) TACITUS *in Germania* c. 42. CELLARIUS *lib. II. c. V p.* 486.

(b) *Capitolinum*) *in Anton. Philoſoph.* Quadorum etiam paſſim in AMMIANO MARCELLINO mentio injicitur.

(c) *Marcomanni*) COCCEJI *jus public. ſect. IV. c. III.* CZERNICHOVII *Moravia.*

(d) *Marcomannos*) Vid. tamen COCCEJI *juris publici prudentia c. III. ſect. I.*

(e) *trans Viſtulam*) Vid. CROMERUS *in Hiſtor. Polonia.*

(f) *Marobodium*] Μαρόβουδον. Hic forte eſt locus quem STRABO *lib. VII Geograph.* Boujaſmum vocat.

(g) *venedico*) Nomen a venedico ſive slavico vocabulo prah, quod limitem ſignificat, habet. Vid. STRANSKI *de republ. bojema c. II.*

(h) *a primo Duce*] DUBRAVIUS *in Hiſtoria Bojemia.*

(i) *Strabo*) Hujus locus mihi non occurrit, quantam etiam in pervolvendo Strabonis opere adhibuerim diligentiam: PTOLOMÆI vero locus, quem GUNDLINGIUS *in Henrico Aucupe p.* 151. citat, ſequens eſt: *Tenent Sarmatiam gentes maxime Venedi, per totum ſinum venedicum.*

(k) *Plinium*) *lib. IV. c. XIII. Hiſtor. natur.*

(l) *Tacitus*) *in Germania c.* 46.

(m) *Jornandes*) *De rebus Getarum c. V.*

(n) *Vandalos*) Negari tamen non poteſt, Venedos ſe ali-

Vandali fuere populi germanici, qui migrarunt in Galliam, & ex ea per Hiſpaniam tandem in Africam, donec eos devicit Iuſtinianus Imperator. Eadem ratione fit, ut Venedos alii appellent Venetos, qui ſunt populi Italiæ.

Teſtatur porro Iornandes, jam ſuo tempore late patuiſſe nomen Venedorum, & tribus nominibus fuiſſe dictos; modo *Sclavos* (a), *Antes* (b) nonnullos, reliquos communi Venedorum nomine. Videtur autem hujus rei veſtigium diu ſuperfuiſſe: nam Bohæmi, Poloni & reliqui ejusdem fuere originis, linguæ & morum Venedorum nomine κατ᾽ ἐξοχὴν venerunt, qui vixere trans Albim usque ad mare balthicum, & ei, qui in Miſnia degerunt, Bohœmi & Poloni non temere dicti ſunt Venedi, quos puto ſub nomine Antes comprehenſos fuiſſe. Tandem Germanis communi numine Sclavi *cæpere dici*, (c) nomine ſarmatico, quo ſe ipſos nuncuparunt, denotante glorioſos, ſeu gloria dignos: ſclava enim Sarmatis eſt *gloria* (d). Inter Germanos & Slavos perpetuæ fuerunt diſcordiæ, quæ eo ceſſerunt, ut bello incœpto ad prœlium pervenerint in quo victi ſunt Slavi. Hinc crevit odium Germanos inter & Slavos, adeo, ut nomine Slavi in poſterum pro mancipio uterentur. Inter eos autem, qui illos ſub jugum miſere, Principes eſſe Saxoniæ reperimus. Bohœmi ſoli ſunt liberi, alibi adeo ſunt extincti, ut ne nomen quidem ſuperſit. Quomodo Sclavi fuerint in ſervitutem redacti, optime traditur ab Helmoldo, qui vixit ſub finem ſec. XII. Cæterum de ſingulis illis gentibus, qunmodo paulatim ſint devictæ, dicam ſeorſim.

Nunc verba facienda de republica Bohœmiæ. Habemus autem monimenta varia, quæ nos hac in parte poterunt juvare; exſtant hiſtoriæ rerum bohœmicarum, non quidem antiquæ, ſed lectu tamen dignæ. Singulare volumen harum collegit Marquardus Freherus, qui ſunt editi Francofurti, ex officina weccheliana. Eminet inter illos *Dubravius* (e), qui vixit ante 105 annos. Exſtat & ejus elegans liber de piſcinis. Proximus eſt *Coſmas pragenſis.* (f). Quandoquidem autem clarum fuit bellum bohœmicum, ſeu huſſiticum, hinc merentur legi hujus belli ſcriptores, inter quos primas tenet Ioh. Cochlæus & *alii nonnulli* (g). Habemus etiam ſcriptores de *republica ipſa* (h). Ita de hac re habemus commentariolum non aſpernandum, quamvis non omnia pertractet, editum in Batavis. Nemo vero operoſius ea, quæ ad rempublicam & jus publicum ejus gentis pertinent, pertractavit, quam Melchior Goldaſtus, quod ſcriptum prodiit anno 1627. Raro reperitur, nec crediderim, unquam fore, ut recudatur, quia ille offendit aulam cæſaream. Ex antiquis hiſtoricis meretur etiam legi hiſtoria bohœmica Æneæ Sylvii, qui vixit tempore belli huſſitici, & quidem in aula Friderici III Imperatoris & poſt virtute, eruditione & dexteritate meruit Pontificatum, & dictus eſt Pius II. Ejus hiſtoria eſt egregia, prout ut ipſe præditus erat prudentia civili. Hoc bellum etiam deſcriptum eſt a Zacharia Theobaldo, cujus hiſtoriæ major adhibenda fides, quam Cochlei, quippe qui valde fuit addictus partibus, & hinc ſæpius a veritate aberravit. Sunt his etiam jungendæ hiſtoriæ de illo bello, quod poſt bohœmicum totam fere Germaniam redegit in cineres. Plurimi quidem libri de rebus bohœmicis ſunt ſcripti, quorum potiſſima pars agit de jure ſuccedendi in Bohœmia, & an libertas populo illi competat, nec ne. Reliqui non faciunt ad ſtatum reipublicæ, poſſunt tamen inde multa, quæ proſunt, peti. Ex tabulis geographicis cumprimis eſt eximia, quæ nomen præ ſe fert Comeni. *Sileſiæ deſcriptiones* (i) habemus varias; eſt autem Sileſia appendix Bohœmiæ. Tabula inſignis habetur Sileſiæ, quæ eſt Jonæ Schottei. Habemus præterea non tantum tabulam univerſalem ejus, ſed & multas ſpeciales, quæ accuratiſſime editæ ſunt in Batavis. Item exſtat egregia tabula marchionatus Luſatiæ.

Ad rempublicam vero illam pertinet primo regnum Bohœmiæ proprie dictum, quod potiſſimum includitur montibus *hercineis* (k), olim ita dictis, (mit den Böhmiſchen Walde).

Notan-

quando Vandalis ſociaſſe. PROCOPIUS *de bello gothico lib. I. c. XXVII.*

(a) *Slavos*) Hos a Venedis ſedibus tantum fuiſſe diſtinctos celeb. GUNDL. *in Henrico Aucupe p.* 152. autumat.

(b) *Antes*) LEIBNITIUS *in diſſert. de origine gent*: quæ prima eſt in *miſcell. berolin*: Antes & Wendos *ſola pronuntiatione differre, litera W, ut paſſim fit, nunc præpoſita, nunc omiſſa, putat.*

(c) *cæpere dici*. Slavorum nomen ſerius quam Venedorum auditum eſt.

(d) *gloria*) *ob familiarum celebritatem & multitudinem Nobilitatis (nam plerique nobili genere orti erant) Slawacos ſe vel Slawos, id eſt nominatos & glorioſos, vocarunt.* BALBINI *epitome rerum bohæm. lib.* I. *c.* X

(e) *Dubravius*) Hujus hiſtoria partem poſteriorem Freherianæ collectionis conſtituit. In priori autem parte ÆNEÆ SYLVII *Hiſtoria bohemica habetur.*

(f) *Coſmas pragenſis*) Hunc Menckenius recudi & ſcriptor. ſuorum collectioni inſeri curavit. Scriptor hic chronicon ſuum ſec. XII. conſcripſit.

(g) *alii nonnulli*) PICCOLOMINEI *Cardin. de Huſſitis & Georgio Podiebracio Rege Bohemiæ Hiſtoria*, *Zachariæ Theobaldi junioris bellum huſſiticum, ubi Johannis Huſſi vita refertur.*

(h) *de republica ipſa*) Egregium de republica Bohœmiæ commentarium PAULUS STRANSKY conſcripſit, qui a celeb. Schminckio novæ GOLDASTI *de regno Bohemiæ* inſertus eſt editioni. Cœterum ad res Bohœmorum intelligendas faciunt etiam HAGECII & BOREKII *chronica Bohœmiæ*, BALBINI *epitome rer. bohem. & comment. rer. bohæm. qui quatuor conſtat voluminibus.* ZACHAR. *Theobaldi junioris chronologica bohœmica eccleſiæ adumbratio*, CUTHENI & CROPATII *elogia regum Bohœmiæ*. PONTANI *Bohemia*; *de bello bohæmo germ. inter Ferdinandum II Imperat. & Frider. V.* HABERNSFELDI *bellum bohœmicum &c.*

(i) *Sileſiæ deſcriptiones*) Commodam inprimis hic operam HENELII Sileſiographia præſtat.

(k) *hercyneis*) *Eſt illa inter longitudinis gradum trigeſimum quartum & quintum, aliquanto ultra trigeſimum octavum* & inter latitudinis gradum quadrageſimum *octavum & nonum ad quinquageſimum primum. Eſt autem illa ab*

Notandum autem, quod omnes pæne montes Germaniæ olim dicti ſint montes Hercyniæ. Præter regnum Bohœmiæ inſignes etiam ſunt appendices, quarum primus occurrit marchionatus *Moraviæ* (a). Moravi dicti fuere a Mora ſeu Maro fluvio, qui ex parte dividit totam regionem.

Habitavere in illa regione Quadi, donec Moravi ſucceſſere, populus venedicus. Hi ſingularem rempublicam diu tenuerunt, & magna eorum fuit potentia, ita, ut Aroolphus ſec. IX de Moravis compeſceodis fuerit admodum ſollicitus, nec tamen potuerit cogere, niſi in auxilium aſcitis *Hungaris* (b), qui e Schytia advenerat. Habuerunt Moravi ſuos Reges, feroces admodum, qui in Germaniam etiam excurrerunt: per Hungaros tamen ita fracti ſunt, ut ad priſtinam potentiam redire haud potuerint. Videntur Moravis tuoc temporis multa erepta, quæ in perpetuum Hungariæ ceſſerunt.

Poſt, cum Moravi didiciſſent parere, acceperunt *Marchiones* (c), & a Germania facta eſt provincia limitanea. Cœpit autem marchionatus Moraviæ Bohœmiæ attribui, ſatis diu, & quidem a ſec. XII.

Nobilior appendix eſt Sileſia, quæ fuit pars nobiliſſima Poloolæ. Polonia enim olim fuit magnus ducatus, atteoque, ob bellicoſitatem populi, Germaniæ noooihil gravis, tota tamen tributaria fuit ſic ſatis diu. Tandem cum immorigera permaneret, per Imperatorem domita, in partes cœpit dividi. Vid. lib. de finibus imperii. Cap. XVIII.

Cœterum *Sileſia* (d) a temporibus Henrici III ſingulares accepit Duces, qui, cum eſſent hereditarii, in varias diviſi ſunt ſtirpes, quo, cum male inter ſe convenirent, factum eſt, ut magis potuerint domari. Poſt Germania ingentes *colonias* (e) in eam deducere conſuevit, ut prope jam facta ſit *germanica* (f). Sileſia cœpit aliquo modo jungi regno Bohœmiæ ſec XII, magis tamen arcte connexa fuit cum eadem ſec. 14, tempore *Regis Iohannis* (g), & artibus Caroli IV.

Non Sileſia tantum, ſed & *Luſatia* (h) eſt appendix regni bohœmici, quæ ſolet dividi in ſuperiorem & inferiorem. Superior audit nobis Dit obtr-Laußnitz. Hæc etiam ſec. XIII & XIV io perpetuum cœpit jungi Bohemiæ, quæ ante leviter tantum cum eadem coojuncta erat. Hodie utraque Luſatia eſt quidem appendix ejus regoi, maxima tameo pars tenetur ab Electore Saxoniæ, jure feudali.

Perti-

ortu ad occaſum lapides quadraginta longa, ab auſtro ad ſeptentrionem triginta quinque lata, ita, ut ambitu ſuo amplectatur lapides centum viginti tres. STRANSKY *c. I.* Terminatur ad orientem per Poloniam, ad occidentem per Saxoniæ electoratum, & marchionatum culmbacenſem, ad meridiem per Bavariam, Auſtriæ archi-ducatum & partem ſuperioris Hungariæ. Flumina quæ ibi naſcuntur ſunt, Albis, Viſtula, Odera & Mora. BAUDRAND. *p.* 196.

(a) *Moravia*) Ad ſeptentrionem Hungaria inferiori & Sileſia, ad meridiem Auſtria & Hungaria ſuperiori cingitur, & Bohœmiam ab ortu hyberno attingit. Ab occidente in orientem quadraginta, & a meridie ad ſeptentrionem viginti ſex milliaribus extenditur. BAUDRAND *p.* 678. GOLDASTUS *de regno Bohœmiæ lib I c.* II. 92. 93 Regio ſatis fertilis eſt, quam fluvii Mara & Teya pinguiorem reddunt. Olmutium metropolis & Epiſcopi ſedes & Brinnum non magnitudine, ſed munimentis ſunt celebria. Hoc arcem habet munitiſſimam.

(b) *Hungaris*) STRANSKY *de republica bojema c. VII.* Zuentipoldum Moraviæ Regem antea Arnolphus ſommo proſequebatur favore, ita, ut nonſolum filii ſuſceptorem eſſe voluerit, ſed & ipſi Bohœmiam aliasque ad Oderam & verſus Hungariam ſubjecerit regiones. REGINO, *annales metenſes ad ann.* 890. COSMAS *pragenſis ad ann.* 894. Sed videtur Arnolphus Zuentipoldo jus illud in Bohœmos non tam contuliſſe, quam confirmaſſe Uude minori adhuc juſtitia BALBINUS *lib. epitom. rer. bohem. p.* 10. Arnolphum vellicat, *quod* nullo *jure liberos fidosque populos alteri donaverit.* Zundebolchus deinde elatior factus, in Arnolphum inſurgere ejusque juſſa ſpernere cœpit. Hac re Arnolphus commotus, Hungaros ad illum caſtigaodum acceſſivit. REGINO *ad annum* 890. ANNALISTA FULDENSIS & HERMANNUS CONTRACTUS *ad ann.* 892. GOLDASTUS *de regno Bohemiæ lib. II c. IX.*

(c) *Marchiones*) Sunt qui putant, eos contra Hungaros inſtitutos, ſub Ottone II. cœpiſſe. DUBRAV. *lib. VII.* COSMAS *lib. III. Hiſtor. bohœm. ad ann.* 1110 DUBRAVIUS *lib. VII.* GOLDAST. *de regno bohemiæ lib. III c. XVI.* Ab Imperatoribus deinde germanicis Bohemiæ Regibus, ſub marchionatus titulo in feudum eſt collatus, cœpitque deinde junioribus fratribus io apanagium dari. GOLDASTUS *l. c. lib. VI. c.* 10.

(d) *Sileſia*) Ad occidentem Bohemos & Luſatos, ad ſeptentrionem marchionatum brandenburgicum, ad orientem Polonos, ad meridiem Hungaros & Moravos vicinos habet. De ejus civitatibus, tam ſuperioris quam inferioris, quarum caput Breslavia eſt, ut & aliis regionis notatu dignis, dicendi infra occaſio dabitur.

(e) *colonias*) HENELII *ſileſiographia c. II.* GOLDASTUS *lib. I c. XIV.*

(f) *Germanica*) In Imperii receſſibus ejus, ut Germaniæ provinciæ, mentio injicitur. GOLDAST *de regno Bohemiæ lib. I c. XIV.*

(g) *Regis Johannis*) STRANSKY *l. c. c. VII.* AUTOR *annotat. ad c. II.* HENELII *ſileſiographia p.* 163 *ſeqq.*

(h) Luſatia) *Limites habet ad meridiem Bohœmiam, ad orientem Sileſiam, ad ſeptentrionem marchionatum brandenburgicum & ad occidentem Saxoniam. Longitudo ejus triginta & latitudo ſedecim milliaria æquare dicitur. De Budiſſa aliisque locis & rebus in ſuperiori æque ac inferiori Luſatia notabilibus convenienti agetur loco. Interim hic notamus, fabulam eſſe, quod Luſatia quondam Sileſiæ pars fuerit.* HENELIUS in Sileſiographia c. II p. 212. *Marchia ab Henrico Aucupe anno 929 contra Slavos eſt conſtituta. Hinc medii ævi autoribus marchiæ orientalis nomine venit. Marchionatus ille tam inferior, quam ſuperior, jam tum ſub ſeculi decimi quarti initium Bohemiæ additus fuit. Fateri quidem neceſſum eſt, aliquando Hungaris, nempe Mathia, Corvino regnantibus, paruiſſe: verum mox ad Bohæmos reverſa eſt. Penes hos, usque dum a Ferdinando II Johanni Georgio I, Electori Saxoniæ, ſub fiduciario nexu conceſſa fuerit, permanſit.*

Pertinet huc etiam eximius comitatus *glazenſis* (a),qui quidem noo magnus,ſed tamen opulentus eſt,& undique natura & arte munitus. Ex ea parte,qua regnum Bohœmiæ adjacet ſuperiori Palatinatui, Franconiæ & Voigtlandiæ. ſunt duo comitatus, quorum alter *egranus* (b, alter *ellenbogius* (c). Utrumque tenet Bohœmia, feudi titulo, ab Imperatore germanico, qui itaque ambo appendices regni ſunt. Eſt autem in comitatu egrano urbs libera imperialis Egra, quam pignoris loco a Ludovico Imperatore accepit *Bohœmia* (d). Pertinent quoque ad Bohœmiam, per Germaniam ſuperiorem & Miſniam, *varia feuda* (e), quæ tenentur partim a palatiois Comitibus, partim etiam a Marchionibus Miſniæ; ut facile itaque appareat, limites Bohœmiæ ſatis eſſe amplos, & ſi eam accenſere velimus Germaniæ, prouti debemus, conſtituere fere quartam ejus partem.

Cum

(a) glazenſis) *Glazenſis comitatus æque ac Sileſia & Bohemia immediate olim germanico ſuberat Imperio: ſed exſtincto Comitum proſopia, Germaniæ Imperatorum beneficio,od Bohœmiæ Reges delatus eſt.* GOLDASTUS de regno Bohœmiæ lib. I c. XV.

(b) Egranus) GOLDAST. *l.c.* lib. I c. XVII & SCHMINCKIUS in ootis.

(c) Ellenbogius) STRANSKI *l. c.* c. II GOLDAST. *l.c.* lib I c. XVII.

(d) Bohœmia) GOLDAST. *l. c.* chronica colooiens. fol. 139 MUNSTERUS lib. III Coſmograph. c. 21. *Rudolphus I dicitur genero ſuo Wenceslao, Regi Bohemiæ, egranum & ellenboganum comitatum in dotem dediſſe; ipſa autem urbs Egro libertati ſuæ relicto fuit. Aliter ſentientes, ut Dubravius, Gerardus de Roo, Pontanus, Reuſnerus, quos Schminckius nominat,* GOLDASTUS *l.c. aberrare dicit.*

(e) varia feuda) Feuda extra curtem regni bohœmici, *ſeu deſignatio feudorum bohœmicorum, per Imperium germanicum diſperſorum.*

I. Elector Bavariæ *tenet ſequentia, in Palatinatu ſuperiori ſita, quæ deſignantur in primis litteris inveſtituræ.* 1. *Lenesbergam.* 2. *Hobenſelsſ.* 3. *Hartenſtein.* 4. *Tühlrendorff.* 5. *Bolenberg.* 6. *Schohenfelsſ* 7. *Auerbach.* 8. *Eſchenbach.* 9. *Todenberg.* 10. *Bermau.* 11. *Heimburg.* 12. *Hotenſtein.* 13. *Freienſtad.* 14. *Wolffſtein. Alteræ litteræ inveſtituræ referunt* 15. *arcem Bleienſtein.* 16. *Weyen ad Pfreumbd.* 17. *Jus cudendi monetam, prout illo Landgravii leuchtenbergenſes uſi ſunt.*

II. Palatino-neoburgicus, *qui hodie eſt Elector palatinus, a regno Bohœmiæ acceptam refert Dynaſtiam Heideck, continentem arcem & urbem, ſitam in tractu neoburgico.*

III. Elector Saxoniæ *in primis litteris inveſtituræ recipit:* 1. *Dimidium caſtri damenſis.* 2. *Honſtein.* 3. *Weibenſtein.* 4. *Senfftenberg.* 5. *Finſterwaldam.* 6. *Pirnam.* 7. *Dippoldeswaldam.* 8. *Königſtein.* 9. *Gottleube.* 10. *Telonium dresdanum.* 11. *Tarentum.* 12. *Cadeberg.* 13. *Stollberg.* 14. *Frauenſtaa.* 15. *Saden.* 16. *Elterberg.* 17. *Straalen.* 18. *Glaubzig.* 19. *Tieſtenan.* 20. *Raten.* 21. *Zabeltz.* 22. *Grueb.* 23. *Werdenheim.* 24. *Weſtenſtein.* 25. *Welan.* 26. *Muckenberg.* 27. *Schönfeldt.* 28. *Hirſchſtein.* 29. *Mühlberg.* 30. *Libenthal.* 31. *Lichtenwald.* 32. *Sachſenberg.* 33. *Kabenau.* 34. *Dynaſtias & præfecturas, ut Liesnick.* 35. *Eulenberg.* 36. *Koldiz, in Miſnia.* 37. *Dynaſtiam Lichtenberg itidem in Miſnia.* 38. *Exſpectatıvam in dynaſtias reuſſenſem & Gerau in tractu vogtlandico.*

Summa 38. feuda in terra Advocatorum ſeu vogtlondico.

In ſecundis litteris inveſtituræ continentur quatuor præfecturæ in Vogtlandia ſitæ. 39. *Plauenſis.* 40. *Voigtsbergenſis.* 41. *Schöneckana.* 42. *Pauſana. In tertiis literis* 43 *in dynaſtio Kannewald arx & urbs, in Luſatia ſitæ.*

IV. Domus Saxo-altenburgica *habet in feudo Saalfeldiam caſtrum & urbem ad Salam in Thuringio.*

V. Domui Saxo-altenburgicæ & vinarienſi *ſimultanea inveſtituro conceditur in omnia modo memorata, quæ o ſereniſſimo Electore actu poſſidentur.*

VI. Elector brandenburgicus *a curia bohœmica inveſtitur in primis litteris* 1. *Tractu croſnenſi.* 2. *Zullichavia.* 3 *Sommerfeldia.* 4. *Weichbildo botersbergico.* 5. *Caſtro & urbe Catbuſio.* 6. *Fortalitio Perza.* 7. *Teupizio.* 8. *Bernwaldia.* 9. *Curia ad magnam Libenaviam, ſeu* Hoff zu Groß-Liebenau. 10. *Caſtro & urbe zoſſenſi. In alteris inveſtituræ litteris* 11. *ratione Storkaviæ.* 12. *Peſcaviæ.*

VII Marchiooes brandeoburgici *culmbacenſes & onoldsbacenſes tenent* 13. *Sparrneckum.* 14. *Wallenſtein.* 15. *Stockerode.* 16. *Holenſtein, in burggraviatu noriberg.*

VIII. *Principes* wurtenbergici *tenent caſtra & urbes Sueviæ:* 1. *Neuburgum.* 2. *Beilſtein.* 3. *Lichtenberg.* 4. *Badvor.*

IX. *Landgravii* leuchtenbergenſes *ſua poſſident inter fines bohœmicos & terras neoburgicas.* 1. *Wernberg caſtrum.* 2. *Glanbendorff.* 3. *Neudorff.* 4. Die Wildbahne / Jagd / und das Gerüge aufn Lüger-Forſt. 5. *Jus cudendæ monetæ.*

X. a) *Comites* de Schwarzeoburg 1. *Rudolphiſtadium, caſtrum.* 2 *Caſtrum regium* (Königs-Schloß.) 3. *Caſtrum o lapidibus dirutis vocatum* Stein verſtöhrtes Schloß / *in Thuringia ſito.*

b) *Comes de* Lœweoſtein *habet in Franconia.* 1. *Comitatum Lœwenſtein.* 2. *Wertheimburgum.* 3. *Konigſteinium.* 4. *Creuz.* 5. *Oberheim.*

c) *Comes* Haooviæ. *Burgum & oppidum in Babenhauſen, in circulo rhenano ſuperiori, haud procul Aſciburgo.*

XI. 1) *Domini* Rutheni de Plavia, *inveſtiuntur*

Cum itaque illa respublica ex tot ſit conflata partibus, facile apparet, non eſſe ſatis, ſi loquar de ſolo regno Bohœmiæ, ſed facienda verba de omnibus quoque appendicibus. Si itaque videas fines regni bohœmici proprie dicti, patet, eam non ita facilem eſſe invaſu, quoniam undique cingitur montibus. Montes quidem non ita ſunt *excelſi*, ut omnino hoſti haud pateat tranſitus, ſed tamen impedimento ſunt, ut cum exercitu iſtuc venire nequeat.

Solum per univerſam Bohœmiam eſt *feliciſſimum* (a), ita, ut pleraſque Germaniæ terras poſſit ſuperare. Mulda, quæ cum *Albi* (b) miſcetur, media ſecatur. Sunt & *alii fluvii* (c) qui per eam ruunt, ſed minoris momenti. Non tantum autem habet fluvios, ſed & aquas ſalſas, quin imo non deſunt *thermæ* (d). Celebres ſunt thermæ carolinæ, Carols-bad dictæ, quod ab ipſo Carolo IV. ſint *inventæ* (e) in quodam convalli, quæ *caliditate ſua* (f) non cedunt thermis univerſi orbis. Non procul inde ſunt acidulæ nobiles, dictæ *egranæ* (g), a comitatu egrano, in cujus ſunt finibus. Sunt & aliæ etiam *acidulæ* (h), quæ ſolent eſſe medicatæ, & quæ ſolent bibi cum ſucceſſu ſanitatis. Thermæ carolinæ ſolent mederi *plurimis morbis* (i), quæ originem cœperunt a defluxionibus frigidioribus.

Hoc cumprimis notatu dignum eſt de quibusdam Bohœmiæ aquis, quod ferant *gemmas* (k), quarum incredibilis ibi reperitur copia, *quæ parum orientalibus cedunt* (l). Non reperias

ſtiuntur a curia bohœm. 1. *Gracio, conſtante duobus caſtris & urbe.* 2. *Gera caſtro & urbe.* 3. *Sclaiza caſtro & oppido.* 4. *Lobenſteinio.* 5. *Saalburgo.* 6. *Tractu, qui vocatur* die Reichenfelſiſche Pflege. 7. *Burgo.* 8. *Thauna.* 9. *Poſterſteinio.* 10. *Zeuleroda.*

2) *Domini de* Limburg, *dicti Semper freye, inveſtiuntur hereditario pincernatus officio cum omnibus honoribus & juribus in Franconia.*

3) *Domini de* Schœnburg *recipiunt:* 1 *Glaucham.* 2. *Waldenburgum.* 3. *Pirſchenſteinum ſeu Lichtenſteinium in Miſnia.*

XII. *Liberi Barones Burg-Milsſing* 1. *Wilmerdorffium caſtrum, cum omnibus pertinentiis & juribus in tractu franconico, noriberg. & Weizheimii.*

XIII. *Ex ordine equeſtri Domini* de Zetwiz, *qui tenent* 1. *Neuburgum.* 2. *Krieg-reiſſ ſeu Krieges-reuth.* 3. *Aſcham.* 4. *Reutlingam ſuperiorem & inferiorem* 5. *Zetwiz-liebenſteinium*

Domini de Zetswitze *recognoſcunt in Voigtlandia* 1. *Tepenum.* 2. *Tieffendorffium.* 3. *Hohendorffium.*

Domini Fuchſell zu Arnſchwang *poſſident in circulo egrano:* 1. *Rottenſtadium.* 2. *Reichenſteinium.* 3. *Frauenſteinium.* 4. *Scholeſer.* 5. *Schwand oppidum cum ſuis pertinentiis.*

Domini de Wirſchberger *itidem in circulo egrano.* 1. *Waldhürn.* 2. *Schelenbergum.* 3. *Oedburgſtallum.* 4. *Amsburgum.*

Domini de Nohthaffte 1. *Weiſſenſteinium.* 2. *Papenreuth* 3. *Caſtrum Friedenfels.* 4. *Subfeuda in egrano & elnbogenſi circulis.*

Domini de Beulwitze *Hirſchbergam ad Salam, in tractu ruthenico.*

Domini de Betzenſtein *caſtrum Schœnkirchen.*

Domini de Reitzenſten *Wildenaviam.*

Domini de Roſenaue *Hoffmanni Plesburg.*

Domini de Brande 1. *Seebergam.* 2. *Burgſtallum.* 3. *Mohrenſteinium.* 4. *Prædia quadam in pago Trauſchendorff.*

Domini de Veruhe *inveſtiuntur caſtro reudenſi.*

Domini de Auffſätze *tenent officium ſub-pincernatus hereditarium, in epiſcopatu bambergenſi.*

Domini de Ehrenheim *caſtrum Wilzheim.*

Domini de Bockendorffe *pagum ſchlatenſem.*

Domini de Wilcken *argenti fodinas wildenreuthenſes.*

Domini de Mulzen 1. *Waldaviam.* 2. *Eburtum.*

Domini de Trautenberg *pagum Fleiſſen.*

Domini Zehre. & Pfamer *Habſenthal.*

XIV. Urbs noribergenſis *a regno bohœmico recognoſcit in Palatinatu ſuperiori.* 1. *Lauffunde* & 2. *Hoersbruck urbes.* 3. *Vicum pleſſenſem.* 4. *Graffenbergam.* 5. *vicum Petzenſtein.* 6. *Reicheneck.* 7 *Hohenſtein.* 8. *Stierberg.* 9. *Hauſeecke.* 10. *Wildenfels.* 11. *Schuz & Schirm.* 12. *Advocatiam cœnobii bergenſis.*

Patricii de Haller *tenent caſtrum Brackenfels.*

Cives noriberg. Baumgartii *Burgſtallum, Lammerſtallum.*

Muffelii *vicum Eſchenau.*

Neiderii *prædium Dippelsdorff.*

Tucherii *prædium Himmelsdorff.*

Ketzlerii *duo parva prædia Heiligen.*

In ſumma 163. *feuda Bohœmiæ per Germaniam diſperſa.*

(a) feliciſſimum) BECMANN in hiſtor. orbis terrar. geograph. & civili c. VI.

(b) Albi) *Bohœmis dicitur Labe, unde per metatheſin Albis vocatus creditur. Germanorum vocabulum aliqui ab* Eilff *derivare volunt, cum undecim fontibus originem ſuam debeat.* STRANSKII c. 1. *Oritur in montibus giganteis, qui inter Bohœmiam & Sileſiam in ducatu jancenſi reperiuntur.* FRIDERICI BECMANNI oratio de monte *giganteo, quæ* hiſtoriæ orbis terrarum *agnati ejus eſt inſerta.*

(c) alii fluvii) STRANSKII *l. c.*

(d) thermæ) STRANSKII *l. c.*

(e) inventæ) a Carolo IV 1370.

(f) caliditate) *Mira ſunt, quæ hujus aquis adſcribunt; dicuntur enim ſanare ſtrumas, glandulas, paralyſes.*

(g) egranæ) STRANSKII *l. c.*

(h) acidulæ) *Ex quibus egrenſes celebriores ſunt.*

(i) pluribus morbis: *De his Hoffmanni & Bergeri exſtant ſcripta.* THEOPHRASTUS PARACELSUS in Bader-büchlein *c.* 8. *thermis töplicenſibus, præter calorem, nullam tribuit vim.*

(k) gemmas) *Inter fluvios, ob gemmas, quas vehunt, Ottowa & Egra memorabiles ſunt, cæteri qui auriferi ſunt, Gezera, Roslani, Planiz, Luſniz enarrantur.*

(l) quæ parum orientalibus cedunt) *Quomodo duriores reddendæ & magis orientalibus æquiparandæ,*

rias tamen in Bohœmia fontes ſalis, niſi in elbogaico tractu, qui tamen parum ſalis habent. Hac parte Bohœmia eſt infelicior, quod ſale advectitio debeat uti. Accipit autem ſal ſuum Halis Saxonum, partim etiam ex archi-epiſcopatu ſalisburgenſi. Montes Bohœmiæ omnino ſunt *metalli feraces* (a), non tamen ita hodie *excoluntur* (b), ut olim. Inter metalla hujus regni nobile fuit metallum *vallis joachimicæ* (c). Hoc eſt illud oppidum, quod nobis dedit ſic dictos *thaleros.* (d) Illa moneta adeo placuit, ut deinde per totam Germaniam cœperit cudi. Erat in thaleris expreſſus D. Joachimus, vel Anna cum D. Virgine. Hi primum ſunt cuſi anno 1516, ut in chronico illius urbis annotavit *Matheſius* (e) Eccleſiaſtes. Antehac in Germania cuſi ſunt nummi argentei minores; ſed pondus non fuit obſervatum. Primum in valle hac conſtitutum eſt, ut hæc moneta argentea haberet pondus unciale. Apud Romanos veteres talis moneta non fuit in uſu; quippe qui drachma majorem non habuerunt. Drachma autem valuit circiter ſex ſolidos ſ. ein orts-thaler. Ex gemmis fecit conſtrui menſam Rudolphus II, quæ fuit ingentis pretii, de qua an adhuc ſuperſit, dubito. Anshelmus Boëtius (de Boët), Medicus Rudolphi Imperatoris, in opere de gemmis, teſtatur, reperiri in conchis gemmas ejus bonitatis, ut parum *cedant* (f) orientalibus, niſi quod nonnihil ſint pallidiores.

In fluminibus reperitur aurum, & quidem ramenta ſatis magna, quæ indicant, montes etiam ferre aurum; ſed latent adhuc illæ venæ, nec ullæ ibi reperiuntur aurifodinæ. Argenti vero imprimis ferax eſt circa Cutnam, & vallem joachimicam, *ſtanni* (g) & plumbi circa Slackewaldum olim ſuit feraciſſima; ſed illa duo metalla non parum defecerunt. *Ferrum* (h) non in tanta ibi reperitur copia, ut in aliis Germaniæ locis, & ne quidem tantum habet, quantum ſibi ſufficere poſſit.

Hordei, tritici, & præſertim ſecalis eſt *fertiliſſimum* (i), ita, ut in hac re poſſit certare cum optimis Germaniæ terris. In ipſis agris ſub dio cumuli frumenti reperiuntur, qui per aliquot annos, propter copiam, non poſſunt excuti. Eſt etiam *ferax* (k) croci, magno proventu agreſtium. Crocus ſylveſtris quoque ibi creſcit in magna copia, præpollent tamen hungaricus & auſtriacus.

Vina, quæ habet, ſunt auſteriora, quia loca non ſunt calida, nec perveniunt ad juſtam maturitatem. Loco tamen ejus optimam habet cereviſiam, ob abundantem frumenti copiam. Arbores etiam habet omnis generis, excepta olea, quam nec univerſa habet Germania; calidum enim requirit ſolum & cœlum.

Frigidior (i) nonnihil eſt Bohœmia, propter excelſos montes, qui celſitudine ſua multum frigoris afferunt vicinis locis. Omnia itaque ad vitam neceſſaria, præter ſal, incolis a natura ſubminiſtrantur. Hinc in Bohœmia ſatis magna eſt copia *armentorum* (m) & ovium. In vaſtis montibus & ſylvis reperiuntur animalia, venationi apta, ut cervi & capreoli, lepores; noxia etiam, uti urſi, uri, bubuli, biſontes, alces, ſed rariſſimi. Fit autem hoc ipſum, quod ibi ſint ſylvæ, quas nemo hominum pedes pervagari poteſt. Volucrum etiam ibi ſatis magna eſt copia.

Abundat porro piſcibus, quamvis ad copiam piſcium, quæ in Hungaria eſt, non accedat. Lapidum, præſertim molarium, eſt inſtructiſſima, quæ ad nos etiam mittuntur. Quicquid autem evehere vult, alia ratione evehi non poteſt, niſi curru; verſus Miſniam tantum per

KREUTERMANNUS *in regno minerali p.* 201 *docet.*

(a) metalliferi) *Conf.* BRüCKMANNUS in magnalibus Dei in locis ſubterraneis p. 194 ſeqq. *qui & mineralia, quæ in Bohœmia reperiuntur, recenſet. Moravia quaſdam cupri & plumbi fodinas atque thus & myrrham porrigit.*

(b) excoluntur) *potius dicendum videtur, maximam fodinarum partem exhauſtam eſſe.*

(c) vallis joachimicæ) *Tanta vallis hujus divitiæ fuerunt, ut ſub initium quotannis quadraginta auri tonnæ, ut ajunt, ex argento, quod inde eruebatur, deductis impenſis, percipi potuerint. Sed hodie fodinæ, olim tantas ſuppeditantes opes, ab omni propemodum vacuæ ſunt argento. Eadem pæne fata habuerunt guttenbergenſes fodinæ. De his* HAGECIUS *in chronico Bohœmiæ ait:* kuttenbergenſes fodinæ *cum florerent*, in hebdomadas ſingulas, mille marcharum argenti tributum regi pendebant.

(d) thaleros) *Cum curante Schlickio hoc factum, aliquando ſchlickii thaleri dicuntur.*

(e) Matheſius) in Sarepta ſive der Berg-poſtilla.

(f) cedant) *Egregii in circulo litiminicenſi adamantes reperiuntur.*

(g) ſtanni) *Grupnenſes ſtanni fodinæ in maximo fuere pretio. De ſtanno, quod hic effoditur Balbinus ait:* Grupnæ fodina ſtanno ditiſſima, & a peritis levi arte emendatum, pro anglico divenditur.

(h) ferrum) *Ad Przibislan ſunt ferri fodinæ.*

(i) fertiliſſimum) *Hinc nullum eſt dubium, quin culinæ & cellæ cæſareæ non levia inde accedant incrementa. Interim non ſatis decentia, quæ Balbinus habet, verba, videntur:* Cæſarem ſalario Bohœmorum vivere. *Frugum quoque Moravia ferax eſt.*

(k) ferax) *Etiam lini & lanæ.*

(l) Frigidior) *Idem in Moravia, ob carpathicos montes, quibus clauditur, in planitie, ubi paludes & piſcinæ, craſſior ac inſalubris eſt. Unde morbi, cum quibus Moravi conflictari ſolent, colica, arthritis, calculus, epilepſia oriri dicuntur.*

(m) armentorum) *Etiam Moravia armentis abundat, ſunt enim ibi ampliſſima paſcuorum ſpacia.*

per Albim datur tranſitus, qua nobis multa poteſt ſubminiſtrare. Hinc Magdeburgum usque transmittit ingentia ſaxa, lapides molares, ligna, frumenta aliaque. Sola Albis Bohœmiæ poteſt inſervire, non vero reliqui fluvii.

In Bohœmia hodie variarum nationum homines reperiuntur. Potiſſima quidem natio eſt gentis czechicæ, tantus autem ubique Germanorum reperitur numerus, ut ubivis ferme ſingularia habeant templa. Pragæ reperiuntur illorum ultra 60000, & Procerum haud paucorum bona hodie poſſident. Haud pauci etiam Italiorum eo migraverunt, & prætertim 312 Nobiles tales reperiuntur, qui uxores ibi duxere. Populus ibi ſatis eſt *numeroſus* (a); vicis, pagis, urbibus abundat, quod hujus multitudinis eſt indicium. Urbium præcipua eſt Praga. Agreſtes maximam partem mancipia & ſervilis conditionis ſunt. Qui urbes incolunt, ſunt ingenui aut Proceres, reliqui ſunt mancipia. Illi autem ſervi ſanguine, plane videntur eſſe alieni; victus ſcilicet aliquis populus, qui & in mores & ſervitutem Bohœmorum tranſierit.

Quod attinet ingenium populi, prout ſunt conditionis ſervilis, ita & animo ſervili ſunt; quod procul dubio eſt adſcribendum educationi, cum in ſervitute & ad ſervitutem educentur. Non igitur reperies militem aliquem ex eorum numero. Cum Sueci tenerent partem Bohœmiæ, deliberatum fuit, anne conduceret, hos ſervos, ſub pileum vocatos, incitare in dominos ſuos; quod tamen non fuit tentatum. Adhuc non facile adverſus dominos rebellavere, quod animum vere ſervilem indicat. Qui poſſuut militare, ſunt Proceres, aut qui vivunt in *urbibus.* (b). Non igitur magna ibi reperitur militum copia; quia non omnes ſunt ingenui, nec ſic ad militiam apti. Hinc credo nuper eam tam facile potuiſſe ſuperari. Nec in urbibus multi ſunt, qui velint in aciem procedere, & plerique inepti ſunt ad bellum gerendum.

Bohœmos ingenuos quod attinet, ratione virtutum moralium in univerſum ſic ſatis bene ſe habet: primum enim non ſunt multum intemperantes, ſeu in venere, ſeu in potu; ſed in his mediocritatem obſervant. Antehac fortiores & ferociores fuerunt; ſuam enim libertatem per aliquot ſecula defenderunt, & quamvis Bohœmia in provinciam redacta fuit, tamen ſuos retinuerunt Duces, ex ſua gente natos. Habitus etiam genti honos præ reliquis Germanis, adeo, ut Henricus IV & Fridericus I regium titulum ipſi dederit; ante enim ejus Rectores, non, niſi Ducum nomine, venerunt.

In bello huſſitico fortitudo bohœmica inclaruit, quod geſtum eſt ſub initium ſec. XV. Eo tempore nonſolum ſe fortes geſſerunt, ſed plurimas etiam reportarunt victorias, terribilesque fuere ipſis Germanis. Aliquot exercitus fuderunt & trucidarunt, & præter fortitudinem *crudelitatem* (c) quoque ſuam aperuere. Ex hiſtoria tamen apparet, ſingulare & fatale quid in hoc bello occurriſſe: cum enim miles germanicus armis, numero & viribus eſſet ſuperior, tamen, audito tantum nomine bohœmico, trepidavit, quale quid fieri non ſolet, niſi fatale quid ſubeſt.

Aliqua magnanimitas, ſeu potius ſuperbia, in ipſis fuit obſervata, qua ſe aliis prætulerunt alioſque contempſerunt. Ipſe Dubravius, in hiſtoria ſua bohœmica, dicit: eos eſſe leonino quaſi animo, ſui admiratores, contemptores aliorum. Quamvis enim eo animo fuerint, nupero etiam in bello, adverſus Auſtriacos: attamen, ſemel victi, animos ſtatim mutaverunt; quod itidem fato adſcribendum judico, quod gens alias ferox, ſemel victa, animum ſtatim abiiciat. In initio ſatis fuere fortes, ſed defecit ſtatim animus. Hinc parum hodie Bohœmi abſunt a ſervitute, quem tamen ſtatum æquo ferunt animo, neque ex eo tempore unquam voluere ſe in priſtinam libertatem vindicare.

In Bohœmia reperiuntur opifices, ſed non niſi Germani origine; ad artes addiſcendas aut inveniendas Bohœmi ſunt inepti. Doctos, origine Bohœmos, præbuit paucos. Ioh. Huſſus, qui ſe primus ſententiæ Papæ, de communione ſub una, oppoſuit, fuit Bohœmus, ut & ejus ſocius Iohannes Pragenſis, nec non Dubravius, quos præter paucos ibi reperias. Qui alias inter eos doctorum meruere nomen, germanicæ fuere originis.

Bohœmi itaque maxime dediti ſunt vitæ tranquillæ; nec commercia magna inſtituunt, vivunt ex agro, & metallica Germanis exercenda relinquunt. Urbes ſatis multas, pro ſua amplitudine, habet: longitudo enim eſt infra trium dierum, latitudo trium dierum itinere abſolvitur; eſt enim fere rotunda. Continet urbes 102. *Inter has* 41 (d) ſunt, qui immediate parent Regibus, reliquæ *Proceribus* (e) bohœmicis ſubſunt, unde apparet, quanta ſit Procerum poteſtas; cum plus, quam dimidium, in ſua habeant poteſtate.

Inter

(a) numeroſus) *Sed multa millia incolarum anno 1622 ſolum vertere coacti ſunt; unde numerus eorum admodum eſt imminutus. Quod vero ad Moraviam attinet, inhabitantium numero frequentiſſima eſt.*

(b) urbibus) *Qui ex Bohœmis militiæ nomen dant, preſtantiſſimi ſolent eſſe bellatores.*

(c) crudelitatem) *In hanc & vindictam Bohœmi propendere dicuntur.*

(d) Inter has 41.) *Longe major earum eſt numerus, ſi iis urbes, quæ Reginæ in dotalitium conſtitui ſolent, & eas, quæ a fodinis dicuntur* Königl. Bergſtäte*, accenſeas. In Moravia* 110 *urbes,* 410 *vici,* 500 *arces,* 30369 *pagi habitari dicuntur.*

(e) Proceribus) *Urbes, quæ his parent, maximam partem ex hominibus propriis conſtatæ ſunt.*

Inter omnes præcellit *Praga* (a), amplitudine ſuperans omnes urbes Germaniæ. Urbs eſt populoſa & magna, ſita ad Moldam, non procul a confluentia Albis & Moldæ; unde ex ea commercia poſſunt inſtitui in Germaniam, Hamburgum usque & ultra. Praga nomen accepit a voce bohœmo praa, quod ſignificat limen ædium. Hae occaſione ridicula enata eſt ſuperſtitio, quod ſcilicet Bohœmia & imprimis Praga fuerit conſecrata S. Joſepho, marito S. Mariæ; quia ille fuit faber lignarius, qui ſolent conficere ædium limites. Hinc creſcit ſuperſtitioſus cultus S. Mariæ, &, in ejus quoque gratiam, S. Joſephi, ad inſaniam usque, Solent etiam illud nomen ſuis adſciſcere liberis, ut frequentes S. Mariæ cultores habeantur.

Pilsna eſt ſecundo loco, munitiſſima urbs, item Tabor, quæ exſtructa a Ioh. Zisca, Duce Huſſiticorum, qui ideo Zisca dictus, quod eſſet monoculus. Ejus res geſtas vid. apud Æneam Sylvium, Cochlæum & Theobaldum. Urbs Igla, vicina Moraviæ, eſt etiam potens, quam ob vicinitatem annumerant Moraviæ. Egra, in tractu elbogano, eſt urbs ſplendida, quæ vero magis eſt imperialis quam bohœmica, & jure tantum pignoris ad Bohœmiam pervenit.

Fuere etiam plurimi Nobiles per Bohœmiam, ſed per bellum bohœmicum periere, aut in exilium acti ſunt, qui *arma cepiſſent* (b) contra Ferdinandum Regem ſuum, nec priſtinam vellent mutare religionem. Ex eo tempore novæ familiæ eo venerunt, partim italicæ, partim germanicæ, ductis ſcilicet uxoribus bohœmicis, aut emptis bonis iſtis Nobilium vacuis. Alii, qui ſteterant a partibus Cæſaris, loco præmii acceperunt talia bona.

Clerus quoque multum ibi poſſidet, imprimis Jeſuitæ: ingenti enim prodigalitate Ferdinandi II trientem fere Bohœmiæ acceperunt. Nusquam tantas habent divitias, quam in Bohœmia. De his incredibilibus donis vid. indiculum, additum libro Caraffæ Nuncii apoſtolici, cui titulus: Germania ſacra reſtaurata. Donavit ſcilicet Cæſar, non tantum bona majorum familiarum, clero & Jeſuitis, ſed etiam bona cameræ, quæ hac ratione fere ad egeſtatem redacta eſt, ut vix alios, quam ex tributis, proventus habeat.

Diviſa porro eſt Bohœmia in *regiones* 15 (c), quas ipſi vocabulo bohœmico vocant erans, germ. Creiſ/ quæ diſtincte in tabulis apparent, & typographia bohœmica, nuper edita, has præ primis vos poterit docere.

D E S I L E S I A.

Sileſia jam tum a ſec. XIV ſ. XIII facta eſt appendix regni bohœmici. Appendicem Bohœmiæ voco Sileſiam, quia ei adhæret; non enim aliquid juris Bohœmia in Sileſiam accepit, ut ei imperaret, ſed tantum eidem facta confœderata fuit. Habuerunt quidem unum communem Regem; ſed diverſa commercia. Meretur autem Sileſia ſtatim poſt Bohœmiam illuſtrari, quia amplitudine, divitiis & virtute æquat, imo, numero urbium & cultu terræ, eandem ſuperat.

De Sileſia exſtant commentarioli, qui ad ejus cognitionem proſunt. Exſtat Sileſiæ deſcriptio brevis ſed egregia Nic. Henelii, edita Francof. anno hujus ſeculi 13, ſub nomine ſileſiographiæ. Idem eodem tempore edidit breslographiam, h. e, deſcriptionem Uratislaviæ, metropolis Sileſiæ. Fuit hic vir doctus, & Syndicus olim reipublicæ uratislavienſis. Exſtat etiam alia geographica deſcriptio, Caſparis Swenkfelds, Medici reipublicæ hirsbergenſis, quæ præmiſſa eſt libro de ſtirpibus & foſſilibus Sileſiæ, edita Lipſiæ, anno 1600. Præterea habemus hiſtorias rerum ſileſicarum, & quidem Ioh. Curæi, Profeſſoris wittebergenſis & philoſophi. Hujus Curæi chronicon auxit Schikfuſius, profeſſione medicus. Hæc ſunt maxime præclara Sileſiæ monumenta. Ex hiſtoricis etiam Polonorum multa notari poſſunt de rebus ſileſiacis, quia Sileſia nobiliſſima Poloniæ pars fuit.

De gente Sileſiorum, antiqua monumenta ſcrutantibus, apparet, Taciti tempore & paulo ante & poſt omnes illas terras tenuiſſe gentes germanicas, usque ad Viſtulam. vid. CLUVER. Inter illas Ligii præcipui fuere fama, cujus nominis veſtigium ſupereſt in ducatu Ligniz, qui nomen inde habet. Verum Ligiorum & aliorum populorum, quorum ibi fit mentio, nomina deſiere audiri ſec. IV poſt N. C, ita, ut aut ſponte mutarint, aut, ab aliis gentibus victæ, in aliarum gentium nomina tranſierint.

Ex omnibes illis populis *Vandalorum* (a) nomen mihi videtur ſuecreviſſe, pars etiam in Burgundiorum nomen videtur commigraſſe, qui populus jam Strabonis tempore notus, licet adhuc exiguus eſſet. Sed hi populi, ſponte patrio ſolo relicto, pro ferocia gentium germanicarum, alias terras petierunt, & primum conſedere circa Daciam, exinde in Pannoniam, & ex

(a) *Praga*) In tres dividitur urbes, in veterem, novam & parvam, quarum cuilibet ſuus eſt Magiſtratus.

(b) *arma cœpiſſent*) Vid. acta publica huc ſpectantia, a Londorpio collecta.

(c) *in regiones* 15.) In has eam Carolus IV diſpertitus eſt. Sunt autem 1. pragenſis, 2. kaurzimenſis, 3. itradecenſis, 4. chrudimenſis, 5. czaſlavienſis, 6. bechynenſis, 7. vultavienſis, 8. poelbrelſcenſis, 9. trachenſis, 10. pilznenſis, 11. racovnicenſis, 12. ſlanenſis, 13 zatecenſis, 14. litomierzicenſis, & 15. boleſlavienſis.

(a) *Vandalorum*] de his alibi actum.

& ex hac in Galliam migrarunt, ubi manſerunt, & nomen parti Galliæ lugdunenſis indidere; tandem vero, victi a Francis, in eorum imperium conceſſere. Vandali vero ex Gallia migrarunt in Hiſpaniam, ibique aliquamdiu tumultuati ſunt, donec, ſubſequentibus Gothis, aufugerunt, quippe inter quos nunquam bene conveniebat. Ex Hiſpania Vandali migrarunt in Africam, reliquis relictis in Andaluſia (a Vandalis dicta) circa Gades. Africam vere totam ſibi ſubiecerunt, tempore Auguſtini, donec a Juſtiniano ſunt victi, & regoo eorum finis impoſitus.

In illas ſedes vacuas migrarunt gentes venedicæ, & quidem inter illas gens Polonorum. Polonorum autem nomen primum legitur in Jornande, ubi apparet, Gothos, relicta Pomerania citeriore & ulteriore, traieciſſe Viſtulam, & illis Polonis obviam iviſſe. Occurrit idem nomen in vita Attilæ, in fragmentis legationum.

Ita Sileſia cœpit eſſe pars Poloniæ. Manſit quoque diu ejus pars, & quidem usque ad ſec. XIII; tum enim ab eadem cœpit avelli: quippe exſtincta antiqua familia piaſthica, elegerunt Poloni Regem Jagellonem, cum tamen in Sileſia ſupereſſent Principes antiquæ ſtirpis piaſthicæ. Superſunt adhuc Principes lignicenſes in Sileſia, ex illa familia oriundi. Quapropter in hiſtoria ſec. XI & XII non aliud nomen occurrit ratione Sileſiæ, quam Polonorum. Sed ſeculo XII migrarunt multi Germani in illas terras, nempe Miſni, Saxones, qui in eam terram tranſtulere linguam, in ſuperiori Germania uſitatam.

Usque adeo Sileſia exculta eſt a gentibus germanicis, ut plurimi Sileſiæ incolæ abierint in linguam & mores Germanorum. Hinc Sileſia, ratione linguæ, in duas partes dividi poteſt: in polonicam & germanicam. Qui enim cis Oderam incolunt Sileſiam, germanica, qui trans Oderam, polonica utuntur lingua. Urbes maximam partem ſunt exſtructæ a Polonis, quod ex earum monumentis apparet. Poloni illi ſleſiaci dicuntur Waſſerpohlen; quod non ſunt veri Poloni, ſed ſejuncti a reliquo corpore.

Sileſiacorum nomen non obvium eſt in quodam monumento, vetuſtiore ſec. X; quapropter de ejus origine dubitatur. In Dithmaro merſburgenſi fit mentio pagi ſilenſis. Si pagus ille fuit in Sileſia, nomen id jam tum fuit in uſu. Hic autem vixit ſub initium ſec. XI. Sileſiæ nomen ortum videtur a pago, ſive tractu aliquo inſigni, ſ. regione, qua in ſignificatione vox pagus occurrit in auctoribus latinis, antiqui & medii ævi. Seculo XII. ortum eſt vocabulum Sileſiacorum, teſte Cromero, & ſleſiaci Polonis dicti, Germani advenæ: lingua enim Polonorum advenæ dicuntur ſleſici. Sileſici de hoc etiam dubitant, quamvis alias rerum ſuarum ſint accurati indagatores.

A ſeptemtrionibus cumprimis habet Poloniam & ex parte Hungariam, circa montem Carpathum. A meridie limites dat Bohœmia & Moravia, ab occidente Luſatia & ex parte marchionatus brandenburgenſis.

Dividitur hodie Sileſia in 16 *ducatus* (b) parvos, quorum unus & alter in illo corpore non continetur, ſed exteris in feudum dati ſunt; ut ducatus croſſenſis, quem tenent Marchiones *brandenburgici* (c), & hac parte Marchiones illi ſunt vaſalli Bohœmiæ. Ducatus Oppeln & Ratibor poſſidentur hodie a Polono, ſed tamen non niſi dotis loco, propter dotem maternam & ſororis maternæ. Sigiſmundus enim Rex Poloniæ duas Ferdinandi II ſorores duxit uxores; dote vero non ſoluta, uterque, in pignoris locum, poſſidetur ducatus, mox procul dubio rediturus ad corpus Sileſiæ. Alias hi ducatus ex parte poſſidentur a propriis Ducibus, ex parte a Rege Bohœmiæ. Plerique ſunt hodie in manu Regis, ut uratislavienſis, ſaganenſis, teſchienſis, troppavienſis & alii. Præter hos ducatus habet Sileſia quatuor baronias liberas, que proxime ſubjacent regno.

Dividitur hodie etiam in ſuperiorem & inferiorem. Superior audit, quæ montibus Hungariæ & Bohœmiæ eſt propinqua, continetque ducatum teſchienſem, troppavienſem, *ratiborenſem* (d). Reliquos continet *inferior* (e) Sileſia, & ita potior eſt ſuperiori. Figura Sileſiæ eſt quadrata, ſed non æquilatera. Non lata ſatis eſt, ſed ſatis longa; latitudo enim ultra 20 milliaria ſe non, extendit.

Hos limites ſi quis videat, facile apparet, Sileſiam ratione eorum non eſſe ſatis tutam, niſi qua parte attingit Hungariam; ibi enim altiſſimi montes ſunt, qui non facile poſſunt adiri. A parte Bohœmiæ propter Sudetes montes etiam tuta eſt, ſed non omni ex parte; quia hi montes non ſunt pari altitudine cum montibus carpathiis: ſed verſus Poloniam & marchionatum brandenburgenſem patet; hinc incurſiones ſemper factæ per Luſatiam, marchionatum brandenburgicum & Sileſiam germanicam in Sileſiam polonicam. Non vero facile quis ex Sileſia polonica in Sileſiam germanicam poterit tranſire, propter Oderam, quæ nonnunquam ita exuberat, ut deneget tranſitus mutuos. Illa autem mediam Sileſiam quaſi ſecat.

Quod

(b) *ducatus*) Confer. HENELII *ſileſiograph. tom. II.*

(c) *Brandenburgici*) Croſſenſem ducatum Joachimus II a Ferdinando I, ut Bohœmiæ Rege, nactus eſt: non autem propterea ſe Sileſiæ Principibus accenſeri paſſi ſunt; ſed cuſtrinenſi ducatus ille inſertus eſt regimini.

(d) *ratiborenſem*) grotkanenſem item jægerndorfenſem, oppelenſem, opavienſem. Eſt quoque in hac parte dynaſtia pleſſenſis.

(e) *inferior*) ut breſlavienſem, münſterbergenſem, javerenſem, ſchweidnizenſem, lignicenſem, briogenſem, glogavienſem, ſaganenſem, coroſnenſem, celſenſem & dynaſtias wartenbergenſem, militienſem, trachenbergenſem.

Quod attinet cœli ſolique qualitates, cœlum ipſum eſt frigidius, partim propter clima ipſum, partim propter vicinos montes carpathicos & Sudetes. A parte ſeptemtrionali & occidentali patet ventis ſeptemtrionalibus; quia nulli obſtant colles. Ab auſtro & oriente obſtant montes, prohibentes ventos calidos: qui, licet perflent illos montes, redduntur frigidi. Solum non eſt ubique ejusdem *conditionis* (f), in univerſum vero ſatis *fertile* (g) alibi magis, alibi minus: non tamen poteſt contendere cum Bohœmia & Polonia, multo minus cum Hungaria. Quintuplum aut ſextuplum reddit ager, raro *decuplum* (h). Fert interim varii generis *frumenta* (i), imprimis optimum linum, nec bonitate *lini* (k) reliquæ terræ cum ea contendere poſſunt: copia vero lini Polonia illam ſuperat. Paſcua ſatis *ampla* (l) habet, ſed *jumentorum* (m) plus accipit ex Polonia, quam ipſa alat: Polonia enim, & imprimis Podolia ingentem vim jumentorum poteſt ſubminiſtrare viciniæ ſuæ. *Metallis* (n) non deſtituitur, ferro, plumbo, argento; auri non multum habet. Creditur quidem aliquid auri latere in montibus Sudetibus, ſed fide infirma. Sale non niſi advectitio utitur, ex Polonia minore, item Halis Saxonum delato, quod bonitate polonicum ſuperat. *Fluvios* (o) & rivos habet plures, abundantes piſcibus. Lignorum tantum, quantum ad uſum requiritur.

Hominum culturam quod attinet, in Sileſia 120 *oppida populoſa* (b) numerantur, inter quæ eximia quædam ſunt; ut *Uratiſlavia* (c), quod elegantia & ſtructura provocat omnes univerſæ Germaniæ urbes. Glogovia, groß Glogau, eſt magna. In univerſum urbes ſunt populoſæ. Horum igitur numerus ſatis magnus eſt; ingenium vero populi non eſt bellicoſum, ſed ſubagreſte, *moroſum & triſte* (d), nec generoſum, ut Bohœmorum, nec aptum ad arma; inde raro exercitus ibi conſcriptus eſt. Reperiuntur quidem nonnulli homines fortes, ſed pauci, pro magnitudine regionis. Incolas igitur juſtos potius & æquos, quum fortes dixeris. Alias indulgent potationibus. Quamvis vino *deſtituantur* (e), optimam tamen habent cereviſiam, & præ aliis a ſapore laudatur cerevilia vratislavienſis, dicta Schöps. De cætero caſte ſatis vivunt. Ingenium Sileſiorum videtur ſimplicius; hinc exagitantur, quod non potuerint aſinum a lepore dignoſcere. Hoc quidem in ignominiam eorum excogitatum eſt; interim illi conantur fabulam excuſare, &, occaſione montis alicujus ortam eſſe, *dicunt* (f), qui dicitur aſinus aureus: ſed, quomodo potuerint devorare montem, non video. Hinc magis exagitantur, & propterea melius facerent, ſi tacerent; qui enim ſic excuſat, ille concedit factum.

Iterum excolunt ingenia, & ad artes addiſcendas non ſunt inepti, pluresque Sileſia protulit viros doctos in omnibus ſcientiarum generibus, quam Bohœmia & Polonia, prætertim in *medicina* (g); adeo, ut nulla Germaniæ regio plures dederit medicos. Imprimis ſunt induſtrii circa pannos & lintea optima conficienda, quibus poſſunt provocare univerſam Germaniam. Pannus ſileſicus ut & linteum in Germaniam, Hungariam, Poloniam & Italiam defertur.

Urbes non ſunt munitæ, exceptis *paucis* (h); adeoque ad pacem quam bellum aptior. Hinc hodie quælibet provincia cogitur facere imperata, nec audet reſiſtere domui auſtriacæ. Pietati ſunt addicti, & religioſe ſacra colunt. Duplex genus ſacrorum ibi obtinet, alii enim papiſtica ſequuntur ſacra, alii confeſſionem auguſtanam, quorum numerus major eſt in lautiſſimis Sileſiæ locis. Autoritate prævalent pontificii, quia multi ex Nobilitate, propter honores conſequendos, acceſſere ad illos; adhuc enim non niſi potificiis honores deferuntur. Eam religionem promovent Jeſuitæ, qui ibi impetrarunt *collegia varia* (i), & in urbe Vratislavia ipſum regium palatium. Ante nulli ibi fuere Jeſuitæ. Hodie tyrannis ſacra premit homines, & in Jeſuitarum eſt arbitrio, an velint diverſam pati religionem. Hinc Sileſia propter diſſidium religionis patet hoſti externo. Miſera ibi hodie eſt conditio proteſtantium: multis enim in locis omnia templa iis ſunt *erepta* (k), & nova coguntur extra urbes exſtruere, exagi-

(f) *conditiones*) Siniſtra Viadri ripa dextra fœcundior eſt.

(g) *fertile*) HENELII *ſileſiographia* c. III.

(h) *decuplum*) HENELIUS *l. c. p.* 213.

(i) *frumenta*) Triticum hybernum & æſtivum, ſecale, hordeum, avenam, fagopyrum. Habet & crocum, milium, piſa, fabos, vicias, braſſicam capitatam. HENELIUS *l. c. c. III.*

(k) *lini*) HENELIUS *l. c. p.* 282 *ſeqq.*

(l) *ampla*) HENELIUS *c. III. p.* 245 Arboribus quoque, varii generis oleribus, & floribus eſt referta, quæ in ſylvos aut hortos conjunguntur. Nec vitibus Sileſia deſtituitur, inter quas eæ, quæ ad Croſnam & Grunbergam coluntur, reliquas bonitate antecedunt.

(m) *jumentorum*) Varia quoque Sileſia tum cicura quam domeſtica habet animalia HENELIUS *c. IV.*

(n) *metallis* HENELIUS *c. III p.* 302 *ſeqq.* ubi etiam de mineralibus, quæ in Sileſia reperiuntur, traditur: BRUCKMANNI *magnalia Dei in locis ſubterraneis p.* 212 *ſeqq.*

(o) *Fluvios*) Lacus quoque, thermas & acidulas habet. HENELII *ſileſiographia c. V.*

(b) *oppida populoſa*) HENELIUS *c. VII.*

(c) *Uratiſlavia*) *Baudrand dans le dictionaire geographique p.* 220. Epiſcopum habet, qui Archi-epiſcopi gneſenſis ſuffraganeus eſt, celebre gymnaſium evangelicum & Academiam a Jeſuitis conditam, quæ a Leopoldo, ſub cujus auſpiciis eſt inſtructa, leopoldina dicitur.

(d) *moroſum & triſte*) HENELII *ſileſiographia c. VI.* Hic etiam de externo Sileſiarum corporis habitu agitur. Adde LUCAM DE LINDA p. 812. 813.

(e) *deſtituantur*) Frequentius tamen advehitur. HENELIUS. *c. VI. §.* 37.

(f) *dicunt*) HENELIUS *l. c. p* 674 ſeqq.

(g) *medicina*) ob poeticam quoque celebres ſunt venam HENELIUS *c. VI.*

(h) *paucis*) HENELIUS *c. VII.* Inter loca munita etiam Vratislavia eſt.

(i) *collegia varia*) HENELIUS *c. VI. p.* 703 *ſeqq.*

(k) *erepta*) De Sileſiorum religionis gravaminibus varia exſtant ſcripta. Vid. *Schleſiſche religions acta* in *Leh-*

exagitantur etiam a pontificiis, & per vim coguntur interdum ſacra amplecti romana. Hinc animi eorum a præſenti ſtatu ſunt alieni, nec ſtringent unquam pro Rege *ſuo gladium* (a).

Comitatus glacenſis olim ſpectavit ad *Sileſiam* (b), parvus, paucis conſtans oppidis, nec munitus; niſi qua parte cingitur montibus Sudetibus. Cœlum glacenſe eſt valde ſimile bohœmico, adeoque ſileſiaco mitius; nec tamen præbet vinum. Non caret omnis generis metallis; ſed, cum non latos habeat ſinea, minores exinde, quam Bohœmia, proventus habet. Solum eſt minus fertile, quia eſt montoſum. Non tamen deſtituitur frumento; quamvis minus, quam Sileſia, habeat. Armentorum & jumentorum tantum, quantum ſatis eſt, habet. Ferri major ibi copia eſt, propter montes Sudetes. Habet fluvios non ita magnos, rivosque feraces piſcium. Sale, uti Bohœmia & Sileſia, deſtituitur. Homines non multi ſunt in eodem comitatu, & urbes raræ civibus; quia magnam eorum multitudinem alere non poteſt. Inter ejus urbes eminet Glacium, arte & natura loci munitum: eſt enim in montanis ſitum, & impeditos habet aditus. Urbs arce inſtructa eſt, quod & commodo & incommodo ejus cedit: nam qui arcis eſt dominus, urbi etiam imperare poteſt. Incolæ ſunt ſtupidiores & ſimiles ingenio Polonorum: hinc vir doctus aut artifex ex huc comitatu vix fuit oriundus.

DE LUSATIA.

De Luſatia utraque jam differere dubito. Quamvis enim jure ſpectet ad regnum Bohœmiæ; reapſe tamen hodie eſt ab ea ſepatata, & tenetur ab Electore Saxoniæ, ſive jure pignoris, ſive, ut alii dicunt, jure hereditario: quia Elector Saxoniæ LXXVI tonnas, ut dicunt, auri, pro Rege Bohœmiæ Ferdinando III, in bellum bohœmicum expendit. Quandoquidem tamen directum Luſatiæ dominium ad regnum Bohœmiæ ſpectet, & Elector Saxoniæ dominium tantum utile habeat, de utraque provincia jam dicemus.

Utraque provincia, ſuperior & inferior, expulſis populis germanicis, devenere in manus venedorum populorum, uti omnes terræ trans Albim. Hi populi poſtea dicti ſunt *Luſici* (c). Hunc populum poſt Carolum M. domavit Henricus Auceps, propagata ibi chriſtiana religione. Sed cum idololatriæ populus admodum eſſet deditus, ea iterum irrepſit. Quam cum populus, Marchione, ab Henrico Aucupe dato, pulſo, ferociter defenderet, in majorem ſe libertatem aſſeruit: donec eos iterum domaret *Henricus IV* (d), & donaret Bohœmis. Ex eo tempore cœpere modo ſub Bohœmis, modo ſub Polonis eſſe; donec terra, incolis nudata, in colonias germanicas diduci, & ad meliorem frugem redigi cœpit.

Duplex eſt Luſatia, altera ſuperior, altera inferior. Illa hac eſt præſtantior, & alias dici ſolet die Sechs-ſtädte; (e) quod habeat oppida ſex, *Budiſſinam* (f) Bautzen/ (eſt metropolis,) 2) Gorlicium Görlitz/ 3) *Zittaviam* (g) Zittau/ 4) Laubam, Camicium (Kamentz) 5) Lobaviam.

Ex parte juncta marchionatui miſnico & ducatui Saxoniæ proprie dicto, ex parte regno Bohœmiæ & Sileſiæ inferiori, itemque marchionatui brandenburgico. Solum ipſum quod attinet, fœcunditate non eſt comparanda cum Sileſia & Bohœmia; tantum tamen habet, quantum ad numerum, quem habet, hominum *alendum* (h) ſufficit.

Non eſt *metalli ferax*, (i) gemmis & ſale deſtituitur, ferri fodinas in nonnullis locis habet; ſed non magni momenti. Cœlum non uno modo ſe habet: aliqua parte enim eſt horridius, aliqua mollius, in univerſum tamen nonnihil frigidius; quia ventis ſeptentrionalibus undequaque patet. *Animalibus* (k) abundat in nonnullis locis; non vero tantum habet, quantum Polonia, ſed ad vitam ſibi ſufficit.

Quod ad homines ipſos attinet, conſtat, nonnullos eſſe ſclavonicæ, plures germanicæ ori-

manno ſuppleto & continuato. Quæ hac de re inter Imperatorem Joſephum & Carolum XII Suecorum Regem in conventione altranſtadenſi & deinde acta ſunt, in FABRI Staats-Canzley & *parte LXX fama europ. referuntur.*

(a) *ſuo gladium*) Hæc cenſuram merentur. De fide enim Sileſiorum in Imperatorem non eſt dubitandum.

(b) *ſileſiam*) HENELIUS *c.* 2 *§.* 42.

(c) *Luſici*) STRANSKY *de republica bojema c. VII. §. IV.* Helmoldi chronicon Slavorum, aliique autores veteres, qui de bellis, inter Germanos & Slavos geſtis, mentionem fecerunt, conferendi ſunt.

(d) *Henricus IV*) Luſatia ab hoc Wratislao Bohœmorum Regi in donum data. STRANSKII *l. c.* GROSSERS Lauſitziſche Merckwürdigkeiten *p.* 29. Hic docet, quam mutationem, intuitu dominorum, quibus paruit, paſſa eſt. *l. c. p.* 55. ſeqq.

(e) die Sechs-ſtädte) de his eorumque juribus ſparſim Groſſerus agit.

(f) *Budiſſinam*) GROSSER *l. c. part. III. p.* 57. *ſeqq.* Hæc urbs, ad Spream ſita, incendiis admodum fuit afflicta. Præter Spream inter Luſatiæ majores fluvios ſunt, Neiſſa, Queiſſa & Elſtera. GROSSER *part. V. p.* 3.

(g) *Zittaviam*] vid. CARPZOV. *analecta faſtor. zittavienſ.* in quo libro multa vulgaria & notatu minus digna habentur.

(h) *alendum*) GROSSER part. V. C. V. VI.

(i) *metallis ferax*) Ad Sprembergam argenti fodinæ fuit, & ad Soraviam & Jenckendorfum lapides, ferro graviores, terra eruuntur. Ad Görliziam aliquando ſe auri venarum veſtigia exhibuiſſe, atque duos cives erfurtenſes eos ſcrutari cœpiſſe, GROSSERUS *l. c part. I. p.* 150. memorat, ſed ſcrutamina illico neglecta ſunt. De aliis metallorum veſtigiis & mineralibus, quæ in Luſatia habentur, conferatur GROSSERUS *l. c. p. V. C. I. V.*

(k) *animalibus*) GROSSER. l. c. VII.

originis, & licet non omnes ſint a Germanis oriundi, germaniſmum tamen ſapiunt. Pro moribus autem horum duorum populorum omnia diverſimode ſe habent. Venedicos quod attinet, illi ſervili ſunt conditione: Germani enim Slavos, a ſe domitos, redegerunt in ſervitutem, atque ex eo tempore ſervitus ibi cœpit. Quæ vero homioes ſervientes vitia habent, ea quoque comitantur Venedos, & licet ioter illos ſint nonoulli animi generoſioris, tameo ſtatim premuntur, ut ad altiora adſpirare nequeant. Soli itaque Germani ſunt ingenui & cives, locumque in republica habere poſſunt. Numerus hominum non eſt aſpernandus, licet non admodum ſit populoſa regio. Mores eorum quod attinet, ſimiles ſunt Sileſis, quæ igitur ibi dicta ſunt, hic quoque adplicanda veoiuot.

Quia autem plurima pars hominum incolit urbes, hinc primaria urbs Bauzen ſatis dives opibus eſt & numero incolarum. Superiori autem bello admodum fuit devaſtata, ita, ut ingentem bonorum & hominum ſecerit jacturam. Etiam anoo hujus ſeculi 34 pæne tota incendio periit, quod damnum etiam non ſacile potuit reſarciri. Splendore itaque prima eſt Görlicium. Mediocriter in bis urbibus florent commercia omnis generis, ex quibus oppidani victum ſibi coguntur ſumere.

Totus regionis ſitus optime poteſt peti ex Sculteti görlicenſis tabula geographica, quæ laudatur etiam ab ipſis terræ incolis. Exſtat etiam chronicon Luſatiæ, quod legi meretur.

Inferior Luſatia longe minor eſt dignitate, opibus & numero hominum. Pars ejus jam dudum tenetur a Marchionibus *brandenburgicis*, (a) & quidem primarium oppidum Cotbus, & alia loca celebria ejus terræ, inter quæ aliæ quatuor urbes minoris momenti. Reliquas urbes tenet *Elector Saxoniæ*, (b) facta ceſſione a Ferdinando II. Ab ioitio hæ provinciæ maluere manere ſub domioio Regis bohœmici; hodie vero ſuis contenti dominis, præſertim propter liberum religioois lutheranæ exercitium, cui pleraque pars dedita eſt, niſi quod pauca ibi adhuc reperiantur *monaſteria*. (c) Hæc religio ipſis denegaretur, ſi eſſeot adhuc ſub ſceptro bohœmico. Quamvis enim Rudolphus II Imperator Sileſiæ & Luſatiæ liberum dedit religionis *exercitium* (d), tabulis regiis editis; Ferdinandus tamen II. jamdudum illa pacta fregit in Sileſia & Bohœmia, ut itaque in hac parte felicior ſit Luſatia.

Quod attinet Luſatiam inferiorem, illa pro finibus habet Poloniam, marchionatum brandenburgenſem, ducatum Saxoniæ proprie dictum, & Luſatiam ſuperiorem. Solum etiam tenuioris eſt conditionis, quam ſuperioris Luſatiæ; ita tamen, ut incolas ſuos poſſit alere. Alias nec a metallis, nec a ſale, nec aliis iſtiusmodi rebus eſt inſtructa. Taotum, quantum ſufficit frugum & lignorum, habet, ut & jumentorum & armentorum. A commerciis urbes non ita floreot, uti urbes ſuperioris Luſatiæ.

Homines ſunt duplicis conditionis; alii ſunt originis germanicæ, alii venedicæ. Venedicæ originis plures ibi reperiuntur, quam in Luſatia ſuperiori: omnes enim agreſtes vere venedicæ nriginis ſunt, & hinc ſervilis conditionis. Nobiles ſunt originis germanicæ, exceptis paucis, qui ſunt venedicæ. In urbes nemo, niſi germanicæ originis, recipitur. Duriter habuere Saxones Venedos ſibi vicinos, ſed male: quia nimia hæc aſperitas obſtitit juſtæ religionis chriſtianæ propagationi. Præterea propter hanc rigiditatem nomen chriſtianum fuit blasphematum, ut teſtatur Adamus bremenſis, Helmoldus & alii. Mores eorum conveniunt cum moribus illorum, qui ſuperiorem Luſatiam occuparunt, niſi quod illius cives ſint in re lautiori, unde plures viros doctos dedit. Hæc pauciores protulit, quia ei ſumtus, ad ſtudia proſequenda, deſunt.

FINIS REIPUBLICÆ BOHOEMICÆ.

HOc regnum ita ſemper videtur adminiſtratum, ut non dominantis ſolum, ſed dominantis & parentium ſimol ratio ſit habita. Nec de divitiis aut potentia laborarunt, ſed omnia ita fuere compoſita, ut ſemper fuerit ipſis tantum, quantum ſatis ad vitam beatam. Cujus rei indicium eſt, quod ab omni memoria regnum ita fuerit adminiſtratum, ut non omnia ex unius dominantis arbitratu pependerint; ubi enim commitia locum habent, ibi quæritur ſalus populi. In conſummata vero monarchia oon tam populi quam unius Regis ratio habetur. Suis etiam contenta finibus fuit, donec Johannes Rex ſec. XIV Sileſios & Moravos Bohœmiæ regno adjecit.

Hoc ipſo ſeculo, cum bello eſſent victi a *Ferdinando II*, (e) videri poteſt nonnihil mutata, & ad dominantis utilitatem accommodata: Ferdioandus enim ea victoria obtinuit, ut nihil

(a) *brandenburgicis*) Pruſſiæ Regis, præter Cotbuſium, eſt Peſcavia & Peitza. Loca autem hæc Brandenburgo, ob ſumtus, in bellum huſſiticum impenſos, ceſſa ſunt. GROSSER *part. I. p.* 130. & *part. III. c. 9 II.*

(b) *Elector Saxoniæ*) GROSSER *part. I. p* 331.

(c) *monaſteria*) Budiſſæ monaſterium (Stifft) pontificia ſacra ſequens, habetur.

(d) *exercitium*] Sermo hic eſt de Rudolphi II diplomate, quod literarum majeſtaticarum nomen habet. Vid. LONDORPII *acta publica bohœmica par. I. c.* 24, 26. In his ſubditis ſub certis conditionibus conſcientiæ libertas indulgetur.

(e) *Ferdinando II*] Conf. *theatrum europæum part. I* & BRACHELIUS *in hiſtoria ſui temporis.*

nihil amplius moliri poſſent. Sed re vera de ſcopo priſtino *nihil mutatum;* (a) regia enim dignitas, quæ multum damni paſſa erat, in integrum reſtituta eſt. Et licet ſacra priſtina populus mutare ſit coactus, & multi ex Proceribus, quæ ſacra mutare nollent, ſive arma corriperent, ejecti ſint regno; ſcopus tamen reipublicæ per hoc non videtur mutatus; quia fiſcus regius inde non fuit auctus. Quamvis enim mutatione ſacrorum ſacram tyrannidem perpeſſus ſit populus: eo tamen ipſo quæſivit Ferdinandus II. utilitatem populi, non proprium vero commodum. Similiter, tametſi multi exules facti ſunt, multi tamen in eorum ſubſtituti locum ſunt; ut nec hoc ipſum exilium vergat in commodum dominantis, nec hoc facto aliud, quam incolarum ſalus, quæſita fuerit.

Non ad divitias congerendas rempublicam compoſitam eſſe, apparet inde, quod regium ærarium indigeat, & tanta fuerit prodigalitas Ferdinandi II & III, ut de divitiis ne quidem conſilium fuerit agitatum. Scopum igitur merito laudes: an vero media faciant ad illum ſcopum, altioris eſt indaginis, quod apparebit, ubi aliquid de regimine dictum fuerit. Ego credo, media adhuc non prudenter ſatis fuiſſe obſervata; qua de cauſa ſcopus etiam non pleno potuit obtineri.

Notandum eſt autem, populi nomine non venire, niſi ingenuos, licet maxima Bohœmiæ incolarum pars ſit conditionis ſervilis, illorum præſertim, quæ in agris vivunt; hinc eorum bonum non quæritur proprie, ſed tantum per accidens. In Bohœmia tamen dominis non licet ſævire in ſervos: potentia enim dominorum legibus eſt circumſcripta. Hinc ſervis non adeo male eſt, quamvis eorum ſalus non primario quæratur.

Nunc de regimine Bohœmiæ. Bohœmi victi ſunt initio felicibus *Caroli M. armis*, (b) & quamvis ex eo tempore cœperint adſpirare ad libertatem: domiti tamen ſunt ſequentibus temporibus a *Regibus germanicis*, (c) ita tamen, ut multum ipſis libertatis manſerit, & non, niſi tributa dare & militare, exigente reipublicæ neceſſitate, fuerint coacti.

Hinc Bohœmia non fuit ejusdem cum reliquis Germaniæ ducatibus conditionis: illi enim ſtrictiori feudi jure fuere *obnoxii*, (d) & in eos plurimum Regibus auctoritatis fuit. Hi fuere quidem ſub Imperatoribus; ſed nexu longe laxiori. Hæc libertas magis magisque crevit, & hoc regnum vinculis Germaniæ hodie ita ſolutum eſt, ut non teneatur legibus comitiorum germanicorum, neque judiciis. Habent ſua judicia, ut & comitia. Supereſt tamen adhuc fiduciaria tutela, qua coguntur Reges in verba romanorum Imperatorum jurare, & in feudum accipere regnum Bohœmiæ.

Hæc libertas ſolito major, nocitura eſt reipublicæ: ſed peccatum fuit a noſtris Imperatoribus, qui occaſionem dederunt, libertati iſti ſtruendæ. & cum ante Principes Bohœmiæ Duces ſeu Waiwodæ tantummodo appellarentur, Imperatorum indultu *Reges* (e) audire cœpere. Porro permiſſum eſt, ut Reges Bohœmiæ totam *Sileſiam*, (f) Moraviam & Luſatiam occuparent. Intereſt reipublicæ, ne unus nimis magnus fiat, nec tale quid in bene conſtituta republica uſu venire ſolet, ubi cives, quod ad ejus fieri poteſt, ſunt æquales. Ad illam antem potentiam pervenit ſub initium ſec. 14, artibus Regis Johannis, quem non minore verſutia ſequutus eſt Carolus IV, poſt Imperator, ſtudioſiſſimus ſui regni; hinc etiam Maximiliano audit vitricus Imperii, cum ſtuduerit libertati Bohœmiæ, cum damno Imperii. Hæc legere poteſtis in notis JACOB SPIEGEL, Secretarii Maximiliani, *ad Güntheri poëma de vita Friderici I, & ad Æneæ Sylvii & Antonii panormitani apophtegmata.*

Multa

(a) *nihil mutatum*) Sunt, qui Bohemiæ regnum, ferro recuperatum, eis, quæ patrimonialia vocant, annumerant.

(b) *Caroli M. armis*) *Chronicon moiſſiacenſe ad ann.* 809 *Annales metenſes*, REGINO & HERMANNUS CONTRACTUS *ad ann.* 805, *annales pithaani ad ann.* 806. Ex his liquet, Bohemorum vires a Francis cladibus eſſe affectas, earumque terras vaſtatas, quod vero ſub Caroli Magni imperium conceſſerint, ibi non legitur.

(c) *Regibus germanicis*) Nec mihi Bohemi Ludovico germanico ſubjecti fuiſſe, ſed ipſius tantum majeſtatem comiter coluiſſe, videntur. *Annales Fuldenſes* ad annum 846, 848, 856, 857, 869, 871 ſeqq. *Annales bertinians & metenſes* ad eosdem annos. Henricus Auceps earum partem ſub ſuam redegit poteſtatem. *Autor vita Mathildis c. II* SIGEBERTUS GEMBLACENSIS & HERMANNUS CONTRACTUS *ad annum* 930. Quod Henrico Sancto tota ſe dederit gens, CHRONOGRAPHUS SAXO ad annum 1004 teſtatur. Videntur autem Bohemi ſub lege clientelari, non niſi tributi onere Germanis fuiſſe obnoxii.

Ad tributum illud, quod aliquando pendere neglexerant, ſub Henrico III redierunt, COSMAS PRAGENSIS *lib. II chronica ad annum* 1042. De expeditione Lotharii in Sobislaum Bohemiæ Ducem infelici, tradunt MARTINUS POLONUS *p.* 372, 373 & CONTINUATOR SIGEBERTI *ad ann.* 1127, OTTO FRISINGENSIS *lib. I. c. XX.* Cumque, tanta clade fractus, cum Sobislao paciſci neceſſum habuerit, ſi quid juris Germanis in Bohemiam reſervaverit, id fœderis inæqualis & tributi legem exceſſiſſe non videtur. Nec videntur omni ex parte vera, quæ OTTO FRISINGENSIS *lib. I c. I. XXI p.* 408 *habet: Sobislaum ad pedes Imperatoris ſatisfactionem offerentem humiliter veniſſe, ducatum ab eo ſuſcepiſſe & captivos reddidiſſe.* Fridericus I Bohemos habuit morigeros, ut & filius ejus Henricus VI. Ab obſequio, quo Germaniæ devincti erant, deinde receſſiſſe videntur, & a Philippo Suevo ad illud redire coacti, ARNOLDUS LUBECENSIS *lib. VI c. VII p.* 715. Quæ porro inter Ottocarum & Rudolphum I habſpurgenſem [illegible] idere, alibi a nobis prolata ſunt. Vid. GOLDASTUS *p.* 500.

(d) *obnoxii*) GOLDASTUS *de regno Bohemiæ p.* 1107 *ult. edit.* Vid. literas inveſtituræ Friderici III apud LONDORPIUM, *in actis publicis regni Bohemiæ p.* 290.

(e) *Reges*) Eorum dignitas ab initio perſonalis erat, GOLDASTUS *l. c. p.* 433, 435, 440, 4[illegible]1 ſeq.

(f) *ſileſiam*) GOLDASTUS p. 521 ſeqq. 453, 129, 267, 271.

Multo magis Imperii autoritas in illo regno diminuta eſt, ex quo *Auſtriaci* (a) rerum potiri cœperunt: ex eo enim tempore talem non amplius audivimus vocem; ſed ipſi illi, tametſi eſſent Imperatores, ſtuduere, id regnum in majus ſemper honoris faſtigium evehere; ut hodie Imperatori fere nihil reliqui ſit priſtinæ dignitatis & autoritatis, *in illud* b) regnum. Non itaque eſt, ut amplius Imperii propugnetur auctoritas, poſtquam regnum ad Auſtriacos pervenit. Ex adverſo in Imperio noſtro eximiam Rex Bohœmiæ obtinet dignitatem: quia eſt Officialis Imperii, nempe Archi-pincerna, quod munus domus auſtriaca ſibi detractum vellet, niſi cum electoratu eſſet conjunctum. Nactus Rex Bohœmiæ illam dignitatem tempore Friderici I, & deinde ſec. 13 *in electorale receptus collegium* (c) eſt.

Antiqua autem, ſec. XIII, monumenta ſi quis videat, electoralis dignitas bohœmica olim longe minor fuit: nam ſententia ejus non requirebatur, ſi reliqui Electores inter ſe conſentirent, adeoque non ſimpliciter eligendi poteſtas Bohœmo data fuit; ſed tunc modo, ſi ſcilicet *paria eſſent vota*, d ut tum, accedente ejus ſententia, alterutra pars præpooderaret. Hodie tantundem valet Regis Bohœmiæ ſententia in eligendo, atque aliorum. Ad hunc modum ſe habet reſpublica Bohœmiæ, in quantum eſt pars Imperii germanici; nunc dicendum de ea, quatenus eſt ſui juris.

Ab antiquo tempore Bohœmia ſuos habuit Principes, & ex parte fuit mooarchica, non ex toto: monarchia enim ſemper temperata fuit libertate Procerum, & reſpublica quoque a Nobilitate gubernata. Principes ejus ſlavica voce olim audiere Waiwodæ; cæterum Henricus IV, cum reliqui Principes fluxa in eum eſſent fide, Bohœmiæ vero Waiwoda conſtanter ei adhæreret, ipſi tribuit regium titulum; ſed titulus una cum Duce periit. Aſt *Fridericus I* (e) reddidit titulum, eumque hereditarium fecit. Ex eo tempore regni titulum uſurpavit regio, antehac ducatus nomine contenta. Quantum ſit hodie obnoxia Imperio, vid. lib. de fin. Imperii, ubi dicitur, quomodo ſe habuerit ſtatus ante Fridericum II, usque ad noſtra tempora.

Admioiſtratio autem regiminis, uti ſupra dictum, partim monarchica, partim mixta fuit; perinde enim ut gentes germanicæ non potuere ferre plenam monarchiam, ita ſarmatici quoque populi libertatis fuere ſtudioſi. Hinc Lucanus canit:

Libertas ultra Tanaim Rhenumque receſſit,
Germanum ſcyticumque bonum &c.

Idem ſtatus revera hodie adhuc obtinet: quamvis enim Ferdinandus plenam potuiſſet inſtituere monarchiam, non tamen, niſi ex parte, priſtinum mutavit ſtatum. Cum enim antea obtineret electio Regum, in totum illa eſt abolita. Scio, acres fuiſſe motas controverſias, quid per hanc electionem deberet intelligi? Per electionem ibi olim conſtitutos eſſe Reges in A. B. extat: ſed, quid ſenſus hujus electionis ſit, controvertitur. Alii contendunt, defuncto quolibet Rege, Ordinibus liberam competere electionem: alii, non, niſi extincta Regum familia, hoc ipſis conceſſum, aſſeruot. Vid. *GOLDASTUS* (1) de regno Bohœmiæ.

Domus auſtriaca per victoriam ſuam obtinuit, ut hereditaria hodie ibi locum habeat ſucceſſio; quod ſane non mutabitur, niſi Bohœmi ad priſtinam redierint dignitatem, & fracta fuerit poteſtas regia. Obtenta hac victoria, longe regia dignitas cœpit eſſe major. Ante illam victoriam ibi libertas ſacrorum fuit, adeo, ut *Rudolphus II*, (g) publicis editis tabulis, eam coactus ſit aſſerere, & confirmare.

Paulus Stranski Bohœmus, in libello docto de republica bohœmica, in Batavis edito, capite; demonſtrare nititur, quod Bohœmia non ſit pars Imperii, neque unquam fuerit in ditione germanica; verum, hunc autorem nimis patrio amori indulſiſſe, oſtendi in libello de fin. Imp. Hic exul & pauper tale quid auſus fuit profiteri, contra omnium temporum monumenta! Vid *GOLDASIUS*, (h) ex quo hominis apparent nugæ.

In quantum vero eſt reſpublica, bona ſaltim ex parte ſui juris eſt, deque eadem in præſens nonnihil diſſereodum. Olim omnia, majoris momenti, in *comitiis* (i) populi ſunt con-

(a) *Auſtriaci*) Hæc autoris verba omnino temperamentum requirunt. Quomodo Bohemia ad Auſtriacos pervenerit, docet GOLDAST. *p.* 1071, 1085, 1152.

(b) *in illud*) G. Hodie pleniori jure Germaniæ eſt inſertum.

(c) *in electorale receptus collegium*) Incertum eſt, quonam tempore archi-pincernatus ad Bohemiæ Ducem ſit devolutus. Id tempore Ottonis III factum, a Goldaſto affirmatur: verum huic obſtat, quod ex ſpeculo ſaxonico conſtet, usque ad duodecimum ſeculum hoc archi-officium penes Bavarum fuiſſe. Itaque Dn. de *Ludwig*, *de jure ſuffragandi Regis Bohemiæ*, Bohemum poſt illa demum tempora hoc archi-officium accepiſſe, tradit.

(d) *paria eſſent vota*) GOLDAST. *p.* 371, 383, 385.

(e) *Fridericus I*) G. vid. OTTONEM FRISINGENSEM, OTTONEM *de S. Blaſio*, RADEVICUM aliosque autores, quos SCHMINCKIUS ad Goldaſtum p. 437 citat. Sed Uladislai II poſteri regia dignitate ultro abſtinuerunt, usque dum Philippus Cæſar Primislao Ottocaro in comitiis bopardianis anno 1198 eam reſtitueret. Ex quo tempore majeſtas regia in familia & gente bohemica usque ad noſtram ætatem, ſine ulla interruptione continuo perſeveravit. GOLDAST. *p.* 440. Quod vero Ottocarus, ſuadente Papa, & ab Ottone IV diadema Merſeburgi acceperit, Schminckius in notis docet.

(f) *Goldaſtus*) Qui regnum eſſe hereditarium contendit. Vid. tamen LONDORP. *tom. I* p 487 & quæ in actis publicis Bohœmiæ ab eodem Londorpio collectis *p.* 283. habentur.

(g) *Rudolphus II*) Conf. Londorp. *in act. bohem.* & LUNIG

(h) *Goldaſt*) Adde LUDWIGII *diſſert.* de jure ſuffragandi Regis Bohemiæ.

(i) *comitiis*) Conf. STRANSKI *c. XI, XII.*

conſtituta, quod eſt ſignum indubitatum principatus mixti. In comitiis autem bohœmicis actum fuit de legibus, ſi quædam majoris momenti ferendæ fuerunt: quæ poteſtas fuit diviſa inter Regem & populum. Hinc nullæ majoris momenti leges publicatæ fuerunt, niſi de conſenſu Ordinum. Illis Ordinibus ſeorſim licuit leges condere, & deinde Regis conſenſum impetrare. Sic oppidani ſuas condidere leges, Nobiles ſuas in ſuam utilitatem ſeorſim, ut & clericorum Ordo. Hæ leges vero indiguere confirmatione Regis.

De bello etiam non, niſi in comitiis populi, actum; niſi forte diſſidia inteſtina aliud quid ſuaderent. De vectigalibus & tributis aliquid decernere, fuit tum juris regii, tum popularis, nec obulum quidem potuit exigere Rex, niſi conſentiente populo, quod STRANSKIUS *cap.* 1 demonſtravit. Quæ vero ad ſumma reipublicæ ſpectant, non fuere in manibus ſolius Regis.

Antehac non licuit Regibus, aliquid decernere de rebus ſacris & religione. Cum Bohœmi adhuc eſſent pagani, non per vim religionis mutatio ibidem introducta eſt; ſed Duces ſuo exemplo moverunt ſubditos, & dein paulatim eam propagavit verbi divini prædicatio. Mutata vero pagana religione in chriſtianam, ingens iterum in Bohœmia exorta mutatio. Scilicet nonnulli aſſeclæ Petri de Waldis, hominis Galli, cui, in mediis papiſmi tenebris, & cernere multos errores & reformare, Deus dedit, venerunt in Bohœmiam.

Jam tum ſec. 13 paulatim ibi gliſcere cœperunt Waldenſium dogmata, omni vi fruſtraneo oppoſita conatu: coacti enim fuere, gliſcentibus illis dogmatibus, populo, pro ſua libertate, frena laxare. Hinc jam tunc temporis ibi lux veritatis cœpit exoriri, cum omnia alibi papiſticis eſſent obſcurata erroribus. Sec. 14 ſub finem, major in Bohœmia illuxit ſplendor, ſcilicet poſtquam Jnb *Huſſus* (a) ad presbyterium vocatus eſt: hic enim totam pragenſem academiam in ſententiam pertraxit ſuam, quæ tum temporis numero ſtudioſorum erat frequentiſſima. Conati quidem ſunt clerici & alii, imprimis vero Sigismundus Rex, mutationi illi obicem ponere, ſed irrito conatu.

Cum ſuperiori ſeculo Ferdinandus I in Regem eſſet adoptatus, vetuit nova ſacra, ſed vetera coactus fuit relinquere integra. Succeſſor ejus *Maximilianus II* (b) primum perſuaderi ſibi paſſus eſt, dogmata Waldenſium non debere tolerari: poſtea vero rectius inſtitutus, lecta nimirum confeſſione Fratrum bohœmorum, (ita enim vocabantur Waldenſes), illorum ſacra coactus fuit relinquere integra. Idem fecit Rudolphus II, conceſſa libertate religionis Bohœmiæ & Sileſiæ, condito in eum finem peculiari diplomate, quod dici ſuevit: litteræ majeſtaticæ. Ex quibus omnibus apparet, conſtitutionem ſacrorum non fuiſſe juris regii

Cœterum poſt victoriam a Ferdinando II reportatam, longe alia cœpit eſſe ratio: ex eo enim tempore regnum hereditarium factum, nec electioni ulterius locus relictus eſt. Quod ad religionem, *omnia mutata*, (c) & omnia, præter papiſtica, ſacra ſunt eliminata. Comitia ex eo tempore non fuere frequentia, & tributa ſine Ordinum conſenſu Imperata, ita, ut non fas fuerit deliberare, utrum imperatam ſummam Regi vellent concedere, nec ne. Hodie de legibus & bello non deliberatur in comitiis; ſed de his pro Regis arbitrio ſtatuitur.

Conſtitutionem Magiſtratuum quod attinet, itidem antehac illa ex parte fuit penes populum, ut ex 13 cap. Stranskii apparet. Verum hoc etiam hodie mutatum eſt; nam primum Magiſtratus eccleſiaſticos præcipuos quod attinet, illi omnes primario dependent ex arbitrio Regis. Hodie Archi-epiſcopus a Rege conſtitutus eſt, cui reliqui coguntur parere. Hinc colligendum, quod hodie ſacra a Rege dependeant. Potiores etiam Magiſtratus politicos Rex ex arbitrio dat; hinc in hac etiam parte deflexit ſtatus Bohœmiæ ad monarchiam.

Judicia olim jam tum fuere arbitrii regii. Circa tributa notandum: quod ea in Bohœmia antehac admodum rara fuerint, nec opus nova indicere. quia ſatis opulentum erat Regis *ærarium*, (d) & Regi ſatis legibus proviſum; ſed id jacturam paſſum eſt nimia Regum prodigalitate & miſeriis publicis. Ante illud bellum jam tum ærarium depauperatum erat, nimia prodigalitate Ferdinandi II in clerum & monachos, & cumprimis in Jeſuitas. Facile potuiſſet ſibi tantas comparare divitias, exulum in fiſcum redactis bonis, ut nullo amplius opus fuiſſet tributo: verum ille non tantum exulum bona, cum miniſtris, tum clericis conceſſit, ſed etiam ærarii regii bonam partem. Vid. CAROL. CARAFFÆ *comment. in Germ. reſtaurata*, in appendice, libro adjecta. Liber autem ille conſcriptus eſt ab homine, religioni reformatæ infenſiſſimo; quod legenti librum debet eſſe in memoria.

Hinc hodie coguntur Reges, etiam inviti, novis tributis onerare ſubditos, quod fatentur illi, qui rerum illarum habent peritiam. Pars etiam bonorum publicorum tenetur a Jeſuitis, nec alibi, quam hic, tantas habent divitias. Vectigalia ipſis vero omnia ſunt oppignorata aut propria. Quia maximas habent divitias, emunt, quicquid venale venit; hinc poſſident baronias, oppidula, pagos infinitos.

Jeſuitæ

(a) *Huſſus*) Conf. REGENVOLSCII *hiſtor. eccleſiaſt. eccleſ. ſlavonicarum.*

(b) *Maximilianus II*) G. Hic circa religionis dogmata moderato admodum erat animo, ita ut etiam Pontificis incurrerit odium. THUANUS *lib.* 39 *p.* 372.

(c) *omnia mutata*) STRANSKY *c. VI.*

(d) *ærarium*) STRANSKY *c.* 16. 17. 18.

Jeſuitæ autem profitentur, ſe eſſe exemptos ab omni jurisdictione ſeculari, ſolique Papæ ſubjectos, nec non omnia bona ſacra. His poſitis principiis, conſtat, quam male in Bohœmia ſit conſtituta reſpublica. Ingens ibi numerus eſt clericorum, & varii generis monachorum, qui ſe omnes eximunt a jurisdictione regia. Reſpectu igitur eccleſiaſticorum, ſive bona ſive perſonas ſpectes, multum Ferdinandus II. perdidit regiæ autoritatis. Cum autem tanta ſit in Bohœmia Papæ autoritas, ſtatus in ſtatu conditus eſt, & reſpublica in republica; ut appareat, Ferdinandum II ab una parte auxiſſe regiam dignitatem, ab altera vero minuiſſe. Antehac in regno Bohœmiæ obtinuit, ut monaſteria & alia bona ſacra obnoxia eſſent fiſco, ita, ut honeſtus monachis relinqueretur victus, reliqua vero deferrentur ad ærarium; at vero hoc etiam ſua ſuperſtitione perdidit Ferdinandus II. Simile quid hodie in Bavaria obtinet, quod, ſibi eripi, Bavarus haud patitur, ſat alias ſuperſtitioſus. Hactenus de ſumma poteſtate; nunc vero dicendum quoque erit de adminiſtratione, tum civilium, tum eccleſiaſticarum rerum.

Quod attinet regimen eccleſiaſticum, revocandum in memoriam, in Bohœmia ab aliquot ſeculis fuiſſe diverſa ſacra: cum enim per Cyrillum, græca gente ortum, ibi inciperet chriſtiana religio, ad græcam religionem Bohemi ſunt perducti, uti & Ruſſi. Supervenere ſacra romana, & perexiguæ reliquiæ græcæ religionis manſerunt: ſemper tamen ſacrorum libertas, nec homines ad hos vel illos ſacros ritus ſunt coacti.

Poſtea, cum Petrus de Waldis, civis lugdunenſis opulentus, qui multos in romana eccleſia improbabat ritus, nec Papam tolerabat, multos traxiſſet in partes ſuas: graviſſima in Gallia orta ſunt bella contra Albingenſes, ſive pauperes de Lugduno. Tametſi autem antea Comes tholoſanus & Rex Arragoniæ ad iſtas acceſſiſſent partes, infeliciter tamen pro Waldenſibus illud bellum ceſſit, ut, bonis vere omnibus exuti, huc illuc diſpergerentur. Nonnulli eorum venere in Bohœmiam, & multos in ſuas traxere partes. Cum autem perſecutiones graves paterentur, & eorum partibus Joh. *Huſſus* (a) & Hieronymus *Pragenſis*, (b) viri admodum docti, accederent, longe plures his Waldenſibus ſe adjunxere.

Factum quidem, ut Huſſus, citatus ad concilium conſtantienſe, ſub publica Imperatoris fide, combureretur cum Hieronymo Pragenſi: tantum vero abeſt, ut inde decreverit numerus diſſentientium a ſacris romanis, ut potius creverit, & armis hanc contra vim defenderit religionem. Cum autem feliciter pugnarent, factum, ut non pontificiis ſolum bohœmis terribiles fierent, ſed vicinis etiam Germanis. Contigit autem, ut in concilio baſilienſi properentur quædam conditiones novæ pacis ineundæ, hac ratione, ut Bohœmis fas foret, euchariſtiam ſub ſpecie utraque accipere, de reliquo tenerentur obſervare, quicquid erat recepti in eccleſia moris.

Ex eo tempore illi, qui in nova conſenſerant pacta, dicti ſunt Ordines ſub utraque: qui vero in pontificia permanebant religione, Ordines ſub una. Ordines ſub utraque dicebantur etiam Calixtini, propter calicis, in ſacra euchariſtia uſum. Hi Calixtini de cœtero omnes mores, in romana eccleſia uſitatos, amplexabantur. Ita duplicia primum fuere ſacra, pontificiorum ſcilicet, ſub una, calixtinorum, ſub utraque ſpecie communicantium.

Non omnes vero in illa pacta voluerunt deſcendere: Huſſi enim genuini diſcipuli in aliis etiam, præter euchariſtiam, a pontificiis diſſenſerunt. Hinc a reliquis cœpere ſegregari, tertiamque conſtituere ſectam, dictam Picardorum; quia illi, qui hæc dogmata foverant primi, ex Galliæ regione Picardia oriundi erant. Taboritæ etiam dicti ſunt ab oppido Tabor, quod exſtructum fuit a Joh. Ziſca, qui totus, veræ Huſſi doctrinæ, fuit addictus, & hinc, quia incolæ ejus urbes veri erant Waldenſes, dicti ſunt Taboritæ. Porro dicti ſunt Waldenſes, quia primus eorum autor fuit Petrus de Waldis.

Cum itaque tres eſſent ſectæ, quieverunt arma, ſed diſſidia calamis agitata fuere. Picardorum erat exiguus numerus, reſpectu habito ad Calixtinos, & eos, qui dicebantur ſub una, & dignitate minores, quippe quibus pauciores, quam reliquis duabus ſectis, Nobiles acceſſerant. Cum intio pauci eorum eſſent, numerus tamen valde crevit ſub Rege Ladislao: male enim audiebant ante, quod dicebatur, eorum dogmata referta eſſe hæreſibus; ſed obtulerunt Regi confeſſionem ſuam, & ita calumniæ obicem poſuerunt. Hæc confeſſio exſtat hodie edita, nec a Luthero, niſi in doctrina de euchariſtia, diſcrepat, in qua, aut Zwinglium aut Calvinum, præiverunt.

Ferdinando Regi novam confeſſionem obtulerunt, & tum major eorum numerus factus erat, præſertim, cum Lutheri dogmata invaleſcerent. Multi ex Waldenſibus acceſſere Luthero, ſed tamen reliquiæ ſemper manſere, qui dicti ſunt Fratres bohœmici. Hi habuere quidem ſegreges cœtus, ſed ita, ut multum evangelicis applauderent, & hi acciperent conſenſum ſub nomine Waldenſium.

Hi

(a) *Huſſus*; Hic potiſſimum Wiclevi, qui in Anglia repurgata Waldenſium dogmata propoſuerat, veſtigiis inhærebat. Conf. REGENVOLSCII *Hiſt. eccleſ. prov. slavon. lib. I c. V ſeqq.* DUGLOSSUS *in annal. polon. ad an.* 1414.

(b) *Pragenſis*) Huic Faulfiſchii cognomen erat. HAGECIUS *in chron. Bohæm. ad ann.* 1480. COCHLÆUS *lib. Hiſtor. huſſit. fol.* 8.

Hi Fratres, pulſi Bohœmia, migrarunt in Poloniam, in quam jam tum aliqua pars migraverat. Ibi Fratres bohœmi, Lutherani & Reformati conſpirarunt in unionem, in concilio ſendomirienſi. Reformati jam ſregerunt illud fœdus; ſed Lutherani & Fratres bohœmici illud adhuc ſervant. De his Fratribus editus eſt liber per Ludovicum Camerarium Magnum, Conſiliarium palatinum, nepotem magni Joachimi Camerarii, filium Joachimi Medici norbergenſis. Exſtat ſingularis tractatus Eraſmi Rüdengerii, Profeſſoris lipſienſis, generi Camerarii & Fratris bohœmici. Exſtant quoque Henrici Inſtitoris pontificii, contra Waldenſes ſec. XV ante tempora Lutheri, editi ſermones. Ex hoc libro patent dogmata Waldenſium, & hic Inſtitor cogitur laudare Waldenſes, cum a morum ſanctimonia, tum a peritia ſacrarum literarum, quamvis alias eſſent homines indocti. Exſtant quoque libelli eorum, in Polonia editi, de diſciplina illorum eccleſiaſtica, cujus præ omnibus fuere obſervantiſſimi, teſte Calixto, cum quo familiaritatem contraxerant in colloquio torunienſi. Hæc vero ſecta paucos habuit doctos viros, niſi quod Joh. Amos Comænius & Jonſtonius fuerint ex eorum numero.

Ex quo diviſa fuit Bohœmia in partes diverſas, non potuit una ratio eſſe regiminis eccleſiaſtici. Ab antiquo Bohœmia ſaltim Epiſcopos habuit, qui ſuberant Archi-epiſcopo *moguntino*; (a) hinc Regum conſecratio fiebat ab Archi-epiſcopo eodem. Cæterum primus Johannes Rex a Papa romano impetravit, ut regno Bohœmiæ proprius daretur archi-epiſcopatus, qui adhuc hodie Pragæ durat. Poſteaquam ſacra mutata ſunt, Calixtini, qui circa euchariſtiam tantum diſſenſerunt, manſere ſub regimine Archi-epiſcopi, una cum illis, qui dicti ſub una. Aſt in reliquos nec Epiſcopis nec Archi-epiſcopo quicquam fuit juris. Calixtini bonam partem ipſis erant ſubjecti, cæteri non item: illis enim, qui nolebant eis ſubjici, hoc erat permiſſum. Alii vero ſuos habuerunt Paſtores, qui non pa ebant Archi-epiſcopo pragenſi.

Ipſa pragenſis academia non fuit ſub Archi-epiſcopo. Univerſitas pragenſis cœpit ſub auſpiciis Caroli IV, declinante ſec. XIV, Doctorum & ſtudioſorum numero celeberrima qui aliquoties ad 40000 acceſſit. Cum autem Joh. Huſſus multa mutaſſet in theologia, & Germanis nonnihil *adverſaretur*, (b) factum, ut una vice abirent Germani, & cum iis aptus videretur locus Lipſiæ, eo migrarunt, & incrementa dederunt illi academiæ, quæ ibi eſt; paucæ enim tunc temporis per Germaniam erant academiæ.

Quod attinet regimen illud, diverſum a pontificiis, illud habuit commune Conſiſtorium, a quo omnis res eccleſiaſtica fuit adminiſtrata. Illud vero dependit a Regibus, a quibus ejus Aſſeſſores fuere confirmati. Unus vero illi, ad breve tempus, nomine Superintendentis, præſedit. Ita pontificiorum regimen magis fuit monarchicum, reliquorum vero magis ad ariſtocratiam accedebat.

Ad hunc modum ſe habuere res usque ad tempora Rudolphi II, qui omnibus evangelicis conceſſit libertatem ſacrorum, edito diplomate, dicto der Majeſtät brief. Interim non ceſſerunt diſſidia, tam evangelicorum, quam Jeſuitarum maxime culpa; ex eo enim tempore, ex quo Jeſuitæ ibi fuerunt, nunquam ſatis pacata fuit Bohœmia. Tandem res erupit in bellum, & ſub initium prævaluerunt evangelici, ita, ut Jeſuitæ Bohœmia & Moravia depellerentur: ſed prævalente Ferdinando II, omnia mutata ſunt, Jeſuitæ reſtituti, & deinde ſacra in pontificia mutata, pulſis in exilium reſiſtentibus, nonnullis ad papiſticam religionem præmiis invitatis

Ex eo tempore omnia ſacra cœpere ſubjici Archi-epiſcopo, exceptis Jeſuitis, qui nullum, niſi Papam, agnoſcunt ſuperiorem. Hodie Jeſuitæ impetrarunt facultatem theologicam Academiæ pragenſis; iidem totam voluere academiam ſubductam juriſdictioni Archi-epiſcopi, & acriter hæc res agitata in Curia romana. Utraque pars habuit ſuos fautores. Pro Archi-epiſcopo erat Cardinalis de Harrach; ſed potior habita cauſa Archi epiſcopi. Vid lib. ALPHONSI VARGEI, *de ſtratagem. Jeſuitarum*. Ex eo tempore non Evangelici ſolum ſunt pulſi, ſed & ipſi Calixtini, quippe quibus hodie, calice uti, non eſt permiſſum. Carolus Caraffa, Nuncius pontificius, non dubitat gloriari, ſe hoc a Papa impetraſſe, ut omnis calicis uſus eriperetur Bohœmis.

Ferdinandus I. & Maximilianus II idegere, ut ſuis Nobilibus impetrarent calicem, & illud impetravere; at vero hodie illis omnibus iterum calicis uſus eſt ademptus. Ante bellum bohœmicum non defuere Anabaptiſtæ, qui itidem Fratres dicti ſunt, moribus & inſtitutis a cœteris diverſi; quippe qui bonorum communionem introduxerant. Talia collegia habebantur cumprimis in Moravia: pauciora in Bohœmia & Sileſia. Hi pulſi Bohœmia in Turciam migrarunt, ubi adhuc ſunt, homines probi & innoxii, a bellis, ut ſolent Anabaptiſtæ, alieni.

Regimen reipublicæ bohœmicæ habet ſe ad modum regiminis, apud Germanos olim uſitati, & a Tacito deſcripti, cujus verba ſic ſonant: quod de rebus magni momenti, totus deliberat

(a) *moguntino*) GOLDASTUS de regno Bohemiæ p. 443 LUDWIG *de jure ſuffragii Regis Bohemiæ c. II.* Ut Primati itaque Bohemiæ, illi jus coronandi Regem competebat. Hoc per Gerlacum Naſſovium in Carolum IV abalienatum dicitur, & ex eo tempore jus Archi-epiſcopi moguntini in Bohemia baleſcere & deſueſcere cœpit Goldaſt. *l. c.* p 448. Si Serario & Latomo fides habenda, Gerlacus in remunerationem a Carolo IV oppidum Hœchſt. accepit.

(b) *adverſaretur* HAGECIUS *in chron. Bohem.* ad ann. 1408 BOREGK *in chron. Bohem. p.* 2. GOLDASTUS *de regno Bohem. lib. I. c. II.*

liberat populus, & de minoribus regni Proceres. Ad hunc modum ſe res etiam in Bohœmia habet. De maximis ſcilicet rebus agitur in comitiis populi, ad quæ *quatuor claſſes Ordinum* (a) veniunt, 1) Clerici, ut Archi-epiſcopus pragenſis, Abbates & Prælati 2) Barones, quorum multos habuit opulentos, ex antiquiſſimis natis familiis. 3) Equites, 4 quidam ex oppidanis. Hi deliberant & decernunt negotia reipublicæ cum Rege.

Florentibus Bohœmis, comitia erant frequentiora; hodie raro convocantur Ordines, licet res maximi momenti ſint peragendæ. Hoc conſilio Regum fit: facilius enim omnia ex ſententia peragi poſſunt, ſi ſumma rerum deferatur ad paucos. Hinc malunt, omnia decerni in conventu anguſtiori, quam in conventu Ordinum regni In illo conventu anguſtiori olim etiam res maximi momenti agitatæ ſunt, ſed non, niſi ex ſingulari comitiorum conceſſione. Uti in Germania duo ſunt genera comitiorum, alia, quæ dicuntur Reichs-tage, alia, quæ dicuntur deputations-tage. Quæ in magnis comitiis non potuere decerni, deferuntur ad arbitrium anguſtioris conventus, qui dicitur regni Cancellaria, in qua actæ nonnunquam res ſatis magnæ. Illi conventui nunquam intereſt Rex, ſed Cancellarius regni, nomine ejus, proponit ſententiam. Cæterum ſententiæ ferendæ jus primi habent officiales terreſtres, qui præſident officiis terreſtribus.

In regno Bohœmiæ, ut alias, officia publica alia ſunt regni, alia Regis, h. e. alia regni, alia Regis nomine adminiſtrantur. Regni officia alia ſunt majora, alia minora. Majora valent plurimum dignitate, quorum quædam ſunt honoraria & hereditaria, quæ non vacant negotiis magni momenti exequendis, uti in Germania officium archi-dapiferatus &c. Præterea officia terreſtria ſunt magnæ autoritatis; quia verſantur circa magna regni negotia. *De his c.* 23 STRANSKII.

Primaria officia ſunt Burggrafiatus pragenſis, 2) Archi-magiſtratus Curiæ. 3) Archi-cameratus, 4) Archi-prætura 5 Archi-cancellariatus 6) Archi-marchallatus. Hæc 6 officia a ſolis Baronibus poſſunt adminiſtrari. Sunt adhuc duo officia, Proto-notariatus, Sub-cancellariatus, quæ nunc Baronibus, nunc equeſtris Ordinis hominibus conferuntur. Hæc ſunt officia potiſſima, & dicuntur terreſtria. Hæc habent ſtipendium publicum, & bona publica, in hoc deſtinata, ut ſingulis officiis cedant. Hi omnes habent locum in Cancellaria, & ſunt omnes quaſi Senatores regni, & cum ſint quaſi Principes habent poteſtatem deliberandi, proponente tamen Cancellario regni. Huic conventui etiam intereſt Pro-cancellarius regni & Secretarius.

Etiam illa, quæ ſpectant ad comitia univerſalia, ſolent hic tractari, & quidem antehac ex commiſſione Ordinum, nunc vero etiam citra eorum commiſſionem, præſentibus illis, quos dixi, & deinde aliis Deputatis, ſi ita placuerit Ordinibus. Illa tamen officia non habent locum in Cancellaria, ſed unumquodque ſua ſingularia officia peragenda habet: alia Burgrafius pragenſis, alia alii. Quod ſingulis ſit expediendum, non eſt hujus loci explicare, poteris tamen de eo vid. Stranskium. Interdum aliter atque aliter officia ſe habent, prout Regi & Ordinibus placuerit. Ad hunc conventum regni quoque adminiſtratio pertinet.

Sunt etiam officia provincialia, quibus præſidet unus Baro, & unus ex equeſtri ordine. Hi habent peragenda negotia minoris momenti, ſed publica. Si enim aliquid agendum eſt, quod totam concernit provinciam, habent illi poteſtatem convocandi provinciales, & in provincia

(a) *Quatuor claſſes Ordinum*) Ordinum regni prima claſſis ex Clero conſtat, cujus caput & regni Primas eſt Archi-epiſcopus Bohemiæ, qui imperii Principis titulo utitur, regio capiti diadema imponit, & Academiæ Cancellarium agit. Non autem tibi perſuaſum habeas, omnes perſonas, qui Clericorum numero ſunt, inter Ordines regni eſſe referendos; nam hoc jure, præter Archi-epiſcopum pragenſem, tantum gaudent Epiſcopus leutmedicenſis, Epiſcopus regio-gracenſis, Prior Ordinis teutonici, Capitulum ad S. Vitum Pragæ, Prælati eccleſiæ wiſcherodenſis ad S. Coſmum & Damianum, eccleſiæ bunzelenſis veteris, conventus braunenſis, carlshoffenſis, montis ſerrati, nec non alii Abbates & Prælati infulati, qui bona menſæ habent. Archi-epiſcopum pragenſem & duos memoratos Epiſcopos præſentandi jus eſt penes Regem, qui a coenobitis electos Abbates & magnum Priorem ab Ordinibus cooptatum, confirmat. Et, ut electio abſque turbis inſtituatur, eligentibus ſuos jungit Commiſſarios. Secundum Ordinum claſſem conſtituunt primæ Nobilitatis viri, Duces, Principes, Comites & Barones. Hi quisque in ſuo ordine juxta creationis tempus locum & ſeſſionem in comitiis occupant. Qui ex iis naſcuntur maſculi, vigeſimo ætatis anno homagium regulariter, ut ajunt, in cancellaria bohemica præſtare debent. Quod ſi hoc factum non eſt, nec ad dignitates, nec ad bonorum poſſeſſiones admittuntur. Ex Procerum Ordine ſummi ſumuntur regni officiales, ſupremus Burggravius, ſupremus provinciæ Satrapa, ſupremus provinciæ Marſchallus, ſupremus provinciæ Camerarius, ſupremus provinciæ Judex, ſupremus Cancellarius, ſupremus curiæ feudalis & dicaſterii Judex, appellationis Præſes, & ex Regis placito etiam cameræ Præſes. Tertius Ordo eſt Equitum, qui in antiquiores & recentiores dividuntur, quorum illi jus proëdriæ habent, niſi recentiorum quis ab Imperatore antiquæ Nobilitatis jura nactus ſit. Hic Ordo ſummum provinciæ Scribam, graaenſis circuli Burggrafium & provinciæ Sub-camerarium præbet Hæc autem dignitas & pragenſi civi, ex veteri civitate oriundo, qui jus inſignium habet, Rege volente, obtingere poteſt.

Quartum civitates conſtituunt Ordinem. Comitia nonniſi collectarum cauſa indicuntur, ſcilicet in modos, quibus commode, id, quod Imperatori placet, exigi poſſit, inquiritur. Si deliberationes inſtituuntur, trium priorum claſſium membra intra cancellos ſedentes ſuffragia ferunt, a civitatum autem Deputatis hoc, ante cancellos ſtantibus, fit; niſi quod trium Pragæ civitatum Deputati ſeſſiones capere queant.

vincia ſua conſtituendi. Habent hi etiam curam legum publicarum, & dant operam, ne quid contra eas committatur, aut ſi opus ſit, Cancellaria deliberet, de novis ferendis.

Multa quoque ſunt officia Regis, quæ occupantur in iis, quæ ad propriam Regis dignitatem & ad ejus bona pertinent: habet enim *ærarium* (a) Rex & bona. Hinc quæ ad dignitatem Regis & ad ejus ærarium ſpectant, ſolent curare Regis & aulæ Miniſtri, quorum ſic ſatis magnus ſolet eſſe numerus. Verum hæc officia, licet ſint ſatis ſplendida & opulenta, ad reipublicæ tamen ſtatum non faciunt, & minus eidem intereſt, quomodo ſe hi Miniſtri habeant. Dico minus intereſſe: nam multum ſæpe intereſt, quales Principes habeant Miniſtros proprios.

Officia autem regni non poſſunt adminiſtrari, niſi ab indigenis, aut qui jus illud ſunt nacti. Hoc inſtitutum eſt e libertate populi: peregrini enim Miniſtri non perinde amore patriæ ducuntur, & Regibus ſuis nimium ſunt obnoxii. Ad officia autem Regis propria quod attinet, ad ea etiam exteri poſſunt adhiberi; quod etiam e re Regis eſt: ita enim fieri facile haud poteſt, ut indigenæ contra Regem conſpirent. Ita ex æquilibrio optime conſulitur reipublicæ & regiæ autoritati.

Tribunalia (b) alia ſunt communia regno, alia propria, ſive provinciis, ſive urbibus. Communi autem judicio præſidet Archi-prætor. Per appellationem ad tribunal ſummum negotia poſſunt deferri, ſed non, niſi magni ſint momenti. Hujus judicii vero Aſſeſſores ſunt indigenæ, quod etiam facit ad libertatem populi: hi indigenæ enim legum & conſuetudinum patriarum ſunt peritiores & tenaciores.

Ante ferale bellum major erat hujus tribunalis autoritas, quam nunc: quia Ferdinandus II inſtituit judicium eccleſiaſticum, quod ne quidem a Rege dependet. Præterea peculiare tribunal habent Jeſuitæ, quos hodie non licet convenire coram tribunali ſummo, nec id, quod reliquum eſt cleri, ut ante illud bellum; nec de bonis ſacris cauſæ ibi agitantur.

In regno Bohœmiæ regia familia non ſemel mutata eſt. Antiquiſſima cœpit Primiſlao Duce, & deſiit in Wenzeslao III, qui nefaria cæde fuit interemptus a ſicario, anno 1036, adhuc juvenis. Qua familia extincta, magna inter Proceres fuit contentio, de novo Rege: alii elegerunt Alberti auſtriaci filium *Rudolphum*, (c) alii Carinthiæ Ducem Henricum, qui in matrimonium ultimi Regis ſororem duxerat. Rudolphus venit ad imperium, ſed mox ſine herede obiit; Henricus etiam mox poſt coronationem deceſſit.

Ita denuo Ordines elegerunt Henrici VII filium Johannem, adhuc puerum, luzelburgica

(a) *ærarium*) STRANSKY c. XVII, XVIII.

(b) *Tribunalia*) STRANSKY *c. XXII* Curiarum in regno Bohemiæ, Rege abſente, ſuprema eſt ea, quæ dicitur die Statt-halterey/ quæ conſtat ex duodecim ſummis Officialibus & aliis ſupernumerariis. Quodſi vero Rex præſens, ea, quæ hic expediuntur, nempe ſumma regni & appendicum ejus negotia, ad Cancellariam ſupremam pertinent. Conſtat hæc ex Cancellario, Vice-cancellario & quatuor Referendariis.

Secunda curia eſt dicaſterium regium. In hoc ſedem habent ſedecim ex prima Nobilitate & decem ex Equitibus. Ex Primoribus, qui huic judicio adſunt, enarrantur ſupremus Burggrafius, ſupremus provinciæ Magiſter, ſupremus Camerarius, ſupremus provinciæ Judex, ad quem directorium ſpectat, ſupremus Cancellarius, ſupremus curiæ feudalis judex, appellationis Præſes, cameræ Præſes. Hoc judicium trinis quotannis celebratur vicibus, & in eo cauſæ hereditatum, bonorum immobilium, limitum, injuriarum, homicidiorum, vis publicæ &c. ventilantur.

Tertia curia eſt, quæ vocatur, das Königl. Cammer-Recht/ quæ ſummum provinciæ Satrapam (Land-Hoffmeiſter) Præſidem habet, & quampluriinos Aſſeſſores, ex quibus quatuordecim plerumque præſentes eſſe debent.

Quartæ curiæ, feudali nempe, ſupremus Judex feudalis præſidet, cui aliquot Aſſeſſores adhærent. In quinta curia, quæ dicitur die Königl. Landtaffel/ alternative ſupremus provinciæ Camerarius, ſupremus provinciæ Judex, ſupremus provinciæ Scriba præſidium habere ſolent. Sunt & huic judicio ſui Aſſeſſores.

Curia quinta, quæ das kleine Landrecht vocatur, alternativos habet Præſides Sub-burggravium, Sub-camerarium, Sub-provinciæ ſcribam, Reginæ ſub-præfectum. Quam plurimi etiam in hac curia ſunt Aſſeſſores. Trinis quoque vicibus quovis habetur anno, nec non variæ ad hoc judicium pertinent cauſæ, ut ſubditorum & domeſticorum retentiones, cauſæ aggerum, quibus aquæ intra alveum ſuum coërcentur.

Sextam curiam appellant ſupremam Burggravii præfecturam (das oberſte Burg-Grafen-Amt.) In hoc, loco ſupremi Burggrafii, Vice-burggrafius præſidet. Sex habet Aſſeſſores nobiles, in quorum numerum tamen & cives, ex tribus Pragæ civitatibus admittuntur. Ad hanc curiam pertinent chyrographorum redemtiones, fidejuſſionum liberationes, omnes cauſæ ſummariæ & chyrographaria debita &c.

Septima curia, nempe ſummum appellationis tribunal, Præſidem, Vice-præſidem habet & viginti Aſſeſſores, quorum dimidia pars ex Nobilibus, alia ex Doctoribus conſtat. Ad hoc judicium in omnibus cauſis, tam civilibus, quam criminalibus, ex Bohemia, Moravia & Sileſia appellationes fieri poſſunt. Notandum tamen, Sileſiis electionis jus competere, an velint cauſas ſuas ad appellationis judicium, an vero ad Cancellariam aulicam bohemicam deferre.

Adeſt adhuc curia, quæ dicitur das Königl. fiſcal-Amt; quæ Procuratorem regium Præſidem habet, eique ſæpe collegæ ex Profeſſoribus juris Academiæ pragenſis adeſſe ſolent.

Juris codex, quo hodie utuntur, ex magdeburgicis, romanis & patriis juribus compilatus eſt, qui in lucem, ſub nomine Böhmiſcher Landes-Ordnungen/ ſammt erneuerten and reformirten articuln, eſt emiſſus. DE LUDWIG *in Germania principe lib. I. c. 5. p.* 388. Maximam hujus regni redituum partem in clericorum eſſe manibus, traditur. Colophonis loco ex Ludwigio addo, Bohœmiæ Regem quondam uxorem ſuam coram magdeburgico convenire Archi-epiſcopo, Regem autem ipſum coram Burggrafio accuſari & condemnari potuiſſe.

(c) *Rudolphum*) AUTOR *chron. Salsburg. apud Caniſium lib. 6 lect. antiq. tom. VI fol* 1267. GOLDAST. *lib. II c. I p.* 221 *& lib. VI c. V p.* 1042 *ſeqq.*

gica familia ortum, ea conditione, ut duceret uxorem *filiam Wenceslai II*, (a) & ſororem minorem natu Wenceslai III. Ita ad domum luzelburgicam regia dignitas pervenit, qui ſucceſſere hoc ordine: primus fuit Johannes, dictus cœcus, Rex felix, qui regnum Bohœmiæ multis appendicibus, *Sileſia*, (b) Luſatia, Moravia auxit. Huic ſucceſſit Carolus IV, Carolo, filius Wenzeslaus, ignavus & voluptuoſus, qui etiam Cæſar factus. Huic Sigiſmundus, cui nulli fuere liberi maſculi: hinc ſucceſſorem accepit *Albertum Auſtriacum* (c) generum. Quo etiam defuncto, elegerunt Georgium *Podiebradium*, (d) aliquem ex ſuo Ordine. Hoc denato, factus eſt Rex *Uladislaus*, (e) Hungariæ Rex, & poſtea filius ejus Ludovicus, itidem Hungariæ Rex, qui periit ad Mohazim contra Turcam.

Huic fuit ſoror Anna. Pacto autem conventum fuit inter Auſtriacoa & Ludovicum, conſenſu tamen regni, de mutua ſucceſſione, alterutro ſine herede decedente. Ita ſucceſſit Ludovico *Ferdinandus I*, (f) Annæ maritus, huic Maximilianus II, cui Rudolphus II, cui Matthias frater, cui Ferdinandus II & dein III. Ferdinandua IV fuit etiam Rex Bohœmiæ, ſed adminiſtratio remanſit apud patrem; hinc revera Ferdinando III ſucceſſit *Leopoldus*, (g) imperatoria ſimul, ut cœteri, conſpicuus dignitate.

DE REGIMINE SILESIÆ.

HÆc inter regni bohœmici appendices eſt nobiliſſima. Illa antehac fuit diviſa in principatus aliquot, ſed exiguoa, & quidem 15 numero. Habita fuit pars Poloniæ, & ejua Duces fuere Præfecti hereditarii, orti ex ſtirpe piaſthæa Ducum Poloniæ. Pro multitudine autem liberorum diviſio facta.

Cum autem exſtincta eſſet familia piaſthæa, adeoque jus ſuccedendi competeret uni ex Sileſiæ Ducibus, Poloni reliqui, infeſto in Sileſios animo, elegerunt Regem ex familia lithuanica. Polonorum iſtud in Sileſiacos odium ortum inde eſt, quod multi, germanicæ originis, migrarent in Sileſiam, & Sileſii & ipſi eorum Duces ſe ad mores horum advenarum componerent.

Cum autem inter illos Duces parum conveniret, adeoque perpetuis laborarent diſſidiia, factum fuit, ut Johannes Rex Bohœmiæ omnia ita componeret, ut, Polonia valedicta, Bohœmis ſe adjungerent. Ipſe Johannes Rex aliquot Sileſiæ ducatus ſibi ſubjecit, quibus Carolus IV, Johannis filius, duos addidit, quos fecere hereditarios. Ex eo tempore Regum Bohœmiæ facti ſunt vaſalli, cum antea nulli feudi jure eſſent adſtricti.

Paret itaque hodie Sileſia Regibus Bohœmiæ, & potiſſima ejus pars immediate ipſis Regibus, reliqua pars immediate ſub Ducibus eſt, qui tamen Duces a Bohœmiæ Rege dependent. Non niſi quinque ducatus ſuoa habent Duces; nempe ducatus *croſnenſis*, (h) qui habet Ducem Electorem brandenburgenſem, ducatus *teſchinenſis*, (i) *brigenſis*, *lignicenſis*, (k) *munſterbergenſis* (l) & *oelnizenſis*. (m)

Tota autem Sileſia regitur a Rege, ſed non uno modo. Croſnenſis ducatus, qui a Brandenburgo jure feudi tenetur, ad comitia non vocatur. Reliquum Bohœmiæ unam communem rempublicam conſtituit. Jägersdorffienſis ducatus datus quidem aliquando Marchionibus brandenburgicis in feudum; ſed, *extincta* (n) eorum familia, iterum ad Reges Bohœmiæ pervenit.

Quamvis autem Regi Bohœmiæ ſubjecta ſit, non tamen paret regno; ſed Sileſii ſunt confœderati regni bohœmici, non vero ſubjecti. Voluit quidem regnum Bohœmiæ aliquam in Sileſiam ſibi ſumere autoritatem, ſed hactenus non paſſa eſt, tale quid ſibi a Bohœmia fieri.

Hactenus in Bohœmia Regum ſucceſſio fuit electitia, ut Ordinibus licuerit eligere novum Regem, extincta ſtirpe antiqua maſcula: hinc Bohœmi non dubitarunt Regem ſibi eligere non

(a) *filium Wenceslai*) GOLDASTUS *de regno Bohemiæ p.* 500 DUBRAVIUS *in Hiſtor bohem. lib.* 18.

(b) *Sileſiam* Rudolphus I, jam tum Wenceslao genero Bohemiæ Regi, principatum wratislavienſem, Sileſiam, & omnia feuda, per mortem Ducis vratislavienſis vacua, contuliſſe traditur. Confer. adjuncta GOLDASTO *de regno Bohemiæ p.* 190.

(c) *Albertum auſtriacum*) ÆNEAS SYLVIUS *in hiſtoria bohœmica c.* 55. GOLDAST. *lib. II. c. 7. p.* 227.

(d) *Podiebradium*) ÆNEAS SYLVIUS *in hiſtor. bohem. c.* 58 *p.* 71. GOLDAST. *lib. II c. VII.* Fuit primum regni Gubernator, & poſt Ladislaum poſthumum, octodecim annorum juvenem, in ipſo nuptiarum apparatu extinctum, Rex eſt factus.

(e) *Uladislaus*) GOLDASTUS *l. c. p.* 229.

(f) *Ferdinandus*) GOLDASTUS *lib. IV. c.* 5. *p.* 581.

(g) *Leopoldus*) Huic Joſephus ſucceſſit, quo expirante, regia ſceptra Carolus VI Imperator noſter glorioſiſſimus adeptus eſt.

(h) *Croſnenſis*) HENELIUS *part I p.* 190.

(i) *teſchinenſis*) Hodie inter ducatus Regis bohemici hereditarios numerantur brigenſis cum lignicenſi.

(k) *lignicenſis*) Hic, Georgio Wilhelmo absque ſucceſſore mortuo, ad Leopoldum devolutus eſt.

(l) *Munſterbergenſis*) Ad Oelnicenſes pervenit. Hodie ni fallor, eſt penes Principem aurſpergenſem.

(m) *oelnicenſis*) Hic ducatus per matrimonium Eliſabethæ Mariæ cum Sylvio Nimrodo ad Wurtenbergenſes pervenit. HENELII *ſileſiographia part. I p.* 181 Opavienſis ducatus penes Lichtenſteinios eſt & ſaganenſis penes Lobkowizium HENELIUS pag. 182.

(n) *extincta*) Cum brandenburgicus Marchio partes illorum, qui arma in auſtriacam domum induerant, ſequeretur, ducatu illo privatus eſt, & deinde res cum Electore brandenburgico, ad quem jus devolutum, ita compoſita, ut, in compenſationem, ipſi ditio ſwibuſana ceſſa ſit. *Sileſiographia part. I c. II. p.* 191 *ſeqq.*

Digitized by Google

non rogatis Sileſiis; ſed ab his ſemper reclamatum eſt. Ita, cum Ordines Bohemiæ Joh. Podiebradium Regem eligerent, Sileſii elegerunt Matthiam auſtriacum. Similiter cum Ferdinandus Rex creatus eſſet, illi ſeorſim illum crearunt ſuum Ducem, & valde Bohemis indignati ſunt, quod ſe inconſultis illum elegiſſent Regem. Cum Bohemi pacti fuiſſent cum Rege Matthia, vivo adhuc fratre Rudolpho, de regia dignitate, Sileſii de novo interceſſerunt, & ſeorſim ſibi illum crearunt Ducem. Idem fecere in Friderico palatino, quem jam tum electum in Regem, peculiariter conſtituere ſuum Ducem; quod, ſui Sileſiam juris eſſe, indicat. Quin etiam Bohemorum inſtitutis non tenentur.

Principatus autem mixtus & legitimus hic obtinet: primo enim non ſolet admitti in Ducem Rex, niſi in leges & conſuetudines ſileſiacas juraverit; 2) quoties de iis aliquid conſtituendum, quæ ad rempublicam ſpectant, ſunt indicenda comitia omnium Ordioum, v. g. de bello & pace, & aliis hujusmodi rebus. In Sileſia juratur in verba Ducis præſentis, non abſentis; ex quo apparet, Sileſios agnoſcere Principem, non vero Monarcham. Interim ſemel & iterum factum, ut abſens Dux ſit creatus. Ita Leopoldus nondum intravit Sileſiam, & tamen creatus eſt Dux; ſimiliter Ferdinandus IV dudum Sileſiæ Dux creatus erat, antequam in eam pedem ferret.

Omnes ducatus in *comitiis* (a) jus ſuffragii habent; ſed diverſo modo. Primo enim compareot Principes ſuperſtites, deinde ex reliquis ducatibus ſoleot adeſſe Deputati, ita, ut nomine Nobilium nonnulli, nonnulli vero urbium nomine veniant. Præter hoſce ſolent admitti Legati e tribus baronatibus liberis, quos, præter ducatus, Sileſia complectitur, aut ipſi Barones comparent. Epiſcopus vratislavienſis etiam adeſt & primum Inter Principes locum tenet. Quatuor igitur Ordinum claſſes adſunt, 1) Principum, 2) Baronum liberorum, 3 *Nobilium* (b) 4) Urbium.

Singulos ducatus quod attinet, major eorum eſt libertas, qui non habent Principes hereditarios: nam ex illis ducatibus, qui habent Principes, ſoli Principes adſunt; ex reliquis vero aliqui ex Nobilitate & urbibus veniunt, & ita plus juris & dignitatis habent.

Quandoquidem Rex Bohemiæ non ſemper poteſt in Sileſia vivere, hinc conſtituitur Pro-rex, qui eam Regis nomine gubernat. Solet appellari Ober Hauptmann (c) in Schleſien. Munus hoc magnum eſt, quippe qui toti Sileſiæ, regio nomine, præſidet. Nemini, niſi Sileſiaco, hic Magiſtratus ſolet concedi, uni ſcilicet ex Principibus. Maximilliano & Rudolpho Regibus invaluerat, ut dignitas hæc concederetur Epiſcopo vratislavienſi: ſed nolebant Sileſii, huoc ſummum Magiſtratum deferri in poſterum Epiſcopis, hinc talis a Rudolpho lex promulgata. Hodie vero hic Magiſtratus rediit ad Epiſcopos vratislavienſes, qui ipſis propterea conceditur, quia etiam inter Sileſiæ habentur *Principes.* (d) Qui ſunt a conſiliis aut a manibus ſummo illo Capitaneo, ab ipſo ſolent eligi; ſed ſub regia poteſtate.

Principes etiam poſſunt referri inter Magiſtratus, qui beneficiario jure dependent a Rege. Ducatus ſinguli, qui carent Principibus, habent Præſides, excepto crolnenſi, quippe quem tenent Marchiones brandenburgici. Oppelenſis & ratiborenſis ducatus nonnunquam aliis ceſſi ſunt, nunc Tranſilvaniæ Duci, nunc Polono; qui eos tenuere dominio utili.

Epiſcopus (e) vratislavienſis eligitur *a Capitulo* (f) vratislavienſi. Regimini eccleſiaſtico præſidet Epiſcopus vratislavienſis; ioterim data libertate religionis a Rudolpho, ſuſpenſa eſt ejus jurisdictio in locis auguſtanæ confeſſioni addictis. Sed hodie major ejus eſt autoritas, quia

(a) *comitiis*) Hæc denominatione, a potiori deſumta, dicuntur Fürſten-Tage. Plerumque in curia urbis vratislavienſis habentur. Convocatio tres ſeptimanas ante congregationem, per regiam præfecturam ſummam, fit, quoties hoc neceſſitas requirit. Cæſareus autem Commiſſarius in iis proponit. De variis in Comitiis agitur reipublicæ negotiis; utpote de Regis electione ejusque exceptione, de homagii præſtatione, tributis aliisque ſubſidiis, de munimentorum inſtaurationibus, collectis, quæ dicuntur Bier Gelder / Königs Steuer / de liberatione bonorum Cameræ, ab oneribus, quibus premuntur, de terrarum defenſione. SCHICKFUSIUS *lib. III chron. lib. III c.* 13.

(b) *Nobilium*) Hi duplicis ſunt generis: quidam non, niſi collegio ſuperiori, quidam regimini territorii, ubi commorantur, ſubſunt.

(c) Ober-Hauptmann] Hic collegio, quod dicitur das Ober Amt, a Matthia Hunniade inſtituto, præſidet Summus hic præfectus ab Imperatore conſtituitur, & per aliquot tempus illa Epiſcopi fruiti ſunt dignitate, quodſi autem illi abeſt præſidium, in aliquem ſileſiacorum Principum confertur. Aſſeſſores duas conſtituunt claſſes, quarum una ex Nobilibus, altera ex Doctis conſtat. Duo ibidem ſunt Secretarii, Regiſtrator, Adjunctus ſeu Translator, aliique Cancellariæ Officiales inferiores. In ſummo hoc collegio negotia ad territorii regimen ſpectantia pertractantur, ab eo, ut jam monitum, dietæ indicantur, diſſideutes Ordinum ſententiæ componuntur, & ab eo comitiorum concluſa in executionem mittuntur &c. Non tamen cauſæ privatorum penitus ab eo exulant, SCHICKFUSIUS *in chron. Sileſiæ lib. III c. II.* SEYDELIUS *de proceſſu* forenſi in *Sileſia lib. I c. III ſect. II. §. V.* Sunt in hac ſuprema curia duo Aſſeſſorum ſcamna, ut vocantur, unum Nobilium, alterum Doctorum.

(d) *Principes*) Niſenſe territorium a Duce Jaroslavio Epiſcopo eſt donatum, quod Henricus pius anno 1240 principatuum numero eſſe voluit. Huic Epiſcopus Prætislaus epiſcopatum grautlavienſem addidit.

(e) *Epiſcopus*) Niſſæ locum tenet; præſidet tamen Breslaviæ Cooſiſtorio, cui tota Sileſia, etiam Lutherani, quatenus res non ad cultum & ritus ſacros ſpectant, ſubſunt. Epiſcopatus nulli eſt ſubjectus jam archi-epiſcopatui, olim ſub gneſenſi fuit Archi-epiſcopo. Ad Epiſcopi dignitatem etiam peregrinos evehi, experientia edocti ſumus.

(f) *a Capitulo*) Hoc fundatum ab Henrico probo 1288. Complectitur 1 præpoſituram 2, decanatum 3, ſcholaſteriam 4, cantoriam. 5, cuſtodiam & duodecim canonicatus, vid. SCHICKFUSIUS *lib. III p.* 12.

quia libertati religionis lutheranæ & reformatæ multum eſt detractum; hi enim, non niſi precario; exercent ſuum cultum, & adiguntur interdum ad pontificiam religionem, & durites tractantur. Jeſuitæ & mendicantes monachi nemini niſi Papæ, ſubſunt.

Civile regimen quod attinet, primum in Sileſia eſt aliquod ſingulare collegium *fiſci regni*, (a) cui aliquis ex Nobilitate præeſt. Ærarium antehac ſatis locuples fuit; hodie vero bona cameralia ad privatos pervenerunt, adeoque illud maxime exhauſtum. Hinc novis exactionibus ejus inopia ſuppletur.

Habet quoque commune *tribunal*, (b) & quidem Vratiſlaviæ. Comitia etiam habentur Vratiſlaviæ, propter aptitudinem & commoditatem urbis. Solet autem jus dici, non tam ſecundum *jura romana*, (c) quam leges & conſuetudines patrias: leges enim Romanorum ibi non habent vim legis, niſi ex imperitia Syndicorum, qui putant, nihil juſtum, niſi quod in legibus romanis continetur.

Oppidorum regimen pæne convenit cum regimine urbium germanicarum. Cum primis vero attendendum ad regimen urbis vratiſlavienſis, de quo extat libellus NIC. HENELII, cujus titulus eſt, breſlographia. Idem auctor ſcripſit etiam ſileſiographiam, ex qua omnia, quæ huc ſpectant, peti poſſunt. Facile adparet, ſi formam regiminis adſpiciamus, illam pro ſcopo habere communem utilitatem.

De ipſis Regibus dicere non eſt neceſſum, quia neceſſaria ſcitu de iis jamjam in medium protulimus. Duæ Ducum familiæ, quæ adhuc ſuperſunt, ſunt oriundæ ex antiqua ſtirpe piaſthea, nempe Ducum brigenſium, & lignicenſium, 2) teſchinenſium. Famila münſterbergenſis & Oelſnizenſis cœpit originem a Georgio Podiebradio: nam hujus Georgii filius factus eſt Dux münſterbergenſis & ölsnizenſis, quæ ſtirps maſcula defecit. Filia hereditaria nupſit Duci würtenbergenſi, adeoque ibi de novo incipit familia Ducum würtenbergicorum. Hi Principes ſunt addicti religioni auguſtanæ. Brigenſes, teſchinenſes, & lignicenſes *reformatam* (d) ſequuntur.

DE REGIMINE MORAVIÆ.

MOravi habuere proprium regnum & proprium Regem, regnumque eorum ſatis fuit amplum, donec Arnulphus Imperator eos ſuperavit, accitis in auxilium Hungaris; quia ipſe, iis in ordinem redigendis, non par erat. Ita Moravorum regnum in partes diviſum. Potiſſima pars ceſſit regno Hungariæ, pars altera Marchionem accepit, quo exſtincto, ad Bohemos pervenit.

Mora-

(a) *fiſci regii*) Camera ſive collegium, quod fiſci regii curam habet, præter Præſidem & Conſiliarios, redituum Præfectum, (Rentmeiſter) & varios habet Receptores. In hoc collegio omnes res, ad Cæſaris, ut ſummi territorii Principis, regalia, feuda, & reditus ſpectantes, pertractantur.

(b) *tribunal*) A Sileſiæ judiciis alternative ad Cæſarem aut ad ſummum tribunal, quod eſt Pragæ, appellari poteſt. Inter judicia ſecularia Sileſiæ primo eſt loco das Ober- und Fürſten-Recht. Hoc judicium Ordine provinciæ (Fürſten und Stände) conſtituunt, qui per ſe aut Deputatos ſuos, bis ſingulis annis conveniunt. Spectant huc cauſæ Ordinum reales, libertatum & privilegiorum, ita, ut ipſius Regis Bohemiæ, tanquam ſupremi in Sileſia Ducis, hujusmodi naturæ cauſæ in eo ventilari queant. In perſonalibus autem cauſis, vel etiam realibus, ad ipſum ducatum non ſpectantibus, Principes coram Rege Bohemiæ ſunt conveniendi. Ad ſupremam curiam, quæ dicitur Ober-Amt, cauſæ eorum pertrahi nequeunt, niſi cæſarea Majeſtas, ut Bohemiæ Rex, curiæ illi munus, tales examinandi & decidendi cauſas, ſpecialiter committat. SCHICKFUSIUS *in chronica Sileſia c. III Sect. II* HENELII *Sileſiographia c.* 8. SEYDELIUS *l. c. c.* 3. Reliqui præter Principes ſuo loco conveniendi, & protracta vel denegata juſtitia, ad Capitaneum ſupremum recurrendum.

Nobilitatis injuriarum cauſæ in judicio, quod dicitur das Ritter-Recht ventilantur. Conſtat hoc ex Principe & Nobilium claſſe, der Ritter-Banck. Modus, circa illud conſtituendum, hic obſervatur. Tres ab injuriato proponuntur Principes, ex quibus injurians unum eligit, qui deinde per Mareſchallum ſuum duodecim Nobiles, ex duodecim diverſis familiis, in Aſſeſſores convocat. Ibi quoque cauſæ ſtatus, ſeu equeſtris Ordinis majorum probationes ventilantur. De judiciis particularibus principatuum, dynaſtiarum & civitatis wratislavienſis, conf. SEYDELIUS *de proceſſu forenſi in Sileſia lib. I c. III ſect.* 3, 4, 5, 6.

(c) *jura romana*) Slavonicum ſive polonicum jus in Sileſia primum obtinuit, poſtea jus ſaxonicum ex Polonia in Sileſiam quoque eſt tranſmiſſum. Præter hoc viguerunt in Sileſia patriæ Polonorum conſuetudines, unde aliquando in antiquis inſtrumentis juris polonici mentio injicitur. Vocari ſolet das Zauder-Recht, quod in ducatu glogavienſi, inprimis in diſtrictu curavienſi locum habet. Per judicium ſummum appellationis, Pragæ inſtitutum, non jus ſaxonicum, ſed tantum appellationes, quæ ex Sileſia Magdeburgum ferebantur, ſunt ſublatæ. Videtur tamen jus ſaxonicum in Sileſia non aliter vim legis habere, niſi in quantum probari poteſt, in hoc caſu eſſe receptum: quodſi ſpecialis receptio probari nequit, ad jus civile eſt recurrendum, ſi ſtatuta localia vel conſuetudines deſint. SCHIFFERDEGHER *ad Anton. Fabrum lib. I tract. XXX. quaſt.* 2, 3, 4, 5, 6, SEYDELIUS *lib. I c.* 1.

Præter jura enarrata in Sileſia obtinet 1) *ordinatio politica a Rudolpho II* 1577 introducta. In hac ordinatione agitur de arreſtis, in Sileſia nullam prioritatem conferentibus, de mulierum interceſſionibus, de bancæ-ruptoribus & obſtagiis; 2) Pax provincialis, quam Ferdinandus I anno 1528 ſanxit. In hac quædam ad proceſſum ſpectantia habentur. SCHICKFUSIUS *in chron. lib. III c. XXII.* SEYDEL. *lib. I c.* . 3) Jus equeſtre, quod de injuriis, Nobilibus illatis, vindicandis, agit. 4) Jus eccleſiaſticum, ab Epiſcopo Wenceslao anno 1416 publicatum, paſſim inter ruſticos & in nonnullis civitatibus locum habet. SCHIFFERDECHER *lib. III tract.* 29. *q.* 8. SEYDEL. *l. c. lib. I c.* 4 *p.* 10 5) Jus feudale, non tam commune, quam Sileſiorum conſuetudines complectens; pleraque enim Sileſiorum feuda a communibus feudorum proprietatibus ſunt degenerantia: in epiſcopatu vere feuda ſunt regularia, ibique in cauſis feudalibus ſecundum a placita feudorum communia judicatur.

(d) *Reformatam*) Quam principatus illi mutationem paſſi, ſupra monui.

Moravia autem ex parte eſt ſui juris, ex parte non. Major aliquanto eſt poteſtas Bohemorum in Moravos, quam Sileſios; quia Sileſia in alias conditiones cum Bohemia convenit, quam Moravia. Experta igitur eſt ferme fatum minorum provinciarum, quæ, conjunctæ cum majoribus, fiunt ferme ſubditæ.

Regimen Moraviæ nonnihil eſt diſtinctum a regimine Sileſiæ: habent comitia, ſed minoris momenti & rariora. Imperat illis Rex, & ejus tenetur imperata facere: quod fit ex impotentia parentium, quæ quo major eſt, eo major fit poteſtas Imperantium. Conſtant autem illa comitia ex omni conventu populi. Quatuor ſunt claſſes Ordinum; in prima claſſe eſt ſolus Epiſcopus olmuzenſis: nam unus hic tantum, uti in Sileſia, Epiſcopus eſt, Principes nulli. In ſecunda claſſe ſunt Barones liberi, ſic ſatis potentes. Tertiam claſſem conſtituunt nobilis generis homines, una cum Præſulibus, quamvis eorum auctoritas parva ſit. Quartam claſſem conſtituunt oppida.

Uti in Sileſia comitia ſolent inſtitui Vratislaviæ, ita in Moravia inſtituuntur Brinnæ, quæ eſt quaſi Moraviæ *metropolis*, (a) urbs munitiſſima, ita, ut huc uſque a nullo potuerit ſuperari hoſte. *Comitia* (b) non adeo prudenter inſtituunt, oti Sileſii, quia vix alias Moravia gentes, quam ſlavicas, habet. Pauciores ſunt ibi Germani, quam in Sileſia, niſi quod quidam eorum in oppidis reperiantur, quæ hic pauciores ſunt, quam in Sileſia. Populus eſt agreſtis, moroſus, ineptus ad res magnas gerendas. Ad ingenii tarditatem facit etiam victus & vini uſus, qui corpus reddit contractum & animam *debilitat*. (c) Leges ſunt conditæ ad communem ſalutem. Quia ſunt ſervilis ingenii, duriter ipſis magis imperatur, quam Sileſiis. De Luſatia jam non dicam, quia illa ſpectat partim ad Saxoniæ, partim ad Brandenburgi Electores, & hinc Bohemiæ amplius appendix non eſt.

(a) *metropolis*) Alias Olmutium regionis metropolis habetur

(b) *Comitia*) Præter varia in tractibus judicia, Moravia aliquod habet tribunal, quod ex Præſide, VII Aſſeſſoribus & duobus Secretariis conſtare ſolet. Collegium ubi res numaria curatur, regia præfectura (Rent - Amt) dicitur.

(c) *debilitat*) immodicus ſcilicet.

CAPUT XXXVIII.

DE

HUNGARIA.

DE Hungariæ regno nunc eſt agendum, quia Germaniæ eſt valde vicinum, & ipſius interitu aut ſalute noſtra cadet aut ſtabit *reſpublica*. (a) Hoc regnum ripas Danubii utraſque implet, adeoque olim bonam partem fuit ſub imperio romano: quod enim nobis eſt cis Danubium, illud ad nos pertinuit, & quod trans fluvium eſt, portio imperii romani fuit. Ad illas cognoſcendas terras multum poterit juvare compendium geographiæ Philippi Cluveri, adjunctis Bunonis tabulis, utpote quæ & veterem & recentiorem earum ſtatum delineant.

Primo dicendum de terris, quæ nobis ſunt trans Danubium. Olim omne illud huc pertinuit, quod ſub nomine *Pannoniæ* (b) ſuperioris & inferioris, item ſub Illyrici nomine venit, paucis tantum exceptis. Pannoniæ terminus primo fuit Danubius, 2) verſus Illyriam Oenus, (*der Inn*). Ingens igitur terræ tractus ſub nomine Pannoniæ ſuperioris & inferioris comprehenſus fuit. Pannoniæ veteris bonam partem non tenent Hungari, quippe quæ conſtituit partem Auſtriæ, ſub nomine Stiriæ, Carniolæ, Carinthiæ. Partem igitur Pannoniæ ſuperioris tenent Ungari, cum Pannonia inferiori. Illa, quæ ſunt propiora mari adriatico, dicta olim Illyrici nomine. Ad hoc Illyricum etiam pertinuit Dalmatia, cujus bonam partem ſuam fecerunt Hungari, niſi quod urbes maritimæ dalmaticæ manſerint in ditione reipublicæ venetæ.

Populos illos quod attinet, hi fuere barbari & efferi, quos ſibi Romani ſubjecerunt, Illyrico cum utraque Pannonia in provinciam redacta. Manſit ſub Romanis, donec ſec. V populi barbari, trajecto Rheno, eam intrarent, eamque ſui juris facerent.

Populi illi veteres plane fuere diviſi ab Hungaris: reperiuntur tamen adhuc hodie ibi reliquiæ veterum Pannonicorum & Illyricorum, quæ etiam nonnullis veteribus utuntur dictionibus; ſed quos a reliquis Hungaris vix diſtinguas. Fuere quidem ibi urbes ſplendidæ, ſed quæ a barbaris ſolo adæquatæ ſunt, ut non niſi veſtigia eorum reperiantur. Sirmium apud Danubium celebris urbs fuit, item Strida, patria S. Hieronymi; ſed quarum hodie vix veſtigia ſuperſunt. Hodier-

næ

(a) *reſpublica*) Adverſus Turcas enim eſt antemurale.

(b) *Pannonia*) CELLARII *geographia antiqua c. VIII.*

næ urbes ſunt novæ, nec a veteribus terræ incolis exſtructæ. Hodie ingentem tractum trans Danubium Hungariæ regnum complectitur; olim cis Danubium major ejus pars extenſa fuit. Tractum autem illum ingentem, quem tenent Hungari, incoluere Daci, & omnes illæ provinciæ appellatæ olim fuerunt Dacia. Dacorum autem regnum potens fuit, inque varias diviſum partes, ſcilicet in mediterraneum, ripenſe & trans-alpinum. In Bunonis tabulis hæ ſunt perſpiciendæ partes. Quales Daci fuerint populi & qua lingua uſi, vix dixeris. Hodie antiquarum rerum minus periti Danos per eos intelligunt; ſed hoc falſiſſimum eſt: Dani enim fuere populi Germaniæ, pertinentes ad Germaniam magnam, Daci non item. Jornandes, rerum gothicarum ſcriptor, aſſerit; Gothos fuiſſe Dacos, ſed; ut in aliis, errat: nam primum confundit *Getas* (a) cum Gothis. Habitarunt Getæ ad Pontum euxinum, quorum ut & Dacorum ſedes cum Gothi poſt aliquot ſecula occuparent, Dacos, Gothas, Getas, eodem inſignivit nomine, ob apparentem vocabulorum ſimilitudinem. Daci igitur fuere populus ſcythicus, qui plane ſingularem conſtituere rempublicam.

Ultimus Dacorum Rex fuit Decebalus, quem ſuperavit *Imperator Trajanus*, (b) qui conſtruxit ingentem ſupra Iſtrum flumen *pontem*, (c) inter miracula mundi olim numeratum, cujus hodie in Tranſilvania rudera ſuperſunt. Ipſi vero Romani coacti ſunt pontem rurſus demoliri, ne populi barbari, qui trans pontem habitabant, quibusque Romani coërcendis amplius non pares erant, illum trajicerent & Romanos inveſtarent. Per 150 annos præter propter Romani Daciam mediterraneam obtinuerunt; hinc tantum eorum, in Transylvania, rudera ſuperſunt, cum urbes occupatæ & ſolo æquatæ ſint.

Decebalus fuit opulentiſſimus, ſed ſuas divitias Romanis invidit, ſtudioſe cavens, ne quid in eorum perveniret manus: hinc illum theſaurum fecit obrui & occultari in aliquo fluvio, ut non potuerit a Romanis detegi. Poſtea vero in manus Trajani incidit, hinc ille tam ingentes divitias ærario romano intulit. Seculo ſuperiori, tempore Ferdinandi I. Imperatoris, a piſcatoribus exploratus aliquis fornix eſt, cui ingentes inſtiterunt arbores; collapſis autem quibusdam arboribus, fornix factus fuit apertus, & ita in conſpectum venit bona portio aureorum nummorum, theſaurique illius Decebali. Hi nummi confecti a Rege Liſimacho ſunt, quorum & ego unum poſſideo, pondere & bonitate nummum, (*portugaleſer* dictum) exæquantem. Ad has divitias pervenere ſequenti modo. Getæ aliquem, Liſimachi, Regis Thraciæ filium, interceperunt, qui Rex fuit Dux bellicus ſub Alexandro magno, ejusque ſucceſſor, ad quem bona Alexandri M. terrarumque pars pervenit: ſed hic Rex filium ſuum coactus fuit redimere ingenti copia auri, a Dacis, quæ pecunia ab iis ad Decebalum & a Decebalo ad nos pervenit.

Sec. IV magna ibi mutatio facta eſt; nam varii populi in illas tranſiere terras, Germani, Gothi & alii. Gothi, qui 200 annos vixerunt in Pruſſia & Pomerania, tranſierunt in Daciam, & illum tractum ſui juris fecerunt. Narrat Jornandes, a Rege Gothorum Hermanno omnia fuiſſe occupata, quod eſt intra Pontum euxinum, Danubium & Mare balthicum. Gothi autem nobis cis Danubium habitavere. Tranſilvaniam tenuere Gepidæ, populus gothicus & per conſequens etiam germanus.

Hi populi tenuere illas terras usque ad Sec. V; hoc enim ſeculo magna ibi rerum facta mutatio. Nam ſcyticus populus, qui vixit circa Mæotim paludem, ad tantam pervenit potentiam, ut omnem illum tractum ſui juris fecerit. Hi dicebantur Hunni, Rex eorum Attila fuit. De illis, & quomodo non tantum Panoniam occuparint & Pomeraniam, ſed etiam in Italiam, Galliam Germaniam pervenerint, poſtea dicam. Hunnorum nomen Romanis innotuit ſec. IV poſt C. N. Magis magisque cœpere appropinquare Danubio. Hæc natio paulatim proceſſit trans Danubium, ea parte, ubi nunc eſt Polonia, & deinde in Daciam, Wallachiam, Tranſilvaniam ſe contulit, easque terras occupavit.

Sec. V ad ſummum felicitatis gradum pervenit gens ſub Rege *Attila*. (d) Hoc Rege nemo magis fuit bellicoſus, nemo magis victor. qui omne illud occupavit, quod eſt inter Danubium & Mare balthicum, adeoque omnem illum tractum, quem hodie tenent Poloni, Pruſſi, Tranſilvanii & Hungari. Imo ulterius proceſſit in Bohemiam & Sileſiam. Terminos autem regni Attilæ non poſſum accurate determinare. Hic multum occupavit in utraque Pannonia, isque hominis erat furor, ut multa & præclara deſtrueret oppida.

Cum vero ad eam perveniſſet potentiam, non dubitavit totum Imperium romanum evertere, initiumque facere ab occidentali. Rapuit itaque omnes populos, a ſe victos, ſecum in militiam, inter quos etiam fuere Saxones, Longobardi, Oſthro-gothi, Rugii, Heruli & nonnulli alii, mere germani. Hiſce populis ſuisque Scytis comitatus coacervavit exercitum * 10100000 hominum, cum quibus Rhætiam, Noricum, Vindeliciam pervaſtavit, &, circa Argentoratum trajecto Rheno, Galliam invalit, trepidantibus Romanis.

Cum

(a) *Getas*) Sed non ita adhorrens a vero ſententia eſt, Getas a Gothis non fuiſſe diverſos.

(b) *Imperator Trajanus*) Conf. XIPHILINUS.

(c) *pontem*) Hic Appollodorum damaſcenum conditorem habuit.

(d) *Attila*) Confer. BONFIN. *annal. hungar.* PRISCUS & MARCELLINUS COMES.

* 10100000] Videtur tamen hic numerus nimium auctus.

Cum itaque Romani, nonnullique populi germani, qui antea hoſtes Romanorum erant, viderent, agi de ſuo excidio, conjunctis Hunnos petierunt viribus. Generalis erat Aëtius, præclarus tunc temporis belli Dux; ipſe enim Imperator Valentinianus III rerum ignarus, pæne puer & voluptatibus deditus erat.

Franci & Weſtro-gothi itaque arma cum Romanis conjunxere, pugnatumque *prope Toloſam* (a) per triduum, in campis catalaunicis. A parte Attilæ ultra 100000 homines ceciderunt, pars etiam magna Romanorum & reliquorum populorum confœderatorum. In hac pugna inferior fuit Romanis populisque illis fœderatis. Cum autem videret, ſe in hac pugna potiores perdidiſſe ſui exercitus vires, remigravit in ſuam Pannoniam.

Sequenti anno exercitum duxit in Italiam, ubi illa Hungariæ jungitur, & Aquileiam, proximam Romæ potentia, funditus evertit. Hæc regio hodie eſt in ditione Venetorum, & Forum Juliæ dicitur. Deinde totam excidit Italiam & ad Romam usque pervenit; urbem vero ipſam non intravit. Quicquid igitur hominum in illis reperiebatur locis, aufugit in inſulas vicinas, quæ antehac piſcatoribus præbuerant ſedes, & Venetiis, præclaræ illi urbi, dedere initia.

Rediit deinde Attila in Pannoniam, ibique, cum ſenex nuptias celebraret, vino onuſtus, violenti per nares facta ſaguinis eruptione, ſomno ſepultus proprioque *ſuffocatus* (b) eſt ſanguine. In nulla gente reperti ſunt Duces, qui tam ſubitas & incomparabiles ſibi comparaverint victorias, quam in gente hunniaca. Tunc temporia non defuerunt, qui ejus vitam deſcripſerint: nunc vero pauca admodum ſuperſunt de eo; quamvis in Jornande, & fragmentis operis, collecti quondam a Conſtantino Porphyrogeneta in uſum politicum, quædam habeamus. Collegit olim Imperator opus de legationibus hoſtilibus, ut inde poſſent diſcere Legati, quid ſibi obſervandum in legationibus. In illis collectaneis ſunt excerpta de legationibus, collecta a Priſco, quodam rhetore, qui ſcripſit hiſtoriam gothicam, & functus eſt legatione ad Attilam. Optime ille deſcripſit aulam Attilæ, cumprimis morem ipſius convivandi, convenientem cum more veterum Germaniæ Principum. Hinc apparet, mores Scytarum cum moribus Germanorum multum habuiſſe commune.

Quamvis autem tam magna fuerit potentia Hunnorum ſub Attila, illa tamen poſtea fracta, cumprimis orta inter filios Attilæ *diſſenſione.* (c) Inſimul exorta ſunt diſſidia gentium illarum, qui invitæ Attilæ ſervierant, qui ſe conabantur in priſtinam vindicare libertatem, ut Oſtro-gothi, Longobardi, Rugii. Quomodo vero poſtea ſe habuerint res hunniacæ, monumenta non habent; interim tamen aliqua Hunnorum poteſtas ſuperfuit, præcipue eorum, qui Avari dicebantur: Hunni enim in parvas erant diviſi gentes.

Circa tempora Caroli M. late adhuc patuit regni Hunnorum potentia: quamvis non unum Regem, ſed varios, qui ipſis imperabant, Principes haberent. In hiſtoria enim Caroli M, & quidem ubi deſcribitur bellum hunniacum, feliciter ab eodem geſtum, non fit mentio unius Regis, ſed variorum Principum. Sed ſuperſtes illa potentia tota eſt deſtructa per Carolum M. quod paucis in annalibus francicis narratur verbis. Annales francici conſcripti ſunt, partim tempore Caroli M, partim Ludovici Pii; qui lectu digni, quia meliora illorum temporum monumenta non habemus. Inde apparet, bellum hunniacum cœpiſſe anno 788 tempore Caroli M, poſtquam regnum bojoaricum in provinciam redegiſſet. Hunnorum, ut & bajoarici regni *terminus* (d) tunc temporis fuit Oenus, qui quæratur in tab. geograph. circa Paſſaviam. Hinc apparet, Hunnos tunc temporis totam obtinuiſſe Pannoniam. Ad Mæſiam usque potentiam ſuam extenderunt, ubi Savus miſcetur Danubio. Vid. tab. Pannoniæ.

Non tantum autem cis Danubium, ſed etiam trans eundem fluvium eorum fuit extenſa potentia, ita, ut totam Daciam cum Hungaria ſuperiori in ſua tenuerint poteſtate. Hinc fere eosdem habuit fines, quos hodie habet Hungaria.

Carolus M. primam *expeditionem* (e) in illud regnum ſuſcepit anno 791, ab utroque illud invadens latere. Militarunt etiam ſub Carolo M. non tantum Franci, ſed etiam alii populi, quos ſuo ſubjecerat ſceptro, ut videre eſt ex annal. fran. Iterum celebris expeditio contra Hunnos ſuſcepta a Carolo M. anno 796, quam juſſu patris ſuſcepit Pipinus filius. Hac expeditione perventum eſt usque ad Tibiſcum amnem, adeoque tota ſuperata fuit Dacia. Hæc omnia ita ſeſe habere, apparet ex Eginhardo, ſcriptore vitæ Caroli M, ejusdemque Secretario, qui magnis fuit admotus rebus, ut in dubium ipſius fidem vocare nequeamus. Bellum inceptum anno 791, & finitum demum poſt 8 annos. Ex bello illo hunniaco magnæ divitiæ ad Francos pervenere, a Francis ad Danos & Normannos. Carolus M. permiſit, ut Hunni ſuam

habe.

(a) *prope Toloſam*] Ad Catalaunum ſupra Marnam. JORNANDES. *c.* 36 SIDONIUS APOLLINARIS *lib. VII* epiſt. 12 & *carm. VII* IDATIUS *in chron.* Varias doctorum de campis catalaunicis ſententias VALESIUS *in notitia Gall ſub vocab. Mauriaco* & GRUNCIERIUS *in diſſertat. hac de re* conſcripta, quæ LONGI *bibliotheca Franciæ* eſt inſerta, legitur.

(b) *ſuffocatus*] JORNANDES *c.* *Chronicon alexandrinum p.* 318 MARCELLINUS tradit eum Aëtii hortatu a puella quadam cultro eſſe confoſſum.

(c) *diſſenſione*] EUGIPPIUS *in vita S. Severini c.* 1.

(d) *terminus*) *Annales lauriſhamenſes ad ann.* 791.

(e) *Expeditionem* De hac expeditione alibi actum. Vid. *Annales lauriſhamenſes ad ann.* 788. *Chronicon moiſſiacenſe ad ann.* 791.

haberent *Caganum*, (a) qui tantum Magiſtratus munere functus eſt, ſummo penes Carolum manente principatu. Caganus primario denotat Regem, ſeu eum, qui loco Regis eſt, & idem, quod Tartarorum Cham, denotat. In libro de fin. Imp. cap. 17 de regno Hungariæ ago, oſtendoque, illud aliquandiu fuiſſe in ditione regni germanici. Ex Aventino etiam adduco, quomodo ſe habuerint res hunnico imperio deleto. Ex quo apparet, quod, cum Hunni plane eſſent deleti, & ſolitudo terris inducta, Carolus ejusque filius terras illas inhabitandas dederit Germanis & Slavis, (den Wenden.) Hinc aliqua Pannoniæ pars hodie adhuc dicitur die Wendiſche Marck. Ex illo tempore ſuperiorem & inferiorem Hungariam tenuere Germani, præſertim urbes. In Tranſilvania multi etiam Saxones reperiuntur, qui eo creduntur migraſſe juſſu Caroli M, quamvis ex monumentis germanicis hoc non conſtet. Ego crediderim, hos Saxones eſſe eos, qui ſub Carolo militarunt in bello hunniaco. Hodie Stiria & totus ille tractus incolitur a Germanis. Hinc apparet, quod Auſtria ſit recenter facta pars Germaniæ; cum antea totus hic archi ducatus pertineret ad Hunnos. Utraque igitur fere Pannonia ceſſit gentibus germanicis, & fortaſſis tunc temporis in Tranſilvaniam *migrarunt* (b Saxones. Auſtria olim audiit marchia orientalis, ſive limes orientalis bojoariæ, unde etiam Oeſterreich dicitur.

Exciſa gente Hunnorum, ſingulari Dei indignatione factum, ut 70 præter propter annos poſt nova natio ſcytica ſe effuderit in illas terras, cujus nationis nomen antehac erat inauditum. Eorum arma primum audita tempore Arnulphi Imperatoris. Ego credo, hanc gentem etiam fuiſſe ſub imperio Attilæ, diſtinctam ab Avaris & *Hunnis*; (c) quia hæc vox non videtur compoſita ex Avarus & Hunnus, & quia Avari cum Hunnis plane Caroli M. tempore deleti ſunt, & quia horum populorum idioma, a dialectu reliquorum populorum ſcyticorum, plurimum differt, ita, ut Hungari vix alios Scytas intelligant.

Ab *Arnolpho* d) autem non invito accepti ſunt, quippe cui bellum infauſtum cum Moravis erat, quos cum non poſſet domare, conduxit Hungaros, quod infeliciter Germaniæ, feliciter Hungaris ceſſit. Hi enim trajecto Danubio tranſiere in Pannoniam, & deinde per *Germaniam*, (e) Italiam populabundi, in ipſam Galliam migrarunt, & univerſam Germaniam ſibi tributariam fecerunt.

Hæc eorum rabies demum fracta ab Henrico, qui ægre tulit, Germaniam, & in ea ſuam Saxoniam, eſſe tributariam. Hic Legatis Hungerorum, tributum exigentibus, *miſit canem* (f) detonſum & auribus amputatis fœdum, additis verbis: ſi præſtantius habere vellent tributum, ipſi venirent. Hoc factum initio *infeliciter ceſſit:* (g) nam tota fuit devaſtata Saxonia, Helmſtadium exuſtum, & quia urbes non aderant munitæ, Saxones coacti ſunt ſecedere in ſylvas, Herciniam & Saltum tremulum.

Captus autem eſt Dux Hungarorum ab Henrico, quem ille nolebat reſtituere, niſi initis novennalibus *induciis.* (h) Henricus ſpacio novem annorum cœpit urbes condere; antehac nullæ erant, & non, niſi vici aut pagi. Quomodo autem urbes incolis impleverit, habetur apud Wittekindum, ubi agit de urbibus Germaniæ. Poſt novennium rediere Hungari cum ingenti exercitu, quem exercitum Henricus apud Quedlinburgum feliciter ſuperavit, voto prius facto, ſe ibi exſtructurum cœnobium, in perpetuum Dei cultum. Sic *exſtructum* (i) eſt cœnobium nobilium monialium, in quo etiam Henricus voluit ſepeliri. *

Cum autem Saxoniam denuo vellent adoriri, ſuperavit eos iterum in Miſnia, prope Merſburgum. Otto M, Henrici ſucceſſor, *aliquot prœliis* k in Bajoario ipſos adeo afflixit, ut omnes eorum incurſiones ceſſaverint. Ultra 100000 in una *acie* (l) periere. Ex eo tempore Hungari cœpere ſuum regnum conſtituere, & rempublicam inchoare.

Hacte-

(a) *Caganum*) Errat hic autor cum multis aliis, Caganum Hunnorum Ducis nomen credentibus. Occaſionem errori corruptus forte engoleſmenſis monachi locus præbuit, ubi Ringus Ducis nomen eſt: regis autem Hunnorum ab Eginhardo c. 13. cagani, ab autore annalium lambecianorum Hring, & a poëta Saxone Hringus vocatur.

(b) *migrarunt*) SCHURZFLEISCH *in diſſert* cui titulus *Dacia conſularis § IIX.*

(c) *Hunnis*. Hungaros ab Hunnis fuiſſe diſtinctos, affirmat quoque SCHURZFLEISCH *in Dacia conſulari*, contrariam tamen ſententiam veriorem puto. Conſ. GUNDLING *in Henrico Aucupe p.* 114. 115.

(d) *Arnolpho*) HERMANNUS CONTRACTUS *ad annum* 889. *Annales fuldenſes ad annum* 892.

(e) *Germaniam*) De ſæviſſimo Hungarorum in Germaniam impetu, ſub Ludovico infante, Salamonis Epiſcopi conſtantienſis verſus, qui *tom. XVII biblioth. maxima patr. p.* 1301 habentur, legendi ſunt. Conradi quoque tempore truculentis Germaniam divexarunt impreſſionibus, a quo Henrici I auſpicia quoque non fuerunt immunia. *Continuator Reginon: ad ann.* 912, 926, 933.

(f) *miſit canem*, Hoc factum, cum finitis novennalibus induciis Hungari ad tributi petitionem redirent, AUCTOR ANONYMUS *de fundatione quarundam Saxoniæ eccleſiarum p.* 261 ait: HENRICUS *ſolvit Saxones a tributo Hungarorum & miſit ipſis pro tributo canem, præciſum auribus & cauda.*

(g) *infeliciter ceſſit*) Sub regni primordia ingentem ab Hungaris Henricus paſſus eſt cladem. WIDEKINDUS *lib. I. Annal. p.* 638 DITMARUS *lib. I p.* 327.

(h) *induciis*) WITIKINDUS *lib. I p.* 638. Ad Quedlinburgum Hungaros ab Henrico Aucupe acie ſuperatos eſſe, in ſcriptoribus fide dignis non legitur: ad Merſeburgum vero anno 933 ad internecionem propemodum ab eo deletos eſſe, rerum geſtarum commentarii docent. FRODOARDUS *ad an.* 933 *Witekindus* p. 641.

(i) *exſtructum*) Monaſterium hoc Henricus Auceps condere cœpit, & vidua ejus Mechtildis ædificationem abſolvit. KETTNERI *Kirchen-und reformations-hiſtorie des Stiffts Quedlenburg. p.* 11.

* Quedlenburgi in eccleſia S. Petri ſepultus eſt.

(k) *aliquot prœliis*. HERMANNUS CONTRACTUS *ad ann.* 938 WITEKINDUS *lib. II p.* 645.

(l) *acie* Maxima hac ad Auguſtam Vindelicorum clade anno 955 affecti ſunt. Vid. GERARDUS *in vita Udalrici c. XII §.* 43. WITIKINDUS *lib. III annal. p.* 656. DITMARUS *lib. II annal. p.* 332, 333.

Hactenus quidem typis non ſunt editi ſcriptores rerum hungaricarum, exceptis paucis, quos nobis dedit officina weigeliana. Inter hos eminet Antonius Bonfinius, Italus, qui vixit in aula Matthiæ Corvini, Regis Hungariæ, cum quo regni hujus gloria & cecidit & ſtetit. *Hic ſcriptor* (a) Livium in ſua hiſtoria non infeliciter eſt perſecutus, omnemque illius regni hiſtoriam, usque ad mortem Corvini, contexuit. Job. Sambucus, Hungarus, profeſſione medicus, hanc hiſtoriam primus curavit edi, quæ editio prodiit anno 1668, ex officina aperiana, Baſileæ. Huic hiſtoriæ Sambucus adjecit appendicem, io qua perſecutus eſt hiſtoriam usque ad mortem Ferdinandi I, qui ſecundus ex gente auſtriaca factus Hungariæ Rex fuit. Sambucus hic ſat quidem doctus fuit; ſed tamen Bonfinii hiſtoriæ appendix non reſpondet, lectu tamen dignus. Poſt hunc Steph. Iſtuamphius præclare hiſtoriam Hungariæ deſcripſit, natione Hungarus, cujus hiſtoria optimis accenſenda venit. Hæ ſunt hiſtoriæ primariæ. Reliquæ, quæ in opere weigeliano reperiuntur, ſunt *minoris momenti*, (b) licet aliquem legenti uſum præbere poſſint. In utroque memorato libro quædam de conſtitutione reipublicæ reperiuntur; aſt ex profeſſo nullus de eo liber egit, præter illum, qui prodiit in Batavia, ex officina elzeviriana. Plura ſunt, quæ in hoc libello deſideres; ſed, cum non adſit melior, legendus eſt. Habemus etiam geographicas Hungariæ deſcriptiones in libellis geographicis. Extat etiam aliqua *chorographia* (c) in appendice Sambuci. De rebus hungaricis extant duæ orationes in Lanſii opere conſultatorio, de principatu inter regna Europæ, quod certe præclarum opus eſt. In utraque oratione, quæ in laudem & vituperium Hungariæ dici poſſunt, continentur. Ex his hiſtoricis, & illis, quæ bella turcica narrarunt, Hungarorum res peti poſſunt: per centum enim fere annos bella continua cum Turcis geſta ſunt.

Fines ejus regni initio obſervandi; regni autem Hungariæ *potior pars*, (d) proh dolor! ante 150 præter propter annos in manus Turcarum pervenit: hinc limites ejus regni hodie longe, quam alias, arctiores ſunt. Ad regnum Hungariæ olim pertinuere varia regna, quæ cum ipſo quaſi coaluere, ut ſunt Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ regna. Itaque etiam hodie Reges Hungariæ *antiquis illis titulis* (e) utuntur, ita, ut Germaniæ Imperator, qui ſimul eſt Hungariæ Rex, ſe vocet Regem Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ; cum tota *Slavonia* (f) jamdudum ſit in *manibus Turcarum*, (g) Dalmatiæ maximam partem teneant *Veneti*, (h), Turcæ, ita, ut hodie in Dalmatia *vix duo* (i) Hungariæ ſuperſint loca. *Croatiæ etiam* (k) pleraque tenet Turca, paucæ Cæſari reliquiæ ſuperſunt. Præterea Matthias Hunniades tanta fuit potentia, ut totam *Wallachiam & Moldaviam* (l), usque ad Pontum euxinum, ſibi ſubjecerit, *Boſnia* (m) quoque ſibi Deſpotam fecerit tributarium; ſed hæc omnia, poſt mortem Corvini ſtatim defecere.

Proprie dictæ *Hungariæ* (n) limites ſunt, verſus occidentem Auſtria, Stiria cum Carinthia, & proxime circa Auſtriam flumen Leytha pro termino eſt. Nobis cis Danubium eſt fluvius Marus, a quo Moravia ſuum accepit nomen, ut appareat, limites Hungariæ ſtatim infra Viennam terminari. A ſeptentrione attingit & dividit Poloniam & Hungariam mons Carpathus. Ab oriente babuit hactenus Moldaviam, Bulgariam & Serviam. A meridie Dravo flumine adluitur. Hi fuere termini antiqui regni Hungariæ, proprie dicti. Slavonia ſita eſt inter Dravum & Savum. Intra Savum & poldios montes fuit Boſnia. Croatia eſt infra Savum, & ab oriente habet Carinthiam, Iſtriam, a meridie Dalmatiam. Dalmatia pertingit usque ad mare adriaticum. Amplitudo igitur regni hungarici olim maxima fuit.

Matthiæ tempore ejus ab oriente terminus fuit Pontus euxinus, ab occidente Auſtria.

Hi

(a) *Hic ſcriptor*) Vid. judicium de eo apud GUNDLINGIUM *in Henrico Aucupe p.* 232.

(b) *minoris momenti*) Plerique tamen valde titubant, inprimis in rebus antiquis. Vid. GUNDLINGII *Henricum Aucupem p.* 231.

(c) *chorographia*) Ad ſcripta Hungariæ chorographica referri poſſunt, GEORGII CSIPKES *Ungaria illuſtrata*, ZEILERI *neue Beſchreibung des Königreichs Ungarn*; KRECKEWIZII *richtige Beſchreibung des Königreichs Ungarn*. Alios autores, qui ad hoc ſpectant argumentum, STRUVIUS *in bibliotheca hiſtorica recenſet*.

(d) *potior pars*) Omnia, quibus Turcæ in Hungaria potiti erant, ipſis jam, victricibus cæſareæ domus armis, erepta ſunt. Nam nupera pace cum Turcis inita, Temeſvaria quoque & Bellogradum, Serviæ metropolis, in Cæſaris, ut Hungariæ Regis, manſit poteſtate. *Pax Paſſaravienſis art. I. & II.*

(e) *antiquis illis titulis*) SPENERI *opus herald. lib. I. c. IX* & LUDWIG *in Germania principe p.* 212 *ſeqq.*

(f) *Slavonia*) Omnia Slavoniæ loca ad Cæſarem redierunt.

(g) *manibus Turcarum*) Turcis in Dalmatia Arcegovina & Scardona parent. His Raguſa libera reſpublica, ad adriaticum mare, finitima eſt. Hæc in turcici Imperatoris jam eſt clientela.

(h) *veneti*) Venetorum ſunt Glimma, Sadera, Czara, Sebenicum, Traguria, Cliſſa, Spalatum, Caſtellum novum, Catarra, Narenta, Salona, Butua.

(i) *vix duo*) Senia in hujus eſt ditione: populi, qui in finitimis commorantur locis, Uſchochi dicuntur. Hi tam Turcis quam Venetis piratica multa intulerunt mala. Vid. AMELOT *de la Houſſaie hiſtoire des Uſcoques*.

(k) *Croatia etiam*) Pleraque loca jam ſub Cæſare ſunt: Turcæ vero Wihitia, munitiſſimum oppidum, paret. Qui anno 1700 inter utriusque terras conſtituti ſunt limites, in pace paſſarovicenſi artic. VI, confirmati ſunt.

(l) *Walachiam & Moldaviam*) Hæ terræ Turcis fiduciario ſunt obnoxiæ vinculo; pars autem Walachiæ, cis Alutam fluvium ſita, cum locis & munimento Temeſvarino, ex paſſaravienſis pacis, anno 1718 cum Turcis initæ, art. 2. ad Cæſarem ſpectat.

(m) *Boſnia*) Hæc ſub Turcarum adhuc eſt jugo.

(n) *Hungaria*) Hungaria inter 39 & 47. gradum longitudinis & 45 & 49 latitudinis eſt. Ab oriente in occidentem centum, & a ſeptentrione in meridiem octoginta complecti dicitur milliaria.

Hi fuere limites antiqui; ſed nunc longe aliter ſe res habet: primo enim cis Danubium ſubtracta tota *Tranſilvania*, (a) ut Tibiſcus amnis videatur manſiſſe terminus; ſed ultra Tibiſcum etiam Turca Peſtum & alia loca occupavit. Similiter etiam in Pannonia multum occupavit: præterquam enim quod totam Boſniam, Slavoniæ, Croatiæ & Dalmatiæ bonam partem occupaverit, plæraque Hungariæ, proprie dictæ, rapuit, usque ad fluvium Arrhabonem, ubi eſt *Raab*. Hinc in Hungaria inferiori pauca ſuperſunt, in ſuperiori plura. Nunquam vero Tranſilvania a Turcis plene fuit ablata; ſed nutavit, ut modo in manu Cæſaris, modo in Turcarum fuerit, ita tamen, ut Turca ſatis habuerit, Ducem Tranſilvaniæ conſtituere, confirmare, ſibique juramento adſtringere. Primus eorum Dux fuit Waiwoda Johannes, a. Batori. Deinde ceſſit Rudolpho, Regi Hungariæ; ſed cum Commiſſarii cæſarei populo per vim vellent imperare catholicam religionem, cœpere Duces a Turca peti. Ita confirmatus a Turca eſt Boſcai, Bethlem Gabor, Gabriel Batori & Ragozki, qui omnes, cum hodierno Tranſilvaniæ Duce Abaffi, confirmati ſunt a Turca.

Pace vero inter Cæſarem & Turcas conſtituta, conventum eſt, ut Turca nihil amplius in Tranſilvania deberet occupare, quod etiam adhuc *obſervatum:* (b) nunc vero videtur inhiare toti regioni occupandæ, inque provinciam redigendæ, ut Baſſam ibi conſtituat, uti in aliis provinciis. Hac re incredibilis orbi chriſtiano poteſt creari jactura: poteſt enim ibi millem prætorianum alere, ſufficientem ad nos debellandos. Hactenua ejus vires europeæ pares haud fuere ad hoc perficiendum; ſed evocandus fuit miles aſiaticus. Magnam ergo jacturam amiſſio Tranſilvaniæ poſt ſe traheret.

Huic regno a Solimanni tempore, ad huncusque diem, ſemper aliquid detractum fuit. Hic Solimannus ſuperiori ſeculo tentavit regnum Hungariæ ſibi ſubjicere, & feliciter ei res ceſſit. Rege Hungariæ Uladislao in prœlio interempto. Ex eo tempore perpetuum quaſi bellum cum Turca gerere coacta fuit Germania, induciæ fuere raræ, niſi quod vicennales conſtitutæ ſint a Rudolpho, quas Ferdinandus totidem annis auxit, ita, ut ceſſaverit bellum per quinquaginta ferme annos. Prœlia quidem geſta, ſed non juſtum bellum. Aſt hodie rurſus in illud malum incidimus, rebus noſtris plane imparatis.

Si vero videamus limites regni Hungariæ, ſic ſatis tuta eſt a parte ſeptemtrionali; quia Poloni non facile movebunt bellum. Tuta etiam eſt a parte Germaniæ & Bohemiæ. At vero, ab oriente habet potentiſſimum hoſtem, Turcam, ut & a toto latere meridionali, ubi etiam hunc infeſtiſſimum vicinum habet. Ab oriente ſuperioris Hungariæ habet Tranſilvaniam, terram aliquamdiu hoſtilem: quippe Bethlem Gabor ſibi aliquando ſubjecit totam Hungariam, quamvis omnia, coactus, reddiderit.

Quod attinet cœlum hungaricum, illud eſt rigidius a parte ſeptemtrionali ſuperioris Hungariæ. In Hungaria inferiori cœlum clemens, molle eſt, & tempore æſtivo calidum, & nonnihil nebuloſum ſeu *craſſum*, (c) propter evaporationes terreſtres: habet enim Hungaria interior ignem ſubterraneum, ut ubivis poſſint parari balnea.

Regio autem, *aquoſa* (d) & calida ſimul, minus ſalubris eſt; quia aër craſſior & calidus varios creat morbos, & eſt aptus citandæ putredini. Qui velit indulgere vino, obnoxius eſt varii morborum generibus, quo fit, ut Hungaria militibus germanis, qui vehementer bibunt, ſit infeſta. Ingens ibi copia eſt pediculorum, pulicum & id genus vermiculorum, propter æſtuoſitatem terræ & humiditatem.

Breviter narrabo, quæ oppida & caſtra adhuc in manibus Germanorum ſint. Obſervandum autem, regnum Hungariæ dividi in ſuperiorem & inferiorem. Illa dicitur, quæ eſt nobis cis, Auſtriacis vero *trans* (e) Danubium, quæ vero Auſtriacis *cis*, (f) nobis trans Danubium & circa Viennam ſita eſt, interior audit. Inferiorem quod attinet, illa pæne tota hodie Turcis *paret*, (g) ita, ut parum ſuperſit, quod non in poteſtatem eorum pervenerit. Illius autem terminus eſt Arrbabo fluvius. Omnis ager usque ad Arrhabonem fluvium eſt Turcæ tributarius. Illius agri incolæ vocantur *die gehuldigten Bauern*, quia & Turcæ & Cæſari juramento ſunt adſtricti, vi cujus promittunt ſe velle utrique parti debitum reddere. Ultra hunc fluvium ſunt adhuc eximia caſtra in manibus Chriſtianorum, & Rudolphus, ſub finem ſuperioris ſec, eripuit haud

(a) *Tranſilvania* In hac præcipua ſunt loca: Cibinium (Hermanſtat) Alba Julia, Biſtricia, Medieſus, Segeiwaria, Claudiopolis. In non paucis Tranſilvaniæ locis evangelica exercentur ſacra. Neque tamen hic religionis deſunt gravamina. Vid. *breviſſimum compendium principatus tranſylvanici hiſtoriæ*, quod in calce LEHMANNI *ſuppleti & continuati* legitur. De variis Tranſilvaniæ incolis. Vid. *ſtatum Hungariæ p.* 11 ſeqq.

(b) *obſervatum*) Hodie quoque ſub Cæſare eſt. Juri, quod in eam Turcæ habere poſſent, art. I pacis carlowicenſis, anno 1699 concluſæ, deceſſerunt. Hoc art. I pacis paſſarawicenſis repetitum eſt.

(c) *craſſum*) L'air y eſt auſſi mal ſain. BAUDRAND dans le *diction. geographique p.* 529.

(d) *aquoſa*) Permulta ſunt, quæ Hungariam irrigant flumina: Danubius, Savus, Dravus, Tiſſa, Marus, Raaba, Granus & Zarwiza. Omnia piſcibus abundant, ita, ut in tanta eorum copia ad saginandos porcos adhiberi dicantur: aquæ autem, quas vehunt, excepta illa, quæ Danubii eſt, inſaluberrimæ ſunt. Vid. *ſtatum Hungariæ p.* 85 *ſeqq.*

(e) *trans*) Hungaria ſuperior trans Danubium ſita, usque ad Poloniæ confinia ſe extendit.

(f) *cis*) Quæ vero infra Danubium usque ad Savum fluvium excurrit, Hungaria inferior appellatur. Utraque cum Sclavonia in quinquaginta quinque palatinatus dividitur.

(g) *paret*) Hodie nulla ejus portio amplius penes Turcas eſt.

haud pauca Turcis, multa alia ſine ullo dubio Turcarum imperio ſubtracturus, ſi ſua ita perrexiſſet inſtituere conſilia.

In inferiori Hungaria eſt Edenburgum, metropolis incolarum multitudine & munimentis valens. Alterum Hungariæ inferioris oppidum, nomioe Raab, eſt in manibus Chriſtianorum, dictum a fluvio Arrhabone. Superiori ſeculo, negligentia Hordeckii, Præfecti cæſarei, incidit Raab in manus Turcarum. Hoc facto tota trepidavit Germania, nec immerito: hoc enim caſtro occupato, Turcæ quotidie Viennam invadere poterant, a qua decem tantum milliaribus diſtat. Fortitudine autem & inſigni prudentia Baronis de Swarzenberg, qui hoc facto meruit dignitatem Comitis, recuperatum eſt hoc oppidum, non ſine magna Chriſtianorum, præſertim Germanorum, gaudio.

Præter hæc oppida tres adhuc Chriſtianis ſuperſunt urbes, Pappa, Patella, urbs non multum munita, & Veſperinum; quæ omnes fuere in manibus Turcarum, ſed his ereptæ a Rudolpho. Occupaverat etiam Rudolphus Albam regalem, ſed hæc iterum a Turcis eſt recuperata. Tria prædicta caſtra *Albam regalem* (a) quaſi cingunt. Quicquid eſt cis Arrhabonem fluvium, adhuc eſt in manibus Chriſtianorum, ibique memorabile eſt oppidum Sunz & Scarabantia. *Buda* (b), metropolis olim regni, ab hoſte poſſidetur. Quinque eccleſiæ tenentur *ab eodem* (c).

In ſuperiori Hungaria plura ſuperſunt oppida, & quidem (I) *Poſonium* (d) (*Presburg*) quod a nonnullis conditum creditur a Lucio Pilone. Hæc urbs nobilis, Viennæ vero trans Danubium ſita, eſt metropolis. Urbs ſplendida divitiis, in cujus caſtello, ſic ſatis munito, detinetur corona regni hungarici, vix ſex lapides a Vienna diſtans. In eadem Hungaria ſuperiori etiam eſt urbs Tyrna, nobiliſſimum emporium. In montanis reperiuntur urbes divites fodinis metallicis, Cremniz, Schemniz, Altſool, Neuſool, item Caſſovia quodammodo. Porro adhuc in ſuperiori Hungaria Chriſtianis ſupereſt Tockay. Hæc ſunt loca *potiſſima*, (e) quæ in Hungaria ſuperiori Chriſtianorum agnoſcunt dominium.

Ante biennium occupavit etiam nobiliſſimum munimentum Tranſylvaniæ *Wardyn*, (f) per ſocordiam Cæſareanorum. Ex mappa geographica apparet, quantum ſit ſitum in Wardyn; nam ex eo poſſunt excurſiones inſtitui in Moraviam, Sileſiam, Miſniam & Marchionatum brandenburgenſem. Si modo Turcæ occuparint Tranſylvaniam, nunquam in Germania poterimus eſſe tuti.

Nunc etiam de ſolo aliquid dicamus. Circa Tockay naſcitur vinum generoſiſſimum, quia magna eſt ibi cœli clementia. In Hungaria inferiori cœlum eſt quidem mite, ſed propter ignes ſubterraneos aer minus ſalubris eſt, cum ſit juſto calidior & denſior. Quod attinet ad ſolum, in univerſum licet pronunciare de Hungaria, quod pleraque ejus loca, felicitate terræ, omnes Europæ regiones ſuperent. Interim tamen non ubivis ſoli eadem eſt ratio. In ſuperiori Hungaria qua parte eſt montoſa & metallifera, non ferax plantarum & frumenti eſt; quod commune omnibus locis, quæ ditia metallorum ſunt. Ex qua parte non eſt montoſa, præcipue circa Tibiſcum amnem & in inferiori Hungaria, maxime eſt frugifera.

Hinc Hungariæ regno nihil deeſt, quod ad vitæ commoditatem ſpectare poſſit. Nulla Europæ provincia fertilior *metallorum* (g) eſt. Olim Hiſpania auro inclaruit, ſed hodie nihil, nequidem argentum, ibi reperitur. In Hungaria aurum non uno modo colligitur. Primum fluvii, ex montibus originem ducentes, afferunt *ramenta*, (h) interdum ſic ſatis magna. Teſtatur Bonfinius, in Tibiſco fluvio inventum eſſe ramentum ſeſquilibre puri auri. Alias ſæpe ramenta auri reperiuntur, piſi, ciceris aut fabæ magnitudinem æquantia. Fodiunt etiam aurum circa Cremniz & Schemniz. Aurum hungaricum eſt omnium præſtantiſſimum & nobiliſſimum

Alexander ab Alexandro, miram refert hiſtoriam, in ſuis genialibus, de vite quadam, in qua aurum cum ipſa vite ſuccrevit. Hic autor teſtibus fide dignis corroborare nititur, hoc etiam ſuo tempore, quamvis raro, factum. Ego puto hoc factum, propter ignes ſubterraneos, qui protrudunt & excoquunt metalla. Hac de cauſa ducati hungarici ſolent præferri aliis; ſunt enim auri præſtantiſſimi, modo juſtum habeant pondus.

Argenti, ferri, æris & plumbi eſt feraciſſima, &, uti in vicinia Goslariæ obſervatur, ferrum conjectum in aquas, vitriolo mixtas, commutatur in æs. Qualis vero ſit illa mutatio, an vera, an apparens, dicam poſtea. Stannum deficit, ſive certe non eſt copioſum. Vitriolum

(a) *Albam regalem*) Munitiſſimus hic locus anno 1688 ad Chriſtianos rediit.

(b) *Buda*) Anno 1656 a Chriſtianis vi recuperata eſt. Præter jam dicta loca notari adhuc merentur: Vicegradum, Caniſia, Strigonium, Fanum S. Gothardi, Sigethum, S. Martini mons, Monaſtium.

(c) *ab eodem*) Hodie in Chriſtianorum eſt poteſtate, qui ea anno 1686 potiti ſunt Vid. *ſtatum Hungariæ* c. I.

(d) *Poſonium*) Haud procul ab hac urbe diſtat inſula Schutia, cui incubat Comorra, a Ferdinando I extructa, ſitu & arte munitiſſima.

(e) *potiſſima*) Notabilia quoque ſunt: Leopoldinum Neutra, Parckanum, Novigradum, Vaicia, Agria, Eperix, Mongatſchium, Zatmaria, Gyula, Zolnochium, Peſtum, Segedinum, Zeutha, Temeswaria, Salanckemum.

(f) *Wardyn*) Anno 1692 a Chriſtianis repetitum.

(g) *metallorum* Vid. BRUGGEMAN *l. c. c.* XVII ubi p. 267. alios autores huc pertinentes memoravit.

(h) *ramenta*) *Status Hungariæ p.* 83.

um opt mum eſt, & longe præſtantius goslarienſi. Sulphure vero ita ubique abundat, ut vina etia m hungarica illud nonnunquam oleant, quo fit, ut minus ſint ſalubria. Dulcedine poſſunt certare cum vinis hiſpanicis; quia excoquuntur partim ab igne ſubterraneo, partim a cœli ca l·ditate.

Eſt quoque ferax *ſalis.* (a) Reperitur enim in Hungaria ſal foſſititius, qui bonitate præcedit polo nicum, qui alias optimæ notæ eſt. Nitri quoque ingens copia ibivis eſt, aut potius halynitri, (*Sa lpeter*). Similiter terra ferax eſt optimi marmoris, quod bonitate cum italico, & eo, quod ex Græcia defertur, contendere poteſt. Hinc apparet, ex iis, quæ ſub terra naſcuntur, nihil deeſſe Hungariæ.

Ad bonitatem ſoli facit quam maxime, quod maximis fluviis ſit quaſi interſecta. Ita mediam ſecat Hungariam fluviorum Europæ maximus, Danubius ſcilicet, qui in Germania ortus, inſigniter in Alpibus & Hungaria auctus, in Pontum euxinum ſeſe provolvit. Hic fluvius, flexu apud Presburgum facto, a ſeptemtrione verſus orientem, contra morem omnium fluviorum, currit. Præter Danubium eſt Dravus, qui, ortus primum in Carinthia, deinde aliis auctus fluminibus, tandem Danubii fluentis miſcetur. Secat quoque Hungariam ſuperiorem, eamque a Tranſilvania dividit Tibiſcus, vulgo *die Teys*, qui a ſeptemtrione verſus meridiem fluit, ſeque tandem exonerat in Danubium, non procul a Tauruno ſeu Belgrad. Ad Hungariam, proprie dictam, non pertinet quidem Savus, *die Sau*; ſed ad corpus regni hungarici olim pertinuit, & ferme æque magnus ac Dravus eſt, inſinuans ſe prope *Griechiſchweiſſenburg* Danubio. Præter hos memoratos notatu quoque digni ſunt Arthabo & Marus.

Horum fluviorum magna eſt utilitas: fœcundant enim terram, & faciunt ad majorem vitæ commoditatem; qnia Danubius, Dravus, Tibiſcus ſuut navigabiles. Graminis quoque Hungaria ferax eſt, & hinc apta alendis numeroſis armentorum gregibus. Ferax frumenti optimi, & præprimis tritici, eſt, tantaque terra abundat ubertate, ut ejus bonitate ſecale mutetur in triticum. Triticum Hungariæ, non tantum Germaniæ, verum etiam univerſi orbis tritico præfertur. Hinc non tantum ſuis alendis par eſt, ſed etiam alienis. Ager hungaricus debito modo coli non poteſt, propter varias Turcarum incurſiones. In ſuperiori Hungaria, non procul Schemniz, loca vaſta deſerta reperiuntur, ſed plena erycetis. Incredibilis in Hungaria alitur pecoris copia, ita, ut ne hyeme ſubeant tectum, ſed vivant ſub dio, & fœno projecto paſcantur per nivem. Ubi vero ſuccrevere, & ad annos 6 aut 7 pervenere, domari & vendi ſolent. Hungariæ *armenta* (b) non ſufficiunt tantum Auſtriæ, Bohemiæ; ſed abiguntur etiam in Miſniam, uaque ad fluvium Salam. Eadem ratio eſt paſcendorum equorum, quæ ſub tectum per aliquot annos non veniunt, nec coërcentur freno, niſi annum 5 aut 6 attigerint; hinc etiam ferociores, generoſiores, perniciores quam noſtri ſunt; quia eorum generoſitas freno & labore in primis annis non ita frangitur.

Piſcium abundantia in aquis notanda, & præſertim Tybiſcus hoc nomine ſeſe effert. Ferunt monumenta, fluvii tertiam partem *conſtare piſcibus.* (c) Carpiones præſertim ibi in magna reperiuntur copia, & 100 carpiones venduntur uno aureo. Præter illos magnos fluvios habet parvos quam plurimos, item ſtagna, lacus, quæ aquæ omnes abundant piſcibus, propter calorem ignis ſubterranei. Ubi calor & humiditas ſunt, ibi piſces maxime proveniunt: hæc enim duo ad eorum procreationem multum poſſunt. Nonnullæ aqnæ ſunt *fervida*, (d & tamen piſces continent, vid. WERNERUM, medicum, *de admirandis Hungariæ aquis.* Videatur res eadem in Busbequii epiſt. I. Hic Busbequius extra conjugium natus erat, nobili patre, matre ignobili, vitiumque natalium virtute emendavit. Hic narrat etiam, ſe media hieme circa Budam vidiſſe aquam limpidam, inque eadem percepiſſe piſces natantes & coaxantes ranas, quos nemo, niſi coctos, educere potuit. Quomodo hoc fiat oſtendi in *diſputat. de aquis.* Ibi enim probo, hunc fontem duplici conſtare aqua, frigida & calida; ſcilicet in ſuperiori fontis parte calida, in inferiori frigida, quod aliis etiam exemplis comprobavi.

Ex hactenus dictis facile felicitas terræ Hungariæ apparet, & verum eſſe, eam felicitate ſoli *omnes Europæ regiones* (e) ſuperare; cum ſit ferax metallorum, frugum, optimorum arborum, vitis, graminis, armentorum, piſcium. Scriptores Hungariæ inter arbores ibi naſcentes ſolam oleam deſiderant. Poma cytria bonitate non cedunt gallicis & italicis; quæ bonitas non diverſo climati, ſed caliditati terræ eſt adſcribenda.

Quam maxime autem conſiderandi ſunt incolæ, quia reliqua tantum in eorum uſum a Deo producta ſunt. Eorum numerum quod attinet, pro ſua anguſtia ſatis iis eſt inſtructa: poſſet tamen longe majorem hominum copiam alere, ſi ceſſarent incurſiones turcicæ; hæ enim efficiunt, ut ager multis locis incultus jaceat. Similiter urbes propter pericula habent paucos oppidanos; nulla enim ferme ſecuritas extra mœnia. Ubi vero oppidani bonis extra mœnia ſitis non poſſunt uti, non eſt, quare ibi ſe velint continere. Adhæc quotannis Chriſtiani venales

(a) *ſalis*) *Status Hungariæ p.* 77.
(b) *armenta*) BARCLAI *icon animorum c. VIII.*
(c) *conſtare piſcibus*) HENINI *annotat. ad* TOLLII *epiſtolam V.*
(d) *fervida*) MARSIGLI *prodromus operis danubialis.*
(e) *omnes Europæ regiones*) TOLLII *epiſtola itineraria V, p.* 144.

nales abvehuntur Conſtantinopolin. Longe majorem vaſtitatem inducit imminens bellum: in tanto enim bello non poſſunt non multi occidi, multi venire in captivitatem. In ſuperiori Hungaria major incolarum multitudo, quam in inferiori, reperitur, ut & circa Arrhabonem amnem. Nuper novellæ teſtabantur, ex ſola Nobilitate & 20 oppidis exercitum 100000 hominum conſcribi poſſe; quæ multitudo eſt admiranda in tantis anguſtiis.

Magna Hungarorum & corporis & animi diverſitas eſt, quia variis conſtant *nationibus*. (a) In oppidis & extra eadem multi habitant Germani, alibi reperiuntur Hungari, proprie dicti, alibi Scytæ, quos in Tranſilvania vocant *die Zekeln*, qui ex antiqua Hunnorum proſapia oriundi ſunt. Sarmatæ etiam partem Hungariæ tenent, qui omnes ſunt venedici ſanguinis, qua etiam lingua utuntur. Pro diverſitate itaque gentium, diverſa eſt ratio animorum & corporum. Germani, germanicum quid ſapiunt, Hungari, hungaricum, Sarmatæ, ſarmaticum.

De Germanis notandum, quod magna eorum multitudo reperiatur in oppidis. Budæ tanta eorum eſt copia, ut nulli, niſi origine Germani, admittantur ad rempublicam. Mirum eſt, quod Hungari lege etiam excludantur. Odenburgi etiam multi ſunt Germani, & licet ibi maxima pars civium ſint Hungari: tamen nemo ad honores admittitur, niſi natione Germanus. Tale quid etiam in montanis oppidis uſu venit, quæ etiam a milite præſidiario germanico defenduntur.

In Tranſilvania tria ſunt hominum genera: 1) Germani, qui ſeptem urbes ibi exſtruxerunt, præter quas nullæ fere urbes alicujus momenti ibi reperiuntur. Hi ſe vocant Saxones, & lingua utuntur germanica. 2) Ciculi, (*die Zäkler*,) qui ſunt origine Hunni, & Attilæ reliquiæ. 3) Hungari. Quomodo Germani eo pervenerint, oſtendi ex Aventino. Nempe in vaſta Hunnorum loca ſucceſſerunt, Caroli M. juſſu, Moravi & Bohemi. Pars quoque militum Caroli M, qui conſtabat ex Saxonibus, invitati cœli ſolique bonitate, in ea receſſerunt loca.

Corpora Hungarorum, ſecundum antiquiſſima monumenta, (quod etiam de ipſis Hunnis dicitur,) fuere parva, robuſta, oculis concavis, rara barba, facie feroci & terribili: qua de cauſa veteres dixerunt: Hunnos primum prognatos a faunis & dœmonibus eſſe, non ab hominibus, propter faciei ferocitatem. Nonnulli ſcriptores referunt, veterem truculentiam vultus nonnihil eſſe mitigatam, aliquid tamen adhuc ſupereſſe. Quoniam vero ſunt corpore quadrato, robuſti ſatis ſunt, niſi tollant illam ſanitatem, nimium vina hungarica bibendo. Germanorum corpora minus ſunt robuſta, nec ita apta ferendis laboribus, vultu quoque longe mitiori.

Ingenium Hungarorum quod attinet, pauci ſunt virtutibus intellectualibus *inſtructi*, (b) doctos ibi perpaucos reperias, nec indoles illius gentis fert ſapientiam. Igitur ex omni ævo vix unus & alter memorari poteſt, qui eruditione inclaruiſſet: vixit tamen ſuperiori ſec Andreas Budicius, quinque-eccleſienſis Epiſcopus, Legatus ad concilium tridentinum hungaricus, Orator, politicus & philoſophus, in medicina & hiſtoria patriæ ſuæ nemini ſui ævi ſecundus. In religione inconſtantior fuit, ex pontificio Epiſcopo factus fuit reformatus, &, uti multi referunt, ex reformato aſſecla Socini. Inclaruit etiam ſuperiori ſec. Joh. Sambucus, Hungarus patre, majoribus Germanus. Stephanus Iſtuamphius fuit vir doctus & genuinus Hungarus, præter quos, tanto temporis intervallo, vix ullum reperies doctum Hungarum. Nec Hungaria artes ad vitam neceſſarias excolit: artifices enim, quos habet, ſunt Germani, ſive advenæ, ſive indigenæ. Quæ eſt ratio Hungarorum hac in parte, eadem etiam Hunnorum. Par eſt ingenium incolarum Croatiæ, nec ibi homines doctos aut artifices reperias, niſi origine Germanos; & hinc Germani incolunt urbes; quia in eis quam commodiſſime artes tractantur; Hungari vero ruri degunt, & militiam ſequuntur, aut agunt pecora.

Quod prudentiam attinet, ſatis ingenio & naturalibus dotibus videntur valere ad capiendam prudentiam, quod ex eorum verſutis actibus conſtat. Si itaque bene educarentur, prudentes evaderent; verſutia enim a prudentia tantum differt virtute morali, alias verſuti & prudentes eodem pollent ingenii acumine. In Hungaria reperiuntur viri rerum gnari, & periti ſuæ regendæ reipublicæ; magna tamen eorum multitudo non eſt. In Hungaris fœda vitia moralia exorbitare, non obſervatur, uti impudentia. Ex adverſo quædam vitia ibi ſatis ſunt frequentia, quæ pro diverſitate nationum obſervanda veniunt. Crudelitate & immiſericordia ſemper fuere infames, apti ſanguini humano fundendo; crudeliter enim eorum majores ſævierunt in omnes. Nec hodierni incolæ iſto vitio ſunt liberi, hinc latrociniis & deprædationibus valde ſunt dediti, a labore alieni.

Fortitudinem quod attinet, pleraque Hungarorum pars ſatis ad arma promta eſt; hinc bona pars hodie ſtudioſa libertati tuendæ. Ante 400 præter propter annos longe aliter fuere animati, longeque aliter eorum ſe habuit reſpublica. Ex Ottone Friſingenſi poteſt oſtendi, illos plane ſervili fuiſſe ingenio, & ſerviliter ſuo paruiſſe Regi more aſiatico: aſt ſec. XIII ingens facta mutatio, & populus hungaricus, præſertim Nobilitas aſpiravit ad libertatem, & longe generoſiori fuit animo, & libertati plus dedita, quam *oportuit*. (c) Ex eo tempore ad morem germani-

(a) *nationibus*) BARCLAJVS *l. c.*
(b) *inſtructi*) BARCLAJVS *l. c.*

(c) *oportuit*) Confer. quæ ſub Leopoldo in Hungaria acta ſunt.

manicum ſuam compoſuere rempublicam, cum antea omnia ad morem aſiaticum agerentur,

Hungari, uti Germani, ſunt bibaces. In venere ſunt parciores Italis & Hiſpanis. In dictis & verbis non obſervant fidem, & hanc ob rem, ut & neglectum juſtitiæ, ſunt infames: ubi enim perjuria & latrocinia *perpetua obtinent*, (a) ibi, juſtitia exulet, neceſſe eſt. Exercetur quidem in Hungaria juſtitia; quia ne latronum ſocietas ſine ea conſiſtere poteſt: ſed in peregrinos ſunt maxime injuſti. Inprimis hoc nomine conqueruntur Germani. Hoc autem puto fieri ob æmulationem illarum gentium; nam Hungari ægre ferunt, Germanos in ſuis ſibi præferri terris. Prælertim ægre ferunt, quod res ſuæ præſidiis Germanorum debeant eſſe ſalvæ, prælertim ex quo, ſalutis ſuæ tutandæ cauſa, Reges germanicos, Auſtriacos ſcilicet, recipere coacti ſunt, & militi germanico caſtella ſua tradere. Noſtri quidem Germani in eo peccarunt, quod more ſuo ſolito ubique aliquam ſibi præeminentiam arrogarent; id quod Hungari, licet Germanis carere nequeant, ægro ferunt animo. Accedit quod Auſtriaci germanico milite id egerint ut Hungari exuerentur libertate religionis. Et hinc eſt, cur hodie, ubi agitur de ſumma reipublicæ, clamitent, pellendos eſſe Germanos; futurum enim eſſe, ut per illum militem pontificium ſacra turbentur.

Quod attinet reliquos Germanos indigenas, cum iis Hungari bene vivunt, & id odium ad militem modo germanum extenditur. Germani hungarici minus ſunt feroces; hinc exercent commercia, dant operam opificiis & aliis liberalibus artibus. Interim participant aliquid de virtutibus & vitiis hungaricis, quemadmodum Tranſilvani, quorum ingenium magis magisque hungarico accommodatur. Ex hoc apparet, an ex hac mixtura perfecta poſſit componi reſpublica? Nec reſpublica compoſita eſt ad divitias, quod ob genium populi haud poſſibile eſt.

Bona Hungarorum pars ſatis religioſa eſt. Hac de cauſa Hungaria ante 40 circiter annos in varias ſecta partes fuit: Nobilitas enim hungarica aut Reformatis, aut auguſtanæ confeſſioni fuit addicta. Poſtea, cumprimis imperante Ferdinando II & III, multi Procerum acceſſere ad pontificiam religionem, allecti aulicis deliciis, promiſſis, honoribus. Eadem de cauſa factum, ut, cum Epiſcopi & Archi-epiſcopi ſtrigonienſes nullæ eſſent amplius auctoritatis, major ferme illis concederetur, quam unquam antea habuiſſent. Hinc hodie eorum ſatis magna eſt autoritas, quæ crevit ſpacio 20 aut 30 annorum partim artibus, partim aperta vi Auſtriacorum. Ita Hungari nuper conqueſti ſunt, de templis plus quam 200, per vim ſibi ereptis. Interim in urbibus magna eſt eorum autoritas qui ſunt *Lutheranæ* (b) vel reformatæ religioni addicti. Presburgi, Caſſoviæ & aliis locis non niſi Lutherani admittuntur ad honores. In omnibus oppidis, ubi prævalent Germani, ibi etiam præferuntur Lutherani. Wardini floruit reformata religio; ſed illa eſt abolita, & cives in in exilium miſſi. Præterea reperias nunnullos Photinianos in Hungaria, plures in Tranſilvania. Hæc indicant, populum ſic ſatis religioſum eſſe, & ſtudere conſcientiæ libertati. A tempore Ferdinandi II prævaluere Pontificii, & liberalitate regia nulli, niſi Pontificii *Magiſtratibus* (c) admoventur. Regni adminiſtratio eſt penes ſolos Pontificios, qui honoribus & præmiis reliquos maxime alliciunt ad eam religionem, ut Jeſuitæ non male obſervarunt. Quia vero Pontificii id operam dant, ut reliquos opprimant; hinc populus hungaricus diſcordia laborat.

Si reſpiciamus ad ea omnia, quæ reperimus in Hungaria, apparet, non Dominantium tantum quæri ſalutem; ſed felicitatem totius populi, parentium & Imperantium: ita enim regitur reſpublica, ut non multum ex ea emolumenti ad Cæſarem perveniat. Honores habet, & nihil fere præterea, ita, ut ærarium bohemicum teneatur ſuſtentare vires hungaricas, alias non ſufficientes, ad reprimendos Turcas. Maximum commodum, quod ex regimine Hungariæ capit Cæſar, eſt, quod, dum ab Hungaria avertit Turcam, eundem avertat ſimul ab hereditariis ſuis regionibus. Etiam in ipſo bello germanico non potuit Cæſar auxilia ex Hungaria ſumere; erant enim ab eo alieni, propter ſacram, quam exercebat, tyrannidem.

Componitur itaque reſpublica ad communem ſalutem: ſed ſi formam priſcam reſpicias, qualis fuerit ante ſec. XIII, longe aliter erit judicandum, & quidem ita, ut hodie judicamus de ſtatu Moſcoviæ, ubi quam maxime quæritur ſalus Dominantium. Ita etiam tunc temporis populus hungaricus fuit habitus, id eſt, ſerviliter. Primus Rex Andræas ſec. XIII. regiam vim & dignitatem multum mutavit, datis Nobilitati Hungariæ multis privilegiis, more Germanorum.

(a) *perpetua obtinent*) OTTO FRISINGENSIS *lib. I c. 31 de rebus geſtis Friderici I*, LUCAS DE LINDA *p.* 593; LANSII *oratio. contr. p Hungar* 592, 610. Sed a ſævo hoc more aliquantum eſt diſceſſum. Ob avaritiam etiam notantur. LANSIUS *p* 612. 622 ſeqq.

(b) *Lutheranæ*) Sed videtur autoritas hæc ad pauciores rediiſſe. Numerus vid *hiſtor. diplomat de ſtatu religionis evangelicæ in Hungaria*, quæ Lehmanno ſuppleto & continuato adhæret

(c) *Magiſtratibus* Regni Hungariæ Primas eſt ſtrigonienſis Archi-epiſcopus. Ad hunc pertinet jus Regem coronandi, ut ex Innocentii IV Papæ diplomate apparet. Huic ſubſunt Epiſcopi nitrienſis, regni & Regis Cancellarius, jaurinenſis, agrienſis, vaccienſis, quinque-eccleſienſis, veſprinenſis, qui eſt Reginæ Cancellarius. Sub Archi-epiſcopo colocienſi, qui & inter ſanctiores Regis Conſiliarios eſſe ſolet, ſunt Epiſcopi zagrabienſis in Sclavonia, tranſilvanienſis ſeu Albæ juliæ, varadienſis, ſirmienſis, cenadienſis, baſnenſis, hermanitadienſis, bachenſis Vid. MIRÆUM *in notitia epiſcopatuum lib. IV c. XVIII & c. X.* ubi de Dalmatiæ Epiſcopis agit.

ſum. Ex eo tempore magis magisque ad libertatem aſpiraverunt. Hodie coguntur Reges jurare, ſe velle ſervare privilegia ab *Andrea* (a) collata: ut itaque ſalus parentium æque quæratur ac Imperantium.

Prout hodie ſunt res hungaricæ, non quærunt divitias, potentiam, nec dediti ſunt voluptatibus. Tempore Attilæ & ſec. IX longe aliter ſe res habuit. Attilæ enim potentiam fuiſſe propoſitam ſatis apparet; quia omnes ſuas actiones, ſpretis divitiis, ad potentiam conſequendam direxit. Eodem animo fuere Hungari ſec. IX, cum primum ex Scytia advenirent, quod patet ex eorum rebus geſtis. Hodie itaque ſtatus reipublicæ apud Hungaros & Hunnos ſe habet longe aliter, quam olim. Vera felicitas ipſis eſt propoſita, & quamvis eam non ſemper aſſequantur, nec poſſint; interim tamen id agitur, ut populo bene ſit. Nunc videndum, an populus hungaricus poſſit conſequi felicitatem, & quibus modis. Videndum, qua regiminis forma utantur Hungari, & judicandum, an forma apta ſit ſcopo obtinendo. Deinde attendendum ad eos, qui regant rempublicam, an ii ſint idonei ad felicitatem comparandam.

Forma regiminis conſiſtit in conſtitutione ſummi Imperantis, & reliquorum *Magiſtratuum*, (b) &, ut hæc ſe habet, ita etiam ipſa reipublicæ forma. Ad ſummam autem poteſtatem ſpectant, facultas leges ferendi, tributa imponendi &c. In republica itaque hungarica erit diſpiciendum, penes quem hæ facultates reperiantur. Leges vero ferre, eſt ex parte penes Regem, ex parte penes Ordines: multæ enim ibi ſunt leges fundamentales, quas Reges violare non poſſunt, ſed in eas tenentur jurare. Inter illas autem ſunt omnia privilegia, quæ Reges Nobilibus & civibus aliis conceſſerunt. Olim quidem reſpublica hungarica fuit monarchica; ſed ſec. XIII. facta mutatio, indulgentia nimia Regis Andreæ, qui nimium libertatis conceſſit Nobilibus & populo. Ad Andræ exemplum multi quoque alii Reges ſe compoſuerunt, multum libertatis populo concedentes, perinde ut in Polonia, ubi etiam Reges paulatim multas immunitates Nobilibus ſuis conceſſere.

Leges ſacræ non feruntur ibi a Rege; hinc magna ſacrorum ibi eſt libertas. Ferdinandus II, III, & ipſe *Leopoldus* (c) ſibi plus juſto indulſerunt circa leges ſacras, adeoque circa jura. Hæc eſt cauſa, quare populus hungaricus ſibi a Regibus metuat, & quare nuper noluerit quicquam concedere in comitiis, & quare Delegati abierint, re infecta. Hoc ipſo anno, cum, in conventu Procerum regni, Rex curaſſet proponi Nobilitati, Epiſcopis & aliis Pontificiis, quantopere profuiſſet catholicæ religioni, & quam multas ædes eripuiſſet hæreticis, reſponſum fuit a pontificiæ religioni addictis: recte factum, & Regem ita oportere pergere. Aſt Nicolaus Serinius, Comes ille fortiſſimus, dixit: peſſime factum, & violatas eſſe leges. Adeoque ſi leges videas, Regi non eſt conceſſa poteſtas circa leges; ſed tenetur receptas obſervare.

Leges civiles, majoris momenti, Rex haud poteſt ferre; ſed comitia. Legislatoria itaque poteſtas eſt diviſa, inter Regem & populum; de minoribus vero momentis Rex ſolus conſtituit. Belli pacisque poteſtas etiam haud eſt in arbitrio regio; in quo ſibi etiam nimis multum, præter pacta & conventa, indulgent Reges. Diſertis in capitulatione eſt expreſſum verbis: quod hæc debeant conſtitui ex arbitrio Regis & populi. Fœdera ex toto non dependent ab arbitrio regio, interim etiam hoc ſibi Reges vindicant. *Tributa* (d) non poteſt imponere, niſi conſentiente populo. Non poteſt quemquam vocare ad militiam, niſi de conſenſu populi. Milites extraneos præſidiarios non poteſt urbibus imponere, niſi volente etiam populo: hinc conqueruntur Hungari, quod Rex contra pacta jurata ſibi obtrudat militem præſidiarium germanicum. Poteſtas cuſtodiendæ regionis eſt etiam diviſa: hinc urbes nuper nolebant præſidia recipere, quæ detrectare non potuiſſent, niſi legibus ita eſſet conſtitutum. Ex his itaque conſtat, hoc regnum eſſe legitimum; quippe in quo ſumma poteſtas inter Regem & Ordines eſt quaſi diviſa.

In Hungaria eſt maximus Magiſtratus Palatinus regni, qui fungitur dignitate *Pro regis.* (e) Aliter vocabulum Palatini accipitur in Hungaria, aliter in Germania, aliter in Polonia, ubi quilibet Waiwoda dicitur Palatinus. In Hungaria per Palatinum intelligitur tantum Pro-rex, cujus magna eſt autoritas, quia Rex vivit extra regnum. Hunc Magiſtratum creare, non eſt ſolius Regis arbitrii; ſed Ordines regni aliquem commendant, quem Rex deinde confirmat. Hæc etiam poteſtas regnum arguit mixtum. Similiter Judex generalis eligitur a populo, confirmatur a Rege. Tres potiores in Hungaria Magiſtratus, eliguntur a Rege & populo ſimul. Alios vero inſignes Magiſtratus ſolus Rex conſtituit: ita Comitum conſtituendorum poteſtas, eſt penes Regem; eſt enim Hungaria diviſa in comitatus. Epiſcopatuum etiam conferendorum jus eſt penes Regem.

confe-

(a) *Andrea*) Decretum hoc Bonfinii annalibus adhæret. Aliter autem hodie res hungaricas, poſtquam Turcis ereptum regnum, ſe habere, Auſtriaci contendunt. Vid. *europaiſchen Herold.*

(b) *Magiſtratuum*) Confer. *ſtatus Hungariæ c. IX*, ubi de iis, per quos regnum adminiſtratur & de judiciis agitur. Adde LUCAM DE LINDA p. 808 & *europaiſchen Herold.*

(c) *Leopoldus*) Hic ab Hungarorum rebellionibus graviter eſt divexatus. Quæ ipſis a Leopoldo, poſtquam Joſepho diadema Hungariæ impoſitum, promiſſa, in vita Joſephi p. 268 leguntur. Pax ultima, quæ cum alienatis in Hungaria eſt inita, in *electis juris publici* habetur.

(d) *Tributa*) Quid in nuperis Poſoniæ habitis comitiis hac in re factum, in recenti omnium eſt memoria.

(e) *Pro-regis*) Vid *europaiſchen Herold.*

Quærıtur, an ipſe Rex ſit Magiſtratus? Reſpondeo: tunc eſſe Magiſtratum, quando a populo eligitur, nec regnum eſt *hereditarium*, (a) nec Rex ſibi ſucceſſorem dare poteſt. Quamvis electio ſit conſtituta legibus, utrum tamen ab antiquis fuerit uſitata temporibus, ego non auſim dicere: imo affirmare non dubito, jam ante 60 annos hereditariam ſucceſſionem obtinuiſſe. Hodie certum eſt, quod Reges tanta valeant autoritate, ut etiam invitis Hungaris ſibi eam comparare queant. Reapſe igitur hereditaria prævalet ſucceſſio; in ſpeciem vero tantum ſolet fieri electio. Non autem ut in Germania ſit electio a paucis Principibus: ſed a toto populo, certe eo, quod habet jus ſuffragii in comitiis.

Nunc videndum, quinam, præter Regem, habeant partem ſummæ poteſtatis? Potiſſima negotia regni, expediuntur non niſi in comitiis regni: hinc ad comitia pars ſummæ poteſtatis ſpectat. Qui in Hungaria jus comitiorum habent, ſunt 1) Archi-epiſcopus ſtrigonienſis & Epiſcopi reliqui: nam plerique epiſcopatus in manus Turcarum pervenerunt. 2) Comites, Barones & Nobiles alii. In univerſum omnes Hungariæ Nobiles vocantur ad comitia. Illi itaque Nobiles, potiora habent jura quam Nobiles Germaniæ; pauci enim hic vocantur ad comitia. Ita etiam Nobilibus polonicis, quamvis pauperrimis, competit jus comitiorum. 3) Præter Nobiles ſunt oppida, quæ habent etiam jus comitiorum, inter quæ præcipua ſunt: Poſonium, Oedenburgum & Caſſovia.

Non autem eſt in poteſtate Regis aliquem inſerere in numerum Nobilium; ſed hoc fieri debet de conſenſu Ordinum regni, aut ad minimum de conſenſu Nobilitatis, ne, creata multitudine, reliqui ſuam perdant autoritatem. Ubi enim poteſtatis regiæ eſt, pro lubitu augere numerum Nobilium, ibi facile poteſt peſſumdari Nobilium veterum autoritas. In Imperio germanico Imperator quidem poteſt creare Duces, Comites; ſed ii non habent jus ſuffragii, licet Principes & Comites Imperii ſalutentur.

Hæc forma itaque ſatis convenit & ſcopo & genio populi. Poſterius quod attinet, videmus, Hungaros a 400 annis adſpiraſſe ad libertatem, quæ in eo poſita eſt, ut populus ſummæ partem majeſtatis habeat. Scopo etiam eſt conformis reſpublica; nam, ut civibus bene ſit, maxime facit, ut Rex non poſſit pro lubitu imperare & condere leges. Ubicunque ſibi cives ex parte poſſunt providere, ibi publica ſalus facile poteſt ſervari integra. Nunc de Magiſtratibus dicendum, per quos reſpublica adminiſtratur.

In coronatione Matthiæ II, facta anno hujus ſec. IX, a Geſſenio deſcripta, extat juramentum Regum Hungariæ. Reges ſequentes in nonnulla alia capitula jurare coacti ſunt, præter illud generale juramentum. Uti enim in Germania conduntur certæ leges capitulares, in quas coguntur jurare Imperatores: ita quoque in Hungaria. Ante in Germania Imperator etiam generale tantum præſtabat juramentum. Bonfinius diſerte fatetur, tantam eſſe Palatini autoritatem, ut etiam *coram illo* (b) liceat Regem accuſare; quod non eſt alienum a veritate, nec adeo inficiandum, cum in Germania olim idem fieri potuerit, nempe coram Palatinis ad Rhenum. Palatini itaque autoritate circumſcripta eſt autoribus regia; quia non eſt in arbitrio Regis, conſtituere talem Palatinum: quatuor enim aut quinque proponuntur ab Ordinibus, inter quos unum tenetur eligere. Etiam vice verſa, Rex quatuor ſolet proponere, & Ordines eligere, qui mos priori eſt frequentior.

Interim verum eſt, quod dixi, reliquos Magiſtratus conſtituere, eſſe arbitrii regii. Poſt Palatinum proximus eſt Judex curiæ, qui præſidet omnibus judiciis regiis, adeoque omnibus negotiis, quæ, ſive in prima, ſive in ſecunda inſtantia, ad Regem dijudicanda deferuntur. In conventibus ſolemnibus præfert Regi gladium, & eſt quaſi regni Marechallus. Tertius magnus regni Magiſtratus eſt Archi-cancellariatur, qui ſemper eſt penes Archi epiſcopum ſtrigonienſem, ad morem Germanorum, apud quos etiam Archi epiſcopus moguntinus eſt Imperii Archicancellarius. Præter, hos ſunt etiam nonnulli alii Magiſtratus, qui autem omnes a Rege conſtituuntur.

Magiſtratus ibi, uti alibi, partim ſacri, partim profani ſunt. Ad ſacros pertinet Archi-epiſcopatus. Olim regnum Hungariæ habuit duos Archi-epiſcopos. Hodie etiam titulotenus duos ibi reperias, revera tamen tantum *unus eſt*, (c) cujus tamen poteſtas multum eſt imminuta. Olim Archi-epiſcopus ſtrigonienſis habuit ſub ſe agrienſem, veſperinenſem, quinque eccleſienſem, raabenſem, nitrienſem & wacenſem, epiſcopos. Archi-epiſcopatus ſupereſt; ſed epiſcopatus *periere* (d) bonam partem. Alter Archi-epiſcopatus fuit *colloniceniſis*, (e) qui non, niſi titulotenus, ſupereſt. Ejus Suffraganei, ut ſagabrienſis in Croatia, tranſilvanicus, waradinenſis, boſnenſis, ſirmienſis, periere. (f) Etſi ante Ferdinandum II horum Archi-epiſcoporum & Epiſcoporum parva admodum fuerit autoritas; illa tamen hodie per hunc & Ferdinandum III multum crevit.

Inter civiles Magiſtratus præcipuos fuit olim waiwodatus: florentibus enim Hungariæ rebus,

(a) *hereditarium*) Hodie domus auſtriaca hoc regnum, a Turcis repetitum, ſuo annumerat patrimonio.

(b) *coram illo*) Mutato regni ſtatu, hoc hodie non amplius obtinebit.

(c) *unus eſt*) Hodieque revera duo ſunt, ut ſupra notavi.

(d) *periere*) Hodie omnes in integrum reſtitutos puto.

(e) *colloniceniſis*) Et hic hodie valet.

(f) *periere*) Et hi maximam partem ad priſtinum rediere ſtatum.

rebus, Reges ſoliti ſunt dare Waiwodas Moldavis, Wallachis & Tranſilvanis. Ex quo vero res regni adeo ſunt acciſæ, in Turcarum poteſtatem hæc dignitas, ejusque conferendi facultas, venit. Interim titulotenus ſolent comparere in coov entibus magnis.

Antehac Reges Hungariæ audivere Reges Croatiæ, Slavoniæ, Dalmatiæ, quibus tribus regnis dedere Pro-reges ſive Bannos. Slavoniæ & Dalmatiæ bannatus periere; Bannus quidem Croatiæ ſupereſt, ſed autoritate exigua. In publicis conventibus haud raro creantur Bani Dalmatiæ & Slavoniæ; ut ita inaoibus titulis repræſentetur priſca Regum antiquorum majeſtas.

Hungaria diviſa eſt in proviocias, quas lingua hungarica vocant *Iſpaln*, germ. *die Geſpanſchafften*, lat. comitatus. Tales comitatus in Hungaria ſuperſuot præter propter 25. Sunt quaſi diœceſes, quæ ſua peculiaria habent judicia. Hos Comites ſolet Rex eligere, pro arbitratu ſuo, ad vitæ tempus. Præter hos ſunt Nobiles & Comites quidam hereditarii, qui comitatus hereditarios habeot, a quibus reliqui differunt Nobiles, qui ioterdum ſat exigua habent bona. Inter illuſtres Hungariæ familias præcipuæ ſunt: Turcones, Forgaſii, Illiczhazii, Serinii, unde ille eſt oriundus, cujus hodie oomen inclareſcit, qui exſtruxit caſtellum Zerinwaar, Budiani, Eſterhaſii, Palvii, Erdodii, Hamanai, Iſtuamphii, quarom nomina hoc bello magis magisque nobis ionotueruot. Per hos Magiſtratus, & alios, minoris momenti, adminiſtratur regoum Hungariæ.

Hungaria hactenus propugnavit libertatem ſuam, partim proprio, partim auxiliario milite. Miles hungaricus non eſt par potentiæ Turcarum; hinc ſalva eſſe non poteſt, niſi ſimul velit adhibere militem peregrinum. Cumprimis auxiliarem ſemper habuit militem, ex eo tempore, ex quo habuit Reges germanicos, Auſtriacos. Hi Reges viderunt ſibi conducere, ſi per caſtella fortiſſima, ſibi obnoxia, militem diſtribuerent. Hinc Reges coacti ſunt alere de ſuo militem, & ſubditi cæſarei in hoc contulere iogentem pecuniæ ſummam. Maximus militum oumerus Raabi & Comorræ alitur, quia hæc duo fortalitia cæteris ſunt robuſtiora. Alibi quidem etiam aluntur præſidia, ſed non tam magna Hæc duo memorata præſidia a ſolo Rege dependeot, quibus præficit Germanos aut alios, quos libuerit. Militem domeſticum evocare, noo eſt io poteſtate regia; ſed Rex illi tantum ſolet Præfectos dare, ex gente hungarica: non enim patiuntur Huogari, alium, quam Hungaria natum, ſibi præfici. Interim accidit haud raro, ut Cæſar ſuperaddat Præfectum ſummum, oatione Germanum, frementibus fruſtra Hungaris, ita ſua violari privilegia.

Milites huogarici pedeſtres, partim ſunt conductitii, partim evocati: ſimul ac enim placuerit bellum gerere, ex arbitrio omnium Ordinum, licet evocare quosdam 1) ex Nobilitate, 2) ex agris, 3) ex oppidis. Equitatus in Hungaria prævalet. Levis armaturæ equites vocantur Huſſari, quorum mos pugnandi eſt pæne aſiaticus; oon enim, obſervato ordine, ſigna ſequuntur, ſed, modo huc, modo illuc, diſcurrunt. Hinc parva Germanorum manus poteſt fundere magnas Hungarorum copias. Prævalet equitatus hungaricus pernicitate equorum; ſed Germani, dum ſervant ordines, prævalent.

Arma quoque, ab armis, germanico militi adſuetis, diverſa ſunt. Puſicanis maxime utuntur, raro bombardis: hinc noſter miles aptior eſt pugnare eminus; hungaricus non niſi cominus manum conſerere poteſt. Pedites huogarici ſolent vocari *die Heydukken*, de quibus poteſt idem affirmari, quod de equitibus, ſcilicet, quod longe inferiores ſint milite germanico pedeſtri; quia 1) non obſervant ordioes, 2) non utuntur bombardis, & hinc inepti ſunt eminus pugnare. Multum ferociæ alias ineſt Huogaris; interim pernicitas equorum ſæpe fugam ſuadet.

Quale ſit ingenium primariorum Mioiſtrorum, & quale Primatum regni? non poſſum indicare. Quali Rex ſit ingenio, notum eſt, cum idem ſit noſter *Imperator.* (a) Palatinus jam eſt ſenex, ad res magnas oon adeo aptus, ſic ſatis ingeoio bono, catholicam proſequens religionem. Inter Ordines fortiſſimus Serinius eſt, qui domicilium ſuum potiſſimum in Croatia habet. Hic eſt terror Turcarum, qui parva manu toties eos vicit, nec retulit pedem ex acie, aut prœliis tumultuariis, niſi victor. Noo poteſt Turcæ nomen audire ſine magna aoimi & corporis commotione. Oppidum exſtruxit, oon procul a Caniſcha, oppido Croatiæ. Hæc urbs dicitur Serin-waar, quaſi oppidum Serini, ſita admodum munito loco & infeſto Turcæ. Hæc urbs poteſt eſſe præſidium rebus croaticis. Magni etiam nominis eſt Comes Budiani; reliqui vero non ita clarent. Ex prædicti familia Serinii fuit natus Nic. Serinius, qui feliciſſime defendit Zigethum cootra Turcas, donec tandem, rebus omnibus deſperatis, cum exigua manu invaſerit hoſtem, & ita, ſtrage ingenti prius concitata, obierit.

De familia regia olim ita ſe res habuit. Ab antiquiſſimis temporibus apparuit, Hungaros, ex quo Pannoniam occuparunt, partim hungarici, partim externi ſanguinis, habuiſſe Reges. Exſtat libellus Abrahami Baczkai, ſchemnicenſis Huogari, in quo continetur chronologia Regum hungaricorum, & in quo oſtenditur, Hungaros haud inſtructos fuiſſe ullis monumentis, priusquam chriſtianæ religioni dederunt nomina: certe apud eos nulla antiquarum rerum

(a) *Imperator*) Carolus VI Imperator, quem hodie habent Regem, nemini deceſſorum ſuorum, rerum geſtarum gloria, & animi magnitudine, inferior eſt.

rerum ſupereſt hiſtoria. His poſthabitis rationibus, Hungari non dubitant, Regum ſuorum ſtirpem derivare ab ipſo Noacho; quod, quo fundamento nitatur, haud diſquiro.

Ex illis Regibus primus religioni chriſtianæ nomen dedit, qui mutato nomine dictus fuit Stephanus, ſec. X. *Baptizatus* (a) eſt anno 970 ab Adelberto Archi-epiſcopo pragenſi, & magnam Hungarorum multitudinem ad eadem ſacra perduxit: hinc etiam adſcriptus eſt ordini ſanctorum, & audit S. Stephanus Rex. Huic improli ſucceſſit *Germanus*, (b) nomine *Petrus*, (c) quem mox Hungaria pulſum, ſequutus eſt alius Hungarus. Paulo poſt familia regia pervenit ad Andream, proxima conſanguinitate junctum Stephano. Ex hac familia alius ſanctus, nempe Leopoldus, ortus fuit; ut ita Hungaria duos habeat Reges ordini ſanctorum inſertos.

Ex eadem etiam familia orta fuit Eliſabetha, nupta Duci Brabantiæ & Land grafio, *Haſſiæ*, (d) omnium Land-grafiorum Haſſiæ mater, quæ etiam ſanctorum adſociata gregi fuit, Marpurgi admodum devote culta, ſepulta, reliquiæque ejus ſuperſtitioſo cultu adoratæ fuerunt; donec Philippus Land-grafius Haſſiæ, cum tota Haſſia ſuperiori ſeculo ad eum perveniret, odio ſuperſtitionis inductus, clanculum easdem curaret defodiendas, ut nemo noſcat, ubinam lateant. Fecit hoc propterea, ut tantum ſuperſtitioni ſubtraheret materiam. Fuit illa Belæ Regis hungarici filia. Hæc familia Regum Hungariæ continua ſtirpe duravit usque ad annum 1331: ex eo enim tempore omnis ſtirps regia interiit, & Hungari varios variarum gentium Reges habuerunt.

Habuit primo Reges ex familia gallica, ex regno neapolitano. Cujusmodi ſunt *Carolus* (e) primus & Ludovicus, Caroli filius, ut & Maria, filia hujus Ludovici. Hi omnes fuere Franci origine, & proxime oriundi ex regno neapolitano. Præterea accepit aliquot Reges polonicos, ſtirpis jagellonicæ. Ex quibus fuit *Uladislaus*, (f) Rex bellicoſus, plane natus ad ingenium hungaricum, & ad res magnas expediendas. Porro accepit Reges germanicos, ſtirpis haud unius. Inter quos eſt Sigiſmundus Imperator & Rex Bohemiæ, qui duxerat in matrimonium Mariam, Ludovici I filiam, regni heredem, ſed *impudiciſſimam fœminam.* (g) Cum itaque ex illa nata eſſet unica filia Eliſabetha, nupta Alberto Imperatori & *Archi-duci* (h) Auſtriæ, Hungaria iterum nacta eſt Regem germanicum, qui primus auſtriacæ ſtirpis in Hungaria Rex fuit. Albertus hic, qui alias erat improlis, obiit, relicta gravida uxore, quæ paulo poſt Ladislaum peperit.

Ex eo tempore regnum vehementer concuſſum eſt; quia Rex erat infans, & ejus ſucceſſor *Ladislaus Polonus* (i) in acie contra Turcam vitam amittebat. Interim nova iterum in Hungaria exorta lux, ſub regimine *Joh. Hunniadis* ſeu Corvini, Waiwodæ Tranſilvaniæ, Hungari; qui terror fuit Turcarum, & quo nemo tunc temporis rebus gerendis aptior fuit. Hic aperto marte aliquoties vicit Turcas, imo ipſum Mahomedem, ut aufugere coactus fuerit Conſtantinopolin. Sæpius etiam cum Baſſis conflixit; ſed ſemper victor. Hic conſtitutus erat Curator regni, donec Ladislaus adoleſceret; quo adulto regni adminiſtrationem depoſuit. Poſtea, cum ſuaſu Papæ cum Amurathe contra datam fidem pugnaret, in prœlio, una cum Rege ſuo, interemtus eſt.

Notandum, Deum ita ſolere ulciſci fracta fœdera. Jurata pax erat in Evangelium & Alcoranum. Turca, hoc prœlio ferme victus, precatus eſt Deum, ut hanc Chriſtianorum ſuorum perfidiam ulciſceretur: quo facto victores Turcæ in prœlio ad Varnam evaſerunt.

Non multo poſt interitum *Regis*, (k) in ejus locum ab Hungaricis ſurrogatus eſt Matthias Corvinus, Joh. Hunniadis filius, qui, dum eligebatur, in arctiſſimo *carcere* (l) a Bohemis detinebatur. Hic etiam evaſit Rex *celeberrimus*, (m) animi corporisque dotibus, imo & rebus geſtis maximus. Summus fuit bellator, ſummusque eruditorum Mecœnas: hinc condi curavit bibliothecam, qualis tunc temporis in univerſa Europa non reperiebatur. Antonius Bonfinius prolixe ejus vitam & aulam, in qua una cum multis doctis Germanis & Italis vivebat, perſequutus eſt.

Hoc

(a) *baptizatus*) BONFINIUS *rerum hungaricarum decad. II lib. I. p.* 169 ſeqq.

(b) *Germanus*) Cujus originis Stephanus fuerit, multis obnoxium eſt dubiis HAHNII *hiſtoria Imperii part. III p.* 9.

(c) *Petrus*) Hic erat Stephani ſororis filius. BONFINIUS *l. c. p.* 189. Ex ſcommate aliquid habere videtur, quod non tam ex genere, quam feris Teutonicorum moribus, cuncta geſſiſſe viſus fuerit.

(d) *Haſſia*) BONFINIUS *p.* 284.

(e) *Carolus*) BONFINIUS *decad. III p.* 353 ſeqq.

(f) *Uladislaus*) tam I quam II fortitudine celebris fuit. Conf. BONFINIUS.

(g) *impudiciſſimam fœminam*) Confundit autor noſter Mariam, primam Sigiſmundi conjugem, cum Barbara de Cilly, ſecunda ejus uxore, ſeculi ſui Meſſalina. GERARDUS *de Roo lib. V p.* 154.

(h) *Archi-duci*) GERARDUS *de Roo lib. V p.* 156.

(i) *Ladislaus Polonus*) Ladislaus poſt Alberti mortem natus anno MCDXL. Albæ regali, cum nondum quatuor annos natus eſſet, in Regem unctus eſt: verum enim vero Uladislao Polono adherentes prævaluerunt; ſed ipſo in prœlio ad Varnam cæſo, ad Ladislaum patrium rediit regnum. Enim vero, cum Fridericus III Imperator Hungaris juvenem tradere nollet Regem, Hungariæ Pro-rex Johannes Hunniades creatus, qui Auſtriam cum exercitu ingreſſus, magno provinciam damno afflixit. Sed cum diu ſatis litigatum fuiſſet, res ita compoſitæ, ut Ladislaus Viennam magno honore ab Hungaris deductus, ab eis æque ac Bohemis Rex receptus ſit. Hic in ipſo nuptiarum apparatu, cum Galliæ Regis filiam ſibi thori ſociam jungere vellet, ab amica anno 19 ætatis toxico necatus dicitur. *Relatio hiſtorico-politica regni Hungariæ p.* 23.

(k) *Regis*) Ladislai poſthumi.

(l) *carcere*) GOLDASTUS *de regno Bohemiæ p.* 1075.

(m) *celeberrimus*) HUBERUS *in hiſtoria civil. part. II lib. I ſect. II c. V.*

Hoc defuncto, ſucceſſit *Ludovicus II*, (a) filius Uladislai II infelix, Rex ſimul Bohemiæ, in quo omnia erant præmatura: præmature enim natus fuit, cuticula nondum tectus, quæ cura Medicorum corpori inducenda fuit; puer barbatus duxit uxorem & improlis obiit. Regia dignitas tum erat valde occiſa, & Ordines nimis ſtudebant libertati. Cum autem hic adoleſcens non eſſet inſtructus copiis, & tamen non dubitaret laceſſere Turcam, redactus ad anguſtias & a Solymanno victus eſt, anno 1526.

Exinde regnum magis magisque decrevit, creſceotibus Turcarum viribus. Quicquid robuſtum fuerat, periit in illo ſupra memorato iofelici prœlio. Diſſidiis etiam laboravit Hungaria: conventum enim inter Ladislaum II & domum auſtriacam de mutua ſucceſſione; hinc, Ludovico cœlo, *Ferdinandus* (b) ſe fecit eligi Regem a parte Ordinum, aliis Joh. de *Zapolia* (c) eligentibus.

Ex eo tempore domus auſtriaca Hungariæ Reges dedit, Ferdinandus adminiſtravit reliquias regni, cui ſucceſſerunt Maximilianus, Rudolphus, Ferdinandus II, III, & *Leopoldus*. (d) Cumprimis magno damno ab Hungaria avulſa Tranſilvania, cujus poſſeſſio exinde ſemper fuit dubia, modo hoc modo illo prævalente; in ea enim hereditaria non obtinet ſucceſſio, & Ordines electionem exercuere. Tandem eo deventum eſt, ut electio dependeret a nutu Portæ ottomannicæ, & elegit Bethlem Gaborem, Ragotzki, vaſallos turcicos.

(a) *Ludovicus II.*) Sed eum in regno Uladislaus Poloniæ Regis Caſimiri filius anteceſſit.

(b) *Ferdinandus*) Hic Annam Uladislai filiam, Ludovici ſororem uxorem habebat.

(c) *Zapolia*) Ex Tranſylvaniæ waywoda Rex factus.

(d) *Leopoldus*] Quæ ſub hoc, Joſepho & Carolo VI in Hungaria geſta ſunt, in vitis eorum reperiuntur.

CAPUT XXXIX.
DE
REPUBLICA HELVETIORUM.
Rhætorumque omnium.

NUnc ad fœderatas Helvetiorum provincias pergendum, quæ origines Rheni occuparunt, uti Hollandia oſtia ejusdem: ubivis enim populos videas liberos, ſibique ipſis jus dicentes.

Priusquam autem de Helvetiis dicam, afferam ſcriptores, qui eorum res memoriæ prodiderunt. De rebus Helvetiorum veteribus, ut & de eorum libertate, ſcripſit Julius Cæſar; ejus enim tempore, hic populus non dubitavit ſibi promittere totius Galliæ imperium. Ad hanc ſpem populum erexit quidam ex eadem gente Dux, ſed iofeliciter: ejusdem enim Cæſaris auſpiciis victi ſunt, ita, ut Romanis parere cogerentur. Quædam etiam poſſunt peti ex *Strabonis geographia:* (a) ſed hodierni ſtatus ratio maxime eſt cogooſceoda. Habemus autem ſcriptores, tum germanicos, tum latinos, egregie eam deſcribentes rempublicam, quos omnes eoumerare, non operæ pretium. Optimi ſunt, Johanoes Simlerus, qui omnem Helvetiam deſcripſit, & ejus reſpublicas. Ortus hic fuit ex tigurina urbe, exiguorum opum; quare animum non ad rempublicam, ſed ad res eccleſiaſticas applicavit. In ſcribendo admodum felix fuit. Duo hujus auctoris admodum docti libri exſtant, qui inter deſcriptiones rerumpublicarum, in Belgio editarum, recuſi ſunt. Editio tigurina batavicæ eſt præferenda, quia eſt perfectior, nec meodis, uti batavica, ſcatens. Hic fuit diſcipulus Conradi Geſneri, qui ſibi ingens excitavit nomeo: hinc præceptoris ſui opus de bibliothecis contraxit, additis in fine multis rebus utilibus. Præclarum etiam ejus opus exſtat de Alpibus, qui legendus ab iis, qui rerum helveticarum cognitionem ſibi acquirere diſcupiunt; quia Helvetia maximam partem inalpina eſt. Extat etiam Franciſci Guillimanni *ſcriptum* (b) præclarum de Helvetia. Hic magnum nomen invenit, ſcriptis hiſtoriis; ſed quia admodum fuit addictus partibus familiæ auſtriacæ, apud Helvetios non optime audit. Opus certe præclarum & lectu dignum. Scripſit etiam alia, ut, librum de originibus familiæ habsburgicæ, in gratiam Auſtriacorum, item de Epiſcopis argentoratenſibus. Extat etiam ſcriptum de Helvetia OSWALDI MOLITORIS; ſed ea, quæ ad rempublicam pertinent, non eſt perſequutus. Extant aliæ deſcriptiones Helvetiæ in theſauro politico PHILIPPI HORNII, CASPARIS ENS, & NICOLAI BELLI; ſed non comparandæ cum Simleri libris. Singulatim autem reperitur diſſertatio de hac re, Danielis Eremitæ, natione Brabantinus, qui conſenuit in aula florentina. Valet eximia ſcribendi facul-

(a) *Strabonis geographia*) Conf. CELLARII *geographia antiqua lib. II c. III p.* 274.

(b) *ſcriptum*) Novam ejus editionem, quæ Aventini annalibus boicis adhæret, Gundlingio debemus.

facultate & judicio haud inſulſo. Hujus etiam exſtat epiſtola ad Principes Germaniæ, de legatione, quam cum Onalto Comite cootexuit: ſed hæc epiſtola ſimile quid famoſis libellis habet. Perſcripſit autem ſic actus Principum Germaniæ, ut pudori ſit, has poſteritati demandare. Editus hic libellus in Batavia, & Simlero additus. Huic libro etiam altera eſt adjuncta epiſtola de aula Ferdinandi. Præter hos ſcriptores Ægidii Tſchudii liber proderit, quo *fœdus rhaticum* (a) deſcripſit, quod vulgo dicitur fœdus canum. (*der Graubeder*) Eſt quidem hoc fœdus diverſum ab helvetico; ſed tamen aliquo modo cum ipſo conjunctum. Hiſtoriam illius gentis deſcripſit Planta. Habemus porro Helvetiæ mappas geographicas optimas. Habemus deſcriptionem Cluverii Helvetii veteris, quæ inſerta eſt editioni bononianæ. Idem autor deſcripſit Rhætiam veterem. JOH. STUMPHIUS grandi volumine deſcripſit chronicon *Helvetiorum*. (b) *Hodierna Helvetia* præclara *deſcriptio* extat GERHARDI MERCATORIS, cujus bonam partem debet Sebaſtiano Mynſtero, qui res illas præclare perſecutus eſt, quippe in urbe confœderata & vicina natus erat. Hi ſcriptores poterunt vos quam maxime juvare, quare non opus videtur, ut de reliquis hic aliquid adjiciamus. Cumprimis comparanda eſt vobis mappa Helvetiæ, in Belgio ſtudio Mercatoris & aliorum coofecta.

Prius dicendum de nomine iſtius terræ. Unde autem Helvetiorum nomen ortum habeat, penitus ignoratur, nec amplius, niſi in doctorum virorum ſcriptis, io uſu eſt. Obliterata videtur ex eo tempore, ex quo Alemanni, gens germanica, ſe io illas terras effuderunt. Incolæ igitur lingua, inſtitutis, moribus ſuot Germani: veteres vero fuere origine *Galli*. (c)

Hi autem fœderati populi vocantur, *die Eydgenoſſen*; quia omnes in unum fœdus conjurarunt. Alias dicuntur Sweidzeri a pago Swiz, qui *primus* (d) omnium, ioter tredecim confœderatos, arma pro libertate corripuit, & reliquos in fœdus traxit. Pæne enim hic evenit, quod etiam alias evenire ſolet, ut præcipua pars omnibus vicinis, qui io republica vivunt, nomen imponat: ita vulgo fœdus belgo-germanicum dicitur hollandicum, a præcipua provincia Hollandia.

Regiooes & fines eorum quod attinet, patet, latius Helvetiorum patuiſſe nomen, atque nunc patet Sweizerorum; quod oon ulterius extenditur, quam Helvetiorum germanicorum. Ex Cæſare apparet, veteres Helvetios pro finibus habuiſſe Rhenum, montem Juram & Rhodanum, ita ut appareat, etiam regiones, comitutum francicum, Burgundiam eo pertinuiſſe. Hodie aliter ſe habent fines, quam olim; nam aliqua pars in Alpibus accenſetur Helvetiæ, uti quædam pars cis montem Juram, ut Baſilea. Hodie Helvetia *pro finibus* (e) habet Rhenum, lacum brigantinum & montem Juram, ita, ut extra hoſce fines paululum ſeſe extendat hæc reſpublica. Quodſi velis fœderatis *die Graubunder* accenſere, latius in ipſis Alpibus patet. Ipſæ etiam Helvetiorum vires late in Alpibus pateot, quia bonam partem ducatus *mediolanenſis* (f) ſibi ſubiecerunt, fracta Regum Galliæ potentia.

Quod attinet ipſam regionem, patet, ipſam habere multos *montes* (g) excelſos, qui dicuntur, *die Gotthards-Berge*. Ipſe mons Iura perpetuum, quo ab uno latere cingitur, jugum eſt. Valles etiam inter montes complures habet. Diſtincta porro eſt regio *multis fluviis* (h), ſtagnis, rivulis iofinitis, qui fluvii & rivi incrementa ſua debent, nivi & glaciei reſolutis. Hinc omnium fluviorum curſus eſt rapidiſſimus, & cum impetu in decliviora ruunt loca.

Quia autem regio late patet, non ubivis eadem eſt cœli ſolique ratio. Bona eoim pars montium riget perpetuis nivibus & glacie, adeoque minus eſt frugifera. Alii montes ſunt decliviores & magis fertiles. Qua parte eſt vicinior Alpibus, frigidior eſt, & minus ferax, ibi convallibus tamen illis lata ſunt paſcua, in quibus paſcere poſſunt pecora. Regio omnis, ſi cœli qualitatem videas, eſt omnino aſpera; io vallibus vero omnia ſunt clementiora, & eis locis, quæ ab Alpibus remota ſunt.

Soli qualitatem quod attinet, licet terra ſit frigida, tamen omnibus generibus herbarum abundat. Arbores etiam alit *ingenti multitudine* (i). De his omnibus diligenter diſſerit Simle-

(a) *fœdus rhaticum*) Adde SPRECHERI *chronicon Rhatia*, BUCELINI *Rhatiam etruſcam romanam &c.* PASCHALII *legationem rhaticam.* SPRECHERI *hiſtoria motuum & bellorum in Rhatia excitatorum in his poſtremis temporibus, Hiſtoire de la Valtlane & des Griſons, contenant les memoires, diſcours traités & negotiations ſur le ſujet des troubes &c.* SIMLERI *Valeſia deſcriptio.*

(b) *Helvetiorum*) De Helvetiorum rebus publicis varii in Hollandia editi ſunt Scriptores. Legi quoque merentur SUIZERI *chronologia helvetica*, STETLERI *annales helvetico bernenſes. Les delices de la Suiſſe.*

(c) *Galli*) Aliqui putant, Gallorum vocabulum, quando Helvetios complectitur, Celtarum ſynonimon eſſe.

(d) *primus*) Conf. LEIBNITII *C. J. G. diplomatic.*

(e) *pro finibus*) *Il eſt borné au nort par la Souabe & par l'Alſace, au couchant par la franche comte, dont le mont Jura le ſepare, au midi par le lac de Geneve par le valais & par les Milanois, & au levant par les Griſons. Ce pays peut avoir quarante cinq lieuës du ſud au nord depuis Mendris juſque a Schaffouſe & ſoixante du couchant au levant depuis le mont. S. Claude aux confins de la franche Comté juſque a l'embouchure du Rhin, dans le lac de Conſtance* BAUDRAND *p.* 918.

(f) *mediolanenſis*) Quatuor Helvetii præfecturas, quæ olim Mediolanenſium fuerunt, habent, nempe fuganenſem, bocarnenſem, mendriſianam, vallem mediam. Ab harum imperio Abbatis-cellani excluduntur.

(g) *montes*) BAUDRAND. *p.* 919.

(h) *multis fluviis*) Tres in Helvetia ſunt fluvii notabiliores, Rhenus, Rhodanus & Arola, & duo lacus podamicus ſive conſtantienſis & lemanus ſive bregantinus.

(i) *ingenti multitudine*) Ab exſcindendis & erudicandis ſilvis, quarum multitudine laborant, abhorrere dicuntur, ut eo magis ab hoſtilibus tuti ſint impreſſionibus.

ſimlerus in commentario de Alpibus. Metallorum quidem ferax eſt, ſed non fodiunt ea Helvetii, nec ab aliis id fieri patiuntur, niſi quod in nonnullis locis ſint quædam *ferri fodinæ* (a). Quod Tacitus de Germania dicit: eſſe plenam metallorum, ſed ea non fodi curaſſe, id quoque de Helvetiis prædicari fas eſt: nimis enim generoſi ſunt, nec tali modo victum quærere volunt. Lapidum affatim ibi reperitur, præſertim marmoris; ſed incolæ talia non curant.

Animalium (b) valde ferax eſt. Armentorum copia laborant, quæ alunt in ipſis Alpibus, quorum paſtores per aliquot menſes domum non redeunt, ſed ſub dio vivunt. Hinc ingens copia butyri & caſei eſt. Videas etiam ibi immanes greges porcorum, equorum. Feras quod attinet, leones, tygrides, ibi non reperiuntur; quia terræ calidæ talia animantia producere ſolent: leporum vero, capreolorum, cervorum, damarum, præſertim in rupibus, feraciſſima eſt. Igitur ſi velis ex venatione vivere, affatim terra ſuppeditat. Urſorum, luporum, ibi ingens eſt copia. Avium etiam & piſcium ibi magna reperitur copia, ita, ut hac parte regioni illi nihil deſit.

Omnia, quæ majorem caloris gradum requirunt, ibi deficiunt: hinc non reperias frugiferas arbores, nec *frumentum*, (c) in illis locis, quæ ſubjacent Alpibus; in iis vero, quæ ab illis ſunt remotiora, nec linum nec frumentum deſideratur.

Helvetia dividitur in 13 pagos. (Voce pagi intellecta pro regione ſive ut ipſi loquuntur *orth.*) Rectius dividitur in fœderatos perpetuo pagos, qui perpetuo fœdere ſunt conjuncti; & in horum *ſocios*, (d) qui quidem priorum ſunt fœderati, ſed non omni ex parte; & in præfecturas communes, quibus omnes, ſive quidam pagi imperant.

Inter pagos illos fœderatos primum occupat locum Tigurum 2) Berna, 3) Lucerna 4) Uria, 5) Suicia, 6) Unterwaldia, 7) Tugium, (*Zug*) 8) Glarona, 9) Baſilæa, 10) Friburgum, 11) Soludurum, 12) Scaphuſium, 13) *Albatis-cella.* e) Hi 13 pagi coierunt in *perpetuum fœdus*, (f) & quaſi unam conſtituunt civitatem. Hi pagi Italis dicuntur cantons.

Secundo, Helvetiis accenſeri merentur illorum ſocii, qui tamen non tam æquali *fœdere* g) cum reliquis continentur, quorum 1) eſt Abbas S. Galli, 2) Rhætorum fœderati populi, vulgo *die Graubünder*, 3) Epiſcopus ſedunenſis, 4) Valeſia tota, 5) urbs Rothwila, 6) Muhlhuſium, 7) Biennenſes, 8) Neocomenſes, 9) Geneva. Hi quaſi ſecundam Helvetiæ partem conſtituunt. Denique huc pertinent *præfecturæ* (h) communes, quæ aut omnium, aut plerorumque imperio reguntur. Præfecturæ autem illæ ex parte ſunt helveticæ, ex parte italicæ: partim enim ducatus Mediolanenſis acceperunt in præmium, reſtitutione Ducis Mediolanenſis in integrum, pulſis Gallis.

Hæ regiones omnes populoſæ ſunt. Populi bona pars agrum incolit, quod reliquum, urbes. Oppida in illis pagis reperias Tigurium, Bernam, Lucernam, Tugium, Baſilæam, Friburgum, Soludurum, Scaphuſium, oppidum St. Galli, Curiam, oppidum Rhætorum, Sedanum, oppidum Valiſiorum, Rottwiliam, Muhlhuſium & Bipenne. Reliqui incolæ non habent urbes; ſed in agris & ſylvis vivunt.

Ingenium (i) populi quod attinet, illud non eſt unius modi, aliud enim eſt illorum, qui oppida, aliud illorum, qui agrum colunt. Qui agrum colunt, ſunt agreſtiores, & a molli vita alienatiores, duri, aſperi, adeoque ad bellum aptiſſimi. Si virtutes morales ſpectes, in univerſum de Helvetiis ſic ſat bene ſe habet; vivunt enim temperanter, nec reperias ibi adulteria frequentia, nec vagas libidines, & licet ſint Germani, vinolentiæ non adeo ſunt dediti, ut hinc eos condemnes. In victu ſunt frugales. Vivunt bonam partem lacte & carne: hinc vocantur etiam *die Milch-Bangel.* (k) Hæc ratio vivendi facit ad ſanitatem, inprimis ad robur corporis, ut oſtendi in diſſ. de corporis Germanorum habitu antiquo.

Fortitudine reliquarum gentium res pæne ſuperant, quod apparet inde, quia ſe in libertatem aſſeruerunt, fracta *Auſtriacorum* (l) potentia, & ſuam libertatem per tria jam ſecula defenderunt. Geſſerunt & jam bella atrociſſima in Italia & alibi, cum Regibus potentiſſimis, & in Italiam non dubitarunt mittere 30000 hominum, ad infringendam Gallorum *potentiam* (m).

Hi labefecere potentiam domus burgundicæ, tempore *Caroli Audacis* (n) Ducis, nec milite ſe defenderunt conductitio, ſed lecto; etſi ille conductitius eſt ex ſuo ipſius territorio eum conducunt. Ut enim ſe defenderunt Belgo-germani pecunia, ita hi ſuo ſanguine & armis: hanc autem fortitudinem eorum vitæ generi adſcribo. Vi-

(a) *ferri fodinæ*) BRUCKMANNI *magnalia Dei* p. 40 ſeq.
(b) *Animalium*) Conf. PLANTINI *deſcriptio Helvetiæ.*
(c) *frumentum*; Inopiæ ejus Alſatia, comitatus burgundicus, Suevia & ducatus mediolanenſis conſulunt.
(d) *Socias*) Hic Helvetiorum ſubditi addendi, qui ſunt in terra vaudenſi, comitatu badenſi, Thurgavia, Rhingavia, & quatuor præfecturis, ducatui mediolanenſi decerptis.
(e) *Albatis-cella*) Hoc ordine in comitiis badenſibus ſedent.
(f) *perpetuum fœdus*) Vid. *Guillimannum.* STUMPFII *chronicon & Leibnitii C. J. G.*
(g) *fœdere*) BECMANNI *hiſtoria orbis terrarum* c. VI. p. 197. PLANTINI Helvetia c. III.
(h) *præfectura*) Vid. quæ ſupra ad vocabulum *ſocias* monuimus.
(i) *Ingenium*] Vid. *Lucam de Linda* p. 676 ſeqq.
(k) *die Milch-Bangel*) Hoc ſcomma eſt, quod ab autore noſtro, ſine optimæ gentis injuria, eſt allatum.
(l) *Auſtriacorum*] Conf. STUMPHII *chronica & Guillimanni Helvetia.*
(m) *potentiam*] *Hiſtoire de Louis XII & François I par* VARILLAS
(n) *Caroli Audacis*) *Memoires de Comines.*

Vivunt bonam partem in agris vitam paſtoritiam, venatoriam: paſtoritia vero vita eſt altrix militum, quia illi, qui vivunt ex re pecuaria, ſolent eſſe animi generoſioris, quam qui aratrum premunt. Facit porro vita venatoria, ut multis quaſi bellis jam ſint exercitati: nam qui venationi operam dant, illi ſe exercent in militari ludo.

Juſtitiæ laudem ſemper obtinuerunt; ita enim inter ſe vixerunt, ut vicinorum injuriam vindicarent acciti, eoque nomine celeberrimo olim fuit eorum laus. Juſtitiæ altera pars eſt, qua Deum colimus; ſed hic populus ſemper religioſus fuit habitus, & adhuc habetur. Ratione vero religionis graviter inter ſe diſſentire cœperunt: cum enim ſuperiori ſeculo paſſim ſacra mutarentur, facta quoque ibi ſacrorum mutatio, & quidem autore *Ulrico Zwinglio*, (a) primum in urbe Tigurio, cui deinde plures acceſſere, ita, ut maxima hodie pars reformatæ religioni ſit addicta. Bona etiam pars adhæret ſacris *pontificiis*, (b) præſertim illi pagi, qui deſtituuntur oppidis, ut ſunt Soludurum, Unterwaldia. Hoc animorum diſſidium peperit bellum civile, dum illi, qui addicti erant Pontificiis, cogere vellent reliquos, ad illam amplexandam religionem: illud vero tandem ſedatum. Nuper parum abfuit, quin iterum frangeretur fœdus illud; ſed divina clementia factum, ut illæ diſſenſiones ſupprimerentur. Tigurini cumprimis conqueſti ſunt de injuria Helvetiorum Pontificiorum ſibi illata. Hæc diſſidia ſolent moveri a Pontifice & Hiſpano; hinc etiam Papa ibi perpetuum habet Nuncium. Pagi potentiores ſunt religionis reformatæ; hinc numero copiarum prævalent Pontificiis.

Jam dicendum de virtutibus eorum intellectualibus. *Prudentiam* (c) autem iis non defuiſſe, indicat reſpublica bene conſtituta, & a multis retro ſeculis fortiter defenſa & propagata. Imprudens populus non poteſt ſe in libertatem vindicare, multo minus eam contra hoſtes defendere armis: ſed omne id præſtarunt Helvetii. Cumprimis illud apparet inde, quia ſumma reipublicæ eſt penes populum, penes eos etiam, qui vivunt in agris; quod arguit ingenium populi acutum.

Artes quoque manuales nonnulli eorum præclare exercent; quamvis Helvetia non tam *commerciis* (d) apta ſit, uti Hollandia, nec tantus ibi ſplendor vitæ. Sic in urbe St. *Galli* (e) floret Linificium, ita, ut linteum ibi confectum diſtrahatur per Italiam, Germaniam, Poloniam. Caſeos etiam optimos conficiunt; quamvis non magno, ad hoc perficiendum, opus ſit ingenio.

In artibus autem addiſcendis quantum valeant, ſuperius ſeculum docuit. Populus enim, deditus armis, ſtudia excolenda Clero commiſerat: ſed ſuperiori ſeculo tot dedit viros doctos, ut totus pæne orbis obſtupuerit. Tanta librorum moles conſcripta ab Helvetiis eſt, præſertim *in theologicis* (f) & philoſophicis, ut non poſſit non admirationem alicui incutere. Subtiliores artes non ita excoluerunt. Superiori ſeculo erectæ ſunt ſcholæ, uti Bernæ, Tiguri, Lauſannæ; nam Baſileæ jam tum florebat academia. Ex his ſcholis multi docti prodieruot viri.

Sed magna ibi facta morum *mutatio*, (g) ut, ſive morales, ſive intellectuales ſpectes, multum a priſtino diſceſſerint tramite. Quod ad virtutes morales, jam tum de earum mutatione conqueritur SIMLERUS *lib*, a *de republ. helvet.* Ille Simlerus agnoſcit, eorum temperantiam jam non eſſe *eandem*, (h) quæ fuit olim, non parſimoniam in victu & amictu. Sed quamvis veterem temperantiæ & parſimoniæ gradum non obtineant amplius, hoc tamen nomine laudandi veniunt: magna enim ibi in veſtibus eſt *conſtantia*, (i) qui alias, licet ſplendor magnus ſit. In veſtitu ſequuntur inſtituta majorum ſuorum, & ſi quis eorum in Gallia militaverit, domum redux, per octiduum gallica veſte poteſt incedere; ſed poſtea cogitur eandem exuere. Nec ibi licet gallicari; ſed reduces facti coguntur ſe componere iterum ad mores cæterorum Helvetiorum.

Ante 140 annos præter propter, Helvetii nondum ullo ſtipendio militaverant, quare quisque ſibi domi cogebatur victum quærere duriter, quæ ratio vivendi ad virtutem exercendam eſt optima. Sed cum ſuperiori ſec. ſemel *Helvetii* (k) a Franciſco I victi eſſent, & ille eſſet expertus, eos non poſſe ſuperari, niſi ſimul magnam rerum ſuarum faceret jacturam, ſtuduit, ſibi eos conciliare, & ex eo tempore eum ipſo fuere in fœdere, ita, ut ſoluta pecunia,

(a) *Ulrico Zwinglio*) *Relation de la Suiſſe ch. VII.* Sed Reformati, qui in Helvetia ſunt, non unam religionis ſequuntur formulam.

(b) *pontificiis*) Hi ſummo cum zelo romanis addicti ſunt ſacris, & proteſtantes eorumque religionem maximo habent in odio. Hoc vitio inprimis præfecturarum italicarum ſubditi laborant, ita ut Gubernatori, quem pagi proteſtantium religioni dediti per vices eo mittunt, ne quidem privatum in ædibus ſuis reformatæ religionis exercitium concedant.

(c) *prudentiam*) A ſtupiditatis labe eos STANIANUS *dans la relation de la Suiſſe p.* 122 *ſeqq.* liberat.

(d) *Commerciis*) *Relation de la Suiſſe Ch. VII.*

(e) *Galli*) Præter hanc civitatem aliquali commerciorum flore gaudent Tigurum, Baſilea, Schafhuſa & Geneva. *l. c. p.* 161.

(f) *in theologicis*) *Relation de la ſuiſſe p.* 134 ſeqq.

(g) *mutatio*) Hoc inprimis in illis pagis, qui Galliæ viciniores ſunt, ut Berna, Solodurum & Friburgum factum eſt. Deinde milites in Gallia ſtipendia merentes, gallicos mores in patriam referre ſolent. *Relation de la Suiſſe p.* 135, 136. in Helvetiis peculiare eſſe dicitur, quod exacte omnium mores imitari noverint.

(h) *eandem*) Ebrietatis vitium hodieque, non niſi inter homines ex vulgo, frequens eſt.

(i) *Conſtantia*) Hujus conſtantiæ laude inprimis Baſileenſes florent.

(k) *Helvetii*) Ludovicus XI adhuc Delphinus fortitudinem eorum in prœlio ad Baſileam expertus, primus militarem eorum conduxit operam. *Relation de la Suiſſe p.* 116. Milites ex hac gente lecti fortitudine & fide celebres ſunt l. c. ch. VI & X.

nia, ipſi militaverint. Ex eo tempore divitias cœpere æſtimare, cum antehac nummorum nulla eos tangeret cura. Cum Carolus burgundus ipſis bellum indiceret, primum illud *deprecati* (a) ſunt, afferentes, a ſe, ut pauperibus ruriculis, nihil divitiarum poſſe exſpectari: ſed cum ille in ſententia perſiſteret ſua, illum fugarunt, & ter prælio vicerunt, in quibus etiam vitam amiſit. Habuit autem in prælio adamantem, infiniti pretii, a collo pendulum, quem collo ejus detractum, miles quidam helveticus tribus vendidit florenis, cum aliquot auri tonnis conſtaret. Tanta apud eos pretioſarum rerum fuit ignorantia. Verum ex eo tempore mutaverunt mores; quia pecuniam æſtimare cœperunt.

Fortitudo etiam eorum multum mutata eſt, altiſſima pace, qua per 130 annos fruiti ſunt, quæ non potuit non multum mutare animi eorum ferociam. Remedium quidem aliquod huic rei inventum eſt, permiſſa licentia populo aliis *militandi* (b). Quod exercitium non quidem inane eſt; ſed non cum majorum exercitiis bellicis comparandum. In inſtitutis tamen adhuc ſuperant omnes noſtros germanos: non enim ſinguli conducuntur, ſed ſi qui conducendi, venia a quovis pago petitur. Hi pagi ex ſuo numero Præfectos *conſtituunt* (c), qui non alios ſub ſe habent, quam pagi ſui homines. Si v. g. Baſileæ miles conſcribendus eſt, Præfectum accipit baſileenſem, & ſic de cœteris. Hæc res multum habet utilitatis: primo enim in quovis milite major patriæ amor & reſpectus remanet; ſecundo, quilibet cogitur ſe adſtringere juramento, ſe rediturum in patriam, revocatum, & ita ſemper patriæ adſtrictus manet. Cum ante aliquot annos Rex Galliæ non ſolveret ſtipendia, pagi revocarunt ſuum militem. Hic conducendi modus utilis Helvetiis & neceſſarius etiam eſt, nec poſſumus ſalvam conſervare noſtram rempublicam, niſi eosdem hac in parte imitemur.

Quod ad litterarum attinet ſtudia, magna quoque ibi rerum mutatio facta. Ante 100 annos ea in Helvetia floruerunt; ſed eorum decrementum ex rariore librorum editione obſervatur. Ante 100 annos nullæ typographiæ fuere celebriores, quam Baſileæ Tigurium quoque celeberrimum fuit ob eandem rem. Baſileæ eſt quidem & hodie typographia; ſed non bene inſtructa. Tigurina urbs videtur laborare de reſuſcitandis ſtudiis, & nacta eſt Ioh. Hottingerum, qui forte excitabit multarum pigritiam. In Germaniæ nonnullis locis pudenda quoque facta ſtudiorum mutatio. Quamvis vero Helvetii a priſca deſciverint laude; moribus tamen & animo omnibus ſunt præferendi Germanis.

In Helvetia omnia adminiſtrantur ad utilitatem totius populi; nec enim ibi videas dominantes, nec tamen deſunt ſubditi: ſinguli enim pagi ſuos habent ſubditos, quibus a ſingulis imperatur. Quamvis quæratur ſalus Imperantium, tamen omnia ita moderantur, ut ſubditis nulla deſit felicitatis pars. Sunt etiam communes ſubditi, ſed & ii moderate habentur; niſi quod nonnullis eorum ex ſuperſtitione propter religionem fit injuria. Nonnullæ respublicæ ſolent aberrare in eligendo fine, licet finis quidam omnibus ex æquo ſit propoſitus. Helvetia non videtur multum peccare circa ſcopum reipublicæ; ſed veram quærere ſalutem civilem, in exercitio virtutum & rerum ſufficientia ſitam: non enim eſt ad divitias compoſita. Similiter ipſis non eſt propoſita magna potentia: quamvis enim ſuperiori ſeculo ſua pomæria dilataverint, &, fracta Auſtriacorum potentia, aliquas Italiæ præfecturas ſibi acquiſiverint; poſt hæc tamen quieverunt, cum viribus ſuis totam facile viciniam ſub jugum mittere poſſent.

Nunc dicendum, quomodo eorum res ſe habuerint, ante illam, quæ nunc eſt, rempublicam conſtitutam; licet ejus originem a Iulii Cæſaris temporibus non repetam. Helvetii autem, una cum reliquis devictis Germanis, præſertim Alemannis, venere in poteſtatem Francorum, & duriter habiti ſunt. Poſtea vero, cum imperium francorum in tres divideretur claſſes, Helvetia bona ex parte acceſſit Carolo Calvo; quod legi poteſt cap. 3 & 4 lib. de fin. Imp. Tempore autem Caroli Calvi, aut paulo poſt, novum ibi ortum regnum, burgundicum ſcilicet, ſive a primaria urbe arelatenſe dictum: at itaque Helvetia facta hujus regni portio fuit. De hoc regno agitur lib. de *fin. Imp.* c 12. ubi oſtendo, quod hoc regnum in perpetuum connexum cum Germania fuerit, atque ita ſimul Helvetia, tamquam ejus pars. Ex eo tempore Helvetia ſemper habita pars Imperii germanici, & omnes ejus incolæ hujus ſubditi. Fuit autem Helvetia in varias diviſa partes, nec uno fuit adminiſtrata modo. Habuit Comites, Barones, urbes, proxime Imperio ſubjectos. Habuit etiam epiſcopatus & abbatias potentes. Præter hæc fuere ibi pagi, qui acceperunt quotannis Præfectos, qui ipſis cæſareo nomine jus dicerent. Inter Helvetiæ Comites pravaluere habsburgenſes, quibus originem Domus auſtriaca debet. Ita ejus res ſe habuere ſec. 13. Sed ex eo ingens ibi facta rerum mutatio: nam cum domus auſtriaca Helvetios penitus vellet ſuo ſubjicere imperio, Helvetii ſe in perpetuum Cæſaribus ſubduxere.

Scilicet poſtquam Rudolphus ex Comite habsburgenſi & Alſatiæ factus eſſet Imperator,

 & com,

(a) *deprecati*) vid. COMINÆUS.
(b) *militandi*) *l. c. ch. X.*
(c) *Conſtituunt*) Et hæ copiæ, non tam ad invadendum, quam defendendum, illis a quibus conductæ permittuntur. *Relation de la Suiſſe p.* 120 quanquam ab hoc pacto nonnunquam per eos, in quorum caſtris helveticus miles ſtipendia meretur, diſceſſum ſit.

& commode accideret, ut filio ſuo poſſet tradere Stiriam & Auſtriam: hic viribus auctus, priſcis non fuit contentus limitibus, ſed totam Helvetiam ſuo ſubjicere imperio tentavit. Aſt huic Alberto res ceſſit infeliciter; agnati enim ſui manu interiit. Leopoldus vero majoribus viribus id egit, & populus, ab eo in miſeram redactus ſervitutem, accepit Præfectos Auſtriacorum, admodum tumidos, qui arces per Helvetiam veluti ad inſidias habebant diſpoſitas.

Sed populus, ſervitutis pertæſus, pro libertate arma corripuit, & ſe in libertatem vindicavit. De initio hujus ſeditionis legendus eſt Simlerus. Factus primum conſenſionis globus trium vel quatuor hominum, mox in immenſum crevit. Tres pagi primi coierunt in *fœdus*, (a) ſcilicet Swizia, Urania, Unterwaldia: hic adhuc hodie hoc fœdus Swizerorum dicitur. Orta inde bella civilia, quæ tanta felicitate a parte Helvetiorum geſta ſunt, ut non ſolum Nobilium, qui eos duriſſima affixerant ſervitute, ſed etiam domus auſtriacæ vires, longe lateque patentes, plane convulſæ & extirpatæ fuerint. Hodie comitatus Auſtriacorum avitus in manibus Helvetiorum eſt, confractis arcibus habsburgicis. Graviſſima bella geſta ſunt, ſed a parte Helvetiorum feliciter, ita, ut multa millia Nobilium, cum ipſo Leopoldo, cæſi ſint. Unde vero colligendum non eſt, quod Nobilitas tota ſit extirpata.

Quamvis autem Helvetii impotentem Baronum & Nobilium dominatum rejecerint, tamen adhuc Nobiles, ſed pauci, ſuperſunt, qui hanc impotentem dominationem aut improbarunt, aut non ſequuti ſunt. Hinc adhuc in Helvetia reperies arces Nobilium, ſed paucas, nec, in formidinem libertatis, munitas. Quamvis autem Helvetii excuſſerint jugum Auſtriacorum, tamen ſemper voluere haberi partes Imperii germanici: ſed, cum neque ad comitia invitentur, neque ſponte aliquid in publicum contribuant, paulatim Imperio ſunt ſubducti; donec tandem in pace monaſterienſi & oſnabrugenſi, exempti ſint ab omni jure Imperii, & plane liberi pronunciati, cap. 15. p. 648.

Ex his dictis adparet, hanc magnam imperii labem, revera deberi Domus auſtriacæ injuriis. Et quia itidem impotenti Hiſpanorum dominatu factum, ut populi, vicini Rheno ejusque oſtiis, ſe in plenam libertatem adſererent, videmus inde, quantum damni domus auſtriaca Germaniæ dederit.

Nova itaque Helvetiæ *reſpublica* (b) cœpit ſec. XIV, poſt annum 1300, ſenſim in fœdus illud pluribus populis conſentientibus. Conſtat hodie pagis 13, inter ſe unitis. In hac republica obſervandum, hos 13 pagos non conſtituere unam ſingularem civitatem, ſed rem ita ſe, uti in Hollandia, habere. Sunt enim pagi illi uniti fœdere perpetuo, adeoque adhuc conſtituunt unum corpus, ſed non unam civitatem.

Variæ poſſunt fieri conſociationes, quarum perfectiſſima civitas eſt, quæ ad conſequendam felicitatem pertinent, & quæ huc facientia decernit. Multæ vero ſocietates reperiuntur, ubi quorundam tantum eſt communio, non autem reliquorum. Sic etiam in fœderato Belgio ſe res habet, ubi, multa ſunt communia, non autem omnia. Tali etiam modo ſe res habet de fœderatis Helvetiis. ſinguli pagi hodie ſingulas conſtituunt reſpublicas, & quot ſunt pagi, tot etiam ſunt reſpublicæ.

Fœdus helveticum nihil aliud eſt, quam pactum perpetuum, initum circa belli negotia & pacis. Ergo Helvetiis ſecundum leges fœderis *communes* (c) ſunt hoſtes, communes amici. Interim ſi quis videat hodiernos Helvetiorum mores, non omnia illis, quod ad negotia belli & pacis, ſunt communia, ut olim. Hinc ſinguli pagi non dubitant, modo cum his, modo cum aliis, fœdera pangere, etiam bellica. Exiſtimant itaque, ſe ex lege fœderis non teneri, niſi ad pellendum communem hoſtem, qui toti fœderi imminet; neque ad communem pacem conſervandam, niſi tangat omnes Helvetios.

Hoc inſtitutum videtur contrariari legibus priſcis; interim ita receptum eſt, & hinc aliquando fiet, ut, dum ſinguli pugnant, omnes ſimul vincantur. Quod ſi aliqui pagi ab hoſte ſuperentur, hoc toti nocebit fœderi; ſinguli enim pagi rebus ſuis defendendis non ſufficiunt. Hodie Helvetii in duas quaſi ſunt diſtracti partes; quæ ſeceſſio diverſitati religionis & artibus Regum & Principum, quibus illorum eſt inviſa potentia, adſcribenda eſt.

Interim aliquo adhuc modo fœdus retinetur: nam quotannis *conventus* (d) ibi habentur; ſed ſi negotia ſpectes, non ſunt talia, qualia decerent perpetuo fœdere conjunctos. Antehac in illis publicis conventibus actum de bello & pace, item de iis, ſine quibus bellum & pax geri & ſervari non poſſunt, ut ſunt: fœdera, & ea, quæ pertinent ad legiſlationem. Actum etiam de iis, quæ pertinere videbantur ad Legatos mittendos & excipiendos. Præter ea, quia Helvetia varias habet præfecturas communes, de Præfectis illorum actum fuit, de repetendis

---

(a) *fœdus*) Conf. LEIBNITII *codex diplomaticus*, SIMLERUS *de republica Helvetiorum p. 4. ſeqq. La relation de la Suiſſe p.* 109 ſeqq.

(b) *reſpublica*) Tredecim ſunt reſpublicæ fœdere junctæ, quarum ſeptem ſunt ariſtocraticæ, ut Tigurum, Berna Lucerna, Baſilea, Friburgum, Solodurum Baſilea & Schafhuſa & ſex reliquæ democraticæ. *Relation de la Suiſſe ch. IV. p.* 61. Hæ nullas habent urbes, ſed ibi vicatim habitatur, ut ſunt: Uria, Suitia, Unterwalda, Tugium, Glarona, Abbatis cella. Tugium quidem oppidum eſt, imperium autem penes eos, qui agrum tuginum inhabitant SIMLERVS *fol.* 152.

(c) *communes*) Fœdus autem hoc, non niſi defenſivum eſt, *relation de la Suiſſe p.* 110.

(d) *conventus*) *Relation de la Suiſſe ch. V.*

tendis rationibus, item de appellationibus; ad totum conventum delatis. Aſt hodie non agitur, niſi de communibus præfecturis adminiſtrandis, & de communi juriſdictione; reliqua vix attenduntur. Unde apparet, quod hodie non ſit ea ratio conventuum publicorum atque olim. Hinc ex Simleri libro integra Helvetiæ cognitio peti non poteſt; quia ingens, poſt ejus obitum, facta eſt rerum mutatio.

Quia autem Helvetia in duas quaſi eſt diviſa partes, hinc illæ partes, in diverſis locis, peculiares ſuos habent *conventus* (a). Communium conventuum locus eſt, *Baden*. Quod attinet illos pagos, qui rigide ſectantur ſacra romana, ſolent illi convenire Tugi ſive etiam Lucernæ. Hæ duæ memoratæ Helvetiorum partes vocantur, *die Catholiſchen Schweizer, und die reformirten oder evangeliſchen Schweizer.*

Quinque pagi ſunt, qui mordicus ſacra romana ſequuntur, & hi dicuntur fœderati quinque Pagici. Hunc & conficiunt numerum, urbes Lucerna, Urania, Suiezia, Unterwaldia & Tugium. Hi quinque pagi, ſi non in aliud, ſaltim in avitam religionem propagandam, arcano fœdere juncti ſunt. His accedunt pagi duo alii, qui itidem ſacra romana ſequuntur, ut Friburgum & Solodurum. Hinc ſeptem ſunt pagi, qui non alios tolerant in ſuis provinciis, quam romanæ religioni addictos.

Ex adverſo quatuor ſunt pagi, ita reformatis addicti ſacris, ut pontificios ſubditos, ſive non habeant, ſive non admittant. Tales ſunt Tigurum, Berna, Baſilæa, Scaphuſium. Sunt porro duo pagi, qui conſtant civibus utriusque religionis, ut vix liceat dicere, quinam prævaleant. Tales ſunt Glarona, & abbatia Zell.

Si hos pagos videas, major eorum numerus ſequitur ſacra romana: ſed regionum latitudine præpollent Reformati; unica enim Berna quam latiſſimum habet imperium. Quod ad robur *militare*, (b) catholici præferuntur Helvetiis reformatis: nam, præter ea loca, quæ utraque ſacra ſinu ſuo ſovent, ſocii Helvetiorum fere nulli alii religioni ſunt addicti, quam romanæ. Orto igitur bello, facile fieri poteſt, ut inferiores ſint Reformati. Paucos igitur ante annos, cum Tigurini arma ſumerent, ulturi Pontificiorum injurias, Baſileenſes & Helvetiorum prudentiores dedere operam, ut, compoſitis diſſidiis, arma deponerentur.

Quinque pagici maxime ſunt addicti Regi Hiſpaniæ, qui eos, una cum Papa romano, auribus quaſi ducit. Hinc illi perpetuos Lucernæ habent Nuncium, Legatum. Reformati vero pagi magis ſunt addicti Regi Galliæ; quamvis cum omnibus pagis, excepto Tigurino, Galliæ Rex inierit fœdus ſymmachicum. De fœderibus Helvetiorum ſingulari egit capite SIMLERUS, *lib.* 5, *diſſ. de fœd. gallic. lib.* 9. Secundum illud fœdus gallicum Rex Galliæ aliquot millia Helvetiorum ſibi poteſt conducere, ubivis libuerit. Gallus itaque ibi perpetuum habet militem. Soli Tigurini noluere conſentire in id fœdus, multis de cauſis. Ulricus Zwinglius, concionator tigurinus, vehementer tale fœdus improbavit, & dixit: illud eſſe injuſtum, noxium. Quibus rationibus adductus id dixerit, poterit legi apud Simlerum. Cumprimis ipſe Simlerus de ea re agit, lib. 1. cap. de fœd. quinque poſteriorum pagorum. Eodem de argumento diſſerit PLANTINUS, in libro de Helvetia antiqua & nova, *pag.* 213. *cap.* 23.

Mihi videtur illud fœdus, quod pepigere cum Gallo, & quod quinque Pagici inivere cum Hiſpano, valde eſſe noxium: primo enim ſervituti addicit populum propter pretium, (2) diſtrahit animos, eosque a virtute revocat, cui ſtuduere, dura cum adhuc eſſet vita. Unum eſt commodum hujus fœderis, ut exerceantur, & longa pace non molles fiant ſubditi. Cæterum hoc commodum multa etiam ſecum trahit incommoda. Tale judicium de illis fœderibus fert ipſe Eremita.

In conventibus publicis cauſæ etiam ſolent dijudicari. In Helvetia autem ſolet jus dici; non ſecundum leges romanas, ſed, ſecundum ſtatuta ſcripta ex æquo & bono, nulla habita ratione legum juſtinianearum. Hanc rationem, Helvetiæ maxime convenientem, Simlerus multis argumentis non dubitavit defendere, qua in re me etiam habet conſentientem. Verum eſt quod Tacitus dicit: ibi periculoſas eſſe contentiones, ubi libertati ſtudetur. Hinc maximopere cavendum, ne lites protrahantur in longum tempus; ſed, quoad ejus fieri poteſt, breviſſimo temporis ſpatio definiantur: nam talibus contentionibus diſtrahuntur animi, domi naſcuntur factiones, & deinde fit, ut populus ſtudens illis contentionibus, amittat libertatem. Proceſſus forenſis, qui legibus *romanis* (c) nititur, facit lites maxime diuturnas, & ubi ille obtinet, ibi non poſſunt non eſſe perpetuæ rixæ & contentiones. Ad dominatum ſtruendum nihil his legibus eſt utilius. vid. *Siml. lib.* 2 de republ. Helvet. cap. ubi agit de publ. convent. ſi ſenatu Helvetiorum.

Quod belli & pacis artes attinet, præclare ſe gerunt omnes Helvetii: altiſſima enim licet

(a) *conventus*) Et a quolibet pago conventus particulares pro lubitu celebrari poſſunt. Legati quoque exterorum, ſuis ſumtibus, tales convocare poſſunt conventus. *Relation de la Suiſſe p.*105.

(b) *militare*) De quo non leve eſt dubium. In ſupero bello Proteſtantium res ubique ſuperiores fuerunt.

(c) *romanis*) Proceſſus prolixitas non tam juris romani quam canonici placitis debetur. In Helvetia leges romanæ juris ſubſidiarii rationem habent.

licet in pace vivant, ludicra tamen exercent arma, & vix invenies in Helvetia natum, qui non ſit cinctus ferro, licet agat pecora. De hac re etiam videatur Simlerus. Quamvis hoc non magni videatur momenti; revera tamen multum poſt ſe trahit: nam ſi in pace media milites exercentur armis, parati erunt, ſi forte bellum ingruat.

Nunc de ſingulorum pagorum republ. eſſet *differendum*; (a) ſed non videtur operæ pretium; quia, exceptis pauciſſimis, una apud omnes rempubl. regendi occurrit *ratio* (b). Fortaſſe dixeris, in Helvetia optimas obtinere democratias, quia regimen eſt penes totum populum, & Nobilitas, quæ eſt in urbibus, etiam ad faſces admittatur, imo ipſis prærogativa concedatur. Non reperitur infima democratia in univerſa Helvetia: obtinent enim ibi leges, & ſenatus pleraque conſtituit ſecundum conſuetudines & ſtatuta. Et licet aliquid magni concludendum ſit, vel leges deficiant, non totus tamen convenit populus, ſed mittuntur Delegati.

DE RHÆTIS.

HElvetiorum exemplum ſecuti ſunt alii inalpini, invitante ſitu loci, & felici Helvetiorum exemplo, qui ſuam libertatem contra potentes defenderant hoſtes. Cum igitur iidem duro etiam ſervitutis premerentur jugo, pari, atque Helvetii, libertatem corripuere felicitate. Felicius etiam ipſis ceſſit inſtitutum; quia ipſis non fuit res cum hoſtibus adeo potentibus.

Hi populi proprie ad fœdus 13. pagorum non pertinent; ſed quibusdam fœderibus perpetuis iis tantum juncti ſunt, quæ fœdera hodie non tam arcta ſunt, atque olim. Primus inter hos ſocios eſt Abbas St. Galli, qui cum populo ſubdito, ſingularem conſtituit rempublicam, nec ullum agnoſcit ſuperiorem. Re vera hic Abbas non eſt potens *viribus*, (c) ſed ſitu loci; cingitur enim undique Helvetiis, Rhætis, qui de alieno occupando non ſunt ſolliciti; a) remotus eſt ab omnibus potentibus, Gallo, Hiſpano, Auſtriaco.

Secundum fœderatorum locum tenent Rhæti, quorum major eſt potentia. Nomen eorum eſt antiquum & celebre, & a Danubio usque ad Lechium ſe extenderunt: verum antiquam Rhætiam occuparunt Alemanni.

Pars *Rhætiæ* (d) veteris fuit Rhætia inalpina, in qua nonnulla veteris Rhætiæ veſtigia reperiuntur. Illi veteres Rhæti originem ſuam referunt ad Tuſcos; ſed hi pulſi ſedibus ſuis a Gallis comatis. Hodie veterum Rhætorum pauci ſuperſunt: lingua enim & mores eorum ſunt valde mutata: qui enim hodie incolunt Rhætiam inalpinam, partim gallicam, partim italicam, partim rhæticam loquuntur linguam.

Hi Rhæti etiam fœdere ſunt uniti, & armis libertatem ſibi compararunt. Appellantur hodie communi nomine, *die Graubünder*, (fœderati cani,) a canitie, Italiis dicuntur *Griſones*. (e) Omnibus tamen nomen hoc non competit, ſed bonæ eorum parti: uti enim a Suizeris traxere nomen reliqui Helvetii, ita a Griſonibus reliqui Rhæti nomen accepere ſuum. Hi ſunt diviſi in fœderatas & ſubditas præfecturas communes. Fœderatos quod attinet, triplici fœdere ſunt diviſi, & *triplici* (f) fœderatorum conſtant ordine. Primus eſt Griſonum ordo, qui ſunt fœderis cani. Secundus ordo illorum eſt, qui dicuntur fœderis domus Dei, (*des Gottes-Hauſes.*) Tertius ordo eſt tredecim judiciorum, (*der dreyzehn gerichte.*) Singula hæc fœdera habent peculiare regimen & varios conventus, ſed commune aliquod fœdus.

Primum autem obſervandum eſt, regionem illorum montibus undique eſſe cinctam, & homines tantum habitare in Alpium convallibus. Ab una parte illis imminet ducatus mediolanenſis & comitatus tyrolenſis, altera parte ab Helvetiis cinguntur. Minime itaque apta eſt regio commerciis exercendis; ſed homines ex armentis & venatione vivunt. Regio frigidior eſt, & ea, quæ calorem requirunt, ibi non pronaſcuntur.

Populi ingenium quod attinet, moribus maxime ad Helvetios *accedunt*: (g) niſi quod ipſis deſit Helvetiorum gravitas atque conſtantia; cumprimis Italis viciniores aliquid traxere de Italorum inconſtantia. In eorum conventibus publicis non, niſi de bello & pace, agitur, ut & de adminiſtratione præfecturarum communium. Reliqua, quæ ad rempublicam pertinent, ad commune illorum fœdus non pertinent. Hinc unam non conſtituunt civitatem;

(a) *differendum*) Quæ hi. de Helvetiorum viciniæ, rerum publicarum rationibus, fœderibus &c. ob typographi feſtinationem omiſſa ſunt, ex ſcriptis, allegatis ſuppleri debent.

(b) *ratio*) Sex pagos ad democratias ſeptem autem ad ariſtocratias referri, ſupra dictum. In ariſtocraticis Helvetiarum rebus publicis nemo, niſi qui civitatis jure gaudet, ad magiſtratuum honores & regiminis participationem adſpirare poteſt. Eſt tamen hic inter pagos differentia quædam. *Relation de la Suiſſe ch. VI. p.* 62.

(c) *viribus*) *L' Abbé de St. Gall eſt chef d'un convent de Benedictins, qui d'un petit commencement s'accrut tellement en pouvoir & en richeſſes, que l'Abbé eſt preſentement ſouvrain d'un diſtrict de pays conſiderables, nommé le patrimoine de S. Gall, qui eſt ſitué entre le canton de Zurich & le lac de Conſtance: outre le Comté de Toggenburg, qui y eſt contigu & fut acheté d'un de ſes predeceſſeurs, a un tres petit prix. Il prend auſſi le titre de Prince de l'Empire, mais comme il n'a ni voix ni ſeance dans la diete, ſon rang y eſt purement titulaire. Relation de la Suiſſe p.* 219. Olim pagi abbatcellenſis parti & urbi & S. Galli imperabat: ſed hæ libertatem ſuam ære redemerunt. Urbs S. Galli reipublicæ territorio deſtitutæ ſpecie gaudet. Abbas æque ac urbs jus habent ad Helvetiorum comitia Deputatos mittendi. In recenti omnium memoria ſunt lites, quæ Abbati S gallenſi cum ſubditis ſuis toggenburgenſibus interceſſerunt. ELECTA *juris publici, Staats Canzeley, Relation de la Suiſſe p.* 228.

(d) *Rhætia*) CELLARII *geographia antiqua lib. II. c. VII p.* 526 *ſeqq.* PASCHALII *legatio rhætica p.* 1 *ſeqq.*

(e) *Griſones*) Gallis Griſons.

(f) *triplici*) *Legatio Paſchalii rhætica p.* 1. *Relation de la Suiſſe p.* 206 ſeqq.

(g) *accedunt*) Vid. SPRECHERI Rhætiani.

tem; ſed ſingula fœdera ſingulas conſtituunt civitates, & quot ſunt fœdera, tot etiam ſunt civitates. Hæ civitates non uno reguntur modo. In fœdere enim uno eminet Epiſcopus curienſis, non ut agat Principem, ſed ut quaſi Princeps ſit, qui plus autoritate quam poteſtate valeat. Reliqua fœdera democratiam redolent.

Scopus enim communis ſalus. Neque peccant in communi ſcopo eligendo, cum collocent eum in rerum ſufficientia, conjuncta cum virtutis exercitio. Hinc non curant adeo divitias. Ut autem Helvetii mutati ſunt longa pace, & militia illa, qua ſunt obſtricti Regibus; ita hoc multo magis in Rhætios convenit: diſtrahuntur enim in partes, ab iis, quorum ære conducuntur ad militiam. Præſertim multum apud eos valet Regis Hiſpaniæ autoritas, propter vicinum ducatum mediolanenſem. Hæc etiam fœdera, ob diverſa, quæ colunt, ſacra, minus firma ſunt: ad libidinem enim Papæ & aliorum in varias diſtrahuntur partes.

Habent autem cumprimis tres præfecturas communes, ſibi ſubjectas. Primam conſtituit oppidum Plurium, (*Plürs*) inſigne olim, ſed hoc ſeculo lamentabili montis cujusdam caſu totum fere deletum: mons enim præruptus imminebat oppido, qui, orto præter omnium opinionem ſubito terræ motu, corruit, totumque oppidum oppreſſit, ita, ut hodie, præter paucas caſas, extra urbem poſitas, nihil amplius ſuperſit. Accidit hoc anno hujus ſeculi decimo quinto. Altera præfectura eſt Clavena, comitatus olim ſingularis, conſtans vicis, oppidulo & agris. Tertia præfectura Vallis *Tellina* (a) noncupatur, dicta Simlero Volturena. Interdum etiam ab oppido primario dicitur Tellina. Hæc præfectura inter rhæticas optima eſt, latiſſime patens, ſexque conſtans præfecturis. Hæc Vallis Tellina, noſtro tempore, ſingulare peperit *bellum* (b) inter Hiſpanum & Gallum. Hiſpanus enim, ducatum mediolanenſem in poteſtate habens, id dat operam, ut Alpium clauſtra in ſua habeat *poteſtate*: (c) his enim clauſtris occupatis, difficilis in Mediolanum eſt aditus. Hinc Comes de Fuentes, Præfectus Regis, in finibus hujus ducatus, qua parte Tellinæ jungitur, arcem condere cœpit, quod hodie dicitur Fort Fuentes, admodum Hiſpano accommodatum. Facile adparebat quo tenderet arcis exſtructio: ſed Gallus illam non poterat impedire; quia fiebat in agro mediolanenſi. Sed Hiſpanus non erat hac re contentus: orto enim inter Tellinates diſſidio, Tellinæ, ut & univerſæ Rhætiæ inhiavit. Hiſpanus enim defendebat quosdam Tellinatium; ſed revera hoc agebat, ut totam illam occuparet vallem. Sed tum nonnulli Rhæti, quibus res erat ſuſpecta, implorarunt auxilium Regis Galliæ, qui armis ipſis ſuccurrit, unde bellum, de quo ſupra monitum, ortum eſt. Tandem, mediante Papa romano, bellum finitum, & Vallis Tellina priſtinæ reſtituta libertati. Rex Galliæ liberos in Italiam vult habere aditus, adeoque Hiſpano clauſtra exſtructa invidet: hinc mutua Regum horum æmulatione incolæ hujus vallis & reliqui Rhæti tuti ſunt. Galliæ Rex magis illis tunc temporis ſuccurrebat, ut Hiſpanum ex ſuis ejiceret clauſtris, quam ut Tellinatibus ſuam præſtaret operam. Pertinet huc etiam comitatus *valiſienſis*. (d)

(a) *Tellina*) *Relation de la Suiſſe p.* 213 ſeqq.
(b) *bellum*) *Relation de la Suiſſe p.* 214. *La vie du Cardinal Mazarin.*
(c) *poteſtati*) *juxta capitulat mediolanenſem de anno* 1639. Hodie hæc in Cæſaris ſunt poteſtate.
(c) *valiſienſis*) *Relation de la Suiſſe p.* 227. SIMLERI *deſcriptio Valeſiæ* Helvetiorum etiam fœdere tuti ſunt, Genuenſium re publica, comitatus neo-caſtri & valangenſis, Civitates Mulhuſum & Bienna *l. c. p.* 215 ſeqq.

CAPUT XL.
DE
REPUBLICA VENETA.

NUnc dicendum de republica aliqua ariſtocratica, ſcilicet Venetiis, quæ nec Athenis, nec Lacedæmoni, nec ipſi Romæ, licet florentiſſimæ, cedit. Sedes hujus reipublicæ in Italia eſt; fines vero ejus ulterius ſe protendunt; cum etiam in mari mediterraneo ampliſſimas poſſideat regiones. Obſervabo etiam in hujus reipublicæ enarratione ordinem conſuetum, & primum indicabo, ex quibus ſcriptoribus peti debeat nobiliſſimæ hujus reipublicæ hiſtoria, & & dein ea, quæ ad ejus ſtatum ſigillatim pertineant.

Obſervandum itaque, varia reperiri ſcripta, quibus reipublicæ ratio, hoc eſt, regiminis ſtatus, eſt deſcriptus. Inter illa cumprimis eminent duo, quorum primum eſt CASP. CONTARENI, alterum DONATI JANOTTI. Contarenus vixit ſuperiori ſeculo, & oriundus ex nobili Venetorum familia fuit, Cardinalis & Archi-epiſcopi conſpicuus dignitate. Egit etiam Legatum in comitiis ratisbonenſibus. Hujus etiam in omnibus philoſophiæ partibus extant opera. Inter ejus ſcripta, quæ uno volumine in fol. ſunt edita, hoc eminet, in quo oſtendit, ſe non ſolum eſſe ſuæ patriæ peritum, ſed etiam juris civilis doctrina valde imbutum. Hunc italico ſermone excepit paulo poſt Donatus Janottus, Nobilis florentinus, usque adeo libertatis ſtudioſus, peroſusque ſervitutis, ut, dum videret, patriam ſuam opprimi a familia medicæa, domicilium ſuum

in Bataviam tranſtulerit: maluit enim exul & liber vivere extra patriam, quam ſervus in eadem; licet magnis a Coſmo mediceo alliceretur præmiis. Hic præclaros ſcripſit de republica veneta dialogos, qui latinitate donati a NICOLAO CRASSO, viro docto, & commentario illuſtrati ſunt. Præter hos etiam habemus diſſert. JOH. BOTERI, & libros de republ. JOH. BODINI. Quanquam Veneti de eo nonnihil conquerantur, quaſi fuerit aliquantum in eos iniquior; multa tamen habet præclara. Similiter in Arniſæo legitur de hac republica diſſertatio, perquam docta. Joh. *Cotovicus*, Belga, deſcripſit omnes Venetiarum Magiſtratus, optime in hac parte ſuo defunctus munere. Supereſt integer Boteri liber, italico conſignatus ſermone, qui non eſt contemnendus. Plures adhuc hujus reipublicæ ſcriptores ſunt, qui ſermone italico eandem deſcripſerunt, pauciores, qui ſermone latino uſi ſunt. Inter hos primo loco nominandus venit M. Ant. SABELLICUS, qui fere omnium primus tale ſcriptum contexuit. Hic ſe probavit egregium hiſtoricum, qui mereatur cum antiquitate comparari. Vixit ante 200 annos. Ridet eum Bodinus, propter comparationem reipublicæ venetæ cum romana; ſed immerito: licet enim hujus reipublicæ res bellicæ non comparandæ veniant cum rebus, a republica romana geſtis; in artibus tamen pacis multis romanam ſuperavit paraſangis rempublicam. Ante 140 annos idem ſibi negotii ſumſit PETRUS BEMBUS, Patricius, non dives, ſed antiqua ſtemmate natus. Elegantia ſua ſcribendi locum in aula Leonis X impetravit; cui ſuit ab epiſtolis. Hiſtoriam ſuam exorſus eſt ab eo tempore, ubi Sabellicus deſiit. Reprehendendum in eo, quod, dum nimis videri voluit latinus, factus fuerit obſcurus, imo ridiculus: nullum enim adhibere voluit vocabulum, niſi a Cicerone aut Cæſare uſurpatum. Hinc cum ſæpe aliquam rem uno verbo ſignificantius poſſet exprimere, uſus eſt multa circumſcriptione. De rebus ſic ſatis accurate judicat. Poſt hunc, juſſu Senatus veneti, eandem hiſtoriam adortus eſt ſcribere Paulus Paruta, & quidem ſermone italico: qui liber latine verſus eſt a Polono quodam. Hæc ab omnibus laudatur hiſtoria, omniaque ejus opuſcula politica ſimilem aliquam ſcientiam politicam redolent. Poſt hunc latine deſcripſit rempublicam illam Antonicus Mauroccus, juſſu Senatus, quod opus etiam laudem meretur. BERNH. & PETR. JUSTINIANI & ANDRÆAS DANDATUS idem egere; quorum opera non ſunt verſi in latinam linguam. Hi ſunt ſcriptores *præcipui*, (a) qui laudem ſuis operibus ſunt conſequuti. Autor etiam anonymus librum edidit, cui ſcrutinii nomen eſt. Hoc ſcriptum reipublicæ venetæ infeſtum eſt: conatur enim oſtendere, libertatem reipublicæ non tam eſſe antiquam, & acquiſitam non ſine aliorum injuria. Autor hujus ſcripti creditur eſſe M. Ant. Velſerus, Patricius auguſtanæ reipublicæ, cui etiam hujus reipublicæ hiſtoriam debemus acceptam. Ab aliis pro hujus libri autore venditatur Peireſcius, Baro gallicus, quod ex ejus vita, deſcripta a Petro Gaſſendo, apparere videtur. Certum eſt, hujus libri autorem fuiſſe admodum doctum, rerumque politicarum peritum. Tandem in Batavia inventus eſt, qui hunc librum *oppugnaret*, (b) qui tam vehementer Venetos uſſerat, ſcilicet Theodorus a Gras-Winkel. Hic liber latino conſignatus eſt ſermone; prior italico.

Nunc de ipſa republica erit agendum; dicam autem prius de ejus origine. Seculo V. erat miſerrimus ſtatus Imperii romani, cumprimis occidentalis; vaſtabatur enim illud a variis gentibus ſarmaticis pariter ac germanicis, ita, ut nobiliſſimæ ejus provinciæ in poſſeſſionem harum gentium venerint, deleto Imperii occidentalis nomine. Ita Gallia, Francia, Hiſpania, Gothis, Pannonia, Bajoariis & aliis gentibus ceſſit. Cumprimis autem Attila, Hunnorum Rex, incuſſit terrorem terris ingenti exercitu, cujus numerus ultra 1000000 excreſcebat. Hic, trajecto Iſtro, primum penetravit in Galliam; ibi autem fuſus impetum in Italiam fecit. In illo bello deleta eſt urbs Aquileia, potentiſſima & romani Imperii æmula. Cum autem omnes trepidarent ad adventum tanti hoſtis, cui nemo in tota terrarum orbe par erat, quisque fugam, quo modo poterat, inſtituit. Ita factum, ut inſulæ, tam maris hadriatici, quam mediterranei, cœperint inhabitari, hactenus incultæ. Pars continens Italiæ, inſulis illis maxime vicina, dicta Veneta, & populi vicini Veneti. Hi Padi accolæ Græcis audierunt Heneti. Ex illis Venetis multi transmigrarunt in *illas inſulas*, (c) ad huc incultas, & ex eo tempore ita cœpere coli, ut nova civitas ibi, ex profugis Venetis, qui continentem reliquerant, condita ſit. Notum eſt, urbem venetam adhuc etiam conſtare multis inſulis, quarum maxima Cimalchus dicitur, altera Metamalchus.

Venetorum ſcriptores dicunt, florem Nobilitatis italicæ eo migraſſe, & præprimis romanæ; ſed hoc nulla nititur fide, cum nemo veterum ſcriptorum hujus rei meminerit. Imo veroſimilius eſt, urbis venetæ incolas eo migraſſe, a quibus etiam nomen accepit: nam ſi reliqui, cujus ſcriptores veneti meminerunt, eo migraſſent, non ab his ſolum nomen ſuum accepiſſet civitas. Hi etiam facilius, quam Romani, eo tranſire potuerunt. Romani facilius in

(a) *præcipui*] *His* addi debent; *Hiſtoria venetiana da* GIOV. NICOLAO DOLGIONI *Ioh. Baptiſta Veri res Veneta. vite de' Principi di Vinegia, dopo l'anno* 697 *inſino al an* 1554 *da* PIETRO MARCELLO. *Annali veneti inſino all' anno* 1456 *di* GIULIO FATOLDO. *Hiſtoria veneta di* BATTISTA NANI. *Hiſtoria della citta & republica inſino all anno* 1486 *da* PAOLO MOROSINI *Hiſtoire du gouvernement de Veniſe par* AMELOT DE LA HOUSSAIE.

(b) *oppugnaret*] Scrutinio etiam oppoſita ſunt: *Specchio di liberta & riſpoſta contra alli calomniatori di Venetia da* ZAROASTRO RONTEC; *Squittinio della republica di Venetia d'autore incognito ſquittiniato da Rafaele della Torre.*

(c) *illas inſulas*] *Le coſe notabili & maravigliose della citta di Venetia da* NICOLO DOLGION *p.* 5.

in aliam inſulam, Siciliam, Sardiniam, Corſicam confugere potuerunt. Hæc ſunt itaque figmenta, ex ambitione profecta. Non neceſſe eſt, ut initia omnium urbium ſint ſplendida, modo poſt virtute inclaruerint. Cæterum Veneti etiam hoc volunt credi, a ſuis majoribus, ab hoc tempore, conditam rempublicam liberam, quæ nunquam fuerit ſub romano imperio; quod haud *vero* (a) videtur ſimile: nulla enim ipſis tunc temporis fuit potentia, qua ſe contra hoſtes defenderent. Imo poſſum oſtendere, rempublicam venetam fuiſſe ſub imperio Caroli M. In libro de fin. Imp. oſtendi, rempublicam venetam, bona pace Caroli M., imperio conſtantinopolitano fuiſſe conceſſam, quod etiam Anonymus ille fatetur. Contradicit quidem Graswinkelius; ſed haud litavit veritati. Nec deſunt monumenta, quibus poteſt oſtendi, Imperatores germanicos ſibi aliquod jus in illam rempublicam vindicaſſe, quod etiam, quod ad terras continentes attinet, obtinuerunt: uti hoc oſtendi in libro de fin: Imperii.

Aſt, decreſcente imperio conſtantinopolitano, crevit reſpublica veneta; a 700 enim præter propter annos in plenam ſe libertatem vindicarunt. Occuparunt enim multas imperii conſtantinopolitani partes: partem etiam Dalmatiæ maritimam ſibi ſubiecerunt, quam etiam hodie tenent, item inſulas nonnullas maris hadriatici: ut Corcyram & Zacynthum. Præter ea in ipſa Græcia multa occuparuot. Dilabente enim imperio conſtantinopolitano, quaſi heres ſucceſſit reſpublica veneta. Sed creſcente Turcarum potentia, pleraque, a Venetis poſſeſſa, ipſis rurſus erepta ſunt. Cretæ etiam imperium, quod ab aliquot ſeculis habuere, dubium ipſis fecit Turca. Superiori ſeculo Cyprum etiam ipſis ademit, & multa alia. Uti autem decrementum imperii conſtantinopolitani incrementa dedit huic reipublicæ; ita, decreſcente imperio occidentali, per Italiam, efflореſcere cœpit hæc reſpublica, & multa ſibi ſubjecit, quæ antehac fuere imperii. Inter hæc ſunt duæ præclariſſimæ urbes, Verona, Patavium: longe tamen ſunt infra ſtatum priſtinum.

Sedes regiminis hujus reipublicæ eſt ipſa urbs Venetiæ, cujus *ſitus* (b) cumprimis notandus eſt, quia adhuc nulla urbs tam felicem habuit ſitum; niſi idem dixeris de urbe Tyro, quæ non procul a continente Palæſtinæ ſita erat, in parva quadam inſula, quam totam occupaverat, & quæ hinc in ſacris litteris dicitur ſita in maris umbilico. Urbs potentiſſima fuit, quæ ſibi prima ex commerciis magnas acquiſivit divitias, & a cujus coloniis condita deinde Carthago fuit. Hæc urbs non potuit ab Alexandro M. ſuperari, niſi juncta inſula continenti aggere quodam; qui modus etiam in oppugnandis Venetiis poſſet adhiberi. Situs hujus urbis admirandus eſt, cum condita ſit in in multis parvis inſulis, ad quas magnis navigiis non facile licet accedere: mare enim circa Venetias eſt vadoſum, & copioſa arena aditum impedit. In paucis tantum locis patet aditus, in reliquis ad exercenda commercia ſcaphis (quas vocant Gondeln) utuntur. Hinc apparet, urbem hanc ſatis tutam eſſe ab hoſtili impetu: nam qui terra tantum valet, non poteſt facile eo penetrare. Qui valet claſſe, nec ille urbem adire poteſt, propter loca ſabuloſa, vadoſa. Tanta autem ibi ſcapharum copia eſt, ut facile illis hoſtium depellere impetum poſſit.

Cæterum ex parte male ſe hæ inſulæ habent: non enim ferunt annonam, quo fit, ut Venetos alere non poſſint, qui quotidie coguntur victum ex continente petere, & frumento uti advectitio. Hinc ſi validus hoſtis continentem terram occuparit, & claſſe valens fuerit, ut prohibere navigiorum appulſum poſſit, fame incolis erit pereundum. Cæterum ſi quis videat, quemadmodum firmaverint ſuam potentiam in continente utraque, dicat, ſatis eos eſſe tutos: in utroque enim maris littore validas tenent urbes, imo in Croatia & Dalmatia loca maritima poſſident. Si vero validus hoſtis Dalmatiam ipſis auferat, hoc forte ipſis periculoſum eſſet. Si hodie Turcæ rapuerint Dalmatiam, quotidie Venetias poterunt infeſtare arte pyratica. Si iidem claſſe ſe inſtruxerint, actum erit de illa republica; cum enim anno hujus ſec. 16 bellum eſſet ortum inter Venetos & Ferdinsodum II, Ferdinandus eos ita arte pyratica circa Croatiam infeſtavit, ut reſpublica eorum ferme egiſſet animam.

Tenent hodie Veneti Iſtriam, & vicinam partem Dalmatiæ. In Dalmatia præcipui roboris loca ſunt Cliſſa & Sebenicum. Hodie Venetis pro muro ſunt montes Dalmatiæ: nam loca maritima dividit jugum perpetum montium altorum, per quos difficilis Turcis eſt tranſitus. Homines montes illos inhabitantes dicuntur Morlacci, immanes & feroces, maximeque de præda viventes. Hi neque ſub imperio turcico ſunt, neque ſub Venetis; Venetos tamen reverenter colunt. Quod Polonis contra Turcas Coſacci ſunt; hoc Morlacci Venetis. Prædam petunt ex Dalmatia, Turcarum vicinia. Nuper ingentem paſſi ſunt cladem a milite turcico. Minitatus eſt Turca Iſtriæ; ſed illa ora maritima magis munita eſt, quam ora Dalmatiæ. Certe, ſi Turcæ illam oram occuparent, ut ibi alere poſſent claſſem, Veneti præ foribus Torcam haberent.

Tenent porro Veneti mare *hadriaticum*, (c) & quotannis ſibi deſpondent ejus imperium, annulo ſingularibus ceremoniis in illud projecto; quo jure, quave injuria id fiat, ego jam non

(a) *vero*) Conf. quæ ad librum de finibus Imperii dicta ſunt.

(b) *ſitus*) *Voyage d'Italie* par MISSON *tom. I. p.* 151 ſeq. BAUDRAND p. 984. 985.

(c) *hadriaticum*) *Hiſtoire du gouvernement de Veniſe p.* 164 ſeqq.

non definiverim. Jam pæne per 200 annos illud imperium ſibi arrogarunt, ringentibus fruſtra Papa romano & regno neapolitano. Huc ſpectat, quod Hieronymus Donatus, Legatus reipublicæ venetæ, reſponderit Alexandro VI, quærenti, quo jure haberent tale imperium, quibusque tabulis illud eſſet deſcriptum? Mirari ſe, Papam non vidiſſe tabulas donationis Conſtantini M. cum in poſtica earum parte ſcriptum ſit, quo jure Veneti dominium maris adriatici teneant.

Non tantum autem omnes inſulas maris adriatici ſibi vendicant; ſed etiam extra illud, ita in mari ionico præclaras quasdam tenent, ut Corcyram ſ. *Corfu*, (a) Cephaloniam, olim dictam Samos, Zacynthum, quæ duæ poſteriores ſunt vicinæ ſinui corinthiaco, & denique Cretam. Omnes illas *inſulas* (b) adhuc integras tenent. Inſulæ illæ græcis ſacris ſunt addictæ, non romanis. Quia autem Veneti tam multos Græcos ſub ſuo habeant imperio, ſacra græca publice ſolent celebrari in urbe veneta, quæ anathemate ſolent percutere Papam romanum. Inſulæ illæ non quidem ſunt magni momenti; interim tamen Venetis ſunt accommodatæ, ad arcendam a Græcia immunita Turcam.

Creta eſt inſula ſatis magna, & adeo potens olim, ut ob centum urbes, quæ in ea erant, dicta ſit ab Homero Hecatonpolis. Hodiernum ejus ſtatum quod attinet, tres in eadem ſunt urbes munitiſſimæ. Prima eſt Canea, ſecunda Candia, tertia Retimo. Candia toti inſulæ nomen dedit, ut hodie non amplius Creta, ſed Candia audiat. Canea, omnium munitiſſima, per inſidias a Turcis eſt occupata.

Retimo etiam in manibus Turcarum eſt, qui novam etiam exſtruxerunt Candiam, ita, ut tres poſſideant urbes, Veneti *unam*. (c) Hæc inſula eſt fertiliſſima, & magnam Veneti ſui imperii partem amitterent, amiſſa hac inſula. Utrum aliquando totam poterunt recuperare inſulam, difficile dictu eſt: Turca enim, hoſtis Venetorum præpotens, ex Aſia, Africa & Europa ſuppetias ſuis mittere poteſt copiis. Vereor, ne tandem Veneti, deſperati pertæſi belli, totam Cretam Turcarum manibus dedant: omnibus enim ſuis victoriis hactenus nihil recuperarunt eorum, quæ amiſerunt. Nuper eo miſſus eſt Palatinus de Sulzbach, quid ille ſit effecturus, tempus docebit. Incolæ cretenſes omnes ſunt Græci, dicti a Venetis Stacciotti. Gloriantur Veneti de illorum in ſe amore. Hoc bellum ortum ex inſolentia nonnullorum Nobilium Venetorum, qui nonnullas incolarum fœminas ſtuprarunt: incolæ enim clanculum in auxilium advocarunt Turcam.

In Italia obtinent *Forum Julia* (d) & ipſos Alpes, ita, ut non ſit tranſitus in Italiam, niſi per Venetorum ditiones. In ipſis Alpibus fortiſſimas nuper exſtruxere arces, quibus hoſtibus in Italiam prohiberi tranſitus poteſt. Solet cumprimis laudari notiſſima & munitiſſima arx *Palma*, (e) & Monte Piaſco, locus ob munimenta ſua celebris. Tenent etiam bonam regni *longobardici* (f) partem.

Papam habent *vicinum* (g) circa ducatum ferrarienſem, Regem Hiſpaniæ, in ducatu mediolanenſi, item domum auſtriacam, circa comitatum tyrolenſem & epiſcopatum tridentinum, itemque Ducem mantuanum. Ab aliis non habet, quod ſibi metuat, niſi ab Hiſpano: quia autem hic perpetuus Galliæ æmulus eſt, cum illo ſemper ſolent amicitiam colere.

Omnes terræ, quas Veneti tenent, fuere particulæ regni italici nobiles. Superiori ſeculo, *Maximilianus* (h), fœdere facto cum Papa Julio II & Ludovico XII Rege Galliæ, laboravit de exidio hujus reipublicæ, in quo bello omnia fere amittebant, quæ ante poſſederant: ſed, celeriter amiſſa, celeriter etiam recuperarunt.

In urbe *Venetiis* (i) alii ſunt Nobiles, quos vocant Patricios: reliqui coaluerunt ex variis Italiæ populis. Numero hominum ſic ſatis abundat urbs. Laudantur incolæ a bonis moribus; a robore autem bellico non ſolent commendari. Abundat urbs præclaris artificibus; ex quo apparet, ingenium populo non deeſſe. Abundat viris præclaris, ſapientiæ laude inclytis. Inter Patricios etiam multi ſunt omnis generis doctrina excellentes, maxime autem a pru-

(a) *Corfu*) AMELOT DE LA HOUSSAIE *l. c. p.* 253 ſeqq. Italiæ clavis hæc dicitur Inſula. Schulenburgio, ſummo Venetorum belli duci, ob res contra Turcas præclare geſta, æternum ibi fortitudinis ſtruxerunt monumentum.

(b) *inſulas*) Sunt quoque ipſorum Leucadia (S. Maura) Curzolari, Cerigo, & quædam in archipelago inſulæ.

(c) *Unam*) Quæ & deinde in Turcarum venit poteſtatem.

(d) *Forum Julia*) Friaul. Hoc nomen a civitate, hodie ad incitas propemodum redacta.

(e) *Palma*) Præter hanc in foro Julio notari merentur Utinum regionis metropolis, portus Naonis, Cadubrium. Sunt quoque in hoc tractu Aquilejæ reliquiæ ſub Auſtriacis; Patriarcha vero, Venetorum reverens imperium, Utini locum habet.

(f) *Longobardici*) In Venetorum Lombardia ſeptem ſunt tractus 1) ager patavinus, in quo Padua antiquitate, magnitudine, munimentis & academia memorabilis 2 peninſula rhodigiana 3 ager vincentinus 4 ager veronenſis 5 ager brixanus, in quo Brixia metropolis, munimentis inſtructiſſima 6 ager cremenſis, in quo Crema bene munita 7 ager bergamenſis, in quo Bergamum amplitudine & munimentis celebris. Ad Venetos quoque in continenti ſpectat marchia tarviſina, quæ agros tarviſinum, feltrinum, bellunenſem involvit. Quilibet ager urbem habet cognominem. In Dalmatia Veneti Glimmam, Zaram, Sebenicum, Cattaram, Traguriam, Cliſſam, aliaque habent loca.

(g) *vicinum*) De Venetorum vicinis, & cum quibus amicitiam & fœdera inire ſolent, Vid. AMELOT DE LA HOUSSAIE *l. c. p.* 85 *ſeqq.*

(h) *Maximilianus*) Cambraci anno 1508 hoc contra Venetos ictum eſt fœdus Vid. *corps diplomatique tom. IV. p.* 121 *ſeqq.*

(i) *Venetiis*) Splendidiſſimam hanc urbem, inprimis ob ſitum, haud procul a miraculo abeſſe, ferunt. VOYAGE DE MISSON *tom. I. p.* 189 *ſeqq.*

a prudentia *civili* (a) inſtructi. Ad ſtudia pietatis quod attinet, Veneti ſemper habiti ſunt *probi* (b); non tamen ita ſuperſtitioſi, ut divos cum Papicolis adorent, parum æſtimantes Papam.

Sub hujus ſeculi initium, exorto diſſidio inter *Paulum V & Venetos* (c), magna in hac republica contigit mutatio. Cauſæ hujus diſſidii ſunt ſequentes: (1) quod Veneti res ſacras, inconſulto Papa, venderent; (2) non dubitarent adnimadvertere in quendam Abbatem libidinoſum; putat enim Papa, omnem clericum jure divino eſſe exemtum ab omni jurisdictione ſeculari; (3) quod Senatus auderet tributa exigere a bonis ſacris. Ob has tres cauſas allatas Pontifex non dubitavit, eos interdicere omnibus ſacris. Jeſuitæ itaque, qui nolebant exercere ſacra, ejecti ſunt e ditionibus Venetorum. Hæc contentio aliquamdiu duravit, non ſine magno diſpendio auctoritatis Papæ: Veneti enim quam acerrime leges ſuas propugnabant, ita, ut Papa in lucro poſuerit, rem quomodocunque modo componi. Hæc contentio multum mutavit priſtinæ religionis in animis Venetorum: cum enim conatus Papæ ineptos eſſe viderent, cœpere inquirere in religionis principia. & multi dederunt nomen reformatæ religioni, nonnulli plane ad atheismum pervenerunt, licet externe Deum colant.

Quod ad ea attinet, quæ ad vitam ſunt neceſſaria, talia Venetiis non reperiuntur, niſi aliunde advecta. Frumenti bonam partem accipiunt ex Dalmatia. Utitur etiam frumento, ex Polonia per naves lubecenſes, hamburgenſes, batavicas advecto. In vita Nicolai Peireakii refertur, illum ea fuiſſe ſententia, fore, ut urbs Venetiæ aliquando continenti jungatur: hoc colligit ex eo, quod continens terra, ſpacio temporis non magno, aliquot mille paſſus creverit. Quod attinet provincias, italica ditio eſt plena hominum, præcipue urbes, Patavium & Verona. Dalmatia habet populum militarem, non vero adeo numeroſum. De Creta jam non habeo quod dicam; quia ejus poſſeſſio valde eſt dubia. Veneti magnam juventutis partem in amando conſumunt, & fœminæ ſuis blanditiis quemvis Catonem ad libidinem protrahere poſſunt.

Ioh. Bodinus, cum aliis, putat, originem reipublicæ arceſſendam eſſe e temporibus Caroli M: verum hoc caret certo teſtimonio, qui in libro de fin. Imp. oſtenderim, Venetos ceſſiſſe imperio conſtantinopolitano. Qui commentatus eſt ad Donatum Janottum, ille vult defendere libertatem reipublicæ venetæ contra Bodinum, & quod anno 20 Veneti Ducem crearint: accurate autem hiſtoriam illorum temporum ſcrutantibus, apparet, imperium Italiæ fuiſſe partim penes Longobardos, partim penes Imperatores conſtantinopolitanos. Exarcho, qui nomine cæſareo imperavit, paruit illud omne, quidquid eſt in Italia, præter regnum Longobardorum. Sub finem ſec. ſeptimi cœpere Imperatores inſectari cultum imaginum, qui jam tunc temporis eccleſiam græcam occupaverat. Inter illos Imperatores, quos vocant Iconomachos, maxima vehementia id egit Leo Iſaurus. In Italia erat tunc tempore Papa romanus Leo. III. Per hunc incitatus populus eſt, ut detrectaret imperium conſtantinopolitanum, & ſe in libertatem vindicarent. Verum paulo poſt Imperatores, videntes, adeo infeliciter cecidiſſe conatus, a rigore ſuo deſtitere, adeoque populus italicus cœpit iterum reverenter colere Imperatores conſtantinopolitanos. Inter hos, qui ita abjecere imperium, fuere etiam Veneti, & ex hoc tempore libertas reipublicæ eſt arceſſenda. Singulæ Italiæ urbes tunc temporis ſibi cœpere Duces eligere, ut Roma, Ravenna, & ipſa urbs Venetiæ.

Veneti ſcriptores putant, hodiernum regimen ſemper ibi obtinuiſſe, nulla facta mutatione; ſed ex Sabellico *contrarium* (d) apparet. Hæc forma cœpit ante 400 annos. Veneti probant, nunquam ibi obtinuiſſe veram monarchiam: verum abunde liquet, etiamſi Duces non fuerint Monarchæ, obtinuiſſe tamen imperium mixtum. Duces enim dimidiam habuere regiminis partem; & hoc ipſo Ducum autoritas fuit reſtricta, quod fuerint electitii, non hereditarii: ubi enim electio locum habet, ibi non temere ſolet reperiri plena monarchia. In electitio imperio ſemper major eſt eorum libertas, penes quos eſt eligendi poteſtas. Quod autem olim magna fuerit Ducum potentia, ex eo liquet, quod ibi, mortuo Duce, maximæ fuerint exortæ turbæ: hoc enim indicat, rempublicam, vivente Duce, fuiſſe ſtabilem, remoto vero rectore, turbatam eſſe. Hoc indicio eſt, ſtatum ibi ex parte fuiſſe monarchicum. Hodie novi Ducis electio fit ſine ullis turbis, quia ſub Ducis nomine nihil fere latet *autoritatis* (e). Si videas hodiernum Ducum officium, hoc ita eſt circumſcriptum, ut officium hoc ſit in

(a) *civili*) Hinc Venetorum Senatus omnium totius terrarum orbis ſapientiſſimus dici ſolet.

(b) *probi*) Multis tamen vitiis, inprimis libidinibus, luxu & ſuperbia Nobiles laborare dicuntur.

(c) *Paulum V & Venetos*) Late hæc ab AMELOT DE LA HOUSSAIE *p.* 298 traduntur.

(d) *contrarium*) *Hiſtoire du gouvernement de Veniſe tom.* I. *p.* 2 *ſeqq.*

(e) *autoritas*) De Ducis Venetorum poteſtate, quam olim habuit, agit AMELOT DE LA HOUSSAIE *tom.* I. *p.* 131. Hodie Dux nihil ſine Senatu facere poteſt. Et ut in publicum notum ſit, maximam poteſtatis partem in manibus eſſe Senatus, Nobilis quidam in proceſſionibus ſolennibus poſt Ducem & ante Senatum gladium in vagina reconditum fert. Aliqui hoc ita interpretantur, ac ſi eo indigitari deberet, & illi Ducem ſubeſſe. Nullus Magiſtratus aut Conſiliarius Ducis, ſed reipublicæ eſſe dicitur. Legatis Dux non niſi in generalioribus reſpondet terminis, reliqua ad rempublicam remittens. In gaudiorum aut dolorum annunciationibus Duci libera eſt inci-

inutile reipublicæ. Non eſt veroſimile, Ducem, cum primum crearetur, in ſpeciem tantum creatum eſſe: quin imo veroſimile eſt, Venetos, eodem cum aliis urbibus tempore Ducem eligentes, eandem quoque eligendi habuiſſe cauſam.

Autor Scrutinii non male probat, primis ſeculis ad Ducum electionem convocatum fuiſſe omnem populum, quod etiam ex hiſtoria Sabellici conſtat; hodie vero populus eſt in nulla autoritate. Dicendum itaque, olim ibi obtinuiſſe rempoblicam mixtam, ſive principatum mixtum, magnam partem cum ariſtocratia, & levi parte cum democratia. Intra hos vero 400 annos ingens facta rerum omnium mutatio. Contarenus in lib. ſuo nobis perſuadere conatur, ſuo tempore ſtatum ibi obtinuiſſe mixtum: verum ego longe aliud ſentio, & puto, jam per 400 annos ſtatum ibi obtinuiſſe ſimplicem; quoniam ab eo tempore tota reipublicæ ſalus eſt penes ſolos Patricios.

Quod autem principatus ibi non obtineat, probo, quod *Dux Venetorum* (a) nihil eorum teneat, quæ ad ſummam poteſtatem pertinent. Recte de Venetorum Duce in proverbio dicitur, quod ſcilicet ſit Rex ſplendore, Senator in curia, in urbe *captivus* (b). In curia plus non poteſt, quam alius quidam Senator. Quæ ergo eſt cauſa, cur Veneti habeant talem Ducem? Qui ſolent mutare ſuæ reipublicæ formam, illi ſolent ſæpe antiqua dignitatum vocabula retinere: retinent autem vocabula, ut ſcilicet eo magis mutatio reipublicæ lateat. Idem hic quoque obtinuit. Ne decipiat nos, quod omnia edicta promulgentur Ducis nomine, numi cudantur ſub *ejus nomine* (c): hæc enim omnia tantum in ſpeciem fiunt. Cum autem olim idem ſub Ducis nomine fieret, hanc etiam ſpeciem reipublicæ mixtæ retinuerunt. Usque adeo Veneti libertati ſtudent, ut inſignem quidem pecuniæ ſummam curent in ſuſtentationem Ducis ſuppeditare; verum poſtulent, ut omnem illam pecuniam impendat honori ſtatus ſui. Lege cautum eſt, ut, ſi poſt obitum Ducis evinci poteſt, Ducem bonam partem ejus pecuniæ impendiſſe in uſus privatos, non tantum, quod de ejus bonis ſupereſt, ſed omne etiam patrimonium, cedat fiſco. Prudenter hoc eſt inſtitutum, ut caveatur, ne aliquis ex republica diteſcat, & paulatim opes ſibi corradat, unde heredes ejus aliquando reipublicæ poſſint eſſe noxii: (2) ut æqualitas inter cives obſervetur; (3) ut ducalis dignitas minus invidiæ habeat. Hoc cumprimis obſervandum eſt in ariſtocratia & politia, ne illi, qui Magiſtratu funguntur, diteſcant ex republica: quia alias reſpublica maximis eſt obnoxia motibus. Populus ſatis eſt contentus, licet non fungatur honoribus, modo poſſit vitam tranquillam agere: ſed ſi videat, eos, qui Magiſtratu funguntur, quæſtum magnum facere, ſtatui ei invidet. Facile itaque apparet, hodie nihil Venetiis principatus ſupereſſe: Dux enim, qui ibi eſt, reapſe eſt Senator. Longe artificioſior eſt conditio conſtituendæ reipublicæ popularis, ut ariſtocratiæ, oligarchiæ, quam monarchiæ. Certe majori opus eſt prudentia ad conſtituendam illam, quam hanc rempublicam: ideo & monarchia omnium prima fuit, & potuit facilius obtineri inter homines ſimplices.

Omnis reſpublica popularis non poteſt locum habere, niſi inter homines prudentes & ſuarum rerum ſatagentes. Id ipſum elucet in republica veneta, quæ tanta prudentia eſt conſtituta, ut ipſis artificibus reipublicæ iſtius non conſtet, qualis ſit ſtatus. Caſpar Contarenus auſus eſt de ſtatu hujus reipublicæ aſſerere, quod ſit mixtus ex ſtatu monarchico, democratico & ariſtocratico. Aliter ſentit Janottus. Cæterum ſi quis doctrinam politicam noverit, & attendat, quæ gerantur Venetiis, ei apparebit, Contareni ſententiam eſſe erroneam. Ducum enim poteſtas non eſt regia, licet ſpeciem habeat. Quod incedat Dux regiis veſtibus, regio ſatellitio, quod omnia mandata ſubſcribat, quod nomen inſcribatur monetæ, hæc homini imperito videntur magni ponderis; ſed ſunt inania: non enim ex nomine, in nummo impreſſo, licet colligere regiam ſive præeminentem potentiam, neque ex veſtibus pretioſis. Sed cum mutantur reſpublicæ, tum multa manent, in ſpeciem non mutatæ reipublicæ: mundus enim re vera agit hiſtrionem, ne tam ſubita mutatio ſit in oculis omnium. Si quis tantum attendat ad jura majeſtatica, videbit, quod jurium illorum omnium nullam majorem poteſtatem habeat Dux, quam Senator

incircumſcripta eſt loquendi poteſtas. Omnes Legatorum literæ credentiales Ducis nomine conſcribuntur, moneta ejus nomine cuditur; non autem ejus imaginem aut inſignia refert. In numiſmatibus, quæ aureis catenis, quas reſpublica Legatis & primariis belli Officialibus dat, adhærent, Ducis nomen legitur, ſub quo hæ literæ conſpiciuntur S. C. *Senatus Conſulto*. Omnes Magiſtratus accedenti Duci aſſurgunt: ille vero nunquam aſſurgit, niſi Legati accedant: verum nec ad illorum acceſſum caput mitra cornu formam habente privat: poſtquam vero non niſi operculo, quod gallice vocatur taque rouge, indutus eſt, caput detegit, æque ac ille, qui vices ejus gerit. Omnia Eccleſiæ S. Marci confert munera, nec hæc alterius, quam ejus ſubeſt juriſdictioni. Eſt quoque monaſterii delle virgini Patronus. Abbatiſſa eum ſuum vocat patrem. Aulæ ſuæ officiales, qui *Commendadori di palazo* vocantur, conſtituit Introductoris Legatorum ſpeciem habet, qui Cavaliere del Doge vocatur & inter primarios aulæ ejus Officiales eſt *Caſtel do* del *Doge*. Familia non ſubeſt Magiſtratui pompæ (des pompes) & filius ejus ducali veſtitu uti poteſt. Apparet ex his, quod Venetorum Dux, quodammodo majeſtatem ſive ſplendorem Regis, & auctoritatem civis habeat. Annuum ejus ſalarium tria millia & quingenta aureorum nummum efficiunt. Denique notandum, liberos ejus & fratres a primariis reipublicæ officiis eſſe excluſos AMELOT DE LA HOUSSAIE *p.* 131 *ſeqq.* Poſt Ducem primo inter Venetorum Proceres ſunt procuratores S. Marci. De horum officio, & iis, qui ad hanc promoventur dignitatem, confer. AMELOT DE LA HOUSSAIE *p.* 174.

(a) *Dux Venetorum*) *Hiſtoire du gouvernement de Veniſe p.* 131 *ſeqq.*

(b) *captivus*) *Voyage de Miſſon tom. I. p.* 209 *ſeqq.*

(c) *ejus nomine*) MISSON *l. c. p.* 212, 213.

nator aliquis venetus. Mea quidem ſententia, ſumma reipublicæ eſt penes ſolos Nobiles. Quod penes Nobiles, & quidem omnes, probo; quia potiſſimæ partes poteſtatis ſummæ manifeſto pendent a collegio Nobilitatis. Si quid eſt deliberandum de bello & pace, de legibus potiſſimis, de conſtituendis maximis Magiſtratibus, de tributis, ſolet convocari tota Nobilitas veneta. Illorum vero magnus eſt numerus: & interdum ad 4 & 500 accedunt. Illud concilium dicitur *magnum*, (a) ut in nonnullis Germaniæ urbibus.

Hi Nobiles habent poteſtatem, conſtituendi ea, quae faciunt ad rempublicam. Contarenus putat, hoc eſſe democraticum; quia tanta multitudo convenit. Sed numerus nos non turbare debet: nam qui ibi conveniunt, non deliberant auctoritate aliena, ſed propria. In democratiis magnis ex omnibus tribubus ſolent convenire Delegati, & tribuum nomine ferunt ſuffragia. Aſt illi omnes, qui interſunt collegio illi magno, propria auctoritate ferunt ſuffragia. Quicunque Nobilis venetus eſt 20. annorum, poteſt admitti, ſi nomen ſuum profiteatur, & poſſit probare, ſe Nobilibus venetis eſſe natum. Tum refertur in album, & poteſt ferre ſuffragia: ſi vero annorum 20 non ſit, domi exſpectare cogitur annum 25. *ætatis* (b) ſuæ. Habetur tantum ratio Nobilitatis; hinc nihil ibi eſt democratici.

Solent nummerari Venetiis 60000 aut 70000 *hominum* (c); ex quibus 4 aut 5000 ſolent admitti ad rempublicam, reliqui excluduntur. Etiamſi reliqui ſint potiores divitiis, virtute; tamen hoc non attenditur. Contarenus hoc videt: interim adducit Ariſtotelem dicentem, mercatores, opifices non vere eſſe cives: ſed nunquam tale quid docuit, loquitur tantum de optimis rebuspublicis, in quibus ſumma muoera non debent obire tales homines; alias in aliis rebuspublicis poſſunt pro civibus haberi.

Interim ſtatus ille non nihil poteſt videri mixtus, quia magna eſt poteſtas penes concilium

(a) *magnum*) AMELOT DE LA HOUSSAIE *du gouvernement de Veniſe p. 7 ſeqq.* In hoc magno conſilio eliguntur Magiſtratus. De modo eos eligendi, qui plane ſingularis eſt, vid. AMELOT *l. c. p. 8 ſeqq.* Hic tamen modus ab eo, quem in eligendo Duce adhibent, diverſus eſt. vid. *l. c. p. 11 ſeqq.* Nemo niſi 25 annos natus magno intereſſe poteſt conſilio. Interim in die S. Barbaræ (unde ipſis Barberinorum nomen) ſorte numerus quidam, eam oondum attingentium ætatem, admittitur. Sæpe etiam ob patrum merita, aut nummos, quidam a republica (Seigneurie) ætatis veniam impetrant. Vota in hoc conſilio oonnunquam ſunt venalia, & affectibus indulgetur. Omnes ad hoc conſilium admittuntur Nobiles, juſtam habentes ætatem, exceptis Procuratoribus S. Marci. In magno hoc conſilio leges conduntur & abrogantur, Nobilitas impertitur, Magiſtratus & Conſiliarii eliguntur, Senatus electiones confirmaotur aut caſſantur: Senatus vero ſtricte dictus habet jus belli & pacis, fœderum, tributorum & onerum, monetam ordinat, reditus curat, officiales tam terreſtri, quam navali militiæ deſtinatos, conſtituit, Legatos ad exteros mittendos, Reſidentes, Agentes nominat, quique ſub ejus ſunt imperio, ita ut in illos animadvertere poſſit. Cumque igitur hæc duo Collegia omnem in republica propemodum habeant poteſtatem, AMELOTTO videtur forma ariſtocratico-democratica. Rectius forte dicendum, ariſtocratiam oligarchia mixtam eſſe.

(b) *ætatis*) CONTARENUS *de Venetorum republica p. 28.* Nemo Nobilium ad dignitates in republica admittitur, niſi annos, a lege ſtatutos, habeat; probe enim illis cognitum, prudentiam plerumque annorum numerum requirere. Et cum in muneribus minoribus gerendis exercitati, ad majura ſuſcipienda aptiores redduotur, nullo facto ſaltu, gradatim ad ſummos in republica honores perveniunt. Quum autem variis officiis diſtracti nullo recte fungi queant, ſanctum, ne quis duo habeat officia, licet minoris momenti. Qui Nobilium muneri collato ſe ſubtrahit, duobus ducatorum millibus mulctatur. Magiſtratui honores acceptos gratulari nefas eſt. Nemo officio, licet tempus, in quod datum, expiraverit, ſe abdicare poteſt, antequam ſucceſſor adſit. Qui munere aliquo io Principis cujusdam aula defunguntur, nullas in regenda republica habere poſſunt partes. Hoc etiam ad illos, qui in johanniticorum Equitum numerum relati ſunt, ſpectat. Nec munera aut ſtipendia a Principibus externis conſequi, aut in eorum territoriis ſibi bona comparare poſſunt. Qui contra hanc impingunt legem, Nobilitate exuuntur, eorumque bonis fiſco addictis, patria ejiciuntur. Sic & ipſis in continenti Venetis ſubjecto feuda & terras acquirere prohibitum. Nemini Nobilium peregrinam ſibi matrimonio jungere, aut filiam ſuam peregrino in matrimonium collocare licet. Quodſi Nobilis imparis conditionis civem (cittadine) in uxorem ducit, ex eo matrimonio nati Nobilium numero non ſunt, niſi contractus nuptialis a magno conſilio ſit approbatus. Non autem ad has cives, quæ ignobiles, Nobiles eniti poſſunt, ſpectant, niſi Secretariorum reipublicæ, Notariorum, Medicorum, mercatorum panni & ſerici, nec non illorum, qui conficiendis pretioſis vitris præſunt (verriers de Muran) filiæ. Penes Venetos primogeoituræ non eſt locus. Nulli partium ad Nobiles, qui judicandis cauſis forenſibus præſunt, aditus patet. Nobiles poſtulare, oon autem mercaturæ operam dare poſſunt. In Senatu oulla alia quam nativa dialecto uti queunt. Omne cum Ablegatis & Principum Miniſtris, ſub mortis pœna, ipſis literarum eſt interdictum commercium. Legati ad aulas extraneas miſſi, inde diſcedere non poſſunt, antequam ſucceſſor eorum acceſſerit, quem ad illum Priocipem, in cujus aula locum tenent, ducere obligantur; reduces de geſtis io legatione ſcriptos reipublicæ exhibere debent commeotarios. Dona diſceſſuris data Senatui exhibere ſuot obligati, qui deinde de illis diſponit. Nullam a Principe, in cujus aula reſident, impetrare poſſunt gratiam. De conjugum ſuarum, ſi demigrationis habent ſocias, perverſis actionibus rationem reddere teneotur. Qui peregrini, ut Papæ nepotes & plures alii, in Venetorum Nobilium ſunt cooptati numerum, magnum Conſilium intrare poſſunt, ibique ſuffragii jure gaudent, ad reipublicæ autem muoera non admittuntur. Nobilium nomina aureo inſeruotur libro: ſed a Pontificis nepotibus, ut id precibus impetretur, contendunt. Conſilii magni juſſu conſtitutum, omnia munera annua eſſe. Habitus, quo Nobiles utuotur, toga ex nigro eſt panno, quem cingulum ejusdem coloris panni, ornamentis argenteis tecti, ſtringit. Mitræ ejusdem panni capita tegunt, ſub quibus tamen ſæpe magna ſunt capillamenta. Qui Legatorum muneribus functi, aurea in cingulis habere poſſunt ornamenta. De habitu ducali vid. AMELOT DE LA HOUSSAIE. *p.* 143.

(c) *hominum*) Hos trecenta millia æquare; Nobilium autem numerum plus minus 2500 implere, dicunt. AMELOT DE LA HOUSSAIE *p. 43 ſeqq.*

lium *Rogatorum* (a) ſive Prægadinorum, & deinde penes *concilium* (b) decemvirorum. Hi Decemviri multum habent poteſtatis, ita, ut a nonnullis regnum obtinere putentur. Sed illi Prægadini & Decemviri funguntur officio Magiſtratuum; quod & in democratiis fieri ſolet. Uti in democratiis multa fiunt auctoritate populi, ita hi, quicquid agunt, agunt auctoritate magni illius *Concilii* (c). Hi Prægadini ſunt in magna auctoritate: revera tamen tota reipublicæ ſumma eſt penes illud Coocilium magnum. Jam, cum ipſa poteſtas Prægadinorum, Decemvirorum ſit dependens a magno illo Concilio, videtur, illos regere rempublicam aliena auctoritate: attendeodum igitur, quænam propria, quænam aliena adminiſtreot auctoritate. Tota igitur ſumma eſt penes Concilium Magnum: ſed quia illud conſtituitur ex ſola Nobilitate, quæritur, qualis ſit Reſpublica? Ariſtocratiam non eſſe dixerit aliquis, propterea, quia multi optimi viri excluduntur a republica, qui non ſunt Nobiles. Non tamen oligarchiam, appellaveris, quia oligarchia eſt, ubi pauci imperant, habita ratiooe divitiarum: ſed divitiæ in concilio illo non attenduotur. Si quis eſt Nobilis, licet pauper, tamen admittitur ad hoc Concilium. Ariſtoteles ita definivit oligarchiam io politicis: eam eſſe, in quibus pauci imperant, ratione habita divitiarum: aperte tamen hoc nunquam dixit, quia per univerſam Græciam ipſius tempore Nobilitatis nulla habita fuit ratio. Quinam valebat ære, admittebatur ad rempublicam, nulla habita ratione Nobilitatis aut virtutis.

Revera igitur hic ſtatus eſt oligarchicus: diverſus tamen a ſtatu oligarchico, qui Græcis fuit in uſu. Non potuit etiam dici ariſtocratia; idque propterea, quia reapſe ne quidem defioitio Ariſtotelis poteſt convenire huic ſtatui; cum in reliquo populo regiminis prudeotes æque boni reperiantur, quibus tamen præcluſa eſt via ad rempublicam. Aſt in ariſtocratia admittuntur etiam viri optimi, licet oon ſint Nobiles. Abuſive tamen poſſis dicere hunc ſtatum ariſtocraticum: quia Nobiles in republica poterunt videri optimi, qui reliquis exellunt virtute majorum, Nobilitate generis. Dum igitur habetur ratio Nobilitatis, habetur ratio virtutis, noo propriæ, ſed alienæ, & præterea in Magiſtratuum electione attenditur propria Nobilitatas, non vero virtus majorum. Hoc propterea obſervandum, quia videmus, hodie ooſtris moribus aliquid obtinere, quod tamen expreſſe oon habetur in Ariſtotele. Exemplum hoc apud Ariſtotelem non reperitur, unde fit, ut multi dubitent, cui reipublicæ formæ hanc Venetorum rempublicam annumerare debeant. Ut hodie nulla talis oligarchia eſt io uſu, quales Ariſtoteles commemorat; ita etiam per hic ſtatus cum Ariſtotelis placitis coovenit. Eſt autem hic ſtatus oligarchia, aut ariſtocratia improprie dicta, ſive ſi proprius loqui mavis, mixtum dicas ex oligarchia & ariſtocratia.

Dicendum nunc de modo hujus regiminis. Primo notandum, quod omnes illi Nobiles habeant poteſtatem *ſuffragii* (d), in qua eſt inſignis poteotia. Apud Romanos obtinebat mos, ut pedibus ireot in ſententiam propoſitam: hi in hunc locum, alii in alium ſuccedebant. Athenis fiebant ſuffragia viva voce. Cæterum Venetiis, quia notum eſt, quanta pariant certamina diverſæ ſententiæ, prudenter ioſtitutum, ut libera ſint maxime ſuffragia, & fiant abſque ulla offenſa. Nempe omoes, quibus hoc jus eſt, dum ſedent in ſubſelliis, præpoſita ſententia, quæritur, utrum hanc vel illam ſententiam probent? Tum ſunt, qui afferunt ſingulis *capſulam*, (e) ita tectam, ut maous indere poſſit, & deinde calculum, qui ipſis ſolet præberi, in hanc vel in illam capſulam, clanculum injiciunt. Igitur videri poteſt aliquis ore præ ſe ferre hanc ſententiam, & deinde, conjecto calculo, aliter ſentire. Itaque hac ratione liberrima ſunt ſuffragia, & ſine vi & offenſa, nullæ ibi ſunt ſactiones. Nemo poteſt alicujus ſententiam eruere; licet enim quis juramento hanc vel illam ſententiam affirmet, tamen aliter agere poteſt. In oullo populo veteri obſervavi talem, ſententias colligendi, modum. Deinde numerantur calculi in omoium præſentia, & ſecuodum numerum majorum fertur ſententia. Laconici, Attici, looge alio & magis incommodo modo ſuffragandi uſi ſunt. Hodie in ſuffragiis Imperii quisquis ſuam ſententiam dicit aperte, magoa cum invidia & multorum offenſa. Igitur ooſtra reſpublica vitio hoc laborat.

Præſertim io illo collegio laudada eſt taciturnitas, ita, ot capitale ſit, ſi quis enunciet ea, quae dicenda ſunt in Senatu. Anno 1620 primarius aliquis Seoator, ære inductus, Legato hiſpanico multa decreta Senatus revelaverat: ſimulac autem hoc emanabat, autoritate publica hic ſuſpenſus eſt e feneſtra curiæ, addito elogio; ita puniendos eſſe homines, qui ſancta Senatus decreta revelent.

sancta

(a) *Rogatorum*) Senatus, trecentos complectens Nobiles, etiam Pregadi nomine venit. Admiratu dignum eſt, in tot capitum numero rariſſime aut nunquam ſecreta pandi. Habent quoque concilium aliquod Pregade eſtraordinario dictum, ex ſexaginta Senatoribus collectum. Hoc 1335 ſtabilitum fuit. *Le coſe notabili & meravaglioſe della citta di Venetia* p. 140.

(b) *concilium*) Hoc rerum criminalium curam habet. AMELOT DE LA HOUSSAIE *tom. I. p.* 183.

(c) *Concilio*) Eſt adhuc alius Senatus, quem Collegium & ſereniſſimam dominam vocant. Ex Duce & ſex Conſiliariis, tribus ex collegio criminali Deputatis, ſex prudentibus magnis, (hi ex civibus prudentiæ laude maxime inclytis eliguntur) Senatum repræſentantibus, quinque ſapientibus, ex continenti advocatis, & quinque prudentibus ex Ordinibus, penes quos olim omnium rerum maritimarum directio erat. In hoc collegio exterorum Principum Legati, civitatum Deputati, exercitus Duces & omnes alii Officiales audiuntur. AMELOT. *l. c. p.* 27.

(d) *Suffragii*) Dux in magno Conſilio duobus gaudet ſuffragiis.

(e) *capſulam*) Conf. AMELOT DE LA HOUSSAIE *p.* 8 *ſeqq.*

Laborat tamen hoc collegium cummuni vitio, nimirum tarditate; nihil enim magn geritur, niſi auctoritate magni Concilii, quod non facile convenire poteſt. Hinc occaſiones, magnarum rerum gerendarum, ſæpe præterlabuntur, quod etiam in ipſis reprehendit Cominæus. Sed hoc eſt vitium inemendabile & proprium omnibus rebuspublicis. Hoc vitium obſervare licet io noſtra republica. In hac re ſane monarchia longe præſtat reliquis reipublicæ formis. Turca omnia celeriter poteſt peragere. Celeritas experiendi eſt maxima pars & propria monarchiis, uti tarditas reliquis rebuspublicis.

Porro notandum, quod de magnis negotiis ſoleat deferri ad conſilium illud magnum, facta prius in collegio decem virorum conſultatione, ratiooibus dubitandi & decidendi in medium allatis. Tacitus teſtatur, eundem obtinuiſſe morem penes veteres Germanos, majores noſtros, dum de iis affirmat: rempublicam fuiſſe penes totum populum, & penes Primores ſ. Principes præconſultandi facultatem. Magna itaque negotia non crude deferuntur ad Concilium illud magoum, ſed rationibus in utramque partem ventilatis. Hinc illis, qui ſunt in Conſilio illo magno, facile eſt, optimam eligere ſententiam, præſertim cum plures ſenili ſint prudentia præditi. Obſervandum vero eſt, quod Concilium illud magnum nunquam fere recedat a ſententia Præconſultatorum, ſed eandem fere ſemper approbet.

ARIST. *lib. 5 Polit.* oſtendit cauſas mutationum oligarchiæ. Cum autem hæc respublica talibus ſit obnoxia periculis; hinc etiam illis ſaoanda mediis eſt, quas in medium Ariſt. protulit. Duo imprimis ſunt, quæ Veneti metuunt, (1) populum, qui ad honores non admittitur, (2) Nobiles, ne quis eorum, populi ſibi acquiſito amore, rempublicam in monarchiam vertat. Si legeris Ariſtotelem, apparebit, quibus periculis ſit expoſita illa reipublicæ forma, neque Venetos hoc latet: hinc Veneti omnia, ad conſervandam oligarchiam, media obſervant, & dant operam, ne ulterius populus offendatur.

Dant igitur operam, (1) ne populus velit irritare rempublicam & ſua parte ſit contentus, (2) ne poſſit mutare eandem. Dant ſemper operam Nobiles, ut populus quam beningniſſime habeatur; hinc, ſi quis Nobilium injuria affecerit populum, graviter illum mulctant; quo cavetur, ne ægre ferat populus præſeotem ſtatum, quod facile accideret, ſi onerentur injuriis. Notum Venetis, quam grave ſit populo, ſiquidem tributis oneretur, igitur huic etiam malo remedium quaerunt: hioc publica vectigalia ſolent potius uſuris gravare quam nova imperare tributa. Certe non imperant nova tributa, niſi populus manifeſte videat eorum neceſſitatem & utilitatem. Deinde cavent, ne facile reſpublica cogatur bellum gerere; omni modo ſtudent conſervationi pacis: quia tempore belli non facile poſſunt conſervare favorem populi, iu quo oempe opus eſt multis tributis & aliis ooeribus. Præterea cavent, oe Nobiles ex publicis bonis ditescant: quia populo hoc nimis foret grave. Hoc ipſum Ariſtoteles etiam oligarchiis ſvadet, ne lucrum captent e republica, ſed contenti ſint illo honore. Et hæc etiam eſt cauſa, quare oligarchiæ omnes ſerme ſint mutatæ in democratias, in urbibus germaoicis. Deinde cavent, ne poſſit populus novas res moliri: perficiunt autem hoc, dum noo pationtur, populum facile armari. Si vero bella gerunt, otuntur milite cooductitio *peregrino* (a): quia ſibi metuunt a populo armato. Itaque malunt, populum molliter vivere, ne facta deinde pace, arma in rempublicam corripiant, ut Romæ factum eſt. Nam cum miles legeretur, oligarchia non poterat conſervari. Cum ad hunc modum debeant rempublicam adminiſtrare, non poſſuot non laborare morbis: talis enim adminiſtratio morbis carere non poteſt; ſed illi malunt minus malum præ majori eligere, cum hæc aliter fieri nequeant, hoc durante ſtatu. Summam bellicam non audent credere uni, unde ſæpe optima agendi occaſio præterlabitur. Cum noo audeant *populum* (b) onerare tributis, hinc æraria laborant *inopia* (c). Non poteſt juſtus militum numerus conduci, nec illa parari, quae ad belli apparatum ſunt neceſſaria. Quod autem antehac tam gravia bella geſſerit, hoc factum eſt, quia commercia longe florentiora fuerunt, quam nunc ſunt. Priusquam Luſitani cœperunt navigare in Indiam, cumque Indis commercia inſtituere, omnia aromata Indiæ, & alii ejus fructus, io Europam pervenerunt per ſolos Venetos. Omne illud commercium, ex quo tantæ divitiæ comparantur Anglis, Batavis, Luſitanis, ad ſolos Venetos ſpectabat. Inſtituebant autem commercium illud per mare rubrum, miſſis aliquot navibus in Ægyptum, deinde ex

mari

(a) *peregrino*) De militia Venetorum vid. AMELOT DE LA HOUSSAIE *p.* 64 ſeqq. Idem autor de armamentario ejus celeberrimo agit *p.* 69, 70. Majores belli Duces, quos alunt, natales ſuos peregrinis debent regionibus. Plerumque Germanorum hic utuntur opera. Politicis haud dubie & hic nituntur rationibus, ne Patriciorum quis, ſummo bellico gaudens imperio, ſuæ familiæ opibus & autoritate fretus, reipublicæ formam evertere ſibi proponat. Cumque tereſtria arma peregrinus moderetur, eo tutius maritimum imperium civi permittere poſſunt.

(b) *populum*) Et ut ſervituti eo magis aſſueſcat, otio & commeſſationibus ſe addicere, ipſi conceditur. AMELOT *l. c. p.* 47.

(c) *inopia*) Cui ſæpe ex vendita nobilitate incrementa quæruntur. Nobilitas autem non niſi Catholicis venditur. Belli tempore omnes, nequidem Duce excepto, tributis ſubſunt. AMELOT DE LA HOUSSAIE *p.* 26. Redituum numerum, quos Veneti, tam ex ducatu veneto, quam terris in continenti ſitis, colligunt, init AMILOT *l. c. p.* 71 ſeqq. numeratque viginti myriades librarum Galliæ. His autem exactiones extraordinariæ non annumerantur.

mari rubro navigabant in Indiam. Tunc temporis vectigalia Venetorum fuere florentiſſima. Cæterum, poſteaquam *Luſitani* (a), ſuperato capite bonæ ſpei, novum iter invenerunt in Indiam, potentia veneta valde decrevit. Adeo hoc uſſit Venetos, ut non dubitaverint in Luſitanos iocitare Turcam & Mameluccas in Ægypto, ſed fruſtra. Quantum igitur decrementum eorum ceperiot cœmmercia, facile apparet: cum enim eſſent opulentiſſimi, hodie res eorum redactae ſunt ad magnas anguſtias. Hinc etiam conſtat, quanto io diſcrimine verſetur respublica lo *bello cretico* (b). Geritur hoc bellum lente, & quaſi lenta tabe cooficit rempublicam. Novit hoc Turca, ideoque ſperat, ſe ad ſpontaoeam deditionem compulſurum eſſe Venetos; & vereor, ne illud tandem accidat.

Cum autem respublica ſit oligarchia, apparet, illam adminiſtrari ad utilitatem Dominantium. Cum vero prudenter admioiſtretur, non habent reliqui, quod cooquerantur, de *bonoribus* (c). Nulla respublica oligarchica tam prudenter inſtituta, quam hæc; ideoque tamdiu duravit. Hæc eſt cauſa, quare bellica negotia minus feliciter ab illis rebuspublicis geruntur; illa enim ſæpe oituntur occaſione, quam ſi prætermittis, totum perdis oegotium. Hoc quoque laudandum, quod de magnis negotiis ſolet referri ad magnum concilium: interim præconſultationes inſtituuntur in Prægadinorum vel Decemvirum concilio, quod aſſuevit fieri in omnibus rebuspublicis, quæ reguntur a pluribus. Teſtatur Tacitus in libro de moribus Germanorum, quod vis reipublicæ fuerit penes totum populum; poteſtas vero præconſultandi penes Primores, vel Priocipes, & ita hi non, oiſi eventualiter, aliquid decernebaot. Ita etiam Venetiis poſt multas conſultationes res defertur ad Concilium magnum. Quando autem res deferuotur ad illud Concilium, tum afferunt etiam rationes utriusque ſeotentiæ in medium, quæ ſuadere vel diſſuadere poſſunt. Aſſeſſores Prægadi & Decemviratus omnes ſenili pollent prudentia, ideoque quam optime conſultare poſſunt. Sunt illi quaſi loco Conſiliariorum, quibus plerumque fidere ſoleot, & ſententiæ eorum raro contradicere illi, qui ſunt in Senatu. Respublica illa, cum ſit oligarchica, non poteſt non inde obnoxia eſſe periculis oligarchicis: de quibus Ariſtoteles libro V. disputat & oſtendit cauſas mutationis. Oligarchia non poteſt conſervari, niſi obſervatis remediis, facientibus ad oligarchiam conſervandam. Duo in univerſum habent, quæ metuant oligarchici. Exinde etiam Venetiæ primo metuat ſibi ab illo populo, qui lege eſt inhonoratus, ſecundo metuat ſibi a Nobilitate, oequis Nobilium incipiat emioere, ut deinde, favore populi ſibi comparato, mutet rempublicam in Monarchiam. Similiter metuant ſibi a populo inhonorato, ne ſurgat adverſus Nobiles, ſibique rempublicam faciat communem. Hæc pericula etiam venetæ reipublicæ imminent. Quod attinet ad populum, is oumero & divitiis Nobiles ſuperat; inter illos enim, qui numerantur in veneta repoblica, pauci ſuot Nobiles. Habitant plebeii in ipſa urbe, atque ita ipſis proclive eſt, moliri aliquid adverſus rempublicam. Saoe ejusmodi hoſtis, in urbe habitans, multum nocere poteſt reipublicæ. Quid ſi Nobilis quidam, conciliato populo, corripiat arma, actum erit de republica. Videatur hac de re Ariſtoteles, in dicto loco, tum pericula, quibus obnoxia eſt Oligarchia, apparebunt, & remedia etiam. Nihil horum Venetos latet. Ne vero Nobiles res oovas moliantur, cavent. Notum eſt, homines ambitioſos ægre ferre, ſi ad honores non admoveantur: Igitur ſoleot alieno animo eſſe a republica, ſi ſuot inhonorati. Hinc Venetæ operam dant, ut Nobiles ſui omnes honore afficiantur, & inde tam multi Magiſtratus in urbe creantur, ut, teſte Bodino, laborare vidontur multitudioe Magiſtratuum. Sed neceſſitas ab illis exigit multitudinem Magiſtratuum, ne inhonoratorum multitudo creſcat. Ut vero hi magiſtratus nil periculi creent, non temere alicui ex ſuis committunt ſummam euram rei bellicæ, ſed peregrinum conducunt, nec admittunt ut alibi militent Nobiles, & ſi alibi militeot, ad honores militares eos non admittuot. Cæterum utuntur ſuis Nobilibus in belio, ut auctotitate ſua aſiſtant Imperatoribus bellicis, vel ſi aliquem ex Nobilibus claſſi præficiunt, præficiunt ſenem; quia ſenes remotiores ſuot ab ambitu, quam juvenes: hi enim ambitioſiores moliuntur ſæpe aliquid in rempublicam. Et licet bellum infeliciter gerant, tamen malum minus malunt eligere, quam majus. Minus malum eſt hoſtem externum timere; quam internum. Huc etiam pertinet, quod non ferant rigorem pœnarum In republica; ſed potius ſoleant populum benignius habere, modo non peccent adverſus pacem publicam. Hac de cauſa, cum Papa & Hiſpanus ioquiſitione multis ſoleant eſſe moleſti, Venetiis inquiſitio tam mollis eſt, ut omois ſævitia abſit. Vide diſſertationem Pauli Veneti ordinis ſervorum, auctoris concilii tridentini. Hic egregium conſcripſit conſilium de inquiſitione, ſub titulo: hiſtoria inquiſitioois: noo autem eſt hiſtoria, ſed tantum eſt conſilium, de recta inſtituenda inquiſitiooe in republica veneta. Agit autem hoc, ne homines nimis crucientur in illa inquiſitione. Putant intereſſe reipublicæ, ut aliqua libertas conſcientiarum

(a) *Luſitani*) AMELOT DE LA HOUSSAIE *tom. I. p.* 74.

(b) *bello cretico*) De hoc bello alibi dictum.

(c) *bonoribus*) Nullo etiam in republica munere gaudere poſſunt clerici, licet Nobiles, nec ad deliberationem de rebus eccleſiaſticis admittuntur ii, qui Cardinalem neceſſitudine conjunctum habent. AMELOT. *l. c. p.* 19. Hoc autem ideo conſtitutum, ut aulæ romanæ omnem, ſe eorum rebus eccleſiaſticis immiſcendi, occaſionem præripiant.

arum vulgo relinquatur, ne nimis irritentur animi, & a republica fiant alieni; modo turbæ non dentur in publicis ſacris. Legati veneti ſolent in aliquo loco relinqui, ut eo melius cognitionem reipublicæ illius ediſcere queant, quam deinde, domum revertentes, coguntur Senatui veneto exhibere. Legatus ſequens idem præſtare tenetur. Adiungitur autem ejusmodi Legato ſemper aliquis Nobilis junior, ut paulatim addiſcat tale ſubiré munus. Ejusmodi juvenem, melius deinde edoctum, mittunt primum in ejusmodi loca, in quibus non multum vertitur negotii; deinde ad altiora evehunt. Hæc de republica *Venetorum ſufficiant.*

CAPUT XLI.

DE REPVBLICA PAPALI.

IN reipublicæ hujus examine eo plus operæ collocandum, quia non habet parem in univerſo orbe, & quia nullus in Europa eſt principatus, cui hic principatus non ſit aliquantulum formidabilis. Accedit etiam, quod bona pars illius monarchiæ credatur ſancta & a Deo inſtituta, & facere ad ipſam æternam ſalutem comparandam. Multum igitur intereſt, exacte eam noviſſe, nullum enim argumentum adeo magnum eſt, quam hoc ipſum.

Hic autem ante omnia obſervandum, romanum Pontificem duplicem monarchiam ſibi arrogare: alteram temporalem ſive civilem, alteram vero *ſacram.* (a) Differt autem altera ab altera toto cœlo. Et quod ad civilem monarchiam attinet, habet eam communem cum multis aliis Principibus: aſt ſpiritualis ipſi eſt propria, & credit Pontifex, ſibi non tantum eam deberi, & a Deo commiſſam eſſe. Nos prius de principatu civili acturi ſumus, deinde de divino.

De civili exſtant *varia ſcripta* (b) in relationibus Botori & in theſauro politico Honorii Belli ille principatus reperitur. In Belgis tamen de hoc principatu nihil præcipui eſt editum, licet in eo prodierint reſpublicæ univerſi terrarum orbis.

De jure ſuæ monarchiæ diſputationes ſunt multæ, defendentes partes pontificias, quod ipſi de jure debeatur monarchia totius orbis. Ex adverſo non deſunt, qui *oppugnant* (c) hos, interque ipſos Pontificios tales ſunt, qui hoc ſibi non perſuadent. Inter Catholicos autem Jeſuitæ omnium acerrime hanc ſuam monarchiam propugnant, & inter alia vota hanc propugnationem ſuſceperunt; & licet aliter ſentiant, tamen non audent profiteri, cum hoc contrarietur legibus ipſorum. Ex adverſo Evangelici hoc negant, primo pro vicario Chriſti vocant ipſum Anti-chriſtum. Iidem quoque dicunt, hanc monarchiam eſſe diabolicum inventum. Utuntur autem illa ſcripta diverſis fundamentis: alii enim oppugnant hoc ex eo fundamento, quod talem monarchiam non habuerit vetus & primæva eccleſia. Hac in tractatione prævalet ſcriptum Marci Antonii de Dominis de monarchia eccleſiaſtica. Hic fuit Italus, educatus in ſcholis jeſuiticis, & cum eſſet inter clericos adoptatus, factus eſt Epiſcopus, Primas totius Dalmatiæ & Croatiæ, Archi-epiſcopus ſpalatinus. Hic diligenti lectione antiquitatis deprehendit vanitatem iſtius monarchiæ, & deſcripſit clanculum ingens opus de regimine eccleſiaſtico. Migravit tunc in Angliam; ſed, deceptus a Pontifice Paulo V, cujus condiſcipulus fuerat, Romam, vocatus, rediit. Cum vero animum nondum mutaſſet, in carcerem compactus & tandem combuſtus eſt. Poſt commendandum eſt ſcriptum Dav. Blondelli, de primata Papæ, quod nititur iisdem

(a) *ſacram*) Vid. PUFENDORFII *introduct. caput de Pontifice* & ad illud THOMASII *annotat.*

(b) *Varia*) De ſcriptis ad hiſtoriam Pontificum ſpectantibus confer. LUDOVICI JACOBI a S. CAROLO Bibliotheca Pontificia & SAGITTARIUS *in hiſtor. eccleſ. tom. I c. XXV.* Collectio vitarum Pontificum, quæ vulgo Anaſtaſio tribuitur, una cum vitis Pontificum Cardinalis de Arragonia, & PAULI BERNRIEDENSIS *vita Gregorii VII. tom. III* ſcript. ital. leguntur. MARTINI POLONI CHRONICON *Imperatorum & Pontificum* Sunt quoque in ECCARDI *corpore hiſtorico* Scriptores, ad res Pontificum pertinentes. JOH. BABTISTA SAACUS, *a loco natali* PLATINA dictus, *de vitis Pontificum.* Hujus continuatores ſunt ONUPHRIUS PANVINIUS, JOANNES ANTONIUS PETRA MELLARIUS & ANTONIUS CICARELLUS ROBERTI BARNS *de vitis Pontificum* compendium. BALÆI *acta Pontificum.* JOANNES STELLA *de vita & moribus Pontificum.* BZOVII *vita Pontificum.* CIACONII *vita Pontificum.* Hic a FRANCISCO CABRERA, ANDREÆ VICTORELLO, HIERONYMO ALEANDRO, FERDINANDO UGHELLO, & AUGUSTO OLDOINO auctus eſt. PALATII *geſta Pontificum.* CLAUDII MOLINETI *numiſmatica Pontificum hiſtoria, a* PHILIPPO BONANI aucta. Vid. STRUVII *bibliotheca hiſtorica.* BALUZII *hiſtor. Pontific. avenion.* Referendi huc ſunt ſcriptores, qui de Pontificum electione, aula romana ejusque ceremoniis, nec non Cardinalium vitis, aliquid memoriæ mandarunt. Tales ſunt JOANNES FRIDERICUS MEIER *de romanorum Pontificum electione. Hiſtoire du conclave. Il cardinaliſmo de Gregorio Leti.* BURCHARDI *diarium curia romana.* STEPHANI INFISSURÆ *diarium urbis Romæ. Tableau de la cour de Rome.* Addenda ſunt Italiæ itineraria, inprimis MISSONII, quod ſub titulo, *curieuſe und vollſtandige reiſe-beſchreibungen von gantz Italien,* in linguam germanicam eſt translatum.

(c) *oppugnant*) Vid. *Sagittarii. hiſtor. eccleſ. tom. I. c. XVII, XVIII.*

iisdem argumentis ex antiquitate. Verum hujus argumenti ea eſt ratio, ut ab omnibus non poſſit capi; non omnibus enim vacat conſulere antiquitatem. Sed ſunt alia principia, natura nota, quæ tractavi in lib. cui titulus: concuſſio fundamentorum pontificiæ religionis. In hoc ſcripto talia adduco argumenta, quæ nobiscum ſunt nata, & a quovis intelligi poſſunt. Ego quidem adverſarios duos inveni; unum Capuzinum, alterum Polonum quendam. Jamjam duo fratres Wallenburgici meditantur refutationem; quid ſint acturi, videbo. Cœterum de regimine, & quomodo Pontifex hæc jura jam in actum deduxerit, nemo pro dignitate expoluit. Non enim artis eſt vindicare jus aliquod ſibi; ſed, quibus artibus illa jura in actum deducantur, invenire, hoc opus hic labor eſt. Narrabo primum initium iſtius principatus, & poſtea, quomodo nunc ſeſe habeat.

Romanus epiſcopatus, ut alii omnes per univerſum orbem, liberalitate Chriſtianorum & piorum hominum, patrimonium ſibi comparaverat, ab aliquot ſeculis ſatis opulentum, quod in variis terris erat collocatum, partim in Italia, partim in Gallia, partim in Sicilia & alibi. Jam ſecul. 4. 5. 6. 7. opulentum patrimonium non defuit Papæ; ſed illud patrimonium deſtitutum erat jurisdictione, arcibus, locis munitis; agros habebat tantum, vectigalia & alios proventus.

Aſt ſeculo 8 novum acceperunt patrimonii genus. Tunc Italiæ partem potentiſſimam occuparant Longobardorum Reges, partem adhuc poſſidebant Imperatores conſtantinopolitani. Hi Imperatores habebant ſuos Magiſtratus in Italia, quarum caput erat Exarchus ravennatenſis. Inter hos Imperatores nonnulli erant, qui ferre non poterant cultum imaginum, quarum cultus tam in eccleſia orientali quam occidentali abierat in idololatriam: hinc omnes imagines, tanquam materiam idololatriæ curarunt confringi. Hæc res paſſim multas turbas dedit, præcipue in occidente. Imperatorum potentia & auctoritas in Italia erat perexigua, vires erant tenues. Imperatores ex Italia aberant, & Itali ad libertatem aſpirabant. Cum itaque Leo Iſaurus, ſtolido conſilio, juret Italis, ut imagines confringerent, excanduit populus, conſilio cleri, ut omnem auctoritatem & imperium Imperatorum ſpernerent. Longobardi tunc coeperunt illas terras occupare, atque etiam ipſi Romæ imminere. Pontifex nudatus omni præſidio, cum ſeipſum defendere non poſſet, & metueret ſibi a conſtantinopolitanis Imperatoribus, clanculum profugit in Franciam, & egit cum Pipino, ut defenſionem ſuſciperet romanæ eccleſiæ. Perſuaſit Pipino Papa, omnes illas Italiæ terras jure pertinere ad romanum Pontificem, ex donatione Conſtantini Magni, qui illas ſancto Petro dediſſet. Romanum Pontificem fuiſſe prohibitum hactenus ab illarum poſſeſſione, partim a Longobardis, partim ab Imperatoribus conſtantinopolitanis.

Pipinus igitur, ductus partim ſuperſtitione, partim ambitione, (ambiebat enim Regis nomen) dedit omnes terras ravennatenſis exarchatus Papæ. Itidem ſucceſſor Pipini Carolus Magnus Papæ precibus dedit, & donationem patris confirmavit, exciſo toto regno longobardico. Tunc totius Italiæ factus eſt dominus Papa. Donatione igitur Pipini & Caroli Magni plurimas terras acceperunt romani Pontifices. Per Jeſuitam Gretzerum editæ ſunt epiſtolæ variæ, Pontificis ad Carolum Magnum, & hujus ad illum. Epiſtolæ ſcatent quidem barbarie; ſed cognitionem reipublicæ iſtius & illorum temporum optime ex iis poteris quærere. A me editæ etiam ſunt epiſtolæ Leonis III. ſcriptæ ad Carol. M. ex membrana bibliothecæ helmſtadienſis, quæ nusquam alias terrarum editæ ſunt, ideoque cum admiratione paſſim exceptæ.

Plenum dominium ſibi vindicaturus erat Papa illarum terrarum; ſed reperiebat populum refractarium: aſpirabat enim ad libertatem populus, & non poterat clericorum imperium ferre. Igitur ipſa Roma in Leonem inſurgebat. Coactus eſt ille iterum invocare Cerolum Magnum, eumque creare Imperatorem, imperio priſtino in Italiam ei reſtituto. Papatus tum totius Italiæ factus eſt Caroli; proventus autem Pontificis. Ita cœpit principatus pontificius in Italia: nempe illæ terræ, quæ hactenus fuerant Imperatorum conſtantinopolitanorum, factæ ſunt papales. Imperatorum autoritas evanuit, & crevit paulatim Papa. Re vera itaque Pontifex romanus factus fuit magnus Princeps; ſed ſub Imperatore conſtitutus. Et ita ſe habuit pontificatus usque ad Henricum IV. Imperatorem.

Tempore Henrici IV. Duciſſa quædam potentiſſima, *Mathildis* (a) nomine, multorum honorum per Hetruriam domina, *heredem ſcripſit* (b) romarum Papam, atque ita patrimonium Mathildis acceſſit romano Pontifici; ſed noſtri Imperatores hoc non poterant ferre: Mathildis enim hæc bona inſtar *feudi* (c) habebat, nec poterat fenda in alium transferae, invito vero domino. Hinc inter Papam & Cæſares graviſſima orta ſunt bella, vario marte geſta, donec tandem ſec. 13. autoritas Imperatorum per Italiam caderet. Huic Mahthildi Urbanus IIX. ingens monumentum exſtruxit, atque etiam odam peculiarem (valebat enim ille Pontifex arte poetica, latineque & græce doctiſſimus erat) in illius laudem conſcripſit, cum animo ſecum perpenderet, quanto mactaſſet beneficio curiam romanam.

Ex illis terris, quas donavit Pipinus & Carolus, quasque deinde donavit Mathildis, conſti-

(a) *Mathildis*) De his alibi actum.

(b) *heredem ſcripſit*) Vid. *chartula donationis* apud LEIBNITIUM *tom. I. ſcriptor. brunſvic. p.* 887.

(c) *feudi*) Sunt, qui putant, eam non niſi alodium donaſſe,

conſtituitur ille eccl. rom. ſtatus. Vid. *l. de fin. Imper.* Præter bas terras poſſidet etiam Pontifex partem burgundici ducatus, ſc. comitatum avenionenſem. Quomodo eum ſibi comparaverit, vid. *l. de fin. Imper.* Per annos 70. Pontifices Avenione habitarunt, relicta Roma.

Item Papa etiam jus habet aliquod feudale in regnum *neapolitanum*: (a) priſci enim ejus Reges, ex normannea familia, obtulerunt ei regnum cum Sicilia, & beneficii jure id ab eo receperunt, ut eo major autoritas ipſis naſceretur; erant enim Principes novi. Hinc hodieque illud regnum eſt feudum ecclesiæ romanæ, & in recognitionem ſolet Hiſpanus illi mittere caballum candidum, cum aliquot millibus ducatorum. Quod Siciliam attinet, non agnoſcit amplius Hiſpanus Pontificis jus in eo, ut alibi dictum. Baronius quidem lib. II. annalium jus illud prolixe vult probare: verum Rex Hiſpaniæ illam partem annalium legi prohibuit, & interdixit, ne ille per totam hiſpanicam ditionem typis imprimatur; unde etiam in editione antwerpiana non reperitur. Solet autem Papa pæne in omnia regna Europæ prætendere jus aliquod; qua de re & prætextibus Pontificis legenda eſt Auguſtini Eugubini monarchia papalis. Nemo non illa mirabitur.

Gregorius VII. Papa, Hildebrandus dictus, adeo fuit perfricta fronte, ut non dubitaverit ad omnes Reges europæos ſcribere, ut, cum regna illa tenerent non niſi beneficio Papæ, jus illud papale agnoscant, nec eo abutantur. Sed hodie nedum quidem tale jus agnoverunt. Extant hodieque illæ epiſtolæ, quarum aſſertionibus nititur Eugubius. Sed ſi has velimus attendere, tum omnia ſunt Papæ. Prætextus autem illorum ſunt hi potiſſimum: 1) quod omnes Reges & Principes, ſimulac Chriſto nomen dederunt, regna ſua obtulerint S. Petro; hunc igitur agnoscendum eſſe tanquam dominum feudi. 2) Quod Conſtantinus M. omnia hæc ei donaverit, illos non tenere terras, niſi jure detentionis, Petrum eſſe dominum 3) Accedit, quod ſit Vice-deus in terris, & ratione ejus omnem poteſtatem deberi ſibi in cœlo, terra & infernoi, qua de re infra. Cum primis autem ſe oppoſuere noſtri Imperatores, nec ullum etiam populum Papa magis afflixit, quam Germanos. Videmus, Papam non potuiſſe aſpirare ad monarchiam, niſi romanum Imperium evertendo, quod etiam in Italia fecit. Seorſim ſibi Papa jus vendicat in Angliam, non inani prætextu: nam Joh. III. Rex, cum in maximas anguſtias eſſet deductus, metuens ſibi a Francorum Rege, regnum Papæ *obtulit*, (b) & ab eo in feudum recepit, id quod poſtea ſucceſſores nonnulli agnoverunt. Simulac autem Proceres hoc audivere, parum abfuit, quin ejicerent Regem.

In noſtros Imperatores maxime invectus eſt, eosque vexavit ſub prætextu coronationis romanæ: coronari autem ſoliti ſunt Romæ. Ex eo Papa jus aliquod in Imperatores ſibi ſumſit; putabat enim a ſe conferri dignitatem imperatoriam, & illam eſſe beneficium vel feudum Papæ. Eſt egregia & lectu digna hiſtoria de voce beneficii, quam narrat Otto Friſingenſis. Contigit autem tempore Friderici Barbaroſſæ: cum enim hanc vocem moverent Nuncii Papæ, parum abfuit, quin a Principibus Imperii trucidarentur. Nec hodie auditur illa vox Gregorii VII. quod Imperium noſtrum ſit beneficium Papæ, regnum Hungariæ, Angliæ, feuda Papæ. Nullum tale amplius agnoſcitur, præter ſolum regnum neapolitanum.

Tenet Papa patrimonium S. Petri, Mathildis donationem, atque Avenionem. Ad hunc modum manſit ſtatus pontificius per Italiam tempore Ottonis I. II. III. & reliquis temporibus, usque ad Henricum III. Aſt ſub Henrico IV. tanta facta eſt mutatio, ut Pontifices, antehac ſubditi, cœperint Imperatoribus noſtris imperare & illis jus dicere. De illo jure pontificio in Imperatores noſtros dixi in libr. de Germanorum Imperio, & diſſeram ad Lampadium de eadem re pluribus. Etſi enim nominetenus colant noſtrum Imperatorem, & Romæ etiam coronent, in ſpeciem tamen id fit, ut magis devinciant ſibi noſtros Imperatores, quam ut illis aliquid honoris addant. vid. *l. 2. de fin. Imp.* ubi dixi, Imperatori noſtro jure competere jurisdictionem ſummam in romanum Pontificem. Contigit romanis Pontificibus, quod alias contigit principatibus temporalibus & principatibus electitiis ſacris, ut ſunt in Germania archi-episcopatus & episcopatus. Hic enim principatus eſt ejusdem naturæ cum archi episcopatibus & episcopatibus Germaniæ. Igitur cap. II. ad Machiavellum reprehendo dictum: principatum Pontificis eſſe ſine exemplo. Ego contra oſtendo, pag. 113. illum convenire cum archi-epiſcopatibus & episcopatibus Germaniæ. Pontificis principatus non alia ratione incepit, atque in Germania archiepiscopatus & episcopatus, ſcil. donatione Principum; et quod apud nos ſunt Canonici, illud Romæ ſunt Cardinales.

Tametſi, abjecto jugo Cæſarum noſtrorum, debuiſſent romanis Pontificibus terræ illæ parere, interim tamen aliter ſe res habuit. Cumprimis oppoſuit ſe papali dominationi ipſa urbs Roma, atque per aliquot ſecula non potuit ei imperare, uſque ad annum 1400. Contigit illud Pontificibus, quod haud contigit noſtris Archi-epiſcopis & Epiſcopis noſtris. Pauciſſimi enim eorum habent imperium in urbes ſuas primarias. Ita Colonia non paret colonienſi, Moguntia nuper demum ſubjecta eſt Archiepiscopo ſuo. *Trevrenſis urbs*, (c) metropolis, nunquam non re-

(a) *neapolit.*) Vid. annotationes noſtras ad librum de finibus Imperii.

(b) *obtulit.*) Diploma MATH. PARISIENSIS in hiſtoria anglicana & TRIVETTUS in chronico referunt.

(c) *Trevrenſis*) Huic KYRIANDER *in annalibus* admodum favet.

luctari ſolet. Et ita etiam aliæ urbes, Argentoratum, Spira, ſunt liberæ Imperii urbes. Præterea putandum, noo Romam tantum ita ſe oppoſuiſſe Pontificibus, atque adeo voluiſſe ſeſe in libertatem vindicare; ſed idem etiam factum in reliquis partibus territorii pontificii. Cumprimis Bononia diu retinuit libertatem ſuam. Ingentem autem jacturam rerum ſuarum fecerunt Pontifices, poſtquam Clemens V. Roma Avenionem ſedem transtulit. Ita Jtalia caruit romano Pontifice, & hac ratione terræ pontificiæ dilapſæ ſunt. Tempore Ludovici IV. hoc maxime contigit; hic enim Pontifices ſibi habuit infeſtos, populum vero pontificium ſibi amicum. Igitur Romam abiit, ſeque ibidem curavit coronari, & omnes terras pontificias ſibi ſubjecit, & modn huic modo illli *aliquam partem* (a) terrarum illarum dedit, ut haberet eos ſibi devinctos, quas etiam illi, tanquam donum Cæſaris, non reſpuerunt. Ita terræ pontificiæ venerunt in aliorum manus, & Pontifex non, niſi ſenſim, eos recuperare potuit. Ut autem romani Pontifices aliquod imperium retinerent, coacti ſunt, has terras aliis in feudum concedere, unde tot orti principatus in Jtalia. Vid: notas meas ad MACHIAVELL: *pag.* 121. 122. 123. Guicciardini verba, quæ hic adduxi, accurate legantur. Sed paulatim Pontifices recuperarunt omnia, exceptis feudis pauciſſimis, quæ data ſunt parmenſi Duci. Teſtatur Machiav: cap. II. quam vilis in Jtalia fuerit poteſtas Pontificis temporaria, quia omnia erant in manibus ipſorum Principum. Comites, Barones non dubitarunt ipſi ſe oppooere, & ſede illum pellere. Dicam jam, quomodo omnia redierint iterum io poteſtatem Pontificum.

Alexandro VI. Papæ filius fuit nothus, Cæſar Borgia dictus, alias Dux valentinus, quem Machiav. propoſuit exemplar prudentis Principis, vid. cap. 2. in notis meis ad Machiavellum Alexander ipſe erat homo nullius fidei, nullius conſcientiæ, nullum credidit Deum, nullam animæ immortalitatem, nullum infernum. Nemo 'repertus ea impietate, nemo etiam ea felicitate uſus fuit. Lectu digna ſunt de eo verba Guicciardini. Habuit aliquot filios & filias, fuit ſcortator inſignis. Hujus filia dicta Lucretia, cujus epitaphum hoc eſt:

Conditur hoc tumulo Lucretia nomine, ſed re
Thais, Alexandri filia, ſponſa, nurus.

Cum ille haberet hunc filium ambitioſum & callidiſſimum, ſimilem patris, cogitavit de eo locupletando, nec filius defuit conſiliis paternis; igitur hoc egit, ut omnes principatus terræ pontificiæ tolleret, & omnes cederent filio. Voluit novam monarchiam condere, non quidem ſedi pontificiæ, ſed filio ſuo optimo. Nec infiliciter ceſſit filio: multis enim interemptis brevi factus eſt dominus totius Italiæ. Cæterum illi Borgiæ præter omnem exſpectationem occurrit divina vindicta; dum enim Cardinales aliquot vellet clanculum veneno necare, & in id paſ ter vocaſſet illos ad cœnam, imprudentia pocillatoris factum fuit, ut ante cœnam maximam partem veneni pater & filius *epotarint*. (b) Pater ſenex, vim veneni non ferens, ſtatim obiit. Filius adhuc juvenis, non quidem ſtatim mortuus eſt, ſed vires ejus, poto venenn, adeo debilitatæ ſunt, ut ad nullas res peragendas aptus eſſet.

Succeſſit *Julius II.* (c) quo nemo magis inſenſus fuit Alexandro VI. & filio ejus Borgiæ. Hic fuit magnus bellator, & totam Italiam turbavit armis. Hic omnes terras, Cæſari Borgiæ *ereptas*, (d) reddidit ſedi romanæ, & reliquos Principatus evertit. Ita hic Julius factus eſt heres ſcelerum Borgiæ MACHIAV. cap. II. lectu dignus eſt: agit enim de principatu Pontificis. Nihil pæne manſit in manibus alicujus Principis, niſi quod Duces Ferrarienſes ſua recuperarint, licet admodum ægre. Itidem Duces Urbini fuere ſpoliati ſuis bonis, & nunquam reſtituti. Ferrarienſis quidem fuit reſtitutus, ſed moriente hoc ſine herede maſculo, legitime nato, Clemens IIX. ducatum, tanquam feudum vacuum, ſibi ſubjecit. Ducatum urbinatenſem itidem, deficiente hærede maſculo, ad ſe recepit, ita, ut hodie io omni ditione Pontificis ſuperſit ducatus parmenſis, quem ſuperiori ſec. Julius III. inſtituit, & donavit filio ſuo naturali Petro Aloiſio Farneſio. Hæc eſt hiſtoria ditionis pontificiæ, quomodo illa in unum coaluerit.

Cautum autem porro eſt a romanis Pontificibus, ut nullum feudum vacuum alicui concedatur, ſed reſervetur Papæ. Et omnes Pontifices, antequam creantur, coguntur jurare in incrementum ſedis romanæ. Olim hoc non egere, quia tum ex univerſa Europa immanis pecuniæ vis fluxit quotannis io ærarium Pontificis, ita, ut proveotus illarum terrarum flocci facerent. Verum poſtea magna facta eſt mutatio a temporibus conſtantienſis coocilii, maxime autem a tempore Lutheri: tum enim integra regna a romano Papa defecere. Olim omnes bomines in Europa erant vectigales Pontificibus. Hodie quædem regna conſtant quod ad dimidiam partem hominibus auguſtanæ confeſſioni addictis, ut Germania, Hungaria, Polonia, ima bona pars Galliæ. Quæ vero ipſi adbuc parent, non adeo liberales ſunt, atque olim. Cum igitur Pontifices videant, ſe, niſi ex ditione ſua velint theſaurum implere, ad inopiam quam

(a) *aliquam partem*] Vid. PALATIUM *in vit. Pontifc.*
(b) *epotarint*) Vid. PALATIUM *in vita Alexandri VI* & GRATIANUM *de caſibus viror. illuſtrium.*
(c) *Julius II*) Hic erat moroſiſſimus, intolerabilis, truculentus & quietis impatientiſſimus. PALATIUS *in vita* JULII II. *p.* 745.
(d) *ereptas*) Vid. PALATIUS *l. c.*

redactos iri; igitur omnes illas ditiones redegere in ſuam poteſtatem. Etiam dabunt operam, ut regnum neapolitanum ſibi ſubjiciant.

Solent autem potentem dominatum in omnes ſuas terras exercere, ad exemplum omnium reliquorum Principum Italiæ. Ditio itaque illa Pontificis romani debet haberi tanquam regio, cui Papa imperat. Inter illas autem urbes quibus Papa imperat, eſt *primaria Roma* (a), & maganitudine par, divitiisque inferior *Bononia* (b). Hodie itaque romanus Pontifex imperio ſuo continet bonam Italiæ partem.

Habet a latere Regem Hiſpaniæ, tanquam Regem neapolitanum, vaſallum quidem, ſed potentem, cujus utilitas ſi exigit, non dubitat ad officium cogere ipſum romanum Pontificem. Ab altera parte habet magnum Ducem Florentiæ, urbem Luccam, liberam urbem imperii, rempublicam venetam, Ducem Mantuæ, Ducem Mutinæ & Regii, Ducem parmenſem vaſallum ſuum, item Ducem mediolanenſem. Hi ſunt fines & vicini ditionis pontificiæ. Ab his, licet potentibus, non eſt, quod ſibi temere metuat; non enim facile conſpirabunt in unum. Principatus enim & resp: Jtaliæ habent ſibi invicem ſuſpectos, hinc nulli perperam aliquid virium addi patiuntur, non Hiſpano, non reliquis. Similiter Veneti ipſi non ſunt pares Pontifici. Papæ ipſi ergo ſatis ſunt tuti. vid: MACHIAVELL. *cap*: 11. *p*. 120.

Conſtat ditio pontificia urbe Roma, & illa ditione, quæ ſecundum excellentiam ſolet dici patrimonium Petri, deinde ducatu ſpoletano, marchia anconitana, adjacente mari adriatico, *ducatu urbinatenſi* (c), Romandiola, cujus caput eſt Ravenna, (Romandiola pertingit ad utrumque mare tyrrhenum & adriaticum,) & demum *ducatu ferrarienſi* (d), & ſi *feudum* fuerit vacuum, ducatu *parmenſi & Placentia*, (e) Hinc mediam Italiam occupet.

Cum itaque ditio pontificia ab utraque parte mare habeat, commodis & incommodis maritimis eſt obnoxia. Incommodis obnoxia eſt pyratarum. Inde ſi Turcæ ſuperarent Venetos, male viverent Jtali. Igitur maxime ſibi timent *Anconitani* (f) & famaſo templo *lauretano* (g)

(a) *primaria Roma*) Magnitudo ejus, non computatis ſuburbiis, in circuitu tredecim milliaria italica minora æquare dicitur. Magna tamen ejus pars incolis caret. Hoc ex eo quoque conſtat, quod, eam non niſi trecenta millia Chriſtianorum & octo millia Judæorum continere, ferant. Maxima ædium pars ex laterculo coctili, albo colore obducto, exſtructa eſt. Omnes non ejusdem ſunt generis, quædam elegantes, aliæ ſatis deformes, omnes tamen tecta ſatis depreſſa habent. Interim ſplendidiſſima palatia urbem illuſtriorem reddunt. Plateæ, pleræque ſatis anguſtæ ſunt Vid. *curienſe reiſe - beſchreibungen von Italien part. II. p.* 310. Trecenta templa, triginta hoſpitalia, ſexaginta ſex monaſteria habet. Inter eccleſias, quæ omnes elegantia non deſtituuntur, S. Petri eminet ædes, quam omnes in Europa ſitas arte, ſtructura, & ornamentis ſuperare tradunt. Academia quoque eſt nobilis. Ex palatiis celebriora ſunt vaticanum, quod Pontificis eſt ſedes, Principis Borgheſii, palatium, cui Riario nomen, quod Regina Chriſtina inhabitavit, mediceum, Principis Pamphili, farneſium Vid. itinerarium citat. *epiſtol.* 15 & 16. in quibus & multa alia, quæ Romæ viſu digna occurrunt, enarruntur. Adde PFLUMERI *itinerarium Italiæ* & PIGHII *Herculem prodicium*. Notandum quoque, omnium ordinum monaſticorum Generales Romæ commorari, ut eo facilius cum romanæ eccleſiæ capite in commune, quæ monaſteriis, quibus præſunt, conducant, & qua ratione romanæ eccleſiæ res promovendæ, conſulere queant. Urbis regimen a permultis laudatur, inprimis, quod omnes res vendendæ publicæ ſubjiciantur taxæ. Munimentis deſtituta, non niſi muro, turribus inſtructo, vallatur. Cæterum angeli caſtrum, quod in urbe eſt, inter Italiæ fortiſſima habetur munimenta.

(b) *Bononia*) Vid. BAUDRAND *p*. 208. *Itinerarium p.* 71 *ſeqq.*

(c) *ducatum urbinatenſem*) Ad Papam quoque pertinent: Umbria, Sabina, Campania romana, quæ patrimonio Petri, ſtricte dicto, contradiſtinguuntur, ducatus caſtrenſis, & bononienſe territorium. Ejus quoque ſunt in Venetorum territorio comitatus Ceneda, territorium beneventanum in neapolitano regno. Præter Romam & Bononiam ſexaginta habet urbes, quæ civium octodecim centum millia continere dicuntur. In Campania Romana præter romam ſunt, Oſtia, Velletti, Albano, Freſcati, Tivoli, Agnureti, Alutri, Veroli, Terrucine, Fruſinone, ubi hujus tractus Gubernator locum tenet, &c. In patrimonio Petri: Viterbum, Civita vechia, Porto, Nepi, Sutri. Civita Caſtellana, Horto & Montefiaſcone. In Umbria ſive ducatu ſpoletano ſunt: Spoletum, Terni, Narni, Pieti, Norcia, Todi, Amelia, Benugna, Aſſiſſe, Foligni, Spelli, Nocera, Camerino. In caſtrenſi ducatu ſunt Caſtrum & Montalto. Huic ducatui etiam comitatus Concilio annumeratur. In provincia orvietenſi: Orvietto, Bolſene, Aquapendente & Bagnarea. In Sabina urbes non ſunt, ſed tantum oppida (bourgs.) In Comitatu peruſino, Peruſium. In octava Papæ provincia eſt Caſtellum. In marchia anconitana, Ancona, Loretto, Recanatte Ferino, Aſcoli, Macerata, Tollentino, Sonſeverino, Cingoli, Fabriano, Jeſioſimo, Montalto. In ducatu urbinatenſi: Urbinum, Ingubium, Calgi, Sinigaglia, Fano, Peſaro, Foſſenbruno, Sanleo, Caſteldurante, Citta urbana, Saint Angelo in vado. In Romandiola: Ravenna, Turſina, Rimini, Ceſena, Bertinoro, Cervia, Forli, Imola, Faenza, Savignann, Roverſano. Ferrarienſi provinciæ vulgo accenſetur: Comacium, quod ad Pontificem rediit. In bononienſi provincia Bononia. Hæ quatuor ultimæ provinciæ per Cardinales, qui ſunt Legati a latere, reguntur. Urbibus potioribus Protonotarii apoſtolici, Referendarii utriusque ſignaturæ præſident. His quoque vice-legationes dantur. Reliqua minoris momenti officia Doctoribus juris ad ſex plerumque menſes conferuntur. Avenionenſe territorium & comitatus venoſinus, ubi ſunt Avenio, Carpentras, Vaiſon, Cavaillon, Cardinalem Patronum Moderatorem habere ſolent, qui tamen Vicelegato utitur. De archi-epiſcopatibus & epiſcopatibus in terris Pontificis, quorum quidam Pontifici immediate obnoxii ſunt, vide MIRÆI *notitiam epiſcopatuum p.* 157 ſeqq.

(d) *ducatum ferrarienſem*) Hic ad mutinenſem rediit dominum, ſibique in illum Pontifex directum vindicavit dominium.

(e) *Parmenſem & Plaſentiam*) Hos ducatus Imperii eſſe feuda, ad librum *de finibus Imperii* demonſtratum eſt.

(f) *Anconitani*) Littoris ſpatium, Anconam & laurettanum templum interjacens, propugnaculis munitum eſt

retano. (a) A mari tyrrheno non eſt, quod ſibi multum Pontifex metuat, quia levi modo parte ejus terræ ad illud mare pertingunt, oſtia Tyberis illam partem, ſatis muniunt, cum validis urbe & portu, ſc. Civita Vechia, ſint inſtructa. Romandiola non habet, quod ſibi metuat a pyraticis incurſionibus, quia non eſt dives.

Uti vero Pontifex incommoda maris habet, ita commoda quoque ad eundem perveniunt: poteſt enim commercia inſtituere. *Regio fertilis* (b) eſt, & omnis generis frugum fœcundus eſt ager: hinc abundat ovibus, armentis & aliis animalibus ſimilibus. Metallis deſtituitur, licet mediam fere Apeninus ſecet Jtaliam. Accerſiti ſunt aliquando ex Germania metallorum foſſores, qui dixerunt, reperiri ibi quidem metalla, ſed admodum dura, & non adeo referta argento, adeo, ut ſumtus eſſent ſuperaturi fructum, ex iſtis metallis percipiendum. Cœlum ibi eſt admodum calidum, & ideo terra æſtivo tempore minus ſalubris eſt propter teporem ſolis: tum etiam, quia Roma eſt exſtructa ſuper rudera *Romæ veteris* (c), quæ conprehendebat multas cavernas & ab antiquis Romanis magnis ſumtibus exſtructas cloacas. Ideo, ſi Tyberis ſe exundat, aquam effundit in illas cavernas: hinc aer ibi non poteſt non eſſe *inſalubris* (d), propter noxios illius aquæ halitus, præſertim, cum illæ cavernæ ſint refertæ ſerpentibus & alii generis inſectis. Nec tota Roma ſilice ſtrata eſt, maximamque partem pulverulenta, ita ut æſtivo tempore, præſertim diebus canicularibus, nemo præ muſcis & pulveris copia poſit in publicum prodire: naſcuntur autem hæ muſcæ in illis cavernis. Eſt autem illa ditio pontificia, quæ dicitur Romani, ola ut & ducatus ferrarienſis, ut univerſa Gallia ciſalpina, optima, ita ut vincat bonitate ſoli marchionatum anconitanum & patrimonium Petri. Ager itaque bononienſis, qui non ita a ſole infeſtatur, merito optimus eſt pronunciandus. Ditio pontificia abundat hominibus. Licet enim Roma hodierna longe minor ſit antiqua, & vix æquet quartam veteris partem? interim tamen ſatis ſpatioſa eſt, & multitudine hominum, non quidem pro amplitudine, ſatis inſtructa. Multa enim loca vacua conſtant agris, vineis. Plus quam 60000 incolarum Romæ reperiuntur. Olim aliquot myriades ibi numeratæ fuerunt.

Ingenia hominum varia ſunt. Scriptores illarum terrarum prædicant, illos eſſe ab ingenio & animi robore ſatis inſtructos, modo excolantur, & ipſis concedatur fortes *ſe præſtare* (e). Verum in dura tenentur ſervitute, & quicquid in iis eſt generoſi, perit, uti fieri ſolet, ſi talia ingenia non excolantur. Laborant autem illi homines vitiis, Jtaliæ gentibus communibus, quippe qui *in libidinem* (f), otium, vindictam ſunt perquam proni. Et hæc vitia ſibi contrahunt ex perverſa educatione. Si aliter educarentur, aliter forte ſe gererent.

Hodie *Roma* (g) egregie eſt exculta meliori ſua parte, & hic cultus a proxime præterlapſis octoginta annis originem trahit. Ante quidem nonnihil habuit ſplendoris; verum inter hos annos, cura nonnullorum Pontificum, ſatis facta eſt nitida. Cumprimis Sixti V. Papæ cura hoc factum. Fuit hic bubulci filius, & jocandi cauſa, ſe illiſtri ſtemmate natum, profeſſus eſt. Ipſe etiam una cum patre bubulcum egit, ſed abductus a franciſcanis monachis, ita inter eos profecit, ut ad dignitatem papalem evectus fuerit. Hic per breve temporis ſpacium præfuit eccleſiæ romanæ, ſed omnes prædeceſſores rebus geſtis & ingenii felicitate ſuperavit: cumprimis magnum nomen ſibi comparavit obeliſcis nonnullis, quos olim Auguſtus Imperator & Veſpaſianus curaverant ex Agypto devchi, qui jam dudum conciderant, ſumtibus regiis iterum exſtruendis, aquæductibus Romæ proſpiciendo, quibus adhuc carebat. Hinc hodie hæ aquæ ab ejus nomine nomen trahunt, & dicuntur aqua felix. Nomen ejus fuit Felix Pretius de Montaldo. Caſtellum S. Arch-angeli Michaëlis multis modis munivit, congeſſit quinque auri milliones, easque in hoc caſtello depoſuit, addita lege: hanc pecuniam non eſſe in alios uſus adhibendam, niſi ad hoſtes eccleſiæ debellandos, & ad recuperandas eas terras, quæ curiæ rominæ eſſent ſubtractae. Hiſpani ſubolentes, ſe hiſce verbis peti, admodum ægre hoc tulerunt. Verum mors præmatura antevertit hos generoſos conatus. Non dubitatum fuit, quin arte Hiſpanorum veneno ſit ſublatus. Exemplum quidem hujus alii ſecuti ſunt, ſed non paribus paſſibus; interim aliquid præſtitere. Innocentius X etiam aliquem erexit obeliſcum; item ille, qui hodie rerum potitur, de exſtruendo quodam ſollicitus eſt.

Bibliotheca etiam illa, quæ Romæ eſt, ob plurima manuſcripta, admiranda venit. Primus eam exſtruxit Sixtus IV, multum adiecit Sixtus V, Gregorius vero XV auxit eam biblio-

(a) *Laurretano*) Locus, ubi hoc eſt templum, munitus quoque eſt, & a Pontifice Sixto V ſedes epiſcopalis eo Recanate tranſlata eſt. Anconæ quoque portus munimentis a piratarum inſultibus defenditur.

(b) *Regio fertilis*) Ces états du Pape ſont diviſea en treize provinces, qui occupent, cequ' il qu' y a plus beau en Italie. Imprimis ager bononienſis fertilitate floret: magna tamen pars ſubditorum Pontificis, ob tributorum multitudinem & modorum acquirendi defectum, paupertate laborant. Provinciarum papalium fertilitati haud dubie non parum a fluviis, quibus rigatur, accedit. Horum princeps Tiberis eſt.

(c) *Romæ veteris*) Vid. *Ritrato de Roma antica* & DONATI *Roma vetus ac recens. Roma antica* DI FAMIANO NARDI.

(d) *inſalubris*) JOANN BAPTISTA DONIUS de reſtituenda ſalubritate agri romani agit.

(e) *Se præſtare*) A fortitudinis laude quodammodo alieniores videntur.

(f) *in libidinem*) BAUDRAND *dans le dictionaire geographique p.* 557.

(g) *Roma*) *Curieuſe und vollſtändige reiſe-beſchreibung von Italien epiſt.* 15.

bibliotheca palatina heidelbergenſi, quæ omnes Europæ bibliothecas numero librorum manuſcriptorum ſuperabat. Qui hodie eſt Papa, auxit eam bibliotheca urbinatenſi. Hodie igitur bibliotheca vaticana, ſi numerum manuſcriptorum reſpicias, omnium totius Europæ maxima eſt & præſtantiſſima.

Magna etiam Romæ copia cernitur antiquorum monumentorum, quorum olim fuit inſtructiſſima, ſed quæ negligentia Pontificum conciderunt. Hodie nonnulla ſuperſunt, non quidem integra, ſed tamen admiranda. Ab Antonio Vaurerio æri ſunt inciſa, & deſcripta a Bartholomæo Martiano. Inter illas res antiquas excellit cumprimis amphitheatrum Titi, quamquam illud ſit miſere vaſtatum. Vid. de eo Juſt. Lipſium de amphitheatris. Alias per univerſam Italiam reperitur ingens copia ſtatuarum, quæ cum ſtupore orbis hodie viſuntur. Nec alibi tantam vim antiquitatum cernere licet, quam in Italia & præ primis Romæ.

Proxima Romæ magnitudine eſt *Bononia* (a), in tota Gallia ciſalpina maxima; hinc ſolet dici la groſſa. Præclara eſt & omnium rerum copia affluens. Non tamen eſt exacte munita, nec etiam Roma, quæ ſuperiori ſeculo a Carolo V. exercitu facile potuit ſuperari, nec hodie contra artes poliorceticas muniri poteſt: non enim militem aut munimenta habet, niſi caſtellum S. Archangeli, quod proprie dicitur moles trajana. Hic, ut ſepulchrum haberet, condidit quandam ſaxeam molem, quæ eſt aptata arci. Tempore Ottonis I. tanta hujus arcis vis fuit, ut, qui haberet hanc arcem, teneret quoque in poteſtate urbem Romam. Vocant hodie caſtellum S. Archangeli, quia ſomniantur, Archangelum Michaëlem ibi aliquando viſum. Hoc eſt unicum Pontificum receptaculum, temporibus periculoſis. Primus Bonifacius IX. Papa hanc arcem occupavit: antehac enim illam ab aliquot ſeculis tenuerant cives romani, optime ſcientes, ſi hæc arx veniret in manus Pontificis, ſervitutis futuram eſſe inſtrumentum. Nec præſagia fuere vana: ex quo enim romani Pontifices hanc habuerunt arcem, ex ea urbi Romæ ſerviliter imperarunt. Bononiæ nil tale eſt; quamvis ſitus loci ita ſit comparatus, ut queat muniri.

Fanum S. Laureti (b) eſt munitum. Hoc fanum monſtrat domunculam aliquam, quam illam eſſe ferunt, in qua Maria ſalutationem Archangeli excepit: illam enim domum de nocte ab angelis translatam in Dalmatiam, & exinde Lauretum. Licet hac fabula nihil ſit inſulſius; nihil tamen apud Pontificios magis ſuperſtitioſe creditur. Miracula, quæ de illa domo jactantur inania ſunt. Hiſtoriam horum miraculorum edidit Horatius Turſelinus, Jeſuita. Stylus libri elegantiſſimus eſt; ſed liber ipſe ſcatet mendaciis. Tanta vis donariorum eo defertur ex Europa, ut nullus locus ſit ditior aut religioſior. De fabula lauretana extat *liber Berneggeri* (c) Prof. arg: ſub tit: Idoli lauretani. Scriptum doctum eſt, cui anſam præbuit liber Petri Pauli Vergerii, ante 100 annos ſcriptus. Hic fuerat aliquamdiu Nuncius pontificius, ſæpe in Germaniam miſſus, & ad magnas res adhibitus: veritate vero perſpecta, clanculum ſubduxit ſe in Germaniam, & perſtrinxit nugas pontificias. Quia autem adhuc hodie hoc fanum celeberrimum eſt, legendus Berneggeri liber, ut certi aliquid de eodem conſtet. Ante aliquot annos Pontifices hunc locum muniri curaverunt, idque propter vim pyraticam: pyratæ enim inhiant illis donariis. Pleraque donaria percipit Papa; quia alias locus non poſſet capere tantam auri atque argenti vim. vid. præf. quam Nob. Vir Levinus Nicolaus Mottke præmiſit electioni Alexandri VII. Editus in Holſatia hic liber. Dictio ejus non eſt adeo latina, alias ſtatum Romæ præſentem accurate nobis ſub oculos ponit: vixit enim auctor aliquamdiu in Italia, & accuratiſſimus talium rerum fuit indagator. Ego ante quinque annos edidi hiſtoriam aliquam de ejus Pontificis electione.

De veteri regno Burgundiæ Pontifices poſſident urbem *Avenionem*, (d) urbem exiguam, cum exiguo ejus territorio. Urbs non tantis eſt viribus, aut tanto gaudet numero hominum, ut ſe poſſet contra hoſtes defendere: hinc eam favore tantum vicinorum poſſident. Non deſunt in hac urbe, qui a ſacris pontificiis multum diſſident; licet id publice profiteri non audeant. In vicinia eſt comitatus arauſionenſis, in quo multi reperiuntur, pontificiis ſacris non addicti; hinc Papa adhuc non potuit prohibere, quin multi ex illo comitatu in urbe Avenione ſedem figerent. Urbs ipſa non multum ditat fiſcum Pontificis, nec ullum aliud præbet adjumentum, niſi quod Papis fugientibus pro ſede fuerit. Solet autem Papa eam gubernare per Præſidem, ut Bononiam & alia loca. Romanus Pontifex multa etiam alia ſibi arrogat & prætendit ſibi regna univerſæ Europæ; ſed nemini hactenus hoc fuit perſuaſum.

Nunc videndum de regimine Pontificis, & quomodo ſeſe habeant ditiones pontificiæ. Pauca

(a) *Bononia*) *Curieuſe und vollſtändige reiſe-beſchreibung von gantz Italien epiſt. III.*

(b) *Fanum S. Laureti*) *Voyage de Miſſon tom. I. lettre XIX. p. 235. ſeqq.*

(c) *liber Berneggeri*) Huic, in apologia pro deiparæ virginis Mariæ camera & hiſtoria, PETRUS RUESTIUS reſpondit: ſed æquis cenſoribus facile conſtabit, hunc Berneggeri argumentis non ſatisfeciſſe. Ante Berneggerum de hoc idolo PETRUS PAULUS VERGERIUS egit, cui ſe FRANCISCUS TURRIANUS, ſed irrito conatu, oppoſuit. Autores, qui de lauretanæ domus facta translatione & imaginis Mariæ, ibi collocatæ, falſis miraculis aliquid memoriæ prodiderunt, STRUVIUS in biblioth. hiſtor. recenſet.

(d) *Avenionem*) In hac urbe Galliæ Rex jure præſidii gaudet.

Pauca autem de eo afferam, quia ſpirituale regimen cum hoc ita eſt conjunctum, ut vix ab eo diſcerni poſſit. Regimen ditionis pontificiæ videtur bonam partem mere monarchicum; quia bonam partem nutu unius Pontificis adminiſtrantur, quæ ad regimen pertinent. Dixi bonam partem; quia ex parte cogitur Pontifex ſequi ſententiam Cardinalium, qui re vera participant *de regimine*, (a) ut in principatibus, epiſcopatibus. Canonici enim ibi ita participant de republica, ut Canonicorum conſenſum Epiſcopos oporteat prius impetrare. Alibi quidem hoc minus obſervatur, cum hoc ſit juris civilis, quod variam habet mutationem. Interim pluribus in locis conſenſus Canonicorum cathedralium attenditur. Et quod apud nos ſunt Canonici cathedrales erga Episcopos, hoc ſunt Cardinales in romanum Pontificem. Hinc quando res magni momenti eſt gerenda, indicendi ſunt conventus Cardinalium, & ex eorum ſententia res determinanda; alias magni motus Romæ oriuntur. Teſtatur tamen Onuphrius Pamphinius, ut & Platina, nonnullos Pontifices adeo fuiſſe feroces, ut id non obſervarint; ſed hi fuere pauci. Interim tamen multum poteſt Pontifex inconſulto conventu Cardinalium. Igitur apparet, mixtum eſſe imperium, ex monarchico & oligarchico. Monarchicum eſt, quod Pontifex multum poſſit inconſultis Cardinalibus. Oligarchicum, quod in multis teneatur exſpectare conſenſum Cardinalium. Qua in re illa miſtio conſiſtat, non eſt difficile judicatu, ſi attendas ad ea, quæ in aula papali geruntur. Quod ad poteſtatem legislatoriam attinet, Pontifices multas condunt leges, minoris tamen momenti, inconſultis Cardinalibus. Aſt leges magni momenti non poſſunt condi ſine conſenſu Cardinalium, vid. bullam Gregorii XV. de *electione Pontificis*, (b) quæ adiecta electioni Urbani IIX. & Innocentii X. Apparebit ex ſubſcriptione, Cardinalium conſenſu illam bullam eſſe conſcriptam, & Pontifices in eam juraſſe, alias nunquam haberet auctoritatem ſanctionis pragmaticæ. Quod attinet creationem Magiſtratuum, *pleroſque* (c) conſtituit Pontifex ex mero arbitratu, non vero omnes. Cardinales autem non eligit Pontifex, niſi conſulto collegio Cardinalium. Quod attinet judicia, quæ peragenda ſunt in ditione illa, ſunt tota Pontificis; ſed alia, quæ pertinent ad rem *eccleſia-*

(a) *de regimine*) *Tableau de la cour de Rome part. IV. ch. I. II.* Septuaginta ſunt Cardinales: ſex nempe Epiſcopi, quinquaginta presbyteri, diaconi quatuordecim. De Cardinalium conſiſtorio, quod eſt ſtatus conſilium Pontificis, ibidem, *c. XV.* agitur. Adde PLETTENBERGII *notitiam congregationum & tribunalium curiæ romanæ p. 45. ſeqq.* Præter magnum hoc conſiſtorium a Papa bis ordinarie in menſe conſiſtorium habetur ſecretum, in quo novos creat Cardinales, eisque os claudit & aperit, nominat Legatos de latere & ſignum crucis ipſis confert, urbium & provinciarum Rectores ibi conſtituuntur, & electi ad vacantes eccleſias, epiſcopales, metropolitanas, & patriarchales ibi proponuntur & inſtituuntur PLETTENBERG *l. c. c. III.*

(b) *electiones Pontificis*) PLETTENBERG *p. 83. ſeqq.*

(c) *pleroſque*) Magiſtratus, qui Pontificis ſubſunt imperio, vel eccleſiaſtici ſunt, vel civiles, vel militares. Quod ad hos attinet, octo ſunt Prætores, quos Generales vocamus, quorum unus ſummum imperium bellicum habet, qui eccleſiæ Generalis vocatur. Solet ad hoc munus a Pontifice nepotum aliquis, aut amicorum cariſſimus eligi. In Papæ manus jusjurandum præſtiturus, ab eo per breve, quod vocatur, cui baculus, poteſtatis ſymbolum additur, creatur. Reliqui Generales, quorum unus triremibus præeſt, quilibet ſuum habet locum tenentem Generalem, de quibus, ut & aliis Officialibus bellicis romanæ eccleſiæ, vid. *tableau de la cour de Rome ch. VII. ſeqq.* Urbem Romam, jubente Papa, Prælatus quidam moderatur, qui Gubernatoris nomine inſignitur. Summæ hic eſt autoritatis, ita, ut proximum a Cardinalibus occupet locum, & Regum Legatos antecedere contendat. Cauſæ criminales ad ejus pertinent juriſdictionem, & præventione gaudet in omnibus negotiis, quæ ad illius veniunt notitiam. Ex cauſis civilibus ſummariæ & quæ ſervorum & operariorum mercedes & pauperes ſpectant, ejus ſubſunt juriſdictioni. Duos habet in civilibus vicarios & unum in criminalibus, nec non Aſſeſſorem. Præterea multi alii Judices inferiores & Notarii ipſi parent. Ipſi quoque trecenti ſatellites (Sbirri,) cum capite ſuo ſubſunt, & militum bipennibus inſtructorum centuria, quæ ipſum prodeuntem comitatur. Singulis ſeptimanis duabus ſe ad Pontificem confert vicibus, Mercurii nempe & ſabbathi diebus, refertque, quæ in urbe geruntur, nec non mortis ſententias, Papæ, ut confirmentur, offert.

Aliud tribunal eſt Senatoris, qui ſub ſe alios, tum in civilibus, quam criminalibus, habet judices. Peculiare eſt, quod ad hoc munus nullus admittatur indigena, ſed extraneus, in Academia quadam, a Pontifice privilegia habente, ſummos in utroque jure nactus honores. Et hic Regum Legatis honoratiorem denegat locum, & obinde in papali non comparet capella in qua alias ipſi comparendi facultas eſt. Plura de hoc, de Romæ magno Mareſchallo, Conſervatoribus, carcerum, platearum, granorum & comeſtibilium Præfectis vid. *tableau de la cour de Rome p. 127. ſeqq.*

Ex eccleſiaſticis Papæ Miniſtris eſt Vicarius Papæ generalis, ex Cardinalium numero, qui munera illa, quæ ad Papam, ut Epiſcopum, pertinent, ſuſcipit, deinde omnium clericorum, tam regularium, quam ſecularium, judæorum & ſcortorum Judex eſt. Inter Pœnitentiarios, quorum quælibet eccleſia primaria Romæ, in uſum diverſarum gentium ſeptem habet, unus eminet, qui Pœnitentiarius magnus dicitur. Hic jure a caſibus, quos Papa ſibi reſervavit, abſolvendi gaudet, quod aliis non competit. Hic quoque diſpenſationem in gradibus, jure humano prohibitis dat, in eis vero gradibus, in quibus lex divina matrimonium vetuit, Papa diſpenſationem ſibi reſervavit. Ab homicidio in foro conſcientiæ abſolvit, illegitime natos legitimat &c. Ad Cancellarium aulæ Pontificis ea olim, quæ jam ad ſtatus Secretarii munus pertinent, ſpectabant: hodie, ubi Vice-cancellarii tantum utitur titulo, licet Cardinalis ſit, eadem fere, quæ aliarum aularum Cancellariis incumbunt, expedienda habet, inprimis autem ad ipſius officium pertinet literarum & bullarum apoſtolicarum, quæ non per modum brevium piſcatoris annulo ſignatæ ſunt, expeditio. Ingens ipſi Cancellariæ Miniſtrorum ſubeſt numerus, qui ſingulis ſeptimanis, Martis, Jovis & ſabbathi diebus congregantur. Hoc officium quotannis decem millium thalerorum reditus procurat, & centum mille thaleris redimitur. Sunt adhuc inter Officiales memorandi, cancellariam Regens, primus Secretarius ſtatus, qui Pontificis nepos aut alius eſt Cardinalis, & ſub ſe decem alios ſtatus Secretarios habet. Hic omnes Pontificis epiſtolas, ad Reges & Principes exaratas, & mandata, quibus

eccleſiaſticam, (a) aliter ſe habet. Jus belli & pacis non temere concedent Cardinales Pontifici; ſed ut in rebuspublicis mixtis eſt fluctuatio, ita, ut nunc hæc, nunc illa prævaleat pars, nunc æqualiter valeant; ita, prout aliquis Pontifex majori aut minori eſt auctoritate aut ambitione, eo magis agit Monarcham.

Regimen illius ita deſcriptum extat, ut appareat, utilitatem dominantium hic unice attendi; populus enim omnibus bonis emungitur. Fert autem hoc populus, licet Itali alias fuerint generoſiores, quia hodie eſt imbellis. Ante aliquot ſecula fuit generoſus, & tum Pontifices non plene ipſi imperare potuerunt, donec tandem Gregorius IX. id obtinuit. Illam mollitiem alunt Pontifices, & cumprimis in Primoribus ſuis: ſuppeditant enim materiam luxui, qui conſumit omnes vires. Hinc nobiliſſimæ familiæ, quæ olim multum negotii faciebant Pontifici, præprimis familia Columnenſium & Urſinorum, hodie viribus deſtitutæ ſunt, & luxu perditæ. Milite etiam utuntur conductitio, non lecto, Pontifices, quod facit ad opprimendum populum. vid. MACH. *notas.* Porro, etiamſi populus velit aliquid moliri ad ſuam libertatem, tamen deficiente duce quieſcunt, quod viri nobiles, ſpe beneficiorum & luxu perditi, non audent aliquid moliri. Olim Columnenſium & Urſinorum Principum magna fuit autoritas, adeo, ut Machiavellus cap. 10. non dubitet profiteri, nunquam fore ſtatum Pontificis ſalvum, quamdiu ſupereſſet familia Columnenſium. Accedit tertium, quia populus videt, populum vicinum æque duriter haberi, ac ſe, nec inde aliquid præſidii eſſe exſpectandum. Ita Hiſpanus in regno neapolitano ſuos duriter tractat, item Dux Florentiæ, a quibus nihil ſolatii exſpectare poſſunt. Accedit quarto; quod illi, qui vivunt ſub illa ſervitute, facile poſſint pro liberis aliquid ſubſidii exſpectare. Nulla eſt reſpublica, in qua tantis beneficiis ſuos poſſit ornare Princeps, quam hæc; ſi quis enim eſt tenuis fortunæ, ille dat operam, ut liberos abdat in monaſterium, ubi victum & amictum habent, & ſic hereditas tantum ad unum vel alterum pervenit. Monaſteria aliquot millia ſunt, unde facile filiis in iis locum invenire poſſunt. Porro per terram pontificiam multi ſunt archi-epiſcopatus, epiſcopatus, canonicatus, ad quas dignitates poſſunt provehi, ſi habent faventes Curiales Pontificis. Cum etiam Pontifex non tantum habeat poteſtatem conferendi dignitates in ſuis ditionibus, ſed etiam per totum fere orbem terrarum; hinc in aliis etiam locis poſſunt ad dignitates pervenire, ſi aliquantiſper in aula Papæ morentur. Sane humillimæ fortunæ homines ad dignitatem papalem pervenire poſſunt, ut hujus rei exemplum paulo ante eſt adductum. Hæc igitur ſunt, quæ homines detineant, ne moliantur aliquid contra præſentem ſtatum.

Romanus Pontifex, præter illum principatum, quem cum Archi-epiſcopis & Epiſcopis Germaniæ habet communem, vindicat ſibi principatum plane alius generis, qualis non reperitur in univerſo orbe. Deſcribam autem, qualem ipſe velit Pontifex ſuam monarchiam, & deinde, qualis

bus Nuntiis, Vice-legatis, Gubernatoribus & Præfectis aliquid injungitur, ſignat &c. Præter hunc ſunt pontificii Cubiculi (cabinet) Secretarius, qui alios ſub ſe habet Secretarios; Secretarius brevium taxatorum; Secretarius brevium ſecretorum; Præfectus ſignaturæ, ut dicitur, gratiæ & Præfectus ſignaturæ juſtitiæ. Quilibet horum ſuos habet Sub-officiales. Sequuntur jam datariæ Præſes & Sub-datarius; compoſitionum Præfectus. Præter Reviſores, Regiſtratores & Abbreviatores & centum Scribas apoſtolicos ſunt adhuc mille alii datariæ Officiales. In Pontificis palatio officia præſtant magnus palatii Magiſter, qui ex Dominicanorum ordine horum Officialium primus eſt. Quos hic ſub ſe habet Officiales, cubiculo, veſtiario, eſui aut potui Pontificis nec non ſacris privatis præfectos, refert autor libri, qui inſcribitur, *tableau de la cour de Rome ch. XIX.* Adeſt quoque Præfectus ſacriſtiæ Pontificis, qui ſub ſua cura & cuſtodia ornamenta vaſaque aurea & argentea habet. Eſt hic ex Eremitarum, qui Auguſtinum autorem habere dicuntur, numero. Hoſtiam præparat & panem vinumque prægustat, quando Pontifex miſſam celebrare vult. Denique præter Bibliothecarium, qui ex Cardinalium numero eſſe ſolet, & ceremoniarum Magiſtros, adhuc centum & octoginta Officiales, ad domeſtica Pontificis officia, aluntur. Vid *tableau de la cour de Rome.*

(a) *eccleſiaſticam*) Summum in rebus eccleſiaſticis Romæ judicium dicitur Rota. Duodecim hic Judices ſunt Prælati, quorum duo ſunt Hiſpani, unus Germanus unusque Gallus & reliqui Itali. Dicuntur auditores, inter quos Senior, officii ratione, Præſidis locum habet. In vaticano lunæ & veneris diebus conveniunt, niſi ſit juſtitium, & unicuique Auditorum quatuor Notarii operas præſtant. *Tableau de la cour de Rome part. IV. ch. IV.* Præter hoc multa alia Romæ ſunt tribunalia, collegia, & congregationes, ut tribunal Vicarii Pontificis, ſacra pœnitentiaria, ſignaturæ gratiæ & juſtitiæ, dataria, cancellaria, ſecretaria apoſtolica, camera apoſtolica, in qua Pontificis reditus, quos viginti quatuor milliones librarum Gallicarum complecti dicunt, curantur; congregatio inquiſitionis, quæ ſanctum officium dicitur, congregatio Cardinalium concilii tridentini interpretum, congregatio ſuper negotiis Epiſcoporum & Regularium, congregatio immunitatis eccleſiaſticæ, congregatio rituum; congregatio pro indice librorum prohibitorum, congregatio examinis Epiſcoporum, congregatio fabricæ ejuſque tribunal, congregatio ſuper ſtatu regularium, congregatio de propaganda fide, congregatio indulgentiis & ſacris reliquiis præpoſita, congregatio viſitationis apoſtolicæ, congregatio pro erectione eccleſiarum & proviſionibus conſiſtorialibus, congregatio pro conſultationibus negotiorum ſtatus eccleſiaſtici, quæ conſulta dicitur, congregatio ſuper bono regimine communitatum ſtatus eccleſiaſtici, congregatio Cardinalium pro univerſitate ſtudii romani, congregatio pro ubertate annonæ ſtatus eccleſiaſtici, congregatio pro ubertate Graſciæ urbis, congregatio pro viis, pontibus & aquis curandis, congregatio pro typographia vaticana, congregatio ſuper re monetaria, congregatio ſuper negotiis Baronum, ſtatus eccleſiaſtici & montium, congregatio viſitationis carceratorum, congregatio ſuper confinibus ſtatus eccleſiaſtici, forum capitolinum, ſeu judicium Senatoris & conſervatorum urbis. vide PLETTENBERGII *notitiam tribunalium & congregationum curiæ romanæ.*

qualis re ipſa ſit, ſi adminiſtrationem videas, demum, qualis fuerit olim, quibus artibus fuerit introducta & conſervata. Non omnes, qui vivunt in pontificia eccleſia, de ſacro regimine Pontificis ſentiunt idem; ſed diſſident inter ſeſe plurimum. Sunt enim, qui ſtatuunt, Pontificem romanum eſſe Primatem, ſive caput eccleſiæ, ſive primarium inter ariſtocraticos. Regimen enim eccleſiæ dicunt & eſſe ariſtocraticum, Papam in eo eſſe primarium. Igitur illi diſerte profitentur, penes concilium eſſe ſummam poteſtatem rerum eccleſiaſticarum; ſi quid igitur conſtituendum, tum auctoritate horum conventuum tale quid eſſe efficiendum. Iidem dicunt, concilium eſſe ita ſupra Papam, ut, ſi Pontifex non recte ſe gerat, poſſit deponi ab illo, & alius eligi. Hæc ſententia fuit univerſalis per univerſam Europam, exceptis nonnullis Italis, qui acriter defendebant autoritatem romani Pontificis. Illa autem ſententia publice pronunciata in concilio conſtantienſi, in quo conſtitutum, ut Papa ſit intra concilium; & non tantum id conſtituerunt, ſed etiam non dubitarunt Pontifices deponere. Quem elegerunt, fuit Martinus V. Columnenſi ex familia. Bona etiam pars Epiſcoporum Germaniæ proteſſa fuit, eccleſiam poſſe regi ſine Pontifice. Etiam fuerunt tum plerique naturaliſtæ, (ita appellabantur hujus ſententiæ defenſores) admodum inviſi romanis Pontificibus. Quamvis autem frequens fuerit hæc ſententia, tamen paulo poſt iterum receſſum fuit ab illa, ita, ut poſt in concilio lateranenſi & deinde nemo hanc ſententiam ſit auſus profiteri. Hodie nemo illius ſententiæ tutor & defenſor eſt, niſi facultas theologica Sorbonæ, ab autore Roberto Sorbona ita dicta, homine ditiſſimo, qui ſec. 13. hoc collegium inſtituit, eique omnia legavit bona ſua. Hi propterea ſumme ſunt inviſi Pontifici, non tamen audet eos damnare.

Operæ pretium fuerit, ut concilii *conſtantienſis hiſtoriam* (a) vobis comparetis. Huic concilio ingens ſchisma occaſionem dedit, quod duravit per 70. annos, cum aliquot Pontifices ſe invicem vindicarent, modo hic modo ille. Theodor. de Nyem ſcripſit nonnulla lectu digna, de hoc ſchismate, quia per 37. annos vixit in curia romana. Henr. Meibomius ſeorſim curavit edi hiſtoriam Joh. XXII. Papæ, qui liber dignus lectu homini politico, licet mendoſe ſit editus Francofurti. Tempore hujus concilii unanimis fuit ſententia Epiſcoporum, Pontificem eſſe intra concilium, eique competere totum regimen. Ut autem eo rectius gubernaretur europæa eccleſia, conſtitutum, ut quinto quoque anno coirent concilia; ſed illud conſilium caruit effectu, cum noxium ſit monarchiæ, crebra celebrare comitia, quod Papæ etiam attendebant: igitur huic conſilio reſtiterunt. In hiſtoria concilii tridentini Petri Suavis exſtat Paparum conatus, contra concilium hoc ineundum. Tandem autem concilium tridentinum eſt inſtitutum, ſed ita, ut ſalva maneret auctoritas Papæ. Quibus artibus id celebratum, vide in hiſtoria citata. Non credo, univerſale aliquod concilium unquam futurum, ob rationem ſtatus Pontificis. Epiſcopi magnam auctoritatem ſibi tunc temporis ſumſerunt; ſed fundamentum eſt valde lubricum. Voluerunt videri a Deo inſtituti, ut eccleſiam gubernarent, & ſe eſſe infallibiles conſtitutos in concilio. Hoc vero non admittit Papa, ſcilicet, concilium ſine Papa eſſe infallibile, ſed cum Papa, & hanc infallibilitatem eſſe a ſolo Papa. Hinc non admittunt Papæ concilium conſtantienſe, quia ſine Papa eſt celebratum. Epiſcopi autem ſententiam ſuam approbarunt duobus dictis ſacræ ſcripturæ: (1) eſt apud Matth. cap. 18. ubi dicitur: dic eccleſiæ, ſi frater unus te non vult audire &c. Inde concludebant, dicendum eccleſiæ, ſi fuerit controverſia, & qui eam non audiret, eſſe habendum tanquam publicanum. Per eccleſiam intelligendum eſſe dicebant concilium Epiſcoporum, id enim repræſentat eccleſiam. Igitur controverſiæ adferendæ ſunt ad eccleſiam, i. e. ferendæ ſunt ad conventum Epiſcoporum, quia hic repræſentat eccleſiam, quæ eſt infallibilis. Sed illa ratio argumentandi eſt inepta. De vera interpretatione hujus dicti vid. cap. 3. in libr. de concuſſione fundamentorum religionis pontificiæ. Ibi oſtendit autor, Chriſtum non agere de univerſali eccleſia, ſed ſingulis eccleſiis; nec agere ibi de eccleſiaſticis controverſiis, ſed de exiguis rixis, orientibus inter privatos. Totus igitur locus agit de litibus privatis: lites autem privatæ non deferuntur ad univerſales conventus. Alter eſt locus in I. ad Timoth, ubi dicitur: eccleſiam fundamentum eſſe & columnam veritatis: vid. eundem libr. cap. 3. oſtendit ibi autor, hoc eſſe commune omnibus eccleſiis; & licet eccleſia ſit columna, tamen concidere poſſe columnas. Nihil ergo certi fundamenti habent Epiſcopi, quare hanc ſibi tribuant auctoritatem.

Longe alia autem ſententia eſt curiæ romanæ; nam illa profitetur: romanum Papam eſſe a Deo conſtitutum, ut ſit in terris hiſce Vice deus, & (1) in omnibus ſacris, (2) in profanis rebus, ut ipſe profitetur. Alii mitius dicunt, in orbe tantum chriſtiano. Solet autem talis auctoritas Pontificum benigno vocabulo exprimi, nempe primatus; ſed ſub illo vocabulo latet vice-deatus. Pontificis vice-deatus ſolet defendi a curia romana & a Jeſuitis, quod eſt in votis eorum. Reliqui monachi jurant tantum in tria vota. Antehac nunquam invenit tot defenſores ſuæ monarchiæ romana curia, quam nunc. Qui igitur hodie non admittunt vice-deatum,

(a, *Conſtantienſis hiſtoriam*) Hanc venerabilis Academiæ noſtræ Senior & hoc tempore Prorector magnificus Hermannus von der Hardt, vir de republica litteraria meritiſſimus, ſex Tomis complexus eſt. Ante eum VALENTINUS DE CROARIA JCtus Ingolſtadienſis anno 1500. acta hujus concilii edidit, Hagenoæ typis primum impreſſa.

deatum, dicunt, illum venditari ab adulatoribus romanæ aulæ, Jeſuitis. Aſt hoc dogma non eſt proprium Jeſuitarum, nec illud defendunt tanquam adulatores curiæ romanæ; ſed tanquam dogma curiæ romanæ proprium, & reperitur hoc in jure canonico, in bullis. Praxis curiæ romanæ hoc dogma adhuc confirmavit. Ea de re dixi in electione Alexandri VII. ubi oſtendi, quales volunt haberi Monarchæ, & hæc dogmata etiam hodie urgeri in romana curia, nec eſſe commenta adulatorum aulæ romanæ. Seorſim autem ab aliquot ſeculis hanc auctoritatem ſibi vindicarunt Papæ. Primus monarchiam profeſſus eſt Gregorius VII. qui vixit tempore Henrici IV. Tunc temporis noſtra respublica erat turbatiſſima, cum nova doctrina promulgaretur; igitur ſuper his dogmatibus tantum ſanguinis effuſum, ut toti fluvii ſanguinee bullirent.

Ut autem ambitus hujus monarchiæ conſtet, revocandum in memoriam, quod ſumma poteſtas conſiſtat in tribus: in poteſtate legum ferendarum; in poteſtate creandorum Magiſtratuum; in judiciis conſtituendis. Quantum in his ſibi tribuat Papa, oſtendam, ut appareat, illum ſine omni exceptione eſſe Monarcham. Legislatoriam poteſtatem quod attinet, in eccleſia duplices habemus leges, ſecundum quas debemus vivere; aliæ ſunt leges divinæ, quæ habent vim eandem, quam habet jus naturæ, aliæ ſunt poſitivæ & humanæ. Ea eſt ambitio romani Pontificis, ut aperte profiteatur, ne leges quidem divinas habere vim, niſi ipſi placeat, adeo, ut autoritas juris divini dependeat ab auctoritate Pontificis. Hoc apparet ex eo, quod dicit: ſacram ſcripturam nullam habere autoritatem, niſi per autoritatem Pontificis, nec eſſe majoris auctoritatis, ac ipſæ fabulæ Æſopicæ. Hoc profeſſus eſt Gregorius VII. vid. præfat. ad elect. Alexandri VII. Nicolaus profeſſus eſt, V. & N, T. non aliam ob cauſam mereri recipi, quam quia placuit ita Papæ. Præter jura divina ſunt jura humana eccleſiæ, qualia ſunt decreta conciliorum; ſed de his tradit curia romana, quod ea tamdiu valeant, quam diu velit Papa, & quod de his poſſit diſpenſare Papa, adeo, ut ab aliquibus non obſerventur. Hoc factum de concilio tridentino; ſimulac enim illud promulgatum, Pontifices ſtatim circa ejus canones diſpenſare cæperunt. Ita leges conciliorum omnes dependent ab auctoritate Pontificis. Igitur Pontifex circa leges verus Monarcha vult haberi.

Alterum jus ſummæ poteſtatis eſt conſtitutio magiſtratuum; hanc quod attinet, romanus Papa affirmat, omnes Archi-epiſcopos, Epiſcopos, Abbates dependere a ſeſe, ita, ut eos deponere & conſtituere poſſit pro lubitu. Archi-epiſcopi, Epiſcopi, ut & Abbates ſunt magiſtratus eccleſiaſtici; hos omnes vult Papa dependere a ſuo nutu. Gregorius VII. in aliquo concilio romano theſes promulgavit de autoritate Pontificatus romani. Illi aphoriſmi dicti ſunt dictatus, tanquam a Dictatore profecti. Superſunt illi in epiſtolis Gregorii VII. quæ proſunt nobis, ad detegendam monarchiam papalem. Adduxi ex illis dictatis nonnulla in præfat. ad elect. Alex. VII. (1) Quod ſolus audiat Patriarcha univerſalis; quod contrariatur Patriarchæ conſtantinopolitano. (2) Quod poſſit conſtituere omnes magiſtratus eccleſiaſticos. (3) Quod Legatus ejus, etiam infimi ordinis, ſit ſupremus in concilio. Ex hac poteſtate voluerunt Papæ inſtituere Archiepiſcopos & Epiſcopos in Germania, pro lubitu. Ita conſtituit Innocent. X. Pontifex rom. Archi-epiſcopum magdeburgenſem, Epiſcopum bremenſem, halberſtadenſem. vid. hiſtoriam Caroli Caraffæ, in ipſius Germania ſacra. Itidem dicunt: Canonicos eligere Præpoſitos & Epiſcopos tantum ex privilegio, quod ipſis, ſi fuerint immorigeri, a Papa rurſus poſſit adimi.

De poteſtate judiciorum ſententia eſt curiæ romanæ, quod omnia judicia eccleſiaſtica ſint arbitrii Pontificis. Licet enim ipſe romanus Papa omnibus judiciis non præſit, interim putat curia romana, omnia illa judicia inſtitui auctoritate Pontificis. Hinc putant, eum poſſe quam multas cauſas eximere & ſibi dijudicandas ſumere, imo avocare a judiciis cauſam, quam velit, & a quacunque cauſa licere appellare ad Pontificem. Igitur prima inſtantia ſolent ſtatim appellare litigantes ad Pontificem. Hinc tanta eſt vis adpellationis, ut ſatis dici non poſſit. Et ſunt cauſæ nonnullæ, quæ dicuntur exemptæ, quæ ſtatim deferuntur ad curiam romanam, quales ſunt: cauſæ Regum, Principum, & quæ magis ſunt lucroſæ; hæ enim in aliis judiciis agitari prohibentur. Ergo curiæ romanæ pronunciatum eſt, romano Pontifici omnia competere judicia, eum judicare omnes, ipſum judicari a nullo. Adduxi pag. 7. præfationis meæ dictatus Hildebrandi, quod ſententia Papæ a nullo debeat retractari; ipſe autem poſſit omnes ſententias pro lubitu invertere. Ita, cumprimis in decretalibus id agitur, ut appellationes ſint frequentes, cauſæ lucroſæ ſint exemtæ, nec revocentur, quæ a Pontifice ſunt judicata.

Papa autem arrogat ſibi talem poteſtatem in omnem clerum; igitur perpetuum curiæ romanæ dogma eſt; quod omnes clerici jure divino ſint exemti ab omni imperio ſeculari. Per clerum intelligit Archi-epiſcopos, Epiſcopos, Canonicos, Abbates, &c. Quoad judicia quoque credit, omnes perſonas ſacras eſſe ſuo judicio ſubjectas. Eadem de cauſa cumprimis Epiſcopos ſibi credit obnoxios eſſe; igitur omnes juramento ſe ipſi obſtringere, & obedientiam ipſi promittere coguntur. Hinc omnes Epiſcopi ſe nominant Epiſcopos, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia. In Germania id non quidem adeo uſitatum eſt; ſed in aliis locis, &, ſi noſtri Principes Epiſcopi ſcribant ad Papam, non audent hoc ex titulo omittere.

In bona ſacra talem etiam ſibi arrogat poteſtatem; jam vero quanta eſt copia opum

 clerico-

clericorum? qui ſane tertiam partem Europæ poſſident. Si igitur illa bona ſunt obnoxia romano Papæ, facile conſtat latitudo ejus ditionis. Nec tantum in cleros & eorum bona ſibi arrogat imperium, ſed & in omnes chriſtianos, adeoque & in hæreticos. Contra hæreticos ferro, aqua & igne ſævit, & putat, hanc animadverſionem in hæreticos eſſe ſolius ſui juris: Principes ſeculares harum ſententiarum executores eſſe; cum tamen ſanctis hominibus indignum ſit, maculare manus ſanguine reorum. Igitur Principes ſeculares habentur loco carnificis. Adeoque etiam in omnes Reges & Principes chriſtianos imperium ſibi arrogat. De hac poteſtate nonnihil circumſpectius diſputare voluit BELLARMINUS, *libr. 5. de poteſtate Pontificis.* Canonici Doctores jus hoc ipſi tribuunt ſine ullo diſcrimine, in omnes chriſtianos: aſt Bellarminus indirectam ei concedit poteſtatem in omnes chriſtianos, ſed eſt idem hoc imperium directum cum indirecto. Mens autem hæc eſt Bellarmini. Si quis Chriſtianorum non recte ſe gerat, tum Pontificem habere in ipſum poteſtatem v. g. ſi Princeps non regat rempublicam ad arbitrium Papæ, tum poſſe Papam in illum animadvertere. Adduxi in citata præfatione WILHHELMI BARCLAJI verba ex cap. 13. quibus refutat Bellarminum. Oſcula pedum, quæ hodie ſunt ſolemnia Romæ, non ſunt ceremoniæ civiles, ut illi mentiuntur, ſed vult propterea oſculandos pedes, ut agnoſcatur vice-deatus. Igitur eſt ceremonia religioſa, non civilis, qua quis illum agnoſcit Vice-deum. Habemus epiſtolam, qua Papa Turcarum Imperatori perſuadere conatus eſt, ſe ipſi, ſi agnoſceret ſe Vice-deum, jus eſſe daturum in omnes terras, quas vi occupaſſet. Alexander VI. in duas partes diſtribuit orbem, & alteram partem Regi Caſtellæ, alteram Regi Luſitaniæ dedit, unde gravia bella orta. Talibus fabulis mundus per aliquot ſecula ſe paſſus eſt dementari. Non autem hic ſe ſiſtit poteſtas Papæ, ſiquidem non homo nec Deus, ſed medium. Hodie adhuc legitur in aliquo ſcripto, *Deus & Papa noſter, conditor horum decretalium.*

Tendit autem monarchia papalis in ipſum purgatorium: igitur poteſt elicere ex purgatorio animas, & dejicere alias eodem. Modos autem habet varios extrahendi animas ex purgatorio. Habet numismata, quæ conſecrantur ab eo & ſub his tota condita eſt doctrina indulgentiarum. De certis imagunculis res jam nota eſt. Tenentur quivis eleemoſynam dare, quæ cedit in uſum Papæ. Hinc apparet, tali monarchiæ nihil ſimile reperiri in hoc mundo. De fundamento, ſi quis quærat, præſertim, ſi illa poteſtas ipſi collata ſit a Deo, ut profitetur, hactenus nihil potuit afferre, niſi quod Petro dictum: *Tu es Petrus, & ſupra hanc petram &c. & Petre! paſce oves meas.* Et idem Petrus eodem modo jubet Presbyteros paſcere oves. Ergo paſcere oves eſt imperare Regibus, Principibus, & Vice-deum eſſe. Hanc locutionem ante nemo ita interpretatus eſt. Non ſequitur, illud, quod Petro eſt conceſſum, hoc item conceſſum Papæ. Sed Pontifex dicit: ego ſum Petri ſucceſſor. Reſp. hoc eſt probandum, nec in ſacris dicitur; ſupra te & ſucceſſures tuos ædificabo eccleſiam. Supra tam ineptis fundamentis totus pontificatus romanus eſt exſtructus; videmus, quanta ſit vis ſuperſtitionis, cum per tot ſecula mundus hac ſit deceptus. Ego adſero Papis aliquod, in libro meo *de concuſſione fund. fidei pontificiæ*, principium, quod eſt nobiſcum natum, ſupra quod fundata eſt tota ſocietas humana. Non ſufficere ſcilicet, ſi generaliter tantum mentio tacta ſit in ſacris literis ſucceſſoris, ſed oportere ſingulos Papas afferre documentum divinum; cum, ipſis fatentibus, multi ſedem papalem habuerint, qui tali indigniſſimi fuere. Nunc autem nulli legato, aut alii, perſonam aliquam gerenti creditur, niſi afferat literas creditivas. Imo in privatis etiam negotiis unuſquisque tenetur ſuam perſonam legitimare. Apoſtoli ſuas perſonas probaverunt per miracula. Prophetæ idem egere. Prophetam autem divinum ſe gerere, & tamen non edere hujus rei documenta, eſt inſani. Adduxi in dicto libro verba Innocentii III. ubi hoc ipſum diſerte profitetur. Papæ debuiſſent etiam miracula facere. At illi confugiunt ad Capuzinos. Sed quid inde? Dicunt, ſe poſſe aſinos reſuscitare: ſed ſi unum reſuscitent in documentum, Papam credam Vice-deum eſſe; ſed hactenus in Germania id non fecerunt. Videmus igitur, quanta ſit vis ſuperſtitionis, & quantum noſtri majores paſſi ſibi ſint per aliquot ſecula imponi. Quod nos pro fabulis habemus, crediderunt fato divino. Multi in pontificia eccleſia talia dogmata curiæ romanæ non admittunt, & tamen ſatis fraterne inter ſe vivunt. Sed hoc videtur mihi iniquiſſimum, nec poteſt ſic concordia eccleſiaſtica inſtitui; quod oſtendi *cap. 2. libri de concuſſione fundamentorum religionis pontificiæ.* Dico, eos ſalva conſcientia non poſſe communicare cum Papa, ſed teneri ipſi anathema dicere. Confer *præfationem libri de elect. Alexandri VII.* Peccatum mortale eſt, communionem eccleſiaſticam cum Papa colere, ſi noveris, eum eſſe mentitum Vice datum. Non eſt hæc quæſtio problematica, de qua credere poſſis, quod velis. Hi diſſentientes vivunt contenti; quia accipiunt beneficia a Papa, putant ſatis eſſe, ſe contratrium in corde credere, quod tamen contra jus divinum eſt.

Nunc dicendum, utrum Pontifices per univerſam eccleſiam poſſint talem exercere monarchiam; quod velit, de eo non eſt dubium? Omnes Papæ ferunt, ſe Vice-deos eſſe, ideoque omnes talia jura affectant exercere. Sub initium hujus ſeculi Paulus non dubitavit interdicto ſubjicere Venetos, quod in bona & perſonas ſacras jus ſibi arrogaſſent. Hodie quoque non meliores Papæ, ut olim, idem eorum argumentum, etſi non eadem vis. Non enim

licet

licet ipſis hodie omnia, quæ olim, nec temere quisquam eorum reperire eſt, qui a ſententia recedat. Bellarminua cum diſputaſſet, clericos eſſe exemtos a laicorum poteſtate jure humano, contra Venetos agens, diſerte contrarium ſtatuit, eos ſcilicet eſſe exemtos jure divino. Si quoque Jeſuitas audias, res clara eſt; ſed ſi jus, negotia Regum, Principum & Magiſtratuum inquiras, videas, eos non admittere talem monarchiam. Rex Hiſpanus, etiamſi colat Papam devote, in clerum tamen & ejus bona ſibi jus eſſe, non tantum aperte profitetur, ſed & aliud docentes ſolet plectere. In regno neapolitano monachi ſolent ſuspendi de patibulis; tantum abeſt, ut Rex Hiſpaniæ tantum ſibi perſuadeat. Similiter Rex Galliæ exiſtimat, ſibi jus eſſe in omnem clerum & omnia eorum bona, fruſtra ringente curia romana, nec creditur, romanæ Papæ fas eſſe, condere leges eccleſiæ & reſcindere pro lubitu. Nec hodie quidem ibi concilium tridentinum receptum, quod nolit Rex eos canones admittere. Irritas pronunciat ſententias papales, quæ diſpenſant circa canones. Circa appellantes Romam ſolet animadvertere.

Jam de praxi tantæ monarchiæ, & quemadmodum cœperit, quomodo cœperit hominibus perſuaderi, quomodo decrementum cœperit, & quomodo nunc ſe habeat. Inter omnes Epiſcopos totius orbis primaria autoritate fuere Epiſcopi urbis Romæ, propter urbis amplitudinem & excellentiam, Uti enim illa urbs non potuit comparari cum ulla urbe, ita etiam Epiſcopus, propter multitudinem chriſtianorum, viventium in illa urbe. Secul. 3. cœpit hominibus alius prætextus perſuaderi Pontificis de auctoritate; nempe quod Petrus fuiſſet primarius Apoſtolorum, ille autem docuiſſet Romæ, ille conſtituiſſet ſucceſſorem romanum Epiſcopum. Non tamen ulterius, quam in docendo evangelio, & regenda ejus urbis eccleſia, tunc hæc ſucceſſio fuit extenſa. Seculo autem 4. nova autoritas Pontifici romano tributa eſt propter excellentiam urbis & magnitudinem, a græcis cumprimis Epiſcopis. Poſtea, ſimulac nova Roma ſ. Conſtantinopolis condita, etiam Epiſcopus conſtantinopolitanus cœpit ſecundo loco eſſe, poſt Epiſcopum romanum. Tandem in concilio œcumenico chalcedonenſi cœpit ei æquiparari, ut ex canonibus ejus patet; parem ſcilicet dignitatem imposterum deberi conſtantinopolitanis Epiſcopis, quia Conſtantinopolis in locum Romæ veteris ſucceſſiſſet. Notatu autem dignum, cum antehac non niſi ſingulis urbibua ſive majoribus eccleſiis ſui eſſent Epiſcopi, cœpere quodammodo Epiſcopi Epiſcopis imperare, & conceſſum quibusdam jus in Epiſcopos alios: vid: canon: concilii nicæni. Tum enim conſtituti ſunt 1. metropolitani Epiſcopi, pro uſu alicujus reipublicæ, ut hi ſcilicet aliquam inſpectionem haberent in Epiſcopos illarum urbium, quarum hac erat metropolis. Apparet autem ex canone VI. concil: nicæni, quod romanus Epiſcopus jam tum habuerit aliquam curam & inſpectionem vicinarum; ut Rufinus Presbyter, aquilegienſis Inſpector, interpretatus eſt hanc legem: quod inſpectionem haberet eccleſiarum ſuburbicarum. Hæc interpretatio eſt ſudes in oculo Pontificum. Papa enim nihil eſt aliud, quam pater; eo autem nomine multi Epiſcopi nominabantur. Suburbicarum igitur eccleſiarum inſpectionem aliquam jam tum habuerunt rom: Epiſcopi. Hæc interpretatio nata eſt ipſo tempore, quo habitum nicænum concilium, & ab eo profecta, qui fuit vir doctus, nec noſtris partibus addictus. Hinc varie interpretatæ ſunt voces ſuburbicarum eccleſiarum. Cumprimis circa annum hujus ſeculi 20. orta hæc controverſia de interpretatione harum vocum, & agitata a perquam doctis viris, quorum duo Proteſtantes, Claudius Salmaſius, & Iacob Gothofredus, Dionyſii filius. A parte Papæ ſtetere cumprimis duo, Jacob Syrmondus, Jeſuita, alter Italus Alexander. Hi 4. ſuper illis vocibus contenderunt. Aſt qui leviter tantum vetera noverit, illi non poteſt ſuburbicarum vox ignota eſſe. Ex libro de notitia Imperii poteſt illa peti. Hinc nonnulli Jeſuitæ cautius dixere: Papam, ut Epiſcopum romanum, non latos habere fines; ſed Papam non tantum eſſe romanum Epiſcopum, ſed multas præterea habere functiones. Sub initium ſec: 5, & jam tum ſec: 4, in concilio œcumenico conſtantinopolitano, conſtituta ſunt in orientalibus eccleſiia Græciæ Patriarchæ. vid. *diſp. de conſtit. Epiſcop: Germaniæ.* In occidentali eccleſia nulli ſuere conſtituti Patriarchæ, ut hoc ex canonibus concilii ſecundi œcumenici, item quarti conſtabit. Cœterum jam tum romani Papæ extulerunt ſe, tanquam ſucceſſores Petri.* In concilio chalcedonenſi auditæ voces a Legato Leonis magni: Petrum non eſſe mortuum, ſed vivere in Papa. Auditæ quidem hæ voces in concilio chalcedonenſi œcumenico, ſed non probatæ reperiuntur in actis concilii, nec in canonibus. In illo concilio conſtantinopolitano, conſtantinopolitanus Epiſcopus æquiparatus eſt romano Pontifici, etſi valde contradicebat. Talis igitur monarchia, qualem nunc intendit, eſt inaudita. Commendo autem vobis lectionem canonum carthaginenſium ſ. eccleſiæ africanæ. Illi canones, qui deinde ſingulari beneficio divino recepti ab eccleſia romana, & in codicem canonum romanorum, tempore Iuſtiniani, per Dionyſium exiguum ſunt verſi latine. In illis canonibus obſervatur mirabilis hiſtoria, quod tunc temporis, imo ante, Papæ non dubitaverint, canones concilii nicæni falſare, & perſuadere africanis Epiſcopis, ſe debere ſubeſſe Papis. Hoc falſum deprehenſum, & legitur tamen adhuc in codice canonum. Obſervatu etiam dignum eſt, quod ne tum quidem Papæ monarchiam ſibi arrogaverint; ſed voluerint tantum ſibi aliquid ſumere in Epiſcopos africanos, & quidem vi alicujus canonis nicæni. Hodie ad divinam

vinam legem provocant, ad vocem, tu es Petrus: non vero ad canones nicænos & poſitivas leges humanas. Ita ſe habuere res Pontificum uſque ad tempora Caroli M. Crevit autem hæc autoritas, quod in occidentali eccleſia eſſet epiſcopatus omnium ve[illegible]tiſſimus, & unus haberet autorem Apoſtolum aliquem: nam nec in Hiſpania, nec Britannia, nec Gallia, multo minus in Germania aliquis Apoſtolus inſtituit eccleſiam.

Carolo Magno Imperatore accepere ingentem papatum & magnum territorium in Italia: crevit quoque tum eorum exiſtimatio, ſed non ut crederentur Monarchæ mundi, divinitus inſtituti. De illo nullum veſtigium in ſcriptis illius temporis reperitur: multo minus praxis talis fuit. Crevit tum eorum exiſtimatio, niſi quod Imperatores dederint operam, ut Papæ ipſis eſſent ſubiecti. Unde non dubitarunt conſtituere Papas, vel, a romano populo electos, confirmare: nec, ad ſec. XI. uſque, quisquam Papa legitimus fuit æſtimatus, priusquam aut electus aut confirmatus ab Imperatore eſſet. Cum primis Henricus III. Rex multum ſibi in eos ſumſit: tres enim ſive quatuor conſtituit, non exſpectata electione. Primus autem omnium non tantum vetera illa cœpit jactitare, ſed plane omnem ambitum monarchiæ illius protrudere, Gregorius VII. Papa. Initio hæc dogmata non potuere perſuaderi hominibus, ſed, indignatione Dei in populum europæum, factum, ut illa abſurda dogmata perſuaſa fuerint quam multis. Hac in re, per indignationem altiſſimi Numinis, plurimum romanis Papis favit ſaxonicorum populorum rebellio adverſus Henricum IV. Imperatorem, & præterea etiam, quod clerus vel Epiſcopi, nimis alto ſupercilio præditi, ſpectarent res novas. Omnis opera data fuit Pontificibus, ut ſupprimerent autoritatem Cæſarum, cum viderent, eam ſuæ obſtare monarchiæ: quare a tempore Henrici IV. cum nullo populo plures fuere contentiones, quam cum germanico. Cum omnibus Imperatoribus tantum non perpetuæ fuerunt contentiones. Quemadmodum res geſtæ ſint a temporibus Henrici IV. V. Lotharii, Friderici Barbaroſſæ, Henrici VI, Friderici II. & Ottonis IV. hiſtoriam accurate legentibus, patet. Tandem ſec. XIII. autoritas Cæſarum & exiſtimatio Imperii occidentalis plane periit. A temporibus Gregorii VII. & Henrici VI. usque ad ſecul. 13. adeoque usque ad interregnum, perpetua fuit lucta inter Imperatores noſtros & Papas; noſtris Cæſaribus pugnantibus pro antiqua exiſtimatione & juribus, Papis deſudantibus pro ſua monarchia ſtruenda. Sed prævaluit Papa, adeo, ut poſt Fridericum II. creverit autoritas eorum in immenſum, & duraverit uſque ad concilium conſtantienſe, uſque ad ſec. 14. verum poſt illud paulatim decrevit.

Obſervandum autem eſt, quod romani Papæ cœperint ſibi tum demum obnoxium facere clerum; poſteaquam Regibus europæis eripuiſſent poteſtatem conſtituendorum Epicoporum. Collatio harum dignitatum fuit[illegible]um penes Reges in Gallia, Britannia, & penes Principes in Germania & alibi. Primum impetum fecere Papæ in Imperatorem noſtrum. Gregorius VII. perſuaſit hominibus', impium eſſe, Reges conſtituere Epiſcopos. Acerrime hac de poteſtate eſt concertatum; cum viderent Imperatores, ereptis his juribus, potiſſimam eorum dignitatem concidiſſe: vid. diſp. de Epiſcoporum Germaniæ conſtitutione. Aſt Henricus V. coactus fuit paciſci cum Papa romano, ne Epiſcopi eligerentur a Principibus, ſed, ut electio fieret a Canonicis cathedralibus cum populo. Paulatim vero hoc translatum ad ſolos Canonicos cathedrales, ut hodie etiam fit. Ita cœperunt Imperatores excludi a confirmatione Epiſcoporum, & Epiſcopi contemſerunt auctoritatem Imperatorum. Imo Sec. XII. paulatim introductum, ut Epiſcopi jurameuto ſe obſtringerent romano Papæ. Apparet inde, quo modo monarchia cœperit in clerum exerceri. Dévinxit autem ſibi clerum, dum ipſum ſubduceret imperiis ſecularibus, qui cœpit amare Pontificem, tanquam vindicem libertatis eccleſiaſticæ: ſimulac autem illos in ſuas traxit partes, cœpit eos ſub jugum trahere, & *juramento* (a) ſibi adſtringere. Clerus, ſi premebatur a Regibus, ſtatim provocabat Romam, ubi patrocinium inveniebat cauſis etiam nequiſſimis. Sic paulatim Pontifices iſtuc traxerunt cauſas de perſonis, & rebus clericorum. Sed poſtquam hanc poteſtatem conſecutus eſt Papa, merito clerum graviſſime mulctavit, dum ſubduceret ſe Regibus. Tam durum fuit hoc imperium in clerum, ut non poſſent amplius ferre.

Commodum autem tunc temporis accidit, ut ſchiſma oriretur in romana eccleſia, ut interdum duo, interdum tres Papæ reperirentur. Hoc bene ſucceſſit clero; ea enim occaſione ſubduxerunt ſe Papæ, & ſe paulatim cœperunt erigere, donec in concilio conſtantienſi Papæ autoritas fuit concilio ſubjecta, & imperium iniquum fractum. Succeſſit deinde concilium baſilienſe, quod totum abolevit imperium in clerum: Epiſcopi enim & clerus tantum de ſe cogitabant, de aliis vero, præcipue de religione, parum ſolliciti. Sed Deus hoc poſtea ultus eſt, dum eos iterum impotenti Pontificis dominationi ſubjecit. Tandem Papa coactus fuit paciſci cum Epiſcopis noſtris, quæ pacta hodie vocantur concordata nationis germanicæ. Super his ſtant res Episcoporum noſtrorum, ne tyrannidem Paparum amplius exſpectare debeant. Hæc autem concordata Pontifices circumcidere laborarunt; unde capitulationibus Cœſarum ſemper inſeritur, debere Cæſarem videre, ne Papa contra concordata agere pergat. Illi enim intentant ſemper dilatare fimbrias ſuas; noſtri vero Epiſcopi contra nituntur. Ad hunc modum ſe habent res cleri in Germania. Si quis quoque vim monarchiæ papalis ſeculi 14. conferat cum noſtris tempori-

(a) *juramento*) vid. de hoc argumento Dn. BUDERI *diſſertationem*.

temporibus, dixerit; omnem ejus vim intercidiſſe: poſtquam enim concordata facta, nullum amplius imperium habuit in clerum Germaniæ.

In Gallia per ſanctionem pragmaticam, & non per pactum cum Papa erat ipſi erepta omnis vis in clerum. Ideoq; Leo X, cum videret, ſe eam ſervare non poſſe, Franciſco primo Regi conceſſit poteſtatem eligendi Epiſcopos. Adrianus VI. Hiſpano idem conceſſit, magno ſedis romanæ malo. Ita quoque ſe habet Papæ jurisdictio in clerum. Ut Clerus autem hunc dominatum iniquum tulerit divino quodam fato factum; fuit enim clerus peſſimis moribus, & deſeruit Deum, ut non ſit mirum, eorum impietatem graviſſima pœna eſſe ultam. Nam in concilio conſtantienſi, nihil aliud optarunt, quam ut de Tyrannide Pontificis ſe liberarent; de vitæ integritate non fuere ſolliciti. Cujus rei gratia poſtea & pœnam ſubire coacti ſunt, dum æque durum dominatum Regum Principumque, per vindictam divinam, paſſi ſunt. Indubie etiam, clerus in eum dominatum recidit per leges pontificias, quales ſunt conditæ ſec. XII. nihil enim aliud illæ ſpirant, quam herile imperium in clerum. Totæ decretales eo tendunt, ut & ipſe proceſſus forenſis, factus fuit inſtrumentum magnum dominatus: non enim reperias temere adeo ſpecioſum quid, latens ſub veſte juſtitiæ, quam illum proceſſum, qui totus eſt compoſitus, ad lites ſerendas & fovendas, & ut pæne nunquam poſſint finiri. Hinc cum diſtrahuntur, creſcit autoritas judicum. Sic deinde per appellationem, pertractæ ſunt in curiam romanam. De beneficiis, reſervationibus, diſpenſationibus Pontificum, ſi videas, ſunt inſtrumenta dominatus.

Eadem fuit ratio monachorum: hi enim, præprimis Benedictini, pietate nonnullorum hominum, ad magnas divitias pervenerunt, ſed iis ſunt uſi inſolenter. Igitur animadverſum eſt in eos a Regibus & Principibus. Quod cum ſentirent monachi, maluerunt blandas voces Pontificis audire, quam ſubeſſe Principibus, idque tantum ſpe impunitatis. Sed creſcente autoritate Pontificis cum durius haberentur, voluere reſiſtere, ſed non potuerunt. Vim monachorum coërcuit Papa, conſtitutis ordinibus mendicantium monachorum. Sec. XIII. duo ordines mendicantium monachorum inſtituti ſunt, duobus autoribus, altero Dominico Hiſpano, altero Franciſco Italo, qui ſunt Principes mendicantium. Erat clerus ſcil. Epiſcopi contemtui apud omnes, item monachi, propter impietatem. Fecit igitur mendicantium monachorum ordines condi, qui accepere exemtionem ab omni jurisdictione Epiſcoporum. Hi in magna erant autoritate; quod ſtudia philoſophica tractarent diligenter, & pietatem præ ſe ferrent ſingularem, mendicando victum quærentes. Regnarunt re vera in animis hominum propter illam hypocriſin. Incredibile eſt, quantum potuit Papa per illos monachos, qui toti erant devincti Pontifici, & in opinione pietatis erant. Generales horum duorum ordinum vivunt Romæ ad nutum Papæ. Horum monachorum fuere immania agmina per Europam univerſam, & per hos potuit domare refrenes Epiſcopos & veteres monachos, præſertim cum viverent in contemtu Laicorum.

Nihil magis nocet imperantibus, quam contemtus quod etiam clero iſti accidit: omnis enim populus reliquus monachos, clericos faſtidiebat, hos vero ſuſcipiebat. Re vera incredibile robur ſuæ monarchiæ in his Papa habuit. Ceterum, ut omnia ſubeunt mutationem, ita & horum probitas ſimulata deferbuit, & alacritas ſtudiorum. Quapropter ſingulari beneficio Pontificum factum, ut oriretur ſocietas Jeſuitarum, quæ oppreſſit monachos reliquos. Hi licet molliter vivant, curant tamen educationem juventutis, & ſunt in magna opinione doctrinæ, & addicti Papæ: hinc jam ſunt pro columna monarchiæ papalis. Superiori vero ſeculo, antequam orirentur Jeſuitæ, parum abfuit, quin collabaſceret papalis monarchia; quia monachi de romano Papa deſperarent. Hi vero ſuſceperunt omnia placita romanæ curiæ defendenda, unde magna vis in eis eſt ſita. Videmus, quanta ſit vis ſuperſtitionis, & plus in ea vis eſt romano Pontifici, quam in armis. Verum videntur amiſſuri eſſe ſuam autoritatem Jeſuitæ, quod luxui ſe dedant & otio, & foveant abſurdas opiniones, præſertim in ſua theologia morali. Hinc etiam ſordent multis Pontificibus. Hinc etiam clerus gallicanus & belgicus publice damnarunt horum doctrinam, & quantum intelligo, romanenſes valde ſunt ſolliciti, quid agendum, cum Jeſuitarum autoritas collabaſcat.

Laicos quod attinet, inter eos primo loco ſunt Reges & Principes. Cumprimis laboravit Papa, ut Principes ſibi ſubjiceret. Cujus rei initium fecit in noſtris Imperatoribus, quos male mulctavit, ut deſperabundi adorarent Papam, cum antea Pontifex illos adoraſſet. Quod Deus permiſiſſe videtur, vindicandi ergo eorum impietatem, cumprimis cum illi curam religionis abjeciſſent, & ad ſolum clerum rejeciſſent. Eſt enim officium Principis, etiam religionis curam habere: Sed hi paulatim totos ſe dedere ſecularibus curis, quod non potuit non Deo eſſe inviſum. Igitur Deus paſſus eſt, quod ſub ſpecie ſacrorum, quorum curam abjeciſſent, redacti ſint in ſervitutem Paparum. Principes enim ignari ſacrorum, & ignorantes omnis religionis, quodvis ſibi paſſi ſunt perſuaderi, & eripi poteſtatem circa ſacra. Hinc paulatim ſubditi cœpere dementari a Pontificibus, imprimis anathemate, poſtquam populo perſuaſa fuit anathematis vis, quod in communione tolerandi non eſſent, anathemate percuſſi. Sed poſteaquam nimis frequenter Pontifices anathematibus animadvertiſſent in Principes, factum eſt, ut rariſſime ullam vim habuerint, quod animadvertiſſet populus, fulmina Pontificis eſſe tutelam improbi dominatus. Contra tamen fulmina illa etiam ceſſere Papæ in magnum commodum, quod Papæ potentioribus dederant poteſtatem rapiendi bona eorum, quos anathemate percuſſerant. Principes enim ſæpe ſtudent ſua bona augere, nullum autem habent jus. Igitur Pontifices eam multis Principibus & Regibus dedere poteſtatem eripiendi aliis bona, quos anathemate percuſſerant. Hac ratione ſubjicie-

jiciebant ſibi Reges & Principes ea bona, & aperte agnoſcebant romanum Pontificem. Exempla ſuperioris ſeculi ſunt nobilia. Ferdinandus Catholicus per fulmen Pontificium Julii II. accepit jus in regnum navarrenum, cui dudum inhiaverat. Similiter Ferdinandus Catholicus dimidiam partem orbis incogniti occupandi jus accepit ab Alexandro VI. Itidem ſuperiori ſeculo Philippo, Regi Hiſpaniæ, Papa dederat regnum Angliæ, quamvis nihil haberet juris in illud. Interim, ſi illud occupaſſet, putaviſſet, ſe ſummo jure hoc poſſidere. Sed ſimulac ſub jugum ita miſere Principes, duriſſime eos tractarunt. Sed paulo poſt vindicarunt ſuam autoritatem, nec ejus monarchiam ulterius ferunt, niſi in quantum ipſis eſt utile. Antehac, magna erat autoritas Pontificum apud Principes, propter *diſpenſationem* (a) in matrimoniis prohibitis. Hanc diſpenſationem ſibi reſervarunt Papæ, ut haberent, quo devincerent ſibi Principes. Et multum ſane in eo potuerunt Papæ ſuperiori ſeculo. Henricus IX. Angliæ Rex, cum ſatietas eum caperet uxoris, & vellet abſolvi ab ejus conjugio, tanquam illegitimo; ob metum vero Caroli V. non auderet Papa ipſius votis accedere, ille impatiens amoris, nuncium miſit Papæ, quem ante unice colebat ſpe abſolutionis a matrimonio. Verum hodie Reges & Principes hoc non multum curant; norunt enim diſpenſationem Pontificis, quomodo hactenus diſpenſaverit. Igitur dicis cauſa tantum quærunt diſpenſationem: Uti nuper factum eſt a Rege Galliæ, cum contraxiſſet matrimonium cum filia Regis Hiſpaniæ. Contracto enim jam tum matrimonio, diſpenſationem petiit, dolente Pontifice, quod rem tam ſeriam in poſtremum rejeciſſet tempus.

Præterea Reges & Principes hodie non admittunt Papæ leges, ſed eas tanquam ſuas promulgant. Secundum curiæ romanæ dogma quidem ſufficit, legem promulgatam Romæ in arce Campi Flori, eamque putant ſufficere ad obligandos omnes, ſed Principes hoc nihili faciunt, non Principes Germaniæ, non Imperator, nec Rex Galliæ vel Hiſpaniæ. Si enim Papa velit legem ibi promulgari, volunt prius mitti in provincias & ſuo arbitrio deferri, num velint legem obſervatam nec ne. Nulla lex Pontificis valet in Hiſpania, cui non ſubſcripſit Rex. Curant etiam inſeri illis, non eſſe latas autoritate Papæ, ſed auctoritate Regis. Non ita pridem Salgado, Hiſpanus quidam, ſcripſit librum de non admittendis bullis Pontificum, niſi requiſito conſenſu Principum & Regum. Damnatus eſt liber in indice expurgatorio. Eſt elegans liber. Ne quidem in Germania index prohibitorum librorum ullius eſt autoritatis. Ex Pontificiis nonnullis intellexi, rem ita ſe habere. Neque in Gallia ullam habet autoritatem, niſi fortaſſis aliqui valde ſuperſtitioſi, illam curent.

Quotannis Papa ſolet edere bullam in feſto S. Cœnæ, qua plurimos anathemate percutit, non ſolum nos hæreticos, ſed & alios, quam ſi interpretari velis, neceſſe eſt, ut etiam multi Reges pontificii feriantur. Sed illa bulla nihil valet in Germania. Eſt in proverbio, bullas Pontificum non tranſire Alpes. Jus ſibi vindicant Pontifices, cauſas pertrahere Romam, ſed in pauciſſimis locis id admittitur. De utroque hoc argumento, hoc eſt, de non admittendis bullis Pontificum ſine conſenſu Principum, & de non revocandis cauſis a reliquis judiciis, edita ſunt capita duo, curante Numa Sedulio. Edita una ſunt cum bulla Innocentii X. Papæ contra Janſenium. Nunquam vidi eo in argumento tam eruditos libros. Detur opera, moneo, ut illos vobis comparetis, cum nobis cum Pontifice maxime ſit confligendum. Similiter notum, licet Papa conſtituendorum Magiſtratuum omnem poteſtatem ad ſe voluerit trahere; obtinet tamen id hodie in pauciſſimis locis. Sed quod populum reliquum attinet, qui eſt ſuperſtitioſus, apud illum multum valet Papa; qui talis non eſt, non curat eundem. In ipſa Italia, apud paucos tantum eſt reverentia Papæ.

Potuit tamen multum in animis vulgi laici Papa, permiſſione beneficii abſolvendi a peccatis, & liberandi ex purgatorio, ſive per indulgentias. Papa romanus multos modos habet abſolvendi a peccatis, & animas liberandi ſibi reſervavit. Populus, paulo ſuperſtitioſior, non potuit non eum colere, ratus, quod ex purgatorii flamma ita poſſit liberari. Ante Lutherum Papæ per indulgentias plurimum potuerunt; Poſt eum autem apud ipſos catholicos eviluit omnis eorum autoritas. Hodie pontificii diſerte profitentur, neminem probum, pati mercatum indulgentiarum. Hodieque non ſunt ita lucroſæ indulgentiæ. Hac quidem parte multum adhuc valet Papa, ubi per Jeſuitas & Capucinos poteſt devincere animos hominum. Nulla arma aut robur adeo forte eſt in animis hominum, quam ſuperſtitio. Quamdiu eam foverit, habebit ſe optime. Ubi vero Deus aperuerit oculos hominum, actum erit. Tolle vice-Deatum, & actum erit. Ubi hoc Lutherus profeſſus eſt, Papam eſſe anti-Chriſtum, omnia conciderunt. Nec enim papatus nititur armis, ſed ſuperſtitione. Quantum autem detrimenti paſſa ſit romana monarchia, defectione tot regnorum, intra hos centum annos, patet: regna plurima deſeruerunt, & ubi adhuc eſt in exiſtimatione, cultus ejus multum eviluit. Roget jam quis, an Vicarium talem Deus conſtituerit, nec ne? Conſtitutionem Pontificis quod attinet romani, non ejus alia fuit ratio, quam reliquorum Epiſcoporum, atque adeo ne verbum quidem apparet de conſtitutione Pontificis romani. Quinimo, nec per traditionem, nec per ſcriptum ad nos deductum eſt, Vicarium a Deo eſſe in his terris conſtitutum, aut jus tale cuiquam eſſe datum.

Quemadmodum autem conſtitutio Epiſcoporum, & in ſpecie romanorum, ſe habuerit ad noſtra tempora, poteſtis legere in libro meo, de conſtitutione Epiſcoporum Germaniæ. Initio fuere electi Pontifices non a ſolo clero, ſed a populo romano, per comitia. Deinde vero cœperunt confirmari inſuper ab Imperatoribus, poſtquam illi Chriſto nomen dederunt. Manſit hæc conſti-

(a) *Diſpenſationem*) *PUFFEND. Introduct. p.* 859.

conſtitutio usque ad tempora Caroli M. itemque filiorum ejus. Quum vero grave ſchisma oriretur in eccleſia, ob diſcordantia vota populi, ut ambitus ceſſaret, Henricus III. ad ſe ſolum traxit jus eligendi Pontificem, quod & alii tum Reges factitarunt, ſecluſis omnibus comitiis popularibus. Poſtea Gregorius VII. effecit, ut ne confirmandi poteſtas manſerit Regibus; ſed redierit ſimul cum jure eligendi ad populum. Innocentius V. tandem effecit, ut vitandi ambitus & diſſidii cauſa, ad ſolos Cardinales pervenerit electio, ſub prætextu, quod populus inter ſe non poſſet conſentire de perſona eligenda. Hinc ad paucas perſonas detulit jus eligendi, teſte Onuphrio ad Platinam. Seculo XIII. etiam primores populi fuerunt ſecluſi ab electione Epiſcoporum, & ſolis illa data Canonicis cathedralibus, qui hoc reſpectu revera ſunt Cardinales. Vid. meum proœmium ad electionem Urbani VIII.

Succreſcentibus autem divitiis eccleſiæ romanæ, magnæ turbæ ſunt ortæ circa electionem Paparum; aliquando ob diſſidia aliquot centum in templo ſunt occiſi. Accurate hic legendum proœmium ſupra memoratum, ubi rem accurate trado. Hodie quomodo electio fiat, dicam breviter. Cardinales ſoli jus habent eligendi; latæ ſunt autem leges variæ Pontificum de electione Papæ, quarum nonnullas & jam curavi addi libro de electione Urbani VIII. Ultima autem bulla eſt Gregorii XVI. hac de re ante a. 40. condita. Unum illud, quod tot legibus opus fuerit ad refrenanda vitia circa electionem, docet, quod male ſe geſſerint in electione. Revera autem Gregorius ille egit nihil; æque enim hodie ac olim laborat vitiis electio pontificia, & impoſſibile eſt, ut aliter fiat, ob ſtudium partium & ambitum ingentem. Hodie vero, quemadmodum omnia ſe habeant, diſcere eſt ex variis variorum Pontificum electionibus. Trium ultimorum ego curavi edi hiſtoriam. De Alexandro VII. plenior mea edita deſcriptio Sleſvici, in octavo, curante Viro Nobili, ex cujus morte detrimentum magnum paſſa eſt reſpublica, Levino Nicolao Moltke.

Locus, ubi eligitur Papa, dicitur *conclave*, (a) unde id verbum ſæpe uſurpatur de ipſa electione, ex. gr. de conclavi Urbani VIII. Omnia ibi ambitu & gratia laborare eſt manifeſtum. Obſervandum eſt primo, ſolere inter Cardinales magnas factiones eſſe, & ſic diverſa ſtudia partium. Primo ſolet ſemper factio eſſe, quæ favet defuncto; deinde devincta magnis Principibus, quorum intereſt, Papam eligi, a rebus ſuis non alienum. Sic Rex Hiſpaniæ & Galliæ ſemper habent plurimos Cardinales ſibi faventes. Hinc ſemper eſt factio, quæ favet Pontifici, Hiſpano, Gallo, Venetis, magno Duci Hetruriæ; quia ſcilicet Pontifex poteſt vim exercere magnam ſuæ poteſtatis in ipſis ditionibus horum Principum. Dant igitur hi omnes operam, ut eligatur is, qui rebus ſuis faveat. Porro notandum, quod cognati defuncti, quam maxime credant ſua intereſſe, ne creetur, qui ipſis non faveat; plerumque enim vivis illis Pontificibus res ſuas ſolent agere, & magnas congerere divitias; ne vero opprimantur a ſucceſſore Pontifice, ſtudent, ut creetur favens ſibi Pontifex. Quia igitur hoc modo Collegium Cardinalium eſt ſciſſum in tot factiones, quælibet illarum ſuum habet caput, & qui capita ſunt, reliquos Cardinales regunt. Hoc inde eſt, quia Cardinales multi non adeo ſunt opulenti; Unde annuum accipiunt ſalarium a Regibus, ut ipſis faveant. In nuperrimo conclavi factio nova orta eſt, quæ noluit ſe ita ulli parti devinci, & dicta eſt factio volans; quod ſcilicet modo huc, modo illuc circumvolitarit. Impetrarunt etiam magni Reges hoc in conclavi, ut non temere liceat quemquam eligere, quem jam tum excluſerint illi. Ita Hiſpanus, ita Gallus nominatim quoſdam, ut indignos, ſolent excludere, ne eligantur Pontifices. Scilicet eſt ipſis jus & votum hoc in conclavi, non quidem electivum, ſed excluſivum. Ante biennium de hoc argumento editus eſt liber, per quam accuratus, Haſpani Gabrielis a Daxzo. Poteſt is liber commode addi hiſtoriis meis electionum, & eſt profecto ſcriptum præclarum.

Quid autem ſoleant Cardinales quam maxime ſpectare in eligendo Pontifice, facile apparet. Ante 100 annos liber Franciſci Lottini præclarus ſcriptus eſt, ubi docet, quibus artibus quis Pontificatum in conclavi poſſit obtinere. Hunc ego addidi hiſtoriæ electionis Urbani VIII. pag. 122. Ibi habet, quod ſpectent in eligendo Pontifice, non peritiam Theologicam, non pietatem, ſed liberalitatem & effabilitatem, & hujus generis alia. Ætatem etiam ejus ſolent attendere, ut ſcilicet ſit ſenex, moribundus &c. Juvenis vix ſolet eligi in Papam, ut eo ſæpius reiteretur electio. Dolent vehementer omnes, ſi Papa diu vivat. Nihil eorum vitiorum, quæ ſolent alias reperiri in electionibus aliorum Epiſcoporum, ſolet abeſſe a comitiis Pontificum eligendorum. Pertinent huc Ciceronis verba: quod fretum tantos habeat euripos, quot comitia. Vitia illa omnia in ſummo gradu reperiuntur in Electione Pontificem, unde nupera electio duravit per integrum trimeſtre. Vel hinc unice apparet, Pontificum eſſe Vice Deum.

Cumprimis ad devincendos animos uſi ſunt Papæ hoc inſtrumento; quod ſe & ſacra ſua accommodaverint ad ingenia omnium. Bona pars hominum voluptatibus dedita, alia lucro, alia honoribus, alia probitati. Hiſce omnibus poteſt ſatis fieri ex ſacris pontificiis. Qui aſpirant ad honores & divitias, eo non veniant, niſi Papam habuerint faventem, & demereant ſibi curiam romanam obſequio. Papa enim poteſt quem juvare ad honores maximos. Antehac quidem magis hoc poterant, cum collationem epiſcopatuum ad ſe ſolos rapuiſſent Pontifices; hodie in multis epiſcopatibus tantum habet confirmationem Pontifex, quam tamen ut impetret, opus eſt favore curiæ. Secundo accedit, quod hodie etiam multorum Canonicatuum collationem habeat Papa, præſertim in Italia; Igitur multi operam dant, ut curiam habeant fautorem. Quod cano-

(a) *Conclave) Curieuſe und vollſtändige Reiſe-Beſchreibung von gantz Italien, 10. Brieffe.*

canonicatus attinet, habet poteſtatem conferendi eos abſolutam in Italia, in Germania habet ſuos menſes papales, quibus menſibus, ſi quis moritur, poteſt Papa aliquem ſubſtituere. Præterea notandum, quod ii, qui aſpirant ad epiſcopatum, debent ſibi favorem aulæ comparare; quia multi accedunt ad epiſcopatus, non ſalvis canonibus, ſc: per poſtulationem, aut alio modo, & hic opus eſt gratia curiæ. Solet etiam Papa ab Epiſcopis, Archiepiſcopis & Abbatibus exigere annatas i. e. unius anni, vel dimidii anni fructum. Hoc multis Epiſcopis valde eſt grave. Ne igitur Papa exigat integras annatas, opus eſt favore Curiæ. Reges & Principes, dum volunt ſuam dilatare potentiam, in illis, in quibus nihil habent juris, neceſſe *habent* (a) impetrare diſpenſationem Pontificis, ut jure id faciant. Porro, quia de Epiſcoporum & ArchieEpiſcoporum bonis ſolent oriri controverſiæ, quæ exemtæ a judiciis ſecularibus deferuntur ad romanam curiam hic iterum opus eſt gratia Pontificis. Hic modus igitur, de vinciendi ſibi homines, eſt ampliſſimus. Si vis pecuniam facere, nusquam divitiora ſunt officia, quam in curia romana: & quidem ubivis talia habet Pontifex romanus. Horum cauſa comparanda eſt romanæ curiæ gratia. Notum eſt, etiam alios honores, qui pendent a Pontifice, ut Epiſcopatus, eſſe lucroſiores. Hic hamus quoque multos poteſt capere, & eos retinere *in obſequio romanæ curiæ.* (b) Huc facit etiam, quod curia romana ſæpe diſpenſet in iis, quæ ſpectant ad forum pœnitentiale, ubi alias multum *pecuniæ eſt expendendum;* (c) hinc etiam gratia papalis obtineri debet per obſequium.

Sacra pontificia *voluptatibus inſerviunt.* (d) Voluptates quidem habentur pro peccatis in curia Romana ſed quia hic facile poteſt impetrari venia peccatorum, non poſſunt non homines teneri in voluptatibus & peccatis. Olim in primitiva eccleſia abſolutiones fuere difficillimæ impetratu, quia tota diſciplina eccleſiaſtica vetus erat *aſpera.* (e) Aſt hæc, quæ ſunt dura, mutata ſunt apud pontificios in mulctam, & quidem levem. Et ita hæc ſunt incitamenta ad peccatum quemadmodum omnis indulgentia ſolet corrumpere mores hominum. Igitur etiam hoc juvat ad Pontificis Majeſtatem tuendam, quia Pontificem & hic oportet habere faventem; alias enim non adeo facilis eſſe ſolet in indulgendo. Cultoribus aſperæ pietatis & virtutis etiam eſt incitamentum ad virtutem; vita monachalis enim præ aliis laudatur, & omnis durior vita. Nec laudatur tantum aliquis propter duram vitam, ſed etiam poſt vitam refertur *in numerum ſanctorum.* (f) Nihil tale apud nos eſt; qui id affectant, quærunt illud apud pontificios. Hi modi faciunt ad monarchiam papalem ſtabiliendam; quia enim ad hoc adſpirant, non poſſunt non amare romanum Pontificem.

Nunc videndum, quomodo Papa res ſuas adminiſtret; igitur de Miniſtris erit agendum, quorum præcipui ſunt Cardinales. Hi ſunt in *duplici.* (g) differentia: alii enim ſunt Cardinales Epiſcopi, alii Cardinales Diaconi, licet *dignitate non differant.* (h) Jam olim Diaconi Ro-

(a) *Habent*) Ejusmodi diſpenſationem Henricus II. Angliæ Rex ad occupandum Hiberniæ regnum, Hiſpaniæ vero & Portugalliæ Reges ad occupandam Indiam olim a Pontificibus obtinuerunt, quod miratus Atabalipa Rex Peruaniæ dixiſſe fertur; quid hominis eſſet Papa, qui ſic daret non ſua; aliusque Indorum Rex, cum ei Pontificis gratia denunciaretur, ſi Chriſtianam fidem amplecti vellet, mox riſu excepit, & Pontificem mirum hominem eſſe dixit, qui de alienis tam liberalis eſſe vellet. vid. Genebrardum in Chron. ad ann. 1569. Petrum Maphæum *lib. 1. hiſtor. Indic. p. 15.*

(b) *In obſequio curiæ romanæ*) Experientia veterum æque ac recentiorum temporum paſſim docuit, ejusmodi emolumentis multos allectos fuiſſe, ut mox omnia decreta Pontificis approbaverint, qui in ſententia ab iisdem antea erant diverſi, quod vel ſolæ controverſiæ Janſeniſticæ in Gallia & Belgio agitatæ non uno exemplo comprobant.

(c) *Pecuniæ eſt expendendum*) De quibus expenſis conſulendæ taxæ quædam pœnitentiariæ, quæ olim Lutetiis Parıſ. Venetiis & Coloniæ excuſæ non ſine ſcandalo prodierunt, adeo, ut ipſe Pontificius *CLAUDIUS ESPENCÆUS comment. in epiſt. ad Titum c. 1. Opp. p. 479.* de iis conqueſtus palam profiteatur, plus ex iis ſcelerum diſci poſſe, quam ex omnibus vitiorum ſummiſtis & ſummariis, & plurimis quidem licentiam, omnibus autem abſolutionem, & quidem emturientibus propoſitam; quanquam hodierni Pontificii ejusmodi Taxas vel diſſimulare, vel ſubleſtæ fidei accuſare ſoleant. Vid. *VOETIUM Tom. II. diſput. ſelect. p. 296.* Annexa eſt talis taxa libro, quo exponuntur cauſæ, quare ſtatus A. C. addicti non poſſint Concilio Tridentino intereſſe; aliique paſſim de ea docent, uti *DAN. FRANCUS disquiſit. Academ. de Papiſtarum Indic. librorum prohibit. p. 115. 116. D. FRID. ULRIC. CALIXTUS in diſſ. de Indulgentiis p. 55. MAINIXIUS in Apiario Imperii romani p. 127. MAJOTI dies caniculares p. 110. FRANCISCI ALBANI Anatomia Pontificia p. 162. 163.* Unicum vero ſufficiat exemplum criminis ſodomitici taxati nonaginta Turonenſibus & 12. Ducatis, additis 6. Carolinis.

(d) *Voluptatibus inſerviunt*) Samuel de Puffendorff in Jure feciali divino p. 39. 40. ſſ. in ſacris Pontificiorum, ſuperficiariam proinde arguit religionem, ab eaque ſolidam diſtinguit, cujus cum ſacro codice perpetuus labor eſt, circa eam opinionem animis hominum eradicandam, quaſi ad cultum divinum qualescunque actus externi ſufficiant, niſi interna animi purificatio acceſſerit.

(e) *Vetus erat aſpera*) Non enim niſi poſt plures demum annos variosque pœnitentiæ gradus, lapſis reditus ad communionem Eccleſiæ concedebatur, ſecundum vero adulteri, ſcortatores aut apoſtatæ, eo quod fidem ſemel datam fefelliſſent, non amplius recipiebantur, qui rigor ſeverior quidem videri poſſit alicui, niſi id cogitetur, fuiſſe primis illis temporibus neceſſarium, ut in lapſos durius animadverteretur propter gentiles; qui vel prorſus non plectebant ſcelera, uti ſcortationem ſimplicem, vel ad idololatriam alios invitabant præmiis & cogebant ſuppliciis.

(f) *In numerum ſanctorum*) Creditur quoque, eum in finem tot ordines religioſos in papatu eſſe inſtitutos, ut primi eorum autores in ſanctorum numerum referrentur, quamvis id illi ſub prætextu humilitatis diſſimularint. Alii ejusmodi vitam auſteriorem eligunt, vel ex ſpe expiandi ante acta peccata, vel etiam ex deſperatione quadam vitæ melioris.

(g) *In duplici differentia*) Alius gradus & ordo Cardinalium triplex eſt: alii enim ſunt Epiſcopi Cardinales, alii Presbyteri, alii Diaconi. *Eugenius IV. conſtit. 15. §. 5.*

(h) *Licet dignitate non differant*) Nimirum ratione ferendi ſuffragii in electione Pontificis. Cæteroquin Cardinales Epiſcopi præcedunt Cardinales presbyteros, hi Diaconos. Inter Epiſcopos præcedit, qui antiquior eſt in ordine Epiſcopali, inter Cardinales vero Presbyteros & Diaconos præcedunt, qui primi ad purpuram ſunt promoti, ita ut Cardinalis Diaconus, poſtea Presbyter factus, præcedat omnes presbyteros, qui poſt eum Cardinales creati ſunt. Vid. *HUNOLDI PLETTENBERG notitiam congregationum & tribunalium curiæ romanæ §. 6. p. 20. 21.*

Romani multum ſibi vendicarunt, improbante Hieronymo in *aliqua oratione.* (a) In Hiſpania etiam obtinuit nomen Cardinalium apud Canonicos & Epiſcopos *toleſanos.* (b) Numerus illorum ex *conſtitutione Sixti V.* (c) poteſt pervenire ad 70. Sixtus V. conſtituit numerum illum ad exemplum Chriſti, qui tot habuit diſcipulos. Antehac nunquam tot fuere Cardinales. Hi re vera ſunt proximi poſt Pontificem, & a *multis dubitatur*, (d) anne hi etiam participent de ſpirituali regimine: multi enim putant, Papæ non licere, anathemate percutere aliquem, aut ſententiam theologicam approbare, absque illorum conſenſu. *Rogari de talibus* (e) eos, certum eſt. In ſacris autem de doctrina tali ne γϱὺ quidem reperitur. *Origo Cardinalium* (f) eſt incerta. Exſtat liber Pamphinii de origine Cardinalium. A *temporibus Caroli Magni* (g) magna jam tum fuit eorum autoritas; ſed quo tempore fuerint inſtituti, incertum. Sec. 5. jam tum Romanis ſacris affuere Cardinales; non *quidem ita veſtiti*, (h) ut nunc ſunt, interim tamen re vera fuere Cardinales.

Hi ſunt, qui adhibentur ad omnes deliberationes tam ſacras, quam profanas magni momenti. Et hac ratione Monarchiam papalem nonnihil oligarchia temperatam dixeris. *Præcipua illorum dignitas* (i) in eo conſiſtit, quod habeant jus eligendi Papam; hinc inſignis eorum eſt autoritas. Habent illi poteſtatem eligendi, adminiſtrandi rempublicam & ita præ omnibus aliis eminent. Ad hanc eminentiam Cardinalium juvat Pontifex. Tempore Urbani VIII. diſputatum acerrime & conſultatum, de *commodo titulo Cardinalium.* (k) Antea dicti erant Illuſtriſſimi, qui titulus eſt valde vulgaris in Italia, eſt homines nullius ferme dignitatis eo uti ſolent. Inventus eſt tandem titulus Eminentiæ. Edita eſt ſingularis bulla de hac re. Noſtri Epiſcopi & ArchiEpiſcopi in Germania, præſertim Electores, ſibi etiam vindicarunt hunc titulum, nec Cardinalibus volunt *eſſe inferiores.* (l) Sixtus V. ſingulari bulla caverat, ut æquipararentur Regibus, nec cederent iis: ſed illa nusquam fuit recepta, utpote cum Cardinales longe inferiores Regibus exiſtimentur. Sixtus V. etiam hoc egit, ne Cardinales ſervirent Principibus & Regibus. Idem egit Innocentius X. ſed fruſtra, cum nonnulli Cardinales non habeant ſatis, unde vivant. Et hinc magna & lucroſa obeunt munera apud diverſos Reges, uti Cardinalis Richelieu & Mazarini fecerunt. Solent autem omnibus Cardinalibus proventus aſſignari a Romano Papa, qui vero *non ſunt ſufficientes* (m) tam ſuperbo ſtatui. Igitur illis proſpicit de aliis proventibus, ſeu beneficiis; & quo quis faventiorem habet Pontificem, eo plura accipit ab eo beneficia. Papæ autem laborant, ut ſuos *agnatos diteſcant*, (n) ut Cardinales ſibi babeant devinctos. Hinc Papa,

(a) *In aliqua oratione*) Rectius *in epiſtola* 83. *ad Evagrium. Audio quendam &c.* In qua Hieronymus arguit Urbicum quendam, qui ex Falcidii improbaris ann. 314. a Concilio arelatenſi can. 18. placitis, Diaconos Presbyteris ante ferendos prounnciaverat.

(b) *Obtinuit nomen Cardinalium apud Canonicos &c.*) In libro officiorum Theodoſii, Cardinales etiam appellati ſunt præfecti prætorio aſianæ diœceſeos, & præfectus Africæ, quod majores cæteris eſſent, & *BARBATIA in tract. de præſt. Card.* olim in quacunque Eccleſia principales ſacerdotes vel Epiſcopos, Vicarios, Canonicos & ſimiles Cardinales appellatos tradit. Vid. *LANCELLOTTI CONRADI templum omnium judicum p.* 690.

(c) *Ex conſtitutione Sixti V.*) Cardinalium numerus in jure determinatus non reperitur, ſed in arbitrio Pontificis perſpecta Eccleſiæ neceſſitate reſidet. Hinc ab antiquis temporibus vel minor, vel major fuit. Cum vero Leo X. Paul. IV. & Pius IV. numerum hunc nimis extenderent, ita ut ſub ultimo Pontifice Cardinales exiſterent 76, tandem Sixtus V. *conſtit.* 50. *Poſtquam verus*, numerum 70. definivit exemplo 70. Seniorum Moyſi adjunctorum, adeo ut ſi unum vel plures poſtea ultra numerum eligi in Cardinalem contigerit, ejusmodi electionem nullam irritam & inanem fore & cenſendam eſſe decreverit; qui tamen numerus non ſemper æquandus eſt, ſi pauciores ad munera peragenda pares ſint. vid Plettenberg. l. c p. 14. 15. Chriſtiani Funcii appendicem Breviarii hiſtorico Politici de notitia curiæ romanæ p. 74.

(d) *Et a multis dubitatur*) Spectant ejusmodi quæſtiones & controverſiæ ad Scepticismum eccleſiæ romanæ, de quo *Joh. la Placette* peculiari tractatu plura alia annotavit;

(e) *Rogari de talibus*) Sunt enim quaſi ſenatus eccleſiæ romanæ, & in regimine aſſiſtunt ſummo Pontifici. Unde & ejus collaterales, coadjutores, Principales aſſeſſores, conſiliarii & in executione principalis officii cooperatores in jure canonico dicuntur.

(f) *Origo Cardinalium*) Extat de ea liber gallicus. Traite de l' origine des Cardinaux du Saint Siege & particulierement des Francois, avec deux Traites curieux des Legats a Latere. Colon. 1669. 12.

(g) *A temporibus Caroli M.*) Ille enim Cardinales compellavit reverendiſſimos Clericos, eosque ampliſſimi Senatus ſui dignitatem babere cæterisque dignitatibus imperialibus ornari, peculiari edicto voluit.

(h) *Non ita veſtiti*) Etenim ante Innocentium IV. qui primus eis anno 1244. rubrum galerum tradidiſſe dicitur, Cardinales babitu uſi reliquis Presbyteris uſitato, qui acceſſit ad habitum monachalem

(i) *Præcipua illorum dignitas*) Sede etiam vacante regunt Eccleſiam, iique ſoli legatione funguntur apoſtolica, plurimisque aliis gaudent privilegiis, e. g. quod non teneantur regulis Cancellariæ, liberent obvios reos ad ſupplicium ducendos, nec ab eorum ſententia appellatur, &c de quibus vide *PLETTENBERG pag.* 39. 40. *LANCELLOTUS Conradus l. c. p.* 699. 700. *ſſ.*

(k) *De commodo titulo Cardinalium*) Olim Venerabiles, nec non Reverendiſſimi dicti ſunt, poſtea etiam illuſtriſſimi, Urbanus VIII. autem iis anno 1650. d. 10. Jun. in Conſiſtorio ſecreto eminentiæ titulum tribuit.

(l) *Eſſe inferiores*) Cardinalium quosdam olim tantam ſibi præ epiſcopis eminentiam vendicaſſe, ut eos loqui ante ſe genu flexos & in menſa ad manus lavandas mantile miniſtrare voluerint, notat *autor ſacrarum ceremoniarum ſive rituum eccleſ. ſancta romana eccleſia lib.* 3. *cap. de reverentia Epiſcoporum erga Cardinales.* allegatus in libro: *Traite de l' origine des Cardinaux p* 140. 141. obſecrans ideo Cardinales in charitate Dei, ut importunas hujusmodi adulationes rejiciant, & cogitent, ſummum Pontificem non alio titulo, quam Epiſcopali decorari, neque ei Epiſcopum, ſed Capellanum auditorem Rotæ mantile miniſtrare. Cæterum quam temere Cardinales Electoribus S. Romani Imperii nolint cedere, *JOH. FREINSHEIMIUS Diatriba V. de ſacri Romani Imperii Electorum præcedentia* aliique fuſius demonſtrarunt.

(m) *Non ſunt ſufficientes*) Ultra mille & quingentos ſeu bis mille ordinaria Cardinalium penſio non excurrit. Non ſufficeret hæc ſane tantæ dignitati, niſi penſiones beneficiorum ac prælaturarum, uti & donativa Regum accederent.

(n) *Agnatos diteſcant*) Legatur hac in re *NEPOTISMUS ROMANUS*, i. e. *hiſtoria de ratione ſtatus Pontificum Rom.* italice primum, deinde latine reddita.

Papa, quando creat Epiſcopum, ea hoc facit conditione, ut tantum partem proventuum capiat, reliqua vero concedat illis, quibus illud Papa vult donare. Hæc donat Papa agnatis, ut ſibi devinciant Pauperes Cardinales; Hinc hi Regios proventus accipiunt, v. g. ſi Epiſcopatus proferat quotannis 30000. thalerorum, Epiſcopus accipit 10000.

Quod attinet Electionem Cardinalium, *Cardinales eliguntur* (a) a Pontifice, in pleno conſeſſu Cardinalium & hac in re 4. obſervantur modi, quibus quis poſſit pervenire ad cardinalitiam dignitatem: (1) ut proxima cognatione ſit Papæ junctus: ſimulac enim Pontifex aliquis eſt factus, de extollendis ſuis cognatis *laborare ſolet.* (b) Alexander VII. initio arcuit omnes cognatos a Curia romana; ſed mox mutavit ſententiam, & duos Guiſeos in Cardinalium numerum recepit. (2) modus eſt, ut quis fuerit bene meritus de curia Romana: his enim, ſi valent prudentia, ſolet conſerri Cardinalitia dignitas. Hinc Nuncii ſolent plerumque evehi ad Cardinalitiam dignitatem. Et hac ratione hic Alexander pervenit ad Cardinalitiam dignitatem: (3) modus eſt, ut quis ſingulatim ad id commendatus ſit a magnis Regibus, quorum in curia Romana eſt in ſignis autoritas. Ut Papa habeat ſibi devinctos Reges, ſponte ipſis concedit, ut illi aliquem ſuorum ad cardinalitiam dignitatem evehendum laudent curiæ Romanæ, aut Papa ipſe aliquem eorum eligit, & creat. Quod jus jam Reges longa conſuetudine ſibi quæſiverunt. Hac ratione multi fiunt Cardinales, invito etiam Pontifice, ut retineat ſaltem favorem Regum. Sic Cardinalis Mazarini, Richelieu commendatione Regis Galliæ, Cardinalis *de Harrach*, (c) de Haſſia, commendatione Imperatoris huc pervenerunt. (4) ut grandi pecunia quis evehatur ad hanc dignitatem. Fit hoc duplici modo: alius fit cum aperta ſimonia, donata ſc. Pontifici ingenti pecunia. Officia curialia ſolent emi Romæ, alia majori, alia minori precio, quædam cariſſimo, quæ ſcilicet maxime ſunt lucroſa, ut ſunt, quæ verſantur circa cameram curiæ. Solet hinc quoque Pontifex, ut quæſtum faciat, eos, qui diu præfuerunt cameræ, eligere Cardinales, ut illa officia iterum pateant aliis. Hic modus eſt hodie vulgatiſſimus. Ex 5. talibus creatis 200000. Ducatorum lucratur Pontifex. Reliqua, quæ de Cardinalibus dici poterant, videre poteſtis in ſtatera Cardinalium, libro italico, verſo deinde Galliæ belgice & Germanice, qui multa habet, de diverſitate Cardinalium, qui intra hos 10. annos vixerunt.

Addendum nunc, quomodo res Romæ gubernentur, ut talis Monarchia conſervetur. Eſt libellus, editus in Batavis 1609. ex italico verſus brevis, cujus ego nunc ductum ſequor. Libelli titulus eſt: *dat Hoff von de Pauſſ.* Quia Monarchia papalis eſt vaſtum imperium, indiget accuratis conſultationibus, ut tantæ Monarchiæ negotia prudenter adminiſtrentur. Quod etiam faciunt, dum omnia vocant ad conſilium, ut alias fit in optimis rebuspublicis. Quia vero etiam in hac republica plura negotia peragenda veniunt, hinc, pro diverſitate negotiorum, diverſa ſunt collegia. Non enim in uno collegio de omnibus negotiis agi poteſt. Primarium autem collegium dicitur conſiſtorium, quod conſtat ex Papa capite, & Cardinalibus omnibus, Romæ tunc præſentibus. Secretarii præſentes non habent ſuffragia. Papa autem ſolet aut ipſe proponere, aut per alium, quid ſit agendum in potiſſimis negotiis, non vero in minutis, quæ huc non veniunt. Tempore brumali ſemel ſolet convocari tale Conſiſtorium, ſingulis hebdomatibus. Æſtivo vero tempore, ſemel, ſingulis 14. diebus propter æſtum intolerabilem, unde eo nomine negotia plura hieme ibi ſolent expediri. Et hoc *fit ordinarie.* (d) Extraordinarie plura indicantur Conſiſtoria. Papa autem nihil agit abſque conſenſu Cardinalium, hinc decreta Conſiſtorii manu Cardinalium ſubſcribuntur. Hinc videmus mixtionem inter Monarchiam & Oligarchiam.

Alterum dicitur: *ſignatura di gratia*, (e) hoc conſtituitur ex Delegatis & quidem delegatis Cardinalibus ab ipſo Papa. Præſertim autem huic collegio interſunt Cardinales, interdum alii, quos Papa vult illis adjungere. Illud tamen collegium *qualibet hebdomade* (f) ſemel inſtituitur, magis Papa præſente quam abſente, interdum etiam Papa abſente. In hoc agitur de iis, quæ dependent a gratia Pontificis in magnis negotiis, & confirmantur ſigillo papali. Si ſc. Epiſcopatus conferendi, nova privilegia concedenda.

III Dicitur ſopra Veſcovi *e regulari.* (g) In eo agitur de iis, quæ pertinent ad Archi-Epiſcopos, Epiſcopos, & Regulares, h. e. Monachos. Huic non ſolet proxime intereſſe Papa, ſed ejus delegati, præſertim Cardinales, quorum maxima eſt autoritas, licet Aſſeſſores, peritia rerum ſæpe ſuperent. Non quidem ad modum judicii, ſed ad modum deliberationis eſt hoc politicum

ſcopos

(a) *Cardinales eliguntur*) De electione & promotione Cardinalium præſentium & abſentium pluribus agit *Tableau de la cour de Rome. p.* 389. *ſſ.*

(b) *Laborare ſolet.*) Hunc Nepotiſmum, quem vocant, primus induxit Sixtus IV. quem ſecuti alii Pontifices.

(c) *Cardinalis de Harrach.*) Erneſtus Adalbertus de Harrach. vid. de eo *la giuſta ſtatera de' Porporati p.* 89. Alteri Frederico de Haſſia Cardinali Landgravio magna acceſſio per epiſcopatum Vratislavienſem & ſupremam Sileſiæ præfecturam facta fuit

(d) *Ordinarie*) Ad ordinaria conſiſtoria ſoli Cardinales admittuntur eaque ſecreta etiam appellantur. Ad extraordinaria autem præter Cardinales quoque Prælati & Miniſtri ac Principum oratores admittuntur, eaque proinde publica dicuntur, de quibus omnibus vide *PLETTENBERG p.* 127. *ſſ.*

(e) *Signatura di gratia*) A Pontifice petuntur, quæ ſunt gratiæ & juſtitiæ. Ideo inſtituta eſt ſignatura gratiæ & juſtitiæ. vid. de utraque Plettenberg p. 296. 302.

(f) *Qualibet hebdomade*) Habetur hæc congregatio, teſte Plettenbergio §. 6. p. 298. bis in menſe feria tertia tempore matutino, ideoque indicitur die Dominico, ut die Lunæ intermedio informari poſſint Prælati votantes.

(g) *E regulari*) Inſtituta eſt hæc congregatio a Sixto V. ſub initium Pontificatus ſui, vid. *Tableau de la cour de Rome p.* 288 *ſſ. Plettenberg. p.* 695.

judicium, in quo judicantur ea, quæ in talibus cauſis noxia & utilia ſunt curiæ romanæ. Cauſæ alias agitantur in judicio Rotæ, cujus Aſſeſſores dicuntur Auditores.

Quartum dicitur *del concilio.* (a) Id collegium itidem conſtituitur maxime ex electis Cardinalibus. Ordinarie intra 14. dies ſemel conveniunt. In hoc agitantur omnes cauſæ, quæ ſpectant ad concilium tridentinum. Si forte quæſtio ſit de ſenſu canonis tridentini, aut de diſpenſatione, ſi quando contra illa ſit agendum. Concilium autem tridentinum ipſis pro norma alias habetur, in eo, quid noxium ſit romanæ curiæ, quid non.

Quintum dicitur del eſſamine de Veſcovi, hoc eſt, collegium *examinis Epiſcoporum.* (b) Electio Epiſcoporum raro hodie eſt penes Pontificem, ſed confirmatio. Uti in Germania, jus eligendi Epiſcopos, eſt penes Canonicos. Si igitur electus quis ſit in Epiſcopum, tum Papa inſtituit examen, non eruditionis, non *probitatis,* (c) ſed tale, utrum poſſit hic conducere curiæ, nec ne, utrum ita ſe geſſerit ante, ut poſſit eſſe curiæ ſuſpectus, nec ne. Licet enim quis ſit electus, ſi noxius eſt curiæ, rejicitur, uti factum eſt nuper Petro de Marca, electo Archiepiſcopo toletano, quia inviſa curiæ dogmata tradidit.

VI. Dicitur del ſanto officio, hoc eſt, collegium inquiſitionis. Hoc primus inſtituit *Pius IV.* (d) qui fuit in ea ſententia, quaſi inquiſitio eſſet primarium inſtrumentum conſervandæ autoritatis papalis: maxime adverſus nos inſtituitur, ſi quis Romam pervenerit. Quicunque accuſantur hæreſeos, illorum cauſæ hic agitantur. Huic interſunt Cardinales & Aſſeſſores. Hoc collegium interdum rigidius eſſe ſolet, aliquando mollius. A nonnullis temporibus mollius fuit. Hodie curiales putant, rigorem nimium plus obeſſe quam prodeſſe curiæ, & hinc plures ad eorum partes trahuntur.

Septimum dicitur del reti, hoc eſt, de ritibus ſive *ceremoniis,* (e) Tales cauſæ frequenter offeruntur romanæ curiæ, quia ſacra pontificia maximam partem in ritibus conſiſtunt. Quoties quoque de antiquis & de novis ceremoniis diſceptatur, id huc defertur.

Octavum dicitur del indice. Eſt collegium indicis expurgatorii. Romani Papæ *a temporibus Lutheri* (f) curioſe cœpere indagare libros, quinam noxii illi, quinam utiles: hinc libros aliquos plane prohibuere, interdum ex parte, hoc eſt, donec ſunt expurgata a romana curia, quæ ipſi diſplicent. Indices *expurgatorii* (g) habentur clanculum, ne appareat, quæ illi velint deleri ex libris. Indices autem librorum prohibitorum promulgantur. Noſtri tamen homines, maxime reformati, ediderunt aliquot ejusmodi indices expurgatorios, interceptos. Ita habemus indicem belgicum, indicem romanum, ut & hiſpanicum. Prohibitorum autem librorum indices creberrime eduntur. Illi indices prohibitorum librorum in Germania & Gallia *non curantur.* (h) Libri autem aliqui ſimpliciter prohibentur, aliqui non ſimpliciter. Igitur aliquot librorum meorum Romæ ſunt venales, nonnulli vero non. Qui ſunt prohibiti, ſunt ſchedulæ affixi.

Nonum della coſa di Germania. Collegium rerum *germanicarum,* (i) quia Germania multos habet hæreticos, & multos epiſcopos addictos ejus ſacris. Aguntur in eo, quæ

(a) *Del concilio*) Inſtitutum primo a Pio IV. ideo, ne ad decreta concilii Tridentini ederentur commentarii, eaque in caſibus dubiis deciſioni Pontificis relinquerentur. Pius V. & potiſſimum Sixtus V. majorem ei poſtea facultatem conceſſerunt. Controvertitur tamen inter Theologos Pontificios, utrum declarationes hujus congregationis habeant vigorem legis. Vid. *PLETTENBERG p.* 685. *ſſ. Tableau p.*282.

(b) *Examinis Epiſcoporum*) Inſtitutum hoc judicium eſt anno 1591. a Pontifice Gregorio XIV. & ab ejus ſucceſſore Clemente VIII. poſtea confirmatum & perfectum. Hodiernus Pontifex Benedictus XIII. ejus inſtaurandi emendandique peculiarem in ſe ſuſcepit curam.

(c) *Probitatis*) De his tamen examen inſtituendum hodiernus Pontifex maximopere urget; & tenentur huic, ſi non omnes, ſaltim qui in Italia ſunt Epiſcopi, ſine ulla exceptione ante inaugurationem ſe ſubjicere.

(d) *Pius IV.*) Sanctum officium inquiſitionis jamdudum ante notum fuit in eccleſia romana, & creditur Petrus de Caſtro novo, Monachus ordinis ciſtercienſis, ab Innocentio III. primus inquiſitor hæreticæ pravitatis adverſus Albingenſes inſtitutus eſſe, quamvis hunc honorem S. Dominico ordinis prædicatorum fundatori, primo datum alii aſſerant. Peculiare tamen inquiſitionis univerſalis tribunal non fuit inſtitutum, niſi demum ſeculo reformationis. Primus illud erexit Paulus III. anno 1542. idque poſtea ejus ſucceſſores approbarunt pluribusque privilegiis & facultatibus auxerunt, uti Pius IV. Pius V. & Sixtus V.

(e) *Ceremoniis*) Congregatio rituum a Sixto V. primum inſtituta duplex eſt, una ordinaria pro decidendis controverſiis & ritibus, altera extraordinaria pro Canonizatione ſanctorum. vid. *Plettenberg p.* 706. *ſſ.*

(f) *Lutheri*) A tempore reformationis potiſſimum, cœperunt Pontifices ſibi omnium librorum vel prohibitionem vel expurgationem tribuere. Primum indicem Paulus IV. edi curavit anno 1559. ut ægre faceret Philippo Hiſpaniæ Regi, qui ſibi potius hanc vindicaverat prærogativam: conſ. *Sarpii hiſtor. Concil. Trident. l.* 6. Poſtea ad declinandas haſce lites Pius IV. hoc examen librorum ad concil. trident. remiſit, quod cum hac de re judicium & poteſtatem plenam Pontifici deferret, protinus ille peculiari edicto anno 1564. hanc poteſtatem ſibi vendicavit. Ne vero ſuſpecta cuiquam evaderet nova illa poteſtas, aut ab inquiſitoribus ſiniſtre adminiſtraretur, congregationem del Indice Sixtus V. demum conſtituit, & nova horum Catalogorum procudi fecit exemplaria. Quænam hujus collegii officia, quis Præſes, quæ membra ſint, docet Plettenberg l. c. cap. 22. ritus vero & modum judicii *JOH. CASILUS in Candore Lilii* apud *WAGENSEIL. Præf. ap Tela ignea ſatanæ p.* 28

(g) *Expurgatorii*) *Dan. Francus in pecul. diſquiſ. academica de indicibus prohibitis & expurg. cap* 1. §. 5. pluribus agit de differentia & definitione horum indicum.

(h) *Non curantur.*) Neque etiam in Hiſpania & Italia. Corte JCtus Hiſpanus Salgado conſcripto de non admittendis Bullis, niſi conſenſu Regis, tractatu parum curavit, quod liber hic indici romano prohibitorio infereretur. Galli vero Ephemeridum erudit. collectores ad annum 1665. d. 12. Jan. non ſine acri cenſura dimiſerunt, quod congregatio romana Petri de Marca librum de concordia ſacerdotii & imperii. Launoi cenſuram, candorem Lilii vindicatum aliosque legi prohibuiſſet. Quid Italo perdocto Jano Nicio Erythræo ob vitam Joh. Juvenalis Ancinæ Seleuciarum Epiſcopi a ſe deſcriptam acciderit, legi poterit in epiſtola ejus 19.

(i) *Germanicarum*) De collegio germanico, quod S. Apollinaris dicitur, ann. 1552. fundato, vide itinerarium curioſum per Italiam, quod germanice Freyburgi prodiit anno 1701. p. 396.

quæ ſpectant ad res ſacras germanicas, quid ſcilicet expediat curiæ romanæ in Germania, quia vident, hic fluctuare res ſuas quam maxime. Conſtat hoc etiam ex Cardinalibus.

Decimum della propagatione della fide, eſt de propagatione fidei, quod Gregorius XV. Papa inſtituit. Agitur in illo de propagandis ſacris Romanis, per totum terrarum orbem. Hic Papa profuit multum rebus ſuis hoc inſtituto. Illud collegium inſtituitur ipſo Papa præſente. *Ordinarii dies* (a) huic collegio non ſunt conſtituti; ſed convocatur a Papa, quando ipſi fuerit viſum, tale collegium habere. Conſtat delectis Cardinalibus.

Undecimum eſt delle coſe conſiſtoriale, ubi agitantur omnes cauſæ, quæ deferuntur ad Conſiſtorium; eſt autem re vera *præconſultatorium*, (b) unde ſæpe ei Papa intereſſe ſolet. Non enim omnia, quæ in Conſiſtorio proponuntur, adeo rude proponuntur, ſed ante recte ponderantur, in hoc collegio, quæ ſunt decidenda in Conſiſtorio magno Cardinalium.

XII. Della coſe *di jurisdictione*, (c) ubi agitur de jurisdictione Pontificum, quia enim jurisdictio papalis tendit per univerſam Europam, hinc multa poſſunt fieri contra eam. Conſtat etiam hoc maximam partem ex Cardinalibus, adjunctis etiam Aſſeſſoribus.

XIII. Eſt Collegium del *buon regimini*, (d) ad quod omnes cauſæ politici regiminis in terris Pontificis v. g. de Magiſtratibus deferuntur. Præſunt illi Cardinales & alii etiam Prælati. Eſt utile hoc collegium: inquiritur enim ibi in cauſas ipſorum Magiſtratuum & Præfectorum Papæ, modo bona fide illi agant. Verum fit re vera tantum in ſpeciem, nec enim querelæ ſubditorum multum attenduntur.

XIV. Dicitur *del ſtudio*, (e) quod quotannis vix ſemel inſtituitur. Senatores ibi ſunt Cardinales, qui agunt ibi de eo „ quod pertinet ad ſcholas publicas, & ad propaganda ſtudia.

XV. Dicitur *delle ſtrade* (f) de viis publicis. Pertinet quoque ad ditionem Pontificis, ut viæ publicæ recte ſe habeant; raro hujus collegii membra conveniunt.

XVI. Dicitur *Conſulta*, (g) in quo agitur itidem de magni momenti rebus, quæ ſc. in aliis collegiis jam ſunt conſtituta, ut denuo veniant in deliberationem, & tandem ad Pontificem poſſint deferri.

XVII. Eſt dell' *abondanza*, (h) de iis, quæ ad victum attinent; de exportandis & importandis. Conſtituitur ex Cardinalibus, ut & Aſſeſſoribus aliis.

XVIII. Eſt dell *rivarii*, (i) ut rivi omnes bene ſe habeant. Imprimis cura amnis Tyberis huc pertinet, qui ingens ſæpe damnum infert urbi. Raro ſolet coire hoc collegium.

XIX. Dell' *Baroni*, (k) quo nomine dicuntur omnes Nobiles primarii ditionis pontificiæ, quorum cauſæ in hoc concilio agitantur.

XX. Dicitur della reformali, de reformatione, ſc. ſi *quoad mores* (l) nimium detrimenti cœpere, ſolet hic de moribus emendandis Epiſcoporum & Monachorum conſultari, ne noxium id ſit Reipublicæ Romanæ.

XXI. Eſt della *pœnitentiaria*, (m) quod quavis hebdomade congregatur, quo omnes cauſæ pœnitentiales referuntur, & plurimi tales ſunt, quibus pœnæ eccleſiaſticæ ſunt infligendæ. Eſt quoque pernobile hoc collegium.

XXII. Dicitur della libraria Vaticana, ſ. Bibliotheca, quæ maxime incrementum cœpit tempore *Sixti V.* (n) Intersunt huic collegio Cardinales, qui conſultant de conſervatione tanti theſauri. Caput ejus ſolet ſecundum excellentiam dici Bibliothecarius, & ſemper eſt Cardinalis: Curatores autem bibliothecæ ſolent eſſe plurimi. Solet etiam eſſe aliquis primarius Cuſtos.

XXIII. Dicitur capelli, ubi peraguntur, quæ pertinent *ad capellam Papæ*, (o) ut ſacrorum adminiſtratio, conſecratio agnus Dei.

XXIV. Eſt collegium Protectorum. Omnia regna Europæa, quæ colunt Pontificem, ha-

---

(a) *Ordinarii dies*) Autor tamen *Tableau de la Cour de Rome, p.* 280. poſtquam membra hujus congregationis recenſuit, addit: Tous ces Prelats & Officiers s' aſſemblent le premier lundi de chaque Mois devant le Pape, & plusieurs autres fois chaque ſemaine, quand les affaires &c. Cæterum congregatio illa exſtrui curavit collegium de propaganda fide, quod ſplendidum Romæ palatium eſt, in quo plures variarum religionum aluntur Proſelyti, & inſtructiſſimam habet typographiam.

(b) *Præconſultatorium*) Datur etiam ratione ſtatus politici ejusmodi congregatio præconſultatoria aut præliminaris, de qua vid. *Tableau de la Cour de Rome p.* 303.

(c) *De jurisdictione*) Congregatio jurisdictionis & immunitatis eccleſiaſticæ, inſtituta dicitur ab Urbano VIII. conf. de ea *Plettenbergium p.* 703 *ſſ.*

(d) *Buon regimini*) Quemadmodum Sixtus V. erexit congregationem de la conſulte pro regimine civili politico, ita Clemens VIII. inſtituit hanc congregationem pro regimine œconomico ſingularum communitatum, ut earum ſtatum cognoſceret, usque modum & formam œconomicæ adminiſtrationis præſcriberet. Ejus jurisdictionem poſtea ampliavit Paulus IV. vid. *Tableau p.* 305.

(e) *Del ſtudio*) De congregatione pro univerſitate ſtudiorum, vide *Plettenberg p.* 756.

(f) *Delle Strade*) Ejusmodi etiam ſunt, congregation de la Monnoye, congregation pour la fabrique des Egliſes, de quibus vide *Tableau p.* 306. 308.

(g) *Conſulta*) Erecta hæc eſt a Sixto V. pro conſultationibus negotiorum Status eccleſiaſtici. Sed aliam nunc formam habet, docente *PLETTENBERG. p.* 746. *ſſ.*

(h) *Abondanza*) Sixtus V. hoc collegium inſtituit, & pro ubertate annonæ conſervanda aſſignavit 200000. Scutorum. Ab eodem quoque inſtituta congregatio pro ubertate Graſciæ urbis.

(i) *Rivarii*) De la congregation des Eaux, Ponts, Aqueducs & Chemins vid. *Tableau pag.* 310. 311. *Plettenberg p.* 766.

(k) *Baroni*) Vid. de eo pluribus *PLETTENB. p.* 772.

(l) *Quoad mores*) Innocentius XI. hanc congregationem inſtituit. Vid. *Tableau p.* 291.

(m) *Pœnitentiaria*) Hoc judicium prolixius deſcribit *Plettenberg. a pag.* 170. *ad* 296.

(n) *Sixti V.*) Is inſtituit etiam congregationem pro typographia Vaticana, ut libri ſacri correcte imprimerentur; Hanc vero Typographiam Paulus V. poſtea camerali Typographiæ univit, utque ita congregatio iſta ſublata eſt.

(o) *Ad capellam Papæ*) Ea, quæ pertinent ad capellam Papæ, pluribus deſcribit *Tableau p.* 336. 346. *ſſ.*

habent ſuum Protectorem in curia Romana & patronum, qui cauſas ſuas agat. Profecto mirum eſt, tantum nomen pati Reges & Principes ſeculares; ſed conſuetudine jam introductum eſt. Noſter Imperator, Rex Galliæ, Poloniæ, Hiſpaniæ habent ſuos Protectores, ut & reſpublica Veneta, Genuenſis, & alii Principes Italiæ. Superbum ſane *vocabulum.* (a) Hi non conſtituuntur a Pontifice, ſed ab illis, quorum ſunt Protectores. Quare Reges removent illos, ſi non videntur ſuas explere partes, quod nuper fecit Rex Galliæ, qui per breve tempus aliquoties ſuos mutavit Protectores. Licet autem Protectores non conſtituantur a Papa, interim, ſi quid eſt proponendum in Conſiſtorio Cardinalium, agunt cauſas ſuorum Principalium, ad hoc enim ære ſunt conducti. Hoc ipſo autem præcludunt ſibi aditum ad papalem dignitatem. Quapropter non temere alii hoc protectorium munus ſuſcipiunt, niſi qui ſciunt, ſe alias etiam non perventuros eſſe ad papalem dignitatem, & qui non habent, unde vivant ſatis opulente; ut ſi fortasſe ſunt aliqui, ex Hiſpania oriundi, illi enim ſunt inviſi Regi Galliæ: illos enim Rex Galliæ, cum votum excluſivum habeat, excludit, cum non facile tales admittat, qui in Hiſpania ſunt nati, vel educati, & vice verſa. Qui etiam ſciunt, ſe eſſe inviſos factioni alicui, illi facile hoc ſuſcipiunt munus. Sic Cardinalis Barbarini facile in ſe ſuſcipiebat protectionem Galliæ. Hi autem Cardinales quotannis a Regibus ſtipendium accipiunt, ad minimum 4000, 5000. imo 10000. ducatorum.

In curia Romana nobile etiam munus eſt eorum, qui dicuntur Legati, quorum alii ſunt ordinarii, *improprie* (b) ita dicti, alii extraordinarii, ſive legati a latere Præfecti provinciarum papalium ſolent eſſe Cardinales: quibus enim Cardinalibus favet Papa, hos ſolet præponere illis povinciis, ex quibus lucrum capiunt. Hi ſunt legati ordinarii, quanquam tales revera non ſint proprie loquendo; ſed Præfecti provinciarum. Ita habet legatum ferrarienſem, Legatum Campaniæ, Romandiolæ, Bononiæ, quanquam Bononia interdum habeat Prælatum pro Præfecto.

Præter hos ſunt Legati extraordinarii, qui re vera tales ſunt, qui ad exteros mittuntur, ad expedienda negotia. Hi autem ſunt ordinarii vel extraordinarii. Ordinarii nunquam ſolent eſſe Cardinales; ſed Epiſcopi, Abbates, & illi dicuntur Nuncii. Tales Nuncios Papa per univerſam Europam ſtatos, ut in aula hiſpanica, gallica, polonica, cæſarea, inque his omnibus perpetuo. Etenim Coloniæ Agrippinæ, talem Nuncium habet, qui dicitur Nuncius in partibus Rheni, qui perpetuo ibi reſidet. Item Bruxellis habet aliquem, qui pontificia ſacra peragat in Belgio. Hi re vera ſunt legati, quamvis ita non nominentur. Sunt ejus pæne generis, quales Principum illi, qui dicuntur Reſidentes, quamquam Ambaſſadores & alii dicantur. Si vero Papa extra ordinem velit agere, mittit Cardinalem, qui dicitur Legatus a Latere. Hi in magna ſunt dignitate, & cum ingenti pompa ubivis ſe gerunt.

Præter hæc munia ſunt alia officia, quæ in curia peraguntur, ex parte a Cardinalibus, ex parte ab aliis. Inter illa primo loco ſunt, quæ verſantur circa Cameram, ſive rem pecuniariam. Toti rei camerali præeſt Cardinalis, qui dicitur Camerarius ſacræ romanæ eccleſiæ; quod munus ingens & admodum *lucroſum eſt.* (c) Artes quoque ſciunt faciendæ pecuniæ, & præficitur is, cui Papa maxime favet. Camera autem pontificia dividitur in duas partes, propterea, quia quidam reditus Pontificis ſunt proprii Papæ, quorum non tenetur cuiquam reddere rationem. Pars circa hos eſt occupata, pars circa illos reditus, qui non ſunt proprii Pontifici ſoli, ſed aliquam partem pertinent ad curam Collegi cardinalitii. Poſteriorum ſolet reddi ratio Delegatis Cardinalium. Ut tempore Imperatorum diſtinctio fuit inter fiſcum & ærarium, (fiſcus fuit proprius Imperatoribus, ærarium autem commune toti reipublicæ,) ita etiam diviſa eſt camera pontificia. Poſterioris ærarii ſunt Annatæ, & quæ ex Epiſcopatibus & aliis beneficiis collatis ſolent confici. Horum maxima pars ſumitur a Papa, aliquam partem vero reipublicæ cogitur impendere. Et fiſco & ærario papali ſuus eſt *Theſaurarius.* (d) Ærario Aſſeſſores ſolent dari, qui eliguntur omnes a Papa. Nemo ad officium cameræ temere ſolet admoveri, niſi ingenti pecunia Pontifici oblata. Aſſeſſores

(a) *Vocabulum*) Protector enim idem eſt, quod Pro-Rex. In Anglia ideo Eduardi IV tutor, qui revera Pro-Rex fuit, & Cromwellius, qui ſub hoc nomine impotentem dominatum exercuit, Protectores ſe appellarunt, quemadmodum Conringius noſter *hoc ipſo Tomo p.* 204. obſervavit.

(b) *Improprie*) Nuncii enim proprie dicuntur, qui mittuntur ad Reges, Principes aut rempublicam vel ad negotia expedienda, vel ad iura romanæ eccleſiæ tuenda, olim Apocriſiarii, quaſi ſecretarii dicti. Alii legati, qui ad provincias vel civitates gubernandas mittuntur, proprie ſunt gubernatores. Nec qui legati nati ſunt, proprie ita dicuntur, ſed hunc titulum ſaltim habent ex privilegio & vigore dignitatum & eccleſiarum, quas obtinent. Proprie autem legati dicuntur, qui mittuntur a Latere Papæ, quales eſſe nequeunt, niſi Cardinales, de quibus vide Traite des legats fait au ſujet de la legation du Cardinal Chiſi, Additum tr. *de l'origine des Cardinaux du ſaint ſiege.*

(c) *Munus ingens & lucroſum*) Olim romanæ eccleſiæ bona primus in urbe Diaconus ſive Archi-Diaconus adminiſtravit: ſed circa ann. 1100. officium illud in Cardinalem aliquem translatum fuit, qui Camerarius dictus eſt, cujus autoritas & poteſtas major quondam fuit, quam hodie. Nam cum antea officiales a Camerario dependerent. nunc quidem res ſecus ſe habet, & adminiſtratio cameræ revera eſt penes Theſaurarium & collegium clericorum, ſola tantum præfectura penes Camerarium, niſi quod ſede vacante major eius ſit autoritas & antiquam præ ſe ferat præeminentiam, cum præter alia tum cudat monetam cum ſuis inſignibus, & incedat ſtipatus Helvetis pontificiis. Ejus reditus quotannis ſunt 12. vel 14 millia Scutorum. Cæterum ab eo differt camerarius collegii cardinalitii, quem Cardinales ex numero ſuo quotannis eligunt, de quo vid. *Tableau p.* 244.

(d) *Theſaurarius*) Theſaurarius olim cuſtos erat æris cameræ, nunc cuſtodit illud Camp[illegible] depoſitarius, qui theſaurarius ſecretus dicitur, cum alter ſit generalis & judex cæterorum, de cujus officio & reditibus, vide *Tableau p.* 259. *ſſ.*

ſores cameræ dicuntur *Clerici cameræ*, (a) & munus dicitur clericatus cameræ. Hoc munus eſt admodum lucroſum; hinc ſolet emi 20000. aut 30000. Ducatorum, præſertim cum illis ſit ſpes, perveniendi ad cardinalitiam dignitatem. Capit ingens lucrum Papa, ſi aliquem talium Cardinalem creat. Hinc adeo care ſolet tale munus comparari, ob certam illam ſpem majoris dignitatis. Ita hodiernus Papa fuit primum Clericus cameræ, ut & Urbanus VIII. Innocentius X. factus eſt primum Auditor rotæ, deinde Clericus cameræ, tandem Cardinalis & Papa; & ſic alii plures. Tanta autem *Clericorum cameræ* (b) eſt autoritas, ut, ſede pontificia vacante, ſoleant nummos cudere, adjectis nominibus & inſignibus.

Præter hoc munus eſt cancellariatus, cui ſemper præeſt Cardinalis, qui dicitur *Vicecancellarius*, (c) quod eſt munus admodum lucroſum. Penes hunc eſt ſigillum, & omnes bullæ, omnia privilegia, omnes tabulæ ſignantur a Vicecancellario; unde non poteſt non eſſe lucroſum. Præterea Vicecancellarius præſidet omnibus illis, qui miniſtrant cancellariæ, quorum magnus eſt numerus, propter multitudinem negotiorum. Inter miniſteria cancellariæ, eminet datariatus. Dataria eſt eminens pars cancellariæ, & eſt collegium, in quo conficiuntur omnes pontificiales *literæ.* (d) Nomen habet ab eo, quod ſubſcribatur litteris, Datum Romæ. &c. Habent hi ſuas ſportulas communes & proprias opulentiſſimas. Hi autem non ſunt *Cardinales*, (e) ſæpe ne clerici quidem, ſed cœlibes, quia exſpectant aliquod munus in curia romana. Sunt illi, tanquam noſtri *Secretarii*. (f)

Eodem pertinent la pœnitentiaria. Pontifex romanus non permiſit omnibus Epiſcopis, omnibus peccatis veniam dare, ſed multum ſibi reſervavit ſoli. Omnes literæ de hoc negotio, in illa pœnitentiaria conſcribuntur. Nullæ autem literæ ſolent temere expediri, niſi pecunia data, ut in noſtris cancellariis aulicis, & quia negotia ibi expedienda ſunt magni momenti, pro negotiorum magnitudine nunc plus, nunc minus expendi ſolet pecuniæ. Cancellariæ ſunt etiam certæ taxæ,, quæ tamen raro apud ipſos publicantur, quia ſæpe mutantur, & augentur. Dicuntur autem apoſtolicæ. Laurentius *Banck* (g) edidit taxam ejusmodi cancellariæ apoſtolicæ ante II. annos. Fuit hic Juris Profeſſor in academia franeckeriana. Huic taxæ additum, quid quilibet Epiſcopus in tota Germania debeat ſolvere, ſi Epiſcopus ſit confirmandus.

Ad hunc modum habent ſe munia curiæ romanæ. Hi hodie ſunt proventus romanæ curiæ, ut poſſit hac parte certare cum opulentiſſimis regnis; quamvis alia hodie ſit ratio redituum illorum. Non quidem tantos habet reditus, ut ante concilium conſtantienſe; nam tunc non fuit modus, nec finis augendi proventus pontificios, ita, ut æquarent etiam veteres Romæ proventus. Poſt illa tempora decrevere, imprimis poſt tempora Lutheri. Alii autem reditus ejus proveniunt, in quantum eſt Princeps Italiæ, alii, in quantum eſt ſpiritualis Monarcha. Priores illi longe ſunt majores, quam ante hac: nam ſuos ſubditos emungunt omni argento, eosque ad paupertatem redigunt extremam. Coacti ſunt id facere Pontifices, poſtquam obex avaritiæ ſpirituali nonnihil eſt poſitus. Gravibus ex eo tributis cœpit onerari ditio Pontificis, adeo, ut vix ſint homines ferendis oneribus amplius pares. De his proventibus ditionis pontificiæ, legite, quæ *differuntur* (h) in appendice libri de republica romana in Batavis editi, & apud autorem, qui ſcripſit archontologiam cosmicam, & porro etiam diſſertationes, quæ habentur in boterianis & hornianis.

Quod reditus attinet, qui illi proveniunt, in quantum vult videri Monarcha ſpiritualis, hodie illi non ſunt adeo magni, ac olim, ſic ſatis tamen adhuc pingues. Nulla enim prælatura, nullus epiſcopatus ſolet a Pontifice confirmari, niſi accepta certa pecuniæ ſumma, nec ulli etiam concedi poſſunt, ſine illius diſpenſatione. Hac ratione Papa etiam hodie magnam pecuniæ vim colligere poteſt. Sixtus V. ſex annis ſedit: interim ſex milliones auri collegit, & ſepoſuit in caſtro S. Angeli, & præterea naves ſtupendas confici *curavit*. (i) Ex quo apparet, quantam pecuniam Pontifex ſibi poſſit conquirere.

Hodie vero non multum pecuniæ ſolet ſupereſſe Pontifici: nam nulla eſt hodie aula tam ſplendida, & quæ tot miniſtros habeat, quam *aula Pontificis*: (k) 2.) dederunt illi diu operam, ut

(a) *Clerici cameræ*) Numero 12. qui omnes ſunt Commenſales & Capellani Papæ.

(b) *Clericorum cameræ*) Hoc mihi dubium videtur.

(c) *Vicecancellarius*) Cur is, qui præeſt Cancellariæ, etiamſi ſit Cardinalis, non ut olim Cancellatius, ſed Vicecancellarius appelletur, de eo vid. *Plettenberg*, *p.* 336 337.

(d) *Literæ*) Aut potius, in quo gratiæ a Pontifice conceſſæ explicantur & expediuntur, de quo tribunali pluribus agit *Tableau p.* 195. *ſſ.*

(e) *Cardinales*) Niſi aliquando ex eorum numero aliquis Præſes hujus judicii conſtituatur, qui tamen tunc non Datarius, ſed Prodatarius dici ſolet.

(f) *Secretarii*) Majoris tamen dignitatis & autoritatis, ita ut habeantur oracula Papæ, cujus voluntatem explicent, ejusque manu etiam ſignatas ſupplicationes ante regiſtrationem lacerare poſſint.

(g) *Banck*) In libello de tyrannide Papæ, in quo etiam taxæ pœnitentiariæ meminit, quam manuſcriptam a Johanne Baptiſta Sibone monacho ordinis Bernhardini acceperit.

(h) *Differuntur*) Vid. etiam Tableau de la Cour de Rome. p. 107. Cujus autor ſubducto tandem calculo potiorum redituum omnium ſummam 20. millionum extrahit.

(i) *Curavit*) Fertur proinde dixiſſe, ſibi nunquam argentum defore, quoad manu & calamo inſtructus eſſet.

(k) *Aula Pontificis*) Aulæ hujus præcipui miniſtri ſunt, 1.] Magiſter palatii, qui ſemper aliquis eſt ex ordine dominicanorum. 2.] Aulæ præfectus, Maeſtra di Caſa dictus, cui plures alii miniſtri aulici ſubſunt, uti magiſtri cameræ, camerarii, Archipincerna, Architriclinus &c. 3.] Sacriſta Pontificis, cujus officium annexum eſt ordini S. Auguſtini 4.] Magiſtri ceremoniarum quatuor participantes, & plures alii non participantes. 5.] Capellani, qui Miſſam tam Guardia Papali, quam ſatellitibus ejus, quos Palinfrenieri vocant, dicunt. 6.] Clavarii vulgo Mazzieri numero 12. qui curant, ut porta Anticameræ ſemiclauſa ſit, nec tota unquam aliis, niſi Papæ, aut ejus nepotibus aperiatur, de cæteris eorumque ſalariis. vide *Tableau p.* 204. *ſſ.* 220. *ſſ.*

ut cognatos ſuos ditent & evehant ad regias dignitates. Ita ſit, ut revera non multum ſuperſit Pontifici. Hodie ſane etiam bona pars vectigalium romanorum jam eſt oppignorata illis, qui dicuntur in Italia montes pietatis, ſive menſæ nummulariæ. (*Die Bäncken*) quales ſunt in magnis urbibus. Illi montes ex conductitia pecunia ſunt opulentiſſimi. Pontifices ſæpe, cum non haberent ſatis, quantum profunderent, tales montes inſtituerunt. Tholoſanus in libris de republica, de illis montibus diſſerit. De eo argumento etiam agit præclare quidam liber germanicus. Interim dum ſinguli quæſtum faciunt, laborant reſpublica & ærarium: bona enim ejus pars obſtricta eſt hominibus privatis, & oppignorata. Pontifex non ita publicum curat, quia ſcit, ſe non diu victurum. Sixti V, factum ſine exemplo eſt *plane*. (a)

DE DANICA REPUBLICA. (b)

Primo dicendum de *ſcriptoribus*, (c) qui juvant ad cognitionem danicarum rerum. Quod attinet rempublicam ipſam, habemus nonnulla, quæ huc faciunt in omnibus voluminibus, quæ habent res publicas noſtri ſæculi & ita exſtat haud vulgaris de ea diſſertatio Joh. Boteri ut & in Honorii, Caſpari Entis, & Belli diſſertationibus. Item in Archontologia Coſmica agitur etiam

(a) *Eſt plane.*) Addimus pauca. 1.] Inſignia Pontificis præter privata & gentilitia ſunt duæ claves aureæ in campo flavo, quibus corona triplex ſuperadditur ad ſignificandam cæſaream, regiam & ſacerdotalem dignitatem, uti & pileus ſive pileolus, quo ipſo etiam autoritas eccleſiaſtica indicatur. Pileo Pontifex ubique utitur, ſed corona ſeu regno mundi, quod vocant, nonniſi certis diebus ac locis in templo inter eundum, non vero in officii divini exercitio. 2.] Porro prætenſiones Pontificis variæ ſunt. Prætendit enim dominium in Portugalliam jure feudi, uti & in Arragoniam, Siciliam & Sardiniam, (tanquam donatam Papæ a Carolo M. de quo vide Baronium tom. XI. annal. ad ann. 1073. §. 68.) Jus ſibi tribuit in civitates quasdam Romandiolæ, (Rovigo & Poleſino,) quæ hodie a Venetis poſſidentur, olim vero ducatui Ferrarienſi annexæ fuerunt, uti & in civitatem Borgo di S. Sepolcro Florentinis olim oppignoratam. Denarium S. Petri ſibi ex Anglia æque ac Gallia hodie non ſolvi conqueritur. Prætendit vicatiatum vacante imperio romano germanico, de quo vide Schutz *Vol. 1. jur. publ. exercitat. 5. th. 7. p.* 317. nec non jus conſtituendi Reges eosque coronandi, de quibus omnibus atque etiam aliis cf. Schwedeti *theatrum hiſtoricum peatenſionum pag.* 335. *ad* 359. 3.] Ratio Status Pontificii in his potiſſimum conſiſtit, (1) ut ſedis romanæ autoritatem apud quascunque nationes Catholicas promovere & conſervare contendat, (2) ut potentiam exteri Regis aut Principis in Italia tecte ſupprimat, ne tertis eccleſiæ damnum inferre poſſit, (3) ut Gallorum ſibi comparet favorem. (4) Maxime operam det, ne Hiſpani in Italiam revertantur. (5) Cardinalitiis tiaris, ſibi inter regios miniſtros amicos acquirat. 6] ut re[illegible] publ. Venetam & Sabaudiæ Ducem, qui hodie Sardiniæ Rex eſt, intra antiquos terminos contineat. 7.] Excommunicationis fulmine hodie Principes & reſpublicas [illegible] irritet, neque etiam antiquis prætenſionibus offendat. 8.] Gallorum aliorumque catholicorum arma proteſtantibus immittat. Curatiſſime autem ſe hoc autore fieri occultet. Interim mollibus & ſanctum patrem decentibus evangelicos romanæ eccleſiæ reſtituere ſtudeat mediis; quo plus enim augentur oves, eo plus ad paſtorem provenit lanæ. 10.] Neutiquam patiatur dogma aliquod a romana eccleſia ſtabilitum in dubium vocari; tunc enim Pontificis flacceſſeret infallibilitas, quæ eſt inter maxima ſacræ monarchiæ arcana. 11.] Ne quid in vulgus propalari queat, quod Pontificis rationibus & dogmatibus adverſetur librorum cenſuram univerſalem ſibi vindicare pergat. 12.) Odia inter proteſtantes promovere laboret, ne in unam coeant fidei formulam. Conſ. *Noveaux interets des Princes p.* 44. *ſeqq.*

(b) *De Danica republica.*) De nomine Daniæ ejusque origine vide variorum ſententias collectas apud *CHRIST. FUNCCIUM p.* 432.

(c) *Scriptoribus*) Præter ſcriptores ab autore adductos ſunt adhuc alii, ex quibus, quæ ad ſtatum politicum & hiſtoriam regni Danici pertinent, non ſine fructu hauriri poſſunt, cujusmodi ſunt. *Etat du Royaume de Dennemarck tel qu' il etoit en* 1692. (autore *D. MOLESWORTH*) *traduit de l' Anglois.* Amſtelod. 1695. 8. *Defenſe du Dennemarck. ou examen d' un libelle de l' Etat de Dennemarck.* Colon. 1696. *Les Voyages* de M. *dES HAGES BARON de COURMESWIN* en Dennemarck. Paiſ. 1664. *MART. ZEILERI deſcriptio regnorum Daniæ & Norwegiæ, uti & ducatuum Slewici & Holſatiæ cum tabulis aneis & præfatione de rebus geſtis Normannorum. RUTGERI HERMANNIDIS deſcriptio Daniæ & Norwegiæ. JOACH. HAGEMEIER de ſtatu Daniæ, Norwegiæ & Sueciæ. ARNOLDI BERNHARDI ſplendor Daniæ & Norwegiæ atque annui reditus,* Amſtelod. 1655. *IVARUS HERTZHOLMIUS de præcellentia regni Daniæ. Anonymi jus feciale armata Daniæ contra Sueciam. STEPHANI JOH. STEPHANII Sylloge tractatuum de Dania & Norwegia, Ducatibusque cimbricis hiſtorico chorographicorum. Octodecim tabulæ undiquaque nitidiſſime elegantiſſime exornata figurataque, quibus lex regia a Friderico III, die* 14. *Nov.* 1665. *compoſita & ſcripta, deinde a Friderico IV. die* 4. *Sept.* 1709. *publicata in lingua Danica eſt comprehenſa. Anonymi Regum Daniæ Genealogia, & ſeries ex editione ERNSTII. Annales Cherſoneſi Cimbricæ typis Frobenianis anno* 1606. *excuſ. VITI BERINGII Florus Danicus a Dano primo Danorum Rege usque ad obitum Chriſtophori III. THORMODI TORFÆI ſeries Dynaſtarum & Regum Daniæ a primo eorum Snioldo Odini filio ad Gormum Grandævum Haraldi Caruldentis patrem. ERPOLDI LINDENBRUCH hiſtoria Regum Daniæ. THOMÆ PAULSEN ſtemmata regum Daniæ & ducum Holſatiæ. JACOBI GERSHOVII genealogia regio Danica & regio Ducalis Holſatica. JOH. SVANINGII chronologia danica. OTTO SPERLINGIUS de danica lingua & nominis antiqua gloria & prærogativa inter ſeptentrionales. THOMÆ BARTHOLINI antiquitatum danicarum libri tres. JOH. MESSENII Scandia illuſtrata. OLAI ROSENKRANTZ apologia nobilitatis danicæ contra Franc. Irenæum, Joh. Bunonem, & alios nobilitatis hoſtes. DANIELIS LANGHORNII elenchus antiquitatum Albionenſium, Britannorum, Danorum. CHRISTIAN. CILICII deſcriptio belli dithmarſici a Daniæ Rege Friderico II. & Holſatiæ Ducibus Johanne & Adolpho fratribus geſti. CORN. SCEPPERI Reſponſio pro Chriſtierno II. ad emiſſos contra hunc Regem Lubecenſium articulos.* Ejusdem *reſponſio pro eodem Principe ad duas epiſtolas Friderici Ducis Holſatiæ, quibus belli adverſus eum ſuſcepti rationem reddit. Chriſtierni II. Regis hiſtoria ex manuſcriptis edita per Joh. Svaningum. L. PAULINI Gothi hiſtoria Arctoa libri tres. JOH. MALDORPIAN. de rationes regione ſeptentrionales ad cultum ſedis rom. reducendi. Item de cauſis, propter quas Daniæ ſuſpecta eſſe debeat regnorum Poloniæ & Sueciæ conjunctio, l' Etat preſent des differends ſurvenus entre le Roy de Dennemark & le Duc de Holſtein Gottorp, traduit par l' auteur des additions a la defenſe du Dennemark.* Ad ſtatum vero rei eccleſiaſticæ & literariæ in Dania cognoſcendum faciunt. HARALD. HUITFELDI *hiſtoria eccleſiaſtica Daniæ Epiſcoporum & religionis chriſtianæ*

etiam de republica Danica item in Batavis his ſingularis Libellus prodiit de regno Daniæ & Norvegiæ, in quo libello item non pauca continentur de Holſatia, quæ eſt ſub regibus Daniæ. Quod attinet res geſtas, non habemus multos ſcriptores, indigenas ſcilicet danicos & Norvegios; ſuperſunt quidem quædam chronica ab ipſis conſcripta, ſed illa hactenus *lucem non viderunt*. (a)

Inter Danicos ſcriptores eminet *Saxo Seelandicus*. (b) Vixit anno milleſimo centeſimo ſæculo duodecimo, ingenio & facundia ſuperat omnes ætatis ſuæ ſcriptores. Nec in tota Europa opus quaſi cum eo comparari potuit. Fuit natione Seelandus, diſertus, & ſepultus Rotſcheldæ. Perſecutus autem eſt res Danicas usque ab origine imprimis, perſecutus eſt res proximioris ſuæ ætatis. Antiqua ejus hiſtoria depromta eſt ex cantilenis iſtis fabuloſis, ut ipſe fatetur, hinc ſcatet multum fabulis & parum fidei ei habendum. Mirandum ſaltem; quod tanti ingenii vir tempus contriverit *ejusmodi ineptiis ediſcendis*. (c) Verum hic contigit Danis, quod omnibus gentibus germanicis, teſte Tacito, antiquiſſimum enim genus annalium ſunt *carmina*, (d) igitur apparet, antiquiſſimos annales fabulis eſſe permiſtos. Idem contigit Græcis, apud quos hiſtorici fuere Poetæ, qui multas ſuis ſcriptis inſeruere fabulas.

Aliquam partem deſumſit ſuæ hiſtoriæ ex rupibus. Cum enim baberent jam aliquot ſæculis cognitionem literarum ſeptentrionales populi, inſculpſere illas rupibus, quæ dicuntur *Characteres Runici*. (e) Verum illa monumenta parum continent, utrum etiam illa mereantur fidem, dubito, ſapiunt fabulas. Gentes ſeptentrionales ſuas literas habuere illisque characteribus rupes & ſaxa conſcripſerunt, ſed ab aliquot ſæculis nullus repertus, qui curam haberet talium monumentorum.

Andreas Buræus *Suecus* (f) primus omnium aliquid in hoc argumento elaboravit & quidem ante annos 60. Poſt illum Olaus Wormius Danus, Medicus & Profeſſor hafnienſis, longe majorem operam in hoc præſtitit, hic librum edidit in 4to non magnum ſub tit. literatura runica. Sed *ante* 20. *annos* (g) de eadem materia longe majus opus prodiit ab eo ſub tit. monumenta danica. Cum tamen non ſolum danica, quorum pauca ſunt, ſed etiam alia gentium ſeptentrionalium in illo contineantur, *in gratiam tantum gentis ſuæ* (b) huic libro talem impoſuit titulum. ille Saxo facunde quidem ſatis perſecutus eſt res ſuo ſeculo proximas, aſt non bona fide; fuit enim ut apparet animo infeſto in Germanos; nimium etiam indulſit affectibus, & patriæ amori. In libro de finibus imperii accuſavimus illum *hujus rei*. (i)

Usque ad ſæc. XIII. omnia perſecutus eſt. Sæc. XIII. cœpere paululum floreſcere res danicæ, quæ tamen fortuna non diu duravit. Poſt hunc eſt Andreas *Huitfeld* (k) Cancellarius regni

ſtiana in Dania. CONRAD. ACLACI *oratio de ſtat. religionis in Dania ab anno* 1517. *ad annum* 1621. BERN. RAUPACH *de præſenti rei ſacra & literariæ ſtatu in Dania.* ERASMUS VINDING. *de vita & ſcriptis Danorum erudit.* & JOH. MüLLERUS *in Hypomnem. ad Bartholinum de ſcriptis Danorum.* Conf. etiam NICOL. PETR. SIBBERN. *bibliothecam hiſtoricam Danico Norwegicam.*

(a) *Lucem non viderunt*) Prodiit tamen *chronicon Daniæ vetus*, Hafniæ 1541. & *chronica Danorum* præcipue *Sialandiæ* ab anno Chriſti 1028. ad annum 1282. cum appendice, chronologica usque ad annum 1307. edita ſunt ex codicibus manuſcriptis ab *Arna Magnæo*. Lipſiæ 1695.

(b) *Saxo Seelandicus*) Cognomento grammatici ob literarum ſtudium donatus, ex nobili gente Laogiorum oriundus, præpoſitus fuit Rœskildenſis, defunctus anno 1190. vel ut alii volunt anno 1201. aut 1207. vel 1208. vide de eo fuſius *Steph. Joh. Stephanii prolegomena*, & *Joh Müllerum in iſag. ad hiſtor. Cimbr. p. 1. cap. 4. §. 1. 2 ſſ.* & *c. 5. §. 1. 2. ſſ.* it. *in addendis P. I. pag.* 284. *P. IV. p.* 638. Ejus ſententioſe dicta præter Stephanium collegerunt. *Matth. Porſius*, & *Willich. Weſthovius*, elogia ob ſtyli elegantiam aliaque ex variis autoribus excerpta exhibet *Müllerus in Hypomn. ad Bartholinum p.* 398

(c) *Ejusmodi ineptiis*) Hinc *Alb. Cranzius l. 2. Dan. c.* 15. Saxonem ait verbis exquiſitis ineptam interdum exhibere narrationem, & *David. Chytræus* in *Proœm. Saxon* Poetica magis, quam hiſtorica fide eum ſcripſiſſe pronunciat, quo cum paria dicit *Ubbo Emmius* apud *Schurtzfleiſch* in differt. *de Wittekindo theſ. 7. p.* 14. Equidem *Stephanius* in *Prolegom. p.* 38. hac in re Saxonem defendere voluit, ſed eo ipſo quibusvis fabulis patrocinatus eſſe aliis viſus eſt.

(d) *Carmina*) Gentibus Borealibus Eddæ dicta.

(e) *Characteres Runici*) Runæ certæ erant literæ figuratum ductibus ab omnibus aliis diſcrepantes, quas quidem duum generum olim tenuerunt Dani. Aliæ erant, quibus ad res geſtas conſignandas animique ſenſa exprimenda communiter utebantur literal, Runæ & ipſi inde dicti. Erant & alteræ, quibus Magi in incantationibus & præſtigiis utebantur, a quibus Magia Runica & Runo Magia dici cœpit, haud ſecus ac a priori Runarum genere literatura Runica dicta eſt, & lingua danica Runa Maali. De runis magicis earumque variis ſpeciebus diſſerit *Stephanius ad Saxonem gramm. p.* 45.

(f) *Suecus*) Ex Sveciis quoque *Olaus Verelius* dedit *manuductionem compendioſam ad Runographiam ſcandicam antiquam recte intelligendam. Upſal.* 1675. Nec non *Olaus Rudbeckius* operam hac in re collocavit & monumenta lapidum aliquot runicorum ab *Henrico Curtone* expoſita ſunt.

(g) *Ante* 20. *annos*) *Olai Wormii monumentorum danicorum libri* 6. anno 1643. Hafniæ prodierunt, qui ad omnes Daniæ antiquitates faciunt, quas ex monumentis veterum ſepulcralibus potiſſimum illuſtrat, inter quæ etiam decantatiſſimum illud cornu aureum Chriſtiani V. adducit, de quo ipſi poſtea cum *Fortun. Liceto* controverſia enata eſt.

(h) *In gratiam tantum gentis ſuæ*) Ita & judicat *Georg. Stiernhelmius* in *præf. verſionis IV. Evang. Gothicæ*, nec danica monomenta, ſed potius gothica dicenda eſſe arbitratur. Monet tamen *Joh. Mullerus* in *Hypomn. ad Barthol.* Wormium jam anno 1636. in præfatione literaturæ danicæ antiquiſſimæ bujus ὀνοματολογίας rationem reddidiſſe. Cæterum ad hæc monimenta poſtea *Wormius* additamenta dedit Hafniæ 1649. nec non *ſpecimen lexici Runici* anno 1650. in folio edidit.

(i) *Hujus rei*) Iniquum Saxonis in Saxones & Germanos animum notant etiam *Henr. Meibomius introd. ad hiſtor. Saxon. infer. p.* 98. & *Sagittarius in hiſtor. Bardov. c.* 3. *§.* 71. *p.* 130. *Rudbeckius* quoque *atlantica cap.* 28. *p.* 689. Saxonem res geſtas Regum Svecorum & Norwægorum ſæpe Danicis ſubdole tribuiſſe obſervat.

(k) *Huitfeld*) Non Andreas dictus eſt, uti cum autore erravit quoque *Schurtzfleiſchius in diſſertat. de rebus danicis*, ſed Haraldus obſervante *Müllero in hypomn. ad Barthol. p.* 230. Tomos edidit X. hiſtoriæ danicæ usque ad Chriſtianum III, eique & Saxoni *Joh. Iſaacus Pontanus* ſua fere debet omnia, obſerv. *Struvio in ſelecta bibliotheca hiſtorica. p.* 722.

gni, nobiliſſima natus familia; ſcripſit res Danicas & Norvegicas, Saxonem autem raro ſequitur. Ex exteris, qui res Danicas perſecuti ſunt, eſt quoque *Albertus Crantzius* (a) noſter, ſui ævi incomparabilis, omnia Septentrionalia ut & Saxoniam perſecutus eſt diligentiſſime. Hunc excepit David Chytræus in chronico ſuo ſaxonico. Cæpit enim ibi, ubi deſinit Crantzius, neque quisquam ad Saxonicarum rerum cognitionem pervenire poteſt, niſi evoluto hoc chronico. Ipſe Thuanus tanti ipſum facit, ut multa ex illo exſcripſerit, mutatis tamen phraſibus in magis latinum ſermonem. Jo. Lyskander, Jo. *Parvus* (b) hi etiam perſecuti ſunt res danicas, ſed ſunt auctores non magni momenti. Aſt curante Chriſtiano IV. rege res Danicæ accepere duos, præclaros hiſtoriographos, primo Batavum Jo. Meurſium, virum plurimum eruditiſſimum & verſatiſſimum in rebus Græciæ. Hic accitus ex Batavia in Dania egit profeſſorem in gymnaſio equeſtri regio, in Selandia ſcilicet Sora ibique & tandem mortuus eſt. Hic ultimæ familiæ danicæ, quæ eſt Oldenburgica, res geſtas trium regum Chriſtiani I. Johannis I. & Chriſtiani II. deſcripſit. Deinde autem conſcripſit hiſtoriam danicam *ab initio usque* (c) Saxonem eſt ſecutus, rejectis fabuloſis, & perſecutus eas usque ad familiam oldenburgicam. Verum cum ſcripſerit hanc hiſtoriam in Dania, nobis patriæ aliquid *induliſſe videtur.* (d) Alterum Joh. Iſaacium Pontanum, qui auſpiciis Chriſtiani IV. res danicas perſecutus eſt. Hic parentibus belgicis natus in Dania Hafniæ, ſeceſſit in Belgium & locum invenit in geldriano Gymnaſio Hardewici. Hic conſcribendam ſuſcepit hiſtoriam danicam, fuit conductus a Chriſtiano IV. ſtipendio ad *hiſtoriam danicam* (e) conſcribendam, qui omnium præclariſſime eam deſcripſit. Hic in Geldria deſcripſit eam. Hinc major ei debetur fides, quod extra Daniam eam conſcripſerit. Jam *de monumentis Norvegiæ.* (f) Cum regno Daniæ jam 200. a. arctiſſime fuit conjunctum regnum Norvegiæ, ita ut a Danis in ſervitutem & ſolitudinem fuerit redactum. Antea Norvegia fuit diſtinctum regnum, & habuit ſingularia ſuæ gentis monumenta. Verum ejus reip. cognitio & hiſtoria jam petenda ſunt ex monumentis danicis. Huc pertinet Islandia, quæ eſt portio regni norvegici, & aliquis eam deſcripſit cum pertinentibus ſuis. Primus qui hoc fecit, fuit Batavus nomine *Bleskenius.* (g) Hunc excepit Islandicus, Jonas *Arngrimius,* (h) hic conqueſtus de injuria genti ſuæ illata, conſcripſit anatomen bleskenianam, in qua ipſum plurimorum mendaciorum convincit: Chrymogræco alter ejus vocatur liber, edit. Hamburgi, cui tuto poſſis fidere. Ex his ſcriptoribus, quæ ad res danicas & norvegicas pertinent, peti poſſunt. Nunc aggrediemur deſcriptionem chorographicam. Daniæ regnum conſtituitur ex una magna peninſula & aliquot inſulis, & 3. ex portione quadam itidem magnæ peninſulæ. *Peninſula autem prior,* (i) eſt Jutlandia, & ducatus Slesvicenſis, qui ab antiquiſſimis temporibus fuit portio Daniæ

(a) *Albertus Crantzius*) Scripſit *chronicon regnorum ſeptentrion. Daniæ, Sveciæ & Norwegiæ,* quod germanice vertit *Henricus ab Eppendorff.* & Argentorati edidit anno 1645.

(b) *Parvus*) *Claudius Chriſtophorus Lyſeander* hiſtoriographus regius *hiſtoriam danicam & genealogiam Regum Danorum* conſcripſit. *Joh. Lyſcander vero antiquitatum danicarum ſermones XVI. ex Joh. Aventini Bojoarica hiſtoria lib 1. ſelectos, notis* illuſtravit, quos *Ericus Olaus Tormius* Hafniæ edidit anno 1642. *Petrus Parvus* refutationem edidit caluomniarum Johannis Magni Gothi, quibus in Danos invehitur, cui acceſſit *chronicon, ſive hiſtoria Johannis Regis Daniæ.* Vid. de eo *Albertum Bartholinum de ſcriptis Danorum p.* 121.

(c) *Ab initio usque*) Usque ad Chriſtianum I. libris X. qui prodierunt Amſtelod. 1638. in fol. part. II. Dani eum vocant Soaningium redivivum, eo quod *Joh. Suaningii* Tomos III hiſtoriæ danicæ manuſcriptos potiſſimum ſecutus ſit, vid. *Müllers hypomn. p.* 287. Hiſtoria Friderici I. & Chriſtiani III. ab eodem elaborata apud Danos adhuc in manuſcripto latet.

(d) *Induliſſe videtur*) Commendatur alias hic labor hiſtoricus *a Conringio* in lib *de prud. civili c.* 14. *Boſio* in *introd. ad notit rerumpubl. c.* 5. §. 4. Secus tamen de illo judicat *Bæclerus* in *bibliogr. Cur. lit. I. s a.*

(e) *Hiſtoriam danicam*) Edita eſt hæc hiſtoria libris X. Amſtelod. 1631 in fol. ſed *hiſtoria danica tomus II.* Regum familiæ oldenburgicæ Chriſt. I. Joh. Chriſt. II. Frideric. I. Chriſt. III. & Frid II. hiſtoriam exhibens, adhuc manuſcriptus in bibliotheca academiæ hafnienſis aſſervatur.

(f) *De monumentis Norvegiæ*) In Norwegiæ hiſtoria præter illos, qui eam Daniæ junxerunt, occurrunt *Petri Claudii* vera *deſcriptio Norwegiæ & vicinarum inſularum. Jam Laurentii Wolffii. Norwegia illuſtrata, Jam Martini, & Snorronis Sturla chronica Norwegiæ. Jonæ Rami, ori regnum,* hoc eſt, *Norwegia antiqua & Ethnica, ſive hiſtoria norwegica prima initia a Noro primo Rege Norwegiæ ad Haraldum Harfagerum,* nec non *duo commentarii hiſtorici ex manuſcriptis eruti & editi. a Bernhard. Caſpar. Kirchmanno,* it. *Jus aulæ norwicum cum verſione latina & in his notis Petri Reſinii* &c.

(g) *Bleskenius*) *Dithmari Bleskenii, Islandia ſeu hujus Inſulæ populorum & mirabilium deſcriptio cum quibusdam de Gronlandia adjectis,* prodiit Lugdun. Batav. 1607.

(h) *Arngrimius*) Edidit etiam *brevem commentarium de Islandia,* nec non *ſpecimen Islandiæ hiſtoricum,* & magna ex parte chorographicum. Præter hunc Arngrimium ſunt & alii, ex quibus hujus Inſulæ notitia quædam acquiri poteſt, nim. *Dan. Fabricius de Islandia & Gronlandia. Relation de l' Islande* par *Iſaac le Pereyre* avec la Carte. *Snorronis Sturla Edda Islandorum* anno Chriſti 1215. *Islandice conſcripta & ex vetuſtis codicibus manuſcriptis edita cum præfatione uberiori* per *Petrum Joh. Reſenium,* qui & Eddam *Sæmundi ejusque partes, unam dictam Voluſpa,* ſub titulo *philoſophia antiquiſſima Norvego-Danica,* alteram dictam *Haavamal* cum ejus appendice *Runa capitule,* ſub titulo *Ethica odini* islandice & latine cum notis & indice vocum Islandicarum edidit. Adde *Shabiorni Torphei annales omnium præſulum Islandiæ.*

(i) *Peninſula autem prior*) Ejus longitudo a promontorio Scagen ad Holſatiam 53. milliar. germ. latitudo fere milliaria germ. 20. complectitur. Dividitur 1.] *in ſeptentrionalem,* cujus finis & oppidum Scaga. (ubi in anguſtum promontorium deſinens, ſyrtibus ac periculoſo mari ſe nautis notiſſimam reddidit) partesque ſunt quatuor epiſcopatus, in quos dividitur, Ripenſis, Arhuſenſis, Alburgenſis, & Wiburgenſis. 2.] *In meridionalem,* quæ ducatum Slesvicenſem, Angeln, parvam Frislandiam cum nonnullis inſulis Allen, Nordſtrand, Fora complectitur. Regio quidem aeria eſt frigidioris, ſani tamen, ſolum fertile habet optimaque paſcua, quæ magnam equorum boumque copiam alunt, qui ab exteris quotannis quæri emique ſolent. Multum frumenti quoque quotannis Norwegiæ ſuppeditat; & ob piſcatum utraque celebris eſt ſcriptores ad hujus peninſulæ ſtatum & hiſtoriam ſpectantes, potiores ſunt *Caſparus Danckwerthius* in *chorographia ducatuum Slesvicenſis & Holſatici,* cui acceſſerunt 40. mappæ geographicæ *a Joh. Meyero* elaboratæ. *Caſpar. Hoyer deſcriptio Eiderſtadia,* quam ex latino germanice vertit *Jac. Sachſius.*

Daniæ, ſed ab aliquot ſeculis habuit ſuos duces, qui feudi vinculo regibus Daniæ fuere obnoxii.
Eidora amnis eſt alias terminus Germaniæ, reſpectu Daniæ. Hunc antiquiſſimum eſſe terminum
imperii germaci, teſtatur Conringius in lib. de finibus imperii. Trans Eidoram habitant qui-
dem Germani, ſed nonſunt ſub imperio germanico.
Cum autem Ducatus *Slesvicenſis* (a) ante 100. annos præter propter fuit deviſua in 2. par-
tes, quarum una fuit in poſſeſſione regis Daniæ, altera in poſſeſſione Ducis Holſatiæ, & hæc pars
non eſt amplius feudum regni Danici, quod patrocinium feudale perdidere nuper in *bello*, (b) ita
ut hæc Ducatus pars, nullum agnoſcat ſuperiorem.
Ad regnum Daniæ clientelæ jure adhuc pertinet reliqua pars Sleswici, & tota Jutia & præ-
ter Jutiam inſulæ quædam, quarum maxima eſt *Seelandia*, (c) proxima *Funia*, (*d*) huic *Lalandia* (e)
Langelandia (f) *Mœnia* (g), & *aliæ*, (h) Inſula Alſen pertinet ad Ducatum Slesvicenſem.
Porro ab aliquot 200. annis pertinuit ad regnum Daniæ etiam Sconia, Hallandia & Bleckin-
gia, niſi quod ſemel *tempore Magni Sueciæ Regis* (i) Suecus eas inſulas emerit a comitibus Holſatiæ,
ſed poſtea Magnus Smeck reddidit illas Danis ultro. Nupero tamen bello eas iterum amiſerunt & ad
Suecos redierunt una cum aliis terris. Perdiderant non multum ante *Gotlandiam*, (k) *Oalandiam*.
(l) Ita intra paucos annos magnum decrementum cæpit Dania. Reges Daniæ ab aliquot ſeculis (400
annis) ſe appellarunt reges Daniæ, Gotiæ, & Vandaliæ der Dahnen, Gothen, und Wenden Könige.
Gothiæ reges ſe vocarunt, quia partem Gotiæ tenuerunt, Gotlandiam, Bleckingiam, Scaniam, Hal-
landiam, qua de re ſæpius graviſſime contenderunt Reges Suecorum cum Danis, cum ipſi maxi-
mam partem Gothiæ tenerent. Cæterum hodie nihil obtinent Dani, quod ad Gothiam pertinet. Igi-
tur non poſſum ſatis mirari, quod Sueciæ Rex titulum illum ipſis non ademerit; *perdiderant enim
omnia*. (m) quæ huc pertinent. Vocant ſe etiam der Wenden Könige, Venedorum reges. Crantzius &
alii mutarunt in Vandalorum regem. Commune autem eſt & antiquiſſimum nomen, quod vo-
carunt ſe Slavorum reges. Quo jure vero ita ſe appellitent reges Daniæ, ſc. Slavorum reges ſ. Ve-
nedorum *Crantzius ignorat* (n) in hiſtoria ſua. Oſtendimus autem hoc in libro de finibus imperii.
Regni Slavici nomine revera venit omnis tractus inter Mare Balthicum & Albim. Ubi eſt Du-
catus

*ſius. Benjaminis Cnoblochii chorographica deſcriptio in-
ſula Heilgeland. Antonii Heimrichii Nordfreſiſche chro-
nica*, quo continetur deſcriptio omnium Friſiæ ſepten-
trionalis regionum ad ducatum Slesvicenſem ſpectan-
tium, *Nicolai Helvaderi ſylva circuli Balthici chronolo-
gica. Andreæ Angeli chronicon Holſatiæ. Johannis
Petræi Chronicon Holſatiæ, Stormariæ, Wa-
griæ, Dithmarſiæ & ducatus Slesvicenſis* &c. *Annales
Cherſoneſi Cimbricæ autore K. P. F.* Hamburgi 1606.
Martinus Chemnitius de *diſcrimine ducatuum Holſatiæ &
Slesvicenſis. Matthias Boethius* de *cataclyſmo Nordſtran-
dico. Chriſtiani Kortholti Femaria deſolata. Theodori
Arnkiel, alt cymbriſche Heydenthümer. Petri Linden-
bergii poemata juvenilia*, quibus multæ antiquitates
& epitaphia inſerta. *Pauli & Joh. Adolphi Cypræorum
annales epiſcoporum Slesvicenſium. Johannis Laurentii
præſules epiſcopatus ripenſis*, aliique.

(a) *Slesvicenſis*) Ducatu Slesvicenſi antea inter Regem Da-
niæ & Ducem Holſatiæ diviſo, Regi quidem paruit, Fleus-
burgum, Haderslebia, Glucksburgum cum inſulis Alſen,
Arroe, Rom, Amrom, Fora. Duci autem Slesvicum, Tun-
dera, Huſumum, Tonninga, Fridericopolis, Eckemfor-
da cum inſulis Nortſtrand, Sylt & Heilgeland, quarum
partium regimen fuit in arce Gottorpienſi Slesvico adhæ-
rente.] Potior fluvius dicitur Slya, a quo & Slesvicum no-
men habet.

(b) *Bello*) Cum Svecis ſub Carolo Guſtavo geſto, a cujus
partibus jam ſtetit Dux Holſatiæ. Nihiloſecius tamen
Rex Daniæ, Duci Slesvicenſi noluit poſtea jus armorum
& fortalitiorum concedere, etſi ille facta trans-
actione ſui juris factus eſſet. Quin hoc ipſo tempore ad-
huc ſub poteſtate ſua ducatum Slesvicenſem jure belli de-
nuo acquiſitam, non reſtituturus illam forte Duci, niſi
cum nexu fiduciario. Vid. de hac lite *Schwederum* loc. cit.
p. 121.

(c) *Seelandia*) Inſula opulentiſſima ipſa regia donata,
præterquam 12. civitates, totidemque arces & parochias
347. complectitur.

(d) *Funia*) Fionia, ab amœnitate nomen habens, civitates
octo, quorum primaria eſt Ottenſea ſedes epiſcopalis, &
264. parochias rurales complectitur. Agros tam pin-
gues habere dicitur, ut ſtercorari non indigeant.

(e) *Lalandia*) Ita dicta ab humili depreſſoque ſitu.

(f) *Langelandia*) A longitudine ſic dicta, cum ſeptem mil-
liaria germ. longa, duo tantum lata ſit, arcem regiam
Truneckeram habet.

(g) *Mœnia*) In Oceano candidis Cretæ montibus conſpicua

eſt, & urbem Stegam regiamque Elmelundam oſtenrat.

(h) *Et aliæ*) Uti 1.] inſula *Amack*, ſive Amagria Hafniæ
ponte ligneo a Chriſtiano IV. juncta ejusque penuarium
dicitur, quod elogium Hollandorum induſtriæ debet,
qui a Chriſtiano II. in gratiam Iſabellæ Reginæ & Caro-
li V. ſororis e patria evocati hic ſedem acceperunt.
2.] *Bornholmia*, cujus arces ſunt Sanewicum & Hamershu-
ſium, oppida Nexoa, Rundea. 3.] *Falſtria*, quæ duo
oppida regiasque arces, Nicopiam & Stubbecopiam
complectitur. 4.] Aliæ minores, *Arroa, Samſoa,
Soltholm.*

(i) *Tempore Magni Sveciæ Regis*) De quo vide *Johannis
Meurſii continuationem hiſtoriæ danicæ. lib.* 4. *p.* 75. 89.
Holſatiæ comites quidam ſibi olim Scaniam pro ſex ar-
genti puri ſelibrarum millibus oppignoratam tenuerunt.
Cum vero Scani Holſatorum eorumque ſuperbi domi-
natus pertæſi eſſent, Magno Sveciæ Regi ſe ſuaque
omnia obtulerunt, cui adverſario Holſati ſe impares eſ-
ſe intelligentes, ſeptuagies mille ſelibris argenti a Ma-
gno Rege acceptis ſponte diſceſſerunt. Poſtea tamen
Waldemarus, Rex Daniæ, has regiones recepit, dete-
ſtantibus factum Svecis & Magnum convitio Smegum
appellantibus, quod blanditiis Valdemari turpiter ſe de-
liniri paſſus eſſet.

(k) *Gotlandiam*) Inſulam, quæ Gothiæ orientali accenſe-
tur, in qua Visbya celeberrimum olim totius Septentrio-
nis emporium, ubi jus nauticum marium ſeptentrion.
primo conditum fuit nomenque, inde juris Wisbyenſis ac-
cepit. Ceſſit Svecis per transactionem Bromſebroenſem,
una cum inſula Oeſelia.

(l) *Oelandiam*) Inſulam, in qua arces Borckholmia &
Oſtenbua. Olim reditibus Reginæ Chriſtinæ præbendis
deſtinata fuit.

(m) *Perdiderunt enim omnia*) Nempe poſteaquam præci-
puæ illæ Gothiæ partes, Sconia, Blekingia & Hallandia
per transactionem Rotschildienſem ad Suecos tranſivere,
plane omni in Gothiam jure excidere Dani. Cæteroquin
ab antiquis etiam temporibus Sveci & Gothi, ut plurimum
uni paruerunt Regi, & ſic in unam fere gentem coaluc-
runt.

(n) *Crantzius ignorat*) Videtur tamen cauſas afferre tres
& quidem 1.) lib. 1. c. 10. quod devicto in acie Sturmico-
ne Vandalorum Rege in Daniæ ditionem conceſſerit Van-
dalia. 2.) Quod Canutus Obotritorum Rex fuerit,
isque titulum ad poſteros transmiſerit. lib. 3. Vandalic.
c. 30. 3.) Quod magna pars littoralis Vandaliæ multis
bellis acquiſita paruerit Regibus Danorum, lib. 3. c. 30.

catus Mecklenburgicus & Pomerania, hunc tractum aliquando tenuere Dani, ſed non diu. Eundem titulum regni Vandalici jam temporibus Guſtavi primi, & Sueci ſibi arrogarunt, qua de *cauſa neſcio.* (a) Hoc obſervavi, ante Guſtavum neminem dictum der Wenden Kœnig. Ante hunc omnes dicti der Gothen und Schweden Kœnig. Imo Olaus Magnus in ſuo libro, quem dedicat Guſtavo primo, nominat ipſum tantum Suecorum & Gothorum regem, omiſſo titulo *Regis Vandalorum.* (b)

Licet autem Reges Daniæ ſe appellitent Reges Vandalorum, tamen ne glebam ejus tenent. Illud enim regnum Slavicum ſive Venedorum jam dudum periit & quidem jam tum ante 400. annos manet *titulus inanis* (c) nec quicquam juris in ullam glebam terræ venedicæ Dani amplius habent; quod in Rugia, ſuper erat ipſis juris, etiam jam periit. Situs regionis (d) ita comparatus eſt, ut terreſtri itinere non facile infeſtari poſſit, neque ibi poſſint incurſiones ex ea facere, niſi quod in Iutiam incurrere poſſint, ex Iutia, viciſſim in Germaniam.

Hinc contigit, quod, ex quo ſtetit germanum imperium, non ſemel germani in illam terram excurſiones fecerint & Iutiam occuparint. Henricus Auceps, impetu facto in Iutiam, conſtituit ibi Marchionatum Slesvicenſem, & ita potiorem partem germanico imperio ſubiugavit, ſed cum ſeſe denuo in libertatem vindicaſſent, majori felicitate totam ſubjecit ſibi Iutiam filius ipſius Otto Magnus. Ille venit ad ultimum promontorii ejus, ex quo haſtam projecit in mare, ut oſtenderet, ſe etiam eſſe Dominum maris, inde adhuc hodie der Otten Sünd. Omnes Archepiſcopatus conſtituit etiam ibidem, ſed non diu *regum noſtrorum imperium duravit* (e) in Iutios, quia claſſe imperium noſtrum non valeret. *Ante 40. annos* (f) igitur univerſam Iutiam occupavit Ferdinandus, ſed iterum cedere coactus eſt. Quid nuper in bello Suecico factum, conſtat, tota enim Iutia occupata erat a Suecio, quod non factum eſſet, niſi via parata eſſet duriſſimo frigore, alias reliquæ inſulæ ſatis etiam ſunt tutæ. Sconia iterum nonniſi una parte poteſt adiri terreſtri itinere ſcil. qua parte juncta fuit Sueciæ; hodie autem cum ceſſit Suecis, non poteſt adiri terreſtri itinere.

Inſulæ danicæ *carent portibus*, (g) & ita appulſus navium eſt admodum infrequens, non datur enim ibi navium ſtatio. *Chriſtiano IV.* (h) rege cæperunt Dani ſibi arrogare non tantum jus aliquod in proximum mare, quod alluit terras danicas, ſed & in univerſum *mare Balthicum.* (i) utrum antea id ab iis factum, dubito. Igitur implorati a Dantiscanis, non dubitavere naves Polonicas, quæ a Dantiscanis vectigal exegere, auctoritate regis Poloniæ repellere aut ſui juris facere, eo prætextu, quod nemini liceat vectigal exigere, invito aut nolente Dano domino maris Balthici.

Poloni hanc injuriam devorarunt *& ſcriptis* (k) eam voluerunt vindicare, cum alias nulla ipſis ſuppeditarent arma. Jus autem, quo nitebantur Dani, erat, quod clauſtra iſtius maris ſcil. circa Oreſundam & Elſignoram tenerent ita argumentati: Quicunque ſunt domini clavium, illi etiam ſunt domini ædium, quod quam exigui momenti ſit, facile *apparet*, (l) 1) enim vicini poſſunt exercere commercia per univerſum mare Balthicum non trajecto freto ſundico. Ergo certe pro clavibus id venditari nequit. Præterea non valet conſequentia: illi ſubditum eſt fretum iſtius maris; ergo ſubſequens totum mare teneri debet. Eodem more poſſet rex Hiſpaniæ argumentari, & ſi freti herculei clauſtra occupaſſet, poſſet ſe dominum venditare univerſi maris mediterranei. Alias ſi velimus antiquos mores adſpicere, accolæ nunquam credidere, unum quendam eſſe dominum maris Balthici, ſed eſſe mare liberum, exceptis partibus littoralibus, quod oſtendimus cap. ult. de finibus imperii. Et ſane ante 200. a Lubecenſes & reliquæ urbes hanſeaticæ plus valebant claſſe, quam omnia regna ſeptentrionalia, imo Lubecenſes ope ſociorum ſuorum totam Daniam

(a) *Cauſa neſcio*) Facile apparet, id ideo factum, quod Daniæ Reges oculum Gothiæ nollent expungere, etſi parum aut nihil ejus poſſiderent. Obſervandum tamen, Vandalorum & Gothorum titulum, Reges Sueciæ quidem admittere, ſed inverſo ordine, ut non Vandalorum & Gothorum, ſed Gothorum & Vandalorum reges ſe ſcribant.

(b) *Regis Vandalorum*) Hodie ratione Vandalorum, idem nomen & Rex Sueciæ & Elector Brandenb. adhibent ratione Pomeraniæ, ſed ducum titulo. Item Duces Megapolitani, ſed principum titulo.

(c) *Titulus inanis*) Qui ſaltim ex more priſco retinetur reſpectu regii cujusdam juris in illas Venedorum terras. Titulus autem Nordalbingiæ olim & ipſe a Regibus Daniæ uſurpatus jamdudum deſiit.

(d) *Situs regionis*) Eadem, & quæ ſequuntur, iisdem fere verbis excerpſit Chriſtianus *Funccius* in *quadripartito orbis imperantis breviario p.* 439. 440.

(e) *Regum noſtrorum imperium*) Interim tamen Daniæ regnum per aliquod tempus imperio germanico obſtrictum fuit jure fiduciario, de quo vide *Schwederum* l. c. p. 60. ſſ. Et Fridericus I. Imper. Merſeburgi regnum Daniæ a Canuto Rege in feudum accepit, de quo teſtimonium plane ſingulare ex manuſcripto allegat & illuſtrat *Joh. Petrus Ludowigius* in *dilucidatione aureæ bullæ Part.* 2. *p.* 979.

(f) *Ante 40. annos*) In bello ſcilicet tricennali, cum anno 1625. Chriſtianus IV. huic ſe implicaret, aſſumto Ducis circuli inferioris ſaxonici titulo, initoque cum Anglis, Belgis, Svecis ac Venetis fœdere.

(g) *Carent portubus*) Sunt tamen in Seelandia Corſor, Callemburg, Holbeck, Wordingburg, in Fionia Neuburg, Aſſens, Kerſeminde, in Iutia Halburg, Aarhus, Horſens, Rinkiobing, in Falſtria & Lalandia, Nakskow, Nykioping &c. vid. *Defenſe du Dennemarck. p.* 20. *p.* 59.

(h) *Chriſtiano IV.*) Quia Sunda clavis eſt maris Balthici, hujus cauſa & inprimis propter vectigalia pendenda inter Daniæ Reges & alias gentes ſæpius diſceptatum fuit. Sub Chriſtiano IV. Belgæ violentam perruptionem minitabantur, donec tandem una cum Svecis per transactionem Bromſebroenſem liberum tranſitum obtinuere. Cui quidem Dani pacificatione dundenſi poſtea iterum derogare voluerunt, ſed incaſſum, usque dum per ultimam pacificationem Suecis denuo vectigalia imperata fuerunt.

(i) *Mare Balthicum*) Impoſitum hoc nomen mari eſt primo ab Adamo Bremenſi, Helmoldo & Crantzio. Vid. *Funccium p.* 438.

(k) *Et ſcriptis*) Prodiit hac de re ſcriptum, cui titulus. *Mare Balthicum, ſive hiſtorica deductio, utri Regum Daniæ ne, an Poloniæ prædictum mare ſe deſponſatum fateatur & agnoſcat?* quod ſcriptum etiam germanice tranſlatum eſt. conf. *Schwederum p.* 127.

(l) *Apparet*) Excerpſit iſta uti & alia omnia *Chriſtianus Funccius* loc. cit. p. 450. 451.

niam fecere ſui juris & quidem retinuere tamdiu, donec conceſſerunt illis libertatem. Slavicæ etiam gentes olim validas habuerunt claſſes & ipſis Danis fuere ſuperiores.

Norvegiam quod attinet, illa itidem una cum regno Sueciæ conſtituit *ingentem*(a) peninſulam. Si Sueciam excipias, ingens tractus iſtius regni alluitur Oceano ſeptentrionali. Et a Suecia diſtinguitur perpetuo jugo *excelſorum montium.* (b) *Sueci ſoli* (c) Norvegiam terreſtri itinere petere & Norvegi Sueciam; reliqui claſſibus eam adire coguntur.

Ad Norvegiam pertinet tota *Islandia*, (d) quæ eſt tota juris norvegici, omnium ultima, quæ verſus Septentrionem in Europa incoluntur, unde exiſtimant nonnulli, eam eſſe Thulen, ſed hanc ſententiam refutavit Jonas Arngrimus. *Ille dicit*, (e) in illas inſulas nunquam veniſſe Romanos & unam ex orcadibus inſulis intelligendam eſſe per Thulen.

Grœnlandia etiam huc olim pertinuit & habitata aliquando ab iisdem cum Islandia incolis, ſed jam ab aliquot ſæculis *deſiit illa terra habitari*, (f) vel ſaltem deſiit peti navigio ab Europæis, ita memoria illius inſulæ ferme eſt extincta, ita in mappis fit mentio Frislandiæ inſulæ, ſed nemo eam novit. Sed ante a. 80. præter propter ab Anglis & Batavis inventæ ſunt terræ ad gradum 70. & 80. usque, & videtur veroſimile, hanc fuiſſe veterem Grœnlandiam, ſed nullum veſtigium humanæ culturæ ibi reperitur, nec conſtat, an ſit inſula ſ. continens. Quotannis tamen petitur ibi locus navigiis Batavorum, qui eo navigant piſcatum balenas, ex quibus magnas capiunt divitias. Batavi etiam ſingularem inſtituerunt ſocietatem quæ dicitur die Gronlandsfahrer. Inſulæ Orcades ſunt etiam adhuc juris norvegici, ſed Scoti illas poſſident. *Dani dicunt*, (g) illas inſulas datas eſſe in dotem filiæ, quæ nupta eſt regi Scotiæ ita tamen, ut poſſint, redimi, ſed Scoti, eas jam ab aliquot ſæculis poſſiderunt. Norvegi tamen dominium maris illius loci ſibi vendicant, quod eſt inter Orcades, Islandiam & Grœnlandiam, ſed reliquæ gentes illis nolunt hoc concedere, ſed dicunt omnibus gentibus liberum eſſe eo navigare. Cum autem Hugo Grotius conſcripſiſſet librum de mari libero, huic oppoſuit Seldenus Anglus librum ſub tit. maris clauſi. Licet autem ſatis docte refutaverit Grotium, tamen in eo peccavit, quod totius Oceani dominium Regi Angliæ voluit vindicare, ſed huic oppoſuit ſe Isaacus Pontanus, qui dicit, Oceanum ſeptentrionalem eſſe *juris norvegici*, (h) ſed reliquum Oceanum non curat, nec aliæ gentes ipſius rationes curant.

Nunc de ipſa terra & primum de populo. Regnum Daniæ *ſatis eſt populoſum*, (i) etiam hodie, ita

(a) *Ingentem Peninſulam*) Ita, ut a quibusdam dicatur, ſe quoad longitudinem in 300. milliaria extendere, licet quoad latitudinem in arctiſſimas admodum anguſtias contrahatur. *Baudrand dictionaire geographique p. 712. Elle (Norvegue) s' etend depuis le 58. degré de latitude jusqu' au 71. & quelques minutes, & elle a plus de trois cens cinquante lieux de cotes le long de l' ocean, mais ſa largeur eſt incomparablement moindre & fort inegale. Elle reſſemble aſſez bien a un monſtre marin, qui a la gueule ouverte, pour engloutir le Danemarc, les Gouvernemens de Bahus, d' Aggerhus & de Bergen en font la tete, qui a environ cent trente lieues de long & autant de large, le Gouvernement de Drontheim eſt le Corps du monſtre, qui va toujours en s' etreſiſſant depuis les deux derniers Gouvernemens jusqu' a celuy de Wordhus, qui forme la queue du monſtre &c.*

(b) *Excelſorum montium*) Qui a ſinu Codano usque ad mare album ſe extendunt, & vocantur Daare Field, in nonnullis locis Dofre Field &c.

(c) *Sueci ſoli*) Propter longam tamen montium perpetua nive contectorum interceſſionem neque terreſtri itinere Norwegia facile a Svecis adiri poteſt.

(d) *Tota Islandia*) Inſularum, quas Europæ accenſent, borealiſſima eſt in oceano ſeptentrionali ſita ad 65. gradus, & amplius latitudinis borealis, cui non ignobilem famam peperit ignivomus mons Hecla. Cæterum piſcationibus Danorum, Norvegorum & Belgarum nunc frequentatur, & præter duas urbes ſive ſedes epiſcopales Halar & Scalholt dictas, nec non Beſtede vel Kroninges-gard ſedem Proregis 300. Parochias complectitur. Inventa primum eſt ab Haraldo Harfagro Rege Norweg. a pirata quodam, qui eam appellavit Sneeland, poſt quem alius illuc miſſus eam Island vocavit, ex quo tempore plurimæ Norwegorum familiæ eo transfretarunt, ibique domicilium poſuerunt, unde & illa linguæ islandicæ cum norvegica affinitas extitit.

(e) *Ille dicit*) Præcipuum ejus argumentum eſt, Islandiam non eſſe Thulen, quia Thule jam veteribus cognita fuerit, Islandia vero demum circa ano. 874. habitari cœperit. Affirmant tamen hoc alii, *Adamus Bremenſis, Cluverius, Pontanus* &c. quorum hic Islandiam jam anno 824. ab Ansgario Chriſto adductam, ideoque probe cognitam fuiſſe contra Arngrimum probat, in cæteris facile concedit, ſi Islandorum lingua & alia reſpiciantur, a Norvegis ad Islandos cuncta eſſe derivata, præcipue cum Plinius teſtetur, e Nerigone ſive Norvegia in Thulen navigationes frequentatas fuiſſe.

(f) *Deſiit illa terra habitari*) Nam glacialibus montibus obſtructi fere omnes Groenlandiæ portus ejus notitiam nobis ademerunt, ut Norvegos vel in ea extinctos, vel ad interiora migraſſe neceſſe ſit. Cæterum Groenlandiæ hiſtoria a *Bleskenio* & *Fabricio* deſcripta eſt. Prodiit etiam *naukeurige Beſchryving van Groenland* Amſtalod. 1678. It. *Relation du Groenland* par *Iſaac Peyrere*. Præcipue notabile eſt *Friderici Mártens itinerarium Spitzbergam verſus Groenlandia,* quod etiam ex germanico in italicum ſermonem translatum eſt, ſub tit. *Viazzo di Spitzberga o Gronlanda*, nec non *Claudii Chriſtophors Lyſcandri chronicon Groenlandiæ.*

(g) *Dani dicunt*) Ideoque etiam in pacificatione Bredana anno 1667. Legati danici hac de re peculiarem articulum propoſuerunt, quem tamen legati anglici rejecerunt, quoniam de eo nihil ſibi in mandatis datum, neque in tractatibus proxime antegreſſis inſularum harum mentio facta fuiſſet, vid. *Diar. Europ. App. ad Contin. XX. pag.* 114. conf. de hac prætenſione *Schwederum p.* 129.

(h) *Juris Norvegici*) Noluerunt proinde Dani navibus gallicis anno 1637. piſcationem balænarum concedere, iisque inſigne damnum intulerunt, cujus quidem reparationem Ludov. XIII. R. G. poſtea urſit, ſed incaſſum, Danis opponentibus, Norvegis tantummodo hanc piſcationem competere, & Anglos quoque certum telonium Danis ſolviſſe, ut circa Islandiam piſcarentur. Vid. *Mr. de Hayes dans ſes voyages p.* 93. *G. Fournier en ſon Hydrog.* l. c. *ɩ*. 30.

(i) *Satis eſt populoſum*) Notat tamen *Etat du Royaume de Dennemark. p.* 101. de eo ſequentia. *Quoique le Dennemark ait du penchant a devenir extremement peuple parce que les femmes y ſont fort fecondes, ce qui ſe prouve ſuffiſament par ces prodigieux Eſſains de Danois, qui dans les ſiecles precedens inonderent toute l' Europe; cependant il n' a pas aujourdhui plus d' habitans qu' il lui en faut, le chagrin, la mauvaiſe nourriture & la pauvreté etant de grands obſtacles a la generation. Barclajus in icone animorum p.* 98. defectum incolarum in Dania tribuit inſano comeſſandi bibendique vitio.

ita ut numerus non deficiat, niſi quod Iutia non ſatis frequenter incolatur devaſtata nupero bello. Norvegia, pro magnitudine non multos habet homines. Olim abundavit hominibus, uti etiam omnes terræ ſeptentrionales numeroſiores olim fuere hominibus, quam aliæ terræ, quod mirandum, tam ſteriles terras tot potuiſſe alere homines. Sed ſæc. X. & XI. aliquid accidit. Normanni enim, vel ſeptentrionales populi, tanta copia emigrarunt, ut aliquot 100000. in alias terras abierint & quidem in Galliam, Hiſpaniam, Britanniam & Germaniam. Vexarunt mirum in modum has terras & quidem Britanniam, ut & Germaniam circa Friſiam usq; Aquisgranum vid. hiſtor. ſæc. IX. & X. conſcriptam a Calixto. Tanta autem eorum vis fuit, ut in Galliæ nobiliſſima parte perpetuas ſedes invenerint, nec aliter potuit pax fieri, niſi conceſſis his pyratis perpetuis ſedibus. Et qui hodie incolunt Normanniam, ſunt origine pyratæ ſeptentrionales. Similiter in Batavis, ſedes perpetuas ſibi ſumſere cum aliter pax conſtitui non potuit, unde etiam in Batavis nomen Hollandiæ & Seelandiæ mihi ortum videtur, ut ut Batavi non libenter audiant. Nam Rhegino abbas, illam partem appellat Danemarckiam. Hallandia debet nomen Hallandiæ & Seelandia etiam eſt inſula iſtius nominis in Belgio. Ego alias oſtendi*, illos populos, qui habitant in Dania & in reliquis ſeptentrionalibus ripis, tenuiſſe Germaniam & præſertim has terras & a gentibus germanicis pulſos eſſe in ſeptentrionem, multa ſunt hujus rei indicia & multa ſuperſunt nomina locorum, ut Helmſtadium, Schoninga, Warberg, etiam ſunt in Norvegia, & vox Elm, ibi eſt appellativum.

Hodie deficiunt homines in Norvegia & qui ibi adhuc vivunt, vix habent, unde vivant & qui ibi habitant, vivunt ex piſcatura. Hodie tota Norvegia non eſt amplius juris danici, ſed ingens *præfectura Bahus* (a) ceſſit regno Sueciæ, eſt enim tota Norvegia diviſa in 5. præfecturas; drunthemenſis olim etiam Suecis eſt conceſſa. *Ingenium incolarum* (b) eſt bonum, modo ſatis colatur, ad virtutes morales ſatis bene ſe habet. Norvegi hodie plane facti ſunt effœminati, non quidem vitio naturæ, ſed quod Dani, qui ipſis per 200. annos imperarunt, dederunt operam, ut illos redderent effœminatos, ut illis eo melius imperarent, ſerviliter enim ſunt *habiti & adhuc habentur.* (c) Qui autem ſunt animo erecto, illi, ita haberi non poſſunt. Et hæc etiam eſt cauſa, quare Dani non utantur milite Norvegico in ſuis bellis, quamvis ille populus olim fuerit fortiſſimus. Idem populus bellicoſus & effœminatus poteſt reddi alia atque alia educatione. Quod iis uti nequeant Dani ad bellum, teſtatur infelix nuperrimum bellum, in quo omnes facile ſub jugum potuerunt redigi. Hoc vero factum ſingularibus eorum artibus, qui præfuere regno Daniæ. Soli enim nobiles ad ſe traxerunt ſummam reipublicæ, contra quam olim erant, cum tamen numerus nobilium eſſet exiguus, præſertim eorum, qui regebant rempublicam. Erant quidem ſatis inſtructi divitiis, ſed ita tamen, ut non pares eſſent toti populo. Verum cum Olichargia & Ariſtocratia vix teneri poteſt, cum populus ſit bellicoſus, hinc uſi ſunt milite conductitio. Prudenter itaque illi pro ſtatu reipubl. egerunt, ne populus danicus redderetur *bellicoſus*, (d) & ſic factum, ut rempublicam nobiles caperent. Naturam alias non eſſe imbellem, res maximæ olim geſtæ *docent.* (e) Quod regionem attinet, quia ex variis & diverſis conſtat partibus, non uno eodemque modo etiam ſe habet & primo quidem Daniæ cœli ſolique qualitates legere poteſtis cap. 3. in libro, qui in Belgio hac de re prodiit, quamvis auctor meæ expectationi non ſatisfaciat. Politicæ enim parum gnarus eſt & reliqua pene omnia ex Iſatio Pontano deſumſit. De Norvegia addendum, ipſum norvegicum regnum non aptum multis alendis hominibus. *Eſt enim ſterile* (f) & frumenti non ferax & ſcopulis & montibus invium. Olim quidem aluit magnum hominum numerum, qui non vixere ex frumento, ſed ex re pecuaria, venatione, & quam maxime piſcatione. Et ut in univerſum de Germanis teſtatur Tacitus, quod non multum frumento victitarint, ſed lacte, ita etiam Dani victitarunt piſcibus. Nonnihil aptum eſt ad rem *pecuariam.* (g) Habet & fodinas metallicas. Habemus fodinas illas deſcriptas ab auctoribus rei metallicæ peritiſſimis & quidem oriundis ex Ducatu brunſuicenſi, quos conduxit Chriſtianus IV. Hi teſtantur, quod etiam *argenti ſit ferax* (h) &

(a) *Præfectura Bahus*) Per pacem Rotſchildienſem. Cæteræ præfecturæ ſunt, 1.) Aggeruſenſis. 2.) Drunthemenſis ſ. Nidroſiana, 3.) Bergenſis, 4.) Wardhoſienſis, cui ſubeſt cum Lappis vicinis Finmarchia tractusque ille univerſus Turſolem dictus, piſcatura præcipue inſignis Finmarchia etiam Takemarchia dicitur.

(b) *Ingenium incolarum*) *Baudrand* p. 712. ait: *les Norvegiens ſont robuſtes, courageux endurcis au travail & fort bon matelots.* Eorum quoque ingenia optime excoli poſſe, dummodo recte inſtituantur, docet experientia noſtrorum temporum, hodierno Rege Friderico V. id potiſſimum curante, ut artes in Norvegia efflorescant, & remotiores quoque incolæ in religione & ſtudiis recte inſtituantur.

(c) *Serviliter habentur*) Hanc ſervitutem, autor deſenſe du Dennemarck ait, non eſſe aliud quid in illis, *qu' une obeiſſance dure aux puiſſances Souveraines, & non interrompe par des ſeditions ou des rebellions.*

(d) *Bellicoſus*) Vid. *l' Etat du Royaume du Dennemarck. cap. 8. p. 86.* & quæ pro defenſione populi Danici aſſert *defenſe du Dennemarck p.* 144. 215.

(e) *Docent*) Etſi populus Danicus antea terreſtri militiæ parum idoneus videretur, hodie tamen variis bellis exercitatus admodum aptus redditus eſt armis, ut milite conductitio amplius non ſit opus

(f) *Eſt enim ſterile*) Autor libelli *Defenſe du Dennemark p 74.* etſi fateatur, Norvegiam ratione fertilitatis cum Dania non comparandam, ubi tamen terra excolatur, ſatis illam fertilem eſſe, nec deficere ei ad victum neceſſaria obſervat. Addit etiam, eſſe nonnulla loca, uti Hedemarken, Todten, Galbrandsdalen. quæ quoad fertilitatem nulli cedant agro danico.

(g) *Pecuariam*) Valles præcipue incolis habitatæ rei pecuariæ ob paſcuorum & pratorum affluentiam maxime ſunt idoneæ.

(h) *Argenti ſit ferax*) *Caſpar Bartholinus* in *ſyſtem phyſ.* p. 361. *hodie,* inquit, *vix locus in terrarum orbe tam argenti ferax, atque montes aliqui in regno Norvegiæ detecti anno* 1623. *ſub Rege Chriſtiano IV. magna enim fruſta eruuntur, quæ puriſſimum & optimum ſunt argentum ſine ullo ignis adminiculo.* Teſtantur id quoque præter alia, tot nummi unciales argentei Chriſtiani V. Regis autoritate cuſi, qui originis ſuæ memoriam in exteriori limbo ſervant ſequentibus verbis. Hæc Boreas

& omnium metallorum, modo illa metalla excolantur, *ſed incolæ ſunt alieni* (a) a rebus metallicis, alienos autem illa excolere nolunt concedere. Iidem eſt feraciſſimum abietum & *aliorum lignorum* (b) & hac in parte Regi poteſt præbere ingentem pecuniam quotannis, omne enim lignum, quod in nauticæ uſum cæditur, magnam partem Norvegia ſuppeditat univerſæ Bataviæ.

Idem regnum ingentem præbet *copiam piſcium* (c) induratorum (Stockfiſch) quod genus piſcium mittitur in univerſam Europam imo in Aſiam, ex illo genere piſcium vectigalia multum præbent. Non dicam jam de pice, quæ multum facit ad rem nauticam. Licet igitur non ferax ſit frumenti, tamen ad victum neceſſaria & utilia habet. Dania non habet metalla, nec adeo piſcibus abundat, aliquando habuit multum halecum, & teſtatur Helmoldus, qui vixit ſæc. XII. & ſcripſit res Danicas, quod olim ex halecum captura magnas acquiſiverint divitias, ſed hodie in tanta copia nec in ea bonitate capiuntur. Interim armentis abundat, nec ullibi tot reperiuntur pecora, & ingens copia boum quotannis agitatur in Bataviam, unde vectigalia regis & incolarum proventus non parum augentur. Fionia & Lalandia etiam multum frumenti præbent, ſed reliqua Dania armentaria re præſtat. Equorum autem, piſcium, metallorum omnium non ita abundat, ut poſſint in alias terras transportari.

Nunc de cauſa finali. Prius autem de *mutationibus*, (d) ut aliis omnis pene resp. varias patitur mutationes, ita & danica reſpublica multum hactenus mutavit, nunquam in Dania merum regnum ſ. Monarchia, ſemper tamen ibi obtinuit principatus & nunquam fuit ſine regibus. Saxonia hæc ariſtocratice & democratice partim adminiſtrata fuit ante tempora Caroli M. non enim partes Saxoniæ unum habuere regem, ut teſtatur Witeckindus l. 1. Ut in Suecia ſemper obtinuit regnum, ita & in Dania, ſed nunquam merum, ſed mixtum. Fatum autem talium regnorum apparet & jam in Dania, ubi interdum principatus, interdum popularis auctoritas, interdum regia præponderat. Olim in Dania is ſtatus obtinuit, qui nunc in Suecia. Ita ut *ad populum pertinuerint* (e) 1. Nobiles 2. Epiſcopi ſ. clerici, 3. Urbani 4. Ruſtici. Sed ſenſim hæc mutata. Iam enim excluſi ſunt agreſtes, qui facti ſunt ſubditi. Manſit tamen auctoritas epiſcoporum & nobilium. Et epiſcoporum auctoritas floruit usque ad tempora Chriſtiani III. quo *religio mutata*: (f) tunc enim Archiepiſcopis & epiſcopis ſubtractæ ſunt vires, ita ut eorum auctoritas pene concideret, ad negotia enim reip. non fuere adhibiti, & ita reſpublica pervenit ad ſolos nobiles, qui paulatim excluſere urbes, nec tamen omnis nobilitas participavit de juribus regni. In Polonia Suecia omnes nobiles ad hæc admittuntur, ſed in Dania ex nobilium numero nonnulli electi ſunt a rege, qui regni Senatores dicti, horum numerus crevit usque ad 28. ſ. 30. raro ſupra, raro infra penes hos & reges omnis fuit ſumma poteſtas, itaque habuit quid regii, ſed temperatum Ariſtocratico. Soli enim nobiles, quos rex judicavit optimos, admoti ſunt ad remp. Regia autem poteſtas in eo collocata fuit, quod rex ea, quæ ad ſummam reipublicæ pertinent, conſtituendorum poteſtatem quaſi ex dimidio habuerit, penes unum interim Regem tantum fuit conſtitutio primorum, nec illi potuere quid conſtituere ſine rege, ita ut diviſa fuerit reſpublica. 1 primo penes regem fuit eligere Senatores reipublicæ 2, conſtitutio omnium Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Abbatum, collatio omnium benefitiorum igitur, conſtitutio magiſtratuum tam ſacrorum quam Politicorum fuit juris regii. Ut & judiciorum conſtitutio præterea vectigalium publicorum proventus ceſſerunt ærario regio.

Nota: in regno Daniæ ab antiquiſſimis temporibus fuere multa bona feudalia, Belehnungen. Aſt non fuere hereditaria, ſed conceſſa ad vitam, ut in Germania olim erant feuda perſonalia, quæ deſinebant cum perſona. Et hac ratione rex multos ſibi *potuit devincire*. (g) Et hodier-

Cymbro fert ornamenta laborum. Nec aurum quoque fodinis Norvegicis deeſſe, teſtantur inde cuſi aurei nummi vulgo *Brillen-Ducaten* dicti, conf. *Bruckmanni magnalia Dei*, p. 225.

(a) *Sed incolæ ſunt alieni*) *Hagemeier. juris publici europæi epiſt. 1. p. 15.* Ante aliquot annos in hoc regno repertæ ſunt venæ argenti, divites ſane & puriores, quam alibi in Europa. Rex in fodinis utitor opera ruſticorum, a quibus plures alias occultari veroſimile eſt, ne ipſorum operæ augeantor.

(b) *Aliorum lignorum*) Norvegiam lignorum commercium commendat, quæ ex provincia Aggershuſenſi pro fabricandis navibus ingenti copia quotannis in Hollandiam, Hiſpaniam & alias oras evehuntur. Lapis quoque magneticus in Norvvegia copioſe effoditur.

(c) *Copiam piſcium*) Utramque Daniam & Norvegiam celebris variorum generum piſcatura nobilitat, in qua & ſuperiorum ſeculorum Reges ſibi maxime applauſerunt. Unde & Chriſtianus I. cum anno 1474. Romam proficiſceretur Pontificem. & Cardinales Hatengis, Afellis & Hermellinis pellibus donaſſe legitur, vid. *Hamelmann. chron. oldenb. p. 3. p.* 208. Præcipue, uti in Scotia, ſic quoque in Norvegia piſcatus halecum copioſiſſimus incredibilem eorum copiam exteris nationibus ſufficit, idque regnum pariter pelles pretioſas varias, ſebum, butyrum, corium, balænarum adipem toti fere Europæ ſuppeditat.

(d) *Mutationibus*) Eas in compendio exhibet *Becmann.* loc. cit. p. 619. 620.

(e) *Ad populum pertinuerint*) Ex nobilibus ſenatores regni olim electi ſunt, item præfectus aulæ, Mareſchallus, Admiralius, Cancellarius regni & ærarii præfectus. In eccleſiaſtico ordine ſeptem numerati ſunt Epiſcopi, Archiepiſcop. Lundenſis, Epiſcopus Rotſchildenſis, Othonienſis, Ripenſis, Wiburgenſis, Arhuſienſis & Slesvicenſis. Ruſtici duum generum fuerunt, alii Freibunder dicti, qui hereditaria bona, alii, qui non hereditaria, ſed conducta bona poſſederunt, quibus tamen nullum votum fuit.

(f) *Religio mutata*) Mutatio religionis jam ſub Friderico I. fieri cœpit. Atque is nobilitati danicæ, cujus favore potiſſimum loco ejecti Chriſtierni II. Rex electus fuerat, tantum indulſit, ut ſinguli demto tantum nomine Comites & Barones videri potuerint. Unde & Clerum ſibi adverſum habuit, cum Chriſtiernus regnum repetitum veniret.

(g) *Potuit devincire*) Quisque enim expectans bonum aliquod feudale, neceſſum habebat, ut blandiretur Regi, penes quem collatio erat feudalium. Hodie vero bona illa feudalia abolita ſunt, & una cum autoritate nobilitatis plane conciderunt, ac in ærarium Regis redacta ſunt, ſi qui vero ex nobilibus officiis præſunt, iis ſolvuntur ſalaria ex ærario.

diernus rex ibi multum potuit, quod & dignitates & beneficia, haberet ſolus & ærarium in poteſtate ſua. Ad hunc modum ſe habuit respub. a Chriſtiano III. usque ad Fridericum hunc III. Simulac autem obiit Chriſtianus IV. facta eſt mutatio. Antehac in Dania obtinuit ſuccedendi modus, uſitatus olim in Germania, ſcilicet partim hereditarius partim electitius. Succeſſio hereditaria erat, ut quilibet filiorum præſertim natu maximus habitus fuerit heres, ſi aptus eſſet ad capesſandam rempublicam, interim tamen ereditum fuit, ſemper licitum eſſe populo, ſolio pellere reges, ſi nimirum non apti eſſent, ita ſemper acceſſit electio populi, ut ex lectione hiſtoriæ danicæ apparet. Cæterum ubi exſpiravit *priſca familia regia* (a) magis magisque cœpit florere electio. Primus enim electus fuit *Chriſtianus*, (b) Comes Oldenburgicus liberrimo arbitrio Senatorum regni. Huic ex parte jure hæreditario, ex parte electio ſucceſſit Johannes filius, huic *Chriſtianus II* (c) qui cum peſſime adminiſtraret rempublicam, & Tyrannidem exerceret, unanimi conſenſu regno pulſus & electus in ejus locum fuit *Fridericus*. (d) Ex eo tempore floruit electio, ita tamen, ut hereditarii juris habita ſit ratio, donec tandem Chriſtianus IV. eſt mortuus. Ex quo tempore autem obtinuit electio, crevit auctoritas ſenatorum regni, qui non ſecundum veteres leges eligebant, ſed novas condebant, cumprimis tales conditæ, cum hodiernus rex Fridericus III. eligeretur, copitulatio illa ita enim reſtrinxit poteſtatem regis, ut plane novam faciat. Similiter ut fit in Germania, ubi ſemper novæ accedunt leges capitulares cum magno reip. noſtræ malo. Cæterum ante biennium ingens facta mutatio, cum enim ſenatores regni infeliciter adminiſtrarunt rempublicam, & magnam partem opum regni & ſuæ autoritatis per bellum Suecicum deperderent, ingens populi odium in ſe derivarunt, adeo ut ille occaſionem daret mutandæ reipublicæ. Jam igitur longe alia facies eſt iſtius reipublicæ atque antehac; ex nova enim mutatione omnis electio eſt in Dania abolita, ita ut ſucceſſio fit mere *hæreditaria*. (e) Præterea auctoritas ſenatorum regni eſt valde exigua & quidem tanta, quantam vult rex eſſe. Obtinet itaque ibi ſtatus plene monarchicus, & epiſcopi una cum ordinibus ſaltem in ſpeciem ad conſilium reip. admittuntur; Nobilium par eſt ratio, cum antehac non licuerit regibus adſciſcere peregrinos in numerum civium, tamen hodie ipſi ſoli eſt conceſſum ita ut poſſint omnia jura nobilium concedi peregrino.

Nam hodie in republica potiſſimo in loco ſunt Germani, vix unus atque alter *indigena* (f) admovetur ad ſummas digitates, adhibentur plerumque peregrini Holſati, qui a rege adoptantur. Qui igitur hodiernum ſtatum vult petere ex libris, oppido fallitur, nam hæc mutatio ante pancos annos facta. Bellum igitur illud ceſſit infeliciter regno, feliciter tamen regi, ſed per fatum. Feſſi enim Dani impotenti dominatione procerum, omnia ad unum *tranſtulerunt*, (g) quod etiam Romanis ita accidit Regnum Norvegiæ ſemper fuit regnum ſui juris & plane diſtinctum a Dania, ſed factum, ut ultimi regis Daniæ antiquæ familiæ filia Margaretha nuberet regi Norvegiæ, ita cæpere hæc regna uniri. Margaretha fuit virilis animi fœmina germ. dicebatur die ſchwarte *Grete* (h) hæc peperit filium unicum utriusque regni heredem. Eodem tempore interiit familia regum Sueciæ, atque ita Margaretha facta eſt *Regina Sueciæ* (i) & ita trium regnorum ſimul regina dicta.

Populi trium illorum regnorum *fœdere facto* (k) perpetuam unionem iniere; ut trium illorum

(a) *Priſca familia regia*) Priſcæ familiæ Regum Daniæ hæ numerantur. 1. Danorum ſ. Selandorum a Dano I. ad Hotterum Suedo Danum Regem. 2. Suedo Danorum ab Hotteto usque ad Unguinum Gothlandum. 3. Gothlandorum ab Unguino ad Borchardum 4. Scanorum a Borchardo ad Olaum Vegetum. 5. Norvegorum prior ab Olao Vegeto ad Sivardum II. 6. Norvegorum poſterior a Sivardo II. ad Suenonem Eſthritium. 7. Anglo Danorum a Suenone Eſthritio ad Chriſtianum I.

(b) *Chriſtianus I. Comes Oldenb.*) Electus fuerat Adolphus, Dux Holſatiæ, ſed ille ſeu ſenio conſectus, ſeu dubius, qoo ſucceſſu res danicæ valituræ eſſent, ſpreto honore, Chriſtianum commendavit.

(c) *Chriſtianus II.*) Tria ille regna poſſedit, & ſex fere ſibi habuit obſtricta fœdere aut matrimonio. Tanto tamen de faſtigio deturbatus fuit, nec reſtitui potuit, actisque miſere in exilio annis novem 27. in carcere obiit anno 1569. natus annos 77.

(d) *Fridericus I.*) Filius ſecundo genitus Chriſtiani I. qui metu adductus regnum accepit, eo quod nobilitas minitata erat, ſi recuſaret, ſe Ducem Geldriæ vel alium quempiam electuros.

(e) *Hereditaria*) Confecto nimirum bello ſuecico anno 1660. medio Octobri conſenſu ſtatuum eccl. civicorum & ruſticorum regnum Daniæ in hæreditarium tranſiit, hæreditate ejus Frider. III. ejusq; poſteris in perpetuum adjudicata. Cui tandem & nobiles aſſenſere, licet eo ipſo multum depreſſi & legibus aliis poſtmodum male habiti. Sancitum enim, ut Ruſtici Falſtriæ, Mœnæ &c. libertatem acciperent, nobilium vero, niſi de republica optime meritus & Baronis titulo ornatus vitæ ac mortis poteſtatem in aliquem haberet, qua ratione etiam prædia ſua clientatia novis conditionibus a Rege præſcriptis, quaſi conducere coacti ſunt. Vid *Diar. Europ. contin. IV. p.* 385. 386. *l'Etat du Royaume de Dennemark p. 56. ſſ.*

(f) *Indigena*) Id vero Dani hodie ægre ferunt, unde & invidia ac odio in Germanos flagrant, quamvis illud diſſimulent, ingenio etiam, ita comparati, ut ſint ſuſpicioſi, aſtuti, ſuperbi & philauti, ſeveri & ad lites proni ac pertinaciter opinionem ſuam defendentes. Vid *Forceium* loc. cit. p. 441.

(g) *Tranſtulerunt*) Et certum omnino eſt, quod nobilium libertas & privilegia impedimento fuerunt, quo minus alia atque alia in prioribus bellis feliciter pro Regibus ſuccederent, adeo, ut Tacitus vere dixerit, res magnas geri non poſſe, ſi uni detur imperium. Ante duo prope ſecula Daniæ nobilitas pro ſua libertate cum Sigismundo Poloniæ Rege & civitate Lubecca adverſus ipſum Daniæ Regem fœdus percuſſit, quo majeſtatis crimine nullum gravius fuiſſe judicat BODINUS *de republica* lib. 1. c. 7.

(h) *Grete*) A Saxonibus. Dicta etiam a Suecis per convitium regina ſine bracca & monachorum ancilla. Vide MEURSIUM p. 97.

(i) *Regina Sueciæ*) Nimirum cum jam per conjugium Haquini Regis Norveg. Daniam & Norvegiam conjunxiſſet, & Albertum Megapolitanum Sueciæ Regem, (qui ei per contemtum antea miſerat cotem longam, qua acus ſuas ſorficesque exacueret, quæ olim Rotſchildiæ in majore urbis templo, ut teſtatur Meurſius, hodie vero in cathedrali templo Upſaliæ ſervatur, vid. LOCCEN. *hiſt. Suec. l. 2. p.* 112.) prælio viciſſet, regnumque ejurare coegiſſet.

(k) *Fœdere facto*) Anno 1395. trium regnorum ordines, auctoritate Margarethæ perpetuum hoc inter ſe fœdus inierunt, ut ſub uno inposterum Rege eſſent Dania, Nor-

lorum regnorum unus eſſet Rex, quod Saxonibus & accolis maris baltici minus placuit, ob nimiam potentiam, ſed *fœdus hoc non diu duravit.* (a) Sueci enim conqueſti ſunt, ſibi a Danis injuriam factam in electione Regis, quia Dani ſibi ſolis poteſtatem ſumſerint eligendi Reges.

Quod autem non injuria conqueſti ſunt Sueci de injuria Danorum, ex regno Norvegiæ apparet. Cum enim Norvegi antehac ejusdem eſſent juris & libertatis, id egere Dani, ut in ſervitutem redigerent illud, quod & factum. Omnis enim respublica ſive ſumma poteſtas in Norvegia hodie periit.

Inter Reges & proceres de regno Norvegiæ non convenit; Reges enim in illud prætendunt jus hereditatis, proceres hoc negarunt usque adeo, ut familia Ducum Holſatiæ ſumſerit titulum heredis Norvegiæ, ſunt enim duces Holſatiæ oriundi ex regia familia; Fundamentum hujus prætenſionis fateor *me hactenus neſcire.* (b)

Henn. Arniſæus peculiarem ſcripſit librum de jure hereditairo regnm in Norvegia, ſed ille liber hactenus nondum eſt publicatus, certum tamen eſt, quod non ſit amplius ſingularis resp. regnum Norvegiæ. Summum ibi munus habet *aliquis Danus* (c).

Hic duo poſſunt in quæſtionem venire. 1.) Quæritur: Quomodo fieri potuerit, ut ſine magno motu tanta auctoritas nobilium conciderit atque quomodo potuerit respublica ex ariſtocratico ſtatu in monarchicum mutari ſine tumultu? Reſpondetur. Cauſa capitalis fuit prima hæc & potiſſima, quod nobiles & ſenatores regni adeo male adminiſtraſſent rempublicam, ut omni populo & ipſismet totum regimen fuerit inviſum. Prævaluit reliquus populus potentia nobilibus, non enim hi nobiles adeo multi fuere nec adeo potentes, cum nullis munimentis eſſent instructi, quid igitur potuerunt agere, cum viribus non pares fuere nedum potiores, quod tamen eſſe debebant, ſi ſtatum ſuum eſſent conſervaturi.

Jamdudum doluere clerici, ſe a nobilibus loco pulſos, populus etiam dolebat, nobiles ad ſe ſolos rapuiſſe imperium, ſed populus nolebat quicquam moliri. Enim ipſe rex nihil in republica mutatum voluit. Aſt cum rex & de mutanda republica cogitavit, facile populus in eam ivit ſententiam. Accedebat, quod ſenatores propter malam adminiſtrationem omnem auctoritatem perdidiſſent. Cum autem illi, qui adminiſtrant rempublicam, contemnuntur, facile mutatur respublica. Hinc Ariſtoteles docet, ad conſervationem reipublicæ facere, ut evitetur contemtus 1.) altera cauſſa eſt, quod rex illo tempore non eſſet instructus milite conductitio peregrino, atque adeo valido, ut unus ſuffeciſſet ad hanc mutationem faciendam, ſed niti hanc mutationem non tam milite conductitio, quam conſenſu populi & ejus benevolentia, facile apparet, cum nullus miles vel certe exiguus tantum ſuperſit hodie, nec tamen ulli audiantur motus, ſed omnia ſint in tranquillo ſtatu ringentibus etiam nobilibus. 2.) Quæritur: an jure potuerit mutatio fieri? prætendi hoc poteſt, quod Rex juraſſet longe aliter, & populus jamdudum a republica eſſet ſemotus, ſed reſpond. omnem ſtatum pro ſumma lege habere utilitatem populi, niſi plane ſit ſervilis; igitur cum populus aliter ſtare non poteſt, recidunt omnia in ſuperiorem illam legem, ſalus populi extrema lex eſto & per conſequens concidunt leges fundamentales & ſupremæ illi cedunt.

3.) Quæritur: Utrum tanta mutatio reipublicæ poteſt eſſe ſtabilis, atque adeo an hic ſtatus poſſit promittere ſibi diuturnitatem. Interdum enim mutantur respublicæ, ſed ſtatus non ſolet eſſe diuturnus, quæritur quid de hoc ſperandum? resp. omnis ſtatus diuturnitas æſtimanda eſt ex cauſis rempublicam conſervantibus & cum reſpectu habito ad cauſas internas & externas, quæ poſſunt mutare rempublicam. Quod attinet cauſſas internas, conſiderandum, an civiles motus ſint metuendi, qui poſſunt mutare rempublicam ſ. ſtatum illum. (Seditiones enim ſunt cauſæ internæ.)

Audiviſtis, niti hanc rempublicam *benevolentia plebis*, (d) oppidanorum Clericorum, igitur adparet, nobiles, cum ſint exiguis viribus, invito reliquo populo nihil poſſe movere. Vires autem nobilium ideo ſunt viliores, quod magnam jacturam opum ſuarum fecerint. Quorum bona ſunt in Jutia, ad paupertatem ſunt redacti, & cum bona feudalia, quæ in ipſorum Alimoniam cedebant in ærarium regis ſint redacta, vix dignitatem ſuam tueri poſſunt. Ad hæc accedit, quod cum nobiles per violentiam multum ſuis imponerent rusticis, & eorum ſudore ſe paſcerent, ruſticis illis major conceſſa ſit libertas, nec illis tantum tribuere teneantur.

Igitur nulli motus ſunt metuendi quamdiu reliquus populus favet præſenti ſtatui & quamdiu reliquum populum habet faventem, ſatis tutus eſt, aſt ſi illum offenderit, tunc rex eſt in magno

vegia & Suecia, isque alternis Danorum & Suecorum ſuffragiis eligeretur, quo fœdere deinceps in Comitiis Calmarienſibus confirmato ſex ordine Reges tria hæc regna conjunctim, quanquam non ſine querelis, tenuere.

(c) *Fœdus non diu duravit*) Cum enim Dani primarum affectarent, Sueci iterum peculiares ſibi Reges, mox Gubernatores elegerunt, donec tandem a Chriſtierno II. prorſus debellati antiquum fœdus anno 1520. inſtaurarent, mox vero propter ejus barbariem denuo diſſolverent.

(b) *Hactenus neſcire*) Ita & HAGEMEIER *juris publici europæi* epiſt. 1. p. 15. *Poſſident hoc regnum*, inquit, *moderni Reges Daniæ linea oldenburgica hereditario jure, adeo, ut his deficientibus, ad Holſatiæ Duces devolvatur, qui omnes regni Heredes in titulis ſe profitentur, cujus rei occaſio atque origo me latet.* At vero fratres olim Ducum & Heredum Norvegiæ titulo decorati ſunt. Atque hinc eſt, quod iſte titulus a Ducibus Holſatiæ retineatur.

(c) *Aliquis Danus*) Pro regendis ſubditis in Norvegiam ſemper aliquis mittitur ex præcipua nobilitate Danica, qui Chriſtianiæ reſidet.

(d) *Benevolentia plebis*) *Molesworth* loc. cit p. 275 il ſera tres a propos de remarquer, que l'on n'entend point parler en Dennemark de ſeditions, de Mutineries, ou de Libelles contre le Gouvernement. Mais tout le monde aime, ou paroit aimer ſon Roi, quelque maltraite qu'on ſoit, & quelque ex tremes, que ſoient les miſeres ſous les quelles on gemit. Je croi, que la principale raiſon de cela eſt l'egalité des Taxes, & la maniere de les faite &c.

magno periculo. Igitur populi benevolentia concilianda eſt regi, quod fit, ſi plebem, quæ alias non eſt capax bonorum, non tributis multum oneres & parcas ipſorum opibus. Reliqui itidem ex populo non erunt tributis onerandi, ſed honorandi, quantum fieri poteſt. In eo adhuc bene ſibi conſulit rex, dum cives Hafnienſes magno honore afficit, quorum in benevolentia ipſius ſalus vertitur. Cavendum etiam eſt, ne deterior ſit conditio populi, quam eorum, qui ſunt in Sconia ſub regimine Suecico, alias ſtatum reſp. ægre feret & mavelit eſſe ſub Sueco, quam ſub alio rege. A cauſis externis non habent, quos ſibi metuant, niſi *vicinos* (a) Suecos, quorum vires longe Danorum ſuperant vires. Antebac Dani illis erant ſuperiores, 1) quia Dani plura habebant vectigalia ad conducendum militem 2.) quia Dani vicinam habebant Germaniam, qua facile poterant militem conducere, conductum facile transferre. E contra Sueci erant diſſiti a Germania, nec militem conductitium poterant habere ad manus, ſed uti tamen milite domeſtico cogebantur.

Nunc *aliter ſe res habet* (b) 1.) vectigalia enim Danici regni ſunt imminuta. Potiſſima erant freti ſundici quorum parum ſupereſt, 2) regnum Sueciæ habet Ducatum Bremenſem, Pomeraniam, & Wismariam ut facile poſſit, undequaque adire Daniam. Præterea populus ſuecicus eſt magis militaris, quam danicus. Igitur Danus non niſi fœderibus eorum ſe ſalvum præſtare poteſt, quorum intereſt, Danum non venire in poteſtatem Sueci. Nuper pro Dano laborabant Batavi, quorum intererat Danum manere ſalvum. Porro oriente bello, difficile fuerit conducere militem, deficientibus vectigalibus, jam dictis autem tributis populus dedit præſentem ſtatum, nec tributis illis multum parare poteſt; igitur ſi propriis viribus velit dimicare Danus, neceſſe eſt, ut genus militiæ mutet, & utatur milite lecto, & tempore pacis exerceat ſuos armis tam in Dania, quam in Norvegia. Ita non opus erit milite externo, nullis tributis, atque adeo Rex erit ſalvus.

Omne regimen conſiſtit in pacis & belli negotiis. Pacis negotia bene ibi ſe habent, illorum gnarus erat *Chriſtianus IV.* (c) qui admodum erat ſtudioſus populi. *Quoad ſacra negotia* (d) ſatis bene ſe habet Dania, quod ibi non ſit varietas religionum, aut diſſenſus opinionum, neque ſuperſtitiones. Eccleſia bene ſe habet, ſcholæ etiam, habet etiam communem *academiam*, (e) & indigentibus ad ſtudia colenda aliquid *ſuppeditant*, (f) quod eſt ſignum bonæ republicæ.

Quod profana attinet negotia, ſatis floret iis, ut commerciis. Populus habet ea, quæ faciunt ad victum, judicia bene conſtituta, nec habent illi proceſſum longum, quo noſtræ reſpublicæ omnes laborant, ſed utuntur *patriis juribus*, (g) brevibus tamen.

Quoad belli negotia, minus bene ſe habet hoc regnum, quod vim conſtituerit ſuam in milite conductitio, quod militiæ genus mutandum. Præterea reſpublica ad belli negotia minus apta eſt, quod non munimentis eſt inſtructa. Munimenta eorum erant in Sconia, quæ ceſſit Suecis. Hafnia aliquantum eſt munita, & Sueci nonnulla loca munierunt, quæ cum utilitate Danorum jam conſervantur, ut ex relationibus audivimus. Intereſt enim regni, munimentis ſe munire, quod populum minus exercitatum habet, nec in aciem producere poteſt. Eſt autem Dania non ſatis inſtructa materiis, ex quibus arma ſunt conficienda, ſed illa poteſt ſuppeditare Norvegia. Vectigalibus quia non eſt inſtructum, vim non collocet in milite con-

(a) *Vicinos*) Peculiare caput de vicinis regni Danici, vide in l'Etat du royaume de Dennemark p. 212.

(b) *Aliter ſe res habet*) Hodie nervus rerum gerendarum amplior eſt. Nam mutata reipublicæ forma nobilibusque ademta poteſtate, majores Regi reditus acceſſere. Vectigalia freti Sundici, a Suecis reſtituta ſunt, aliisque modis incrementum accepere. Et creditur, ex ſola Norvegia Regem quotannis 10. tonnas auri, & quod ſupereſt, percipere.

(c) *Chriſtianus IV.*) Arces & oppida extrui curavit, Chriſtianſtadt in Scania, Chriſtianiam in Norvegia, in Opsloæ combuſtæ locum conditam, Chriſtianopolin in Bleckingia Gluckſtadium ad Albim, chriſtianpreis in agro Slesvicenſi,; quæ ipſum ingenio magis ad pacis, quam belli ſtudium propendenti fuiſſe indicant.

(d) *Quoad ſacra negotia*) Felicitatem eccleſiæ danicæ perſecutionibus, hæreſibus, & controverſiis inteſtinis hactenus immunis, *pec. oratione jubilæa* anno 1702. fuſius enarravit SEVERIN LINTRUPIUS. Conferri etiam merentur, quæ hac de re annotavit JOH. MOLLER. *in biblioth. ſeptentr. erudit. præfat. Apolog.* p. 31. RAUPACH *de præſenti rei ſacra & literaria ſtatu in Dania. p.* 14. 15. *ſſ.* it. 63. JOH. MEURSIUS theologos Danos ob ſummam animi moderationem & manſuetudinem laudavit, vid. *epiſtolar. ſelect. edit. Amſtelod.* 1699. *num.* 229 *p.* 139

(e) *Academiam*) Hafnienſem, quæ anno 1478. a Chriſtiano I. erecta eſt, quam Fridericus II. magno proventu auxit. Olim etiam inclyta fuit equeſtris Sorana pro nobilibus Danicis inſtituta, quam JOH. LAURENBERGIUS & JOH. MEURSIUS ſcriptis illuſtrarunt.

(f) *Suppeditant*) Hinc omnes ſtudioſi Hafnienſes ſunt vel beneficiarii communitatis regiæ, vel collegiorum Walckendorfiani, Medicei, Elerſiani, ſtipendiotum item Skeeliani ac Friſiani alumni, qui anniverſarias pro beneficiis diſputationes habere tenentur.

(g) *Patriis juribus*) Univerſæ provinciæ in certas præfecturas, danice Herret dictas, diſtinctæ ſunt, quibus præſunt judices legum danicarum periti. Neque enim ex jure juſtinianeo vel canonico deciduntur ſubditorum controverſiæ, ſed ex ſolo corpore legum danicarum, quod juſſu Waldemari II. anno 1240. compilatum perhibetur, & ſub Rege Chriſtiano IV. correctum & publicatum eſt. Dicitur alias *dat Judtſche Lowbuch*, ſive jus Cimbricum, de quo plura vide in MOLLERI *Iſag. ad hiſtor. Cherſon. Cimbr.* P. 1. c. 15. § 8. p. 260. *ſſ.* FRANCISCI ERNEST. VOGTII *comment. ad LL. juticas de homicidio* §. 2. *ſſ.* laudat has leges infenſiſſimus alias danici nominis hoſtis *Moleswortbius l Etat du Royaume de Dennemarck* c. 15. p. 260. cujus verba ſunt. *Mais a preſent que j' ai a parler des Loix de Dennemark, je commence par dire en General a leur louange, que pour l' equité, pour la brieveté, & pour la netteté jen'en ſache point dans le monde, qui en aprochent. Elles ſont fondées ſur la juſtice, & ecrites en Langage du pais avec tant de nettete, qu'un homme, qui ſait lire & ecrire, quelque ignorant qu' il ſoit, peut d' abord ſavoir ſon affaire & plaider meme ſa cauſe, s' il veut ſans advocat ou ſans procureur.*

conductitio. Ex hic apparet facille, quis ſit ſcopus. Reſpublica illa ab omnibus ſæculis fuit conſtituta ad ſalutem regentium & parentium. Non dubito & nunc eundem ſupereſſe ſcopum. Sed res Norvegiæ nonnihil aliter ſe habet, ibi enim res inſtituuntur ad utilitatem regentium, olim nobilium cum Rege, hodie unius Regis. Anne vero aliquibus immunitatibus ſint donati, aſſerere non poſſum. Hic attendendum eſt, in Dania obtinuiſſe regium aliquem principatum ex parte, ſed antiquæ familiæ danicæ jamdudum ſunt extinctæ. Hodie quæ rerum potitur, eſt germanica, derivanda ex Comitibus oldenburgicis, primus ex illa familia fuit *Chriſtianus I.* (a) iſtius nominis, quem liberrimo conſenſu elegere Dani. Primo elegerunt Adolphum Comitem Holſteiniæ, ſed cum eſſet ſenio confectus, & careret liberis, renuit dignitatem. Autor autem ipſis fuit, ut aliquem ex filiis ſororis ſuæ uxoris Comitis oldenburgici eligerent, quod etiam fecerunt & elegerunt Chriſtianum I. Chriſtiani filii duo ſunt, Johannes & Fridericus.

Johannis filius fuit Chriſtiernus II. Rex & Succeſſor. Hic Chriſtiernus tandem regno pulſus eſt, & obiit ſine prole maſcula. Aſt Fridericus, cum eſſet Comes Holſatiæ & Dux Slesvici, factus eſt Rex in locum nepotis & fratris Chriſtierni, qui propagavit & regiam ſtirpem & omnes Duces Holſatiæ, ex illa familia eſt *Fridericus III.* (b) cui Deus dedit liberos & quidem ſobolem maſculam non *unam.* (c)

(a *Chriſtianus I.*) Hujus Parens Dietericus, cum Legati danici ipſum hoc nomine adiiſſent, reſpondiſſe fertur; tres ſe filios habere, ſed ingenio differentes. Unum aleæ pariter ac luxuriæ ſtudioſum. Alterum ad bella juſta aut injuſta animo & manu paratum. Tertium metiri ratione cuncta, ne quid inconſulto ageret. Hæc ſenatui referrent, ſe quem ipſe prætuliſſet, libenter miſſurum. vid. *Becmanni* hiſtoriam orbis terrarum part. 2. p. 612.

(b) *Fridericus III.*) Primo Epiſcopus verdenſis, deinde Archiepiſcopus bremenſis, tandem Rex ſucceſſit parenti Chriſtiano IV. anno 1648. obiit anno 1670. Filii ejus Chriſtianus & Georgius, filiæ quatuor, ex quibus prima Johanni Georgio Principi Electorali Saxoniæ nupſit, ſecunda Chriſtiano Alberto, Duci Holſatiæ, Tertia Carolo, Principi Electori Palatino, Quarta, Ulrica Eleonora, Regi Sueciæ. Succeſſit ei Chriſtianus V. huic vero Fridericus IV. Rex hodiernus rerum geſtarum gloria inclytus.

(c) *Unam*) Addimus nonnulla colophonis loco. Inſignium quibus Rex Daniæ utitur, quæque numeroſis imaginibus abundant, hæc explicatio ſolet reddi, quod Leone novem corda tranſiliente denotetur *Cimbria ſeptentrionalis & Gothia.* Agno Amalinico *Gothlandia*, tribus Leonibus, quibus ſingulis tria corda adjecta, *Dania*, Dracone fulvo vel aureo in ſolo rubro, *regio Vandalorum*, Leone cum bipenni *Norvegia*, piſce coronato *Islandia*, Coronis tribus *unio trium regnorum Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ.* Geminis trabibus *Oldenburgum*, cruce alba *Delmenhorſtum*, binis Leonibus cœruleis in ſolo luteo *Cimbria meridionalis & ducatus Slesvicenſis.* Urtica alba in ſolo rubro *Holſatia*, cygno candido in ſolo rubro *Stormaria*, Equite cataphracto albo *Dithmarſia.*

Conſilia majora, cum civilibus, tum militaribus rebus in Daniæ regno deſtinata, potiſſimum quinque ſunt. Conſilium 1.] Status. 2.] Bellicum. 3.] Juſtitiæ. 4.] Ærarii. 5.) maritimum. Minora ſunt conſilium commerciorum, cancellaria &c. in quibus omnibus Rex & hereditarius Princeps ſemper Præſides ſunt. Ordines equeſtres duo ſunt, unus equitum auratorum, qui e collo ſuſpenſum gerunt elephantem gemmis & lapillis pretioſis exornatum. Alter Danebrogicus a Chriſtiano V. anno 1672. inſtitutus, ſeu potius inſtauratus. De ordine, quo ſequuntur & numero miniſtrorum vide *l' Etat du Dennem. p.* 105.

Præter prætenſiones Regis Daniæ in inſulas orcades, Ducatum Slesvicenſem, it. in mare balthicum ejusque dominium, jam ſupra memoratas, ſunt adhuc aliæ notatu dignæ. Rex enim Daniæ, tanquam Dux Holſatiæ, in civitatem hamburgenſem, Holſatiæ territorio comprehenſam, jura ſua prætendit, de quibus vide SCHWEDERUM loc. cit. p. 130 necnon in civitatis lubecenſis pagos quoſdam, de quo vid. GASTELL. *de ſtatu publico Europ. c.* 32. *p.* 962 *ſſ.* Iisdem lubecenſibus de jurisdictione in fluvium Travæ controverſiam movet, uti & bremenſibus de fluvio Viſurgi ratione comitatus oldenburgici. Præcipue vero jus ſibi reſervat in Gothlandiam & Scaniam retentis hujus regionis inſignibus non ſine contradictione Suecorum, de quo vide PUFFENDORFF *in hiſtor. Brandeb. lib.* 14. §. 69. quia & Suecis de inſula Rugana (uti conſtat ex propoſitione Danorum mediatoribus præſentata *dans les Memoires des Negotiations de la Paix de Nimwegen* tom. 2. p. 17) nec non de Lapponia controverſiam movet, de quo vide LOCCENIUM *lib.* 8. *hiſtor. Suec. p.* 490. *ſſ.*

Cæterum, quæ Regi circa rationes reipublicæ ejusque ſalutem obſervanda ſint, de iis agunt *l' Etat du Royaume du Dennemark* pag. 245. *Nouveaux interets des Princes* p. 308. ſſ. Amicitiam conſervet cum Anglis & Batavis, & Hanſeaticis ratione commerciorum, cum imperio germanico ob provincias huic annexas, cum Hiſpanis quoque & Luſitanis, ut indicat navigationes habeat eo ſecuriores. Caveat Principes Svecis faventes, aut cum iis fœderatos, eosque ſibi conciliare ſtudeat, ex iisque cumprimis Gallos, Electorem Ducesque Luneburgenſes, Landgravium Haſſiæ &c. Accreſcentem Ruſſici Imperatoris in mari Balthico potentiam veteatur, ne quid inde detrimenti capiat reſpublica, fodinas Norvegiæ ejusque culturam ne deſerat, claſſis quavis occaſione paratæ rationem habeat, Sundam arctiſſime cuſtodiat, bellicis temporibus exercitui & diſcriminibus bellicis, quantum fieri poteſt, ipſe interſit, ſubditorum amorem & benevolentiam, quam habet, integram conſervet, milites habeat exercitatos, ærario provideat, ne tot expenſis, quibus aliat vix carere nequit, nimis exhauriatur, denique nobiles eorumque potentiam ſemel fractam ſemper intra juſtos limites contineat.

Parent autem Regi Daniæ, quod adhuc notandum, præter partem Holſatiæ in Germania quoque Comitatus Pinnebergicus ad Albim, & Oldenburgicus ac Delmenhorſtanus ad Viſurgim, prope Bremam ad circulum Weſtphalicum pertinens, qui poſt obitum ultimi Comitis Antonii Guntheri anno 1667. danicis ceſſit, iisque anno 1673. in judicio aulico Viennenſi adjudicatus fuit.

DE

DE SVECICA REPUBLICA.

Initium faciemus de *ſcriptoribus*, (a) ex quibus memoria rerum ſuecicarum quam maxime poteſt peti. Antiquiſſima Suecorum memoria reperitur in Tacito, & quidem in uno ejus libro de moribus Germanorum. Quia enim Tacitus deſcripſit illo libro omnes populos Germaniæ; noluit etiam negligere Sueones, qui ſunt populi germanici, utpote cum lingua non niſi dialecto *differant a noſtra* (b) & licet magis differant a ſaxonica lingua: tamen voces ejusdem originis ſunt cum germanica. Mores & inſtituta Suecorum plane conveniunt cum antiquis Germanis, quorum mores nusquam ſincerius ſuperſint. Vide TAC. c. 44.

Sueonum civitates &c. Per *Suiones* (c) intelligit die Schweden: appellatio autem Taciti magis conveniens cum nomine proprio populi, quam *Sueci, aut Suedi*. Ipſi enim ſe vocant *Schwenske*, Danos *Dânske*, (d) Germanos *Teuſke*.

Suecia, & Norvegia a veteribus credita *fuit inſula*: (e) quod parum abeſſet, ſi ſinus finnicus cum mari Albo conjungeretur. Terram illam dixerunt Scandinaviam. Notandum autem, quod *Tacitus in tota Scandinavia nullam aliam gentem appellet, quam Sueones, neque Danos, neque Norvegos, cum tamen ſatis accuratam rerum Germanicarum habuerit notitiam*, & *Norwegorum longe antiquior ſit memoria:* ratio videtur hæc eſſe, quod tempore *Taciti univerſa* inſula fuerit *ſub imperio Sueonum.* (f) Et teſtantur monumenta Danorum, quod adeo fuerint potentes Sueones, ut totam Daniam, & Norwegiam ſibi ſubjugarint: cum Dani & Norwegi poſtea ſeſe vindicarunt in libertatem. *Quemadmodum nunc Sueonum nomen abſorbet nomen Gothorum:* quia illi his prævalent; ita tunc illud nomen Sueonum prævaluit.

Se-

(a) *Scriptoribus*) In ſcriptorum numerum, qui ad notitiam regni Svecici chorographicam, politicam & hiſtoricam faciunt, merentur quoque huc referri. MARTINI ZEILERI *deſcriptio nova regnorum Sveciæ, Gothiæ magniique ducatus Finlandiæ &c. cum tabulis areis. Diſcours de l' Etat & Coronne de Suede contenant une deſcription geographique de ſes Provinces, & un abrege de l' hiſtoire des Roys de Suede, Paris* 1633. *l' Etat preſent de la Suede avec un abrege de l' hiſtoire de ce Royaume traduit de l' Anglois*, (autore Meleswortbio) JOH. LUDOV. GOTHOFREDI *inventarium Sveciæ*. RUTGERI HERMANNIDÆ *peninſularum regnum Sveciæ*. JAC. TYPOTII *relatio de regno Sveciæ & bellis civilibus atque externis*. ERLANDI DRYSELII *lineamenta gloriæ ſvecicæ. Eſchauguette de la quelle on peut voir clairement l' etat illuſtre des Svedois & des Goths par JEAN MESSENIUS. CAROLI LUNDII differt. de Sveorum cum gentibus europæis &c. leges & pacta commerciis. JOH MESSENII, theatrum nobilitatis ſvecicæ, diſciplina Sveorum religioſa, civilis & militaris, Angliæ* 1632. *ANDR. BUREUS in orbis Arctoi, & præſertim regni Sveciæ nova & accurata deſcriptione. JOH. THEOD. SPRENGERI deſcriptio notitiaque regni Svediæ.*

Hiſtoriam veterem cumprimis executi ſunt. OLAUS RUDBECKIUS *in Atlantica ſive Manhemio* tomis tribus, de quo vid. *Struvii bibliotb. p.* 732. MATTHIAS PRÆTORIUS, cujus extat *orbis Gothicus, ſive hiſtoria de originibus, ſedibus, linguis, regimine, Regibus, moribus & converſione ad fidem omnium gothici nominis populorum*. Item *Mars Gothicus, ſ. tract. hiſtor. exhibens veterum Gothorum militiam, potentiam, arma, machinas, exercitationes bellicas, acies, &c.* HUGO GROTIUS *in hiſtoria Gothorum, Vandalorum & Longobardorum*, OLAI VERELII *comment. in antiquit. Svec. & translat. ex antiqua lingua gothica in latinam.* Ejusd. *hiſtoria Gothrici & Rolfi Weſtrogothorum Regum ex manuſcripto edita*. JOH. LOCCENIUS *in antiquitatum Sveo Gothicarum libris tribus*, qui poſtea ejusdem hiſtoriæ ſvecicæ lib. 9. comprehenſæ acceſſerunt, Francof. 1676. JOH. COCHLÆUS *in vita Theodorici Regis Oſtrogothorum*. ELIAS BRENNERUS *in theſauro nummorum Sveo Gothicorum*. JOH. MESSENIUS *in tumbis veterum ac nuperorum apud Sveonas Gothosque Regum*, uti & *in Scandia illuſtrata*, item *legibus Svecorum Gothorumque latine factis a Ragualdo Ingemundi*. JOH. BAAZIUS *in eccleſiarum Sveo Gothicarum inventario*. CLAUD. ARRHENIUS *in hiſtoria Svecorum Gothorumque eccleſiaſtica libris IV*. VASLOVII VITIS *Aquilonia ſ. Svecia ſancta*. JOH. STIERENHOCK *de jure Sveonum & Gothorum vetuſto*. *LAUR. PAULINI hiſtoria Arctoa libri tres. Hiſtoire des Revolutions de Suede depuis l' an* 1350. *jusqu' an* 1560. *avec un abrege chronologique par l' ABBE* de *VERTOT*. *JOH. SCHEFFERI, Upſalia antiqua.* Ejusd. *memorabilium ſvecicæ gentis exemplorum liber ſingularis.*

Ad hiſtoriam vero recentiorem faciunt. *SAMUEL KEMPENSKIOLÆ hiſtoria Guſtavi I. Exegeſis hiſtorica commemorans cauſas & acta, quibus ordines Sveciæ Sigismundum III. Regem Poloniæ abdicarunt, & Carolum IX. ſubrogarunt ab anno* 1604. *ad annum* 1608. Stockholm. 1610. *l' hiſtoire de la derniere guerre entre les Svedois & les Danois ab anno* 1610. *ad annum* 1613. *JULIEN PELEUS. PETR. BAPT. BURGI de bello ſvecico commentarii, quibus Guſtavi Adolphi expeditio in Germaniam comprehenditur. P. LANSBERG. bellum Germanicum Guſtavi M. nti & BOGISLAI PHILIPPI a CHEMNITZ belli Sveco germanici vol I. l hiſtoire de Guſtave Adolphe & de Charles Guſtave par le Sr. DE PRADE Memoires de ce, qui s' eſt paſſe in Royaume de Svede ab anno* 1645. *ad annum* 1655. *par VAUCIENNES. JOH. HENR. BOECLERI hiſtoria belli Sveco Danici anno* 1643. *ad ann.* 1645 *SAM. PUFFEND. comment. de rebus ſvecicis lib. XXVI. ab anno* 1628. *ad annum* 1654. *JOH. GILENII triumphus ſvecicus. PHIL. ARNALIBÆI Hoplophorus Sveco Regius. les anecdotes de Suede ou hiſtoire ſecrete du regne de Charles XI. les Campagnes de Charles XII. Roy de Svede* 2. *vol. Soldat Svedois* part. I. & II. *GALEAZZI GUALDI hiſtoria Chriſtina &c.*

(b) *Differant a noſtra*) De convenientia linguæ ſueo gothicæ & germanicæ, & utriusque differentia agit WEXIONIUS *lib.* 3. *c.* 7. 8. nec non *lib.* 4. *c.* 2. oſtendit ex Tacito convenientiam morum inter Sveones & Germanos veteres.

(c) *Sveones*) Sueonum, Sveciæ & Svediæ nomen antiquos boni ominis cauſa a juvenili vigore & maſcula virtute ſumſiſſe, cenſet LOCCENIUS, quod *Sven* juvenem vel maſculum denotet, Svedus vero ab exteris vocatus, quia terra Sveonum Sveaod & Svenod dicta fuerit, indeque commodioris ſoni cauſa Sved formatum. Vid. ejusd. antiq. Goth. lib. I. c. I.

(d) *Danske*) Ita dicuntur vel a Dano primo hujus gentis Rege, ut SAXO GRAMMATICUS ſentit, vel a Danſciunibus gente Scaniam olim incolente, ut PONTANUS arbitratur.

(e) *Fuit inſula*) Hinc *Tacitus* dicit, Sveonum civitates eſſe in oceano. Plinius dixit inſulam incompertæ magnitudinis.

(f) *Sub imperio Sveonum*) Sveciæ regnum reliquis antiquius eſt, a cujus Regibus tum Danorum tum Norvegorum veteres deſcendunt Regum familiæ. Dan enim primus Danorum Rex filius fuit Hameli Svecorum Regis. Norvegi autem in chronicis ſuis priusquam ad ſuos deveniunt, 25, enumerant Sveciæ Reges, a quibus originem traxit Haldanus Hwitben Rex Norvegiæ.

Secundum Tacitum mare Norvegicum ſ. ſeptentrionale ſtatim attingit Sueoniam, hodie remotum eſt a Sueonia, & attingit Norwegiam, ita ut illa videatur fuiſſe juris ſuecici

Quia & *Fenni* (a) hodie pertinent ad rempublicam ſuecicam; igitur & de his dicendum: quorum mentio ſit apud Tacitum, cap, 46. Loquitur ita de illis, Fennos *non fuiſſe originis Germanicæ.* (b) *Lingua illorum* (c) a ſuecica ita diverſa eſt, ut vix unam, atque alteram vocem intelligat Suecus. Lingua autem Fennica convenit cum Lettica, hoc eſt illa lingua, quæ obtinet apud ruſticos in Esthonia.

Apud Tacitum per Æſthyos intelliguntur illi, qui hodie incolunt Eſthoniam & Livoniam. *Esthones* (d) autem non fuiſſe origine Germanos, apparet ex cap 45. Taciti. Lingua Esthiorum cum Britannica olim convenit, & hodie eſt diverſiſſima a Germanica, convenit tamen quam maxime cum Fennica.

Tacitus ita deſcribit Fennos, quales hodie ſunt Lappi. Fennorum enim ratio vivendi hodie longe eſt alia. Poſt tempora Taciti Sueonum, & Fennorum memoria non licet reperiri, præterquam in Jornande, qui ſcripſit librum de rebus Gothicis, qui vixit in Italia tempore Juſtiniani, ipſe fuit Oſtro Gothus: vocat autem ipſos Sueticos: ignoravit autem pene res ſuecicas, quod jam tum aliquot ſeculis Oſtro Gothi extra Scandinaviam vixerant, Tempore etiam Taciti illi Gothi, qui magnas res geſſere in Italia, poſtea vixere in illo loco, ubi nunc eſt Hinterpommern inter Oderam, & Viſtulam, non amplius in Scandinavia. Interim nomen Oſtro Gothorum, & Weſtro Gothorum adhuc hodie manet in Suecia: ſive quod nomen ſedis, ſive quod reliquiæ eorum quædam *ibi remanſerint,* (e) Quemadmodum Bojohæmis contigit: Bojohæmum appellatur ab antiquis Bojis gente Gallica: hi pulſi fuere a Germanis, (Marcomannis ſc.) & transiere in Bavariam, & quidem pulſi a Marcomannis: interim nomen illud Bojorum manſit in loco, unde Marcomanni ipſi a loco dicti Bojohæmi. Marcomanni, relicta deinde Bojohæmia, transmigrarunt in Bavariam, ubi dicti iterum Boji: & ſexcentis & mille annis nullus Bojus fuit in Bohemia.

Poſt Jornandem in quoquam ſcriptorum non facile licet reperire nomen Suecorum, & Fennorum: idque propterea, quod res illæ ſeptentrionales plane eſſent ignotæ: cum nulla ſupereſſent monumenta: ut res Germanicæ ſupra mare Balthicum fuerunt antehac ignotæ. Prima memoria continetur tempore Caroli Magni & Ludovici Pii ſub ſeculum 9 & 10. quod tum temporis reperti ibi fuerint *homines pii,* (f) qui doctrinam chriſtianam ibi voluerunt prædicare, Et ita tum cœpit aliqua memoria rerum ſeptentrionalium: ſed admodum levis fuit,

Primus autem omnium, qui aliquid de iis memoriæ prodidit, eſt Adamus Canonicus Bremenſis ſeculo XI. tempore Henrici IV. qui librum conſcripſit de rebus ſeptentrionalibus: hic facit etiam mentionem reipublicæ Suecorum: liber dignus lectu omni, qui adſpirat ad accuratiorem rerum ſeptentrionalium cognitionem. Poſt Adamum hunc nonnulli libri confecti ſunt de eadem materia: quos hic narrare non prodeſt. Quod attinet monumenta ſuecica, nullum habeo compertum, quam librum Epiſcopi Erici Upſalienſis: & quidem adeo feliciter hic rem ſuam egit, ut nemo ipſi poſſit comparari, præter Albertum Schaffnaburgenſem. Dani habent ſuum Saxonem, qui paſſim in ſua hiſtoria ſolet res ſuecicas inſerere, qua fide, non poſſum dicere: ſed ipſi huic non multum fidunt Cæterum ſuperiori ſeculo nonnulli res ſuecicas majori cura tradiderunt, ut Johannes & Olaus Magnus, fratres: *Johannes* (g) inſtituit hiſtoriam omnem gentis ſuæ, qui tamen, ut & Jornandes, Gothos cum Getis confundit: at recte diſtinxit eos Cluverius. Gothi fuere diverſi a Getis, qui fuere Scythæ: cætera ſatis ſunt præclara. Idem tamen hiſtoriam Sueco-

(a) *Fenni*) Qui Tacito Fenni, Ptolomæo Finni, Jornandi etiam Scritofennæ & Finnaithæ dicuntur, Plinius *lib.* 4. *c.* 13 eorum regionem Fenningiam vocavit,

(b) *Non fuiſſe originis Germanicæ &c.*) Ita & SOLINUS *c.* 23. Fennos a Germanis excludit. Nec Mela germanicum nomen ultra Viſtulam profert. *lib.* 3. *c.* 3. Ex Aſia igitur veniſſe & Sarmaticæ potius originis eſſe arbitratur WEXIONIUS *lib.* 2. *c.* 8.

(c) *Lingua illorum*) WEXIONIUS *lib* 3. *cap.* 9. *Fennicam linguam*, ait, *peculiarem & originalem eſſe patet, cum a nulla alia exacte derivari queat. Etiamſi enim quadam vocabula Græcam aut Hebræam, aut alius linguæ originem ſapere videantur, longe plura tamen ſunt, quæ aliunde deduci nequeunt. Propriam enim habent flexionem in declinando & conjugando cum nulla alia congruentem. Imo & pronunciatione intantum ab aliis diſtat, ut qui aliam, quam Fennicam a teneris non didicit, neque in adulta ætate peregrinam rite enunciare unquam facile addiſcet.* Sequenti cap. 10. oſtendit Finnicæ & æſthnicæ linguæ convenientiam, & cum utraque Livonicæ ſive Letticæ cap. 11.

(d) *Eſthones*) Forte ab Aeſis ſive Aſianis litera x, inſerta ita dicti. Hos enim & Fennos lingua conjunctos ex Aſia veniſſe veroſimile eſt. Cæterum Eſthones ad Livoniam potius ſeptentrionalem referuntur.

(e) *Ibi remanſerint*) Exiverunt enim hinc quamplurimi olim, ut affines & conſanguineos ſuos in exteris regionibus habitantes inviſerent, " Sic JORNANDES refert, Rudolphum quendam Scadiæ Regem relicto regno Theodoricum Gothorum in Italia Regem viſitaſſe. Et WOLFF. LUZIUS teſtatur, ex his ſeptentrionalibus inſulis multas amplas quotidie manus ad populares ſuos Viſigothos & Oſtrogothos in Galliam & Italiam egreſſas eſſe. Quod videntes Sveciæ Gothiæque Reges, ne eorum ditiones incolis evacuarentur, leges poſtea rogarint, ne quis patriam relinquens, aliquam in ea caperet hæreditatem, ſed exiens ab hora exitus pro mortuo haberetur ejusque hæreditatem conſanguineus acciperet.

(f) *Homines pii*) Ex quorum numero primus fuit Herbertus, quem eccleſia Lincopienſis proto-paſtorem veneratur, dein de Ansgarius, Adalvardus, Witmarus - vide ANDREÆ BUREI *comment. politicum de Svecorum Regis dominiis & opibus ab Elzeveriis editum*, c. 8. p. 288.

(g) *Johannes*) Johannes M. de omnibus Gothorum Svecorumque Regibus ſcripſit, libris 24. edit Romæ ab Olao Magno 1554. recuſ. Argentor. 1607. Sed quod in Reges Daniæ iniquior eſſet, adverſarium in Dania nactus eſt *Petrum Parvum* cognom. *Roſapontanum*, qui Johannis Regis Daniæ res terſo dicendi genere, ut loquitur Pontanus, executus calumnias etiam Olai M confutavit. Hunc vero denuo excepit. JOH. MINORIS *retorſio impoſturarum a Petro Parvo in Svecorum nationem ſcriptarum.*

Suecorum ſatis accurate deſcripſit. Ejus frater *Olaus Magnus* (a) dedit hiſtoriam naturalem Sueciæ. Fuerunt autem Johannes, ut & Olaus gente Sueones, ſed uterque patriam reliquit: quo tempore religio ibi mutata: uterque enim addictus fuit religioni Pontificiæ. Cum autem Johannes abiret, jam tum fuit Epiſcopus upſalienſis, atque *abiit in Italiam*, (b) ubi in ſumma egeſtate vixit. Fertur in Suecia antea ſuperbe vixiſſe. Interfuit etiam concilio tridentino: ſed habitus ibi ſumptibus Papæ, ut poſſet dicere Papa, ſe habere ibi Epiſcopum Upſalienſem. In eundem titulum ſucceſſit frater Olaus: ſed non niſi titulo tenus vocabantur epiſcopi Upſalienſes. *Erici* (c) hiſtoria Stockholmi primum eſt edita, deinde iterum opera Johannis Loccenii prodiit.

Superiori porro ſeculo itidem conſcripſit, ut aliarum gentium ſeptentrionalium, ita & Suecorum res Albertus Crantzius; meretur legi, quia ſatis accurate perſecutus eſt omnia, quæ ex aliorum monumentis haurire potuit. Noſtro tempore nonnulli etiam ſcripta edidere de republica ſuecica, ſed in illis non moramur. Pergimus ad auctores, qui deſcripſere rempublicam ſuecicam: inter quos eſt diſſertatio Joh. Boteri, ſed parvi momenti: extat etiam alia in Philippo Honorio, atque in opere Belli: hæc deſcriptio, verſa ex italica lingua, eſt egregia: facta autem eſt deſcriptio a nuncio quodam papali, qui ibi vixit tempore Johannis regis. Auctor videtur Antonius Poſſevinus Jeſuita, qui miſſus ad Poloniæ regem, ducem Moſcoviæ atque ad Johannem III. regem Sueciæ. Inter libros Poſſevini reperitur etiam hic liber de rebus ſuecicis. In Batavis etiam prodiit *exiguus libellus* (d) de republica Sueciæ: merito autem debuiſſet inſeri hæc diſſertatio, cum longe ſit præclarior Adami Bremenſis libello, & res noſtri ævi attingat.

Item Gallicus ille ſcriptor in opere ſuo, quod dicitur Archontologia Coſmica, etiam habet deſcriptionem ſueciæ: Poſſivini tamen deſcriptio huic longe præſtat.

An præter hos etiam alius quis eam deſcripſerit, neſcio: in Aboenſi tamen Fennorum academia *Michael o Wexionius* etiam eam rempublicam deſcripſit; qui liber eſt quidem præclarus *ſed rarus nimis*. (e) Habet Conringius etiam manuſcriptam deſcriptionem ejus reipublicæ: quæ hactenus nondum prodiit in lucem.

Jam de ipſa republica, ſive de Sueonum civitatibus eſt diſpiciendum. Hic obſervandum, rempublicam Sueonum aut Svecorum olim non fuiſſe adeo late patentem, atque nunc eſt. Ex Adamo Bremenſi apparet, ſeculo 9. & tempore Henrici IV. arctiores fuiſſe limites regni. Nam ne Scania quidem aut Hallandia, aut Bleckingia fuerunt juris ſuecici.

Hæ enim ſec. 9. 10. 11. fuere habitæ portiones regni Danici. Tunc temporis magnus ducatus Finningiæ non fuit juris ſuecici, ſed *reſpublica ſui juris*. (f) Oſtro-Gothia vero, Weſtrogothia, & reliqua omnia jam tum fuere reipublicæ ſuecicæ. Prima autem eaque magna acceſſio facta poſt ſecul. 12. & quidem magnus ducatus Fenningiæ: quando autem vere adjecta ſit, dicere non habeo: monumenta enim ſuecica variant: interim tamen conſtat, armis eſſe ſubjugatam, aut alio motu ad rempublicam Sueonum perveniſſe. Finlandia, hodie ornatur magni ducatus titulo: quæ ſatis *late patet*, (g) ſed magis vaſtis regionibus, quam populoſis.

Se-

(a) *Olaus M.*) Ejus *hiſtoria ſeptentrionalis* prodiit Baſileæ 1568. quæ editio optima habetur, Prodiit etiam italice ſub tit. *Hiſtoria delle genti, & della natura delle coſe Settentrionali.* Venet. 1565. it. *Storia d' Olao M. de Coſtumi de popoli Settentrionali.* Venet. 1501. Hiſtoriæ ſeptentrionalis vero breviarium prodiit Lugd. Batav. 1652 & Antwerp. 1562. per *Cornelium Scribonium Grapheum.*

(b) *Abiit in Italiam*) Romam prius miſſus erat a Stenone Sture, regni Gubernatore, ut ibi inſtitueretur. Reverſus autem in patriam, Archiepiſcopus upſalienſis quidem electus fuit, ſed cum nollet pontificia ſacra deſerere, fruſtratus eſt hoc officio Romamque reverſus anno 1546. ibi mortuus eſt. Ejus hiſtoriam metropolitanam Epiſcop. upſalienſium continuavit *Meſſenius*, quam *Adamus Rechenbergius* edi curavit. Lipſiæ 1685.

(c) *Erici*) *ERICI OLAI hiſtoria Suecorum & Gothorum a Chriſto nato ad annum* 1464. *cum indice abſolutiſſimo primum edita eſt a JOH. MESSENIO anno* 1615. deinde iterum notis LOCCEN. prodiit Holmiæ 1654.

(d) *Exiguus libellus*) Forte ille, cui titulus: *Suecia, ſive de Suecorum Regis dominiis & opibus commentarius politicus.* Lugd. Batav. 1631. alias inter Elzivirianas prodiit etiam *Suecia reſpublica*, quam HENR. SOTERUS compoſuit, vide STRUV. *ſelectam bibliothecam hiſtoricam p.* 743. qui & priorem libellum edidit, cui cap 1. *Andreæ Burai* deſcriptio regni Sveciæ geographica & politica inſerta eſt, niſi forte idem ſit cum priori.

(e) *Rarus nimis*) MICHAEL O. WEXIONIUS, juris & politices Profeſſor in academia fennica anno 1650. Aboæ publicavit *epitomen deſcriptionis Suecia, Gothia, Fenningia, & ſubjectarum provinciarum*, quam *SIMON FRID. HAHNIUS*, hiſtoriographus ſereniſſ. domus Brunſvico-Luneburg. tomo II. *collectionis monumentorum veterum & recentium &c.* p. 124. inſeruit.

(f) *Reſpublicæ ſui juris*) Habuerunt Finni olim Reges proprios, atque plurima cum Svecis bella geſſerunt (unde & eorum regio a Svecis Fiendeland dicta putatur, quæ alias incolis ipſis dicitur *Swomi & Swomima* a ſquamis vel paludibus) donec tandem ab Erico Sveciæ Rege anno 1150. ſubacti & Chriſtianam fidem ſuſcipere coacti ſunt, qui tamen totam Finniam nondum ſubegit, ſed poſt eum Birgerus R. demum Tavaſtiam & Torgillus Kuntſon Careliam, qui & caſtrum Wiburg, ut eos in officio contineret & Ruthenorum irruptiones prohiberet, circa annum 1193. condidit.

(g) *Quæ ſatis late patet*) Finnlandia ſtricte ſic dicta dividitur in meridionalem & ſeptentrionalem. *Septentrionalis* iterum in Satagandias inferiorem & ſuperiorem ſubdividitur, quæ alias ad territorium Kumogarde Lehn dictum revocantur, & duo inſuper territoria Wiewo & Miasko complectitur. *Meridionalis* duo habet territoria Pykis & Haliko. In illa oppida ſunt Bioarneberg, Raumo, Neoſtadium, Nædendaal, aliæque magnatum ſedes. Saris, Anoila, Kiulaholm, Kankas, Lakiis, Nynæs. *In hac* metropolis Aboa Academia anno 1640 a Regina Chriſtina ornata, Baronatus Kimicoe, aliæque nobilium ſedes Æminne, Runegard Quidia, Brinkala, Worentæka, Karknæſſ &c. Plurimis rigatur fluviis, KumoElff, Evroæ, Lappoæ, Nykyrnicæ, Lemitoki, Nouſiſæ, Witmoæ, Maskoæ, qui omnes in mare ruunt. Ipſa terra non ſolum ſylvis, montibus, lacubus, verum & pratis, fontibus, agris, luciſque amœniſſimis ac fertiliſſimis eſt referta, tantaque hic glebæ ubertas creditur, ut ex una tonna 15. reddantur.

Sequitur *Carelia*, (a) quæ olim pertinuit ad Ruſſos, ſed jam pridem illis erepta. Initium vero hujus ereptionis ignoratur. Graviſſima circa eam Careliam bella geſſere Suecones cum Moſchis, ſed poſtquam Careleam habuerunt, Sueones aliquamdiu, quieverunt, niſi quod *Noteburgum* (b) ad Ladogam lacum controverſum fuerit. Sed & illud felicitate armorum Guſtavi Adolphi Moſchis eſt ereptum: itaque totus ille tractus ad Ladogam lacum jam eſt juris ſuecici.

Quæ hactenus recenſuimus, jam dudum in Sueonum poteſtatem venere: ſed, quæ nunc ſequuntur, noviſſime aceeſſere illis. Incredibiliter crevit regnum guſtavicæ familiæ auſpiciis, præſertim Guſtavi Adolphi virtute; & verum dixeris cum Floro, tanti eſt exercitus, quanti eſt dux, & tanti eſt populus, quanti eſt rex: *duos enim* (c) præprimis virtute excellentes reges habuit.

Circa ſinum finnicum occurrit *Ingria* (d) ſ. Ingermannia, quæ fuit Moſchorum olim: ſed ſimulac recruduit bellum inter Suecum & Moſchum; factum eſt, ut Sueci etiam arma in mediam Moſchiam protulerint & cæperint urbem Novogardiam: ad pacem tum emendam Moſchi coacti ſunt dare totam Ingriam.

Poſt Ingriam ſubſequitur *Esthonia*, (e) quæ fuit pars olim Livoniæ, ſed aliquamdiu a Livonia proprie dicta diſtincta: manet ibi antiquum nomen Æſthyorum. Ceſſit autem Suecis tempore Erici regis filii primogeniti Guſtavi, ſuperiori ſeculo: præterea quicquid ibi eſt oræ maritimæ, fuit olim juris Germanici. Sed cum Joh. Baſilides, Magnus Moſchorum tyrannus, ſuperiori ſeculo irrumperet in Esthoniam, illa opes Germanicas imploravit: ſed Germania tum, proh dolor! omnem curam exterarum regionum abjecit. Livonia igitur tum ſe dedit regno Poloniæ, Esthonia autem ſuecico. Metropolis ejus & Revalia. Ex eo tempore Esthonia fuit pars reipublicæ ſuecicæ.

Succedit *Livonia proprie dicta*: (f) antehac in illam nihil fuit juris regno Sueciæ: aſt orto bello inter Suecos, & Polonos non dubitavere Sueci, armis invadere Livoniam, atque eam ſui juris facere. Primus id fecit Carolus IX. ſed admodum infeliciter: non ſemel enim repulſus. Sed *Guſtavus Adolphus*, (g) filius ejus, magis feliciter id egit, non tamen ſubegit omnem Livoniam: nondum autem firmata ejus poſſeſſione, manſit eadem dubia, donec Carolus Guſtavus rex, graviſſimum bellum ſuſciperet adverſus Polonos, in quo bello Poloni univerſum jus ſuum *ceſſere Sueco.* (h) Itaque omnia usque ad Duinam fluvium pertinent ad regnum Sueonum.

Inſulæ in mari baltico ſunt Gottlandia, *Oeſilia* (i) Daghoa: hæ omnes fuere aliquamdiu juris danici. *Gottlandia* (k) ita ad Danum pertinuit a 300. usque annis. Cæterum, etiam has felicia arma Suecorum Danis extorſerunt ſub Chriſtiano IV. rege. Quæ reliqua ſunt ad mare Balthicum

Cur-

(a) *Carelia*) Carelia a Karja pecudibus, quibus abundat, dicta putatur. Dividitur in Careliam *Fennicam*, cujus caput eſt Wiburgum aliaque minora oppida ſunt Lapweſt, Mæla, Wækelun, & *Kexholmicam*, cujus caput eſt Kexholm & caſtrum Taipal, aliæque nobilium ſedes Yxpæ, Niemis, Kæwenholm, Stromenæs, Kaiſtillax, Kelkala, Pytterlax, Sawiniem. Per tranſactionem Neuſtadienſem anno 1721. in Finlandia ſitam Kexholmica pars Svecis manſit, altera vero tota fere Ruſſis ceſſit.

(b) *Noteburgum*) Proprie ad Ingriam pertinet. Jacet in oſtio lacus Ladogæ, & arx eſt muniſſima, muris immenſæ craſſitiei inſtructa. Finnis dicitur Pæchkenſari.

(c) *Duos enim*) Guſtavum ſc. Adolphum, & Carolum Guſtavum, ſed nec minori armorum virtute inclytus fuit ultimus guſtavicæ familiæ Rex Carolus XII. licet poſterioribus annis, poſt prælium nimirum cum Ruſſis ann. 1709. ad Pultawam habitum, deteriore fortuna uſus ſit.

(d) *Ingria*) Præter Noreburgum ad hanc quoque arx Narva & ſuburbium Ivangorod referuntur. Regio in Pogaſtas dividitur, ut Loperko, Jetwoſalsko, Iſersko, & Orlingsko, Griſenski, Jaſtrobinski, Pogoſi. Hodie Ruſſorum dominio ſubjecta eſt.

(e) *Esthonia*) Livonia ſeptentrionalis, dividitur in Alentakiam, Wiriam, Harian, Wikiam, Jerviam & Odenpoam provincias. *Alentakia* urbs primaria Narva, arceſque Nerva & Nyſlat. *Wiria* arces Wæſenborg & Tolsburg, it. Borcholm. *Harta* metropolis Revalia. *Wikia* oppida ſunt Habſal, Lehal, Lode, arx Pernau. *Jerwia* arx fortiſſima & Wittenſteen, it Oberpalen, & Lais. Odenpoa urbem habet quondam Epiſcopalem, nunc academia inſignem Dorpatum & Embeckam, item arces Verbeck & Ringen, (quem tamen tractum alii Livoniæ preſſius dictæ annumerant.) Cæterum Eſthoniæ graviter olim a Moſcis preſſæ cum auxilium Carolus V. Imper ferre non poſſet, hujus conſenſu ad Svec. Reg. Ericum XIV. itum eſt; cujus defenſioni Revalia cum ditione ſua ſe commiſit. Cæteras autem Æſthiæ provincias, Sveci e manibus Ruſſorum extorſerunt, qui vero bello poſteriore ſuperiores facti, denuo Eſthoniam occuparunt, & per tranſactionem neuſtadienſem retinuerunt.

(f) *Livonia proprie dicta*) Ut ab Æſthia diſtinguitur, Lettio ſ. Leitland dicitur: alias Liffland a Lieb, Svet Lief dicta creditur, quod regio ſit jucunda & vitæ neceſſaria ubertim proferat. Eſt enim ſiliginis & frumenti per dives, ut etiam tranſmarinis ſuccurrere poſſit. Ejus metropolis eſt Riga, arces vero aliæ & oppida ſunt, Dunamunda, Kirchholm, Lenward, Aſcherad, Kœckenhuſen, Selburg, Creusburg, Duweburg, VVenden, Sitaw, Seiswegen, Georgenburk, Lemborg, Royten, Lucen, Luden, Newenhul, Segewolt, VVolmer, Roſenbærg, Pebalg, Scuien, Rappin, Mayan, Pierkiel, Nabbe, Elker, Berſen, ex quibus tamen nonnullæ ſolo æquatæ ſunt. Lacus habet præter Peipis & VVortai, Jetwi, Lubbanum, Labbeum & minores alios. Flumina vero Dwinam e Siberia Ruſſiæ ortum & minora alia VVaidawa, Peddes, Oſſa, Pirdra, Dubonau, Ugra & Eweſt. Univerſa regio a Ruſſis hoc ſeculo occupata, iis ceſſit per pacem neuſtadienſem anno 1721. initam.

(g) *Guſtavus Adolphus*) Vid. *la Vie du grand Guſtave Roy de Suede p.* 10. 11.

(h) *Ceſſere Sueco*) Per pacem olivienſem. Cæterum ad provinciæ hujus ſtatum & hiſtoriam faciunt, *Livoniæ ſtatus cum Poloniæ republica*, ed. Amſtelod. 1624 *TILEMANNI BREDENBACHII hiſtoria belli Livonici, SALOM. HENNINGI Chronicon Livonicum & Curlandicum, DAN. HARTNACCII Entwurff der Lieffländiſchen hiſtorie, BALTH. RUSSOWEN. Chronicon Livonicum, CLAUD. ARRHEN. Vita Ponti de la Garde &c.*

(i) *Oeſilia*) Arces duas habet Arnsburg & Sonneburg. Sunt adhuc aliæ inſulæ in mari adiacentes, ut Ormſoe, Odensholm, Rægoe major & minor, Nargoe, Ulfoe, VVrangoe &c. quæ quia Livonico littori adhærent, hodie pariter Ruſſis parent

(k) *Gothlandia*) Vid. ſupra in regni danici deſcriptione. Emittit copioſe marmor Gottlandicum Gotlandsſteen dictum.

Curlandia, (a) Samogethia, Pruſſia nondum ſunt juris ſuecici: parum tamen abeſt. Si certe Carolus Guſtavus rex, illam vim armorum, quam in Poloniam effudit, in has terras ſtrinxiſſet; nil facilius ipſi fuiſſet: quam omnes illas terras facere juris ſueciei.

Sequitur Pomerania, alia cis, alia trans Oderam. Pomerania cis Oderam facta eſt *juris ſuecici* (b) feliciſſimis auſpiciis Guſtavi Adolphi, & filiæ Chriſtinæ. Nam Sueci, belli auxiliaris germanici fructum tulerunt Pomeraniam, ita tamen, ut ceſſerit ipſis in feudum tantum: in reliquis omnibus, nullum feudi jus agnoſcunt, ſed omnia ſumma poteſtate adminiſtrant Sueones. Ita & ceſſit ipſis inſula Ruga, & omnis ora illa maritima maris Balthici, usque in ducatum Mecklenburgenſem.

Ceſſit ipſis & Wiſmaria, *urbs quidem tantum,* (c) ſed admodum loco opportuna Suecis: facile enim inde in Sueciam, & ex Suecia in Germaniam navigare poſſunt.

Inter Albim & Viſurgim, Sueci tenent Archiepiſcopatum Bremenſem & Epiſcopatum Verdenſem nonnullaque ultra Archiepiſcopatum Bremenſem, & vicina quædam comitatui Oldenburgico, atque Epiſcopatui Monaſterienſi.

Ulterius & fortuna progreſſa eſt: nam nupero bello Danico, Scania tota illis etiam ceſſit, quæ robuſtiſſima habetur pars Daniæ: nec per omnes inſulas plura habet munimenta tota Dania, quam *in hac inſula.* (d)

Acceſſit & Bleckingia, & Hallandia. *Bleckingia* (e) & fuit pars regni danici, & Hallandia: quæ ſub Chriſtiano IV. pignori in 30. *annos erat conceſſa:* (f) hodie autem, omnia ea proprietatis jure poſſident. Fretum itaque ſundicum etiam tenet, & ulterius omnia finitima.

Decerpſit non exiguam partem e Norwegia, ſc. Bahuſum *robuſtiſſimam partem* (g) regni. Cæterum illa omnia ceſſa ſunt ſuecis a Danis, ut pacem emerent.

Si jam videatis ingentem illarum terrarum tractum; apparet, pene univerſum mare Balthicum eſſe intra limites regni ſuecici: ſinum enim Botnicum, Finnicum, exceptis Pruſſia, Samogitia, Curlandia, Pomerania citeriori, & parte Holſatiæ, tenent Sueci. Quantum autem momenti in eo fuit ſitum, ii demum ſciunt, qui ſciunt, quantum ſit ſitum in mari Balthico.

In ipſo autem ducatu Meckelburgienſi, habent illi oſtia fluminum ad mare ſeptentrionale. In Germania, illi ex parte tenent oſtium Albis, oſtium Viſurgis: adeoq; maximorum fluminum oſtia in Germania tenent. Quantum vero in eo ſitum, facile perpendere poterit, qui ſcit, quantum ſit ſitum in eo, ut modo huic, modo illi parti mari ſuccurrere, & modo huc, modo illuc transportare arma poſſint. In tota igitur ſeptentrione, nullum regnum latius patet regno ſuecico.

Limites Sueciæ quod attinet, a ſeptentrionali nullum habet vicinum: adeoque ſibi non metuit inde. Ab Oriente habent quidem Moſchum, ſed vaſtis regionibus ab ipſis diſtinctum. Propius attingit Moſchum circa Ingriam, & Livoniam: Suecus igitur ab ea parte *habet vicinum,* (h) ſed minus fidum. Quam infideliter enim nuper contra pacta conventa Livoniam adierint Ruſſi, & quam crudeles in ea ſævierint, ſatis eſt notum, ſed ea fuit potentia ſuecica, ut ſimulac Sueci bello Danico & polonico eſſent ſoluti, Moſchi, qui pene omnia occupaverant, ultro illis *ea omnia obtulerint,* (i) adeo ſibi a Suecis metuunt.

Quod attinet Livoniam, circa eam Svecus habet vicinos Polonos, & Lituanos, electoremque Brandeburgenſem circa Pruſſiam, & circa Pomeraniam ulteriorem: nec alium vicinum *hic potentiorem habet,* (k) quam illum, nec ille majorem vicinum. A meckelburgienſibus, ſibi non metuunt

(a) *Curlandia)* Equidem a. 1658. Duci Curlandiæ vis illata fuit per Duglaſſium, eumque captivum Rigam abduci militesque ejus vel interfici, vel Svecicæ militiæ admiſceri oportuit; utut ius neutralitatis pactus erat, reſtitutus tamen fuit paulo poſt, Sueciæque Rex in pace olivienſis art. 5. juri ſuo in Curlandiam & Semigalliam plane renunciavit.

(b) *Juris ſuecici)* Super hanc cæteraſque provincias Leopoldus Imper. anno 1664. in comitiis ratisbonenſibus Legato ſuecico Georgio Snolskio inveſtituram conceſſit. Sed has provincias hodie maximam partem Sueci viciſſim amiſerunt. Ex Pomerania citeriore nonniſi Rugia, Stralſundia, Wismaria, Gryphiswaldia ipſis ſuperſunt &c. reliqua tum primaria urbe Stetinenſi ceſſerunt, Regi Pruſſiæ & Electori Brandenburgico, ad quem alias ante inſtrumentum pacis osnabrug. ex pacto futuræ ſucceſſionis Pomerania pertinuit. Archiepiſcopatus vero bremenſis, Epiſcop. verdenſis, & vicina quædam comitatui oldenburgenſi ceſſerunt Electori Brunſvico-Luneburgico.

(c) *Urbs quidem tantum)* Cum fortalitio tamen VValfiſch & præfecturis Poel ac Neuencloſter.

(d) *In hac inſula)* Potius peninſula! Urbes ejus potiores ſunt *Helſingburgum,* cum arce ejusdem nominis in excelſo colle ſita. *Cronia,* Lands-Cron arx, & urbs mari adſita, & anno 1679. ſingularibus privilegiis donata. *Malmogia,* Malmoe, quam exteri Ellenbugen vocant, quod cubiti formam referat, inſigne emporium & munitiſſima arce inſtructa. *Lunda* ſive *Londinum* Scanorum, urbs vetuſtiſſima, Daniæ Regum inaugurationibus olim deſtinata, anno 1668. academia ornata &c.

(e) *Bleckingia)* In ea ſunt Chriſtianopolis & Caroli Portus Carlshaven.

(f) *Erat conceſſa)* Ne interea pactis fraus fieret, quo tempore elapſo, vel hæc ipſa regio, vel æquivalens regno Sueciæ cederet. *Hallandia,* oppida habet Helmſtadium, Falchenburgum & Kongsbecka, arces munitas VVardberg & Lagaholm.

(g) *Bahuſum robuſtiſſimam partem)* Comprehendit urbem Marſtrand ſive Maſterlandium in ſcopulo peninſulæ collocatam, it. oppida Congeler Uddewal cum arce communi ea munitiſſima Bahus, unde toti provinciæ nomen.

(h) *Habet vicinum)* Hodie non modo magis vicinum, ob traditam Livoniam, Ingriam & Finlandiæ partem, ſed & potentiorem, cum claſſe etiam inſtructus ſit in mari balthico & pro lubitu oras ſuecicas infeſtare poſſit.

(i) *Ea omnia obtulerint)* Per transactionem cardiſienſem anno 1661. cujus ſummam vid. *in Diar. Europ. contin. VI. p.* 166. Priores Moſcorum cum Suecis pacificationes fuere 1. Teuſſinenſis anno 1595. 2. Wiburgenſis anno 1609. 3. Stolbowenſis anno 1617.

(k) *Vicinum potentiorem)* Experti id ſunt Sueci, cum ſuperiori ſeculo ann. 1674. inſtigantibus Gallis Germaniam de novo impeterent, Marchia & Pomerania, interea dum Electori Brandeburg. arma contra Gallos moverat, in ſeptimum usque menſem milite ac tributis gravata. Nam ſelices

tuunt Sbeci. A Danis quoque, ſibi non multum metuunt: quorum fractæ ſunt vires. Habent etiam ab Occidente vicinos Danos, & Norwegos; ſed Norwegi latis campis, & altis montibus ab ipſis ſunt diſtincti: ergo ab his ſibi non timent. Ex his, regni ſuecici ſitus, & conditio conſtare poteſt. Terra ipſa eſt ingens tractus, & adeo ingens, ut nullus Princeps, vel rex in Europa majorem teneat. Terra eſt varia: quæ ad *Sueciam proprie dictam* (a) pertinet usque ad Ingermanniam habet ſe mediocriter, nec abundat, nec eget, ad victum ſibi ſufficit: aliquibus quidem locis eſt ſterilior, ſed vicinia alteri poteſt ſuccurrere. Circa *Dalekarliam* (b) eſt etiam ferax metallorum, non auri, non argenti, ſed ferri, atque æris, & quidem optimi: nec tota Europa melius æs & ferrum habet. Intra paucos annos, hæc copia mirum in modum crevit, & quidem auſpiciis reginæ Chriſtinæ: nam evocati ſunt e Germania periti rei metallicæ, qui effecerunt, ut his ſint ditiſſimi: alias, *nec vini eſt ferax*, (c) nec arborum, nec pomorum in parte ſeptentrionali: reliqua loca ejus habent affatim. *Lapponia* (d) eſt quidem omnium egena, ſed tamen ſibi eſt contenta: vivunt ibi homines ex venatione.

Finlandia, magnam partem ſterilis eſt, aliquibus locis abundat ſylvis, quæ ſylvæ hodie excoluntur, ita, ut ex illis multum capiant fructuum. *Ingria, eſt ſatis ferax*, (e) aſt non ita excolitur, deſunt incolæ. Livonia, & Eſthonia per ſe ſunt terræ fœcundæ: bella tamen Moſchica ipſis nocuere, ſolitudine inducta, ubi arva fuere fæcundiſſima. Pomeraniæ magna eſt fœcunditas, & abundans egregiis urbibus.

Quod attinet animalia, Suecia ipſa habet ſatis armentorum, & equorum, ſed minoris ſtaturæ: ut armenta omnia ſunt in ſeptentrionalibus regionibus.

Populum ipſum quod attinet, & quidem numerum, pro ingenti amplitudine non reſpondet numerus hominum: aliquibus quidem locis *ſatis magnus eſt numerus*, (f) ſed pro amplitudine non reſpondet numerus: & vix ſufficit pluribus incolis alendis. Si enim excreſcit numerus, non ſufficiunt illæ terræ. Olim fuere *numeroſiores* (g) illæ terræ, ſed egeſtate emigrare, coacti ſunt, & quidem Gothi, ingentes colonias duxere, ut & Oſtrogothi, Weſtrogothi & Gepidæ, qui alias quæſiverunt ſedes neceſſitate coacti & invenere feliciſſimas.

Ingenium populi (h) eſt, ut reliquorum Germanicorum, aptum ad belli, & pacis artes, nec abjecto, nec ſuperbo animo, nec illa levitate, qua Galli, nec gravitate ea, qua Hiſpani, nec ea crudelitate, qua Moſchi.

Quod mores attinet, & circa virtutes morales, ſatis bene ſe habet, nec ſcatet illis vitiis, quibus Italia, Gallia, Hiſpania: non carent quidem ſuis vitiis, ut nec nos; interim non tam late patent illa.

Quoad fortitudinem ſatis apparet, illos ſuis defendendis eſſe intentos, nec alienos ab alienis occupandis, nec ullum regnum magis aptum eſſe ad belli artes, quam Sueciam: imo magis *compoſita eſt* (i) ad bellum, quam ad pacem. Numerus autem hic non ſufficit ad bella gerenda:

lices revertentis Electoris ſucceſſus in actione ratenovienſi ſecutoque prælio fehrbellenſi, mox effecere, ut 7. dierum ſpatio omnibus ditionibus Electoralibus excedere coacti fuerint, Elector autem, totam deinde Pomeraniam occuparet, Suecosque etiam ex Boruſſia, quam anno 1678. occupaverant, expelleret & in Livoniam usque fugaret.

(a) *Sueciam proprie dictam*) Sueciæ proprie dictæ finibus continentur Uplandia, in qua Upſalia, Weſtermannia, Dalekarlia, Nericia, Sudermannia, in qua Stockholmia, quas ſequuntur provinciæ nordlandicæ Geſtrilia & Helſingia.

(b) *Dalekarliam*) Dalia & Dalekarlia ita a convallibus dicta ſunt. Dalia, Daalsland ad VVermelandiam refertur, ſed Dalekarlia eſt Ducatus, territoria habet populoſiſſima Oeſtre & VVaeſtre Dularna. Oppida Fahlun & Hedemosa, fluvios Dula, Elffwan Oera, VVaoan. Montes inexhauſto æris fundo Kæpperberget, Garvebaerket, Læfaeſen & complures in Snederbaerket alibique argenteis etiam mineris plenos, ut teſtatur VVEXIONIUS lib. 1. cap. 14. BRUCKMANN loc. cit. p. 236. Fodinæ alias argenteæ illuſtriores ſunt in provinciis VVeſtmannia & Nericia. Ferrum optimum Suecis dicitur *Osmund*.

(c) *Nec vini eſt ferax*) Compenſatur hic defectus optima varii generis cereviſia e ptiſana & lupulo confecta, mulſo & medone (Mioed & Moelska) addito etiam melle. Cæterum uvas quoque prope Holmiam, & quod mirandum Aboæ ad maturitatem pervenire, teſtatur VVEXIONIUS *lib.* 6. *c.* 5.

(d) *Lapponia*) Lappi Suecis tributarii in quinque præfecturas ex fluminibus denominatas diſpeſcuntur, quæ ſunt Uma, Pita, Lula, Torne, Kiemi, Lapmark. Reliqua Lappiæ ſeptentrionalis cum tractu maritimo ad Daniæ Reges pertinent. Illam vero Lappiæ partem, quæ a caſtro VVardhuſano ad mare Album ſupereſt, Ruſſorum Imperator poſſidet. Ad Lapponiæ hiſtoriam gentisque mores & deſcriptionem facit *JOH. SCHEFFERI Lapponia, gallice, anglice pariter ac germanice translata*, cumprimis vero *OLAI RUDBECKII Nora Samolad, ſ. Lapponia illuſtrata*, quæ Holmiæ prodiit 1701.

(e) *Satis ferax*) *VVEXIONIUS lib.* 1. *cap.* 29. *Ingria, ſolum habet longe fertiliſſimum, aucupiis & venationibus non minus dives, præſertim alcium* (quos Sueci Elgh, Germani Elent vocant) quæ animalia, bis in anno maxima copia per fluvium Nievam tranſeunt. Primo enim vere e Ruſſia catervatim tranſeunt in Careliam, & autumno rurſus tranſeunt in Ruſſiam, & utroque tranſitu capiuntur maxima copia.

(f) *Satis magnus eſt numerus*) Uti in Dalecarlia, de qua *Buræus*, efflagitant metallorum effoſſiones operarios plurimos, ideoque Deus populoſam fecit regionem, hominesque laborum, quam ullos alios, tolerantiores.

(g) *Numeroſiores*) Ob polygamiam, inter illas gentes uſitatam, uti cenſet BECMANN. p. 117.

(h) *Ingenium populi*) *LOCCENIUS de antiqu. Sueo-Goth.* lib. 1. c. 19. *Ea*, inquit, *eſt indoles populi Sueonum, ut malit duci, quam trahi, & leni Suada decenti gravitate temperata, ſe faciliorem, quam aſpero imperio præbeat, adverſus vim, pertinax obnitatur. Eo ſunt ingenio, ut nec integram ſervitutem nec libertatem ferre poſſint. JO. BOTER. ſunt Sueci*, ait, *moribus ſimplices ſincerique, ambitione non flagrant, nec ſtimulantur ab avaritia.* Crudelitatem barbaram, & vitioſam ambitionem, uti a veteribus Gothis, ita & a Suecis depellit VVEXIONIUS lib. 4. cap. 2. & c. 3. ubi & cap. 5. & 6. eorum mores in genere & ſpecie deſcribit.

(i) *Magis compoſita eſt ad bellum*) Martialia ingenia, produnt etiam luſus tenellæ ætatis, ad militiam conformati, ut arces nivales hyeme, vel colliculos, aut cautes æſtate ab iis in diverſa euntibus propugnati (Frii Sloot vocant) aut oppugnati. Nec non ludus equeſtris Ridderſpel, ubi duæ turmæ excurſionem facientes adverſæ partis ſocios in captivitatem abducunt, donec alterutra exhauſta vincatur. Vid. VVEXIONIUM c. 5. l. 6.

da: licet ſuis defendendis ſint ſatis inſtructi. Igitur neceſſe eſt, ut habeant militem conductitium. Ut autem res ſecundæ, mores in incommodos mutant; ita hoc Suecis accidiſſe, experientia teſtatur. Niſi igitur hoc in tempore caverint, regnum paulatim hebeſcet. Populi animum bellicoſum, *indicat etiam*, (a) quod, ſimulac quietem ſenſere a bellis inteſtinis, ſtatim arma in exteros corripuerint.

Virtutes intellectuales quod attinet, ingenium ad eas omnes eſſe aptum, ex multis apparet: & ruſticus quisque Svecus omnia ea ſibi poteſt parare, quibus opus eſt in vita communi: rudis quidem, interim tamen poteſt ſibi parare. Interea artificia minus exercuerunt: igitur artefactis uſi ſunt ab exteris importatis, & quidem a Lubecenſibus & Dantiſcis, qui inde æs evexere, & omnia, quæ inde parari poſſunt, reduxere in ſueciam: quod bene ceſſit his laudatis urbibus: etenim Lubecenſes ſuas divitias quam maxime debent Suecis. Cæterum, hæc multum mutavere, & quidem circa annos 40. imprimis ab eo tempore, quo regnum fuit ſub tutoribus reginæ Chriſtinæ: hi optime ſunt meriti de regno: correxere omnia illa, ita, ut non inde ferrum, aut æs exportetur, nec opus ſit arte facta importare, quæ ſunt neceſſaria ad vitam, ſed abunde ea jam habent, & ex Suecia, alio etiam deportantur. *Interim Sueci*, (b) maximam partem, nolunt diſcere opificia, ſed qui ea tractant, ſunt Germani, qui, ut alii peregrini, ibi benigne tractantur: neque hi ex plebejis, ſed ex nobilitate etiam, qui admoventur *ad maximas dignitates*, (c) ut familia *de la Gardie* (d) f. Gardiana e Gallica natione, & tempore Johann. Wrangelica familia, quæ eſt Livonica & tales ſunt plures: quod ipſum regno eſt utile. Quapropter favent illis peregrinis, atque efficiunt, ut iidem in parem cum ipſis libertatem adoptentur.

Malunt autem Sueci in armis vivere, quam opificiis operam impendere. Quod ſtudia literarum attinet, ingenia ſunt *adeo ſatis apta*, (e) ſed tempus illis nolunt impendere, ſed potius arma tractant. Par eſt ratio Finnorum, qui in eosdem mores tranſiere, quamquam Sueci adhuc ſint potentiores Finnis. Hæc ſufficiant de cauſa materiali: ſequitur nunc finalis.

Scopus Aſiaticarum rerump. eſt utilitas regnantium: aliter hoc eſt in Polonia. In ſuecico regno non ſolum regnantium ſpectatur commodum, ſed & populi, ita tamen, ut ſi rex populo fiat gravis, eum exuat ſua dignitate. Quod inde apparet, quia *in Suecia, uti olim*, (f) ita nunc rex eſt

(a) *Indicat etiam*) Eosdem mores TACITUS in veteribus Germanis obſervavit. *Si civitas, in qua orti ſunt, longa pace & otio torpeat, plerique nobilium adoleſcentum petunt ultro eas nationes, quæ tum bellum gerunt.* Sic Gothi olim Græciam, Hungariam, Italiam petierunt, recentiori ætate bella Guſtavi Adolphi & Caroli Guſtavi hujus rei præbent exempla ſatis luculenta.

(b) *Interim Sueci*) Autor libelli, *l' Etat preſent de la Suede*, (qui eſt vel *MOLESWORTHIUS* vel *JOH. ROBINGSONIUS*, de quo vide *biblioth hiſtor. hamburg. cent.* I. *art.* 20. *p.* 64.) in hunc finem obſervat cap. 4. p 45. Quant au commerce, ils ſont plus aiſement ce qu'il y a de bas, qu' ils ne ſont portez a penetrer le fin du negoce ou des Manufactures, ou ils s' erigent en maitres avant que d' avoir appris la moitie de ce qu'il faut ſcavoir, de ſorte que pour les choſes ou il faut de l' eſprit, de la propreté, ou de l' addreſſe, ils ſont forcez de ſe ſervir des Etrangers.

(c) *Ad maximas dignitates*) Ex Svecis ipſis ERICUS OLAUS *hiſtor. lib.* 3. *Svecos, præcipue Uplandos, ut tepidos, ſegnes, moribus & converſatione diſtortos, ruſtico potius operi, quam arduis rebus intentos, curialibus & militaribus negotiis Principumque obſequiis minus aptos notavit.* Sed minus candide, inquit *WEXIONIUS* lib. 4. c. 3. *Neque enim horum ingenio, ſed Regibus exteros exaltantibus & indigenas contemnentibus tribuendum, quo arduis negotiis, tum non ſunt adhibiti, unde & periculoſi Folcbungorum motus occaſionem habuerunt &c.* Et ſane ex Svecis maximi fuere politici, ex quibus unum Axelium Oxenſtiernium nominare liceat.

(d) *De la Gardie*) Pontus de la Gardie primus, ob heroicam in bello ruſſico ſub Johanne III. declaratam fortitudinem Baronatus titulum meruit. Ejus filius vero Jac. de la Gardie Moschorum pariter terror a Rege Guſtavo Adolpho comitivam accepit. VVrangelii de Skoo, ex Livonia originem ducunt, ubi olim Epiſcopi & Magiſtri ordinis Teutonici ex hac familia fuere. Huc referendæ etiam ſunt illuſtres familiæ de Kiſſwinhæller, & de Kruuſe originе germanicæ.

(e) *Adeo ſatis apta*) Secus judicarunt HUARTUS *l' etat preſent de la Suede* l. c. HEUMANN. *in commentat. de ingenio philoſophico* §. 37. quæ inſerta eſt *act. philoſ.* Part. IV. n. I. p 634. & alii. Illi enim gelidum pariter atque fervidum nimis aerem ingeniis nocivum eſſe ſupponunt, & in regionibus nimium frigidis ingenia activis fere viribus deſtitui arbitrantur. Horum vero ſententiam examinavit PHIL. FRIDER. HAHN. *in exercit. academ. de ingeniis gentium Borealium philoſophicis*, Kiloni 1724. Et ſane nec priſco ſeculo, literarum ſtudiis culturam ſuam in Svecia defuiſſe, oſtendunt RUDBECKIUS *in Atlantica* tom. I cap. 38. & LOCCENIUS *in antiquitat. Sveo-Gothicis lib.* 2. *c.* 15. nec hodie deeſſe, qui ſtudiis data opera tempus impendunt, ut literati ſuperficiarii dici non mereantur, probat experientia, docentque publicæ ephemerides, aliaque ſcripta, ad rem Sveciæ literariam ſpectantia, qualia ſunt, *nova literaria maris Balthici & ſeptentrionis*, quæ Lubecæ ab anno 1698. ad ann. 1708. per integrum decennium prodierunt. It. *Acta literaria Svecia*, quæ ab anno 1720. prodierunt. *Holmia literata a RICH.* ab *HARDT* 1701. edita, *Dorpatum literatum* de anno 1698. *Narva literata*, autore *SIM. DIETER. GERICKENS*. *Aboa literata* ab *ANDR. ANT. STIERMANN* anno 1719. edita. *JOH. FRID. LEOPOLDI* Med. *relatio epiſtolica de itinere ſuo ſvecico* anno 1707. ad doctiſſimum Anglum *Joh. Woodward* perſcripta, cumprimis vid. *JOH. SCHEFFERI Svecia literata*, quibus *JOH. MOLLERUS* hypomnemata addidit, conſ. *bibliothecam ſeptentrionis eruditi*, anno 1699. editam.

(f) *In Svecia uti olim*) Olim quidem in Svecia dominatum quoque obtinuiſſe, innuit TACITUS *de moribus german.* ubi ait: *Apud Sviones unus imperitat, nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi* (ad quem locum conſ. *CLUVER. Germ. antiqu. l.* I. *c.* 40.) Sed poſtea pertæſus populus hunc dominatum, ſibi libertatem quæſivit. Cum vero popularitatis & libertatis abuſus in factiones & licentiam abiret, populum autoritate Regis ac Senat regni conſiliis frænari imperiumq; ex legibus regni adminiſtrari fas & mos obtinuit, ut non minus jure temperata populi libertas, quam juſtum eſſet Regis imperium. Vid. *LOCCENII antiquit. Sveo-Gothicas lib.* 2. *cap.* I *p.* 28. Rex igitur Svecis ab antiquis temporibus ſemper legitimus fuit, potuitque ille regno privari, ſi contra leges ageret; cujus rei exempla conſtant in Erico XIV. Chriſtierno II. Sigismundo &c. Neque hæc forma regiminis ullam aliam antea ſubiit mutationem, niſi quod ſub Guſtavo I. regnum hæreditarium factum fuerit,) quam anno 1680. ſtatus imperii in ſolennibus comitiis Carolo XI. Regi Sveciæ ſummam poteſtatem deferrent, a quo tempore, Senatores regni, nonniſi conſiliarii Regis fuerunt,

donec

eſt legitimus, hoc eſt, cogitur ſecundum leges adminiſtrare, ita, ut populo non ſit gravis contra mores antiquos. Secundo, hoc inde apparet, quia cogitur rex conſenſum populi petere, ſi quid agere velit. Tertio, quia rex non poteſt pro libitu cuilibet dare dignitates, aut bona regni. Sed dignitates, ex quibus aliquid lucri percipi poteſt, cogitur concedere indigenis. Quando vero peregrini admittuntur, tunc jam tum ſunt adoptati in illam gentem, neque ut peregrini conſiderandi.

Leges regni (a) ſi quis videat, apparet, populi totius haberi rationem. Cum alibi, uti in Polonia, ſoli nobiles habeantur cives, & ſoli habeant jus comitiorum, aſt in Suecia etiam *ruſtici*(b) habent jus comitiorum, & ſuffragia ferundi de magnis negotiis: ex quo apparet, eorum conditionem longe meliorem eſſe, quam Polonorum. Dura quidem ſatis eſt eorum conditio, interim multum tamen habent libertatis. Apparet igitur, populi univerſi haberi rationem: cum & ruſtici reſpiciantur. Notandum etiam, quod Sueones, & populis, qui dedere ſe illis, aut alia ratione ad illorum rempublicam acceſſerunt, dederint locum in comitiis: nam Conringius vidit, nobiles Eſthonios, item epiſcopum Revalienſem & *ſuperintendentem* (c) Gottlandicum, qui tamen Danus fuit, habere locum inter clericos ſuecicos in comitiis. Utrum in Germania hoc uſitatum ſit, neſcio: interim tamen veroſimile illud eſt. Qui in Scania vivunt, & Bleckingia, & Hallandia, habent eadem jura, eandem libertatem cum Suecis in comitiis ipſorum. Livonia & procul dubio erit *ejusdem juris*: (d) quia nunc prorſus Snecorum facta eſt. Non tamen ita ratio habetur populi, ut non ratio habeatur regnantium: habent enim ibi multa bona, & vectigalia, & non tam arcte habentur.

Cum autem commune commodum, non apud easdem gentes in uno collocetur, in regno Sueciæ habetur pro ſcopo vita vere beata: omnibus modis datur opera, ne quid deſit populo, & ut virtutem exerceat: Hoc tamen dicendum, quod jam præter morem ſolitum aſpiret ad majorem potentiam: a ſeculo enim 13tio nulla portio Sueciæ acceſſit. Carelia fuit ultima provincia, quæ in medio ſec. 13. præter propter eſt adjecta: niſi quod guſtavica familia limites extenderit.

Formam regiminis quod attinet, regnum Suecorum inter gentium Germanicarum regna eſt antiquiſſimum. Gentes germanicæ, non fuere omnes ſub regibus: aſt Sueones, ab ultima memoria habuere *reges*; (e) teſte Tacito, qui refert: quod etiam mulieres admiſerint ad imperium: quod tanquam inſolens notat Tacitus, ut & illud, quod regibus addicte paruerint namque regum exigua erat auctoritas apud Germanos, nunquam enim in Germania monarchiæ veræ fuerunt: neque etiam fœminas, ad regni faſces admittebant Germani. Aſt poſt tempora Taciti, circa regiam poteſtatem magna facta mutatio. Ex Adamo Bremenſi conſtat, ex quo tempore chriſtiana religio prædicata fuerit, regia poteſtas arcte fuerit multis legibus circumſcripta. Similiter ex omnibus monumentis ſuecicis non conſtat, *quod fœmina* (f) admota fuerit ad imperium, & quod Chriſtina Clavo adſederit, erat plane inſolens. Igitur, quæ in Tacito leguntur, admodum fuere mutata. Quantum liquet ex monumentis ſuecicis, regia poteſtas valde reſtricta eſt, & ibi creditum, ſi rex non ſecundum leges viveret, fas eſſe, eum dejiciendi de ſolio: igitur multi reges notantur de ſolio deturbati: quod ſignum eſt magnæ libertatis. Creditum enim fuit, regem æque teneri legibus, ac integer populus: quod juſte fit in talibus regnis, quæ non ſunt plane monarchica. Regia ſucceſſio ita ſe habuit ibi, ut, teſte Tacito, ſucceſſio ſe habuit in regibus Germanicis: non enim quilibet ſtatim hæreditario jure regnavit, ſed ſi eſſet aptus, & parentes de regno bene meriti eſſent. Succeſſio igitur regia nec plane hereditaria, nec plane electitia fuit: quamdiu enim aliquis *ſupereſſet ex familia regia* (g) dignus ad imperandum, illum elegere: ſin ineptus, tum non du-

donec tandem mortuo Rege Carolo XII. eique ſuccedente Regina Ulrica Eleonora, poſteaque Friderico I. anno 1720. forma regni in priorem ſtatum reducta fuit.

(a) *Leges regni*) Vide eas apud *WEXIONIUM lib. 5. c. 7. PAULLIN. hiſt. arct. lib. 1. c. 36.*

(b) *Ruſtici*) Ruſticus, Svecis non ſervilem, ut aliis, notat hominem, ſed *Bonde* quaſi *Boende* dicitur, id eſt, ingenuus patriota, fundum & bona in regno immobilia poſſidens. Poſſunt etiam ruſticorum filii per virtutem, & eximia in patriam merita ad ſummas dignitates exaltari; quod oſtendit, quanta olim in æſtimatione agricultura, & res pecuaria apud populos ſeptentrionales fuerit; unde Johannis III. conjux Catharina polona Holmiæ in comitiis ruſticos inter ruſticos quæſiviſſe fertur, cum non, ut in Polonia, veſtitu vili, corticeis calceis & pileo, ſed laneis pileis, ocreis & calcaribus inſtructos animadverteret. Cives autem vel aulicos potius conſpicere ſibi videbatur, vid *Wexonius* lib. 4. c. 5.

(c) *Superintendentem*) Superintendentes, qui re ipſa ab Epiſcopis non differunt, in Sueciæ regno ſunt, 1. Culmarienſis, 2. Mariæſtadenſis, 3. Gothenburgenſis. 4. Gothlandenſis, 5. Bothniæ occidentalis, præter illos, qui in Ingria & Livonia fuerunt. vid. infra autorem ipſum.

(d) *Ejusdem juris*) Id quod arguit magnam Svecorum in devictos æquitatem. Angli certe Hibernis a ſe devictis ejusmodi jura non conceſſerunt.

(e) *Reges*) Reges quidem antiquitus non ſunt dicti. (Nec enim ante Dagerum, legitur quis titulo Konung ornatus,) ſed potius *Drotter*, (unde adhuc Svecis Regina Drotning, & primus a Rege Senator Drotzet dicitur, quaſi Vice-Rex, conf. German. Truchſes & Droſt,) tamen regia poteſtate inſignes fuerunt. Isque ſemper unus fuit Upſalenſis, cui reliqui provinciarum reguli, *Skattkongar* dicti, tributaria dona obtulerunt. Vid. *Wexion.* lib. 5. c. 1.

(f) *Quod fœmina*) Margaretha tamen Regis Magni nurus, Daniæ & Norvegiæ regina, Alberto Megapol. victo & regnum ejurante, communibus ſuffragiis a Svecis regina electa fuit. Vid. LOCCEN. *hiſtor. ſvec.* lib. 4. cap. 1. Cæterum in comitiis Nnrcopenſibus anno 1604. decretum fuit, ut ſexus quoque fœmineus in regno ſuccederet.

(g) *Supereſſet ex familia regia*) *WEXIONIUS* lib. 5. cap. 2. *Moderato Regum imperio hi ſeptentrionales aſſueti nihil antiquius habuerunt, quam ut filium ſuper throno parentis fulgentem aſpicerent, nec minus regnum, quam cætera patris bona æquitate quadam & ſtudio erga imperantes ducti, ad gnatum pertinere judicarunt, dummodo is ei animus fuerit, ut non reſpueret, ea fiducia, ut populi defenſionem ſuſcipere auſus ſit, ea facultates, ut congrata præbere potuerit. Rege enim priori mortuo, proximus heres ſucceſſurus ſumtuoſum apparavit convivium Arffwerœl dictum, in quo ſympoſio ingens Scyphus* Bra-

dubitaruut illum rejicere. Et hic modus ſuccedeudi fuit uſitatus in Gentibus germanicis. Simulac vero regia familia defecerat, elegerunt, quem vellent: igitur deficiente familia, modo hunc, modo illum elegerunt, quem voluerunt: niſi quod Dani illis voluere imperare, & quidem per vim aliquem regem obtrudere. Conventum quidem erat inter ipſos pacto aliquo, ut trium regnorum Daniæ, Norwegiæ, & Sueciæ communi conſenſu unus daretur rex; Sueci tamen conqueſti ſunt de Danis, quod regem ſine impetrato conſenſu elegiſſent: noluerunt ergo ſe ſubjicere. Regnum Sueciæ miſero fuit ſtatu ab anno 1260. primum enim per 200. annos *laboravit perpetuis bellis civilibus.* (a) Poſt illa accepit reges exteros: qui omnia ad utilitatem propriam voluere agere. Sic Albertus meckelburgenſis adſcitus in regnum impotenter rexit rempublicam. Item Margaretha danica, &, qui ei ſucceſſit, Ericus crudeliſſime ei imperarunt: & Chriſtianus vero omnium crudeliſſime & impotentiſſime rexere regnum. *Aliquoties quidem* (b) nonnullorum ductu in libertatem vindicata Suecia; ſed non diu duravit, & ſtatim delapſa eſt iterum in illum impotentem dominatum.

Superiori ſeculo cum crudeliter eſſet vexāta a Chriſtiano II. rege, & ille promeritus eſſet, ut regno danico pelleretur; reſpiravit aliquantum, & quidem Guſtavi I. ductu nobili loco in Suecia nati, filii Erici. Hic in captivitate à Chriſtiano tenebatur in Dania, deinde navigio Lubecenſi pervenit in Sueciam, & primo miſere vixit, mox totum regnum ſuecicum aſſeruit in libertatem. Qua virtute meruit, ut rex ab univerſo populo eligeretur.

Hic etiam ſuis meritis impetravit, ut populus in hereditariam ſucceſſionem maſcule conſentiret, & deficiente maſcula familia, ut aliquis ex filiabus Guſtavi natus germanus eligeretur: quod ſuo meruit beneficio: quoniam illos liberavit ab impotenti *jugo danico.* (c) Ex eo tempore regnum electitium cæpit eſſe hereditarium: reductum itaque fuit ad priſtinum morem ſuccedendi germanicum. Cum enim *Ericus* (d) filius hujus Guſtavi rex factus contra leges ageret; pulſus regno fuit: ſimiliter Sigiſmundus Johannis filius *regno pulſus.* (e) Huic ſucceſſit Carolus patruus: tum nova lex de ſucceſſione nata, nempe, ut omnis Sigiſmundi poſteritas excluderetur a regno. Interim ſibi ſemper regium jus vindicavit, & ipſius poſteris: hinc hodiernus rex Poloniæ adhuc ſibi regni ſuecici titulum vindicat. Tempore Guſtavi Adolphi nova lex condita: cum enim ipſi deficeret maſcula ſoboles, atque eſſet princeps bellicoſiſſimus, igitur, antequam abiret in Poloniam, & ſciret, dubium bellorum exitum eſſe, in comitiis regni anno 1627. impetravit, ut, ſi ipſi non naſceretur filius, filia Chriſtina ſuccederet. Quodſi Chriſtina reliquiſſet ſobolem maſculam, illa etiam ſucceſſiſſet. Sed cum hoc non factum, & tamen etiam Chriſtina ſponte *deponeret* (f) faſces imperii, electus eſt ex palatina familia princeps aliquis, quod matrem habuiſſet ſororem Guſtavi Adolphi, & filiam Caroli: nam hoc lege cautum, ut aliquis ex affinitate natus ſuccederet: qui tum erat *princeps Germaniæ.* (g) Ad hunc modum ſe habet ſucceſſio. Re-

Brakebagaren novo Regi propinatus fuit, quo accepto & poſt præſtitum juſjurandum exhauſto, tandem in ſolium parentis deductus & Rex proclamatus fuit. Quem modum tamen eligendi poſtea mutatum, atque electionem apud lapidem. *Movaſteen* dictum non procul ab Upſalia diſtantem deinceps factam monet c. 3.

(a) *Laboravit perpetuis bellis civilibus*) Primum enim Folkungeri multis motibus civilibus anſam dederant. Poſtea iis ſuppreſſis Waldemarus Rex cum fratre Magno bella geſſit, qui, ſuperato Waldemaro, Rex factus, cum conjugio inito cum Holſatica Hedwige multisque nobilium Holſatorum in Sveciam adſcitus, eo ipſo Svecos graviter offendiſſet, novum incendium excitavit. Ejus filio Bergero II. lites denuo com fratribus interceſſerunt, quo regia dignitate exuto, ſucceſſit Magnus cognom. Schmek, qui ſive ob ignaviam, & alia vitia, ſive ob confractam cum Danis amicitiam Svecis exoſum ſe reddidit, ita ut eo abdicato Albertum Mecklenburgicum eligerent. Sed & ille pariter cum Svecos exteris dignitates conferendo offenderet, Sveci tandem Margarethæ auxilium implorarunt, eique ſe ſubmiſerunt.

(b) *Aliquoties quidem*) Cum enim Sveci Danis poſtponerentur, atque multis aliis modis male haberentur, jam ſub Erico XIII. Margaretæ ſucceſſore ſe in libertatem aſſerere conabantur, ſuoque regno gubernatorem Carolum Cnutſonium conſtituebant, tandem etiam Regem factum, cum Dani contra pacta initæ unionis Chriſtianum I. Comitem Oldenburg. elegiſſent. Sed hic Carolus VIII. decem tantum annos regno præfuit, & anno 1458. ab Archiepiſcopo upſalienſi excommunicatus regno excedere, idque Chriſtiano I. relinquere coactus fuit. Revocatus quidem paulo poſt in regnum, atque ut Rex Holmiæ 1470. mortuus fuit, non potuit tamen obtinere, ut Sveci ſororis ſuæ filium Stenonem Sturium gubernatorem regni poſthabito plane Chriſtiano I. conſtituerent, donec ab hoc ipſo ſe male haberi intelligerent, quo facto quidem illum admiſerunt, mox autem invidia ducti denuo Johannem Chriſtiani I. filium Regem elegerunt. Sed nec illo contenti revocarunt Sturium, eoque defuncto Suante Sturium gubernatorem conſtituerunt, ac denique Stenonem Sturium juniorem, cum Chriſtianus II. Rex Daniæ ſibi regnum Sveciæ vendicare vellet, quem tamen poſtea ob Guſtavum Trollium Archiepiſcopum upſalienſem a Pontifice romano excommunicati, cum hujus anathematis executor adeſſet, Regem admiſerunt.

(c) *Jugo danico*) Nec ſolum ob id, ſed & ob reformationem religionis ſub eo feliciter ſuſceptam.

(d) *Ericus XIV.*) Corporis ingenuque dotibus plurimum valuit, incredibili enim fuit membrorum agilitate, nec non ſpecioſa corporis forma. Eruditione etiam excelluit, linguarum & Aſtronomiæ peritiſſimus. Triumphis quoq; contra Danos & Lubecenſes inclaruit. Sed ob graves demum, ſuſpiciones a Jocran Peerſon ipſi ſuggeſtas, injurias fratri Johanni illatas, & crudelitatem in regni proceres, quorom aliquos ſua manu interfecerat, corona exutus, & carceri mancipatus in eoque extinctus fuit.

(e) *Regno pulſus*) Cum ſcilicet in pontificia religione educatus a ſacris Eccleſiæ ſvecicæ alienior eſſet, forum Svecis in Polonia ſtatueret, nec alias conditiones regni ſervaret.

(f) *Deponeret*) Et religionem pontificiam complecteretur, quam etiam Oeniponti coram Alexandri VII. Pontificis Commiſſario Luca Holſtenio profeſſa fuit, de quo alias dictum.

(g) *Princeps Germaniæ*) Carolus hic Guſtavus Hedwigam Eleonoram ex ſereniſſima domo Holſato Gottorpica conjugem duxit. Ipſe autem anno 1659. Gothenburgi mortem obiit, cum paulo ante in inſula Funiæ magnam partem exercitus perdidiſſet. Huic ſucceſſit Carolus XI. poſt minorennitatem demum anno 1672. Rex coronatus, & 1697. mortuus. Ei vero ſucceſſit Carolus XII. ultimus familiæ guſtavicæ, qui poſt tot expeditiones bellicas primum proſpera, deinceps adverſa fortuna ſuſceptas in obſidione Friderici Halliæ in Norvegia ann. 1718.
globo

Regnum ibi eſt legitimum: adeo nec unus rex habet *omnem ſummam poteſtatem*, (a) quia 1.) non habet omne jus pacis & belli, quod gerendum impetrato conſenſu populi, ſine quo gerere illud non licet. 2.) Non habet poteſtatem fœderum magnorum icendorum, quæ quidem non ineunt conſenſu totius populi, ſed Senatorum regni: 3.) non habet poteſtatem legum condendarum, ſed conſenſus populi requiritur. Omnes leges fundamentales promulgantur auctoritate populi. Omnia decreta comitiorum promulgantur nomine populi, ne facta quidem mentione regis: 4.) non habet poteſtatem indicendi tributa, ſed conſenſu populi, vel ſaltem conſenſu ſenatorum regni. Nobiles *ea valent libertate*, (b) ut rex non habeat plenam vitæ, & necis poteſtatem in nobilem. Igitur ſumma poteſtas eſt pene regem, & populum, & eſt reſpubl. mixta ex regio & populari ſtatu: major tamen eſt ratio nobilium.

Nunquam reſpubl. illa eſt ſine rege aut aliquo, qui regia vice fungitur: quapropter licet rex ſit minorennis, tamen aliquis regia vice fungitur. Eſt autem in poteſtate regis, tutorem dicere: controverſum quidem hac de re eſt, ſed aliud evincunt *monumenta ſuecica*, (c) Nunquam tamen aliquis ad tutelam regni vocatur, niſi ex proceribus, aut ſenatoribus regni, aut multi ex illis. Interdum, ſed raro factum, ut reginæ viduæ ſint tutrices, nt nunc Caroli Guſtavi vidua una cum aliis fungatur *tutela regia*. (d) Quod attinet adminiſtrationem reipubl. obtinet in Suecia, quod Tacitus memorat de omnibus rebuspublicis germanicis veteribus, nempe de majoribus rebus conſultare jus eſt populi, de minoribus ſenatorum regni: habet & conſtituendi leges poteſtatem. Habet etiam regnum ſenatores regni, qui habent poteſtatem conſtituendi de rebus minoribus, non vero de iis, quæ ad rempublicam pertinent. Sine ſenatoribus regni, non eſt jus regi etiam res minores conſtituere. Sunt autem hodie 25. ſenatores regni: verum ille numerus non eſt ſtatus, olim longe minor: inter quos ſunt *primarii*, (e) qui ſunt officiales regni. Primus eſt Droſte, Reichs Druckſes, (quæ vox non eſt Germaniæ, ut prior) olim ArchiEpiſcopus primario loco fuit, ut in Polonia: nunc vero res mutata: 2.) eſt dux militaris Reichsfeldherr. 3.) Cancellarius regni: 4.) Reichs Admiral, und 5.) Ertz Schatzmeiſter. Saltim citra horum conſenſum, aut eorum, qui adeſſe poſſunt, nihil decernitur etiam de minimis rebus. Hi ſenatores more Germanorum veterum habent etiam poteſtatem præconſultandi de omnibus iis, de quibus populus vult ſciſcere ſive definire. In comitiis regni non æſtimantur tanquam ſenatores, ſed nt ſinguli in ſuis claſſibus. Olim ſenatores regni eligebantur ex ordine epiſcopali & nobilium. Hodie ſoli nobiles admittuntur, excluſo epiſcopali ordine. Ad 5.) officiales dignitates, nemo niſi illuſtri ſatis familia admovetur.

Hac in parte reſpublica aliqno modo Ariſtocratiam ſapit: quia ad negotia regni non quidem

globo igneo transfixus diem obiit; quo mortuo regnum primum ſorori Ulricæ Eleonoræ, ac deinceps etiam ſereniſſimo marito Landgravio Haſſiæ hæredi Friderico I. heroi in toga & ſago inclyto anno 1720. traditum fuit.

(a) *Habet omnem poteſtatem*) Habet tamen reſervata non pauca. Nam ſolus nova vectigalia inſtituere, ea augere & jus ſtapulæ concedere poteſt. Solus habet jus monetam cudendi & rogandi collectas. Armandias, ſeu loca, ubi arma cuduntur, privilegiis munit, flumina publica cum ſuis redditibus in poteſtate tenet. In omnibus mulctis tertiam habet partem. [*quæ Konungs Ernſak dicitur,*] Bona vacantia conferendi, & ob crimen læſæ majeſtatis publicandi poteſtatem habet, ſummumque jus in ſodinas metallicas. Solus magiſtratus eligere poteſt, omnes regni Senatores creat, provinciarum gubernatores, & judices conſtituit ad eumque ſolum libertas juriſdictionem criminalem & civilem exercendi pertinet. Vid. *FUNCCIUM* p. 469. *WEXION.* lib. 5. c. 10.

(b) *Ea valent libertate*) Magna ſunt nobilium in Svecia privilegia ab antiquis Regibus ipſis conceſſa, & a recentioribus non ſolum confirmata, ſed & amplificata, inter quæ ſunt, 1. quod ex iis ſupremorum in regno officiorum adminiſtratores legantur. 2. Quod in colonos ſuos merum imperium & juriſdictionem exerceant. 3. In venationibus, aucupiis, ſylvis, piſcationibus, ſodinis metallicis, quoad proprios fundos regali fere jure utantur. 4. Nullum tributum pendant. 5. In inferioribus inſtantiis de delicto non conveniantur, ſed a ſolo tribunali & judicio regio judicentur. 6. Quod liberrima in comitiis vota habeant &c. Vid. *WEXION.* lib. 8. c. 11.

(c) *Monumenta ſuecica*) Guſtavus Adolphus ſane in Germaniam movens quinque regni Sueciæ proceres & ſenatores in regni ſui curam unicæque filiæ tutelam conſtituit.

(d) *Tutela regia*) Defuncto etiam Carolo XI. filius Carolus XII. vix ſedecim annorum erat. Itaque avia ejus [matre jam pridem mortua] Hedwig Eleonora cum quinque regni Proceribus denuo tutelam nepotis ſuſceptura erat. Regni tamen ordines interceſſerunt, quo minus id fieret, Regemque ſtatim pro majorenni declararunt.

(e) *Primarii*) Supremi etiam officiales & ſummi præſides dicti, qui negotia ad collegium ſuum ſpectantia cum aſſeſſoribus collegialiter tractant, & in abſentia Regis, morbo vel minorenni ætate & interregno, ut plurimum regni ſunt gubernatores, & regii pupilli tutores. Quinque autem collegia regni primaria ſunt. 1. Collegium juſtitiæ Stockholmenſe, cui Droxetus regni præſidet cum 16. aſſeſſoribus, 4. regni ſenatoribus, 6. aliis ordinis equeſtris, & 6. literatis ſive juris peritis. 2. Collegium ſupremum militare, quod a Marſcho regni dirigitur. Cujus aſſeſſores ordinarii 2. regni ſenatores præſertim militares, & alii officiales bellici. Ex quo ſenatu ſunt Campi-Mareſchalli, regni armamentarius & generalis excubiarum Magiſter, quibus ſuus eſt ſecretarius, Notarii & Logiſtæ. 3. Collegium Navale, ſ. Ammiralitatis, ubi regni Ammiralius præſidet, aſſeſſoribus 2. e regni Senatu rei nauticæ peritis cum 4. Viceadmiralis ac ſenioribus Capitaneis nauticis. 4. Collegium Cancellariæ, cujus præſes regni Cancellarius, penes quem eſt magnum regni ſigillum, Aſſeſſores 4. e regni ſenatoribus, Cancellarius aulicus, cum duobus ſecretariis ſtatu nobilibus. 5. Collegium Cameræ, ſ. Fiſci & ærarii, ubi præſidet theſaurarius regni, cui aſſident 2. regni ſenatores, & duo nobiles. Vide *WEXION.* lib. 5. c. 10 & de 5. ſupremis regni officialibus *HAGEMEIER juris publici europæi* epiſt. 1. p. 22. *BECMANN* p. 660.

Cæterum quælibet etiam provincia habet ſuum gubernatorem, Landherre ſive Statthaller dictum, & dividitur in *præfecturas* [Hæradh] quarum quælibet habet ſuum Leenſmannum, & *parochias* cum ſuo nembdario ſive oembdemanno. Ab hoc fit acceſſus ad iſtum, ab iſto ad prætorem, ab his fit appellatio ad præfectos & legiferos, ab his ad judices curiæ, ab his ad concilium ſupremum juſtitiæ, ab hoc ad ipſum regem.

dem maxima adhibentur proceres. Magis tamen *ſapit* (a) Democratiam, quod populus vocetur ad comitia, & habeat poteſtatem decidendi. Ordo enim populi diſtinguitur in claſſes 4. (1) in nobiles, qui hodie ſunt primo loco: olim, cum ibi pontificia religio adhuc obtinuit, Epiſcopi, & archiepiſcopi fuere primo loco: ſed eum Guſtavi I. auſpiciis mutata religio eſſet, decrevit eorum potentia: Et bona illorum facta ſunt ærarii regii: habebant enim caſtella, munimenta, oppida, quæ illis ſunt erepta, & facta bona regia. Hodie igitur ſunt 2do loco poſt nobiles. Et vix poſſint auctoritatem ſuam ſoli Clerici, Archiepiſcopi, & Epiſcopi tueri, niſi ruſticos vocarent in partes ſuas. Quamobrem quia vident, ſe ſolos non poſſe ſuam obtinere dignitatem, auxilium ruſticorum in comitiis petunt.

Ordo nobilium *in 2. claſſes eſt diviſus*, (b) in illuſtres, & vulgaris ſortis nobiles. Olim non illuſtres familiæ erant in Suecia, ſed omnes erant pares, ut nunc etiam *in Dania*, (c) ſed ab Erico facta eſt mutatio: ab eo enim cœpere Barones, Comites. Numerus autem Baronum, & Comitum crevit libertate Chriſtinæ, & Guſtavi Adolphi. Olim tamen fuere duces, & quidem *filii regii* (d) duces creati ſunt: ut nunc in Gallia omnes regis filii dicuntur duces. Verum in creatione ducum olim minus prudenter regnum eſt gubernatum: teſtantur hiſtorici, quod duces inſurrexerint adverſus ſuum regem. Hæc enim poteſtas eſt nimis formidabilis & periculoſa regibus. Horum enim dueum turbis regnum Sueciæ multum mutatum. Guſtavo Magno fuere filii 3. Ericus, Johannes, & Carolus: Johannes dux factus Finlandiæ: Carolus Sydermanniæ. Verum hi duces regiam dignitatem conculcarunt. Johannes non dubitavit fratrem de ſolio pellere: Et Carolus, niſi fuiſſet dux, non valuiſſet Sigismundum ſolio dejicere. Utile igitur eſt, ut hoc regnum vel non creat duces, vel circumcidat eorum poteſtatem, non faciat hæreditariam hanc dignitatem. Utrum & bono reipublicæ creverit numerus baronum & comitum, vehementer dubito, præſertim cum ſint hæreditarii: ſi non eſſent hæreditarii, tantum periculum non eſſet. In univerſum intereſt reipublicæ, ut ſit æqualitas inter cives, & quo major æqualitas, eo magis quieta poteſt eſſe reſpublica. Ad ordinem Epiſcoporum pertinent etiam Superintendentes, qui non ſunt ſub Epiſcopis. 3. Claſſis eſt urbium. 4. agreſtium.

Regimen reipublicæ quod attinet; cum primis ſunt aliquot collegia, qui adminiſtrant rempublicam magiſtratus vice: illa collegia re vera ſunt magiſtratus: non habent autem plenam poteſtatem. Habet autem poteſtatem rex, omnia illa collegia conſtituendi. Et in univerſum notandum, quod magiſtratuum creandorum poteſtas ſit penes regem potiſſimum. 1.) Rex creat omnes ſenatores regni: 2.) omnes gubernatores provinciarum: 3) omnes judices provinciales, ita tamen, ut ſit hic aliquid ex parte penes populum. Populus enim nominat aliquos, ex quibus Judices provinciales rex eligit. Collegia ſunt varia, primo loco eſt collegium juſtitiæ: ſunt autem talia ſumma *judicia* (e) 4.) Primarium eſt ſtockholmenſe vere ſuecicum: 2.) lenecopingenſe: quo pertinet totum regnum Gothiæ eum Warmia, & Dalia: 3.) eſt Finnicum: 4.) Eſthonienſe, quod reſidet Dorpati. Procul dubio Rigæ etiam aliquod conſtituitur collegium juſtitiæ. 2. ordinis eſt unum collegium, & quidem militare, in quo omnia ſunt expedienda, quæ ad rem

(a) *Sapit*) Sapit etiam monarchiam ob totidem reſervata regis, de quibus ſupra.

(b) *In 2. claſſes eſt diviſus*) *WEXION.* lib 8. cap. 5. & ſeq Tres eorum claſſes conſtituit. 1. Comitum & Baronum hiſce titulis & gradibus a Sveciæ Regibus ornatorum 2. Eorum, quorum majores in ſenatorium ordinem adſcripti inveniuntur. 3. Nobilium Sveciæ, Gothiæ & Finlandiæ, qui nec Comites, nec Barones ſunt, nec eorum majores in regni ſenatum aſſumti Hi omnes ſempore comitiorum congregantur in illuſtri collegio holmienſi magnifice a Guſtavo Adolpho extracto, quod Ridderhuus vocatur.

(c) *In Dania*) Priſco ævo nulli inter Svecos & Gothos nobiles [Adel och Friborne] habiti videntur præter eos, qui regio ſanguine oriundi erant, indeque etiam nobilitas ad exteros per Germaniam, Helvetiam, Hiſpaniam cum antiquis Gothis transplantata eſt, unde & nobiliores familiæ hiſpan. ſe adhuc Fidalgos, i. e. filios Gothorum jactitant. Poſtquam vero ſub exoticis regibus, quorum primus fuit Albertus Mecklenburgicus ſolennis nobilitandi mos invaleſcere cœpiſſet, numerus etiam nobilium magis magisque accrevit, compluresque etiam nobilitatis gradus jam olim ante Ericum fuiſſe, obſervat *WEXION.* lib. 8. c. 1. docetque cap. 4. quomodo in ſolenni coronatione Erici XIV. novi comites & Barones creati fuerint, poſtquam antea in comitiis decretum fuerat, ut more majorum, quibus Jerlorum dignitas frequentata fuit, comitum ordo poſtliminio rurſus introduceretur.

(d) *Filii regii*) Regum filios minorennes, præſertim olim, non Principes, aut Duces, ſed nobiles *Junckare* dictos fuiſſe, docet *MESSENIUS in theatro nobilitatis ſvecica.* Hiſce tamen poſtea adultis certi ducatus & principatus, uti & Sudermanniæ, Nericiæ, Gothiæ, Fenningiæ aſſignati fuerunt, & Greffwar aut Jerlar appellati ſunt. Poſt introductam vero ſucceſſionem hæreditariam demum Duces & Principes hæreditarii cœpere.

(e) *Judicia* 4.) Judicio *ſtockholmenſi* ſubjacet Sveciæ regnum cum Helſingia, Dalekarlia & borealioribus provinciis. Cæterum hac occaſione de Stockholmia notandum, hanc totius regni urbem primariam, & ob regiam ſedem ſupremaque collegia illuſtrem ann. C. 1260. a Birgero Jerl regni Svec. adminiſtratore, & Waldemari parente inter lacum Mæler, & mare balthicum in inſula fundatam eſſe, quam duo utrimque Mæleri oſtia ingentes molas circumrotantia cingunt, quorum auſtrale. S. Olao Norvegiæ Rege Sveciæ Regem Olaum Skotkonung evadente apertum traditur, boreale truncis & trabibus ad avertendas hoſtium incurſiones olim clauſum Stockſund dictum, orbi nomen dedit, Svecis enim Stock trabem & Holm inſulam minorem ſignificat. Hujus urbis vero hodie eſt ea amplitudo, ut non tantum per antiquam inſulam & primariam ſedem, ac ponte annexam minorem olim Græmunkaholm a Franciſcanis monachis inhabitantibus, nunc Ridderholmen a ſplendidiſſimis illuſtrium palatiis dictam, ſed & per inſulam nauticam Skepaholmen, ubi claſſis ſtatio, it. per aliam majorem ponte anneaam Munckalæget dictam, & latiſſimam planitiem Ladugardslandet extendatur. Præter palatia nobilium & ſenatorum ſumtuoſa maximam partem occaſione belli tricennalis germanici excitata conſpiciuntur templa S. Nicolai. S. Franciſci, S. Claræ, S. Jacobi, Germanicum, Mariæ &c. Antequam vero ad hanc urbem venias, præternavigandi ſunt ſcopuli, quos Sveci Skeren vocant, ſatis periculoſi.

rem militarem attinent: poſteaquam bellum eſt decretum, habet poteſtatem munimentorum, *tormentorum*(a) & aliarum rerum ad bellum pertinentium. Huic præſidet regni marchiſcallus aut campi ductor.

3. Collegium eſt rei maritimæ: ab antiquo enim ſtuduit illud regnum claſſi parandæ. Jam tum tempore Taciti claſſe valuere: ſed illa poteſtas eſt valde debilitata a ſeculo 13. usque ad Guſtavum I. qui reſtauravit *illam.*(b)

4. Eſt Collegium cancellariæ, in quo expediuntur illa, quæ pertinent ad res pacis univerſi regni. Huic collegio præſidet regni cancellarius & 4. aſſeſſores ex ſenatoribus regni, & cancellarius aulicus.

5. Collegium eſt cameræ, quod curat ærarium regni, & regis: huic præſidet theſaurarius regni: habet & aſſeſſores ex regni ſenatoribus. Ante aliquot annos hujus ſeculi cœpit *collegium fodinarum* (c) metallicarum: cum enim viderent ſenatores, metalla reipubl prodeſſe: curam eorum mandarunt ſingulari collegio. Nuper acceſſit collegium mercatorium ſive de commerciis. Olim commerciorum non magna habita ratio eſt in regno: ſed proximis annis multa *mutata ſunt*,(d) Commercia autem multum ad ſalutem reipubl. afferre poſſunt, quibus florentibus respubl. floret. Membris collegii illius cogitare incumbit, qua ratione commercia incrementum capere poſſint.

Jam quod attinet res eccleſiaſticas, illæ ſunt commiſſæ peculiaribus conſiſtoriis.

Quod negotia belli attinet, non facile regnum in Europa erit, quod *res bellicas* (e) tam bene compoſitas habeat. Duo enim integra collegia rei bellicæ curam habent, unum militiæ terreſtris, alterum copiarum nauticarum. Hodie regnum illud claſſe valet: non quidem cum Anglis & Batavis hac in re comparari poteſt, aſt regno Daniæ, & vicinis hac in re prævalet. Expeditum ſemper habent militem ex populo. Incredibilem habent vim tormentorum bellicorum: facile enim ab ipſis ea cuduntur, & bonitas copiaque ferri atque æris omnes Europæ terras ſuperat.

Judicant in Suecia non ſecundum *leges Romanas*, (f) ſed proprias: quæ deſcriptæ ſunt breviter: aliæ tempore antiquorum regum conditæ: inter quas eminent, quas Archiepiſcopus upſalienſis Nicolaus Ragwaldus conſcripſit juſſu regis Chriſtophori. Poſtea etiam Adolphus quasdam tulit. Jus contra illorum non eſt adeo diffuſum quemadmodum apud nos, ſed breviter id addiſcitur: & hac in parte ſunt nobis longe feliciores, qui longum tempus cogimur huic impendere, omiſſis plurimis, quæ ad vitam momenti maximi eſſe poſſint. Religio Chriſtiana apud Suecos primum cœpit prædicari, curante Ludovico Pio Francorum rege: adſcito in conſilium romano Pontifice fecit, ut Archiepiſcopus Hamburgi conſtitueretur, qui deinde translatus eſt Bremam: vide Crantzius, in metrop. Hamburgenſes per Daniam, Norwegiam & Sueciam ſedulo dederunt operam condendæ religioni, non per vim, ſed per prædicationem verbi divini. Senſim autem propagata *eſt ibi religio*,(g) ut ne quidem ſec. XII. omnis Suecia a paganismo fuerit liberata, ut nec ſeculo XIII. Tandem autem fuit exterminatus: ultimi omnium Carelii ad Chriſtianam religionem pervenerunt, niſi quod & Lappi ante 60. annos prædicationem verbi admiſerint: nec hodie, credo, omnes Lappos eſſe *Chriſtianos*: (h) abſunt enim ab eccleſia multi per 100. milliaria; ſunt alias *homines civiles*, (i) non mali. Cum religio chriſtiana ex parte ibi eſſet ſtabilita; ex re ſua cre-

(a) *Tormentorum*) Eorum inuſitata & fere incredibilis eſt copia in regno Sveciæ. *PHIL. HONORIUS* in relat. *de ſtatu regni Sveciæ*, tormenta ad numerum 8000. aſcendere & in ſola ſtockholmenſi arce ſe 400. numeraſſe, retulit, quorum tamen longe majorem numerum eſſe teſtatur *Wexion* lib. 6. c. 4.

(b) *Illam*) Ericus XIV. claſſem 48. navium 1565. eduxit. Johannes III. 70. naves majores, crediturque Suecos olim ultra 50. magnas naves bellicas inſtructiſſimas ordinatie in promtu habuiſſe.

(c) *Collegium fodinarum*) Collegium metallicum peculiaribus ſtatutis gaudens anno 1637. privilegio publicato munitum eſt.

(d) *Mutata ſunt*) Vid. de commerciis ſvec. *l' etat preſent de la Suede* cap. 14 p. 127.

(e) *Res bellicas*) De re militari ſvec. bene ordinata, vid. *P. Bertium* rerum german. lib. 2. cap. 16. *Wexionium* lib. 6. c. 3. 4. *P. Lotich.* rerum german. lib. 32. c. 4.

(f) *Leges Romanas*) Jus civile romanum in Svecia non receptum eſt, ſed quotidianæ lites deciduntur per ius nationale, quod ex legibus uplandicis & vaſtrogothicis aliisque collectum eſt, a quibus ſtatutis parum differunt leges viſigothicæ, quas recenſet Iſidorus Epiſcopus hiſpalenſis. Primus, qui leges uplaudicas in unum corpus digerendas curavit, fuit R. Birgerus adjutus Bopera Birgeri Petri S. Brigittæ parentis 1295. Sed cum præter illas adhuc plurimæ eſſent leges, uti oſtgothicæ, ſudermannicæ & Weſtgothicæ, has in diverſa volumina diſperſas leges Rex Chriſtophorus Bavariæ dux opera Ragwaldi adjutus in unum volumen compilari fecit, ſuaque autoritate anno 1452. confirmavit, unde & Chriſtophori Bavari leges dicuntur. Diſtinguitur hoc volumen in ſuos titulos Sved. Balkes dictos, ſive quod olim ligois ſive trabibus inſcriberentur leges, ſive quod hiſce titulis, tanquam ſepimentis & repagulis materiæ diſtinguerentur, conſ. *Wexionium* lib. 5. c. 8. *LOCCEN. antiquit. Sveo-Goth.* lib. 2. c. a. p. 34. ſeq. *l' etat preſent de la Suede* cap. 3. p. 31. Cæterum, in Svecia ita comparatum eſt, ut cauſæ ad juſtitiam pertinentes, in civitatibus a conſulibus & ſcabinis judicentur, ruſticorum vero controverſiæ examinentur per judicem territorialem, vulgo Lagemaonum dictum, a quo appellatur ad judicem totius provinciæ &c.

(g) *Religio*) Vid. de propagat. relig. Chriſtianæ in Svecia pluribus *WEXION.* lib. 10. c. 3. ſeq. *LAURENT. PAULIN. hiſtor. Arctoa* lib. 1. c. 40. *BAZIUM in hiſtor eccleſ. Svec. inventario. LOCCENIUM antiquit. Sveo Gothic.* lib. 1. c. 3.

(h) *Chriſtianos*) Cura tamen M. Iſaaci Rothovii, Epiſcopi aboenſis, tum effectum fuit, ut Lappi ultra lacum Enaratræsk fere ſub gradu 70. Chriſto nomen dederint. Major etiam poſtea de propaganda religione chriſtiana inter Lappones cura adhibita fuit, ut proinde *BAUDRAND dictionaire Geogr.* p. 582. obſerver: le Lappons, Svedois [Danici enim & Ruſſici excipiuntur] ſont presque tous profeiſſon du chriſtianisme.

(i) *Sunt homines civiles*) Legendus hac de re *WEXION. lib. 4. cap. 8.* quam comites hoſpites excipere ſoleant.

crediderunt, ut proprios Archiepiſcopos haberent. Et ſic Hamburgenſis Epiſcopatus plane exſtinctus fuit: cum id apud Danos etiam factum. Conſtitutus tunc in Suecia *Archiepiſcopus upſalienſis*. (a) A Pontificatu non tam cito ſe ſubducere potuerunt ſuperſtitione ducti. Hodie regnum illud unum archiepiſcopatum upſalienſem habet, ſub quo alii Epiſcopi, quique in ſuis Epiſcopatibus eadem pene cum archiepiſcopis valeant auctoritate: conſtituendi hos penes unum regem eſt poteſtas: olim fuit penes Canonicorum collegia. Poſt hos ſunt Epiſcopi, *Lincopienſis*, (b) deinde ſtregnenſis, poſt ſtregnenſem aroſienſis, wexionenſis, aboenſes, wiburgenſis, revalienſis: fortaſſis & novum conſtituent rigenſem. Habent etiam ſuperintendentes, qui nec Epiſcopis nec Archiepiſcopis ſubſunt: tales ſunt 6. ſecundum *Michaelem*, (c) qui omiſit ſuperintendentem Gotlandienſem: & ſunt adhuc plures. Olim Epiſcopi, & Archiepiſcopi in magno fuerunt opum, & auctoritatis faſtigio: hodie non item. Ad hanc dignitatem etiam pertinet cura ſcholarum, quæ in ſingulis urbibus reperiuntur: habent etiam *gymnaſia* (d) nova. Academiæ ſunt Upſalienſis, Aboenſis in Finlandia, & *Dorpatenſis*. (e) Hac itaq; etiam ex parte regnum hoc ſatis bene eſt inſtructum: loco monaſteriorum deſtructorum novæ ſcholæ ſunt exſtructæ: nulla amplius *monaſteria* (f) in tota Suecia habentur: fuit alias ibi celeberrimum monaſterium *S. Brigittæ*, (g) quæ ex regio Suecorum ſanguine fuit, & Romæ in magna ſanctimonia vixit: fertur ſupra modum conqueri de ſedis Romanæ malitia, æquiparat Pontificem antichriſto. Eos, qui regnant in Suecia, quod attinet, Joh. Caſimirus rex Poloniæ unus tantum ſupereſt ex ſtirpe maſcula Guſtavi: ex fœminea autem fuit Carolus Guſtavus glorioſiſſimæ memoriæ. Qui nunc rerum potitur, eſt adhuc infans. Chriſtina admodum erat tenera, cum moreretur ejus pater: tutores tamen feliciſſime præfuere reipublicæ. Ita nec hodie deſperes de infantia hodierni regis. Eſt hoc indicium bene conſtitutæ reipublicæ, & bene compoſitorum armorum populi, ſi bene adminiſtretur aliquod regnum a tutoribus, quod in Suecia aliquoties factum feliciſſime. Alias verum eſt plerumque: Væ terræ, cujus rex puer eſt. Notum eſt & hoc, ſimulac mortem oppetiit rex Carolus, omnia ſtatim compoſuiſſe tutores, & univerſum regnum pacatum reddidiſſe: cum tamen undique bellum haberent: & compoſuere quidem cum magnis & potentibus cum inſigni fructu. Itaque non poſſumus etiam non bene ominari in futurum: inprimis cum arctiſſima fœdera inivierint cum rege angliæ, & Galliæ. De ſingulis ut dicam, non eſt neceſſe: quia nec ſingulos notos habeam. (h)

DE

(a) *Archiepiſcopus upſalienſis*) Primus Epiſcopus upſalienſis perhibetur fuiſſe Svennus, qui in exſtirpanda idololatria multum præſtitit. Alii Stephanum dicunt.

(b) *Lincopienſis*) Poſt hunc ſequitur Scarenſis, tum Stregnenſis, vid. *WEXION. lib.* 10. *c.* 7.

(c) *Michaelem*) *WEXION. lib.* 10. *c.* 14. monitum tamen hoc ipſum eſt ab autore in additamentis & animadverſionibus ad h. l.

(d) *Gymnaſia*) Præcipua ſunt, Stregnenſe, Aroſienſe, Lincopenſe, Viburgenſe, Wexionenſe, Scarenſe.

(e) *Dorpatenſis*) Anno 1630. fundata, hodie Ruſſis ſubjacet, acceſſit tamen anno 1668. Lundinenſis in Scania ſub Carolo XI. inſtituta. Subjecta quoque eſt coronæ ſveciçæ academia gryphiswald. in Pomerania anno 1457. introducta.

(f) *Monaſteria*) Monaſteria Sveciæ recenſet *VASTOV.* ex eoque *WEXION. lib.* 10 *c* 3.

(g) *S. Brigitta*) Conf. de ea *vita di S. Brigida di Svezia Principeſſa di Nericia dal GUIL. BURLAMACCHI* Napoli 1709.

(h) *Habeam*) Priusquam cum autore regnum Sveciæ deſeramus, juvabit adhuc alia quædam momenta ad notitiam hujus reipublicæ ſpectantia adjungere. 1. Inſignia *Sveciæ* proprie ſic dictæ generaom ſunt tres coronæ. Speciatim *Uplandiæ* inſigne eſt aureum pomum ſuperorata cruce deaurata. *Sudermanniæ* Gryphus niger expanſis alis in aureo campo. *Nericiæ* duæ ſagittæ in candida planitie transverſim poſitæ & 4. purpureis roſis exornatæ. *Weſtmanniæ* tres montes quinque flammas in candido ſpatio evibrantes. *Oſt-Gothiæ* Leo inauratus, nec non draco volans, caput roſis & pedes ſtella ornatus. *Gothlandiæ* agnus cum cruce vexillifera. *Smolandiæ* Leo capite erecto intenſoque arcu & impoſita ſagitta minitans. *Olandiæ* Cervus de auratus. *Weſt-Gothiæ* Leo dimidius deauratus, dimidius cœruleus inter duas ſtellas ſaliens. *Wermelandiæ* Aquila expanſis alis & pedibus. *Daliæ* rubicundus Taurus in planitie candida. *Dalekarliæ* duæ in crucis morem locatæ ſagittæ cum aurea corona in candido campo. *Helſingiæ* deauratus caper in aureo campo, *Bothniæ* rangifer excelſis cornibus. *Lapponiæ* homo ſylveſtris caput & verenda ramis obvelatus, clavam veterum gigantum more geſtans. *Finningiæ* Leo coronatus dextro pede ſtrictum gladium vibrans, ſiniſtro acinacem conculcans, 9. roſis ornatus. *Careliæ* duo brachia in ſolo puniceo, alterum acinace, alterum gladio coronæ in medio poſitæ minitantia. *Ingriæ* duæ portæ totidem globis candentibus haſtis vexilliſque cancellatim poſitis exornatæ. *Livoniæ* tres Leones cærulei &c

2. Reditus regni ſatis affluentes ſunt, & percipiuntur ex bonis eccleſiaſticis, e fodinis, e decimis frugum, e tributis & vectigalibus, ex pellibus Lapponiæ &c. Ex ſolo autem ære, quod e duabus, aut tribus fodinis provenit, Regem 150. Tonnas auri german. & amplius percepiſſe quondam ferunt. Accedunt omnium ordinum ingruente neceſſitate ultroneæ & ſpontaneæ contributiones, quas in comitiis requiſiti pro ratione temporum promittunt, & promtiſſime præſtant, ubi tamen obſervandum, quod nobilium ſubditi, mediam tantum partem ſolvere teneantur. Obſtrictus quoque eſt populus ad dotem Regis filiæ, quando in matrimonium datur, pecuniam conferre. Cumprimis vero, ſi bellum gerendum ſit, reſpublica ita comparata eſt, ut levioribus ſumtibus id geri poſſit. Ex tributis enim ruſticorum, & collationibus oppidorum commeatus arcibus, locis munitis, & claſſi nauticæ parantur. Unde & Johannem III. dixiſſe referunt, bellum, quod Regi catholico uno millione conſtaret, ſibi centum millibus thalerorum non conſtiturum.

3. Coronationis ſolenuia deſcripſit WEXIONIUS *lib.* 5. *cap.* 6. nec non comitiorum *cap.* 12. Præter ſupremos autem 5. officiales regni jam ſupra memoratos, ſunt adhuc alii ii que primarii aulæ regiæ inſervientes, nimirum *Archimareſchallus*, qui aulæ præeſt, ejusque ſolennitates dirigit, *præfectus armamentarius*, Archiſtabularius & præfectus venationum, qui omnes ordinarie Stockholmiæ reſident, muneris tamen ratione ſic exigente, in provincias etiam aliaque loca nonnunquam excurrunt.

4. Præteuſiones regni ſvecici olim variæ fuerunt, de quibus vide SCHWEDERUM loc. cit. p. 314. ſſ. quæ tamen hodie partim per obitum ultimi Regis Caroli XII

DE POLONICA REPUBLICA.

Polonia proxima videri poteſt Ruſſiæ, quia reſp. Polonia maximam partem Ruſſiæ complectitur, & ejusdem Poloni *linguæ*, (a) & forte ejusdem etiam originis fuere cum Ruſſis. Primum de *monumentis rerum polonicarum* (b) principio obſervandum; Polonorum mentionem apud antiquos ſcriptores *nullam reperiri.* (c) In Jornandis libello de rebus gothicis obſervavi nomen Polonorum. Hic Jornandes vixit tempore Juſtiniani & ſcripſit librum de gothicis rebus.

Narrat autem ille, Gothos, cum vixiſſent nobis cis Viſtulam, ea trajecta migraſſe in terras Spajorum, videtur hoc eſſe mendam librarii & legendum eſſe Polorum. Narrat porro bella geſta cum Polis

nulla prole relicta mortui, partim amiſſis provinciis iſtis, quarum ratione jus prætenſum fuerat, ex parte exſpirarunt. Nmaudum tamen, quod duabus Megapolitanis diſputet vectigal ad Warnemundam ſolvendum, de qua controverſia vid. *PFANNERI hiſtor. comit.* lib. 4. c. 59. lib 6. c. 10. *FRITSCH. in notis ad inſtrum. pacis Weſtphal. art.* 10 *p.* 513. item, quod inſigne trium coronarum ſibi ſoli vendicet, ejusque olim regibus Daniæ ægre concedat, vid. *SPENER hiſtor. inſign.* lib. 2. c. 95. §. 5. quod porro deſcoſionem & tutelam libertatis in pace oſnabrugenſ. & monaſt. pactæ prætendat, nec non jus ſuccedendi in Pomeraniam inferiorem, Novam Marchiam, & tractum ſternbergenſem, de quo vid. *GASTELL. de ſtatu publ. europ.* c. 6. p. 200 ſſ.

5. Quod denique ad rationem ſtatus attinet in hoc regno obſervandam, ea licet variet, nec ſemper eadem eſſe poſſit pro ratione temporum mutationumque, quas ſubit reſpublica, generatim tamen ſuis regulis & fundamentis nititur, & quidem 1. ratione eorum, quæ magis interna ſunt reipublicæ, id agendum eſt, ut præſens ſtatus, qui pro ſcopo habet ſalutem populi, mutuaque inter ſe omnium regni ordinum voluntas conſervetur, religionis ſemel receptæ, cujus Sveci ſunt tenaciſſimi, ratio habeatur, interim tamen ordini eccleſiaſtico majora, quam nunc ſunt, jura & privilegia non concedantur, ut porro caveatur, ne populus natura bellicoſus otio torpeſcat, ſed ſua habeat exercitia militaria, etiam in exterorum ſubſidiis, ubi occaſio ferat, exacuenda, item ne limites regni contra quemvis ſubitum inſultum minus inſtructi ſint, ideoque cumprimis Scaniæ ratio habeatur, & hodie potiſſimum Fenniogiæ & Careliæ, poſtquam Livonia & Iogria a Ruſſis occupata eſt. Ut denique claſſem, ſi non valentiorem eorum claſſibus, qui mari balthico dominantur, tamen non minus validam, ſed eam, quæ avertendis periculis ſufficiens ſit, in promtu habeat, ac cum magni ſumtus in eam parandam conſervandamque requirantur, proinde in augendo ærario ex divitiis ſubditorum, exterorumque vectigalibus & commerciis ſtudium adhibeatur, bellum vero ubi forte ſuſcipiendum ſit, non offenſive, ſed defenſive potius agatur. 2. Ratione eorum, quæ magis externa vel extra remp. ſunt, id agendum, ut quæ in Germania ſuperſunt, ſarta tecta conſerventur, cumque in finem caveatur, ne fœdus cum Galliæ regno jam olim ſub Guſtavo I. initum, ſed ſub Guſtavo Adolpho arctioribus legibus conſtrictum ulla ratione diſſolvatur, cujus & retinendi plures alias rationes affert autor *nouveaux interets des Princes de l' Europe p.* 299. *ſeq.* Cum Anglis pariter & Batavis amicitiam colat ratione commerciorum, operamque adhibeat, ne vel illi ipſi inter ſe collidantur, vel data occaſione in Sveciam irritentur, quoniam facile ipſis eſt, claſſibus ſuis, quibus alias gentes longe ſuperant, in mare balthicum tranſire, illatasque ſibi injurias vindicare. Ex vicinis quidem neminem hodie habet, quem magis ob potentiam vereatur, præterquam Imperatorem Roſſorum, interim tamen, nec Dani temere offendendi ſunt, ſed cum iis amicitia colenda eſt, cujus rationes ſuppeditat *l' Etat preſent de la Suede p.* 147.

(a) *Linguæ*) Nimirum Sclavonicæ. Ejusdem etiam cum Bohemis & Ruſſis originis eſſe vulgo creduntur, eo quod tres fratres Zech, Lech & Ruſs e Dalmatia vel Illyrico oriundi circa ann. 500. in Sarmaticas regiones profecti. Lech quidem Polonis [Poleck quaſi poſteria Lechi, unde & Polacki Hungaris Lengel, quaſi Lechel dicuntur,] Ruſs vero Ruſſis nomen pariter & originem dederit. Dubium vero id, imo fabuloſum judicat *HORNIUS orb. Imper. p.* 258. quoniam Sarmatæ ſint Poloni, quorum ab omni memoria amplæ in Scythia Europæa & Aſiatica ſedes fuerunt.

(b) *Monumentis rerum polonicarum*) Sunt adhuc alia ſcriptorum monumenta, quæ ad reipublicæ polonicæ notitiam vel multum, vel ſaltim aliquid conferre poſſunt. Nimirum *STANISLAI RITZISTANNOVIC brevis deſcriptio ſtatuum regni polonici. Relation de l' etat de Pologne & de leur Republique* Colon. 1668. *Relation hiſtorique de la Pologne contenant le pouvoir de ſes Rois, leur Election & leur Couronnement, les Privileges de la Nobleſſe, la Religion, les moeurs des Polonois par le Sieur de HAUTEVILLE.* J. de *LABOUREUR relation du voyage de la Reine de Pologne & du retour de Madame de Guebriant. JOH. CRASSINII,* [id eſt, Carol. Sigonii] *Polonia. ALEXAND. GUAGUINI chorographia totius Poloniæ. ADAM. SCHROTER. iter ſalinarium ſarmaticum. BARTH. KECKERMANN. politica, ſpecialis gemina, prior polonica, poſterior germanica ſtudio Joh. Henr. Alſtedii. Relationi del Signor. Joh. Franc. Olmo del regno di Polonia con le Relationi della republica de Venetia. Memoires de Chevalier de Beaujeu contenant ſes divers Voyages en Pologne, Alemagne & en Hongrie ANTON.* de *PILEA perſpectiva politica regni polonici. CHRISTOPH. HARTKNOCH. de republica polonica* lib. II. Jus regni Poloniæ in quatuor libros distinctum *a NICOL. ZALASZOWSKI JOH. SCHULTZIUS de Polonia nunquam tributaria. SIMON. OKOLSKI orbis Polonus. ANDR. CELLAR. regni Poloniæ magnique Ducatus Litthuaniæ deſcriptio. JOH. THEODOR. SPRENGERI Polonia non antiqua. AUGUSTIN. GUDICANI Poloniæ deſcriptio. JOH. TROSTERI polniſches Adler-Neſt. SCHEDELII de Sarmatia comment.* Ad hiſtoriam autem hujus regni adhuc potiſſimum ſpectant. *Poloniæ hiſtoriæ corpus*, id eſt, *polonicarum rerum latini recentiores & veteres ſcriptores ex bibliotheca JOH. PISTORII. JOACH. PASTORII florus polonicus. JOH. INNOCENT. PETRICII hiſtoria rerum polonicarum, VINCENT. KADLUBKONIS hiſtoria polonica. JODOC. LUDOV. DECIUS de vetuſtatibus Polonorum. STANISLAUS SARNITIUS de origine & rebus geſtis Polonorum & Litthuanorum. CASIMIR. ZAWADSKI hiſtoria arcana, ſ. annalium polonicorum lib.* 7. *JOH DEMETR. SULIKOV. comment rerum polonicarum a morte Sigismundi R. BERNH. CONNOR hiſtoria Poloniæ. JOH. HERBORT.* de *FULSTIN chronicon Poloniæ. VESPASIAN* a *KOCHOW KOCHOWSKI annalium polonicorum Climacter I. & II. EVERHARD. WASSENBERG geſta Uladiſlai IV. ANDR. MAXIM. FREDRO Geſtorum populi Poloni ſub Henrico Valeſio, nec non eorum, quæ ipſius electionem præceſſere Le Attioni d' Arrigo III. Re di Francia e IV. di Polonia — da TOMASO PORCACCHI. Les anecdotes de Pologne ou memoires ſecrets du regne de Jean Sobieski depuis l' an* 1674. *jusqu' en* 1688. *Hiſtoire des Dietes de Pologne pour les elections des Rois depuis la mort de Sigismund Auguſte en* 1572 *jusqu' a l' Election de Jean Sobieski en* 1674. *par M. MICHEL DAVID* de la *BIZARDIERE.* Conſ. *Samuelis Joachimi Hoppii* ſchediasma de ſcriptoribus hiſtoriæ polonicæ.

(c) *Nullam reperiri*) Ita & CROMERUS nomen Polonorum ante Juſtiniani tempora non innotuiſſe, ſed ejus veſtigia in Procopio demum *l.* 1. *hiſt Goth. l.* 3. & 4. ac Jornande inveniri arbitratus eſt, *de origine & rebus geſtis Polon lib.* 1. *cap.* 8. At vero HARTKNOCH. *de republ. Polon. lib.* 1. *c.* 2. §. 1 *p* 21. jam Ptolomæi ætate Bulanos, qui idem, quod Poloni, ad Viſtulam amnem collocatos fuiſſe oſtendit.

Polis, eosque eſſe ſuperatos a Gothis, tandem veniſſe eos ad Danubium in partem Tranſylvaniæ & inde in Podoliam. Videntur hic Poli iidem eſſe cum Polonis. Poſt illum apud omnes ſcriptores altum eſt de Polonis ſilentium, igitur ex antiquis monumentis nihil poteſt peti. Seculo vero nono cœpere res eorum narrari a ſcriptoribus rerum Polonicarum, quia tunc facta eſt pars Imperii germanici, & quia cœperunt eſſe Germanis vicini. De illis rebus, quando vixerint ſub *imperio Germanico* (a) vid. lib. de finibus Imperii. Non poſſum autem non ejus lectionem commendare, cum in nullis polonicis ſcriptis extet, Polonos fuiſſe ſub Imperio germanico, cum illi falſo contrarium teſtentur, nempe Germanos fuiſſe ſub Polonis. Ipſi non habent antiqua monumenta, fatenturque neminem res ipſorum memoriæ commendaſſe ante Martinum *Dlugoſſum*, (b) non autem permittunt illud opus in lucem prodire, quia multa forte in illo continentur, quæ occulta eſſe volunt. Cum noſtris etiam monumentis conſentiunt Italici. Cœpere igitur ſuperiori ſeculo conſcribere res ſuas adeoque omnes ſcriptores polonici non excedunt ætatem ſuperioris ſeculi. Ex eo tempore præclari cœpere ſcriptores apud eos, cum ſtudia tractare ceperint, & applicaverint animum ad eloquentiam præprimis. Rempublicam ipſam quod attinet, primus *omnium* (c) illam deſcripſit Martinus Cromerus Polonus, præclarum ſcriptum, cui nullæ virtutes hiſtorici deſunt. Ea eſt omnium optima, ſolet etiam illa legi in libello de republ. polonica edito in Batavia cura Lazii, quamvis ejus nomen non adſcriptum *ſit. Idem libris* 30. (d) perſecutus eſt omnem hiſtoriam polonicam, ita ut facile appareat, illum multum dediſſe patriæ ſuæ, & multa ſcripſiſſe ex genio gentis ſuæ, qui eſt libertatis amantiſſimus. Deduxit autem ſua usque ad Sigismundum magnum Scripſit etiam hiſtoriam polonicam a primordio gentis Matt. *Mechovius*, (e) docte quidem, ita tamen, ut palma debeatur Cromero. Poſt Cromerum, alii res Polonicas perſecuti ſunt, ſed tantum per partes. Integram tamen hiſtoriam polonicam usque ad annum ſuperioris ſeculi 87. dedit nobis Salomon *Neugebauer*. (f) quæ hiſtoria, quia in Germania edita eſt, & non magno pretio poteſt emi, meretur legi, omnia compendioſe habet, & ſex libris prioribus eſt ſecutus Cromerum, ut vocares hos ſex libros compendium Cromeri. Reliqua autem accepit a variis, ille autem ſatis prudenter ſcripſit, eſt autem gente non Polonus. Meretur etiam inter polonicos Scriptores laudem *Heidenſteinius* (g) Livonus, qui res omnes Stephani regis ſcripſit, quo nemo rexit prudentius. Nuperrimas res polonicas perſecuti nonnulli ſunt & quidem Chronicon *Piaſecii*. (h) Hic liber mere-

(a) *Sub imperio germanico*) Controvertitur, utrum Polonia unquam romanis imperatoribus fuerit ſubiecta & vectigalis ab iisdem facta Conringius affirmativam propugnat *de finibus germ. imp. c.* 18. conferatur etiam BOHUSLAUS BALBINUS *in epitome rerum Bohem. lib.* 3. *cap.* 8. *p.* 208. Poloni, inter quos Cromerus cumprimis hac de re, licet ſparſim, egit, contrarium defendunt, quin & de hac controverſia FRANC. MARINIUS (ſ. Johannes Sachſius Secret. Thorun.) contra Conringium ſe ſcripturum pollicitus fuit in *libro de ſcopo republicæ Polon.* CHRISTOPH HARTKNOCHIUS *de republ. polon. lib.* 1. *c.* 2. §. 9. ita ſentit, perperam a Germanis ſcriptoribus aſſeri, quod Polonia jam tempore Caroli M. germanico imperio fuerit ſubjecta, concedit tamen, eam ſeculo X. fuiſſe tributariam factam. Sed hoc ipſum quoque negavit, JOH. SCULTZIUS *in tract. hiſtor. politic. de Polonia nunquam tributaria*, cujus tamen ſtudium, in gratiam gentis Polonæ hoc opere præſtitum, non æqualem apud exteros invenit approbationem, unde & quædam ei oppoſuit MARTIN. HANKIUS *in exercitat. de Sileſiorum antiquitatibus*

(b) *Dlugoſſum*, Joh. Dlugoſt ſenior de Nyedzelno canonicus cracovienſis, alias Longinus dictus, natus eſt anno 1415 & mortuus anno 148‑. ſcripſit hiſtoriam polonicam in tres tomos aut 12. libros digeſtam, quæ primum edita eſt Dobromili anno 1615. autoritate & ſumtibus Felicis Herborti, ſed non integra; editi enim tantum ſunt libri ſex, monuitque PAPEBROCHIUS *in actis ſanctorum Maji tom.* 2. *ad d.* 7. *Maji p.* 198. *prohibere Polonos, ne reliqui libri imprimantur, arbitratos in hiſce plurima regni ſui ſecreta prodi.* Nihiloſecius tamen illuſtris vir *Henricus L. B. ab Huyſſen* anno 1711. reliquos libros ſex a ſe in Polonia repertos edendos curavit, ita tamen, ut major pars libri XII. adhuc deſideraretur; quam tamen deinceps ex codice cracovienſi ſibi conceſſo nactus ſequenti anno 1712. ſub titulo libri XIII. addendum curavit, cui editioni JOH. GOTTLIEB KRAUSE eruditam præfationem præmiſit, adjunxitque Kadlubkonis, Sarnicii, Orichovii libros & illuſtrium virorum epiſtolas in in tres libros digeſtas opera Stanislai Carncovii.

(c) *Primus omnium*) Cromerum tamen, temporum ſerie præceſſerunt alii, inter quos antiquiſſimus cenſetur VINCENTIUS KADLUBECK ſ. *Cadlubkus de Karnovo* Epiſcopus primum Cracovienſis, deinde abdicato hoc Epiſcopatu, monachus ordinis ciſterc. factus, qui juſſu Caſimiri Juſti R. Chronicon. Polon. conſcripſit, in quo tamen multa fabuloſa habet de antiquitate gentis polon. notante *Hartknochio in republica polon p.* 26. Cadlubkonem excepit BASKO, qui tempore Caſimiri M anno 1370. hiſtoriam polon. conſcripſit, adhuc in manuſcripto latentem. Hunc vero DUGLOSSUS, de quo ſupra, Dugloſſum MATTHIAS MIECHOVIUS.

(d) *Idem libris* 30.) Non libris 10. [uti extat apud *Lippen. in bibliothec. reali phil. p.* 1221. & *Struv. biblioth. hiſtor. p.* 749.] *de origine & rebus geſtis Polonorum.* Prodierunt primum Baſileæ 1555. f. locupletius poſt autoris obitum anno 1589. Coloniæ Agripp. ex officina birckmanniana, cui editioni præter orationem funebrem in obitum Sigismundi I. & duos libros de ſitu, populis, moribus, magiſtr. & republ. polon. acceſſerunt. Vapovii fragmentum Sigismundi ſenioris, Cromeri epiſtola ad Regem & Proceres, Karncovii ad Cromerum epiſtola de modo electionis, novi Regis apud Varſaviam habitæ anno 1573. quorundam orationes & chartæ geographicæ. Cromeri epitomatores ſunt *Neugebauer*, *Joach. Paſtorius* ab *Hirtenberg*, *Joh. Herbertus* de *Fulſtin*. Germanice opus Cromeri tranſtulit *Henricus Pantaleo*, Baſil. ann. 1562. Polonice *Martinus Blazowski*.

(e) *Mechovius*) *Matthia de Mechovia chronica Polonorum ab ortu eorum usque ad annum* 1504. *vel rectius anno* 1506. 4. *libris comprehenſa*, primum impreſſa ſunt Cracoviæ ann. 1521. cum iconibus Regum, deinde etiam inſerta *Piſtorii corp. hiſtor. polon.* Italice quoque tranſlata per *Annibalem Maggium* Venet. 156?.

(f) *Neugebauer*) *Salom. Neugebaueri, hiſtoria rerum polonicarum ab origine gentis usque ad tempora Sigismundi III. R.* Hanov. 1618. quæ editio, priori Francof. 1611. præſtat, quia in contextu hiſtoriæ Regum longius porrigitur, ut notavit *Schurtzfleiſch* in *diſſert. qua annotata ad res Pruſſorum exhibet.* §. 7.

(g) *Heidenſteinius*) *Reinoldi Heidenſteinii* rerum polonicarum ab exceſſu Sigismundi Auguſti anno 1572. ad annum 1602 lib. XII. prodiere Francof. 1672. Ejusd. de vita Joh. Zamoſcii regni polon. cancellarii lib. 3. adhuc in manuſcripto latent.

(h) *Piaſecii*) Paulus Piaſecius ſcripſit chronicon geſtorum in Europa ſingularium, excuſa Cracoviæ 1648. f. Incipit in iisdem a Stephani Bathori principis Tranſylvani in Re-

meretur laudari a candore, non ab elegantia ſtyli, quod Polonos maxime offendit, ut ſolet veritas odium parere. *Stanislaus Lubienski*, (a) item multa rerum polonicarum eſt perſecutus, cujus omnia opera Antwerpiæ prodiere. Eſt & alius, qui perſecutus eſt res Uladislai, principis adhuc non regis, *Kobierzyckus* (b) florentiſſimi ſtyli. Habent enim hoc omnes Poloni, quod ſcribant ſtylo magnifico. Stanislai Orichovii hiſtoria eſt elegans, licet *parva*. (c) Præter illos ſeorſim dedit Simon *Starovolſcius* (d) nobis elegantem deſcriptionem Poloniæ, quæ tamen quam maxime continet chorographiam Poloniæ, qua non diſſimulavit iſtius reip. vitia, quibus adhuc hodie laborat. Tantum in eo hoc reprehendendum, quod nimium ſit addictus pontificiis, facile apparet, eum doctum eſſe in ſcholis jeſuiticis, in quibus diſcunt talia. Eſt ille libellus primo editus Dantiſci in forma viceſima 4ta, deinde Conringio Suaſore recuſa Guelpherbyti, & ſimul etiam addito indice *locupletiſſimo*, (e) ſunt porro multi paſſim libelli, qui faciunt ad res polonicas. Conringius etiam edidit multa Helmſtadii, quæ faciunt ad ſtatum Poloniæ, præſertim epiſtolam Cyriaci *Traſymachi*. (f) Edidit etiam opuſculum de controverſiis Sueco *Polonicis* (g) Helmſtadii. Alias reipublicæ deſcriptionem petere licet ex Phil. Honorii libello, item ex theſauro Polit. Nicol, Belli; item Caſp. Ens, Diſſertatio Boteri exhibetur in libello illo Batavico. Singulare etiam caput extat de ingenio Polonorum, in icone animorum Barclaii, imprimis vitio ipſis dat, quod duriter habeant ſuos ruſticos. Igitur magnus Polonus viodicavit ſuos Polonos *contra Barclajum*. (h) In Batavis nulla plena edita totius regni, quæ ibi edita, continet tantum regnum Poloniæ proprie dictum: huc non pertinet Lituania, quæ eſt pars reipublicæ polonicæ. Exſtat egregia mappa Ducatus Lituaniæ & Boryſthenis amnis in Batavia edita. Similiter Boruſſiæ tabula extat egregia, nulla autem extat, quæ uno conſpectu repræſentet Pruſſiam quam ejus, qui ſe vocat Geographum Regium, quam Tabulam Buno edidit ad Staravolſcii libellum. Tabula etiam Bunoniana eſt *exacta*, (i) quia exhibet omnes partes Poloniæ & 2.) quia diſtincte exhibet omnes palatinatus Poloniæ, hoc tamen in illa deſideres, quod nonnulla vetera admiſceat. Obſervandum autem 1) olim longe aliter ſe habuiſſe res polonicas ac nunc, nec eos fuiſſe ejus fines, qui hodie ſunt. Revera enim ad Poloniam nihil pertinet, niſi Polonia major & minor, quæ hodie dicitur. Ante hac portio Ducatus polonici fuit tota Sileſia & præterea etiam pars ſuperior Poloniæ ſc. Maſovia, ubi hodie maxime celebrantur comitia, ſcilicet Warſchovia, ſed *Sileſia per* 300. *annos* (k) a Polonia eſt divulſa, igitur ejus portio hodie non poteſt dici, licet multi Principes, ut Lignicenſis, Brigenſis ſint originis polonicæ, imo ex ipſa ſtirpe regia oriundi. Cum enim Polonorum res nimis creſcerent, & imperio noſtro non videbatur conſultum tantam terram uni alicui parere, divulſa fuit *in quatuor partes*, (l) in majorem Poloniam & minorem, Sileſiam & partem Maſovienſem, & ſingulæ partes habuere duces; fuit enim utilis Germaniæ diviſio illa. Etiamſi vero Sileſia fuerit divulſa, tamen reliqua omnia concrevere, &

multa

gem Poloniæ electione anno 1575. deſinit in anno 1648. Multa tamen non ſolum Poloni, ſed & exteri in eo deſiderarunt. Vid *Hartknoch. de republ. polon.* lib. 1. c. 2. p. 33. *Hoppii* ſchediaſma §. 17.

(a) *Lubienski*) Ejus *opera poſthuma hiſtorica*, quibus varia hiſtoriæ polonicæ regnante Sigismundo III. monumenta exhibentur, [inter alia vero motus ille civilis in Polonia ab anno 1606. ad annum 1608. vulgo Rokosz dictus deſcribitur,] cum ejusdem ſerie & vitis Epiſcop. plocenſium ac reliquis operibus, epiſtolis & orationibus. Antwerpiæ prodierunt anu 1643. fol. In quibusdam tamen exemplaribus aliqua occurrunt, quæ in aliis caſtratis non reperiuntur, *Gabrielis Groddekkii annot. ad Hoppii ſchediaſma* §. 17.

(b) *Kobierzyckus*) Hiſtoriam Uladislai Principis lib. XI. nitidiſſime conſignavit, quam Livianum candorem & ubertatem exprimere Conringius recte judicavit, notante *Gryphio* in diſſert. de ſcriptor. ſec. 17. c. 10. §. 5. Edita eſt Dantiſci 1655. 4.

(c) *Parva*) Orichovii annales impreſſi Drobomili 1618. in 8. & Dantiſci 1643. in 12. cui editioni adjecta eſt Petri Kmitæ Palatini Cracovienſis vita; in qua poſteriori editione tamen quædam omiſſa eſſe, quæ in priori inveniuntur, obſervat *Hoppii ſchediaſma* §. 15. in his annalibus hiſtoria Sigismundi Auguſti magna cum gravitate & judicio pragmatico, uti & ſtylo venuſto deſcripta eſt.

(d) *Starovolſcius*) Staravolſcii Polonia, ſive illius regni deſcriptio topographica & civilis prodiit primum Coloniæ 1632 Editionem ejus novam cum annotationibus paratam habet *Martinus Böhm*, Prof. gymnaſii thorunenſis. Vid. *Hoppii ſchediaſma* §. 7.

(e) *Locupletiſſimo*) Cum præfatione etiam & tabulis geographicis, ibid. anno 1656 Extant quoque *Staravolſcii Sarmatia bellatores*, ſ. Elogia virorum bellica virtute illuſtrium in Polonia ab anno 990. ad annum 1630. nec non monumenta Sarmatorum, Cracov. 1655. fol. nitidiſſime edita.

(f) *Traſymachi*) i. e. Conringii epiſt. de *juſtitia armorum ſueicorum in Polonos; perque ea a magno periculo liberata Germania*; ad Andr. Nicanorem ſcripta, prodiit latine. It. Germanice 1655. de quo ſcripto vid. judicium *Vincent. Fabricii in epiſt. ad Bullialdum, qua reperitur in ejus orat. p.* 356.

(g) *Polonicis*) Sub nomine Mithobii anno 1652. & anno 1656.

(h) *Contra Barclajum*) Vid. p. 7. hujus tomi not c. Inſcribitur liber: *Polonia defenſa contra Joh. Barclajum*, ubi ex occaſione de regno gentequе polona multa narrantur hactenus literis non prodita. Dantiſci anno 1648. ab aliis hujus libri autor perhibetur *Joh. Demetrius Sulikovius*.

(i) *Exacta*) Hanc vero ex *Phil. Cluveri* geographia deſumptam eſſe obſervat *Hoppius in ſchediaſm. de ſcriptoribus hiſtor. polon.* §. 8. Cæterum notæ etiam ſunt Mappæ geographicæ *Juſti Danckerts*, *Gerhardi Mercatoris*, *Jodoci Hondii*, *Joh. Janſonii*, *Guil. Bleauvii*, *Samſonii* aliorumque, nec inelegans eſt mappa, quæ apud *Puffendorffium* in hiſtoria de Carolo Guſtavo exhibetur.

(k) *Sileſia per* 300. *annos*) Primum abalienari a ſe invicem jam cœperunt Polonorum & Sileſiorum animi, poſtquam Sileſia Wladislai II. poſteris attributa eſſet Deinde exaſperatis utrimque animis, ſupervenit Johannes Bohemiæ Rex, Henrici VII. Imper filius, qui odia inter has gentes auxit, totamque Sileſiam tum prece tum pretio ſec. XIV, ſub Wladislao Loetico Rege Poloniæ ad ſe pertraxit. vid. *Cromerus* lib 11. p 586. ſeq. *Stanislas Lubienski in reſponſ. ad* 70. *rationes* p. 168. *Joh. Cureus in annal. Sileſ.* p. 95.

(l) *In quatuor partes*) Contradicunt Poloni, ſpeciatim Ducatus maſovienſis, inſtitutionem Imperatori romano abſque ſufficienti ratione adſcribi a *Conringio* lib 2. de finibus imper. cap 18. conqueruntur *Hartknoch.* lib. 1. c. 10. pag. 209. *Schulzius* in Polonia nunquam tributaria p. 167.

multa etiam alia, ut *Ruſſia rubra*, (a) quæ ingens eſt ditio, etſi quidem videas fertilitatem dubiam facit Poloniæ, proprie dictæ. Concrevit & *pruſſia* (b) & primo ex parte, deinde tota. Hodie pars Pruſſiæ, quæ ducatus dicitur, omnino divulſa eſt, quod ante biennium vix factum, neque res hodie ſatis ſunt compoſitæ. Hodie enim jus ſuperioritatis Elector Brandenburgicus habet, cum antea eſſet vaſallus Poloniæ. Tota *Livonia*, (c) excepta Eſthonia, fuit portio reipubl. polonicæ, ſed felicitate armorum factum, ut totam Livoniam Poloni ceſſerint Suecis. Maxima aceesſio facta eſt magno Ducatu *Lituaniæ*, (d) cum ille æterno fœdere ſe cum illa conjunxit. Cœpit autem cumprimis Poloniæ accedere, cum Jagellonem adhuc Paganum ſibi crearent Regem. Et ſi amplitudinem videas, par univerſæ Poloniæ. Ea conditione Jagello, qui poſtea Uladislaus primus dictus, fuit electus ut Lituania in unam rempublicam concreſceret, cum Polonia ſed quamdiu ſuperfuere aliqui ſtirpis jagellonicæ, non potuit vere conjungi, quia jura hereditaria erant Lituaniæ ducatus, jura regni polonici non niſi electitia & precaria. Ergo Reges id videntes, non eſſe e re ſua, ex regibus hæreditariis facere electitios, non potuerunt adigi, ut in plenam conſentirent conjunctionem. Ultimus tamen ejus familiæ Sigismundus Auguſtus Rex, paulo ante obitum ſuum, cum videret nullam maſculam ſobolem familiæ regiæ ſupereſſe, conſenſit in conjunctionem plenam Poloniæ, quod factum ſuperiori ſeculo. Superiori Seculo crevit in ingentem magnitudinem, addita 1) Pruſſia 2) *Maſovia* (e) cujus metropolis Warſchovia 3.) toto ducatu Lituaniæ 4.) Livonia tamen non integra. Fuere igitur res Poloniæ florentiſſimæ, ſed hodie pars Pruſſiæ, Livoniæ, avulſa ſunt, & tota hodie *Ruſſia Litvanica* (f) eſt in poſſeſſione ruſſici imperii, imo pars ipſius Poloniæ. Ita apparet, 10. annis plus amiſiſſe, quam 100. recuperare poſſunt.

Ad

(a) *Rubra*) Ruſſiæ Ducatus olim ampliſſimus fuit & Lituaniam quoque aliquamdiu ſibi habuit tributariam. Poſtea autem orientalis ejus pars lituanicum jugum ſubiit, meridionalis vero ſ. Ruſſia rubra a Polonis, & quidem Boleslao I. II. III. IV. perdomita & tandem a Caſimiro anno 1340. in provinciæ formam redacta fuit. v. *Cromerus* l. 7, p. 523. *Vinc. Kadlubko* lib. 4. chron. polon c. 14. ſſ. *Nadanyi* lib. 2. hiſtor. hong. cap. 16 *Hartknoch*. lib. I. cap. 9.

(b) *Pruſſia*) Pruſſia olim etiam Pruzzia & Prucia dicta, [incolæque Brutii per ſumma vero a Maſſovienſibus Brutii nuncupati, vid. *deſcription de la Livonie Lettre l.* 6. *p.* 374] a Polonis primum per bella ob propagationem religionis Chriſtianæ ſuſcepta, ſubjugata & tributaria facta fuit, ita tamen, ut partem ejus præcipue Pomerelliam, & novam Marchiam, & præfecturam culmenſem, in poteſtate retinerent. Jugum quidem poſtea ſæpius excuſſit, ſed tamen ad clientelam ſemper revocata fuit, ac ſeculo quidem XIII. cumprimis opera ordinis equeſtris Teutonici, inter quem & Polonos, Pruſſia tum diviſa fuit. Cum vero Cruciferi Pruſſis ipſis impotenti dominatione intolerabiles eſſe cœpiſſent, factum, ut hi conſpiratione inter ſe facta ad Regem Poloniæ Caſimirum tranſirent, eique ſe ſubjicerent, cui tamen ordo crucigerorum bello per tredecim annos ab anno 1454. ad annum 1466. geſto obnixos fuit, donec tandem pace facta præter Culmenſem & Michalovienſem tractum ac Pomeraniam etiam Polonis Mariæburgum, Stumam & Chriſtburgum, arces & oppida, Elbingam & Tolkemitam cum territoriis ſuis concederent, reliquam Pruſſiam ſibi retinerent, ea lege, ut ſemper eſſent in fide & clientela Polonorum. Hæc pars, quæ crucigeris reliqua manſit, poſtea hoc ordine extincto, ad Albertum Marchionem brandeb. tranſiit, & ducalis Pruſſia appellata fuit, quæ tandem anno 657. per pacta Welavienſia & Bydgoſtienſia nexu fiduciario a Polonis ſoluta eſt, atque anno 1700. regiam dignitatem accepit. vid. *Hartknoch* lib 1. c. 7.

(c) *Livonia*) Livonia ſub Sigismundo Auguſto occaſione reformationis ortorumque inter Wilhelmum Furſtenbergium Livonienſ. equitum magiſtrum & Archiepiſcopum Rigenſem diſſidiorum, deinceps invaſionis Moſcoviticæ ſub magiſtro ordinis Gotardo Kettlero, duce poſtea Curlandiæ creato anno 1561. regno Poloniæ adjuncta fuit. Eſthonia vero ſe Svecis ſubmiſit; Poſtea Sveci etiam Livoniam ſub Erico, Johanne III. & Guſtavo Adolpho Regibus ſibi ſubjicere tentarunt, ſed minus proſpero exitu, donec tandem eam Carolus Guſtavus Rex Sveciæ per pacta Olivenſia a Poloniæ Rege Johanne Caſimiro obtinuit, Polonis nonniſi Livonia auſtrali, in qua Duneburgum, Roſiten, Luizen, Marienhuſen &c. relicta. vid. *contin. 3. diarii Europæi ad annum* 1660. deſcription de la Livonie lettre XI. p. 192.

(d) *Lituania*) Anno 1386. cum Jagello Magnus dux Lituaniæ Olgerdi filius ad ſceptrum polonicum eſſet admotus inter alias conditiones promiſit, ſe ſuam omnesque ei adhærentes provincias perpetuo nexu regno Poloniæ adjuncturum. Jurarunt quoque in verba Regis Ruſſi & Lituani Proceres conſignatisque diplomatis ſe in fide & clientela regni polonici ſemper fore promiſerunt. Atque hoc fœdus inter Poloniam & Lituaniam identidem fuit renovatum, nimirum ann. 1401. item ann. 1414. ubi nobilitas lituanica ad easdem cum polonica admiſſa fuit prærogativas, (vid. *Kojalowicz* part. 2. hiſtor. Lituan. lib. 2. p. 66. 91.) Accedit autem poſtea, ut inter Polonos & Lituanos controverſiæ orirentur, cum Poloni Volhyniam, Podoliam aliasque Ruſſiæ partes regno Poloniæ vellent adjungi, ita ut inter Palatinatus Poloniæ cenſerentur, Lituani vero tam amplas provincias a Lituania abſtrahi nollent ſibique magnum Ducem ſive Wielki, Kialla, Lithewski crearent & comitia Polonorum raro frequentarent, idque nonniſi per aliquot delegatos. Atque hæ concertationes protractæ ſunt usque ad annum. 1566. Tunc enim ſuſpecta Regis Sigismundi Auguſti valetudo domusque jagellonica nullo jam hærede firma, majorque cura, ne tot bellis impliciti a Polonis deſtituerentur, urſit proceres Lituaniæ, ut fœdus cum regno Poloniæ initum inſtaurarent his conditionibus: *Lituani nunquam ſibi magnum Ducem eligerent, ſed ad comitia inter regni ab Archiepiſc. Gesnenſi deſignata venirent, ibique paribus cum nobilitate Polon. prærogativis gauderent, qui vero Rex crearetur, idem magnus dux Lituaniæ eſſet, comitia alternis vicibus in Polonia & Lituania agerentur &c.* Cumque aliæ difficultates adhuc ſupereſſent, anno 1569. in comitiis Lublinenſibus & illæ feliciter ſublatæ ſunt, eodemque tempore Lituani ceſſerunt jure, quod in Podlachiam, Volhyniam & Kiovienſem palatinatum prætendebant. Inſtrumentum fœderis hujus vide apud THEOD. ZAWACKI *part. 6. conſtit. & in volumine conſtitutionum regni Poloniæ* ANDR. PETRICOVII ad annum. 1569. conf. *Hartknoch* lib. 1. c. 9. p. 195. ad 199.

(e) *Maſovia*) Maſovia ab anno 1220. (quo Leſcus Albus in comitiis ſendomirienſibus eam cum cujavia & Dobrinia fratri ſuo Conrado conceſſit) peculiares ſuos Duces habuit. Rediit autem ſub Sigismundo I. extincta maſcula Ducum prole ad regnum Poloniæ. vid. NEUGEBAUER lib. 7. *hiſtor. polon.* p. 511. CROMERUS *in orat. funebri Sigismundo I. habita in corp. hiſt. polon. tom. III p. 23.*

(f) *Ruſſia lituanica*) Alias Ruſſia alba dicta, complectitur palatinatum Novogrodenſem, Minscienſem, Mſcislavienſem, Witepskienſem, Polocenſem, Smolenſcenſem, a Moſcovitis quidem ſuperiori ſeculo tota fuit occupata, reſtituta vero per transactionem anno 1669. ita tamen, ut Nevela, Vteliſſia & Sebicii a palatinatibus polocenſi & vitepſcenſi abſtraherentur, Moſci Smolenſkum Severiam & totam Ukrainam trans Boryſthenem retinerent, reddita Polonis Ukrainacis Boryſthenem, vid. *continuat XVI. Diar. Europ. p* 26. *ſſ.* Kijoviam quidem hac pace reſtituendam quoque Moſci promiſerant, ſed poſtea retinuerunt. Vid. *Hartknoch*. lib. 1. cap. 9. §. 20.

Ad corpus *regni Polonici* (a) pertinent 1.) Poloni proprie ſic dicti & 2.) alii populi a Polonis multum diſtincti. Ad Poloniam proprie dictam pertinet Polonia *major & minor* (b) & Maſovia. Hæ enim regiones tenentur a Polonis proprie dictis. Sileſia olim etiam inhabitata a Polonis. Verum ante 400. plane novos accepit incolas, qui ſunt magnam partem Germani certe moribus & lingua tales. Porro ad Poloniam pertinent etiam Ruſſi, cumprimis Lithuani, qui ante 250. annos præterpropter cœpere cum Polonia jungi, ſcilicet cum extincta regia familia eligerent in regem Jagellonem, juncta tum quidem Littuania cum Polonia, non tamen plene, quia jura Ducatus Lithuaniæ erant hereditaria, jura autem regni polonici erant electitia. Superiori autem Seculo ante 100. annos extincta eſt illa familia in Sigismundo Auguſto, & tum in eandem libertatem recepti ſunt cum Polonis, Præter illos Lithuanos huc pertinent Ruſſi, non quidem omnes ſed permulti. Alii proprie pertinent ad Poloniam proprie dictam, alii ad Lithnaniam. Ruſſi autem illi armis victi partim a Polonis, partim a Lithuanis, ſed deinde in parem libertatem ſunt aſſerti, quo ipſo mire auxere Polonorum rempublicam, quæ etiam victis populis eandem conceſſerit libertatem, qua ſui utuntur Poloni; hoc enim allecti populi, lubenter ſe huic reipublicæ adjunxere. *Ruſſi rubri & albi* (c) etiam huc ſpectant cum primis Ruſſi Polonici, qui nobiliſſimam partem Poloniæ continent & fertiliſſimam. Præter Ruſſos Pruſſi conſtituunt partem reipublicæ polonicæ. Pruſſi olim plane diſtincti erant a Polonis, plane rudes ac barbari, & cum Poloni jam tum religioni chriſtianæ nomen dedere, ipſis ſemper fuere bella cum Pruſſis. Cum vero Poloni his pares non eſſe poſſent, evocarunt e Germania militiam ſacram tempore Friderici II. a. 1200. Hi ſacri milites, brevi tempore totam Pruſſiam ingentem illum terræ tractum ſibi ſubjecerunt, & coloniis germanicis ita repleverunt, ut veterum incolarum non niſi miſeræ reliquiæ ſuperſint, & vivant in extrema ſervitute. *A 400. itaque annis*, pruſſia fuit ſub imperio magni miniſtri militiæ Germanicæ ſive marianæ. Cum autem illi impotenter & truculenter ſe gererent erga Germanos, & ipſi Germani eorum imperium non poſſent ferre, magna pars Pruſſiæ conſpiratione facta defecit ad Polonos, quo tempore Jagello electus eſt Rex Poloniæ & Lituaniæ. Superati tum Germani ingentibus præliis a Polonis & coactus tandem Magnus magiſter jurare in verba regni polonici. Magna tum pars Pruſſiæ magiſtro Germanico eſt ſubducta & Polonis conjuncta. Torunium, Dantiſcum, & Elbinga, *in parem* autem illi *libertatem* (e) a Polonis ſunt recepti omnes. At ſuperiori ſeculo *Albertus* (f) Marchio Brandenburgenſis, cum eſſet Magnus magiſter militiæ germanicæ noluit majorum exemplo jurare in verba reipublicæ polonicæ, hinc ortum graviſſimum bellum. Cum autem baberet avunculum Regem Poloniæ, ita pepigit cum rege Poloniæ, ut partem Pruſſiæ acciperet ſub Feudi nomine, & dux crearetur Pruſſiæ, & ita per univerſam Pruſſiam extincta eſt omnis autoritas, & potentia equitum germanicorum.

Ex eo tempore Pruſſia *in 3. partes* (g) divulſa, in regalem, cujus Metropolis eſt Dantiſcum, Epiſcopalem & Ducalem. Interim tota Pruſſia fuit portio Poloniæ. Dux tamen Pruſſiæ non fuit *vocatus ad comitia* (h) imperii polonici; igitur non pars reipublicæ habetur, ſed tantum Vaſallus. Sed hodie Elector Brandenburgenſis eo venit potentiæ, ut Poloni omne jus fiduciarium ei coacti fue-

(a) *Regni Polonici*) De variis diviſionibus regni polonici vide *Hartknoch.* lib. 2. c. 11.

(b) *Major & minor*) Polonia major octo Satrapias complectitur, Poſnanianſem, Caliſſienſ. Lenciſienſ. Breſtenſem, Inovladislavienſem, (quæ duo Satrapiæ vulgo Cujavia dicuntur) Siradienſem, Ravenſem & terram Vielunenſem. Minor in tres ſatrapias dividitur Cracovienſem, Sendomirienſem & Lublinenſem, quo etiam referunt ducatum Oswiecimenſem, Zaborienſem & ſeverienſem, item Comitatum Scepuſienſem, *Maſovia* 4. babet Satrapias, Plocenſem, Podlachicam, eam quæ peculiariter Maſovia dicitur, & terram Dobrinenſem.

(c) *Ruſſi rubri & albi*) Alba Ruſſia ob niveos campos & feras albas ita dicta perhibetur. Rubra, quæ Roxalina proprie dicta, ad Poloniam pertinet. Nigra eſt, quæ Moſcis paret. Ruſſiam commendat in ſpecie uber proventus mellis præſertim in Podolia. Rubra ſeptem ſatrapias complectitur, palatinatum Ruſſiæ, Podoliæ, Volhyniæ, Belzæ, Braclaviæ, Kioviæ & terræ chelmenſis ac halicienſis. E quibus Braclavienſem, Kiovienſem & Czernichovienſem Palatinatus vocant Ukrainam. Urbes præcipuæ ſunt Leopolis, (Lemberg) urbs archiepiſcopatu græcæ religionis donata, Juroslavia nundinis clara. Caminiecia, anno 1672. a Turcis occupata, ſed in tractatu Carlovizenſi reddita, Chocimum &c.

(d) *A 400. annis*) Vid. PETRI de DUSBURG *chronicon Pruſſia*, in quo ordinis Teutonici origo & res geſtæ in Pruſſia ab anno 1226. ad annum 1326. exponuntur cum anonymi continuat. ad ann. 1485. ex editione *Hartknochis* & ſcriptores hiſtoriæ pruſſicæ apud *Hoppium* §. 53.

(e) *In parem libertatem*) Notandum tamen, quod licet nobilibus Pruſſis competant omnia privilegia nobilitatis polonicæ, non tamen viceverſa nobiles Poloni eadem in Pruſſia habeant jura & privilegia, ſed jus indigenatus acquirere teneantur. Vid JOH. de WERDA *de indigenatu Pruſſia.*

(f) *Albertus*) Cruciferi, ut Polonorum jugum excuterent, potentiores ſibi magiſtros ordinis creare cœperunt, & 1.) quidem Fridericum ducem ſaxon. qui nunquam ſe Polonis jurejurando obſtringere voluit. 2.) Albertum Marchionem Brandeb. qui magno animo quoque Polonis bellum intulit, ſed fruſtratus auxiliis e Germania ſperatis, tandem cum Sigismundo I anno 1525. his conditionibus pacem fecit, ut ordo cruciſerorum penitus extingueretur, Albertus vero Pruſſiam titulo Ducis obtineret, ſed fiduciario & primum locum in ſenatu regio teneret. KOJALOWICZ part. 2. *hiſtor. lithuan.* lib. 7. p. 382. NEUGEBAUER *hiſtor. polon.* lib. 7. p. 507. ſeq.

(g) *In tres partes*) Quia tamen epiſcopalis Pruſſia Epiſcopatum culmenſem & varmienſem complexa, pariter regia ſive polonica eſt, ideo rectius bimembris diviſio Pruſſiæ adhibetur in polonicam & brandeburgicam. Regiæ titulus quoque æquivocus eſt, cum & illa, quæ ducalis olim dicta eſt, hodie regia ſit. Cæterum Pruſſia polonica quatuor partes habet, Satrapiam Mariæbergenſem, Culmenſem, Varmienſem, & Pomerelliam; BAUDRAND dictionaire geographique pag. 788. omiſit præfecturam Varmienſem, Brandenburgica tres circulos complectitur, Samlandiæ, Natangiæ & Hockerlandiæ.

(h) *Vocatus ad comitia*) Equidem duces Pruſſiæ cum adhuc fiduciarii eſſent, ſibi jus ſuffragii in comitiis polonicis, præſertim electionibus Regum concedi poſtularunt, idque ex ea ratione, quod Alberto primus in ſenatu regni locus conceſſus eſſet, ſemper tamen iis reſponſum fuit, fieri hoc ob certas rationes non poſſe. Vid. JANUM JANUSZOVIUM *lib. 7. conſtit. regni polon. part. 3. tit. 2. p. 930.*

fuerint remittere in Pruſſiam Ducalem, unde Elector in Ducali Pruſſia non agnoſcit quenquam ſe ſuperiorem, ſimiliter ſuperiori ſeculo, cum *Livonia* (a) paruiſſet equitibus militiæ ſacræ germanicæ & graviſſimo bello affligeretur a Moſcho, fruſtra implorato auxilio reipublicæ germanicæ, ex parte ſeſe dedere coacta fuit regno Sueciæ, ex parte regno Poloniæ. Ita Eſthonia ceſſit Suecis, Livonia Polonis. Ultimus tamen magnus magiſter nobilis Weſtphalus Gotth. Kettlerus ſecutus exemplum Alberti, omne jus ſuum tradidit reipublicæ polonicæ & factus fuit cliens fiduciarius, reſpectu ejus partis Livoniæ, quæ dicitur *Curlandia*, (b) & factus dux Curlandiæ. Hodieque dux Curlandiæ eſt Vaſallus Poloniæ. Aſt Livonia etiam ante hoc ferale bellum magnam partem fuit occupata a regno Suecorum auſpiciis Guſtavi Adolphi. Nuper pace conſtituta coacti fuere Poloni omne jus ſuum cedere in Livoniam Suecis, & nunc Livonia proprie dicta eſt pars regni ſuecici, ut Eſthonia ante 100. annos fuit. Cum autem Livonia tranſiit in remp. polonicam, in eandem libertatem cum Polonis fuit recepta, & nobiles Livonici ejusdem facti ſunt conditionis, cujus ſunt nobiles polonici, ut & urbes Livoniæ. Ruſſia Lithuaniæ eſt tantum non omnis in manibus Moschi & his rebus ſtantibus in Polonia difficulter ipſi ab his eripietur. Ex his conſtat, amplos quidem eſſe limites reipublicæ polonicæ, aſt anguſtiores multo, quam fuere ante 100. annos. Porro ab occidente habet vicinam Germanicam, & quidem marchionatum Brandenburgenſem & Sileſiam. At *ab oriente* (c) habet Moſchum & ex parte Tartariam præcopenſem. Ab auſtro habet regnum ungaricum & imperium Turcarum in Moldavia & Wallachia, quæ 2. provinciæ ſunt in manibus Turcæ, ex ſeptentrionali parte habet mare balthicum, circa Dantiſcum & partim circa Curlandiam, de reliquo ſejuncta eſt a mare balthico a ſeptentrione & habet Electorem brandenburgenſem tanquam ducem Pruſſiæ, etiam Suecos cum primis in Livonia & Eſthonia. Si quis porro videat limites, facile apparet, illam undequaque patere hoſtibus, non enim habet pro munimento *magnos fluvios* (d) aut *montes*, (e) niſi quoad Ungariam, neque magnas ſylvas. Patet igitur incurſionibus hoſtium. Quæ autem reſpublica talibus *munimentis* (f) eſt deſtituta, male ſe habet. Solum Poloniæ non eſt ubique idem, ſed ejus ratio eſt alia atque alia. Vid. Sim. Staravolſcium, ille ſeorſim quædam habet de Poloniæ ſolo, de Lithuaniæ ſolo. Polonia proprie dicta eſt fertiliſſima omnium eorum, quæ ad vitam ſuſtinendam pertinent, caret tamen *metallis*, (g) exceptis nonnullis ferri fodinis. Cum primis omnis generis frumenti eſt fertiliſſima, præprimis Polonia minor & Polonia ruſſica. Habet etiam inexhauſtas *fodinas ſalis foſſilis*, (h) quæ cœpere intra 300. annos, & quidem ut nullibi tanta ſit copia ſalis foſſilis, quam ibi. vid. Staravolſc. *Lithuania* (i) non eſt æ-

que

(a) *Livonia*) De Livoniæ ſcriptoribus vide pluribus HOPPIUM l. c. §. 51. ſeq.

(b) *Curlandia*) Olim etiam Coria, Curia & Curonia dicta. vide de ea *deſcription de la Livonie Lettre XIII. XIV. XV.* HARTKNOCH. *diſſert. de Curonorum & Semgallorum republica tam vetere quam nova*. SAM. RHANÆI *diſſert. de origine & moribus gentis curlandicæ.* JOH. ARNOLDI de BRAND *itinerarium per Marchiam, Boruſſiam, Curoniam & Livoniam in Moſcoviam ex edit.* HENR. CHRISTIANI HENNINII, WAISSELII chronicon vetuſtarum rerum Pruſſicarum, Livonicarum & Curonicarum. SALOM. HENNINGII Chronicon Livoniæ & Curlandiæ &c.

(c) *Ab oriente*) De amplitudine jurisdictionis polonicæ verſus orientem, vid. *Bremann.* hiſtor. orbis terrarum p. 690. n. 4.

(d) *Fluvios*) Fluvii potiores ſunt, Boryſthenes ſive Nieper, Tyras ſive Nieſter, Bog, qui ſe in mare nigrum effundunt, Dwina, Niemen & Viſtula, qui in mare balthicum excurrunt.

(e) *Montes*) Regio enim tota, fere plana & aprica eſt, niſi qua ad fines Hungariæ accedit. Quo longius autem inde recedit, eo lenius declivis eſt magisque culta & meliore gleba. Niſi quod in meditullio minoris Poloniæ, Calvus mons ſupereminet, in quo monaſterium eſt S. Crucis nomine. Vid. STARAVOLSCII *deſcript. polon.* p. 9. ſſ.

(f) *Munimentis*) Non tamen omnibus plane munimentis eſt deſtituta. Sane Caminiecca eſt magnum fortalitium. Neque arx lemburgenſis & cracovienſis leviter munitæ ſunt. Sunt & alia privatorum caſtella. Sed hæc munimenta pauca ſunt & rariora, nec ſufficiunt reipublicæ defendendæ. Sunt quidem rationes nonnullæ, ob quas Poloni, munimentis urbes non cinxerint, quarum 1. eſt, quod equo bellare aſſueti ſint, ad pedeſtrem militiam minus apti exiſtant, 2. quod quo rariora ſint fortalitia, eo minora hoſtis incrementa capere, nec firmam ſedem figere poſſit, crebris Polonorum laceſſitus incurſionibus, 3. Quod miles polonicus, licet pedes ſit, munimentis occupandis aut defendendis non idoneus exiſtat. At vero iſtæ aliæque cauſæ defectum munimentorum excuſare nequeunt, quia per hunc ipſum, Polonia patet rapinis hoſtium, neque exercitus Polonicus, ſi profligetur, ſe facile colligere poteſt, unde & FREDRO *poſitiv. fragment.* p. 254. monet; extruenda in ſingulis polonicis provinciis munimenta eſſe, ſed ea cautione, ut ne aliis, niſi vernaculis præfectis ac cohortibus in cuſtodiam dentur, tum in ſufficientibus præſidiis & commeatu muniantur, ut eo pignora ſua conferat nobilitas abitura in caſtra.

(g) *Metallis*) Cracovienſi tamen Palatinatui contigit omnia metalla foſſiliaque poſſidere. Plumbum & argentum reperiunt apud Ileuſſiam, Sclaucoviam, Severiam & Novagoram. Æs & aurum apud Novotargum & in montanis circa Sandeciam. Vide *STARAVOLSCIUM* p. 57. 58. *GABR. RACZYNSKI ſyllab. materiarum hiſtoriæ natural. curioſa regni Poloniæ, tract.* 20. *BRUCKMANN.* p. 241.

(h) *Fodinas ſalis foſſilis*) Præcipue in vicinia Cracoviæ Bochna & Velicia ſive Velizki, ob Salinas celebria oppida ſunt, quorum fundamenta, inſtar cuniculorum ſunt perfoſſa, ideoque habitationi minus tuta. Vid *JOH. WILLICHIUM de ſalinis cracovianis.* Magna autem non ſolum ex frumento, ſed & ex hoc ſale foſſili vectigalia a Polonis capiuntur, unde & *MARINIUS* diſſert. *de republica polon. ſcopo* cap. 10. *Eſt apud nos*, inquit, *primarium vectigal ſalis & frumenti, perinde, ut apud Gallos ſalis & vini. Illi ſaltem marinum habent, nos foſſilem aut gemmeum, ut vocat Barthol. Moriſolius lib. 2. orb. marit c.* 43.

(i) *Lituania*) Complectitur hodie 1 Lituaniam proprie dictam, in qua tres palatinatus vilnenſis, trocenſis & breſlicienſis. 2. Ruſſiam lituanicam, de qua ſupra. 3. Samogithiæ ducatum inter Livoniam & Pruſſiam ſitum. Præcipuæ urbes ſunt *Vilna*, urbs ampla, ſed minus ornata, niſi academia. *Grodna*, ſede regia Stephani R. nota & comitiis celebrandis deſtinata, *Mohilovia, Braslavia, Roſiene Samogithiæ.* Cæterum, ad Lituaniæ notitiam, ſigillatim adhuc faciunt *ÆNEAS SYLVIUS, & deſcriptio Lituaniæ ex Moſcovia Sigism L. B. de Herberſtein* a p. 151. ad p. 157. *MATTHIAS STRUKOWSKI OSSOSTEVICIUS* & *ALBERT. WIJUK KOJALOVITZ in hiſtoria Lituana. EVERH. WAGNER in brevi delineatione de vita & moribus Lituanorum in Boruſſia ſub* de-

que fertilis, arida ſylvis & fœda paludibus. Igitur Lithuania ingentem vim ligni præbet, & eorum, quæ poſſunt in ſylvis naſci. Narrat *Staravolſcius* (a) intra 100. annos adeo excultam eſſe Lithuaniam, ut illæ ſylvæ non amplius adeo ſint horridæ, & hodie ſi Moſchi illas ingentes incurſiones non feciſſent, ſic ſatis felix eſſet cura Regis. *Pruſſiæ longe alia eſt conditio.* (b) Polonia non habet urbes munitas, niſi Cracoviam, & Ruſſi Lembergam & Zamoſciam. Præter hac oppida nulla habet loca munita. Lithuania etiam pauca habet loca munita. Aſt Pruſſia habet loca *munitiſſima extructa* (c) per colonias germanicas, urbes habet excultas & munitas more germanico, cum primis Dantiſcum, Torunium, *Elbingam* (d) lingua etiam diverſa eſt a Polonica conveniens *Germanica.* (e) Habet igitur Pruſſia tam regia, quam epiſcopalis & ducalis urbes munitas, ut Dantiſcum Torunium, & Elbingam, quamvis Elbingæ conditio ſit hodie exigua.

Populum ipſum quod attinet, moribus, inſtitutis multum conveniunt, Ruſſi, Poloni, Lithuani. Nihil eſt diſcriminis inter hos quoad *veſtitum*, (f) inter Lithuanum & Polonum tamen eſt aliquot *diſcriminis.* (g)

In Polonia poteſt populus in 3. quaſi claſſes dividi, in eos, qui *habitant in urbibus*, (h) in agreſtes & in nobiles Polonos. Plebs agreſtis eſt tota ſervilis conditionis, igitur non admovetur etiam ad ulla officia. Quod attinet oppidanos, illi magnam partem *germanicæ ſunt originis*, (i) ut in Cracovia & Maſovia, & illorum conditio eſt longe melior. Data enim a regibus incolis oppidanis eadem impunitas, eadem privilegia, quæ ſervantur in Germania, & utuntur *jure illo weichbildico*, (k) quo uſi ſunt Magdeburgenſes. In ipſa republica non multum valent, niſi quod *Cracovicis civibus* (l) ante non multos annos datus ſit locus in comitiis, ringente Nobilitate polonica, interim illorum oppidanorum non eſt magna autoritas in comitiis. Revera ſi quis deſcribere velit populum Poloniæ, nobilitatem attendere debet. Hi enim ſoli ſunt cives, & ex illorum nutu ſolo dependet reſp. *Plebs enim plane ſervit* (m) & oppidani etiam parum valent in republica. Par eſt ratio in Lithuania. Penes Nobilitatem Lithuanicam eſt autoritas reipublicæ. Aſt contra res ſe habet in Pruſſia, ubi ſoli oppidani fere rempublicam conſtituunt, paucis nobilibus in agris degentibus exceptis. *Nec plebs ibi* (n) ubivis eſt ſervilis conditionis.

Vi-

diſtrictu Inſterburgenſi & Ragnicenſi degentium aliique quos vide in HOPPII *ſchediasmate* §. 50.

(a) *Staravolſcius*) *Deſcript.* Polon. p. 9. ſeq. *Sylveſtris ſane fuit ſuperioribus temporibus pleraque omnis Polonia, non modo Lituania; ſed nunc ubique diligenter excolitur, frugum leguminumque ferax & pratis abundans. Et quamvis cæli intemperie nimium laboret, pomaria nihilominus non infrequentia & fructuoſa paſſim habet &c.*

(b) *Pruſſiæ longe alia eſt conditio*) Urbium illuſtrium, oppidorum arciumque frequentia, opimis incolarum divitiis & terræ ipſius ubertate ſupra modum claret. Metallorum quidem ferax non eſt, ſed pecoris omnigeni inæſtimabili copia, piſcationibus, venationibus & ſylvis fructuoſiſſimus prædita eſt; ut proinde in ejus laudem SEB. MUNSTERUS *in Coſmographia ſua dicat, ſi forte contingeret, Jovem nectare ſuo ebrium de cœlo præcipitem dari, in locum præſtantiorem ferri non poſſe, quam in Pruſſiam* Nam Taciti tempore, ejus littora ob ſuccinum, electrum ſive glæſum celebria fuerunt. Atque ab ejus mercatoribus circa Gedani Elbingæque partes Eaſterlings dictis Anglorum Sterlingos ortos & nuncupatos obſervat WILH. WATSIUS *in Gloſſar. ad Matth. Parſ. in voce Sterling.*

(c) *Munitiſſima extructa*) *Deſcription de la Livonie p.* 450. l'hiſtoire rapporte, que du temps que l'ordre Teutonique poſſedoit la Pruſſe, il y avoit ſoixante & douze chateaux ou fortreſſes, outre ſoixante deux villes marees.

(d) *Elbingam*) De harum civitatum ſcriptoribus, vid. *Hoppium* §. 57. 58.

(e) *Germanica*) Id quidem inde eſt, quod cruciferi olim, cum Pruſſiam diuturno 53. annorum bello ſub jugum miſiſſent, exciſis fere veteribus incolis novas ſubinde e Germania illuc coloniss deduxerint. Polonicæ linguæ tamen uſus eſt, ubi Pruſſia Poloniæ proxima eſt.

(f) *Veſtitum*) Poloni luxu & veſtium, quas longas, viriles & immutabiles gerunt, niſi quando peregrinantur, ſplendore univerſos prope Europæos anteire ſolent.

(g) *Diſcriminis*) Vid. *Hornii* orbem politicum part. 4. p. 49.

(h) *Habitant in urbibus*) Cives ſpeciatim ita dicti, & Kmetones (quomodo in antiquis privilegiis & ſtatutis agricolæ vocantur,) qui per pagos ſparſi ſunt. Sed cives, ut cives, & Kmetones ad imperium non admittuntur. *Hartknoch.* p. 227.

(i) *Germanicæ ſunt originis*) Caſimirus M. Wladislai Locticí filius, cui Polonia omnem debet cultum, Germanis vel aſcitis, vel ultro venientibus agros attribuit, atque eorum cura & opera potiſſimum factum eſt, ut Polonia frequentari & cultior eſſe pagis & oppidis cœperit. Imo hodieque germanicæ gentis veſtigia, in ipſo Ruſſiæ palatinatu reperiri, auctor eſt *Staravolſcius* p. 122.

(k) *Jure illo Weichbildico*) Conceſſum id pariter fuit Germanis a Caſimiro M. ut ſimilem patriæ ſuæ urbium adminiſtrationem haberent. Vid. STARAVOLSCIUM p. 243. JOACH. PASTOR. ab HIRTENBERG *in floro polonico in Caſimiro M.* Tabulas Sigismundi III. quibus ſpeculum hoc ſaxonicum & jus weichbildicum confirmavit, citat CONRING. *de origine juris germanici* cap. 31 p. 194. qui tamen altius originem hujus juris in Polonia repetit, nempe a Leſco Nigro, idque probat ex Philippi Decii antiquitat. polonicis. Obſervant autem alii jam ante Leſci tempora, Boleslaum Pudicum, Ducem Poloniæ jure ſaxonico ſive magdeburgenſi, quod etiam Sredenſe & Teutonicum vocant, cracovienſem urbem ſtabiliviſſe. *Cromer. lib. 3. hiſtor. polon. p.* 161. quæ omnia ita poſſunt conciliari, ut dicatur, Boleslaum primum hoc jus introduxiſſe, Leſcum vero id cum pluribus urbibus communicaſſe, & denique a Caſimiro M. plenam ejus in omnibus urbibus confirmationem factam, inſtituto etiam anno 1456. ſupremo tribunali in arce cracovienſi, ad quod impoſterum appellaretur, cum antea, non ſine magnis impenſis, ad tribunal magdeburgicum extra regnum appellationes factæ eſſent.

(l) *Cracovicis civibus*) Ii enim, cum aliis nonnullis civitatibus, hæc peculiaria habent privilegia, 1. quod bona terreſtria ſibi acquirere & poſſidere poſſint, de quo vid. HARTKNOCH. p 610. 2. quod eorum nuncii ſive delegati ad electionem regis & ſuffragia danda admittantur, teſte OLIZAROVIO lib. 2. *de politica hominum ſocietate*, cap. 1. HARTKNOCH. p. 294.

(m) *Plebs enim plane ſervit*) Caſimirus M. quidem multas leges in gratiam Kmetonum ſive ruſticorum tulit, ut eorum conditionem meliorem redderet, de quibus vide PAULUS SZERBIC. *part.* 1. *conſtit. cap.* 12. *pag.* 48. *ſeq.* Sed harum legum nullus amplius eſt uſus, quia de hodierna plebis conditione in Polonia ſcribit CHRISTOPH. WARSEVICIUS *lib* 1. *de optimo ſtatu libertatis p.* 118. colonos vitam inopem & miſeram ducere ſine foro, ſine judice, ſine lege, imo & ſine Rege & religione aliquando, cum pecudum modo etiam diebus ſacris alicubi laborare cogantur, nec audeant a Rege in Dominos auxilia implorare.

(n) *Nec plebs ibi*) CROMERUS *in deſcript. Pruſſia ante*

med.

Videndum igitur eſt, ut ſe habeat Nobilium conditio. Quod numerum attinet, Polonia *ingentem numerum* (a) habet nobilitatis & habet aliquot 100000. in tota Polonia. Plures longe reperiuntur agreſtes, ſed horum non habetur ratio. Ingenium autem Populi polonici egregrie deſcripſit *Barclajus* (b) in Icone animorum. Longe autem præclarius hoc deſcripſit Staravolſcius ſingulari capite de ingenio, de victu & veſtitu Polonorum. Quod ingenium attinet, illud non eſt hebes, ſed ſatis excitatum, et ſi labor & ſtudium accederet, poſſent aliquid præſtare, ſed illud deeſt. Quæ Staravolſcius narrat de virtutibus Polonorum, refutantur experientia. Sunt quidem animo aperto nec diſſimularn nec ſimulare ſciunt, ſunt enim animo generoſo, qui autem tales ſunt, non ſunt vulpeculæ. Non autem ſunt placidi & tractabiles, ſed in rixas & contentiones proni, nec magiſtratibus morigeri, parum enim audiunt eorum voces: quisque enim, vult quaſi *rex eſſe.* (c)

Ad victum & familiaritatem *ſunt faciles*, (d) modo tamen illis obſequaris, quod fit ab elatis ingeniis, quæ ſi colantur, benignos ſe præbent.

Nulla hodie eſt natio in orbe, quæ plures habet homines non indoctos, quam Polonia. Hi autem non curant quantitatem Syllabarum. Habet enim plures *lingua latina* (e) non imperitos, quam in toto terrarum orbe ulla natio. Polonicum ingenium in univerſum eſt elatum & generoſum, nihil ſpirat humile, unde naſcunntr eorum vitia & virtutes. A rebus humilibus ſunt alieni; igitur in Polonia non reperias Polonum aliquem bonum opificem, hoc eſt infra ingenium Polonorum, nec tractant alias humiles artes. Sunt quidem in Polonia, qui his artibus ſe dedunt ſed non natione Poloni. Dant autem plerumque operam *eloquentia* (f) & ſtylo, qui plerumque eſt grandiloquus. Educantur autem ad ſtudia a Jeſuitis, quorum in Polonia ingens eſt numerus & autoritas & ingentibus ſumtibus aluntur. Inter Academiam Cracovienſem & *Jeſuitas* (g) nunquam bene convenit, & aluere controverſias per aliquot annos. Hi Cracovienſes, non dubitarunt prodere Jeſuitarum neminem eſſe inter tot millia, qui extra chartam & libros ſaperet. Et mirandum, quod durante bello ſueco polonico, nunquam aggreſſi ſint Regem ſuum defendere ejusque cauſam agere.

Virtutes contemplativa (h) reperiuntur in Polonia, ſed non adeo excoluntur, vix enim reperias multos excellentes artibus; ſunt quidem ibi nonnulli, ſed non tot, pro populi magnitudine. A Generoſitate animi pendent etiam mores, & hinc invictu & amictu ſunt maxime Luxurioſi, adeo, ut luxu cum omnibus gentibus contendant. Totum patrimonium conſtat ſæpe in ve-

med. Paulo meliore, *inquit*, eſt conditione plebs in Pruſſia, quam in reliqua Polonia. Eodem quippe cum nobilitate jure, & iisdem legibus utitur, prærogativis modo quibusdam inferior, per quas tamen plebeji, neque a bonis terreſtribus, neque ab honoribus & magiſtratibus, neque a ſacerdotiis & a conſilio publico arcentur.

(a) *Ingentem numerum*) 45000. equeſtres ſamilias in ſola Maſovia numerat *Staravolſcius* p. 201.

(b) *Barclajus*) Ejus judicium de polonis legitur etiam in republica Polon. Elzevir, p. 436.

(c) *Rex eſſe*) Ideo FR. GOSLAV. de NADARICE ſcripſit de judiciis & moribus corrigendis parænesin ad Stephanum Polon. Reg. PETRUS MIERZOWSKI *de Polono jure polito mores patrios ad leges conformante.* Satyra autem *Luca Opalonsi*, ſub tit. *Juvenalis redivivus*, qua autor cives ſuos de emendandis tum moribus tum regimine admonuit, a Joh. Caſimiro proſcripta eſt, conf. *acta erudit. Lipſ. Suppl. T. 2. S. 3. p. 150.*

(d) *Sunt faciles*) Confer hic, quæ de ludicra republica babinenſi a nobilibus inſtituta olim refert Sarnitius lib. 8. annal. polon. p. 399.

(e) *Lingua latina*) Ut etiam aurigas linguæ latinæ gnaros eſſe miratus ſit Imperator, cum Johannes Dantiſcus Epiſcopus varmienſis legatus Sigismundi I. Viennam ingreſſus eſſet, ut habet *Chriſtophor. Warſevicius* in legato. Conſ. etiam *Thuanum* lib. 56. *hiſtor. circa fin.* Unde vero hujus linguæ uſus in Polonia tam vulgaris extiterit, de eo variant ſententiæ. Sunt, qui Stephano Bathori id tribuunt, qui Rex Poloniæ electus, cum polonicæ linguæ ignarus eſſet, latine cum Polonis non tantum locutus, ſed & ad hanc linguam excolendam procerum filios ſit cohortatus his verbis: *Diſce latine, ego ex te faciam aliquando Moſcipan.* Alii id tribuunt Caſimiro III. qui pudore ſuffuſus, quod cum Carolo Canuti Rege Sueciæ in cœnobio olivenſi latine loqui non potuiſſet, poſtea ejus linguæ & literarum humaniorum ſtudium publico edicto mandaverit. Vid. *Loccenium* lib. 5. hiſtor. ſvec. p. 158. Sed vide *Hartknochium* lib. 1. c. 2. p. 94. & p. 84.

(f) *Eloquentia*) Vid. *Staravolſcii* tract. *de claris Sarmatia oratoribus*, & conf. *Wadam civilem & Phanicem Rhetorum* Uratislav. 1679. edit, ubi habentur exempla variarum allocutionum, quæ Poloniæ ſtatum tangunt. It. *Manipulum orationum ab eruditis viris polonica nationis diverſis temporibus & occaſionibus ſcriptarum, collectum ab Andrea Trzebicki*, Romæ 1639. Extant cumprimis in teſtimonium eloquentiæ *Johannis Rywocki* 5 l. 13. panegyrici in Leonem Sapieha, *Georgii Ducis* in *Oſſolin Oſſolinski* orationes, *Joach. Paſtorii* panegyrici, aliique, quos vide in *Hoppii* ſchediasmate a §. 21. ad 31. Nec eximiis quoque poetis deſtituta eſt Polonia, quales ſunt Clemens Janicius, Skrzypno Tuvardowski, Joh. Kujatkiencios, Matthias Caſimirus Sarbievius, Frid Zamelius, Mich. Anton. Hacki, Johann Kochanowski aliique. vid. §. 32. loc. cit.

(g) *Jeſuitas*) Spectat huc *reſponſio anonymi ad famoſum libellum a PP. ſoc. I. in academiam cracovienſem ſcriptum & nomine reprotestationis vulgatam anno* 1622. *& Edinburgi anno* 1625. *recaſum bono publico*, ut habet titulus *omnium academiarum Germania, Gallia, Italia & Polonia*, nec non *rationes, quod non expediat novam academiam Leopoli PP. S. I. erigere, in quibus decus & autoritas academia cracovienſis ſtabiliuntur.* Origo litis inter academiam & Jeſuitas hæc fuerat, quod academia ſolennibus ob conſecrationem Ignatii non interfuerat, & molientibus Cracoviæ academiam Jeſuitis palam reſtiterat. Cæterum extant quoque alia ſcripta Polonorum contra Jeſuitas, uti *Joh. Markiewicz decima cleri ſecularis in regno Polonia defenſa contra exemtiones patrum S. I.* Pariſ 1644 it. *Anonymi conſilium de recuperanda & inpoſterum ſtabilienda pace regni Polonia in quo demonſtratur, pacem nec conſtitui, nec ſtabiliri poſſe, quamdiu Jeſuita in Polonia maneant*, editum Francoſ. 1632. & Axelio Oxenſtierkio dedicatum, vide de his aliisque ſcriptis *ſchediasma Hoppii* §. 48.

(h) *Virtutes contemplativa*) *Cromerus* in deſcript. Poloniæ lib. 1. p. 93. *alienis*, inquit, *inventis ingenia magis accommodant, quam ut novi aliquid ipſi excogitent, & excellere magnopere ulla re ſtudeant. Id ideo fit, ſive quod uni alicui arti & ſtudio non libenter ſe addicunt, ſed multa noſſe cupiunt, ſive incuria, ſegnitie laborisque fugitatione, ſeu denique, quod ditiores otio & deliitiis ſe dedant, relicta tenuioribus ingeniis exercitatione.*

veſte, & vivunt opipare, ut ipſe teſtatur Staravolſcius. In Batavis ſocietas indica, nunquam per univerſam Europam ſua aromata indica majori copia vendere poteſt, quam in Polonia, nulla Europæ pars tantum conſumit aromatum, quantum Polonia. Hic luxus oritur ex ſuperbia. Elatus enim omnis non eſt contentus viliori cibo. Quid nunc fiat, dubium, materia enim luxus nupero bello periit; procul dubio autem Deus illam gentem voluit redigere in ordinem. Quod attinet temperantiam in rebus venereis, in ea parte vehementer peccant Poloni. Sunt enim laſcivi, ſcortatores, *adulteri* (a) iisque impuritatem adipiſcuntur. Quod ad fortitudinem, olim ſatis fortes ſe geſſere. Aſt in nupero bello, viros ſe non præſtitere, nullum igitur dubium eſt, quin adhuc ſuperſit generoſitas polonica, ſed Deus videtur immiſiſſe illis terrorem Panicum, nam viribus erant ſuperiores rege Sueciæ. Huc pertinet etiam benignitas & crudelitas. Sunt autem *ſatis crudeles* (b) in miſeros & victos, etiamſi aliter ſoleant fugere, ſi tu acriter ipſos perſequaris. Quod nuperum teſtatum eſt bellum. Contra datam fidem enim multos truculenter trucidarunt. Sunt etiam Nobiles Poloni ſatis crudeles in miſeros ruſticos, ut hoc ipſis exprobrat Barclajus, quod tamen vindicat *aliquis nobilis* (c) quaſi jure merito hoc liceret illis. Sunt alias jactabundi, quoad juſtitiam, videtur juſtitia laborare in Polonia. Ipſi conqueruntur, in tribunali non jus dici, ſed ferri ſententias ex libidine judicum, ut ipſe fatetur Staravolſcius. Apparet igitur, vitia in illa gente admodum invaluiſſe, & cum ſint intractabiles adhuc hodie, inobedientes, luxurioſi, facile apparet, quid de republica fiat. Nonnihil Lithuanorum ingenia ſunt meliora, ſed non multum, ad exemplum igitur Polonorum in omnia vitia ruunt, nec minus luxurioſi vivunt, quam illi, nullibi ne in Batavis quidem major eſt luxus quam Dantiſci. Licet enim ditiſſimi ſericeis incedant veſtibus in Batavis, tamen menſa non eſt opipare parata, nec cœna dubia *apponitur*. (d)

DE FINE.

Quod attinet hanc rempublicam, hic quæritur ſalus populi ſeu Nobilitatis. Hic enim ſtatus ſatis bene ſe habet & maxima ratio habetur Nobilitatis, & nullus admittitur ad magnos honores, niſi nobilis, vera vero felicitas non tam quæritur, quam *vita luxurioſa*. (e) Poloni non ſtudent dilatandis finibus ſuis, ſed contenti ſunt, ſi poſſunt ſua retinere, usque adeo mutarunt mores intra 100. annos, incredibile dictu illa reſpublica eſt mutata, ad id enim omnia compoſita ſunt, ut populus poſſit luxurioſe vivere. Felicitas conſiſtit in rerum affluentia cum virtute conjuncta. Dixerit autem quis, eos eſſe ſtudioſos æternæ ſalutis, ſunt enim religioſi, non tamen ibi tot reperiuntur Athei, quam in Italia. *Ante* 100. *annos* (f) usque adeo numerus proteſtantium invaluit, ut maxima munera fuerint in eorum manibus & tum Cleri fuit exigua autoritas, verum *Sigismundi* (g) regis ſtudio iterum effectum, ut papiſtica religio increſceret, ille clericis quam maxime ſtuduit, & ejus auſpiciis plurima condita monaſteria. Interim ſatis magna multitudo Evangelicorum *proteſtantium* (h) adhuc ſupereſt, longe tamen minor, quam eorum, qui pontificiæ religioni nomen dedere. Magnus etiam numerus eorum in Polonia fuit, qui Chriſti divinitatem non agnoſcerent, ut ſunt *Sociniani*, (i) Photiniani & Arriani, niſi quod proximis hiſce annis pontificii in illos ſævierunt, ut hodie aperte ſe profiteri tales non audeant.

Magna

(a) *Adulteri*) Etiam potatores egregii, cumprimis vini aduſti amantes. Vide colloquia nationum peculiaria, quæ germanice prodierunt p. 340.

(b) *Satis crudeles*) Hinc quidam nobiles Polonos Schlacheirwo, aut Schlachta dictos putant a germanico Schlachten, quod in pugnis usque ad internecionem cædant, Rectius vero dicitur, hoc nomen ſignificare *gloriam*, vel ortum eſt ex germanico Geſchlechter, uti *Cromerus* conjicit *in deſcript. Polonia* lib. 1. p. 100.

(c) *Aliquis nobilis*) Forte *Andreas Maximilianus Fredro* Caſtellanus leopolienſis, poſtea palatinus podoliæ *in fragmentis politicis num.* 14. *p.* 292 *& p.* 294. Nobiles enim Poloni in ſibi ſubditos ruſticos jus vitæ & necis habent, & bonorum vulgi ſui parvi quodammodo & abſoluti monarchæ ſunt, ut ait Fredro.

(d) *Apponitur*) Unicum addimus de tonſura Polonorum ejusque origine ex relatione *Stanislai Sarnitii* lib. 2. annal. polon. p. 67. *Benedictus I. cum Caſimiro I. Monacho relaxaſſet votum, ut regiam dignitatem liceret ei adire, hanc legem genti Polonæ impoſuit, ut morem prolixos capillos gerendi tanquam gentilem abjiceret. Sed tamen mos gerendi capillos ſarmaticus non prius fuit abrogatus, quam poſt cladem bucovienſem, ubi plures Poloni inventi erant capillis ex arboribus ſuſpenſi.*

(e) *Vita luxurioſa*) Hanc ſententiam Conringii impugnavit jam ſupra memoratus *Franciſcus Marinus* in diſſert. *de ſcopo reipublica polonica* Uratislav. 1665. quæ tamen ideo prohibita fuit, quod erga domum auſtriacam ſe intemperantius geſſiſſet, laudat ejus ſtudium *Gryphius* in diſſert. *de hiſtoricis ſec. XVII. cap.* 10 §. 2. Pro defenſione tamen Conringii prodiit poſtea anno 1665. libellus de ſcopo reipublicæ polonicæ, & domo auſtriaca, cujus autor perhibetur *Mothius*, frater amoribus regiis in Dania celeberrimæ comitis de Ramſoe & ſecretarius regius danicus, ut familiariter olim autore uſus affirmat *Placcius in theatro anon.* n. 1407.

(f) *Ante* 100. *annos*) Vid. *Hartknochium* p. 345. *Orichovium* annal. II. p. 35. ſeq. Cæterum ad reformationis eccleſ. in Polonia notitiam faciunt *Andrea Regens Volſcii* 1. *Syſtema hiſtorico-chronologicum eccleſiarum ſlavonicarum*, quod opus etiam ſub titulo *Slavonia reformata* prodiit, Amſtel. 1670. quanquam ſub *Andrea Wengerſcii* nomine, quem tamen alii cum Regens Volſcio eundem eſſe perhibent, alii ab eo diſtinguunt. 2. *Joach. Camerarius* in *hiſtorica narrat. de fratrum Bohemorum eccleſiis*, & *Joh. Laſitius* in *hiſtoria de origine & rebus geſtis fratr. Bohem.* quibus addendus eſt *Joh. Am. Comenius*. 3. *Andr. Triceſii* tractat. *de S. S. evangelii in ditione R. Polonia poſt revelatum Antichriſtum origine*. 4. Jura & libertates diſſidentium in religione chriſtiana in regno Poloniæ & M. D. Lituaniæ ex legibus regni & aliis monumentis authenticis excerpta, Berol. ann. 1708. 5. *Stanislai Lubienicii hiſtoria reformationis polon.* aliique.

(g) *Sigismundi*) Sigismundus Auguſtus favit evangelicis, vid. *Sarnitii lib.* 8. annal. polon. ad ann 1552. pag. 394. ſed Sigismundus III. Jeſuitarum ſententia omnia egit, unde & regno Sveciæ excidit,

(h) *Proteſtantium*) Lutherani in Polonia dicuntur, Saſſovie, id eſt, Saxones, quia Lutherus in Saxonia vixit, & docuit. Reformati vocantur Zborowi, id eſt, conventuales.

(i) *Sociniani*) Hi tantos olim in Polon. fecerunt progreſſus, ut etiam ſcholas ſuæ ſectæ non incelebres erexerint Racoviæ, Kiſſeliniis & Luclaviciis, Cum vero & ſcriptis publicis

& aliis

Magna etiam copia *Judæorum* (a) ibi fuit, quibus licuit emungere ruſticos in gratiam nobilitatis, omnes enim nobiles, ſua prædia collocant Judæis, unde bellum coſaccicum ortum. Ruſſia, tam polonica quam lithuanica, habet & populum addictum Græciæ Eccleſiæ. Nonnulli autem ſacris Græcis addicti unionem inivere cum Clemente VIII. & illi ſunt *dicti uniti*, (b) ſed hos, populus maximo odio eſt perſecutus: & Paulus Piaſecius in Chronico ſuo teſtatur, quod ab illo tempore ſemper contentiones fuerint inter Unitos & non unitos. Jeſuitarum ſtudio factum, ut Coſacci etiam in Satrapia Leopolenſi (Coſacci ſunt Ruſſi polonici) nomen addicerent pontificiæ religioni ſacrorum enim græcorum templa ipſis ſunt occluſa unde & bellum illud *coſaccicum* (c) ortum.

Scopus igitur reipublicæ, eſt *Luxurioſa vita nobilium*, (d) quanquam inter illos reperiantur viri ſatis religioſi; olim *longe alius* (e) fuit ſcopus reipublicæ polonicæ.

DE FORMALI CAUSA.

Diſtinguenda hic ſunt 3. tempora. Regimen reipublicæ polonicæ, ſecundum illa 3. tempora multum ſtatum mutavit. Florente enim familia piaſtea, longe alia ejus fuit ratio. Fuit enim magis Monarchica, ſucceſſio enim tum *hæreditaria* (f) fuit, & magna ejus autoritas, ut Mart. Cromerus teſtatur, & Neugebauerus. Familiam piaſtheam excepit jagellonica, quæ floruit ab anno 1400. donec ante 100. annos interiit. Durante autem familia illa & poſt, ingentem illa paſſa eſt mutationem, facta enim tum *ſucceſſio electitia*, (g) quæ ante hæreditaria erat. Deinde crevit cumprimis *autoritas nobilitatis* (h) polonicæ, tum autem maxime crevit extincta familia Jagellonorum. Tum enim electi ſunt varii reges, Henricus rex Galliæ, Stephanus Tranſylvanus, Sigismundus Suecus. Hi reges ipſi partim conceſſere nobilitati magna privilegia, præſertim hoc *reges familiæ Jagellonicæ* (i) fecere, qui admodum placidi erant, detracta autoritate regis. Ipſa deinde quaſi vi peperit multa privilegia, quæ nolentes volentes coacti ſunt concedere, vid. cap. de Prærogativis nobilitatis & regimine politico Staravolſcii. Dicam igitur, quomodo ſe habeat

& aliu ratione io receptam religionem ioſolenter ſe gererent, ejecti tandem ſont e polonico tegno a Johanoe Caſimiro Rege anno 1658. neque hodie amplius diſſidentium, qui tolerantut, oomine veniunt. Atque ob haoc rem potiſſimum, Reges Poloniæ ab Alexandro VII. hunc titolum conſecuti ſunt, ut Reges Orthodoxi dicantur. Cæterum, ad hiſtoriam Socinianorum in Polonia conſeraotur Stoinii, Schomanoi, Wiſſowatii, tract. qui *Sandii bibliotheca antitrinitariorum* annexi ſunt.

(a) *Judæorum*) Judæi, non longe a recepta religiooe chriſtiana, huc colonias ſuas ex Germania duxeront, quos deinde anno 1264. Boleslaos dux majoris Poloniæ multis privilegiis donavit, quæ videantor apud *Janum Januszovium* lib. 10. *conſtit. regn. Polon. tit.* I. Deinde circa anno 1341. eadem privilegia judæis confirmavit Caſimirus M. idque procurante quadam muliere Judæa, nomine Eſthera, cujus conſuetudine Rex ille utebatur. Vid. *Neugebauer lib 3. hiſtor. polon. in fin.* Ex eo tempore Judæi per Poloniam & Lituaniam iu immenſum creverunt, hodieque per urbes & pagos habitant frequeotiſſimi, adeo ut Polooia dicatur Judæorum paradiſus.

(b) *Dicti uniti*) Anno 1596. io concilio breslenſi, in Littuania magna pars Ruſſorum Poloniæ ſubjectorum ſeſe Romanæ Eccleſiæ conjunxit. Sed eodem tempore convenerunt alii Græci, & præſide quodam Nicephoro Epiſcopos cæteros, qui unionem inierant, coodemnaront. Vid. *Albertus Wijuk Kojalowicz* in *Miſcellaneis rerum ad ſtatum eccleſ. in magno Duc. Litthuan. pertinentium* p. 50. *Adamus Wengerſcius* lib. 4. *hiſtor. eccleſ. Slavon* cap. 2. *Baronius* in *appendice ad tomos annalium eccleſ.* Ex quo tempore Græci diſtiogui cæperunt in unitos, [Polonis dictos uniacos] & non unitos, polonice Nalevayko. Utriusque ſectæ in Ruſſia alba & rubra plurimi reperiuntur, qui ſe iovicem ioſectantur. Nam & Ruſſi veteres ſive noo uniti, adhuc libertate ſua gaudent. Vid. *Hartknochium* p. 350.

(c) *Bellum Coſaccicum*) Vid. *bellum Scythico Coſaccicum, ſ. de conjuratione Tartarorum, Coſaccorum & plebis Ruſſiæ contra regnum Poloniæ a Johanne Caſimiro Rex profligata narratio Joach. Paſtoris*, & ex eo *Thuldenus* hiſtor. lib. I.

(d) *Nobilium*) De vita Polonorum deperdita teſtantur quoque *Boterus* io diſſert. *de republ. polon. Neugebauer hiſtor. polon.* lib. 3. p. 57. *Lubienski opera poſthuma de motu civili, & diſſertatio de ſtatu rerum polonicarum* p. 194. *Staravolſcius*, vita *Andreæ Dudithii* a Quiriuo Reutero deſcripta, aliique. Utrum vero hodie mores ſint meliores, de eo non ſatis liquet. Id ſaltim mooendum, Contiogium, quaodo finem reipublicæ poloo. dixit vitam luxurioſam, id de fine tantum externo, non interno intellexiſſe.

(e) *Longe alius fuit ſcopus*) Olim pro ſcopo poſuerunt latum imperium, quod a oon uoo ſcriptore memoriæ proditum eſt.

(f) *Hæreditaria*) Regnum polonicum io prima æque ac ſecunda Regum periodo, quæ a Piaſto usque ad Ludovicum Hungarum ducitur, fuit ſucceſſivum & hæreditarium, licet id hodie communiter omnes Poloni negent. Probat hoc pluribus *Hartknochius* p. 55. ex ipſis veterum Polonorum ſcriptis, Cadlubkone, Dlugoſſo, Cromero. Fatetur tamen, circa finem ſecundæ periodi jam Poloniam in regnum electivum tranſiiſſe videri, cum Primislaus II. Rex eſſet electus.

(g) *Succeſſio electitia*) Secus tamen ſtatuit *Melchior Goldaſtus* lib. 4. *de regno Bohemiæ* cap. 10. At vero Wladislaus Jagello conceptis verbis jurare coactus eſt, quod regno Poloniæ præeſſe vellet non iore hereditario, ſed per liberam populi electionem, vid. *Janus Januszovius* lib. I. *conſtitut. regni Polon* part. I. tit. 2 p. 4. quare licet Jagello ejusque ſucceſſores titulum Hæredis uſurparint, usque ad Henricum Valeſium, qui hoc titulo demum abſtinuit, id tamen partim non oiſi per conſvetudinem factum, partim ob Littuaoiam & Ruſſiam, quarum provinciarum erant legitimi hæredes, vid. *Hartknoch.* pag. 74. & 75.

(h) *Autoritas nobilitatis*) Olim nobilium in Polonia duriuſcula ſors fuit. Oportuit enim ipſos principibus ſuis canes ad venationes alere, ut teſtatur *Cromerus* lib. 9. *de ortu & rebus geſtis polon.* p. 560. Initium vero libertatis ipſorum dubio procul cæpit a bonis eccleſiaſticis, inter alia ex privilegio a Boleslao Pudico eccleſiæ cracovienſi conceſſo apud Cromerum loc. cit. p 563. Crevit deinceps nobilium autoritas, cum Polonia in multas partes diſtracta bellis civilibus conflictaretur. Non pauci enim ex ſtirpe Ducum Poloniæ, ut favore procerum præ aliis competitoribus obtinerent, multa ſine dubio privilegia nobilitati concesserunt. Maximum autem incrementum autoritatis ſuæ debet liberæ Regum electioni. Nam ſoliti ſunt jamdiu ſubditi ſophiſtica quadam fallacia uti, ut non admittant ad imperium, niſi certis legibus circumſcriptum, quas non facile aſpernaturus eſt, qui præter electionem nullum regnandi jus habet, ut ait *Arniſæus* lib. 2. *doctr polit.* c 3.

(i) *Reges familiæ Jagellonicæ*) Wladislaus Jagello anno 1430. hoc privilegium nobilitati dedit, ne nobilem prehendere aut carceri mancipare liceret, niſi iure victum, exceptis cauſis quibusdam gravioribus. Vid. *Cromerus* lib 19. p. 685. Alia ejusmodi privilegia ſunt, quod ſoli oobiles, bona terreſtria jure hereditario poſſidere poſſint, quod a vectigalibus liberi ſint, homicidium olim certo pretio ſoluto luere potuerint, &c.

beat reſp. ſecundum prærogativas nobilitatis, deinde, de hodierno ſtatu. Qualis fuerit ille ſtatus apparet, ſi iverimus per omnia ſpectantia ad S.R. Huc ſpectat arbitrium pacis & belli, fœderum, legum ferendarum, vectigalium, tributorum indicendorum, poteſtas judicandi, horum nihil competit regi. Hinc apparet, regimen illud non eſſe monarchicum, quia jura majeſtatis penes unum non ſunt. Interim ad jura majeſtatis etiam pertinent creatio magiſtratus, & poteſtas judicandi ſ. judiciorum. In *Polonia habet rex* (a) poteſtatem conſtituendorum omnium magiſtratuum, & hac in parte magis valet, quam noſter imperator romanus. Ad ſacros magiſtratus, pertinent ArchiEpiſcopi, Epiſcopi, Abbates, hos omnes creat rex Poloniæ, quod indicat, hac parte participari jura majeſtatis. Magiſtratus profani ſunt in duplici differentia, alii ſunt majores magiſtratus, alii minores, alii officiales regni. Majores dicuntur *Palatini*. (b) Palatinus eſt is, qui polonica lingua dicitur Waiwoda, quod eſt idem, quod apud nos fuit Dux ein Fürſt, niſi quod apud nos hodie ſit Ducatus dignitas hæreditaria & multa habeat regalia, cum apud illos tantum duret ad vitam. Hos omnes conſtituit *Rex*. (c) Proximi ſunt his *Caſtellani* (d) ſeu Staroſti, & ſunt idem, quod apud Germanos olim fuere comites. Olim eadem fuit conditio reipublicæ germanicæ, quæ polonicæ reipublicæ fuit. Hos omnes conſtituit Rex, ſunt autem 34. Palatini in Polonia, hos principatus vocant. Caſtellani ſunt 87. Porro conſtituit omnes *officiales regni*, (e) quorum ſunt 10. Primus eſt Mareſchallus regni ſupremus, 2. Mareſchallus regni Curiæ. 3. Mareſchallus magni Ducat. Lithuan. 4. Mareſchallus curiæ lithuanicæ 5. Cancellarius magnus regni Polon. 6. Vice-Cancellarius regni Polon. 7. Cancellarius magni Ducat. Lithuan. 8. Vice-Cancellarius Lithuan. 9. Theſaurarius regni Polon. 10. Theſaurarius magni ducatus Lithuaniæ. Præter hos conſtituit pro arbitratu duces militiæ, die Kron-Feldhern. Habet enim ſuos Duces militiæ peculiares Polonia & Lithuania. Habet etiam in manu ſua proventus ærarii regni, ut de iſtis poſſit diſpenſare. Eſt igitur regnum mixtum. Vehementer igitur fallunt, qui dicunt eſſe *Ariſtocratiam*, (f) cum tamen multa adhuc ſint penes regem. Fuere porro apud regem *usque ad Stephanum* (g) omnia judicia, ſed hoc hodie mutatum, & in iis dicitur jus *autoritate regis* (h) & ſenatorum regni delectorum. Nuper introducta ſunt *tribunalia*, (i) in quibus judicatur ex ſententia regis & ſenatorum regni.

In

(a) *Habet Rex*) Vide *Piaſecium* in *chron.* p. 59. *Cromerum in deſcript. polon.* lib. 2. p. 171. *Lubienski in monitis de Epiſcopatu recte gerendo* num. 53 ſeq. num. 64. ſeq. *Hartknoch.* p. 393. Epiſcoporum conſtitutio regia, male jam olim Pontificem R. habuit adeo ut ſec. XII. Paſchalis II. ad Archiepiſcopum Gneſnenſ. ep. 6. indignabundus ſcriberet, *quid ſuper Epiſcoporum tranſlationibus loquar, quæ apud vos non autoritate Apoſtolica, ſed nutu regis præſumuntur* apud *Sever. Binium tom. 3. concil. part. 2.* p. 425. Jus Abbatum conſtituendorum, Regi competere *Andreas Olsaowski* pec. ſcripto, quod *quinquaginta* ſingularia nominavit, quamvis ſuppreſſo nomine probavit. Quia tamen hac de ſe in Polonia non raro certatum fuit, Rex Johannes III. præſertim cum Generali ordines ciſtercienſis tranſactionem iniit, ut ea 15. Abbatiis 5. eſſent in diſpoſitione Regis pro prælatis in aula Regia, 5. pro monachandis, 5. pro monachis ipſis, ut teſtantur acta comitiorum anno 1685. reliquorum autem ordinum abbatiæ ſunt in poteſtate regia.

(b) *Palatini*) Eorum primis temporibus 12. fuere, cum Polonia eſſet in 12. provincias diſtributa, vid. *Dlugloſſus* lib. 1. hiſtor. p. 57. *Cromerus* lib. 11. p. 420. Et fuerunt quaſi belli duces, unde & Woiwodæ dicti ſunt a Woina, quod bellum, & Wodz, quod ducem ſignificat. Hodie plures exiſtunt, & ſunt principes creati, primarii in ordine ſecularium Senatores & Duces exercituum in ſuis palatinatibus, (quo tamen munere non niſi tempore generalis expeditionis pospolite Rusaenie) fuguntur. Pacis tempore in nonnullis locis, uti in lituania & pruſſia judicia caſtrenſia exercent, ſed in Polonia tantum id aguot, ut certa rebus venalibus pretia conſtituant, curamque gerant ponderum & menſurarum, Judæos judicent, qui alias in nullo judicio orbico convenıri poſſunt &c.

(c) *Rex*) Etiam ſine ordinum conſenſu, ac licet hanc poteſtatem Regis aliquando tentarint in comitiis Poloni imminuere, irrito tamen id egeruot conatu, ut teſtatur *Caſimirus Zawacki* in diario electionis Michaelis Wisniowiecſi R. Poloniæ, quod inſcripſit: *Gloria orbi ſarmatico conſenſu monſtrata.*

(d) *Caſtellani*) Sunt quaſi vice palatini belli tempore, in pace obeunt munus ſenatorium. Diſpeſcuntur in majores & min. Majores a palatinatibus, minores a terris & diſtrictibus nominantur, & dicuntur Caſtellani Powiatowi, vel etiam Niekrzeslovi, quod non in ſellis, ſed in ſcamnis pone alios ſenatores conſideant, vid. de his *Krzyſtanovica deſcript. Polon.* p. 11. *Cromerus* lib. 2. *deſcript. Polon.* pag. 140. *Hartknoch*, p. 485. ſeq. obſervandum tamen, omnes ſecularis ordinis ſenatores ſingulari quodam privilegio præcedere caſtellanum cracovienſem.

(e) *Officiales regni*) Vide de his Hartknoch. pag. 491. ſeq. De cancellariis quidem refert *Piaſecius*, Regem eos ſolum creare non poſſe, niſi id fiat in comitiis de conſenſu ordinum, in *chron.* ad ann 1617. p. 438. vide & *Orichovii* annales p. 226. *Theatrum europaum* tom. IV. p. 66. Sed hæc hodie non obſervantur, regibus etiam extra comitia cancellarios conſtituentibus.

(f) *Ariſtocratiam*) *Martinus Cromerus* lib. 2. *deſcript. polon.* & *Stanislaus Orichovius* in orat. *ad Proceres habita*, quæ præfixa eſt corpori inſtitutionum regni polon. a Jacobo Prilusio edito, regnum Poloniæ a veteri Lacedæmoniorum vel hujus temporis Venetorum republ. non multum differre ſtatuunt. At vero, forma reipublicæ polonicæ rectius dicitur ariſtocratice mixta, & quidem ex monarchia & ariſtocratia, ut oſtendit *Marinus* differtat. *de ſcopo reip. polon.* *Hartknoch.* pag. 879. ſeq. *Staravolſcius in Polonia* p. 246. regnum polonicum ex regno, ariſtocratia & politia mixtum ſtatuit. Prævalet tamen ariſtocratia.

(g) *Usque ad Stephanum*) Cum enim multis Reges judiciis diſtinerentur, (adeo, ut Henricus I. dixiſſe perhibeatur, per meam fidem Poloni iſti faciunt, ut agam judicem juris peritum, in brevi volent, ut etiam agam cauſidicum vid. *Piaſec.* in *chron.* p. 50) Stephanus Bathori Henrici ſucceſſor judicia hæc a ſe devolvit, ſummis tribunalibus inſtitutis, ſolusque lites fiſci regii & civitatum Regi ſubditarum judicio aulico reſervavit.

(h) *Autoritate Regis*) Quamvis autem in tribunalibus nomine regio judicia exerceantur, nihiloſecius cum in illis non Rex, ſed nobilitas ipſa conſtituat judicii illius aſſeſſores ſ. deputatos, ipſumque præſidem, quem vocant Mareſchalcum, in comitiis quoque & in judiciis relationum non ſolus Rex cauſas decidat, multum jam de poteſtate judiciaria Reges Poloniæ remiſiſſe facile intelligitur.

(i) *Tribunalia*) Alias in Polonia ſunt duo ſumma tribunalia, unum Petricoviæ, alterum Lublini, in Lituania vero Vilnenſe, Novogrodenſe, Minſcenſe, Trocenſe a Stephano Rege inſtituta. Præter hæc eſt *tribunal theſauri* ſive Radomenſe inſtitutum anno 1613. (qualia tribunalia theſauri hodie etiam in ſingulis palatinatibus exercentur ex conſtitut. anno 16 7.) Porro *judicium regium poſt curiale*, idque vel *aſſeſſoriale*, in quo præſidet Cancellarius ſupre-

In urbibus habet etiam poteſtatem judiciorum. Conſtituit enim judices, Conſules circa plebem & circa oppidanos, aſt non circa nobiles. Nobiles enim non poſſunt condemnari, niſi autoritate Comitiorum. In republica Poloniæ ſunt duplices ordines, qui habent poteſtatem deliberandi de republica. Alii dantur Senatores regni, alii ſunt ipſi Cives. Senatores regni tantum habent poteſtatem conſultandi & deliberandi de republica cum rege, ſed non habent poteſtatem decernendi. Perinde ſe habuiſſe rempublicam germanicam, ex Tacito apparet. De minoribus rebus primates agunt, de majoribus omnes; ita ut principes nihil decernant, ſed tantum conſultent.

DE SENATORIBUS REGNI.

Ad Senatum regni (a) 1.) pertinent omnes Archi-Epiſcopi & Epiſcopi 2.) omnes Palatini 3.) pertinent iſthuc Caſtellani, non omnes, ſed majores, non minores, 4.) officiales regni. Decidendi autem res majores poteſtas eſt penes nobilitatem polonicam, per quam intelliguntur omnes nobiles ſeu in Lithuania, ſeu in Polonia, ſeu in Ruſſia habitent. De majoribus igitur non poteſt quid conſtitui, niſi in Comitiis. Sed impoſſibile eſt ut omnes nobiles conveniant ob regni amplitudinem, ſed conſtituunt per ſuos legatos. Quando indicta ſunt *comitia* (b) tum conveniunt in ſingulis Palatinatibus nobiles & de nonnullis rebus inter ſe deliberant & *mittunt nonnullos* (c) ex ſuo ordine ad comitia, qui dicuntur nuncii terreſtres die Landboten, per terram intelligunt provinciam. *Hi legati* (d) habent poteſtatem conſtituendi in comitiis, & horum autoritas prævalet Senatorum regni autoritati & cum aliquid conſtituitur in comitiis, tum Senator ſeu dux ſit, ſeu Archi-Epiſcopus, non plus valet, quam pauper nobilis polonicus. Ad Comitia etiam admittuntur Cracovienſes & Gedanenſes, ſed ringente nobilitate polonica. Quia autem nobilitas polonica, conſtituit populum polonicum, reliqui enim ſunt mere ſubditi, hinc polonica illa reſpublica videtur *democratia* (e) dicenda, ſi vero adjicere velis etiam plebem, poſſis dicere oligarchiam, quæ aliquid

ſupremus, cujus ordinatio prodiit anno 1680. vel *relationum*, in quo ipſe Rex præſidet. *Judicium mareſchallicum*, in quo præſidet ſupremus regni Mareſchallus. Alia judicia dicuntur *terreſtria*, Zady Ziemskie pro nobilibus, *caſtrenſia* Sady Grodzkie, i. *capitanealia*, quo refertur officium cauſarum ſive querelarum Skargi dictum, *ſuccameralia*, *commiſſorialia*, *comitiorum*, vel civilia vel criminalia, *eccleſiaſtica*, *militaria*, de quibus omnibus vid. *Hartknoch*. lib. 2. c. 7. Autores vero, qui de proceſſu judiciario in Polonia uſitato egerunt, allegatos vide in *Hoppii & Groddekii ſchediaſm.* §. 44.

(a) *Ad ſenatum regni*) Olim in regno Poloniæ proximum a Rege in ſenatu locum obtinuerunt Duces & Principes ſanguinis. Poſtea tamen inter Duces Maſoviæ, & Epiſcopos de loco controverſia orta fuit, ducesque epiſcopis locum ceſſerunt. Unde & hodierno tempore, in ſenatu primum locum habeat *Archiepiſcopi* Gneſnenſis & Leopolienſis. Deinde *Epiſcopi* Cracovienſis, Cujavienſis, Vilnenſis, Poſnanienſis, (alternatim) Plocenſis, Warmienſis, Luceorienſis, Præmiſlienſis, Samagitiæ ſ. Miednicenſis, Culmenſis, Chelmenſis, Kiovienſis & Czernichovienſis, Camenecenſis. Tum *Palatini* & Caſtellani, quibus immixtus eſt unus gubernator ſive capitaneus (Polonis Staroſta dictus) Samogitiæ hoc ordine: Caſtellanus Cracovienſis, Palatini Cracovienſis, Poſnanienſis, Vilnenſis, Sendomirienſis. Caſtellanus Vilnenſis, Palatini Caliſſienſis, Trocenſia, Siradienſis, Caſtellanus Trocenſis, Palatinus Lencicienſis, Capitaneus Samogitiæ, Palatini Breſtenſis in Cujavia, Kiiovienſis, Inowladislavienſis, Ruſſiæ, Volhyniæ, Podoliæ, Lublinenſis, Polocenſis, Belaenſis, Novogrodenſis, Plocenſis, Vitepcenſis, Maſoviæ, Podlachiæ, Ravenſis, Brercienſis, Culmenſis, Mſcialavienſis, Mariæburgenſis, Braclavienſis, Pomeraniæ, Minscenſis, Czernichovienſis &c. Poſt hos ſequuntur *Caſtellani majores* Poſnanienſis, Sendomirienſis, Caliſſienſis, Voynicenſis, Gneſnenſis, Siradicenſis, Lencicienſis, Samogitiæ, Breſtenſis, Kiovienſis, Inowladislavienſis, Leopolienſis, Volhyniæ, Camenecenſis, Lublinenſis, Polocenſis, Belzenſis, Novogrodenſis, Plocenſis, Vitepcenſis, Cernenſis, Podlachiæ, Ravenſis, Breſtianenſis, Culmenſis, Mſcislavenſis, Elbingenſis, Braclavienſis, Gedanenſis, Minscenſis, Czernichovenſis &c. *Caſtellani minores*, qui tantum in majori minorique Polonia, Maſovia & palatinatu Ruſſiæ reperiuntur, ſed non niſi poſtremis temporibus ad conſilium admitti cœperunt, nec ſtatim ad ſecretiora conſilia admiſſi ſunt, vid. *Cromerus* lib. 2. *deſcript. polon.* p. 140. hodie vero non ſolum ad comitia vocantur, ſed & ad reſidentiam in aula regia admittuntur, doc. *Hartknochio* p. 489. titulo, quæ Vrodzeni, i. e. generoſi ornantur, cum majores Wielmozni magnifici ſalutentur. Denique officiales regni, de quibus ſupra. *Cromerus* loc. cit. p. 139. adhuc addit capitaneos majoris & minoris Poloniæ.

(b) *Comitia*) Sunt vel togata & paludata, vel ſagata, ordinaria vel extraordinaria, habentur pleſumque in electione Regis Varſaviæ, in ejus coronatione Cracoviæ. Tertia quævis ex conſtit. anno 1673. (exceptis comitiis ſub interregni tempus) celebrantur Grodnæ. Ante illa, indicuntur *conventus particulares* ſ. comitiola polon. Seymiki dicta, in quibus de literis univerſalibus Regis ejusque propoſitionibus, uti & de aliis in futuris comitiis proponendis deliberatur & nuntii terreſtres eliguntur. Nec non habentur, *conventus ſingularum gentium generales* (polon. Seymiki generalne) in quibus Senatores cum nuntiis præliminariter conveniunt, uti in majore polonia Coli, in minore Corcini, in pruſſia Gradenti & Mariæburgi &c. Tum vero demum itur ad comitia univerſalia, eaque per legem a Stephano Rege latam 6. hebdom. durare debent.

(c) *Mittunt nonnullos*) Mittuntur a nobilitate ad comitia legati vel nuncii fere 170. præter pruſſicos, quorum numerus non eſt definitus. Eaque conſuetudo nuncios mittendi cœpit ſub Caſimiro Jagellonide ſec. XV.

(d) *Hi legati*) In comitiis habent peculiare conclave ſuum, quod dicitur Izba Poſelska. Eligunt ſibi primo omnium Mareſchallum ſive directorem collegii ſui. Cujus electi Regem poſtea certiorem faciunt, atque tum, conſtituto a Rege tempore, per Mareſchallum regni in Senatum introducuntur. In principio comitiorum petunt a Rege, ut dignitates vacantes aliis conferat, & Senatus conſultorum inter præterita & præſentia comitia ratio reddatur reipublicæ, quibus expeditis, ſe in conclave ſuum recipiunt, & deliberationes ordiuntur, quas cum ſenatu per delegatos communicant, & hic viciſſim cum nunciis. Magna vero eorum autoritas eſt. Non ſolum enim a Senatoribus ſalutantur Moſci Panowie Bracia, i. e. grazioſi domini fratres, ſed & iidem poſſunt magiſtratus coram Rege & Senatu reos agere muneris male adminiſtrati; quin nulla valet conſtitutio, quæ non e conclavi nunciorum originem trahat. Mareſchallus enim nunciorum, leges & conſtitutiones a nunciis approbatas primo delineat, easque deinde in Senatu prælegit. Quapropter in convocatione, quando Rex cum ſolo Senatu deliberat, nullæ conſtitutiones in publicum eduntur. Vid. *Hartknochium* p. 682. ſeq. & p. 690. ſeq. Senatores quidem habent poteſtatem præconſultandi, imo & de rebus minoribus conſultandi, non autem poteſtatem decidendi.

(e) *Democratia*) Sed improprie. Nam ad democratiam hoc requiritur, ut etiam plebs ſit imperii particeps. Sed in polonico regno plebeji plane excluduntur ab adminiſtra-

mnem pene plebem ruſſicam, ita ut numerus excreverit ad 200000. Chimelinskia hujus uxor & filiæ a nobilibus Polonis erant ſtupratæ, quo ita irritatus fuit, ut omnes Coſackos in Polonos excitaverit. Polonorum itaque ſuperbia & imprudentia illam gentem, quæ antea ipſis fuit præſidio, ita exaſperavit, ut nunquam ſpes ſit, eos iterum ad ſe alliciendi.

Videtur nova reſpublica Coſackorum novo Polonorum damno *oritura.* (a) Coſacki enim intenti ſunt prædæ, ſunt pauperes, bellicoſi, Poloni inermes, effœminati, ſtudent divitiis. Quod autem hodie quieſcant, hoc fit quod corrupti ſint pecunia a fœderatis, quod pacem ab illis emerunt, qui hos in ſuas partes aliquomodo traxere, & tartaros, quos etiam pecunia morantur, ne quid tentent. Vid. Piaſezium & Epiſtol. Cyriaci Traſymachi. Ex quo apparet, in quod diſcrimen Polonia ſit adducta. Videntur igitur Coſacci novam Condituri rempublicam, nunquam ab aliis ſe in ordinem redigi patientur. Hodie nullus Jeſuita & judæus ibi apparere audet, quod male de iis meriti, & crudeliſſime in illo bello ſe Coſacki erga utroſque geſſerunt. Quod attinet illos, qui conjurarunt in rempublicam, eorum nomina hactenus fuere ignota. Inter illos autem nemo invenitur, qui ſit antiquæ familiæ Polonorum. Qui enim illuſtribus familiis inclaruerint, jam opprimuntur, niſi quod inter Lithuanos Lubemirskius & Sophieskus commendentur, inter Polonos autem nemo. Ut olim ſolius nobilitatis habebatur ratio in dignitatibus conferendis, ita nunc illi ſunt loco nullo. Nam Czarnecki ipſe eſt tenui loco natus, qui ad hanc dignitatem non perveniſſet, niſi ob præclara merita & quod nemo ex nobilibus ſupereſſet, qui acriter virtutem ſectaretur.

DE COSACCIS.

Porro etiam notandum, in vaſtis campis vicinis Turcarum & Tartarorum ditioni jam ab aliquot ſeculis, cum primis intra 200. annos *cœpiſſe* (b) ſe continere colluviem quandam hominum Polonorum, partim vero vicinarum gentium, Tartarorum, Turcarum aliarumque. Hæc colluvies non orta eſt ex nobilibus, ſed ex plebe. Habitarunt autem iſti homines in illis campis, nec unquam potuerunt a Polonis in certa diſciplina contineri. Interim, ii ſemper adhæſere Polonis & illis fuerunt pro præſidio. Hi Polonis dicti ſunt Coſacci, i. e. *capræ*, (c) quod eſſent levis armaturæ. Quemadmodum enim capræ ſunt leves ad motum, ita illi modo hic, modo illic vagantur. Hæc eſt natio Coſaccorum, quæ ita in unam gentem coaluit. Hæc autem gens maxime vivit ex præda, quia aliud non habet. Vivit ita in Podolia & quod ſi bellum illi deſit, alit ſe ſuis armentis. Et alius eorum numerus haud paucus vivit in inſulis Boriſthenis, qui dicuntur Coſacci Niovienſes ſive Inſulares.

Cumprimis autem illi ſolent prædam ſectari & accipere ex Tartarorum & Turcarum regione.

Scaphis enim delati in pontum Euxinum, non dubitant prædari præ foribus Conſtantinopolis. Nunquam Turcæ, Tartari aut Poloni, potuerunt eos in ordinem redigere.

Cum ſuperiori ſeculo Stephanus rex animadverteret, illam colluviem hominum eſſe regno magno præſidio, cœpit perſuadere Poloniæ proceribus, ut perpetuo in ſtipendio haberet conductam inſignem militiam Coſaccorum. Levi tamen ſtipendio illos conduxit, nonnihil pecuniæ enim, &, ni fallor, quiſque Ducatum accepit ex ærario regni. Ita ille effecit, ut 40000. Coſaccos haberet in perpetuo præſidio contra eruptiones Tartarorum & Turcarum. Prudenter certe hoc inſtituit Stephanus. Ut autem eo magis ſibi illos devinciret, conſtituit, ut illi ipſi aliquem ex ſuo ordine crearent Ducem belli, qui deinde confirmaretur a rege Polonorum. Inter ſe itaque crearunt *Ducem* (d) ex infima fæce hominum, modo eſſet felix bellator & armis egregius. Fuere itaque illi Cōſacci perpetuo fidi milites.

Cæterum Vladiſlao rege, a Polonis fuere multis injuriis affecti. Maxima enim injuria fuit, quod cum eſſent græcæ religionis, proinde ut omnes Ruſſi, artibus Jeſuitarum ſit effectum,

(a) *Oritura*) Diviſi poſtea ſunt Coſacci in eos, qui Polonis adhuc ſubjecti ſunt, in Coſaccos Moſcoviticos, & Coſaccos infidos poſt pacem cum ipſis a Johanne Polieski R. initam. Unde & *Baudrand. dictionaire Geogr.* p. 348. Depuis ce temps la, inquit, les Coſaques ont ete diviſes en trois ordres en Coſaques fideles, qui ſe ſoumitent aux Polonnois, & qui ſont vers la haute Volhynie. Coſaques, Moſcovites, qui habitent toute la partie du Palatinat de Kiovie, que les Moſcovites poſſedent, & en Coſaques infideles ou rebelles, qui occupent le pais ſitue entre le Boryſthene & le pais des Tartares d'Oczackow.

(b) *Cœpiſſe*) Prima hujus gentis origo repetenda forte eſt a primis uſque Tartarorum in Poloniam irruptionibus. Ad eos enim poſt reditum ſpoliandos præda, multi agreſtes ad oras Boryſthenis, loca naturæ miraculo munita ſe contulerunt, (Catadupas vocarunt veteres Geographi, Ruſſi vero Porohi, unde vox Zaporohi orta) ibique Tartarorum copiis ex Podolia redeuntibus inhiatunt. Succeſſu temporis hæc colluvies crevit etiam ex profugis Ruſſiæ, Germaniæ, Galliæ aliarumque regionum.

(c) *Capra*) Aut potius a Chodzick *diſcurrere*, ut Paſtorius arbitratur Part. 2. hiſtor. Polon plenioris lib. 1. p. 14.

(d) *Ducem*) Summus Coſaccorum exercitus præfectus loco inſignium geſtat baculum ex arundine confectum. Eligitur tumultuariis populi ſuffragiis, confirmandus tamen ab eo, cujus poteſtati ſubſunt. Eſt penes eum in quemlibet Coſaccorum vitæ & necis arbitrium. Quomodo rem arduam populo propoſiturus, concionem cogat, de eo vide *Hartknochium* l. c. p. 847. Secundum a præfecto dignitatis gradum tenent 4. bellici conſiliarii dicti Aſſavuli cum Legato, qui ſubſtitutus præfecti exercitus vocatur. Sequuntur tum caſtrorum bellicarum machinarum, legionum præfecti, tum centuriones & publicus notarius, qui cenſus & ſumtus eorum notare & conſilio religionis græcæ monachorum literas ad Principem, cujus poteſtati ſubjecti ſunt, exarare ſolet.

ctum, ut clauſa ſint omnia eorum templa, & per vim inducta ſacra romana. Hoc indignis modis tulerunt Coſacci, nec ferre potuere, religionem per vim imperari. Eſt certe Tyrannis, religionem per vim & per arma velle propagare; aliis enim mediis Chriſtus propagari juſſit religionem. Secunda injuria eſt, quod rex curaverat omnem coctionem cereviſiæ & ſpiritus vini, quo Poloni maxime gaudent, transferre ad Judæos. Hoc vehementer irritavit Coſaccos, cum a Judæis cogerentur mercari admodum care cereviſiam & ſpiritum vini. Tertia injuria eſt, quod cum haberent Coſacci campos latiſſimos, in quibus habebant poteſtatem paſcendorum armentorum. Rex Uladislaus inductus a nobilibus, illos campos cæpit in proprias poſſeſſiones nobilibus dare. Hi cum ibi vellent arces & urbes condere, indigne id tulerunt Coſacci, cum non amplius ibi poſſent armenta ſua paſcere. Acceſſit & hoc, quod rex juſſerit, exanctorari omnem militem Coſaccicum, cum eorum vires nimium creviſſe crederet. Attamen homines armatos uno impetu velle in ordinem redigere, & uno impetu exauctorare, non eſt prudentis, cum ſenſim hoc fuiſſet agendum. Ita factum eſt, ut Coſacci correptis armis inſurrexerint adverſus Polonos. Et initio quidem non male ceſſit Polonis, nam Coſacci ſemel atque iterum ſunt cæſi & non dubitarunt, ſatis duras conditiones ſubire. Sed ne illas quidem ſervarunt Poloni, ſed ſummo perjurio cœperunt Coſaccos magis opprimere. Hinc novum ortum eſt bellum, poſtquam Ducem ſunt nacti Coſacci Chmelinsky, qui fuerat Secretarius, & noverat legere & ſcribere, & manu præterea erat promtus, cujus uxor & filia ſtupratæ erant, adeo irritatus eſt, ut omnes Coſaccos ad rebellionem excitaverit, & in ſocietatem plebem Ruſſiæ perduxerit, ita ut numerus ad 200000. hominum excreverit. Atque ita Coſacci valedixerunt regno Poloniæ, & plerique eorum non dubitarunt jurare in verba Magni *Ducis Moſcoviæ*, (a) cum quo ejusdem erant religionis. Apparet igitur, quam imprudenter & ſuperbe Poloni ſe geſſerint erga illam gentem, quæ hactenus erat Polonis pro præſidio, quid futurum ſit, neſcio. Hoc autem video, nunquam ſpem fore, ut redigantur Coſacci in Polonorum poteſtatem. Et vel apparet, inpoſterum novam rempublicam Coſaccorum oriundam maximo Poloniæ damno. Coſacci enim ſunt homines fortes & pauperes, & intenti prædæ; contra magna pars Polonorum imbellis eſt, & ſtudet divitiis. Itaque poſthac Polonis a Coſaccis imminebit periculum. Quod autem jam illi quieſcant, fit inde, quia confœderati Poloni pacem emerunt a Coſaccis, illosque aliquomodo in ſocietatem pertrahere cœperunt, & miſſa pecunia effecerunt, ne noceant. Quantum autem videtur, Coſacci novam quandam rempublicam ſunt condituri, nam nunquam illi patientur ſe in ordinem redigi. Quæ memorantur de cauſis novi belli coſaccici, poſſunt legi apud Piaſezium, item in epiſtola, quæ eſt edita ſub nomine Cyriaci Traſymachi. Itidem in Podolia nulli omnino Jeſuitæ & Judæi comparent, hos enim omnes conjurati crudeliſſime interfecerunt, aliquot 1000. Judæos interemerunt, qui peſſime de regno erant meriti. Expulerunt omnes Jeſuitas & reliquos Parochos Romanos. Quod attinet illos, qui conjurant adverſus rempublicam illam, illorum nomina hactenus ſunt ignota. Notum autem eſt, in illorum ordinem neminem recipi, qui ſit claræ alicujus nobilitatis polonicæ. Qui enim antehac magnis familiis erant nati, jam nullo ſunt loco, & omnes opprimuntur. Non enim audimus, in illo ordine quenquam eſſe, qui antiqua ſit dignitate, niſi quod tamen inter Lithuanos Lubomirsky. Antehac ratio eſt habita primariæ nobilitatis, hodie vero res longe ſe aliter habet.

De nobilibus polonicis videatur Staravolſcius p. 95. edit. Guelpherbyti. Rege Sigismundo & Uladislao, habita fuit ratio ditiorum nobilium, pauperum vero non. Jam evenit contrarium, ei, qui ante primo fuerunt loco, jam ſunt nullo. Czerneckius ex infima nobilitate nunquam ad tantas dignitates perveniſſet, niſi id effeciſſet ingentibus meritis. Hæc ita ſunt notanda, ut etiam appareat, ſæpe aliquem ex tenui loco pervenire ad maximas dignitates & contra.

Hæc eſt rota fortunæ, quæ ita eſt ambigua *in rebus hominis.* (b)

DE

(a) *Ducis Moſcoviæ*) Intellige Coſaccos in Kiovienſi palatinatu, ſ. Ruſſia parva, quæ dicitur, degentes. His novum Hetmannum, ſ. ducem Ruſſorum Imperator anno 1727. conſtituit, cujus nomen eſt Daniel Apoſtel, de quo vide *famam europaam* anno 1728. pag. 217. ſeq. ubi & p. 229. horum Coſaccorum ſigillum exhibetur, additis verbis: Petſchat maloi Roſſii Woiskajego Imperatorskago. welit ſchetwa. Zaporowskago. Sigillum. Imper. Ruſſ. Majeſtatis pro exercitu Zaporovenſium in parva Ruſſia. Coſacci autem in Ukraina habitantes redierunt ad obſequium Poloniæ, licet anno 1672. per transactionem cum Turcis initam hanc regionem ceſſerint Poloni.

(b) *In rebus hominis*) Addimus pauca: Inſigne regni polonici eſt alba aquila erecta expanſis alis, cui originem dediſſe aquilinum nidum, Gneſnæ a Lecho I. inventum, vulgo traditur. vid. *Cromerus* de *rebus geſtis polon.* lib. 2. init. alii vero huc referunt aquilam, Quintilio Varo Auguſti Cæſaris tempore ereptam, quod merito exploditur.

Præter ſenatum regni, de quo ſupra jam dictum eſt, notandi adhuc veniunt magiſtratus alii & officiales, qui ſunt extra ordinem ſenatorium, ut 1. *in aula regia*, vel ipſius Regis vel Reginæ Regi miniſteria præſtant partim nunnulli ex officialibus regni, maxime vero Succamerarius regni & Theſaurarius Curiæ, partim etiam aulici, ut ſunt Camerarii, Pocillatores, Pincernæ. Dapiferi, Stabuli præfecti, Venatores, Secretarii &c. In aulæ reginæ primus eſt Mareſchallus reginæ, tum Cancellarius, Stabuli præfectus, theſaurarius, pocillator, inciſor, præfectus Culinæ &c. 2. In regno ipſo & magno ducatu Lituaniæ officialium hæc eſt ſeries. Primus eſt Secretarius Wielki koronni, i. e regni ſupremus (qui ſemper eſt unus ex ordine eccleſiaſtico) ſequuntur Referendanz Koronny referendarius regni ſpiritualis & ſecularis, Hetman Wielki Koronny, ſ. Dux exercituum regni generalis, Hetman Polny Koronny Dux exercituum regni campeſtris, Podkomorz Koronny Succamerarius regni, theſaurarius curiæ regni, qui & vice-theſaurarius eſt, Chorazy Coronny Vexillifer regni, Miecznik Coronny Enſifer regni, Komuszy præfectus ſtabuli regni, Kuchmiſtrz Culinæ regni præfectus, Podczaſty Pocillator regni, Krayczy Inciſor regni, Stolnick dapifer regni, Podſtoly, Subdapifer, Czesnik pincerna regni, Piſarapolny notarius campeſtris regni,

cunt ruſticum creatum regem, nomine *Piaſtum*, (a) divino inſtinctu quodam. Illa familia Piaſthea diu ſatis rerum potita eſt in Polonia usque ad annum 1400. Quia autem fuit ruſticus, ex ipſa gente polonica facile apparet. Ex eo tempore, omnes reges fuere alienigenæ, cum antea illa familia hereditario jure imperaret. Primus igitur poſt hanc familiam creatus *Jagello* (b) adhuc Paganus. Hic, Chriſtianus factus, optime rexit remp. cujus familia ante 200. an. præter propter extincta fuit. Extincta hac familia, iterum Poloni circumſpexere ad exteros, noluerunt aliquem *ſuæ gentis creare regem*, (c) interim familiæ jagellonicæ habuerunt rationem propter merita, & Stephanum Ducem Tranſylvaniæ elegerunt regem, ea lege, ut ultimi regis filiam, adhuc virginem, duceret in matrimonium. Poſt hunc ſine liberis extinctum, electus *Henricus Valeſius*, (d) quod mirum, propter diverſos mores. Verum hic, defuncto fratre clanculum auffugit, quod ægre ferentes Poloni, illum abdicarunt, *& crearunt regis* (e) Sueciæ filium Sigismundum ipſi ſucceſſorem, qua tamen in re, habita fuit ratio cognationis, cum mater Sigismundi erat filia aliqua regum Poloniæ. Illa familia adhuc durat, ſed brevi extinguetur. Sigismundo enim ſucceſſit *Uladislaus* (f) huic frater *Johannes Caſimirus*, (g) cum quo extinguetur maſcula ſoboles Guſtavi regis Sueciæ. Quod attinet regis hujus ingenium, ſiquidem fas eſt de regibus aliquid dicere, non laudandum, ita ſe geſſit, ut ſemper fuerit contemtui, & maxima pars Procerum, illum aut contemſit aut odio habuit. Duxit in matrimonium fratris ſui mortui uxorem, quod nunquam in Chriſtiano orbe erat auditum, niſi quod Henricus VIII. Angliæ rex, cum maximo reipublicæ malo, idem fecerit. Ad contemtum etiam facit orbitas liberorum, qui ſunt munimenta domus & præſidia, ut loquitur Tacitus, quum principes ſint orbi liberis, facile *contemnuntur.* (h) Quid futurum ſit, neſcio. Interim, nonnulli ex Proceribus egere, ut vivo rege ſucceſſor creetur, ſed diverſis ſtudiis, ipſe rex hoc egit, magis etiam regina. Rex propendebat in Domum Auſtriacam, et principes auſtriaci, ſpe

lonica modo monarchice, modo ariſtocratice, adminiſtrata fuit, unde & in ea non una ducum Poloniæ familia fuit, nempe *Lechidarum* ab anno 550. *Cracorum* a Craco Cracoviæ conditore oriunda, ab anno 700. *Leſcidarum* conditore Primislao ſ. Leſco I. ab anno 781 ultimus fuit *Popjelius*, ſive ut eum Dlugloſſus vocat, *Pompilus*, quia muribus devoratus perhibetur.

(a) *Piaſtum*) Piaſtus Coſſiſconis filius, Repichæ maritus & civis Cruſvicienſis, univerſum cœtum Procerum, qui Cruſvicia ad eligendum Regem convenerant, convivio exceperat, idque ſuaſu duorum ignotorum virorum, nec ſine miraculo, ut vulgo produnt, cum in convivio carnes & mulſum accreſcerent, quo miraculo Proceres commoti, divinitusque ſibi Principem oſtendi rati, Piaſtum etiam recuſantem elegiſſe perhibentur, quanquam id alii propter merita factum referunt, quod Piaſtus ingruente annonæ caritate, multos frumento ſublevaſſet, aliisque largitionibus populum ſibi devinxiſſet. Defecit ejus familia in Caſimiro M. ultimus vero e Piaſti poſteris fuit Georg. Wilhelmus, Dux Lignicenſis. Cæterum, piaſtei hodienum dicuntur principes, qui non ex peregrinis, ſed ex incolis regni in comitiis libere eliguntur. Vid. *Funccius* p 487.

(b) *Jagello*) Deficiente familia piaſtea, Poloni ex pacto, quod cum Ludovico R. Hungariæ inierant, ejus filiam Mariam prius, poſtea aliis rebus intervenientibus Hedwigem reginam elegerunt. Cum vero deinceps Hedwigi maritum quærerent, Jagello Dux Lituan. hanc conditionem accepit, pollicitus, ſe chriſtianam religionem cum omni ſua Lituania ſuſcepturum, ſi rex eligeretur. Non diſplicuere Polonis hæc promiſſa, quare licet Hedwige jam Wilhelmo Auſtriæ Duci deſtinata eſſet, iſque jam Cracoviam veniſſet, prælatus tamen ei fuit Jagello, qui religione ethnica abjecta, & baptizatus nomen Wladislai accepit. Tantæ Rex pietatis fuiſſe dicitur, ut ipſe cum Witoldo rudem plebeculam in religione chriſtiana erudierit, ita abſtemius, ut nonniſi aquæ potu uteretur, quanquam alii in eo præter Zelotypiam ſuperſtitiones ethnicas notent, quibus ad obitum usque addictus fuit, teſte Cromero, & Neugebauero. Erexit ex teſtamento Hedwigis academiam cracovienſem.

(c) *Suæ gentis creare regem*) Lege olim apud Polonos cautum fuit, ne Piaſtus ſ. indigena eligeretur Rex, niſi ſit Regis filius aut frater. Hinc factum, ut deficiente familia regia, alienigenas quærerent, quin & deinceps, ſi fides habenda eſt *Bodino lib. 5. de republ. c. 3.* ſenatus conſulto decretum fuit, ne cuiquam civium ad regnum via pateret, cumque ea de re, poſt Henrici Valeſii abitum lis orta eſſet, in comitiis Andrejoviæ anno 1574. Stanislaus quidam Stadrucky, refer. *Piaſecio*, dixiſſe perhibetur, ſe vereri, ne tali via ad dignitatem regiam patefacta, auriga quoque ſuus, Piaſtum ageret, & regnum affectaret; unde & *Franc. Marinius* c. 4. *diſſ. de ſcopo reipubl. polon.* non conſultum eſſe ait Poloniæ, regem eligere incolam, & *Maximil. Fredro* in *fragm. polit.* c. 10. adeo extra morem eſſe fatetur, ex indigenis civibus Regem eligi, ut fabulæ loco ſit, Regem creandum ſe ſperare. Interim tamen quemadmodum propterea *Paulus Piaſecius chron. p.* 59. Polonos vehementer increpat, ita nec hi alienigenas ſemper prætulerunt, quin & indigenas intra ſeptennium duos elegerunt, unum *Mich. Korybutt Wiesnowicki*, alterum, *Joh. Sobieski*, qui ei anno 1674. ſucceſſit. Conf. *Becmann. hiſtoria orbis terrar.* pag. 686. *Funccius* p 487.-490.

(d) *Henricus Valeſius*) Dux andegavenſis, non ille poſt Stephanum Bathori, ſed poſt Sigismundum Auguſtum electus fuit. Non præfuit tamen Poloniæ, niſi 5. circiter menſes. Audita enim Caroli IX. fratris ſui morte, præſentia ſua Galliæ motus componendos eſſe ratus, de dimiſſione vero e Polonia dubius, clam noctu, parvo cum comitatu Cracovia diſceſſit, & in Galliam magnis itineribus contendit, fruſtra cum revocantibus Polonis. Itaque poſt ejus abitum nobilitas polonica in duas partes ſciſſa, altera Maximilianum Imper. altera Stephanum Bathori Tranſylv. Ducem elegit, qui & cunctante Imperatore regnum obtinuit.

(e) *Et crearunt Regis*) Poſt fata Stephani Bathorei, iterum in Polonia duæ extitere factiones, ab una electus eſt Maximilianus Archi-Dux Auſtriæ, ab altera Sigismundus Princeps Sueciæ, ex ſtirpe materna a Jagellonidis genus ducens, quoniam Catharina Sigismundi Auguſti ſoror nupſerat Johanni III. principi Finlandiæ, & poſt Regi Sueciæ, ex quo conjugio natus fuit Sigismundus III.

(f) *Uladislaus*) Filius Sigismundi III. primogen. devictis Turcis, magno ducatu Moſcoviæ ſubjugato, colloquio thorunienſi, aliisque rebus præclare geſtis celeberrimus.

(g) *Johannes Caſimirus*) Jeſuitarum primum ordini adſcriptus, inde ab Innocentio X. in cardinalium numerum cooptatus erat, teſte Piaſecio ad annum 1648. pag. 599. Poſtea, mutato ordine electus Rex infinitis prope bellis implicitus fuit, quibus vix eluctatus, abdicato imperio, in Galliam diſceſſit, ibique mortuus eſt. Illum excepit Michael Korybuthus, hunc Johannes Sobieski, illum Fridericus Auguſtus, Elector Saxoniæ, hodiernus Poloniæ Rex.

(h) *Contemnuntur*) Res adverſæ potius, ut fieri ſolet, huic Regi pepererunt contemtum. Polonos tamen ejus abdicationem haud perinde æquo animo tuliſſe, ex pactis conventis Michaelis Regis apparet, quibus articulus inſertus, quo Regem pro ſe & ſucceſſoribus ſuis de non abdicando regni cavere oportuit, quem tamen Johannes Sobieski, omittendum poſtea rogavit.

magnum Moſcoviæ Ducem eo tempore, quo ſæviebat in Livonos. Miror in neutro libello batavico ex illo ſcriptore aliquid eſſe excerptum, cum tamen maxime inde peti poſſunt. Vobis poteſt hic auctor ſufficere & qui ſcripſere bellum illud Livonicum, inter quos eminet Paulus *Odorbornius*, (a) qui deſcripſit Johannis Baſilidis Moſchorum Tyranni magni vitam, huc & faciunt, quæ ſcripſit Chytræus in deſcriptione Saxoniæ, cum Livonia etiam annumeretur Saxoniæ, quoniam incolæ ſunt coloni Saxonum.

Ex ſcriptoribus autem Polonicis ſequioris ævi, multa peti poſſunt, ut & ex Suecarum rerum ſcriptoribus, qui cum illis magna geſſere bella. Ex Italis, duo ſunt nobis commendandi Johannes Boterus, qui deſcripſit eam, qualis fuit anno 1599. multum tamen ab eo tempore eſt mutata. Illa relatio Nicolai Belli, Philippi Honorii, & Caſpari Ens libris eſt etiam inſerta.

Secundo loco eſt Anthonius Poſſevinus, vir doctus, miſſus legatus a Pontifice ſuperiori ſeculo ad Moſcorum Ducem, ſed irrita legatione. Pontifex enim illi voluit perſuadere, ut aſſumeret religionem *Pontificiam* (b).

Extat hujus *Poſſevini diatriba* (c) de Moſcovia, ejus liber eſt inſertus libro Batavico ex officina Le Maire.

DE CAUSA MATERIALI.

Chorographica deſcriptio Ruſſiæ hic notanda. Ruſſiæ magnam partem hodie non tenet Ruſſorum Imperator, ſed inſignis pars ad regnum Poloniæ, alia portio inſignis ad Ducatum Lituaniæ ſpectat. Omnes illæ Ruſſiæ partes, quæ ſunt ſub his duobus, fuere olim ſub uno domino Ruſſorum, ſed ab aliquot ſeculis his duobus ſcilicet, Lituaniæ & regno Poloniæ acceſſere. Portio Ruſſiæ ad Poloniam ſpectans, dicitur *Ruſſia* (d) rubra. Pars Ruſſiæ ſpectans ad Ducatum Lituaniæ, dicitur Ruſſia alba. Quæ paret Moſcho, Polonis dicitur Ruſſia nigra. In Philippo Cluvero hoc non eſt obſervatum, contra quem faciunt polonici ſcriptores, qui hac in parte ſunt ſequendi. Vid. Tab. Poloniæ. A Viſtula usque ad Boryſthenem eſt Ruſſia rubra, eſt inſignis portio Poloniæ. A Ruſſia alba, conſtituitur magna pars Lituaniæ. Omnes ſunt ejusdem originis, linguæ, ſacrorum Græcorum, cum Ruſſis Moſchis. Vide deſcriptionem Poloniæ, edit. a Staravolſcio. Ego agam jam de Ruſſia, quæ paret Moſcoviæ Duci. Tabula exhibetur etiam, inter Bononianas, & dicitur Sarmatia, Scythia, Ruſſia, Tartaria Europea, quæ exhibet regnum illud Ruſſiæ. In Batavis etiam prodirere 2. tab. altera edita ab H. Eſſelio Gerhardo, altera edita ab Iſaaco Maſſa. Tabula autem Iſaaci Maſſæ alteri *præferenda* (e).

Limites (f) Ruſſiæ Moſcoviticæ a ſeptentrione habent pro limite, ipſum Oceanum ſeptentrionalem, omnia enim tenet imperio ſuo. A parte auſtrali, habet primum mare Caſpium, deinde verſus occidentem habet Tartaros, Nagajos ſive Nagariſcos. A parte Auſtrali habet etiam Tartaros Crimæos. A parte orientali ſunt limitibus inſerti Tartari, Nagaji, ultra fluvium Wolgam & verſus ſeptentrionem habet fluvium Obi, qui in mare ſeptentrionale ſe exonerat. A parte Occidentali verſus Auſtrum, habet Boryſthenem effundentem ſe in Pontum Euxinum, niſi quod proximis annis limites fuerint controverſi. Poloni enim extendere voluerunt limites ultra Boryſthenem in Ducatu ſeverienſi.

In Ducatu Lithuaniæ habet etiam controverſos limites, & magna pars Lithuaniæ hodie eſt in partibus Moscoviæ idque per nuperrimum bellum. Magna pars Lithuaniæ, eſt ab Moſcis occupata, & ipſa Metropolis Vilna, quæ ante paucos menſes recuperata. Verſus ſeptentrionem habet etiam vicinum regnum Suecæ circa Livoniam, quam conatus fuit ſibi ſubjicere, Riga obſeſſa, ſed nuper res inter Suecos & Moſchos ita ſunt compoſitæ, ut *Livonia* (g) integra debeat eſſe

Suecis,

res moſcoviticæ, acceſſerunt Pauli Jovii de legatione Baſilii M. Ducis Moſcoviæ ad Clementem VII. Papam liber & Georg. Wernheri de admirandis Hungariæ aquis Hypomnemation. Antw. anno 1557. obſerv. quod a *Gothofredo in notis ad lib. I. C. de patr. qui fil.* ſub Sigismundi Liberi nomine obſcurius ille citetur, licet hoc mendum in Francof. editione corporis juris anno 1663. deinde ſublatum ſit, occurrit tamen idem error, quod mirum *in catalogo bibliotheca duboiſiana* p. 698. derivatus ex editione Antwerp. 1557. de qua vide *Bergium* p. I.

(a) *Odorbornius*) PAULI ODORBORNII vitam Joh. Baſilidis germanice tranſtulit *Henricus Rätel Saganenſis*, & CHRISTIANUS KuHNE, de quo vid. *Bergium* p. 9.

(b) *Pontificiam*) De odio Ruſſorum in romanæ eccleſiæ addictos, vide OLEARIUM lib. 3. p. 321. Tentata quidem ſæpius eſt eccleſiæ ruſſicæ unio cum romana, & quidem anno 1672. ſub Alexio Michkelowitz, (vid. *Neuville relations* p. 9.) & anno 1717. Sorbonam Pariſienſem, ſed infelici ſucceſſu.

(c) *Poſſevini diatriba*) ANTON. POSSEVINI *Moſcovia, ubi ipſius legatio in Moſcoviam ex parte Papæ Gregorii XIII. & Pax ipſo mediatore inter Moſcoviam & Poloniam inita anno 1582. recenſentur*, Antwerp. 1587. in 8. Prodiit etiam Italice ſub titulo. *Commentarii di Moſcovia, e della pace ſeguita fra lei e'l regno di Polonia* [illegible] *reſtitutione della Livonia nell' anno 1582. trad. dal latino d' Ant. Poſſevino da Giov. Batt. Poſſevino*, Mantua 1596. in 4. vid. de Poſſevino BERG. p. 3.

(d) *Ruſſia*) Ab aliis præcipue exteris Ruſſia generatim dividitur in Nigram & Albam. Nigram, quæ Polonorum, Albam, quæ ſit Moſcovitarum, inde dictam, ut creditur, quod Moſci candidis capitum tegumentis uterentur. vid. *Voyages hiſtoriques* loc cit. p. 4. *Baudrand* p. 819.

(e) *Præferenda*) Recentiores tabulæ eæque ſine dubio meliores ſunt, quas ediderunt Hermannus Moll, & de Fer. Prior titulum habet *Nouvelle carte de l' Empire du Czaar de la grand Ruſſie avec des augmentations & correctione du capitaine Jean Perry par Herman Moll*. additaque eſt libro, *das veränderte Rußland*. Altera præmiſſa eſt tom. 7. *Voyages hiſtoriques*.

(f) *Limites*) A Lapponia usque ad fluvium Oby numerantur in longitudine 700. milliaria, & in latitudine ab urbe Aſſoph usque ad Lapponiam, 300. a Tartaria vero Mongalenſibus ad urbem Moſcuam 1200. milliaria.

(g) *Livonia*) Sed per transactionem nyſtadienſem anno 1721. integram hanc regionem Sveci Ruſſis ceſſerunt, ea tamen cum conditione, ut liceat ipſis quotannis inſignem tritici frumentique copiam pro pretio 50000. Rubel. petere.

Suecis, exceptis illis arcibus, quas Poloni & Lithuani ante bellum polonicum habuerunt, quæ ſunt in manibus Moſcovitæ.

Ante annos 60. vero, terminus Ruſſiæ erat amnis Narva circa Narvam utramque, qui influit in mare balthicum & diſtinguit duas illas urbes, *Narvam Ruſſiæ* (a) & Livoniæ. Sed prævaluit vis ſuecica. Cum enim Sueci, magnam partem Ruſſiæ ante annos 60. popularentur occupata & ipſa Novegardia (Novigrod) & poſtea pace facta, ceſſit omnis pars adjacens mari balthico & lacui Ladoga Suecis & dicitur Ingerman Landt. Et hoc ferali bello non aggreſſus eſt Dux Moſcoviæ iterum ſubjicere ſibi illam Ruſſiam verum id, ideo factum, quod parum præſidii ſit ipſi poſitum in illis Ruſſis, ſunt enim animo ab illo alieni, & jam abdicata religione græca, *inter Lutheranos* (b) profeſſi ſunt nomina. Ladoga lacus, eſt limes Ruſſiæ, parum circa hunc lacum poſſident; olim plura. Carolia fuit vetus provincia Ruſſiæ, & arx *Noteburg* (c) ſive Oriſca eſt exſtructa a Ruſſis & multa alia, quæ ceſſere Suecis. Verſus ſeptentrionem, magis ob vaſtitatem limites non adeo ſunt diſtincti. Melior tamen pars *Lapponiæ* (d) hodie etiam paret magno Duci Moſcoviæ. A ſeptentrione, nullum habet hoſtem neque ab Oriente. Illi *Tartari* (e) enim ſunt imbelles ſive ſunt impotentes, quia ſunt diviſi in partes multas. A mare caſpio, nullum imminet periculum. Tartari Nogai ſunt impotentes. A Tartaris crimeis plus ſibi timet, qui & hodie incurſiones faciunt in Ruſſiam & feliciter olim. Tutus autem eſt ibi Moſchus ingentibus ſylvis, quarum arbores *inciſæ ſunt*, (f) ne amplius per eas tranſire poſſit.

Maximum imminet periculum a Polonis & Suecis, qui ipſi, ſæpe damnum intulerunt & nullis aliis populis ita infeſtus eſt, quam Lithuanis & Suecis, cumprimis poſtquam ſui juris fecere Livoniam.

In terris his magni Ducis *fluvii* (g) reperinntur maximi, & a parte occidentali occurrit Boryſthenes, qui ſe effundit in Pontum Euxinum, qui fluvius eſt inter Europæ fluvios maximus, hodie dicitur Nieper. Extat illius fluvii inſignis mappa in Batavis edita.

Alter eſt *Wolga* (h) eſt autem omnium Ruſſicorum fluviorum maximus, qui tranſit per univerſam Ruſſiam, & dividit illam in 2. partes & exonerat ſe in mare Caſpium, quem deſcripſit Adamus Olearius, Ptolomæo dictus Rha. Quodammodo pertinet ad Ruſſiam *Tanais*. (i) Oritur enim in media Ruſſia, & deinde flectit ſe & diſtinguit eam a Tartaris, & exonerat ſe in Mæotin paludem.

4.) Dyna fluvius inſignis navigabilis, cujus beneficio exercentur commercia cum Livonibus. Effundit ſe in mare Balticum circa Rigam.

5.) *Duina* (k) fluvius, qui dividit magnam partem Ruſſiæ & in ſeptentrionale mare ſe exonerat, cujus beneficio in mari ſeptentrionali exercent commercia maxima circa fanum Archangeli, populi ſeptentrionales.

6.) Fluvius *Obi*, (l) ſed in illo non exercentur commercia, ille non multum prodeſt.

Terra eſt Vaſtiſſima & plurimis in locis inculta, nec hominibus nec feris, quod ſi omnis terra bene eſſet culta, vix Europa ſufficeret tantæ potentiæ. Terra ipſa eſt inculta & raro in ea com-

(a) *Narvam Ruſſiæ*) Vide de ea *CHYTRÆUM in Saxonia. OLEARIUM lib.* 2. *p.* 115. 116. hodie cum ipſa Narva Liboniæ, ſive Ingriæ eſt conjuncta, neque adeo amplius ſeparata. Narva ipſa a Woldemaro II. R. Daniæ ann. 1223. condita perhibetur.

(b) *Inter Lutheranos*) Multum operæ & ſumtuum a Suecis collocatum fuit in Ruſſis puriore Evangelii doctrina imbuendis, poſtquam Ingria aliaque Ruſſorum loca ab iis fuerunt occupata. Sed parum eos attigiſſe metam, dolet *NICOL. BERGIUS in præfat. diſſerta. de ſtatu religionis Moſcovit.*

(c) *Noteburg*) Nomen inde accepiſſe creditur, quod in forma nucis ſit extructa.

(d) *Lapponia*) Diſpeſcitur Lapponia ruſſica, 1. in Moremanski Leporie. 2. Terski Leporie. 3. Bella Moreski Leporie.

(e) *Tartari*) Tartari olim anno 1224. duce Batto irruptione in Ruſſiam facta, eam totam poteſtati ſuæ ſubjecerant, & ſibi tributariam fecerant, at vero hoc jugum Tartaricum Johannes Baſilides I. inſtinctu conjugis Sophiæ feliciter excuſſit. vid. BARO ab HERBERSTEIN *de rebus moſcoviticis p.* 8.

(f) *Inciſa ſunt*) Alii Johanni Baſilidi II. alii filio ejus, uti HORNIUS *orb. imper. p.* 251. tribuunt vallum illud ingentis longitudinis inter Tartariam Præcop. & Ruſſiam, quod inciſis arborum truncis ingeſta terra conſtat, quo Crimæis Tartaris aditus præcideretur; adhuc tamen e deſertis Europæ & Aſiæ expeditiones in Moſcoviam ſuſcipere poſſunt prædaturi, totamque regionem celeritate equorum inſtar fulminis obruere.

(g) *Fluvii*) Fluvii Ruſſiæ plerique non ex uſitatis Hydrophylaciis editioribus, (cujus ratio redditur, quod regionis ſitus fere planus ſit, nec montibus aut vallibus flexuoſus,) ſed lacubus deſcendunt, ita fluvius Obius originem ducit e lacu Aſiæ Kithaisko, ducitur per Jouchoriam, Lucomoriam, Siberiam & Samojedam, & effluit in oceanum glacialem e regione N. Zemblæ, *Volga ſ. Volchda*, quod rectius ſcribi monet Varenius, oritur circa lacum Wolga. Tartaris Edel dicitur. Tanais oritur ex lacu S. Johannis &c.

(h) *Wolga*) Tranſit per regnum Aſtracanum, idque ob defectum pluviarum per æſtatem inſtar Nili ad 10. & 12. milliaria usque aquis ſuis irrigat, deſcribitur hic fluvius *in noviſſimo ſtatu regni Caſan, Aſtracan & Georgiæ pag.* 97.

(i) *Tanais*) Chamus Tartarorum, hujus fluvii cum Volga conjunctionem aliquando tentavit, Turcis ita in mare Caſpium & Moſcoviam aditum aperturus, ſed operi jam accincto Ruſſi cladem graviſſimam intulere, quo factum fuit, ut propoſito ſuo cogeretur abſtinere. Quod tamen poſtmodum perfecit Sachainbeierus Camouz, a quo & foſſa Camouz dicta fuit, extructis inſuper præſidioque munitis 17. turribus. Vid. BECMANN. *part.* I. *p.* 72. *ſeq.*

(k) *Dwina*) Dwina Ruſſis binarium notat, quod fluvios Jugam & Wuymam (Jug & Suchamam vorat Furnier) recipiat. Eſt autem alius adhuc fluvius ingens, qui dicitur *Tobol* in Siberia. Item fluvius *Occa*, quem Volga recipit ad urbem Niſinowgorod. Fluvius *Onega* in mare album defluens, fluvius *Petzora* in oceanum glacialem cis fretum Waigats effluens, fluvius *Moſcua*, qui in Occam ſe exonerat.

(l) *Obi*) Priusquam hic fluvius ſe evolvit in fretum Weygats, cum pluribus aliis fluviis tranſit per ſinum quendam Ruſſis Gubacaſſavskoja dictum. Lapides ejicere dicitur pellucidos & diverſi coloris, quibus Ruſſi varias figuras inſculpunt, eosque annulis ſuis inſerunt.

DE MOSCOVIA.

De Moſcovitarum republica hodierna duo *exſtant* (a) inſignes libelli in Batavis editi, de *Ruſſia*, alter ex officina Elſeviriana, alter ex officina Le Maire. Continentur autem illis libellis, quæ ab aliis ſunt prodita. De Ruſſor. rebus non adeo antiquam habemus memoriam, quoad eorum remp. quia ante 200. annos *non fuit in magno pretio*, *diviſa enim tum fuit in multas minutas partes*, ſed ab il-lo

gni, Magiſter Artilleriæ regni, Obozny caſtrorum regni præfectus, Straznik præfectus vigilum regni, regens cancellariæ majoris & minoris regni, Inſtigator regni & Vice-Inſtigator, notarius decretorum cancellariæ regni, Lowczy Coronny venator regni primatius. Notarius theſauri ſupremus, Chorazy Nadworny, id eſt, vexillifer curiæ regni, Podconiuszy vice præfectus ſtabuli regni. 3. In ſingulis palatinatibus & diſtrictibus alii ſunt magiſtratus terreſtres, alii caſtrenſes a caſtris ſ. arcibus ita dicti. *Terreſtres* ſunt Podkomoray Succamerarius, Chorazy vexillifer, Sedzia Ziemski Judex terreſtris, Podczaszy, Pollicator, Podſædek Ziemski, ſubjudex terreſtris, Podſtoly, Subdapiſer, Czesnik Pincerna, Woyski tribunus, Piſarzziemski notarius terreſtris, Enſifer. Tribuni minores, Skarbnicy quæſtores. *Caſtrenſes* ſunt Staroſta Sadowy capitaneus cum jurisdictione, Staroſta Nieſadowy Capitaneus ſine jurisdictione, Burggrabia ſive Burggravius, Podſtaroſci Vice-Capitaneus, Sedzia Grodzki, judex caſtrenſis, Piſarz Grodzki, notarius caſtrenſis. Vid. de his aliisque *Hartknochium* lib. 2. c. 4.

Primas regni & interrex perpetuus eſt Archiepiſcopus gneſnenſis, qui ſemper eſt Legatus natus ſedis romanæ. Is interregni tempore, ſenatores regni ad conſultandum convocat, legationes externas audit, diemque & locum electioni novi regis indicit, eundem electum nominat & promulgat, ac poſtea in ſolennibus comitiis coronationis diademate capiti impoſito inaugurat. Aula de cætero utitur ſplendida. Habet enim in aula ſua Mareſchallum, qui ſimul eſt ſenator regni ex ordine Caſtellanorum, & curtum Archiepiſcopi eques antecedit, eique ad curiam eunti baculum præfert erectum, quem tamen in conclavi regio verſus terram demittit. Crux quoque eidem præfertur, quam in ſenatu cruciger ſellæ adſtans tenet, & quidem ſemper erectam. Præter Mareſchallum, aulæ eius ii ſerviunt Cancellarius. Referendarius, cruciger, menſæ Archiepiſc. vice-dominus, theſaurarius, ſacrorum præfectus, bibliothecarius, ſtabuli & culinæ magiſter. Ei ſoli tanquam primo principi, cum menſa inſtruitur, tympana domi foriſque pulſantur, Rex ſalutandus obviam mittit Succamerarium regni, & jam vicino per aliquot paſſus occurrit. Sedem ſuam archiepiſcopalem habet in urbe Lowicz in palatinatu ravenſi.

Ex iis, quibus reſtricta eſt poteſtas regia, adhuc obſervandum, Regem non poſſe conjugium contrahere inconſulto ſenatu. Vid. *Januszovium* lib. 1. conſtitut. part. 1. tit. 6. p. 20 nec poſſidere in regno agros proprios ſive bona hæreditaria *Fredro* in *hiſtor. Henr.* p. 230. neque extra limites regni proficiſci poſſe ſine conſenſu ordinum. vid. Conſtitutio anni 1641. p. 4. ſeq. neque de bonis regiæ menſæ pro libitu, & ſine conſenſu ordinum diſponere. Vid. *Fredro* loc. cit. p. 114. Singuli Reges veto in pactis conventis plerumque ordinibus nonnulla promittere ſolent, id eſt, quod velint unum vel plura caſtella certis in locis contra hoſtes communire, aut de novo condere, it. ſcholam equeſtrem reliquam inſtituere, loca ab hoſtibus intercepta recuperare, Coſaccos in officio retinere, & prætenſiones ſuas, quas habent in regnum, remittere.

Cæterum requirunt Poloni tempore interregni titulum ſereniſſimæ reipublicæ & ſereniſſimorum ordinum, quoniam vacante ſede regia jus majeſtaticum penes ordinem ſenatorium & equeſtrem permanet. De eorum vero prætenſionibus in mare balthicum, Sileſiam, Wallachiam, ducatum Smolensko, Livoniam, civitates quasdam Pomeraniæ vid. *Schwederum* p. 224. ſeq. it *Spenerum* in *prætenſ. illuſtr.* Utrum Clerici jurisdictioni civili in Polonia obnoxii ſunt, diſputatur quidem. Praxis tamen regni oſtendit contrarium, vid. *Funccium p.* 505.

Tandem, quod ad rationem ſtatus attinet, Polonis id cumprimis agendum eſt, ut ſi internam quietem conſervare velint, leges antiquas fundamentales, ſublatis regni abuſibus, in uſum revocent ſancteque retineant, libertatem conſcientiarum ac religionis ſtabiliant, neque tantam Clero relinquant potentiam, militiam, & judicia cumprimis rectius ordinent, ne de juſtitia tot ubique exiſtant querelæ, *ratione vicinorum*, ut ab externo impetu eo ſecuriores ſint, limites regni verſus Tartariam, Turciam & Moſcoviam probe muniant, cuſtodiantque, curam quoque habeant maris balthici, quod multis in Poloniam hoſtibus aditum præbere poteſt, atque Dantiſcum, tanquam validum propugnaculum inconcuſſum ac inturbatum relinquant. Cum Imperatore Romano, ut amicitiam colant, ob Turcas & vicinam Sileſiam, neceſſum habent, cum Suecis vero & Rege Pruſſiæ, ut aliquando, ſi contigerint, Moſcorum inſultibus reſiſtere poſſint, eorumque accreſcenti potentiæ obicem ponere. Ab Anglis & Batavis non quidem eſt, quod ſibi metuant. Quoniam tamen opibus quam maxime valent ortisque controverſiis interceſſione ſua nodos quosdam poterunt diſſolvere, proinde & hi Polonis colendi, nec offendendi ſunt. Quid vero a Gallis ſibi potiſſimum hoc tempore metuendum ſit, poſtquam modernus Rex Galliæ filiam Stanislai in nupero bello ſvecico electi coronatique Regis Poloniæ, poſtea exulis, in matrimonium duxit, ipſimet viderint. Regum alioquin Poloniæ aliud eſt intereſſe, quod vocant, quam reipublicæ, quemadmodum monet autor *noveaux interets des Princes* p. 322. *l' interet de la republique de Pologne n' eſt pas toujours le meme, que celui de ſa majeſte Polonoiſe*, qui & ibidem pag. 318 ſeq. docet, qua ratione Rex Poloniæ obtinere poſſit, ut filium ſibi ſucceſſorem habeat, etiamſi regnum ipſum ſit electitium.

(a) *Extant*) Extant præter recenſitos hic a Conringio adhuc alii, qui ad reipublicæ Moſcov. notitiam conferri merentur, nimirum. *Relation curieuſe & nouvelle de Moſcovie contenant l' Etat preſent de cet Empire, les expeditions des Moſcovites en Crimee en* 1689. *les cauſes des dernieres Revolutions, les moeurs, & la Religion des Moſcovites, & le Voyage de Spatarus par terre a la Chine par M. BALTH. HEZENEIL* de la *NEUVILLE*. *Etat de l' Empire de Ruſſie & Grande Duche de Moſcovie avec ce qui s'y eſt paſſé de plus memorable & tragique depuis l' an.* 1590. *jus qu' en* 1606. *par le Capitaine Margeret, &c.* it. l'Etat du grand Duc de Moſcovie Paris, 1680. in 8. *AUGUST. LIB. BAR.* de *MAYERBERG Voyage de Moſcovie faite par lui en qualité d' Ambaſſadeur envoyé par Leopold au Czaar a Alexis Michalowics &c.* qui liber etiam latine prodiit in fol. absque loco & anno ſub tit *Auguſtini Liberi Baronis de Mayerberg & Horatii Guil Calvuccii Cæſar. Legatorum iter in Moſcoviam anno* 1661. *ab ipſo Barone de Mayerberg deſcriptum cum ſtatutis moſcoviticis, ex ruſſico latine ab eodem verſis. Relatio legationis Annibalis Franc. de Bottonis, & Johann. Car. Teelingerini de Gazman ad Moſcorum Czaarem Cæſareæ Majeſtatis ablegatorum ann.* 1675. *per Adolph. Lyſeck deſcripta. JAC. ULFELDII legatio Moſcovitica, ſive Hodæporicon Rhutenicum, in quo de Ruſſorum, Moſcorum & Tartarorum regionibus, moribus, religione diſſeritur*, cui acceſſerunt *Chriſtoph. Lyſchandri epiſtola de autore hujus opuſculi* cum figuris æneis edente *Melch. Goldaſto Heiminsfeldio MATTHIÆ a MICHOVIA de Moſcovia comment. JOH. LAZITZI de Ruſſorum, Moſcovitorum & Tartarorum religione, ſacrificiis, nuptiarum & funerum ritu DANIEL PRINTZ a BUCHAU de Moſcoviæ ortu & progreſſu. JOHANN. STRUYS itinerarium Moſcoviticum. JOHANN. FABRI religio Moſcovitarum, Anglorum navigatio ad Moſcovitas ſub Eduardo VI. ADAM. BOHORICZ de orthogra-*

commercia exercentur. Terra ratione ſitus eſt diverſa, cum pars aliqua ſit vicinior ſeptentrioni, pars aliqua remota a ſeptentrione. Eſt quidem Ruſſorum imperium vaſtum, maxima tamen parte incultum. Pars autem ſeptentrionalis *ſola* (a) & quæ vergit verſus occidentem, quæque Suecis & Polonis adjacet, eſt culta. Nusquam plures reperies *pagos*, (b) quam circa Duinam fluvium, circa Siberiam Aſtracan & Caſan omnia ſunt plena ſolitudine, vaſtitati igitur non reſpondet felicitas.

Verſus ſeptentrionem eſt *frigidiſſima* (c) tempore hyberno, aſt tempore æſtivali omnia ſunt læta & magno colore uruntur, quod fit, quia ibi dies ſunt longiſſimi. In univerſum, quo quid polo eſt proprius, eo longiores habet dies, tempore æſtivo vix ſol occidit, igitur æſtivi fructus facile *maturantur*, (d) hyemales vero fructus aut autumnales ignorat, quia inter autumnum & hyemem ibi nullum eſt diſcrimen. Eſt igitur ea parte ſatis ferax. Satis frumenti ſuppeditavit ad victum populorum & intra 30. proximos annos tantum ſuppeditavit frumenti, ut magnam partem Europæ aleret. Cum Conringius viveret in Batavis, Moſcho ab illis hoc conſilium datum, ut vaſtas ſuas terras coleret, magno ſane commerciorum damno ad mare balthicum. Dantiscanum tamen frumentum & quod Regiomonte affertur, eſt melius ruſſico, ſed viliori pretio venit frumentum ruſſicum. Occaſionem huic rei præbuit immanitas vectigalium, quibus ante 33. annos portus Pruſſiæ onerabat Carolus Guſtavus, Rex Sueciæ, igitur alibi frumentum petere coacti ſunt Batavi, hordeum & triticum etiam habent, ſed non in tanta copia. In Siberia vero ignoratur frumentum ejusque uſus, ita ut ex *piſcibus exſiccatis* (e) & corticibus arborum fiat panis. Metalla non habet, niſi *ferri fodinas*, (f) habet fortaſſe occulta metalla, ſed non excoluntur. Non tamen ferrum multum ad nos ſolet adferri, quia Germani aliunde ferrum, quantum ſatis eſt, poſſunt acquirere. Imo Ruſſia indiget argenti, & qui afferunt thaleros ſive argentum in Ruſſiam, illi ſunt chari & nihil habet auri & argenti niſi aliunde importatum aut præda acceptum. Igitur minutæ ſunt ruſſicæ monetæ argenteæ. Præterquam autem, quod aliquod ferri ex Ruſſia exportari ſolet, ingens copia reperitur lapidis ſpecularis, Marien Glaſſ, cujus tamen exiguus eſt *uſus*. (g)

Quod attinet *animalia* (h) quadrupeda, ſatis magna ibi reperitur copia armentorum, imo & ultra quam opus eſt, idque propterea, quia in incultis campis poſſunt armenta paſci. Alibi major, alibi minor copia. Etſi autem boves non venales ferantur in alias terras, tamen pellium & ſebi magna copia ad nos exportatur. Autor deſcriptionis Moſchoviæ notat ad 100000. pellium bubularum eſſe exportata ſuperioribus annis. Durante bello moſchovitico, calcei apud nos majoris veniebant, ſebi & ingens copia inde ad nos allata. Equorum habet etiam, quantum ſatis, aſt illi non ſunt in magno pretio, ut ſunt Polonici, Tartarici, Turcici. Hinc militia ruſſica magna ex parte eſt *equeſtris*, (i) quia equi non magno pretio poſſunt parari. Animalia etiam alia ibi reperiuntur nobiliſſimis pellibus prædita. Inter primaria commercia referuntur pelles Sobellinarum & in *Siberia* (k) parte ſeptentrionali Ruſſiæ, magna copia earum reperitur, quæ pars acceſſit Ruſſiæ ante 80. annos, ante hac illa terra ignorata. Similiter aliæ pelles, quæ ſunt apud omnes Europæos in pretio, inde afferuntur. Ad hoc genus animalium referuntur alia inſecta, ut

(a) *Sola*) Excellunt præcipue ob fertilitatem, provincia Tweria & Rezan, vide *Voyages* p. 179. 189.

(b) *Pagos*) Pagi tamen propter terræ ſterilitatem longe lateque ab invicem diſtant. Sterilitati ſuccurrit excurſio annua fluvii Dwinæ, de cujus aliorumque fluviorum in Ruſſia excurſionibus earumque cauſis vide *Voyages hiſtoriques* p. 12. ſeq.

(c) *Frigidiſſima*) Narrat *Olearius*, ipſam terram etiam in medio Moſcoviæ ſolo intenſiſſimo frigore in ingentem hiatum diſtractam fuiſſe, qui & de aliis huc facientibus conſulendus, uti & *libellus de republica moſcov. pag.* 29. Cæterum, qui in Ruſſia tantam aeris bonitatem eſſe perhibent, ut ob hanc nunquam peſte afflicta fuerit, ii refutantur experientia. Vid. *Meyerberg Voyage p.* 220.

(d) *Maturantur*) Menſe enim Junio demum ſementem faciunt, quem continuata ſolis præſentia tam cito maturat, ut cum adulto Julio & labente 8. hebdomade jam metere incipiant. Neque juvat agricolas, ſi citius in eo laborent, quia intemperies terræ ex reſiduo frigore & ventorum impetu impedimento eſt, ne citius ſperato fructu potiantur.

(e) *Piſcibus exſiccatis*) Et Lappones ejusmodi piſcibus loco panis utuntur, vid. SCHÆFFER *Lappon. c.* 13. atque Islandi teſte *Arngrimo Jona rerum islandic. lib.* 1. *cap.* 6.

(f) *Ferri fodinas*) Sed nec argenti & cupri fodinæ deſunt, cumprimis in Siberia, Aſtracan & Caſan. vid. BRUCKMANN. *magnalia Dei pag.* 244. Ruſſorum Imperator Petrus I. ante aliquot annos conductis e Saxonia operariis reique metallicæ peritis, metalla regni ſui diligentius inveſtigari juſſit, & præcipue prope Olonicium novas officinas extrui curavit.

(g) *Uſus*) Ad feneſtras tamen a Ruſſis paſſim adhibetur.

(h) *Animalia*) Ex feris animalibus Ruſſia cervis deſtituta dicitur. Verſus ſeptentrionem urſi, lupi, vulpes &c. albi ſunt coloris, lepores quoque, ſed tempore ſaltim hyberno. Domeſtica vero animalia, uti boves, oves, &c. exiguo pretio venduntur, teſte *Oleario p.* 157.

(i) *Equeſtris*) Ex nobilibus præcipue & Bojaris conſiſtit, quorum magnus eſt numerus, ita, ut ſola provincia Tweria poſſit 40000. equites ſiſtere.

(k) *Siberia*) Siberiam occupavit Baſilius, intercedente, mercatore ruſſico Strugenoff dicto, qui eo antea commercia inſtituerat, vel potius Hermanno quodam Coſaccorum (Germack Thimophewitz,) qui cum turma aliqua ſuorum manus Baſilidis effugiens eo ſeceſſerat, Regemque Siberiæ Katſium aliquot prælis ſuperaverat, cum vero obtinendæ ac plane ſubjugandæ regioni par non eſſet, eam Ruſſorum ſceptro ſubmiſiſſe perhibetur, uti traditur in JO. BERNH. MULLERI tr. *de vita & moribus Oſtiakorum. p.* 7. Dicta Siberia ab urbe antiqua Sibir, hodie Ruſſis nuncupata Tobolsky: Diſtinguiturque a Ruſſia ingentibus montibus. Fluvios habet *Turam*, cujus accolæ ſunt Vogulitzæ, *Tobol, Irtim*, quos circumjacent Tartari, Calmucki, Mongalenſes, Piejagæ, Hordæ, Oſtiaki, Samojedæ, aliique fere omnes adhuc idololatræ, ex quibus tamen Oſtiakki ſive Contischi opera Metropolitæ Siberienſis P. Philotæi hoc ipſo ſeculo ad chriſtianam religionem ſunt converſi. Solent in hoc regnum ablegari captivi, quibus vitæ gratia facta eſt, ut Zobeles, Harmelinas, Moſchos, (ex quibus Moſchus conficitur) animalia capiant.

ut Apes, & quidem immanis copia in montibus, ſylvis apum ſylveſtrium ibi reperitur. Inde magna copia mulſi, mellis & ceræ conficitur & ad nos adfertur.

Non omnes incolæ Ruſſici imperii ſunt Ruſſi, aliquam enim partem conſtituunt Tartari, & in extrema ſeptentrione reperiuntur populi, Ruſſico Imperio ſubjecti, ſed linguis, moribus a Ruſſis diverſi. Quod Tartaros attinet, Baſilides Tyrannus Ruſſorum ſuperiori ſeculo Tartaros, Coſacos & Aſtracanos incredibili felicitate *vicit*, (a) & hi illi parent. Tartari moribus, religione & lingua ſunt diverſi, quanquam lingua non adeo multum *Samojedæ*, (b) qui in ſeptentrione habitant, moribus, inſtitutis & lingua differunt a Moſchis. Itidem *Tingoeſi* (c) diverſi ſunt & moribus, linguis. De his duobus populis non multum poteſt narrari, quia ſuperiori ſeculo demum Ruſſis ſunt cogniti, quomodo hoc factum, oſtendit liber 2. Iſaaci Maſſæ.

In illa Siberia Ruſſicæ coloniæ inſtituuntur, & ibi *Ruſſicæ urbes*, (d) arcesq; ſunt inſtitutæ, cum olim hi populi a Ruſſis diverſiſſimi eſſent. Habent & Ruſſi ſuas colonias in Tartaria, ut in Aſtracan & *Caſan*. (e) Sunt ibi aliæ arces, quæ tenentur a præſidio ruſſico, quia non fidit *Tartaris*. (f) De ingenio Ruſſorum vid. Icon Anim. item cap. 3. reipubl. Moſco. ex officina Elſeviriana. Deſcripſit etiam illud ingenium Ruſſorum Adam Olearius in Itinerario Ruſſico. Quod ingenium populi attinet, eſt illud, ſi quidem excoleretur, non adeo ſtupidum, aſt quia deeſt cultura, plerique ſunt ſtupidi. Alias ſatis *ſunt verſuti* (g) ad commercia & magni deceptores, quod arguit ingenium. Virtutes morales valde ſunt exiguæ & compotationibus ſunt præ aliis dediti maxime: omnis generis intemperantia ibi viget, floret, hac in parte ſuperant omnes gentes, præſertim *ebrioſitate* (h) & *vaga libidine*. (i) Moribus ſunt crudeles, & ſi victoriam obtineant, quam maxime ſævire ſolent, hoc ideo fit, quia ſervitus venalitia ibi non obtinet. Servitus a gentibus ideo eſt introducta, ut parceretur ſanguini, quia autem hæc non obtinet, igitur occiduntur, ſecus quam fit apud Tartaros & Turcas, apud quos obtinet ſervitus venalitia. Interim ſatis fortiter pugnant Ruſſi, metu tantum pœnæ, quia ſciunt, certiſſime ſibi mortem ſubeundam, niſi fortiter ſe gerant; hac de cauſa ſatis ſunt fortes. Juſtitiæ autem non ſunt amantes, decipere & decipi eſt apud illos licitum. Perjuria florent, adeo ut etiam in proverbium abierit: *Ruſſo non fidem* (k) haberi oportere. Profeſſione ſunt Chriſtiani, ſequuntur autem dogmata Eccleſiæ græcæ, oderunt *dogmata pontificia*, (l) ut & proteſtantium religionem & ſi Pontificiorum ſive proteſtantium aliquis accedat ad eorum ſacra, *rebaptizatur*, (m) quia noſtrum baptiſmum irritum credunt, cum nos tingamur tantum aqua, illi immergantur.

Sunt

(a) *Vicit*) Fere omni quoque Mari Caſpio ſui juris facto imperium in Perſiam usque protulit.

(b) *Samojedæ*) Natio, quæ a mari albo usque ad novam Zembla porrigitur. A Ruſſis dicti ſunt Samojedæ, quod ſe ipſos devorent, ſed perperam. Amice enim & quiete vivunt. Hanc autem Ruſſis de ſe opinionem excitarunt, quod comedant cruda animalium inteſtina. Sunt omnes fere adhuc pagani, vide de eorum conditione & moribus *mutatam Ruſſiam* pag. 20. *hodiernum ſtatum Ruſſiæ part.* 1. *p.* 73. Regem quendam Samojedarum Petrus I. in aula ſua aluit, ſed per jocum modo.

(c) *Tingæſi*) Ultimi fere, qui in Euro Boreali Europæ plaga noti ſunt, ſtrumoſo gutture laborant, unde & ſenſa animi, non tam lingua quam gutture exprimere dicuntur. vid. *append. ad belgarum navigationem Borealem III. p.* 64. *in T.* I. *navig. belg.* extat etiam *Franciſci Ferdinandez de Qois* narratio de terra Samojedarum & Tingæſiorum in Tartaria.

(d) *Ruſſicæ urbes*) Quales ſunt Tobolski, Tumen, Bereſova, Jakutski, Obdes, Samatoff, Ketskoi, Kaſim, Stara & nova Mangaſea &c. Ebur ibi inter alia inſigne effoditur, ex quo ab incolis varia conficiuntur. conf. *noviſſimum ſtatum Siberiæ germ. deſcriptum.*

(e) *Caſan*) Urbes in regno Caſan præcipuæ ſunt Caſan, Tetus, Columba, Simbirski, Samara, in regno Aſtracano, Aſtracan, Saroto ſ. Sarugamy, Zariza, Czarnagar, de quibus vide STRUYS itinerarium p. m. 177.

(f) *Tartaris*) Tartari Caſanenſes dicuntur vel Morduani, vel Czeremiſſi, vel Nagornæi & Lugovoi. In aſtracano regno ſunt Calmucki, Tartari Nagaici & Olgatenſes, qui peculiares Murſas ſuos ſive Principes habent, ſed Czari tributarios, conſ. *noviſſimum ſtatum regni Aſtracan, Caſan & Georgiæ, qui germanice prodiit* Noribergæ, anno 1724.

(g) *Satis ſunt verſuti*) *BARCLAJUS in Icone animorum* p. 96. *Gens*, inquit, *eſt cauta, nectendisque fraudibus apta. Neque ignorant, ideo mercatoribus ſe ſuſpectos, quos ut placabiliores habeant, interdum in mutuis commerciis aliam patriam ſibi fingunt.* Cæterum de his aliisque Ruſſorum moribus, vide BERGIUM p. 40. ſeq. Voyage en Moſcovie p. 124.

(h) *Ebrioſitate*) Cui etiam Clerici & fœminæ dediti ſunt. Uxores ideo, quia rem domeſticam negligunt, a maritis quotidie verberibus excipiuntur, ex quorum numero virorum in ſe benevolentiam ac reſiduum amorem æſtimant, ceſſantibus autem illis, amorem ad alias fœminas translatum judicant. Vide *verändertes Rußland p.* 151.

(i) *Vaga libidine*) Pæderaſtia quoque aliaque ſodomitica libidine; vide *Olearium* lib. 3. p. 193.

(k) *Ruſſo non fidem haberi*) Niſi in cujus vola crines exiſterent. Vide *hodiernum ſtatum Ruſſiæ* part. 1. p. 252. Crediderim tamen, id de fæce plebis potius intelligendum.

(l) *Dogmata pontificia*) Multa quidem dogmata cum pontificiis communia habent, uti cultum ſanctorum, preces pro defunctis, celebrationem Miſſæ, licet ſec. liturgiam Baſilii &c. in aliis tamen ab iisdem diſcrepant. Nam ſacramentum cœnæ ſub utraque adminiſtrant, conjugia clericis permittunt, neque Pontificem romanum pro ſummo capite eccleſiæ agnoſcunt.

(m) *Rebaptizatur*) Accedentes ad religionem ſuam, olim per ſex hebdomades monaſterio incluſos erudierunt, deinde ad amnem ductos trina immerſione rebaptizarunt. Sed hos aliosque circa baptiſmum ritus Ruſſorum Imperator Petrus I. abrogavit. Vid. *hodiernum ſtatum Ruſſiæ* part. 2. p. 434. 435. Neque hodie tam ſuperſtitioſi ſunt, ut credant, hæreticum eſſe, ſi infanti duo aut plura nomina imponantur, poſtquam anno 1708. Princeps de Menzikoff filiolum ſibi natum in baptiſmo Petrum Lucam appellari voluit. Nec obſervatur hodie, quod THUANUS lib. 21. ad ann. 1558. refert. *Omnes, qui ab illis in religione diſſentiunt, etiam eos, qui Romanam ſequuntur, barbarorum loco habent, ac deteſtantur, propterea que Princeps, qui ſubditis in hac opinione præit, quoties legatos externos in colloquium admittit, in pelvi aquam paratam habet, qua dimiſſis legatis ſtatim manus, quaſi eorum contagio pollutas, abluit.* Sunt quoque inter Ruſſos, qui nonnihil diſſentiunt a pervulgatis opinionibus ac ritibus: Eccleſiæ ſuæ & Roskolnickæ aut Isoranicæ dicuntur, de quibus vide NICOL. BERGIUM loc. cit. p. 70. & de conciliis adverſus hos ſectarios in Ruſſia ſuperiori ſeculo congregatis p. 174.

Sunt ſuperſtitioſi cultores *ſanctorum*, (a) præſertim S. Nicolai & S. Archangeli Michaelis, utuntur autem tantum *imaginibus pictis*, (b) ſed rudi modo, ut omnia ibi imagines ſculptas non tolerant.

Ceremonias habent *ridiculas*, (c) eorum ſane Chriſtiana religio ita eſt conſtituta, ut multis erroribus ſit infecta. Virtutes intellectuales populi quod attinet, nullæ apud Ruſſos ſunt ſcholæ, exceptis monaſteriis, in quibus pauci addiſcunt legere & ſcribere, nulla ibi eruditio, niſi quod Epiſcopi paulum ſupra vulgus ſapiant. Et lege vetitæ ſunt omnes *ſcholæ*, (d) quia Imperator ruſſicus credit, rationem ſtatus exigere talem ruditatem. Artefices & artifacta ibi ſunt rariſſima, quicquid eſt artefactorum, ibi aliunde aut a peregrinis comparatur. *Artifices* (e) ſunt Scoti, Belgæ, qui ibi vivunt. Si quos forte artifices habent, ſunt peregrini.

Ratione regiminis populus omnis eſt ſervili ingenio, quod factum a longa conſuetudine & vulgus præprimis a teneris aſſueſcit vili ingenio. Nobiles ſatis ſunt ſuperbi erga ſuos, ſed erga Imperatorem *humili ingenio*. (f)

Habent aliquot amplas urbes. Primaria eſt *Moſcua*, (g) maxime ampla, quæ ſuper. ſec. anno 70. tota ferme in cinerem redacta, quod facile fuit, quia ipſorum urbes ſunt ex toto ligneæ. Iterum quidem eſt extructa, ſed rudibus modis. Poſt Moſcuam eſt *Novogrod*, (h) tertio Volopimeria, quarto Pleskau. Ab annis 40. cœpit efflореſcere ad fluvium Duinam Archangello, quæ hodie maxime floret commerciis. Ante hac Narva Ruſſorum erat præcipuum emporium, ibi Hanſa Teutonica ſingularem ſuam ſedem, Comtor dictam, habuit, ſed poſtquam Narva omnis & Ingria omnis ceſſit Sueco, nihil Ruſſi habent in mari balthico. *Angli* (i) & Batavi ſuperiori ſeculo cæpere commercia inſtituere circa fluvium Duinam, *ad S. Nicolaum* (k) Hollandicæ

(a) *Sanctorum*) *S. Antonium* quoque ſummopere venerantur, de quo fabulantur, quod lapide molari vectus ex Italia quatuor dierum ſpatio Novogardiam pervenerit, eoque miracolo Ruſſos ad fidem chriſtianam amplectendam perſvaſerit, nec non *Sergium*, *Aeolum*, *Philippum* & alios. Quin & B. Mariæ virginis cultores ſunt valde religioſi, quam per aerem in Ruſſiam veniſſe, & in loco quodam Tiffinsky dicto pedem fixiſſe perhibent, unde & monaſterio ibi exſtructo Tiffinsky Bogharaditza dicitur. Habent quoque effigiem B. Virginis a S. Luca depictam, cui miracula tribuunt.

(b) *Imaginibus pictis*) *Voyage en Moſcovie* L. B. de Mayerberg. p. 87. *Les Moſcovites ne ſouffrent aucune Image taillée, ſi ce n' eſt ſur l' autel de l' Egliſe; mais ils ont les images des ſaints en plate peinture en telle veneration, qu' apres ſe les etre appropriés, en echangeant pour elles de l' or ou de l' argent, car il n' eſt pas permis de les acheter, on ne ſcauroit dire de quel culte ils les reverent.* Cæterum quoque ab eodem autore de imaginibus Ruſſorum obſervata ibidem legi merentur, digna viſa NICOL. BERGIO, quæ latinis verbis exciperet in diſſ. *de ſtatu eccleſiæ moſcovitica* p. 176.

(c) *Ridiculas*) Ex. gr. mortuos quotannis in feriis Raditeli Sabot dictis inviſunt, iisque munera offerunt, in feſto trium Regum aquam multis ceremoniis conſecrant, in jejuniis nimis ſunt ſuperſtitioſi, olim quoque neminem peregrinom in templa ſua admiſerunt, (quod tamen hodie eſt abrogatum) diſputant, utrum benedictio ſacerdotalis tribus an duobus digitis ſit peragenda.

(d) *Scholæ*) Sed hodierno die paſſim in urbibus & pagis ſcholæ inſtitutæ ſunt. In una urbe Moſcua tria hodie florent gymnaſia, unum in quo humaniora, alterum in quo mathematica, tertium in quo ea, quæ ad rem nauticam ſpectant, docentur. In Petropoli duæ quoque academiæ inſtitutæ ſunt, una rei maritimæ anno 1716. (*academie de marine*) altera academia ſcientiarum, (*academie des ſciences*) cujus inauguratio facta ann. 1725. Curavitque nuperrimus Ruſſorum Imperator Petrus I. exterorum libros quosdam in ruſſicam linguam transferri, ſibique ipſi ſplendidam bibliothecam comparavit, acceſſionibus tamen ex bibliotheca Gottorpienſi, & Curlandiæ ducis factis non exiguis, vide *Bergium* pag. 150. & p. 158.

(e) *Artifices*) Non defuere tamen jam tempore Olearii artifices. Vid. Iuner. p. 206. Hodie ſane Ruſſi artificiis operam dant.

(f) *Humili ingenio*) In literis ſupplicibus profitendum ipſis olim fuit, ſe eſſe Gollop mancipia Czaris ſui. Hodie vero ſufficit, ſi ſubſcribant, ſe eſſe Rab ſive ſubditos, quod ſummæ æquitati Petri I. Imperat ſoi debent, qui & abrogavit ſeriem illam titulorum ad nauſeam uſque in literis ejusmodi olim repetitam, contentus, ſi ſcriberent, Voſſemilliſt Viscbia ſudaria. *Potentiſſ. & gratioſitas* major.

(g) *Moſcua*) Extructa dicitur a magno Duce Iwan Danielowitz anno 1300. in honorem S. Alexii ibi ſepulti, adducto precibus Patriarchæ. IV. partes complectitur. 1. Kitaigorod ſ. mediam civitatem, in qua arx imperatoria Kremelin dicta. 2. Czaargorod. 3. Scorodam hodie Semlamiogorod, in qua forum eſt ædium venalitium. 4. Streliтza Slaboda ſ. locus militum. Præter quas partes adhuc aliæ ſunt Slaboddæ ſ. ſuburbia interque ea Maſemſka Slaboda olim Kukul in ludibrium Germanorum ibi habitantium dicta. Urbs in proſpectu ſplendida eſt ob deauratas turres, in longitudinem extenſa ad duo fere milliaria germanica, numeratque 1500. templa, præter ligneas quoque ædes 3000. ſaxeas, vide de hac urbe *voyages hiſtoriques* tom. VII. p. 168. OLEARIUM p. 144. *libellum de republica Moſcovitica* p 336. Hodie vero ſedes Imperatoris Ruſſorum eſt Petropolis in Ingria ſita ad Oſtium fluvii Nevæ, qua influit in mare balthicum, & eximio portu, qui Cronſchlott dicitur, inſtructa. Ipſa urbs primum ab anno 1703. partim in inſulis, partim in terra continenti condita eſt, ſpatium milliaris germanici complectitur ſplendidisque Imperatoris (inter quæ eminet Strelna Moiſa dictum) aliisque magnatum Palatiis ſuperbit, cujus plenior deſcriptio ante aliquot annos germanice prodiit.

(h) *Novogrod*) *Neogardia major*, olim ampliſſima & commerciis celeberrima civitas, ut in proverbium abierit. Quis contra Deum ac Neogardiam. Anno 1477. a Joh. Baſilide I. tamen ſpoliata & imperio ruſſico ſubjugata fuit, poſtquam antea pecul. principatum habuerat. Sed anno 1569. a Johanne Baſilide II. longe atrociori clade affecta, etiam anno 1611. a Suecis ſub Ponto de la Gardie occupata, deinceps vero reſtitura fuit. Sita eſt ad fluvium Voolchau, Lacui Ladogæ ſe poſtea inſinuantem, neque hodie commerciis deſtituitur, nec minus ampla eſt. Cœnobium habet S. Autonii, quod Ruſſis eſt in ſumma veneratione. *Vlodimeria* urbs hodie non adeo tanti momenti, quanti olim fuit, a Niſen Novogrod 42. & Moſcovia 29. milliatibus diſtat. *Pleskowia* urbs ampla pariter, & vallo cincta, exteriori tamen proſpectu magis ſplendet, quam interiori, vide *Strugs itiner.* edit. Anglic. p. 121. Sita ad fluvium Velika Reka, alias Turuntus dictum. *Meyerberg Voyage* p. 74.

(i) *Angli*) Vide CLEMENTEM ADAMUM *de Anglorum navigatione ad Moſcovitas*, in libello *de republica moſcovitica*. p. 211.

(k) *Ad S. Nicolaum*) Altera pars orbis eſt, Archangelli, quæque munitam arcem habet NeuDwina dictam, adjacent huic inſulæ Soloſka, Anger & Kozowa, vide OLEARIUM p. 150. 151. Cæterum hodie neque Narvæ, neque ad Archangellum tanta exercentur commercia, ſed eorum potior pars ad Petropolin tranſlata eſt.

dicæ autem naves nunc appellunt ad Archangeli oppidum, quia videre commoditates loci, & hodie eſt præſtantiſſimum emporium, idque intra 50. annos reliqui Ruſſi, qui habitant Pleskau & viciniores ſunt Narvæ, coguntur commercia inſtituere cum Rigenſibus, Narvenſibus. Commercia igitur ad mare balthicum ſunt adhuc libera.

De omnibus illis, quæ diſſerui, legatur lib. 3. Itinerarii Olearii, agit & nonnihil de his in lib. 2. & 4to, præprimis autem 3tio.

Quamvis ea quæ pertinent ad *commercia*, (a) ſatis ſim perſecutus, tamen fortaſſe ſcire quis laborat, quorſum pertinuerint conſilia Ducis Holſatiæ.

Non autem ipſi propoſitum fuit commercia inſtituere cum Ruſſis, ſed per Ruſſiam *cum Perſis*, (b) quia per Ruſſiam usque in Perſiam inſtituuntur commercia. Hoc autem intendit, merces Perſicas & præprimis ſericas Perſicas voluit inferre in Moſchoviam, ex Moſchovia Revelam, & quidem in mare Balthicum, & ex mari Balthico in Holſatiam. Videre hoc eſt ex tab. Bunon. Sarmatiæ & Scythiæ & Aſiæ. Terreſtri enim itinere merces, Revalia poſſunt referri ad Moſcuam, a Moſcua in Wolgam & ita per Wolgam in mare Caſpium, ex quo datur iter in mediam Perſiam. Ideo legatio miſſa ad Sueciæ Regem deinde ad Moſchum, ut liberum permitteret tranſitum, & 3tio ad Perſam. Placuere conditiones omnibus iſtis, interim tamen conſtitutum fuit ſine effectu. Apud Paulum Jovium reperitur etiam ſimile quoddam conſilium, quod jam tempore Leonis Papæ datum. In opere variorum Diſſert. Nicolai Belli illud exſtat conſilium memorabile. Genuenſis aliquis ſimile iniit conſilium, & ex ipſa India voluit petere aromota, imo per fluvium Indum, exinde terreſtri itinere per Oxum, ex Oxo per mare Caspium, ex hoc mari per Wolgam, ex illo fluvio ad Moſchuam.

Facile apparet, ſumtus ſuperaturos lucrum, quod capi poſſit ex illis mercibus. Itinera per Moſchoviam non ſatis ſunt tuta, præſertim ſi ſit ſpes prædæ, opus enim eſſet vel 1000. militibus præſidiariis, præſertim cum accederent ad Tartaros ad Aſtracan, qui cum ſint pauperes, toti ſunt in prædando. Ita hodie non poſſunt commercia exerceri in Indiam, niſi comitatu 3000. hominum. Verum illi ſumtus longe ſuperant ſericum ex Perſia allatum. Sericum magna copia fertur Hamburgum ex Italia & ex aliis locis, quantum nobis ſufficit & mediocri pretio & ſericum non eſt ejusmodi res, absque qua beate vivi non poſſit.

Nunc de ſcopo. Hæc respubl. pro ſcopo videtur habere utilitatem unius dominantis, & non niſi per accidens quærere ſalutem populi. Plebs *ſerviliter* (c) habetur, quod quando fit, fit in gratiam dominantis. Et qui ſunt nobiliores, coguntur ſe abjicere ad pedes Ducis, & coguntur profiteri, ſe ipſi *omnia debere*. (d) Hoc videre etiam eſt ex bellis, quæ gerit, quæ ſane non geruntur in utilitatem populi, ſive communem. Commodum autem Magni Ducis conſiſtit in magno imperio. Qui hodie rerum potitur, ille bellum ex bello ſerit, tantum ut dilatet imperium. Ipſi Moſchi hodie rediguntur ad incitas, ſed prævalet magnus Dux. Omnia ſane inſtituta ſpectant ad utilitatem dominantis, habetur quidem ratio populi & proſpicitur ipſis *de victu*, (e) ſed hoc per accidens, & populus illi ſervili imperio aſſuevit. *De modo regiminis.* Forma regiminis eſt monarchica, & eſt ſimplex Dominatus & eadem ſpecies regiminis, quæ obtinet in Perſia, Turcia, & tempore noſtro in tota Aſia: Omnes res ſunt vel ſacræ aut profanæ. Res ſacras quod attinet, quia illis maxime ſtat respublicas & illis maxime in officio continetur populus, igitur illa omnia dirigit ad Dominatum ſuum. Ante hac cum Chriſtianam religionem acciperent Ruſſi, ſolebant Patriarchas a Conſtantinopolitanis accipere, ſed poſtquam vidit Imperator Ruſſicus, ſibi intereſſe, ut domi conſtitueretur *Patriarcha*, (f) igitur ipſe pruden-ter

(a) *Commercia*) Addimus, quæ ſtrictim de commerciis ruſſicis obſervantur *in Voyages hiſtoriques* tom. 7. pag. 22. *Ceux, qui commenent en Moſcovie, eſtiment les grains de Rezan & de Volodimer, les cuirs de Jaroslow, la cire & le Miel de Pleskow, le ſuif de Vologde, l' huile des environs du Wolga, le lin & le chanvre de le grande Novogrod, la poix de la Dwine, la ſel de Aſtracan, les murtres Zebelines, & les fourures de Siberie.*

(b) *Cum Perſis*) Conſilium hoc jam ſesqui ſeculo fuerat agitatum, ut commercia aromatum & aliarum mercium Indiæ orientalis Luſitanis eriperentur, qui longa & periculoſa Africæ circumnavigatione ſoli illas divitias occupabant. Propterea civitates maris balthici exiſtimabant, breviori compendio per Moſcoviam & Perſiam poſſe exerceri illa commercia. Hoc conſilium circa ann. 1636. Dux Holſatiæ Fridericus magnifica legatione in Ruſſiam & Perſiam miſſa, quam prolixe deſcripſit Olearius, exequi conabatur. Sed irrito ſucceſſu, quandoquidem aliæ nationes id impediverunt, nec ſatis fidus hac in re fuit primus Legatorum Bruggemannus, ideo poſt reditum in Holſatia capite plexus.

(c) *Serviliter*) Plagis quoque ſatis crudelibus, quas Knut aut Badoggi vocant & baculo Bizeſti in pectore aut tergo infligunt, quamvis illa, quæ Knut dicitur, magis ſit criminalis, vid. OLEARIUM lib. 3. p. 273.

(d) *Se ipſi omnia debere*) Nomine ergo ſuo in ſubſcriptionibus ad Principem nonniſi in diminutive utuntur Petrus, Petruske. Et in humilitatis ſuæ ſignum cum cæteris donis ſalem & panem offerunt, quemadmodum olim Perſæ terram & aquam. Quin licet Imperatori quomodocunque offenſo Kneſis & Bojariis auſſerre bona omnia, quæ poſſident, vid. *Meyerberg* Voyage p. 209. 210.

(e) *De victu*) In victu paucis alias contenti eſſe ſolent Ruſſi. Allium aut cæpas ſi habeant, cæteris omnibus carere poſſunt. Et, ſi nihil ſoppetat, aliquando ad biduum & triduum egregie jejunant.

(f) *Patriarcha*) Ruſſorum Patriarcha primum a Patriarcha Conſtantin. electus, deinde tantummodo confirmatus fuit. Electione vero ad ruſſicum Clerum translata, ejus confirmationem poſtea magnus Dux Ruſſorum ſibi vendicavit. Ultimus a Patriarcha Conſtantin confirmatus fuit Philaretus Nikititz, quartus in ordine Patriarcharum. Numerant autem Ruſſi XI. tantummodo Patriarchas, quorum nomina ſunt. 1. Joſſ. 2 Germogen 3. Ignatius. 4. Philaret. 5. Joſaff. 6. Joſiff. 7. Nicon. 8. Joſaff. 9. Peſterim. 10. Joakim. 11. Adrian, qui anno 1701. Narvæ mortuus fuit. Poſt ejus obitum Patriarchæ titulus ab Imperatore Ruſſorum plane abrogatus fuit. Conſtituit quidem alium, qui vices Patriarchæ gereret, ejusque jura exerceret, nimirum Stephanum Javuruskium, profeſſor theol. kiovienſem, ſed nonniſi ea cum conditione, ut Patriarchæ nomine abſtineret, & res majoris momenti cum ipſo Imperatore, tanquam capite eccleſiæ communicaret. Quo ipſo concidit magna illa Patriarchæ autori-tas,

ter jam ex ſuo populo conſtituit Patriarchas, & ſane quo magis Patriarcha eſt inſtitutus ex voluntate Imperatoris Ruſſici, eo magis prodeſt Principi illi, eſt enim hoc munus magnæ autoritatis. Hunc creat, quando velit, & privat. *Sub hoc Patriarcha ſunt* (a) ArchiEpiſcopi & Epiſcopi, hi omnes dependent a nutu Magni Principis, præſertim notandum, quod non patiatur ſuos Patriarchas & Epiſcopos facere verba ad populum, quod facit ad ſalutem dominantis, ne prætextu prædicationis populum ad ſeditionem excitent. Ad hæc munera non adhibentur, niſi monachi ordinis S. Baſilidis, qui vivunt *vitam duram*, (b) quam vitam dum ſervare tenentur, non poſſunt aliquid moliri. Non poſſunt enim divitias corradere, aut potentes evadere. *Sub Epiſcopis ſunt* (c) Poppi ſive Presbyteri, qui interdum vix poſſunt legere & cantare, Dux enim magnus non permittit, ut Epiſcopi ſint eruditi, pauxillum permittit illis diſcere.

FORMA REGIMINIS.

Regimen politicum quod attinet, dividitur in belli & pacis negotia. Omnia vero munia belli & pacis dependent a nutu Ducis Moſcoviæ. Provinciis (Moſchovia enim, eſt diviſa *in provincias*) (d) ſolet præfici aliquis, qui appellatur *Knes* (e) ſive Dux & Imperator Ruſſicus noſtros Duces vocat Knes, voce Sclavonica. Et hic ſatis caute. Illorum munera non ſunt hæreditaria, ne quidem durant ad vitam, ſed ad paucos tantum annos, ſunt igitur mobiles & dependent a nutu ſui Ducis. His Cneſis parent omnia in ſingulis provinciis, quia vero eorum imperia non ſunt diuturna, non poſſunt ſibi formidabilem potentiam parare. Ex priſca nobilitate Ruſſica, ante Baſilidem fuere nonnulli ſuperſtites. Qui tamen ferme omnes ex medio ſunt ſublati, & qui adhuc ſuperſunt nullo habentur loco. Ante Baſilidem fuere Cneſii nonnulli hæreditarii, Tartaris etiam præficit Cneſos, ſed Ruſſicos, quia ipſis non fidit. Sunt enim omnes adhuc vel Pagani, vel Muhammedani, & nolunt accedere ad chriſtianam religionem, adducti exemplo Ruſſorum, qui plus Baccho & Veneri litant, quam Deo.

Qui jus dicunt, non utuntur legibus ſcriptis, quas in tota Ruſſia non habent, ſed *jus dicitur* (f) ex arbitrio, ex æquo & bono, ex conſuetudine. Solent etiam peregrini, ut Scoti, Angli admo-

tas, quam olim habuit, qua non modo judex fuit ſummus omnium rerum eccleſ. & in delinquentes ſupplicio mortis animadvertere potuit, ſed & in feria Palmarum aſino per urbem vectus, ut populo benediceret, magnum ducem, qui fræno equum duceret, comitem habuit. Olim quoque in gravioribus negotiis nihil ab Imperatore actum fuit absque conſilio Patriarchæ, vide FUNCCIUM p. 110. & de autoritate ejus pluribus BERGIUM pag. 164. ſeq. Alia igitur nunc rerum facies eſt. Cæterum Patriarchæ, aut qui ejus nunc loco eſt, aliorumque Metropolitanorum ampliſſimi quotannis reditus eſſe dicuntur, ex quibus belli tempore quindecim millia militum alere tenentur. Vide STRUYS ITINER. *edit. Anglic.* p. 152.

(a) *Sub hoc Patriarcha ſunt*) Hodie, qui vices Patriarchæ gerit, eſt ipſe Metropolita vel Archiepiſcopus. Alias 4. numerantur Metropolitæ 1. de Naugara & Werubao, 2. de Roſtow & Jaroſlow, 3. de Caſan & Wirea. 4. Sarski & Podon. His ſubſunt *Archiepiſcopi*, (Archireiez dicti, ſed titulares tantum) octo, 1. De Permia & Wologda. 2. Rezan & Maron. 3. Susdal & Farret. 4. Aſtracan & Terki. 5. Tweria & Caſſin. 6. Siberia & Tobol. 7. Pleſcovienſis. 8. Kiovienſis & Czernichovienſis, qui dignitate cæteros antecedit, eo quod quinque Archiepiſc. in Polonia Kimbergenſis, Primislavienſis, Mialavienſis, Chelmenſis & Luccorenſis hunc metropolitam ſuum venerentur. *Epiſcopi* duo, 1 de Colonna & Kaſſii, 2. de Smolensko. Vid. OLEARIUM p. 305. *hodiernum ſtatum Ruſſiæ* part. 2.

(b) *Vitam duram*) Auſteram degunt in monaſteriis vitam, nunquam comedentes carnes & piſces recentiores, ſed tantum ſalſos, cui addunt mel, lac, caſeum & olera, inprimis cucumeres ſalitos. Bibunt autem *Quas* ſive liquorem ex aqua, cui parum farinæ injectum, compoſitum, ingrati & acidi ſaporis, cui etiam cucumeres immittunt & cochlearibus comedunt. Statis temporibus nocte dieque cultui divino vacant. Roſariis utuntur ex corio factis, quæ non globulis, uti in romana eccleſia, ſed certis peculiari modo paratis nodis diſtinguuntur. Nullam autem aliam, quam Baſilii, (qui in oriente ſec. 4. uti Benedictus in occidente ſec. 6. monaſticam vitam ordinavit,) regulam ſequuntur; unde errarunt, qui Ruſſorum monachos etiam Benedicti & Nicolai, aut S. Bernhardi ſectatores eſſe memoriæ prodiderunt. Vid. *Bergium* p. 161. *L. B. de Mayerberg* Voyage p. 69.

(c) *Sub Epiſcopis ſunt*) Protopoppi, Poppi & Diaconi. Pannamari cuſtodes templorum. Alias monaſteria virorum ſuos habent præfectos, quos vocant Archimandritas, fœminarum vero Igumenos. Olim quidem ejuſmodi Clerici bonarum literarum plane rudes fuerunt, hodie vero tenentur ſtudiis operam dare, & pro concione etiam verba facere. Cognoſcuntur Poppi ex parva mitra, quam geſtant, Skuffia dicta, baculo & longiore veſtimento. Eorum in ſola urbe Moſcua 4000. eſſe perhibentur.

(d) *In provincias*) Numerantur provinciæ 40. quæ dividuntur in occidentales, meridionales & ſeptentrionales. Sunt autem 1. *Pleskau*, ſubjugata a Ruſſis anno 1504. cum antea reſpublica eſſet, cujus urbes præcipuæ ſunt, *Plesko*, *Petzura*. 2. *Magnus Ducatus Novogrodenſis*, cujus civitates potiores ſunt, *Novogrod*, *Welski*, celebre olim emporium, ſed anno 1564. a Johanne Baſilide devaſtatum, *Nova Ruſſia*, *Pareorff*, Broa, *Wolodimerez*, *Uglitz*, 3. *Ducatus Twer*, in quo Twer, Tciveriock, Grodna. 4. *Provincia Rezeva ſ. Reſora*. 5. *Biela vel Bielski*. 6. *Ducatus Smolensko*, in quo Smolensko, Wiesma, Dragorer, Drohus & Oklou. 7. *Ducatus Severia*, cujus metropolis Novogrod Sevierski. 8. Ducat. Czernichovienſis, 9. *Ukraina Ruſſica*, in qua Coſacci habitant, urbes autem ſunt Kiou, Pultawa, Balagorod, &c. 10. *Ducatus Worodin*. 11. Retzan, in quo Rezan, Petalakeſenski. 12. Provincia Pole. 13. Mordua. 14. Ducatus Wolodimer, in quo Wolodimer antiqua ſedes Ducum Ruſſiæ, cui etiam annumerantur regiones Iſcela, Coluga, Susdal, Korſica, Waratin. 15. Ducatus Niſi Novogrod. 16. Susdal. 17. Duc. Moſcau. 18. Koslhaw. 19. Jaroslow. 20. Biela Jerzora. 21. Ducatus Wologda. 22. Provincia Dwina, in qua Archangelt emporium. 23. Provincia Jaborski. 24. Petzora. 25. Koudinsk 26. Permski, in qua metropolis Salimskamski. 27. Wolluſugsky. 28. Ducatus Wiadaky. 29. Czeremiſſy, cujus incolæ dicuntur Logowi & Nagarny. 30 Nagaja, quæ complectitur regnum Aſtracan. 31. Regnum Bulgariæ ſ. regio Calmuckorum. 32. Regnum Caſan, in quo Caſan, Catawita, Tuja, Bexima. 33. Regnum Siberiæ. 34. Provincia Oſtiakorum. 35. Jeniſesky. 36 Niscovie, Tunguschi. 37. Provincia Baratiæ. 38. Dauria. 39. Samojedia. 40. Lapponia Roſſica. vid. *hodiernum ſtatum Ruſſiæ*. part. 2. p. 4.

(e) *Knes*) De origine Kneſiorum vid. CROMER. *tom. 2. rer. Polon. lib.* 3. OLEAR. *p.* 265. obſervat. Kneſos in pagis habitantes a ruſticis vix poſſe diſtingui. De eorum erga Imperatorem reverentia, qua mandata ſibi ab eo miſſa in terram proſtrati accipere tenentur *vide* Ts. *de religione Moſcovit. ex Gallico Germanice translatum*, c. 5. p. 38.

(f) *Jus dicitur*) Primus tamen Johannes Baſilides ordinationem aliquam civilem anno 1598. publicavit. Poſtea

 anno

admoveri ad munera publica, ſed illi coguntur ſacra ruſſica profiteri, & ita inter Ruſſos adoptari. *Belli negotia* (a) non adeo bene ſe habent in Ruſſia, populus ipſe ſatis eſt aptus militiæ, cum tolerans ſit inediæ laborum, tamen ratio belli non eſt probata, quia populus non eſt inſtitutus arte militari, non poteſt enim ordinem ſervare, & alia quæ huc faciunt. Sunt alias ſatis ſtrenui bellatores, cumprimis autem ſunt fideles Domino ſuo, cum Notteburgum diuturna fuit oppreſſum obſidione milite ſuecico, jam autem Ruſſi ſunt juſſi exire illam arcem, tunc exiere tantum duo, rogati ubi alii, tum reſponderunt, eos jam tum mortuos eſſe. Sunt autem *robuſto corpore*, (b) & ſatis callidi, modo inſtituerentur artibus militaribus, quod fiet, quia hic Alexius & ejus pater conduxere Præfectos militares *germanicos*, (c) ideo illorum pedeſtris & equeſtris exercitus longe melius ſe habet. Nuper enim, ut relationes dabant, milites ſuecicos ad ſe ipſos pertraxerunt. Secunda ratio eſt, quod milites non bene fuerint armis inſtructi, habuere quidem arma, *ſed rudia.* (d) Verum hæc etiam emendantur, prohibitum quidem fuit, ex Germania ne arma exportarent in Ruſſiam, ſed mercatores hanſeatici id non obſervarunt, cum magno tamen ſuo damno, nam illos mercatores urbibus beneficio ſuorum tormentorum expulit, ita verum accidit, conſilium malum, conſultori peſſimum. Hodie ipſis arma ſuppeditantur *a Belgis* (e) & quidem quantum ſufficeret ad 30000. armatorum, ad portum Archangeli ſunt advecta, vocaverunt hoc quidem in dubium Batavi, ſed inopia frumenti ipſis impoſuit neceſſitatem.

Quod ſi ipſis non deeſſet ferrum & æs, bene ſe haberent arma ipſorum, ſed per Dei gratiam his caret, ferrum quidem habet aliquod, ſed paululum. Æs autem ipſis plane deeſt, ex quo tormenta poſſent confici, interim tamen ex noſtra Germania magna tormenta ad illos exportantur. Si ars ergo militaris accederet, a militibus bene eſſent inſtructi. Non opus ipſi eſt milite conductitio uti, ſed quilibet vocatus *tenetur bellare.* (f) Sed hodie pejus ſe habet ejus militia, quia nimis vaſtum ejus Imperium. Tartari enim Aſtracani ſunt nimis remoti, hos magno præſidio tenetur in officio tenere. Accedit, quod Tartari Crimei ſunt perpetui hoſtes Moſchi, & licet Joh. Baſilides eos nonnihil repreſſerit, dum ſylvas incideret, tamen quotidie prædantur in Moſchovia & cavet Moſchus, ne Tartari Crimei cum Tartaris Aſtracenſibus conſpirent. Poſtquam ita Joh. Baſilides extendit Imperium, decrevit ſtatim ejus potentia, ut uno tempore ſint tota Livonia ejecti Ruſſi a Stephano Batore.

Habet Imperator ruſſicus ſatis magna vectigalia, quæ tamen non comparari poſſunt cum proventibus Magni Mogolis, habet tamen *magnos proventus*, (g) præſertim ex portoriis, portus Archangeli eſt ipſi præ aliis proficuus, ſolet enim ipſi ſuppeditare annuatim 6000 0. thalerorum accipit enim die quolibet mille & amplius thaleros. Ex tributis populi multum etiam pecuniæ accipit, ſed cum ſubditi ſunt pauci nec magnarum opum, igitur non poſſunt conferri cum tributis Magni Mogolis. Igitur commercia inſtituit & emit, quæ ſunt vilis pretii in ſua terra & alibi vendit,

anno 1647. Alexius ruſſicas leges in unum corpus compilandas curavit, quod dicitur Subornie Ulokenie. Utuntur autem in controverſiis forenſibus ſummario modo procedendi, nec multas de jure diſceptationes admittunt judices, ſed ipſi, ut poſſunt, ſine mora judicant. Vid. *verändertes Rußland. p.* 153. Anno 1705. Ruſſorum Imper. Petrus I. opera L. B. ab Huyſſen jus aliquod militare conſcribendum & publicandum curavit, quo ipſo primum furtis pœna capitalis dictitata fuit, poſtquam antea in univerſa Ruſſia nullus furum ſupplicio mortis mulctatus fuerat, ad reſtitutionem rei ablatæ tantummodo obligatus, niſi quod in altero furto deprehenſus auribus fuerit privatus.

(a) *Belli negotia*) De re militari Ruſſorum vetere, vide ſyntagma ex variis autoribus collectum in libello *de republica moſcovitica p.* 261. Hodie vero res eorum militaris longe alia eſt. Præterquam enim, quod milites Strelitzæ, aliique Basdish quondam dicti, hodie ceſſent, non modo nunc plerique milites germanico more veſtiuntur, ſed & pari ratione ordinem ſervare, aliaque exercitia militaria facere docentur. vid. *hodiernum ſtatum Ruſſiæ part.* 2. *p.* 487. *ſeq.* Olim exercitus Ruſſorum maxime fuit equeſtris, hodie vero nec pedeſtris deſideratur. Olim munera militaria non ſec. merita, ſed natales diſtributa, uti obſervat *Meyerberg p.* 323. nec ordo agminum, ſemel conſtitutus ullam ſubiit mutationem. Hodie alia ratio initur.

(b) *Robuſto corpore*) Unde ſit, quod Ruſſi adeo robuſto corpore ſint, de eo vide *Meyerberg Voyage p.* 152. Etſi vero validi & robuſti ſunt, ubi tamen ſemel in fugam convertuntur, adeo abjecto ſunt animo, ut ne mortem quidem deprecentur, neque in ſequentibus reſiſtant, ſed pro lubitu ſe occidendos ipſis exponant. HORNIUS *orb. polit. part.* 1. *p.* 40.

(c) *Germanicos*) Exemplo jam præiverat Johannes Baſilides, qui Germanos ſtudioſe dignitate & muneribus ornavit, ita, ut magnatibus exterorum fortunæ invidentibus reſponderit, *Germanos omnino iſtis muneribus eſſe perornandos, quos cognoviſſet militaribus diſciplinis liberaliter eruditos, & Miniſtros principum valde elegantes, nec eſſe vaccarum cuſtodes, ut Bojaris Moſchis, qui moribus peſſimis & corruptiſſimis in aulam advolare conſuevïſſent.* ODORBORNIUS *p.* 319.

(d) *Sed rudia*) Qualia fuerunt pharetra ſagittis referta, arcus, ſecuris, framea, cæſtus, cultelli oblongi, lanceæ & haſtilia.

(e) *Belgis*) Noluerunt id permittere Sveci durantibus bellis. Sed Batavi, neglecto mari balthico, navigationem verſus ſeptentrionem inſtituerunt ad emporium S. Archangeli, atque hac ratione nihiloſecius commercia ſua ſalva habuerunt.

(f) *Tenetur bellare*) Exiſtimant itaque plerique, quod Imperator ruſſicus ſpatio 40. dierum 200000. equitum, & 100000. ſclopetariorum congregare poſſit.

(g) *Magnos proventus*) Reditus imperii ruſſici æſtimantur usque ad 22. milliones, qui partim percipiuntur ex ordinaria taxa provinciarum, partim ex vectigalibus & monopoliis, quæ conſiſtunt in potu, Tabaco, ſale, pellibus, glutine, pice, Rhabarbara aliisque hujusmodi materialibus, quæ a ſolo Imperatore aut divenduntur, aut aliis pro certo pretio elocantur. Pro ſola herba Rhabarbara 80000. taleri a mercatore quodam ſolvi dicuntur, uti & a Batavo aliquo æquale pretium pro ſalitis piſcibus, Ikari dictis. Vide de his reditibus hodiernum ſtatum Ruſſiæ p. 57. das veränderte Rusland p. 34. 48. Cæterum neminem Ruſſorum facile exteros de reditibus imperii ſui informare, obſervat MEYERBERG loc. cit. p. 308. *C' eſt pourquoi ſi quelque etranger s' en informe d' un Moſcovite, il ne repondra rien ou par ignorance, ou du moins il l' affectera, comme s' il ſoubçonnoit qu' il voulut penetrer dans les ſecrets de l' Etat pour le trahir, ou bien par vanité, il n' en dira rien, ou il repondra avec exaggeration.*

Digitized by Google

dit, igitur non turpe eſt Principi per commercia diteſcere. Interim, licet ſint proventus magni, æque tamen *multum* (a) quotannis abſumitur, alit enim amplam aulam, & multos milites præſidiarios, continua gerit bella, utitur autem præfectis germanicis & ſcoticis, quos cogitur magni conducere, quia alias nolunt ipſi operam dare. *De legationibus*, (b) quomodo excipiat Legatos & mittat, Vid. Olearium, qui hæc omnia accurate habet.

DE CAUSA EFFICIENTE.

Inter illos, qui adminiſtrant hanc rempubl. eſt Imperator ruſſicus; notandum autem, *antiquiſſimam familiam* (c) diu rerum apud Ruſſos potitam eſſe, quæ familia primum ſub finem ſec. X. chriſtianæ religioni nomen dedit, propagavit ſe usque ad patrum noſtrorum memoriam, ſed variis modis eſt diſcerpta illa familia ſuperioribus ſec. Filii enim Woladimiri diviſi ſunt inter ſe illud magnum imperium. Sed ſuperiori ſec. omnia crevere in unum corpus, illis familiis partim emortuis, partim acciſis. Baſilius enim multos Cneſos e medio ſuſtulit.

Hinc factum, ut illi, qui rerum potiuntur, *magnis titulis* (d) ſe jactitent, & non ſint contenti titulis majorum, ſed ſibi vindicant terrarum illarum titulos, quas fecere in unum coaleſcere. Olearius p. 81. l. 2. affert titulum, quo uſus eſt Michael Federowitz (ſeu Theodori filius) & lib. 3. p. 248. titulum Alexii Michaelowitz.

Hic titulus nihil differt ab eo, quo hodie utitur Imperator ruſſicus. *Primus Baſilii pater* (e) voluit dici *Autocrator* ſive Monarcha omnium Ruſſorum, quod tamen procul abeſt a vero, neque enim hodie eſt Monarcha omnium Ruſſorum, cum partem Ruſſiæ Poloni habeant, illam autem partem, quam habuere Lithuani, hodiernus ſibi viciſſim ſubjecit. *Suecus denegat* (f) Ruſſo hunc titulum, dum vocat illum Ruſſorum Imperatorem, non omnium, nam alias profiteretur, Ruſſo jure omnem Ruſſiam deberi, cum tamen ipſe aliquam ejus partem poſſideat.

Neogardia. Inter omnes partes Ruſſiæ aliquando primaria fuit Woldomiria, dicta ab urbe primaria iſtius nominis, ſecundo loco Moſcua, ab urbe ejusdem nominis, tertio *Neogardia* (g) ſive major ſive minor aut Niſinneogrod. *Czar* (h) vocatur Magnus Dux, quæ vox eſt corrupta ex vocabulo Cæſaris, quo titulo & Conſtantinopolitani Imperatores uſi ſunt. *Superba eſt* (i) Ruſſorum natio, igitur maximum titulum ſibi arrogare voluere, putarunt autem Cæſaris, titulum illum eſſe omnium maximum. Unde Imperator eorum vocat ſe Czar Aſtracan, Czar Kaſan, Czar Sibe-

(a) *Multum*) Multum quoqoe reditibus illis detraxit olim avaritia & fraus publicanorum, quos vocant Prebulſchikes aliorumque miniſtrorum, quorum tamen ſtudiis hodie magis invigilatur, inſtituto Moſcuæ peculiari judicio camerali.

(b) *De legationibus*) Confer pariter libellum *de republica moſcovitica p.* 232. uti & *Voyages hiſtoriques de l' Europe p.* 161. Obſervandum tamen legatorum rationes pariter nonnihil reformationis hodie ſubiiſſe, & ad morem exterorum eſſe conformatas.

(c) *Antiquiſſimam familiam*) Ruſſiæ imperium condidiſſe dicuntur Waregi aut Wagrii accolæ maris balthici, ex iisque tres fratres Rurech, Sinaus & Truvor ſvaſu Goſtomiſlii civis Novogrodenſis ad imperium vocati anno 562. tres celebres ducatus conſtituerunt. Sinao & Toruvro absque liberis decedentibus ſucceſſit Rorech, & ſolus regnum obtinuit, conditor familiæ ducum, quæ Beaba dicitur. Rurieum excepit Jehor filius, quem Cedrenus aliique Græcorum Inger vocant. Hoc defuncto mater Olha ſive Helena imperium ſuſcepit Ruſſorum dicta Semiramis. Poſt Olham regnavit Sphendoſtablus. Eo mortuo pro numero filiorum Ruſſia in tres iterum ducatus diviſa fuit. Solus fratribus ſuperſtes Vladimirus anno 976. Ruſſiæ iterum Monarcha factus, ducta Anna Baſilii Conſtantin. Imper. filia religionem chriſtianam ſuſcepit, poſt ejus obitum anno 1005. pro numero relictorum filiorum Ruſſia in 12. ducatus diviſa fuit, anno vero 1033. ſub Jaroslao denuo conjuncta, ſed anno 1052. iterum in 5. partes diviſa. Ex quo tempore variis diviſionibus ac diſſidiis dilacerata fuit, usque ad Johannem Baſilidem I. a quo reliqui Duces Ruſſiæ in ordinem demum redacti fuht, Vid. *Meyerberg Voyage* p. 189. 242. ſſ.

(d) *Magnis titulis*) Olim quoties Ruſſi in ſolennibus negotiis Czaris ſui mentionem fecerunt, integrum ſemper ejus titulum ex ſchedula prælegerunt. Vid. L. B. de MAYERBERG *Voyage en Moſcovie* p. 58. Hodie tituli illi prolixiores abrogati ſunt, eorumque rariſſimus uſus eſt. Titulus tamen plenus nuperrimi Imperatoris in inſtrumento pacis carlovicenſis anno 1698. hic fuit. Petrus Alexiowicz totius magnæ & parvæ & albæ Ruſſiæ autocrator, *Moſcoviæ*, Kioviæ, Wolodimiriæ, Novogardiæ, Czarcarumiæ, Aſtracan, Siberiæ, dominus Pleſcodiæ, magnus Dux Smolenſci, Treriæ, Ingoriæ, Permiæ, Viatkæ, Bolgariæ, & aliorum dominus, & magnus Dux Novogardiæ, inferioris terræ, Czernichoviæ, Reſaniæ, Roſtoviæ, Jaroslaviæ, Belovroriæ, Valoriæ, Obdoriæ, Condiniæ, & totius Plagæ ſeptentrionalis Imperator, dominus Iverienſis terræ, Cartulinenſium & Gruzinenſium Czaar & Kaburdienſis terræ, Cercaſſorum & montanorum &c.

(e) *Primus Baſilii Pater*) *Johannes nempe Baſilides* (diſtinguendus a Johanne Baſilide II. Tyranno) *Grodtzyn* univerſæ Ruſſiæ principem primus ſe appellavit, magni nomen ob id ſortitus. Is eſt, qui Tartarorum jugum inſtinctu Sophiæ conjugis excuſſit, qui Novogardiam anno 1477. expugnavit. Ejus filius autem Baſilius, ante imperium Gabriel vocatus, ſmolencenſem principatum & Siberiam Ruſſiæ adjecit, ac Czari titulum primus aſſumſit.

(f) *Suecus denegat*) In inſtrumento tamen pacis nyſtadenſis hic titulus admiſſus eſt. Cæterum de titulo *Autocratoris* (Samoderſchtze) inter legatos ſuecicos & ruſſicos contentionem, vide apud WITEKINDUM *bell. moſcov.* lib. 9. p. 686.

(g) *Neogardia*) Major dicitur Weliki Novogrod, haud procul a limitibus Ingriæ ſita, altera Niſen Novogrod ad confluxum Occæ & Wolgæ a Johanne Baſilide ædificata, de qua vide *Olearium* p. 340.

(h) *Czaar*) In S. literis Slavonice tranſlatis Czar ubique Regem ſignificat, ut Czar David, Czar Salomon; nomen Cæſaris vero exprimitur, per *Kaſſar*. Quoniam vero Bohemi, Poloni, aliique populi Slavonici, alio etiam nomine Regem appellant, nempe Krall, vel Kyrall, aut Koroll, hinc factum, ut Ruſſi judicarint, nomen Czar dignius eſſe, quam Regis, & imperatorem aut Cæſarem ſignificare. Imperatores ergo dici voluerunt, cumque titulum, olim quoque, in literis Maximiliani I. Imper. Rom. Czari Baſilio tributum primus omnium Petrus I. ſolenni inauguratione Moſcoviæ facta ſibi ſuisque ſucceſſoribus ante aliquot annos plane aſſeruit. Atque ita jam obſervandum, primos duces & dominos Ruſſiæ tantummodo Knees Weliki, aut duces Wolodimer dictos fuiſſe, ſed Johannem Baſilii Cæci filium poſtea magni ducis, & Baſilium primum Czaris, denique Petrum I. Imperatoris titulum aſſumſiſſe.

(i) *Superba eſt*) Vide *L. B. de Mayerberg Voyage pag.* 56. ubi obſervat, qua arrogantia Ruſſi alias nationes contemnant, nec erubeſcant, primum etiam præ hoſpitibus locum occupare,

Siberiæ. Qui hodie rerum potitur, nonnihil mutavit titulum, Vid. Olear. der groſſe Herr, Groſs-Fürſt Czaar, *magnæ & parvæ Ruſſiæ.* (a) Per parvam Ruſſiam intelligit Poloniam & Lituaniam, quod magnam earum partem aliquando tenuit opera Coſakorum. Per magnam autem Ruſſiam intelligit ſuam illam; Wlodomiriam *hodiernus* (b) primo loco ponit in titulo. Kioviam ſecundo loco, quæ eſt urbs *Poloniæ.* (c) Non dubito, quin ante aliquot annos etiam uſurpaverit titulum Livoniæ, quæ autem hodie tota illi abeſt. Longe ſuperbiori titulo hodiernus Imperator ruſſicus utitur, quam omnes ejus Majores.

Quod attinet familiam Zaricam, antiqua familia denique expiravit ſuperiori ſeculo. Ex illa familia ultimus *Fedor* (d) Ivanowitz obiit anno 1597. & extincta cum hoc tota familia, Princeps non magni nec mali ingenii. Habuit patrem *magnum Tyrannum* (e) Joh. Baſilidem, qui immaniter ſæviebat in Livonos, qui rerum erat potitus anno 40. iſtius ſec. Extincto Theodoro Jvanowizio ſupererat frater illius, nomine Demetrius, quem frater ac pater detruſerant in monaſterium, ſed ſimulac pater ac frater periere, ſtrangularunt bonum Demetrium, ſucceſſit autem omnium conſenſu ſororius hujus Theodori Jvanowitz, dictus Boris *Gudenow*, (f) fuit callidus & verſutus, itaque artibus & fraude pervenit ad imperium, nec aliis artibus imperium rexit, ſed ipſo vivo orti ingentes tumultus. Prodüt enim *Monachus*, (g) qui finxit, ſe eſſe Demetrium verum, alium fuiſſe ſtrangulatum & ſe fuga ſibi conſuluiſſe. Simulac hoc auditum in Ruſſia, concidit animus iſti Borio, qui jam cœperat eſſe in odio populo ob illa ſcelera, ut fieri ſolet, & Deum & homines ſibi capit inimicos iſtiusmodi Homicida, interim Demetrius non erat, ſed ſimulatus nebulo; mortuus igitur hic Borius præ moerore anno hujus ſec. 6. Ex eo tempore miſeris modis agitata Ruſſia fuit, ſucceſſor declaratus eſt quidem *ejus filius*, (h) ope paucorum amicorum, ſed ad breve tempus, ſtatim enim ſtrangulatus eſt. Hic Pſeudo Demetrius, ope Polonorum conciliavit ſibi Ruſſos, & factus Imperator ruſſicus, ſed cum eſſet amantior ceremoniarum romanienſium, quam Ruſſorum & eorum religionis, & cum non recte *ſe gereret*, (i) trucidatus eſt miſere, cum omnibus comitibus ſuis polonicis, Deo primariam perfidiam, & ſcelus vindicante. Non latebat multos Polonorum fraus & ſuberant conſilia jeſuitica, verum peſſime ceſſit. Nam qui illum curaverat interfici, Baſilius Jvanowitz Zuscki homo novus factus eſt Imperator, ſub quo alius etiam artibus Polonorum & jeſuiticis ortus *Demetrius*, (k) cœpit vulgo perſuadere, verum Demetrium non fuiſſe trucidatum, ſed ſaucium profugiſſe. Hic ſucceſſit primum & non male ab ini-

(a) *Parvæ Ruſſiæ*) *Mayerberg* loc. cit. p. 216. *Sous le nom de la grand Ruſſie les Moſcovites comprennent le pays, qui eſt renferme daus les Frontieres de la Livonie, de la Mer blanche, des Tartares & du Boryſthene, ordinarement nommé la Moſcovie. Sous le nom de la Petite les Pays de Bruslau, la Podolie, Halicz, Premisl, Leopol, Belcz, Chelm, la Volinie & Kyou, entre les deſerts des Scythes, & les Rivieres du Boryſthene, de Preipiec, & de Vieper. Et ſous celui de la blanche entre les rivieres de Preipiec, du Boryſthene, & de Duna, Novogrodek, Minsk, Mciſlau, Smolensko, Vitopsk & Polocz,* Idem p. 222. legendus de eo, quid Moſcovitæ in annalibus ſuis manuſcriptis de antiquitate urbis Novogardiæ, & poſt eam Kioviæ, tum Vlodimariæ referant, add. p. 232.

(b) *Hodiernus*) Si Mayerbergium conferas de titulo, quo uſus eſt Alexios Michalowicz, pag. 208. Moſcovia primo loco ponitur, deinde Kiovia, tum Vlodimeria. &c. Cæterum idem de titulis, quos ſibi juſtene, an injuſte tribuat, conferendus eſt in ſequentibus, ubi agit de provinciis. Notatur præcipue p. 281. titulus, quo dicitur Dominus omnium regionum ſeptentrionalium, & p. 290. dominus montanorum, quorum tamen alii Dageſtani (Perſis Lesgi dicti) in montanis *Brus* habitantes ſub ſuo Schemcal, ſive dominio ſint, alii Petigorii vicini Cabardæ, & veteris Colchidis incolæ Turcarum agnoſcant imperium.

(c) *Poloniæ*) Duo præcipui olim Roſſiæ ducatus fuerunt, Kiovia & Vlodimeria, quibus qui potiebantur, illi veluti Monarchæ Ruſſorum erant, Kiovia ſedes erat Ruſſiæ nigræ, Vlodimeria Ruſſiæ Albæ. Circa annum autem 1300. Ruſſia Nigra acceſſit Poloniæ, penes quam manſit, donec ſuperiori ſeculo duce Chmilinski ex parte Polonis denuo erepta fuerit, atque adeo Kiovia iterum Ruſſis ceſſerit.

(d) *Fedor*) i. e. Theodorus (Ruſſi enim Th. in F. mutant, uti & G. in H. unde pro Wolga dicunt Wolha) Princeps erat ſedati ingenii, de quo optima ſibi quisque promittebat. At ſecuto tempore ipſum huic oneri imparem, campanisque pulſandis potius, quam regimini tractando aptum fuiſſe apparuit, quo abiecto exercitii genere ante & poſt congregationes ſacras impenſe delectatum fuiſſe, teſtis eſt OLEAR. *itiner. lib.* 3. *c.* 11.

(e) *Magnum Tyrannum*) JOVIUS tamen chriſtianæ religionis cultorem egregium prædicat hiſtor. lib. 1. Id certum eſt, multa hunc Baſilidem præclare egiſſe, & potuiſſe etiam ſibi imperare, patuit exemplo Eliſabethæ Reginæ Angl. Legati Hieron. Boroes, qui juſſus coram eo caput aperire, nihilominus illo tecto perſtitit, cauſatus nihil ea de re ſibi a Regina injunctum, id quod Baſilides placide tulit, vide ex *Howelio Becmannum p.* 664. Germanos coluit, & Eliſabetham Reg. Angliæ. Vid. ODORBORN. p. 317. 318. Nec tamen ſine crudelitatis infamia fuit. THUAN. lib 21. anno 1558. Aula ejus ſpec. deſcribitur in HONOR. *praxi prudentiæ politicæ part.* 1. *p.* 280.

(f) *Gudenow*) Borislaus Hodunos, ut a *LUBIENSKIO* vocatur Opp. f. 28. rerum ſummæ jam ſub Theodoro admotus occaſione ſororis, quam Theodorus duxerat, volensne an invitus & procurata morte Demetrii, ex Petrejo, Oleario aliisque diſcendum.

(g) *Monachus*) Griſca ſ. Gregorius Uttepeja dictus, (Lubiensky, Ottrepovicium vocat) monachus cœnobii Trinouka in Adami Wiesniewiczky Principis Lituaniæ primum ſervitio fuit, cui data occaſione oſtendit, aut potius finxit, ſe eſſe illum Demetrium adhuc ſuperſtitem, ideoque ejus opem imploravit, quam obtinuit, non modo ſponſione facta, ſe pontificia ſacra ſuſcepturum, ſed & filiam Principis in matrimonium ducturum.

(h) *Ejus filius*) Fedor Boriſſowitz.

(i) *Non recte ſe gereret*) Quod circa meridiem ſomno non indulgeret cum aliis Ruſſis, quod carne vitulina veſceretur, non meretur lotionibus, cum canibus templa ingrederetur, & ritu polonico, non ruſſico plerumque ſe gereret. Tandem conſpiratione autore Baſilio Ivanowitz Zuski facta, in ipſo ſolenni epithalamio, quod cum principe polonica inierat, anno 1606. trucidatus eſt.

(k) *Demetrius*) Alias Knes Gregori Schaposki dictus. Cæterum de Pſeudo Demetriorum ſibi invicem ſuccedentium factionibus vide *OLEARII* itinerar. & *PETREJUM* in chronico. Similes tres aut quatuor Pſeudo Sebaſtianos numeravit Portugallia, de quibus vide *CHIFLETIUM in Tenneurio expenſo cap.* 8. & 6. Turcas Pſeudo Muſtaphæ turbarunt, Pſeudo Waldemarus Marchiam, Pſeudo Balduinus Belgas, & alios alii vide *ZEVECOTIUM in Florum lib.* 2. *c.* 14.

initio res ceſſit, adjutus a multis Polonis, ſed tandem malus eventus eſt ſubſecutus, licet enim feliciter pugnaſſet aliquot prælìis, res tamen ejus poſtea non modo auxilia a Suecis Zuskio miſſa, ſed & defectus provinciarum ac diſcordiæ exercitus non parum turbarunt.

Cum vero ita Demetrius ex Demetrio oriretur & ſic tertius Demetrius; igitur Ruſſi hoc tertio neglecto, elegerunt ſibi in Regem filium natu maximum regis Poloniæ Uladislaum, hoſtem Ruſſorum, ſtulto ſane conſilio. Obſidebatur tum Moſcua graviſſime a Polonis facta autem electione omnia quieta facta ſunt. Poloni autem paulatim in Moſchoviam recepti *diripuerunt* (a) arcem, & abſtulerunt ingentes & incredibiles theſauros.

In hac rerum anguſtiia Magnates Ruſſiæ *crearunt* (b) Ducem Cancellarii Regii, filium, cujus pater tenebatur captivus apud Polonos. Hic eſt ille Michael Fedrowitz, factum id anno 1613. qui plane alienus fuit ab antiqua familia Imperatorum. *Pater* (c) ejus captivitate ſolutus fit monachus, & deinde Patriarcha. Hic Michael *Fedrowitz* (d) collegit populum Ruſſorum, vir placidi ſupra modum ingenii & cum vicinis pacem habuit, ceſſa Suecis Ingria, & Polonis Smolensko. Ex eo tempore res Ruſſicæ reſtitutæ ſunt nonnihil in integrum. Vixit enim placide contra morem deceſſorum. Obiit anno 1645. Ex quo tantæ mutationes ortæ in hoc Imperio & frequentes novæ electiones, melior fuit conditio Nobilitatis & majorem illa animum ſumſit. Antea enim erat regnum hæreditarium, poſt autem tot electiones Knecſiorum jam crevit animus, & ſane Princeps non hæreditarius & novus ſemper magis ſtudere debet benevolentiæ populi conciliandæ, magis certe, quam Princeps hæreditarius, nam non eſt, quod talis ſibi conciliet animos hominum. Beneficiis autem ille multis animum populi ſibi conciliavit. Filius ejus fuit *Alexius*, (e) qui hodie rerum potitur, quomodo ille fuerit coronatus, prolixe narrat Olearius cap. 13. lib. 3. cumprimis cap. 16. notatu digna habet. Erat ille inermis & rerum inexpertus, hinc magnam partem ſe dabat otio & regimen dedit miniſtris, qui ſtudendo diviiis graviter afflixerunt populum. Hinc ingens ortus tumultus in ipſa urbe Moſcua, adeo ut ipſe Princeps nec ſe, nec ſua potuerit præſtare ſalva, cujus hiſtoriam legere poteſtis apud Olear. cap. 16. eſt illa per ſe attendenda, inde diſcere eſt: & magnos Monarchas facile poſſe concidere, intenſa præſertim avaritia, licet populus ſit ſervili ingenio. Inprimis ſi alicujus mutationis inſignis occaſio affulgeat, hoc autem hodie eo magis audet populus, quia præceſſerunt tot mutationes & electiones conſenſu populi factæ. Hinc populus jam incipit altius ſpirare, & intenſam adeo ſervitutem non amplius vult ferre. Joh. Baſilides tametſi majorem in modum ſævierit, tamen populus non eſt reluctatus Coactus fuit Alexius, ut *tumultus* (f) ſedaretur, dare primarios ſuos miniſtros populo cap. 17. narrat, novum tumultum excitatum Pleſcoviæ, qui partim vi, partim bonis artibus fuit ſedatus anno 1660. cum ego in Suecia degerem, in Suecorum gratiam iterum ſedatus eſt hic tumultus. Metuebat enim ſibi Ruſſus a Suecis, quorum arma ipſi erant parata, compoſitis rebus omnibus in Germania.

Alexius hic deinde graviſſime afflixit Lituaniam, Poloniam & reliquas terras. Sedecim ſunt annorum, cum jam inciperet imperari. Hactenus res illi ſatis feliciter ceſſerunt adverſus Polonos. Felicitas tamen ejus jam paulatim defecit, defecerunt enim a Ruſſis, Coſacci, Littuaniam & Ruſſiam adhuc tenet, Vilnam tamen nuper amiſit. Hoc video, eum vix diu parem eſſe poſſe bello illi longo, *ærarium* (g) enim non ſufficit alendo militi conductitio, proprius autem non eſt ita inſtructus rebus ad militiam pertinentibus, ut & diſciplina Si conſilium illud ceſſiſſet de creato illo rege Poloniæ, multum illud noceret noſtro imperio. Hoſtis foret ob nimiam potentiam *formidabilis*. (h)

DE

(a) *Diripuerunt*) Cum intelligerent, Ruſſos nova conſilia agere ad devolvendum ab humeris ſuis polonicum jugum, incendio Moſcuam urbem fere totam deleverunt, & immenſam Ruſſorum ſtragem ediderunt.

(b) *Crearunt*) Carolum etiam Philippum Goſtavi Adolphi Sveciæ Regis fratrem Ruſſi antea elegerant, mox vero rejecerant.

(c) *Pater*) Fedor Nikitia ex familia Joh. Baſilidis, in Patriarcharum numero poſtea Filaret Nikitiz dictus. Mortuus eſt anno 1633. Ejus ſigillum exhibet OLEAR. p. 235.

(d) *Fedrowitz*) Sub eo quartus etiam Pſeudo Demetrius ſurrexit, mox tamen ſuſpendio adjudicatus. Mutus quoque fecit Pſeudo Zuskius quidam, qui ſe Baſilii Zuskii filium venditavit, alias Timoska Ankadina dictus, ſed minoris momenti. Nam ex Ruſſia propter ſcelera profugus, nonniſi exteras regiones peragravit, tandem rogatu Alexii Michaelowitz in Holſatia captus & Moſcoviam abductus mendacia ſua anno 1653. capitali ſupplicio luit.

(e) *Alexius*) Ejus qualitates corporis & animi deſcribit *Mayerberg p.* 207. Bello ſvecico in Livonia geſto, pactis arctioribus cum Polonis ac ultimum bello turcico inclaruit. Motam etiam in remotioribus Ruſſiæ partibus regno caſanenſi & aſtracanenſi a Redzinio quodam rebellionem ſuſtinuit, ſed nec diuturnam nec magno cum periculo ſtatus publici. Obiit 1676. regnumq; filio Michaeli Alexowitz reliquit. Ille vero, aliquot annis poſt mortuus, reliquit duos filios minorennes Johannem & Petrum ſub tutela Principis Galliczinii, quorum primus Johannes infirmior animo & corpore fratrem in regimine ſocium admiſit, qui deinde detecta in ſe Galliainii, & Sophiæ ſororis conſpiratione ſolus imperium obtinuit, & ſub Petri Alexiowitz, ſive Petri I. nomine inclaruit, quo anno 1725. mortuo per biennium imperavit vidua imperatrix Catharina, eaque morte pariter defuncta ſucceſſit ex filio nepos Petrus Petrowitz ſive Petrus II.

(f) *Tumultus*) Ortus ille fuit ob auctum ſalis vectigal. Alter Pleſcoviæ excitatus ob frumentum, quod pro Svecis coemendum mercatori ruſſico erat injunctum, qui vero ſub hoc prætextu triticum populo, niſi admodum caro pretio, divendere noluit.

(g) *Ærarium*) Ærario opem tulit cuſa moneta cuprea, quæ argenteæ locum ſuppleret. Vid. *Mayerberg*. p. 318. Idem p. 330. mentionem injicit arcani tractatus, cum Goſievio initi, non modo de pacis conditionibus cum regno Poloniæ ſanciendis, ſed & de filio Czaris eligendo, aliquando Johannis Caſimiri R. Polon. ſucceſſore, quale conſilium olim quoque Johannem Baſilidem cepiſſe obſervat.

(h) *Formidabilis*) Ex iis, quæ ad notitiam Imperii, & reipublicæ Ruſſorum ſpectant, reſtant adhuc nonnulla obſervatu digna. Nimirum 1.) inſigne hujus regni eſt aquila cum tribus coronis in aureo campo. Aquila ſignifi-

DE REBUSPUBLICIS ASIATICIS.

Quamquam rerumpublicarum aſiaticarum longe a nobis remotarum conſtitutio non adeo ſit utilis, atque noſtrarum rerumpublicarum: quoniam tamen promiſi de omnibus rebuspublicis

care creditur imperium Græcorum orientale. Tres coronæ tria regna notant Moſcoviticum, Caſanenſe & Aſtracanum. Pectori aquilæ adhæret ruber clypeus, cum effigie S. Georgii. Ex alis aquilæ utrimque dependent alii clypei, quorum *primus* exhibet inſigne regni aſtracani, ſive tres aureas coronas cum enſe argenteo, *alter* in duobus lapis argenteis crucem tenentibus commonſtrat regnum Siberiæ, *tertius* in duobus urſis nigris, ſellam rubicundam cum duobus ſceptris apprehendentibus oſtendit magnum Ducatum Novogrodenſem: *quartus* exhibet inſigne regni Caſanenſis, ſive nigrum draconem aurea corona ornatum, *quintus* in angelo argenteo tenente manu dextra vibratum enſem, ſiniſtra clypeum aureum monſtrat ducatum kiovienſ. *Sextus* in leone coronato unguibus crucem tenente oſtendit ducat. wlodimerienſ. Vid. *hodiernum ſtatum Ruſſiæ part.* II. *p.* 82.

2.) Præter mutationes, quas hoc imperium ſubiit ſub Petro I. nuperrimo Imperatore ſuo alibi jam memoratas, notari quoque meretur, æram Ruſſorum olim quidem non nativitatis Chriſti, ſed conditi mundi fuiſſe, nec noſtra, ſed orientalis eccleſiæ computatione inſtitutam, nec illos a prima Januarii, ſed Septembris annum auſpicatos. At vero, ut etiam in hac re Ruſſi cum exteris conformarentur, opera adhibita eſt. Annum igitur nunc a prima Januarii pariter ordiuntur, annorumque computationem pari nobiſcum ratione inſtituunt. Ab eodem Imperatore Petro I. ordo quoque equeſtris, qui S. Andreæ dicitur, inſtitutus eſt, cujus inſigne eſt crux Andreana cum inſcript. *Petrus Alexiewitz, poſſeſſor & autocrator Ruſſiæ.* Idem denuo certam pecuniæ mulctam, Bizeſtia dictam, injunxit calumniatoribus, quo tam frequentia alias in hac gente convitia, quibus ſine diſcrimine ſummos æque ac infimos proſcindere conſueverunt, tollerentur. Anno 1718. peculiare collegium rei metallicæ inſtituit. Aulam ſuam ejusque ritus fere ad morem cæterorum Principum in Europa conformavit. Poſtas per univerſum regnum rectius ordinavit, primus nummos unciales argenteos cudi curavit, qui antea in Ruſſia non fuerant uſitati, & cum Petropoli ſemel ſedem elegerit, in abſentia ſua interim Moſcoviæ Vice-Regem, qui Vice-Czaar dicitur, atque ante pauros annos adhuc fuit Romandoffsky, cum ſumma autoritate conſtituit.

3.) Res de cætero imperii, in quibusdam judiciis & cancellariis, quas Ruſſi Pricas vocant, tractantur, quarum præcipuæ ſunt. 1. Poſoſlkoi Pricas, ſive conſilium intimum. 2. Roſeradni Pricas, ſive Cancellaria, in qua res nobilium examinantur. 3. Pomielswoi Pricas pro rebus & controverſiis feudalibus. 4. Caſanski & Sibirskoi Pricas pro rebus ad regnum Siberiæ & caſanenſe ſpectantibus. 5. Duorzowoi Pricas, ſive judicium ſupremi aulæ Mareſchalli, in quo ratio habetur miniſterii aulici. 6. Iwaskunskoi Pricas ad rem militarem ſpectans. 7. Reizarskoi Pricas, pro equitatu ruſſico. 8. Bolskoi Pricas, in quo rationes elocatorum redduntur. 9. Sudnoi Pricas, ſupremum aulæ judicium, item Sudnoi Muſcoscoi Pricas inferius aulæ judicium. 10. Rosboinoi Pricas, pro rebus criminalibus. 11. Janskoi Pricas, in quo res poſtarum ordinantur & judicantur. 12. Taiolnbiznoi Pricas, judicium cui ſubſunt ſecretarii ſcribæ alii inferiores miniſtri reipublicæ. 13. Biskikasni Pricas, in quo tractatur res Imperatoris veſtiaria (Garde Robbe.) 14. Kaſennoi Pricas, ad commercia ſpectans. 15. Kamenoi Pricas, pro manufactoris, quas vocant, invigilat. 16. Nowazerwet diverſoriorum & hoſpitiorum publicorum rationem habet. 17. Kollopoi Pricas, pro ſervis & ancillis. 18. Monaterskoi Pricas, pro clericis & monachis. 19. Novogrodskoi Zerivet, pro ducatu Novogrodenſi 20. Galisku Wolodimirsku, pro ducatibus Galliski & Wolodimer &c. *In rebus eccleſiaſticis* autem ſunt, 1. Roſerod ſive archivum rerum ſacrarum. 2. Sadni, ſive Conſiſtorium. 3. Kaſaunoi, ſ. camera ſacra. Vide *OLEARIUM p.* 266. *ſeq.*

4.) Aulam Imperatoris poſt Kneſins ſplendidam faciunt 1. Bojari, qui ſunt quaſi comites & barones. 2. Sinbojari, ſ. Barones. 3. Sinbojarski, Dumnol & Dworaini, quaſi Hoffjunkers. 4. Dumnoi Diacki miniſtri intimi. 5. Okolnitſchi, qui ſec. merita deinceps in ordinem Bojarorum cooptantur. Præſes rei tormentariæ dicitur Orusnilschki. Qui lectorum & cubiculorum Supremam curam gerit, Poſtelnitzi, Pincerna Stolnicki. Ciborum ſector Kraſizey ſupremus aulæ Magiſter Darerſchoi. Supremus Cameræ miniſter Komnutnoy Kluziori. &c.

5.) Pecunia Ruſſorum alias pleraque eſt minuta, nec rotonda, ſed oblonga, ut plurimum ovali formæ non diſſimilis, idiomate eorum Dzieuga dicitur. Aerea & minutior, quæ in uſum pauperum cuditur, Pula vel Polluske vulgo vocatur. Argentea minuta in Copeckis conſiſtit, qui in una parte imaginem S. Georgii habent haſta Draconem ferientis, in altera nomen Imperatoris & urbis, ubi ſunt cuſi. Alii ex utraque parte literis nomen Czaris, & titulum exprimentibus inſigniuntur. Eorum 50. valore talerum efficiunt. Alias quidem numerant Altyns, Grewen, Rubeln; ſed notandum, non eſſe hos omnes nummos ſolidos, ſed Altynium 3. Grywium 10. Rubelem 100. Copeckios efficere.

6.) Quod ad prætenſiones imperii ruſſici attinet, inter eas ſunt 1. titulus imperatoris. 2. Dominium omnium Ruſſorum, quod a Polonis potiſſimum diſputatur, de quo vide *SCHWEDERUM p.* 224. *ſeq.* n. 352. 3.) Prætenſio in novam Zemblam, & Lapponiam, de qua vide autorem *des Intereſts des Princes pag.* 209. 210. *ſeq.* Taceo alias, in Lituaniam & vicinas quasdam Perſis provincias prætenſiones.

Ratio ſtatus hujus imperii olim alia fuit, quam nunc eſt. Antea quidem cautum erat, ne exteri in rempubl. admitterentur, ne Ruſſi peregre proficiſcerentur, aut cum peregrinis matrimonia inirent, ne bonarum literarum & ſapientiæ ſtudia florerent, nec magnatibus in prædiis ſuis vivere liceret. At vero hoc rerum ſtatu hæc atque alia parum attenduntur, quia potius ſingula fiunt ratione contraria, niſi quod nobilium ditiores, penes Imperator. eſſe & ſplendorem aulæ augere ut plurimum teneantur. Hodie potiſſimum id agitur, ut tam vaſtum imperium cultius reddatur, dominatus vero herilis alia ratione, & quidem per militiam peregrinam aut domeſticam magis cultam conſervetur. Quo vero rectius in obſequio ſinguli contineantur, id cavetur, ne clericis rem gravioris momenti decidere liceat inconſulto Imperatore, nec gubernatores provinciarum ſint perpetui, ſed exactam adminiſtrationis ſuæ rationem reddere teneantur, ſubditi vero, quoad fieri poteſt, a priſtina barbarie praviſque moribus revocentur, ut dictis evadant obtemperantiores. Hæc quoad internum reipublicæ ſtatum. Ratione vicinorum, primi omnium Ruſſis Tartari attendendi ſunt, cum quod maxime vicini ſunt, & leviſſima quaque occaſione data agmina ſua cogere poſſunt inſultusque facere, ubicunque minora invenerint obſtacula, tum quod timendum eſt, ne, ſi proſpere rem geſſerint, alii Tartari hactenus ruſſico imperio ſubjecti conſpiratione facta in libertatem ſe aſſerere conentur. Hi ergo non modo in barbarie ſua relinquendi ſunt, ſed & cavendum, ne arma illis in manus dentur, & ex reformatione reipublicæ ruſſicæ, ſuam quoque, exemplo ducti, utilitatem capiant. Turcæ vero, Ruſſis pariter eum in finem caute obſervandi ſunt, non modo, quod potentia & robore militiæ valeant, ſed & quod Tartaros ad nutum quemvis habeant paratiſſimos. Svecorum ac Polonorum vires, tantæ quidem hodie non ſunt, ut Ruſſis metum incutere queant, interim tamen non eſt, quod ſponte utramque gentem offendant. Bellis enim polonicis facile ſe immiſcere poſſunt Turcæ, & bello ſvecico intercedere Angli Batavique. Ad frangendam vero Turcarum potentiam opus eſt cum maxime amicitia Imperatoris romani. Ad commercia ornanda, Anglorum & Batavorum ſtudiis. Adde *nouveaux interets de Princes p.* 315.

blicis agere, etiamillas non omni ex parte negligam, ſed præcipuas Aſiæ attingam, & earum cognitionem ad vitam civilem etiam opus eſſe demonſtrabo.

Aſia (a) inſignis portio orbis terrarum, quæ latius etiam patet, quam Europa, diviſa eſt in reſpublicas varias, quæ omnes ſunt monarchicæ, & hoc non tantum, verum etiam maxime vicinæ ſunt tyrannidi, quæ non tantum hodie ibi obtinet, verum etiam olim obtinuit. Teſtatur enim Ariſtoteles, aſiaticos populos fuiſſe heriliter tractatos, *Europaos* (b) vero ſemper adſpiraſſe ad libertatem, at vero aſiaticos non animo æquo tuliſſe herile imperium. Quamvis autem illa regna aſiatica jam olim fuerint, & ſint monarchica & herilia, non tamen ſunt vere tyrannides. *ARIST. lib. III. polit. cap. ult.* enumerat aliquot regnorum ſpecies, & inter eas, quæ parum differunt a tyrannide illique ſunt vicinæ, & in hoc tantum, quod ſint legitimæ, ab eo diſcrepant. Omnis quidem tyrannis eſt herile imperium, & tyrannis, aliquod eſt contra leges, at ſicubi lege receptum ſit herile imperium, ibi non obtinet vera tyrannis. Herile itaque imperium populus non fert animo iniquo, quapropter talia regna non ſunt usq; adeo obnoxia periculis & mutationibus, quam ſunt veræ tyrannides, quoniam has fert populus invito animo, & ſunt etiam contra leges. Usque adeo autem per *univerſam Aſiam* (c) omnes reſpublicæ ſunt monarchicæ, ut etiam aliud eſſe genus regiminis plane ignoraverint, imo crediderint non eſſe. Experti hoc ſunt Batavi, cum inſtituerent commercia per Aſiam & Indiam. Hi quamvis domi haberent liberam rempublicam, coacti tamen fuere a principe Mauritio, accipere tabulas ſalvi conductus, quaſi is eſſet *Dominus Batavorum*. (d) Erat autem Princeps Mauritius tantum gubernator bellicus, & adminiſtrator illius provinciæ. Coacti ſunt Batavi tabulas illas accipere, ut eas poſſent monſtrare gentibus aſiaticis, quæ crediderunt, non poſſe aliud genus imperii reperiri, quam monarchicum, adeo ſunt alieni a liberis rebuspublicis. Ex quo tamen Hollandi ibi cœperunt magis innoteſcere, & imperium ſuum ibi magis dilatare, intellexerunt etiam populi illi, dari aliud adhuc regiminis, quam monarchicum, quod hactenus illis fuerat inauditum. Inſtituerunt autem Hollandi ibi commercia ab anno 1594. non autem tantum multæ obtinent monarchiæ in Aſia, ſed etiam ſunt ibi multa *regna*. (e) De ſingulis autem agere, non puto eſſe operæ pretium, quia omnium quodammodo regiminum eadem eſt ratio. Foret etiam nimis prolixum de omnibus agere, & ſi mihi de omnibus illis pro dignitate eſſet dicendum, menſis unus & alter requireretur. Agam autem de illis tantum, quæ magnum ſibi nomen invenerunt, & præ aliis ſunt potentes. In univerſum eſt notum, quod extremæ partis Aſiæ, quæ hodie India vocatur, olim fuerit aliqua notitia, quantumvis perexigua. Apparet tamen ex ſacris litteris, Regem Salomonem commercia inſtituiſſe in Indiam, & navibus ſuis penetraſſe in *Ophir* (f) inſulam, quæ omnino videtur fuiſſe Inſula Zeylon. Ex hac enim omnia accipi poſſunt, quæ Salamon accepit, & huic etiam convenit deſcriptio Ophir. Ex eo tempore magis magisque terræ illæ cœperunt eſſe *incognitæ*, (g) quapropter de illis terris exſtant pauca monumenta, quæ nos quidem juvare poſſunt. Notandum, autem eſt, omnium primos Venetos illarum extremæ Aſiæ partium notitiam Europæ intuliſſe. Hi enim exercuerunt commercia per mare rubrum, hoc eſt, per ſinum arabicum, usque in Indiam, idque videntur feciſſe ab ann. 1300. usque ad 1500. & ita per 200. ann. Interim tamen Veneti nulla reliquerunt *monumenta*, (h) quibus earum inſularum notitia ad nos pervenire poſſet, idque feciſſe videntur ſingulari arte, quod inſularum ditiſſimarum apud alias deſiderium creare nollent, præſertim non putarunt, e re eſſe, notitiam illarum regionum pervenire ad populos europæos, ſibique ita ſolis ſapuerunt. Habemus tamen deſcriptionem illarum terrarum, & fere

(a) *Aſia*) *BAUDRAND p. 105.* In longitudine a gradu 48. usque ad 171. in latitudine vero a gradu 10. ad 71. extenditur. Unde dicta ſit, inter autores non convenit, neque hoc loco ea de re agere operæ pretium erit.

(b) *Europaos*) Sed exempla habemus, & europæos populos ſervituti aſſueſcere, uti in regno Galliæ. Quin priſcis temporibus dominatus herilis obtinuit in Hungaria, & ut creditur, etiam in Polonia. De regno Ruſſorum res ipſa eſt in propatulo.

(c) *Univerſam Aſiam*) De Regum Ebræorum poteſtate tamen, utrum olim limitata an abſoluta, et herilis fuerit, diſputatur. CONRING. *in diſſert. de republ. hebr.* acceſſit illis, qui eorum poteſtatem plane monarchicam & herilem fuiſſe ſimilem cæteris orientalium imperiis ſtatuunt. Nos de jure ipſo fere non dubitamus, (deſiderabant enim Ebræi ejusmodi Regem, quales erant cæteri orientalium, nec Deus abnuit, ſed expreſſis verbis de jure regio herili illos docuit,) pios tamen Reges ab uſu hujus poteſtatis recte abſtinuiſſe exiſtimo.

(d) *Dominus Batavorum*) Eam ob cauſam Mauritius quoque ab Indianis Rex Hollandorum dictus fuit, eique hunc titulum in literis ſuis tribuerunt. Et Rex in Johor (eſt provincia malaccenſis cherſoneſi in India,) cum Belgæ ipſi enarraſſent formam reipublicæ belgicæ, nempe hanc a multis adminiſtrari, neque Regis alicujus imperium agnoſcere, adeo effuſe riſiſſe perhibetur, ut vix quadrante horæ ſe colligeret, atque reliqua enarrandi locum Belgis concederet, uti ex navigationibus Belgarum refert. BERNH. VARENIUS *in diſſert. præliminari deſcriptionis regni Japoniæ.*

(e) *Regna*) Intelligit autor regna, quæ ſunt monarchicis tributaria. Sic Rex Chinarum Indiæ ſ. magnus Mogur, Siamis, Japoniæ multos vaſallos habent regio titulo gaudentes, unde & Cæſares appellantur.

(f) *Ophir*) Vid. quæ alibi de hac materia dicta ſunt. Non poteſt certe determinari, ubi Ophir ſita fuerit. Quæ enim pro inſula Ceylon, ſive Taprobana olim dicta afferuntur, vincuntur, ni fallor, argumentis a regno Pegu deſumtis, in quo Judæorum quædam memoria ſupereſt. Vid. BAUDRAND *p. 725.* Quid ſi Ophir ſit ipſa Africa?

(g) *Incognita*) Non tamen plane fuerunt incognitæ. Nam & Alexander M. usque in Indiam penetravit, & de Brachmanis atque Gymnoſophiſtis multa veterum monumentis prodita ſunt. Scripſit de gentibus Indiæ & Brachmanibus PALLADIUS GALATA, quem ex græco latine vertit, ac notis illuſtravit EDUARD. BISSÆUS.

(h) *Monumenta*) Typographiæ uſus nondum fuit. Deinde diteſcendi potius, quam ſcribendi ſtudio flagrarunt Veneti. Deſiderium tamen in Indiam proficiſcendi Luſitanis ſine dubio ex relationibus Venetorum manuſcriptis ſubnatum eſt.

ré omnis Aſiæ, ante illa tempora tamen deſcripram a quodam *Marco Paulo* (a) Veneto Patricio, qui cum patre Nicolao, & patruo ſuo profectus fuit per Aſiam ad magnum Tartarorum Regem, qui latiſſime per Aſiam dominabatur, in cujus aula vixit per annos XVII. magnis item negotiis eſt admotus a Tartarorum Chamo. Peragravit autem totam Aſiam, illamque deſcripſit, ut ſuo tempore fuit. Meretur legi ejus hiſtoria, tametſi ex eo tempore maxima ſit facta omnium rerum mutatio, & multa regnorum nomina mutata ſint; anni enim ſunt 400. ex quo ille in Aſiam commigravit. Licet tamen etiam inde petere, quæ eximium poſſunt habere uſum, vel ſaltem etiam nos delectare. Illud opus optime eſt editum Helmſtadii a Reinero *Reineccio*, (b) polyhiſtore illo & magno hujus Academiæ lumine, invenit nominis ſui gloriam per univerſum orbem. Paulo poſt ſimile quid ſcripſit Haitonus Armenius, qui vixit tamen in Gallia, & hic liber hic eſt editus a Rein. Reneccio. Eſt in magno pretio apud veterum rerum indagatores, & care ſolet emi, ſunt etiam ambo illi libri inventu jam rariſſimi: at vero longe majorem harum terrarum accepimus notitiam, ex quo Portugalli commercia inſtituerunt per illas terras auſpiciis *Regis Emanuelis.* (c) Igitur, quamvis Aſia ita nota eſt nobis, præter meridionalem tamen pauca habemus cognita, ſeptentrionalis certe non eſt accurate cognita, imo fere incognita. Per meridionalem exercentur commercia a Portugallis, Batavis, & Anglis. Hi tres populi acquiſiverunt nobis harum terrarum notitiam. Igitur ex horum libris peti poſſunt res illius Aſiæ. *Inter omnes illos* (d) meo quidem judicio eminet liber Joh. Hugonis *Linſchotani* (e) Batavi, qni per aliquot annos vixit Goæ, & accurate inquiſivit omnem ſtatum Aſiaticum, & primus accuratiorem edidit deſcriptionem Aſiæ, & hujus ductu Batavi eo inſtituerunt commercia, nam ante hac in illas terras navigiis non penetraverant. Igitur hic de Batavis optime eſt meritus, valuit ingenio, judicio & notitia variarum rerum, quamvis alias eſſet homo indoctus. Eximiam quoque mediterraneorum Aſiæ meridionalis peritiam debemus *Jeſuitis*, (f) hi enim eo tranſlati per Luſitanos, non dubitarunt penetrare in meridionalem Aſiam, quo alias mercatores minus venire ſolent, & ſane in aliquibus locis non infeliciter propagarunt Evangelium & religionem chriſtianam, alibi minori alibi majori felicitate. Certe ſi verum eſt fatendum, Jeſuitis deberi ſaltem primam cognitionem religionis chriſtianæ in his terris.

DE REGNO TURCICO.

Regnum turcicum eſt omnium præſtantiſſimum & nobis maxime formidabile ob vicinitatem. Meminiſtis autem, ſimulac mahumedana religio cœpit, ſtatim enatum fuiſſe magnum imperium, inuſitata felicitate propagatam eſſe religionem mahumedanam, vi nimirum armorum: nulla religio vi armorum tantum cœpit incrementi, atque hæc. Quapropter Mahommedani non dubitarunt inter argumenta veritatis religionis felicitatem armorum numerare. Hoc etiam argumento Pontificii utuntur, ſed inepte; talis enim felicitas a ſalvatore promiſſa non eſt. Tria autem cumprimis magna imperia ſe mutuo excepere. Primum eſt *Saracenicum* (g) vel

(a) *Marco Paulo*) *MARCI PAULI VENETI de regionibus orientalibus libri tres, quibus itinera ſua in Tartariam, Aſiam, Chinam, Indiam, aliasque Orientis regiones deſcripſit.* Edidit illos ANDR. MULLERUS collatos cum codice manuſcripto bibliothecæ berolinenſis, & adjecit HAYTHONI ARMENI *hiſtoriam orientalem.*

(b) *Reineccio*) *Exſtat ejus hiſtoria orientalis, ſeu de rebus in Oriente geſtis a Chriſtianis, Saracenis, Turcis & Tartaris ex autoribus diverſis in unum collectis, editis & illuſtratis.* Helmſtad. 1602. 4.

(c) *Emanuelis*) *FERDINAND. LOPES* de *CASTANEDA*, hiſtoriam Indiæ orientalis auſpiciis R. Emanuelis occupatæ libris 8. deſcripſit, nec non Joh. di Barros, cujus Aſiam ſ. hiſtoriam de rebus geſtis Luſitan. in India orient. ex lingua portugall. italice tranſtulit *Alphonſus Ulloa.* Scripſit etiam Fray *ANTON.* de ſan *ROMAN hiſtoria general de la India oriental*, los duſcubrimientos y conquiſtas &c. Adde *JOCHIN* du *CENTELLAS les voyages & conqueſtes des Portugais & Indes orientales.*

(d) *Inter omnes illos*) Alias ad hiſtoriam & notitiam Aſiæ generalem faciunt quoque. *JOH. BAPT. GRAMATE Aſia ſive hiſtoria univerſalis aſiaticarum gentium & rerum domi foriſque geſtarum a cujusque origine ad hæc tempora.* Item *Aſia nova deſcriptio, in qua præter provinciarum ſitus & populorum mores mira deteguntur, & hactenus inedita.* Pariſ. 1656. fol. *JACOB. GASTALDI Aſia deſcriptio. BARTHOLDI NIHUSI chronographia nonnullarum Aſiæ provinciarum. FRANCISCI MODII hiſtoria rerum in Oriente geſtarum ab exordio mundi. ABRAHAM. ECCHELLENSIS chronicon orientale: GABRIEL SIONITA de nonnullis orientalium urbibus, nec non indigenarum religione & moribus cum geographia NUBIENSI. GIOVANNI* di *BARROS Aſia, ſive de rebus geſtis Luſitanorum in India orientali.* Qui liber portugallice & italice prodiit. *JOH. HENR. HOTTINGERI Archæologia orientalis. BARTH. d' HERBELOT bibliotheque orientale.* Huc ſpectant etiam itineraria, uti *PHILIPP. a S. TRINITATE itinerarium orientale, CHRISTIAN. FURERI itinerarium Arabiæ Paleſtinæ, Syriæ aliarumque regionum orientalium. Relation concernant les caravanes ou corteges des Marchandes d' Aſie par BUGNON. Voyages de J. STRUYS en Moſcovie, en Tartarie, en Perſe, aux Indes &c. Journal du voyage* du *CHEV. CHARDIN en Perſe & aux Indes orientales, Voyages en Afrique, Aſie, Indes orientales & occid. par J. Moquet. les memoires du voyage du Marquis de Ville au Levant, Voyage du SR. PAUL LUCAS au Levant. Relation journaliere du voyage du Levant par H. de Beauvau, Voyages des François aux Indes orientales* Pariſ. 1611. *Voyages au Levant* par *COR.* le *BRUN divers voyages & miſſions du P. ALEXANDRE* de *RHODES en la Chine & autres Royaumes de l' orient avec ſon retour en Europe par la Perſe & l' Armenie*, item Tavernier P. de la Valle, Thouvant, Thevenot. Nicolai de Nicolai aliorumque itineraria.

(e) *Linſchotani*) Ejus navigatio ac itinerarium in orientalem Indiam belgice, gallice & latine prodiit.

(f) *Jeſuitis*) Extant Jeſuitarum epiſtolæ indicæ, nec non integræ relationes hiſtoricæ de miſſionibus eorum, uti Eman. Aroſtæ, Petri Jarrici, Nicolai Pimentæ, Joh. Petri Maffei, Nicol. Trigantii Chriſtoval Svarez de Figuero, Luis de Gaeman, aliorumque.

(g) *Saracenicum*) Vid. *DRECHSLERI chronic. ſaracenicum.*

vel agarenum, vel arabicum; Arabes enim tantos fecere progreſſus & vaſtum imperium fundavere, quod duravit ſatis diu, per Caliphas, qui ſedem poſuere in urbe Bagdad. Calipha eſt vox arabica & ſignificat idem, quod *vicarium*. (a) Muhamedani enim illum habebant tanquam prophetam, dicuntque ei fas eſſe *arma* (b) corripere contra omnes, qui non ſunt addicti religioni muhammedanæ, illum *adorant* (c) quoque ut principem, qui fungatur quaſi vice Muhammedis, illumque dicunt Calipham, eodem plane modo, quo in Chriſtianos pontifex ſe venditat vicarium Petri, qui Pontificatus ferme ſimilis eſt Caliphatui Muhammedis. Profitetur quoque curia romana, Pontifici eſſe jus in univerſum terrarum orbem. Similiter Pontifex romanus profitetur: ſe habere poteſtatem terram aliquam conferendi, cui velit. Quemadmodum porro Muhammedani tradunt, Muhammedem eſſe prophetam, ita dicunt Romanenſes, Petro traditum eſſe dominium totius orbis, & caput eſſe totius eccleſiæ. Quemadmodum Muhammedani profitentur, Deum Muhammedi conſtituiſſe ſucceſſores & Caliphas, ad eundem modum tradit curia romana de Papa. Vulgo creditur, *Caliphatus* (d) nec hodie extinctos, verum falluntur revera; & ego antehac idem profeſſus ſum in diſputatione, ſed falſo quoque. Ceterum affirmatur Caliphas perpetua ſucceſſione ſibi invicem ſucceſſiſſe usque ad ſec. 13. poſt C. N. tum in capta urbe Bagdad primus ille Caliphatus deſiit. Deſiit autem per irruptiones tartaricas Duce Chingis cham, qui anno 1200, poſt. C. N. fregit illum Caliphatum. Non multo poſt ſimilis Caliphatus cœpit in Aſia minori & quidem *duplex*; (e) alter Togranus; alter Aladinius. Hos excepit imperium Turcarum, quod cœpit ſec XIV. id quod hodie ſupereſt. De imperiis antiquis Muhammedanis agere operæ pretium non eſt, neque inſtituti noſtri. Si quis autem aliquid legere velit de imperio agarenico, legat librum *Georgii Elmacini* (f) a THOMA ERPENIO Prof. Lugdun. ex arabico verſum. Olim de tribus illis imperiis breviter egit JOHANNES LEONCLAVIUS *Lib.* 1. *Muſchelmannicæ hiſtoriæ* Turcarum. Vox *Muſelmann* (g) eſt Arabica & denotat Orthodoxum ſive Catholicum. Quod attinet ad res *Turcarum*, (h) illi prodiere ex illa Aſiæ parte, quæ hodie dicitur

cum, *CÆLII AUGUSTIN. CURIONIS ſaracenicæ hiſtoria libros III. STRUCKHUSEN ſyntagma hiſtoriæ Saraceno turcicæ.* *Saracenicum* Pocockio idem eſt, quod orientale. *Agarenum* aliis ab Hagare, aliis ab Agræis ſive exulibus dicitur, unde & Hegiræ nomen.

(a) *Vicarium*) Hinc Arabes Adamum vocant Chalipham, id eſt, vicarium Dei. Et Calipha illis eſt Imperator, Rex magnus & univerſalis, qui vices Dei in his terris gerit, vel potius, qui vicarius & ſucceſſor eſt Mohammedis. Idcirco enim primi quatuor Mahommedis ſucceſſores, Abubecker, Omar, Osman. Alii potiſſimum Caliphæ dicti ſunt, etſi deinde hoc nomine etiam reliqui ſucceſſores ſint inſigniti, vide *GOLII lexicon arabicum p.* 749. Cæterum de Caliphis vide præter alios *tom. IV.* ad PUFFEND. *introd. in hiſtor. c.* 13. *l' hiſtoire mahometane ou les* 49. *caliphes du Macine &c.* par *PIERRE VARRIER.* Primus Mohamades vel Maimon Syriæ Calipha Damaſco, quam priores inſederant, relicta regiam pontificiamque ſedem Bagdadum tranſtulit: Hujus autem tempore Saracenorum imperium jam in plures partes fuit diſpertitum, ut unum eſſet in Syria, alterum in Ægypto, tertium in Africa, quartum in Hiſpania, ita tamen, ut Ægypti Calipha potius Sultanus, is qui Morocci erat in Africa, Omra Almomenim ſive Amirol Mumenim, Imperator fidelium, cui Hiſpanici Saraceni ſubjecti fuerunt, is vero, qui Aſſyriæ imperabat proprie Caliphs, ſive ſucceſſor Mohammedis diceretur. vid. STRUCKHUSEN p. 62.

(b) *Arma*) Ex inſtituto nempe ipſius Mohamedis, qui non modo ipſe arma corripuit adverſus diſſentientes. Sed & quatuor creavit tribunos militum, Abubeckerum, Omarum, Osmannum, & Ali, quos quatuor acutos Dei gladios nuncupavit, juſſitque in diverſos orbis terrarum partes ire, omnesque, qui legem ſuam amplecti detrectarent, trucidare. STRUCKHUSEN p. 14.

(c) *Adorant*) Caliphæ in magna ſunt apud Mohammedanos veneratione, præcipue inter primos *Omar*, a quo inſtitutum jejunium menſis Ramadan, titulusque Omra Almumenim derivatur. *Othman*, qui ſchedas Mahommedis varias in ordinem & capita redegit, *Muavias*, quem primum ad exemplum Mohammedis pro concione verba dixiſſe perhibent, & librum de dictis & factis Mohammedis, quem Zuna dicunt, conſcribendum curaſſe. Cæterum ſi placeat alias Calipharum cum Pontifice romano comparationes audire, adjici poſſunt ſequentes. 1. Uſi ſunt Caliphæ annulo Mohammedis, in cujus caſu quodam amiſſi locum Osmannus alium ſibi fabricandum curavit cum inſcriptione: O pertinaces & pœnitentes. Utitur ſimiliter Pontifex annulo Petri. 2. Calipharum erat decidere controverſias, ſi quæ in explicatione Alcorani orirentur. Pontifici pariter romano jus explicandi S. literas & controverſias ſacras decidendi tribuitur.

(d) *Caliphatus*) Caliphatus primum per ipſos præfectos & principes provinciarum fractus fuit, iique poteſtatem rerum civilium ad ſe traxerunt, & Caliphis præter dignitatem, titulum, & jus circa ſacra vix aliquid reliquerunt, inter quos etiam anno 944. aliquis Macazod danlas Bowaides ipſum occupavit Bagdadum, donec tandem Hulaca Tartarus hac urbe ſexiduo direpta caliphatus ann. 1258. bagdagenſi finem impoſuit vid. *Drechslerum* p. 88. Poſt hæc Principes Mahomedani in regnis & provinciis ſuis loco Caliphæ rebus ſacris perſonam plane peculiarem conſtituerunt, quæ hodie penes Turcas Mufti, penes Perſas Sadre dicitur, imperio civili ſubjectam, & Alcorani nonniſi ex ratione ſtatus interpretem. Vide PRIDEAUX *de vita Mohammedis p.* 163. NERRETERI *Moſchea turcica p.* 44.

(e) *Duplex*) Caliphas Arabes, ſive Hagarenos alias Abbaſſidas dictos ſubſecuti ſunt Selzukii a Togra oriundi, inde Tograni dicti, Togranis ejusdem cum iis originis ſucceſſerunt Aladinii, quorum ſedes fuit Icon in Aſia minore, eorumque regnum idcirco Iconium appellatum, Aladiniis denique Oguzii, ex iisque Osmanidæ. Vid. *NERRETERI moſcheam turcicam. p.* 443. 444.

(f) *Elmacini*) Elmacino ſ. addenda eſt Gregorii Abulfaragii hiſtoria Dynaſtiarum ex verſione Pocockii.

(g) *Muſelman*) Moslemin ſ. Moſelmanni dicuntur proprie credentes ſ. fideles, unde & Islamismus religio mohammedica appellatur. Gaudent hac appellatione cumprimis Mohammedani, cæterosque Gauros ſive infideles appellant, cf. BIBLIANDRUM *in Alcorano additisque huic collectaneis.* HOTTINGER. *in hiſtor. & theatr. orient.* *HORNBECK. de Mohammedismo.* *FUNCCIUM p.* 80.

(h) *Res Turcarum*) De origine Turcarum eorumque incrementis, vid. part. *IV. ad introd. Puffend.* c. II. STRUCKHUSEN p. 45. ſeq Breviter ita *LEUNCLAV. hiſtor. Muſulm.* lib. 1. *Sunt in hac gente pleraque prodigioſa. Primum exordia ejus perquam humilia, quæ initio trans Tanaim nulla ſede ſtabili, nullis certis perpetuisque domiciliis uſa, ſed longe lateque patentes campos cum familiis & armentaria re paſſim ſolita pervagari.* (Unde etiam Turcæ dicti ſunt, quod nomen ipſi lingua ſibilante Taurk, vel etiam Jurk pronunciant, & notat paſtorem peregrinantem.) *Tandem propius ad pontum Euxinum & Iberos veteres, quos ibidem adhuc habitantes Cargginos vel Georgianos appellamus, acceſſit, ubi partem eorum ſtipendiis oblatis Heraclius copiis ſuis adſcripſit. Hinc ulterius in Armeniam progreſſi ſuas ibi ſedes nondum priſcis Nomadum moribus exutis poſuerunt, donec imperante Conſtantino Monomacho ſec. Cedrenum a quodam Rege Per-*

dicitur Turckeſtan & ad Tartaros usbequienſes pertinet, qui habuerant vim aliquam. Conducti enim antea fuere milites, modo hujus, modo illius, & imperium illorum perquam fuit exiguum. Ceterum adventantibus Tartaris ſec XIII. coacti fuere aufugere, impares enim ſe viderant. Hinc relicta Perſia, & Turckeſtan transgreſſi Euphratem effuderunt ſeſe in Aſiam minorem, hodie dictam Natoliam. Primus illorum cœpit ſingularem condere rempublicam Osmann ſive *Ottomann* (a) dictus. Poſuere autem ſedem in Bythinia, in urbe Pruſia, hodie Burſia, quæ prima ſedes regia vel Ottomannica & Turcarum fuit. Aſia minor Natolia dicta a *ἀνατολῆ*, quod Orientem denotat, quia pars imperii turcici in Aſia eſt Orientalis. Trajecto vero Boſphero thracico ſedem fixerunt Adrianopoli, demum vero ipſa Conſtantinopoli occupata, ſedem ibi poſuerunt. Tantos vero progreſſus illa familia paulatim fecit, ut ſimilem nullam reperias, quæ tam ſubito adeo vaſtum imperium exſtitit. Tribus enim terrarum partibus incumbit, ut nullum imperium cum eo comparari poſſit. Boterus quidem hiſpanicum regnum præferre voluit, ſed non recte. *Noventur* (b) vero primo ſcriptores, qui ad reſpublicas & gentis illius res commentati ſunt. Sunt vero varii, græci, latini, germani, ſed non omnes pares ſunt. Inter Græcos laudatur *Laonici Chalcocondyla* (c) hiſtoria, quæ inter Græcos omnibus præferenda. Palmam inter latinos omnibus præripit *Leonclavius*, (d) nobilis Angrivarius & Epiſcopus mindenſis, græcæ & latinæ linguæ peritiſſimus & variæ eruditionis, qui cum Legato cæſareo, Davide Ungnadio profectus, magnos ibi fecit progreſſus Conſtantinopoli in notitia rerum turcicarum. Valuit ingenio, hinc omnibus merito præferendus eſt, quare & Thuanus illum ſemper ſequitur. Scripta ejus ſunt varia & anno 1588. *annales* (e) Sultanorum Ottomannicorum a Turcis ſua lingua ſcriptos vertit, uſus interprete turcico in aula cæſarea, in qua ſemper eſt talis interpres. His annalibus addidit Leonclavius de ſuo quicquam. Adjecit porro inſigne opus, pandectas hiſtoriæ turcicæ, quibus plurima continentur, quæ faciunt ad illuſtrandam omnem hiſtoriam turcicam. Liber eſt rariſſimus, niſi in aliqua bibliotheca celebri eum videas. Item *edidit* (f) anno 1591. opus hiſtoriæ muſel-

Perſarum (Mahomete Sebactegine) *muneribus ad belli ſocietatem adverſus Indos, & Bagdadinum Caliphum pellecti Araxe tranſito Perſiam, Togra Selzacio duce, Græcis Tagrolipice intrarunt & extincto in pugna rege, qui evocatos in ſe ipſum converterat, Choroſanem primum, deinde reliquas Perſiæ provincias, & majorem Aſiæ partem occuparunt.*

(a) *Ottomannus*) Rectius Osmanes, quod arabicæ turcicæque linguæ proprietas poſtulat, cui & græca nominis prolatio per literam ϑ ſcripti non adverſatur, quando iſtæc litera non latinæ T vel Th reſpondet, ſed ex uſu Græcorum gemino potius S cum ſibilo quodam expreſſo. Filius fuit Ertrogulis, ſive Ertaculis, nomenque accepiſſe dicitur a tenui, ubi natus dicitur, Galatiæ oppido, quod Ottomanzium hodieque appellatur. Is cum majores ejus e Perſia in Aſiam a Tartaris ejecti apud Sultanos Aladinios ſelſuziæ ſtirpis tantam jam obtinuiſſent gratiam, ut imperii conſequendi ſpem conciperent, extincta Aladiniorum familia ipſe tandem anno 1300. peculiarem cœpit rempublicam ac potentiam in Aſia minore conſtituere. Ac initio quidem tenues ejus fortunæ fuerunt, adeo, ut aratum exire ſolitus, quoties prandium afferretur, tuba cani juſſiſſe perhibeatur, cujus audito clamore vicini ad eam agricolæ prandii cauſa convenirent. Succeſſu tamen temporis imperium ejus nimium quantum crevit. Multis enim Chriſtianorum vicis & caſtellis in Phrygia majori, Bithynia, Myſia occupatis, Nicæam quoque & Pruſiam deinde expugnavit, Pruſiæque imperii ſedem conſtituit, allectis ſibi primum ſatellitibus, quos januas Regis vocavit, teſte STRUCKHUSEN p. 123. hodie Janitſcharios, ibique anno 1327. mortuus eſt. Ab hoc Osmane porta dicitur ottomannica ſive osmanica, vide de eo *anonymum apud HONORIUM in editione Elzeviriana p.* 104. *ſeq.* Succeſſit ei *Urchanes*, qui vicinas Niceæ urbes in Troade ſitas Jeniſar, Cozri, ſive Cariſſum, Pergamum, Adramytium imperio adjecit. Tum *Amurathes*, qui trajecto Boſphoro Thracico Adrianopolin, Philippopolim, aliasque Thraciæ urbes expugnavit, Poſt eum *Bajazetes*, qui Serviæ & Boſniæ tractus late populatus ipſam Conſtantinopolin prima vice obſedit, ſed irrito ſucceſſu ob bellum cum Temirlane ſucceſſum, donec tandem ſub Mohammede II. ipſa hæc imperii Græcorum metropolis anno 1452. expugnata fuit.

(b) *Noventur*) Inter hiſtoricos rerum turcicarum merentur etiam conſerri. *Theodorus Gaza, Johannes Bapt. Egnatius, Venetus Franciſcus Sanſovinus de origine & imperio Turcarum. Philippi Loniceri chronicon Turcicum. Chriſtophori Beſoldi hiſtoria conſtantinopol. turcica. Joachimi Camerarii commentar. de rebus turcicis. Georgii Pontani hiſtoria rerum turcicarum. Ludovicus Tubero & Paulus Jovius de rebus turcicis. Giov. Sagredo memorie hiſtoriche de' Monarchi Ottomanni. Chronicon turcicum ab Osmanno usque ad Mahometem anno* 1417. *ex turcica lingua italice tranſlatum a Vincenzo Batrutti. Simile chronicon ab Osmanno usque ad Selimum I. anno* 1520. *latine redditum per Johannem Baptiſtam Podeſta. Pauli Ricaut hiſtoria Turcarum ab anno* 1623. *ad an.* 1677. item *ab anno* 1679. *ad annum* 1699. *Anglice edita. Th. Pelletier hiſtoire des Ottomans Grande Seigneurs de Turquie. Biſaccioni hiſtoria dell origine & guerre de Turchi. Neueröffnetes amphitheatrum turcicum.*

(c) *Chalcocondyla*) *Laonicus Chalcocondylas* athenienſis ſcripſit libros X. *de origine & rebus geſtis Turcarum ab anno* 1294. *ad annum* 13. *Mahometis I.* qui eſt annus *poſt C. C.* 1462. Editus eſt cum aliis ſcriptoribus de origine & rebus geſtis Turcarum, ſpeciatim *Nicolao Euboico Saguntino Epiſcopo, & Johanne Ramo &c.* inter ſcriptores de rebus turcicis, ex interpretatione *Conr. Clauſeri* Baſil. 1556. gallice per *Blaſium Vigenerium* & cum continuatione per Artus Thomas Sieur d' Emby. Pariſ. 1612.

(d) *Leonclavius*) Vel Lewenslavius a *Thuano* lib. 104. ſub fin. laudatur, *ut juris romani græcique conſultiſſimus, & rerum turcicarum apprime peritus, ad quas linguæ ipſius byzantina peregrinatione comparatam cognitionem, exactam ultima hiſtoriæ lectionem, & acre ac admirandum judicium attulit.* Mortuus eſt Viennæ anno 1593 ſexagenario minor. Præter res turcicas etiam *jus græco-romanum, & notas ad Paratitla ſive collectionem conſtitutionum eccleſiaſticarum*, nec non autores quosdam Græcos, uti *Xenophontem*, (ſuper cujus interpretatione litem criticam ipſi movit *Henricus Stephanus*) *Cæſarii S. Nazianzeni fratris Dialogos IV.* (ob quos *Jacobus Billius* eum aggreſſus eſt) aliaque edidit, de quibus vide Bailium p. 1690. Melch. Adami de vitis philoſophorum p. 379. 380.

(e) *Annales*) Titulus integer eſt, *annales Sultanorum Othmanidarum ab Osmanno ad Solimannum II. anno* 1550. *turcice conſcripti, poſtea germanice converſi per Johann. Gaudier dictum Spiegel, nunc autem latine redditi & continuati ad an.* 1588. *variisq; acceſſionibus illuſtrati a Joh. Leunclavio* Francof. 1596. Hi annales in catalogo oxonienſi Thomæ Jameſii indicantur titulo *annalium Hieronymi Beck.* ſine dubio, quod ille eos primo Conſtantinopoli attulit, Fuit enim Hieronymus Beck a Leopoldsdorff legatus Ferdinandi Imper. ad portam ottomannicam anno 1551.

(f) *Edidit*) *Hiſtoriæ Muſulmannæ Turcarum libros XVIII.* a Ma-

muſelmannicæ Turcarum, quod itidem eſt rarum & expetitum ab omnibus Europæis, editum Franckofurti. Deſcriptionem *reipublicæ turcicæ* (a) egregie edidit Joh. de Laet. Sunt porro relationes de imperio turcico in Theſauro politico, ſed non merentur conferri cum libello Johannis de Laet; in Belli diſſertat. poteſt legi cap. 27. & 28. part. 1. & part. 3. relat. 16. placuit mihi etiam præ reliquis de ſcriptis imperii Ottomannici Antonii Godofredi equitis gallici, quem latine vertit Wilhelmus Goddæus. Habet perquam multa curioſa. Eſt etiam liber dictus: Turca invincibilis. Tria autem in illo ſunt conſilia, trium autorum, 1.) Lazari *Sorantzii* (b) patritii veneti, cui nil ſimile ſcriptum. Videlicet autor non fuit eruditus, peritiam tamen habuit omnis potentiæ turcicæ. 2.) Achillis *Tharducci* (c) 3.) non eſt paris momenti, eſt tamen egregium ſcriptum. Liber editus eſt Franckof. 1601. bello inter Adolphum Cæſarem & Amurathen feliciter finito. Et utinam cum ea felicitate & nunc bellum agatur. Conſuli etiam poſſunt Augerii Gislenii Busbequii epiſtolæ, quæ etiam in pretio habentur. Dictum jam eſt de *amplitudine* (d) imperii: nunc ordine de omnibus populis & terris agemus & 1.) de Aſia 2.) Africa 3.) Europa. Ab Oriente Turca vicinum habet Perſam. Metuit vero neminem, niſi Perſam. Ab Oriente Tygris & Euphrates ſunt limites, & Bagdad eſt omnium extrema urbs imperii turcici. Verſus ſeptemtriones habet Armeniam, Turcomanniam & Tartariam, Mingrelliam, quæ ſunt apud Euphratem & ſinum Perſicum. Illa eripuit magna ex parte Regi Arabum, de quo obiter aliquid dicemus. *Arabia* (e) vaſtiſſimam implet Aſiæ partem. Libellum de Arabiæ regno, in Batavia excuſum, *habemus*. (f)

DE REGNO ARABIÆ.

Obſervatu vero dignum eſt, Arabiam inter ſe multum differre ratione ſoli. Hinc dividitur in Arabiam felicem & *deſertam*. (g) Auſtralior pars longe eſt cultior. Qui felicem colunt, dicuntur Sabaci a Saba; qui vero deſertam olim tenuerunt, dicti ſunt Iſmaelitæ, ab Agar oriundi, matre

a Mahomede Propheta ad annum 1552. nec non Apologeticos duos, quorum prior eſt libitinarius index Oſmanidarum, alter continet epiſtolas de rebus turcicis.

(a) *Republica turcica*) Adde alios ad reipublicæ turcicæ notitiam ſpectantes autores, ut *hiſtoire de l' Etat preſent de l' Empire Ottoman traduit de l' Anglois de Paul Ricaut* par *Pierre Briot*. Pariſ. 1670. item par le *Sieur Beſpier avec des remarques curieuſes & des figures*, anno 1677, *l' Etat preſent de la Turquie* par *Mich. Febore*. Ejusd. *le theatre de la Turquie*. *Thomæ Smith epiſtola de moribus ac inſtitutis Turcarum cum brevi Conſtantinopol. notitia*, *l' Etat preſent de la Puiſſance Ottomanne par le Sieur du Vignau*. *Wilhelm. Poſtellus de republ. Turcarum*. *Nuevo Tratado de Turquia con una deſcription de la Ciudad de Conſtantinopla, coſtumbres del Gran Turco, de ſu guvierno* por *Otavio Sapiencia*. *Il coſtumi e la vita de' Turchi da Giov. Ant. Menavino tradotte* per *Lod. Domenichi relationi nouvelle d' un Voyage de Conſtantinople* par *Joſeph Grelot*. *Journal du Voyage de M. Juſtin. Collier Reſident a la Porte pour les Etats generaux en l' an.* 1668. *traduit* par *Vincent. Minutoli*. *Memoires du Sieur la Croix continant ſes Voyages & diverſes relations tres curieuſes de l' Empire Ottoman*. *Petri Bizari aula turcica & imperii ottomannici deſcriptio*. *Nicolai Honigeri deſcriptio aulæ turcicæ*. *Antonii Geropoldi trutina hiſtorico politica imperii ottomannici*. *Caſpar Dornavius de incrementis dominationis turcicæ*. *Ubertus Folieta de cauſis magnitudinis imperii turcici*. *Adami Reusneri libri XVI. epiſtolarum turcicarum*. *Deſcriptio ſtatus imperii ottomannici*, quæ extat in Diarii Europæi continuat. XXI. p. 2. ſeq. *Jacobo Nagis* de *Harſany colloquia turcico latina, ſive ſtatus Turcicus loquens*.

(b) *Sorantzii*) Ejusdem quoque Ottomannus, ſive de rebus turcicis liber prodiit Hanoviæ anno 1599. Et Italice Ferraræ 1598.

(c) *Tharducci*) Ejus conſilium, quod Turcam invincibilem inſcribere placuit, ex italico in latinum ſermonem translatum eſt a *Jacobo Geudero*. Ad ejusmodi conſilia, de bello Turcis inferendo, ſpectant *Felicis Petancii* libellus *de itineribus aggrediendi Turcam*. *Pareri* di *Lazaro. Swendi Alemanno come ſi poſſe reſiſtere a Turchi*. *Diſcorſo del Signor di la Noue del modo di vincere i Turchi & Scaviargli d' Europa tradotto* da *Girolamo Naſſelli dalla lingua franceſe nell' Italiana*. *Joh. Sturmius de bello adverſus Turcas adminiſtrando*, uti & *Joh. Lauterbach de bello contra Turcas, & confuſio ſecta Mohammedana*.

(d) *Amplitudine*) Amplitudine ſua imperium turcicum totas tres Diœceſes e veteri imperio romano complectitur, nempe Illyrici, orientis & Africæ. Sola quarta Diœceſis Italiæ romano imperio relicta. Sic in Aſia habet Tauricam, titulo tamen provinciæ tributariæ, habet & Arabiam, Natoliam, ſ. veterum Aſiam minorem, Syriam, Meſopotamiam, Babyloniam; In Africa omnes ejus partes littorales ad mare mediterraneum usque ad regnum Feſſæ & Marocco. In Europa, Thraciam, Macedoniam, Græciam, Albaniam, Boſenam, Serviam, Raſciam, Bulgariam, & provinciarum tributariarum nomine Wallachiam, Moldaviam, Tranſylvaniam, Jurisdictionem maritimam exercet in Archipelagum, ſeu ut a Romanis vocabatur, provinciam inſularum, *Bremann*. pag. 726. Longitudo ejus ab ortu usque ad Occaſum, nempe a Tygri fluvio usque ad Golfum di Venetia 600. milliaria germ. a mari autem Perſico usque ad regnum Tremiſanum, 800. milliaria complectitur. Latitudo circiter 640. continet. conf. *Horatii Malaguzzi diſſert. de turcici imperii cum aliis monarchiis comparati magnitudine* in libello *de ſtatu imperii turcici* p. 161.

(e) *Arabia*) *Baudrand* p. 82. *Elle eſt une Presque Isle bornee au couchant par l' Iſthme de Suez & par le Golfe Arabique, au midi par le mer d' Arabie, au levant par le Golfe d' ormus, celuy de Balſora, & une partie de l' Euphrate qui la ſeparent de la Perſe, au nort elle a encore une partie de l' Euphrate, qu' il a ſepare du Diarbeck & de la Syrie priſe en general. La longeur de ce pays depuis le detroit de Suez jusqu' au cap de Raz algare eſt environ de cinq cents cinquant lieues. Sa largeur depuis le detroit de Babelmandel jusqu' au confins de la Syrie & du Diarbeck peut aller a quatre cents ſoixante lieues*,

(f) *Habemus*) Necnon *Olferti Dapperi Natoliam & Arabiam*. *Gabrielis Sionita deſcriptionem Arabiæ*. *Abulfaragii ſpecimen hiſtoriæ Arabum*. *Abrahami Ecchellenſis hiſtoriam Arabum*.

(g) *Deſertam*) Adde *Petræam*, quæ ab urbe Petra nomen tulit veterumque Nabathæa fuit, nunc Herac & Arach appellata, in qua ſunt montes Sinai & Horeb, item deſerta Sin, Zur, Kedar, Kades, urbes præcipuæ Buſſereth, Herath, Elior, Eilan, Havarra & Median. *Deſerta Arabia* hodie Arden Babyloniæ ad occaſum adjacet, in qua deſertum Benahali, ſ. Benaſeali Mare alias arenoſum dictum, quo itineraria referunt Medinam & Meccam, quæ loca tamen Baudrand ad Arabiam Petræam refert, huc vero Balſoram Annam, Tangiam &c. *Felix* alias Hiaman dicta aut Jemen a Samſonio in quinque, a Viſchero in 14. principatus dividitur, qui ſunt Mecca, Hagiaz, Jamama, Elcatiſ, Tehama, Fartach, Oman vel Amanzitiſdin, Alibinalli, Jemen, Vodana, Maſcalat, Zibith, Mocca, Xael vel Hadramouth, & complectitur præter urbes ejusdem nominis etiam alias, ut ſunt Zidden, Phaſar, Aden, Laghi, Almacharana, Saana, Sada, Guebelhaman, Dolfar, Maſiate, Sohar, Maſſa, Labſa &c.

matre Iſmaelis, extruſa ex domo Abrahami. Nomen vero Agaris hodieque ſanctum apud Agarenos, ſeu Iſmaelitas, ut ipſum montem *Sinai* (a) Agar hodie vocent. Miſerrime vero hodie vivunt, & ſunt prædones & raptores, nec incolunt agros aut urbes; ſed ſtudent rei pecuariæ. Vivunt ſub tentoriis & modo huc, modo illuc proficiſcuntur, ubi pabula inveniunt, paſcendi armenta. Habent tamen *Regem unum*, (b) quem fideli obſequio reverentur. Propter inopiam vero alimentorum, non poteſt eſſe magna eorum copia in uno loco; ſed mox usque ad Euphratem, mox in Syriam usque ad Aleppo vagantur. Famoſiſſimas tamen duas habent urbes, & omnibus imperiis ſaracenicis ſanctas, Medinam ſcilicet & *Meccam*. (c) In hac vixit Mahomed, cum vero, quia prophetam ſe eſſe venditabat, turbas daret, ab incolis coactus fuit, confugere Medinam, ubi ſtatim multos accepit ſectatores. Ab illa fuga incipit alia muhammedana, ſc. ab anno 622. qui eſt annus hegyræ. Hunc annum a die Veneris incipiunt, quam & loco diei dominicæ colunt. *Sepulcrum* (d) ejus in tanta habent reverentia, ut ſuperent ſuperſtitionem Chriſtianorum, in viſitando ſepulchro Salvatoris. Sita autem eſt Medina in loco arenoſo & difficili aditu. Interim aliquot millia hominum eo proficiſcuntur e populo Muhammedano, qui mille injurias perferre coguntur ob terram arenoſam & aridam. Eſt Medina in tutela *Turcæ*, (e) qui quotannis quosdam mittit, qui Muhammedem ſuo nomine colant & adorent. Idem facit Rex Perſarum, & multi ex Perſia eo proficiſcuntur religionis ergo. Quamvis autem Turca vicinum in Aſia habeat *Regem Arabum*, (f) qui non parum negotii ei faceſſit; alter tamen alterum debellare nequit: res enim Regis Arabum non ita ſunt firmæ. Poteſt quidem in aciem cogere 4000. hominum numerum, ſed facile rurſus dilabuntur, propter victus inopiam. Nemo vero in Syriam & Ægyptum iter facere poteſt tutum absque comitatu 4000. hominum, quia Arabes continuo iter infeſtant, & hinc inde divagantur. Turcæ tamen nihil nocere poſſunt. A parte ſeptentrionali habet turcicum Imperium, Tartaros, *Georgianos*, (g) qui nonnunquam Turcæ, nonnunquam Perſæ ſubſunt; potius tamen curant, ne ſibi noceat magnus Dux Moſchoviæ, qui imminet in magno regno Aſtracan. Ultra Pontum euxinum occurrunt Tartari *præcopenſes*, (h) ſive Crimæi, qui in tartarica Cherſoneſo & ſupra maeotidem paludem habitant, qui ſubſunt imperio turcico, conjunctiſſimi illi, quoad religionem: interim tamen ſuum habent Regem, qui obſtrictus eſt ſuppetias mittere pro levi ſtipendio. Hinc Turca eos non tam *metuit*, (i) quam utitur loco præſidii. Tenent *minorem Aſiam*, (k) cultiſſimam terram Aſiæ univerſæ. Celebres ejus ſunt urbes, inter quas eminet *Smyrna*, (l) emporium totius Aſiæ celeberrimum. Vivunt ibi Batavi, Angli, Veneti, Galli. Eſt ibi Helleſpontus, qui & olim celebris erat, ideo notatu

(a) *Montem Sinai*) Reſpicit autor ad id, quod dicitur Gal. IV. 25. Sed confer *Hermanni Witſii miſcellanea ſacra tom. 2. exercit. 5. de monte Hagar.* Mons Sinai & Horeb Ptolomæo montes Melani dicti. In monte Sinai hodie eſt S. Catharinæ monaſterium.

(b) *Regem unum*) Nihil quidem hac de re habet *Gabriel Sionita* in libello *de urbibus & moribus orientalium*, ſed poſtquam Arabes deſerta inhabitantes Bedayas dictos eorumque rationem vivendi deſcripſit, (quod ſub dio ſine ulla quiete morentur, ex una regione in aliam migrantes, & incertis ſedibus pro paſcuorum ubertate & copia aquarum circumvagantes, rapinis ac latrociniis victum quærant,) id ſolum obſervat, quod in plures familias copioſiſſimas diviſi ſuis familiarum principibus, qui cæteros nobilitate præſtant, morem gerant. Affirmat tamen *Baudrand* pag. 84. *que l' un de ces Princes, qui eſt eté du coté du couchant, porte le titre de Roy & qu' il eſt maitre de toute la partie de la Paleſtine, qui eſt au dela du Jourdain.*

(c) *Meccam*) De urbibus hisce vide *Thevenotium* ex eoque *Nerreterum* p. 283. 290. 332.

(d) *Sepulcrum*) Quæ de pendulo ejus Meccæ ſepulchro (Medinæ enim obiit, ibique ſepultus eſt) narrantur, fabula eſt teſte *Gabriele Sionita in deſcriptione Arabiæ* c. 8.

(e) *Turcæ*) Quanti Turcarum Imperatori quotannis conſtent peregrinationes Medinam inſtitutæ ex Ægypto, & quam ſplendido tegamento ſepulchrum Mohamedis cohoneſtare ſoleat, quibusve muneribus illud etiam alii Principes religioni Muſelmannicæ addicti proſequantur, de eo vide *Nerreterum* p. 166.

(f) *Regem Arabum*) Reſidet quoque Mecchæ Arabum Seriphius aut Princeps quidam, qui interea, dum peregrinantes Meccæ commorantur, ex urbe in montana ad certum tempus diſcedit, cui a duce Carawanæ nomine Imperatoris eximia munera offeruntur. *Nerreter.* pag. 310 & 311.

(g) *Georgianos*) Perſis Gurgeſtani, Turcis, Liverous, Kutchin, Gurgiani, aut Juriani dicti, ex parte perſico, & quidem ſiti ad mare Caſpium, ex parte turcico imperio ſubjecti & tributarii ſunt, qui nimirum ponto Euxino ſunt propiores. Perſis ſubjecti ante aliquot annos ſe pleraque Ruſſis ſubjecerant, ægre id ferente Imperatore turcico.

(h) *Præcopenſes*) Ita dependent ab imperio turcico, ut quotiescunque Imperator ſe bello accingit, illi cogantur armata manu illum ſequi, & quidem numero 100000. ſi ipſe Imperator in caſtris ſit, 40000. autem vel paulo pluribus, ſi Vezierius tantum mittatur. Nec ſtipendii quicquam accipiunt, niſi quod in prædam agunt. Præterea Chamum quidem ſuum ipſi eligunt, ſed nonniſi confirmandum a porta ottomannica, quæ etiam ſuperſtite parente, primogenitum ejus, loco obſidis detinere ſolet.

(i) *Metuit*) Non tamen plane omnis metus abeſt. Namque ideo Turcæ, etiam Tartaros, omnibus officioſis ſtudiis & beneficiis ſibi demereri ſtudent, diciturque belli tempore militia eorum propter munera carius conſtare Turcis, quam ſi ſtipendia ſolverentur.

(k) *Minorem Aſiam*) Provinciæ ejus olim numeratæ, *Pontus & Bithynia*, *Aſia minor*, (qua comprehenſæ ſunt Phrygia, Myſia, Lydia, Caria, Aeolis, Doris & Jonia,) *Lycia*, *Pamphilia*, *Cilicia*, *Cappadocia*, *Galatia & Paphlagonia*, quibus fere reſpondent provinciæ a tabulis Geogr. ita dictæ, *Chiutale Betſangil*, *Sarcum & Germian*, *Alidinelle*, *Menteſeli*, *Carmania*, *Amaſia*, *Anadole*, *Swas & Genech*, *Rumi*, *Bolli*. Generatim tamen hodie Aſia minor in quatuor partes dividitur, quæ ſunt 1. Natolia in ſpecie ſic dicta. 2. Amaſia. 3. Caramania. 4. Aladuli. Fluvii potiores ſunt Madre, Satubat, Sangar vel Ayala, Aly ſive Othmagiouth, Irio, ſive Caſalmach, Genſui vel Chalig, Cydnus vel Caraſu.

(l) *Smyrna*) In Natolia proprie ſic dicta, Turcis Esmir appellatur, terræ motibus ſæpe & præcipue anno 1688. afflicta fuit, vide de ea aliisque in Apocalypſi memoratis civitatibus earumque hodierno ſtatu *Thomam Smith in notitia ſeptem eccleſiarum Aſiæ, quas ipſe anno 1671. luſtravit*, *Tavernier* part. 1. lib. 1. cap. 7., *Baudrand.* p. 897.

tatu dignus, quod per eum, auxilio peſſimorum hominum, *ganuenſium* (a) nautarum, traducti fuerint Turcæ in Europam, accepto pro ſingulis hominibus Ducato. Superſunt adhuc duo illa clauſtra, quæ olim dicta fuerunt Ceſtus & Abydus: hodie vero *Dardanelli* (b) vocantur. Sita ſunt in anguſtiſſimo freti loco. Creberrima eorum fit mentio in novellis. Tenentur ſemper valido præſidio a Turcis, & ſunt pro munimento Turcarum, ne Veneti aliique, perruptis clauſtris, Conſtantinopolin usque excurrant. Incertum vero, utrum maris Ægei *inſulas* (c) Aſiæ adnumeres, an vero Europæ. Quicquid tamen ſit, omnes illas continet Turca, ultimam; nempe *Rhodum*, (d) occupavit olim Solymannus, anno 1626. eamque johanniticis eripuit Equitibus, qui in Malta poſtea recepti ſunt, hinc melitenſes dicti ſunt Equites. Clauſtra porro Aſiæ & Europæ tenet ad Boſphorum thracicum ſ. trajectum boum. Huic adjacet *Conſtantinopolis*, (e) qua urbe nusquam alia magis opportuna ſita eſt. Quare vero ibi translata ſit ſedes regia, diſputatur a me ad Machiav. Principem, contra qui dicit, Turcam ideo ſedem ſuam huc transtuliſſe, ut poſſet Græciæ populos eo melius continere. Sed hoc abſurdum eſt: Adrianopolis enim ad hoc aeque apta eſt. Ego puto *factum* (f) id eſſe, 1.) propter egregium loci ſitum. Vires enim Aſiæ & Europæ per illum trajectum facillime poſſunt conjungi; quod quam magnum imperii conſervandi momentum ſit, oſtendunt Politici, 2.) quia ſita eſt ad mare & facile poteſt infeſtum reddere mare mediterraneum & Ægeum & Pontum Euxinum; 3.) quod *urbs ſit* (g) omnium, quæ in illa regione ſunt, elegantiſſime exſtructa, ſimilemque in tota Europa non habet. Eſt populoſa; & ob loci opportunitatem aliquot hominum millia ibi ali poſſunt, quia undique alimentum advehi poteſt. Hinc fit, ut Conſtantinopoli rariſſime annonæ ſit caritas, quamvis aliquot hominum millia in ea degant. Nunc dicendum, quæ in Africa Turca loca habeat. Eſt autem hodie ſtatus longe alius Africæ, quam olim, tempore Romanorum. De utroque breviter egit Cluverius. Qualis autem Africæ ſtatus ante 100. annos fuerit, deſcripſit Joh. Leo Africanus. Hic fuit religione Muhammedanus, origine Hiſpanus Granatenſis. Fuit in eis educatus doctrinis, quæ hodie ſuperſunt in Africa: hinc indoctus non fuit. Habuit etiam Aſiæ cognitionem præclaram, peregrinabatur Conſtantinopolin, ibique capiebatur a chriſtianis pyratis, ab Italis ni fallor, & in Italiam deductus. Quia vero eſſet vir doctus, paſſus eſt ſe baptizari. Donabatur Leoni X. Papæ. Manumiſſus accepit nomen utrumque Papæ Leonis, qui dictus antea fuerat Joh. Medices, deinde dictus Leo X. Egregiam in Italia Africæ dedit deſcriptionem, tempore illo, quo vixit. Italice ſcripſit; liber vero latine poſtea verſus, Antverpiæ & Lugd. Batav. editus. *Antverpienſis* (h) editio carior. Africam ſic proprie dictam vocant hodie Barbariam diviſam in partes 6. Turca hodie tenet totum regnum ægyptiacum & totam Cyrenem *Barcam* (i) ſic dictam. Illud occupavit Selimus 1516. una cum magna parte

(a) *Gennenſium*) Solent communiter Genuenſes transvectionis accuſari, cum Solymannus Urchanis filius Helleſpontum transfretavit & Callipolin occupavit. Sed rem aliter ſe habere, & tunc demum, cum Amurathes Pſeudo Muſtapham perſequeretur, a nauta Genuenſi exercitum turcicum transvectum fuiſſe, teſtatur CHALCONDYLAS lib. 5. *de rebus turcicis* p. 121. Lib. 1. p. 8. 9. LEUNCLAVIUS Pandect. n. 24. & 89.

(b) *Dardanelli*) Propugnacula a Mahomete IV. extructa an. 1658. quorum unum dicitur Chateau neuf d'Europe, alterum Chateau neuf d'Aſie. Prius eſt hodie loco carceris. Poſterius navibus Conſtantinopolin appulſuris invigilat.

(c) *Inſulas*) Inſulæ in mari Ægeo, ſive Archipelago ſunt vel Cyclades, vel Sporades, quarum illæ ob propinquitatem Aſiæ annumerari ſolent, atque ex his ni fallor, Cerigo & Tinos adhuc Venetorum fortalitiis gaudent.

(d) *Rhodum*) Vid. de bello Rhodio libros tres *JAC. FONTANI, Brugenſis* in *PHILIPPI LONICERI chronicorum turcicorum tom. 1. p.* 349.

(e) *Conſtantinopolis*) Vide de ea *THOMÆ SMITH notitiam Conſtantinop. P. GYLLII de topographia Conſtantinop. lib.* 4. Adde *Relation nouvelle d'un Voyage de Conſtantinople* par *M. JOSEPH GRELOT.* Joh. Burbury relationem itineris conſtantinop. a domino Henr. Howard, ſuſcepti anno 1664. (Anglice) *GEORG. DOUSÆ de itinere ſuo Conſtantinop. epiſtolam, Oſſervazioni intorno al Boſphoro Thracico overo canale di Conſtantinop. da LAIGI FERDO MARSILII.*

(f) *Factum*) Adde, id factum quoque, ut impleretur forte vaticinium Dan. XI. v. 45. de Rege tentorium ſuum inter duo maria poſituro, qua de re vide commentarium HOSEMANNI ad hoc caput, item ut ſe belli jure ſucceſſorem Conſtantini M. tam orientis quam occidentis Imperatoris diceret, quod Solimannum prætendiſſe ideoque Carolo V. imperium diſputaſſe legitur.

(g) *Urbs ſit*) Conſtantinopoleos forma eſt triangula aut triquetra, ambitus ejus non attingit 13. milliaria, quamvis Chalcondylas circuitum 111. ſtadia complecti ſcripſerit. Occupat peninſulam ſeptem colles complectentem, quorum jucundum proſpectum, ita ſuiſſet locatorum, ut alteri alterorum aſpectum non auferant, pluribus deſcribit GYLLIUS loc. cit. p. 45. ſeq. Palatia Imperatoria ibi cumprimis tria conſpiciuntur, 1. quod Imperator ipſe incolit Sercellarai Turcis dictum, muris undique munitiſſimum, in quo ſunt *Gazophylacium*, cujus claves tenent Asnadarbaſcia, aliique Teſtedet & Niſangi dicti, *Pennarium*, Chiler dictum, *ſchola nobilium puerorum* Lengioda, *hortus Imperatoris* cujus præfectus Boſtangi Baſcia vocatur &c. Hoc palatium mulierem ſubire nefas eſt. 2. Altera arx *Eschizaras* ſive arx vetus dicta in media urbe conſtantinop. ſita, intra quam 25. ædificia ſunt ſplendide conſtructa, duo tamen reliquis præeminent, in quæ per æſtatem Sultani ſe conferre ſolent, & quatuor alia ædificia Imperatoris filiabus earumque matribus ſive concubinis deſtinata, quibus præfectus dicitur Chapiangaſi. 3. Arx *Jadicula*, ſiva ſeptem turribus conſpicua, qua parte Conſtantinopolis vergit Callipolin, præſidium 500. militum emeritorum habens, quorum præfectus Disdarga dicitur, & in qua theſaurus ex tributis ſubditorum collectus reconditur, cuique adjunctus eſt locus, verſus mare ſe extendens, Turcis Chaanare, i. a, macellum appellatus, ubi ducenti & plures degunt Lanii, quos Capſapler nominant, eorumque præfectum Capſabaſcia, cujus officium eſt curare, ut per totam urbem recentium minimeque noxiarum carnium ſemper in promtu ſit copia. Vid. *LONICERUM hiſtor. turcic. tom. 1. pag.* 130. 157. 152.

(h) *Antverpienſis editio*) Anno 1556. in 8 titulus eſt, *Joh. Leonis Africani de totius Africa deſcriptione libri IX. ab autore primum arabice, deinde italice conſcripti, nunc latine verſi per Johannem Floreanum.* Cæterum præter hunc alii autores, qui deſcriptionem Africæ dederunt, ſua laude non indigni, ut. *J. B. GRAMATE Africa illuſtrata libri X. M. LIV. SANUTI Africa Geographia diſtincta in XII. libros* italice edita. *Deſcription general de Africa par LUIS* del *MARMOL. Gallice etiam translata per NIC. PERROT d'ABLANCOURT* &c

(i) *Barcam*) Marmaricam, Africæ partem usque ad Syrtim majorem, in qua olim illuſtres fuerunt urbes Cyrene & Berenice, hodie Cairon & Bernics dictæ.

parte Syriæ. *Mammelucci* (a) hactenus eam occupaverant, ſed Selimus totum illud regnum delevit. In omni antiquitate non legitur, tale unquam regnum fuiſſe. Conſtabat illud ex mancipiis aſiaticis & europæis in libertatem miſſis. Liberi illorum non poterant ad ullam dignitatem pervenire, ſed ut ſubditi ſervire cogebantur. Rex eorum erat ex ordine Mammuluccorum & erat electitium regnum. Primaria urbs per aliquot ſecula eſt *Alcair*, (b) de qua urbe Joh. Leo præclare diſſerit, ſita ad fluvium Nilum. Eſt populoſiſſima, & quæ magnitudine omnes urbes totius mundi poteſt provocare. Decerpſit Turca ante 60. annos *partem imperii æthiopici*, (c) ſed incertis finibus, modo Rex Abyſſinorum, modo Turca ſuperior, ut plurimum vero Turcæ partes ſuperiores ſunt. Solymanni auſpiciis ſummus pyrata Chairadines *Barbaroſſa* (d) cum in clientelam ſe dediſſet, occupavit regnum Tunetanum, ejecto veteri Rege, qui tamen ſtatim eſt reſtitutus a Carolo V. Verum iterum occupatum fuit a Turcis & quamvis Philippus II. hoc regnum magis in ſuam poteſtatem redegiſſet, ejecti tamen ſunt *Hiſpani* (e) & ſic ab anno 1574. illud tenent. *Barbaria* (f) eſt diviſa in regnum Maroccinum, Feſſanum, Tremiſenum & Tunetanum. Tunetanum hodie a Turcis tenetur; Tremiſenum itidem. Ante tempora Solymanni parum valuere claſſe, aſt Solymannus edoctus ab Chairadino claſſem cœpit inſtruere. Tremiſenum hodie dicitur Algiricum regnum, eo quod primaria ejus urbs hodie ſit Algier. Nulla vero parte Turca Chriſtianis magis nocet, quam hac parte. Pyratarum enim, ibi tanta eſt copia & potentia ut a nulla Chriſtianorum claſſe domari queat. Niſi fœdere facto conſpirent chriſtiani Principes non poteſt coerceri illa Turcarum rabies. Tametſi hodie ea parte noceatur Chriſtianis, non parent tamen omni ex parte Turcis, ſed quodammodo regna ſunt propria. Solet imperator quotannis Baſſam mittere, quem tamen parum verentur. Solent enim Baſſæ Scopis obſiſtere, imo nuper Baſſam occiderunt. Is, qui regno Tunetano præeſt, comiter colit Turcam, ſed ejus imperium non adeo accurate obſervat. Claſſem nuper petebat Turca adverſus Venetos, ſed ab utrisque nil accipiebat: ſunt enim lucro proprio intenti, majus vero lucrum ex re pyratica habere poſſunt. Non itaque ſemper obſervant mandata, quæ a Porta mittuntur. Quamvis vero Turcæ non adeo ſint ſubjecti, & obedientes, poteſt tamen Turca iis uti magno cum lucro. *Regnum Algierianum* (g) non eſt, adeo monarchicum, ſed forma regiminis magis eſt democratica. Pyratæ

(a) *Mameluci*) Mamluc arabice ſervum notat emtitium, undecunque is venerit. Fuerunt in Ægypto Mammeluci, 1. Bahritæ ſive turcici per 136. annos, 2. Circaſſii ſive Borjitæ ab anno 1386. donec anno 1516. Selimus victo Campſone Gauro Ægypti Sultano totam Ægyptum imperio ſuo ſubdidit. Cœperunt autem ſub Friderico II. Imper. anno 1180. quo tempore Saladinus bellis adverſus Chriſtianos in Palæſtina geſtis decantatiſſimus Chalipham Ægyptium ſua manu jugularat, & regno potitus fuerat. Hic enim Ægyptiorum mollitiem deteſtatus, fœdus iniit cum Circaſſiis, ut pueros & adoleſcentes ab illis certo pretio haberet, qui in Ægyptum perducti atque in armorum uſu inſtituti, ſoli arma tractarent, honoresque ac dignitates bellicæ penes illos eſſent. Atque ex his brevi validam militiam inſtruxit, cujus opera Damaſcum & Syriam univerſam, nec non Judæam & magnam Africæ partem ſibi ſubjecit. Regnavit autem hujus Saladini genus in Ægypto per 150. annos. Ejus poſteritate extincta, regnum deinde ad Mammeloccos Circaſſios translatum eſt, iiq; regem ſibi non per hereditatem, ſed per merita ſemper elegerunt, hac lege, ut novo electus Rex pro felicibus imperii auſpiciis cuique Mamelucco 100. Seraphinos donaret, idque perpetuo teneret inſtitutum, ut qui quotannis ad iſtam militiam cooptarentur, neceſſario vel chriſtiani, (tales enim & ipſi Circaſſii ſive Quinquemontani erant,) vel ex chriſtianis parentibus nati, nec in ordinem ſuum Arabes, vel Saracenos, vel Judæos, Turcosve admitterent; quæ eorum ſocietas cum imperio 300. plus minus annis duravit. Vid. CHALCONDYLAS lib. 3. *P. MARTYR*, *Mediolan. lib. 3. de legat. Babylon.* *STRUCKHUSEN p.* 210. 211.

(b) *Alcair*) Nova Memphis & Babylon, Ægyptia quoque vocatur, Triplo magnitudinem Lutetiæ Pariſiorum excedere dicitur. Novam urbem, quæ muro cingitur, & veterem atque Bulach, quæ muro caret, in iisque 200000 ædes, 16000. plateas, elegantiores Moſcheas cum adjunctis turribus 6800. complectitur. Regitur a Baſſa, qui Imperatoris turcici nomine in edita arce ibi reſidet, occupata anno 1517. a Selimo, in cujus memoriam hodienum præaltum quoddam ſcamnum haud procul ingreſſu arcis oſtenditur, in quo ſub pœna capitis nemini ſedere licitum, eo quod Selimus occupata urbe arcem cum triumpho ingreſſus equo deſiliens in hoc ipſo ſcamno primum conſederit, e cujus arcis regione etiam palatium Patriarchæ Joſephi adhuc extare putatur. Vide *Pr. RADZIVIL itinerarium p.* 183. *BAUDRAND p.* 244.

(c) *Partem imperii æthiopici*) Abex dicitur, ſive ora Abexia, quæ in *ſuperiorem* dividitur dictum Habeleth, cujus urbes præcipuæ ſunt Ercoco & Suahem, Turcis ſubjectam, & inferiorem ſive regnum Dancali Æthiopibus adhuc parentem. *BAUDRAND* p. 5.

(d) *Barbaroſſa*) Ejus effigies ad vivum expreſſa in Cimeliarcheo ſereniſſ. Ducum Brunſvic. & nummo quidem aureo extat, nomenque Barbaroſſæ italicum adjectum, alteri parti arabica vocabula, quibus nomen Charadini obſcure ſonui videtur *REISKIO* ad *Drechsleri chronicon turcicum p.* 258. 259. His pyrata Numidiæ metropoli Algerio ſubacta aliisque rebus mari fortiter geſtis per legatos Conſtantinopolin ad Solimannum invitatus ibique Beglerbegus ſupremus maris creatus fuit. Tunetum anno 1534. occupavit, vide de eo *LEUNCLAVII annales turcicos.*

(e) *Hiſpani*) Equidem anno 1573. Johannes de Auſtria ab Amida Rege Thuniſino a Turcis remoto exoratus denuo Tunetum occupaverat & Mahomedem Amidæ fratrem regno præfecerat. Sed anno 1574. Sinan Baſſa claſſi turcicæ cum ſupremo imperio præfectus munitiones ab Hiſpanis recens inſtitutas, nec ſatis cuſtoditas nullo prope negotio in poteſtatem ſuam redegit, Guletam per Careræ proditionem expugnavit, atque hoc modo Hiſpani ex Africa intra 36. dierum ejecti ſunt perque ignaviam amiſerunt, quæ Carolus V. imper. optimo conſilio ſub imperium redegerat, ut ſecuritati Siciliæ, regni neapolitani totiusque tum Italiæ tum Hiſpaniæ conſuleretur.

(f) *Barbaria*) Alias in ſex regna dividitur, quæ ſunt Barca, Tripoli, Tunis, Algir, Fez & Marocco, Liberius hodie agunt Algirienſes, Tunetani & Tripolitani, qui peculiares ſuos gubernatores habent, quos Day vocant, licet turcico imperio ſubjectos: Algirenſium gubernator hodie eſt Abdy Bacha, qui cum Batavis anno 1726. pacem renovavit.

(g) *Regnum Algierianum*) *BAUDRAND p.* 36. Ce royaume eſt diviſe en cinq contrees, qu' on trouve en cet ordre du couchant au levant. Tellenſin ou Tremecem, Tenez, Alger, Bugie & Conſtantine. Le Royaume d' Algier eſt ſous la protection du grand Seigneur, il y tient un Bacha, mais qui n' y a aucun pouvoir, non pas meme d' entrer dans le conſeil ſans y etre appelle. le Gouvernement en eſt Republiquain & a proprement parler militaire, toute l' autorite reſide dans le conſeil d' Etat, qui eſt compoſe d' officiers des Janiſſaires & il a pour preſident l' Aga des Janiſſaires.

ratæ enim ſuum ſenatum habent, qui ex conſenſu populi judicat. Angli non dubitarunt adire nuper & oppugnare Algierium, ſed irrito *conatu*, (a) eſt enim urbs munitiſſima & invincibilis. Natus vero populi tumultus, quo periit Baſſa & facta mutatio totius reipublicæ, quod indicio eſt, ſtatum illum quam maxime eſſe democraticum. Baſſa nullam poteſtatem habet in milites, vectigalia vero habet, ex quibus militibus ſtipendia ſolvit. Eſt igitur horum regnorum ſtatus accurate obſervandus, quoniam pyratæ adeo potentes in mari ſunt, ut ipſis vix vel parum reſiſti posſit. Imo quemadmodum ex nuperis accepimus novellis, non dubitarunt illi in conſpectu Genuenſium naves aliquot rapere. Quamvis autem ita non niſi comiter Turcam honorent, magnum tamen commodum & præſidium in illis pyratis habet, quippe qui maris mediterranei domini quaſi ſunt, rapientes omnes, quas poſſunt, Chriſtianorum naves, easque omnibus divitiis emungunt & vires ſic debilitant. Vicinum habet in regno Ægyptio Regem Abiſſiniorum. Verum non eſt, quod ab illo ſibi metuat Turca, quia vaſtæ ſolitudines interjacent. Habet etiam Arabes, qui vero multum quoque nocere non poſſunt. Supereſt regnum Maroccanum & Feſſæ, potens ſatis utrumque. Verum non audeot quicquam tentare contra pyratas, & potius in illis regnis omnia ad pacem, quam ad bellum ſunt compoſita. Urbs Tunis & Tripolis, Barbariæ atque *Algirium* (b) munitæ ſunt & inſtructæ omnis generis armis, atque magna vi militum & pyratarum. Niſi facto fœdere conſpirent principes, non poſſunt expugnari illa loca. Bis quidem auſpiciis anglicanis Cromwelli & Caroli II. oppugnatum Algierium eſt, verum non potuit expugnari. Ægyptus eſt terra omnium feraciſſima. Vinum non fert, frumentum vero copioſiſſime, præcipue ea terra, quæ adjacet circa Nilum, ferax eſt, qui quotannis bis Ægyptum *inundat*, (c) qua parte alluitur Nilo, copioſus eſt admodum hominum numerus, ſed populus maxime imbellis. Olim Romanis quaſi horreum habita terra Ægypti. Africa Cyrenaica eſt ſterilis, nec incolitur, niſi qua mari mediterraneo alluitur. Eſt itaque tuta ab inſultationibus hoſtilibus. Voluit Cambyſes Cyri filius exercitum ducere per illum locum, ſed perdidit exercitum fame, propter ſterilitatem loci & arenæ, quæ adeo tenuis, ut ſi *turbo* (d) exiſtat, poſſint aliquot millia hominum obrui. Barbaria abundat omnibus ad vitam tolerandam & claſſem parandam propter ſylvas multas, hominum multitudioe etiam ſic ſatis inſtructa, ſed in militiam nemo ſolet adſciſci, niſi nati chriſtianis parentibus, vel Apoſtatæ facti fuerint & religionem mohammedanam ſuſceperint. Nunc ad ea loca, quæ in Europa. Primo occurrit Conſtantinopolis, quæ hodie maxima cenſeri poteſt, itidem ornatiſſima propter magnificentiam *ædium* (e) abundat hominibus aliquot 100000. ſita opportuniſſime, ut vires Europæ & Aſiæ facillime conjungi poſſint. Poteſt deinde per Helleſpontum in mare Græcum & mediterraneum claſſe pergere & vires Africanas conjungere. Circa Helleſpontum disjungitur Aſia ab Europa & tenet clauſtra duo Helleſponti, quæ dicuntur Dardanelli, Turcæ hodieque ea tenent firmo præſidio. Circa hæc clauſtra hærere ſolet claſſis veneta, ne Conſtantinopoli claſſes in mare Ægeum mitti poſſint. Pontus *Euxinus* (f) ad Europam pertinere videtur, (das ſchwartze Meer) quem infeſtant Coſaci. Turca pene omnia tenet littora, ut non niſi furtim in pontum perrumpere poſſint Coſacki, qui ſcaphas ſuas ad Boryſthenem transportant & exponunt, inque pontum excurrere ſolent. Turcica Cherſoneſus ex parte a Turcis, ex parte a Tartaris tenetur Præcopenſibus. Pars vero propinquior Conſtantinopoli tenetur a Turcis, remotior circa foſſam Præcope a Tartaris. Urbs inſignis ibi eſt *Caffan* (g) olim Theodoſia, ubi Baſſa turcicus reſidet ſeu Bigler Beghi, qui ibi imperat. Tametſi vero

(a) *Conatu*) Anno etiam 1664. Gigery locus in tractu Algirienſi innotuit expeditione Gallorum in eam, ſed irrito ſucceſſu facta.

(b) *Algirium*) 100000. incolas complecti perhibetur, in tres claſſes diviſos, nim, 1.) 12000. milites ex chriſtianis Mohammedanos factos. 2.) 40000. mancipia variarum nationum. 3.) Cæteros Mauros, Turcas & Judæos. Tunetum, licet defectu aquæ ad potum aptæ laboret, eaque ſtatuto pretio divendatur, nihilo ſecius tamen numeroſo populo valet. Et Tripolis pariter (inde, ut putatur, dicta, quod ex tribus oppidis dictis quondam Leptis magna, ſive Neapolis, Taphra & Abrotonum ſit compoſita) ampliſſima eſt civitas, & egregio portu ac caſtello inſtructa *GABRIEL SIONITA de urbibus orient.* c. 10.

(c) *Inundat*) De Nili inudatione, qua ratione ejus augmentum menſuretur in loco quodam veteris Cairi Mekias dicto, & quibus artibus fiat, ut univerſa Ægyptus Nilo irrigetur, ejusque aquis non ſolum agri, ſed & fœminæ ac animalia fœcunda reddantur, vid. *Voyage du Sieur P. Lucas* tom. 1. p. 322. 333. ſſ.

(d) *Turbo*) Ejusmodi turbines ſubinde quoque in Arabiæ deſertis peregrinantes experiuntur. Nimirum denſa & atra nubes mixta cum flammeis nubeculis tenebras diei inducit, mox procella erumpit, cujus ſævitia licet ſtatim ſedetur, rubram tamen arenam tanta copia in terram ejicit, ut ſæpe integra mercatorum ſocietas, quam Caravanam vocant 6000. et amplius hominum ſabuloſa hac tempeſtate obruta perierit. Indeque Arabum & Ægyptiorum Mumiæ fieri corporibus illis obrutis ardore ſolis exſiccatis a nonnullis creduntur. *BECMANN* ex *Ludov. Vartomanus* itiner p. 22.

(e) *Ædium*) *BAUDRAND* p. 339. *on aſſeure qu' a la reſerve de la rue, qui va du Palais du Grand Seigneur a la porte de Conſtantinople & des edifices publics, les autres maiſons ſont peu de choſe. Elles ſont baſſes & les rues fort etroites.* Cæterum obſervat, cum Conſtantinopolis pluribus ſuburbiis cincta ſit, ex quibus verſus ſeptentrionem *Galata, Taphana & Foncdockli*, verſus orientem *Scutaret*, eaque in forma, quaſi amphitheatri conſtructa ſint, non poſſe non tot ædes uno intuitu conſpicientibus jucunditatem quandam & admirationem excitare.

(f) *Euxinus*) Mauro Thalaſſa & mare More Turcis dicitur. Mediante Bosphoro thracico Propontidi annexus eſt, inque hunc & Archipel. ita influit, ut qui per Archipel. petunt Conſtantinop. manifeſtam ſentiant & ſenſibilem maris reſiſtentiam, contra vero Conſtantinopoli ſolventes, veluti ſecundo ſemper vento deferantur. Polyb. veritus fuit, ne labentibus ann. Pontus arenarum cumulis ita exaggeretur, ut navigationi evaderet inutilis. Sed metum hunc experientia tot ſeculorum vanum vindicavit, not. *Busbequio ep. Turc. I.* Format alias non ignobilem ſinum Nigropolitanum vulgo Golfo di Nigropoli, qui ſimul freto di Caffa & Palude Mæotide Cherſoneſum Tauricam efficit.

(g) *Caffan*) Alias Cavum. Sec. XIII. cum in Palæſtina Chriſtiani bella gererent, a Genuenſibus fuit occupata. Anno autem 1475. ſub Mahomete II. a Turcis expugna-

vero non integram teneat, interim Tartaros illos ad nutum habet. Ita enim ſunt domiti, ut Turcæ ad ſubſidium belli ex nutu venire teneantur. Eripuit porro plurima in Europa Turca: univerſam veterem *Thraciam* (a) tenet, ejus metropolis hodie eſt Adrianopolis, huc ſecedere ſolet Turca. Quicquid intra Danubium & mare græcum ſitum eſt, omne tenet, univerſam Græciam, *Daciam*, (b) *Mœſiam* (c) & *Pannoniam* (d) porro omnem. In mari mediterraneo omnes tenet Ægei maris inſulas: Cyprum quoque, quam ante 800. annos Venetis eripuit: Rhodum quoque, quam antea usque adeo muniverant equites johannitici adverſus Turcam, præter Cretam omnes ferme inſulas ibi habet. Perfide illam occupavit Turca per perfidos nobiles Venetos, qui ampliſſima bona in inſula poſſidebant, & cum reliquis inſulæ nobilibus conſpirabant, & Turcam in auxilium vocabant. Cui adeo feliciter ceſſit, ut Caneam expugnaverit, Rhetimum quoque, dicta olim *Creta* (e) Homero Hecatompolis, & Virgilius:

Centum urbes illnc vaſtiſſima regna

Verum hodie primaria tantum urbs eſt Canea ſive Rhetimo & Candia, a qua Inſula nomen habet. Niſi vero Veneti Caneam recipiant & totam inſulam, dici non poteſt, quantum periculi Venetis & toti Italiæ immineat. Supereſt porro Zazynthus, quæ hodiæ dicitur *Zante*, (f) quam tenent Veneti, inter Cephaloniam & Corfu. Reliquæ inſulæ cum tota Græcia & Macedonia usque ad mare adriaticum in Turcarum poteſtate ſunt omnia. *Raguſa* (g) vero ſola urbs libera eſt, tributaria tamen Turcæ, interim non tenetur præſidio turcico, & tuta hactenus a Turcis. In Dalmatia & Sclavonia totum littus tenent Veneti, quod ſollicite admodum conſervant. In Croatia & circa Danubium tenet magnam partem Hungariæ intra Savum & Dravum amnem. Moldavia & *Walachia* (h) non plene tenetur a Turcis, ſed parum abeſt, quin plane habeant. Permiſit ipſis quidem huc usque Turca, ut haberent præfectum nationis ſuæ, qui vero illis mittitur a Turcis. Regnum Hungariæ fuit olim adeo potens, ut Moldaviam, Walachiam & Tranſilvaniam quoque comprehenderit. Tranſilvania eſt præpotens regio, ab omni rerum abundantia & bellicoſis populis inſtructa, quæ in clientela hactenus fuit turcica. Dux enim fuit conſtitutus a Turca & tributarius: Ceterum libera nunc regio. Operam dant Turcæ, ut poſſint eam in provinciam redigere. Nuper enim miſit Turca Baſſam, qui præſideret Tranſilvaniæ reſpectu regni hungarici; & ita tranſitus eſt perhibitus ex Hungaria in Tranſilvaniam. Si itaque Turca obtineat *Tranſilvaniam*, (i) & Waradinum in firma Turcarum poſſeſſione maneat, dici non poteſt, quantum periculi immineat chriſtianis. Si enim locus conſideratur ejusque ſitus, poterit Turca ex Tranſilvania in Moraviam, Bohemiam, Sileſiam imo in Marchiam quoque brandenburgicam excurrere. Hodie ſupereſt titulus trium illorum regnorum, quæ olim ad Hungariam pertinuerunt, ſed Sclavoniæ nihil tenet, nihil quoque *Dalmatiæ*, (k) quamvis Cæſar ſe ſcribat Regem Dalmatiæ, Sclavoniæque, nihil tamen de illis tenet. Croatiæ tenet aliquid, reliqua Turca habet. Fuit olim Hungaria *in* 50. *Ducatus* (l) diviſa, Geſpanſchafte, ſed hodie Turca plusquam dimidiam partem tenet, imo ipſam regiam ſedem Budam. De 6. comitatibus, qui conſtituunt Tranſilvaniam, aliquid ſupereſt; Pannonia omnis, Moeſia & Dacia terræ ſunt fertiliſſimæ; inprimis Pannonia: non tantum autem feraces frumenti, verum etiam armentorum magna copia ali poteſt.

---

pugnata. Genuenſes olim Peram etiam & nonnullas inſulas in Archipel. ſub imperio tenuerunt.

(a) *Thraciam*) Romaniam, hodie Turcis Rumeliam dictam. Ejus metropolis eſt Conſtantinopolis, tum aliæ urbes celebriores ſunt Adrianopolis (Turcis Endrene) Philippopolis, Trajanopolis, Gallipolis, Rudiſto, Marognia de Adrianop. & Philipp. vid. *BUSBEQUIUM* epiſt. 1. p. 46. 47.

(b) *Daciam*) Hoc nomine olim Wallachia in ſpecie ſic dicta, Moldavia, Tranſylvania, & partes *Hungariæ*, in quibus Warodinum, comprehenſæ ſunt. Wallachia & Moldacia nomine Daciæ Alpeſtris, Tranſylvania nomine Daciæ Mediterraneæ & partibus Hungariæ nomine Daciæ Ripenſis venientibus. Hodie ſola Dacia Alpeſtris ſub Turcarum imperio eſt.

(c) *Moeſiam*) Moeſia vel eſt *ſuperior*, alias *Servia* dicta, in qua Zenderin, Bodon, Ibar, Novibagar, Camiza, vel *inferior* ſ. Bolgaria dicta, quæ olim peculiare regnum fuit ac tanti a græcis Imperatoribus habitum, ut ſolos Bulgariæ Reges in Europa nomine Baſilei dignarentur, cujus urbs primaria eſt Sophia, a templo Sophiæ hodie in Moſcheam converſo ita dicta & ab aliis depravate vocatur Scopia, quæ tamen urbs Macedoniæ eſt. LEUNCLAV. *Pand. p.* 104.

(d) *Pannoniam omnem*) Hodie aliter res ſe habet.

(e) *Creta*) Ab antiquiſſimis temporibus multitudine urbium (quarum frequentes adhuc ruinæ apparent.) ipſaque Geneſi Deaſtrorum gentilium claruit hodieque priſci Jovis memoriam in monte altiſſimo ad urbem Candiam monte de Geove dicto ſervat. Incolæ ejus Sodomiæ deditı notantur a DAN. EKLIN. *itiner. in terram ſanctam*, uti & fœminarum iratarum morſus venenati & inſanabiles JOH. JAC. BREUNING, *itiner. part.* 5. 1. 4. Nobilem hanc inſolam faciunt non modo plantæ creticæ, ſed & copioſus proventus vini malvatici. Hodie univerſa imperio Turcarum ſubeſt in eaque præter Caneam, Candiam etiam ſunt Spinalonga, Carabuſa & Suda

(f) *Zante*) Inſula uvarum paſſarum proventu celebris, aliis etiam rebus fertiliſſima, & maxime populoſa, ita ut in ſola metropoli Zante 25000 incolæ numerentur, terræ alias motibus expoſita, Epiſcopum græcum pariter habet ac latinum, qui ſub Archiepiſcopo Corcyræ (Corfu) eſt, quæ inſula anno 1537. & anno 1717. a Turcis fruſtra fuit oppugnata

(g) *Raguſa*) Connexio tantum & communicatio territorii Raguſanorum cum territorio turcico, in inſtrumento pacis carlovicenſis & paſſarovicenſis ſtipulata eſt.

(h) *Walachia*) Duplex habetur, major & minor. *Major* illa eſt, quam Moldaviam dicimus, Græcis Maurolachia, Turcis Carabogdania dicta. *Minor* Danubio adjacet, aliter Wallachia, Tranſalpina & Montana, Græcis Ungroulachia dicta, cujus partes cis Alutam fluvium ſitæ cum locis & munimento Temeswarini in poteſtate ſunt Imperatoris romani per tranſactionis paſſarovicenſis artic. 1. Majoris urbs principalis eſt Yas, ſive Yache (Jaſſium) ſedes Woiwodæ, ſive Hoſpodaris. Minoris Targoviſco ſive Tervis. Vid. *BAUDRAND. p.* 975.

(i) *Tranſylvaniam*) Tranſylvania, etiam Erdelia & ſeptem caſtrenſis regio dicta per inſtrumentum pacis carlovicenſis artic. 1. ceſſit Imperatori romano, uti jam ſupra in regno Hungariæ monitum fuit.

(k) *Dalmatia*) Zenga tamen ſive Senia paret Imperatori romano.

(l) *In* 50. *Ducatus*) Alias ratione judiciorum, quibus qui præſidet Hungaris Iſpan dicitur, dividitur in 74. comitatus & præfecturas, quas recenſet BECMAN p. 225.

poteſt. Pro amplitudine vero regionis non ſatis ampla hominum multitudo. Græcia abundat præ aliis. Solet etiam Turca eos, qui ex gentibus *Europæis* (a) oriundi, ad militiam uſurpare: indigenas vero veteres miſera ſervitute premit, & Græcia hodie tota *barbara*, (b) ut priſcæ eruditionis nihil ſuperſit. Magis barbara eſt Moeſia. Nunc de ſcopo regiminis.

Omnia perſcrutantibus apparebit, regi rempublicam noo ad utilitatem populi, ſed pro voluntate dominorum, igitur miſera populi eſt conditio. Incolæ quaſi in duas claſſes dividi poſſunt in originarios & qui bello victi ſunt, quorum non pauci ſuperſunt. Illi in Aſia minori ad pontum Euxinum in provincia *Turckeſtan* (c) ſuperſunt, ſed pauci admodum. Hi ſunt nullo plane *loco*, (d) libertas illis major conceditur, ſed remoti ab omnibus belli & pacis negotiis. Nullus originarius Turca eſt miles, ſed data eſt opera, ut illi redderentur imbelles & fœminei, perſuaderi ſe paſſi ſunt, ut quieſcerent, & tranquille viverent. In comœdiis ſolent exagitari tanquam ruſtici, illi originarii Turcæ. Horum itaque ſalus non attenditur, reliquorum etiam plane per accidens attendi ſolet. Apparet, ex eo quod Turca duriſſimis tributis opes exhaurit, fieri, ut nihil illis plane ſuperſit, præter durum victum & pauperem amictum. Hinc fit, ut fœcundiſſima etiam loca non colantur, ab agreſtibus quia vident, ſi quid ſibi acquirant, illud omne eripi *a Turca*. (e) Non multum oppidani ab hac fortuna abſunt. Quoniam vero incolarum non eadem eſt religio; alii durius, alii mitius habentur. Qui chriſtiani ſunt, eorum conditio admodum dura eſt & aſpera, quamvis *libere religionem* (f) exercere poſſint, ut hac ex parte melior ſit illorum conditio, quam apud pontificios. Interim dure habentur et ædes ſacras extruere non debent, niſi magnos ſumtus ante Imperatori & Baſſis faciant. Videt autem, ſi eos cogere vellet ad religionem muhammed. facile ab iis tumultum cieri poſſe, ideoq; indulget iis libertatem religionem propter utilitatem ſuam. Turca vero ita omnem ſuam regit remp. ut non dubitet chriſtianis *liberos* (g) nunc

(a) *Europæis*) In ſelectu militiæ, Europæi a Turcis ſempee præferuntur Aſiaticis, eo quod ſciunt, hos molliores eſſe, & magis pronos ad fugiendum quam pugnandum. Aſiatici milites Turcæ vocantur, Europæi autem Rumi, id eſt, Romani. Vid. *Statum imperii turcici p.* 296.

(b) *Barbara*) Hinc & lingua Græcorum, quia ab analogia grammatica per uſum vulgarem longe diſcedit, dicitur barbaro græca. Deſtituuntur Typographiis, quarum uſus ipſis a Turca prohibitus eſt. Vid. quæ de Typographia græca Londino anno 1627. Conſtantinopolin delata ejusque fatis refert THOMAS SMITH *in miſcellaneis primis p.* 92. Licet vero in Wallachia, cujus princeps græcæ religioni addictus, in urbe Bucoreſt, ſive Βουκορεστὸν dicta typographia in uſum græcorum alatur, eſt tamen ſupremus magiſtratus turcicus, ut conniveat, ſubinde muneribus mitigandus & ſedulo cavendum, ne quid imprimatur, quod ſuſpicionem leviſſimam habeat. Unde nec alii libri hinc prodeunt, quam menologia, rituales, aſcetici, quandoque etiam Polemici quidam de controverſiis Græcorum cum Pontificiis.

(c) *Turckeſtan*) Videtur autor confundere, Turkeſtan & Turcomanniam. Illa magnæ Tartariæ portio ab Usbequienſ. Tartaris usque ad Chinam ſe extendit, unde Turcæ primum prodiiſſe dicuntur. Hæc vero ponto Euxino propior eſt. Turcæ autem originarii, qui hodie ſuperſunt in montanis Caucaſi, inter pontum Euxinum & mare Caſpium habitant. vid. BAUDRAND *p.* 970 971. hoc etiam, ut videtur, a Pomponio Mela & Plinio lib. 6. c. 7. collocati.

(d) *Loco*) Nomen Turci, hodiernis osmannicis inviſum eſſe memoriæ prodidit LEONCLAVIUS *pand. hiſt. turc.* c. 22. Hodie potius Muſulmanni & Ottomannici appellari volunt. Turca enim vi vocis hominem agreſtem ſignificat, ut CHALCONDYLAS docet *lib.* 1. quamvis Ebmacinus hoc nomen a verbo quodam arabico relictionem notante derivet, quaſi relicti dicerentur ab Alexandro M. qui Gogum & Magugum, id eſt, Turcas, uti volunt, Tartarosque Caſpiis jugis, & montibus aut muro ferreo ſeparaverit, ne reliquas ab ſe captas provincias obruerent. Hæc quippe communis Arabum, Syrorum, & Judæorum de Gog & Magog eſt ſententia.

(e) *A Turca*) *Status imperii turcici* p. 289. *Turca, ut exercitus conſervent, ſuasque expeditiones contineant, ita ſpoliant populos, ut vix ipſorum ſuſtentationi neceſſaria iis relinquant; Subditi itaque deſperantes ſe commoditatibus, multo minus opibus, quas labore ſibi parare poſſent, fruituros, agricultura commercioque ulterius non incumbunt, quam eis opus eſt, & neceſſitas flagitat. Hinc in ditionibus ottomannicis viſuntur, ſylva immenſa, omnia ubique vaſta, & potiſſima agrorum pars deſerta jacet.* In eo tamen ſita eſt omnis prudentia Turcarum & cura, quam de conſervando imperio habent, ut agros dividant in Timarra, ſive commendas, (unde Timariotæ dicuntur,) & militibus benemeritis diſtribuant, ea lege, ut aliquot equos in belli uſus paratos alant. Niſi enim hac ratione militibus telluris colendæ propter utilitatem, quam ex ea ſperant, cura demandaretur, omnia inculta jacerent.

(f) *Libere religionem*) Arbitrantur enim, ſi credere fas eſt, unumquemque in ſua lege, ſive Chriſtianum, ſive Hebræum, modo honeſte & juſte vixerit, ſalvari poſſe, quod nonnulli ex Alcorani Sura ſive cap. 2 & 5 & 2 comprobant. De Chriſto autem, quem Iſa vocant, ejusque Evangelio honorifice ſentiunt. Interim tamen ſe ad ulciſcendam Chriſtianorum in Deum perfidiam deſtinatos exiſtimant, ideoque eos durius habent, nec permittunt Mohammedanum quendam ab iis in vera fide erudiri, niſi mortis pœnam incurrere velint, aut Chriſtianum Moscheas ſuas ingredi, gravibus eos tributis opprimunt, ſalutem iis non imprecantur, quin Chriſtianum fallere aut decipere ſibi gloriæ ducunt. Vid CHRISTOPH. RICHERIUM *de moribus Turcarum* BUSBEQUII epiſt. 4. p. 334. *ſtatum imperii turcici. p.* 64. legendus præcipue hic eſt RELANDUS de conditionibus, in quas Turcæ Judæis, aut Chriſtianis permittant in terra ſua habitare & negotiari; *in diſſert. de jure militari Mohammedan.* §. 9. inter quas præcipue ſunt, 1. ut tributum pro ſe ſolvat, quod variat pro lubitu principis. 2. Ne equo vehatur, nec mulo aut aſino inſideat cruribus divaricatis, ſed ut fœminæ. 3. Ut veſtes gerat a Turcis diſtinctas, vel panniculum veſti circa humeros aſſuat, Chriſtianus cinericeum, Judæus flavum, Perſa nigrum, fœminæ autem loro vel panniculo extrinſecus conſpicuo diſtinguantur, & ſoleis calceisve diverſicoloribus, ita ut unus niger, alter albus & ruber ſit. 4. Ne Mahomedanos ad ſuam religionem ſeducere tentet, feſta ſua publice celebret, aut S. ſcripturam clara voce legat, domos ſuos ad eandem, qua Turcarum, magnitudinem extollat, nec absque licentia in Moſcheam ingrediatur. 5. Ne in ditionem Meccæ, qua regio ſe extendit ab urbe Mecca verſus Medinam 3. verſus Iracam 7 Zigtanam 9. Altaiſ 7. & Zioddam 10. milliaribus. 6. Ut in magno hominum confluxu obvio Turcæ cedat, & viam faciat.

(g) *Liberos*) Agiamoglani Turcis dicti Chriſtianorum liberi, qui parentibus in juventute a miniſtris, quibus illud negotii commiſſum eſt, quinto vel ſeptimo quovis anno, interdum etiam ſæpius tributi nomine eripiuntur, cum octavum vel decimum, etiam cum vigeſimum ætatis annum implerunt. Poſtea in partes Anatoliæ diverſas diſtribuuntur, ut in lege mahommedana inſtituantur. Ubi ætatem juſtam attigerint, ad portam remittuntur, ut vel militiæ adſcribantur, vel rei maritimæ ſtudeant, aut ſi bonitate ingenii alios ſuperant, in Seraglia includuntur, atque inde pedetentim ad miniſteria aulæ adhibentur. Vid *excerpta ex Lazari Soranzi libro de militaribus copiis turcicis in libello de ſtatu imperii turcici p.* 237.

nunc 5. nunc 6. annos agentes eripere, hos impuberes curat deduci & educari in ſacris muhammedanis. Cauſa hæc eſt, quod ingenio excelſo illos eſſe credat et apto corpore ad laborem: ideoque raptum illum in europæis provinciis conſtituit. Aſiaticos vero molliores, & quæ horum conditio ſit, melior fit per accidens, quia perſuaſum eſt Turcæ, Europæos ad res gerendas longe aptiores eſſe, quam illos. *Scopus* (a) vero hujus imperii in lato regimine conſiſtit. Hujus rei indicium eſt, quod Turcæ propriæ utilitatis gratia fratres ſuos interficiant, ut *tranquillum* (b) habeant imperium, hoc per aliquot ſecula *obtinuit.* (c) Akomates vero ſ. Achmetes fratri ſuo Muſtaphæ, quocum educatus, a prima infantia primo pepercit, cauſa erat, quod hic ingenio plane eſſet inepto & ad res gerendas plane inidoneus, compoſitus præterea ad ſtudia literarum, hinc habuit eum & aluit tanquam ineptum, reliquos fratres interemit. Regimen vero totum eſt monarchicum, omnia ex nutu unius dependent, nulla celebrantur comitia, quare omnis poteſtas belli & pacis, fœderum, vitæ & necis eſt penes Ottomannum. Poteſt ſubditis eripere *bona* (d) & vitam, ſiquidem placet. Nunquam enim, ſi quis peccavit, proceſſus juridicus & judiciarius inſtituitur, ſed occiditur pro arbitrio principis ſine ullo diſcrimine, alias quidem inſtituuntur proceſſus, non tamen, niſi ipſe velit Imperator. Huc etiam pertinet cura religionis, quam Imperator quoque habet: Vult enim eſſe vicarius & malipha Muhammedanus, adeoque idem ſibi attribuit, quod romanus *Pontifex* (e) ſibi hodie, atque ſic Turca *Dominum* (f) ſe appellat paradiſi & dicit triplex ſibi datum eſſe regnum, in terra, in cœlo, in inferno l. in purgatorio. Non tamen hoc eſt perſuaſum omnibus Turcis. Eſt enim magna vis eorum, qui ſequuntur ſententiam Haly, quem Perſæ colunt. Sunt enim *duo interpretes* (g) Alcorani: alter Haniſe, quem Turcæ ſequuntur; alter Haly, quem Perſæ. Conſtitutio Magiſtratuum eſt monarchica. Conſtituit enim *Imperator* (h) Baſſas per totum imperium ſuum & Sacerdotem primarium, qui dicitur *Mufti*, (i) pro arbitrio vero quos vult conſtituit & removet. Conſtituit judicia & mutat iterum, evocat cenſum & pro lubitu jus dicit. Totum vero forum ad utilitatem domini exercetur. Nec forum difatigatur multis judiciariis proceſſibus, ſed ſummario omnia proceſſu & paratiſſima *executione* (k) fiunt, quod fit ad utilitatem dominantis, cujus e re eſt, duriter populum tractare, ut cogantur ſtatim obedire. Hinc nemo eſt in imperio turcico, qui auſit reluctari vel contradicere, licet ſit ex iis, qui alias magna autoritate ſunt. Neque facile motus in imperio turcico fieri poſſunt 1.) Quia populus plane eſt inermis, nec in univerſo imperio ipſis quicquam armorum relinquitur 2.) Quia provinciæ turcicæ, qua parte periculi aliquid imminet, tenentur valido præſidio militum, qui inermem populum facile in officio coercere *poſſunt.* (l) Baſſæ periculum facere poſſunt,

(a) *Scopus*) De hoc ſcopo, ejusque obtinendi mediis, tum externis, tum internis JOH. ANDR. BOSIUS in pec. *diſſ. de imperio turcico* data opera egit, quæ chronico Drechsleri ex edit. Job. Reiskii anno 1689. præmiſſa eſt.

(b) *Tranquillum*) Hinc Selimus I. cujus virtutes, (quod frugalis fuerit, tenax juſtitiæ, neminem ſe adeuntem procumbere paſſus,) alias laudantur, ſuam tamen in proprium ſanguinem crudelitatem ita excuſaſſe legitur, quod nihil dulcius ſit, quam ſine conſanguineorum timore ac ſuſpicione regnare. Vid. P. JOVIUM *Elog. lib.* 5.

(c) *Obtinuit*) BUSBEQUIUS epiſt. 1. p. 55. has rationes affert, cur a ſtrangulatione fratrum imperium auſpicati ſint Sultani. *Nam neque Turcæ*, inquit, *imperii æmulos ferunt, nec per milites prætorianos omnino ferre poſſunt, qui ſi quis forte fratrum ſit, præter eum, qui regnat, ſuperſtes, congiariorum petendorum nullum finem faciunt, ſi recuſantur, ſtatim fratrem imperio deſignant, & exclamant, ſalvus ſit frater. Deus eum nobis ſervet.* Idem epiſt. 2. annotavit, nec filiorum Imperatoris quenquam adultum vivo patre intra Conſtantinop. mœnia pedem inferre, quia id ad ſollicitandos militum prætorianorum animos & imperii mutationem vergere videatur. Adde MONTALBANUM p. m. 41.

(d) *Bona*) Incolæ mancipia ſunt, non ſubditi. Nec ſui quisquam juris eſt, multoque minus domus, quam inhabitat, aut terræ, quam colit, dominus eſt, exceptis aliquibus familiis in Conſtantinopoli, quibus præmii loco & privilegio id conceſſum a Mahomete II. nec aliquis adeo magnus eſt, qui de vita aut de fortunis & ſtatu, in quo eſt, ſecurus ſit, niſi quamdiu magno domino id gratum ſit. *Status imperii turcici* p. 288. REUSNER. *orat. turc.* vol. 1. p. 163.

(e) *Pontifex*) Salva tamen autoritate Mufti, ſive ſupremi Turcarum Pontificis, a quo, cum aliqua vertitur difficultas reſponſum petitur, nec ejus deciſionem ipſe Princeps facile retractat. Vid. *Statum imperii turcici p.* 138. licet hic ipſe non modo a Principe conſtituatur, ſed & ad ejus placita opinionem ſuam accommodet. Neque enim Sultanus ita eſt vicarius Mohamedis, ut quæ ſit ſententia Alcorani, ſolus exponat. Agit hoc per ſuum Mufti. In rebus civilibus autem & bellicis omnino ſolus eſt vicarius. Cæterum ſi quando aliquis Sultanorum ſibi triplex illud regnum tribuit, id ex ſtylo orientalium cum grano ſalis accipiendum.

(f) *Dominum Paradiſi*) Probabilius eſt id fieri ob regionem illam Aſiaticam, in qua olim Paradiſus fuit, ſive ille circa Damaſcum, ſive prope Babylonem, aut alibi in Meſopotamia, vel Arabiam verſus ſitus fuerit, de quo pluribus diſputavit HUETIUS tr. *de ſitu Paradiſi.* Hæc enim regio imperio turcico ſubjecta eſt. Unde & Imperator Turc. ſe in inſtrumento pacis anno 1710. cum Ruſſis initæ appellat Dominum Damaſci, quæ odore Paradiſi eſt refertiſſima.

(g) *Duo interpretes*) OLEAR. *itiner. p.* 679. Interpretes, ait, Alcorani Aaly & Taaſer Sadaka Perſis coluntur, Haniſe a Turcis, Schafei a Tartaris usbequienſibus, Hembili & Mulcki ab Indianis, adde GEORGIEWITZ p. 29. HOTTINGER lib. 2. *hiſtor. orient.* c. 6 §. 18.

(h) *Imperator*) Id potiſſimum laudatur, quod munera non ſec. natales, ſed merita & virtutes diſtribuantur. BUSBEQUIUS *epiſt.* 1. Cæterum JOH. BAPT. MONTALBANUS *in comment. rerum turcicarum p.* 9. Paſſæ, non Baſſæ ſcribendum monet.

(i) *Mufti*) Eligitur ex Cadiſleſcheriis, aut aliis miniſtris, qui ſunt majoris dignitatis Reſponſa ſua, quæ *Feſta* dicuntur, ſolet his verbis ſubſcribere. *Deus omnia rectius novit.* Obſervandum autem, quod ſacerdotes, (Turcis Emaum dicti,) neque ab hoc Mufti conſtituantur, neque ab eo judicentur, (Turcæ enim nullam admittunt Hierarchiam eccleſiaſticam,) ſed a ſolo Imperatore dependent. Vid. NERRETER p. 245 250. Muftim ſequuntur Cadileſcherii, quos Leunclavius cum Archiepiſcopis comparat, hos vero Cadii, quaſi Epiſcopi, Cadios excipiunt Hoggiæ, ſive ſeniores, Hoggias Tatismani & Derviſii.

(k) *Executione*) Quia hæc ipſa prompta juſtitia, (quæ non eſt ad acceleranda ſupplicia, ſed ad declinandam æternitatem litium,) medium quoddam eſt, quo tam amplum imperium in ſtatu ſuo conſervatur. Præſtat enim hic injuſte vinci & cauſa cadere, quam poſt ſeculum cum maximo bonorum detrimento vincere.

(l) *Poſſunt*) Multum præcipue ad ſeditiones quasvis facile com-

Digitized by Google

poſſunt, ſed non facile. Miles enim dividi poteſt in 2. claſſes, in prætorium & provincialem: hic non facile rebellare poteſt, quia ſæpenumero ſolet mutari, ut modo hæc legio, modo illa adferatur & iterum devehatur, quare legiones inter ſe conſpirare non poſſunt. Si vero in uno maneant loco, facile poſſent id facere. Nec *Baſſæ* (a) facile conſpirare poſſunt, quia militia per vaſtas diſſita eſt regiones, alibi enim circa Budam miles eſt, alibi remotius etiam. Accedit, quod Baſſarum poteſtas valde circumciſa ſit, & *ſæpe mutentur*, (b) ut nunquam vires ibi parare queant. Hoc vero bene notandum, quod maxima pars militiæ turcicæ careat omni *cognatione*, (c) ſi quidem a parentibus in prima ſtatim pueritia rapiuntur & educantur ſtipendio turcico & quia nihil aliud habent, ſed omnia ab Imperatore ſuo expectant, ideo favent illi. Accedit & hoc, quod miles, qui eſt in Europa, non audeat quicquam auxilii a Chriſtianis ſperare, quia religione ab eis differt & ita educatus eſt, ut odio illos habeat. In Aſia vero Turca in periculo eſſe ſolet, ideo, quod magna pars Aſiæ religioni muhammedanæ eſt addicta quidem, auxilia vero habere poteſt a populo aſiatico & quia miles aſiaticus longius remotus eſt a ſede regia. Exemplum nuper habuimus in novellis in Baſſa de Aleppo. Maxime vero ſibi timet ab eo milite, quem adverſus Perſas mittit, quia ille ſolet affici *ſecta perſica*, (d) ideo videt Turca, ne ſuſpectos mittat. A prætoriano maximum illi oriri ſolet *periculum*. (e) Quemadmodum vero in privata vita, alia ad pacem, alia ad bellum pertinent, ita & in regno turcico ſeſe habet. Ad pacem, ſpectat jus dicere, quod ibi & rigide & cito fit, advocatis enim locus ibi non eſt. Judices vero nulli conſtituuntur, quam qui muhammedanæ religioni *addicti* (f) ſunt 1.) quia talem honorem ſuæ religionis hominibus Turca vult exhiberi 2.) quia multa occurrunt dijudicanda ad LL. Muhammedis a populo receptas, hinc judices conſtituuntur qui eorum ſunt periti. Obiter notandum eſt, quod Turcæ utantur lege non ſcripta, interim ad judices apud illos requiruntur homines, qui juris naturalis & conſuetudinum ſatis ſunt periti & teſtatur Leonclavius, aliquam illis ſupereſſe notitiam juris Romani, jus tamen eorum non dicitur ſecundum jus romanum. Judex autem dicitur Sendi vel *Cadi*. (g) Patet vero aditus ad munia judicum omni populo muhammedano, non vero chriſtiano, ſed non item ad belli negotia. Cura ærarii & vectigalium committitur plerumque Judæis, non quidem ex ſingulari amore erga illos, ſed quia ſolent *publicanos* (h) agere & vectigalia tanto pretio emere, quo nemo alius. Interim Chriſtianis & omnibus aliis aditus ad hoc munus patet. Belli negotia illis magnæ curæ ſunt, quia magnum imperium ſcopus eſt Turcæ: quod proprium eſt ejusmodi reipublicæ, ut *bella curet*, (i) Romani quidem paci ſtuduerunt, ſed longe minori cum induſtria, quam quod ſtudium in bello adhibebant. Hinc fluit apud illos *ars militaris* (k) & ita nunc

compeſcendas contribuit equitatus, quem in Timariotis paratum habent. Non enim tam cito ſe ſubditi movere poſſunt, quin hos equites ſicut tot falcones ſtatim in cervicibus habeant. Sunt enim per totum imperium diviſi. Vid. *Statum imperii turcici* p. 295.

(a) *Baſſæ*) Ex his atque aliis rationibus, quæ promptum obſequium Imperatori præſtandum requirunt, fit, ut Baſſæ ſupplicio afficiendi, neque auffugere, nec alio pacto decreto mortis obſiſtere poſſint, ſed prompti paratique collum ſubmittant. Quia perſuaſi etiam ſunt, eum, qui mandatis immoritur Imperatoris, martyrem reddi ac in Paradiſum immediate transferri.

(b) *Sæpe mutentur*) *Ricaut*. lib. I. c. 17. pluribus hac de re agit, quantum emolumentum imperio turcico frequentior Baſſarum mutatio afferat.

(c) *Cognatione*) Intelligit autor Janitſcharios, ſed hodie in hanc militiam etiam admittuntur Turcæ nativi, qui ſuas habent cognationes, quæ res anonymo *in deſcriptione imperii turcici*, apud HONORIUM haud mediocre imperio detrimentum parere viſa fuit p. m. 134.

(d) *Secta perſica*) Internecino tamen plerumque odio Turcæ Perſas proſequuntur, adeo, ut Ruſtanus Busbequio dixerit, *nos magis averſamur Perſas, magis profanos habemus, quam vos Chriſtianos. epiſt.* 3. *p.* 191. Adde *excerpta ex* COTEVICI *itinerario in libello de urbibus & moribus orientalium p.* 117. Cæterum cur Turcæ bellum cum Perſis declinent, de eo vide BOSII *diſſert. de imper. turcic.* § 52.

(e) *Periculum*) Cur in tot Janitſchariorum motibus nihilominus perſtiterit imperium turcicum, ratio eadem eſt, quæ olim perdurantis romani imperii, cum tot imperatores violenta manu militum caderent. Quia in ſcopo eodem perſiſtunt conſervandi ſub unius imperio rempublicam, unde licet imperium perſonæ adimant, imperio ipſi tamen nullam vim injiciunt.

(f) *Addicti*) Olim ab Imperatoribus ad ſecuritatem ſuam obſervatum fuit, ut reipublicæ adminiſtratio & majora negotia committerentur Chriſtianis abjuratis, nativis vero Turcis tantum juſtitia criminalis atque civilis commendaretur; vid. HONORII *diſſert. de turcico imperio, quod inſuperabile videatur* in libello *de ſtatu turcic.* p. 154.

(g) *Cadi*) Judices ſunt ordinarii, qui de divortiis cæteriſque civilibus cauſis in aliqua urbe cognoſcunt, & in eos, qui blasphemi ſunt, vinum bibunt, templum precationis tempore non frequentant, nec quadrageſimam obſervant, &c. animadvertunt, nobilioribus mulctam pecuniariam imponunt, humiliores flagris affici jubent; Chriſtianos & Judæos puniunt acerrime, ſi cum Mahomedana rem habuerint, vel legi mahomedicæ maledixerint. Cæterum in civilibus controverſiis judicandis veteris Teſtamenti leges ut plurimum ſequuntur, ſibi quisque defenſor non alius. Si quis probare quid habeat, ſcripto vel teſtibus, vel juramento probat; nullæ dilationes, nulla ſubterfugia, ſed ſummaria ſunt omnia. vid. JOH. COTEVICUS *in itiner Hieroſol. c.* 7. Etſi vero Cadi Juſtitiam prompte adminiſtrare tenentur, pecunia tamen corrumpi ſolere, omniaque nimio ambitu apud Turcos turbari, obſervat *Montalbanus* loc. cit. p. m. 31. Cadileſcheri autem in eorum actiones inquirunt; eosque graviter puniunt, ſi deprehenſi fuerint, male rem egiſſe.

(h) *Publicanos*) Publici exactores, ſive publicani. *Emini* vulgo appellati, ut plurimum Judæi ſunt, gens exactionibus & uſuris præ aliis dedita. Hinc *Scifut*, i. e. Cornuti per ignominiam dicti odio ab omnibus cum Chriſtianis tum Mahomedanis habentur, cum ipſi etiam Turcæ paulo ſinceriores nolint audire publicani, vide *libellum de urbibus & moribus orientalium p.* 201. ubi & de vectigalibus & tributis, quæ a Chriſtianis exigi ſolent, agitur.

(i) *Ut bella curet*) Certum tamen eſt, ottomannicum imperium ea militum copia & virtute hodie carere, qua olim inclaruit. Nunc enim majores commoditates nacti, & mercaturæ intentiores, quam quondam fere neglexerant, nonniſi coacte & ægerrime propria relinquunt, atque ad incerta acquirenda in bellum proficiſcuntur, id quod LAZARUS quoque SORANZI jam obſervavit *in libello de militaribus copiis turcicis*.

(k) *Ars militaris*) Contra quos Turcis bella gerenda ſint, nec unquam pax perpetua ineunda, quo die exercitus ſit ducendus, quomodo prælium ineundum, præda dividenda, de eo vid. eleg. RELANDI diſſ. *de jure militari Mahomed.* uti & alias de eorum militia bene ordinata BOSII *diſſert. de imperio turcico* §. 45. ſſ.

nunc apud Turcas. Militia vero domeſtica diſpeſci poteſt in duas claſſes, in domeſticam & auxiliarem. Tartaros enim ſemper habet in promtu & auxiliis aliorum ita uti non poteſt, nec ſolet. Raro enim ex *Circaſſis* (a) militem conducere ſolet, maxima vero vis eſt in milite proprio & domeſtico & quidem prudenter inſtituto. Domeſtica militia dividitur in tereſtrem & nauticam l. claſſiariam ,hæc apud illos minus bene eſt *inſtructa.* (b) Terreſtris vero longe prævalet. Claſſiaria iterum ſubdividi poteſt. Alia enim eſt magis proprio imperio turcico & dependet a nutu imperatoris; alia vero ita ſeſe non habet, ſed eſt inſtar militiæ axiliaris, ejus generis eſt militia illa Tunetorum, Tripolienſium & Algieriorum, quæ non ita ad nutum imperatoris adtendit. Militia ſua claſſiaria domeſtica ſedem ſuam *quam maxime* (c) Conſtantinopoli habet, &, qui illi præſidet, itidem Conſtantinopoli reſidet, & vulgo dicitur Capitain Baſſa, vocabulo ſemi italico: hic eſt Architalaſſus & fungitur eo imperio, quo noſtri admiralii. Laborat vero ſtructura navium illa militia: quantumvis ſatis ſuppetat materiæ in Aſia minori & multis Græciæ locis, unde naves confici poſſint, interim naves turcicæ male plerumque ſunt exſtructæ. Lazarus Soranzius, qui ſcripſit de viribus Turcarum, memorat & reprehendit, quod naves Turcarum ex ligno ſatis arido & exſiccato conficiantur, igitur facile putredini obnoxias eſſe, ut inde facile pereant 2.) Culpa eſt in remigibus, naves enim turcicæ *triremes* (d) ſunt. Remigum vero officium demandatur hominibus, ad id ineptis. Præterea miles claſſicus non bene eligitur, ſed ruſtici vi abrepti in naves deducuntur, plane imperiti rei nauticæ. Hac de cauſa quotannis fere Turca in bello Veneto multas naves amiſit & quotiescunque congreſſi ſunt, victoriam reportarunt Veneti, quanquam interdum Venetorum naves fuga ſe eripuerunt. De militia illa nautica optime diſſerit, Lazarus Soranzius & Joh. Baptiſta Montalbanus in deſcriptione militiæ turcicæ. Longe autem alia eſt ratio militiæ terreſtris. Poteſt autem hæc dividi in equitem & peditem, item in militem proprie ſic dictum, & in illum, qui non tam militem agit, quam qui adjuvat militem pedeſtrem. Equitatus apud Turcas numero prævalet, & in Equite maximum Turcæ robur ſitum eſt. Solent autem *Equites* (e) in Aſia plerumque ſubſiſtere, & in univerſa Aſia, qua parte Turcis paret, magna vis eſt equitum, quam tempore belli ſemper in promtu habet. Hinc apparet, rempubl. ſemper paratam eſſe ad bellum, neque tempore pacis eſt minor militiæ propriæ numerus, niſi quod auxiliarius dimittatur. Ita vero eſt inſtituta militia equeſtris, ut ſingulari ſtipendio ad illam alendam non ſit opus. Omnia turcica regna vi ſunt occupata & ſic omnes omnino agri ſunt *in dominio* (f) ipſius Imperatoris. Coluntur vero illi a Colonis, quibus non ſunt proprii, ſed coguntur afferre frumentum Imperatori, aſt quod ad vitam ſuſtentandam requiritur, retinere poſſunt. Diviſit vero agrum Imperator & magnam illius partem militiæ equeſtri conceſſit, & quidem ad vitam, ut uſum & fructum exinde habeant, propter quem certum equorum numerum alere tenentur, pene ut apud nos ſunt bona feudalia. Dicuntur vero illa bona feudalia

Temar-

(a) *Circaſſis*) Circaſſi olim Zigæ dicti, Polonia Piens Corſchii, id eſt, quinque montani Turcis ſuam operam elocare ſolent pecunia, tum coacti paupertate, tum etiam quod Mingreliæ ſint vicini, & Aſop turcicum propugnaculum ad oſtium Tanais non procul diſtet. Præter Circaſſios, uti quoque ſolent *Gebelis*, i. e. loricatis, qui in Dobrucia provincia ultra Danubium ſita habitant ad ruinas Muri, quæ in Sogdiana regione ab urbe Siliſtria Conſtantiam uaque pertingunt, nec non *Curdis*, ſ. Gurdis incolis provinciæ Babyloniæ, quæ Cardeſtan, ſ. Chaldæa, Arabibus vero Keldan dicitur, qui præ reliquis milites ſtrenuiſſimi habenrur.

(b) *Inſtructa*) Turcæ 1.) io fabricandis navibus omnia ceteriter agunt, adeoque negligenter conficiunt. 2.) Aſſerum ſtructuras tam male inter ſe compingunt, ut vectores a pluviis & imbribus tuti non ſint. 3.) Remigibus peritis deſtituuntur eorumq; loco plerumq; ruſticis robuſtioribus vi undique ablatis, ſed plane incomtis & rudibus, quos Aſappos vocant, utuntur, quæ atque alia obſervant LAZARUS SORANZI loc. cit. & MONTALBANUS. Correxerunt quidem cum tempore plurima. Interim tamen non ea, quæ aliis, maritimarum rerum illis eſt ſcientia, niſi quam a Chriſtiaois didicerunt; quin claſſes magis ad pompam, ad neceſſitatem, & contra piratas, quam acquirendæ gloriæ & propagandi imperii cauſa alunt. Adde *Ricaut* lib. 3. cap. 12. p. 491.

(c) *Quam maxime*) Turcæ quam plurima habent navalia, quæ Terſanı vocant. Præcipuum olim fuit Sinopoli, non procul Trubiſonde ſitum. Conſtantinopoli vero hodie 137. & plures concamerationes eſſe dicuntur, navium uſibus deſtioatæ, ubi & nervus claſſis præcipuus hyemat & reliqui appatatus maritimi continentur, aliæ triremes apud Sangiakum quendam, vel Begdum io inſulis aut portubus pro Timarro ei aſſignatis remanent, quæ tamen ad nutum Imperatoris obtemperare claſſique primariæ ingruente bello adjungere ſe tenentur. Unus ex Vezieriis & aliquando duo univerſæ claſſi præſunt. Præfectus generalis, qui Capitain Baſſa vocatur, alter ejus locum tenens Vice-Capitain Baſſa, quibus aurei mille præter innumeros proventus alios ſingulis menſibus pro ſtipendio ſunt aſſignati. Cæteri navium præfecti dicuntur Sangiaki, Begbi & Raiſii vel Raislari, qui & curam extruendarum navium habeot, ad ioſularum autem Africæ cuſtodiam triremibus merent Spahi nonnulli, qui aliud ſtipendium noo habent, quam Timariorum reditus, unde & magni ſunt prædones. Quicquid prædæ per ipſam claſſem, a tempore eductionis usque ad reditum capitur, in ærarium Imperatoris redigitur, extra illud tempus autem ejus eſt, qui ſibi paraverit.

(d) *Triremes*) Harum numerus in trecentas dicitur eſſe definitus, quarum tamen nonniſi 80. aut 100. educi ſolent, præter oaves multas actuarias & 14. onerarias, quas *Maonas* vocant. Cuſtodia illarum in portubus deliteſcentium commiſſa eſt 400. viris, quos Azappiler vocant. Vid. LONICERI *hiſtor. turcic. tom.* 1. *p.* 151.

(e) *Equites*) Eorum, qui ſub Timarro io Europa militant, 16000 oumerantur, in Aſia autem 50000. vocantur Spachi, quorum quilibet, qui circiter 3000. aſpros anouos habet in reditu, in bellum cum uno equo proficiſci obſtrictus eſt, qui vero 50000. vel 10000. habet, cum duobus & pluribus ſiſtere ſe cogitur. Præter hos Spachos ſunt adhuc alii equites Spacholani dicti, qui in aula Imperatoris ex ejus ærario, (Casna dicunt,) ſtipendio 12. vel 15. aſprorum quotidie nutriuntur, omnium ſelectiſſimi, qui partim equitibus præfici ſolent, partim etiam peditibus, quorum numerus æſtimatur ad 15000. Vid. SORANZIUM, it. CHRISTOPH. RICHERIUM *de moribus & inſtitutis Turcarum.* Qui tres nominat equitum ordines. 1.) *Subaſios* & Timariotes, qui ſub Beglerbejis ſunt. 2.) Mozellinos, ab iis lectos, quibus olim Imperatores agros bello acquiſitos diviſerunt. 3.) Accanzos vel Aconizios, ſive fatales, ſive fortunæ milites ad triginta fere millia.

(f) *Sunt in dominio*) Vide RELANDUM *diſſert. de jure militari Mohammedanorum.* §. 22.

Digitized by Google

Temarra (a) & qui ita militant, dicuntur Timariottæ, ut apud nos *die Ritter-oder Lecht-Pferde.* Hac ratione ingentem vim equitum ſemper poteſt alere, nullo ſtipendio: quoties cunque vero producuntur in aciem, proſpicit iis Turca de vitæ neceſſariis. Quia vero liberrimo arbitratu feuda illa conferuntur, ex quibus lucrum non exiguum capitur, coguntur etiam pecuniam fiſco inferre, & incredibilis pecunia ab illis congeritur. Quoniam vero in Aſia latius patet imperium Turcicum, quam in Europa, ibi habet quam maxima præſidia militaria pedeſtria: pugnandum enim his cum Chriſtianis, qui arces tenent: Hinc ibi plus virium collocare cogitur in pedite, contra Perſam maxime producit equitem. Numerus Timariotarum variat, alii ſtatuunt, illorum ſemper reperiri ultra 300000. alii minorem numerum *ſtatuunt.* (b) Certum quidem, quot ſint, non habeo. Hoc tamen affirmo Turcam aliquando ultra 600000 in aciem produxiſſe, quare de 300000. Timariotis nullus dubito. Pedeſtris militiæ vis conſiſtit maxime in illis, qui dicuntur Ianizari quaſi dicas *novi milites*, (c) & revera novi ſunt. Obſervatu dignum eſt, tale genus militiæ nunquam fuiſſe antea uſitatum neque apud Græcos, neque apud Latinos, neque ullum antiquum populum, merito ergo novum militiæ genus dicitur. Utrum vero Ottomannici primum inſtituerint hanc militiam, non eſt certum, nam in Ægypto idem obtinuit ex inſtituto Saladini ſec. XIII., potentis Monarchæ Ægyptiaci. Diſſimilitudo vero in eo eſt quod ad hoc *militiæ genus*, (d) nemo fuerit receptus, niſi qui natus fuerit chriſtianis parentibus, quod certe per quam mirum videri poteſt. Saladinus vero Ægypti monarcha, lecto milite itidem uſus, ſed tali, qui non tam domi natus a chriſtianis parentibus, quam peregrino, & quidem vel in bello capto vel conducto. Hac ratione conſtabat illa militia, quæ dicta eſt Mammeluccorum; milites enim illi, qui ita conducebantur, ejuraverant religionem chriſtianam & eam cane & angue pejus habebant. Ianizari ad eundem modum ſe habebant. Nuperrime ex novellis publicis percepimus, ſolere hodie Ianizaros in fraudem legis liberos ſuos baptizari curare & inſtitui chriſtiana fide & ſacris, ut ita adulti rapi & ad militiam Ianizarorum pervenire poſſint, id quod & alii Turcæ faciant. Apud Ægyptios vero, exſtincta illa familia Saladini, Mammelucci unum ſervum ex medio eorum in imperatorem elegerunt, cujus mandata per omnia ex nutu ipſius obſervarent, non ſecus ac ſi ex regia oriundus fuiſſet ſtirpe; Apud Turcas hodie id non obtinet, ſuccedunt enim hæreditatis jure Turcæ filii. Fieri vero poſſet, ut exſtincta Ottomannica familia ſimile imperii genus introduceretur a Ianizaris. Ita enim *hodie ibi* (e) qui ad

(a) *Temarra*) Præmium quod Romani in milites de rep. bene meritos cooſerre ſolebant, ut ad dies vitæ eo fruerentur, beneficia appellabant, beneficiarios vero, qui illo præmio fruebantur. Cum his convenit, quod Græcis Timarion beneficium, Timarati & Timarioti perſonæ dicitur, etymologia a voce τιμὴ ducta, quæ honorem ſignificat, & nihil aliud eſt quam penſio quædam vel aſſignatio certorum redituum, qui ex fundis percipiuntur bello acquiſitis certa proportione militibus diſtributi. A quibus differunt ſtipendiarii Ulofergi vel olophagi, quibus de die in diem ſoluto ſtipendio de victu proſpicitur, a Græca voce ὑλοφάγοι dicti.

(b) *Statuunt*) Soranzius 300000. ſtatuit. Alii 150000. vid. *Statum imperii Turcici ex polit. regia* p. 293. Quid ſi autem Timarrorum tanta ſit copia, ut eorum ſint 4350000. uti tradit MONTALBANVS, facile apparet, longe majorem numerum equitum poſſe comparari. Omnium optime ni fallor, hujus rei notitiam dedit RICAVT *l'hiſtoire de l'Empire d'Ottoman.* lib. 3. cap. 2. p. 407. qui feudatarios Turcæ diſtinguit in (1) *Zaims*, quos cum Baronibus quarundam nationum comparat, quorum reditus annui a 20000. usque ad 100000. & plures aſpros æſtimentur (2) *Timariotas*, quorum alii dicantur *Tetverebir* feuda ſua immediate ab imperatore accipientes & opulentioris conditionis, alii *Teſneretis* a Beglerbegio tantum conſtituti, quorum calculum per omnes provincias deinde init, ut ſic facile de magnitudine exercitus hinc comparandi judicari queat.

(c) *Ianizari*) Milites prætoriani, qui ut Mamelucci corpus ſui principis circumſtipaot, vel ut juveoes ſtrenuiſſimi Perſarum, quos Janitores vocabant (memorati ab auctore, qui ſub nomine Ariſtotelis librum de mundo compoſuit) regem ſemper comitantur vel cuſtodiunt. Suot qui eos a jaoua dictos putant, alludentes ad nomen *porta*, quæ eſt regia imperatoris. At vero quia Turcis porta, *Capi* non Ianua dicitur, unde is qui ſupremam regiæ curam gerit, Capigi Baſſa dicitur, hinc rectius vox Ianitzari a Turcico vocabulo Jegnizari derivatur, quæ novam militiam ſignificat, (Jegni enim eſt novus zeri milites) quod nomen ipſis Bechtaſch aliquis ſacerdos Turcicus primum, una cum tegumento capitis impoſuiſſe dicitur, cujus etiam ſectæ addicti ſunt, ſed ob nimiam ejus libertatem Keſereſis i. e. irreligioſi ab aliis dicti vid. NERRETTERVM p. 238. & LAZARVM SORANZIVM l. c. Ab aliis peditibus amictu breviore, mitris niveis acuminatis & enſe quem Cymitharrum vocant, diſtinguuntur. Eorum præfectus dicitur *Aga* qui primus eſt Aglariorum ſive equitum præcipuorum, qui nunquam à latere imperatoris diſcedunt, ab Aga i. e. baculo, quem geſtant, ita dictorum. Centuriones vero aliique præfecti Baluchi Baſſi appellantur. Inſtituti primum creduntur ab Oſmane Gaſi ſeu Ottomanno, deinde ab Amurathe I, ex conſilio Cara Roſtem, quem Turcæ ut ſanctum colebant, poſtea vero 40000. fuere, hodieque eorum numerus pro lubitu augetur. Coeterum aliud genus peditum quos ſiogulæ provinciæ & civitates mandato imperatoris ſuis ſumtibus ad bella mittunt, Aſappi vocantur, iique a Ianitſcharis tum aliis armis, tum etiam mitris rubris diſtinguuntur. De his autem & Ianitſcharis eorumque militia ac diſciplina vid. RICAVT. *l'hiſtoire de l'Empire d'Ottoman.* lib. 3. c. 7. p. 445. *Lonicerum hiſt. Turc.* Tom. I. p. 163. *hiſtoria univerſale dell' origine Guerre & imperio de Turchi* p. 241. 308. 113. BUSBEQVIO, uti ipſe refert ep. 1. p. 25. monachis potius quam militibus ſimiles viſi ſunt Ianitſchari.

(d) *Militia genus*) Occaſio hujus inſtituti hæc fuiſſe perhibetur. Cœperant ſub Amurate I. pro quolibet mancipio Chriſtiano in Aſiam transvehendo aſpri 25. a Turcis exigi, unde & ab Eurooeſe Bego ad Thraciæ regiooes depopulandas miſſo poſtulatum fuerat, ut in uſum magiſtratus ſupremi quintum quodque mancipium Chriſtianum a ſuis repeteret & imperatori traderet; ſi quis vero oon quinque ſed quatuor duntaxat mancipia poſſideret, ut ab eo ſingulorum nomine 25. aſpri exigerentur eaque pecunia fiſco cederet. Hac igitur occaſione deinceps mos inolevit, ut ex omni mancipiorum numero liberalioris formæ pueri pro Sultano delecti retinerentur, quæ quidem ita ſelecta deinde ad portam imperatoris deducta & Amurathi oblata ſunt. Is vero pueros in Anatoliam transportatos inter Turcos diſtribui juſſit ut apud eos diſciplinæ pariter ac labori aſſveſcerent & Turcice diſcerent. Exactis autem duobus aut tribus annis repetiit Ianitſchariorum ordini adſcribendos. STRVCKVSEN l. c. p. 165.

(e) *Hodie ibi*) Olim ratio ſtatus fuit imperii Turcici, ut ſuprema officia Chriſtianis ejuratis, aot a prima ætate ad Turciſmum perductis concrederent, tum quod ſelectiſſimi omnium eſſent tum quod majori odio in Chriſtianos flagrarent quam ipſi Turcæ & res præclare geſſiſſent, uti

ad ſumma imperii munera promoventur, eliguntur ex iis, qui nati ſunt ex parentibus chriſtianis. Hinc officia Baſſarum & Veziriorum a talibus ejuratis chriſtianis adminiſtrantur, qui muhammedanæ religioni arctiſſime adhærere ſolent atque quod execrandum pejores ſunt & ſæviores hoſtes in Chriſtianos quam alii. *Quæri poteſt* (a) an conducat Turcico imperio alere Janizaros? Difficile eſt de hoc diſſerere, quia nemo hanc rem huc usque attigit. Ordinem quidem Janizorum accurate legi, ſed cauſam, quare Janizari introducti ſunt, non vidi. Notandum quod hoc genus militiæ introductum præſertim ſit in conſervationem imperatoris. Tyrannicum vero indiget milite peregrino, regium vero imperium domeſtico utitur. Quia imperium illud Turcicum eſt tyrannicum, niſi quod ſit hæreditarium, hinc facile apparet, haud injuria cogitaſſe Turcam, uti milite externo. Videbat enim ſe adverſus ſuos tutos eſſe non poſſe. A Saladino principe Ægypti primum inceptum eſt uti milite externo, qui ex remotis provinciis eſſet oriundus. Ceterum Turcicus non eſt peregrinus miles, quia lectus eſt ex illis, qui ſub imperio ſunt. Fateor, ſi obiter ſpectes, apparet, eos non eſſe peregrinos, reapſe vero idem eſt, ac ſi utatur milite peregrino. Rapitur enim e ſinu parentum ſuorum, ut amorem patriæ exuant vel parentes ignorent & patriam. Deinde lectus eſt e Chriſtianis & traductus in religionem Muhammedanam. Accedit tertio educatio. Miles enim ille mittitur in remota loca & ibi linguam Turcicam diſcere cogitur & ſacra Muhammedana, asſueſcit alii vitæ. Aſiaticorum vero vita plane diverſa eſt, ab Europæis. *Præmiis* (b) quoque ita invitatur miles, ut omnem fortunam ſuam ſuſpendere cogatur a domino ſuo. Ex hæreditate paterna ne obolum habet. Porro quoniam filii Janizarorum ſecundum legem non ad militiam admittuntur, ita non poſſunt ſtudere, ut liberis ſuis aliquando bene ſit, coguntur itaque ſui ſaltim curam habere, reapſe enim cenſentur cœlibes, & amorem liberorum exuere coguntur. Ita miles eſt, revera *peregrinus.* (c) Laborat vero haud paucis incommodis militia Janizariorum. Militia Ægyptiaca ſeu Mammeluccorum hoc incommodi habuit, quod miles ſemper fuerit in locis peregrinis quærendus, qui tamen non ſemper fuit in promtu; hinc juſtus eorum numerus decrevit, quia non ſemper tot venalia mancipia emere & conducere poterant. Hinc non eſt mirum, quod a Turca deinde fuerunt victi, miles enim eorum longe fuit numeroſior; ſtultum fuit inſtitutum illud Mammeluccorum, qui etiam illam militiam in promptu voluerint habere, cum jam mortui eſſent imperatores tyrannici. Tyranno enim mortuo, quid opus eſt tyrannico præſidio. Melior Turcarum conditio hac in parte; Legunt quidem etiam militem ex chriſtianis ſed legunt domi, ideo facilius parari poteſt quam olim a Mammeluccis. Paulatim vero Chriſtiani in imperio Turcico *deficere* (d) incipiunt. Deficientibus vero Chriſtianis, deficiunt etiam eorum liberi & conſequenter etiam Janizari. Hinc hodie non tam multos producere poſſunt Janizaros, quam olim, quia chriſtiani deficiunt, (1) quoniam miſera illa plebs nomen dat religioni Muhammedanæ ut aliquantum liberior eſſe poſſit, (2) quoniam Chriſtiani adeo dure habentur ut cogantur effugere & relictis agris in urbes migrare & duram vitam agere; hinc ſeminarium illud Janizarorum non poteſt non deficere. Hac de cauſa ex ordine Janizarorum non ſolum excipi ſolent ex Chriſtianis oriundi ſed ſolent educari liberi eorum a Chriſtianis quos deinde ab eis rapiunt. Curant Janizari baptizari ſuos liberos ut ſpem habeant ſuccedendi in ordinem Janizarorum, quia propter novum militiæ genus ante annos 60. conſtituit, qui dictus miles *Burgadaſiorum*, (e) qui ex ruſticis Muhammedanæ religioni addictis legi ſolet. Hic miles hodieque ſupereſt & non dubito, Janizaros aliquando eſſe defuturos. Porro obſervandum, illud inſtitutum non adeo eſſe utile, modo miles ex pauperibus ſumatur & prœmiis afficiatur, tunc ſatis tuta monarchia illa tyrannica. Imperia vetera Perſica potuerunt res ſuas defendere absque tali milite: video itaque utilitatem non neceſſitatem. Poſſet etiam Turca absque Janizariis res ſuas *in ſalvo habere.* (f) Habet etiam illa ratio iniquum aliquid

Mahumetes Baſſa ex Triballo patre & matre Conſtantinop. natus ſub Mahomede IIdo, Barbaroſſa (quem Charaidinem i. e. Evergetem aut virum qui ſtrenue ſe geſſerit Turcæ nominarunt) Sinan Baſſa aliique. Ceſſante autem hodie maxima ex parte hoc ex Chriſtianis ſelecta ceſſat etiam hæc diſtributio munerum olim obſervata.

(a) *Quæri poteſt*) Vid. RICAUT livr. III. chap 8. *s'il eſt de la Politique moderne des Turcs d'entretenir une armee de Janiſſaires, qui ſoit conforme a leur premiere inſtitution.*

(b) *Præmiis*) Gaudent Janitſcharii multis privilegiis, honorantur quamvis ſunt inſolentiores, timenturque ab omnibus in profectionibus aut itineribus, deprædantur caſas & domos nec vel verbo contra mutire licet, dum quid emunt, pretium pro libitu rebus dicunt, a nullo quam ab Aga judicari poſſunt, nec plectuntur extremo ſupplicio citra periculum ſeditionis, menſtrua ſex aureorum ſinguli ſtipendia merentur, ſtationes & caſtra eorum ſunt imperatoriæ domus veſtibulum, ultimi omnium confligunt, a novo imperatore muneribus afficiuntur &c. Vid. MONTALBANUM *& ſtatum imperii Turcici.* p. 298.

(c) *Peregrinus*) Hodie tamen, cum nati Turcæ inter Janitſcharios quoque cooptentur, eorumque liberi ad eandem militiam admittuntur, non amplius in totum peregrinus, ſed maxima parte miles etiam domeſticus cenſeri debet.

(d) *Deficere*) Atque ob hanc rationem mos antiquus rapiendi pueros Chriſtianorum hodie abrogatus eſt. Obſerv. RICAUT p. 460. *En troiſieme lieu pour ne pas depeupler les endroits l'Europe qui ſont ſous la domination du Turc, en prenant tous les trois ans les enfans de tribut pour le ſervice de grand ſeigneur, que les Turcs appellent Deuſchiame; On a abandonne cette ancienne coutume, en quoi conſiſtoit la principale conſervation des Janiſſaires. Au lieu de cela on prend aujourdhuy des vagebonds d'Aſie & d'ailleurs qui ſe produiſent eux meſmes & on en fait des Janiſſaires, quand ils ont fait ſix mois de noviciat.*

(e) *Burgadaſiorum*) LAZARVS SORANZI l. c. Culcardaſios nominat. Verba ejus ſunt *Cum Amurathes III. reipſa expertus eſſet, tantam ſibi non eſſe militum copiam, quam quondam habuere ipſius majores, novam inſtituit militiam tam equitum quam peditum ruſticorum videlicet Turcarum, quibus ampla privilegia & honores plurimos decrevit, proprio ipſis indito nomine Culcardaſiorum, quod ſervorum ſive mancipiorum fratres ſignificat. Quæ appellatio cum ſolis tribuitur Chriſtianis in Mohammedanam ſuperſtitionem adſcriptis, tum apud Turcas omnium eſt honorificentiſſima.* Idem Amurathes III. Ainoaoglanos neque uſu neque ætate ad militiam aptos in Janitzaros legit: teſte autore *diſſ. de ſtatu praſ. Turc. in Honoris praxi prudentia polit.* p. 127.

(f) *In ſalvo habere*) Si alia etiam conſideres; Nimirum inſolentiam horum militum & tot injurias, quibus ipſam

quid & crudele in ſe, eripere liberos parentibus. Poteſt tamen aliqua eſſe utilitas, quia dum ita ſubducuntur parentibus chriſtianis charitates, deficit illorum robur & vires. Hoc magnum præſidium Turcæ. Interim in Europa ſimile non habemus, niſi aliqua ex parte, quod Machiavellus obſervat in principe ſuo. In pontificatu ſcilicet Romano, ubi, quia non conceditur *matrimonium* (a) clericis, illi ſoli dependent a Romano pontifice. Nullam enim liberorum ſuorum curam gerunt & ſi quos habent patrium amorem exuere debent. Nullum vero majus in republica vinculum, quam communes liberi, major ibi reſpectus reipublicæ, quilibet enim liberis ſuis promovendis ſtudet. Nunc ad cauſam efficientem. Quod ſummum rectorem attinet, regimen eſt apud familiam Ottomannicam ab Ottomanno vel Oſmanno. Floruit hæc ab anno 1300. usque ad hæc tempora. Aliquando vero *in more* (b) fuit illi familiæ, quod ſimulac quis evectus eſſet ad dignitatem imperatoriam, fratres, ad imperii tranquillitatem, occidendos curavit: quicquid enim e ratione ſtatus eſt, id juſtum reputant. Hinc maxime ſunt perfidi, ſi ex illorum re eſt. Ceterum ab anno 1540. non adeo in fratres ſævierunt, & maximo bono. Quod ſi enim ita ſævire perexiſſent, jam exſtincta fuiſſet familia Ottomannica. Achmetes I. cum Muſtapham ſtolidum & ignavum vivere permitteret, isque poſt Achmetem ad imperium perveniſſet, poſt duos tamen aut tres menſes ſtatim remotus fuiſſet, ſucceſſit huic Oſmann filius juvenis ferox. Hic cum *deprehenderet* (c) Janizaros a majorum ſuorum virtute longe diſcedere & longa pace molles redditos eſſe, imperator bellandi cupidus, in bello Polonico, in quo aluerat 600000. Janizaros, qui a Polonis repellebantur, agitavit, de tota illa militia exauctoranda. Videns vero hoc non facile proceſſurum, conſilium in Syriam migrandi cœpit, conſtituendique ſibi novum militiæ genus & ſic Janizaris ſe ſubducere. Hi vero, audito hoc conſilio, in rabiem pene redigi cœperunt, & ſtrangularunt imperatorem. Productus deinde Muſtapha, qui vero ob ſtultitiam ſuam rejiciebatur. Vocatus deinde Oſmanni frater Amurath IV. Defunctus cum nullos liberos reliquiſſet, vocatus iterum *Muſtapha*, (d) ſed iterum rejectus. Succeſſit ergo Ibrahim frater Amurathis IV. qui itidem a milite ſuo prætoriano ſtrangulatus eſt, filius vero ejus rerum nunc potius. Itaque niſi reliqui fuiſſent illi fratres, jamdudum periiſſet familia illa Ottomannica. Militia perpetua multum quidem habet commodi, ſi eſt numeroſa, verum hæc militia adeo eſt præpotens, ut ipſi imperatores ſint in poteſtate prætoriani militis. Sed hoc eſt commune vitium militis perpetui prætoriani, ut deficiant, ſi quidem illis lubet, præſertim ſi eorum copia magna eſt. Habet igitur imperator in Janizaris ſuis hoc *periculi* (e) & incommodi, quod jam incipiat in eorum manibus eſſe. Hujus rei exemplum habemus apud Romanos, ubi multi Cæſares a milite ſunt interfecti, adeo ut penes illum ſumma imperii ſteterit, cumprimis miſerrimus ejus ſtatus fuit ſec. III. poſt C. N. de quo egi ad Machiavellum. Si vero

Turca

ſæpe familiam ottomannicam affecerunt, poſſent iſta omnino eorum abdicationem aut enervationem ſuadere: quem in finem conſilia agitata fuiſſe a Vezierio quodam in bello Hungarico meminit BECMANNVS p. 742. objiciente Janitcharios præſentiſſimis periculis, ut ſic minueret eo citius eorum numerum, aditumque ſibi paracet ad inſtruendam novam ac magis obſequioſam militiam. Adde RICAVT. l. c. p. 459.

(a) *Matrimonium*) Obſervandum etiam, Janitſcharios non potuiſſe olim uxores ducere, iisque adeo matrimonium vetitum fuiſſe. Poſtea cum id ipſis permitteretur, cautum demum fuit de liberis eorum, ne ad militiam ejusque dignitates admitterentur. Quo ipſo præciſa ipſis fuit omnis ſpes poſteritatis, ut reapſe cenſerentur quaſi cœlibes.

(b) *In more*) Hunc morem a Bajazethe I. qui regnum auſpicatus eſt a cæde fratris; Jsgupis, derivat CHALCONDYLAS. Si hiſtoriam conſulas, fratrum machinationes, ab iisque ſæpe captatus procerum & militum favor huic conſilio anſam dediſſe intelligitur. Sed cum hac ratione familiæ Ottomannicæ interitus pararetur, Amurathe III. 5. fratres, Mahomede III. etiam 19. fratres una vice an. 1591. ſtrangulari jubente, primus Achmetus nova & inuſitata Turcis clementia an. 1603. fratri Muſtaphæ pepercit. Vid. STRVCKHVSEN p. 253. Nec Mahomedes IV in fratrem tam ſævus fuiſſet, niſi militaris ſeditio illum irritaſſet.

(c) *Deprehenderet*) In bello enim Polonico multis ſuorum cladibus afflictus, culpam in Ianitſcharios, quorum aſſiduis ſeditionibus vexatus fuerat, cejecit, ideoq; non modo de iis exauctorandis mutandisque deliberare cœpit, ſed & ſedem imperii Conſtantinopoli in Syriam ac Damaſcum transportare ſtatuit. Quo vero commodius hoc conſilium exſequeretur, ſimulavit ſe Meccam verſus ad ſepulcrum Mahomedis viſitandum & feſtum Paſchatos (Cuccibaram Turci vocant) inibi celebrandum cum univerſo comitatu aulico omniq; Ianitzariorum agmine profecturum. Audito autem hoc milites eum cœperunt rogare, ut ſententiam ſuam de itinere Meccano & avehendo ſecum theſauro mutaret & ſuaſores hujus rei ipſis trucidandos traderet. Sed cum nihil obtinerent, quin potius Baſtaglio Baſſæ mandaſſet, ut præcipuos Janitzerorum interficeret, tum illi in aulam irruperunt & dejecto Oſmane Muſtapham imperatorem conſtituerunt a. 1622. STRVCKHVSEN p. 261.

(d) *Muſtapha*) Nihil de iterata hac ſucceſſione Muſtaphæ meminit STRVCKHVSEN p. 2 4. (qui potius refert, Haſſonem Beglerum quendam Murate rejecto Padiſchachum ſive Imperatorem a Turcis conſtitutum fuiſſe) *neque Pars IV. ſupplem. ad Puffend. introd.* p. 777. neque *Chronicon Drechsleri* neque alii; ſed Ibrahimum ſtatim Amurathis IV. ſucceſſorem ſtatuunt, tum ejus filium Mahometem IV, cui ſucceſſit frater Solimannus II. a. 1687. huic vero frater Achmetus II. a. 1691. quo mortuo an. 1695. Muſtapha II. filius Mahomedis imperium obtinuit, ſub quo pax Carlovicenſis inita fuit, huic vero per ſeditionem militum de non ſoluto ſtipendio conquerentium regimen in manus fratris reſignanti ſucceſſit an. 1703. Achmetus III qui hodie rerum potitur.

(e) *Periculi*) Faſſus id fuit Ruſtanus Baſſa Busbequio. Cum enim miniſtris ejus cum Ianitſchariis lis extitiſſet, monuit ille, ut cauſam omnem contentionis cum peſſimis illis hominibus præcideret, memineritque bellum eſſe, quo tempore ipſi regnarent, ita ut ne Soleimannus quidem eorum potens eſſet & ſibi ab iis male metueret. Vid. epiſt. 3. p. 260. qui alias epiſt. 1. p. 102. Silentium & modeſtiam horum militum in præſentia imperatoris non mediocri laude dignam annotaverat. Cur autem Ianitſchari poteſtate quam in manibus habent, non utantur, cum ſemper dominari poſſent & ex proprio corpore magiſtratus & imperatores eligere, ejus rei cauſam in illorum potiſſimum ſtupiditatem rejicit MONTALBANVS l. c. p. m. 7. quem in finem nonniſi robore corporis ſtolide feroces, ingenioque rudes & craſſi in eorum numerum cooptantur, iisque ad honores & gradus niſi admodum raro aditus pateat.

Turca Janizaros ſuos velit extra urbem in caſtris vivere & non habere usque adeo eives exarmatos, facile poſſet Janizaros per cives continere. Certe hactenus non video ullum præſidium imperatori in illo milite, præterquam quod illa ſimultas perpetua inter equitem & peditem imperatorem conſervat, ut enim hoc ſeſe habet in aliis militibus ita quoque in milite Turcico. Eo vero res devenit, ut Turca ſe non facile ab illo liberari poſſit; non vult in aciem prodire niſi præſens ſit imperator. Vident enim ſi a latere ipſius eſſent deducti, poſſe ſe in loca periculoſiſſima mitti, & ita deleri. Nolunt igitur ab ipſius latere diſcedere, ſed cum imperatore mori. Jam aliquando imperatores male educantur & in Gynæceo inter Spadones & fœminas fœmineæ adſveſcunt vitæ mollesque fiunt, Deinde imperatores, ſi quidem ſunt in vivis, filios ſuos ſuſpectos habent, ſi fortaſſe ſint ingenii fortis, ita voluptatis ſtudio indulgere *coguntur* (a) ut vitent ſuſpicionem patris, deinde vero ad virtutem redire non poſſunt. Sic mollis vivendi ratio corrumpit eos: ſunt enim aſſueti vitam in Gynæceo *inter fœminas agere.* (b) Muliercularum ergo blanditiis capti nil ſerio agunt, ſed mulierculæ dant operam ut domi eum retineant. Ad hunc modum plures imperatores vixerunt. An etiam ille, qui hodie vivit, illis vitiis deditus ſit, nec ne dubito. Poſt Turcam ſenatus imperatoris eſt, qui dicitur *Divan* (c) qui regit totum imperium, ad quem totius imperii ſumma defertur. Notandum illum Divan conſtitui ex non uno. Qui habet jus conſultandi dicitur Vezirius vel Vezir. Inter Veziros ſemper aliquis præſidet, alii titulum quaſi & jus habent, ſed alibi vivunt. Baſſa Budenſis audit quoque Vezir: non vero omnis Baſſa Budenſis eſt Vezir, ſed prout imperatori placet eum appellare. Inter eos unus eminet, qui dicitur *Vezir Azem* (d) vel primus Vezirus (grand Vezier) qui eſt director totius ſenatus. Illum ſequuntur Vezires ſenatores vel aſſeſſores quorum ad minimum tres ſunt vel 4. olim tot, hodie vero quot imperatori placent. Exiſtit in pandectis Joh. Leonclavii n. 228. annal. egregia diſſertatio *de officiis.* (e) Aula ipſa dicitur *Porta* (f) Turcice Capi, quo nomine omne ſignificatur, quod ad aulam pertinet. Aula Perſica, olim Monarchia ſecunda etiam porta dicta, Pili Turcice dicitur. Serrajum appellatur domus imperatoris *der Kœnigl. Hoff*, eſt autem ampliſſima, ut magnam urbem magnitudine æquet. In illo Divano omnia agitantur negotia. Vezires illi ſemper periculum ſolent incurrere & officio ſuo privari. (1) Quia voluntas imperatoris eſt mutabilis tam per ſuggeſtiones fœminarum quam calumnias invidentium. (2) Quoniam Janizari illos Vezires odio habere ſolent, igitur imperator non ſolum cogitur eos detrudere ſed etiam ſtrangulare. Sunt porro etiam aliqui, qui magna valent autoritate, alii præfecti ſunt *ærario.* (g) Poſt illos ſunt, qui regunt provincias imperii Turcici, (in

(a) *Coguntur*) Ita Mahommedes III. a patre Amurathe morti deſtinatus ex conſilio matris de ſalute ipſius ſollicitæ venereis voluptatibus ſe tradidit, atque ita conceptam de ſe tanquam ambitioſo & bellicoſo ſuſpicionem apud patrem purgavit. THVANVS lib. 127.

(b) *Inter fœminas agere*) Ex antiqua conſuetudine, qua Turcicis imperatoribus ſolenne eſt, nullas conjuges ſed unice concubinas habere, cujus rationem BVSBEQVIVS a Bajazete Gilderun derivat, cui in Tamerlanis poteſtatem redacto nihil viſum indignius, quam ludibria & contumeliæ, quibus in ejus conſpectu uxor afficiebatur, vid. epiſt. 1. p. 37. Alii addunt, id fieri ex veteri orientalium principum opinione, qui nullam fœminam ſanguine ſuo parem adeoque conjugio ſuo dignam crediderunt, unde & priſci Perſæ & Ægypti reges ſorores ſuas duxerint; vel ut ſumtibus parcatur, qui non minores futuri eſſent pro conjuge imperatoris quam eſſe ſolent pro Valedia i. e. matre imperatoris, ſummamque 500000. coronatorum efficiunt.

(c) *Divan*) Eſt ſedes publica conſilii ubi Baſſæ jus dicunt, & negotia imperii adminiſtrant. Quæ vox ſecundum quosdam ab Ebraica voce *Din* judicium derivatur (vid. FVNCCIVM p. 9.) ſed minus recte. Alia enim hujus vocis ratio ex lingua Turcica eſt repetenda. Ballovacenſis lib. 31. cap. 245. Dovunam corrupte ſcripſit, typhanum Porſius. Hujus conſiliarii κατ' ἐξοχὴν dicuntur Veziri Baſſæ, quorum quidem magnam poteſtatem magnosque reditus eſſe, ita ut quidam 6000. miniſtros ſuis ſtipendiis alant, tradit LONICERVS hiſt. Turc. Tom. I. p. 78. Alia tamen hac de re refert RICAVT lib. I. p. 111. qui & ibidem de miniſtris hujus Divanis peculiari capitis ornamento Mugeveſie dicto diſtinctis agit.

(d) *Vezier Azem*) Dicitur etiam Lala i. e. gubernator ſeu protector; Magna ejus eſt autoritas, ita ut ſolus fere jus conſultandi & decidendi habeat, ejusque arbitrio omnia pacis & belli negotia gerantur, niſi quod Baſſam capitis ſupplicio adjudicare nequeat ſine ſubſcriptione imperatoris, nec militem quenquam punire ſine præfecti conſenſu. Alias nec appellationi ab eo ad imperatorem locus eſt, niſi in puncto denegatæ juſtitiæ, quo in caſu perſona appellans veteri Turcarum more igni capite impoſito Seraglium ingreditur & quanto poteſt concitato curſu ad imperatorem accurrit, nemine prohibente. Una hujus honoris infelicitas eſt, quod raro ſit diu durabilis. Vnde aliquis Vezierius ſupremus ſe & anteceſſores ſuos formiciis comparavit, quæ ideo alis donentur, ut citius intereant. cœterorum Vezieriorum olim 4. poſtea 6. nunc plures 10. vel 12. numerantur. Vices qui ſupremi Vezierii gerit in ejus abſentia dicitur Caimanan.

(e) *De officiis*) Vide *libellum de ſtatu imperii Turcici* p. 216. adde LONICERVM Tom. I. p. 171. RICAVT lib. 1. c. 12. Breviter ita habe de miniſtris aulæ. Alii ſunt intra eam, alii extra eam. Intra eam ſunt: Capi Aga ſive Capitaneus Portæ, Oda Baſſi cubicularius magnus, Chaſnadar Baſſa theſaurarius magnus, Kilertzi baſſi diſpenſator maximus, Seraidar Agaſi ſupremus ſerarii præfectus, Boſtangi Baſſa præfectus hortorum, Zeſchnegir Baſſa prægustator maximus, Murpac Emini præfectus culinæ, Achſi baſſa coquus maximus, Himbrahor Baſſa ſtabularius major, & ejus locum tenens Himbrahor Kbeaja. Extra eam ſunt Muftius, inde tres ſupremi judices, de quibus ſupra jam dictum eſt, poſtea Viziri Baſſæ tum Beglerbegæ, dephtardarii i. e. præfecti ærarii, Agæ ſeu Tribuni, Emir Halem ſeu ſupremus vexillifer, Tſchaus Baſſi i. e. præfectus Tzanſiorum qui numero plus minus ſunt 700. & quaſi legati aulici ſunt &c. Rais Effendi eſt cancellarius ſive ſecretarius ſtatus.

(f) *Porta*) Ratio hujus denominationis a priſco orientalium more derivanda eſt, quibus tribunalia & conventus ſolennes in Portis erant, Ruth 4, 1. Deut. 17, 1. Alia in hanc rem pecul. diſſert. exhibet Ph. HONORIVS *in praxi prudent. polit.* p. 6. 7. 8. Similisque eſt Venetorum conſuetudo, qui dum principem aut ſenatum conveniunt, ad ſcalas ſe ire dicunt, a loco ſuperiori, ubi cauſæ dijudicantur, in quem ſenatores per gradus aut ſcalas aſcendunt.

(g) *Ærario*) Duo æraria ſunt imperii Turcici, unum peregrinum alterum domeſticum. Hoc 20. milliones tantum annuorum redituum habere traditur. Illud vero immenſos continet theſauros, eoque pertinent omnia munera, quæ tam ab cæteris gentibus quam ab incolis imperatori mitti ſolent. Vid. FVNCCIVS p. 91. LAZARVS SORANZIVS *in libello de ſtatu imperii Turcici* p. 268. BOSIVS l. c. p. 54. 55.

(in multas enim diviſum eſt) qui præſunt illis vocantur *Begler Begi* (a) quod dominum ſeu ducem deſignat & conjunctim ducem ducum. Eorum magna eſt autoritas. Quot vero eorum ſint numero, latet. David Chytræus in Chron. Saxon. (quod opus commendatum opus eſſe debet) cap. XXVII. catalogum provinciarum imperii turcici exhibet. Convenit quidem cum Catalogo Joh. Leonclavii, interim non nihil differt. Meretur procul dubio Leonclavius majorem fidem, hic 25. enumerat in Aſia, 30. Chytræus, 24 Africæ, 3 Europæ, Leonclavius 6. a quibus reapſe non diſſentit Chytræus, ſed verbis. Referam Europæos (1) Europæ Begler Begatus dicitur Rumeli, qui præſidet toti Græciæ, Epiro, magnæ parti Thraciæ, exceptis maritimis oris (b) *Græciæ* (2) Beglir Begus eſt *Capitain Baſſa* (c) qui toti rei maritimæ præeſt. Omnes inſulæ Ægei maris illi ſubſunt. Hujus imperio totum illud contra Venetos bellum geritur (3) *Budenſis* (d) hic nobis omnium eſt proximus & toti Hungariæ, quæ ſub imperio Turcico eſt, præſidet. (4) Temeswarienſis, qui nobis quoque propinquus eſt: ſub hujus ditione pars eſt Croatiæ. Temeswaria eſt urbs munitiſſima Tranſilvaniæ proxima. (5) *Boſnenſis* (e) hic Boſniæ, Serviæ, Sclavoniæ imperat. (6) Caffenſis vel Theodoſiæ, hujus vis eſt per exigua, Begler Begatus enim ille non adeo late patet. Inter hos tres præcipui eminent, (1) Rumeli vel Romaniæ (2) Anatoliæ, ſive Begler Begus Aſiæ minoris (3) Capitain Baſſa. Hi poſt Vezirios primum locum habent. Singuli Begler Begi habent ſub ſe aliquos, qui dicuntur Sangiacci, & minorum urbium minorumque provinciarum præſides ſunt. Budenſis ſub ſe habet XV Sangiaccos, Temeswarienſis VIII. Boſnienſis IX. quas enarrat Leonclavius. *Chiaus* (f) nil aliud ſignificat, quam legatum, non vero primarium, ſed qui inferioris eſt dignitatis. Baſſa enim quando legatus eſt, non dicitur chiaus. Quos etiam Turca habeat vicinos, eſt attendendum. Notum in Germania habere Chriſtianos, & quidem ex parte *Moſchum* (g) ſed non adeo vicinum. Magis vicinum habet regnum Poloniæ, Hungariæ quam maxime. Nullum namque propinquius. Venetos habet in Dalmatia; montibus tamen non nihil diſtincti ſunt. Illi montes a prædonibus tenentur, & utuntur illis Veneti. Non vero eſt, cur Turca Chriſtianos metuat. Singuli non valent, niſi exceptis Polonis, quos infeſtos habet per Coſaccos, quorum excurſiones non poteſt prohibere. A rege Romano quod metuat, non habet; Bellum enim defenſivum eſt, quod a Chriſtianis contra Turcas geritur: Veneti etiam defenſivum bellum gerunt, magno enim precio pacem hodie emere vellent. Quoniam in Perſia formidabilem vicinum habet, ideo nullum in Europa gerit bellum niſi viribus Aſiaticis & contra. Hæc de rebus turcicis dixiſſe *ſufficiant*. (h)

De

(a) *BeglerBegi*) Vid. de his RICAVT. lib. I. p. 128. qui cum archiducibus illos comparat, ibidemque de eorum inſignibus & ornamentis, uti & diſtinctione in haſile & ſaliane Beglerbegha pluribus agit. Cœterum Beglerbeghi etiam Baſſæ dicuntur, & ſunt quaſi duces ac gubernatores provinciarum, ſangiaci vero comitum loco haberi poſſunt. Eorum ordinem & numerum cum ſangiacis cuique Beglerb. additis ex *autore deſcript. Imp. Ottom.* Vide apud BECKMANNVM p. 727. obſervantem etiam ex [illegible]lios eſſe, qui reditus ſuos ex provinciis ipſis, quibus [illegible]poſiti ſunt, colligant, alios qui quod accipiunt, ea ærario imperatoris habent, uti Baſſam Ægypti, Bagdedi ſeu Babyloniæ, Temini in Arabia felici, Habaleh in finibus Abyſſinorum, Boſræ haud procul a Sinu Perſico &c.

(b) *Græciæ*) Sedes ejus Sophiæ.

(c) *Capitain Baſſa*) Deniri Beglerbeg dicitur, & reſidet Gallipoli.

(d) *Budenſis*) Hic & Temeswarienſis Beglerbegus ob recuperatas ab imperatore Rom. haſce regiones hodie ceſſant.

(e) *Boſnenſis*) Sedes ejus eſt Bagnialuca.

(f) *Chiaus*) Vide de his RICAVT lib. 3. cap. 9. Solent illi mandata imperatoris, quibus ſtrangulatio Baſſæ alicujus decreta eſt, perferre & legatorum quoque munere ad exteros principes fungi.

(g) *Moſchum*) Hodie Moſchus ſatis quoque ratione Coſaccorum vicinus eſt Turcis iisque cum propter potentiam, tum ob amicitiam cum Perſis extimeſcendus.

(h) *Sufficiant*) Addimus more noſtro conſueto poſt exantlatam meſſem ſicilimenta quædam. *Inſignia* imperii Turcici ſunt creſcentis lunæ cornua terreſtri globo impoſita, quibus ſcopus hujus reip. nimirum ſtudium dilatandæ magis magisque potentiæ inſinuari videtur. Vid. CAROLVM PASCHALIVM *in libro coronarum* lib. 9. c. 28. p. 626. Imperator dicitur Chan communi fere omnium orientalium more, Sultanus vero eo modo, quo reges Hiſpaniæ voce Don utuntur. Titulus Padeſchachi unde ſit, alii diſquirant. Crediderim ex Italico podeſta corruptum eſſe. Solet autem is (imperatorem ſignificat) a Turcis quoque Gallorum regibus tribui, de quo vide BECMANNVM p. 738.

Prætenſiones variæ ſunt. Turca tanquam imperator orientis jura ſibi maxime in occidentem quoque ſive occidentale imperium arrogat. Aſſerit, occupatam a Venetis inſulam Corcyram ad ſe pertinere, ut LAZARVS SORANZIVS *in Ottomanno* docet. Vendicat ſibi provinciam Diarbeck, quæ ipſa Meſopotamia eſt, dubiæ tamen inter Perſas & Turcas poſſeſſionis. In Moldaviam & Wallachiam jus ſibi arrogat, imo in univerſum pontum Euxinum &c.

Moneta publica imperii Turcici eſt vel aurea, vel argentea vel cuprea. Auream Turcæ, Altumler, Mauri Dahab, Itali Sultaninum vocant, qui fere valore æquat Cechinum Venetum. Argenteæ plura ſunt genera, vel enim Sajat, vel Maidini, vel Aſpra, Turcice Achtſia nuncupantur. *Aſprum* minus cœteris valet, id Turcis etiam Osman, Mauris Armenie, ſcriptoribus quibusdam ſyderocapſia dicitur ab arce Syderocapſa, quæ in provincia Thaſſi ad Athon montem celebrem ſita eſt. Valet autem 24. Manguris. *Maidinus* aſprum cum dimidio facit & quinq; Maidini unum Sajat, Sajat octo ducatum Turcicum. *Ærei* nummi varii pretii dicuntur Zibit, Mangurem, Direm, & Nuccaros. Nuccari ſex Maidinum, Mangures ſex Aſprum efficiunt, unus vero Nuccarus duobus conſtat Diribus, duo item Zibit unum Direm valent. Vid excerpta ex JOHANNIS COTEVICVS *itinerario Hieroſol. & Syriaco in libello de Arabia* cap. 10. p. 202. *ſtatum imperii Turcici ex Lazaro Soranzio* p. 233. Nulli autem monetæ effigies imprimitur, quam Turcæ averſantur, ſed uni lateri Turcica quædam vocabula impreſſa ſunt. e. g. *Atajat ſuſſiat Sultaamat Morat Chan*, in honorem & gloriam Soldani Mohammedis, qui imperium Conſtantinopolitanum virtute ſua acquiſivit. *Alteri*, *Sulthan Mahomet Chan. Sultan Bajazit Ben Sultan Selimſcia. Sulthaameth ſexchis vis ſexenalti* ubi priora verba imperatoris nomen, poſteriora Sexchis &c. annorum numerum indicant. Vid LEONICERI *hiſt. Turc. Tom. 1. p. 148.*

De religione Turcarum optime egit HADRIAN. RELANDVS multaque falſa & erronea oſtendit, quæ vulgo huic tribuuntur. Eſt autem religio eorum fere popularis & fræna laxat licentiæ, licet larvam habeat pietatis, quod non diffeſſus Arabs ille, qui Moldavum mentitus Pariſiis ſub ſchemate religioſi per 45. annos explo-

paruerunt Perſæ. Poſt Medos autem vaſtum illud imperium pervenit ad Perſas, hi ſunt proprie illi, qui habitant prope ſinum Perſicum, & dicuntur hodie *Pebarſi*, (a) cujus imperii metropolis olim fuit *Perſepolis* (b) ad Eulæum fluvium, in illa parte, ubi hodie eſt Chuſiſtan vel Suſiſtan. Hoc imperium incepit autore Cyro, & vulgo audit ſecunda Monarchia, & revera fuit imperium vaſtum, pertingit ab Indis usque in Ægyptum & Græciam, ita, ut longe ſuperaverit imperium Aſſyriorum. Hoc autem imperium eſt deletum per Alexandrum Magnum qui ultimum Perſarum regem, Darium devicit, cum quo etiam deſiit imperium Perſicum, & ita quidem illud eſt deſtructum, ut amplitudinis veteris & gloriæ antiquæ Perſicæ, ne quidem veſtigia ſuperſint. De urbe Perſepoli legere poteſtis *Curtium*, (c) qui late deſcribit, quemadmodum urbs elegantiſſima, opulentiſſima, ampliſſima miſere perierit, incenſa ab Alexandro Magno inſtinctu ſcorti cujusdam Attici Thaidis. Egregiæ urbis hujus nomen dudum periit, ſuperſunt tamen exigua rudera arcis Perſepoleos, quam poſt alios etiam deſcripſit nobiliſſimus *Mandelsloh* in ſuo itinerario, qui ea etiam depingi fecit. Habeo ego narrationem *legati* (d) cujusdam Hiſpani ad regem Perſicum, qui itidem rudera illa deſcripſit, non autem depinxit, & illa non vidi *depicta*, (e) niſi apud Johannem Ramuſium & apud *Mandelsloh*. Hodie ejus imperii apud Perſas, ne quidem memoria ſupereſt, & omnia vetera monumenta plane perierunt, quod eſt notandum, & imprimis animadvertendum etiam hic eſt ad viciſſitudines rerum humanarum. Hoc igitur Perſarum imperium excepere Græci Macedones & poſteri Alexandri Magni in his terris late imperarunt, cumprimis ibi nota eſt familia *Seleuci* (f) Nicatoris, qui præterea etiam tenuit Aſſyriorum regnum. Hujus imperii metropolis fuit dicta *Seleucia* (g) a Seleuco, ſita ad Euphratem amnem, & extructa ex ruderibus Babylonis. Tametſi autem hæc fuerit urbs ampliſſima, tamen hodie jam eſt deſtructa, ut nec quidquam de illa ſuperſit. Paulatim ſecundo in his terris eſt natum novum imperium, *Parthicum* (h) ſcilicet, Parthi autem ſunt Perſis ſeptentrionales & medii inter Perſas & Medos. Fuere autem Parthi gens ignobilis & ſemper interſubditos, tandem tamen cœpit excellere, ut etiam Perſas & Aſſyrios imperio ſuo continuerint per aliquot ſecula, prolatis imperii finibus usque ad Euphratem, niſi quod aliqui a Romanis ſint rejecti & pulſi trans Tygridem amnem & perpetua inter Parthos & Romanos fuerunt bella modo his, modo illis ſuperantibus. Cæterum ſeculo poſt Chriſtum natum tertio, denuo enatum eſt imperium Perſicum tempore Alexandri Mammææ, duce *Artaxerxe* (i) Perſa, cujus ea fuit felicitas, ut Parthos omnes eorumque fines ſibi ſubjecerit, & pene omnem Meſopotamiam juris ſui fecerit. Hujus autem imperii Perſici dignitas manſit, donec Mahumedes Saracenus, qui ſe Prophetam ferebat, anno poſt natum Chriſtum ſexcenteſimo vigeſimo cœpit novum quoddam imperium ordiri, & dictu eſt incredibile, quantum & quam ſubito novum Saracenorum imperium creverit, nam brevi temporis ſpatio, ſcilicet ſexaginta aut ſeptuaginta annorum Aſiam, Africam & magnam Europæ partem ſibi ſubjecit. Hujus Mahumedis ſucceſſores duo & tres fregerunt vaſtum Perſarum imperium ſuperato ultimo Perſarum rege, & ita ibi cœpit novum Sarace-

(a) *Pebarſi*) Pharſi vel Farſi, unde & Perſia inſpecie ſic dicta hodie dicitur Farſiſtan. Derivatur hoc nomen a Phars quod equum ſignificat Arabibus. Equitandi enim peritia & equorum præſtantia olim excelluerunt Perſæ ex Scytis oriundi. Perſæ autem & Parthi differunt ut Aſſyria ab Attyria, S in T mutato, quod obſervatum jam fuit *Plinio* lib. 6. cap. 13. & *Solino* cap. 68. cf. SCHICHARDI *Tarich* p. 256. RELANDI *diſſertatio de veteri lingua Perſarum* p. 218.

(b) *Perſepolis*) Ejus reliquias hodie nomine Chilminar notas pleniſſime deſcripſit HERBERT. *itiner.* p. 61. ſqq. & ex eo *commentator Mandelslos*. Adde BECMANNVM p. 314. *Voyage of* JOHN STRUYS p. 332. Sunt tamen qui Perſepolin loco alio extitiſſe arbitrantur, quam inter Iſpahan & Schiras, ubi hodie ſunt Chilminar. i. e. 44. columnæ tanquam rudera veteris palatii regii, v. BAVDRAND p. 758.

(c) *Curtium*) Adde BRISSONIVM *de regio Perſarum principatu* p. 46. 122. 151. 173. Rudera Palatii adhuc marmore & Jaſpide quam ſplendidiſſime nitere & parietes inferius variis & artificioſiſſimis regum, triumphorum, præliorum, animalium imaginibus aliisque incognitis figurarum triangularum ac pyramidalium characteribus referti dicuntur. Columnæ tamen Chilminar ſive Chil Maoor i. e. Turres dictæ ab aliis numerantur 40. a Mandelsloh autem non niſi 19. majores & 11. minores.

(d) *Legati*) Sine dubio GARCIÆ de SILOA FIGVERA cujus l'ambaſſade en Perſe ex Hiſpan. in Gallicum ſermonem tranſtulit Wicquefortius Pariſ. 1667. Miſſus enim eſt Figuera a. 1614. in Perſiam proſtabiliendo commercio ex inſula Ormus, excluſis reliquis nationibus.

(e) *Depicta*) De picta etiam ſunt in STRUYS itinerario l. c.

(f) *Seleuci*) Huic enim poſt obitum Alexandri licet non ſine maximis controverſiis ceſſit maxima pars Aſiæ in eaque Perſia. Cæterum familiæ Regum Perſiæ aliæ ante Alexandrum M. dicuntur, (1) *Piſdadæorum*. (2) Cajaniorum, poſt Alex. M. & ante Mahomedem. (1) Aſganidarum. (2) Choſraworum. Vid. LAET. *Perſ.* p. 9. SCHICKARD. *Tarich. p. 101.*

(g) *Seleucia*) Variæ olim fuerunt Seleuciæ. Fuit *Seleucia aſpera* in Cilicia, quæ hodie adhuc dicitur Seleſcha, fuit *Seleucia ferrea* in Iſauria ſita. Hodie dicta Caraſaſat. *Pieria* in Syria hodie Jelber. *Seleucia ad Belum* ſive Seleucobelus itidem in Syria hodie Divertigi. Denique *Seleucia in Meſopotamia*, in cujus deſtructæ locum ſucceſſit Bagdad, de qua h. l. BAUDRAND p. 872.

(h) *Parthicum*) Sub Arſace, quo duce Parthi a Seleucidis defecerunt, ac deinceps regnum Perſicum occuparunt. Ex his Orodes Craſſum Romanum prælio ſuperavit, Phraates, Tiridiates, Vologeſus, Artabanus ex bellis cum imper. Rom. geſtis usque ad ſec. 3. innotuerunt, v. *Part IV. ad Puffend. introd.* p. 397. & ſq. Eorum ſedes regia fuit Cteſiphon.

(i) *Artaxerxe*) Ardſchir Babekan - - Isab Artabano ultimo Parthorum rege defecit, eumque aliquot præliis ſuperatum interfecit, ipſe vero ab Alexandro Severo deinde prælio victus fuit, ex cujus ſucceſſoribus Sapores I. & II. (ſub quo magna extitit Chriſtianorum perſecutio) Choſroes, Iſdegerdes I. & II. uti & Hormiſdas Iſdegerdes ultimus hujus familiæ, qui a Calipha Saracen: Oſmane victus atque occiſus nomenque dedit æræ Iſdegerdicæ Perſis hodie uſitatæ, præcipue notandi ſunt. Spectat ad hiſtoriam hujus Periodi potiſſimum WILH. SCHICKARDI *Taarich ſive ſeries regum Perſiæ ab Ardſchir Babekan usque ad Iezdegerdem a Caliphis expulſum per annos 400.*

racenorum imperium, imo etiam *nova religio*. (a) Succeſſores Mahumedis dicti ſunt *Caliphæ*, (b) quod eſt idem ac *imperator catholicus*, (c) quemadmodum etiam rex Hiſpaniæ hoc nomine gaudet, nec hi tantum ſic dicti fuerunt, ſed etiam gaviſi ſunt pontificiali dignitate. Nam quod hodie ſibi arrogat Pontifex Romanus, hoc olim ſibi arrogarunt Caliphæ. Hujus novi imperii Saracenici metropolis fuit *Bagdad* (d) ſita e regione veteris Babyloniæ ad Tygridem amnem, exſtructa ex ruinis Seleuciæ & Babylonis. Experta autem eſt Babylon vindictam divinam, quam Deus illi minatus erat per Prophetam Jeremiam, ut vox hominum & cantorum ibi non amplius audiatur, nec ab hominibus amplius incolatur. Cui placet *de ruderibus* (e) & bodierno ſtatu veteris Babylonis legere, evolvat Rauwulphi itinerarium parte III. ubi egregie omnia deſcribit, quæ iſtbuc pertinent, quamvis etiam quidam Angli ſtatum illius terræ deſcripſerint. Notatu autem dignum eſt, iisdem verbis Deum in Apocalypſi minatum fuiſſe urbis Romanæ ruinam, quod cum hactenus non contigerit, patet, quid *Romæ* (f) immineat, & ſine dubio eſt apud me, idem aliquando fatum manſurum Romæ, deſtructa omni Pontificiali dignitate. Bagdad urbs ſita eſt ad Tygridem amnem in Meſopotamia. Hujus terræ felicitas adeo nobis eſt commendata, ut facile appareat, omnes alias terras fertilitate ſuperaſſe campos illos Babyloniæ inter Tygridem & Euphratem. Igitur non eſt mirum, in eo tractu quondam fuiſſe paradiſum. Diſerte autem in Geneſi ſcribitur, *Paradiſum* (g) fuiſſe irrigatum ab Euphrate & Tygride, reliqui ambo fluvii quinam fuerint non ſatis intelligitur, mihi tamen videtur alterum fuiſſe aulæum, & alterum alium quendam ad ſinum Perſicum, & in hoc tractu fuiſſe Paradiſum. Bagdad exſtructa eſt in locum Babyloniæ, ideoque etiam hodie vulgo vocari ſolet Babylon, non tamen eſt Babylon. Feruntur Babylonii ibi olim habuiſſe ſuos hortos, & propterea dictam eſſe Bagdad, id eſt, urbem hortorum. Hæc autem eſt illa civitas, de qua eſt contentio *inter Perſam & Turcam*. (h) Percepiſtis ex novellis, Perſam velle occupare Babylonem, id eſt urbem Bagdad, ideoque Turcam ſibi metuere, & exercitum ſuum cogere, ut ita prohibeat, quo minus Perſa illam urbem occupet. Imperium illud Saracenicum & Pontificiale ſenſim decrevit, & diviſum eſt in varias partes, quanquam late ſit propagata religio. Deſtructus autem eſt *Chaliphatus* (i) ſeculo decimo tertio per Tartaros, & quidem per Chingis Cham ejusque filium. Atque ita ibi Tartari cœperunt rerum potiri, qui quam late imperium ſuum propagarint, jam tum audiviſtis. Tartaricum autem illud imperium *ſeculo* (k) decimo quarto iterum in partes abiit. Verum novum Tartaricum imperium ſeculo decimo quarto eſt enatum circa annum 1380. duce Tamerlane, qui pro ſede babuit Samar-

(a) *Nova religio*) BOTERUS *in politia regia* p. 146. obſervat, Saracenos non ſolum religionem in Perſia mutaſſe, ſed & nomen Perſarum plane voluiſſe extirpare, ut hæc gens non amplius Perſæ, ſed Saraceni dicerentur.

(b) *Caliphæ*) Mahumedanis Imam etiam dicitur, qui cum ſumma autoritate toti populo præeſt tam in rebus ſacris quam civilibus. Ajunt enim Prophetam ſuum Mohammedem imitatum fuiſſe Moſen qui & in rebus civilibus Iſraelitis præfuit & ſimul rationem cultus divini præſcripſit, non Jeſum, qui regnum ſuum non eſſe hujus ſeculi confeſſus ſit. Vid. RELANDI diſſ. *de jure militari Mohamm.* §. 4. Perſæ autem 12. potiſſimum credunt Imamios ſive legitimos Mohammedis ſucceſſores fuiſſe, eorumque ultimum Mahadi putant ante finem mundi iterum venturum & ſe conjuncturum Jeſu Meſſiæ, ut ex duabus religionibus Chriſtiana & Mahomedana una ſit compilanda. Vide eundem RELANDUM differt. de ſummis Arabicis §. 7. 8.

(c) *Imperator Catholicus*) Generaliter quemcunque ſucceſſorem Mohammedis notat, ſpecialiter autem pro dominatu ſive imperio Mahomedano ſignificat ſummum in rebus ſacris politicisque dominum, monarcham & Pontificem quaſi. Vid. *quæ ad imperium Turcicum annotata ſunt*.

(d) *Bagdad*) Condita dicitur a Calipha quodam Almanſur circa a. 762. ac ſedem commorandi olim Eremitæ cuidam præbuiſſe indeque vocem Bagdad abſtuliſſe, quæ Perſice ſignificat *hortum donatum*. TAVERNIER lib. 2. c. 7. OLEARIUS p. 551. GABRIEL SIONITA *de urbibus orient.* cap. 2.

(e) *De ruderibus*) Quæ de ruderibus turris Babylonicæ adhuc reſiduis dicuntur, non probantur *Moltkenio in notis ad Braunii relig. medici* p. 140. & aliis, cum rudera hæc ſint vel murorum veteris Babylonis, vel regiæ aut ſepulcri Beli, vel etiam turris alicujus in uſum bellicum a principe quodam Arabico exſtructæ, hodienum Arabibus dictæ Agarcouf. TAVERNIER p. 1. lib. 2. c. 7.

(f) *Romæ*) Videatur hac de re CAMPEGII VITRINGÆ *comment. in Apocal.* cap. 18. Hanc Romam intellexit Ludovicus XII. R. G. in nummis, quos cudi curavit cum inſcriptione: Perdam Babylonis nomen, uti ex Thuano conſtat, etſi HARDUINUS Ægyptum vel Cairum his nummis ſignificatum velit.

(g) *Paradiſum*) Paradiſus ex ſententia PETRI DAN. HUETII in tr. *de ſitu Paradiſi terreſtris* ſitus fuit ad alveum Euphratis, & Tigridis infra Babyloniam, ſecundum alios, præcipue Ioh. Clericum in confiniis Syriæ Meſopotamiam verſus. De fluviis iſtis variæ ſunt variorum ſententiæ. Vulgo ſtatuitur, Chiddekel eſſe Tigridem, eo quod Plinius hiſtor. nat. l. 6. c. 27. fluvium hunc qua tardius fluit, Diglito, qua celerius Tigridem dictum narret. Piſchon SAMUELI BOCHARTO in Hieroz. lib. 5. part. 2. c. 5. eſt ille Euphratis ramus, qui in Sinum Perſicum fertur ad Catipham prope Baharem ref. TEXEIRA *itiner. ab India in Italiam* p. 73. Gichon aliis eſt Chaborras, aliis Araxes vel Gyndes aut Indus. Clerico Orontes, aliis alius. Probabile eſt, Euphratem intra Paradiſum diverſos hoſce fluvios genuiſſe. De eorum curſu autem qui certi aliquid ſtatuunt, cum poſt diluvium is valde turbatus ſit, eorum liquore lateres Babylonis mihi lavare videntur. Vide tamen BECMANNUM p. 77.

(h) *Inter Perſam & Turcam*) Bagdadum dubio jure modo Perſæ modo Turcæ tenuerunt. E Perſia enim Michael Sophi, eam urbem Bajazeti ademit. Sed Schach Tamæ iterum eripuit filius Bajazetis Solymannus & huic rurſus Muhammed rex Perſarum. Iterum vero eam ſubjugavit Achmedes a. 1605. quem poſtea Schach Abas inde expulit, rurſus vero a. 1639. ſub Amurathe IV. obſeſſa in Turcarum fidem conceſſit. vid. TAVERNIER *part. I. lib. 2. cap. 7.* in quorum poteſtate adhuc eſt, conatusque Perſarum illam recuperandi hactenus fuerunt fruſtranei.

(i) *Caliphatus*) Jam antea per Turcas duce Tangrolipige fractus erat, iique Perſiam & Babyloniam occuparant eamque annis 170. ſub imperio tenuerunt, donec Sec. 13. Cangis magnus Chan Tartarorum Perſiam invaderet ejusque nepos Haolon tandem a. 1258. occupato Bagdado Caliphatui finem imponeret.

(k) *Seculo*) A. 1350. Gempis Sultanus Parthiæ Tartarorum jugum primus excuſſit, inſtauravit tamen paulo poſt Tartaricum imperium Tamerlanes.

markand in illa Tartariæ parte, quæ adjacet mari Caſpio. Ille univerſam Perſiam, Aſſyriam, Meſopotamiam, usque ad Damaſcum *imperio ſuo* (a) continuit. Defuncto autem illo magnum imperium illud rurſus in *partes abiit* (b) & ita Tartari deſierunt ibi regnare, ſub initium ſeculi decimi quinti & non multo poſt, & quidem circa annum milleſimum quadringenteſimum ſeptuageſimum, & ita porro novum ibi cœpit imperium Perſicum, & quidem autore Principe quodam Armeno qui vixit in Perſia, hic dictus eſt *Husheim*, (c) deinde accepit nomen Uſum Caſan, a magnitudine rerum geſtarum. Fregit ille imperium Tartaricum, & ſuum imperium propagavit per Perſiam, Indiam, Parthiam, Aſſyriam, Meſopotamiam & Armeniam &c. Hujus res geſtas narrat etiam Paulus Jovius. Reliquit filium unicum, ſed degenerem & Tyrannum, reliquit etiam filiam, quam in matrimonium dedit homini, qui tum in Ardebil in Media degebat, & ſe natum ferebat ex poſteritate Ali Caliphæ & generi Mahumedis, & præ ſe ferebat inſignem vitæ ſanctimoniam, ut etiam crederetur novus quidam propheta, & dictus eſt Schich Eidir, quod eſt homo ſanctus; fuit alias homo nullius potentiæ, & quaſi Monachum agebat. Hic vero non tam inſignem præ ſe ferebat vitæ ſanctimoniam, ſed etiam *novam* quandam *religionem* (d) Mahumedanam profitebatur, atque adeo novam quandam Sectam reſuſcitabat ab illa multis diverſam, quam Turcæ profitentur: Ea autem fuit viri hujus exiſtimatio, ut etiam ſectam ſuam perſuaſerit vicinis gentibus & Perſis. Hic Schich Eidir in matrimonium accepit Uſum Caſſanis filiam unicam & Jacuppo uxoris fratre perempto veneno ex Schich factus eſt *Schach* (e) id eſt imperator. Ex hoc natum eſt nomen: *das Schachſpiel*, quaſi ludus regius. Hunc latrunculorum ludum ab illis gentibus Perſicis nos accepimus, & in illorum terris eſt frequentiſſimus. Dicitur autem *Schachſpiel* (f) vel ludus regius, quod duo quaſi reges in illo ludo pugnent, ut notum eſt. Ipſe Turcarum imperator ſe appellat Schach vel Scha (nam alii durius alii mollius pronunciant) Hic Eidir cum antea eſſet Schich ſive Propheta, ex Schich factus eſt Schach ſive magnus rex.

Quod

(a) *Imperio ſuo*) Unde & dominus angulorum & climatum ſeptem, poſſeſſor maris & luti ſeu terræ, victor regum & principum appellari voluit. A Mahomedanis & Turcis ignominioſe dicitur Charegh, ſeu ſchiſmaticus, Aldighat, ſive Antichriſtus claudus & luxatus Ghagatau ſive Dæmon Vipera &c.

(b) *Partes abiit*) Duæ enim factiones ex Turcomannis ortæ ſunt, una albi altera nigri arietis dicta. Vid. *Pars IV. supplem. ad Puffend. introduct.* p. 462. Perſis dicuntur Karakionla & Akojunli. Ex Karakionlia primus rex Perſiæ fuit Kara Iſſuph ſive Niger Joſephus. Hanc familiam poſt 50. annos dejecerunt a. 1468. Akojunli ex iisque primus Uſum Caſſan celebratus ob fœdus cum Venetis contra Turcas initum.

(c) *Husheim*) Haſſan Padſchab aut Ozun Azebeſ filius Alibeci ex familia Aſimbecorum factioni albi arietis dedita oriundus, gubernator Armeniæ adverſus Joncha regem Perſiæ inſurrexit eoque interfecto regnum accepit, Mahomedem Sultanum Turcarum Imper. prælio primo aggreſſus ſuperavit, ſecundo autem ipſe ſuperatus & a. 1478. mortuus reliquit filium Jacobum, quo per inſidias uxoris veneno ſublato ex familia Uſum Caſſanis nonnulli ſucceſſerunt, donec Iſmael patris Schich Eidir a Ruſtano interfecti mortem vindicaturus Alvantem R. Perſiæ e medio tolleret, ipſeque rerum potiretur. Vid. *Part. IV. ad Puffend.* p. 464. quæ hac in re ſequitur P. BIZARVM *de bell. Perſ.* lib. 10. p. 267. *aliosque*, nihil habentes de regno Perſico a Schich Eidire occupato, ſed hunc vel ſub Jacobo, vel Ruſtano interfectum, ne rerum aliquando potiretur, aſſerentes. Conringius autem, dum Schich Eiderem inter reges numerat, in eo ſequitur Olearium ipſosque ſcriptores Perſicos, quorum ille fide nixus eſt, *in itinerario Perſico* p. m. 634. Cœterum ex diviſis tunc Perſis in eos, qui Haideris partes ſequerentur, & illos, qui alteri parti addicti eſſent, natum forte, quod JOHN CHARDIN refert p. 353. Taurim æque ac pleraſque Perſiæ civitates in duas partes diviſas eſſe, in Haydar & Neamet Olai, nomina duarum factionum Perſiæ ſec. XV. cum quibus Gvelphos & Gibellinos comparat.

(d) *Novam religionem*) Jam antea nimirum 1363. quidam dictus Sofi vel Sefi novam hanc religionem inchoaverat. Is enim originem ab Aly genero Mahomedis ejusque filii Hoſſeini poſteris repetens cœperat docere, quod tres priores pſeudoprophetæ ſucceſſores Abubecker Omar & Oſman injuria Caliphatum occupaſſent, cum ex voluntate Mahomedis Aly ſuccedere debuiſſet in multis de ſententia Alcorani ejusque inſtitutis a ſocero ſuo rectius informatus. Multa de hujus Sofi, qui in Argebil vixit, ſanctimonia & miraculis a Perſis narrantur, unde & Perſarum reges hujus doctrinæ vindices ab eo Sophi dici maluerunt, quæ vox ſecundum *Leunclavium*, cui applaudit *Conſtant. l'Empereur* not. *ad paraphr. Jach. in Dan.* p. 25. laneum ſignificat. Uſus enim Sophi laneis veſtibus, ejusque exemplo deinde Perſæ Tulipantos ſuos non ex lino, uti Turcæ, ſed ex lana confecerunt, vide tamen quæ circa hanc vocem moneat Olearius l. c. p. 677. Ex hujus Sophi poſteris fuerunt tum alii novæ iſtius ſententiæ ſtrenui aſſertores, ut Sederedin & Tſinid, vel Guinet, tum etiam potiſſimum hic Schich Aider, quem imperio Perſico potitum vulgo perhibent. Vid. HOTTINGERI *hiſtor. Orient. lib. 2. c. 6.* Perperam igitur Schich Aider ſive Harduellis pro autore ſectæ Perſicæ a PAULO JOVIO habetur lib. 13. hiſtor. p. 236. & majori errore ad tempora Lutheri refertur; quod & ipſe *Minadous* lib. 2. belli Turco Perſici p. 531. correxit.

(e) *Schach*) Idem eſt Padiſchach aut Padſchach. Quem titulum etiam Turcarum imperatoribus tribuunt, de quo ſupra diximus in republ. Turcica. Num idem ſit, quod βισαξ, de quo Heſychius, *Biſtax Perſis regem dici* ſcripſit, de eo diſquirit RELANDVS *diſſ. de veteri lingua Perſ.* p. m. 147. Cœterum quando AMMIANVS MARCELL. lib. 19. ait, Perſæ Saporem Saanſan appellaſſe, hoc eſt idem quod Schahanſchah, rex regum, ordinarius etiam titulus regum Perſiæ, de quo uti & de titulo Pyroſes. Vid. EZECH. SPANHEIMIVM diſſ. *de uſu Numismatum* p. 422.

(f) *Schachſpiel*) Sunt qui inventores hujus luſus faciunt Indos, quippe a quibus Coſra filius Kobad Perſa mutuo acceperit & ad ſuos tranſtulerit. Rectius tamen ſentire videntur, qui natales ejus deferunt Perſis, ex iisque nobiliſſimo philoſopho ac mathematico Schatrangha dicto qui hoc ipſo pugnæ cujusdam ſimulacrum exhibere voluit. Habetur in hoc luſus genere rex qui Schach dicitur. Latrunculus occupans angulum illius tabulæ luſoriæ audit voce Perſica Rocho ſeu Elephas. Cum regi nulla ſpes elabendi ſupereſt, audiuntur voces Perſicæ, Schachmatt, i. e. rex perplexus & turbatus eſt. Mat enim Perſis perplexum notat. Alii a Mat Arabica voce quæ mortuum ſignificat, derivant ſed perperam. THOMAS HYDIVS Anglus peculiari libro de ludis orientalibus egit, necnon de ludo Schachico OLEARIVS *in roſario Perſico* lib. 7. hiſtor. 13. qui & in itiner. p. 558. obſervat Perſis hunc ludum Sedranz dici quaſi plenum curarum. Hydius recte l. c. p. 4. ab hoc ludo diſtinguit alium Perſis dictum Nerdeſchir, qui eſt ludus κύβοιας ſive ἀστραγάλων vulgo a Sono Tictac dictus.

metuit. Obſervandum autem eſt illud imperium Perſicum eſſe diſtinctum multis montibus perquam excelſis. A parte Septentrionali habet montem *Taurum* (a) qui magnam illius terræ partem occupat. Patet ergo, non ita omni ex parte eſſe cultum Perſicum imperium, qua parte enim habet Taurum, non ita poteſt excoli. Sunt præterea in illo imperio vaſtiſſima deſerta. Meminit Olearius eſſe alicubi *deſerta* (b) quatuor aut quinque dierum itinerum, ubi ita etiam terra coli non poteſt; verſus Armeniam & Mediam omnia ſunt montium plena, & ita hac parte quidem *tutior* (c) eſt Perſia, non tamen bene poteſt excoli. Pro amplitudine itaque regionis Perſia non ita eſt bene exculta, alicubi autem ubi terra magis favet, ſunt oppida frequentiſſimis incolis inhabitata. Solet hodie Perſia diſtingui in regiones *viginti* (d) præter propter. Alias ſolet dividi in *Satrapias* (e) ſeptuaginta. Satrapa eſt vox vetus Perſica, & idem apud Perſas ſignificavit, quod apud Turcas Baſſa. Hodie vox illa non eſt in uſu, ſed qui olim dicti ſunt Satrapæ, hodie appellantur *Chanes* (f) voce Tartarica; quoniam Tartari diu has regiones incoluerunt, manſerunt etiam ibi multa alia vocabula Tartarica. Qua parte regio excolitur cumprimis verſus auſtrum, terra ſic ſatis eſt fœcunda ita, ut eorum, quæ ad vitam pertinent, regioni illi nihil deſit, imo multis terra illa abundat. Cumprimis terra eſt *ferax* (g) omnis generis frugum & arborum. *Vini* (h) etiam alicubi ferax eſt, quod tamen *non bibunt* (i) propter religionem, quoniam ita a Mabumede eſt inſtitutum & prohibitum, ne vinum bibant. *Metalli* (k) terra non eſt ferax, & aurum & argentum ibi infertur per commercia, alias ibi non reperitur. Inter animalia regnum Perſicum fert præſtantiſſimos equos & quidem copioſe, & *equi* (l) Perſici ſolent longe præferri equis Turcicis & Tartaricis. Florente etiam ſecunda Monarchia hæ terræ ſunt laudatæ ab equorum cultura. Quod homines ipſos attinet, terra illa ſic ſatis multos alit homines. Amplitudini tamen terræ numerus hominum non reſpondet, propterea, quoniam magna Perſiæ pars non poteſt excoli, quæ partes autem non patiuntur culturam, eæ homines etiam non poſſunt alere, prout in omnibus Aſiæ locis non reperitur ea hominum multitudo prout in Europa, in qua multo major eſt hominum multitudo; Quod ingenium Perſarum attinet, populus Perſicus laudatur ab inſigni morum *civilitate*. (m) Memorant ſcriptores Perſas eſſe humanos, & urbanos eſſe virtutibus moralibus ita bene inſtructos, niſi quod more omnium Aſiaticorum ſint *ſuperſtitioſi* (n) & etiam mulieroſi & libidinoſi; laudantur tamen etiam a fortitudine, & ſunt ſic ſatis *bellicoſi*. (o) Quod virtutes intellectuales attinet, laudantur omnes ab inſigni ingenii bonitate, eos aptos eſſe ad artes omnes & ſcientias diſcendas, igitur ibi etiam reperias arti-

(a) *Taurum*) Tauri montis jugum oritur in Aſia minori a Pamphylio mari progrediturque ab occaſu in ortum usque ad Indiam ac dividit Aſiam univerſam in duas partes ſeptentrionalem, quæ Aſia intra Taurum & meridionalem, quæ Aſia extra Taurum dicitur, ſtipatur a latere Anti Tauro majore & minori qui Armeniam majorem & minorem interſecant. De periculoſiſſimo ejus tranſitu videatur HERBERTI itiner, p. 94. 95. *Caucaſus* ſeu Caxes mons a Ponto Euxino ad mare Caſpium extenditur. *Imaus* mons Scythiam dividit, de his jugis vide BECMANNVM p. 297. JOH. CHARDIN. p. 166.

(b) *Deſerta*) Non per univerſam Aſiam majus deſertum occurrit, quam quod per mediam Perſiam usque ad Indos extenditur. HORNIVS p. IV. p. 64.

(c) *Tutior eſt*) Portæ Caſpiæ ſive Caucaſiæ veterum fere inacceſſam ab hac parte faciunt Perſiam.

(d) *Viginti*) BAVDRAND p. 758. nec non Olearius 14. numerant provincias potiores, ſex verſus mare Caſpium, Seirvan, Adirbeitaan, Irivan, Kilan, Tabareſtan, vel Maſanderan, & Choraſan, quinque Sinui Perſico propiores Chuſiſtan, Fars, Kirman, Maheran, Seud. Tres in medirullio Yerach Agemi, Sitſiſtan, Sabluſtan. Huberus 12 & Hornius l. c. novem tantummodo numerat.

(e) *Satrapias*) De Satrapiis vet. Perſ. vid. BRISSONIVS lib. 1. p. 111. HYDIVS putat vocem *Satrapa* corruptam eſſe ex Eſterpum, cuſtos mulorum. At quomodo, inquit RELANDVS diſſ. *de vet. lingv. Perſ.* p. m. 233. ἄρχοντας χώρων cuſtodes mulorum? Rectius proinde ille vocem hanc origine non aliam quam Perſicam Sitrab eſſe judicat, quæ idem notat quod vulgo Satrapa.

(f) *Chanes*) Item Sultani, qui tamen non ſunt hæreditarii ſed ex arbitrio regis ſecundum merita & virtutes ex humili ſæpius vitæ conditione ad hanc dignitatem evehuntur. Hi ſub auſpicium novi anni ſplendida regi munera mittunt, militiæ ſemper paratæ curant habeot, ad legationes etiam quandoque adhibentur. Sunt tamen provinciæ quædam præcipue minores, in quibus non ſunt Chanes. Sed præfecti tantum aliqui inferioris conditionis, quos vocant Darugas. Cœteri provinciarum miniſtri ſunt, Calenderi ſive receptores pecuniæ. Kaachæ ſive Sculteti vid. OLEARIVM p. m. 665.

(g) *Eſt ferax*) Solum præcipue ad mare Caſpium & Sinum Perſicum fertile eſt & fluminibus irriguum. Interiora autem Perſiæ pleraque caloribus aduſta, ſabuloſa, ſterilia ac deſerta ſunt. BAVDRAND p. 758. ait: *le terroir y produit toute ſorte de legumes & de grains a la reſerve de l'avoine & du ſegle.*

(h) *Vini*) Vinorum tria genera celebrantur, Schiraſſenſe, Reſdenſe & Ispabanenſe.

(i) *Non bibunt*) Præcipue Hatzi quos vocant, qui Meccam peregrinati ſunt. Cœteroquin ditiores & cum primis aulici nulla hac in re conſcientia ducuntur, quin in conviviis non niſi vino utuntur eoque frequenter inebriantur. Not. OLEARIO p. 596. Unde & Turcarum Mufti Eſad Effendi in judicio ſuo adverſus Perſas pronunciato, cujus tenorem vide apud NERRETTERVM p. 185. Perſis cum ob alias cauſas tum etiam ob vini uſum maledixit.

(k) *Metalli*) In Montanis æri ſodinæ ſuperiori ſeculo detectæ ſunt, auri quoque & argenti non nihil inventum eſt, pretio tamen labori non reſpondente, unde laborem ſine fructu, argentum ex fodinis Kervenſibus appellare ſolent. BECMANN. p. 255. Borrax cum primis copioſe ex montibus eruitur, Venetis Batavisque quæſitus. Gemmarum autem varii generis Perſia eſt feraciſſima. Vid. BRUCKMAN. *magnalia* p. 286.

(l) *Equi*) Niſæi & Parthici equi olim ob proceritatem & celeritatem ſunt celebrati. Vid. BRISSONIVS *lib.* 3. p. 301. hodie illis Arabicos & Turcicos in Turcomannia natos præferri docet OLEARIVS p. m. 573.

(m) *Civilitate*) Sunt Perſæ liberales, hoſpitales & humani erga exteros, verbis etiam officioſis ita urbani, ut iis abundare & adulari videantur; nec ſtando mingentes, nec ad requiſita naturæ ſedentes facile viſuntur. Quod obſervatum olim a Marcellino, recentius ab *Oleario* lib. 5. c. 15.

(n) *Superſtitioſi*) Divinationibus præſertim Aſtrologicis, Geomanticis & Chiromanticis dediti ſunt *Olearius* lib. 5. c. 28. Ad libidinem excitandam impudicis meretricum ſaltationibus utuntur, herbæ cujusdam ſemine veſcuntur, quin & pueros alere dicuntur muliebria pati aſſuetos.

(o) *Bellicoſi*) Leguntur 100. Perſæ quandoque aggreſſi 470. Turcas in hiſtoria Sarac. Tom. 3. p. 124. timidos milites, qui ſe facile fugæ dederunt, ita puniunt ut muliebri habitu indutos circumducant. Vide *roſarium Perſicum* l. 2. c. 4.

artificioſos *opifices.* (a) Solet ex Perſia ad nos devehi ſericum & panni ſerici optimi, panni etiam aurei & argentei acupicti, nusquam enim adeo egregie *pinguntur* (b) panni ſerici & conficiuntur, quam in Perſia, ut etiam ſuperent omnes conatus Europæos. Tinctura etiam pannorum præfertur omnibus aliis, & eſt plane eximia. Quod reliquas ſcientias attinet, abundat multis *Poëtis,* (c) nusquam enim ſunt tot turmæ Poëtarum, quam in Perſia. Similiter habent multis in locis ſuos doctores, cumprimis Mathematicos, quorum laus eſt longe infra Europæos, Olim videntur ſcientiæ ibi magis floruiſſe, nam tum habuit Perſa *ſcholas* (d) celeberrimas, ut etiam ex ipſa Usbecorum terra prodierit magnus ille Avicenna; natus ille eſt in urbe Bachara, & hodieque ejus libri ſunt in magno pretio apud Perſas. Habent etiamnum ſuos magiſtros in *philoſophia* (e) medicina, matheſi, jurisprudentia & theologia. Quamvis autem olim res ſtudiorum fuerint florentiores, hodie tamen ſunt longe infra conatus Europæorum, nec eſt, quod hac in parte invideamus. Ad hunc modum ſe habet terra & populus Perſiæ. Eſt tamen in vaſto illo imperio non ubique par populi indoles, laudantur a fortitudine bellica imprimis ſeptentrionales, & illi, qui vocantur *Curdi* (f) qui habitant partem veteris Aſſyriæ ad Tygridem amnem. Hi ſunt milites univerſi imperii Perſici fortiſſimi, id quod ex parte debetur perpetuo exercitio bellico, quia ſiti ſunt in finibus imperii, & perpetuo illis eſt certandum cum Turcis. Laudantur præterea a fortitudine *Hircani.* (g) Eſt vero in univerſum, populus aliquis, quo magis habitat regionem aliquam aſperam, eo magis etiam ſolet eſſe ingenio bellicoſo, qui vero populus habitat terram fœcundam, efficitur mollis, nam fertilitas omnium rerum ſolet frangere forte alicujus populi ingenium. Quod cœli qualitatem attinet, ea in Perſia non eſt *uniusmodi.* (h) In parte Septentrionali Perſia eſt ſatis frigidæ temperiei, & hoc debet excelſis montibus. Taurus enim mons eſt excelſiſſimus, & illa terra, quæ interjacet inter mare Caſpium & Taurum montem eſt frigidior, ut nonnullis etiam in locis propter frigiditatem ne quidem vitem ferat. Contra vero in parte auſtrali ſunt omnia mitiora. Ad Sinum Perſicum cœlum eſt fervens, hac de cauſa etiam reges Perſici ſolent mutare *ſedes ſuas* (i) pro anni tempeſtate. Hodie primaria regia urbs eſt *Iſpahan,* (k) ubi aër eſt maxime temperatus. Hanc primus ſibi elegit hujus regis, qui hodie regnat,

avus

(a) *Opifices*) Plena eſt Perſia opificiis, ſive manufacturis, quas vocant, præcipue texturis, tincturis, picturis &c. unde & mercatura ibi quam maxime floret, quæ etiam durante bello cum Turcis libere exercetur. Opifices ibi in publicis foris (Meidso dictis) urbiumque plateis laborantes conſpiciuntur.

(b) *Pinguntur*) Cumprimis in civitatibus Jetſch & Kachan de qua Parthiæ urbe vid. JOHN CHARDIN p. 411. Ipſis autem pannificiis deſtituuntur. Pannos enim ex lana præparatos a Batavis & Anglis accipiunt.

(c) *Poëtis*) Schaer vocant, quorum alii ſunt circumforanei, alii magnatum domeſtici. Rythmica poëſi utuntur, inſtructi ſemper quocunque vadunt, calamo & charta, ut rogati conſcriptum carmen ſtatim exhibere poſſint. Celebriores Perſarum Poetæ ſunt Saadi, Hafis, Firdaaſi, Fuſſuli, Chagani, Eheli, Schems, Nawai, Feruched, Dehcki, Neſſimi &c. Prioris Poëtæ Saadi libellum Kuluſtan ſ. roſarium dictum, omnium fere manibus tritum tranſtulit, notisque illuſtravit *Adam Olearius* qui & *in itiner. lib. V. cap. 19.* de poëſi Perſica pluribus egit. Commentatus quoque eſt in illud roſarium GEORG. GENTIUS. Poetæ *Haſan Caza* elegias in prophetam Haly ſpeciminis loco Anglice translatas exhibet *John Chardin.* l. 1. p. 402. Cœterum de literatura Perſarum vide, quæ collegit HOTTINGERVS *Comp. Theatri Orient. Part. 2. cap. 3. p. 103.* de proverbiorum autem Perſicorum acumine epiſtolas cum Salmaſii tum Levini Waroeri Centur: Adag. Perſ. ab hoc editorum præfixas.

(d) *Scholas*) Academiæ & gymnaſia Perſarum dicuntur Medreſſa & qui informandæ juventuti præſunt Mederiſii ſtipendia ſua a rerum ſacrarum præſide, quem Sedder vocant, accipientes, aſſignatis ei hunc in finem certis provinciarum quarundam reditibus, vide OLEARIVM lib. 5. cap. 25. qui & cap. 24. de ſcholis aliis, quas in Metzidis ſive templis ſuis alunt, earumque præfectis, Molla & Califa dictis prolixius egit, uti & lib. 4. c 19.

(e) *Philoſophia*) Qui Aſtronomiam & matheſin profitentur, Minatzim Perſis appellantur, cœteri philoſophi promiſcue Filſouf. Philoſophiam Ariſtotelis quam Dunia Piala poculum mundi vocant, Arabice translatam docent. In arte medica Avicennæ & Galeni præcepta ſequuntur. Jurisprudentiæ vero ſtudium teſte Oleario non ultra leges quasdam ſcriptas easque ex Alcorano ejusque commentariis deſumtas, aliasque conſuetudines ſe extendit.

(f) *Curdi*) Incolæ regionis Curdiſtan quæ partem complectitur veteris Aſſyriæ & Armeniæ majoris. Alii domicilia fixa habent, alii vero more Arabum vagantur. Religione ſunt vel Mahomedani vel Jezidæ ſive corrupti Chriſtiani Manichæiſmo addicti, de quibus Jezidis vide MICHAEL FEVRE *theatre de la Turquie* & NERRETTERUM p. 356

(g) *Hircani*) Pars eorum inter Maſanderan & Kerker habitantium, inermes facti ſunt, poſt rebellionem ſub Schach Sefi motam, ſed ab eodem feliciter ſedatam. Cœteri Hircani a Kesker usque ad Kiſilagatſch, dicti Taliſchi ob fidem in Perſiæ reges perpetuo ſervatam arma retinuerunt *Olearius* lib. 5. c. 3. Bellicoſiores veterum Perſarum milites erant Cardaces aut Carduchi, gens Mediæ, de quibus vid. *Strab.* lib. 15. & *Xenoph.* lib. 3.

(h) *Unius modi*) Propter hanc aeris diverſitatem Perſia aliis locis ſalubris, aliis inſaluberrima eſt, febresque in ea ſunt frequentiſſimæ, præcipue in Media Atropatia, hodie Schirwan & Hircania hodie Kilan. Excipitur unica urbs Tauris inde etiam dicta, ut tradit *Olearius* lib. 5. c. 7. quod febribus vacua ſit, a Teb febris, & Ris, effunde.

(i) *Sedes ſuas*) Olim Perſiæ reges per æſtatem Ecbatanæ, hyberno tempore Suſæ; verno & autumnali Babyloniæ & Perſepoli commorati ſunt, Hodie pro arbitrio aliter ſedes mutant. Vel enim Tauri, vel Ardebile vel Caſwini aut Ferabathi aut in provincia Maſanderan aut Sultaniæ degunt, etſi aliis regia ſedes Ispahan commodum quavis anni tempeſtate regibus præbeat domicilium teſte OLEARIO lib. 5. cap. 7. Regum enim mos a priſcis usque temporibus ex politicis ſine dubio rationibus introductus fuit, ſedes ſuas ſæpe mutandi.

(k) *Iſpahan*) Sive Isfahan, olim Sipahan dicta propter exercitus ibi, ut putatur, congregatos, per aphæreſin etiam Spahan dicitur, ob ſalubritatem loci a Schach Aba M. relictis Caſwino & Sultania regia ſede donata fuit, cum antea duobus pagis conſtaret, quorum nomina & partes urbis adhuc ſervant, cujus ſuburbia ſunt Zulfa Armeniorum colonia, Haſenabath, Tabriſabath, & Kebrabath. Septem milliaria German. in circuitu complectitur, ut adeo magnitudine maximis Europæ urbibus Londino & Pariſiis non cedat. Plateis tamen ſtratis caret, muros habet terreos, & portas inter diu noctuque apertas. Vaſtum urbis ſpatium dictum Maidan, in quo arx regia Dowlet Chane appellata ſplendidum templum ſeu Matzidam habet, a Scharh Abas conditum. Notanturque alia palatia, uti *Dekay* locus, ubi rex cum legitimis uxoribus cibum capit, *Haram Chane*, domicilium Concubinarum, *Diwan Chane*, Curia juſtitiæ, *Taberik Kale.* locus ubi theſaurus regius reconditur. *Tzaychatts Chane* locus ubi potus Theæ præparatur, Perſico more multis mixtus aromatibus &c. vid. BAUDRAND. p. 554. *Tavernier* Part. I. lib. 4. cap. 5. & 6. JOHN STRUYS *voyages* p. 313.

avus Schach Abas. Eſt hodie urbs florentiſſima, & optime eſt deſcripta ab Oleario. Veteres Perſæ florente adhuc ſecunda monarchia maxime coluerunt Suſan aut Suſiſtan tempore æſtivo. Hodie autem præfertur ei Iſpahan, Nunc dicendum eſt de ipſo regimine, initio facto a cauſa finali, qui ſcilicet ſit ſcopus regni Perſici. Expendentibus itaque omnia quæ occurrunt in republica iſta, videtur aſſerendum, maxime quidem regimen reipublicæ illius inſtitui in utilitatem dominantis, ita tamen, ut longe major habeatur *populi ratio*, (a) quam in republica Magni Mogolis, aut etiam aliis rebuspublicis, ubi præcipue ſpectatur utilitas dominantis. *Habetur* (b) populus Perſicus non ita omnino ſerviliter, quanquam tamen ita habeatur, ut appareat magis haberi rationem regis, quam ſubditorum. Quod vero ex eo patet, quoniam Perſiæ reges non ſunt contenti ſuis finibus, tametſi illi ſunt ſatis ampli, & poſſet reſpublica illa ſic ſatis feliciter inſtitui, ſi rex eſſet contentus ſuis finibus. Jam autem rex pro dilatandis imperii finibus bella movet acerrima, quod fit in utilitatem dominantis. Ita tamen, ut dixi, regitur reſpublica illa, uti magis habeatur populi ratio, quam in Turcico & Magni Mogolis imperio. Felicius enim longe vivit populus ſub Perſa, quam ſub Turca, quod etiam patebit ex illis, quæ poſtea afferentur. Uno verbo itaque dicere poſſis, imperium Perſicum eſſe mitius genus dominatus, prout ſunt etiam varii ſervitutis gradus. Habetur enim populus Perſicus ſerviliter ſed mitius, Quod cauſam formalem attinet, non abit a communi regimine Aſiaticarum gentium, nam ibi etiam obtinet plena *Monarchia:* (c) Omnis enim Majeſtas eſt penes unum regem, & omnia majeſtatis jura ad illum ſolum pertinent, habet ille ſolus jus belli & pacis, poteſtatem ferendarum & abrogandarum legum, habet poteſtatem fœderum ineundorum & reſcindendorum, habet poteſtatem *vitæ & mortis*, (d) & omnium bonorum ſuorum civium. Quod manifeſto indicat, obtinere ibi ſimplicem monarchiam, quod eſſe commune gentibus Aſiaticis, & commune olim jam fuiſſe diximus. Porro quia etiam ad ſummam poteſtatem pertinent conſtitutiones magiſtratuum & judiciorum, obſervandum eſt, in imperio Perſico omnes magiſtratus conſtitui ab uno rege vel Schach. Hic pro lubitu conſtituit Satrapas, ut olim dicti ſunt, vel prout hodie vocantur, Chanes. Omnia etiam judicia dependent ab uno rege, ille ſententias judicum pro arbitratu poteſt mutare,, ut ita pateat, plenam non mixtam ibi obtinere monarchiam, nec ibi diviſam eſſe regni faciem, ſed ſimplicem eſſe, quia regimen, ſive poteſtas hic eſt apud unum. Sed quoniam ſumma Majeſtas etiam habet miniſtros ſuos, ita jam habete: Majeſtas utitur magiſtratibus partim ad bella, partim etiam ad pacis negotia, quemadmodum rex Perſarum adminiſtrat univerſam rempublicam diviſam in varias provincias per ſuos Chanes, qui habent ſummam *poteſtatem belli* (e) & poteſtatem judiciorum etiam in provinciis, quod docetur ab Oleario Lib. V. itin. Perſ. cap. 35. Chanes non ſunt *hæreditarii*, (f) ſed ſunt mobiles ad arbitrium principis, & notandum eſt, illos principatus ita eſſe conſtitutos, ut quotannis poſſint mutari, imo quoties regi fuerit libitum. Itaque rex etiam ſæpe aliquem mittit cum poteſtate capitali ſupplicio animadvertendi in ipſos Chanes, & qui jubeant, ut illi caput ſuum mittant regi. Hinc igitur apparet, & vitam & omnia eſſe in poteſtate unius regis. Attamen per gratiam regiam ſatis diuturni interdum ſolent eſſe illi principatus,

(a) *Populi ratio*) Laudatur præcipue Schach Selim III. ob mite in ſubditos imperium nec non Schach Abas I. Is enim privatum ſæpe habitum induit, ut cauſas ſubditorum ipſe cognoſceret. Piſtorem & lanium interimi curavit, quod panem & carnem juſto minori pretio vendidiſſent. Noluit Benjanos aut Indos commerciorum cauſa in Perſia ſubſiſtere, ne lucro, quod in ſe tranſlaturi eſſent, populus privaretur. Prohibuit quoque peregrinationes Meccanas fieri, ne pecunia exportaretur, ſubſtituitque Mechedanas extructo templo magnifico Mechead in regno ſuo.

(b) *Habetur*) Non habentur nobiles aliique ſubditi ita mancipiorum loco uti in regno Turcico. Neque in fratres & agnatos regios tanta ſævitia exercetur. Subditi tamen magnis muneribus regem & miniſtros placare tenentur, ſi quos negotiorum ſuorum ſperant ſucceſſus. Nec deſunt exempla ſævitiæ in filios, ipſam conjugem & miniſtros præſertim a Schach Abas & Sefi exercitæ, de quibus vid. *Olearium* lib. 5. cap. 33. HERBERT. *itin. Perſ.* p. 84. Extenſis digitis monſtrari regem amputatione manus punitur, cujusmodi quid mercatorem Conſtantinop. in actu tali plane innoxio deprehenſum paſſum fuiſſe autor eſt *Tavernier Part. I. lib. V. c. 3.*

(c) *Monarchia*) Hinc in Perſia æque uti in aliis Aſiaticis imperiis ceſſant omnino actus illi homagiales, qui in Europæis regnis ſunt uſitati. Rex coronandus cingitur acinace & in menſam tot tapetibus juſtitiæ, quos vocant, ſtratam, quot ab Iſmaele Sophi anteceſſores habuit, conſtituitur, tum corona impoſita, quam antea tribus vicibus in nomine Dei, Mohammedis & Aly oſculatus fuit, rex ab omnibus ſalutatur eique fiunt gratulationes. De cætera coronationis magnificentia vid. *John Chardins* deſcriptionem de coronatione Solomanni III. R. P. p. 37. ſqq.

(d) *Vitæ & mortis*) In foro plusquam ſervilis obedientia præſtatur regi, adeo ut quivis licet innocentiſſimus regis tamen voluntate morti deſtinatus, non admodum refragetur, Regis & Dei voluntatem fieri oportere dictitans. Abſoluti dominii circa vitam & mortem ſubditorum exempla edidit inter alios Schach Abas II. ſatis ſevera. Is enim tres virgines e Gynecæo ſuo interfici curavit, quod vinum bibere jubenti non paruiſſent. Quartæ itidem juſſæ pepercit quidem, ſed Eunuchum, qui mandatum de cæde ejus haud fuerat executus, ratus regem depoſita crapula mentem mutaturum, loco ipſius e medio tolli curavit. Duabus ſocoribus primo abortum procuravit, poſt cum iterum gravidæ eſſent, eniti quidem paſſus eſt, ſed proli natæ alimenta præbere vetuit, BECMANN p. 954.

(e) *Poteſtatem belli*) Ita id intelligi debet. Chanes in provinciis quibus præſident militiam ſemper in promtu habeant neceſſe eſt, ut diruptione per finitimos forte facta, aut orta quadam rebellione ſtatim poſſint reſiſtere, ideoque ad alendam hanc militiam contributiones ipſi per calenderos ſuos recipiunt. Nec quicquam earum ad ærarium regium redit.

(f) *Hæreditarii*) Qui tamen in Gurgiſtan ſive Georgia ſunt, (Etenim hæc regio non omnino ſui juris eſt, ſed Perſis ex parte tributaria) hæreditarii eſſe perhibentur. Cæterum de gubernatoribus Perſicis obſervat JOHN CHARDIN l. c. p. 219. majores potius Beglerbegos, minores vero ſive minorum provinciarum &c. præfectos, dici Chanes. Verba ejus ſunt: *The gouvernours in Perſia are diſtinguished in Great and Petty. Media and Georgia for example are great Gouvernements, Caramania, Gedroſia petty Gouvernements. Therefore theycall Beglerbeg the gouvernour of a Great Gouvernement, and the viceroy of a Petty Gouvernement they call a Kan.*

cipatus, & hac in parte meo quidem judicio peccatur in illa republica, fieri enim poteſt, ut nonnulli Chanes interea res ſuas firment, ut etiam rex ipſe illis negotium non poſſit faceſſere. Et frequentiſſimi hanc ob rem ſunt motus in illo regno, quia enim Chanes viribus valent, a rege ad officium redigi nequeunt niſi armis. Quodſi id ibi lege obtineret, quod etiam a Romanis fuit obſervatum, ut nullus principatus ultra annum duraret, longe aliter ſe haberet illud imperium. Et quidem non video aliam cauſam, quod ibi ſæpe naſcantur *motus*, (a) niſi per conceſſionem diuturnorum magiſtratuum. Solent autem illi Chanes habere poteſtatem tum ad belli, tum ad pacis negotia pertinentem, quod valde etiam eſt periculoſum, nam uni talia omnia committere, non certe vacat periculo. Cautiores hanc in re fuerunt Romani, qui uni non totam poteſtatem concrediderunt, ſed diviſam, alii pacis, alii belli negotia, diviſa autem ſic poteſtate omnia ſunt tutiora. Non de omnibus iſtis ita politice diſſeruit Olearius, facile tamen poterit ex iis judicium aliquod politicum formari. Reliquos *miniſtros* (b) ad pacem conſtitutos quod attinet, de illis egregie diſſeruit Olearius cap. 37. de *judiciis* (c) autem cap. 38. Lib. V. unde omnia repetere non eſt neceſſe. Apparet jam ſatis quid fiat, & omnia adminiſtrari nutu regio; ita ut rex parum interdum ſibi caveat. Ut autem ante dixi, imperium illud eſt monarchicum, & ita ad pacis & belli negotia exercetur. Quod belli negotia attinet, non habet illud regnum perpetuum militem præſidiarium ad modum regni Turcici, qui habet militem perpetuum præſidiarium Janitſcharos, hujusmodi non habet Perſa, & vero videtur hac parte Perſa *veterem* (d) imitari morem. Conſtat enim ex Herodiano, Perſas jam tum non habuiſſe militem perpetuum, ſed quando res & occaſio ferebat, eos uſos eſſe milite lecto & evocato (*Ausſchuß*) quod habet ſua partim commoda, partim etiam incommoda, de qua re late ego diſſerui ad Machiavellum. Incommodis itaque illis, quibus laborat Turcia, vacat Perſia. Contra vero vacat etiam commodis, quæ expectare licet ex milite præſidiario. Genus militiæ quod attinet, vis omnis militiæ Perſicæ collocata eſt *in equite* (e) non vero pedite, quod ipſum imperio illi non poteſt eſſe pernicioſum, ut ego quidem judico, & hoc etiam a Thuano eſt animadverſum lib. 67. & principio hujus libri agit de regno Perſico; legi etiam illa poſſunt in Thuano enucleato p. 114. Obſervat Thuanus, apud Perſas equitatum pollere magno incommodo reipublicæ, quod inde oritur, quotiescunque enim cum Turca eſt pugnandum, res Perſarum ſunt in periculo, quia Turca maxime utitur pedite, & in hoc maximam ſui vim collocat, jam autem in impeditis locis nihil valet eques, pedes autem multum, igitur ſæpe prævalent Turcæ, quoniam Perſa ei juſtum militem non opponit, equites enim non valent, niſi in imperio quodam plano, in locis montanis, impeditis & aſperis parum valet eques. Notandum autem eſt, ea parte, qua Turca Perſiam poteſt invadere, eſſe loca montana & valles profundas, igitur non mirum eſt, Turcam prævalere ideo tantum, quia Perſa non habet peditem. Hac etiam de cauſa non adeo magnam vim Perſa collocat in *tormentis* (f) bellicis, a quibus etiam longe inſtructior eſt Turca. Habet quidem Perſa etiam tormenta bellica, ſed non ita expedita, ex hac parte itaque ſuperant Turcæ. Quare autem Turca ſœpe etiam a Perſa devictus ſit,

(a) *Motus*) Accedit alia eaque potior, ut opinor cauſa, quod proles regia hodierna in Gynecæo educetur, ignara prorſus conditionis ſtatusque ſui, neque inde antea educatur quam parente mortuo. Unde fit, ut novi reges regno admoti voluptatum potius, quam regiminis curam habeant. Quæ ratio etiam fuit, quod Miriweiſius Chan ſeu princeps Candahar inſurrexerit contra noviſſimum regem, voluptatibus nimis deditum & imperii negligentem, eumque throno dejecerit; licet præter hanc cauſam etiam aliam, nimirum introducendæ veræ Mahommed: religionis, ſectæque Ali ſupprimendæ allegaverit.

(b) *Miniſtros*) Miniſtri præcipui ſunt (1) regni Cancellarius, Echtemad Dowlet dictus quam vocem JOHN CHARDIN de curonat: Soiymanni III. p. 13. interpretatur confidentiam ſeu fiduciam imperii. (2) *Serdar*, dux militiæ ſupremus *Kurtzibaſchi* dux militum qui Kurtzi dicuntur, numero fere 12000. *Kular Gaſi* dux mancipiorum regiorum 8000. *Tueſentki* dux peditum Sclopetariorum. (3) *Eiſchikagaſi* Baſchi ſupremus aulæ Mareſchallus. (4) *Diwanbecki* juſtitiarius ſupremus. (5) *Nazir* magiſter aulæ. (6) *Myrachur Baſchi* Chardin l. c. ſcribit Mer Atever Bachi ſupremus ſtabularius. (7) *Myriſchikar* ſive Mirtchekar Bachi ſupremus venationum magiſter. (8) *Hakiem Bachi*, princeps phyſicorum & Munehiziim Baſchi princeps aſtrologorum. (9) *Meheter* calcularius ſupremus. (10) *Wakennis* & *Dawattar* ſecretarii regii. (11) *Chaſnedar* theſaurarius. (12) *Mehemendar* legatorum introductor &c.

(c) *Judiciis*) Supremus judex dicitur Diwanbecki -- qui in judiciis ad mortem damnatos vita exuit. Huic aſſiſtunt Sederat Kaſii quaſi ICti. *Seder* Perſarum quaſi Mufti eſt. Regi præſenti in judiciis etiam medicus & Aſtrologi adſunt. Inferiores judices Orf dicuntur. Iudicia die Lunæ & Jovis in porta aulæ regiæ aguntur. Pœnæ autem quæ in reos ſtatuuntur acerbiſſimæ ſunt. Juſtitiam tamen ſæpe muneribus corrumpi referunt.

(d) *Veterem*) HERODIANVS lib. 3. refert reges Perſarum olim, ſi conſcribendæ eſſent copiæ vel exercitus cogendus alicui ex Satrapis id negotium dediſſe & lib. 5. mercenario milite nondum Perſas ſua ætate uſos tradit, ſed nec ſtativis caſtris exercitum habitum, verum populi ac vel ipſarum quandoque mulierum multitudinem regis imperio cogi ſolitam, quæ mox bello peracto ſuas protinus in ſedes dimittebatur absque ullis ſtipendiis aut præmiis quam his, quæ cuique ex præda ſupererant. Nemini autem ad bellum idoneo vacationem militiæ petere licuit.

(e) *In equite*) Ab antiquis temporibus Perſæ plurimum valuerunt equitatu & præcipuum eorum robur in eo poſitum fuit, unde & ejus fortitudinem in locis patentibus immane quantum olim formidatam fuiſſe ſcribit AMMIANVS MARCELLINVS lib. 24. HIERONYMVS *in Jerem.* c. 12. *juxta hiſtoriam*, inquit, *omnis Perſis & univerſa Chaldaea & regionum illarum exercitus gaudet equitatu:* Ac proinde cum apud eos equitandi laus vigeret, pene a pueritia in equos aſcendere, in equis ſedere, eos flectere, iisque vehi, ex equis pugnare didicerunt. Vid. BRISSONIVM lib. 3. p. 299.

(f) *Tormentis*) Tormentis olim Perſæ magis in defendendis & oppugnandis urbibus uſi ſunt, quam in præliis. Utrum his temporibus aliam rationem inierint certo non liquet. Crediderim tamen, uſum tormentorum experientia didiciſſe, reique ipſorum militari Anglos meliora præcepta dediſſe.

ploravit, qui autem alii tabulas condiderunt, ipſi nunquam has terras peragrarunt, ideoque eorum tabulæ non ſunt tam accuratæ. Proximum jam eſt, ut ipſam rempublicam Perſarum, prout eſt hodie, conſideremus, nam ad nos jam non pertinet, qualis illa olim fuerit, quæ tum appellata fuit ſecunda Monarchia. Quod attinet igiur rempublicam Perſicam, qualis eſt hodie, obſervandi ſunt primum fines iſtius imperii. Habet a ſeptentrione mare Caſpium, & ab utroque latere maris Caſpii habet Tartaros, Uſbequenſes & illos, qui dicuntur Tartari Nagaji. A parte Orientali habet illos ab altera vero parte hos Tartaros. Quod *mare Caſpium* (a) attinet, eſt illud naturæ plane inſolitæ, nam vaſtum hoc mare, quamvis multos in ſe recipiat fluvios, tamen nullus horum apparet exitus, & nullum etiam inde capit incrementum, quod certo eſt indicio, mare illud alicubi habere ſuum *exitum*, (b) & aquam recipi in penetralia terræ, quemadmodum etiam ab Ariſtotele eſt traditum in libro meteororum. Quidam, qui fecerunt mentionem hujus maris, ita pene memorant, quaſi illud ſit conjunctum cum Ponto Euxino, & aquam maris Caſpii penetrare in Pontum Euxinum, & deinde in mare mediterraneum, ſed res ita ſe non habet. Procul dubio aqua illius maris poteſt alicubi tranſire, alias non poteſt non mare hoc incrementum capere a multis fluviis. Notat Olearius in parte auſtrali maris Caſpii locum ubi manifeſto apparet, maris illius aquas recipi in profundum terræ. Cæterum quod attinet ſitum hujus maris, *deſcriptio* (c) Olearii plane eſt diverſa ab illa, quæ habetur in vulgaribus tabulis, quæ illud protendunt ab occidente in Orientem: Olearius autem illud depinxit ab Auſtro in *Septentrionem*. (d) Sed in deſcriptione hujus maris ſequi debemus Olearium, nam ejus deſcriptio convenit cum Arabum quorundam accuratiſſimis deſcriptionibus, quare illum ſequi potius debemus, ipſe enim hoc mare navigavit, & in illo naufragium fecit, quod antea factum nullibi legimus. A maris Caſpii latere Orientali eſt terra Tartarorum *Usbecenſium* (e) qui ibi late dominantur, & ſuam libertatem adverſus Perſas defendunt, ita ut ab hac parte Perſa habeat hoſtem perpetuum. Tartari *Nagaji* (f) ut non valent potentia, ita ſatis ipſis eſt, ſi defendant libertatem ſuam contra Perſas. Non ſunt ſubjecti imperio Perſico, nec etiam Ruſſico, ſed ſunt inter Ruſſos & Perſas medii, & æmulatione illa conſervant libertatem, non formidabiles ſunt Perſæ, & auxiliis Ruſſicis libertatem ſuam contra illum defendunt. A parte Orientali imperium Perſicum eſt proximum regno Magni Mogolis, & quidem eadem eſt potentia utriusque imperii & Perſici & Mogolis, ut pene ſint pares, ut neuter alteri poſſit aliquid eripere. Interim ſolet eſſe inter eos contentio de regione *Candahor* (g) a parte orientali. Imperium Perſicum ex parte adjacet Indico Oceano, quam maxime autem adjacet ſinui Perſico, qui terram illam dividit. Notandum eſt, ante annos quinquaginta Perſarum quidem imperium etiam adjectum fuiſſe ſinui Perſico, cæterum ita, ut clauſtra ſinus Perſici fuerint in manibus Luſitanorum. Clauſtrum illud fuit inſula *Ormus* (h) quam inſulam cum univerſo regno occuparunt Luſitani ſeculo ſuperiori ductu Alphonſi Albuquercii. Sed inſulam Ormum cum toto

(a) *Mare Caſpium*) Antiquis ſcriptoribus ut BOCHARTVS obſervavit, mare Choſar dictum eſt: Ruſſis autem hodie dicitur Galenskoi More. i. e. mare Hyrcanum, Perſis Derja Kulſam, vel Aſtracan Dengils i. e. mare Aſtracanum, Turcis Bohaar Korſuum ſeu mare Clauſum, Georgianis Sywa, Armeniis Soof. Dicitur quoque ab urbe Baku mare di Baku ab aliis mare Tavereſtanum.

(b) *Exitum*) Referunt qui hoc mare navigarunt, eſſe illud in quibusdam locis plane immenſæ profunditatis. Unde fortasſis ejus connexio cum Ponto Euxino Mari Perſico & Oceano colligitur, ut ſic aquarum non emanantium ratio aliquo modo reddi poſſit. Vid. KIRCHERI *mund. ſubterr. lib. 2. c.* 13. Fluxus & refluxus in hoc mare nullus eſt, ceu Curtius tradidit. Color tamen & Sapor ejus variat. Abundat piſcibus unde magni reditus ærario regis Perſiæ accedunt. Refertum etiam eſt monſtris marinis, ex iisque grandi piſce Naka dicto navigia convertente ſi iis accedat. Inſulæ in eo ſitæ ſunt Terki Enſil, Leukoraan, Alibaluch, Kellechol &c.

(c) *Deſcriptio*) REINERVS OTTEN novam dedit deſcriptionem Geogr. maris Caſpii quæ Amſtelodami prodiit.

(d) *Septentrionem*) *Itiner*. p. 91. cum Scaligero contra veteres mare Caſpium 90 milliaribus latum & 120. longum dixit, ratus illud non ab ortu in occaſum, ſed a Meridie Boream verſus tendi. At fruſtra ipſum eſſe, oſtendit IS. VOSSIVS *in Pompon. Melam* lib. 3. c. 5. cauſatus, Olearium tantum occiduam maris Caſpii partem exploraſſe nempe littus ab Oſtiis Volgæ usque ad Ferabath oppidum, quod non longitudinem maris efficiat, idque cum geographia Nubienſi & aliis bene convenire, qui 7. dierum navigationem latitudinem hujus maris emetiri ſcribunt. Nec longitudinem maris perluſtraſſe Olearium, ſed præter alios Antonium Ienſciſon Anglum qui teſtetur, mare hoc exporrigi ad 200. Leucas Germao: Cum Olearius tantum 90. numeret, in tabulis vero Olearii ne dimidiam portionem hujus intervalli exprimi, indeque apparere, illum mediam partem maris Caſpii amputaſſe & terræ attribuiſſe.

(e) *Usbecenſium*) Hi de provincia Choraſan cum Perſis contendunt.

(f) *Nagaji*) In regno Aſtracano intra fluvios Volgam & Jaik degunt usque ad mare Caſpium. Principes ſuos, quos Myrſas vocant, habent, Ruſſorum imperio quodammodo obſtrictos ſed ſine tributo. Qua ratione exorti ſint, de eo vid. HORNIVM *orb. imper.* p. 292.

(g) *Candahor*) Superiori ſeculo Chan ſive princeps hujus provinciæ metuens regis Schach Sefi tyrannidem ſe & provinciam Candahar in magni Mogulis poteſtatem & tutelam dederat. Recepit tamen illam poſtea ſucceſſor Schach Abas II. a. 1650. Hinc oriundus fuit Miriweiſius qui ante annos aliquot veteris injuriæ memor ultimum regem Perſiæ armis aggreſſus imperio privavit.

(h) *Ormus*) Inſula parva in ſinu Perſico ſex milliarium ambitu fere comprehenſa, tota Sale fere ita operta eſt, ut rupes eo albeant, ipſique muri ædium urbis ex ſalſis lapidibus conſtructi ſunt. LINSCHOT c. 5. Unde & terra ſterilis eſt nec aquam potabilem habet. Ob ſitus tamen commoditatem effloruit, poſtquam a Portugallis hæc inſula fuit occupata, qui urbem ejus in tantum ſplendorem evexerant, ut hodienum in Oriente dicatur: Portugallos, ſi hic manſuri fuiſſent, loco ferri in foribus & feneſtris aurum & argentum nunc habituros. Sed a. 1622. opera Anglorum expulſi, urbeque diruta commercia in urbem Gamrom ad continentem ſitam translata ſunt, quæ ſolis Anglis nunc permiſſa excluſis Luſitanis. Vid. TAVERNIER P. I. lib. 5. c. 23. MANDELSLOH lib. 1. c. 8. Ormuſi vicinorumque tractuum incolæ affliguntur morbo ex vermibus, qui in cruribus naſcuntur duarum aut trium ulnarum longitudine, caute extrahendis. LINSCHOT. cap. 6. ſ. 11.

ſit, mox addam. Notanda ſunt verba apud Thuanum, quæ legi poſſunt in Thuano enucleato p. 120. Notandum porro eſt, quod Thuanus dicit p. 119. tum temporis tantum quadraginta millia militum potuiſſe cogere Perſam, qui eſt numerus valde exiguus pro ratione terræ. Quantum ex Oleario patet, melior ibi jam eſt omnium rerum ratio, & hodie centum mille, imo interdum ducenti mille equitum poſſunt *ibi cogi.* (a) Quo autem vitio imperium Perſicum tempore Thuani laborarit, eo etiam nunc fortaſſis adhuc aliqua ex parte laborat, nam virtutes & vitia ſibi invicem ſolent ſuccedere. Inter omnem autem militiam Perſicam maxima laus eſt Curdorum. (veterum Aſſyriorum.) Merito hic quis quærat, qui fiat, ut Perſa ſe adhuc poſſit tueri adverſus vim Turcicam, quoniam illa eſt ingens, & præterea etiam peditatu multum valeat? Legi ego hiſtorias bellorum Perſicorum, & obſervavi, varia fortunâ eſſe bella geſta inter Turcam & Perſam, plerumque tamen potior fuit fortuna *Turcarum.* (b) Sæpe tamen ingentes Turcarum exercitus vel receſſere, vel etiam alias ſunt læſi. Hujus rei cauſas has præcipuas obſervavi: (1) quod vis Turcica longe ſit remota a finibus Perſiæ, & non poſſit penetrare in Perſiam, niſi per longinqua itinera, quibus ſolet vis militiæ frangi. (2) Quod Turcis plerumque ſoleat deficere annona, loca enim, per quæ iter facere ſolent Turcæ, ſunt vaſta & deſerta, jam vero potentiſſimus aliquis exercitus deficiente annona perire ſolet. (3) Quod exercitus *Turcicus* (c) debeat duci per vias impeditas, per excelſos montes, per profundas valles, quo ipſo non poteſt non optimæ militiæ multum perire. Quod ſi Turca eſſet vicinus Perſæ, & in Perſiam integras vires ſuas afferre poſſet, facile ſuperaret univerſam Perſiam; quoniam autem non ſolet advenire, niſi jam fractis viribus, hinc etiam parum poteſt proficere. Et hac de cauſa Turca etiam ſolet vitare bellum Perſicum. Accedit etiam hoc, quod Turca paulatim jam ſibi metuat, quod miles Turcicus jam etiam ſit infectus religione *Perſica,* (d) cujus Calipha & caput eſt rex Perſarum. Perinde ut Turca, ſe fert Calipham Aali Perſa pene ut Pontifex Romanus ſe fert vicarium Dei. Idem etiam vult eſſe *rex Turcarum* (e) & Perſarum. Qua ſuperſtitione imbuti animi Turcarum non ita fortiter pugnant contra Perſam. Traditum fuit ante aliquot annos in novellis, tantam multitudinem ſectatorum Ali natam eſſe in ipſa urbe Conſtantinopoli, & militia etiam Turcica, ut Turca coactus fuerit capitali ſupplicio vetare doctrinam illam, parum tamen illum profeciſſe; prævalente autem hac ſuperſtitione, non ita fortiter pugnabit Turca contra Perſam, quam contra alios. Certe in omnem partem incredibile eſt, quantum valeat ſuperſtitio. De cætero, quod pacis artes attinet, Perſia ſic ſatis bene ſe habet, & rex non ſerviliter adeo ſuos habet ut Turca. Nam habet ſcholas ſuas inſtitutas Perſa, non quidem in æmulationem Europæorum, ita tamen, ut pateat, curam eum habere artium pacis inter ſuos. De religione Perſica & diſcrimine a Turcica legi poſſunt, quæ allata ſunt ab Oleario cap. 39. 40. & 41. Obſervandum autem eſt, Perſas dare cumprimis operam, propagandæ religionis, quod faciunt, quantum ego quidem judico propter rationem ſtatus. Quamvis igitur Perſa per ſe non ſit ſuperſtitioſus tamen cogitur curam habere religionis, quoniam illa eſt pro fundamento ſtatus. Nec enim ullum eſt vinculum, quod ita obligat animos ad conſervationem ſtatus quam ſuperſtitio. Hinc illi propagandæ Perſa omnem movet lapidem. Pertinet huc quæ diſſerit Olearius lib. 5. cap. 41. per univerſum imperium reperiri quosdam *Abdallas,* (h) hos quotidie certo tempore execrari ſucceſſores tres Mahomedis, quos colunt Turcæ, nempe Abubecor, Oſman & Omar, quo ipſo odium Perſarum adverſus Turcas creſcit, qui hos 3. non minus adorant, quam ipſum Muhammedem. Perſæ autem eos execrantur, hinc magno odio Turcas proſequuntur. Quod dum fit & tale odium accenditur, ratio ſtatus optime conſervatur. Diſſerit quidem de his omnibus Olearius, ſed ex his ego formo judicium politicum. Quod cauſam efficientem attinet, jam tum audiviſtis regiam familiam deſcendere ab Iſmaële & hujus patre Schich Eidir & hæc familia adhuc ibi dominatur. Igitur *hæreditaria* (g) eſt regia ſucceſſio. Quod attinet ad illum regem, qui hodie ſumma

(a) *Ibi cogi*) Referunt alii, tantas eſſe Perſarum vires militares, ut 300000 equites & 40000 pedites in aciem poſſint deducere. Triplex autem miles Perſicus eſt. Primi vocantur Turcomanni, ſecundi Curiazi vel Coridſchi, tertii ſunt confœderati, ut primi vaſalli, ſecundi aurati. Vid. FUNCCIUM p. 136. 137. Kuttſchinrum & Sclopetariorum ſtipendia ſatis ampla 200. imo 300. imperialium quotannis memorat Olearius lib. 5. cap. 35

(b) *Turcarum*) Sub Schach Abas II. per triduum Perſæ cum Turcis prope Bagdetum fortiter pugnarunt, eorumq; 28000 internecioni dederunt, tandem tamen licet cum minori ſuorum jactura recedere coacti ſunt. In nuperrimis etiam Perſicis motibus, cum Turcæ ſe iis immiſcuiſſent, dubia utrimque fortuna pugnatum fuit.

(c) *Turcicus*) Adde Turcas non adeo æſtus tolerantes eſſe, uti Perſas, unde illi in bellis Perſicis ut plurimum morbis conflictantur.

(d) *Perſica*) Quod ſecta Perſica ſuos habeat inter Turcas fautores id exiſtit tum a majori ejus laxitate morali (neque enim Perſæ in ceremoniis quibusdam obſervandis, in diſcrimine ciborum vinique uſu adeo ſuperſtitioſi ſunt) tum a veneratione, quam ipſi exhibent Ali, tanquam Mohammedis ſucceſſori, ut & equum in ejus nomine conſcendant, ita proſperum fore equitatum ſuum arbitrati.

(e) *Rex Turcarum*) Nimirum ex familia Ali oriundus, ſibi Califatum ſive univerſale imperium in omnes Muhammedanos arrogat.

(f) *Abdallas*) Præter alios religioſos Perſarum qui Suffi, Seid, Derwiſchi, Kalenderani dicuntur, ſunt etiam Abdallæ, q. d. ſervi Dei, negligenter & ſordide veſtiti ſed intus teſte Oleario lupi rapaces. Horum conſuetudo eſt, in foris & ſpatioſis urbium locis verſari, convocare populum, eumque oratione quadam exhortari, tum etiam laudes Ali ediſſerere, ſub finem denique in Turcas invehere, maledicere primis Muhammedis ſucceſſoribus, præcipue vero dogmata Tartarorum Usbequenſium execrare. *Iohn Struys* itin. p. 320. refert, nactos eſſe hos Abdallas a Rege licentiam arma geſtandi, ut quemcunque ſe ipſis opponentem aut contradicentem aggredi ac interficere poſſint, quin & iisdem peculiare cœnobium ſumtibus regiis Iſpahani eſſe extructum.

(g) *Hæreditaria eſt*) Ita ut deficientibus liberis legitimis poſſint etiam a concubinis nati ſuccedere, atque his,

Magni *Indorum* (a) quidem nomen fuit notum, ſed quemadmodum ſe haberet Indorum reſpublica, Europæos pene latuit, niſi quod aliqua memoria ad eos pervenerit ſapientum Indiæ, qui appellabantur Gymnoſophiſtæ, hoc eſt, ſapientes nudi, alii dicebantur *Brachmanes.* (b) Hæc nomina apud veteres ſemper manſerunt, & ſapientes illi ſemper fuere laudati etiam ab Europæis antiquis. Reſpublica autem & aliæ horum populorum res latuerunt. Poſt decurſum aliquot ſeculorum, Europæi non nihil acceperunt de terris illis ex monumentis M. Pauli Veneti & Haytoni Armenii aliisque exiguis narrationibus Venetorum, qui per annos ducentos commercia eo ſoli inſtituerunt, iſthuc traducti per mare rubrum, id eſt, per ſinum Arabicum, quapropter non habemus quod dicamus de illius terræ rebus publicis. Quod attinet jam imperium Magni Mogolis diviſum illud eſt in triginta ſex *magnas provincias*, (c) quæ olim fuerunt totidem regna & liberæ reſpublicæ, late itaque patet. Attingit ex parte Oceanum Indicum circa Cambajam & Bengalam paulo ultra Gangen fluvium, maxime autem eſt ſitum intra Indum & Gangen ita tamen, ut ſe nonnihil porrexerit ultra Gangen. A *ſeptentrione* (d) pertingit usque ad montes Tartaricos, ab occaſu propinqua eſt illa terra regno Perſarum, & cumprimis circa provinciam Candahar; maximæ igitur intercedunt controverſiæ inter regem Perſarum & Magnum Mogolem, modo hoc, modo illo prævalente, nam *Candahar* (e) modo tenet Rex Perſarum modo Magnus Mogul. A meridie terminatur Oceano Indico circa Cambajam & Bengalam & præterea *regno Decan* (f) & Maſulipatan. Si ſpectes hujus Indiæ partem prope inſulam Zeylan, obſervare licet inſignem hujus terræ ſimilitudinem cum Italia. Quemadmodum enim Italia adjacentem habet Siciliam, ita hæc habet inſulam *Zeylan.* (g) Quemadmodum Italia percurrit in regnum Neapolitanum, hæc terra in regnum *Calecutienſe*: (h) quod enim regnum Neapolitanum eſt in Italia, hoc eſt in imperio Magni Mogolis regnum Calecutienſe. Quemadmodum mons Apenninus Italiam dividit, ita obſervare licet in imperio Magni Mogolis tractum *montium*, (i) qui imperium illud dividunt. Nam Italia eſt Cherſoneſus, ita etiam hæc terra. Interim tamen extra illam Cherſoneſum adhuc eſt regnum Magni Mogolis, & illius Cherſoneſi Magnus Mogul non niſi *partem tenet.* (k) Quod reliquum attinet, diviſum illud eſt

(a) *Indorum nomen*) Veteres Græci & Romani tam late acceperunt Indiam, ut terris omnibus ultra mare mediterraneum ſitis id nomen aliquoties impertiverint. Ita *Ovidius* de arte amandi, *Andromedam*, ait, *Perſeus nigris portavit ab Indis* cum tamen Andromedam non ab India proprie dicta, ſed a Joppe Paleſtinæ urbe abduxerit referente *Strabone* Geogr. lib. 1. & lib. 16. & in FLAVII VOPISCI SYRACUSII *Firmo, Saturnino, Proculo & Bonoſo. Hiſtor. Auguſt:* Tom. II. p. 709. legitur, horum tempore a Romanis ad Indos naves negotiatorias miſſas eſſe quod non niſi de regionibus intra & infra ſinum Arabicum intelligendum eſt. *Nam Græcorum*, inquit Caſaubonus ad h. l. *& Romanorum navigationes occidentem verſus cum Arabicum & Avalitem ſinum ſuperaverant, ultra Praſſum non progrediebantur, quod promontorium eſt inferioris Æthiopiæ, in ea ut videtur regione quæ hodie Monambica dicitur. De hac navigatione intelligendi ſunt, Græci ſcriptores, qui* Ἰνδικῶν πλωτῶν *negotiatorum in Indiam meminerunt. Qui exiſtimant cognitum antiquitus fuiſſe navigationem in eam Indiam, quam Orientalem vulgo vocant, graviſſime falluntur.*

(b) *Brachmanes*) EDVARDUS BISSÆUS Londini 1668. edidit Palladium de gentibus Indiæ & Brachmanibus, Ambroſium de moribus Brachmanorum & Anonymum cum teſtimoniis veterum de Brachmanibus & Gymnoſophiſticis. Ex recentioribus huc faciunt Abrahamus Rogerus & alii.

(c) *Magnas provincias*) Vid. ANDERSEN lib. 1 c. 28. p. 49. MANDELSLOH c. 18. p. 65. HUBNERUS 35, SAMSONIUS 38. numerat, quem ſequitur BAUDRAND p. 665. ita ut in medio ſint viginti, nimirum Delli, Agra, Jenupar, Lathor, Hendoons, Jeſſelmere, Bando, Chitor, Candia, Berar, Malway, Goaleor, Narwar, Sambal, Bakal, Jamba, Patna, Jeſual, Udeſſa, Mewat, verſus Tartariam magnam decem, Cabal, Attok, Kachemire, (Paradiſus Indiæ terreſtris dictus) Bakkiſch, Naugracut, Kakares, Seba, Pitan, Gor, Kanduana, verſus Perſiam quatuor, Candahar, Hajacan, Multan, Buckar, ad oram maritimam itidem quatuor, ut Tatta vel Sind, Guzarette vel Cambaja, Soret & Bengale. Sed cum Candahar ex parte a Perſis teneatur, Bengale vero regnum modo his juris, modo M. Mogori ſit tributarium, facile hæc autorum diſcrepantia inter ſe conciliatur. Adde *veræ Indiæ deſcriptionem, quæ Lugd. Batav. prodiit* a. 1631. p. 4 ſeqq.

(d) *Septentrione*) Vocatur inde regnum Mogolis potiſſimum Indiæ ſeptentrionalia, ut ab ea Peninſula quæ eſt intra & extra Gangem diſtinguatur. BAUDRAND p. 547.

(e) *Candahar*) Regio fertilis ſed latronum & prædonum refertiſſima, dicta ab urbe primaria eaque munitiſſima Candahar, quæ veterum Alexandria Arachoſiæ fuiſſe creditur. Occupata fuit a M. Mogole Akbar, ſed recuperata a Perſis ſub Schach Abas. Rediit deinde ad Indos ſub Changehan per deditionem gubernatoris hujus provinciæ Aly Merdan Kan, veriti odium regis Perſarum. Verum non multo poſt iterum ſub poteſtatem Perſ. redacta fuit, & tentavit quidem M. Mogul Aurengzeb hanc provinciam, ſibi denuo vindicare, ſed fruſtra. Vid. BERNIER *Voyages* Tom I. 147.

(f) *Regno Decan*) Regnum Decan uti & Golcondæ Magno Mogori eſt tributarium, illud 300000. hoc 100000. Pagodarum annuo tributo. Decan alias Viſapour dicitur a Sede regia.

(g) *Zeylan*) Vel Seilan. De hac inſula vide ROBERTI KNOX hiſtoricam relationem quæ Anglice prodiit 1681. nec non *hiſtoire de l'Isle de Ceylan traduit de Portugais de Jean Ribeyro avec des additions & remarques per M. JOAC le GRAND.*

(h) *Calecutienſe*) Ipſis incolis Coicota dictum. q. d. galli munimentum, eo quod olim regnum Samorini (ita dicitur rex calecuti) ultra galli cantum vix extenſum fuerit. Hodie tamen Samorinus ille prætendit omnes Malabariæ Regulos ſibi eſſe tributarios. Calicutum urbs primaria inſigni portu & commerciis floret, ubi rex ſuum habet Rayador ſive gubernatorem. DELLON *nouvelle relation d'un Voyage fait aux Indes orientales* p. 178. Ipſe rex autem reſidet in urbe Cranguanor. RENNEFORT. p. 379.

(i) *Montium*) Dalangera aut Naugralutii montes dicuntur, qui dividunt imperium Mogoricum a magna Tartaria, alias geographis ſub Caucaſi nomine veniunt. BAUDRAND p. 365. Montes Gatuæ autem, qui Peninſulam intra Gangem a Septentrione in duas partes dividunt. Idem p. 467.

(k) *Partem tenet*) *Les Rois & les Rajas de cette Peninſule depuis Suratte jusques a Cananor ſont ſes Tributaires.* RENNEFORT hiſtoire des Indes orientales p. 478.

eſt in regna & *reſpublicas* (a) ſui juris. In Cherſoneſo eſt urbs *Goa* (b) metropolis Luſitanorum qui in illo tractu nonnulla alia loca tenent &c. A meridie regnum Magni Mogolis terminatur India Cherſoneſo. Ab oriente quam maxime vicinum eſt imperium Magni Mogolis regno Chinenſi, non tamen eſt proximum, quoniam interjacent vaſta deſerta & altiſſimi montes, qui prohibent, ne ex hoc in Sinenſe regnum exercitus duci poſſit. Exercitus enim duci non poteſt per deſerta ampla & altiſſimos montes, in quibus non poteſt ali. Quod attinet ſolum iſtius Indiæ, terra illius tractus eſt admodum varia, & non uniusmodi, ſive ſitum univerſum ſpectes, ſive temperiem cœli. Obſervandum autem eſt aliquod memorabile. Circa *Suratam* (c) & regnum Cambajæ media æſtate eſſe perpetuos imbres & ingentes tempeſtates a Majo usque ad Junium, Julium, Auguſtum ad finem Septembris, & hæc tempeſtas eſt illis terris maxime incommoda, & illis eſt quaſi hyems, etiamſi ſol ipſis tum ſoleat eſſe verticalis. Nunquam ſol ipſis magis eſt verticalis & vicinus, quam illo tempore, & tamen nuſpiam ſunt majores pluviæ. Et commune eſt omnibus terris, quæ intra tropicum cancri & lineam æquinoctialem jacent, quo ſolem habent viciniorem, eo magis etiam infeſtantur *pluviis*. (d) In Africa etiam circa hoc tempus perpetuæ ſunt pluviæ absque quibus ſi eſſet, nemo ibi poſſet vivere, pluviæ enim illæ contemperant nimium ſolis fervorem, propter quem alias nemo illas terras inhabitare poſſet. Videtur etiam Ariſtoteli aliquid innotuiſſe de illis imbribus. nam lib. I. Meteor. incrementum Nili non dubitat adſcribere imbribus & pluviis Æthiopiæ. Alibi tamen in remotioribus a tropico cancri locis eſt aëris optima temperies, nec in locis ſeptentrionalibus imperii Magni Mogolis pluvias illas obſervare licet, ſed *nivem altiſſimam* (e) tempore brumali, ad morem pene noſtrum. Quod attinet illarum terrarum *fertilitatem*, (f) laudantur a fertilitate, nam nihil deeſt eorum, quæ ad victum referuntur, ſed illorum ibi eſſe affatim & in ſumma abundantia, triticum, oryza; hordeum ibi eſt in magna copia, magnus etiam ibi eſt armentorum numerus, equorum, mulorum, etiam elephantum, ut ita hac in re nihil illis terris deſit. Reperitur etiam in illis terris magna copia leonum, tygridum, luporum, & aliarum noxiarum ferarum, a quibus & incolæ, & eorum res ſæpe graviſſime infeſtantur. Eſt ibi etiam magna copia ſylveſtrium elephantorum, quanquam minus tamen noceant. *Aluntur etiam elephanti*, (g) & aliquot mille alit horum rex, qui cicurantur in uſum belli, ut & in alium uſum. Reperiuntur etiam in illis terris gemmæ complures *Adamantes*, (h) Sapphiri, Smaragdi, cumprimis pre-

(a) *Reſpublicas*) *Peninſula India intra Gangem eſt* vel *occidentalis*, ubi ſunt regna Decau, Balaguate, Cuncan, Canara & de Malabar. vel *orientalis* in qua regna Orixa, Golcondæ & in tractu Coromandel maritimo Narſinga, Bisnagar, Gingi, Tanjour, Madura. *Peninſula extra Gangem* quam & Zirbad vocant, eſt vel *ſeptentrionalis*, ubi ſunt regnum Avæ, Pegu, Arracan, Brama, Martabao, vel *meridionalis*, in qua Siam & Peninſula Malacca, vel *orientalis*, ubi ſunt regna Tunquin, Cochinchina, Chiampa, Camboya, Dividitur a regno Chinenſi montibus, quos vocant, Damaſis.

(b) *Goa*) Sita in regno Decan, Indis ablata a Luſitanis per Alphonſum Albuquerquium a. 1510. qui urbem hanc poſtea amplificarunt, ſex caſtellis munitam reddiderunt, ibique Vice-Regem, conſilium Indicum, Archiepiſcopum, & inquiſitionis judicium conſtituerunt. Sita eſt in inſula quadam a fluviis Mandova & Goari formata. Caſtella potiora ſunt, Muurmougon, Noſſa Senhora Docabo & Agoada. De templis, Palatiis, incolis, qui ſunt partim Luſitani, partim Meſtici (ex Luſitanis & Indis nati) partim Baioinni ſive gentiles negotiatores, aliisq; memorandis vid. DELLON *nouvelle relation* p. 200. ſeqq. Plura olim Luſitani in hoc litore tenuerunt, ſed partim a Batavis, partim ab Anglis ipſis erepta ſunt. Poſſident autem adhuc Diu, Bacaim, Makara in regno Guzaratæ, Maliapur ſive fanum S. Thomæ in ora Coromandel, Chaul S. Caulum in regno Decan caſtello Morron munitum, Daman ad ſinum Cambajæ &c.

(c) *Suratam*) Surata quæ veterum creditur eſſe Siraſtra, urbs eſt primaria in regno Guzaratæ quod & regnum Cambajæ dicitur ab urbe ejusdem nominis ad ſinum Barygazenum ſive Cambajæ ſita. Utraque Europæorum aliorumque commerciis frequentatur, ſed Suratæ reſidet gubernator regni, de qua vide DELLON *hiſtoire* cap. 14. p. 48. ſqq. qui & ibidem obſervat p. 54. ab Octobri tantum usque ad Majum exteras naves eſſe poſſe portum Sovaly haut procul a Surata diſſitum ingredi, cum reliqua anni pars ventis inconſtantibus variisque tempeſtatibus ſit obnoxia. Idem de univerſo fere regno Cambajæ obſervat BAVDRAND p. 250. quod alias fertiliſſimum eſt, pluviis etiam illis continuis per æſtatem huc facientibus, ut non modo nimius æſtus ſolis temperetur, ſed & tellus fœcundo liquore perfuſa melius incipiat floreſcere, fructusque producere. PETRUS de la VALLE *itiner.* Part. 4. Epiſt. 3. p. 61. BERNIER *Voyages* Tom. II. p. 318. ſqq.

(d) *Pluviis*) *Bernier* l. c. obſervat pluvias in aliis locis Indiæ ſeriores aut abundantiores, in aliis maturiores aut rariores etiam exiſtere, quin experientia compertum eſſe, quod pluviæ cum æſtu illo, qui iſto anni tempore, quod Indi æſtatem vocant, exiſtit quandam proportionem ſervent, ut quo vehementior ille & diuturnior ſit, eo etiam illæ vehementiores & diuturniores ſint. unde colligit, calorem hunc & rarefactionem aëris cauſam pluviarum iſtarum eſſe præcipuam. Idem de incremento Nili in Ægypto agit p. 343. indicatque, pluvias illas, quæ potiſſimum in Æthiopicis provinciis Agaus, Dumbia & vicinis eodem fere anni tempore, qui in India, exiſtant, quam maxime hoc incrementum cauſari, unde & Reges Æthiopici tributum ab Ægypto poſtulare poſſint, conatique aliquando fuerint, curſum Nili in mare rubrum deducere, eoque Ægyptum ſterilem reddere, quæ particularia ſe ab ipſis legatis Æthiopicis tum in India degentibus percepiſſe atterit.

(e) *Nivem altiſſimam*) Kachemiriam quoque cum peragraſſet BERNIER montes paſſim nivibus coopertos animadvertit, ex regione torrida, uti ait modo in temperatam, ex temperata modo in frigidam delatus.

(f) *Fertilitatem*) Terra regionis Guzarettæ omni rerum copia, ſi vinum excipias, abundat. *Anderſen itiner.* lib. I. c. 18. 19. Bengala ſericis abundat; Agra & Lahor optima producunt lintea nec deſunt varia aromata, ut Zinziber, Piper, de quibus vid. TAVERNIER P. 2. c. 12. p. 107. ſqq. MANDELSLOH c. 35. p. 74. Adde *comment. de vera India* p. 98. ſqq.

(g) *Aluntur etiam elephanti*) cf. MANDELSLOH c. 28. p. 65. ubi tantos ſumtus in eos impendi aſſerit, quantos tota Perſici regis aula vix abſorbeat. Aliquot autem millia eorum ali narrat ANDERSEN lib. I. c. 28. p. 50.

(h) *Adamantes*) TAVERNIER lib. 2. c. 16. 17. 18. p. 1 5. ſqq. refert, adamantem a Magno Mogore poſſideri quinque millionibus æſtimatum. Ante aliquot annos etiam Gallus quidam ex his regionibus Adamantem in Galliam ſecum aſportavit, duobus millionibus librarum Duci Aurelianenſi tum Regenti venditum. Vid. Breslav. *Kunſt- und Natur-Geſchichte* Part. I. p. 74. Præcipue in regno *Guzarata* æſtimantur Dendrachates Suratenſis Chalcedonii & Chryſolythi lapides ob eorum quantitatem, in

pretioſiſſimi adamantes. An auri & argenti fodinæ ibi etiam reperiantur, hactenus non legi, ferrum tamen & æs ibi reperitur. Si ſitum videas, a mari quoniam non poteſt niſi paucis locis adiri, non eſt, quod *metuat hoſtem.* (a) Non tamen ita etiam patet commerciis exterorum, quia mari non adjacet. Hodie exercentur commercia in provinciis maritimis, in regno Cambajæ & *Bengala,* (b) qua parte vel Indus vel Ganges ſe exonerant in mare mediterraneum, quia non tam apta ſunt commerciis, hinc raro a mercatoribus adeuntur. Quod attinet loca *munita & urbes,* (c) in vaſto illo imperio raras videas urbes, quemadmodum teſtatur Thomas Röe; reperiuntur ibi quidem rudera maximarum urbium ubique, quæ tamen non incoluntur. Imo idem teſtatur, Tartaros opulentiſſimas illas urbes deſtruxiſſe, quod etiam hodie maxime faciunt. Quod ſine dubio debetur horrido & barbarico Tartarico ingenio. Non dubito autem Tartaros depoſituros illud aſperum ingenium, & incolas illas urbes aliquando rurſus inventuras. Certe Röe mira narrat de illis urbibus, quas omnes viderit deſolatas, quæ tamen facili negotio reædificari poſſent. Hodieque tamen illis ſuperſunt quædam urbes, ſed paucæ, ſi ſpectes numerum incolarum ſatis amplum. Tabula quædam, quæ ita accurate exhibeat regnum magni Mogolis, hactenus non incidit in manus meas. Exhibuit quidem Johann Janſonius tabulam ſub titulo: Imperium Magni Mogolis, ex qua multa peti poſſunt, quæ iſthuc faciunt, iſta tamen tabula non omni ex parte reſpondet vulgaribus hiſtoriis: imperium autem illud latiſſime ſe extendit, longe ultra Tropicum cancri ad gradum quadrageſimum & ultra. Obiter eſt obſervandum, quod ipſe Magnus Mogul plerumque, & quidem tempore brumali, ſedem ſuam ſoleat habere in urbe *Agra,* (d) quoniam illa urbs eſt vicinior Tropico cancri, atque ita tempore brumæ nonnibil temperatior. Tempore autem æſtivali ſolet ſe conferre in urbem Lahor, quæ eſt ſeptentrionalior & ſeptuaginta milliaria diſtat ab Agra, ideoque tempore æſtivali eſt temperatior. Obſervat Magnus Mogul idem, quod rex Perſarum, & jam olim fecerunt, ut ſedes ſuas aliter locatas haberent tempore brumali, aliter vero tempore æſtivali, ut ita ſemper vivere poſſint in aëre temperatiore, & quoniam regna illa ſunt ampliſſima, poſſunt reges proficiſci de loco in locum. Non memini me legere aurifodinas in illis terris reperiri. Igitur non poſſum non dubitare de ſententia eorum, qui ſtatuunt fluvium illum, cujus fit mentio in Moſe, qui fluxerit e *Paradiſo,* (e) & vocatus fuerit Piſon, eſſe fluvium Gangen. Videtur id mihi verum non eſſe, quoniam diſerta fit mentio in Moſe, fluvium illum fuiſſe auriferum, cum tamen ibi in regno Magni Mogolis aurum non reperiatur. Ipſe quidem Magnus Mogul eſt ditiſſimus auri & argenti, ſed *aliunde allati.* (f) Celeberrimus

rimus

regno *Halabas* adamantes pretioſiſſimi, item in regno Bengalæ ubi partim ex montibus probe urbem Soumel eruuntur, partim in littore fluvii Govcii prope vicum Soumelpour inveniuntur. Aurifodinas quoque in regno Candis ſive Chandis exiſtere teſtatur BRUCKMANN p. 289.

(a) *Metuat hoſtem*) Niſi quod ſæpius ab Usbecis Tartaris vexentur. Perſarum quoque patet incurſionibus. *Anderſen* c. 20. p. 33. lib. 3. c. 19. p. 160. In nonnullis tamen locis difficulter adiri poteſt regnum Mogoricum propter interjacentes vaſtiſſimus montes, quod de Kachemiria teſtatur BERNIER p. 278.

(b) *Bengala*) Bengalæ regnum dividitur (1) in Bengalam proprie dictam (2) Pruror. & (3) Patan. Non conveniunt autores in eo, quæ ſit primaria civitas. Alii eam dicunt Oagely, alii Gouro, alii Chatigan alii Bengalam. A quibusdam Chatigan & Bengala pro una eademque habetur. Alia loca ſunt Tanda, Daca, Patana, Benares, Halabas & Ragmchela. *Baudeand* p 167.

(c) *Munita & urbes*) MANDELSLOH c. 28. p. 65 *Bernier* ſub finem Tom. II. p. 354. Provincias hujus regni (Soubah dictas) in Pragnas ſive urbes, vicos & pagos, & Sekarin ſive loca, ubi reditus annui colliguntur, diſpeſcit, in uno autem regno Agræ 260. in regno Dehli 230. in regno Lahor 340. in regno Patna ſive Beara 245. in regno Candys 103. Malova 190. Elabas 260. Haoud 149. Multan 96. &c. Pragnas numerat. Quod ſi ita eſt, apparet, nonnullas ſaltim provincias, non adeo eſſe deſolatas, licet pro regionum illarum vaſtitate cultiores eſſe poſſint, de qua re idem autor Tomo quoque II. p. 310. ſſ. diſſerit. Præmiſit etiam mappam hujus regni Geographicam, licet valde conciſam, pleniorem tamen regni Kachemiriæ inſeruit Tom. II. p. 268.

(d) *Agra*) Olim fuit Dellium ſ. Dehly metropolis imperii M. Mogoris, quam Changchan Abad pater Aurengzebi nova colonia amplificavit, unde & in antiquam & novam civitatem, Jehan Abad dictam dividitur. Vide de ea pluribus BERNIER Tom. II. p. 8. ſſ. Sita eſt in regno Delli ad fluvium Gemini vel Semena. Hodie vero primaria urbs eſt *Agra* antiquioribus itinerariis ignorata, quam *RENNEFORT hiſtoire des Indes orientale p.* 498. ita deſcribit: *Agra eſt la ville capitale du Mogol & la plus grande & la plus peuplee des Indes. Son chateau eſt baty a telle diſtance d' une belle Riviere qu' il reſte un eſpace pour les exerciſes des Trouppes &c. Dans ce Chateau qui etoit ſon Palais, il y a trois cours embellies de Portiques & Galleries dorees, ou les Omeats ſes officiers & ſa Garde etoient logez &c.* De hoc Palatio magni Mogoris dicitur tantæ eſſe amplitudinis, ut vix equi curſu uno die circumire poſſit. De magnificentia ejus, & de ſeraglio, in quo mille aut 1200 fœminæ aluntur, ac de throno regio aliisque vid. *Bernier* l. c. — Agra proxima eſt *Lahors* urbs in regno Pengab ſita. Veteribus ut putatur dicta *Alexandria Bucephalos*, complecti dicitur 24 milliaria, (forte Gallica aut Italica) in circuitu. Fuit autem ante Dellium & Agram ſedes regia. Atque hæc ſunt potiora loca, quorum ſe magnus Mogor pro diverſa anni tempeſtate ſe conferre ſolet, quibus quidam adjungant *Kiſmer*, itidem urbem Indiæ Borealis, uti eſt Lahors. Addimus obſervationem *Rennefortis* l. c. p. 481. *Depuis Agra jusqu' a Lahoes qui ſont plus de cent quarante lieues de chemin, il eſt presque tout couvert d' arbres qui forment une allee de cette longueur & il y a des tourelles de demy lieue en demy lieue.*

(e) *Paradiſo*) Equidem *Bernier Tom. II. p. 279.* conjicere voluit, Paradiſum potius in India, quam in Armenia collocandum, præcipue autem in regno Kachemiriæ in quo quatuor fluvii Indus, Ganges, Chenau, Gemna, cum quatuor fluviis Paradiſi terreſtris poſſint comparari. At vero unus Euphrates fluvius longe ab hinc diſſitus facile ſuas cogitationes refellit. Vetus interim nihiloſecius placitum fuit, quod & *Olearius* revocavit ex *Auguſtino lib. 8. in Geneſ. c. 7.* Euphratem, Tigrim, Gangem, Nilum in India quidem naſci, ſed canalibus ſubterraneis tam diu duci, donec locis, ubi fontes eorum nunc habeantur, ſuper terram emergant. Exiſtimarunt enim veteres, vix alibi quam in India ob auri & gemmarum abundantiam poſſe Paradiſum inveniri. Hæc autem ſententia ab aliis dudum eſt explorata. Confer *C. LOESCHERI differt. de fluviis Paradiſi.*

(f) *Aliunde allati*) Quomodo per negotiationes fiat, ut regnum M. Mogoris auro & argento abundet, etſi auri

rimus eſt ibi fluvius *Ganges*, (a) etiam antiqua ſuperſtitione usque adeo venerabilis, ut ſemper adoratus ſit a vicinis gentibus, & qui hodie ibi reperiuntur antiqui pagani, venerantur Gangen, tanquam ſacrum. Alter eſt *Indus*, (b) qui etiam nomen dedit Indiæ, & ab Indo regni pars potiſſima dicitur Indoſtan. Celebres præterea ſunt quatuor fluvii, ex uno magno *lacu* (c) ſe reſolventes, quorum alii fluunt per regnum Pegu & Sian, & ita ſecant Indiam extra Gangen. Quod attinet homines ipſos, obſervandum eſt, homines in tam vaſto imperio non eſſe unius modi, idque variis de cauſis: (1) Quoniam nonnulli ſunt antiquiſſimæ originis Indi, alii ſunt *advenæ* (d) recentiores, omnium recentiſſimi ſunt advenæ Tartarici, qui ibi dicuntur Mogores. (2) Porro differunt illi homines ratione ſuperſtitionis ſeu *religionis*. (e) Tanta enim eſt vis religionis, ut populi mores & ingenia differant pro diverſitate religionis. Cumprimis in illis terris ſunt religiones tres, inter quas duæ maxime eminent, altera eſt pagana ſive gentilis, & huic gentili religioni addicti ſunt ibi adhuc plurimi: Altera eſt *Mahumedanorum*. (f) Gentilium religio iterum dividitur in partes duas, alii enim ſuperſtitioſe colunt *Brahmam*, (g) alii non ita ſuperſtitioſe, ſed ſunt gentiles ſectæ ſingularis. Præter hos ſunt ibi etiam nonnulli *Chriſtiani*, (h) ſed pauci ut aliquem inſignem ſtatum non poſſint conſtituere. Ita ingenia hominum pro diverſitate religionis differunt. Quod attinet *Mogores*, (i) teſtatur Thomas Röe, homines eſſe molles & fractos deliciis aſiaticis, non eſſe quoque bellicoſos. Qui ſuperſtitioſius colunt doctrinam Brachmanam, ſunt quidem ingenio ſatis civili, humano atque ita etiam ad pacis artes ſic ſatis apti, ad belli autem negotia ſunt plane *inepti*: (k) Quoniam ex doctrina Brachmanum illis ne licet aliquod animal *interficere*, (l) multo minus hominem, igitur apud illos omnia bella ſunt iniqua, & qui illi ſectæ ſunt dediti, non ſunt bellicoſi. Huc etiam pertinent omnes illi, qui dicuntur *Banjanes*. (m) *Reliqui gentiles* (n) ſunt ad belli artes ſatis idonei, cumprimis a ferocia & fortitudine laudantur, populi illi dicti Rasbuti in regno *Oryxæ*, (o) & præterea etiam alii. Reliqui etiam laudantur ab ingenio & calliditate, ſunt periti artifices, & callidi *mercatores*. (p) Ita jam patet, ingenium illis non deeſſe,

argentique fodinis deſtituatur, oſtendit *Bernier* tom. I. p. 273. 276. Gangem tamen auriferum eſſe perhibet BRUCKMANNUS p. 288.

(a) *Ganges*) Oritur ex Caucaſeis montibus in finibus M. Tartariæ, & poſtquam plures alios fluvios navigabiles, e. g. Gemini, Ganda, Perſely & Caor recepit, tandem ſe in ſinum Regni Bengalæ effundit, qui inde ſinus Gangeticus dicitur. Ab Indis gentilibus maxima ſanctitate & ipſa vi peccata abluendi donatus creditur, eo quod ex Paradiſo & concurrente ſingulari virtute ſupremi Dei ipſorum ortus ſit. Hinc & aquam ejus lagenulis incluſam in regiones longe remotas referunt. Vid. ABRAHAMUM ROGERUM Part. 2. c. 18. 19.

(b) *Indus*) Olim Sindo ab accolis dictus (quo nomine hodie fluvius Diul a Perſis & Arabibus appellatur,) hodie Pang ab Perſis atque Mogolenſibus dicitur, i. e. quintuplex fluvius, quia totidem alveis in mare Indicum devolvitur, qui ſunt Bagat, Chanab, Raver, Via & Osvid ſeu Sind. Fluvios præter alios recipit Hydaspin ad Nyſam urbem & Hypaſin, terminum expeditionis Alexandri M. qui ipſi Hydaspi jungitur.

(c) *Lacu*) Lacus hic eſt Chiamdus in confinibus Turkeſtan & imperii M. Mogoris, complectens ambitu 124 milliaria, in quem nulli fluvii quidem ingrediuntur, nihilo tamen minus magni ex eo fluvii oriuntur, uti ſunt Caor, Cosmin, Caypamo, Ava, Menan, quorum ultimus regnum Siamenſe ad morem Nili humectat, nec non crocodilos alere dicitur. Vid. BAUDRAND p. 880. 304.

(d) *Advenæ*) Plurimi Perſarum, non modo eorum qui ignem adorant, & Gebrim dicuntur, ſed & eorum qui doctrinam Schich Sophi ſequuntur, in regno M. Mogolis degunt, uti & Turcæ atque Arabes, qui ab antiquiori tempore per bella in Aſia geſta Indis miſſi ſunt.

(e) *Religionis*) Duplex potiſſimum in India obtinet religio, Mohamedana ſive Haſſanica & gentilis, quæ poſterior iterum in varias ſectas diviſa eſt, prout vel Brachmanes ſequuntur, vel Gymnoſophiſtis adhærent, vel Benjanis adſtipulantur, qui diabolum adorant, MANDELSLOH cap. 37. 38. p. 79. TAVERNIER lib. 2. c. 3. p. 151. 4 ſectas gentilium enumerat, uti & BERNIER Tom. II. p. 143. diſtinctas ſec. 4. libros, quos Beth ſive ſcientias vocant, nimirum *Atherbabed*, *Zagerbed*, *Rekbed*, *Samabed*, ita ut pro diverſitate horum librorum alii ſint Brachmanes, alii Quetterii, alii Baniani, alii Seydri.

(f) *Mahumedanorum*) Eorum quoque alii ſunt Osmanici, alii Sehii dicti, qui Ali partes ſequuntur, quorum magna pars in aula eſt Magni Mogoris, interque cuſtodes corporis regii, quos Omrah appellant. Plerumque autem Indi alio interprete Alcorani utuntur. Vid. de ſectis Mohammed. MARACCII *Prodrom. P. 3. ad refut. Alcor. l. 24. p. 73.* Adde ANDERSEN *itiner. lib. 1. c. 29. p. 52.*

(g) *Brahmam*) Deuta ſ. Deum aliquem a ſummo Deo Barabiruma ex Dea Tſchaddi genitum, qui humano generi quatuor doctrinæ ſacræ libros dederit, & a quo ipſi Brachmanes ſe ortos arbitrantur. Vid. *ZIEGENBALGII epiſtolas Malabaricas p. 338.* Conſ. eundem epiſt. 3. p. 371. ubi agit de diverſis ſectis gentilium, earumque duas potiores conſtituit, unam Tſchiwenicam, alteram Wiſchtoumicam, ad quas cæteræ ſectæ ſint referendi. De gentilium cultu pluribus etiam egit della Valla P. IV. c. 1. p. 28. *DELLON nouvelle relation p. 69. 145.*

(h) *Chriſtiani*) Præcipue illi qui a S. Thoma dicuntur, cujus ſepulcrum in vico Meliapour oſtenditur, & Armenii nonnulli. Judæorum quoque veſtigia ſe in regno M. Mogulis deprehendiſſe teſtantur *Thevenot & Bernier* Tom. II p. 292.

(i) *Mogores*) Sive Haſſaniſtas ſuperbos, mendaces, cruentos inſidiis, ſed bello timidos aſſerit *Anderſen* lib. 1. c. 28. n. 51. Patanios tamen in regno Bengalæ, Mahommedanæ religioni additos, ob bellicam virtutem laudat *Bernier* Tom. I. p. 279.

(k) *Inepti*) BAUDRAND tamen p. 213. obſervat, *Ces Brachmanes etoient diviſes en quatre Tributs. La premiere avoit ſoin d' apprendre & d' enſeigner la Philoſophie & les loix. La deuxieme etoit deſtinee a la guerre. La troiſieme au commerce, & la derniere a la culture de terre.* Eadem habet BERNIER Tom. II. p. 134.

(l) *Interficere*) In civitate Cambaya dicitur publicum eſſe hoſpitale, in quo animalia morbida curantur; quin & refer. *Texeira* nuptias taurorum & vaccarum magnis rum expenſis celebrare ſolent.

(m) *Banjanes*) Vide de his BAUDRAND p. 140. Sunt eorum ſectæ tres principales, Jonkah, Mexery & Baman. Vid. *comment. de vera India p. 318.*

(n) *Reliqui gentiles*) Inter quos Rasbuti eminent ad cædes & rapinas proni & bellica virtute præſtantiſſimi. *Anderſen* lib. 4. c. 12. p. 204. Equis autem plerumque militare ſolent; pedites vocantur Charades, vel Soudras, qui in acie recedendo æternam ſuæ familiæ maculam incurrunt. TAVERNIER lib. 2. c. 3. p. 151.

(o) *Oryxa*) Regnum hoc magnus Mogor ſibi ſubjecit, poſtquam antea Regi Golcondæ paruerat.

(p) *Mercatores*) Benjanorum ſecta quæſtui & mercaturæ maxime eſt dedita, *Tavernier* l. c. ideoque & DELLON l. c. p. 209. obſervat, hos Banjanes Goæ tolerari. De ingenio Indianorum ad artificia apto diſſerit *Bernier T. II, p. 31.*

Regnum Magni Mogolis.

Poſtquam jam ſatis diſſeruimus de republica R. Perſiæ, duxi operæ pretium, etiam aliquid dicere de regno Magni Mogolis, quod quidem in illis Aſiæ partibus eſt ampliſſimum, quæ Indiæ nomine veniunt. Sunt quidem varia ampla & ſic ſatis populoſa *regna* (a) quoniam vero nihil in illis eſt memorabile, non quoque eſt, quod multa de iis verba faciamus: quod ergo attinet regnum Magni Mogolis de illo apud antiquos ſcriptores nulla reperitur mentio, idque propterea, quoniam illa vaſta Monarchia per Indiam eſt recens nata intra annos centum & ſexaginta præter propter; quam maxime autem floruit inter hos centum *proximos annos*, (b) Ante illa tempora alia ibi fuit rerum facies, & omnes illæ provinciæ, quas jam uno imperio tenet Magnus Mogul, diviſæ in varia exigua regna, quæ tandem ſingulari felicitate pleraque Magnus Mogul occupavit, & propterea, quod regnum hoc ſit recentius, apud Scriptores Luſitanos altiſſimum eſt ſilentium; etiamſi in hiſtoria Emanuelis multorum regnorum fiat mentio, tamen de regno Magni Mogolis nullam licet reperire memoriam. Altera cauſa eſt, quod Magni Mogolis imperia pleraque in mediterraneo ſint ſita, & ita procul ſint mari Indico; illa autem potiſſimum fuere cognita, quæ mari fuere viciniora, nam eo commercia inſtituerunt Batavi, Angli, Luſitani, cum in mediterranea non niſi ſerius pervenerint. Qui primum Europæ hujus mentionem intulerunt, fuerunt *Jeſuitæ*: (c) hi cœperunt ſuperiori ſeculo circiter annum milleſimum quingenteſimum nonageſimum præter propter in iſtas terras pedem movere, atque adeo tentare, num ibi progreſſum poſſent facere in doctrina evangelica. Quod hactenus tamen *infeliciter* (d) ceſſit, tametſi enim quidam chriſtianæ religioni nomen dederint, eorum tamen numerus eſt perquam exiguus hodie, at hac ratione Luſitani cœperunt penetrare in mediterranea, ibique commercia inſtituere, itaque prima memoria debetur, fratribus ſocietatis; poſtquam deinde eo ſe Angli contulerunt & commercia inſtituerunt, innotuit nobis regnum illud magis magisque. Ex relationibus variis anglicanis in unum congeſtis multa collegit Samuel Pyrcaſſus, qui ſcripſit opus inſigne, quod maximo in pretio habetur apud curioſos rerum indagatores, ſed ſcripſit lingua anglicana, verſus deinde hic liber in ſermonem batavicum, & ſic melius poſſumus intelligere. *Batavi* (e) etiam, qui eo migrarunt,

portari curet; quo pacto ſit, ut ſubditis omnia neceſſaria optime ſubminiſtrentur. FVNCCIVS p. 138.

Quod denique ad rationem ſtatus hujus regni ſpectat, ea potiſſimum in his conſiſtit. (1) Rex Perſiæ pro conſervando magis quam dilatando imperio bella gerat neceſſe eſt, cum militia Perſica ad longinquas expeditiones non ſit idonea. (2) Non quidem mancipiorum loco ſubditos habeat, eosque tributis pro lubitu oneret, aut alia ratione ultra id, quod decet, affligat, interim tamen ſeveris quoque legibus populum coerceat, eorumque ſollicitum & vigilem cuſtodem ſe eſſe quavis occaſione oſtendat, cum ea ſit Perſarum ferocia, ut non niſi ſevero imperio velint coerceri, atque ob negligentiam facile in contemtum regum adducantur. (3) Chanorum ſive illorum qui provinciis præfecti ſunt, rationem habeat, eorumque actionibus invigilet. (4) Acerrimum ſectæ ſuæ defenſorem ſe oſtendat. (5) Ad Turcarum potentiam coercendam fœdera cum Chriſtianis, maxime cum Moſcovitis, Polonis, Venetis, atque imperio Romano ineat, eaque miſſis quandoque legationibus conſervet. (6) Anglorum & Batavorum claſſibus, cum mari nullæ fere ſint Perſarum vires, adverſus Turcas & Luſitanos utatur. (7) Non omnes vires, ubi cumprimis cum Turca decertandum eſt, in equitatu conſtituat, ſed & peditatus rationem habeat. (8) Tandem fines imperii firmis ſemper præſidiis cuſtodiat, Taurumque montem ſibi a natura loco munimenti datum meminerit.

(a) *Regna*) Uti regnum Pegu, Siamenſe, Tonchinenſe, Avæum, Calecutanum, Golcondenſe, ut taceam reges in inſulis Archipelagi S. Lazari, quales ſunt Javæ, Sumatræ, Ternatæ, Macaſſeris ſed debilioris conditionis. Cui tamen illorum regnorum aliquam notitiam acquirere volupe eſt, is conſulat, *Relation de l'Ambaſſade de M. de Chaumont a la Cour du Roy de Siam.*; NICOLAI GERVASII *hiſtoriam Siamenſem naturalem & Politicam Gallice editam. Relation du Royaume de Siam par M. de la Loubere. Relation de Siam par de Isle.* ALEXANDRI de RHODES lib. 2. *Tunchinenſis hiſtoria. Hiſtoire des Indes Orientales par SOUCHU de RENNEFORT. Itinerarium VINCENTII LE BLANC* quod Gallice, Belgice & Anglice prodiit, in quo de regno Pegu etiam agitur. *Voyage de Siam par TACHARD. Hiſtoire de M. Conſtance* (Conſtantin Phaulcon) *premier miniſtre du Roy de Siam & de la derniere Revolution de cet Etat par le Pierre Joſeph d'Orleans. Hiſtoire nouvelle & curieuſe des Royaumes de Tunquin & de Lao trad. de l'Italien du P. de Marins par FRANC. le CÔMTE. Deſcription hiſtorique du Royaume de Macaſſar par* NIC. GERVAISE. JOHN d'OVINGTON *peregrinatio in urbem Suratam in M. Mogolis imperio a. 1689. cum appendice de revolutione poſtrema in regno Golconda & regnorum Arracan & Pegu* (Anglice). *Orientaliſches Indien*, in quo libro variorum deſcriptiones continentur. Prodiit Francof. 1628. in fol. LVDOVICI de BARTHEMA *Hodœporicum Indiæ Orientalis* German. translatum per *Hieron. Megiſerum.* PHILIPPI PIGAVETTÆ deſcript. Indiæ orientalis, DELLON uti & FRANCOIS PIRARD de VAL *Voyage aux Indes orientales.* VINCENTII MARIÆ de S. CATERINA *itinerarium in Indian orientalem, Voyages des Indes orientales par M. CARRE*, aliaque itineraria.

(b) *Proximos annos*) Sultan *Babour* i.e. *princeps egregius* filius Hameth Scheck primus tota India potitus fuit, obiit a. 1532. vid. quæ inferius dicentur.

(c) *Jeſuita*) Vid. *P. Jarricium*, *Pimentam*, *Guzmannum* aliosque ſub rubr. de rebuspublicis Aſiaticis in communi allegatos.

(d) *Infeliciter*) Inter rationes cur ſtudium hoc relig. Chriſtianæ infeliciter ceſſerit, cum ortæ inter Ieſuitas & Dominicanos æmolationes, utrisque autem ad tantam rem deficientia neceſſaria requiſita, tum potiſſimum Chriſtianorum depravatæ actiones referuntur. Eorum exemplo ab Anglis quidem ſocietas quoque propag. religionis Chriſtianæ inſtituta eſt, ſimilisque hac in re opera collocata fuit a Danis præcipue inter Malabares. Sed ut relationes docent, ob ferociam & pervicaciam harum gentium hucusque exiguo cum fructu, cum vix pauci iique pauperrimi nec niſi mancipia Chriſtianam fidem amplectantur.

(e) *Batavi*) *Diarium nauticum itineris Batavorum in Indiam orientalem cum figuris prodiit Arnhemii 1598. Navigations des Hollandois aux Indes orient. l'an. 1595. avec figures in fol. Amſtelod. uti & Francofurti 1598. Navigationes diverſorum in Indiam orientalem 3. vol. in fol.*

ſe, laudantur omnes ab integra *ſanitate*, (a) & raro reperitur ibi aliquis morbidus, aut qui non ſit erecto corpore, non enim ibi ſunt podagrici. Quod numerum populi attinet, in quibusdam urbibus populus reperitur ſic ſatis copioſus. Teſtatur *Mandelsloh*, decus certe nobilitatis Luneburgicæ, qui peragravit regnum Agræ, Lahor & Guſuratæ, maxime vero Agræ regnum, cujus deſcriptionem edidit, qualem nullam alibi reperi, teſtatur hic, reperta fuiſſe in *La or* (b) ultra ducenta millia hominum, & armatorum inde facile educi poſſe; ultra centum & mille, ingentem etiam hominum multitudinem reperiri in urbe Agra, attamen, quantum ego judicare poſſum pro amplitudine regionis non videtur imperium illud abundare hominibus, quantumvis tamen non indigeat hominibus, ſive illorum penuria laboret. Populus eſt ſatis *prolifer*, (c) & veteres Indi ſunt ſatis proliferi, & in prima ſtatim pueritia ſolent contrahere *matrimonium*. (d) Quod mores civiles illorum attinet hominum, memoratur in illis terris eſſe homines, non tantum civiles, ſed etiam a virtute inſtructos, niſi quod fœmellæ ſint alicubi *libidinoſæ*, (e) quales nunquam alias ſolent deeſſe. Obſervatis illis omnibus, quæ de regimine narrantur, primum apparet, formam illius regiminis totam eſſe monarchicam, quia omnia dependent ab unius Monarchæ *arbitratu*: (f) Unus enim ille habet jus belli & pacis, habet poteſtatem ferendarum legum, habet poteſtatem vectigalium, habet denique jus vitæ & necis, & omnium *bonorum* (g) ſuorum civium, quod eſt certiſſimo indicio, imperium illud eſſe vere Monarchicum. Deinde etiam conſtitutio omnium ſummorum Magiſtratuum pendet ab arbitrio unius Magni Mogolis, hic per univerſum imperium conſtituit *præfectos* (h) pro ſuo arbitrio, & facit, *jus dici* (i) non tam ſecundum leges ſcriptas, quam ſecundum æquum & bonum, & quidem ſtricte. Conſtituuntur autem omnia judicia a Magno Mogole. Igitur non eſt dubitandum, imperium Magni Mogolis eſſe vere monarchicum. Quod ſcopum illius reipublicæ attinet, expenſis omnibus illis, quæ legi, obſervavi, quæri utilitatem dominantis primario, ſecundario vero populi. Nec imperium ibi ſe habet, quemadmodum in China, ſed longe aliter. Quod ad hunc modum ſe habeat imperium, licet inde colligere: (1) Quoniam Magnus Mogul non ita dat operam, ut cives ſui ſint vere virtute præditi, ſed in quantum requiritur virtus ad dominatum conſtituendum: Hinc etiam non curat, qua religione vivat populus, ſed *cuique libere* (k) permittit, qua religione velit vivere, & non tam hoc facit, ſed ne curat quidem, alios in religione inſtrui, in beata autem republica, ubi ſalus populi quæritur, imperans debet operam dare non quidem ut populus ad religionem quandam cogatur, ſed ut ſaltem rationibus firmis populus ad religionem perſuadeatur, in eaque *inſtruatur*. (l) Tenetur etiam populus a Mogole, ut inter ſe juſtitiam colat, quoniam absque hac nullus

(a) *Sanitate*) Ipſe magnus Mogor Aurengzeb continua fere ſanitate uſus centum & amplius annos exceſſit. Sobrie tamen vixit, uti & generatim omnes Indi a ſobria vivendi ratione laudantur. Vid. *Bernier* tom. II. p. 251. ſſ. Morbi eorum frequentiores ſunt febres ſimplices, malignæ vero ſunt rariores, teſte DALLON p. 294.

(b) *Lahor*) Dellium quoque ratione multitudinis incolarum cum Lutetiis Pariſiorum comparat BERNIER l. c. p. 71. de Lahor autem vide eundem p. 254.

(c) *Prolifer*) Incredibile exemplum de fœmella 9 annorum, quæ geminos enixa erat, narrat ANDERSEN lib. 1. c. 18. p. 28. Sunt autem Indi Mohamedani æque ac gentiles polygami. Soli Brachmanes eorumque ſectæ addicti unicæ uxori fidem dant ſervantque, ab eaque nonnili ob adulterium diſcedunt. *Mandelsloh lib. 1. c. 28.*

(d) *Matrimonium*) Puellæ 9 vel 10 annorum matrimonium ineunt. Vid. *Malabariſche correſpondence*, epiſt. 23 p. 447. Adde *Anderſen* lib. 1. c. 31. p. 59. De ritu nuptiarum vide TAVERNIER lib. 3. c. 14. p. 172. Apud Benjanos conſuetudo obtinet, ut ſponſus ſponſam ab ejus parentibus certa pecunia emat. *Mandelsloh* c. 36. p. 77.

(e) *Libidinoſa*) Hoc quidem maxime Mohamedanis convenit. Imo etiam Luſitanorum fœmellis Goæ degentibus obſ. DALLON p. 210. Alias gentiles caſtitatis laude celebrantur; raraque inter eos ſunt adulteria, & mortua uxore licet quidem marito aliam ducere, viduæ vero non, quæ ad ſecunda vota tranſiens famam incurrit. PETRUS DE LA VALLE Part. IV. epiſt. 1. p. 30. 17. Quæ honeſtiores videri cupiunt, ſeſe cum mariti cadavere concremant. *Bernier* Tom. II. p. 112. ſſ. Excipe publicas meretrices Luſitanis Bathsdeiras de Pagdes dictas.

(f) *Arbitratu*) *Anderſen* lib. 1. c. 24. p. 31. item c. 26. p. 44. 45.

(g) *Bonorum*) *Bernier* Tom. I. p. 276. *Toutes les terres du Royaume ſont en propre a luy, ſi ce n'eſt quelques Maiſons & Jardins, qu' il permet a ſes Sujets de vendre, partager ou acheter entre eux comme bon leur ſemble.* Vide & p. 286. 287. M. Mogor agris ſubditos pro lubitu donat & aufert. Magnates quoque crebro mutare locum cogit ſimul cum terris, quas in cenſum attribuit, plebem ita vexat, ut ſæpe ſingulis ſemeſtribus agros mutare cogantur. *Comment. de India* p. 130.

(h) *Præfectos*) Hos Chau vocant, qui rei militari præſunt & plerumque ex Omris, ſive præcipua militia prætoriana, eliguntur. Vid. *Bernier* Tom. I. p. 290. Habent autem præterea Sultanos, qui rebus civilibus præſunt. *Anderſen* Lib. 1. c. 19. p. 25.

(i) *Jus dici*) Et quidem quam breviſſime ſecundum id, quod a Perſis vulgo dici ſolet. *Na hac Kouta Better Et hac Derat*, brevis injuſtitia plus valet quam longa juſtitia. Obſ. *Bernier* l. c. p. 317. ſſ. Ipſe M. Mogur, qui alias ter quotidie populo ſe conſpiciendum præbet, ſemel ſingulis ſeptimanis pro tribunali ſedet, & jus dicit. FUNCCIUS p. 167. Coll. *Renneforio* p. 480. *& commentario de vera India p. 128.* Præfecti ex delegata poteſtate, quam Firmam vocant, jus dicunt, qua abſolutam ſimul poteſtatem in ſubditos vitæ & necis accipiunt.

(k) *Cuique libere*) Equidem Mohammedani quoque quemque in ſua religione libere inter ſe vivere permittunt, præcipue Chriſtianos, Judæos & Perſas. Harbios tamen, quos vocant, i. e. Atheos, & idololatras non eſſe tolerandos arbitrantur. Vid. *RELANDUS diſſert. de jure militari Mahomm. p. 14. 29. 31.* Nihilo ſecius magnus Mogor gentilibus ſubditis ſuis concedit liberum ſuperſtitionis & idololatriæ ſuæ exercitium tum ob evitandas ſeditiones, tum quod magna vis pecuniæ inde ærario quotannis accedat, uti obſervat *Bernier* Tom. II. p. 107. 110. Sunt enim in tam vaſto imperio adhuc Reguli quidam gentilium, quos Rajaa vocant, tributarii, uti R. Rana, R. Thibbin, R. Boſſou, Tollun Chan, Decamparga, Mauſa, Rodoru, Mugg. &c. Alii populi liberi ſunt, uti Patani, Aguvani, Bulloeki, Quilli, Resbuti. &c.

(l) *Inſtruatur*) Ritum tamen gentilium, quo ſe vivas viduæ cum maritis mortuis concremant, abrogare conati ſunt Mogolenſes, vi autem id effici non poſſe intelligentes, obicem huic ritui alia ratione poſuerunt. vid. DELLON p. 64.

Regnum Chinenſe.

Proximum jam eſt, ut dicamus de regno *Chinenſi*, (a) quod magnam partem eſt hodie occupatum a Tartaris, & parum ſupereſt, quin vaſtiſſimum illud regnum pervenerit in manibus Tartarorum. Obſervandum autem eſt, priusquam rem ipſam aggrediamur, imperium Chinarum *cœpiſſe* (b) ante annos 400, itidem occupari a Tartaris, quorum res tum temporis erant florentiſſimæ. Hujus occupationis factum eſt initium, quemadmodum ipſi fatentur Chinenſes anno 1206. adeoque circa primordia florentiſſimi imperii Tartarici III. Cham. Non potuerunt tamen Tartari univerſum illud imperium ſtatim occupare, ſed per partes, & quemadmodum teſtantur Chinenſes, duravit illud bellum per annos 73. Tandem univerſum imperium Chinarum anno 1278, in ditionem Tartaricam pervenit. Paulo ante in his terris vixit M. *Paulus* (c) ſcilicet anno 1275. quemadmodum apparet ex ejus ſcriptis, adeoque illius temporibus pene regnum Catajæ fuit in manibus Tartarorum. Manſit vero illud Chinarum imperium in Tartarorum poteſtate per integros 70 annos, & quidem in tranquilla poſſeſſione. Interea autem decrevit fortitudo Tartarorum fracta deliciis Chinenſium; eſt enim China regio omnium rerum fœcundiſſima, adeoque Tartari dederant molli ſua vita occaſionem populo Chinenſium aſſerendi ſe in libertatem. Solent ſcilicet etiam populi fortiſſimi deliciis frangi, & nihil magis obeſt populis bellicoſis, quam deliciæ & otium. Et vero compertum hoc eſt per totum terrarum orbem, fortiſſimos populos deliciis & otio fractos eſſe, quod etiam contigit Romanis, itaque recte canit Lucanus

- - - - Acrior hoſte
Luxuria incubuit, victumque ulciſcitur orbem.

Spacio LXX annorum a prima occupatione usque ad exſtinctionem imperii Tartarici, regnatum fuit per novem ni fallor, Reges Tartaricos. Totum quidem regnum non tenuerunt niſi annos 70 alias ibi vixerunt per 200 *annos*. (d) Ceterum Chinenſes ſe tandem in libertatem aſſeruerunt, partim interemtis, partim expulſis Tartaris anno 1368. Et quidem homo tenuiſſimæ fortunæ tantarum rerum fecit auſpicium, Sacrificuli vel Bonzii cujusdam *famulus*, (e) qui primo latronem egit, & in montibus collecta multitudine factus eſt robuſtior, & tanta fuit felicitate & potentia, ut potuerit totum regnum Tartaricum evertere, & Tartaros vel occidere, vel ejicere toto regno. Notandum hic eſt, quemadmodum ſæpe Deus optimus per homines tenuiſſimæ ſortis ſoleat res maxi-

(a) *Chinenſi*) Creditur jam Hebræis ſub nomine Sinim Eſ. 49, 12. Ptolomæo & Marciano ſub nomine Sinarum notum fuiſſe, quin & Seres idem eſſe quod Sinas *Franciſc.* p. 188. Chinenſibus dicitur Tchoum coue i. e. *regnum mediterraneum* quod arbitrantur, illud in medio orbis terrarum eſſe ſitum. Vid. LOUIS le COMTE *nouveaux memoires*. Tom. II. p. 24. Unde vero Cinicum vel Zinicum appellatum ſit, de eo ita diſſerit MARTINIVS *hiſtor. Sinica* p. 195. ſqq. *Mihi videtur admodum probabile Sinarum nomen a regia familia Cinæ nomine fluxiſſe. Hæc enim Cina familia in maxima Sinarum ad Occidentem vergentium parte regnavit & cum exteris gentibus bellum geſſit*; regnavit autem a. 154. ante natum Chriſtum, primusque fuit Ching vel Tein, ſecundum MARTINII *relat.* qui regulos hujus regni fere omnes ſubjugavit, novas imperii leges condidit, idque ſecundum Chinenſium traditiones in Japoniam, Indiam usque ad inſulam Ceylon & Madagaſcar extendit. *Fama ejus ad Indos pervenit, apud quos potiſſimum hæſit, & ab illis accepere ſubacta India Luſitani. At licet extremam hanc Aſiam vario nomine appellent Sinæ prout imperatrices quoque familiæ variant, primo tamen auditum nomen exteri retinuere. Notandum vero primam literam non Italorum ſed Hiſpanorum vel Germanorum more pronunciandam, itaut ſcriptam Cin per Z aſperiore ſono prodeat e gutture. Argumentum in hanc rem ſuppeditat lapis ille qui a. 782. partim Sinicis partim Syriacis literis inſcriptus & in provincia Xenſi repertus, inter alia vocabulum habet Xinoſtan, quod extremam Aſiam ſignificat.* Confer etiam de origine & pronunciatione vocis China, *Scaligerum. lib. 5. de emend. Temp.* p. 346. & *Iſaac Voſſium in obſervat. ad Pomp. Melam.* lib. 1. c. 2.

(b) *Cœpiſſe*) De hiſtoria imperii Sinici ante id tempus conſule MARTINII *decadem primam hiſtoriæ Sinicæ X. libris conſtantem.* IOH. GONSALVI de MENDOZA *hiſtoriam de regno China. Relatione della Monarchia della China del ALVARO SEMEDO* quem Gallice tranſtulit LUDOV. COULON. *Hiſtoire du Royaume de la Chine trad. par de la Porte.* CHRISTIANI MENZELII *chronologiam Sinenſium imperatorum. Abdallæ Beidavei hiſtoriam Sinenſem quam ex MSto Perſico cum notis edidit* ANDR. MULLERUS, ATHANAS KIRCHERI *Chinam illuſtratam, Part. IV. ſupplem. ad Puffend. introd. p. 476.*

(c) *Paulus*) Venetus ex Eremitarum ordine a Pontifice in Tartariam iſto ſeculo una cum aliquot aliis, ceu Johanne Carpino, Aſcelino, Oderico, Wilh. de Rubraquis miſſus. Is enim a. 1275. primum Sinas cum Tartaris ingreſſus, a Catajorum, tanquam præcipuæ tum temporis Chinenſium provinciæ nomine, imperium hoc indigitavit ioque eodem obſervata retulit lib. 3. *de regim. orient. editis in corpore ſcript. novi orbis* Baſil 1537. Paulum ſecutus *Joh. Mandevill. Anglus Itiner.* c. 72 & 27 Catajorum ſive Sinenſium eruditionem æque ac ſubtilitatem in omni literarum genere prædicavit, quibus tamen relationibus olim exigua fides fuit adhibita. Cæterum de Cataja vide peculiarem diſquiſitionem GOLII, quam ſubjecit MARTINII *Atlanti Sinico* uti & libellum ANDREÆ MULLERI. Cataja ſumitur generatim pro magna Tartaria, ſpeciatim pro parte Chinæ ſeptentrionali. BAUDRAND p. 565.

(d) *Annos*) A quo tempore nimirum Tartari Hau ſive occidentales, Tartaros Kin ſive orientales Chataja ejecerunt quod factum circiter a. 1135. Deinde a. 1206 Tartari Kin per partes Boreales iterum in Sinam irruperunt. Tartari vero Samhaniæ ſeu Samarkandiæ aut occidentales per partes Auſtrales, Tartaros orientales usque ad a. 1278. bello vexarunt. Tandem Kobila ſive Cubla ex Gingiſchanis familia quintus totum Chinenſe regnum occupavit, ſub eoque Chingiſchanica familia cœpit, Sinis Ivena dicta (Gingiſchanus enim illis Jven vel gaen dicitur) ex eaque novem reges usque ad 1368. imperarunt. Vid ANDREÆ MULLERI *hebdomas obſervat. Sinicarum* p. 45. ſqq & *Supplem. Puffend.* p. 514

(e) *Famulus*) Chu dictus ſecundum Mendozam ex antiqua regum Chinenſium familia oriundus. Tum vero non niſi ſacrificuli famulus, deinceps poſt expulſos Tartaros ſedeque NANKINGI ſtabilita Homwu i. e. magnus bellator nuncupatus conditorque familiæ Ta Iminng.

maximas gerere & vaſta imperia condere. Et ſi quis accurate velit advertere ad hujusmodi res, non poteſt non fateri, in talibus mutationibus regnorum ſemper aliquid eſſe divini, adeoque non omnia dependere ab humana prudentia, quod adeo eſt evidens, ut ipſe Machiavellus, homo alius Atheus, id coactus ſit fateri, cum alias, tum etiam in ſuo principe. De quo argumento etiam ego in animadverſionibus meis politicis ad Machiavellum latius diſputavi. Itaque ſi qnis amat pietatem, non poteſt non ſæpius cogitare de illis rebus, & certe non omnia poteſt adſcribere humanæ prudentiæ. Ab eo tempore imperium Chinarum novomodo cœpit conſtitui, nata nova quadam familia regia. Ille enim Bonzii famulus, qui ejecit Tartaros, factus eſt Rex, & propagavit ſuam familiam, quæ dicta eſt *Taiminga* (a) ſub qua florentiſſimæ fuerunt res Chinenſium, ut meo quidem judicio nullum aliud regnum poſſit cum illo regno Chinenſium comparari, & ſi inſtituta illius regni videas, non temere reperias regnum aliquod eſſe felicius. Verum & hæc fortuna mutavit jam ab annis 30 præterpropter. Vicini *Tartari* (b) cœperunt inhiare regno Chinenſium illique pedem inferre, quod ipſum adeo feliciter ceſſit, ut paulatim progreſſi hodie iterum teneant pene univerſum florentiſſimum regnum Chinenſium, extincta familia illa Taiminga. De hodierno imperio & *bello Tartarico*, (c) exſtat egregius liber conſcriptus a Jeſuita Tridentino Martino Martinio, qui omni illo tempore vixit in regno Chinenſi, ejusque res omnes habuit cognitiſſimas. Editus eſt hic liber in Batavia, & alibi etiam in Germania, anno 1654. Hodieque eodem modo itidem ſe *res habere* (d) certum eſt, ſunt apud me litteræ ſcriptæ Romæ 29. novembris anno 1660. ubi inter alia ſcriptor ita loquitur: *uſus ſum etiam aliquando Patre quodam, qui poſt 26. annos in India exactos venit Romam &c. Chinarum regnum adhuc Tartarorum gens obtinet, præter 6. provincias mari vicinas, ex quibus novum bellum contra Tartaros moliuntur. Pater Martinius rurſus profectus eſt in regnum Chinenſe &c.* Regni Sinenſis accurationem deſcriptionem debemus Jeſuitis, inter Jeſuitas autem meo quidem judicio omnium optime & luculentiſſime deſcripſit res Chinenſes Jacobus *Pantogia.* (e) Ex hujus litteris deſumta eſt deſcriptio reipublicæ Chinenſis, quæ reperitur in Theſauro politico Caſpari Ens, & in diſſertationibus Nicolai Belii, illæ epiſtolæ ſcriptæ ſunt anno 1602. Poſt Pantogiam maximam laudem etiam meretur Jeſuita Nicolaus Trigautius, qui accuratius adhuc omnia Chinenſium deſcripſit. Exſtat hujus opus de Chriſtiana expeditione apud Chinas ſuſcepta a Societate Jeſu, liber in quarto editus Romæ, deinde etiam in Germania anno 1610. Ex hoc libro licet præclara multa petere. Longe uberiorem rerum Chinenſium notitiam dedit Martinus Martinius, primum enim ille captus eſt a Batavis in India Orientali, & navigio reverſus in Bataviam, conſcripſit opus Chorographicum accuratiſſimum regni Chinenſis, item accuratiſſimam *deſcriptionem* (f) editam a Johanne Blaue, & addita eſt Atlanti, &, ni fallor, appellatur ſexta pars Atlantis, quæ tota eſt de regno Chinenſi, additæ ſunt tabulæ accuratiſſimæ. Opus illud eſt editum ante 4 aut 5 annos, & conſecratum Sereniſſimo Principi Auguſto. Idem Martinius edidit Epitomen hiſtoriæ Chinenſis. Referunt Chinenſes ſibi ſupereſſe memoriam 4000 annorum imperii Chinenſis, & ſane talia monumenta illi monſtrant, itaque hiſtoriam illorum attingit diluvium. Utrum mereantur fidem, neſcio, quia eſt notum, quod populis Aſiaticis fuerit familiare jactare hiſtorias, & monumenta fidei *incerta.* (g) Quod fecere

etiam

(a) *Taiminga*) Id eſt Magni Mingæ uti Tay Sun, Magni Sungæ, Taicing Magni Cingæ. Quomodo & Magni Mogores, magni Chani, magni Turcæ, Ulugchani, Ulugbeghi dicuntur. Tai enim Sinis excellentiam ſignificat. cf. MULLERI *comment. ad monumentum Sinicum*, p. 25. & additur nominibus, quorum ſignificata cumprimis laudare volunt. *ibid.* p. 36.

(b) *Tartari*) Niuchenſes & occidentales. Cauſæ hujus belli contra Chinenſes ſuſcepti variæ fuerunt (1) quod Tartarici mercatores a Mandarinis Sinicis multis ſubinde injuriis affecti eſſent (2) quod Rex Niuchanus per fraudem a Sinenſibus captus & occiſus eſſet. Acceſſit deinde occaſio ſtupratæ a Chinenſium Principe virginis Tartaricæ. Tandem a. 1647 Tartari Peckinum occuparunt, ibique Xunchi primus Tartarorum & Sinenſium Imperator Taicingam familiam condidit, poſtquam ultimus rex Sinarum Zunchinius ſe ipſum ſtrangulaverat.

(c) *Bello Tartarico*) MARTINII *hiſtoria belli Tartarici*, ab a. 1616. ad a. 1651. prodiit etiam Amſtelod. 1655. cum figuris æneis in 12. Huic adjungendi ſunt: *Hiſtoire de la Conqueſte de la Chine par les Tartares trad. de l'Eſpagnol de Don Jean de Palafox Eveſqu. d'Oſma par le Sieur Colle. Hiſtoire des deux Conquerans Tartares Chunchi & Cambi, qui ont ſubjugue la Chine par le PIERRE IOSEPH de ORLEANS, S. I.*

(d) *Res habere*) Quomodo ſe poſtea res in hoc imperio habuerint, de eo conſuluntur *hiſtoire de la Chine ſous la domination des Tartares depuis l'annee 1651. jusqu en 1669. par ADR. GRESLON. FRANCISCI de ROUGEMONT hiſtoria Tartaro Sinica ab a. 1660. ad a. 1668. Voyage de l'Empereur de la Chine Cambi dans la Tartarie orient. en. 1682. & dans la Tartarie Occident. en. 1682. par le Pere FERDINAND VERBIEST. Noviſſima Sinica hiſtoriam noſtri temporis ab a. 1689. ad 1695. illuſtrantia.* ed. GODOFR. WILH. LEIBNITIO. *Relation de tout ce, qui l'eſt paſſe a la Chine de puis l'arrivee de Monſieur le Patriarche de Antiochie jusqu'en 1 Nov. 1706. Recueil des pluſieurs pieces concernant les affaires de China 1710. Portrait hiſtorique de l'Empereur de la Chine* Paris 1697.

(e) *Pantogia*) In literis Chinæ a. 1602. ſcriptis quæ in latinum ſermonem translatæ & 1607. Moguntiæ editæ ſunt.

(f) *Deſcriptionem*) Prodiit etiam deſcriptio Chinæ duobus voluminibus Anglice, Londini 1666. & Germanice Francofurti a. 1580. Extat quoque LUDOVICI GEORGII nova Chinæ deſcriptio, uti & MARCI HEMMINGI *hiſtoria nova & vera de ampliſſimo regno China*, quibus addenda ſunt ſcripta recentiora, JOH. NIEUHOFII *legatio Batavica ad magnum Tartariæ Chamum Sungteium hodiernum Sinarum imperatorem*; quæ Gallice quoque prodiit cum obſervationibus CHARPENTIERI 2 tom. Leidæ 166 . PATRIS de MAGELLANS *deſcriptio Chinæ*, quam juſſu P. Fiertado Vice Provincialis Sinenſis Portugallico ſermone edidit, Gallice deinde translata ſub titulo: *nouvelle relation de la Chine par le Sr. B. LUDOVICI le COMTE, nouveaux memoires ſur l etat preſent de la Chine. Driejaarige Reize naar China door ISBRANDS IDES. Sinenſis imperii libri claſſici ſex editi a P. FRANCISCO NOEL. MICHAEL BAUDIER hiſtoire de la cour du Roy de Chine. Voyage fait par terre depuis Paris jusqu'a la Chine par H. de FEYNES. Relation du Voyage de M. Evert Isbrand Envoye de Moſcovie a la Chine en. 1692. 1694. par Adam Brand.*

(g) *Incerta*) Jactatam a Sinenſibus imperii ſui antiquitatem, ejus initium etiam in tempora ante diluvium & a. m. 1417. referentibus, ut inanem & mendaciloquam omni-

etiam noſtri Europei & Scoti, qui jactitant ſibi ſupereſſe hiſtoriam aliquot 1000 annorum, ſimiliter Dani, unde etiam nata eſt prima pars hiſtoriæ Danicæ, quæ omnia ſi inſpexeris, videbis eſſe conficta. Valde ergo dubito, num Sinenſium monumenta mereantur fidem, nec etiam omnino falſa eſſe dicere non poſſum. Hujus hiſtoriæ Sinenſis Epitomen confecit Martinius, cujus pars prima jam prodiit in lucem, fortaſſis jam tota eſt edita, vidi tamen tantum ejus partem primam. Ex illis itaque Martinii ſcriptis peti poteſt accuratior cognitio rerum Chinenſium. Ne quid tamen diſſimulem, non videtur operæ pretium his tantum operam impendere, ſufficit hoc in genere noſſe, nam non ſunt adeo utilia, multominus neceſſaria. Eſt autem imperium Chinenſe *ampliſſimum*, (a) adeo ut longe Hiſpaniam & Galliam ſuperet. Apparet ex mappis Geographicis illud a parte cingi ab Oceano Indico, ex parte eſſe conjunctum cum reliqua parte Indiæ & Tartariæ. A parte Septentrionali eingitur Tartaria: item ab Occidentali parte cingitur regnis Indicis. Liquet autem ea parte, qua Oceano cingitur, ſic ſatis eſſe munitum illud imperium, quia claſſe aliqua magna per illas terras non temere ullus populus valeat. A parte Septemtrionali ſemper ſibi a Tartaris metuit. Igitur reges Chinenſes, cum obſervarunt, ſe hac parte debiliores eſſe contra Tartaros, non dubitarunt *muro* (b) quodam immenſo cingere illud regnum adverſus Tartarorum irruptiones. Narrant hiſtorici, ultra 300 milliaria germanica illum murum patere, quale opus non fuit viſum in univerſo terrarum orbe, nec ulla fama ad nos umquam pervenit, murum aliquem ultra 300 milliaria Germanica patere. Hoc muro Sinenſes hactenus fuerunt tuti adverſus Tartaros, aluerunt tamen ſemper circa illum murum militem præſidiarium, qui tandem cum mollis factus eſſet, Chinenſes in tantam pervenerunt miſeriam, & Tartari ſuperato illo muro eruperunt in regnum Chinenſe. A parte Meridionali & Occidentali ſic ſatis eſt tutum hoc regnum, quia cinctum eſt montibus altiſſimis, & præterea arenoſo quodam deſerto admodum *amplo* (c) per quod non poteſt duci magnus aliquis exercitus, itaque hac parte ſatis tutum eſt regnum Chinenſe. Deinde accedunt ingentes etiam *fluvii*, (d) qui non ita facile trajici poſſunt, & niſi hæc omnia obſtarent, jamdudum & alii in illud regnum feciſſent impetum quod fama magnæ opulentiæ etiam alios facile allexiſſet. Habet vicinum regnum magni Mogolis. Terra ipſa laudatur ubertate & rerum omnium *abundantia*, (e) adeo ut fateantur omnes, nihil ibi deeſſe ſed plurima ſupereſſe, affatim ibi adeſſe omnia, quibus opus eſt ad vitam, nec etiam deeſſe aurum & argentum, quamvis *aurum* (f) non ita curent incolæ, argentum autem habeant in magno pretio. Abundat urbibus maximis, ita ut haud temere terram aliquam reperias, quæ tam numeroſas & populoſas *urbes* (g) habeat. Quod populum attinet, incredibilis eſt ibi homi-

um oculis ſubjecit HORNIVS in diſſert. *de vera ætate mundi* c. 12. cf. *Mareſium in refutat. fab. præadamit. qu. 3. §. 53.*

(a) *Ampliſſimum*) Gradum enim longitudinis 147. occupat usque ad 166. latitudinis 19 usque ad 44. quo pacto (ſi 20 milliaria Gallica in uno gradu numerentur) erunt 600 milliaria Gallica ab occidente usque ad orientem, & 500 a meridie usque ad ſeptentr. *Le Comte* quidem (quem Ludovicus XIV cum aliis patribus in regnum Siam & inde ad Sinas promovendæ ibidem religionis & ſtudiorum mathemat. cauſa miſerat) *dans ſes nouveaux memoires de la Chine* pauciores gradus, nimirum non niſi 18 ab Auſtro ad Boream, & 21 ab occaſu ad orientem numerat; Sed neque inſulas Chinenſes neque provinciam Leaotung ſeptentrionalem reliquis accenſet obſerv. *Baudrand.* p. 308.

(b) *Muro*) Initia ejus in ipſo mari jacta ſunt, exſurgitque ultimis provinciæ Leaotung finibus, qua in ſeptentrionem vergit Corea, inde longiſſimo tractu continuata fere lapidum ſerie per 300 milliaria inter montium crepidines occaſum verſus excurrit, ubi ad ripas Crocei vel Lutei fluminis terminatur. Nusquam ejus continua ſeries interrumpitur præterquam ad Boreales partes urbis Simen provinciæ Peking, ubi exiguum ſpatium tenent horridi & inacceſſi montes, qui firmiſſimum murum nectunt, & ubi Croceus fluvius admittit reliqua flumina minora, arcubus tamen hinc inde & fornicibus inſtar pontis ſuper extructis. Altitudine eſt 30 cubitorum Chinenſium, latitudine 12 vel 15. Conſtat ex vivo ſilice tantæque ſoliditatis eſt, ut ne clavus quidem infigi poſſit. Certis intervallis altiores habet turres, portas etiam quasdam ad excundum, ubi neceſſitas poſtulat & illis caſtella vicina muniſſima tum ad muri cuſtodiam, tum ad militum habitationem aptiſſime diſpoſita. Integri lapidei montes in fabricam hujus muri exciſi conſumtique, & in cementum deſertum arenoſum evacuatum fuiſſe dicuntur. Ref. *Kirchero Chin. illuſtr.* P. V. c. 1. f. 371. A Chinenſibus appellatur *Vanli Ching* i. e. murus 10000 milliar. Conditorem ejus perhibent fuiſſe Ching vel Xi ex familia Cinica, quamvis ejus ſtructura aliis etiam & cumprimis Chu ſive Homwu qui a. 1368. Tartaros China ejecit. Ab Arabibus vero Alexandro M. attribuitur. Vid. *ſupplem. IV. Puffen.* p. 501.

(c) *Amplo*) Eſt deſertum Mongul, Xamon aut Golcæ dictum, (cum deſerto Lop non confundendum) Quod non procul a muris Sinenſibus in formam faſciæ inexploratæ adhuc longitudinis ex Auſtro in Boream extenditur atque ex Tartaria in Chinam commeantibus mercatoribus tranſeundum eſt, locus ad terrorem omnem ſqualidus. Vid. BAUDRAND *in voc. Xamo* p. 1024.

(d) *Fluvii*) Plurimis China irrigatur fluviis. Præcipui & grandiores ſunt (1) *Kiam* vel Yamce, de quo Sinæ per proverbium dicunt. Hai voupim. Kiam vou ti. Mare non habet terminos, neque Kiam fundum. (2) *Hoambo* de quibus vid. *le Comte* Tom. I. p. 167. (3) Canton vel Ta. Diſtincta quoque eſt canalibus, quos vocant, quorum unus major a ſeptentrione ad meridiem ducitur.

(e) *Abundantia*) Teſtantur *le Comte* l. c. & alii omnes Europæ & Aſiæ fructus in China reperiri; neque deſunt Olivæ, quod Samſonius retulit. Deſideratur tantummodo arborum cultus, cui Chinenſes non æque aſſueti ſunt ac Europæi. Mori ibi copioſiſſimæ ſunt. Extraordinariæ autem & admiratione dignæ ſunt arbores piperis & ſehi de quibus agit *le Comte* p. 156. ex eoq; *Baudrand* p. 309. Herbam *Ginſem* ſive plantam ſimplicem humanam pluribus deſcribit idem *le Comte* p. 341. Tom. I. MULLERUS *obſerv. Sin.* p. 34.

(f) *Aurum*) Montes Sinici auro refertiſſimi eſſe perhibentur, ſed illud emere lege publica vetitum, nec conceſſum colligere aliquid, præter id, quod in arena fluviorum deprehenditur. Ratio interdicti allegatur, vitam auro longe eſſe cariorem. Vid DAPPERII *deſcriptionem China* p. 149. MANDELSLOH *itin.* lib. 2. c. 8. p. 138.

(g) *Urbes*) Extantiores 150 & inferioris ordinis 1222 numerantur, eæque ſatis populoſæ. BECMAN. p. 262. *Ludov. le Comte* Tom. I. p. 94. urbes Chinenſium diſtinguit (1) *in militares* ſeu præſidio militari inſtructas, earumque præcipuas mille & amplius numerat. (2) *In civiles* ex iisque 7 vel octo cum Lutetiis Pariſiorum, 24 cum Lugduno 260 cum Aurelia, 500 vel 600 cum Rupella comparat, prætee alias 600 & viros fere innumeros, P. Magalhanius urbes militares 2357. civiles 2190 in regno

minum numerus, non enim totam tenent, ſed etiam implent Chinenſes ſuam terram, ut ita hac parte regno etiam nil deſit. Corpus quod attinet, laudantur ab inſigni corporis conſtitutione, creduntur homines ibi eſſe valentes, & conſtitutione corporis optima, creditur enim *aërem* (a) eſſe ſaluberrimum. Quod attinet ingenium, quod exigendum eſt ad virtutes Morales & Intellectuales, laudantur omnes ab inſigni morum civilitate, niſi quod narrent monumenta, illos otio & luxuria fractos, minus jam eſſe fortes, quod etiam regnum illis perdidit. Præterea ſunt amatores juſtitiæ & temperantiæ. Polygamia tamen apud eos, ſicut & reliquos populos Aſiaticos in uſu fuit, alias ſic ſatis temperanter vixerunt in cibo & potu, & fatentur omnes, *civiliores* (b) homines nusquam reperiri. Quod cultum divinum attinet, vulgus ſic ſatis laudari ſolet a pietate in ſuos Deos, ſunt enim ibi Idololatræ & in varias ſectas diviſi. Initio noluerunt admittere Jeſuitas & peregrinos, quos ſemper habuerunt ſuſpectos. Jeſuitæ tamen tandem etiam penetrarunt, in Sinam. Solent gloriari etiam de progreſſu Chriſtianiſmi, in his terris, num res ita ſe habeat, neſcio, magnos autem progreſſus ibi factos eſſe dubito. Luſitani, poſtquam commercia eo inſtituerunt, impetrarunt poteſtatem condendi civitatem in inſula Macajo, ubi etiam Ieſuitæ habent *collegium* (c) Quod reliquas virtutes *intellectuales* (d) attinet, laudantur Chinenſes ab ea ingenii felicitate, ut artium omnium inſigni quadam peritia illos dudum inclaruiſſe, monumentis ſit traditum. Et vero nonnullæ artes, apud eos jam dudum fuerunt in uſu, quorum notitia ad nos antea non pervenit. Igitur arte facta quædam inde ad nos transferuntur, qualia apud Europæos non conficiuntur, nec confici poſſunt. Talia ſunt vaſa *Porcellana*, (e) quorum precium illis ſaltem notum eſt, qui aliquam illorum vaſorum habent peritiam. Nil ſimile hactenus Europa potuit agere, & tota illa ars eſt Chinenſibus propria, & nusquam alias illa ars eſt nota. Rationem enim conficiendi illorum ita habent arcanam, ut hactenus ad Europæos nondum pervenerit, traduntur quidem nonnulla de illorum vaſorum confectione, ſed incertæ fidei, hactenus enim in Europa illa vaſa non ſunt *confecta*. (f) Creduntur etiam Chinenſes Typographiæ Inventores; ſed hac parte fit Germanis noſtris injuria, verum quidem eſt, quod aliquid *Typographia* (g) ſimile habuerint Chinenſes, verum ea peritia, qua nos valemus, illi nunquam fuere inſtructi. Laudandum tamen in illis eſt, quod aliquid habuerint ſimile noſtro magno Germaniæ invento. Creduntur etiam Chinenſes auctores primi artis illius militaris conficiendi tormenta, & conficiendi pulverem nitratum. Utrum autem hæc res ita ſe

---

Chinenſi reperiri refert, addit pontes & arcus celebriores 331 monumenta Regum aut aliorum virorum illuſtrium 1159. antiquiora templa 709. alia illuſtriora 408. Palatia magnifica 32167. Mauſolea 685.

(a) *Aerem*) Neque enim nimis frigidus in provinciis ſeptentr. neque nimis calidus in auſtralibus, cum a linea æquinoctiali 19 vel 20 gradibus diſtet.

(b) *Civiliores*) *Ludov. le Comte* l. c. p. 188. ex qualitatibus Chinenſium, laudat *beaucoup de douceur & de politeſſe dans l uſage du monde, du bon ſens & de l'ordre dans leurs affaires, du zele pour le bien public, des idees juſtes pour le gouvernement, de l Eſprit mediocre a la verite dans les ſciences ſpeculatives, mais droit & ſeur dans la morale, qu'ils ont toujours conſervee tres conforme a la raiſon.* Et p. 190 notat quidem aliquam avaritiam, ambitionem, injuſtitiam, voluptatem aliaque vitia quæ cum Europæis communia habeant, callide tamen celare norint Sed addit ſtatim. *Voicy ce qui les en diſtingue. Leur air, leur langage, leur naturel, leur civilitez & leurs manieres ſont non ſeulement differentes des noſtres, mais encore de celles, que nous remarquons dans toutes les autres nations du monde.*

(c) *Collegium*) De propagata apud Chinenſes, opera Jeſuitarum, fide Chriſtiana legantur præter Trigautium ANTON. SOZZINI de SARZANA *expeditiones Jeſuitarum Chinenſes* Italice editæ, JACOBI SCHALLII *relatio de ortu & progreſſu fides orthodoxa in regno Chinenſi per miſſionarios S. I. Hiſtoria della Compagnia di Gieſu dell Aſia, della China e del Giapone dal P.* DAN. BARTOLI. *Berichtſchriften voor het hof van Roomen, wegen den Staat van den chriſtelijken Godedienſt in China 1709.* VERBIEST *lettre ecrite de la Chine, ou l'on voit l'etat preſent du chriſtianiſme dans cet Empire.* Pariſ. 1682. *Hiſtoire de l'Edit de l'Empereur de la Chine de l'annee 1692. en faveur de la Religion Chretienne par le P. CHARLE le GOBIEN.* LUDOV. le COMTE *memoires* Tomo II. epiſt. 3. 4. 5. JOSEPHI SUARII & CLAUDII PHILIPPI GRIMALDI *opuſcula.* PHILIPPI COUPLET *hiſtoria fœmina cujusdam Chriſtiana, qua multum ad promotionem Chriſtianiſmi attulit, Gallice edita.* Cœterum cum Jeſuitæ Sinenſibus cultum Confucii & defunctorum concederent, ut eo plures ſibi devincirent, eaque de re ipſis controverſia ab aliis moveretur, juvabit etiam ſimul conſulere GOBIENI *explicationem cultus, quem Sinenſes Confucio & defunctis exhibent. Item hiſtoriam cultus Sinenſium ſeu varia ſcripta de cultibus Sinarum oblata Innocentio XII. Reflexions ſur les cultes de la Chine avec la reſponſe a ces reflexions.* STRUCKEN *raakende Zaake der godsdienſtigheiden van China waarby gevoegt words het bevel van den Card. Tournon &c.*

(d) *Intellectuales*) *Le Comte dans ſes memoires* Tom. I. p. 320. oſtendit, in ſcientiis Philoſophicis, Mathematicis & Medicina mediocris eſſe Chinenſium profectus; artificia vero inter eos magis florere, licet ad eam perfectionem, qua in Europa, non perducantur, præcipue laudat eorum in re navali peritiam & promtitudinem, uti & in mechanicis, architectura &c. p. 348. ſqq. Cœterum de ſcientiis Sinenſium vide præter Kircherum *Iſ. Voſſii obſervat.* c. 14. p. 69. & *Spicelium de re literaria Sinenſium.*

(e) *Porcellana*) Cumprimis provinciæ Kiangſi urbem Inocheu commendat elaboratio ſcutellarum Chinenſium, quas Porcellanas vocant; quæ nullibi in toto regno fiunt præſtantiores, quam in pago Feuleang civitatis, ſed terram, ex qua eas efformant, non ex hujus provinciæ ſolo hauriunt, ſed ex Kiagnan provinciæ urbe Hocicheu advectam accipiunt. Neque enim illas ibi effingi poſſe ob aquæ temperaturam referunt. Varii ſunt coloris licet omnes ex ſubtiliſſima illa argilla & fere diaphana conſtent. Quæ colore illinuntur croceo, variisque Draconum figuris inſignitæ ſunt, regio deſtinantur palatio. Pro vulgo fiunt cubiæ, luteo ac cæruleo colore. Vaſcula hæc eduliorum etiam ferventium vim patiuntur innoxia, imo fruſta inter ſe claviculis æneis filoque conſuta liquorem continent nec tranſmittunt ref. MARTINIO in *Atlante Sinico* T. VI. *Atlantis Blævi.*

(f) *Confecta*) Hodie Dresdæ, imo etiam in Gallia, Anglia, Hollandia ejusmodi vaſcula a nonnullis hujus artificii peritis, tam affabre conficiuntur, ut vix cedant Chinenſibus.

(g) *Typographia*) Typographia apud Sinenſes circa a. 56. poſt Chriſtum natum inventa dicitur. Modus talis eſt, ut ſuos characteres ferreo inſtrumento, ſicut nos typos ligneos, in lignum aliquod aptum ſculpant, eique leviter ſcriptam copiam agglutinent; quo pacto libros habent errorum plane expertes.

potentes præter Perſas, apparet reliquis eſſe longe ſuperiorem & parvis imperiis debellandis *ſufficere.* (a) Thomas quidem Röe dicit, abundare ibi quidem militem, ſed non eſſe peritia rei militaris inſtructum. Alias vero ad militem conducendum poteſt Magni Mogolis pecunia. Certe ſi vera ſunt, quæ de illo Mogole tradunt Angli, Batavi, Luſitani, & Jeſuitæ, non temere in univerſo orbe reperitur Monarcha adeo opulentus, & qui tot in promptu habeat *divitias.* (b) Refert de illo *Mandelsloh*, cujus hæc ſunt verba: *Er iſt ein ſehr reicher Herr, es iſt in ſeinem Schatze viel Silber, Gold und Edelgeſteine zu finden, ſie habens ihm nachgerechnet, daß er an Baarſchafft bey anderthalb tauſend millionen Thalers habe.* Tale non legitur de quoquam Monarcha in univerſo terrarum orbe, ſi itaque divitiis & pecunia parari poſſent imperia, hic imperator ſane id poſſet, ſed non divitiis, verum virtute & fortitudine bellica *parantur imperia.* (c) Quinimo poſſet fieri, ut Tartari pauperes his divitiis allicerentur, ad diripiendum illud imperium. Familia regia originem ſuam refert in Timurum ſeu Temurlanem, de quo jam verba feci, & hoc imperium *eſt novum,* (d) natum enim intra centum annos, cœpit quidem anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo, magnos autem progreſſus fecit intra centum annos, quo tempore rerum fuit potitus Acbar rex, qui pleraque ad hoc regnum pertinentia imperia occupavit. Unum adhuc eſt addendum: Dixi jam per univerſum Indiæ regnum reperiri hodie *Brachmanes*, qui fuerunt jam celebres tempore Alexandri Magni, & memoriam licet reperire in Curtio & aliis. Fuere autem ſemper in magna *æſtimatione*, (e) quinimo ab his Brachmanibus accepit magnam partem doctrinæ ſuæ Pythagoras, qui apud Græcos fuit ſemper in maximo pretio. Penetraſſe autem illum in Indiam vetera docent monumenta, & præterea vicina dogmata oſtendunt, eum doctrinam ſuam accepiſſe a Brachmanibus. Docuit enim Pythagoras, abſtinendum eſſe ab eſu omnium animalium, nefas enim eſſe, aliquod animal interficere. Fuit autem hujus doctrinæ prætextus, quod animæ humanæ migrent ex corporibus hominum in corpora brutorum, & ſingulari Dei providentia fieri, ut animæ eorum, qui pie vixerunt, migrent deinde in alios præſtantes homines, qui vero male vixerint, eorum animas migrare in corpora porcorum, boum, canum, ideoque brutum animal occidere, idem eſſe, ac ſi tu hominem occideres. Eandem cum Pythagora doctrinam jamtum Alexandri Magni temporibus profeſſi ſunt Brachmanes; dicebantur Gymnoſophiſtæ, quod *nudi incederent,* (f) quod adhuc hodie faciunt, niſi qui ad populum, vel alios homines accedunt.

(a) *Sufficere*) In mari autem Magnus Mogur parum aut nihil poteſt, unde fit, ut Luſitani in ipſius portibus a ſubditis pro mercibus, quas evehunt, vectigal exigant ipſosque, ne magnatibus quidem & filiis regiis exceptis, cogant ſalvum conductum ingenti quandoque ſumma & aliquot millibus mamudeorum mercari. *Comm. de India* p. 156.

(b) *Divitias*) Vid. *Tavernier* lib. 2. c. 10. Cauſæ tantarum divitiarum præcipuæ ſunt (1) Theſaurorum a majoribus congeſtorum plenitudo. (2) Abſolutum in ſubditos imperium. (3) Munerum ab exteris ipſi miſſorum, aut etiam a ſubditis extraordinarie oblatorum immenſitas *JOH. TWIST. deſcript. Guzar. c. 11.* Dicitur etiam in aula M. Mogoris quotannis feſtum ponderationis celebrari, quod peragitur, Regem die ejus natalis cum auro & gemmis quas poſſidet ponderando. Sed hos ipſum ideo potiſſimum fit (1) ut eo major ſit lætitia, quo Regem iſto anno ponderoſiorem redditum ſentiunt. (2) Ut peracto ponderationis ritu ampliſſimis afficiatur muneribus, quorum pretium ad 30. milliones librarum Franc. ſurgere referunt. Vid. BERNIER Tom. II. p. 54. ſſ. Nemini autem acceſſus ad Mogorem conceditur, niſi qui munera obtulerit teſte Rennefort p. 480. ſſ.

(c) *Parantur imperia*) Obſtant etiam alia quo minus Magnus Mogol poſſit ſibi imperia parare. Obſtat locorum natura, Caucaſus enim diffundit ſe in illis confiniis mille ramis, quorum aliqui terminant regna, alia non ſufficit terminare, ſed & cingunt ea muri inſtar, alii concludunt ea prorſus, alii reddunt tranſitus difficiles. Sunt ibi adhuc aliæ regiones ſteriles, omniumque rerum, non aquæ ſolum indigæ. His adjungitur temporis jactura, quam Principes, quibus magnum eſt dominium, neceſſario faciunt in itineribus. Aeſtus enim elabitur, antequam, eo quo tendunt perveniant. Alia ſunt obſtacula civilia, alia moralia. Vide FUNCCIUM p. 165.

(d) *Eſt novum*) Series rerum hiſtorica ita ſe habet. Poſt Tamerlanem, diviſum fuit imperium in regnum Chorazan & Mawaranachar. Ex ultimo fuit Babur qui a Schaibeck ſive Sabakan rege Churozanæ a. 1500. pulſus in Indiam exul profugit, ubique res novas molire compertus in Perſiam ſe recepit tantaque in paupertate vixit, ut ruſtico opere ſibi victum quærere cogeretur. Tandem a Schach Tamas Rege Perſarum copiis quibusdam adjutus Indiam expugnavit, quæ ab illo tempore regnum magni Mogulis dicta fuit. Succeſſit Baburo a. 1530. filius Homajon quem ex India ultra Gangem ſive Bengala adveniens Ozzer Khan tota iterum India expulit. Is vero exemplo Patris ſimiliter in Perſiam auffugit, & ejusdem Schach Thamæ armis primo in regnum Candahar & Kabul a. 1550. & quinquennio poſt in ipſam Indiam reſtitutus fuit. Huic a. 1555. mortuo ſucceſſit Acbar Magnus ſive Abdul Feta Gelal eddin Muhammed regum Indiæ potentiſſimus qui a. 1606. defunctus, ſucceſſorem habuit Selim Mohammed, alias Jehanguir Patcha, quem ſecutus eſt 1627. Sultan Karam, dictus Changehan i. e. rex mundi, hunc Aureogzeb i. e. ornamentum throni qui centenario major hoc ſeculo obiit. Conf. fragmentum hiſtoriæ Indicæ in *comm. de India p. 172.*

(e) *Aeſtimatione*) Academiam & ſcholam præcipuam habent Bannaræ (Benares) urbe in regno Bengalæ ad Gangem ſita, ubi Doctores eorum (Pendets vocant) non quidem in publicis collegiis, tamen in ædibus & hortis ſuis, quos per urbem diſtributi poſſident, diſcipulos docent, primum quidem linguam ſibi propriam & ab Indica differentem, quæ Hanſcrit dicitur, quaque libri eorum deſignati ſunt, deinde compendium aliquod librorum ſacrorum (Beth dictorum) deinde Medicinam, Aſtrologiam, Philoſophiam, aliaque de quibus omnibus pluribus diſſerit BERNIER Tom. II. p. 148. Adde BAUDRAND p. 166.

(f) *Nudi incederent*) Boramanes vel Biramanes hodie proprie ſunt, qui Pagodarum cultui inſerviunt, & populum docent. Non omnes nudi incedunt. Sed nonulli tantum, qui ſanctiori vitæ ſe conſecrare cupiunt, quales illi ſunt quos Malabares Jogigol vocant, aliique, qui ſub nomine Gioghi unum venerantur pontificem magno honore ab Indis cultum, non generatione ſed electione tantum eligendum. Hi arcto caſtitatis voto adſtricti ſunt a matrimonio alieni, certæ ſedis ignari, divitiarum contemtores, & victum ſibi mendicando conquirentes. P. DE LA VALLE. Part. 4. c. 1. p. 35. ſſ. *Malebar. Correſpondence* ep. 2. p. 349. 350.

ſe habeat, ego non dixerim. Certum quidem eſt, quod & illi habuerint modum conficiendi pulverem nitratum ſatis præclarum, ſed illum non didicerunt a Germanis, nec Germani ab illis didicerunt. Antequam Europæi commercia eo cœperunt inſtituere, habuerunt tormenta, ſed non ea perfectione, qualia tormenta apud nos conficiuntur. Defertur & inde *ſericum* (a) & lintea perquam egregia, item multa ex ligno affabre facta, quæ univerſam merentur admirationem, & magno venire ſolent. Certe hæc omnia indicant, Chinas eſſe ingenioſos homines, & multarum artium peritos. Exercuerunt etiam jam dudum illi commercia, & mercatoriam ita callent, ut hac in parte laudem dubiam *faciant*; (b) callidiſſimis mercatoribus Hollandorum, Anglorum & Luſitanorum. Interim certum eſt, quod ad illam accuratam variarum artium cognitionem, ad quam pervenerunt Europæi, illi non pervenerint, licet etiam multis artibus ſuperent Europæos. Iidem ad litterarum ſtudia etiam animum appulerunt, primum enim apud illos eſt, conſcripta hiſtoria de qua jam dictum eſt, & aliquot ſeculis, imo hiſtoriam jactant a 4000 annis, licet autem hæc ſit incertæ fidei, tamen habent ſic ſatis accuratam memoriam rerum illarum a multis annis geſtarum. Conſcribitur apud illos hiſtoria auctoritate publica. Simulac enim imperator obiit, ſucceſſor ejus curat deſcribi, quæ anteceſſoris ſui temporibus contigerunt, & hoc propterea, ut hiſtoriæ illi major fides adhibeatur. Minus tamen feliciter in ſtudio literarum proficere poſſunt quam Europæi. Habent *Chinenſes* (c) peculiarem ſcribendi rationem, & literæ apud illos non ſunt ſigna ſonorum ut noſtræ. Hæ apud nos ſunt vel vocales vel conſonantes, a b c d. apud nos non ſunt literæ, ſed ſoni. Apud Chinenſes autem litteræ ſunt ſigna integrarum vocum. Noſtra autem ratio eſt longe melior. Quia enim characteres ſunt ſigna vocum, & voces fere ſunt infinitæ, igitur ſcribendi & legendi ratio, apud illos eſt perquam *difficilis* (d) & obſcura, quia habent aliquot millia Characterum, quot millia habent vocum. Nos etſi haberemus 700000 voces, tamen 24 literis eas ſcribere poſſumus: apud eos autem ingens eſt *numerus* (e) characterum, igitur difficulter apud Chinenſes quis poteſt legere & ſcribere, quis enim poteſt omnes iſtos *characteres* (f) memoriæ mandare? Maximo ibi ſtudio diſcunt ſcribere, quod apud nos eſt facile, ubi puer aliquis breviſſimo temporis ſpatio poteſt diſcere legere, quod apud illos ſpatio 20 aut 30 annorum non facile quis poteſt. Hac ergo parte immane quantum nos prævalemus Chinenſibus, igitur

&

(a) *Sericum*) Ars conficiendi ſericum & tingendi ab una Chinenſium imperatrice inventa dicitur. Præterea Papyrum, & atramentum (quod ex olei fuligine conficiunt) uti & inſtrumentum quoddam Chinan dictum ad dirigendam navigationem, cujus tamen acus magnetica meridiem ſpectaverit, jam dudum ante C. N. Chinenſibus in uſu fuiſſe eorum monumentis perhibetur. Ejusmodi alias obſervationes plures vide in IOH. WEB. *Angli novo ſpecimine hiſtorico de lingua Sinenſium*, cujus tamen ſententia plane paradoxa eſt, linguam Sinenſium omnium eſſe primævam, eamque in ſua puritate abſque ulla alteratione permanſiſſe.

(b) *Faciant*) Navigationibus & mercatura jam ab antiquis temporibus celebres fuerunt Chinenſes. Non enim in Indiam modo, inſulas Orientis & Madegaſcar, ſed & in ipſam Americam, imo in Germaniam usque naves eorum appuliſſe perhibentur. Vid. MULLERI *Hebd. obſerv.* p. 2. Hodienum quoque frequentiſſimæ ſunt eorum in India, Goa, Batavia &c. negotiationes, audiuntque paſſim mercatores callidi & fraudulenti. Vid. *Mandelſloh* p. 137. qui Batavorum cumprimis negotiationibus in Japonia & alibi multum nocuerunt. De eorum navigandi ratione. Vid. *Voyage de Siam des Peres Jeſuites* lib. 6. p. 178.

(c) *Chinenſes*) In provincia Peking hoc etiam aurigationis compendium habent, ut plauſtrum una rota inſtructum, unoque illius medium occupante atque eidem aliis duobus ab utroque latere aſſidentibus vir mediocris roboris ligneis vectibus non minus ſecure quam velociter promovere poſſit. Unde fabulas de curribus qui in China a ventis agitentur, & velis per terram dirigantur, ortas ſuſpicatur MARTINIVS.

(d) *Difficilis*) Hanc difficultatem agnoſcunt omnes & *Martinius* retulit, ſe decem fere annos impendiſſe literis illis addiſcendis. Videntur etiam Sinarum Philoſophi hac difficultate linguæ ſuæ aditum ad ſapientiæ ſuæ penetralia vulgo præcluſiſſe. Unus tamen *Andreas Mullerus in comment. ad Monumentum Sinicum a Kirchero in Sina illuſtrata editum* p. 12. ſpondere voluit, ſe intra annum, imo intra menſem præſtiturum, ut mulierculæ etiam Sinicos & Japonicos libros legere queant; quem propterea notat *Relandus diſſert. de linguis inſularum orientalium* p. m. 105.

(e) *Numerus*) *Iarricus theſ. rer. Indic.* T. 2. c. 17. 40000 characteres numerari poſſe ſcribit. *Mercat. Atlant. Maj.* 5000 tantum Sinis tribuit. KIRCHERVS *œdip. Ægypt.* T. 3. *Theatr. Hierogl.* cap. 2 80000 characterum notitiam illis adſcribit, *Martinius* 60000. Omnes vero in vocabulario magno quod Halpien vocant deſcripti habentur.

(f) *Characteres*) Syllabæ quidem, ex quibus Sinenſium voces componuntur, ſunt exiguæ numero, nec plures quam 330 quas una tabella comprehendit *Ludov. le Comte* Tom. I. p. m. 267. Verum male inde judicavit P. *Magelhans in nova China deſcriptione*, linguam Sinicam facilius addiſci poſſe Græca, Latina aut alia Europæa. Nam muſica tantum 7 tonis conſtat, qui paucis horis addiſcuntur, nec tamen ars tota uno die vel anno poteſt exhauriri. Unaquæque autem ſyllaba Chinenſium obſerv. *le Comte* ad minimum 5 diverſis modis pronunciatur, atque adeo ſyllabarum numerus a 330. usque ad 1665. augetur. Tum voces componuntur ex pluribus ſyllabis ſimul junctis, ac unaquæque ſingulari charactere, veluti pictura quadam inſignitur, quarum 20000 memoria quis tenere debet, antequam ſe in lectione codicum Sinicorum mediocriter verſatum dicere queat. *Una* ergo difficultas linguæ Sinicæ oritur ex pronunciationis diverſitate; qua fit, ut vox duabus aut tribus modo literis conſtans variis modis pronunciata diverſam nanciſcatur ſignificationem e. g. Ciu (longius extenſo Ciuuu) notat Dominum. Celerius pronunciatum, Culinam, alio modo ſuem aut fulcrum ſellæ ſignificat. Vid. *Supplem. Puffend.* IV. p. 479. *Altera* inde exiſtit, quod nulla ſint Alphabeta linguæ Sinicæ, nec voces ex literis componantur, ſed ſignis & characteribus ſuis adumbrentur; Atque hi quidem characteres Siamenſibus, Tunquinenſibus & Japonenſibus communes ſunt ſed quia Sinæ illis diverſos ſonos attribuunt, hinc fit ut Japonenſes quidem libros & epiſtolas Sinenſium legere, Sinenſem tamen loquentem intelligere non poſſint. Jeſuitæ proinde quinque apices ſeu notas excogitarunt, quibus ſupra ſingula vocabula poſitis accentuum ſive Toni gradus juxta notarum muſicarum modum exprimerent. Olim Chinenſes figuratis characteribus ab animalibus, volucribus, reptilibus piſcibus &c. deſumtis uſi ſunt, hodie vero certis linearum ductibus utuntur, qui tamen figuratas veterum literas non obſcure referunt.

& apud nos eruditio longe majores fecit progreſſus. Habent etiam Chinenſes monumenta Aſtronomica. Medica, Politica, verum nos illos longe *ſuperamus*, (a) quia apud illos adeo difficulter diſcunt legere & ſcribere. Solent maxime ſequi majores ſuos, inter eos ſolent aliquem appellare Doctorem *Confucium* (b) hujus doctrinam maxime laudant. Notandum etiam eſt, quod illi etiam, ut apud nos, præmia Eruditioni tribuant, quemadmodum apud nos fiunt Magiſtri, Doctores &c. ſic illi variis titulis & ſolemnitate quadam doctos ornant. Doctiores autem non tam titulis, ſed etiam præmiis ornantur, & tales demum admoveri ſolent ad magna regni officia, & dici ſolent Mandarini. M. *Martinius* (c) dicit hos titulos eſſe profectos a Luſitanis, non vero eſſe vocem Chinicam, & Mandarinos eos eſſe dictos a mandando, quod ſcilicet vim habeant præcipiendi. Doctrina Chinenſium magno fuit commodo Jeſuitis, ſimulac enim hi ſunt admiſſi, cæperunt eſſe, in admiratione ob variam *eruditionem*, (d) nam hi potuerunt ipſos Sinenſes ſuperare, quare eruditionis nomine maxime ſuerunt in pretio. Ita etiam Jeſuitis patefactus eſt aditus ad religionem Chriſtianam propagandam, quam non ſine aliquo *emolumento* (e) profeſſi ſunt, & multos Chinenſes & aliquot Mandarinos in ſuas traxerunt partes. Data ipſis eſt ſedes in urbe regia, quæ dicitur Penchin vulgo Pachin. Ab arcibus enim militaribus bene ſuerunt inſtructi Chinenſes ut ita non temere illis quædam defuerint quibus opus eſt pacis & *belli* (f) tempore. Talem ergo populum non temere reperias, certe in Aſia nusquam. Quod ſcopum illius reipublicæ attinet, quamdiu illud regnum non fuit ita miſere a Tartaris occupatum, non poſſum aliter judicare, quam fuiſſe *communem utilitatem* (g) & regis & ſubditorum propoſitam, & quidem regibus non fuit propoſitum dilatare ſuum imperium, ſed ſemper fuere contenti ſuis finibus. Quando autem hoc ita fit, feliciter poteſt adminiſtrari reſpublica, ſi illa præterea ſibi ſufficiat, quando autem reges ſtudent propagare imperium & ſemper ſpirant res novas, illud eſt conjunctum cum moleſtia, ſervitute & oppreſſione ſubditorum. Si quis legat hiſtorias, apparebit populum ibi quam optime vixiſſe, nec enim populus ibi eſt dure habitus, ſed data eſt opera, ut omnibus eſſet commode. Modus regiminis eſt *Monarchicus vere*, (h) Omnia enim adminiſtrantur nutu regio, attamen ut leges regni *obſerventur*, (i) quod non impedit Monarchiam, ſi autem adminiſtratur

contra

(a) *Superamus*) Admirati ſunt ipſi quoque Chinenſes, cum Europæi illis magis magisque cœperunt innoteſcere, ut dicerent teſte le Comte Tom. I. p. 187. ſqq. *Nous penſions, que les autres peuples fuſſent tous aveugles, & que la nature n'euſt donne des yeux qu'aux Chinois; cela n'eſt pas univerſalement vray, & ſi les Europeens ne voient pas auſſi clair que nous, ils ont du moins chacun un oeil.*

(b) *Confucium*) Confucius Chinenſibus dictus Coumfice. Ex eorum traditione vixit a. 424. ante C. N. oriundus a rege Chin-Tiy. Ejus Philoſophia ſeu doctrina latine expoſita ſtudio & opera *Proſperi Intorcetta, Chriſtiani Herdtrich, Franc. Rougemont & Philippi Couplet PP. S. I. produt*, Pariſiis 1687. exprimit (1) tum propriæ tum alienæ perfectionis principia. (2) media rerum, cognitionem & actionum perfectionem. (3) Normam ſeu utriusque regulam infallibilem, nempe rationem. (4) Emergentem inde utilitatem vid. SPIZELIVM *de re liter. Sinenſ.* Sect. 8. p. 128. ſqq. Plura autem de hujus Confucii vita, rebus geſtis & doctrina vid. ap. *le Comte* l. c. p. 293. & de cultu quo Chinenſes eum venerantur, conſule *hiſtoriam cultus Sinenſium, & Anciens memoires de la Chine touchant les honneurs, que les Chinois rendent a Confucius & aux morts.*

(c) *Martinius*) *De bello Tartar.* p. 2. Sinice Mandarini Quonfu dicuntur & Lauſie, ANDR. MULLERUS *in comm. de monumento Sinico* p. 33. Sunt autem ii qui jus dicunt in provinciis, & in novem claſſes diviſi numerum 13647. implere perhibentur, quorum primarii Viceregibus aut gubernatoribus provinciarum de ſtatu earum & cœterorum miniſtrorum actionibus rationes reddunt; admovendi vero ad hanc dignitatem rigoroſa prius examina in aula imper. Peckini ſubire tenentur. Vid. *le Comte* Tom. II. p. 51. Nec officiis niſi per triennium præſunt, a quo tempore vel denuo examinati ad majores dignitates promoventur, vel plane abdicantur. Solent enim eorum actiones ſollicite obſervari. Non poſſunt tamen mortis ſupplicium reis dictitare, niſi cum approbatione & confirmatione imperatoris.

(d) *Eruditionem*) Commendarunt ſe ob Matheſin Imperatoribus Sinicis, cumprimis Adam Schallius, Riccius, Faber, Verbieſt, nec minorem apud Sinas gratiam ob eruditionem obtinuerunt Doctores quidam Sorbonici eo miſſi, uti Maigrot, Pin & alii.

(e) *Emolumento*) Ab anno 1581. ad annum 1667. Jeſuitæ jam numerarunt Chriſtianorum in Sinis lucratorum 254980. Eccleſias 159. Reſidentias 38. LE COMTE ait trecenta millia Chriſtianorum ibi repeiri, 200 templa, 3 epiſcopatus Peckini, Nankini & in urbe Macao ſtabilitos, & 3 alios vicarios Apoſtolicos pro cæteris provinciis. Vid. Tom. II. p. 255. 256. Quibus relationibus quæ fides adhibenda ſit, certo dici nequit. Perſecutiones enim ſæpius prædicationem Evangelii impediverunt.

(f) *Belli*) Sunt vero Chinenſes minus fortes & bellicoſi, Cæteroquin Tartari tam exiguo numero eos aggredi auſi non fuiſſent.

(g) *Communem utilitatem*) Ab antiquis usque temporibus reſpublica Chinenſis ſtatuit, Reges ſubditis non eſſe niſi parentum loco, nec ab iis cives tractandos eſſe ut mancipia. Quare & reges Ta fou i. e. magni parentes dicti ſunt, quem titulum lubentiſſime omnium acceperunt. Licuit etiam Mandarinis, licet decenter & ſalvo honore regio, admonere principem officii ſui, eumque humillime rogare, ut majorum veſtigiis inſiſteret. Verendumque regibus fuit, ne eorum actiones poſt obitum non ſine opprobrio aliis omnibus innoteſcerent, cum paſſim eſſent, qui omnia eorum dicta & facta accuratiſſime annotarent. *Le Comte* Tom. II. p. 16. 17.

(h) *Monarchicus vere*) Imperator Sinenſium (1) omnia munera pro arbitrio diſtribuit, non tamen vendit, (2) nova tributa poteſt imponere, licet id rariſſime fiat cum ſemel ordinata ad conſervationem ſtatus ſufficiant (3) pacis & belli, fœderumq; cum vicinis liberam habet poteſtatem. (4) Poteſt ſibi ſucceſſorem declarare, quem velit. (5) Mortuis novos honores impertitur, eorumque cultum populo præcipit, iisque templa extruit. (6) Linguæ characteres, nomina provinciarum urbium & familiarum mutare poteſt, & terminorum aut vocum quarundam uſum interdicere, aliisque autoritatem conferre. BAUDRAND p. 311.

(i) *Obſerventur*) Fuit enim monarchia Sinica & adhuc eſt aliquo modo temperata. Licet enim omne id, quod a Magiſtratu concluditur, ab imperatore Sinico confirmetur neceſſe eſt, nullam tamen concluſionem per ſe ſolus ulla in re facit priusquam a magiſtratu ſit rogatus. Et ſi quando ſupplicatio imperatori traditur, ipſeque conſentit, his tamen aut ſimilibus verbis eam ſubſcribit: *Collegium, ad quod hæc cauſa proprie pertinent, conſideret illa, quæ hac ſupplicatione continentur, meque poſtea, quid hac in re faciendum ſit, certiorem reddat.* Neque etiam imperator ullum pecunia, muneribus aut honoribus afficit, niſi unum e collegiis illud efflagitet

contra leges, ſit tyrannis. Fuit autem illud regnum ſatis bene adminiſtratum, vel ideo quia optime fuit diviſum in partes, quibus ſingulis dati ſunt præfecti varii generis, qui requiruntur ad rempublicam recte gerendam. Fuit autem illud Imperium diviſum in XV. *Provincias* (a) quas accurate deſcriptas poteſtis videre ex tabulis, quæ nuper ſunt editæ a Bunone, quæ deſumtæ ſunt ex Atlante Sinenſi M. Martinii. Valuit etiam hoc ad bonum regimen, quod Rex reſideret in provincia *Pecking* (b) cujus urbs alias dicitur Pachin, quod profuit regno, quoniam Rex ibi collocarat ſedem ſuam, qua maxime poterat periculum imminere a Tartaris, cui parti voluit Rex eſſe vicinus. Satis etiam bene, quæ ad bellum pertinent, fuere inſtituta in illo regno. Excubarunt enim perpetuo, quemadmodum etiam teſtatur Martinius ad murum illum 1000000 militum lecti ex univerſo Imperio. Igitur miles regno non defuit, & ſemper propterea fuit in promtu. A raris artibus nil etiam potuit deſiderari, fuere omnia *adminiſtrata* (c) per doctos Mandarinos, hoc autem ubi ſit, reſpublica bene ſe habet. Meretur itidem obſervare, quod Rex non temere admiſerit peregrinos in viſcera *Imperii*, (d) certe non promiſit illis ſedes, licuit ipſis quidem commercia facere in regni finibus, in meditullio autem non licuit, & hoc quidem optimo *inſtituto*. (e) Notatum enim etiam eſt Platoni, non eſſe admittenda commercia in civitatem, ſed extra civitatem eſſe inſtituenda, ne corrumpantur civium mores, adeoque peſſum eat Reſpublica. Reapſe hoc fuit obſervatum in China. Licuit quidem Hollandis & Luſitanis commercia ibi inſtituere, ſed in finibus, Hollandis data eſt ſedes in inſula *Formoſa*; (f) Luſitanis data eſt ſedes in Inſula *Macao*, (g) ubi licet illis oppidum condere. Prudenter quoque Rex populum tenuit in officio, & admirabile eſt, quantam *præfectis* (h) ſuis auctoritatem conciliaverit, ſiquidem aliquod delictum vel infortunium erat commiſſum in aliqua provincia, ſtatim graviter animadvertebatur in præfectum, etiam capitali ſupplicio. Videri poteſt hoc ipſo commiſſum eſſe aliquid iniqui, verum hoc ipſo præfecti ſunt adacti ad vigilantiam, quoniam noverant ſibi eſſe moriendum, ſi quid forte committeretur, ut igitur præmia bonis, ſic etiam pœnæ malis conſtitutæ fuerunt, præmiis autem & pœnis continentur reſpublicæ. Regibus illis ut multæ fuerunt *uxores*, (i) ita

(a) *Provincias*) Regnum Chinenſe generatim ſolet in duas partes dividi, *ſeptentrionalem*, quæ Cataja, & *meridionalem*, quæ Mangin dicitur (nomine a Tartaris Chinæ impoſito, quod Barbarum ſignificat.) Ad priorem partem referuntur Provinciæ Pecheli, Xanſi, Xenſi, Xaotung, Honan, Suchuen. Ad poſteriorem Huquang, Kiangſi, Nanking, Chekiang & Junnan. Alias magis ſpecialius quoque hoc regnum in XVI provincias dividitur, ita ut ordiendo a Borea ſex oumerentur, *Pekeli*, *Xantung*, *Nanking*, *Chekian*, *Fokien* & *Quantung*, inde pergendo verſus occidentem quinque, nimirum *Quangſi*, *Junnan*, *Suchuen*, *Xenſi* & *Xanſi*, quibus ronnexæ ſunt reliquæ *Honan*, *Huquang*, *Kiangſi*, *Queicheu*, *Leatoung*. Annumerari quoque ſolet peninſula *Corea*, ſed hæc peculiarem Regem ſuum habet, Imperatori tamen Chinenſium una cum regibus Tunkingeoſi, CochinChinæ, Siamenſi tributarium. BAUDRAND p. 310.

(b) *Pecking*) Pequin, Pekeli, Xuntien. Hoc nomen ſignificat aulam Borealem, eoque Chineoſes Imperatores a. 1404. ſedem a Nankino (i. e. aula auſtrali) tranſtuleruot, ut Tartaris eſſent viciniores. Dividitur inde urbs in civitatem Tartaricam, ubi Tartari habitant, & Chineoſem. Octo milliaria Gallica in circuitu complecti dicitur, grandior quidem Lutetiis Pariſiorum, uti P. le Comte refert, ſed quia humiliores Sinenſium ædes ſunt, tot incolarum capax non eſt, ſtratis etiam plateis deſtituta, nec ſplendorem ab ædificiis habens, niſi a palatio regio, duobus muris inſtructo, intra quorum unum miniſtrorum aulicorum & artificum aulæ inſervientium ædes conſpiciantur, alterum vero ipſum imperatoris palatium ſit ſatis ornatum & magnificum.

(c) *Adminiſtrata*) *Le comte* Tom. II. p. 20. ſſ. de regimine Sinico ita breviter: *Sunt*, inquit, *imperatori duo præcipua conſilia unum extraordinarium conſtans ex principibus familia regia, alterum ordinarium, ſive miniſtrorum ſtatus, quos Colaos vocant. Præter hæc Peckini ſex ſuprema collegia ſive judicia ſunt* (1) *Lidpou* dicitur, cui inſpectio Mandarinorum demandata eſt. (2) Alterum eſt *Houpou*, reditibus regni iovigilans. (3) *Lipou* ordinans religionem, mores & ſtudia regni, rerumque exterarum rationem habens. (4) *Pimpou* collegium militare. (5) *Hempou* judicium criminale ſupremum. (6) *Compou* publicorum operum & ædificiorum curam agens. His collegiis ſeu judiciis cætera omnia provinciarum & urbium ſuot ſubordinatæ.

(d) *Imperii*) Primi ex Europæis in Chinam admiſſi ſunt Martinus de Herrado, Hieron. Marinus mooachi Auguſtiniani, nec non Petrus de Sarmienta & Michael de Loarcha. Vid. ARNOLDI MONTANI *legationes in Japoniam p. 200.*

(e) *Inſtituto*) MANDELSLOH lib. 2. c. 8. p. 137. obſervat, exteros hodie commerciorum cauſa ubivis locorum haud difficulter admitti, nec unquam forte Chinenſes tam rigido inſtituto aditum aliis præcluſiſſe, ſed a Luſitanis potius propriæ utilitatis gratia, hanc famam olim percrebuiſſe. Simile eſt illud, quod inter arcana ſtatus regni Sinici refertur, indigenis, ut regione ſua excederent, non temere permittere. Vide FUNCCIUM p. 203.

(f) *Formoſa*) *Paccanda*, *Caloneſus* ad orientem Chinæ ſita in Oceano Indico Inſula admodum populoſa & fertilis, equos alere dicitur more cervorum cornibus inſtructos. Luſitani olim hanc Inſulam tenuerunt, ibique arces quasdam munitas, Farbrou, Quilam, & Tamſai condiderunt. Sed a Batavis a. 1635. ejecti ſunt, iique ibi caſtellum Zeelandiæ prope urbem Taivan extruxerunt, anno tamen 1661. per piratam quendam Sinicum Koxengam pariter expulſi. Vid. BECMANNUM p. 146.

(g) *Macao*) Potius in inſula Goaxam ad latus provinciæ Quantung ſita, in qua urbs eſt Macao, quam a. 1668. Luſitanis Chinenſes habitandam conceſſerunt. Vide *le Comte Memoires de la Chine Lettre 5*, *NEUHOF Sinicum itiner. p. 39.*

(h) *Præfectis*) *Le comte T. 2. p. 24. Le pouvoir*, inquit, *du viceRoy eſt balance par celuy des autres grands Mandarins, qui l' environnent, & qui peuvent l' accuſer quand ils le jugent a propos pour le bien de l' Etat. Mais ce qui l' oblige encore plus d' eſtre ſur ſes gardes, c' eſt que le peuple a droit de ſe plaindre de luy immediatement a l' Empereur -- Le Moindre ſoulevement dans la Province luy eſt impute & s' il continue plus de trois jours, il en repond ſur la teſte. Ce eſt ſa faute diſent les loix, ſi la famille c' eſt a dire la Province dont il eſt le chif, n' eſt pas tranquille, &c.* Idem autor obſervat, duas eſſe Vice Regum claſſes; alios enim nonniſi uni provinciæ præfectos eſſe, alios vero duas & tres ſæpius imperio moderari, qui dicuntur Tſounto.

(i) *Uxores*) Magnus numerus fœminarum in hunc finem a Mandarinis ex provinciis colligitur, quæ in palatium admiſſæ nullo amplius cum parentibus & aliis fruuntur commercio. Ex iis tres potiſſimum reginæ ſalutantur, a cæteris comitatu & ſplendore diſtinctæ. *Le Comte* T. I. p. 95.

ita etiam multi fuerunt liberi, ita nunquam potuit decreſcere familia regia, quod ubi fit, regnis ſolet impendere magnum periculum, quandoquidem e regia familia nati ſolent ſemper aliquid novi moliri, & ita magnæ ſolent excitari turbæ. Verum & hic ſibi egregie caverunt Chinenſes, non quidem quemadmodum Turcæ faciunt, qui omnem ſtirpem regiam interimunt propter unum, non ita illi, ſed qui nati erant ex ſtirpe regia, omnes redigerunt in privatam fortunam, & nemo illorum ad ullos honores eſt admiſſus, ſed coacti ſunt vivere in ſorte vulgi, non potuerunt itaque quicquam rerum novarum *moliri* (a) & invenire, cum quibus conſpirarent, cum ſcirent, ſi lex mutaretur, Mandarinis non amplius aditum patere ad magnos honores, itaque deprimere potius voluerunt regiam familiam, & ipſi ad honores illos voluerunt adſurgere. Igitur illi ex familia regia ne quidem habiti ſunt ut nobiles, ſed vixerunt ut Plebeji in Ordine Vulgi. Si vero Rex moreretur, ille, qui proximus illi erat, ad regnum ereptus eſt, ita nunquam potuit deeſſe iis *ſucceſſor* (b) ex familia regia. Fateor, me ſæpe cum admiratione expendere prudentiſſima inſtituta hujus populi. In hoc tamen merito ſunt reprehendendi, quod non majorem curam habuerint rerum divinarum, vulgus quidem omne eſt *idololatricum*, (c(& paſſim conſtituti ſunt *Bonzii*. (d) Magnates autem omnes a vulgi religione fuere alieni, & Mandarini plerique fuerunt Athei, quemadmodum dicunt Jeſuitæ, vel ut ego interpretor, non fuerunt quidem idololatrici, ſed ſectati ſunt eam religionem, quam appellant *philoſophicam*, (e) nec fuere alieni a Chriſtianismo, nec etiam ab Idololatria, minori itaque ſtudio, quam par erat, jurarunt religionem Chriſtianam. Deus itaque tandem Magnates illos punivit, ſane alias fuiſſet impoſſibile, Tartaros tam bene conſtitutum regnum domare potuiſſe. Hodie itaque omnia mutarunt. Rex *ultimus* (f) miſerrime ſuſpendio periit, ſupereſt tamen unus & alter ex familia regia, qui num pulſis Tartaris regnum poſſint recuperare, tempus docebit. In *Inſula* (g) Chiuxan vixit non nemo, qui eſt creatus Rex, hic enim confugiunt, qui effugerunt Tartaros, & teſtatur Martinius exſtructas ibi eſſe 70. urbes, cum antea ibi tantum habitarent piſcatores. Omnes provinciæ occupatæ ſunt a Tartaris, præter *Junnan*. (h) Dicat autem jam quis, quomodo Tartari potuerunt tantum, & tam bene conſtitutum regnum domare? Lege hiſtoriam belli Tartarici, & obſervabis ſumma prudentia illud bellum geſtum fuiſſe a Tartaris, ut non temere reperire liceat talem prudentiam in hiſtoria multorum bellorum Europæorum. Interim exiſtimo fatale aliquid ſubfuiſſe, impoſſibile enim alias fuiſſet, tantum regnum incidere potuiſſe in manus populi adeo *vilis*, (i) qui ne numero quidem par erat Sinenſibus. Videtur vero Deus ulciſci voluiſſe Atheismum Regum & Mandarinorum. Atheismus enim Deo magis diſplicet quam Idololatria.

Non

(a) *Moliri) Le grand nombre des princes du Sang eſt toujours a craindre en Europe, mais a la Chine on s' en defie ſi peu, qu' a la mort du dernier Empereur Chinois il y en avoit plus de dix mille repandus dans les Provinces ſans que la paix & le bon ordre en fuſſent troubles: ce qui certainement ne peut venir, que du poids immenſe de l' autorite des Empereurs, qui dans la Chine commandent auſſi facilement a une foule de Princes, que les Princes ailleurs commandent a la populace.* LE COMTE T. 2. p. 13. 14.

(b) *Succeſſor)* BAUDRAND l. c. *Il peut declarer ſon ſucceſſeur, & preferer un cadet de ſa famille & meme un etranger a ſon fils ainee; il peut auſſi exclurre celuy, qu' il a choiſi, mais il faut, qu' il ait pour cela des grandes raiſons & que les Cours ſouveraines de Peckin y conſentent.*

(c) *Idololatricum) Le Comte Tom. II. lettre II.* p. 93. ſſ. affirmat, intra 2000. annos a primis imperii ſui initiis Chinenſes nonniſi unum Deum adoraſſe, & ſic bene ſatis ſecundum ductum luminis naturæ, ſed poſtea per varias ſectas cœpiſſe idololatriam & ſuperſtitionem. *Prima* earum ſectarum autorem habuit Laokun, cujus celebratur ſententia, *ratio produxit unum, unum produxit duo, duo produxerunt tria, & tria produxerunt omnia.* Docuit Deum ſummum eſſe corporeum, qui cæteros deos more monarchico gubernet, & Magiam introduxit. *Altera ſecta Fækiao* dicta autore Xe poſtea Foe nuncupato, quem tanquam ſalvatorem hominum in mundum veniſſe dicunt ut veritatem doceret, & cum aliis Indis inter præcipua idola ſua colunt, etiam ſub variis figuris ſerpentum, draconum, elephantum, aliorumque animalium, in quæ ſorte transmigraſſe hunc Foe arbitrantur. Sunt autem Chinenſes in cultu ſuo idololatrico plane ſingulares. Auxilio namque qualicunque ſecundum preces ſuas impetrato, idola religioſe colunt & venerantur, ſed ope deſtituti ea opprobriis & injuriis afficiunt.

(d) *Bonzii*) Infinita fere eorum eſſe in regno Chinenſi perhibetur multitudo — Aliis in conjugio degentibus ſalaria dantur. Alii autem cœlibes ex eleemoſynis vivunt. Præter Bonzios vero hodie quoque *Lama* ſive Tartarorum ſacerdotes habitu quidem, non tamen cultu (unum nempe idemque idolum Foe colunt) a Chinenſibus diverſi paſſim reperiuntur. Quomodo alias Bonzii Sinis appellentur, Vide in MüLLERI *comment. ad monum. Siniſcum p. 32.*

(e) *Philoſophicam*) Quæ ſtatuit, Cum hiu ſive vacuum neſcio quid & inane, principium eſſe finemque rerum omnium; ex hoc primos humani generis parentes originem duxiſſe, & in hoc reverſos cæteroſque omnes reverſuros eſſe, illud vacuum noſtram eſſe ſubſtantiam. Diſtingui omnia ſolis figuris & qualitatibus; principium hoc eſſe ſubtile infinitum, quod nec generari queat nec corrumpi, ſumme quietum & perfectum, corde tamen mente aut alia potentia deſtitutum, ita ut nihil appetat, nihil intelligat. Porro quemlibet bene beateque vivendi cupidum eo eniti debere, ut huic principio quam ſimillimus ſit, affectus extinguat, & ſimili quiete perfruatur, quam ubi nactus fuerit, communem quidem vivendi modum & doctrinam ſpecietenus ſequatur, clam tamen ſibi vacet & veritati. Hæc myſteria ab ipſo Foe paulo ante obitum revelata perhibent, iiſque innititur multorum etiam Bonziorum Atheismus, teſte LE COMTE l. c. p. 121.

(f) *Ultimus*) *Zanchinus.* Antequam ſe ſtrangularet, in ora regiæ chlamydis e proprio cruore hæc ſcripſiſſe dicitur: *Multam ſalutem futuro Imperatori LIS. Quem enixe rogo, ne populo meo noceat, ne magiſtratibus meis utatur.* *MüLLERI hebdomas obſervat. p. 8.*

(g) *Inſula*) *Cheuxan* dicitur apud BAUDRAND p. 303. in quam inſulam, ait, ſe Regem Chinenſem poſt invaſionem Tartarorum contuliſſe, cumque Sinas magno numero inſecutos, ibi 62 vicos condidiſſe, etſi ipſa inſula non ſatis ampla ſit, Tartaros proinde validum præſidium in urbe Tinghay vicini littoris tenere ad reprimendas hoſtium excurſiones.

(h) *Junnan*) Provincia decima quinta & fere ultima regni Sinici, in qua 12 civitates grandiores numerantur. Hodie Tartaris æque paret atque aliæ. De lacu quodam hujus provinciæ ſingul. obſervationem, Vide ap. P. *le Comte* T. I. p. 174.

(i) *Vilis*) Saltim in oculis Sinenſium. Fuit enim eorum olim commune proverbium, Sinam duobus oculis cernere, Europæos uno, Tartaros nullo. Vid. MULLERI *diſquiſit. de Chataja p. 111.*

Non autem tantum Tartari, ſed inſignes quidam latrones inuſitatam tyrannidem ibi exercuere. Interim Tartari prudenter ſane res ſuas inſtituerunt, ſimulac provinciam aliquam occuparunt, in iis quæ ad pacem attinent, non temere quicquam mutarunt, imperium militare maxime ſibi retinuerunt, imo etiam Chinenſes traxerunt in ſuam militiam, maxima enim militiæ Tartaricæ pars conſtat ex Chinenſibus. Dicat quis, ergo ipſis periculum imminet a Chinenſibus, qui illis militant. Verum callidum quod hic excogitarunt. Tartari vi enim coëgere Chinenſes, ad eundem habitum ſive veſtitum Tartaricum aſſumendum, quo alias diſcernebantur, ut tonſura capillorum & barbæ, colore veſtium. Nihil adeo ægre tulerunt Chinenſes, atque hinc aliquoties orti ſunt magni *motus*, (a) ut videantur Chinenſes non tam pro libertate ſua pugnaſſe, quam pro ſuis barbis & *capillis*. (b) Non video autem aliam hujus inſtituti rationem, quam hanc, quæ ſane eſt egregia. Norunt Tartari, populum Chinenſem eſſe illis longe numeroſiorem, nec etiam eſſe imbecillem: Igitur cum ipſi eſſent diverſo habitu a Chinenſibus, videntur metuiſſe ne pateret Chinenſibus paucitas Tartarorum, qua ſpreta res novas molirentur. Cum autem eodem modo jam incedant, nemo militem poteſt diſcernere an ſit Tartaricus an Chinenſis, & aliquoties jam cum Chinenſes putarent advenire militem Tartaricum, advenit Chinenſis. In univerſum enim eſt veriſſimum & obſervandum, in Republica ſi populus alium velit ſubjugare, cavendum eſt, ne populo alteri videatur numero & robore impar. Ad imparitatem tegendam apprime valet hoc inſtitutum, ſi aut ipſe populus aſſumat habitum victi, aut victus aſſumat habitum victoris, hoc enim periculum illud evitari commode poteſt. Hæc jam ſufficiant, paulatim jam pergendum in enumeratione Rerumpublicarum *Aſiæ*. (c)

De

(a) *Motus*) Hos præ cæteris excitavit Uſangbue, cum ſub primo Tartarico-Sinico Imperatore, tum etiam ſecundo Camhi quibusdam dicto a. 1'75. adſcito in ſucietatem Vice-Rege Kangtumenſi & Fukienſi, qui tamen quomodo poſtea, raſa denuo coma Imperatori ſe ſubjecerit. Vide in *Supplem. IV Puffend. p. 553.*

(b) *Capillis*) Sinæ olim comam aluerunt, ſed capillis in vertice alligatis. Teſtatur *le Comte* Tom. I. p. 208 eos facilius capitis jacturam paſſos, quam capillorum. Interim tamen eodem teſte rident capillamenta Europæorum aſcititia, eaque Indis ſcenicis & hiſtrionibus magis quam viris gravibus, convenientia judicant. Tartari contra caput & barbam radunt. Utrique etiam tum colore tum longitudine veſtium differunt. Sinenſes figuratis & prolixis veſtimentis cum amplioribus manicis utuntur. Tartari brevioribus & magis quoque commodis. Quemadmodum vero Chinenſium præcipue eorum qui militiam & aulam ſectantur, habitus mutatus eſt, ita & Tartari quoque nonnihil a Sinenſibus, uti rationem tegendi capitis & alia aſſumiſſe dicuntur.

(c) *Aſiæ*) Antequam a republ. Chinenſium digrediamur, λε-ξυνα quædam more noſtro adjungimus. (1) Primus Tartarorum familiæ Taicingæ ſuper. ſeculo conditor fuit, ceu dictum eſt ſupra, *Xunchi*. Huic anno 1664. mortuo ſucceſſit *Camhi*. Vid. ANDR. MULLERUM l. c. p. 9. *Supplementum vero IV. ad Puffend. introd.* p. 551. Xunchi a. 1661. mortuum docet, cujus filius Hoei adhuc minorennis ſub tutela matris & Mandarinorum aliquamdiu degens, poſtea ſuſcepto imperio *Tanghi* dictus fuerit. Quis hodie ſceptrum teneat, & quo nomine proprio appelletur, nec nos certo docere poſſumus. Relationum & raritas & diverſitas obſtat. De habitu autem & magnificentia imperat. Sinic. lege *Athan. Kircheri Chin.* Lib. 2. c. 10. ubi & de ritu agit, quo ſubditi ad Regem admiſſi, pendentibus brachiis, immotis pedibus, manibusque & ſuperciliis in terram demiſſis, ſolio adſtare ſolent. Inſigne Imper. eſt Draco, teſte *le Comte* T. II. p. 318.

(2) Monetæ Chinenſis hæc ratio eſt. Signatam & cuſam non habent niſi cupream. Argentum vero & aurum in grandioribus vel minoribus particulis ſolent appendere. (Batavi Gold Schut vocant) fraudulenti tamen in eo, quod aureas illas & argenteas maſſas cupro aut alio metallo miſceant, unde & a Batavis non recipiantur, niſi prius eas aperuerint. Vid. TAVERNIER *itiner. Indicum* lib. 3. p. 225. — Obſervationes *le Comte* hac de re potiores iſtæ ſunt, Tom. II. p. 78. *Ce qui regarde la monnoye courant, eſt aſſez ſingulier. On a des deniers de cuivre, ronds, troues par le milieu pour eſtre enfilez plus facilement, & couverts de pluſieurs caracteres, le metall n' en eſt ni pur, ni battu, & quoiqu' ils ſoient e pais, on peut facilement les rompre avec les doigts, quand on a de la force; il en faut dix pour faire un ſou, dix ſous font la dixieme partie de leur ecu, qu' on nomme Leam, que les Portugais appellent dans les Indes Tael, & qui revient a quatre livres deux ſols deux deniers* $\frac{22}{73}$ *— Ce pendant cet ecu des Chinois n' eſt pas une piece de monnoye frappee au coin; l' argent qui a cour dans l' Empire n' a point de figure particuliere, ce ſont des lingots, ou des morceaux de forme irreguliere qu' on recoit au poids & qu' on peut couper, ſi l' on doute de ſa bonté. Trois choſes en font connoiſtre la bonte, la couleur, les trous, qui ſe forment dans la partie de l' argent attachee au creuſet, & les differens cercles qui paroiſſent dans la ſurface expoſee a l' air, quand on l' a fondu. -- Ils diviſent le titre en cent parties. On recoit dans le commerce ordinaire l' argent depuis quatrevingt jusqu' a cent. Quand il eſt de plus bas aloy on le rejette, & ceux qui s' en ſervent, ſont punis &c.*

(3) Ad Chinenſium mores quosdam quod attinet; in converſatione & colloquiis non tuiſſant aut voſſitizant alios ſed humilibus ſemper terminis ſe diſcipulos & ſubditos alterius profitentur, cumque non niſi in tertia perſona alloquuntur; ligneis quibusdam inſtrumentis loco cultrorum cibum capiunt. Porcorum nutritores & ſaginatores ſunt egregii. Potu Theæ frequentiſſime utuntur, quam herbam tamen non *Thee*, quod nomen in provincia Fokienſi ſordidum quid ſignificat, ſed lingua Mandarin: Tçha appellant, teſte *le Comte* Tom. I. p. 333. eique tribuunt, quod neque chiragra, neque calculo, neque iſchiade laborent, præferunt autem cæteris duas ejus ſpecies, The ſoum lo & The voici; fœminarum pulchritudinem non minimam in exilitate & tenuitate pedum collocant, cujus originem ab imperatrice quadam Tskia repetunt. *Supplem. Puffend.* l. c. p. 488. &c.

(4) Reditus Chinæ (Arabibus & Perſis Sinoſtan dictæ, terminatione *Iſtam* regionem ſignificante, Obſerv. MULLERO in comment. ad monum. Sinicum p. 38.) ab antiquis temporibus ingentes fuerunt, cum nullum vel parum ſaltim terræ eſſet, unde tributum non ſolveretur. Referunt autem præter expenſas publicas ultra 60 milliones ſcutatorum in regiam delatos eſſe, ut ſic ſumma omnium redituum facile 150 milliones confecerit. FUNCCIUS p. 203.

(5) Inter vicinos quos hodie quam maxime cavere debent, ſunt potiſſimum Japonenſes. Olim quidem erat, quod metuerent a Tartaris, nec ab Hiſpanis quoque ob Inſulas Philippinas, quarum ſitu valde commodo illi ad vexandum regnum Sinicum uti potuiſſent; Sed utrimque hoc metu nunc ceſſante nullam potentiam, quam Japonenſium, magis habent metuendam, invigilare tamen non minus eos oportet incrementis regum Siamenſium & Tunckinenſium, licet hactenus tributariorum, ne & ipſi aliquando excuſſo jugo rebus Sinenſium inhiare meditentur.

De rebus Tartaricis in communi.

Poſteaquam diſſeruimus, quantum ſufficere poteſt, de regno Chinenſi, quod ſane in univerſa Aſia quam optime eſt compoſitum, nec novi regnum ullum tam egregie eſſe legibus & moribus compoſitum, quam rempublicam Chinenſium, ut etiam præripiat laudem omnibus regnis Europæis. Quia autem ante paucos annos pervenit in manus Tartarorum ſub quorum jugo adhuc gemit, & pariter regnum M. Mogulis etiam tenetur a Tartaris cum maxima parte totius Aſiæ, qui extendunt limites in Europam usque & nobis ſatis vicini ſunt circa Tauricam cherſoneſum, operæ pretium videtur eſſe, ſi quædam de *Tartaris* (a) in communi præmittam, non nihil repetita eorum memoria ex priſco ævo. Gentes illæ omnes, quæ populis græcis fuere trans Danubium, & deinde in Aſia trans Pontum Euxinum & Mæoticam paludem, item mare Caſpium, fuerunt olim dictæ a græcis communi nomine Scythæ. Horum populorum cum alii viverent in Europa, alii in Aſia, quidam etiam dicti ſunt Europæi, quidam Aſiatici. Erant illi populi trans Iſtrum græcis minus noti, quare ab illis ſunt habiti quaſi eſſent ejusdem linguæ, eorundem morum & inſtitutorum. Hac ratione etiam factum eſt, ut germani etiam dicti ſint Scythæ, nam apud *Græcos* (b) non reperitur nomen noſtrum. Paulatim etiam illud nomen in vulgo eſt deletum. Nam tempore Strabonis hoc eſt Augusti Cæſaris temporibus nullus amplius populus apud vulgum dictus eſt Scythicus. Apud eruditos quidem nomine Scytharum venerunt & adhuc veniunt Tartari & Turcæ. Strabo jam ſuo tempore dicit *evanuiſſe* (c) & in nomen Germanorum & Sarmatarum veniſſe. Quamquam apud majores noſtros hoc nomen non fuerit in uſu, ſed ipſi nos appellaverimus *Teutſche*, quæ appellatio eſt mere Germanica. Evanuit porro nomen Sarmatarum, quemadmodum enim Scythia alia fuit Europæa, alia Aſiatica, ita etiam *Sarmatia* (d) alia eſt Europæa, alia Aſiatica dicta. Et hoc ipſum fieri ſolet ab eruditis. Illi qui vivunt trans Danubium, item qui trans Pontum Euxinum & Mare Caſpium, occupant nomen Sarmatarum apud eruditos. Non eſt dubium ſemper in illis regionibus vixiſſe gentes lingua & moribus varias & plane diſtinctas, quamvis uno nomine adpellarentur. Apud Græcos antiquos hæ terræ fuerunt minus notæ. Notatu autem digna eſt, deſcriptio Scythiæ apud Herodotum, qui deſcripſit tantum Europæam, quo maxime pertinuerunt Poloni, Moſchi & Livoni usque ad mare Svecicum (*die Oſt-See*) Eo usque deſcribit Herodotus Scythiam Europæam. Meminit etiam Nerviorum qui procul dubio nomen dederunt Nervæ & hujus nominis duæ ſunt urbes in Aſia & in finibus Moſcorum & Livonorum, & mores etiamnum hodie concordant. Ex his terris deinde migrarunt varii populi in alias terras & facti ſunt perquam *potentes*. (e) Magnum cumprimis ſibi nomen adquiſiverunt *Hunni* (f) qui vixerunt ante hac circa paludem Mæoticam & mare Caſpium ubi vivunt meri Tartari, migrarunt autem in regnum Poloniæ, deinde trajecto Isthmo duce Attila immani numero in Italiam & Galliam penetrarunt. Ex illis regionibus conjunctim vene-

(a) *Tartaris*) Sunt qui hoc nomen per reliquias interpretantur quaſi Tartari ſint reliquiæ 10 Tribuum Iudaic, in captivitatem abductarum, quam ſententiam multis argumentis propugnarunt POSTELLVS & BREREWODUS. Sed rectius nomen Tatarorum (ita enim plerique malunt ſcribere) vel a fluvio Tatare (quem accolere dicuntur) cum LEUNCLAVIO vel a provincia Tatar cum HAITHONO, vel a Syrorum Tataro i. e. redundantes, quod natio ſit populoſiſſima cum Fullero derivatur. Vid. HOTTING. *Hiſt. Eccl. S. XIII. p. 482.* Chinenſibus quoque Tata illos vocari monet MARTINIUS *de bello Tartar.* p. 1. deficiente litera R. qua æque ac D Sinæ deſtituuntur. Vid. MULLERI *disquiſit. de Chataja*, p. 72. Quomodo vero nomen hoc unicæ tantum Hordæ ſeu tribui Scytharum olim commune, univerſis Scythis tributum ſit, ex Monachi Rubruquis relatione docet HORNIUS *Orb. Politic. imp.* p. 785. Per ignorantiam factum, quod omnes ſeptentr. Aſiæ incolæ usque ad extremum orientem hodie dicantur Tartari, cum alias certis nominibus exprimi nequeant, quemadmodum olim Scythæ dicti ſunt, quotquot in Europa & Aſia eſſent nationes Boreales.

(b) *Græcos*) Celtæ Græcis dicti ſunt Germani. Primum enim Scythæ vocati boreales omnes deinde ad occidentem Iberi & Celtæ paulatim diſtincti ſunt. Celtas autem eſſe Germanos, docet JUNIUS *in Batav.* c. 22. *Cluver. Germ. antiq.* l. 2. ſqq.

(c) *Evanuiſſe*) Cum ergo apud JULIUM CAPITOLINUM *hiſtor. Aug.* Tom. 2. p. 37. legitur, Maximinum ſolitum fuiſſe quotiescunque per calumniam quis eſſet delatus, ubicunque viveret, en ſtatim mittere e Pannonia certos homines *vehiculis Scythicis* impoſitos, qui miſerum caperent Caſaubonus Salmaſius & Gruterus ad h. l. obſervant pro *Scythicis* legendum eſſe *Siccis*.

(d) *Sarmatia*) *Europæa* olim dicta fuit, quæ hodie Polonia & Ruſſia. *Aſiatica* quæ hodie Tartaria deſerta HORNIVS *orb. Politic.* lib. 4. p. 16. & 12.

(e) *Potentes*) Ex Scythia quidem Europæa atque ab ultimo ſeptentrione triplex gentium exercitus prorupit, Italiamque ſibi & cœterum orbem, quaſi viris fortibus natura terras omnes aperuiſſet, in prædam & vaſtitatem deſtinarunt, *Germani, Hunni & Sarmatæ*. Germani fuerunt Gothi, Vandali, Franci, Heruli, Allemanni, Longobardi, Burgundiones, Normanni. Hunnorum ambitu comprehenduntur Avares, Alani, Ugri, Turcæ, Tartari. Sub Sarmatis vero omnes Slavorum nationes HORNIUS *orb. Polit.* Part. 4. p. 141. 142.

(f) *Hunni*) Duplices olim fuerunt, orientales albi Euthalitæ Perſis ſupra Oxum contermini & occidentales nigri ſeu Nomades. Hi ex Scythia primum ſub Balambere & Mundzucho progreſſi ac deinde creato Rege *Attila* de quo pluribus leg. BERNEGGERVS *diſſert. de rebus Hungar.* §. 236. Toti fere occidenti exitium minitati ſunt, niſi vim eorum Aetius in campis Catalaunicis & obſidio Aquilejæ fregiſſet, reliquerunt tamen ſuæ expeditionis veſtigia in nominibus quibusdam Hundsruck, Hundheim, Hunolſtein & Szekelis ſeu Siculis Hungariæ, quod nomen ſecundum quosdam reliquias, ſecundum alios fixum locum ſignificat. Alteram expeditionem ex his præſertim *Avari* tempore Juſtiniani, Juſtini, Tiberii & Mauritii ſuſceperunt duce Chagano quodam (quod nomen idem videtur eſſe ac Cham vel Chan) Tertiam *Juburi* ſive *Ugri* temporibus Arnolphi a. 888. ex ultimo ſeptentrione in Pannoniam, cui etiam fixa ibi ſede nomen Hungariæ impoſuerunt. Vid. BECMANNVS p. 353. 710.

runt Hunni in Pannoniam, alii utpote Alani in Hiſpaniam & Avares in alias regiones. Quæ proprie fuerit fortuna & conſtitutio harum gentium populos Europæos ſemper latuit, idque propterea quia Europæis nulla fuerunt commercia cum gentibus adeo remotis, hinc quæ de illis populis ſunt prodita, planæ dubiæ ſunt fidei & incertæ famæ. *Turcarum* (a) memoria dudum fuit celebrior qui ex iſtis terris ſe effuderunt in Aſiam & ita porro imperium ſuum transtulerunt per Europam & Aſiam, nam hodie in ea parte Aſiæ juxta mare Caſpium eſt locus quidam qui vocatur Turckeſtan, patria Turcarum. Anni 400 & amplius aguntur, ex quo Europæis innoteſcere coerit nomen *Tartarorum* (b) in Europa, innotuerunt autem rerum geſtarum multitudine, quod populi hi univerſam fere Aſiam ſuo imperio ſubjecerint, & non tantum Aſiam, verum etiam ingenti exercitu excurrerunt in Poloniam, Ungariam trans Danubium (*Ober-Ungern*) cæſo & expulſo rege Ungariæ, in *Sileſiam* (c) pervenerunt usque ad Oderam fluvium ubi magna ſtrages Sileſiorum eſt edita. Tanta vis fuit tum temporis illius populi ut nequidquam tum potuerit Tartarorum armis reſiſtere. Quod ſi quis legat hiſtoriam Tartarorum, qui tum temporis floruerunt, certe non ſine ſtupore poterit legere. Adparet autem quam maxime hinc gubernatio divina. Indicia enim manifeſta divini auxilii fuerunt apud Tartaros ut vel manibus id poſſit palpari, plane enim admirabilia geſſerunt. De Tartarorum illorum regno e rebus geſtis meretur legi Haithonus Armenius, qui omnium præclariſſime deſcripſit hiſtoriam Tartarorum illius ævi, quam edidit Reinerus Reineccius magnum hujus academiæ decus a capite XVI usque ad caput L. Notandum eſt cum Tartarorum populi eſſent *ſeptem* (d) & aliis hactenus ſerviſſent, illos excitos fuiſſe ſingulari quadam *ratione* (e) & ita ſubiiſſe imperium fabri cujusdam ferrarii, qui deinde tantas res geſſit, ut pene fidem ſuperent. Hic dictus eſt *Chan* (f) quod eſt vocabulum Tartaricum & ſignificat dominum. Primum dictus eſt ille magnus dominus Gingis Cham, qui mirabili ratione ad imperium Tartaricum pervenit, illudque geſſit, Cœpit autem illud imperium Tartaricum anno 1186. nomen autem Tartarorum ſub initium ſæculi demum ſequentis innotuit. Cum uno ſucceſſorum Cingis Cham & quidem ſexto ut puto converſatus eſt, Marcus Paulus Venetus, cujus hiſtoria exſtat edita a Reinero Reineccio. Utraque autem hiſtoria meretur *legi*, (g) quod prodat res omnes Tartarorum. Tametſi autem initio adeo vaſte dominati fuerint Tartari per univerſam Aſiam, ſenſim tamen iterum decreverunt, poſt annum 1300 cumprimis quod ſcilicet alii populi devicti libertatem recuperarent, & ipſi Tartari inciperent ſibi ſingulares respublicas conſtituere. Præfecti enim Tartarorum paulatim facti ſunt reges, & ita noſtrum Tartarorum imperium Magni Cham in multas exiguas partes eſt diviſum & diſcerptum. Hodieque adhuc ſolent nonnulli memorare imperium M. Cham, ſed hodie non reperitur aliquis M. Cham. Sunt enim Tartari diviſi in *varia regna*, (h) quæ omnia deſcribere mihi impoſſibile eſt, quia

(a) *Turcarum*) Jyriæ & Jurchi jam *Herodoto* dicti putantur lib. 4. p. 262. *Plinio* vero & *Pomponio Melæ* nomen Turcæ jam notum fuit, de quibus vide quæ dicta ſunt ſub *imperio Turcico*. Add. HOTTING. *Hiſt. Eccl.* lib. 1. c. 8. p. 513. unde Turcæ i. e. derelicti dicti ſint, ex ſcriptoribus orientalibus oſtendentem.

(b) *Tartarorum*) Præcipue Mogulenſium. Cum enim illi antea vel Turcarum vel Chriſtianorum ſectæ Neſtorianæ ex familia Karai circa Sinam potentiſſima Regibus obnoxii fuiſſent, quidam Tamachia excuſſo jugo & ſuperato Unad Chan ſive Unkano aut Johanne, omnes Tartaros in militiam evocavit & tota fere Aſia perdomita Chingis Chan teſte Bellovacenſi lib. 32. cap. 9. eſt appellatus; Cujus filii ducesque quadripartito exercitu ab Oceano Indico usque ad Germaniæ fines atque Ægyptum verſus veluti fulmen quoddam perruperunt.

(c) *Sileſiam*) Ita tamen ut poſt conflictum cum Henrico Lignitii duce ulterius progredi non auderent, ſed in Hungariam progreſſi patriam repetierint, refer. CROMERO a quo tamen HAYTHONI narratio aliquantum differt notante STRUCKHUSENIO *in chronico Saracen. Turcico* p. 115.

(d) *Septem*) Tartar, Tangot, Cunat, Julain, Sonich, Monghi, Tebeth, HAYTHO ARMENUS *hiſtor. orient.* cap. 16.

(e) *Ratione*) Cangio ſeu Ginghis ſenex de tribu Tatar & faber ærarius, prudentia tamen & ſanctitatis opinione inſignis, oraculis ut creditum per ſomnium admonitus multisque miraculis fidem orationi ejus facientibus regnum in gentem Mogulorum capeſſivit. STRUCKHUSEN *chronic.* p. 111.

(f) *Chan*) Dejecitque magnos illos Aſiæ Chanes & principes, qui communem Presbyteri Johannis titulum tulere, corrupto nomine ex *Preſte Chan*, quod alii regem mancipiorum, alii aliter interpretantur, eumque modo in Abyſſinia, modo in Tanguto Aſiæ regno collocant. Chan alias Tartaris quivis princeps in genere dicitur. UluChan autem idem eſt quod magnus Chan, quem & Chitainum dici docuit LEUNCLAVIUS.

(g) *Legi*) Addantur *Relation des Voyages en Tartarie de Guil. de Rubruquis, Jean du Plan Carpin, Fr. Aſcelin, & autres Religieux envoyez par la Pape Innocent. IV. & le Roy S. Louis, traduit des originaux latines par PIERRE BERGERON avec un Traite des Tartares, de leur origine moeurs & changements &c.* Pariſ. 1634. WILH. BRUSII *de Tartaris diarium.* MARTINI BRONIWII *deſcriptio Tartariæ.* HIERON. MEGISERI *chronographia Tartariæ.* JAC. NAVARCHI *de Tartarorum potentia & ortu epiſtola.* GODOFREDI *Archontol. Coſmica* &c.

(h) *Varia regna*) Magna Tartaria diverſimode ſolet dividi. Sunt qui eam in 5 partes generales diſpeſcunt, 3 meridionales, Usbeck vel Zagathay, Turcheſtan & Cathaja, 2 ſeptentrionales Tartariam veram & deſertam. Alii 10 partes recenſent. *Quinque verſus meridiem*, ut Mawaralnahra, Thibet vel Tobbat, regnum Tanguth, Kiuche & Yupi (Usbeck autem idem eſt, quod Mawaral. & Turcheſtan quod Thibeth, tres reliquæ Catayæ reſpondent) *verſus ſeptentrionem*, Kaunachia vel Naiman, Mongal, Buckar, Chalaag vel regnum Kasgar, & Chaalach vel Karachatay quæ alias partim ad Tartariam veram partim ad deſertam referuntur) Secundum Witſii tabulam poteſt Tartaria dividi in meridionalem, intermediam & Borealem. Et ſic *meridionalis* in confiniis Perſiæ & Indiæ complectitur Zagathay & Turckeſtan (quo referuntur Cabul, Thibet, Caſcar & Tanguth) *Intermedia* comprehendit Aſtracan, Kalmuckios albos & nigros, Mugaliam nigram & flavam. *Septentrionalis* Siberiam, Obdoram, Piſidam, Dauriam, Jukagir, Jakut, Giliak, Zemle Gilet, Skaja aliaque adhuc incognita. Quomodocunque igitur dividatur Tartaria, id certum eſt, eam hodie in varia regna diſtingui. Nonnulla autem eorum in parte Boreali æque ac Auſtrali ſunt adhuc incognita, & in regno Tanguth quod Magni Mogoris provinciis tan-

quia illorum res me latent. Quin immo ſuperiori ſæculo duo integra regna Tartarica ſatis magna & libera Caſan & Aſtrachan ſub jugum miſit Magnus Dux Moſcoviæ. Aſtrachan ſitum eſt ad fluvium Volgam, qua parte ille influit in mare Caſpium, & huic etiam ſtatim vicinum eſt Caſan. Omnium proximi nobis ſunt illi Tartari, qui habitant circa Tauricam Cherſoneſum & vicinas terras, illi viciniſſimi ſunt Polonis & habent, ſingulare regnum; dicuntur autem Tartari Crimæi, ſive Præcopenſes & extendunt ſeſe usque ad Danaim fluvium. Nemo itaque facile ſibi perſuadere patiatur, adhuc hodie ſupereſſe alicujus M. Chami imperium. Quemadmodum autem tunc temporis adeo ſe effuderunt Tartari, ita denuo ſeculo XIV. cœperunt caput erigere admirabili quadam ratione. Non procul a mari Caſpio juxta fluvium Taxartem & Oreum fuit regnum tum dictum *Samarcandæ* (a) (excutiatur tabula Scythiæ) quod tenebant tum temporis Tartari dicti Usbequenſes. Ibi ex humili loco in incredibilem magnitudinem ſuccrevit, quidam dictus *Timurlanus* (b) patre paſtore boum, qui deinde ad eam pervenit magnitudinem, ut toti Aſiæ non tam terribilis eſſet, ſed ei etiam imperaret. Ipſum *Bajazetem* (c) Turcarum imperatorem vicit, & non dubitavit caveæ illum incluſum per univerſam Aſiam ducere: ſtupendæ ſunt res Timuris & adparet ſingulari *ope divina* (d) illum fuiſſe adjutum, nec humana ope res tantæ potuerunt effici. Vulgo dicitur Tamerlanes, alias dictus fuit Timur Lang id eſt Timur claudus, unde etiam nomen eſt conditum Tamerlanis. Hic cœpit emergere poſt annum 1370 obiit autem anno *1418.* (e) Res ipſius fere ſuperant res Alexandri Magni, quamquam virtute fuerit *major* (ſ) Alexander Magnus. Fuit enim Tamerlanes homo crudeliſſimus, & dixit ſe eſſe flagellum iræ divinæ & a Deo miſſum, ut exſcinderet populos. Superſunt nonnullæ epiſtolæ ejus, in quibus aperte hoc fatetur. Credidit autem ſibi jus belli eſſe contra quemvis, & neceſſe eſſe, ut omnes ſub jugum mitteret. Ante hac ejus hiſtoriam non ita habuimus deſcriptam niſi a quodam milite Batavico SchildBurgero qui fuit miles gregarius, & militavit ſub Imperatore Sigismundo, captus deinde eſt a Tamerlane ejusque miles eſt factus, rediit autem deinde in Germaniam & vitam Tamerlanis deſcripſit. Poſtea vero Arabs quidam qui Tamerlanis tempore vixit, ejusque fuit ſubditus, hiſtoriam ejus deſcripſit. Dictus autem fuit *Achmet* (g) Arabſchiades ſeu Arabſchæ filius. Hanc Arabice edidit Jacobus Golius celeberrimus

git, ſuperiori ſeculo innotuit aliud regnum Laſſæ ſeu Baraotolæ noo taotum ſeculari rege, ſed & alio quodam ſacro, quem magnum Lamam & Lammam Lammarum i. e. ſacerdotem ſacerdotum vocant, inſtructum. Vid. KIRCHER *Chin.* p. 2. cap. 4. Ex Tartaria Boreali potuiſſe olim incolas io Americam facili oegotio transmigrare conjicit RELANDUS diſſert. 12. *de linguis Americanis* p. 160.

(a) *Samarcanda*) Veterum fuit, ut creditur, Maracanda Bactriaoæ metropolis. Sita eſt ad fluvios Jehon & Cheſel & caſtello valido munita. Hanc imperii ſui ſedem Tamerlanes & ædificiis & incolis magnopere amplificavit.

(b) *Timurlanus*) Variaot autores in familia ejus afferenda. CHALCONDYLAS, EGNATIVS & FVLGOSVS plebejo genere eum natum e Saogale dicunt, & vel mulionem fuiſſe, vel paſtorem, vel latronem ac regnum Perſarum aſtu occupaſſe. THVANVS lib. 67. eum ideo vocatum vult Tamerlaoem, quia cum alias Tamer diceretur, inque Carmania operam in ſchola literis daret, quam Turci Lanum vocant, atque a condiſcipulis per luſum rex eſſet electus, illa dignitate poſtea ſerio uſus, regios aoimos ſumſerit atque Tamerlanes quaſi Tamer e ſchola dici voluerit cootractisque jam majoribus copiis multis eorum, qui tunc militabant Bajazethi parva hæc initia cootemnenti bellum indixerit. Sed rectius, quem nos vulgo Tamerlaoem dicimus, alii etiam Teimurlang ſeu Teumur Claudum dicunt, Dux Samarkandæ (ubi & cathedrale templum e ſolido marmore extruxit) ex hordo Zagatai circa Caſpium mare ad Volgam fuiſſe ſtatuitur, decimus quartus ſucceſſor Gingis Chani ex ejusque familia oriundus, uti teſtatur Emirkondus ſcriptor Perſicus, qui præter Achmetem hiſtoriam de Tamerlane conſcripſit. De SAINCTYON *hiſtoire du grand Tamerlane* p. 1. ita ait: *Tamerlan, qui ſignifie grace celeſte, fut fils de Og Seigneur & Roy de Zagatay ou des Parthes, & neveu du grand Cham des Tartares, & non pac fils d'un miſerable Paſtre & d'un inſigne brigand, comme ſes ennemis l'ont fauſſement publie, c'a eſte par malice, ou pour ne pas ſavoir que le principal revenu de nos Princes conſiſte plus en beſtiaux qu'en mines d'or & d'argent.*

(c) *Bajazetem*) Initio Tamerlanus eum honorifice habuit. Poſtea autem Bajazethes ipſe inſoleoti reſponſo ioeruit ut caveæ vel clathris ferreis ad modum ſellæ fabrefactis includeretur in iisque præ mœrore paulo poſt vitam finiret.

(d) *Ope divina*) Dicitur avia ejus ſomnium habuiſſe, quo dominium orbis terrarum uni e nepotibus ſuis porteotum fuerat. Nunquam victoria ipſi defuit, niſi ſub finem vitæ, cum adverſus Alladadum copias educeret, ooo habita ratione inclementiæ tempeſtatis; tum enim attrita frigoribus maxima exercitus parte & ipſe octogenario major extinctus eſt.

(e) *1418*) A. 1404. vel 1405. vid. Supplem. Puffend. IV. p. 565. HORNII *orbis imperans* p. 294. STRUCKHUSEN l. c. p. 143. annum habet 1406.

(ſ) *Major*) Ingenium & mores Tamerlani ita deſcribit STRUCKHUSEN l. c. *Ingenio fuit ſagaciſſimo, veloci & profundo, judicio non facile deceptus, memoria non deſtitutus. Conjiciendi de futuris tanta in eo facultas dicitur fuiſſe, ut commercio dæmonum ſæpe tribuerentur, quæ præſagibat; Rebus ſecundis ne exaltaretur, plerumque cavit, juſtitiæ videri volebat ſervantiſſimus, quæ tamen ſæpe in ſævitiam degeneravit. Ira ejus inſanabilis fuit cum ſuſpicionibus & vindictæ ſtudio conjuncta. Nihil prius habuit poſt adeptum imperium, quam ut præſenti ſtatu omnes tranquille fruerentur. Scortationes paribulo, furta cruce punivit Ubique legis Zingis Chanicæ reverentiam prætulit, ad Deum autorem ſucceſſus ſuos referens. In re militari Romanorum diſciplinam ſecutus eſt. Fuit enim non in philoſophia modo, ſed in hiſtoria eximie verſatus. Hinc ſapientes ubique, Medicos & Aſtrologos ſecum circumduxit. Aſtrologis vero plurimum obedivit.*

(g) *Achmet*) Vixit a. 1431. & hoc potiſſimum ſcripto atque ſpeculo Ethico, cujus ipſe meminit, inclaruit. HOTTINGERVS *Hiſt. Sacr. N. T.* cap. XV. Sect. 1. p. 611. ooo alium in bibliothecis Arabicis aſſervari autorem, qui Veneres Arabicas ſtudioſius ſectetur, adeo ut difficilius ejus genuinus ſenſus eruatur, quam ipſi-

mus Lugdunenſis profeſſor. Ex illa Arabica hiſtoria vir clariſſimus & doctiſſimus Joannes Henricus Höttingerus hiſtoriam Eccleſiaſticam ſeculi XV. pluribus deſcripſit, etiam res illius Tamerlanis Sect. II. qua agit de *Gingis Chaniſmo.* (a) Maxime Tamerlanes perſecutus eſt Turcas non tamen etiam favit Chriſtianis, ſed voluit operam dare ut *ſua religio* (b) propagaretur. Ceterum longe clarius & diſertius ex illis hiſtoriam Tamerlanis *deſcripſit* (c) Joannes Henricus Bœclerus, quæ exſtat in diſſert. Academ. Volum. num. 8. Ubi egregie omnia deſcripſit, ideoque hiſtoria meretur legi, ut ſi legeritis, non dubito vos raptos eſſe in ſtuporem. Sed & illud imperium Timuris non diu fuit ad poſteros propagatum & non poterat ea felicitate & facultate ſervari quam *parari.* (d) Adeo difficile eſt rempublicam aliquam conſervare quam facile eſt aliquam parare. Igitur hodie in Aſia longe alia eſt facies, omnia enim Africæ, Syriæ, Aſiæ Minoris quæ ibi ſubjecerat Tamerlanes vel ſubſunt jam imperio Perſarum aut Turcarum. Perſarum enim regnum eſt recens natum, nec eſt antiquum. Ex Timuris tamen poſteritate ſuperant reges Indiæ qui M. Mogoles appellantur. *Indiam non tenuit* (e) Tamerlanes quidem ſed poſteri ejus ſunt eo pulſi & in Indiam pervenerunt, ibique novum regnum & inter Aſiatica opulentiſſimum condiderunt, de quo dicam ſeorſim. Iſti Tartari, qui hodie Chinam tenent ſunt plane diſtincti a prioribus, adeoque habitarunt ante hac in extremis partibus Aſiæ & non ſubfuerunt *Tamerlani* (f) qua propter ſeorſim aliquid dixi de regno Chinenſi & de regno Magni Mogolis. Dicam etiam aliquid de Tartaris Præcopenſibus, qui nobis omnium ſunt viciniſſimi. Antequam nunc pergam, notandum eſt vitium mapparum geographicarum, inter illas etiam reperitur tabula Scythiæ & Aſiæ. In his fit mentio *Catajæ* (g) regni primarii M. Cham. Fit ibi etiam mentio Cambalu item Catajæ. Hujus vero nomine nihil aliud intelligitur, quam regnum *Chinenſe* (h) itaque ſunt omnia fabuloſa, quæ habentur ibi de regno aliquo

us Alcorani. Non male proinde judicium ſuum de hoc autore ejusque ſtylo epiſtola valedictoria a. 1644. vulgavit Amſtelodami LEV. WARNERVS. Hujus Achmetis hiſtoriam Gallice reddidit PETRVS VALTERIUS.

(a) *Gingis Chaniſmo*) Gingis Chaniſmus a Gingis Chano dictus eſt ſuperſtitio ex Islamiſmo quidem mutuata & interpolata, eidem tamen non ſecus ac Iudaiſmus Samaritaniſmo exoſa atque infeſta, quod multa ex gentiliſmo retinuerit, vid. HOTTING. l. c. hinc lex Chingis Chanica hodieque apud Tartaros nonnullos obtinet, dicta Iaſak Chingis Chan teſte *Haythono Armeno* cap. 17.

(b) *Sua religio*) Autor tamen *l'hiſtoire du grand Tamerlan* de SAINCTYON p. 259. hæc habet. *Je diray encore en paſſant, qu'etant un jour repris par le grand Pretre, de notre Loy de ce qu'il ne contraignoit pas tous les peuples, qu'il dontoit d'embraſſer ſa Religion, mon amy, luy repondit Tamerlan, je ne le feray jamais, car je ne puis croire, que Dieu ne ſe plaiſſe dans la diverſite des Religions: il hait ſeulement ceux, qui n'en ont point, ou qui diſent qu'il n'eſt pas. Ce ſont la ceux que je voudrois, exterminer de deſſus la terre.* Islamiſmo deditos ante victum Bajazetem quidem Tamurlanes infeſtis odiis proſecutus eſt, poſtea tamen ejus ſuaſu & rogatu in Muſulmannos minus ſæviiſſe dicitur. Chriſtianiſmum etiam olim a Tartaris paſſim teſtibus M. Veneto & Mandevillio receptum, toleraſſe videtur, præſertim cum & Axalla Chriſtiano ſupremo duce exercitus ſui uſus fuerit.

(c) *Deſcripſit*) Cf. etiam *annales Turcicos Leonclavii.* Item *Archontologiam Coſmicam Petri Perondini vitam M. Tamerlanis.* JEAN de BEC *hiſtoire du grand Tamerlanes.* Item de SAINCTYON *hiſtoire du grand Tamerlane*; Quorum uterque uſus MSo Arabico Alhacentis ſed ita ut poſterior ſenſum Arabis melius, prior vero *de Bec abbe de Mortemer* in multis minime expreſſerit uſus alio homine interprete, ceu ipſe profitetur, cum ipſe autorem non intelligeret.

(d) *Parari*) Poſt obitum Tamerlanis variæ gentes deficere & poſteros ejus opprimere cœperunt. Ita Kara Isſuph Perſiam, Khelaludi Indiam, alii Tartariam deſertam, alii Turciam Aſiaticam occuparunt. HORNIUS *Orb. Imper.* p. 295. Succeſſit quidem Timuri in imperio filius Myram Cha vel Scha: *Puffend. ſupplem. IV. p. 565. Hornio* l. c. dictus Schach Rogh, & *in Sainctions l'hiſtoire* p. 412. Sentrochio Princeps pacificus & moderatus, in quo ſpes fuit gloriæ imperii conſervandæ, ſervatæ que etiam per aliquod tempus, quæ vero poſtmodum orta inter hunc & fratrem (Letrochio dicitur apud *Sainctyon* l. c.) æmulatione exſpiravit.

(e) *Indiam non tenuit*) Totam ſcilicet. Alias Multanenſe regnum, quod hodie in India eſt ſub imperio M. Mogoris, tum vero rege improli mortuo procerum certaminibus diſtractum bello triennali occupaſſe legitur Tamerlanes. Vid. STRUCKHUSEN p. 140.

(f) *Tamerlani*) Vide tamen de bello adverſus Chinenſes a Tamerlane ſuſcepto, ut recuperaret provincias Lestoung & Peking Tartaris ereptas le SAINCTYON *hiſtoire cap. 4. p. 80.*

(g) *Catajæ*) Nomen Cathæorum ab antiquiſſimo tempore notum fuit, ipſis etiam qui de rebus Alexandri M. ſcripſerunt. Hunc enim referunt in Cathæorum ditiones arma protuliſſe, ſive in Sophitis regnum (ſecundum *Curtium* lib. 10.) qui tum Cathayo imperavit teſte *Strabone* lib. 15. Optimis legibus hoc regnum adornatum ſcribunt *Curtius & Diod. Siculus* lib. 17. ejusque ſitum autores omnes ad Indiæ fines referunt, uti & *Ptolomæus Geogr.* lib. 16. c. 15. Chætas Seris proximos eſſe Scythas meminit.

(h) *Chinenſe*) Martinius oſtendit, Cathajæ regnum nil aliud eſſe quam Chinæ partem Borealem ſive ſex provincias ab Auſtralibus noveio, fluvio Kiang ſeparatas quas M. Paulus Catayam vocaverit, uti Auſtrales Mangin, quo pacto & hodienum a Tartaris & Turcis vocentur. Quam ejus ſententiam GOLIUS additam: *ad Atlant. Sinic.* probat ſcripto Noſiroddini Perſæ, qui dum recenſet Cathajorum 12 horas & 24 Partes, in quas annum Tropicum diviſerint, inſinuet omnino ſimilem Chinenſium partitionem. Sed ANDREAS MULLERUS *Præpoſ. Berolin. diſquiſ. de Cataya* p. 98. Paulo aliter rationes duxit. Ait enim gentem quandam Tartaricam fuiſſe Catha vocatam, uti Mogul Tibeth; Hinc Cathaja nomen regionis ad orientem veterum Mogulum ſitæ, partisque Tartariæ rubræ hodie Kinche dictæ. Chinenſes hanc Tartariam Kin vocaſſe, unde Altunchsoorum nomen; Quibus devictis Gingis Chanidas Catajæ titulum uſurpaſſe & Catajæ Chanos dictos fuiſſe, cumque hi Chinam quoque occupaſſent hanc quoque Cathajam dici coeptam.

quo M. alicujus Cham. Memoria vetuſtiſſima reperitur regni iſtius Catajæ apud Marcum Paulum Venetum qui ſupra modum laudat ipſius opulentiam, quare etiam Europæi, qui lucri ſunt ſtudioſi, admodum laborarunt penetrare in regnum Catajæ & omnibus modis de hoc inveſtigando laborarunt. Hoc ipſo tamen ſæculo animadverſum eſt & multis modis comprobatum illud Catajæ regnum nihil aliud eſſe quam regnum Chinenſe & *Cambalu* (a) nomine nihil aliud intelligendum eſſe, quam ipſam urbem Peginam ſive Peguinam primariam regiam urbem regni Chinenſis. Primus Europæo orbi id prodidit Jeſuita quidam Jacobus Pantogia in litteris ſcriptis Chinæ anno 1602. quæ ſunt verſæ in latinum ſermonem, & editæ Moguntiæ anno hujus ſeculi 7. & hæc ita reperiuntur pag. 55. Ex eo tempore a quammultis idem eſt proditum ex quo China cœpit magis magisque innoteſcere. Ut de omnibus regnis Tartaricis dicam, non eſt neceſſe & ne quid diſſimulem pleraque horum ignoro, quoniam nihil de illis monimentis eſt proditum. De regno autem Tartarorum Præcopenſium quorum ſedes eſt in Taurica Cherſoneſo dixi aliquid ſeorſim, nam horum res nobis ſunt maxime cognoſcendæ; reliquorum vero Tartarorum non ita ad nos pervenerunt nec etiam nos tangunt.

De Tartaris Præcopenſibus.

De Tartaris Præcopenſibus nunc agemus, qui non ſolum ſunt in Turcæ tutela ſed etiam in obſequio ipſius, coguntur enim ad nutum ipſius ſe ſiſtere. Revocandum autem in memoriam, quod Tartari Sec. XIII. duce Gingis Chan inuſitata felicitate occuparint univerſam Aſiam, & excurrerint etiam in Europam devaſtata Polonia, Hungaria usq; in Sileſiam & non nihil etiam Moſcovia. Ex illis hodie nonnulla ſuperant in Europa vel admodum Europæ vicinis locis. In Europa ſuperſunt illi qui dicuntur Tartari Præcopitæ, eo etiam *referuntur* (b) qui occuparunt regnum Aſtracan, Caſan, & Nagayski. Horum Tartarorum, qui vivunt cis Mare Caſpium, alii ſuperiori Sec. redacti ſunt ſub obſequium Moſcovitarum, omnes Tartari in regno Caſan & Aſtracan (quæ adjacent fluvio Wolgæ) ſunt in poteſtate Moſci. *Nagayski* (c) Tartari ſunt liberi, medio loco poſiti inter Turcas, Perſas, & Moſchos, tuti ratione ſitus & æmulationis vicinorum. Situs enim regionis talis eſt, ut non facile ab aliquo occupari poſſit. Inter hos ſunt illi qui dicuntur Præcopitæ, hi Sec. XIII. cœpere *Tauricam Cherſoneſum*, (d) quod apparet ex monumentis Polonicis. 460 annos illi vixere in illis terris. De Tartaris Aſtracan & Caſan fecimus verba, ubi egimus de Moſchis, quo ſpectant. De Nagayskis agere non eſt operæ pretium.

De Præcopitis obſervanda eſt regio, inde apparebit, unde nomen acceperint. Taurica Cherſoneſus perpetuo jugo montium diſtinguitur in Auſtralem & ſeptentrionalem. Auſtralis tenetur a *Turca*, (e) in ea metropolis eſt Caffa quæ ſedem præbet Beglierbegho Caffæ. Septentriona-

(a) *Cambalu*) Ita ſentit MARTINIVS *Atlant. Sinic.* p. 29. 30. & obſervat, ipſum Venetum tradere, quod hæc urbs a Tartaris & Mauris tantum intuitu regiæ præſentiæ dicta ſit Cambalu, *urbs domini.* *Golius* vocem corruptam putat ex Chan Balek. *Mollerus* vero arbitratur, Cambalu Metropolin novæ dictæ Cathajæ eſſe aut fuiſſe, at extra deſertum Xamo & Pecquino aliquot gradibus Borealiorem. Hoccota Tartarus ibi ſedem poſuit imperii terminum oceanum conſtituens. STRUCKHUSEN l. c. p. 213.

(b) *Referuntur*) Non tam ratione ſoli, quam ratione jugi ſub quo vivunt. Nempe annumerantur Europæis, non quatenus Tartariam deſertam tenent, ſed partim quatenus Moſco parent, ut Tartari Caſanenſes & Aſtracani, partim quatenus medio loco inter Moſcos, Turcas & Perſas poſiti, ut Tartari Nagayenſes. Interim e Tartariæ deſertæ incolis non poſſunt Europæis annumerari Tartari Tumenſes, Schianbacenſes, Coſaccenſes, Backirdenſes, Mecriti & Samojedi etiamſi hi ſint Moſco tributarii. FVNCCIVS p. 180.

(c) *Nagayski*) Nagajenſes duplices ſunt, alii in minori Tartaria, intra Boryſthenem & Tanaim, alii in regno Caſan & Aſtracan. Priores ſubjecti ſunt M. Chamo minoris Tartariæ, poſteriores Moſco, liberi tamen nec tributarii ſed ſaltim ad præſtanda aliquot millia hominum data belli occaſione devincti. Vid. BAUDRAND p. 933. STRUYS *Voyages* p. 182. qui & eorum mores deſcribit. Infenſos ſibi habent Calmuckos Tartaros, qui Wolga fluvio glacie obducto ipſis ſolent inſultare, unde poſtquam per æſtatem cum armentis hinc inde vagati ſunt, hyberno tempore caſtra prope Aſtracanum ponunt, datisque obſidibus, a gubernatore Aſtracani in fidem & tutelam recipiuntur, usque dum redeunte æſtate caſtra denuo ſolvant. Magis vero Tartari Dageſtani loci ingenio & ob acceſſu montium libertatem ſuam tuentur, pecul. principem, qui Schemchal dicitur, habentes. Cæterum qua ratione Nagajenſes Tartari per defectionem a Zavolhenſibus exorti ſunt, vide apud HORNIUM *orb. imper.* p. 292.

(d) *Tauricam Cherſoneſum*) Dictam etiam veteribus Scythicam, Cimmeriam a populis eam tum colentibus, it. Ponticam ab adjacente Ponto Euxino. Oſtrogothos illam peninſulam quondam occupaſſe, eorumque duces de Mankup usque ad ſuam ætatem caſtrum Mankup contra Tartaros defendiſſe docet BILIB. PIRCKHEIMERVS *Explic. locorum Germ.* Tom. I. *opp. hiſtor. Schardii* p. 213. quin & BVSBEQVIVS *ep. Turc. 4.* Gentem hanc vel origine Gothicam, vel etiam coloniam Caroli M. eſſe colligit ex reliquiis linguæ Germanicæ ibi deprehenſis; *Tag*, *Salt*, *Broe*, *The*, *Wingart*, *Akerman*. Quicquid hujus ſit, Tartari ſub imperio Gingischanico has regiones occuparunt, iique qui hic ſedem poſuerunt primum ſub Zavolhenſium imperio fuerunt, poſtea autem de victo eorum imperatore Tuktamiſcho a Tamerlane a. 1400 Crimenſes peculiarem ſibi regem ex familia Kircorum conſtituerunt, a quo tempore variæ Tartarorum Hordæ iis acceſſerunt.

(e) *Turca*) Muhammed II. Caffam eripuit Genuenſibus, quæ hodie illuſtre emporium eſt ſitum ad Boſphorum Cimmerium ſive fretum Kerci, Caffæ aut Mæoticum dictum; ditio tamen ejus exigua eſt, cum Chamus Tartariæ usque ad portas ejus juriſdictionem exerceat. Præter Caffam Turcis quoque ſubeſt Azac ſeu Aſoph alias Tanais, ſita extra Peninſulam in Inſula quam Tanais

trionalis tenetur a Tartaris. Sedes primaria Principis Tartarorum eſt *Krim* (a) ſive Crimeum. A quo dicuntur Crimei, a ſede primaria. Eſt autem antiquiſſimum oppidum jam tum notum Herodoto. Hac in Cherſoneſo eſt oppidum itidem nomine Przecops vulgo *Præcop.* (b) Vox ſignificat foſſam, foſſa enim ducta inter Sinum maris & Paludem Mæotim. Præcopitæ dicuntur ab illa foſſa quia in illa ſuam habent vim collocatam. Quamvis vero vis eorum major intra Tauricam Cherſoneſum ſit, interim tamen ulterius patet, eorum imperium. Etenim omnem tractum tenent inter Boriſtinem & Tanaim, & partem Severienſem Moſcoviæ. Tametſi autem poſſideant hæc, tamen nullæ ibi ſunt urbes, vaſta ibi ſunt deſerta, & vagantur Tartari per iſta deſerta, & nomadicam vitam agunt, & paſcunt ſua armenta, & vivunt in plauſtris, agitantur hinc & inde, ut Scythæ olim. Urbes quas habent non ſtruxere, ſed incolunt urbes ab aliis exſtructas. Tota autem regio eſt eximiæ fœcunditatis, & divis paſcuis. Opes etiam Scytharum fuere armenta. Revera & ultra Tanain aliquid tenent, & ultra Boriſthinem. Termini Tartariæ Prezocopenſis in tabula Sarmatiæ & Scythiæ Bunoniana non recte ſunt collocati. Rectius collocati ſunt termini Tartarici Criminei in Tabula Poloniæ. Ex parte hodie in ditione Tartarorum Crimeorum ſunt etiam Tartari *Cyrcasſii.* (c) Ultra Boryſthinem tenent illi non nihil, & quidem intra flumen *Nyeſtrum* (d) & Bogam & paulo ultra usque ad Danubium. Tenent & *ripam Ponti Euxini* (e) a Danubio ad Bogam, niſi quod loca munitiora teneant Turcæ, quam maxime tenent autem Tartari campos *Budziak.* (f) Referunt Poloni pactum eſſe inter ſeſe & Turcas, ne Tartari tolerentur in illis campis. Ipſe Præcopita non facile fert, ut ſui Tartari eo excurrant. Turcæ vero libenter ferunt ut eos habeant, eo citius enim ad manus ſunt & iis uti poſſunt quando velint. Et ipſe Tartarus Præcopita non facile poteſt impedire neque Poloni. Excurrunt autem eo paſcendorum armentorum gratia. Quod attinet hanc regionem, apparet habere Tartaros in vicinia Polonos, a Septentrione Moſcoviam & Hungaros, Moldaviam, Walachiam, non poſſe tamen eos penetrare in Hungariam niſi per mediam Moldaviam. A Septentrione habent Moſchum vicinum, ideoque ea parte ſunt formidabiles Moſcho, anno ſuperioris ſeculi 70 non dubitarunt incendere ipſam urbem Moſcuam & ſæpe eos reddidere tributarios, & hoc eſt quod audimus Moſchum eorum timere excurſionem. Et hæc etiam eſt cauſa, quare Moſchus ingentes ſylvas inciderit, ut prohiberetur incurſio Tartarorum, & non facile propterea poſſunt eo excurrere, niſi iter faciant per Poloniam, & trajecto Boriſthine. Ruſſi ſunt capitales hoſtes Tartarorum, & illi etiam Moſcorum. Verſus Orientem habent Tartaros vicinos ejusdem inſtituti & linguæ, tamen non amant eos nec valde etiam oderunt. Ab Oriente ergo non habent quem metuant. Tartari enim Nagæi non ſunt adeo potentes. Turca ipſis ſatis eſt vicinus, a parte Auſtrali, qui & claſſe & pedeſtri exercitu facile illis vim facere poſſet.

Hac ratione factum ut Amurath II. ſuperiori ſeculo ſibi ſubjecerit *Tartaros.* (g) Et ſub Amurathe III. parum abfuit, quin redigeret eos in provinciam, & conſtitueret iis Begler Begum vid. *Davidem Chytræum* in chronico ad annum 1584.

Tartari facillimo negotio poſſunt occupari a Turca, ſed non vult, ſatis enim ſunt in ipſius obſequio, & non audent arma expedire nolente Turca, ita in nuperrimo bello Sveco-Polonico non auſi ſunt ſuccurrere Polonis, niſi impetrato ejus conſenſu & eo nolente arma revocare ſunt coacti. Nihil tamen ſtipendii ipſis dat Turca niſi finita expeditione. De *regione* (h) vide Chytræ-

format, ubi paludem Mæotidem ingreditur, vid. de his TAVERNIER Part. I. p. 129. ſqq.

(a) *Krim*) Crimæa, Crimenda, Solatum, ad fluv. Gerukeſa. BAUDRAND p. 354. *Crim que quelques uns prennent pour le Cimmerium des Anciens, n'eſt presque plus maintenant qu'un village.* Baccaſara ad fluv. Kabarta ſedes eſt Chami. Cætera loca potiora ſunt Caſclow, Mancup, Baluclawa, Karaſu, Kerei, Vantico &c.

(b) *Præcop.*) Villa procopiana, olim Tuphræ, Taphros dicta, dicitur & *Or.* Præcop. ſcribitur, quia non recte pronunciare poſſumus Przecop. Tartari ut magis inacceſſam redderent hanc peninſulam, foſſam ſive canalem duxerunt a palude Seſeania alias Surca Mourzi) ad ſinum Carcinitem, hodie Nigropolitanum ſive Moſcoviticum dictum, ibique in Iſthmo ſita eſt Procopia, urbs quidem exigua, ſed egregio caſtello munita.

(c) *Circaſſis*) Vel Mæotæ, inter mare nigrum & Caucaſum. Eorum urbes ſunt Terchi vel Teiki quæ Moſcis, Taman & Temruck, quæ Turcis parent Sunt partim chriſtiani partim Mahomedani, permutationibus rerum inter ſe utuntur, & quia corporibus inſignes ac validi, Tartarorum Crimenſium inſidiis, ut ex iis mancipia habeant, ſemper expoſiti ſunt.

(d) *Nieſtrum*) Dicuntur Tartari Lipkovienſes, & Oczacovienſes, quorum urbs primaria eſt Oczacow ſeu Dziarcrimenda.

(e) *Ripam ponti Euxini*) Tartari Dobrucienſes, ubi ſunt Azabia vel Axiopoli, Provada, Tomiswaria, Proslavitza vel Chiuſtenge (vel. Iſtria) Stravicum &c.

(f) *Budziak*) Sunt ibi urbes *Bialogroda*, veterum Tyras (alias Akierman, & Moncaſtrum dicta) *Kilia nova.* Nonnulli tamen Budziacenſes a Bialogrodenſibus diſtinguunt, vid. *Baudrand* p. 913. Anno 1637. Budziacenſes Tartari, cum Cantimirus Murza dux eorum a Turcis ſtrangulatus eſſet, Polonorum opem efflagitabant, iis ſe ſubmiſſuri certa conditione. Sed hi tam commodam occaſionem neglexerunt, notante PIASECIO ad h. a. p. 498. A Turcis ergo poſtea ipſis permiſſum fuit, ut in his campis permanerent. ex quibus poſtea graviſſimis ſæpe cladibus Poloniam afflixerunt; Quotandem effectum, ut a. 1672. penſionem annuam 22000. imperial. de novo ipſis promitti oportuerit, ea tamen lege, nequi Tartaricorum populorum Poloniam unquam infeſtarent. *Bremann.* p. 692. ſqq.

(g) *Tartaros*) Cum Mahomed Kerai Chan Turcis adverſus Perſas militare detrectaſſet, Amurathes III adverſus illum in Tauricam Cherſoneſum exercituo miſit & alium Tartarorum regem conſtituit, qui muneribus apud conſiliarios Mahommedis tantum effecit, ut is captus & in fruſta cum duobus filiis conciſus fuerit. Quo facto novus ille rex imperium quidem obtinuit ſed ut Turcici imperatoris beneficium agnoſceret & ad ejus nutum omnia gereret. *Struckhuſen* p. 242. qua ratione & quibus verbis Chamus Tartar. præſtito in Alcoranum juramento Turcarum imperatori obſequium polliceatur, Vide in *Taverneri itiner.* Part. 3. p. 163.

(h) *Regione*) Creditur hæc peninſula amplitudine Moreæ non cedere. Abundat omnibus ad victum neceſſariis, varii generis fructibus & animalibus domeſticis (feris enim deſtituitur) præcipue equis; de quorum pe-

træum p. 803. De illis Tartaris lege Thuanum l. 67. Habentur eadem excerpta in Thuano enucleato Parte IV. p. 145. & ſqq. Unde facile apparet Tartaros Præcopitas non eſſe populum liberum, ſed partim liberum, partim non. Populus eſt moribus Scythicis, ad prædandum, bellandum compoſitus. Omnes enim Tartari ſunt milites & cumprimis valent equitatu, peditem habent nullum. Alias moribus domi ſunt ſimplicibus & *bonis*, (a) adeo inter ſe vivunt pacati, ut nulla inter eos committantur adulteria, furta, latrocinia, erga alios crudeles, inter ſe mitiſſimi vid. Thuanum p. 146. Omnes ſunt *Muhammedani* (b) & Chriſtianis infeſti & licet inter ſe ſint mites, erga alios ſunt crudeles. Fortitudine bellica valent ut noſtri majores.

De *numero* (c) Tartarorum. Quanquam Tartari non incolant regiones amplas, tamen ſatis inſtructi ſunt hominibus, quod ex eo apparet, quod interdum 200000 equitum induxerint in aciem, quia vero non ſemper illis hoc liceat, ideo fit, quod ſibi coguntur metuere a Coſaccis. Sæpe enim contigit, ut ubi magni exercitus duxerint in longinquas terras, Coſacci miſere vaſtarint eorum loca vacua. Interim non dubitant & nunc educere 200000 hominum.

De Scopo.

Si acta ipſorum videas, dixeris, ipſis propoſitum eſſe commodum totius populi, & licet dominantis habeatur ratio, interim ita habetur, ut non negligatur commodum populi. Hunc certe eſſe ſcopum reipublicæ inde apparet, quia non ita ſerviliter habentur ut Turcæ, neque ita tributis atteruntur ut Turcæ, ſed ſatis clementer habentur, & dat operam Dominus, ut omnibus ſatis ſit quantum ad vitam, p. 147. in Thuano Enucleato.

Quamvis autem quærant communem felicitatem, in eo tamen aberrant, quod non collocent felicitatem in debitis virtutibus, non enim virtutibus intellectualibus, nec pietati ſtudent, neque aliis virtutibus, quæ ad beatitudinem requiruntur.

De modo regiminis.

Modus regiminis non eſt ita Monarchicus ut Turcicus. Principatus quidem obtinet ſed legitimus, ita, ut non omnia pendeant a nutu Principis, ſed cogitur adminiſtrare rempublicam ſecundum leges, quæ conduntur ex conſilio *Procerum*. (d) Et omnes res magnæ conſtituuntur in conſilio Procerum, quod indicio eſt, ibi obtinere ſtatum mixtum, in quo tamen præponderat Principatus. Principis enim autoritas prævalet.

Alia negotia ſunt belli, alia pacis. Bellica expediuntur partim a Principe, partim ab iis, quibus hæc cura eſt commiſſa. Bellica negotia quam maxime expediuntur ita ut, quia populus Tartaricus eſt diſtinctus in varias cohortes, quæ dicuntur Hordæ, cum bellum ſit decretum, tum ſoleant certæ mitti hordæ. Nulli autem conceditur immunitas a militia, niſi nondum adultis, ſenibus, fœminis, & qui ſacra curant vid. p. 248. Thuanum enucleatum. Totam militiam Tartaricam egregie deſcribit Thuanus ibidem.

Quod attinet pacis negotia, illa vel ſunt ſacra vel profana. Tempore pacis curantur ab ipſo Principe. , Ipſe enim jus dicit, ſi vel cauſæ ad ipſum ſint ſtatim dilatæ, ſive per appellationem. Solus tamen jus non dicit, ex quo conſtat, jurisdictionem non eſſe penes ſolum Principem ſed & penes populum. Reliqua negotia perficiuntur per Sacerdotes Muhammedanæ religionis. Forma regiminis eſt longe melior quam apud Turcas pro conditione populi. Quam maxime autem regitur a Principe, qui dicitur Chan ſive Dominus. Hæc vox eſt Scythicæ originis. Eſt autem nomen commune non proprium Tartaris Præcopenſibus. Turcarum enim Imperator dicitur & Chan, ita enim ſcribit v. g. Sultan Murath Chan. Hoc habet antiquiſſimo uſu, & quidem quia ſunt ipſi Turcæ origine Tartari. Apud Perſas præfecti dicuntur Chan, quod idem ipſis eſt quod Turcis Begler Beg. Ipſe tamen Rex Perſarum dicitur Schach Sefi.

Præſidet autem Tartaricæ reipublicæ ſingularis *familia* (e) Kieraiorum. Hæc familia habet Principatum in Tartaros. Hinc ſolent nomen familiæ præponere & nomen ita ſcribunt Kie rai Muſtapha Cham, ut fit apud Hungaros, qui & pronomen ſemper præponunt. Illa familia jure here-

cul, educatione vide *Tavernier* P. I. p. 146. Lacus mariaque adjacentia ſal & piſces copinſiſſime exhibent, in liberum uſum omnibus conceſſa. Interim licet nihil fere ibi deficiat, non intermittunt tamen carnibus & lacte equorum veſci, nec ditiores norunt amicis meliores delicias quam carnem equinam bene præparatam apponere

(a) *Bonis*) Mendicos inter ſe non tolerant, aliorum vero egeſtatem habita egentium ratione largis eleemoſynis ſublevant.

(b) *Muhammedani*) In cultu ſacro, precibus & jejuniis præ aliis dicuntur maxime eſſe religioſi. Vid. JOH. LASITII *Tract. de Ruſſ. Moſcov. & Tartar. relig.* p. 251. *Mich. Lituanus in epiſt. fragm. X. de moribus Tartar. Lituan. & Moſc.* p. 38.

(c) *Numero*) BAUDRAND p. 355. *L'abondance qui regne dans la Crimee, la liberte qu'ont ſes habitans, qui ſont Mahometans d'epouſer autant des femmes qu'ils en peuvent entretenir, & d'y ajouter encore des concubines & en fin la prodigieuſe quantite des gens, qu'ils y trainent en eſclavage de tous les pais voiſins, en ont fait une des Contrees les mieux peuplees de l'Europe. On aſſure, qu'il y a juſqu'a quatre vingts mille villages, quelque petits qu'ils ſoient voila bien du monde.* Nuſquam copioſior hominum mercatura exercetur quam apud Tartaros.

(d) *Procerum*) Duobus ſenatibus tanquam firmiſſimis fulcris utitur Tartarorum Princeps. *Unus* eſt belli conſtans hominibus prudentiſſimis & in re militari verſatiſſimis. *Alter* eſt regni conſtans ſenatoribus qui in rebus Patriæ bonique publici ſunt exercitati. Penes hos ſunt pleraque regni negotia. In horum manu eſt punire delinquentes & præmiis afficere bene meritos. FUNCCIUS p. 178.

(e) *Familia*) Conditor Crimenſis ſive Præcopenſis imperii fuit a. 1400 familia Kireorum, ex qua oriundus Azi Kirai Schicachmeth Zar filium Tick Tamiſch ex Taurica ſive Crimea expulit, ſeque contra eum Regem Tartarorum appellavit. HORNII *orbis imperans* p. 290.

hereditario imperat, ratio autem ſucceſſionis hæc eſt, quod ſuccedat ſemper frater fratri, filius autem patri non ſuccedit, niſi exſtinctis fratribus. Qui proximum jus ſuccedendi habet, dicitur *Chalga.* (a) Non nunquam apud quosdam populos Germaniæ idem olim obtinuit. *Filii* (b) regii nomine ſunt diſtincti a reliquis, dicuntur enim omnes Sultani, interim non prævalent aliqua autoritate, ſed habentur ut Nobiles: Nobilitas & apud Tartaros obtinet, non apud *Turcas.* (c)

Secundo loco poſt principem eſt Chalga, quia hic non tantum habet jus ſuccedendi, ſed & vivo principe habet dominium militiæ. Quod inſtitutum non caret periculo, & propterea non ſemel in magnum diſcrimen eſt conjectum regnum Tartaricum; Si enim frater eſt longævior, tum facile ambitione ſeductus alter eum e medio tollit. Reliqua officia ſolent diſtribui, habita ratione generis & virtutis, quod eſt inſtitutum ariſtocraticum. Qui præſunt reliquis dicuntur Myrſæ, qui generis nobilitate ſunt conſpicui, atque ita habetur ratio nobilitatis. Nam licet plebs valeat virtute, tamen non præficitur ejusmodi officiis. Legi autem plura poſſunt de Tartaris apud enucleatum Thuanum & apud Lazarum Sorantium, in Ottomanno vincibili.

De regno Japonico.

Inter respublicas autem, ſeu regna Aſiatica maxime Orientalis, & ſimul magni nominis eſt regnum Japonicum, prope Chinam ſitum, in magna Inſula *Japan.* (d) Cujus primam notitiam omnino debemus Jeſuitis, qui iſthuc migrantes initio ſatis feliciter magnos progreſſus in religione Chriſtiana fecerunt, & orbi Europæo accuratiorem cognitionem illius inſulæ prodiderunt. Ex illis enim terris quotannis miſſæ ſunt *Epiſtolæ* (e) Jeſuitarum, quarum magna copia edita eſt in Germania, cumprimis Moguntiæ; merentur illæ legi, cum ob alias cauſas, tum etiam propter illarum terrarum cognitionem. De Japan etiam inſignem librum conſcripſit Franciſcus *Caron* (f) director commercii per multos annos in Japonia, ſcripſit lingua *Batavica*, (g) fuit quidem homo alias indoctus, ſed ingenioſus. Exſtat etiam de republica Japonica liber ſingularis, cui titulus: Deſcriptio Japoniæ, autore Bernhardo Varenio, qui omnia ſua deſumſit partim ex epiſtolis Jeſuitarum, præterea etiam ex deſcriptione Japoniæ priore, partim etiam ex relationibus

(a) *Chalga*) Galga etiam ſcribitur.

(b) *Filii*) Primogenitus plerumque Conſtantinopoli, aut alibi ſolet a porta ottomannica obſidis loco detineri.

(c) *Turcas*) Nobiliores quidem inter Turcas olim etiam fuerunt familiæ Scythici ſanguinis & vetuſtate pares, Eurenesii ſeu Ebrenes, Thuracambi ſeu Thuracani, Michalogli, Aladeulii, Malcocii & Ogazii Vid. STRUCKHUSEN p. 127. Sed Oſmanidæ has aliasque nobilium familias paulatim extinxerunt. Inter Tartaros vero nobiles ab aliis adhuc dum & prærogativa & habitu diſtinguuntur vid. TAVERNIER Part. 1. p. 146. Quælibet autem Horda caput ſuum ſive ducem nobilem habet, cujus ſignum eſt cauda equina colore familiæ proprio tincta; diſtinguitur in Chiliarchas & centuriones ſuos.

(d) *Japan*) Notat hæc vox regionem orientalem & eſt deflexa ex Gepuen, Ge enim eſt ſol, & Puen origo. Atque ita dicta videtur a Chinenſibus, quibus eſt verſus orientem. Ab iis vero incolis vocatur *Nippon* teſte *Mandelslob* lib. 3. p. 236. (Varenius habet Hippon) Ab Hiſpanis Argentana quondam dicta eſt, olim etiam Chryſe & Zipangry dictam eſſe Paulus Venetus refert. *Martinius* quidem in *Atlante Sinico* putavit, *Chryſe* nomen eſſe Tartaricum, ſed *Relandus Part. I. Diſſert. 4.* oſtendit, ita Japan dictam eſſe ab Europæis recentioribus, qui putarunt hanc eſſe Χρυσῆν vel Chryſen veterum.

(e) *Epiſtolæ*) Memorabiliora Imper. Japon. ſuſius licet cognoſcere ex rerum a S. I. in oriente geſtarum volumine edito Colon. 1574. In eo enim non modo epiſtolæ de rebus Japonicis ad a. 1565. lib. 5. continentur, ſed & ſpecimen quoddam literarum vocumq; Japonicarum acceſſit. Cæterum epiſtolæ aliæ annuæ variis locis, Italice, Gallice & Latine prodierunt. Extant literæ Japonicæ annis 1609. 1610. ad Generalem Aquavivam ſcriptæ & ex Italico Latine redditæ per *Andr. Schottum. Joh. Hays* de rebus Japonicis & Indicis epiſtolæ, *lettres annuelles du Japon par le Franc. Paſio. Epiſtolæ Indiæ & Japoniæ de multarum gentium ad Chriſti fidem converſione.* Lovanii 1570. *Lettere annue del Giapone, China, Goa & Ethiopia ne gl'anni 1615. 16. 17. 18. 19.* Mediolani 1621. Additæque ſunt ejusmodi epiſtolæ *Eman. Acoſtæ hiſtoria rerum a. S. I. in oriente geſtarum.* De rebus autem Japonicis hiſtorica narratio prodiit triplex Moguntiæ 1599. uti & Aloyſii Frois S. I. nova relatio de ſtatu rei Chriſtianæ in Japonia. Ibid. 1598. nec non *Nic. Pimenta* relatio ibid. adde *Nic. Trigautii Comment. rei Chriſtianæ apud Japonios* LEODEM. QUINT. HEDUI *miſſos Evangelicos ad Sinas, Japoniam & oras maritimas. Relation des Miſſions des Jeſuites au Japon, au Malabar en l'Isle de Ceylan & autres lieux trad. du Portugais de Franc. Cardim & de l'Italien de Franc. Barretto par JACQU. MACHAULT. Hiſtoire de ce, qui eſt paſſé au Japon en 1625. 26. 27. tirée des lettres ecrites au P. Vitelleſchi trad. de l'Italien. Hiſtoire Eccleſiaſtique des Isles & Royaumes du Japon* depuis l'an 1542. jusqu'en 1624. par FRANC. SOLIER. *P. Hazard Kirchen-Geſchichte, Guelrerii, Gemerii, Ægidii Albertini aliorumque relationes. Hiſtoire de l'Egliſe du Japon Abbat de T.* Pariſ. 1689.

(f) *Caron*). Hic puer adhuc delatus in Japoniam, cum eſſet caſteriophylax navi (koksjung) & ſæpius præter culpam a navarcho verberibus exciperetur, abdidit ſe, ubi jam cum navi abeundum erat. Deinde informatus Procuratorum Belgicorum ibi degentium beneficio in legendo & ſcribendo & ſupputando hæc feliciter apprehendit & inſuper Japonicam linguam perdidicit ita ut promte illa uteretur, quod ante eum nullus Belga potuerat. Ideo ad majora mercimonii paulatim adhibitus tandem factus eſt director commercii Belgici in Japonia & membrum ſenatus Indici.

(g) *Batavica*) In Caronium notas adjecit Henricus Hagenerus. Prodiit etiam Germanice. *Franc. Caron & Jod. Schouten deſcriptio regnorum Japoniæ & Siam cum Joh. Jac. Mercklein Peregrinatione Indica ab a. 1644.* ad a. 1653. Norib. 1663. adde ARN. MONTANI *denckwürdige Geſandſchaften der Oſtindiſchen Compagnie nach Japan.* Qui liber & Gallice prodiit ſub titulo *Ambaſſades memorables de la Compagnie des Indes Orient. vers les Empereurs du Japon,* Amſtel. 1680. *les meſmes reduites en abregé avec une relation des Guerres civiles du Japon jusqu'en 1653.* Leidæ 1686. MART. MARTIN. in *append. Atlantis Sinici. Obſervationes de Japonia quæ in Act. Philoſ. Angl. menſ. Jul. 1669. memorantur.* TAVERNIER lib. 3. c. 1. (qui & tabulam Geographicam adjecit) *Anderſen* itiner. lib. 2.

bus illis, quæ quotannis in Batavia de navigationibus in Indiam excuduntur, ex quibus multa ad illarum terrarum cognitionem pertinentia peti poſſunt; at vero jam ſunt eadem, & nobis adeo ſunt cognita, perinde, ut Europææ res. Quod attinet vero illum Varenii libellum, pars ejus prior continet deſcriptionem regni Japoniæ, pars altera tractat de ſtatu religionis, adjecit etiam autor alia, quæ quidem proprie huc non pertinent, merentur tamen legi, uti & *tractatus* (a) de diverſis gentium religionibus, qui quidem legi poſſunt cum uſu. Notandum autem eſt de hoc libello, eum multa præclara in unum congeſſiſſe, non tamen eo judicio politico fortaſſe conſcriptum illum, quo alias ſint deſcriptæ reipublicæ Johannis Laëtii, & quo debebant deſcribi. Apparebit autem, multa hic deſiderari, nam non adeo acuto judicio omnia deſcripſit, neminem tamen lectionis pœnitebit. Paucis vero rem omnem vobis narrabo, quantum quidem ex hiſtoriis addiſcere potui, non omnia tamen ſcio, nec etiam omnia noſſe veſtra intereſt. Quod itaque *Inſulam* (b) Japonicam attinet, ea eſt profecto inter omnes inſulas univerſi orbis *meliores* (c) numeranda, quod abundet omnibus tam ad vitam neceſſariis, quam utilibus. Abundat & frumento, & multis aliis terra natis, metallo, auro, ære, ferro, pecoribus varii generis, equis, bobus, &c. ut ita nihil hac parte ei deſit. Si ſitum conſpiciamus, ita collocata eſt, ut non facile poſſit aliquis impetum in illam facere, nam eſt ab America longiſſime remota, ab Aſia eſt etiam ſic ſatis remota. Apparet igitur populum Japonicum non poſſe ſibi metuere ab ullo hoſte itinere pedeſtri, nec temere etiam ab ullo, qui valeat claſſe, quoniam nullus populus Aſiaticus valet claſſe, ſi excipias Hollandos & Anglos. Quod populum ipſum attinet, omnes teſtantur, populum eſſe perquam numeroſum. Abundat enim inſula hominum multitudine. Teſtantur deinde, populum etiam eſſe *bellicoſum* (d) fortem, & animo erecto, certe ingenium populo non deeſſe: & populus talis eſt, qualis requiritur ad vitam civilem. Requiritur autem in erecto animo populum non eſſe ſervilem, nec pertinacem. Eſt porro populus non *indocilis*, (e) ſed etiam capax doctrinæ, modo nactus ſit aliquem Magiſtrum. Ex quo tempore Jeſuitæ aliquam terrarum illarum cognitionem protulerunt, ex illorum inſtitutione multi ſunt docti redditi. Habet etiam Inſula illa *urbes* (f) non nihil munitas, inter quas eminent hæ duæ Miapo, & Jedo. Porro populus etiam eſt commerciis deditus, exercet etiam commercia cum Chinenſibus proximis, deinde etiam cum Batavis, olim etiam cum Luſitanis, qui tamen hodie terras illas intrare non audent. Ipſi etiam ſolent navigiis in Indiam, ſed raro penetrare. Obſervandum autem eſt, non temere eos ferre peregrinos in meditullio, quod quidem initio fiebat, ut Luſitani ibi per totam inſulam floruerint, verum ante annos 50 excisis & interfectis omnibus *Luſitanis*, (g) & exſtirpata religione Chriſtia-

na

(a) *Tractatus*) Nec non *Rogerus* cum addit. *Arnoldi* & *Nerretteri templum gentilium* p. 453.

(b) *Inſulam*) Non eſt unica inſula, ſed ex pluribus conſtat, inter quas majores & potiores ſunt (1) *Niphon* ſeu Japonia proprie dicta (2) *Sayckock* vel Ximus. (3) *Xicocum* vel Tokoeſi. Aliæ minores paſſim in epiſtolis Iodicis Maffei memoratæ ſunt Hia, Tacaxuma, Iquicuchi, Firando, Canga &c. Japonia proprie dicta 5 provincias continet, Jamaiſoit (Iamaiſtero) Ietſengo, Ietſegen, Quanto & Ochio cui ultimæ intercedente Iſtmo alia adjacet terra dicta Jeſſo vel Yedſo nondum ſatis cognita, nec imperio Japanenſi ſubjecta. Vid. VARENIUM p. 4. ſqq. *Baudrand* p. 538.

(c) *Meliores*) Nullam eſſe in India regionem, quæ cœli ſalubri temperie, fertilitate & argenti copia Japoniam ſuperet, refert *Hagenerius*. Multos habet montes in quibus gramen ad egregiam altitudinem creſcit (habet etiam ignivomum) cedros profert magna copia & tam inſigni altitudine, ut ex iis mali conficiantur. Animalium quoque omnes ſpecies ibi reperiuntur, quæ ſunt in Europa. (licet nullum animal altile mactent Japonii adeoque domi non alant oves, porcum, gallinam, anſeres ſed ferina veſcantur.) Aquarum dulcium & fluviorum nulla premitur penuria; thermis quoque variis & acidulis gaudet regio, præcipue egregia poma quæ Pippins vocant, & pira quæ Boni Chriſtiani nuncupantur, producit, varia denique mercium genera ſed præcipue omnia panni ſericei genera ut & ſerica cruda, ſuccinum, lapides pretioſos, moſcum, æs, chalybem & lacca opera.

(d) *Bellicoſum*) *Les Japonois ſont originaires de la Chine, ils ſont de grande taille, robuſtes, fiers, cruels, fermes dans l'adverſité, guerriers, & ſouffrant facilement toutes les incommodités de la guerre. Ils ont l'uſage des armes à feu, du ſabre & de la pique, mais ils ſe ſervent encore de l'arc & des fleches. Ils haiſſent les jeux de hazard, les juremens, la mediſance, la menſonge & le larcin.* BAUDRAND. l. c. Bellicoſum animum a pueritia Japonenſes ludis & certaminibus inter ſe cruentis acuunt. Ideoque Reges Indici præcipua Siamenſis eorum opera temporibus bellicis quam lubentiſſime utantur, quin & iisdem Batavi in expugnando caſtello quodam Inſulæ Bardæ a. 1615. uſi ſunt.

(e) *Indocilis*) Multa de Japonenſium Academicis libris & ſtudiis retulerunt Jeſuitæ. Academias celebrarunt Frenojamenſem, Facuſanginenſem, Banduenſem, Meacenſem, Negruenſem, Fiſſoniam, Homiaoam, Coyanam &c. Eloquentiæ & Poeſeos ſtudium in iis annotarunt quin tam inſtructas eorum eſſe bibliothecas, ut feneſtras ipſas obſtruere videantur, obſervarunt. Et *Ludovicus Frojus in epiſt. Indicis* p. 210. teſtatur, Japonenſes ingenii bonitate multis Europæis antecellere. Annon vero in his atque aliis hyperbolæ adhibitæ ſint, non immerito dubitat *Varenius* P. 1. p. 166. Id certum eſt in ferro aliiſque metallis purgandis variiſque inſtrumentis bellicis conficiendis, Japonenſes eſſe peritiſſimos, ut proinde eorum gladii valde celebrentur.

(f) *Urbes*) Olim fuit primaria urbs Japoniæ ſedesque Regia *Meaco* in duas partes diviſa, ſuperiorem verſus ſinum maris caſtello Fuxima munitam, inferiorem in qua Dairius ſummus Japonenſ Pontifex reſidet. Vid. *Varenium* p. 152. *Baudrand* p. 646. Hodie eſt *Yendo* ſeu Yendum ad fluvii Toukon in mare tranſitum ſita, urbs ut traditur tam vaſta & ampla, ut platea unica in longitud. 4. milliarium excurrat, ornata multis regulorum Japonenſium palatiis & arce regia magnifica valideque munita; ratione tamen aliarum ædium ruditer extructarum incendiis frequentiſſimis expoſita. MONTANUS p. 104. Præter has aliæ urbes, memoratu dignæ ſunt *Amangatium*, *Suringa*, *Nava*, *Sacajum*, *Piongou*, *Nangaſacka* (quæ commerciis Belgicis hodie frequentatur, olim epiſcopum Luſitanicum habuit) & aliæ plures, de quibus generatim obſervandum, quod earum viæ ſuas quæque portas & cuſtodes habeant ſtatimque cum opus ſit occludantur, nullusque noxiis ad fugam exitus pateat, unde fit quod inteſtino tumultu & ſeditionibus vacent urbes Japoniæ. *Varenius* p. 156. Muris vero eas non inſtructas eſſe teſtatur *Montanus* l. c.

(g) *Luſitanis*) Luſitani a. 1542. tempeſtate compulſi primum in Japoniam appulerunt. Poſtea juvenis quidam Japonicus Anger dictus ad fidem Chriſtianam conver-

Digitized by Google

na peregrinos non amplius ferunt in meditullio, licet illis quidem in partibus commercia inſtituere, ſed non audent per regnum *penetrare*. (a) Quod cauſam finalem porro attinet, reſpublica hæc tota compoſita eſt ad id, ut ſit imperii herilis, jam in univerſum de omnibus iſtis notum eſt, quod quæratur, quam maxime commodum dominantium. Quemadmodum etiam quidam heri ſuos ſervos, alii mollius, alii durius habent, ita fit in rebus publicis herilibus, mitius in aliis, in aliis vero durius habentur ſubditi. Quod jam hanc rempublicam attinet, clementius ſemper & mitius populus eſt tractatus, ut appareat, rempublicam illam compoſitam fuiſſe ad commodum tam populi, quam dominantium & paulatim *perveniſſe* (b) ad dominium herile, quod non eſt mirum, quia ex Chinenſibus maxime *ortus* (c) eſt populus. Quod regimen ipſum attinet, regimen quidem eſt Monarchicum, interim tamen *ita ſe habet*, (d) ut revera multum poſſit in eo deſiderari, & vero ſunt cauſæ duæ, quæ Monarchiam illam reddunt inquietam. Et obſervandum eſt, quod in Japonia ſint multi *Reguli*, (e) aut ut noſtro modo dicimus, Duces & Principes hæreditarii, ſic ſatis potentes. Videtur ergo illius rempublicam non fuiſſe unam, ſed diviſam in multas partes, hoc eſt in multa regna, at unum horum Regum ſeu Ducum tandem prævaluiſſe, reliquosque ſubjugum miſiſſe, interim quia manſerunt adhuc jura hæreditaria, apparet, rempublicam non poſſe, ita regi, quin non aliquando oriantur motus. Impoſſibile enim eſt, ut reſpublica quædam poſſit eſſe *tranquilla*, (f) ubi ſunt multi Principes hæreditarii: ratio ea, quia principes iterum poſſunt pervenire ad potentiam priſtinam, & quamvis vereantur ſupremum regem, tamen domi ita res comparant, ut non multum timeant Monarcham, isque eos poſſit in officio retinere. Atque hinc quantum poſſum colligere, in illa republica perpetui ſunt motus, quod potentia, ibi prævaleant Principes hæreditarii, qui ſæpe ibi poſſunt refragari, unde multum etiam detrimenti capit reſpublica illa. Nulla in univerſum reſpublica eſt ſtabilis, ubi præfecti ſint hæreditarii, ibi enim adſcendunt ad eam potentiam, ut inſurgant etiam adverſus Monarcham. (2) Reſpublica illa Japonica ad unam Monarchiam pervenit, per aliquam familiam regiam, quæ in magna veneratione cœpit eſſe apud populum, quacunque de cauſa id tandem ſit factum: dicti illi ſunt Japonica voce *Dairi*. (g) Ceterum ante 150 annos factum, ut quidam Dairorum, cum haberet

ſus iis & Xaverio aditum ſerit faciliorem, ut ubique admitterentur, & res ſuas feliciter ſtabilireut, multis numero ad Chriſtianiſmum cooverſis, iisque etiam in Europam nonnunquam commeantibus ipſumque Pontificem Romæ ſalutantibus. Cum vero ſub initium ſuperioris ſeculi ut ajunt Imperatori Japonico delatum eſſet, per Jeſuitas tentari, ut Japonia Hiſpanis ſubjiceretur, cruenta perſecutione aliquot annorum Luſitani graviſſime afflicti tandemque omnes interfecti ſunt, cœterisque prohibitum ne unquam pedem in Japoniam inſerrent. Vid. VARENIUM *Part. 2. cap. 11.* Atque ab hoc tempore Batavi potiſſimum eo inſtituunt commercia, loco iis in inſula Ferrando & portubus aliis conceſſo, ita tamen, ut terras ipſas ingredi nequeant. MONTANVS p. 23 ſqq. Naves quoque eorum accurate viſitantur, & arma prius auferuntur, quam navibus excedunt, ſub diſceſſum demum reſtituenda.

(a) *Penetrare*) Quin & Batavi quæſiti olim, an Chriſtiani eſſent, idnegarunt, ſeque Batavos eſſe dixerunt, ſuosque monuerunt, ne præſentibus Japonenſibus orarent aut alia devotionis præberent indicia *Mandelsloh* lib. 3. p. 245. CARONIS *deſcriptio Japon.* p. 431. Quibus excuſandis afferri ſolet (1) Chriſtianorum nomine tum nonniſi Hiſpanos & Luſitanos fuiſſe iotellectos imo latrones & homicidas (2) feciſſe id eos durante tantum perſecutione. (3) Alias quæſitos Chriſtianam fidem aperte profeſſos eſſe, diſſenſum autem ſuum ab Hiſpanis indicaſſe vid. MONTANVS p. 294. 316. 397. nec (4) preces ſuas in præſentia Japonenſium intermittere. *Mercklini diarium* p. 956. notæque Chr. Arnoldi p. 386. *Anderſen Itiner.* lib. 2. c. 17. (5) Tavernierium vero odio Batavorum abreptum pleraque pejori modo exaggeraſſe. Id certum eſt Japonenſes hodie ſatis noſſe quod Batavi ſint Chriſtiani, admitti autem ideo, quod negotiationis non religionis promovendæ cauſa accedant.

(b) *Perveniſſe*) Scilicet Japonia olim in varia regna diſtincta fuit pluresque habuit Reges, ex quibus tandem unus cœteris ſubjugatis dominatum obtinuit cum poteſtate rerum ſacrarum æque ac civilium, isque Dairo ſeu Dalrius vocatus fuit.

(c) *Ortus*) Vulgo traditur a Chinenſium Imperatore olim rebelles quosdam in hanc inſulam eſſe relegatos, qui deinde eam coluerint, novosque mores a Chinenſibus diverſos aſſumſerint; unde quidem adhuc veſtitu, & characteribus ſcribendi cum Sinenſibus quodammodo conveniaot, in cœteris tamen omnibus uti & lingua ipſa ab iisdem plane diverſi. VARENIVS p. 1719. ARNOLDVS MONTANUS p. 5. At vero MARTINVS MARTINIVS in *Atlante Sinico* Japonenſes non modo a Sinenſibus ſed & a Tartaris ortos arbitratur, idque probat cum ex aliis, tum potiſſimum ex raſura capitis, literis D & R. quibus illi, non Sinenſes utantur: aliam quoque de Sinenſium in hanc inſulam tranſitu hiſtoriam affert. Vid. *Mandelsloh* p. 237.

(d) *Ita ſe habet*) Notatu digna eſt ſingularis in hoc regno urbium & pagorum non modo ſtructura ſed & adminiſtratio. Dividuntur enim omnes in plateas, quarum quælibet ſuas portas habet. Duo in ſingulis plateia ſunt conſules & unus primarius præfectua, quibus incumbit cauſas cognoſcere --quinæ vero quoque domus habent unum præfectum, qui primarium tenetur edocere de omnibus quæ ibi geruntur. Primarius plateæ præfectus ad prætorem civitatis refert res levioris momenti majores vero ad gubernatorem qui nomine Cæſaris præeſt civitati.

(e) *Reguli*) *Kunixes* dicuntur, aut *Toni*, abſoluta in principatibus ſuis gaudent poteſtate. Ita ut nemini licet injuria affecto liceat ad Cæſarem appellare. MONTANVS p. 276. Poteſt tamen Cæſar illos ob parva delicta ditionibus privare, in exilium mittere, morte punire, & ditiones aliis tradere, uti Caronio illic locorum agente aliquoties factum. Ideoque id agunt ut Cæſari omnia officiorum genera præſtent. Quin & eorum filii parentibus ſucceſſuri in aula Cæſaris educantur ita ut & obſides ſint & a pueritia aſſveſcant cæſaream majeſtatem venerari VARENIVS p. 45. ſſ.

(f) *Tranquilla*) Regulorum & principum iſtorum ambitio paſſim a ſcriptoribus Japonicis notatur. Quod nemini facilem aditum ad ſe permittant, & ſubditos flocci faciant. Unde odium ſubditorum erga illos exiſtat, ex coque creberrimi motus, quibus dejiciuntur, aliique ſurrogantur. MONTANVS p. 48. Cæterum obſervandum eſt populum Japanicum diviſum eſſe in 5 ordines. In primo ſunt illi, quorum ea eſt dignitas, quæ noſtris Regibus, Ducibus Comitibus reſpondet. Sub altero continentur, qui aliquod in rebus Eccleſiaſticis habent officium, calvis capitibus & raſo mento incedentes, ſine fœminis agentes. *Tertius* ordo eſt nobilium & civium. *Quartus* complectitur Mechanicos. *Ultimus* ruricolas. *Varenius* cap. 10. p. 63. 64. ſqq.

(g) *Dairi*) Item Vo. In urbe Miaco ſeu Cabucoma reſidet,

beret filios tres, & ſecundum leges regni primogenitus deberet habere regnum, ſtudioſus fuerit filii tertii, volueritque illum tertium eſſe participem regni, excogitavit igitur legem novam, ut filio tertio concederetur dignitas tota bellica, ut ille eſſet quaſi *Imperator belli*, (a) primogenitus autem civilium rerum rationem haberet. Ægerrime hoc habuit filius ſecundus, itaque hic invito patre arripuit regimen, & tam conciliavit ſibi animos militum, ut etiam non dubitaverit, adverſus patrem arma ſumere. Filius autem eſt debellatus, & in locum ejus ſucceſſit tertius, qui etiam noluit fratri primogenito obedire, & ita nati ſunt ingentes motus, quæ armorum poteſtas eſſet penes filium tertium, penes primogenitum autem jus ſummum. Filius autem tertius eſt interemptus curante ita fratre, verum illi ſucceſſit ignobilis & gregarius miles, dictus Taico vel Taicoſoma, qui cum eſſet vir fortis & prudens, ſibi conciliavit animos militum & ad eam potentiam pervenit, ut Dairus coactus ſit eum conſtituere ſummum militiæ præfectum, & quidem perpetuum: hic dignitate hac contentus, totam rempublicam occupavit, niſi quod ſemper comiter ſit *veneratus* (b) illum Dairum. Habebat *filium* (c) ſed minorennem, quem commiſit alicui Præfecto, qui oblitus beneficiorum imperii dignitatem ſibi ſumſit, & ex eo tempore jus ſemper manſit penes Dairos, vis vero eſt penes imperatorem illum, qui regnat poteſtate hæreditaria. Jam vero illi Imperatores comiter ſemper venerantur illum Dairum qui vivit in magna luxuria, tota vero cura reipublicæ eſt penes Imperatorem, qui revera etiam eſt Rex. Et hac ratione peſſime eſt conſtituta illa reſpublica, unus agnoſcitur quaſi Jure-Rex, alter vero eſt reapſe & actu Rex, quod non poteſt non ingentes turbas parere, ſi enim ſeditio moveatur, quam facile ſibi quis conciliat Dairum, vel ſub ſpecie Dairi ſibi conciliat populum, ſi dicat, Dairo fieri injuriam, ita facile poſſunt oriri maximi motus. Et vero eſt contra principia Monarchiæ, alium eſſe actu Regem, alium vero, cui tantum competant jura regia. Fateor me numquam ſimile tale quid vel legiſſe vel audiviſſe, quam in regno veterum Francorum. Merovingi enim gnari omnem rempublicam adminiſtrarunt, deinde cum rerum ſecularium eſſent ignari, commiſerunt curam reipublicæ Majoribus domus, qui erant Imperatores bellici, & ad ſe rapiebant omnem rempublicam, ita ut regibus nil niſi nomen ſupereſſet. Majores domus venerabantur Reges, donec tandem Gildericus Rex ultimus detruſus eſt, a Pipino Majore domus in Monaſterium, accedente reſponſo Pontificis, illum debere eſſe regem, qui actu eſſet Rex, & ita Pipinus accepit coronam. Et ſane eſt periculoſum, duos eſſe in republica, & penes unum eſſe jus, penes alterum vero vim. Hinc regimen hoc mihi non pla-

tantæ apud populum venerationis, ut cum in publicum procedit, Japonenſes humi proſtrati eum venerentur. Nigro habitu rubeoque collarj & mitra Pontificali indutus eſt. Olim etiam rerum civilium omnium fuit potitus hodie vero non niſi ſacrarum, & quidem ab a. 1550. quo extitere motus Japonici. Interim tamen ab Imperatore adhucdum quovis ſexennio inviſitur, magnisque muneribus inſignum obſequii afficitur. Solus jus habet dignitates & honoris titulos conſerendi, unde immenſi reditus ei accedunt. Conſiliarii ejus Bungii dicuntur, 365 idola in arce ſecum habet, quorum unum quavis nocte lecto apponitur, ut pro ſalute Dairii invigilet, qua afflicta verberibus excipitur, ejicitur, aliudque loco ejus ſubſtituitur. Nunquam pedes ejus terram attingunt, nec caput ſolis radiis illuſtratur, nihil in ejus membris reſecatur tam a barba quam capillis. Duodecim alit uxores excepto pellicum numero. Uxores inviſuro accurrunt omnes cum Pſaltriis, in eamque domum ducunt Dairium, in qua eſt cænaturus, ubi tunc omnes dapes transferuntur, cantatur, organis luditur, comœdiæ aguntur, nihilque prætermittitur, quod ad exhilerandum Dairium facere queat. Atque hæc luxurioſa & mollis vita cum illum olim effœminatum reddidiſſet, inde factum a ſcriptoribus notatur, ut tandem deſpiceretur, conſpirationes contra eum fierent & nova regiminis forma introduceretur, cum alias a priſcis usque temporibus quieta ſemper ſub ejus regimine Japonia, nulloque bello a ſubditis impetitus fuerit, eo quod ſe ei opponere neſas duceretur.

(a) *Imperator belli*) Cubus dicitur cujus munus olim fuit, ut ſi quando Reges inter ſe diſceptarent, unusq; alteri bellum inferret, ſedaret tales tumultus, & in autores animadverteret. Munus hoc tum maximæ fuit autoritatis & plerumque filio ſecundo Dairii conceſſum fuit, cum primogenitus ſolus eſſet regni hæres, impertitum tamen & fuit alii filio hac conditione, ut alternatim fratres hoc officio fungerentur idque per tres annos. Ex hac vero conſuetudine tandem evenit, ut fratrum unus in munere conſtitutus tempore adminiſtrationis ſuæ proceres regni ſibi arctius devinciret, & contra patrem arma caperet. Huic interfecto ſucceſſit alter, qui majora auſus, quam frater. Poſt mortem patris ſupremam regni poteſtatem ſibi vendicavit ſeque totius Japoniæ imperatorem declaravit, relinquens aulam Dairii cum neceſſariis ad illam reditibus. Quo tamen frater Dairus non contentus, alium creavit Cubum qui priorem debellavit. Sed & illum regni cupiditas invaſit, ideoque tertium bellum excitatum eſt, prioribus multo funeſtius, in quo ſingulis ſere regibus ad libertatem adſpirantibus multæ regiones & urbes miſeris modis vaſtatæ ſunt. In hac vero confuſione prodiit ruſticus & infimæ ſortis miles, Taycko, qui cum 50 tantum milites initio haberet, brevi effecit, ut multi ad ipſum confluerent, quorum deinde auxilio omnia regni caſtella & urbes intra triennium occupavit, Dairius que tantæ ejus potentiæ impar ſolemnibus tandem cum ceremoniis eum Imperatorem declaravit. Vid. *Varenius* Part. I. cap. 4. MONTANVS p. 139. idque factum eſt circiter a. 1590.

(b, *Veneratus*) Qua pompa & magnificentia ſoleat Imperator excipere Dairium eumque venerari, deſcripſit CONR. CRAMERVS *legatus ſocietatis Belgica* apud MONTANUM p. 132. & *Varenium* P. 1. *append.* p. 215.

(c) *Filium*) Hiſtoriæ connexio hæc eſt. Imperator Taicoſama ſub initium imperii metuens rebellionem, Reges Japoniæ cum exercitu miſit ad expugnandam Cuream qua per ſeptennium debellata Coreani tandem legatum miſerunt pacis obtinendæ cauſa, qui vero amore patriæ ſe ipſum & imperatorem veneno interemit. Paulo ante obitum Taicoſama unicum filium Fidery ſeu Fidecoſama adhuc minorennem per teſtamentum tradiderat Ongoſchio præcipuo regni Procerum, ut ille tutoris nomine rempublicam adminiſtraret, donec filius adoleſceret. Sed hic fidei ſtipulatæ obſignatæq; ſanguine ſuo ſyngraphæ immemor, qua filio quindecim annos nato regnum ſe traditurum pollicitus fuerat, ipſe illud occupavit; Prætexuit enim, quod pupillus bellum contra ſe tutorem paraſſet, cui præveniendum fuerit, ideoque coactis in regno Suruga copiis urbem Oſaka, in qua aula Fidery fuit, obſidione cinxit, ea que poſt tertium menſem expugnata, pupillum, licet ſupplicem factum, interfecit, cæterosque huic adhærentes Dynaſtas in poteſtatem redegit. Mortuo paulo poſt annum Onguſchio ſive Daiſuſamæ aut Goriſiio Samæ, ut vocatur, ſucceſſit filius Combo ſive Comboſama a. 1631. Huic a. 1639 Chiongon ſive Toſogiunſama atque huic a. 1650 *Quane*. Vid. VARENIVM Part. I. cap. 6. *Supplem. IV. Puffend.* p. 556.

placet. *Populus* (a) autem in Japan ſic ſatis bene babetur. Cumprimis autem obſervandum eſt in populo antea obtinuiſſe varias ſectas idololatricas, non multum tamen diſſidentes, poſteaquam vero in illas terras venerunt Jeſuitæ, cœperunt populo oſtendere idolorum vanitatem, & ita *multos* (b) ab idololatria ad chriſtianam religionem converterunt,& vero Jeſuitarum induſtria in tota India orientali non facti ſunt majores progreſſus, quam in Japonia, aliquot mille traxerunt in partes Chriſtianorum. Et hac parte magnam præſtitit operam Franciſcus Xaverius, qui deinde etiam in numerum ſanctorum eſt relatus. Exſtat ejus vita deſcripta ab Horatio Turſellino Jeſuita. Ex epiſtolis autem Jeſuiticis apparet, quanto ſtudio propagaverint evangelium ibi in Japonia, multis tamen etiam *fabulis*, (c) ut ſolet, ſunt refertæ. Et vero apparet hoc ex hiſtoria evangelica,quam edidit,quæ adeo ineptis fabulis eſt referta, ut pene legere pudeat. Facti igitur Japonii ex idololatris inepti Chriſtiani. Hæc autem, quamvis exigua felicitas,non fuit *diuturna*, (d) nam anno 1610 Imperator Japonicus exoſos habuit Chriſtianos, ut unanimi etiam conſenſu,religio chriſtiana ibi plane ſit exſa, multi admodum feliciter & fortiter ſe geſſerunt in profeſſione religionis chriſtianæ, quapropter aliquot 100 homines martyrium ſubierunt,& hodie rurſus omnia ſacra chriſtiana ibi ſunt abolita, ſane ibi nemo niſi clanculum profiteri poteſt chriſtianiſſimum. Ideoque Luſitani, qui eo religionem chriſtianam adduxerunt, ſunt odioſi, & non permittitur illis regnum illud intrare. Quæ fuerit cauſa tam ſubitæ animorum mutationis, fateor me *neſcire.* (e) Sunt qui putant Hollandos & Anglos exoſos reddidiſſe Luſitanos, quaſi ſub ſpecie introductæ religionis inhiarent regno, ſed hoc mihi non fit probabile, cum nullus Jeſuitarum id prodat, ſi hoc feciſſent, ſane Jeſuitæ hac de re fuiſſent conqueſti, jam vero nullum hac de re verbum legitur in epiſtolis Jeſuiticis. Video tamen dictum eſſe, quaſi chriſtiani vellent ſub prætextu religionis mutatam rempublicam, quod num verum ſit, nec ne, equidem neſcio, manifeſtum tamen eſt, ubicunque Jeſuitæ ſolent introducere religionem, eos etiam circa rempublicam ſemper res novas moliri. Hodieque igitur in republica illa obtinet *idololatria*, (f) tantis

(a) *Populus*) Vectigalia mercibus ibi impoſita non ſunt, nec ullum tributum ſubditi dominis perſolvunt, pro fundo tantum ædificiorum, ſi is dominorum eſt, ſolvunt aliquantulum. Nobiles præcipue & milites multis privilegiis gaudent & immunes ſunt ab omnibus oneribus ferendis. Mercatorum tamen & agricolarum nulla eſt ibi dignitas nec honor, & miſerrima eſt mancipiorum conditio. Cæterum quod ad mores quosdam populi ſpeciales attinet, Japonenſes quidem ſcortis & meretricibus impune utuntur, at maritatas fœminas ſtuprare & puellis vi pudicitiam eripere capitale eſt. Uxores eorum a fidelitate & pudicitia laudantur, comœdiis delectantur, quas ſcitiſſime omnium exhibent, polygamiæ dediti ſunt, ita tamen ut unam pro legitima, reliquas loco pellicum habeant, liberos molliter educant rariſſimeque verberibus excipiunt,frequentibus monitis efficiunt ut obſequentes habeant, alias Sodomiticis vitiis, compotationibus dediti & vindictæ cupidi.

(b) *Multos*) Etiam reguli quidam baptiſati & converſi ſunt; ceu rex Oxamenſis, Bungenſis, Arimenſis, quorum primus Bartholomæus,alter Franciſcus, tertius Protaſius dictus fuit, iique conjunctim a. 1582. legatos in Europam & Romam quoque ad Gregorium XIII. miſerunt, ſe ejus pontificatui ſubmiſſuri, de quo vid. *acta Conſiſtorii publice exhibiti a Gregorio XIII Regum Japonicorum legatis die 24 Martii a 1685.* Neque hi tantum ſed & plures alii Reges regnorum Bomi, Goto, Inga, Toſa, Amacuza, reginæ Tango & Fiunga, Architalaſſus novemque principatuum gubernator Auguſtinus Tzumicondono, dux bellicus Vatadono, aliusque Juſtus Uncondono chriſtianam fidem amplexi ſunt. Vid. NERRETERI *templum gentilium* p. 459. ſſ.

(c) *Fabulis*) Quales ſunt. Japonius converſus Paulus a S. fide dictus pictum in tabula B. Mariæ & pueri Jeſu in matris gremio ſedentis imaginem regulo cuidam oſtenderat. Is vero ſimulac eam conſpexit, ſtatim obſtupuit, politisque genibus pie illam veneratus eſt. Cæterum in methodo prædicandi Evangelium Jeſuitica multa etiam ſunt, quæ deſiderari poſſunt. Canticis enim Japanſcis hiſtorias ſacras conſcripſerunt, easque cantillarunt, ludis ſcenicis nativitatem & paſſionem Chriſti Japonenſibus propoſuerunt, agnos Dei, quos vocant, a Pontifice conſecratos, eorumque virtutem prædicarunt, roſaria etiam ſua, cruces & reliquias nimis commendarunt, Michaelem Japaniæ patronum conſtituerunt, in eo ſeduli ut ſigna crucis recte gentiles formare potius, quam genuina Chriſtianæ fidei principia docerent.

(d) *Diuturna*) De perſecutione Japonica habemus ſpeciales variorum relationes. *Relatione della morte di ſei Japoneſi Chriſtiani per la fide di Chriſto.* Milano 1607. *Relatione della morte di nuovi Chriſtiani Giaponeſi del* 1609. 1610. (Romæ 1611.) *Hiſtoire de la perſecution du Japon pour les annees* 1628. 29. 30. *Martyre de 26 crucifies au Japon. Hiſtoire de la vie & de la mort de cinq Peres Jeſuites qui ont ſouffert dans le Japon par le ALEX. DE RHODES.* Diuturna fuit hæc perſecutio. Incepit enim ſub Taycoſama, continuavit ſub ſucceſſoribus Daifuſama, Konboſama, Toxogunſama & ſeqq. Viditque Legatus Batavus Zachar. Wagnerus aliquot centum Chriſtianos martyrio affici. MONTANUS p. 398.

(e) *Neſcire*) Variæ cauſæ ſolent allegari. (1) Detectæ conjurationis crimen. (2) Gubernatoris Hiſpanici in inſulis Philippinis, cum juberetur ſe Imperatori Japon. ſubmittere, reſponſio, nullam ſibi hujus rei a Jeſuitis factam notitiam. (3) Taycoſamæ & Daifuſamæ imperatorum animi a religione Chriſtiana averſi, quod intelligerent, per hanc polygamiæ & voluptatibus ſuis obicem poni. BARTOLUS *lib. 8. hiſtor. Aſiat. n. 1.* (4) Mappa Geographica de regionibus & portubus Indicis ab Hiſpanis ope Jeſuitarum occupatis, aulico Japonenſi oſtenſa. (5) Profunditatis maris ab Hiſpanis facta percontatio. (6) Excitatæ de Jeſuitis ſiniſtræ ſuſpiciones. HAZART hiſt. Eccl. p 129. 143. (7) Bonziorum inſtigationes & conciones,quibus Chriſtianorum religionem exoſam reddere conati ſunt, de quibus vid. MONTANUS p. 216. (8) Literæ etiam a Batavo oſtenſæ Imperatori, quibus Luſitanorum de occupanda Japonia conſilium detectum fuit, quæ vero pro ſuppoſititiis habentur. BAUDRAND l. c. Certe *Tavernier* P. 3 p. 4. earum confictionem Franc. Caroni aperte tribuit. Omnes hasce cauſas & occaſiones ſi contuleris, ita demum judicare licet, Jeſuitas non ſatis caute interdum egiſſe, reſtitutionem ædium quarundam a Principe aliquo ſibi donatarum perperam recuſaſſe, converſis Chriſtianis intempeſtive ſuaſiſſe, ut vim vi repellerent, & exercitum cogerent, &c. Ita enim imperatorem exacerbarunt, & facile quoque fuit Batavis oleum igni infundere.

(f) *Idololatria*) Sed in varias ſectas diviſa, quarum alia hunc alia illum Deum colit, præcipue vero Amidam quendam venerantur ejusque videndi gratia ſe ipſos enecant, deinde *Canon* Amidæ filium, *Mariſia* Deum bellicum, *Xacam, Heroes, Camen, Pandos Fotoques,* &c. Diabolos Ivosje Tiedebaik, Deum ipſum vero Ioosge Geeſar vocantes. Vid. *Nerreter* l. c. *Montanus* p. 62. ſſ. 70. 72. 74. 100. ſ. 107. 130. ſſ. Quanti ſumtus in hanc Idolol. a Japonenſibus erogati ſint, placuit quidem autori teſtimonio Vale-

tantis ſumtibus & ceremoniis, ut quis non poſſit ſatis mirari, ſi legat epiſtolas Jeſuitarum. Teſtatur aliquis Jeſuita in epiſtolis reperta eſſe cœnobia in uno ſuburbio 7000. Habent nimirum Japonii ſua cœnobia idololatrica, & Monachos, quos *Bonzios* (a) appellant, qui eodem modo vivunt, quo noſtri monachi, ſub ſpecie cœlibatus luxurioſe vivunt alii, alii ſatis duriter & aſpere, adeo, ut etiam noſtrorum Capucinorum aſperitatem in vivendo ſuperent, ſuis quidem legibus carne, piſce, vino palam abſtinent, oleribus tamen & oriza nec niſi ſemel in die veſcuntur &c. Ita nusquam deſunt homines, qui vitam asperam colunt, vel colere ſe ſimulant. Quod reliquum eſt, *juſtitia* (b) in Japonia bene adminiſtratur. Quod cauſam attinet efficientem, quinam ſint *miniſtri*, (c) & qualis ſit Rex, fateor me *neſcire*. (d)

De

læ comprobare, qui retulit, in monte ſuburbano Meaſi fuiſſe quondam 7000 cœnobia, licet nunc minus multa cernantur, quorum unum inprimis ſit opulentum & confluenti omnium ordinum multitudine adeo celebre, ut Reges bella geſturi ingentem auri vim huic delubro voveant, tum infima quoque plebs in difficultatibus ſuis non ſine largis muneribus eo confugiat. Sed aliud adhuc exemplum legitur in MONTANO p. 144. nimirum in monte Frenojama quondam a Rege Japonico 3800 cœnobia condita fuiſſe, adjectis in uſum Bonziorum ædibus & duobus vicis, unde omnia neceſſaria peterent aſſignataque iis tertia parte redituum regni Vomenſis &c.

(a) *Bonzios*) & Bonziis. Alii nigro, alii cineraceo utuntur veſtitu; cineracei vero nigros inſcitiæ arguunt & improbitatis. Cœlibes ſunt præter quosdam ſectæ Jekois deditos & Gingais dictos, qui res furto ſurreptas per divinationem demonſtrant. Communes in cœnobiis habent cœnationes, ſuosque antiſtites, quos Ninxir cor veritatis vocant, roſariis quibusdam utuntur, in templis aliquid ex libro, quem loco Bibliorum habent, prælegunt, idque pro ſuggeſtu exponunt, nonnulli 200 vel 300 præcepta inculcant, præcipue vero quinque aliqua potiora, *non occides, non furaberis, non mœchaberis, ne mentiaris, a vino abſtineas*, quæ cum paucis obſervare liceat, illa ſe cæterorum vice obſervaturos pollicentur, ſi largiora modo munera ipſis exhibeantur. Docent transmigrationem animarum; ut plurimum claro ſunt genere, nec Japonici proceres multiplici prole onerati filios filiasque ſuas dubitant ſacro huic adſcribere. Magnifice enim habitant & perampla habent vectigalia. Sed alii voluptatibus ſe dedunt ac cum Bonziis fœminis (ſive Nonnis) familiariter converſantur, alii ad armorum uſum & latrocinia convertuntur, dicti Neugori vel Carubaui, quos ideo Rex aliquis Nabuksuga perſecutus legitur. Vid. VARENIUM cap. 2. Part. 2.

(b) *Juſtitia*) Severo & ſummo in puniendis delictis utuntur jure. Nullum fere crimen tam leve eſt, quod non morte puniatur. In aleatores vel alio luſu depoſita pecunia colludentes, in eos qui coram magiſtratu mentiti ſunt, in fures, ſi vel unius ſtuferi furtum commiſerint, morte animadvertitur Eadem mortis pœna illis infligitur, qui alicui evaginato gladio minatus eſt, unde & rixæ ac digladiationes raræ apud eos viſuntur. Omnes patresfamilias in ſuos habent jus vitæ & necis. Carcerum uſus nullus eſt, cum rei ſtatim necentur vel relegentur in inſulam Faitſianſimam. In crimine læſæ majeſtatis & delictis gravioribus aliis non ipſe tantum reus ſed & pater, filii, fratres & nepotes morte puniuntur, fœminæ pro mancipiis venduntur. Inter pœnas, quibus reos afficiunt, frequentiſſima eſt ſectio ventris & minori cum dedecore conjuncta. Alii gladio trucidantur aut cruci affiguntur. (*Mandelsloh* lib. 3. p. 243. VARENIUS Part. 1. cap. 18.

(c) *Miniſtri*) Conſiliarii Cæſaris ſunt 28. quorum quatuor vel tres primarii, (1) *Xazo* curam rerum ſacrarum habens. 2) *Uco* ſuper omnes dignitates & honores conſtitus. (3) *Cubama* belli ac pacis curam gerens. Parem cum regibus habent dignitatem, reliqui vero paulo minorem. Reditus eorum annui ſunt & quidem primorum 20000 flor. mediorum 10000, reliquorum 2 vel 3000. flor. Eliguntur ex nobilium numero, & Cæſarem ita verentur, ut nihil adverſus ſententiam ejus licet inique pronunciatam dicere audeant. Utitur autem Cæſar horum miniſtrorum quandoque opera in explicandis ſubditorum animis, quid de ſe ſentiant, unde & clanculum in provincias mittuntur. Singulis etiam Regibus & Dynaſtis adjungit ex horum numero conſiliarium ſive cancellarium qui eorum actionibus invigilet. FUNCCIUS p. 212. VARENIUS Part. 1. c. 7. Poſt illos conſiliarios ſequuntur gubernatores provinciarum & præfecti civitatum, qui numerum natorum ac mortuorum Cæſari indicare debent ut ſciat quot ſubditos habeat. Ejusmodi gubernator quoque in ipſa urbe Macao, ubi Dairii aula, conſtitutus eſt &c.

(d) *Neſcire*) Et nobis quoque recentiores Japonicæ hiſtoriæ documenta nunc deficiunt. Addimus tamen nonnulla ſpicilegia. Inſignia imperatoris Japanici ſunt ſex ſtellæ argenteæ in aureo campo aureis punctis diſtincto poſitæ, campo ipſi autem ſimul ſigna 4 primariorum imperii magnatum inſeruntur. Vid. *Montanus* p. 333. qui & ibidem de aliis Japonenſium civitatum inſignibus agit. Regnum ipſum eſt ita hæreditarium, ut mortuo Cæſare Imperium omnesque cum eo theſauri ad primogenitum transferantur, reliquis filiis regna quædam, ſi quæ vacua fuerint, & Dynaſtiæ donentur vel etiam in aula Cæſaris maneant & in ſerundo arcis ambitu habitent. Potiora vero imperii cimelia, quæ ſucceſſori traduntur, ſunt 1) Acinax dictus Maſſamne, alius dictus Samoys, alius minor dictus Bungo Deyſſito. 2) Vas pro molenda Tſia dictum Naraiſlito. 3) Magnus urceus pro Tſia dictus Stengo. Eſt autem Tſia herba viridis coloris, cujus præſtantiora quædam folia magno pretio cenſentur & molis in pulverem teruntur, illiusque tantum, quantum acies cultri admittit, in aquam fervidam injiciunt & peculiari inſtrumento commiſcent, ut tota aqua viridi colore tingatur, cujus potus ſaluberrimus in omnibus pituoſis affectibus, proque delendis crapulæ moleſtiis eſſe judicatur. 4) Scriptura quædam appellata Anckocki Kindoi. Vid. VARENIUS cap. 15. p. 105.

Moneta hujus regni eſt vel *aurea* eaque major æquivalens 48 tailis quas vocant, vel 54 circiter imperialibus, media æquans nummorum realium ſesquiſex pondus, minima æquivalens imperiali cum triente fere, vel *argentea* conſtans vel in majoribus vel minoribus laminis quas in unum faſciculum collectas ſibi mutuo tradunt ementes vel ſolventes, ut non tam moneta quam argentum ad libram expenſum dici mereatur. Olim quidem minimam nummorum formam habuerunt ex argento fuſam, dictam Catiens vel Caxias. Cum vero maximus ejus eſſet abuſus, a Cæſare Conboſama eſt abrogata, ejusque loco ſubſtituta *cuprea*, Caxa, quarum 15, 30, 50 usque ad 600 colligantur, Tailamque argenteam efficiunt. Taila vero tres & dimidium florenos Batav. valet. Atque hæ monetæ, nullæque aliæ tota Japonia uſurpantur, quemadmodum etiam una eademque in omnibus locis eſt menſurarum magnitudo. Vid. *Tavernier Itiner. lib. 3. p. 226. Varenius p. 1. cap. 27. Montanus p. 431.* Quanti porro ſint reditus Imperatoris Japonici, id partim ex expenſis annuis, quæ in Reges, Dynaſtas cœterosque miniſtros & milites conferenda ſunt, partim ex reliqua aulæ pompa ab autoribus ſolet colligi. Arbitrantur autem reditus iſtos, quos partim vaſallis & militibus diſtribuit, partim in propriam aulam inſumit, excedere 2838 tonnas auri Flandricas, aut 283 milliones, cæteria opibus quas ex provinciis ſibi immediate ſubjectis colligit, non annotatis, Caron ex eoque MONTANUS p. 55. 58. ſſ. VARENIUS c. XI. nec conſiderato auro & argento, quæ ciſtis includi ſolent, quarum ſingulæ mille Tailas complecti repoſitæque in ſingulis arcis Jeddo turres perhibentur. Merentur quoque legi, quæ Montanus de magnifico Cæſaris veſtitu, ejusque throno, qui tectum aureum habet, 4 craſſioribus columnis fulcitum, retulit p. 344. 345.

Militia Japonica ordinaria 100000 peditum & 20000 equitum eſſe dicitur; præter quos tamen belli tempore

De regno Marocco & Feſſæ.

Poſtquam Reſpublicas Aſiaticas conſideravimus, ſupereſt, ut veniamus ad Africanos & videamus ibi duas Reſpublicas ſic ſatis celebres, quamvis cum his nihil ſit nobis commercii. Inter eas primo loco occurrit Reſpublica Maroccenſis & *Feſſana*. (a)

Africæ illa pars, quæ olim dicta fuit *Tingitana*, (b) habuit dudum præclara illa regna Maroccanum, ſic a *primaria urbe* (c) dictum, & Feſſanum, itidem a primaria metropoli dictum Feſſanum. Utrumque regnum hodie tenetur ab uno Principe, adeoque eſt unum regnum. Solet autem prævalere nonnunquam Maroccenſe, quod Principes ſedem ſuam ibi habeant.

Dicendum eſt de ipſa regione, de populo, deinde etiam de regimine. Poteſt inſpici mappa Africæ, ubi videbitur Africa Tingitana, olim ita dicta eſt a primaria urbe *Tingis*, (d) quæ eſt eadem cum hodierna Tangir. Hæc eſt illa urbs, quæ ante paucas ſeptimanas a Portugallis tradita Anglis. Quod attinet accuratiorem deſcriptionem illius Africæ, qualis eſt hodie, peti poteſt ex Johanne Leone Africano lib. 7. agit ibidem de regno Maroccano. Tertio autem agit de regno Feſſano. Late de his agere jam non eſt mihi propoſitum. Eſt autem hodie Marocco & Feſſa utrumque oppidum nobile. *Feſſa* (e) inprimis eſt urbs magnifica, ut in univerſa Africa non habeat ſimilem, & magnitudine ſi non ſuperat, certe tamen æquat Alcairum Ægypti. Ædium magnificentia certe Ægypti Alcairum ſuperat. Tanta olim fuit auctoritate, ut etiam a Mahumedanis appellata ſit Porta *occidentalis*, (f) & ibi ſedes fuit Caliphæ. Hodieque eſt Feſſa urbs ſplendidiſſima & a commerciis optime, non autem a literis ita inſtructa. Olim hæ urbes habuerunt ſcholas celeberrimas, ut etiam omnis generis Philoſophiæ & Medicinæ ſtudia. Ex his urbibus in Europam philoſophia venit ante 400 annos. Celeberrimus ille Ariſtotelis interpres, Averroës, docuit in Academia Maroccenſi ante 500 annos. Habuit ſcilicet Marocco & Feſſa reges litteris deditos & maximæ potentiæ, inter omnes autem eminuit *Jacobus Manſor*, (g) qui late imperavit Hiſpaniæ & Africæ usque ad regnum Tunetanum. Fuit hic rex potentiſſimus & literatiſſimus. Mœcenas item ſummus omnium ſtudiorum. Certe non ſine admiratione legetis, quæ de ædibus in uſum ſtudioſorum exſtructis memorat Johannes Leo in urbe Marocco & Feſſa. Orbis certe Chriſtianus non habuit ſimile, quo illas poſſit in hoc genere provocare. Dederunt autem ibi operam propagandæ Philoſophiæ & arti Medicæ. Superant plurimi & aliquot 1000 libri

etiam exercitus 368000 peditum & equitum 38000 educi poteſt. Equites autem non pugnant equo inſidentes ſed deſultorii.

Cæterum prætendit Imperator Japonicus dominium in Coream atque regionibus ſuis adjacentes inſulas, cumprimis Philippinas. Bello tamen adverſum Coreenſes ſub Taickoſama infeliciter geſto jure ſuo ceſſiſſe dicitur. Nec bello etiam Philippinas fuiſſe impetitas legitur; quia id videtur ratio ſtatus Japonici eſſe, bella cum exteris quovis modo declinare nec occupandis alienis ſtudere ſed defendendis potius firmandisque propriis, id quod prudentiſſimum eſt regnorum omnium inſtitutum.

(a) *Feſſana*) Præter Thuanum & Boterum, qui de republ. Marocc. & Feſſana egerunt, a Conringio infra laudatos conferri etiam merentur LANCELOTTI ADDISON *Barbaria occidentalis ſ. de revolutionibus regnorum Feſſ. & Marocc. ad a 1666 hiſtoria cum relatione de eorum moribus & ritibus* (Anglice) *Hiſtoire de Muley Archy Roy de Tafilette, Fez, Maroc & Taradent trad. de l' Anglois avec la relation d' un voyage fait par Roland Frejus an. 1666. vers ce Prince pour l' etabliſſement du commerce. Hiſtoire des conqueſtes de Mouley Archy Roy de Tafilet & de Mouley Iſmael ou Semein ſon ſucceſſeur de puis l' an 1665. jusqu' a. 1681. avec une deſcription de ces Royaumes par G. MOUETTE. Deſcription de la captivite de G. Mouette, dans les Royaumes de Fez & Marocco de puis l' an 1670 jusqu' an 1681 avec un Traite du commerce & les termes principaux de la langue du paix. Etat preſent de l' Empire du Marocc. par M. Pidou de ſaint Olon. DESMAT relation nouvelle particuliere du voyage des Peres de la Mercy aux Royaumes de Fez & de Marocc. pour la redemtion des captifs Chretiens negotiee an l' an. 1682. Hiſtoire de la miſſion des P. P. Capucins au Royaume de Marocco* 1644. *DIEGO DE TORRES Relation del origene y ſucceſſo de los Xariſes y del Eſtado de los Reynos de Maroccos, Fez, Tarudante.* Quæ hiſtoria etiam Gallice translata eſt per *Carol. B. de Valois Duc d' Angouleſme & recognita* per P. R. A. Pariſ. 1667. Adde *Dapperi deſcript Africa, la tableau de l' Afrique par Chaulmer*, cæteraque itineraria Africana.

(b) *Tingitana*) Africæ partes ſecundum veteres fuerunt Mauritania, Cyrenaica, Marmarica, Lybia exterior & interior, Aegyptus, Thebais & Aethiopia. Ex his Mauritania ſive Africa minor iterum diviſa fuit in Mauritaniam, Tingitaniam & Cæſarienſem. *Cæſarienſis* fuit Numidia ſive Biledulgerid. *Tingitana* hodie eſt Fez & Marocco,

(c) *Primaria urbe*) *Marochiam*, veterum ut putatur Bocanum Hemerum, ſitum eſt ad fluvium Niſſis, ampliſſima civitas, quæ milliaria 4 in circuitu complectitur, vaſto veterum Regum palatio ornata, ædibus & incolis olim refertiſſima, hodie vero teſte de SAINT OLON priſtini ſplendoris magnum detrimentum paſſa, poſtquam a Rege Tafilettæ, qui ſuperiori ſeculo regnum Maroccanum occupavit, ſedes regia *Miquenesſam* ſive Mechneſam, in regno Feſſano ſitam, eſt translata.

(d) *Tingis*) Sita eſt ad fretum Herruleum in provincia Habatæ. A Luſitanis ab a. 1471. ad a. 1662. poſſeſſa fuit, inde loco dotis Carolo II. R. Angliæ tradita, ſed anno quoque 1684. ab Anglis deſerta ac demolita, poſtea tamen a Mauris denuo extructa. BAUDRAND p. 029.

(e) *Feſſa*) Veterum *Volubilis* ad fluv. Fez ſita, 4 milliaria in circuitu complecti dicitur. Teſte BAUDRAND adhuc dum Academiam habet, *dans la quelle on apprend pour toute ſcience a bien entendre le pur Arabe, qui n' eſt pas vulgaire en ce pais la, & qui ce pendant eſt la language de l' Alcoran.* Haud procul ab ea ſita eſt *nova Feſſa* arx regia ad quam Regum aula ſæpiuſcule ſolet divertere.

(f) *Occidentalis*) uti Alcairum *porta orientalis*, quia poſſeſſores harum urbium voluerunt videri Caliphæ. Cum enim familiæ Ommiæ per Abbalidas Caliphatu Syriæ dejectæ fuiſſent, partim in Africam partim in Hiſpaniam ſuperſtites ſe receperunt ac ibi novos Caliphatus condiderunt. Ex iis oriundus Idris ad montem Atlantem in Mauritania urbem Fez condidit, inque ea ſedem regiam poſuit aſſumto Caliphæ titulo; unde & hodie Mauritani in rebus ſacris adhuc reſpiciunt Calipham Bagdadenſem, cum ea adverſo Turcæ Calipham Alcairi ægyptium venerentur.

(g) *Jacobus Manſor*) Vide de eo *Supplem. IV. introd. Puffend. ad hiſtor. Afric. p. 97.* it. *La vie de Roy Almanſor ecrite par le Capitaine Aly Abenluſian & trad. par F. de Obeilh*; nec non quæ dicta ſunt ad Conringii antiquitates Academicas.

bri, in illa Africæ parte. De bibliotheca Maroccana conſtante 78000 libris in Hiſpaniam advecta quædam memoravi in libello meo de bibliotheca Auguſta p. 73. Hodie tamen omnia ſtudia ibi ferme frigent, & revera in barbariem redacta ſunt, quæ ibi ſuperſunt ſtudia, præ illis, quæ fuere ibi ante annos 500. Habemus ex lingua Africana in Latinam verſa multa ſcripta Medicorum, qui ibi vixere ante 400 annos, qui plerique fuerunt Africani. Immo ipſa Ariſtotelis ſcripta primum ex Arabico in Latinum ſermonem ſunt verſa ante annos 400. *Regio* (a) ſatis eſt felix & abundans rebus omnibus ad vitæ humanæ rationem neceſſariis. Angli, Batavi & Galli ibi commercia exercent. Cum ego viverem in Batavis, perpetuo vivebat Hagæ Comitis orator Maroccanus, qui erat Judæus (*ein Agende*) Batavi etiam Maroccæ habent ſuum Oratorem vel Agentem. Eſt enim inter illos *fœdus* (b) amicitiæ & commerciorum ſic ſatis magnum. Item eſt fœdus inter Anglos & Maroccanos.

Accepimus ex nuperrimis novellis Maroccanos læto animo excepiſſe Anglos advenientes in Tangir propterea, quod illi dudum fuerint amici.

Contra vero inter Luſitanos & Maroccanos non bene convenit, nam ante 150 annos præterpropter Luſitani totum illud regnum ſibi volebant ſubjicere, & fecere etiam inſignes ſucceſſus ſub Rege Emanuele, ſed deinde partim ſponte ſua Luſitani reliquerunt loca occupata, partim etiam vi amiſerunt. Deinde etiam Regem Sebaſtianum cum flore nobilitatis Luſitanicæ pepulere & occiderunt. Ex eo tempore Luſitani nihil auſi ſunt, præterea alibi etiam omnia perdiderunt. Hodie Luſitani nihil amplius tenent præter Septam vel *Ceutam* (c) non procul a freto Gaditano. Ex quo enim Tangir ceſſit Anglis, reliqua omnia perdiderunt. Hiſpani tenent *Melillam* (d) urbem, reliqua omnia autem tenet hodie unus Rex Maroccanus.

Quod populum ipſum attinet, ille hodie quidem, imo ab aliquot ſeculis fuit perquam *ſuperſtitioſus*, (e) quapropter facillime poteſt decipi. Simulac enim aliquis ſingularem quandam ſanctimoniam fingit, facillime fidem invenit & flectere populum poteſt modo in hanc, modo in illam partem. Fuere ab aliquot ſeculis ſuperſtitioſi cultores religionis Mahumedanæ, ita ingentes ibi factæ ſunt *mutationes*, (f) & modo hic, modo ille ſanctum ſe ſimulans mutavit imperium. Ita

ſane

(a) *Regio*) Regnum Maroccanum dividitur in ſeptem provincias, quæ ſunt, *Ducala, Hea, Suſa, Gazula, Maroc, Hascora, Tedles.* Fezzanum pariter in ſeptem, quæ ſunt, *Temeſaa, Fez, Asgara, Habata, Errif, Gareta & Chaus.* Fluvii ſunt, Mulvia, Nocor, Suba, Buragrag, Ommirabbi, Tenſiſ. Regio quidem ipſa montana & ſabuloſa eſt, interim tamen ſatis felix & abundans rebus omnibus, *Baudrand.* cit. p. 432. *Les citrons, les oranges, les dates, les amandes, les olives, les figues, les raiſins, le ſucre, le miel, le lin, le cotton, les poix, les blez y abondent. Il nourrit des chameaux, des boeufs, des moutons, & les plus beaux chevaux de Barbarie. On y trouve de deux ſortes des lions, dont les uns ſont tres feroces, & les autres ſi timides, qu' une femme les peut chaſſer avec un baton.* Aer quoque ſatis ibi eſt temperatus & purus. Incolæ duplicis generis ſunt. Alii ſunt *Arabes* cum tentoriis ſuis vagabundi diviſique in vicos ſuos quaſi ambulantes, quos vocant *Adovars.* Alii dicuntur *Beraberii* iique ſunt veteres regionis incolæ fixasque ſedes ſuas in vicis & urbibus habent. Præter urbes primarias Fez & Marocco cæteræ potiores ſunt, & quidem in regno Feſſano *Miquinez, Theza, Mamorta, Arzilla, Larrache Sale, Tanger, Alcaſſar, Tetuan.* In regno autem Maroccano, *Azazia, Azamor, Tarudant, Tagavort, Tajuta, Mazagan, Tite & Guargeſſen,* quarum poſteriores a Luſitanis tenentur.

(b) *Fœdus*) Fœderati Belgii ordines hoc fœdus primum inierunt a. 1610 cum Muley Seidan Rege Maurit. miſſusque eo fuit a Belgiis *Cornelius Pynackerus*, & viciſſim ex Mauritania primum Hamon ben Bechier, & deinde Achmet ben Abdalla, cujus *epiſtolam Theolog.* edidit GRAPIUS.

(c) *Ceutam*) *Septam, ad ſeptem Fratres, Exiliſſimam, Liſſam*, ad pedes jugi cujusdam ſitam ex quo ſeptem colles prorſus æquales, quaſi fratres eſſent, eminent. Episcopum habet Ulyſſiponenſi ſuffraganeum. Ab Hiſpanis hodie poſſidetur.

(d) *Melillam*) Vett. Ryſſadirum in provincia Garetana ſitam. Hiſpani eam a. 1497. occuparunt.

(e) *Superſtitioſus*) Magicis præſertim artibus & aſtrologiæ ſunt dediti Mauritani, omina ex quavis re captantes. Super ſepulchra ſanctorum, quos vocant, ſacella extruunt ad quæ tanquam ad aſyla confugiunt, ubi propter perpetrata crimina forte ſunt puniendi. NERRETERUS in *templo gentil.* p. 536.

(f) *Mutationes*) De mutationibus hinc paucis ita accipe. Imperium Feſſæ & Maroccenſe tenuerunt Caliphæ aliique Reges externi usque ad a. 1053. Abid Texifius Almoravidarum ſ. Lamptuniorum gentis princeps cæterorum imperium exoſus adminiſtrationem rerum ſuſcepit. Almoravidas pepulerunt *Almohades* ſ. unitarii duce quodam ludi magiſtro Abdalla ſub ſpecie religionis reformandæ a. 1139. ex cujus poſteris potentiſſimi Reges fuerunt Abdelmumem & Jacobus Almanſor. Almohadas deſtruxerunt Merini atque ex eorum familia primus Abdulacus a. 1210. Merinis ſucceſſerunt Oattaſeni duce Said Abra a. 1420. His vero a. 1514. Scheriphii. Tum enim *Mahomed ben Hameth* Monachus & Eremita Tegumedanus ſurrexit, & nova doctrina ſua (quæ ſtatuit, ſoli literæ legis Mahommedanæ inhærendum eſſe, cæterasque ejus hactenus uſitatas interpretationes tanquam inutiles & noxias traditiones rejiciendas eſſe) multos ſtatim aſſeclas reperit, atque inde Seriſii nomine aſſumto, tanquam oriundi ex familia Mahommedana, partim per opinionem ſanctitatis, quam ſusceptis filiorum Meccam peregrinantibus callide aluit, partim ſub prætextu, quod Luſitanos ſ. Chriſtianos omnes Africa expellere intenderet, paulatim ad ipſum Maroccanum imperium aſpiravit, idque etiam obtinuit & in poſteros propagavit, occiſo prius ex ſpeciali Prophetæ Mahommedis mandato, ceu tradidit, ultimo Rege Maroccenſi Abdulaco. Sed hujus Seriphii poſteri de ſucceſſione inter ſe ferme continuo diſſidentes & diſcordes fuerunt. Factum inde, ut a. 1612. contra eos quidem Muley Hamed ben Abdalla rebellaret ſimulato ſpiritu prophetico ſe a Deo miſſum jactitans, ut a Seriphiorum tyrannide Africam liberaret, & Mohammedanam religionem defenderet, a Muley Sidan tamen R. Maroce. poſtea bello ſuperatus. Sequentibus annis pariter Cidrikirum aliquis, inſtituta Meccam peregrinatione ſanctus haberi voluit, clandeſtinosq; tamen amores cum conjuge regia Muley Ahmet Scheck ſovens, idque agens, ut utroque interfecto imperium conſequeretur. Sed ita ut tribus aliis conſurgentibus, nec minorem ſanctitatis & zeli pro religione Mohamedana ſpeciem præ ſe ferentibus hoc in partes diſcerperetur, donec a. 1665. Muley Archy princeps Tafilettæ communem applauſum ſuperato Gailano tum imperante obtinuit, quod non modo ex vetere Seriſiorum ſed & ex ipſa prophetæ Mahom. familia eſſet oriundus. Huic ſucceſſit frater Muley Iſmael vel Semein dictus a. 1622. ſed non ſine motibus, de quibus vid. *Supplem. IV. Puffend. de Africa p. 137.* Iſti autem a. 1727. defuncto ea diſpoſitione parentis filius quidem primogenitus Muley Achmet Deby ſuccedere debuiſſet, ſed contradicentibus cæteris fratribus eique ſe

ſane ſimulatione cujusdam ſanctimoniæ is qui hodie rerum potitur ad regimen pervenit. Tales mutationes indicant, populum eſſe ſuperſtitioſum & mutabilis ingenii. Superſtitio enim facile populi ingenium mutat, & diſtrahit populum in varias partes.

Quod regimen illius terræ attinet, dixi jam paulo ante, ab aliquot ſeculis obtinuiſſe ibi ***Mahumediſmum*** (a) nempe ab anno 700 poſt N. C. ergo non eſt mirum, populum adeo eſſe deditum huic religioni. Quomodo autem illa religio huc pervenerit, aliunde poteſt peti, ut non opus ſit a me in hoc recenſendo tempus inſumi. Mutationes ibi ſæpiſſime factas breviter poteſt docere Thuanus lib. 16. hiſt. & ex eo Thuanus enucleatus part. 4. Apparebit vero exinde, quanta vis ſit religionis & ſuperſtitionis in animis hominum.

Quod hodiernum attinet ſtatum, notandum eſt ſupereſſe hodieque paſſim per Africam & Aſiam, qui ſe ferant natos ex familia Mahumedis aut ex agnatione illius. Hi præ aliis ſunt in magna exiſtimatione apud ſuperſtitioſos. Apud illos ad laudem & commendationem ſufficit, ſi quis ſe ferat cognatum Mahumedis. Hoc nomine facta ſane etiam eſt mutatio in Perſia. Nam reges Perſiæ non alio nomine ſe commendarunt, quam quod nati eſſent ex familia Aali & ipſius Muhammed. Haali enim in uxorem duxerat filiam Mahumedis, hac occaſione illi totam Perſiam fecerunt ſui juris. Inter hos cognitos fuit etiam quidam in hac parte Africæ ante annos 150 munere ſuo Doctor legis Mahumedanæ, Theologus aliquis, ita ut loquar. Hic cum ſe ferret cognatum Mahumedis & ſimul legis Mahumedanæ interpretem, ad hoc etiam præ ſe ferret aliquam vitæ auſteritatem & ſanctimoniam, cœpit eſſe in magna exiſtimatione, dictusque fuit Xeriffus ſeu Sheriffus a Seriffi, quod eſt interpres legis & cognatus Mahumedis. Tum temporis res Africanæ erant magno periculo, idque propterea, quia Luſitani ita præpollebant viribus, ut etiam parum abeſſet, quin totam Africam ſui juris facerent, indignantibus quidem Africanis, interim tamen parum præſidii habentibus in ſuis regibus, quinimo Luſitani Africanos oppugnarunt. Ita factum eſt, ut hic Seriffius conciliarit ſibi populum, etiam tres haberet filios, illos proficiſci paſſus eſt ad ſepulchrum Mahumedis, ut etiam hic ſibi conciliaret populum. Utque paucis abſolvam. Hic ejusque filii conciliato ſibi populo, cum iis a Rege eſſet permiſſum convocare populum adverſus Chriſtianos Luſitanos ipſos Reges ejecerunt & ſe conſtituerunt Reges Feſſæ & Maroccæ. Late hoc narrat *Thuanus* (b) ut & Joh. Boterus ſingulari relatione de republ. Seriff. Præter Boterum nemo reperitur, qui illam rempublicam deſcripſerit, & ejus relatio non reperitur vel in theſauro Politico Caſp. Ens, ſed in diſſertationibus Nic. Belli, quod miror, cum tamen ſit egregia & nulla alia reperiatur de hac republica. Ex eo tempore Seriffus aliquis imperat, regno Marocco & Feſſæ, adeoque univerſæ Tangitanæ Mauritaniæ, cum antea eſſent ludi magiſtri & plebeji. Ejecerunt autem hi Seriffi & Luſitanos regno ſuo & Reges ſuos, adeo feliciter illis ceſſit. Cum autem inter Seriffos ipſos nata eſſent bella, Rex Luſitaniæ Sebaſtianus uti *voluit* (c) hac occaſione, ſed infeliciter. Majori *felicitate* (d) uſus eſt Turca, ſed non niſi ad breve tempus. Teſtatur Leunclav. Turcam in album Beglerbegatuum etiam hanc Rempublicam retuliſſe, ſed rerum hic non potiri, ſed eſſe Rempublicam liberam, & Turcam ne quidem flocciſacere.

Quod ſcopum reipublicæ attinet, quantum quidem ex monumentis ego addiſcere potui, Seriffus ille ita imperat, ut habeat non tam rationem populi, quam ſui. Ergo reipublicæ hujus ſcopus eſt præcipue commodum imperantis. Regimen ipſum eſt plane *monarchicum*, (e) niſi quod interdum populo aliquid indulgere cogatur. Lege tamen regimen eſt vere monarchicum.

De

oppooeotibus poſt varias decertationes imperium quidem obtinuit Muley Abdemelech filius ſecundus, ſed non multo poſt iterum a primogenito ejectus, in qua altercatione utrique vitam perdiderunt, & Muley Abdalla 1729 Rex fuit declaratus.

(a) *Mahomediſmum*) Nonnihil tamen Mauritani in religione differunt a cæteris Mohamedanis. Præterquam enim quod variæ inter eos ſectæ vigeant, quarum alia autore Elhaſerum Abilhaſem non contenta Alcorani litera, myſticum quoque & magis reconditum ſenſum inde expiſcatur, alia autore Elharid Ibnu Eſad reformatorum quaſi nomen habet. Vid. P. HAZART. *hiſt. Eccleſ. Afric* P. IV. c. 3. p. 214. aliæ Enthuſiaſtis & fanaticis ſimiles circumvagantur: tum maxime præcipuam in doctrina & ritibus diſcrepantiam introduxit, a. 1500 primus ille Seriphus Mahomed ben Hameth. Ille enim permiſit Chriſtianis æque ac Judæis intereſſe ſacris Mauritanorum, quod Turcæ graviſſime interdicunt; præterea novas quasdam Alcorani explicationes dedit, novosque articulos fidei ad ſalutem neceſſarios condidit. Vid. Mr. DE SAINT OLON relation atque ex eo *Nerreterum* l. c. p. 533. ſſ. Confer etiam *Achmet ben Abdalla* legati quondam Mauritani ad Batavos *epiſtolam Theologicam ad ſereniſſimos Auriacum & Portugaliæ Principes*, quam edidit ex MSto Oxon. *Zacharias GRAPIUS notisque illuſtravit* Roſtochi 1705.

(b) *Thuanus*) Brevibus JOH. FRID. POPPINGUS apud FUNCCIUM p. 156. ex quo pauca quædam addemus. *Xeriſius ille tres filios ſuos iis artibus quæ animos conciliant, mira calliditate inſtruxit, eosdemque ad ſepulcrum Mahomedis ablegavit, qui iter hoc tanta cum ſanctitatis opinione ingreſſi ſunt, ut felices ſe exiſtimarent obvii, ſi veſtimenta eorum tantum exoſcularentur. Hi Sycophantæ profunda ducebant ſuſpiria & lacrymis etiam interniſtis hominum animos ad ſe rapiebant. Cumque domum reverſi eſſent, pater duos ex illis Feſſam miſit, ex quibus minor inſtitutioni filii Regis admotus eſt. Cumque uterque Regi & populo ſuam probaſſent operam, conceſſit illis Rex Feſſanus vexillum cum tympano aneo & aliquot equitibus quibus cum populum circumire & contra hoſtes inflammare poſſent. Confluxit ad eos magna hominum copia, cumque Luſitanos bello viciſſent, blandis verbis effecerunt, ut in urbem Marocco reciperentur, ſed recepti regem veneno ſuſtulerunt eoque facto Hametus Xeriſius unus ex fratribus regnum ad ſe pertraxit. Hac fortuna turgidi Xeriſii Regem Feſſanum contemnere, eique tributum quod promiſerant negare cœperunt, imo Regi nunciari jubent, ſe ut Mahomedis ſucceſſores a tributo immunes eſſe, ſibique plus juris in Afros eſſe quam Regi Feſſano. Qui cum bellum fratribus his intuliſſet, acie victus eſt. Tandem inter fratres Hametem & Mahomedem diſſidium ortum eſt, cujus eventus fuit, ut junior majorem cum Rege Feſſano prælio vicerit & regnum occupaverit.*

(c) *Voluit*) Invitatus a Mahomede Nigro ad auxilia ferenda contra patruos, Abdalam, Malicum & Hammedem, periit in acie decretoria a. 1578.

(d) *Felicitate*) Regnum Tunetanum & Tremiſanum occaſione iſtorum diſſidiorum a Turcis occupatum eſt.

(e) *Monarchicum*) Habet enim Imperator Marocc. domi-

De viribus & *militia* (a) hujus reipublicæ prolixius diſſerere non eſt operæ pretium, poterit legi Boterus, & ille unus ſufficit. Tanta eſt illius Seriffi potentia, ut nullum omnino vicinum metuat. Sua itaque in tranquillitate retinet, modo eſſe poſſit ſecurus ab internis motibus. Memini me legiſſe hiſtoriam in veteribus monumentis de mutatione Imperii ibi facta anno hujus ſeculi 12.

Exortus tum eſt novus quidam Seriffus, qui præ ſe habuit cognationem Mahumedis, & fuit inſigniter inſtructus artibus magicis, hiſce præſtigiis ita dementavit populum, ut ejus ſavorem ſibi conciliaret, quo factum eſt, ut Seriffus ille, qui tum rerum potiebatur, regno fuerit exutus. Seriffus autem jam regno exutus alium magum non multo poſt ſibi conciliavit, qui ſe ſimularet ſanctum & vitæ auſteritate inſignem, hujus itaque artibus ſibi conciliavit populum, & tandem victor evaſit.

Apparet quoque regno huic nullum aliud imminere periculum, quam ab his *fallacibus* (b) hominibus propter ingenium mutabile populi. Alias non eſt, quod ſibi quicquam metuat. Hiſce ſane artibus Seriffus ille tum reoccupavit regnum & ejusmodi artibus fortaſſis aliquando regno rurſus poteſt excidere.

De regno Abaſſinorum.

P*otiorem* (c) & latiorem partem Africæ tenent *Habeſſini* (d) homines nigri coloris, qui omnes ſua lingua dicuntur *Cuſſi* (e) procul dubio, quod nati fuerunt ex familia Chus qui ſunt filii Cham, ab illo omnes orti ſunt. Quare vero *diſcolores* (f) ſint a reliquis hominibus omnibus, non facile eſt dictu, non nulli cauſam transferunt in ſolem, ſed hæc eſt fabula, vide Conringium in libro de cauſis habitus corporum Germanorum. *Albi* (g) enim qui ſunt & ibi habitant, nunquam

nium io omnes vaſallurum facultates etiam in ipſos Vaſallos. Imponit ſubditis vectigalia & tributa etiam graviſſima pro lubitu, ut contra mutire non audeant. Nec decimas tantum frugum ſed & primitias pecoris a tributariis vaſallis ſuis exigit, licet exactores iis rigidi eſſe non ſoleant, ſed vigeſima de fructibus contenti ſint, adhibita in gregibus quoque moderatione. Quod ſi etiam teſtamentum nuperrime defuncti Regis Muley Iſmael genuinum eſſet, id quod legi poteſt, *in prima expeditione curioſi agentis Brunsvic.* a. 1727, ſane id haud obſcurum deſpotici nimis Mauritan. imperii documentum foret. Ibi enim injungitur Mauritanis omnibus, ut poſt obitum Regis per octiduum lugeant, unguibus ſe lacerent, nihilque vendant aut emant. Monetur ſucceſſor, ut magnatum & primorum miniſtrorum bona iis occiſis in ærarium ſuum transferat, mandatur porro ne qua fœmina ex Seraglio regio dimittatur, etſi fame ipſi pereundum foret, priusquam ſucceſſor de illa diſpoſuerit, & quæ ſunt alia ostentu digna.

(a) *Militia*) Militiæ Fez Maroccanæ quinq; genera eſſe leguntur. *Primum* eſt 2700 Equitum & 2000 Pyroboliſariorum, quorum pars Feſſæ ſed major Marocci pro præſidio eſt. *Alterum* eſt unius aciei regalis 6000 equitum, qui omnes nobilitate clari & magnæ exiſtimationis viri ſunt. *Tertium* Timariotarum, ut vulgo vocant, ſive Topſcharum, qui pro ſuſtentanda vita agros multos poſſident. *Quartum* genus conficiunt Arabes, qui continuo in ſuis vivunt caſtris (Adovaris) ſed latronibus, quam militibus ſimiliores. *Quintum* eſt delectibus militaribus noſtratium ſimile. Huic enim adſcripti ſunt habitatores civitatum, pagorum & montium Imperii. Vis præcipua autem in equitatu conſiſtit, 70000 equites & magnum numerum peditum in aciem educere poſſe imperator Marocc. dicitur.

(b) *Fallacibus*) Mauritanorum proprium in quarto modo eſſe dicitur, quod fallaces & mendaces ſint. Mentiri & fallere alios nefas non ducunt, ita ut hac in re a chriſtianis etiam ſe diſtinguere ſoleant, teſte NERRETERO l.c. p. 536. BAUDRAND p. 637. ait: *Les habitans du Pais -- ſont peu aguerris, peu braves, point polis, jaloux, impudiques, menteurs, ſuperſtitieux, hypocrites, fourbes, cruels & ſans foy.* Quid de mendacibus, quaque ratione ſint puniendi, diſpoſuerit nupere mortuus R. Muley Iſmael, legi poterit in teſtamento ſupra allegato, ſiquidem fidem hoc meretur.

(c) *Potiorem*) Non conveniunt autores circa extenſionem hujus regni. Sunt qui Turcicum & Tartaricum imperium magnitudine excedere arbitrantur. Vid. *Brerewod. Scrutin. relig.* p. 81. alii 662. milliaria Germ. ei aſſignant ut *Caſp. Ens in deſcript.* p. 45. Cluverius longitudinem ejus ab Ægypto usque ad Monomutapa numerat milliaria Germ. 580. latitudinem 450. Atque adeo plerique fere 40 gradus huic regno attribuunt. Unde autem error hujus calculi extiterit, oſtendit *Ludolphus in comm. hiſt. Æth.* p. 79. primus *Job. Bertius* immodicam hanc extenſionem reſtrinxit, & 27 gradus a ſolita computatione ſubtraxit. Forte etiam adhuc aliqui gradus ſubtrahendi ſunt, poſtquam per duo circiter ſecula a vicinis multæ provinciæ Abeſſinis ſunt detractæ. *Leo Africanus* lib. 1. *deſcr. Afric.* p. 7. perperam cenſuit, Abeſſiniam non eſſe Africæ partem.

(d) *Habeſſini*) It. Abaſſeni, Abaſſini, Abiſſini, & Ebeſſini, male autem ſcribitur Abyſſini, quia hæc vox cum Abyſſo nihil commune habet. Origo vocis eſt Arabica, radicis *Habescha* i. e. coivit turba diverſorum tribuum in unum, inde Chabeſchini dicti ἐπίμικτοι aut Arabes ex diverſis tribubus congregati. Nam Sabæos quia numeroſiſſimi erant, ex Arabia felice in Africam migraſſe, ne hominum multitudine patria gravaretur, maxime probabile eſt. Cœterum Abaſſini ſe ipſos potius Æthiopes vocant, *Aithiopia.* wian teſte *P. Bertio in tab. Geogr* p. 635. Vox autem *Æthiops* vel eſt Græcæ originis ab αἴθων τὴν ὄψιν aduſtus faciem vel per methateſin Agopt & Copt, unde Ægyptus (commiſcentur enim ſæpe cum Coptitis ſive Ægyptiis) in hanc vocem tranſiit obſerv. *Hornio in notis ad Sulpit. Sever.* p. 242. Regnum ipſum incolis dicitur vel Mengyſta Ithyopia regnum Æthiopiæ vel nomine peculiari Mydra Agazyan ſeu terra liberorum.

(e) *Cuſſi*) Errorem Cunringii hic notat JOBUS LUDOLFFUS in *comment. ad hiſtor. Æthiopicam* p. 20. Cuſſios enim proprie eſſe veterum Arabes Scenitas & Saracenos recentiorum cum BOCHARTO *in Phaleg* lib. 4. cap. 2. ſtatuit, concedit tamen hoc nomen jam apud Hæbræos in V. T. ad omnes nigro colore infectos homines tranſiiſſe, cum Cuſæi proprie dicti etiam nigricantes eſſent, non picei quidem ſed buxei coloris p. 226.

(f) *Diſcolores*) Egerunt hac de re HANNEMANNUS in *ſcrutinio nigredinis poſterorum Cham ſeu Æthiopum.* PECHLINUS *in libro de habitu & colore Æthiopum.* Quæ cauſa hujus coloris ſit, meo quidem judicio difficulter inveſtigatur. Qui id divinæ maledictioni in poſteros Chami pronunciatæ tribuunt, neſcio quid de aliis nigris in India & extra Africam ſint reſponſuri, qui forte non ſunt ex Chami poſteris. Id certum eſt, Æthiopes natura eſſe bilioſos, atque inde ſine dubio color ille exiſtit. Uti vero Æthiopem nondum viſum horrere ſolent Europæi, ita & idem contingit Æthiopibus viſo homine albo.

(g) *Albi*) ISAACUS VOSSIUS de *Nili aliorumque fluv. origine* cap. 19. p. 67. *Albos Æthiopes*, ait, ſeu *Leucoæthiopes, uti a veteribus vocantur, non tantum in præ-*

quam nigreſcunt. Cauſa autem adſcribenda eſt peculiari ſeminis Æthiopum naturæ. Initio autem hic color divinitus ipſis in pœnam datus.

Æthiopes non ſolum in Africa vivunt ſed & in Aſia, ut & in America, ſed in Americam ſunt tranſlati, ſolent enim vendi. *Æthiopia* (a) Africana dividitur in 2 partes, in exteriorem & interiorem. Exterior dicitur Maritima. Regna Guineæ, Congo, Monomotapiæ pertinent ad Æthiopiam exteriorem. Interiorem partem tenent Abyſſini, qui noti ſunt jam tum Ptolomæo, quorum origo ab Ægypto usque ad oſtium Nili. Quia vero nullum hi colunt littus, hinc nullum cum illis intercedit commercium, hinc interiora illa fuere ignota omnibus gentibus, & ne nunc quidem ſatis ea cognita *tenemus*. (b) Debemus tamen majorem peritiam hujus Æthiopiæ primo Luſitanis, deinde Jeſuitis, qui eo ob religionem propagandam ſeceſſerunt. *Extat* (c) de Æthiopia interiori diſſertatio tota Boteri ſub nomine R. Presbyteri Johannis ſed melius hæc diſci poſſunt a Nicolao Godigno & Franciſco Alphæretz & Damiano a Goes. Unum hoc *regnum* (d) in Africa eſt Chriſtianæ religioni addictum.

Solet regnum illud vocari Regnum *Presbyteri Johannis*. (e) In Aſia fuit ante aliquot 100 annos celebre regnum iſtius nominis. Nomen autem illud eſt corruptum, & proprium eſt Preſtegan, & lingua æthiopica idem valet ac Catholicus ſive Apoſtolicus quod Apoſtolos eorumque doctrinam ſequantur. Quando Chriſtiana religio in illas pervenerit terras, difficile dictu, interim a Seculo IV illa religio ibi jam fuit. Ipſi autem ferunt jam ab initio ibi obtinuiſſe; Æthiopem enim illum Reginæ Candaces ibi proſeminaſſe religionem Chriſtianam. Regina illa Candaces ſedem olim habuit in Inſula *Meroe*, (f) & fuit potentiſſima. Quicquid ſit, Chriſtiani quidem ſunt, ſed in dogmatibus tamen non omni ex parte cum Græca, multo minus cum Romana *conſentiunt* (g) Eccleſia. Pontificem hactenus ignotum

dictis regnis ultra Nili fontes Auſtrum verſus ſitis, ſed & paſſim in mediterraneis Africæ reperiri, tam eſt certum, quam quod certiſſimum. Magna pars ſatellitis Regis Lovangi conſtat ex ejusmodi hominibus. Tanto candore ſunt conſpicui, ut ſiquis eos eminus videat, aut Belgas aut Germanos exiſtimet. At vero ſiquis coram contempletur, longe aliter ſentiet. Iſte quidem cutis candor non eſt vividus, ſed cadaveroſus omnino & prorſus ſimilis lepra laborantibus. In mediterraneis Ginea integra gens iſtiusmodi Leucoæthiopum reperitur. Horum vero & halitum, & contactum velut contagioſum fugiunt alii Æthiopes, Luſitani vocant *Albinos. Interdiu cæcutiunt, noctu vero plurimum viſu valent.* JOBVS LVDOLFFVS vero in comment. p. 197. aliquos quidem monet eſſe Æthiopes his vitiis præditos, non vero integram gentem, ſiqua vero ſit, quod negari nequeat, ejusmodi vitiis omnino eſſe deſtitutam, neque enim a robore virium laudari poſſe, qui corporis habitu ſint ita cadaveroſo.

(a) *Æthiopia*) Abaſſia, ut ab aliis Æthiopum regionibus diſtinguatur, Geographi modo inferiorem Æthiopiam nonnulli etiam orientalem appellant, quod in orientali Africæ plaga ſit ſita. Ab aliis interior vocatur & opponitur exteriori tanquam propiori. Etenim interiores vocantur hiſtoricis partes regionum remotiores, uti & India interior dicitur. Sed omnes iſtæ diviſiones, quia ſitum non accurate diſtinguunt, vaniſſimæ viſæ ſunt JOBO LVDOLFO lib. 1. *hiſtor. Æthiop.* cap. 1. num. 17. & *in comment.* p. 56. 79. cum una ſit eademque Æthiopia proprie dicta, quæ quidem alta eſt & quaſi gibbus Africæ, minus commode tamen ſuperior dicatur, ut diſtinguatur ab inferiori.

(b) *Tenemus*) Cumprimis quinam ſunt populi adhuc Ethnici Agaci, Gongæ, Gafates, Gallæ, Schancalæ, Magoges, Magogaæ, Matimbes, Mapontes, Emboæ, quos naufragi quidam a. 1686. invenerunt. Ref. *Ludolfo in appendice ad hiſtor. Æthiop. ejusque - - commentarium*, item quænam ſint regna Alamale, Oxela, Betezamora, Suſgam, Bahargamo, Bora, Mota &c. ap. *Tellezium*.

(c) *Extat*) Extant pariter de Æthiopia ſcriptores varii ab ANDREA SCHOTTO editi. FRA LUYS de URRETA *hiſtoria Eccleſiaſtica, Politica, natural, y moral de los grandes y remotos Reynos de la Ethiopia.* JAC. BARATTI *Peregrinatio in Abyſſiniam ſeu Æthiopiam ſuperiorem ex Italico Anglice verſa. Hiſtoria general de Ethiopia a alta tirada e abbreviada daque mais largamente compos na India Manoel d'Almeida per* BALTHASAR TELLET. JOHANNIS DOS SANTOS Hiſtoria Æthiopica ex ſermone Portugall. Gallice tranſlata a *Gratiano Schanpy*. Sed Urreta, Barattus aliique Ludolfo non niſi loco nugatorum habentur, Godignus tantum & Tellezius non nihil ipſi laudantur. Ipſe vero Æthiopis Abbatis Gregorii opera uſus primus omnium accuratam dedit *hiſtoriam Æthiopicam*, tanto applauſu ubique exceptam, ut mox in Anglicum ſermonem transferretur a Joh. P. in Gallicum a des Jauneaux, belgice per Wilhelmum Calebium Ultrajectinum, quin etiam Ruſſice. Acceſſit deinde commentarius ejus ad hiſtoriam Æthiopicam Francof. 1691. & appendix ad hiſtoriam Æthiopicam illiusque commentarium ex nova relatione de hodierno ſtatu Habeſſiniæ concinnata additis epiſtolis regiis ad ſocietatem Indiæ orientalis ejusque reſponſione cum notis neceſſariis Francof. 1693.

(d) *Regnum*) Numerantur in Æthiopia 26 regna & 14 provinciæ, ſed inter Imperatorem Æthiopum & Gallas ſeu Giacos populum bellicoſum Africæ, poſtquam ille a. 1537. Abeſſiniam invaſit, hodie diviſa. Imperator Abeſſiniæ tenet regnum Tigrenſe, Amhara, Bagendyr, Watnadaga, Magaza, Dumbea, Goyama, Nerea, Ogara, Salait, Holcait, Semen, Salao, Segueda, Dobas &c. Gallæ vero eripuerunt Hangot, Dawaro, Wedſch, Balis, Gurage, Gentz, Bizama, Cambatea &c.

(e) *Presbyteri Johannis*) Nomen hoc originem habet a Perſis, qui ſua lingua regem olim Tartariæ Neſtorianum uti & regem Habeſſinorum adſignificanda illorum ſacra appellarunt *Preſter Chan* i. e. principem adoratorum; unde Itali qui ſuperioribus ſeculis fere ſoli commercia in oriente atque Africa exercebant, male intelligentes hoc nomen, dixerunt Preſte vel Prete Gianni vel Gioanni; Unde latine redditum eſt pariter ſatis inſcite Presbyter Johannes. *Ludolf hiſt. Æthiop.* 2. 14. & 15. *Supplem. IV. Puffend. ad Africam* p. 155. Cæterum Scaligeri hæc eſt ſententia, Preſter Chan de Rege Apoſtolico interpretantis, cui obſtat quod Perſis Apoſtolus dicatur Havarju. Ipſe vero Æthiopum Imperator Arabibus olim dictus Nagiashi (unde & Negaz, titulus tamen promiſcue aliis etiam regibus tributus) hodie a ſuis ſalutatur *Hatzege*, teſte *Ludolfo* lib. 2. c. 1. ubi & de cognomentis quibusdam peculiaribus, qualia ſunt, *adamas venerabilis Gemma venerabilis, conſervator ſinuum venerabilis, columna veritatis, thus virginum &c.* quæ epitheta exteri non intelligentes, diverſas inde tradiderunt appellationes.

(f) *Meroe*) Hodie *Gurguera*, inſula, quam Nilus format, inter regnum Tigranum & Nubiam ſita. Sed diſputatur, utrum ſit inſula, an peninſula. Vid. BAVDRAND. p. 503. Tellezius ſtatuit, Meroen eſſe Gojamam regnum Habeſſiæ, in qua Nilus ſcaturit, eamque ambit, & quaſi peninſulam efficit. Huic vero contradicit LVDOLFFVS in *comment.* p. 88. ſqq. docetque Meroen, non in Habaſſia, ſed in Æthiopia proprie dicta locandam eſſe, eamque non peninſulam ſed communi veterum conſenſu pro inſula habendam. In hac Meroe *Plinius* lib. 6. c. 29. dixit, *regnare fœminam Candacem, quod nomen multis jam annis ad reginas tranſierit.* Huic Candacæ, quam Judith vocant, Æthiopes tribuunt initia Chriſtianiſmi: ſed Scaliger, Calviſius, Joh. de Laet ejus initia referunt in a. Chriſti 541. Nullam vero aliam prædicationem Evangelii quam *Frumentii* in Habeſſinia factam docet Ludolſus.

(g) *Conſentiunt*) Vid. JOH. ULRICI WILDTII *diſſert.*

tum agnoſcere nolunt. Itidem illi in doctrina de Chriſto ſequuntur *Eutichem*, (a) laborant Eutichianiſmo, ſed ex ſimplicitate aliqua, alias ſunt boni Catholici. Rogati an in Chriſto duæ ſint voluntates, negant. In Africa & Ægypto duplex ordo Chriſtianorum reperitur, alii profitentur doctrinam Eutichis, alii græcam eccleſiam ſequuntur, & ibi duas in Chriſto naturas agnoſcunt. Hi inter ſe & habitu ſunt diſtincti & animo implacabili, qui in Ægypto unam tradunt naturam, dicuntur Jacobitæ, a quibus deinde Abyſſini decepti. *Jeſuita* (b) ante annos 40 multum effecerunt hic. Orta inde acerrima bella, jam enim Regem in ſuam viam duxerant. Quo defuncto avita religio ibi renata eſt. Lege Jeſuitas ut Nicolaum Godignum. Populus Abeſſinus eſt *ſimplex*, (c) nec multum bellicoſus. Hinc Turca ipſis eſt admodum *gravis*, (d) Vix ſua poſſunt defendere. Status regni non perſpicue traditur a ſcriptoribus. Obtinet ibi Monarchia, ſed ea plus eſt ad utilitatem communem. Familia hæc regia Æthiopum refert originem ſuam ad illam *Reginam Sabæ* (e) quæ Salomonem audivit. Omnes Æthiopes alias *circumciduntur*, (f) quod ex antiquo inſtituto habent & dicitur in ſacris literis quod omnis poſteritas Abrahæ fuerit circumciſa. Multi inde nati in Africam *migrarunt*, (g) hodieque illas terras coli ajunt, ut nihil illis deſit ad felicitatem *vitæ*. (h) Illæ quidem terræ quæ lineæ æquinoctiali ſubjacent, ingentes æſtus patiuntur, & media æſtate vexantur continuis pluviis, unde Nilus incrementa ſua capit, ut & Niger fluvius. Vid. Leonem Africanum qui putat Nigrum eſſe baratrum Nili. Reliqua quæ de regno hoc cognoſcenda ſunt, cum nulla cum iis ſint commercia nobis, non eſt quod *afferam*. (i)

MAP-

de Eccleſia Æthiopica nec non de Abaſſiniſmo KROMAYERI *ſcrutinium religionis* diſp. X. p. 238. Confeſſionem Eccleſiæ Æthiopicæ ſcripſit *Zagazago* Æthiop. Epiſcopus & ad Emanuelem Luſitan. R. quondam legatus, quam *Damianus a Goes* latine tranſtulit, atque ex qua *David Chytræus* epitomen *Tr. de orientis Eccleſiis* ſubnexam & *Dreſſerus* orationem confecit. Extat etiam poſt hanc conſcripta confeſſio *Claudii Regis Æthiop.* quam Wanslebius, & Ludolfus cum notis ediderunt, Germanice quoque Norib. 1663. *Dilherus.*

(a) *Euthichem*) Falſum hoc eſt. Nam Abeſſini Eutychen ejusque aſſeclas manifeſte damnant atque approbant concilium Chalcedonenſe, duasque in Chriſto naturas ſine mixtione & confuſione eſſe palam confitentur. Ceu *Ludolphus* ex libro Dinghil aliisque Teſtimoniis luculenter oſtendit. Interim cum Jacobitis & Cophtitis ita docent, unam eſſe naturam in Chriſto e naturis duabus divina & humana ſine mixtione & confuſione, ſicut natura hominis duabus naturis animæ & corporis conſtet, & corpus duabus naturis materiæ & formæ, ita ut nec anima in corpus muretur, nec materia in formam, quæ ſententia ſi vox naturæ pro ſubſiſtentia ſumitur, hæreſeos accuſari nequit. Jacobitas autem (qui a Jacobo Tzanzalo Syro ita dicuntur) ſe eſſe Æthiopes fatentur, eorumque Rex proinde Rex Jacobitarum dicitur obſerv. *Brerewodo in ſcrutinio relig.* p. 179. quod perperam HOTTINGERVS in *Topogr.* Eccleſ. c. 5. §. 2. p. 127. ideo fieri arbitratus eſt, non quod dogmata Jacobitarum ſectetur, ſed ratione Patriarchæ Jacobi, a quo ortum ex linea fœminea ipſi deducant. Vid. *Ludolfi comment.* p. 462.

(b) *Jeſuita*) Primum admiſſi ſub *Claudio Imper.* cum ille Luſitanorum opera adverſus Galas uteretur, deinde etiam ſub Sarza Deughel propter eandem rationem. Tandem imperator Asnaf Saghed a Petro Payſio perſuaſus ſacra Romanenſia admiſit, uti & ejus ſucceſſor *Suſneus*, Sed Æthiopes ægre ferentes, quod Luſitani ubique anteferrentur, & ſacra ipſorum, quorum ſunt tenaciſſimi, mutarentur, rebelliones propterea excitarunt, tandemque effecerunt, ut ſub Baſili de Suſnei ſucceſſore a. 1632. ſqq. Jeſuitæ ejicerentur, & Romanenſium ſacra interdicerentur. Tentata quidem eſt ſeq. tempore ſub Imper. Malec Saghed reconciliatio, Nulla autem ſpes amplius eſt, ut quicquam in ſacris in gratiam Pontif. Romani Æthiopes ſint mutaturi vid. WINDHORNII *introduct. ad Theologiam Abaſſinorum veterem & novam.* p. 72. ſqq.

(c) *Simplex*) Æthiopes leni plerumque ac tardi ingenio ſunt ac impatientes laborum, alias bonæ & præſtantis indolis, ſi præſertim cultura accedat, unde & ſervi hujus nationis in oriente pluris æſtimantur, quam mancipia aliarum nationum. Sane dociles illos eſſe & culturæ ac gloriæ cupidiſſimos, vivaces etiam, & modico victu labores ingentes tolerantes, lectores S. literarum ſtudioſos, mites, placidos, regis & religionis ſuæ obſervantiſſimos, &c. teſtatus eſt LVDOLFVS *hiſt. Æth.* lib. 1. c. 14.

(d) *Gravis*) Turcæ ad mare rubrum, hodie Æthiopiæ vicini ſunt. Poſſident enim ibi Oram Abexiam ſuperiorem alias Habeleth dictam, poſtquam anno 1560 a Balruagaſo Duce Æthiopum bellico adverſus Imperatorem Menam invitati, hanc regionem occuparunt. Inferior quoque Abexia ſive Dancali ab Æthiopibus quidem ſed religione Mohammedanis tenetur, uti & regnum Adel & Adea, unde Abyſſinis metuendæ ſunt invaſiones. Præſto enim iis ſunt Arabum auxilia iique mancipiis Æthiopicis avidiſſime inhiant.

(e) *Reginam Sabæ*) Quam Maquedam vocant, atque ex Salomone concepiſſe filium Melech & David dictum referunt. At vero regina hæc non fuit Æthiopiæ, ſed Schebæ ſeu Arabiæ. Interim tamen, quæ pro defendenda Æthiopum ſententia, afferuntur, vide apud *Wildium* l. c. p. 17.

(f) *Circumciduntur*) Non a Judæis hunc ritum circumciſionis habent ſed ab Arabibus Homeritis, quorum coloni ſunt. Eſt vero hic ritus Abaſſinis minime ſacer. Perficitur enim privatim a muliercula arbitris remotis. Quid quod etiam fœmellis aliquid, quod ſuperfluum naturæ putant, abſcindatur.

(g) *Migrarunt*) Ex Arabia ſcilicet. Migrationem hanc *Scaliger* quidem recentiorem & poſt tempora Juſtiniani contigiſſe aſſerit, ſed JOBVS LVDOLFVS in *comm. hiſt. Æthiop.* p. 58. eam longe antiquiorem fuiſſe oſtendit, laudatque Conringii verba, in *Oldenburg.* theſ. rerump. Vol. 1. p. 800. in excerpt. miſcell. §. 18. *Id factum fuiſſe antiquiſſimis temporibus neceſſe eſt.*

(h) *Vita*) in mediis præſertim regionibus terra adeo frugum eſt ferax, ut triplex meſſis detur. Loca temperatiore gramine & floribus lætiſſima ſunt, unde & magnitudo boum, copia mellis, vervecum præpingues & portentoſæ caudæ exiſtant. Vites & uvas præſtantiſſimas habent, licet inde vinum parari nequeant, niſi in uſum aulæ regiæ. Tritico, hordeo, milio aliisque leguminibus abundant, malis item medicis, punicis, Perſicis & ficubus quæ ſine cultura creſcunt. Auro, plumbo, ferro & ſale foſſili in nonnullis locis abundant, ſed argento & gemmis deſtituuntur. Cœterum Fluvii ſunt, *Nilus* Aethiopibus Abawi dictus. *Niger* qui alveus ſiniſter Nili eſſe putatur, *Mareb*, *Maleg*, *Tacaze*, Hawaſch, qui ultimus aquas ſuas non in mare, ſed in arenam exonerat. Aer autem temperatus eſt in mediis regionibus, paulo frigidior in regionibus montanis, fervidiſſimus in locis depreſſis Æth. Kola dictis, ut igni etiam infernali comparetur. Ex qua aeris varietate horrenda ibi tonitrua audiuntur, annique etiam tempora confuſa & incerta, nec ubique eadem ſunt. Locuſtarum quoq; invaſionibus terra expoſita eſt, crocodilos, hippopotamos, aſinos ſylveſtres pluraque alia fera alit animalia &c.

(i) *Afferam*) Afferemus tamen adhuc alia notatu digna, & forte non injucunda. *Inſigne* Abaſſinorum Regis eſt Leo in capite coronam, in pedibus crucem auream geſtans cum ſymbolo. *Vicit Leo de tribu Iuda*, Nullum ipſi palatium eſt, in quo fixam ſedem habeat (niſi quod aliqua domus Axumæ intercedente opera Jeſuitarum extructa dicatur) ſed in tentoriis & caſtris quaſi ambulato-

Mapparum Coſmographicarum deſignatio.

Non ingratum fore B. Lectoribus puto, potiores mappas geographicas hic ſubjungere, ordine tamen paulo immutato, quo *CONRINGII examen rerumpublicarum* edidimus. Nova *totius terrarum orbis* geographica & hydrographica tabula auct. GVIL. BLAEUW, I. vao den ENDE ſculpſit. Excud. G.B. Amſtelodami ſub ſigno ſolarii deaurati.

Diverſa *orbis terræ* viſu iocedente per coluros tropicorum, ambos ejus polos, & particularis ſphæræ aenitb, in planum orthographica peojectio. Quibus additæ pro variato horizonte omnium poſitiones; eorundemque mutua cum circulis cœleſtibus relatio. Amſtel. penes PETR. S[?]HENCK.

Planiglobii terreſtris cum utroque hemiſphærio cœleſti generalis exhibitio, per JOH. BAPT. HOHMANN.

Europa antiqua cum finitimis Africæ & utriusque Aſiæ regionibus. NICOLAUS BLANCARDUS Leidenſis, Comitatus Zelandiæ ordinum hiſtoricus, delineavit. Ro-

riis degit, quorum metator diritur Titaurari. Ex perpetua ſucceſſione Regiæ ſtirpis eligitur is, qui cœteris prudentia, gravitate & bumanitate præeminet, neque in filium maximum natu transmittitur Imperium, ſed in quem pater vult. Atque ut omnis ſeditionis materia tollatur, reliqui regis filii in moote quodam Amara dicto altiſſimo munitiſſimoque in regno Bernagaſſo cuſtodiuntur, educantur, variisque gymnaſmatibus exercentur, omoique ad alios aditu arcentur, ni lapidibus a vicinorum locorum incolis malint obrui. Olim quadem imperantes majeſtatis ſpecie nulli conſpiciebantur, cæruleo linteo faciei ſuperinducto; hodie vero mitiores humanioresque exterorum regum commercio facti, cuilibet ſui vivendi copiam faciunt. Regis ejus ſedes, in qua ſolet coronari & quandoq; commorari alias eſt *Axuma* (in mappis Chaxumo) unica fere urbs Abeſſyniæ, ſi modo urbs nominari debeat, cum teſte Baudrando hodie nonniſi vicus ſit, nullæque alias ibi ſint ciuitates ne dum oppida, ſed vicatim bebitetur. De cœtero monarchice & deſpotice imperat, ita ut non tantum iioi ſed & ſupremi ordinis homines ſervi ejus ſint, præfecturas concedit, cuicunque placuerit, præter provincias Tigræ & Dambeæ, quarum præfecti ſunt hæreditarii, jus ſummum ſacrorum exercet, ſynodos convocat, edicta de rebus ſacris promulgat, Metropolitam ſeu Patriarcham (Abuna vocant) ex Ægypto vocatum ſua autoritate confirmat, & in omnes clericos juriſdict. Eccleſ. exercet, in ſecularibus nullas leges poſitivas agnoſcit, nec ullos regni ordines habet, docente *Ludolffo* lib. 2. cap. 6. Subditi proſtrata facie eum venerantur, compellantque *Abeto*, quio & ſupplicantes orto ſtatim die ad aulam ejus accedere certoque loco conſiſtentes ideotidem diſtinctis quibusdam Tonis hæc verba: Janchoi, Belulchoi, i.e. Rex mi, papilla mea, aut Hadariye partim canentes partim ululantes iogeminare ſolent, douec admittuntur.

Conſiliarii ejus 26 eſſe perhibentur teſte *Baudrand* l. c. Præcipuus eorum olim dictus fuit Bathuded (quam vocem Bodinus de magno Palatii magiſtro interpretatus eſt, rectius vero Ludolffus de viro, cui ſoli janua principis patet) Hodie vero teſte Tellezio Reiſſ vel Raſſ. i.e. caput, prioceps ſive præcipuus rerum agendarum miniſter vocatur. Nudus usque ad genua coram Imperatore comparere ejusque juſſa demiſſo vultu expectare dicitur. De cœteris aulæ officiis uti & de præfectorum in provinciis variis nominibus & titulis vide Ludolffum lib. 2. cap. 14. & 9.

Reditus Imperatoris conſiſtunt in naturalibus regionum peoventibus, quarum aliæ ut Ynarya & Damota magnam aori vim, aliæ eqoos & jumenta, aliæ coria boum, aliæ frumentum præſtaot. Pecuniam quod attinet, eam nullam cuduot teſte *Ludolfo* lib. 2. c. 7. aurum vero uociis ſeu Oqueis ponderant, quarum quælibet decem valent Patacas Luſitanicas. Permutatione autem magis quam emtione & veoditione utuntur, unde & in quibusdam regionibus ſale foſſili loco pecuniæ permutatiooes inſtituuntur. lib. 4. cap. 5. rariſſimaque ſunt io Æthiopia artificia & opificia.

Ex cœteris denique moribus & ioſtitutis Æthiopum, ſive ſacra, ſive civilia, ſive œconomica ſpectent, ſummatim hæc obſerventur. Ingenti numero monachorum varii ordinis laborant, eorumque 6000 interdum una vice a Patriarcha ordinari referunt, cujus ditiones ac proventus ſunt ampliſſimi, bonorum tamen ipſorum omnium poſt obitum Imperator unus ex ſolido hæres eſt. Poſt Patriarcham antiſtes ſummus Monachorum eſt Itſchege. Alii Komaſat & Debtarat dicti, canonicis & præpoſitis Eccl. Lat. fere reſpondent. Una cum die Dominico etiam die Sabbati more Iudaico feriantur, nimio cultu B. Mariam Virginem venerantur, imagioes tantum pictas in templis admittuot, ſtatuas vero & ſigna ſanctorum deteſtantur, ſacerdotes io publico crucem geſtant, uxores quidem ducunt, ſed ad ſecunda vota non tranſeunt; a ſanguine & ſuffocato, atque ut dicitur a carne quoque ſuilla abſtineot; ſacramentum euchariſtiæ infantibus admioiſtrant, confitentes in templis pro ratione delictorum fuſtibus excipiunt, die XI. Januarii memoriam baptizati Servatoris celebrant, eoque feſto ſe oudos in flumina projiciunt, quem ritum pro anabaptiſmo perperam acceperunt Jeſuitæ. *Ils ont encore une coutume*, ait *Baudrand* l. c. *qu'on peut appeller en quelque ſorte religieuſe, ils ſervent a table parmi leurs mets trois plats, dans l'un desquels il y a des poires coupees en forme de croix, dans l'autre des cendres & dans le troiſieme du feu. Ce ſont la des mets pour l'eſprit & deſtinet a les faire ſouvenir de la paſſion du ſauveur, de la Mort & de l'Enfer.* Porro epulanti Regi offæ in os ingeruntur. Milites non accipiunt ſtipendia, ſed annona contenti ſunt. Polygamia alicubi cumprimis in regnis Tigremay & Tigrey non prohibetur, aulicique communiter duas aut tres uxores ducunt, & Reges quoque ſex aut ſeptem olim habuiſſe referunt; Ritus nuptialis collocato ante fores domus thoro peragitur, cui ſponſus & ſponſa incumbunt iisque a ſacerdote adhibitis quibusdam aliis ritibus benedicitur. Hoſpitia & diverſoria oon habent, ſed in pagis hoſpites alternis vicibus conſtituuntur, qui pauperes ſuſcipiant. Architectura quidem olim in hoc regno ſatis nota fuit, ut ex ruinis Axumæ & magnificorum templorum paſſim apparet, ſed poſtea ob regum crebra & longioqua itioera exolevit, donec Ieſuitæ eam reſtaurarent, & calcem in Abeſſinia antea in cognitam reperirent. Ius leviratus alicubi exercetur. Cœterum ob defectum bonarum legum, quibus ſcriptis carent, omnia pro arbitrio dijudicant. Io re domeſtica cibi plerumque viles & exiles, ſed potus paulo lautior obſervatur, quo nonniſi peractis epulis demum utuntur. Villæ humiles ex maceria & argilla conſtructæ & ſtramine tectæ ſunt, nobiliores ſub tentoriis degunt. Molas habent nonniſi manuarias atque adeo difficillimum molendi modum, qui a fœmiois peragitur, cum ex adverſo viri lavent lineas veſtes. Plauſtris & carris deſtituuntur, omnia vero itioera mulis cooficiunt. Plebeji femoralibus tantum ſuot inducti & panno aliquo humeris tecti, quo oocto pro tegumento vel linteis, quibus carent, utuntur. Nobiliores vero femoralia ſive braccas ad talos usque demiſſas geſtant. Nonnulli plane nudi ineedunt, epiſtolas, quas privatim ſcribunt, a ſcriba loci ſibi confici curant.

Jejunio 50 dierum ita ſe macerant, ut vix pedibus ſtare poſſiot, (qua ratiooe etiam debilitatos Abaſſinos Mauri & Arabes bello aggredi ſolent) artium liberalium, uti & picturæ atque muſicæ vel plane ſunt rudes vel parum certe periti &c. Plura cui de Abaſſinis noſſe volupe eſt, adeat autores ipſos cumprimis ſæpius laudatum Ludolffum, quo nemo hactenus meliorem de Æthiopia inſtituit tractationem. Id paucis modo addimus antea prætermiſſum, nimirum Baſilidi, quo regnante Romanenſes omnes regno ejecti ſunt, ſine ulla ſpe reditus, ſucceſſiſſe a. 1680. R. Inſo Adiam Taaged, iſti vero hoc ſeculo mortuo *Joſephum*, qui hodienum imperat Æthiopiæ WINDHORNIVS l. c, p. 84.

Romani imperii, qua occidens eſt, deſcriptio geographica N. SANSON ABBAVILLÆO, Galliarum regis mathematico & geographo, gravée & imprimée à Paris par MELCH. TAVERNIER, graveur & imprimeur de ſa majeſté pour les cartes geographiques. 1637.

Europa, Chriſtiani orbis domina, in ſua imperia, regna & ſtatus exacte diviſa per JOH. BAPT. HOMANN. Norib.

Hiſpaniæ veteris deſcriptio apud JOH. JANSSONIUM. ABRAH. GOOS ſculpſit.

Tabula Hiſpaniæ præcipuis urbibus, veſtitu, inſignibus & antiquitatibus exornata per N. JOH. VISSCHER 1623.

Hiſpaniæ deſcriptio. Amſtel. excud. JOH. JANSSONIUS 1626.

Hiſpania & Portugallia auct. F. de WITT.

Hiſpania & Portugallia tabula auct. P. SCHENCK. 1706.

Eadem per JOH. BAPT. HOMANN.

Hiſpania ex archetypo RODERICI MENDEZ SYLVÆ ex variis relationibus MStis & impreſſis hujus regni emendatis per obſervationes ſociorum academiæ ſcientiarum, quæ eſt Pariſiis, per GVIL. DE L' ISLE cura MATTH. SEUTTERI.

Portugallia & Algarbia, auctore VERNANDO ALVERO SECCO, apud GVIL. & JOH. BLAEUW.

Eadem denuo edita a F. DE WIT.

Galliæ veteris typus ex geographicis conatibus ABRAH. ORTELII. 1594.

Gallia vetus ad J. Cæſaris commentaria apud JOH. JANSSONIUM. *J. van den ENDE* fecit.

Galliæ tabula Amſtelod. apud JODOC. HONDIUM.

Galliæ deſcriptio multis in locis de integro emendata, ſimulque effigies principum, præcipuas Gallorum urbes ac habitus exhibens, Amſtelod. per JOH. JANSSONIUM. 1627.

Galliæ deſcriptio, qua omnes provinciæ, viæ angiariæ, aliæque res notatu dignæ diſtincte oſtenduntur per DAVID. FUNCKE. JOH. BAPTIST. HOMANN ſculpſit.

Gallia concinnata ad magnum numerum mapparum particularium manuſcriptarum vel impreſſarum juxta genuinum ſitum locorum & collatorum cum itinerariis veteribus & recentioribus accuratiſſime emendata per operationes geometricas & obſervationes academiæ regalis ſcientiarum, ut & aliorum geometrarum & aſtronomorum per GVIL. DE L'ISLE Geogr. acad. regal. ſcient. Auguſtæ Vindelicorum excuſa a MATTHÆO SEUTLER Calc.

Habemus etiam *mappam geographicam Galliæ* per WITTIUM, VISSCHER & DANCKERTS.

Canalis inter Angliam & Galliam cum omnibus ſuis portubus, arenis & profundis per JUSTIN. DANCKERUM.

Inſularum *Britannicarum* delineatio ABRAH. ORTELII, apud JOH. JANSSONIUM. PET. KAERIUS cælavit.

Magna Britannia per NIC. JOH. VISSCHER. ABRAH. GOOS ſculpſit.

Magnæ *Britanniæ & Hiberniæ* tabula GVIL. BLAEUW excudit.

Anglia, Scotia & Hibernia tabula auctore FREDERIK DE WIT.

A new mapp of the Kingdome of *England*, repreſenting the Princedome of Wales and other provinces, cities, marck & Towns, with The Roads from Town. An the number of reputed Miles between them, are given by inſpection without ſcale or compaſſ. Printed an given out at Amſteldam by NIC. VISSCHER and are to beſuld at London by JOHN OVERTON.

Scotia antiqua, qualis priſcis temporibus Romanis præſertim cognita fuit, per R. GORDONIUM a STRALOCH 1653.

Regni Scotiæ tabula diviſæ in ducatus, comitatus, vice-comitatus, prov. præfecturas, dominia & inſulas, auct. PETR. SCHENCK. 1708.

Hiberniæ brevis tabula, juxta ampliorem delineationem D. WILHELMI PETTII Equitis. JACOB SAUDRART excudit Noribergæ.

Hiberniæ regnum tam in præcipuas, quam in minores earundem provincias & ſubjacentes diviſum per NIC. VISSCHER.

Hiberniæ delineatio diviſæ in triginta duos comitatus, qui & ſunt diviſi in omnes ſubjacentes baronatus per PETR. SCHENCK.

Foſſa ſancta Mariæ, quæ & Eugeniana dicitur, vulgo *die nieuwe Grifft*. Foſſa hæc a Rheno ad Moſam duci cœpta eſt anno 1627. auſpiciis Iſabellæ Claræ Eugeniæ Hiſpaniarum infantis Belgicæ gubernatricis. Excudit GUIL. JANSSONIUS BLEAUW.

Belgii regii accuratiſſima tabula pluribus locis recens emendata a F. DE WIT.

Provinciæ Belgii regii diſtinctæ eo quo ſunt hodie diviſæ modo inter regem Galliæ, Hiſpaniæ & ordines provinciarum fœderatarum, auct. JUSTO DANCKERTS Amſtelod.

Imperium Caroli M. Amſtelodami ſumtibus JOANNIS JANSSONII.

Germaniæ veteris typus. JOH. JANSSONIUS excud. PETR. KAERIUS cælavit. *Jacobo Monavio* dedicavit. ABRAH. ORTELIUS.

S. Imperium Romano-Germanicum oder Teutſchland. Neulich entworffen und theils gezeichnet durch JULIUM REICHELT Cur-Pfaltz-Raht und Matheſ. Profeſſor P. zu Strasburg, aber ausgeführt und ausgegeben durch PETRUS SCHENCK zu Amſteldam.

Imperium Romano-Germanicum in ſuos circulos, electoratus & ſtatus accurate diſtinctum a JOH. BAPTISTA HOMANNO Norimbergæ.

Hydographia Germaniæ, qua geographiæ naturalis ea pars, quæ de aquis celebrioribus, præſertim vero de fluminibus Germaniæ agit exhibetur, opera JOH. BAPTISTÆ HOMANNI Noribergæ.

Poſtarum ſeu veredariorum ſtationes per Germaniam & provincias adjacentes, *von JOHANN PETER NELL ſowol Anfangs inventirt, als anjetzo viel vermehrt, mit Fleiſs aber in Kupffer gebracht und verlegt von JOHANN BAPTIST HOMANN.* CAROLO JOSEPHO Comiti de PAAR dedicavit NELLIUS. Renovata & aucta eſt hæc tabula anno, quo *PaX gerManIa rapta DII paCta & ſanCIta eſt.*

Tabula geographica totius Germaniæ, qua differentiam imperii trium religionum ſtatus & dominium diverſis coloribus diſtincte exhibentur a JOH. BAPT. HOMANNO.

Daniæ regni typus per NIC. JOH. PISCATOREM.

Regni Daniæ accuratiſſima delineatio. t' Amſterdam by FREDERIK DE WIT. 1659.

Daniæ regnum, ducatus Holſatia & Sleswicum, inſulæ Danicæ, provinciæ Jutia, Scania, Blekingia & Hollandia exacte delineata per D. FUNCKE. JOH. BAPT. HOMANN ſculpſ. Noribergæ.

Idem regnum eædemque provinciæ, auctore PETRO SCHENCK. Amſtelod. 1706.

Inſulæ Danicæ in mari Balthico ſitæ, utpote Zeelandia, Fionia, Langelandia, Lalandia, Falſtria, Fembria, Mona, repræſentatæ a JOH. BAPTIST. HOMANNO Norib.

Accurate Vorſtellung der berühmten Meer-Enge zwiſchen der Nord- und Oſt-See, der Sund *genant, mit der herumliegenden Gegend von Seeland und Schonen, nebſt der Stadt* Copenhagen, *ſowol im Grund als Proſpect zu ſehen. Edirt von J. B. HOMANN in Nürnberg.*

Suecia, Dania & Norvegia, regna Europæ ſeptentrionalia. Juxta archetypum ANDREÆ BURÆI DE BOO, Secretarii regii, & ſupremi regni Sueciæ architecti.

Scan-

Scandinavia complectens Sueciæ, Daniæ & Norwegiæ regna. Ex tabulis J. B. HOMANNI.

Tabula regnorum *Suecia* & *Norvvegia*, Amſtelod. apud FREDERIK DE WIT. J. L. HUILIER ſculpſit.

Regni Norvvegia accurata tabula, io qua præfecturæ quinque geoerales, *Aggerhuſienſis*, *Bergenſis*, *Nidroſienſis*, *Wardhuſienſis* & *Bahuſienſis* oſtenduntur a J. B. HOMANNO. Norib.

Plan der Belagerung von Friedrichshall 1713. *edirt von J. B. HOMANN.*

Suecia magna hodiernæ in ſex principales ſuas partes earundemque ſubdiviſionum, ac adjacentium inſularum geographica diſtinctio, per G. VALCK.

Regni Suecia in omoes ſuas ſubjacentes provincias accurate diviſi tabula generalis per J. B. HOMANN.

Magnus ducatus *Finlandia*. Apud hæredes JOH. JANSSONII.

Tabula Ruſſia ex autographo, quod delineandum curavit Foëdor filius Tzaris Boris, deſumta; & ad fluvios Dwinam, Zuchanam aliaque loca: Quaotum ex tabulis & notitiis ad nos delatis fieri potuit,; amplificata a Tzari MICHAELI FOEDROWITZ dedicata ab HESSELO GERARDO. 16·4.

Carte *de Moſcovie* dreſſé par GVIL. de l'ISLE, premier geographe du Roi, dediée à André Artémonides de Mantueoſ.

Generalis totius *imperii Moſcovitici* noviſſima tabula, magnam orbis terrarum partem a polo arctico uſque ad mare Japonicum, & Chinæ ſeptentrionalis confinia exhibens, cum via Czariræ nuper legationis ex urbe Moſcua per univerſam Tartariam ad magnum Chinæ imperatorem, ex conatibus J. B. HOMANNI. Norib.

Topographiſche Vorſtellung der Stadt St. Petersburg, *ſamt ihrer zuerſt angerichteten Veſtung, welche anno 1703. erbaut worden, herausgegeben von J. B. HOMANN in Nürnberg.*

Charte des Neva-Stroms von der Lagodiſchen bis an die Oſt-See. Cronslot *anno 1704. erbaut.*

Reipublicæ & ſtatus generalis *Polonia* nova tabula, comprehendens majoris & minoris Poloniæ regni, magni ducatus Lithuaoiæ, ducatus Pruſſiæ; Curlandiæ, Ruſſiæ, Ucraniæ, Maſſoviæ, Volhyniæ & Podoliæ, accuratam deſcriptioem per F. DE WIT. Amſtelod. ex officina PETRI MORTIER.

Regni *Polonia* magnique ducatus Lithuaniæ uova & exacta tabula, ad mentem *Staravolcii* deſcripta a JOH. BAPT. HOMANN. Norib.

Ducatus *Livonia* & *Curlandia* noviſſima tabula, in quibus ſuot Eſtonia, Litlandia & aliæ minores provinciæ per JUSTUM DANCKERTS. Amſtelod.

Pruſſia accurate deſcripta a *Gaſparo Henneberg* Erlichenſi. Sculpſerunt SALOMON ROGERI & E. S. HAMERSVELDT.

Eadem Hennebergii tabula prodiit etiam per GVIL. BLAEUW & NIC. JOH. PISCATOREM. 1630.

Magnæ *Pruſſia* ducatus tabula deouo correcta & edita per DAV. FUNK Norimbergæ. JOH. JOACH. PüSCHEL ſculpſit.

Regnum *Boruſſia* auſpiciis FRIDERICI III. inauguratum d. 18. Jan. 1701. Geographice cum vicinis regionibus adumbratum a J. B. HOMANN Norimb.

Carta nova accurata del paſſagio & ſtrada dalli paeſi baſſi per via de Allemagna per Italia & per via di paëſi Suizerá a Geneva, Lione & Roma per ſervizzio delli marchanti & viagianti in Gennale ad inſtaoza delli Ss. Scherer & di Mounforti ſpeditori delli marchantie in Bregenſ. dato in luce da CORNELIO DANCKERTS di Amſterdam l'anno 1651.

Helvetia, *Rhetia* & *Valeſia* cæterorumque confœderatorum ut & finitimorum populorum tabula geographica & hydographica. Opera JOH. CONR. GYGERI, Helvet. Tigurini delineata, & a CONRADO MEYERO in æs inciſa, Anno 1657.

Helvetiorum reipublica Cantones XIII. ut & fœderata *Rhatia*, quique iis ſocii ac ſubditi: adjunctis una comitatibus *Valleſia* & *Neocomi* per G. VALK.

Eadem tabula per J. B. HOMANN delineata.

Lotharingia & utriuſque *Alſatia* io ditiones minores diviſarum tractibusque inſertis & finitimis circumſcriptarum delineatio per THEODOR. DANCKERTS.

Utriuſque *Alſatia* ſuperioris & inferioris nova tabula. Amſtelod. ſomptibus JOH. JANSSONII.

Eadem tabula per H. J. BODENER, & P. SCHENCK.

Landgraviatus *Alſatia* cum utroque marchionatu Badenſi ut & tractu Hercyniæ ſilvæ ac ditione quatuor urbium ſilveſtrium, edit. JOH. BAPT. HOMANN. Norib.

Utriuſque *Burgundia* deſcriptio apud GVIL. BLAEU.

Burgundia ducatus & comitatus deſcriptio, Antwerpiæ apud PET. VERBIST.

Comitatus Burgundia. Dividitur tam in præfecturas tres generales, quam in plurimas ſubalternas per F. DE WIT. Ex offic. PETR. MORTIER Amſtelod.

Delphinatus vulgo Dauphiné avec ſes confins des pais & provinces voiſines par JEAN DE BEINS Geographe & ingenieur du Roi. Apud GUIL. & JOH. BLAEUW.

Comté & gouvernement general de *Provence* diviſé eo ſes Senechaus fees & Vigueries avec les terres adjacentes. Par F. DE WIT chez PIERRE MORTIER.

Italia veteris ſpecimen per ABRAH. ORTELIUM.

Italia antiqua delineatio auctore PHILIPPO CLUVERIO. JODOCUS HONDIUS excudit.

Tabula *Italia* ſumma cura & cenſura NIC. JOH. VISSCHER.

Eadem per FREDER. DE WIT JUSTIN. DANCKERTS. MATTH. SEUTTERUM & J. B. HOMANN.

L' Italia con le ſue poſte e ſtrade principali deſcritta da GIACOMO CANTELLI da Vignola Geogr. del Ser. Sr. Duca di Modena, data in luce da MATTH. SEUTTER.

Ducatus *Sabaudia*, priocipatus *Pedemontium* & ducatus *Montisferrati*, ſumtibus J. B. HOMANNI.

Status *Mediolanenſis*, oec noo ducatuum *Mantua*, *Modena*, *Parma*, ut & *Genuenſis* reipublicæ delineatio opera GERARDI VALK.

Belli typus in Italia victricis Aquilæ progreſſus io ſtatu *Mediolanenſi* & ducatu *Mantua* demonſtrans, per J. B. HOMANN 1707.

Status eccleſiaſtici magnique ducatus *Florentini* nova exhibitio per J. B. HOMANN.

Inſularum *Sardinia* & *Corſica* aotiqua deſcriptio, Amſtel. apud JOH. JANSSONIUM. Inſularum aliquot *Aegai maris* antiqua deſcriptio ex conatibus geographicis ABRAHAMI ORTELII.

Regnorum *Sicilia* & *Sardinia* oec non *Melita* inſulæ tabula, auctore J. B. HOMANN.

Campagna di *Roma*, olim Latium: *Tuscia* ſuburbicaria, & in ea *patrimonium S. Petri*; nec noo *Sabina*. Di GUGLIELMO BLAEU.

Roma antiqua triumphatrix ab antiquis monumentis & rerum geſtarum memoriis eruta a JACOBO LAURO 1635. Romæ.

Urbis Roma veteris ac modernæ delineatio per J. B. HOMANN.

Regni *Neapolitani* tabula per J. B. HOMANN.

Sicilia veteris typus apud JOH. JANSSONIUM. ABR. GOOS ſculpſit.

Regnum *Sicilia* urbibus præcipuis exornatum per F. DE WIT.

Regni

Hermanni Conringii Diſſertatio de ratione ſtatus.

Reſpondente Henrico Voſs, Equ. Ravensberg.
Ad diem XXVI. Mart. MDCLI. habita.

Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi ac Domino, Domino

FRIDERICO GVILIELMO, Marchioni Brandenburgenſi, S. R. I. Archicamerario & electori, Magdeburgi, Boruſſiæ, Juliaci, Cliviæ, Montium, Stetini, Pomeraniæ, Caſſubiorum, Vandalorum, & in Sileſia Croſnæ, Carnoviæque Duci, Burggravio Norinbergenſi, Principi Halberſtadenſi ac Mindenſi, Comiti Marchiæ & Ravensbergæ, Domino in Ravenſtein, Domino meo Clementiſſimo,

Salutem & felicitatem.

Academicum hocce, qualecunque etiam eſt, ſereniſſime princeps, domine Clementiſſime, ſerenitati tuæ conſecratum ivi tyrocinium, quod in tui obſequium & ſe & me jam ſiſtit, & per te a multorum hominum injuriis defendi cupit. Impudens forte, ne dicam audax, videri poſſem, quod tam crudo & immaturo fœtu tantum principem compellare fuerim auſus. Verum iſtiusmodi audaciæ gratiam me haud difficile impetraturum ſperare facit cauſa non una. De RATIONE STATVS me præſentem inſtituiſſe diſſertationem legenti haud poterit eſſe obſcurum, nec diffiteri equidem habeo ſatis odioſam eſſe hanc RATIONIS STATVS vocem, naturam vero obviam. Etenim pleriſque omnibus illa ſimulationum artifex, fraudis dolique magiſtra, & omnium denique malorum officina audit. Hæc talia mihi apud animum cogitanti, potuiſſet perfacile ſiniſtra hæcce & erronea vocis interpretatio hoſce meos, majores equidem voluntatis quam facultatis, conatus, in ipſa, quod ajunt, herba ſupprimere, ne unquam tam arduum & odioſum pariter opus moliri ſuſtinuiſſem, niſi ſerenitatis tuæ deſideratum patrocinium hanc mihi exemiſſet anxietatem. Eoque hi mei conatus exire verentur ante quam per ſplendorem tanti tui nominis omnem caliginem exuti, & a variis hominum judiciis liberati maxime immunes eſſe queant. Cæterum præſens hæcce materia an nobilis, & principe, de quo nihil tam magnificum poteſt prædicari (abſint verba fuco oblita & ad gratiam compoſita) quod ſummæ ejus virtutes non ſuperent, digna ſatis ſit, immaturo & juvenili judicio definiri fas non eſt. Alioquin apud civilis prudentiæ peritiores in confeſſo eſt, RATIONEM STATVS publicum præ ſe ferre ſubditorum commodum. Quod ſi verum, ut equidem nullus dubito, non ſane video, cujus ſe patrocinio diſſertatio de RATIONE STATVS concrederet rectius, quam illius, qui ipſius ſacri Romani imperii ſtatum non modo magna ex parte conſtituit ſummum; ſed & in dies ſingulos hoc optima ratione meditatur obnixe, ut conſilia & actiones ſuas ad RATIONEM STATVS h. e. egregium ſubditorum publicum dirigat & per oculos, aures, pedes, ac manus (ita ipſemet Ariſtoteles principum vocat conſiliarios & miniſtros) pie ac ſedulo dirigi faciat. Accedit & alia cauſa, eaque non in ultimis ponenda, quæ ſerenitati tuæ præſentem theſium libellum ſacrum eſſe voluit, quando videlicet T. S. ſubditus vivam, ex ea ortum ducens terra, quæ te patrem patriæ vel ideo ſubmiſiſſime colit, admiratur, & tantum non adorat, quod non tam principis quam paterno in eam propendeas affectu. Enim vero de reliquis tuis virtutibus, quas nulla etiam ingrata ætas obliterabit, nulla vel improba poſteritas ſilebit, nulla quamvis invida oblivio delebit, dicere aggreſſuro, vereor multum, ne mihi objiciatur, quod Antalcidas cuidam Herculis encomium recitanti reſpondiſſe fertur, *ecquis illum vituperat?* Supervacaneum exiſtimans ejus operoſe a capite arceſſere laudes, quem uno ore certatim prædicarent omnes, aut certe eum omnino fruſtra eſſe, qui illum cœlum quaſi extollere niteretur, cujus laudibus dicendis plane ſit impar aut etiam cujus laudes jam dudum conſequens loqueretur vox omnium. Liceat igitur in præſenti tantummodo, quod uno ambitu reliquas virtutes complectitur omnes, ſine ullis ambagibus proloqui, inuſitata tua rariſſimo exemplo cum juſtitia conjuncta comitas non ſubditos tantum, verum & alios exteros populos in tui cultum adeo trahit, ut tibi nemo non ſe merito obſequioſum & obæratum plane animo profiteatur lubenti, inque dies ſolvendo eſſe allaboret. Equidem quotiescunque hæc recolo, recolo autem fere quotidie, ſub ruſtico quodam pudore ſuffundor, nihil tale hactenus a me eſſe profectum, quo ſubditus ego pium, gratum & obſeqentem erga principem, quo non perfectior alter conteſtarer animum, ejusque gratiæ me quam humillime devoverem. Hinc omni tempore omnino mearum partium eſſe putavi, niſi ingenium patriæ largiter peccare velim, ut omnes inirem rationes quo prius, quam ex hac illuſtri ſereniſſimæ Guelphicæ familiæ Julia in ditionem S. T. patriam meam reditum, atque ad exteras poſtea terras abitum pararem, erga ſereniſſimam tuam celſitudinem tantillum hoc jam extaret obſequioſi animi monumentum. Perexiguum quidem eſſe quod offero fateor, ſi aut ex tua, aut ex ſua ſpectetur dignitate, aſt, ſi ex animo meo, permagnum. Et ſpes etiam me fovet certa, tantum & tam æquum principem, nec a ſubdito

 Aaa a majus,

V.

Vox autem ſtatus ſumitur vel ſtricte pro reipublicæ ſtatu, vel vulgariter.

Poſteriori modo ſumitur non tantum pro conditione privatorum; ſed & per illum præſens Reip. fortunæ conditio, & conſtitutio ſæpius exprimitur, & *ſtatus* vocabulo omnia ea indigitantur, ſine quibus Reſp. conſiſtere nequit. Huc ſpectat etiam, quando dicimus ſtatum alium eſſe eccleſiaſticum, alium ſecularem, alium Oeconomicum. Poſteriori vero modo, quando dicimus in hac vel illa ditione obtinere ſtatum Monarchicum ſive regium, in alia ſtatum Ariſtocraticum, ſive alium quem in alia Reip. forma ſive herili ſive paterna ſeu domeſtica, ut Ariſt. *lib. 3. polit. c. 4.* vocat. Sed de his ſignificationibus ſeorſim conſideratis ſive vulgaribus ſive politicis, utpote ad inſtitutum parum facientibus operoſiores eſſe nolumus.

VI.

Nobis autem hæ voces conjunctim ſumtæ explicandæ erunt. Et tunc ratio ſtatus multipliciter, & variis varie ſumitur. *Ambiguitas.*

Ita (1) pro arcano aliquo Reip. (2) prudentia aliqua ſed extraordinaria Remp. regundi, (3) pro utili aliquo ſive cynoſura conſiliorum & actionum ad præſentem Reip. ſtatum adminiſtrandum obſervanda, ut eo felicius finem Reipubl. qui eſt civium ſalus, conſequamur, (4) pro lege aliqua ſtatui Reip. utili, ſive ea bona ſit ſive mala, (5) denique Machiavelliſtæ *rationem ſtatus* capiunt pro utilitate & commodo ſolius dominantis, ſive ille juſtam ſive iniquam habeat dominii ſui cauſam, nullo facto diſcrimine. Sed hi plerique oppido a noſtra aberrant ſententia.

VII.

Nobis igitur in tertia potiſſimum ſignificatione accipitur. Synonyma ejus accurate rem exprimentia apud autores ſunt rariſſima. *Synonyma.*

Clapmarius quidem d.l. plurimas adducit nobis etiam jam tum memoratas *Concluſ.* 3. locutiones ſynonymicas, cum ex priſcis latinis ſcriptoribus, tum ex ipſo philoſopho, quibus veram & genuinam vocabuli naturam exprimere conatur, ſed utrum hæc talia (exceptis vocibus Italicis quæ ibi habentur) inſtituto noſtro ſatis faveant, non dixerimus. Propius ad nos pertinere videtur uſurpatio Flori, cum *lib. 1. c. 8. anacephalæoſi de ſeptem regibus*, eos tam varios ingenio fuiſſe ſcribit, ut *Reip. ratio & utilitas* poſtulabat, ubi per rationem Reip. laudatum Florum nihil aliud, quam conditionem & utilitatem ejus, quam hodie *la ragion di ſtato* appellant, intellexiſſe volunt, doctiſſimi ejus commentatores Johannes Freishemius & Nicolaus Blanckardus in ſuis ad Florum indicibus. Idque etiam ſatis elucet ex literis Ciceronis ad Plancum, quibus eum monet his verbis: *nihil huc rejicias; neve in rebus tam ſubitis tamque anguſtis a ſenatu conſilium petendum putes. Ipſe tibi ſenatus, quocunque te ratio Reip. ducet, ſequare.* Vid. *lib. 10. ad fam. epiſt. 16.* Scipio Amiratus *dict. diſſert. in Tacit.* Jus regnandi vocat, item regnativam prudentiam, quam tamen latinius dici poſſe putat Hippolithus a Lapide, jus dominationis ſive arcanum imperii *in diſſert. ſuad. rat. ſtat. in proleg. ſect. 1.* An ſatis recte non diſquirimus. Rectior forte deſcriptio, quando Italos primum hoc vocabulo denotaſſe *ſalutem & neceſſitates Reip. honeſtamque adminiſtrationis civilis συντήρησιν*, refert Bœclerus *Orat. de Rat. ſtat. in regno literario, quæ inſerta eſt notis ad Vellei Paterc. pag. 91.* Quidquid vero hujus ſit, his immorari diutius non ducimus operæ pretium.

IIX.

Porro origo rationis ſtatus eadem eſſe cenſetur cum ipſa Republica. *Origo.*

Inficiari non poſſumus vocem *rationis ſtatus*, ab Italis primum excogitatam, ad Gallos translatam, & poſtmodum ab his quoque ad nos eſſe profectam, ubi pluribus *Concl. præced. 3.* Rem tamen ipſam multis retro ſeculis haud ignoratam, ſed ſummis iſtis politicis Platoni puta & Ariſtoteli notiſſimam & ſemper propoſitam fuiſſe, non negaverimus, licet nec ipſa vox nec res ita expreſſe ac hodie a recenſioribus ſit uſurpata. Huc ſpectare putamus, *quod duo ſunt*, inquit philoſophus, *7. polit. 13. in pr. in quibus civitatis beatitudo conſiſtit, in fine videlicet & earum rerum, quæ ad finem ferunt, inventione.* Finis enim ſine mediis æque non attingitur, & illa non recte diſponuntur, niſi certus propoſitus ſit finis, ad quem conſilia tanquam ad ſcopum referantur, uti explicat Martinus Borrhaus *in annot. ad polit. Ariſt. dict. loc. Fieri enim poteſt*, pergit philoſophus, *hæc* (ſc. finem & media) *διαφωνεῖν ἀλλήλοιν καὶ συμφωνεῖν i. e. inter ſe diſcrepare & convenire. Hoc modo perfectitudinem obtineri, illo vero non.* Illudque duplici modo accidere, *vel quando omnia quidem ad finem diriguntur, ſed finis ipſe prave eſt poſitus; vel quando finis quidem recte eſt poſitus, ſed media non idonee applicantur. In utroque eſſe errorem, & ſic beatitudinem non obtineri.* Hac ratiocinatione nihil aliud nobis ſignificare voluiſſe Ariſtot. arbitramur, quam felicitatem civitatis potiſſimum conſiſtere in ratione finem recte conſtituendi, & media ad finem recte accommodandi. Hoc autem fieri recte non poteſt, niſi quatenus utilitas, quæ huic rationi modum præſcribit, expoſcit. Id enim natura ipſa uniuscujuſque ordinis ſuadet. Et hoc *ratio ſtatus* appellatur. Cum igitur ſine fine nulla Reſp. eſſe, & ſine mediis ejusdem finis obtineri non poſſit: hinc recte dici putamus omnem Remp. certa aliqua *ratione ſtatus* ortam, corroboratam, adauctam, & conſervatam: hac autem deſtitutam, penitus collapſam eſſe. Et per conſequens *ratio ſtatus* cum ipſa Rep. orta eſt.

IX.

Cauſam itidem ejus impulſivam cum ipſa Rep. minimum cepiſſe certum eſt. *Cauſa impulſiva.*

Per cauſam impulſivam nihil aliud hic intelligimus, quam hominum malitiam & perverſam poſt lapſum protoplaſtorum naturam, quæ uti privatis, ſic & multo magis iis, qui publico functi

fuerunt gubernandi munere anſam præbuit, ut, quoquomodo poſſent, ſibi totique adeo Reip. melius proſpicerent. Etenim prava illa mortalium libido animique in malum inclinabiles illo rigore & dexteritate Rectores Remp. non amplius adminiſtrare patiebantur, ac ſi adhuc fuiſſent in ſtatu illo ſummæ perfectionis. Quippe cum omnia exacte & examuſſim optime, orta hominum malitia, non poterant gubernari, dolo aut calliditate utili, honeſta tamen & laudabili admiſſa, imo *obliquo quodam & artificioſo flexu*, (ut verbis utamur Hippolythi a Lapide) *gubernanda Reſp. erat.* Ceterum cauſam impulſivam quando cum ipſa Rep. originem traxiſſe aſſerimus, non hoc volumus, quod ante eam homines non fuerint mali, quippe malitia illa hominum a lapſu quaſi herba irrigua, (ut comicus loquitur) ſuccrevit uberrime, nec quicquam ibi vile erat niſi mores mali, eorum videlicet licebat metere meſſem maxumam. Sed hoc demum intelligimus reſpectu Reipub. ſeu quemadmodum quivis privatus malitia alterius privati inducebatur, ut ſibi caveret a fraude, ſic etiam orta primum Rep. malitiam hominum ſtatim cauſam dediſſe Gubernatoribus ſive directa ſive obliqua ratione a lapſu ſibi proſpiciendi.

X.

Definitio. Jam ut ad rem ipſam accedamus, definiri poteſt ratio ſtatus, quod ſit reip. utilitas.

Huic noſtræ definitioni geminum videtur omnino quod ſuppeditat nobis Scipio Amiratus *lib. 12. diſc. 1.* poteſtque inſtar definitionis eſſe, *ſtatus ratio*, inquit, *ſive ea remp. ſive ipſam repræſentantes principes ſpectet, publici boni procurandi aut mali avertendi ratio eſt.* Quod alias vulgo dicitur, quot capita tot ſententiæ, id optimo jure dicere poſſumus de iis, qui *rationis ſtatus* definitionem tradere conati ſunt. Quippe, prout quisque hanc vocem diverſimode non ſolum ſumit, ſed in eadem nobiſcum acceptione, alius aliam & diverſam definitionem exſtruit, ſed irrito plerumque conatu. Primas obtinet, qui vires ſuas in definitione tradenda tentavit, Ludovicus Septalius & Medicus & Politicus perſpicaciſſimus, qui *rationem ſtatus* definit, quod ſit *habitus intellectus practici, quem prudentiam appellamus, cujus beneficio homines deliberant de rationibus, & modis introducendi & conſervandi eam dominii formam*, in qua ſunt conſtituti. Verum non ſatis facit Septalius hac in re; *ratio* enim *ſtatus* potius id ipſum eſt utile, quod per prudentiam in reip. formam ſive bonam ſive malam eſt introducendum, adeoque a vi vocis nativa longiſſime diſcedit, quando *rationem ſtatus* per prudentiam definit, quæ rectius forte finem ipſius prudentiæ conſtituere dici poſſet. Nec facere poſſumus cum Antonio Palazzo, qui citante Hippolitho a Lapide *in prolog. ſect. 2. rationem ſtatus* deſcribit, *regulam & normam, omnes res moderantem, & ad debitum finem perducentem.* Quæ definitio, licet plane contemnenda non ſit, ita etiam in omnibus non laudanda, laxa enim nimis eſt, & opus habet Delio quopiam natatore, ut jam proverbio de re obſcura dicto utamur. Clapmarius fruſtra etiam eſt cum latiſſima ſua definitione, quam habet *lib. 4. de Arc. Rerump. c. 2.* ubi ita definit: *jus dominationis*, (ita enim exprimit rationem ſtatus) *quod ſit ſupremum quoddam jus, ſive privilegium, bono publico introductum, contra jus commune ſeu ordinarium, ſed tamen a lege divina non alienum, atque jus veluti legitimæ tyrannidis.* Sive, ut Alciatus definit, eſt *juris communis quadam relaxatio, ſive correctio.* Hippolythus porro a Lapide, (ut autor ſe appellat) quia non parum operæ ſumſit in hac noſtra materia pertractanda, putat *d. l.* quod *ratio ſtatus certus ſit quidam politicus reſpectus, ad quem tanquam ad normam, ſeu cinoſuram aliquam, omnia conſilia, omnesque actiones in rep. diriguntur, ut eo felicius ac expeditius ſummum finem, qui eſt ſalus & incrementum reip. conſequantur.* Verum, ut ipſe fatetur, non *niſi populari uſus eſt* deſcriptione. Wilhelmus porro Ferdinandus ab Efferen, dominus in Maubach & Arendai, ut ſcripturientium turbam augeret, in ſuo (ut vocat) *Manuali politico lib. 1. punct. 1.* definit *rationem ſtatus prudentiam gubernandi, augendi & conſervandi remp.* Sed ut in illo libro nihil continetur, quod proprie ad hanc noſtram materiam pertinet, præter ſolam inſcriptionem, ita etiam tam lata eſt hæc definitio, ut omnem civilem prudentiam commode complecti poſſit. Tandem Gotfridus etiam Fibigius, profeſſor olim Jenenſis, ne plane aſymbolus eſſet, nobis ſuggerit, ſibique hinc non parum placet, definitionem aliquam, ſed a noſtro & vero ſcopo alienam. Ita enim ait *in elect. jur. publ. Roman. German. Generalib. Semid. 4. q. 3. n. 20. Nos exiſtimamus, rectius forte per rationem ſtatus intelligi ipſam reip. ſive imperii præſentem conditionem & quidem non pacatam & tranquillam, ſed turbulentam, violentam, ſeditioſam, & periculorum plenam, quæ pro conſervatione ſalutis publica extraordinarium poteſtatis civilis expoſcat uſum & exercitium.* Addit ſi hoc intuitu *rationem ſtatus* quis dixerit, *vim neceſſitatis inevitabilem*, ſuo quidem judicio a vero non aberrare. Plures jam ejusdem argumenti definitiones addere ſuperſedemus. Breviter nos *rationem ſtatus utilitatem reipublica* definivimus. Utile vero reip. eſt, quod ad illam ſive inſtituendam ſive conſervandam facit. In quam ſententiam loquitur & *Ariſtot. 1. Rhetor. 8.* his verbis. *Parent omnes ei, quod utile eſt, utile autem eſt id, quod conſervat reip. ſtatum.* Huc quadrat, quod ait Excellentiſſ. Dn. Præſes *cit. loc. optime expreſſeris rationem ſtatus latine per reip. rationem, aut per commodum publicum civitatis, vel reip. cumprimis qualis ea in præſenti eſt. Quicquid enim uſus reip. alicujus exigit, id ipſum eſt, quod ratio ſtatus poſtulat: neque aliud eſt ad rationem ſtatus dirigere conſilia, quam pro ſcopo actuum habere ſalutem illam publicam.* Ceterum objiceret nobis forte aliquis, in tyrannide non obſervari & intendi publicam civium ſalutem, ſed privatum potius quæri commodum. E. minus recte *rationem ſtatus* definiri per utilitatem reip. diſtinguendum putamus inter utilitatem reip. & publicam civium ſalutem vel commodum. Graviter equidem nos deciperemus, ſi tyrannum aut oligarchicos aut plebem in ὀχλοκρατία publicum civium commodum intendere affirmaremus, indubium tamen eſt, illos hoc ſedulo agere, ut reſp. ſua ſeu tyrannis ſit perpetua, & *rationem ſtatus* ſuæ tyrannidis

nidis in eo ſuam eſſe arbitrantur, ſi ita actiones ſuas dirigant, ut ſemper dominentur. Sed de definitione forte plus ſatis.

XI.

De Ratione ſtatus videbimus quoduplex ſit, quid intendat, & quibus mediis id, quod intendit, obtineat, & tandem Rempubl. a lapſu conſervet.

Sic ſe nobis offerent diviſio *rationis ſtatus*, finis ejusdem i. e. ſalus Reipubl. & denique media, quibus finis ille commode in ſubjecto obtineri & ſtatus incolumis conſervari queat. Quæ omnia, prout res patietur, in ſubſequentibus perſequemur.

XII.

Cum autem Reſp. conſiderari poſſit vel generaliter vel ſpecialiter, eique non minus in illo quam hoc conſiderandi modo conſervationis utilitas propoſita ſit: hinc & ratio ſtatus quin alia poſſit dici generalis, ſpecialis alia, non ambigimus.

Diviſio in generalem & ſpecialem.

In genere Reip. vocis acceptio eſt apud Ariſt. *3. Polit. 4. & 5.* item *4. Polit. 2.* atque tunc omnibus reip. formis eſt communis, prædicaturque tam de rectis quam aberrantibus. His enim omnibus etiam definitiones Reip. ab Ariſt. *ad. ll.* propoſitæ, optime adaptari poſſunt. In ſpecie vero ſumitur Reſp. prout ſignificat vel ſolum ſtatum Monarchicum, vel Ariſtocraticum, vel politicum, vel alium quempiam. Hoc ſignificatu Ariſtot. uſurpatur *3. Polit. 5.* Specialibus vero adhuc conſideratur Reſp. pro ſtatu ſolum populari, & hoc ſenſu obvium eſt apud Ariſtot. *3. Polit. 7.* Sic etiam regnum Remp. appellat Auguſtus apud Tacit. *lib. 3. Annal.* Definitur autem *d. lib. 3. c. 4.* Reſp. in genere, *civitatis ordo, cum in aliis magiſtratibus, tum in eo maxime, qui omnium eſt princeps.* Ut ſic nimis jactanter erret Bodin. *lib. 1. de rep. c. 1. pr.* quando ſe omnium primo Reip. definitionem effinxiſſe gloriatur. Sed videamus etiam, quot ſint numero reſpublicæ, & quidem quæ ex iis rectæ, quibus expoſitis aberrationes erunt perſpicuæ. Cum autem Reſp. & adminiſtratio publica idem valent, & adminiſtratio ſit Principis: hinc ſequitur principatum eſſe penes vel unum vel paucos vel multos. Qui unus vel pauci vel multi, ſi ad commune bonum præſunt, has eſſe rectas Reſp. conſtat. Contra quæ ad privatam vel unius vel paucorum vel multorum utilitatem, has eſſe aberrationes. Ariſtot. *3. Polit. c. 5. Et unius quidem Imperium, cui bonum commune eſt propoſitum, regnum appellatur, paucorum vero plurium tamen uno, Ariſtocratia ſeu optimatum, quod vel optimi imperent, vel quia id, quod civitati, & ejus participibus eſt optimum, ſpectent, cum autem multitudo ad commune bonum præeſt, communi omnium rerumpublicarum nomine vocatur reſp. Harum aberrationes, tyrannis eſt regni, olicharchia vero Ariſtocratia, Democratia reipublica.* Hæc Philoſophus *loc. cit.* His plane gemina tradit Tacitus *4. Annal. cunctas*, inquit, *nationes & urbes, populus, aut primores, aut ſinguli regunt.* Quod ſive de ſolis rectis ſive ſimul etiam de aberrantibus intelligas, perinde eſſe putamus. Ex rectis enim de corruptis facile eſt judicare. Et *rectum judex eſt obliqui*, uti docet Ariſtot. *l. de anim. text. 181.* Huic diſcurſui addere ſolent quæſtionem, *Ecquod inter homines optimum ſit & perfectiſſimum imperii genus?* rerum non lubet extra carceres, quod ajunt, vagari, videat qui volet de hoc Ampliſſ. Forſtner. *in not. Polit. ad Tacit. pag. 374.* & Thom. Morum *in fin. libelli de Utopia*, quem ita concludit. *Facile confiteor permulta eſſe in Utopienſium Rep. quæ in noſtris civitatibus optarim verius quam ſperarim.* Cum primis vero Ariſtotelem *l. 4. Politic. c. 11. & 12.* Interim adduci non poſſumus, ut illorum errori ſuffragemur, qui omnes Reſpubl. imperfectas & minus bonas, quod videlicet in illis potiſſimum dominantium ſolorum poſthabito communi quæratur commodum, injuſtitiæ & iniquitatis arguunt, & naturæ divinisque legibus e diametro oppoſitas eſſe adſtruunt. Ex quo enim tempore genus humanum in terrarum orbe belligerare cepit, ad hoc usque tempus indubitato receptum & permiſſum fuit dominicum aliquod in mancipium aut ſubditum imperium. Si ergo ejusmodi dominium privatum, & jure gentium, & divino & naturali permiſſum & conſtitutum eſt, non videmus, quid impediat integrum aliquem populum, aut magnam aliquam multitudinem ſubire ſervitutem, alicujus dominantis ſive unius, ſive paucorum ſive plurium. Jam de jure gentium, quin approbet ſervitutem nullum eſt dubium, per *§. 2. l. d. Jur. perſ. l. 4. ff. d. J. & J.* Deinde etiam ex veteri Teſtamento conſtat lege divina non modo non prohibitum fuiſſe ſubmittere quem alterius ſe ſervituti, ſed ſcimus inſuper eo jure modum præſcriptum eos in ſervitutem aſſumendi, tractandi, certa item requiſita & tempus manumittendi *Deut. 15. verſ. 12. 17. & 18.* Hugo Grot. *d. Jur. bel. & Pac. lib. 3. c. 14. §. 4.* In Nov. Teſt. exſtat epiſtola Pauli ad Philemonem ſcripta, in qua is cauſam agit Oneſimi ſervi contra Philemonem dominum. In hac epiſtola tantum abeſt, ut dicat Paulus ſervitutem eſſe injuſtam, ut etiam ne quidem manumiſſionem ſervi ſuadeat, ſed tantummodo iram, quam dominus de ſervo fugitivo conceperat, lenire conetur, rogetque ut de jure ſuo dominus nonnihil remittat. Imo nuſpiam Deum optimum Max. ſervitutes prohibuiſſe legimus. Denique nec ullum hodie veſtigium reperire licebit, cur ſervitus ſit contra naturam i. e. contra rectam rationem ſeu præceptum naturale. Quamvis enim *P. §. 2.* id affirmari videatur, tamen hoc tantum intelligendum de primæva naturæ conditione, ſecundum quam cum omnes eſſent recti & ſine peccato, iniquum fuiſſet, alterum alteri ſubjici: nunc autem ſuppoſito peccato non contra, ſed ſecundum naturam eſt, vid. Leonh. Leſſium *d. J. & J. lib. 2. c. 4. dub. 9. n. 56.* Adde rationes, quas pro continuanda ſervitute adducit A. Gislenius Busbeq *ep. 3. p. 160.* Et multo magis hoc obtinebit, quando quis voluntario motu alterius ſervitutem adit, vid. Grot. *d. tract. lib. 2. 5. n. 27.* Eodem modo juri nec divino nec naturali contrariari putamus, ſi integer populus ſervituti ſubjiciatur, vel juſta de cauſa, vel ſi animo ſit tam

ſervili, ut non aliud quam dominicum imperium ferre poſſit, ideoque ſponte ſua ſervituti ſe ſubjiciat. Ita cum Mithridates Ariarathem regem Cappadociæ per Gordium inſidiis occiderat, populus a Romanis devictus libertate eſt donatus. Sed Cappadoces munus libertatis abnuentes, negabant vivere gentem ſine rege poſſe. Atque ita rex illis a Senatu Ariobarzanes conſtituebatur. Juſtinus Trogi Pompeji Epitomator *lib. 38.* Inclinationis hujus ſervilis etiam ſunt homines agreſtes in Livonia, mancipiorum enim ibi videas provinciam duriorem, quam olim apud Romanos. Siquidem enim penſum laboris diurnum non exſolvant, aut nobiles ſuos alio modo offendant, vapulant miſerrimis modis. Horum ruſticorum duræ conditionis. Poloniæ rex Stephanus anno 1582. cum eorum miſereretur, vocari eos juſſit, ſignificarique, ſe illos a verberibus iſtis liberaturum, & mulctam, ſi deliquiſſent, mitiſſimam eſſe impoſiturum. Verum ruſtici illi iniquiſſimo hoc ferentes animo, antiquas ſe conſuetudines mutatas nolle, omniaque dura perpeti malle reſponderunt, quam novitatem introduci aliquam. Refert hanc hiſtoriolam ex Laurentio Mullero, ſcriptore quodam hiſtoriæ ſeptentrionalis, Beſold. *lib. 1. Polit. c. 5. §. 5.* Unde Philoſophus *1. Polit. 3.* decidit, ingeniis quæ natura ad id inclinant, ſervire & utile, & natura juſtum eſſe. Per conſequens herile imperium non omne erit injuſtum. Quod autem illæ reſp. dum in iis dominantium ſpectatur ſola utilitas, ſint minus bonæ & depravatæ, adeoque non mereantur exactæ civilis ſocietatis cognomina, id ambabus largimur manibus. Neque etiam omnibus in eis degentibus, ex animi ſententia bene eſſe, id lubentes fatemur, inde vero colligi nequit: E. iſta imperia aut iſtæ aberrantes reſp. ſunt injuſtæ. Quin obedientiam omni magiſtratui etiam iniquo præſtandam Deus præcepit. Nec jus naturæ prohibuiſſe ex dictis jam patet, cum ſervilia ingenia & bello ſuperatos cedere victoribus in ſervitutem, utpote jure gentium introductam lex naturæ permittat. Imo & adverſa fortuna aliquos adigere poteſt, ut malint ſervitutem ſubire, quam alia mala diutius pati, uti latius diſſerit Philoſoph. *3. Polit. 4.* In hiſce jam caſibus non commune, ſed unius vel paucorum quæritur maxime commodum, inde vero non ſequitur, illas imperandi formas eſſe injuſtas. Vid. Gvil. Barclai *lib. 2. adverſ. monarchomach.* Sed contra interdum etiam ſtatus aliquis eſſe poteſt injuſtus, quamvis communis habeatur ſubditorum ratio. In mundo eſt exemplum. Angli quidem præ ſe ferunt magnam libertatem, ſimulantque ſe quærere commune civium commodum, non tamen exinde efficietur ſtatus eorum juſtus & bonus. Per ſummam enim injuriam & neſandam optimi regis cædem ſibi hujuſcemodi ſtatum acquiſivere. Cum igitur ex his pateat rerump. formas differre, *rationem ſtatus* quoque variare neceſſum eſt, uti hoc infra diſquiremus. Neque enim inſtituti ratio patietur, hic loci id ipſum latius inveſtigare. Vid. hac de re egregie diſſerentem ampliſſ. Dn. Præſidem *dict. tract.* cui adde ejusdem *Exercit. de majeſt. Civil. autorit. circa ſacr. th. 7. & 8.* Nobis autem *in hac concl. ratio ſtatus* in genere ſumitur, non quatenus reip. ita abſtracte conſideratæ proſpicit, ejusque utilitatem promovet, ſed quatenus omni vel pluribus reip. formis ſeu bonæ ſint, ſeu aberrantes, hoc modo conſulit, & quæ earum conſervationem concernunt, obſervat.

XIII.

Generalis quæ conſervat.

De generali ergo prius. Quæ uniuscujusque rerumpublicarum ſtatus vel plurium conſervationem intendit, ſeu agit, ut Resp. omnimode ſarta tecta a periculo conſervetur corruptionis.

Qunm *concl. præced. rationem ſtatus* in generalem & ſpecialem ſimus diſpertiti, ordo tractationis expoſcere videtur, ut primo diſpiciamus in genere, quomodo *ratio ſtatus* omnium vel plurium rerump. formis vel rectis vel pravis inſerviat, earumque incolumitatem ſibi propoſitam habeat, ut a variis morborum & corruptionum procellis, quibus undequaque jactantur, inconcuſſæ & immobiles in priſtino vigore perſiſtant. *Non minoris enim eſt negotii*, dicente Ariſtotele *4. Polit. 1. inſtaurare Remp. quam ab initio condere.* Longe autem majoris ſubſellii res eſt, Remp. Dei Opt. Max. permiſſione prolapſam, (ab hujus enim omnipotenti voluntate omnium rerump. conſtitutio, conſervatio, mutatio, & denique translatio dependet, quicquid etiam Thraſymachi, Platonici, Euphemi, Thucydidei & Machiavelli diſcipuli garriant) corrigere & ad priſtinum non ſolum decus revocare, ſed ita legibus & inſtitutis laudabilibus munire, ne unquam labi poſſit. Lapſus autem ille reip. mille modis contingere poteſt, ſiquidem cauſarum remp. evertentium magna eſt copia, e diverſo conſervantium unica tantum præ reliquis princeps eſt virtus, neque enim ſine virtute rebusp. felicitas contingere poteſt, quemadmodum diligentiſſime inculcat Philoſophus *7. Polit. 9.* ut quaſi generalem eam cauſam omnibus formis competentem, conſtituiſſe videatur. Ratio autem, quod frequentiores in rep. ſint cauſæ corrumpentes, quam conſervantes, haud contemnenda peti poteſt ex *lib. 2. de morb. c. 5.* ubi ita inquit Philoſoph. *Præterea peccare multis modis poſſumus, malum enim eſt infiniti, ut Pythagorici conjectabant, bonum autem finiti, recte agere uno vero modo tantum licet, atque idcirco illud facile, hoc difficile eſt, facile ſiquidem eſt a ſcopo aberrare, ſicut ipſum attingere difficile.*

XIV.

Impendent autem illi reip. lapſus ſive corruptiones, vel a vi interna, vel a vi externa.

Hoc duplex omnium rerump. interitus genus generaliſſimum ſuppeditat nobis Philoſophus noſter *5. Polit. 7.* ubi *ſub fin.* ait: *Omnes autem Resp. diſſolvuntur, alias quidem per ſe, alias vero extrinſecus.* Et vero ſicuti corpus humanum non modo intrinſece variis morborum ſymptomatis laborat, ſed extrinſece ſæpe numero labefactatur, ſic & corpus politicum, non modo lue corruptionis internæ inficitur, ſed etiam identidem externa vi convellitur. Hoc ſimili eandem rem jam tum ante declaraverat Plato *8. de republ. Nonne*, inquit, *quemadmodum debile & valetudinarium corpus, vel minima mutatione extrinſecus injecta, in morbos incidit, ſæpe etiam nulla extrinſecus re nocente ipſum intra*

ſo

ſe diffidet, ita & civitas. Philoſophos hoſce duos præſtantiſſimos, ſequuti ſunt duo hiſtorici ut antiquiſſimi ita & graviſſimi, Polybius nimirum & Livius, dum hic lib. 30. c. 44. vocem Annibalis ita exprimit: *Nulla magna civitas diu quieſcere poteſt, ſi foris hoſtem non habet, domi invenit, ut prævalida corpora ab externis cauſis tuta videntur, ſed ſuis ipſa viribus onerantur.* Iſte, videlicet Polybius, *lib. 2.* ait: *inteſtinos hoſtes difficilius vitari, quam externos.* Eſt autem cauſa mutationis vel corruptionis interna, quando ab iis reſp. qui in illa vivunt, ſcil. ab imperantibus vel parentibus mutatur. Externam cum Ariſtotele dicimus, quando illi, qui extra remp. ſunt conſtituti, eidem mutationem inferunt. De utroque mutationis genere in ſubſequentibus incidenter, & quidem quatenus iis medendum videbitur, pluribus agemus.

XV.

A vi interna conſervatur, ſi vitentur ſeditiones & factiones.

Vel a vi interna.

Quemadmodum ſecundum effatum medicorum remedia adhiberi nequeunt, niſi præcognitis morbis, ſic & nos rerump. morbos, earumque cauſas inquirere, iisque demum inquiſitis ſalutari medio, quomodo mederi quis, aut ab iis, quo pacto præſervare poſſit, diſquirere conabimur. Jam ex quo Ariſtoteles communes omnium motuum cauſas ſat erudite eſt perſecutus, ſubjungit quædam *5. Polit. 4. in fin.* de modo, quo remp. invadant primum cauſæ evertentes internæ. Facit autem hunc modum duplicem. *Alius*, inquit, *invadit remp. vi, dolo alius.* His quidem Arniſæus modum tertium addendum putat *lib. 2. cap. 3. doctr. Polit.* ſcil. ſpontaneam, tum imperantium, tum parentium, ſtatus mutationem in reipubl. formam aliam. Cæterum de ſpontanea iſta temperatione non opus eſt multa profari, cum rariſſima omnino ſit indulgentia regentium, ut Ariſt. *4. Politic. II.* obſervatum eſt, adeo ut unus tantummodo ab omni ævo fuerit repertus princeps, qui regio imperio depoſito, mediam remp. inſtituit. Quis hic fuerit, non conſentiunt Politici, vult Arniſæus Ariſtot. digitum intendiſſe ad Cadmum, Victorius ad Cliſthenem Athenienſem, Giphanius & Heinſius putant, fuiſſe Spartanorum regem Theopompum, & forſan recte. Hic namque poſthabita omni ambitione, Ephoros, ad quos a rege eſſet provocatio, primus induxit. Ratio illius forte eſt, quod nonnulli vel horulam in imperio vivere, jucundum eſſe duxerint. Etenim nec olim defuerunt, qui tanta imperandi dulcedine ducantur, ut ſibi inde valde placerent, ſi modo conſules ſemel appellarentur. Teſtatur hoc Eraſmus *lib. 4. Apoph.* exemplo Caninii Revili, & aliorum, qui unico tantum die conſul fuit. Is cum roſtra aſcendiſſet, pariter & honorem iniit conſulatus & pejeravit, in quem fertur illud Ciceronis: *hoc conſecutus, Revilus ut quæreretur, quibus conſulibus conſul fuerit.* Solebat enim annorum numerus conſulum nominibus deſignari. Revilus conſul quidem fuit, annum autem nec ullum habuit. Refertur adhuc aliud Ciceronis in illum: *vigilantem habuimus conſulem, qui toto conſulatu ſuo ſomnum non vidit.* Interim regii moderaminis exemplum nos habere putamus apud Ælianum Polyhiſt. *lib. 6. variar. hiſt.* ubi legimus, Gelonem Imoreum ſuperatis pœnis omnem Siciliæ provinciam in poteſtatem ſuam redegiſſe, & poſtea inermem produiſſe in publicum, civibusque dixiſſe ſuis, ſe illis jam omne civitatis regimen committere. Id quod tamen accipere recuſarunt, non ignorantes, eum potiorem habere popularem libertatem, quam propriam utilitatem. Patrum noſtrorum memoria Andreas Auria, cujus pauci ſimiles, cum patriam Genuam ad pacem compoſuiſſet, principatum, qui ipſi offerebatur, maluit, ut ipſe loquebatur, patriæ dono dedicare, Paulus Jovius *lib. 34.* Alter everſionis internæ modus eſt *vis*, quando nimirum armis, ſeditionibus & vi aperta remp. ſeditioſi aggrediuntur & opprimunt, aut ex una in aliam formam commutant: quam formam vel vi vel dolo deinde retinere & tueri ſolent. Sic quod ad vim attinct, cernere licet plerumque Tyrannides hoc modo mutati in Democratias vel Oligarchias, pulſo tyranno eove cæſo, vid. Ariſt. *5. Polit. 4. in fin.* Sic cæſar vi adoriebatur imperium Romanum, poſtea dolum adhibebat, dum rex ſalutatus blanditiis retinere conabatur, cæſar vocari, quam tam odioſo Romanis nomine compellari malebat, quod tamen illi haud optime ceſſit, quando cæſus Romanæ reip. duumviratum reliquit. Et quid multa? Quoties (ſexcenta alia omittamus) Romanam remp. ſeditiones mutarint, aut extremo periculo expoſuerint, prolixum catalogum videre licet apud Contzen. *6. Polit. 7.* Produnt id ſeditiones quondam Gracchanæ, Apulcianæ. Imo uti anſa anſam in catenis, ſic ſeditionem ſeditio ſequi ſolet. Cum plebs Romana in montem ſacrum ſeceſſiſſet, tribunitiam poteſtatem patribus vi extorſit. Hoc jus cum dividendæ annonæ occaſionom Coriolano dediſſet: alia ſeditio ſecuta Coriolanum in exilium egit. Conſidera bella ſervilia, ſocialia, civilia, videbis ſeditiones ſæpe ſuis velut cineribus tectas, rurſus motas, majori longo incendio exſiliiſſe. Videatur Fridericus a Marſelaer *de leg. lib. 2. diſſert. 25.* Hoc igitur adminiſtratori reip. omnino propoſitum eſſe debet, ut a ſeditionibus remp. integram & ſalvam præſtet, ac ſtirpes earum omnes, quoad ejus fieri poterit, ab imis radicibus evellat. Nihil enim tam conducibile & neceſſarium eſt reip. rectoribus, quam ut concordia & tranquillitas conſervetur, & pax & quies ſe mutuis excipiant oſculis. Hinc M. Agrippa dicere ſolebat, multum ſe huic ſententiæ debere, *concordia res parva creſcunt, diſcordia res maxima dilabuntur.* Quam ſententiam fœderatos etiam Belgas, ita adamare cernimus, ut monetæ eam inſculpendam curent, ſiquidem in concordia *ratio ſtatus* eorum vertitur, eamque nec aliis bellum inferendo rumpi permittant, aut cum aliis congrediendo, in quo alterum ipſorum incrementum, uti hoc teſtatur ſcriptum, *quod* Duci de Rohan tribuitur & *Trut. ſtat. Europ.* appellatur, *diſc. 6. Helvetii*, habent verba, *diuturna pace locupletati ſunt, Belga continua belligeratione florent. Ratio ſtatus Helvetiorum pax eſt. Hollandi contra hanc tenent regulam, armis ſemper ut ſint induti.* Alioquin etiamſi Belgicas confœderatas provincias in unum col-

ligas

Digitized by Google

ligas corpus, ſi concordiam demſeris, manipulus hominum erit, ſi ad potentiam Hiſpanicam reſpiciamus. Unde Famianus Strada *de Bell. Belgic. decad. 1. lib. 1. in initio ſtatim* miratur, paucis Belgarum provinciis eam eſſe confidentiam, ac vires tantas, quibus potentiſſimo cum rege, ſexaginta jam annos, terra marique ex æquo decertarint. Ex hac ſeditionis & concordiæ oppoſitione iſtius maximum incommodum ſatis ſuperque pateſcit. Interim mirari ſubit, dari nonnullos, qui ſeditiones ceu reip. utiles, imo neceſſarias commendent. Ex cenſu horum hominum cum ratione inſanientium jam ante ſecula aliquot fuit Craſſus apud Ciceron. 2. *de Orat.* Atque ut plurima alia mala, ita etiam easdem probat verſipellis ille reip. Florentinæ Scriba *lib. 1. diſc. in Liv. cap. 4.* Sed refutatus eo nomine ab anonymo quodam, quem Simonem Simonium alii, alii Innocentinm Gentiletum vocant, *lib. 3. comm. de Politia theoremat. 31.* Fundamentum Machiavelli eſt, quod non ſolum Romæ propter ſeditiones inter plebem & ſenatum ortas, bonæ ſint natæ leges, ſed quod & occaſionem dederint, ut ea reſp. libera ſimul & potens ſit effecta. Huc etiam quodammodo collimare videtur cætera doctiſſimus Tholozanus *lib. 2¦. c. 9. n. 3.* quando conſervatam dicit aliquandiu remp. Romanam, diſſidentibus Tribunis cum Patriciis & Lacedæmoniorum diſſidentibus Ephoris cum Regibus. Sed hi multum ſane falluntur, non cauſam pro cauſa adferendo. Nec enim ſequitur propter ſeditiones in rep. Romana natæ ſunt bonæ leges. E. Seditiones reip. ſunt utiles. Perinde enim eſſet, ac ſi ex veteri illo verbo Macrobii 3. *Saturnal. leges bona ex malis moribus procreantur*, concludere velles; vitia & corrupti mores ſunt laudandi, quia bonæ ex his proveniunt leges. Profecto ſi nihil aliud eſt ſedirio, quam ardens fax, quæ, ea durante, ſecuritas eſſe poteſt in rep.? *Miſerum eſt cum civibus, tanquam cum hoſtibus magiſtratum vivere*, inquit Nicolaus Vernulæus *4. Inſt. Polit. tit. 3. q. 4.* De cautionibus remp. ab ejusmodi ſeditionibus conſervantibus infra pluribus agemus. Interim cum heic de iis agamus, quatenus cauſæ ſint belli civilis, ſi accidat, quod averti aut præcaveri nequeant, & ſic bellum civile forte oriatur, quæri poſſet, *quomodo vir bonus ſe debeat gerere, quieſcere, an in partes abire?* Quietem ſuadere videtur, quod ſævitia quædam & feritas annexa his bellis, a qua merito abhorret vir bonus. *Quid enim*, inquit Cæſar, *viro bono & quieto, & bono civi magis convenit, quam abeſſe a civilibus controverſiis?* Cic. *lib. 10. ad Attic. ep. 9.* Hinc Q. Hortenſium gloriari ſolitum, quod nunquam civili bello interfuiſſet, laudat Cic. *lib. II. ad famil. epiſt. 16.* Contra in partes abeundum alii volunt. Ubi enim diſſidium, cur vir bonus ſejungere ſe velit a ſuis? Solonem ejusmodi legem tuliſſe ferunt, *ſi ob diſcordiam diſſenſionemque ſeditio atque diſceſſio populi in duas partes fieret, & ob eam cauſam irritatis animis utrinque arma caperentur, pugnareturque; tum qui in eo tempore, in eoque caſu civilis diſcordiæ, non alterutri parti ſe adjunxerit, ſed ſolitarius ſeparatusque a communi malo civitatis ſeceſſerit, is domo, patria, fortunisque omnibus careto, exul extorrisque eſto*, Agell. 2. *Noct. Attic. 12.* ubi hujus legis hanc putat eſſe rationem. *Si enim boni homines, qui in principio coercendæ ſeditionis impares fuerint, populumque percitum & amentem non deterruerint, ad alterutram partem diviſi ſeſe adjunxerint, tum eveniet, ut cum ſocii partis ſeorſum utrinsque fuerint, eoque partes ab iis, ut majoris autoritatis viris, temperari ac regi cœperint, concordia per eos potiſſimum reſtitui conciliarique poſſit, dum & ſuos, apud quos ſunt, regunt atque mitificant & adverſarios ſervatos magis cupiunt quam perditos.* Hæc Agellius. Lipſius *lib. 6. Civil. doct. c. 6. n. 8.* diſtinguit. Aut enim civis iſte clarus eſt & illuſtris, & tunc potius in partes ipſi abeundum: ne ſcil. videatur rebus turbatis deſerere, ad quem ſederit rebus tranquillis. Ideoque eum quemcunque ſors tulerit caſum ſubire potius debere cum iis, qui dicuntur eſſe boni, quam ut videatur a bonis diſſentire, ita tamen ut appareat, ſe bellum ſuſcipere invitum & extrema nolle. Aut minus clarus, eumque civile bellum non debere attingere, aut ſe turbido mari dare, qui tranquillum non tentari, ſed potius oppidum aliquod vacuum eligere, dum hæc decernantur. Magis autem fortaſſis probanda eſt ſententia Jacobi Zevecotii *in obſerv. polit. ad C. Sueton. Jul. Cæſar. c. 25.* aliter diſtinguentis, aut quis extra fortunæ aleam in alieno diſcrimine tutus eſſe poteſt poſt victoriam, & utique non eſt prudentiæ tunc cum aliis periclitari velle; ſin ſecus, quieſcere non expedit. Revera tamen hac prudentia, non niſi privatim alicui conſulitur non reipublicæ, cui tamen operam ſuam ſubtrahere, nemini bonorum civium fas eſt. Ultimo ſequitur dolus, egregius ſane & regnum ad tyrannidem traducendi, & plurium imperium ad unius revocandi, & denique ſimpliciter omnem ſtatum convellendi modus. Primo enim is vere & ex voto rex eſt, qui virtute ceteris longe antecellit. Ariſt. *lib. 3. cap. 11. & 12.* Imo rex κατ' ἐξοχὴν, etiamſi ſit hereditarius, demum is eſt, qui imperat volentibus & ultro parentibus, ut clarum eſt ex *d. l.* Ariſtot. Si jam doloſe & fraudulenter ſubditis perſuadeantur mali principis mores, ipſique ſic contemtus & contumelia paretur, vix eſt ut illi regius titulus maneat integer. *Nam*, inquit Giphanins ad Ariſtot. *5. Politic. 10. in fin. ad regni everſionem non eſſe neceſſarium ſemper, ut homo tollatur; ſed ſimul atque amorem & obſervantiam ſuorum* (per ſcelera ſcil. & injurias) *rex amiſerit, jam regem eſſe deſiiſſe.* Exemplo eſt quinquennium Neronis, nec operoſum foret, plura addere, niſi prolixitas prohiberet. Secundo modo accidit, quando populus dolo & ſuavibus promiſſis, aut alia facta ſpe delinitus imperium uni, vel paucis ſponte, vel per convenientiam tradit, quod deinceps vi & armis conſtabilitum ægerrime, aut nullo modo recuperare poteſt. Sic Cæſar Auguſtus, *ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, inſurgere paulatim, munia ſenatus, magiſtratuum, legum, in ſe trahere, nullo adverſante*, ut Tacitus loquitur *lib. 1. Annal.* poſtea uti Poëta canit: *Omnia Cæſar erat.* Nemo enim tam libertatis cupidus erat, qui vellet; nemo tanta potentia pollebat, qui poſſet, nemo denique præter ipſum tanta eminebat autoritate, qui auderet priorem reip. ſtatum reſtituere, & in priſcam libertatem vindicare.

dicare. Nulli amplius ſupererant Pompeji, ceciderant Caſſii Bruti, exaruerant generoſi Romanæ nobilitatis ſpiritus, ut qui antea ſemper cupiditate dominandi flagrabant, ipſis tum temporis nullæ priſcæ libertatis reliquiæ ſuperabant. Plura non addimus. Denique ſi prætextu juſtitiæ aut malæ adminiſtrationis a factioſo quodam uno vel pluribus ordo quidam civitatis in diverſas abrumpatur partes, his non poſſunt non involvi remp. adminiſtrantes. Horum deinde motus totam ſecum trahunt civitatem. Adi Ariſtot. *5. Polit. 4.* Harum diſcordiarum deinde exitus non ſolet eſſe alius, quam aut victoris dominatus & regnum, aut univerſalis interitus, teſtante Cicer. *in Orat. de Haruſp. Reſp.*

XVI.

Id quod ratio ſtatus agere jubet, tum imperantes tum parentes.

Contra quam ex dictamine rationis ſtatus

Imperare & parere, inquit Ariſtot. *1. Polit. 3. non ex rebus neceſſariis tantum, ſed utilibus eſt.* Rationem latius ibidem deducit, quæ in compendium redacta eſſe videtur, quod anarchia ſit contra naturam, regimen autem ſeu imperare & parere, naturæ conſentaneum. Quicquid antem naturale, hoc idem & utile & neceſſarium, natura enim nihil operatur fruſtra. Conſequens ergo eſt, regimen eſſe & utile & neceſſarium. Imo pergit Ariſtot. *quædam ſtatim ut oriuntur ſunt diſtincta, alia ad imperandum, alia ad parendum. Et multa ſunt genera, & imperantium & parentium, tamen ſemper melius eſt imperium meliorum parentium, ut hominis belluæ.* Nec indiſtincte tamen hominum imperium melius & laudabilius dici meretur, niſi uterque & imperans & parens ſe talem præſtet. Ideoque ut hoc rite obſervetur, & imperantes & parentes virtutibus inſtructos eſſe debere oſtendit Philoſophus *lib. 1. Polit. c. ult.* Sed non eodem modo. Parentes enim habent ſe ut miniſtri, nutumque imperantis obſervant, & ut hi imperant, ſic illi parent. Virtus igitur in imperante requiritur moralis perfecta, in parente quidem etiam, ſed ſolum quantum ſuo operi & muneri ſufficit, vid. Ariſt. *cit. loc. Et ut maxime virtutes omnes eorum ſunt communes, tamen prudentia inprimis imperantis eſt propria, in eo autem qui paret non tam prudentia, quam bona duntaxat opinio neceſſaria*, Philoſoph. *3. Pol. 3.* Hac videlicet bene exiſtimabit de magiſtratu ſeu principe, ejusque legibus & decretis, ut ea opinione ductus magiſtratui non repugnet, ſed modeſte & alacriter ejus juſſa capeſſat. Vid. Philoſoph. *d. l.* ubi parentem tibiarum opifici, imperantem vero tibicini eleganter comparat. Nimirum ut, quemadmodum huic ille, ſic & qui paret ei, qui imperat, ſe accommodet, & quaſi monentem ſequatur. Si igitur perpetua, ſtabilis, firma, debet eſſe reſp. uterque munere ſuo condigne fungatur neceſſe eſt, i. e. ille virtuoſe & prudenter agat, nempe ea, quæ interitum reip. accelerant, non norit tantum, ſed & vitet aut tollat; ea vero, quæ ad ſalutem, diuturnitatem & incolumitatem reip. pertinent, in eandem introducat, & tam legibus, quam moribus & inſtitutis, complectatur: hic quieti & obedientiæ ſe dedat & aſſuefiat. Hæc *ratio ſtatus* imperat.

XVII.

Obtinetur autem obſervatis cautionibus ad hoc ſingulariter facientibus.

Obſervanda.

Prioribus *libri 5. capitibus 7.* Philoſophus enumerarat multas remp. corrumpendi canſas, easque vel generales vel ſpeciales. Poſtea *ejusdem lib. c. 8. & 9.* paucas ſubjungit cautiones contra iſtas corruptiones ſacientes itidem generales, quibus pauciſſimas inſeruit & ſubnexuit *in ſequent. capp.* ſpeciales. Has cautiones alii malunt vocare arcana, eaque definit Vernulæus *1. Inſt. Polit. tit. 17. q. 5.* quod ſint *occultæ quædam & intimæ rationes, ſive conſilia ad publicum bonum procurandum, tranquillitatemque & præſentem reip. formam conſervandam*, quæ eadem fere eſt cum definitione Clapm. *de arcan. rerump. lib. 1. c. 5.* ubi *cap. præced.* putarat ab Ariſtot. *5. Polit. 8.* ea vocari σοφίσματα πολιτειῶν, quod interpretes reddiderunt machinamenta rerump. figmenta, fallacias. Ciceronem vocare arcana reip. Tacit. *lib. 1. Annal.* imperii arcana, imo alios, quos cumulavit Clapmarius, aliter. Verum hæc longius a noſtra abeſſe ſententia putamus. Et ne de definitionibus quicquam amplius dicamus, primo vis vocis refragatur; non enim iſtæ cautiones, quæ ad conſervationem reip. adhibentur, ſeu quæ *ratio ſtatus* exigit, ſunt (quo ſenſu quidem illi arripiunt hanc vocem) arcanæ omnes, aut occultæ, aut intimæ, cum multa per leges publice prodantur, imo leges & ſtatuta ipſa ſint ejusmodi media, quæ utique vulgum, ut illi putant, latere non poſſunt. Deinde non equidem inficiamur, dari arcana & præſertim conſilia, in quibus verſatur ſalus reip. ideoque cum Cicerone *arcana reip.* aut *arcana imperii* cum Tacito dici ſuo modo poſſe. Verum nunquam nobis perſuaderi patimur, ea ab Ariſtotele dicta eſſe σοφίσματα τῶν πολιτειῶν, ant fallacias & machinamenta rerump. Invenimus quidem fieri mentionem *cit. loc.* τῶν σοφισμάτων τῶν πολιτειῶν, verum tantum abeſt, ut per illa ejnsmodi arcana, quæ ad publicum procurandum, tranquillitatemque & præſentem reip. formam conſervandam faciant, intelligat, ut potius contrarium ex ipſo textu pateat. Dicit enim Ariſtot. *dict. loc.* conſultum eſſe non credere τοῖς σοφίσμασι, pergit *quæ vero dicamus* τῶν πολιτειῶν σοφίσματα *ſupra explicavi*, ſed ubi? ſc. *lib. 4. c. 13.* ubi de occultis artibus, quibus divites adverſus pauperes, & pauperes adverſus divites utuntur, (quas ibi προφάσεις, prætextus, ſimulationes, ſpeciem & σοφίσματα, callida inventa, machinamenta vocat) egerat, ſed non aliter niſi quo pacto his legislatorem occurrere oporteat. Eodem etiam modo & in *cit. c. 8.* de iis agit, ratiocinans, *videndumne vel minimum contra leges fiat, occulte enim obrepere detrimentum, & mentem decipi ſophiſtica illa ratione*, qua puſillum ſaltem e. g. contra leges forte factum prætendi, non vero totum ex puſillis compoſitum conſiderari velit. Hiſce igitur ſophiſmatis non eſſe credendum. Quapropter putamus & a noſtra ſententia, imo etiam ab ipſius Clapmarii ſenſu ſignificationem vocabuli τοῦ σοφίσματος, in qua *d. c. 8.* accipitur, plane eſſe alienam. Et niſi noſtra nos fallit opinio, arbitramur vocabulum *cautionis* huc

omnium optime quadrare, ad exprimendum remedium, quod *ratio ſtatus* contra everſionem reip. paratum habeat. Hanc vocem ſuppeditat Ariſtot. d. l. δεῖ μάλιστα τὸ μικρὸν, inquit, φυλάττειν, i.e. exiguum maxime cavendum eſt, ſc. ne contra leges fiat, qua de re jam egerat. Poſtea ſubjungit contra principium iſtud & ſophiſma, ſc. quod puſillum id non ſit curandum, opponendam eſſe μίαν φυλακὴν, unam cautionem, nimirum non puſillum, ſed totum, ex puſillis quod componi poſſit, eſſe perpendendum, deinde iſtis ſophiſmatis ſeu commentis fidem non habendam. Ita dicta loca interpretantur Borrhaus & Giphan. ibid. Adſtipulatur nobis & ipſe Cicero, quando in eadem acceptione hoc vocabulum fere uſurpat, dum ait: *Quoniam ut bona natura appetimus, ſic a malis declinamus: quæ declinatio ſi cum ratione fit, cautio appellatur, eaque intelligitur in ſolo eſſe ſapiente 4. Tuſc. quaſt. Et omnino omnium horum vitiorum & incommodorum una cautio eſt, atque una proviſio, ut ne nimis cito diligere incipiamus, neve non dignos.* Idem *in Lælio ſive de Amicit.*

XIIX.

Reſpectu legum Quæ reſpiciunt cum alia, tum præcipue vel leges, vel magiſtratus, vel cives reliquos.

Diximus ſuperius *concl. 16.* neceſſarium ſimul & utile eſſe reip. bene & imperare & parere. Alias enim ſocietas illa perſiſtere non poteſt: quippe quæ *pertinet ad amicitiam:* ut notum ex 4. *Polit. 11.* Ideoque non ſufficit bene imperare, niſi & bene pareatur, cum ſimul & in cive requiratur, bene parere ut norit & velit & poſſit, uti patet ex *3. Polit. c. 3.* Verum, ut omnes cives ſtatim ſint viri boni, imo cives boni, vix datur. Legibus igitur opus, *in quibus ſita ſalus reip.* Ariſtot. 1. *Rhet. 4. n. 22.* & legum cuſtode magiſtratu. Idem *2. Pol. 12.* Hinc liquet, & civibus in rep. opus eſſe & legibus & magiſtratu, eorumque omnium ratione certis cautionibus.

XIX.

Cautio 1. In legibus igitur cautio eſt (1) ut ſint convenientes ſtatui.

Lycophron orator apud Ariſtot. *3. Polit. 6.* vocat legem *juris inter ſocios ſponſionem.* Ejus definitionem etiam expreſſiſſe videtur Papinianus JCtus, quando *l. 1. ff. d. ll.* definit legem *reip. ſponſionem communem.* Ceterum quanquam varie a variis accipiatur, in proprio tamen ſignificatu ſi conſideretur, ſignificat id, quo majeſtas ſive princeps reip. civibus declarat, quid ſit faciendum vel omittendum, officio ſuo ne deſint. In hoc ſignificatu definitur vulgo lex, *regula humanarum actionum a majeſtate præſcripta.* Objectum legis eſſe putamus actiones moresque hominum, qui jam ita ſunt prolapſi, ut ſine legibus commode vivi haud poſſint. Nam cum pauci admodum reperiantur, qui virtutis amore recta faciant, pœnæ a legibus præſcriptæ metu, ad id ſunt compellendi. Qui enim dicente Machiavello *lib. 1. diſ. in Liv. c. 3. ſponte ſua recte agunt, iis legibus opus non eſt, ſed ubi deſinunt ſponte ſua officium facere, hic legibus opus eſt ut cogantur.* Et hic eſt *ſcopus & finis legum unicus, ut cives omnes in officio ſuo contineantur, & ad virtutem vi quadam civili compellantur,* uti præclare inculcat Plato *12. d. ll.* Cum igitur dicente Ariſtot. *4. Polit. 14. tres ſint partes omnium rerump. de quibus quid cuique conducat bono legum ſcriptori videndum, & quibus bene affectis resp. bene affecta ſit,* ſc. magiſtratus, judicia & præcipue ſenatus, qui teneatur conſultare de bello, de pace, de fœderibus, de ſocietatibus, de legibus & pœnis. Hinc videmus officium legiſlatoris in hoc præcipue verti, ut diligentiſſime diſpiciat, non ſolum ut leges ſcribat, & inſtituta condat, ſed potiſſimum id attendat, ut leges ſint convenientes unicuique ſtatui. Aliæ enim ſunt leges, quæ conveniunt regno, aliæ Ariſtocratiæ, aliæ denique Democratiæ. Accidere autem interdum poteſt, ut leges videantur convenire, e. g. Democratiis & Oligarchiis, cum potius eas evertant & corrumpant. Videndum igitur ante omnia, ut leges illæ præſentem reip. formam conſervent, præſertim autem ut communem multitudinis utilitatem, quoad licet, reſpiciant. Huc pertinet, quando Ariſtot. *3. Polit. 8.* inquit: *Si quæratur legumlator, qui rectiſſimas leges ferre velit, utrum leges ſcribendæ ſint ad meliorum tantum, an ad plurium utilitatem, cum, ſi multitudinem non ut ſingulos ſed ut univerſos conſideres, plerumque accidat, eam paucis divitibus eſſe ditiorem, & paucis virtuoſis etiam meliorem? Fortaſſe ſumendum,* reſpondit Philoſophus, *quod rectum,* ſed quid rectum? *Rectum eſt fortaſſe ex totius civitatis utilitate & civium communi,* uti Ariſtot. d. l. eſt annotatum: E. ſequitur, etiam leges eſſe ferendas non ad hujus vel illius ordinis, ſed ad commune reip. commodum & conſervationem. Unde reip. præfuturos monet Cicer. 1. *Off.* ut Platonis præceptum teneant, quod apud ipſum *7. de Rep.* habetur, nempe, *ut totum corpus reip. curent, ne dum partem aliquam tuentur, reliquas negligant.* Eleganter Ariſtot. *1 Rhet. 1. n. 16. legiſlatoris judicium eſt, non de una aliqua re, neque de præſentibus, ſed & de futuris & univerſe.* Interim tamen ubique ſpectandum, leges iſtæ, ut ſint utiles & neceſſariæ. Inutiles enim & minus neceſſariæ (ceu multas etiam in corpore juris Romani eſt invenire) ſi non obſunt, minimum tamen confundunt. Q. hic oritur, *an multitudo legum ſit pernicies reip.?* Politici ita ſtatuunt plerique omnes, quia legum multitudo feneſtram aperit innumeris litibus & controverſiis. Hic opus eſſe videtur *primo*, ut de legibus proprie dictis, & ſepoſito jure Romano id accipiamus, in quo non tot leges, quam ex legibus deductæ deciſiones & definitiones inveniuntur; *deinde* aliud eſt dicere de nimis multis & innumeris legibus, aliud autem de multis. Perniciem accelerant reip. & innumeræ leges & nullæ, & nimis paucæ. Cum autem multi & innumeri pene dentur caſus, iique vel minima circumſtantia varientur: *Leges autem poſitas, omnia, quæ poſſunt, definire oporteat, ita ut quam pauciſſima in arbitrio eorum qui judicant, relinquantur.* Ariſtot. *cit. loc. n. 13.* Palam eſt, multas leges in rep. etſi non omni, illa tamen, ubi ingens litium & controverſiarum copia occurrit, requiri, quo pauca judici, ſecundum jus ſibi ipſi forte fictum, decidendi permittatur poteſtas. Vid. Ariſt. *d. l. n. 19.*

XX.

XX.

(2) Ut omnes leges referantur ad mediocritatem & exceſſum fugiant. *Cautio 2.*

Præclaram hanc rerump. conſervandarum cautionem tractat Philoſoph. *5. Polit. c. 9.* eaque poſita eſt in mediocritate ſeu moderatione legum. Nam cum nulla reſp. niſi in æquabili tenore conſiſtere poſſit, hinc legibus omnino opus, quæ, ſi forma reip. nimis intendatur, exceſſum in tempore corrigant. Nulla e. g. Oligarchia ſine divitibus & multitudine conſiſtere aut permanere poteſt; ſi jam bonorum urgeatur exæquatio, ſi multitudo omnia ad ſuam poteſtatem trahere, bona æqualiter diviſa, omnes & genere & facultatibus & libertate pares haberi velit: aut contra ſi pauci iſti divites aut nobiles ad ſe omnia rapiant, & multitudinem deleant, ut omnes itidem ſint pares genere, opibus, divitiis, utroque caſu continuo Oligarchia eſſe deſinit. Ratio patet ex ſuperioribus, quia ſine duobus iſtis ordinibus hæc reip. forma conſiſtere non poteſt. Omnes igitur in hac reip. forma, ut & omnibus aliis ferendæ leges ad id dirigendæ ſunt, ut, quantum fieri poteſt, medium ſervetur, id eſt, ut diſcrimen ordinum, ſeu divitum & multitudinis, conſervetur. Alias *non remanebit eadem reſpubl. ſed corrumpetur. Et ſic manifeſtum eſt, quod illi qui procedunt excedendo legibus ad hoc ducentibus transmutent & corrumpant rempubl.* D. Thomas *in Explanat. Polit. Ariſt. lib. 5. lect. 7.*

XXI.

Denique (3) ut leges ſerventur ſartæ tectæ, adeo, ut ne in minima quidem parte violentur. *Cautio 3.*

In rep. bene temperata, ne vel minima pars legis aut portiuncula ullius veterum inſtituti impune violari permittatur, cavendum eſſe docet Ariſt. 5. *Polit. 8.* Quanquam enim hæc exigui appareant eſſe momenti, tamen ſub illis latet intertrimentum maximum, quando homines ſibi ita a ſophiſtica illa captatione imponi patiuntur. *Nam in parvis cum peccatur, facile ad majora, vel ignari vel inviti tranſeunt, qui ea negligunt*, uti hoc pulcherrime explicavit doctiſſimus Heinſius *in paraphraſ. ad d. Ariſt.* Illuſtratur hoc duplici argumento, uno a ſimili ducto ex ſumptibus rei familiaris, de quo adiri poſſunt Comment. Giphan. Scherb. & Piccart. deinde a captioſo & ſophiſtico imponendi genere, de quo *ſup. Concl. 17.* Enim vero quantum τὸ μικρὸν hoc neglectum reipubl. inferat damnum, meminit philoſophus non uno in loco, & cumprimis 5. *Polit. 3.* ubi inter ſeditionum cauſas generales ſine motu remp. convellentes refert. *Eod. lib. c. 7.* Numerat inter cauſas, propter quas in optimatium ſtatu ſeditiones exiſtunt, & quidem frequentiſſime. Videmus enim, quam lubrica & periculoſa ſit hujus exigui diſſolutio, propterea quod detrimentum non facile niſi a prudentioribus propter exiguitatem (ut barbaro vocabulo utamur) animadvertatur. Occulte namque obrepit primum, ſenſim creſcit, & tandem invaleſcit, imo omnem reip. ſummam convertit. Res non caret exemplis, de Thuriorum alterum, de Ambracenſium rep. ipſe philoſophus adducit alterum *cit. loc.* quibus obiter non poſſumus non addere tertium, de quo Piccart. ad Ariſt. *5. Polit. c. 3.* non ſine ratione forte conqueritur. „Nos hodie, inquit, noſtro damno „ſentimus, quantum nocuerit, non animadverſum τὸ μικρὸν cum ad pontificiam tyrannidem re„ſpicimus. Non animadvertebant majores noſtri, cum nunc ædiculam, nunc agellum, nunc pa„gum, nunc aliud quippiam cœnobiis & religioni donabant, quo res tandem eſſet caſura, non „intelligebant, quo pertineret, quod pontifices Romani mox attollerent hujus regis imperium, „alterius deprimerent, ſicque ſenſim omnium vires enervarent, nos miſeri ſentimus, & hæc „mala facta gementes plangimus.„ Hoc etiam exemplum citat Arniſæus *lib. 2. doct. Polit. c.* , ex Sturmio *Serm. 2. de Bell. contra Turc.* Manifeſtum itaque eſt τὸ μικρὸν iſtud non tantum in reliquis ſemel iterumque admiſſum ea corrumpere, ſed & multo magis in legibus transgrediendis non punitum, eas tollere, ex iis *rationi ſtatus* adverſari i. e. ſtatum reip. transformare. Unde cum Margaretha Parmenſis Belgii Gubernatrix *3. April. anno* 1566. ſuper inquiſitionis a patre ipſius 16. ante annos inſtituto proceſſu, utpote nimis ſevero, abrogando cum ſenatoribus deliberaret, eorumque ſuper hac re ſententiam exquireret; rogatis ſententiis ſenatorum multi hactenus recte cenſuere; ex imperatoriis edictis nihil mutandum, & *leges, antequam ferantur, expendendas: ubi latæ fuerint, tolerandas. Nec alia re magis labefactari ſtatum civitatis, quam crebra legum mutatione.* Strad. *de Bell. Belgic. decad. 1. lib. 5.*

XXII.

Jam de magiſtratibus, iisque vel conſtituendis vel conſtitutis.

Multis quidem præfectis opus eſt in ſocietate civili, inquit Ariſt. 4. Polit. 15. Sed non omnes ſta- *Reſpectu*
tim ſunt magiſtratus. Qui ergo ſunt magiſtratus? Ariſt. *d. l.* ipſe fatetur, non adeo facile eſſe *magiſtra-*
eum definire. Bodinus quidem ſolito definiendi pruritu rem aggreſſus *in Method. hiſt. p. 195.* longeque ſe Ariſtotele ſuperiorem ferens ait, *magiſtratus eſt, qui imperii publici partem habet*; ſed quam feliciter vid. apud Piccart. *ad Ariſt. cit. loc.* Tandem philoſoph. *ibid.* ſimpliciter (ut ipſe fatetur) definit, *quod hi maxime dicendi magiſtratus, quibus jus eſt de quibusdam & deliberandi & judicandi, & imperandi, hocque maxime: imperare namque eſt magiſtratus magis proprium.* Et quidem per hanc notam diſcernitur magiſtratus ab omnibus aliis præfectis & procuratoribus, qui nullum imperandi jus habent, ut ſunt ſacerdotes, præcones, legati, qui omni imperandi jure plane ſunt deſtituti. Item prætores, ædiles apud Romanos: qui quidem interdum vocantur magiſtratus, ſed improprio plane & vulgari ſignificatu, cum vere & proprie non ſint magiſtratus, quorum nullum plane eſt imperium, uti modo dictum. Non opus eſt ut probemus neceſſitatem magiſtratus in rep. quippe *cuſtos e legum, & lex loquens Cic. 3. de leg.* Quem ſi miniſtrum *rationis ſtatus* appellaverimus,

tuum.

mus, forte non erraverimus. Partemque eſſentialem eum reip. conſtituere, jam ſupra ex Ariſt. *4. Polit. 14.* oſtendimus *concluſion. 10.*

XXIII.

Conſtituenderum Cautio 1. In illis, cautio eſt (1) ut conſtituantur idonei.

Lupo, ut eſt in proverbio, ovem committat, qui minus idoneo committat eam partem reip. in qua bene adminiſtranda ſita ſit bonam partem ſalus ejusdem. Magiſtratus ergo, cautio eſt, ut committatur utilibus & idoneis. Sed qui tales? Putamus illos, in quibus deprehenduntur ea requiſita, quæ philoſophus recenſet *5. Polit. 9. in pr.* ſc. (1) ſtudium & amor erga præſentem reip. ſtatum, (2) prompta facultas committenda munera obeundi, & (3) virtus & juſtitia pro cujusque formæ conditione. Hic autem notandum magiſtratus alios eſſe majores, qui ſc. ſunt cum poteſtate aliqua & imperio: Minores vero qui ſine imperio & poteſtate ſunt, ac improprie tales dicuntur, de quibus *concl. præced.* Loquimur igitur hic de magiſtratibus majoribus & proprie dictis, & in illis ſolum jam dictæ, & præſertim prima & ultima qualitates requiruntur, in aliis etiam ſecunda. Jam primo majores iſti magiſtratus, ſi non ſint amici reip. ei valde nocere, imo ſtatum plane evertere poſſent. Id quod nec difficile illis foret, utpote magiſtratu & potentia adjutis. Hinc Maſſilienſes olim neminem ad magiſtratus admiſiſſe, niſi qui liberos haberet, ut his quaſi pignoribus magis eorum fides & amor in remp. adſtringeretur, refert ex Strabone Giphan. *ad Ariſt. d. l.* Imo ille ipſe amor erga ſtatum ipſis magiſtratum accipientibus conducit; facit enim, ut omnes labores & moleſtiæ, quas reip. gratia ſuſtinere tenentur, ipſis accidant leviores, quemadmodum hoc addit Theoph. Golius *ibid.* ipſumque ant amice aut clementer imperantem, eo tutiorem præſtat, modo vere imitetur Agaſiclem Lacedæmoniorum regem qui cuipiam ſciſcitanti, quo pacto quis nullo ſtipatus ſatellitio tuto imperare poſſet, reſpondit: *Si ſic imperet ſuis, quemadmodum pater imperat liberis*, refert Plutarch. *in Apopht.* *Quid enim aliud pene eſt regnum quam magna familia? Quid rex niſi plurimorum pater?* ut adſtruit Eraſmus *in libell. de inſt. Princip. Chriſt. ſeu optimum magiſt. ſimul.* Deinde nihil manifeſtius, quam magiſtratum non niſi ei eſſe deferendum, qui & ſcientia & uſu ei par ſit. Navim, in qua veheris, ejuſve gubernaculum ſi committas, pulchro, docto, nobili, ſed artis nauticæ imperito, inſanire videberis & naufragium faciens ſero temeritatem deplorabis. Si ergo in rebus aliis, multo magis in reip. gubernatione magiſtratum magnum nocebit ineptis & ignorantibus concredere. Magnum igitur erravit errorem Paulus IV. Pontifex, qui cum conſanguineum ſuum fungi in Gallis legatione vellet, iſque ſe ipſum hujusmodi muneri imparem agnoſceret: *acquieſce*, reſpondit, *ecquis enim te & me excepto, ineptitudinem tuam novit?* Marſelaer. *de leg. lib. 1. diſſ. 5.* Quaſi vero magiſtratus virum non arguat, ſecundum proverbium Plutarchi, aut uniuscujusque, qui evectus fuerit, indolem, induſtriam, prudentiam non manifeſtet. *An ergo magiſtratus eruditione inſtructus eſſe debet?* Vid. Melch. Jun. *2. quæſt. Polit. 18.* ubi hoc in utramque partem diſputat. Nec indiſtincte hoc aſſerere nec negare licet. Ab omnibus enim magiſtratibus excludi non debent, qui licet literis neque latinis, neque Græcis, neque ſcholaſtica ſcientia ſint imbuti, ſenſu tamen communi ſolido ita polleant, ut vivacitate ingenü, & maturitate judicii rem perſpicere & munus peragere poſſint. Ultimo Ariſt. *1. Polit. 2. fere in fin.* ait, *injuſtitia armis inſtructa eſt perniciosiſſima. Improbi enim, quo plus poſſunt, eo plus nocent*, ut pulchre Plato *lib. 1. de rep.* *Neque cogitandum dignitates hominum vitia minuere, aut tollere: attollunt non raro, ubi propenſiori occaſioni ſervit, aut certe quæ non producunt, produnt ſcelera dignitatu.* Marſelaer *d. l.* Per occaſionis indulgentiam erumpit ſceleſtus eorum animus, ut nocere reip. & poſſint & velint. Poſſe enim eos nocere certum eſt, qui maximi magiſtratus potentia ſunt inſtructi. Velle autem ipſis ſuppeditat improbitas. Qui ergo improbis committi poſſint magiſtratus? ceu, *qui magis cuſtodiri debeant, quam alios cuſtodire* Ariſt. *6. Polit. c. ult.* Eo ipſo igitur dum idoneum eum eſſe vult, amorem in præſentem reip. ſtatum, facultatem gubernandi, virtutem & juſtitiam in conſtituendo, omnino *ratio ſtatus* expoſcit? Sed qualem? diximus pro cujusque formæ conditione i. e. prout huic illive reip. ſit congruens. Nam quando non idem in omnibus reip. formis jus eſt, uti *per totum fere lib. 3. Pol.* demonſtrat Ariſt. & ut Borrhaus in annot. ad Ariſt. *lib. 5. Pol. c. 9.* loquitur: *Juris diverſa ratio ex fine cujuscunque reip. conſtituitur.* Hinc pro diverſitate rerump. juſtitiam quoque variare certum eſſe ducimus.

XXIV.

Cautio 2. (2) Ut magiſtratus conferantur alicui non ſtatim magni.

Minuuntur jura, quoties gliſcit poteſtas, inquit cæſar pro Silano ſententiam dicens apud Tacit. *3. Annal.* Certe hoc convenire putamus etiam in illos, quibus nullis fere rebus agendis adhibitis magni ſtatim conferuntur magiſtratus. *Cum* enim quod philoſoph. nobis ſuggerit *5. Polit 8* *non ſit cujusvis hominis ſecundam ferre fortunam*; efferuntur enim, & loco illius, quod *miniſtri* debeant eſſe, *& legum cuſtodes*, ſecundum Ariſt. *3. Polit 12.* legibus imperare ſtudent, uſque abrogatis tyrannice agunt, ibique demum ſummum jus eſt, ubi ſumma poteſtas, uti hoc in C. Julio cæſare manifeſtiſſimum. Pauſanias Lacedæmonius, homo magnis virtutibus præſtantiſſimus, ob quas etiam claſſi Lacedemoniorum præfectus eſt. Is reportata a Perſis victoria inſoleſcere, plurima miſcere, majora concupiscere cepit. Delphis tripodem aureum poſuit, cui inſcripto epigrammate ſe victore barbaros deletos gloriatus eſt. Poſtea pari felicitate cum Byzantio expugnato complures Perſarum nobiles cepiſſet, & in his regi propinquos, res novas molitus, Xerxi illos remiſit, ab eoque affinitatem cum filia contrahendam petiit, pollicitus, ſe adjuvante & Spartam & cetera ſub

ipſius

ipſius poteſtatem reductum iri. Verum ſuſpectus magnam belli gloriam turpi morte maculavit, ut de eo ex Thucydide refert Cornel. Nep. *in vit. Pauſ.* Sic qui miniſter erat, aut magiſtratus, ferme factus fuiſſet monarcha, aut alii concreditam ſibi Spartam nefarie tradidiſſet, uti facile liqueat, quantum unius tam ſubita ὑπεροχὴ extraordinaria eminentia reip. poſſit creare incommodum. Unde Marchio Vaſti recte reprehendit Neapolitanos, *quod prius colonelli eſſe velint quam milites, prius generales quam colonelli*, uti ſcribit Scipio Amiratus *ſupe de tract. lib. 3. diſc. 3.* Laudatur contra eo nomine Rufus apud Tacit. *2. Annal. quod diu manipularis, dein centurio, tandem caſtris præfectus fuerit.* Sic probata demum virtute, tandem ſummi magiſtratus dignis ſecure conferuntur. Alias nimis intempeſtive potentiam uni conferendo ejus vim vel Monarcha ſibi formidoloſam reddet. Quamvis enim homines virtutibus alias ſint inſtructiſſimi, tamen eorum ea eſt natura, id ingenium, ut cupiditatibus ſuis & ambitioni modum ſtatuere vix unquam ſciant. Sic *Themiſtocles ſe ad imperandum profitebatur natum*, Plutarch. *in Themiſt.* Cæſar imperii ſeu regnandi gratia jus violandum admittebat Cic. *lib. 3. offic.* Sueton. *in Cæſar. cap. 30.* Dein occaſio improbitatem eorum reddit inſolentiorem. Sic Michael Palæologus adeptus publicæ peccuniæ tractandæ facultatem, eam in milites & plebem diviſit. Quo pacto poſtquam ſe omnibus gratioſum reddiderat, ſublato vero herede imperium Conſtantinopolitanum ad ſe traxit, uti teſtatur Niceph. Greg. *lib. 3. hiſt.* Henricus II. rex Anglorum ſubjectæ ſibi Hiberniæ præfecit Hugonem quendam, uti vocatur, quare is clarus, ſubinde ipſi regi obedientiam denegavit, & denegaſſet amplius, ni a famulo jubente, aut ſaltim ſciente rege eſſet ſublatus, ut ex Guilielmo Neubrigenſi *de rebus Anglicis lib. 3.* notat Forſtnerus *ad Tacit. 2. Annal.* Ergone, *ſi forte ob ſimulatam ad tempus virtutem, quis ſubito ſit evectus, ſed dein improbus deprehendatur, conſultum eſt eum ſtatim amovere?* Non abſolute dixerimus. Difficile eſt profecto turbidos iſtos & rerum novarum appetentes, quando beneficiis, liberalitate atque comitate alios ſui ſimiles primum ſibi devinxerunt, coercere. Accidere ſæpenumero poteſt, ut remedia ſint periculoſiora ipſo morbo. Sic M. Antonio Triumviro hoſti a Senatu Romano judicato, certiſſimum remedium putatum eſt, ut Octavius novo cum exercitu obviam mitteretur. Factum eſt, ſed quo cum eventu? Hoc conſilium Antonius alio conſilio eluſit. Cognito enim periculo, Octavium in ſuas partes pertraxit, iique ambo conjunctis viribus & armis remp. oppreſſerunt. Dein interfecto demum Antonio Octavius ſolus imperium eſt adeptus. Quidam volunt ordinario procedendi modo illos de medio eſſe tollendos. Verum & id periculoſum. Sic cum dux Albanus ſuperiori ſeculo Philippum Lamoralium, Egmontium & Philippum Monmorantium, Hornanum, ſive invidia & odio, ſive vera & juſta cauſa motus in publico pegmate obtruncari, eorumque capita pilis ferreis præfixa duas horas ſpectari facere, fecit ſimul ut Belgæ, in quorum Egmontius præſertim erat amoribus, ultionem minitari nullo delatorum reſpectu ſint auſi, ac fœderatorum partes tunc primum ſtabilitas eſſe affirmarent, brevique Belgium omne tumultibus contra quam Albanus exiſtimaret, involutum iri præſagirent Famian. Strad. *de Bell. Belg. decad. 1. lib. 7.* Quam Albani ducis imprudentiam Apollinem etiam arguiſſe fingit Trajan. Boccal. *Relat. ex Parnaſ. cent. 2. Relat. 44.* Et certe ſi aliud remedium non exſtet, conſultius omnino videtur, clam potius improbos ejuſmodi imperii captatores carnificis ictum excipere, quam cum tanta ingratæ nimium populo aſſeclisve eorum tragœdiæ pompa. Conſultius vero omnino eſt imitari Athenienſes, qui oſtraciſmo utebantur, quo potentiores civium, ut ſupplicio carerent, in exilium mittebantur, aut potius extorres patria erant, ut pœnam invenirent, aut legationis quadam ſpecie alio mittere, ut potius legati quam relegati videantur. Sic etiam apud Romanos M. Cato *per honeſtiſſimam calamitatem* (ut Cicer. ait) in Cyprum eſt relegatus. Item a Tiberio Germanicus in Orientem, a Nerone Otho in Luſitaniam amotus eſt. Et Caligula cum equitem quendam ſibi minus gratum abeſſe vellet, honoris eum ſpecie ad Ptolomæum regem in Mauritaniam abire voluit cum codicillis, quorum exemplum erat; *ei quem iſthuc miſi neque boni quicquam, neque mali feceris* Suet. in *Calig. c. 55.* *Ex quibus honoratis exiliis id boni in remp. redundat, ut ſepoſiti illi fortunam minantem induſtria ſibi reconciliare ſtudeant, virtutisque ſpecimina, ſi non propoſito, certe metu amplectantur,* Boecler. *ad Tacit. hiſtor. c. 10.* Verum nec illud ſemper obtinetur ut reſipiſcant; aſſueti enim ſemel honoribus, perpetuis machinationibus eos recuperare tentant. Ideoque tutius eſſe ſuadet Ariſt. *5. Polit. 8.* non ſimul univerſos iſtos magiſtratus adimere, ſed ſenſim i. e. pedetentim, *impedimenta nimia potentia inſtrumentis objicere, fundamenta, quibus illa nititur, convellere, & velut ſubtractis alimentis ignem ambitioſum extinguere*, ait Forſtner *d. l.* Omnium autem tutiſſimum & *rationi ſtatus* convenientiſſimum putamus, principio ita remp. temperare (addimus & remp. ita temperatam ſervare) hac medicina ut non ſit opus, qua de re vid. Philoſoph. *3. Polit. 9.* aut operam maxime dare, ut legibus ita regantur, ne quis vel ab amicis vel a divitiis longe præſtet potentia.

XXV.

In conſtitutis cautio eſt (1) ut non ſint diuturni. *Reſpectu*
Suſpecta merito eſt potentia non immenſa tantum ſed & diuturna, imo ea quoque iniqua. *conſtitutorum*
Quando enim multi dantur pares, fieri non poteſt, ut omnes ſimul imperent. Interim iniquum *Cautio 1.*
tamen eſt aut ſaltim videtur, paucos duntaxat imperare, reliquos ab imperio excludi. Hinc non tantum,

Queîs de meliore luto finxit præcordia Titan.

Sed & viliores ad ſeditionem concitantur, indigne ferentes, eosdem ſemper magiſtratibus præeſſe, præmiaque etiam ſecum non communicari, uti contra Platonem diſputat Ariſt. *2. Pol. 3.*

 Teſtatur

Teſtatur illud multiplex illa ſeceſſio apud Romanos, quæ tum demum ceſſavit, cum in ſocietatem imperii plebs aſſumpta eſt, Tribunique plebis creati ſunt & e Plebeiis conſules lecti. *Pares enim ſunt jam velut multitudo, quare & inter hos ſæpe damagogi exiſtunt*, inquit Ariſtot. *5. Polit. 8.* qui hujus iniquitatis ratione multitudini injuriam ab imperantibus factam perſuadere & ſic ſtatum evertere nituntur. Idem reſpectu imperantium periculoſum eſſe tradit Philoſoph. *5. Polit. 8.* quod ejusmodi magiſtratus vel imperantes inſolentiores plerumque reddantur imperii diuturnitate, & faciliori negotio reip. noceant, dum amore & dulcedine imperandi perciti tyrannidem nonnunquam invadant. Hinc Tullius aliquoties conqueritur de diuturno cæſaris imperio, cui cum dictatura perpetua eſſet collata, facile remp. Romanam tyrannus invadere & occupare potuit. Imperatori enim qui egregio exercitui longo tempore imperaſſet, facile fuit eum devincire, ut Senatus P. Q. Romani quodammodo oblitus ſolos imperatoris faſces agnoſceret, uti concludit Machiavell. *lib. 3. diſcurs. in Liv. c.* 24. Ideo Scipio Amiratus *lib. 1. diſcurs. ult.* aſſeverare non dubitat Romam imprimis ob ſolam imperiorum prorogationem ſervituti mancipatam fuiſſe. *Quanquam enim ob propagata imperia ſeditiones Romæ proprie orta nulla videantur, conſtat tamen eos, quibus prorogati fuere magiſtratus, ad tantam autoritatem potentiamque perveniſſe, quæ publicæ libertati pernicioſa fuerit*, inquit Machiavell. *d. l.* ubi L. Quintium laudat, qui ut rem mali exempli execratus conſulatum ſibi prorogari non ſit paſſus. Et Æmilius Mamercus unius tantum diei dictator reip. incommodum cernens dictaturam ſponte depoſuit: *ut re ipſa*, inquiens, *ſciatis Quirites, quam mihi diuturna non placeant imperia, dictatura me abdico Liv. lib. 4. c. 24.* Optime ergo notandum monitum Bartholomæi Caleonis quod Marſ. *de leg. lib. 2. diſſ. 11.* notavit. Is poſtquam dux bellicus acerrimus ac fideliſſimus Venetiis præfuiſſet viginti amplius annos, jam ſenio gravis, ne mori quidem voluit, niſi ſalutari monito optime de republ. mereretur. Senatum ex quadrante heredem ſcripſerat, pro quo affectu clariſſimi aliquot miſſi a rep. viri, jam proximum metæ fatali acceſſerunt, non interituræ gratiæ & gloriæ præmium apprecaturi. *Et habeo*, inquit ille, *mnemoſynen grandius, quod ſenatui conſignem reſp. veſtra me præfectum perpetuum habuit, & habuit fidum utilemque, nunc ſuadeo hortorque, ne perpetuus deinceps conſtituatur militiæ præfectus, ſi reip. perpetuitas ſperanda aut ſtabilienda vobis eſt.* Hactenus Marſel. ubi addit: *agnoverunt ſalubre hoc monitum Veneti & adhuc hodie ſequuntur. Ratio* igitur *ſtatus* videtur potius ſuadere, ut ſemeſtres v. g. vel annui tantum ſint magiſtratus nec prorogentur aut ſæpius conferantur. Ubi tamen diſtinctio inter majores & minores, item *ratione ſtatus* & neceſſitatis videtur attendenda, qua de vid. Philoſ. *6. Polit. 1.*

XXVI.

Cautio 2. (2) Privata vitent commoda.

Unicuique recte imperanti publica præſertim utilitas curæ eſſe debet. Duplex autem ratio eſt illius publicæ utilitatis. Nam in rebuspubl. recte omni ex parte ſe habentibus utilitas quæritur in communi omnium & quidem ex æquo cum imperantium tum eorum qui parent, imo bonorum maxime. In minus rectis emolumentum ſpectatur, primo quidem ejus qui imperat, ſecundario autem ſubditorum. Jam vero magiſtratus, quoniam ſunt quaſi ſervi eorum a quibus conſtituuntur: ergo neceſſum eſt, ut ad illum ſcopum, qui in republica qua vivunt eſt propoſitus, ſeſe & ſua omnia componant. Ex quibus perſpicuum, quod qui imperio civili ſint præfuturi, bonum publicum propoſitum omnino ut habeant ſibi, e diverſo vero privatum poſtponant, hoc proprium & principale *rationis ſtatus* monitum, quæ ipſa nihil aliud eſſe dicitur quam utilitas reip. *ſub concluſ. 10.* Unde elegantiſſime Cic. *1. Offic.* ait: *ut tutela ſic procuratio reip. ad utilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa ſunt, gerenda eſt.* Publica res eſt quam procurare debent, quod ſi facere neglexerint magiſtratus, aut publicis privata anteponant, reip. naturam nobis invertere videntur. Imo omnium maxime videndum, ne publica compilentur a magiſtratibus. *Principium ſane diſcordiæ eſt aliquid commune ſuum facere.* Hinc in hac magiſtratuum abſtinentia, ſive fugienda propria utilitate, ſeu, ſi aut legibus aut alia deſcriptione ita temperata ſit reſp. ut magiſtratus ſibi ex ea quæſtum facere nequeant, quantum ſit poſitum oſtendit Ariſt. *5. Polit. 8.* Laudatur a tali abſtinentia Epaminondas, *quod paupertatem adeo facile ſit perpeſſus, ut de rep. nihil præter gloriam ceperit.* Corn. Nep. *in ejus vit.* Quid enim? *Habere quæſtui remp. non modo turpe eſt, ſed ſceleratum etiam, & nefarium*, inquit Cic. *2. Offic.* Hinc Ariſt. *5. Pol. 8.* ait, *in omni rep. maximum eſſe hoc præcavere:* & Cicero *d. l. caput*, inquit, *in omni procuratione muneris publici, ut avaritiæ pellatur etiam minima ſuſpicio.* Seditio enim facile oriri poteſt, ſi ſubditi videant magiſtratus publica compilare. Maxime autem & imprimis hæc cautio attendi debet in Oliarchia ſecundum Ariſt. *5. Polit.* 8. Quippe ea impune admiſſa *ſtatus rationem* Oligarchicam interire probatu facilimum eſſet. Nam duplici dolore afficit multitudinem ex philoſoph. diſcimus, ſi ex publico magiſtratus diteſcant. Primo enim videt ſe carere honoribus, & ad magiſtratus non adhiberi, deinde nec quæſtus fieri participem. Si a magiſtratibus arceantur, id quidem non magnopere curat, quin potius lætatur, ſi ſuis rebus vacare ſinatur; indigne vero fert, ſi magiſtratus publica depeculari putet. Hinc furere & fremere contra magiſtratum incipit, cum periculo & imperantium & ipſius ſtatus. Cautio igitur eſt multitudini potius quæſtus occaſionem relinquere, ut acquieſcat, quam ſibi hoc modo invidiam parare. Et ne magiſtratus publica defraudare auſint, cautionem *d. l.* tradit Ariſt. nempe ut rationes accepti & expenſi exigantur præſente populo & omnibus civibus, & deinde exempla rationum redditarum in curiis deponantur non uno in loco: Sic futurum, ut magiſtratus fideliter & ſine quæſtu gerantur. Sed qui hoc? Nimirum ſic ſingulis

tribubus

tribubus conſtabit, quid valeat ærarium, qui reditus annui, ut in horum ratione reipubl. imponi non poſſit. Sed inſtet quis: quod nemo moleſto illo magiſtratus munere ſit functurus, ſed quisque potius feriaturus, ſi tot adſint corycæi & obſervatores, nec ullum pro labore præmium, nec omnis præciſa lucri occaſione ullum ad imperantes redundaturum commodum. Reſpondet Philoſophus, locupletes & nobiles ad capeſſendos magiſtratus magnis præſertim ſibi delatis honoribus allici, ſi videlicet loco pecuniæ, quam alias exſpectaſſent, iis, qui magiſtratus præclare geſſerint, conſtituatur honos & reverentia non exigua, qua cum omnes plerique homines ducantur, tum maxime optimi quique. Idemque conſilium ſuggerit Philoſophus etiam *in Rhetor. ad Alexand. c.3. locupletes*, inquit, *pro ea, quam in publicum exhibent munificentiam, ſtatutis quibusdam honoribus, ab ipſis legibus donentur, ſic & agricolas pauperibus & navium gubernatores vectoribus anteponant. Sic enim & locupletes non inviti Reip. inſervient, & plebes non calumnia ſed miniſteriis ſtudebunt.*

XXVII.

(3) Vitent diſſenſiones inter ſe. *Cautio 3.*

Quantum utilitatis in publicum conferat concordia in genere, id vidimus *ſup. concl. 15.* Multo ergo magis conducet reip. imo neceſſaria eſt unanimitas principum in rep. virorum. Hoc *rationem ſtatus* poſtulare indicat Philoſoph. *5. Polit. 8.* ubi, ne ejusmodi virorum diſſenſiones, motus & contentiones oriantur, legibus cavendum præcipit. Plerumque enim accidere ſolet, ut primorum ejusmodi factionibus reliqua multitudo, vel ſtudio, vel mercede, vel furore quodam ſe adjungat, cujus exemplum recenſet ipſe Ariſt. *3. Polit. 8.* Hinc iſtas primorum & adminiſtrantium diſſenſiones rectiſſime Livius *lib. 3. c. 67.* vocat *venenum urbis.* Siquidem id experientia teſtatur, modo conſideremus patriam noſtram & in ea tricennalia jam geſta bella, niſi fallimur, ſola & unica procerum diſcordia ita protracta, ut mirum ſit Turcarum potentiam majus non ſumſiſſe incrementum, id quod alias certo eventurum minitatus eſt Arniſæus *lib. 2. doctr. Pol. c. 4.* poſt Sturm. Dial. *1. de Bell. Turc.* Cum inteſtina diſcordia animos ut plurimum ſumere faciat hoſtem externum. Sicuti de hac Principum imperii diſſenſione falſe ſatis etiam gloriatum Ibraimum Turcicum Baſſam teſtatur Abraham a Kreckwitz *in Silvula hiſtorico politica.* Is cum coronationi Maximiliani II. Imperatoris intereſſet, ipſique tres Germaniæ principes imperatorem comitantes monſtrarentur, ſc. Saxo, Bavarus & Juliacus, addito nimirum hoc, quod illi ſint adeo potentes, quisque eorum ſatis firmam contra Turcam poſſit inſtituere expeditionem, reſpondiſſe fertur ſubridens, ſe quidem ſatis perſpicere ex tanto apparatu ſummam Germaniæ potentiam; eam ipſam vero ſibi ſimilem videri ſerpenti multorum capitum, ſed unius caudæ per ſepem repturo. Regnum contra Turcuram ſimile eſſe ſerpenti unius capitis, ſed multarum caudarum. Tacite indicans, ſi ſerpens Germanicus ſepem perrepere niteretur, ſingula capita quærere ſingulos & diverſos meatus, & ſic hærere totum ſerpentem ſeque ipſum impedire. At vero regni Muhammedani monocephalum ſerpentem, quocunque perreperet, ſine impedimento attrahere omnes caudas & exſerere omnes vires. Qui Barbari ſarcaſmus videtur minime barbarus. Eodem modo cum Muhammetes imperator vereretur, ne Occidentis principes Conſtantinopoli a ſe obſeſſæ auxilia ſubmitterent, Sogam-Baſſa metum ei his verbis dempſit: *noſti Italos principes ob Polyarchiam concordes eſſe non poſſe;* hinc multa illi quidem ratiocinantur, conſultant, decernunt, ſed horum nihil aut parum exſequuntur, & quod hodie volunt, ejus cras pœnitet. Ergo nihil eſt quod verearis. Vid. Forſtn. *ad Tacit. 4. Annal.* Et certe quod de diſſenſione procerum imperii & Italiæ jocati ſunt iſti Baſſæ, id certe optime etiam applicari poteſt ad diſſidia magiſtratuum cujuslibet alterius formæ, ea ſc. reipubl. impedire incrementum, imo ſtatum facile evertere. Namque inter illas procerum diſſenſiones ſecutasque ſtrages ipſi demum reip. adimitur, quicquid victis perit. Optimum igitur eſt in tempore iis, antequam oriantur, occurrere, ſed quo remedio? Philoſoph. *d. l.* vult operam dandam eſſe, ut per leges caveantur, ne unquam accidant, quod tutiſſimum eſſe facile quisque largietur. Sed quid ſi jam oriantur? Ariſt. ſuggerit aliam cautionem, quæ eſt, ut id omnino & ab initio agatur, ne reliqua multitudo & ii, qui adhuc extra ſeditionem ſunt, hinc diſſenſioni ſe implicent. Verum hoc opus, hic labor. Non enim cujusque eſſe exoriens malum noſſe, nedum ei ſalutarem afferre medicinam, teſtatur ipſe Philoſophus, ſed viri demum Politici, imo *Semidei Politici*, ut verbis utamur Lampadii *de Rep. Rom. Germ. part. 3. c. ult.* Quod ſi vero ita vires ſumat, ut nec legum executioni amplius locus videatur eſſe, compoſitioni ſtudendum, conciliatio amica tentanda videtur, quibus omnibus irritis majori utendum vehementia, qua de videantur Tholoſan. *de Rep. lib. 23. c. 9.* Bodin. *lib. 4. de Republ. c. 4.* & Arniſæus *lib. 2. doctr. Polit. c. 5.*

XXIIX.

(4) Servent ſibi autoritatem & ſubditorum benevolentiam. *Cautio 4.*

Animam omnis regiminis qui dixerit autoritatem, nobis ſane errare non videtur. Fruſtra enim imperet, & ut truncus inter ranas ſedeat, qui ſua autoritate illos, qui parere debent, movere neſciat. Hanc nihil aliud eſſe putamus niſi de magiſtratuum virtutibus, earumve affinibus opinionem quandam reverentem. Opinione profecto iſta opus, ubi magiſtratus ſuſtinetur. Cum enim potiſſimum imperandi munus magiſtratum declaret ſecundum Ariſt. *4. Polit. 14.* & nemo niſi dignior & ſuperior imperet viliori & inferiori, juxta eundem *1. Polit. 3.* hinc patet, ut imperium ſubſiſtat, requiri ut parentes viliores vel exiſtant, vel tales habeantur, imperantes vero meliores. Adeoque in magiſtratu requiritur amplitudo quædam, quæ eum magis veren-

verendum reddit & in animis parentium ei majorem reverentiam conciliet. Id fieri poteſt, ſi juxta iſta requiſita, quæ *ſupra concl. 23.* memoravimus, morum gravitate utatur, i. e. ſi viſu, ſermone, habitu, geſtibusque non mollibus, ſed ad gravitatem compoſitis ſe ſpectabilem præbeat. Et ex hoc maxime vulgus eum admiratur. Confert huc juſta ætas, cujus ob morum tranquillitatem & gravitatem auctoritas eſt aſſecla. Marſel. *lib. 1. diſſ. 13.* Præterea etiam conſultare debent magiſtratus, ſed quod melius conſilium quam ſenum? Unde prudens conſilium per eminentiam vocatur ſenile: juvenile vero in temeritatis proverbium abiit; ut vel hinc aliquid autoritatis ſenibus accedere videas. Abſint tamen repueraſcentes: non enim tam canitiem, quam canam (liceat ita loqui) morum compoſitionem requirimus, rerumque intelligentiam, & prudentiam, ita cum gravitate junctam, ut magiſtratus utiliter de rebus omnibus ad uſum noſtrum pertinentibus conſulere & providere, optimisque parentes conſiliis regere poſſit. Deinde ad obtinendam & conſervandam autoritatem maxime prodeſt, ſi non nimium familiariter cum ſubditis verſentur. Nimia enim converſatio & familiaritas ſive *continuus aſpectus minus verendos magnos homines ipſa ſatietate facit*, inquit Livius *lib. 5.* & contemtum potius inducit, vid. Lipſ. *in monit. Polit. lib. 2. cap. 16. & in Civil. doctr. l. 2. c. 16.* quo tanquam peſte ſe omni ope, & ſtudio vindicabit magiſtratus. Quin *ratio ſtatus* eos, qui ad clavum ſedent, ſeveritate legum manifeſtum facere jubet, quam non ſint dictis aut factis contemptui aut contumelioſi habendi. Marſel. *lib. 2. diſſ. 43.* Cujus vero famam unus impune lædit, ejus autoritatem plures negligent. Quid autem ſalvi amiſſa autoritate? Utique hic præbebitur cuique anſa impune in remp. peccandi, ſtatumque invadendi, ſi nemo magiſtratus autoritatem vereri auſit. Severitate igitur opus, non quidem rigoroſa iſta ſemper, quæ urat, ſecet, ſed neceſſitate tantum exiſtente. Nonnullorum enim contumaces animi & plura, ſi inhibeantur, auſuri, laxamento aliquo melius curantur. Strad. *dec. 1. lib. 4.* Ideoque ſufficit juſtitia iſta, quam initio requiſivimus, quæque amorem & benevolentiam ſubditorum magis erga magiſtratum, quam odium excitat. Benevolentiam dicimus, quæ non autoritati magiſtratus minus conducit, eamque promovet, quam autoritas magiſtratui neceſſaria eſt. Benevolentiæ igitur ſubditorum ſtudere debet magiſtratus, ſed ita, ne nimis humiliter eam aucupari videatur. Idque eſt, quod monet Ariſt. *5. Polit. 8.* maximum præceptum in eo poſitum eſſe, ut imperii participes ſint faciles erga expertes ejusdem, & ita ſe gerant, ut decet & oportet. Cavendum tamen, ne humanitas illa & felicitas excedat nobile illud medium, quod uti in ceteris eſt maxime attendendum, ita & hic non in ultimis habendum. *Nunquam enim aut reverentiam terrore aut amorem humilitate captabis*, inquit Plinius, *in Panegyr.* Virtus utramque paginam, quod ajunt, faciat, admirationem, cultum & amorem conciliabit. Ut quemadmodum ſubditi inſurgere contra magiſtratum autoritate pollentem non auſint, ſic præ benevolentia non velint. Magiſtratus igitur utilitatis publicæ cauſa ſibi autoritatem cum benevolentia ſubditorum conjunctam comparabit & conſervabit.

XXIX.

Reſp. reliquorum civium,

Denique ratione reliquorum civium, ne occaſio detur ſeditionibus, obſervandæ quædam cautiones, quæ concernunt eorum vel mores & vitam vel æqualitatem.

Non enim ſufficit noſſe Politico, quæ conſervent corpus Politicum a parte imperantium, ſed & ignorare eum non oportet, quæ parentium a parte notari mereantur. Haud multo minus enim ſtatui periculum impendet, ſi mores & vita civium corrumpantur, vel inæqualitas irrepat, quam autoritas imperantium, vel reſpectus ille, qui inter parentes & imperantes & neceſſitate ordinis obſervandus eſt, labefactetur. Quin imo pravi mores & inæqualitas ſunt illa vitia, quæ civibus anſam præbent, ordinem iſtum rumpendi & imperium detrectandi, uti in ſequentibus fuſius videbimus.

XXX.

Et quidem quoad vitam Cautio I.

Quoad prius non permittendum omnino, ut quisque ſuo more & modo vivat, ſed videndum omnino, ut Reip. accommodate.

Fronto Conſul (ut eſt apud Dionem *in Nerva*) dixerat, *malum eſſe eum imperare, ſub quo nemini quicquam conceſſum, ſed longe pejus ſub eo vivere, ſub quo maxime liceat.* Licentia enim vergere ſolet in magnum malum. Hinc prudentiæ iſte oculus, cuilibet non permittendum, ut ſuo more modoque vivat, adeo inculcat *5. Polit. 8.* ut præ ſe expreſſe ferat, ejusmodi licentioſos propter privatas vitas res novas quærere. Ubicunque enim laſcivia, libidines, jurgia, perjuria & luxus regnant, ibi non poteſt non exulem agere probitas & modeſtia, duo omnis imperii fulcra. vid. *ſup. Concl. 16.* Hinc pro *ratione ſtatus* Philoſophus *cit. loc.* ſuadet conſtituendum quendam cenſorium magiſtratum, qui obſervet eos, qui reip. non vivant accommodate. Hujus generis magiſtratus apud Romanos fuerunt cenſores. Quorum, & præſertim Caſſii, Longini, Cæpionisque ſeveritatem laudat Vellej. Paterc. *lib. 2. c. 10.* quia *Lepidum Æmilium Augurem, quod ſex millibus ædes conduxiſſet, adeſſe juſſerunt. At nunc*, addit, *ſi quis tanti habitet, vix ut ſenator agnoſcitur, adeo mature a rectis in vitia, a vitiis in prava, a pravis in præcipitia pervenitur.* Nec defuerunt hi magiſtratus apud Athenienſes, apud quos nomine ζητητῶν inſignibantur, hi morum magiſtri in Areopago inquirebant in civium mores, ut ſtatui eſſent congruentes. Corrupti enim mores civium & luxui deditorum ægrotantis civitatis ſunt indicia, imo interituræ. Quippe licet neceſſaria ad id vitæ genus tandem deficiant media, libido tamen permanet, eosque ad quævis facinora vel in remp. etiam tentanda impellit. Unde conſtat, quam noxia reip. hæc vitia; tam neceſſariam reip. eſſe

cenſoriam

cenſoriam poteſtatem, quam vere *magiſtram & cuſtodem pacis* appellat Val. Maxim. *Dict. Fact. Memor. lib. 2. c. 9. pr.*

XXXI.

Huic rei maxime conducet, ſi cives ab initio ad præſentem ſtatum bene inſtituantur. *Caut. 1*

Viſus a circumfuſo aëre lumen accipit, mens a doctrina, dicere fuit ſolitus Ariſt. apud Diog. Laërtium *in ejus vita. Omnis enim doctrina ad prudentiam facit, & animus ferox per doctrinam molleſcit, & ſe frangit, diſcitque affectus & omnes motus magis habere in poteſtate.* Lipſ. *in not. ad l. 1. ſuor. Polit. c. 10.* Hinc rectam informationem uſque adeo inculcat Philoſophus, ut omnium ante ad hoc, ut reſp. conſerventur, expoſitorum maximum eſſe, & velut ſummam reliquorum in ſe continere *5 Polit 9.* affirmare haud dubitet, ſi a primis annis recte cives & ſtatui congruenter erudiantur, ſin minus, non poſſe non adeſſe certum reip. interitum. Nec aliud Brutum conſulem impuliſſe arbitratur Clapmarius *l. 2. de Arcan. Rerumpubl. c. 10. quod favori civium, etiam domus ſua clade, & parricidio velificatus ſit*, uti verbis Flori utamur, quæ habet *l. 1. c. 9.* Liberi enim Bruti, quod in regno nati & educati eſſent, huic reip. formæ convenientes, ſtudebant revocandis in urbem regibus. Id quod parenti ægre erat, & parum placebat, tanquam qui remis veliſque contenderet, ut verum vindicem ſeſe libertatis publicæ, ſevero etiam in filios ſupplicio, idque abrupto omni paternæ neceſſitudinis vinculo teſtaretur, quemadmodum commentator Stadius ibidem facit fidem. *Legum* enim, ait Philoſophus *cit. loc. utiliſſimarum & decretorum, quæ ab omnibus remp. gerentibus ſint facta, nulla eſt utilitas, niſi ſint aſſuefacti, & inſtituti in rep. populariter quidem, ſi leges ſint populares, oligarchice vero, ſi ſint oligarchicæ.* Quippe uti longe diverſa ratio eſt adminiſtrandi regna, & Ariſtocratiam quam remp. ſtricte dictam, ſic etiam pro diverſitate adminiſtrationis diverſi mores civium, atque parendi promptitudo requiretur, cui conſectarium infallibile erit, omnes omnino cives a teneris ſtatui unicuique conformiter inſtituendos eſſe, ſi perpetuo incolumis ſervari debeat ſtatus. Quod ipſum inductione elegantiſſima innuit Philoſophus *1. Polit. 8. Siquidem*, ait, *omnis quidem domus pars eſt civitatis, liberi autem virtutem ad totius virtutem ſpectare oportet: neceſſario in civitatem intuentes inſtituere debent & liberos, & uxores, ſi quid intereſt ad hoc, ut civitas ſit bona, liberos quoque eſſe bonos & uxores bonas. Intereſſe autem neceſſe eſt. Nam fœminæ quidem pars, dimidia ſunt liberorum capitum. Ex liberis autem participes civitatis oriuntur.* Hæc Philoſophus. Ex quibus verbis ſat abunde patet, ſi civitas florere debeat, tempeſtive liberos ad præſentem reipubl. formam eſſe erudiendos, ideoque hoc ipſum monitum iterat Philoſophus *8. Polit. 1.* his verbis: *Legumlatori plurimum operæ ponendum eſſe in puerorum educatione, (quod in civitatibus prætermiſſum reip. nocet) nemo dubitaverit: quoniam ad quamque remp. ſua eſt adminiſtratio dirigenda, cum ſui quamque mores, & tueri, & ab initio fundare ſoleant, hoc eſt, populares mores remp. popularem, & paucorum potentiam, qui ſunt huic generi accommodati: Semper tamen optimi quique mores melioris reip. ſunt cauſa.* Et Tullius *lib. 2. de Divinat. Nullum*, ait, *munus reip. majus meliuſve afferri poſſe, quam ſi doceatur atque erudiatur juventus, his præſertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt, ut omnium opibus refrænanda atque coërcenda ſit.* Quibus verbis & Philoſophus & Cicero optime ſignificat, quod recta juventutis & congruens ad cujuſque reip. ſtatum inſtitutio ſit fundamentum, cui unice innitatur ſalus reip. Unde etiam haud raro juventus ſpes & ſeminarium reip. nuncupatur. *Inſtitui* autem *convenienter reip. non hoc eſt, efficere quibus gaudeant Oligarchæ, vel qui Democratiam volunt, ſed quibus poſſint, hi quidem Oligarchiam tenere, illi vero Democratiam*, pergit dicere Ariſt. *cit. c. 8.*

XXXII.

Quoad poſterius cautio eſt, ut ita res diſponatur, ne unus ordo creſcat, ut alterum poſſit ſupprimere. *Quoad æqualitatem cautio 1.*

Inæqualitatem, vel vanam inæqualitatis perſuaſionem, qui vocarit quaſi fontem & ſcaturiginem omnium ſeditionum, ex quo fonte reliquæ inſtar rivulorum promanant ſeditiones, noſtra ſententia a vero non abfuerit. Non tantum enim pares ferre non poſſunt imperium aliquod in ſe æqualis, verum etiam ii, qui ſibi æqualitatem perſuaſam habent, ægerrime ferunt alios, qui vel genere vel opibus tantum diſpares, omnino imparia ſibi vindicare velle. Hinc diſſident, hi imparia præ illis affectantes, illi æqualitatem vindicantes. Dum igitur utrique ſuperiora quærunt, nituntur jure quodam & prætextu, quo reip. participes fieri ſtudent, id quod quando non obtinent, ſeditiones movent, ut reſp. tandem vel intendatur vel remittatur. Vide hac de re differentem Philoſoph. *5. Polit. 1.* Ut igitur inæqualitas haud poſtrema eſt deſtruens remp. cauſſa, ita æqualitas eſt præcipua eandem conſervans. Ideoque inter alias cautiones politicas huc non incommode referri poſſe exiſtimamus, ut prudens legislator omnino operam navet, ne ordo aliquis præ cæteris accreſcens, alterum aliquo modo ſupprimere poſſit. Quemadmodum enim unus aliquis homo magno animo præditus, præſertim ſi proſpero fortunæ flatu aliquantiſper utatur, totam reip. ſummam ad ſe trahere, ita multo magis id fieri poteſt in integra aliqua multitudine, ſi illa nonnihil rebus ſecundis inſoleſcat, ut omnem civitatis gubernationem reliquis excluſis ordinibus ſibi ſoli ſubjiciat. Ita tres olim Romæ fuerunt præcipui civitatis ordines, ſenatorius, equeſtris & plebejus. His ordinibus bene inter ſe temperatis nulla fere fuit reip. diſcordia, perturbatis autem iſtis & exaggeratis reliquis duobus, cum depreſſuri eſſent Gracchi ſenatorium, concordia in rep. eſſe deſiit, ſumma intimis miſceri cœperunt, hinc ſeditiones Gracchanæ ex hac ordinum inæquali diſpoſitione, ex quibus quantum detrimenti cœperit reſp. Romana, vide Flor. *lib. 3. cap. 14. & 15.* Optima ergo eſt cautio, videre, ne alter ordo potentia nimis inæqualis, aut alteri formidabilis exiſtat.

XXXIII.

Cautio 2. Huic ſubſervit & alia cautio, id agere, ut is ordo, qui præſenti reip. ſtatu eſt contentus, fiat potentior.

Concluſione ſuperiori datæ cautioni Ariſtot. *5. Polit. 8.* addit id, quando ſi potentia unius ordinis gliſcat, tria remedia, ſc. (1) nt magiſtratus, & reip. curationes ſemper contrariis demandentur partibus, nimirum ſi divites potentia prævaleſcant, pauperibus reip. cura & magiſtratus committantur, ſic enim factum unius partis alterius potentia retuſum iri. Aut (2) ut divites pauperibus & tenuibus apte adjungantur, neque divites ſolum cum divitibus aut boni cum bonis ſint copulati, ſed permixti ſint inter ſe. Hanc namque concinnam permixtionem æqualitatem eſſe ſervaturam, & ſeditiones ex inæqualitate naſcentes ſublaturam, dum cognationis vel affinitatis vinculis animorum conſpiratio arctius adſtringatur. (3) Ut media pars præ cæteris augeatur, ſic futurum ſc. ut appoſita pars tentare nihil auſit. Verum cum plerumque quicquid potentiam, id ſimul & deſiderium majoris potentiæ augeat, nobis autem non tam de augenda & reformanda, quam conſervanda eadem numero rep. *ratio ſtatus* agere jubeat, ambigimus, an modo dicta remedia ſufficienter ad ſcopum noſtrum faciant. Ideoque ea cum temperamento aliquo accipienda eſſe ducimus. Nam ſumme quidem aliquando utile eſt, imo neceſſarium, ut aliquis ordo præ cæteris ad majorem evehatur potentiam, verum non ille, qui vires ſuas & autoritatem ita exſerere poſſet, ut ſtatum in aliam formam converteret. Cum enim non magni negotii ſit, remp. definire & inſtituere ad duos tantum vel tres dies, ſed potius ad longiſſimum tempus eandem firmare & conſervare, ante omnia in id incumbendum, ut ſi ordines inter ſe civitatis diſſidere velint, is præſertim juvetur & potentior reddatur, qui non modo eum ſtatum ferre non recuſet, ſed & remp. ita ſtare exoptet, perennareque velit. *Pars* enim *civitatis, qua remp. ſalvam manere vult, ea quæ non vult, plus poſſe debet* Ariſt. *4. Polit. 12.* Sic fiet, ut ille civium ordo, qui ſtatu præſenti non delectatur, eumque immutatum vellet, præ altero res novas machinari non auſit, ſicque ſtabilitas reip. & *ratio ſtatus* obtineatur. Et hoc præceptum Ariſt. *5. Polit. 9.* tam religioſe inculcat, ut illud ibidem *ſæpe commemoratum maximum principium* appellet.

XXXIV.

Cautio 3. Tandem omnes omnino reip. oſores cum ſuis ſophiſmatis procul abſint.

Sophiſmata iſta, ſeu commenta vel captioſa inſtituta quid ſint, memorat Ariſt. *4. Polit. 14.* & nos ſuperius *concl. 17.* de iis aliquantulum egimus. In hæc & iis utentes captioſos homines convenit, præclarum iſtud Tullii *1. Offic.* quando *cavendum eſſe*, ait, *ne aſſentatoribus patefaciamus aures, nec adulari nos ſinamus, in quo falli facile eſt.* Quippe non magis fidei eſt, adhibendum callidis iſtis & fraudulentis adulatorum conſiliis, quam non permittendum, ut vel minimum in legibus ſemel receptis immutetur, qua de re ſupra concl. 21. cautionem dedimus. Hac enim ratione æque, non quidem aperte, ſed occulte, & ſenſim reip. forma commutatur, id quod docere ſolet effectus ſophiſticæ iſtius adulationis. De his ſc. demagogis, i. e. popularis auræ captatoribus, ſeu dominationis magiſtris & pravis conſultoribus, qui calliditatis ſuæ commenta ſive populo, ſive principibus, ſive optimatibus, ſive plebi inſtillant, eorumque potentiam, opes, faſtigium in immenſum amplificare ac firmare ſtudent, graviter conqueritur Bœcl. *in Annot. Polit. ad Tacit. 1. Annal. c. 6. n. 6. quando enim Ariſtoteles*, inquit, *& prudentiſſimus quisque Politicorum, conſiliorum & actionum civilium hanc ponunt regulam: Nihil utile putandum, quod non ſit honeſtum, ibi magiſtri dominationis plane ex adverſo nihil inhoneſtum principi* (par ratio vero eſt & plebis, & optimatum & divitum) *quod fructuoſum pronunciant.* Nihil tam crudele, tam turpe, quod non ſuadeant, & (proh dolor) plerumque perſuadeant. Et deinde virtutum nomina vitiis imponuntur. Callidum eſt illud ex ore Mæcenatis, quod adducit Dio Caſſius, quo Auguſto audaciam addit & pudorem minuit. *Etiamſi*, inquit, *dicaris vi occupaſſe imperium, tamen id a laude, quam a vituperio, propius abſuerit, eſt enim generoſi animi altiſſima cupere.* Veriſſime ergo dicere poſſumus, hoc nihil aliud eſſe, quam virtutum & vitiorum nomina permutare, vitiisque virtutum nomina induere. Quid enim hoc aliud quam rei turpitudinem verborum lenociniis obtegere? Spectare huc arbitramur orationem Othonis, qua referente Tacit. *1. Hiſt. 27.* arguit Galbam, inquiens: *quæ alii ſcelera, hic remedia vocat, dum falſis nominibus ſeveritatem pro ſævitia, parſimoniam pro avaritia, ſupplicia & contumelias militum diſciplinam appellat.* Hinc *blandas iſtas ſuggeſtiones* Diogenes Cynicus ſcitiſſime *melleum laqueum* dixit, quod blande amplectentes homines tandem jugulent. Quamvis enim callidi iſti ſeductores & malarum artium magiſtri his fucis & fraudulentis ſtrophis conſilia ſua vafre hominibus inſinuent, dum ubique *rationem ſtatus* jactitant, accuratius tamen rem illam omnem introſpicienti facile liquebit, ea plena eſſe adulationis & injuſtitiæ, adeoque vitandos hoſce eſſe ſeductores nefarios & procul arcendos. *Adulatores enim ſuadent, quæ placent: & non ſuadent propter bonum multitudinis, ſed propter bonum ſuum*, D. Thom. *in Explan. Polit. Ariſt. lib. 5. lect. 7.* Nam etſi prima fronte ejusmodi homines non appareant, quaſi aliquid fraudis penes ſe occultarent, & nonnihil monſtri alerent, exitus tamen probat, & cum magna reip. convulſione ſæpiſſime docuit, quantum promiſere boni, tantum præſtitiſſe mali.

XXXV.

Vel a vi externa. Jam de vi externa. Quæ imminet, quando contraria quædam eſt resp. vel prope vel longe quidem diſſita, ſed quæ ſit potens.

Ita vim externam deſcribit Philoſophus *5. Polit. 7.* reip. formidoloſam. Quando enim resp. contraria, i. e. diverſæ formæ extra civitatem vel prope vel longe, quæ potentia hanc ſuperet, tunc

ne eam

ne eam corrumpat, timendum eſt propter contrarietatem. Unum enim contrarium natum eſt diſſolvere alterum. Nec difficile hoc factu, modo extranei iſti civitati huic bellum inferre ſatagant. *Tunc enim*, ut Piccart. in Ariſt. *5. Polit. 7.* ait, *victrix reſp. victa ſtatum exoſum tollit, & ſuam formam in eandem introducit.* Hoc apud Athenienſes & Lacedæmonios accidiſſe, ex *cit. loc.* Ariſtotelis docemur. Cum enim Lacedæmonii oligarchias haberent & amarent, Democratias vero contra odiſſent, victores ii ubique ſtatum popularem pro arbitrio peſſumdabant & in ſtatum paucorum mutabant. Athenienſes vero contra Democratiarum ſummi patroni, & oligarchiarum oſores, ſtatum paucorum ubique deſtruebant, & in ſtatum popularem convertebant. Neque ſolum ipſæ rerumpubl. formæ mutationibus ſunt obnoxiæ, verum & non raro illi qui ipſis præſunt. Multa namque Aſſyriorum & Perſarum regna, non quidem quoad ipſam reipubl. formam, ſed quoad perſonas gubernantes mutata fuiſſe, hiſtoriæ ſat abunde loquuntur. De reliquis modis, quibus extrinſecus & caſu aliquo mutantur reſp. vel potius penitus delentur, puta inundatione, incendio, uti quondam Sodoma & Gomorra, aut aliquo terræ motu, qualis unica nocte duodecim Aſiæ urbes proſtravit, aut inedia, aut peſtilentia, aut alio morbo ſontico, plurima quidem in medium adferri poſſent. Verum cum horum & ſimilium vis a ſolo Deo avertatur, nobis autem de iſtis tantum, quæ humanæ prudentiæ & ſic *rationi ſtatus* ſubjaceant, agendi animus ſit, ideo ſicco, quod dicitur, pede illos præterimus.

XXXVI.

Tunc autem contrariæ iſti reip. præſentem hujus ſtatum mutandi, anſa præberi poteſt, vel per nimiam ſecuritatem eorum, qui ſubſunt, vel per temerariam incuriam eorum qui præſunt. *Cujus anſam eludendi.*

Thraſybulus olim a Tyrannis triginta, qui Athenas ſervitute oppreſſas tenebant, patriam, ſed ob ſolitudinem deſpectus, vigilantia ſua liberavit, hac occaſione motus, *in bello nihil oportere contemni, nec ſine cauſa dici matrem timidi flere non ſolere*, inquit. Cornel. Nepos *in vit. Thraſybul.* Idem quoque verum in rep. Romana deprehendimus. De Arminio teſtatur Vellejus Patercul. *lib. 2. c. 118.* quod *ſegnitia ducis* — Vari otio magis caſtrorum quam bellicæ aſſueti vigilantiæ *in occaſionem ſceleris ſit uſus, haud imprudenter ſpeculatus, neminem celerius opprimi, quam qui nihil timeret, & frequentiſſimum initium calamitatis eſſe ſecuritatem.* Et deinde *opprimi poſſe Romanos, & dicit & perſuadet, decretis facta jungit, tempus inſidiarum conſtituit.* Arminium hoc machinari, nunciatum quidem fuerat Varo per Segeſten, verum ille præ incuria *negabat ſe credere, ſpemque in ſe benevolentia ex merito æſtimare profitebatur*, verum iſta ſua fides & ſpes in culpam tranſiit, & *exercitus omnium fortiſſimus, diſciplina, manu, experientiaque bellorum inter Romanos milites princeps, marcore ducis, perfidia hoſtis, iniquitate fortunæ circumventus, ſilvis, paludibus incluſus, inſidiis ab eo hoſte ad internecionem trucidatus eſt.* Hæc Vellejus *d. c. & ſeq.* qui optime vidit & vere teſtatus eſt, ſegnitia & incuria, perfido & cuique hoſti occaſionem præberi, vel inſidiis vel omnimode aperte remp. invadendi & opprimendi.

XXXVII.

Ideoque anſa iſta ut eludatur, conducit (1) interdum civibus metum incutere. *Cautio 1.*

Ultimos centum annos tertiæ ætatis populi Romani fuiſſe aureos, *dum Pœnorum hoſtium imminens metus diſciplinam veterem continebat*, dixit Flor. *in Anacephal. tertiæ ætatis lib. 3. c. 12.* Nam minus læditur, qui haut imparatus impetitur, aut ictum timet, præviſumque eundem excipere meditatur. Contra ſocordes periculi contemtores nulla parte ſe non offendendos præbent. Dum igitur Pœnorum hoſtiles conatus impendebant Romanis, quivis majori ſolicitudine & vigilantia ſalutem reip. quærebat & interitum evitare ſtudebat. Sic *regna cuſtodit metus*, ut ait Senec. *in Oedip.* Jam cum periculum ſit, ubicunque eſt res terribilis (talis autem ſit ita potentium quos conſtat & velle & poſſe lædere, cum ut plurimum homines injuriam cum poſſunt faciant, confer Ariſt. *2. Rhetor. 5. n. 5. & ſeqq.*) manifeſtum eſt hos non contemnendos, ſed ſumme metuendos eſſe. Cautio igitur contra vim externam *rationi ſtatus* imminentem traditur, ut civibus manifeſtetur injuriam a potente altera rep. iis & inferri poſſe & imminere. Hoc optime fiet, ſi pericula, quæ etiam procul abſunt, fingantur prope eſſe & hoſtes longinqui in vicinia hærere, ac velut agmine toto in remp. irruere dicantur. Tunc enim juxta Ariſtot. *5. Polit. 8.* eveniet, ut *metuentes magis tractent remp.* atque eo major cuſtodia & diligentia conſervandæ reip. a civibus adhibeatur, quo majora eidem pericula imminere prætexantur. Ita olim Sertorius tuendi regendique exercitus peritus, temporibus difficillimis mentiebatur ad milites, & literas compoſitas pro veris legebat, ut eſt apud Agell. *lib. 15. Noct. Attic. c. 22.* Injecti deinde hi terrores non tantum vigilantiam, curam, & cuſtodiam juvabunt & excitabunt, ſed ſi qui ex civibus diſſidere velint, hos ficti periculi metuenda ſocietas etiam perquam facile placabit & conjunget. Verum cum a vi externa ſive ab hoſte ſervanda ſit reſp. & in tranquillitate ſita ſit ſalus ejuſdem, *Anne paradoxon eſt dicere utile eſſe pericula & metus civibus injicere?* Reſpondemus non hanc Philoſophi eſſe mentem, quod arceſſenda pericula, ubi alias nulla eventura, ſed fingenda tantum, ac ſi prope adeſſent, & ruinam reip. minarentur. Idque ideo, ut diximus, quo cives in cuſtodienda rep. ſint diligentiores & ad pericula ſutura attentiores.

XXXVIII.

Deinde (2) ſumme utile eſt, & ratio ſtatus poſtulat urbem (ſiquidem illa reſpublica contineatur) mœnibus, foſſis & aggeribus, aliiſque munire propugnaculis. *Cautio 2.*

De munitione urbis legi poteſt Scipio Amiratus *lib. 19. diſc. 4. dict. ſæpius tract.* ubi egregie ſatis declarat munimenta urbibus, quando detrimentoſa & quando vero utilia. Huic addi poteſt Bœcler. *Annot. Polit. ad Tacit. 1. Annal. c. 9. n. 8.* Interim in quæſtione: *Anne oporteat urbes muris eſſe*

cinctas, olim diverſæ fuerunt ſententiæ. Lacedæmonii putarunt, virtutem munitiones & propugnacula non admittere, quippe quæ ſeipſam defendere poſſit. Ejusmodi enim munimenta cives reddere ignavos & negligentes, dum exercendæ fortitudinis occaſio per ea adimatur. Sic interroganti cuidam, cur Sparta muris careret, rex Ageſilaus cives commonſtrans armatos, *iſti*, inquit, *ſunt Spartanæ civitatis mœnia.* Alteri hac de re percontanti *urbes non lapidibus & lignis, ſed virtute inhabitantium debere eſſe munitas.* Hoc refert Plutarch. *in Laconic. Apophtheg.* Verum hi priſca ſimplicitate judicaſſe videntur. Quamvis enim Lacedemoniis largiamur adverſus pares turpe eſſe muris uti, tamen virtuoſi, qui mœnibus gaudent, nihilominus vel virtute ſola inſultum adverſantium repellere poſſunt, vel per muros. Qui autem muros non habent, non poſſunt niſi altero tantum hoſtem avertere. Jam autem melius eſt pluribus modis viciſſim quam uno tantum reſiſtere poſſe. Videſis D. Thom. *in explanat. Pol. Ariſt. lib. 7. lect. 9.* Deinde quid de immunita iſta & minus tuta civitate fiet adverſus longe ſuperiores, ut humana & paucorum virtute impetus eorum, ſi qui bellum inferunt, ſuſtineri nequeat? Et Lacedemonii dicerent, *præſertim hoc tempore tormentis & machinis ſolerti ratione ad obſidendas oppugnandasque urbes inventis?* Ariſt. 7. *Polit. 11.* Atque ſi exercendæ virtutis cauſa civitates non ſunt muniendæ, quidni etiam domibus privatis non circumdantur parietes, quo minus habitatores ignavi fiant? Certe ipſi hæc talia jactantes Lacedæmonii exemplo ſuo erroris ſe conviciſſe legimus. Cum enim Pyrrhus Epirotarum rex iis bellum inferret, & extorrem patria Spartanorum regem Cleonymum reducere conaretur, ne hoſtis absque ullo impedimento in eos irrueret, non modo ſubito mœnibus & aggeribus urbis partem ab hoſtibus obſeſſam ſepiverunt, ſed & tum temporis virtuti ſuæ, quam alias oſtentabant, diffidere cœperunt. Ergo ſi cum *ratione ſtatus* ac quaſi ex voto loqui velimus *non ſolum* muri circumducendi ſunt, ſed danda etiam opera, ut tum ad urbis ornatum, tum ad bellicos nuper excogitatos uſus ſint accommodati Ariſt. *d. l.* Id quod ubivis locorum fieri nequit. Ideoque in extruenda civitate Ariſt. *d. c. 12.* obſervandum monet, ſitum loci ut commodus ſit civibus, ſi neceſſitas exigat, aliis bellum inferendo vel a ſe propulſando. Præcipue autem curandum, ut urbs in ejusmodi loco, & ita excitetur, quo civibus exitus ſit facilis, hoſtibus vero acceſſus difficilis, & oppidum difficulter obſideri queat. Id vero maxime præſtant loca munita. Verum omnibus abſolute civitatibus easdem convenire munitiones negat Philoſophus *cit. loc.* Ubi unius & paucorum ſtatui arces vult eſſe accommodatas, populari ſtatui loci planitiem aptam, optimatum denique remp. plura loca natura munita deſiderare. Conſule ipſum Philoſophum: nobis enim in hiſce longioribus eſſe non libet.

XXXIX.

Cautio 3. (3) Alendus miles exercitatus.

Meliorem & exercitatum militem altero imperito facile fortiorem, paratiorem, ſuperiorem fore, quivis facile judicabit. In comparatione cæſaris & Pompeji, *alterius ducis* (ſc. Pompeji) *cauſa melior videbatur, alterius erat firmior. Hic omnia ſpecioſa, illic valentia. Pompejum Senatus auctoritas, cæſarem militum armavit fiducia*, inquit Vellei. Paterc. *lib. 2. c. 49.* Ubi per militum fiduciam nihil aliud intelligit, quam militari exercitio promtum exercitum. Qua fiducia & ipſe cæſar in oratione ad milites apud Lucan. *de bell. civil. lib. 1. v. 311.* ridet & ſpernit inexercitatum ſubitoque coactum Pompeji militem, quando ait,

Veniat longa dux pace ſolutus
Milite cum ſubito, partusque in bella togata
Marcellusque loquax & nomina vana Catones.

Maraboduum Germanum quod *corpus ſuum cuſtoditum, imperium perpetuis exercitiis pene ad Romanæ diſciplinæ formam redactum, brevi in eminens & noſtro* (i. e. Romano) *imperio timendum perduxerit faſtigium* laudat idem Vellei. Paterc. *cit. lib. 2. c. 109.* Ad Romanæ diſciplinæ formam inquit, puta quam ut & artem bellandi Tullus Hoſtilius condidit, qui mirum in modum exercita juventute, tantum profeciſſe prædicatur, ut *provocare auſus ſit Albanos gravem & diu principem populum* Flor. *lib. 1. c. 3.* Hoc præſtitit miles exercitatus. Et quid multa? omnibus omnium ætatum hiſtoriis docemur, parum in bello valere militem inexercitatum, & maximos ſæpe exercitus a paucis deletos fuiſſe. Igitur Tacitus ait *12. Annal. revocato priſco more exerceantur legiones, etiam ſine bello, cura, ac proviſu agere, perinde ac ſi hoſtis ingruat.* Sic etiam Alexander M. in regione Satra diutius ſubſiſtens, *ne deſides otio demitterent animos, judices dedit, præmiaque propoſuit de virtute militari certantibus.* Curt. *lib. 5. c. 2.* Adde ibidem Johann. Loccenium. De ſtudio armorum quam illud utile reip. & quomodo, vid. latius Forſtn. ad Tacit. *lib. 4. Annal.* Ut ſummatim dicamus *ratio ſtatus* in rep. nihil fere magis expoſtulat, quam neceſſitate aliquando id efflagitante, ut ſolertem, peritum, promptum contra vim externam propulſandam militem habere poſſimus. Id eſt, quod philoſoph. *7. Polit. 8.* ait, *qui reip. præſunt, hos armis, tum ad vim, ſi quis injuriam extrinſecus inferre conetur, propulſandam, inſtructos eſſe neceſſe eſt.* Sed unde tunc miles tam ſubito, niſi ante ſit in promptu? Nam ex plebis fece aliorumque operariorum multitudine militaris laboris inſueta eligi vix poterit. Nec exteris ſemper uti conſultum eſt, *quibus neque boni intellectus, nec mali cura* Tacit. *6. Annal.* & a quibus timendum, ne majori ex diverſo mercede illecti jus fasque exuant, & omnia tanquam urbes hoſtium urant, vaſtent, rapiant. Utilitas ergo publica omnino exigere videtur, juventutum civitatis ad arma tractanda & opera gerenda aſſidue condoceri, & ne otio & torpore ſeneſcat, in perpetuo exercitio etiam pacis tempore retineri. Idque inculcant omnes fere politici,

& præ

& præ ceteris egregie hoc argumentum proſecutus eſt Lipſius *lib. 5. civil. doctr. c. 13.* Huic adde Philoſoph. noſtrum *6. Polit. 7.* ubi ita ait: *Verum cum civium multitudo, partim in ſeniores, partim in juniores ſit diſtributa: faciundum id erit, ut ipſorum liberi adhuc adoleſcentes diſcant hæc levia & expedita munera, & ut poſtquam ex ephebis exceſſerint, ea ipſa munera ſubeant.* Igitur ut ad dictum finem ii cives bene exercitati reddantur, & prælio recte committi poſſint, neceſſario ipſis præficiendus eſt dux aliquis, ſiquidem recte ſentit Curt. *lib. 10. militarem ſine duce turbam eſſe corpus ſine ſpiritu.* Quo in duce ut paucis omnia complectamur, quatuor cum Cic. *pro lege Manil.* requirimus: *ſcientiam* nimirum *rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem.* Verum hic oppido videndum, ne armata multitudo in ipſam remp. inſurgere aut novi quid machinari poſſit. Cum enim nullum fere animal intractabilius ſit præ feroce plebe; utile & conſultiſſimum eſt, ſubditis ad ſeditionem pronis in tempore adimere arma, commoda alias inſtrumenta plebejæ veſaniæ. Sic Carolus V. imperator cum 70. & amplius ruſticorum millia, qui adverſus dominos ſumtis armis inſurrexerant, fudiſſet, ſevera lege interdixit; ne agricolarum quiſpiam deinceps domi arma haberet; imo ne quis iis, qui cæſaris nomine ac ſtipendio non militarent vendere aut fabricare genus ullum armorum auderet. vid. Joan. Sleid. *comm. de Stat. Relig. & Reip. lib. 4. ſeqq.*

XL.

Is (4) ut alia poſſit, cenſus deſcribendi & collationes, ſed æqualiter. *Cautio 4.*

Interea, ſine quibus civitas vix conſiſtere poteſt, pecuniarum copia quædam *ad uſus & civiles & militares deſideratur* Ariſt. *7. Polit. 8.* Quæ pecuniarum copia omnino ærarium in civitate habendum eſſe deſignat. Et quidem duplici de cauſa, tum quod civitas in dies multos inſumere teneantur ſumptus in conſervandis, & renovandis publicis ædificiis, puta ara, ſchola, curia, tum belli tempore ad conſcribendos, & ad conſcriptos alendos & ſuſtentandos milites. Hanc duplicem cauſam etiam innuit Vernul. *lib. 3. inſtit. Polit. tit. 6. q. 1. ut dives,* inquiens, *in rep. ſit ærarium, danda eſt opera: illud publica neceſſitas tum bellorum gerendorum, tum procurandorum pacis ornamentorum exigit.* Nec enim fruſtra olim a Dione in Veſpaſiano dictum jam in proverbium abiit *nervos belli pecuniam eſſe, & ærarium nervos reip.* Flor. *lib. 3. c. 13.* appellat. Quemadmodum enim ſine nervis homines ambulare haud poſſunt, ſic nec imperia ſtare, nec bella procedere ſine opibus poſſe rectiſſime aſſeri putamus. Zevecotius quidem putat *diſſ. opuſc. c. 22.* Carolum V. nervos belli pecuniam, commeatus, & milites eſſe, non inepte dixiſſe, dum adjecerit, ſi quo carendum eſſet, ſolum ſe veteranum militem electurum, cujus induſtria & fortitudine & commeatum & pecuniam hoſti ſe extorſurum ſperaret. Cum quo conſentit Machiavell. *lib. 2. diſc. in Liv. c. 10.* pronuntians, contra communem opinionem, non pecuniam ſed militum virtutem eſſe nervum belli. Neque aurum ſufficere ad ſtrenuos milites comparandos, ſed per hos aurum & argentum comparari poſſe. Verum hoc Machiavelli dogma inſulſum vocat Waremundus de Erenberg. *meditam. pro fœder. c. 2. n. 152.* & ut nobis quidem videtur, nunquam potietur reſp. aliqua militibus ſtrenuis, nec alet honeſte, ſi pecunia non ſit abunde inſtructa. Et quamvis Carolus V. dixerit ſe hoſti ope & fortitudine militis ſtrenui pecuniam facile extorquere poſſe, veremur tamen, ne multum hoc fallat. Quid enim ſi hoſtis ipſe parum poſſideat aut regiones exteræ jam tum ſint devaſtatæ, & nihil ſuperſit, quam ut nudo ſubtrahantur veſtimenta? Ad ærarium igitur recurrendum, miles ut conſcribatur, alatur & ſtipendia capiat. Aſt unde nobis ærarium? Ærarium triplex olim Romæ aſſervatum fuit. *Unum*, in quo civium tributa, ac ſociorum vectigalia, & prædæ imperatorum condebantur, quo ſumtus bellorum ordinarii ſuſtinebantur. *Alterum*, ſanctius ærarium, in quo aurum viceſimarum, ex viceſima manumiſſorum collectum ad ultimos caſus ſervabatur. *Tertium*, Sanctius Gallicum, in quo pecunia Gallici belli cauſa reponebatur. Horum meminit Stradius *ad d. l.* Flor. Poſteriores ærarii ſpecies parum ad nos: ſed præſertim prima, quæ ex tributis, cenſu, & collationibus conſtruitur. Ad cujus conſtructionem exigenda erunt tributa, indicendæ collationes, deſcribendi cenſus, ſed æqualiter. Notanter dicimus *æqualiter:* huc ex parte ſpectare videntur, quæ ex Ariſt. *5. Polit. 8.* elici poſſunt: legitimam videlicet & æquabilem eſſe debere cenſus deſcriptionem, adeoque pro conditione rerum & temporum, eam vel intendendam vel remittendam. Nam ſi ubertas e. g. vel victoria, indeque præda reip. contingat, contributiones etiam utique augendæ erunt, ſin minus, pro rata imminuendæ. Alias enim cum in Oligarchiis magiſtratus legantur ex cenſu, fieri facile poteſt, ut diteſcentibus pluribus in Democratia aut Politia, plures etiam fiant participes iſtius cenſus, & ſic Oligarchia mutetur in Politiam aut Democratiam. Contra vero calamitate quadam oborta, cum imminuantur opes, & ſic cenſus, Politia & Democratia abeat in Oligarchiam. Sic videmus præceptum hoc neglectum nocere omni reip. formæ, præſertim autem ſtatui populari & paucorum. Vide Ariſt. *cit. loc. ibique* Piccart. In indictione autem & exactione tributorum vel neceſſariorum, cavendum omnino, ut invidia leniatur, quo omnis ſeditio vitetur. Conducet igitur maxime, ſi ſubditi videant tributa ſolummodo exigi ad uſus belli, & magiſtratum cuſtodem eorum eſſe, ut publicæ pecuniæ non ut ſuæ. Septem adhuc alias leniendæ invidiæ aptas cautiones legere licet apud Forſtn. *ad Tacit. lib. 4. Annal.*

XLI.

(5) Fœdera ineunda cum aliis rebuspublicis. *Cautio 5.*

Ab externa vi tertiæ alicujus potentioris reip. ſæpe numero imbecillior quædam forma ſe ſola defendere nequit, niſi alterius cujusdam vicinæ ope ſubnixa ſit. Cautio igitur haud poſtrema eſt in tempore cum rep. alia fœdus pangere. Quod definiri poteſt *duarum aut plurium rerumpubl.*

publ.

publ. de mutuis auxiliis ferendis, aut pace & amicitia aut ſocietate ineunda conventio. Finis fœderum non alius eſt, quam ut altera ab alterius reip. offenſione minus auſit timere. Ab hoc fine fœderum Politici ſolent conſtituere tria genera cum Menippo apud Liv. *lib. 34. c. 56.* *Unum*, cum qui nunquam hoſtes fuerunt, ad amicitiam ſociali vinculo inter ſe jungendam coeunt. *Secundum*, cum bello feſſi poſitis armis in pacem & amicitiam veniunt, uti olim Romani & Albani. *Tertium*, quod cum bello victis initur, quibus a victore leges dicantur. Verum nobis de primo potiſſimum genere hic ſermo erit. Ejusmodi autem fœdera ſunt vel perpetua, vel ad tempus certum tantum inita. Deinde alia ad defenſionem, alia ad offenſionem ſimul & defenſionem contracta. Præcipue autem hic agimus de illis, quibus altera civitas alterius fidem devincit, ut tuta eſſe poſſit a vi tertiæ cujusdam reip. & ſic tantum ad ſui defenſionem. *Cum enim qualibet reſp. vel amulos habeat, vel inimicos, ac utcumque potens ſit, omnibus hiſce ſimul temporeque omni, reſiſtere non queat, fœderatis ideoque carere vix ullum imperium poteſt, pariter ut injucunda eſt vita privata, amicorum ſubſidio deſtituta*, quemadmodum Beſoldus *in Synopſ. doctr. Polit. lib. 2. c. 11.* diſſerit. Fœdera igitur illo potiſſimum tempore ineunda ſunt, quando civibus minus potentibus, belli a potentioribus inferendi imminet periculum. Id quod Ariſt. rectores rerump. attendere jubet *in Rhetor. ad Alexand. 2. additam c. ult. quod in quibusdam editionibus non reperitur. Neceſſe eſt*, inquit, *ſocios faciamus, cum cives minus ex ſe potentes ſunt, qui tum ſolum, aut oppida tueantur, aut hoſtibus repugnent. Et in ipſis Rhetor. ad Alexand. c. 3. Socii vero pro ea temporum ſunt conditione faciendi, cum aliqui ſuis viribus infirmi ſunt, aut bellum aliquod videatur impendere, aut eo cum aliquibus ineunda ſocietas, quod bello quosdam a ſe defecturos putent.* Defenſiones igitur potiſſimum caſu fœdus ineundum, quod fœdus Gallico vocabulo *alliance* exprimunt. In ejusmodi autem fœderibus ineundis Philoſoph. *cit. loc.* aliquot requiſita notanda monet. *Eſt enim*, inquit, *ſocietas omittenda, cum aut eam facere non ſit opus, aut ſocii longe a nobis diſtent, neque potentes ſint, qui oportune adſint.* Cautio igitur (1) eſt ut fœdus contrahatur, non niſi quando opus. Conventio enim eſt fœdus, ſed quis alii ſe velit adſtringere niſi neceſſitate aut ob utilitatem hoc fecerit? quæ tali cauſa deſiderantur. (2) Ut cum eo qui non ſit adeo diſſitus, ut ſocio ſuppetias ferre nequeat. Quale enim ſubſidium, qualis defenſio ab eo expectanda, qui intervallo loci aut alia difficultate plane excludatur? Remotum autem non appellamus illum, qui longe itinere a nobis abeſt, ſed illum, qui non facile ſe nobis conjungere poteſt. (3) Ut cum potente viribusque valente. Enimvero cum iis fœdera inire, qui plane aut nullis aut exiguis viribus ſunt inſtructi, id non modo periculoſum eſſet, verum etiam inſulſum. Inutilis enim ſocietas eorum, qui nobis nec in bello amici prodeſſe, nec inimici nocere poſſint. Huc ſpectavit Ariſtot. *d. l.* præſertim quando ait: *Civis autem bonus eſt, qui amicos civitati utiliſſimos parat. Nec aliud eſt* (dicente Vernul. Inſtit. Polit. lib. 2. tit. 20. q. 3.) *miſeris ſe adjungere, quam cum miſeris velle perire*, & qui miſeris aut infirmis ſeſe jungunt, ut Lucan. *lib. 8.* canit: *Quærunt cum qua gente cadant.* In caducum igitur parietem ne inclines, i. e. imbecillioribus te non jungas. Potentes autem hic ſunt, qui & opibus, & nummis, & operis, imo & virtute juvare poſſunt. Vid. Warem. de Erenb. *d. tract. c. 2. n. 233.* His igitur quia juvare amici aut inimici nocere poſſunt adhærendum. *An igitur conſultum fœdera pangere cum longe ſuperioribus?* Nequaquam. In fœdere enim inæquali *ſolet accidere plerumque, ut qui ſuperior eſt, ſi is potentia multum antecellat, paulatim* imperium proprie dictum uſurpet. Grot. *de jur. bell. & Pac. lib. 1. c. 3. n. 21.* ubi ait Latinos ita conqueſtos, quod *ſub umbra fœderis Romani ſervitutem paterentur.* Ex hac iterum ſane non levis oritur quæſtio, *ſi duæ vicina reſp. bella inter ſe gerant, utrum ſuperiori, an vero viribus inferiori ſe adjungere præſtet.* Tutius in hoc caſu eſt, ſi tertia reſp. ſe adjungat operamque navet imbecilliori, ut illa potentia ſuperiori exæquetur. Sic enim fiet, ut quando ſi vident in æquilibrio damni conſtitutas, belli pertæſæ ad alia deſcendant inter ſe conveniendi remedia, uti annotavit Piccart. *comm. ad lib. 5. Polit. c. 8. Ariſt.* Inferiori viribus ſe adjungendo potentioris curſum tardarunt Veneti hac noſtra ætate, uſi hoc remedio adverſus Hiſpanos & Gallos. Tutiſſimum forte quis dixerit eſſe extra periculum vivere, & ſic neutri ſe adſociare. Verum diverſum ſuadere videtur metus, ne ſi tertia conjungat ſe potentiori, aut ſi quieſcat imbecilliori demum ſuperato, tandem & de ſuo ludatur corio, atque potentioris prædæ cedat.

XLII.

Specialis. De generali ratione ſtatus hæc ſufficiant. Jam de peculiari ſeu ſpeciali, quæ ſpecialiter in ſingulis rerumpublic. formis reſpicienda venit.

Specialem hanc nobis dici patet ex oppoſitione generalis, quam *ſupra concl. 13.* deſcripſimus, quod in genere omnes aut plures reſp. tam bonas, quam aberrantes conſervare, easque a lapſu ſalvas præſtare intendat. Cautiones enim quas ſuperius adduximus, ſi non omnes omnibus rerump. formis tamen pluribus, licet uni atque alteri magis, competunt. Nec tamen inficiamur in ſubſequentibus ejusmodi monita datum iri, quæ non uni tantum reip. formæ, ſed & duabus aut pluribus adhiberi poſſint, ideoque ſub generali tractari potuiſſent. Verum Philoſophum potiſſimum & alios ſecuti Politicos, maluimus de iis agere ſub ea præſertim forma, ſub qua ab illis ſunt redacta, endonituri nihilominus, quod etiam in aliis ſtatibus adhiberi & tuto obſervari non negent.

XLIII.

vel rectarum vel aberrantium rerump. Quæ cum ſint vel rectæ vel aberrantes: hinc & rationem ſtatus ita diſpeſcimus, quod alia conveniat ſtatui recto, alia aberranti.

Cum enim, ut Philoſoph. ſæpius inculcat, reſp. in ſpecie reſpiciant utilitatem vel ſubditorum communem vel ſolorum dominantium; prior autem & potior imo ſola optima ratio ſit omnium

communis,

communis, hinc ex fine iſto dividuntur; ut illæ ſint rectæ, hæ vero aberrantes. Jam finis iſte, ſeu utilitas, conſiſtit in ſola conſervatione, ſive forma iſta recta ſit ſeu bona, ſive aberrans ſeu imperfecta. Cum autem ſalus conſervetur aliter in veris, aliter in aberrantibus, hinc dicimus, aliam *rationem ſtatus* obſervandam eſſe in perfectis, aliam in imperfectis rerump. formis.

XLIV.

Illa ut rite procedat, certis cancellis & limitibus ſit adſtricta neceſſe eſt, qui imprimis quatuor. *Illa adſtricta limitibus 4.*

Dicuntur hæc, quando principes reip. ſive regni, ſive Ariſtocratiæ ſive Politiæ per honeſta licitaque media ultimum ſubditorum finem i. e. ſalutem & egregium publicum quærunt. Et certe malitioſe & indiſtincte calumniantur *rationem ſtatus*, qui omnis malitiæ eam patronam, omnis injuſtitiæ, iniquitatis, fraudum, imo vitiorum omnium mangonium appellant, quaſi illam obtendendo ſoli tyranni ſubditis glaucoma objiciant, ut, licet leges & juſtitia expreſſe violentur, ii tamen hoc non videant. Namque ut rectiſſime inquit Ampliſſ. Dn. Præſes, *nihil in voce rationis ſtatus latet culpæ: quod vero hujus prætextu flagitia dominationis exerceantur, extra vocis innoxiam eſt ſignificationem.* Verum ut *ratio ſtatus* ſaltim earum rerumpublicarum, quæ jure & æquo non autem mera vi nituntur, non per analogiam tantum quandam dici mereatur, neceſſum eſſe arbitramur, *ut certis limitibus & carceribus ſit circumſcripta, quo tendere & intra quos decurrere, nec latius evagari debet*, ut Hippolythus a Lapide *in prolegom. ſect.* 3. loquitur. Hos ni fallimur limites ſervandos in compendium redegiſſe videtur Seneca Tragicus *in Thyeſt. Act. 2. verſ. 214.*

Ubi non eſt pudor
Nec cura juris, ſanctitas, pietas, fides
Inſtabile regnum eſt.

Eorumque ex parte meminit quoque Clapmar. *lib. 1. c. 6.* quando ait, *ſunt vero limites ſimulandi, quos egredi impune non licet fides, honeſtas, virtus: quorum qui obliviſcitur, non amplius prudentis, aut politici nomen meretur, ſed vafri, aſtuti, nec nefarii hominis.* Et *lib. 4. c. 21.* ubi de juribus dominandi loquitur, *veruntamen*, ait, *habet hæc majeſtas terminos ſuos, ut ſunt religio, pudor, fides.* Idem *lib. 4. c. 4. Quare*, ait, *duo ſepimenta ſive terminos huic juri* ſc. dominationis *ſtatuo. Divinum Numen, ſive religionem, & fidem, ſive pudorem. Quæ ſi integra manent nihil prohibet, nonnunquam a communi jure recedere, pacis ac quietis cauſa.* Hunc ſecuti ſunt Hippolythus a Lapide & Bœclerus, qui eaſdem fere *rationi ſtatus* metas & carceres definiunt. Et quidem illi *ratio ſtatus* ab altera parte juri divino, pietati & religioni, ab altera fidei, juſtitiæ, ac naturali honeſtati incluſa eſt. Quæ nos haud incommode ad quatuor requiſita revocari poſſe cenſemus, ita ut religio ſive pietas jus divinum complectatur. Quanquam nec id velimus diffiteri, non adeo exacte quatuor hæc a ſeſe mutuo diſtingui, ſed & poſſe uno communi virtutis, aut juſtitiæ, aut honeſtatis nomine comprehendi. Hoſce limites vero ſi excedat *ratio ſtatus*, in juſtis quidem civitatibus non amplius iſto nomine, ſed revera digna videbitur, quæ monſtrum aliquod & mantellum diaboli vocetur. Hinc Boterum in peculiari ſuo tractatu, Scipionem Amiratum & Andream Canonherium *diſc. ad Tacit.* laudat Suth. *differt. 1. th. 65.* quod prudenter monuerint, *ita conformandam rationem ſtatus, ne quid fiat contra jus divinum & religionem, ne manifeſto violetur honeſtas & æquitas, ſeu quod infertur damnum majus ſit utilitate quæ inde ſperatur.* Terminos autem hoſce ſive *rationis ſtatus* limites quando in reip. formis rectis requirimus, non ea nobis mens eſt, quaſi in imperfectis *ratio ſtatus* eos plane excludere aut transgredi auſit. Quin tantum abeſt, ut eas imperandi formas hoſce limites penitus excedere ſtatuamus, ut potius ſupra *concl. 11.* eas haud omnes injuſtas eſſe aſſeruerimus. Quo poſito in iis quoque imperantes hiſce limitibus adſtrictos eſſe indubitato affirmamus. Hi limites vero eo magis obſervantur, quo reſp. illæ vel regie, vel paterne adminiſtrantur. Quemadmodum autem non omnes nec ſimpliciter juſtas dicimus, ſic etiam non negamus in iis formis ſophiſmata, ceu etiam a Philoſoph. *5. Polit. cap. 11.* tyrannis uſitata memorantur, dari, quæ peſſima & abominanda certe ſunt. Ideoque dum adhibentur velamine *rationis ſtatus*, obtegi non poſſunt, aut ſi tali mantello eos quis obvelare præſumat, is certe dignus demum nomine, quali hodie, ſed inique, Politici inſigniuntur.

XLV.

Primus igitur & præcipuus limitum eſt religio ſive pietas. *Limes 1. religio.*

Religionem & pietatem baſin & fundamentum omnis regiminis noſtro ſane judicio quis rectiſſime dixerit: *Pietate* enim *ſublata, fides etiam & ſocietas humani generis & una excellentiſſima virtus juſtitia tollitur*, inquit Cic. *1. de Nat. Deor.* Hinc Ariſtoteles ipſe gentilis non uno ſane in loco inculcat remp. ſine religione conſiſtere non poſſe. Sic *7. Polit. 8. rerum divinarum procurationem*, quam ibidem *ſacerdotium* nominat, refert in eorum numerum, quæ ſumme neceſſaria ſunt civitati, adeoque cunctis præferenda. Et religionem reip. partem eſſe talem, ſine qua illa conſiſtere nequeat, repetit *eod. lib. c. 9. fere in fin.* Platonem quoque eam *poteſtatis ac legum & honeſtæ diſciplinæ vinculum*, Plutarchum autem *coagulum omnis ſocietatis & fundamentum legislationis* vocaſſe teſtatur Grot. *de jur. bell. & Pac. lib. 2. c. 20. n. 44.* Certe utrinque religio hoc præſtat, ut ſi non firmamentum ſaltim fulcrum nominari mereatur. Sine ea enim nec imperantes officium ſuum, nec ſubditi facient: ideoque ſine ea nec ſocietas erit. Tolle pietatem & religionem, nec juſtitiam nec virtutem ullam reliquam facies; ſed fraus, licentia, protervia, & confuſio dominabitur. Crudelitas, deſperatio omnem metum excludent, omne peccatum & periculum floccipendent. Nulla autem res magis animos & mores componit quam religio, in imperante enim ſi eam conſi-

conſideres, amorem provocat & venerationem erga ipſos principes: *Nec facile exteri aut ſubditi lædent, cui Numen amicum & propitium arbitrantur*, ait Lipſ. *in monie. Polit. lib. 1. c. 2. Felices reges, ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maxime dilatandum majeſtati ejus famulam faciunt*, dicit Auguſtinus *de Civit. Dei 5. c. 14.* quem citat Grotius *de imp. ſumm. poteſt. circ. ſac. c. 1.* Et Livius *lib. 5. Omnia*, ait, *proſpera colentibus deos, adverſa ſpernentibus.* Deinde etiam ſubditos meliores reddit. Hinc Cyrus dixit, *ſubditos hoc ſibi addictiores fore, quo Dei eſſent metuentiores*, Xenoph. *Cyr. inſt. lib. 8.* Maximum ergo reip. vinculum & firmamentum eſt religio. Huc ſcitiſſime quadrat, quando Excellent. Dn. Præſes *d. tract. c. 2.* inquit: *Optimos quosque legumlatores, non apud Judæos, nec apud barbaros tantum, quos ita olim appellabant, ſed & apud Græcos ipſos, Zaleucum, Lycurgum, Minoem, Theſeum, ut & apud Romanos Numam, religionem pro fundamento habuiſſe ſuarum legum.* Itaque quamvis omnibus aliis juribus *ratio ſtatus* ſit præſtantior, omni tamen ut religioni adeoque juri divino ſit inferior, eique cedat, eſt neceſſarium. In quam ſententiam ſcribit Clapmar. *lib. 4. de arcan. rerump. c. 21. Hæc*, ait, *dominandi jura, tantum abeſt, ut religionem depravent, vel pietati adverſentur, ut potius ei inſerviant.* Neque mehercule juris nomine dignum eſt, quod divinæ legi, aut religioni contrarium. Et ut paucis abſolvamus, qnotiescunque *ratio ſtatus* religionis terminos excedit, eam non amplius *rationem ſtatus* ſed impiam fraudandi rationem appellandam ſtatuimus, quicquid etiam ogganniant ſtatiſtæ, illi numinis & honeſti omnis contemtores, quos ſolide perſtrinxit Ampl. Dn. Præſes *dict. loc.*

XLI.

2. Fides. Alter eſt fides.

Qui fidem impune frangendam autumant, honeſtatis limites impune transgrediendos perſuadent, dnmmodo dominationi ſuæ conſulant, cum his minime faciendum putamus. Dicunt, quicquid utile idem & honeſtum eſt judicandum, & ſufficit, quod *ſingulorum injuriæ utilitate publica rependantur*, ut Tacit. 1. *Annal.* loquitur. Iisdem ſolito more adſtipulari non veretur Machiavellus *Comm. lib. 2. c.* 13. & 18. *de Princip.* dum ibi præceptum tradit, principem, qui opes ſuas augere & imperii fines prorogare velit, artem fallendi ediſcere oportere, ſed ſatis hoc nomine refutatur ab Antimachiavello anonymo *Comm. lib. 3. de Politia Theoremat.* 18. Et quid mirum? injuſtitiæ iſti ſatellites & procedunt, ut referente Radewico *in Continuat. Otton. Friſing. de reb. geſt. Friderici I. l. 8. c. 29.* profiteri non erubeſcant: *juravimus quidem, ſed juramentum attendere non promiſimus.* Quaſi interſit quicquam inter animum obligandi & promittendi, aut quaſi fides oſtentanda ſolum, non etiam ſervanda ſit. Enimvero *famæ ac fidei damna majora eſſe, quam quæ æſtimari poſſint*, ſanctiſſime dixit Livius *lib. 3. in fin.* Quippe fidem ſemel datam, qui frangit, ſi non aliud hoc ſolum lucratur, ut vel juranti fides non amplius habeatur, nec data fides ſervetur. Fruſtra deinde fides, ubi nulla fides reciproca. Ideoque cum eo nec fœdus nec ulla conventio eſſe poteſt, quia fide non terminatur. *Rationi ſtatus* ſemper propoſita eſt utilitas reip. quæ in conſervatione ejusdem conſiſtit, ſed medius fidius imbecilla talis utilitas, quæ fide non ſervata, fidem non ſervari meretur. De fide rectiſſime judicat Cic. quando *nemo eſt*, inquit, *qui non hanc affectionem animi probet, atque laudet, qua non modo utilitas nulla quæritur, ſed contra utilitatem etiam conſervatur fides, lib. 5. de finib.* Imo *fides, quando promittitur, etiam hoſti ſervanda eſt, contra quem bellum geritur*, Auguſtinus *Epiſt.* 105. *ad Bonif.* Ratio, *quia hoſtes qui ſunt, homines eſſe non deſinunt. At homines omnes, qui ad rationis uſum pervenerunt, capaces ſunt juris ex promiſſo*, ut concludit Grot. *de jur. bell. & pac. lib. 3. c. 19. n.* 1. Sic cum Roma a Porſena eſſet obſeſſa, & pax jam coiiſſet, datisque utriusque ſexus obſidibus firmata eſſet, virgines duce Cloelia transmiſſo Tiberi hoſtibus ſe eripuerunt, & Romanis ſuis ſe reſtituerunt. Perfidiæ magiſtri hic excuſationem prætendere potuiſſent, a ſexu, item cuſtoditum poſſe fallere cuſtodes. Sed fides vere priſca in ſenatu prævaluit, ideoque obſides remittendos cenſuit. Vid. Lipſ. *in monie. Polit. lib. 2. c.* 13. Hinc ergo ſequitur, ſi hoſti, E. multo magis & ſociis imo omnibus hominibus fidem in quibnscunque eſſe ſervandam. Ideoque cenſemus *rationem ſtatus* jure talem appellari non poſſe, niſi, qnæ fide nitatur. Adde Ampliſſ. Dn. Præſidem *cit. loc.*

XLVII.

3. Pudor. Tertius limes eſt pudor, vel honeſtas naturalis.

Honeſtatem ſeu honeſtum hic non appellamus id, quod honore dignum, ſed magis qnod ex hiſce duobus proficiſcitur ſc. ex rectitudine rationis & voluntatis, uti ſumit D. Thom. *1. ſecundæ q. 39. art. 2.* Ad quam rationis rectitudinem ſi examinetur, honeſtum facile liquebit, omne honeſtum eſſe quidem utile, ſed non omne utile honeſtum; & pudor hic non tam hominum & famæ, quam æqui & boni, aut certe ejus, qnod æquius meliusque eſt, reſpectum ſignificat, uti ſumitur etiam Grot. *d. tract. lib. 3. c. 10. n. 1.* Sic etiam Pyrrho dicenti,

Lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit

regerit Agamemnon:

Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.

Apud Senec. *in Troadib. Quam anguſta* enim *innocentia eſt ad legem bonum eſſe? Quanto latius officiorum patet quam juris regula?* Seneca *lib. 1. de ira c. 27.* Sic multa quidem utilia, nec legibus etiam vetita, quæ tamen admittere prohibet decorum. *Cum P. Claudius Camarinos ductu atque auſpiciis ſuis captas ſub haſta vendidiſſet, etſi ærarium pecunia, fines agris auctos animadvertebat, tamen quia parum liquida fide id geſtum ab imperatore videbatur, maxima cura conquiſitos redemit, & prædia iis reſtituit populus Romanus*, licet ejus nulla ſubfuerit culpa. Valer. Maxim. *lib. 6. c. 5.* add. Grot. *cit. loc. n. 6.* Sic Fabricius, conſul Romanus Pyrrhum regem inimiciſſimum mœnibus appropinquantem, cui transfuga

fuga quidem venenum pararat, monuit, a veneno ut caveret. Qua de re & alias ita dicit Cic. *quæ quidem omnia & innumerabilia præterea, quis eſt, qui non intelligat & eos, qui fecerint, dignitatis ſplendore ductos immemores fuiſſe utilitatum ſuarum, nosque cum ea laudemus nulla alia re niſi honeſtate duci? de fin.* item *quis tam diſſimilis homini, qui non moveatur & offenſione turpitudinis, & comprobatione honeſtatis? ibid.* Hinc Pyrrhus de hoc Fabricio dixiſſe fertur: *Ille eſt Fabricius, qui difficilius ab honeſtate, quam ſol a curſu ſuo averti poteſt.* Eutrop. *l. 2. Breviar. Hiſt. Roman.* Laudanda igitur *ratio ſtatus*, quæ nullo lucro, commodo, utilitate, ſed ab honeſtate, pudore, decoro, abduci patitur.

XLVIII.

Ultimus eſt juſtitia. *4. Juſtitia*

Hæc una & unica eſt, quæ *rationem ſtatus* dirigere ſola poteſt, & reliquos limites aut ſolam fidem, pudorem & honeſtatem ſuo ambitu complectitur. *Juſtitiam* namque *virtutem eſſe dicimus ad ſocietatem aptam, quam neceſſe ſit conſequi alias omnes.* Philoſoph. *3. Polit. c. 8.* *Ad ſocietatem aptam* dicit, quod D. Thom. *ſociabilem*, item *maxime ſalvativam civitatis* reddidit, quem vid. *in Explan. Polit. Ariſt. lib. 3. lect. 11.* Apta eſt ſocietati, imo neceſſaria, quippe ſine juſtitia nulla ſocietas ne quidem latronum conſiſtere poteſt. Conſiſtit autem juſtitia potiſſimum in eo, ne cui quis noceat, alterique ſuum tribuit. Hæc autem obſervanda non tantum adverſus pares aut majores, ſed & adverſus inferiores. *Meminerimus etiam adverſus infimos juſtitiam eſſe ſervandam*, inquit Tullius *1. offic.* Verum de hac jam tum quædam dicta ſunt, eamque reip. neceſſariam non ſolum Ariſt. *dict. loc.* aſſerit, ſed ne quidem ullus dubitat, nec ſoli quærendo facem accendere opus. Hoc duntaxat monuiſſe ſufficiat, ſub ſpecie juſtitiæ, ne quid fraudis admittatur. *Totius* enim *injuſtitiæ nulla capitalior eſt, quam eorum, qui tum, cum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni eſſe videantur*, ita concludit tractatum de juſtitia Cic. *adduct. loc.* Hæc de limitibus. Non abs re hic quæritur: *Anne interdum fines hosce honeſtatis, fidei aut juſtitiæ* transgredi liceat? Paucis indubitato ſtatuimus, contra jus divinum & religionem, cui merito primas concedimus, ob publicam utilitatem, ne tantillum quidem admittere licere. Nec diffitemur illos, qui hoc præſertim ſeculo eo veſaniæ procedunt, ut non modo honeſtatis, juſtitiæ & fidei, ſed & divini juris limites excedere licere aſſerant, non tantum peccare, ſed ex ſocietate civili ejiciendos eſſe. Juri enim divino qui quicquam detrahendum autumant, non poſſunt non ſtatuere hominis utilitatem divinæ voluntati prævalere. Hunc errorem nefario modo errant Turcici imperatores, qui, quoniam imperii æmulos ferre non poſſunt, fratrum ſanguine a parricidio regnum auſpicantur, quaſi ob bonum publicum & regni incrementum, & multorum millium ſalutem hoc faciant. Vid. Busbequium *Epiſt. 1. p. 55.* Egregia ſane ſalus & utilitas multorum millium, quæ ſimul jus & divinum & naturale, imo naturam ipſam, quæ omnis ſocietatis cauſa, ſubvertit. Hujus generis plura enarrabuntur ſub *ratione ſtatus* Tyrannidis, ſed quæ injuſtiſſima & abominanda. Eodem modo nec reliquas virtutes, vel limites hic poſitos ſimpliciter integrum eſt transgredi. Interim tamen utilitas nec publica nec privata admittit, ut illi exacte ſemper attendantur. *Sic enim nec quæ ſcias, nec quæ velis, omnia aperire aliis tenearis, ſequitur, ut diſſimulare quædam apud quosdam, i. e. tegere & occultare fas ſit.* Grot. *de Jur. Bell. & Pac. lib. 3. c. 1. n. 7.* *licet veritatem occultare prudenter ſub aliqua diſſimulatione*, inquit Auguſtin. *lib. contra mend. c. 10.* Et Cicero non uno in loco ipſe fatetur, diſſimulationem his præſertim, quibus resp. commiſſa eſt, neceſſariam & inevitabilem eſſe. Ideoque omnem dolum non ſimpliciter poſſumus dicere injuſtum. Quis culpaverit Abrahamum, quod matrimonium diſſimulans Saram ſororem dixerit? Geneſ. 20. Deinde etiam cum in civili ſocietate unusquisque civium bona ſua obſtrinxerit commodo publico, nemo certe vitio vertet, ſi neceſſitate cogente reip. cauſa quis poſſeſſione & bonis exuatur, quod tamen abſolute conſideratum foret injuſtiſſimum. *Ita videntur quædam honeſta, quæ honeſta non ſunt: multa, quæ natura honeſta videntur eſſe, temporibus fiunt non honeſta. Sæpe tempore fit, ut, quod plerumque turpe haberi ſoleat, inveniatur non eſſe turpe.* Cic. *3. offic.* Sic ſalus & utilitas publica, cujus omnino potior quam privatorum habenda ratio, dictat id, quod alias iniquiſſimum, neceſſitate exigente eſſe æquitati convenientiſſimum. Nec lex quoque ulla adeo rigide interpretanda erit, ut ratione utilitatis publicæ exceptionem non admittat. Huc ſpectat, quando Beſold. *diſſert. de Arcan. Rerump. th. 4.* *Ratio Politica*, ait, *quam nunc vocant de ſtatu, (olim æquitas & ἐπιείκεια) transgreditur legis ſcripto vel voce promulgatæ literam, ſed non ſenſum & finem.* *Quoniam nonniſi propter melius bonum & commune, abrogat, irritat, interpretatur & diſpenſat.* Lex eſt, tuo arbitrio neminem occidito. Publius Scipio, Pontifex Maximus, Tiberium Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum reip. privatim interfecit, idque indicta cauſa, illud utique impune non tuliſſet, imo nec inſuper laudatus fuiſſet, niſi cædes hæc cum majore reip. emolumento conjuncta. Vid. Cic. *Catil. 1.* Sed quis hæc ſimpliciter injuſta appellare velit? Plura quidem vel innumera addi poſſent, verum haud opus, conferatur omnino Ampliſſ. Dn. Præſes *adduct. cap. 2.*

XLIX.

Et quidem locum habet (1) in regno, ubi unum peculiare conſervationis monitum, ut mediocris ſeu moderata ſit regum poteſtas. *Et 1. quidem obtinet in regno.*

Quemadmodum arcus cum nimium intenditur, frangitur, ſic & regia poteſtas, cum nimium attrahitur, durabilis non eſt. Contra uti arcus inutilis eſt, ſi laxatur & nimium remittitur, ita & arcus regiæ poteſtatis parum proficuus erit, ſi nimium remittatur. Nam regnum illud everti indubium eſt, in quo regi liceat quodlibet, contra vero illud ſtabile eſſe & durabile, in quo regi libet quod licet. Ideoque non infinita, ſed definita regna ſtabilia ſunt poteſtate. Ut videas haut

fruſtra olim pronunciatum: *Medio tutiſſimus ibis.* Quippe uti nobile hoc medium neglectum in omnibus nocet, ita in regia poteſtate vel nimis rigide uſurpanda vel relaxanda omnino attendi meretur. Hinc dicimus, regna diuturniora eſſe, quo ſunt moderatiora: *Talia autem ſunt, in quibus modum poteſtati ſuæ figunt ipſi reges, neque, ut in tyrannide, omnia pro voluntate agunt & libidine, ſed ut quantum poſſunt legibus relinquant*, verba ſunt Heinſii paraphraſtæ in *Ariſt. 5. Polit. 11.* Idque e Philoſopho ibid. duabus rationibus totidemque exemplis declaratur. Rationum prima petita eſt a rege, a ſubditis altera. Nam quo minus ſunt potentes, hoc etiam ſunt modeſtiores, minusque inſolentes, & in cives injurioſi: & ſic etiam longiore tempore eorum imperium conſiſtere neceſſe eſt. Cum alias nimia eorum licentia facile in magnum evadere poſſit malum. Sic non alia fuit cauſa, quod regnum Moloſſorum tot annos ſteterit, niſi quod temperata regum fuerit autoritas, regnumque certis legibus tanquam limitibus circumſcriptum & definitum, quos regem transgredi fas non erat. Sulpitius Galba imperator quamdiu moderate imperabat, ab omnibus amabatur, animosque militum quantulacunque vel parci ſenis liberalitate conciliare poterat, verum cum nimia ſeveritate uti, ac heriliter nimis regere inciperet, atque tempore quodam, quaſi ſibi omnia licerent, intempeſtive pronunciaret, & vita & imperio excidit, ut eſt apud Tacit. 1. *Hiſt.* & Sueton. *in ejus vita c. 16. & 19.* Sic arrogata immoderata poteſtas Galbam peſſumdedit. Hinc Ariſt. *add. loc.* Imperantes *quo pauciorum*, concludit, *rerum ſunt domini, eo longiore tempore conſiſtere neceſſe eſt omne imperium.* Ergone convenit reges non eſſe ſolutos legibus? Qualis illa ſumma poteſtas, quæ ſit penes unum illum, ſed legibus tamen adſtrictum? Certe hæc eſſet ſumma poteſtas, & non ſumma, non ſine implicatione contradictionis. Verum non ea eſt ſententia, ac ſi rex, præſertim in παμβασιλείᾳ, legibus civilibus debeat ſubjici; quippe quoad vim coactivam hiſce ſubjectum eſſe nequit, ſed ut ſupra dictum, quod ipſe ſuæ poteſtati modum figere debeat, imitans Theodoſ. & Valent. Impp. *in l. 4. C. de legib.* qui, *digna vox*, inquiunt, *majeſtate regnantis legibus alligatum ſe principem profiteri. Adeo de autoritate juris noſtra pendet autoritas, & revera majus imperio eſt, ſubmittere legibus principatum.* Et præſertim ea, quæ honeſtas jubet, attendet rex, qui vere quam in ſpeciem appellari mavult.

Nec (enim) *tibi quid liceat, ſed quid feciſſe decebit,*
Occurrant, mentemque domet reſpectus honeſti,

dixerat Claudian. ad Theod. Sic futurum eſt, ut, in quo rex differt a tyranno, ſubditos habeat obſequentiores, regnumque ſit magis & maneat ſtabilitum, quam ſi potentiam nacti regiam dignitatem inſolenter agant, (junge Ariſt. *5. Polit.* 10.) quod a *ratione ſtatus* regii plane alienum. Nam ut habet altera ratio ab Ariſt. *cit. loc.* ſubjuncta, *cum ipſi minus herili imperio agunt & moribus magis ſunt pares, tum minus iis, qui parent, ſunt invidioſi.* Æquiori enim animo imperium ſuperioris ferent ſubditi, ſi ſe quoque minus ſerviliter haberi, imperiique capeſſendi interdum participes fieri, aut ad publicam curam vocari ſentiant. Præſertim autem, ſi eorum gratia regnum ita ſit ordinatum, ne quis tyrannidem facile exercere poſſit. Sic Lacedæmoniorum regnum vel ideo durabile fuit, quod duo in eo imperitarint reges, ut, ſi unus tyrannice maleque præeſſet, alter eum pari gaudens poteſtate coërceret, indeque perpetua in hoc regno obtinuit ſucceſſio, inſtituta a primis ejus conditoribus Euryſthene ac Procle germanis fratribus. Sed Cleomenes hanc legem ſuſtuliſſe fertur, ideoque & regum ultimus fuit & regnum ſublata hac lege ſemel recepta perdidit. Theopompus autem, de quo monuimus *concl.* 15. Ephoros primus inſtituit, ut regios iſtos & altos ſpiritus nonnihil ſuppimeret, quorum Ephororum tanta progreſſu temporis cepit eſſe poteſtas, ut vel reges ipſos ſuperarent: quod tamen augmentum undequaque ex uſu reip. non erat. Eodem modo in rep. olim Romana nimiæ conſulum poteſtati Tribunitiam poteſtatem objectam fuiſſe legimus. Quis negabit imperium Romano Germanicum pari modo ſtabilitum eſſe, quod tanquam Ephoros habeat electores ſeptem viros, qui imperatori diadema prius non deferunt, quam in Capitulationem (ut vocant) juraverit, qua, ne nimia ipſius ſit potentia, cavent, eumque certis legibus adſtringunt. Plura conſervandi regni monita & cautiones peti poſſunt, monente Ariſtot. *dict. loc.* a contrariis, & partim etiam deſumi poſſunt ex Tyrannide, quæ etiam, niſi regie adminiſtratur, non ſemper conſervari poteſt. Vid. *infra concl. 55.*

L.

2. In ariſtocratia. (2) Eſt Ariſtocratia: ubi præceptum (1) adverſus populum obſervandum, ut juſta ſit optimatum poteſtas, populusque ab injuria quidem defendatur, nullum vero ei imperium committatur. (2) Adverſus unius imperium & alias ſemper, ut concordia & æqualitas ariſtocratiam regat.

Veriſſime Ariſt. *5. Polit. 1.* ſtatuit, Ariſtocratiam perfecte optimam omnium minime obnoxiam eſſe mutationibus, cujus rei cardo in hoc præcipue vertitur, quod virorum bonorum virtuti tanquam firmiſſimo innitatur fundamento, qui neglecti & a magiſtratu capeſſendo excluſi, etſi meritiſſimo jure interdum turbas ciere poſſint, natura tamen ipſorum virtuoſa & generoſa a ſeditione omni plane abhorrent, ut nunquam id facere ſuſtineant. Interim parum obſit conſiderare, quare illa reip. forma potiſſimum conſervetur. Cum enim deficiente hodie bona educatione & virtus ipſa, qua ab ineunte ætate juventus imbuenda erat, ſæpe deficiat, hinc raro liceat invenire nobilitatem, quæ cum genere conjunctam habeat majorum virtutum. Ideoque rariſſime dantur Ariſtocratiæ, aut ſi dantur, per duo hæc data monita, velis remisque ad id properandum, ut conſerventur. Juſtam autem hic optimatum potentiam eſſe putamus, ſi revera ſint ἄριστοι, i. e. optimi, qui populo præſint. *Virtuti enim Numen æternum favet, eamque promovet, nec a melioribus homines regi dedignantur*, ſicut pulcherrimis verbis loquitur Contzen. *lib. 1. Polit. c.* 17. §. 4. Quæ virtus id

poſtulat,

poſtulat, ut optimates illi non modo populum ſibi ſubjectum eximie diligant, ejusque commodis unice proſpiciant, ſed nec illum injuria afficiant, aliorumque injuriam propulſent ac ita defendant, ut vere eum amare ſpectentur. Conducit quoque huic fini, ſi populo munia quædam interdum committant, ſed ea ita exigua, ut nihil de ſua poteſtate prodige alienent, alioquin enim hic ſtatus facile degeneraret in Democratiam. Hoc monere itidem videtur Contz. *cit. loc.* §. 5. licet oligarchice magis quam ariſtocratice, *ut multis*, inquiens, *e populo pars aliqua magiſtratuum, officiorum & functionum honoratarum commiteatur, quæ tamen ejusmodi ſint, ut vel ſumptu gravent eos, qui ſuſtinent, quem tamen facile divites præſtent, honoris dulcedine ineſcati.* Si enim populus liber ſentiret, ſe ſervili prorſus haberi modo, nihilque participare de muneribus publicis, non poſſet ſe aliter temperare, quin ſeditiones daret, nec non optimates a ſuo honoris gradu deturbaret. Si vero videat, quanto cum incommodo ejusmodi honores ſubeantur, facile eundem ſumptuoſis iſtis muneribus eſſe cariturum certi ſumus. Sufficit igitur populo magiſtratus improprie dictus, ne, ſi ad imperium evehatur, iſto abuti queat. Deinde contra unius machinamenta admodum proderit Optimates, ut ſemper maneant æquales, & pari inter ſe concordia juncti. Uti enim omnes alias rerump. formas diſſolvunt plerumque diſcordia & inæqualitas, tum præcipue ariſtocratiam, cui omnibus modis ab hiſce vitiis cavendum eſſe monet Ariſt. *5. Polit. 7.* Nec hoc ulteriore explicatione, ceu per ſe ſatis manifeſtum, indigere cenſemus.

LI.

(3) Eſt politia, in qua cautio (1) ut ſervetur libertas, (2) æqualitas.

Et Politia quoque rariſſima eſt omnium, cum vix hodie detur, ut cives omnes, aut ſaltim plerique ſint boni & virtuoſi, niſi ad ſolam reſpiciamus virtutem militarem. Quod innuit & ipſe Philoſoph. *4. Polit. 13. oportet autem*, inquiens, *remp. conſtare illam ex iis, qui arma tantum habeant.* Et *3. Polit. 5. in rep. hac* (ad Politiam digitum tendens) *principatum tenet militaris multitudo ejusque participes ſunt, qui arma tenent.* Hujus jam ut & omnis ſtatus popularis præcipuum fundamentum & unica *ratio ſtatus* nititur libertate & æqualitate. Et libertatem quidem facile populus obtinebit, ſi omnes virtute bellica ſint instructi, ita ut vi armorum libertatem ſuam defendere & tueri poſſint. Videndum autem ante omnia, ne in locum libertatis ſubſtituatur deteſtabilis quædam licentia, imperantes ſimul & parentes plerumque reddens inſolentes, & ad anarchiam pronos, quando, quod vulgus libertatem vocare amat, omnes in politia degentes pro arbitrio ſuo & more ſibi placito vivant, nulliusque poteſtatem agnoſcant. Vivere enim ſuo commodo & libidini convenienter, vitioſum eſt, *neque ſervitus putanda eſt vivere reip. convenienter ſed ſalus.* Ariſt. *5. Polit. 9.* vid. etiam D. Thom. *lib. 5. Polit. lect. 7.* Ideoque vera libertas in hoc demum conſiſtit, ut vivas juxta leges ex uſu reip. ſancitas, ſubditus tuo magiſtratui, atque ea conditione, ut tu quoque ſis magiſtratus particeps, ſic enim eſt omnibus par civitatis jus atque honor. Alias ſi qui haud decenter licentia potius quam libertate uti præſumant, haud dubium eſt, quin ea, præſertim ſi aliquandiu populi ei aſſueverint, eisque quod imminuatur aut decerpatur, magnos ſint excitaturi motus. Quippe libertatis aſſertionem, nemo paulum generoſior, niſi vitæ comparat, nec amittit niſi cum vita. Itaque ab omnibus artibus & vitiis, quibus libertas convelli poſſit, in politia cavendum. Deinde etiam maxima cura habenda æqualitatis: quod indicat Franciſcus Guicciardinus Nobilis Florentinus *in Sentent. ſelect. ex lib. 2. hiſtor. Ital. excerpt. n. 30.* quando *æqualitatem popularis reip. fundamentum maxime neceſſarium* appellat. Non autem æque facile obtinebit populus æqualitatem iſtam ac libertatem ante laudatam. Ea tamen ita neceſſaria reip. ut ſine ea nec libertas conſiſtere poſſit. Ut veriſſime Coſmus Medices Cardinali Salviato dixerit, *in tanta opum inæqualitate morumque corruptione Florentinam remp. non amplius capacem eſſe libertatis, quæ optari potius quam ſperari debeat*, ut ex Johan. Baptiſta, imo *de vita Coſmi* hoc citat Forſtn. *ad Tacit. 1. Annal.* Ut autem æquales eſſe poſſint, non parum confert, ſi per vices imperetur, per vices rurſus pareatur, ita ut omnes magiſtratus ſint capaces ſine ullo opum generisve diſcrimine. Cum autem aliquot ſeculis fieri vix poſſit, ut magiſtratus ad omnes deferatur, haud aſpernandum remedium videtur, ne iſthæc reſp. facile in tyrannidem aut olicharchiam tranſeat, curare, ut optimi & æquales cives maxime ad magiſtratus capeſſendos admittantur i. e. medii. *In omnibus* enim *civitatibus* teſte Ariſt. *4. Polit. 11. tres civitatis ſunt partes: partim quidem valde divites, valde vero pauperes partim, tertii vero inter hos medii. Cum igitur*, pergit Philoſoph. *dict. loc. inter omnes conſtet mediocre & medium eſſe optimum, certe & rerum ſecundarum, ſeu fortunæ bonorum mediocritas omnium erit optima, facile namque ratione obtemperat.* Obſignat hanc rationem Ariſt. eleganti Phocylides verſu:

Eſſe volo medius; mediis ſunt commoda multa.

Cum enim medii illi ejusmodi potentia & viribus non ſint præditi, ut vel aliquis eorum tyrannidem invadere, aut plures eorum olicharchiam conſtituere poſſint, haud metuendum quoque, ut libertatem evertant, & ad ſe omnem poteſtatem rapiant. Accedit etiam, quod propter inopiam & rem domi anguſtam minus turbulento & ſeditioſo ſint animo, aut inæqualitatem ratione vel morum vel opum facile in rempubl. invehant. Præclarum eſt de hoc Philoſophi & πολιτικῶν monitum *4. Polit. 12. Legum ſcriptorem in rep. ſemper oportet adſciſcere medios. Sive enim leges ferat oligarchicas, ad medios collineare oportet, ſive democraticas legibus hos conciliare. Ubi autem mediorum ſuperavit multitudo vel ambo extrema, vel alterum tantum: hinc fit, ut reſp. ſit ſtabilis: nam nihil eſt metuendum, ne quando adverſus hos divites cum pauperibus conſpirent.* Hæc peregregie Philoſophus.

ſ. In Politia.

LII.

Hæc obtinet

Tandem ſequitur illa,quæ ſolorum dominantium reſpicit commodum & conſervare intendit ſtatus aberrantes.

Tres ſimplices Rerump. formas, quas depravatas vocant vel aberrantes, jam aggredimur: nec nobis quis vitio vertet, ſi Philoſophum ſecuti & de earum conſervatione cautiones nonnullas tradere nitamur. Cum prout juſtæ formæ nec cautelæ iſtæ iniquæ eſſe poſſint; prout vero iniquæ artes iſtas, quas etiam cautiones, ſed falſo, nominare volunt, eo melius provideri & arceri conveniat. Hinc putamus non incumbere nobis ſolum remedia reſpectu rectarum rerump. ſed & artes & cautiones, quæ rebusp. corruptis adhiberi aut ſolent, aut debent, vel pauciſſimis perſequi. Nec is demum Politicus falſo nominetur, qui omnium ſcelerum & fraudum gnarus peritusque deprehendatur, modo operam ſuam ita navet, quo iis mederi, non vero easdem uſurpare queat.

LIII.

a. In tyrannide. Cujus inſtitutum

Harum (1) tyrannis: cum conducit inſtitutum tyrannidem conſervandi vel pure tyrannicum vel magis & apparenter regium.

Dictum fuit *concl. præced.* in ſtatuum aberrantium formis adhiberi & veras cautiones & artes quasdam ſtabiliendæ ſuæ reip. accommodas. Hinc duos dominationem tyrannicam conſervandi modos, ſeu potius inſtituta ſibi invicem oppoſita annotavit Philoſoph. *5. Polit. 11.* Quorum nititur alterum aſperitate & crudelitate, eſtque tyrannorum proprium durum, & vere talibus uſitatum. Alterum humanitate & clementia quadam nititur, eſtque mitius, ſed captioſum & ſimulatum. Horum quoque modorum mentionem facit Tullius: *Unus modus*, inquiens, *habet jus violentum & ſuperbum, alter habet jus temperatum.* Et ut Plutarchus in Lycurgo aſſerit, ajens: *Unus modus habet intenſionem, & quaſi exaſperationem tyrannicæ dominationis, alter habet relaxationem & quandam moderationem tyrannidis.*

LIV.

Vel pure tyrannicum.

Illius quemadmodum tres ſunt ſcopi ſive ὅροι, i. e. fines ſingulares, ita etiam pro iis ſingulis diverſa obſervari ſolent præcepta.

Fatebamur *ſupra concl. 44.* idque haud gravate, dari non una in tyrannide abominanda, quæ ſub inſtituto pure tyrannico complexus eſt Philoſoph. *5. Polit. 11.* Ad quod inſtitutum & ſcopi, quos tyranni ſibi propoſitos habent, & omnia tyrannidem & violentam illam conſervantia præcepta commode revocari poſſunt. *Eorum finium primus ut ſubditi efficiantur puſillanimes, & humilia de ſe ipſis ſentiant:* Nam qui ſervili & abjecto animo ſunt præditi, nihil alti moliuntur, nec imperium dominicum ferre recuſant. Ad hoc conferunt præcepta, quæ tyranni inſtillare ſolent. (1) *Ut virtute & rebus geſtis præſtantes plane deprimantur, eorumque autoritas & dignitas imminuatur*, quod fit, ſi de gradu honoris deturbentur, vel exilio mulctentur, aut etiam deportatione, quod tamen ſemper tutum non eſſe, & ejectos illos infinita & graviſſima damna reip. intentaſſe hiſtoriæ commonſtrant. Coriolanus, quantum Romanæ reip. moliebatur malum, niſi precibus matris & uxoris ab hoc propoſito fuiſſet revocatus? Ideoque conſultius eſſe tradunt Tyranni, generoſos iſtos viros & uſu & virtute militari præſtantes omnino e medio tollere. Illud moliri ſuaſit Tarquinius Superbus, quando *forte eminentia papaverum capita virgula decuſſit, quum per hoc interficiendos eſſe principes intelligi vellet*, Florus *lib. 1. c. 7.* (2) Curandum quam maxime eſt, *ut cives nullis peregrinationibus ſuſceptis, ſemper ſint præſto tyrannis in urbe, verſenturque in propatulo, ut hoc commodius imperata capeſſant.* Hinc duo tyranno commoda. Alterum eſt, ut civibus omnibus intercipiatur occaſio in caput conſpirandi, dum eos quaſi in oculis geſtet, & ſemper in conſpectu habeat, ut moliri hand facile aliquid queant aut auſint. Alterum in hoc cernitur, quod ita paulatim ſubditi ſervitutis jugo aſſueſcant, nec graviter ferant, quando hoc ipſum ſubire coguntur, & ita ſervilis ſemper & parvi erunt animi. (3) Pervulgatum eſt tyrannidis præceptum, *ut ſubditerum copias, quantum quidem in ſe eſt, imminuat.* Divitiæ enim & rerum affluentia ut plurimum ſumere facit audaciæ conatus, etiam humillimos & abjecto animo præditos. Ideoque tyrannus utiliſſimam ſibi commodabit operam, ſi cives plane ad incitas redigat, atque graviſſima tributa imperando præferoces alias populi animos frangat, aut etiam in perpetuis laboribus, puta magnificis ædificiis aut ſimilibus exſtruendis, eos occupatos contineat, quo hiſce exhauſtis & defatigatis nihil operis & temporis tyrannis inſidiandi ſubditis ſit reliquum. Hujus generis opera olim injuncta fuiſſe civibus, teſtatur ipſe Philoſoph. *5. Polit. 11.* Ægyptias Pyramides, Cypſelidarum donaria. *Secundus ſcopus eſt efficere, ut cives inter ſe minime fidant.* Nihil enim, magis quod vereatur, erit, nulla Tyrannum tollendi certior eſt ratio, quam concordia & fides ſubditorum. Hanc ſupprimere ſolent per præceptum (1) *ut tyrannus cives inter ſe reddat maxime ignotos.* Hoc efficiet, ſi omnes auferat ſocietates, conventus & tam publica quam privata convivia, ut nulla intercedat inter cives familiaritas, qua deficiente nec fides erit, utpote quam ſemper majorem gignit. Prohibent igitur tyranni, ut ne quidem ſubditi ſermones inter ſe conferre auſint, & a mutuis colloquiis abſtineant. Qua de re exemplum habemus tyranni Tryzi apnd Ælianum *lib. 4. c. 22.* cujns crudelitas eo demum proceſſit, ut, cum imperatum ſilentium illudque perpetuum ipſi propter alios varios ſubditorum geſtus, quibus invicem mentis ſenſa patefecerunt, & intellexerunt, eſſet ſuſpectum, lata nova lege etiam eos inhibuerit, imo nec contentus, quod nutus & linguas in ſervitutem aſſeruiſſet, etiam oculis liberta-

bertatem a natura datam eripuit, ita ut miſeros ſubditorum fletus ſuſtulerit. Sed & hic talem habuit finem, qualem plerumque omnes ſortiuntur tyranni. Juvenal. Satyr. X.

Ad generum Cereris ſine cæde & vulnere pauci
Deſcendunt & ſicca morte tyranni.

(2) *Nulli aperiendi ſunt ludi, ſed tollenda omnes omnino publica inſtitutiones, nec permittendi ulli alias civium otioſi conventus.* Namque hæc talia efficiunt, ut cives inter ſe familiariter viventes notitia inter ſe gaudeant, adeoque alier alteri firmius confidat. Præterea cum illa amicitia ſit firmiſſima, quæ in ſcholis inter ſtudia literarum contrahitur: ideo tyranni, qui ſuam tyrannidem ſtabilem volunt, ſcholas exſtirpare ſolent. Cujus rei nefarium Juliani Apoſtatæ exemplum notum eſt. Qui quanquam alias teſte Eutropio *lib. ult. liberalibus diſciplinis apprime eruditus eſſet*, omnes chriſtianorum ſcholas claudi juſſit, ſi fides penes Ammian. Marcell. *lib. 22.* ſcriptorum prudentem alias & digniſſimum fide. (3) *Tyranni habere conſueverunt exploratores*, quos Græci olim appellabant Otacuſtas, Latini auricularios, qui omnia, quæ vel publice, vel privatim, vel palam, vel clandeſtine a ſubditis geri audiunt, aut vident, deferant, quo nihil tale moliri poſſint, quod ad evertendam tyrannidem faciat. Sic Cicero olim meretrices ſubornaſſe creditur tanquam ſpeculatrices, ut eo commodius in nefaria Catilinæ conſilia penetrare poſſet. Non raro etiam vel ipſimet principes, ſeu tyranni tales agunt ſpeculatores, perſonati & mutato habitu circumcurſitantes, ut explorent civium animos, & exquirant, quid in præſenti adminiſtratione deſiderent. *Ultimus ſcopus eſt, ut ſubditi viribus deſtituantur.* Nemo enim facile conabitur, quæ deficientibus viribus ſe perficere poſſe deſperet. Huc facit (1) *Si inter ordines civitatis ſerant diſcordias & ſimultates.* Ut enim omnis alias reip. rectæ ſummum firmamentum in hoc eſt poſitum, ne ordines civitatis inter ſe diſſideant, ita hic profecto locum habet illud, quod tritum in proverbium abiit: *Semper contrarius eſto.* Siquidem *ratio ſtatus* tantum non præcipua in hoc eſt poſita, ut tyrannus non amicos ſolum cum amicis, ſed & ordines cum ordinibus committat, ita ut plebs ſit contra patricios, patricii rurſum contra plebem, imo & ipſi divites, non raro contra ipſos divites, ut quocunque te vertas, omnia ſint plena diſcordiarum & ſimultatum. Uſus hujus præcepti tyranno eſt maximus, quod nimirum civium animi hac ratione non ſolum alienentur, nec facile coaleſcere queant, ſed & quod hoc modo ſeipſos conſumant, ut viribus deſtituti haud temere contra tyrannum quicquam tentare auſint. Exempla videre licet apud Forſtn. *ad Tacit. lib. 2. Annal.* Et hoc monitum tyranni non ſolum, ſed & alii reip. ſtatus etiam contra exteros, a quibus iis periculum irruptionis vel inviſæ iis defenſionis immineat, adhibere ſolent, quod recens memoria teſtari poteſt. (2) *Ad bella ſubditos adverſus vicinos gerenda inſtigant aut belli metum jamjam imminentem iis incutiunt.* Ita namque ſubditis bello implicatis non vacabit ullam occaſionem tyranno inſidiandi arripere. Deinde & hic fructus ad tyrannum ex ejusmodi belli metu redundat, ut quoniam ſubditi duce militari carere nequeant, ipſum ultro & lubentes ſibi ipſis præeſſe patiantur, eique ſic fidem ſuam firmius devinciant. (3) *Cura eſſe ſolet tyrannis, aut nullos habeant amicos, aut ſi habent, minime tamen iis fidant etiam propinquiſſimis.* Nam ut regi nihil utilius, quam abigere omnes adulatores, & veris ſinceriſque ſe munire amicis, ita huic nihil ad amittendam tyrannidem pernicioſius, quam amicis primas concedere. Hi namque ſi ſemper latus claudant tyranni, facilius occaſionem nanciſcuntur tyrannum e medio tollendi. Accedit etiam, quod, dum amicis & familiaribus nimium confidant, illos magis metuant, quam apertos inimicos. Ultimo *omnem omnino licentiam, quæ alias certe rectas reſp. interitui exponit, approbant.* Hinc in tyrannide præceptum divinum, quod uxorem marito ſubeſſe, & ſervum domino parere jubet, invertitur, atque maritos uxoribus ſubditos & ſervi edicto audientes reddi dominos. Hanc extremam & non ferendam licentiam propriam habet tyrannis cum peſſima illa & ultima democratia, nam quæ ad ſtabiliendam democratiam faciunt, ea quoque quodammodo ad tyrannidem ſpectare videntur. Hoc inſtitutum eſt tyrannicum, hæc crudelia iſta axiomata, quibus tyranni perfecte tales ſuam ſtabilire & ſtabilitam conſervare ſe velle putant tyrannidem, plerumque tamen cum condigno interitu, ut enim Flaccus canit *lib. 3. carmin. Od. 2.*

Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

LV.

Inſtitutum magis & apparenter regium eſt, ſi imperium tyrannus aliquanto moderetur; & in omnibus regium erga ſubditos animum præ ſe ferat. *Vel magis regium.*

Huc faciunt cautiones & ſophiſmata aliquot ipſis utilia, quorum (1) eſt, *ut ſimulet ſummam curam ærarii, vectigalium, & omnium redituum publicarum.* Nam cum pecunia ſit quaſi anima ſubditorum, plurimis profecto exemplis doceri poſſet, quot graviſſimæ rerump. conturbationes ex abuſu pecuniæ fuerint ortæ. Nec videmus ſane, quid iniquius ſint laturi, quam omiſſionem illius, quod illi non raro ſuum defraudantes genium comparſerunt, & præſertim ſi tributa iſta a tyrannis, in varias voluptatum illecebras & turpes luxus inſumi animadvertant. Proficuum tyranno igitur ſtatuente Ariſt. *5. Polit. 11.* ut præſtet ſe publicæ pecuniæ quæſtorem, & diſpenſatorem, aut certe ſe eum ſimulet, etiamſi reapſe is qui audit non ſit, hujus enim præcepti ſumma in ſimulatione cumprimis vertitur, nulla autem re illam commodius teget, quam ſi de publica pecunia præſenti cuncto populo reddat rationes acceptorum & expenſorum. (2) *Non debet tyrannus præ ſe ferre difficilem quandam & moroſam vultus geſtuumque ſeveritatem, ſed facilimum ſe impertiri more regum accedentibus, ita tamen, ut comitas illa temperata ſit cum morum quadam gravitate.* Quod ſi minus fiat, non verebuntur

buntur ſubditi eum ut parentem, ſed metuent ut hoſtem, ex quo metu tum etiam orietur ſummum erga ipſum odium & contemtus, ut alias contra ex clementia & humanitate, amor & benevolentia. Ita tamen probare debet *difficillimam illam ſocietatem gravitatis cum humanitate*, quemadmodum Cic. eandem *1. de legib.* vocat, ne facilitas illa medium excedat, ut reip. cauſa etiam adhibendam ſciat ſeveritatem, ne in contemptum ſubditorum incurrat, qui facillime ex nimia illa facilitate ſuboriri poteſt. (3) *Simulet etiam religionem & Dei cultum ſibi ſumma curæ eſſe.* Idque duplici de cauſa ipſi incumbere exiſtimat Philoſoph. *d. l.* tum quod ab ejuſmodi religioſo principe ſibi minus metuant ſubditi: fieri enim haud poſſe putant, ut ille injuſte agat, qui Deum ſumma religione proſequatur, tum etiam quod metuant Dei optimi M. vindictam, ſi manus ei adferant violentas, qui ipſum coleret, utpote chariſſimum Deo ſub ipſius patrocinio vivere arbitrantur. Caveat autem tyrannus obnixe, ne ſubditi ſentiant, eum tantummodo ſimulare religionem. Doli enim non doli ſunt, niſi aſtu colas, (uti Comicus loquitur) quæ ſimulatio alioquin ſi innoteſceret ſubditis, maximum certe periculum immineret tyranno, dum ſubditi ipſius tanquam Dei contemtoris vitæ inſidiarentur. (4) *Bonos ipſemet præmiis, malos vero per alios pœnis afficiat.* Hiſce enim quaſi duobus pedibus innituntur omnes reſp. bonorum videlicet præmio, malorum pœna. Unde forte Democritus duos in hocce mundo collocavit Deos, beneficium & pœnam, teſte naturalis hiſtoriæ conditore *lib. 2. c. 7.* Si alteruter deſit, mundum omnem elaudicare, ſin vero uterque, eum reptilium more procedere neceſſum eſt. Vid. Scipion. Amir. *dict. tr. lib. 11. diſ. 4.* Supra cum inſtituta pure tyrannica enumeraremus, diximus ipſius dominationem maxime firmari, ſi homines virtute præſtantes vel exilio, aut etiam morte mulctentur: hic vero contrarium interdum agendum, ut nimirum præclaris mactentur honoribus & beneficiis. Hinc fiet, ut magnanimi iſtiusmodi honoribus gaudentes, non facile aliquid contra præſentem reip. conditionem ſint molituri. Plurima alia poſſent huc facientia inſtituta adduci, niſi actum agere videremur, nam ſemper tyrannus magis regie imperans inſiſtet viam contrariam ejus, qui omnimodum tyrannicum exercet dominatum. Et putamus ad inſtar prælibatorum hæc ſufficere, & ſcopum tyranno propoſitum vel ex allatis ſatis ſuperque liquere.

LVI.

2. In Oligarchia. Cautio 1.

(2) Oligarchia eſt, in qua cautio (1) ut concordia foveatur.

Quam utilis ſit unio & concordia in genere & ſpecie omnibus rerumpubl. formis, jam tum ſatis probatum ivimus, nec certe opus, ut hic rurſum tanquam rem evidentem probare nitamur. Probavit etiam id, non modo ſufficientibus ex Philoſopho petitis rationibus, ſed & per longam hiſtoriarum ſeriem Clariſſ. Arniſ. *lib. 2. doctr. Pol. c. 4.* Quanquam vero evidentiſſimum ſit omnibus rerump. formis, & cumprimis ſtatui ariſtocratico ſumme conducere, concordiam & optimatum inter ſe benevolentiam, ita hanc cautionem cum ariſtocratia propriam habet oligarchia. *Oligarchia autem* (inquit Philoſoph. *5. Polit. 6.*) *conſentiens non facile per ſe ipſam everti poteſt: argumento eſt reſp. Pharſalica: illi namque pauci, quia inter ſe recte utantur, multorum ſunt domini.* Et vere dictum eſt a Livio *lib. 34. adverſus conſentientes nec rex quisquam ſatis validus nec tyrannus eſt, diſcordia & ſeditio omnia opportuna inſidiantibus faciunt.* Fabius apud eundem *lib. 10. cap. 22.* cum collegam P. Decium poſceret, *in ſenectutis ſuæ adminiculum fore*, ait, *cenſura, duobusque conſulatibus ſimul geſtis expertum ſe, nil concordi collegio firmius ad remp. tuendam eſſe.* Obſervandum autem eſt, nos hic potiſſimum loqui de illis Oligarchiæ ſpeciebus (exluſa vitioſa illa in qua non lege agitur ſed regentium placitis, & ad potentium commoda omnia adminiſtrantur) in quibus divites illi publicum ſpectant commodum, & quæ proxime ad ariſtocratiam vel politiam accedunt, ex quarum numero in patria noſtra Germania merito eſſe cenſetur Oligarchia Norica, & in Italia Veneta, ſiquidem hæ ambæ Oligarchiæ optimis legibus & laudabilius inſtitutis, nec non concordia regentium ita ſunt firmatæ, ut niſi his omnibus diſſolutis interire haud queant. Hæc enim ſunt, quæ conſervant magnas reſp. ſtabiles & durabiles, hoſtibusque faciunt inexpugnabiles. Quam primum autem hæc firma Oligarchiæ vincula diſſolvuntur, aut ſolum inſuper habentur, eandem in peſſimam aliam degenerare reip. formam compertæ eſt certitudinis.

LVII.

Cautio 2.

Cautio (2) oligarchica eſt, ut in omnibus bonus ſervetur civium ordo.

Fiet id (1) obſervante Philoſopho *6. Polit. 6. Si in imperiis & magiſtratibus demandandis ratio habeatur cenſus & facultatum.* Hæc enim eſt præcipua cauſa conſervans temperatam illam, & proxime ad politiam accedentem oligarchiam, quæ niſi probe attendatur oligarchiam moderatam illam & non nimis duram, in ſeveriorem quandam & duriorem tyrannidique finitimam degenerare omnino certum eſt. Ita tamen reſpectus cenſus in oligarchia haberi debet, ut non ſolummodo maximis ad honores pateat aditus, ſed & tenuioribus, præſertim ſi præfinitum aſſecuti fuerint cenſum, nec non ad publica negotia dextre ſubeunda ſint commodi, *adeoque ad magiſtratus* (ut Piccart. ad *d. l.* Ariſt. loquitur) *non tantum craſſi perveniant i. e. immodice divites, ſed & mediocres.* (2) Cautio in hoc conſiſtit, *ut ex illis, qui definitum illum cenſum maximum habent, legantur, qui τὸ κύριον & ſummum reip. tenent principatum, adeoque præ reliquis ſint maximi magiſtratus.* Minores tamen magiſtratus ſi ſint neceſſarii, iis conferendos eſſe cenſet Philoſoph. *d. l.* qui cenſu valent mediocri, quique ſuis facultatibus proxime ad mediocritatem accedunt. Et profecto hæc oligarchia diuturna ac firma erit, ſiquidem, cum ita tenuioris fortunæ homines ſe quoque ad curam reipublicæ vocari ſentiant ſpemque habeant firmiſſimam, quo etiam aliquando tantum conſequantur cenſum, ut magiſtratus ſucceſſu temporis fiant capaces. Temperatæ illi oligarchiæ conſervanda

vandæ conducit (3) *ut interdum cenſus augeatur, ne nimium multi ad dignitates magiſtratus capeſſendas admittantur, ac ita paulatim ex Oligarchia* fiat πολυαρχία. Ideoque curandum eſt, ut qui reip. gubernacula gerunt, ſint ære potentiores, ut imperium inferiorem retundere valeant, (4) cauto opus eſt, *ut adſciſcantur ſocii reip. optima nota homines.* Nec enim omnes promiſcue ex plebis fæce aut civitatis colluvie collecti ad imperium ſunt apti, hoc eſt opifices, operarii, & hujus farinæ ſimiles homines, ſed ii demum honore magiſtratus digni ſunt, qui honeſto & magis eminenti loco ſunt nati & educati. Non poſſumus igitur non meritis extollere laudibus inſtitutum, quod in quibusdam civitatibus oligarchieis obſervari experientia conteſtatur, nimirum quod ſi forte interire incipiant familiæ nobiliores, in earum locum ſurrogentur ex plebe ſpectatiſſimæ aliæ. Sane id ſi fieret, ubique locorum omnia magis decenter & ordine in imperiis procederent, meliusque forte civitates ſtarent. Hæc etiam dixiſſe ſufficiat de moderata illa & optima oligarchia. Plures huc facientes cautiones qui deſiderat, inveniet apud Philoſoph. *4. Polit. 14.* De alia peſſima illa & intenſa magis, in præſenti haud quicquam in medium afferemus, ne peſſimis iſtis tyrannis forſan ſalutaria conſilia ſuppeditaſſe, illorumque malitiam noſtra ſententia adprobaſſe videamur. Quanquam, *ut conſerventur peſſima quæque reſp. plurimam cautionem deſiderant*, uti idipſum Philoſoph. teſtatur *6. Polit. 6.* quem plura ſcire geſtiens conſulere poterit *laud. cap. 6. & ſeq. 7.*

LIIX.

(5) Eſt democratia, in qua cautio præcipua, ne unus nec plures nec etiam omnes ex infima plebe imperium nanciſcantur.

Cautiones democraticas recenſet Philoſophus noſter *6. Polit. 2. 3. 4.* & præcipue *5. cap.* ex quibus nos jam ad finem properantes potiores excerpſimus. Nihil autem hic afferemus de ultima illa democratiæ ſpecie, in qua omnibus promiſcue ex infima vulgi fæce ad imperia capeſſenda patet aditus, ſed tandummodo illam, prout inſtituti ratio poſtulat, perſtringemus, quæ politiam quam maxime repræſentat. In *initio ſtatim libri 6. Polit. cap. 5.* Ariſt. ponit præclaram ſi ullam aliam reip. regundæ cautionem, & nobis etiam jam tum tanquam rebuſp. pene omnibus propriam *concl. 33.* memoratam, quod nimirum prudentis Politici officium in hoc cum primis verſetur, ut talia reip. inſtituta condat, taleſque in eandem introducat leges ſcriptas, vel conſuetudines, quæ formam reip. firmam, & non ad paucos tantum dies conſiſtentem faciant, ſed maxime diuturnam & ſtabilem, ſiquidem ex hoc demum ejus bonitas cernitur. Celebratur hinc merito prudentia Lycurgi, cujus reſp. apud Spartanos condita, per multa ſecula duravit, & contra vituperantur Hunni, & alii barbari, qui quamvis reſp. occupavere, inſtitutis tamen easdem firmare, adeoque exinde diuturnas reddere nequiverunt. *Ne unus ſibi remp. omnem in ſtatu democratico ſubjiciat, adeoque monarchiam invadat, ratio ſtatus expoſtulat, ne ulli magiſtratus nimis diu gerendus permittatur.* Id præceptum, ut omnibus rerump. formis utile eſt, ſi attendatur, inutile contra, ſi negligatur, ita Ariſtoteles non ſolum hoc loco in democratia id ipſum inculcat, ſed & 2. *Polit. 3. & 7. capp.* maxime autem *5. Pol. 8.* ex quo nos illud quoque noſtrum fecimus *concl. 15.* Præcipua autem hujus proviſionis vis in eo eſt ſita, ut remp. tenentibus omnis præcidatur occaſio, potentia ſua adverſus remp. abutendi, & ſtatum commutandi animo invadendi. Recte enim hic monet Livius *lib. 4. libertatis magna cuſtodia eſt, ſi imperia magna non ſinas eſſe diuturna, & temporis imponatur modus quibus non poteſt juris.* Huic inſtituto (2) pene geminum eſt, quando monet Philoſophus, *ita ſervandam eſſe in rep. æqualitatem, ut ſi fieri poſſit, ad ſingulos deveniant magiſtratus, nec quisquam bis aut ſæpius eidem præficiatur magiſtratui, excepto bellico, qui ſæpius ad eosdem redire & poteſt & debet.* Alii enim magiſtratus majores, (de minoribus enim hic non loquimur) ſi bis aut ſæpius uni demandentur, eſſe metuendum, ne totam reip. ſummam unus ille ad ſe trahat & vel exinde magnos ſpiritus ſumat, quod videat ſe reip. eſſe ſumme neceſſarium, & nulli rectius demandari, quam ſibi, imperium poſſe. *Contra plurium imperium in democratia* cautio (1) eſt, *ne ulli magiſtratus ex cenſu deferantur, aut certe id fiat ex perexiguo.* Hoc enim Oligarchiæ eſt inſtitutum, & pene fundamentum, ut in magiſtratibus conſtituendis ratio habeatur cenſus & divitiarum, uti *concl. præced.* oſtendimus. Non idem vero id in democratiis, uti enim illic divites & nobiles, ita hic pauperes & plebeji reip. gubernaculis præſunt. Hujus popularis cautionis maxima utilitas iterata legitur apud Philoſoph. *4. Polit. 8.* (2) inſtitutum populare contra oligarchias eſt, *præeſſe omnes quidem ſingulis, ſingulos vero viciſſim omnibus*, Ariſtot. verba ſunt *6. Polit. 2.* quod explicant commentatores, ut omnibus civibus per viciſſitudines & temporum intervalla & jus imperandi & parendi concedatur, ita ut totius civitatis ſumma ſit penes populum univerſe ſumptum, ſingulæ autem magiſtratus dignitates unicuique ex populo viciſſim conferantur. (3) Præceptum huc faciens eſt, *ut plebejorum civium numerus identidem augeatur*, quo populus potentia ſuperet nobiles & divites, adeoque iis reſiſtere poſſit, ne aliquid mali iſti ordines duo adverſus plebem moliri, aut vel omnino eam opprimere poſſint. In quantum autem & quomodo augeri debeat civium multitudo, optime monent commentatores, quos, ſi lubet, conſule, qui etiam hoc inſtitutum ad peſſimam illam referunt democratiam, quod obſervari hic meretur. *Adverſus infimam plebem* cautio (1) quidem, *ut omnes obſcuro loco nati, item pauperes & ſordida opificia tractantes non admittantur ad magiſtratus*, hoc enim eſt peſſimæ democratiæ indicium, in qua ultimæ plebis fæci licet quidlibet, monere tamen videtur Ariſt. *6. Polit. 2. in fin.* ne omnino ejusmodi ignobiles & tenues a publicis officiis excludantur: (2) eſt cautio apud Ariſt. *6. Polit. 5. ut populi nimia poteſtas, ſi gliſcere incipiat, retundatur*, ne per inſolentiam & effrenem petulantiam occaſionem turbas ciendi arripiat, & reprehendit *ibidem* Ariſtoteles illorum errores, qui exi-

ſtimant

ſtimant optime tunc cum rep. populari agi, ſi ejus arbitrio omnia adminiſtrentur, nec non graviter increpat demagogos, homines illos male diſertos, *quorum locum hodie quidam ex ordine ſacro obtinent*, dicente Clapmar. *de Arcan. rerump. lib. 3. cap. 22.* qui, ut populo placeant, id omni conamine agunt, ut judicia ſint frequentia & populus quemvis temere accuſet, bona enim condemnatorum publicantur, & pœna pecuniaria inter populum diſtribuitur, cum tamen hoc ipſum potius in ſacros uſus convertendum erat, ne populus nimium facilis ſpe lucri in condemnandis reis reddatur. Et tantum etiam de democratiæ cautionibus.

LIX.

Tandem etiam in ſtatu mixto.

Coronidis loco videndum, quas cautiones ratio ſtatus in ſtatu mixto notari poſtulet.

Præſupponimus hic talem reip. formam in rerum univerſitate dari: nam non latet nos inveniri nonnullos, qui hoc pernegare auſint, quos inter familiam ducit Johannes Bodinus. Verum horum ſententia majeſtatis jura dividi poſſe negantium, ut abſurda & erronea, jam dudum eſt exploſa. Imperium forte noſtrum Romano-Germanicum, quod Moguntinus Elector ariſtocraticum eſſe olim pronunciavit in electione Caroli V. exemplum præbebit (ſalvo tamen peritiorum judicio) ſtatus mixti. Cernimus enim imperatorem non abſolutum & purum repræſentare Monarcham, ſed ex ariſtocratia & regno hodie commixtum eſſe ſtatum. Siquidem majeſtatis jura ita diviſa eſſe poſſunt, *ut quadam rex, quadam ſenatus habeat, aut quadam optimates, quadam plebs. Interdum communicantur, ut nec rex ſine ſenatu, nec ſenatus ſine rege ea obtineat, ſive plebs ſimul fruatur & nobiliores*, ceu liquet ex Beſoldo *lib. 1. Polit. c. 8. §. 2.* Sed hæc perſequi latius non eſt inſtituti. Expedienda videtur quæſtio, qua quæritur, an in rebusp. mixtis etiam detur *ratio ſtatus* mixta, & quæ cautiones in iis obſervari debeant. Eſt autem planum, quoniam *ratio ſtatus* nihil aliud eſt, quam commodum reipubl. non poſſe non & illud aliud eſſe atque aliud, prout reſpublica diverſa eſt. Quoniam vero mixtio ſæpe in ſeſe habet ut tamen unum prævaleat, qui ſtatus prævalet, ab ipſius prævalentia etiam mutandæ erunt cautiones, quæ pro ſingulis rerump. formis ſunt adductæ, ſin vero ex æquo fere ſtatus eſt mixtus, cautio prima eſt, & præcipua, *ut ordines & imperium tenentes ſint concordes, adeoque firmam & mutuam inter ſe alant amicitiam*, qua de re cum ſæpius in hac noſtra diſſertatione egerimus, de ea hic quicquam addere eſſet forte operam ludere. Denique in hoc ſtatu proviſio eſt, uti in omnibus ſimplicibus aliis, *ut vitent imperantes omnia ea, quæ huic ſtatui mixto perniciem accelerare poſſunt*, quæ qualia ſint vid. apud Beſold. *Diſſert. de Arcan. rerump. th. 9.* Nos, quibus in præſenti prolixioribus eſſe non libet, finem huic noſtræ diſſertationi imponimus, quanquam nec diffiteamur longe plura, aut etiam ornatiora de hac noſtra materia, ut nobiliſſima ita latiſſima, in medium adferri potuiſſe. Sufficiant ſcilicet hæc potiora ductu magni illius prudentiæ civilis magiſtri exercitii Academici gratia ad diſputandum propoſuiſſe: reliqua & aliis & alii tempori & loco perſequenda relinquimus. Interim nec nobis tamen vel hac ætate, in qua conſtituti ſumus, quiſquam benevolus lector vitio vertet, ſi vires noſtras ingenii in nobili hoc ſtudio periclitatum iverimus; licet non ignoremus monente Antonio Peretzio *diſcurſus de ſtatu eſſe cibum ſtomachorum magnorum.*

Hermanni Conringii Diſſertatio de majeſtate civili,

Anno 1677. menſe Octobri habita.

Reſpondente Hans Ludolff von Werder, Equite Magdeburg.

§. I.

De MAJESTATE nil niſi magnum, ſive nomen, ſive rem ipſam putemus, cogitari aut dici poteſt. Feſtus Pompejus, linguæ latinæ magiſter, majeſtatem a magnitudine dici, ait. Quod parum tamen cum aliis probaretur, eam interpretationem excogitarunt, ut illis majeſtas tanquam major ſtatus appellaretur. Sed vocabulum majeſtas neque ex longinquo petitum, neque ex partibus iliis compoſitum eſſe, ſed & ſimplex eſſe & ſuam ſibi debere originem, arbitramur. Ut nempe a tempus tempeſtas, ita a majus majeſtas proficiſcitur & inclinatur.

II. Origine jam vocabuli germana conſtituta, conſequens eſt, ut, quid majeſtas ſit, definiamus. Sed antequam vim & naturam ejus explicemus, pauca quædam de vocabuli ejusdem lata ac diffuſa & multis rebus communi ſignificatione neceſſario præmittenda ſunt. Romani ſcriptores majeſtatis nomine omne amplum, ſplendidum & magnificum ſignificant. Idque non perſonis tantum aut rebus publicis, ſed etiam perſonis ſingulis privatis, ut & aliis rebus, in quibus aut ſpecies aliqua luculentior aut facultas præſtantior eſt, communicari & attribuere voluerunt. Quo ſane in genere memorabile eſt illud Q. Curtii: *interrito vultu regem* (Alexandrum magnum) *Thaleſtris* (Amazonum regina) *intuebatur, habitum ejus haudquaquam verum famæ parem oculis perluſtrans. Quippe hominibus barbaris in corporum majeſtate veneratio eſt; magnorumque operum non alios capaces putant, quam quos eximia ſpecie natura dignata eſt.* Pari ratione apud Ciceronem *verborum & orationis majeſtas* legitur; apud Livium: *templi majeſtas;* apud Gellium: *ætatis dignitatisque majeſtas.*

III. Perſonis ſingulis privatis tribuerunt majeſtatem veteres Latini interdum propter virtutis

cujus-

cujusdam raræ opinionem, quam Valerius appellat *honorem eximium cum veneratione junctum, qui ex admiratione virtutis, aut propter gloriam rerum geſtarum alicui defertur.* Poſſumus ex Livio aliam addere, quam corporis ſpecies conciliat. Sic enim de P. Scipione Africano ille: *Præterquam*, inquit, *quod ſuapte natura multa majeſtas inerat: adornabat promiſſa cæſaries, habitusque corporis, non cultus mundities, ſed virilis ac vere militaris.*

IV. At ſpecialiter majeſtatis voce nonnunquam deſignatur & intelligitur DIGNITAS, AUCTORITAS ac quædam AMPLITUDO imperantium, quæ admirationem & amorem gignere ſolet. Quo modo nihil aliud erit, quam reverenda opinio de imperantium virtutibus, eorumque affinibus. Acre telum ad imperium, cujus vis maxima eſt ad res bene & feliciter agendas. Hinc Politicorum de ea acquirenda ac tuenda quamplurimæ præceptiones; quarum aliquot exhibet Lipſius, & principi præſcribit *libro 2. Polit. c. 16. & libr. 4. c. 9.* In qua ſignificatione etiam magiſtratui majeſtas tribui ſolet. De magiſtratus majeſtate Livius: *cum conſenſu maximæ partis eſt auditus, & locutum omnes pro majeſtate magiſtratus cenſebant.*

V. Quæ dignitas & amplitudo, quia ut plurimum eſt imperii comes, idcirco majeſtas etiam imperium ac poteſtatem denotat. De Prætoris majeſtate Paulus JCtus: *ubicunque prætor, ſalva majeſtate imperii ſui, ſalvoque more majorum jus dicere conſtituit, is locus recte jus appellatur.* De Conſulis majeſtate Livius, ubi de P. Valerio Publicola, eo, qui primus poſt exactos reges conſul cum Junio Bruto fuit, loquitur ita: *Hæc dicta vulgo creditaque cum indignitate augerent conſulis animum: vocato ad concilium populo ſubmiſſis faſcibus in concionem adſcendit. Gratum id multitudini ſpectaculum fuit: ſubmiſſa ſibi eſſe imperii inſignia: confeſſionemque factam populi, quam conſulis majeſtatem vimque majorem eſſe.* Et magiſtratus ex uſu loquendi veterum majeſtatem habet, voce pro imperio & poteſtate ſumta. Neque vero de magiſtratibus tantum, ſed de privatis etiam hominibus hoc ſignificatu majeſtas dicebatur. Hinc M. Porc. Catonem, pro lege Oppia non abroganda, quæ lex ad coërcendam luxuriam muliebrem lata erat, ita verba facientem ad populum Rom. inducit Livius: *Si in ſua quisque noſtrum matrefamilias, Quirites, jus & majeſtatem viri retinere inſtituiſſet; minus cum univerſis fœminis negotii haberemus.* Et *majeſtatem patriam*, quæ JCtis poteſtas patria dicitur, apud *eundem* legas.

VI. Nobis ex uſu præſtantiſſimorum in arte Politica doctorum & prudentum hominum majeſtas eſt, *ſumma poteſtas, ſumma dignitas, qua ſuperior non datur, ſive ſimpliciter, ſive in republ.* Ut enim ſummum quid bifariam, vel ſimpliciter & abſolute, vel ſecundum quid & in certo genere aut ordine perſonarum & rerum dicitur; ita & ſumma poteſtas. Proinde diſtinguitur majeſtas in divinam & humanam. Illa abſolute & ſimpliciter ſumma eſt: ita quidem, ut non tantum non habeat ſuperiorem, ſed nec etiam ullo modo & ratione habere aut accipere poſſit. Hæc vero ſubjacet divinæ, nec ultra reip. ſuæ limites ſe extendit; & licet, quamdiu talis eſt, non habeat, habere tamen, mutato ſtatu, ſuperiorem & accipere poteſt. Et quia hæc humana majeſtas non cuilibet homini, ſed cui, aut quibus cura ac ſalus reipubl. eſt commiſſa, competit, ideo civilis dici ſolet. Quo appoſito reſtringitur majeſtas modo, quem jam indicavimus. Et de hac majeſtate civili, brevem diſcurſum in argumentum diſputationis, Academico more publice ventilandæ, inſtituam: non omnia, quæ de ea dici poſſent, ſed potiora breviter expediturus.

VII. Eſt autem majeſtas civilis, ut a definitione ordiamur, *ſumma adminiſtrandi ſocietatem civilem poteſtas, ad ſcopum propoſitum.* Poteſtas hic directionem cum imperio denotat. Eſſe ſummam poteſtati tria ſuperaddit: 1. Eſſe *independens*, a quo cætera omnia pendeant, & ad quod referantur in civitate, ſive imperandi parendique ordine. 2. Extendere ſe ad omnia & vices Dei cuncta gubernantis in civitate referre. 3. Eſſe perpetuum, ut non impediri, non ſuſpendi, non judicari ullo humano arbitrio aut vi cogente poſſit, niſi per arma & ſcelus. Summa enim talis poteſtas voce civilis appoſita, ut jam ante dictum, reſtringitur, & quidem ad rempubl. hoc eſt, ut neminem, niſi Deum, in ſua republ. majeſtas civilis ſuperiorem agnoſcat. Igitur ut dicam ſimpliciter: *Majeſtas civilis eſt independens & perpetua ſeu irrevocabilis poteſtas, ad omnia ſe extendens in ſua republ.*

VIII. Pertinent huc duo textus ex Politicis Ariſtotelicis, quos propterea ſubjungimus. Prior legitur libr. 3. cap. 4. ἔστι δὲ πολιτεία, πόλεως τάξις τῶν τε ἄλλων ἀρχῶν, καὶ μάλιστα τῆς κυρίας πάντων κύριον (forte κυρία ſcribendum,) μὲν γὰρ πανταχοῦ τὸ πολίτευμα τῆς πόλεως πολίτευμα δ' ἐστὶν ἡ πολιτεία. Quæ verba Philoſophi interpres, minus tamen recte & commode, ita latine exprimit: *Eſt autem* πολιτεία *ordo civitatis ceterorumque magiſtratuum, & maxime illius, qui ſummam poteſtatem habet.* Ubique enim ſummam poteſtatem habet in civitate pars, quæ regit ipſam. Poſterior habetur ejusdem libri cap. 5. his verbis: ἐπεὶ δὲ πολιτεία μὲν καὶ πολίτευμα σημαίνει ταὐτὸν πολίτευμα δ' ἐστὶ τὸ κύριον. (forte τὸ κυρίῳ) τῶν πόλεων. *Quia autem respublica quidem & arbitrium urbis idem ſignificant, arbitrium autem urbis eſt, quod dominatur in civitate.* Ita quidem interpres, quo utor.

IX. Sed quid binis iſtis textibus velit Philoſophus, pluribus in rem noſtram ita ordine exponimus. 1. Politia ſeu regiminis civilis forma conſiſtit in ordine imperiorum vel imperantium. Imperium enim non eſt unius generis: Aliud ſummum, aliud ſubordinatum vel etiam coordinatum. In ordine autem ad primum deveniendum; quapropter a ſummo & primo imperio civitatum politia dependet. 2. Obſervat quidem *Salmaſius in Not. ad Trebell. Pollionem*, eſſe majeſtatem unum ex illis vocabulis Latinis, quibus nullum eſt ex tota lingua Græca par & ex æquo reſpondens; eſtque illud ἁπλῶς veriſſimum; puto tamen, philoſophum eam per τὸ κύριον τῶν πόλεων, vel nomine, τῆς κυρίας πάντων ἀρχῶν deſignaſſe. 3. Τὸ κύριον, ſeu majeſtas, adminiſtrationem civilem habet ubique

in civitate; quibus verbis idem philoſophus, quod nos §. VII. diximus, ſignificare videtur. Majeſtas enim eſt poteſtas, quæ quidem finibus ſuæ reipubl. circumſcribitur, ubique tamen, hoc eſt, ad omnia in civitate ſe extendit, adeoque ſummum eſt extenſive pariter ac intenſive. 4. In adminiſtratione ſummæ illius poteſtatis, civitatis alicujus ſtatus ſeu politia conſiſtit. Ut videlicet ultimum, quod hominem conſtituit, eſt ratio; ita remp. ultimo facit majeſtas: quod ſana in homine eſt ratio, in republica eſt majeſtas. Idque verum eſt, ſive reipublicæ voce integram civitatem (ut fit perfrequenter & a plurimis) ſive ſolum ejus regimen intelligas.

X. *Johannes Bodinus libr. 1. de republ. c. 8.* quod eſt de jure majeſtatis, ita majeſtatem definit: *Majeſtas eſt ſumma in cives ac ſubditos legibusque ſoluta poteſtas.* Poſt pauca ſubjungit: *Principio definienda fuit majeſtas, quam nec philoſophorum nec JCtorum quisquam definiit. Cum tamen nihil ad reipublicæ naturam intelligendam majus neceſſarium eſſe videtur.* Quod dudum ab Ariſtotele erat traditum, id primum ſe prodidiſſe ſæpius jactat Bodinus: artem analyticam vane oſtentans, cujus tamen minus fuit peritus. Nec per omnia allata definitio nobis probatur, cum quædam ſit majeſtatis poteſtas, quæ non exercetur in cives & ſubditos. Ut ex iis, quæ inferius de amplitudine ejus dicentur, patebit. Nec placet illud, *legibusque ſoluta poteſtas*, cum absque neceſſitate ita difficultatibus quibusdam involvamur, & jam præmiſſa ſit vox *ſumma*.

XI. Et ISTA quidem de majeſtatis definitione & natura in genere ſint dicta. Sequitur jam ordine, ut eandem plenius explicemus. Quod melius fieri haut poſſe putamus, quam ſi eam ſecundum quatuor cauſas diſtincte conſideraverimus. Et vero EFFECTRIX majeſtatis civilis cauſa eſt, & eſſe poteſt tantum unus, ſolus Deus, Rex Regum & Dominus Dominantium. Ubi duo hæc confundi nolumus, ipſam nempe majeſtatem cum applicatione majeſtatis ad certum aliquod ſubjectum. Non eſt nobis jam quidem quæſtio de eo, quæ ſit cauſa efficiens applicationis ſummæ poteſtatis ad unum vel uno plures, ſed quis ſit auctor omnis omnino civilis majeſtatis. Ut nimirum miniſterium eccleſiaſticum eſt a Deo, licet homines eccleſiæ miniſtros eligant ac deſignent: ita & majeſtas eſt a Deo, veluti omnis poteſtatis fonte, quamvis quomodo, & in quos homines illa ſit derivanda, in arbitrio hominum vel ſit vel fuerit poſitum. Non ſcilicet majeſtas regum eſt ab hominibus, licet ab hominibus nonnulli in reges eligantur. Nec fors, nec electio, nec ſucceſſio eſt majeſtatis cauſa: ſed mediante uno illorum modorum majeſtas, quæ a Deo eſt, certæ perſonæ committitur.

XII. Si omnis poteſtas a Deo eſt ordinata, majeſtas civilis ſane non aliunde erit deducenda, quam a divina majeſtate. Atqui prius teſtatur Paulus Rom. 8. v. 1. his verbis: *Omnis anima (etiamſi Apoſtolus ſit, etiamſi Evangeliſta, etiamſi Propheta*, inquit Chryſoſtomus in Homil. ad h. l. cujus veſtigia ſequens Bernhardus *in Epiſtola ad archi-epiſcopos; ſi omnis, & veſtra: quis vox excipit ab univerſitate?) poteſtatibus ſupereminentibus ſubjecta eſto: non enim eſt poteſtas, niſi a Deo: & quæ ſunt poteſtates, ſunt a Deo ordinatæ?* Ipſe igitur Deus majeſtatem civilem ordinavit. In inſtituto certe omni reſpiciendum eſt ad inſtituentis tum facultatem, tum voluntatem. Facultas inſtituendi ſummum imperium eſt Deo a creatione usque aſſerenda: per quam in homines, quæque ſunt hominum, plenum imperii ac dominii jus obtinet. Cujus vices, quia eſt liberrimum agens, in alium, quo vult modo & ratione, transferre poteſt. Ut vero, quod Deus hic potuerit, etiam voluerit, eſt a ſumma ipſius bonitate & amore erga homines, a quo omne, quod & quales ſumus, eſt derivandum. Scilicet videbat Deus, *nihil tam aptum eſſe ad jus conditionemque naturæ rationalis, quam imperium: ſine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt;* ideo ordinem ſumme imperantium & parentium, ſeu reſpublicas inſtituit, quas majeſtas ultimo conſtituit.

XIII. Igitur majeſtas per ſe uni Deo ut cauſæ effectrici debetur, & quidem immediate, excluſo homine omni. Diſputatum de eo in Comitiis trium Galliæ ordinum generalibus, ſub finem anni XIVti currentis ſeculi noſtri Lutetiam convocatorum, ut pluribus recenſet *Grammondus l. 1. Hiſtor. Gall. pag. 62. & ſeqq.* Inter tres theſes, de quibus ibi in utramque partem fuit actum, media hæc erat: *Deberi immediate uni Deo regum in ſubditos poteſtatem.* Quam Clerus & nobilitas pronunciarunt *veram, ſi de Galliæ regibus, dubiam & plerumque falſam, ſi de principum promiſcue omnium in ſubditos poteſtate intelligas: nullo caſu de fide, & mere politicam.* Subjungit Hiſtoricus quæ ſequuntur: *de regum & principum poteſtate mediata* (quod vocant) *aut immediata pleraque tum in publicum data ab incerto auctore: per quæ regibus & principibus chriſtianis, ſi Gallum demis & Venetos, aſſignabatur ſuus cuique auctor, adeo ut nemini illorum immediatam a Deo poteſtatem concederet.* Verba auctoris anonymi pluſcula mox refert, ex quibus pro noſtro inſtituto quædam tantum decerpimus & quidem ſeqq. *Pauci principes uni immediate Deo coronam debent. Imperator electioni ſubjacet. Unus inter reges chriſtianiſſimus jure ſuo regnat, unus immediate Deo debet, quod rex eſt. Quo fit, ut vera in omnem caſum ſit ea theſis.* REGUM GALLIÆ IMMEDIATAM A DEO POTESTATEM ESSE, USQUE A DEO, UT NEMINEM IN TERRA AUCTOREM COGNOSCANT. Hæc auctor Anonymus apud Grammondum. Quæ tamen neutiquam nos probamus. Nec vero alia eſt Galliæ regum, quam aliarum ſummarum poteſtatum, reſpectu quidem Dei, ratio. Notumque eſt ex regum iſtorum hiſtoria, olim ibi fuiſſe eandem rationem, quæ omnium gentium Germanicarum ſucceſſionem nempe obtinuiſſe, nec mere hereditariam, nec mere electitiam, ſed quaſi ex utraque compoſitam. Par ratio eſt regiminis Veneti: utpote quæ non magis Deo debeatur, quam ſtatus alicujus alterius, ſive Ariſtocratici, ſive Democratici, ſive & Oligarchici forma & conſtitutio. Ut

proin-

proinde exceptiones illæ regum Galliæ & regiminis Veneti non niſi ab adulatorio calamo ſint profectæ.

XIV. Falli autem inter majeſtatem & collationem majeſtatis, inter majeſtatis eſſe cauſam, & majeſtatem alicui conferre, diſtinguere neſcias. Eſt nempe majeſtas civilis a Deo immediate: ut vero vel penes unum, vel penes uno plures, paucos aut omnes illa ſit, eſt res inſtituti, & arbitrii humani, ſæpe etiam res violentiæ ac fraudis. Ut in miniſterium eccleſiæ, quod Deus inſtituit, quis ſe ingerere; ita & majeſtatem, quæ Deum auctorem habet, vi & fraude ſibi quis aſſerere poteſt. Majeſtatis cauſa ſcilicet unice Deus eſt. Unde quam quis habet majeſtatem, eſt illa a Deo, licet eam non ſemper habeat a Deo. Ut ex his Dei apud Oſeam verbis patet: *Regnaverunt, & non ex me: Principes exſtiterunt, & non cognovi eos, Cap. 8. v. 4.* Horum principum poteſtas a Deo erat, ipſi autem principes non item. Summa igitur poteſtas, in quo demum cunque ſit ſubjecto, aut quo etiam cunque exerceatur modo, ad Deum auctorem eſt referenda.

XV. Falſa vero & illorum eſt ſententia, qui ſtatuunt, majeſtatem conferri immediate, ita ut civitas, quando elegit perſonam, ipſam potius perſonam applicet poteſtati divinæ, quam poteſtatem divinam perſonis. Quamquam eodem noſtro exemplo miniſterii eccleſiaſtici ſententiam ſuam confirmare illi nitantur. Falſum enim eſt, miniſterium eccleſiaſticum, ſeu poteſtatem docendi, ſolvendi & ligandi, adminiſtrandi ſacramenta &c. Miniſtris a Deo immediate conferri. Namque talis poteſtas toti eccleſiæ a Chriſto eſt conceſſa, ut patet ex *Matth. 16. v. 19. & c. 18. v. 15. ſeqq.* Quando igitur eccleſia miniſtris ſuis eandem poteſtatem viciſſim defert, manifeſtum profecto eſt, a Deo immediate illam non eſſe.

XVI. Sed ut noſtram mentem abſque multis ambagibus, & plane & ſimpliciter expediamus: Majeſtatem Deum auctorem habere putamus, prout ille ipſe per dictamen ſanæ rationis hominibus voluntatem ſuam de conſtituendis civitatibus inſeruit. Nam non ea tantum a Deo eſſe putamus, quæ ipſe expreſſis verbis ſuis ſancivit, ſed & quæ per dictamen rectæ rationis ſerio mandat ac conſtituit. Scilicet poſteaquam cum multiplicato genere humano ita creviſſet quamplurimorum hominum malitia, ut ab ea pax, ſecuritas ac tranquillitas generis humani quam maxime turbaretur, nec huic malo a ſola lege naturæ, cujus reverentia apud ejusmodi homines exoleverat, remedium fieri poſſet; poterant homines, adhibita ſana ratione in conſilium, ſatis perſpicere, Deum Ter Optimum M. qui præceperat ſocietatis tranquillæ inter ipſos cuſtodiam, præcipere etiam tale medium, quo illa obtineri poſſit, (qui enim alicui pro imperio injungit finem, cenſetur etiam eundem obligaſſe, ad uſurpanda illa media, ſine quibus finis non poteſt obtineri.) Illud autem, nullum aliud, aptum quidem eſſe non poſſe, quam univerſi generis humani diſceſſum in ſocietates civiles, in quibus adverſus exterorum læſiones præſidium in conjunctis viribus, adverſus vero ſociorum injurias in judiciis invenire poſſent, ac ita commodiori ac expeditiori virtutis exercitio ac operatione gauderent. Ut proinde a creatore homines fere & quadamtenus obligati fuerint ad ineundas ſocietates civiles, tanquam medium, non ex mero arbitrio ipſorum inventum, ſed quodammodo ab ipſo creatore fini hominibus ſaltem hypothetice, quamvis non categorice, præſtituto procurando conſtitutum. Quia igitur Deus ſocietatem civilem hactenus præcepit, imperium civile ſeu majeſtatem etiam præcepiſſe cenſendus eſt. Imperium enim tam naturalis res eſt ſocietatum, ut nulla vel minima ſine eo ſubſiſtere queat, quod ad modum docet *Cicero ex Platone libr. 3. de LL.* Ordo ſane, qui vel cogitari poteſt, niſi ad primum aliquod tendat? Id autem primum eſt, quod omnia in ſocietate moderatur, ſummum quia eſt & aptum: id eſt, imperium ſeu ſumma in ſocietate poteſtas. Ad nullum ergo alium origo majeſtatis eſt referenda, quam ad Deum Ter O. M. qui hypothetica quadam lege naturæ eam præcepit ac conſtituit. Perinde atque an illa ipſa uni aut pluribus committi debeat, nonniſi quodammodo definivit Deus, ſed temporibus, locisque ac utilitatibus cujusvis conſtituendæ civitatis reliquit, a Deo tamen ratihabetur.

XVII. Nobis proinde perſuaſiſſimum eſt, majeſtatem civilem eſſe vicariam Dei poteſtatem, quæ nimirum pacem bonumque ordinem in genere humano, & per conſequens operationem ſecundum virtutem non impeditam, quam ſola reverentia erga legem naturæ ejusque auctorem præſtare non poterat, ob perverſum ingenium multitudinis (quod non in longitudinem conſulens, ſed iis, quæ in ſenſus pro tempore præſenti incurrunt, intentum, quæ conſecutura ſunt, licet longe majora, ſuo pretio non taxat, ſed quicquid ex propinquo imminet, magis metuendum credere adſuefcit) vi præſentiori producit, pœnisque ac minis continet. Hinc bene Tacitus: *Principes imperium a Deo habere, eosque inſtar Deorum eſſe:* hoc eſt ſummum, quod principes habent, eſſe a Deo, cum vices Dei in terris ſuſtineant. Et PLINIUS *in panegyrico Trajani: Principem dat Deus, qui erga omne hominum genus vice ſua fungatur.* Qua de cauſa perſona vel cœtus majeſtatem habens, tantum habet poteſtatis, quantum Deus ordinarie poſſet, ſi ipſe nobiſcum familiariter, ut olim in civitate Ebræorum, ageret, atque per ſe civitates ſummo regeret imperio. Quot ergo respublicæ, in quas genus humanum diſtinguitur, tot ſunt majeſtates civiles: quibus veluti vicariis poteſtatibus Deus in gubernando genere humano utitur. Pertinet huc, quod Philippus dixit, citante SALMASIO in *Defenſione Reg. c. 5. regem, cum homo ſit mortalis, accepiſſe poteſtatem divinæ parem.* Nec alienum eſt, quod DIOGENES ille ſcripſit: *Ut ſe Deus habet ad mundum univerſum, ita regem ſe habere ad rempubl. cui præeſt.* Et hac de cauſa principes *Deos partiales* vocat CHRYSOSTOMUS *Homil. 38.* hanc ponens differentiam, quod Deus univerſi gubernator ſit, reges jus dicant ſingulis regnis.

XVIII. Quia autem Deus eſt majeſtatis civilis cauſa immediata, (licet Deus rarius immediate conferat alicui majeſtatem) atque ſummæ poteſtates vices Dei in terris ſuſtinent, & perſonam ejus gerunt, hinc eſt, quod imaginem Dei in regibus paſſim deprehenderint olim etiam gentes. Artabanus Perſa apud PLUTARCHUM *in vita Themiſtoclis* pulcherrimam optimamque legum perſicarum vocat illam, qua ſancitum fuerat, *regem eſſe honorandum & adorandum, ut Dei cuncta ſervantis imaginem.* Idem docuit: *Regem, cum imperium gerat, nulli obnoxium, & lex ſit animata, Dei effigiem inter homines exhibere;* notante Cl. SALMASIO *in Defenſ. Reg. c. 5.* Laudatur ibidem Ecphantus Pythagoricus, qui in libro *de regno* apud STOBÆUM ita dicit: *In terris quidem homo optimam ſortitus eſt naturam; at inter homines rex divinior eſt, multumque communem naturam ſupereminet. Corpore quidem reliquis non abſimilis, ex eadem quippe materia factus. Ab optimo autem artifice fabricatus, qui formavit ipſum, archetypo ex ſe ſumto.* Subjicit continuo: *Regem ſingulare quoddam & unicum eſſe opus, utpote qui ſit imago cœleſtis regis.*

XIX. Et licet, ut dictum, collatio majeſtatis ab hominum arbitrio proxime dependeat, nullibi tamen in humanis plura ac expreſſiora providentiæ divinæ deprehendere licet veſtigia, quam circa ſummas poteſtates, earumque collationem & conſtituendi modum. Vivum forte hujus rei exemplum habemus in Carolo II. hodierno Britannicarum inſularum rege. Hunc enim ejectum nec peregrinus gladius, nec regum ac principum interceſſiones, nec ullus Salmaſius, regno ſuo reſtituere valebant, ut tandem omnes agnoſcerent, Dei eſſe, concedere regna, cui vult. Ut notatum ab adm. Rever. Dn. D. MEIERO *in Anal. Polit. Ariſtotelis p. 223.* AUGUSTINUS id prolixe diſputatione oſtendit *l. 5. de civit. Dei c. 21.* Concludens tandem his: *Quæ cum ita ſint, non tribuamus dandi regni atque imperii poteſtatem, niſi Deo vero; qui dat felicitatem in regno cœlorum ſolis piis: regnum vero terrenum & piis & impiis, ſicut ei placet, cui nihil injuſte placet.*

XX. Quia vero, ut hactenus pluribus demonſtratum, majeſtas non modo eſt a Deo, ſed & vices Dei in terris, quælibet in ſua republica, gerit, idcirco ex vicario iſto munere & poteſtate FISCALIS. Majeſtatis cauſa, de qua ordine agendum, nunc ſequitur, erit explicanda. Non autem de ſingulorum cœtuum vel hominum, qui majeſtatem habent, finibus nobis hic eſt ſermo; ſed ſimpliciter & in genere de ſcopo & fine majeſtatis. Illarum autem fines variant quam maxime, & quidem vel pro diverſis ipſorum ingeniis, moribus & conſiliis; ut nunc vitam beatam omnium ex æquo ſpectent, nunc proprium commodum primo ac per ſe, ſubditorum vero vitam beatam non niſi ſecundario & per accidens pro ſcopo habeant, ut præclare ab ARISTOTELE *libr. 3. polit. c. 4.* fuit expoſitum. Vel etiam pro diverſis civitatum finibus. Nam quemadmodum ſinguli homines ferme ſequuntur peculiares fines, ſic civitates ſecundum humanarum intentionum varietates differunt. Conſtat vero ex Ethicis, quatuor potiſſimum eſſe, circa quæ hominum vita occupari ſolet. Illi enim homines, quibus (ut Poëta canit) eſt erectior ac melior indoles, atque adeo de meliore luto finxit præcordia Titan, ita actiones ſuas inſtituunt, ut veram felicitatem, quæ in virtutum operatione & ſufficientia rerum eſt poſita, ſequantur. Plerique vero felicitatem ac finem ſuum errore potius, quam veritate æſtimant; eoque alii potentiæ ac gloriæ ſtudent: (qui tamen civiles aut πολιτικοὶ haberi volunt) alii vero, non tam rerum potiri, quam opum copia abundare ſatagunt: (genus ſcilicet quæſtuarium χρηματιστικὸν) alii ſunt, qui obſcœno voluptatum cœno immerſi, quod tempus alii virtutibus, potentiæ aut rei acquirendæ dant, illud deliciis tribuere non verentur, ſolo ventre felicitatem ſuam metientes, (voluptuarii ſcilicet, ἀπολαυστικοὶ: Et hæc diverſitas non tantum in ſingulis hominibus, ſed etiam in integris gentibus & rebuspublicis deprehenditur. Hinc non poteſt non diverſitas oriri ſcoporum ac finium ſummarum poteſtatum in rebuspubl. ſingulis. Differunt ergo, ut hominis, & hujus vel illius hominis finis, qui eſt ſimpliciter majeſtati, & qui huic vel illi majeſtati propoſitus. Illud juris, ut ita loquamur, hoc facti res eſt.

XXI. Quia vero majeſtas eſt vicaria Dei poteſtas, univerſe proinde ipſi ſcopus a Deo erit præfixus, ad quem in adminiſtratione reip. collineare debet. Dico *debet;* nam non omnes eum reſpiciunt. Scopum illum exprimit PAULUS *Rom. 13. v. 4.* quando majeſtatem Dei miniſtram ſubditis in bonum eſſe dicit. Bonum illud *1 Timoth. 2. v. 2.* triplex facit: quietem & tranquillitatem, pietatem ſeu cultum Dei & honeſtatem. Philoſophus ex *L. IV. Polit.* diceret, ſcopum illum eſſe, vivere ſecundum virtutem non impeditam. Hæc eſt vera civitatis felicitas, judice AUGUSTINO *l. 5. de civit. Dei C. 14.* ut Dei amans ſit, & amata Deo, illum ſibi regem, ſe illius populum agnoſcat. Felices etiam dicit reges, *ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maxime dilatandum majeſtati ejus famulam faciant.* Ipſi imperatores, Theodoſius & Honorius, in *epiſtola ad Marcellinum. Neque enim aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis conſiliis ordinamus, niſi ut verum Dei cultum orbis noſtri plebs devote cuſtodiat.* Theodoſius in *epiſtola ad Cyrillum: Cæſarei eſt muneris, ut non ſolum pacifice, ſed & pie etiam ſubditi vivant.*

XXII. Et præclare in rem noſtram auctor libri *de regimine principum,* qui vulgo THOMÆ AQVINATI adſcribitur: *Finis,* inquit, *ad quem rex principaliter intendere debet in ſe ipſo & in ſubditis, eſt æterna beatitudo, quæ in viſione Dei conſiſtit. Et quia iſta viſio eſt perfectiſſimum bonum, maxime movere debet regem, & quemcunque dominum, ut hunc finem ſubditi conſequantur.* Ita revera eſt, ex Dei quidem inſtituto, cujus vices majeſtas in terris ſuſtinet. Quam multi autem multum iſtum prætervident ſcopum! Inſignis eſt locus ARISTOT. in *fine Eudemiorum,* ubi illam vivendi rationem ait optimam, quæ ad Deum conſiderandum maxime facit, eam vero peſſimam, quæ a conſiderando colendoque Deo avocat. Finis igitur, ad quem omnis majeſtatis, Dei vicariæ poteſtatis, conſilia

& actio-

& actiones tendere debent, eſt, ut cives quam maxime reddat religioſos ac virtuoſos, atque iis de ſufficientia rerum provideat, idque omne removeat, quicquid his impedimento eſſe poſſit. Vidit hoc, ut ex citato textu conſtat, ARISTOT. unde dubio procul eo reſpexit, quando *lib. 7. polit. c. 1. & ſeqq.* de optima republ. ejusque ſcopo prolixe diſſerit. Non hic negligenda, quæ idem habet *l. 1. Ethic. Nic. c. 9. §. 12. & c. 13. §. 3. it l. 2. Ethic. Nic. c. 1. §. 11. & 12.* Alias civilia ratione ſtatus ſive utilitate reipubl. metimur, ad quam propterea majeſtas in regimine ſuo reſpicere debet, ſed quicquid ejus eſt, id omne ad prædictum ultimum ſcopum eſt referendum, adeoque intermedii finis rationem habere videtur. Ut vero omnis, ita & reipubl. utilitas variat, pro locorum, temporum & populorum ratione, cujus proinde arbitrium prudentiæ transſcribemus.

XXIII. Tametſi autem hic finis reipublicæ, aut civilis majeſtatis ſit omnium optimus & Deo placens, non tamen & alii fines ab optimo diverſi non etiam Deo aliqua ratione debentur. Enimvero primum in populi pœnam permittit Deus ſæpenumero, at regatur ille plane aliter. At proinde tunc quidem fines minus boni intenduntur ab iis, qui majeſtate civili gaudent, Deo quaſi approbante. *Non* ſcilicet *eſt malum in civitate, quod non ſit a Deo.* Eſt porro dominatus civilis omnis non ſemper *ἁπλῶς* injuſtus: non magis certe, quam dominatus omnis domeſticus. Et vero Ariſtoteles quoque Barbarica & Æſymnetica regna herilia agnovit eſſe veras regni ſpecies, diverſas a tyrannide. *l. 3. polit. cap. X.* Pluribus hoc ipſum demonſtravi in tract. *de civili prudentia cap. 5.* & in tractatu *de republica Ebræorum* docui, heriles regni formas in illo populo, Deo conſentiente, obtinuiſſe.

XXIV. Igitur MATERIA, circa quam majeſtas verſatur, ad quam ordine progrediemur, primario quidem & accurate loquendo, ſunt res & perſonæ, circa quas occupata eſt omnis adminiſtratio reipubl. nobis tamen nunc ita licet appellare omnia iſta, ſine quibus ſcopus iſte obtineri nequit. Poſito enim fine, ſimul ponitur jus ad ea omnia, ſine quibus finis non poteſt obtineri. Conſtabunt illa, ſi jura majeſtatis ſingula diſtincte conſideraverimus. Etenim eſt majeſtas totum poteſtativum, in ſe habens plures particulares poteſtates, quæ ratione & varietate objectorum vel materiæ, circa quam verſantur, diſtinguuntur, & alias communiter jura majeſtatis appellantur. Quibus dextre expoſitis, ſimul in quo formalis ratio majeſtatis conſiſtat, penſitanti planum erit. Sicut omne autem jus, omnis poteſtas, ita & majeſtas in agendo cernitur. Quapropter, quæ ſint illæ actiones, in quibus majeſtas civilis cernitur, ſequitur ut exponamus.

XXV. Diximus in ſuperioribus, majeſtatem eſſe ſummam adminiſtrandi civilem ſocietatem poteſtatem ad ſcopum debitum: Adminiſtratio autem illa non poteſt non in tribus conſiſtere: (1) In univerſæ civilis ſocietatis regimine abſoluto. (2) In imperio in omnes & ſingulas, quæ ſunt in republ. perſonas atque res ſummo, & denique (3) quod ex priori fluit, in dominio rerum, quæ ſunt in civitate, pleniſſimo. Et vero in his tribus vis & natura majeſtatis eſt poſita. Etenim absque iſtis, aut uno etiam eorum, ſcopus civilis ſocietatis obtineri nequit, qui tamen iſtis poſitis omnibus haberi poteſt. Fine autem & ſcopo ſocietatis cujuslibet regiminis, imperium ac dominii latitudo definitur ac deſcribitur.

XXVI. Regimine proinde, imperio, & dominio majeſtas verſatur circa omnia, quæ civitati vel bona vel mala ſunt, aut eſſe poſſunt. Magna propterea eſt amplitudo eorum, ad quæ majeſtas regimine, imperio, ac dominio ſuo ſeſe extendit. Nec multa modo ſunt, ſed & varia. Factum inde, ut nunc in plura, nunc in pauciora jura majeſtas ab aliis atque aliis fuerit reſoluta, prout cuilibet fuerit viſum. In quas autem partiales poteſtates majeſtas reſolvitur, illarum nulla eſt ſumma plene poteſtas, proprie loquendo; ſed ſi ſumma dicitur, fit hoc cum appoſitione objecti. Verbi gratia ſumma poteſtas circa ſacra; Hæc ſumma autem circa ſacra poteſtas non eſt tota ſumma aut majeſtas, ſed particula ſummæ poteſtatis, aut aliquid majeſtatis, vel eſt ſumma poteſtas quoad certum & determinatum objectum. Majeſtas vero eſt abſolute ſumma poteſtas, & ratione objecti, ſeu, ut Doctores loqui amant, intenſive & extenſive. Nos non ordinis modo & memoriæ, ſed & accuratioris doctrinæ cauſa ex regimine univerſæ civitatis, imperio in perſonas, & dominio in res veluti triplici fonte, jura majeſtatis veluti rivulos derivabimus, deducemus, atque brevibus pro re nata illuſtrabimus.

REGIMEN UNIVERSÆ CIVITATIS ABSOLUTUM.

XXVII. Verſatur hoc circa ea, quæ publica hodie appellantur. Publica autem habentur, quæ directe ſtatum ſpectant, & ad ſalutem non tam ſingulorum, quam omnium attinent. Sunt hæc duplicis generis: alia interna, alia externa appellabimus. Externa nobis dicuntur, quæ majeſtas cum aliis rebuspubl. commodo ſuæ civitatis tractat, adeoque quæ ipſi cum exteris intercedunt negotia: Veluti ſunt bellum, pax, fœdera defenſionis vel offenſionis, vel commerciorum. Unde ex regimine univerſæ civitatis abſoluto, omnium primo fluunt jus belli ac pacis, nec non jus fœderum. Et quia cum exteris per ſe ſemper tractare haud poteſt majeſtas, ideo habent poteſtatem mittendi aliquem ſuo loco, & inde eſt jus mittendi legatos.

De jure belli.

XXVIII.

Bellum a variis varie definitur. *Grotio* eſt *ſtatus per vim certantium, qua talium,* libr. 1. de J. B. & P. c. 1. §. 2. Aliis definitur per actionem hoſtilem ad propulſandam vel vindicandam injuriam a magiſtratu vi armisque contra hoſtes, pacis retinendæ vel conſequendæ cauſa, legitime ſuſceptum & adminiſtratum. OSIANDER in *Annot. ad Grotii cit. locum* melius ita deſcribi bellum poſſe judicat:

cat: quod ſit diſſidium armatum duorum exercituum contrariorum. JOH. FRID. HORNIUS tr. de civ. cap. 5. p. 334. ita definit: Bellum eſt diſſidium populorum per vim concertantium, ſuſceptum ad propulſandam vel vindicandam injuriam. Sed licet ſit, quod hic & ibi deſideramus, utendum tamen iſtis, donec quis attulerit meliora. Eſt enim bellum ex iis, quæ facilius intelliguntur, quam definiuntur: In deſcriptione autem belli cavendum ſedulo, ne juſto latius vocis ſignificatum deſcribendo extendamus, neve prælium aut pugnam cum bello confundamus. LIVIUS ſcribit: *Populum Romanum, etſi nullo bello, multis tamen præliis victum fuiſſe.*

XXIX. Præterea attendendum, de natura belli non eſſe, ut ſuſcipiatur ad injuriam vel vindicandam, vel propulſandam, cum aliæ etiam ſint cauſæ, ob quas bella ſuſcipi ac geri & ſoleant & jure poſſint. Abſtrahit porro bellum a juſto vel injuſto, quemadmodum bonitas de eſſentia legum non eſſe dicitur. Mala enim lex vera etiam eſt, injuſtum bellum, verum bellum. Aliud autem eſt, quærere, an bellum ſit vere bellum, aliud, an bellum ſit juſtum vel injuſtum. Denique licet bellum abſque armis geri non poſſit, nihilominus bellum eſt & manet poſitis & abjectis utrinque armis. Sed iſta alii diſputent.

XXX. Juris vocabulum etiam eſt ambiguum. Nobis denotat facultatem, qua aliquid vel poſſumus vel debemus: Poſſumus autem aliquid vel re vel jure. Jus belli eſt facultas, qua jure quis bellum ſuſcipere poteſt. Non de juſtitia belli nobis eſt ſermo, ſed de eo, cui competat belli poteſtas. Et vero is, qui belli jus habet, injuſtum ſuſcipere poteſt bellum. Belli autem jus non alii, niſi majeſtatem habenti, tribui poteſt, ſive perſona una ſit, ſive cœtus. Quod nempe inter eos, qui ſuperiorem habent, eſt judicium, id inter eos, qui ſuperiorem non agnoſcunt, eſt bellum. Ubi deficit judicium, ibi incipit bellum. Abſque bello ſane hoſtium inſultus in rempubl. reprimi non poſſunt. Abſque bello bonæ reipubl. tueri, ablata bona repetere, mala illata vindicare, aut inferenda propulſare haud poſſumus. Niſi bello pax interdum redimatur & ſtabiliatur, inviolata perdurare non poteſt. Belli proinde jus non alterius erit, quam majeſtatis. Hujus enim eſt virtutis ſtudium, & rerum ſufficientiam non impeditam, ſed expeditam, domi & foris præſtare, id quod abſque bello fieri non poteſt. Nititur ergo poteſtas hæc majeſtatis ipſo jure naturali. Neque etiam de jure divino ſupereſt dubitatio. Vid. GERHARD. *de Magiſtr. Pol.* §. 368. & 369. & 394. Argumentum BORRASI, bellum ad majeſtatem pertinere, quia per id reſpubl. augeri & dilatari poteſt, nobis non probatur. Ita ſane latius juſto extendenda eſſet majeſtas & quilibet modus ac medium rempubl. dilatandi jus majeſtatis faceret, ſcilicet, ſi hæc propoſitio major procederet, per quod reſp. augeri & dilatari poteſt, illud ad majeſtatem pertinet. Bellum porro non tam ponit aliquid ad felicitatem civilem faciens, quam removet aliquid, felicem reipubl. ſtatum impediens. Et hoc potius nomine majeſtati tanquam proprium aſſeritur.

XXXI. Ita in regno jus belli eſt penes unum regem, ſi fuerit abſolutum; penes regem vero & ordines, ſi fuerit limitatum. In Ariſtocratia optimates, in oligarchia nobiles vel divites: in politia univerſus populus: in Democratia altera populi pars, plebs, belli jus habent. Nec enim eſt aut eſſe poteſt reſpubl. abſque jure belli, licet abſque bello eſſe poſſit. Omnes reſpubl. ex æquo habent belli jus, licet non omnes ex æquo ad bellum ſint compoſitæ. Ita Belgica reſpublica fortaſſis non ſatis bene eſt conſtituta ad negotia belli, quemadmodum quoque ſe habet Veneta. Id quod proprium eſſe ſolet pleriſque ſtatibus, qui adminiſtrantur a pluribus. Contra quædam reſpubl. melius ſe habent, quoad negotia belli, quam aliæ aliquæ. Quod obſervavit ARISTOT. 7. *polit.* in Spartanis. Id obſervatum & in aliis populis, cumprimis Romanis, quorum reſpubl. paci tolerandæ minus apta erat. Idem hodie prudens politicus obſervare poteſt in republ. Turcica. Vid. FORSTNERI *Not. pol. ad Corn. Tac. 4. Annal.* Interim tamen omnes reſpubl. pari gaudent belli jure. In imperio noſtro belli jus & poteſtas penes imperatorem in ſolidum hodie non eſt. Liquet hoc ex Capitulatione hodierni imperatoris Leopoldi, in qua articuli decimi tertii iſta de re hæc ſunt verba: *Wir ſollen und wollen auch uns darzu in Zeit bemeldeter unſerer Regierung gegen denen benachbahrten und anſtoſſenden Chriſtl. Gewaltigen friedlich halten, kein Gezanck, Vehde in- oder auſſerhalb des Reichs, um deſſelben wegen unter keinerley Vorwand, wie der auch ſeyn mag, ohne der Churfürſten, Fürſten und Stænden, oder zum wenigſten der ſæmtlichen Churfürſten Vorwiſſen, Raht und Einwilligung, anfangen oder vornehmen, noch ohne jetztgedachten conſens einiges Krieges-Volck ins Reich führen, oder führen laſſen.*

XXXII. Jus igitur belli in Germania non eſt penes unum & ſolum imperatorem. Ut proinde non ſatis mirari dicam, an ridere quis poſſit illorum ſententiam, qui poteſtatem ac jus belli inferendi ratione ſummæ poteſtatis, nec non jurisdictionis univerſalis, vel in conſequentiam (ita loquuntur) principem Romanum ſolum habere aſſerunt, *l. 3. D. ad L. Jul. Majeſt. ibi; qui ſine injuſſu principis bellum geſſerunt. L. neminem 17. 6. De re milit. unic. C. ut armorum uſus in ſe princ. interdict. ſic Bartel. in. l. hoſtes 1. 14. D. de captiv. & poſtum. reverſ.* GAIL. *de pac. publ. l. 1. c. 4. n. 4.* & addunt: Quapropter, ſi quis ſine imperatoris licentia bellum indixerit & pararit, in crimen læſæ majeſtatis & pacis publicæ violatæ incidit. d. L. 5. ad l. Jul. Majeſt. Hæc ſane ſi ſint vera, uno modo in genere humano erit reſpublica, una tantum ſumma poteſtas, unus imperator erit Dominus mundi qui regit orbis frena rotundi, quo nihil abſurdius aſſeri poteſt. Abſurdum præterea eſt, leges juſtinianeas, ſeu alterius reip. imperio noſtro, quod multum a vetere Romano eſt diſtinctum, accommodare. Quem graviſſimum & noxium errorem notavi in *libro de origine juris Germanici, in appendice.*

XXXIII. Jus autem belli cum poteſtate bellum gerendi aut adminiſtrandi abſoluta confundi non debet. Laconicus nimirum aliquis rex, generaliſſimus militiæ dux & præfectus, abſolutam

tam in bello poteſtatem habere dicitur, licet belli jure deſtituatur. Scilicet bellum feliciter geri nequit abſque ſummo jure monarchico. Hinc TACIT. 11. *Ann.73.* inter impedimenta bellici operis ſucceſſusque ponit, quod Germanicus *non ſolus fuit arbiter rerum jure & nomine regio*. Sicut contra Alexandri belligerantis autoritas apud LIV. *IX.18.* ita indicatur: *Reges non liberi ſolum impedimentis omnibus; ſed domini rerum temporumque trahunt conſiliis cuncta, non ſequuntur.* Qui tamen ab ipſa ſumma poteſtate diſtinguendus, ut ſecundum a primo, & dependens ab independente imperio. Hinc, majores noſtri Germani, olim libertatis amantiſſimi, cum plerique regerentur Democraticis rebuspubl. quod inviſum ipſis regium imperium eſſet, bellum ſuſcepturi eligebant unum aliquem bellica virtute ſpectatiſſimum, quem toti exercitui præficiebant, licet non abſolutam plane ipſi belli gerendi poteſtatem ac arbitrium concederent, ut patet ex TACIT. *c.7. de Mor. Germ.* Add. CLUVER. *Germ. Antiq. l.1.c.46.* Secundum quid generaliſſimus abſolute imperat, & dirigit, at nomine uon ſuo; ſumma autem poteſtas abſoluto ſimpliciter in ſua republ. imperio gaudet. Denique latius etiam jus belli patet, quam adminiſtratio bellica. Poſtquam a ſumma poteſtate bellum eſt decretum, tum demum cogitat de ſumma militiæ præfectura, cujus ope id, quod ſuo inſtituit arbitrio, peragatur. Bellum ſuſcipere & finire eſt ſummæ poteſtatis, non autem generaliſſimi belli ducis. Belli arbitrium eſt majeſtatis, prælii arbitrium ſummi ducis.

XXXIV. Cæterum belli jus eſſe majeſtatis particulam, ita patet. Sane majeſtas non eſſet majeſtas, ni jus belli haberet, aut ſi alius præter majeſtatem id haberet. Nata inde eſt belli prima maximeque neceſſaria hæc partitio, quod bellum aliud ſit publicum, aliud privatum, aliud mixtum, notante H. GROTIO *l.1. de J. B. P. c.3.§.1.* Publicum bellum Grotio eſt, quod auctore eo geritur, qui juriſdictionem habet; privatum, quod aliter; mixtum, quod una ex parte eſt publicum, ex altera privatum. Juriſdictio proprie dicta magiſtratui competit, non majeſtati, niſi improprie, & nihil aliud eſt, quam poteſtas de civilibus & privatis cauſis jus reddendi, jure magiſtratus competens. Igitur minus commode juriſdictionis vocabulum in definitione publici belli uſurpabitur. Non enim magiſtratui jus belli competit: ſed quod vere & proprie ſic dictus magiſtratus auſu & facto proprio gerit bellum, potius latrocinium vel privatum & illicitum eſt dicendum. Rectius proinde magis ex more Philoſophi ita procedit BOECLERUS *ad cit. l. Grotii: Bellum aliud eſt publicum, &, quod gerunt ille vel iſti, qui habent ſummam poteſtatem; idque vel per ſe, vel per alios, ut magiſtratus; vel ex formula mandati & magiſtratus, vel ex conjectura voluntatis ejus, qui habet poteſtatem.* Ipſe Grotius ſe corrigens ſub finem §. 5. dicit: *Bellum publicum geri non debet, niſi autore eo, qui ſummam poteſtatem habeat.* Privatum proprie bellum non eſt, ſed potius latrocinium, deprædatio, ſeditio & tumultus. Ratio ejus rei eſt, quod conſtitutis civitatibus ac judiciis, hominibus ſingulis non amplius liceat, injurias ſibi factas propria vi proprioque arbitrio ulciſci, aut ſi, quod ſibi debitum, denegatur, propria violentia extorquere; ſed ſuper hiſce magiſtratus ſit adeundus; cujus eſt, læſis reparationem damni cautionemque in futurum præſtare, atque efficere, ut ſuo quisque jure fruatur. Huc facit *L.17.6.ff. de reg. jur. l.11. §. fin. l.12. l.13. ff. quod vi aut clam l.14. C. de judæis & cælicolis.* Interdum tamen contingit, ut ſingulis redeat jus defenſivi privati belli, de quo vid. GROT. *l.1.c.3.§.2.* Proprie autem dictum bellum geritur inter ſummas poteſtates. Cum igitur noſtrorum principum Germaniæ poteſtas non ita multum abeat a ſumma poteſtate, eique ſit quaſi analoga, hinc illorum bella magis ad publica quam ad privata accedunt. Certum etiam, & ordinibus imperii ſingulis, ratione ſuperioritatis territorialis, per leges fundamentales competere aliquod jus belli ex propria auctoritate gerendi, ut patet ex *A. B. c.17.* Add. *Rec. I. de anno 1555. §. Nachdem aber.* Neque mixtum bellum facile bellum dixerim, non enim uſu armorum tantum & externa vi conſiſtit bellum, ſed etiam, potiſſimum quidem, in jure, ut obſervatum ZIEGLERO *ad d. l.* Qui ſummam poteſtatem non habet, uti non poteſt mittere legatos, ita cum eo bellum non geritur, quia belli jus non habet. Bellum porro omne eſt adverſus & in hoſtem. *Ille autem hoſtis eſt*, inquit CICERO Philip. 4. *Qui habet rempubl. curiam, ærarium, conſenſum & concordiam civium, & rationem aliquam, ſi res ita tulerit, pacis & fœderis; reliqui enim, ſi exercitus* habeant & milites, atque imperatores ſe ferant, non pro hoſtibus, ſed pro latronibus & ſpartacis ſunt habendi. Bellum pariter proprie dictum in eos gerimus, in quos nullum habemus imperium; quique imperio nobis ſunt pares, adeoque non quovis, ſed ſummo.

XXXV. Publicum bellum aliud eſt ſolenne, aliud minus ſolenne. Ut bellum ſolenne ſit; ex jure gentium duo requiruntur a GROTIO: primum, ut geratur utrinque auctore eo, qui ſummam poteſtatem habet in civitate: deinde, ut ritus quidam adſint, de quibus agit *l. III. c. 3. §. 5.* ubi ita ſcribit: *Sed ut juſtum hoc ſignificatu bellum ſit, non ſufficit inter ſummas utrinque poteſtates geri: ſed oportet, ut & publice decretum ſit, & quidem ita decretum publice, ut ejus rei ſignificatio ab altera partium alteri facta ſit.* Non ad bellum porro, ut moraliter ſit juſtum, ſed ad id, ut bellum ſolenne ſit, requirit clarigationem, ſeu denunciationem, & quidem ex jure gentium. Non facit hic cum Grotio Nobiliſſ. ZIEGLERUS in *Not. & Ammadverſ. in l. III. c. 3. §. 6.* exiſtimans, *naturam jubere, ut omnia prius tententur, quam ſanguinolentus & dubius belli eventus ſubeatur; denunciationis vero bellicæ finem hunc eſſe, ut ſecum deliberare poſſit hoſtis, num ſatisfacere pro injuria aut damno dato velit, an vero bellum exſpectare. Quandoquidem igitur fieri poſſit, ut facta denunciatione ſatisfacere malit hoſtis, non eſſe utique in bello vindicativo eam omittendam.* Cui ſententiæ & nos plane ſubſcribimus; ſiquidem ſapientum communi conſenſu omnia experiunda ſunt, priusquam cum bello mutetur pax. Neque enim ullum bellum tam bene geritur, quin in eo multa accidant, quæ in pace non ita fuiſſent futura;

tura; quoniam etiam cum juſtiſſimis armis conjuncta ſolet eſſe injuſtitia. Quemadmodum ſcilicet caloris vi (ut cum FORSTNERO loquar) non modo ſicca, verum etiam, quæ in propinquo humida ſunt, abſumuntur; ita bella etiam, quæ juſta cauſa ſuſcipiuntur, nefanda quæque opera, cædes, ſtupra, ſacrilegia, ſecum trahunt. Nemo Martem ita in poteſtate habet, ut nuſquam exorbitet. Nulla ducis prudentia, nulla induſtria, nulla reverentia, unquam tanta fuit, quæ hoc potuerit efficere, ut, quod fere tota natura noxium eſt, fieret innoxium. Ubi tanta armorum vis corporumque ſub ſignis ſtat, quis cruori legem dabit, unde & quantus fluat? Ad iſta facinora qui ſponte provolat, nullam illorum poteſt a juſto Deo ſperare veniam: nec, qui neceſſitate trahitur, excuſatur, ſi non animum habeat, bellum pace commutandi, ubi prima fuerit occaſio. Cæterum & hac ratione per clarigationem bene conſulunt ſibi principes ac respubl. bellum ſuſcepturi; quod favorem ſuæ cauſæ, amicos atque auxilia concilient. Sed multos tamen non recte illis uti, negari minime poteſt. Alii nimirum per eas multa convicia, contumelias, & omnem acerbitatem in hoſtes evomunt; id quod fœminarum magis eſt, quam virorum, quæ verba ſola pro armis habent. Alii morum ſeculi parum periti, bene rem ſibi geſſiſſe videntur, cum inopiam, debilitatem, vulnera ſua omnibus nudata proſtituunt, ut miſericordiam & opem aliorum excitent. Quod ſæpe tamen iis contra cedit, cum plerumque in contemtum aliorum veniant, neque quisquam florentes ſuas res aliorum perditis facile miſcere velit. Sed ut ad rem, unde digreſſi ſumus, redeamus, circa bellum ſolenne eſt etiam hoc obſervandum; quod qui illud gerunt populi eorumque rectores, ab auctoribus juſti hoſtes vocari ſoleant, latronibus & prædonibus oppoſiti. *V. l. 18. ff. de verb. ſignific. l. 19. §. 2. l. 21. §. 1. l. 24. ff. de captiv.* Non tamen ſtatim civitas pro cœtu latronum eſt habenda, quæ nonnulla injuſta, publice tamen probata, recipit. Neque cœtus latronum civitatis nomen meretur, etiamſi forte ſpeciem quandam juſtitiæ inter ſe ſervent, ſine qua nullus cœtus poſſit conſiſtere. Vid. GROT. *de J. B. ac P. l. III. c. 3. §. 2.* Bellum publicum minus ſolenne GROTIO deſcribitur, quod ritibus illis (quos ad bellum ſolenne requiri paulo ante dixerat) carere poteſt, & geri in privatos; & auctorem habere poteſt magiſtratum quemvis, *l. 1. c. 3. §. 4. n. 2.* Verum fallit hic fortaſſe Grotius; quod enim in privatos geritur bellum, non eſt publicum, ſed mixtum, ſupra notavimus. Neque quod magiſtratus gerit, bellum proprie eſt, ſupra etiam obſervavimus. Sed hic ne Grotii auctoritas nobis obſtet, noſtra ſententia explicatius tradenda eſt. Cum bellum ſit ex iis negotiis, in quo maximum turbandæ reipubl. momentum conſiſtat, & tota ſalus communis ab exitu belli pendeat, teſtante illo modo experientia, ut pluribus rationibus probari non ſit opus; magiſtratui ut tali, ex propria auctoritate de eo ſtatuendi, poteſtatem dare, idem eſſe, atque eidem ſummum imperium tradere, nemini poteſt eſſe obſcurum. Vid. *l. 3. ff. ad jul majeſt.* Sed GROTIUS putat *c. l. §. 4.* *Si citra leges civiles res ſpectetur, omnem magiſtratum ſicut ad tuendam plebem ſibi creditam; ita ad exercendam jurisdictionem, ſi vis occurrat, jus habere belli gerendi*, quæ tamen forte minime cohærent, cum illa ipſius aſſertione, quam paulo poſt ponit, omnium ferme populorum legibus jus belli gerendi ſummæ poteſtati tributum fuiſſe. Neque etiam plebem tueri magiſtratui, ſed majeſtati per ſe competit. Magiſtratus autem, qui jurisdictioni præeſt, hactenus tantum plebem tuetur, dum tenuioribus contra potentiores jus reddit. Cui fini haud tamen neceſſarium eſt, jus belli gerendi. Quæ paulo poſt GROTIUS dicit, æquitatem ſuadere, primum, *ut ei, qui jurisdictioni præeſt, liceat per apparitores ſuos vi cogere paucos imperantes, quoties ad eam rem majoribus copiis opus non eſt*; deinde, *ſi ita præſens ſit periculum, ut tempus non ferat, eum conſuli, qui ſupremum in civitate jus habet*, aliena ſunt, nec firmiter ejus ſententiam probant, magiſtratu competere jus belli. Nam juris Romani ſcitum eſt, mixtum imperium cohærere omni magiſtratui, qui jurisdictionem habet, qua tali. Si igitur magiſtratus, qui jurisdictioni præeſt, jure mixti imperii vi cogat quosdam imperantes, haud tamen bellum gerere cenſendus eſt. Bellum enim in eos geritur, in quos vis coactiva nobis non competit, ſed qui potentia nos æquare poſſunt. Neque enim a vi coactiva deſumptam definitionem belli Grotio traditam accommodare poſſe, notat Dn. FELDEN. in *Not. ad h. l.* Confer Nobiliſſ. ZIEGLER *ad h. l.* Quodſi refractariorum tantus ſit numerus, ut ex eorum irritatione civitas in periculum poſſit adduci, nec ordinarii lictores & apparitores ſufficiant, recte magiſtratus ſummæ poteſtatis ſententiam ſuper tali negotio, ſi poſſit, exſpectat. Quando autem tunc ſumma poteſtas refractarios & rebelles in ordinem cogit, tunc ne quidem proprie bellum eſſe, recte docet ZIEGLER. *in not. ad c. l. Grotii.* Quo modo jure magiſtratus vel ex conjectura voluntatis, vel expreſſo mandato ſummæ poteſtatis, magiſtratus ſuſcipere & gerere poſſit bellum, & quatenus ejusmodi bellum pro publico aut privato ſit habendum, itidem præclare docet ZIEGLER *ad c. l. Grotii.* BOECLER. *ibid.* Reverend. Dn. D. UFFELMANNUS *Coll. MS. ad Grot.* De conjectura autem voluntatis legitima, utiliſſimas tradit regulas PUFFENDORFF. *Elem. Jurisprud. l. 14. §. 3.* Add. quæ idem habet *L. IIX. c. 6. §. 10. de J. N. ac G.*

XXXVI. Præterea bellum in juſtum & injuſtum diſtingui ſolet, voce juſti ſumta pro eo, quod non eſt injuſtum. Bellum enim nullum eſt juſtum, niſi tantum in rebus licitis, nititurque legibus neceſſitatis. Vid. BOECLER. *Not. in Grot. l. 1. c. 3. §. 1.* PUFFENDORFF. *de J. N. ac G. l. IIX. c. 6. §. 2.* RACHEL. *Ann. ad Off. Cic.* verba: *Cum ſint duo genera certandi, &c.* Juſtum autem bellum æſtimatur ex juſtis cauſis, quæ ſunt revera, ſine quibus citra injuriam in pace vivere non poſſumus. De bello enim ex fine judicandum; quod bellum non ſit infinitum, ſed earum rerum numero, quæ ad finem faciunt. *Planum eſt*, inquit ARISTOTELES per interpretem, *l. VII. pol. 2.*

Omnia

Omnia ſtudia, quæ ad bellum faciunt, honeſta quidem eſſe, ſtatui debere; non tamen ut finem omnium utiliſſimum, ſed illius gratia hæc: Finis autem belli eſt pax. ARIST. *Nicom. X. 7. Bellum gerimus, ut in pace degamus. Nemo eſt, qui bellum expetat, vel apparatum bellicum faciat, bellandi cauſa. Sanguinarius enim prorſus quidam eſſe videretur, ſi amicos ea cauſa ſibi hoſtes redderet, ut pugnæ & clades orirentur.* THEMIST. *Orat. X.* Πολέμου ἆθλον εἰρήνη; καὶ στρατεύονται, ὡς ἀνάγκη, οὐχ ἵνα διὰ τέλους στρατεύωνται, ἀλλ' ἵνα ἀσφαλῶς ἡσυχάζωσιν; *Belli pretium pax eſt; nec vero bella ſuſcipiuntur, quibus id neceſſe eſt, ut perpetuo bellum gerant, ſed ut tuto in otio & quiete eſſe poſſint.* TACIT. *Hiſt. IV. Nemo adeo in arma promtus, ut non idem pretium quietis, quam periculi malit.* Ceterum juſtum bellum deſcribitur: quod a legitimis perſonis, juſtis de cauſis, legitimo modo & bona intentione ac fine geritur. Bellum injuſtum ex integra cauſa oritur. Prudenter autem ERASMUS in *Epiſtola ad Carolum V. ſemper meminerit ſua clementia, nullum bellum, neque tam juſtis de cauſis ſuſcipi, neque tam moderate geri, quod non ingens & ſcelerum & calamitatum agmen ſecum trahat, tum maximam malorum partem ad innoxios & indignos recedere.* Adde ea, quæ §. præced. ex FORSTNERO adduximus.

XXXVII. Conſilio igitur hic opus eſt. Quem in finem obſervamus, univerſa ad bellum facientia præcepta ad hæc tria capita: *Quomodo ſcilicet bellum ſit ſuſcipiendum, gerendum atque finiendum,* ſummatim reduci poſſe, judice etiam LIPSIO *Polit. l. IV. c. 3.* Majeſtas non temere ſuſcipiat bellum, ſed ad bellum feſtinet lente. *Non ſtatim, ſi quid injuſti accidit, nos ideo debemus certandi ſtudio nosmet incommodis ſubjicere,* ut vere cenſet DION. PRUSIENSIS *orat. II. cont. Tarſenſes. Cum nusquam oporteat,* inquit Octavianus, *Principem præcipiti eſſe conſilio, tum haud alibi cunctantior erit aut circumſpectior, quam in ſuſcipiendo bello; quod aliis ex rebus alia naſcuntur incommoda, ſiquidem ex bello ſemel ſuſcepto omnium bonarum artium oriatur naufragium, omnium malarum rerum pelagus exundet, apud* SEXT. AUREL. VICTOR. *in Cæſ. Auguſto.* Deinde quod nullum malum hæreat tenacius, bellum e bello ſeratur, quinimo maximum, ex unico geminum, ex ludicro ſerium & cruentum naſcatur, & alibi nata belli peſtis in proximos, uno in procul etiam diſſitos propagetur locos. Omnia proinde prius experiri debet majeſtas, quam bellum ſuſcipiat; juſtiſſimum licet ſit. Expendenda ipſi ante commoda & incommoda omnia. Prudenter ſane apud Suetonium Auguſtus cap. 27. prælium aut bellum ſuſcipiendum omnino negabat, niſi cum major emolumenti ſpes, quam damni metus oſtenderetur. Et ſi uſquam alibi, in bellis quam maxime expendendum eſt, quod Mucianus apud *Tacit. II. hiſt. c. 76.* præcipit: *Omnes, qui magnarum rerum conſilia ſuſcipiunt, æſtimare debent, an quod inchoatur, reipubl. utile, ipſis glorioſum aut promtum effectu, aut certe non arduum.* Eſt nempe bellum res periculi pleniſſima, & dubii maxime eventus. Prudenter proinde Cæſar: *Multum,* inquit, *cum in omnibus rebus, tum in re militari fortuna poteſt, L. VI. Bell. Gall. c. 30.* Apposite etiam *Cicero Philip. XI. Incertus exitus belli, Marsque communis.* Tum maximos ſumtus requirunt bella, quibus præbendis non omnes pares ſunt resp. & vero ita bellis enervari queunt, ut vires priſtinas recipere vix queant. Sæpe etiam expedit reipubl. jus ſuum non ſtatim bello perſequi; ne ſcilicet durioribus remediis, quam pericula ſint, patria ſanetur, quod Syllæ exprobrat *Seneca l. 5. de Benef. c. 16.* De Ferdinando Arragoniæ rege memoriæ proditum eſt, quod licet cauſſas habuiſſet juſtiſſimas, bellum inferendi Ludovico Sfortiæ, nunquam tamen id facere voluerit, ne quietem Italiæ, quam rebus ſuis neceſſariam videbat, turbaret. Eodem conſilio uſum Philippum II. Hiſpaniæ regem uſum eſſe, cum haberet juſtas cauſas belli gerendi adverſus Carolum Emanuelem, Sabaudiæ ducem, innuit *Forſtnerus Not. Polit. ad Tacit. Annal. XV. c. 1.* Sed in aliis bellis ejus conſilii neglecti Hiſpanum pœnas dediſſe, ibidem obſervat. Adde ea, quæ de bello non temere ſuſcipiendo docet *Grotius II. de J. B. & P. c. 24.* Verum enimvero, ubi inſidioſum pacis nomen, & quandoque rediturum bellum graviori mole timetur, tum ſane periculi, impenſarum, belli denique metu, bellum differri nunquam debet. Aderunt audenti amici, & communis periculi ſocii, qui languentem & deſidem & pavidum ſeorſim perire non ſinent. Multa experiendo confiunt, quæ ſegnibus ardua videntur. *Sæpe occupaſſe pericula ſaluti, & periculorum remedia ipſa pericula fuerunt.* (*Tacit. XV. Annal. 59.*) Magnis præcipue imperiis ſive majorum ſive minorum injurias ſine cura habere, neque decorum, neque tutum eſt, neque minus exitioſa ignava pacis, quam temeraria belli cupiditas. Ita prudentiſſimum in *Not. Pol. ad Tacit. Annal. XV. 1.* judicium placuit, ut illud ipſius verbis hic deſcriberem.

XXXVIII. Juſta autem belli ſuſcipiendi cauſa eſt DEFENSIO. Hoc enim & ratio doctis & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit: Ut omnem ſemper vim, quacunque ope poſſent, a corpore, a capite, a vita ſua propulſarent. *Cicero pro Milone.* Eſt autem defenſio duplex: Tua, cum vim a te tuisque propulſas, & patriam ac ſubditos armis protegis. *Saluſt. in Catil.* & aliena, cum vel a ſociis, vel ab inique oppreſſis vim avertimus. Iis enim ut opem feramus, quibus cum ſocietas nobis & auxilii pacta intercedunt, fides nos impellit: quæ tanto magis eſt præſtanda, ſociis cum vel hoſtibus eam ſervare jus gentium flagitet. *Oportet,* inquit Ariſtot. in Rhetor. ad Alexandrum, *injuriam paſſos pro ſe ipſis arma capere, ſive pro cognatis & beneficis, itemque ſociis injuria affectis auxiliari.* Confer *Puffendorff. J. N. & G. IIX. c. 6. n. 14.* Manendum autem in terminis defenſionis, ne ſociis defendendis aliena apprehendamus. Id quod neglectum a Romanis, qui ſociis defendendis (gloriante *Tullio L. III. de republ.*) ad ſummam potentiæ cacumen eniſi ſunt. Vid. *Forſtn. Not. pol. ad Tacit. Ann. III.* merito illos eo nomine notat.

XXXIX. Juſta etiam belli ſuſcipiendi cauſa eſt *vindicatio:* quæ duplex tantum eſſe poteſt, vel mali illati, vel boni ablati: In his enim duobus omnis injuria conſiſtit, quam vindicare maje-

ſtas debet. Non autem quævis injuria, ſed reipubl. illata bello vindicari debet. Uti obſervandum eſſe monet *Molina Diſp. 100. n. 5.* Quando nempe non respubl. ipſa, ſed aliqui de republ. damnum aut injuriam alteri reipubl. intulerunt, rempublicam, quæ in ſe aut in ſuis damnum aut injuriam eſt paſſa, non poſſe prius inferre bellum, vindictamque ſumere de male factoribus illis, quam admoneat rempublicam, cujus ſunt ſubditi, ut eos puniat, rogetque reſarcire integre damna illata. Confer *Grot. II. J. B. & P. c. 21. §. 2. Puffendorff. J. N. G. IIX. 6.*

XL. Eſt præterea juſta belli gerendi cauſa, ſi peregrinus populus per ſuam provinciam populo de maleficio caventi tranſitum neceſſarium deneget. *Bart. in lege Chriſtianus n. 4. C. de paganis.* Exempla ſunt in ſacra hiſtoria *Num. XX. & Judic. XI.* Vid. *Grot. l. II. c. 2. §. 13. de J. B. ac P.* Add. Bœcler. *ad d. l. Grot.* pl. Reverend. Dominus *D. Uffelmann. Colleg. MS. ad c. l. Grot.* Apud quos legi poteſt, quæ rationes cavendi hic ſint neceſſariæ, & quæ requirantur ad innoxium tranſitum, tum etiam quibus caſibus poſſit juſte denegari ille. Hodie hæc controverſia, ſi forte exoritur, inter principes ex tractatibus, qui inter ipſos intercedunt, definitur; ut etiam eſt obſervatum *Bœclero c. l.* Plures juſti belli cauſas, quando ſcilicet contra eum, a quo pactum aut fœdus nobis violatum, hoſti noſtro auxilium præſtitum, vel id, quod juris gentium dicitur, denegatum eſt, &c. Aut etiam, quando contra idololatras, infideles aut barbaricas nationes bellum juſte ſuſcipi poſſit, fuſe exponit *Ludovicus Molina de Juſt. & Jur. Tom. 1. Tract. 2. diſput. 1040. & ſeqq.*

XLI. Injuſtas bellorum cauſas recenſet *Grotius L. II. c. 22.* Quarum aliæ improbandæ penitus ſunt, aliæ ſpeciem aliquam, licet fucatam admodum, honeſti præ ſe ferunt. Ad priorem claſſem pertinet avaritia, ac libido ſuperflua habendi, ambitio & late regnandi cupido, ut & ardor famam ex oppreſſione aliorum quærendi. Quæ familiam ducere videntur. Sic enim *Saluſtius Catil.* *Pecuniæ,* inquit, *& imperii cupido materies omnium malorum fuerunt. Namque avaritia fidem, probitatem, cæterasque bonas artes ſubvertit: pro his ſuperbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere edocuit. Ambitio multos mortalium falſos fieri ſubegit; aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promtum habere, amicitias, inimicitiasque, vultum, quam ingenium bonum habere.* Id quod non ſolum de privatis eſt intelligendum, ſed etiam de regibus ac rebuspublicis, licet illam ſtudioſe, velut ſordidi animi indicem, ſoleant diſſimulare. Ambitionem autem, cum illam videant eſſe frequentem in ſublimibus, erectis ac magnis ingeniis, non pauci ſub ſpecie magnanimitatis venditant, putantes, illud ſibi dictum *apud Tacit. XV. Ann. 1. Non ignavia magna imperia contineri, virorum armorumque faciendum certamen. Id in ſumma fortuna æquius, quod validius. Et ſua retinere privatæ domus, de alienis certare regiam laudem eſſe.* Illud vero potius ſibi regulam ſumerent, ac præceptum exiſtimarent: Δόξης φρόντιζε, ἀλλὰ μὴ ὥσπερ λοιμὸς, καὶ μεγάλη νόσος, ἀλλὰ εἰρήνη καὶ ὑγιεία. *Ad gloriam incumbe, verum ne ſis peſtis vel magnus aliquis morbus, ſed pax & ſanitas.* Philiſcus ad Alexandrum. *Forſtneras not. pol. ad d. l. Tacit.* plurimis exemplis oſtendit, maximis imperiis ſæpius fuiſſe exitioſam ambitionem, & ſtudium belli ferendi; nihil vero eſſe prudentius, quin nihil tutius, quam moderari fortunæ & modeſtia ſibi potius, præſentia firmare, quam inconſulta cupidine vetera quoque & olim parta periculis objicere. Quapropter quam maxime eſt probanda Chaucorum ratio, de qua vide TACIT. *de mor. germ. c. 35.* Ad poſteriorem claſſem ſpectat metus ex vicini viribus ac potentia collectus. Veriſſime certe judicat *Thucydides l. 1.* Τὸ μέλλον ἐν ἀφανεῖ ἔτι κεῖται, καὶ οὐκ ἄξιον ἐπαχθέντας διαφόρους ἤδη καὶ οὐ μέλλουσαν κτήσασθαι, *Futurum adhuc in incerto poſitum eſt, & neminem oportet eo commotum inimicitias ſuſcipere, non jam futuras, ſed certas.* Incerta periculi ſuſpicio hoc admonere debet quemvis, ut ſibi mature præſidia vel exercitu aliquo conſcribendo, vel amicis jungendis, vel arcibus exſtruendis comparet; non autem poteſt quisquam jus facere, ut prior ad arma provolet, iisque alterum ad præſtandam realem cautionem de non offendendo adigat. Vid. *Puffenderff de J. N. ac G. L. IIX c. 6 §. 5. Grot. II. J. B. & P. 1. §. 17. & c. 22. §. 5.* Quod dictum tamen tantum eſt intelligendum de metu, quem vocant, affectato. Cæterum metus vere probabilis, & ab hoſtili apparatu aliisque indiciis, ex quibus de cogitato nobis & decreto bello moraliter evidendi certitudine conſtare poſſit, quin ad occupandas armis rerum gerendarum occaſiones, & ad mole belli patriam exonerandam ſufficiat, vix quisquam dubitabit. Nihil enim ſummis imperiis negligendum, ut ait *Tacit. 2. Annal. 40.* Et pertinet huc judicium Tyronis apud *Gellium l. VII. c. 3. Injurias imminentes præcaviſſe juſtum eſt magis, quam expectaviſſe. Summa enim profeſſio ſtultitiæ eſt, non ire obviam ſceleribus cogitatis, ſed manere operirique: ut cum admiſſa & perpetrata fuerint, tum demum, ubi quæ facta ſunt, infecta fieri non poſſunt, puniantur.* Conf. *Reinking. l. II. de R. S. & E. cl. III. c. 2. num. 15 ſeqq.*

XLII. In gerendo bello majeſtas tria potiſſimum obſervat: *Apparatum, Vires* & *Conſilia.* Apparatus nomine comprehenduntur res, ad omnem belli uſum neceſſariæ. Quæ tribus his, *pecunia, commeatu* & *armis* quam proxime videntur conſiſtere. Pecuniam non adeo neceſſariam eſſe ad bellum, argumentis quibusdam, ſed leviſſimis, oſtendere conatur *Machiavellus l. II. de republ. c. 10.* Sed pecuniam eſſe nervum belli, eaque, ceu noviſſima belli machina, hoſtes ſæpe copiis validiores oppugnatos eſſe, pluribus exemplis oſtendi poſſet, ni hodierna experientia id ipſum teſtaretur. Appoſite *Cicero in Verr.* dicit: *Nihil eſſe tam ſanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia poſſit.* Annona etiam omnino neceſſaria, ſiquidem nemo poſſit cum hoſte ſimul & natura pugnare: fames enim intrinſece pugnat, & vincit ſine ferro, ut *Caſtellanus* loquitur *l. ad offic. Reg. c. 45* milite. Hinc qui frumentum neceſſariumque commeatum non habent, etiam absque armis facile ſuperari poſſunt, dicente VEGETIO *L. III. c. 3. Et jejunus exercitus diſciplinam ſervare non poteſt*, bene inquit CASSIODORUS *varior. IV. 5.* Et in optima etiam republica arma

deſide-

deſiderantur, ut præclare docemur ab *Ariſtotele l. VII. pol. c. 8. Nam*, inquit, *qui reipubl. præſunt, hos armis tum ad tuendum imperium, ut id detrectantes coërceantur, tum ad vim, ſi quis injuriam extrinſecus inferre conetur, propulſandam inſtructos eſſe, neceſſe eſt.*

De jure pacis.

XLIII.

Etſi pacem faciendi poteſtas minor ſit poteſtate belli (quod vel injuſta pax ſit utilior, quam juſtiſſimum bellum, judice *Cicerone l. VII. Epiſt. ad Attic.*) nihilominus tamen non alii jus pacis competit, quam majeſtati, quæ bellum pacis cauſa gerit. Vide GROT. *l. III. c. 20. §. 12.* Quare apud Romanos, quo tempore penes populum ſumma reipubl. erat, pacificationes populo inconſulto factæ vim nullam habuerunt, & dedebantur hoſti duces ii, qui injuſſu populi pacem inierant. Eſt autem pax ſolennis & publica conventio, idoneo fidoque partium conſenſu facta, qua depoſita inimicitia, offenſæ mutuæ abolentur, & vel ſimpliciter, vel ſub certis pactionibus aut conditionibus ab hoſtili armorum uſu ceſſatur, & finis bello hactenus geſto imponitur.

XLIV. Ex qua data deſcriptione colligimus, jus belli & jus pacis ſeparari prorſus non poſſe. Qui abſolutam belli poteſtatem habet, ille, ſi alius pacem injungere poſſet, abſolutam belli poteſtatem non haberet: quæ contradictorie ſunt oppoſita, adeoque conſiſtere non poſſunt. Igitur certum manet, penes quem eſt belli, penes eundem etiam eſſe pacis arbitrium, & per conſequens, ut belli poteſtatem, ita & pacis incundæ jus, ad capita majeſtatis referri debere. In regno pleno proinde eſt poteſtas illa penes *regem*: in Ariſtocratia penes *optimates*: in oligarchia penes *divites* aut *nobiles*: in democratia penes *populum*: In mixta vero republ. nunc penes hunc aut hos, nunc penes alium vel alios eſſe illud jus poteſt: non tamen penes alium, quam qui belli jus obtinet. Sejungi enim iſta jura nequeunt ſalvo & integro altero.

XLV. Qui autem ut mediator pacem ſuadet & inter ſummas poteſtas conciliat aut procurat, is eo ipſo jus pacis nec habere, nec exercere creditur, adeoque inde nulla in alios poteſtas deduci poteſt. Diſtincta enim illa non tantum ſunt, ſed nec poſterius per prius infertur. Largiri proinde Romano pontifici poſſumus, quod univerſaliter inter omnes ſuos Catholicos debeat tenere, ſollicitare & procurare pacem. *Clement. Paſtoralis de re judic. in princ.* Non autem, quod eosdem convocare ac urgere poſſit, ut alibi videlicet definitum habetur *in c. ab imperatoribus 33. quaſt. 3. & c. boni princ. & c. ſi imperator in fine Diſt. 96.* Poſterius hoc olet tyrannidem papalem, prius autem pontifex cum pluribus commune habet; nec inde aliquod jus in alterum, ut dictum, infertur.

XLVI. Inducias paciſcendi poteſtas minor eſt jure pacis, & communi Doctorum ſententia (cui etiam ſuffragatur experientia) etiam non ſummam poteſtatem aut belli jus habentibus ducibus competere poteſt. Quod ipſum tamen ad breviores inducias reſtringunt prudentes. Et licet induciæ aliquid pacis habeant, non tamen cum pace confundi debent. Pax propoſitum lædendi tollit; eſtque conventio de jure alterius non amplius lædendo: induciæ vero propoſitum lædendi tantum ſuſpendunt. Sic Cicero Plancum judicare jubet: *Pacem eſſe non in armis poſitis, ſed in abjecto armorum & ſervitutis metu.* Unde licet multorum annorum induciæ ſint, pacem tamen non efficiunt, cum non eſt pax, ſed induciæ. Pax enim pax non eſt, quæ non eſt æterna: hæc enim nullo certo annorum ſpatio definita. Confer. GROT. *l. III. c. 21. §. 1. ſeqq.*

XLVII. Præcipuum pacis fundamentum eſt fides, quæ quia in omni conventione humana veluti anima ac ſpiritus toti negotio vim ac vigorem ſuum largitur; præſertim publicis magnisque pactionibus ſingularis ſimplicitas ſanctitasque fidei debetur, hoc fulcro ſtat pax. Ut oppugnet non ſolum reip. ſed commune ſocietatis humanæ præſidium, qui fidem omnis ſocialis actionis vinculum aufert. Vid. BOECLER. *Comment. in Tac. Ann. 1. c. 10. §. 5.*

XLVIII. Pacis partes tres ſunt: Amneſtia, Reſtitutio, Satisfactio, ut egregio exemplo docemur *Inſtrumenti Pacis Monaſterio-Osnabrugenſis*, quod poſt præfationem ad tria illa ſumma capita commode reduci poteſt. De Amneſtia peculiariter vid. BOECLERI *Diſſert. Acad. de Amneſtia.*

XLIX. Intereſt reipubl. ut ſe alteri reipubl. in cauſa indigentiæ & neceſſitatis jungere poſſit, commerciorum nempe & defenſionis cauſa. Ejusmodi rerumpubl. conjunctio fœdus dici ſolet, quod pacto duarum vel plurium rerumpubl. de commerciis aut mutuis auxiliis definitur. Diſtinguitur autem inde, in Commerciorum aut Defenſionis, vel & Commerciorum & Defenſionis fœdus. Utrumque iterum eſt I. vel *Æquale* vel *Inæquale*, ratione perſonarum. II. *Simile* vel *Diſſimile*, ratione rerum; III. *Temporarium* vel *perpetuum*, ratione durationis. Vid. GROT. *l. 1. c. 3. & l. 2. c. 15.* WAHREMUND ab EHRENBERG *de Fœderibus*, LEICHTERIUS *von Bündniſſen*, BODINUS *de republ. 1. c. &* PUFFENDORFF. *VIII. J. N. & G. c. 9.*

L. Ex quibus conſtat, fœdera, quemcunque etiam in finem ineantur, fieri non poſſe, niſi autoritate ſummæ poteſtatis. Commercia quidem non ſemper nomine publico exercentur; ſi tamen propter commercia fœdus contrahendum eſt, quia tum publicum geritur negotium, quod reſpublicas inter ſe ſecreto modo & ratione jungit; non debet id alius arbitrio fieri, quam ejus, qui ſummum in republ. tenet imperium. Quod inter reſpublicas agitur, id nonniſi arbitrio ſummæ poteſtatis agi poteſt & debet. Fœdus & res fœderis ſunt talia, quæ inter reſpublicas aguntur. Ergo &c. Fœdus eſt amicitia: *Amicitia eſt res proæreſios*, inquit Philoſophus *in Ethicis*: Fœdus proinde erit res proæreſios. Proæreſis autem publicorum negotiorum eſt penes ſummam poteſtatem, ut loquuntur, privative.

LI. Fœderis faciendi poteſtas in imperio noſtro Germanico hodie eſt penes imperatorem & imperii ordines. Ut patet ex *art. x. Capitulationis Leopoldinæ*, cujus hæc ſunt verba: *Wir ſollen und wollen auch für uns ſelbſt, als erwæhlter Ræmiſcher Kænig, in des Reichs Handeln keine Verbündniß oder Einigung mit fremden Nationen, noch ſonſten im Reich machen, Wir haben dann zuvorhero der Chur-Fürſten, Fürſten und Standen Bewilligung hierzu erlanget. Da aber* publica ſalus & utilitas *eine mehrere Beſchleunigung erfoderte, da ſollen und wollen wir denn der ſieben Chur-Furſten ſamtlichen Einwilligung zu gelegener Zeit und Wahlſtadt, und zwar auf einer* Collegial-*Zuſammenkunfft, und nicht durch abſonderliche Erklærungen, bis man zu einer gemeinen Reichs-Verſamlung kommen kan, wie ſonſten in allen andern des Reichs Sicherheit concernirenden Sachen, als auch in dieſer, erlangen. Wenn wir auch inskünfftig unſerer eigenen Landen halber einige Bündniß machen würden, ſo ſolle ſolches anderer Geſtalt nicht geſchehen, als unbeſchadiget des Reichs, und nach Inhalt des* Inſtrumenti pacis.

LII. Ut autem fœdus non niſi ſumma poteſtas facere poteſt, ita & non niſi inter ſummas poteſtates poteſt iniri. Non enim quævis quorumvis ampliſſima etiam & publica conjunctio, ſtatim fœdus eſt habendum, licet imperito vulgo ita ſæpius nominetur. Ita Hanſicum quod dicitur fœdus mercatoriæ potius ſocietatis, quam fœderis rationem habet. Unde Cranzius non fœdus, ſed communionem appellat. Quid imperii ſingulis ſtatibus ex pacto hic competat, ex ſeqq. Inſtr. Pacis verbis conſtat: *Cumprimis vero jus faciendi inter ſe & cum exteris fœdera pro ſua cujusque conſervatione, ac ſecuritate ſingulis ſtatibus perpetuo liberum eſto, ita tamen, ne ejusmodi fœdera ſint contra imperatorem & imperium, pacemve ejus publicam, vel hanc inprimis transactionem, faciantque ſalvo per omnia juramento, quo quisque imperatori & imperio obſtrictus eſt.* cap. VIII. n. Gaudeant.

De jure mittendi legatos.

LIII.

Cæterum nec fœdera pangere, nec bellum indicere, nec pacem, concordiam compoſitionemque litium inire, nec quandoque de aliis ſummis rebus ac negotiis reipubl. tractare cum exteris majeſtas poteſt (ſive quod pericula, ſive aliæ rationes ipſum prohibeant, quo minus per ſe illa agere queat, aut ſi poſſet, non expediret) hinc non poteſt non majeſtati competere jus mittendi legatos. Penes quem enim in republica eſt arbitrium negotiorum pacis bellique & aliorum, quæ cum exteris tractare opus habet, penes eum jus ſit neceſſe eſt mittendi legatos. Legati nempe mittuntur potiſſimum, ut apud exteros de talibus negotiis ſuæ reipublicæ aut nomine eorum, apud quos illorum negotiorum eſt arbitrium ac cura, tractent, jam vero in majeſtatis poteſtate eſt ſummum arbitrium dictorum negotiorum, nt ex ſuperioribus patet. Ergo. Et ita per conſequens mittendi legatos poteſtas eſt in Monarchia penes regem; in Ariſtocratia penes optimates, in Democratia penes populum.

LIV. In imperio Germanico jus mittendi ac recipiendi legatos citra controverſiam imperatori abſolute competit in omnibus negotiis, quorum arbitrium in ipſius poteſtate eſt. Quodſi vero imperii nomine legati mittendi ſint, de perſona legati & ſumtibus ad legationem neceſſariis quandoque in comitiis imperii ſtatuitur. Vid. R. I. de anno 1576. §. 105. & tribus ſeqq. it. R. I. de anno 1594. §. 43. & R. I. de anno 1603. §. 29. Quod ad receptionem Legatorum attinet, qui ad imperium mittuntur, diſtinguendum eſt. Aut enim iſti ad Comitia mittuntur, aut ad aulam cæſaream. Illi a Deputatis cæſaris ac Statuum imperii audiuntur: hos vero audit imperator vel ipſe vel per miniſtros ſuos. Singuli etiam ſtatus imperii habent jus mittendi Legatos in negotiis ad ſuarum ditionum ſalutem aut ſecuritatem attinentibus, & quidem ad cæſarem, ad ſe invicem, & ad exteras poteſtates. Quod jus corroboratum eſt *Inſtr. pac. §. Gaudeant c. IIX.* Nonnulli Doctores J. P. Nobilibus imperii immediatis etiam jura legationis tribuunt, hanc rationem addentes, quod regalia & ſuperioritatis territorialis jura cum nobilibus hiſce ſint communicata. Sed fallit illorum ratio. Quamvis enim concedamus, illos eadem libertate, iisdem juribus frui, quibus illi, qui ſuperioritate territoriali gaudent; attamen non ſtatim propterea illis poteſt tribui ſuperioritas territorialis, cum ex ſpeciali privilegio vel ratione, non jure territorii ea jura obtineant. Superioritas videlicet territorialis eſt majeſtatis anomala poteſtas, & requirit ejusmodi diſtrictum & locum, qui ex analogia quadam loco reipublicæ reſpondet. Et habet ſe territorium ad ſuperioritatem territorialem, ut civitas ad rempublicam, ut homo ad animam, nec territorium absque ſuperioritate territoriali, nec hæc ſine illo eſſe poteſt. Deinde jus ſuperioritatis territorialis unice ſtatibus imperii competit, qui jus habent ſuffragiorum. Sunt enim quidem diſtincta jura, jus Comitiorum & ſuperioritatis territorialis, nec unum alterum ſecundum ſe, ſed ex lege & inſtituto infert, attamen hodie in collegium Principum nemo cooptatur ac ſuffragii jus conſequitur, niſi qui habeat immediate ab imperio dependens, Principe dignum territorium. Ita enim conſtitutum eſt in conventu imperii publico anno 1654. Ex quibus patere arbitror, Nobilibus immediatis verum jus legationis non competere. Confer. KIRCHNER. *c. 3. l. 1. de legat.*

LV. Quia vero, ut hactenus eſt oſtenſum, majeſtati competit jus mittendi legatos, in promtu erit, celebratæ omnium ore ſanctimoniæ legatorum cauſam ac fundamentum noſcere. Eleganter in rem noſtram ſanctimoniæ illius legatorum cauſam ac originem exponit BOECLERUS diſſert. Acad. *de auſp. reg. c. 2.* his verbis: *Ad ſacra legationis & legatorum ſanctimoniam penitus explicandam non tantum jus gentium, & quæ ex ejus auctoritate oritur ſanctitas, adhiberi debet, ſed inſuper auſpicii regii & imperatorii religio, quæ juris illius rationem ac vim confirmat.* Sancti nimirum ſunt le-

gati,

gati, quia a ſancto mittuntur; quia referunt mittentis auctoritatem, quia inſigniti ſunt ſanctitatis imperatoriæ ſymbolis. Hæc licet in genere veriſſime ſint dicta, interim tamen ſingulariter illos, qui ab hoſtibus aut in bellicis negotiis mittuntur, præcipue tuetur ac ſanctos haberi jubet ipſum jus naturæ. Cum enim ejusmodi perſonæ ſint neceſſariæ ad pacem reconciliandam, ſervandam aut arctius per pacta aſtringendam, quam ipſum jus naturæ omnibus modis honeſtis amplecti jubet, utique & caviſſe cenſetur illud jus ſecuritati perſonarum, ſine quibus finis ab eodem præceptus obtineri nequit.

LVI. Legatorum variæ differentiæ ex jure Heraldico petendæ ſunt. Diſtingui ſolet inter Legatum, Ablegatum & Nuncium, quibus reſpondent Germanica vocabula: *Abgeſandte, Botſchaffter;* & Gallica Ambaſſadeur, Envoyé & Courier. Plura de legatis videantur apud GROTIUM *de jure belli ac pac. libr. 2. c. 18.* & alibi paſſim BESOLD. *de Legatu*, & MARSELAER *de Legatis.*

De jure ſacrorum.

LVII.

Progrediendum nunc nobis eſt ad alterum regiminis univerſæ civitatis abſoluti objectum, quod circa illa publica verſatur, quæ intra limites civitatis ſe quaſi continent, & internam alicujus ſalutem ac quietem conſervant. Inter illa primo loco ponimus JUS SACRORUM.

LVIII. Sacrorum nomine tria potiſſimum deſignantur: (1) ipſa religio & quæ religioni accidunt, ritus, ceremoniæ & varia inſtituta, ſacrorum religionem ac diſciplinam promoventia. (2) Perſonæ ſacris, aut iis quæ illis accedunt, peculiariter miniſtrantes, harumque mores & actiones, (3) Bona eccleſiaſtica, tam mobilia, quam immobilia. Ad iſta omnia ſe extendit ſumma poteſtas, ita ut quicquid eſt vel eſſe poteſt regiminis imperii aut dominii in ſacra, id omne primo majeſtati competat, & jure Sacrorum nobis appelletur.

LIX. Et vero jus illud eſſe majeſtatis particulam, in promtu eſt, nec eget diſputatione. Majeſtas & ſumma poteſtas, & objecti & modi ratione, adeoque majeſtas intime involvit in ſacra poteſtatem, (quantum quidem faciunt ſacra ad reipublicæ uſum: quod ſemper ita intellectum cupimus) nec ab ea ſeparari poteſt. Multum nempe a ſacris vel boni vel mali eſſe poteſt: unde autem reip. male vel bene eſſe poteſt, id omne in arbitrio & poteſtate ejus eſſe debet, qui reipublicæ ſummam tenet. Poſito fine, ponitur ſimul jus ad ea, ſine quibus finis obtineri non poteſt. Sacra autem ad finem reipublicæ obtinendum & retinendum facere, verbis modo Lipſii declaramus. Ita autem ille in Monit. Politic. c. 2. ait: Sine religione non princeps officium ſuum, non ſubditi facient: ſine ea ſocietas non erit, quia non fides, non juſtitia, non virtus; ſed fraus, licentia, protervitas, & uno verbo, confuſio hominum erit. Quod frœnum erit peccaturis, quis metus ſatis validus? nam externum illum, qui a pœnis & morte eſt, multi contemnunt, & deſperatio, impetus aut iracundia eo ducunt.

LX. Et ſumma poteſtas cuſtos religionis & eccleſiæ a Deo ordinata in id, ut vitam quietam & tranquillam degamus, non tantum in omni honeſtate, verum etiam in omni pietate. Ipſi imperatores Theodoſius & Honorius in epiſtola ad Marcellium: Neque enim aliud aut belli laboribus agimus, aut pacis conſiliis ordinamus, niſi ut verum Dei cultum orbe noſtro, plebs devote cuſtodiat. Theodoſius in epiſtola ad Cyrillum: Cæſarei eſt muneris, ut non ſolum pacifice, ſed pie etiam ſubditi vivant. Et ſane, in hoc reges, ſicut eis divinitus præcipitur, Deo ſerviunt, in quantum reges ſunt, ſi in ſuo regno bona jubeant, mala prohibeant non ſolum, quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam quæ pertinent ad divinam religionem, ut bene docet Auguſtinus lib. 3. contra Creſconium c. 51. Addimus verba Iſidori in rem noſtram, citata H. Grotio de Imp. Summ. Poteſt. circa ſacra c. 1. Cognoſcant, inquit ille, principes ſeculi Deo debere ſe rationem reddere propter eccleſiam, quam a Chriſto tuendam ſuſcipiunt. Nam ſive augeatur pax & diſciplina eccleſiæ per fideles principes, ſive ſolvatur, ille ab eis rationem exigit, qui eorum poteſtati ſuam eccleſiam tradidit.

LXI. Cum imperio autem in ſacra functiones ſacras confundi nolumus. Illud majeſtati adſcripſimus, has vero eccleſiæ miniſtris & antiſtitibus ad agenda & curanda ſacra ordinatis & conſtitutis, competere exiſtimamus. Diſcriminis melioris cauſa addimus, functiones ſacras in tribus potiſſimum conſiſtere (1) in prædicando Dei verbo, (2) in adminiſtratione Sacramentorum, quo referri poteſt manuum impoſitio, ſive ad ordinationem, ſive ad aliam benedictionem, ſive ad quemcunque alium actum ſacrum qui id requirit, adhibita, (3) in poteſtate clavium, quo pertinent cenſura morum eosque corrigendi & corripiendi poteſtas. Horum nihil majeſtati qua tali competit, & quicquid ejus eſt, id omne absque imperio, licet non absque auctoritate, præſtari poteſt. Quin tamen illi, qui majeſtate eſt præditus, liceat exercere quoque iſthæc omnia, non dubitamus.

LXII. Sunt porro iſta tria mandati divini. Unde *quoad ſubſtantialia* in iis nil poteſt majeſtas civilis, utpote quæ eſt poteſtas non ſimpliciter, ſed inter homines & quidem tantum in ſua republica ſumma, adeoque Deo minor: cujus legibus non minus ac alii homines eſt obſtricta. Igitur majeſtas prædicationem verbi Dei, adminiſtrationem Sacramentorum, peccatorum ligationem aut ſolutionem, ſimpliciter prohibere non poteſt. Nec ut eccleſiæ miniſtri aliud aut aliter populum doceant, aut alia uſurpent ſacramenta, vel aliam peccatores tractandi rationem ineant quam quæ & quomodo Deus inſtituit atque mandavit, majeſtas præſcribere non poteſt. Nam quæcunque Deus unam in partem determinavit, ea contrariam in partem ab hominibus definiri non poſſe ex-

plora-

ploratiſſimum eſt. Quod porro adeo vitia juberi, aut juſſa vetari, a majeſtate valide nequeant, vel inde conſtat: quod Deo magis parendum ſit quam hominibus, quodque inferioris præſcriptum ſit hypotheticum & exceptionem ſuperioris ſemper involvat. Quapropter in arbitrio & poteſtate majeſtatis haud etiam eſt poſitum, quamcunque religionem in ſua republica introducere, ſed eam ſolum, quam Deus inſtituit & mandavit.

LXIII. Poteſt autem majeſtas circa ſacra 1. omnia illa, quæ Deus inſtituit & mandavit, non ſolum permittere ſed & jubere, atque iis novam eamque civilem obligationem ſuperinducere. Divinitus nempe mandata mandare, divinitus interdicta vitia vetare poteſt majeſtas, unde nova oritur obligatio. Bene Grotius cit. lib. c. 3. num. 11. Summæ poteſtatis eſt pœnis propoſitis homines ad ea adigere, quæ Deus jubet & a vitiis abſterrere. 2. Poteſt majeſtas omnia illa removere, quæ exercitium religionis impediunt aut remorantur, atque ea omnia inſtituere, quæ illud promovent. 3. In quibus circa ſacra non eſt vetitum aliquid conſtituere, neceſſitas tamen & utilitas, atque ordinis & decori ratio exigit, ut quid circa ea ordinetur, ea licet majeſtati circumſcribere, præmiis pœnisque appoſitis.

LXIV. Quapropter poteſt, imo debet, civilis majeſtas 4. chriſtianam religionem, hoc eſt, religionem naturalem cum additamentis revelatis, pure juxta Dei verbum publice introducere (quod fit bona inſtitutione & doctrina, conjuncta quodammodo cum præmiis & pœnis) ejusque publicum exercitium adjuvare, omnia illum promoventia ordinare & inſtituere, ut ædes ſacras, ſtata conveniendi tempora, preces publicas aliaque licet in verbo Dei non definita, ordinem bonum & decorum juvantia, mandare aut etiam vetare; prout ædificatio eccleſiæ & utilitas reipublicæ id exigunt. Poteſt 5. civilis majeſtas perſonas eccleſiæ miniſtros ſacris & eccleſiaſticis officiis præficere, & confirmare, ut cum auctoritate doceant, & agenda agant, adeo, ut qui ipſis reſiſtit, tanquam majeſtati, ipſique Deo reſiſtat. Punire poteſt 6. Atheos, infideles, impios, indignos, Hæreticos, Schiſmaticos, rejicere, corrigere, punire. Ubi obſervetur, non omnes, qui circa religionem peccant, pari pœna eſſe afficiendos, ſed *prout notio divinæ providentiæ* magis vel minus læditur, & plus vel minus turbarum in republica hinc datur. 7. Nec leges modo ſed & ſenatum, magiſtratus & judicia eccleſiaſtica, vel conſiſtoria conſtituere poteſt majeſtas civilis. Ut & 8. Synodos ſeu concilia congregare, horumque canonibus vim legalem indere valet, & cum majeſtas per ſe omnia ad ſacrorum curam pertinentia præſtare haud poſſit, vel cum poſſit id non expediat, neceſſum eſt, ut poteſtatem habeat alios ſui loco eccleſiæ & rebus ac negotiis eccleſiaſticis præferendi, ſub quibus etiam voluerit nominibus, 9. in bona ad ſacros & pios uſus, deſtinata retinet ſummum dominium civilis majeſtas, quod abdicari nequit, ita ut collata bona eccleſiæ relinquere, eadem augere, alienare, in uſum non ſacrum convertere, de iis diſpenſare poſſit, *prout neceſſitas* & utilitas requirunt. Agros eccleſiæ, ſi vult, imperator tollat: poteſtatem enim habet vindicandorum, inquit Ambroſius. Vide c. quo jure diſting. 8. concord. item l. 5. cod. de epiſc. & 55. Eccleſiæ l. 2. c. de nav. non exc. Bona etiam Deo dicata, ſi eccleſiæ & reipubl. neceſſitas exigat, licere in alios uſus convertere, imo hoſtibus pro pace redimenda tradere, præclare docet Magnificus Dn. præſes in lib. de pace perpetua inter imp. ord. ſervanda.

De jure conſtituendi ea, quæ ad αὐτάρκειαν civitatis faciunt.

LXV.

Planum eſt ex ſuperioribus, quæ de fine majeſtati propoſito diſſeruimus, ad præcipuam curam majeſtatis pertinere, ut, quantum fieri poſſit, cives omnes feliciter vivant. Ad vitam vero felicem Ariſtoteles libro 1. Nic. c. 8. & paſſim alibi, recte requirit, ut, quantum ſatis eſt ad operationes virtutum, tantum externorum bonorum quisque habeat; ne quid ſit, quod actiones ipſius ſecundum virtutem vel impedire vel remorari poſſit. In tantum igitur respublica eſt beata, in quantum cives ejus operantur ſecundum virtutem. Ideoque habeant illi, neceſſum eſt tantum bonorum externorum, quantum ipſis ſatis eſt. Uno ſane verbo talis vita, quæ ſibi ſufficit. Bifariam vero ſive homo ſive respublica felix eſſe poteſt, primo per ſe, & ſecundo per accidens. Per ſe felix cenſetur respublica vel homo, qui virtutem exercet honeſtatis cauſa, & ſecundo, quoad ea, quæ actiones virtutum impedire aut remorari poſſunt, ab aliorum non pendet nutu. Ceterum ea eſt rerum conditio, ut vix ulla respublica reperiatur, quæ ſibi ſufficiat, adeoque forſan nulla omni ex parte civiliter felix eſt. Etiam natura ita conſtitutum cernimus, ut ubique terrarum non earundem rerum copia obtineri queat: Sed huic regioni illa ſæpe deeſſe, quæ alibi affatim reperiuntur, & plerumque, quod alteri ſupereſt, alteri deeſt, ut ait JCtus Paulus in leg. 1. de contrah. empt. Quapropter majeſtati civili eo altior cura incumbit, ut cum non liceat habere rempublicam per ſe undequaque felicem, tamen habeat eam aliquatenus ſeu per accidens felicem, quæ tamen non nimis longe diſcrepet, a vere felici, ſed ad eam, quantum fieri poteſt, quam proxime accedat. Et eum in finem conſulere debet majeſtas iis rebus, quæ ad αὐτάρκειαν civitatis conducunt. Quo cum non parum faciunt commercia, majeſtas ſummam operam dare debet, uti illa bene expedite ac ſecundum rationes reipublicæ exerceantur: ut illa exportentur, quibus respublica abundat, & importentur quibus eget; ea autem in republica non tolerentur, quæ luxum & pauperiem civium inducunt. Hinc etiam de hoc negotio in comitiis univerſalibus imperii noſtri Germanici ſaluberrimas nonnunquam deliberationes ſuſceptas eſſe, oſtendunt *Policey-Ordnung zu Franckfurt Anni 1577. tit. 21, 22. Reichs-Abſchied zu Augſpurg Anni 1551. §. So haben wir uns auch*

R. A. zu Regenſpurg Anni 1594. §. *Diewell auch durch.* Præterea majeſtatis partes ſunt etiam, conſilium inſtituere de iis, quæ faciunt ad mercium divendendarum vel advehendarum ſeu commerciorum commoditatem. Ad quam cum conducant nundinæ ac poſtæ, earum conſtituendarum poteſtas majeſtati competit. Quod ad imperium noſtrum attinet, Poſtarum cura ſpectat quodammodo ad Comitia univerſalia. Vid. *Inſtr. pac. Art. 9.* adde ibid. *art. 8.* §. *2. capit. Leopold. art. 35.*

LXVI. Cumprimis autem commerciorum commoditatem juvat nummus. Ille enim in commerciis & permutationibus omne ferme fert punctum, munere menſuræ fungens, quando res cum rebus commutantur, quemadmodum fieri aliquando ſolet. Quo ſi vero contingat, (uti ſæpius contingit) ut alter alterius re non indigeat, vicem indigentiæ nummus ſubit, & fit fidejuſſor, ſecurum reddens venditorem de re in futurum accipienda. Vid. Ariſtoteles V. Nicom. 8. Ut vero nummus fidejuſſoris officio fungi queat, neceſſarium eſt, ut negotiantibus de integritate ejus ſatis cautum ſit. Ad id vero non vulgaris auctoritas ſufficit, ſed omnino majeſtatis accedat, opus eſt. Majeſtati igitur competit poteſtas architectonica monetæ: & ejus eſt, ſedulas & ſollicitas curas pro re nummaria ſuſcipere, ne quid illa, & per conſequens reſpublica, detrimenti capiat. Etenim cui ſumma reipublicæ cura eſt demandata, illi ea commiſſa arbitramur, ſine quibus ſalus reipublicæ obtineri nequit. Ubi duo principia tenenda, ſecundum quæ omnes leges monetariæ conſtituendæ: 1. Quicquid juvat αὐτάρκειαν, illud in re numaria a majeſtate fieri par eſt. 2. Quicquid impedit aut tollit αὐτάρκειαν, illud fugiat majeſtas, imo in id graviter animadvertat. Quia ergo poteſtas architectonica cudendi nummos in republica quavis majeſtati competit, in regno erit illa penes regem, in Ariſtocratia penes Optimates, in Politia penes populum. In republica autem mixta poteſt hæc poteſtas eſſe vel penes unum, vel penes optimates & populum, ita ut nec unus nec optimates ſeorſim nummos cudere poſſint. Conſule admod. Rever. Dn. D. Meieri Diſſert. de re num. Interim obſervat Magnif. Dominus Præſes Diſſert. de re num. Theſ. 37. In regnis mixtis (qualia fuerunt omnia olim Germanicorum populorum) non temere reges paſſos jus hoc ſibi eripi. Hinc inter regalia Longobardica ſemper numerata fuiſſe cudendæ jura monetæ. Factum id etiam fuit in Germania: niſi quod multis a rege ſeu cæſare Germanico jus hoc commune ſit factum, qui tamen omnes agnoſcere coguntur, jus ſibi hoc, privilegii inſtar, a cæſare conceſſum eſſe. Id quod confirmare videntur verba ſequentia R. I. de anno 1570. §. *Alsdann auch die Müntz-Gerechtigkeit kein Markans, ſondern unſer Kayſerliches Regal, ſo die Müntz-Stande aus unſern ſondern Vertrauen, nicht zu ihren ſelbſt geſuchten Vortheil, ſondern wie wir ſelbſt, dem H. Reich zu Ehren und Wolfart brauchen ſollen, demnach ja billig, wer ſolch unſer Regal untreulich miſsbrauchet, daß er ſich deſſen ſelbſt dadurch unwürdig machet und entſetzet.* Cum vero nimis profuſa eſſet iſta liberalitas cæſarum Germanorum in concedendo hoc Regali, ac inde res monetaria non parvam jacturam pateretur, tandem huic malo ita remedium eſt factum, ut concedendi hujus juris poteſtatem imperator non ſolus amplius haberet, ſed conſenſum ſtatuum imperii requirere teneatur. Hinc hodie imperator privilegium cudendæ monetæ nemini ſe conceſſurum abſque Electorum præſcitu & ſpeciali aſſenſu promittit. Vid. Capit. Leopold. art. 33 & 34. Cura etiam rei numariæ ad Comitia Imperii univerſalia eſt pertacta, ut patet ex Receſſibus Imperii, præcipue de anno 1500. anno 1559. anno 1566. anno 1570.

De Imperio.

LXVII.

Nunc inſtituti ordo nos deducit ad eam, quam alteram conſtituimus *Majeſtatis primariam partem, imperium* ſcilicet, ut, quæ jura Majeſtatis inde fluant ac promanent, ordine videamus. Præmittenda autem nobis videtur imperii definitio: Et imperium igitur nobis eſt hoc loco poteſtas, cujus vi majeſtas quosvis qui ſunt in ſua civitate, ad omnia ea, quæ Deo ejusve decretis non ſunt adverſa, obligare, refractarios coercere, ac ultimo etiam ſupplicio afficere poteſt. Cæterum ad imperium ſeu poteſtatem obligandi alterum duo requiruntur. Qui enim alterum jubere aut prohibere vult cum effectu, I. Debet inſtructus eſſe viribus, malum aliquod contranitentibus repræſentandi, & II. (quod caput eſt) juſtæ etiam ipſi eſſe cauſæ debent, quare poſtulare queat, ex ſuo arbitrio voluntatis alienæ libertatem circumſcribi. Et his duobus, tanquam ſuis fundamentis, nititur imperium, neque uno deficiente ſubſiſtere amplius aut cogitari poteſt. Namque licet quis ſolis viribus naturalibus ſit potens, ut iis alteri metum injicere queat, quo minus ipſius voluntati repugnet, & malit aliquantiſper ei morem gerere, quam vim experiri, nullum tamen erit ejus imperium. Ubi enim occaſio quædam ſe alteri præbuerit, vires illius retundendi nihil prohibebit, quo minus excuſſa vi in libertatem ſe aſſerat & ſuo arbitratu vivat. At ubi juſtas cauſas habet cum viribus unitas, quare alter ſuam directionem merito ſequatur, nil tale metuendum. Talia enim ubi adfuerint, poſtquam quid velit ſignificavit, non poteſt non in illo, qui ratione utitur, oriri metus reverentia temperatus; ille quidem ex ipſius potentia, hæc autem ex conſideratione cauſarum, quæ etiam remoto metu per modum conſilii ſufficere debeant ad ipſius voluntatem amplectendam, intrinſece hominis conſcientiam ita afficientes, ut ex proprio rationis dictamine judicare queat: non recte adeoque non jure ſe reſiſtere poſſe. Hæc licet ita ſint, fatendum tamen, ultimam velut firmitatem accedere imperio a vi, ut qui imperare, ſeu alteros obligare velit, tanta ſit potentia inſtructus, ut ſua mandata detrectantibus malum inferre poſſit. Quæ enim eſt in plurimis mortalium animorum levitas ac malitia, illas etiam rationes imperii facile negligunt & eorum libidines facilius vi quam pudore ac decoro continentur. Proinde illud imperium

perium firmo ſtat talo, quod juſtum illius gerit titulum & tantum ſemper virium apparatum ex ſuo nutu pendentem habet, quo quosvis immorigeros coërcere poſſit. Confer. Puffend. J. N. G. lib. 1. c. 6. Sed quo abimus? Redeundum nobis unde digreſſi ſumus, ut, quæ jura majeſtas vi imperii teneat, ordine videamus. Primum autem quod exinde majeſtati competit jus, putamus eſſe jus legum ferendarum. Ad quod nunc paucis explicandum accedimus, cætera ordine ac ſuis locis expedituri.

De jure legum ferendarum.

LXIIX.

Non eſt lex civilis (quæ quidem nomen ſuum tueri poſſit) niſi fuerit ab eo lata, qui imperio in civitate gaudet. Eſt enim lex regula actionum humanarum. Cum ſcilicet, (ut neminem fugere poteſt, qui ingenia hominum penitius paulo ſcrutatus fuerit) admodum pauci ſint, quam plurimi autem ad id vel metu pœnarum inviti trahendi, vel pollicitatione præmiorum alliciendi ſint. Confer Ariſtotelem libr. 2. Nic. c. 2. §. 11. & libr. 10. Nic. c. ult. §. 4. ſeqq. lege opus in republica eſt: qua jubeantur facienda propoſitis præmiis, pœnisque conſtitutis in eos qui ea omittunt ac negligunt; ut adeo ad legem tanquam regulam actiones ſuas cives componere, neceſſe habeant. Jam vero juberi ac vetari, quod quidem vim obligandi habeat, nihil poteſt; niſi ab eo qui imperio gaudet. Vana certe foret alias vel pollicitantis vel minitantis auctoritas. Ergo legum ferendarum poteſtas nemini niſi majeſtati, ut imperium in republica tenenti hoc generali reſpectu competere poteſt. Deinde tamen etiam adhuc alio reſpectu majeſtatis eſt, leges ferre in republica; quatenus ſcilicet illæ ſunt juſſa ejus, ad finem civitatis relata, de iis quæ ad communem honeſtatem faciunt, ſine qua civilis felicitas, quam omni ratione majeſtas curare debet, obtineri nequit. Tertio alio ſpecialiori reſpectu ad majeſtatem pertinet jus legum ferendarum; quatenus leges ſeorſum ad utilitatem civitatis formæ referuntur: ut illas interpretari, partim mutare, abrogare, ſupplere atque augere in ipſius arbitrio ſit poſitum. Etſi enim crebra mutatio legum fugienda ſit, neque ſine magna ratione diſcedendum ab iis quæ ſemel placuerunt (facit enim hoc ad auctoritatem & firmitatem imperii) ſi tamen uſus; qui corrector legum dicitur apud Liv. l. 45. c. 32. aliquid tale poſtulet, utendum eſt majeſtati poteſtate illa, quam diximus. Stultum certe fuerit rempublicam ſemper ad leges componere, & non potius leges ad rempubl. Eſt autem hujus ut omnium rerum humanarum non eadem ſemper facies, ſed mobilis ac fluxa huc illuc. Perite proinde apud Tacit. III. annal. 34. Valerius Meſſalinus: placuiſſe quondam Oppias leges, ſic temporibus reip. poſtulantibus: remiſſum aliquid poſtea & mitigatum quia expediret. Confer. Magnif. Dominus præſ. de civili prud. c. 2. p. 21. & Diſſert. de Legibus §. 27. & 28.

LXIX. Ex iis quæ hactenus dicta ſunt, quæ lex civilis ſit, intelligi facile poteſt. Scilicet quod ſit regula actionum civilium a majeſtate præſcripta. Et ſic quia majeſtas eſt cauſa efficiens legum, in Monarchia illarum ferendarum poteſtas erit penes regem: in Ariſtocratia penes Optimates; in Oligarchia penes nobiles aut divites, in Politia penes populum. In rep. autem mixta poteſt hoc jus eſſe, vel penes unum, vel penes optimates, aut penes populum, vel penes unum & optimates aut populum. In imperio noſtro Germanico legum ferendarum poteſtas pertinet ad comitia univerſalia, adeoque ad imperatorem & ordines ſimul, id quod conſtitutiones imperii & praxis comitiorum demonſtrat. Vid. inſtrum. pac. art. 8. §. gaudeant.

LXX. Quia vero majeſtas jure ferendarum legum fruitur, fert leges omnibus, qui jure civitatis utuntur, ſive qui cives & ſubditi ſunt, ſeu perpetui, ſeu temporarii, libere, i. e. ſine neceſſario æqualium aut inferiorum conſenſu: (quod recte Bodinus monet explicatque 1. de Rep. 10.) non autem ſibi ipſi. Eſt enim ſumma poteſtas ſeu majeſtas ſupra leges civiles. De divinis autem & naturalibus legibus quæſtionem movere ſtolidum foret. Hæ namque leges ex poteſtate legislatoria divina fluunt, quæ ad jura majeſtatis Deo debita, quibus humana omnis majeſtas ſubjicitur, pertinet. Eleganter Plutarchus ad principem indoctum: Quis ergo imperabit principi? Lex omnium rex mortalium ac immortalium, ut ait Pindarus, non ea fortaſſis ſcripta in libris aut lignis inſculpta, ſed viva in ipſius corde ratio, ſemper una habitans atque excubans, & animum nunquam ſinens principatus vacuum. Enimvero quia majeſtas ipſa fert leges civiles, in promtu eſt, illam iisdem non poſſe directe obligari, quia nemo ſeipſum poteſt obligare per modum ſuperioris. Etſi velut per reflexionem ſua obligari lege majeſtatem conſtet; ex æquitate ſcilicet naturali & decoro publico; ut, quod in moribus civium tanquam bono publico expediens exigit, ipſa quoque ſervet, excitando ſubjectorum obſequio, & ne vitia, in quibus ipſa volutatur, eorundem dulcedinem aliis invidere videatur, ut ſcite Puffend. l. VIII. c. 6. §. 2. de J. N. G. loquitur. Confer. Arniſ. de l. M. c. 31. §. 6. Jac. Gotofr. in Ulpiano ſuo, ubi prolixe explicat l. 3. ff. de L. L. ſimulque totam hanc materiam pertractat.

LXXI. Majeſtas autem leges fert, tum divinam naturalem & poſitivam repetendo, iiſque vim obligandi addendo; tum gentium placita reip. accommodando; tum civiles leges ad ſalutem & compoſitum civitatis ſtatum conſtituendo. Et quod ad prius attinet, eſt veriſſimum quidem, leges divinas naturales obligare omnes homines, quibus latæ ſunt, earumque tranſgreſſores pœnam coram tribunali divino in extremo judicio decernendam manere: ſed ut illæ in foro civili plenam vim legis obtineant a majeſtate civili habent; cujus eſt definire, prout uſus reip. exigit, ob quæ delicta pœna in foro civili ſit ſumenda; quæ vindictæ numinis ſint permittenda. It. ex qua obligatione naturali actio detur in foro civili, quæ obligatio actionem non pariat, ſed ſolo pudore

dore vel probitate hominum contineatur. Unde in civitatibus ob violatas leges naturales, quibus auctoritas legis civilis data non eſt, nemo convenitur aut pœnas dat. Et habent quidem in omnibus civitatibus vim juris civilis illa naturæ præcepta, utpote citra quorum obſervationem tranquillitas ac pax inter cives conſtare minime poteſt. Quibusdam autem illa vis expreſſe, vel per praxim fori, non eſt tributa, tum quod illorum, quæ contra illa admiſſa dicuntur, diſceptatio nimis obſcura erat futura, tum ne tribunalia immenſo litium numero perſtrepent: tum ut viris bonis præcipua laudis ſuæ materia velut illibata relinqueretur, quæ eſt ſola numinis reverentia citra metum pœnæ ab hominibus infligendæ recte egiſſe. Quæ ſane laus perit, ubi diſcernere non licet, formidine pœnæ, an virtutis amore quis egerit, ut prudentiſſime judicat. Puffend. de I. N. G. l. 8. c. 1. §. 1. Potiſſima vero cauſſa eſt, quod jus naturæ majorem exigat perfectionem, quam eſt illa, quæ ad ſocietatem civilem, cui uni inſervit omnis lex civilis, requiritur. Interim patet, lege civili majeſtatem nihil prohibere poſſe, quod lege divina ſive naturali, ſive poſitiva mandatur, neque mandare, quod vetatur. Etſi inquam poſſit permittere vetita, quæ tamen, jure naturæ permittuntur, eorum quam, multa nondum ſunt determinata, ſed revera in differentia: ideoque ut ut juri illi naturæ convenientia ſint aliquatenus, illa non tantum licet, ſed & interdum, non ſemper tamen obligatio incumbit ſummæ poteſtati civili ſancire, ampliare, reſtringere, ordinare, prout ſocietatis civilis finis ac ratio poſtulaverit. Vid. Grot. I. B. P. lib. 2. c. 2. §. 5. Cujus etiam hæc regula eſt, l. 2. c. 3. §. 6. jura humana multa conſtituere poſſunt præter naturam, contra naturam nihil. Si tamen quædam juri naturæ repugnantia temporis aut neceſſitatis gratia tolerantur, veri juris nomine æſtimari nequeunt. Vid. Bœcler. ad Grot. l. 1. c. 1. §. 9.

LXXII. Cæterum ſumma poteſtas civilis fert leges, tum quæ fundamentum reipublicæ reſpiciunt, adeoque formam reipublicæ, quæ civitati regendæ tenenda atque colenda ſit, deſcribunt, & fundamentales dicendæ ſunt; tum quæ de perſonis, rebus & actionibus civium diſponunt, iisque modum atque rationem præſcribunt, & leges non fundamentales ſeu privatæ appellantur. De aliis diverſis legum appellationibus, quæ ab auctorum conditione, a modo item ac occaſionibus ferendi deſumuntur, ſuntque alibi alia, in jure vero civili romano plebiſcita, ſenatus conſulta, conſtitutiones principum, jus prætorium, reſponſa prudentium dicuntur; non attinet hic dicere. Neque etiam cæteræ difficultate quadam laborant; quando lex vel ſcripta, vel non ſcripta; affirmans, vel negans; univerſalis, vel particularis; aliisque diſtinctionibus denotatur. Nihil enim refert ad naturam legis, ſi ſemel vigorem legis adepta eſt, quomodo appelletur. Unum tamen non poſſum non addere, quod ad leges non ſcriptas attinet, illæ ſunt, aut ſaltem præſumuntur, nobis magis eſſe accommodæ, ac leges ſcriptæ, cum moribus introducantur ſenſim, quaſi ex indole ac natura populi fluant. Hinc ſane ut plurimum eſſe ſolet major illarum auctoritas, major conſtantia. Hinc etiam jus publicum ſingularum rerumpublicarum ſæpe illis innititur, prout obſervat adm. reverend. Dn. D. Meier. anal. pol. Ariſt. l. 7. c. 8. p. 304.

LXXIII. Non alienum vero erit, paucis, quæ in lege potiſſimum requiri & reprehendi ſoleant, notaſſe. Illa Fridericus Imperator apud Radevicum l. 2. c. 3. ita complectitur: hoc ergo noſtrum jus ſeu veſtrum, in ſcriptum redigatur; in ejus conſtitutione conſiderandum eſt, ut ſit honeſtum, juſtum, poſſibile, neceſſarium, utile, loco temporibusque conveniens. De ſingulis ordine I. Igitur quod dictum, legem debere eſſe honeſtam ac juſtam, ad legem ſimpliciter quam maxime requiritur. Quemadmodum enim, ut ſupra a nobis eſt oſtenſum. ubi de fine majeſtatis actum, majeſtati a Deo præſtitutus finis, ad quem in adminiſtratione reipublicæ collineare debet, honeſtus ac juſtus eſt, ita & leges, tanquam media ad finem illum ducentia, ſic debent eſſe comparata. Sed quia non omnes majeſtates illum finem reſpiciunt, ut c. l. a. nobis eſt notatum, igitur & leges dantur, quæ a fine illo ſeducunt. Moralitas enim legum omnis dependet a republica, cujus ſunt leges: ἀλλὰ γὰρ καὶ ὁμοίως ταῖς πολιτείαις ἀνάγκη, καὶ τοὺς νόμους φαύλους ἢ σπουδαίους εἶναι, καὶ δικαίους ἢ ἀδίκους: inquit recte Ariſtotel. 3. pol. c. 7. inde nimirum juſtæ & injuſtæ fluunt leges, rectæ, malæ. Nam quæ corruptis rebuspublicis accommoda lex, non eſt ſimpliciter juſta, juſta vero ex hypotheſi. Quæ vero rectis formis conformes ſunt leges, ſimpliciter ſunt juſtæ, ex hypotheſi autem injuſtæ aut ſaltem non juſtæ fieri poſſunt, omnes interim ſunt veræ leges. II. Lex ſit reipublicæ utilis ac ſalutaris, utilis autem cenſetur illa lex, quæ in commune prodeſt, id quod accipiendum cum temperamento, de quo vere Cato apud Liv. l. 34. c. 3. Nulla lex ſatis commoda omnibus eſt: id modo quæritur, ſi majori parti in ſummum prodeſt. Unde vitioſæ ſunt illæ leges, quæ vel partis alicujus in civitate utilitatem tantum reſpiciunt, vel partem utilitatis publicæ tanquam præcipuam & ſummam ſpectant, quæ præcipua non eſt. III. Lex ſit poſſibilis, id quod non de abſoluta poſſibilitate (ea enim præſumenda eſt) accipi debet, ſed reſpectu humanæ conditionis & ſeculi. Bene Grotius I. B. P. l. 1. c. 4. §. 7. Ferri leges ab hominibus ſolent ac debent cum ſenſu humanæ imbecillitatis. Quod autem eſt dictum, leges debere eſſe poſſibiles reſpectu ſeculi, ita accipiendum: ne ea jubeant, quibus jam pares non ſumus, quam optime ac elegantiſſime exponit, Tacit. 3. annal. 53. & 54. Add. Forſtn. not. polit. c. l. IV. Leges ſint naturæ ac ingenio populi accommodæ; niſi enim eo modo ſunt conceptæ effectu ſuo facile deſtituuntur. Nunc igitur potiora, quæ in legibus requiri ſoleant, vidimus, reliqua, quæ ſunt minoris momenti, tum & quæ in legibus reprehendi ſoleant, vide apud Bœclerum in inſtit. pol. & obvia ſunt in aliis ſyſtematibus politicis.

LXXIV. Cæterum caveat majeſtas ſummo ſtudio, ne multitudine legum rempublicam one-

oneret. Recte enim Tacitus conqueritur, ut ante hac flagitiis, ita tempore Tiberii, legibus laboratum eſſe. Ea occaſione diſſerit etiam de principiis juris, & quibus modis ad illam infinitam copiam & varietatem legum perventum ſit, vide quæ ad illum illuſtrem locum Taciti prudentiſſime diſſerit Bœcler. diſſert. pol. IV. & confer. Forſtn. not. pol. ad illum locum. Add. Bodin. VI. de republ. c. ultim.

LXXV. Quia autem majeſtati competit poteſtas legislatoria, ut quidem ex ſuperioribus patet, eidem etiam non poteſt non competere concedendi privilegii poteſtas. Dubio enim omni caret, legis ferendæ vocabulo contineri etiam tollendæ legis poteſtatem; qui autem tollere poteſt legem, quin poſſit limitare, derogare, excipere a lege, itidem dubio vacat, jam vero privilegium nil aliud eſt, quam exceptio a lege, quæ in uſum privatorum fit, vel in favorem, vel in odium. Unde jus ſingulare dicitur. Quanquam etiam interdum diſtingui ſoleat jus ſingulare & privilegium. De cætero privilegiorum vocabulo beneficia hodie & in favorem indulta tantum ſignificari ſolent. Unde ſcriptores juris publici, cum de privilegiis agunt, eo referunt jus nobilitandi, & dignitates conferendi &c. vid. *Sinolt Schütz.* colleg. l. P col. 1. diſput. 3. theſ. 21. Confer. Schottel. de juribus ſingular. In imperio noſtro germanico concedendi privilegia poteſtas imperatori competit; quæ tamen omnis legibus capitulationum ita reſtricta eſt, ut imperator ſtatuum imperii juribus quæſitis per conceſſiones privilegiorum quidquam detrahere non poſſit, ut patet ex captt. Leopold. art. 3. Nonnulla privilegia etiam ſtatus imperii concedere poſſunt: qualia ſunt, jus veniæ & ſupplementi ætatis (vid. Limnæus l. 2. c. 9. §. 149) moratorias literas concedendi, quod tamen reſtrictum eſt. Ordin. polit. de anno 1577. tit. 23. Plura de legibus vid. in magnif. Dn. Præſ. diſput. de LL.

DE JURISDICTIONE.

LXXVI. Tametſi autem prudenter conſtituat majeſtas, quæ reipublicæ utilitas viſa eſt exegiſſe: tamen inanis eſt omnium legum tenor, niſi de genere facti poſitæ ſingularibus applicentur, & quod cuique potentia competit, id actu ſeu effectu tribuatur. Unde reddendi jus poteſtas, quæ factis ſingulis in ſpecie ſtatuta accommodet: ut veriſſime ac prudentiſſime loquitur Lampad. de repnblica romano-germanica p. I. §. 44. Confer. magnif. Dn. Præſ. annotat. ad c. l. Scilicet ut magiſter noſter l. 4. pol. c. 8 nos docet, duplici ἐυνομία in omni republica bene conſtituta opus eſt. Altera quidem ea, qua leges bene ſcribuntur, & reipublicæ accommodantur: Altera qua legibus ſcriptis paretur. Prior illa futilis & inanis eſt potius, quam fructuoſa reipublicæ, niſi poſterior ipſi adſit. Igitur quia poſterior ἐυνομία in juris dicendi poteſtate continetur, hæc poteſtas ad nullum alium, quam ad cujusve reipublicæ majeſtatem, primo & formaliter pertinere poſſe, manifeſtum eſt; quanquam etiam magiſtratibus per participationem ea competat, id quod etiam oſtendit Lampad. cit. l. & Dn. Præſ annot. ad c. l. Quomodo jurisdictio majeſtati jure divino competat vid. Grot. l. 1. l. B. P. c 2. §. 7. v. 7. Gerhard. de magiſtr. pol. §. 271.

LXXVII. Cæterum, quia primo & formaliter jurisdictio penes majeſtatem eſt, ſatis intelligitur, a majeſtate ipſa non poſſe appellari ſeu provocari, ad majeſtatem vero, tanquam fontem omnis jurisdictionis, ab omnibus magiſtratibus provocari poſſe. Quanquam probe ſit obſervandum, quod magnif. Dn. Præſ. annotavit ad Lampad. p. I. §. 51. Confer. ejusd. exercit. 8. §. 27. & 28. de republica imperii germanici.

LXXVIII. Sed obſervandum: quando hoc jus majeſtatis; jurisdictio dicitur, tum hæc vox latius ſumitur, quam communiter ſolet, ex uſu apud Romanos olim recepto, & quidem quatenus majeſtatis poteſtas per omnia rerum genera, in quibus jus ſtatutum reddi oportet, diffunditur, atque criminalia non minus, quam civilia ſpectat. Vid. Lampad. tom. II. p. I. §. 45. & part. 3. c. 15. §. 6. & noſtras annotat.

LXXIX. Jurisdictio ita generaliter ſumpta, ſolet in tres partes dividi. I. Dicitur cognitio, jure civili notio & quæſtio facti, ſive enim negotium ſit civile, ſive criminale, ante omnia factum, de quo diſceptatio eſt, debet cognoſci. II. Jurisdictio eſt, potiſſime ſic dicta, quando de facto cognito jus ſtatuitur. III. Imperium, quando juris ſtatuti executio fit. Imperium autem duplex eſt, vel enim conjunctum eſt facultate ſtatuendi juris & dicitur mixtum; vel ab illa facultate eſt deſtitutum, & dicitur merum. Quanquam poſtea uſus obtinuit, ut erudite docet Lampad. de republica romano-germananica tom. II. part. 3. c. 15. ut merum imperium criminalibus rebus accommodaretur, diceretur etiam gladii poteſtas ſynechdochice. Diſtinguitur præterea jurisdictio etiam ratione objectorum. Sunt enim res, in quibus jurisdictio vertitur, triplices: vel civiles, vel criminales, vel eccleſiaſticæ. Interim quovis modo jurisdictionem diſtinguas, tota illa eſt, vel ſaltem regulariter eſſe debet, primo & formaliter penes majeſtatem: quanquam illam participare majeſtas poſſit cum magiſtratibus. Interim tamen jus gladii in primores cives majeſtas ſibi ſoli retinere debet, nec temere magiſtratibus committere. Qui enim in illos habet jus vitæ ac necis, is in manu quodammodo habet rempublicam & contra, qui illud plane non habet, non tenet ſummam reipublicæ. Multum ſane refert, an in vivis ſit vir præſtans, an interimatur, quoniam ſæpe talis vir unice rempublicam conſervat, & cum eodem respublica ſæpe commoritur.

LXXX. In imperio noſtro germanico jurisdictio civilium & criminalium rerum eſt penes Imperatorem & ordines varie, jurisdictionis tamen eccleſiaſticæ aliquatenus diverſa eſt ratio.

tio. Vid. magnif. domini præſ. exercit. de republ. imper. german. VI. & VIII. theſ. 17. Add. art. 14. art. 28. & art. 40. cap. Leopold.

DE JURE IMPERII STRICTI.

LXXXI. Saluti civitatis aſſerendæ, & avertendo ab illa malo interitum non nunquam allaturo, neceſſarium eſt. Majeſtatem tenere poteſtatem, civium vitam ancipiti periculo objiciendi. Civitatis enim ſalus majeſtati facit jus ad omnia, ſine quibus illa obtineri non poteſt. Hinc debet & poteſt majeſtas, quoties ſalus reipublicæ requirit, cives in aciem educere, obſides dare, dedere hoſti etiam invitos. Sed de his omnibus majeſtatis in cives, vi imperii hujus, competentibus juribus, peculiariter diſpiciendum, quousque ſe ſingula extendat.

LXXXII. Proinde quod attinet ad poteſtatem cives invitos in hoſtem ducendi, illa ſe in omnes cives extendit, ita ut nemo civium jure militiam detrectare queat contra juſſum majeſtatis. Hinc alicubi graviſſimis pœnis notatum militiam ſubterfugere. vid. l. 4. §. 10. ff. de re militari. Quamvis igitur majeſtas ea ratione ſingulorum civium opera jure uti poſſit ad ſervandum totum corpus, tamen in hoc caſu non vitam illorum eligit ad finem, quem jam ante dixi: exitus enim prælii a fortuna pendet. Hinc incertus ille eſt, nec magis ſpei, quam metui locus. Deſtinato autem propoſito civem morti objicere, majeſtati minime fas eſſe, certi ſumus. Cæterum, etiamſi ſint in civitate aliqui cives, (id quod tamen in pluribus civitatibus uſu venit,) qui vel ob vitæ genus, vel ex ſingulari indultu majeſtatis, immunitate a militia gaudent, alias per ætatem & vires ad arma gerenda ſatis idonei; vocare tamen & illos debent extrema pericula ad arma pro aris & focis arripienda. Præſtabit enim, illorum privilegia tantisper quieſcere, quam patriam periculo oppreſſam perire. Ex his etiam conſequens eſt; neminem ad operas militares, quamvis præſens reipublicæ neceſſitas forte illas non exegerit, ſe aut alios inutiles reddere debere, & qui fecerit, gravem pœnam mereri. M. Seneca lib. 1. controv. cap. 7. eleganter: cætera, inquit, membra mea ſunt, manus publicæ ſunt. Quia igitur ad ſubeundam militiam quisque civium obligatur, tenetur etiam juſſu majeſtatis, vel ejus, qui a majeſtate exercitui eſt præfectus, talem tueri ſtationem, in qua probabiliter prævidet, ſe mortem oppetiturum. Nec enim neceſſe eſt, ut hic ea æqualitas, quæ in aliis oneribus inter cives ſolet, obſervetur, namque non illam ratio belli tolerare poteſt; ſed penes ducem erit eligere fortiſſimum, aut ſi plures fuerint idonei, quem viſum fuerit, iſti periculoſæ ſtationi præficere. Nec virum fortem decet querelas movere, ſi ipſi talia pro imperio injungantur. Seneca de provid. cap. 4. Quare, inquit, in caſtris periculoſa fortiſſimis imperantur? Dux lectiſſimos mittit, qui nocturnis hoſtes aggrediantur inſidiis, aut explorent iter, aut præſidium loco dejiciant. Nemo eorum, qui exeunt, dicit: Male de me imperator meruit, ſed bene judicavit. Interim tamen improbanda eſt illa ars, quem non infrequentem eſſe ſummis etiam principibus obſervant politici, inviſos ſibi hoſtium ferro conſumendos objicere. Vid. Bœcler. ad Grot. l. 1. p. 99. Puffend. l. 7. c. 9. §. 2. An bellum duello dirimere fas ſit, ſeu an duæ majeſtates, bellum gerentes, poſſint ſingulæ uni aut paucis jure imperare, ut ferro inter ſe decernant, a quorum vel vita, vel morte, eventus totius belli dependeat? Vid. Scheffer. regn. rom. exercitat. 7. Qui penſitatis, quæ in utramque partem afferri poſſunt, argumentis, tandem vere ita concludit: cum bella ſint non privatorum inter ſe aut ſingulorum, ſed civitatum nationumque, ſine ullo jure ſingulis onera periculave imperantur univerſitatis.

LXXXIII. Sæpe numero præterea uſu venit, ut ad componendum bellum, & firmanda pacta, pacem reducentia, obſides ex numero civium ſint dandi. De ſecuritate enim publica utrique paciſcentium debet eſſe cautum, ne ſcilicet ſub pace lateat dolus, qui plus poſtea, quam adhuc bellum nocere poſſit. Eſt vero gentium jure introductum, ut major fides paciſcentibus non habeatur, quam ſi utrinque tradantur obſides. Igitur pro publica ſecuritate majeſtatem jure imperii cives poſſe adigere ad illud onus ſuſcipiendum: ſi ſponte, qui ſe offerant, defuerint, nobis certum eſt. Qui vero a nobis in contrarium eunt, perſuaſi ſunt, obſides ea intentione tradi, ut pœnas ſolvant pacti violati, cum tamen ipſi nihil mali ſint promeriti; & iniquum eſſe, obligationem ad pœnam ex culpa totius civitatis in paucos transferri, adeoque majeſtatem non poſſe, cogere quenquam civium, ut fiat obſes. Sed hi ſciant, civitatem directe duntaxat oppignorare obſidis libertatem, non vero vitam, niſi indirecte; quanquam hæc etiam valide obligata ſit. In traditione namque hoc actum cenſetur: *niſi ſervaverimus, quæ convenere, tum vobis jus fasque ſit in obſides, quos vobis tanquam chariſſimam civitatis noſtræ partem dedimus, inferre quicquid placuerit.* Civitas vero cum obſides tradit, firmum debet propoſitum habere, fidem ſancte ſervandi, adeoque ille eventus, quo in obſidis vitam alteri licentia fieri poſſit, morali æſtimatione ipſi nullus eſt. Nec dubitamus, quin injuriam obſidi faciat civitas, ſi ipſa injuſte a pactis diſcedat, & miſerum obſidem iræ alterius objiciat: aut ſi hoc fine eundem tradat, ut alteri in ſecuritatem, datum eo graviori damno mactare queat. Interim arbitramur, pœnam non pati proprie obſidem innocentem, ſi plectatur ob delictum civitatis; quia in violationem pactorum non conſenſit, ſed duntaxat non recuſavit, quo minus ipſo loco alterius malo poſſit affici; adeoque in eo per ſe nullum delictum eſt. Finis ergo, quem in ſumendis pœnis ſibi homines debent propoſitum habere, nulla ratione obtineri poteſt. Sed quod malum patiuntur obſides, a licentia bellica accipiunt. Sunt enim in tali ſtatu, ut illa confeſtim in iſtos exerceri queat, & ſalus illorum ab irati ac læſi hoſtis libidine pendet. Nempe ſunt in eadem conditione, qua cæteri cives omnes, qui nihil pecu-

liariter ad cauſam belli contulerunt. Etſi multis inhumanum viſum, iram ex læſione pactorum conceptam in miſerorum ac innocentium hominum capita effundere, & ita eorum calamitate ſuum dolorem mulcere. Cæterum hæc dicta intelligi volumus de obſidibus ſponte utriusque partis conſenſu & pactione æquali datis acceptisque. Aliter judicium inſtituendum, cum is, qui bello ſuperior eſt, aut victor, inter cæteras pacis aut deditionis leges certum numerum obſidum imperat. Vid. Bœcler. ad Grot. l. 1. cap. 1. p. 103. Confer. Grot. l. 3. c. 11. §. 18. & c. 20. §. 53. ſeqq. Puffend. l. 8. c. 2. l. N. G.

LXXXIV. Quid ſi dedi innocentem civem hoſtis poſtulet, poteſtne deliniendæ potentis illius iræ, quo clades atque exitium a civitate avertatur, majeſtas illum jure tradere? Hic diſtinctione quadam opus eſt, & videndum, quibus cauſis alter fuerit motus, ut civem noſtrum ſibi dedi poſtulet. Aut enim hoc fit ob ipſius culpam, & eo caſu majeſtas, vel illum tradere, vel, ſi hoc inhumanius ipſi viſum fuerit, illum tamen ejicere invitum e civitate jure ſuo poteſt. Aut vero ob publicum delictum quidam civium expoſcuntur, qui ejus delicti non fuerunt participes. Hoc caſu videtur ſorti res committenda, & quos illa elegerit, tradendi ſunt: nec enim ullo obtentu civis ſe ſortis periculo ſubtrahere poteſt. At quid dicendum, ſi innocens civis depoſcatur ad mortem aut malum, morti non impar, non ex cauſa publici aut privati criminis? Caſus talis exſtat apud Libanium tomo 1. declam. 27. a Bœcler. citatus, & expoſitus ad Grot. l. 1. c. 1. §. 6. p. 95. Nobis videtur plane omni dubio vacare: non obligatam eſſe civitatem, talem hominem cum exitio ſuo defendere. Sic enim civitas una cum innocenti peribit. Solum vero hoc remedium reliquum eſt miſero, ut aut fuga, aut auſu quovis perículoſo, ſibi ſalutem quærat. Ubi talia incaſſum cecidere, ferat calamitatem, in qua utique ſervari animus impollutus poteſt. Locum enim habet hic illud apud Livium: unde conſilium abfuerit, culpam abeſſe (vid. lex. 1. §. 6. ff de poſtul.) Siquidem fas minime eſt, remedium ejusmodi fœditatis ab homicidio in ſe petere. Interim obligata eſt majeſtas, talem civem defendere, quoad metus non eſt, ne ipſa civitatis ſalus in extremum deveniat diſcrimen. Poſtquam vero majeſtas ipſum pro viribus defendit, & omnem movit lapidem, ut fuga vel alia ratione ſalutem invenire poſſet, ubi iſtæc omnia non ſucceſſere, & pernicies imminens civitati aliter evitari nequit, illum deſerere poteſt; id eſt, non prohibere, quominus Tyrannus illum apprehendat. Ut autem ipſa eum Tyranno tradat, aut cogat, quo ſe ipſum dedat, neque fas eſſe, neque neceſſarium exiſtimamus. Vid. Grot. l. 2. c. 25. §. 3. & Puffend. cit. l.

DE JURE CONSTITUENDI MAGISTRATUS.

LXXXV. Non eſt majeſtas omnibus negotiis civilibus ſuſtinendis par, niſi magiſtratuum opera, tanquam inſtrumentis, ſublevetur. Alias perturbatio foret futura, vel ſaltem minus expeditum regimen reipublicæ, ſi a magiſtratibus deſtituta majeſtas ſola per ſe expedire negotia civilia vellet. Igitur ad majeſtatis jura pertinere, indubium eſt, poſſe nunc plures, nunc pauciores magiſtratus, pro negotiorum multitudine, aut ſua ipſius aptitudine aut ineptitudine rerum gerendarum, conſtituere, qui poteſtate gaudeant exercendæ jurisdictionis rerumque publicarum adminiſtrandarum, formula vel aſtrictiori vel liberiori. Et quidem hoc jus ita eſt in majeſtate, & a majeſtate, (liceat enim mihi cum ſummo Bœclero loqui, cujus hoc veriſſimum eſt judicium in comment. ad Grot. lib. 1. c. 3. p. 220.) ut quæcunque magiſtratibus datur poteſtas, ea majeſtatis ſit, a majeſtate pendeat, ad ejus arbitrium quieſcat, propria autoritate ſumi nequeat, aut exerceri. Etiamſi enim, quantum ad modum conſtituendi attinet, a civibus aut ordinibus generibusque civium conſtituantur, plurimum tamen differunt: conſtituere ſua vi, ſua autoritate, ſua poteſtate, adeoque proprie & independenter; & conſtituere, ſeu eligere, & creare auctoritate conceſſa, opera vicaria aut delegata. Quanquam ne id quidem ſemper tale eſt, quale videtur. Sæpe enim ſophismate politico imago tantum, & ſimulacrum electionis ac poteſtatis vicariæ, non res ipſa, conceditur. Quod in artibus aulicis romanorum Principum non ignotum eſt, & clare teſtatur. Tacit. 1. annal. 15. Nec enim poteſt unquam majeſtas hanc poteſtatem alteri concedere privative, niſi ſe velit ipſam diminuere, ſicut in mutationibus rerumpublicarum uſu venire videmus. Ex hiſce ſimul etiam perſpicuum eſt, magiſtratus non quaſi a latere eſſe majeſtati, ſed huic ſubordinari & ſubjici: adeo veriſſimum ſit, quod Grotius dicit, l. 1. d. I. B. P. c. 4. §. 6. Eſt magiſtratus ad majeſtatem ſubditus cenſendus: ſicut in dialecticis ſpecies intermedia, ſi genus reſpicias eſt ſpecies, ſi ſpeciem infra poſitam, genus; ita magiſtratus, inferiorum ratione habita, ſunt publicæ perſonæ: ad ſuperiores ſi conſiderentur, privati ſunt.

LXXXVI. Cæterum difficile eſt, naturam ac formalem rationem magiſtratus, communi quadam definitione exprimere. I. enim in diverſis rerumpublicarum formis alios atque alios invenies magiſtratus, non tantum ratione perſonarum, ſed & munerum. Sic dantur 1. magiſtratus alicujus reipublicæ proprii, qui non niſi uni illi formæ convenientes ſunt, nec facile in alia locum habent. 2. Sunt & magiſtratus pluribus quidem rerumpublicarum formis convenientes, attamen uni per ſe & primario, reliquis per accidens & ſecundario, conformes. 3. Habentur magiſtratus, ſaltem plerisque ſui ordinis formis reſpondentes. Veruntamen iſta varietas magiſtratuum ſecundum differentias rerumpublicarum, non tam de minoribus, quam majoribus magiſtratibus eſt accipienda. Sunt quidem minores magiſtratus rerum ratione, circa quas occupantur, varii ac multi, attamen plerique pluribus formis ſunt communes, & hinc non

ita

Digitized by Google

ita varii ratione rerumpublicarum. Magni vero magiſtratus, quia propius abſunt a majeſtate, quoad reſpublicas variant, & cum illis ipſæ reſpublicæ. Ita alius eſt magiſtratus magnus in democratia, alius in ariſtocratia, alius in oligarchia, inſigniti omnes notis ſuarum formarum, in quibus ſunt magiſtratus. Sic magiſtratus democratici nota eſt libertas, oligarchici divitiæ ſeu nobilitas, ariſtocratici virtus. Quanquam hæ formæ non peræque poſſint ferre magnos magiſtratus ac monarchia. Vid. Ariſtotel. 4. pol. 10. & adm. reverend. domini D. Meyer anal. cit. loc. Secundo accedit, quod non omnes ſtatim dici poſſint magiſtratus, qui in quadam civitate eliguntur ad aliquod publicum munus. Quod pulchre docet, Ariſtot. cit. loc. qui ejus rei gratia diligentiſſime diſtinguit curationes, in civiles, œconomicas, & ὑπηρετικὰς, quaſi diceret miniſteriales. In quæ genera diſtingui poſſe, quicquid eſt officiorum ac miniſteriorum in republica, non eſt dubium. (Confer. domini D. Meyeri anal. pol. Ariſtot. c. l.) Et teſtantur, non officiales in republica eſſe magiſtratus, cum aliæ reſpublicæ, tum reſpublica romana, quæ ſplendorem quendam adhibebant in conſtituendis diverſis officialibus publicis, tributo illis magiſtratus nomine, cum tamen omni poteſtate & imperio deſtituti illuſtrem ſine imperio, aut vi coercendi ſuſtinebant denominationem. Vid. Pancerolli notit. imper. Eſt tamen e mente Ariſtotelis cit. l. Magiſtratus præfectus ſocietatis civilis, cui data eſt de quibusdam deliberandi, judicandi, & maxime imperandi poteſtas.

LXXXVII. Quando Ariſtoteles definitione comprehendit jus deliberandi, & judicandi, & maxime imperandi, ſatis apparere judicat. Bœcler. comment. in H. Grot. l. 1. c. 3. p. 218. & 219. male agere eos, qui *ſenatum & conſiliarios* ſemper a magiſtratu ſeparant. In nonnullis rebuspublicis ſenatum ſummam poteſtatem ſeu majeſtatem, ſeu omnia jura majeſtatis habere, & tum ſenatus inſtrumenta omnes eſſe, qui magiſtratus nomen gerunt. At in aliis ſenatus formula magiſtratus conſtitui. Ita conſiliarios ſæpe non eſſe magiſtratus: at interdum collegium conſiliariorum formula magiſtratus ordinari: nonnunquam conſiliarium, eundem magiſtratum eſſe, unde nihil philoſophicæ ἀκριβείας eſſe in illo: Senator de omnibus reipublicæ negotiis & ſemper deliberat; Magiſtratus de nonnullis & aliquando.

LXXXVIII. Quales magiſtratus, & quot ſint neceſſarii, ut ſit civitas, & qui non neceſſarii quidem, utiles tamen ad σπουδαίαν πολιτείαν, tam in magnis, quam in parvis civitatibus, pulchre exponit magiſter noſter cit. l. Scilicet omnis magiſtratus in republica duplex eſt: vel neceſſarius, vel utilis. Felicitas enim civilis, rerumpublicarum ſcopus, duabus abſolvitur partibus: vita 1. & 2. beatitudine. Ergo bona, ad felicitatem civilem conducentia, non poſſunt non eſſe duplicia: Alia ad eſſe, alia ad bene eſſe facientia. Quia vero magiſtratus illa bona procurant, & illi erunt duplices: Alii ſcilicet neceſſarii, ſine quibus civitas eſſe non poteſt, illi vero utiles, civitati ut bene ſit laborantes. Idem ille magiſter citato loco monet, haud debere fugere politicum diſtinguere magiſtratus. Et quidem hoc monitum haud temere eſt negligendum. Bene namque diſtinguere magiſtratus, loci, rerum, perſonarum & rerumpublicarum ratione, principes præſertim, facit ad elegantem civitatis ordinem, qui bene ordinatam inducit rempublicam. Accedit & hæc ratio haud parvi ponderis, quod, quo plures magiſtratuum ſiunt participes, eo plures præſenti civitatis ſtatu ſint contenti: Quo vero plures præſenti civitatis ſtatu ſint contenti, eo firmior ſit ille.

LXXXIX. Modus creandi magiſtratus, eſt varius, qui omnis tamen a tribus potiſſimum dependet. I. Quis conſtituat magiſtratum; II. Ex quibus conſtituatur ille, & III. quomodo. Quod ad prius attinet, eſt quidem certum & extra omnem dubitationem poſitum, poteſtatem creandi magiſtratus pertinere ad majeſtatem. Verum modus uſurpandi hujus juris, poteſt eſſe diverſus: Adhibita vel unius, vel paucorum, vel omnium, alius atque alius, aliorum atque aliorum opera; ſed tamen, ut vis ipſa ſemper penes majeſtatem ſit. Quam optime autem in hoc negotio opera plebis ſæpiſſime poteſt inſervire majeſtati. Illa certe frequenter eligit magiſtratus utiliter. Nam de vita cujusque moribusve, quod in magiſtratuum electione maxime ſpectandum, omnes melius judicare queunt, quam pauci, & voluntate omnium electi, ab omnibus diliguntur, in quo vis imperii conſiſtit. Sed & qui ab omnibus ſe eligendum novit, operam adhibet, ut non paucis placeat, ſed cunctis. Confer. Ariſtot. 3. polit. l. 7. & plurimum reverendi domini D. Maier. anal. c. l. Quod ad alterum, ex quibus ſcilicet conſtituatur magiſtratus, attinet, illud magis, quam prius rempublicam attingit. Vid. Maieri anal. Ariſtot. l. 4. polit. c. 16. p. 405. Alibi vero ex omni civium numero poſſunt creari magiſtratus, alibi tamen nonniſi paucis aditus ad honores datur. Ubi promiſcue ex omni civium numero conſtitui poteſt magiſtratus, eſt democraticum, ubi magiſtratuum creatio ſit ex exiguo numero civium & reliqui excluduntur, eſt vel ariſtocraticum vel oligarchicum. Alicubi etiam peregrinis datur pervenire ad magiſtratus: Et id eſt aliquo modo interdum ariſtocraticum, ita tamen, ut ſapiat etiam tyrannidem. Quod tertium concernit, quomodo ſcilicet fiat electio magiſtratuum, obſervandum: Duplicem eſſe rationem conſtituendi magiſtratum maxime diverſam. Alia eſt, quæ fit per ſortem, & alia, quæ per ſuffragium. Si per ſortem fit electio, eſt democraticum; poteſt enim fieri, ut quis ex plebe elevetur ad magiſtratum, aſpirante fortuna. Si ſuffragiis expeditur electio, aliter ſe res habet, & eſt ariſtocraticum, optimis enim ea ratione ad magiſtratum admovetur. Solet tamen in nonnullis rebuspublicis ita electio inſtitui, ut partim illa fiat per ſortem, partim per ſuffragia, & quidem variis modis. Modus ille, qui fit per ſolam ſortem, nobis non

 proba-

probatur: quanquam ille fuerit in republica Ebræorum olim frequens. Deus enim illum juſſerat, & promiſerat, ſe ſortem directurum: ſors itaque tum fiebat divinitus. Quia igitur noſtra ſors hodie promiſſionem illam non habet, non ſatis eſt tuta. Uniuscujusque horum trium modorum, quibus conſtituuntur magiſtratus, differentias vide apud Ariſt. c. l.

XC. Varias differentias, ſecundum quas ſunt I. magiſtratus, vel monarchici, vel ariſtocratici, vel democratici &c. ratione rerumpublicarum, II. civiles, vel bellici ſive militares ratione rerum, III. vel rurales, vel forenſes ratione loci; IV. vel perpetui, vel temporarii ratione temporis; V. vel ordinarii vel extraordinarii; VI. coordinati vel ſubordinati ratione ordinis; nunc exponere nimis longum foret, quemadmodum etiam de ſtipendiis tam certis, quam incertis, de continuatione, de numero, & denique de diſpoſitione magiſtratuum quicquam monere a noſtro abit inſtituto. Plura de magiſtratibus vide apud Bodin. de rep. 3. c. 3. Tholoſ. l. 4. polit. cap. 5.

DE DOMINIO.

XCI. Tandem accedimus nunc ad dominium, quod tertiam atque ultimam conſtituimus primariam majeſtatis civilis partem, illud vero duplex eſt: aliud, quod tenet majeſtas in bona publica; aliud, quod habet in bona privatorum, & dicitur dominium eminens. De utroque ſingulatim pauca tantum, pro modo inſtituti, dicemus viſuri primum.

DE DOMINIO IN BONA PUBLICA.

XCII. Ut Majeſtas teneat dominium abſolutum, & ſummum in bona publica, ut de illis diſponere, prout rationes reipublicæ ferunt, poſſit: ex ipſa ejus natura per ſe fluit, alias enim non ſumma & abſoluta foret poteſtas. Neminem igitur, qui id negaverit, reperiri putamus. Intelligimus vero per publica bona omnia illa, quæ ad civitatem, ut talem, pertinent: quæ vel data ſunt perſonis, majeſtatem tenentibus, in conſtitutione illarum a populo pro dote, unde impenſæ fieri poſſint in negotia, quæ illas ipſas reſpiciunt, ut puta in ſtipendium officiariorum, & ſi rex fuerit, aulicorum. Gallice vocantur finances, latine fiſcus, ærarium principis, patrimonium coronæ vel diadematis, germanice *Cammer-Güter*. Poſſunt vocari etiam latine patrimonium majeſtatis. Vel vero propria ſunt illa reipublicæ continentia reditus provinciales, quibus tolerantur ſumtus in reipublicæ conſervationem impendendi, ut v. g. apud nos ſunt *Acciſe*, *Contribution*, *Schaff-Schatz*, *Huven-Schatz*, *&c.* vocanturque Grotio patrimonium populi l. II. c. 6. §. II. De prioribus nobis hic ſermo eſt. Et vero in theſi ſtatuimus, illa majeſtatem poſſe alienare, vel retinere, prout utilitas ac neceſſitas reipublicæ id ipſum flagitat. Quod ſi autem in hypotheſi de iis dicere vellemus, quid ſcilicet pro diverſis rerumpublicarum ſpeciebus perſonæ, majeſtatem habentes, circa hæc bona poſſint, tum formula imperii, & in regnis præcipue, modo habendi imperium probe perſpecto, plana foret hæc diſputatio, nec ullis difficultatibus laboraverit. Vid. Grot. l. B. P. II. 6. et. ad illum, quæ pl. reverend. domini D. Uffelm. colleg. MS. annotavit. It. Bœcler. annot. ad l. c.

XCIII. Ad bona publica, quibus dignitatem ſuam ſuſtineant perſonæ, majeſtatem habentes, præcipue ſpectant, 1. ſylvæ, unde jus foreſti, & jus venandi. 2. Aquæ publicæ, unde jus piſcandi; 3. Quæ natura ſub terra recondita habet, unde jus ſcrutandi mineras terræ; & ejus generis alia. Quæ quia leviora ſunt, recenſere omitto. Quemadmodum nec illud diſputabimus, cur iſta, nec alia potius, majeſtati tributa fuerint. Vid. Grot. II. l. B. P. c. 8. §. 5. In imperio noſtro germanico nulla ſunt talia bona publica, quæ cedant in ſuſtentationem aulæ cæſareæ, ſed profuſa liberalitate ſuperiorum Imperatorum pridem deperdita. Quæ vero ſinguli principes in provinciis ſuis teneant. Vid. *Seckendorffs Furſten-Staat.*

DE DOMINIO EMINENTI.

XCIV. Majeſtati in ſubditorum bona aliquam competere poteſtatem, hactenus non eſt, qui in dubium vocaret. Qualis autem & quanta ſit illa poteſtas, arduum eſt definire, in tanto ſummorum virorum hac de re diſſidio. Hugo Grotius primus omnium poteſtatem illam ſingulari ſuo expreſſit nomine, atque dominium eminens appellavit. Dubio autem procul a ſcholaſticis illam locutionem aſſumpſit, qui poteſtatem eminentem & excellentiæ, ſalvatori noſtro tribuunt. Deſcriptio ejus hæc eſt: Dominium eminens eſt, quod civitas habet in cives & res civium ad uſum publicum lib. 1. de jure belli ac pacis c 3. Eſt dominium eminens, jus majeſtatis, in ſubditos & ſubditorum bona, ut eadem invitis etiam & reclamantibus privatis poſſeſſoribus petere, publico inferre, & vel utilitatibus vel neceſſitatibus communibus commodare poſſit. Qui de hac poteſtate philoſophantur, ſolent de illa ita diſſerere, ac ſi ſolus & unus monarcha in regno eam habeat; Cum tamen ſit particula majeſtatis, quæ eſt anima cujuscunque etiam reipublicæ.

XCV. Omne porro jus majeſtatis eſt abſolutum & ſummum, cum nil quicquam magis majeſtati ſit adverſum, quam reſtricta, aut limitata, vel dependens poteſtas. Majeſtas in ſe, & natura ſua, ſummum quid eſt & abſolutum, tum ratione objecti, tum ratione modi. Quapropter dominium eminens erit jus & poteſtas ſumma & abſoluta in bona ſubditorum; tantum quia eſt particula majeſtatis. Omnis poteſtas majeſtatis, qua majeſtatis in republica, eſt ſumma & abſoluta: Dominium eminens eſt poteſtas majeſtatis, qua talis in republica: Ergo dominium eminens eſt ſumma & abſoluta poteſtas. Porro omnis ſubditorum in republica poteſtas eſt ſubjecta arbitrio majeſtatis, utpote quæ eſt fons omnis poteſtatis, cui nihil ſubtrahi debet; id quod ex

fine

ſine ſocietatis civilis ſupra demonſtratum: Dominium privatorum in bona quod habent plenum, vel non plenum, eſt ſubditorum in republica poteſtas: Ergo dominium privatorum in bona ſua eſt arbitrio & voluntati majeſtatis ſubjectum. Summum ſane aliquod dominium nulla ratione ſubditis competere poteſt, quod nempe in tali caſu nemini in terris eſſet ſubjectus, adeoque eo reſpectu non ſubditus eſſet, ſed vel majeſtatem, vel majeſtatis illam particulam haberet. Quicquid eſt ſummæ poteſtatis, id nulli alii, quam majeſtati, aſſeri poteſt: Quemadmodum quicquid majeſtati tribuitur, id non niſi ſummum eſſe poteſt.

XCVI. Miramur proinde illa ingenia, quæ ex juris privati regulis rem hanc arbitrari ſolent. Recepti eſt juris, dicunt, & ab ipſa natura dictatum: id quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poſſe. L. XI. ff. de R. I. Hinc ſane majeſtati ſuum non tribuunt, privatis autem non ſuum concedunt. Alii privatorum bona majeſtati vendicant, ratione protectionis, jurisdictionis & adminiſtrationis. Sed eo ipſo majeſtati miniſterium aliquod imponunt, atque magiſtratum cum majeſtate temere confundunt.

XCVII. Sed periculoſum eſſe putant, abſolutam illam poteſtatem in bona privatorum majeſtati aſſerere; Cum ita prona via ipſi ſternatur ad bona ſubditorum invadenda. Verum vanus eſt omnis iſte metus, nec cadit in rerum civilium peritum virum. Diſtinguenda, ut alia, ita & hic ſunt, quæ per ſe, & quæ per accidens ſunt periculoſa. Uſus etiam ab abuſu poteſtatis eſt ſeparandus. Sic propter metum abuſus, jus vitæ & necis in omnes ſingulos ſuæ reipublicæ homines majeſtati non eſt denegandum, nec abſolutum in bona privatorum dominium. Eminens dictum, ipſi ſubtrahendum, præſertim cum vita omnibus hujus vitæ bonis longe ſit anteferenda.

XCIIX. Güntheri Ligurinus l. 3. digna majeſtate loquentem Principem introducens, ita habet:

Quicquid habet locuples, quicquid cuſtodit avarus,
Jure quidem noſt um eſt: Populo concedimus uſum.

Dubio procul Guntherus tum in animo habuit dominium eminens, ut olim Philo, quando ita ſcribit: Certe argentum, aurum, & quæ pretioſa alia apud ſubditos cuſtodiuntur, eorum, qui regnant, magis ſunt, quam poſſidentium. Et Seneca de beneficiis l. 7. c. 4. ita: Iure civili omnia Regis ſunt: Et tamen illa, quorum ad Regem pertinet univerſa poſſeſſio, in ſingulos dominos deſcripta ſunt, & unaquæque res habet poſſeſſorem ſuum. Itaque dare Regi, & domum, & mancipium, & pecuniam poſſumus, nec donare illi de ſuo dicimur. Ad Reges enim poteſtas omnium pertinet, ad ſingulos proprietas: Fines Athenienſium aut Campanorum vocamus, quos deinde inter ſe vicini privata terminatione diſtinguunt. Et totus ager hujus aut illius reipublicæ eſt: Pars deinde ſuo domino quoque cenſetur. Ideoqne donare agros noſtros reipublicæ poſſumus, quamvis illius eſſe dicantur, quia aliter illins ſunt, aliter mei. Omnia Rex imperio poſſidet, ſinguli dominio. Eſt hoc, quod a Grotio docemur l. 1. d. I. B. P. cap. 1. § 6. Regia poteſtas (majeſtas) inquit ſub ſe habet & patriam & dominicam poteſtatem. Sic in res ſingulorum majus eſt dominium Regis (majeſtatis) ad bonum commune, quam dominorum ſingularium. Imperator ſive majeſtas omnium eſt dominus; ejus ſunt omnia, dicunt Romani in LL. ſuis paſſim.

XCIX. Fluunt vero ex dominio eminenti varia jura majeſtatis tanquam rivuli. Inter quæ duo tantum præcipua leviter tranſibimus ac perſtringemus. Et vero primum eſt JUS FERENDI LEGES CIRCA USUM BONORUM PRIVATORUM AD UTILITATEM CIVITATIS ATTEMPERANDORUM. Quo præcipue ſpectant leges ſumtuariæ, ſeu quæ modum ſtatuunt ſumptibus extra neceſſitatem poſitis, quibus privatæ domus & inde civitas ad inopiam redigitur, pecuniis ad exteros transportatis, poſtquam in cibos exoticos, ac vina exotica, condimenta terris alio ſole calentibus nata, & ſimilia, luxuria cumprimis ſolet inſanire. Inſuper, qui bona ſua conſumſerunt, quam maxime principi & civitati ſolent eſſe moleſti. Aliqui etiam ex principis liberalitate deinceps victitare inſtituunt. Atqui, ſi tantum eſt pauperum venire huc, & ſibi petere pecunias cœperit, ſinguli nunquam exſatiabuntur, reſpublica deficiet, ut prudenter apud Tacit. II ann. 78. loquitur Tiberius. Cæterum, quod graviſſimum eſt, luxuria privatorum in turbas ac motus civiles conjicit rempublicam. Qui enim bona profuderunt, illis nihil remedii eſt reliquum, quam quod deſperatio ipſis ſuppeditat, ut ſcilicet ex turbis reipublicæ malis ſuis mederi velint, & privatum incendium publica ruina extinctum eant. Nam, ut civibus, qui in re lauta ac integra ſunt, quieta civitate opus eſt, ita, qui profuſis bonis ære alieno premuntur, turbas reipublicæ optant, per quas aut lacunas rei familiaris explere, aut creditores ſaltem tantiſper eludere queant. Imo ſi fortuna adverſa fuerit, præſtare putant, in acie ſpiritum amittere, quam per creditores innexum trahi. Præclariſſime ſane Tacitus. 1. Hiſtor. Quibus, inquit, ambigua domi res & afflicta ſedes in pace eſt, turbatis rebus alacres, & per incerta tutiſſimos ſe putant, domeſticis malis exitium patriæ opponere & privata vulnera reipublicæ malis operire ſolent. Idem nos docet etiam Ariſt. V. pol. 6. ubi ita per interpretem loquitur. Fiunt autem paucorum dominatus mutationes, & cum fortunas ſuas abſumſerint, viventes immoderate. Hujuscemodi enim homines dant operam rebus novis, vel tyrannidi ipſi incumbunt, vel alium tyrannum conficiunt, quæ exemplis aliquot ibidem comprobat; ad quæ referre poſſumus conjurationem catilinariam, de qua vid. Saluſt. B. cat. Famianus Strada l. 11. de bello Belg. quando cauſas tumultuum belgicorum recenſet, inter alias addit: Aliis ad tuendam digni-

gnitatem, profuſis jam domeſticis opibus, turbata publica re opus erat. Quibus gemina habet Grot. annal. belg. 1. nonnulli eo tempore etiam fidem conſumſerant.

C. Ex hiſce nunc ſatis liquere puto, utilitatem publicam commendare majeſtati poteſtatem, legibus de bonis civium diſponendi, definiendi; quomodo privati circa bonorum ſuorum adminiſtrationem ſe gerere debeant; adeoque eſſe hoc jus particulam dominii eminentis.

CI. Alterum, quod vi dominii eminentis competit majeſtati, jus eſt, ut partem aliquam bonorum civium decerpere tributi nomine queat, ſeu jus EXIGENDI AC IMPERANDI TRIBUTA. vid. Arniſ. de I. M. 3. 7. Certe ad civitatis finem faciunt & conſervationem quam maxime tributa, ita, ut tam pacis quam belli temporibus ſint neceſſaria. Omnium ore celebratum eſt illud Taciti IV. hiſtor. 74. Neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt. Pacis vero tempore requiri tributa, intelligunt illi, qui norunt; quam multa & ſæpe magna gerenda ſint Principi negotia. Menſura igitur horum eſt a neceſſitate reipublicæ petenda: quanquam eam extendat ſumma prudentiæ ratio ad largitiones. vid. Schutz. colleg. I. P. vol. 2. diſp. 11. §. 1.

CII. Tributorum vero nomine hic omnia comprehendimus, quæ ex bonis ſubditorum exiguntur, quæque vectigalia, tributa, exactiones veteribus dicuntur: ſuntque vel ordinaria, vel extraordinaria, ad ærarium reipublicæ ſpectantia.

CIII. Determinationem quanti in tributis quod ſpectat, illa difficilis eſt, nec ſemper in aperto poni poteſt, quippe arcanis imperii innexa & conjuncta. Veniunt autem hic duo præcipue in conſiderationem: 1. Quibus imponi debeant tributa, & 2. quibus ex rebus tributa exigi debeant. Et quidem videtur æquitas poſtulare, ut tributa tanquam onera civitatis civibus æqualiter imponantur. Quod enim omnibus ſimul leve onus eſt, ſi ſe multi ſubtrahant, cæteris grave, imo intolerabile erit. Et quæ eſt hominum natura, illi non tam onus ipſum, quam inæqualitatem ægre ferre poſſunt, ob dolorem injuriæ, aut invidia adverſus immunes. Æqualitas vero iſta non tam conſiſtit in æqualitate pecuniæ, quam oneris; quod fit, ſi æqualis ſit ratio inter onera & beneficia pacis. Pace quidem omnes æqualiter fruuntur, ſed minime beneficiis pacis. Igitur omnibus æqualiter eſſe tributa imponenda, etiam clericis, quanquam pontificii negent, nobis certum eſt. Confer. Arniſ. de exemt. cler. Tholoſ. pol. III. 7. De altero, ſcil. quibus ex rebus tributa exigi debeant, aut poſſint. Vid. Bœcler. not. in herod.

CIV. Quæ plura de tributis diſſeri poſſent, ſcil. quam adminiſtrationem eorum, cum in exigendo, tum in diſpenſando jus ac æquitas commendet, ut & quæ ſophismata ſive arcana in hoc negotio majeſtatis neceſſaria ſint, præterea quæ œconomia totius ærarii in republica, nunc me omittere tempus monet. Vid. illa apud OBRECHT. ſecret. pol. HERMAN. LATHER. de cenſu, KLOCK. de contrib. FAUST. Ærar. BODIN. de republica VI. 2. LIPS. IV. polit. II. & noſtra diſp. de *contrib. & ærar.*

CV. Sed ita nunc juribus majeſtatis ſingulis rudi minerva percenſitis, filum abrumpere cogor, ut pertexere ea, quæ conſtitueram, haud poſſim. Scilicet in animo erat propoſitum, etiam de iis pro virili paucis diſſerere, quæ 1. majeſtatis jura, & vim tollant. Quo in genere ſe nobis obtuliſſent quæſtiones: An majeſtatis jura tollantur per fœdus inæquale; id per tributum alteri pendendum; it. per feudi obligationem &c. 2. Quæ jura majeſtatis partiuntur. Quo ſpectat quæſtio: An diviſa imperii jura recte colligantur ex eo, quod Reges acta quædam ſua, niſi a cœtu quodam probentur, rata eſſe nolint? It. ex fœdere v. g. hollandico, aut helvetico. 3. Quæ majeſtati, tum in genere, tum ſpeciatim pro diverſitate rerumpublicarum inſervire queant, conſervandæ, firmandæ atque ampliandæ civitati, quæ vero contrarium inducentia, ipſi præcavenda. Verum quia hic labor jam tum præter exſpectationem in nimiam excrevit molem; ne potius integri tractatus, quam diſputationis faciem præ ſe ferat, hic ſubſiſto. Nihil igitur nunc reſtat, quam ut benevolum lectorem obnixe etiam atque etiam rogem, uti ſi in ampliſſima ac nobiliſſima materia hac verſatus, quæ huc omnino pertinent, minus fuerim aſſecutus, inſertis forte alienis, dare hoc velit juvenili ætati, a qua hæc exercitii tantum gratia profecta ſunt. Tibi vero benigniſſime Deus ob conceſſas ad ſtudia mea vires, immortales perſolvo gratias, teque ut porro mihi adeſſe in omnibus meis actionibus velis, ſupplex veneror atque obteſtor.

HERMANNI CONRINGII

EXERCITATIO POLITICA

DE MAJESTATE EJUSQUE JURIBUS CIRCA SACRA ET PROFANA POTISSIMIS.

D. XXVII. Januarii MDCLXIX. habita.

RESPONDENTE

SIGISMUNDO JOHANN. TENNEMAN, Goslarienſi.

ΣΥΝ ΘΕΩ

Theſis I.

Circa præſentem de majeſtate ejusque juribus materiam cum videas viros haud vulgariter doctos diſſidentes, licet haud obvium ſtatim ſit, qui fiat, quod adeo raro in unam concedant ſententiam, tamen hoc aſſerere non dubitaverim, illum frequentem virorum uſu rerum præſtantium diſſenſum luculento eſſe poſſe documento, quantis difficultatum tricis hæc materia ſit impedita, & per conſequens vix apta *juvenili ætati*, multo rerum uſu ad illud argumentum probe pernoſcendum neceſſario deſtitutæ: Interim nec hoc auſim diffiteri, tantam ejus eſſe utilitatem neceſſitatemque, ut ejus natura non ſatis perſpecta, non poſſis non in multas erroneas, ipſaque civilis ſocietatis fundamenta ſubvertentes, concidere opiniones. Viſum igitur fuit theſes quasdam hacce de materia contexere: eo mitiorem, ſicubi ceſpitavero, mihi promittens cenſuram, quo minus ejus rei accuratior cognitio juvenilibus ingeniis expoſita eſſe conſuevit.

II. Totam autem hanc tractationem videmur ad hæc quatuor potiſſimum capita commode revocare, ſi *primum* dixerimus, quid ſit illa, de qua tractatio inſtituitur, majeſtas. *Deinde*, quisnam illius cauſa efficiens ſit cenſendus, videamus; *Porro*, quo fine per illam provida rerum mater natura res humanas gubernari voluerit, & *Denique*, ut finem a natura deſtinatum conſequamur, atque ad illum majeſtatis felicibus auſpiciis perducamur, quid juris ipſi ad regendam civilem ſocietatem ſit, aſſerendum.

III. Principio itaque obſervandum, majeſtatis latinum vocabulum ſignificare ſummam cujusque reipublicæ poteſtatem; etſi in ea ſignificatione priſcis latinis non fuerit in uſu, ſed potius ſignificaverit olim reipublicæ ſummam exiſtimationem & dignitatem. Verum ſi illa vox jam ſummam poteſtatem ſignificat, conſequens eſt, vocabulo huic æquipollere (1) *τὸ κύριον*, interdum (2) & *ἡ πολιτεία* Ariſtoteles *lib. 3. pol. c. 4.* item (3) *πολίτευμα* Ariſtoteles *lib. 3. pol. c. 5.* (4) *ἐξουσίαι ὑπερέχουσαι* dicitur Apoſtolo *ad Romanos* 13. *v.* 1. (5) per metonymiam ſigni pro re ſignata ſceptrum appellatur, *Gen* 49 *verſ.* 10. (6) Regimentum reipublicæ *l. un. ff. de offic. Præfect. Prætor.* (7) Superioritas, germanice *die hohe Obrigkeit.* Galli eam la Souveraine puiſſance appellant.

IV. Eſt præterea ipſum vocabulum valde ambiguum, quæ æquivocatio etiam pancis notanda. Primum enim uſus fere invaluit, ut neminem, niſi qui regia poteſtate potitur, iſtoc nomine mactemus, licet, ſi rem ipſam videas, neque ariſtocraticæ, neque oligarchicæ, neque democraticæ, aut aliæ etiam ſummæ poteſtates titulo illo ſint defraudandæ. Secundo capitur etiam hæc vox pro poteſtate abſoluta, ſoli Deo opt. max. competente, quæ ſignificatio obſervatur in *l. 32. §. 4. ff. d. receptis.* (3) Sumitur quoque pro opinione reverenda de imperantium virtutibus earumque affinibus, ſicuti accipitur in ampliſſimi domini Præſidis, *diſp. de majeſtate imperantium.* (4) Denotat talem aliquam ſummam poteſtatem, quæ eſt *πανταχοῦ τὸ κύριον τῆς πόλεως*, ſicuti illam definit philoſophus noſter *3. polit. cap.* 41. Atque illa eſt hujus loci ſignificatio.

V. Primo dicitur eſſe *τὸ κύριον* ſeu ſumma poteſtas. Quæ vox; quoniam de pluribus ſpecie differentibus in *quid* prædicatur, generis locum haud incongrue occupabit. Cumque verba illa, *πανταχοῦ τῆς πόλεως* amplitudinem generis ſic ſatis reſtringant, differentiæ ſpecificæ munere rite funguntur. Atque ita bonæ definitionis leges fere abſolvunt: quicquid contradicat Bodinus, quem pluribus refutatum, ac hancce definitionem Ariſtotelis vindicatam, vide in clariſſimi Piccarti ad hunc Ariſtotelis locum commentario. Hæc etenim verba ſummis poteſtatibus ſolam civitatis ſalutem commendant; atque ea ratione a Summa Dei Opt Max. poteſtate illam recte diſcernunt. Licet enim infitiandum non ſit, res quoque civiles ſupremi Numinis poteſtati atque curæ ſubeſſe, aut cum illo apud Claudianum dubitandum: *Curaret ſuperus terras, an nullus ineſſet rector, & incerto fluerent mortalia caſu:* Tamen in eo ſumma poteſtas divina & civilis maxime differunt, quod hæc, qua talis, in nudæ felicitatis civilis terminis ſubſiſtat, illa vero ad omnes res, qua animatas, qua inanimatas, & omnes in univerſum hominum actio-

nes

nes virtutem & poteſtatem ſuam protendat: adeo, ut neque hominis ſit via ejus, neque viri, ut ambulet & greſſus ſuos dirigat *Jer. 10. verſ. 23.*

VI. Similiter per hæc verba per bene diſcriminatur ab illa ſumma poteſtate, qua antequam homines in civilem concederent ſocietatem *πᾶσα οἰκία ὑπὸ πρεσβυτάτου ἐβασιλεύετο*, uti refert Ariſtoteles 1. *polit. cap. 1. ſub finem.* Hæc enim ſoli domeſticæ ſocietati imperavit, majeſtas vero & hanc, & reliquas ſimpliciores ſocietates complectentem civitatem moderamine ſuo gubernat.

VII. Atque hæc ſunt, in quibus poſita videtur formalis ratio majeſtatis civilis: in qua non niſi ſummum agnoſcimus. Ac proinde omnibus modis execramur ſeditioſam ſententiam arbitrantium, nec non publice profitentium: *Populum univerſum hac ipſa poteſtate ſemper ſuperiorem haberi debere.* Qualis certe doctrina in animis ſeditioſæ plebis non poteſt non perpetuum ad *τὸ στασιάζειν* præberi fomitem. Quid quod hoc pacto nulla legum autoritas permaneret, ſine quibus tamen rempublicam neutiquam ſalvam eſſe poſſe, liquet. Cum enim paris in parem, nedum in ſuperiorem nulla ſit jurisdictio, ſed ea ſolummodo in inferiorem exerceatur *l. 4 ff. de recept.* niſi talis ſuperior forte ſeſe ſponte ſua jurisdictioni inferioris ſubjiciat juxta *l. 14. de jurisdict.* non poſſunt non hac ipſa doctrina ima ſummis & ſumma imis miſceri.

VIII. Neque huic ſententiæ incommodare poterit, quod ſubditi in quibusdam rebuspublicis ſibi conſtituant imperantes, ac eo ipſo ſuperiores ſint habendi. Id enim ſimpliciter omni conſtituenti minime attribui poteſt, quod ſemper nobilius ſit conſtituto; Sed ſolum ad cauſam conſtituentem principalem eſt reſtringendum. Quo tamen loco populum imperantes ſibi conſtituentem haberi minime poſſe, infra patebit.

IX, Ex definitione allata porro & hoc haud difficulter elicitur, quod majeſtas legibus ſoluta debeat eſſe poteſtas. Quam tamen aſſertionem nequaquam de omnibus legibus intellectam volumus, ſed de illis duntaxat, quæ mere civiles ſunt & poſitivæ. Quales quænam ſint, vide apud Theod. Reinking. *lib. 1. claſſ. III. cap. 12. n. 21.* Leges namque naturales *διὰ τὸ πανταχοῦ τὴν αὐτὴν ἔχειν δύναμιν*, uti dicit Ariſtoteles *5. Ethic. Nic. cap. 7. §. 2.* quin & ipſos obſtrictos teneat, dubium eſſe non poteſt. Illæ nimirum leges omnes omnino obligant homines, ratione utentes, nullius habita perſonæ aut conditionis ratione. Unde ſequitur, nullum hominem de hac lege diſpenſare poſſe, cum de lege aliqua diſpenſare, ſuperiorem requirat, lege vero naturæ neque majeſtas, nec ullus alius ſuperior exſiſtit, uti præclare de illa diſſerit Hahnius *in obſervat. ad Weſembec. de legibus n. 7.* Imo *ἐκ τῶν ἀδυνάτων* eſſe videtur, eum, qui naturalis ſocietatis eſt membrum, a juris naturalis vinculo velle eſſe immunem; cum jus naturæ & ſocietas naturalis iſtiusmodi inter ſe ſuſtineant reſpectum, ut quemadmodum ſe habet ſocietas, ita & jus & vice verſa: adeo, ut unum ſine altero plane ſubſiſtere non poſſe, peregregie noſter Stagirita *lib. 8. eth. Nic. cap. 9.* demonſtret. Jam vero imperantes, potiſſima civitatis, quæ docente quidem Ariſtotele *1. polit. cap. 1.* ſocietas maxime naturalis nuncupatur, membra cum ſint; quis quæſo naturali jure, niſi ipſa ſocietatis hujus fundamenta ſubvertere velit, ipſos obligatos teneri, negabit?

X. De legibus, quæ ſunt juris gentium, unde omnes pene contractus oriuntur. *§. 2. Inſtit. de jur. gent. nat. & civ.* idem ſentiendum cum ſit, iſtiusmodi contractibus ſupremas poteſtates omnino ſtare debere, non erit infitiandum.

XI. Præterea requirit quoque Ariſtoteles *5. polit. cap. 9.* ut illi, penes quos eſt reipublicæ moderamen, habeant *τὴν δικαιοσύνην ἐν ἑκάστῃ πολιτείᾳ τὴν πρὸς πολιτείαν.* Nimirum quælibet reſpublica peculiari ſua nititur juſtitia pro diverſitate ipſarum rerumpublicarum variante; ac proinde, ſiquidem ſalvam velit ſuam rempublicam majeſtas, certe omnem operam ac ſtudium in id expromat neceſſe erit, ne a legibus, quas fundamentales nuncupamus, temere reſiliatur: Siquidem reipublicæ fundamentis immotis non manentibus, ipſam rempublicam labefactari neceſſe eſt. Ac judice Ariſtotele *5. polit. cap. 10. p. 363. edit. Conr.* tyrannico more reſpublica adminiſtratur, ſi quid *παρὰ τὸν νόμον* ſibi ſumere non veretur majeſtas civilis,

XII. Quando igitur majeſtatem legibus ſolutam dicimus eſſe poteſtatem, *primum* id ipſum de legibus mere civilibus, quales ſcilicet immediate ipſam rempublicam non afficiunt, cupimus intellectum. *Secundo*, videtur etiam id ipſum ad leges tam naturales atque gentium, quam civiles extendi poſſe: quoad vim videlicet coactivam, dum ad earum obſervantiam a nemine civium cogi poteſt. Omnis enim coactio a ſuperiore, qualem majeſtas non habet, proficiſcitur: Ut hac de rediſſerit Zœſius *ad cod. de LL. & conſt. princ.* Atque illam ob cauſam ſupremam poteſtatem *ἀνυπεύθυνον* appellare non dubitat Ariſtot. *4. pol. cap. 10.*

XIII. Cæterum hujusmodi ſupremæ poteſtatis cauſam efficientem principalem nullam aliam eſſe novimus, quam illam Dei ter Opt. Max. providam rerum creatarum omnium curam. Moti non tantum plurimis divinis & humanis teſtimoniis, ſed & rectæ rationis principiis adducti. Illa ſcilicet edocti firmiter credimus, eſſe Deum Opt. Max. ſummum rerum omnium monarcham, ac abſolutiſſimam in omnes nos noſtraque omnia tenere poteſtatem. Quo præſuppoſito pro noſtra ſententia ita argumentamur:

Quic. abſolutam rerum omnium tenet poteſtatem, ille ſolus & non alius hac poteſtate alios participes reddere poteſt. Atque ſolus Deus Opt Max. eſt talis E.

Major ſua luce claret, ſiquidem nemo plus juris in alium transferre poteſt, quam ipſe habet *l. 54. ff. de R. I.* Nec Minor a quopiam in dubium vocari poterit.

XIV. Sacer quoque codex tot teſtimoniis huic ſententiæ adſtipulatur, ut de ejus veritate ambi-

ambigere amplius, nihil aliud ſit, quam omnem fidem verbo divino impie prorſus denegare. Ut aliorum ſacræ ſcripturæ teſtimoniorum mentionem hic non faciamus, de illis ſaltim unum & item alterum videamus. Ad *Rom* 13. *verſ.* 1. *Omnis anima*, inquit Apoſtolus, *poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita ſit, non enim eſt poteſtas, niſi a Deo: quæ vero ſunt poteſtates, a Deo ſunt ordinatæ*; ac paulo poſt: *ordinatio divina in v.* 2. *exſpreſſe ordo ille imperandi & parendi nuncupatur.* Per bene id ipſum noſter Juſtinianus ſenſit, dum *l.* 1. *C. de vet. jur. enucl.* ſibi a cœleſti majeſtate imperium traditum eſſe profitetur. Unde hodieque plerique chriſtiani, reges pariter atque principes, ſeſe *Dei gratia* imperare profitentur.

XV. Primum igitur audiendi non ſunt, qui a ſubditis imperio ſeſe ſubjicientibus hanc ſummam poteſtatem derivant. Licet enim negandum non ſit, in republica exacta omnes cives naturaliter liberos naſci, ac per conſequens politicam poteſtatem penes ipſos reſidere, non tamen hoc ipſo principalis, ſed inſtrumentalis ejus cauſa dici merentur. Siquidem illa ipſa ſumma poteſtas, quam, antequam illam transtulit, populus habuit, fuit etiam a Deo, qui transfert, & ſtabilit regna. Eleganti ſimili hoc illuſtrat clariſſimus Beſoldus *diſſert. politico juridica de majeſtate in genere n.* 5. inquiens: *Sicut in generatione hominis, quia anima infunditur a ſolo Deo, & tamen pater generans diſponendo materiam eſt cauſa conjunctionis animæ cum corpore, dicitur homo generare hominem, non vero producere ipſam hominis animam: ita quoque, qui eligunt majeſtatem, illi quidem ſunt cauſa τοῦ præditum eſſe hoc vel illud ſubjectum ſuprema poteſtate, interim illius ipſius poteſtatis cauſa nunquam ſunt habendi.*

XVI. Non ſolum vero majeſtatem, ſeu ſummam poteſtatem in univerſum, ſed & ſpecialem ejus uſum a divina providentia ita ſuſpendimus, ut & illis ſupremis poteſtatibus, quæ per injuriam oriuntur, conſtituendis, ſpecialem Dei concurſum nulli denegemus: non quidem, quod illas ſimpliciter approbet, ſed quod omnis omnino poteſtas ipſius conſenſu conſtet & confirmetur. Sicuti ex S. Codice, Deum ſæpius populo, in viis ſuis non ambulanti, injuſta imperia minitatum, docente, clariſſime elucet. Ad hæc ſepoſito illo revelationis lumine, haud difficile erit obſervatu, res humanas interdum ita regi, ut plurimum licentiæ humano conſilio circa has ipſas indulgeatur, nonnunquam vero tanta cum vi gubernari, ut fruſtra obtinente omni humana ope ac prudentia, ejusmodi violentia ſiſti plane non poſſit. Quod ipſum, cum a præpotente aliquo omnibusque humanis viribus ſuperiore principio ſit arceſſendum, & vero divina providentia potentius agendi principium ignoremus, apparet, illam ſolam ſupremam moderatricem omnium humanarum rerum ac proinde etiam civilium cauſam eſſe conſtituendam.

XVII. Craſſiores vero errores illi errant, qui aut a cœco caſu, aut a ſtellarum & eclipſium operationibus imperia in his terris dependere aſſeverant. Cœco enim caſui tale quid adſcribi minime poſſe, vel ex eo apparet, quod rerumpublicarum conſtitutiones earumque deſtructiones multis ſæpe vaticiniis divinorum vatum ſæpe etiam prodigiis atque oſtentis ſunt prædivinatæ. Cujus argumenti vim ipſe Machiavellus, quamvis alioquin atheus, aſſecutus eſt. Deinde quantopere a vero abludat Cardani ſententia, arbitrantis, quod iis, quibus extrema ſtella caudæ urſæ majoris ſole meridianum tenente verticalis exiſtat, eo ipſo magnum imperium promittatur, vide demonſtratum ab Arniſæo *doctr. polit. lib.* 2. *cap.* 2 Cometæ itidem & eclipſes cum cauſas ſuas habeant regulares & naturales, non eſt, quod imperiorum conſtitutiones inde arceſſamus. Quanquam, ſi liquido pateſcat, eclipſin aliquam omnino pro ſupernaturali habendam eſſe, ſingulare aliquid ea ipſa portendi, nulli negamus. Cujus exemplum habemus in eo, quod tempore paſſionis dominicæ contigit ſolis deliquio; quod, cum ipſo plenilunii tempore ſpectaretur, quale quid alias naturaliter fieri non poteſt, uti ex aſtronomicis patet, mirum non eſt, ſi peculiare, quid hoc ipſo Deus Opt. Max. oſtendere voluerit.

XIIX, Deum itaque ſolum, ceu unicam majeſtatis civilis cauſam, veneramur, illamque ad illum unicum, in quocunque demum ſubjecto exſiſtat, & quomodocunque exerceatur, referimus. Neq; ſorti, neque electioni, neque ulli alii modo locum hic cauſæ efficientis principaliſſimæ tribuentes: Firmiterq; perſuaſi, illam, quæ eſt a Deo, poteſtatem, vel per electionem, vel per ſucceſſionem, aut ſi alius ſit conſtituendæ majeſtatis modus, certæ perſonæ applicari; quod ipſum, cum per ſe ſic ſatis appareat, ne lucem ſoli fœneraturi videamur, illud pluribus confirmare deſinemus.

XIX. Non autem fruſtra Deus Opt. Max. iſtiusmodi parendi & imperandi ordinem introduxit, ſed voluit, ut mediante illo virtute imbuamur, atque mutuis auxiliis nobis invicem ſuccurrentes τὸ τῆς πάσης αὐταρκείας πέρας conſequamur. In quo hujus quidem vitæ perfectiſſimum noſtrum bonum omnino erit collocandum, ſicuti demonſtrat Ariſtot 1. *eth. cap.* 7.

XX. Cæterum hæc ipſa felicitas ſeu ſummum bonum in duobus, nempe primario in virtutum operatione, quæ tamen, quoniam ſine bonis externis feliciter abſolvi nequaquam poſſit, demonſtrante Ariſtotele 1. *ethic. Nicom. cap.* 8. Secundario in rerum ſufficientia, ea, quæ ſatis ſit vitæ civili degendæ, id eſt, qua non ſolum nobis ipſis vitam ſolitariam degentibus ſufficimus, ſed etiam amicis & civibus omnibus, conſiſtit. Ad quem finem, quæ eſt inæqualis hominum perfectio, quoniam non omnes nos ſufficientia media accommodare valemus, & vero prorſus repugnat prudentiæ divinæ, hunc finem fruſtra a natura nobis eſſe præſtitutum: talem vim Deus Opt. Max. naturæ noſtræ inſevit, ut ſine aliquo ſaltim parendi & imperandi ordine nos ſalvos eſſe poſſe, nobis non perſuaderi patiamur. Atque Ariſtoteles quidem hanc ſere ob cauſam non dubitavit profiteri, hominem eſſe animal aliquod natura civile, ſive ζῶον πολιτικὸν. Etſi vero id quidem non poſſit inde probari, natura tamen ſociale animal eſſe hominem, omnino li-

quet: quandoquidem extra omnem ſocietatem vivens homo non poſſit non infeliciter degere. Multum autem differt ſociale eſſe vel civile. Et vero civilis ſocietas ſero demum inter homines enata eſt, malitia & imperitia hominum hoc ſocietatis genus tandem exigente. Quam rem latius perſecutus eſt Dn. Præſes *lib. de civili prudentia cap.* 6.

XXI. Quod ſi vero humano generi, prout illud nunc ſeſe habet, inſita eſt talis imperandi obſequendique ratio, liquido apparet, id neceſſarium eſſe imperium civile, partim ut improborum malitioſi conatus refrenentur, partim etiam, ut imperitis rerum civilium, quid ſibi agendum ſit omittendumve, imperetur. Unde vero conſentaneum non eſt, quod quidam contendunt, ex accidenti a ſola malitia humana imperii originem eſſe deducendam, adeo, ut ſi omnes probi eſſent, imperio ne quidem ſocietate humana natura indigeret. *Videtur enim*, inquit ampliſſ. Dn. Præſes in notis ad Lampad. tom. 2. part. 1. §. 4. *perquam probabile, etiam primo integritatis ſtatu ſuperſtite, opus futurum fuiſſe iis, qui alios regerent, idque, quoniam ne ſic quidem omnes pari perfectione fuiſſent. Etenim ſexum muliebrem virili, & primam pueritiam adulta ætate, corporis & animi viribus etiam tum fuiſſe inferiorem futuram, veriſimile eſt, quia ab ipſa natura etiam perfectiſſima in fœminis eſt τὸ ἄκυρον, & in pueris τὸ ἀτελὲς*, cui adſtipulatur Ariſtoteles 1. *polit. cap.* 3. *prop. fin.* dicens: *ἔτι δὲ τὸ μὲν ἄῤῥεν πρὸς τὸ θῆλυ φύσει τὸ μὲν κρεῖττον, τόδε χεῖρον, καὶ τὸ μὲν ἄρχον, τόδε ἀρχόμενον.*

XXII. Atque ita explicata natura, origine ac ſcopo majeſtatis civilis, conſequens eſt, ut, quænam jura majeſtati ad regendam feliciter ſocietatem civilem competere queant, videamus. Quorum, licet tantus numerus exſiſtat, ut paucis pagellis comprehendi non poſſint, tamen illorum potiora, fortaſſis haud incommode ad duo ſumma capita revocantur. Diſpeſci videlicet poſſunt in ea, quæ circa negotia belli, & deinde in illa, quæ circa negotia pacis verſantur. In hæc duo enim vitam civilem Ariſtoteles etiam *lib. 1. polit. cap.* 3. & *lib.* 7. *cap.* 14. diſtribuit. Cum quibus coincidit egregius, qui in prœmio inſtitutionum imperialium annotari meretur, locus, ubi inquit Imperator: *Imperatoriam majeſtatem non ſolum armis decoratam, ſed & legibus oportet eſſe armatam, ut utrumque tempus & bellorum & pacis recte gubernari queat.* Sed & Homerus idem ſenſiſſe videtur, dum in Rege id potiſſimum requirit Il. V. ut ſit

- - *βασιλεύς τ᾽ ἀγαθὸς κρατερός τ᾽ αἰχμητής.*

XXIII. Pacis negotia iterum in profana & ſacra quodammodo ſubdiſtingui poſſe videntur. Profana vel in imperio, quod circa publica, vel quod circa perſonas, vel denique quod circa ipſa reipublicæ bona verſatur, conſiſtunt. De quibus ſingulis paucis ordine diſpiciemus: Et primo quidem de negotiis belli, non quidem de bello ipſo, ſeu de juribus, quibus mediantibus negotiis bellicis ſuprema poteſtas potiri queat.

XXIV. Felicitas civilis cum non conſiſtat duntaxat in bonorum multorum abundantia, ſed etiam in malorum carentia, eſt majeſtatis civilis providere, ut ſubditi ab injuriis exterorum tuti exſiſtant, aut, ſi jam læſi ſint, ipſorum injuria vindicetur, quodque amiſere, reſtituatur. Quod, quoniam per judicia, inter diverſas gentes nequicquam obtinentia, fieri minime poſſit, uſu exigente & humanis neceſſitatibus, gentes humanæ inter ſe jus belli conſtituerunt, uti dicitur §. 2 *inſtit. de jur. nat. gent. & civ.* Qualis facultas cuilibet promiſcue conceſſa, quoniam non poteſt non innumeris motibus ſocietatem civilem inquietare, ipſa recta ratio dictitat, nemini, niſi qui negotia publica ſine ſuperiori adminiſtrat, hoc eſt ſupremæ poteſtati, tale jus exercendi licentiam tuto committendam. Adeo, ut omne bellum, quod non ejus, qui nullius alterius poteſtati eſt ſubjectus, autoritate movetur, omnino injuſtum ſit cenſendum. Unde qui absque licentia ſupremæ poteſtatis bellum geſſerit, majeſtatis publicæ læſæ reus merito poſtulatur *lib.* 3. *ff. ad leg. Jul. maj.*

XXV. Omnis autem belli ratio, judice Lampadio *de imperio romano germ. parte* 3. *cap.* 19. §. 5. decernendi poteſtate & adminiſtrandi ratione perficitur. Unde primo fluit jus belli indicendi. Quæ facultas, ſi alii, quam ſupremæ poteſtati civili concederetur, cujuslibet libidini & aſſiduis turbis respublica exponeretur: *Οἱ γὰρ τῶν ὅπλων κύριοι, καὶ μένειν, καὶ μὴ μένειν κύριοι τὴν πολιτείαν*, inquit Ariſtoteles 7. *polit. cap.* 9. Hinc graviſſime apud Romanos ſæpe vindicatum eſſe in eos, qui contra imperium pugnaverant, Sal. memorat *bell. Catilin. cap.* 8. Ne jam dicam, quod talis decernendi belli licentia facile inteſtina arma ciere poſſit. Sic enim, ſpreta judiciorum autoritate, civis civem laceſſeret; itaque inteſtino bello rempublicam fœdaret. Cujusmodi bellum etiam potentiſſimas reſpublicas attenuaſſe, imo in immenſam perniciei abyſſum proſtraviſſe, hiſtoriæ ſic ſatis atteſtantur. Ut adeo illud Homerus Iliad. ϑ. recte his verſibus ſit execratus.

Ἀφρήτωρ, ἀθέμιστος, ἀν ἔστιος ἔστιν ἐκεῖνος.
Ὃς πολέμου ἔραται ἐπιδημίου ὀκρυόεντος.

XXVI. Adminiſtrationem belli ipſam quæ concernunt, partim in republica comparantur, partim aliunde petuntur. In republica conſcribuntur potiſſimum exercitus. Unde oritur jus exercitus convocandi atque officia militaria diſtribuendi, (2) parantur arma, unde jus armandiarum, quod inter regalia recenſetur *lib.* 2. *feud. tit.* 56. Sunt autem armandiæ nihil aliud, quam officinæ publicæ, in quibus arma fabricantur, & omnia illa parantur, quæ faciunt ad armamentarium rite ædificandum atque inſtruendum.

XXVII. Cum autem ſæpius contingat, ut respublica aliqua ſola vim hoſtium propulſare nequeat, extrinſecus majeſtati ſuppetiæ ſunt arceſſendæ, atque fœdera *συμμαχικὰ* cum finitimis populis pangenda. *Auxilia ſiquidem ſociorum in armis multum juvant*, ut utar verbis Ciceronis

ex

ex orat. pro M. Marcello. Hinc competit majeſtati jus fœderum pangendorum. Quod ipſi adeo eſt proprium, ut niſi ab ipſa majeſtate, aut ejus autoritate ineantur, fœdera pro iniquis & illegitimis merito habeantur. Namque ſi illi, qui ſuperiorem agnoſcunt, ſeſe minus tutos fore credant, ipſam adeant ſupremam poteſtatem civilem ejusque ordinarium præſidium implorent, ut adeo opus non ſit externa ope ſeſe munire. Unde ſi inter hujusmodi homines ſub defenſionis prætextu fœdera ici contingat, pro ſuſpectis conventiculis haud temere reputantur. Niſi forte tale quid ab ipſa majeſtate privatis privilegii loco ſit conceſſum. Ita hanſeaticum fœdus tacitus majeſtatis conſenſus atque longa temporis conſuetudo firmavit, annotante Lampad. *de imperio romnono-germanico part.* 3. *cap.* 20. §. 12.

XXVIII. Cæterum, cum bellum indicere, confœderationes inſtituere, atque iterum diſſolvere, per ſe ipſam majeſtas commode non poſſit, ad exteros mittendi ſunt, quibus publica autoritate iſtiusmodi negotia expediendi facultas ſit conceſſa, quos legatos nuncupare ſolemus. Hinc igitur oritur jus mittendi legatos. Cujus alium participem eſſe minime poſſe, niſi qui in imperii communionem admittitur, ex antecedentibus facile liquet. Quomodo enim iis, quibus eorum negotiorum, quorum expediundorum cauſſa legati ablegantur, nulla competit adminiſtratio, legatos mittere fas ſit? Unde ſi qui a civitatibus provincialibus ſeu iis, qui ſuperioritate non pollent, mittuntur, ii pro legatis reputari non poſſunt, cum tales civitates privatorum loco habeantur. *l. 16. ff. de V. S.*

XXIX. Cum autem congruum non ſit naturæ humanæ, belli atrocitate ſe invicem atterere, ſiquidem inter arma etiam juſtiſſima plurima mala atque ſcelera, ſpretis legum repagulis, ferpunt, æquiſſimum eſt, ut, quo ad fieri poſſit, de pace iterum cogitet ſuprema poteſtas Pax enim belli finis eſt, docente Ariſtotele 7. *polit. c.* 14. Quod cum tanti momenti ſit negotium, ut Philoſophus 4. *polit. cap.* 14. illud inter ea negotia, quibus recte ſeſe habentibus rempublicam ipſam bene ſe habere neceſſe ſit, recenſere nullus dubitaverit, juribus majeſtatis pacis pangendæ poteſtas optimo jure annumeratur.

XXX. Relictis igitur belli negotiis, ulterius incumbit nobis videndum, quid juris circa pacis tempus rite gubernandum, ſupremæ poteſtati tribui queat. Quæ autem pacis tempore majeſtati veniunt expediunda, in negotia ſacra & profana commode diſtribui poſſe videntur. Ubi obiter notandum, quod vernacula noſtra lingua ignoret vocem, diſtinctioni huic exprimendæ ſatis accommodatam. Diſtinctio enim in *geiſtliche* & *weltliche Händel*, in ea quidem, quæ eſt hujus loci, ſignificatione, uſui ſcripturæ ſacræ reclamat. Quam ſi conſulamus, deprehendemus, pietatis officia, preces, fidem in Chriſtum, & id genus alia rerum ſpiritualium nomine ſolum venire. Quibus tamen latitudo τȣ͂ *Geiſtlich*, qualis certe hac in diſtinctione cernitur, nequaquam exhauritur. Sed neque alterum membrum dividens ſatis appoſito nomine expreſſum eſſe videtur. Namque ex uſu ſcripturæ qui mundanis negotiis litas, non domino, ſed principi hujus mundi vivere perhibetur. Jam vero illos, qui mundanis negotiis, qualia hacce diviſione intelliguntur, indulgent, hujus ſceleris omnes reos facere velle, non poſſet non ad extremam illorum injuriam pertinere, quemadmodum ampliſſimus dominus Præſes *in prælectionibus publicis obſervavit.*

XXXI. Ante autem, quam hic ulterius progrediamur, paucis primum excutiamus: Sitne revera majeſtati civili aliqua rerum ſacrarum cautio concedenda. Et vero, ſi res ſacræ ad ipſius curam nullatenus pertinent, fruſtra deinceps futuri ſumus, ſupremæ poteſtati circa illas quicquam juris aſſerendo. Supponimus igitur firmiſſimam illam politicorum regulam, quod præprimis ad illa ſeſe debeat extendere cura civilis, ſine quibus felicitas civilis obtineri non poteſt. Jam vero ἐκ τῶν ἀδυνάτων eſſe videtur, ut, plurimis atheis in republica exiſtentibus, illa ulla ratione ſalva eſſe queat. His etenim cum perſuaſum non ſit, pœnam malorum & retributionem bonorum inſtare, virtuti operam nullam navabunt; ſed potius omnibus voluptatum cupiditatumque illecebris ſeſe mancipabunt. Neque id injuria. Siquidem ſublata pœnæ malorum & retributionis bonorum hypotheſi, voluptates carnales & cupiditatum obſecundatio non poteſt non pro ſummo hominis bono reputari, uti Epicurus ſenſiſſe perhibetur. Hac adeo de cauſa nullus dubitavit Ariſtoteles 7. *polit. cap.* 8. diſerte profiteri ἐπιμέλειαν περὶ τὸ θεῖον πρώτην εἶναι τῶν ἄνευ πόλις ἐκ ἄνεῖν; & Piccartus ad laudatum Ariſtotelis locum, Plutarchum memorat præclare ita dicentem: *Facilius ſibi videri urbem ſine ſolo condere, quam opinione de Diis penitus ſublata civitatem coire aut conſtare poſſe*, adeo religionem συνεκτικὴν εἶναι πάσης κοινωνίας καὶ νομοθεσίας ἔρεισμα. Unde amplius dubitandum non eſt, quin jus ſupremæ poteſtatis ad ſacra quoque ſeſe extendat. Idque eo minus, quod ſacræ quoque ſcripturæ teſtimonia hic nobis ſuccenturiari videmus. Quæ tamen in medium adducere, jam quidem ab inſtituti ratione videtur nonnihil eſſe alienum.

XXXII. Cæterum ut civilis imperii circa ſacrorum conſtitutionem limites eo magis intelligamus, curationem politicam, (1) in eam, quæ circa cultum divinum ipſum, (2) quæ circa perſonas, & (3) quæ circa bona, cultui divino inſervientia, verſatur, diſpeſcere lubet. Cultum divinum ipſum ſeu religionem oportet iterum diſtinguamus: In religionem videlicet natura notam, & deinde revelatione quapiam divinitus patefactam. Circa hanc enim alio prorſus modo ſeſe habet majeſtas civilis atque circa illam. Ut adeo mirum non ſit, ſi videas, diſtinctionem illam non attendentes longiſſime aberrare.

XXXIII. Religionem, naturaliter de colendo Deo Opt. Max. notam, quod attinet, circa il-

lam majeſtas civilis non ſecus, ac circa alias leges naturales, nihil quicquam immutare valet. Quia civilis quidem ratio civilia jura corrumpere poteſt, naturalia vero non item §. 3. *inſtit. de legit. agn. tut.* Aſt præcipere illam, atque tanquam medium civilis beatitudinis obtinendæ, imperare, quæque ipſi adverſa ſunt vetare omnino debet. Ac proinde in primæ tabulæ temeratores, v. g. blasphemos, magos, atheos, epicureos, eosque qui nihil plane temporis cultui ſacro voluot dicatum, graviſſime animadvertat, & in univerſum procuret, ne cui ſit licentia contra ea, quæ ex lumine rationis de Deo ſunt cordibus noſtris inſcripta, delinquendi.

XXXIV. Omnibus autem modis proſpiciendum eſt ſupremæ poteſtati civili, ne pro illo naturaliter noto divini numinis cultu ſuperſtitio ſe ingerat in rempublicam. Illa enim actiones vulgi, quo vult, flectit, atque uti Curtius docet *lib. 4. cap. 10. Nulla res efficacius multitudinem regit, quam ſuperſtitio: alioquin impotens, ſæva, mutabilis ubi religione capta eſt, melius vatibus, quam ducibus ſuis paret.* Simulac igitur illa populo quicquam contra rempublicam ſuadet, id protinus magno reipublicæ malo, impio auſu aggrediuntur. Uti infelici ſno exemplo inter alias respublicas illa ipſa ſuperſtitione depravatas atque corruptas, noſtra docet germania, perpetuis fere motibus agitata, ex qno hominibus cœpit eſſe perſuaſum, pro legitimo illum haberi non poſſe, qui non de conſenſu & approbatione pontificis ramani regnaret, habere item illos Petri ſucceſſores facultatem ſubditos juramento fidelitatis ſolvendi, & quæ plura fuere iſtiusmodi monſtroſa dogmata alia. Qualia, quoniam religionem naturalem & ipſa omnium rerumpublicarum fundamenta convelluni, nec non ſacram monarchiam cum ruina reipublicæ condunt, uti cenſet ampliſſimus dominus Præſes ad Lampad. *part. 1.* §. 21. amplius obſcurum eſſe non poteſt, quin naturalis religio ſarta tecta a ſuprema poteſtate civili debeat ſervari, atqne, quæ illi adverſatur ſuperſtitio, ex animis ſubditorum exſtirpari.

XXXV. Præter illa, quæ naturæ lumine de colendo Numine nobis innotuerunt, adhuc ſunt plura alia, pariter ad divinum cultum pertinentia. De quibus notandum, quod eorum alia ſint meræ revelationis, alia vero non ſint meræ revelationis, ſed ante revelationam jam tum naturaliter nota. Hæc quin a majeſtate imperari poſſint, nullum eſt dubium: Illa vero cum homini non competant, qnatenus ad ſocietatem civilem nato, ſed quatenus ad cæleſtem rempublicam pertinet, primario & ſimpliciter ea politici imperii quidem non ſunt. Sed cum fieri facile poſſit, factumque ſæpius ſit, ut talia dogmata pro divina quadam revelatione venditentur, quæ rempublicam malis afficiant modis, id agere debet majeſtas, ut iſtiusmodi doctrina quantocyus e republica ſua eliminetur.

XXXVI. Quamvis autem hanc revelatam doctrinam vi imperare non poſſit majeſtas, cum id non tantum ſcripturæ ſacræ, ſed & uſui apoſtolico, & primitivæ eccleſiæ repugnet, quod pluribus demonſtratum vide ab ampliſſimo domino Præſide, *de majeſtatis officio & autoritate circa ſacra a th.* 96. *ad th.* 106. interim tamen conſilium & auxilium veritati propagandæ ſnppeditare omnino tenetur. Quilibet namqua homo cum teneatur in id ſtudium operamque ſuam collocare, uti proximus etiam ad æternam ſalutem perducatur, multo maxime ſane ad officium majeſtatis id pertinebit, idque quo magis illa iis mediis, quibus id præſtare commode poſſit, eſt inſtructa. Proinde ad propagandam pure revelatam religionem ſolum operam atque auxilium ſupremæ poteſtatis, non vero imperii vim atque coactionem efflagitamus. Multo minus vero ipſi vel minimam circa reverendas illas de mente & voluntate Dei revelationes immutandi facultatem vindicamus, ſed perinde, ut eſt civilis poteſtatis leges naturæ non inſtituere aut deſtruere, ſed efficere tantum, ut ſerventur; ita quoque divinitus inſtituta cuſtodire tenetur majeſtas, uti differit Lampad. *de rom. germ. imp. part.* 1. §. 29.

XXXVII. Cum igitur teneatur majeſtas, quantum in ſe eſt, religionem chriſtianam in ſua republica propagare, omnino debet probare ſpiritus; quod ipſum etiam homini privato *prior epiſtola Johannis cap.* 4. commendat. Item ſumma ope nitatur, ne chriſtianorum ſuorum civium animi diſſidentibus ſcindantur aut diſtrahantur ſententiis. Qualis certe religionis diſſimilitudo, quoniam non tantum felici religionis propagationi, ſed & amicitiæ, ſine qua civitatem conſiſtere non poſſe demonſtrat, Ariſtoteli 8. *ethic. Nicom. cap.* 1. §. 18. adverſatur: ad officium & jus majeſtatis omnino pertinebit, ad exortum forte ſchisma quoddam ſopiendnm, aut hæreticos exſtirpandos, cum aliis remediis commodis uti, tum ſynodos univerſales & partiales ſeu provinciales convocare, ſi quidem opus & utile fuerit, (nec enim ſemper id, vel neceſſarium, vel commodum eſt) iisque præſidere. Ita namque non ſolum quietum eccleſiæ ſtatum conſervabit, ſed & ne quid forte reipublicæ ſuæ noxium in conciliis decernatur, commode præcavebit. Hinc Rex Galliæ permittit, quidem reformatæ religioni addictis conſilia celebrare, ſed non niſi impetrato conſenſn, miſſoque qui iſtis conciliis nomine Regis interſit. Ita quoque recte ad jus & autoritatem ſuam pertinere arbitrati ſunt primi Imperatores chriſtiani concilia convocare. Quos ſecuti noſtri germanici Reges, illud e manibus ſibi nunquam extorqueri paſſi ſunt: donec hildebrandina hæreſi exorta, ipſorum autoritas circa hoc jus magis magisque decrevit.

XXXVIII. Deinde miniſtrorum eccleſiæ idoneorum vocationis cura quoque pertinet ad ſupremam poteſtatem. In quantum ſcilicet imperium illud eſt cœtus chriſtiani primarium membrum. Aſt plena eorum electio & liberrima conſtitutio politici imperii eſſe non videtur. Uti ſane cum ipſa ratio religionis chriſtianæ, qua parte æternam, non hujus vitæ felicitatem ſpectat, tum docet primitivæ eccleſiæ uſus etiam, poſtquam Cæſares inter Chriſtianos nomen ſuum ſunt profeſſi. Donec ab eccleſiis nonnullis major autoritas circa miniſtrorum electionem

nem regibus ſponte fuit conceſſa. Quemadmodum obſervat ampliſſimus Dominus Præſes ad Lampad. *part.* 1. §. 26.

XXXIX. Multa ſunt præterea, quæ ut obſerventur in eccleſia, ſuadet neceſſitas & decori ratio, quæ tamen a lege divina definita non ſunt. Hinc, ut omnia *εὐσχημόνως* & *εὐτάκτως* fiant in eccleſia, oportet ſupremam poteſtatem, tanquam eccleſiæ nutricem, illa certis legibus circumſcribere atque determinare. Unde fluit jus ordinationes eccleſiaſticas componendi, quibus non modo mores clericorum informentur, ſchiſmata & inutiles diſputationes prohibeantur, ſed & de publico religionis exercitio certi quid definiatur.

XL. Ad jus majeſtatis civilis pertinet ex parte quoque dierum feſtorum inſtitutio. Licet enim ipſa natura doceat, aliquos dies Numinis cultui eſſe dedicandos, atque his ipſis ab operibus profanis ceſſandum: tamen earum ordinatio, quatenus externum ritum reſpicit, & certi temporis determinatio ipſius majeſtatis curationi ſubjacet. Vide *l.* 4. *& l. fin. C. de feriis.* Weſembecius quidem *ad tit. ff. de fer. & dilat.* plura loca congeſſit, quibus adſtruere conatur, etiam magiſtratibus inferioribus tale jus non denegari: Interim copioſe illum refutatum vide a B. Hahnio *in obſervat. ad illum tit. num.* 4.

XLI. Alterum curationis civilis circa ſacra membrum eſt, quæ verſatur circa perſonas ipſas, cultui divino inſervientes. Atque illæ quidem jurisdictioni civili non ſecus, atque alii reipublicæ cives, ſubeſſe debent. Cum etenim omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubjiciatur, uti ex epiſtola Apoſtoli ad Romanos apparet, certe Clerus huic poteſtati inique prorſus ſeſe ſubduxerit. Poteſt igitur de ipſorum cauſis tam civilibus, quam criminalibus cognoſcere atq; dijudicare; in ipſorum mores inquirere; et ſi commeriti tale quid, ſint pœnas ipſis irrogare. Hinc recte etiam ipſe Carolus M. cujus tempore orbi nondum erat perſuaſum, perſonas eccleſiaſticas imperio civili exemtas, atque romanæ curiæ ſceptra ſubjecta eſſe, leges quam plurimas eccleſiaſticas Clero præſcribere, atque illum ad earum obſervantiam compellere, nullus dubitavit. De hiſce legibus plura vide annotata a clariſſimo domino Præſide *lib. de orig. jur. germ. c.* 14.

XLII. Sed nec primitivæ eccleſiæ Clerum jurisdictioni civili exemtum fuiſſe, vel inde elucet: quod Apoſtolus Paulus a Synedrio hieroſolymitano ad Cæſarem judicem provocare, & per conſequens ſynedrium illud politicæ poteſtati ſubjicere nullus dubitavit. Quod ſane magna cum eccleſiæ injuria & præjudicio fuiſſet conjunctum, niſi optimo jure tale quid ſe factitare S. Apoſtolus cenſuiſſet. Præterea ſeculis ſequioribus imperatores chriſtiani de perſonis ipſis, de rebus eccleſiaſticis, imo & de diſciplina eccleſiaſtica plures leges promulgarunt. Uti tum alias, tum præcipue ex integris titulis Cod. *de clericis, de ſacro-ſanctis eccleſiis, de epiſcopali audientia &c.* apparet. Quod ſane tot præclari eccleſiæ antiſtites & doctores, qui illis temporibus floruerunt, æquo animo non tuliſſent, ſi illud ulla ratione iniquum eſſe crediſiſſent.

XLIII. Denique jus circa bona ſacra num majeſtati civili vendicari queat, paucis attingendum. Bonorum vero ſacrorum appellatione hic non veniunt, quæcunque piarum cauſarum intuitu bonis eccleſiaſticis olim ſunt adjecta, aut quæcunque forte a Clero poſſidentur. Horum enim pleraque non ſunt conſecrata, aut ſacro uſui dedicata, ſed clerus vel armis nonnunquam, vel emendo, vel permutando, aut aliis modis illa ſibi peperit. Ita, quæ noſtræ Germaniæ clerus poſſidet, eorum bona pars cum in ſacros uſus converti non poſſit, & præterea imperialis feudi vinculo teneatur, non boni ſacri, ſed profani nomen meretur. Sed illa tamen vere bona ſacra nuncupamus, quæ ad cultum religioſum, & perſonas cultui illi inſervientes ſuſtentandas neceſſario requiruntur. Qualia ſimiliter jurisdictioni civili ſubjicere nulli dubitamus. Ita tamen, ne illa in profanos uſus temere vertat, ſed ut perſonas eccleſiaſticas cæteraque ad cultum divinum ſpectantia iis digne conſervanda procuret. Interim, quod extrema neceſſitate efflagitante integrum ſit, profano quoque more iis uti, exemplo patet Davidis, pane conſecrato cum ſuis veſcentis. Quod ipſum etiam a Servatore noſtro, factum illud Phariſæis objectante, approbatur. Similiter Rex Aſſa, qui toto corde domino adhæſit per omnem vitam ſuam 1 *Reg.* 15. *verſ.* 14. uſu reipublicæ exigente aurum templi Syriæ Regi mittere non dubitavit.

XLIV. Falluntur itaque, qui bona ſacra civili jurisdictioni eximenda contendunt. Quibus nequaquam inſervit, quod talia bona, ultimo illorum religioſorum hominum elogio, teſtamento nimirum, uſibus eccleſiaſticis collata, uſibus civilibus exemta videantur. Fieri enim non poteſt, ut per ultimam voluntatem ſuorum bonorum abſolutum dominium in alium quisquam privatorum conferre poſſit, cum ipſi eo non potirentur. Unde quomodocunque talia bona a privatis ad eccleſiam transferantur, jus ſuum ſupremæ poteſtati circa illa bona manet tamen illibatum; Siquidem publica privatorum pactis mutari non poſſunt, *l.* 38. *ff. de pactis.*

XLV. Atque ita, in quantum religionis ordinatio ſit imperii civilis, patet. Cujus circa ſacra autoritatem quantopere romani pontifices iverint imminutam, imo penitus eant deſtructam, & quanta cum injuria falcem in alienam meſſem immiſerint, cum nimis operoſum fuerit hic examinare, ad alteram jurium majeſtaticorum partem, quid videlicet circa pacis negotia profana merito ſit attribuendum, pergamus. Pacis negotia profana ſupra jam diſtinximus in ea, quæ circa regimen univerſæ civitatis, (2) quæ circa imperium in ſingulas civitatis perſonas, & (3) quæ circa dominium in ipſa reipublicæ bona, verſantur. Primum igitur, quod attinet regimen univerſæ illud civitatis, illud partim virtutis ſtudium, partim *τὴν αὐτάρκειαν*, ſeu rerum ſufficientiam procurat. Hinc, ut ſuppetant reipublicæ, qui tali virtute ſint inſtructi, qua dextre omnia gubernare queant, autoritate publica ſcholæ ſunt inſtituendæ, in quibus omnis generis

ſtudia

ſtudia literaria excolantur. Qualis certe facultas, ſi non ſit uni majeſtati propria, privatis promiſcue ſive noxiam, ſive ſalutarem reipublicæ doctrinam, prout libuerit, publice profiteri licebit. Hinc ſalutariter admodum *in l. un. C. de ſtud. liberal. urbis rom.* interdictis privatis auditoriis, publicus locus illi negotio eſt aſſignatus.

XLVI. In noſtra republica romano-germanica ſcholarum quidem trivialium inſtitutio cuilibet Statuum eſt permiſſa, academias vero condendi poteſtas, in quibus dignitates doctorales conferuntur, ſoli Imperatori eſt reſervata: uti obſervat Reincking *lib. 1. claſſ. 5. cap. 6. n. 132.* Negari quidem non poteſt, intra hoſce trecentos proximos annos plurimas noſtræ germaniæ academias autoritate papali cœpiſſe: Interim tamen obſcurum eſſe nequit, id ipſum, quod circa academiarum inſtitutionem romanus Papa ſibi vendicat, nullo prorſus jure niti, ſed per extremam injuriam civili poteſtati eſſe ereptum. Omnis ſcilicet reſpublica cum operam dare debeat, ut melior in illa vigeat eruditio, facile patet, academias erigendi jus penes illum eſſe debere, cui ipſa competit reipublicæ adminiſtratio.

XLVII. Rerum ſufficientiam rite majeſtas procurabit, ſi id unice operam dederit, ut τὰ εἰσαγόμενα & ἐξαγόμενα recte ſe habeant. Ideoque videndum, quarum rerum aut exportatione egeat reſpublica, aut importatione; ut cum aliis populis pacta conventionesque fiant, uti dicit Ariſtoteles 1. *Rhet. cap.* 4. §. 20. Tribuendum igitur majeſtati jus pangendi fœdera commerciorum, jus nundinarum & poſtarum publicarum inſtituendarum. Cum ea ratione permutationibus mutuis, ſine quibus ſubſiſtere non poſſe civilem ſocietatem, egregie demonſtrat Ariſtoteles 5 *ethic. Nicom. cap.* 5. quam commodiſſime indigentiæ humanæ ſuccurratur.

XLVIII. Cum vero rerum permutandarum ea ſit varietas atque diverſitas, ut commode inter ſe permutari non poſſint; & nihilominus ad permntationes proportio adeo ſit neceſſaria, ut ſine illa neque juſtitia, neque civilis ſocietas, ſubſiſtere queat; quin etiam fieri poſſit, ut ille, cujus re aut opera ego indigeo, mea re aut opera non egeat, ac proinde mecum permutationem inſtituere detrectet; hinc humanis neceſſitatibus ita efflagitantibus, gentes medium quoddam, nummum videlicet, ſeu νόμισμα inter ſe conſtituerunt, quo mediante non ſolum precia rerum diſcrepantia ita inter ſe comparantur, ut per ejus detractionem ſeu multiplicationem ad æqualitatem reducantur, ſed etiam, ſi alter re noſtra non indigeat, in locum ſuæ rei aut operæ ipſi tanquam fidejuſſor conſtituitur, ſecurum illum reddens, ut pro eo res ſibi neceſſarias rurſus accipere queat:

XLIX. Cum igitur tantopere ad uſum incolumitatemque reipublicæ monetæ uſus requiratur, facile apparet, graviſſimas eſſe rationes, quare majeſtati jus monetæ cudendæ tribuamus. Providere enim illa omnibus modis debet, ne reſpublica quicquam detrimenti accipiat. Quod vix ex alia re promtius accidere ſolet, quam ſi monetæ *cudendæ facultas* privatorum libidini permittatur: Cum ita precia rerum incerta efficiantur, ex quo deinde omnes permutationes, & per conſequens ſocietatum civilium fundamenta penitus ſubvertuntur. Unde firmiter credendum, ei, cui ſumma reipublicæ cura eſt demandata, & illa debere eſſe conceſſa, ſine quibus ſalus reipublicæ obtineri non poteſt.

L. Præter hæc jura ſunt alia quædam, quæ ex imperio, majeſtati in ſingulas perſonas competente, haud incommode deduci poſſe videntur. Conſiſtit autem illud imperium primum in poteſtate obligandi ſubditos ad omnia, quæ juri divino non adverſantur. Unde primum originem trahere videtur legum condendarum ſumma poteſtas. Videmus enim, nullam unquam gentem in legibus naturæ & divinis ſolum potuiſſe acquieſcere, ſed præter illas leges quasdam civiles ſibi accommodaſſe; videntes ſcilicet, ad multa nos a natura non obligari, quæ tamen ut obſerventur, civilis ratio, pro ratione temporis, loci, aliarumque circumſtantiarum variabilis, requirit; ac proinde variis rerumpublicarum ſpeciebus variisque neceſſitatibus varias quoque leges civiles eſſe accommodandas.

LI. Hujusmodi leges cum fundamentum totius reipublicæ ſuſtineant, atque inſuper fruſtra forent, niſi ἀναγκαστικὴν δύναμιν adjunctam haberent, manifeſtum eſt, illas in ejus manus omnino eſſe collocandas, qui ipſa reipublicæ adminiſtratione potitur, quique cives ad legum obſervantiam ſuo quodam jure cogere poſſit. Quale quid ſoli majeſtati eſſe aſſerendum, nemo credo infitias ibit. Quod ſi forte quis ſuperiorem agnoſcens tali poteſtate utatur, illius decreta tantum ponderis non habebunt, ut civium actionibus dirigendis pares eſſe queant, niſi conſenſu & autoritate ſupremæ poteſtatis approbatæ fuerint atque ſuffultæ. Cujus rei exemplum habemus in republica romana, quæ antequam in democratiam degeneraret, plebiſcitis omnes cives non tenebantur, donec ſtatu romano magis ad popularem vergente, lata lege hortenſia ſanciretur, ut omnes plebiſcitis adſtringerentur, uti patet ex §. 2. *inſt. de jur. nat. gent. & civ.*

LII. Non ſolum autem generales iſtiusmodi leges conſtituit majeſtas civilis, quæ omnes omnino obligant in republica, ſed etiam perſonales, quæ ad exemplum non trahantur. Nam quod alicui ob meritum indulſit, vel ſi quam pœnam irrogavit, vel ſi cui ſine exemplo ſubvenit, perſonam non egreditur, §. 6. *inſt. de jur. nat. gent. & civ.* Hinc oritur majeſtati jus privilegiorum concedendorum, quod alii competere nulla ratione poteſt, quam illi, penes quem eſt legum ferendarum ſumma poteſtas. Privilegium enim cum deroget juri communi, & vero tale quid factitare nemini privatorum fas ſit, nulli ſane, niſi ſoli majeſtati civili, privilegiorum concedendorum facultas erit tribuenda.

LIII. Cæterum, easdem ſemper leges civiles obtinere, impoſſibile eſt: cum pro diverſita-

te

te ac varietate loci, temporis, aliarumque circumſtantiarum, modo hoc, modo illud reipublicæ ſalute exigente, etiam leges variare neceſſe ſit, dubium eſſe non poteſt, quin illi, cui jus condendarum legum conceſſimus, jus deſtruendarum legum non ſit denegandum. Interim tamen, cum e re reipublicæ non ſit, ut crebra legum mutatione jus incertum reddatur, ſine gravi peccato in reipublicæ ſalutem commiſſo temere leges mutare non poterit civilis majeſtas, ſed in rebus novis conſtituendis evidens utilitas eſſe debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquum viſum eſt *l. 2. ff. de conſt. princ.*

LIV. Solæ vero leges non ſufficiunt ad id, ut jus ſuum cuique tribuatur, ſed opus inſuper eſt, ut illud, quod leges juſtum definivere, ſingulis applicetur; qualis actus jurisdictio appellatur, uti notat Lampad. *de imperio romano german. part.* 1. §. 1. Cui juri iterum aliud adæquatum ſubjectum aſſignari neutiquam poteſt, quam ipſa civilis ſuprema poteſtas, quæ perpetua debet eſſe, & neceſſaria in quavis republica juſtitiæ cuſtos. Ex quo elucet, inferiores magiſtratus juri iſti ex independente poteſtate non præeſſe; cum contingere poſſit, rempublicam pro ſua anguſtia magiſtratibus inferioribus omnino carere poſſe.

LV. Aſt neque hoc ſufficit, ut majeſtas de injuria civibus illata cognoſcat, & quid juſtum ſit injuſtumve decernat, ſed amplius requiritur, ut quod ſemel juſtum eſſe pronunciavit, exſecutioni demandet. Qui actus ſtricte imperium JCtis appellatur, quod cum duplex faciat Ulpian. *l. 3. ff. de jurisdictione*, duplex quoque jus majeſtaticum, exinde erit derivandum. Imperii meri eſt jus gladii, cujus gradus recenſet Hahnius *in obſervat. ad Weſembec. de Jurisdict. n.* 6. Magni vero intereſt reipublicæ, ne ſcelera maneant impunita. Adeo, ut ſi hac in parte juſto remiſſiorem ſeſe præbeat poteſtas civilis, non labefactari, ſed labefactatam eſſe rempublicam cernamus. Qua de cauſa Ariſtot. *5. polit. cap. 3. p. 305. edit. Conr.* τῶν νομίμων μετάβασιν illis cauſis, quibus ſine motu, atque nobis non animadvertentibus reſpublica corrumpitur, accenſet. Mixti imperii ratione, quænam poteſtati civili veniant expedienda, vide pluribus apud Hahnium *in jam laudatis obſervatis de jurisd. n. 7.*

LVI. Deinde imperium in ſingulas perſonas in variorum munerum injunctione poſitum eſſe videtur. Etenim, quæ hodie eſt rerumpublicarum amplitudo, fieri non poteſt, ut majeſtas omnibus reipublicæ negotiis ſubeundis par eſſe queat, ac proinde multis præſidibus eget communio civilis: qui ſint quaſi oculi, aures, manus & pedes ipſius ſupremæ poteſtatis, uti illos appellat Ariſtoteles *3. polit. cap. 12.* Quibus mediantibus, quod majeſtas ipſa videre, audire atque efficere non valet, moderetur. Hos inter præcipue eminent magiſtratus atque judices. Quorum conſtitutio cum tantopere afficiat rempublicam, ut iis recte ſeſe habentibus, etiam ipſam rempublicam bene ſe habere, atque pro eorum diverſitate inter ſe diſcrepare Philoſophus *lib. 4. polit. cap.* 14. exiſtimarit, ſponte ſua ſequitur, eorum conſtitutionem nemini, niſi ſupremæ poteſtatis curæ, eſſe permittendam, atque exinde juribus majeſtatieis annumerandam. His ipſis enim cum data ſit de quibusdam deliberandi, judicandique & præcipiendi poteſtas, malis ſane modis reſpublica afficeretur, ſi privata autoritate tantam poteſtatem exercere fas foret. Qua de cauſa eum, qui privatus pro poteſtati tali magiſtratuve ſe geſſerit ſciens dolo malo, læſæ majeſtatis reum pronunciat *l. 3. ad leg. jul. majeſt.*

LVII. Minus igitur bene poſt Ottonum tempora Germaniæ noſtræ reges rebus ſuis quidem conſuluerunt, dum comitatus atque ducatus, qui usque ad ſeculum decimum officiorum publicorum, non vero hereditariarum dignitatum, nomina fuere, uti obſervat Lehmannus *in Chron. Spirenſi lib. 4. c.* 1. hereditarios efficiendo, tantos magiſtratus & judices conſtituendi jus tacite a ſeſe abdicarunt: Cum hoc ipſo ſane regiam ſuam dignitatem atque autoritatem permultum iverint imminutam. Oportet igitur eum, qui in adminiſtratione reipublicæ minime vult peccare, plurimis oculis auribusque ita uti, ut caput ille ſit, & in autoritatis ſuæ partem neminem admittat, uti ex Xenophontis *lib. 8. Pæd.* monet Lehmannus *lib. 3. chron. Spirenſis cap.* 22.

LVIII. Ex hoc magiſtratus & judices conſtituendi jure, fluere porro videtur extremam appellationem recipiendi poteſtas, quæ eſt definiente B. Hahnio *in obſervat. ad Weſembecium de appellat. & relat.* a minore judice ad ſuperiorem provocatio ad cognoſcendum de iniquitate ſententiæ a minore prolatæ. Namque cum ſupremæ poteſtates, magiſtratibus aut judicibus inferioribus inter alia etiam jurisdicundi facultatem concedant, & vero ſæpius contingat, ut judices inferiores vel imperitia ſeducti, vel partium ſtudio occœcati, pravam ſententiam ferant, ſalus reipublicæ utique requirit, ut tale quid introducatur, quo judicantium iniquitas atque imperitia corrigi & emendari queat. Quam ſane facultatem, ſi majeſtati negatam aliis attribuere conaremur, nihil aliud ageremus, quam ut majeſtati ſummam de cauſis civium decernendi poteſtatem, & per conſequens τὸ πανταχῦ κύριον contra ipſius naturam atque eſſentiam abjudicaremus. Hinc qui v. gr. in republica populari a magiſtratibus gravatos ſeſe arbitrantur, ajunt oportere populum de rebus exiſtimare, qui libenter accipit illorum provocationem, uti dicit Ariſtoteles *lib. 4. polit. cap. 4. in fin.* cujus exemplum legere eſt apud Livium *hiſt. lib.* 1. ubi Horatius memoratur ob interfectam ſororem perduellionis a duumviris accuſatus, ad populum provocaſſe atque hoc modo abſolutum eſſe.

LIX. Nihil autem derogat majeſtati, ſi illam provocandi poteſtatem, vel ratione ſummæ appellabilis, aliisque modis reſtringat, vel etiam alteri alicui hocce ſuum jus demandet; Siquidem tum nihilo minus poſſeſſio atque ſuperioritas hujus juris mandanti reſervatur. Et vero perinde eſt, ſive ad ipſos fiat imperantes extrema provocatio, ſive ad eos, quibus a ſuperiore hæc

poteſtas eſt delegata. Imo intereſt reipublicæ, ut, cum lites cito ſint finiendæ, caveatur, ne ob quamcunque leviuſculam cauſam judices ſuperiores fatigentur, ſed hi moleſtia leviorum litium decernendarum exonerati, expeditiorem operam in gravioribus reipublicæ negotiis expromere poſſint.

LX. Cæterum quemadmodum majeſtatici juris eſt digne animadvertere in improbos ac facinoroſos; ita quoque ejus eſſe merito cenſetur præmiis afficere eos, qui virtuti operam navant, ac de republica præclare merentur. Quoniam enim omnibus modis id agere debeat majeſtas, ut juſta proportione ſuum cuique tribuatur, & vero omnino ad injuriam eorum, qui virtute præcellunt, pertineat, ſi pari cum omnibus loco habeantur, & non velut virtute, ita quoque dignitate præſtent, dignitatum ſane collatio, a civili majeſtate nullo modo poterit eſſe aliena. Hinc orta eſt in imperio germanico imperatorum jus nobilitandi, duces & archiduces, item doctores & magiſtros creandi, & id genus ſimiles dignitates illuſtriores conferendi. Qualis poteſtas cum ad modum aliorum jurium majeſtaticorum ultra reipublicæ limites ſe non extendat, ſicubi illam in exteros exerceri contingat, nullum juris effectum ſortitur. Ante aliquot ſecula, noſtræ reipublicæ imperatores in dignitatibus conferendis eo proceſſerunt, ut etiam exteros Principes ad regiæ dignitatis faſtigium evehere non dubitarint, quos tamen titulos potius inſigni quadam erga imperatoriam majeſtatem reverentia, quam ullo jure cogente a noſtris imperatoribus fuiſſe expeditos, facile apparet. Similiter quoque noſtræ reipublicæ Principes quidam, v. gr. Bohemiæ Duces, Imperatorum beneficio regio nomine audire cœperunt.

LXI. Atque ita poſtquam vidimus, quid juris, ratione regiminis, tam totius reipublicæ, quam ſingularum perſonarum majeſtati ſit tribuendum, brevibus diſpiciendum reſtat, quid juris majeſtati circa bona tam publica, quam privata ſit aſſerendum, & quinam ejus limites ponendi. Ubi principio obſervandum, rempublicam commode gubernari non poſſe, niſi adſint bona quædam publica, quæ quotidianis ſumtibus in reipublicæ curam faciendis ſufficere poſſint, qnandoquidem toties, quoties uſus reipublicæ efflagitat impenſas, ad exactiones recurrere velle, non ſolum operoſum nimis foret, ſed & ſæpius occaſioni præclare quicquam gerendi obicem poneret. Neque ad adminiſtrationem ſolum reipublicæ ipſius bona quædam ceu nervus rerum gerendarum requiruntur, ſed & naturalis æquitas ſuadet, nt illis, quorum opera reſpublica tota & ſingulorum privatorum bona ſarta tecta conſervantur, digna laboribus merces ac compenſatio detur. Hinc igitur videmus, in omni propemodum republica majeſtati quaſi quoddam patrimonium, ad commodiorem reipublicæ gubernationem ſuamque dignitatem tuendam, eſſe conceſſum, quod fiſcum germanice *die Cammer-Güter*, appellare ſolemus. Cujus rei notabile exemplum vide apud Ariſtotelem 2. *polit. cap.* 6. ubi memoratur, Hippodamum quendam cum reipublicæ bona divideret, tertiam partem uſui publico, quo, qui bello deſtinati ſunt, alerentur, addicaſſe.

LXII. Hujusmodi igitur patrimonium nt conſervetur, communi gentium uſu eſt introductum, ut multa, quæ fiſcum commode augere poſſint, ſoli majeſtati ſint reſervata, a quorum communione privati optimo jure excluduntur. Namque perinde uti illa, quæ naturali jure communia ſunt, cedunt occupanti: ita quoque illa, quæ populus aliquis, aut quæ eum gubernat ſuprema poteſtas, publica fecit, hoc eſt, reipublicæ uſui deſtinavit, citra injuriam ipſi eripi haud quaquam poſſunt. Tale bonum publicum multis in locis, non omnibus tamen, eſt, jus venandi & piſcandi in fluminibus publicis, jus ſcrutandi mineras terræ, & plura alia, quæ longa ſerie Arniſæus *lib.* 3. *de jure majeſtat. cap.* 4. & 5. recenſet. In quæ proinde, ſiquidem ita conſtitutum fuerit, majeſtatis dominium adeo eſt abſolutum & ſummum, ut non tantum ratione jurisdictionis & adminiſtrationis ipſi talia ſint ſubjecta, verum etiam, ut eorum uſum privatis prohibere & reditus, inde reſultantes, omnes fiſco adjudicare poſſit.

LXIII. Poſtremo etiam in bona privatorum aliquod jus majeſtati vindicandum. Cujus quinam ſint termini, de eo non omnes idem ſentiunt. Quidam enim tantum ratione jurisdictionis, protectionis atque adminiſtrationis illa ſummæ poteſtati ſubjecta volunt, quos allegatos vide a Lampadio *part.* 3. *de imperio romano german. cap.* 9. §. 5. Alii vero adhuc excellentius, in liberrima alienandi poteſtate conſiſtens, in hæc bona dominium ipſi concedunt. Et quidem primo ratione jurisdictionis extra eſt controverſiam, omnia bona ſubeſſe imperio civili. Pariter ratione protectionis, ea ipſi ſubjicere nemo ſanus unquam dubitabit, ſiquidem majeſtas cives ſuos felices reddere minime poterit, niſi etiam eorum bona ab omni injuria defendere jure queat. Sed nec ratione adminiſtrationis bona privatorum ſupremæ poteſtati civili omnino eximenda erunt. Cum enim bona pars reipublicæ valde ſit imprudens, atque plane ignoret, qua ratione ſuis bonis ad reipublicæ utilitatem præeſſe debeat, hinc reſpublica ſalva eſſe minime poteſt, in qua cuilibet integrum ſit, bona ſua pro lubitu adminiſtrare. Atque hinc eſt, quod circa emtionem, venditionem teſtamentique factionem, pro rerumpublicarum diverſitate, variae leges condendi jus habeat ſuprema poteſtas. Non habitura certe, ſi jus privatorum bona adminiſtrandi ipſi denegari poſſet.

LXIV. Non vero tantum ratione jurisdictionis, protectionis & adminiſtrationis majeſtati jus in bona privatorum aſſerimus, ſed etiam verum proprieque ſic dictum dominium, id eſt de bonis privatorum plene diſponendi facultatem ipſi certa ratione arrogamus. Nam quemadmodum nemo bona ſua divinæ poteſtati ſubtrahere poterit; ita nec civili in hiſce terris Dei vicariæ poteſtati quodam modo ſummum in privatorum bona dominium derogabit. Et quan-

quam duorum in ſolidum dominium ſeu poſſeſſio eſſe minime poſſit, *l. 5. §. ult. ff. commod.* tamen nihil obſtat, quin ex parte & diverſo reſpectu, duo unius rei domini eſſe queant. Ita poteſt privatus aliquis civis aliorum privatorum reſpectu, in re aliqua plenum quidem habere dominium, at vero reſpectu reipublicæ tali jure non gaudebit. Privati ſcilicet patresfamilias, plenum habent dominium bonis ſuis ad ſamiliarum ſuarum ſalutem utendi; aſt, cum ſine reipublicæ incolumitate familia ſalva eſſe minime poſſit, oportet majeſtatem illa bona ad utilitatem publicam poſſe dirigere. Quod ſane præſtare non poterit, ſi ipſi omnis facultas privatis bona illa auferendi & per conſequens dominium, non concedatur.

LXV. Interim vero opinandum non eſt, quod majeſtati jure tribui queat poteſtas de bonis privatorum quidvis, aut quocunque modo, ſtatuendi atque exigendi: ſed omne hoc jus & hæc poteſtas ſalute reipublicæ limitanda & in modo bona privatorum exigendi omnino unice ad ſcopum & ſummam reipublicæ poteſtatem debet attendi. Aliæ ſcilicet reſpublicæ primo ſpectant ſalutem totius populi, aliæ autem primario imperantium ſalutem attendunt, illæ civiles, hæ heriles dicuntur. In republica vere civili, non niſi tum ex bonis privatorum exigi aliquid poteſt, quum ſalus reipublicæ aut univerſæ civitatis tale quid neceſſario expoſcit. Quæ cauſa eſt, quod in talibus rebuspublicis opera dari ſoleat, ut illud, quod ex bonis exactum eſt, revera in uſum publicum ceſſiſſe, populo cernere detur. Longe diverſa eſt ratio rerumpublicarum herilium, ubi per ſe & primario imperantium ſalus ſpectatur. In hiſce enim, quotieſcunque intererit ipſius imperantis, uti bonis privatorum, tenentur ſubditi bona ſua ipſi ſuppeditare. Cum vero nec hiſce imperantibus utile ſit, ſubditos plane deglubi, nec talibus quidem quidvis exigendi competet licentia: ſed debet populo in tali re relinqui, quanta ad vitam commode degendam ſufficere queat. Atque hoc modo, quid juris in bona ſubditorum majeſtati ſit tribuendum, breviter definitum eſto. Quo abſoluto, toti ſimul diſputationi finem imponimus; nulli diffitentes, pro materiæ hujus nobilitate ornatiora, & pro ejus amplitudine longe plura in medium fuiſſe producenda; quod quo minus jam præſtiterim, cum partim ingenii tenuitas, partim temporis anguſtia in cauſa fuerit, equidem ſpero, æquum lectorem pro ſuo candore hæcce leviuſcula exercitii academici gratia a juvenili ingenio profecta æqui bonique conſulturum.

Sit ergo

SOLI DEO GLORIA.

HERMANNI CONRINGII
EXERCITATIO POLITICA
DE MAJESTATIS CIVILIS AVTORITATE ET OFFICIO CIRCA SACRA.

Ad diem XX. Decembr. MDCXLV. habita.

RESPONDENTE

MARTINO *ab Heimburg.*

Theſis I.

Acturi, exercitii gratia, de majeſtatis civilis autoritate & officio circa ſacra, putamus non fore incommodum, ſi de majeſtate quædam, & rebus ſacris (quæ quidem ad faciliorem quæſtionis hujus explicationem videntur facere) præmiſerimus. Niſi enim prius accurate cognoveris, quid *majeſtatis* vocabulum hoc loco ſignificet, quid in qualibet republica majeſtas poſſit, & ad quæ teneatur, penes quos debeat eſſe, deinde quæ ſacrorum nomine veniant, denſis tenebris propoſita noſtra quæſtio obtegitur.

II. Majeſtatem itaque definimus, quod ſit *ſuprema & libera adminiſtrandi civilem ſocietatem poteſtas ad finem propoſitum.* Ubi obſervandum, civitates & reſpublicas non eſſe uniusmodi: Alias nempe veras, quæ conſtant veris ſocietatibus civium, obtinendæ ſummæ in hac vita felicitatis ergo una viventium; alias improprie ita dictas, numero tamen atque uſu longe plurimas, in quibus non tam omnium civium, quam imperantium ſalus quæritur, adeo, ut reliqui a ſervili conditione, vel nihil, vel parum abſint. Priores dicimus veras *ſocietates*, non item poſteriores, quod nimirum vera ſocietas commune bonum habeat propoſitum, inter dominum autem & ſervum non ſit proprie ſocietas. Ad priores quoque ipſa natura, nulla vi adacta, humanum genus ducit; Ad poſteriores non item: imo hæ interdum omni ex parte ſunt iniquæ, & improbæ & humanæ felicitati adverſæ. Quapropter ſi æque poſteriores ac priores reſpublicas placeat civilium ſocietatum nomine appellare, liquet, majeſtatem quoque civilem duplicis eſſe ordinis, in prioribus nempe vim ejus verſari circa ea, quæ ad felicitatem civilem omnium promiſcue civium pertinent, in poſterioribus circumſcribi illam uſu imperantium. Non negabimus tamen, hanc ultimam rectius herilem poſſe nuncupari.

III. Cæterum vera felicitas ſocietatis civilis, ita proprie dictæ, conſiſtit in eo, ut cives virtutis opera exerceant in vita, omnibus fortunæ bonis ſufficienter inſtructa, quemadmodum præclare docet Ariſtoteles *lib. 7. politicor.* Itaque & majeſtas ejusmodi ſocietatum jubere, vetare, permittere poteſt, quidquid ad obtinendam illam facit. Quicquid vero iſthuc non facit, & ſine quo ſcopus ille poteſt obtineri, illud ad poteſtatem iſtius majeſtatis non pertinet: adeoque peccat ille, ſi quidem iſthuc usque imperium ſuum extendat.

IV. Porro exactæ civilis felicitatis iſtius non omnes pariter ſunt capaces, ne quidem, ſi virtutem ſolum reſpicias, non autem fortunæ bona. Magna ſiquidem eſt ingeniorum diverſitas, ut taceam alia, quæ vel remoram virtuti poſſunt objicere, vel offendiculum. Injuſtum vero fuerit, quæ moraliter ſunt impoſſibilia, ſevere exigere. Eſt etiam, ubi boni ſcopi particeps fieri non poſſis, ſine magno aliquo malo. Unde manifeſtum eſt, non poſſe ſine injuria majeſtatem civilem ea, quæ ſunt perfecte optima, ſemper & omnibus imperare: verum interdum minus bona permittere omnino debere, ſive vitandi majoris incommodi gratia, ſive quod virtutis illa præſtantia ſuperet civium captum. Peccat ſane majeſtas, ſi flagitanti neceſſitati nolit cedere, ut ut nonnihil ita a tramite virtutis declinetur.

V. Altera majeſtatis ſpecies, etſi non ita ſpectet civium utilitatem, quæ tamen in uſum illorum ſive naturæ jus, ſive lex divina conſtituit, illa, quantumvis videantur ſuo commodo obſtare, non poteſt non ſine graviſſimo crimine ſaltem permittere. Imo & exigere illa debet, quum juris naturæ ſit, alios ad virtutem, quoad fieri poteſt, ducere: Poteſt autem imperio ſuo multum is, qui dominatur. Reliqua omnia, quæ neque jus naturæ, neque divina lex ordinavit, licet illi majeſtati in ſuam utilitatem temperare, jubendo, vetando, permittendo. Licet inquam: neque enim herile imperium, niſi in natura ſervos, a natura eſt inſtitutum, majeſtas autem ejusmodi herilis eſt dominatus.

VI. Cæterum de hisce dubitatum fortaſſis eſt nunquam ob rei evidentiam. Majoris momenti poſſit videri quæſtio, penes quos poteſtas, quam nos majeſtatem vocamus, jure debeat eſſe. Ne quid enim jam dicamus de iis, qui Pontifici romano usque adeo ſummam poteſtatem tribuunt in omnes totius orbis chriſtiani reges, principes & reſpublicas, quaſi illi uni competant majeſtatis jura in omnem orbem chriſtianum; Regibus & principibus vero tantum munia magiſtratuum: Nonnulli (vide bene multos hujus ſententiæ autores apud Arniſæum *c. 1. in princ. de vi in principem ſemper injuſta*, quibusque non immerito adjungas ſcriptum, quod non adeo pridem incerto autore nomine Poſtillionis prodiit,) exiſtimant, cum in civili ſocietate ſumma beatitudo ſpectetur, ea autem tum demum perfecta ſit, ſi omnibus reipublicæ illius civibus ſit bene, cumque ii, quorum gratia coit ſocietas, & quorum commodi primaria habenda ratio, rempublicam adminiſtrare debeant, majeſtatis jura populo ſemper competere, adeoque *πανβαςιλείαν* omnem iniquam eſſe, & juſtitiæ adverſam. Alii mutuam quandam ſibi ſubjectionem fingunt, & regi recte imperanti ſubjiciunt univerſum populum, quem rurſus male rempublicam adminiſtranti regi præficiunt. Quidam majeſtatis jura indiviſibilia, id eſt, penes eosdem omnia eſſe, contendunt, eaque ratione mixtarum rerumpublicarum ſpecies nullas admittunt.

VII. Verum jam olim Ariſtoteles *lib. 3. politicor.* opiniones eas doctiſſime confutavit, in bonis rebuspublicis non minus, quam in vitioſis, penes unum, aut paucos, aut omnes, ſummum imperium ex integro eſſe poſſe, idemque illud nonnunquam diviſum ab uno & paucis, aut uno & omnibus, aut omnibus & paucis, ac ſimiliter, recte teneri, ſolidiſſimis argumentis evincens. Præterea falſum eſt, quod illi ſumunt tanquam certum, omnem omnino rempublicam ſpectare utilitatem communem populi: proprium enim id tantum eſt rerumpublicarum bonarum, quod jam ſupra diximus. Aliarum vero, quæ pro ſcopo potiſſimo habent regnantium commodum, numerus longe ſemper fuit maximus omnibus ſeculis: Quod ex hiſtoricis monumentis, & uſu quotidiano rerum humanarum eſt notiſſimum.

VIII. Quamvis vero illæ reſpublicæ non ſint bonæ ſocietates civiles, neque cives ſuos reddant felices, adeoque hactenus minus ſint laudandæ, inde tamen non ſequitur, prorſus injuſtas illas eſſe, aut naturæ divinisque legibus contrarias. Deus enim Opt. Max. illas rerumpublicarum formas improbaſſe, vel prohibuiſſe nunquam legitur; quin obedientiam omni magiſtratui, etiam iniquo, præſtandam in ſacro codice ſerio præcipit. Naturæ lex tantum abeſt eas prohibuiſſe, ut ad eas interdum conſtituendas ſuadere homines, & impellere videatur. Integros enim populos videmus ſervili animo eſſe: Qui utique dominico imperio ſunt regendi. Jam vero & ſervitutem legalem jure gentium introductam, quo bello capti & ſuperati cedunt in ſervitutem victoribus, permittit naturæ lex: Superantur vero bello frequentiſſime integri populi, in has itaque imperium dominicum inſtituere, jure naturali non eſt vetitum. Porro quosdam caſus & infortunium in rebus adverſis mergit, ut ſervitutem ſubire malint, quam mala ac diutius perpeti. *Conveniunt homines & ipſius vivere cauſa* (inquit ſummus Philoſophus 3. *politicor.* 4.) *nam fortaſſe huic honeſti aliqua pars ineſt, ſocietatemque retinent etiam in vivendo tantum, niſi res adverſæ in vita ſint nimiæ. Perſpicuum autem, multos morales mala perpeti vitæ cupiditate, tanquam in ea inſit quædam felicitas, & ſuavitas naturalis.* Ejusmodi itaque populis etiam haud invitis licet herilem reipublicæ formam imponere: Non adverſante profecto naturæ jure. Non tantum vero permittit naturæ lex, ut qui liberi nati ſunt, ſervitutem ſubeant ſive ultro, ſive neceſſitate adacti, & jubet pactis & promiſſis ſtare, ſervanda ſcilicet quæcunque recepiſti; etſi neceſſitate adactus non prorſus ſponte ea ſis pollicitus. De

qui-

quibus vide egregie diſſerentem Hugonem Grotium *de jure pacis & belli lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 8. *&* 9. Neque enim noſtri eſt inſtituti, hæc latius perſequi.

IX. Priusquam vero hinc abeamus, tria notanda ducimus. Primum eſt: multum eſſe diſcriminis inter majeſtatem & magiſtratum. Quod non recte animadverſum, imperitis imponere ſolet. Solent nimirum vulgo nonnunquam magiſtratibus attribui jura, majeſtati propria, eo quod rempublicam videant ab illis adminiſtrari, nec advertunt, ſive inquirunt, unde ea conſtitutio magiſtratuum dependeat. Habet vero magiſtratus dependentem, & majeſtatis imperio ſubjectam poteſtatem, & nihil aliud eſt, quam miniſter, eorumque executor, quæ ipſa majeſtas exequi aut ob utilitatem non vult, aut ob multitudinem nequit. II. Cautio adhibenda eſt, ne decipiant quem ſpecioſa, & plenam poteſtatem ſpirantia vocabula. Multi enim ſola libera adminiſtratione contenti, ab omnibus titulis & inſignibus abſtinent: Contra plurimi omnes ſibi titulos & honores ſumunt, ſummam vero poteſtatem non participant, aut non niſi partem ejus quandam, ut recte monet Arniſæus *de jure majeſtatis lib.* 1. *cap.* 1. III. Diligenter eſt cavendum, ne in mixtis rebuspublicis veram mixtionis rationem negligamus, ſed notemus accurate, qua ratione ſummum imperium ſit diviſum, utpote quum illa mixtio poſſit variis admodum modis inſtitui. Sed hæc de majeſtatis definitione, juribus, & ſubjecto pro ratione argumenti noſtri dicta ſufficiant; SACRORUM nomine quid indigitetur, paucis porro diſquirendum.

X. Sunt autem ejusmodi tria potiſſimum. Prima ipſa divini cultus ratio in ſe ſpectata. Alterum perſonæ illi cultui ſingulatim dicatæ. Etſi enim in omnium ſit officio Deum colere, quidam tamen peculiariter providere debent, ut omnia rite ac decenter exerceantur, quique adeo ſacrorum ſunt antiſtites, & adminiſtri. Tertii ordinis, ſunt res aut bona, ſive mobilia, ſive immobilia, ad religioſum cultum neceſſaria.

XI. Fuit autem omnibus temporibus cultus illius ratio, & eſt hodieque pervaria. Itaque nonnihil diſtinctius conſideranda illa eſt, quo rectius pateat circa hæc, quid poſſit, aut debeat civilis quælibet majeſtas. Primum ergo principium religionis eſt: Deum colere tanquam ſummum gubernatorem, ut aliarum, ita & humanarum rerum. Nititur utrumque duabus illis notitiis, nempe *& eſſe Deum*, *& ab eo præmia dari ſe colentibus*, quod accidenti ad Deum eſſe credendum auctor epiſtolæ ad Hebræos *cap.* 11. *verſ.* 6. divine pronunciavit. Haud nego, inventos & in Philoſophorum maximis, qui, providentia divina non agnita, tamen colendum numen duxerint: verum recte Lactantius: *Neque honor ullus deberi poteſt Deo, ſi nihil præſtat colenti, nec ullus metus, ſi non iraſcitur non colenti.* Bene quoque Tullius; *Sunt philoſophi, & fuerunt, qui nullam habere cenſerent humanarum rerum procurationem Deos, quorum ſi vera ſententia eſt, quæ poteſt eſſe pietas? quæ ſanctitas? quæ religio? Hæc enim omnia pure ac caſte tribuenda Deorum numini ita ſunt, ſi animadvertuntur ab his, & ſi eſt aliquid a Diis immortalibus humano generi tributum.* Eſt vero hactenus divinus cultus non tantum facilis demonſtratu, ſed etiam ita apud omnes populos quaſi natura notus, ut nullus plane non in id conſenſerit. Unde Ariſtoteles *lib.* 2. *Topic. cap.* 4. ait, *alibi quidem alia eſſe honeſta, Deum honorare ubique.* Socrates apud Xenophontem, *Deos colere legem eſſe*, ait, *apud omnes homines receptam.* Etiam id manifeſtum eſt, absque tali firma perſuaſione, adeoque absque ejusmodi cultu, ſocietatem humanam nullam poſſe ſubſiſtere. *Pietate enim ſublata*, (ut recte Cicero inquit) *fides etiam & ſocietas humani generis, & una excellentiſſima virtus, juſtitia, tollitur.* Quod ipſum confirmans Plato, religionem appellat *propugnaculum poteſtatis ac legum & honeſtæ diſciplinæ vinculum*: Plutarchus ſimiliter, *coagulum omnis ſocietatis, & fundamentum legislationis.*

XII. Quemadmodum autem hoc ipſum natura notum, & naturæ eſt jure mandatum, ita prorſus a recta ratione abhorret, de ſanctiſſimo numine credere, agi ab ipſo turpia quæque & improba. Et tamen ejusmodi quam plurima Diis ſuis paganorum religio omnis attribuit. Recte Plinius *lib.* 2. *cap.* 7. *Super omnem impudentiam, adulteria inter Deos fingi, mox jurgia & odia, atque etiam furtorum eſſe & ſcelerum numina.* Non poteſt vero non talis de Diis perſuaſio evertere inter homines omne virtutis ſtudium, quo ſublato, & juſtitia tollitur, qua ſine, nec latronum ſocietas poteſt conſtare. Exemplum eſt in Eunucho Terentiano, *act.* 3. *ſcena* 5. *de Chærea.* Ut proinde optime dixerit Auguſtinus *ep.* 15. *Nihil homines tam inſociabiles reddit vitæ perverſitate, quam illorum deorum imitatio, quales commendantur & deſcribuntur literis eorum.* Multo maxime vero noxium eſt, ſi in ipſos ſacros ritus recipiantur fœda flagitia, quibus item paganorum ſacra paſſim fuerunt conſpurcata. Ut enim alia taceam, quid fœdius eo, quod, Strabone teſte, Corinthi in fano veneris plures, quam mille meretrices ſacris miniſtraverint?

XIII. Porro præter hæc alia quædam de religione recta aut jubet, aut vetat naturæ lex omnibus cognitu facilis: Sed non licet illa omnia nunc pro dignitate recenſere; neque perinde omnia, ut priora civili ſocietati aut noxia ſunt, aut utilia. Ad illam vero naturalem (uti ita dixerim) religionem, multa adjecit ipſe Deus Opt. Max. quæ veteris novique fœderis voluminibus continentur. Horum, quæ ſunt quidem fœderis antiqui, nonniſi uni populo judaico, & quidem ad Meſſiæ tantum usque adventum ſervanda ſunt injuncta, adeoque non ſimpliciter lata ſunt in uſum omnis ſocietatis civilis. Omnes homines obſtringit lex fidei chriſtianæ, ex quo promulgata eſt. Verum nec illa (in quantum ſane ſuperaddit quædam naturali religioni) ad felicitatem hujus vitæ, civilemque obtinendam pertinet. Argumento eſt, quod tale aliquod bonum ejus cultoribus non ſit promiſſum, imo potius ærumnas & damna jubeat lex ipſamet exſpectare. Ex ſe profecto & ſimpliciter felicitati illi comparandæ non eſſe neceſſariam, liquet inde, quoniam,

quæ illi fini ſunt neceſſaria, debent naturaliter eſſe nota, imo debuerunt eſſe nota a prima usque mundi ætate; utpote quum civilis felicitas debuerit ab illo usque tempore in hominum fuiſſe poteſtate ſita. Ex adverſo autem ſero demum humano generi doctrina fidei innotuit, nec niſi Deo per filium ſuum & apoſtolos eam revelante.

XIV. Si illa itaque additamenta primævæ & naturaliter cognitæ religionis ſpectes, merito dixeris, chriſtianam religionem, ad felicitatem æternæ, non hujus vitæ conſequendam per ſe & proprie facere. Quemadmodum non aliud præmium cultoribus, nec aliam pœnam ſontibus proponit. Enim vero qui cum Antonio Poſſevino, Bellarmino, Thoma Bozio, Baronio, aliis e Conſtantini M. & nonnullorum aliorum fortuna probare nituntur, etiam hujus vitæ commoda ſequi fidei cultores, illi abunde refelluntur tot millium martyrum exemplis, ut aliorum quam maxime fidelium nunc miſeriam diſſimulemus, neque apponamus exempla maximarum & incredibilium pene victoriarum, quas principes & respublicæ a fide chriſtiana alieni vel hæreſi infecti, adverſus ipſos chriſtianos catholicos omnibus ſeculis plurimas obtinuerunt. Quod ipſum infra quoque a nobis annotabitur.

XV. Verum de cultu divino, in quantum ille abſque nova aliqua cœleſti doctrina, ingenii noſtri viribus poteſt comparari, in quantum etiam cœlitus præſcriptus eſt, pro inſtituti ratione ſatis dictum. Breviter nunc etiam videndum, nunquid hominibus nobis liceat nonnihil circa cultum divinum ordinare; Cæterum, ut huic dubitationi eo melius occurramus, aliquot certas hypotheſes ponemus, quibus quæſtionis hujus veritas conſtabit. *Primo* igitur: Nulli homini competit autoritas viam & modum perveniendi ad æternam ſalutem præſcribendi. Patet hoc per ſe: cum enim vitam æternam largiri ſolius Dei ſit, ſummæ dementiæ fuerit, media velle præſcribere. & dare, quæ in tua nullo modo ſunt poteſtate.

XVI. *Secundo*: Quæ Deus vel ab initio usque mundi intellectui noſtro de religione inſevit, vel poſthac juſſit, illa nemini hominum mutare fas eſt, non minus atque nefas fuerit, alia naturæ & divina jura immutare. Similiter, quæ naturali, aut nova poſitiva lege Deus prohibuit, illa itidem non licet cuiquam hominum mandare. Ac proinde, quum Salvator noſter non alia voluerit ab apoſtolis doceri, quæ homines æternæ ſalutis ergo obſervent, quam quæ ante præceperat, omnemque illum ſalvum fore promiſerit, qui fidem illis dictis adhibens baptizatur; quum ex ejusdem ſententia doctrinam ſuam evangelicam non dubitaverit ſanctiſſimus apoſtolus appellare *omne Dei conſilium*, item *potentiam Dei ad ſalutem omni credenti*, imo anathema dixerit cœleſtibus angelis, ſi illi evangelizaverint quidquam, *præter id*, quod ipſe docuerat: hoc eſt, ſi illi ad ſalutem obtinendam dixerint illa eſſe neceſſaria, quæ ex Chriſti præſcripto ipſe non exegerat: Liquet utique, hactenus ſane chriſtianam fidem, neque additamentum pati, neque immutationem humanam. Adeoque poteſtatem novos articulos fidei, (ut clarius loquamur verbis eccleſiæ uſitatis) aut ſacramenta gratiæ divinæ condendi, homini aut uni, aut pluribus hodieque adſcribere, deteſtandæ eſt impietatis.

XVII. *Tertio* eſt quoque certiſſimum: de quibus non eſt vetitum aliquid conſtituere, neceſſitas tamen & decori ratio exigit, ut quid circa ea ordinetur, ea humanis conſtitutionibus licere circumſcribere. Nihil enim de hiſce vel natura, vel poſitiva Dei lex, conſtituit, & tamen intereſt civitatis, ut hæc in uſum reipublicæ ordinentur. Itaque, etſi ad placandum Deum nihil faciat, quomodocunque hæc fiant, tamen propter hujus vitæ uſum non tantum licet, ſed decet etiam, & par eſt, ut quædam leges de his ferantur. Hoc ſane eſt conſilium illud apoſtolicum, etiam in eccleſia inſtituenda eſſe omnia ad ædificationem, utque omnia ſeſe habeant ex decoro & ordine.

XVIII. Circa ipſam itaque colendi Dei rationem in quantum humanæ ſit autoritatis aliquid inſtituere, vel non, ſic manifeſtum eſt. An de perſonis & bonis ſacris itidem ab hominibus leges poſſint ferri, aut debeant, ex iis, quæ diximus, itidem haud difficile eſt intellectu. Primo enim certum eſt, naturam de illis non niſi pauca mandaſſe. Cujusmodi ſunt, quæ ad mores pertinent ſacrarum perſonarum. Sicut enim naturalis eſt juris, ut ſancta & pura mente Deus colatur, ita ab eodem etiam jure eſt, ut præ aliis, qui præſunt ſacris, vitæ ſanctimonia, & probis moribus emineant.

XIX. Deinde poſitivis etiam divinis legibus evangelicis (de hebræis enim nunc nihil dicimus) præter illa naturaliter nota, de perſonis & bonis ſacris nihil, vel parum admodum, eſt cautum. Et tamen poſtulat uſus eccleſiæ, ut circa illa certi aliquid conſtituatur, quo in domo Domini omnia decenter gerantur. Ad hæc itaque recte ordinanda humanis inſtitutis, quam maxime eſſe opus, manifeſtum eſt. Breviter ſcilicet ad hunc ſeſe modum res habet. Cum ſacer cultus non poſſit exerceri ſine miniſtris, divinæ rei præfectis, homines vero illi ſint, ideoque humanis caſibus & rationibus obnoxii, certum eſt, de iis quid & poſſe, & debere conſtitui, ſubjicique eos humanæ jurisdictioni, cum quatenus rebus ſacris præſunt, tum quatenus negotia cum reliquis hominibus communia exercent. Ad eum quoque modum, cum ad cultum divinum pene neceſſario bona requirantur, bona vero jurisdictioni humanæ multis modis ſint ſubjecta, ſequitur, de hiſce bonis hominibus eſſe aliquid decernendum, quum Chriſtus & Apoſtolus nihil de iis conſtituerint, ad decorum vero eccleſiæ omnino pertineat, ut & hæc rite ſeſe habeant.

XX. Ubi obſervandum occurrit, non tantum aliis temporibus, ſed etiam ex quo eccleſia chriſtiana viguit, multas ejusmodi leges de ipſo cultu, de perſonis item ac bonis ſacris latas eſſe. Et in eccleſia quidem alia initio ſtatim ab apoſtolis, alia a ſequentium temporum epiſcopis, & prin-

principibus chriſtianis conſtituta ſunt. Porro horum nonnulla longo tempore ab omnibus pariter chriſtianis ſunt obſervata, quædam nonniſi in paucis locis, nec diu obtinuerunt. Proinde haud male dixeris, omnia eccleſiæ inſtituta habere vim partim juris naturalis, partim juris gentium, partim juris civilis. Scilicet quæ ad obtinendam æternam ſalutem ab ipſo Chriſto profluxerunt, illa autoritatem habent naturalis juris omni nempe ex parte immutabilem. Juris gentium vocaveris ea, quæ in primitiva eccleſia ab apoſtolis, cæterisque epiſcopis, ita ſunt conſtituta, ut in univerſalis eccleſiæ uſum tranſiverint.

XXI. Quemadmodum tamen gentium proprie dictum jus mere poſitivum eſt humanum, ad eundem modum jura illa chriſtianarum gentium, cum ab hominibus ſint lata, non ejus ſunt dignitatis, cujus divinæ leges a Chriſto præſcriptæ, ſed & ipſæ ab hominibus mutari poſſunt, uſu ita exigente. Sicut vero a jure gentium temere non eſt deflectendum: ita etiam, quod ipſi Apoſtoli, quod ejus ſucceſſores & epiſcopi conſtituerunt, magnæ debet eſſe autoritatis, nec temere & absque ſatis gravi ratione, aut niſi illa, quorum gratia ita ſunt inſtituta aut conceſſa, deſierint, inde eſt recedendum. Quænam vero ejus ſint notæ, peti poteſt actis ex apoſtolorum a S. Luca Evangeliſta perſcriptis, ex apoſtolorum ad diverſas eccleſias, & viros probos epiſtolis; ex antiquis canonibus, non quidem pontificiorum illis ſuppoſititiis intra annos 800. natis, ſed veris priſcæ eccleſiæ ſtatutis, qualia in codice canonum univerſalis eccleſiæ (quem magno bono emendatiorem edidit Chriſtophorus Juſtellus) continentur. Sicut quæ civili juri reſpondent, ex ſtatutis ſingularum eccleſiarum petenda ſunt.

XXII. HÆC in anteceſſum quaſi præmittenda fuerunt, licet fori noſtri proprie non ſint, quoniam in hiſce multos errare certum eſt; nec tamen, niſi his probe perſpectis, caveri in noſtro argumento multiplices lapſus poſſunt, quemadmodum mox erit manifeſtum. Igitur ut ad rem ipſam accedamus, principio videndum, quod liceat majeſtati, aut quid ejus ſit officii circa cultum divinum ipſum. Prout enim hic ejus ſe habet autoritas, ita ex conſequenti valet illa circa res & perſonas ſacras: Quod infra clarum evadet. Atque hic quidam ſtatim in janua nobis ſe objiciunt, qui ita de libertate divini cultus diſſerunt, quaſi illa cujusvis arbitrio penitus relinqui debeat, adeoque nullius hominis imperio ſit ſubjecta. Quales ſententiæ non tantum noſtri ævi per quam multis, verum etiam primævæ eccleſiæ optimis magiſtris exciderunt. Tertullianus ad Scapulam: *Humani juris & naturalis poteſtatis eſt, unumquemque, quod putaverit colere, nec alii prodeſt, aut obeſt alterius religio. Sed nec religionis eſt, cogere religionem, quæ ſponte ſuſcipi debet, non vi: cum & hoſtiæ ab anima libenti expoſtulentur.* Lactantius *l* 5. *c.* 200. *Non eſt opus vi & injuria: quia religio cogi non poteſt, verbis potius, quam verberibus res agenda eſt, ut ſit voluntas.* Item: *Nihil tam voluntarium eſt, quam religio.*

XXIII. Probaveris idem etiam illo argumento, quod religio quam maxime ab intellectu dependeat, ille vero imperium nullum audiat. Scilicet per ſe conſtat, legibus nihil poſſe adſtringi, quod in hominum voluntate non eſt poſitum. Quum enim ſola voluntas ſit libera, intellectus autem non ſit ex ſe liber, manifeſtum eſt, intellectus actiones nequaquam legibus, & per conſequens præmiis & pœnis poſſe definiri. Sicut vero in arbitrio hominis non eſt, intellectu aliquid aſſequi, aut non; ita etiam de Deo, & divini cultus ratione hoc credere vel non credere. Quoniam itaque religio conſtat ſcientia ſeu credulitate aliqua, quæ intellectus potius, quam voluntatis actio eſt, quidni dixeris fidei & religionis negotia nequaquam legibus humanis, adeoque neque majeſtati jure poſſe ſubjici?

XXIV. Cæterum quantumvis hæc ſpecioſa videantur, nihil tamen habent firmi. Humani enim juris eſſe unumquemque, quod putaverit, colere, id profecto adverſatur communi ſententiæ omnium pœne rerumpublicarum, quæ unquam fuerunt. Omnes quippe circa cultum divinum nonnulla legibus conſtituerunt, pœna in delinquentes adjecta. In Hebræorum republica ejusmodi leges ab ipſo Deo eſſe latas, notiſſimum eſt. Per multum quoque intereſt civitatis, adeoque permultum obeſt, aut prodeſt, quid cives colant, & quomodo. Porro & virtus quælibet ſponte debet exerceri: Neque enim virtuoſa actio eſt, niſi quæ libenti animo ſuſcipitur, & tamen virtus ac vitium civilibus legibus adſtringenda ſunt. Itaque nec ex eo, quod cultus voluntarius demum Deo placeat, colligere eſt, religionem imperio humano exemtam eſſe. Fatemur vero & nos, religionem ex parte opus eſſe intellectus, & hactenus legem non audire. Eſt autem & virtutis moralis eadem ratio. Verum enim vero, quemadmodum alias errat ſæpe intellectus, tantum quod nolueris operam dare, ut eximaris ab errore aut ignorantia, vel propter aliena negotia, vel propter ambitionem aut avaritiam, aut aliis denique de cauſis, adeoque hactenus ignorantia, atque error pœnam commerentur: ad eundem modum multi circa cultum divinum errores merito dicendi ſunt voluntarii, quod nimirum proficiſcantur tantum ex non adhibito recte ſtudio perveniendi ad veritatem. Porro in arbitrio eſt humano, ſuum quem quis concepit de colendo Deo, ſenſum vel tegere, vel aperte profiteri, adeoque ſaltem hactenus cultus divinus eſt voluntarius. Ut igitur verum eſt, religionem, in quantum eſt opus intellectus, imperio non ſubjici: Ita in quantum eſt opus voluntatis, omnino legibus vinciri poteſt. Eſt autem potiſſima religionis pars prorſus ejusmodi, ſi non omnis. Imo in ſeſe omnis religio talis eſt. Ideoque Deus Opt. Max. ut fidem in Chriſtum præmiis, ita *ἀπιστίαν* æterno igne afficiet. Et tamen *nihil ardet in inferno, niſi propria voluntas*: Scite dixit S. Bernhardus.

XXV. Quin itaque homini liceat circa cultum divinum legibus atque imperio uti, non eſt dubitandum, proximum eſt, videamus, num talis poteſtas competat civili majeſtati. Et

vero

vero non deſunt, qui ſaltem chriſtianæ alicui majeſtati id omne derogent. Quorum tamen itidem haud una eſt ſententia. Alii enim curam omnem ſacrorum uni tribuunt romano Pontifici, quaſi totus chriſtianus orbis, quoad cultum divinum, ab uno illo dependeat. Illi enim a Chriſto vicarium munus commiſſum eſſe in omnem eccleſiam, ut architectonice ſcilicet eam gubernet. Hinc illi competere jus doctrinam fidei chriſtianæ, aliaque ad cultum divinum pertinentia, ordinandi atque conſtituendi. Illum eſſe judicem infallibilem omnium exorientium controverſiarum. Adeoque ejus judicio & mandato, in religionis negotiis, omnes prorſus chriſtianos debere obſequi. Ex hoc majeſtatico jure porro deducunt, omnes prorſus chriſtianos hactenus imperio ejus ſubjectos eſſe, omnes ſacrorum miniſtros, imo & bona ſacra ejus unius imperio teneri. Porro reges quoque & principes in tantum legibus ejus obnoxios eſſe, ut ſi illi forte eccleſiæ rem videantur aut non ſatis recte curare, aut ejus commodis obſtare, tum vero poſſit pontifex eos omni dignitate exuere. Quæ ſane omnia ex poſita hypotheſi de majeſtatis juribus, circa ſacra pontifici commiſſis, non male deducuntur, quippe quum majeſtas aliqua non poſſit officio ſuo recte fungi, niſi poteſtatem habeat tum in omnes cives, tum præcipue in omnes ſacrorum miniſtros, imo etiam in primores civitatis, utut ditiſſimos, ſi illi forte obſtent, quo minus ſacra rite obeantur. Neque vero alia cauſa eſt, quamobrem, etſi contra ultima illa ſerio depugnaverint multi regum, principumque, cum tamen etiam ipſi relinquerent primum illud caput tanquam certum, apud perquam multos nihil etiam de reliquis illis efficere potuerint, ſed tota hæc doctrina a plerisque aliquot ſeculis fuerit recepta.

XXVI. Alii porro jura illa ἀρχιτεκτονικὰ circa ſacra, etiam ipſi adjudicant politicæ, quæ dicitur, majeſtati, non tamen uni tribuunt pontifici, ſed epiſcopis. Quam ſententiam amplexantur, qui pontificem romanum epiſcoporum concilio aut ſubjiciunt, aut non niſi concilii caput agnoſcunt: Quales ſunt, in Galliis præcipue, complures. Huic parti proxime accedunt ex proteſtantibus illi, qui vim hanc, qua de agimus, ἀρχιτεκτονικὴν eccleſiæ miniſtris, aut paſtoribus eunt attributum. Videtur vero hæc opinio primum Genevæ Calvino & Beza autoribus exorta, inde paſſim eſt diſſeminata: & quidem in Anglia puritaniſmi præcipuam partem conſtituit. Cum enim Henricus VIII. rex caput eccleſiæ anglicanæ ſeſe dixiſſet, etſi proteſtantium permulti id, ceu recte factum, approbaſſent, tamen a puritanis, qui dicuntur, aliisque genevenſis ſcholæ diſcipulis acriter id oppugnatum, imo impietatis damnatum eſt.

XXVII. Obſervandum autem eſt, quanquam hi omnes civili majeſtati multum derogent, tamen non omnes illa, quæ ante diximus ex pontificia ſententia conſequi, ſua facere. Cujus rei cauſa eſt, partim quod cum nimis illa abludant a veri ſimilitudine, non illi videant; mutuo poſteriora ex prioribus ſequi: partim quod non ſit ea paſtorum, aut epiſcoporum ſingulorum autoritas, uti auſint usque adeo magiſtratus civiles, adeoque Reges & Principes ſuos offendere. Ita ſane nec Pontifices romani ultima illa aperte aſſeruerunt, niſi jam tum evecta ſupra modum eorum exiſtimatione: principe omnium id auſo Hildebrando, quem Grægorium VII. vocant: cujus idcirco dictatuum *magnam partem antea parum in uſu fuiſſe, & a nemine prædeceſſorum ejus unquam attentatum* ſcribit Onuphrius Panvinius. Recte Seneca: *Multorum quia imbecillia ſunt, latent vitia, non minus auſura, cum illis vires ſuæ placuerunt.*

XXVIII. Cæterum ex ſupra allatis jam tum eſt manifeſtum, & civili proprie dictæ, & herili majeſtati per ſeſe competere id omne, ſine quo ſcopus rerumpublicarum non poteſt obtineri, impoſſibile autem eſt, ut vel vera felicitas civilis, vel dominatus poſſit comparari, aut integra ſervari, citra ἀρχιτεκτονικὴν poteſtatem in religionis negotia ipſumque cultum divinum: Proinde non poteſt non patere, quod majeſtas omnis civilis ſive herilis per ſe & ex natura ſua habeat quoque ſummam poteſtatem circa cultum ſacrum, quantum illa ab homine aliquo poteſt exerceri. Id ipſum paulo poſt iterum illuſtrabitur: ideoque nunc quidem hoc tanquam certum ponimus, majeſtati per ſe illam poteſtatem ἀρχιτεκτονικὴν ſacrorum in civitate competere. At quod ita ſe habet, illud, ſiquidem eſt mutatum, a Deo neceſſum eſt ſit mutatum, aut ſponte ab omnibus liberis populis remiſſum. Poſterius factum eſſe, nemo hactenus dixit, & repugnat hiſtoriis. Supereſt itaque diſpiciamus, nunquid prius contigerit.

XXIX. Et quidem, quin jure ſuo poſſit Deus liberis rebuspublicis ac populis vel omnem majeſtatem, vel ejus partem pro arbitratu eripere atque alteri dare, nullum eſt dubium; adeoque non venit in controverſiam, num Deus potuerit aut uni Pontifici romano, aut Epiſcopis, vel eccleſiæ paſtoribus ſummam poteſtatem circa omnia ſacra chriſtiana committere. Verum id tamen quæritur, factumne ſit hoc a Deo, nec ne.

XXX. Quod ſi factum eſt: Utique factum oportuit verbis diſertis & maxime perſpicuis, debuitque id ſingulatim omnibus, qui majeſtatis munere funguntur, juſſu divino prædicari, & ſevere mandari, quo illi citra tumultum jure cedant, & majeſtatis ſuæ partem aliis relinquant. Scilicet jurium ſuorum valde tenaces eſſe ſolent ſummæ majeſtates, nec temere iis cedunt, ſed bella potius gerunt maxima pro tuenda ſua autoritate. Contra Deus quam maxime odit & vetat diſſidia omnia. Adeoque procul dubio nulla juſta diſſidiorum cauſſa ab ipſo eſt data terrarum orbi. Si quid ergo eripere voluit majeſtatibus civilibus, uſurpavit utique verba perſpicua, ne quis locus juſtæ exceptionis eſſet. Non debent hoc negare ſane hildebrandini, utpote qui, ſatis intelligentes, quanti interſit, doctrinam hanc Regibus & Principibus inculcari, unice urgent, cumprimis apud magnates, Pontificis romani illam autoritatem & omnipotentiam.

XXXI. At vero ne quidem in ſpeciem poteſt, aut ſolet, aliquod Chriſti dictum ab illa

parte

parte proponi in fidem grandis illius paradoxi de pontificis romani monarchia illa ſacra, præter illa ad Petrum apoſtolum, *Tibi dabo claves regni cœlorum. Supra hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & paſce oves meas.* Quibus verbis profecto non perſpicue majeſtas quædam ſacra romano pontifici attribuitur. Neque vero hic diſerte eſt ſermo de majeſtate aliqua regia ſacrorum; nec mentio nlla fit pontificis romani. Nihil porro hic ſoli Petro conceditur, quod non legamus alibi omnibus apoſtolis eſſe tributum. *Apocal.* 21. *v.* 14. *Et murus urbis habebat fundamenta duodecim, in quibus erant duodecim nomina apoſtolorum agni.* Clavium poteſtas iisdem verbis omnibus junctim apoſtolis conceditur *Matth.* 18. & apud *Johan. cap.* 20. *verſ.* 23. *Si quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, ſi quorum retinueritis, retenta ſunt.* Paſcendi munus omnibus duodecim injungit Salvator, jam cœlum aſcenſurus *Matth. cap.* 28. *verſ.* 18. 19. 20. Paſcere enim docere eſt.

XXXII. Præterea, etſi forſan concederemus, Papam romanum in Petri jura ſuccedere, & hæc omnia ſoli Petro ſeorſim eſſe demandata; ſuper petram tamen ædificare eccleſiam, non eſt concedere primatum & dominationem, dare claves regni cœlorum, non eſt dare jurisdictionem in omnes totius orbis eccleſias; paſcere per ſe non ſignificat habere imperium, idque ſupremum & illimitatum. Certe neceſſarium fuit, ut ſi Deus poteſtatem hanc eripere voluiſſet magiſtratui civili, expreſſis magis verbis ſententiam ſuam declaraſſet, & patefeciſſet.

XXXIII. Quin imo, omnia illa dicta nullo prorſus modo facere ad omnipotentiam hildebrandinam aſtruendam, certiſſimo argumento eſt, quod integris aliquot ſeculis primitivæ eccleſiæ prorſus ignota fuerit hæc interpretandi ratio. Non poteſt autem doctrinæ chriſtianæ eſſe conveniens, ne dicam illius quaſi primum principium, id quod ſanctiſſima eccleſiæ tempeſtate fuit ignotum. Multo minus ejus notæ eſſe poteſt, cujus oppoſitum ſancta illa eccleſia unanimi conſenſu docuit. Doctrinam autem, hildebrandinæ directa fronte contrariam, tantum non ex omnibus primitivæ eccleſiæ ſcriptis licet petere. Saltem perinde, ut nunc fit, in negotiis religionis chriſtianæ debuiſſet tum appellari ad eccleſiæ romanæ judicium. Primis autem quatuor ſeculis id factum eſſe, non probaveris. Neque enim huc facit, quod Irenæus, Tertullianus, Cyprianus ad teſtimonium illius eccleſiæ provocaverint: plurimum enim intereſt inter provocationem ad teſtem, & provocationem ad judicium. Cæterum de genuino dictorum Chriſti ſenſu ſufficit legiſſe, quæ operoſe diſſerit M. Anton. de Dom. *l.* 1. *c.* 6. 7. 8.

XXXIV. Eodem vero argumentandi genere facile quoque refelluntur, qui epiſcopis, aut evangelii miniſtris majeſtatem ſacram a Chriſto commiſſam arbitrantur. Neque enim vel hi, vel illi adferre aliquod Chriſti verbum poſſunt, præter illa: *Quorum remiſeritis peccata*, & injunctum *paſcendi oves* officium. Quæ perſpicue agere de majeſtate quadam ſacra, nemo dixerit. Ne quidem vero obſcure illam innuere argumento itidem eſt, quod prima eccleſiæ tempeſtate ejusmodi interpretatio in uſu non fuerit.

XXXV. Non tantum vero hoc modo eſt manifeſtum, a Servatore noſtro majeſtatis jura in ſacris non eſſe attributa, vel pontifici, vel epiſcopis, vel aliis eccleſiæ presbyteris, verum ex aliis etiam ſacris ſententiis, quæ diſerte omnem omnino vim coactivam apoſtolis, epiſcopis, & qui iidem olim cum his erant, presbyteris denegant. Scilicet, vis ἀρχιτεκτονικὴ ſacri cultus conſiſtit partim in poteſtate ferendarum legum poſitivarum, quibus aſtringantur cives, ut niſi pareant, cogi poſſint; partim in poteſtate cogendi cives, uti obtemperent etiam juri ſacro ſive divino, ſive naturali, pro uſu reipublicæ: illa vero vis utique inſtructa debet eſſe dominio aliquo & imperio, adeoque faſcibus & gladio.

XXXVI. Talem vero aliquam vim eſſe negatam apoſtolis, patet ex eo Servatoris *Lucæ cap.* 22. *v.* 25. *Reges gentium dominantur iis, & qui autoritatem habent in eos benefici vocantur, vos autem non ſic.* His ſane verbis ab apoſtolis removetur dominium, quod reges habent in gentes: illud autem conſiſtit in autoritate coactiva; apoſtoli itaque a Chriſto non acceperunt tale imperium, adeoque nec jura majeſtatis circa ſacra. Si autem apoſtolis negata eſt imperandi poteſtas, multo magis eſt negata epiſcopis ac presbyteris. Qua de re tamen ne quis dubitet, etiam a S. Petro diſerte cautum eſt quando inquit 1. *epiſt. c.* 5. *v.* 3. *Paſcite Dei gregem, qui penes vos eſt, non ut dominantes cleris.* Hic ſane cleri vox comprehendit populum omnem chriſtianum: jubet autem illum paſci Petrus, ſed citra dominicum imperium.

XXXVII. Porro conſtat, ſi regnum Chriſti *non eſt de hoc mundo*, adeoque non defenditur vi & armis, illius in hoc regno miniſtris nullum eſſe imperium a Chriſto commiſſum. [illegible] vero ipſe Servator dixit Pilato *Joan. XIIX. Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis.* Ipſemet ſcilicet Rex noluit defendi armis, aut vi, quod regnum ſuum a recepto in orbe more prorſus ſit alienum. Multo minus itaque vis & cogendi quædam poteſtas regni illius cœleſtis miniſtris convenit.

XXXVIII. Idem porro Servator diſerte profeſſus eſt, non ſuum eſſe, nec apoſtolorum, capitali ſupplicio animadvertere in eos, qui circa cultum divinum delinquunt. Liquet id ex hiſtoria Samaritanorum Chriſtum non recipientium, in quos duo apoſtoli Jacobus & Joannes ignem cælitus volebant mittere. Hos enim increpat Chriſtus: *Neſcitis cujus ſpiritus ſitis: Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare.* Jam vero ex uſu eſt, & exigit juſtitia, ut nonnulli athei & blaſphemi interdum ita puniantur. Igitur ſaltem non omnia ſacræ majeſtatis jura Chriſtus ad eccleſiæ ſuæ miniſtros ſive unum, ſive plures, tranſtulit. Probari idem poſſit & ex eo, quod idem Salvator *Cæſari, quæ Cæſaris* ſunt, reddi juſſerit, tum autem temporis jus fuerit Cæſari in ſacra pariter ac profana: probari etiam poſſit ex aliis ſacræ ſcripturæ locis, verum

quæ attulimus, probandæ theſi ſatis ſunt, ſuperque, eoque non eſt neceſſum in his immorari.

XXXIX. Id ſane unice hic notandum, ſi ipſum Chriſti in terra commorantis regnum non exercuit majeſtatem aliquam mundanam, nec apoſtolis, nec epiſcopis aut presbyteris ab ipſo eſſe eam commiſſam. Certe diſerte ipſemet Servator ait: *Johan. 20. v. 21. Sicut miſit me Pater; ita ego mitto vos.* Sed nec locum habet effugium nonnullorum, quaſi Chriſtus habuerit quidem tale imperium, ipſe vero noluerit illud exercere; alioquin enim non omnia præſtitiſſet utique Servator, propter quæ a Patre fuerat miſſus, quæ tamen omnia a ſe præſtita, teſtatur ipſe *Joh. 19. v. 30.* Verum a Servatore noſtro aut apoſtolis in eccleſiæ miniſtros vel epiſcopos non eſſe translatum aliquod imperium ſacrum, ex ſacris monumentis abunde eſt manifeſtum.

XL. Confirmatur autem porro idem quam maxime hinc, quod non tantum primitivæ eccleſiæ chriſtiani, utut haut veriti ſint nihil non doctrinæ chriſtianæ publice profiteri, quantumvis graviſſimis ſuppliciis confeſſio mercanda eſſet, in nullo tamen ſcripto vel leviſſime prodiderint: ad ſeſe, aut ſuos epiſcopos, vel omnes, vel ſolum romanum, majeſtatem ſacram pertinere: ſed etiam ex quo tempore Cæſares eſſe chriſtiani cæperunt, hi nemine epiſcoporum improbante, imo omnibus illis factum collandantibus, jura illius ſacræ majeſtatis exercuerint. Quis credat vero, illud, quod a Chriſto tanquam præcipuum regendæ eccleſiæ principium eſt poſitum, illud inquam aut ignoratum omnibus illis, aut neglectum fuiſſe contra Chriſti mandatum?

XLI. Ex adverſo autem S. Juſtinus Martyr. in *apol. 2.* ad divinarum rerum cognitionem pellicere ſtudens Imperatores addit: *erit hoc opus ſane regium:* plane, quemadmodum Philo Judæus ante ipſum *lib. creat. magiſtrat. rerum privatarum, publicarum & ſacrarum curationem* nuncupaverat *artem regiam.* De regimine eccleſiaſtico ſub chriſtianis Cæſaribus optimus ſcriptor Socrates *præf. lib. 5. hiſt. eccleſ.* ſcribit: *Ex quo chriſtianiſmum profiteri cæperunt imperatores, res eccleſiæ ab ipſis pependerunt.* Et vero eccleſiaſtica monumenta legentibus liquido apparet, a Cæſaribus aut latas leges omnes eccleſiaſticas, aut ab epiſcopis quidem latas, ab illis tamen vim omnem atque autoritatem accepiſſe. Certe vel unus codex Juſtinianeus ſole id ipſum clarius facit. Parem poteſtatem ferendorum canonum uſurpaſſe reges Gothorum in Italia & Hiſpania; Francorum in Gallia & Germania, & quidem florente adhuc Carolina familia, nemo negaverit, qui vel concilia vel canones, aut alias leges omnium illorum temporum ſine partium ſtudio conſuluerit. Ex iisdem porro monumentis manifeſtiſſimum eſt, eosdem reges, controverſiis de religione ſubortis, convocaſſe epiſcopos, modo habendi concilii præſcripto, epiſcoporum ſententiis auditis, pronunciaſſe ſententiam, & lege lata quid agendum ſit præcepiſſe.

XLII. Pluribus hæc cum alii, tum duo illi eximii M. Ant. de Dominis *opere de republ. eccleſ.* & Hugo Grotius *in pietate ord. Hollandiæ* qua primum caput puritaniſmi perſtringit, oſtenderunt. Nobis ſatis fuerit unius Conſtantini Magni exemplo rem illuſtrare. Primus is Imperator chriſtianus, qui eccleſiam magnis honoribus affecit, licet ſumma reverentia epiſcopos coleret, tamen quæ majeſtatis officia erant circa ſacra, exercuit. Debuiſſent autem epiſcopi omnino, ſi a temporali jurisdictione exemptos ſe per Chriſtum putaviſſent, aut majeſtaticam curam religionis ad ſe ſolos pertinere, pientiſſimum Imperatorem, & divinarum legum obſervantiſſimum aliter erudire, nec relinquere in errore, qui ipſi Conſtantino totique eccleſiæ nocumento erat futurus. Aliquot exempla ex ipſis hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſcriptoribus promemus. Legitur quædam ejus epiſtola apud Euſeb. *lib. hiſtor. eccleſ.* 10. *cap.* 5. ad Miltiadem epiſcopum romanum, & Marcum præſcripta, quæ quantaquanta majeſtaticam poteſtatem ſpirat. De diſcordia epiſcoporum Conſtantinus a Proconſule Africæ fit certior: Ipſi *moleſtum* videtur, *ut in ſuis provinciis, quas divina providentia ſub ejus imperium ſubjunxit, non modo multitudo ad deteriora deflectat, & diſtrahatur diſſidiis, ſed epiſcopi etiam diſcordiam inter ſe ipſi exerceant.* Idem Cæcilianum Carthaginenſem epiſcopum romam vocat *cum decem epiſcopis, qui illum reum facere videantur, & decem aliis*, quos ipſe (accuſatus epiſcopus) *ſuæ litis dijudicationi neceſſarios exiſtimaverit.* Ille conſtituit arbitros, coram quibus diſceptetur negotium, eosque *romam maturare jubet.* Cum res ex voto romæ non eſſet compoſita, concilium cogit, & epiſtola, quæ apud Euſebium priorem ſtatim ſequitur, Chreſtum Syracuſanorum epiſcopum ad id vocat. Inter alia ita ſcribit: *Proinde, quoniam plurimos epiſcopos ex locis deverſis, & prope infinitis in urbem Aratelaſiorum ad calendas Auguſti convenire mandavimus, tibi etiam per literas ſignificandum putavimus, ut accepta rheda publica a clariſſimo viro Latroniano Siciliæ conductore &c. ad eum diem in loco præſcripto aliis occurras.* Et poſt pauca: *Simulatque ea, quæ ab utraque factione epiſcoporum (quos ſimpliciter adeſſe mandavimus) audita fuerint &c.*

XLIII. Habitum ſub ejus imperio nobile illud atque toto orbe celebre concilium nicænum ob arianam hæreſin & diſſenſiones propter paſchæ celebrationem, quod propria autoritate imperator coegit. Digna ſane ſunt ipſa verba, ut adſcribantur ex Euſebio *de vita Conſtantini lib. 3. cap. 6. Deinceps igitur concilium generale, tanquam quendam Dei exercitum inſtruens, in unum locum coegit: & epiſcopos undique per literas honorifice ſcriptas, ut eo maturarent, accivit. Neque mandatum duntaxat erat ad hanc rem datum, ſed in ea peragenda multum attulit ſubſidii authoritas Imperatoris & nutus; qui nonnullis fecit poteſtatem equis, publice ad iter celeriter conficiendum diſpoſitis, utendi &c.* Fatentur id quoque omnes epiſcopi Nicææ coacti in epiſtola, quam ad eccleſiam alexandrinam & fratres Ægyptum, Lybiam & Pentapolim incolentes, de concilii decretis perſcripſerunt, & quæ habetur apud Socratem *hiſtor. eccleſ. lib. 1. cap. 6. Quoniam Dei gratia, &*

mandato

mandato ſanctiſſimi imperatoris Conſtantini, qui nos ex variis civitatibus & provinciis in unum congregavit, magnum & ſanctum concilium Nicænum coactum eſt: Neceſſarium videtur, ut a toto ſacro concilio literæ ad vos mittantur, &c. Neque vero tantum convocavit epiſcopos, verum etiam ipſi concilio interfuit, imo præfuit, ut luce clarius apparet ex Euſeb. *d. lib.* 3. *cap.* 13. & qui hæc ex Euſebio deſcripſit Socrate *l.* 1. *c.* 5. Cum concilium Ario, & omnibus ejus opinionis fautoribus anathema unanimi ſententia denunciaſſet, edictum porro Imperatoris Arium, Euſebium epiſcopum Nicomedienſem, & Theognidem in exilium ire mandavit. Socrat. *lib.* 1. *cap.* 5. Quid? ubi res omnis erat tranſacta, nemini domum abire licuit, priusquam imperator omnibus fecit poteſtatem ad ſua domicilia revertendi. Euſebius *d. lib. cap.* 20

XLIV. Eandem autoritatem exercuit in concilio, quod Tyri coegit: mandat enim epiſcopis expreſſe, quid agere debeant. Euſeb. *lib.* 4. *de vita Conſtant. M. cap.* 4. Tyro Cæſaris mandato avocantur Hieroſolymam. Ita enim Socrates *lib.* 1. *hiſt. eccleſ. cap.* 22. *Poſt has res geſtas, ex templo literæ Imperatoris afferuntur, quæ ſignificabant, ut concilium maturo ſe Hieroſolymam reciperet. Itaque epiſcopi, nulla interpoſita mora, Tyro Hieroſolymam propere iter faciunt &c.* Quanta porro fuerit Conſtantini autoritas circa epiſcopos vel inſtituendos vel deponendos, Arianorum digladiationes contra Athanaſium & orthodoxos docent. Euſebius & Theognis a concilio Nicææ anathemate icti, officioque dejecti, ab Imperatore priſtinis ſedibus reſtituuntur, remotis iis, qui ſuffecti erant, Socrat. *lib.* 1. *cap.* 10. Memorabilis eſt Conſtantini M. epiſtola invectiva in epiſcopos, qui Tyri convenerant, & Athanaſium depoſuerant: jubentur epiſcopi propere ad Imperatorem accedere, & facti rationem reddere. Habetur ea apud Socratem *lib.* 5. *cap.* 22. Sed quid juvat in tanta luce plura exempla colligere? referti ſunt iis ſcriptores eccleſiaſtici, qui Conſtantini M. res geſtas literis conſignarunt.

XLV. Cum vero, nec qui ſub paganis, nec qui ſub chriſtianis Cæſaribus vixerunt chriſtiani, per adeo multa ſecula aut omnibus epiſcopis, aut uni romano, majeſtatem circa ſacra iverint attributam; imo prorſus contraria & docuerint, & fecerint; nullum profecto, etſi ad manum non eſſet ſacra ſcriptura, ſupereſſe merito dubium debet, quod a Servatore noſtro (ſi quid illi competat) civili majeſtati nihil ſit ſubtractum. Adeoque hactenus, nec Papa romanus, nec Epiſcopi, aut Parochi poſſunt jus aliquod divinum prætendere, ſine magna Regum, Principum, aliorumque, penes quos eſt rerumpublicarum ſumma poteſtas, injuria. Id quod etiam ex ipſis verbis Servatoris & apoſtolorum ante eſt a nobis demonſtratum.

XLVI. Nonnulli tamen objiciunt, quod cura ſacrorum omnis, durante vetere ſynagoga, fuerit vel uni ſummo ſacerdoti, vel certe Levitis ab ipſo Deo commiſſa, nec tamen ſit veriſimile, eccleſiæ ſtatum ſynagoga eſſe inferiorem, adeoque ut olim in republica Hebræorum ita in repub. chriſtiana, quamvis majeſtatem illam ſacram ad ſacerdotes vel unum, vel omnes, pertinere.

XLVII. Cæterum neque hic prætextus vel leviſſimi eſt momenti. *Primo* enim conſequentiæ nulla vis eſt, quoniam in populo hæbræorum veram rempublicam civilem & mundanam (uti loquuntur) inſtituit ipſemet Deus: at regnum Chriſti in eccleſia mere eſt ſpirituale, & prorſus alterius ingenii. Itaque, etſi, exigente ita uſu populi hebræorum, commiſerit quædam etiam civilia Levitis, & ſummo ſacerdoti judaico Deus: nullo modo tamen hinc ſequitur, par jus datum iis, qui tantum miſſi ſunt evangelium prædicare. Fuiſſe autem ſummum ſacerdotem in republica hebræorum, quaſi commune oraculum, non in ſacris tantum: ſed profanis etiam negotiis, liquet ex antiqui fœderis ſacris monumentis. In id ſane datum ipſi divinitus erat illud *Urim* & *Tumim*, quod conſulentibus etiam de iis, quæ nihil ad cultum divinum faciebant, reſpondebat *rationale judicii* hinc dictum. Quale inſtitutum Ægyptios, etſi inepte, imitatos liquet ex Diodoro Siculo *lib.* 1. ſummo judici, qui ſacerdotalis item erat ordinis, ex collo ſuſpenſo pretioſarum gemmarum ſigno, cui nomen *Veritas*. Hinc tamen minime eſt colligere, inferioris eſſe conditionis eccleſiam, quam fuit ſynagoga. Illa quippe regni mundani pars fuit, hæc tota collimat ad æterna, & cæleſtia. In illa ſacerdos fuit homo, peccatis contaminatus; in eccleſia unus eſt ſummus Pontifex Chriſtus ipſemet. Quam comparationem divine inſtituit autor epiſtolæ ad Hebræos, ut mirum ſit, in chriſtiano populo reperiri, qui etiam nunc eccleſiæ regnum mundanum ſomniant: quale quid a Meſſia exſpectantes Judæos nemo eſt, qui non rideat & explodat.

XLVIII. *Secundo*, falſum quoque eſt, Pontifici ſummo aut levitico ordini in republica Hebræorum conceſſa fuiſſe jura majeſtatis circa ſacra. Nam, utique ante inſtitutos reges, omnia jura majeſtatis, ſacra, profana, fuerunt manu unius Dei, qui novo exemplo (*neque enim ita fecit ulli populo*) iſtius reipublicæ ſemetipſum regem conſtituit. Illo vero tempore licuiſſe ſacerdoti ſummo vel leges circa ſacra condere, vel ſententiam dicere de ſacris controverſiis, vel plenum habuiſſe imperium in Levitas, in bona ſacra, in cultores divini numinis, inconſulto illo *Urim*, hoc eſt, inconſulto ipſo Deo rege, ne quidem vel leviſſimo indicio poteſt probari: contrarium prorſus loquente ſacra ſcriptura. Tantum magiſtratus tum functus eſt officio ſummus ſacerdos Hebræorum: illo *Urim* oraculo, proxime divinum regium numen repræſentante. Et tamen etiam tum, ſi quando extra ordinem mitteretur a Deo judex aut propheta, hi prævaluerunt. Ut ſolet extraordinariorum magiſtratuum, creatorum in id, uti videant, ne quid detrimenti capiat reſpublica, eximia autoritas eſſe.

XLIX. Quis dixerit vero, ſacerdotes fuiſſe Regum tempore meliore loco? Certe & Saulis, & Davidis, & Salomonis, & Rehabeami, & Aſeæ, & Joſaphatis, & Ezechiæ & Joas regum hiſtoriæ nos docent, reges non tantum leges circa ipſum cultum ſacrum Levitis præſcripſiſſe, verum

etiam jus vitæ & necis, ſacrorum nomine, non tantum in Levitas promiſcue, verum etiam ipſummet ſummum ſacerdotem, denique in bonorum ſacrorum adminiſtrationem plenum imperium exercuiſſe. Id quod ipſis ſacrorum codicum teſtimoniis huc adductis nunc probare minime eſt neceſſarium.

L. A captivitate babylonica, ſerviente ſane adhnc Perſis & Macedonibus Judæorum populo, (fuit autem, ſi Tacito credimus, *dum Aſſyrios penes, Medosque & Perſas oriens fuit, deſpectiſſima pars ſervieutium*) quæ fuerunt majeſtatis ſacræ jura penes ſummum ſacerdotem, præſertim perdito infallibili oraculo Urim? Quomodo omnia pependerint ex nutn regum Perſiæ, clare loquitur ſacra hiſtoria Esdræ & Nehemiæ. Et quidem, regibus illis libertatem ordinandorum iterum ſacrorum, & in patriam revertendi, populo concedentibus; facile liquet non ex ſacro tantum codice, verum etiam Flavii Joſephi *Antiquitatibus*, in ſacris inſtituendis prævaluiſſe autoritatem Nehemiæ, Zorobabelis, & aliorum populi rectorum, ipſis ſummis ſacerdotibus. Qnum populus in libertatem ſeſe rurſum aſſeruiſſet, Haſſamonæis ducibus; fuit quidem reipublicæ ſumma penes ſacerdotalis generis viros, non tamen eatenus, quatenus iſtius eſſent ſanguinis, multo minus penes ſummum Pontificem fuit ſacrorum majeſtas, niſi ex accidente, quod nempe idem regia dignitate potiretur. Quare & delata ad Herodem per Romanos regia autoritate, etſi ipſe non ageret ſummum ſacerdotem, tamen jura ſacræ majeſtatis omnia exercuit: quod ex Joſepho pluribus oſtendi poſſe., ſi id eſſet inſtituti noſtri Certe tota Martini Becani de Pontifice veteris teſtamenti doctrina, quam integro libro propoſuit, dum majeſtatem ſacram illi attribuit, imo poteſtatem in reges ipſos, eſt commentitia, & falſa.

LI. Quum vero (ut redeamus in viam) & ille ab exemplo ſacerdotum hebraicorum deſumptus prætextus mere ſit frivolus, iterum apparet per Chriſtum nihil jurium civili majeſtati eſſe detractum. Per ſe vero, nulla nova intercedente lege divina, competere majeſtati jura quædam in ipſum ſacrum cultum, jam tum eſt oſtenſum. Itaque ad rem noſtram licet jam propius accedere. Videtur tamen, antequam hunc locum deſeramus, haud abs re fore, ſi breviter definiamus *primum*: an in Europæ rebuspublicis majeſtas ſacrorum competat Pontifici romano, etſi non jure divino, tamen propter longi temporis præſcriptionem, & liherum gentium conſenſum: *Secundo*: num, ſi non competat de jure, interſit rerumpublicarum, ut illam majeſtatem iterum ſibi vindicent Papæ ereptam, an vero ſatis ſit, illam Papæ relinqui.

LII. *Primum*, ut clare intelligatur, initio notandum eſt; Præſcriptione nulla fieri poſſe, ut, quod jure divino non eſt inſtitutum, ab illo videatur inſtitutum eſſe. Adeoque, ſi Pontifex romanus tantum præſcriptione tenet, quam ſibi arrogat majeſtatem, etſi per multa ſecula forte ſit creditum, divinitus hanc illi conceſſam eſſe, nihil tamen hoc facit pro defendendo illo titulo divini juris, quo ille ſibi eam attribuit. Deinde obſervandum eſt: Patriarchalem dignitatem Papæ, toto cœlo differre a monarchia hildebrandina: adeoque perperam longum tempus ejus dignitatis ad monarchiam iſtam transferri, utpote quæ multo demum poſt tempore cœperit. Multo minus huc pertinet cura aliqua totius eccleſiæ: illa enim omnibus eſt epiſcopis, imo omnibus chriſtianis communis. Hunc Cyprianus *epiſt.* 30. *Omnes nos docet pro corpore totius eccleſiæ, cujus per varias quasque provincias membra digeſta ſunt, excubare.* Libro item *de unitate eccleſiæ. Epiſcopatus uuus eſt, cujus a ſingulis in ſolidum pars tenetur.* Etſi igitur hanc ab initio usque habuerint epiſcopi romani, tamdiu tamen non habuerunt regnum ſuum. Neque hæc cura præſcriptione nititur, ſed ex jure humanæ ſocietatis naturali fluit, quo alter alterius bono tenenur ſtudere.

LIII. Ipſam porro hildebrandinam monarchiam *integram* quidem, conſenſu eccleſiæ occidentalis univerſæ, vel omnium rerumpublicarum, Papæ nunquam obtinuerunt. Saltem enim Gallia, *libertatibus ſuis* tantum non ſemper magnam illius monarchiæ partem ivit deſtructum. Germaniam itidem ſæpenumero graviſſime illi ſeſe oppoſuiſſe certum eſt. Certe Ludovico IV. Cæſare, æterno illo Bavariæ ornamento, jugulum ipſum hildebrandiſmi petiit. Ab aliis rebuspublicis frequenter itidem illi monarchiæ adverſatum eſſe, non poteſt negari. Quantopere Pauli V. hildebrandinæ monarchiæ ſe initio hujus ſeculi oppoſuerit reſpublica Veneta, nemini ignotum eſt. Ah aliis principihus & rebuspublicis Italiæ, interque eos ab ipſo Prorege Neapolitano, haud diſſimilia frequenter fieri, teſtatur, qui ſe *Novum hominem* dixit, autor *ſupplicationis ad Imperatorem; Reges, Principes coutra Paulum V.* Petrus Pytheus alicubi ſcribit: *Italorum partem maximam, Poutificem Romauum nou uti Deum aliquem, aut Dei vicarium ob fulmina illa, quibus jam pæne totus inermis eſt, ſed ut Principem viris, armis, urbibus, caſtellis fœderibusque potentiſſimum revereri & obſervare.* Autor *animadverſionum iu cauſa honor. monaſter. Germaniæ*, quem Laimannus Jeſuita appellat *clariſſimum, & rerum germanicarum peritiſſimum theologum*, non dubitavit eodem nomine graviter, ante hos quindecim annos circiter, accuſare totum conſilium non Cæſareum tantum, ſed & hiſpanicum in belgio. Diſerte ſcribens *num.* 6. vulgo in belgio jam ferri hanc doctrinam: *Licet omues chriſtiani teneantur in cunctis fidei determinationibus Papæ acquieſcere, in reliquis tameu, ad regimen eccleſiæ ſpectantibus, poſſunt Reges & Principes diſpoſitiouibus papalibus ſeſe opponere, & brachio forti illis reſiſtere.* Dixeris, & in Hiſpania hodie in duhium vocari ipſammet infallihilitatem Papæ in definiendis fidei negotiis: ſi audiendus Alphonſus Vargas *l. de Stratagemat. Jeſuit. c.* 57. & 58. Mittimus alia m[illegible]ta adjicere: quum ſatis conſtet, nullibi locorum Papam in quieta *pleua* ſuæ monarchiæ po[illegible]one unquam fuiſſe.

LIV. Manifeſtum vero hinc eſt etiam illud, non poſſe Papam præſcriptione pro retinenda *integra* quidem monarchia jure adferre; quod nos ante dicebamus. Attamen negari nequit,

ſaltem

ſaltem aliqua jura illius majeſtatis ab Hildebrandi temporibus ad avorum usque memoriam pene per Europam ubivis Papam obtinuiſſe; ſed horum aliqua, quum juri divino repugnent, uſucapi quantumvis longiſſimo tempore non poſſunt. Circa illa ergo nec locum habet præſcriptio. Aliqua (cujusmodi eſt confirmatio archiepiſcoporum) quin uſu capi poſſint, non videtur dubitandum. Adeoque videtur concedendum, præſcriptione quadam hactenus partem majeſtatis in omnibus liberis Europæ populis ad Papam devolutam. Verum enimvero, quum hactenus nunquam Papæ hildebrandini illis fuerint contenti, ſed monarchiam ſacram quaſi divinitus ſibi conceſſam conati fuerint, & ad eam obtinendam innumera mala eccleſiæ & reipublicæ nullibi non pepererint, manifeſtum eſt, jure illum excidiſſe omnibus etiam, quæ juſto titulo habuit, facultatibus: adeoque poſſe merito viciſſim quamlibet rempublicam integra majeſtatis jura ſibi vindicare. Pro patriarchali Papæ dignitate præter longum tempus valeant quidem, & jura vetera canonica. Verum & illa tantum ſunt poſitiva, & lata ex parte in uſum Imperii veteris romani: hoc autem maximam partem prorſus deſiit. Cum itaque nec utilitas reipublicæ, ut olim, exigat hodie illum patriarchatum, & ad jura poſitiva aliarum civitatum liberæ respublicæ non ſint adſtrictæ, liquet etiam illud, nihil eſſe cauſæ, quum vel propter antiquos canones patriarchatus non poſſit Papæ eripi.

LV. Pergimus ad *Secundum:* Absque longa vero deliberatione licet reſpondere, abſolute & ſimpliciter expedire ſingulis rebuspublicis liberis, ut ipſæ exerceant integra majeſtatis jura, adeoque & circa ſacra; ita enim demum habent ſuam *αὐτοκρατορίαν*, & perfecte conſtituere rempublicam poſſunt: quum ex adverſo, qui hæc jura Papæ commiſerunt, vix dimidia ex parte rempublicam ſuam teneant, perpetuis quoque diſſidiis non poſſint non laborare, prævalente nunc Papæ, nunc Regum autoritate, maxime ſi illi inter ſe diſſentiant. Quantum ſane diſcordiis, imo bellis inteſtinis, laboraverint pleræque reſpublicæ, ex quo hildebrandina cœpit monarchia, dici ſatis non poteſt, monumenta idipſum cum horrore legentium loquuntur; Scilicet vere *lib.* 4. Curtius: *Nulla res multitudinem efficacius regit, quam ſuperſtitio:* qualem pro religione hildebrandinam illam curiam frequentiſſime ſuis imperare nimis (proh dolor) eſt notum.

LVI. Attamen dixeris, eas radices egiſſe illud papale regnum, ut ſine magno rerumpublicarum motu non poſſit tolli. Verum enim vero, ſi revera regnum illud perpetuis malis non ferendis, & Deo plane inviſis eccleſiam afficit, utique nemini non facile apparet, ſaltem hactenus omnino illud oppugnandum eſſe, utut inde motus ſint eventuri: conſtat quippe ex malis minimum eſſe eligendum, & veræ virtutis ac pietatis retinendæ cauſa ærumnas quoque ſubeundas eſſe. Quod ſi illam impietatem fecerit miſſam, profitemur cum proteſtantium majoribus: *poſſe romano Pontifici propter pacem & communem tranquillitatem chriſtianorum, qui jam ſub ipſo ſunt, & impoſterum ſub ipſo erunt, ſuperioritatem in epiſcopos* (& nonnulla quoque alia) *quam alioqui habet jure humano, etiam a nobis permitti, ſi evangelium admiſerit.* At qui ſperare liceat, vel moderationem aliquam immanis illius hildebrandinæ autoritatis, & dudum uſurpatæ tyrannidis? Certe tot imperatorum regum, principum, populorum vel uno hoc ſeculo irriti conatus nimis liquido docent, quam ſpes illa, ſi non in vanum, ſaltem incerta ſit. Ipſi melioris notæ Papæ experti ſunt, quam ipſi non potuerint, prævalentibus vitiis, curiæ perverſiſſimos quosdam mores emendare. Videatur Onuphrius in vita Adriani VI. & Marcelli II. qui ingenue tandem præ deſperatione meliorum, teſte eodem Panvinio, faſſus eſt: *Non video, quomodo, qui locum hunc altiſſimum tenent ſalvari poſſint.* Hadrianum conqueſtum memorat & Petrus Suavis, ſive rectius Paulus Servita Venetus *lib.* 1. *hiſtor. conc. Trid. miſeram eſſe pontificum conditionem, ut quibus recte faciendi facultas deſit, etiam cum maxime velint, & in id operam ac diligentiam impendant.*

LVII. At ſi nulla eſt bonæ frugis exſpectatio, quidni quam primum fiat, quod aliquando fieri neceſſum eſt? nempe (utamur verbis Calixti noſtri) *ut eum miſſum faciant, qui illa* (impia) *miſſa facere nolit, & deſperatis aliis remediis* (cum jure naturæ divino ac humano id liceat) *ſemetipſos in libertatem vindicent*? Neque vero eſt, cur, ſolutis inani ſuperſtitione animis, graves motus rerumpublicarum metuamus, cum potiſſima Papæ potentia (ſaltem extra Italiam) tantum uni illi ſuperſtitioſæ ſententiæ innitatur, quaſi ille a Deo conſtitutus in eccleſia Chriſti vicarius, & communis totius chriſtiani populi circa religionem rector ſit. Certe hac perſuaſione animis hominum erepta, tota machina pontificiæ monarchiæ tantum non ſponte corruit. Exemplo ſunt tot reſpublicæ proteſtantium, quibus libertas ſua, poſt hominum animis ereptam inanem illam ſententiam; non niſi levibus motibus ſub initia (neque enim ſine aliquo motu tyrannidem adeo diuturnam excuſſeris) parta & vindicata eſt: nunc in æternum a Pontifice, quod ſibi metuant, non habent.

LVIII. VERUM de his obiter: tempus eſt, ut doceamus, quodnam integræ alicujus majeſtatis in libera republica circa ſacra ſit officium, quæ autoritas. Et quidem quum aliæ reſpublicæ veram & proprie dictam civilem beatitudinem habeant ſibi propoſitam toto animo, aliæ ad potentiam, aut divitias, aut voluptates adſpirent, & quidem vel omnium civium, quæ civitates adhuc veris rebuspublicis accenſentur propter commune civium bonum propoſitum, vel dominantium præcipue, quæ ſunt quaſi heriles: multum vero intereſt inter officia majeſtatis pro diverſo rerumpublicarum ſcopo: præcipue atque initio inquiremus, quæ ſit autoritas, & quod officium ejus majeſtatis, quæ veram civilem felicitatem adſequi conatur, & ad illam obtinendam omnem civitatem adminiſtrat: deinceps & aliis non nihil addetur.

LIX. Initio igitur in memoriam revocandum id, quod ſupra diximus, majeſtatis eſ-

ſentiam conſiſtere in ſuprema & libera poteſtate civilem ſocietatem adminiſtrandi ad finem propoſitum. Unde conſequens eſt, ſiquidem illi ſit propoſita vere beata civium vita, utique non licere tantum ipſi, verum teneri etiam illam omnia illa agere, quæ felicitati iſti civium obtinendæ faciunt. Adeoque hactenus & ſinguli & univerſi cives tenentur ejus legibus obtemperare. Qui ſecus fecerint, in eos habet majeſtas coercendi & puniendi poteſtatem. Imo ſi exemplo malo quis turbare felicitatem illam communem velit, in illum debet omnino majeſtas animadvertere nunc alio modo, nunc exilio, nunc ſupplicio capitali; ne quid reſpublica ex clementia nimia capiat detrimenti. Hanc vero autoritatem obtinet majeſtas ex ipſo naturæ jure: utpote quum natura ſuadeat homini civilem ſocietatem colere, tanquam ejus beatæ vitæ maximum auxilium, & ſine qua ejus compos fieri nequit. Quæ ſuadet autem ſocietatem ejusmodi civilem, illa neceſſum eſt, ut ſuadeat quoque media omnia civilis ſocietatis recte colendæ. Quod natura autem ſuadet, etiam ſuadet autor naturæ Deus. Utproinde vel hinc pateat, autoritatem bonæ civilis majeſtatis a Deo ipſo eſſe profectam: atque adeo graviter peccare illos hildebrandinos ſcriptores, qui ut Papam ſuum evehant in cælum, omnem regiam vim non niſi ab humano inſtituto dependere profitentur.

LX. Ex hiſce vero ulterius manifeſtum eſt, quod ſi ad beatitudinem civitatis & civium vere & proprie facit religio recta, ſeu cultus divinus rectus, vere quoque & proprie convenire majeſtati civili, ut non minus ad hanc, quam ad aliam aliquam virtutem civilem cives ſuos, qua præmiis, qua pœnis adſtringat, adeoque curam ſacrorum non minus illi a natura, & autore naturæ Deo, eſſe commiſſam; quam quæ alia ejus ſunt in officio. Manifeſtum item & hoc eſt, ſi quæ religionis pars ad beatitudinem civilem non pertinet, illam quoque non eſſe imperio majeſtatis civilis ſubditam. Adeoque ut in officio ejus ſit etiam hanc aliquo modo curare, tamen illa vis & poteſtas, quam in aliis obtinet civilibus negotiis, aut etiam in religione, quantum illa eſt portio beatitudinis civilis, circa hanc alteram partem ipſi minime competit.

LXI. Porro vero jam tum ibidem ſupra eſt demonſtratum, fieri non poſſe, ut juſtitia inter homines ſervetur, adeoque ulla hominum ſocietas ſibi conſtet, niſi firmiter ſit perſuaſum, eſſe aliquod numen, gaudens bonis hominum actionibus, & odio habens malas, adeoque quod, ut bonas actiones præmiis, ita malas pœnis & hac in vita, & poſt mortem gravius perſequitur. Scilicet *religionis* (ut inquit Lactantius *lib. de ira Dei cap.* 7.) *eſt propria juſtitia.* *Solo ſacramento* (ait Symmachus *l.* 10. *epiſt.* 54. *Principes tuti ſunt*: Sublato autem Dei metu, *qua religione mens* falſa tenebitur, ne in teſtimoniis mentiatur? Nec vero hoc inanem eſſe perſuaſionem, vel ex hoc ipſo liquidum eſt, quod ſocietas non poteſt conſiſtere ſine ea: Societas autem humana a natura eſt, igitur neceſſum eſt, & alterum illud naturæ adeoque veritati eſſe conſentaneum.

LXII. Hinc conſequens vero eſt, hactenus ſane religionem atque cultum divinum rem eſſe ſocietati civili ſumme neceſſariam. Itaque & majeſtas civilis omnino, ſaltem hactenus, debet religionem ſuis civibus imperare, neque permittere, ut quisquam ſecus temere ſentiat aut diſſerat. Qua in re habemus conſentientes omnes reſpublicas, quotquot unquam fuerunt. Legiſlatorum quoque prudentiſſimi pro fundamento reipublicæ bene gerendæ hactenus ſane religionem poſuerunt. Eximium eſt in hanc mentem proœmium legum Zaleuci Locrenſis apud Stobæum *in Eclog. moralib.* 42. Theſeus reipublicæ Athenienſi conſtituendæ religionem pro baſi collocavit, teſte Plutarcho *in Theſeo Numa* (ait Tacitus 3. *annal.*) *religionibus & jure divino populum devinxit, effecitque, ut fides & jusjurandum civitatem melius, quam legum pænarumque metus regeret.* Cicero *lib.* 2 *de nat. Deorum* inquit: *Romulus auſpiciis, Numa conſtitutis ſacris fundamenta jecerunt romanæ civitatis.* Eodem ſenſu omnes bene moratæ civitates ejecerunt, aut morte affecerunt, qui aut numen divinum eſſe negarunt, aut ejus rerum omnium providentiam. Quo pertinet illud Senecæ *lib.* 3. *de benefic.* 6. *violatarum religionum alicubi atque alicubi diverſa pæna eſt: ſed ubique aliqua.* Ælianus *lib.* 9. *var.* refert, ejectos Epicureos urbibus: Diagoræ Melio, & Protagoræ idem accidiſſe, notum eſt.

LXIII. Sed & omnes doctiſſimi quique ac prudentiſſimi politicorum idem docuerunt, quantumvis a chriſtiana luce nihil acceperint. Plato *lib.* 10. *de legib.* capitis damnat religionis temeratores. Eidem religio eſt propugnaculum poteſtatis ac legum, & honeſtæ diſciplinæ vinculum. In toto opere *de legibus*, ut & *Epinomide* locum nullum tractat uberius & diligentius. Ariſtoteli *lib.* 7. *cap.* 8. *polit.* prima functionum reipublicæ optimæ eſt cura ſacrorum. Idem *lib.* 1. *Top. cap.* 9. eum, qui Deum negat honorandum, non argumentis, ſed pœna cenſet edomandum eſſe. Cicero *lib.* 2. *de legib.* multus adeo eſt in eandem ſententiam, ut verba ejus omnia recitare hic non liceat. Plutarcho religionem eſſe *coagulum omnis ſocietatis & fundamentum legislationis*, jam ſupra diximus. Mittimus aliorum teſtimonia; ne videamur facem velle accendere claro meridie.

LXIV. Paris cum providentia ad ſervandos in officio cives momenti eſt notio illa, quod Deus ſit bonus, delectetur item, ac optime colatur virtutibus, odio autem ab illo habeatur omnis improbitas. Quapropter etiam hoc manifeſtum eſt, ſummo ſtudio annitendum majeſtati, uti hæc notio perſtet integra, & ne quis civium exiſtimet, vel ipſum numen committere quidquam turpe, vel turpibus affici. Nequaquam ergo permittendum, uti directe cacadæmonibus, quos tales eſſe noris, aut vitiorum patronis aut hominibus, quorum vita fuit mala, ulla fiant. Multo minus ferendum, ut ipſe ſacer cultus flagitiis conſtet. Qualibus tamen gentium religio magnam partem fuit conſpurcata. Bene Plato *lib.* 2. *de legib.* ut illum latine vertit Melanchthon: *Omni*

conten-

contentione pugnandum eſt, ne quis in civitate, quam bene geri volumus, vel dicat, vel audiat, ſeu ſenex, ſeu juvenis, ſeu in poæmate, ſeu in alia narratione, Deum cauſſam eſſe alicui malorum. Quod neque ſancte ita dici poteſt, neque utile eſt civitati, nec ſecum conſentit in explicatione. Hæc Plato, qui tamen parum horum memor *lib.* 6. vetans omnem ebrietatem, eam permittit in ſacris Bacchi Magis tamen illo Ariſtoteles peccat *lib.* 7. *Polit. cap.* 17. quippe cum ante prohibuiſſet in beata republ. non tantum ſermones turpes, verum etiam picturas omnes & fabulas obſcœnas, fieri illas conceſſit *apud Deos quosdam, quibus lex laſciviam attribuit*, utque apud illos pro ſe quisque uxore & liberis litet. A quo vero loco turpitudinem & obſcœnitatem abeſſe magis decet, quam a ſacro? Longe certe ſanctius Romani Bacchanalia omnia Romæ primum, deinde per totam Italiam diruerunt: qua de re legendus Livius *lib.* 39. Iidem victimas humanas pœnis propoſitis vetuerunt, ut docet Plutarchus *lib. de ſer. num. vindicta.*

LXV. Minus ante dictis momentum ad morales virtutes adfert ſcire, ſanctiſſimum numen non pati diſcrimina ſexus, aut humanæ formæ eſſe: vere tamen & hoc neſcire, haud parum aberrare a virtute homines facit. Nam hæc falſa perſuaſio efficit profecto, ut minus ſancte numen metuas. Magis tamen in publicum nocet Ægyptiorum portentoſa religio, qua inter numina referebantur plantarum multæ, & multa animalium, quadrupedum, volucrium, piſcium. Nimis enim hac ratione vileſcit numinis auctoritas. Quapropter nec horum quidquam majeſtas in bona republ. tolerabit, ſed quoad licet, e medio tollet, quidquid horum eſt errorum, ut reipublicæ noxium.

LXVI. An ſimpliciter Deum credere corporeum eſſe, officiat virtutis ſtudio, majoris eſt dubii. Galenus *lib.* 9. *placitor*, cum dixiſſet, providentiæ notitiam eſſe utilem, addit. *Qualis tamen ſubſtantiæ ſint ipſi dii, incorporeine prorſus, an perinde, ut nos, corpora habeant, contemplari non eſt neceſſe, quippe cum hæc & alia multa, tum ad omnes, quæ morales civilesque appellantur virtutes & actiones, tum ad animalium affectionum medelas curationesque inutilia prorſus habeantur. Ac de his optime a Xenephonte memoriæ mandatum eſt, qui non ſolum ipſe hujuſce rei inutilitatem damnavit, ſed Socratem quoque ita ſenſiſſe aſſeruit. Cui aſſentiuntur tum alii Socratis amici, tum Plato ipſe.* Verum enim vero primum id certum eſt, credere Deum eſſe corporeum, non eſſe ex uſu civitatis. Cui enim bono ſit illa opinio? Itaque ſi verum eſt, quod ſentit Ariſtoteles *lib.* 12. *Metaph. c.* 8. a legislatoribus in commodum reip. eſſe fictum, Deos eſſe alios homini, alios aliis animalibus ſimiles, & ſi quid huic eſt compar, profecto per illi fuere vani, quod ſcilicet crediderint, fore reip. utile, quod prorſus nihil iſthuc faciat. Deinde certum eſt, non poſſe citra magnum reip. damnum credi, omne divinum numen corporeæ ſubſtantiæ eſſe. Neque enim de eo, quod corporea mole conſtat, poteſt credi, *intereſſe animis noſtris, & mediis cogitationibus intervenire Deum*, quod dicebat Seneca *ep.* 38. Atqui ita demum vere creditur providentia divina. Oportet ſcilicet homini firmiter perſuaſum eſſe, ut cum Cicerone loquamur: *dominos eſſe omnium rerum ac moderatores Deos, eaque, quæ geruntur geri eorum judicio & numine, eosdemque optime de genere hominum mereri, & qualis quisque ſit, quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate religionem colat, intueri, piorum ac impiorum habere rationem.* Qui itaque ut vere Deus eſt colendus, & a quo precibus poſtulanda omnia bona, ille profecto non poteſt credi corporea mole præditus. Ac proinde ad uſum utique reipubl. facit maxime, ne hic error admittatur. Minoris noxæ fuerit, ſi unum aliquod numen credatur corporeum, quod tamen ſit inferioris ordinis, & minore cultu proſequendum. Cum tamen item hoc rectæ ſit rationi adverſum, & quam maxime ad pietatem faciat in puræ mentis cultu eam collocare, quod demum ita fieri poteſt, ſi Deus credatur ab omni corporea mole liber, itaque nec hunc errorem in bona republ, majeſtas tolerabit. Bene enim colligit ille:

Si Deus eſt animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi perpetuo ſit pura mente colendus.

LXVII. Remotior ab uſu civili videtur eſſe notio de unitate Dei, quodque præter illum nulla etiam ſpiritualis ſubſtantia ſit adoranda. Vere tamen & hoc argumentis fortiſſimis, ex ipſa recta ratione petitis, licet haut difficulter demonſtrare. Juſtum vero eſt, cum omnia alia ex præſcripto rectæ rationis agenda ſint in bona republica, ne quid adverſus illam in cultu divino committatur. Ad hoc, niſi cogites, eſſe unum ſummum omnium rerum gubernatorem, non potes non etiam de providentia divina ſequius judicare: cum primis in varia dubia religionum neceſſe eſt incidas, ſi exiſtimes, in numero deorum illo alios alia bona largiri. Et vero docent nos hiſtoriæ hac de cauſa ſæpe hæſitaſſe, & ſuſpenſo animo multum deliberaſſe Græcos, Romanos, quod neſcirent, qui dii placandi eſſent atque invocandi. Omnis vero de providentia divina error, etiam levis, in publicum eſt pernicioſus. Quin itaque & hac parte reipubl. ſuæ conſulere debeat prudens majeſtas civilis, nullum eſſe dubium debet.

LXIIX. Quum hiſce vero, quæ diximus, abſolvatur pæne omnis religio, quam naturalem appellamus, manifeſtum eſt, etſi alia ejus pars alia magis minusve ſit neceſſaria civili ſocietati colendæ, curandum omnino eſſe majeſtati, quæ recte vult ſocietatem ſuam gubernari, uti illa naturalis religio apud cives obtineat, neve cui ſit licentia adverſus illam delinquendi. At illi vero oppoſita eſt cum impietas, ſeu ἀθεότης: tum ſuperſtitio. Utraque igitur ex bona civitate eliminanda eſt. Et vero illa quum ſumme ſit pernicioſa, ne audiri quidem debet in republica. Eſt vero & hæc haud parum noxia: cum quod vulgi animos vana formidine terreat, atque ita bene gerendis rebus occaſionem magno reip. malo frequenter eximat, tum quod ſpem inanem

nem faciens ad magna & ardua ſtulto conſilio audenda homines invitet. Ne quid dicamus, quod ejus vanitas apud permultos ipſam veram & rectam religionem in ſuſpicionem falſitatis perducat: quod apprime eſt in vita noxium. Sane, quantum religionis paganæ ſuperſtitio & Græcis & Romanis ſæpe nocuerit, egregie adverſus Machiavellum demonſtravit vir doctiſſimus Hieronymus Oſorius *l. 3. de nobil. Chriſtiana.*

LXIX. HACTENUS curare religionem, officium eſt majeſtatis civilis ex ipſo jure naturæ proficiſcens. Poteſt vero hoc ipſum præſtari, & efficiendum quoque eſt iis modis, quibus cives ad alias virtutes civiles perducuntur. Nimirum 1. bona & religioſa educatione, ut ſtatim a primis annis quisque incipiat Deum rite colere & venerari. 2. Recta de cultu divino adultiorum inſtitutione ac doctrina: hæc ſane ſi accedat, magis ex ratione & devoto animo procedit religio, quod Deo quam maxime placet. Et vero ad hunc modum & aliarum virtutum officia in bona republica ſunt proponenda, non tantum autem nude citra rationem mandanda. Intereſt enim bonæ reipubl. ut cives omnes non ſerviliter habeantur, ſed prudentia morali, quoad licet, ſint inſtructi. Accedere 3. leges quoque debent, quibus ſimul præmia religioſis, pœnæ vero iis, qui ex rationis præſcripto non colunt Deum, proponuntur.

LXX. Ubi obſervandum eſt, utut tota religio naturalis in beata republica debeat obtineri, quum tamen alia atque alia ejus pars cum reipublicæ magis minusve ſit neceſſaria, tum non æque facilis intelligi, non eandem pœnam omnibus circa religionem hanc delictis eſſe imponendam: ſed graviſſimam impietati, minus gravem vero aliis, & quidem, prout providentiæ divinæ notio magis minusve læditur. In quam ſententiam haud male diſſerit. *Hugo Grotius l. 2. de jur. bell. & pac. cap. 20. n. 46. & 47.* etſi omni ex parte eam noſtram non faciamus, ut ex ſupra dictis eſt manifeſtum. Porro, quoniam ne id quidem ſemper a majeſtate civili poſſit obtineri, ut religio illa naturalis in tota civitate unice obtineat, prævalentibus avitis erroribus, & multitudine errantium, patet interdum etiam mitius debito eos, qui delinquunt, tractandos eſſe, & a pœnis meritis abſtinendum. Id ſane juſtum eſſe, liquet ex iis, quæ theſi quarta diſſerimus. Nec vero aliter adverſus paganos, quorum tota religio impietate & ſuperſtitione coinquinata eſt, primi Chriſtiani Cæſares egerunt. Namque Conſtantino ſatis fuit, templa paganorum claudere, & ſacrificiis interdicere. Cujus mandati pars exſtat *l. placuit, C. de pag.* ulterius non progreſſos etiam qui ſecuti ſunt, ne ipſo quidem Juſtiniano excepto, liquet ex toto titulo illo *XI. l. 1.* Codicis juſtinianei. Quo diſerte pagani *quiete degentes, nihilque tentantes turbulentum* prohibentur religionis prætextu injuria affici *l. Chriſtianis.* Neque legas, illa tempeſtate eos a publicis dignitatibus remotos fuiſſe: ſed iisdem cum Chriſtianis & maximis quidem fuiſſe muneribus præfectos, abunde teſtantur hiſtoriæ.

LXXI. Verum de religione naturali; quod illa ſit in beata republica qua præmiis, qua pœnis, fovenda, ſatis eſt dictum. Tria tamen videntur poſſe objici. *Primum* eſt, quod multæ olim reſpublicæ fuerint florentiſſimæ gentilium, hanc tamen religionem non colentes: unde conſequitur, non ſimpliciter ad felicitatem reipublicæ requiri, ut omnia naturalis religionis obſerventur: certum enim. eſt, paganam religionem naturali illi quam maxime adverſari. Quantum vero profuerit Romanis ſua religio, teſtis eſt Cicero *orat. de Haruſpic. reſponſ. Non calliditate aut robore, ſed pietate ac religione omnes gentes nationesque ſuperavimus.* Diſertiſſimus paganæ religionis patronus Symmachus *lib. 10. ep. 54.* pro Romanis ſui ævi inquit: *Eum religionum ſtatum petimus, qui Divo parenti culminis veſtri ſervavit imperium, qui fortunato principi legitimos ſuffecit heredes.* Idem Romam ipſam in hunc modum loquentem introducit: *Optimi principes patres patriæ, reveremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit, ut utar ceremoniis avitis: neque enim pœnitet. Vivam more meo, quia libera ſum. Hic cultus in leges meas orbem redegit: hæc ſacra a manibus Annibalem, a Capitolio Senones repulerunt.* Avorum memoria Nicolaus Machiavellus paſſim quoque videtur in ſuperſtitionis paganæ, quæ Romæ obtinuit, laudem multa diſſerere, quanquam nonnulla haut diffiteamur in meliorem ſenſum trahi poſſe.

LXXII. *Alterum* eſt, quod fieri poſſit, ut cives dediti ſint multis ſuperſtitionibus, & ſententiis naturali religioni maxime adverſis: cum vero neutiquam ſit conſultum, ut recepta ſacra mutentur quoquo modo; itaque nec ex re eſſe majeſtatis aut commodo reipublicæ, ut religio illa naturalis ſemper in uſum recipiatur. A conſuetudine vero recepta in ſacris non eſſe abeundum, tantum non communis eſt vox prudentum. Cicero *lib. 2. de divinat. Majorum inſtituta tueri, ſacris cæremoniisque retinendis ſapientis eſt.* Apud Livium *lib. 39.* cum quæreretur de Bacchanalibus, utrum toleranda eſſent, Conſul romanus inquit: *quoties hoc patrum avorumque ætate negotium eſt magiſtratibus datum, ut ſacra externa fieri vetarent? omnem denique diſciplinam ſacrificandi, præterquam more romano abolerent?* Additur ratio: *Judicabant enim prudentiſſimi viri omnis divini humanique juris, nihil æque diſſolvendæ religionis eſſe, quam ſi non patrio, ſed externo ritu ſacrificaretur.* Et vero jam diu ante Ædilibus erat injunctum, viderent, *ne qui, niſi Romani Dii, neve alio, quam patrio ritu colerentur.* Mæcenas oratione ad Auguſtum Cæſarem apud Dionem Caſſium *lib. 52. Divinum illud numen, omni modo, omni tempore, ipſe cole juxta leges patrias, & alii ut colant effice. Eos vero, qui in divinis aliquid innovant, odio habe & coerce: non modo Deorum cauſſa (quos tamen qui contemnit nec aliud quidquam magni fecerit,) ſed quia nova quadam numina hi tales introducentes, multos impellunt ad mutationem rerum. Unde conjurationes, ſeditiones, conciliabula exiſtunt: res profecto minime conducibiles principatui.* Hæc Mæcenas. Quæ verba in hunc modum a ſeſe latine verſa cum recitaſſet Juſtus Lipſius *lib. 4. c. 2. civil. doctr.* addit: *O verba ab impie &*

ad

ad impium nimis pia! hæc vera prudentia, & principi, qui ſapit, religio & veneratio nulla alia, niſi unius Dei ſententia tenenda eſt: & tenenda ex ritu veteri. Idem vero Lipſius multis exemplis adductis *libro adverſus dialogiſtam* docet, *novatores periculoſos eſſe in omni ſtatu.* Ut apparet etiam Lipſii, hominis utique prudentiſſimi, calculo ab innovatione omni religionis ſemper abſtinendum eſſe. Athenienſes porro non aliter judicaſſe certum eſt. Socratem ſane, Protagoram, Anaxagoram, Ariſtotelem, imo ſemel omnes Philoſophos novatæ religionis damnatos ab Athenienſibus, produnt hiſtoriæ. Quin ea illorum fuit ſeveritas, teſte Joſepho *lib. 2. contra Appionem: ut eos, qui verbulum modo effarentur præter leges de diis receptas punirent.*

LXXIII. *Poſtremo* videtur in uſum eſſe reipublicæ, ut qui præſunt, apud ſuos in opinione ſint alicujus divinitatis, ut ſcilicet ipſi vel pro diis, vel pro divinis vatibus habeantur. Hinc ſane apud multos populos reges tanquam dii fecerunt ſe adorari. Alii arcana ſibi cum diis colloquia eſſe aut fuiſſe finxerunt. Exemplo eſt, Minos Cretenſis, Lycurgus Spartanus, Numa, Scipio Sertorius romani. Nonnulli a diis ſeſe genitos perhibuerunt, aut poſt obitum ſunt in numero Deorum relati. Qui omnes id hoc ipſo impetrarunt, ut populus libens volensque ipſis obtemperaret. Nec vero apud Paganos tantum tale quid obtinuit, ſed & alios ab idololatria remotiſſimos. Ne quid enim de Moyſe dicam, quem impius Machiavellus in hunc cenſum trahit, quantum imperium prophetam ſeſe venditans conſtituit Mahummedes? quale & quam vaſtum eſt regnum Papæ romani? & tamen hujus præcipuum eſt fulcrum opinio, quod ille ſit a Deo conſtitutus Chriſti unicus vicarius per omnem eccleſiam, quique omnem veram fidem, omnia jura ſcrinio pectoris ſui comprehendat. Ex tot exemplis, videtur utique manifeſtum, valde ex re eſſe rerumpublicarum, ut tales de majeſtatibus ſententiæ populo perſuadeantur: negari tamen nequit, illas directa fronte cum naturali illa, quam diximus religione pugnare. Hinc ergo videtur utique colligendum, non ſimpliciter ex uſu eſſe bonæ reipubl. religionem illam, quam naturæ lex imponit, adeoque illa, quæ nos docuimus, vero minus eſſe conſentanea.

LXXIV. Hæc tria, videntur haud leve impedimentum injicere iis, quæ ſupra diſputavimus de neceſſitate religionis naturalis ad beatam rempublicam. Verum enim vero, licet ſpecioſa videantur, a vero tamen multum abeunt. Ut enim de *Priore* agamus primo loco, ante omnia eſt notandum, reipublicæ felicitatem non eſſe metiendam latis terminis dominatus, aut magna potentia bellica, ſed conſiſtere potius in eo, ut cives omnes virtute ſint præditi, dummodo ſimul iis ſit quod ad vitam ſatis eſt. Itaque nec inſtituta, quæ bellicam felicitatem procurant, etiam vere felicem reddunt rempublicam. Eo ſane nomine, Lycurgi leges accuſat ipſemet Ariſtoteles *lib. 7. Polit.* quibus tamen Spartanorum reſpublica ad bellicas artes fuit inſtructiſſima. Igitur ut concedendum fortaſſe fuerit, paganam religionem non tantum non obfuiſſe, verum etiam non leve fortunæ momentum rebuſpublicis contuliſſe, non tamen hinc colligere eſt, eandem vere felices reddidiſſe reſpublicas. Nobis vero ſupra propoſitum fuit oſtendere, quid a majeſtate civili fieri debeat, cui plenæ & integræ reip. felicitas eſt propoſita.

LXXV. Porro haud negamus, religionem Romanis aliisque gentibus plurimum profuiſſe; negamus tamen, illis quidquam opis attuliſſe paganiſmum, ut ita loquamur, h. e. illa quæ a naturali religione abeunt, aut illi adverſantur. Certe res docet, & omnium ſeculorum experientia, multas ſuperſtitioſiſſimas gentes perdidiſſe rempublicam, & magnis imperiis floruiſſe, quæ omnem Paganiſmum deleverunt: cujusmodi ſunt Judæi, Chriſtianiſmi, & Mahummedani omnes. Atqui infelices debebant fuiſſe omnes illæ reſpublicæ, a Paganiſmo abhorrentes, ſi tanta in ſuperſtitione illa & pravo cultu latet reipublicæ utilitas. Adhoc unice obſervandum eſt, romanum populum, quo tempore quam maxime virtute valuit, ſimul etiam per fuiſſe religioſum. Ciceronis in eam rem dictum ſupra allatum eſt. Valerius Maximus inquit: *Omnia poſt religionem ponenda ſemper civitas noſtra duxit.* Confirmat idipſum, hiſtoria romanarum rerum cum quæ a Livio, tum quæ a Dionyſio Halycarnaſſæo eſt conſcripta. Utque non defuerint multæ ſuperſtitiones, longe tamen minus earum fuit Romæ, quam alibi, neque fæda & turpia ſacra adeo temere publice admiſſa ſunt: quod ex Bacchanalibus profligatis eſt manifeſtum. Multum proinde tenuerunt religionis veræ: præcipua certe ejus fundamenta tenuerunt ſumma fide & conſtantia. Quod quin Deo Opt. Max. placuerit, ecquis dubitet? Quidni igitur etiam ille ſaltem affectum adeo bonum ſit remuneratus? quum nempe, ut Lactantius loquitur, *ſummum nominis officium etſi* non reapſe tamen propoſito, tenerent. Facit ſane nobiſcum S. Auguſtinus, non dubitans profiteri, anctum a Deo imperium romanum, quod cordi illis fuiſſet quamvis falſa religio. Eodem profecto modo Deus Opt. Max. punit perjuros, etſi per falſos deos juraverint. Ut enim idem ait Auguſtinus: *etiam qui per lapidem jurat, ſi falſum jurat, perjurus eſt: non te audit lapis loquentem, ſed punit Deus fallentem.*

LXXVI. *Alterum* quod attinet, haud profecto eſt concedendum, usque adeo ſemper vitandas reipublicæ turbas, ut nihil ſit innovandum, etſi vetera & recepta ſacra peſſime ſeſe habeant. Neque enim una tranquillitas tanti eſt, ut ejus cauſa omnia mala, quæ ex religione juri naturæ adverſa oriuntur plurima, ſint ferenda. Ad hoc, jam ante remedium moturum dedimus, nempe ſeriam veræ religionis doctrinam: quæ ſi obſervetur, nec ſolo impetu res agatur, haud adeo gravis eſt via ad veritatem perveniendi. Neque vero ea nobis mens eſt, ſtatim a gladio & igne emendationis faciendum eſſe initium, aut ad arma protinus veniendum. Quin confidimus, citra hæc quam feliciſſime rem poſſe expediri. Quod utique exemplo propagatæ

religionis Chriſtianæ eſt ſole clarius. Ab omnibus porro in univerſum, qui aliquid in recepto religionis uſu innovant, metuendas eſſe conjurationes & conſpirationes de evertendo reipublicæ ſtatu, falſiſſimum eſt. Ipſe Auguſtus Cæſar, teſte Philone *in legatione*, agnovit, *Judæorum cœtus non eſſe bacchanalia aut conventus turbandæ paci, ſed virtutum ſcholas.* Jam vero quanto ſtatim numero ſuccreverunt Chriſtiani? Tertullianus initio tertii ſeculi dixit *in apologetico: Externi ſumus, & veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum: Sola vobis reliquimus templa: & tamen*, ut idem inquit ad Scapulam; *nunquam Albiniani, vel Nigriani, vel Caſſiani* (h. e. qui vel adverſus peſſimos Cæſares conſpiraverint) *inveniri potuerunt Chriſtiani.* Secta nemini moleſta, ipſis paganis paſſim tum audiebant Chriſtiani.

LXXVII. Porro ab Athenienſibus Socrates quidem occiſus, & urbe aliquando ſunt exacti Philoſophi: at eosdem non multo poſt facti pœnituit & Philoſophis conceſſa libertas etiam de ſacris & divinis a vulgo alieniſſima ſentiendi: qua ipſos eſſe uſos etiam apud romanos, locupletiſſimo teſtimonio ſunt Ciceronis *de natura Deorum & de divinatione* libri, ne alios nunc autores laudemus. Et tamen nullos legere eſt motus hinc exortos locorum ullibi. Nec eſt, quod præmat nos Lipſii auctoritas. Ille enim libro adverſus dialogiſtam *retinenda antiqua* dicit, at cum illa *cautione, ſi proba*: a Clemente enim ſeſe edoctum: *non omnino & præfracte ſervare ritus patrios, ſed ſervare quidem, ſi pii eſſent: aſpernari autem & abjicere, qui non tales.* Verum & de altero ſatis.

LXXIIX. Ut Tertium quoque expediatur, unice eſt notandum, non omne, quod quovis modo in publicum prodeſt, etiam ex re eſſe beatæ reipublicæ. Quantumvis igitur verum fuerit, illam divinitatis ſimulationem haud inutilem eſſe, hinc tamen minime eſt conſequens, bonæ reipublicæ principibus illam imitandam eſſe. Ut enim una parte proſit, aliis tamen modis plurimis obeſt, maxime dum illam naturalem religionem tollit vel labefactat, quod maxime eſt noxium. Id quoque porro certum eſt, etiam ſine hoc ſophiſmate ſatis bene in officio populum contineri. Exemplo ſunt antiqua regna Perſarum, Medorum, Babyloniorum. In Ægypto quoque ſero demum nonnullis regum divinitas attributa eſt: ubi tamen nunquam non addicte populus regibus ſervivit. Confirmatur idem exemplis (ut alia taceam) omnium pene rerumpublicarum, quotquot hodie extant, pontificiam ſi excipias, quæ ſine hoc commento feliciter ſuos regunt Ad hoc nullum deceptio hæc habet locum niſi in populo rudi & ſuperſtitioſo: alibi valet nihil, imo cauſam ſæpe rebellioni. Enimvero non ſubmiſſius coluerunt Alexandrum generoſi Macedones, ex quo ille Jovis ſe Ammonis filium dixit, nec Romani Caligulam aut Domitianum: ſed omnibus illi prudentibus exoſi mox redditi ſunt, poſtremi ne quidem ſicas potuerunt effugere.

LXXIX. Et vero, qui tantam ſabulam egeris fraudem non animadvertentibus iis, quibus cor ſapit? Atqui bona reſpublica non vult cives rudes, ſed quam maxime prudentia etiam inſignes. Ut vel hinc liqueat, ſaltem a tali republica hoc commentum procul eſſe abigendum. Taceo quam parum diuturna illa ars ſit quamque facile pelluceat. Certe, quod Muhamet ſtruere conatus eſt regnum ſacrum, in ſuccedentibus ſibi Chaliſis dudum deſiit, nec Turcis, Tartaris, Perſis, aliisque Muhammedi addictis populis, hodie perſuaſeris, ut ex inſtituto ſui prophetæ Chaliſatum reſtituant. Vtque primum Lycurgus, Minos, alii ſuis legibus fraude hac autoritatem aliquam conciliaverint, ſola tamen hac opinione etiam a poſteris eas eſſe obſervatas haut profecto quis probaverit. Sanctiſſimus Moyſes in hunc cenſum impie refertur. Quum enim id ille fecerit? quem ſuæ gloriæ aut poſterorum commodis nihil ſtuduiſſe, ſatis liquet vel ex eo, quod noluerit peccata ſua & hinc properatam divinitus mortem diſſimulari, regni vero & ſummi ſacerdotii dignitatem in alios tranſtulerit, ſuis in plebem Levitarum abjectis. Ulterius quoque obſervandum eſt, ubi populus ita decipi aptus eſt, ibi ſimili ratione ſolere multas rebelliones paſſim pullulare. Etenim hiſtoriæ Muſulmannicæ ejusmodi complures memorant: neque diu adeo eſt, cum tali impoſtura cæpit, quod nunc eſt regnum Maroccanum, in Africa, in Perſide imperium Sophorum. Ut ſatis appareat, periculoſam admodum rebuspublicis hanc artem eſſe, & novarum rerum feraciſſimam, adeoque (ſi non omnibus) ſaltem bonæ civitati qua de nos nunc agimus, omnimodo fugiendam. Neque vero quem moveat Hildebrandinæ tyrannidis exemplum: eſt enim illud imperii genus prorſus ſine exemplo, adeoque nec ab aliis rebuspublicis in uſum vocari poteſt. Nunquam etiam non modo hic, modo alibi monarchia illa contrariis regum ſtudiis vehementer eſt agitata; quin magnam partem jam eſt fracta, ex quo ceptum eſt regnum illud, ſublato nonnihil ſuperſtitionis ſipario perſpicacioribus oculis inſpici, tandem tota corruet, infallibilitatis & vicariatus opinione e medio ſublata.

LXXX. HISCE nobis ad hunc modum diſſolutis, nihil fortaſſe ſupereſt, quur dubitet quis, num religio naturalis in bona republica a majeſtate civili debeat legibus & imperio inſtitui. Conſequens eſt videamus, quemadmodum circa *additamenta*, quæ ſupra appellavimus, gerere ſeſe majeſtas debeat. Initio igitur videndum, num quædam ſint, quæ civilem felicitatem promoveant, vel non ſint. Nimirum ex iis, quæ ſupra diſputavimus, jam tum liquet, ultra ea, quæ huic fini faciunt, non extendi imperium majeſtatis civilis: ex adverſo quidquid huc facit, legum coactioni eſſe obnoxium. Ubi tamen obſervandum eſt, quum alia adeſſe felicitatis civilis, alia tantum ad bene eſſe faciant: ad illa imperanda magis teneri majeſtatem, quam ad hæc: cives quoque magis obligari ad illorum, quam horum, obſervationem. Itaque accurate

fuerit

fuerit diſtinguendum, ſi quæ additamentorum civili uſui conducunt, num prioris, an vero poſterioris ſint ordinis, ut ſimul definire ita liceat; quousque imperii vis ſeſe porrigat, & qua ſeveritate majeſtas civilis circa ſingula debeat uti.

LXXXI. Naturali igitur religioni non adeo multa adjecit *Paganiſmus*. Plura adverſa tulit, verum illa jam tum ſuperſtitionis a nobis ſunt damnata, quam & ipſam non tantum non utilem civitatibus, ſed & magis minusve noxiam eſſe demonſtravimus. Dementiæ ſane proximum eſt, quod Machiavellus exiſtimat, religionem illam frequentia ſacrificiorum profuiſſe, illa enim pecudum cæde ſæpius ſpectata redditos cives fortes. *Cur enim* (ut recte loquitur Oſorius *l. 3. de Nobilit*) *iſto auctore non conquirimus omnes lanios? cur non etiam carnifices* (*hos enim oportet magis efferatos eſſe, a quibus hominum corpora laniantur*) *ad arma ſimiliter evocamus? ut ſcilicet illa virtute, quam aut ſanguine pecudum, aut ſupplicio damnatorum adepti ſunt, in hoſtes irruant, & a nobis omnia pericula propulſent?* Fac nimirum, efferos reddi animos ſpectatorum (quod tamen non eſt perpetuum) multum; tamen intereſt inter feritatem & fortitudinem veram civilem. Imo feritas illa civitatibus omnibus eſt ſumme noxia: ut proinde ſpectacula illa victimarum potius ideo removenda ſint, quod morum ferociam producant: ſi vera fuerit Machiavelli collectio. Sane nihil eſt cauſæ, cur quidquam paganæ ſuperſtitionis in rempublicam bonam ſit introducendum.

LXXXII. Veriſimilius quis pugnaverit pro admittenda religione *Muhammedana*. Et vero ejus obſervationem videtur comitari ingens armorum felicitas. Imbuti enim illa Saraceni, intra breve tempus Arabiam, Syriam, Palæſtinam, Ægyptum, Perſidem, paulo poſt Africam, & transmare Hiſpaniam ſubegerunt. Eadem religione ſuſcepta, Turcæ imperium ſuum captis Aſiæ, Græciæque urbibus, & promotis in Hungariam & Illyricum armis, late in Germaniæ usque noſtræ fines diffuderunt, ut hodie magna orbis terrarum pars Muhammediſmo collum videatur ſubmiſiſſe. Neve quis dubitet, religioni adſcribendam hanc fortunam, facit Corani Azoara 32. & 47. Latinæ verſionis veteris: ubi ab hac fortuna argumentum petitur pro revelationum Muhammedis veritate. Ad hoc, quoniam in Corano promittitur æternum præmium iis, qui fortiter pugnant pro religione, atque ita perſuaſus miles intrepide omnia ſubit pericula; ad fortitudinem utique hæc religio videtur unice juvare: ſine illa autem non poteſt ulla eſſe reſpublica ſalva. Ex hiſce igitur aliisque haud ſine veriſimilitudine quis collegerit, in bona republica illam præ aliis eſſe adſerendam.

LXXXIII. Verum enim vero haud equidem negaverimus, longe minus quam Pagana, adverſari naturali religioni ea, quæ Muhammed propoſuit: abunde tamen ſatis conſtat, quidquid ab illo eſt aſſertum, id omne falſæ ſuperſtitionis loco habendum eſſe. Præter ea [quemadmodum ſupra etiam eſt dictum] licet ponas, ad virtutem bellicam valere religionem hanc: non tamen inde colligere eſt, conducere eandem reipublicæ, quæ adſpirat ad felicitatem civilem veram, utpote quum in illa fortuna minime ſit ſita illa felicitas. Porro haud negaverimus quidem, magnum fuiſſe armorum progreſſum, præcipue ſub initia Mahamediſmi; aſt vero inde non eſt colligere, tantam fortunam huic religioni adſcribendam eſſe. Sæpenumero enim fit, ut vincantur ii, qui rectius ſentiunt, tantum ideo, quoniam ex præſcripto propriæ ſuæ rectæ rationis non colunt Deum, atque ita *veritatem injuſtitia detinent*, ut loquitur Paulus. Ad hunc ſane modum etiam paganæ religioni addictos, de Judæis itidem ingentes reportaſſe victorias, & alios ſibi maxima ſtruxiſſe imperia, plurimis licet hiſtoriis demonſtrare. Quo tempore vero celebres adverſus Chriſtianos & ipſe Muhamed & ejus ſucceſſores Chalifæ victorias reportaverunt, ſummam fuiſſe morum corruptelam non in vulgo tantum, ſed Epiſcopis etiam aliisque Chriſtianorum ſummatibus, docent nos luculente, cum alia iſtius temporis monumenta tantum non omnia, tum quæ Salvianus refert, *libris de gubernatione Dei*. Neque deprehendere eſt, vel hilum præſtitiſſe illis Chriſtianos, qui poſt a Saracenis aut Turcicis ſubacti ſunt.

LXXXIV. Ipſi adhoc religioni muhammedanæ non faviſſe Deum, maximo eſt argumento illud, quod Chalifatum præcipuum Muhammedani imperii inſtitutum, paſſus ſit deſtrui, & quidem initio per civiles tumultus, demum per Tartaros, tum quidem nihil minus quam Mahumediſmo affines: quod ejus ævi teſtes Haythonus Armenus & Paulus Venetus commemorant, ne aliis ſit teſtibus opus. Taceo nunc, quas multas clades Muhammedani vel a Chriſtianis ſint paſſi, quodque tota demum ſint Hiſpania exacti. Unde tamen id intelligere eſt, felicitatem illam armorum non perpetuo religionem hanc comitari, ſed tantum commerentibus ita vitiis aliorum.

LXXXV. Nihil itaque eſt, quur cogitet majeſtas civilis de religione Muhammedana introducenda, utut longe ſit quam pagana melior. Cæterum *judaicam* amplexandam quis dixerit, quod illa (in quantum profecto in Moſaica lege comprehenditur, non vero detinetur in talmudicis Rabbinorum commentis) tota ſit a Deo Opt. Max. profecta, & cælitus promiſſum acceperit omnigenæ civilis felicitatis, multorum ſeculorum ſucceſſu proſpero benignitatem hanc divinam comprobante. Verum, quum ex ipſis ſacris monumentis conſtet, uni Iſraelis poſteritati datam eſſe hanc fortunam, & cum illo uno populo fœdus a Deo ictum, prout ex *Deuteronomii 33. verſ. 4.* recte probat etiam Maimonides, fruſtra utique alia quæpiam gens aut civitas ab obſervatione legum Moſaicarum exſpectaverit promiſſa quondam Iſraelitis ſolis divina beneficia. Adde ne Judæos quidem, everſa jam republ. poſt occiſum Meſſiam, niſi vana ſpe poſſe ſi-

bi polliceri priſtinam fortunam: multo minus ergo in univerſum aliæ bonæ civitates illas cœleſtes dotes veteris reipubl. iſraeliticæ exſpectaverint.

LXXXVI. Ulterius unice meretur adverti, quod cæremonias aliasque leges ſacras mere poſitivas, atque adeo additamenta illa religionis naturalis non pari cum naturalibus illis cenſu ipſe Deus collocaverit, ſed maxime illius primævæ religionis ſtudiis præmia conſtituerit. Pſalmo 50. ipſemet Deus hiſce verbis alloquitur populum iſraeliticum: *Sacrificiorum cauſa ne verbum quidem velim tecum commutare, nempe ut holocauſta mihi alia ſuper alia mactes. Imo laudem Deo ſacrifica & vota redde.* Prius utique ex additamentorum eſt numero, poſteriora naturalis juris ſunt. Apud Michæam *cap. 6.* inſtituta quæſtione, quænam ſit optima conciliandi Deum ratio, reſpondet Deus. *Dicam tibi, quid ſit vero bonum mihique gratum: nimirum ut ſuum cuique reddas, ut aliis bene facias utque ſubmiſſum te Deo ac humilem præbeas.* Jeremiæ VII. legitur. *Sic ait dominus exercituum, Deus Iſraelis: Holocauſta veſtra congerite cum victimis, & ipſi eorum carne veſcimini. Cum enim primum majores veſtros eduxi ex Ægypto, nihil exegi aut mandavi de holocauſtis & victimis: ſed hoc eſt, quod illis ſerio edixi, ut mihi obtemperarent: Sic me fore Deum ipſorum, ipſos populum meum; utque ea incederent via, quam ego illis eram mandaturus; ita omnia proſpere eventura.* Optimus legis moſaicæ interpres Jeſus Chriſtus noſter, *maximum & primarium mandatorum* pronunciavit illud: *diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo & in toto animo tuo & in tota mente tua.* Eſt autem hoc juris mere naturalis.

LXXXVII. Verum quin nihil ſit cauſæ, cur Paganorum, aut Judæorum aut Muhammedanorum, quæ diximus additamenta in rempublicam ſint introducenda, ſatis indubie conſtat: ſupereſt dubium, num ſi forte irrepſerint, gravibus pœnis debeat in eos, qui hæc talia obſervant, animadverti. Qua de re non omnes idem ſentire notum eſt: quum aliæ reſpublicæ Judæos, [ut hos ſolos nunc primum in exemplum vocemus] a ſua civitate excludant, aliæ eos non tantum tolerent, verum etiam foveant. Quum vero civili beatitudini judaica religio vetus non obſtet, manifeſtum eſt, a majeſtate civili citra injuriam olim non potuiſſe illam prohiberi. Ea ſane cauſa permotus Auguſtus Cæſar [teſte Philone *in legatione*] ubivis Judæorum Synagogas admiſit, quod non eſſent cœtus turbandæ paci, ſed virtutum ſcholæ.

LXXXIIX. Quæ hodie apud Judæos obtinet religio, quatenus ſcilicet in officio pietatis collocat hoſtilem animum in omnes diſſentientes, obſtat utique tranquillitati publicæ, itaque hactenus ferenda non eſt. Quum vero ejus cultores rogati, juramento ſoleant identidem profiteri diſſenſum ſuum ab hac impia ſententia, id ſiquidem fecerint, nihil videtur obſtare, quamobrem haud queant tolerari. Præſertim ſi cives ſint, & alias ſit reipublicæ cautum, ne quod ab illis malum immineat. Quod ſi horum magnus fuerit numerus, multo maxime ex re fuerit illos haud ejicere, ne qua civitas penuria hominum laboret. Unde patet, quid de Ferdinandi & Iſabellæ Hiſpaniæ regum facto illo ſit ſentiendum, qui Judæos Hiſpania ejicere primi tentaverunt. Memorabile ſane eſt, quod rem hanc narrans ſcribit Mariana, prudens hiſpanicarum rerum ſcriptor, utut ſævus alias diſſidentium in religione hoſtis *l. 36. c. 1. Judaorum* (inquit) *multitudinem, qui ex Hiſpania diſceſſerunt, ad certum numerum revocare promptum non eſt. Plerique ſcriptores centum & ſeptuaginta familiarum millia abiiſſe confirmant: quidam ad octingenta millia capitum ajunt perveniſſe. Ingens numerus ac vix fidem facturus: ſed unde tamen multis occaſio extitit hoc decretum accuſandi: gentem copioſam & qua omnes vias pecunia noverat, removere, a prudentia Ferdinandi alienum exiſtimantibus. Magno utique compendio fructuque earum provinciarum, ad quas copiarum Hiſpania magnam partem, aurum, argentum, gemmas, veſtemque pretioſam, ſecum detulere.* Et vero hanc Judæorum expulſionem haud levem eſſe cauſam ejus, qua nunc laborat Hiſpania, incolarum paucitatis, etiam aliis prudentiſſimis eſt auctoribus annotatum. Cum noſtra vero ſententia pleraſque facere, & hactenus feciſſe ſemper reſpublicas, notum in vulgus eſt. Chriſtianorum Cæſarum ad Juſtinianum usque in Judæos ſui ævi benignitatem intelligere eſt ex *tit. II. lib. I. Codicis de Judæis & Cælicolis*, quæ profecto non ſapiunt Ferdinandi illud ingenium. Quemadmodum ab illo plurimum etiam diſcedit mos aliquando receptus in Hiſpania, Judæos ad maxima reipublicæ munia admovendi.

LXXXIX. Non nihil diſpar videtur eſſe ratio *Muhammediſmi*. Primum enim arma in diſſidentes expromit; (*converti nolentes interficite*, inquit, *Azoara* 19. Alcorani) credique adeo ſibi vult nulla facta libertate inquirendi, ut videre eſt *Azoara* 13. Tales vero ſententiæ invertunt publicam tranquillitatem. Ad hoc in præmium virtutis & pietatis a morte pollicetur voluptatem veneream: quo ipſo non poſſunt homines non allici ad libidinem, præſertim accedente exemplo ipſius Muhammedis, quem mulieroſum fuiſſe nemo negaverit. Verum enim vero, etſi unum alterumque ſectæ alicujus placitum forte non poſſit tolerari, ideo non ſtatim omnia alia eliminanda ſunt. Poſſunt itaque & Muhammediſmi illa prohiberi, quæ bonis moribus & paci publicæ obſunt, reliquis aliqua libertate conceſſa. Porro notum eſt, Muhammedanos vulgo permittere, ut qui ſub imperio ipſorum vivunt, religione, qua velint, utantur. Ipſe Alcoranus *Azoara* 1. & 12. agnoſcit, Chriſtianos ſervari poſſe in fide ſua. Igitur aut alius eſt ſenſus verborum, quæ ex *Azoara* 19. adduximus, quam vulgo credimus, aut Muhammedani hodierni aliter ſentiunt, atque in Corano docetur. Certe minus ab his videtur publicæ quieti periculum imminere. Quæ porro in Alcorano de voluptate carnis poſt mortem capienda habentur, illis Philoſophi Muhammedani complures, Avicenna, Algazel, Averroes allegoricorum ſenſum etſi inique adſcribunt, & longe aliter transformant. Jamque tum diximus, ſi quid tale bonis moribus obſtat, poſſe tolli, non omni Muhammediſmo ſublato.

XC,

XC. Ad hunc modum ſane multis ſeculis in Hiſpania chriſtiani reges ſub imperio ſuo Muhammedanos longe plurimos, ut cives, degere permiſerunt, non Papa, non Epiſcopis Hiſpaniæ factum improbantibus, donec Ferdinandus, quem catholicum nuncupant, eos aut ſolum vertere, aut chriſtianam religionem amplecti fecerit, exemplum hoc, qui ſecuti ſunt reges, imitantibus. Verum quo animo qui remanſerunt, Chriſto fidem dederint; & quanto cum periculo reipublicæ contra animi ſententiam imperata religio fuerit obſervata, docent motus illi Moriſcorum initio hujus ſeculi, quo tota Hiſpania in diſcrimen fuit adducta, ad edictum novum Philippi III. menſe decembri anno 1609. promulgatum ex Hiſpania, teſte Johanne de Laët *Hiſpania c. 4. n. 5.* non in gentis millibus abeuntibus: unde jam ante inopia incolarum laborantes provinciæ nonnullæ tantum, non totæ, exhauſtæ ſunt.

XCI. De *Paganicis* additamentis non eſt, quod ultra diſſeramus, propterea quod illa aut prorſus fuerint ſuperſtitioſa, aut etiam adverſa naturali religioni. Jamque ſupra nonnihil hac de re eſt dictum. Tempus eſt, ut de *religione chriſtiana* agamus. Et quidem ex Machiavelli ſchola aliquis forte, ne admittendam quidem illam dixerit, eo quod militari virtuti officiat. *Qui convenit* (inquit impius Magiſter) *cum iſtius virtutis celebritate gloriæ contemtio, quæ chriſtianis omnibus præſcribi ſolet? nemo enim, niſi laudis ſtudio inflammatus fuerit, pericula ſibi ſubeunda putabit.* Aſt hanc impiam ſententiam late & præclare expugnavit Hieronymus Oſorius *lib. 3. de nobilit. chriſtiana*, & qui ſe Antimachiavellum dixit vir itidem doctiſſimus. Majori veriſimilitudine poſſit objici injuriarum patientia, ſevere adeo mandata, quo videtur reſpublica quaſi exponi contemtui & ludibrio, imo cujusvis petulantiæ: quo nihil eſt in publicum magis noxium. Nequaquam vero omnem omnino injuriam pati nos juſſit Salvator, nec omne bellum prohibuit, utut patientiam commendaverit. Quod perdocte adverſus F. Socini aliorumque perverſas opiniones oſtendit Hugo Grotius operis incomparabilis *de jure pacis & belli l. 1. c. 2. l. 2. c. 1. & 20.*

XCII. Tantum abeſt vero, quur merito quis dubitet, num chriſtiana religio poſſit in bona republica tolerari, ut demonſtratu ſit facillimum, illam omnino oportere introduci. Neque enim negari poteſt, primævam illam civilem colendi Dei rationem a perquam paucis, naturalibus ingenii viribus comparari: de virtutum quoque ſtudio graviſſimos errores usque adeo hominum mentes facile occupare, ut niſi cælitus illuminentur animi, vix pauciſſimis poſſit contingere, ut ad veritatem perveniant, adeoque ex præſcripto rationis vitam ſuam inſtituant, & Deum colant. Ea porro vitiorum paſſim graſſantium (accedente prava educatione & vulgi conſuetudine perverſa) vis eſt, ut quæ juſta eſſe ſatis noviſti, tamen haud agas, niſi bonam mentem inſpiret Deus, & a vitiorum contagio liberet.

XCIII. Utrumque vero unice præſtat religio chriſtiana. Nihil quippe eſt virtutis, nihil pietatis naturalis, quod non illa quam ſanctiſſime exigat, & quidem propoſitis æternis cum pœnis, tum præmiis animæ pariter & corpori, quod alia religio ad eum modum hactenus non fecit. Eo vero fit, ut hodie vivendi recteque colendi Deum ratio in qualibet republica per doctrinam chriſtianam omnium animis facili poſſit negotio inſcribi: quæ notitia alias non niſi ad paucos pertingeret. Eadem vero religio etiam auxilia largitur ſpiritus ſancti, quibus adjutus, recte vitam poſſis inſtituere. Itaque quum ad beatam vitam civium usque adeo ſit neceſſarium, ſcire, quomodo ex præſcripto rectæ rationis debeas vivere Deumque colere, & ſimul idoneum eſſe ad vitam recte inſtituendam, utrumque vero absque chriſtiana religione vix impetrare liceat, manifeſtum eſt ſaltem, naturalis illius cultus divini ergo religionem chriſtianam a civitate bene inſtituta abeſſe non debere. Quæ porro addidit Religio chriſtiana primævæ illi & naturali, illa licet ad ſocietatem civilem haud perinde faciant, quoniam tamen ad æternam ſalutem obtinendam prorſus ſunt omni homini neceſſaria, majeſtatis vero civilis officium eſt, quoad fieri licet, civium felicitatem curare, itaque & hæc additamenta, quantum licet, videre debet majeſtas, ut in republica bona obſerventur.

XCIV. Igitur tota prorſus religio chriſtiana in bona republica uti locum inveniat, operam eſſe dandam, dubitari minime debet. Quum alia vero illius religionis pars eadem ſit cum naturali, alia huic ſit ſuperaddita, videndum accurate, quomodo poſterior illa portio a majeſtate civili curari debeat: num ſcilicet eodem modo, ut prior, an alio. Nam priorem etiam imperari poſſe civibus, ſupra demonſtravimus. De poſteriore tantum id docuimus, introducendam illam eſſe, in quantum licet: quousque autem liceat, nondum eſt definitum. Sunt autem hac de re diverſæ & diſſidentes admodum ſententiæ. Alii enim exiſtimant, per vim cogere licere, ſi qui detrectent fidem illam amplecti: alii neminem quidem invitum iſthuc adigendum cenſent, incredulos tamen putant una illa de cauſa ex civium numero expelli poſſe: alii neutrum licere opinantur, in officio tamen majeſtatis eſſe bona inſtitutione & doctrina negotium fidei quam fideliſſime promovere. Quarum ſententiarum ultimæ etiam nos credimus eſſe accedendum. Cæterum veritas ejus rationibus illuſtranda eſt.

XCV. Igitur, ſi competit majeſtati civili imperium circa fidem chriſtianam, quatenus illa diſtinguitur a naturali religione, competit utique aut illo jure naturæ, quo reliquam vim & autoritatem obtinet, aut ſingulari quodam jure divino. Neque enim hic fas eſt allegare jus aliquod poſitivum humanum. Jam vero jus naturæ non dat majeſtati imperium, quod ſeſe extendat ultra ea, quæ ad felicitatem civilem faciunt: neque ad hanc acquirendam conducit fides chriſtiana proprie ita dicta, ceu *theſ. 13. & 14.* eſt demonſtratum. Manifeſtum igitur eſt, illo quidem jure ad majeſtatem civilem imperium illud, quo de agimus, non pertinere.

XCVI. Ex nova porro divina liberalitate eidem non eſſe datam vim atque autoritatem imperandi, liquet inde: quoniam aut illam neceſſum eſt acceperit communem cum reliquis chriſtianis, ita, ut omnes chriſtiani in incredulos habeant vim coactivam, qualem ſupra diximus muhammedanis a ſuo pſeudo-propheta conceſſam; aut ſingulatim illi hoc datum eſt, ceu quæ habet alias autoritatem ἀρχιτεκτονικὴν in rempublicam. Prius factum non eſſe, abunde diſcere eſt ex iis, quæ a *theſi 35. usque* 41. diſputavimus, de negata a Chriſto vera juriſdictione apoſtolis, epiſcopis, presbyteris: Quod enim his non eſt conceſſum, illud utique omnibus chriſtianis datum non eſt. Nec dixeris factum eſſe poſterius, utpote quum talis alicujus divini mandati nullum exſtet vel leviſſimum veſtigium. Debuit autem illud præſcribi verbis perſpicuis & diſertis, ne qui cives, ſi cogantur fidei chriſtianæ nomen dare, injuriarum poſtulent majeſtatem civilem; quod rebellioni & motibus civilibus pro fomento eſt.

XCVII. Porro Servator noſter nullibi alium modum propagandi doctrinam ſuam mandavit, quam qui tantum fit docendo. *Euntes*, dixit ipſis Apoſtolis ſuis, *docete omnes gentes*. Nec Apoſtoli alios conſtituerunt evangelii proſeminatores, quam qui docerent, & quidem animo leni. Apoſtolus Paulus in tertio cœlo Chriſti doctrinam edoctus, Timotheum ſuum inſtruit de modo docendi evangelium *2. Tim. 2. v. 24. & 25.* in hunc modum: *Servum domini non oportet pugnare, ſed manſuetum eſſe erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos; cum lenitate erudientem eos, qui contrario animo ſunt affecti, experturum, num aliquando daturus ſit eis Deus reſipiſcentiam ad agnitionem veritatis ejus.* Saltem itaque agunt admodum temere, qui alium chriſtianiſmi introducendi modum audent inſtituere: quam qui ab ipſo Chriſto ejusque Apoſtolis eſt inſtitutus. Non poſtulare præterea Chriſtum, ut fidei ergo cuiquam vis inferatur, inde etiam colligere eſt, quod vetaus animadverti in eos, qui eum hoſpitio noluerant excipere, uſus ſit ea ratione: *Neſcitis, cujus ſitis ſpiritus: Filius enim hominis non venit, ut perderet hominum animas, ſed ut ſervaret.* Hinc ſane diſcere eſt, ſpiritum Chriſti, quem induimus, non exigere a quoquam ad propagationem fidei aſpera remedia. Saltem itaque ex lege aliqua Chriſti nulla majeſtas obligatur ad imperium circa fidei negotium.

XCVIII. Porro non niſi ſpontaneam fidem velle Chriſtum, neque ob infidelitatem ante extremum judicium in quemquam cupere animadverti, patet etiam ex parabola de Zizaniis *Matth. 13.* Eodem ſpectavit illa interrogatio *Joan. 6.* ad apoſtolos: *Nunquid & vos vultis abire.* Hinc Athanaſius: *Dominus non cogens, ſed libertatem ſuam voluntati permittens, dicebat vulgo quidem omnibus: Si quis vult venire poſt me: Apoſtolis vero; nunquid & vos abire vultis.* Chryſoſtomus ad hunc locum: *Interrogat, an & ipſi velint diſcedere, quod omnem eſt amoventis vim & neceſſitatem.* Nec vero illud *Lucæ 14. Compelle intrare*: violentam aliquam coactionem notat, ſed tantum invitantis ſedulam inſtantiam, quod & Thomas agnoſcit, *quæſt. 22. de veritate art. 1. ad ult.*

XCIX. Hanc præterea eſſe ſententiam veram Chriſti & apoſtolorum etiam inde eſt manifeſtum, quod tota primitiva eccleſia primis ſeculis, quum apoſtolorum vox in auribus ſonaret, etſi nihil ſit verita omnem chriſtianam fidem propalam profiteri, nunquam docuerit, in officio eſſe regum aut cæſarum, vi facta chriſtianam religionem propagare, ex adverſo in omnibus monumentis ejus ævi legere ſit de non niſi ſponte colendo Deo, quodque a religione abeſſe debeat omnis coactio. Non poteſt ſane dici, primos illos chriſtianos vel neſciviſſe, quid ſui eſſet officii, vel non auſos proloqui. Non aliter vero ſenſerunt & meliores chriſtiani, jam cæſarea dignitate ad chriſtianos delata. Neque enim vel in horum ſcriptis quicquam legas, quo violenta ad fidem chriſtianam coactio laudetur. Nec primi chriſtianorum cæſarum in Paganos & Judæos, utut illorum præ chriſtianis exiguus eſſet numerus, ob non ſuſceptam fidem vel exilio, vel ſimili gravi pœna animadverterunt, aut minacibus edictis ad fidem eos compulerunt.

C. Samaritanos (fatendum) Juſtinianus vi adigere voluit: Sed & hoc ejus conſilium a ſapientibus fuiſſe culpatum, ſubſequuta regionis illorum vaſtitate ex *arcana Procopii hiſtoria* notat Grotius *lib. 2. de jure belli & pacis c. 20. n. 48.* & in *floribus ad cod. tit. de hæreticis.* De Siſebuto Gothorum in Hiſpania rege Iſidorus hiſpalenſis ita ſcribit: *Qui in initio regni ſui judæos ad fidem chriſtianam permovens æmulationem quidem Dei habuit, ſed non ſecundum ſcientiam: poteſtate enim compulit, quos provocari oportuit fidei ratione.* Huic etiam Siſebuti facinori eſt oppoſitus ab epiſcopis Hiſpaniæ canon. 55. concilii toletani IV, quem *cap. de Judæis diſt. 45.* recitat Gratianus: *præcipit ſancta ſynodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre, cui enim vult Deus, miſeretur, & quem vult, indurat.* Digna lectu eſt Theodohadi Oſtrogothorum in Italia regis epiſtola ad Juſtinianum *l. 10. epiſt. 26.* Theodorici regis vox eſt *l. 2. epiſt. 26.* itidem in variis Caſſiodori: *Religionem imperare non poſſumus, quia nemo cogitur, ut credat invitus.* Sequiore ſeculo ſcripſit S. Bernhardus *in cant. fides ſuadenda eſt, non imperanda.* Poſt illum Thomas Aquinas *p. 2. 2. q. 10. a 8.* dicit, *infideles, qui nunquam fidem ſuſceperunt, ad fidem non eſſe compellendos,* & *art. 12.* liberos Judæorum & aliorum infidelium invitis parentibus baptizandos non eſſe. Cujus hanc ſententiam plurimi alii ſecuti ſunt: inter quos & I. Mariana, & Hieronymus Oſorius alter *rer. hiſpanic. l. 26.* alter *lib 2. de vita* Emanuel. increpat Luſitanos ob baptizatos Judæorum liberos parentibus reluctantibus.

CI. Quod ſi vero invitum aliquem ad chriſtianam fidem compellere non licet, ſive jure naturæ, ſive divino: ulterius manifeſtum eſt, ſolius infidelitatis nomine non etiam licere aliquem punire, ne mulcta quidem pecuniaria, multo minus profecto exilio. Neque enim talis

pote-

poteſtas competit majeſtati ex naturali autoritate in rempublicam; utpote quum infidelitas non ſit peccatum pugnans cum ſocietate civili, alia autem peccata ſint extra jurisdictionem civilem, quantum illa deſcendit ex jure naturali majeſtatis: non etiam majeſtati competit jure divino, ut jam vidimus. Omnis ergo rex, qui infidelitatis nomine cives ſuos pœna afficit, facit iis injuriam, rationem facti aliquando graviter Deo redditurus.

CII. Quanquam autem hæc plana & certa videantur, nihilominus objecerit quis noſtræ ſententiæ, quod multi regum judæos ac gentiles, aut adegerint vi ad fidem chriſtianam ſuſcipiendam, aut nolentes eam admittere vel interfecerint, vel avitis ſedibus expulerint: qui tamen reges præ aliis videntur a Deo inſigni fortuna mactati, populis ad veram pietatem ita reductis, qui itidem alias in craſſiſſimis erroribus permanſiſſent. Exemplo eſt Carolus Magnus, qui non niſi gravi bello domitos ſaxones Chriſto lucratus eſt, ipſi, omnibus aliis negotiis ex voto ſuccedentibus. Ad eundem modum, Venedorum gentes & Boruſſi armis Germanorum Chriſti jugum ſubierunt. Non alio prætextu Henricus II. Anglorum rex, Hiberniam omnem occupavit, aut Hiberni pervenerunt ad fidem Chriſti. Sic avorum memoria, Hiſpaniæ reges Judæis, Mauris, & Americanis fidem Chriſti imperarunt, qui recuſabant vel ejicientes, vel occidentes; quibus tamen regibus ſumme utique favit fortuna, ſeu potius Deus ipſe Opt. Max.

CIII. Verum enim vero non eſt, quur pauca adeo exempla ſectanda quis duxerit. Et vero longe felicius ac citius, ſine armis, ſola prædicatione evangelica, cum aliæ gentes, tum ipſi & Franci & Angli, & cum veteres Hiſpani, tum qui illis ſucceſſerunt Gothi ad fidem chriſtianam pervenerunt. Nec verum eſt, unius chriſtianæ religionis ergo ſuſceptum fuiſſe a Carolo M. contra Saxones bellum, ſed aliis quoque de cauſis, quas commemorat Eginhartus in *Caroli vita*, & latius perſequitur in commentario *de ſaxonum originibus* Reinerus Reineccius. Neque illud Carolo bellum feliciter adeo ceſſit, ut quod fuerit tractum per triginta tres annos: *Plures tam ex nobilitate Francorum, quam Saxonum, & functi ſummis honoribus viri, eo bello conſumpti ſunt.* Non meliore multo ratione Venedi per Saxones Chriſto adducti, aut Boruſſi veteres: ut ex ſclavica hiſtoria Helmoldi & boruſſicis variorum conſtat: Præſertim cum utrobique non tam religio perſuaſa ſit, quam ſolitudo regionibus inducta, quæ novis coloniis germanicis deinde iterum ſunt impletæ.

CIV. Quanto porro bono Hiſpania Mauri & Judæi ejecti ſint, ex aliorum ſententia ſupra audivimus conquerentem Marianam. Qui remanſerunt, & vi adacti ſunt chriſtianos ſeſe profiteri, quo ſucceſſu id fecerint, liquet abunde ex eo, quod Jacobus Simanca, epiſcopus hiſpanus & magnus ſævitiæ patronus, *Enchirid. judicum viol. religionis tit.* 1. teſtetur. *Hiſpaniam pſeudo-chriſtianis innumerabilibus, malo genere natis, abundare.* Nongenta millia Maurorum, qui chriſtianos ſeſe ſimulaverant, ad nuperum edictum Philippi III. Hiſpania exceſſiſſe, jam tum memoravimus. De Judæis, qui Ferdinandi tempore remanſerunt, Mariana: *Multi ex eo numero, ne patria carerent, Chriſto dedere nomina, pars ſinceris animis, alii ſimulata pietate tempori ſervientes, brevi ad ingenium, fraudes, & mendacia redierunt.* Egregium vero chriſtianiſmi progreſſum, qui innumeros peperit impios hypocritas, hoc eſt, ex non bonis fecit peſſimos. Meliorem fuiſſe ſucceſſum propagandi evangelii in Amarica quis dixerit? imo vero quis non dixerit vaſtitatem potius ibi factam eſſe, & immani ſævitia, omnisque generis ſceleribus miſeros Americanos, paucis forte exceptis, nihil eſſe minus quam chriſtianos redditos? Certe quemadmodum ſeſe geſſerit novum illud apoſtolorum genus, cum alia nos docent, tum in primis non ſine legentium horrore libellus, quem hujus argumenti obtulit Hiſpaniæ Regi Philippo II. Bartholomæus de la Caſa.

CV. Iſtis vero facinoribus conciliaſſe ſibi Deum Hiſpanos, impium eſt creditu. Sed nec ex proſpera fortuna colligere eſt, probatum Deo hunc convertendi modum. Quid enim, ſi tantas ærumnas gentium ita devictarum peccata commeruerint? De Saxonibus ſane ita Eginhartus? *Saxones & natura feroces, & cultui dæmonum dediti, noſtræque religioni contrarii, neque divina, neque humana jura vel polluere, vel transgredi inhoneſtum arbitrantur.* His nihil fuiſſe meliores Venedos, hoſtiis inſuper humanis frequentiſſime litaſſe, notant hiſtoriæ. Incredibilem quoque vim fuiſſe δαιμονολατρείας apud Americanos, atque eo ipſo ſanctiſſimum numen ad juſtam indignationem provocatum eſſe, ut concederet illos indigniſſima quæque pati, judicat gravis non minus, ac pius ſcriptor Joſephus Acoſta.

CVI. Manet ergo ratum, quod ante demonſtravimus, neminem ad chriſtianam fidem amplexandam, vi quadam licere cogi, aut ſi quis id detrectet, eo nomine quem pœna aliqua affici merito poſſe. Itidem tamen a nobis eſt oſtenſum, majeſtatis officium eſſe, quomodocunque licet, cives ad Chriſtum perducere: Videndum ergo, quinam ſint modi illi liciti. Videntur autem illi triplicis eſſe ordinis. *Primo* enim licet utique omnem vim atque injuriam diſſidentium, cum a cultu ipſo divino, tum ab iis, qui religionem chriſtianam, aut jam tum profitentur, aut cupiunt addiſcere, amoliri. Quod profecto haud leve eſt propagandæ veritatis adminiculum. Neque enim progreſſum illa facere poteſt, ſi nemo toleretur, qui docet, quod rectum eſt, aut libri utiles manibus omnium excutiantur: Sique ex animi ſententia Deum non liceat colere per nequitiam quorundam ſegregum. *Deinde* citra injuriam civium, aliter ſentientium, fieri etiam poteſt, ut ſedulo curentur cives inſtitui in doctrina chriſtiana, & adverſæ opiniones fortiſſimis argumentis expugnentur, cultus quoque ipſe religionis rite exerceatur. Et vero hoc uno modo mundus factus eſt chriſtianus, quamvis renitentibus cæſaribus: ut multo major fru-

ctus

ctus ſit ſperandus, ſi acceſſerit cura ipſius majeſtatis civilis. *Poſtremo* nulla ſit aliis injuria, ſi extraordinariis præmiis cives ad fidem amplexandam invitentur. Extraordinariis dicimus. Quod ſi enim præmia, quæ ordinarie omnibus civibus conveniunt, ſolis chriſtianis concedantur, querelarum juſtus illico locus eſt, quo fores ſeditionibus aperiuntur. Quæ vero civibus non debentur, illa ſi ex mera benignitate largita cui fuerit majeſtas, profecto conqueri nemo jure poteſt. Etiam præmiis vero poſſe homines induci, ut cogitent magis ſedulo de vera religione, nullum eſt dubium.

CVII. Præter vero hæc tria nullum pene ſupereſt juſtum remedium doctrinæ chriſtianæ propagandæ. Solius primi meminit Thomas 2. 2. *qu*. 10. *a*. 7. proprie dictam coactionem improbans. Martinus Becanus theologiæ ſcholaſticæ *p*. 2. *tom. poſteriore tract*. 1. *c*. 13. *qu*. 4. *num*. 4. itidem coactionem *directam*, uti loquitur, negat adverſus infideles jure poſſe adhiberi eodem, quo & nos uſi ſumus argumento, quia principis imperium non extenditur ad ſupernaturalia, admitti tamen indirectam, & quidem duobus modis: *Prima neganda illis jus habitandi in provinciis, niſi audiant prædicationem evangelii: Secundo imponendo illis majora tributa, quam aliis ſubditis (manendo tamen intra limites juſtitiæ) ut hac ratione alliciantur ad fidem chriſtianam, quando vident majori benignitate agi cum chriſtianis, quam cum aliis.* Verum quod *primum* attinet, addendum eſt, uti id fiat loco quem ipſis per religionem licet ingredi. Neque enim ex. gr. feret Judæus, locum ſtatuis ſacris exornatum. Ad hoc, prædicatio ipſa evangelii a convitiis & maledictis debet eſſe procul. Quod *poſterius* attinet, jam tum probatum eſt, extraordinariis tributis neminem civium infidelitatis ergo poſſe jure onerari. Sed nec ordinaria videntur ab aliis poſſe facile quadam benignitate traduci, niſi aut cum reipublicæ damno, aut cum onere incredulorum. Accurate igitur hac in re cavendum illud, ne quid excedat limites juſtitiæ. Quod quo pacto fieri poſſit, diximus. Ratio quoque Becani, priore modo adducta, abs ratione eſt. *Principes*, inquit, *Chriſtiani, poſſunt abſolute negare infidelibus jus habitandi in ſuis provinciis: ergo etiam poſſunt negare ſub hac conditione: niſi velint audire prædicationem evangelii.* Cæterum illi infideles aut ſunt peregrini, aut cives: de illis ut conceſſerit quis, de civibus tamen quomodo perſuaſeris, abſolute in arbitrio eſſe principum aut majeſtatis civilis jus habitandi iis, aut permittere, aut negare? Quapropter Becani illa aliquid ex vero quidem, multum tamen trahunt ex falſo.

CVIII. Quum in officio porro ſit majeſtatis, quoad licet, promovere chriſtianam fidem; facile quoq; liquet, competere ipſi, uti pro virili det operam, ne quæ ſint inter chriſtianos cives de fide chriſtiana diſſidentes ſententiæ. Ut enim alias, ita & circa fidei negotium, nihil eſt concordia felicius & ſuavius. *Obſecro vos fratres*, dicebat S. Paulus, *ut idem dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchismata*: item: *non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis*: item: *unus dominus, una fides, unum baptisma.* Hinc olim carmine ſacro celebravit David bonitatem & jucunditatem uniti fratrum cœtus. Quin autem liceat hanc in finem mediis illis tribus paulo ante laudatis uti, nullum credo, eſt dubium.

CIX. Quod ſi vero etiam ſic non poſſint ſchismata & hæreſes prohiberi, quid tum liceat majeſtati vel conveniat, dubium valde reddiderunt diſſidentes ſenſus variorum, & quorum ab omni parte hodie haud eſt exigua autoritas. Etſi enim quod liceat triplici illo modo conari, ut in viam & in eccleſiæ unitatem redeant ſegreges, nemo ambigat, cum ſole ipſo hoc clarius ſit, tamen ſunt, qui & negant, teneri majeſtatem remedia iſthæc adhibere, & profitentur, nullo non ſupplicii genere licere animadvertere in hæreticos; quidam hæc aſpera remedia ſemper cenſent uſurpanda, niſi quod majus reipublicæ malum reluctetur. Ubi tamen obſervandum, ita qui ſtatuunt, hanc poteſtatem auctoritatemque hæreticos coercendi illorum alios denegare civili majeſtati, quaſi ſcilicet uni pontifici romano competat, quo in numero ſunt, qui romani pontificis partes amplexantur: alios concedere, evangelii tamen miniſtris judicandi poteſtate magnam partem aſcripta, quales ſunt Calvini & Bezæ germani ſectatores. Etſi vero utraque pars in aſperas illas pænas proclinat, longe maxime tamen illæ ſunt in uſu & laude apud Romanenſes, & quidem jam a multis ſeculis.

CX. Ut vero etiam hic nobis veritas conſtet, ante omnia duo ſunt etiam obſervanda. *Primum* eſt, ſententias, quas chriſtiani interdum proponunt, aut modeſte, placide, & citra turbas doceri (quantum ſane eſt ex parte eorum, qui proponunt, fieri enim poteſt, ut turbas moveat ſententia aliqua tantum vitio eorum, qui alias rectæ ſententiæ ſunt; quod nimirum nolint ullum ferre diſſenſum) aut cum æſtu quodam animi & tumultu, adeoque publicæ tranquillitatis perturbatione. *Alterum* eſt placita nova, quæ adducuntur in medium, oppugnare, vel tantum illam partem fidei chriſtianæ, quæ ſuperaddita eſt naturali religioni, vel illa etiam, quæ recta ratio citra omnem revelationem divinam de bonis moribus, colendo Deo, & imperio civili dictitat. Prioris ordinis eſt Arii & Macedonii dogma: poſterioris ſunt illa, veterum hæreticorum, promiſcuum oportere eſſe fœminarum uſum: conjugium omne tanquam opus malum fugiendum eſſe: mundum conditum a malo dæmone: nudo plane corpore incedendum eſſe: ſanctimoniam vitæ reapſe non exigi a quopiam. ſed conſtare tantum opinione hominum; pejerare licere religionis ergo; & quæ ſunt ſimilia alia. Ejuſdem ultimæ notæ ſunt & hildebrandina cum alia, tum hæc. Legitimum principem, ſi a papa excommunicatur, excidere autoritate ſua in ſubditos, hos item eo ipſo ſolvi jure fidelitatis: *Pontifex* (verba ſunt Bellarmini contra Barclajum c. 21.) *diſpenſat in votis & juramentis, quæ Deus ipſe juſſit reddi, quorum ſolutio de jure divino eſt*, adeoque ubi ille diſpenſaverit, neminem obligari juramenti religione: omnia bona Deo dicata,

cata, omnes perſonas ſacras ab unius papæ romani libera jurisdictione dependere: alios nihil in his habere juris, niſi forte ex privilegio: Pontifici licere cæſarem, reges, principes autoritate ſua exuere, ſi inutiles ſint reipublicæ: Hæreticis nominatim excommunicatis fidem non eſſe ſervandam. Pertinet denique huc illud nonnullorum anabaptiſtarum: omnem magiſtratum, qui cum ipſis non ſentit idem, eſſe illegitimum adeoque projiciendum, non eſſe fas armis ſeſe defendere, aut capitalibus ſuppliciis in quemquam animadvertere. Hæc ſane omnia ipſi juri naturæ quam maxime adverſantur, ac vitam civilem ſumme perturbant.

CXI. His præmiſſis, videndum nunc quodnam ſit majeſtatis civilis in hoc negotio officium. *Primum* ergo omnino illi convenit non permittere, ut ſeditioſe ac turbulente, quod verum eſt, vel oppugnetur, vel defendatur. Quod non liceat ita oppugnare veritatem, nulla indiget probatione. Non licere autem defendere, patet inde, quod animi moderatio, manſuetudo, modeſtia, ab ipſo etiam Chriſto & apoſtolis ejus ſevere ſit cum omnibus chriſtianis, tum inprimis iis, qui docent doctrinam evangelii demandata. *Servum domini* (ait S. Paulus) *non oportet pugnare, ſed manſuetum eſſe erga omnes, aptum ad docendum, tolerantem malos, cum lenitate erudientem eos, qui contrario animo ſunt affecti, experturum, num aliquando daturus ſit eis Deus reſipiſcentiam ad agnitionem veritatis ejus.* Exigit vero eam modeſtiam & ipſa natura: neque enim temere fiet, ut aliquem erudias, & in viam reducas, niſi adhibita illa manſuetudine. Optimus magiſter lenis eſt oratio, firmis argumentis ſuffulta. Plurimos ſegreges ad catholicam eccleſiam a ſe reductos gloriatur Nanzianzenus, tantum quod cum lenitate docuiſſet. Si ergo juri divino naturæque adverſatur omnis contentioſa & turbulenta docendi ratio, ex adverſo ſumme eſt in publicum utilis modeſta ac lenis doctrina; manifeſtum utique eſt, a majeſtate civili omnem illam ſævam rationem non tantum oppugnandi, ſed & defendendi veram catholicam fidem, prohibendam & graviter puniendam eſſe. Multo magis vero puniendæ fuerint omnes tribunitiæ ad populum declamationes illorum, penes quos eſt ἡδημαγωγία ſpecie tuendæ veritatis inſtitutæ, utpote quæ tumultus & ſeditiones cauſantur.

CXII. *Secundo* non licet tantum, ſed etiam omnino oportet operam dare, ut hæretici, aut errantes quotquot fuerint, cum duobus illis aliis modis adducendi infideles, tum præcipue ſedula & pia doctrina in viam reducantur. Manifeſtum id eſt ex eo, quod docendo propagari evangelium mandaverit ipſe Salvator: *docete*, inquiens, *omnes gentes*; quod porro eadem ratione adverſus errantes & ipſi uſi ſint apoſtoli; & eandem, conſtitutis paſſim gentium doctoribus, toti orbi commendaverint. Procul dubio autem modus, fidem veram propagandi, inſtitutus a Chriſto, obſervatus ab apoſtolis, ab iisdemque toti orbi commendatus, pro lege eſt majeſtati chriſtianæ tenendus. Ad hoc eſt certum, adverſus hæreticos decertaſſe omnes ſanctiſſimæ eccleſiæ patres per integra tria ſecula, & nullibi vel verbulo innuiſſe, doctrina non eſſe adverſus illos opus. Sequentibus temporibus paulo melioribus fatemur, a nonnullis, paucis tamen, laudatam etiam vim, attamen nemo, quod ſciamus, profeſſus eſt, citra doctrinam hereſes extinguendas eſſe. Quis dubitat vero tantum eccleſiæ conſenſum arguere, ex Chriſti mandato in hunc modum contra ſegreges atque errantes procedendum eſſe?

CXIII. Verum hic excipiunt nonnulli. B. Nihuſius nuper *in prologo ad Allatium de Johanna Papiſſa n.* 11. ſcribit: *Aliud ſunt gentes, de quibus Chriſtus loquitur, & aliud eſt chriſtianorum illud genus, ad quod Lutherani pertinent, de quo Chriſtus ibi non loquitur*: Gentes itaque docendas fatetur, at non hæreticos, argumento illo, quia hi ſunt eccleſiæ ſubditi, non illi, ſubditi autem non docendi ſunt, ſed ſufficit illis injungere, quid debeat agi. Ex eodem principio diſputat Laimannus Jeſuita, adverſus monachos, per doctrinam & vitam bonam, converſionem hæreticorum promittentes. Unde cum ipſe vim magis laudaſſet addit: *Hic eſt optimus hæreticos ad fidem catholicam convertendi modus. Quod vero de apoſtolis eorumque ſucceſſoribus monachis infertur, ipſos ſolo verbo & prædicatione evangelii, nulla vi adhibita, multitudinem populorum Chriſto adduxiſſe, id fatentur & ſequuntur doctores catholici, quod attinet ad infidelium, ſeu qui baptizati non ſunt, converſionem. Sed alia ratio eſt de hæreticis. Hi mandatis ac minis, etiam pœnis reduci debent.* Utuntur hac exceptione ejusdem ſodalitii complures.

CXIV. Verum enim vero, *gentium* vocabulo Chriſtum ſolos gentiles intellexiſſe, æque eſt abſurdum, atque illos ſolos eſſe omnem creaturam, quomodo Chriſtum locutum refert S. Marcus. Majori abſurditate laborat argumentum. Utique enim Chriſtus habet imperium in gentiles æque ac chriſtianos: non itaque ideo illi docendi, hi non fuerunt, quod hi ſubditi ſint, non illi. Imo vero munus illud prædicandi evangelium demandans Apoſtolis, ſimul dixit Salvator, ſibi datam eſſe poteſtatem omnem in cœlo & in terra, tanquam ſi illius poteſtatis committens apoſtolis evangelii prædicationem. Par eſt ratio illius Nihuſiani: præcepta a regibus non doceri, ſed juberi, veram autem fidem eſſe præceptum. Æque enim eſt præceptum infidelibus, adeoque increduli æternis pœnis prementur, & tamen hos docendos eſſe, fatetur Nihuſius ipſe & ejus gregales.

CXV. Ut autem res fiat clarior, obſervandum eſt, quemadmodum prudentiam, ita & fidem non unius voluntatis, neque unius intellectus, ſed utriusque opus eſſe. Ea enim perſpicua eſt quidem divini verbi veritas, ut intellectum cogat in aſſenſum; attamen non in omnem id poteſt, niſi animus Spiritus S. auxiliis ſubactus ita ſit, uti velit & attendere veritati, & illi obſequi. Itaque eſt ſane verum, præceptam nobis omnibus eſſe fidem: interim tamen eadem debet omnino etiam doceri, quo & intellectui ſatis fiat. Certe ſolo præcepto, nulla accedente do-

ctrina, fidem exigere, eſt velle imperare intellectui, qui leges non audit. Hoc ſenſu bene ſe habent illa Lactantii *lib. 5. Inſtit. cap. 20. Non eſt opus vi, quia religio cogi non poteſt. Verbis potius quam verberibus, res agenda eſt. Tacentibus certe nihil credimus, ſicut ne ſævientibus quidem cedimus. Nos docemus, probamus, oſtendimus.* Alia prorſus ratio eſt eorum, quæ omnimodo ab arbitrio pendent. Ita ſervus ad mandatum domini it reditque viam, tantum, quod velit domino obſequi. Ejusmodi vero ſunt civilia opera plurima: quapropter etiam hæc nudis mandatis poſſunt imperari; nulla accedente aſſenſione mentis eorum, quibus imperatur. Quum itaque impoſſibile ſit, ut fides vera poſſit in animo generari citra doctrinam; manifeſtum etiam hoc ſit, ipſo jure naturæ teneri majeſtatem dare etiam operam, ut ſi qui errent, aut hæreſi infecti ſint, meliora, quoad fieri poteſt, doceantur.

CXVI. Sed de *ſecundo* ſatis. Nunc *tertio* videndum, num præterea vi quadam liceat uti adverſus hæreticos aut ſchiſmaticos. Cum ex iis vero, quæ modo diximus, appareat, fidem veram in quantum eſt opus intellectus, legibus non ſubjici, neque cogi poſſe intellectum ad aſſenſionem vi facta, etiam id ſole eſt clarius, hactenus vim nullum habere locum. Par ratio eſt pœnæ: quod enim voluntarium non eſt, idem peccato etiam ac labe caret, adeoque nec pœnam incurrit: at hæreſis; quatenus eſt error intellectus, non eſt voluntaria, nec in peccatorum ergo eſt numero, nec commeretur pœnam. Hæreſis tamen omnis, in quantum eſt voluntatis opus, longe alia eſt ratione: neque dubium eſt, an a Deo poſſit puniri, id tantum nunc quæritur, num a majeſtate civili, qui hæreticis ſententiis infecti ſunt, hoc nomine vim & pœnas jure pati poſſint. Eſt autem & hæc quæſtio non una: nam quæritur & an vi adigere liceat hæreticos ad ſeriam & accuratam inveſtigationem veritatis, & num pœnis ſint afficiendi illi, ſi permanſerint nihilominus in ſententia.

CXVII. Ad utrumque vero omnino negative eſſe reſpondendum ex ſupra quaſi in communi diſputatis ſatis eſt manifeſtum, ſiquidem hæreſeos voce intelligas errorem circa fidem chriſtianam, quatenus illa a religione naturali eſt diſtincta. Cum enim illa tota ad civilem felicitatem non pertineat, neque vi aliqua licebit majeſtati jure quidem naturæ cives ad veras ejus ſententias adigere. Jure autem divino nihil quoque novæ autoritatis circa hæc majeſtati eſſe conceſſum, ſupra demonſtravimus. Quo pertinet & illud S. Pauli 2. *Conrinth.* 10. *Arma militiæ noſtra non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtruendam omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & incaptivitatem redigendum omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Etſi enim ille loquitur de ſemetipſo, tamen, quoniam ſui imitatores Chriſtianos juſſit eſſe, ſatis liquet, nec hos alia arma carnalia in hac quidem militia adverſus ſententiæ Dei perduelles ab Apoſtolis accepiſſe: ſunt autem vis & ſupplicia, imo omnes pœnæ civiles vere arma carnalia. Scilicet quæ in univerſum de totius fidei propagatione nec natura, nec jus divinum permiſit majeſtati civili, illa nequaquam ipſi licent circa fidei propagationem in hæreticos.

CXVIII. Neque vero vel hili eſt illa inter eos, qui baptizati non ſunt, & qui ſunt baptizati diſtinctio, quaſi hi jurisdictioni eccleſiaſticæ ſint ſubjecti, non illi. Namque ſupra ſatis monſtravimus, nullum prorſus imperium eccleſiæ conceſſum: jamque probavimus, gentiles quoque regno Chriſti ſubjectos eſſe, in quos tamen vim nullam competere eccleſiæ plerique adverſariorum largiuntur. Paris eſt levitatis, quod illorum multi obtendunt, baptizatos voto eſſe obſtrictos ad fidem Catholicam, gentiles aut Judæos non item, ideoque in illis plus eſſe juris eccleſiæ, quam in hos. Ad fidem enim catholicam amplexandam omnes plane homines, quibus evangelium prædicatur, ſunt adſtricti: ideoque ſine diſcrimine pronunciat Chriſtus, *quicunque non crediderit, condemnabitur.* Eſto vero, ut ex voto magis ſint adſtricti, qui baptizati ſunt, alii non; tamen non ſequitur, licere majeſtati civili ob votum illud non ſervatum vi & pœnis in cives animadvertere, Vetus ſane dictum illud haud omnino abit a vero: *Deorum injurias diis curæ, & perjurium ſatis Deum habere ultorem*: In multis enim habet locum illud Davidis: *tibi ſoli peccavi.* Unice porro notandum, illos violentiæ patronos, interque eos nominatim Becanum, libri ſupra adducti *c. 15. q. 4.* quod eſt, *an hæretici priventur dominio & jurisdictione temporali*, confiteri, non privari illos, ſi ſolum ſpectetur jus naturale aut divinum, argumentis adductis ſatis gravibus: tantum eccleſiaſtico jure aliter ſe rem habere. Cæterum eccleſia utique nihil habet auctoritatis, niſi ex conceſſione divina: ſi illa ergo non datur, non etiam jus aliquod hic eccleſiæ competit. Porro quibus titulis rex aut Princeps obtinet dominium & jurisdictionem, iisdem quilibet alius res ſuas, qualescunque fuerint, obtinet. Si ergo, ipſis adverſariis fatentibus, jus naturæ & divinum non tollit illos titulos, quibus tenetur dominium, non tollit etiam poſſeſſiones aliarum rerum & jurium: adeoque fatendum quoque ipſis fuerit, injuſtam eſſe omnem vim, quæ aliquo modo vel bonis, vel aliis juribus civilibus hæreticorum infertur.

CXIX. Porro ſaltem a pœnis, & cumprimis quidem gravibus, abſtinendum eſſe civili majeſtati, etiam inde liquet, quoniam hoc modo hæreſes neque juvari, neque extingui poſſunt, ex adverſo pullulat hinc neceſſario ingens copia & hypocritarum, & atheorum, & ſtupidorum. Neque vero remedium aliquod adverſus hæreſes uſurpandum eſt, quod plus damni adfert, quam commodi. Ea profecto una de cauſa vetat parabola eradicare Zizania, quod fieri id nequeat ſine ipſius tritici noxa. Rem autem ita ſe habere, uti diximus, teſtantur provinciæ & respublicæ, ubi graves illæ pœnæ obtinent. Ubi enim magis ſævitur, quam in Hiſpania? & nihilominus innumeros ibi reperiri, qui tantum ſimulate ſunt Chriſtiani, jam ſupra audivimus.

Quan-

Quantus numerus non adeo pridem proditus ibi eſt eorum, qui illuminati dicuntur? Ingentem quoque eſſe copiam & ibi, & in Italia, eorum, qui vel omnem religionem vel certe Chriſtianam tacite rident, nimis (proh dolor!) eſt notum. Non alibi majore numero reperiri, qui brutorum inſtar vix quicquam norunt de religioſo cultu, præter illud de infallibili autoritate eccleſiæ, itidem certum eſt. Sane haut alia perinde cauſa dixeris, ſtuporem illum fidei implicitæ voce palliari, quam ne numeroſæ plebi ſpes ſalutis videatur erepta. Neceſſario autem omnia hæc mala conſequuntur perpetuas illas pœnas, quoniam alii malunt nihil ſcire, quam per ſedulam veri indaginem errandi periculo & hinc ſecuturis ſuppliciis ſe exponere: aliis etiam veritas ipſa ſuſpecta redditur, maxime ſi errantes prompto animo ſpectent pœnam & mortem ipſam ſubire. Suſpicio nimirum eſt, verum non eſſe, nec rationibus ſeſe tueri poſſe, quod a ſuppliciis tutelam arripit: nec eſſe a vero alienum, cui prompta mors teſtimonio eſt. Magnum profecto erroris incitamentum eſt ejusmodi martyrium: nec errare creditur, qui vim patitur.

CXX. Quod ſi citra magnum reipublicæ malum non poſſint hæreſes vi extirpari, concedunt etiam adverſarii, poſſe illas ad aliquod tempus tolerari. Rectius vero dixerint, debere tum eas permitti: quum ſalus publica ſuprema lex ſit. Non poteſt autem non periculoſa in publicum vis eſſe, ſi magnus numerus civium hæreſi ſit infectus. Si enim exilio omnes illos velis mulctare, ſpoliaveris civitatem magna civium reipublicæ utilium copia: quod ſumme eſt noxium. Neque vero civilis prudentia probaverit illas quorundam voces: utilius eſſe civitati, tribulis & vepribus abundare, quam civibus, aliqua hæreſi imbutis. Par ratio fuerit, ſi in omnes ferro ſævieris. Quo ipſo tamen & crudelitatis notam tibi inuris: quæ procul utique debet eſſe a bono rege. Quam periculoſum porro eſt, ne illa multitudo viribus ſuis circumſpectis, patientia ſæpius læſa in furorem degenerante, corripiat arma, & univerſi reponant, quod ſingulis metuendum erat? Quam facile contigerit, ut ambitioſus aliquis, & rerum novarum cupidus ſpecie religionis ſeſe immiſceat dolenti turbæ, & illius viribus ipſam rempublicam oppugnet? Quanto ſane damno ſuo Pontificii plurimi in Proteſtantes, quos hæreticos credunt, paſſim terrarum ſævierint cum ab aliis, tum inprimis præclare oſtenſum eſt a maximo viro Jacobo Auguſto Thuano, aurea *præfatione in hiſtorias*. Ut igitur liceat in hæreticos & errantes animadvertere interdum, non ſemper id eſſe ex uſu reipublicæ adeoque non ſemper licere, manifeſtum eſt. Proba ſcilicet hac in re eſt ſententia S. Auguſtini ad Bonifacium, ubi per graves diſſenſionum ſciſſuras, non hujus aut alius hominis eſt periculum, ſed populorum ſtrages jacent, detrahendum eſſe aliquid ſeveritati, & majoribus malis ſanandis caritate ſubveniendum.

CXXI. Non tantum vero rationibus & autoritate ſacrarum literarum oſtendere eſt, iniquam eſſe omnem vim, quæ errantibus adhibetur, verum confirmat etiam id ipſum melioris ſanctiorisque eccleſiæ in eandem ſententiam conſenſio. Plurima ex aureæ illius ætatis ſcriptoribus optimis teſtimonia, in unum conducta, citra laborem legere eſt apud Marcum Antonium de Dominis *lib. 7. de republ. eccleſ. cap.* 8. Nusquam in omnibus tunc editis ſcriptis vel gry reperias de hæreticis per vim reprimendis: quod tamen non tacuiſſent S. Patres, etſi vim ipſi tunc Chriſtiani inferre forte non poſſent. A Conſtantini Cæſaris ætate, fatemur, etiam vim interdum illatam: ab illo vero usque tempore etiam mundum intrudi cœpiſſe in eccleſiam, optimi quique jam tum agnoverunt, nec melioribus quibusque ratio illa procedendi probata eſt. Quid quod ex Athanaſii *epiſtola ad ſolitarios*, S. Hilario & aliis appareat, primos Arianos novo exemplo vi & carceribus anniſos, qui diſſidebant, in ſuas partes pertrahere? S. Athanaſius, quum hoc nomine ſectam illam perſtrinxiſſet: *Atque ita*, inquit, *ſeipſam, quum non ſit pia, nec Dei cultrix manifeſtat.* De eadem Arianorum ratione diu poſt Gregorius magnus ſcripſit: *Nova & inaudita eſt iſta prædicatio, quæ verberibus exigit fidem.* Neſtorii illa vox: *mihi Imperator terram ab hæreticis purgatam præſta, & ego tibi cælum retribuam: tu mecum profliga hæreticos, & ego tecum profligabo Perſas*, inſolentiæ & arrogantiæ fuit notata, teſte Socrate *lib. 7. c.* 29. Ab Arianis itaque & Neſtorio ſimilibus vis illa initium cœpit, nonnullis Cæſaribus Præſulum ſuorum auctoritate ſeductis. Serius ad pœnam capitis itum eſt: adeoque cum in Priſcillianiſtas Epiſcopi quidam Galliæ gladium procuraſſent, damnati ſunt judicio eccleſiæ: quam rem adeo præclare perſequutus eſt Sulpitius Severus, ut uno hoc exemplo mitigari cœperint Proteſtantium in Galliis ſupplicia, ceu conqueritur Claudius Sainctes *methodo in ſectas cap.* 13. In oriente damnata eſt Synodus, quæ in Bogomilis exuſtionem conſenſerat. Sed hæc latius perſequi, non eſt noſtri inſtituti.

CXXII. Quoniam vero ex hiſce, quæ hactenus diſputavimus, ſole ſit clarius, hæreſin aliquam ejus ordinis, qua de nos agimus, neque vi, neque pœna aliqua civili proſequendam, haud eſt etiam difficile judicatu, num hæreticis defunctis merito poſſit commune civitatis cœmiterium denegari. Nimirum honeſta ſepultura debetur utique honeſtatem civilem obſervantibus: hæreſis autem non reluctatur illi honeſtati, itaque nec debent hæretici hoc honore privari. Jam vero, ut quidem nunc eſt mos Chriſtianorum, non datur alius locus honeſti ſepulchri, quam in cœmiteriis eorum, qui in eccleſiæ communione vivunt. Forte etiam non ex re eſt civitatis, uti ſola profeſſio fidei ſepulchra diſtinguat. Quidni enim corpora civium uno loco condantur, qui vivi unius reipublicæ fuerunt membra?

CXXIII. Cæterum, an vi & pœna liceat afficere eos, qui errant in iis, quæ fides Chriſtiana ſuper addit naturali religioni, ſatis eſt dictum. Ex iis vero itidem liquet, quum multa falſo ſoleant hæreſeon nomine traduci, quæ nempe aut non ſunt erronea, aut ſalutarem fidem non

oppugnant, niſi admodum remote, multo maxime ab iis omnem debere vim removeri. Neque vero vel Deus Opt. Max. omnium errorum ejus, modi pœnam exigit, ſed tantum eorum, qui ſimplici fidei directe adverſantur: quales nimirum facile per gratioſa Dei auxilia licet vitare omnibus etiam plebejis, qui ſerio ſalutis ſuæ curam habent. Non tantum vero in officio eſt majeſtatis, vim omnem ab ejusmodi placitis amoliri, ſed & operam dare, uti, quæ ſint vere hæreticorum ſententiæ, ab aliis illis recte diſtinguantur; & quidem cum veritatis ergo, tum præcipue, ne quod abſque ratione diſſidium inter cives oriatur, quale caveri non poteſt, ſi quis inique extra communionem catholicæ eccleſiæ rejiciatur.

CXXIV. Num & quousque vis & pœna habeat locum adverſus illas hæreſes, quæ ſimul jus naturæ oppugnant, non eſt neceſſum, ut denuo explicemus. Quæ enim ſupra diſſeruimus de officio majeſtatis circa religionem naturalem, illa expediunt etiam hæc omnia. Neque vero eſt, cur dicas etiam hic errare intellectum, adeoque pœnæ non eſſe locum. Fatemur enim & nos, quatenus intellectus errat, pœnam nullam infligi poſſe: quoniam vero, quæ juris ſunt naturæ facili ſtudio poſſunt intelligi, hinc omnis error arguit vel ſupinam negligentiam vel malitiam, quam homines nos poſſumus dijudicare, cumque reipublicæ, imo vitæ humanæ, noxia ſit, debemus merito punire. Unde obiter apparet, Jacobum Angliæ illum regem optimum potuiſſe jure ſummo & poſtulare a pontificiis ſubditis ſuis, Hildebrandiſmo deditis, & hinc in ſeditionem alioſque motus pronis, jus jurandum illud, cujus formula habetur in *Apolog. pro juramento fidelitatis*, & in refragantes, multo maxime in contrarium docentes Jeſuitas, graviter animadvertere.

CXXV. Doctrina hæc noſtra ſatis clare quidem videtur explicata eſſe: tamen etiam, quæ ſuperſunt nonnihil obſcura, illuſtranda ſunt. Etenim *primum* haud videtur verum, quod diximus, Deum non permiſiſſe, uti vim aut pœnam patiantur hæretici, quoniam & in lege moſaica *Levit.* 20, 24. *Num.* 25. *Deut.* 13. mortis pœna pronunciatur in reos divini cultus, & novo fœdere jam inſtituto, Petrus Ananiam & Saphyram morte, Paulus Bar Jeſum cæcitate feriit, idem Satanæ tradidit eum, qui duxerat novercam ſuam. *Apocalypſ.* 17. ſcribitur, Deum corda regum flexurum, ut odio proſequantur tandem meretricem babylonicam. *Secundo*, nullis pœnis conſtitutis, licentia dabitur omnis generis hæreſibus, unde turpis orietur eccleſiæ facies. *Tertio*, hæreſis, cum noceat animæ, gravius eſt vitium adulterio, aut latrocinio, ergo & majori pœna eſt digna. *Quarto*, illa permiſſio variarum ſententiarum reipublicæ quoque videtur fore noxia: ipſe enim Chriſtus dixit, *omne regnum, in ſe diviſum deſolabitur*. Jam vero ſententiarum varietatem perpetuis diſſidiis rempublicam agitare cum docet experientia, tum multis probavit Juſtus Lipſius *lib. contra Dialogiſtam de una religione*. Igitur omnino videtur illa procul pellenda.

CXXVI. *Poſtremo* videtur Deus ipſe ſingulari felicitate donare, qui hæreticos perſequuntur, præcipue vero, qui religioſe colunt ſedem romanam, quod multis exemplis conatur probare Antonius Poſſevinus contra Machiavellum diſputans, & quidem ſeorſim felici expeditione, cum quondam Gallorum contra Albigenſes, tum avorum memoria Helvetiorum pontificiæ partis adverſus Tigurinos, Caroli V. adverſus Schmalcaldicos, aliorumque in Gallia & Belgio Pontificiorum adverſus ejus regionis Proteſtantes. Similia paſſim in ſuis Annalibus inculcat Baronius, omnem pene regum fortunam ſuſpendens ex cultu Papæ, & cleri Romani. Pertinet huc & illud Caroli Caraffæ, Nuncii Pontificii, in *Germania inſtaurata*, cum narraſſet ſubitam occupationem arcis Koſſellæ. *Miraculi*, inquit, *locorum habuit Imperator, nam ut mihi poſtea, attribuit S. M. hanc gratiam cuidam decreto circa reformationem religionis Auſtriæ & Stiriæ, facto a S. M. in ſecreto conſilio, illo eodem die, quo arx ſe dedit. Ex quo mihi non defuit tunc occaſio ſuggerendi, eſſe bonum politicum imperii extirpationem hæreſium, non habito quocunque humano reſpectu, prout multoties S. M. experta fuerit.* Hæc, & ſi quæ ſunt ſimilia, ſoli noſtro nubem quidem obducunt, eſt tamen illa levi motu evanida.

CXXVII. Ut enim ad *primas* dubitationes primum nos convertamus; illa ex lege moſaica ad hoc negotium non pertinent, utpote quum agant de auctoribus novæ inducendæ idololatriæ, & de turpium aut crudelium ſacrorum obſervationibus, quos omnes eo ipſo conſtat adverſus legem naturalem pugnaſſe, non illam, quæ ex ſola eſt revelatione. Porro non omnia illa licent cuivis majeſtati: quæ Deo, ut regi reipublicæ Hebræorum, fuere juſta. Deus enim in id, ut unice, procul remotis omnibus diis alienis, coleretur, populum illum ex ſervitute exemerat, diu cælitus paverat, donarat illi terram maxime frugiferam, incolis ejectis, ipſum ſeſe in regem dederat & reipubl. caput: itaque omnis idololatria, blaſphemia, apoſtaſia ſimul crimen fuit læſæ majeſtatis regiæ. Huc pertinet illa a Deo ſæpius repetita commemoratio eductionis ex Ægypto, tanquam ſummi beneficii, quodque initium fuit reip. quo nomine ſingulatim præ aliis populis obſtricti Deo erant Hebræi. Crimen ipſum læſæ majeſtatis regiæ hiſce verbis tangitur, *Num.* 15. *Anima, per quã ſuperbiam aliquid commiſerit, ſive civis ille ſit, ſive peregrinus, quoniam adverſus Dominum rebellis fuit, de populo ſuo peribit.* Alias vero per errorem aliquid committenti adverſus leges poſitivas moſaicas, nullibi pœna aliqua gravis imponitur. Et vero licuit peregrinis vivere in republica illa, non obſervatis cæremonialibus præceptis ullis, cujusmodi fuere illi in actis laudati pii gentiles: de quibus & Maimonides agit *lib. de Idololatria c.* 10. quod argumento eſt, propter legum poſitivarum obſervationem, ſalva regia autoritate, Deum in republica illa ſua nemini fuiſſe gravem.

CXXIIX.

CXXIIX. Æqne vero & illa ex hiſtoria Apoſtolorum adducta exempla nihil ad hanc rem faciunt. Neque enim ullibi legas in hæreſeos ſeminatores, aut ab iis ſeductos, divinitus ab Apoſtolis eſſe animadverſum, cum tamen ne tum quidem deeſſent utrique, & Apoſtoli divina virtute pollerent. Quam lenis eſt S. Paulus erga Galatas, in aliud Evangelium traductos? Quid commune vero hæreticis cum Anania, Elyma Mago, & qui duxerat novercam? Sed ne id quidem certum eſt, a Petro occiſum Ananiam ejusque uxorem: ſcriptura enim tantum memorat, eos concidiſſe mortuos ad pedes Apoſtoli. Magum Paulus punivit coecitate ſupplicium capitis magiæ nomine meritum. Par forte ratio eſt illius inceſtuoſi Corinthii. Nec meretrix babylonica hæreſeos cauſa traducitur in Apocalypſi, ſed quod ſit *mater fornicationum & abominationum terræ.* Uno verbo, quæ ex Veteri, novoque teſtamento adducta ſunt, ad negotium hæreſeon nihil pertinent.

CXXIX. Quod *ſecundam* attinet objectionem: fatemur quidem & dolemus deturpari eccleſiæ pulchritudinem hæreſibus, verum hiſce maculis cum obnoxiam illam eſſe permiſerit Deus, non eſt noſtræ poteſtatis illam cavere ex toto. Non ideo vero pullulant ſolito magis, quod abſit vis, modo adſit ſolida & lenitate animi ſubacta errorum confutatio. Ipſam illam vim non tollere hoc malum, & alia longe peſſima progignere, ſupra eſt oſtenſum. Sufficit pro depulſione hujus objectionis unum afferre S. Hilarium ex libro, ad Auxentium Arianum ſcripto: *Ac primum miſereri licet*, ait, *noſtræ ætatis laborem, & præſentium temporum ſtultas opiniones congemiſcere, quibus patrecinari Deo humana creduntur; & ad tuendam Chriſti eccleſiam ombitione ſeculari laboratur. Oro vos Epiſcopi, (qui hoc vos eſſe creditis) quibusnam ſuffragiis ad prædicandum Evangelium Apoſtoli uſi ſint? Quibus adjuti poteſtatibus Chriſtum prædicarunt? Aune aliquam ſibi aſſumpſerunt e palatio dignitatem? hymnum Deo in carcere inter cotenas, & poſt flagella cantantes. Edictisne regis Paulus, quum in theatro ſpectaculum ipſe eſſet, Chriſto eccleſiam congregabat? Nerone (credo) ſe, aut Veſpaſiano, aut Decio patrocinantibus tuebatur: quorum in nos odiis confeſſio divinæ prædicationis floruit. Illi manu & opere ſe alentes, intra coenacula, ſecretoque coeuntes, vicos, & caſtella, gentesque fere omnes terra, ac mari, contra ſenatus conſulta, & regum edicta peragrantes, claves (credo) coelorum non habebant? An, non ſe tum Dei virtus contra odia humana porrexit, quum tanto magis Chriſtus prædicaretur, quanto magis prædicari inhiberetur? At nunc (proh dolor!) divinam fidem ſuffragia terrena commendant inopiſque virtutis ſuæ Chriſtus, dum ambitio nomini ſuo conciliatur, arguitur. Terret exiliis; & carceribus eccleſia, credique ſibi cogit, quæ exiliis & carceribus eſt credita. Pendet ad dignationem communicantium, quæ perſequentium eſt conſecrata terrore. Fugat ſacerdotes, quæ fugatis eſt ſacerdotibus propagata. Diligi ſe gloriatur a mundo, quæ Chriſti eſſe non poterat, niſi eam mundus odiſſet.*

CXXX. Quod *tertio* latrocinium & fornicatio puniri debeant in civitate, non hæreſis, ratio eſt, quia illa peccata per ſeſe turbant ſocietatem civilem, hæreſis non item. Falſum quoque eſt, vitia illa moralia animam non perdere: maxime enim perdunt, ſive ipſos, qui delinquunt ſpectes, ſive eos quos illi faciie in conſortium exemplo trahunt. Adhoc magis in voluntate humana eſt ſitum, a moralibus illis vitiis ſibi cavere, quam vitare errores fidei, utpote quum ad fidem opus ſit ſingulari gratia divina, cujus menſuram non eſt hominis internoſcere, ut proinde nec hominis temere ſit, quam voluntarius ſit hæreticorum error, quamque adeo mereatur pœnam, intelligere.

CXXXI. Falſum porro etiam eſt, quod *quarto* loco objiciebatur, diſſidium ſententiarum circa fidem rempublicam concutere. Neque enim fidei controverſiarum alia eſt ratio, quam ſimpliciter religionis. Ex omni vero de religione diſſenſu non pati rempublicam aliquid detrimenti, liquet ex iis, quæ jam ſupra *theſi* 76 & 77. attulimus. Confirmatur idem exemplo Belgicæ Germaniæ fœderatæ, Poloniæ, Turciæ, multarumque aliarum provinciarum, ubi varietas illa tranquillitatem civilem non turbat. Johannes Leo Africanus *l.* 8. refert (ut liceat & hoc exemplo uti) in Ægypto hodie quatuor ſectas muhammedanas vigere: *earum tamen antiſtites & ſacerdotes inter ſe ſine odiis ac concorditer vivere: ſed nec inconditam plebem inimicitias aut rixas ideo fovere.*

CXXXII. Redundant quidem fateor, illa diſſidia ſententiarum interdum & in reipublicæ diſſidium: fit autem non tam ex diſſenſu, quam ex negata diſſentiendi libertate, & pœnis civilibus in diſſentientes conſtitutis. Neque enim omnes, ut olim Chriſtiani, parati ſunt patienter injuriam ferre, & nihil reponere lædentibus, gloria martyrii contenti. Hinc pleraque Europæ regna poſt omnia ſeveriſſima remedia adverſus alienos de divinis ſenſus emergentes ad libertatem hanc tanquam ad tranquillitatis publicæ unicum aſylum, confugerunt: in quibus hactenus mera malitia fuit, illo Palladio ſalvo: quod præclare perſequitur Thuanus illa nunquam ſatis laudata *in hiſtorias præfatione.* Pontificii regni alia fortaſſis eſt ratio: utpote quæ tota nititur opinione divinitus conceſſæ αὐτοκρατορίας. Ut proinde non ſit abs ratione dictum a Paulo IV. teſte Onuphrio Panvinio: *Inquiſitionis officio uno apoſtolicæ ſedis autoritatem niti*, quem dixiſſe refert etiam Jacobus Simanca *Enchirid. jud. violat. religion. cap.* 68. *Officium inquiſitionis in Hiſpania conſtitutum eſſe, ſpiritu S. inſpironte.* Sed illius regni fulcra, non faciunt tuendis aliis rebuſpublicis bonis. Ingenua in hanc rem legitur Cardinalis Sanctacrucii confeſſio l. 1. vitæ Thuani: *Fama & hominum patientia hujus aulæ ſtat majeſtas, & quod vafer Florentiuus dixit, iis rebus, quæ aliis imperiis ſunt exitio, conſervatur.* Juſti Lipſii porro autoritati, ſatis eſt, ſi opponamus judicium Thomæ Mori, viri prudentia & doctrina nihilo inferioris, in maximis præter hoc reipublicæ negotiis

verſatiſſimi. Hic ſane in Utopiæ hiſtoria formam bonæ reipublicæ volens exhibere, dummodo providentiæ divinæ notio ſibi conſtet, de cætero cautum ibi ſcribit, *ne ſua cuiquam religio fraudi ſit*; varias itaque ibi eſſe religiones, in ſumma omnium pace, tantum quod Utopus ſancierit, *ut quam cuique religionem lubebat, ſequi liceat, ut vero alios quoque in ſuam traducat, hactenus niti poſſit, uti placide ac modeſte ſuam rationem adſtruat, non ut acerbe cæteras deſtruat.* Operæ eſt pretium legere, quæ vir ille prolixe narrat de religione *l. 2. utopiæ ſuæ.* Maximiliani II. ſapientiſſimi Cæſaris vox celebratur: *Nullum enormius peccatum dari poſſe, quam in conſcientias imperium exercere velle. Qui enim conſcientiis imperare volunt, eos arcem cæli invadere, & plerumque terræ poſſeſſionem perdere.* Jam olim prudentiſſimus ſcriptor Ammianus *lib. 25.* non dubitavit ſcribere de Valentiniano Cæſare, *cum hoc moderamine principatus ſui inclaruiſſe, quod inter religionum diverſitates medius ſteterit, nec quemquam inquietaverit, nec interdictis minacibus ſubjectorum cervicem ad id, quod ipſe colebat, inclinaverit. Si inclaruit* autem hoc moderamine Valentinianus, utique hoc nomine a prudentiſſimis viris ea tempeſtate eſt laudatus: adeoque neque olim neque hodie Lipſio prudentes aſſenſerunt.

CXXXIII. Quod *ultimo* loco adferebatur de felicitate eorum, qui catholicam fidem profitentur, illud ex parte præcipua jam tum eſt confutatum *theſi* 14. Neque enim probari poteſt, hos præ aliis felicitate quadam civili floruiſſe. Longe certe veriſimilius iſthoc argumento utuntur Muhammedani. Nihil vero eſt facilius, quam novos illos hildebrandinos politicos a cultu romani Pontificis ſuſpendentes fortunam rerumpublicarum convellere. Ut enim Albigenſes olim infeliciter pugnarint, eorum poſteri tamen avorum memoria pene incredibili, ratione Sabaudiæ ducis potentes exercitus rejecerunt, quam rem narrat Thuanus *lib. 27.* Ex Albigenſium doctrina ortos Huſſitas, nec ipſi negant, quos mira felicitate contra hoſtes pugnaſſe, vel ex Æneæ Sylvii conſtat *hiſtoria Bohemiæ.* Feliciter quidem & Carolus V. pugnavit contra ſchmalcaldici fœderis ſocios, verum hujus belli cauſa non fuit religio, Carolo ſane ipſomet id profitente: idem etiam non multo poſt e germania eſt fugatus a Mauritio, proteſtantium partibus addicto. Ejus filius Philippus, qua fortuna oppugnaverit Proteſtantes Belgas ſuos, teſtis eſt potentiſſima fœderatæ belgicæ Germaniæ reſpublica. Nec opus eſt, ut dicamus, quomodo ſucceſſerint Caraffæ illa conſilia hildebrandica. In univerſum, ad fortunam rerumpublicarum nihil facere cultum ſuperſtitioſum romani Pontificis, quod hildebrandini iſti politici volunt, ſole clarius eſt hodie non tantum ex rebus Proteſtantium, ſed aliorum etiam, qui minus pontificiæ ſunt curiæ addicti, cumprimis Gallorum.

CXXXIV. Quomodo igitur chriſtianam religionem propagare debeat majeſtas civilis, & quidem abſtinendum illi eſſe ab omni violentia, ſatis eſt explicatum. Quamvis vero ita ſeſe res habeat de civibus, hoc eſt, de iis, qui jus habent reipublicæ, non ſequitur tamen hinc, parem eſſe rationem omnium ſive inquilinorum, ſive plane peregrinorum. Quum enim illi etiam aliis levioribus de cauſis poſſint arceri civitate, ſi civibus ab hæreticis veris immineat multum mali, etſi non civilis, ſpiritualis tamen, ut imminet, nihil fortaſſis injuriæ habet, quod ſi illi non admittantur, aut permittantur cum aliis vivere. Hæretici, dicimus, veri, qui nempe doctrina æternum animæ periculum creant: alia enim conditio eſt illorum, qui errant quidem, ſed ſine æternæ ſalutis damno. Porro cum nec majeſtati liceat civibus ob hæreticos ſenſus ægre facere, facile etiam liquet, nemini civium id fas eſſe. Tenetur ergo majeſtas civilis, quamlibet etiam ab eccleſia ſegregem ab omni injuria defendere: quemadmodum minime etiam ipſi eſt tolerandum, ut eorum aliquis catholicos rectæ fidei ergo odio inſectetur. Et ſane, ſi utrinque prohibuerit majeſtas partium hoſtile odium, omnemque injuriam arceat, non eſt, quod tranquillitati publicæ detrimentum aliquod metuamus.

CXXXV. Quamvis vero in bona republica (ſi aliter fieri nequeat) tolerandi ſint potius hæretici, aut ab hæreticis decepti, quam dejiciendi aut jugulandi: quod ſi tamen in ariſtocratia e. g. eorum, penes quos eſt majeſtas, hac de re non ſit unus ſenſus, neque poſſit citra reipubl. perniciem libertatis illius juſtitia omnibus perſuaderi, quin aliquatenus liceat hinc deflectere, & lege publica impunitatem civilem dare nonnullorum ſævitiæ, non videtur dubitandum. Par enim eſt ratio, atque ſi reſpubl. cogatur lupanaria admittere. Aliud vero eſt lege permittere ſævitiam aliquam, aliud illam imperare. Neque dum ſit illud, etiam hoc fieri credendum eſt. Et vero permittere impune licet, quod imperare fuerit nefas. Dum vero hoc modo impunitas impetratur lege civili, nequaquam tamen eo ipſo abſolvitur ab injuria & in divino judicio is, qui ita ſævit. Non magis certe atque is, qui lupanaria ſectatur, ubi id impune licitum eſt.

CXXXVI. Ex hiſce vero, quæ attulimus, haud etiam difficulter perſpicere eſt, num recte is, qui civilem obtinet majeſtatem, caput eccleſiæ particularis, ratione ipſius chriſtianæ fidei, poſſit dici, nec ne. *Particularis*, dicimus, ejus nempe, quæ intra limites reipublicæ iſtius ſingularis continetur: univerſalis nempe caput merito dici non poſſe, extra controverſiam eſt. Quemadmodum videlicet eccleſiæ anglicanæ caput ſeſe dixit Henricus VIII. rex, qui tamen, an omnia habuerit majeſtatis jura, nunc quidem non diſputamus. Cæterum, ſi is demum caput eſt eccleſiæ, cujus eſt leges æternæ ſalutis obtinendæ figere, ſuos ab inſidiis diaboli, & æterna morte defendere, *τὴν ἀπείθειαν* æternis ſuppliciis vindicare, profecto nullus hominum id nominis commeretur. Chriſtus vero unus *caput eſt, ex quo totum corpus congruenter coagmentatum & compactum, per omnes ſuppeditatas commiſſuras, ex vi intus agente, pro menſura unius cujusque membri incrementum capit corpori conveniens.* Ut loquitur S. Apoſtolus *Eph. 4. v. 16. Chriſtus eſt caput eccleſiæ, & is, qui ſalu-*

tem

tem dat corpori Epheſ. 5. v. 23. Quod ſi vero is, qui habet poteſtatem aliquam arcendi injuriæ nonnihil ab eccleſia, & quadamtenus ſummum obtinet regimen, quoad propagationem ſanæ doctrinæ in ſua republica caput jure dici poſſit eccleſiæ; manifeſtum eſt, nomen hoc poſſe majeſtati civili hoc quoque reſpectu dari. Hoc reſpectu dicimus: majori enim jure caput dici poſſe eccleſiæ, ratione perſonarum & bonorum eccleſiaſticorum, alias patebit. Certe ſi cui hominum alii, huic competit. Nec tamen eodem modo caput eſt eccleſiæ atque eſt reipublicæ civilis. Ut vero vel hoc modo ſit caput, ex jure naturali fluere, ſupra eſt demonſtratum. Quo uno obſervato, collabaſcit moles diſputationum adverſus primatum anglicanum Martini Becani & aliorum, pro abſurdo habentium, quod Primatus ille ex jure naturæ majeſtati competat.

CXXXVII. Quantumvis vero hæc omnia, quæ diximus, proprie ſint in officio majeſtatis civilis, minime tamen eſt exiſtimandum, omnem eccleſiæ vel propagandæ, vel tuendæ, ſtudium ſoli majeſtati conceſſum eſſe. Scilicet communis eſt naturæ lex, ut quiſque, quantum in ſe eſt, omnem virtutem, præcipue autem illam, quæ homines æterni boni participes facit, & ipſe colat, & alios colere faciat. Etſi itaque maxima ſit majeſtatis autoritas, adeoque ab illa propter iſtam eminentiam plurimum exigatur: nemo tamen eſt hominum, qui aliquid hic & poſſit & debeat, plus tamen minusve, prout aut prudentia & doctrina, aut dignitate, aut variis animi, corporis, fortunæ dotibus eſt inſtructus. Hinc liquet, etiamſi negligat majeſtas civilis, quod eſt officii, multo magis etiamſi fidem catholicam oderit, cives tamen, aut alios, qui extra civitatem aliquam vivunt, non tantum jure poſſe, verum etiam debere omnino fidei & eccleſiæ negotium pro virili ſedulo curare. Neque enim eo ipſo in majeſtatis jura involant, ſed quod proprii eſt officii, faciunt, modo ne excedant limites: quod ipſum fit, ſi ex. gr. armis defendere ſecuritatem ſuam tentent. Et vero hoc jure uſi ſub cæſaribus regibusque paganis aut hæreticis catholici chriſtiani, conventus ſacros inſtituerunt, evangelium docuerunt, perverſos communione ſocietatis ſuæ excluſerunt, uno verbo, totum orbem chriſtianum reddiderunt, majeſtatis cæſareæ aut regiæ juribus prorſus inviolatis. Verum & de his ſatis.

CXXXVIII. Cæterum quemadmodum majeſtas civilis jure poſſit ad religionem chriſtianam, aut quod idem eſt, leges illius religionis, ad æternam vitam ducentes, cives ſuos adigere, ſatis eſt dictum. Paucis & de ipſis legibus dicendum, quantum circa illas valeat majeſtas. Eſt autem hoc jam deciſum in ſuperioribus *a theſ. 15. ad 22.* Quod enim homini nulli fas eſt, id utique nec majeſtati licet. Quum autem jam tum ſit dictum *theſ.* 18. *&* 19. eſſe nonnulla, quæ non tantum poſſint, ſed etiam debeant humanis legibus poſitivis definiri, haud difficile eſt collectu, omnia a majeſtate non poſſe tantum, ſed etiam conſtitui debere. At vero valet quammaxime illius autoritas, præſertim ſi agatur de re, quæ alias quoque eſt juris naturæ: cujusmodi ſane eſt ex. gr. ut nonnullos dies ſingulatim Deo tribuamus, ut item interdum ardentius ſolito oremus, & quo ſimus in id aptiores, corpus maceremus abſtinentia ciborum. Quum autem de his aliisque jam tum multa ſint inſtituta, quid præcipue agendum ſit majeſtati, itidem apparet ex *th.* 20. *&* 21. Quapropter non eſt opus etiam, cur vel verbulum adjiciamus nunc de officio majeſtatis civilis circa religionem in republ. bona.

CXXXIX. Reſpublicæ, quæ potius potentiam vel divitias ſibi propoſitas habent, quam vere beatam civium vitam, aut in quibus majeſtas invitis imperat, quoniam ſcopum habent multum a recto abeuntem, qui bonis artibus non ſemper poteſt obtineri, non eſt mirum, ſi minus exactam quoque, ut aliarum virtutum, ita & religionis habeant rationem. In univerſum tamen omnibus etiam illis utilis eſt ſeria civium animis impreſſa de divina providentia perſuaſio, utpote quum hæc unice contineat civitatem humanam, cujus juribus inſuper habitis, nulla etiam mala reſpublica aliquam diu eſt ſtabilis. Certe ſaltem hoc civibus debet eſſe perſuaſiſſimum, a mutua injuria metu divinæ vindictæ abſtinendum eſſe. Usque adeo id verum eſt, ut etiam, qui providentiam divinam animo ſuo negant, tamen vulgo ita credi, reipublicæ cenſeant eſſe neceſſarium: imo omnem de religione opinionem a prudentibus legiſlatoribus eſſe in reipublicæ uſum confictam, arbitrentur. Quos tamen vel hujus neceſſitatis confeſſio facile confutaverit. Neque enim ſimpliciter ſocietati humanæ poteſt eſſe neceſſarium, quod falſum eſt. Jam vero & tyranni alicujus in rem eſſe, ſaltem in opinione vivere pietatis erga Deum, monuit Ariſtoteles *lib. 5. polit.* 12. Cyrus quoque, apud Xenophontem *lib. 8. educat.* optat, Perſas eſſe religioſos, quo ſibi addictius ſerviant.

CXL. Quod varias attinet de religione ſententias, ſi in ſimultates mutuas ſubditorum excreſcant, fortaſſis tyrannico imperio non officiunt. Huc ſane ſpectavit Ægyptiorum regum inſtitutum, teſte Diodoro Siculo *lib. 2. qui variam & miſcellam regionem induxerunt ſtabiliendo ſceptro, & ne unquam conſpirare inter ſeſe Ægyptii poſſent.* Non alia quoque mens olim Juliani Apoſtatæ, de quo Ammianus *lib. 22. Utque diſpoſitorum roboraret effectum, diſſidentes chriſtianorum antiſtites cum plebe diſciſſa in palatium intromiſſos monebat, ut civilibus diſcordiis conſopitis quisque nullo vetante, religioni ſuæ ſerviret intrepidus. Ut diſſenſiones augente licentia non timeret unanimantem poſtea plebem; nullas infeſtas hominibus beſtias, ut ſunt ſibi ferales plerique chriſtianorum, expertus.* Et vero in univerſum tyrannidi commoda eſt ſubditorum diſcordia. Sed de his & ſimpliciter de majeſtatis officio circa religionem, ſatis eſt dictum. Neque nunc quidem vacat, ulterius pergere.

HER-

HERMANNI CONRINGII
EXERCITATIO POLITICA
DE CONCILIIS ET CIRCA EA SUMMÆ POTESTATIS AUCTORITATE.

Die XIIX. Maj. MDCL. habita.

RESPONDENTE

JOACHIMO JOANNE *Madern.*
Hanoverano.

CUM DEO.

De ſummæ poteſtatis circa ſynodos auctoritate dicturi, illius nomine perſonam aut cœtum intelligimus, ſumma in populo poteſtate gaudentem, *ſolo Deo minorem*, ut *Tertullianus* ait ad Scapulam *c.* 2. Perſonam dico aut cœtum: nec enim ratio gubernandi ſive ἀριϛοκρατικὴ, ſive μοναρχικὴ diſcriminis hic quicquam facit; ἡ αὐτοκρατορία æqualis eſt in omnibus, nec plus juris latius dat imperium. Eadem fruuntur poteſtate αἱ μεγάλαι Ἀθῆναι, καὶ ὁ μέγας Περσῶν βασιλεύς. Hæc vero antequam pluribus, de conciliis prius pauca nobis prælibanda, ut cætera tanto rectius.

Theſis I.

Synodi conciliique vox non uno modo a ſcriptoribus accipitur. Nos hoc loco ſumimus pro cœtu hominum piorum & in ſacris literis exercitatorum, de rebus, fidem & mores eccleſiæ attinentibus, conſultantium.

Synodos Græci nonnunquam vocant *qualeſcunque cœtus.* Sic *Deorum Synodus* iis erat ex duodecim diis, quos *majorum gentium & conſentes* appellabant; ad quorum numerum qui ex hominibus adſcribebantur, hi πάρεδροι τῶν μεγάλων θεῶν & σύνθρονοι, quaſi aſſeſſores & eadem ſede cum cæteris diis præditi, fieri dicebantur. In *Ignatio & Conſtantini edictis* etiam *ſingularum eccleſiarum cœtum* denotat. Ita *concilii* vocem vetus Terentii interpres *nundinas* exponit, & *conciliare pro emere.* Comicus *male conciliate*: ibi Eugraphius *male emite*; *nam concilium nundinas dicimus.* Gellius *lib.* 15. *c.* 27. diſcrimen facit inter comitia & concilia, cum ait: *eum, qui univerſum populum, ſed partem aliquam adeſſe jubeat, non comitia, ſed concilium edicere debere.* Quæ tamen differentia non anxie a ſcriptoribus invenitur obſervata. Conſtantini M. ævo, cum quotannis conventus civilis diœceſeos in prima ac præcipua urbe ageretur, inde *concilium* pro *diœceſi* cœpit uſurpari. In conſtit. Gratiani, Valentiniani & Theodoſii C. *Theod.* de fide catholica ad Auxonium diœceſis vocatur, quod in eodem vel gemino ei reſcripto apud *Facundum Hermanenſem* dicitur concilium. *l.* 4. namque *pro Aſiana diœceſi*, dixit, *concilium Aſiæ ſub Vicario conſtitutum.* Sic Patriarchæ & Metropolitæ dicuntur convocaſſe *epiſcopos concilii ſui*, id eſt, diœceſeos vel provinciæ. *Liberatus* Brev. *c.* 4. *Mandavit Andreæ & Theodoro, epiſcopis concilii ſui.* Id. *cap.* 20. *Et omnes metropolitani illic epiſcopi cum ſuis conciliis*, in epiſcopis provinciarum ſuarum. Nos quod comitia ſeu ordinum conventus in regno ſunt, id ſynodos ſive concilia recte appellamus. Specialiore vero ſignificato, ut h. l. conventum, qui aut ex ſolis Epiſcopis ſeu paſtoribus, aut ex illis pleriſque, eccleſiæ gratia ſit inſtitutus.

II.

Non unius vero ſunt generis. Dantur enim primo Oecumenica, univerſalia vulgo dicta, ita, ut ad ea omnes chriſtiani orbis Epiſcopi, certe plerique, publica auctoritate evocati, convenerint.

Οἰκουμένη univerſum terrarum orbem ſignificat. Frequentiſſime vero tam græci, quam latini ſcriptores hac voce *romanum orbem ſeu imperium* denotant, adeoque romanum pro univerſo: & univerſum pro romano, promiſcue uſurpant! Ita *S. Lucas*, de imperii romani deſcriptione, ab Auguſto imperata, loquens, ἐξῆλθε, inquit, δόγμα παρὰ καίσαρος Αὐγούϛου ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην. *Exiit decretum a Cæſare Auguſto, ut cenſeretur orbis univerſus.* Eadem notione κόσμος dicitur Gelaſio Cyziceno *in exordio l.* 1. *act. concil.* Nicæni, ubi Synodum convocatam ait, ἐκ πασῶν Ρωμαίων κόσμου ἐπαρχιῶν, *ex omnibus mundi romani provinciis.* Caſſiodorus *l.* 3. *variar. c.* 25. *Auguſti temporibus orbis romanus agris diviſus cenſuque deſcriptus eſt.* Trebellius Pollio in Macriano: *Tantum bene agas, ut te romanus orbis factum principem gaudeat.* Et paucis interjectis: *Juvenes aliqui ſunt quærendi, qui ex diverſis partibus orbem romanum reſtituant.* Ubi clar. Salmaſius in notis ad hunc locum *humanum orbem pro romano* in optimis vetuſtiſſimisque membranis ſæpius extare aſſerit. Neque enim verebantur romani univerſum orbem pro ſuo, imo genus humanum pro romano jactitare, uti ex autoribus conſtat. Hinc etiam eſt quod epiſcopi, eccleſia ſub chriſtianis Impp. caput nonnihil attollente, *Romanus, Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus & Hieroſolymitanus*, καθολικοὶ dicti & οἰκουμενικοὶ; eorumque ſedes καθολικοὶ θρόνοι *a Theophane* in vita Conſtantini Copronymi, & οἰκουμενικοὶ θρόνοι ab eodem in chronographia appella-

pellati: quia urbes iſtæ totius *οἰκυμένης* eſſent quaſi metropoles, ac proinde earum epiſcopi *τὴν καθόλε ἐπισκοπὴν*, univerſalem eccleſiæ curam gerere deberent. Nec an alio modo ſynodus œcumenica dici queat, affirmare habeo. Priore namque *οἰκυμένης* ſignificato, quo univerſum terrarum orbem denotat, ejusmodi concilium, quo univerſalis eccleſiæ conſenſio perfecte innotuerit, nunquam videtur congregatum. Licet enim de Nicæna *Euſebius* 3. de vita Conſtantini *cap.* 7. *Ex omnibus eccleſiis, quæ frequenter in tota Europa, Africa & Aſia extabant. Dei miniſtros, qui facile primas ferre putabantur*, ſcribat *convocatos*, dubium tamen nihilominus manet, an nullius penitus eccleſiæ conſenſus deſiderari ibidem potuerit.

Oecumenicæ autem Synodi, non niſi in graviſſimis hæreſibus, quæ orbis maximam partem perſuaſiſſent, ab Imperatoribus cogi ſolebant; ut in tot ſeculis nominis chriſtiani quatuor tantum; quæ vere ac proprie eo nomine poſſint notari, inveniantur: *nicæna I. Conſtantinopolitana I. Epheſina I. & Chalcedonenſis*: quarum ſtatuta *Juſtinianus* Imperator *ὡς τὰς θείας γραφὰς καὶ ὡς νόμους, tanquam divinas ſcripturas & leges*, in Rom. Imperio obſervandas eſſe ſtatuit Novell. 131. *l.* 3. & 4. *c.* de ſumm. Trinit. *ut in quibus ea, quæ ſpectant ad ſalutem hominum æternam, conſtituta ſint.* Quamvis autem Græci aliique hiſce quatuor res alias adjiciant, ut apud *Photium* & alios videre eſt; hæ tamen nec ratione congregationis, quod orientales Impp. magis, quam occidentales coëgerint, nec tractationis ſeu materiæ illis æquari merentur. Multo minus *decem* illa Pontificiorum *conciliabula*. Quinque ſcilicet *Lateranenſia*, duo *Lugdunenſia*, unum *Viennenſe*, unum *Florentinum*, & ultimum *Tridentinum*. Certe eo nomine indigniſſima, tum quod non legitima auctoritate fuerint congregata, tum quod ex Occidentis præcipue epiſcopis romano Papæ addictis, tum denique quod de bellis potius, depoſitionibus item Immp. rebus a concilio eccleſiaſtico maxime alienis, quam de fide & moribus eccleſiæ, conſultarint.

III.

Infra horum dignitatem ſunt, quæ particularia Latini, Græci μερικὰ vel τοπικὰ vocare amant, ea nimirum, quæ ex aliqua tantum orbis parte congregantur. Et hæc rurſum pro latitudine ſua variant: Unius enim diœceſeos Epiſcoporum & Metropolitarum cum Patriarcha ſuo aut Exarcho Synodus diœceſena, vel nationalis dicta eſt.

Plerique ex Theologis & JCtis, qui hactenus conciliorum meminerunt, ea, quæ diœceſana dicuntur, infra provincialia collocant, quaſi provincia latioribus terminis, quam diœceſis, definiatur. Quod quidem a veritate haud alienum, ſi tempora ante orbem a Conſtantino M. diviſum, tum infima Latinitatis & Græciæ ſcriptores reſpicias. His namque, præſertim Latinis, etiam ſingulorum epiſcoporum *παροικίαι* per abuſum diœceſes ſunt appellatæ: tum vero per diœceſeos vocem ditio aliqua ſeu provincia minor indigitabatur, cui Prætor aliquis jus dicebat, in qua ſignificatione apud *Tullium* paſſim & *Strabonem* invenias *lib.* 13. ubi de Phrygia aliisque Aſiæ minoris regionibus loquens: *τὰς Ῥωμαίους*, inquit, *μὴ κατὰ φῦλα διελεῖν αὐτὰς, ἀλλὰ ἕτερον τρόπον διατάξαι τὰς διοικήσεις, ἐν αἷς τὰς ἀγοραίας ποιοῦνται. καὶ τὰς δικαιοδοσίας. Nam per gentes Romani loca iſta diviſerunt, ſed alio modo diœceſes inſtituerunt, in quibus fora ſunt, & jus dicitur.* Conſtantinus vero receptum provinciarum ſigillatim regendarum morem abolevit, & novam diœceſeon formam inſtituit, qua multæ ſimul provinciæ, in unum quaſi corpus redactæ, per Præfectos Prætorio, & eorum vicarios regebantur. Ea ſignificatione diœceſeon frequens extat mentio in *Notitia utriusque Imperii*, & conſtitutionibus Impp. ubi diœceſes & provinciæ, ubique fere reperiuntur diſtinctæ. Ita *l.* 9. delegat. & decret. legat. C. Th. *Sive integra diœceſis in commune conſuluerit, ſive ſingulæ voluerint inter ſe provinciæ convenire.* Et *Balſamon.* ad can. 17. concil. calced. *διοίκησις ἐστὶν, ἡ πολλὰς ἐπαρχίας ἔχουσαν ἐν ἑαυτῷ. Diœceſis eſt, quæ multas in ſe habet provincias.* Diviſionem orbis *πολιτικὴν* civili regiminis æmula eccleſia ad ſe quoque derivavit. Unde *Zonaras* ad can. 7. concil. I. conſtantinopolitani: *Provinciam ex. gr. Adrianopolim vel Philippopolim cum iis, qui in eo tractu degunt epiſcopis dicimus; Thraciam vero totam vel Macedoniam diœceſeos appellatione complectimur.* Inde ortum traxit Patriarcharum ſupra Metropolitanos elatio, qui plures provincias eccleſiaſticas ſic præſumſerunt adminiſtrare, ac in civilibus Vicarii præfectorum. Cum enim ex reliquis diœceſeos provinciis in civitate præcipua totius diœceſeos, ubi ſedem præfectura vel vicaria præfecturæ collocarat, concurſus fieret ad negotia diœceſeos explicanda; hinc & ſibi quoque princeps in diœceſi metropolitanus majores cæteris ſpiritus cœpit ſumere, non parum adjutus rerum eccleſiaſticarum eodem more modoque, quo civiles ſolent tractandarum neceſſitate. Hi igitur concilium ex totius diœceſeos provinciis convocabant, haud ſecus ac vicaria poteſtas in rebus civilibus: cui temporum tractus tantam conciliavere auctoritatem & *αὐθεντείαν*, ut loquitur *canon Carthaginenſis*, ut ab eo ne quidem epiſcopo daretur provocatio. Quod in Conſtantinopolitano I. can. VI. ſtatutum, confirmatum deinceps eſt ab Imp. Juſtiniano L. Sancimus. 29. de epiſcop. aud. *Iis, quæ ipſe* (Patriarcha) *judicaverit, omnino pareat, perinde ac ſi eum ab initio judicem eſſet conſecutus. Nam contra horum antiſtitum ſententias non eſſe locum appellationi a noſtris majoribus eſt conſtitutum.* Et Photius in Nomocanone *tit.* 9. *c.* 6. *οὔτε ἐκκαλοῦνται*, inquit, *αἱ τῶν πατριαρχῶν ψῆφοι, a ſententia Patriarcharum non appellatur.* Raro vero tale concilium fiebat, nec niſi cauſa communi exigente totius diœceſeos, aut quando provincialia cauſæ decidendæ non ſufficerent, & *plenarium vel univerſale* vocabatur. Qua notione *concilium univerſale* pro ſynodo diœceſeos Galliarum ſumitur can. 20. concil. matiſconenſis 2. ſub Guntramno Rege & Lugdunenſi Patriarcha; Africana item ſeu Carthaginenſia ex Africæ diœceſi *univerſalia & plenaria Africæ*, in concil. Tom. & Toletana

ex Hiſpaniæ diœceſi *univerſalia & generalia* ſæpius appellantur. *Μείζονα σύνοδον ἐπισκόπων* alias vocat antiochena ſynodus can. 12. & Conſtantinopolitano I. can. VI. ad quem *Zonarus*: *Μείζονα σύνοδον λέγει τοὺς τῆς διοικήσεως ὅλης ἐπισκόπους*, *Majorem ſynodum dicimus omnium diœceſeos epiſcoporum conventum.* Cujus generis permulta in concil. tomis reperiuntur, *romana* videlicet, ex diœceſi urbis Romæ, *antiochenſia* ex diœceſi orientis, *gallicana* ex Galliarum diœceſi, *toletana* ex Hiſpaniarum, & *africana* ſeu *carthaginenſia* ex Africæ diœceſi. De quibus tamen dicendum, quod *Agobardus lugdunenſis* olim epiſcopus de Gallicanis, ſeu conciliorum diœceſeos Galliarum canonibus ſcripſit: *epiſt. ad Imp. de duello. Illorum ſanctiones non eſſe paſſim æquali autoritate recipiendas, ut Nicæni, Chalcedonenſis & cæterorum generalium ex totius mundi conſenſu congregatorum & receptorum; ſed quia congrua veneratione pro cauſis neceſſariis, quarum definitiones in illis generalibus non inveniuntur, fides ſit eis adhibenda religione debita.*

IV.

Provincialis vero Metropolitæ ſeu Primatis, aut primæ ſedis epiſcopi, cum omnibus provinciæ epiſcopis.

Hanc antiochena Synodus can. 16. & 17. vocat, *τελείαν σύνοδον πάντων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκόπων, ᾗ συμπάρεστι καὶ ὁ τῆς μητροπόλεως.* *Perfectam ſynodum omnium provinciæ epiſcoporum, cui & interest metropolitanus.* Can. 98. C. Afric. *plenarum concilium uniuscujusque provinciæ dicitur.* Quemadmodum enim diœceſis plures *ἐπαρχίας* ſeu provincias eccleſiaſticas complectebatur, ita *ἐπαρχία* plures *παροικίας* vel ſedes epiſcopales cum territoriis ſuis ſive *ὁρίοις*, prima provinciæ civitas ſeu metropolis primum faciebat epiſcopum (*πρoεστὼς ἐπαρχίας* dicitur in *canone Antiocheno*) qui ad exemplum præſidis provincialis ibidem reſidebat & conventum conciliorum in eandem urbem convocabat. Bis in anno ejusmodi concilia haberi ſanciunt canones, ut 37. qui dicuntur Apoſtolorum, 5. Nicæni I. tum 20. concil. Antiocheni: *neque ullis licebat per ſe ſynodos facere ἄνευ τῶν πεπιστευμένων τὰς μητροπόλεις, ſine iis, quibus credita erant metropoles. Hi vero ſi negligerent, absque gravi aliqua cauſa, canonicis pœnis juxta conciliorum decreta ſubjiciebantur.* Ab ea lege deinceps ita diſceſſum, ut pro ſemeſtribus annuæ fierent, ſancitum id can. 8. Oecum. VI. in *Trullo*, & can. 6. Oecum. VII. Nicenæ II. *eo quod propter Barbarorum incurſiones non poſſet bis concilium haberi.* Et hoc quidem in Oriente tum obtinuit, non vero in Occidente, ubi per leges carolinas priſcus mos bis quovis anno concilium celebrandi ad tempus remanſit, uti ex capitulis legum eccleſ. Caroli M. & Ludovici Pii, quæ Anſegiſus abbas collegit, *l. 5. c. 1.* conſtat. In illis de cauſis, ad totius provinciæ incrementum pertinentibus, disquirebatur, aut eæ excutiebantur novo examine, quæ a concilio epiſcopi in ſua eccleſia auditæ fuerant, ſi qua ratio aut æquitas poſtulare videretur, ut iterum a majore epiſcoporum numero ſolemnius & exquiſitius agerentur. *Διὰ τὰς ἐκκλησιαστικὰς χρείας, καὶ τὰς τῶν ἀμφισβητουμένων διαλύσεις,* inquit canon Antiochenus 20. *recte habere viſum eſt, ut ſynodi epiſcoporum in unaquaque provincia bis in anno fiant, ut in his ipſis ſynodis accedant presbyteri & diaconi, & omnes, qui ſe injuria affectos putant, ut a ſynodo judicium aſſequantur.* Licebat tamen, ſi non recte lis videretur deciſa ad nationalem ſynodum totius diœceſeos provocare, quod indicat can. 6. Conſtantinopolitani I. *Si evenerit, ut provinciales epiſcopi crimina, quæ epiſcopo intentata ſunt, corrigere non poſſint, tum jubet ipſa ſancta ſynodus accedere ad majorem ſynodum epiſcoporum totius diœceſeos pro hac cauſa convocatorum.* Id. 9. & 17. canones chalcedonenſis Oecum. 4.

V.

Primum ſacri concilii in eccleſia chriſtiana celebrati exemplum, tam veteres, quam recentiores theologi omnes in capite XV. actorum, extare credunt, idque haud immerito pro norma omnium conciliorum agnoſcunt.

Graviſſima orta erat controverſia in ipſis ſtatim eccleſiæ primordiis, num ſcilicet legis & circumciſionis obſervatio ad ſalutem conduceret, nec ne. Aſcendunt propterea Paulus & Barnabas Hieroſolymam, diſpecturi hac de re. Et cum multa diſceptatio utrinque fuiſſet, Jacobus ſententiam protulit, in qua omnes acquievere. Sed nugatur hic Baronius anni XXXIII. num. 17. hiſtoriam referens, quæ narratur a Matth. XVI. 13. Marcæ VIII. 17. Luca IX. 18. Concilium nempe habitum eſſe a Chriſto & ejus Apoſtolis, idque exemplum eſſe conciliorum deinceps habendorum. Verba Baronii hæc ſunt: *Ejusmodi tanti ponderis & auctoritatis actio Chriſti typum quendam exprimit celebrandi concilium, cum miſſis cæteris ſolus cum diſcipulis poſt preces Deo oblatas de ſumma rerum quæſtionem proponit.* Quæ vero hic imago concilii? Hoc enim ſi cum *Thoma* cuiquam definire libeat, conventus eſt judicum ad deliberandum aliqua de re congregatorum. Nullus vero hic judex præter unum Chriſtum, reliqui omnes ſine ulla poteſtate & diſcipuli. Et Chriſtus ipſe hic non judicem, ſed doctorem ſe præbet, dum pro more diſcipulos erudiens familiariter cum iis verſatur. Pereruditе & copioſius hæc refutata a doctiſſimo *Caſaubono* exercitatione XV. ad annal. Baronii num. 9. & *Richardo Montacutio* originum eccleſiaſticorum tomi prioris parte poſteriori p. 159. & ſeqq. Quid vero *Cardinalis* hoc ipſo intendat, infra palam fiet. Certe cum exercitatore *toties in eo fidem deſideramus, quoties ille hiſtoricum exuit, ut indueret patronum.*

VI.

VI.

Uſus eorum duplex cum primis fuit in eccleſia; alter, ſi qua circa fidei dogmata emergant ſolvenda videre, & errores, qui irrepunt, depellere; alter, circa externum regimen & diſciplinam eccleſiaſticam, vel conſtituendam, vel inſtaurandam.

Duplicem hunc uſum ipſum etiam Apoſtolorum concilium nobis ſuggerit. Fidei enim fuit, quod in ſolo Chriſti merito, non in ritibus ac ceremoniis ſpem ſalutis collocari volebant. Diſciplinæ vero & morum, quod non ſolum a fornicatione & idololatria quisque juberetur abſtinere, verum etiam retento Moſis præcepto a ſanguine & ſuffocato, h. e. ab animantium ſanguine tam effuſo, quam ex ſuffocatione in ipſis animantibus reſidente. Quæ ad doctrinam ſeu fidem pertinent, Nicæna 2. can. VI. εὐαγγελικὰ, quæ ad diſciplinam κανονικὰ vocat πράγματα. Ad quæ *Zonaras*: *Canonica*, inquit, *negotia ſunt e. gr. an ſegregationes jure irrogentur, an per oeconomos ex uniuscujusque ipſorum clero delectos eccleſiarum bona ab Epiſcopis adminiſtrentur, aliaque hujusmodi canonicis conſtitutionibus definita ſerventur inveſtigare. Evangelica vero ea ſunt, quale eſt illud: ut in nomine Patris & Filii & Spir. S. baptiſmus adminiſtretur. &c.* Idem ad can. 40. concil. Laodiceni: αἱ σύνοδοι διὰ ἀμφιβολίας ἀναφυομένας περὶ δογμάτων, ἢ ἐπιτιμίων ἁμαρτήμασι προσηκόντων, ἢ κανονικῶν ἑτέρων ζητήσεων ὡρίσθησαν γίνεσθαι. *Synodos*, inquit, *ob eas controverſias, quæ vel de dogmatum veritate, vel de mulctarum æquitate emergerent, aut ad alias canonicas quæſtiones excutiendas haberi, decretum eſt.* Dictus vero canon Laodicenus ſimul alium Synodorum innuit uſum, quando injungit: *Non oportere Epiſcopos, qui vocantur ad ſynodum negligere,* ἀλλ᾽ ἀπιέναι, καὶ διδάσκειν ἢ διδάσκεσθαι εἰς κατόρθωσιν τῆς ἐκκλησίας, καὶ τῶν λοιπῶν. *Ex iis enim, qui convenerant, qui quidem cæteros prudentia antecellebant, & quid credendum & quæ cuique peccato pœna irroganda, quoque modo reliqua ex canonum præſcripto adminiſtranda eſſent, docebant. Alii vero rudiores minusve in docendo exercitati, docebantur. Quæ vero tum docebant, tum docebantur, ad rectam eccleſiæ adminiſtrationem aliorumque emendationem pertinebant,* uti *Zonaras* explicat.

VII.

Quæ fidem ſymbolis, quæ mores concernebant, canonibus ſeu regulis complectebantur.

Fidei confeſſiones in conciliis editas ſymbola vocarunt, quod his velut teſſera militari, omnes, qui Chriſto nomen dederunt, a deſertoribus & adulteratoribus chriſtianiſmi commode poſſent dignoſci. Breviter, *Maximus Taurinenſis* de tradit. Symbol. *Symbolum teſſera eſt & ſignaculum, quo inter fideles perfidiosque ſecernitur.* In quibus hodienum eminet ac toti chriſtiano orbi probatur, quod dicitur *Nicænum*, in primo nempe generali Nicææ a 318. Patribus conditum. Quod ipſum cum de maximis fidei noſtræ myſteriis conſonam in ſe verbo Dei ſententiam contineret, ſequentium conciliorum Patres orthodoxi in ejus quaſi verba jurarunt, ac unam eandemq; fidem uno ſemper ore profeſſi ſunt. Neque eſt, quod quis objiciat: *Conſtantinopolitanum* ſubſecutum multa adeo Nicæno huic, ut imperfectiori adjeciſſe, ut in jus ac nomen plane illius propterea commigrarit; cum ſemel ab univerſa eccleſia approbata ſymbola mutationem nequaquam ſubeant: certum etiam ſit, quicquid illud appoſuerit, id virtualiter, ut loquuntur, Nicænum in ſe comprehendiſſe ac majoris ſolum evidentiæ cauſa fuiſſe poſtea adjunctum. Hinc ſtatim duo illa ſymbola a concilio generali *tertio Epheſino* pro uno fuere habita, ut ex VII. ejus canone liquet. Definitio ejus hæc fuit: *Non licere cuiquam aliam fidem afferre vel ſcribere vel componere, quam, quæ a ſanctis Patribus, qui Nicææ congregati ſunt, in ſancto ſpiritu definita eſt. Ejusdem igitur tertii concilii auctoritate poſteriores adducti, primis illis duobus ſymbolis parem honorem communi ſententia tribuerunt; ita ut ambo ipſa ſymbola, pro uno accepta ſemper immutabilia permanerent;* uti loquitur *Marcus Epheſius* in Synodo Ferrarienſi ſeſſione V. *Et quamvis toto orbe terrarum ſimul ambo celebrarentur, de primo tamen ſymbolo tertium cæteraque concilio mentionem fecere: cum pro ipſius primi concilii auctoritate & exiſtimatione, quod majore Patrum numero celebratum fuerat, quodque veluti cæterorum conciliorum fundamentum haberetur, tum etiam, quod eodem ipſo Nicæno ſymbolo Chriſtianorum plures, quique denuo baptizabantur, frequentius uterentur, tum denique quod alterum a primo poteſtate continebatur. Præterea, ut boni Oratores ſolent in foro rebus uſitatis maxime initi, ita etiam concilium tertium, quo ſymbolo magis homines uti videbat, pro eo tantum decrevit atque prohibuit, cum præſertim ſecundum ſymbolum expoſitio primi, non autem ipſius aliqua mutatio fuerit.* Ut idem inibi *Marcus*. Canones vero ad diſciplinam ſolum & bonum ordinem facientes, prout e re eccleſiæ eſſe viſum fuerit, immutari poſſunt. Videre hoc ex illo eſt, quod cum in primo Apoſtolorum concilio abſtinentia a ſanguine & ſuffocato eſſent injuncta, quo tanto facilius Judæi & gentiles in unum corpus coaleſcerent, canon iſte poſt, ceſſante ejus cauſſa, fuerit abrogatus. In quovis ergo concilio Patres congregati vel priorum conciliorum canones confirmavere, vel novos pro re nata condiderunt; adeo ut cum in II. & III. *Conſtantinopolitanis*, V. & VI. Oecumenicis de fide tantum actum fuiſſet, ſub *Juſtiniano*, qui ῥινότμητος a naribus abſciſſis dictus eſt, ſeptem & viginti ſupra ducentos Epiſcopi iterum convenerint, atque ad eccleſiaſticam rem conſtituendam canones ejusdem Imp. auctoritate confirmatos ediderint. Synodus illa propterea *ſexta* itidem appellata eſt, ὅτι τῆς ἕκτης ὑστέρημα τὴν τῶν κανόνων ἔκθεσιν αὕτη ἀνεπλήρωσε: vel πενθέκτη (Latinis *quini ſexta* vel *quinto ſexta*, uti *Phrantzes* lib. 3. cap. 19.) *quod ſimul ea, quæ quintæ & ſextæ deerant ſupplevit.* Illud *Zonaræ*, hoc *Balſamoni* obſervatum. Canones hoſce & reliqua conciliorum acta colligere non tam priſcis, quam hujus & prioris ſeculi viris quibusdam eruditis, curæ fuit. De *Nicæni* concilii actis id teſtatur *Socrates* l. 1. hiſtor. c. 5. & l. 2. c. 13. atque hinc etiam eſt, quod adhuc fruimur veteri illo canonum codice, qui in ſynodo Chalcedonenſi eccleſiæ

univerſæ auctoritate probatus ac poſt a Juſtiniano Imp. confirmatus, cura *Chriſtoph. Juſtelli* JCti anno demum 1610. *Pariſiis* prodiit. Noſtrorum circa collectionem hanc induſtriam præter *Crabbianam, Surianam, Venetam, Binnianas* actorum ſynodalium editiones, teſtatur ultima conciliorum omnium tam generalium, quam provincialium *collectio regia*, quæ *Pariſiis* prodiit e Typographeo regio tomis XXXVII. in folio Anno 1644.

IIX.

Convocatio conciliorum recte ab eo fit, penes quem ſumma eſt in populo poteſtas.

Certe, cum in religionem non minus, quam civilem adminiſtrationem ſumma poteſtas omni cura cogitationeque incumbere teneatur; omnia, quibus cultus divinus promoveri, & religio puris ſuis ac primævis fontibus conformis conſervari poſſit, tum alia ad iſtam externam poteſtatem facientia providere pro virili debet atque adminiſtrare. Quibus præſtandis cum haud leve momentum afferant concilia, pro religione & fide Chriſtiana contra hæreſes & ſchiſmata ſubinde naſcentia celebrari ſolita, & horum convocationem eidem merito competere manifeſtum eſt. Religionis vero curam, ſive τὴν ἔξω ἐπισκοπὴν circa res & perſonas eccleſiaſticas Principi competere, nullus credo negabit, niſi cui eccleſiaſticis forſan opibus emta mens eſt. Etenim cui ſumma reip. cura eſt demandata, & ea quoque commiſſa reor, ſine quibus ſalus reip. procurari non poteſt. Poſito enim fine, ſimul ponitur jus ad ea, quæ ad illum obtinendum faciunt. Quæ inter cum haut poſtremum locum religio ſibi vendicet, quippe quæ *συνεκτικὸν ἁπάσης κοινωνίας, coagulum eſt omnis ſocietatis, & ad magnas reip. utilitates in civitatibus retinetur*, ut *Plutarchus & Cicero* nos docent; male tam publicæ utilitati, quam dignitati ſummæ poteſtatis conſuluerit, qui eam in alterius, quam hujus poteſtate ſitam contenderit. Nam cum eorum *ὧν ἄνευ πόλις ἐκ ἂν εἴη ſine quibus civitas eſſe non poteſt: πρῶτον, ſeu primum ac præcipuum ſit ἡ περὶ τὸ θεῖον ἐπιμέλεια*, teſte *Ariſt. 7. Pol.* 8. eam ſummæ poteſtati ſubtrahere, eſt alteri ſubjicere, atque ſic duas ſummas in uno populo agnoſcere poteſtates, quod naturæ ipſius ſummitatis repugnat. Ita proprium ergo principis eſt, curare & tueri ſacra, ut veterum plerique duo hæc munera Sacerdotium & regnum habuerint conjuncta. Senſit ita *Diotogenes* Pythagoricus ap. *Stobæum* ſerm. XLVI. de regno, qui tria in legitimo rege requirit, ut belli dux ſit, ut judex, ut ſacerdos. Verba ejus *ἀνάγκη τὸν τέλειον βασιλέα ϛρατηγόντε ἀγαθὸν ἦμεν, καὶ δικαϛὴν, καὶ ἱερέα.* Exemplis quoque conſtat, reges ac Impp. etiam gentiles jure ſuo muneri convenire hoc arbitratos, *ut religionibus & jure divino populum devincirent*, quod de Numa *Tacitus* 3. annal. Veteris teſtamenti ſeu Judæorum reges idem jus divinæ etiam legis auctoritate exercuiſſe legas, neque, id per novum Evangelii pactum ſummis poteſtatibus fuiſſe ſublatum, juxta *Sedulis* illud

Non arripit mortalia, -- Qui regna dat cæleſtia. In hoc potius reges (verba ſunt *Auguſtini* contra Creſcon. 3. c. 51.) *ſicut eis divinitus præcipitur, Deo ſerviunt, in quantum reges ſunt, ſi in ſuo regno bona jubeant, malis prohibeant, non ſolum, quæ ad humanam ſocietatem pertinent, verum etiam, quæ ad divinam religionem. Debet Imperator advertere, ſcribit Leo I.* ad Imp. Leonem, *regiam poteſtatem non ſolum ad mundi regimen, ſed maxime ad eccleſiæ præſidium collatam.* Quæ eccleſiæ defenſio non eo tantum extenditur, ut *vim, fraudes, turbas & externa mala*, ab eccleſia arceant, ut exponunt *Lipſius* lib. adverſ. Dialog. c. 2. & *Bellarm.* 3. de membris eccl. mil. c. 18. ſed quoniam majus periculum ab internis, ſeu religionis diſſidiis extimeſcendum, haud probe curaſſe officium ſuum Princeps putandus eſt, ſi obviam ire in tempore hiſce neglexerit. Hinc Impp. olim, etiam Chriſtiani Pontifices Maximi fuere, & pontificalem veſtem a Pontificum accepere collegio, ut veterum teſtimoniis probat *Goldaſtus* in epiſt. dedic. Tom. 3. Conſtit. Imp. & *Caſaubonus* commentario in Suetonii Auguſtum c. 31. *Nobis*, inquit *Juſtinianus*. Imp. orat. ad Mennam ap. Baron. tom. 7. anno 538. n. 33. *ſemper ſtudio fuit atque etiam nunc eſt, & irreprehenſibilem Chriſtianorum fidem, ſtatumque ſanctiſſimum Dei catholicæ & apoſtolicæ eccleſiæ perturbationum expertem usque quaque cuſtodiri. Hæc nobis prima & antiquiſſima cura eſt, per quam & nobis in præſenti ſeculo imperium a Deo traditum eſſe & conſervari credimus, & reipubl. noſtræ inimicos ſubdi.* Fixum igitur maneat, ſummæ poteſtatis eſſe quam maxime providere, ne in iis, quæ religionem & externum Dei cultum attinent, reſpubl. detrimenti aliquid capiat. Quod ulterius probare cum noſtri non eſt inſtituti, tum jam ante *Henningus Arniſæus*, magnum quondam hujus Academiæ lumen, 2. de juribus majeſtatis c. 3. *Guga Gratius* opere poſtumo de Imper. ſumm. Poteſtatum circa ſacra, *alii* ſatis ſuperque præſtitere.

IX.

Jure ergo Imperatores olim hoc fecerunt, quando toti fere chriſtiano orbi abſolute imperabant.

Nota hæc ſunt doctis, ideoque nec multis probanda, ne lumen ſoli mutuari videamur velle. Quid enim manifeſtius *Socratis* illo, quod in *proœmio*. V. ſui hiſtoriarum poſuit: *ex eo tempore, quo Conſtantius eſſe cœperunt, eccleſiæ negotia ab illorum nutu pependiſſe; atque adeo maxima concilia de eorundem ſententia fuiſſe convocata.* Teſtantur idem non Impp. ſolum *mandata* & ipſarum Synodorum *confeſſiones*, verum etiam preces & humillimæ *obſecrationes*, a Romanis Epiſcopis ad Impp. directæ, quibus tamen non raro locus fuit denegatus. De *Nicæno* Oecumenico I. *Euſebius* teſtis oculatus de vita Conſtantini lib. 3. c. 6. *Conſtantinus*, inquit, *deinceps concilium generale, tanquam quendam Dei exercitum inſtruens, in unum locum coëgit, & epiſcopos undique per literas honorifice ſcriptas, ut eo maturarent, accivit.* Gemina hiſce ponit *Socrates* l. 1. c. 5. *Sozomenus* l. 1. c. 16. *Theodoretus* l. 1. c. 7. & *Nicetas* in Theſauro l. 5. c. 5. ipſa eadem Synodus epiſtola ad eccleſiam Alexandrinam ap. *Socrat.* 1. c. 6. & *Theodoretum* 9. ejus libri: *Quoniam gratia Dei & mandato ſanctiſſimi Imp. Conſtantini, qui nos ex variis civitatibus & provinciis convocavit, magnum & ſanctum concilium*

Nicæ-

Nicænum coactum eſt. Ibidem ipſe Conſtantinus ad eandem eccleſiam ſcribens: *magnam*, inquit, *Epiſcoperum turbam Nicæam occerſivi.* Adeoque immerito falſitatis arguitur *Pighius* a Bellarmino l. 1. de concil. & eccleſia c. 13. quod conciliorum generalium convocationem, Conſtantini inventum eſſe aſſerat, l. 1. de eccleſ. Hierarch. c. 6. cum *Ruffini* verba l. 1. c. 1. *Conſtantinum ex ſacerdotum ſententia concilium indixiſſe*; nihil aliud, quam conſilii communicationem evincant, quæ quæ minus ipſius inventum ſit, cauſſa eſſe nequit. Sic, ut alia prætercam, Sardicenſe concilium, quod & ipſum oecumenicum a multis cenſetur, ab Impp. legitur congregatum, apud Theodoretum l. 2. c. 8. *Socrat.* l. 2. c. 16. *Nicephorum* Calliſtum l. 9. c. 12. *Viſa enim audacia Euſebianorum Epiſcoporum ab religioſiſſimis Impp. Conſtantio & Conſtante*, ſcribit Athanaſius Apologi 2. *juſſi ſunt Epiſcopi Orientis & Occidentis Sardicani convenire.* Et Oſius Cordubenſis ad Conſtantium ſcribens: *Fui ipſe in Sardicenſi conſilio, cum tu tuusque frater B. Conſtans nos omnes eo convocabat.* ap. Athanaſ. Epiſt. ad Solitarios. De Conſtantinopolitano I. Oecum. contra Macedonium *Socrates* l. 5. c. 8. *Imperator*, (Theodoſius) *nullo mora interpoſita concilium Epiſcoporum, ipſius fidem amplectentium convecat*; nec aliter *Sozom.* l. 7. c. 7. *Nicephorus* l. 12. c. 10. Ad Epheſinum I. Oecumenicum III. *Evagrio* l. 1. c. 3. & *Socrate* l. 7. c. 33. teſtibus, *Imperatoris* (Theodoſii junioris) *mandate Epiſcopi ex locis omnibus conveniunt.* Ipſa Synodus in actis; quoties ſe congregatam meminit, *toties Imp. auctoritatem agnoſcit.* Editio Græca canonum: ἡ ἁγία, καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος ἡ ἐν Ἐφέσῳ συγκροτηθεῖσα ἐκ θεσπίσματος τῶν εὐσεβεστάτων βασιλέων. Et Epiſtola ad *Cæleſtinum* P. R. Tom. I. Concil. poſt acta Synod. Epheſ. in libello Synodicarum Conſtitut. pag. edit. Surianæ 794. *Secundum voluntatem Servatoris noſtri omnium, & ſanctionem pientiſſimorum & Chriſti amantium Impp. in Epheſiorum Metropoli ex multis & variis provinciis plusquam ducenti numero Epiſcopi congregati -- cum univerſi convenissemus propter Impp. denunciationes ac comminationes.* Quod ſi coactor hujus Cæleſtinus fuiſſet, Patres ad illum ſcribentes certe non reticuiſſent, ſe ipſius voluntate ad Synodum convocatos. Alterum item Epheſinum, cui exitus truculentus λῃστρικῆς nomen indidit, idem Theodoſius junior indixit. Ipſe *Leo* Romanus hoc fatetur Epiſt. 12. ad eundem Theodoſium: *Pietas veſtra*, ait, *quæ in honorem Dei religioſiſſima catholicam diligit veritatem, apud Epheſum conſtituit Synodale concilium.* Et in actis, quæ inſeruntur Act. 1. concil. Chalced. Theodoſius & Valentinianus ad Dioſcorum: *Sancimus in unum ſanctiſſimos & Deo placitos convenire viros.* Petierat antea Leo ab Imp. ut intra Italiam Synodum juberet coire, verba ejus Epiſt. 9. ad Theodoſium: *Pro integritate fidei catholicæ Chriſtianiſſimum principem convenit eſſe ſollicitum -- Unde ſi pietas veſtra ſuggeſtioni ac ſupplicationi noſtræ dignetur annuere, ut intra Italiam habere jubeatis Epiſcopale concilium &c.* Nec negare potuit Baronius tom. 6. anno 449. num. 36. invito etiam Leone Epheſini hujus celebrationem peractam. Cum vero tantæ expectationi eventus nullo modo reſponderet, fide per Dioſcorum non leviter incruſtata; Leo iterum ad preces confugit. Oſtendit hoc Epiſt. ejus 24. ad Theodoſium; *Omnes partium eccleſiæ noſtrarum, omnes manſuetudini veſtræ cum gemitibus & lacrymis ſupplicant Sacerdotes, ut generalem ſynodum intra Italiam jubeatis celebrari.* Quod etiam *Liberatus* Breviarii c. 12. *Leo audiens legatorum ſuorum ſuggeſtionem*, (eorum ſc. qui Epheſi fuerant) *literis Theodoſium Imperatorem, & Pulcheriam Auguſtam regat, ut fieret intra Italiam generale concilium, ut aboleretur error fidei, per violentiam Dioſcori factus. Valentinianum autem Imp. & Eudoxiam uxorem ejus, ad memoriam B. Petri, cum multis Epiſcoporum, genibus provolutis Romanus Pontifex deprecatus eſt, ut Imperatorem Theodoſium hortaretur, aliam fieri ſynodum.* Neque tamen impetrare potuit, quamdiu Theodoſius imperio præeſſet, uti teſtatur *Antoninus* hiſtor. part. 3. tit. 22. c. 13. & *Leontius* de ſectis Act. 4. Οὐαλεντινιανὸς ἐγκλώμενος ὑπὸ Λέοντος τοῦ Πάπα, γράφει Θεοδοσίῳ τῷ μικρῷ, ἵνα ἐπιτρέψῃ σύνοδον γενέσθαι, εἰς τὸ γνῶναι εἰ καλῶς ἔκρινεν ὁ Διόσκορος, ἢ οὔ. Ὁ δὲ Θεοδόσιος ἀντέγραφεν αὐτῷ, λέγων, ὅτι οὐ ποιῶ ἄλλην σύνοδον. Mortuo vero Theodoſio ſequente anno, & quidem propterea, quod pontificiam ſibi arripuerat auctoritatem, ut *Baronius* ſomniat citato loco; a Martiano demum indicitur Chalcedonenſis ſynodus IV. Oecumenica: ubi ne hoc quidem Papæ precibus eſt conceſſum, ut in breve tempus concilium differretur. Rurſus hic plurimorum inſtar eſt ipſe *Leo* Epiſt. 43. ad Marcianum: *Popoſceram quidem a glorioſa clementia veſtra, ut Synodum, quam ad reparandam orientalis eccleſiæ pacem a nobis etiam petitam, neceſſariam judicaſtis, aliquantis per differri ad tempus opportunius juberetis. --- Sed quia pro ſtudio humanis negotiis divina præponitis, ego veſtris diſpoſitionibus non renitor.* Per ſequentia ſecula ſi pergam, vereor in re aperta, ne faſtidium creem. Nempe hac nota & ſigno dignoſcebatur, an concilium fuiſſet generale, ſi a Principe coactum eſſet. Sic *Cedrenus*, ubi de topicis agit ſynodis, αἱ δὲ οἰκουμενικαὶ, inquit, γεγόνασιν, ἐκλήθησαν δὲ οἰκουμενικαὶ, διότι ἐκ κελεύσεως βασιλικῶν οἱ κατὰ πᾶσαν τὴν Ῥωμαίων πολιτείαν ἀρχιερεῖς μετεκλήθησαν. *Oecumenica concilia ſic dicta ſunt, quod imperiali auctoritate ac juſſione omnes, qui ſub imperio romano erant, ſacerdotes ad ea convocarentur.* Cujus ſi parum forſan te moveat auctoritas, eximius eſt *Hieronymi* locus, qui non legitime convocatam ſynodum ut oſtenderet, *Doce*, ait, *quis Imperator hanc ſynodum juſſerit congregari*, Apolog. ac Ruffin. l. 2. Nec generales tantum coire jubebat Imperator, ſed & τοπικὰς, ut hiſtoriam eccleſiaſticam vel leviter tantum intuenti liquere poteſt.

X.

Quin & deſignarunt, quotnam, & quos, concilio vellent intereſſe, eoſque, aut per ſe, aut per alios, elegerunt, loco etiam & tempore indictis.

Sic Conſtantinus M. cum Arelatenſem ſynodum, ad cauſam Cæciliani Carthaginenſis judi-

judicandam, indiceret, Chreſto Syracuſarum Epiſcopo injungit, *at duos ſecum ſumat alios Epiſcopos, ex ſecunda ſede, quos voluerit.* ap. *Euſeb.* hiſtor. Eccleſ. V. c. 5. Ad Miltiadem & Marcum ſimiliter ſcribit, *jubetque Romæ, ad eandem Cæciliani cauſam decidendam, ſynodum congregari, non ſolum ipſo Miltiade præſente, ſed & Rheticio, Materno, & Marino, κολλήγων, inquit, ὑμῶν, quos etiam ad concilium Romam feſtinare mandavi. Cum ipſo Cæciliano decem Epiſcopos venire vult, qui eum criminabantur, & totidem alios, a quibus defendi poſſet,* teſte eodem d. l. Ita etiam miſſa Impp. ἐγκύκλια ad Metropolitanos, & plerumque ipſis coëpiſcoporum electio demandata, ad efficiendum eum numerum, quem Impp. præſcripſiſſent. Inde Theodoſius & Valentinianus, cum Epheſinam I. congregatam vellent, Cyrillo Alexandriæ Epiſcopo ſcribunt: *Curabit pietas tua, poſt futurum ſanctum Paſcha, venire in Epheſum Aſiæ, ſub ipſam Pentecoſtes diem: efficiesque, ut tua adſint ſanctiſſimi ſua præfectura Epiſcopi pauci, quos ipſa elegerit. -- Similia ſcripta ſunt a noſtro numine, de antedicta ſanctiſſima ſynodo, Dei amantibus Epiſcopi, earum, quæ ubique ſunt, matricam urbium.* Similis huic Epiſtola eorundem Impp. in acta Concil. Chalced. p. 16. Tom. 2. concil. relata, *quæ jubet Dioſcorum, aſſumtis ſecum decem metropolitanis Epiſcopis, ſub ejus dioceſi, & aliis ſimiliter Epiſcopis, ſermone & vita ornatis, proximis Calcadis Auguſti. Epheſum* (ad ſecundam ejus nominis ſynodum) *convenire, nullo ſcilicet alio, præter prædictos viros, ſanctam ſynodum moleſtante.* In alia Epiſtola ad eundem, Theodoſius Imp. *Barſumam Presbyterum & Archimandritam adeſſe vult epheſina ſynodo, & locum tenere cunctorum orientalium Archimandritarum.* Nominatim quoque Theodoretus vetatur adduci. Eundem ordinem in Nicœna & Conſtantinopolitana primis obſervatum fuiſſe, per quam veriſimile eſt. Et merito eos hac poteſtate uſos, tum hodie etiam ſummis poteſtatibus idem licere, rationes evincunt. Sane ſi ſumma poteſtas, de judiciis leges latura, optimos quosque JCtos in conſilium advocabit, ſi de bellis deliberatio ſit, rei bellicæ peritos; eodem jure & in eccleſiaſticis conſultationibus utetur, cum religionis cura non magis ad eam, quam aliarum rerum, pertineat; ut ex ſuperioribus innotuit. Adeoque recte Marſilius Patavinus dict. 2. defenſ. Pacis. c. 19. *Legislatores ad hoc etiam obligantur, eligendo perſonas idoneas, ad concilium integrandum, eisque de neceſſariis temporalibus providendum, & venire recuſantes, ad hoc tamen idoneos & electos, tam ſacerdotes, quam non ſacerdotes, propter utilitatem publicam, ſi oportuerit, compellendum.* Et mox cap. ſeq. *Ad ſolius humani legislatoris fidelis, ſuperiore carentis, auctoritatem pertinet, aut ejus, vel eorum, cui, vel quibus, per jam dictum legislatorem, poteſtas hæc commiſſa fuerit, generale concilium convocare, perſonas ad hoc idoneas determinare, ipſamque congregari, celebrari, & ſecundum formam debitam facere conſummari, rebelles quoque ad conveniendum - - tam ſacerdotes, quam non ſacerdotes, clericos, aut non clericos, licite ſecundum divinam & humanam legem, per coactivam arcere potentiam.*

XI.

Idem jus Occidentis Impp. a Carolo M. usque, interdum exercuiſſe legas.

Nondum ſcilicet opinio illa impleverat orbem, ſolis Pontificibus omne jus circa religionem conceſſum, ſed optimi quique regum, & concilia Epiſcoporum indicebant, & iisdem a ſe coactis præſidebant, & denique ſuo nomine, ſi quid placuiſſet, promulgabant. Sic Caroli M. auctoritate plurima Epiſcoporum concilia celebrata, præcipue annis ſeptingenteſimo nonageſimo ſecundo & quarto, & octingenteſimo nono & dec. tert. ceu ex *annalibus Francicis*, & horum ex ſcriptore *Aimoino* apparet, ap. *Baronium* vero tom. 9. Anno 813 n. 16. legere eſt. anno DCCXCIV. *Ad condemnandam hæreſin Felicianam, concilium Epiſcoporum, ex omnibus regni ſui provinciis, in villa Francofurt juxta Mœnum congregavit.* Affuerunt etiam in eadem ſynodo legati Pontificis, anno DCCCXIII. Concilia juſſu ejus *ſuper ſtatus eccleſiarum corrigendo*, per totam Galliam ab Epiſcopis celebrata ſunt, quorum unum *Moguntiaci*, alterum *Remis*, tertium *Turonis*, quartum *Cabillioni*, quintum *Arelati* congregatum eſt. *Rhemenſis* concilii capitula dicuntur *notata in conventu metropolitanæ ſedis Rhemenſis eccleſiæ, a Dn. Carolo piiſſimo Cæſare, more priſcorum Impp. congregato.* tom. 3. concil. p. 281. Patris veſtigiis filius Ludovicus inſtitit, & *Aquisgrani* anno imperii ſui tertio *generalem ſanctum convocavit conventum*, ut loquuntur acta tom. 3. p. 291. Leges quoque, qua civiles, qua eccleſiaſticas, & novas tulit, & veteres emendavit, ut *auctor* vitæ ejus ſcribit. Epiſtola cæſarea præfixa Pariſienſi ſynodo, Impp. Ludovici & Lotharii, *quatuor ſimul ſynodos imperat, Moguntiæ unam, alteram Pariſiis*, item *Lugdunenſem & Tholoſanam*, ut ex eodem tom. concil. tertio & *Aimoino* l. 5. conſtat. *Meldenſe* a Carolo juniore ſeu Calvo a. Ch. DCCCXLV. *Valentinum* a Lothario, a DCCCLV. *Wormatienſe* a Ludovico II. *Triburienſe* ab Arnulpho, *Erffordienſe* ab Henrico Aucupe, leguntur convocata. Otto I. *Romæ* congregata ſynodo. Joannem XIII. Papam depoſuit & in ejus locum Leonem ſurrogavit, ut *Regino* l. 2. *Platina* in Joanne XIII. *Luitprandus*, aliique annotarunt.

XII.

Nec alios minus, partibus illis, romano imperio ereptis, imperantes reges.

Ita Vandalorum in Africa reges, poſtquam ea potiti ſunt, hoc jus ſibi vindicaverunt, ut teſtatur *notitia vetus* provinciarum & civitatum Africæ, a *Sirmondo* edita, in qua continentur *nomina Epiſcoporum Catholicorum, diverſarum provinciarum, qui Carthaginem ex præcepto regali venerunt, pro reddenda ratione fidei, anno VI. regis Hunerici.* Primi Francorum reges, per eandem poteſtatem plurimas ſynodos in diverſis Galliarum civitatibus coëgere *Aurelianenſe* I. Clodoveus indixit, ipſiſmet concilii Patribus id affirmantibus, in reſcripto ſynodi capit. 2. ubi regem ſic alloquuntur; *Quia tanta ad religionis catholicæ cultum glorioſæ fidei cura vos excitat, ut ſacerdotalis mentis affectu, ſacerdotes de rebus neceſſariis tractaturos in unum colligi juſſeritis, ſecundum veſtræ voluntа-*

luntatis conſultationem, & titulos, quos dediſtis, ea, quæ nobis viſa ſunt, definitione reſpondimus. tom. 2. concil. p. 372. Idem *clypiacenſe* convocavit teſte Aimoino l. 4. c. 41. *Arvernenſi* concilio Theodebertus *congregationis tribuit poteſtatem* tom. 2. p. 633. *Turonica 2. juxta conniventiam glorioſiſſimi Domini Chariberti annuentis dicitur coadunata.* Ib. p. 642. *Aurelianenſe V.* Childebertus Rex imperavit, ut docemur p. 560. & *Pictavienſe*, ut *Gregorius Turonenſis* refert. l. 10. c. 11. *Toletanum III.* Reccaredus Hiſpaniæ Rex, a. DLXXXII, dicto conc. tomo p. 668. de quo can. 1. *Glorioſiſſimus princeps omnes regiminis ſui pontifices in unum convenire mandavit.* Duo *Bracarenſia* ex præcepio Ariamiri Regis; nec non novem alia Toletana, celebrata leguntur ex *præſcripto, imperio, juſſu, decreto, nutu, ſanctione &c.* Regis, tom. 2. & tertio concil. *Matiſconenſe I. & II. ex evocatione Guntramni Regis* coiit, ut acta referunt tom. 2. p. 678. *Tertium* vero a Clothario fuit indictum, Baron. tom. 8. anno 617. n. 8. 9. Quin ipſe Gregorius Rom. eam poteſtatem in Theodorico Franciæ Rege agnovit, quando eum epiſtol. 54. l. 9. hortatur ad ſynodum habendam. *Veſtra*, inquit, *excellentia, Dei noſtri mandatis inhærens, ſtudium ad congregandam ſynodum pro ſua mercede adhibere dignetur, ut omne a ſacerdotibus corporale vitium --- poteſtatis veſtræ imminente cenſura, & concilii definitione tollatur, & abſciſſum a radicibus amputetur.* Et diſertius epiſt. præcedente: *Iterata vos pro veſtra mercede adhortatione pulſamus, ut congregari ſynodum jubeatis.*

XIII.

Hodie Rom. Pontifex injuſte idipſum ſolus ſibi arrogat.

Quasnam partes tam Orientis quam Occidentis, Impp tum etiam Reges in ſua republica, circa conciliorum convocationem habuerint, ex dictis abunde conſtat. Nihilominus tamen, neſcio quid, oggannium Papolatræ, dum ſuo numini ſemper hæc competiiſſe, in iſta luce temporum & hominum, palam audent ementiri. Sic *Coehlaus* in libro de conciliis, ſic *Jacobatius*, *Bellarminus*, *Azorius*, cæterique *Pontificii* omnes. Argumenta horum egregia, ſi dîs placet, hic non examinamus; hoc tantum dicimus: Si quid juris hac in re Papa obtineat, neceſſario id ipſum aut divina, aut humana auctoritate ad illum perveniſſe. Sed non divina; quia nusquam e novi teſtamenti verbis tale quid poteſt erui. Illud *paſce oves meas*, quod pro ea aſſerenda ad ravim usque ingeminant, nihil evincit. Paſcere enim, docere eſt, non imperium habere, ſicut recte cum aliis explicat Nonnus, ἄρνας ἐμὰς ποίμαινε σαόφρονας ἄνθεσι βίβλων, id eſt, *Paſcito Petre meos ſcripturæ floribus agnos.* Quod ſi ſummum in eccleſiaſticis tribunal civili poteſtati eripere, & ad Petrum devolvere Chriſtus voluiſſet, expreſſis magis verbis, utpote in maximi momenti re, ſententiam ſuam declaraſſet. Sed poſito, quod Petro talis poteſtas fuerit conceſſa, (in quod tamen minime conſentimus) quid vero hoc ad romanum pontificem? maxime cum viri præclari ſatis, inter quos nuper etiam magnus Salmaſius *in appar. ad tract. de prim. Papæ* multis & gravibus argumentis, *Petrum nunquam Romæ fuiſſe*, docuerint. Ubicunque ſane imperio opus eſt per vim cogente ac jubente, quo profecto in conciliis quoque, nihil iſthic juris habent verbi divini miniſtri, in quibus olim etiam ipſe Papa, utpote cui cum omnibus ab ipſo *Petro* dictum ſit 1. Epiſt. V. 3. *Paſcite Dei gregem, qui penes vos eſt, non ut dominantes cleris.* Humana vero auctoritate Papam hoc accepiſſe, nec ejus aſſeclæ conceſſerint, & veteris eccleſiæ conſuetudo refutat. Locum & tempus Impp. conſtituebant, perſonas, quas adeſſe vel abeſſe volebant, nominare conſueverant, ut in ſuperioribus oſtenſum. *Quo pacto vero non ſit turpe, Epiſcopum eo ambitioſe affectare, quibus par eſt, regem ipſum gloriari*, inquit eleganter *Nilus.* Verba ejus μᾶλλον δὲ πῶς ἐκ ἂν αἰσχύνη, ἀπὸ τέτων τὸν ἱερέα καὶ φιλοτιμεῖσθαι, ἀφ' ὧν ἐςὶ μέγα καὶ τὸν βασιλέα φρονεῖν, *2. de primatu Papæ.* Licet enim non negemus, Papam, pro nova illa dominatione, quam ſibi comparavit, ut alium quemvis principem, vi coactiva pollentem, concilia ſuæ ditionis poſſe convocare; tamen prout romanus eſt Patriarcha, & Petri ſucceſſor vult ſalutari, univerſale aliquod totius occidentis concilium non aliter congregare poterit, quam permiſſione tot regum ac principum, qui ut in poſſeſſione ſunt priſci illius imperii, ita quoque juribus priſcorum Impp. gaudent: & ſic nihilominus ab hiſce conciliorum pendebit coactio.

XIV.

Patriarchæ quidem & Metropolitæ idem in ſuis diœceſibus & provinciis uſurparunt, ſed permiſſu, imo mandato, ſummæ illius poteſtatis.

Cum ſynodorum convocatio perſæpe ſub diverſo eccleſiæ gubernandi modo variarit, ut plane & perſpicue omnia, haud abs re erit, de eccleſiaſtico regimine paucula hic intexere. Certum vero eſt ex ſacris literis, Apoſtolorum neminem præcepto divino ſuperiorem cæteris conſtitutum. Nec epiſcopos ac presbyteros, qui ab hiſce ad eccleſiam regendam aſſumebantur, ab iisdem diſtinctos. Unde *Hieronymus* in epiſt. ad Tit. I, 5. *In actibus Apoſtolorum ſcriptum eſt*, inquit, *quod cum veniſſet Apoſtolus militum, miſerit Epheſum, & vocaverit presbyteros eccleſiæ ejusdem, quibus poſtea inter cætera* ſit locutus; Attendite vobis & omni gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos, paſcere eccleſiam Domini, quam acquiſivit per ſanguinem ſuum. *Et hoc diligentius obſervate, quomodo unius civitatis Epheſi presbyteros vocans, eosdem epiſcopos dixerit &c.* Haud ergo operoſe probare neceſſum eſt, commune fuiſſe primitus presbyteris omnibus epiſcopi nomen, (quod *inſpectorem* proprie) cum ea vox multo etiam latius in profanis ſcriptoribus; quæ de *Rittershuſius* ad Novell. part. 1. c. 7. Obtinuiſſe vero ſic ſtatim apoſtolicis temporibus videtur, ut unus inter presbyteros, qui honore præ cæteris eminebat, κατ' ἐξοχὴν diceretur epiſcopus. Talem in alexandrina eccleſia conſtituit electio, *ubi a Marco Evangeliſta ad Heraclem & Dionyſium usque* (medio hic ſeculo III.) *presbyteri ſemper unum ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum*

locatum epiſcopum nominabant, atteſtante *Hieronymo* Epiſt. 85. ad Evagrium ordinis primatus, ſeu ἐκ τοῦ χρόνου τάξις, quæ ex ordinationis tempore, aliis in locis ſervabatur, nt primo moriente, ſequens locum ejus occuparet, ultimus in electione, ultimum locum teneret; ſeu ut breviter *auctor commentariorum* in epiſt. ad Epheſ. 4. qui *Ambroſius* vulgo: *recedente uno, ſequens ei ſuccederet.* Alibi aliter fortaſſis. Hinc epiſcoporum catalogi apud Irenæum, Euſebium, alios, qui omnes ab Apoſtolica ætate incipiunt. Verum hic primatus nihil ultra merum honorem, *æqualiter inter plures eccleſiæ cura diviſa.* Nnllus igitur, ſi abblandiens aliquis error concilium poſcere videretur, auctoritative, ut ita loquar, idipſum poterat congregare, niſi forte auctoritas illa, tam a fidelium multitudine, quam a reliquis ſuæ gentis compresbyteris, ſibi foret conceſſa. Nec enim Apoſtoli, aliique Actor. XV. per aliquem e ſuo numero convocati legnntur, ſed ſolum, *quod convenerint Apoſtoli & presbyteri, videre* de verbo hoc; qui mos ſine dnbio hiſce defunctis aliquamdiu remanſit. *In toto deinceps orbe decretum eſt, ut unus de presbyteris electus, ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis eccleſiæ cura pertineret*, inquit *Hieronymus* in epiſtola ad Titum. Cauſam idem indicat epiſt. ad Evagrium, *in ſchiſmatis ſcilicet remedium factum eſſe; ne unusquisque ad ſe trahens Chriſti eccleſiam, rumperet.* Aliam, quæ alibi dubio procul, *auctor. comment.* in epiſt. ad Epheſ. *quia cœperunt ſequentes presbyteri indigni inveniri ad primatus tenendos, immutata eſt ratio, proſpiciente concilio, ut non ordo, ſed meritum crearet epiſcopum, multorum ſacerdotum judicio conſtitutum, ne indignus temere uſurparet, & eſſet multis ſcandalum.* Eligebatur itaque epiſcopus, cujus & eruditio, & ſpectata probitas, id videbantur promereri. Poteſtas major ita promoto tribnebatur, & ad unum omnis ſollicitudo ſpectabat. Cœpit hoc ſeculo poſt natum Chriſtum ſecundo, quamquam alibi fortean ſerius, vel minus ſero, prout eccleſiæ ſalus flagitaret. Si ergo alicujus momenti quæſtio incideret, quisque epiſcopus presbyteris ſuis & ſenioribus congregatis, poterat dubium illud decidere. Auſus vero aliquis erat fidem toto orbe approbatam vel leviter inflectere, nemo indicendi concilii poteſtatem ſibi ſumebat, ſed epiſcopi omnes pro ardore illo, quo in redemtorem ſuum ferebantur, ſponte confluebant, loco, qui omnibus placuerat, nec prius quieſcebant, quam de medio malum ſuſtuliſſent, & ſecuritati ovium Chriſti preſpexiſſent. *Sic fideles per Aſiam ſæpe canveniebant ex multis Aſiæ locis, ac nuper natas controverſias examinabant, & profanas pronuntiabant, hæreſesque reprobantes eccleſia ejiciebant & excommunicabant*, teſte *Euſebio* hiſt. Eccleſ. l. 5. c. 14. Hæc priſcæ eccleſiæ praxis erat, niſi quando perſecutionibus prohibebantur, alias non obſtante ullo imperiali edicto. Erant tum in freqnenti uſu literæ, quæ dicuntur *eccleſiaſticæ, communicatoriæ, formatæ*, Græcis κανονικαὶ, εἰρηνικαὶ, κυστατικαὶ, quas epiſcopi orientis & occidentis, tanquam fidei ſuæ teſſeras, invicem mittebant, ut earum communione ſocietatem ejusdem religionis, & ut loquitur *Tertullianus* de præſcript. c. 20. *communionem pacis & conteſſerationem hoſpitalitatis* oſtenderent. Non erat, qui ſe caput eccleſiæ jactaret, ſed ſolus Chriſtus unicum ſolum caput agnoſcebatur. Epiſcopi, ſingulis eccleſiis præfecti, cum ſuis presbyteriis, & propriam ſibi quisque peculiari cura, & univerſam omnes in commune regentes, optimam ariſtocratiæ formam referebant. *Nemo vim cuiquam faciebat, aut legem dabat, ſed habebat in eccleſiæ adminiſtratione* (verbis utor *Cypriani* epiſt. 72. ad Stephanum epiſc. romanum) *valuntatis ſuæ arbitrium unusquisque præpoſitus*, (epiſcopos) *rationem actus ſui domino redditurus.* Honor vero præ cæteris habebatur illis ſedibus, in quibus *Apoſtoli ipſi aut docuiſſent, aut doctrinam tum ſanguine ſuo profudiſſent, & apud quas ipſæ authenticæ literæ eorum recitabantur, ſonantes vocem & repræſentantes faciem uniuscujusque, uti Tertullianus* libri ejus, quem modo citavimus, cap. 36. Quas inter cum caput efferret civitas dominatrix Roma

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi,

ut poëta canit; ejus epiſcopo cæteri omnes primas haud invito detulerunt; ſed tamen, ut fratrem haberent, fratrem nominarent; non Pontificem Opt. Max. non Dominum Deum noſtrum, ut hodierni paraſitæ. Mos deinde invaluit, ut ſingularum provinciarum epiſcopi, qui ante omnes ſui juris, Metropoleos ſuæ Epiſcopum primum ſibi conſtituerent, ab eoque conſilia, ſi quid dubii ſuboriretur, peterent. Confluebant in metropoli totius provinciæ negotia, Præſide de civilibus ibidem reſpondente, quod anſam huic indubie. Sed honoris potius, quam poteſtatis hæc primum prærogativa. Temporis progreſſu, in legem abiit, quod initio gratuitum erat. Confirmatus nempe is honor in nicæna ſynodo, imo poteſtas addita, eccleſiæque negotia devoluta ad metropolitani unius arbitrium. Sic tamen, ut nihil absque comprovincialium conſenſu, neque hi absque illius. Concilia *provincialia*, quæ vocant, ille ſolus indicebat, imo bis quotannis tenebatur, itidemque præſidebat. Omnes autem Metropolitani æquales erant, omnium æqualis poteſtas. Urbium ſplendor honoris primatum quibusd. conciliabat ante cæteros Metropolitas, (τῆς τιμῆς πρεσβεῖαν Nicænus vocat canon) quo præ reliquis *Romanus, Alexandrinus, Antiochenus & Hieroſalymitanus.* Additus poſt a II. oecumenica *conſtantinopolitanus*, quod νέας Ῥώμης eſſet epiſcopus. Præcipua eorum dignitas prima ſeſſio in ſynodis, ſi quando oecumenicæ ab Impp. cogebantur, iisdem primi ſubſcribebant. Sed imperio in diœceſes diviſo, & creſcente indies ut opibus, ita ambitione eccleſia, hæc quoque τὰς πολιτικὰς καὶ δημοσίας τύπους eſt ſecuta. Novum ſcilicet jus hiſce, quos jam nominavimus, epiſcopis accrevit, ex civitatum & diœceſeon, quibus præerant, amplitudine. Ordinabant metropolitas, concilia, quæ *plenaria & diœceſana*, ſi neceſſitas exigeret, cogebant, adeoque ſummum penes eos rerum eccleſiaſticarum tribunal. Dicebantur ἔξαρχοι διοικήσεων, πατριάρχαι, οἰκουμενικοὶ ἐπίσκοποι, quod in urbibus illis ſedem, quæ τῆς οἰκουμένης eſſent metropoles. Nemo vero ex illis jus majus habebat,

bat, licet romanus ſummum ſemper dignitatis gradum. Quæ πρεσβεῖα ſive, ut Dionyſius vertit, privilegia. *Διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην, οἱ πατέρες εἰκότως ἀποδεδώκασι, jure patres tribuere, quod urbs illa imperaret*, ut chalcedonenſis canon. XXVIII. Unde & Juſtinianus, cum vicem legum obtinere voluiſſet regulas, a ſanctis quatuor ſynodis expoſitas: *Ideaque ſancimus*, pergit, *ſecundum earum definitionem ſanctiſſimum ſenioris Romæ Papam, primum eſſe omnium Epiſcopum.* Primus igitur erat non poteſtate, ſed dignitate; neque id inſtituto divino, ſed quoniam Patribus, imo Imperatori, qui Patrum dein decreta confirmabat, ita eſſet collibitum. Eoque male concludit *Bellarminus*, in tali argumento: *Concilia provincialia convocantur a metropolita, nationalia a primatibus, ergo generalia a Papa.* Imperatores enim, (*ex quorum nutu ab illo tempore, quo Conſtantini eſſe cœperunt, eccleſiæ negotia pependere*, ut *Socrates* nos ante) cum ob imperii magnitudinem non poſſent eccleſiaſticis æque ac civilibus invigilare, partem curæ ſacræ in metropolitas & exarchos tranſtulere: Non aliter ac in civilibus ſumma poteſtas hinc inde judices conſtituit, quorum arbitrio imperii negotia committuntur, nihilominus apud ſe reſidente ſuprema jurisdictione. Illi ergo ex officio & mandato Imperatorum exſequi tenebantur, quicquid in conciliorum congregatione, & cauſarum deciſione præſtabant. Secus facientes, juxta canonum præſcripta in ordinem cogebantur. Oecumenicorum vero convocatio ſemper ab Impp. facta, quamdiu œcumenicum penes eos Imperium; non Papa romanus, vel alius quispiam hoc ſibi arrogabat, ut in ſuperioribus prolixe. Et quomodo auderet, cum nulla cuiquam extra diœceſin ſuam jurisdictio? Certe ſi ulla romano Papæ in concilia œcumenica poteſtas: Patres, qui tam ſolliciti in determinando Metropolitanorum, & ἐξάρχων jure fuere, id nunquam ſilentio prætermiſiſſent.

XV.

Hodie ſi plenarium aliquod Germaniæ eſſet cogendum, & cæſaris & ordinum mandato id fieri deberet.

Non minus inepte faciunt, qui œcumenicorum convocationem hodierno Imperatori aſſignant, quam qui ex romanorum civili jure œcumenicum imperium, adeoque priſca Imperatorum jura, eidem aſſertum eunt. Dicebatur quondam oecumenicum, ut ſupra quoque dictum, non quod τὴν οἰκουμένην, ſeu univerſum orbem, ſed cultiſſimam potius orbis habitabilis partem, in ſe comprehenderet. Eadem ſignificatione œcumenicæ dicebantur ſynodi, quæ ex Orientis & Occidentis provinciis, romano nomini addictis, eſſent collectæ. Sed quid Imperatori germanico cum oriente? Ne Occidentis quidem (ut olim erat) quicquam fere poſſidet, omni Hiſpania, Gallia, Anglia, & quod magis Italia urbeque ipſa ſibi viventibus. Atqui cum Germaniæ hinc citius Rex, quam romanorum Imperator audiat; ſequitur, non œcumenicum, ſed plenarium rectius dici, quod hodie in imperio noſtro romano-germanico poteſt congregari. Conciliorum vero convocandorum poteſtatem ab aliquot ſeculis paſſi ſibi ſunt eripi Reges & Principes per romanum Pontificem. Saltem ex quo clerum, divinæ legis privilegio omni civili jurisdictioni exemptum, totum ab uno Papa pendere, hunc item Chriſti vicarium eſſe ac viſibile eccleſiæ caput, ſuperſtitioſe nimis eſſet creditum. Idem ne provincialia quidem in occidente a metropolitis cogi permiſit, niſi ſuo prius impetrato conſenſu: quæ propterea in tantum intermiſſa ſunt, ut ſuo jam tempore, ſeculo nempe XII, queratur *Zonaras*: νῦν δὲ τὸ τῶν συνόδων τούτων πάντη καταπεφρόνηται, ὡς μηδέποτε γίνεσθαι. *Noſtris temporibus ſynodorum ratio ejusque negligitur, ut eæ omnibus omnino locis haberi deſierint*, ad can. V. concil. Nicæni, & alibi paſſim. Quantum hoc profuerit Pontificis dominatui, meum non eſt his prolixe tractare. Non tamen puto vel Imperatorem hodiernum, vel Galliæ Regem, in plenario aliquo regni concilio convocando opem Papæ implorare teneri. Sane *cum in imperio romano religionis curatio per tranſactionem paſſavienſem ad comitia tranſierit, Cæſaris ſimul & ſtatuum erit conciliorum in imperio convocatio*, teſte *Lampadio* de republ. rom. germ. c. 12. n. 11.

XVI.

Etiam hoc ad ſummam poteſtatem pertinet, in externis præſidere ſynodis, & cauſas tractandas, modumque tractandi præſcribere.

Præſidii, ſeu, ut communiter, Præſidentiæ vox nihil aliud hic innuit, quam moderationem actuum concilii. Quæ cum vel τὰ εἴσω τῆς ἐκκλησίας, interna eccleſiæ & doctrinam ipſam, vel τὰ ἔξω, ſive externa, & quæ ad juſtum ordinem faciunt, reſpiciat; illorum moderatorem epiſcopum in ſacris literis eruditum facimus, horum vero temperamentum ſummæ poteſtati reſervamus. Ut enim ſe habet convocatio ad concilium, ſic & hac in parte præſidendi munus; utrumque inter externa religionis eſt, utrumque pars τῆς ἐξουσίας ὑπερεχούσης, cui omnis anima debet eſſe ſubjecta, ut *Paulus* loquitur, Rom. 13, 1. Hujus namque, & non epiſcoporum eſt, quatenus epiſcopi ſunt, ex jurisdictione coactiva omnia ex ordine collocare, & pœnas temeritati debitas a turbulentis repetere. In hiſce officio ſuo præclare functus eſt *Conſtantinus*, qui *Epiſcopis* in *nicæno* oecumenico I. congregatis, *in ſella ex auro fabricata, ſummo loco aſſedit, ibique orationem hortatoriam habere cœpit, qua illos ad conſenſionem animorum & concordiam commoveret*, referentibus Euſebio de vita Conſtant. l. 3. c. 10. *Socrate* l. 1. c. 5. *Theodoreto* l. 1. c. 7. *Sozomeno* l. 1. c. 18. Idem ad tyrenſem ſynodum Dionyſium conſularem miſit, *ut omnium rerum eos admoneat: maxime vero, ut idem animadverſor ſit & cuſtos conſervandæ æquabilitatis & ordinis.* Euſebius in vita ejus l. 3. c. 42. Candidianum Comitem *Theodoſius* junior concilio *epheſino I.* adeſſe voluit, *ut ſubmoveat ex civitate inquietos* (verba ſunt literarum Theodoſii ad ſynodum in act. epheſinis, quæ hic merentur adſcribi) *qui turbare poſſent concilium, & proſpiciat, ne*

qua gravior diſſenſio, ex mutuo repugnandi ſtudio coorta, & ſava tempeſtatis inſtar debachata, ſanctiſſima ſynodi conſultationem exactioremque veritatis indagationem, quovis modo obturbet, tum denique det operam ſedulam, ut omnibus & ſingulis, qua dicuntur, rite perceptis; ſinguli inoffenſo, quod viſum fuerit, in medium proponere, vel ab aliis propoſitum, ſi opus fuerit, refutare queant. De altero Epheſino, *commonitorium* extat ejusdem Theodoſii ad Elpidium Comitem ſacri conſiſtorii, & Eulogium tribunum & notarium, *Vos*, ait, *elegimus ad miniſterium fidei, ſicut probatos, & valentes diligenter noſtris juſſionibus miniſtrare; & de iis, qua a ſancta ſynodo Epheſi fuerint conſtituta, & nullum tumultum permittere. Sed ſi quem viderint conturbationibus & tumultui ſtudentem, ad laſionem ſancta fidei, hunc cuſtodia mancipare, & ad noſtram perferre notitiam. Et cauſam quidem ordine provenire: intereſſe autem judicio, & operam dare, celerem & circumſpectam probationem a ſancta ſynodo fieri, & nobis cognitam facere.* Actione I. concil. chalcedonenſis. In hoc *Martianus* Imp. primus alloquitur ſynodum; *Nobis*, inquit, *omne ſtudium adhibendum eſt, ut populum propter veram ſanctamque doctrinam idipſum ſentientem uni recte applicare eccleſia, & ideo veram fidem catholicamque etiam exponere, veſtra properet reverentia.* Vetat ibidem aliter de nativitate Salvatoris diſputare, quam nicæna fides dictitaret. Nec ſequentium trium, vel quatuor ſynodorum, quæ univerſalibus vulgariter annumerari ſolent, teſtimoniis deſtitueremur, ni brevitati ſtuderemus. Suffecerint, quæ veritas tam evidens *Cuſanum Cardinalem* coëgit fateri: *In univerſalibus olle conciliis, ubi Imperatores interfuerunt, & non Papa, Imperatores & judices ſuos cum ſenatu primatum habuiſſe, & efficum præſidentia per interlocutiones, & ex conſenſu ſynodi concluſiones, & judicium feciſſe*; quemadmodum ſcribit III. de concord. Cathol. c. XVI. Et tantum de præſidentia in externis.

XVII.

Eidem & naturali & divino jure judicium in ſynodis competit.

Falſiſſima eſt Pontificiorum doctrina, quæ extra eccleſiaſticum ordinem conſtitutos, (qui *laici* vulgo) brutorum inſtar ſacerdotum vocibus vult alligatos, ſive recte doceant, ſive non. Ita *Bellarminus*, comparationem inſtituens inter oves & paſtores, l. 1. de concil. & eccleſ. c. 15. & l. de ſummo Pontif. c. 7. Commentum ſane cleri dominationi utiliſſimum, & jam olim in officina pontificia procuſum, ut quos nec vitæ integritas, nec eruditio, ne vulgaris quidem, commendabat, tamen in gratia & veneratione eſſent, ſi ſoli prudentia de eccleſiaſticis reſpondendi pollere viderentur. Annon vero & laici *vetantur omni credere ſpiritui, ſed probare ſpiritus, num ex Deo ſint*, 1. Joan. 4. 1. Num & hi jubentur *probare omnia, quod bonum eſt, tenere*, 1 Theſſal. 5, 21? Quod ſi omnia tenentur probare; quis in concilio judicium laico derogabit, præſertim, ſi ſcripturæ ſit intelligens? Non omnino male proinde Marſilius Patavinus: *Ad hanc congregationem* (concilium ſcilicet) *fideles omnes obligantur, licet diverſimode. Sacerdotes quidem, eo quod eorum ſit legem docere ſecundum ipſius verum ſenſum, & ea procurare, qua ad ipſius ſinceritatem proficere poſſint, errores contrarios reprobare, ab ipſis quoque ſuis exhortationibus, argutionibus, increpationibus, homines revocare: propter quod in perſona omnium Apoſtolorum loquens Apoſtolus 1. Cor. 9. dicebat*; Neceſſitas mihi incumbit, væ mihi, ſi non evangelizavero. *Obligantur autem ſacerdotibus, conſequenter amplius reliqua multitudine, qui periti fuerint in lege divina, debent enim his aliquot excitare & convenire ſacerdotibus, præſertim ſi ſufficienter, ad hac requiſiti fuerint vel mandati. Quoniam ſcienti facere bonum, & non facienti, peccatum eſt illi*, ut ſcribitur Jacob. 4. Hæc *Marſilius*, loco, quem ante citavimus. Si vero cuivis laico ſacræ literæ hoc impertiuntur, cui etiam ipſa naturæ lex veritatis inquiſitionem demandat: multo magis id Principi vel ſummæ poteſtati liberum erit, cui ſingulari mandato Deus injungit, *ut exemplum legis ſibi ipſi deſcribat, idque penes ſe habeat, legatque omnibus diebus vita ſua.* Deuteron. 17, v. 18. Agnovit hoc ex parte ipſemet Nicolaus I. Papa epiſt. 8. ad Michaelem Imperatorem, quando ait: *Ubinam legiſtis, Imperatores anteceſſores veſtros in ſynodalibus conventibus interfuiſſe? niſi forſitan in quibus de fide tractatum eſt, qua univerſalis eſt, qua omnium communis eſt, qua non ſolum ad clericos, verum etiam ad laicos, & ad omnes omnino pertinet chriſtianos.* Maxime ergo proderit concilio auguſta regis præſentia, non tam ad cohibendam turbulentorum temeritatem, quam exactius ſtudium inquirendæ veritatis: Magno profecto cum eccleſiæ emolumento nicænæ ſynodo interfuit Conſtantinus, *qui in media epiſcoporum frequentia ac congreſſu adeſſe non dedignatus.* Οἷα τις κοινὸς ἐπίσκοπος ἐκ θεοῦ καθιστάμενος *tanquam communis a Deo epiſcopus conſtitutus*, κοινωνὸς *fuit* τῶν ἐπισκοπουμένων, *easque res, qua ad divinam pacem ſpectabant, omnibus procuravit*, ut *Euſebius* prodit in vita ejus lib. 1. c. 37. *Evangelici enim & Apoſtolici libri, nec non antiquorum Prophetarum oracula, plane inſtruunt nos*, inquit, ſenſu numinis (verba hæc *Theodoreti* l. 1. c. 7.) *Proinde hoſtili poſita diſcordia, ſumamus ex dictis divini ſpiritus explicationes quaſtionum. Utriusque vero partis rationibus*, ut (*Sozomenus* ſcribit l. 1. c. 19.) *non attentas ſolum, verum & patientes aures prabuit; atque ut his, qui benedixerunt, aſſenſus eſt: Sic illos, qui certandi ſtudio ducebantur a contentione avocavit: cum ſingulis denique, quatenus eorum ſermonem aſſequi & intelligere poterat, (nam ne graca quidem lingua ignarus fuit) eatenus benigne ac placide diſſeruit.* Arctius utinam optimi parentis veſtigia filius *Conſtantius* preſſiſſet, nec munus hoc plane in alios rejeciſſet, non tam per imprudentiam & præter voluntatem factus mancipium arianæ libidinis, nec eccleſia in tantum periculum, & extremum pene diſcrimen eſſet adducta. Neque tamen nullos penitus reliquit ſectatores; ſed *Theodoſius*, major ille, in Conſtantinopolitano I. idem munus arripuit, *Cum enim in regia adeſſet epiſcoporum concilium, ipſe blande cunctis appellatis, ut de propoſitis rebus veluti patres conſulerent, in medium hortatus eſt*, teſtificante id Theodoreto lib. 5. cap. 7. *Ab eodem Imperatore & Epiſcopis, qui eandem cum eo amplexabantur, modis omnibus laboratum fuit,*

Digitized by Google

fuit, ut Eleuſium (Epiſcopum partis Macedonianæ) *cum ſuis ad concordiam fidei adducerent* Auctor Socrates l. 5. c. 8, in Chalcedonenſi ſynodo oecumenica IV. Martianus *Imp. præſens fuit, & orationes aliquot*, ſi Evagrio credimus, *in eadem habuit* l. 2. c. 4. & 18. Illo abſente, *principes & ſenatores, qui medio inter Epiſcopos loco conſedere, vicem ejus leguntur impleſſe;* ſic tamen, ut ſuffragia ferentes, ſemper adderent: *φαίνεται ἡμῖν δίκαιον, εἰ παρασταίη τῷ θειοτάτῳ, καὶ εὐσεβεστάτῳ ἡμῶν δεσπότῃ, nobis juſtum videtur, modo ita placuerit diviniſſimo & ſanctiſſimo domino noſtro*, ut Evagr. d. l. Nicephor. l. 15. c. 4. & ſeqq. Iidem judices, cum major Epiſcoporum pars contenta eſſet dicere, duas eſſe in Chriſto naturas, nec quicquam ultra requirerent, conſulto Imperatore effecerunt, ut ad detegendas hæreticorum fraudes adderetur *ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, καὶ ἀχωρίστως, inconfuſe, inconvertibiliter, indiviſibiliter.* Et vero cum in præcedentibus aliquot ſynodis Impp. non adfuiſſe noſcuntur, ſtatim eo ipſo omnem religionis curam abjeciſſe ſunt putandi. Nonnulli enim *τῇ ἐπικρίσει* poſt ſynodum ſe integros ſervarunt, ſæpe per vicarios idem officium exercuerunt. Ac ut unum e multis; Conſtantio imperante, *in Seleucienſi ſynodo cum Epiſcopis centum & ſexaginta Leonas aderat, vir in aula Imp. perquam illuſtris: quo præſente, erat imperatoris edicto mandatum, ut de fide quæreretur*, ut Socrates refert l. 2. c. 31. Quod autem per alios facimus, quibus auctoritatem noſtram elargimur, ejusdem & nos ſummo jure cenſemur effectores.

XVIII.

Maxime vero ſummæ poteſtatis eſt, judicare de ſynodis, earumque acta confirmare.

Duo præcipue in conciliis tractari, tum quæ fidem & doctrinam ipſam, tum quæ mores & diſciplinam eccleſiaſticam concernunt, jam ante audivimus. Breviter item expoſuimus, judicium de hiſce in ſynodo optimo jure ſummo magiſtratui competere; quippe cum non minus eruditus in ſacris eſſe poſſit, quam alia quævis perſona eccleſiaſtica. *ἕκαστος δὲ κρίνει καλῶς ἃ γινώσκει, καὶ τούτων ἐστὶν ἀγαθὸς κριτής. Unusquisque recte judicat ea, quæ cognoſcit, atque eorum eſt optimus æſtimator*; ut bene monet *Ariſtot.* 1. Ethic. c. 3. Reſtat nunc, ut eundem poſt ſynodum actorum quæſitorem & judicem legitimum probemus. Ac ut de iis primum, quæ fidem; Synodos circa etiam certaſſe ſæpius, & adhuc per errorem labi poſſe, certum eſt. Errata vero illa, num quis putet, per ſummam poteſtatem divulganda & exequenda? An ſynodo fidem tribuere debebit, affirmanti ſe non erraſſe? Sed nullum erit concilium, quod hoc de ſe non dicat. Pontificiorum ineptias hic non moramur, qui omnem horum certitudinem ſuſpendunt a ſuo Papa examinanda ſcilicet ſecundum ſcripturæ canonem, *contra quem ſi quid ſtatuunt concilia, nefas eſt*, dicente *Hieronymo.* Cui vero potius convenit, non modo ratione juris, ſed officii, videre *εἰ κατὰ τὰς θείας γραφὰς συνέβησαν ἀλλήλοις* (ut de ſe *Conſtantius*) quam ſummæ poteſtati. Illud quidem judicium, quod ſynodus repræſentat & *directivum vel declarativum* poteſt appellari, omnes auctoritate antecellit; nec tamen præſcribere Principi vel credenda, vel non credenda, facultatem habet, cum hujus ſolum ſit imperare, cæterorum exequi. Neque obſtat ineptitudo ſummæ poteſtatis, ut quæ ſacræ ſcripturæ, ex cujus præſcripto de conciliis eſt judicandum, plerumque ſit imperita. Eadem enim ratione de civilibus judicandi copiam eidem ademeris, cum contingere poſſit, ut ſit *ἀπολιτικωτάτη.* Quid? ſi hæc ratio valeat, quo jure Pontificibus idem jus attribues? cum *conſtet, plures eorum adeo illiteratos eſſe, ut grammaticam penitus ignorent*, quemadmodum loquitur *Alfonſus de Caſtro Minorita* l. 1 adverſus hæreſes c. 4. Quo jure cæteris Epiſcopis judicium in ſynodis? cum hi ab aliquot ſeculis plus civilibus negotiis indulſerint, quam Evangelii prædicationi, ad quam ut plurimum fuere ineptiſſimi. Minime ergo confundenda aptitudo judicandi, cum jure judicii imperativi, quo ſummæ poteſtates pollent, cum aptiſſimus quisque non ſtatim jus iſtud habeat, aut qui per ſe aptus non eſt, judicium illud amittat. Quod regulas attinet politiæ ſacræ gratia a conciliis poſitas, nemo opinor tam bardus erit, qui dicat; poſſe aliquem recte fungi regio munere, & tamen non curare, quæ leges valere debeant in republica ſua, quæ non. Hoc enim ſummæ eſſet oſcitantiæ. Quod ſi iſte in civilibus neglectus ſummæ poteſtati vitio vertitur, multo magis in eccleſiaſticis, quanto nimirum ſacra præſtant profanis. Ejus ergo partes ſunt, diſpicere, an a ſynodo concepta, cum eccleſiæ emolumento conjuncta ſint, nec ne. Neque enim Epiſcopi leges in poſterum valituras idonei ſunt ſancire, cum omnis lex vim cogendi habeat, ipſi vero nec jus habeant cogendi, nec vim & efficaciam ſi velint; quam proinde ſuis etiam legibus non poſſunt impartire. Si vero tale judicium non relinquitur ei poteſtati, quæ inter homines ſumma eſt, hæc pedariis poterit annumerari, quibus pura tantum executio demandata, absque ulla cauſæ cognitione. Multum vero hoc detrahere ejus majeſtati, quis neget. Et *Διατυπώσεις* ergo, & canones ſuos, juſte quondam ſupremo Impp. ſubjecere judicio antiqua concilia, formula ſolenni adhibita, quam perfecte nobis exhibet *προσφωνητικός*, ſive dedicatoria Epiſtola (ut vulgata habet verſio) Conſtantinopolitani I. ad Theodoſium imperatorem. *Ἀποδιδόντες τῷ θεῷ τὴν ὀφειλομένην εὐχαριστίαν, ἀναγκαίως, καὶ τὰ γεγενημένα κατὰ τὴν ἁγίαν σύνοδον πρὸς τὴν σὴν εὐσέβειαν ἀναφέρομεν, καὶ ὅτι συνελθόντες εἰς τὴν κωνσταντινούπολιν κατὰ τὸ γράμμα τῆς σῆς εὐσεβείας, πρῶτον μὲν, ἀνενεωσάμεθα τὴν πρὸς ἀλλήλους ὁμόνοιαν ἔπειτα δὲ, καὶ συντόμους ὅρους ἐξεφωνήσαμεν, τήν τε τῶν πατέρων πίστιν τῶν ἐν Νικαίᾳ κυρώσαντες. καὶ τὰς κατ᾽ αὐτῆς ἐκφυείσας αἱρέσεις ἀναθεματίσαντες. πρὸς δὲ τούτοις, καὶ ὑπὲρ τῆς εὐταξίας τῶν ἐκκλησιῶν ῥητοὺς κανόνας ὡρίσαμεν, ἅπερ ἅπαντα τῷ δὲ ἡμῶν τῷ γράμματι ὑποτάξαμεν. δεόμεθα τοίνυν τῆς σῆς ἡμερότητος, γράμματι τῆς σῆς εὐσεβείας ἐπικυρωθῆναι τῆς συνόδου τὴν ψῆφον ἵνα ὥσπερ τοῖς τῆς κλήσεως γράμμασι τὴν ἐκκλησίαν τετίμηκας, οὕτω καὶ τῶν δοξάντων ἐπι-*

σφραγίσῃς τὸ τέλος. *Deo debitam gratiarum actionem dando, neceſſario, & quæ in ſancta ſynodo acciderunt, ad pietatem veſtram referimus. Et quia Conſtantinopolim convenimus ſecundum tenorem literarum pietatis veſtræ, primo quidem renovavimus noſtram invicem concordiam: deinde canones ſummatim repetivimus, & fidem patrum Nicææ congregatorum confirmavimus, & ab iis exploſas hæreſes anathemate percuſſimus. Ad hæc de ordinatione eccleſiarum, dictos canones edidimus: & ſingulos literis noſtris ſubjecimus. Quapropter clementiam tuam obnixe rogamus, ut literis pietatis tuæ, ſynodi decreta confirmes, & quemadmodum literis invitationis eccleſiam honore es proſecutus, ita & ſigillo confirmes & finem imponas.* De Nicænæ fidei confirmatione, *Socrates* l. 1. c. 5. *Imperator Conſtantinus fidem in Nicæna ſynodo ſtabilitam veritatem in ſe complecti, primus omnium teſtificatus eſt, ſeque eodem animo eſſe conſtanter aſſeruit, præcepitque, ut omnes eidem aſſentirentur, decretis ejusdem ſubſcriberent, effecitque, ut vox conſubſtantialis adderetur, quam vocem ipſe quoque explicavit.* Et Athanaſius, apud Theodoretum l. 2. c. 4. *accedens Conſtantem Imp. tum patrem ei revocavit in memoriam, tum ſynodum maximam ab eo congregatam,* καὶ ὡς τὰ παρ᾽ ἐκείνων γραφέντα, τῷ συνεδρίῳ κοινωνῶν ἐκράτυνε, *& quomodo ea, quæ ab ejus ſynodi patribus conſcripta erant, ipſe concilii particeps confirmavit.* Sic & Epheſina I. a Theodoſio minore & Valentiniano III. Impp. actis ſuis auctoritatem & firmamentum rogat. καταφεύγομεν, inquit, ἅπαντες ἐπὶ τὸ κράτος τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας δεόμενοι τὰ μὲν Νεστορίου πεπραγμένα, καὶ τῶν τὰ Νεστορίου φρονούντων ἔχειν τὴν ἰσχύν, τὰ δὲ περὶ τῶν ἐκδικούντων μένειν ἄπρακτα, καὶ ἀργά. Theodoſius vero ab hæreticis deceptus, placita ejus irrita infectaque eſſe jubet; omniaque de novo alteri Epheſino diſquirenda injungit, ſic enim in literis ad ſynodum: Vid. act. edit. Pelt. tom. 3. c. 17.) *Oportet omnia juxta Dei bene placitum, omni contentione ſecluſa, ſummeque veritatis ſtudio adhibito, excuti, ac tum demum a noſtra pietate confirmationem expectare.* In Chalcedonenſi, *conventu undecimo*, orant Imp. Martianum, *ut eorum, quæ poſt primum concilium Epheſinum, cui præſidebat ſanctus Cyrillus Alexandriæ, ratum fieret,* teſte Evagrio l. 2. ſub finem. Ipſe Martianus l. 4. C. de ſumm. Trinit. *per noſtra præcepta ſtatuta ſunt*, ait, *quæ de Chriſtiana fide a ſacerdotibus, qui Chalcedone convenerunt, definita eſſe noſcuntur*: graviterque ſe animadverſurum minatur in eum, *qui ſemel judicata ac recte diſpoſita revolvere ac publice diſputare contenderit.* Recitat item *Evagrius* l. 3. c. 18. a Felice III. Rom. Epiſcopo, miſſos ad Zenonem Imperatorem Utalianum & Miſinum Epiſcopos, *ut ejus auctoritate concilium Chalcedonenſe confirmaretur*: ἐφ᾽ ᾧ τὴν ἐν Χαλκηδόνι σύνοδον κρατεῖν. Agnovit idem jus in Imperatore Conſtantinopolitana ſynodus ſub Menna, Act. IV. *Ubi ſententia contra Anthimum prolata, poſt acclamationes, ſanctiſſimus Archiepiſcopus* (Menna) *dixit*: *Putamus charitatem veſtram non ignorare voluntatem & Zelum pii Imp. noſtri* (Juſtiniani I.) *quem habet ad orthodoxam fidem noſtram*; vid. p. 624. edit. Pariſ. 1618. καὶ προσήκει μηδὲν τῶν ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ κινουμένων παρὰ γνώμην αὐτοῦ, καὶ κέλευσιν γενέσθαι, *& nihil eorum, quæ in ſanctiſſima eccleſia movetur, convenit, fieri præter opinionem & juſſum ipſius.* Trullenſis ſynodus, illa quiniſexta, a Juſtiniano ῥινοτμήτῳ congregata, iisdem fere verbis canonum ſuorum confirmationem petit, quibus antea Conſtantinopolitanam I. diximus uſam. Ibidem *ſextæ Conſtantinopolitanæ* ſub Conſtantino Pogonato) *fidem, majorem ex eo firmitatem accepiſſe,* Patres affirmant, δι᾽ ὧν ὁ εὐσεβὴς βασιλεὺς σφραγῖσι τοὺς ταύτης τόμους κατησφαλίσατο πρὸς τὴν ἐν τῷ παντὶ αἰῶνι ἀσφάλειαν: *quod pius Imperator ejus deciſiones ſuo ſignaculo muniit, ad futuram ad omnia ſecula ſecuritatem, non amplius agitandam nec movendam.* Nonnunquam vero de integro concilii geſta Impp. coram ſe examinari & cognoſci voluerunt? ſed hoc minus frequenter. Et tamen Conſtantinus Magnus ad eum modum explorare voluit, quæ in Tyro acta fuerant. *Ut planum nobis fiat* (inquit in Epiſtola ad ſynodum ap. Socrat. l. 1. c. 22. Sozom. l. 1. c. 27.) *vosne qui ibi in unum convenistis, ullam veritatis curam duxeritis: deque rebus in diſceptationem vocatis, neque gratia alicujus, neque odio adducti ſententiam pronuntiaveritis, opus eſt - ut omnes, qui ad concilium Tyri actum convenistis, e veſtigio ad caſtra noſtra maturetis, reque ipſa veſtrum judicium æquum ſincerumque commonſtretis, me audiente; quem ingenuum Dei famulum eſſe vos ipſi non inficias iveritis.* Conſtantius, hujus filius juſſit, *ut ii, qui Nicæam conventuri eſſent*, (ſunt autem iidem, qui ob terræ motum Nicææ, poſt Seleuciæ & Armini convenerunt) *viginti ex ſuo numero ad ſe mitterent, & quæ decreta eſſent, ipſi exponerent, ad eum finem, ut ipſe non cognoſceret ſolum* εἰ κατὰ τὰς ἱερὰς γραφὰς συνέβησαν ἀλλήλοις, καὶ περὶ τῶν πρακτέων, ὅσα ἂν ἄριστα δοκῇ, ἐπιτελέσαι, *utrum convenienter ſcripturæ ſacræ inter ſe conſenſiſſent, verum etiam quid optimum facta videretur, decerneret,* narrante id Sozomeno l. 4. c. 16. Alias nec prius illud confirmationis genus occidentalibus Impp. penitus fuit ignoratum. Nam & Francofurtenſi ſynodo Carolus Magnus velut ἐπιστημονάρχης præſedit, ejusdemque acta confirmavit. Sic enim in Epiſt. ad Elipandum Toletanum Metropolitam: *Ecce ego veſtris petitionibus ſatisfaciens, congregationi ſacerdotum velut arbiter aſſedi. Diſcernimus & Deo donante diſcrevimus, quid eſſet de hac inquiſitione firmiter tenendum.* Quarta quoque Arelatenſis, ſub eodem Carolo celebrata, ſtatuta ſua ejusdem judicio ſubmittit, hiſce verbis: *Hæc ſub brevitate, quæ emendatione digna perſpeximus, quam ſeveriſſime annotavimus, & Domino Imp. præſentanda decrevimus poſcentes ejus clementiam, at ſi quid hic minus eſt, ejus prudentia ſuppleatur: ſi quid rationabiliter taxatum eſt, ejus adiutorio, divina annuente clementia, perficiatur.* Nec aliter *Cabilonenſis II. Moguntina 1.* & *Turonenſis* III. Concilium *Moguntinum* ſecundum & tertium, a Ludovico pio, *Aquisgranenſe*, a Pipino ejus filio confirmationem petiere & accepere. At dices; ſi tantopere requiritur Principis concurſus ad concilium rite inchoandum & perficiendum quare non & illa primorum trium ſeculorum eccleſia, ejus in omnibus conſenſum quæſivit, quare non ſuis etiam ſynodis confirmationem a Principe petiit. Aſt ſi navis aliqua nauclero deſtituatur, num propterea ſui conſervationem negliget? Sic & illa ἐν θλίψει eccleſia, legitimo rectore in externis deſti-

deſtituta, non ita ut volebat, ſed ut poterat, ſeſe ſuſtentabat. *Omnis ſiquidem natura ſibi propoſitum habet quaſi finem & extremum, ſe ut cuſtodiat in optimo ſui generis ſtatu*, ut optime Tullius 5. de fin. Perſecutores tum erant & idolatræ, qui imperii clavum, a quibus non poterat rogari alienæ religioni præſidium. Quod tamen, ceſſante perſecutione, quam anxie fuit quæſitum, quam curioſe item arreptum ab Impp. non amplius ſusque deque habita veræ religionis cura Eleganter propterea Auguſtinus Epiſtola 50. ad Bonifacium: *Quod dicunt, qui contra ſuas impietates leges conſtitui nolunt, non petiiſſe a Regibus terræ Apoſtolos talia, non conſiderant, aliud fuiſſe tunc tempus, & omnia ſuis temporibus agi. Quis enim tunc in Chriſtum crediderat Imperator, qui pro pietate contra impietatem leges ferendo ſerviret, quando adhuc illud propheticum complebatur:* quare fremuerunt gentes, &c. *nondum autem agebatur, quod paulo poſt in eodem Pſalmo dicitur:* & nunc reges intelligite, ſervite Domino, &c. *Quomodo ergo reges Domino ſerviunt in timore, niſi ea, quæ contra juſſa Domini fiunt, religioſa ſeveritate prohibendo atque plectendo? aliter enim ſervit quia homo eſt, aliter, quia etiam Rex eſt. Quia homo eſt ei ſervit vivendo fideliter; quia vero Rex eſt, ſervit leges iuſta præcipientes & contraria prohibentes convenienti vigore ſanciendo: ſicut ſervivit Ezechias, lucos & templa Idolorum & illa excisa, quæ contra Dei præcepta fuerant conſtructa, deſtruendo: ſicut ſervivit Joſias, talia & ipſe faciendo; ſicut ſervivit Rex Ninivitarum, univerſam civitatem ad placandum Dominum compellendo: ſicut ſervivit Darius: idolum frangendum in poteſtatem Danieli dandi, & inimicos ejus leonibus ingerendo, ſicut ſervivit Nebochodonoſor, omnes in regno ſuo poſitos a blaſphemando Deo lege terribili revocando. In hoc ergo ſerviunt Domino reges, in quantum ſunt reges, cum ea faciunt ad ſerviendum illi, quæ non poſſunt facere, niſi reges.* Non tamen & ii ſumus, qui omne religionis & conciliorum robur a ſumma poteſtate. Homines has eſſe ſcimus & erroribus id circo obnoxias. Adeoque non propter edictum, ab illa promulgatum, ſed propter verbum Dei, quod divinam in ſe autoritatem habet, & totius eccleſiæ conſenſum, ejus creditur teſtimonio. Cæterum, ſi fidei fundamenta Rex quatit; ſi aliam præcipiat fidem, quam a Prophetis & Apoſtolis divinitus revelata; num hujus leges reſcindere aut retractare cuiquam licet ſuperiore judicio? Non ſane: cum nullum ſit hoc ipſo ſuperius niſi ſolius Dei. *Hic ſive augeatur pax & diſciplina eccleſiæ per fideles Principes, ſive ſolvatur, ab eis rationem exiget, qui eorum poteſtati ſuam eccleſiam tradidit*, ut Iſidorus Hiſpalenſis ſent. 3. c. 51. Aſt non usque adeo parendum regi, ut fides abdicetur; nec enim quid vetat martyrem fieri, qui Chriſtianus eſt. Notum illud Liberii, cui cum Conſtans Imperator, *quota pars tu es orbis terrarum, qui ſolus facis cum homine ſcelerato* (Athanaſio nempe, fidem Nicænam amplectenti) *& orbis terrarum pacem diſſolvis? Non diminuitur*, inquit, *ſolitudine mea verbum fidei; nam & olim tres ſolum fuere, qui edicto reſiſterent* ap. Theodoret. l. 2. c. 16. Etenim *tum in ſacris, tum in profanis rebus, neque jubentia, neque vetantia præcepta, obligant ad agendum omittendumve aliquid, contra legem Dei ſive naturalem ſive poſitivam, ſed duntaxat ad patiendum, idque tum demum, ubi pœna evitari, niſi oppoſita vi non poteſt*, ut præclare ſummus quondam Vir Hugo Grotius, in opere poſthumo de Imper. ſummarum poteſt. circa ſacra, c. 5.

XIX.

Et præſidentiæ, & confirmationis munus, injuſte, ut debitum, ſibi tribuit Papa Romanus.

Illud quo melius ad Papam pertinere probet *Baronius* (loquimur autem hic de præſidentia in internis) concilium, ipſo Servatore præſente habitum confingit, cuius etiam theſi V. mentionem facit; in quo præſidis provinciam Petrum ſuſtinuiſſe, multis conatur oſtendere. Ratio ſane egregia, quæ ſi perſuadere, multis contentionibus præriperetur anſa. Nam ſi Chriſtus ipſe in concilio præſens, Petro Apoſtolo ſupremum conceſſit locum; ſi hanc diſcipulo prærogativam, ut ferret de fide ſententiam, quam ipſe poſt haberet ratam, dubitari deinceps haud poſſet, penes quem ſit in ſynodis præſidere & de fide pronunciare. Ita ad Petrum ejusque ſucceſſores omne religionis perveniret negotium. Sed collegium verius, quam ſynodum dici potuiſſe, quicquid ibi a Chriſto fuit inſtitutum, jam tum monuimus. Adeoque uno ictu concidunt, quæ tam bellæ argumentationi ſuperſtruxeris. Adde, quod nulla ſit conſequentiæ vis; ſi Petrus præſedit, idem jus, & quidem perpetuum, Papæ conceſſum eſſe. Quod de *Apoſtolorum ſynodo*, de qua Lucas in actis XV. rectius ex ea Jacobo præſidentiam aſſignaveris, quam Petro, cum hic quidem primus controverſiam, ille vero ſententiam ultimam ſeu deciſivam protulerit, *in qua omnes acquievere.* Hoc vero præſidis eſſe alios nimirum primo audire; & dein ſententiam definitivam pronunciare, cuivis manifeſtum eſt. Nec ſequentium ſeculorum hiſtoriam, fictæ Pontificum præſidentiæ facile invenias patronam. Magnæ illi & primæ Nicænæ *Hoſius* Cordubenſis Epiſcopus præſedit, *ejusque actis primus ſubſcripſit.* Tabula enim Bellarmini illud, quod Papæ Romani fuerit legatus vel τοποτηρητὴς, cum in omni antiquitate non plures *duobus presbyteris, Vito & Vincentio, illius locum ſuppleviſſe* reperias, vide Euſeb de vita Conſtantini l. 3. c. 7. Theodoretum l. 1. c. 7 Sozom. l. 1. cap. 16. Eundem Hoſium Sardicenſe Concilium Principem habuit ac moderatorem. Subſcriptiones enim, ut eas recenſet *Athanaſius* Apolog. 2. poſt literas ſynodicas ad Alexandrinos, ſunt hujusmodi: *Hoſius ab Hiſpania, Julius Romæ per Archidamum & Philoxenum presbyteros ſuos.* Eoque non immerito tali eum elogio mactat idem Athanaſius Apolog. de fuga ſua: *In qua ſynodo ille non dux & ante ſignanus fuit? quem non ille recta ſuendo in ſuam ſententiam pertraxit? quæ eccleſia illius præſidentiæ non pulcherrima monumenta retinet?* In Conſtantinopolitano I. Papa nec per ſe, nec per legatos adfuit, adeoque nec præſedit; ipſo Bellarmino fatente l. 1. de concil. c. 19. Nugæ vero, quibus abſentiam illam tentat excuſare, quod ſcilicet Damaſus aliam Romæ convocarit ſynodum, qua cum ſe conjunxerit Conſtantinopolitanum licet abſens: cum conſtet, Romanam illam ſequente demum anno coiiſſe. Expreſſe hoc Theodoretus

l. 5. c. 7. *Secuta*, inquit, *æſtate*, (poſt habitam ſynodum Conſtantinopolitanam Oecumenicam I.) *eodem* (Conſtantinopolin) *plurimi retrahentibus eccleſiaſticis negotiis redere, & allatas ab Occidentalibus Epiſcopis ſynodicas literas accepere, quibus invitabantur, ut Romam ad maximam, quæ ibi cogeretur, ſynodum, vellent venire. Epheſina I.* tertiæ œcumenicæ interfuit quidem Cœleſtinus, ſed per legatos Arcadium & Projectum Epiſcoporum & Philippum presbyterum, *quos ſe eo direxiſſe*, ait, *ut iis, quæ agantur interſint*, Epiſt. *ſynodali ap. Cyrillum* 7. Cyrillus vero Alexandriæ, ut qui doctrina excelleret, circa fidem ſeu interna concilium rexit, ut ex *Evagrio* l. 2. c. ult. & l. 8. C. *de heret. & Manichæis* conſtat. *Chalcedonenſe* demum, quartum illud generale, per legatos Leo I. moderatus eſt, utpote cujus ſingularis eruditio orbi Chriſtiano per Epiſtolam, adverſus Eutychen ad Flavianum de Chriſti incarnatione ſcriptam, innotuerat. Quod tamen in ſequentibus oecumenicis conciliis, ab Impp. congregatis, Papas obtinuiſſe, nulla in aliquibus, aut certe levia deprehendas monumenta, Unde pateſcit, quam gnaviter ejus aſſeclæ in aſtruendo Papali jure ſint imprudentes. Fingunt, depravant, quicquid volunt, & nihilominus cum omnia fecerunt, ſervi inutiles ſunt. Recurrendum nempe iis ad veterem ſuam cantilenam, qua Petro ſoli Chriſtum jurisdictionem in oves ſuas commiſiſſe, Papam item in omnibus Petro ſucceſſiſſe, ad nauſeam usque recantat. Omnia cum fuſe admodum examinarit & refutarit, ſtrenuus ille antiquitatis aſſertor M. *Antonius de Dominis*, illuſtri opere *de republ. eccleſiaſtica*, nobis hic ſufficiat ſimpliciter negaſſe. Poſſe autem Papam concilium quoad interna ſeu doctrinam moderari, nos non inficiamur, ſed ſi pius ſit, ſi in ſacris exercitatus, ſi orthodoxa fide imbutus, *non apotacticus, apotacticusve magis, quam Apoſtolicus*; quales longo tempore fuiſſe *Genebrardus* 4. ſuæ *Chronographiæ* ſub initium ſec. X. commemorat. Tum enim libenter illi primum in conciliis votum & προεδρίαν præ aliis largimur; iisdem moti rationibus, quibus olim patres, ob urbis ſcilicet imperatricis, in qua illi ſedes, dignitatem; non quod Petro, & conſequenter ſucceſſoribus ejus, tale quid ſingulari privilegio divino fuerit conceſſum. Judicium vero poſt ſynodos tum confirmationem earum ad Papam pertinere, directe impugnamus, cum nullum in univerſa antiquitate ejus probandæ teſtimonium. *Confirmandi* verbo patres ſæpius ad Romanos Pontifices uſos, non quidem inficias imus, ſed longe aliter eo intellecto, ac in epiſtolis ad Impp. conſignatis. Horum erat ſimul ſuo & ſubditorum nomine quaſi ultimam manum conciliis addere, & edicto promulgare. Unde Impp. Gratianus, Valentinianus & Theodoſius l. 1. C. de ſumm. Trinit. *Cunctos*, inquiunt, *populos, quos clementiæ noſtræ regit imperium, in tali volumus religione verſari. – Chriſtianorum Catholicorum nomen jubemus amplecti.* Sed quomodo hoc poterat Epiſcopus Romanus, qui paſtor erat? cui non dictum erat poetæ illud, *tu regere imperio populos.* Nihil aliud ergo patres ab eo valebant & petere, & expectare, quam conſenſum, quam approbationem, quam receptionem fidei in concilio ſtabilitæ. Magna auctoritas erat Patriarcharum in Romano imperio, eoque hoc deferri ſolebat eorum dignitati, ut ſi ipſi forſan ſynodo non intereſſent, conſenſum illorum per litteras explorarent. Cumque hos inter emineret Romæ Epiſcopus, hujus conſenſum præ cæteris expetebant. Sed ſi diſſentiret, non ideo ſtatim ad nihilum recidebant concilii acta. Ariminenſem ſynodum propterea rejiciendam putat Athanaſius, *quod decreta ejus contentione & vi expreſſa.* Epiſt. ad Afros ap. Theodoretum c. 23. l. 2. Ipſe Damaſus, capite præcedente eandem reprobat, *quod neque Romani Epiſcopi, cujus ante omnia ſententiam cognoſcere debuerunt, neque Vicentii, qui tum multis annis præſulatus conſervavit integritatem, neque aliorum conſenſus illi acceſſerit, ac maxime quod illi ipſi, qui a veritate deflexiſſe viſi ſunt, & poſt ad meliorem mentem denuo traducti, plane teſtentur formulam* (in illa prolatam) *ſibi maxime diſplicere.* Leo. I. Epheſinam, Epiſtola ad Theodoſium Auguſtum, ideo erraſſe teſtatur, *eo quod non pura conſcientia & recto judicio ſecundum conſuetudinem, hi qui collecti fuerant, de fide & erratibus protulerunt. In ipſo autem judicio*, inquit, *non omnes, qui convenerant, interfuiſſe cognovimus.* Valeant ergo papolatrarum pronunciata: *Tantum roboris & firmitatis quamlibet ſynodum conſequi ſolere, quantum auctoritatis illi Apoſtolica ſedes impertit*: ut *Severinus Binius*, notis ad concilium Conſtantinopolitanum primum. *Omnia concilia generalia robur & poteſtatem habere a Papa, non ſolum ut ſint legitima, & legitime congregentur, ſed etiam, ut ibi poſſit definiri, ibique definita ſive decreta valeant*, quemadmodum *Franciſcus longus Coriolanus* in præludiis ad ſummam conciliorum. Cum omni in eo eccleſiæ primitivæ conſenſu deſtituantur, cum Papæ ipſi confirmationem, i. e. *approbationem, conſenſum*, cum aliis participent; cum ſynodi fuerint, in quibus Papa nec per ſe, nec per legatos, & nihilominus tamen habita, ſint legitima. Et tantum de hiſce.

XX.

Summa poteſtas recte in ſacris judicat, etiam absque ſynodo.

Non niſi concilium aliquid circa ſacra imperandi facultatem ei ſuggereret, ſumma poteſtas nullo amplius modo ſumma poſſet vocari. Ea enim ſumma eſt, quæ ſoli Deo ſubjecta eſt, & quæ ſub Deo abſolutum exercet imperium. Si item ſummæ poteſtati id ipſum non liceret absque ſynodo, quod cum ſynodo, jam partem juris imperandi a ſynodo acciperet, quod itidem majeſtati ejus repugnat. Amens ſit, qui dixerit, non valere Principem in civilibus jus dicere, niſi prius conſultis politicis, aut JCtis. Ad eundem modum in eccleſiæ negotiis, licet hominis ſalutem concernant: cum minime *per difficiles nos Deus ad beatam vitam quæſtiones vocet*; Deum creatorem cœli & terræ, Patrem, Filium, & Spiritum S. veneramur omnes & adoramus. Filium ex virgine natum hominemque factum, paſſione & morte a peccatis & peccatorum pœnis nos redemiſſe, reſurrexiſſe, in cœlos aſcendiſſe, ibi regnare, & inde rediturum ad judicandum

vivos

vivos & mortuos, quotquot Chriſti nomine digni ſumus, credimus & confitemur. Hoc ſcriptura credere nos jubet, ſi alias velimus vitam ingredi; Hoc ſancta & catholica ab initio credidit eccleſia, proque ea fide ſanguinem profundere non dubitavit. Eſto ergo reperiatur aliquis, hæc qui neget, quique veterem & damnatam antiquis hæreſin novo paxillo ſuſpendat, nullo in gregem contagio. Hic, nonne a magiſtratu judicari poterit, &, ſi ſpes emendationis nulla ſit, pœnis coërceri, ne virus porro ſerpat? An quoties id contingat, cogendum erit concilium? Fac rurſus, in rebus ponderis non adeo magni, diſputationes eas oriri inter paſtores, quæ in eccleſia indifferenter toleratæ fuerint: non poterit pax imperari, niſi vocata ſynodo? Luculentum hujus auctoritatis, a ſumma poteſtate: uſurpatæ, exemplum, extat apud Socratem *lib.* 5. *c.* 10. & Sozomenum *l.* 7. *c.* 12. de Theodoſio majore. Hic enim facto in eccleſia ab hæreticis tumultu, *exiguo poſt Conſtantinopolitanum I. tempore, vigentium tunc ſectarum anteſignanos rurſus convocat, ut aut docerent, aut diſcerent, eorum veritatem, de quibus inter ſe contendebant. Primum ergo benigne eos, qui convenerant, ad ſe admittit, capit cujusque dogma ſcriptis proditum. Deinde ſe in locum ſeparatum concludit: precatur obnixe, ut Deus illi ad veritatem eliciendam opem ferre vellet. Poſtremo dogmate cujusque perlecto, cætera omnia, utpote Trinitatis unitatem dirimentia, damnat, lacerat; ſolam autem conſubſtantialis fidem laudat, approbat.* Nec fructu caruit hic conatus: *nam multi, cæteris damnatis, ad ſententiam approbatam converſi ſunt.* Utinam plures hic inveniſſet æmulos, non in tantam creviſſet potentiam intolerabilis Papæ dominatus. Hoc videlicet ab aliquot retro ſeculis ſedulo ille egit, ne reges ſcirent, quid ſit religio chriſtiana, quibusve hauriatur fontibus, ſed omnem curam eccleſiaſticis reliquerunt. Hæc proxima & compendiaria ei via ad tyrannidem, qua ſimul & ſallendi ſecuritate parta, in ipſas conſcientias, & per has in ipſa regna graſſatus eſt. Diſcuſſa Deo miſerante illa caligo jam ſuperiore ſeculo, quam plurimis ex eo tempore regnis & principatibus in libertatem vindicatis. Et jam ergo arripiant ſummæ poteſtates, quod ſui eſt muneris. Ad ſe quoque *pertinere* arbitrentur, *ut temporibus ſuis pacatam velint habere matrem ſuam eccleſiam*, ut loquitur *Auguſtinus* tract. 13. in Joannem. Succurrant inter ſummas anguſtias luctanti eccleſiæ, litigandi prolubio miſere in partes ſciſſæ ac dilaceratæ. Ipſi ſubditi, qui chriſtiani non tam nominari, quam eſſe volumus, non adeo hoſtili in nos invicem mente ſimus. Charitatem amplectamur, & ad plenam ſolidamque concordiam contendamus. *Ἵνα τί ἔρεις, καὶ θυμοὶ, καὶ διχοστασίαι, καὶ σχίσματα, πόλεμός τε ἐν ἡμῖν;* (vox eſt ſanctiſſimi martyris Clementis romani) Epiſt. ad Corinth. §. 60. *ἢ οὐχὶ ἕνα θεὸν ἔχομεν, καὶ ἕνα χριστὸν; καὶ ἓν πνεῦμα τῆς χάριτος τὸ ἐκχυθὲν ἐφ' ἡμᾶς, καὶ μία κλῆσις ἐν χριστῷ. ἵνα τί διέλκομεν καὶ διασπῶμεν τὰ μέλη τοῦ χριστοῦ, καὶ στασιάζομεν πρὸς τὸ σῶμα τὸ ἴδιον, καὶ εἰς τοσαύτην ἀπόνοιαν ἐρχόμεθα, ὥστε ἐπιλαθέσθαι ἡμᾶς ὅτι μέλη ἐσμὲν ἀλλήλων; cur inter ſint vos contentiones, iræ, ſimultates, ſchismata, & bellum? Nonne unum Deum & unum Chriſtum habemus? Nonne unus eſt ſpiritus gratiæ, qui ſuper nos effuſus eſt, & una vocatio in Chriſto? Cur Chriſti membra divellimus & diſcerpimus, & contra proprium corpus ſeditionem movemus, eoque veſaniæ devenimus, ut aliorum nos membra eſſe, oblivioni tradamus?* Sed tam aurea verba, non admittunt, proh dolor! ferrea hæc tempora. Faxit Deus, pater miſericordiarum, ut, qui in civilibus pacis metam nos contingere voluit, in religionis negotio idem aſſequi mereamur, propter filium ſuum Jeſum Chriſtum, *δι' οὗ αὐτῷ δόξα, τιμὴ, κράτος καὶ μεγαλωσύνη, θρόνος αἰώνιος, ἀπὸ τῶν αἰώνων, εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.*

DEMETRIUS CHOMATENUS,

Archiepiſcopus Bulgariæ ad Conſtantinum Cabaſilam.

Ὁ βασιλεὺς γὰρ εἶα κοινὸς τῶν ἐκκλησιῶν ἐπιστημονάρχης καὶ ὢν, καὶ ὀνομαζόμενος, καὶ συνοδικαῖς γνώμαις ἐπιστατεῖ, καὶ τὸ κῦρος ταύταις χαρίζεται ἐκκλησιαστικὰς τάξεις ῥυθμίζει, καὶ νομοθετεῖ βίῳ, καὶ πολιτείᾳ τῶν τοῦ βήματος. Ναὶ μὴν καὶ δίκαις ἐπισκόπων, καὶ κληρικῶν, καὶ πρός γε χηρευουσῶν ψήφοις ἐκκλησιῶν. ἀνάγει δὲ καὶ ἀπὸ ἐλάττους τιμῆς εἰς μείζονα δηλαδὴ ἀπὸ ἐπισκοπῶν εἰς μητρόπολιν, ἢ ἀνδρὸς ἀρετὴν ἢ πόλιν τιμονής, καὶ ὡς ἔπος εἰπεῖν πλὴν μόνου τοῦ ἱερουργεῖν, τὰ λοιπὰ ἀρχιερατικὰ προνόμια σαφῶς εἰκονίζει ὁ βασιλεὺς ἐφ' οἷς πράττει νομίμως τε, καὶ κανονικῶς.

Hoc eſt:

Imperator, ut communis in eccleſiis ſapientum princeps, & re, & nomine ſynodorum placitis præſidet, & auctoritatem ipſis largitur. Eccleſiaſticas ordinationes diſponit, & legem ponit vitæ atque officio eorum, qui altari inſerviunt: quin & judiciis epiſcoporum & clericorum, & electioni eccleſiarum vacantium. Promovet inſuper a minori dignitate ad majorem, puta ab epiſcopali ab metropolitanam, honorem eum exhibens, aut urbi, aut homini. In ſumma, excepta duntaxat ipſa ſacrorum functione, cætera omnia jura pontificialia maniſeſte exprimit Imperator, quibus in rebus agit convenienter, & legibus, & canonibus.

HER-

HERMANNI CONRINGII
EXERCITATIO POLITICA
DE MAJESTATIS CIVILIS AUTORITATE ET OFFICIO CIRCA LEGES.

Menſe Aprili MDCLXIV. habita.

RESPONDENTE

ESAIA PHILIPPO *Glock.* Mœno-Francofurtenſi.

Theſis I.

De majeſtatis civilis circa leges poteſtate & officio acturos, quid majeſtatis, quid legum, cum etiam poteſtatis, nec non officii nominibus velint, explicare initio oportet. Majeſtas ſummam in civitate poteſtatem nobis denotat. Summæ autem poteſtatis tria numeramus requiſita. Sit independens, extendat ſeſe ſecundo ad omnia, ſine quibus ſalus reipublicæ haberi nequit, & denique ultimo ſit perpetua & irrevocabilis. Quæ poſt illam eſt poteſtas, nunc magis, nunc minus, de tribus conditionibus participans, non majeſtatis, niſi improprie, ſed magiſtratus nomine venit. Una modo majeſtas in republica eſſe poteſt, plures autem magiſtratus. Illa, uti diximus, ſummam, qualis in certo genere & ordine rerum unica tantum eſſe poteſt, hic ab illa dependentem poteſtatem denotat. Majeſtas per magiſtratus, veluti ora, manus, pedes, ut Perſæ loqui amarunt, imperat, & publicam rem adminiſtrat. *Eſt magiſtratus, habito reſpectu ad majeſtatem, ſubditus cenſendus. Sicut in dialecticis ſpecies intermedia, ſi genus reſpicias, eſt ſpecies, ſi ſpeciem infra poſitam, genus. Ita magiſtratus, inferiorum ratione habita, ſunt publicæ perſonæ; at ſuperiores ſi conſiderentur, privati ſunt*, ut docet Grotius *lib. 1. de jure belli & pacis, cap.* 4. §. 6.

II. Quia igitur poteſtates, propter quas reſpubl. ſtat, non unius ſunt generis aut gradus, idcirco inprimis cavendum ſedulo, ne faciles ſimus in delineanda alicujus poteſtate. Et hic excedere & deficere datur. Illud fit, quando ab amplitudine honoris, dignitatis & nominis ad imperii amplitudinem argumentamur. Sunt munia reipublicæ, quæ cum ſumma dignitate ſunt conjuncta, non item cum ſumma poteſtate. Ita ſi quæ in regno eſt illuſtris familia, jubemur ex illa unum & alterum maxima dignitate, minori autem poteſtate ornare. Ut moribus noſtris convenienter loquamur, in Principum ac Comitum numerum qui recipiuntur, non ſtatim eſſe ſtatus imperii liquet. Principem imperii eſſe, eſt eximiæ dignitatis res; magnæ poteſtatis res contra eſt, eſſe imperii ſtatum. Nec qui nomine majeſtatis celebratur, ſumma ſemper eminet poteſtate. Ita Germanorum Imperator titulo majeſtatis fulget, nec tamen, qua talis, ſumma omni ex parte gaudet poteſtate, cum aliquatenus non niſi ſummum in imperio noſtro gerat magiſtratum. A nomine ad rem ductum argumentum, nullibi ac in politicis minus certum perhibetur: quod ſub nominibus plurima latitare ſoleant ſophiſmata. In alterum extremum impingunt, qui ſummam poteſtatem illis, qui in alterius fide aut clientela ſunt, temere adimunt. Notum illud πολυθρύλλητον: *Liber eſſe non deſinit populus, qui alterius majeſtatem comiter obſervat.*

III. Cum porro reſpublica ſit *τάξις πόλεως, τῶν τε ἄλλων ἀρχῶν, καὶ μάλιστα κυρίας πάντων, τοῦ συμφέροντος ἕνεκα, ordo civitatis, cum aliorum imperantium* (vulgo male magiſtratuum) *tum præcipue illius, qui ſummam tenet poteſtatem, utilitatis gratia;* at vero non omnibus civitatibus idem finis aut ſcopus, idcirco & majeſtas varia erit. Quod namque majeſtas vel poteſt, vel debet, finis reipublicæ determinabit, ut infra declarabitur. Sunt autem reſpubl. ex mente Ariſtotelis in duplici differentia: alia optima, aliæ communes ipſi paſſim dicuntur. Optimæ reipublicæ finem prior politicæ pars, hoc eſt, ethica exponit: duo ad ipſius integritatem requirens. Scilicet, ut cives primo operentur ſecundum virtutem perfectam in vita perfecta, & ſecundo tantum habeant, quantum ipſis ſatis eſt. Communes reſpublicæ aliæ atque aliæ, alium atque alium ſibi præfixum habent ſcopum. Etenim vel imperantium tantum, vel publicam ſalutem quærunt, & hanc vel in amplitudine imperii & nominis ſplendore, vel in divitiis collocant. Duo illa hodierno die modi ſunt, quibus κρατικοί, imo homines pene omnes ducuntur. Ut reſpubl. ita & ſumma poteſtas variat, & alibi pluribus explicatur.

IV. Quid *legum* nomine indigitemus, uberius paulo, exercitii cauſa, diſquirendum. Lex eſt oratio, facienda omittendave imperans, voluntati majeſtatis conformis. Eſtque duplex: divina & humana, quod majeſtas alia divina, alia civilis dicatur. Illa abſolute, hæc poſt Deum, in terris ſumma eſt poteſtas. Divina lex rurſum in naturalem & poſitivam, uti humana in gentium & civilem, utraque in ſcriptam vel non ſcriptam dividitur.

V. Legum quadruplex vis vulgo ſtatuitur: 1) Præcipere, 2) vetare, 3) permittere, 4) punire. Nobis vis legum voce imperans circumſcribitur. Imperamus autem præcipiendo, agendo, vetando,

tando, fugienda. Dum lex factum permittit, tacite aliud aliquid vetat. Hinc lex permittens, non niſi quoad verba talis eſt, quoad ſenſum vero revera imperat vetando: v. g. ne judex inferior committenti pœnam decernat. Duplicem namque reſpectum ſortiuntur leges permittentes, ſcilicet alium ad ipſum, cui aliquid permittitur, deinde alium ad inferiorem judicem. Illius reſpectu, lex non eſt, ſed oratio ſignificans permiſſionem; Hujus vero reſpectu, lex permittens non ut permittens, ſed ut lex conſiderari debet. Denique non lex, ſed cuſtos legis punit. Quod ſi autem pœna lege ſtatuatur, id fere per accidens fieri exiſtimandum. Quandoquidem lex ſine pœna transgreſſorum fuerit ſine effectu: & tamen ad ipſam legis eſſentiam pœnæ dictio non pertinet.

VI. Cæterum in legum differentiis primo loco occurrunt divinæ, quarum alias naturales, poſitivas alias diximus. Lex naturæ eſt naturalis dictatus quidam rationis, per quem Deus auctor & conditor naturæ humanæ homini, qua homini, facienda ommittendave quaſi imperat, quæ ipſius naturam decent vel dedecent. Quæ hominem, ut hominem obligant, natura recta & juſta ſunt, atque adeo naturæ juſſu obligant, vimque legis nanciſcuntur: quoniam vero mandatum naturæ eſt reapſe idem cum voluntate naturæ conditoris, hinc etiam recte illa obligandi vis Deo adſcribitur. Omnis porro dictatus naturæ propoſitione continetur; propoſitio autem aut eſt principium, aut concluſio. Leges naturæ partim ſunt principia, partim concluſiones: Omnibus, quorum recta ratio, nec præconceptis opinionibus, nec prava conſuetudine in præceps acta eſt, natura cognitiſſimæ. Fundamentum ipſarum eſt objectum, ſeu objecti cum appetitu rationali convenientia vel diſconvenientia naturalis: voluntas Dei eſt earundem internum complementum. Ab hac lex divina; ab illo naturalis vocatur. Leges Dei poſitivæ in duplici ſunt differentia, vel namqne ſolis Judæis, vel chriſtianis, qua talibus, ſunt poſitæ ſcriptæve.

VII. Cum quoque inter ipſas reſpublicas ſocietates quædam intercedant, quod, qui eſt hodiernus rerum humanarum ſtatus, nulla civitas ſibi ſufficiat, erit & jus quoddam, quod civitates conſociat. Et enim ubi ſocietas, ibi & jus, & uti illa, & hoc, variat. Idem ob fundamentum quælibet civitas & ſuum, quo nititur, jus habebit. Illud gentium, hoc civiles leges, complectitur. Leges gentium ſunt, quas gentes non fortuito, aut altera alterius imitatione, ſed quaſi ex compacto ſibi inter ſe conſtituerunt. Leges civiles ſunt, quas majeſtas in civitate ſuis civibus aut ſubditis præſcribit. Illud ſocietatem rerumpublicarum, hæ, ſuam conſervant rempublicam. Utræque rurſum aut ſcriptæ, aut non ſcriptæ deprehenduntur. *Legislator ponat νόμυς ἀγράφυς καὶ γεγραμμένυς*, dicit Ariſtoteles *lib. 6. polit. c. 5.* Non uno autem modo leges ſcriptæ & non ſcriptæ dicuntur. Primo lex ſcripta audit, quæ literarum monumentis conſignatur; non ſcripta, quæ literis non mandatur. Quo quidem ſenſu Athenienſes ſcriptis; Lacedæmonii non ſcriptis legibus uſi leguntur. Deinde ſcripta audit, quæ expreſſe a majeſtate fuit ſancita, ſive fuerit factum ſcripto, ſive ita, ut memoriæ potius hominum mandaretur, quam literis, poſtquam fuit promulgata. Ciceroni denique lex ſcripta eſt lex poſitiva, non ſcripta naturalis, Nobis lex non ſcripta eſt conſuetudo, ſive jus, quod voluntate omnium ſine lege vetuſtas comprobarit, ut habet Cicero *l. 2. de invent. c. 5.* Et hanc deſcriptionem nos probamus, modo loco *omnium* vox majeſtatis ſubſtituatur.

VIII. Leges denique civiles vel publicæ, vel privatæ ſunt. Illæ ſtatum reipublicæ, hæ ſingulorum negotia privata concernunt. Illæ variant, prout variat reſpublica. Sunt namque leges fundamentales mediorum inſtar, ſtatus vero civitatis veluti finis, media autem accommoda fini eſſe convenit. Hinc quot reſpublicæ, tot jura publica. Privatorum negotia itidem ratione rerumpublicarum non admodum variant; ideoque nec privatæ leges. Apparet hoc in jure juſtinianeo, quod tacite modo apud non omnes nationes ſeſe quaſi inſinuavit, & in uſum earundem tranſiit, qnod alii juſtitiæ legum romanarum aſcribere non dubitant. Ea enim eſt legum romanarum cum naturali æquitate ſeu potius communi utilitate convenientia, ut ad illarum quam multas, (nec enim usquam terrarum obtinent univerſæ, nec poſſunt obtinere) tanquam communem totius Europæ ἐυνομίαν, omnes confugiant, quod longo continuoque uſu jam probatum eſt. Præterea & ſnb legum nomine ſtatuta, privilegia, pacta etiam privatorum intelligimus.

IX. Hæc ita de legibus pro inſtituti ratione ſufficiant. Tempus eſt, ut ad rem ipſam accedamus, ubi initio ſpectanda fundamenta, nnde poteſtas & officium majeſtatis civilis circa leges arceſſenda. Majeſtatis poteſtas fundamenti vice ſupponit finem ſeu ſcopum civitatis. Majeſtati ſcilicet ſumma reipublicæ cura incumbit; quæcunque igitur ad ſcopum civitatis faciunt, aut eum impediunt, ea omnia, diverſimode licet, in poteſtate majeſtatis erunt. Sunt, qui hic ſtatim nobis objiciunt, ſecundum rationem vivendum, nec leges conſtituendas. Qualis ſententia & veterum nonnullorum, quorum Cicero mentionem facit, & recentiorum fuit, qui Antinomorum nomen inde ſortiti ſunt. Verum ut noſtra ſunt tempora & mores, legibus carere non poſſumus. Nemo namque temere ſua ſponte, quæ recta ſunt, facit, ſed vi legum, veluti virtutum armatarum, in officio continemur. Idque quoniam fieri vix poteſt, ut non vel per imperitiam, vel per malitiam a reipublicæ ſcopo aberremus. Spectant huc ea, quæ Ariſtoteles *lib. 10. Eth. cap. ult.* accurate docet, omnino hic legenda. Qui ſine legibus vixiſſe populi leguntur, non omni, ſed ſcripta lege, caruiſſe credendi ſunt. Rem noſtram loquatur Nicephorus Gregoras, qui lib. 1. hiſtor. Byzantin. de Scythis ita refert: *Apud illam gentem, cum eæ res non ſint, e quibus lites & contentiones oriuntur, mutuæque inſidiæ & cædes ſuſcipiuntur, neque judiciis, neque*

curiis, neque legum recitationibus eſt opus: ac ne eloquentia quidem verborumque argutiæ ac perplexa inventiones locum habent: Sed animata quadam juſtitia illos regit, & invidenda libertas. Quibus de cauſis & Homerus *mortalium juſtiſſimos appellavit.* Et Juſtinus: *Prorſus ut admirabile videatur, hoc illis naturam dare, quod Græci longa ſapientum doctrina præceptisque philoſophorum conſequi nequeunt, cultosque mores incultæ barbariæ collatione ſuperari. Tanto plus in illis proficit vitiorum ignoratio, quam virtutum cognitio.*

X. Notari quoque meretur locus Philoſophi *ex lib. 1. polit. c.* 2. qui ita habet: *Ut enim ex animantibus homo perfectus eſt & optimus, ita a lege & judicio remotus, omnium deterrimus.* Sine legibus igitur, nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univerſum genus ſtare poteſt; eoque ſequitur, leges eſſe in poteſtate majeſtatis. Argumentamur. Sine quo civitas conſiſtere nequit, id poteſtati majeſtatis haud ſubtrahendum. Atqui ſine legibus &c. Ergo. Hinc politici Doctores jus legum principe loco habere ſolent. Eſt majeſtas totum poteſtativum, tot partes, quot objecta continens, in quibus & leges. Tantum autem majeſtas in legibus poteſt, quantum ſcopus civitatis exigit. Etenim hic ſuprema lex eſt.

XI. Officia majeſtatis circa leges εὐνομίαν fundamenti loco habent: εὐνομία autem ab Ariſtotele *lib.* 4. *polit. c.* 8. duplex ſtatuitur: Altera quidem, qua leges bene ſcribantur: altera vero ea, qua legibus pareatur. Sunt autem leges vel ſimpliciter bonæ, vel ex hypotheſi ſaltem. Ut hoc dilucidius proponatur, repetimus, media, qua talia, bonitatem ſuam a fine accipere, jam vero leges ſunt media. Ergo. Quapropter, ſicut ſtatus civitatis juſtus eſt vel ſimpliciter, vel ex hypotheſi, ita & legum juſtitia habere ſe creditur. Quicquid ſimpliciter juſtum & bonum, in moralibus exponitur; adeoque leges ſimpliciter juſtæ forſan erunt, quæ directe virtutum actus jubent, vetant vero actus vitiorum. Notandum tamen, quando quidem præter virtutum exercitium & rerum ſufficientia ad felicitatem vitæ humanæ requiritur, huc etiam quodammodo pertinere, quæ circa illam ſufficientiam parandam verſantur, etſi ad virtutem & vitia non faciant. Ex hypotheſi juſtum politica præcipue dijudicat. Quæ namque leges, ſtatum, quem etiam cunque, rectum vel corruptum conſervant, modo ſtatus indoli & ingenio populi vel regentium accommodus fuerit, aut ſaltem populus vel regens ſibi in tali ſtatu ſalutem tacite promiſerit, id omne juſtum cenſendum, licet etiam ſimpliciter injuſtum fuerit. Ad hæc hactenus tradita in ſequentibus omnino nobis reſpiciendum.

XII. Verum tempus eſt, ut dicamus, quæ in ſingulis legum ſpeciebus majeſtatis proprie dictæ ſit poteſtas, quodve officium. Et ut de divinis, quas partim naturales, partim poſitivas fecimus, & in his de naturalibus priori loco dicamus, diſtincte quid majeſtas in iis poteſt aut non poteſt, debet aut non debet, exponendum. Majeſtas non poteſt (1) legem naturalem condere. Legis enim naturalis ſtratum eſt naturaliter juſtum: quod tale eſt, non tam, quia ratio id dictitat, ſed quia ejus objectum cum ſcopo naturali vitæ humanæ convenit vel non convenit, hoc eſt, quando res natura ita comparata eſt, ut ſi referatur ad naturam rationalem, illa vel proſit, vel obſit. Tale vero nil quicquam eſt in natura, quod ab ipſo naturæ auctore in leges translatum non ſit; atque adeo nil reliquum eſt in natura rationali, de cujus ſubſtantia lex condi poſſit. Et licet ſupereſſet, non tamen poteſtati majeſtatis ſubeſſet. Uti namque majeſtas homines non efficit, ſed in natura ſupponit, ita nec quæ hominem, qua hominem, concernunt, veluti naturaliter juſta. Eſt majeſtas infra naturam, infra naturæ auctorem.

XIII. Non poteſt (2) majeſtas civilis legem naturalem a Deo conditam, qua etiam cunque ratione, quod ſubſtantiam agendorum omittendorumve mutare. Inferiori nempe in ſuperiorem, & quicquid ab eo mandatum, nil juris, nil poteſtatis. Dicimus *quoad ſubſtantiam agendorum omittendorumve*, id quomodo intelligi debeat, omnino exponendum. Actus moralis bifariam conſiderari poteſt, ſemel *phyſice*, qua actus, ſemel moraliter, qua actus moralis: hinc nunc de actus, nunc de actus moralis, qua moralis, ſubſtantia quæſtio inſtitui poteſt. Nos intelligi volumus de actus moralis ſubſtantia, ſeu de eo, quod actum moralem ineſſe actus moralis conſtituit; quod inquirendum. Actus non eſt actus a circumſtantiis, ſed maxime ab objecto, ut vero actus ſit moralis, a circumſtantiis non omnibus, ſed eſſentialibus dependet. Igitur civilis majeſtas eſſentiales circumſtantias in naturaliter juſſis aut vetitis nequit mutare, hoc eſt, nec lege naturæ vetita jubere, nec juſſa vetare valet. Porro in theſi ſignanter dictum; *qua etiam cunque ratione.* Etenim lex non uno modo mutatur, ſed nunc derogando, nunc abrogando, nunc ſubrogando. Nihil horum in lege naturæ ſumma poteſtas poteſt. Nec legi naturæ partem detrahere, nec eam prorſus tollere, aut quicquam ad ejus ſubſtantiam addere majeſtati licet.

XIV. Non poteſt (3) majeſtas civilis in legibus naturæ diſpenſare. Diſpenſare eſt ab aliquo obligationem legis removere in caſu, ratione cujus alioquin obligaretur. Differt a legis abrogatione & derogatione: quod diſpenſatione lex, nec in totum, nec ex parte, aboleatur, relaxetur vero vinculum legis, reſpectu perſonæ. Jam autem ejus eſt removere obligationem legis, cujus eſt ferre: Atqui lex naturæ non ab homine lata. Ergo nullius hominis eſt in lege naturæ diſpenſare. Bene Cicero; *Eſt lex naturæ congruens, diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna. Huic legi nec prorogari fas eſt, nec derogare de hac aliquid licet, nec tota abrogari poteſt. Nec vero aut per ſenatum, aut per populum, hac lege liberari poſſumus.*

XV. Conſequens nunc eſt, ut dicamus, quid in naturæ legibus majeſtas civilis poſſit. Poteſt (1) novam obligationem inducere. Etenim ex imperio humano etiam in iis, quæ natu-

ra

ra juſta vel injuſta ſunt, nova oritur obligatio, & quidem in conſcientia. Iſta obligatio toties augetur, quoties majeſtas civilis legem aliquam naturæ obſervandam inculcat. Si miniſtri eccleſiæ, alius etiam præceptor aut doctor, exponendo & declarando legem naturæ, obligationi occaſionem præbeat, ipſa ſumma poteſtas, pro imperio legem naturæ repetens, obligationem augebit. At prius eſſe penitius rem conſideranti patet. Ergo & poſterius.

XVI. Poteſt ſecundo obligationem civilem legi naturæ detrahere: permittens ſcilicet in civili ſocietate impune, id quod lex naturæ vetuit. Nec vero ea in re peccat, quandoquidem ea plerumque eſt humanæ vitæ nunc imbecillitas, nunc malitia, ut in civili ſocietate eam integritatem perfectionemque, quam lex naturæ exigit, aſſequi nequeas. Ut majus itaque vitetur malum, ſæpe minus impune eſt permittendum. Id quod in ipſa lege Hebræorum eſt deprehendere, etſi ipſummet Deum auctorem habeat, ut reſpublica regem. Nec vero omnibus naturæ præceptis pœnæ aut præmia ſunt ibi conſtituta; & divortiorum illam frequentiam populo permiſſam eſſe, contra primum conjugalis vitæ inſtitutum, *διὰ τὴν σκληροκαρδίαν* gentis, ipſemet profeſſus eſt Salvator noſter.

XVII. Poteſt (3) leges naturæ extrinſecus, & quoad accidentalia immutare. Hoc fit, præſcribendo locum, tempus, alia, quæ ad ipſam moralis actus ſubſtantiam non faciunt. Rem exemplo illuſtrabimus. Aliquam temporis partem cultui divino deſtinare, eſt juris naturæ, ita ut ne ipſe quidem Deus facere poſſit, quin religioſo cultu dignus habeatur. Quæ vero cultui divino accidunt, veluti tempus, locus, aut alia, ad decorum & ordinem ſpectantia, ea ab arbitrio ejus, in cujus manu eſt *τὸ κύριον* in republica dependent.

XVIII. Poteſt (4) legem naturæ interpretari. Ubi advertendum, ſimplicem interpretationem a correctione legis, quam Ariſtoteles *lib. 5. ethic. nicom. cap.* 10. æquitatem vocat, omnino diſtinguendam eſſe. Simplex interpretatio eſt expoſitio legis ſecundum expreſſam & certo cognitam legis rationem, mentem item ac legislatoris voluntatem, in caſibus ab ipſo optime prævîſis: ſeu comprehenſos lege ſeu excluſos voluerit. Æquitas eſt correctio juris, qua parte deficit, ob ſuam nniverſalitatem. Ex quibus manifeſto apparet, interpretationem ſimplicem legibus naturæ convenire; æquitatem vero iisdem repugnare.

XIX. Cæterum, quicquid ſumma poteſtas & poteſt & vult, id ratum quidem eo ipſo eſt, nondum tamen rectum. *Cauſa eſt, quod ut ratus ſit actus, pauciora requiruntur, quam ut recta ſit actio. Nam ut recta ſit actio, neceſſe eſt, ut procedat ex intellectu bene informato, & honeſto animi propoſito, deinde, ut adſit modus & circumſtantiæ debitæ; ut actus ſit ratus, nil aliud requiritur, niſi ut ſit in jure*, poteſtate, *agentis*, ut bene philoſophatur Hugo Grotius *lib. d. imp. S. pot. circa ſacra cap. 5. p.* 109. Quod ſi ratus ſummæ poteſtatis actus non ſemper eſt rectus, ſeorſim etiam de officio ſummarum poteſtatum circa leges & quidem per partes videndum. Summa igitur poteſtas (1) naturæ leges ſubinde repetere curet. Sunt enim leges naturæ, ſaltim quam multæ, omnibus, quibus quidem ratio ſana eſt, cognitiſſimæ; ita ut ſcientiam earum nemo eorum quisquam, niſi in morbo deponere poſſit; qua de cauſſa, haud incongrue dixeris, homini innatas. Eſt tamen intellectus humanus a natura inſtar tabulæ, (non raſæ ut Plato voluit,) ſed nudæ, cui nihil inſcriptum, inſcribi tamen quævis poſſunt, adeoque nulla legum cognitio nobiſcum ſimpliciter connaſcitur, ſed omnis illa eſt ab uſu & doctrina, ſecus ac vulgus hominum autumat. Licet igitur jus naturæ quodammodo cognitum ſit omnibus & ſingulis, nihilominus eſt, cur id ſæpius repeti debeat. Idque primum, quandoquidem addiſci debet etſi facillime addiſci poſſit: deinde quoniam in multis ratio, ſive per imbecillitatem intellectus, ſive per appetitus ſenſitivi violentiam, ſive alias non eſt integra, ita ut recte poſſit judicare de eo, quod honeſtum vel inhoneſtum eſt. Præterea ſcire quis quid dupliciter dicitur, ut docet Philoſophus *lib. 7. ethicor. nicom. cap. 3. vel habitualiter vel actualiter.* Qui ſcientiæ habitu præditus eſt; nec eo utitur, habitualiter ſciens, qui vero ex habitu ſuo operatur inſuper, ille actualiter ſciens dici ſolet. Non propter habitualem, ſed actualem ſcientiam, lex naturæ majeſtati eſt interdum repetenda ſæpiusque inculcanda.

XX. Majeſtas debet (2) impedimenta removere, præmiis & pœnis naturæ leges munire, nec quicquam eorum, quæ homines ad virtutum actiones impellunt, aut a malis deterrent, negligere. Officia iſta deſignantur, cum majeſtas utriusque tabulæ cuſtos ſalutatur. Cuſtos namque nomen officii eſt. Alias quilibet privatus leges naturæ cuſtodire, hoc eſt ſervare tenetur: talis vero cuſtodia hic non intelligitur. Ut ſocietas civilis humanam ſocietatem, ita & humana jura fundamenti quaſi loco ſupponere videtur, jura iſta leges naturæ concernunt, utpote nil aliud jubentes, vetantes, quam quæ homini officia homo præſtare vel non præſtare obligatus ſit. Et licet omnia jura vileſcere incipiant, huic tamen ſua conſtet autoritas neceſſum eſt, niſi omnem humani generis ſocietatem tollere velimus. Jus autem naturæ jus non eſt, quatenus in tabulis deſcriptum extat, ſed in actione vis ejus cernitur, uti *lib. 5. ethic. nicom.* docemur: an igitur ſartum tectumque conſervetur, ex actionibus hominum colligendum. Nil præterea æque homines juxta præſcripta juris naturæ incedere facit, quam ſi majeſtatem bonos proemiis ornare, malos vero pœnis onerare cernant. Tamdiu igitur majeſtas metu ſupplicii a legum naturæ contemtu homines avertere, & ad earum obſervantiam ſpe præmii pellicere debet, donec ipſa turpitudo ab injurioſa vita eos terrebit, honeſto etiam movebuntur, ut boni evadant viri.

XXI. Sequuntur leges poſitivæ, quæ hic omnino diſtinguendæ. Duplicem autem quaſi per-

ſi perſonam Deus aſſumſiſſe in ſacro Veteri Codice legitur, Dei ſcil. & regis. Ut Deus, hoc eſt, quatenus homines ad æternam felicitatem, ad quam conditi ſunt, dirigit, illas leges præſcripſit, quæ homini ut ſalvando neceſſariæ erant. Harum una Princeps hæc eſt. Credendum omni Dei verbo: quo cumprimis facit illud, de futuro Meſſia ſive ſervatore mundi. Hac lege ſervati ſunt omnes, ſive ſub veteri, ſive ſub novo pacto ſervati ſint. Huic poſitivæ legi adjunctæ ſunt aliæ, non ita tamen, ut ſuperior ad æternam vitam conſequendam neceſſariæ. Velut Rex uno in populo iſraelitico: quem, quia in peculium ſibi delegerat, ſua quaſi manu & voce formavit ac ordinavit, quo & civilis felicitatis fieret ille populus particeps. Hujus rei cauſa Deus ille Rex convenientes condidit leges, quæ partim politicæ, partim ſacræ, ſingulatim ſcilicet pertinentes ad religioſum nominis cultum; ſeu, partim forenſes, & partim ceremoniales. Qualis in his ſit magiſtratus poteſtas, nunc amplius videbimus.

XXII. Quod igitur leges, æternam ſalutem concernentes, attinet, nil quicquam quoad ſubſtantiam majeſtas in iis poteſt civilis. Quemadmodum enim ſolius Dei eſt largiri hominibus vitam æternam, ita & ſolus media, conſequendo iſti fini apta, definire poteſt. Non etiam, perinde ut in civilibus, ita etiam in hiſce, vi pœnarum uti majeſtas poteſt. Similiter etiam non illi fas eſt legem ejusmodi quoquo modo mutare, aut dare operam ne quis illi obſequatur. Adhæc, credere eſt actus internus, qui materia legis humanæ eſſe nequit, quod enim notitiæ hominum ſubtractum, idem & imperio. Atque τὸ credere &c. Ergo. Vid. Hugo Grotius *lib. d. ſum. poteſt. Imperio circa ſacra.*

XXIII. Nihilominus in officio majeſtatis eſt, legem illam & recipere in uſum civium, & curare doceri, ac foveri: imo & nonnullis proemiis, quæ non tamen involvunt civilia munia, ad legis illius obſervantiam omnes invitare. Quandoquidem præterea lex apta æternæ vitæ, ſimul ex parte & vitam civilem quam optime diſponere eſt apta, hinc, cui vera beatitudo civilis propoſita eſt, debet ille etiam hujus felicitatis ergo omnibus modis dare operam, ut lex illa ſaltim ex parte obſervetur. Eſt autem nulla religio reipubl. beatæ, vel hujus æmulæ, convenientior, quam religio Chriſtiana. Hanc ergo curare, quoad licet in civitate quaque, in officio etiam eſt civilis majeſtatis. Id quod accurate etiam eſt demonſtratum in diſput. de autoritate & officio majeſtatis civilis circa ſacra ampliſſimi Dn. Præſidis, Præceptoris mei venerandi.

XXIV. Hinc vero memoria eſt repetendum, quod ante diximus, Deum in republica Hebræorum leges tuliſſe, partim qua eſt Deus, partim, qua illius reipublicæ regimen ſuſcepit, tanquam Rex. In alia republica nihil ſimile unquam contigit. Itaque nec in novo teſtamento ullæ reperiuntur leges latæ, tanquam a Rege; ſed omnis reipublicæ curatio permiſſa eſt humanæ prudentiæ. Quod attinet autem illas a Deo rege Hebræis latas leges politicas, illæ ad duas referri queunt claſſes. Quædam ita comparatæ, ut nulli alii populo, quam iſraelitico, convenire poſſint, quædam vero & aliis communes eſſe poſſunt. Ita eſt; nationes omnes habent, in quo conveniant, habent in quo omnino diſcrepent, unde legum differentia. Et quia majeſtatis poteſtas ampliſſima eſt, ideo & quasvis alias reipubl. & per conſequens Politiæ Hebræorum leges in ſuam tranſumere poteſt, modo id convenire ipſi viſum fuerit. Quando autem leges illius θεοκρατίας hodie uſurpantur, non amplius divinæ, ſed humanæ vocari merentur. Obligant enim ſubditos non quia Deus, ut Rex Hebræorum, eas condidit, ſed quatenus majeſtas illas a Deo rege Hebræis latas voluit ſuæ quoque reipublicæ præſcribere. Non aliter ſcil. atque Græcorum leges Romani aſſumpſerunt & ſuas fecerunt, non propter ullam Græcorum auctoritatem. Videatur Suarez *de ll. lib.* 9. *cap.* 5. §. 9. Cæterum, ut quid & hic ſumma poteſtas debeat, conſtet, notandum inſtituta reipubl. alicujus, vel ad eſſe, vel bene eſſe facere civitatis. Hinc duplex naſcitur obligatio. Sine quo civitas eſſe non poteſt, illud majeſtas haud negliget, ita ut non peccet. Reliqua abſque peccato quidem, non tamen abſque reipubl. damno negliguntur.

XXV. Jam vero in inſtitutis iſraeliticis ſunt quædam, quæ ſine peccato quidem, non tamen abſque hujus aut illius reipubl. damno negliguntur. Igitur majeſtatis eſt attendere, quæ hujus, quæ illius ſunt generis, ne in ſeligendo hallucinetur. Et quidem eo diligentius, quod Hebræorum reſpublica, non aliqua ex vulgo fuerit, ſed una optimarum, ſimpliciter optima futura, modo populi ingenium optimi ſtatus fuiſſet capax. Et vero nulla unquam reſpublica legibus fuit ſapientius inſtituta, aut a rerum ſufficientia rectius inſtructa. In hanc igitur mentis acies dirigenda, & ſic ſatis tutum quis de bonitate & juſtitia ſuæ reipubl. feret judicium, modo inſtituta ſua ad Hebræorum leges exegerit atque examinarit. Optimæ ſane reipublicæ finis duabus conſtat partibus, nempe ut cives operentur ſecundum virtutem, & ut habeant αὐτάρκειαν. Ad hæc autem duo omnia omnino reipubl. Hebræorum inſtituta collineant; horum unum quodque probe notandum, modo indoli & ingenio populi, quem tractamus, haud adverſetur. Deus enim, Hebræorum Rex, uti indolem Iſraelitarum penitus cognitam atque perſpectam habuit, ita & ea, quæ exactiſſime moribus populi ſui reſponderent, inſtituit, ut nemo mortalium convenientiam iſtam ſatis mirari poſſit.

XXVI. Igitur ſummam poteſtatem (cui quidem vera felicitas civilis propoſita eſt, nam quæ illam non quærit, illi talis cura neceſſaria non eſt) inſpicere, tanquam in ſpeculum θεοκρατίαν oportet, atque ex illa ſumma cum cura ſeligere ſibi & ſuæ reipublicæ exempla. Quæ vero illa ſint, in particulari declarare noſtri nec laboris, nec inſtituti eſt; univerſe tamen quædam annotabimus, Ex. gr. quis in conſtituendis legibus ſcopus præfigendus: Quænam ſint illæ leges & inſtituta, quæ ad veram hujus ævi felicitatem conſequendam faciunt, ex Hebræorum republi-

publi-

Digitized by Google

publica ſumma poteſtas notet. Quamvis enim quæ in populo iſraelitico conſequendæ felicitati conferebant, non ubique conveniant, nihilominus prudens legislator, quoad licet ſuæ ea reipubl. attemperabit, cui autoritate & prudentia præeſt, non neſcius in legibus ferendis legum & finis reipubl. habitudinem non ſimpliciter, ſed habita ratione populi, attendendam eſſe. Condiſcat proinde ſumma poteſtas quomodo, quave ratione condeſcendere cum populo, cui præfectus, quomodove leges ſuas indoli ejusdem accommodare debeat. Obſervandum autem etiam atque etiam eſt, reipublicæ illi ex inuſitata benignitate divina multa fuiſſe propria beneficia, qualia non poſſit ulla civitas alia ſibi ſperare: circa proventus cumprimis annonæ & rem bellicam. Unde ſequitur, majeſtatem in iis, quæ communia ſunt rebuspublicis, cogi quodammodo nonnulla ab inſtitutis illis divinis diverſa inſtituere: perinde atque factum etiam eſt a Regibus, ſimulac Dei illud regimen mutavit, & populus cœpit magis humano more regi. Cæterum ex inſtitutis *Θεοκρατίας* quid ſimpliciter, quid ex hypotheſi, injuſtum colligere quodammodo datur. Id namque firmiter tenendum, nihil eorum, quæ Deus in republ. ſua inſtituit, aut approbavit, eſſe ſimpliciter injuſtum, licet in reſpectu ad alium populum injuſtum ex hypotheſi aliquando cenſendum. Quæ igitur ſumma poteſtas ex republ. Hebræorum mutuatus fuerit, in ſe quidem injuſta neutiquam ſunt; ex hypotheſi tamen injuſta eſſe poſſunt.

XXVII. Atque hactenus quidem, pluribus etiam fortaſſe verbis, quam neceſſe fuit, de divinis legibus, naturalibus & poſitivis, egimus, ac quid in iis poſſit vel non poſſit, debeat aut non debeat ſumma poteſtas, pro teneritate ingenii declaravimus. Nunc ad eas leges, quæ ab arbitrio humano omnino dependent, tranſimus, idem doctrinæ genus, quo in ſuperioribus uſi, ſecuturi. Primum igitur locum jure merito præ reliquis occupant gentium leges: mere namque poſitivæ ſunt, ut alibi oſtenditur. An vero, & quid in jure gentium poſſit ſumma poteſtas, res quæſtionis eſt. Certum igitur eſt, majeſtatem unius alicujus ſingularis reipublicæ non poſſe leges gentium condere; nam majeſtatis imperium finibus ſuæ reipublicæ circumſcribitur. Et licet extra rempubl. ſe extenderet, nihilominus legem gentium non ferre poſſet, quod hæc nullius juſſu dependeat. Quod pactum enim eſt inter privatos, id lex gentium inter duas aut plures reſpublicas. JCtis romanis accipitur jus gentium [1] generaliter, pro eo jure, quod omnibus omnino hominibus conditum fuit, *l. 1. §. f. ff. de juſt. & jur.* [2] ſtrictius pro eo, quod communi gentium conſenſu pro arbitratu conſtitutum, atque ita ab iis, qui jubent, cauſa nimirum efficiente nomen invenit, hocque vocant jus gentium ſecundarium, illud primævum. Prius eſt ipſum jus naturæ, de quo jam ante egimus, poſterius ut noſtræ acceptioni accommodemus, Tribonianus haud concedere videtur; qui in promiſcuis juris gentium acceptionibus, exemplisque adjunctis ſibi parum conſtitit, uti hoc probatur in diſputatione *de legibus*, ſub præſidio clariſſimi Dn. Præſidis ante complures annos habita.

XXIIX. Duobus autem modis aliquid juris gentium in ſcriptis Philoſophorum dici obſervamus. Uno modo, quod inter cives plurium rerumpublicarum obtinet, ex imitatione alterius reipublicæ. Altero modo, quod reſpublicæ, una, plures, non fortuito aut imitatione, ſed quaſi ex compacto inter ſe conſtituerunt. Prioris generis jus gentium, quin in totum a poteſtate imperantium dependeat, nullam equidem videmus rationem. Alterum vero etiam mutabile eſt ex gentium conſenſu. *Non repugnat mutatio* juri gentium, *ex vi materiæ, ſi nationes omnes conſentirent, vel ſi paulatim introduceretur conſuetudo contraria & prævaleret; ſed hoc licet cogitari poſſit, ut non repugnans, moraliter non videtur poſſibile*, inquit Suarez, *de ll. lib. 2. cap. 20. §. 8.* Non temere autem a jure gentium eſt deflectendum majeſtati: quod violatio legis gentium juſta belli cauſa habeatur. Interea neceſſitati & utilitati reipubl. parendum.

XXIX. Sequitur jus civile. Hoc nomine autem nunc appellamus non ſolum romanum aut juſtinianeum, ſed quodcunque ſingularis aliqua civitas in uſum ſuum conſtituit. Eſt hoc partim publicum, partim privatum. Publicum jus ſtatum reipubl. concernit, quod etiam ex §. 4. *l. de juſt. & jur.* colligere licet. A quo igitur eſt, ut hoc vel alio ſtatu gaudeat civitas, ab illius nutu ac inſtituto etiam leges publicæ ſuſpendendæ. At vero ſtatus unice eſt ab arbitrio majeſtatis, ergo & leges publicæ. Tria autem ſunt, quibus præcipue omnis reſpublica incumbit, ut accurate tradit Ariſtoteles *lib. 4. Polit. c. 4.* Verba Philoſophi hæc ſunt. *Sunt tres partes rerumpublicarum omnium, de quibus oportet accurate videre bonum legum ſcriptorem, quid unicuique ipſarum conducat. Quibus recte ſe habentibus, neceſſe eſt rempubl. recte ſe habere: & respubl. inter ſe diſcrepare, quia diſcrepant hæ ipſæ. Trium autem harum partium una eſt, quæ deliberat de rebus communibus. Secunda, quæ verſatur in magiſtratibus: hoc autem eſt quos oportet magiſtratus eſſe, & quas res in ſuo arbitrio habere, & qualem deceat eſſe creationem ipſarum. Tertia, qui ordo debeat cauſas judicare.*

XXX. Ex his ita argumentamur. A quo ſaltem plæræque rerumpubl. differentiæ ac varietates, earundem item potiſſimum cum bona tum mala habitudo, id dubio procul erit objectum legum publicarum. Atqui ſenatus, magiſtratus & judicium ſunt tria illa, a quibus plæræque rerumpubl. differentiæ ac diſpoſitiones dependent; Ergo hæc tria erunt objectum ſaltem inter prima, legum publicarum. In ſenatu ſane quaſi cardo reipubl. vertitur, adeoque eum formare, certisque legibus firmare, prima majeſtatis cura eſto. *Ego*, inquit Salluſtius, *multa legendo & audiendo ita comperi; omnia regna, civitates, nationes usque eo proſperum imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerunt; ubicunque gratia, timor, voluptas eas corrupere, poſt paulo imminuta opes, deinde ademtum imperium, poſtremo ſervitus impoſita eſt.* Secundo majeſtas in id labo-

 rare

rare debet, ut magiſtratus & judicia ſcopo reipubl. conformiter inſtituantur. Ad quatuor autem veluti ſumma capita in ſingulis reſpicere debet. Sunt illa: Quis, quid, quatenus, & quomodo, ab Ariſtotele dudum notata: quorum quodlibet variat prout variant reſpubl. Nos ſumma hæc capita leviter duntaxat attingemus.

XXXI. Fundamenta legum, quæ circumſtantiam quis determinant, duo ſunt, amor erga ſtatum & prudentia univerſalis, tum particularis, in iis, quæ tuæ ſunt reipubl. aut earum, cum quibus tibi negotii quicquam intercedit, verſans. Hæc ut poſſis, ille ut velis præſtat. Quæ duo in rebus agendis utramque conficiunt, ut ita dicas, paginam. In legibus quæ Quid circumſcribunt, videndum, quæ tute ipſe majeſtate fulgens, aut non potes, aut non debes; Hæc nulla alia, ſenatui, magiſtratibus, judicibus committe. Legum quatenus concernentium, fundamentum eſt, ne quicquam de abſoluta poteſtate imminuatur, neve inſolentiæ alicujus anſa detur. τὸ quomodo oſtendet conditio ſtatus. Conſtabit igitur, leges quæ de magiſtratu, ſenatu & judicio feruntur, publicas eſſe. Sub his eccleſiaſticæ quoque comprehenduntur, quæ in deliberationibus, publicis non ultimo loco ponendæ. Igitur leges publicæ ſunt. [1] de religione, ſeu rebus ſacris, [2] de legibus, [3] de bello ac pace, [4] de fœderibus ineundis vel diſſolvendis, [5] de vectigalibus, [6] de re monetaria, [7] de importandis & exportandis, [8] de ſtudiis, diſciplinis & artibus civium, [9] de poſtis, & ſimilibus quam multis, quorum quidem uſus eſt in vita civili.

XXXII. Et vero quia ſacra in ſenatu, a magiſtratu etiam, & denique in judiciis agitantur, hinc trium generum leges eccleſiaſticas in republ. ſua majeſtas ferre cum poteſt, tum debet. Huc ſpectant conſiſtoria, quæ poſt ſacrum codicem agendis eccleſiaſticis h. e. poſitivis humanis legibus utuntur. In condendis autem legibus eccleſiaſticis homines ſcripturæ & antiquitatis peritiſſimos adhibeat, probe memor illius: *Fieri quod debet, cum multis tracta, quid facturus ſis cum paucisſimis.* Cum primis caveat, ne verbo Dei adverſos, inutiles, & otioſos, oneri fidelibus futuros canones vim legum habere faciat; licet ſint, qui aliter cenſeant. Neve illos attendat, qui in contraria abeunt, frena libertatis chriſtianæ nimium laxantes; atque ſacra limitibus minime circumſcribenda dictitantes. Et quia nil æque tranquillitati reipubl. contrarietur, quam diſcordia, adeoque nulli alii rei magis occurrere debeat majeſtas; idcirco otioſis, frivolis, inutilibus quæſtionibus, diſputationibusque theologicis interdicat omnibus. Poteſt quidem & debet diſſenſus aliquis cum concordia ſtare; aſt mores hominum ſi ſpectemus, deprehendimus, diſſenſionem ſæpiſſime in religione aut religionem attinentibus diſcordiæ quaſi matrem eſſe. E re igitur reipubl. erit, ut quoad licet, omnes in religione idem teneant. Idem quoque teneant omnes, quantum fieri poteſt in ritibus: quoniam talia, veluti externa, vulgus inconditum vel maxime revereri ſoleat. Habeat quoque majeſtas rationem vicinarum rerumpubl. ita tamen, ut ſi nihil prohibeat, idem in ſua republ. faciat, fierive curet, quod in vicinis obſervari deprehendit. Iſta rituum Eccleſiaſticorum identitas, mirum quantum ad ſtabiliendam civium amicitiam ac concordiam faciet. Mores quoque clericorum componere, legum eſt opus, uti etiam ex novellis conſtitutionibus 6. & 123. videre eſt. Anne autem in legibus eccleſiaſticis ſtatui ſno deſervire debeat ſumma poteſtas? Cum ſermo ſit de legibus eccleſiaſticis poſitivis humanis, hæ quin ſtatui accommodari poſſint non eſt, quod dubitemus. Omnia namque, excepta ipſamet religione, ſtatui conformanda.

XXXIII. Sacris communiter civilia contradiſtinguuntur, unde legibus eccleſiaſticis ad rationis tenorem conſtitutis, civiles ſanciendæ. Ubi primo illæ ſeſe offerunt, quæ legum ferendarum interpretandarumque poteſtatem ac facultatem concernunt. Nam cum majeſtas ipſa per ſe nbique eſſe nequeat, cogitur quaſi Præſides provinciarum conſtituere, iisdemque facultatem aliquam legislativam impertiri. Ut autem hæcce facultas intra debitos ſeſe contineat limites, legibus cavendum. Hæ leges publicæ dici merentur, cum magiſtratus concerneant. Poſt has, quæ bellum & pacem attinent, conſtituenda. Ubi legibns determinandum, quinam & quales cives ſeu ſubditi, domi arma habere aut tractare: deinde cujusnam generis armis & quatenus exerceri, conveniat. Hujus præcepti negligentior ipſe Rex hiſpanus, fœderato excidit Belgio. Leges etiam ferendæ, juxta quas diſciplina militaris inſtituenda. Sint autem hæ rigidiores, ita tamen, ut mitius lectus quam mercenarius, habeatur miles. In pace ne otio torpeant videndum. Milites namque maxime nihil agendo male agere diſcunt. Militares ſeditiones plerumque ex otio, abundantia & ſolitorum munerum intermiſſione oriri, a Forſtnero ad Tacitum egregie eſt annotatum. Exempla legum militarium, partim olim romana, partim hodie turcica, reſpublicæ vere militares, prudenti legislatori ſubminiſtrabunt.

XXXIV. Tertio & vectigalia ſub poteſtate legislatoria majeſtatis habentur. Quamvis autem in iſtis plurima poſſit ſumma poteſtas, non tamen omnia debet. Ea ſcilicet debet, quæ ad αὐτάρκειαν reipublicæ faciunt. Quibus igitur hominibus, quibus deinde rebus, & denique quanta vectigalia ſint imponenda ipſi ſpectandum. Hæc autem omnia αὐτάρκεια determinabit. Non facile aliquem a vectigalibus immunem præſtet, niſi quem pleræque cultiores gentes exemtum volunt, veluti ſunt ſtudioſi. Nec etiam limitanei, reipubl. contrariæ viciniores, omnes, qui ſeſe dominio tuo ſubducere vel poſſunt, vel volunt, ita gravibus vectigalibus onerandi, uti illi, qui in meditullio civitatis ſiti ſunt. Diſtinguat inter ea quæ neceſſitati & quæ voluptati, luxui & deliciis hominum inſerviunt. in hæc magna, in iſta aut nulla, aut exigua vectigalia imponat. Ita lege ſtatuere, ut pro chartis luſoriis, pro tabaco, pro ſindone & ſerico multum

tum vectigalis ſolvatur, par eſt, & juſtum, & exemplis Anglorum, Batavorum, aliorumque comprobatum. In quantitate nulla modum excedet, ſi iterum neceſſaria & ad luxum ac voluptatem facientia ſeparaverit, nec non firmiter ſibi perſuaſum habuerit, illam demum rempubl. dives ærarium ſibi comparaturam, quæ minora, quam in vicinis rebuspubl. exiguntur, imperaverit. Faciat denique majeſtas in legibus ſuis diſcrimen, inter exportanda, importanda & tranſeuntia; & ita hic ſe gerat, ut omnes intelligant, utilitati & neceſſitati ſtatus parendum. His intenta non quævis vel importari vel exportari ſinet, ſed cum diſcrimine eorum, quæ ad vitam commode tranſigendam, & ad luxurioſam faciunt, quæ item ſufficientia, quæ ſuperflua. Huic fundamento innitur lex de non exportandis frumentis, tempore annonæ, vulgo dicititur *der Zuſchlag*.

XXXV. Sed & de re numaria leges ferre, intererit reipubl adeoque ſummæ poteſtati incumbet. Eſt namque numus inſtrumentum permutationum, ſine quibus civitas nec durare, nec conſiſtere poteſt Leges monetariæ concinne ſecundum quatuor cauſas diſtinguuntur. Nam videndum primo, ne promiſcue & absque diſcrimine pluribus jus monetæ concedatur, in quo aliquando & in noſtro imperio peccatum. Ne is, cui jus cudendi monetam conceſſum, id alteri locet, vendat, aut alia ratione alienet. Conſtituantur Wardini, qui numis probandis ſæpius operentur. Nonniſi periti ac fideles monetarii admittendi. Secundo, ne ex alia materia, quam ex auro, argento & ære, ex illis majores, ex hoc viliores, numi conſiant, ne viliorum numorum multitudine laboret reſpublica. Aut ex puro metallo fiant numi, aut ſi ex miſto, pes præſcribatur: pondus numorum lege determinandum: cultura fodinarum non negligenda, nec ut aurum vel argentum exportetur facile, concedendum. Tertio, numi habeant valorem conſtantem. Eſt numus nunc fidejuſſor nunc menſura. Fidejuſſor in emtionis & venditionis contractu: menſura in permutationibus. Et fidejuſſor & menſura ſit immutabilis neceſſe eſt. Quarto videat majeſtas, ut numi a ſe cuſi apud eos, cum quibus neceſſario ſuis civibus commercia intercedunt, in pretio ſint: ne numus in maſſam reſolvatur: ne malæ notæ numi importentur exportentur contra probi commatis: ne denique ex re monetaria quæſtus fiat. Hæc, ni fallimur, ſunt fundamenta legum monetariarum, quarum compagem vide, ſis, in receſſ. imp. d. an. 1551. 1559. maxime, 1570. 1596.

XXXVI. Quæ etiam diſciplinæ & artes in republ. tolerantur, a quibus docentur vel diſcuntur, & quatenus ſummæ poteſtatis arbitrio reſervatum. In his obſervandum, quæ diſciplinæ ſint ſtatui noſtro convenientes. Sunt autem diſciplinæ, habito reſpectu ab rempubl. in triplici differentia: quædam ſtatui prorſus repugnant; quædam ſtatum nulla ratione attingunt: quædam ſtatui accommodæ ſunt, ita ut ei ſubſerviant. Iſtas inculcare ſuis ſubditis & civibus curabit, illas lege poſita improbabit: has permittet. Cumprimis videat, ne omnibus pateat aditus ad Gymnaſia & Academias, quod ita multos doctiſſimos, paucos ſtudioſos habitura ſit. Huc ſpectat delectus ingeniorum, quem Plato in ſua republ. inſtituit, a nobis hactenus neglectus.

XXXVII. Ut judicia & jura ſacro ſancta ſint, juſtitiæ capitales peſtes, legibus ad id poſitis, abolebit majeſtas. Tres autem juſtitiæ peſtes communiter numerantur: corrupti judices, litium diuturnitas, & advocatorum inſcitia atque improbitas. Remedia ſordibus & corruptionibus judicum tollendis aut coercendis præſcripſit Chriſtoph. Forſtner. *in not. Pol. ad Tacit. p. 307. & ſeqq.* Nec judex, nec patronus a clientibus quicquam accipiat, priusquam lis deciſa eſt, cavendum accurate. Accurate cavendum, ne quivis in foro cauſas aliorum agat, ſed qui publica autoritate ad id conſtitutus, & jurejurando ad certa capitula ſeſe aſtrinxit. Ne æternæ ſint lites, tempus actionibus præfigendum. Verum hæc & hujus generis alia perſequi, noſtrum inſtitutum jam quidem non patitur; pergimus propterea ad leges privatas.

XXXIIX. De his poſteriori loco differendum. Harum autem aliquæ ſaltem, juri publico conformandæ. Norma autem, prior normato cenſetur. *Aliquæ*, dicimus; nam ſunt leges privatæ, quæ ſtatum nullatenus attingunt, quod probatu erit haud difficile. Nam jus privatum, quo hodie regimur, bonam partem in diverſiſſimis, imo contrariis resbuspubl. viget, adeoque leges omnes privatæ ſtatum reipubl. afficere nullatenus videntur. Habent republ. in quo conveniunt, rectæ præſertim, omnes; veluti ſunt negotia quædam privatorum. Quæ vero leges privatæ ſtatum attingunt, illarum gradus notandi: nam nunc longius, nunc propius a ſtatu abeunt, id quod prudentis eſt diſcernere legislatoris. Cæterum ut conſtet, quas leges privatas majeſtas condere debeat, nonnulla ὡς ἐν τύπῳ dicemus, reliqua in aliud tempus reſervaturi. Notum eſt, civitatem ex vicis, hos ex familiis, familias ex ſocietatibus conjugali, herili & paterna proxime componi atque conſtare: jam vero civitas totius, reliquæ ſocietates partium & membrorum rationem habent *l. 8. Ethic. cap. 9.* Uti porro partes ſunt propter totum, ſic & minores ſocietates propter totum, civitatem ſcilicet. Omnis quoque ſocietas ſuo jure ſtat, caditque contrariis. Jura autem, quæ ſocietatem, ut totum conſervant, publica ſunt: quorum fundamenta ex parte expoſuimus. Quæ vicum, familiam, ſocietates item, conjugalem, herilem & paternam conſervant, vel conſervare creduntur, privata omnia ſunt, nec alia reperiuntur. Quot namque ſocietates, tot opus eſt legibus.

XXXIX. Ex his cuivis liquet, quis ordo in conſtitutione legum privatarum obſervandus. Uti Politicus civitatem in ſuas parteis reſolvens, de iis primo loco agit, quæ ſunt primæ origine & tempore, ita & legislator legum privatarum ſeriem in quinque quaſi tabulis diſponere poteſt.

In

In prima leges conjugales, & in ultima leges, vicum concernentes, exponendo. Quæ vero illæ ſint, aut eſſe frequenter debeant, ex codicibus juris romani abunde conſtare poteſt. Hi enim ſunt illi nunquam ſatis laudandi codices, qui, quæ de negotiis, quæ unquam inter privatos oriri poſſunt, ex fundamentis rectæ rationis & veris juris naturæ principiis, veluti ex genuino fonte, derivant. Rem igitur laudabilem præſtiterit majeſtas, ſi leges romanas privatas in uſum ſuæ reipublicæ tranſire ſinat; eousque tamen, donec ſtatus forte aliud ſuaſerit. Et ſane interdum cogitur majeſtas etiam codicem legum juſtinianearum approbare, cum non habeat, qui meliora, qui plura, qui ita pene omnia negotia humana, uno in volumine exhibeat. Ipſis Turcis romanum jus magno æſtimatur pretio, ita, ut in ſuam illud tranſtulerint linguam, & ſecundum id privatorum negotia decernere ſoleant; ſi quidem credimus I. Leunclavio id referenti præfatione in Paratitla abs ſeſe edita.

XL. Quod ſi plures alias ferat majeſtas, ad honeſtum, neceſſarium & utile reſpiciat. Utilitas eſt ſuprema lex. Neceſſitas legem non habet, omnia autem legitima facit. Alias, quas Canonici doctores ex Iſidori *lib. 2. origin. c.* 10. memorant, bonæ legis conditiones & requiſita, ſummæ poteſtati ob oculos ponimus. *Erit*, inquit ille, *lex honeſta, juſta, poſſibilis, ſecundum naturam & patriæ conſvetudinem, loco temporique conveniens, neceſſaria, utilis, manifeſta quoque, ne aliquid per obſcuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, ſed pro communi civium utilitate conſcripta.* Præterea, ne nimis multæ ſint leges, ſumma cautione opus eſt; nunc quidem quam maxime, ubi leges ſunt malorum advocatorum latibula prætextus & mantellum. Vulgo ex multitudine legum corruptum reipubl. ſtatum colligere ſolemus, verum nobis corruptiſſima republica plurimas leges fuiſſe ex Taciti 4. *annal.* conſtat, ſed non licet converſione propoſitionis inferre, plurimas leges facere corruptam rempublicam.

XLI. Quæ autem conſtituta ſunt, & in uſum reipublicæ tranſierunt, non temere ſunt abroganda, nec alia ſurroganda, niſi evidens neceſſitas id poſtulaverit. Ab omnibus annotatum, quod Cleon apud Thucydidem *lib.* 3. ait, ſatius eſſe malas, ſed immotas leges habere, quam bonas & inſtabiles. Nam & ſua reverentia legibus, etiam legislatoribus perit. Locum hunc pertractat Ariſtoteles *lib. 2. polit. cap.* 6. *Quando*, inquit, *extiterit, quod melius eſt parvum, aſſueſcere autem facile, leges ſolvere malum, perſpicuum eſt, oportere errata quædam legislatorum & magiſtratuum finere. Neque enim tantum emolumenti capiet, qui moverit, quantum detrimenti aſſvetus non parere imperium in ſe habentibus. — Quare facile migrare e legibus, quæ jam ſunt, in alias novas leges, eſt imbecillam reddere poteſtatem legis.* Ideo Zaleucus, ut leges muniret mutandi difficultate, conſtituiſſe dicitur, ut ſvaſor abrogationis loqueretur ad populum collo in laqueum inſerto, ſtrangulandus niſi perſvaſiſſet. Alias, ut aliarum rerum, ita legum quoque acria initia eſſe ſolent, incurioſus finis. Unde leges, aliaque de rebuspubl. privatisque ſtatuta, crebro ad ſua initia revocanda ſunt, ſvadente etiam Machiavello. In caſu vero neceſſitatis, uti pene quidvis facere, ita & leges mutare conceſſum. Non eſt autem, quod ſæpius evenit, ſibi neceſſitas aliqua fingenda. Cum vero in eas anguſtias perveneris, ut aut violatis legibus ſalva reſpublica poſthabitis legibus neceſſitati obtemperas.

XLII. Conditis legibus ſeveritatem impartiatur majeſtas, auctore philoſopho *in Rhetor. ad Alex. cap.* 3. Scilicet inermes leges, juſſaque præſidio deſtituta, vana plerumque ſunt, & effectu carentia. Quia apud pleroſque plus pœnæ metus, quam obſequii amor poteſt. Pœnæ vero non nimium exaſperandæ, ne animi civium exaſperentur. Sunt autem pœnarum, quæ legibus, veluti appendices, adjungendæ, octo potiſſimum genera, nempe damnum, vincula, verbera, talio, ignominia, exilium, ſervitus & mors, uti ea ex Iſidori *lib.* 5. *etym. cap.* 27. recenſent Juris Doctores.

XLIII. Quod ſtatuta attinet, notanda initio ſunt verba Conſultiſſimi Mævii, quæ habet ad jus Lubec. *qu.* 1. *n.* 45. *p.* 13. *Plaraque*, ait, civitatum ſtatuta, *imo fere omnia non pro lege ſcripta*, hoc eſt, *ea, quæ publice ſancita & lata fuit, habenda ſunt; ex legibus & moribus caaluiſſe veroſimilius eſt, tandem tamen in ſcripturam redacta.* Ex his quodammodo colligere licet, quid majeſtas circa ſtatuta debeat. Statuta pleraque ex moribus populi quaſi fluunt, idcirco ipſis aliquid dabit ſumma poteſtas, nam moribus populi adverſum eſſe, nunquam proſpere ſuccedet. Atque ita quidem ſe res habet, quoad ſtatuta hactenus a populo uſurpata. Cætera, quæ dies ſecum feret ſtatuta, in his non ſibi, non libidini plebis, ſed ſtatui deſerviet. Privilegia Boccalinus lapides ſcandali, ſeminarium Zizaniorum non ſine cauſſa dicit, idcirco & cautione hic pereſt opus. Nec nulli, nec omni, neve facile, ſed iis, qui aliquo bono civili aut præſtantia beneficiorum in rempubl. excellunt, privilegia indulgenda. Non qui tibi, Princeps privatim, ſed qui reipublicæ profuit, aut prodeſſe poteſt, immunitatibus & privilegiis gaudeat. Denique cum jus, quod in contractibus & permutationibus perpetuo ſit obſervandum, a majeſtate conſtitui non poſſit, hinc privatis libera contrahendi facultas concedenda, adeo ut, quod inter privatos geſtum, ratum habere velit, ac ſi id ſemper a magiſtratu ſciente confirmatum eſſet. Spectat huc *lex* 7. §. 7. *ff. de pactis.* Pacta, quæ rata habere debet majeſtas, non ſint contra leges publicas, bonos mores, impoſſibilia, dolo, errore, in damnum tertii inita, neque in fraudem legis, volumus. Atque hactenus de poteſtate & officio majeſtatis, circa leges publicas, privatas, privas & privatorum, pro inſtituti ratione ſatis; non quicquam docere, ſed ſuperioribus induſtriam noſtram probare ſatagentes. Meliora Meliores.

HER-

HERMANNI CONRINGII PRÆFATIO JOHANNIS BOTERI TRACTATUI DE RATIONE STATUS PRÆMISSA.

MDCLXVI.

HERMANNUS CONRINGIUS *BENEVOLO LECTORI* S. P. D.

Magnum eſt in politicis magiſtris nomen JOHANNIS BOTERI: & quidem jure merito. Quod enim nemo alius magiſtrorum iſtorum poſt Ariſtotelem aggreſſus fuit, id primus feliciter ſatis expedivit: editis ſcilicet in lucem illuſtrium quarumque ævi ſui rerumpublicarum deſcriptionibus, idque non uno volumine. Etenim eodem pene tempore etiam ſeſe hoc in genere præſtantem JOHANNES BODINUS oſtendit quidem: quoniam tamen ipſi politicæ doctrinæ omnia ejusmodi miſcuit, ac plerumque perintempeſtive, eo ipſo, ut toti operi, cæteroquin non aſpernando, obſcuritatem induxit, ita non perinde juſtum fecit pretium operæ. BOTERUS autem ſuo illo libro & lectores longe plures invenit, & admiratores, quod ex frequente libri cum editione, tum varias in linguas verſione deprehendere eſt. Quamvis enim etiam ille nullius reipublicæ omnia ſit perſecutus, imo ne potiſſimam quidem partem (quam multa enim etiam alia ad plenam reipublicæ cujusque ſingularis notitiam requirantur, ſuo loco, niſi fallor, ſatis eſt a nobis oſtenſum,) neque ubivis veritatem ſit aſſecutus, multo minus ita quælibet deſcripſerit, ut noſtræ quoque tempeſtati omnia conveniant: ignoſci tamen hoc illi merito debet, quoniam integre omnia ne quidem ab uno aliquo ſciri poſſunt, ſaltim non temere iſta, quæ ſtudio occultantur, deſcribere autem talia, non minoris fuerit periculi, quam ſi Eleuſinia proderes; in nonnullis etiam haud interdum falli, excedit vires omnium, quamvis prudentiſſimorum, atque unice reipublicæ alicui inſervientium: & denique nulla respublica non perpetuam patitur mutationem, ut proinde non minus ſit ἀδύνατον, unam dare immutabilem reipublicæ alicujus deſcriptionem, atque picturam hominis, quæ omnibus ejus annis conveniat. Utque fortaſſis ne quidem hæ excuſationes defendendo Botero ſufficiant (neque enim hoc ago) nihil tamen illius quidem operis non amoenum eſſe, & lectu digniſſimum, vel livor ipſe auſit negare. Idem vero Boterus & ipſam politicam doctrinam libris variis tradere eſt conatus: atque itidem diverſis voluminibus. Quamvis autem non ſit aſſecutus Ariſtotelis ἀκρίβειαν, nec perinde atque ab illo eſt factum, omnes rerum publicarum ſpecies ac differentias ſit perſecutus: nihil tamen non præclarum eſt, & ad civilem uſum perquam commodum. Laxe enim omnia docuit, & multis hiſtoriis ita illuſtravit, uti ad eorum, qui non aſſuevere ſubtili & preſſæ tractationi, captum atque indolem cuncta ſint aptiſſima. Horum autem numerus in communi vita multo eſt maximus. Paucos enim reperias, qui Philoſophia civili ipſa gaudeant: plærique πραγματικοὶ eſſe volunt. Qui proinde etiam ipſi idonea ſcriptione ſunt adjuvandi, quo reipublicæ fructum adferant. Enim vero, ut Ariſtoteles omni in Philoſophiæ genere faciendum eſſe ſuo exemplo monſtravit, ſic etiam cumprimis in politicis duo librorum genera eſſe debent, limatius alterum, & undique exactum, popularius alterum & magis ad communem populi uſum. Sicut primi ordinis autem ſunt Ariſtotelis τὰ πολιτικὰ, quæ hodie quidem adhuc ſuperant: Ita Boteriana, ſecundi. Eoque optarim equidem etiam hæc omnia eam eſſe in linguam traducta, ut a cujusvis populi ſaltim mediocriter eruditis, qui ad rempublicam gerendam appellunt animum, legi poſſint. Verum ille ſcripſit Italice, quaſi ſolis Italis voluerit prodeſſe. Qui mos hodie inoleſcere incipit etiam aliis in gentibus, magno & ſcribentium pariter & diſcentium damno, cum in promptu ſit lingua univerſæ ſaltim Europæ doctioribus quibusque communis: qua qui docet, univerſam Europam inſtituit maximo uſu plurimorum legentium pariter & famæ ſcriptorum propriæ emolumento. Cum autem LUNDENII noſtri ſtudio, jam tum præter illas, quas initio laudavimus, relationes, ſive de præcipuis ævi noſtri rebuspublicis narrationes, prodiiſſent, & nuper libri tres Boteriani de urbium prudente conſtitutione ac regimine, nunc autem aliud opus, quod de Illuſtrium ſtatu & Politia nonnulli inſcribunt, in quo potiſſimum ea, quæ ad regnum & principatum attinent, perſequitur, laudabili ejusdem cura in lucem denuo ſit protractum, ut reliqua omnia, ita hoc inprimis opus, commendare, atque ad hujus lectionem diligentem, te Lector Benevole, invitare, duxi eſſe officii mei. Neque enim is ego ſum, qui, quod nonnullos ſolere audio, non temere aliis præſtantiam alieni laboris laudemque ſive invidia, ſive ut lateat commiſſum forte plagium, tribuunt. Mihi vero nihil gratius fuerit, quam ut cuivis omne ſcriptorum genus ex merito ſit cognitiſſimum, idque adeo, quod eſt optimum omnium, teratur ſtudioſis manibus. Quodſi profecto ex hiſce etiam Boteri libris commodi aliquid in rempublicam redundaverit, (id quod non dubito polliceri) multum equidem lætabor. Helmſtadii Non. Martii MDCLXVI.

HERMANNI CONRINGII
DISSERTATIO
DE LEGIBUS.

Die XXIIX. Januarii MDCLXVI. habita.

RESPONDENTE

AUGUSTO *Gieſe.*

Theſis I.

Lex non a ligando, ut ſcholaſtici nonnulli arbitrantur: ſed a legendo, ſive quod publice legeretur, ita dicta eſt, ſive quod e multis, quæ fieri poterant conſultatione quadam lecta, id eſt, delecta eſſet.

II. Varie a variis accipitur. Proprie tamen ſignificat id, quo imperatur vel prohibetur aliquid vitæ humanæ, uſurpaturque 1. Late, ut includat & jus naturæ & conſuetudinem. 2. Strictius, & opponitur, 1. Naturæ, 2. Conſuetudini, 3. Plebiſcito & cæteris romani juris ſpeciebus.

III. In prima illa & latiori ſignificatione accepta lex eſt regula humanarum actionum, a majeſtate præſcripta.

IV. Quando regula lex dicitur, notandum hîc eſt, 1. excludi a legum appellatione conſilia, permiſſiones, & alia hujusmodi, honeſta quidem, ſed ita non obligantia, ut contra agere peccare ſit, aut agere non recte. Regula enim eſt, ſecundum quod aliquid rectum eſt, vel non eſt. 2. Leges non eſſe illa ſingularum actionum præſcripta, v. gr. Quando Noah jubetur exſtruere arcam, Abrahamus mactare filium &c. Regulæ enim eſt eſſe plurium, ſive ad plura applicari. 3. Vim ac nomen illis legibus perire, quas judex mentita æquitatis ſpecie in omnes partes flectere poteſt & reflectere. Regula enim rigida eſt, nec Lesbia illa, plumbea, flexili proprium regulæ nomen meretur. *Vide Bod. de republ. n. 751.*

V. Objectum legis ſunt actiones humanæ: rationales nimirum, ſolæ, uti liberæ, ita juſti atque injuſti, præmii pœnæve capaces. Solæ dico. Nam 1. bruta & quorum ſe ratio non exſerit, furioſi, infantes, quoniam intellectu atque arbitrii libertate deſtituuntur, nihil agunt, quod poſſint objecto præſente & poſitis omnibus ad agendum requiſitis, etiam non agere, & conſequenter nihil, quod juberi vetarive, præmio aut pœna affici queat, 2. Hominis actiones omnes hujusmodi non ſunt, ut juſtæ poſſint & injuſtæ dici. Etenim, ſi omnis hoc loco actionum diſtinctio, ab agendi aut non agendi facultate ſumenda eſt, (uti profecto eſt) ſequitur, vegetativas nullo modo ſub legem cadere, ſenſitivas eatenus, quatenus rationis imperio ſubjacent.

VI. Efficiens cauſa legis eſt majeſtas, cujus & primum, & proprium, & incommunicabile jus eſt, leges præſcribere, & velle jubere, quod civium in republica actiones conſtringat. Signanter dico, jubere, item: leges præſcribere. Aliud enim eſt, ſcribere leges, aliud præſcribere. Sive, ut explicatius dicam. Aliud eſt deligere aliquid & proponere, quod, ſi ſanciatur, lex eſſe poſſit: Aliud jubere in ipſum, atque autoritate ſua, ut lex ſit, efficere. Hoc voluntatis opus eſt, illud intellectus. Hoc nemo poteſt præter eum, qui ſummæ rei præeſt. Illud etiam alii, majeſtatis minime participes. v. gr. Prudentes, qui Principi legem juſſuro a conſiliis ſunt: Magiſtratus item, quorum in republica jus eſt leges ferre (proprie loquor & romano more) populumque rogare, velint jubeant, id quod a ſeſe promulgatum eſſet, valere. Ita etiam leges ſcripſerunt, non præſcripſerunt, Spartanis Lycurgus, Athenienſibus Solon, Romanis ſuis Romulus, Numa & cæteri, qui in rebuspublicis non monarchicis legum latores audiunt.

VII. Ultima definitionis voce ad legem, ut præſcribatur, requirimus, id eſt, 1. ſanciatur, 2. promulgetur (utrumque vocabuli unius vis, ſi attendas, complectitur.) A ſanctione quomodo omne ſuum eſſe lex habeat, ex antecedente theſi ſit perſpicuum. Non minus certe ad efficaciter obligandum neceſſaria eſt promulgatio. Nam lex eſt regula & menſura actionum: vana autem eſt regula, niſi operantibus applicetur, quod fieri non poteſt, niſi per ejus notitiam, *vide Thomam Aq. 1. 2. q. 90. art. 4. Dom. Soto. q 1. art. 4. de Juſt. & Jur.*

VIII. Definitio legis ſatis, ni fallor, explicata eſt. Quod præterea a Cicer. *lib. 1. de L. L.* Thoma 1. 2. *q.* 92. *art.* 1. Dom. Soto. *q.* 2. *art.* 1. *de I. & I.* Franc. Picc. *gr.* 10. *c.* 24. Gregorio de Valentina, & aliis, ad legem tanquam maxime eſſentiale pertinere, putatur, ut juſta ſit, uſuque ex publico conſtituta, ad certam fortaſſe legis qualitatem, bonitatem nimirum facit aliquid, ad eſſe certe non requiritur, uti probat hoc ſufficientiſſime clariſſimus Hornejus, præceptor meus colendus. *lib. 4. civ. doctr. cap. 3.*

IX. Jam quotuplex ſit lex, videamus. Dividitur autem primo ratione cauſæ efficientis in divinam, quæ a divina majeſtate eſt, & humanam, quæ ab humana. Divina porro dividitur in naturalem & poſitivam.

X. Lex naturæ (definiente Grotio *lib. 1. c. 1. de jure belli & pacis*) eſt dictatum rectæ rationis, indicans, actui alicui ex ejus convenientia aut diſconvenientia cum ipſa natura rationali ineſſe moralem turpitudinem aut neceſſitatem moralem, ac conſequenter ab autore naturæ Deo talem actum aut vetari, aut præcipi.

XI. Eſt

XI. Eſt autem hæc eadem, quæ alias, quia omnibus gentibus a Deo præſcripta eſt, gentium lex dicitur. Cicero *lib.* 3. *offic.* Neque vero (inquit) hoc ſolum natura, id eſt, jure gentium, ſed & legibus populorum eodem modo conſtitutum eſt, & alibi: Omni in re conſenſio omnium gentium, lex naturæ putanda eſt. Apud Xenophontem *libro de dictis & factis Socratis*, elegans eſt hac de re locus, & dignus adſcribi. Ἀγράφους δὲ τινας οἶσθα, ὦ Ἱππία, νόμους &c. *Noſti etiam o Hippia, leges quasdam eſſe non ſcriptas? nempe eas dicis, inquit, quæ apud omnes gentes peræque obſervantur. Poteſne igitur, inquit, dicere, illas ab hominibus latas eſſe? Quomodo, inquit, qui neque unum in locum omnes convenire, neque ſermone uno uti poſſint? A quibus ergo leges iſtas latas arbitraris? Equidem a Diis arbitror eas datas hominibus fuiſſe. Et enim apud omnes gentes prima illa poſita lex eſt, ut Deum veneremur. Præterea lex ubique eſt, ut honorem parentibus deferamus.* Hæc ille.

XII. Præcepta ejus ſunt vel principia vel concluſiones. Principia appello, quorum veritas absque longe repetito diſcurſu patet. Qualia ſunt: Cole Deum, honora parentes, vive honeſte, læde neminem, ſuum cuique tribue, fac alteri, quod tibi fieri vis &c. Alterius generis ſunt, quæ a principiis per cogentem & neceſſariam conſequentiam deducuntur, ſive propinquiora illa ſint, habeantque promptam & facilem cognitionem, ut non eſſe occidendum: ſive remotiora ſint, quæque difficilius & fere a doctis tantum inferuntur, v. gr. Non eſſe ob idem delictum eadem pœna pecuniaria (quinquaginta forte vallenſium) afficiendos, illum, qui decem millia in ære habet, aliumve qui centum tantum. Aliud exemplum affert clariſſimus Hornejus hoc loco quem vide.

XIII. Male Ulpiano *l.* 1. *ff. de Juſt. & Jure* lex ea naturalis dicitur, quam natura omnia animalia docuit, quæque adeo non humani generis propria, ſed omnium animalium, quæ in cœlo, quæ in terra, quæ in mari naſcuntur, communis eſt. Sive enim, ut ſonant, verba intelligas, non debuit ad bruta, uti rationis, ita juris expertia lex naturalis extendi, ſive malis cum Cujacio in eum ſenſum detorquere, ut quæ bruta faciunt incitatione naturali, ea ſi homines ratione faciant, jure naturæ feciſſe dicantur, non erat hoc in juris ſive legum diſtinctione magnopere attendendum, cum ad legis naturam parum, vel nihil referat, ſitne actus, quem præcipit, homini proprius, an cum animantibus aliis communis.

XIV. Male etiam ad legem naturæ a multis referuntur: libertas, vis atque injuriæ propulſatio, maris ac fœminæ conjunctio, liberorum procreatio, & alia hujusmodi a natura quidem deſcendentia, a lege naturæ nequaquam. Sunt autem diverſa, eſſe a natura, & eſſe a lege naturæ, quove confundantur magis, eo accuratius ab invicem diſtinguenda. Naturalia ſive a natura eſſe dicuntur etiam illa 1. quæ natura permittit tantum, 2. ad quæ inclinat, 3. quæ honeſta eſſe indicat, etſi non debita, 4. quibus natura non repugnat, quæve ideo juſta dicuntur, quia injuſtitia carent &c. A lege naturæ ſola illa ſunt, quæ jubet natura, ut fiant vel non fiant, quæve adeo ſive peccato nequeunt omitti, ut educatio liberorum &c.

XV. Sunt ergo a lege naturæ actiones virtutum omnium, non omnes, cum quædam earum ſint a ſolo humano inſtituto, multæ etiam libere ſine obligatione ſuſcipiantur. Contra naturam ſunt non omnium ſolum vitiorum actiones, ſed omnes etiam, nec enim aliqua in ſe vitioſa actio eſt, quam vitare a natura non jubeamur. Ubi notandum tamen eſt: duobus modis peccata vel vitia contra naturam dici. *Natura enim hominis* (verba ſunt Thomæ 1. 2. *q.* 94. *art.* 3. *ad* 2.) *poteſt dici vel illa, quæ eſt propria hominis, & ſecundum hoc omnia peccata, in quantum ſunt contra rationem, ſunt etiam contra naturam: vel illa, quæ eſt communis homini & aliis animantibus, & ſecundum hoc quædam ſpecialia peccata dicuntur eſſe contra naturam: ſicut contra commixtionem maris & fœminæ, quæ eſt naturalis omnibus animalibus, eſt concubitus maſculorum, quod ſpecialiter dicitur vitium contra naturam.*

XVI. Habet lex naturæ præ cæteris duo maxime peculiaria. Unum, quod poſitivæ leges materiam ſuam, actiones nimirum ante indifferentes ſpecificant, & bonas faciunt præcipiendo, malas vetando, naturales vero actiones, quoniam ex ſe & ratione ſui decent vel dedecent, honeſtæ vel inhoneſtæ ſunt, idcirco eas debitas facit vel illicitas, jubet vel prohibet. Alterum, quod poſitivæ leges tam divinæ quam humanæ a liberrima ſummæ poteſtatis voluntate & conſtitutione dependent, ac tolli, mutari, laxari poſſunt, quoties earum latrici majeſtati vel libet, vel publica e re eſſe videtur; naturalis vero, tanquam radius quidam æternæ legis, imo ipſa æterna lex humanæ naturæ quodammodo impreſſa & participata, non magis mutabilis aut ſublatilis eſt, quam ipſe Deus.

XVII. Eſt autem hæc boni malique diſcretrix notitia, humanæ naturæ a Deo inſita, & quemadmodum una omnium natura eſt, ita omnibus & ſingulis quaſi connaſcitur, tum demum cum effectu promulganda, cum ratio ſe cujusque incipit exſerere. Nec obſtat, quod multas apud gentes, non illas ſolum, quæ omni humanitate exutæ quaſi obbrutuerant, ſed moratiores etiam, plurima contra naturæ tam principia, quam concluſiones fuerunt & moribus recepta & legibus ſtabilita. Nam prava educatio, & publica peccandi conſuetudo, extinxerunt illud non minus his gentibus, quam aliis congenitum lumen, effeceruntque, ut lege naturæ quaſi oppreſſa, quæ adverſantur illi maxime, partim licita, partim etiam honorata eſſent. Ita contra naturæ legem ſine dubio eſt, idolum divino cultu afficere, humano ſanguine ſacra facere, furari & rapto vivere, matribus & filiabus miſceri, infantes recens natos exponere. &c. Et legimus tamen, pleriſque populis idololatriam, Phœnicibus eorumque colonis Carthaginienſibus, Iſraelitis item,

& ſeculo ſuperiori Americanis (hominibus non ita feris, uti vulgo putantur) *ἀνθρωποθυσίας* ſive hominum immolationes, furta Lacedæmoniis, latrocinia Germanis, matrum filiorumque connubia Babyloniis, infantum expoſitiones Græcis Romaniſque, alia aliis in uſu fuiſſe: Cujusmodi multa exempla collegit clariſſimus Calixtus *tractatu de legibus*, morali theologiæ inſerto.

XVIII. Huic poſtea hominum tam cæcitati, quam malitiæ quo mederetur, & efficacius contumaces obligaret, Deus ter Opt Max. eam ipſam naturæ legem inſcriptam quidem humanis mentibus, ſed apud pleroſque, ut dixi, peccandi conſuetudine obrutam ſolennius in monte Sinai promulgavit, & firmiori quaſi ratione præſcripſit. Eſtque ad hunc modum repetita naturæ lex ea, quæ mutato paulum nomine moralis alias dicitur, comprehendens cum decalogi præcepta (tertio, quod poſitivi juris eſt excepto) tum cætera illa, quæ paſſim in libris Moſaicis ad decalogi explicationem videntur pertinere, nec facta tamen propter novam illam promulgandi rationem poſitiva eſt, ſed eſt manſitque ipſa illa naturalis & cordibus humanis inſcripta lex, repetita tantum, & firmiori (ut videtur) ſolenniori certe ſanctione ſtabilita. De lege divina naturali hactenus.

XIX. Leges divinæ poſitivæ (alias voluntariæ, quod ex voluntate divina ortum habent, item divinæ, quia de autore earum Deo certius conſtabat, dictæ) illæ ſunt, quas Deus ter Opt. Max. non quod aliquid ſui natura bonum continerent, ſed quia ſic libuit pro liberrimo ſuo arbitratu, vel univerſo humano generi, vel uni alicui populo dedit poſuitve. Humano generi ter legimus a divina majeſtate leges datas. *Primo* ſtatim poſt mundum conditum. *Secundo* poſt diluvium (ad poſt diluvianas leges referenda ſunt ſeptem præcepta filiorum Noah, ſi vera eſt Judæorum traditio.) *Tertio* poſt adventum Chriſti in carnem. Uni populo; tum, cum Abrahamum ſpeciali mandato Deus ſevocaverat, ejusque ex Jacobo nepote poſteros, cum jam in populum ingentem excreviſſent, delegerat ſibi peculiari imperio gubernandos. Hujus generis ſunt præcepta de ſacrificiis, de ſabbatho (obſervandi præceptum intellige, nam illud recordandi omnes homines concernit) de circumciſione; ciborum & dierum diſcrimine, & aliis hujusmodi, ſive ob vitandum malum, in quod proni erant Judæi, ſive ad experimentum obedientiæ, ſive in memoriam beneficii a Deo accepti, ſive ad rerum futurarum ſignificationem peculiariter introducta. Sed hisce non immorabimur, cum, quia tanquam divina ad Theologorum ſcholas videntur pertinere, tum, quia alias accuratiſſime jam pertractata ſunt ab incomparabili & ſæpe laudato Hugone Grotio *libro quinto de veritate religionis chriſtianæ*, & *libro de jure belli ac pacis* paſſim.

XX. Unum tantum intelligentiam ejus, quod modo de peculiari imperio, legibusque populo Judaico peculiariter datis memoratum eſt, non poſſum non obiter monere: Deum nimirum, etſi Duces populo ſuo Judicesque daret, ſenatum etiam ſeptuaginta virorum ſub Moiſe inſtitueret, imperium tamen ſive ſummam poteſtatem in nullum horum contuliſſe, uti queas vel formam aliquam ariſtocraticam ſub illis ſeptuaginta, ut quidem faciunt, vel regni ſpeciem ſub judicibus ſtatuere, ut alii, ſed ipſum; quemadmodum majeſtatis præcipua jura: jus leges ferendi & interpretandi, jus belli & pacis, jus ſummos magiſtratus & belli Duces creandi ſolus, (uti in Moiſis, Joſuæ, Judicum &c. hiſtoria videre eſt, uſurpabat, ita ſolum etiam ipſam ſibi majeſtatem retinuiſſe, donec tandem, populo Regem hunc ſuum rejiciente, ſummam illam poteſtatem, qua ipſe eousque populum ſuum monarchice gubernarat, in hominem Saulem, volens quidem, ſed magna cum indignatione transferret. 1. *Sam.* 8. Hæc obiter.

XXI. Nunc ordo nos ad alteram ſpeciem humanas nimirum leges perducit, prioribus illis tam inventione, quam dignitate poſteriores. Inventione. Nam prima agendorum regula ab ipſo Deo erat hominibus præſcripta, novos caſus, ſi quando emergerent, Principes primo familiarum, deinde Reges ad ſeſe delatos, ut videbatur, decidebant. Poſtea cum creſcentibus negotiis, creſcente etiam hominum malitia, operoſum nimis eſſet, ſingulis ita negotiis quaſi ſingula jura condere, nova tamen indies, ſine quorum arbitraria determinatione recte & commode vita humana inſtitui nequibat, occurrent, ſcribi demum in rebuspublicis jam ordinatius conſtitutis humanæ leges cœperunt, quæque erant a Deo humano arbitratui commiſſa (erant autem multa) regulis quibusdam arbitrariis determinari. Nolo hic de legum harum poteſtate, cauſa efficiente, objecto, ſanctione & promulgatione prolixius disquirere, paſſim enim hæc apud alios explicata ſunt, & poſſunt ea, quæ ſupra dixi de lege in genere ejusque requiſitis, ad ſpeciem facillime applicari. Id ſolum explicabo, quid determinatum nobis a divina lege dicatur, & quomodo ea, quæ ſuperior lex indeterminata reliquit, humana a lege determinentur.

XXII. Prius ſic optime poteſt cognoſci, ſi præſupponamus. 1. Omnem legem obligare, atque hinc 2. Unicum ejus actum eſſe, ut aliquid fiat, vel non fiat jubere. 3. Quæ huic ordini a Modeſtino *l. 7. ff. de LL. Thoma* 1. 2. *q.* 92. *art.* 2. accenſentur, ad legis actus non pertinere: permiſſionem, quia ſine obligatione fit, punitionem, quia primario legi non intenditur. 4. Eam, quam dixi, punitionem interdum quidem ſecundario legi, ni fiat id, quod juſſum eſt, eſſe propoſitam, & quaſi appendicem ejus principali actui ſubſervire, interdum vero eſſe ipſum illud, quod jubetur, & tum conſiderari, ut actionem humanam, circa quam determinandam tanquam objectum principaliter lex occupata ſit. His nimirum ita ſuppoſitis, patet, id legis divinæ, ſive a lege divina eſſe, quod juſſum ab ea, aut vetitum eſt, quodve cum ante fieri aut non fieri, hoc aut alio modo, tempore, loco, pro libertate cujusque fieri poſſet, a Deo demum debitum aut illicitum factum, huic vel illi modo, tempori, loco aſtrictum eſt. Contra, quod juſſum aut vetitum

a di-

a divina majeſtate non eſt, ſed humano ſimpliciter arbitratui relictum, ſive actio id ſit, ſive vetitæ alias actionis pœna, aut juſſæ modus, tempus locusve, id omne extra legem divinam eſſe, & dici ab ea indeterminatum.

XXIII. Quandoquidem quid a divina lege ſit, quid non ſit, jam explicatum eſt, nunc circa quas actiones humana lex cum effectu verſetur, duabus regulis definiamus. *Prima regula:* Quicquid a divina lege determinatur, id eſt, juſſum aut vetitum jam eſt, circa id neutro modo humana lex cum effectu verſari poteſt. Non enim poteſt, 1. jubere vetita, aut vetare juſſa, & hoc jam manifeſtum eſt. Nec poteſt 2. jubere juſſa, aut vetare vetita, nam hoc eſſet actum agere. Non hic: Si lex aliqua divina, invaleſcentibus publice improbis moribus, in deſuetudinem veniat, uti neceſſe ſit humana eam conſtitutione revocari, hoc caſu nova aut humana lex cenſeri non debet, ſed manet eadem, quæ pridem fuit, nova tantum ad humanos animos & notitiam facta applicatione, uti recte docet venerabilis Calixtus *libro ante laudato pag.* 77. *Secunda regula:* Quod divina lege determinatum non eſt, facere tamen aliqnid vel ad publicam rem, vel ad ordinem & decorum in eccleſia probabiliter putatur, id ſolum & omne (cæteris paribus) pro arbitratu vel jubere, vel vetare majeſtas humana poteſt. V.gr. Furtum lege divina prohibitum eſt, atque ita eadem lege punibile, ſed quæ ejus pœna eſſe debeat, id nulla divina lege, quæ quidem ad nos pertineat, eſt conſtitutum, poteſt ergo recte a Principe ad ſuſpendium usque, ſi furta nimium creſcentia, ita optime a republica tolli poſſe videantur, exaſperari. Ita mandatum a Deo eſt, ut omnis, qui ſalvus eſſe vult, baptizetur; ſed ubinam id debeat fieri, expreſſum non eſt. Quo fiat autem, decentius conſtitui ab humano magiſtratu poteſt, ut nonniſi loco ſacro citra neceſſitatem tam grande ſacramentum adminiſtretur, eſtque ita in plurimis locis non male conſtitutum.

XXIV. Vulgo lex humana dividitur in civilem & gentium. Civilis eſt, quam populus unusquisque, aut qui ejus vicem ſuſtinet, ſingulis ſuæ reipublicæ civibus aut ſubditis præſcribit. Gentium lex eſt, quam plures gentes non fortuito, aut altera alterius imitatione, ſed quaſi ex compacto ſibi inter ſe conſtituerunt. Plures, dico eo modo, quod apud grammaticos plurale ſingulari opponitur, non quaſi id ſolum, quod inter multas aut pleraſque gentes jus intercedit, gentium jus dici mereatur. v. gr. Inter Hiſpanos & Batavos peculiariter hodie conſtitutum eſt, ut bello captus a captore ſe ſuo menſis unius ſtipendio poſſit redimere, &c. hoc cur minus gentium lex appellandum ſit, quam illud, quod olim, ut capti capientium hoſtium ſervi fierent, obtinuit, non video, utraque certe lex gentium eſt, etſi quidam illa duarum ſit, hæc plerarumque fuerit. Eſt autem circa hanc appellationem obſervandum, alia ratione ſupra th. XI. naturæ legem iſthoc nomine inſigniri, alia hic, quando humanæ legis ſpecies dicitur conſtitui. Naturalis ideo lex gentium dicitur, quia OMNIBUS GENTIBUS a Deo præſcripta eſt, hæc vero, quia a GENTIBUS IPSIS pro arbitratu conſtituta, atque ita ab iis, qui jubent, cauſa nimirum efficiente, nomen ſortita eſt. Diſtinctionem hanc & differentiam denominationis non obſervavit, ſed cum vulgo loquutus eſt Tribonianus, quando initio ſtatim digeſtorum *l. 2. 3 4. 5. de J.* religionem, obedientiam parentibus debitam, vis atque injuriæ propulſationem, bella deinde, contractus, manumiſſiones &c. a legum illarum autoribus (Pomponio: Florentino Ulpiano, Hermogeniano) accurate ſine dubio a ſe invicem diſtincta uni & eidem juri gentium loco exempli ſubjecit. Quando item §. 2. *Inſt. de J. N. G. & C.* id primum gentium jus dicit, quod naturalis ratio *inter omnes* peræque conſtituit, deinde §. 4. quod neceſſitate urgente & humanis neceſſitatibus, *ipſæ ſibi gentes humanæ* conſtituerunt; certe qui accurate conſiderat, unde nam gentium lex ſic dicatur, non temere cum imperito vulgo naturale illud gentium jus cum hoc arbitrario confundet. Sunt, qui autument, id proprie naturale jus dici, qnod natura tanquam principia quædam indemonſtrabilia inter omnes conſtituit, nec humanis ab ingeniis excogitatum eſt, quod vero conjuncta hominum & ratio & ratiocinatio ex primis illis principiis deduxit, id gentium jus proprie appellari. Ita quidem illi conantur huic confuſioni mederi; ſed 1. non convenit hæc diſtinctio menti ſive Ulpiani ſive Triboniani, qui id ſolum naturæ jus dixit, quod hominibus cum brutis commune eſt, quod cum brutis commune non eſt, ſive a ratione ſit ſive ratiocinatione profectum, gentium jus nominavit. 2. Dupliciter aliquid a naturalibus principiis ratiocinatione deducitur: vel neceſſario per modum concluſionis, vel probabiliter per modum arbitrariæ determinationis; Si illo, tum gentium jus ita dicitur vel ideo, quod gentibus, vel ideo quod a gentibus datum eſt. Poſteriori modo denominatum neutri, priori modo utrique convenit, cum concluſiones, ut ſupra diximus, non minus a natura ſini & vim obligandi accipiant, quam principia. Non ergo per modum concluſionis. Nec etiam per modum determinationis, nam etſi fortaſſis non male ſic gentium jus, naturali contradiſtinguatur, explicationem tamen hanc, ut dictis locis accommodemus, exempla de religione &c. gentium juri d. l. ff. ſubjuncta non patiuntur. Quicquid ſit, ut ad propoſitum revertamur, id conſtat, alia ratione ſupra legem gentium ſic dici, alia hic quando inter humanas leges recenſetur. De naturali illa gentium lege ibi ſuo loco dictum eſt, altera hæc poſitiva præſentis eſt conſiderationis.

XXV. Rectene autem gentium hæc lex inter leges proprie ſic dictas recenſeatur, novum fortaſſe cuipiam videatur, ſi quæramus, aut dubitemus, nec deſunt tamen argumenta, quæ reddere hoc dubium poſſunt. Nam *primo*, de ratione legis eſt, ut jubeatur, atque ita a ſolius jubentis voluntate eſſe ſuum habeat & obligandi facultatem. Gentium autem quæ lex dicitur tan-

quam

quam partim expreſſa, partim tacita quædam pactio, uti gentium juris conſultiſſimi fatentur & crebro inculcant, nullius juſſui, ſed populorum quorundam mutuo conſenſui debet originem. *Secundo*, legis proprium eſt, ut non ſolum, poſtquam data eſt, invitos obliget; ſed ut dari poſſit etiam invitis. Gentium vero lex aut pactum non eſt, aut ſi pactum eſt, ut illi volunt, poſtea quidem neceſſitatis eſt, ſed initio voluntatis. *Tertio*, ad legem requiritur, ut in certa aliqua civium ſocietate jubeatur a majeſtate, id eſt, ab eo, qui ſummam illam jubendi & leges condendi in ea republica habet poteſtatem. Talis eſt in magna hac rerumpublicarum republica ipſe Deus, in ſingulis illis & reſtrictioribus pro forma cujusque vel Princeps, vel optimates vel populus. At gentium hæc lex lata eſt, non a Deo, nam ſic divina eſſet, nec a gentibus omnibus, uti dicere poſſis, Dei indultu univerſitatem illam gentium ad ſuæ reipublicæ utilitatem quid conſtituiſſe, cum ipſi, qui de gentium jure ſcribunt, fateantur, quod apud omnes gentes obtinet, vix aliunde, quam a natura eſſe; ſed populis quibusdam, interdum duobus tantum, ut ante monui: populi autem hi collectim nullam univerſitatem conſtituunt, ſinguli inter ſeſe privatorum loco ſunt. Argumentorum ſumma eo recidit, ut aut omnia omnium pacta, quibus ſe privati ſibi invicem obligant, leges dicenda ſint, aut gentium lex dicenda ita non ſit, ratio enim differentiæ reddi non poteſt. Verum enim vero, etſi hæc, ſint vero non abſimilia; cum tamen appellatio jam ea obtineat, uſus autem dicendi Magiſter ſit, quumque & lex commiſſoria aliique contractus, aut pacta contractibus addita eo nomine appellentur, quia nimirum vel legis in modum obligant, vel imperativis verbis concipiebantur; obligare etiam aliquid poſſit tanquam pactum, quod initio quidem voluntatis eſt, poſtea obligat, & neceſſitatis eſt, nolumus gentium legis appellationi quicquam derogare, aut quantum ad eam a communi ſententia & trito modo loquendi diſcedere.

XXVI. De prima legis diviſione, qua ſupra ratione cauſæ efficientis in divinam eam & humanam dividebamus, ſic ſatis dictum ſit. Nunc ſecundo, ratione modi ferendi dividitur in *ſcriptam* & *non ſcriptam*, ſive in legem ſtrictius ſic dictam & conſuetudinem. *Scripta* lex dicitur, quæ ſanctione expreſſa uno tempore & fertur & valet. *Non ſcripta*, quæ tacito majeſtatis conſenſu non uno temporis puncto, ſed longo uſu inducitur.

XXVII. Lex autem ſcribi, vel ſcripta eſſe dicitur 1. proprie, quæ literis traditur, atque ita Athenienſes ſcriptis legibus, Lacedæmonii non ſcriptis fuerunt uſi; hoc etiam modo jus feudale, quoniam in ſcripturam redactum eſt, nominari poteſt jus ſcriptum. 2. Quæ uno tempore & expreſſe a ſumma poteſtate ſancitur, ſive ſcripto id fiat, ſive ita, ut ſemel promulgata non literis, ſed mentibus omnium & memoriæ mandetur: Cum enim plerumque leges literis & ſcripto proponerentur, obtinuit loquendi uſus, ut etiam, qui leges non ſcripto, ſed alias perferrent *γράφειν νόμους* & ſcribere leges dicerentur, quomodo rogari adhuc leges dicuntur etiam illæ, quæ dantur non admodum rogatis. Hac ſignificatione Lacedæmoniis ſcriptæ non minus leges fuerunt quam Athenienſibus, ita etiam feudales & aliæ conſuetudines leges non ſcriptæ ſunt, quia non expreſſe, nec uno tempore conditæ. 3. Quæ, cum ante non eſſet, quocunque modo ab hominibus pro arbitratu ponitur. Hoc modo lex ſcripta uſurpatur pro ſolà humana, & naturali opponitur, ut in illo trito Ciceronis: *Eſt non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus* &c. 4. Scribi (magis tamen cum compoſitis) dicitur omnis lex, quocunque modo & a quocunque illa tandem jubeatur, atque in hac acceptione, quæ omnium latiſſima eſt, naturalem legem diximus cordibus humanis *inſcriptam*, ſupra etiam theſi ſeptima ad omnem legem, ut *præſcribatur*, requiſivimus.

XXIIX. Hinc videre jam eſt 1. An quomodo ad legem ſtrictius dictam ſcriptura requiratur. In prima enim ſignificatione ſcribendi vocabulum ſi ſumimus, non requiritur, ſi in ſecunda, requiritur. 2 Minus accurate a Triboniano jus non ſcriptum. *Inſt. d. I. N. G. & Civ.* principio quidem definiri, id quod uſus probavit, deinde ab inſtitutis Lacedæmoniorum, tanquam inde fluxerit, deduci. Certe ſi Lacedæmoniis nullæ fuerunt leges, ſed conſuetudines ſolum, non inelegans ſit alluſio; At nullas illis fuiſſe leges quis dixerit?

XXIX. Quæritur a nonnullis, quomodo conſuetudo aut veterem legem abrogare, aut novam inducere poſſit, cum tamen 1. ab illicitis plerumque actibus inchoetur, atque ita ſit aliquid ex multis malis conflatus. 2. privatis civium actibus invaleſcat, leges autem condere ſummæ majeſtatis proprium ſit, ut ipſi diximus. Verum hæ diſputationes ceſſabunt, tota etiam conſuetudinum materia rectius percipietur, ſi intellexerimus, unde conſuetudo ſive lex non ſcripta eſſe ſuum & vim obligandi habeat. Multi ſunt in ea opinione, ut exiſtiment, conſuetudinem τὸ eſſe legis, habere a ſeipſa, obligare etiam non aliam ob cauſam, quam quod populus ſic agat, atq; ita tacite, quid fieri velit, non verbis, ſed quod efficacius ſit, rebus ipſis & factis declaret. Et vero ita quis credat argumentari Julianum *l. de quibus, ff. de LL.* Sed, ſi verum hoc eſt, duo inde ſequuntur abſurda 1. in republica monarchica, ubi populus nec expreſſe, nec tacite, legem condendi poteſtatem habet, nullam conſuetudinem eſſe obligatoriam. 2. in libera etiam civitate conſuetudinem legis vicem ſuſtinere non poſſe, niſi conſtet, eam a majori parte populi innumeris fere actibus eſſe comprobatam. Rectius fortaſſis eſt, conſuetudinem frequentesque illos actus non eſſe niſi materiam legis, quæ eſſe ſuum accipiat a patientia & quaſi tacito juſſu vel regis, vel optimatum, vel populi univerſi, utpote qui ſoli in ſua quisque republica majeſtatem, & conſequenter poteſtatem habent tam tacite, quam expreſſe leges ferendi: Hinc etiam ad legem non ſcriptam ratione quidem materiæ requiri, ut frequenter aliquid factum ſit & longo tempore,

re, ratione formæ vero, ut ne ille uſus (ſi contra ſcriptam legem ſit) ex vecordia Principis vel impotentia ortus ſit; ſed ut Princeps 1. ſciverit id fieri. 2. permiſerit fieri. 3. ita plene & libenter permiſerit fieri, ut quaſi tacite videatur velle jubere, ut id quod agitur, porro etiam agatur, ultimum enim hoc niſi accedat, permiſſio magis erit, quam juſſus.

XXX. Vidimus jam, quid lex ſit & quotuplex ſit. Quod reſtat de obligatione ejus dicendum ſex poſitionibus abſolvemus, & inquiremus 1. Unde leges facultatem obligandi nanciſcantur. 2. Quæ leges obligent. 3. Quos obligent. 4. Ad quid obligent. 5. A quo tempore obligent. 6. Quouſque obligent.

XXXI. Obligatio legis principio quidem inde eſt, quod *qui ſe aggregaverant cœtui alicui, aut homini hominibusve ſubjecerant hi, aut expreſſe promiſerant, aut ex negotii natura promiſiſſe debebant intelligi, ſecuturos ſe id, quod aut cœtus pars major, aut hi, quibus delata poteſtas, conſtituiſſent*, eſtque hæc promiſſio obligationis, quæ lege fit cauſa remota. Propinquior cauſa, quæque magis nobis conſideranda venit, eſt *juſſus majeſtatis*, a quo ſolo, ut eſſe legis, ita obligatio dependet; Non vero 1. ab *acceptione*, quaſi inſtituantur leges dum promulgantur, firmentur demum, cum moribus utentium approbantur, ut ait Gratianus *diſt.* 4. Equidem in libera republica quod a magiſtratu (ſive is conſul, ſive ſplendidiori nomine Rex appelletur) proponitur, lex non eſt, niſi populus id acceptet, atque ut ſingulos ſuæ univerſitatis obliget, velit jubeat; Verum illi populo, qui ſe ſubjecit alteri, & omne ſuum imperium poteſtatemque a ſeſe in unum tranſtulit, quid præter parendi gloriam relictum ſit, neſcio: Id ſcio, inane mandatum eſſe, quod exequi, cujusque adeo bonitas a judicio, vis a voluntate mandatarii dependet. Nec 2. obligatio leges *a ratione* ejus eſt, ut illi ſtatuunt, qui rationem formam dicunt & quaſi animam legis, quæ etiam, ſi Principis autoritas non accedat, lex tamen ſit obligetve. Profecto ſi Princeps nulla bona ratione inductus quid conſtituat, tyrannica lex eſt, nec hinc tamen 1. opus eſt, ut ſuæ cuique legi rationes addantur, quibus, id quod jubetur, ſubditis perſuadetur: Tanquam emiſſa divinitus vox jubeat lex non diſputet. *Mone*, (inquit Seneca) *dic, quid me velis feciſſe: non diſco, ſed pareo.* 2. Si quando princeps rationes, quidve ſe ad hoc vel illud jubendum impulerit, legi præmittat. nec ſic tamen ratio quicquam vel ad eſſe legis, vel ad obligationem ejus confert; lex eſt, quia jubet, obligat, quia jubetur, quidquid vel eſſentiæ habet vel roboris, id omne a ſolo majeſtatis juſſu & voluntate ſortitia eſt.

XXXII. Quærebatur ſecundo: quæ leges obligent. Reſpondeo: *Omnes*: Hoc tamen ordine, ut ſuperior ſemper prævaleat, id eſt, ſi aut totæ ſibi invicem contrarientur, aut certo in caſu ſervari ſimul nequeant, uti tum obligatio legis inferioris a ſuperiore ſeu digniori lege impediatur. Conſtet autem, divinam legem ſuperiorem eſſe humana, inter divinas naturalem poſitivis digniorem: atque hinc dubium non eſt, ſi humana lege quid jubeatur, quod vetitum divina eſt, aut vetetur, quod illa juſſum, eo caſu, quod Apoſtolus ait, Deo magis obediendum eſſe, quam hominibus. Item ſi divina poſitiva quid juſſum ſit, quod aliquo incidente caſu ſine naturalis violatione fieri non poſſit, tum naturali poſitivam ut digniori, cedere.

XXXIII. Obligantur lege (hoc enim tertium erat) ii omnes, quibus data eſt, vice verſa, quibus data non eſt, ii omnes, utut alias ſubditi ſint, imo utut ſimilis ratio ad illos videatur pertinere, non obligantur. Ita v. gr. Naturæ lex, quoniam omnium mentibus inſculpta, atque ita omnibus a Deo præſcripta eſt, omnes ubique homines ratione utentes, cujuscunque illi conditionis ſint, obligat, etiam regeneratos, etiam eos, qui humanis alias legibus ſoluti aut ſuperiores. Idem de illis dicendum, quæ præter naturales univerſo humano generi impoſitæ ſunt, nec enim eſt ab harum obligatione quisquam exemptus. Illarum legum ſe aliter habet obligatio, quas ſupra de circumciſione, ſacrificiis &c. peculiariter latas memoravimus, quemadmodum enim hæ, partim ſolis Abrahami poſteris, partim ſolis Iſraelitis a Deo impoſitæ ſunt, ita neminem præter illos ſolos obſtrinxere. Atque hinc (uti Grotius præclare monet ante laudato *libro quinto de veritate relig. Chriſt.* neque Moiſes ſocerum Jethronem ad hos ritus ſuſcipiendos adhortatus eſt; neque Jonas Ninivitas, nec alii Prophetæ Chaldæos, Ægyptios, Sidonios, Tyrios, Idumæos, Moabitas, ad quos ſcribunt, ob eos non ſuſceptos reprehendunt, cum peccata ipſorum ſatis exacte enumerent. Circa humanas leges trita, & tam apud Jureconſultos *ad l. Princeps ff. de LL.* quam Philoſophos agitata quæſtio eſt: *ſit ipſe Princeps* (intellige, qui majeſtatem habet, a quo cæteros legum latores theſi ſexta diſtinximus (*legibus ſuis obſtrictus*. Duplex autem legum omnium vis eſt; Una dirigendi (ſive obligandi) altera cogendi. Cogi non poſſe Principem ad leges ſuas ſervandas, neque, ſi eas transgreditur, a quoquam nomine transgreſſionis pœnam exigi poſſe, plerisque jam conſtat, ſed directiva vi legis an obligetur, id eſt, etſi pœna affici non poſſit, an peccet tamen, ſi legibus ſuis non vivat, de eo adhuc controvertitur, aliis id negantibus, affirmantibus plerisque. Utra autem opinio verior ſit, mei fortaſſis judicii non eſt definire, veriſimilius videtur, neutra vi legis Principem obligari. Etenim eos ſolos obligat lex, quibus data eſt. Principi autem data non eſt. Ergo. Præmiſſarum probationem in congreſſu videbimus. Etſi autem, ut dixi, legibus Princeps ſolutus ſit, quo tamen decentior cum membris capiti convenientia ſit, quove efficacius ad id ſervandum, quod juſſum eſt, ſubditos inducat, præclare egerit Princeps, ſi ultro ſe ſuis legibus conformet, nec ſubditis quicquam præcipiat, quod ſibi non prius ipſe imperaverit. Nam, ut in veteri verſu eſt,

Præſul ut amptruat, inde & volgu redemptruat olli.

Et pulchre Claudianus:

In

In cemmune jubes ſi quid cenſesque tenendum,
Primus juſſa ſubi, tuus obſervantior æqui,
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipſum
Autorem parere ſibi.

XXXIV. Obligat lex omnis primo quidem & principaliter ad *obœdientiam*, ſecundario, ni fiat id, quod juſſum eſt, ad *pœnam*. Hanc tamen certam ſemper conſtitui opus non eſt, ſufficit, ſi repeti a transgreſſoribus poſſit legis vigore & obligatione, uti recte monet Greg. de Valentia *diſp. 7. q. 2. p. 2.* & ex illo clariſſimus Hornejus *civ. doctrinæ p. 583.* Quod ad pœnam obligari delinquentem diximus, intelligendum ſic eſt, ut pœnam nimirum ſtatutam patiatur delinquens, non ut ipſe eam in ſe exſequatur. Nam exſecutionem ejus quod attinet, *lex pœnalis duobus membris ad diverſos loquitur* (verba ſunt Dominici Soti *lib. 1. q. 6. art. 1. pro concluſ.*) *cum enim jubet, ne quis quid facit, ſubditos alloquitur, cum vero addit; contrafaciens eo ipſo dominium rerum perdat, aut ipſo jure bona amittat, aut bona illius ſint confiſcata, non tam cum ſubditis loquitur, quam cum judicibus, juſtitiæ executoribus, quibus talem imperat animadverſionem* Hæc Soto.

XXXV. Incipit lex obligare, quando promulgata eſt, id eſt, quando quocumque modo id præſtitum eſt, per quod jam condita in notitiam omnium, qui culpabili negligentia non laboraverint, veniat. *Condita*; dico: atque ita ſumo vocabulum promulgandi non latius ſolum, ſed modo plane diverſo ab eo, quo romani iſthoc vocabulo circa leges uſi leguntur. Illis enim non condita, ſed condenda, atque ita, proprie loquendo, non ipſa lex, ſed materia tantum ejus promulgabatur, id eſt, a magiſtratu legem laturo ponebatur in publico, ut inſpici a quovis & conſiderari poſſit, num digna ſit, quæ lex fiat, & populi a juſſu formam accipiat an non. Vide Roſinum *lib. 8. antiq. c. 8.*

XXXVI. Obligat lex tamdiu (quærebatur hoc ultimo) quamdiu & majeſtas eam vult obligare, & objectum tale eſt, ut cum effectu circa illud verſari poſſit. Ceſſat contra, ut lex, ita obligatio legis 1. quidem a parte objecti ſeu materiæ, circa quam, ſi actio, circa quam occupata fuerat, ſucceſſu temporis deſinat in poteſtate noſtra eſſe, ut juberi amplius cum effectu non poſſit, prohiberi eam opus non ſit. Item: ſi objectum ita mutetur, ut obſervari lex nequeat, quin violetur alia magis obligans, & hoc enim caſu obligationem ejus ceſſare, ſupra dictum a nobis eſt. Ceſſat 2. a parte legislatoris, ſi ipſe illi alias obligaturæ autoritatem ſuam ſubtrahat, legemque aut in totum aboleat, aut in certis ſeu caſibus ſeu perſonis valere nolit. Dicuntur ſingulares actionum perſonarumque a legis obligatione exemptiones illa, quidem *diſpenſatio*, hæc *privilegium*.

XXXVII. Venit autem circa legum abrogationem præcipue notandum *primo*, eſſe ſolius majeſtatis, ut ferre leges, ita tollere, aut in facto aliquo particulari relaxare: Intellige: ſi ejusmodi ſint, quæ relaxari aut abrogari queant. Etenim, quod *ſecundo* obſervandum eſt, poſitivas quidem & abrogabiles eſſe & relaxabiles, cum a libera majeſtatis voluntate dependeant, dubium non eſt. De naturali ſeu morali, an talis ſit, ut manente objecto a divina majeſtate obligatio ejus vel tota, vel in certis caſibus removeri queat, controvertitur. Qui ſublatilem eam, aut certe relaxabilem ſtatuunt, opinioni ſuæ partim legislatoriam poteſtatem ſubſtruunt, quæ talis plerumque eſt, ut legibus a ſe latis liberrime dominari, atque ita pro arbitratu diſpenſare in iisdem poſſit: partim ſacræ ſcripturæ nonnulla loca *Gen. 22. v. 2. Exod. 11. v. 2.* &c. ubi Deus homicidium & furtum, lege naturæ ſine dubio prohibita, non ſolum permittere, ſed, quod plus eſt, imperare etiam videtur. Negantis ſententiæ propugnatores, Dei urgent divinæque voluntatis conſtantiam & immutabilitatem; ad loca autem e ſcripturis allata reſpondent: videri quidem in iſtis caſibus mutari naturæ legem, at ſi proprie loquendum ſit, non legem mutari, ſed legis objectum. V. gr. Ægyptiorum aurea & argentea vaſa *Exod. 11.* Iſraelitis in præſtitæ operæ compenſationem ſententia Dei, tanquam ſummi judicis eſſe adjudicata, atque ita Iſraelitas non aliena, ſed ſua ſecum portaſſe: Ubi autem res aliena non eſt, ibi nec furtum fieri: ubi furtum non eſt, ibi nec poſſe, furtum eſſe imperatum, dici, aut licitum factum. Poſterior hæc ſententia, ut veriſſima eſt, ita ratio differentiæ, cur ceteræ quidem leges ab autoribus ſuis flecti & reflecti poſſint, naturalis non item, hæc mihi potiſſima videtur: quod illæ ab initio condi potuerunt & non condi, conditæ autem ſunt, quia majeſtati ſic viſum eſt; hæc vero homini ad divinam imaginem rationali condendo non potuit non & præſcribi & inſcribi, nec tolli ergo, eodem objecto manente, videtur poſſe.

XXXIIX. Diximus, quousque lex obliget, & quomodo ejus obligatio a majeſtate removeatur. Addunt nonnulli, ceſſare legem, & quidem citra majeſtatis conſenſum, ſi ratio ceſſet, ob quam lata eſt, atque ita lex vel publicis commodis incipiat obſtare, vel certe ea, ut facere legem oportet, parum promoveat. Horum ſententiæ eo usque ſubſcribimus, ſi evidentiſſime conſtet 1. a certa ratione, tanquam cauſa unica, voluntatem legislatoris ad aliquid jubendum fuiſſe motam. 2. ceſſare plane rationem illam: ut eo caſu lex ceſſet, non ipſo jure, quam ajunt aut citra legislatoris conſenſum, ſed & voluntate ejusdem præſumpta, qui ſi publicæ ſalutis ſtudioſus eſt, uti eſſe præſumitur, nolit vel pernitioſis legibus populi commodo obeſſe, vel inutilibus civitatem ſuam obruere. Quandoquidem vero, quæ dixi, evidentiſſime ſemper conſtare non poſſunt, cum nequeat omnium, quæ a majoribus conſtituta ſunt, ratio reddi, haud e publica reputamus eſſe, regulam vivendi cujusvis arbitrio judiciove hoc modo committi, præſertim, *cum ideo principalem fortunam rebus humanis Deus præpoſuerit, ut poſſit omnia, quæ noviter contingunt, & emen-*

& emendare & componere, & modis, & regulis competentibus tradere, ut ait Imp. *l.* 3. *§. ſed quia C. de vet. jure enucl.* Accedit & illud, quod paſſim inculcatur a politicis, legum abrogationem tanquam rem mali exempli fieri non debere, niſi illarum, quæ lapſu temporis ceſſante ratione, aut valde pernicioſæ aut inutiles plane reipubl. effectæ ſunt. Quod ſi his caſibus ſine majeſtatis conſenſu, ut volunt iſti, lex ceſſaret, ſequeretur, nunquam e publica re eſſe, legem tolli; cum ea proprie tolli ſeu abrogari dicatur, quæ non abrogata porro etiam obligatura fuiſſet.

XXXIX. Hæc ergo de natura legum ſic dicta ſint. Corollarii loco de obſcuræ legis interpretatione, quotuplex ea ſit & cui quæque competat, libet ſubjicere. Tribus potiſſimum modis lex aliqua obſcura eſſe poteſt: 1. Si phraſis ejus ſit inſolens, aut verba adeo antiqua, peregrina, obſcura, ambigue poſita, ab uſu vulgi remota, ut quid ſignificent, ignoretur. 2. Si verba legis clara ſint, dubitetur autem de mente ejus & ſententia: cum fiat nonnunquam, ut verbis quidem ſatis perſpicuis adeo tamen lex indefinite loquatur, ut in applicatione ad factum ex mente ejus certis rationibus collecta vel extenſionem vel reſtrictionem fieri neceſſe ſit. 3. Si lex, de cujus & verbis conſtat & mente, duriuſcula ſeu parum æqua videatur, atque ita emendatione aliqua & emollitione indigere. Oritur hinc triplex interpretatio: VERBORUM, MENTIS, ET ÆQUITATIS. Verborum & mentis quæ interpretationes dicuntur, ſcientiæ ſunt, non poteſtatis: Tertia, (quam ſolam nunc æquitatis interpretationem liceat appellare) poteſtatis eſt, & quidem poteſtatis in republica ſummæ: nec enim tam explanatio eſt veteris legis, quam novæ & æquioris in locum iſtius ſubſtitutio, eadem cum abrogatione legis aut mutatione, ſi generaliter fiat, cum diſpenſatione, ſi ſpecialiter & certo aliquo in caſu. Hanc tanquam ipſi legi æquivalentem interpretationem inferiori judici aut magiſtratui non convenire, manifeſtum eſt: nam *cum leges inſtitutæ ſunt & firmatæ, non licebit judici de ipſis judicare, ſed ſecundum ipſas*, ait Auguſt. *diſt.* 4. *cap.* 3. Nec obſtat, quod in proverbio eſt, ſummum jus ſummam eſſe injuriam: quodve paſſim in jure civili jubentur judices benignius leges interpretari *l. benignius. ff. de LL.* præcipuam juſtitiæ æquitatisque quam ſtricti juris habere rationem *l. placuit.* 8. *C. de judiciis.* Etenim, quemadmodum accipitur jus, interdum quidem pro externo verborum contextu: magis tamen proprie pro ſententia legis & voluntate: ad eum modum ἀκριβοδίκαιοι dicuntur, 1. valde improprie, qui verbis, eorumque rigori & nimiæ, ut ita dicam, proprietati tenaciter inhærent, de mente interea & voluntate legis ſatis interdum benigna minus ſolliciti. 2. proprie magis, qui legem, cujus ſententia, etſi dura, manifeſta tamen eſt, ſine alicujus vel æquitatis vel iniquitatis reſpectu ad factum quam ſtrictiſſime accommodant. Utrique rigori tam mentis (id eſt ipſius legis) quam ſcripti adhibetur ſua æquitas ſeu ἐπιείκεια: illi a ſolo Principe, huic etiam a magiſtratu inferiori. Princeps, quod reapſe durum eſt, emollit, quod iniquum, emendat, inter jus æquitatemque interpoſitam interpretationem ſolus inſpicit, *l.* 1. *C. de LL.* Judex etiam inferior benigniora præfert; ſed in dubiis. *l.* 56. *ff. de R. I.* benignius leges interpretatur; ſed (NB.) quo voluntas earum conſervetur, *d. l. benignius ff. de LL.* atque ita eas, quarum ipſa ſententia ad æquitatem benignitatemque inclinat. Eram in eo, ut huc afferrem *l. proſpexit ff. qui & a quibus man. lib. non fiant.* item locum §. 4. *Inſt. de ſucceſſ. liberr.* ubi Imp. ait, ſe legis Papiæ ſummam ita eſſe *interpretatum*, ut pro mille ſeſtertiis unus aureus computetur, quod mirum videtur Hottomanno; ſed quandoquidem plura addere per anguſtiam pagellæ non licet; Hic eſto terminus.

HERMANNI CONRINGII
DISSERTATIO
DE LEGIBUS

Menſe Septembri MDCLXVI. habita.

RESPONDENTE

JOHANNE HERBORT. a *Bülovv* Equite Luneb.

ΣΥΝ ΘΕΩ

Theſis I.

Quanta ſit legum neceſſitas, vel ex eo luculenter credo pateſcere, quod ſine iis nulla ſocietas, ne latronum quidem coëat, & uti homines abſque ſocietate mutua vivere nequeunt, ita nec civitas ulla legibus deſtituta, diuturna eſſe poſſit. *Plato l.* 3. *de leg. Ariſt.* 4. *Pol.* 4. *Althuſ. Pol. cap.* 10. *n.* 8.

II. Quandoquidem nimirum hic civilis ſocietatis finis eſt a natura intentus, vivere ſecundum virtutem non impeditam; nihil eſt manifeſtius, quam in civitate, quæ quidem bene eſt conſtituta, omnibus ex æquo curæ eſſe oportere, ut cives ſint ἀγαθοὶ, καὶ πρακτικοὶ τῶν καλῶν, ut loquitur Ariſt. *l.* 1. *Eth. Nic. cap.* 9. cumprimis iis, quibus hoc peculiariter incumbit, ſicuti omnium intereſt, ut ſint ejusmodi.

III. At vero, quoniam admodum pauci repeniuntur, qui virtutis amore recta faciunt, ea quoque mentis noſtræ eſt cæcitas, ea appetitus depravatio, ut tantum non omnes (ſeditioſa imprimis

affectuum turba reluctante, vel nebulas offundente, vel glaucoma objiciente) neceſſitati, aut cœco impetui potius pareant, quam rationi; item damnis, & pœnis citius, quam reſpectu honeſti in officio contineantur *Ariſtot. l.* 10. *eth. nicom. cap.* 9. §. 25. apprime neceſſarium videtur, ut, qui reipublicæ præſunt, hoc agant ſedulo, ut civitas bonis ſit inſtructa legibus. Hæ quippe virtutum actiones præcipiunt, & a vitiis homines deterrent. Optime hanc in ſententiam loquitur Ariſtotelis *l.* 2. *eth. nicom. cap.* 1. §. 11. *& ſeqq.* Legumlatores civibus ad virtutem aſſvefaciendis bonos eos efficiunt; atque hæc quidem eſt omnium, qui leges ferunt, mens & voluntas; quotquot autem minus recte eos aſſvefaciunt, voto ſuo fruſtrantur. Atque hoc uno reipublicæ adminiſtrandæ forma altera ab altera differt, bona a vitioſa, id quod luculentius innuitur *lib.* 10. *eth. nicom. cap. ult.* §. 4. *& ſeqq.*

IV. Cum igitur impræſentiarum pro modulo ingenii de legibus, in quibus, dicente Ariſtotele *lib.* 1. *Rhet.* ſalus cujusque reipubl. conſiſtit, diſſerere animus ſit, noſtrum erit, prius quam ad definitionem progrediamur, vocabulum legis ab homonymia liberare; ne in verbo aberremus, cum res ipſæ veniunt conſiderandæ.

V. Vox autem & appellatio legis varie ſumitur, uſurpaturque vel late, vel ſtricte; late ut includat jus naturæ & conſvetudinem; ſtricte, ut naturæ, conſvetudini, & juris multorum populorum civilis ſpeciebus opponatur. Varias legis acceptiones oſtendit Dn. Cothmann. *in comm. ad l.* 1. *C. de leg. n.* 21. *& ſeqq.* Nos hîc generalius pro omni jure accipimus.

VI. Deſcribit legem Lycophron Orator apud Ariſtotelem *lib.* 3. *polit. cap.* 6. juris inter ſocios ſponſionem. Cujus deſcriptionem expreſſiſſe videtur Papinianus ictus, cum *leg.* 1. *ff. de ll.* inquit: lex eſt communis reipublicæ ſponſio. Nos eam ſic nunc definimus; *quod ſit regula actionum civilium, a majeſtate præſcripta.*

VII. Facile vero apparet ex præmiſſa definitione, in permittendo, & ſuadendo, (quod quidem innuere poſſit videri Modeſtin. *l.* 7. *ff. de leg.*) virtutem legis neutiquam nos nunc collocare, utpote cum illa dicatur regula & norma, ad quam ſi actiones humanæ conformentur, laude & præmiis, ſin minus, vituperio pœnisque dignæ cenſentur. Et vero, quoniam obligatio infallibilis legis eſt index, proximusque effectus, ut omnis lex, quæ vere talis eſt, vel ad faciendum, vel ad omittendum primario quem obliget; illud autem jubendo, hoc vetando fiat, hinc nuda permiſſio, multo minus conſilium præcipuam quidem legis vim ac virtutem habere nequit: etſi aliquo modo legi non derogemus, & nos permittendi aliquid facultatem.

VIII. Verſantur porro leges circa actiones moresque hominum, qui plerumque ita ſunt prolapſi, ut ſine legibus commode vivi haud poſſit. Qui ſane, dicente etiam Machiavello *l.* 1. *diſc. in Liv. c.* 3. ſponte ſua recte agunt, iis legibus opus non eſt; ſed ubi deſinunt ſponte ſua officium facere, hîc legibus opus eſt, ut cogantur. Et hic eſt ſcopus & finis legum unicus, ut cives omnes in officio contineantur, & ad virtutem aliaque civilis ſocietatis cujusque opera vi quadam compellantur, ut inculcat Plato *l.* 12. *de ll.* His enim, tanquam communi præcepto, præſcribitur ſubditis, quid cuique faciendum vel omittendum, quid fieri debeat in republica, quid vitari, quis ordo, quod officium ſit magiſtratuum, quid debeant ſubditi ſuo Principi, quis porro pacis bellique ſit tenor, &c.

IX. Quibus omnibus cum fundamentum totius reipubl. contineatur; in ejusdem utique manu collocari leges debent, qui principem in republica tenet locum. Hæc autem eſt ſumma civilis poteſtas. Cum enim penes majeſtatem ſit dominium, penes eandem quoque collocari debent inſtrumenta dominandi, quæ ſunt leges, & ſcita ſuperioris. Excluduntur igitur ab hac poteſtate magiſtratus, qui ad majeſtatem collati ſubditi ſunt cenſendi. Sicut ſane in dialecticis ſpecies intermedia, ſi genus reſpicias, eſt ſpecies, ſi ſpeciem infra poſitam, genus: ita magiſtratus, inferiorum ratione habita, ſunt publicæ perſonæ, ad ſuperiores ſi conſiderentur, privati ſunt, uti peregregie obſervavit Grotius *lib.* 1. *de jure belli & pacis cap.* 4. §. 6. Interim tamen magiſtratus illi, qui majeſtati civili ſubordinantur & ſubjiciuntur, poſſunt leges ſcribere ſive accepta in id auctoritate, ſive quæ ratihabeantur a ſumma poteſtate. Sunt enim hi magiſtratus inſtrumenta quaſi ſummæ poteſtatis, ideo neceſſarii, quod ab ipſa ſumma civili poteſtate non omnia poſſunt expediri; præſcribere autem propria vi leges nullo modo poſſunt. Hinc non immerito diſtinguendum eſſe arbitratur Arniſæus *de jure majeſt. cap.* 3. inter legislatores, quales Græci condendis legibus dicere ſolebant, quique aliam in populo non habebant poteſtatem? & inter majeſtatem, quæ legibus, a legislatore exaratis, autoritatem addit. Ille enim, quia propter legum exarationem ſubditorum numero exemtus non eſt, ne a ſuarum quidem legum obſervantia excuſari debet, quin illi jure poſſit dici illud Catonis: *patere legem, quam tuliſti.*

X. Neque vero juſſa majeſtatis legesque unum idemque ſemper ſunt. Multa ſcilicet a majeſtate jubentur & vetantur, prout caſus ferunt, quæ tamen in leges non ſtatim tranſeunt. Leges enim tempore opus habent, quandoquidem illæ non niſi a prudentibus proficiſcuntur; prudentia autem illud fieri non poteſt, quod non ex conſultatione provenit. Leges præterea ad hoc, ut efficaciter obligent, promulgentur neceſſe eſt, ſiquidem illæ ſubditos minime conſtringunt, niſi ad notitiam eorundem pervenerint. vid. Dan. Otton. *Diſſ. de J. publ. cap.* 12.

XI. Explicata jam definitione, liquidæ eſt veritatis, quaslibet leges, quæ naturæ quidem ordini & optimo humanæ vitæ ſtatui congruunt, bonas eſſe, nec non poſſe omnium virtutum actus præcipere omniumque vitiorum actus, quantum quidem eorum civilis ſocietas poſtulat, prohi-

bere

bere, quamvis ad earum eſſentiam ſimpliciter non requiratur, ut ſint bonæ. Quippe cum leges rebuspublicis, non hæ illis ſint accommodandæ (quod *lib. 3. polit.* Ariſtoteles illuſtrat ſimili de lapide ad perpendiculum dirigendo, & de calceo pedibus aptando) ex his autem nonnullæ ſint *παρεκβάσεις*, fieri non poteſt, ut rerumpublicarum ejusmodi præcepta omnia vere juſta ſint, quandoquidem impoſſibile eſt, ſolis bonis artibus fines, a recto diſſidentes, aſſequi, ut Magnif. Dn. Præſes *in annot. ad Lampad.* præclare oſtendit.

XII. Cauſam efficientem legum eſſe ſummam poteſtatem, ſuperius eſt dictum. Cum vero illa vel abſolute ſumma, vel ſit ſumma in certo genere, abſoluteque ſumma poteſtate unus Deus gaudeat, altera hominibus competat: hinc ratione ejus diſtingui lex ſolet in divinam, quæ a Deo eſt, & humanam, quæ a majeſtate, vicaria Dei poteſtate, ſancitur; divina iterum in naturalem & poſitivam diſpeſcitur.

XIII. Lex naturæ eſt, definiente Gregorio de Valentia *tom. 11. diſp. 7. quæſt. 4. p. 1.* naturale rationis noſtræ judicium, ſive dictamen, quo per lumen, nobis ab æterna lege impreſſum & inditum, evidenter cognoſcimus, ea eſſe facienda, quæ ita ſunt recta & naturæ noſtræ conſentanea, ut ea negligere ſit deforme & naturæ repugnans, & contra ea eſſe vitanda, , quæ facere turpe ſit & naturæ rationali minime congruum.

XIV. Sunt autem juris naturæ præcepta, uti conſtat, vel pricipia, vel concluſiones, quæ vel affirmant, vel negant. Affirmant illa, quæ jubent fieri bonum; negant, quæ prohibent fieri malum; Obligandi vero vis major eſt negantium, quam affirmantium præceptorum. Scilicet, quo quid ſervatu facilius a lege præſcribitur, eo arctius obſtringit eos, quibus lex lata eſt, adeoque ad id ſervandum omni tempore iidem obligantur. Atqui negativa præſcribunt id, quod eſt longe facillimum, nempe omiſſionem rei malæ; Ergo ſtatim apparet, negantia præcepta ſemper, & ad ſemper, ut loquuntur, obligare. Secus ſe res habet in affirmantibus, quia enim eſt impoſſibile, ſimul & eodem tempore diverſa bona perficere; ſed quodlibet eorum peculiarem animi requirit intentionem, igitur illa veluti actu primo obligant, ſi res & occaſio ferat, actu ſecundo obſtringunt.

XV. Fundamentum legis naturæ eſt honeſtas, quæ reapſe eſt eadem cum vera naturæ humanæ utilitate, uti poſitivi civilium humanorum cœtuum, qui utique humano arbitrio tantum conſtant, utilitas: unde qui vel honeſti notionem, , vel Deum ignorat, ille recte ſentire de jure naturæ non poteſt. Eſt vero illius obligatio a natura, hoc eſt a Deo, quatenus operatur ordinarie in rebus creatis, utpote qui nobis indidit talem facultatem, qua poſſumus dijudicare, quid ſit honeſtum, quid inhoneſtum, hoc eſt, quod naturæ humanæ conducat aut noceat. Cum vero intellectus noſter in nonnullis ſit cæcus, appetitus pravus, ex lumine naturæ ſecundum omnes partes conſtare ſemper nobis vix poteſt, quid ſit juris naturæ, ideoque in ſubſidium ſubinde eſt vocandum lumen gratiæ, & revelationis. Quod recte olim docuit excellentiſſimus noſter Eichelius.

XVI. Summarium fere totius juris naturæ eſt Decalogus, etſi in uſum civilem fuerit promulgatus. Deus enim promulgavit Judæis in monte Sinai decalogum, non qua Deus, ſed qua Rex: is obligavit tamen judæos, non tam qua judæos, quam qua homines. Atque hoc usque adeo verum eſt, ut licet Deus ne verbulum quidem de iis, quæ in decalogo continentur, expreſſiſſet; nihilominus tamen homo ad eorum obſervantiam aſtringeretur. Eſt autem nonnihil diſcriminis inter decalogum, legem moralem, & jus naturæ. Nam ad quod homo tenetur, quatenus homo a Deo conditus eſt, id omne eſt proprie jus naturæ: quandoquidem vero lapſu multum de eo eſt deperditum, id, quod poſt lapſum ſupereſt, vocatur vulgo lex moralis, cujus fere repetitio facta per Deum dicitur decalogus. Hinc etſi Ethnici ignorarint decalogum: non ignorarunt tamen jus naturæ, quod in decalogo continetur.

XVII. Quandoquidem vero extra ſocietatem jus fingi poteſt nullum, quæritur, quanam in ſocietate jus naturæ ſit deſcribendum. Ubi notandum, illud vel in genere, vel in ſpecie conſiderari. In ſpecie, ſi conſideretur, denotat ſocietatem conjugalem, paternam, herilem, &c. Quot enim ſunt ſocietates naturales, tot ſunt ſpecies juris naturæ. In genere autem conſideratum deſcribendum eſt illud in ordine ad ſocietatem univerſalem, quæ Ciceroni dicitur *infinita*, in qua omnes homines ſunt parentes, ſolus Deus imperans.

XVIII. Obſervandum jam porro eſt, aliud eſſe, quod jus naturæ jubet, alind, quod illi eſt conveniens. Quod lex naturæ jubet, intermitti non poteſt, ſed ſi intermittatur, ſtatim oritur peccatum; quod autem juri naturæ tantum eſt conveniens, ſive id ſequamur ſive non, ſæpenumero perinde eſt. Quædam ita ſe habent, ut, licet per jus naturæ ſint indifferentia: eorum tamen actus, interveniente expreſſo, aut tacito pacto gentium ſeu plurium ſeu omnium, ad obligationem juris naturæ reſtringi poſſint. Exempli gratia, jus naturæ bonorum uſum neque communem, neque proprium imperat; quando autem jam vel per diviſionem, vel per occupationem bona alii alia ſibi vendicarunt, non poſſunt ea ipſis, niſi per ſummam injuriam, eripi. Sunt denique, quæ libere ſuſcipiuntur laudabiles quædam actiones, quas tamen per ſe jus naturæ non flagitat; quæ nimirum non alio nomine naturæ congruunt rationali, niſi quatenus in finem per ſe bonum referuntur, a quo bonitatem accidentalem, & extrinſecam accipiunt, quale eſt jejunium, excitandis pietatis exercitiis ſuſceptum.

XIX. Regitur ſola intelligens natura, ut talis, ductu juris naturæ; eoque ipſo ad obedientiam obligatur, ex quo aliquis rationis uſus & cognitio honeſtorum & turpium ſeſe exſerit, adeo, ut eo ipſo, quo voluntas facultatem habet exſequendi ea, quæ juſta & honeſta ſunt, ſimul etiam

intrinſece, & per naturam ad legis naturæ obedientiam obligetur, nec ſine peccato poſſit intermittere, quod illa jubet, aut id patrare, quod vetat. Nec ipſe etiam Deus per abſolutam ſuam potentiam refigere hanc legem poteſt; non magis, atque efficere, ut falſa ſint vera, aut factum infectum; idque ideo, quia quod mandat lex naturalis, per ſe bonum, quod prohibet, per ſe malum eſt; nec fieri poteſt, ut unum mutetur in alterum, niſi quis naturas rerum æternas mutari poſſe ſtatuat, quod omnium conſenſu eſt abſurdum.

XX. Nullo igitur modo ferendus eſt Occam, qui non dubitavit aſſerere, Deum in omnibus præceptis naturalibus diſpenſare poſſe, adeo, ut ſui etiam odium præcipere queat. Id vero vel mandari poſſe, vel licitum eſſe, tam repugnat, quam hominem eſſe eundemque irrationalem. Neque audiendus Scotus, qui Deum in præceptis ſecundæ tabulæ diſpenſare poſſe pronunciavit, quod illa non ſint ſtricte de jure naturæ, neque per neceſſariam conſequentiam ex hoc inferantur. Parem quippe illa cum cæteris vim obligandi obtinent.

XXI. Quanquam autem, dicente Tullio, huic legi nec prorogari fas eſt, nec derogare de hac aliquid licet, nec tota abrogari poteſt: aliqua tamen ſummam poteſtatem civilem circa jus naturæ valere autoritate, uemo temere diffitebitur, cum (1) poſſit pœnas, & præmia illi addere, quæ certe addi, vel non addi legibus naturæ ſolent, & debent in civitate qualibet pro uſu reipublicæ, (2) poteſt quoque poteſtas civilis id, quod lex naturæ fieri ſimpliciter præcipit, ut certo tempore locoque ſingulari quodam rigore peragatur, mandare (3) impune quandoque permittere, ut lex quædam naturalis non obſervetur, ſi nimirum uſus reipublicæ poſtulet, ut minus malum majoris evitandi ergo permittatur, ut ampliſſ. Dominus Præſes in *annotat. ad Lampad.* docet. Licet enim de vita moribusque humanis multa ſic conſtituerit Deus Opt. Max. ut ipſa mens noſtra iſta, quæ contra fiunt, iniquitatis protinus accuſare poſſit; de civili tamen ſocietate propemodum nihil ſanxit, quod nimirum illa momentaneam his in terris felicitatem reſpiciat; ſed humanæ illam prudentiæ, & libertati commiſit. Quamobrem pleraque, quibus reſpubl. nititur quælibet, non ad rigidam illam honeſti aut inhoneſti queunt amuſſim exigi, quandoquidem ſcilicet alterius ſunt naturæ; ſed uſu aut damno civilis fortunæ metienda, ut idem peregregie *in præfat. ad Corn. Tacit.*

XXII. Cave vero exiſtimes, quando magiſtratus decreta juris naturæ ad particulares caſus & circumſtantias reſtringit, novam tunc & poſitivam legem oriri, cum jam ante valeret, quam ſancita eſſet; ſed manet idem jus naturæ, ſuperveniente tantum nova ad animos hominum applicatione, propoſita etiam graviori pæna transgreſſoribus. Fitque adeo, ut virtus armetur, & quod ratio unicuique debuiſſet perſuadere, magiſtratus pro imperio ſuo mandet, & hinc oriatur lex virtutis præceptum; ſed cum ferro & telo, ni pareas. *Cornel. Martini lib.* 1. *anal. log cap.* 1. Enimvero, cum leges ſæpius ad ſua initia ſint revocandæ, quot modis illæ iterantur, tot obligationes tam ad obedientiam, quam ad pœnam inducuntur. Hactenus de lege divina naturali.

XXIII. Leges divinas poſitivas quod attinet, nolo iis immorari, utpote cum aliæ quidem finem ſpectent ſupernaturalem, cujusmodi ſunt, quæ novi ſunt fœderis: aliæ uſum civilem quidem; ſed quarum plerarumque obligatio dudum una cum Hebræorum republica perierit, nec extra illam unquam valuerit. Deus ſcilicet cum civitatem Hebræorum, etiam ſemetipſo Rege in ea conſtituto, ſummo regeret imperio, multos graviſſimosque ritus populum iſraeliticum ſemper obſervare voluit. Vidit nimirum univerſalis Dei providentia, vigil ille oculus, gentem eam in ſuperſtitiones nsque ad ſtuporem aliorum populorum eſſe proclivem, ideoque multis, & variis eam oneravit ceremoniis: quemadmodum hoc ex Pentateucho ſatis ſuperque conſtat.

XXIV. Pergendum nunc ad leges humanas, quas duplices conſtituimus, civiles & gentium. Civiles, quas quisque populus, aut qui ejus loco eſt, ſingulis reipublicæ ſuæ civibus, aut ſubditis præſcribit. Gentium vero, quas non caſu, aut altera alterius imitatione; ſed quaſi ex compacto plures gentes inter ſe conſtituerunt. Non confundenda autem eſt lex gentium naturalis cum hac lege gentium arbitraria. Illa enim omnibus gentibus a Deo eſt præſcripta, de qua intelligendus eſt Cicero *l.* 3. *off.* inquiens: *omni in re omnium conſenſio lex naturæ putanda eſt:* Hæc vero a gentibus ipſis pro arbitratu conſtituta. Et tametſi ingens agitetur controverſia de eo, an lex gentium poſſit legibus proprie ſic dictis accenſeri, & negantium quidem opinio rationibus nitatur vero non abſimilibus: tantæ tamen illæ non ſunt, uti nos a ſententia noſtra dimovere ullo modo poſſint. Præterquam enim, qnod appellatio iſta uſu, qui dicendi eſt magiſter, jam recepta ſit; obligare etiam poteſt legis in modum tanquam pactum, quod initio quidem voluntatis; poſtea vero neceſſitatis eſt.

XXV. Leges porro civiles vel concernunt ſtatum publicum, vel privatum, unde aliud eſt jus publicum, aliud privatum *§. fin. Inſt. de juſt. & jur.* Leges publicas, quæ aliquando fundamentales dicuntur, privatis multum antecellere cuivis apparet, quandoquidem illæ demum reipubl. ſalutem omnem potiſſimum contineant. Non autem ex legibus iſtis ſemper de imperii forma judicandum: uti præclare obſervatum eſt ab Ariſtot. *lib.* 4. *polit. cap.* 5. Fieri quippe poteſt, ut reſpubl. lege ἀριστοκρατικὴ, exercitio & reapſe ſæpenumero ſit ὀλιγαρχικὴ, aut popularis. Neque legum publicarum ſcientia omnino idem eſt cum cognitione ſtatus imperii. Fatendum quidem, ab illo, qui imperii naturam novit, non poſſe ejus ignorari leges; verum, qui jus ſcit publicum alicujus imperii, non protinus omnem ſtatus conditionem penitus pernovit: quandoquidem ex legibus diſcere quidem eſt, quemadmodum in multis habere ſe

debeat

debeat reſpublica, non autem, quemadmodum ſe habeat. vid. Conringii noſtri *lib. de civil. prud. p.* 241.

XXVI. Obligandi vim leges poſitivæ amittunt, (1) ubi quid præcipiunt, quod manifeſte Dei cultui aut legi naturæ adverſatur, ad cujus regulam unice eas componi decebat. Quando enim leges inter ſe colliduntur, ita, ut ſervari utraque non poſſit, tum a lege ſuperiori aut digniori inferioris obligatio impeditur. (2) Si enormiter & evidenter limites æquitatis excedant, & imponant inuſitatum & prægrande onus, quod perferre non ſit poſſibile. Omnis enim legum materia in eorum debet eſſe poteſtate, quibus ſcriptæ ſunt. Ariſtot. *eth. nic. l. 3. cap. 5.*

XXVII. Licet præterea majeſtati eas leges, quæ non niſi ex conſtituto valent, in qualibet republica ſi ita uſus publicus requirat, mutare, & abrogare, cum uno hoc conſtet legum illarum juſtitia, uti πολυμαθέστατος Conring. *in lib. de civil. prud. cap.* 2. loquitur. Enimvero, quæ conduntur leges civiles, earum pars maxima mere ſunt poſitivæ, & ideo juſtæ duntaxat habentur, quia ita latæ ſunt, & naturali rationi non adverſantur, vel non ſunt injuſtæ, quas pro re nata augere, imo interdum plane antiquare pro locorum, temporum, & rerumpublicarum, (quæ non unius ſemper ſunt vultus, ſed huc illuc mobiles, uti humanæ res omnes) varietate, uti idem alibi. Vid. etiam Bodinus *lib. 1. cap. 8. de republ.* Quemadmodum ſane in omnibus actibus civilibus oportet πρὸς τὸν καιρὸν σκοπεῖν: ita leges ad præſentem ſtatum, quoad ejus fieri poteſt, ſunt conformandæ. Aliæ enim conveniunt regno, aliæ democratiæ, aliæ ariſtocratiæ. Hinc Ariſtot. *in eth. ad Nicom. l. 5. c. 7. leges ſe habere in rebuspubl.* inquit, *ad eum modum, ad quem ſe habent menſuræ. Non* ſcilicet *ſemper*, & ubique utile eſt, quod aliquando & alicubi utile eſt. *l un. C. caduc. toll.* & pulchre Cæcilius apud Gellium lib. 20. cap. 1. noct. attic. *Legum opportunitates, & medela, pro temporum moribus, & pro rerumpublicarum generibus, ac pro utilitatum præſentium rationibus, proque vitiorum, quibus medendum eſt, fervoribus mutantur, & flectuntur, neque uno ſtatu conſiſtunt: quin ut facies cœli & maris, ita rerum ac fortunæ tempeſtatibus variantur;* vid. Clapmatius *arcan. rerumpubl. l. 2 c.* 10.

XXVIII. Nec tamen temerariam & ſubitam quamque legum mutationem aliquis facile probaverit: ſiquidem ingens exiſtit confuſio & perturbatio omnium rerum in ea republica, in qua leges levi momento convelluntur, mutantur, abrogantur. Hanc ob cauſam primaria quaſi lex eſt rerum bene gerendarum in republica, ut accurate quis ejus naturam intueatur & re bene cognita, conſtantem conſervet animum. Unde olim Romæ nulla lex fuit promulgata, niſi poſt trinundinum, id eſt, per trinas nundinas, vel dies viginti ſeptem non ſolum, ut intercedi poſſet, antequam ferretur. Sed &, ut aliquanto ante ſtatuere liceret, utrum, cum ferretur, antiquanda ſuffragiis, an accipienda lex eſſet. *Roſinus antiq. rom. l. 8. cap.* 2. Cumque Margaretha parmenſis. Belgii gubernatrix, ſuper Inquiſitionis a patre Philippo ſedecim ante annos inſtituto proceſſu, utpote nimis duro abrogando cum ſenatoribus deliberaret, eorumque ſuper hac re ſententiam exquireret, rogatis ſenatorum ſententiis, nonnulli eorum non omnino male cenſuere, ex edictis imperatoriis nihil quicquam immutandum, & leges, antequam ferantur, expendendas, ubi latæ fuerint, tolerandas, nec re alia magis labefactari ſtatum civitatis, quam crebra legum mutatione. *Strada de bell. belg. decad.* 1. *l.* 5. Unde apud Romanos a principio prætoris edictum nihil erat, niſi lex annua, *Cicer. in 3. Verr.* verum cum tam diverſis edictis, ſe mutuo deſtruentibus, reſpubl. gravaretur, nec de jure quiſquam certus eſſe poſſet, prætoribus illud pro lubitu mutantibus, Cornelius tribunus plebis rogationem tulit, ut prætores ex edictis perpetuis jus dicerent. Quæ cautiones alias obſervandæ ſint, quoties, neceſſitate vel utilitate reipubl id flagitante, leges ſunt mutandæ, vide apud *Bodin. l. 4. c.* 3.

XXIX. Leges vero fundamentales, quibus ipſa reipublicæ fundamenta & nervi, tanquam arcta catena & ſpiritu vitali colligantur, *Bodin. 1. de republ. cap.* 8. immutabiles, quantum quidem fieri licet, eſſe oportet: id quod pulchris rationibus probat idem Bodinus *l. 4. de republ. cap.* 3. cum legibus his, ut plantis ad figendas radices, longo temporis ſpacio opus ſit; quod ſi crebro transferas, vis atque robur omne evaneſcat, uti ſcite loquitur *Hug. Grot. in libro ſuo de antiq. reipubl. batavica circa fin.* Unde nihil pernicioſius eſſe recte exiſtimat Plato legum novitate, ſi de ſtatu reipubl. quæratur *l. 7. de ll.* Tales leges ſunt in regno Galliæ (1) lex Salica (quam firmiſſimum regni gallici fundamentum appellat *Bodinus lib. 1. de republ.*) pertinens ad ſucceſſionem regiam: cujus duo capita proponit *Cabotius diſp.* 16. unum, ne in alienam familiam, alterum, ne in extraneum principem regnum transferatur, (2) lex ad res regni non alienandas. Quibus recte olim additæ ſunt de regni ordinum comitiis convocandis. Tales quoque ſunt leges in noſtro Imperio aurea bulla Caroli IV, capitulatio, aliique Imperii receſſus.

XXX. Cæterum, cum dicente *Ariſtot. 4 polit.* 14. tria ſint membra rerumpubl. omnium, de quibus quid cuique expediat bono legum ſcriptori videndum, & quibus bene affectis reſpubl. bene affecta ſit, ſcilicet magiſtratus, judicia, & præcipue ſenatus, qui conſultare debeat de bello, de pace, de fœderibus, de ſocietatibus, de legibus, & pœnis, diligentiſſime diſpicere debet legiſlator, ut, quas condit, leges præſentem reipublicæ formam conſervent, & commune reipublicæ commodum, & conſervationem, quoad licet, reſpiciant. Videatur *Ariſtoteles 3. polit.* 18. Ejus quippe judicium eſt non de una aliqua re, neque de præſentibus, ſed & de futuris, & univerſe *Ariſtot. 1. reth. 1. n.* 16. Præcipue autem eo ſolicitius illi curæ cordique eſſe debet, ut leges ad utrumque tempus, belli ſcilicet & pacis, in quod omnis vita dividitur *Ariſt. 7. pol.* 14. *pag.* 484. accommodentur, quo majus periculum reipublicæ, hoc neglecto, ſolet imminere.

Eam ob cauſam reprehendit Ariſtoteles, Phaliam, Lycurgum, aliosque reipublicæ Lacedæmonicæ moderatores, quod graviſſime peccaverint, dum illi pacis tantum, hi vero belli ſolummodo temporibus reſpublicas ſuas accommodarint.

XXXI. Nolo hic ſilentio præterire, duo *εὐνομίας* ab Ariſtotele conſtitui genera, unum, quo leges bene ſcribuntur, alterum, quo legibus paretur; & rurſus utramque *εὐνομίαν* duplicem eſſe, vel optimam *ἁπλῶς*, ſic, ut leges optime ſint conditæ, illisq; optime pareatur, aut non quidem optimas eſſe ſimpliciter, ſed ex *ὑποθέσει*, huic illique reipublicæ accommodatas & fructuoſas; ſic, ut iis cives obſequium præſtent. Non conſiſtit autem *εὐνομία* tam in deſcriptione legum maxime bonarum, & reipublicæ utilium, quam in earundem obſervantia. Graviſſime enim apud Thucydidem *l.* 6. pronunciat Alcibiades, & Imp. Auguſtus diſſerit apud Dionem *l.* 52. eam rempublicam, quæ legibus licet deterioribus utatur, firmis tamen atque immotis, bonitate multum præſtare illi, quæ bonis quidem & præclaris, ſed caſſis & irritis. Præclare quoque & in rem noſtram loquitur Æſchines, initio Orationis in Timarchum; *hoc convenire & conducere exiſtimo, ut, quando ad leges ferendas accedimus, eo animos menteſque dirigamus, ut primum bonas, & reipublicæ accommodatas leges ſtatuamus, deinde ut illis parere cives cogamus, refractarios coërceamus.*

XXXII. Quemadmodum enim rei privatæ non hoc uno conſulitur, ſi ſit, qui imperet; ſed & illud præterea requiritur, ut imperanti domeſtici omnes pareant: conſimilem in modum, niſi aliquis ſit, qui legem tueatur, & ut ei cives, quaſi parenti optimo filii, audientes ſint, poteſtate & imperio perficiat, non eſt in ipſis legibus præſidii ſatis, optimeque & laudabiliter vivendi norma contemtim habetur. Quo fit, ut, quam lex civitati, tam legi neceſſarius videatur eſſe magiſtratus, qui illi vim ſuppeditet: ſine qua vana eſt & inutilis ad inſtar legum, quas olim lepores præſcribebant leonibus in fabula Antiſthenis apud Ariſtot. 3. *polit. cap.* 13. Hanc ob cauſam jura dicuntur armari gladio ultore *in l.* 31. *cum vir. C. ad l. Jul. de adult.* & juſtitia cum gladio pingitur; eleganter quoque canit Prudentius *l.* 2. contra Symm. *Lex armata ſedet. &c.*

XXXIII. Sedulo ergo curabit majeſtas aut is, cui legum adminiſtratio & exſecutio demandata eſt a ſumma poteſtate. (*Nam nunc quoque Principes ſibi comparant oculos multos, & aures, & manus, & pedes 3. polit. 12. p.* 211.) ut leges omnes & ſingulos, quibus datæ ſunt, obligent, ne aranearum telis ſimiles fiant, quod olim Zaleucus monebat, quibus minora inſecta irretita fruſtra luctantur & palpitant: easdem majora felici audacia & impetu perfringunt, cavebitque, ne vel minima pars legis impune violari permittatur 5. *polit.* 8. In parvis quippe cum peccatur, facile ad majora vel ignari, vel inviti, tranſeunt, qui ea negligunt, uti loquitur Heinſius *in paraphr. ad d. l. Ariſtotelis.* Obſervatum videlicet prudentiæ civilis magiſtris, interque eos & Ariſtoteli, mutari reſpublicas interdum *διὰ τὸ παρὰ μικρὸν*, ideoque, ut idem caute monet, reipublicæ cujusvis remedium eſt, *μάλιστα τὸ μικρὸν φυλάττειν*: Occulte enim obrepit detrimentum, mentemque decipit ſophiſtica illa ratione.

XXXIV. Poterunt vero ſubditi ad legum latarum obſervantiam invitari, ſi viderint, legibus ultro ſeſe obligare, qui eas tulerunt. Sic T. Livius 3. decad. l. 8. *ſi quid injungere inferioribus velis, prius in te ac tuos recipias neceſſe eſt, ſi ipſe jus ſtatueris, quo facilius omnes habeas obedientes.* Ita Theodoſius & Valens l. 4. C. de leg. & Princ. conſtit. *Digna vox eſt majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe principem profiteri: adeo de auctoritate juris noſtra pendet autoritas: & revera majus eſt imperio, ſubmittere legibus principatum; & oraculo præſentis edicti, quod nobis licere non patimur, aliis indicamus.* Et vero nonnullos dari non ignoro, qui ſummam poteſtatem civilem ultro ſeſe legibus ſubjicere poſſe pernegare contendant, moti hac ratione, quod idem ſecundum idem non agat in ſemetipſum; eos vero cum jamdudum refutarit magnif. Dn. Præſes *in annotat. ad Lampad.* malo nunc quidem hoc labore ſuperſedere. Neutiquam autem admittendum, quod aſſerit Georgius Buchananus cætera laude digniſſimus in *dialogo de J. regni apud Scotos*: leges inventas ad coërcendos reges, & in ordinem a ſubditis cogendos. Haud enim in illos, ſi quidem ſint *μοναρχικοὶ*, & non *κατὰ νόμον* Reges, eſt legum vis compulſiva; ſed tantummodo directiva, quatenus ipſi ſuapte ſponte ſe illis ſubjiciunt; non quod cogantur, aut cogi ab ullo poſſint, aut debeant, ſed quod ab eorum exemplo dependere popularis ſoleat multitudo. Quod quantum ſane in legibus obtineat momenti, docet vel unica Ciceronis exclamatio *l.* 3. *de legib.* quod quæcunque mutatio morum in principibus exſtiterit, eandem in populo ſecutam: & Caſſiodoro *l.* 3. *epiſt.* 21. pronunciante, facilius eſt errare naturam, quam diſſimilem ſui Princeps poſſit formare rempublicam. Sicuti enim homo corpore conſtat & anima; ita regnum ex rege & iis, qui reguntur; & uti vitia ab anima in corpus derivantur, ita a rege in populum, uti eleganter ait Juſtinus Martyr. Unde præceptum ſalubre Pittaci ſapientis apud D. Auſonium in ludo de ſeptem ſapientibus: *Pareto legi quisque legem ſanxeris.* Et Jacob. Sanazar. in Federicum in epigr. ex *Ovid. l.* 6. *Faſt.*

Publica nimirum tunc res ſibi conſtat, & æquum
Imperium, cum rex, quod monet, ipſe facit.

XXXV. Deinde ſpectandum quoque venit, ne legum multitudine laboret reſpublica. Quis enim neſcit, leges, quæ neque utiles ſunt, neque neceſſariæ, ſi non obſint, ad minimum tamen confundere? Hinc Plato ægrotantis reipublicæ ſignum eſſe dicit legum multitudinem, & Bodinus notam tyrannidis. Ita cum C. Julius Cæſar rempublicam, armis civilibus victam, dictatorio nomine in ditionem accepiſſet, erat Romæ *immenſus aliarum ſuper alias acervatarum legum cumulus*, ceu loquitur *Livius lib.* 3. & Tacitus ſcribit *lib.* 3. *Annal. ad multitudinem ac varietatem legum infinitam fuiſſe perventum, & corruptiſſima republica plurimas leges latas: utque antehac*

fingi-

flagitiis, ita tunc legibus laboratum. Negandum tamen non eſt, in illa republ. ubi magna negociorum perinde & controverſiarum datur copia, multas requiri leges, quo pauca judici ſecundum jus, ſibi ipſi forte fictum, decidendi permittatur poteſtas. Leges ſiquidem poſitæ omnia, quæ poſſunt, definire oportet: ita ut quam pauciſſima in arbitrio eorum, qui judicant relinquantur: judex enim affectibus eſt obnoxius, lex non item 1. *Rhet. c.* 1. *v.* 13. *& ſeqq.* Lex ſine appetitione mens eſt. 3. *Pol. c.* 1.

XXXVI. Denique ratione modi diſtingui leges ſolent humanæ in ſcriptas, & non ſcriptas. Quam diviſionem ſumtam eſſe ex Philoſophia Græca docet Piccartus *in Comm. ad cap.* 5. *l.* 6. *Pol. Ariſt.* Scriptas appello, quæ ſanctione expreſſa uno tempore & feruntur & valent. Non ſcriptas, quas uſus frequens & inveteratus tacito majeſtatis conſenſu introduxit. Longe vero fallitur, qui ſcripturam de legis eſſentia eſſe arbitratur. Quicquid enim rei in eſſe jam conſtitutæ ſupervenit, id de rei ipſius eſſentia nequaquam eſt. Quapropter Lycurgus apud Lacedæmonios, ut leges ſcriberentur, ſevere prohibuit: & apud Romanos olim cum multis ceremoniis præviis rogata & ſancita lex eſſet, æneis tabulis quadratis, vel columnis memoriæ cauſa inciſa, in templo Opis, vel Saturni aſſervabatur, quibus tamen non minus, ac Athenienſibus, aliisque populis leges fuiſſe, nemo facile inficiabitur. Patet ergo, ſcripturam non facere ad legis ſimpliciter eſſe, ſed melius eſſe: non ad ejus eſſentiam formalem; ſed ad quandam ejus exſiſtentiam ſive exiſtendi modum, & ut eo melius ad poſteros aut multos deferri poſſit.

XXXVII. Leges non ſcriptæ autem non paulo ipſis legibus ſcriptis ſunt validiores. Quandoquidem enim illæ ſenſim introducuntur, ex ipſa quaſi natura & ingenio populi fluere videntur, adeo, ut qui illis repugnat, naturæ populi adverſari conetur. Cæterum, cum conſuetudines ſemper & in omnibus legum vim obtineant, earumque nomine appellentur, neceſſario ſequitur, eum, qui condendæ legis non gaudet poteſtate, a ſtatutis quoque, & conſuetudinibus introducendis arceri. Quoniam autem ex ſuperioribus abunde eſt liquidum, neminem niſi majeſtatem ferre leges poſſe, igitur conſuetudinis introducendæ poteſtas non poteſt non ab eodem fonte derivari, uti recte concludit Arumæus *diſc. Acad. de Jure publ. p. m.* 595.

XXXIIX. Non abs re fortaſſis fuerit, hic quoque meminiſſe, leges poſitivas duplici modo ſuſtinere relaxationem poſſe (1) cum legislator uni vel alteri legi gratiam facit, tollitque obligationem etiam in eo caſu, in quo alias obligaret. (2) cum factum aliquod ſingulare ſub ſententia legis non comprehendi declaratur. Cum prius fit, diſpenſari proprie in lege dicimus, poſterius ad *ἐπιείκειαν* referimus.

XXXIX. Enimvero, cum lex ſit propoſitio univerſalis, at circa materiam contingentem verſetur, accidit, ut, quia comprehendere univerſa non poteſt, interdum deficiat. Hinc recte olim JCtus Julianus: *Neque leges, neque SCta ita ſcribi poſſunt, ut omnes caſus, qui quandoque inciderint, comprehendantur, l.* 10. *&* 12. *ff. de leg.* & Javolenus *l.* 202. *ff. de Reg. Jur. Omnis definitio in jure civili eſt periculoſa; parum enim eſt, ut non ſubverti poſſit.* Quandoquidem ut definitum quid lex eſt: ita definitum quid reſpicit; actiones autem, quarum norma lex eſt, ſunt indefinitæ. Ita hæc lex: Peregrinus mœnia conſcendens capite plectitor: ſi eo violetur animo a quoquam, ut hoſtem adeſſe magiſtratui indicet, ne aut capiatur civitas, aut alias reſpubl. quid capiat detrimenti, legem hanc illi accommodare, hominemque interficere non licet, niſi quis præter id, quod juſtum eſt, agere velit. Quæ tamen rarius contingunt, communibus regulis conſtringenda ſunt: quandoquidem, etſi ratio legis in iſto ſpeciali facto ſpecialiter locum non habeat: manet tamen ratio in ſua generalitate, cui ſpecialia ſubjici fas eſt, inquit *H. Grot. de I. B. & P. l.* 1. *c.* 4. *p. m.* 82. Cum igitur ſcire oporteat, quo pacto, quando, & in quibus ſint ſervandæ leges, neceſſum eſt, ut aliquid ſit, quod hunc defectum, (qui tamen neque legi neque legislatori eſt aſſcribendus, ſed conditioni materiæ, quæ multas patitur mutationes) ſuppleat. Illud eſt æquitas. Ubi enim lex deficit, ibi incipit æquitas, quæ eſt *ἐπανόρθωμα δικαίου νομίμου*, ſeu correctio legis ea parte, qua deficit ob ſuam univerſalitatem. *Ariſt. l.* 5. *Eth. c.* 10.

XL. Corrigitur autem lex plerumque quidem, quando ejus removetur obſcuritas. Hæc autem dupliciter oriri in lege poteſt, vel ratione verborum, vel ratione mentis. Unde duplex eſt legis interpretatio (quandoquidem ea nihil eſt aliud, quam remotio obſcuritatis) vel verborum, quæ dicitur declarativa ſeu grammatica, vel rerum, quæ reſtrictiva appellitatur. Et hæc, ſi accuratius paulo rem expendamus, potiſſima omnium legum eſt interpretatio. Tametſi enim præter illam & extenſiva quoque referatur; hæc tamen non perinde eſt conveniens pleriſque legibus alicujus civitatis. Romanis legibus ideo eſt frequentius adhibenda, quandoquidem in corpore ex. gr. Juſtinianeo multa exſtant præfectorum quæſita, prudentumque reſponſa: & vero illa, quia quam plurimos ſpeciales continent caſus, ſpeciales illi caſus extendendi ſunt ad alios ſimiles caſus. Quæritur vero, quomodo legis ſit inſtituenda correctio? Hoc erudite monſtrat *Ariſtot. l.* 5. *c.* 10. *Eth. Nic.* correctione, inquiens, ſuppleri id, quod deeſt legi, interpretando eam ſecundum æquitatem, quod nihil ſit aliud, quam induere perſonam legislatoris, legemque ita corrigere, uti ipſe legislator corrigeret, ſi adeſſet. Cum ſcilicet multæ leges abeant in deſuetudinem, eo quod circumſtantiæ varient, ideoque legum interpres tenetur retrogredi, ac in omnes circumſtantias, ex quibus leges ſunt enatæ, eas reſolvere. Hæc pro noſtro inſtituto de legibus dixiſſe ſufficiat.

HERMANNI CONRINGII
DISQUISITIO ACADEMICA
DE PRIVILEGIIS RECTE CONFERENDIS, ET REVOCANDIS.

Menſe Februario MDCLXIX. habita

RESPONDENTE

PHILIPPO OTTONE GERCKEN *Hildeſienſi.*

PRÆFATIO.

Nihil frequentius hodie, *AMICE LECTOR eſſe videas*, *quam in multorum quidem ore ea quandoque verſari*, *quorum naturam non raro penitus ipſi illi ignorent, vel quod itidem nou raro videas*, *plane in alium ſenſum transforment. Ita quidem*, *ut rem*, *ſive doctrinam aliquam*, *per ſe & natura ſua coeteroquiu bouam, malam tamen multi ſuſpicentur, & vice verſa rem per ſe malam, pro honeſta, utili, pro neceſſaria ſæpius reputent. Certe (ſi miſſis plurimis aliis)* πολυθρύλλητον *illud dogma de RATIONE STATUS ſpectes, (ne quid uunc de eo aſſeram, quod vulgus doctrinam hanc, ceu impiam, a viro bono & omni bona republ. exulare debere opiuetur, idque, quod vocabulis his, natura ſaue ſua omnino bonis & utilibus, male ad tegenda ſeu coloranda vitia virtutum nominibus, præter omnem vocum culpam uſi ſint) iu omnium ore hodie nihil communius eſſe animadvertas, etiam eorum quandoque, qui vix limina politices couſalutarunt, adeoque rei illius naturam ignorant. Eadem ferme & præſentis noſtra de privilegiis materia ſors eſt. Quia tritum quidem atque, (quod ajunt,) lippis etiam & tonſoribus notum ſit nomen privilegii, vim tamen eorum paucos videas capere. Idque fortaſſis, quod alii, rudiores ſcilicet, materia huic nihil utilitatis ſubeſſe ſuſpicentur, adeoque plane illam negligant, alii vero, ſi quid de hoc negocio tractent, non niſi perfunctorie iſthæc intueantur. Ego a Magnifico Domino Præſide, publicis aliquot lectiouibus aliud edoctus, rem, ab aliis poſthaberi ſolitam, ab aliis ſegnius ſaltem tractatam, paucis pro ingenii imbecillitate tangere ſuſcepi; non tam, ut ſtudiorum meorum rationem habeam, verum potius ut eruditiori ingenio ulterius & exquiſitius in rei veritatem inveſtigandi anſam præbeam. Nolim autem Te, BENEVOLE LECTOR, ignorare, quæ adducta hac diſſertatione ſunt, pleraque non tam mea, quam ſummi viri Dn. Præſidis eſſe, cujus ſententia & autoritate definita eſſe puta, quæ invenies. Hinc eſt, quod auſim mihi promittere, cum omnibus bonis, tum vel maxime iis, quibus publici & privati boni cura aliqua eſt, hæc gratiora & acceptiora fore. Nunc ergo ſine ulteriore verborum apparatu eſto.*

I. N. D. N. I. C.

CAPITIS I.

PRÆTER RATIONEM CONFERENDI PRIVILEGIA, UNIVERSALIA QUÆDAM PRÆMITTENTIS.

THESIS I.

Quod igitur Ulpianus Juriſconſultus ait: *Juri operam daturum noſſe oportere, unde nomen Juris deſcendat l. 1. ff. d. J. & J.* idem & nobis de privilegüs acturis haud immerito agendum eſſe exiſtimamus; idque eo, quod, niſi quid vocabulum rei denotet, præſciamus, nunquam quid res ipſa ſit recte aſſecuturi ſimus. Hinc paucisſimis præmittimus, vocem *privilegii* originem trahere a vocabulo, *privum*, proprium & peculiare denotante. Quod probat Horat. l. 1. Ep. 1.

- - - conducto navigio æque,
Nauſeat ac locuples quem ducit priva triremis,

& idem *l. 2. Serm. Sat. 5.*

Sive aliud privum dabitur tibi &c.

Ab hac voce Philologi nomen privatum, quod non eſt commune, ſed proprium, inde vero privare, ſeu alteri aliquid eripere, & hinc denique privilegium deducere ſolent. Ceu id uberius cum ex aliis, tum vero ex Baſilii Fabri Lexico videre licet. Nobis hæc in præſentiarum tetigiſſe ſat eſto.

II. Eſt autem nobis privilegium (ne in aliorum definitionibus ſive inveſtigandis, ſive examinandis prolixiores ſimus) *lex iu uſum privatorum condita, & exceptio a communi lege.* Quod ut paulo explicatius fiat; Privilegium jus tale eſſe dicimus, quod adverſus generale ac commune jus exceptionem, relaxationem eoque privationem legum introducat; quo nixi, quibus illud datum eſt, legibus illo in caſu communibus ſoluti intelliguntur. *l. antiquitas 14. C. de uſufr. & Habio.* Quam in ſententiam pedibus [quod ajunt] ire videtur & ipſe Cicero, cum ait: *Privilegium eſt lex*

de

de privato lata, qua communi juri derogatur: & idem orat. Pro domo ſua *Vetant* [inquit] *leges ſacratæ, vetant XII. tabulæ leges privatis hominibus irrogari*, id eſt enim privilegium. Confirmat & hoc autoritate ſuâ Hugo Grotius, incomparabili de jure Belli ac Pacis *lib. 2. c. 18. §. 4 n. 4. Privilegia* [dicens] *ita intelligenda, ut tribuant aliquid ultra jus commune.*

III. Quod cum ita ſe habeat, omnem omnino privilegiis cum ipſius legibus univerſalibus affinitatem denegare, ut iniquum; ita vice etiam verſa legibus omnimode privilegia æquiparare, abſurdiſſimum, imo ſtolidiſſimum foret. Quantum itaque diſtent inter ſeſe, ſive conveniant, hic ut inveſtigemus, operæ erit pretium.

IV. Ratione itaque cauſæ efficientis, privilegium eodem plane habere ſe modo cum legibus univerſalibus, ſtatuimus. Proinde quemadmodum non tantum Ariſtoteles *l. 1. Rhet. c. 4. & 4. Pol. c. 14.* legum ferendarum facultatem ſummæ tribuit poteſtati; Sed etiam ipſæ ſacræ litteræ conjungunt reges & legumlatores. Ut Eſaiæ 33. *Dominus Rex noſter, & Dominus Legifer noſter*: Ita ſane & privilegia ad Principum placita referri oportet. Id quod recte proinde aſſeritur l. 1. §. *plane ex his ſecundum, & leg. beneficium 3. ff. de Conſt. Princ.* Scilicet extra controverſiam omnino omnem id poſitum eſſe arbitramur, juri communi neminem privatorum derogare poſſe, (quod tamen ſemper fit in cujuslibet privilegii conceſſione) præter eum, qui illud condit & cuſtodit. Legis autem aut juris civilis vim non habet, quod a ſuperiore non eſt conſtitutum. Id quod non incommode pronunciatur *l. 7. ff. d. J. & J.* Cum ſummæ ergo poteſtatis ſit leges ferre, vel illius ſaltem, cui a ſumma poteſtate id conceſſum eſt, idque quod rariſſime fieri oporteat: non etiam privilegium a quoquam alio, quam ab ipſa ſumma poteſtate, concedendum eſt, nec temere cui alii privilegii dandi poteſtatem majeſtas civilis committere debet. Quapropter prudenter legibus duodecim tabularum privilegia vetita potius ſunt, quam ulli data. Quod tamen Romæ ipſe uſus tandem improbavit.

V. Verum non hoc ſolo, ſed & objecto ipſo reſpondent privilegia legibus. Ut enim hæc circa rem aliqnam in rep. obtinendam, atqne adeo circa agenda, vel omittenda, vel permittenda verſantur: ita eadem privilegiorum eſt ratio. Niſi forte dixeris leges, univerſalia magis, privilegia vero ſingularia potiſſimum ſpectare.

VI. Quin & ratione alia multiplici, non uno modo privilegia æquari legibus forte non incommode, poſſe videas. Primo enim, ut lex omnis vel aperte vel tacite fertur, quæ poſterior ferenda ratio nomine *conſuetudinis* venit, ſen ut cum Juſtiniano loquamur, *juris, quod uſus approbavit.* Ita etiam privilegium aliud aperte conceditur, aliud quoque uſu tacito introducitur. Secundo, lex utique omnis conſtat aut ſcripto, aut ſine ſcripto. Ariſtotel. *l. 1. Rhet. c. 15.* Neque enim ad eſſentiam legis requiritur, ut ſcribatur. Sane Lycurgus vetuit leges ſuas ſcripto tradi, ut melius ſervarentur animo: imo leges non alibi tantum apud Barbaras gentes, ſed etiam in græcia, primis quidem temporibus ſcriptæ non potnerunt eſſe, cum ante Cadmum nullæ litteræ fuerint Græciæ populis. Ceu hæc omnia ex plurimis ſcriptoribus refert H. Arniſ. *Op Pol. cap. de legibus.* Ad eundem plane modum, non omne privilegium neceſſum eſt, ut ſcripto ſit comprehenſum. Quaſi ſcilicet quod ſcriptum non eſt, nec privilegium eſſe poſſit. Fatemur tamen, quemadmodum apud moratiores quasque gentes leges ſaltim plæræque & potiores fuerunt ſcripto conſignatæ, ita & privilegia in iisdem gentibus ſaltim plæraque ſcribi ſolere. Tertio quoque, perinde ac variat lex eo, quod alia ſit mandans, alia prohibens, alia permittens; ita & privilegiis nunc aliquid vetitur, nunc mandatur, nunc permittitur.

VII. Tametſi autem hunc in modum ſit aliqua legum & privilegiorum convenientia, non tamen hoc volumus, quaſi omnimodo leges cum privilegiis ſint idem. Sic etenim largior juſto foret verborum noſtrorum explicatio, & ut alia omnia non adferamus, contra communem & nobis etiam receptam ageremus ſententiam, qua lex dicitur propoſitio univerſalis: Privilegium vero neutiquam omnibus eſt commune.

IIX. Cæterum, ne in generalioribus hiſce prolixiores ſimus, proprius ad thema noſtrum accedentes, de diviſionibus privilegii nonnihil diſpiciemus. Neque enim privilegia una ſemper eademque ſunt. Nam etſi omnia in eo conveniant, quod aliquid afferant boni illi, cui dantur; pro ratione tamen & varietate boni, & ipſum privilegium non poteſt non variare.

IX. Plerumque autem obſervaveris, duo maxime eſſe, quæ cum in omni, tum vero & imprimis civili vita privilegiis exoptantur. Alterum ſcilicet libertas, alterum vero honor. Hæc ergo, vel horum alterutrum, ſi uni, vel aliquibns in rep. conferantur, (omnibus enim hæc eodem gradu dari non poſſunt) eſt, quod dici ſolet, gaudere illos privilegio vel libertatis [ſeu immunitatis a publicis tribntis, vectigalibus, oneribus denique & collectis ſive omnibus, ſive aliquibus, quocunque etiam hodie nomine veniant, in rep. ferendis,] vel honoris, hoc eſt eminentioris præ reliquis gradus honoris. Et hæc privilegia ratione objecti ſe diverſimode habent.

X. Nec tamen ſolo hoc, ſed & ſubjecti reſpectu, privilegia ſe diverſiſſime habere animadvertas: ſic privilegia vel uni tantum, ſeu certæ perſonæ cuidam, vel etiam pluribus ejusdem generis; qualis ſunt naturæ cum aliæ univerſitates, tum quæ alias corporum nomine venire ſolent: (Germanis dicuntur, *Zunfften, Ampt, oder Gilden,*) conferuntur *leg. 2. & 3. C. de legibus.* Hinc etiam dari privilegia aliquando certæ provinciæ, aut civitati, aut corpori, &c. aut ſpecialiter certis & ſingulis perſonis, docetur.

XI. Neque hic quidquam obſtat, privilegia ſingulorum nomine venire, quod ſupra a no-

bis dictum eſt. Nam integræ civitates & collegia, prout membra majoris aut latius patentis ſunt reipubl. collective ſumtæ, ita inter ſingulares nulla cum injuria referuntur.

XII. Privilegia porro accidente quodam alio, non unum ſemper idemque obtinent. Alia enim ſunt temporalia, & certo temporis ſpatio terminata. Alia perpetua, nulla facta circumſcriptione temporis & perſonæ, collata, quæ & pleniſſimæ indulgentiæ nonnullis dicuntur. Quod etſi probatione opus non habeat, multis tamen ex jure Romano civili adductis textibus id egregie probavit Georgius Acacius Einenkelius L. B. Hoheneccenſis *l. 2. de privil. c. 1. §. 8.*

XIII. Ampliſſimus hic nobis præterea patet quidem diſtinctionum plurimarum campus: eum tamen ſtudioſe præterimus, cum aliæ aliam plane, ſuo habito diverſo naturæ & accidentium ſuarum reſpectu, ſpectent claſſem, aliæ vero quandoque ineptiores ſint. Miſſa ergo etiam omni hac diſtinctione, qua privilegia alia ſunt perſonalia, [ſeu quæ perſonæ dantur,] tum & realia, [quæ rei, vel cauſſæ conceduntur] Et iſta, quæ in tria genera, rerum ſcilicet, perſonarum, & actionum diſtinguit. Quin & illa, qua privilegia alia vera, alia quaſi privilegia. Poſtremo & ea, qua alia legalia dicuntur Romani Juris Doctoribus, ſunt autem, quæ corpori Juris inſerta ſunt, & alia, quæ præter hæc ſeorſim a Principe indulta ſunt, nunc facta; ut & omiſſis ejusmodi omnibus omnino aliis, quæ adferri & poſſent, & ſolent, unam duntaxat adhuc ſubjiciemus privilegiorum diviſionem, eamque probe notabimus.

XIV. Sunt ſcilicet privilegia non omnia pure benefica, ſed nonnulla talia quidem, quæ ſcilicet nullo habito meritorum quorundam reſpectu, ſolo titulo lucrativo conferuntur, *Mart. Rummel. part. 2. diſſert. 4. ad A. B.* nonnulla vero titulo [quod ajunt] oneroſo, vel merito aliquo acquiſita. Sunt autem poſterioris generis ea privilegia, quæ ſunt acquiſita accepta, aut data ob pecuniam, vel ob factum aliquod gratum, fortitudinem e. g. bellicam, aliudve bene meritum &c. Vid. Herman. Hermes Faſcic. jur. publ. *c. XI. n. 78.*

XV. Hiſce vero poſitis, ſponte ſua fluit, cautela opus eſſe in conferendis privilegiis, eaque non exigua, verum tali, quæ etiam ipſam *νομοθετικὴν* æquet, ſi non (quod verius dixerim] ſuperet prudentiam.

XVI. Enim vero magna cum cura ſunt utique ferendæ leges & ſemel latæ, non, niſi cum exigit uſus publicus, (quum uno hoc conſtet legum auctoritas) mutandæ. Nemo enim profecto Politicus (ut habent verba Magnifici Domini Præſidis abſolutiſſimo opere *de civ. prud. c. 2. temerariam quamque & facilem legum mutationem laudabit, ſed eam duntaxat, quam exigit lex ſuprema, ſalus nempe publica.* Conſimili modo non profecto leve eſt privilegium concedere, præſertim, quia cum ejusmodi conceſſione eſt conjuncta non quidem plena, aliqua tamen legis publicæ mutatio aut abrogatio. Qualis utique raro fieri poteſt ac debet. Proinde circumſpectione magna eſſe opus in privilegiis concedendis, vel ſolam hanc ob cauſſam, arbitramur eſſe manifeſtum.

XVII. Non ideo autem duntaxat privilegii conceſſio eſt res ardua, & deliberationis indiga, ſed eo etiam, quandoquidem illa privilegiati cujusque a communi regula & lege exemptio, videtur ipſa ſocietatis civilis fundamenta, amicitiam ſcilicet communem, & communis juris perceptionem, ſi non evertere, ſaltem infringere.

XIIX. Duo nimirum præcipue ſunt, cum omnem ſocietatem, tum vero maxime & civilem conſervantia. Amicitia & juſtitia. Quam in ſententiam omnes fere ſaniores cum Livio *Hiſt. l. 34.* conſentiunt. Quo facit illud etiam Agathiæ, qui cum recenſuiſſet, Francorum dominationem, ſola primatum concordia ſtabilitam fuiſſe, addit, *ἡ δικαιοσύνη & amicitia conſervant omnes magnas reſp. faciuntque hoſtibus inexpugnabiles*; ceu ex illis refert *Hen. Armſæus.* Usque autem adeo verum eſt, ut cum *Ariſtotele l. 5. Pol. c. 6.* infirmum reddi quidquid inter ſe diſſidet, exiſtimemus, *& ne latronum quidem ſocietatem, omni plane juſtitia exulante, vel ad tantillum temporis ſubſiſtere poſſe,* cum *Magnifico Dn. Præſide l. de civ. prud. c. 13.* diſerte profiteamur.

XIX. Quod ſi ſane, ſecundum hæc communia ſocietatis civilis fundamenta, privilegia ſint examinanda, quemadmodum omnino fieri debet, cum ex utilitate reip. omnia utique ſint æſtimanda; non obſcurum erit videre, plerumque contra hæc collatione privilegiorum peccari, imo peccari vix non poſſe.

XX. Quid enim quæſo? Annon inæqualitas oritur ſumma, ſi præter omnium gravamen alicui prærogativa [quam plerumque reliquorum derogativam dixeris] concedatur? Quod non poteſt non contingere, tum quidem, ſi immunitatis e. g. ab oneribus communioribus privilegio gaudeat vel unus, vel integrum aliquod corpus in republica. Facile vero id conſtat, alteros, puta æquales, onerare, alteris exoneratis, ſapere aliquid injuſtitiæ diſtributivæ, ratione cujus æqualia debebantur omnibus. *Æquitatis ſane ratio communiter in omnes procedit*, ceu recte *l. ult. C. de fideicomm.* aſſeritur.

XXI. Ex hoc vero non poteſt non & alterum rempublicam cœteroquin conſervans corruere medium, ſcilicet juſtitia. Si enim hæc eſt inter eos, quibus eadem bona, eademque mala ſunt, juxta *Ariſtotelem l. Rhet. 2. c. 4. §. 6.* non poteſt non odium eſſe inter eos, quibus eadem bona eademque mala non ſunt; ſive id ſit ratione immunitatis, ſive ratione honoris. Quorum poſterius & æmulationem, & contemptum (diverſo tamen habito reſpectu) ſecum trahere certum eſt. Quæ utraque cum ſummo reip. detrimento & periculo conjuncta eſſe, extra omne dubium eſt.

XXII. Cum ita vero ſeſe res habeat, dixeris merito fortaſſis, nequidem ſtatui herili, qualis

eſt

eſt ubi dominantium ſalus primario quæritur, privilegiorum conceſſionem convenire. Nam & tales reſpublicæ exigunt, ut populus ſit in Dominum ſuum animo favente, neve inter ſervientes magna ſit æmulatio: id quod, ſublata amicitia mutua, nequit obtineri. Ad hoc autem videtur probari poſſe, ne quidem ipſis privilegiatis commode poſſe privilegia cedere.

XXIII. Et vero, etſi amentur, qui propenſi ſunt ad Principes pecunia adjuvandos, aut ſalutem eorum defendunt, *Ariſtoteles lib. 2. rhet. cap. 4.* (quod quidem facere eum, qui privilegia concedit, videri poſſet) tamen amorem illum perſonas, quibus beneficium confertur, non excedere, ſed alios apud ſubditos longe his numeroſiores, plane diverſum obtinere, quis quæſo non videat? Modo enim hac ratione illorum ſuſpiciones, ut promptas, ita & pernicioſiſſimas certe invidiam eorum, quibus adeo facilis vel beneficus, nec fuit, nec ſine ſui & reipublicæ interitu eſſe potuit, in ſe provocabit. Interdum & ſuæ & legum ſuarum autoritati non parum detrahet, quippe quod mutatione legis a ſe ipſe latæ, crimen non modo inconſtantiæ, ſed & imprudentiæ incurſurus ſit: Ceſſante vero vel ſua, vel legum ſuarum autoritate, & ipſe neceſſum eſt ceſſet earum effectus, id quod & ſui reipublicæ interitum certe concomitatur.

XXIV. Cæterum ne plura hic congeramus, argumentiſque aliis privilegia, ut jus iniquum, publice privatimque, re & exemplo pernitioſa eſſe declaremus, nominatim denique & expreſſe privilegia damnantem audiamus ipſum *noſtrum Juſtinianum in auth. ut omnes obediant judicibus &c.* §. 4. his verbis: *Hanc dicentes juſtitiæ legem, adhuc potius faciemus eam juſtiorem, ſi nulli permittamus habere contra eam quadam privilegia, nec excipi ab hac lege quolibet privilegio.*

XXV. Dubiam itaque ſaltem videri poſſumus feciſſe per ea, quæ hactenus diſputata ſunt, quæſtionem. Anne ulla liceat irrogare & concedere privilegia? Et vero, ſi quod dictum eſt, cum tanto & reipublicæ, & ipſius, qui ea confert, magiſtratus conjunctum eſt periculo, non immerito de privilegiorum uſu & æquitate dubitaveris. Verum in re ardua ac difficili omnino opus eſt ulteriore diſquiſitione. Nec enim, quæ oppoſita ſunt privilegiis argumenta, quamvis ſpecioſa, fortaſſis tanti ſunt, ut privilegiis in univerſum omnibus ſine diſcrimine derogent.

XXVI. Et vero nos quidem non dubitamus aperte profiteri, privilegia omnino poſſe, imo quandoque debere conferri. Etſi enim, quod ſuperius dictum eſt, leges in univerſum latas in gratiam privati alicujus abrogare indignum, quin & periculoſum ſit, eaſdem tamen in certo quodam caſu vel negotio, corrigi vel ſuſpendi poſſe, affirmamus: proindeque probe inter legis omnimodam abrogationem, & ejus quandam correctionem ſeu moderamen diſtinguendum.

XXVII. Illa quidem ipſa moderatio, non facile, fateor, nec ſine magna cauſſa multaque deliberatione fieri debet; attamen ratio ipſa & utilitas reipublicæ ea eſt, ut nihil impediat, quo minus aliquod fiat legis moderamen. Quin imo, ut illa interdum exigit plenam abrogationem legis, ita imperat quaſi ejus rigorem nonnihil imminuere. Atque licet videantur leges aliqua ex parte convelli, ac infringi, dum contrariis exemplis factiſque impugnantur; ſi tamen æquitatis norma atque modo obſervato fiat temperamen, firmari potius illas, quam lædi dixerim. Quod vero ſupra in contrarium adduxi, quaſi verenda ſit eorum, quibus non conferuntur privilegia, offenſa, non eſt tanti. Primo enim illa ſæpe numero, ut viribus deſtituta, non temere nocet. Deinde cum tempore ſolet exſpirare, quamvis initio nonnihil turbet. Poſtremo, cum is, qui meruit privilegium, ſæpe magnæ ſit autoritatis & factioſus, quidni ab illo plus periculi metuas, ſi pro merito non fuerit habitus? Non læditur porro juſtitia, ſi inæqualibus inæqualia tribuuntur, ſed id juſtitiæ quam maxime eſt conſentaneum. Quamvis igitur lex illos omnes, qui ſunt æquales, obliget, juſtitia tamen non patitur tantum, ſed etiam jubet, ut ſi qui fuerint inæquales, non eadem communi lege obſtringantur.

XXVIII. Quantumvis autem hoc pacto privilegiorum conceſſionem jure fieri affirmemus, tamen id non niſi cautela, habita cum perſonarum, tum rerum, tum vero & omnium aliarum circumſtantiarum & accidentium ratione, fieri debere, contendimus. Ideoque qua ratione omnium optime in iis concedendis procedi debeat, noſtrum erit exponere.

XXIX. Igitur quia privilegia ſingulis quandoque hominibus: quandoque univerſitati, ſeu corpori alicui conceduntur; Legiſlatori in privilegii collatione cumprimis attendendum, ne quid imprudenter committat in hiſce, Idque quoniam in hiſce commiſſus error plus damni poteſt conferre, quam ſi circa ſingulares perſonas fuerit aberratum.

XXX. Sed quis non videat, majus ex prærogativa multorum reliquis ſubditis accreſcere gravamen, magiſque derogari, atque uni & alteri dato aliquo privilegio? Id ſane tum vel maxime fit, ſi collegiis integris data fuerint. Hæc enim, ut Bodinus *l. 1. de republica cap.* 8. ait, ſempiterna ſunt, & ſi forte intereant, id tamen non niſi poſt multorum annorum intervalla evenit. Imo non poſſunt etiam non hoc modo quaſi indurati, ægerrime ferre, præſertim ſi vel autoritate vel potentia præ aliis ſint ſuffulti, ſibi quidquam ejus eripi, quod propter longi ſaltem temporis uſum ſibi jure deberi æſtimant, nihil nimirum penſi habentes, quod non niſi privilegii titulo illa poſſideantur.

XXXI. Hinc vero, quod ex ſuperioribus ſponte fluere videtur, omnino ſtatuimus: Si forte privilegia collegiis ſeu corporibus integris concedenda ſint, ea in protenſa nimium, multo minus indeterminata, tempora neutiquam proroganda eſſe.

XXXII. Quanto ſane imperii romano-germanici detrimento ſæpius cum ab aliis, tum vero maxime a Carolo IV. peccatum ſit, neceſſum non fuerit hic recitare. Id tetigiſſe ſat eſto, in tantam creviſſe multorum imperii ordinum potentiam talibus privilegiis, ut reliquis non modo

maxime facti ſint inæquales, non ſine ſumma omnium aliorum æmulatione, verum & ipſis tandem Imperatoribus formidabiles, modo non plane etiam inexpugnabiles.

XXXIII. Quod dictum eſt, univerſitati ſeu corpori alicui indeterminato tempore privilegia non temere, nec citra magnam circumſpectionem, danda eſſe; idem & circa ſingulorum aliorum, ſi quidem illi magna valeant aut dignitate, aut autoritate, aut etiam opulentia, privilegia obtinet. Scilicet ex re itidem eſt reipublicæ, ut & hæc tempori certo alligentur, quo iſthoc elapſo omnia redeant ad ærarium publicum. Cumprimis certe opus eſt cauto, ne hereditaria fiant privilegia: præſertim cum res ſunt majoris momenti, & apud eos, quorum potentia poſſit reipublicæ eſſe ſuſpecta.

XXXIV. Etiamſi ſane conjunctum videatur cum aliquo damno ſingulorum, quibus ejuſmodi privilegia ſunt conceſſa, attamen non exiguum eſt, (ſi verum dicere liceat) quod ut plurimum ſecum trahit incommodum, partim ipſorum, quibus privilegia collata ſunt, partim etiam ipſius reipublicæ. Ipſorum quidem ne paternis inhiantes immunitatibus, & ſæpe cum injuſtitia collatis beneficiis, ipſi deſides nihil agant, præterquam quod male forte agere diſcant. Reipublicæ vero ne a talibus civibus, qui otioſi, aut nullarum virtutum ſtudioſi ſint, prematur: cives autem ad honeſtum aliquod vitæ genus compoſitos, & ab omni otio alieniſſimos habere, reipublicæ maxime intereſt. Hinc, (ut habent verba *Henn. Arniſæi Op. pol. c. d. educat.*) digna eſt Regis Amaſis lex, apud Herodot. *l.* 2. & Diodor. *l.* 1. digna inquam eſt, quæ in uſum revocetur. Hæc enim jubebat ſingulos cives quotannis coram magiſtratu comparere, & docere, qua ratione quiſque vitam ſuam poſſit ſuſtentare.

XXXV. Caute olim hæc obſervavere germanicorum populorum Imperatores, Reges, & Principes in collatione feudorum. Feuda enim initio quaſi fuere manualia, quod conferrentur manu domini, in cujus libera poteſtate eſſet, inveſtitum viciſſim deveſtire. Id quod etiam, Longobardorum durante in Italia regno obtinuit. Sicuti tamen Imperatores, præcipue Caroli Magni ſucceſſores. (perinde ut alibi quoqne factum, adeoque in ipſo gallico Francorum regno) præſides & magiſtratus provinciarum, qui quondam temporarii fuerant, ac ſtipendiis & ſalariis contenti, precariam & titulo adminiſtrationis annexam habuere dignitatem, reſervata ſibi umbratili quadam fidelitate, de provinciis, quibus illi præerant inveſtire cœperunt. Quod prolixe ex plurimis autoribus evincit Theodorus Reinkiogius *l. 1. de reg. ſecul. & eccleſ. l. 1, cl. IV. c. 16. ſſ. 22. 23. & ſeqq.* Et ſane videas, ex eo tempore, quo feuda illa magna facta ſunt hereditaria, imperii germanici rempublicam maxime immutatam.

XXXVI. Magna providentia rebus ſuis hac etiam in parte hodieque conſuluit Turcicus Imperator. Dum bona feudalia, quæ confert, (confert autem plurima) non in heredes Timariotæ transferri vult, ſed beneficium illud cum ipſis Timariotis (quo nomine illi genti feudatarii venire ſolent) quaſi mori. Imo & quod non raro forte iſthic locorum videre liceat, ipſa Timaria vivis aufferre, inque alios transferre ſolent. Quod latius tradit Bodinus *l. 1. de republica c. IX. Feuda Principis* (de Mahumede ſive ſummo turcico Monarcha ſermo eſt) *beneficio, & quidem precario, non tamen diutius, quam fructuarii vita fruenda permittuntur, iis conditionibus, ut ingruente bello, Timariotæ equites ſine ſtipendio militari, cum equorum numerum deducant, qui pro ratione beneficii, cuique libello cenſuali definiri ſolet.*

XXXVII. Quod ſupra porro dictum eſt, privilegia non omnia uno & eodem ſive teneri, ſive acquiri titulo, ſed alia lucrativo, alia vero oneroſo, id Principi cumprimis attendendum. Nec vero fas eſt, aut citra ingens & reipublicæ damnum, & Principis læſam autoritatem fieri poteſt, ut privilegia concedantur, nullo habito communis boni reſpectu, ſed promiſcue, nunc his, nunc illis, etiam nihil, vel certe nihil tale aut tantum promerentibus. Solent quidem vulgo hinc Principes liberalitatis laudem invenire, non apud prudentes tamen, & qui norunt, quantum interſit inter liberalitatem veram, ac inaniter apparentem, quæque adeo reapſe eſt profuſio quædam vitioſa & prodigalitas. Certe illam inepte dictam liberalitatem, reipublicæ omni atque adeo & Principi cuivis eſſe detrimentoſam, multis oſtendit magnificus Dominus Præſes *ad cap. XVI. Princip. Machiav.*

XXXVIII. Facto ergo probo examine meritorum, conferri demum privilegia fas eſt. Hac enim poſthabita, nec legibus, nec ipſi legislatori ſalva ſtare poterit autoritas. Imo hoc uno duntaxat privilegiorum diuturnitatem, magnitudinem, et ſi quæ ſunt alia accidentia, niſi æſtimaveris, contra publicam & privatam utilitatem peccabis.

XXXIX. Cæterum hæc cum ita ſe habeant, manifeſtum quoque eſt, omnem privilegii cujusque conceſſionem oportere præcedere accuratam conſultationem, in qua vel neceſſitas, vel utilitas conceſſionis ponderetur. Cum autem Princeps, præcipue ſi fuerit aliis negotiis magnis occupatus, ipſemet ſolus talem accuratam conſultationem nequeat inſtituere: hinc patet, omne omnino privilegium concedendum, ad conſilium publicum Principis ante omnia referendum eſſe, atque matura habita deliberatione, denique certi aliquid eſſe conſtituendum. Sed & omnino fuerit ex re, pœnam ſatis gravem conſtituere in omnes illos, qui auſi fuerint a Principe, conſilio ejus aut ſenatu inconſulto, privilegii alicujus conceſſionem, clanculum ſibi vel petere, vel etiam per ſub- & obreptionem impetrare. Qua de re ſæpe laudatus Dominus Præſes itidem ad Machiavellum agit. Et poſſent a nobis plura quædam adferri: ſed quoniam conſtituta brevitas id non patitur, ad alterum ſummum caput argumenti noſtri faciemus progreſſum.

CAP. II.

CAP. II.

DE REVOCATIONE PRIVILEGIORUM.

XL.

Et quidem revocationem quoque privilegiorum dubiam faciunt binæ directe ſibi invicem oppoſitæ opiniones; idque ſpecioſis ſatis rationibus, & præclarorum ab utraque parte virorum autoritatibus ſuffultæ.

XLI. Altera omnia privilegia, etiam perfectiſſima, omnibusque cum ſolennitatibus data, pro ſolo lubitu imperantium convelli, ac infringi poſſe affirmat: altera quævis privilegia, ſive ad inſtantiam aut preces, ſive motu proprio tributa ſint, nullo item perſonarum vel circumſtantiarum habito reſpectu, rata eſſe vult; non minus atque leges quasvis perfectas & immutabiles eſſe oporteat.

XLII. Illos inter, qui priori ſententiæ ſubſcribunt, primatem merito dixeris Johannem Bodinum, magnum utique politicæ philoſophiæ doctorem. Cujus verba quædam huc transferre haud abs re fuerit. *Id enim* (ait) *ſcitum eſt, non modo privilegia, ſed ne leges quidem aut edicta, mortuo Principe, retinere vim ſuam, niſi conſequentium Principum autoritate vel conſenſione tacita ſanciantur.* Et interjectis nonnullis: *Neque tamen* (addit) *ſi in perpetuum conceſſa fuerint corporibus aut collegiis, quæ ſempiterna ſunt, principis largientis vita diuturniora ſunt futura. Itaque,* (pergit) *reges noſtri beneficia corporibus & collegiis tributo, revocare conſueverunt, atque adeo curiarum omnium jurisdictiones, & imperia confirmare:* Porro ait. *Quod ſi Princeps nullus majorum legibus obligatur, quonam modo ſuis obligaretur? nam aliorum quidem imperium ſuſcipi, ſibi ipſi vero imperare nemo poteſt. Nulla, inquit Pomponius, obligatio conſiſtere poteſt, quæ a voluntate promittentis ſtatum capit: quæ certe ratio non modo probabilis eſt, ſed etiam ad perſuadendum neceſſario; ſcilicet Principem ſuis legibus ac juſſis obligari nullo modo poſſe.* Hæc ille & plura etiam duriora alia, quæ videantur *l. 1. de republ. c. 8.*

XLIII. Propugnat autem Bodinus, non modo liberam privilegiorum, ſed & omnium cum Principe initorum contractuum revocationem. Alii paulo conſideratiores, contractus quidem initos a Principe revocari poſſe, negant, privilegia vero omnino poſſe, ajunt, cum nudæ ſint donationes. Quid autem veri & falſi inſit his opinionibus, paucis inquiremus.

XLIV. Et vero pro ſententia Bodini videntur facere haud levia argumenta. Primo enim ipſa vis ſummæ poteſtatis civilis videtur exigere liberam reſciſſionem omnium contractuum, omniumque ergo & factarum conceſſionum. Quandoquidem omne, quod aliqua ſui parte conſtrictum eſt, non amplius ſui eſt juris. At ſummæ poteſtati omnium eorum, quæ ad civilem aliquam ſocietatem faciunt, plenarium competit arbitrium. Non poteſt autem competere, niſi ſimul illa libertatem habeat omnium, quantumvis factarum promiſſionum aut conceſſionum.

XLV. Secundo, quod ſeorſim liberam privilegiorum revocationem attinet, illam videtur habere poteſtas ferendarum legum. Quoniam enim omne privilegium lex aliqua eſt, utique cui eſt libertas condendarum & abrogandarum legum, illi competit & libertas eadem circa privilegia.

XLVI. Tertio in univerſum, omne datum privilegium, aut factus contractus, ſi non ſit utilis reipublicæ, tacite innuit, ab eo, qui non habuerit plenam rei notitiam, profectum eſſe. Nec enim quisquam rerum plane gnarus aliquid ſecerit, quod noxium aut detrimentoſum fuerit. Igitur circa noxios ejusmodi contractus, aut privilegia detrimentoſa, videtur ſumma poteſtas civilis doloſe circumventa. At in ejusmodi actibus ipſo naturæ jure datur reſtitutio in integrum. Non enim omnis illa reſtitutio eſt juris Prætorii poſitivi: Sed ipſiusmet Prætorii illius juris æquitas mere eſt naturalis, ſeu multis docet ampliſſimus Dominus Præſes *l. de finibus imperii cap. 9.* Si autem ipſo naturali jure convenit Principi vel ſummæ poteſtati civili circa omnia noxia privilegia aut inutiles contractus in integrum reſtitutio, utique & reſcindendi tollendique omnia iſthæc jus illi eſt. Nec vero eget ſumma poteſtas prætore aliquo, qui illam reſtituat in integrum, ſed quoniam in ſua civitate non habet ſuperiorem, ſemetipſum poteſt reſtituere.

XLVII. Non videtur Quarto ſucceſſorem ullum, etſi filius vel nepos fuerit, anteceſſorum pacta conventa, ac proinde nec privilegia conceſſa obligare, ſaltem in illis resbuspublicis, ubi, qui regunt rempublicam, non vi ſucceſſionis hereditariæ, ſed primi acquirentis jure regnant. Utique enim hac ratione cuivis regenti idem jus competit, quod fuit primi acquirentis. Quantumvis igitur deinceps a quoquam ſucceſſorum, ſive per contractum, ſive per privilegia, jura illa primi acquirentis fuerint diminuta, nihil tamen horum poteſt obligare eum, qui in primi acquirentis jura ſucceſſit, non autem crevit quaſi hereditariam poſſeſſionem paternam. Saltem itaque illa privilegia omnia illique contractus, qui juribus primi acquirentis adverſantur, reſcindere videtur poſſe quemlibet Principem, aut quam aliam ſummam poteſtatem, quæ paris eſt conditionis.

XLVIII. Videtur vero cumprimis eam eſſe rationem feudalium principatuum, ubi reipublicæ regimen eſt conceſſum integræ alicui principalis familiæ lineæ, quam appellant, Nam & ibi quilibet Princeps non tam in patris aut avi ſui, quam primi acquirentis jura ſuccedit. Cui accedit, quod hujusmodi principatus quam maxime proprii ſint ejus, qui directus eſt dominus: Principes autem feudatarii habeant duntaxat dominium utile. Qualiter itaque habuerunt ſeſe jura directi domini, quo tempore in feudum conceſſit aliquem principatum, talia per nul-

lum

lum contractum, per nullum privilegium potuerunt deteriorari. Ac proinde ſi forte detrimenti quid paſſa ſunt illa, quilibet Princeps videtur ſummo jure poſſe in priſtinam conditionem, per reſciſſionem contractuum, & revocationem privilegiorum, omnia reſtituere. Imo non poſſe id tantum videtur, ſed ſiquidem ad id vires ſufficiant, videtur id facere teneri lege illa, qua domino ſuo directo obligatus eſt.

XLIX. Quæ feudatarii autem Principis, eadem videtur eſſe ratio & omnis omnino Principis, in cujus patrimonio non eſt Principatus, ſed qui tantum vere fungitur magiſtratu; ſumma poteſtate directa exiſtente, penes ipſam civilem ſocietatem: reapſe enim & ille tantum habet utile dominium.

L. Non igitur fas eſt cuiquam horum Principum, reipublicæ bona, ſive per contractum, ſive per privilegia, ſive quo alio modo reddere deteriora. Quin imo, quandoquidem omnis talis Princeps juramento ſeſe ſolet ſub initium regiminis obſtringere, velle ſe pro virili ſalutem reipublicæ curare & quærere, videtur hoc ipſo etiam ſe obligare ad reſciſſionem omnium contractuum, & privilegiorum, quæ reipublicæ commodis quoquo modo adverſantur.

LI. In factas donationes porro revocandi jus videtur ſingulare aliquod ſupereſſe. Non enim utique ante donationem donatarius quidquam habuit, quod prætenderet: ſed illud, quod donatum fuit, ſaltim antehac in unius donantis liberrimo arbitratu fuit. Per donationem autem, ut alius aliquis ſuum jus omne in id, quod donavit, amiſerit, Princeps tamen omne ſuum jus non tranſtulit, ſed ſaltem eminens dominium ſibi retinuit. Ut proinde vi illius dominii, ſi pœniteat donationis factæ, videtur poſſe illam reſcindere. Ad dona autem referenda ſunt privilegia, ac proinde & privilegia fuerit utique fas revocare.

LII. Cæterum rationes, quibus & Bodiniana, & illa altera nititur de liberrima privilegiorum omnium revocatione ſententia, propugnari poſſint, hæ fere ſunt. Non deſunt vero ſuæ rationes & contrariæ ſententiæ, quæ ſimpliciter omnem revocationem improbat. *Primo* enim, in univerſum repugnat naturali juſtitiæ, adeoque & juſſui divino, jus quæſitum alteri eripere. Per omnes autem contractus perque omnia privilegia, alteri, cum quo contractum eſt, aut cui eſt privilegium conceſſum, jus aliquod eſt quæſitum. Cujus juris ereptio fit & per reſciſſionem contractum & per revocationem privilegiorum. Quæ proinde non poſſunt, non in univerſum eſſe iniquia.

LIII. Evertit *Secundo* reſciſſio contractuum, & revocatio privilegiorum, ſine diſcrimine, ipſum humanæ omnis ſocietatis fundamentum; nempe fidem, cui innititur omnis ſocietas, atque adeo & ſocietas civilis, quæ omnium eſt potiſſima, reliquasque ambitu ſuo complectitur. Utique enim partes contrahentes omnes, fidem de iis, ſuper quibus contrahitur, ceu primum habent principium ſuorum contractuum: non contracturæ ſcilicet, niſi fide mutuo ſibi data & accepta. In privilegiorum porro conceſſione, & qui concedit, fidem verbis ſuis habendam, & cui conceditur, concedenti eſſe credendum quaſi pro certa habent & univerſali ὑποθέσει cum conceſſionis, tum acceptionis privilegiorum. Quum in univerſum autem hæc ita ſeſe habeant, non licet Principes aut ſummas poteſtates alias a communi illa claſſe excipere. Homines & illi ſunt, ac proinde obligantur iis, quæ hominibus omnibus a Deo, tanquam conditore naturæ, ſunt imperata.

LIV. Nulli *Tertio*, quamvis potentiſſimo, non opus eſt benevolentia aliorum hominum. Nec enim unus aliquis ſibi ſoli ſufficit, ſed indiget ad ſe & ſua tuenda aliorum auxiliis: qualia nemo præſtat, niſi ſit animo benevolo. At vero impoſſibile eſt, benevolentiam ſibi conciliare poſſe eum, qui tantum pro libitu contractus aut privilegia conceſſa velit ſervare. Non ſane firmam ſolidamque benevolentiam talis aliquis ſibi conciliaverit: ſed fluxam duntaxat, & quovis momento mobilem, cuique proinde nec alter ille potens, quamvis Princeps, poteſt tuto credere. Quin imo neceſſum eſt, ut omnes ejusmodi Principes, pariter & alii, quibus cum Principibus eſt commercium, in perpetuo ſint metu & ſuſpectos ſeſe mutuo habeant. Id quod non Principibus minus quam aliis, permoleſtum & grave, deinde vero etiam noxium eſt. Et vero, etſi potentibus non adeo facile immineat periculum ab impotentioribus, ac proinde illi forſan cum Nerone dicant, *oderint dum metuant:* non tamen nullum periculum etiam ab illis poteſt evenire, ceu longus rerum uſus docuit. Ad hoc contractus ſolent inire Principes ſæpenumero cum iis, qui pari ſunt potentia vel non multum impari. Utque nonnulli minus valeant, illi tamen aliis adſcitis in fidem, facile potentiſſimo, quamvis Principe, ſuperiores evadunt. Et vero habet etiam hic locum illud, quod quondam in theatro Maximino robuſtiſſimo homini, & membrorum magnitudine tumido, aliorum contemptori Mimus occinuit: *Cave multos, qui ſingulos times.*

LV. Quamtumvis *quarto* contractuum & temerariis privilegiorum ruptoribus, nihil ab hominibus metuendum periculi fuerit, attamen divinam illi pœnam neceſſum eſt incurrant, ſive in hac, ſive in altera vita. At vero vindicem Deum in ſe provocare, non profecto cuiquam, etſi potentiſſimo Principi conſultum eſt. Eſt ſcilicet Deus juris naturæ acerrimus aſſertor: & nihil illum fugit eorum, quæ ab hominibus ſive juſte ſive inique aguntur. Vereque adeo huc quadrat illud etiam Poëtæ pagano notatum *ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα.* Vtque ſcelerum vindicta ſit nonnunquam tardior,

Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Neque hac in re quidquam valet illud Ariſtidis Athenienſis a Plutarcho memoratum commentum, Daorum indignationem ab Attico populo, fœdifrago, & ruptore conceſſionum atque

que contractuum in ſeſe dirivanti. Quantumvis nec ille conſiliorum ejuſmodi auctor pœnas divinas uſquam effugerit: ſecundum illud Poëtæ.

ἡ δὲ κακὴ βυλὴ τῷ βυλέυσαντι κάκιςη.

LVI. Igitur graviſſimas & huic ſententiæ contrarias rationes eſſe, manifeſtum eſt, non minus ac non leves ſane eſſe, quæ pro adverſa allatæ ſunt in medium, quilibet forte adverterit. Nos tamen neutras credimus tanti eſſe, ut ſimpliciter alterutram in partem concedamus. Itaque aſſerimus, utramque ſententiam eſſe falſam: & illam nempe, quæ omnes omnino contractus ac privilegia a ſummis poteſtatibus reſcindi poſſe ſtatuit, & hanc, quæ negat ullum jure reſcindi. Utque adeo nunc ad ſola privilegia quam maxime reſpiciamus, nec omnia, nec nulla revocari poſſe profitemur. Prius vero, quam magis ſpeciatim dicamus, quænam liceat aut non liceat revocare, quod noſtri hujus inſtituti eſt ſingulatim magis exponere, examinabimus ante argumenta utrinque adducta, & oſtendemus, qua parte verum ſint aſſecuta, & qua a vero abeant.

LVII. Ad PRIMÆ itaque ſententiæ, quam haud injuria a primo ejus defenſore Bodinianam dixerimus, *primum* argumentum, fatemur omnigenæ ſummæ libertati omnes contractus & obligationes nonnihil adverſari: ac proinde plena & infinita libertate non gaudere quenquam, qui aliqua etiamſi levi, parte fuerit adſtrictus. At vero *primo* in univerſo terrarum orbe hactenus repertus non eſt, qui tantum valuerit. Non requiritur *ſecundo* ad eſſentiam poteſtatis ſummæ alicujus reipublicæ, infinita ejuſmodi & undique illimitata libertas. Modo enim in iis, quæ potiſſima ſunt, libertas regendæ reipublicæ ſibi conſtet, ſatis eſt. Reliquorum aliqua reſtrictio nec impediri poteſt, nec quicquam officit, quo minus ſumma illa poteſtas vere libera dici poſſit. Unde manifeſtum eſt, neutiquam hoc exigere *τὸ αὐτεξέσιον* liberæ reipublicæ, ut quoſvis initos contractus, aut quævis conceſſa privilegia pro arbitrio poſſit reſcindere.

LIIX. In *ſecundo* argumento duo ſumuntur loco certarum hypotheſium, quæ tamen longe a vero abſunt. Alterum eſt, quod omne privilegium nihil niſi mera lex ſit ſingularis; Alterum, quod fas ſit Legiſlatori pro libitu leges refigere. At vero in omni reipublicæ genere, ſive illo, in quo populi ſalus primario, ſive eo, in quo ad dominantium commoda quam maxime reſpicitur, leges non, niſi exigente ſive populi ſive dominantium uſu, mutare fas eſt. Soli libidini & cupiditati ejus, cui ferendi leges poteſtas incumbit, neutiquam iſta legum mutatio permiſſa eſt. Ac proinde neque privilegiorum mutatio vel hactenus mere eſt arbitraria. Ad hoc autem multa privilegiorum nomine veniunt, quæ ſunt æternæ conceſſiones: & quidem ſæpe numero propter bene merita, interdum & in compenſationem præſtitorum operum, aut acceptorum nummorum. Qualium proinde longe alia eſt ratio, quam ſimpliciter omnis omnino legis. Quæ tamen privilegia alterius ſunt generis, illarum mutationem fatemur ejuſdem cum legibus eſſe conditionis.

LIX. *Tertium* argumentum non probat, quod probandum ſuſceperat; omnem nempe contractum, omneque privilegium revocare fas eſſe: ſed concludit duntaxat, de ſolo reipublicæ noxio, ſive contractu, ſive privilegio. A qua claſſe noxiorum, innumeri contractus, & plurima abſunt privilegia. Quæ proinde iſthoc argumento non impugnantur. Falſum porro eſt, omnem minus utilem contractum eſſe initum, aut minus utile privilegium eſſe datum, per doloſam aliquam circumventionem. Sæpenumero enim talia fiunt ab iis, qui omnium exacte ſunt gnari: facta electione minoris mali ad evitandum majus. Quales actiones habent quidem inviti nonnihil, non ex ignorantia tamen: nec ſimpliciter invitæ ſunt. Adeoque ad modum earum, quæ vere ſunt invitæ, ſive per vim, ſive per ignorantiam nequeunt reſcindi: nec admittunt reſtitutionem in integrum. De cætero fatemur, ſi quæ fuerint privilegia conceſſa a Principibus doloſe circumventis, ſi qui etiam tales contractus fuerint initi, illos reſcindi jure poſſe & revocari: poſſeque adeo ſummam poteſtatem circumventam ſuapte ſeſe autoritate in integrum reſtituere.

LX. *Quarto* etiam argumento nihil definitur de omnium Principum, ſed de quorundam duntaxat ſive contractibus, ſive privilegiis. Atque ita non probat illud, quod citra omne diſcrimen & promiſcue Bodinus aliique profeſſi ſunt Nec tamen vel ita recte ſe habet omni ex parte argumentatio: niſi ſane probe explicetur illud jus primi acquirentis. Illud enim aut expreſſis verbis eſt definitum, aut non niſi per ſigna & indicia comprobandum eſt. Nec ſpectandum duntaxat, quid ille actu fortaſſis habuerit aut poſſederit, ſed in quantum voluerit poſteros obligare, aut quam illis libertatem circa ſibi poſſeſſa conceſſerit. Si de mente itaque primi acquirentis exſtet aliquid certo definitum, dubitationis non multum poterit ſupereſſe. Etſi autem tale nihil ſuperſit, videtur tamen ſecure dici poſſe, quod primus acquirens cuivis poſterorum liberam conceſſerit de relictis bonis, ſive ad reipublicæ, ſive ad proprios uſus, diſponendi facultatem. Idque, quoniam ſine tali libertate, nec ad populi nec ad dominantium ſalutem, res civiles adminiſtrari poſſint: quas tamen adminiſtrari alterutro modo, neceſſum eſt voluerit primus acquirens. Hoc poſito autem ſequitur, omne illud, quod actum eſt a quolibet ſucceſſore intra terminos illius libertatis, actum eſſe reapſe ex mente & voluntate primi acquirentis: atque adeo hactenus quaſi primi acquirentis autoritate eſſe roboratum. Si qui igitur contractus fuerint inviti, ſi quæ data privilegia, illa tolli nequeunt a quoquam ſucceſſorum, prætextu jurium primi acquirentis; & quidem eorum duntaxat, quæ ille habuit in poſſeſſione. Obſervandum porro, non temere præſumendum eſſe de quovis principatu aut regno, quod omnia teneantur vi ſaltem jurium primi acquirentis: ſed hoc firmis eſſe rationibus demonſtrandum, priuſquam illo prætextu quidquam jure moveas. Et vero hic cumprimis conſuetudo conſulenda fuerit cujuslibet reipublicæ; ut quæ ſit haud fallax facile index verorum jurium. Si

vero

catione, a donatione deſumptum. Nec enim omnia in univerſum privilegia mera ſunt gratuita dona: Sed bona eorum pars datur in compenſationem aut præmium acceptorum a donatario commodorum, atque adeo non ex gratia, ſed merito conceſſa. Hoc igitur argumentum, etiamſi valeret nonnihil, non tamen oſtenderet liberam revocationem omnium privilegiorum, ſed tantum quorundam, illorum nempe duntaxat, quæ mere ſunt gratuita. Iniquum vero etiam eſt, dona omnia revocare. Etſi enim ante donationem nihil juris fuerit donatario in donum, accepit tamen ille jus & interdum dominium in rem donatam. Neque hactenus inter Principem & quemvis alium liberalem virum quidquam eſt diſcriminis. Quod proinde Princeps donavit, non amplius ipſius eſt: in quantum ſane donavit. Equidem eminens dominium manere Principi in rem alicui donatam, certum eſt. At illud dominium neutiquam permittit, ut poſſit eripere Princeps, quod donatione factum eſt alterius. Non majus certe jus Principi eſt in rem donatam, ac quod habet in rem quamcunque aliam privatæ poſſeſſionis cujusdam civis aut ſubditi. Sicut ergo pro arbitrio non poteſt Princeps ullius civis bona rapere; ita nec donatas opes pro arbitrio ſibi poteſt repetere.

LXVII. Quid valeant ergo rationes pro ſententia Bodiniana adductæ, hinc liquet: nempe habere quidem eas aliquid veri, atque adeo quosdam contractus & quædam privilegia jure poſſe, imo debere revocari: non tamen demonſtrant id quod Bodiniani voluerunt, quod nempe omnes contractus aut omnia privilegia ſummæ poteſtates reſcindere, aut abolere poſſint. Inquirendum nunc breviter etiam eſt in robur ſententiæ contrariæ.

LXIIX. Igitur jus illud quod vere eſt alterius, nefas eſſe eripere, concedimus. At per omnes contractus, & per omnia privilegia veri aliquid juris alteri quæſitum eſſe, id vero negamus. Ceu enim jam tum audivimus, interdum quædam privilegia conceſſa, quidam etiam contractus initi ſunt ab iis, qui vel concedendi privilegii vel contrahendi non habuerunt poteſtatem. Interdum tale quid factum eſt ab iis, qui dolo ſunt decepti. Ne nunc alia adducamus. Quin igitur talia citra juſtitiæ læſionem reſcindi & revocari queant, non eſt dubitandum. Affirmamus vero & nos, ſi quid juris vere fuerit per contractus aut privilegia alteri quæſitum, id a ſumma quamvis poteſtate eripi non poſſe. Ac proinde nec omnino male ſe habet argumentum *primum* nec omnino bene.

LXIX. Concedimus *ſecundo* & nos, promiſſorum contractuum & privilegiorum reſciſſione everti fidem, quæ vere eſt humanæ ſocietatis cujuslibet fundamentum. Negamus vero fidem tolli, ſi quidam contractus aut quædam privilegia irrita fiant: Illa ſcilicet privilegia illique contractus, qui nihil veri juris alteri contulerunt. Utique & inter privatos homines multi contractus judicum ſententiis reſcindi ſolent, & reſtitutio in integrum ſæpenumero iis decernitur, integra manente in rep. fide. Cum autem inter privatos id fas eſt, non poteſt eſſe nefas apud ſummas poteſtates.

LXX. Fatemur *tertio*, non poſſe non perire benevolentiam erga Principes, ſi illi pro libitu contractus reſcindant & tollant privilegia. At vero integra manere poteſt illa, etſi quorundam duntaxat fiat reſciſſio, & quidem potiſſimum eorum, quæ ipſo jure erant invalida: qualia eſſe nonnulla jam audivimus. Nemo bonus porro aut æquus ſibi ab illo Principe metuet, qui tantum per injuriam extorſa aut imprudenter conceſſa privilegia revocaverit, reliqua autem obſervaverit ſancte. Quod ſi malorum aliquis indignetur propterea, id non eſt, cur multum æſtimemus. Si tamen ille ea fuerit potentia, ut iniquum contractum, aut iniqua privilegia, per vim quaſi rata eſſe jubeat, neque nos reſciſſionem ſuaſerimus: quoniam in vita humana ferendum, quidquid corrigere eſt nefas, aut cum majore periculo conjunctum.

LXXI. Fatemur *quarto*, non poſſe non vindictam divinam provocari iniquis contractuum reſciſſionibus, aut revocationibus privilegiorum. Nequaquam vero omnes revocationes ſunt iniquæ. Quæ proinde inſtitui poſſunt Deo favente. Ex ipſis ſane ſacris literis notum eſt non uno exemplo, etiam vota & juramenta nonnunquam reddita eſſe irrita, Deo haud indignante. Et tamen juramentum habet in ſe vim maximam, præ multis ſcilicet contractibus aut privilegiis, utpote quæ non eadem ſemper ſanctitate ſolent aut pangi, aut concedi.

LXXII. ATQUE ita reſponſum jam eſt ad rationes ſecundæ etiam ſententiæ, omnem nempe revocationem privilegiorum, aut donationum, aut contractuum ſimpliciter improbantis. Quando quidem vero conceſſimus, aliquas revocationes iniquas eſſe, prout ad ſententiam priorem dictum eſt, aliquas revocationes optimo jure inſtitui poſſe, facile apparet, media quaſi via eundum, atque adeo nec omnes revocationes iniquas, nec omnes æquas eſſe, aſſerendum. Quam ſententiam facimus noſtram. Ut autem res clare pateat, diſtinctius nonnihil adhuc explicandum, in quibusnam valeat aut non valeat revocatio.

LXXIII. Quandoquidem vero quilibet actus civilis tum demum omni ex parte eſt obligatorius, quando de iis, quæ in noſtra ſunt poteſtate & plena animi electione, inſtituitur: ſi alterutrum autem deficiat, non habet vim obligandi: manifeſtum eſt, illam demum privilegiorum (eſt autem quoque par ratio contractuum & donationum regalium) conceſſionem obligare, quæ utraque illa ratione recte ſe habet: quæ autem ſive alterutra, ſive utraque deſtituitur, illam ſimul vi obligandi carere. Hinc autem porro ſequitur, conceſſiones ſolas obligatorias revocari non poſſe, ſalva juſtitia & æquitate. Et vero pro iis faciunt omnia ſecundæ ſententiæ argumenta. Sequitur etiam, illas conceſſiones non obligatorias ipſo jure nullius eſſe roboris, ac proinde reſcindi & revocari poſſe.

LXXIV. Omnia igitur privilegia, quæ ſub & obreptitie ac proinde doloſe impetrata ſunt, quoniam plena carent animi electione, non obligant, atque ita poſſunt jure reſcindi. Fiunt autem ejusmodi doloſa, nunc culpa miniſtrantium, nunc etiam privilegia aut dona impetrantium. Qui præterea gravem pœnam etiam commerentur, doli adverſus Principem aut alios dominos commiſſi. Ad hanc vero claſſem neutiquam pertinent collata privilegia, aut dona ex ſingulari aliquo favore aut gratia, vel vero etiam ex prodigalitate quadam regia. Enim vero uſus docet, a Regibus & Principibus, aliisque ſumma poteſtate fungentibus, privilegia & dona perfrequenter dari nulla impetrantium aut miniſtrorum fraude, ſed ipſismet ſæpe improbantibus, qualia prudens aliquis rebus omnibus expenſis, non conceſſerit. In talibus vero actibus ignorantia quidem aliqua intervenit, ſpectata prudentia; non ſimpliciter tamen, præſertim ſi non nimis excedat modum gratia, ſed contineat ſeſe intra limites ejus prudentiæ, qua hominum plerique ſunt præditi, non autem ſoli prudentiſſimi. Pari ratione non ſimpliciter licet in prodigis ignorantiam accuſare. Unde ſequitur, nec dona nec privilegia profecta ex immodico quodam favore, aut etiam ex prodigalitate, poſſe ignorantiæ aut non voluntariæ conceſſionis obtentu revocari, ſed hactenus eſſe obligatoria: etſi eorum nonnulla alia de cauſſa interdum reſcindere nihil vetet.

LXXV. Quæ per meram violentiam extorſa ſunt, illa dixeris haud injuria, non plene electitia fuiſſe, ac proinde non obligare, perque conſequens revocari itidem jure poſſe. Neutiquam vero ejusdem notæ ſunt, quibus magnum malum, impendens cæteroquin, averſum eſt. Etſi enim & in his nonnihil ſit inviti, plus tamen adeſt ſpontanei: & ceu actiones aliæ, quas mixtas Morales nuncupant Philoſophi, Spontaneis potius accenſendæ veniunt: ceu recte hic prævivit omnibus *Ariſtoteles l. 3. Eth. cap. 2.* Quo ſimul liquet, ſi quod privilegium iſthac ratione fuerit conceſſum, obtentu violentiæ revocari juſte haud poſſe: id quod jam tum theſi 39. diximus.

LXXVI. Si quid porro ſit donatum, aut datum aliquod privilegium, aut quis contractus initus fuerit, ſuper rebus extra poteſtatem poſitis, illud omne reapſe nihil atque inane eſſe, jam non ſemel monuimus. Quin igitur illud omne revocari & reſcindi jure poſſit, vacat dubio. Diximus quoque, tantum fieri id poſſe in iis, quorum quis non omni ex parte eſt dominus, ut in feudalibus, aut in iis, quæ jure primi acquirentis poſſidentur, aut quorum ſummum dominium eſt penes rempublicam. Semper tamen attendendam eſſe mentem directi dominii, in quantum ſcilicet ab illo laxatum ſit frenum iis qui utili gaudent dominio. Nec enim non aliquid ſemper horum liberrimo arbitratui eſſe conceſſum. Quoniam vero iſta jam ſatis fortaſſis explicata ſunt, in reſponſionem ad quartum primæ ſententiæ argumentum, a theſi ſexageſima uſque ad ſexageſimam quintam, nolumus iis repetendis denuo immorari.

LXXVII. Hinc vero manifeſtum etiam eſt, interdum magnorum quoque regum, ſi in illorum patrimonio non ſint reipublicæ quævis bona, prodigaliter effuſas donationes jure reſcindi. Quod ipſum Galbam circa donationes Neronianas, ex Tacito, Baſilium Macedonem item circa Michaelis anteceſſoris ſui prodiga munera feciſſe, ex vita ejus conſtat. Nec quemquam fugit, quid non ita pridem in Suecorum inclyto regno contigerit. Eadem de cauſſa nec a Carolo IV. Cæſare conceſſa privilegia rata habere temere voluit Maximilianus I. ſapiens ac optime de republica imperii germanici meritus Princeps. Quod ſi tamen dominus directus aut alii, quorum intereſt, ut ſunt agnati in feudalibus, conſcius fuerit conceſſionum, per ſe alias inanium, imo noxiarum, nec adverſatus fuerit, longe alia eſt ratio; eo ipſo enim jam rati habuiſſe omnia credendum eſt. Tum ſane revocatio locum non invenit.

LXXIIX. Qua propter & dicendum videtur, tametſi per capitulationes, quas vocamus, cæſareas non caveretur Electoribus, Principibus, aliisque imperii germanici ordinibus, non tamen fas hodie fore Cæſarum cuiquam, illas ſumme detrimentoſas anteceſſorum conceſſiones & privilegia reſcindere, & nunc demum rempublicam in priſtinum reſtituere. Facile quoque apparet, haud facile probari poſſe illam a Carolo IV. in Aurea quæ appellatur, Bulla cap. XIII. inſtitutam revocationem omnium privilegiorum, quantumvis veterum, electoralibus nonnihil adverſantium. Idque quoniam longo imperii conſenſu, ipſorumque Electorum ſententia privilegiatis jus erat jam quæſitum, quod proinde eripi viciſſim non potuit. Ceu recte advertit *Carpzovius ad l. reg. Germ. c. 3. ſect. 24 n. 24. Klockius item de contribut. cap. 16. n. 177. Rummel. diſſert. 4. ad Auream Bull. th. 3.* itemque *Mylerus in additionibus.* Et vero, ut habeat ſpeciem aliquam recti illa Carolina conſtitutio de privilegiis, quæ Electoralibus ſunt recentiora, revocari illa poſſe (quanquam ne hoc quidem probari omnino poſſit, ſi privilegia illa ſint, electorali collegio conſcio nec improbante conceſſa) procul a juſto tamen eſt, poſſe revocari in Electorum gratiam illa, quæ Electoralibus longe ſunt vetuſtiora, & ipſa diuturnitate temporis vim acceperunt.

LXXIX. Quod ſi porro intra conſuetudinis receptæ limites, ſive donatum aliquid fuerit, ſive aliquod conceſſum privilegium, illud itidem a ſucceſſore non poſſe reſcindi, ſequitur itidem ex ſuperioribus: quoniam nempe omne tale factum eſt ab eo, qui liberam agendi hoc ipſum habuit poteſtatem. Quam in rem præclare diſſerit *Cravetta Conſil. 455. n. 11. & Menochius conſ. 8. n. 12. ut & conſil. 508. poſtque illos Rumelinus, Klockius, Myler. & alii l. cit.* Si autem ſucceſſori nulli id licet, multo minus id filiis licebit: præſertim ſi pater pro ſe & filiis ſucceſſoribus quidquam conceſſiſſe fuerit profeſſus. Multo enim magis filius tenetur approbare privilegium, a patre conceſſum, ſaltem reverentia paterni nominis adductus.

XXC. CÆTERUM, pro noſtri quidem inſtituti ratione, ſatis forte etiam hoc nunc patet, quænam privilegia revocari jure poſſint, & quæ nequeant. Nec enim omnia iſthac, qua fieri

poteſt

poteſt, prolixitate hic proſequi patitur academici exercitii modulus. Nihilominus tamen aliquid adhuc eſt adjiciendum. Etiamſi enim jure quid liceat, docuerimus, tamen hinc non ſequitur, idem quoque reipublicæ expedire. Enim vero in reipublicæ administratione multa licent de jure, quæ tamen non expediunt. Itaque ſic inhærendum eſt revocationis juri, ne quid ſimul hinc detrimenti alia ex parte capiat reſpublica.

XXCI. *Primum* igitur certum eſt, quod omnis rovocatio privilegii fiat cum aliqua concedentis læſa autoritate. Tacite ſcilicet tantum non in omni revocatione ille arguitur non levis imprudentiæ: quod nempe vel paſſus ſit ſibi imponi, vel non ſatis gnarus fuerit eorum, quæ jure potuerit, quæ vero non potuerit, vel ſi noverit, contra tamen conſcientiam exceſſerit limites ſuæ poteſtatis. Quorum poſtremum fieri non potuit, niſi animo vel fraudandi illos, quorum in dominio res conceſſæ ſaltem aliquatenus verſabantur, vel decipiendi inanibus beneficiis donatarios, aut privilegiatos.

XXCII. Jam vero in autoritatis conſervatione ſita eſt ſaltem viventis cujusque Regis ac Principis bona pars ſalutis. Simul ſane atque Princeps contemnitur, ceu levis, aut malus, aut deceptu facilis, vix eſt, ut poſſit ſeſe ſuaque tueri. Si jam deceſſerit, minus quidem nocebit illa famæ detractio: itidem tamen priſtinæ exiſtimationi multum hoc ipſo deperit. Quin vergit nonnihil in ſucceſſoris quoque diſpendium aliquod anteceſſoris dehoneſtamentum. Præſertim ſi filius patri ſucceſſerit. Patrum enim gloria & ignominia quaſi pars eſt hæreditatis.

XXCIII. Omnis *Secundo* revocatio facile incurrit in ſiniſtra judicia, & provocat hominum, etiam cæteroquin non malorum, infeſtas voculas: a quocunque tandem fiat revocatio. Jam vero itidem tale quid, quamvis magnis Principibus, etiam atque etiam eſt cavendum. *Et* ſi enim *vanæ voces populi audiendæ non ſint*, ut ille ait, ſatius tamen eſſe, bene ſi audias, extra eſt controverſiam: eſt ſane & hoc in parte felicitatis collocandum.

XXCIV. Facile *Tertio* fieri poteſt, ut per revocationem cui fiat injuria. Imponit enim perfrequenter ſpecie recti, prædandi quædam & aliena invadendi cupido, hominibus. Et tamen hoc ipſo divina vindicta in gravem pœnam non poteſt non adduci: ac proinde habent heic locum omnia, quæ quartum ſecundæ ſententiæ argumentum propoſuit in medium.

XXCV. QUUM ad hunc vero modum ſeſe habeat revocationis privilegiorum negotium, danda utique eſt opera, uti quicquid hujus eſt noxæ, in revocationibus, quantum fieri poteſt, evitetur: ne remedium ſcilicet conſervandarum rerum plus obſit, quam proſit, vel certe æque ſit noxium. Videtur vero incommodum omne averti poſſe, modo quatuor obſerventur.

XXCVI. *Primo* enim ſi privilegio, aut dono, aut contractu, non multum damni ſit datum, videtur id quidquid eſt, negligendum potius, quam ut aperta fiat reſciſſio aut revocatio. In univerſum ſcilicet ex duobus malis minimum eſt eligendum, ſi alterutrum ſit ſubeundum. Per revocationem autem juſtiſſimam evitari utrumque non poteſt. Levius igitur malum ferendum potius eſt, quam ut vel vivis vel mortuis, auctoritatis aut famæ jacturam facias. Et vero plerumque abunde ſupereſt, quo damnum illud leve alias compenſetur.

XXCVII. *Secundo* conſultum videtur, ne is, qui conceſſit privilegium pœnitentia ductus, ipſemet inſtituat ejus revocationem, ſed hoc ipſum ſucceſſori agendum relinquat, vel etiam demandet. Ita enim ſaltem vivus integram ſervabit autoritatem: quinimo facile conſtantiæ laudem ſibi comparaverit. Id quod regentibus apprime conducit. Nec vero ab illa mora tantum eſt damni plerumque, quantum naſcitur ab opinione vel levitatis, vel incogitantiæ & præcipitis judicii.

XXCIIX. *Tertio* ex re videtur eſſe reipublicæ, ut lege publica non liceat duntaxat, ſed quaſi injungatur ſucceſſori, quamvis minus prudentis, vel etiam noxiæ conceſſionis ab anteceſſore factæ reſciſſio. Illa ſane lex, ſucceſſorem quemvis poterit liberare a malignis obtrectationibus. Neque vero vitio verti id cui poteſt, quod lex ipſi imperat. Ea ſane in re jam olim prudenter ſibi Suecorum regni proceres conſuluerunt. In legibus enim Suecorum Gothorumque, quas Regualdus Ingelmondi eccleſiæ upſalienſis Archidiaconus anno 1481. latinitate donavit, *l. 2. c. 2.* ita legimus: *Nullus Regum diminuere poteſt jus regale pro ſucceſſore: quod ſi fecerit, ſucceſſores jure recurrant, ſi poterint.* Item *c. 3. jurabit Rex, quod conſervabit caſtra, terras, & earum fines, ſuis reditibus & ſua poteſtate; ita, ut nihil diminuatur ſucceſſori. Quia ille tenetur ſic diminuta & ablata cum poteſtate recuperare: alias fieret regnum comitatus vel dominio minus.*

XXCIX. *Quarto*, denique nulla inſtitui debet revocatio, niſi in judicio haud ſuſpecto, aut partibus addicto (ac proinde nec in eo, quod proprie dicatum eſt Principis ærario vel fiſco) cauſſa item omni exacte cognita, & iis, quorum intereſt detecta. Imo vero omnium maxime profuerit, ſi judicium committatur iis, qui Principum commodis nullo ſunt ſacramento adſtricti. Quod moribus noſtris factu eſt facillimum, ſi nempe fiat transmiſſio actorum. Hoc ſane ſi obſervabitur, & conſcientiæ ſuæ quam rectiſſime Princeps conſulere: ne ſcilicet affectibus præpeditus, quidquam committat juſtitiæ adverſum: & omnem vel ſuſpicionem quoque iniquam evitare poterit: parta ſibi & Dei & hominum gratia.

CONCLUSIO.

Et hæc ſunt, quæ de nobiliſſima, & a pauciſſimis hactenus tacta materia, cum meopte labore, tum præcipue ex ampliſſimi Domini Præſidis diſſertationibus publicis, pro modulo ætatis & ingenii notata mihi ſunt, quæque in pagellas haſce congerere, & examini academico ſubjicere, viſum fuit aliquod operæ pretium. Rogo vero etiam atque etiam quemlibet, juvenili exercitationi benigne favere, ne dedignetur.

HERMANNI CONRINGII

APHORISMI CENTUM POLITICI

DE JUDICIIS IN REPUBLICA RECTE INSTITUENDIS.

Ad diem XXIV. Januarii MDCLXVI. ventilati.

Ab

ANTHON. GUNTHER. *von Schwartzenfels.*
Equ. Thüring.

Theſis I.

Rerumpublicarum ſunt ſpecies variæ. Differunt autem etiam illo, quod aliæ ſpectent utilitatem imperantium ac parentium ex æquo, aliæ imperantium primo ac per ſeſe, ſubditorum autem duntaxat per accidens. Utilitas porro illa alibi ſit vera felicitas, alibi non niſi apparens: qualis ſolet vulgo in voluptatibus, aut in divitiis, aut in potentia collocari.

II. Reſpublica, quæ ex voto optima eſt, nusquam reperitur. Illam tamen haud ignorari, ad perfectionem civilis prudentiæ requiritur.

III. Judiciis opus fuerit etiam in republica ex voto optima, ob lites ex ignorantia potiſſimum ortas.

IV. Pro diverſitate rerumpublicarum neceſſum eſt, & judiciorum aliam atque aliam eſſe rationem.

V. Itaque aliter componenda ſunt judicia in rebuspublicis, ubi quæritur ſalus imperantium & parentium ex æquo, aliter in herilibus.

VI. Differentiam quoque judiciis adferunt diverſæ rerumpublicarum formæ: ſive ſimplices fuerint, ſive mixtæ, atque adeo ſive monarchicæ, ſive polycraticæ, eæque aut democraticæ, aut ariſtocraticæ, aut oligarchicæ.

VII. Diverſitas quoque populi, qui regitur, aut eorum, qui regunt, ipſis judiciis inferunt diverſitatem.

VIII. Plena cognitio judiciorum componendorum, conſiſtit in notitia eorum, quæ *primo* ad finem, *ſecundo* ad materiam ſive objectum, circa quod verſantur, *tertio* ad efficientem cauſam, hoc eſt, eos, qui judicant, *quarto* ad ipſam formam judiciorum, atque adeo ad proceſſum quoque omnem forenſem, *quinto* ad locum, *ſexto* ad tempus pertinent. Horum aliquo ignorato, de judiciis recte conſtituendis definiri omnia nequeunt.

IX. Finis judiciorum in omni genere rerumpublicarum non ſolet idem eſſe.

X. Finis judiciorum in rebuspublicis, quærentibus communem ex æquo imperantium & parentium utilitatem, eſt, ut jus ſuum cuique tribuatur, nullo inter imperantes & parentes diſcrimine.

XI. In rebuspublicis herilibus finis judiciorum primario eſt dominantium, per accidens autem ſubditorum etiam commodum.

XII. Nulla reſpublica herilis, quamvis tyrannica, poteſt conſervari, niſi in judiciis ſimul ſpectetur ſalus ſubditorum.

XIII. Itaque in omni etiam maxime herili republica opus eſt judiciis, quibus illæ, quæ inter ſubditos ſunt, controverſiæ decidantur: hoc enim dominantium quoque intereſt.

XIV. Solæ ſubditorum controverſiæ in herilibus rebuspublicis per judicia agitari debent: non autem & illæ, quæ dominum inter & ſubditos, ſive omnes, ſive multos, ſive paucos, ſive unum aliquem poſſunt intercedere.

XV. Ex adverſo in rebuspublicis, ex æquo omnium ſalutem quærentibus, nulla non controverſia, etiam quæ forte ſit exorta inter regentes & obtemperantes, judiciis committenda fuerit.

XVI. Controverſiarum ſive cauſarum aliæ ſunt publicæ, aliæ privatæ. Illæ revera demum ſunt, quæ ad ſtatum ipſum communem reipublicæ, hæ, quæ ad ſingulos pertinent.

XVII. Controverſiarum privatarum aliæ ſunt inter imperantes & parentes: aliæ parentium inter ſeſe.

XVIII. Parentes autem, quoniam alii ſunt cives, alii inquilini, alii peregrini, hinc & controverſiæ ſunt aut civium inter ſeſe, aut civium cum inquilinis, cujusmodi & ſervi poſſunt cenſeri, aut civium cum peregrinis, aut peregrinorum cum peregrinis, aut inquilinorum cum inquilinis, aut inquilinorum cum peregrinis.

XIX. Controverſiarum aliæ porro ſunt civiles, aliæ criminales.

XX. Ad civiles poſſunt merito referri, & quæ ſacræ vulgo appellantur.

XXI. Alibi major, alibi minor eſt controverſiarum multitudo: idque partim pro diverſo numero, partim pro diverſo ingenio populi, partim & per malas artes vel ipſorummet regentium, vel judicum conſtitutorum, vel eorum, qui litibus patrocinantur.

XXII. In

XXII. In rebuspublicis, quæ ſerio quærunt utilitatem communem, lites raræ ſunt: quandoquidem animi civium ita diſponuntur, ne temere litigent, & ſi lites ſint ortæ, quantocyus per judicia decidantur.

XXIII. Ex adverſo in rebuspublicis herilibus quibusdam etiam ſeruntur lites, & trahuntur in longum: eoque numerus illarum eſt plurimus.

XXIV. Non ſimpliciter omnes heriles reſpublicæ multitudinem litium exigunt; ſed illæ duntaxat, ubi, qui imperant, non ſunt ea potentia, uti valeant ſui reverentiam & dominatum tueri propriis viribus, ſed opus habent ad id occultis artibus. Quibus ſcilicet efficitur, ut populus ſit inter ſeſe diſcors, egenus, utque ſemper detineatur in humili dominantium cultu, miniſtri vero dominantium ſimul etiam diteſcant. Hæc enim omnia præſtare, apta eſt litium forenſium multitudo.

XXV. Hinc Turca, quamvis tyrannidem & herilem dominatum exerceat, non tamen fovet lites ſubditorum. Papa autem romanus, ex quo ſacram tyrannidem in orbem chriſtianum eſt molitus, omnibus modis intentus ſemper fuit litium numero augendo.

XXVI. In univerſum omnis reipublicæ intereſt, ne lites publicæ temere oriantur, aut ſi ortæ ſint, cito ſaltim plærumque ſopiantur.

XXVII. Omnis quoque reipublicæ bonæ intereſt, ut ſaltim inter potentes cives rariſſimæ ſint lites. Herilium tamen commodum eſt interdum ſitum in earum etiam multitudine.

XXVIII. Omnis omnino judicandi vis & auctoritas eſſe debet penes ſolam ſummam cujuslibet reipublicæ poteſtatem.

XXIX. Ubicunque non omnia judicia pendent ab una ſumma poteſtate, ibi non ſunt integræ reſpublicæ, ſed, ceu vulgo loquimur, ſtatus in ſtatu.

XXX. Itaque nulla Europæ reſpublica integra eſt & plene ſui juris, ubi papalis ſacra monarchia aliquo ſaltim modo obſervatur.

XXXI. Quoniam ſumma poteſtas nunc in uno eodemque eſt ſubjecto quoad omnia, nunc in diverſis: hinc & judicandi vis primaria non in omnibus rebuspublicis ſemper eſt penes unum ſubjectum, ſed interdum etiam penes alios atque alios.

XXXII. Quid magis vel minus expediat, civilis quidem eſt prudentiæ decernere: at quidnam ſecundum leges reipublicæ cujuslibet ſingularis obtinere in judiciis debeat, tantum ex pactis & conſuetudinibus ſingularum rerumpublicarum æſtimandum eſt.

XXXIII. Neutiquam definiri hoc debet ex diverſæ alicujus ſingularis reipublicæ moribus aut inſtitutis: adeoque nec ex romanis legibus.

XXXIV. Ut ſumma poteſtas reipublicæ omnes controverſias immediate judicet, plane eſt impoſſibile. Nec enim, ſi quæ adeo parva fuerit civitas, ut litium exortarum multitudini decidendæ videatur ſufficere ipſa ſumma poteſtas, illa civitas revera fuerit, hoc eſt, ſocietas hominum ſibi ſufficiens; ac proinde non fuerit vere dicenda civilis ſocietas.

XXXV. Igitur ſumma poteſtas jus dicit omnibus aut immediate, aut mediate.

XXXVI. Omnes autem in republica judices auctoritate ſummæ poteſtatis jus dicunt; nulli autem propria.

XXXVII. Summæ poteſtatis ſolius eſt judices conſtituere & dejicere.

XXXVIII. Nemini itaque in republica permittendum, citra ſummæ poteſtatis conſenſum judicem aliquem, aut judicium aliquod rejicere; quocumque id fiat prætextu.

XXXIX. Judici tamen conſtituto a ſumma poteſtate, ſi limites jurisdictionis ſibi commiſſæ egreſſus fuerit, merito non paretur.

XL. Summa poteſtas ipſamet controverſias vere publicas immediate debet decernere.

XLI. Controverſia publica oborta inter ſummam poteſtatem & partem aliquam obtemperantem, jure poterit ſumma poteſtas etiam illam decidere. Ut tamen hoc ſemper faciat, non eſt conſultum.

XLII. Neque enim non jure interdum quis in propria cauſſa poteſt judex eſſe.

XLIII. Decernit autem ſumma poteſtas immediate, modo vel præſideat ipſa judicio, vel ſententias curet ſuo arbitrio ſubmitti. Atque adeo, modo ne quid decidatur, ſumma poteſtate ignorante aut inconſulta.

XLIV. Qui funguntur ſumma poteſtate, & ne cauſas quidem illas publicas ipſimet volunt decernere, illi peſſime ſibi conſulunt & ſuæ reipublicæ.

XLV. Summæ poteſtatis jus eſt etiam nonnullas privatas controverſias, in judiciis conſtitutis alioquin decidendas, ad ſuum immediatum judicium trahere easque decidere.

XLVI. Quod ſi tamen tota ſumma poteſtas non eſt penes unum idemque ſubjectum, tunc ab illo, qui parte quamvis potiſſima ſummæ poteſtatis fruitur, ſi judicium non fuerit ipſius unius auctoritate conſtitutum, non poterit ulla privata cauſſa jure ſubtrahi conſtituto judicio, ſine aliorum conſenſu.

XLVII. Summa poteſtas, ſi interdum, cum vacat, privatas quoque controverſias immediate finiat, & ſibi & reipublicæ multum hoc ipſo prodeſt. Etenim hoc ipſo nihil detrahitur judiciorum auctoritati, conſulitur vero eorum induſtriæ & æquitati.

XLVIII. Cauſſæ criminales, & quæ famam aut bona plæraque civium potiſſimorum attinent, præſtat ab ipſa ſumma poteſtate judicari.

XLIX. Non exigit ſalus omnis reipublicæ, vel ſummæ cujuslibet poteſtatis auctoritas, ut liceat quaslibet cauſſas per provocationem ad ſummam poteſtatem deferre.

L. In rebuspublicis, nbi ſalus communis quæritur ex æquo, rariſſime admittendæ ſunt provocationes ad ipſam ſummam poteſtatem.

LI. In herilibus tamen rebuspublicis, præſertim ſi dominus velit judicii alicujus auctoritatem depreſſam, violenter autem illud deprimere nequeat, provocationes ſive appellationes ad ſummam poteſtatem interdum quam frequentiſſime ſunt permittendæ.

LII. Hac de cauſſa & Cæſares romani quidam laxarunt ejusmodi provocationibus frenum: & Pontifices romani nihil pene non romam fecerunt trahi.

LIII. Omnis provocatio eſt cum tacita injuria judicii, a quo ſit provocatio, conjuncta.

LIV. In rebuspublicis, quæ ſalutem publicam omnium ſpectant, danda eſt opera, ut judicum auctoritas ſibi conſtet, ſitque integra: atque adeo ibi & raræ permittuntor appellationes.

LV. Idem faciendum & in herilibus rebuspublicis; niſi quod majus commodum poſſit exſpectari, quam integra judiciorum auctoritas dominanti adferat..

LVI. Hinc in herilibus illis civitatibus, ubi multitudo litium pro remedio eſt conſervandæ reipublicæ, permittitur frequentiſſima appellatio: quantumvis hoc ipſo judiciorum auctoritati aliquid detrahatur.

LVII. In rebuspublicis ſerio ſpectantibus ntilitatem communem, ſi fiat provocatio, & pars provocans deprehenſa fuerit immerito provocaſſe, graviter puniri debet. Idque non tantum quod parti appellatæ fuerit moleſta & gravis ſua iſthac provocatione, ſed cumprimis quoniam læſit auctoritatem inferioris judicii.

LVIII. Tenetur igitur temerarius appellans cum ad damnum reſarciendum parti appellatæ, tum ad ſatisfactionem judicii, a quo appellavit. Et quidem, ſi deprehenſus fuerit dolo malo id egiſſe, pœnam quodammodo meretur læſæ majeſtatis.

LIX. Judex omnis talis eſt conſtituendus, qualem exigit ſtatus cujuslibet reipublicæ. Qui cum varius ſit, non idem in omni judice ſemper eſt ſpectandum.

LX. In bono judice requiritur, ut poſſit, atque ut velit convenienter judicare.

LXI. Ut poſſit, potiſſimum eſt ſitum in prudentia judiciaria.

LXII. Ad hanc prudentiam non ſatis eſt ſcientia latarum legum: hæc bonam tamen ejus partem conſtituit.

LXIII. Quoniam vero leges interdum correctione aliqua indigent, adhibendâ in judiciis nonnunquam fuerit ἡ ἐπιείκεια.

LXIV. Ad ἐπιείκειαν non ſufficit cognitio juris naturæ & gentium; ſed etiam juris publici poſitivi cujuslibet ſingularis civitatis requiritur.

LXV. Judici inferiori plærumque, etſi lex dura ſit, ſufficere tamen debet, quod ita ſit ſcripta.

LXVI. Quod ſi vero magna injuria aut noxa publica ex ſtricta obſervatione legis fuerit neceſſario exſpectanda, a ferenda ſententia abſtinere judex debet.

LXVII. Judex inferior nunquam κατ' ἐπιείκειαν debet judicare, niſi impetrato conſenſu a ſumma poteſtate. Multo minus, ſi quid lege non ſit definitum, temere ipſi liceat ex arbitrio aliquid conſtituere.

LXVIII. Rariſſime conſentire in id debet ſumma poteſtas: ſed potius vel omnia legibus definire: vel vero jubere, nt in dubio conſulat judex inferior ipſammet ſummam poteſtatem, aut quos in id illa conſtituerit.

LXIX. Id quod ſapientiſſime ab ipſomet Deo in ebræorum republica, & in romanorum a quibusdam eſt Cæſaribus conſtitutum.

LXX. Præter legum notitiam requiritur ad prudentiam judiciariam & cognitio applicandi juris ad factum. Quæ neutiquam eſt eadem cum ſcientia legum: etſi in melioribus ingeniis plerumque illam comitetur.

LXXI. Cumprimis porro requiritur iſthuc ſcientia indagandi factum: quandoquidem in facti quæſtionibus fere omnes forenſes controverſiæ occupantur.

LXXII. Quoniam de facto frequentiſſime non niſi per ſagacem conjecturam aliquid cognoſcendum eſt, hinc prudentiæ judiciariæ non exigua vis in εὐστοχίᾳ eſt collocata. Pertinetque huc omnis de præſumtionibus doctrina.

LXXIII. Qui prudens eſt, ille, ſi accurate loquimur cum Ariſtotele, ſimul & bona voluntate eſt inſtructus. Si cum vulgo antem, poteſt quis prudentia pollere judiciaria & tamen animo eſſe iniquo.

LXXIV. Non minus antem in judice bona voluntas requiritur, quam illa qua de proxime egimus prudentia.

LXXV. Priusquam conſtituatur quis judex, debet certo conſtare & de illa prudentia ejus & præterea de bona voluntate.

LXXVI. Bona voluntas ſatis probabiliter præſumitur ex moribus & vita anteacta. Cumprimis ſi pie vixerit, & nulla avaritiæ aut prodigalitatis ſigna de ſeſe præbuerit. Ad hoc ſi induſtrius fuerit in expediendis commiſſis negotiis.

LXXVII. Ad id enim, ut quis bene velit, neceſſario requiritur primo ſtudium agendi, ſecundo cupiditas recte agendi. Alterutrum ſi deſit, non poteſt quis præſumi bona voluntate præditus.

LXXIIX. Ni-

LXXIIX. Niſi aliunde illa voluntas nota ſit, probanda fuerit juſtis & fide dignis teſtimoniis. Quæ inter publica præferenda plærumque ſunt. Interdum tamen ſufficiunt, imo prævalent publicis privata: ſi illa tulerit quis vir fide dignus.

LXXIX. Si ſatis conſtet fides teſtimonii academici, de alicujus in legum ſcientia profectu, tuto illi uni iſthac in re credi in republica poteſt.

LXXX. Sin, tum vero profuerit, ut examen ejus inſtituatur ab ordine judicum, in quem cooptandus fuerit.

LXXXI. Id quod proinde in Gallia & alibi prudenter inſtitutum: in Germania minus neceſſum eſt.

LXXXII. Examen autem per omnes judiciariæ prudentiæ partes eſt inſtituendum: non circa ſolam legum peritiam.

LXXXIII. Summæ poteſtatis etiam eſt, diligenter curare, ut judices conſtituti faciant officium.

LXXXIV. Hinc cumprimis pœnæ ſunt conſtituendæ omnibus, qui deprehenſi fuerint non feciſſe officium, ſive per malitiam, ſive per negligentiam, ſive per inſcitiam.

LXXXV. Deprehenſio illa fieri poteſt per appellationes. Interdum & per inquiſitiones arcanas pariter & manifeſtas.

LXXXVI. Profuerit enim inquiſiviſſe, num luxurioſe vivat judex, an frugaliter: num otium amet, an labores: num avarus ſit nec ne. Namque amantes otii negligentiores fere ſunt in dicendo jure. Luxurioſi & avari facile captant munera.

LXXXVII. Non tantum vero judices ita deprehenſi fuerint puniendi, ſed etiam corruptores judicum: quocunque ſcilicet modo quis auſus fuerit judices flectere in partes. Atque adeo & legibus fuerit vetanda omnis omnino corruptela.

LXXXIIX. Quandoquidem vero ne ita quidem caveri ſemper poteſt incorrupta judicum voluntas, & partium amor aut odium, prudentiſſimum videtur eſſe Germanorum vetus inſtitutum; ut prætor quidem judicii ſemper ſit ſuperior partium ordine, aſſeſſores autem ſint (uti nunc loquimur) pares curiæ. Hoc certe inſtitutum & ipſam Græcorum & Romanorum prudentiam fugit:

LXXXIX. Debent autem porro judices etiam præmiis invitari ad faciendum officium. Nempe ſaltim debet ipſis proſpici de honeſto & dignitati conveniente ſalario.

XC. Ut ex ſportulis judiciorum alantur judices, non videtur tolerandum in republica, utilitatem communem ſerio quærente.

XCI. Præter judices habenda quoque ratio fuerit aliorum, qui quaſi inſtrumentales cauſæ ſunt judiciorum. Quales ſunt apparitores, fiſcales, & ſcribæ.

XCII. Alterius generis ſunt Advocati & Procuratores. Hi enim inſerviunt potius partibus litigantibus. Atque adeo illorum conſideratio pertinet ad cauſam judiciorum formalem,

XCIII. Etiam in miniſtris requiritur, pro ratione officii, & ſcientiæ aliquid & bona voluntas.

XCIV. Utrumque, & antequam admoventur ad officium, & dum vivunt in officio, cumprimis ipſis judicibus, qui eorum miniſterio utuntur, eſſe cognitum oportet.

XCV. Examen hoc omne tuto poteſt, & quam optime committi in republica debet, ipſi judicio, aut toti, aut judicii capiti.

XCVI. Judicia ex pluribus uno conſtituere fere plærumque expedit: non ſemper tamen eſt neceſſarium.

XCVII. Judicium, quod ex pluribus eſt conſtitutum, indiget uno ſummo rectore: qui tamen unus non omnium habeat plenam poteſtatem.

XCIIX. In uno judicio nunc plures, nunc pauciores aſſeſſores requiruntur, pro multitudine aut momento cauſſarum.

XCIX. Idem cauſſarum numerus gravitasque major aut minor poſtulat, ut in civitate ipſi judiciorum conſeſſus ſint pauciores aut plures.

C. Debet ille numerus augeri nunc pro diverſa habitatione partium: nunc pro earundem diverſitate illa, quod alii ſint peregrini, alii inquilini, alii cives: nunc pro cauſſarum diverſitate, ut alia ſint judicia criminalium alia civilium controverſiarum, & quidem nonnulla minorum, nonnulla majoris pretii, alia denique & rerum ſacrarum, ſimiliumque aliorum.

HER-

HERMANNI CONRINGII
APHORISMI POLITICI
DE CAUSA JUDICIORUM EFFICIENTE MATERIALI ET FINALI.

Menſe Junio MDCLXVII. habita

RESPONDENTE

JOHANNE SCHRöDER *Lyneburgenſi.*

THESIS I.

Rerumpublicarum ſunt variæ ſpecies. Differunt autem etiam illo, quod aliæ ſpectent utilitatem imperantium ac parentium ex æquo, aliæ imperantium primo ac per ſeſe, ſubditorum autem duntaxat per accidens. Utilitas porro illa alibi ſit vera felicitas, alibi non niſi apparens: qualis ſolet vulgo in voluptatibus, aut in divitiis, aut in potentia collocari.

II. Reſpublica, quæ ex voto optima eſt, nusquam reperitur. Illam tamen haut ignorari, ad perfectionem civilis prudentiæ requirtur.

III. Judiciorum judicisque nomine quid heic veniat, vel tacentibus nobis unicuique patet. Judex ſcilicet is eſt; qui controverſias in civitate natas dirimit, atque ita efficit, ut jus ſuum cuique tribuatur. Judicium vel actus ipſe eſt judicandi, vel locus, ubi ſuum cuique jus decernitur.

IV. Dubitari igitur initio poterit, ſitne judiciis in omnibus univerſum civitatibus opus? quoniam fieri poſſe videtur, ut lites & controverſiæ omnes e republica tollantur: ibi vero fruſtra forent judicia.

V. Oriuntur autem (dicat aliquis) lites & controverſiæ ex poſſeſſionibus privatis, Meo ſc. & Tuo. Quod ſi ergo Platonis obtineret inſtitutum, forſan ea ratione controverſiæ omnes præſcinderentur, careretque reſpublica litibus, ac proinde judiciis indigeret.

VI. Verum enimvero judiciis carere remp. nullam poſſe, & experientiæ & rationi eſt convenientius. Fieri enim poteſt, ut in republica optime quamvis inſtituta, ad perfectiſſimum virtutis gradum cives non pertingant, cum ea ſit nonnullorum pravitas, ut nullis præceptis, nulla educatione, quantumvis accuratiſſima, queant emendari.

VII. Tum quoque quid facilius eſt, quam ut cives, utut bene educati, a vero virtutis tramite interdum declinent, & ex honeſtate in turpitudinem delabantur?

IIX. Suffragantur nobis ex antiquo fœdere Caini & Patriarchalium quorundam filiorum exempla, de quorum bona educatione quamvis non dubitemus, nihilo ſecius tamen eos degeneraſſe conſtat. Quid? quod ex ipſis ſervatoris noſtri diſcipulis Judas in execrandum proditionis ſcelus delapſus eſt; qui tamen & ipſe divinam Chriſti vocem ac ſaluberrima monita quotidie audierat.

IX. Cæterum communio iſta bonorum ſocratica tantum abeſt, ut lites civium & contentiones ſopire poſſit, ut introducta longe plures ſit excitatura, id quod demonſtrat Ariſtoteles l. 2. Polit. c. 2. & 3.

X. Quanquam *ſi aut in magna quadam ſimplicitate perſiſterent homines, aut viverent inter ſe in mutua quadam & eximia caritate*, uti Grotius loquitur lib. 2. de J. B. & P. c. 2. ſtatus ejusmodi durare aliquamdiu poſſet, Et probant id Eſſenorum, primorumque Chriſtianorum, qui Hieroſolymis extiterunt exempla, aliorumque nonnullorum, qui hodieque vitam vivunt aſceticam.

XI. Sed nec ex divitiis tantum, verum etiam corporis famæque læſione oriuntur controverſiæ. Læſio autem iſta vel ex proæreſi proficiſcitur vel ex errore; ut adeo judiciis opus ſit etiam in republica ex voto optima, ob lites ex ignorantia ſaltim ortas.

XII. Pro diverſitate rerumpublicarum neceſſum eſt & judiciorum aliam atque aliam eſſe rationem.

XIII. Itaque aliter componenda ſunt judicia in rebuspublicis, ubi quæritur ſalus imperantium & parentium ex æquo, aliter in herilibus.

XIV. Differentiam quoque judicii adferunt diverſæ rerumpublicarum formæ: ſive ſimplices fuerint ſive mixtæ, atque adeo ſive monarchicæ, ſive polycraticæ, eæque aut democraticæ, aut ariſtocraticæ aut oligarchicæ.

XV. Plena cognitio judiciorum recte componendorum perinde atque rerum naturalium pariter ac civilium aliarum conſiſtit in notitia eorum, quæ *primo* ad finem, *ſecundo* ad materiam ſive objectum circa quod verſantur, *tertio* ad efficientem cauſam h. e. eos qui judicant, *quarto* ad ipſam formam judiciorum atque adeo ad proceſſum quoque omnem forenſem; *quinto* ad locum, *ſexto* ad tempus pertinent. Horum aliquo ignorato, de judiciis recte conſtituendis definiri omnia nequeunt.

XVI. Fi-

XVI. Finis judiciorum in omni genere rerumpublicarum non ſolet idem eſſe.

XVII. Finis judiciorum in rebuspublicis, quærentibus communem ex æquo imperantium & parentium utilitatem, eſt ut jus ſuum cuique tribuatur, nullo inter imperantes & parentes diſcrimine.

XIIX. In rebuspublicis herilibus finis judiciorum primario eſt dominantium, per accidens ſubditorum etiam commodum.

XIX. Expedit nonnunquam in ejusmodi rebuspublicis lites multas eſſe & frequentes: quoniam cives facile coire ac periculum creare Domino aut Tyranno poſſunt, ſi omnis inter eos diſcordia faceſſat.

XX. Nulla tamen respublica herilis, quamvis tyrannica, poteſt conſervari, niſi in judiciis ſimul ſpectetur ſalus ſubditorum.

XXI. Itaque in omni etiam maxime herili republica opus eſt judiciis, quibus illæ, quæ inter ſubditos ſunt, controverſiæ decidantur: hoc enim dominantium quoque intereſt.

XXII. Judicia vero herilia iſta in manu ſint Domini imperantis; ut diſponere de illis, lites in ſuum temperare commodum, & vel prolongare eas vel dirimere cito, prout velit, & neceſſitas efflagitet, poſſit.

XXIII. Solæ ſubditorum controverſiæ in herilibus rebuspublicis per judicia agitari debent: non autem & illæ quæ dominum inter & ſubditos, ſive omnes, ſive multos, ſive paucos, ſive unum aliquem, poſſunt intercedere.

XXIV. Ex adverſo in rebuspublicis ex æquo omnium ſalutem quærentibus, nulla non controverſia, etiam quæ forte ſit exorta inter regentes & obtemperantes, judiciis committenda fuerit.

XXV. Quæcunque porro negotia in rep. poſſunt cadere in controverſiam, & auctoritate ſummæ majeſtatis rurſum componi, circa ea ſunt occupata judicia.

XXVI. Controverſiarum autem ſive cauſarum aliæ ſunt publicæ, aliæ privatæ. Illæ, revera demum ſunt, quæ ad ſtatum ipſum communem reipublicæ, hæ, quæ ad ſingulos pertinent.

XXVII. Neque enim quando controverſiæ oriuntur inter perſonas publicas, eæ ſtatim ſunt publicæ; cum & publicæ perſonæ queant conſiderari ut privatæ. Tum vero publicæ demum ſunt, quando ſtatum ipſum tangunt.

XXVIII. Quemadmodum ergo publicæ, ita & privatæ controverſiæ omnes ſunt vel circa res, vel circa perſonas. Et circa res quidem, vel mobiles vel immobiles, item corporales aut incorporales.

XXIX. Publicæ controverſiæ ſunt ponderoſiores privatis, ideoque ſedatione magis indigent; privatæ vero ſunt numeroſiores.

XXX. Controverſiarum privatarum aliæ ſunt inter imperantes & parentes: aliæ parentium inter ſeſe.

XXXI. Parentes autem, quoniam alii ſunt cives, alii inquilini, alii peregrini, hinc & controverſiæ ſunt aut civium inter ſeſe, aut civium cum inquilinis, ejusmodi & ſervi poſſunt cenſeri, aut civium cum peregrinis, aut inquilinorum cum inquilinis, aut inquilinorum cum peregrinis.

XXXII. Controverſiarum aliæ porro ſunt civiles, aliæ criminales. Civiles numero, criminales gravitate prævalent; vitam enim & famam concernunt civium, quibus nihil præſtantius.

XXXIII. Ad civiles partim, partim & criminales poſſunt merito referri, & quæ ſacræ vulgo appellantur.

XXXIV. Alibi major, alibi minor eſt controverſiarum multitudo: idque alibi pro diverſo numero, alibi pro diverſo ingenio populi, alibi & per malas artes vel ipſorummet regentium, vel judicum conſtitutorum, vel eorum, qui litibus patrocinantur.

XXXV. Sic quo majores ſunt ſocietates, eo plures quoque oriri ſolent controverſiæ. Quo magis etiam vinolentiæ eſt deditus populus, eo rixarum eſt amantior: quod de majoribus noſtris obſervavit Tacitus.

XXXVI. Pro negotiorum quoque diverſitate variat litium abundantia. Sic in maritimis locis circa res & commercia nautica, alibi circa metallica negotia exſurgent controverſiæ, prout ſcilicet ipſorum negotiorum, circa quæ verſatur populus, eſt varietas.

XXXVII. In rebuspublicis, quæ ſerio quærunt utilitatem communem, lites raræ ſunt: quandoquidem animi civium ita diſponuntur, ne temere litigent, & ſi lites ſint ortæ, quantocyus per judicia decidantur.

XXXVIII. Ex adverſo in rebuspublicis herilibus quibusdam etiam ſeruntur lites, & trahuntur in longum: eoque numerus illarum eſt plurimus.

XXXIX. Non ſimpliciter omnes heriles reſpublicæ multitudinem litium exigunt; ſed illæ duntaxat, ubi qui imperant non ſunt ea potentia uti valeant ſui reverentiam & dominatum tueri propriis viribus, ſed opus habent ad id occultis artibus. Quibus ſcilicet efficitur, ut populus ſit inter ſeſe diſcors, egenus, utque ſemper detineatur in humili dominantium cultu, miniſtri vero dominantium ſimul etiam diteſcant. Hæc enim omnia præſtare, apta eſt litium forenſium multitudo. Ubi ergo primo jam tum animo ſunt cives, aut ſervituti aſſueti, ibi litium multitudine opus non eſt.

XL. Hinc Muſcovitarum Tyrannus diſcordias civium non affectat; ſunt namque Ruſſi ita ſervituti addicti, ut metuendum facile non ſit, eos ad libertatem aſpiraturos.

XLI. Deinde nec ibi lites ſerat Tyrannus, ubi factioſus quidem eſt populus, aliis tamen artibus, puta milite, ſub metus & obſequii jugum poteſt contineri.

XLII. Hinc Turca, quamvis tyrannidem & herilem dominatum exerceat, non tamen fovet lites ſubditorum. Papa autem Romanus, ex quo ſacram tyrannidem in orbem Chriſtianum eſt molitus omnibus modis intentus ſemper fuit litium numero augendo.

XLIII. In univerſum omnis reipublicæ intereſt, ne lites publicæ temere oriantur, aut ſi ortæ ſint cito ſaltim plærumque ſopiantur.

XLIV. Omnis quoque reipublicæ bonæ intereſt, ut ſaltim inter potentes cives rariſſimæ ſint lites Heriliuin tamen commodum eſt interdum ſitum in earum euam multitudine.

XLV. Omnis omnino judicandi vis & auctoritas, eſſe debet penes ſolam ſummam cujuslibet reipublicæ poteſtatem.

XLVI. Cæterum impoſſibile eſt, ut ſumma poteſtas omnia immediate poſſit judicare, partim propter cauſarum quæ in republica oriuntur, multitudinem; partim propter ingenii impotentiam decidendis tot controverſiis imparem.

XLVII. Ex veteri hiſtoria illud apparet, monarchas quam maxime vacaſſe immediate judiciis. Quin imo Reges primitus ideo creatos dixeris, ut controverſias immediate finirent. Ita enim ille de Romulo & Remo: *Jura dabant populo Remus cum fratre Quirino.* Hodie quo minus idem obtineat, legum facit intricata ratio, & hanc comitans Principum regumque inſcitia.

XLVIII. Quoniam vero imperantium eſt proſpicere, ne quid detrimenti capiat reſpublica, illud autem non facile fieri poſſit, ſi omnia aliorum ſentensiis committantur, hinc utile foret, ut Reges & Principes ipſi controverſias circa negotia & ſtatum publicum ſaltim enatas immediate componant.

XLIX. Ubicunque non omnia judicia pendent ab una ſumma poteſtate, ibi non ſunt integræ reſpublicæ: ſed, ceu vulgo loquimur, ſtatus in ſtatu.

L. Itaque nulla Europæ reſpublica integra eſt, & plene ſui juris, ubi Papalis ſacra monarchia aliquo tantum modo obſervatur.

LI. Quoniam ſumma poteſtas nunc in uno eodemque eſt ſubjecto quoad omnia, nunc in diverſis: hinc & judicandi vis primaria non in omnibus rebuspublicis ſemper eſt penes unum ſubjectum, ſed interdum etiam penes alios atque alios.

LII. Quid magis vel minus expediat, civilis quidem eſt prudentiæ decernere: at quidnam ſecundum leges reipublicæ cujuslibet ſingularis obtinere in judiciis debeat, tantum ex pactis & conſuetudinibus ſingularum rerumpublicarum æſtimandum eſt.

LIII. Neutiquam definiri hoc debet ex diverſæ alicujus ſingularis reipublicæ moribus aut inſtitutis: adeoque nec ſemper ex Romanis legibus.

LIV. Ut ſumma poteſtas reip. omnes controverſias immediate judicet, plane eſt impoſſibile. Nec enim ſi quæ adeo parva fuerit ſocietas hominum, ut litium exortarum multitudini decidendæ videatur ſufficere ipſa ſumma poteſtas, illa civitas revera fuerit h. e. ſocietas hominum ſibi ſufficiens; ac proinde non fuerit vere dicenda civilis ſocietas.

LV. Igitur ſumma poteſtas jus dicit omnibus aut immediate, aut mediate.

LVI. Quemadmodum autem reſp. alia mixta eſt, alia ſimplex; ita in mixtis ſumma judicandi poteſtas penes illos eſſe debet, penes quos mixtim eſt imperium. Sic in democratia, ſi de negotiis publicis exoriatur controverſia, totius populi eſt judicare.

LVII. Hac adeo de cauſa diſceptatum haut ita pridem fuit, ad quemnam ſpectet in germanico imperio judicandi poteſtas de rebus principalibus & provinciis. Et ſi reſpiciamus ad anteriora ſecula, liquet eam penes Cæſarem fuiſſe & Principes ſimul.

LVIII. Omnes autem in republica judices auctoritate ſummæ poteſtatis jus dicunt; nulli autem propria.

LIX. Summæ poteſtatis ſolius eſt judices conſtituere & dejicere, ſive id mediate fiat, ſive immediate, quod ipſum tamen etiam variat pro formæ rerump. diverſitate.

LX. Nemini itaque in rep permittendum, citra ſummæ poteſtatis conſenſum judicem aliquem aut judicium aliquod rejicere, quocunque id fiat prætextu.

LXI. Judici tamen conſtituto a ſumma poteſtate, ſi limites jurisdictionis ſibi commiſſæ egreſſus fuerit, merito non paretur.

LXII. Controverſia publica oborta inter ſummam poteſtatem & partem aliquam obtemperantem, jure poterit ſumma poteſtas etiam illam decidere. Ut tamen hoc ſemper faciat, non eſt conſultum.

LXIII. Neque enim non jure interdum quis in propria cauſa poteſt judex eſſe.

LXIV. Decernit autem ſumma poteſtas immediate, modo vel præſideat ipſa judicio, vel ſententias curet ſuo arbitrio ſubmitti. Atque adeo modo ne quid decidatur, ſumma poteſtate ignorante aut inconſulta.

LXV. Qui funguntur ſumma poteſtate & ne cauſas quidem illas publicas ipſimet volunt decernere, illi peſſime ſibi conſulunt & ſuæ reip.

LXVI. Summæ poteſtatis jus eſt, etiam nonnullas privatas controverſias, in judiciis conſtitutis alioquin decidendas, ad ſuum immediatum judicium trahere easque decidere.

LXVII. Quod ſi tamen tota ſumma poteſtas non eſt penes unum idemque ſubjectum, tunc ab illo, qui parte quamvis potiſſima ſummæ poteſtatis fruitur, ſi judicium non fuerit ipſius unius auctoritate conſtitutum, non poterit ulla privata cauſa jure ſubtrahi conſtituto judicio, ſine aliorum conſenſu.

LXVIII. Summa poteſtas, ſi interdum, cum vacat, privatas quoque controverſias immediate finiat, & ſibi & reipublicæ multum hoc ipſo prodeſt. Etenim hoc ipſo nihil detrahitur judiciorum auctoritati, conſulitur vero eorum induſtriæ & æquitati.

LXIX. Cauſas criminales, & quæ famam aut bona plæraque civium potiſſimorum attinent, præſtat ab ipſa ſumma poteſtate judicari.

LXX. Non exigit ſalus omnis reipublicæ vel ſummæ cujuslibet poteſtatis auctoritas, ut liceat quaslibet cauſas per provocationem ad ſummam poteſtatem deferre.

LXXI. Quamvis enim videatur judex magis propter provocationis metum ad ſincere judicandum teneri, tamen ſi & illud conſideretur, quam accommodum ſit provocationis hoc privilegium litibus prorogandis, apparebit ſæpe eſſe conſultius, ut citra provocationem judicetur ab inferioribus judicibus.

LXXII. Hodie non veræ provocationis, ſed ſupplicationis ſpecie appellatur, quæ tamen non multum ſunt diverſa; cumque adeo ſupplicandi iſta licentia magna ſit, hinc fit, ut lites apud nos diuturniores ſint & frequentiores.

LXXIII. In rebuspublicis, ubi ſalus communis quæritur ex æquo, rariſſime admittendæ ſunt provocationes ad ipſam ſummam poteſtatem.

LXXIV. In herilibus tamen rebuspublicis, præſertim ſi dominus velit judicii alicujus auctoritatem depreſſam, violenter autem illud deprimere nequeat, provocationes ſive appellationes ad ſummam poteſtatem interdum quam frequentiſſime ſunt permittendæ.

LXXV. Hac de cauſa & Cæſares romani quidam laxarunt ejusmodi provocationibus frenum: & Pontifices romani nihil pene non Romam fecerunt trahi.

LXXVI. Omnis provocatio eſt cum tacita injuria judicii, a quo fit provocatio, conjuncta.

LXXVII. In rebuspublicis, quæ ſalutem publicam omnium ſpectant, danda eſt opera, ut judicum auctoritas ſibi conſtet, ſitque integra: atque adeo ibi & raræ permittantur appellationes.

LXXVIII. Idem faciendum & in herilibus rebuspublicis; niſi quod majus commodum poſſit exſpectari, quam integra judiciorum auctoritas dominanti adferat.

LXXIX. Hinc in herilibus illis civitatibus, ubi multitudo litium pro remedio eſt conſervandæ reipublicæ permittitur frequentiſſima appellatio; quantumvis hoc ipſo judiciorum auctoritati aliquid detrahatur.

LXXX In rebuspublicis ſerio ſpectantibus utilitatem communem, ſi fiat provocatio, & pars provocans deprehenſa fuerit immerito provocaſſe, graviter puniri debet. Idque non tantum quod parti appellatæ fuerit moleſta & gravis ſua iſthac provocatione, ſed cumprimis quoniam læſit auctoritatem inferioris judicii.

LXXXI. Tenetur igitur temerarius appellans cum ad damnum reſarciendum parti appellatæ, tum ad ſatisfactionem judicii, a quo appellavit. Et quidem ſi deprehenſus fuerit dolo malo id egiſſe, pœnam quodammodo meretur læſæ majeſtatis.

LXXXII. Judex omnis talis conſtituendus, qualem exigit ſtatus cujuslibet reipublicæ, Qui cum varius ſit, non idem in omni judice ſemper eſt ſpectandum.

LXXXIII. In bono judice requiritur, ut poſſit, atque ut velit convenienter judicare.

LXXXIV. Ut poſſit, potiſſimum eſt ſitum in prudentia judiciaria.

LXXXV. Ad hanc prudentiam non ſatis eſt ſcientia latarum legum: hæc bonam tamen ejus partem conſtituit.

LXXXVI. Sunt vero quæſtiones controverſæ vel juris, vel facti; non illas igitur tantum, ſed has etiam uti decidere judex norit, in eo requirimus.

LXXXVII. Et quoniam ex duobus hiſce requiſitis, tertium hoc reſultat; facultas videlicet applicandi jus ad factum, hinc tria in univerſum dicimus eſſe, quæ perfectum reddant judicem, 1. Si juris valeat peritia, 2. Aptitudine explorandi, quæ ad factum pertineant. 3. Ut factum ipſum ad leges accommodet.

LXXXVIII. Quoniam vero leges interdum correctione aliqua indigent, adhibenda in judiciis nonnunquam fuerit ἡ ἐπιείκεια.

LXXXIX. Ad ἐπιείκειαν non ſufficit cognitio juris naturæ & gentium; ſed etiam juris poſitivi cujuslibet ſingularis civitatis ſcientia requiritur.

XC. Judici inferiori plerumque, etſi lex dura ſit, ſufficere tamen debet, quod ita ſit ſcripta.

XCI. Quod ſi vero magna injuria aut noxa publica ex ſtricta obſervatione legis fuerit neceſſario exſpectanda, a ferenda ſententia abſtinere judex debet.

XCII. Judex inferior nunquam κατ᾽ ἐπιείκειαν debet judicare, niſi impetrato conſenſu a ſumma poteſtate. Multominus, ſi quid lege non ſit definitum, temere ipſi liceat ex arbitrio aliquid conſtituere.

XCIII. Rariſſime conſentire in id debet ſumma poteſtas: ſed potius vel omnia legibus definire: vel vero jubere, ut in dubio conſulat judex inferior ipſamet ſummam poteſtatem aut quos in id illa conſtituerit.

XCIV. Id quod ſapientiſſime ab ipſomet Deo in Ebræorum republica, & in Romanorum a quibusdam eſt Cæſaribus conſtitutum.

XCV. Præter legum notitiam requiritur ad prudentiam judiciariam & cognitio applicandi juris ad factum. Quæ neutiquam eſt eadem cum ſcientia legum, etſi in melioribus ingeniis plerumque illam comitetur.

XCVI. Cumprimis porro requiritur iſthuc ſcientia indagandi factum: quandoquidem in facti quæſtionibus fere omnes forenſes controverſiæ occupantur.

XCVII. Quoniam de facto frequentiſſime non niſi per ſagacem conjecturam aliquid cognoſcendum eſt, hinc prudentiæ judiciariæ non exigua vis in εὐστοχία eſt collocata. Pertinetque huc omnis de præſumptionibus doctrina.

XCVIII. Qui prudens eſt, ille, ſi accurate loquimur, cum Ariſtotele, ſimul & bona voluntate eſt inſtructus. Si cum vulgo autem, poteſt quis prudentia pollere judiciaria & tamen animo eſſe iniquo.

XCIX. Non minus autem in judice bona voluntas requiritur, quam illa, qua de proxime egimus, prudentia.

C. Priusquam conſtituatur quis judex, debet certo conſtare & de illa prudentia ejus, & præterea de bona voluntate.

CI. Bona voluntas ſatis probabiliter præſumitur ex moribus & vita anteacta. Cumprimis ſi pie vixerit, & nulla avaritiæ aut prodigalitatis ſigna de ſeſe præbuerit. Ad hoc, ſi induſtrius fuerit in expediendis commiſſis negotiis.

CII. Ad hoc enim, ut quis bene velit, neceſſario requiritur primo ſtudium agendi, ſecundo cupiditas recte agendi. Alterutrum ſi deſit, non poteſt quis præſumi bona voluntate præditus.

CIII. Niſi aliunde illa voluntas nota ſit, probanda fuerit juſtis & fide dignis teſtimoniis. Quæ inter, publica præferenda plærumque ſunt. Interdum tamen ſufficiunt. imo prævalent publicis privata: ſi illa tulerit quis fide dignus.

CIV. Si ſatis conſtet fides teſtimonii academici de alicujus in legum ſcientia profectu, tuto illi uni iſthac in re credi in republica poteſt.

CV. Sin, tum vero profuerit; ut examen ejus inſtituatur ab ordine judicum, in quem cooptandus fuerit.

CVI. Id quod proinde in Gallia & alibi prudenter inſtitutum: in Germania minus neceſſum eſt.

CVII. Examen autem per omnes judiciariæ prudentiæ partes eſt inſtituendum: non circa ſolam legum peritiam.

CVIII. Summæ poteſtatis etiam eſt, diligenter curare, ut judices conſtituti faciant officium.

CIX. Hinc cumprimis pœnæ ſunt conſtituendæ omnibus, qui deprehenſi fuerint non feciſſe officium, ſive per malitiam, ſive per negligentiam, ſive per inſcitiam.

CX. Deprehenſio illa fieri poteſt per appellationes. Interdum & per inquiſitiones arcanas pariter & manifeſtas.

CXI. Profuerit enim inquiſiviſſe, num luxurioſe vivat judex, an frugaliter: num otium amet, an labores: num avarus ſit, nec ne. Namque amantes otii, negligentiores fere ſunt in dicendo jure. Luxurioſi & avari facile captant munera.

CXII. Non tantum vero judices, ita deprehenſi, fuerint puniendi, ſed etiam corruptores judicum: quocunque ſcilicet modo quis auſus fuerit judices flectere in partes. Atque adeo & legibus fuerit vetanda omnis omnino corruptela, & ne impune partes judicem pecunia corrumpant, diligentiſſime cavendum.

CXIII. Quandoquidem vero ne ita quidem caveri ſemper poteſt incorrupta judicum voluntas, & partium amor aut odium, prudentiſſimum videtur eſſe Germanorum vetus inſtitutum; ut Prætor quidem judicii ſemper ſit ſuperior partium ordine, aſſeſſores autem ſint (uti nunc loquimur) pares curiæ. Hoc certe inſtitutum & ipſam Græcorum & Romanorum prudentiam fugit.

CXIV. Ut ex ſportulis judiciorum alantur judices, non videtur tolerandum in republica, utilitatem communem ſerio quærente.

CXV. Præter judices habenda quoque ratio fuerit aliorum, qui quaſi inſtrumentales cauſæ ſunt judiciorum. Quales ſunt apparitores, fiſcales & ſcribæ.

CXVI. Alterius generis ſunt advocati & procuratores. Hi enim inſerviunt potius partibus litigantibus. Atque adeo illorum conſideratio pertinet ad cauſam judiciorum formalem.

CXVII. Etiam in miniſtris requiritur præparatio officii, & ſcientiæ aliquid & bona voluntas.

CXVIII. Utrumque & antequam admoveantur ad officium, & dum vivunt in officio, cumprimis ipſis judicibus, qui eorum miniſterio utuntur, eſſe cognitum oportet.

CXIX. Examen hoc omne tuto poteſt, & quam optime committi in republica debet ipſi judicio, aut toto, aut judicii capiti.

CXX. Judicia ex pluribus uno conſtituere fere plærumque expedit: non ſemper tamen eſt neceſſarium.

CXXI. Ju-

CXXI. Judicium, quod ex pluribus eſt conſtitutum, indiget uno ſummo rectore: qui tamen unus non omnium habeat plenam poteſtatem.

CXXII. In uno judicio nunc plures, nunc pauciores aſſeſſores requiruntur, pro multitudine aut momento cauſarum.

CXXIII. Idem cauſſarum numerus gravitasque major aut minor poſtulat, ut in civitate ipſi judiciorum conſeſſus ſint pauciores aut plures.

CXXIV. Debet ille numerus augeri nunc pro diverſa habitatione partium: nunc pro earundem diverſitate illa, quod alii ſint peregrini, alii inquilini, alii cives: nunc pro cauſſarum diverſitate, ut alia ſint judicia criminalium, alia civilium controverſiarum, & quidem nonnulla minorum, nonnulla majoris pretii; alia denique & rerum ſacrarum ſimiliumque aliorum.

PARERGA.

I. Omnes, qui reſpublicas condunt, condunt ſimul neceſſario aliquas leges: non contra, quisquis leges condit, condit rempublicam neceſſario.

II. Prudenter Plato in 1. leg. interdicit junioribus, ne quærant, rectene an non recte poſitæ ſint leges, ſed omnes eſſe recte poſitas, uno ore conſentiant.

III. Cur clericis matrimonia interdixerint Papiſtæ, veriſſimam cauſam aperuiſſe videtur Pelagius: ne ſcilicet bona eccleſiaſtica per matrimonia ab eccleſia alienarentur. Non igitur propter Chriſtum, ſed propter ſanctum denarium lex illa rigidiſſima lata.

IV. Tyrannum privato occidere nefas.

V. Principem malum eſſe, habere autem bonos conſiliarios, minus nocet, quam ſi Princeps quidem bonus ſit, ſed improbos circum ſe habeat conſiliarios.

VI. Argonauticæ, chriſtianorum Principum, expeditiones in Palæſtinam pro recuperanda terra ſancta, jure idoneo & ſufficienti nixæ non videntur: unde nec mirum, ſi felici quandoque eventu caruere.

HERMANNI CONRINGII
DISQUISITIO POLITICA
DE FORMA JUDICIORUM IN REPUBLICA RECTE INSTITUENDA.

Menſe Decembri MDCLXVI. habita.

RESPONDENTE

JOHANNE ALBRECHT, Hildeſienſi.

Theſis I.

Cum variæ ſint rerumpubl. ſpecies, interque has alia, quæ ſalutem populi primario intendat, alia, quæ utilitatem regentium primo ac per ſeſe, populi autem ſecundario, ſpectet, non poſſunt non variæ quoque in earum uſum, ut rerum aliarum, ita & judiciorum formæ inſtitui.

II. In univerſum autem omne judicium tribus conſtat perſonis; Actore, Reo, & Judice; de quibus dici poteſt, quod concernat vel æque omnes, vel litigantes tantum, vel ſeorſim ſingulos. Iſta prius; hoc poſterius occupabimus.

III. Initio vero conſtat, non minus heic, quam alibi in ſocietate civili neceſſariam eſſe communem animorum interpretem orationem, ſive proprie talem, ſive ſcripto repræſentatam.

IV. Lingua igitur utendum eſſe, cenſemus ea, quæ in qualibet republica vulgo eſt recepta. Quanquam ſi dominantis commodum ſpectes, plus ad autoritatem ejus confert non alia, quam qua ipſe, ſive natalis illa ſit, ſive peregrina, in foro loqui.

V. In romana ſane republica ſtricte obſervatum fuit, ne alia quam latina lingua peragerentur judicia. Id quod Polonis in hunc usque diem obſervatur, Gallis vero ante 130. & Germanis ante 400. annos uſu veniebat: ſed neutiquam ulla cum reipublicæ autoritate, ceu olim in romano imperio. Ex eo non niſi clero pontificio mos iſte hæſit, ſed magis vafro & callido commento, quoniam nimirum clerus, politicum imperium ad ſe trahere cupidus, inſtituto ſuo linguam latinam tanquam ſacris ſuis familiarem favere animadvertit.

VI. Porro, quoniam ab animorum mutua contentione facillime ad convicia devenitur, in qualibet bene conſtituta republica, & ubi communis ſpectatur utilitas, cavendum eſt vel maxime, ne in loco judicii vel judex ipſe partes, vel partes judicem, vel hæ ſeſe mutuo injuria afficiant, ſive id verbis fiat, ſive facto. Judicis enim quam maxime intereſt autoritate pollere apud litigantes, quippe qui ſummæ majeſtatis vicem gerit; illam vero ſartam tectamque ſervare non poteſt, ni reverenter a partibus habeatur.

VII. Ex adverſo, ſi judex partes contumelioſe habeat, quid illæ de juſto inter ſe diſtribuendo polliceri ſibi poterunt, utpote quæ ad judicem, tanquam ad ſacram aram, confugientes, juſti-

tiam ab eo fruſtra adminiſtrari exigunt, a cujus injuria in ipſo judicio ne quidem poſſunt eſſe immunes?

VIII. Utrumque igitur crimen cum grave ſit, beneque conſtitutæ reipublicæ multum officiat, nequaquam in judiciis eſt tolerandum; ſed danda opera, ne iſte locus, qui ob juſtitiæ reverentiam ſanctus habetur, injuſtitiæ aliquo crimine polluatur.

IX. Medetur ſumma poteſtas huic malo iſto modo, quo civilibus alias omnibus: præmiis videlicet & pœnis. Levius peccatur, quando partes ſeſe mutuo injuria afficiunt; licet hoc ipſum crimen in ſeſe leve non ſit.

X. Non enim tantum pars, (e. g. litigans) alteram, qua cum ſibi res eſt, graviter ita lædit: & magis quidem ac ſi ædibus ejus intulerit vim, præſertim cum id fiat in illo loco, ubi tutus eſſe ab omni injuria debebat. Sed non parum injuriæ in ipſum redundat judicem, cujus præſens autoritas vilipenditur.

XI. Quid? quod pars criminis ipſam ſummam ferit majeſtatem, adeoque vix eſt læſæ majeſtatis crimine minus. Unde & huic vitio quærendum eſt remedium, quod pro rei perpetratæ circumſtantia ſit interdum capitale, aut cum exilio infame.

XII. Neque vero iſta eo, quod diximus, modo tenenda tantum ſunt in republica bene conſtituta, ubi parentium quæritur ſalus, ſed & in ea, ubi dominantis primario, vel in herili civitate. Sive enim judicem minus reverentur partes: id quod cum maxima Heri conjunctum eſt injuria; ſive partes male excipit judex: ex quo poteſt non difficulter oriri interdum conſpiratio publica.

XIII. Bene itaque non judex minus, quam partes inter ſe (quantum quidem licet per cauſæ ſtudium & victoriæ deſiderium) affecti, termino a judice ad litigandum præſtituto compareant. Qui termini, ut temere prorogentur, non videtur conſultum; quanquam, quæ noſtrorum eſt judiciorum facies, raro hodie ſtricte obſerventur.

XIV. Proceſſus enim in noſtris judiciis ſolet inſtitui talis: ut 1. quis citetur absque ulla communicatione, 2. citationi primæ ſi non compareat, conveniatur ſuper contumacia, addita futuræ pœnæ comminatione, accuſatus 3. contumaciæ, tandem citetur præjudicialiter, interdum etiam puniatur. Verum iſta litibus inſerviunt prorogandis.

XV. In republica, ubi primario communis ſpectatur ſalus, termini omnes debent eſſe præjudiciales: nec quicquam moræ indulgendum cuiquam, niſi quando ſontica ratio ſubſit. Conſulitur utique hoc modo cum autoritati judiciorum, tum utilitati partium; quæ cæteroquin ob crebram accuſationum repetitionem callide emunguntur pecunia.

XVI. E re quidem magis videtur eſſe herilis reipublicæ ſervare contrarium; quod ſi tamen alia & in iſta herili civitate populum coërcendi ſuppetant remedia, id quod fit ſæpe numero (ceu de aſiaticis regnis omnibus, qua veteribus, qua novis notum eſt) videntur illa præferenda. Atque hæc de judice & partibus in univerſum. Nunc quæ litigantibus ex æquo competant, videndum.

XVII. Nullam poſſe eſſe veram & certam oppoſitionem ſive actionem, niſi inter propoſitiones contradictorias, eaque re perſonas ſibi vere contradicentes, manifeſtum eſt. Qui aſſerit, Actor, qui contradicit, Reus audit. De utroque quæritur: teneaturne in propria ſemper perſona, an vero per patronos etiam liceat cauſam ſuam agere.

XVIII. Reſpondemus autem: quoſdam ad cauſas tractandas aptos eſſe, quoſdam vero non. Qui apti ſunt, absque prægnante cauſa judicio ſe non ſubtrahant, maxime ſi actio ſit criminalis: facit enim hoc non minus ad reverentiam judicis, quam ad partium emolumentum; quarum ſane cauſæ tam cito ſæpe poſſent expediri, ſi ipſæmet adeſſent, quam vulgo nunc, per illarum abſentiam & patronorum infinitas exceptiones, impediuntur & protrahuntur.

XIX. Hi, qui apti non ſunt, impediuntur vel impotentia naturali, qualis regulariter eſt in minorennibus atque fœminis, quæ proinde in judicium admitti tantum abeſt, ut debeant, ut arcendæ potius ſint; niſi ſane aliud jubeat neceſſitas: vel imperitia, quæ fere excuſat quam plurimos: vel ineptitudine adventitia, exempli gratia morbo, vel denique nimio locorum intervallo, vel ſi impedimentum adhuc ſeſe offert aliud. At vero hos ideo cauſa debere cadere, quia præſentes in judicio eſſe non poſſunt, quis ſanus dicat?

XX. Plato equidem *lib. 10. de republ.* Cauſidicos beata republica eliminandos cenſet: quem tamen, ſi de ſui temporis cauſidicis locutum fuiſſe conſideraverimus, res erit integra. Neque etiam obſtat, quod per patronos cauſæ adeo maligne vulgo protrahantur, id enim quomodo caveri poſſit, jamjam dicemus. Patroni igitur, vel ut vulgo loquimur, advocati, in qualibet bene conſtituta republica ſunt conſtituendi. At qui? & qua autoritate?

XXI. Sane ſi quicquam in recte conſtitutis judiciis obſervandum, illud vero hoc eſt; quoniam omnis ratio non minus protrahendi, quam cito dirimendi lites in hoc videtur verſari. In Ægyptiorum quidem republica cauſidici omnino admiſſi non ſunt, teſte *Diodor. Sicul. l.* 1. id quod etiam in Areopago initio uſu fuiſſe legimus, qui tamen poſt rerum uſu melius edocti, decem conſtituerunt autoritate publica. Noſtra judicia circa hoc variant: alia nonniſi juratos, alia quoscunque absque diſcrimine admittentia.

XXII. Videtur autem omnino e re eſſe, ut judex patronorum habeat notitiam: quia qui cauſas agunt, ſæpiſſime delinquunt res clientum ſuorum, partim negligenter, partim malitioſe, partim etiam inſcite tractantes. Hi vero, ſi nomina dederint, facile apparet arctius eos per pœ-

nam

nam,ſive malitiæ ſive oſcitantiæ tali præpoſitam contentum iri in officio. Apud romanos olim & Græcos neque hoc obtinuit,neque obtineret neceſſum fuit: cauſæ enim apud iſtos agebantur non ſcripto, ſed ore per oratores.

XXIII. Sed nec noti tantum ſint, qui litigantium cauſas tuentur judici, verum eidem etiam probati,cum partium ſæpe imperitia de Patronorum,tum voluntate tum ſcientia nequeat judicare. Et ſi nihil aliud impediat, Advocati a judicibus ipſis probantor, ab utroque illo, quod modo inſinuavimus patrocinandi principio, cujus altera pars ſi cui deſit, Patronus eſſe nequit, cum neceſſum ſit, eum vel nolle cum poſſit, vel non poſſe cum velit.

XXIV. Sin per loci diſtantiam a judice hoc fieri non poteſt, admitti debent, qui aliorum judicio ſubſunt, non tamen niſi probati. Ubi vero prius eſt penes judicem,utile etiam fuerit, ut patroni juramento, quod calumniæ vocant, ſeſe adſtringant, quo conſcientiæ illorum ratio eo certius conſtet.

XXV. De mercede,Advocatis a partibus hodie dari ſolita, dubitari hic merito poſſit, ſit ne conſultum magis a litigantibus illam, an a judice ſolvi, imo vero, an in univerſum illis laboris ſtipendium debeatur.

XXVI. Apud Romanos olim lege cincia cautum fuit,ne quis ob cauſam orandam pecuniam donumve acciperet: quam legem brevi, ut puto, deſuefactam: Cajo Silio conſule deſignato Patres in ſenatu flagitarunt, ubi *nihil quicquam publicæ mercis tam venale eſſe viderunt, quam Advocatorum perfidiam* memorante *Tacito l.* 11. *Ann. c.* 5.

XXVII. Et Silius quidem conſul reſtaurandæ huic legi acriter incumbens, ſpecioſa quædam in ſenatu dixit; quibus tamen non vere minus quam eleganter reſpondens Suillius, eximius ea tempeſtate Advocatus, id obtinuit,ut Cæſar haud fruſtra illa dicta ratus,legem hanc moderarit, ita *ut capiendis pecuniis poſuerit modum usque ad dena ſeſtertia, quæ egreſſi repetundarum tenerentur, Tac. l. c. c.* 6. & 7.

XXVIII. Quibus & nos adſtipulamur, dicentes: gloriam quidem mereri eos, qui gratis cauſas peragunt, ſpectandum autem non tantum quid glorioſum, quid laudabile, ſed etiam quid utile ſit, uſuique ac rebus ſuis ſubſidium in vita eſſe præparandum.

XXIX. Unde etiam mercedem Advocatorum [quam, ne linguam & calamum venalem habere viderentur, honeſtiori vocabulo *Honorarium* maluit appellare *Ulpianus l.* 1. *ff. de Extraord. Cognit.*] rectius publica autoritate determinari, quam cujusque arbitrio relinqui, dicimus.

XXX. Quemadmodum enim conſultiſſimum eſt, ut in omnibus, quantum fieri poteſt, ita & in hoc negotio apprime neceſſarium videtur, ut quantitas honorarii Advocatorum publica autoritate definiatur. Dupliciter autem taxari poteſt honorarii quantitas: attentione facta vel ad totam cauſam, vel ad ſingulas cauſæ partes.

XXXI. Si quid hic lege ſanciendum, e re eſſe videtur, ut quantitas reſpiciat ſingulas operæ præſtitæ partes, quoniam & hoc excitabit Patroni diligentiam, & interdum qualitas cauſæ adeo incerta eſt, ut quantitatem pretii pro tota definire difficile ſit. Quem proinde morem Græcis quoque & Latinis obſervatum fuiſſe,Hiſtoriæ comprobant

XXXII. Cæterum cum de forma, qua agi cauſæ ſolent & poſſunt, in diverſas diverſi populi abierint ſententias alii eam,quæ ore fit,iſti, quæ ſcripto, alii hanc illi præferentes, operæ pretium eſt, quid magis conducibile ſit paucis inquirere.

XXXIII. De Ægyptiis *Diodorus* teſtatur l. 1. quod nullos admiſerint Cauſidicos ſ. oratores, perſuaſi *illorum oratione multum juri caliginis offundi, cum oratorum artes & actionis præſtigiæ & periclitantium lacrymæ multos adducant, ut legum rigorem & veritatis normam poſthabeant, ſæpe etiam numero videre ſit reos conflictantes in judicio vel per fallaciam, vel per voluptatem aut miſericordiæ affectionem facultate dicentis elabi.*

XXXIV. *E contrario vero ſi ſuam adverſarii cauſam in literas referrent, rebus per ſe nude conſideratis, exactiorem fore dijudicationem exiſtimabant. Ita enim nec ingenioſos tardioribus, nec exercitatos imperitis, nec mendaces & confidentes veracibus & modeſtis prælatum iri. Sed omnes æquo potituros, quando ſat longum a lege tempus concederetur adverſariis, ad ingeſta & regeſta examinandum, judicibus ad utriusque partis dicta conferendum & dijudicandum.* Hæc *Diodorus* de Ægyptiorum judicio.

XXXV. Græcorum conſuetudo Ægyptiæ fuit contraria, quippe qui ore agebant cauſas, quos ſecuti romani morem iſtum diu etiam poſt Ciceronis ætatem, & quod crediderim ad Juſtiniani usque tempora, licet non eandem cum eo facundiam, retinuerunt.

XXXVI. Habet vero etiam, ut commodi ita & incommodi multum ſibi admixtum cauſas per ſcripta agendi ratio: quandoquidem ex hoc ſolo, quicquid eſt in litibus prorogandis vitii, videtur oriri. Quod ſi ore tractaretur res, præſto ſemper atque prompta poſſet eſſe reſponſio. Utraque igitur conſuetudo, cum nec bona nec mala ſimpliciter ſit, nec ſimpliciter quoque vel approbanda vel repudianda videtur.

XXXVII. Dicimus ergo,cauſas eſſe aut majoris aut minoris momenti. Si hæ, nihil prohibet, quominus ore peragantur; ſin, ſcripto expediri ſatius eſt. Diodoro orationes promiſcue rejicienti reſpondemus, non peccari in hoc, quod ore quis agat cauſas, ſed peccari in illo, quod non eo, quo decet, modo agat,

XXXVIII. Utcunque autem procedatur, danda ſedulo opera eſt, ne quicquam præter id quod ad rem facit,afferatur, quo maxime laborare videntur noſtri etiam ſeculi judicia.

XXXIX. Strictiſſime hoc obſervatum fuit in optimis quibuscunque veterum judiciis, veluti

uti Ægyptiorum, in quibus nihil præterquam quod ad facti quæſtionem pertinebat, afferre licuit; item Hebræorum, nec non Areopagitarum, qui *ἄνευ προοιμίων* & *ἄνευ παθῶν* cauſas orabant. vid. *Ariſtot. l. 1. Rhet. c. 1.*

XL. Graviſſime contra peccatum in aliis tam Græcorum, quam Romanorum judiciis, ubi ore cauſæ agebantur. Ibi enim gloriolam ex devicto adverſario aut judice circumvento quærentes Patroni ſive oratores, de veritate cauſæ minus ſoliciti, in id omnes ingenii ſui intendebant nervos, ut quomodocunque ſuperiores evaderent; quod cum rationibus deſtituti non felicius quam affectibus obtinere poſſent, hinc factum eſt, ut tantopere veterum circa affectus commovendos occupata fuerit diligentia. Quin imo tantos in hac arte nonnulli fecerant profectus, ut veriti non fuerint publice profiteri, ſcire ſe artem, qua poſſit inferior cauſa reddi ſuperior, mala, bona.

XLI. Noſtræ tempeſtatis Cauſidicis, qui ſcribendo plerumque agunt, non declamando cum affectuum uſus frequens adeo non ſit, alio tamen & iſti idem quandoque præſtant modo, cauſas ſcilicet clientum partim procraſtinando, partim per crebras plurimarum quæſtionum ventilationes judicem dubium reddendo, partim etiam eundem corrumpendo.

XLII. Quam vero utrumque in omni judicio noxium ſit, facile videt, qui judicem neque ira, neque miſericordia, neque quocunque affectu vel dolo alio pervertendum eſſe intelligit; quippe cum perinde hoc ſit, *κἂν εἴ τις ᾧ μέλλει χρῆσθαι κανόνι τοῦτον ποιήσει στρεβλόν* h. e. *ac ſi quis qua uſurus eſt regula, eam depravet*, uti eleganter *Ariſtoteles l. c.* Etenim quandocunque animus affectuum caligine primum eſt obtenebratus, neque quid juſtum ſit cernere, neque ſi cernit, exequi potis eſt. Eum igitur, qui tali modo judicis ad ſe trahere animum conatur, non minus, ac ſi pecunia illum eo perduxerit, plectendum eſſe cenſemus.

XLIII. Poterant equidem noſtra judicia in hoc veterum conſuetudini non parum anteferri, quoniam in iis affectus, quorum potiſſima vis ex dicentis ore dependet, nulli adhibentur, niſi intempeſtivæ Patronorum tum in theſi tum frequentibus in hypotheſi diſceptationes pejoris compenſarent.

XLIV. Recte hic iterum *Ariſtoteles: Ipſius quidem controverſantis nullum aliud munus eſſe, quam ut oſtendat id, quod agitur, aut eſſe, aut non eſſe, aut factum eſſe, aut non eſſe; ſitne autem magnum an parvum, juſtum an injuſtum, quatenus id legislator non definivit, ipſum judicem cognoſcere ac judicare oportere & non diſcere ab iis, qui controverſantur.*

XLV. Partium namque eſt rem ſimpliciter, prout geſta eſt, deferre ad judicem, eumque de iis, quorum ignarus eſt, inſtruere. A judice vero requiritur, ut juris exacte peritus ſit, quod ſi eſt, fruſtra inter Advocatos fervent diſceptationes tum in theſi; quoniam in ipſo judice ſufficiens eſt juris peritia, tum in hypotheſi; quia & hoc a judice exigitur, ut jus norit applicare ad factum. Quod ſi vero legibus expreſſum eſt, determinet, niſi ubi æquitatis habenda eſt ratio.

XLVI. Intra hos terminos ſi ſeſe contineret litigantium quorundam eorumque Patronorum laſcivia, facile liquet, non eſſe neceſſarium, ut literis ſemper agantur cauſæ, cum ore poſſint quandoque expediri citius; nec ore ſemper, cum rei quandoque gravitas majus requirat deliberandi examinandique ſpatium.

XLVII. Obſervandum tamen etiam eſt, per judicum interdum imperitiam, legumque ambiguitatem conceſſas eſſe in Germania de jure diſceptationes, præſertim cum ſententiæ communes communibus & communiſſimæ communiſſimis opponantur. Verum & hoc in bene conſtituta rep. erat emendandum.

XLVIII. Quanti igitur interſit, ne, quæ non ad rem faciunt, in judiciis afferantur, nec non quomodo litigandi quorundam pruritus ſit cohibendus, ex dictis hactenus manifeſtum eſt. Nunc ad actionem ipſam progreſſuris propius, occurrit dubitare primum, ſintne abſque omni omnino cautela admittendæ partes coram judicio?

XLIX. D. Imperator *l. 1. Cod. de jur. propter cal. dand. Sacramenti*, inquit, *timore contentioſas litigantium inſtantias compeſci*; unde d. l. ſancivit, neminem ad agendam cauſam debere admitti, niſi præſtito prius calumniæ juramento.

L. In Germania noſtra lex iſta dudum olim abierat in deſuetudinem, reſtaurata dein ex parte, & introducta in Camer. Spir. anno hujus ſeculi LIII. Vulgo nunc obſervatur, ut ſi pars litigans alteri deferat calumniæ juramentum, illa id præſtare, eoque ſeſe obſtringere teneatur. At vero hoc tantum a Juſtiniani inſtituto recedit, quod ille juramentum ab utraque parte exegerit, hodie neutra illud præſtet, niſi ab alterutra ſibi deferatur.

LI. Græcis olim receptum quidem fuit juramentum calumniæ, ſed non niſi in criminalibus. In Italia quoque, poſtquam jus juſtinianeum ibi introductum eſt, initio obſervatum fuit, ſtatim vero a more iſto iterum eſt paſſim deſcitum, neque ex eo tempore a quoquam temere illud exigere ſolent judices, niſi ad partium inſtantiam.

LII. Non deſunt, qui juramentum calumniæ, tanquam inutile omnino improbant atque rejiciunt, contrarii his alii, tanquam utiliſſimum remedium, quo temeraria litigandi libido coerceatur, illud amplectuntur. Noſtrum eſt, quid conducat, inquirere.

LIII. Definitur autem vulgo juramentum calumniæ, quod ſit religioſa aſſertio a litigantibus vel Procuratore eorum præſtita de lite bona fide intentata, ſuſcepta & deinceps perſequenda. Unicus igitur isque ultimus hujus juramenti finis eſt, ut litigantium dolus malus præcaveatur.

LIV. Hinc ſtatim apparet, juramentum calumniæ nihil quicquam valere ad id, uti lites te-

mere

mere non moveantur vel ſoveantur, ſi quidem abſit dolus malus. Poteſt enim duplici ratione fieri, ut temere quis litiget: vel quia perſuaſus eſt, ſe juſtam fovere cauſam vel quia non eſt perſuaſus. Qui eſt perſuaſus, etiamſi temere litigat, non comittit dolum malum.

LV. Unde notandus vulgatus ille error, quando temere litigare, & dolo malo agere ſimpliciter inter ſe converti aſſerunt, Quicunque dolo agit, agit quidem temere; at non, qui temere, illico etiam dolo malo agit.

LVI. Per calumniæ igitur juramentum non poſſunt præcidi omnes temerariæ lites, præterquam eæ, quæ fiunt dolo malo. At vero lites, quæ non quidem dolo fiunt, ſed tamen temere, ſunt longe plures, quoniam & juris & cauſæ qualitatis ſæpiſſime ignari ipſi litigantes, ab Advocatis autem vel ſic, vel aliter edocti, ad litigandum temere proſiliunt. Atqui hoc per calumniæ juramentum non tollitur.

LVII. Et vero, quantopere vulgo inoleverint calumniæ perjuria, teſtis eſt clariſſimus JCtus Gailins, qui aſſerere non dubitat *tanti ea hodie fieri, quanti fumum in Camino.* Quod ſi hoc de omnibus affirmare forſan temerarinm fuerit, non proderit alios juramento hoc obſtringere, quam de quorum probitate conſtat: improbos enim, (quorum quidem numerus eſt maximus) ut idem præſtent cogere, nihil aliud eſt, quam ad perjuria eos invitare.

LVIII. Accedit, quod in quamplurimis optime conſtitutis judiciis (velnti iſraeliticis, quorum ipſe Deus conditor) juramenti calumniæ nullus fuerit uſus, id quod vel inde patet, quoniam Moſes multique ſcriptores Rabbini plerorumque circa judicia Judæorum obſervari ſolitorum meminerunt, ejusmodi vero inſtituti nullam unquam injecerunt mentionem.

LIX. His ita perpenſis non apparet quare in bene conſtitutis jndiciis calumniæ juramentum ſit magnopere approbandum; quod ſi tamen alicubi retineri debeat, nonnullas obſervandas eſſe conditiones exiſtimamus.

LX. I. Ne quis ad calumniæ juramentum præſtandum admittatur, niſi perjurii probe fuerit admonitus, quod fieri poteſt & ſolet alias formulis ſic ſatis horridis. Atque hoc illis etiam, qui in principalium ſuorum jurant animam, præſtandum eſſe ducimus, qui ſi abſentes a judicio ſunt, ab illo magiſtratu, ſub quo degunt, ad id teneantur.

LXI. II. Quandoquidem porro juramentum calumniæ eo maxime tendit, ne doloſa fiat litigatio, partes autem ipſæ affectibus occœcatæ, dolone an ſecus agant, interdum non intelligunt, videtur e re eſſe, ut & ipſi Advocati, quorum cauſa non agitur, ſacramentum dicant.

LXII. III. Quandoquidem Advocati initio litis a partibus, ſpeciem facti ejusque circumſtantias & qualitates enarrantibus ſæpe circumveniuntur, id quod in progreſſu demum liquet, utile erit jurato polliceri Advocatum velle ſe a patrocinio deſiſtere, ſimul ac fraus clientis fuerit manifeſta; ſic enim non tantum ne inchoetur doloſa litigatio, ſed etiam ne protrahatur, præcavebitur. Hæc ſi obſerventur, aliquis in republ. ſperandus eſſet juramenti calumniæ uſus.

LXIII. Verum enim vero cum nihilo minus temerariæ litigationis vitium late nimis ſerpere, experientia doceamur, illud autem inultum ferri, valde injuſtum foret, idcirco temere litigantibus impenſarum refuſionem imperavit Juſtinianus.

LXIV. Apparet autem, quod qui temere ſive ex fraude ſive ex ignorantia, litem intendit, multifariam peccet. Injurius enim eſt primo in eum, cum quo litigat, cui præter ingentes moleſtias multorum ſumptuum impendendorum cauſa exiſtit, infamiæ quandoque etiam notam inurit, ſi actio inſtituatur criminalis; deinde in ipſam remp. quæ, ſi quidem optima ſit, litibus quantum fieri poteſt, vacare debet.

LXV. Ex juſtinianeo itaque inſtituto non qnivis temere litigans, ſed qui dolum cum temeritate jungit, tantum plectitur. Hinc ſequitur ſecundum eundem hoc, omnes eos, qui non calumniantur quidem, temere tamen litigant, impune litigare. At vero & ille, qui temere tantum litigat, & reipubl. & adverſario injuriam infert, quod cur impune ferre debeat, non apparet.

LXVI. Porro omnem temere litigantem præter ſumptuum moleſtam erogationem alias quoque adverſæ parti moleſtias creare diximus. Quod ſi igitur illos tantum refundit, ex altera tantum parte reo ſatisfacit, ex altera vero non.

LXVII. Denique injuria afficit remp. cumprimis ſi adſit dolus malns; talem autem nequiter in bene conſtituta republ. agentem mulctandum eſſe, quis neget? quod tamen cum ex ſententia Juſtiniani facere non liceat, manifeſto conſtat, ſolam ſumptuum refuſionem non ſufficere in pœnam temere litiganti.

LXVIII. Apud Athenienſes, & Romanorum antiquiſſimos, populosque alios aliter huic incommodo cautum fuit. Deponebant enim Actor & Reus certam pecuniæ ſummam hac facta ſponſione, ut, qui judicio vinceret, ſacramentum ſuum a ſacro auferret, victi vero ad ærarium rediret. Quod ſi vel Actor vel Reus ſacramentum hoc renueret, privabatur iſte actione, hic tanquam confeſſus & convictus condemnabatur.

LXIX. In Germanorum judiciis hoc non obtinet, niſi tantum in ſummis, circa reviſiones, ubi petens reviſionem vigore ordinationis tenetur certam pecuniæ ſummam, pro Viſitatorum arbitrio, perpenſis perſonarum, cauſarumque circumſtantiis, deponere; quæ fiſco imperiali, ſi ſuccumbat, pro ſumptibus applicatur. Si tamen datis fidejuſſoribus vel pignoribus idonee quis cavere paratus ſit, onere depoſitionis relevatur. Videtur tamen ne ſic quidem ſatis eſſe proſpectum, quandoquidem cuivis non promptum eſt tantum æris deponere, vel eo depoſito ad certum tempus carere; talem vero judicio excludere, iniquiſſimum foret.

LXX. Dicas: Mederi huic malo potuiſſet, ſi juraſſet, ſe nec pignora habere, nec fidejuſſores idoneos, quamvis ſumma tam per ſe quam per alios adhibita diligentia reperiri potuiſſe; Verum neque vir bonus facile jurat in paupertatem, neque etiam ſic ſatisfactum fuiſſet vel ſibi, vel adverſario, quoniam ſacramentum victi depoſitum non victori, ſed ærario cedebat.

LXXI. Concludimus igitur litigantem temere puniri debere, habito reſpectu perſonæ læſæ, tum quoad ſumptus, tum quoad moleſtias, tum etiam quoad læſionem famæ; neque opus eſſe nova injuriarum actione, cum judicis ſit vel aggravare temere litigantem pœna, vel eandem imminuere, prout læſio major fuerit, vel minor.

LXXII. Et quoniam inter doloſum & temerarium ſine dolo multum intereſt, apparet, illum gravius eſſe plectendum, quia non adverſarium tantum ſuum, ſed ipſum etiam judicem, ſummæ majeſtatis vicem gerentem, in ſancto judicii loco fallere intendit. Ubi tamen iterum calumniæ & improbitatis calumniatoris accurate habenda eſt ratio.

LXXIII. In univerſum autem in temere litigantes omnes acerbiſſimis pœnis debet animadverti, ut graviſſima illa vitia, quibus proh dolor! Germania etiam noſtra laborat, & inter quæ temere litigandi libido non poſtremum locum occupat, paulatim excidantur, ſuaque judiciis noſtris ſimplicitas aliquando redeat.

LXXIV. In quibusdam Germaniæ locis, ne ad litigandum deveniatur, laudari & adhiberi, in quibusdam etiam exigi ſolet, amicabilis compoſitio a judicibus partium animos & moleſtia litigandi, & ſumptuum erogandorum multitudine, ipſiusque eventus ambiguitate occupantibus.

LXXV. Verum hoc nihil aliud eſt, quam dicam impingere ipſis judiciis, quæ ita debebant eſſe informata, ut & absque magnis impenſis & absque eventu ambiguo jus ſuum cuique tribueretur, eamque mentibus omnium conciliare fidem, eſſe ſe ſacroſancta juſtitiæ delubra, ipſiusque Dei loco, poſſeque in iis cito & facile ſuum cuique decerni. Hinc omnis amicabilis compoſitio, indicium eſt male conſtituti judicii, neque enim ita læſo jus ſuum tribuitur, & improbus lucrum, innoceus damnum exinde ſæpius reportat.

LXXVI. Loquimur autem de eo quod eſt ſimpliciter tale, in bene conſtituta republ. quam ubicunque apud moratiores gentes quæras, amicabilis compoſitionis veſtigium reperire licet nullum, neque adeo in ipſa Hebræorum republica. Quoad noſtros vero mores & judiciorum modernam formam, ubi vix quisquam absque ingenti moleſtia maximisque ſumptibus jus ſuum poteſt perſequi, profuerit quandoque amicabiliter lites componere.

LXXVII. Memorat equidem *Carol. Sigonius l.* I. *de Judic.* obtinuiſſe Romæ, ut ante conteſtationem litis per amicos periculum fieret, poſſet cauſa amicabiliter componi; nec ne; verum hoc non in judicio, ſed intra privatos parietes nec a judice, ſed ab amicis factum eſſe, idem recte obſervat. Verum nec iſta lites præcidendi ratio reſpondebat voto curiæ Romonæ, utpote quæ litium multitudinem affectabat.

LXXVIII. Perinde igitur atque nec in Romana vetere, nec in Græca qnoque aut alia bene conſtituta republ. amicabilis compoſitionis aut vola aut veſtigium ullum, obſervatur, ſic veluti inutilem illam & noxiam repudiamus, ET tantum de iis, quæ æqualiter de utroque litigantium dici poſſunt hactenus. Sequitur, ut ad propria ſingulorum officia dehinc deſcendamus.

LXXIX. Actor autem omnis ordine procedendi prior eſt reo, adeoque ejus eſt, actionem auſpicari, quod fieri ſolet reum in jus vocando. Quæ phraſis, etſi cum multis aliis a Romanorum foro ad noſtra judicia tranſiit, revera tamen apparebit, ubi & noſtras & Romanorum circa in jus vocationem conſuetudines enarraverimus, nihil præter umbram priſtini moris nobis ſupereſſe.

LXXX. In primordiis itaque reipubl. Romanæ quomodo inſtituta fuerit injus vocatio, videre eſt ex LL. XII. Tabul. quæ ita jubent: *Si in jus vocet, atque eat. Ni ſtatim eat, incapito anteſtari. Si caluitur, pedemve ſtruit, manum endo jacito.*

LXXXI. Iſta lex vulgo ita fuit agitata: Qui petebat, eum, unde petebatur, conveniebat, atque, ut ſe in jus ſequeretur admonebat, hac vel ſimili formula: *Ego te in jus voco.* Si is ſequi nollet, eum in jus educebat, ſive rapiebat. Verum ne injuriam facere videretur, ante aliquem ejus actionis teſtem faciebat, capta ſcilicet hominis forte intervenientis aut præſentis auricula, rogabat eum his verbis: *Licetne anteſtari?* (h. e. teſtem ſumere?) ſi reſpondebat: *Licet*, tum adverſarium fruſtrantem aut fugientem injecta manu obtorto collo ad Prætorem trahebat. Ad iſtum ergo modum initio fiebant omnes citationes, nullo habito perſonarum aut dignitatis reſpectu.

LXXXII. Verum quam in aliis legibus habebant, etiam hic exercuerunt Prætores corrigendi poteſtatem, edictoque poſt ſanciverunt, ne quis parentem, patronum, liberos, parentesque patroni & patronæ, item magiſtratum, pontificem, dum ſacra faceret, & qui uxorem ducunt, in jus absque permiſſu ſuo vocaret. Iidem de domo ſua quenquam in jus vocare, vetuerunt, iniquiſſimum eſſe rati & vis publicæ ſpeciem habens, ſi quis eo educeretur, quod tutiſſimum ſibi receptaculum eſſe debebat atque refugium, dicente *Cajo ad l. XII. tab. D. de in jus voc.*

LXXXIII. Excipiebatur tamen ſi quis ultro in domum ſuam adverſario patefaceret aditum, aut ex publico conſpiceretur, feneſtra ſc. domus ſuæ, in qua conſiſtebat. *Paulus l.* I. *ad edictum: ſed ſi aditum ad ſe præſtet: aut ex publico conſpiciatur, recte in jus eum vocari, Julianus ait.* Neque tamen de domo ſua in jus rapi poterat, *Paulus l. c. ſed etſi quis, qui domi eſt, interdum vocari in jus poteſt; tamen de domo ſua nemo extrahi debet.*

LXXXIV.

LXXXIV. Et vero univerſalis illa, & indefinita lex XII. Tabb. variis Prætorum reſtrictionibus & edictis adeo fuit limitata, ut non niſi certis caſibus vocare quenquam poſtea licuerit. Paulatim denique introductum eſt, ut qui petere vellet, querelam deferret judici, qui deinde citabat in jus; atque ita prior ille mos vocandi, vel cogendi potius, in jus plane evaluit. *Vid. Tit. D. de in jus voc.*

LXXXV. Neque etiam conſtat, aliis populis, præterquam Græcis, ex parte eum fuiſſe receptum. Quemadmodum autem nacti Romani leges: ſic quoque mores judiciorum ab Athenienſibus; nec diſſimile videtur vero ab iisdem ad Hebræorum etiam rempublicam, in qua alias tale quid ex inſtituto divino obtinuiſſe non dixerim, manaſſe, quo ſpectat ſervatoris noſtri parabola de ſervo, qui debito ſuo a Domino exſolutus conſervum ſuum cum ſolvendo non eſſet obtorto collo rapuit in carcerem. *Matth.* 18.

LXXXVI. Noſtris moribus reum quocunque modo in jus vocare, inſolens eſt, ſed res defertur ad judicem, judex autem citationem decernit, quod ſi quæ fiat ab actore, fruſtra illa eſt, & nullius pretii. Collata igitur inter ſe & noſtra, & Romanorum circa citationem uſitata conſuetudine, facile apparebit, hanc præ iſta eſſe amplectendam, quod de veteri Romanorum more nemo forſan negaverit, quoniam & violenti ille multum habebat, dum invitus per vim in judicium trahebatur, ex quo non poterant non graviſſimæ interdum oriri contentiones; & indecori etiam non parum, quando civi adverſus ſenatoria dignitate virum, filio adverſus patrem, rupto naturalis obligationis vinculo inſurgere licebat.

LXXXVII. Quamvis itaque prætores recte omnino a rigore iſto receſſerunt; tamen ne ſic quidem conhibita fuit petitorum in eos, quibus litem intendere adhuc concedebatur, violentia. Hæc vero & diſcordiam gignit & injuſtitiam fovet, quod utrumque a bona republica abeſſe debet quam longiſſime.

LXXXVIII. Et vero non eſt nullius momenti, quod hac ratione facile aberrari potuerit in fori competentia, quando vel reus ſequitur, vel actor eum ad incompetens forum trahit; quod etſi in romana republica tempore XII. Tabb. non erat metuendum, vix tamen ob imprudentiam vel ignorantiam evitari poteſt ibi, ubi multa ſunt judicia, quæ ut in magna republica conſtituantur, neceſſe eſt.

LXXXIX. Longe ergo melior & humanior eſt, qui apud nos viget citandi modus. Etenim hoc ipſo juris ſui quis facilius fit particeps, & violentia omnis ceſſat, & concordiæ atque æqualitatis conſervandæ ratio initur certior. Neque non fori incompetentia ſic facile declinatur, ſiquidem vel is, qui citatur, vel ipſe judex, dummodo peritia & æquitate valeat, oſtendere illam poteſt.

XC. Recte etiam hodie illud obſervatur, quod qui vocari aliquem vult a judice, primum ſpeciem facti, rationemque quare vocari eum velit, judici enarrat: ſi enim temere hoc faceret, moleſtiam ſaltem, ſi nihil aliud, adverſæ parti hoc ipſo crearet, quod ne fiat, judicis eſt proſpicere.

XCI. Ex quo vero Romæ introductum fuit, ne quis domo vocaretur, non potuit non fieri, quin multi male ſibi conſcii domi, quæ aſyli quandam vim atque ſanctitatem apud Romanos habebat, latitarent; hi itaque ut extraherentur, prætoris opem actor implorans, edicto reum citari rogabat. Hinc citatio, quæ adhuc hodie ſupereſt, edictalis. Prætorum enim in romana republica erat edicere.

XCII. Eſt & aliud vulgare nobis citandi genus, quod ad domum vocant, romanis non initio, ſed poſtea demum uſurpari cœptum. In Germania utraque citatio in uſu eſt, tam hæc, quæ ad domum dicitur, quam iſta, quæ edictalis, alias publica audit. Citatio, quæ appellatur ad domum, fit vel ore, vel ſcripto. Ore per apparitorem ſive accenſorem, (græci κλήτορας ἢ κλητῆρας vocabant,) in academiis per pedellum. Si quis abſit aut fugiat, fit citatio publica edictalis.

XCIII. Mititus hic iterum & rectius proceditur in noſtris judiciis, quando in omnibus fere totius Germaniæ foris citationes ad domum magis frequentantur atque edictales: conſulitur enim ſic honori ac dignitati partium; & certe nulla apparet ratio, quare citatio ad domum non æque poſſit eſſe peremptoria atque edictalis. Edictum autem Prætorum apud Romanos ipſius latitantis ædibus affigebatur, accenſore domum non intrante, ſed ſolenniter teſtes appellante vicinos.

XCIV. Præclare rurſus in Germania conſtitutum eſt, ut citationes ad domum fiant per miniſtros juratos, quorum teſtimonio creditur etiam injurato; Quando vero citatio inſtituitur ſcripto, neceſſe eſt, ut is, qui citatur, det documentum inſinuationis, quod ſi dare recuſet, aut fugiat, pergitur nihilo ſecius a judice, quippe qui credit nuntio jurato, citationem eſſe factam.

XCV. Quemadmodum ergo hoc quidem rectius quoad modum citandi: ita e contrario, ſi executionem citationis ſpectes, male a Romanorum moribus videtur eſſe receſſum. Prætor enim, cum die conſtituta in jus vocaſſet, nec obtemperaret is, qui evocatus erat, ſecundum citabat, addita ſimul in bona immiſſione; quod ſi nec tum compareret, aut per alios juſtas abſentiæ & dilationis cauſas afferret, Prætor actorem mittebat in poſſeſſionem bonorum, quam ſi per triginta dies obtinuerat, bona divendebantur.

XCVI. Quantum hæc abeant a noſtra conſuetudine, neminem fugit. Citatur enim quis hodie primum termino comparendi ſic ſatis lato conſtituto. Non eſt porro, quod ad citationem primam præſto quis ſit. Citatur ſecundo, & ne ſic quidem comparet. Tandem citatur tertio &

quidem peremtorie. Reus interdum reſpondet, interdum non; novit enim citationes illas peremptorias non eſſe revera tales, ſed fieri ſæpe numero tantum dicis cauſa. Actore contumaciam accuſante, fit ſecunda citatio peremptoria; nondum opus eſt, ut adſit, ſufficit petiiſſe dilationem. Actor inſtat; citatur iterum, ſed non peremptorie. Tandem ubi videt neceſſitatem quandam ſibi impoſitam, tum vero accedit, ſed ſtipatus quam plurimis aliis exceptionibus. Hæc quam longe ab antiquis Romanorum moribus diſtent, nemo non videt, quam vero etiam difficile hodie ſit, ut ſuum cuique jus cito tribuatur, facili negotio exinde colligitur.

XCVII. Diximus autem ſuperius, intereſſe bonæ reipublicæ, & ubi ſalus populi quæritur, ut cito componantur lites; hinc ergo ſtatim apparet, quanto melior Romanorum fuerit reum ad judicium cogendi proceſſus, atque hodiernus Germanorum, ubi judici vocanti in jus, impune refragari eſt conceſſum. At ſi rem accurate intuemur, videtur non minus licentia hac imminui judiciorum autoritas, atque olim aucta fuit, impoſita ſub gravi adeo pœna parendi neceſſitate. Quemadmodum autem ferendum non eſt, ut Prætori jus dicenti non pareatur; ita nec committendum, ut ſe judicio impune quis ſubtrahat.

XCVIII. Quamvis ſi pœnam, immorigeris apud Romanos dictari ſolitam, inſpicias, illa quodammodo videri poſſit delicto inæqualis. Peccat enim, qui vocatus non comparet, tam in judicium, quam in actorem, non æque vero in actorem, ac in reverentiam judicio debitam; itaque decernenda erat talis pœna, qua ſatisfieret potiſſimum judicio, minus actori, quod an obſervatum fuerit in romana republica, non liquet.

XCIX. Cæterum nulla ſive a judice, ſive ab actore inſtitui poteſt, vel certe debet, vocatio, niſi conſtet de competentia fori, in qua ſæpiſſime aberratur, imprimis, ſi respublica ampla ſit. Fruſtra autem omnis eſt, quæ inter litigantes fit contentio, ſi agatur in foro incompetente. In parva quidem republica quam plurimæ lites uni judicio recte committi poſſunt, non item in magna. Sic cum romana respublica incrementum caperet, prætores etiam conſtituti ſunt plures, & alius erat, qui civibus, alius, qui peregrinis jus diceret; quæ judiciorum diverſitas provenit partim ex litium numero, partim ex perſonarum litigantium, vel etiam ex diverſarum cauſarum ratione. Quam plurimi autem intereſt reipublicæ, ut cauſa agatur coram competente judice.

C. Legibus romanis ſtatutum eſt, & nunc ubique propemodum in conſuetudinem abiit, ut actor ſequatur forum rei, exceptis tantum iis actionibus, quæ inſtituuntur ex l. diffamari, in quibus reus ſequi jubetur forum actoris, quod ipſum tamen parum hodie attenditur in iis locis, ubi juris romani autoritas vileſcit. Exemplo eſſe poteſt, quod heic ante pluſculos annos contigit, ubi quidam ex l. diffamari litem intendens civi Veneto, eumque huc trahere allaborans, a veneto ſenatu reſponſum tulit: Obſervare ſe quidem leges romanas, ſed pro lubitu.

CI. Eſt autem revera rectæ rationi magis conſentaneum, ut diſceptatio omnis inſtituatur in foro rei, quoniam incaſſum agitur, ubicunque ſententia non poteſt executioni mandari. Jure autem non poteſt, quam ubi reus ſortitur ſuum forum; ſecus ſi fit, & juris ordo, & reipublicæ tranquillitas turbatur.

CII. Moleſtum præterea & tædioſum eſt, in diſſitis adeo locis litigare, nec in ſua quidem republica tranquille poſſe vivere. Et hoc eſt, quod Veneti objiciebant, nolle ſe, ut cives ſui ad alia judicia evocentur. In univerſum itaque actor tenetur ſequi forum rei.

CIII. Fieri tamen poteſt, & ſæpe etiam fit, ut exceptio inſtituatur fori declinatoria, idque vel culpa actoris, vel culpa judicis. Non deſunt enim, qui alienæ jurisdictionis limites affectantes ſuorum judiciorum fimbrias extendere conantur. Quando vero actor in cauſa eſt, ut reus forum declinet, neceſſum eſt, mala eum fide rem detuliſſe ad judicem: alias exceptioni contra actorem locus eſſe non poteſt.

CIV. Quod ſi & ipſi judices de compentia fori controvertere incipiant, gravis inde fieri ſolet judiciorum colliſio, quæ ſola intervenientis ſummæ majeſtatis autoritate poteſt impediri, inquirendo ſedulo in contentionis & diſcordiæ autorem.

CV. Si conſtiterit ipſos judices fraudulenter atque doloſe de termino jurisdictionis exiiſſe, pœna ab illis exigi debet graviſſima, idque nomine turbatæ reipublicæ. Namque & revera judiciorum autoritas ſufflaminatur, & civibus de judiciorum dexteritate male ſuſpicandi præbetur occaſio. Sin autem ex errore proceſſerit diſceptatio, videndum iterum, ſane in vicibilis an affectatus. Si affectatus, perinde puniendus, ac ſi ſpontaneus fuerit: omne enim affectatum, ſpontaneum. Iisdem etiam pœnis actorem ſubjacere dicimus, quando de malitia aut proæretica quadam ignorantia fuerit convictus: quanquam ex particulari ignorantia cum facilius errare probabilius videatur, tum itaque a judice rectius debet informari.

CVI. Verum enim vero, interdum actor ſequitur forum competens, reus tamen nihilo ſecius præſcriptionem tentat. Facit hoc vel jure aliquo adductus, vel nullo. Si nullo jure, iterum vel per malitiam, vel per ſimplicem ignorantiam. Hæc condonari; illa exquiſite puniri debet. Neque enim aliter habendus eſt, qui fraudulenter & doloſe contra forum excipit, quam is, qui exiſtimationem judiciorum infringit, aut qui temere litigat, vel quocunque modo alio judicium tergiverſando illudit.

CVII. Sunt præterea aliæ quoque exceptiones, quibus uti reo adverſus actorem eſt conceſſum. Dividuntur autem in univerſum ita, ut aliæ dicantur dilatoriæ vel temporales; aliæ peremtoriæ ſive perpetuæ. Iſtæ litem non tollunt, ſed tantum morantur & differre faciunt; hæ vero plane perimunt.

CVIII. Pri-

CVIII. Prima inter dilatorias eſt exceptio fori, de qua hactenus. Ea non facit, ut judicium omne poſſit declinari, ſed hoc tantum, vel illud, cujus ſcilicet ſit præſcriptio; eſtque propter judicis interdum aut etiam adverſæ partis iniquitatem utilis & admittenda.

CIX. Alia deinde eſt, quæ exceptio recuſationis audit, & nihil aliud eſt, quam exceptio dilatoria contra judicem aut totum collegium, aut quædam ejus membra, & poteſt ratione principii, quod cuicunque judici legitimo ineſſe ſupra diximus, diſpeſci in exceptionem ſuſpicionis, qua judex ut ſuſpectus recuſatur, ita ſcilicet, ut ſi judex ordinarius ſit, alius ipſi aſſocietur, aut ſi delegatus, plane removeatur; & inhabilitatis, quæ opponi ſolet contra judicem ad munus judicandi inhabilem vel natura, vel lege, vel moribus.

CX. Simili quoque modo exceptio recuſationis inſtitui poteſt adverſus perſonam actoris, ex. gr. ſi ſit minorennis, aut furioſus, aut infans, aut infamis, aut hæreticus, aut vadimonium deſeruerit, aut minus apte libellum formaverit &c. Sintne vero utiles exceptiones iſtæ, tam quæ adverſus judicem, quam quæ contra actorem moventur, diſpiciendum accurate jam nunc eſt.

CXI. Illud certe dubitari nequit, ſemper tangi judicium, quotieſcunque accuſatur judex. Accuſatur autem vel de inſcitia, ſive imprudentia judicandi, vel de prava voluntate. Utrumque aut jure ſit, aut injuria, et ſi injuria, vel temere, vel cum calumnia. Quocunque modo ſuſpectus dicatur, ſufficienter probari debet ab eo, qui ſuſpicionem in judicem commovit. De imprudentia autem appellari judicium nunquam poteſt, absque quadam ejus ignominia. De voluntate aliter ſe res habet. Duobus enim modis illa depravari ſolet, aut impetu & affectu quodam animi, aut vero proæretica malitia.

CXII. Ob affectus, fatemur, & ſuſpectus facile quis fieri, & vero etiam excuſari poteſt; veluti ſi inter judicem & partem adverſam arcta intercedat neceſſitas: verendum enim hic eſt, ne judex patiatur aliquid humani, tale videlicet, quod alienum a nullo ingenio humano eſt, quippe in quo amor mentis judicium ut plurimum antevertit. Fit itaque talis exceptio absque judicis injuria; quoniam objicitur, non quod judici, ſed ut homini cum aliis omnibus eſt commune.

CXIII. Rurſus juſtiſſima eſt exceptio, ſed cum gravi conjuncta judicii ignominia, ſi judex de craſſa quadam malitia, aut accepto ære poteſt convinci; contingit etiam, ut ipſe interdum judex alterutræ partis patronum agat; hujusmodi ſceleris ſi compertus fuerit, ſummæ majeſtatis eſt, ſeveriſſime in eum ſtatuere.

CXIV. Nec minus, ſevere animadverti debet in illos, qui falſo & temere flagitii anquirunt judicem, ſeverius, ſi calumniatorie. Adhuc vero gravius, ſi multos in judicio, aut ipſum etiam Præſidem. Impoſſibile namque eſt, bene ſe habere rempublicam, niſi a criminantium temeritate & malitia tuta præſtentur judicia.

CXV. Exceptiones recuſationis, quæ fiunt adverſus perſonam actoris, non ſunt uniusmodi. Aliæ enim famam tangunt, v. gr. ſi quis excipiat, quod ſit infans, vel hæreticus: aliæ non ſunt ejusmodi, ut ſi dicas, adverſarium eſſe minorennem aut furioſum, aut bannitum, qui etſi jus ſtandi in judiciis non habent, infames tamen revera non ſunt.

CXVI. Videndum in hisce exceptionibus iterum eſt, verene fiant, an temere, aut cum calumnia. Si veræ ſunt & non frivolæ, admitti debent; ſin, pro circumſtantiarum ratione irroganda delinquenti, non ſecus ac temere vel calumniatorie litiganti, pœna, maxime autem, ſi exceptionem moverit infamem, idque non tantum ideo, quod exiſtimationem læſerit viri boni, ſed cumprimis, quod ludificarit judicia in ipſo ſacro ſancto judicii loco.

CXVII. Sequitur jam alia exceptio, quæ Vadimonii dicitur: erat enim legibus XII. Tabb. conſtitutum, ut quotieſcunque in jus vocatus compareret, vadaretur, hoc eſt, ut qui edita actione vellet intendere, accepta certa verborum formula, vades, ſive ſponſores, ab adverſario peteret, fore ut ſtato die, qui plerumque perendinus erat, ſe in jure ſiſteret.

CXVIII. Erat autem apud Romanos frequentiſſimus idemque ſuperſtitioſus formularum uſus, adeo quidem, ut nec populo illæ concrederentur, nec emptio, aut venditio, aut quæcunque alia actio inſtitui potuerit, niſi præſente JCto, formularum iſtarum gnaro. Congeſſerunt eas ex parte *Varro de re Ruſt. plenius Briſſonius*, *Roſinus*, alii. Juſtinianus recte illarum vim ſubleſtam fecit. Sed de iis plura paulo poſt.

CXIX. Manent ergo priſca quidem nobis vocabula, ſed mutata & inverſa ſæpe eorum ſignificatione. Itaque & *Vadari* non idem nunc hodie nobis eſt, atque olim veteribus. Actor enim tum temporis exigebat ſponſorem a Reo, qui promittere cogebatur in judicio nomine rei vel ſeſe judicio ſiſtere & judicatum ſolvere. Si vero Reus vadimonium, quod promiſerat, deſeruiſſet, litem perdebat. Hodie obtinet, ut & actor a reo & reus ab actore poſſit cautionem petere de ſe ſiſtendo & judicatum ſolvendo.

CXX. Poteſt enim & reus, ſimulatque accuſatur, cautionem petere ab actore, non quidem de ſolvendo judicatum, ſed de refundendo expenſas; præter hæc enim, ſi non fuerit convictus, aliquid ſperare integrum ipſi non eſt. Actori vero a Reo ſolutionem judicati exigere fas eſt. Cautio ergo actoris, quam petit a reo, longe majoris eſt momenti, ac iſtæc, quam petit reus ab actore, quoniam hæc non ulterius, quam ad ſolam ſumptuum refuſionem, tendit.

CXXI. Sed hic de more romano dubitare quis merito poſſet, fueritne ille ex uſu civium. Primo enim, quia vas ſuccedebat in fidem Rei, ejus quoque erat judicatum ſolvere, qui fidem ſuam interpoſuerat. Jam vero interdum contentio erat de re magna, cui vadimonium facere nemo non facile detrectat. Potuit itaque non niſi difficulter vas inveniri a Reo; at vero eum ideo lite privare, nihil aliud eſt, quam condemnare innocentem.

 CXXII. Ad-

CXXII. Adde quod vadatione omnino nulla opus fuerit. Qui enim vadimonium præſtiterat in diem perendinum, vel judicialem quemcunque alium, & non comparebat, ſtatim cadebat cauſa. Qui mos, ſi ſervatus ſtricte fuit, ad quid opus vadimonio?

CXXIII. Romanis itaque moribus non videtur fuiſſe conveniens, quod Reus absque Vade litigare non potuerit. Neque etiam hodie, ut inſtitutum illud ſervetur, neceſſarium eſſe ducimus, partim ex allata ſuperiori cauſa, videlicet, quod difficile admodum ſit vadem invenire in arduo negotio; partim vero ideo, quia niſi ſciat, qui accuſat Reum, illum ſolvendo eſſe, fruſtra actionem inſtituit. Si vero de eo non dubitat, ſed certus eſt, poſſe ſeſe ab eo conſequi, quantum jure ſibi deberi opinatur, iniquum eſt cautionem inſuper flagitare de ſolvendo judicato.

CXXIV. Prout vero hodierni mores ſunt, utile eſt, ut Reus vadetur actorem. Qui enim hodie ad litigandum provocatur, multas debet facere impenſas incertus, ſi vicerit, de refuſione. Quod ſi judicia noſtra ſumptuoſa adeo non eſſent, æquius foret, cautionem nullam poſtulare. Et hæc ratio eſt, quare apud Romanos Reus nunquam vadem exegerit ab actore.

CXXV. Illud tamen etiam ex Romano Reum ad vadimonium cogendi inſtituto derivatum eſt ad nos: ut ſi quis neque ipſe depoſito ære cavere, neque etiam vadem invenire queat, juramento ſe purget, & ſic a cautione abſolvatur. Quando vero actor & præſtare vadimonium & juramento etiam a cautione ſe liberare recuſat, tum apud nos conſuetudine introductum eſt, ut exceptio non tantum ſit dilatoria, ſed etiam perpetua. Et autem raro, ut actor cautionem dare nolit, quoniam probe ſcit, neminem facile, utut calumniatorie litigarit, in impenſas condemnari, ſed ut plurimum fieri compenſationem.

CXXVI. Præter exceptiones dilatorias hactenus allatas, eſt & alia, quæ vocatur litiſpendentiæ; & nihil aliud eſt, quam qua quis excipit contra actorem, quod lis, quæ intenditur, jam tum alibi pendeat. Hanc exceptionem tanquam utilem & neceſſariam admittimus, tam ratione reipublicæ, quam ipſorum litigantium: & reipublicæ quidem, quoniam permitti non debet, ut ſine cauſa judiciis moleſtia creetur, quod tamen fit, quando jam pendens ad aliud judicium trahitur. Ratione vero litigantium, quia moleſtum eſt diſceptare in duobus foris.

CXXVII. Reſtat adhuc alia de dilatoriis exceptionibus, quæ dicitur exceptio inepti libelli, quæ opponitur actori, obſcure vel minus apte concludenti. Eſt autem libellus, vel articulatus, vel ſimplex; articulatus, in quo merita cauſæ per articulos proponuntur; ſimplex, qui quaſi continua oratione ipſam actionem abſolvit, unde non incongrue vocatur continuus.

CXXVIII. In comit. imper. anno 53. & 54. hujus ſeculi, ſapienter admodum conſtitutum fuit, ne libelli articulati in ſummo judicio præſertim Spirenſi impoſterum producerentur, cujus inſtituti rationes vid. conſultatione ſuper hac materia ab ampliſſim. Dn. Præſide, hic edita.

CXXIX. In foro quoque Saxonico, tum Electorali, tum communi, non niſi ſimplex recipitur, adeo quidem, ut ſi maxime pars contra articulatum non excipiat, judex tamen ex officio illum rejicere, & reum cum refuſione expenſarum ab inſtantia abſolvere cogatur. Verum de libello actionis apte & convenienter formando plura inferius.

CXXX. Et hæ pene ſunt exceptiones dilatoriæ. Diverſæ ab his ſunt peremptoriæ ſive perpetuæ, quæ ſi legitimæ ſint, litem non tantum differunt, ſed ſimpliciter tollunt atque perimunt. Cujus generis eſt exceptio rei judicatæ: qua reus ſemel in judicio abſolutus, & poſtea iterum conventus adjuvatur. Eſt vero hæc excipiendi ratio juſtiſſima, ſiquidem non debet id, quod ſemel in judicatum tranſiit, a partibus reſcindi: forent enim alias & lites æternæ, & judiciis non poſſet ſua conſtare autoritas.

CXXXI. Alia deinde eſt inter peremptorias, quæ exceptio transactionis indigitatur, eaque conceditur illi, qui ſuper cauſa, jam ante transactione compoſita, denuo convenitur. Huic quoque exceptioni, ut pondus inſit, ſumme neceſſarium eſſe ducimus, propterea, quod maximam partem in eo volvitur, quicquid eſt in civilibus negotiis fidei. Interdum autem recedi a transactione poſſe non negamus, ex. gr. ſi partium adfuerit dolus malus, aut ſi liquido conſtet, læſum per eam fuiſſe alterum ultra dimidium. Alias pactis conventis ſtandum omnino eſt, etiamſi quis exinde quodammodo ſit læſus.

CXXXII. Apud Romanos vigore LL. XII. Tabb. nulla transactio a re transacta poterat recedere, poterat autem jure prætorio, cujus libertate tum hujus, tum aliarum fere omnium legum, autoritas enervata fuit, de quo præclare vide diſſerentem amplilſ. Dn. Præſidem epiſt. opeii hoppeiiano, de vera jurispr. præfixa, in opere epiſtolico jam numero 51.

CXXXIII. Sed hiſce & aliis, quæ ſuperſunt exceptionibus peremptoriis, nunc non immorabimur, quoniam propoſitum nobis eſt, infra omnium ſigillatim examen inſtituere. Illud potius inquirendum hic nobis fuerit, quomodo exceptiones iſtæ in bona republica ſint formandæ. Uſu enim in quam plurimis judiciis viget, ut exceptiones tam dilatoriæ, quam peremptoriæ non ſimul, & uno tempore, ſed paulatim a reo producantur, actor vero eodem ordine ad easdem replicet, quæ replicatio tollatur per duplicationem; eam vero iterum elidat triplicatio, & hanc viciſſim quadruplicatio: imo nonnunquam & ulteriores gradus defenſionis concedantur; quæ profecto excipiendi ratio, quam idonea ſit litibus, etiam ante ipſam litis conteſtationem prorogandis, nemo eſt, qui cum dolore non videat.

CXXXIV. Hac itaque de cauſa in camera imper. maturo conſilio litium finiendarum cauſa modus hic præſtitutus eſt, ne in dilatoriis ultra duplicationem, in peremptoriis ultra triplicationem procedatur. In aliis autem judiciis, quemadmodum, ut in utroque noſtro ſummo can-

cell.

cell. & aulico, ſancitum eſt, ut omnes exceptiones, qualescunque ſint, ſimul afferantur in medium. Quod ſi in cæteris quoque inferioribus judiciis obſervaretur, non in tam multos annos cauſæ cum ſummo partium diſpendio & periculo miſere procraſtinarentur.

CXXXV. Objicis: fieri poſſe, ut exceptiones Reo non ſtatim occurrant, vel ſint in promptu; ſed reſpondemus: debere quemlibet jurium ſuorum eſſe intelligentem, & poſſe etiam tempus indulgeri ad deliberandum ſufficiens. Ex adverſo ſi permittatur, ut ſeparatim proponantur, non poſſe non lites etiam ante conteſtationem fieri pene immortales.

CXXXVI. Nec eſt, quod quis dicat: ſtandum in judiciis magis eſſe a rei partibus, quoniam illæ ſemper videantur favorabiliores: debent enim in judicio æquales eſſe utriusque Actoris & Rei, partes; neque pro alterutro præſumendum, quamvis ſi hoc liceat, præſumptio magis militet contra Reum, quam contra Actorem.

CXXXVII. Non itaque vel triplicationes vel quadruplicationes in bene formato judicio ſunt tolerandæ; quin imo, ſi verum fatear, vix neceſſariæ etiam duplicationes. Nihil enim video quod impedire poſſit quominus, exceptiones omnes ſimul & ſemel proponantur, juſtis & ſolidis rationibus roborentur, ad easdem ab Actore ſtatim reſpondeatur, & ita judiciis deferantur examinandæ, quemadmodum hoc in dicaſterio Cellenſi accurate obſervatur. Quodcunqne enim ad cauſæ dijudicationem neceſſarium non eſt, in judicio non debet permitti; Duplicatio autem ad exoeptionis dijudicationem neceſſaria non eſt. Cavendum tamen, ne per nimiam quandoque præcipitantiam pars altera privetur aliquo jure.

CXXXVIII. Et hæc de exceptionibus dicta ſufficiant, qnibus ſi careat Reus, judicium ſuſcipere tenetur; Actor autem ſicuti ordine procedendi Reo prior eſt: ita ut primus, afferat cauſam in judicium ordo naturæ flagitat. Accuſatio itaque, quomodo fieri poſſit & debeat, dehinc diſpiciemus.

CXXXIX. Apud Romanos quondam & lege & moribus introductum erat, ut cujuscunque actionis, qua apud judicem quærebatur, ſive illa in rem erat, ſive in perſonam, ſpeciem Actor ederet, certis ad id deſtinatis formulis, quas rigide & ſuperſtitioſe Romanis uſurpatas fuiſſe, paulo ante memoravimus. Duo itaque hic merito in quæſtionem vocantur, primo ſitne expediens reipubl. ut ſtatim initio Actor actionis ſpeciem, quam intendit, Reo edat; & ſi eſt, an fieri debeat ſtatutis formulis. Etſi autem formularum uſus dudum apud nos eſſe deſiit [obſervabantur autem olim majoribus noſtris in Germania, cujus veſtigium aliquod adhuc ſupereſt in judiciis agreſtibus] tamen quia Romani rerum uſu & adminiſtrandæ reipubl. ſingulari peritia præ cæteris claruere, non nullius fortaſſis fuerit operæ pretium in rationes eorum inquirere.

CXL. Videntur autem fuiſſe perſuaſi, quaſi omnia poſſent magis perſpicue & clare proferri, quando perpetuæ adhiberentur formulæ, neque adeo facile verendam eſſe de verborum ſenſu diſceptationem, ſi quidem ille intra certas dictiones, quorum ſignificatio ſolis patebat JCtis & Pontificibus, eſſet coarctatus.

CXLI. Equidem non inficiamur poſſe de ſenſu oriri dubitationem, idque ideo, quoniam alii non pollent facultate perſpicue omnia ediſſerendi, alii ſæpe in verborum amphibologia cauſæ ſuæ quærunt patrocinium; utrumque autem tanti eſſe, ut judicia ideo non niſi uſitatis adſtringi debeant formulis, illud vero eſt quod negamus.

CXLII. Etenim ſic ſatis enucleate atque perſpicue exprimi ſenſa animi poſſunt, etiamſi hoc non fiat certo eodemque ſemper verborum apparatu; deficiente vero alicui facultate iſta, Advocati conſtituti ſunt, qui cauſam pro clientibus dicant.

CLXIII. Quod ſi igitur concipi res verbis poteſt, ita ut lis de ſenſu oriatur nulla, non omnino æquum fuiſſe videtur, quod propter paucorum ruditatem litigantes in univerſum certis alligati fuerint dictionibus; adhuc vero iniquius, quod, qui iisdem non uteretur, caderet in judicio.

CXLIV. Fortaſſis itaque non hac de cauſa, ſed potius propter pecuniæ aucupium inventas eſſe haſce formulas, rectius dixeris Etenim non quocunque die agere Romanis in foro fas erat, ſed ſtatutis tantum, qui ideo faſtidicebantur; nefaſtis autem non licebat; at vero quinam faſti aut nefaſti eſſent, ſolum norat pontificiale collegium, quod cum iſto nomine apud vulgus ſeſe venditaret, factum eſt, ut plebs conſultum adiret Pontifices in qualibet actione, *ne quid divini juris negligendo, patrios ritus, peregrinosque addiſcendo, turbaretur*, quemadmodum id notavit *Livius l. 1.*

CXLV. Primus Papianus Appii Claudii initio ſervus, poſtea libertus, arcanum hoc ſparſit in vulgus, quo ipſo magnum ſibi conflavit populi favorem. Procedente ergo tempore ſublatus partim, partim etiam improbatus fuit formularum uſus. Quin itaque abſque ſolennibus formulis indicari actio poſſit, dubium amplius non eſt; ſitne vero neceſſarium, ut diſerte ſemper actionis ſpecies edatur jam ſupereſt examinandum.

CXLVI. Romanorum mores ſi iterum inſpiciamus, apparet ſtricte requiſitum fuiſſe, ut diſerte ederetur actionis ſpecies, & ut videtur tempore etiam Juſtiniani, quo pertinent multa ſparſim in Inſtit. & Dig. præprimis vero Tit. Cod. de non edendo.

CXLVII. Illud certe in dubitationem adducere neminem poteſt, quod apprime ntile ſit, ut actionis ſpecies èdatur, quoniam ſic & Reus facile intelligere & judex haut difficulter judicare poteſt, ſintne conſentanea, quæ ab Actore afferuntur, actionis ſpeciei, nec ne. An vero neceſſario ſemper debeat edi diſerte, vel anne liceat cum circumlocutione quadam, hoc eſt, quod potiſſimum quærimus.

CXLVIII.

CXLVIII. Dicimus autem utile omnino eſſe, ut fiat diſerte, quo minus vero etiam cum circumlocutione interdum fieri poſſit, neceſſitatem nullam urgere. In univerſum enim, quo quid magis perſpicue proponitur, eo melius intelligitur, eo rectius poſtmodum inſtitui poteſt dijudicatio. Illud autem facilius cadit in intelligentiam, quod preſſe & diſerte, quam quod per prolixas verborum circuitiones proponitur. At ideo neceſſarium non ſimpliciter eſt, quia eſt utile. Poteſt enim nihilominus Judex, dummodo prudens & rerum gnarus ſit, actionis ſpeciem intelligere, ut ut Actor orationis ubertatem fuerit conſectatus.

CXLIX. Porro quicunque accuſat, accuſat de facto: De jure enim diſceptari ab ipſis litigantibus nefas eſt. Enarrare itaque debet id quod alteri infert; hinc, quomodo proponi rite factum queat in judicio, ordine perſequemur.

CL. Gentes antiquiſſimas omnes ſimplici & vulgari modo in enarratione facti proceſſiſſe, hiſtoriæ illarum produnt. Quid Romæ tritum fuerit, ex orationibus Ciceronianis vulgo notum eſt. Similiter ſe res habuit apud Græcos, id quod itidem orationes Advocatorum quorundam, Demoſthenis, Æſchinis, aliorumque comprobant. Judæos etiam cum actionem ſervatori noſtro intentarent vulgari narrandi ratione uſos fuiſſe, inter ſanctos ſcriptores convenit. Et ſervatur hodieque ratio iſta apud quamplurimas gentes.

CLI. Diſcedi autem paulatim ab ea cœpit, idque jure Canonico in curia Romana: introductus itaque modus eſt longe a priori diverſus, rem ſcilicet proponendi per articulos, qui modus usque adeo æquus fuit viſus & bonus, ut receptus poſtmodum fuerit a plerisque judiciis in Græcia, Italia, Gallia, & ubicunque locorum juris Pontificii floruit exiſtimatio. Propagatus deinde tum ad nos, tum ad alios; ſtrictiſſime autem obſervatus in Camera Spirenſi, quam deinde omnia ferme imitata ſunt judicia, quæ quidem alicujus prudentiæ laude volebant eſſe conſpicua.

CLII. Eſt autem libellus nihil aliud, quam ſcriptura, quid, a quo, ex qua cauſa petatur h.e. petitionem Actoris ſeu ejus cauſam & jus continens. Antiquiſſimis veterum Oratoribus libelli nomine non tam nuda accuſatio, quam actionis editio, probationibus munita veniebat, unde illud *Horatii, Sat. 4. l. 1.*

Sulcius acer,
Ambulat, & Caprius, rauci male, cumque libellis,
Magnus uterque timor latronibus.

Cum libellis enim ambulare, eſt, inſtructum eſſe advocatoriis libellis.

CLIII. Poſſet autem pro libellis articulatis retinendis potiſſimum hoc pugnare, quod iſta ratione diſtinctius longe & commodius ſingula enarrentur, quam ſi ſimplici modo procedatur; illum autem narrandi modum dubio procul eſſe optimum, quo & Judex diſtincte rem intelligere, & reus facile reſpondere queat. Verum enim vero, ſi quis plurima hinc emergentia incommoda & quam æque accurate res poſſit proponi etiam absque articulis, paulo attentius conſideraverit, facile allati argumenti infirmitatem advertet. Quod enim in oratione perpetuo quaſi filo debebat cohærere, per articulos disrumpitur, ex quo obſcuritas & prolixitas gignuntur. Nervoſius contra & ſtrictius in vulgari ratione exprimuntur ſingula.

CLIV. Teſtata certe experientia ſatis ſuperque eſt, quantopere articulata oratio faveat litibus prorogandis; dum enim Reus ad quemlibet articulum reſpondere tenetur, cauſa ipſi præbetur reſponſiones ſuas prolatandi, multis modis effugiendi, varia etiam regerendi, quæ nihil minus faciunt quam ad rem, adeo ut in immenſum excreſcat, quod exiguo paucarum pagellarum ſpatio poterat abſolvi.

CLV. Quod cum prudentiſſime obſervatum eſſet in proximis comitiis A. 53. & 54. factum inde eſt, ut, qui in conſuetudinem venerat hactenus per articulos incedendi modus unanimi ſuffragio fuerit reciſſus, cujus inſtituti præter jam allatas rationes plures vide ſis in laudato ſupra tractatu *von articulirten Klag-Libellen* A. 57. hic typis excuſo. Quæ vero in contrarium adduxit I. *Valentinus VVintherus JCtus* in egregio opere ſuo, quod primum diſſimulato nomine *Parthenium litigioſum* inſcripſit, egregie refutata vide apud *Ampliſſ. Carpzovium.*

CLVI. Sed notandum imprimis eſt in receſſ. imperii non abrogatos ſimpliciter & rejectos eſſe articulatos libellos, ſed in probationibus adhuc eſſe conceſſos, in facti autem enarratione eorum loco introductos alios, quos punctuatos dicere liceat, ſiquidem in illis per puncta res exponitur; quæ quidem ratio etſi alia eſt a priori, quam proxime tamen ad eam accedit, ut adeo metuendum ſit, ne ſenſim iterum articulati libelli inoleſcant, ſaltim ut fructus ſequatur, qui per abolitionem libellorum articulatorum intendebatur. Dum enim permittitur punctuatim agi, revera datur occaſio idem præſtandi, quod per modum articulorum.

CLVII. Melius itaque conſuluiſſe videntur reipublicæ, qui funditus ſublato libellorum articulatorum uſu, ſummarias accuſationes inſtituere, id quod factum eſt in judiciis Wolffenbutt. & Celienſi, & foris etiam Saxonicis. Et ſi recte inſtituti hujus cauſæ putentur, nulla apparet ratio, quæ exigat, ut ſaltem in probanda lite retineantur: poſſunt enim eadem incommoda, quæ ab articulatis narrationibus ſolent metui incidere in probationes articulatas. Satius itaque eſſe articulatam etiam probationem repudiare, hoc perſuaſi ſumus argumento: Quodcunque facile poteſt iisdem incommodis, quibus involvitur articulata narratio, contaminare judicia, ab eo in judiciis eſt abſtinendum; Atqui probationales articuli facile poſſunt contaminare judicia iisdem incommodis, quibus &c. E.

CLVIII. Sicuti igitur impoſita lege per articulos omnia proponendi merito excipiebatur contra

contra eum, qui ſecus faceret: ita viciſſim legitima hodie eſt exceptio inepti libelli, ſi formatus ſit per articulos. Inepta enim talia ſunt, vel non ſunt, prout viſum eſt legum latoribus.

CLIX. In comitiis ſuperioribus emendatum utiliter & hoc eſt, primo, ne a libello ſeparetur citatio, ſed ut una cum libello accuſatorio citetur Reus, adeoque libello quaſi annectatur citatio, vel ſupplicatio pro citatione; deinde, ut Actor non tantum citari reum, ſed facta narratione eundem etiam condemnari petat.

CLX. Atque hoc maxime naturale, ſimpliciſſimæque procedendi rationi conſentaneum eſt, conjungere illa, quæ abſque diſpendio temporis non poſſunt ſejungi, id eſt, non per plura facere, quæ poſſunt expediri per pauca. Contra, ut ſingula ſeparatim exhiberentur nulla id neceſſitate ſuadente, & rectæ rationi, ſaniorumque populorum inſtitutis repugnat, & non niſi ad lites protelandas eſt excogitatum,

CLXI. Sed nec ſufficere etiam arbitramur, narraſſe factum & nude aliquid aſſeruiſſe, verum neceſſum eſt, ut probetur, fit enim non niſi raro, ut fatentem habeamus reum. De probationibus igitur, quid & quotuplices illæ ſint, & cui incumbant, quoniam infra accurate tractabimus, facta earum heic tantum ὡς ἐν τύπῳ deſcriptione, ſintne ipſi ſimul libello adjiciendæ, inquiremus, cum & circa hoc variare judicia deprehendamus.

CLXII. Citra probationem autem actionem nullam inſtitui poſſe, illud vero tanquam conceſſum ab omnibus præſupponimus. Eſt ergo probatio nihil aliud, quam rei dubiæ in judicio facta demonſtratio; & licet probationum ſpecies varias vulgo DD. faciant, omnium tamen fere conſenſum omniumque calculum vetus illa, ab Ariſtotele in Rhetoricis & Cicerone in Topicis tradita, probationum diviſio meruit, quod nimirum aliæ ſint ἔντεχνοι h. e. artificiales, aliæ ἄτεχνοι, h. e, inartificiales.

CLXIII. Artificialis eſt, quæ per probantis ſolertiam ex ipſa cauſa, argumentis & præſumptionum fontibus trahitur. Inartificialis, quæ ad fidem faciendam extrinſecus aſſumitur & fit vel per confeſſionem, vel inſtrumenta, vel juramentum vel etiam aliter. Expeditne igitur, ut probationes adjiciantur ſtatim ipſi libello? Ex veterum moribus, Ciceroniſque ac Demoſthenis orationibus forenſibus inſpectis videre eſt, omnia uno eodemque momento fuiſſe deprompta. Sed hic repetendum & diſtinguendum probe eſt inter cauſas quæ ore, & quæ ſcripto peraguntur. Etenim ſi orandæ fuerint cauſæ, non adeo commode uno eodemque tempore fieri poteſt & ſupplicatio pro decernanda citatione, & narratio cauſæ & probatio, quoniam fruſtra & narraveris & confirmaveris multa, ſi abſit reus. Si vero adſit, quemadmodum romanis legibus adeſſe cogebatur, nihil impedit, quo minus una opera hæc peragantur. Ubicunque autem ſcripto inſtituitur Actio, ibi ſimpliciter libellus proponi, ſupplicatio pro decernenda citatione & petitio pro condemnatione cum ipſis probationibus adjici poſſunt.

CLXIV. Quoniam vero probationes aliæ artificiales ſunt, aliæ inartificiales, illarum diviſio & hic aliquam gignit differentiam. Si enim artificiales ſint, commodius poſſunt cum libello connecti, quando quidem præſumitur de quolibet Actore bono, eum ſibi de rationibus probandi proſpexiſſe.

CLXV. At de inartificialibus probationibus res aliter ſe habet. Has enim non omnes plene ſimul poſſe in medium afferri, ipſa earum ratio evincit. Leges equidem, quas primo loco inter eas recenſet Ariſtoteles l. 1. Rhet. c. 15. roborandæ probationi idoneas producere, non eſt quicquam, quod vetet, tum quando ſcripto abſolvitur controverſia, tum etiam, quando ore agitur, quoniam & ſic vel ab ipſo oratore leges recitari, vel, quod Romanorum pariter atque Græcorum oratoribus uſu veniebat, ab alio, publica autoritate ad id conſtituto, ex appoſito codice prælegi poſſunt.

CLXVI. Per teſtes autem ſi quid probari debeat, laudari quidem illi in prima accuſatione, adduci vero ſtatim non poſſunt. Exemplum nobis præbuit Cicero, cum Siculorum Advocatus contra Verrem, qui repetundarum accuſabatur, ageret; provocabat tum ad teſtes, ſed præterquam illos edere in actione prima nihil poterat. Par ratio eſt juramenti, torturæ, probationumque vulgarium, ad quæ omnia provocari ſtatim initio poteſt; & vero etiam debet; ad eadem autem ſimul devenire judex difficulter poteſt.

CLXVII. De ſolis Syngraphis, Ariſtoteli συνθῆκαι, interpreti autem ejus male *pacta conventa* dictis, in Cam. Spirens. Per Receſſ. Imper. ſtatutum eſt, ut eas ſtatim in principio actionis producere liceat. Nos non tantum id permitti, ſed ſimpliciter exigi debere, communi hoc probamus argumento, cui, quæ de compendio actionum & probationum faciendo hactenus diſſeruimus, innituntur omnia: Quodcunque commode poteſt fieri, id, ſi nihil aliud obſtet, debet fieri; Atqui commode fieri poteſt, ut Syngraphæ &c. E. Cum autem Syngraphæ aliæ ſint authenticæ, aliæ, uti barbare vocantur, vidimatæ; illæ potius afferendæ ſunt in judicium, ſi nihil ſubſit periculi, ſin, & hæ ſufficiunt. Perinde autem hic eſt ore, an ſcripto procedatur.

CLXVIII. Expoſito ſic partium circa libelli oblationem officio, ad judicem progredimur, quid illi incumbat conſueto noſtro more, primo, quid fiat, ſecundo, quid fieri debeat ſpectantes, inquiſituri. Hodie autem ſupplicatur prius, & quicquid offertur in libello, communicatur Reo, raro citatio ad ſupplicationem decernitur. Libello ab Actore oblato petitur citatio probationes initio ſtatim non adjiciuntur. Interdum etiam Actor producit authenticum originale, cujus copia communicatur Reo, ut reſpondeat præſtituto ad id quandoque termino.

CLXIX. Sed cum in Rei arbitrio fere ſit, velit reſpondere, nec ne, Actor tacentem de contumacia defert apud judicem, accuſatio iſta iterum impartitur Reo, & ſimul terminus nonnun-

quam præjudicialis præfigitur, intra quem reſpondere debeat. Reus vel petit dilationem vel reſpondet aliquid, ſed quod parum ad rem faciat, & ſic elidit contumaciæ crimen. Hic fere modus procedendi hodie eſt in noſtro foro.

CLXX. Longe aliter hæc ſeſe habebant apud Veteres, ubi abſque gravi pœna nemo vel citationem eludere, aut ſubterfugere judicium, poterat. Eſtque iſta ratio ad lites cito componendas multo accommodatior. Hinc igitur ſimulatque Actor rem propoſuit, reus citari, actoris libellus cum ipſis probationibus ipſi communicari, ſevereque, ut intra certum tempus reſpondeat, eidem injungi debet. Quod tempus ne nimis breve definiatur, æquitas efflagitat. Fieri enim poteſt, ut reus vel domo abſit, vel a judicio longe remotus, vel documentis contra actorem non ſtatim inſtructus. Indulgendum autem non minus eſt tempus Reo ad reſpondendum, atque Actori fuit ad ſe præparandum, quoniam utrique jus ſuum tribuere, ſcopus eſt judiciorum.

CLXXI. Poſſunt ergo certi quidem lege præfigi termini, longiuſculi tamen, ne de anguſtia temporis jure conqueratur Reus. Unde alibi in Germania terminus ille eſt 40. dierum; alibi 4. in jure autem ſaxonico 6. hebdomadum. Conſultum autem inprimis eſt, ut lege præfiniatur terminus, nec judici eum vel prorogandi vel abbreviandi facultas concedatur. Optime hic Ariſtot. 1. Rhet. c. 1. *Μάλιϛα προσήκει τὲς ὀρθῶς κειμένες νόμες, ὅσα ἐνδέχεται πάντα διορίζειν αὐτές, καὶ ὅτι ἐλάχιϛα καταλείπειν ἐπὶ τοῖς κρίνεσι*, h. e. *Maxime oportet recta poſitas leges omnia, quæ poſſunt definire ac decidere ipſas; ita ut quam pauciſſima in arbitrio eorum, qui judicant, relinquantur.*

CLXXII. Et quoniam leges pronunciant de iis, quæ contingunt ut plurimum, utile fortaſſe foret, ut termini omnes ſint præjudiciales, quod etiam Ratisbonæ ante aliquot annos conſtitutum, & in cellenſi judicio obſervatum eſt hactenus. Rarius enim fit, ut Reus vel morbo vel itinere adeo ſit impeditus, ut ſi non ipſe, ſaltim non per alium rem agere in foro poſſit. Si tamen ita quandoque ipſi eveniat excuſationem meretur & dilationem, quæ ipſi legi tacite ineſt.

CLXXIII. Cæterum, quando in actibus hiſce præparatoriis, quos enarravimus hactenus, nihil reperit Reus, quod vel ad litem ſuſpendendam vel dirimendam inſervire ſibi poſſit, adeoque citatus comparuerit, proximum eſt, ut litem conteſtetur, id quod litis fundamentum eſt, quemadmodum citatio proceſſus Definiunt litis conteſtationem, quod ſit Actus judicialis fundamentalis, quo per narrationem negotii principalis & petitionem in jure propoſitam, perque contradictionem objectam & reſponſionem ſecutam, judex cauſam audire cœpit.

CLXXIV. Ubi notandum eſt, primo omnem actionem verſari debere circa factum aliquod, quod deinde exigitur ad jus ſive ſcriptum, ſive non ſcriptum. Secundo, quandoquidem inter Actorem & Reum eſt controverſia, debere etiam inter eos eſſe propoſitionum oppoſitionem, oppoſitionem inquam, non qua utraque pars vel verum dicit, vel falſum, quales ſunt contrariæ & ſubcontrariæ oppoſitiones, ſed qua una vera, altera neceſſario eſt falſa, qualis ſola eſt oppoſitio contradictoria.

CLXXV. Ex ignorantia legum in oppoſitione obſervandarum graviſſime interdum peccatur, quando permittitur tam Actori, quam Reo ſententiam ſuam ejusque probationem exponere, etiamſi ſibi non contradicant, cum tamen reipublicæ ſalus exigat, ne inutiliter & Andabatarum more pugnando tempus teratur, judicis autem officium ſit, litigantes adjuvare, ſi quando videat, eosdem facultate rite opponendi non valere.

CLXXVI. Romani, ſicuti omnia a formulis auſpicabantur, ita etiam in litis conteſtatione ſuæ ipſis erant peculiares formulæ, quas quoniam rejecimus ſuperius, inpræſentiarum quicquam de iis repetere nihil attinet.

CLXXVII. Habemus jam Actorem & Reum. Actoris eſt incipere, quia ordine juris eſt prior. Quæſtio autem omnis eſt vel de facto, vel de jure. Has aliquoties reſpuimus, addita ratione, quod omnia legibus debeant eſſe definita. & quæ definita non ſunt, ſummæ majeſtatis arbitrio committi, idq; etiam in Hebræor. rep. fuiſſe obſervatum diximus. Circa facti quæſtionem igitur tenendum eſt.

CLXXVIII Primo, uſu aliquando veniſſe Romanis, ut per quæſtiones, ſive interrogationes inſtituta fuerit actio, ita ut Actor interrogaverit Reum, utrum hoc vel illud concederet, Reus ad id reſponderit. Hiſce interrogationibus reſpondent ex parte libelli articulati, ob nimium abuſum nunc aboleri cœpti.

CLXXIX. Poſſent autem non parum utilitatis & compendii conferre interrogationes ipſis litibus, ſi quidem recte formentur. Eſt enim revera multum prudentiæ ſitum in eo, ut prudenter interroges, ita, ne reus poſſit dolo uti in reſpondendo, ſed invitus fateri cogatur, quod cæteroquin per fraudem diſſimulaſſet. Solus & primus, quod quidem novimus, Ariſtoteles artis hujus fundamenta jecit in Topicis libris, potiſſimum octavo, quoniam omnes Græcorum diſputationes interrogando & reſpondendo conficiebantur.

CLXXX. Quid ſi vero neque partes, neque earum cauſidici, ejusmodi interrogandi prudentia ſint inſtructi? Poſſet dici, quod tum judici ſint deferendæ illæ partes, niſi illius eſſet judicare ſecundum acta & probata: & vero etiam exinde aliorum ſibi ſuſpicionem conſciſceret, ac ſi ad alterutram deflexiſſet partem.

CLXXXI. Sed hoc non obſtante, judex ex officio tenetur promovere juſtitiam, quocunque poteſt modo, & conſcientiam ſuam probare Deo, ſummæque majeſtati, cæterorum autem malevolorum voculas non facere unius aſſis. Quanquam ſi in qualibet rep. Advocati prudentia iſta conſpicui eſſent conſtituti, poſſet judex eo onere ſublevari; verum in defectu horum, judicis eſt eorum vices ſupplere. Quæ ſi ita obſerventur, maximeque naturalis ille procedendi ordo poſtliminio introduceretur, multum fortaſſe temporis lucrarentur judices, ſæpe etiam, quem per prolixos circuitus quærunt, initio ſtatim fatentem haberent Reum.

CLXXXII.

CLXXXII. Quando autem Reus fatens haberi nequit, tum vero opus eſt probationibus. Recolendum hic eſt iterum, enunciationum ſive propoſitionum qualitatem eſſe vel affirmativam, vel negativam. Affirmativa, propoſitioni quando ineſt, Actor tenetur eam probare, quoniam absque ratione pervium homini nihil eſſe poteſt.

CLXXXIII. De negativis acriter diſceptatur, debeantne illæ probari ab Actore; & quoniam ex propoſitione negante actio oritur negans, an obſtrictus ſit Actor in iſtis probandi onus ſuſcipere. Equidem patrocinatur illis *l. 23. Cod. de prob. Actor, quod adſeverat, probare ſe non poſſe profitendo, Reum neceſſitate monſtrandi contrarium non adſtringit, cum per rerum naturam factum negantis probatio nulla ſit.*

CLXXXIV. Reſpondemus autem, primum diſtinguendo inter id, quod quis poteſt agere, & inter id, quod quis tenetur; multa poſſumus, ad quæ tamen non ſtatim obligamur; deinde, in civili vita ad multa non obſtringimur, ad quæ tamen tenemur alias; præterea, ut rei alicujus veritatem habeas, quædam requiruntur natura, ut tamen omnium ſcientiam habeas, nullo jure cogeris; ſic ſi certus eſſe velis de veritate propoſitionis cujuscunque, neceſſe eſt id fiat per demonſtrationem, at vero, ut omnium ſcientiam judex habeat, neceſſarium minime eſt, ſed ſufficit ipſi, tantum noviſſe, quantum ad abſolutionem opus eſt. Ad condemnandum autem plena requiritur & exacta ſcientia: nocentem enim abſolvere non eſt ſimpliciter injuſtum; innocentem autem damnare, juſtitiæ adverſa fronte repugnat.

CLXXXV. His præmiſſis dicimus, verba legis allatæ duplicem pati ſenſum, poſſeque intelligi vel de Actore & Reo ſimul, vel de Reo tantum, ſed de neutro vere. Etſi enim Reus probare non tenetur negativam, tamen poteſt; at vero Reum negativam non poſſe probare per naturam, tam falſum eſt, quam quod falſiſſimum.

CLXXXVI. Ecquis enim ignorat, dari etiam demonſtrationes negativas? poteſt ergo utique illas Reus probare. Nec natura obſtat, ut non tenearis eas probare, cæteroquin nemo etiam teneretur probare ſuam affirmantem, quoniam omnis propoſitio affirmans in negantem, & omnis negans in affirmantem per æquipollentes particulas poteſt converti.

CLXXXVII. Huic objectioni ut occurrerent nonnulli, verba legis aliter interpretati ſunt: vera ea eſſe pronunciantes, ſi mera ſit & ſimplex negativa, non, ſi facti determinati loco, tempore, aut circumſtantia ſimili. Verum hæc exceptio nulla eſt. Nam exempli gratia: Hic ager non eſt Titii, Milo non paſſus eſt vivere Clodium, ſunt pure negantes, ab Actore tamen nihilo ſecius probari poſſunt, & debent.

CLXXXVIII. Alia itaque ratio eſt, quare reus non probet: non ſcilicet, quod non poſſit; ſed quod jure civili non teneatur; habetur enim tamdiu quis bonus, donec probetur contrarium. Et ſane, niſi hoc ita eſſet, ſed reo ſine diſcrimine imponerentur probandi vices, actum eſſet de omni civili concordia, neque vel ad momentum cuiquam de tranquillitate ſua liceret eſſe ſecuro. Per naturam itaque probare quidem poteſt reus, ne quis autem teneatur, vetat natura ſocietatis. Quod ſi inſtes, quamplurimos eſſe malos, eos tamen probando non poſſe convinci, facilis eſt reſponſio: non usque adeo perfecte ſciri omnia in republica poſſe, nocentesque ſæpe eſſe abſolvendos. Nihil itaque iſta conferunt ad id, ut actor non teneatur demonſtrare negativam.

CLXXXIX. Et vero, quod in diſputando eſt opponens, in judicio eſt actor, & reus, quod reſpondens: neque theſis in foro controverſa tam ponitur ab actore, quam a reo, ex cujus contradictoria hæc reſultat. Jam quemadmodum a Reſpondente non exigitur, ut theſin ſuam probet, ſed ſufficit eam ab objectionibus vindicaſſe, ita & Reus ſatisfeciſſe dicendus eſt, cum ab actoris criminationibus immunem ſe præſtiterit. Quanquam ſi probandi inſuper onus ſubire non detrectat, & hoc ipſi licet, & fidem inde cauſæ ſuæ conciliat majorem.

CXC. Sed fieri poteſt, ut & Actor & Reus eorumque uterque patronus, male cauſæ ſuæ proſpiciant, non quidem ex rationum & probationum defectu, ſed quod artem argumentandi, rationesque ſuccincte & nervoſe proponendi non calleant; utique enim artis opus eſt, ita formare argumenta, ut ſtringant. Non autem videtur juſtitiæ congruum ideo cauſa cadere, quod in probandi modo deficias.

CXCI. Hic quæſtio ſeſe offert: utrum judicandum ſit ſecundum conſcientiam, an ſecundum acta & probata? & confirmatur poſterius, quia judex, in quantum judex, nihil de re novit, niſi ex actis & probatis, ideoque non niſi ſecundum ſcientiam judicare poteſt. Diſtinguit tamen hic P. *Laymannus in theol. maral. lib. 3. t. 6. c. 2. n.* 8. inter cauſas civiles & criminales. In illis, ubi ex. gr. de pecuniaria mulcta agitur, concedit, judicem judicare debere ſecundum publica allegata & probata, licet innocentem eſſe Reum privatim ſciat; ut autem ſecundum eadem morti quenquam adjudicet, cujus ipſe innocentiam habet cognitam, illud vero per ſe & intrinſece malum eſſe pronunciat, nulloque jure conceſſum, nec magis ac fornicari.

CXCII. Verum enim vero, quoniam Deo non minus exoſum eſt furti quam cædis crimen, ea propter diſtinctionem illam veluti ludicram & jejunam rejicimus. Argumento autem pro ſententia iſta allato reſpondetur concedendo illud de judice in quantum tali; in quantum autem eſt vir bonus, conſcientiæ ſuæ ipſi habendam eſſe rationem. Jam quandocunque judici poteſtas judicandi confertur, eidem quoque in mentem revocatur officium boni viri, qualem ſe præſtiturum jurejurando aſſeruit.

CXCIII. Relinquitur ergo, ut judex litigantes inſtruat & adjuvet, quocunque modo viderit in probandi peritia eos deficere; ſententiam autem ferat ſecundum conſcientiæ ſuæ dictamen. Ut ne vero inde male audiat, utile foret, ne ſolus judicandi officio fungatur: ſed pars

tantum ſit, vel aſſeſſor judicii, & ita abeat, reliquisque committat judicium. Sin vero ab eo ſolo res omnis dependeat, deleget officium alteri; Quodſi nec boc poteſt, tum vero judicet memor illius Ambroſii: *Bene ſibi conſcius, falſis non debet moveri convitiis, nec æſtimare plus ponderis in alieno eſſe convitio, quam in ſuo teſtimonio.*

CXCIV. Accingimur jam ad ipſarum probationum enumerationem, vim & differentiam. Eſt autem probatio forenſis, rei dubiæ per argumenta oſtenſio, facta in judicio. Obiter canonicorum quorundam DD. errorem notamus, per vocem *argumenta* nimis coarctari definitionem exiſtimantium, cum in foro multa probentur per teſtes, per propriam confeſſionem, inſtrumenta &c. quæ argumentorum nomine non veniant. Sed nodum in ſcirpo quærunt.

CXCV. Etenim quæcunque novimus, vel per ratiocinationem novimus, vel per experientiam, per experientiam autem non propriam ſemper, ſed ſæpe alienam, quæ eſt teſtium loco. Quando igitur ratiocinatio probabiliter nititur teſtimonio clariſſ. virorum, non magis hoc argumentum eſt, atque id, quod in foro ex teſtium probatorum autoritate firmiter deducitur. Similiter argumentum, a propria confeſſione deſumptum, locum habet, tam in dialecticis, quam in judicio. Opponens enim, quando legitime quid probat ex verbis vel theſibus reſpondentis, idem facit, quod Actor in foro per tabulas. Facile ergo liquet, & hæc talia in argumentorum cenſum venire. Quod itaque proxime conſequens eſt, & in tota hac probationum theoria unice neceſſarium, quantam argumenta forenſia in animo judicis gignere poſſint certitudinem, nunc diſcutiemus

CXCVI. Omnis probatio intellectum de propoſito objecto, vel reddit certum & ἀμεζάπλωτον, vel aliquam relinquit in eo oppoſiti formidinem. Hinc ſcientia ſive certa cognitio, quæ intellectum ad hoc vel illud, ſive affirmandum, ſive negandum, quaſi naceſſitat; & opinio ſive cognitio probabilis, quæ tantum ad alterutram partem inclinat.

CXCVII. In judice non incertam aut opinabilem requiri cognitionem, ſed exactam, confirmamus demonſtratione ad abſurdum ducente tali: Omnis cognitio, quæ non eſt certa & ſcientifica, eſt probabilis. Omnis cognitio probabilis fluctuat inter verum & falſum, quorum quidem alterum per naturam ſemper in ſe continet. quoad nos vero utrumque continere poteſt. Judex igitur, quamdiu probabiliter tantum eſt perſuaſus, non magis novit, rem eſſe veram, quam ſcit, illam non eſſe falſam. Quid autem periculoſius aut a boni judicis officio alienius eſſe poteſt, quam judicare de eo, quod æque falſum eſſe poteſt, atque apparet verum? vel itaque ſuſpendendum ibi judicium eſt, vel pœna ſaltim mitiganda: quoniam ut ſcientiæ, ita & probabilitatis dantur gradus.

CXCVIII. Sed hic ingens ruit adverſus nos velut agmine facto dubitationum cumulus. Videamus aliquas. Objiciunt nonnulli, cognitioni certæ in foro locum non eſſe, ideo, quia nec demonſtrationi: demonſtrationem enim eſſe univerſalium; quæſtiones autem forenſes rerum ſingularium, quarum ut non demonſtrationes ſcientiam haberi.

CXCIX. Alii dicunt, partitionem argumentorum in artificialia & inartificialia, ut & ipſa argumenta, quibus advocati utuntur, ex Rhetorica deſumi: illa vero mere eſſe probabilia. His ſatisfaciamus, & poſterioribus quidem prius, Reſpubl. concedendo argumenta ab Ariſtotele in Rhetoricis ſuis enumerata, non eſſe talia, quæ demonſtrationem omnia gignere apta ſint, & uti quidem illis cauſarum patronos, ſed non ſolis.

CC. Etſi igitur argumenta iſta ad ſententiam ferendam non ſufficiunt; conferunt tamen adid, ut faciant opinionem. Recte hinc vulgo diſtinguunt probationem ratione certitudinis in plenam & ſemiplenam. Hanc quando indeptus eſt judex, non acquieſcit, ſed ſupplementum quærit, quod ſemiplenæ probationi additum facit plenam. Tale ſupplementum ex. gr. eſt jusjurandum.

CCI. Eſt vero & illud huc revocandum, quod ipſa cognoſcendi certitudo quodammodo duplex ſit, talis nimirum, quæ ſit vel certiſſima, & nunquam fallat, vel quæ raro, vera autem ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ. Hæc ſicuti in legibus etiam accuratiſſime latis: ita & in foro potiſſimum ſpectatur, eaque ſi inſtructus ſit judex, habet, quod ad ſententiam ſalva conſcientia ferendam ſibi ſufficiat.

CCII. Illuſtre nobis documentum in veteri fœdere dedit ſapientiſſimus rerumpublicarum legumque conditor Deus, quando etiam de cæde cognoſci voluit ex duorum aut trium teſtium effato, non quod hi nullo modo fruſtra judicem habere poſſint, ſed quod rariſſime duo aut tres honeſti viri in tam graviſſimo & execrando mendacio conſpirent.

CCIII. Prius illud quod jam concernit dubium, eſſet quidem heic nobis amplus ſatis & reſpondendi, & de rerum practicarum ſingulariumque demonſtrationibus differendi campus; verum cum circa argumentum hoc fuſe occupatus fuerit celeberrimus Dn. Præſes, ὁ πάνυ Præceptor meus nunquam ſine honoris præfatione nominandus, in ſuo de civili prudentia opere, plura additurus inſuper deſideratiſſimis de demonſtratione libris, malo lectorem avidum, & qui in nobiliſſima adeo materia, in qua ſola certum eſſe oſtenditur, quicquid eſt in humanis certum, operæ facere pretium ſatagit, eo remittere, quam deſcribendo quædam jucundiſſimæ hujus contemplationis ſalivam ei movere.

CCIV. Illud tantum hic addo, multas ſemiplenas probationes non æquivalere uni plenæ, ſecus atque alii ſentiunt: quoniam, utut multæ fuerint, non habent vim excludendi formidinem falſi. Ad abſolvendum itaque Reum poſſunt ſufficere, non vero ad condemnandum. Quod ſi contra Actoris ſemiplenam Reus viciſſim ſemiplenæ fidei probationem afferat, dicendum eſt pro Reo. Nunc de cujuslibet probationis certitudine ſigillatim agemus.

CCV. Primò loco ſeſe offerunt teſtes, quorum fides eo accuratius examinanda, quo ſæpius adhibetur. Loquimur autem de teſtimonio, quod ſola nititur auctoritate humana, nec alia, quam ſenſitiva. Eſt enim teſtium, ut ipſius humanæ cognitionis, differentia, poteſtque teſtimonium perhiberi de rebus, 1. quæ ſenſu percipiuntur, 2. quæ intellectu, 3. quæ nec ſenſu, nec intellectu, ſed per revelationem, qualis revelandi modus apud gentiles fuerunt oracula.

CCVI. Nobis in prima acceptione de teſtibus ſermo eſt, (rarius teſtimonium intellectuale in judiciis locum invenit) quorum fidem licet alii incertam, & non niſi opinabilem faciant, diverſa tamen nobis ab iis ſtat ſententia, dicimusque, teſtimonium habere vim apdicticæ certitudinis, ejus ſc. quæ ab effectu progreditur ad cauſam, interdum autem probabilis tantum. Confirmatur prius: Omnis res, quæ ſenſu percipitur, apta eſt movere ſenſum: ſic res viſiva, viſum, audibilis, auditum movet. Viſio autem illa, a re viſibili producta, eſt effectus rei adſpectabilis, ſicuti auditio rei audibilis. Quoniam autem teſtimonium nititur perceptione ſenſibili, nititur etiam fundamento demonſtrationis ὅτι.

CCVII. Argumentatione ad inconveniens, ſi idem concludere velimus, recolendum eſſet, quod modo diximus, judicem non poſſe pronunciare in judicio, niſi fuerit certus. Jam autem ipſe Deus T. O. M. judicium etiam in criminalibus exerceri voluit, duobus vel tribus teſtibus crimen atteſtantibus, iisque ne quidem juratis. Aut itaque probatio per teſtes demonſtrationis ſortitur vim, aut iniquum eſt, neci quenquam adjudicare ob concordem duorum aut trium aſſeverationem. Utrum conceſſeris, abſurdus eris.

CCVIII. Intelligenda hæc ſunt de teſtimoniis affirmativis, quorum etſi probandi vis ſola non eſt, certior tamen eſt & expeditior. Habet enim & vim probantem teſtimonium negativum in iis plerumque rebus, quæ ſenſu non poſſunt dignoſci, maxime ſi id præſtetur a probatæ fidei viro.

CCIX. De veritate autem teſtimonii certi reddimur, (loquor de certitudine morali,) ſi indubitato nobis conſtet, primo, poſſe ſcire teſtes id, cujus teſtimonium perhibent, ad quod requiritur neceſſario, ut ipſis rebus ſenſualibus interfuerint: neque enim non videre quiſpiam poteſt objectum, quod præſens eſt, omnibus ad videndum requiſitis recte ſeſe habentibus. Secundo, eos in dicendo mendacio non potuiſſe convenire, quod de duobus aut tribus certum eſt moraliter, de pluribus autem ſimpliciter.

CCX. Apud Saxones olim teſtium ea fuit autoritas, ut nonnullis, juramento aliquid aſſeverantibus, fides habita fuerit, ſi vel maxime ſenſuali notitia caruerint. Nobis tale quid non veri teſtimonii, ſed credulitatis nomine venit, quippe cum efficax non ſit gignere in animo judicis præterquam opinionem, utut vel centum ſeſe credere id affirment. Valet ergo ad abſolvendum quidem Reum, non vero ad condemnandum.

CCXI. De numero teſtium quæri poteſt, quantus ad ſententiam ferendam ſufficiat, unius enim teſtimonio ſtandum non eſſe, ni utraque pars conſentiat, leges recte jubent. Quicquid autem ſit, de variis variarum gentium moribus conſonum rationi videtur, ut tres aut duo ſufficiant, quoniam ipſe legiſlator T. O. M. eorum effato fidem habere juſſit, quanquam ſi plures afferri queant, ipſa fides cum numero creſcit.

CCXII. Integritas teſtium ſpectatur in ſcientia & voluntate, hoc eſt, nt & ſenſu perceperint, quod pronunciare jubentur, & voluntate præditi ſint, illud, prout viderunt, enarrandi. Nam ſi dubium ſit, utrum vel ſenſu talia acceperint, vel vero nolint, aut nolle credantur bona iſta fide referre, ſive propter animi vitium, ſive reſpectum aliquem, quem debent iis, contra quos teſtari rogantur, fides eorum ſtatim vacillat.

CCXIII. Romani, ut de integritate teſtium eo certiores eſſent, negarunt, fidem teſti eſſe adhibendam niſi jurato, quod juramentum hodie præſtari ſolet in præſentia partis adverſæ, noſtris id quidem moribus non incongrue, fruſtra tamen futurum, ſi qui falſum dixiſſe teſtimonium convicti fuerint, debitis pœnis coërcerentur.

CCXIV. In Judæorum republica falſo teſtificantes talionis pœna afficiebantur. Deuter. 19. Ita duo presbyteri adverſus Suſannam teſtes lapidibus obruebantur, quod erat ſupplicium adulterio ſtatutum. Apud Romanos LL. XII. Tab. de rupe Tarpeia dejiciebantur, referente *Gellio l. 20. c. 1.* quod tamen, ut idem teſtatur, ſtatim abiit in deſuetudinem, ſancitumque poſtea eſt, ut a judicibus *competenter* punirentur. *Paul. l. 5 ſentent.* Atticis autem legibus teſtis, qui falſum dixerat, falſi teſtimonii lege, qui vero produxerat, *κακοτεχνιῶν* tenebatur. De utroque conſuli poteſt. *Sam. Petitus in ſuo ad LL. Atticas comment. tit. 7. de teſtibus.*

CCXV. Neceſſarium itaque ſimpliciter non eſt, ut jurati ſint teſtes, ſi juſta ſemper falſo atteſtantibus ſtatueretur pœna, nec ſoli committerentur Dei judicio: improbi enim, quoniam norunt, quod lento ſæpe cœleſtes irrepant agmine pœnæ, præſentem magis pœnam, quam occultum Dei judicium reformidant.

CCXVI. Quod ſi quando eveniat, ut in una alterave circumſtantia teſtes diſſentiant, teſtimonium illico non redditur dubium aut falſum, ſed tum demum, quando in facti ſubſtantia. In circumſtantiis autem facile ſenſus falli poſſunt. Atque eadem de cauſa hiſtoriarum fides non poteſt, neque a prudentibus infirmari ſolet, ſi in ejusdem facti circumſtantiis enarrandis ſcriptores non conveniant, licet, in quantum non conveniunt, circumſtantiæ tuto non poſſit credi.

CCXVII. De fide torturæ, quam Ariſtoteles ſtatim teſtibns ſubjungit, deinceps acturi monemus prius, *torturæ* vocabulum apud Latinos notæ melioris ſcriptores non uſurpari, ſed loco ejus

Quæſtiones; Græci dicebant *βασάνους*, erant enim in uſu non minus his, quam Romanis, cum quorum legibus ad noſtram deinde tranſiere ætatem. Majoribus quoque noſtris an frequentatæ fuerint, non liquet. In Hebræorum republica earum, nec vola, nec veſtigium, apparet, ut nec in Anglia. Serius in Polonia, Suecia, & Dania ſunt receptæ. Quæritur hic de earum certitudine.

CCXVIII. Qui pro tortura ſtatuminanda pugnant, hoc potiſſimum urgent, quod per eam latentium rerum confeſſio exprimatur, absque qua forent judicia, multi malefici in republica eſſent tolerandi, quos tamen pœnæ ſeveritate flagitiis ſummovere par eſt. Deinde probationes interdum adeſſe dicunt, quæ fidem gignunt probabilem, ſecundum quam autem ſententia ferri a judice nequeat. Eundum ergo eſſe ad torturam, ut fides plena propriaque confeſſio extorqueantur.

CCXIX. Verum enim vero tantum hæ rationes probant, quam quæ nihil. Nam probatio forenſis aut eſt plena, aut ſemiplena; ſi plena, nihil obſtat, quo minus ſupplicium a reo exigatur, etiamſi non fuerit confeſſus: Ad judicium enim contra reum pronunciandum non confert quicquam propria confeſſio, ſi liquida adſit & ſufficiens facti demonſtratio. Et ſpectat huc, quod philoſophus de torturis aſſerit 1. *Rhet. c.* 15. Οὐδὲν ἧττον ἀναγκαζόμενοι τὰ ψευδῆ λέγουσιν ἢ τἀληθῆ, καὶ διακαρτεροῦντες μὴ λέγειν τἀληθῆ, καὶ ῥᾳδίως καταψευδόμενοι ὡς παυσόμενοι θᾶττον. h. e. *Ii, quibus adhibentur tormenta, nihilominus falſa dicunt, quam vera; interdum obdurantes, ne vero dicant, interdum facile mentientes, ut cruciatu citius liberentur.* Videatur & *lib.* 1. *§.* 23. *ff. de quæſtionibus.*

CCXX. Diuturno namque uſu notatum ſæpius eſt, alios, inprimis eos, qui dæmonem vitæ & periculorum ſocium cooptarunt, poſtquam torturæ cruciatibus objecti ſunt, aut dormiviſſe, aut in ecſtaſin fuiſſe raptos, alios ægritudine quadam, v. g. epilepſia fuiſſe affectos, atque adeo cruciatus & dolores omnes pervicaci animo ſuperaſſe.

CCXXI. Sin ſemiplena fuerit probatio, neque tum etiam tortura locum invenit, quippe non obeſt reipublicæ, ut delicta quædam maneant impunita, dummodo ea non tolerentur impune, quæ ſunt manifeſta. Quare neque Deus etiam occultorum vel ſuſpectorum ſcelerum veritatem quæſtione adhibita indagari in ſua republica voluit, vel juſſit, neque ea propter in aliis judiciis, veluti Angliæ, quibus aſcita nunquam fuit torquendi conſuetudo, juſtitiæ adminiſtratio ceſſat.

CCXXII. Quamvis igitur de quæſtionum uſu minime neceſſario ſic ſatis conſtare poſſit; tamen ne recepto a tot ſeculis mori temere reclamaſſe videamur, quædam adhuc argumenta producemus, quæ iniquitatem earum clarius demonſtrent. Ne qua autem in verba cadat ambiguitas, in anteceſſum monemus, varios eſſe torturæ gradus, aliumque alio duriorem. Mitiores nunc non adeo impugnamus, ſed atroces illos, quibus non tantum membra maleficorum adeo ſæpe diſtrahuntur, & dilacerantur, ut priſtinæ ſanitati, quamvis abſoluti, reſtitui nunquam queant, ſed qui gravitate quoque ſua omnem aliarum pœnarum capitalium dolorem excedunt.

CCXXIII. Poſtulamus ſecundo, concedi nobis, torturam non eſſe certum probandi genus, ſed adhiberi illam tanquam in ſubſidium probationis plenæ eliciendæ. His præſuppoſitis inveſtigabimus primo, utrum tortura ſalva æquitate debeat admitti in ſupplementum plenæ probationis, ſecundo, an poſſit admitti ſalva conſcientia in expreſſionem confeſſionis.

CCXXIV. Prius dubium redditur his de cauſis: *Primo:* Iniquum eſt, hominem alias ingenuum propter meras ſuſpiciones graviſſimis & intolerabilibus cruciatibus ſæpe cum ſanitatis & vitæ damno conjunctis objicere, cum dolores iſti non ſint pœnæ loco, ſed tantum periculi faciundi ergo. *Secundo:* Iniquum eſt, hominem ingenuum propter meras ſuſpiciones hominis infamis manibus ſubjicere. Semiplena namque probatio a ſuſpicione non differt. Eſt autem regula naturæ, tamdiu quemlibet exiſtimari bonum, donec probetur contrarium.

CCXXV. *Tertio:* iniquum eſt, manibus hominis infamis atrocibusque cruciatibus ipſis pœnis majoribus ſubjicere hominem innocentem. At vero, quamplurimis innocentibus hoc evenire, ex poſteriori liquet, quando ob effectum vel confeſſionem non ſecutam fuerunt abſoluti. *Quarto:* Quodcunque conjunctum eſt cum manifeſto falſitatis periculo, illud non debet haberi pro certa probandi ratione, atqui tortura eſt talis. E. Bona enim probatio excludit omnem formidinem oppoſiti, tortura vero non excludit, propterea quod multi non ſunt ferendis tantis doloribus, adeoque fieri non poteſt, & ſæpe factum eſt, ut expreſſa fuerit confeſſio rei falſæ: maluit enim reus confiteri id, de quo ne quidem per ſomnium ipſi in mentem venit, quam diutius tormenta experiri. Provoco ad experientiam certiſſimam rerum teſtem, quam multi propter confeſſionem per torturæ gravitatem expreſſam ſupplicio ſint affecti, de quorum innocentia facti poſt necem plenior indepta cognitio fuit teſtata. Ex multis pauca vide ſis apud. D. Oldecop. obſerv. ejus criminalibus annexa. Jam illam probationem, quæ non excludit oppoſiti formidinem, in judicio non eſſe adhibendam, ſupra demonſtravimus: tortura autem eſt talis. E.

CCXXVI. Has rationes ſi quis intento animo examinaverit, dubitabit ſaltem de eo, utrum tortura debeat admitti in ſupplementum probationis ſemiplenæ, itemque, an pro certa probandi ratione ſit habenda. Videamus porro, quantum æquitatis tortura habeat ad exprimendam confeſſionem.

CCXXVII. Qui plene in judicio eſt convictus, præter juſtum ſupplicium reapſe nihil metur, aliter ſi fiat, ipſi fit injuria. At vero, qui ob præfractam criminis negationem carnificum crudelitati præbentur, non tantum ultra ſupplicium quid patiuntur, ſed pœnam ſupplicio longe exquiſitiorem. Dicis: eos non affici injuria, quamdiu nolint fateri. Sed reſponſum jam tum eſt,

nullam

nullam exigere juſtitiæ partem, ut propria confeſſio accedat ad facinus, ſufficienter demonſtratum, animadvertendum. Et niſi introductum vulgo eſſet, ne quis condemnaretur abſque propria confeſſione, multi ultro faterentur, quod nunc ideo non fit, quia norunt, ſe non trahi ad ſupplicium, niſi confeſſos.

CCXXVIII. Præterea, ſi admiſſa tortura, is, qui criminis plene eſt convictus, juſtum ſupplicium per torturam poteſt evadere, tortura non videtur eſſe legitimus probandi modus. Sed verum eſt antecedens. E. obſervatum enim jam ſuo ſeculo Ariſtoteli eſt homini minime credulo, poſſe quosdam adeo obdurare ad cruciatus animum, ne quid per torturam exprimatur. Hæc argumenta, apud plurimas gentes adducta, tantum habuerunt pondus, ut a tortura abſtinuerint, & abſtineant in hunc usque diem Angli.

CCXXIX. Quid igitur revera de quæſtionibus ſtatuendum ſit, dictu videtur admodum difficile. Argumenta a nobis allata, qui recte pertentarit, non eſſe nullius momenti deprehendet. Obſtat tamen per tot ſecula magnæ orbis terrarum partis in contrarium confeſſio. Quicquid autem ejus ſit, placet nobis illud *Tertulliani de virgin. velan. Veritati nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegium regionum.* Et vero de Romanis ipſe Tacitus diſſimulare nequit, eos modum circa torturam crebro exceſſiſſe; ab illorum igitur aut aliorum moribus ſimpliciter & abſolute argumentari forſan inconveniens fuerit. Si quid ergo hic definiendum & pro tortura adhuc dicendum eſt, optandum foret, ut humanitus (*Menſchlicher Weiſe*) in tortura ſeſe gerentes, ſaltim a ſummis illis dolorum gradibus judices eam cohibeant.

CCXXX. Progredimur ad aliud probationum forenſium genus, quod fit per inſtrumenta ſive documenta, quorum nomine quid ſignificetur, notum eſt, videlicet ſcriptura rei controverſæ fidem faciens. Solent autem tria potiſſimum circa documenta venire in controverſiam; primo, an ſint genuina, ſecundo, quomodo interpretanda, tertio, an recte fiat applicatio documenti ad factum. Singula conſtent, quantam probandi vim habeant, non apparebit melius, quam ſi inveſtigatum fuerit, quibus principiis innitantur.

CCXXXI. Quando de inſtrumenti integritate diſceptatur, quæſtio fit de facto, quæritur enim v. gr. an Petrus hoc ſcripſerit? an ſuo ſigillo ſignaverit? Optime hic conſultum eſt, ut antequam de documenti integritate quæſtio agitetur, partibus illud proponatur, an pro ſuis id agnoſcant, necne. Si affirmant, quæſtione opus non eſt, ſin, probari debet, ut facti quæſtiones ſolent.

CCXXXII. In judiciis hiſce aulicis obtinet, ut ſi pars confeſſa fuerit documentorum veritatem, confeſtim mandetur abſque clauſula. Licet autem hoc ita conſtitutum ſit; uſus tamen ejus reapſe fere nullus eſt: non enim ſufficit documentum eſſe genuinum, cum de ſenſu oriri poſſit dubitatio, & ſi vel reus vel actor excipiat, omnis concidit mandati auctoritas. Quando autem de ſenſu, Græci περὶ τῆς Διανοίας dicunt, controvertitur, decidendum id eſt ex legibus artis interpretatoriæ, de qua pauca, ſed eximia vid. apud Grot l. 2. c. 16. de J. B. ac P. Tertium dubiorum circa documenta genus, quoniam nullo negotio ſolvi poteſt, conſulto præterimus. Et tantum etiam de inſtrumentis; quibus adde, probationem per ea firmam eſſe, omnemque excludere oppoſiti formidinem.

CCXXXIII. Sequitur juramentum, quod deſcribimus invocationem divini Numinis ad teſtimonium ejus, quod aſſeritur. Niſi itaque conſtaret nobis, Deum & poſſe, & velle atteſtari, fallax eſſet & fruſtra, quæ juramento adſcribitur, fides. Omne ergo jusjurandum in hoc fundatur, quod Deus atteſtari primo poſſit, & deinde velit. De utroque certi reddimur ex lumine naturali. Curam enim gerere rerum non tantum univerſalium, ſed & ſingularium, poſſeque & velle invocatum Deum bonis bene facere, malis male, providentiæ divinæ opus eſt, & continetur hac fide, veluti vinculo, omnis ſocietas humana.

CCXXXIV. A parte igitur jurantis requiritur neceſſario, ut credat, actiones humanas aliquem habere arbitrum, hoc eſt, eſſe Numen, quod, quæ nos gerimus, audiatque & videat, idemque bene merentibus bene, male vero merentibus par futurum. Quodſi vero illud Ennii in Telem. ſibi perſuaſum habeat: *Non curare opinor* (ſcilicet Deos) *quid agat humanum genus: Nam ſi curent, bene bonis ſit, male malis: quod nunc abeſt*; ad juramentum admittendus non eſt.

CCXXXV. Utut enim Deum certiſſimum ſcelerum vindicem eſſe, partim ex ratione, partim ex unanimi ſaniorum omnium conſenſu indubitato nobis conſtet, adeoque fruſtra fidem divinæ providentiæ a jurante exigi videri queat, cum eo ipſo perjurio ſupremi Numinis iram & vindictam in ſe commoveat; attamen, quoniam varia ſunt & occulta Dei judicia, eaque modo celeri, modo claudo pede ſequuntur, quædam quoque ſcelera in futura demum vita punienda ſibi Deus reſervat, ſatius eſt a juramento talem arcere.

CCXXXVI. Circa fidem juramento faciendam utiliter apud nos obſervatur, ut teſtaturi de evitandis perjurio ejusque pœnis, graviter prius admoneantur, totusque dein actus, utpote ſolemnis & ſanctus, reverenter, nudo capite, apertis feneſtris & accenſa interdum candela, in ſignum reverentiæ numinis divini, & ob incutiendum juranti horrorem peragatur.

CCXXXVII. Qui ad juramentum admittuntur teſtes, vel proprie tales ſunt, vel improprie. Proprie, qui teſtari poſſunt de facto ſecundum ſcientiam ſuam. Improprie dicuntur, qui non poſſunt teſtari de facto ipſo, quod venit in quæſtionem, ſed de partium qualitate tantum. Ejusmodi teſtes in ſeptentrione adhibitos fuiſſe, ſupra commemoravimus, & vocantur in jure canonico *Conjuratores.* Horum teſtimonia cum judicem non ſcire, ſed opinari ſic vel aliter

faciant,

faciant, locum inter plenas probationes non merentur, ſed ſemiplenis ſunt accenſenda.

CCXXXVIII. Interdum non teſtibus tantum, ſed & ipſis partibus, nunc actori, nunc vero reo juramentum permittitur, ubi tamen, ne hoc fiat promiſcue, cavendum ſedulo eſt. Magis enim metuitur perjurium in cauſa propria, quam aliena. Equidem ſi quando id fieri debeat, actori potius concedendum eſſe juramentum, exiſtimant alii; verum cum par videatur eademque rei & actoris ratio, fierique facile poſſit, ut aut ſpe, aut odio ductus, litem moverit actor, proinde & reum admitti poſſe, quanquam non temere, nec adeo facile, non eſt, cur dubitemus. Contra ipſos vero etiam teſtes excipere licet, ſi jure impietatis aut irreverentiæ Numinis divini ſuſpicio eis poſſit importari.

CCXXXIX. Perjurus ſi quis fuerit, puniendus erit eo ſeverius, quo peccat gravius. Talionis itaque pœna, quæ dictata erat in Hebræorum republica falſo teſtimonium perhibentibus, huic non ſuffecerit, quoniam longe majus eſt falſi jurati teſtimonii crimen, quam falſi ſimpliciter; ſed pœna tali eſt decernenda capitalis: quam etiam ſancitam perjuris fuiſſe apud Ægyptios, propterea, *quod & pietatem in Deum violarent, & fidem, maximum ſocietatis humanæ firmamentum, everterent*, teſtis eſt *Diod. Siculus l.* 1.

CCXL. Per canones eccleſiæ veteres, & jus canonicum pontificium receptum eſt, ut reus, ſi clericus ſit vel religioſus, poſſit ſeſe juramento purgare ſuper quocunque crimine non plene probato, quæ probatio inde dicitur canonica: præſumitur namque, eum, qui totum ſe Deo devovit, quam maxime duci divini Numinis reverentia. Juramento itaque vel expreſſis & conceptis verbis præſtito, vel adhibito ſymbolo aliquo, puta manuum divino codici impoſitione, vel ſacramenti euchariſtiæ aſſumptione in innocentiæ fidem ſine mora abſolvitur. Et tantum etiam de probatione per teſtes.

CCXLI. Nunc, ut de probationibus vulgaribus, quæ vocantur, modo & ratione minime vulgari agamus, ordinis & inſtituti ratio admonet. Dictæ autem & indigitatæ ſunt vulgares, in jure canonico pontificio, quoniam tum temporis, ubi conditæ ſunt, extravagantes in receptiſſimo fuerunt uſu. Recepit quippe eas univerſa Europa, inprimis omnis Germanorum gens, quæque ab his ortæ ſunt vel ſubactæ, non quidem quaſi omnes probationes æque valuerint apud omnes, ſed quod valuerint earum aliquæ.

CCXLII. Nam ſi antiquiſſima rerum germanicarum monumenta evolvamus, non reperimus facile aliud probationum præter ſortium genus. Neque Tacitus lib. de moribus Germanorum, qui ſic ſatis accurate alias mores germanorum, ſi quando a Romanis abeunt notavit, mentionem alius injecit; ut probabile inde videri queat, nondum eo tempore reliqua probationum vulgarium genera fuiſſe introducta. Seculo autem a nato Servatore quarto Rheni accolas natalium ſuorum integritatem Rheno explorare conſuevisſe, hiſtoriæ produnt, quod tamen de gallicis populis primo & potiſſimum affirmat *ampliſſ. Dn. Præſes l. de habitu corporum german.* Inde Rhenus ob præſtantiam ſuam & admirandam virtutem per univerſam Europam valde inclaruit.

CCXLIII. Sed nec tum quidem reperias veſtigium reliquarum vulgarium probationum, ſolo excepto duello, cui vim præſagiendi futuri belli eventum ineſſe arbitrabantur; ut adeo dixerim, paulatim eas irrepſiſſe tum, cum religione chriſtiana Germani primum ſunt imbuti. Hinc eſt, quod probationes illæ vocantur eccleſiaſticæ ab Hincmaro, Archi-Epiſcopo rhenenſi, qui vixit ſeculo poſt N. C. 9. In univerſum, cuinam præciſe tempori debeant originem, fidei eſt incertæ.

CCXLIV. Primum igitur probationum genus fuerit duellum, quo actor & reus vel ipſi, vel per alios verum experiebantur; quod quidem non fiebat temere, ſed coram judice, adſtante & ſpectante populo, certisque ad id ſtatutis legibus, quarum memoria in multis antiquis monumentis hodieque reperitur. Et videtur hoc probationis genus ethnicis etiam fuiſſe uſurpatum, Tacito id memorante. Germanis autem non in foro, aut ad facti tantum, ſed ad juris etiam controverſas quæſtiones decidendas adhibebatur.

CCXLV. Dignum heic notatu & memoratu eſt exemplum, quod apud Wittikindum corbienſem monachum in l. 2. hiſtoriæ ſuæ ſaxonicæ omnium antiquiſſimæ extat. Nimirum cum dubii juris eſſet, utrum in ſucceſſione deberet attendi repræſentatio, nec ne, rem omnem ab ipſa ſuprema autoritate Othone M. imperatore duello fuiſſe commiſſam, ille refert. Nullibi ſcilicet hactenus obtinuerat repræſentatio in gente germanica, & nepotes filiorum, qui patre vivo deceſſerant, non admittebantur ad hereditatem, ſed ſuccedebant patris vivi filii; Talis ſucceſſio cum inſolita eſſet Germanis vocata fuit in dubium, & quoniam conveniri aliter non poterat, prælio res fuit dirimenda, vicitque ea pars, quæ pugnavit pro nepotibus. Ex eo repræſentatio in Germania magis magisque invaluit. Præter hanc alias unquam juris controverſias duello fuiſſe definitas, non conſtat.

CCXLVI. Seculo deinde octavo nono & ſequentibus, inſtituta fuit probandi conſuetudo per ferrum candens, quod ſi quis manu tractare non recuſabat, habebatur innocens & purgatio illa omni exceptione major. Notum autem vulgo eſt ex Sophocle, jam tum apud Græcorum antiquiſſimos eandem probationem fuiſſe obſervatam, ita enim illi in Tragœdia ejus, quæ inſcribitur Antigone:

> Ἦμεν δ' ἕτοιμοι, καὶ μύδρους αἴρειν χερῶν,
> Καὶ πῦρ διέρπειν, καὶ θεοὺς ὁρκωμοτεῖν, &c. h. e.
> *Parati eramus candens tollere ferrum,*
> *Nuda manu, aut tranſire flammas, & Deos*

In-

Jurare, nos nec eſſe peccati reos,
Nec conſcios juviſſe verbis vel opera.

Deſiit vero, quantum conjicere licet, ante quadringentos annos, poſt ſeculum enim duodecimum mentio illius nullibi apparet.

CCXLVII. Antiquiſſimo autem more præter hæc recepta Germanis fuit probatio per aquam partim calidam, partim frigidam. Illa fere eadem fuit cum probatione per ferrum candens. Si quis enim manum, ferventi aquæ immiſſam, ſalvam reduceret, innocentiæ ſibi exiſtimationem acquirebat. De poſteriori, quæ per frigidam fiebat, ignorare ſe, ait *Mart. Del-Rio in disquiſ. magicis,* quæ ejus primitus ratio fuerit. Hoc ex Hincmaro rhemenſi archiepiſcopo affirmare non dubitamus, talem eam fuiſſe olim, qualis alicubi locorum eſt & hodie.

CCXLVIII. Videlicet, quando ſama vel aliorum teſtium depoſitione perſonæ quædam pro ſuſpectis veneficii habebantur, eæ captæ & decuſſatim vinctæ in aquam frigidam transverſe conjiciebantur, ita ut dextræ manus pollex ſiniſtri pedis digito majori, & ſiniſtræ manus pollex dextri pedis majori digito eſſet alligata, quas ſupernatantes judices de crimine veneficii ſuſpectas judicabant, & id circo duriori ſubjiciebant quæſtioni; ſi vero ſubmergerentur, innocentes eſſe credebant. Germanis veteribus non circa hanc ſolum, ſed quamcunque criminalem cauſam aliam, probatio illa adhibebatur. Obtinuiſſe quoque ſub initium hujus ſeculi in Anglia & Scotia, liquet *l. Jacobi Regis Angliæ & Sagis.* Hodie in pluribus Germaniæ locis ab uſu receſſit.

CCXLIX. Cæterum & aliud adhuc fuit probandi, ſive purgandi genus, vulgare illud quidem, verum non niſi circa cædem uſurpari ſolitum. In quem enim homicidii ſuſpicio reciderat, cadaveri ut ſe ſiſteret, jubebatur, quo præſente, ſi cruentari cæperat corpus exanime, defunctus illo homicida credebatur. Quod ſi cædes vulnere non fuerat facta, nihilominus adducebatur, qui criminis erat ſuſpectus, experiundi gratia, an alio reum indicio eſſet oſtenſurus, quod etiam variis factum fuiſſe modis, experientia eſt teſtata. Hæc ratio explorandi homicidam viguit & in Italia ſic ſatis diu, neque nunc omnino deſiit. Noſtris tamen legibus eam aperte fuiſſe approbatam, non obſervamus.

CCL. Verum enim vero, his nude ita enarratis nondum officio noſtro ſatisfeciſſe videmur, ni ſimul in eorum fidem probandique robur inquiſiverimus, præſertim cum conſtet, probationes iſtas pæne omnes in jure C. P. ut & conſt. crim. Caroli V. eſſe repudiatas. Non dicemus autem nunc de omnibus, quoniam pleræque jam exoleverunt; ſed de duobus tantum illis apud nos in Germania legibus quidem non definitis, uſu tamen alibi magis, minus alibi receptis probationum generibus, quorum primum per aquam adverſus eos, qui fœderis cum dæmone initi, alterum per cruentationem inſtituitur adverſus eos, qui cædis ſunt ſuſpecti.

CCLI. De duobus igitur hiſce probationibus videndum primo nobis eſt, quid experientia doceat, deinde, quam mereantur fidem. Prius nos deducet in cognitionem alterius. Notandum autem hic probe & ante omnia eſt, probationem aliam oſtendere poſſe, utrum aliquis ſit nocens, non vero etiam probare ſimul poſſe, utrum aliquis ſit plane innocens. Ad id enim, ut aliquis ſit nocens, requiritur probatio plena, qua deficiente debet abſolvi.

CCLII. Hoc ergo eſt, quod quæritur: Utrum per ejusmodi probationem vulgarem poſſit quis haberi nocens, & an deficiente tali ſit innocens. Poſſet enim fortaſſis experientia nondum conſtare, quod nocens fuerit declaratus innocens per probationem vulgarem, & vero etiam nocens fuerit, licet non fuerit declaratus. Multum autem inter hæc duo intereſt. Quod ſi ergo conſtet de vulgari probatione, neminem innocentem per eam fuiſſe damnatum, ad demonſtrandum hoc, quod intendimus, ſufficiet.

CCLIII. Si verum ſatendum eſt, experimento hactenus (ut de cruentatione loquamur,) prius aſtrui nullo potuit, per cruentationem factum aut declaratum quempiam fuiſſe nocentem, qui revera tamen fuerit innocens; quanquam concedamus, quosdam cædis reos per probationem hanc non fuiſſe exploratos, nocentemque adeo nullo ſigno fuiſſe indicatum. Pari modo, ſi experientiam conſulamus, multorum videmus veneficia per aquam frigidam fuiſſe explorata, quorum propria confeſſio fidem poſtea probationis auxit: ut vero per eandem nocens declaratus ſit, qui revera tamen fuerit innocens, exemplo hactenus demonſtrari nullo potuit; quanquam hic iterum concedimus, quosdam veneficii ſuſpectos & reos per probationem hanc non fuiſſe indicatos, adeoque pro innocentibus abſolutos. Exempla tria habet *Godelmannus in libro de Sagis.*

CCLIV. Cum igitur experientia de innumeris non homicidis minus, ac Sagis, exploratum hactenus ſit, illas ſponte ſua crimen, quod præfracte negaverant antea, fuiſſe faſſas, ſimul ac cadaveri admoti aut aquæ impoſitæ ſunt, multis etiam accedente tortura confeſſionem fuiſſe expreſſam, (quanquam nos graviſſimis tormentis fidem jam ſupra denegavimus) ea propter, quin ſi non pro plena, ſaltim pro ſemiplena probatione amplectenda ſit, dubium non eſſet, niſi probationibus hiſce, utut rariſſime fallant, divini tamen Numinis indignationem provocari, videri alicui poſſet. Quod unicum, dubitatione forſan non indignum, ut removeamus, ad cauſam tantæ rei nunc penetremus aliquanto propius.

CCLV. Facile autem rejicimus eos, qui cauſam utriusque probationis arceſſunt a natura, & cruentationi quidem primo eam aſſignant, quod ſpiritus hominum interemptorum indignatione quadam adverſus homicidam adeo incandeſcant, ut ſimul atque ille adſit, ſtatim indicio ferantur in interfectorem ſui, iramque, quam morientes conceperunt, cujusque ſpecies in ipſis ſu-

 pereſſe

pereſſe affirmant, per ſanguinis ebullitionem in reum effundant. Blanditur ſibi hac ratione & ipſe *Del-Rio in diſqu. mag.*

CCLVI. Verum quis judicii ſit tam inops, qui non animadvertat, primo, quam plurimos indies inſidioſe & per cuniculos peti, qui nihil minus, quam tale quid, ſibi metuunt; deinde veneno multos vita concedere, quos nec veneni, nedum venefici cujusdam usquam ſuſpicionem traxiſſe, peremtorem tamen ſigno poſtea nihiloſecius indicaſſe, eſt expertum; Tum in infantibus, de matre adhuc rubentibus ab iisdemque interfectis, nullam poſſe iracundiæ ſpeciem eſſe reſiduam, cum nec dum ulla in iis fuerit; Eosdem vero impias & ſceleratas matres ſuas externo aliquo ſigno prodidiſſe, experientia iterum ſumus edocti.

CCLVII. His accedit, quod iracundia ſit affectus animi, & quidem appetitus ſenſitivi. Jam vero ne probabile quidem eſt, ſupereſſe in defunctis animam ſenſitivam, maxime ſi ſanguinis eructatio poſt aliquot demum contingat dies. Quid quod phantaſia corpus in homine vivo non poteſt calefacere, niſi ſuperſtite inſigni calore, at vero quandocunque iraſcimur, corpus caleſit, ſi ergo fieri hoc nequit in corpore vivo, qui fiat in mortuo?

CCLVIII. Aliud argumentum, quod quidem alicujus ponderis ſit, non adducunt, qui naturæ probationum vulgarium cauſam adſcribunt. Revera autem ingrati eſſent in naturam, improbi vero in Deum quicunque probationum harum fidem falſe elevant, ſi de certitudine earum ex natura certo conſtaret. Quemadmodum enim ad hnmanæ vitæ & commerciorum uſum utiliter, & absque erroris formidine adhibetur vis magnetica, quoniam de naturalis illius virtutis & efficaciæ veritate certi reddimur per experientiam: ita æque ſecuri fidem & iſtis probationibus adjungeremus, ſi a neceſſario quodam naturæ inſtinctu eas provenire firmiter eſſemus perſuaſi.

CCLIX. Ad ſupernatationem ſtatuminandam plures a natura peti ſolent rationes. Dicunt enim *Primo*, ſagas, decuſſatim ita vinctas, ob incurvatam corporis ſtructuram non poſſe ſubmergi. *Secundo*, mulieres gravidas non poſſe non ſupernatare. *Tertio*, fœminas habere uterum, illum autem eſſe cavum, adeoque non poſſe mergi.

CCLX. *Scribonius* in peculiari hac de re epiſtola ad ſenatum Lemgovianum ſcripta aliam comminiſcitur rationem, videlicet ſagas eſſentiam Diaboli, a quo obſideantur, participare, & proinde quoad formam interiorem totaliter mutarique in eſſentiam Dæmonis, neque quoad interius tantum, ſed totius corporis illarum facultates eſſe mutatas, cum natura Diaboli ætherea ſit & ſpiritualis.

CCLXI. Verum quotquot adductæ ex illorum ſententia ratiunculæ ſunt, ſtolidæ partim ſunt, partim aniles & frivolæ. Primæ enim contrariatur experientia. Neque enim magis ſubmerguntur ſagarum coprora ſoluta, (ſolvi autem alicubi ſolent, quando tertia vice projiciuntur) quam vincta. Ad ſecundam dicimus, quotaquæque gravida ſit, quæ probationi huic exponatur, cum pleræque vetulæ ſint, & ſi tamen uterum gerere videantur, propter fœtus periculum probationi non ſubjiciantur.

CCLXII. Tertia ratio plane inepta eſt. Quam enim exiguum ſit, quod in muliere appellant uterum, prius, fœtu quam expleatur, norunt *ἰατρῶν παῖδες*. Et vero ſi iſta ratio procederet, nullæ omnino fœminæ ſubmergerentur, qnoniam omnes habent uterum. Ad Scribonii tandem argumentum reſpondeo, negando, dæmones inhabitare ſagorum corpora, id quod tot hominum confeſſione nititur, qui & ambulare ſecum & convivari eos, uno ore omnes affirmant. Alia itaque ſagarum, alia Energumenorum ratio.

CCLXIII. Quæ vero etiam iſthæc conſequentia? Dæmon inhabitat corpus, Dæmon autem eſt Spiritus, E. corpus illud, quod poſſidet, non poteſt mergi? Nonne ipſæ ſacræ teſtantur paginæ, dæmones in regione Gergeſenorum ex occurrentibus duobus a Chriſto expulſos in vicinos porcos tranſiſſe, eosdemque aquæ immerſos ſuffocaſſe? Dicis: aquam eſſe rem ſanctam, utpote qua baptizemur, eamque faſtidire, quaſi impiorum iſtorum conſortium. Verum enim vero, ni etiam experientia niteretur in contrarium, quis eſt, qui ignoret, aliud eſſe aquam extra baptiſmum, aliud in ipſo ſacro baptiſmatis actu?

CCLXIV. Inſtas adhuc: in quibusdam aquis natantes non poſſe mergi, veluti in illis, quæ rebus ipſis ſupernatantibus ſunt graviores, & iis, quæ nimio feruntur impetu, propter cujus vehementiam corpora nequeant abſorbere. Sane ſi ſupernatatio ſagarum non fieret, niſi in iſtis aquis, de fide ejus dubitare fas eſſet, nunc cum in omnibus procedat, argumentum nihil evincit. Quoniam igitur ratio hactenus ex natura allata nulla eſt, quæ opinionem ſaltem gignere efficax ſit, neceſſario relinquitur, ſuperiorem quandam natura eſſe cauſam, a qua effectus iſte proveniat.

CCLXV. Duplicis autem generis ſunt cauſæ ſupernaturales, bonæ & malæ. Qui magiæ favent, tertium quoddam producunt ſpirituum genus, inter bonos & malos medium, ſed hos refutatos, vide *ab ampliſſimo Dn. Præſide in libro de hermetica medicina.* Quodſi igitur a bona cauſa effectus hi dependeant, grata manu amplectendi, ſin, e chriſtiana republica modis omnibus ſunt eliminandi.

CCLXVI. Bonis ſpiritibus eos non deberi, ſequentibus argumentis ſit veriſimile. I. Quodcunque opus (puta ſupernaturale) Deus in ſacris literis non probavit aut promiſit, illud non eſt divinum, at vero neutrum opus vel circa ſupernatationem, vel circa cruentationem Deus, vel probavit, vel promiſit, E. neutrum eſt a virtute divina. II. Ex Pontificum romanorum decretis tale nectitur argumentum: Quodcunque opus ſit cum tentatione, illud non eſt a Deo,

ſed

ſed a Diabolo. Atqui probatione iſtæ vulgares fiunt cum tentatione divina. E.

CCLXVII. III. Quamcunque gratiam Deus non fecit judiciis in ſua rep. non exiſtimandus eſt facere noſtris, Atqui gratiam illam explorandi ſagas per aquam frigidam, homicidas per cruentationem, non fecit Deus in ſua republica, E. IV. Quodcunque opus non fit prævìis precibus, & ad invocationem Numinis divini, ſed joculariter & cum cachinno, illud non poteſt ſequi gratia ſupernaturalis. Atqui ſupernatatio eſt tale, E.

CCLXVIII. V. Si deſierunt miracula, fruſtra effectus hi Deo tribuuntur tanquam miraculoſi. Sed verum prius. E. VI. Tandem dicat aliquis, ipſas interdum ſagas ad probationem per aquam provocare, idque inſtinctu Dæmonum. Jam vero, ſiquidem Deum iſtæ probationes habeant autorem, Satanam non impellere ſuos ad ultro ſubeundum judicium divinum.

CCLXIX. Hisce rationibus, & ſi quæ excogitari poſſunt plures, tantum abeſt, ut manum porrigamus, ut ne quidem iis moveamur. Reſpondemus igitur ſingulis, & ad primam quidem dicimus: majorem ejus argumenti eſſe falſam. In ſacris ſcil. literis omnia illa continentur, quæ concernunt fidem, eſtque ipſa rerum credendarum norma. Exprimi autem in eadem debere etiam alia omnia, quæ humanam vitam ſpectant, nondum eſt probatum. Et notandũm inſuper, quædam neceſſario a Deo eſſe revelanda, quorum ſcilicet cognitio per naturalem viam homini non patet, quædam vero poſſe demonſtrari, quorum certitudo peculiarem quandam revelationem non flagitat. Tale quid eſt hoc: An opus aliquod ſit naturale, an ſupra naturam, an a bono, an vero a malo genio.

CCLXX. Secundo argumento ſatisfaciamus, diſtinguendo inter tentationem licitam & illicitam. Si accurate res expendatur, perque tentationem divini alicujus ſive ſupernaturalis operis exactio denotetur, tentationem omnem, non tantum non illicitam, ſed quandam quoque neceſſariam eſſe apparebit. Quidni enim preces noſtræ & juramenta ſint tentationes divinæ? cum iis mera exigamus ſupernaturalia, puta præſentiam divinam, cum humana auxilia aliunde non ſuppetunt, pœnam item extraordinariam in fidem falſo præſtiti juramenti, quæ profecto ſua natura illud non inſequitur. Quando igitur vel per revelationem, vel per experientiam Deus voluntatis ſuæ nobis dat indicia, tentatio divini Numinis illicita non eſt.

CCLXXI. Ad tertium reſpondemus negando majorem. Varii ſunt gratiæ divinæ modi, varii gradus, neque præfigi Deo debet terminus, quo & qua ratione gratiam ſuam magis minusve huic vel illi faciat. Conceſſerat olim in ſua republica adulteram explorare per potionem amaram, idem non facit hodie. Vice verſa multa fieri permittit hodie, quæ non permiſit olim.

CCLXXII. Quarti argumenti major iterum vacillat. Multorum gratiam Deus præſtat, quamvis ſeriis ad id precibus non invitatus. Supernaturale certe eſt, quod Deus in ſacro ſancto regenerationis lavacro per aquam & manus ſacerdotis, hominis ſæpe facinoroſi, nobis confert. Præterea vero, quæ judicialiter, ſancta ſunt, quoniam judicium ara eſt divini Numinis. Antequam a præſulibus romanis probationes vulgares interdicerentur, prævia ſemper ſingulari devotione peragebantur, ut videre eſt apud Lindenbrogium in LL. germanicis de Mart. Del. in Disquiſ. Mag.

CCLXXIII. In quinto ſyllogiſmo minor eſt apertiſſimæ falſitatis. Qui miracula hodie fieri negant, toto cœlo aberrant; quæcunque ad preces noſtras fiunt, ſupernaturalia ſunt & miraculoſa, & omnis divina vindicta perjurii eſt ſupernaturalis. Miracula itaque hodie nulla fieri, falſum eſt, quamvis non negemus, prout iis opus eſt, majorem eorum vel minorem eſſe frequentiam. Ita ad veritatem chriſtianæ religionis confirmandam miraculis hodie non eſt opus; erat autem, ubi introduci apud gentiles debebat.

CCLXXIV. Sextum denique ut ſolvamus dubium, obſervandum eſt, primo, ipſum ſæpe Dæmonem circa multa, quæ intendit, falli; confeſſione quippe ſagarum conſtat, aliquoties factam ſibi a Dæmone ſpem, fore, ut mergerentur, quos tamen in eventu ſpes eſt fruſtrata. Deinde vero ſapientiſſimus Deus, ut ad pœnam quandoque trahat maleficos, per ipſos Dæmones decipi eos facit. De quo ne quis ambigat, en luculentum in Achabo Rege exemplum? Hunc in prælio trucidari adverſus Syriæ Regem cum decreviſſet Deus, per Pſeudoprophetas baaliticos, adduci prius eum fecit in certam victoriæ exſpectationem, ne adire bellum detrectaret. Poſt vero, ubi ventum eſt ad prælium, telo confixus occubuit, ut pœnam daret divinæ iræ 1. Reg. 22. Idem quo minus hodieque fiat, non eſt, quod dubitemus.

CCLXXV. Hactenus itaque evictum nondum eſt, probationes iſtas a Dæmone proficiſci. Reliquum ergo eſt, ut dicamus, eas fieri virtute divina, quod ut pateat clarius, ita argumentamur: Quodcunque opus ſupernaturale fit a canſa ſupernaturali, idque ſemper bonum in finem, illud ipſum debetur Deo. Atqui effectus probationum vulgarium ſunt talia opera, quæ fiunt a cauſa ſupernaturali, eaque ſemper in bonum finem, E.

CCLXXVI. Signanter addimus, debere ea ſemper fieri in bonum finem: pietatem enim ſimulare, & bene agere, poteſt & ipſe Diabolus; idem ut conſtanter agat, non poteſt. Quo argumenti genere Chriſtus quoque uſus eſt adverſus Phariſæos, jactantes dæmones a ſe expelli per principem Diabolorum Beelzebub, Sed ſapienter Chriſtus, *ſi Satanas*, inquit, *Satanam ejicit, adverſus ſe ipſum diſſilet.* Fieri namque per depravatam voluntatis ejus naturam non poteſt, ut ſemper ſibi contrarius identidem bene agendo regnum ſuum ipſe deſtruat.

CCLXXVII. Quæ cum ita ſolida ſatis & manifeſta ſint, anne ergo fidem merentur plenam probationes iſtæ, an pro ſemiplenis ſunt habendæ? Reſpondeo, in ſe plenæ ſunt, & pa-

tet ratio; omne enim teſtimonium divinum meretur plenam fidem, probationes vulgares ſunt teſtimonia divina, E. Quoniam vero non ubique omnes demonſtrationum harum vim percipiunt, vulgo etiam nemo, niſi confeſſus, ſupplicio traditur, propterea indulgendum forſan aliquid eſt imbecillitati hominum ſingula ex re & vero non æſtimantium.

CCLXXVIII. Liquet autem jam, quid de vulgaribus probationibus, cruentatione videlicet & ſupernatatione ſit ſentiendum. Neque turbare quenquam debet publica diſſentientium autoritas. In Italia ſane & ipſa Roma, purgatio per cruentationem raro rejicitur; ſupernatatio quominus fidem quoque inveniat, obſtaculo ſunt Pontificum decreta. JCtos quod heic concernit, quoniam illi pronunciare debent ſecundum ea, quæ ſunt lata, facile eos excuſamus, ſi diſſentiant: in multis enim præclariſſimi aliquot ſentiunt nobiſcum. Et hæc de probationibus & inſtantia prima ſufficiant.

CCLXXIX. Supereſt adhuc, ut videamus, quæ in ſecunda & tertia inſtantia occurrant. Sententia enim, ne in rem judicatam tranſeat, hujusque effectum conſequatur, impugnari poteſt variis modis, & quidem ex capite nullitatis, appellationis, leuterationis, ſupplicationis, reſtitutionis in integrum, & reviſionis actorum; quorum omnium ſignificata vide apud JCtos. Nos in quantum, & quando, & ubi tot inſtantiarum viæ reipublicæ conducant, paucis ſpectabimus.

CCLXXX. In rebuspublicis, quæ ſerio quærunt utilitatem communem, lites ut raræ, ita nec diuturnæ ſint, dandaque opera, ut, ſi quæ oriantur, quantocyus per judicia decidantur. Ex adverſo in rebuspublicis quibusdam herilibus, quemadmodum lites recte feruntur, ita e ſtatus quoque earum ratione eſt, ut protrahantur in logum.

CCLXXXI. Fieri tamen poteſt, ut in optima etiam republica error in judicio committatur, tum a partibus, tum judice ipſo ejusque adminiſtris. Judex, ſi erraſſe deprehenſus fuerit; aut ſponte illud fecerit, & ex proæreſi, aut invito. Si invito, & per quandam ignorantiam, non tantum ut de iniquitate pars adverſa conqueratur, ſed ut litem quoque repetat coram eodem judice, a quo aberratum eſt, æquitas efflagitat. Vir bonus enim, quoniam favet juſtitiæ, non ægre admoneri ſeſe feret, ſicubi per errorem a juſtitia diſceſſerit.

CCLXXXII. Sin a judicis malitia proceſſerit inæqualitas ſeu error, res ad ſuperiorem eſt deferenda. Contingit autem, ut propter partis alicujus errorem, in prima inſtantia admiſſum, ſententia impugnetur. Peccatur ibi iterum, vel per malitiam, vel per ignorantiam. Per ignorantiam v. gr. ſi poſt ſententiam demum documenta ſeſe offerant, ex quibus æquitas cauſæ poſſit defendi, vel ſi partes in aliena litigaverint perſona, quam imprudenter aut mala fide egiſſe in exitu perſpiciatur. Ibi itaque de nullitate appellari ſententia jure optumo poteſt.

CCLXXXIII. Debent autem libertati huic limites præſtitui, ne dubius usque poſſeſſionis & juris ſui victor reaſſumptæ de integro litis denunciationem opperiri perpetuo cogatur. Hinc de nullitate in nupero R. J. Ratisbon. 1654. notatu digniſſimum occurrit, quod contra jus commune, quo intra 30. annos remedium nullitatis patet, nunc illud inſtar appellationis intra decennium ſaltem ſit interponendum.

CCLXXXIV. Quamcunque vero ſententiæ impugnandi ne neceſſitatem partis alicujus fraus & malitia extorſerit, a judice in aliorum exemplum graviſſime puniri debet. Nihil enim excogitari poteſt iniquius, quam ſi multo labore & magno ſumptu eo tandem res deducta eſt, ut judex ſententiam ferat, victori, qui jam in portu navigare & omnibus moleſtiis defunctus ſibi videtur, quocunque temere inſtituto actu ſententiæ ſuſpenſivo, omnis fere prioris judicii fructus eripiatur. Quod ſi & hoc caverent, penes quos conſtituendi & emendandi judicia eſt arbitrium, ne, quando ſententia irritatur, omnia illa, quæ in priori judicio ſæpe ad nauſeam usque dicta fuerunt, denuo inculcarentur, judiciumque ſecundæ inſtantiæ contentioſius fieret primo, uno quaſi actu litigioſorum libido præcideretur. Quibus ſub appellationis aut nullitatis prætextu calumniam ſtruere, vexare adverſarium, litemque extrahere hodie paſſim impune licet.

CCLXXXV. Atque hæc ſunt, quæ ex amplo hoc multisque juris materiis involuto argumento in medium afferre pro virium & ingenii mei tenuitate volui: non quod jam omnia, quæ vel dici adhuc poterant, vel a magnifico Dn. Præſide & Præceptore meo diſcuſſa etiam uberius ſunt, huc congeſſiſſe me exiſtimem; Sed quod potiora dixerim, quibus, ſi quis velit, ſpecioſiora de judiciorum abuſibus tollendis opera ſuperſtruere facili negotio poſſit. Ea itaque alterius diligentiæ relinquens, hic ſubſiſto, gratus devotiſſime actis

Τῇ ἁγίᾳ, καὶ ὁμοουσίῳ, καὶ ζωοποιῷ, καὶ ἀδιαιρέτῳ Τριάδι.

HER-

HERMANNI CONRINGII
DISPUTATIO POLITICA
DE RE NUMMARIA IN REPUBLICA QVAVIS RECTE CONSTITVENDA.

Menſe Martio MDCLXII. habita

RESPONDENTE

JACOBO NORFELT.

THESIS I.

Nulla omnino reſpublica bene ſe habere poteſt, niſi illius commerciis quam optime ſit proſpectum. His enim omnis reſpublica, ut bene vivat, hæc quidem magis, illa minus, pro varia ſoli indigentia aut copia eget. Quippe contingit, ut multis abundemus, quæ magis nobis utilibus commutare cupimus, multis iterum egeamus, quæ aliunde comparare neceſſe habemus. Talis autem commutatio, nummo quam commodiſſime expediri poteſt. Unde manifeſtum, maxime operæ prætium facturum Politicum, qui in ejus naturam quam accuratiſſime inquirit. Mihi itaque ſpecimen academicum edere volenti, quam maxime placuit materia diſſertationis de Re Nummaria recte conſtituenda.

II. Ut vero omittamus vocabuli nummi derivationem, quam diverſi diverſam ſentiunt, ſtatim de origine ejus ſtudio majore inquiremus. Sciendum ergo: Res omnes ab initio inter homines fuiſſe communes. Recte enim Juſtinus: *Erant omnia communia & indiviſa omnibus, veluti unum cunctis patrimonium eſſet.* Ea enim initio homines bonitate & ſimplicitate vixerunt, ut contenti eſſent promiſcuo rerum uſu, qui vicem dominii obtinuit, & tantum illis naturalibus divitiis, quæ ad victum amictumque pertinebant, quarumque copia maxime ſecundum naturam erat & neceſſaria

III. Verum in hac vita ſimplici & innoxia non diu homines perſtiterunt: ſed animos ipſorum invaſerunt duo vitia, avaritia & libido. Quibus quaſi morbis infecti, non contenti amplius fuerunt veſci ſponte natis, antra habitare, corpore ant nudo agere aut corticibus arborum pecorumve pellibus veſtiri, vitæ genus exquiſitius & luxurioſius elegerunt. Cumque, ut aſſolet, rerum illa communio multa ſecum incommoda ferret, viderentque, ut Tacitus loquitur, langueſcere exinde induſtriàm, intendi ſocordiam, ubi *nullus ex ſe metus aut ſpes, omnes aliena ſubſidia exſpectare;* inde communi quaſi pacto, in rerum diviſionem conſenſerunt ac privatim deinceps ſinguli res ſuas proprias poſſidere cæperunt.

IV. Cum vero poſt illam diviſionem alius aliud plus vel minus haberet, & quod huic ſuperfluum erat, alii deeſſet, primo res cum rebus inter ſe permutare cæperunt. Unde recte Ariſtoteles lib 1. *Pol. c. 6. Permutatio eſt in omnibus rebus cæpta quidem primum ex eo, quod ſecundum naturam eſt: quod homines alia quidem plura, alia vero pauciora, quam ſatis ſint, habeant.* Quandoquidem vero, partim, quod hic pro ſua re habere vellet, id alteri non ſuppeteret, ſæpiusque ideo egere cogeretur, partim res commutandæ commode, in diverſas regiones transferri non poſſent; hinc expeditior mercandi ratio per nummum inventa fuit. Poſteriorem cauſſam etiam Ariſtoteles loco citato vidit. Patet vero, non ſufficienter eum cauſſam omnem nummi inventi indicaſſe. Nec enim ſolum propter difficultatem translationis mercium in diſſitas regiones nummo fuit opus, verum etiam inter vicinos, propter illam rei viciſſim dandæ indigentiam, maxime fuit ille neceſſarius.

V. Priorem rationem, quam modo adduximus, inventi nummi, Paulus quoque Ictus attendit *l. 1. pr. ff. de contra. empt.* Cujus verba etſi prolixiora, non pigebit hic adducere, cum inſtituto noſtro pulchre & hic & deinceps inſerviant. Ita vero loquitur: *Origo emendi vendendique a permutationibus cæpit. Olim enim non ita erat nummus; neque aliud merx, aliud pretium vocabatur; ſed unusquisque, ſecundum neceſſitatem temporum ac rerum, utilibus inutilia permutabat. Quando plerumque evenit, ut quod alteri ſupereſt, alteri deſit. Sed quia non ſemper nec facile concurrebat, ut cum tu haberes quod ego deſiderarem, invicem haberem, quod tu accipere velles, electa materia eſt, cujus publica & perpetua æſtimatio, difficultatibus permutationum, æqualitate quantitatis ſubveniret. Eaque materia, forma publica percuſſa, uſum dominiumque non tam ex ſubſtantia præbet, quam ex quantitate.*

VI. Propter has duas igitur præcipue cauſas inventus nummus, qui loco omnium eſſe poteſt ac debet. Et quamvis haud conſtet, quando cæperit nummus, tamen ex hiſce principiis cuivis patere poteſt, antiquiſſimum eum eſſe; cum propter ſupra dictas cauſas omnibus omnino hominibus adeo neceſſarius fuerit, ut ſine magno damno & multarum rerum ſumma indigentia, haud diu eo carere potuerint.

VII. Antiquiſſimam autem nummorum percuſſorum memoriam nobis præbere videtur ſa-

cra

cra ſcriptura. Ibi enim enim memoratur, Abrahamum argenteis nummis agrum ſepulturæ uxoris ſuæ emiſſe. Quod enim ſimul eos nummos appenderit Abraham, id factum eſſe videtur ob majorem juſtitiam viri, neminem etiam publica moneta fraudare volentis, ſicut apud nos aureorum pondus per appenſionem exploratur. Fit ſane ibidem mentio non ſolius appenſionis, ſed & nummorum argenteorum, *probatæ monetæ publicæ*, ut vertit vulgatus interpres, vel *tranſeuntium per mercatores*, ut habet Pagninus, vel *ἀργυρίȣ δοκίμȣ ἐμπόροις*, ut habet verſio ſeptuaginta Græcorum interpretum: quæ quam commodiſſime poſſunt accipi de moneta ſignata. Nec tamen cum quopiam præfracte hac ſuper re pugnabimus: ſicut non moramur fabulas Rabbinorum, de nummis ab Abrahamo ipſo ſignatis. Quamvis etiamnum ejusmodi oſtendi ſoleant cum hebraica inſcriptione: *Senex & anus, juvenis & virgo.* De Patriarcha Jacobo ita ſcriptum eſt: *Emensque partem agri, in quo fixerat tabernacula, centum nummis.* Interpres vetus habet *agnis.* Notat vero Pagninus ex Rabbi Hacheba *in theſauro*, agnorum nomine nummos dictos. Id quod ſi eſt verum, fuerit nummus tum ſignatus figura agni: quemadmodum ſcilicet & apud Athenienſes bos, apud Romanos antiquiſſimum nummi ſignum fuit ovis & taurus, unde & pecuniæ appellatio fluxit. Cæterum, primo rudia metalla pro nummis ceſſerunt; maxime quidem aurum, argentum, æs; quamvis & aliis nonnulli populi uſi ſint materiis, quod tamen rarius. Ejusmodi autem aurum argentumve rude, appendi ſemper neceſſe erat: quod cum eſſet moleſtum admodum & grave, publico charactere imprimi cæpti nummi; ut ita autoritate publica homines ſecuri redderentur de nummorum pretio. Hinc etiam Romani diu rudi metallo pro nummis uſi ſunt, usque ad Servium Tullium regem, ſub quo æs primo ſignatum. Serius Romæ argentum formam publicam accepit, quinque annis nimirum ante bellum punicum primum: & demum poſt 62. annos aurum ſignari cæpit, ut teſtatur Plinius *lib. 33. c. 3.* Multæ tamen gentes, longe ante Romanos, ſignatos nummbs in uſu habuerunt. Theſeus ſane, qui Athenis, temporibus judicum Iſraelis, plus mille ducentis ante natum Chriſtum, regnavit, nummum bovis ſigno percuſſiſſe ſcribitur. Apud germanicas gentes proprii nummi ſignati, aliquot demum a nato Chriſto ſeculis, in uſum recepti ſunt, poſt provincias videlicet Romanorum occupatas. Longe recentius eſt inſtitutum illud in gentibus ſeptentrionalibus omnibus.

IIX. Ex his, quæ de origine nummi hactenus ſunt diſputata, manifeſte omnibus elucet, nummum originem ſuam & ortum debere non juri civili romano, ut quidam inepte arbitrantur: Quia in cujuslibet ſummæ poteſtatis arbitrio eſt, quo velint charactere, quove modo cudi nummos; ſed juri gentium, unde nimirum omnes fere contractus fluxerunt, & conſequenter nummus, ſine quo illi commode celebrari non poſſunt. Diſtinguendum enim hic eſt, inter formam accidentalem nummi, quam habet ex cujuslibet ſummæ poteſtatis voluntate, atque eatenus juris civilis ſive romani, ſive alterius ſingularis reipubl, eſſe poteſt, & eſſentialem, quæ ipſi attributa eſt gentium quaſi pacto communi, ut ille omnium rerum ſponſor exiſtat. Tantum de origine nummi. Verum age, rem nummariam penitius inſpiciamus; eamque per quatuor cauſas, finalem, materialem, formalem, & efficientem, quæ in rebus etiam omnibus civilibus reperiuntur, atque adeo pertinent ad plenam perfectamque omnium illarum cognitionem, accuratius examinemus.

IX. FINEM vero nummi omnis ex iis, quæ diſſeruimus. facile cognoſci putamus. Eſt videlicet finis nummi, ut cedere poſſit in commercia, ac omnia valere. Ideoque verus perfectusque nummus is demum eſt, qui poteſt eſſe omnia: qui id non poteſt, nec perfecti quoque nummi nomen meretur.

X. Ut autem tota nummi doctrina melius intelligatur, duo poni neceſſe eſt, quaſi pro regulis, ad quæ illa expendi ac examinari debet, quibusque maxime univerſa hæc res nititur. Primum eorum eſt, id quod paulo ante finalem cauſam omnis nummariæ rei eſſe diximus: oportere nimirum nummnm quemvis probum cedere in commercia & loco omnium eſſe. Secundum eſt, oportere nummum in poteſtate eſſe ſummæ poteſtatis civilis: h. e. ſummam majeſtatem omnia circa rem nummariam debere poſſe conſtituere & dirigere, idque uti omnis nummorum fraus & corruptela prohibeatur.

XI. MATERIAM nummi uti explicemus, nobis ob oculos iterum verſabuntur duo illa paulo ante poſita fundamenta. Igitur primum, ut cedere poſſit nummus in commercia, materia ejus talis eſſe debet, ut placeat iis, cum quibus commercia exercemus, ſive peregrinis, ſive civibus. Hinc conſequens eſt, quo reſp. quævis magis opus habet peregrinorum commerciis, eo plures nummos cudere debere peregrinis illis gratos. Quod contingit, cum exportari aut nihil aut pauca poſſunt, a peregrinis autem advehi, ad tuæ reip. ſupplendam neceſſitatem, multa debent. Quæ vero civitas exportandis magis exonerari vult, quam importandis eget, perſpicuum eſt, quod magnam copiam eorum nummorum, qui inter peregrinos valent, cudendo non faciat operæ pretium; ſed ſufficere ſi maxime ſit ſollicita de talibus nummis, qui inter cives valeant, quique civium mutuis & domeſticis quaſi commerciis inſervire poſſunt.

XII. Cum ergo talis eſſe debeat materia nummi, quæ placeat omnibus, quos inter eſt commercium aliquod, ac proinde etiam nonnullis aliis gentibus, patet materiæ loco utendum eſſe metallo; ac maxime auro, argento, ære. Quoniam ſcilicet illa metallorum genera apud omnes pene gentes maxime recepta, inque maximo & nunc & jamdudum pretio ſint. Parcius tamen ex ære nummi cudendi ſunt, cum id minoris ſit æſtimationis metallum, nec fere niſi inter cives unius reip. in eum uſum receptum. Ex plumbo, ſtanno, & ferro, ad commercia cum peregrinis exer-

Digitized by Google

exercenda, cudi nec debent, nec poſſunt, niſi fruſtra. Non ex plumbo & ſtanno; cum quod exiguo habeantur a gentibus in pretio metalla iſthæc, tum quod conteri facillime poſſunt. Non ex ferro; quoniam nimium vulgaris eſt uſus ferri, eſtque adeo corruptionibus adulteratorum quam maxime obnoxium. Nihil autem obſtat hactenus, quin poſſint miſceri inter ſeſe metalla, atque ex maſſa illa nummi cudi: modo gentes illæ, cum quibus nobis commercia ſunt, tales nummos miſtos admittere velint.

XIII. Inter cives certa materia nummorum, atque adeo talis, quæ reliquas omnes excludat, conſtitui non poteſt, nec debet: quandoquidem nihil vetet pro variis ingruentibus neceſſitatibus ex arbitrio ſummæ poteſtatis ex variis materiis nummos cudere, imo magno ærarii bono id fieri poſſit. Aptiſſime tamen in præſtante quavis republica etiam inter cives, nummis metalla inſerviunt; ac maxime aurum, argentum: non perinde æs ex iiſdem, quas ante attulimus, rationibus: plumbum & ferrum haud facile nec hic admitti debeat. Quod autem cæteras materias attinet, ex vulgaribus quidem lapidibus confici nummi non debent, 1. quia non poſſunt apte ſignari, 2. quia non ſunt in poteſtate ſummæ majeſtatis, ſed quisque tum pro libitu de nummis diſponere poſſet, & ubique cum reperiantur, nemo facile pro illis res meliores magisque neceſſarias eſſet daturus. Non etiam pretioſæ gemmæ, nummorum uſui conducunt, cum quod nec ipſæ admittant obſignationem, tum ob nimiam earum raritatem, quæ utique commercia impediret. Quod ſi tamen lapides fuerint non admodum rari, nec viles nimium, illi ſufficere propter mediocrem copiam commerciis, & ob non nimiam vilitatem, in adminiſtratione ſummæ poteſtatis eſſe, queant. Hinc & in India alicubi lapillis perforatis & filo inſertis pro nummis utuntur, eosque invicem ſibi ulna, & ejus quadrantibus, vel minori quantitate admetiuntur. Facile tamen patet, quam etiam hoc multum habeat inconvenientiæ. Porro nec ex corio vel charta nummi in uſum accipi poſſunt, niſi forte ad breve tempus, atque impendente ſumma neceſſitate; ceu factum etiam ſuperiore ſeculo Lugduni Batavorum, durante obſidio hiſpanico. Pereunt enim facillime & uſu atteruntur, divitiæ autem debent, quantum fieri poteſt, ſtabiles eſſe, nec facile corruptioni obnoxiæ. Iisdem de cauſſis & plumbei nummi merito improbantur. Quorum tamen aliquem fuiſſe uſum olim Romæ, probant nummi, qui hodieque ibi eruderantur minuti, præter Plauti in Trinumo & Caſina Martialis l. x. teſtimonia.

XIV. Ut vero in ſummæ majeſtatis poteſtate maneat nummus, quod alterum diximus fundamentum rei nummariæ recte componendæ, conſultiſſimum maxime eſt, ut materia nummi per ſe ejus ſit pretii in civitate tua, cujus eſt extra civitatem in vicinia; ut & ejus, ut ipſi nummo par ſit, vel certe non multum impar, ipſamet rudis materia. Videlicet hac ratione via æruſcatoribus, ne ab illis pravi nummi tam facile ſubjici poſſint, præſtruitur. Cum enim juſti pretii materia eſt, nulla ſpes æruſcatoribus alicujus quæſtus affulget: ſi autem caveri poteſt talis æruſcatio, non multum intereſt, ex qua materia nummi cudantur.

XV. Hac occaſione quæri poteſt: an materiæ bonitas nummi eſſentiam conſtituat, ut non ſit nummus juſtus, niſi materiæ bonitas ejus pretium exæquet? Affirmari autem hoc ſolet vulgo a plerisque, etiam doctiſſimis Philoſophis, Jurisconſultis & Theologis. In contrarium tamen tendit uſus pene omnium populorum omnis ævi. Nulli enim non & intendere ſolent, & diminuere nummi pretium: aliter licet ſeſe habeat pretium materiæ, ſive bonitas intrinſeca, quam appellant. Ariſtoteles etiam omne pretium nummi *l. 5. eth. c. 1. & 1. politicor. cap.* 6. adſcribit legi poſitivæ ſive arbitrariæ hominum, atque adeo non arceſſit pretium a bonitate, quam vocant, intrinſeca. Hanc etiam ſententiam approbat doctiſſimus Covarruvias *practic. quæſtion. cap.* 7. Nos etiam illi accedimus, non uno argumento permoti. Primo enim, ut modo innuimus, cudi nummi chartacei & coriacei poſſunt, quorum pretium longe eorum materiam ſuperet. 2. Nec auro, nec argento ullum ineſt pretium naturale, ut quidam ſibi imaginantur; ſed eorum valor perinde ex opinione & impoſitione hominum conſiſtit. Et nummus itaque merito omne pretium ſortitur ex arbitrio ſummæ poteſtatis, cui, ut omnium in republica rerum, ita & rei monetariæ plena & libera adminiſtratio ad uſum communem competit. Neque ad rem pertinet, quod aurum argentumque homines æſtiment magni, & hæc in uſum nummorum ceſſerint. Id enim non inde eſt, quod naturale pretium habeant, ut multi volunt, ſed quia hæc metalla rariora ſunt, atque magis in adminiſtratione libera ſummæ cujusque poteſtatis ſita: quod ad rem nummariam requiri jam ante diximus. Meretur legi, quæ de pretio auri præclare diſputavit Joannes Franciſcus Mirandulæ Comes l. 1. de auro. Et ſi rem velimus accuratius perpendere, atque uſu metalla æſtimare, ferrum maxime pretium aliquod naturale habere videatur; cum natura ſua multis humanis uſibus inſerviat, nec commode vivi ſine illo poſſit; ſi autem auro argentoque careremus, nullum damnum vitæ uſus inde pateretur. Hinc ſane apud quammultas olim gentes aurum & argentum nullo fuit in pretio: ferro autem nusquam non ſua fuit exiſtimatio. Diſerte de Germanis antiquis Tacitus: *Poſſeſſione & uſu auri & argenti, haud perinde afficiuntur. Eſt videre, apud illas argentea vaſa Legatis & Principibus eorum muneri data, non in alia vilitate, quam quæ humo finguntur.*

XVI. Antequam cauſam materialem rei nummariæ deſeramus tres quæſtiones examinandæ, ad materiam pertinentes. Primo videlicet quæritur: An ex uſu reipublicæ nummi ex aliis nummis conflari poſſint: ſolent enim interdum ex majoribus minores cudi. Ut autem quæſtio hæc melius & accuratius percipiatur, diſtinguendum eſt inter peregrinos nummos & domeſticos. Ex peregrinis nummis, nihil obſtat, quin poſſis citra reipublicæ tuæ incommodum nummos cudere: nihil enim noxæ hinc respublica tua accipit. Imo uſu venire ſolet, uti id fiat magno tuo com-

commodo. Porro, quod peregrinum eſt, in tuæ civitatis commodum ſi converteris, nemini juſtam te reprehendendi dederis occaſionem. Itaque nec eſt, quod hoc nomine jure metuas aliorum, ſive indignationem, ſive convitia. Ex propriis vero nummis, alios conflare non ſemper expedit, interdum tamen. Obſervandum quippe eſt, monetam aliam eſſe bonam & utilem reipublicæ, aliam malam, aut minus utilem. Inutilis aut prava, poteſt autoritate ſummæ poteſtatis in magis utilem & meliorem mutari: utilis vero ſi mutetur, defraudata reſpublica genere illo probæ monetæ, plus damni accipiet, quam emolumenti. Id vero etiam atque etiam tenendum; judicium, an utilis ſit nummus, nec ne, non cujuslibet eſſe, ſed ſummæ poteſtatis. Et vero hic ſenſus eſſe videtur conſtitutionis monetariæ imperii germanici, qua prohibetur moneta recudi. Nec enim ut verba ſonant, ita ſine ulla diſtinctione accipienda veniunt. Diſtinctione autem hac obſervata, non eſt quoque obſcurum definire: num expediat imperio germanico aureorum rhenanorum in ducatos, aut thalerorum in minutos nummos mutatio, quam nonnulli privato eum lucro haud exiguo inſtituerunt.

XVII. Quæſtio altera eſt: An, ut ex auro alchymiſtico nummi cudantur, ſit admittendum? Appello aurum alchymiſticum, quod confectum eſt ab iis, qui Chemici audiunt. De quorum ſtudio metallurgico & artificio metalla transmutandi, late diſſeritur ab ampliſſimo Præſide *l. de hermetica Ægyptiorum vetere & Paracelſicorum nova medicina cap. 3. 26. & 27.* Quod quæſtionem vero hanc attinet, jure quidem pontificio videtur prohibita omnis ex auro alchymico nummorum conflatio: ceu liquet ex *cap. ſpondent extravag. commun. de crimine falſi*, item *cap. prodiens extravag. ſingul. de crimine falſi.* Alii diverſum ſtatuunt, idque quoniam verum aurum arte chymica poteſt effici. Placet vero prior ſententia. Ut enim interdum aurum chymicum ſit probæ notæ, rariſſime tamen verum aurum ea arte efficitur: plærumque autem colore vel ſpecie aurum mentitur id, quod alchymiſtæ producunt; & quidem adeo clanculum, ut fraus animadverti non niſi a peritiſſimis artis dokimaſticæ magiſtris poſſit; atque adeo ita ſimpliciores facile decipi, & eludi poſſunt. Conſultiſſimum ergo eſt, prorſus monetam talis materiæ prohiberi, quam corruptelæ & fraudibus occultis latam aperire feneſtram. Dicet vero quis: fieri tamen poſſe, ut alchymiſtæ & verum aurum conficiant, id quod Papa negavit fieri poſſe: eoque non licere de nummis idem cum Papa ſtatuere, ſi admittas, poſſe aurum arte confici. Reſpondemus; Semper habendam in republica rationem iſtius, quod ſæpius fit, non autem perinde ejus, quod raro; plærumque vero aurum chymicum falſum eſt, dolo etiam latente. Satius itaque eſt, penitus non tantum confectionem nummorum ex tali materia, verum & ipſum ſtudium alchymiſticum e republica tollere; aut certe non cuivis permittere. Martini Delrio *l. 1. Magic. disquiſit. c. 5. q. 4. §. quarto*, hæc verba ſunt: *Ex his omnibus patet, optimam eſſe (quam ajunt Angliæ) legem, ne cui ſine permiſſu Principis, ſub pœna capitis liceat Alchymicam exercere. Quam legem expediret etiam alibi ferri: nam tum cum delectu Princeps poteſt talia permittere, conſideratis circumſtantiis prædictis. Tunc etiam ceſſarent pericula pleraque, quæ diximus.*

XVIII. Tertia quæſtio eſt: num metalla miſcere in uſum nummorum expediat reipublicæ, nec ne. Et quidem miſtio ejusmodi jam olim apud Græcos & Romanos frequentiſſima fuit: hodie vero etiam legibus alicubi recepta, cumprimis in Germania, & ad hujus exemplum in vicinis quibusque rebuspublicis. Nec tamen ante Livium Druſum æs argento additum eſt Romæ, teſte Plinio *l. 33. c. 3.* Et longe poſt Tacitus Auguſtus, pertæſus adulterinorum nummorum, (quales certe romani nummi ejus ævi ſunt tantum non omnes) capitale eſſe juſſit cum bonorum proſcriptione, *ſi quis argento publice privatimque æs miſcuiſſet, ſi quis auro argentum, ſi quis æri plumbum*: ceu narrat in vita ejus Fl. Vopiſcus. Non vero jam quæſtio eſt, quid fieri ſoleat, ſed quid ex re ſit. Eſt autem quæſtio hæc non difficilis expeditu. Primo enim videndum, num illæ civitates aut populi, quibus cum eſt commercium, admittant miſtionem in nummis & qualem. Utique enim accommodandi fuerint ad eorum mentem ſaltim illi nummi, quibus velis uti ad commercia cum exteris exercenda: atque adeo habenda fuerit & hæc miſtionis in illis nummis ratio. In ipſa civitate tua, quo minus miſtio admittatur, nihil vetat præter periculum, ne falſarii, ſive externi, ſive cives, clanculum fructum ex miſtione illa a principe, aut republica ſibi forte ſperatum, intercipiant: atque ita occulte qui depeculentur opes civitatis. Quod ſi igitur nequeat hoc vitari, ſatius eſt omitti omnem miſtionem: ſi poſſit, poteſt inſtitui, certo tamen modo & menſura obſervata. In univerſum vero, ſi non opus ſit reipublicæ, ut ex nummi pretio conſtituto lucrum capiatur, conſultiſſimum videtur, ex materie ſimplici nummos conflare: non enim miſtionis ulla eſt alia utilitas. Non vero eſt, quur impenſarum in rem nummariam factarum ergo miſtio inſtituatur, cum refundi illæ poſſint, detracto puri metalli pondere. Atque hoc eſt, quod probatum voluit ſua diſſertatione de nummis, etiam ampliſſ. Lampadius.

XIX. Cæterum de materia nummi ſatis: conſequens eſt, ut de FORMALI etiam nummi cauſſa doceamus. In anteceſſum vero ex philoſophia prima notandum eſt, formam, Aliam eſſe eſſentialem, per quam res eſt id, quod eſt; Aliam accidentalem, quæ quidem rem informat, abeſſe tamen & adeſſe poteſt ſine ſubjecti interitu. Hæc ſcilicet proprie eſt accidentalis; non illa, quæ conſtat accidente, quod appellant, prædicamentali. Sed & quæ accidentalis eſt forma reſpectu unius ſubjecti, eſſentialis eſſe poteſt reſpectu alterius. Quamvis enim hæc nonnullis poſſint videri παράδοξα, nos tamen, tanquam ſint veriſſima, credi illa merito jam poſtulamus. Hiſce notatis, dicimus, eſſentialem formam nummi in genere conſiſtere in pretio, quod accepit ex impoſitione ſummæ poteſtatis. Pretium vero conſtituere

tuere nummi eſſentiam, manifeſtum ex eo eſt, quia pretio nummus quilibet eſt nummus. Quo autem unumquodque eſt, quod eſt, id illius rei forma eſt eſſentialis. Hoc ipſum voluit ſignificatum & Paulus JCtus *l.* 1. *ff. de contrah. emt.* hiſce verbis: *Eaque materia, forma publica percuſſa, uſum dominiumque non tam ex ſubſtantia præbet, quam ex quantitate.* Quantitatis ſcilicet vocabulo (recte enim ita legi, non *qualitate*, contra Budæum bene aſtruit Duarenus) valor nummi intelligitur. Qua ſignificatione etiam Ariſtoteles 1. *polit. c.* 6. characterem appellat *τῦ πόσυ σημεῖον*. Hoc pretium vero nummus cum non habeat vi naturali materiæ vel ſubſtantiæ ſuæ, neceſſum eſt, accipiat ab impoſitione humana. Imponere autem in aliqua civitate id merito debet ſola ſumma poteſtas: utpote quum pecunia ſit ſponſor publicus, publicorum autem omnium adminiſtratio pertineat ad arbitrium ſolius ſummæ poteſtatis. Hinc tamen concludere nemini licet, in liberrimo eſſe cujusvis poteſtatis arbitrio, pretium qualecunque nummis imponere, nullo habito reſpectu utilitatis publicæ. Ut enim leges civiles ſunt quidem arbitrii humani, & in poteſtate ſummæ majeſtatis, nec tamen pro mero lubitu mutari vel conſtitui poſſunt, aut debent, ſed ſumma poteſtas tenetur illas ad Reipublicæ utilitatem accommodare, quod ni fecerit, officii curandæ reipublicæ oblita eſſe videretur: ita par eſt ratio conſtituendi nummorum pretii.

XX. Idcirco pretium formari debet ad duo illa fundamenta rei nummariæ, toties a nobis repetita. Eoque ut aptus ſit nummus commerciis (quod primum & potiſſimum eſt) ita ſe pretium habere debet, ut ne turbentur illa aut impediantur. Hinc, reſpectu exterorum, non eſt ſimpliciter arbitrarium quodlibet pretium; ſed uti ſint commercia cum exteris haud impedita, tale imponere neceſſe eſt, quale & illi exteri admittere velint, cum rejicere nummos vel accipere in illorum ſit poteſtate. Illorum autem nummorum pretium, qui uſui commerciorum inter cives ſolum inſerviunt, mutare liberius ſumma poteſtas poteſt; etiam ita tamen reipublicæ utilitatem ſemper oculis obverſantem habeat oportet. Ne ſcilicet, niſi uſus publicus id exigat, majus ſolito pretium nummis conſtituatur. Exigente vero utilitate publica, fas etiam eſſe ſimpliciter Principi intendere nummorum pretium, & hinc lucri aliquid captare, usque eſt adeo verum, ut ipſemet Gabriel Biel *l. de monetar. poteſtate concl.* 5. *dubit.* 3. id concedere fuerit coactus.

XXI. Semper vero & alterum, quod diximus fundamentum omnis rei nummariæ, in pretii impoſitione eſt obſervandum: ut nempe nummariæ rei adminiſtratio in poteſtate maneat reipublicæ rectorum. Excidit nimirum ipſorum poteſtate, niſi caute nummorum pretium conſtituatur. Quamobrem facile nec minui, nec augeri pretium nummorum in republica debet. Si enim augetur nimis, exteri fraudulenter magnam copiam talium nummorum inferunt ac pretioſiſſimas res coëmunt, maximo ſuo lucro, civium autem damno: utpote quum hi minimo, ſi recte rem conſideres, pretio ſuis rebus priventur. Si vero minuitur, tum illi exteri facile nummis noſtris inſidias ſtruunt, ut illos per quaslibet artes nobis ereptos, alibi majore pretio erogare poſſint. Pretium itaque, nec nimis intendi, nec vile admodum eſſe debet: utrumque enim cuivis reipublicæ maxime nocet, ſive populi univerſi ſalus maxime quæratur, ſive regentium tantum. Utrorumque videlicet æque intereſt, ut nummis ſit inditum mediocre & juſtum pretium. Enim vero, quamvis concedamus, licere dominantibus, ubi illorum commoda potiſſimum ſpectantur, aut publicæ utilitatis ergo in rebuspublicis, quæ in commune conſulunt, interdum lucri cauſſa nummorum ſupra materiæ bonitatem pretium augere; non tamen id, niſi raro & ad tempus utile arbitramur. Eſt certe & dominantium ſalus collocata ex parte in divitiis ſubditorum: qui ſi fuerint per rem nummariam bonis exuti, atque ad inopiam redacti, in futurum profecto non potuerunt tributo ſuccurrere dominorum uſibus.

XXII. Non poteſt tamen nummorum pretium ſimpliciter certum & perpetuum in republica conſtitui etiam ideo: quoniam non eſt certus aliquis metallorum valor, ſed pro majori vel minori illorum copia pretium quoque mutari neceſſum eſt. Eadem de cauſſa, nec perpetua aliqua & certa inter metalla pretii proportio inſtitui & ſervari poteſt. Obſervare idipſum licet, non noſtros duntaxat, ſed etiam veteris ævi mores ſi attendamus. Etenim apud Athenienſes olim inter auri & argenti pretium obſervatam fuiſſe proportionem decuplam, docet nos Pollux teſtimonio Menandri Comici. At Herodotus memorat ſuo tempore in Aſia, aurum cum argento collatum fuiſſe *τρισκαιδεκαστάσιον*, hoc eſt proportione fuiſſe unius ad tredecim. Idem in Perſia Darii Hyſtaſpis tempore fuiſſe in uſu, liquet ex eo, quod in æſtimandis tributis ſingula auri talenta æſtimaverit argenti talentis tredecim. Ex Plinio diſcere eſt, cum primum Romæ nummus aureus formatus eſt, fuiſſe proportionem auri ad argentum, quæ eſt unius ad quindecim. Patet porro ex Conſtitutionibus Cæſareis, quæ in Codice ſuperſunt Juſtinianeo, cumprimis *l. un. c. de argenti pretio l. quoties c. de ſuſceptoribus l. un. c. de coll. æris*: *iis temporibus*, (verba ſunt Franciſci Balduini JCti in Conſtantino Magno l. 2.) *argentum cum ære collatum, ſi de æſtimatione quæratur, fuiſſe centuplum: aurum vero cum argento comparatum fuiſſe prope quindecuplum: hoc eſt libram unam argenti valuiſſe centum libras æris, auri vero libram argenti libras quatuordecim ac prope dimidiam.* Sequentibus temporibus omnia hæc in Imperio illo romano immane quantum mutavere. Quæ omnia ſi velim adducere, nimis abeam ab inſtituto. Diximus vero jam ſatis etiam de forma nummi eſſentiali.

XXIII. Nunc de FORMA nummi ACCIDENTALI, quæ ejusdem ſpeciatim conſiderati etiam eſſentialis eſſe poteſt, aliquid eſt adjiciendum. Eam autem conſtituunt legitimæ quædam qualitates, quas ſummæ poteſtates Nummis imponunt. Ut nimirum nummus ex hoc vel illo metallo ſit confectus, puro vel mixto, ut tali modo, tali pondere cuſus, ut hac aliave forma ſit, aut

hoc vel alio charactere inſigniatur: quæve hiſce ſunt ſimilia. Quantumvis autem non adeo multum interſit reipublicæ, quemadmodum horum nonnulla ſeſe habeant, non temere tamen etiam in hiſce verſandum, ſed opus eſt prudentia. Et vero præſtat, etiam in hiſce conſtituendis ad illas ſæpius dictas regulas reſpicere.

XXIV. Pertinent vero ad accidentalia hæc cumprimis, nummi character, figura, magnitudo, craſſities, & numerus. De quorum ſingulis dicendum aliquid proinde eſt. Ac primo quidem ex re eſſe, ut ſigno ſive CHARACTERE aliquo nummus ſignetur, jam tum ex iis, quæ ſupra diximus, liquet. Facit nimirum character ſive ſignum, ne opus ſit nummum omnem ponderare, ceu Ariſtoteles obſervavit *l. 1. politic. cap. 6.* Magnum ergo præſtat utique character in commerciis uſum ad laborum compendium. Non tantum vero hoc præſtat, ſed etiam ſignificat quaſi pretium publica auctoritate conſtitutum. Quod alias lateret, vel certe difficulter poſſet intelligi. Unde aliud & magnum quidem commodum in commerciis, a charactere licet accipere.

XXV. Cæterum, quo charactere expediat nummum ſignare, haud parum refert ſcire. Mores enim gentium hac in re ab omni ævo admodum ſunt varii, ut ſi ad ſolos illos attendas, vix poſſis te extricare. Nolo nunc illa repetere ex antiquis aut recentibus monumentis, quum id nimis foret prolixum, & aliunde poſſint omnia peti. *Primum* ergo videtur ex uſu eſſe, ut ſaltim nomen, ſi non & ſignum ejus, cujus auctoritate nummus cuditur, imprimatur. Etenim hoc juvat non tantum ad auctoritatem & memoriam conciliandam illi, qui nummum confici facit, ſed etiam ipſimet nummo multum exiſtimationis addit. Non poteſt ſane non eo majori in reverentia eſſe nummus, quo auctorem habet majorem. *Secundo*, ſi cui multi ſint loci cudendæ monetæ deſtinati, utile videtur locum, ubi nummus confectus eſt, addere. Facit hoc ad fraudes nummarias vitandas. Si enim forte adulterinus irrepſerit, inquiri rectius poteſt in falſarium. Prudenter hoc ipſum poſt Gallienum conſtituerunt Romani Auguſti, cum rem nummariam miſerrime collapſam reſtituerent. In omnibus certe nummis obſervare eſt additum: *Trever*, *obſignatum*, aut ſimile quid. Secuti exemplum ſunt Francorum Reges, cum Merovingicæ, tum Carolinæ familiæ: ceu itidem apparet ex eorum nummis ſuperſtitibus. *Tertio* in vaſto aliquo regno, conſultum quoque videtur addi nomen ejus, qui pro tempore monetæ cudendæ eſt præfectus: idque itidem ad fraudes magis magiſque cavendas. Non invenire quidem eſt, hoc obſervatum in romano imperio, niſi ante Tiberium; poſt certe hujus veſtigium nuſquam apparet; in græcarum tamen liberarum urbium nummis nonnullis reperire id eſt, ut & in quammultis Regum Francicorum. *Quarto*, ut tempus addatur, itidem ex uſu eſt ad fraudes vitandas: non adeo multum tamen. *Quinto* imaginem addi Principis, juvat ad Principis memoriam & exiſtimationem: alias parum. *Sexto*, qui nummos conflant non ſua, ſed aliena auctoritate, par eſt, ut in ipſis nummis haud diſſimulent ſummam illam auctoritatem: quo ſcilicet huic jus ſuum maneat integrum. Idem obſervandum aliis, qui ex. gr. non a Cæſare, ſed Principum aliquo jus hoc conſecuti ſunt: cujuſmodi ſunt multæ urbes ſaxonicæ: quæ tamen Principum illud beneficium perperam hodie in ſuis nummis plane diſſimulant. *Septimo* denique nihil vetat, ſive ornamenti, ſive monumenti cauſſa ſigna quædam & inſcriptiones nummis indere. Imo faciunt ejuſmodi ad elegantiam. Quo nomine cumprimis hodieque placent nummi ſuperſtites græci & romani; horum cumprimis illi, quotquot ſeculo chriſtiano ſecundo ſunt confecti. Nihil quicquam tamen hujus juvat ad nummi meliorem uſum; itaque ſi duntaxat uſum ſpectes, omne etiam hoc omitti poteſt.

XXVI. Poteſt porro character aut eleganter exprimi, aut rudi admodum, aut mediocri modo. Prius fuit obſervatum ab Alexandri Magni usque ævo inter Græciæ plæroſque populos, deinde & apud Romanos a Julii Cæſaris potiſſimum ætate uſque ad Gallienum. Recte enim de illis Antonius Auguſtinus dialogo 1: *In antiquis nummis magna exſtant perfecta pictura ſigna, ad vivum delineatis hominibus, rebuſque tam affabre ad vivam imaginem expreſſis, ut ſupra nihil poſſit: quædam etiam nomiſmata ſic leviter exſtantia, ut in auro argentove poſtulato: alia altius exurgentia reperiuntur, & quaquaverſum, ut non in plano impreſſa ſigna ac tabula, ſed integræ ſculpta ſtatua eſſe videantur.* Idem de nummis poſt Gallienum cuſis ita loquitur: *Circumferuntur tamen omnium fere Imperatorum romanorum nummi in Juſtinianum uſque, ſed in quibus veterem illam elegantiam artificiumque deſideres. Nam quæ ab ipſa Juſtiniani ætate conflata reperiuntur, adeo inepta ſunt, ut artis nitoris atque elegantia vix vola, ut ajunt, atque veſtigium reperiatur.* Hæc ille. Habent autem ad exemplum illorum poſt-Juſtinianeorum ſeſe nummi omnium germanicorum Europæ populorum atque adeo & Francorum, fere uſque ad ſeculum tertium decimum, imo fere ſeculum decimum quintum.

XXVII. Igitur hoc jam in quæſtionem venit: quis ſignandi modus debeat obſervari, illene elegantiſſimus, an rudiſſimus iſte Poſt-Juſtinianeus, an denique mediocris, qualis obtinuit apud Romanos poſt Gallienum, ſenſim tamen in ruditatem proclinans, ad ſeculum uſque ſextum chriſtianum circiter, qui noſtro hodierno modo per eſt affinis. Cæterum prior ille modus, perquam ſumptuoſus indubie fuit. Ut propterea multi negent, nummos ex illo ævo ſuperſtites, fuiſſe veros & in commercium venientes nummos. Verum hanc quidem ſententiam facile confutaveris multiplici argumento. Magnas tamen impenſas tum factas in nummos, nimium quantum patet. Operæ fuerit pretium de illa nummorum confectione ex Lælii Paſqualini mente differentem legere Villalpandum tomo IV. ad Ezechielem, ſive *apparatu urbis ac templi parte 2. diſput. 2. cap. 13. pag. 357.* Quantum numerum monetariorum ſervilis generis coacti fuerint in id alere Romani, vel ex eo colligere eſt, quod conſpiratione facta alicubi monetarii non dubitarint

armis

armis confligere cum Aureliano Imperatore: in quibus comprimendis ſeptem millia Hiberorum, Ripariorum, Caſtrianorum & Daciſcorum militum periiſſe, Auguſtus ipſe quadam apud Vopiſcum epiſtola profitetur. Meminit hujus belli præter Vopiſcum, Eutropius, Victor, Paulus Diaconus, imo & Suidas voce Μονετάριοι. Et tamen multum jam decreverat priſca nummorum romanorum elegantia. Ut veroſimile ſit, antehac corpora monetariorum adhuc fuiſſe numeroſiora. Cum tantis impenſis itaque ſteterit vetus illa nummaria elegantia, non videtur conſultum reipublicæ alicui, illam temere æmulari. Indubie enim neceſſum eſt, ipſos nummos cari nimium fieri pretii; quoniam impenſæ factæ in nummorum confectionem, ne ærarium gravetur, ex nummis ipſis recipiendæ fuerint. Si autem hoc nolis, non poteſt non ærarium publicum ex re nummaria ingens capere detrimentum. Quod non temere prudens ſuaſerit. Ex adverſo tamen, nec poſt Juſtinianea illa rudiſſima nummorum ſignatio reipublicæ bene conſtitutæ convenit. Utique enim elegantia decet quamlibet felicem civitatem, non minus ac privatum quemvis, ſi ſit intra modum. Igitur omnino videtur præferenda illa ſignandi ratio, quæ hodie obtinet: quîcum fere convenit illa, quæ poſt Gallienum introducta fuit apud Romanos, atque ſeculo etiam chriſtiano quarto integro obtinuit, & eſt ſine magno onere.

XXVIII. FIGURA certa & lege conſtituta, videtur itidem perquam utilis eſſe. Ita ſane caveri quam maxime poterit fraudulenta nummorum raſio & circumciſio. Certe ſcelera illa poterunt ita quam citiſſime deprehendi. Eſt autem eam in rem figura rotunda omnium utiliſſima. Quo etiam factum, ut hæc figura moratioribus quibusque rebuspublicis omnis ævi hactenus præ aliis placuerit. Et vero hodie a nullo populo videas hac in re multum peccari, præterquam ab Hiſpanis in conficiendis nummis quibusdam argenteis

XXIX. MAGNITUDINEM quod attinet, (qua & pondus comprehendimus) ex uſu commerciorum facile illam definire licet. Etenim & vilia & pretioſa emenda & vendenda veniunt, eoque ea magnitudine debent in civitate nummi reperiri, quæ omnium horum commerciis poſſint inſervire. Vilis ſane pretii nummi multum proſunt pauperum cumprimis uſui, caventque haud parum rerum quarundam caritati. Igitur intereſt reipublicæ, ne tales deſint. In uſum paulo pretioſorum commerciorum, itidem conficiendi nummi fuerint: idque per aliquot gradus. Nec tamen ſola minuta pecunia conficienda eſt. Quantumvis enim minuti nummi numero tandem pretium magnum æquent; attamen & labore multo opus eſt ad numerandum, & inter numerandum facile error committitur. Qua parte laborat hodie Ruſſorum reſpublica: utpote quæ domeſticam quidem pecuniam argenteam non niſi minutam habeat, forte præ argenti inopia, magno incommodo commerciorum.

XXX. Igitur & majores nummi in civitate haberi debent. Ac Romani quidem aureos raro confecerunt, qui ſuperent noſtros ducatos duos. Nec enim moror monſtrum illud hominis Elagabalum; utpote cujus inſaniam mox correxerit ſucceſſor Alexander Severus. De eo negotio Lampridius in vita Alaxandri ita loquitur: *Formas binarias, & quaternarias, & denarias etiam, atque amplius, usque ad bilibres quoque & centenarias, quas Elagabalus invenerat, reſolvi præcepit, neque in uſu cujusquam verſari; atque ex eo his materiæ nomen inditum eſt.* Senſus obſcurior eſt, eoque varias interpretationes patitur. Videntur autem, per *formas* illas intelligendi aurei duplicati, quadruplicati, decuplicati, centuplicati, & bilibres. Quas formas reſolvi juſſit Alexander. Imo primus hic minuit multum aureorum magnitudinem, quamvis jam Plinius dixiſſet *l. 33. c. 3. paulatim Principes auri pondus imminuiſſe.* Ita enim de Alexandro Lampridius: *tuncque primum ſemiſſes aureorum formati ſunt: tunc etiam, cum ad tertiam partem auri vectigal decidiſſet tremiſſes; dicente Alexandro, etiam quartarios futuros, quod minus non poſſet.* Ab Alexandri ſcilicet ævo usque raro comparent hodie aurei romani priſcæ magnitudinis; ſed eorum ſemiſſes, qui poſt ſolidi appellati ſunt, De quorum legitimo pondere præclare diſſerit Covarruvias *l. de veterum numismat. collatione cap. 3.* quum alii viri eruditi multos hîc errores commiſiſſent. Nec vero majores aurei videntur fuiſſe in commerciorum uſu. Quanquam haud negaverim, in oſtentationem & donaria, majores multo aureos a nonnullis Cæſarum confici ſolere. Teſtatur enim Paulus Warnefredus *l. 3. de geſtis Longobardor. cap. 13.* a Tiberio ſecundo per legatos Hilperico Francorum Regi, præter alia donaria, miſſos *aureos ſingularium librarum*, ut anctor ille loquitur. Cui fini & Perſarum quondam Reges ac Macedonum, aliorumque Græcorum, videntur item confeciſſe grandiores illos aureos, quos *regale nomiſma* appellat Horatius; quanquam haud exceſſerint magnitudinem eorum, quos portugallicos dicimus. Ceu obſervare etiam eſt in illo Lyſimacho ampliſſimi Præſidis theſauro nummario reperitur. Argenteorum magnitudo, apud Romanos denarium haud exceſſit. Æreorum triplex fere fuit magnitudo: donec Valerianus, Gallieni pater, eos in minorem formam contraxit, ita, ut ex illo tempore majoris formæ ærei hodie vix ulli compareant. Conſtantini Magni inſtituto longe adhuc minores videntur cæpiſſe ærei: quorum copia abunde ſuperat.

XXXI. Cæterum non eſt, quod ad romanum exemplum respublica quævis ſuam rem nummariam inſtituat: attendenda potius ſimpliciter eſt utilitas publica commerciorum, qui unicus eſt nummi ejus, qui vere eſt nummus, ſcopus & uſus. Igitur aurei quidem bilibres, aut librales, aut ſimpliciter quales Elagabalus juſſit confici, non videntur ad commercia quidem eſſe utiles. Rarius enim tam pretioſa veniunt in commercium; & poteſt res omnis confici nummis minoris precii. Sufficere vero videntur, quales Anglia cudit Roſæ nobiles, aut duplices ducati, qui reſpondent aureis antiquis Romanorum, aut ducati ſimplices. Quod genus monetæ Ve-

neti conſtituerunt, ad exemplum ſolidorum: quales illi tandem fuerunt, declinante orientali Romanorum imperio. Argenteos unciales ignoravit omne vetus ævum. Nec enim ipſi Hebræi argenteum majorem Siclo agnoverunt: fuit autem Siclus non niſi τετράδραχμος. Attici porro & Alexandrini, & alii nonnulli Græcorum, τετραδράχμους quosdam argenteos habuerunt: ultra nihil. Primi Germani, vix tamen ante ſeculum ſuperius decimum ſextum, grandioris formæ argenteos cæpere conficere; non ejusdem vero magnitudinis, donec publica imperii lege probata fuit illa magnitudo illudque pondus, quo hactenus majores argentei, in valle joachimica, Bohemiæ urbe, fuerant confecti jam ab anno usque ſuperioris ſeculi octavo decimo. Germanorum exemplum ſecuti ſunt vicini populi, nonnihil diverſa tamen a joachimicis, ſive legitimis thaleris, magnitudine. Uſus vero ipſe docet, perquam utilem & commerciis commodam eſſe magnitudinem iſtam argenteorum majorem: cumprimis ex quo invaluit locupletiorum commerciorum agitatio. Ubi ſane commercia magna non exercentur, (ut olim apud Græcos & Hebræos) τετράδραχμοι nummi videntur ſufficere. Æris quoniam exiguum eſt pretium, magnitudo inſignior æreorum nummorum incommoda eſt: nimium ſcilicet pondus & magnitudo nimia gravat contrahentes, ita ut non facile nummi iſti majores de loco in locum queant transferri: quod commerciis multum incommodat. Satius igitur eſt, eorum loco uti nummis argenteis & aureis. Quod ſi tamen horum juſta deficiat copia, contra civitas abundet ære, ferendum aliquid eſt incommodi, & nihil vetat grandioris magnitudinis æreos conficere. Quale quid in Sueciæ regno prudenter eſt inſtitutum; æreorum nonnullorum ea magnitudine admiſſa, ut unus centum etiam thaleros pretio adæquet. Quamvis gens nulla alia, ab omni retro memoria, iſtius magnitudinis æreos unquam conflaverit.

XXXII. CRASSITIES nummi qualis eſſe debeat, haud difficulter definiri poteſt. Satis eſt ſcilicet, ſi nummus ea ſit craſſitie, ut facile frangi nequeat. Amplitudo itaque nummorum ſpecioſa quidem eſt; conſulendum tamen illi ita eſt, ne tenuitatis cauſſa nummus fractu ſit facilis. Qua in re ſupra, quam credi poteſt, peccatum eſt a germanicis & ſarmaticis populis, circa nummos argenteos, per aliquot ſecula: donec ſeculo tertio decimo nonnihil mutavit vitium. In tenuiſſimas enim laminas diduxere argentum, & amplitudine quidem inſigni, at rudiſſimo charactere: quod nos docent ex antiquis illis temporibus nummi ſuperſtites.

XXXIII. COPIA denique omnis generis nummorum, itidem vacat difficultate, ſi uſum commerciorum ſpectemus. Alibi ſcilicet commercia perexigua ſunt in univerſum: Alibi potiſſimum vilia in commercium veniunt: Alibi commercia etiam magna & opulenta inſtituuntur. Hinc manifeſtum eſt; non ubivis, aut in omnibus civitatibus, copiam nummorum, ſive in univerſum, ſive hujus aut illius generis, eandem oportere eſſe; ſed pro diverſitate varia locorum aliam atque aliam. Quin tamen in communi tanta ſemper eſſe debeat, quanta requirit cujusque loci commerciorum ratio, caret dubitatione. Cumprimis vero ſtudendum eſt, ſi in vicinia nummi ſint improbi, ne quis nummorum ſit defectus. Alioquin enim vicini illi nummi neceſſum eſt ut veniant in uſum: quo civitas improbis nummis non poterit non laborare. Verum de iis, quæ ad formalem nummorum cauſſam cum eſſentialem, tum accidentalem, attinent, fortaſſe plus ſatis.

XXXIV. Nunc tandem ad cauſam EFFICIENTEM quoque accedendum nobis erit. Sciendum vero, quod cauſſa efficiens alia ſit principalis, alia minus principalis atque inſtrumentalis; Hæc alia animata, alia inanimis. De ſingulis ergo & hic aliquid conſiderandum, quatenus nobis uſui eſſe poſſint.

XXXV. Cauſa EFFICIENS principalis nummi eſt ſumma reipublicæ cujusvis poteſtas; utpote cui ejusdem conficiendi jus incumbat, & a qua tota res nummaria dependeat. Idque non immerito. I. Enim ad ſummæ poteſtatis curam pertinet, ut quantum fieri poſſit, cives omnes feliciter vivant. Ad vitam vero felicem Ariſtoteles recte paſſim requirit, ut quantum neceſſe eſt ad operationes virtutum, tantum divitiarum cives habeant; jam vero opum bonam partem nummi conſtituunt; manifeſtum ergo eſt, nummorum curam potiſſimam a ſumma poteſtate non ſolum omitti non debere, ſed eo diligentius eam ſuſcipiendam, quo utilior reipublicæ eſt. II. Utique ſummæ poteſtatis eſt videre, ut cives per commercia poſſint ſibi comparare, quibus opus eſt ad vitam. Fit autem hoc maxime beneficio nummorum, ſi quidem illi recte ſeſe habeant. Summæ itaque poteſtatis etiam eſt dare operam, ut res nummaria in civitate recte ſit compoſita. Eſt III. ſummæ poteſtatis officium, ut juſtitia, qua virtute omnis reſpublica maxime conſiſtit, recte adminiſtretur, fraudes & corruptelæ quam longiſſime eliminentur. Quod vero in omni re eſt neceſſarium, in re nummaria omitti certe nec debet, nec ſine detrimento maximo reipublicæ poteſt. Niſi ſane res illa recte curetur, qui doli, quæ fraudes, quæ circumventiones committi non poſſint?

XXXVI. Quamvis vero hæ rationes potiſſimum evincant, curam rei nummariæ ad ſummam poteſtatem civilem illam, quæ ſpectat utilitatem civium, pertinere, facile tamen apparet, iisdem id probari poſſe etiam de illa ſumma poteſtate, quæ non tam populi, quam ſuum commodum quærit. Intereſt enim etiam dominantium, ut ſubditorum opes recte ſeſe habeant, ut ſubditi poſſint inſtituere commercia, ut denique ſubditorum alter alterum non defraudet. Si ſane ſubditi multum in bonis habeant, poterunt illi dominantibus multum contribuere: egebit contra dominus, ſi ſubditi fuerint pauperes. Unde obiter patet, quam illi dominantium commodis male conſulant, qui quæſtum ex nummis cudendis petendum cenſent, etiamſi ſubditorum res &

com-

commercia hinc magnam capiant noxam: ne nunc dicam, quam illi conſultores ſint impii & improbi, ſi tale quid ſuadeant, ubi reſpublica erat inſtituenda ad populi ſalutem, exigentibus ita legibus publicis & principum ſanctis promiſſis, & cum populo initis conventionibus.

XXXVII Adeo porro clare patet, curam rei nummariæ primario ad ſummam cujusque reipublicæ poteſtatem pertinere, ut in moratioribus quibusque civitatibus accurate id ipſum fuerit obſervatum pene omni ſeculo. Et vero ne in regnis mixtis quidem, qualia fere fuerunt omnia olim germanicorum populorum, temere Reges hoc jus paſſi ſunt ſibi eripi. Hinc inter regalia longobardica ſemper numerata fuerunt *cudendæ jura monetæ*. Factum idem in Germania: niſi quod multis a Rege ſeu Cæſare germanico jus hoc commune ſit factum; qui tamen omnes agnoſcere coguntur, jus ſibi hoc privilegii inſtar a Cæſare conceſſum eſſe. Sed & de re nummaria accuratiſſimæ leges publicæ ſunt conditæ, auctoritate comitiorum imperii: & tametſi ſinguli circuli habeant quoque hanc curam, tamen in confeſſo eſt, nou niſi poteſtate quadam demandata, ad circulos iſtam curationem pertinere. Multo magis perſpicuum id eſt in regnis germanicorum populorum aliis, atque adeo & in Sueciæ regno. Cumprimis illud videre eſt in omnibus regnis magis monarchicis; qualia ſunt Aſiæ & Africæ omnia.

XXXVIII. De nummaria itaque cauſſa efficiente principali in qualibet republica, ſic conſtat. Nummorum CAUSÆ MINUS PRINCIPALES ſunt ii, quibus condendæ jura monetæ a ſumma poteſtate ſunt conceſſa, reliqui item omnes, qui rei nummariæ quicquam operæ conferunt. Principio autem merito in quæſtionem venit; ntrum expediat reipublicæ, facere multis poteſtatem monetæ cudendæ. Non dubitamus autem affirmare, id uoxium eſſe. Idque propterea, quoniam in multos diffuſa illa poteſtate, difficulter vitari poteſt magna nummorum varietas pariter & facillima ratio adulterandi. Quod utrumque commerciis multum officit. Si ſane poteſtas illa fuerit communicanda, intererit reipublicæ æquali lege ſevere omnes illos coërcere. Quoniam vero poſterius hoc effectu eſt difficilius, præſtat prius. Quod fuit quondam a Mecœnate etiam datum Auguſto conſilium: quanquam minime id fuerit ille quidem ſequutus. Viderunt vero ſequioris ævi Cæſares noxam illius indulgentiæ. Itaque Valentiniani, Theodoſii & Arcadii talis prodiit conſtitutio, quæ inſerta eſt Cod. de falſa moneta: *Si quis ſuper cudendo ære, vel reſcripto aliquo, vel etiam adnotatione noſtra, ſibi arripuerit facultatem, non ſolum fructum propria petitionis amittat, verum etiam pœnam, quam meretur, excipiat.* Quæ lex Leonis VI. nomine repetita eſt in Baſilicis l. 6. tit. 60. cap. 1. & Conſtantini Porphyrogenitæ nomine in eclogis baſilicorum tit. 60. Imo & Michaëlis VII. nomine exſtat apud Michaëlem Attaliotam in ſynopſi *juris tit.* 56.

XXXIX. Fuit vero, quod leges nummariæ deeſſent, perturbatiſſima olim nummariæ rei ratio etiam apud Romanos, donec primum Marius Gratidianus Prætor rem illam communi collegii ſententia conſtituit, edictumque de ea promulgavit. Quo nomine meruit vicatim ſtatuas, quæ thure & cereis honorabantur, ut Cicero teſtatur. Eo tempore autem ſic jactatus erat nummus, ceu idem Cicero loquitur, *ut nemo ſcire poſſet, quid haberet.* Aſconius Pedianus teſtis eſt, legem corneliam nummariam fuiſſe de moneta, ne cui privato fas ſit pecuniam conficere. Meminit quoque ejus legis Cicero verrina tertia. At non fuiſſe legem illam ſancte obſervatam, produnt nummi complures romani ex ævo priſco ſuperſtites. J. Cæſaris & Auguſti ætate videtur potiſſimam cudendorum nummorum poteſtatem fuiſſe penes triumviros, dictos monetales A. A. A. F. F. h. e. *auri argenti æris flandi feriundi.* Idem jus autem videtur datum & Imperatoribus bellicis. Donec primus Tiberius auri & argenti ſignandi poteſtatem ad Auguſtos, & qui Cæſares dicebantur, traxit, ſenatui romano æris ſignandi poteſtate relicta. Quod ex eo in legem quaſi abiit: niſi quod Trajanus argenti ſignandi jus videatur etiam ſenatui ad breve tempus conceſſiſſe, ceu ex ſuperſtitibus denariis apparet: donec ſeculo tertio omne omnino etiam æris ſignandi jus ſenatui ereptum eſt. In quod usque tempus videntur multæ quoque urbes græcæ retinuiſſe nummi condendi jus: ceu docent nummi reliqui: quorum nullus tamen non multum ſeculo quarto eſt vetuſtior. Cæterum, poſt Gallienum Cæſares, nimium confuſa nummariæ rei ratione moti, ad ſeſe ſolos omnem nummorum curam revocavere. Eoque non temere deinceps eſt reperire, quem uummum intra imperi romani limites cuſum, niſi auctoritate ſolorum Auguſtorum & Cæſarum. Reliquis omnibus adempta tandem plane omnis etiam eſt exſpectatio juris illius impetrandi, ceu patet ex conſtitutionibus paulo ante adductis.

XL. Nusquam vero terrarum ea in re magis periculoſe peccatur, quam in Germania. Durante tamen carolino Francorum regno, dixeris nemini præter Regem fas fuiſſe nummos cudere. Superſunt enim quidem nummi per Epiſcopos cuſi cum imagine Caroli Magni: fortaſſis tamen in memoriam tanti Regis id factum eſt diu poſt. At nimia liberalitate Ottonum, cum pluribus mox Epiſcopis, inde & cum Ducibus, jus hoc nummorum communicatum eſt. Urbibus ſeriua id datum, & quidem partim a Principibus, partim a Cæſaribus. Qua in re plerique Principum adeo male ſibi conſuluerunt, ut urbes ſubditæ ita nummos ſignent, quaſi ea in re Principibus ſuis nihil debeant. Laboravit antehac ſimili vitio & Francorum occidentale regnum: donec tandem cedere coacti ſunt fere omnes hoc jus uni Regi ſuo: quo regnum illud iſthac ex parte eſt integritati reſtitutum. Cautum vero etiam in Germania Imperii lege, uti quisquis deprehenſus fuerit adverſus leges publicas peccaſſe in moneta cudenda, ei jus illud eripiatur. Ceu videre eſt in decretis auguſtanis 1565. Non temere etiam quamvis pœnitenti reddendum illud jus eſſe, ſcitum eſt in comitiis ſpirenſibus anno 1570. Idem in leges capitulares Cæſarum denique

receptum jam ab anno 1612, & deinceps ſemper repetitum: quamquam parum obſervatum, magno Imperii malo.

XLI. Ubi vero communicatum ita eſt monetæ jus cum multis, quemadmodum reipublicæ quam optime tamen poſſit conſuli, merito quæritur. Videtur autem id commodiſſime fieri poſſe, *Primo*, ſi leges communes conſtituantur, quas ſinguli teneantur accurate obſervare. *Secundo*, ſi unusquisque teneatur nomen ſuum monetis a ſeſe cuſis addere: quo ſcilicet ſtatim poſſit adverti, recte an ſecus quilibet ſeſe geſſerit. *Tertio*, ſi graviter animadvertatur in ſontes, imo iis jus cudendæ monetæ eripiatur. Quæ omnia prudenter legibus etiam in Germania ſunt conſtituta; etſi leges illæ minus ſancte obſerventur, ceu jam ante dictum eſt.

XLII. Pergendum nobis eſt ad alias minus principales effectrices nummorum cauſas. Inter eas vero primo omnium occurrunt ipſi MONETARII. Atque horum quidem conditionem vilem fuiſſe & ſervilem apud Romanos, ſaltim a ſeculo usque ſecundo chriſtiano, plurimis licet oſtendere indiciis, petitis ex ipſo codice juſtinianeo pariter & theodoſiano. Alibi gentium idem olim fuiſſe obſervatum, nullo certo conſtat documento. Hodie paſſim terrarum non ingenui duntaxat cenſentur, ſed etiam in Germania multis immunitatibus & honoribus lege publica decorati. Quid hujus maxime expediat reipublicæ, merito in disquiſitionem trahendum eſt. Videtur autem nihil temere excogitari poſſe, quamobrem conducat reipublicæ ſervilis monetariorum conditio. Ex adverſo quum homines ingenui plerumque ſoleant virtute præcellere ſervis, ex re potius videtur eſſe ille, qui nunc mos obtinet. Enimvero opus eſt præſtante juſti cura, ne quid a monetariis fraudulenter committatur: ab illo autem honeſti gradu, multitudo ſervilis, ut plurimum ſolet abeſſe. Quin imo veroſimile eſt, inter alia hanc quoque fuiſſe cauſam perpetuo apud Romanos laborantis rei nummariæ; quod nimirum formandæ monetæ cura, ſervilis ſtatus hominibus fuerit concredita. Nec vero a Procuratoribus monetæ (quales quidem fuiſſe locis monetæ publicæ primarius conſtitutos, ex notitia imperii occidentalis apparet) occultæ doloſorum hominum fraudes caveri, aut ſatis animadverti potuerunt.

XLIII. Ad cauſam porro minus principalem effectricem nummorum pertinent etiam INSTRUMENTA INANIMATA, quibus opus eſt ad formandum nummum. Solent vero in ſignandis nummis aliì uti malleis, aliì torcularibus. Quidnam igitur hujus utilius, itidem videndum eſt. Ac torcularis uſus quidem a nonnullis improbatur, eo quod anſam præbeat clanculum conficiendi nummos nequam: cum malleus etiam ex longinquo indicet artificium. Verum enimvero levis hæc eſt anſa falſandi nummi: & cum caveri, tum deprehendi ſcelus illud poteſt multis aliìs modis: uti ad malleum confugere haud ſit neceſſum, Igitur non quidem eſt improbandus mallei uſus: cum tamen torcularis ope & nitidiores nummi queant confici & minore impenſa, quam per malleum, torcular malleo præferre haud dubitamus.

XLIV. HACTENUS, quæ pertinent ad nummorum in republica quavis rectam confectionem, ſecundum quatuor cauſſarum genera expedivimus. Eſt autem proxima cura conſervare recte confecta nomiſmata, nec minoris virtutis. Officiì igitur noſtri eſt videre etiam, quid conducat ad CONSERVATIONEM rei nummariæ. Acprimo quidem quomodo caveri nummorum adulteria; Deinde qua ratione nummi boni in republica retineri poſſint, erit explicandum. Ut adulteria autem caveantur, non unum videtur remedium eſſe. *Primum* eſt: ſi auctoritate civitatis conſtituantur in republica, qui quam diligentiſſime nunquam non in nummorum legitimam bonitatem inquirant, ac vitia nummorum ſummo ſtudio explorent. Vitium ſcilicet omne nummorum conſiſtit potiſſimum vel in pondere, vel materiæ qualitatibus, ſi illæ ſeſe non habeant ſecundum legum præſcriptum. Quod in pondere committitur, cognitu facillimum eſt, etiam homini rudi: poſterius vero difficiſius longe animadvertitur. Metalla enim omnia ita tingi, miſceri & conjungi poſſunt, ut imperitiori cuiquam non poſſit de dolo ſubolere.

XLV. Cæterum olim quidem videtur difficile factu fuiſſe, commiſſam forte in metallorum miſtione fraudem advertere. Apud Græcos ſane defuiſſe illam artem, indicio eſt illud Archimedis rude inventum, ſuper corona aurea Regis Hieronis: quod narrat Vitruvius. Apud Romanos quoque ſerius artem probandi monetam cœpiſſe, & quidem denique Marii Gratidiani ætate aliquid artis traductum in uſum, diſcere eſt ex Plinii l. 33. cap. 9. Verba ejus ſunt: *Igitur ars facta denarios probare: tam jucunda lege plebi, ut Mario Gratidiano vicatim totas ſtatuas dicaverit.* Qualis vero illa fuerit ars, incertum eſt. Et vero placet nonnullis eruditis non aliam fuiſſe, quam artem incidendi margines nummorum. Verum enim vero licet quidem hodie paſſim reperire denarios romanos ita inciſos, quos proinde credunt eſſe illos, qui in Taciti libello de moribus Germanorum ſerrati appellantur, cum tamen potius ibi mendoſa ſit lectio, legendumque pro ſerratis *ratitis:* quoniam tamen illa probandi nummos ratio ſit perquam rudis, ſæpe etiam fallat, ſi oræ nempe ſeſe habeant bene, at corpus nummi internum laboret, quod in denariis antiquis romanis perſæpe eſt obſervare, denique inciſione etiam pars bona nummi pereat: non profecto eſt veriſimile, rude adeo inventum ſtatuis vicatim poſitis a romano populo dignum habitum eſſe. Igitur omnino a Mario illo Gratidiano ſubtilius aliquod artificium inventum eſſe, probabile eſt. Quod ſcilicet Perſius ſignificare voluit, ſcribens:

- - - Et veri ſpeciem dignoſcere calles,
Ne qua ſubarato mendoſum tinniat auro.

Vi-

Videtur tamen, quicquid fuit artis, non multum profeciſſe. Etenim æs ab auro ſeparari non potuiſſe etiam Ulpiani ævo, conſtat ex *l. 5. §. 1. ff. de rei vindicatione.* Æs tamen ab argento ſejungere, notum fuiſſe, liquet ex hiſce verbis Calliſtrati l. lacus ff. de acquirendo rerum dominio: *Si ære meo & argento tuo conflato, aliqua ſpecies ſacta ſit, non erit ea noſtra communis: quia cum diverſa materiæ æs atque argentum ſit, ab artificibus ſeparari, & in priſtinam materiam reduci ſolet.*

XLVI. Quicquid vero & hujus ſit: utrum etiam poſt Marium Gratidianum fuerint in republica romana veteri conſtituti examinatores monetarum, incertum videtur. Seculo quarto fuiſſe per ſingulas civitates conſtitutos ponderatores auri, conſtat quidem ex Juliani Auguſti *l. 2. cod. de ponderatoribus & auri illatione*, hiſce verbis: *Quotiens de qualitate ſolidorum erta fuerit dubitatio, placet, quem ſermo græcus zygoſtatam appellat, per ſingulas civitates conſtitutum, qui pro ſua fide atque induſtria neque ſallat, neque fallatur, contentionem dirimere.* Utrum vero ille Zygoſtates fuerit etiam exacte peritus probandi latentia ſolidorum vitia, haud facile dixeris: per tamen eſt veroſimile. Itaque & de tali quodam artifice videtur loqui conſtitutio Theoderici Oſtogothorum Regis apud Caſſiodorum l. 7. Variar. c. 32. *Pecuniam*, inquit, *non ſinimus fæculenta permixtione fieri contemptibilem, ne iterum in antiquam cognoſcatur redire vilitatem. Proinde Te, cujus nobis eſt laudata integritas actionis, ab illa indictione per juge quinquennium, monetæ curam habere præcipimus, quam Servius Rex in ære primum impreſſiſſe perhibetur, ita ut tuo periculo non dubites quæri, ſi quid in illa fraudis potuerit inveniri. Nam ſicut caſus aſperos ſubibis, ſi quid fortaſſe deliqueris, ita irremuneratum non relinquetur, ſi te egiſſe inculpabiliter ſenſerimus.* Hactenus Theodericus Rex.

XLVII. Cæterum hodie, exquiſitiſſima ars metalla omnia explorandi in promptu eſt. Ita ut nunc ejusmodi δοκιμασταὶ poſſint facile conſtitui. Nec vero id neglexit etiam Germania. Ubi jam anno ſuperioris ſeculi quinquageſimo nono cum generalis quidam docimaſta, tum ſpeciales alii multi, quos Guardeinos vocant, lege imperii publica ſunt conſtituti. Ex re autem fuerit reipublicæ, omnes illos docimaſtas juramento aſtringere. Id quod itidem in Germania lege publica eſt conſtitutum. Germaniæ autem exemplum hac in re multa etiam alia regna & respublicæ ſequutæ ſunt: quæ inter eſt & regnum Sueciæ.

XLVIII. *Alterum* conſervandæ rei nummariæ remedium videtur poſitum in eo, ut caveatur, ne qui illegitimi nummi in republica tua conficiantur. In id conſultiſſimum videtur, monetarios artifices omnes graviſſimo jurejurando ad faciendum officium compellere: & in eos, ſi perjuri nummum falſaverint, acerbiſſimis ſuppliciis animadvertere. Prius hodie in Germania cæpit obſervari, & ad illius exemplum, etiam paſſim alibi. Olim apud Romanos fuiſſe in uſu, non perinde liquet. At vero jam tum graviſſimas pœnas monetarum adulteratoribus fuiſſe conſtitutas, plurimis licet indiciis ex pandectis pariter & codice intelligere. Jam nimirum *lege cornelia fuit cautum, ut qui in aurum vitii quid addiderit, qui argenteos nummos adulterinos flaverit, falſi crimine teneri.* l. 9. ff. de lege cornelia de falſo. Similiter *lege julia peculatus cautum eſt, ne quis in aurum, argentum, æs publicum quid indat, neve immiſceat, neve que quod cudatur, immiſceatur, faciat ſciens dolo malo, quo id pejus fiat:* l. 1. ff. ad leg. jul. peculatus Valentinian. II. & Theodoſius I. Cæſares falſæ monetæ reos majeſtatis crimine teneri obnoxios, conſtituerunt. *l. 9. cedic. theodoſ. tit. 21. l. 9.* Extant porro præclaræ in hanc rem conſtitutiones Cæſareæ etiam in codice juſtinianeo *tit. de falſa moneta.* Severiſſima eſt Conſtantini Maximi ſimul vero & reipublicæ omni utiliſſima, præſertim ſi vitium nonnihil inoleverit. Recitabimus ex lege 2. quædam ejus verba, quo ad illud exemplum prudens legiſlator poſſit reipublicæ ſuæ eo promptius conſulere: *Si quis nummos falſa fuſione formaverit, univerſas ejus facultates fiſce noſtro præcipimus addici. In monetis enim tantummodo noſtris cudendæ pecuniæ ſtudium frequentari volumus: cujus obnoxii, majeſtatis crimen committunt, & præmio accuſatoribus propoſito, quicunque ſolidorum adulter poterit reperiri, vel a quocunque fuerit publicatus, illice omni dilatione ſummota, flammarum exuſtionibus mancipetur.* Hactenus Conſtantinus Maximus. Expendi porro meretur ejusdem Conſtantini lex etiam prima. Obſervandum vero, videri Auguſtum illam ignis pœnam non ſimpliciter omnibus monetæ adulteratoribus, ſed tantum aureorum ſive ſolidorum dictaſſe. Idem ſane Auguſtus in codice theodoſiano l. 1. tit. 21. lib. 9. aliis falſariis longe mitiores pœnas decernit. Verba ſunt: *Quicunque adulterina fecerit numiſmata, pœnam pro diſcretione ſexus & conditionis ſuæ diverſitate, ſuſtineat: hoc eſt, ut ſi decurio, vel decurienis ſit filius, exterminatus genitali ſolo ad quamcunque in longinquo poſitam civitatem ſub perpetui exilii conditione mittatur, ac ſuper facultatibus ejus ad noſtram ſcientiam referatur: Si plebejus, ut rebus amiſſis perpetua damnationi dedatur: ſi ſervilis conditionis, ultimo ſupplicio ſubjugetur.* Quæ magnam partem conveniunt cum iis, quæ habet Paulus JCtus *l. 5. ſententiar. tit. 25. §. 1.* Simpliciter tamen omnibus monetæ adulteratoribus in Germania *ordinatione criminali Caroli V. art.* III. pœna ignis dicta eſt, ut & in Hiſpania, ceu legere eſt *Partitar. l. 7. t. 7. l. 9.* In Gallia adulteratores in univerſum, in aqua cum oleo fervente ſive bulliente ſuffocantur: quod ex Julio Claro notat D. Gothofred. *ad l. 2. cod. de falſa moneta.*

XLIX. Mitius tamen multo alibi in falſarios iſtos animadverſum eſt. Apud Ægyptios enim falſæ monetæ convictis non niſi manus præcidebantur, ut Diodorus Siculus narrat *l. 2.* Eadem plane pœna placuit poſt Juſtinianum pleriſque Cæſarum conſtantinopolitanorum; ceu legere eſt apud Harmenopulum *Proch. leg. l. 6. tit. 14. §. 1.* & Michaëlem Attaliotam in *ſynopſi juris tit. 86.* Imo & in ipſis Baſilicis *lib. 60. tit. 60.* & Ecloga Baſilicor. *lib. 4. tit. 60. cap. 1.* Placuit etiam

etim Ludovico Pio Francorum Auguſto Regi; quod legitur apud Anſegiſum *l. 4. capitular. tit. 33.* In Africam quoque tranſiiſſe hoc genus pœnæ, liquet ex eo, quod in deſcriptione Feſſæ *l. 3.* memorat Leo Africanus de Feſſanis Alchymiſtis: *Scopum eorum fere eſſe ſolere, adulterinam cudere monetam: quare horum maximam partem Feſſæ manu truncata reperiri.* Quandoquidem vero falſatio monetæ crimen eſt omni furto gravius, & reapſe involvit crimen læſæ majeſtatis, non videtur ex re eſſe, miti adeo pœna in ſontes animadvertere: ſed omnino ſaltim capitali aliquo ſupplicio ſcelus illud puniendum eſt, ſi velis forte igne abſtinere; quod tamen cur velis, nihil eſt cauſſæ.

L. Aliud plane remedii genus malo huic cavendo quondam ſuggeſſit Auctor libelli, qui notitiæ imperii eſt ſubjectus; videtur autem vixiſſe arcadii & honorii temporibus. *Ut nimirum opifices monetæ redacti undique in unam inſulam congregentur, nummariis & ſolidorum uſibus profuturi, a ſocietate videlicet contiguæ terræ prohibiti, ne commixtionis licentia fraudibus opportuna integritatem publicæ utilitatis obfuſcet.* Verum hoc quidem conſilium parum juverit. *Primum* enim corrumpi moneta quam maxime ſolet clam ab iis, qui extra corpus publicum ſunt monetariorum: itaque quamvis bene ſeſe geſſerint monetarii publici, tamen adulterari moneta poteſt. *Secundo* non ubivis ea eſt locorum commoditas, ut in inſula aliqua poſſis monetarios concludere. Ac proinde id quidem conſilium, quamvis laudandum fuerit, non tamen niſi paucis in locis frugiferum ſit. *Tertio* monetariorum malitia non profecto ſola illa remotione a reliquorum hominum conſortio poteſt prohiberi. Quidni enim etiam in inſula conſtituti adulterare monetam poſſint, eamque clam exportare extra inſulam in alias terras? Nec vero omnis ad inſulam aditus temere præcludi poteſt; præſertim ſi certiſſimum lucrum homines iſthuc invitet. *Quarto* ſuppetunt, & in promptu ſunt coërcendæ monetariorum malitiæ longe alia & diuturno uſu jam pene ubivis gentium probata remedia: Ut non opus, ad hoc inſolens & nusquam hactenus uſitatum recurrere.

LI. *Tertium* remedium cavendæ nummorum corruptelæ, eſt collocatum in acri pœna eorum, qui nummos radunt, circumcidunt, aut tingunt. Neque vero hoc etiam crimen non meretur gravem animadverſionem. Apud Romanos hoc ſcelus capitale fuiſſe, liquet ex *l. 8. ff. de lege cornelia de falſis.* Severa quoque lex eſt Conſtantini Maximi *in Codic. theodoſ. l. unic. §. quod ille tit. 22. libr. 9.* *Qui menſuram circuli exterioris adraſerit, ut ponderis minuat quantitatem, vel figuratum ſolidum adultera imitatione in vendendo ſubjecerit, capite puniri debet, aut flammis tradi, vel alia pœna mortifera.* Ne quid diſſimulem tamen, utraque hæc lex videtur ad ſolos aureorum corruptores pertinere. Omnibus tamen ſine diſcrimine ejus generis corruptoribus ignem minatus eſt Carolus V. in Germania, cum in decretis Auguſtanis anni 1551. tum in edicto monetali ejusdem anni. Sed nonnihil tamen mitigatum id eſt in conſtit. Criminali Caroli, & in edicto monetario Ferdinandi I. anno 1559. promulgato. Legibus Wiſigothorum etiam ipſi ſolidorum corruptores adhuc mitius plectuntur. Conſtitutum ſcilicet fuit *lib. 7. tit. 6. l. 2. ut, qui ſolidos adulteraverit, circumciderit, ſive raſerit, ſi ſervus fuerit, illi dextra manus abſcindatur, ſi ingenuus, bona ejus ex medietate acquirat, humilior vero ſtatum ingenuitatis ſuæ perdat, cui Rex juſſerit ſervitio deputandus.* Conſtantinopolitanis Imperatoribus poſt Juſtinianum etiam hic placuit manus amputatio: ceu videre eſt Baſilicor. *l. 60. tit. 41. cap. 8.* & Michaëlis Attaliotæ *ſynopſ. juris tit. 72.* Fortaſſis etiam hæc pœna huic ſceleri ſufficit cum puniendo, tum cavendo.

LII. *Quarta* cautela conſiſtit in eo, ne aliunde improbi nummi in civitatem tuam clam palamve irrepant. Difficile id cauto eſt, ſi vicini, quibuſcum commercia neceſſario tuis civibus ſunt inſtituenda, laborent moneta improba. Nec tamen deeſt etiam huic malo remedium. Nempe ſi primum aut plane nummi illi mali prohibeantur venire in uſum, aut juſto eorum pretio conſtituto detrahatur illis is, qui in vicinia obtinet, valor. Si ſecundo, affatim ſit apud tuos monetæ probæ, imo tanta ejus copia, ut & vicinis ſufficiat. Nec vero, ſi deficiat proba moneta, & tamen commercia ceſſare non debeant, caveri poteſt, quin nequam nummi ex vicinia in uſum tranſeant. Ex adverſo autem, ſuppetente illa, qua diximus, copia nummi legitimi, ne nimiam jacturam faciant vicini rerum ſuarum, ementes neceſſaria, improbis ſuis nummis ad juſtum pretium redactis, dabunt operam, ut habeant monetæ probæ tuæ, quantum ſufficit, eaque ſibi mercentur, quibus indigent. Quod ipſum commodiſſime fieri poteſt, ſi tui cives cogantur emere a vicinis ſibi utilia, nummo probo domo allato. Ita ſane & vicinia probo nummo poteſt inſtrui ad emendum id, quo opus eſt in tua civitate. Debet porro & animadverti in eos, qui illegitimos nummos clam velint introducere. Juſtiſſima autem pœna videtur eſſe cum confiſcationis invectorum nummorum, tum mulcta quædam gravis. Id quod in Germania conſtitutum eſt decreto comitiorum ratisbonenſium anni 1576. & poſt confirmatum in comitiis ratisbonenſibus anno 1594. Nihil vetat porro, quin utile videtur reipublicæ, id conantes exilio ignominioſo afficere, ſi non & fuſtigatione.

LIII. Hisce quatuor modis videtur effici poſſe, ne adulteratæ monetæ reipublicæ quidquam detrimenti afferant. Videndum ſupereſt, quemadmodum caveri poſſit, ne tua proba nomismata alio deferantur, tuaque adeo reſpublica ſuis nummis fraudetur. Solere ſane hoc etiam fieri perfrequenter, multorum ſeculorum populorumque uſu ſatis ſuperque eſt compertum. Atque in id quidem eſſe inqu rendum, ſatis conſtat. Effici autem aliquid difficulter poteſt in locis mediterraneis, & quæ paſſim per multa commercia adeuntur. Nec enim licebit omnia,

quæ

Digitized by Google

quæ exportantur, in illis quidem locis perſcrutari, cum propter multitudinem, tum quoniam clam plurima poterint exportari. In inſula aliqua, paucorum præcipue portuum, facilius hoc effectu eſt. Quamobrem videmus etiam, nunquam in Europa felicius nummorum exportationem prohiberi, quam in Britannia. Sed & in univerſum omnis nummorum exportatio vetari non poteſt ſine commerciorum damno. Quid enim: ſi emenda quædam alibi veniant, vendendum nihil? neceſſum utique fuerit iſtuc pecuniam domo adferre in uſum emptionis. Igitur videtur, non poſſe ſimpliciter, nec debere, omnem omnino ſine diſcrimine nummorum evectionem improbari. Inſcio tamen magiſtratu id facere, haud videtur tolerandum: quoniam pecunia curæ publicæ quam maxime eſt commiſſa, adeoque nihil temere de illa ſtatuendum, niſi magiſtratu indulgente. Sed & modica exportatio parum nocet, contra prodeſt plurimum. Immodica tamen neutiquam ferenda eſt, ſed meretur ſeveram punitionem.

LIV. Extat hac de re in codice theodoſiano Conſtantii imperatoris prudentiſſima conſtitutio *l. 1. tit. 23. lib.* 9. Quæ quoniam omni ex parte perplacet, quamvis ſit nonnihil prolixior & mendoſa, tamen integram adducemus. *Quicumque vel conflare pecunias, vel ad diverſa vendendi cauſa transferre detegitur, ſacrilegii ſententiam ſubeat, & capite plectatur. Portus enim litteraque diverſa, quo facilior eſſe navibus conſuevit acceſſus, & itineris tramites ſtatuimus cuſtodiri, per idoneos officiales præpoſitos a præſidibus & nonnullis præditis dignitate, ut cognita veritate, provinciarum rectores obnoxios legibus puniant. Officia quoque immenſo periculo ſubjacebunt. Nec vero aliquis negotiatorum plus mille follibus pecuniæ in uſu publico conſtitutæ, animalibus propriis ſumptuum gratia portare debebit. At ſi ampliorem modum quiſquam vehere detegatur, facultates ejus fiſci dominio vindicentur, & adficiatur exilio. Nam pecunias navibus vectas non omnes judicamus mercatores debere promere, quippe in uſu tantum publico pecunias conſtitutas permittimus convehi: itidemque eas ſolas ſpecies emi, quæ mercatoribus more ſolemni ad diverſa portantur. Pecunias vero nulli emere omnino fas erit, nec vetitas contrectare: quia in uſu publico conſtitutas pretium oportet eſſe, non mercem. Placet denique, ut ſi quis forſitan nummus præter eum, qui in uſu publico perſeverat, apud aliquem mercatorem fuerit inventus, fiſci dominio cum omnibus delinquentis facultatibus vindicetur. Et ſi forte cum mercibus ad quaſcunque provincias venerint naves, cuncta ſolita licentia mercabuntur præter pecunias, quas more ſolito majorinas, vel centenionales communes appellant, vel cæteras, quas vetitas eſſe cognoſcunt.*

LV. Verum de conſervatione rei nummariæ in republica hæc forte ſatis ſunt. Unicum duntaxat addemus, quod ad EMENDATIONEM pertinet. Fieri enim interdum ſolet, ſive per incuriam, ſive ipſius ſummæ poteſtatis culpa, ut reprobi nummi plurimi irrepſerint: quæritur ergo, quid tum ſit faciendum. Nec enim graſſari porro ſine ſummo damno vitium illud nummarium poteſt: non ſatis conſtat autem, quemadmodum emendari quam commodiſſime poſſit, aut debeat. Atque alii quidem unico momento amputandum id, quicquid eſt vitii, cenſent: nec enim relinquendum ejus quicquam eſſe, quod noxium eſt. Alii ex adverſo exiſtimant, indulgendum eſſe ſpatium aliquod temporis, intra quod malos nummos ſedula omnium cura poſſit alio traducere. Ita enim ſine detrimento magno poſſe quemque civium ſeſe exonerare rurſum nummis improbis. Cæterum videtur ante omnia diſtinguendum eſſe inter illos nummos. Alii enim aliunde translati ſunt, ibique magni ſunt pretii: Alii confecti ſunt in tua civitate, & alibi valent nihil. Illis ſi tempus aliquod certum determinetur, extra quod tolerari non debeant, fieri poteſt, ut ſaltim bona eorum pars interea temporis ſtudioſe eo rurſum deferatur, unde malum pedem attulerat, & ubi adhuc ſuo eſt in pretio. Diſpar eſt conditio aliorum nummorum: quoniam enim alibi nihil valent, & domi tuæ quaſi nati ſunt, non poteſt quis iis ſine jactura ſeſe liberare. Hoc itaque genus nummorum perquam grave eſt. Videtur tamen conſultum, non unico momento ad juſtum illos precium revocare, ne ſcilicet uno momento, illi, qui abundant forte iis nummis, ad inopiam redigantur. Sed ſenſim hoc agendum eſt, quo damnum fiat ſaltim temporis mora levius, ut interea poſſit quis ſarcire nonnihil, quam fecit jacturam. Juvat quoque nonnihil illa per gradus mutatio, quo minus odio habeant propter injuriam ſubditi ſuos rectores: quoniam minus ſentitur. Minus enim in opinionem ſic veniunt improbitatis aut impudentiæ magiſtratus, quoniam non ita conſpicua eſt tota culpa. Intereſt autem omnis reipublicæ, ut, quantum fieri poteſt, rectores non habeantur odio, aut non ſint in mala exiſtimatione. Alias quæſtiones ulterius agitare, non patitur inſtitutum.

HERMANNI CONRINGII
DISSERTATIO
DE CONTRIBUTIONIBUS.

Menſe Julio MDCLXIX. habita.

RESPONDENTE

GOTHARD MARQUARDT, Lübecenſi.

Theſis I.

In omni republica ſummam poteſtatem ſive majeſtatem jus aliquod habere in bona privatorum, nemo temere in dubium vocabit.

II. Cum enim Reges creati eſſent, civile imperium tueri non potuerunt, niſi mediis ad id neceſſariis. Neceſſe itaque fuit, iisdem aliquas opes tribuere, ordinaria ſubſidia & extraordinaria, quibus cum regium decus ſervaretur, tum onera publica ſublevarentur, & in tantum honeſtas & publica utilitas ſuo quaſi jure ſibi vendicavit, ut Reges ratione jurisdictionis, protectionis & adminiſtrationis, quaſi dominos effecerit omnium bonorum, ut tantum ex univerſis reipublicæ, & privatorum bonis decerpere poſſit majeſtas, quantum exigit neceſſitas.

III. Merito vero ratione jurisdictionis omnia bona civium ſummæ poteſtati ſubſunt. Nam omnis respublica eſt ſocietas perfectiſſima, quæ intendit cives reddere beatos, ideoque ſi habet jurisdictionem in ipſos cives, multo magis in civium bona.

IV. Nec porro ratione protectionis, de majeſtate, circa bona civium & ſubditorum, eſt dubitandum. Si enim reipublicæ competit ſalutem civium quærere, neceſſitas quoque exigit, ut civibus eorumque bonis præſidio ſit, & omnes quaſi ſub umbra ſartos tectos ſervet.

V. An vero ulterius & quidem ratione adminiſtrationis ſubſint majeſtati, ſunt, qui dubitant, & qui negant. Verum rem aliter ſe habere, hunc in modum demonſtrari poſſe videtur. Sine quo respublica non poteſt eſſe ſalva, id poteſtati civili non eſt eximendum. Atqui ſine adminiſtratione bonorum privatorum respublica non poteſt eſſe ſarta. Ergo nec ratione adminiſtrationis bona privatorum ſupremæ poteſtati eximenda erunt.

VI. Interim non ſimpliciter hic omnem adminiſtrationem intelligo, ſed eam tantum, quæ ad uſum & ſalutem reipublicæ pertinet. Cum enim bona pars civium aut ſubditorum valde ſit imprudens, & plane ignoret, qua ratione ſuis bonis ad reipublicæ ſalutem præeſſe debeat, hinc reſpublica ſalva minime eſſe poteſt, in qua cuilibet integrum eſt bona ſua pro libitu adminiſtrare.

VII. Verum enim vero, non tantum ratione jurisdictionis, protectionis & adminiſtrationis majeſtati jus in bona privatorum arrogamus, ſed etiam verum proprieque ſic dictum dominium, ſive de bonis privatorum diſponendi facultatem aliquam tribuere, certa ratione non reformidamus, verum, ut antea monuimus, non ſimpliciter, ſed ad uſum reipublicæ.

VIII. Conſtat enim, rempublicam omnem aut principatum eſſe corpus civile: ideoque facile erit colligere, ad ſimilitudinem corporis phyſici, in eo etiam nervos requiri, quibus artus contineantur, & actiones neceſſariæ oportune peragantur. Alioquin, ut corpus ſine partium ſympathia auxilioque mutuo ſe tueri ac conſiſtere non poteſt: ſic civitas, aut regnum, mutuam opem ſibi denegantibus civibus, nec ſtare diu, nec vigere poterit, ſed brevi labefactetur & corruat etiam neceſſe eſt.

IX. Dicunt autem phyſici, nervos eſſe prima in corpore animalis ſenſus motusque inſtrumenta, ejusque actionis etiam cauſas. Bona etiam & pecuniam eſſe nervos reipublicæ, profitetur Ulpianus in *l. 1. v. 20. ff. de quaſt.* & Cicero quoque vectigalia ſemper reipublicæ nervos eſſe, dixit *pro leg. Manil.* Hinc Juſtinus Imperator, impoſſibile eſt, inquit, ut ſacris tributis non illatis, aliqua respublica conſervetur. Huc facit Menenius Agrippa apud Livium *l. 2. c.* qui pulcherrimo apologo Romanos docuit, quemadmodum totum corpus, alimentis ventriculo denegatis, ad tabem redigi neceſſe ſit, ita tributis reipublicæ denegatis, extremam reipublicæ pernitiem impendere.

X. Qui enim eſt ſocius civitatis, in quantum eſt ſocius, obligatus eſt ad communem reipublicæ ſalutem procreandam. Nec quidem conſilio tantum vel opera, aut bonis, ſed ipſa vita obſtricti ſumus reipublicæ. Quod Tullius eleganter *l. 3 offic.* affirmat, inquiens: *Cum omnia ratione animoque luſtraveris, omnium ſocietatum nulla eſt gratior, nullo carior, quam ea, quæ cum republica eſt unicuique noſtrum, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profutura.* Et Thucydides: *æque bonum civem eſſe & eum, qui partem aliquam corporis, & qui poſſeſſionis aliquid pro civitate amittere non dubitat.*

XI. Omnia itaque *Leib, Gut und Blut* obſtricta ſunt reipublicæ, idque propterea, quia omni ſocio civilis ſocietatis propoſitum eſt, una cum corpore civili nihil aliud facere, quam quod pertineat ad felicitatem civilem, eaque de cauſa, exigente id communi publicoque bono, cui non poſſit aliter commode ſubveniri, felicitas civilis jubet contribuere, quantum poſtulat, & quamdiu id poſtulat publicum & commune bonum. Ut ſi non ſuppetat tantum bonorum, quantum ad uſus civiles pertinet, tum privati de ſuis conferant, ut toti reipubl. conſulatur.

XII. Quic-

XII. Quicquid enim boni homo civisque in republica habet, & poſſidet, quod vivit, quod liberè vivit, quod bene, quod beate omniumque rerum & bonorum uſu, & interdum etiam copiam ad voluptatem utitur, fruitur, totum hoc beneficium reipublicæ civilique ordini acceptum eſt ferendum. Ille facit, ut homo ſociatus in civili ſocietate civiliter vivat, ſuisque gaudeat bonis.

XIII. Qua de cauſa non tantum neceſſarium, verum etiam æquiſſimum reputatur, ut aliquid ex lucro & compendio bonorum illorum conferat in commune. Propterea quod & homo & res ſingulorum in republica conſervari nequeant, niſi respublica conſervetur. Hæc quippe proſpere agens, felicitas eſt maxima: in hac inſunt omnia: hac ſalva, cuncta ſalvantur, hac pereunte, nihil non peſſum it. Et hoc eſt, quod Livius *l. 26. c. 36.* dicit: *Reſpublica incolumis privatas res facile ſalvas præſtat, publica prodendo tua nequicquam ſerves.* Adeoque ſinguli ſua cauſa impendere videntur, quicquid conferunt in publicum uſum Nov. 8. *c.* 10. §. 2.

XIV. Hinc itaque tanquam ex certiſſimo fonte omnis collatio tributorum deſcendit. Et revera vi ſocietatis civilis omnibus rebuspublicis competere, ipſa ſacra ſcriptura paſſim probat. Ipſe enim Salvator a Judæorum præſulibus, de tributorum, vectigalium aliorumque ſuorum reipublicæ ratione interrogatus, *reddite*, inquit, *quæ Cæſaris ſunt, Cæſari, & quæ Dei, Deo.* Quem poſtea Paulus apoſtolus ſecutus *Rom.* 13. de magiſtratus auctoritate multa diſſerit, & hanc divinitus inſtitutam probat, cui omnes obedire debeant. Inter officia autem ſubditorum *tributa*, & quæ hujus ſunt generis, comprehendit. *Reddite igitur*, inquit, *omnibus, quod debetis, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem.* Debendi verbo utitur, & tributa ac vectigalia cum timore ac honore conjungit, quæ nos non ex diſpenſatione aliqua, ſed divino jure magiſtratibus reddituris (quia reddunt inſerviendo, dum pugnant pro patria & agunt judicia) debere nemo negaverit, niſi qui a communi ſenſu fuerit alienus D. Lutherus *in tractat. wie weltliche Obrigkeit regieren ſoll. p. 3. tom. 6.* Ideoque tributum debitum ſolvere qui recuſat, nec in conſcientia tutus exiſtimatur. Molin. *de juſt. & jur. tom. 3. diſp. 674.* Cui dicto ſimile eſt Grotianum illud: *tributa ut ſolvamus, honeſtum eſt, atque etiam præceptum, conſcientiam obligans l. 1. de j. b. & p. c. 2. §. 7.*

XV. Falluntur ergo hac opinione imbuti, tributa cum injuria ab imperantibus, aut republica exigi, cum natura ipſa civitatis ac ſocietatis hoc exigat, ut qui eſt ſocius ſocietatis & civitatis, aliquid ad communem uſum conferat.

XVI. Hæc enim contributionum publicarum præſtandarum obligatio tam neceſſaria & adeo vetuſta eſt, ut ſimul cum regnis & rebuspublicis emerſiſſe ad hoc, ut tam pacis quam belli tempore res & perſonæ civium in tuto eſſent, hiſtoriarum monumenta docent. Hinc 1. Sam. 8. dicitur: *Hoc eſt jus*, Regis v. 15. *Fruges & vineas veſtras decimabit*, 2. Sam. 8 v. 2. Factus eſt Moab Davidi ſerviens ſub tributo 3. Sam. 4. v 6. Salomon conſtituit Adoniram Filium Adda ſuper tributa, 2. Reg. 15. v. 19. Menachim Rex Iſrael, ut Phul Regis Aſſyriorum hoſtilitatem a ſe averteret, & regno potiretur, mille pondo argenti ſolvit, atque ut hoc pecuniæ colligeret, tributum indixit ditionibus.

XVII. Extra ſacram ſcripturam ſi ad prophanas hiſtorias nos convertamus, perſpicuum eſt, Cyrum primum Perſarum Regem atque Cambyſem, nihil tum circa tributa inſtituiſſe, & ſpontanea tantum munera a ſubditis oblata fuiſſe, donec tandem Darius Hyſtaſpis filius, imperio in viginti provincias diviſo, taxaret, quid pro tributo quique ſubditorum penderent.

XVIII. Hiſce conſtitutis & evictis, nemo inficias ibit, magiſtratui, tum propter neceſſitatem ac æquitatem, tum laboris gubernationis ac defenſionis ratione tributa & vectigalia, vel etiam jure divino deberi.

XIX. Antequam vero ulterius progredimur, præmittendum non nihil eſt de vocabulis & contributionis ſignificatione. De Etymologia enim non multum erimus ſolliciti, cum conſtet, hanc vocem originem trahere a con- & tribuo. Obſervandum tamen, non uno nomine hodie contributiones venire. Vocatur enim hodie etiam ex conſuetudine Collecta, & alio nomine Collatio *l. ſi pendentes 27. ff. de uſufruct.* appellatur item Indictio *tot. tit. C. de indict.* itemque tributum *l. ult. §. Divus 7. ff. de cenſibus.*

XX. Erat autem tributum, ut inquit Varro, pecunia populo imperata, quæ tributum a ſingulis proportione cenſus exigebatur. Et, ut ait Feſtus, tria genera fuerunt: unum, quod in capita, alterum, quod ex cenſu collatum erat, tertium, quod extra ordinem imperatum, idque temerarium dictum.

XXI. Poſteaquam vero Auguſtus cum populo provincias partitus eſt, tributum vocari cœpit, quod bello victæ provinciæ populo quotannis pendebant: quod vero Cæſaris provinciæ ad belli ſubſidia inferebant, ſtipendium eſt appellatum. Ea cauſa eſt, cur tributa a ſtipendiis tributariaque prædia a ſtipendiariis ſeparentur *l. 13. ff. de impenſ. in res dot l. 46. §. qui compenſationem ff. de jur. fiſc. §. per traditionem.*

XXII. Quamvis vero plura de variis contributionum ſpeciebus addi poſſent, interim tamen, quoniam exactam harum notitiam tradere inſtituti ratio hac vice non permittit, hoc labore ſuperſedentes tantum indicamus, contributionis vocabulum in latiſſima ſignificatione pro omni collatione, quæ neceſſitatis & utilitatis publicæ cauſa inſtituitur, hic a nobis accipi.

XXIII. Jam vero quoniam ex iis, quæ ſupra dicta ſunt, ſatis de juſtitia poſcendarum contributionum conſtat, cumque ab ætate Caroli M. ſeu reviviſcentis aquilæ in imperio romano-ger-

manico, ad profligandum externum hoſtem, & ſtabiliendam internam potentiam, tam pacis, quam belli tempore, ſubditos imperii oneri collectarum obnoxios fuiſſe, Klockius teſtatur *de contrib. c.* 1. *n.* 196. proximum jam fuerit, non nihil intimius in contributionum naturam omnem inquirere.

XXIV. Quandoquidem vero, ut naturalium, ita & civilium rerum quarumcunque quatuor ſunt cauſarum genera, facile apparet, totidem & circa contributiones reperiri horumque accurata cognitione plenam tributorum notitiam abſolvi. Ideoque nos etiam hoc obſervabimus, facto ſtatim initio de cauſa efficiente ſive de eo ad quem jus contributiones vel collectas imponendi pertineat.

XXV. Videtur autem hanc quæſtionem omni dubio carere. In univerſo enim terrarum orbe & hodie & ab omnibus ſeculis creditum eſt, jus tributorum indicendorum eſſe partem *τῦ κυρίυ* ſive ſummæ poteſtatis in qualibet republica. Hinc recte jus vectigalia ac tributa imperandi, perinde majeſtatis proprium eſſe, ut legem ipſam, ait Bodinus *de republ. l.* 1. *c.* 8. Ideoque tributa cum imprimis ab eo, qui regalia & ſublimem jurisdictionem, vulgo *die hohe Lands-Obrigkeit hat*, ita ab omni majeſtate in quacunque republica recte exiguntur.

XXVI. Ex quo igitur contributiones a jure ſuperioritatis & regalium dependere oſtendimus, quin, niſi aliud obſtet, Imperator easdem indicere poſſit, extra controverſiam eſt. Imperator quippe fons & origo eſt: inde velut per rivulos & canales diffluit, & promanat, quicquid eſt uſpiam jurisdictionis, Klock. *de contrib. c.* 4. *n,* 2. eique ſoli majeſtatis jura proprie competunt.

XXVII. Hodie vero duobus veluti frenis ac retinaculis, capitnlatione ſcilicet & juramento fidelitatis, quod præſtandum Imperio, ſiſtitur Imperatorum Germanorum poteſtas, atque ut pragmatica legum ſanctio, ita contributionum extraordinariarum ad uſus publicos pertinentium indictio, cum ſimultaneo imperatoriæ majeſtatis, ſtatuumque imperii conſenſu fieri conſuevit, & in Imperatorum electione capitulationibus caveri ſolet, ne absque ſtatuum conſenſu, urgente etiam neceſſitate, liceat nova imponere tributa, Klock. *c.* 4. *de contribution. num.* 23. Borcholdenſis *diſc.* 10. §. 4.

XXVIII. Quamvis vero non diffitemur, reſtrictione illa monarchicæ Imperatorum dignitati aliquid derogari, tamen cum Bodino non hinc eſt eliciendum, penes ſolos Imperii ſtatus eſſe poteſtatem indicendi belli, concedendi leges & exigendi tributa.

XXIX. Quamvis ergo olim poteſtas inſtituendi vectigalia & tributa indicendi in imperio romano ſolius Imperatoris fuerit. *l.* 10. *ff. de publ. & vect.* tamen illimitatam poteſtatem nullæ gentes germanicæ atque adeo nec in Italia Longobardi Regibus ſuis conceſſerunt: & certum eſt, Francorum Reges nihil horum, quæ ad ſummam regendæ reipublicæ poteſtatem pertinebant, absque ordinum conſenſu potuiſſe. Borch. *diſc.* 10. *n.* 7.

XXX. Et quidem nec naturale vel divinum jus, vel Regibus omnibus, aut Imperatoribus infinitam monarchicam poteſtatem conceſſit, vel attribuit. Ampliſſimus Dn. Præſes *in diſput. ſua de vect.* §. 13. Iniquum enim videtur, ut idem Regi, quod Deo in homines licere diceretur. Deus namque libere nulla lege nulloque addicto temperamento in nos omnes regnat, cujus voluntas ſemper juſtiſſima eſt & imperium æquiſſimum.

XXXI. Nec pontificem romanum ipſum, cui immenſa a Canoniſtis tribuitur potentia, de abſoluta poteſtate ardua ſine Cardinalibus explicare poſſe; ejusque acta geſta in gravioribus negotiis, ſemotis Cardinalibus, rata non haberi, ex hiſtoriis conſtat.

XXXII. Quemadmodum ergo non ſine juſta & urgentiſſima cauſa capitulatione ita proviſum imperio eſt, ita nec ſine maturo conſilio idem in Hiſpaniæ, Angliæ, Poloniæ, Sueciæ aliisque regnis obſervari docet ampliſſ. Dominus Præſes *in diſput. de vect.* §. 14. & Klock. *de cont. c.* 4. interveniente enim populi voluntate & aſſenſu, creſcit robur & potentia Regum, & major eſt ipſorum autoritas, & feliciores ſunt progreſſus, auctore *Cominæo l.* 5. Aliquo ſane reſpectu conſiliorum adhibitionem jus majeſtatis non imminuere, ſed felicitatem imperii promovere, Imperatores reſcripſerunt. *in l. human. c. de legibus.*

XXXIII. Et ſane morem hunc, ne ſcilicet inconſultis aut invitis iis, quorum intereſt, tributa Rex imperet, omnino exiſtimo ſanctiſſimæ æquitatis pleniſſimum. Ideoque tutiſſimum in populo inprimis libero eſt, ut principes convocatis proceribus in publicis comitiis cauſam pecuniariam proponat, diſcutiat, & concordibus ſuffragiis, & accedente ſubditorum conſenſu rei pecuniariæ expediendæ incumbat. Hac ſane ratione omnem ſiniſtræ opinionis ſuſpicionem ac reprehenſionem effugiunt, populi animos deliniunt, & amore ſubditorum tanquam firmiſſimo munimento cincti contra quoscunque hoſtium inſultus ſecuriores eſſe poſſunt.

XXXIV. Dum vero Imperatori & huic dignitate proximis Regibus jus tributorum conferimus, Electores ac Principes cæteros, Comites ac Barones vel cæteros imperii Status non excludimus. De Electoribus enim, quod de Lydorum rege Crœſo Juſtinus ſcribit: ſi non regiam, regiæ tamen dignitati proximam egiſſe vitam, non inepte poſſe dici exiſtimo Æquiparantur enim quoad dignitatem Regibus, unde Regibus ſcribunt vulgo quidem *Kon. Würde, non Majeſtet.* Indicat eorum dignitatem etiam, quod Cæſar Electores, in Comitiis (ſi ipſe compareat) ſolum non Principes viſitatum eat. Item quod legati ipſorum legatis aliarum rerumpublicarum proponantur *capit Leopold.* §. 5.

XXXV. Quomodo autem Electorum collegium cœperit, & ad quas ætates ac tempora ejus origo ſit referenda, valde ambigitur. Sunt enim, qui doceant, electoratum ſub Ottone III. auſpicio Gregorii III. fuiſſe inſtitutum, quod etiam Platina vult. Hoc vero falſum & veritati non conſenta-

ſentaneum eſſe demonſtrat Onuphrius Panvinius *in libro* (quem ampliſſimus Dn. Præſes aureum in notis ad Lampad. part. 3. c. 4. nominat) *de Comitiis imperatoriis*, & argumenta Panvinii tanti ponderis ſunt, ut Baronius horum vi adductus, non dubitavit hujus ſententiæ accedere.

XXXVI. Hactenus enim nemo producere poteſt aliquam conſtitutionem Ottonis III. vel Gregorii, qua inſtitutus electoratus. Mentio quippe electoratus demum facta ſec. 13. juxta Baronium ad annum Chriſti 996. & quidem primum a Martino Polono. Imo ſi ſub Ottone III. inſtitutus eſſet electoratus, tum omnes Imperatores poſt Ottonem electi fuiſſent ab Electoribus, quod Otto friſingenſis aliter demonſtrat, dum Reges ab omnibus proceribus electos fuiſſe narrat.

XXXVII. Ideoque cum omnes jam, qui in hiſtoriis antiquis ſunt verſati, inque iis ipſa etiam illa cardinalitii ordinis lumina Baronius ac Bellarminus, ut etiam ampliſſimus & doctiſſimus Dn. Præſes, originem electionis ſeptemviralis demum in ſeculum tertium decimum referant, idque prolixe demonſtraverint: merito cum Dn. Lampadio, Aventini, Flacii, Illyrici, Heigii, Goldaſti, Arniſæi, (quos inter hic nominatim laudari meretur Lehmannus) ſententiis, idem aſſerentibus facile accedo.

XXXVIII. Suppono igitur ex politicis, juris publici maximam partem eſſe juris non ſcripti. Idem obſervare licet in imperio noſtro, ubi ſenſim per conſuetudinem multa introducta ſunt, quorum originem inquirere ferme impoſſibile videri poſſit. Qua ergo ratione introductus electoratus & ſenſim creverit, operoſius diſſerere cum inſtituti ratio non permittat, breviter tantum addo, quæ hactenus conſuetudinis fuerunt, auctoritate Caroli IV. tranſiiſſe in leges ſcriptas, quæ habentur in A. B. Et vero per eam, quicquid juris habent, electores uſurpant.

XXXIX. Poteſtas itaque electorum in genere eſt a tacito reliquorum ordinum vel ſtatuum conſenſu. Crevit illa ſenſim & ſine ſenſu, donec ad faſtigium ſummum pervenerit. Vocantur enim electores pars corporis Imperatoris *in capit. Ferd. 2. de anno* 1619. in quibus decor & gloria S. Sancti romani imperii & honor cæſarius, & reipublicæ grata compendia concordi voluntate foventur *tit. 3. p.* quorum præſidio dextra Imperatoris roboratur. *In capitulatione Leopold.* §. 46. appellantur *die innerſten Glieder und Haupt-Seulen des Reichs.*

XL. His proxime accedunt Epiſcopi, Duces & cæteri Principes Germaniæ, qui etiam in ſuis territoriis, conſentiente populo, jus collectandi ſibi recte vendicant. Communiſſima quippe publiciſtarum ſententia eſt, quemlibet Principem in territorio ſuo tantum poſſe, quantum Imperatorem in univerſo imperio. Nam in ditionibus ſuis prope regia poteſtate fruuntur, ac proinde germanicos principatus, etſi non omnino, ex parte tamen, atque adeo parva & imperfecta regna eſſe, ex doctiſſimo Domini Præſidis ore ſæpenumero accepi.

XLI, Quamvis vero olim poteſtas Principum ad nutum Imperatoris revocabilis, atque jam inde ab illis temporibus, quibus Carolus Magnus quadamtenus diſperſa & convulſa imperii occidentis membra, tanquam naufragæ ratis tabulas, magna virtute & ardore in unum corpus coagmentavit, in imperio romano Principes & Duces adminiſtrationem nudumque exercitium juriſdictionis nomine Reges habentes, proviniciarum, caſtrorum, ditionum, regimini non perpetuo, ſed ſaltem ad tempus præpoſiti fuerunt: tamen non multo poſt Ottonum tempora ſenſim decrevit regia poteſtas, permagnis cum ampla poteſtate Ducibus creatis: maxime ubi illis datum, ad poſteros hereditario quaſi jure antehac commiſſum ſibi magiſtratum conferre, comitatusque, qui ferme erant innumeri in unum contrahere. Inde enim quaſi varia regna in regno condita, & in partes plures, vix leviter mutuo connexas vaſta illa imperii moles tranſiit; teſtante ampliſſimo domino Præſide *in notis ad Lampadium.*

XLII. Eo itaque excrevit & hodie progreſſa eſt potentia Principum, ut dignitates & imperia non minus propria ſibi vendicent, ac ſi Reges eſſent. Quapropter nemo eſt, qui non hoc in ore habeat: quemvis Principem in ſuo territorio poſſe, quod Imperator in univerſo imperio. Noſtri aulico-politici, ita reddere ſolent, *ein jeder Fürſt ſey Keiſer in ſeinem Lande.* Hoc ſi ita eſt, facile de Principum poteſtate in tributis imponendis conſtare poterit. Ideoque viam, ad quam ipſe ordo nos perducit, ſequemur, & quæ ſit Comitum conditio, quæve ipſis poteſtas ac jura competant, breviter exponemus.

XLIII. Comites vero olim non in eodem, quo nunc, dignitatis gradu conſtituti erant. Nam (ut prima quaſi incunabula inſpiciamus) quo tempore Romani adhuc magnum ſuum imperium geſſere, Germania quoque in plures respublicas, parvas quidem, ſed tamen liberas diviſa fuit, & quia non opus fuit, ut multi magiſtratus conſtituerentur, non alios habuerunt, quam qui præſiderunt judiciis. Tacitus etiam nullos alios agnoſcit, quam qui jura per pagos & vicos dixere. Pagus vero tunc temporis denotavit magnum aliquem diſtrictum, quem hodie nominamus *ein Dorff*, vicus autem fuit *ein Flecken.*

XLIV. Nullæ quippe urbes tum temporis in tota Germania fuere, ideoque conſtat, hos Principes tantum præfuiſſe provinciis: hi vero tantum poteſtatem habuerunt judicandi, & hactenus tantum præfuerunt. Scabini enim jus dixerunt. Hi autem Principes ſunt noſtri Graviones & quidem cum his ita comparatum fuit, quemadmodum in Polonia cum Staroſtis, cum quorum vita ſtaroſtia deſinit. Attamen quod Tacitus de Regibus inquit: Magna patrum merita liberis conciliare regiam dignitatem: Comitibus noſtris etiam convenit, quia in Germania filius non degener patri ſuccedebat. Ideoque factum, ut magiſtratus paulatim fierent hereditarii. Tandemque hi magiſtratus in regionibus ſuis regiam ſibi potentiam ſtruere inceperunt.

XLV. Hac vero in parte Francorum Reges Ariſtotelis monitum non obſervarunt: multum

intereſſe, an imperia ſint magna & ſimul diuturna *l. 5. polit.* Cum enim inter alios conſtituiſſent majores domus, qui erant quaſi Proreges, & hi cœpiſſent eſſe quaſi hæreditarii, Reges, in otium prolapſi, anſam Proregibus occupandi regni dederunt. Et ad hunc modum reſpublicas Franciæ ſub familia merovindica fuit adminiſtrata. Poſtquam vero Carolus Magnus voluit cavere, ne ad ſimilem dignitatem alii pervenirent; ideoque ad breve tantum tempus præſides provinciarum creare, & magnos ducatus, qui ſupererant, deſtruere conatus fuit.

XLVI. Verum non pari prudentia Caroli M. ſucceſſores veſtigiis illis inſtiterunt. Ideoque Comites ſimul cum Principibus ad hanc, qua nunc pollent, dignitatem pervenere. Hinc & ad hos, idem quod de Principibus ſupra dictum, hodie extenditur: nempe illi in ſuis ditionibus ac territoriis habentur loco Principum, & in iisdem omnia poſſunt, quæ Imperator poteſt per univerſum imperium. Imo Comites nihil fere differunt ab Imperatore, niſi ambitu minoris circuli: ſicut ſcapha differt a navi. Caſp. Klock. *de contributionibus c. 4. n. 251.*

XLVII. Comitum vero dignitatem proxime attingunt Barones, & pares in plærisque apud Germanos cenſentur. De horum vero origine & nominis derivatione multa differere hac vice superſedeo; ſed, ut multa paucis conplectar, concludo: Barones, qui immediate imperio ſubſunt, & cum baronali ac regali dignitate, territorialique ſuperioritate ſunt inveſtiti, in toto Baronatu quoad perſonas & cauſas eandem quoque, quam Principes & Comites in Principatibus & Comitatibus, vim obtinere.

XLVIII. Etſi vero Principibus inferioribus maxima omnium majeſtatis jura non communicentur, quia oſſibus & perſonæ Imperatoris ita inhærere dicuntur, ut ab eo ſeparari ſine illius deſtructione non poſſint: Tamen cum jus collectandi ac tributa imponendi inter minora non vero maxima, & mere regalia referatur; illud Ducibus Marchionibus, Comitibus & aliis cum regali dignitate perpetuo inveſtitis, competere quadamtenus omni dubio caret.

XLIX. Veramenimvero ſunt nonnulli, qui liberis ac imperialibus Germaniæ civitatibus inhabilitatem regalia poſſidendi objicere non reformidant: eo quod, excepta Roma nova & veteri, nulla civitas dignitatis gradui annumeratur *l. 3. §. quod ſi alterutrum C. de nat. lib.* Imo quod nullus, niſi qui dignitatem regalem principatus, marchionatus vel comitatus per inveſtituram aut aliam ſpecialem conceſſionem acquiſiverit, regalia vel in univerſum, vel in particulari ſibi arrogare queat.

L. Sed prius, quam ad hæc reſpondeamus, obſervandum: triplicem olim rationem urbium fuiſſe. Aliæ fuerunt maximæ, aliæ mediocres, aliæ minimæ. Maximæ urbes ſub romanis ſuam propriam jurisdictionem & regionem habuerunt. Mediocres etiam quidem hæc habuere, ſed non in eadem autoritate vel eodem modo. In minimis jurisdictio fuit penes proconſulem aut præfectum provinciæ. Ad hunc modum ferme, ſi ſtatum præſentem imperii romano germanici intueamur, triplicem urbium conditionem etiam hic deprehendemus.

LI. Omnes enim quidem urbes, quæ ſunt intra limites imperii, ſunt quodammodo imperiales, non tamen omnes eo nomine audiunt. Aliæ nempe ſunt membra imperii mediate, aliæ immediate. Mediate ſunt, quæ Imperatorum beneficio Principibus, retento jure ſuperioritatis, commendatæ ſunt; & licet pareant legibus imperii, tamen in conventibus provincialibus ſolum comparent, & dicuntur provinciales, municipales *Land oder Fürſten Städt.* Quæ autem immediate imperio ſubſunt, jus ſuffragii in conventibus imperii habent, & dicuntur liberæ imperii civitates, *freye Keiſerliche Reichs-Städte.*

LII. Præter has vero, teſte Mynſ. *reſp. 13. n. 10. dec. 2.* & Caſp. Klock. *cap. 5. n. 5. de contribut.* ſunt quædam civitates, quæ in totum ſubſunt Principibus. Facile vero apparet, non ante hoc diſcrimen urbium hic fuiſſe; niſi donec in unum regnum cœpit Germania concreſcere. Hoc vero factum ſub Francis. Ideoque tales urbes in antiquis monumentis non imperiales, ſed regales dictæ: nec legere eſt, ullam urbium paruiſſe, niſi Regi. Fuerant quidem illis urbibus quidem & ſui Comites, ſed tantum judiciis præfecti, nec illi jus hereditarium aliquod habuerunt

LIII. In Cisrhenana Germania nullæ quondam fuere urbes, ſed tantum magni vici: illi etiam plærumque proxime ſub Regibus fuerunt. Cum autem ſeculo nono in Germania Ducatus ac Comitatus hereditarii facti, hac occaſione urbes, quæ nullum agnoverant ſuperiorem, niſi ſolum Regem, bona ex parte cœperunt parere Ducibus aut Comitibus ſuis. Creditur a quam multis, quod ſeculo eodem etiam Epiſcopis datum fuerit jus ſupremum in illas urbes, in quibus ſedes habuerunt. Nondum id vero probatum eſſe, in publica lectione ampliſſimus Dominus Præſes exiſtimabat. Ex eo itaque tempore decrevit numerus urbium imperialium, creſcente numero provincialium. Poſteaquam vero viſum fuit Friderico Barbaroſſæ, Duces Bavariæ & Saxoniæ nimis excreviſſe, omnem potentiam illis ſubducere conatus fuit, adeoque omnes urbes illorum Ducatuum, quæ alicujus erant potentiæ, imperio ſubjecit. Et hac ratione libera urbs imperii facta fuit Lubeca, Ratisbona, Bardowicum, quæ tamen civitas ab Henrico Leone poſtea deſtructa eſt.

LIV. Manſit tamen etiam ſic magnus numerus imperialium urbium. Seculo autem decimo tertio nonnullæ urbes, quæ erant imperiales, cœperunt oppignorari principibus. Ita Neomagus fuit oppignorata Comitibus Geldriæ, & hodie eſt urbs provincialis Geldriæ. Nonnullæ oppignoratæ ſemetipſas liberarunt. Eodem autem ſeculo exſtincta fuit familia Ducum Sueviæ, quæ per bonam quoque Franconiæ partem potentiam diſtulerat. Placuit tum communi conſilio patrimonium Ducum Sveviæ vindicari imperio. Hac ratione pene omnes urbes Sveviæ factæ

ſunt

ſunt imperiales. Sunt autem multæ viribus exiguæ: quare nonnullæ creaverunt ſibi defenſores, qui poſtea facti ſunt domini.

LV. Conſtat itaque, hodie alias urbes citra controverſiam imperiales eſſe: alias in exercitio libertatis quidem eſſe, moveri tamen ipſis controverſias a Principibus cum aliis, tum & ab Epiſcopis. Porro nonnullas reapſe ſub aliorum dominio eſſe. Prioris itaque generis civitates, (ut tandem quo volumus, perveniamus) immediate ſub imperio conſtitutæ, ac jurisdictionem perpetuam & ſtatum in Imperio nactæ, in ſuo diſtrictu non minus ac Principes, Duces vel Comites in ſuis Principatibus, Ducatibus & Comitatibus, ſuperioritatem, jura Principis ac regalia habent, & generica Principis definitione continentur. Quod multorum teſtimoniis probat etiam Caſpar. Klock. *de contrib. c. 5. n. 9.* Ideoque recte de hiſce liberis Germaniæ civitatibus ſcripſit Guicciardinus *l. 7. hiſt. c. 2.* recognoſcere eas quidem certis & definitis penſionibus quibusdam autoritatem Imperii, cæterum ipſas ferme moribus & magiſtratibus ſuis gubernari: neque tam ſtudere territorio ampliando, quam libertati ſuæ conſervandæ. Ac hodie nonnullas earum in tantum creviſſe potentiam, ut cum quibusdam Germaniæ Principibus contendere valeant, ſcribit autor *Theſauri polit. in relat. d. aula & regno Imperatoris romani.*

LVI. His itaque præmiſſis, negamus regalia, quorum ſupra mentionem fecimus, ejus efficaciæ eſſe, ut propterea civitates in ſuo diſtrictu regalibus defraudari poſſint. Nam quod jure romano omnes civitates quamvis ampliſſimæ, excepta Roma, privatorum loco haberi dicuntur, illud de oppidis mere municipalibus & Imperio mediate per Principes ſubjectis *Landes Fürſtlichen Städten*, nequaquam vero de civitatibus immediate Imperio ſubjectis hodie quidem accipiendum eſt. Caſp. Klock *c. 5. de contrib.* Si enim habens diſtrictum vel jurisdictionem, teſte Baldo, publica perſona dicitur, recte etiam hæ civitates pro publicis perſonis æſtimandæ ſunt.

LVII. Nec vero impedimentum affert, quod civitates imperiales dignitatem regalem nullius ducatus, imo nec alicujus baronatus habent. Nam ex hoc habitu non neceſſario, incapacitas poſſidendi Regalia infertur. Ut fuſius oſtendit Caſp. Klock. *de Cont. n. 44. c. 5.* & quin civitas, ſuperiorem agnoſcens, æque ac Princeps, Comes, regalia obtineat, nihil impedit. Idoque ex hiſce ſequitur, ejusmodi liberas civitates poſtulante neceſſitate, ſuis civibus contributiones datias, collectas, *Schoſs, Steuer, Miet-Geld Marckt-Geld*, indicere & ab iisdem colligere poſſe.

LVIII. Hæc cum ita ſe habeant ad cauſam mater. proxime accedentes magna circumſpectione opus eſſe putamus, ut rebus ac perſonis convenientibus contributiones juſte ac recte imponantur. Si enim pecunia, teſte Livio, quaſi anima plebis eſt, nihilque populo adeo dolet, quam ſi debeat partem bonorum contribuere publico, prudentis politici erit videre, ut omnia contributionum genera ita rebus ac perſonis accommodentur, ne ſentiat populus, multum ſibi detrahi. Si porro non proſpicias civibus, ut habeant, unde contribuere poſſunt, male reipublicæ conſulis.

LIX. Hoc in genere autem nullos prudentiores Bativis & Italis eſſe, ampliſſ. Dominus Præſes in publica lectione exiſtimabat. Ideoque qui hac in parte reipublicæ feliciter conſulere deſiderat, illi commodum fore, has artes ab his & potiſſimum Batavis diſcere docet idem *in diſp. de vect.* §. 27. Et vero etiam Caſp. Klockio teſte, nulli Italis & Batavis in collectarum inventione prævalent.

LX. Iuris conſulti contributiones in tributa & annonas diſtinguunt. Et quidem ita, ut annonæ in ſpeciebus conſiſtant, veluti frumento, vino, oleo, pane, carne, ſale &c. Tributa vero in corporalibus, veluti fundis, auro, argento, equis. De prima diſtinctionis parte ut incipiamus, conſtat, tributum, quod rebus ad victum pertinentibus imponitur, maxime odioſum plebi & grave eſſe. Prudenter ideo cenſet Hippolyt. a Collibus *de increm. urb. c. 20.* Principi unice cavendum eſſe, ne iis rebus tributa imponantur, quibus pauperes vitam neceſſario ſuſtinent, & quibus carere nequeant.

LXI. Ideoque ſi ejusmodi res neceſſarias ab exteris recipiant ſubditi, eæ vel pro temporum injuria omnino non, vel ſaltim modice, vectigalibus onerandæ ſunt. Quapropter etiam omne id, quod quis uſus proprii cauſa emiſſet ab omni gabella immune olim conſtitutum eſt *l. 5. c. d. vect. & commiſſ.* Hinc quoque Veneti in bello, antehac contra Bajazetem geſto, portoriorum, vini, panis, & carnis augmenta reſpuiſſe, prædicantur. Hinc ſane pro frumento, quod ad molendinum defertur, vectigal non eſſe præſtandum, cum ea, quæ noſtra ſunt, iterum emere non debeamus, cenſet Arniſæus *l. 3. de jure majeſtatis.*

LXII. Nihil tamen prohibet, ſi urgeat reipublicæ neceſſitas, (quæ juſtum facit, quicquid in bonum publicum vergit) nec cives paupertate laborent, etiam hiſce vectigal aliquod imponere. Et imprimis notandum, ſi quibusdam forte, quæ ad victum pertinent, divites frequentius, quam pauperes, utantur, ut e. g. vino, hæc vectigalibus accipiendis magis apta eſſe. Honeſtiſſimum vero putandum vectigal, quod iis imponitur rebus, quæ ad luxum, delicias pompamve ſpectant, & mores corrumpunt. Et vero illa collatio gratiſſima Deo, pulcherrima civitati, Magiſtratui honeſtiſſima, plebi utiliſſima eſt. Quippe cum illa divites onerentur, pauperes vero ſubleventur, inopibus conſulatur & luxui hominum potentium modus ſtatuatur. Quare etiam leges romanæ aromata & ejus generis merces, vix neceſſarias uſui humano, vectigales eſſe jubent. Optimo itaque jure vectigal in herbam illam, quam tabacum appellamus, ſtatuitur: nec credo temere quenquam improbaturum, ſi Princeps vectigal ſtatuat in ebrios, & ebrioſis vinum vel cereviſiam vendentibus. Et quis non Neapolitanum illud inſtitutum omni laude dignum cenſeat, quod ſingulæ cartæ luſoriæ, quæ Neapoli in Hiſpaniam vehuntur, non levi vectigali

ſint

ſint oneratæ. Vectigal ſerici, annuos aureos centum mille ibi referre ſcribit Aut. *Theſ. pol.*

LXIII. Porro etiam illa tributa probanda maxime ſunt, quæ peregrinos magis, quam domeſticos afficiunt. Hoc autem obtineri putat Bach. ſi præcipua tributa eis mercibus imponantur, quæ evehuntur. Sic enim non tam onerari venditores, quam illos, quibus venditur: dum quicquid illis imponitur, hoc ipſi ab illis carius vendendo extorquent. Sic ſane judaicæ gentis opes ex opobalſami vectigali creverunt. Sequitur hinc porro, tributa maxime exigenda eſſe earum rerum nomine, quas a nobis ſolis, nec aliunde exteri petere poſſunt, aut obtinere, quarumque penes noſtram rempublicam quoddam quaſi, ut ita dixerim, monopolium eſt.

LXIV. Interim tamen tributa aut vectigalia ſint ita temperanda, ne exteri (quod cum reipublicæ detrimento conjunctum) a commerciis arceantur. Cujus exemplum in rep. Poloniæ obſervat ampliſſ. Dominus Præſes *in diſp. de vectig.* §. 23. Cum enim ante aliquot annos frumentum, quod in Dantiſcanos & Pillavianos portus venerat Rex Poloniæ, majori vectigali onerare decreviſſet, Batavi inverſis Dantiſcanorum commerciis idem ex Moſcovia petere decreverunt. Rectius ergo Plato portoria ex ſua republica ſuſtulit, ut mercatores ad rerum copiam invehendam allicerentur *l. 5. de legibus*. Quia enim:

Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ,
Arborei fœtus alibi, atque injuſſa vireſcunt,
Gramina.

Hæc omnia ita (ut Senecæ verbis utar) in regiones deſcripta ſunt, ut neceſſarium mortalibus eſſet inter ipſos commercium, ſi invicem alius ab alio quid peteret. Tantum ergo abeſt, ut ejusmodi bona, quæ tanquam peculiare donum a clementi cœlo populo donata, gravioribus tributis ſint oneranda, ut potius opera danda, quo, imminuta vectigalium gravitate, commercii ratio quam maxime habeatur, quia hac ratione & ab iis, qui exportant, ſolent multa invehi: quo ipſo creſcunt divitiæ civium. Quæ deinde paratiſſima egeſtatis publicæ ſubſidia eſſe poſſunt.

LXV. Civitatibus porro utiliſſimum cenſet Bodinus & a politicis præceptum, inquit Beſoldus, ut augeatur vectigal Fabrilium, Lanificiorum, Sericeorum, ac omnium opificiorum, quæ aliunde advehuntur, ut cives ipſi eadem facere condiſcant. Hac enim lucri ſpe exotici opifices ineſcati, in noſtram urbem facile pertrahentur: quorum certe beneficio urbes deinde populoſiores & ditiores evadunt. Nam ſecundum præfationem Boteri *de illuſtr. ſtat. c.* 10. *&* 11. *Cui multus eſt populus, is omnibus quoque abundat, quæ humana induſtria & intelligentia complectitur;* ſubditorum quippe multitudinem magna etiam opum poſſeſſio comitatur. Cujus rei præter Genevenſium civitatem multæ aliæ teſtes ſunt, quæ nunquam tantis rerum copiis ditatæ conſpicerentur, niſi peregrinis & imprimis ob religionem ejectis hoſpitium & receptaculum præbuiſſent. Optime igitur Plinius Secundus *l. 7. ep.* 32. inquit: *Cupio patriam noſtram omnibus quidem rebus augeri, maxime tamen civium numero.* Id enim oppidis firmiſſimum munimentum, & quantum emolumenti ex civium & ſubditorum multitudine percipere poſſint reſpublicæ, polite non minus, quam politice tradit Herm. Latherus. *l. 3. c. 3 de cenſu.*

LXVI. Unde etiam juxta Bodinum minime eſt ferendum, materiam rudem e civitate exportari, ſed opifices eam prius tractare commode debent. Cives enim ex rudi materia, in opificina conformata, longe ampliorem conſequuntur fructum, quam ſi materiam venalem obtuliſſent. Siquidem quæ duce arte inveniuntur, ut majoris ſolent eſſe pretii & valoris, quam quæ natura peperit. Ubi ergo materiarum & artificum abundantia, ibi propter publicas opes tributa levia & vix ullo onere conjuncta erunt.

LXVII. Si autem juxta Ciceronem *l. 1. off.* rebus modum quendam adhibentes & ordinem, honeſtatem & decus conſervabimus, maxime Princeps, ut in omni re, ita imprimis hac in parte honeſti ac decori rationem habere debet, ſibique cavere, ne ſordida tributorum indictione in fœdiſſimam turpitudinis notam incurrat, & ex minutis ac turpibus rebus quæſtum faciens, regali hoc jure injuſte abutatur. Indignum quippe tanto culmine facinus, lucrum ex omni cauſa adorari, & quoad vetus verbum a ſtatuis farinam exigere. Quare tyrannica & prope furialis judicata vox illius Imperatoris: qui rogatus ne nova vectigalia imponeret, vel augeret, reſpondit: Non tantum terræ, ſed etiam aëri, & vento imponerem vectigal. Cujus farinæ homines etiam fuerunt, qui umbram Platoni precio addixerunt, & quod mireris, aërem tributo allegarunt, Plin. *l.* 12. Nec minorem exſecrationem meretur χρυσάργυρον, id eſt, auri argentum pulchro nomine fœdiſſimum a Zozimo ad opprimendum chriſtianos inventum & deſumtum ex his, qui mendicata ſtipe vitam tolerabant, ex lupanaribus & proſtibularum mercedibus. Nec abſimilem fœditatem redolet exactio, quam Nicol Boer. *deciſ.* 363. adducit, qua aliquot millia aureorum quotannis exigebatur ab illis, qui ductis uxoribus, biduo aut triduo poſt benedictionem nuptiarum abſtinere nova coſta nollent. Ac merito culpatur Margaretha illa Daniæ & Norwegiæ Regina; quæ ultra gravia alia tributa, quæ ſingulis ſeptimanis & menſibus extorquebantur, marcam unam Stocholmienſem a quolibet conjugio exegit, Caſp. Klock. *c. 1. d. cont. n.* 328. Beſold. *diſc. pol. d. ær. c.* 4 §. 17. *n.* 1. Sic pro ſingulis tegulis, pro fumo, pro nive vendita, pro feneſtris, & pro vitiis tributum acceptum refert Caſp. Klock. *d. cont. c. 1. n.* 332. Omnium vero fœdiſſimum eſt tributum, quod ex urina, teſte Suetonio, Veſpaſianus imperaverat. Cum quo pari paſſu ambulat tributum illud, quod ab iis, qui artes meretricias profitentur, exigi Romæ conſuevit a Papa. Pariter ut olim Caligula ex capturis proſtibularum vectigal inſtituit: & poſtea Heliogabalus lenonum vectigal & meretricum

ac

ac exoletorum exigebat. Vide ampliſſ. D. Præſidem *in diſput. d. vectig.* §. 33. & Beſold. *d. ær. c.* 4 §. 17. *cap.* 1.

LXVIII. Poſſent alia adferri, ſed obſcœnitate deterriti, non vulturum & corvorum more, qui Arabiam prætervolantes poſthabitis balſamis & adoratis ſilvis, ad cadavera devolant, tam putidis rebus diutius immorandum cenſemus; ſed potius hiſce rejectis, quomodo ex parte cauſæ formalis contributiones recte ſint, inſtituendæ conſiderabimus. Forma itaque in eo occupari videtur, ut juxta cujusque facultates *Cauſin.* Sine injuria, ſine vi & tumultu Boxh. *l.* 1. *c.* 10. ſecundum æquitatis normam, ducta ad bona civium proportione exigatur.

LXIX. In tributis profecto æqualitatis maxima eſt habenda ratio. Quæ in eo potiſſimum verſatur, ut paria onera ſentiant, quorum pares in diverſis licet, rebus ſitæ ſunt opes. Iſtæ namque contributiones æquiori animo feruntur, a quibus nemo eſt immunis Tholoſ. *lib.* 3. *de republ.* Juſtum quippe & æquum eſt, neminem neque privatum hominem, neque populum immunem eſſe, cum ad omnes ex æquo redeat utilitas eorum, quæ inſumuntur *Diod. lib.* 52. Alias nemo credit id ſe publico impendere, quod non alter ſolvit, qui in eadem eſt republica. Non enim ſine injuria tantum exigenda ſunt tributa, ſed ita, ut pro portio ſit inter illos, qui in æquales opibus, & ut omnes tributo ſubjaceant. Cum enim quidam in agris, quidam mercatura, vel alio vitæ genere occupentur, non mercatoribus tantum, nec agricolis tantum, ſed pariter omnibus onus eſt imponendum. Ubi communis utilitas ibi merito æqua oneris ſocietas eſſe debet: & ne is, qui plurimum de commodis civitatis vel reipublicæ participat omni tributorum immunitate gaudeat, juſtiſſimum videtur.

LXX. Omnem vero circa tributa iniquitatem evitari, ſi omnes ex æquo cenſeantur, & ex cenſu contributio æqualiter fiat, pro ratione, proportione & quantitate bonorum, quæ quisque poſſidet, putat Arniſæus. Et Cicero ad fratrem Aſiæ proconſulem ſcribens, illud in eo imprimis laudat, quod effecerit, ut tributa ab omnibus tolerarentur æqualiter. Civilia quippe munera per ordinem pro modo fortunarum ſunt ſuſtinenda *lex C. de muneribus patrim.* Nec patietur Præſes provinciæ ultra modum ſumptuum, levatis aliis aliquem gravari, ſed æqualitatem, tam juris quam cenſuræ memor, circa ordinem cuſtodiet. *l. utra* 4. *quemadmodum civit. mun. indic. l.* 10. *Nov.* 43. *c.* 1. *v. neque enim.* Et Thomat. *de collect, in princ.* monet, quod inter omnes ſubditos a ſummo ad infimum æqualiter collecta ſit diſtribuenda, & quod in ea ſervari debeat exacte æqualitas. Ac ab omnibus ſubditis pro modo fortunarum hæc onera æqualiter ſunt ſubeunda, quo facilius ex ipſa æqualitate publicis officiis pareatur. Et quoniam hic agitur de publica utilitate æqua debet eſſe inſpectio in *d. tract. n.* 36. ut omnes pro modo prædiorum pecuniam tributi conferant. Hic etiam *n.* 9. probat, ad illum finem & effectum conſtitui per æquatores, ut pro viribus patrimonii uniuscujusque hæc onera omnes agnoſcere faciant *l. omne C. de cenſibus l.* 11. ut peræquatis inquit bonis æqualance indictio procedat, *l.* 1. *C. de Apoch. pub. lib.* 10. & quaſi admenſurentur, ut qui majores percipiunt fructus, majore onere graventur.

LXXI. Collecta enim in univerſali æſtimo totius regionis imponenda per æs & libram omnibus & ſingulis Barthol. *in l.* 1. *c. de apoch. publ.* ut qui plus habet plus, qui minus etiam minus; ut unius defectus per alterius habentis ſuppleatur, *l.* 1. *c. de omni agro.* Hoc genus collectarum capitatione aliisque impoſitionibus mere perſonalibus æquius judicat, Bornitius *lib.* 5. *de ær. c.* 1. & 2. & doctiſſimus Dominus Præſes nullum tributorum colligendorum modum hoc conducibiliorem ſtatuit, ubi ſcilicet æqualiter per æs & libram pro bonorum & obventionum rata, pro viribus ſingulorum tributa imponuntur, ac diſtribuuntur.

LXXII. Æſtimum vero per æs & libram hoc ordine & forma eſt conſiderandum, ut omnia bona tam mobilia reſtringentur, ac collectentur, Rovenſtrunck *im rechtlichen Bedencken von Anlagen Contrib. num.* 27. Et quidem ſecundum Dn. Rovenſtrunckii opinionem, primo loco prædia ruſtica juxta eorum reditus & fructus ſunt cenſenda. Poſt hæc prædia urbana juxta penſiones, quæ percipiuntur ex domibus locatis, Tertio bona mobilia e quibus reditus aliqui percipiuntur. Porro ſalinæ cenſeri, poſtea mercaturæ lucra & emolumenta obſervanda, deinde artificium & induſtria. Quas res ſequntur piſcatores & venatores, qui exercent mercaturam & negotiationem, & hic in libris cenſos reponendos putat. Poſt illos inquit colonis, tam qui colunt nummis, quam partiarii proportione fructuum ad ſe ſpectantium, etſi ſint coloni eccleſiaſticorum ſunt cenſendi. Deinde reditus annui debent æſtimari, & in libro cenſuum deſcribi, ut etiam lapides precioſi, annuli & ſimilia æſtimo ſint apprecianda. Hac de re vid. plur. Dn. Rovenſtr. *in d. tract. num.* 27. *usque ad num.* 41. Doctiſſimus & ampliſſimus Dominus Præſes probat illum modum, qui hodierno uſu plerisque in civitatibus obtinet, dum nimirum ſinguli cives profiteri tenentur, quantum in bonis habeant eamque profeſſionem juramenti religione confirmare.

LXXIII. Imprimis autem omni opere enitendum eſt, ut tributorum impoſitio ita fiat, quo livor & populi odium evitari poſſit. Quoniam vero, ſi illi oneri, quod conjunctis ac communibus quaſi humeris ferendum eſt, pauci ſubtrahantur, & horum (ut ita loquar) levamine cæterorum onus aggravetur, odioſa oritur inæqualitas, quam livor & odium a tergo ſequnntur, adeo ut cives pari dolore aliena commoda ac ſuas in injurias meditantur: Ideoque omni opere enitendum, ut omnes cives ex æquo tributorum onus perferant, & nemo ſubditorum niſi lege eximatur. De quo *vid. tit. Cod. d. vect & commiſſ. ut ordinat. camer. imp. part.* 1. *tit.* 49.

LXXIV. Tota vero immunitatis ratio ſita eſt in prudentia legislatoris. Cujus enim eſt imponere collationem ejusdem quoque eſt perſonas & res a vectigalibus, tributis & collationibus

eximere. Hinc poteſtatem illam juribus majeſtatis accenſent, Beſold. *1. polit. c.* 4. Cum vero in omni privilegio (ut ex doctiſſimo Domino Præſidis ore ſæpe numero audivi) magna & prudenti circumſpectione opus eſt, tum imprimis hoc privilegium, quod circa immunitates verſatur inſignem requirit prudentiam, quia plerumque cum odio & damno reliquorum civium conjunctum & juſtitiæ imprimis particulari valde contrarium. Quamvis hic dici poſſit non plus, ſed minus ſumi, facile tamen ex Ariſtotele *l. 5. eth. c.* 1. apparet, minus malum in ordine, ut majus malum boni rationem habere.

LXXV. Ob immunitatem porro uni conceſſam cæteri prægravantur, ut plus impendere cogantur. Quod naturalis ratio fieri non concedit, neque ulla juris ratio permittit, ut ſuum alicui auferatur *l. meminerint. C. unde vi. Rövenſtrunck im rechtlichen Bedencken von Anlage Contr. p.* 78. *num.* 281. Sint v. g. 10000. annuo præſtanda a plebe: ſit uni atque alteri concedis immunitatem, reliquo populo onus aggravatur, & majus quaſi pondus imponitur, & ab illis in hos transfertur. Jam vero præ cæteris aliquos onerare, & pauperculos homines divitum tributum premere, vel (ut his verbis utar) fortiorum ſarcinas infirmioribus imponere hoc ſumma cum iniquitate conjunctum eſſe facile apparet. Quisque enim tenetur ſuum non alterius onus portare, & grave eſt non ſolum legibus, verum etiam æquitati naturali contrarium, pro alienis alios moleſtari. *l. 1. C. ut null. ex vicar. l.* 11. Ideoque non mirum videtur, cur *tit. 25. l. 10. c.* inſcriptus ſit de immunitate nemini concedenda. Nam in ſumma neceſſitate, omnes immunitates ceſſant. Beſold. *d. ær. cap. 5. n.* 20. Et generaliter immunitas haud extenditur ad onera, quæ imponuntur ad publicum bellum vel aliam evidentem neceſſitatem. Mynſing. *obſerv.* 20. Nec Principem poſſe quenquam in perniciem & præjudicium ſubditorum oneribus eximere reſpondet. Pariſ *cap. 70. u.* 14. Rövenſtr. *d. t. n.* 269. Nec ipſe Imperator immunitatem a collectis Turcicis, non niſi ex juſtiſſimis cauſis indulgere poteſt: quum eo ipſo univerſo præjudicaret imperio. Schnob. *l. 5. polit. c.* 12. Ideoque a collectis imperii nemo cujuscumque Status eximitur, & generaliter ſtatutum eſt cum omnino ad oblationem publicarum functionum oportere urgeri *l. omnes c. C. de annon. de tribut.*

LXXVI. Non immerito ergo Bodinus *l. 6. c.* 2. de abſurda Galliæ conſuetudine conqueritur, in qua tria hominum genera ſacerdotes, nobiles, magiſtratus, atque de eo fere omnes, qui divitiis pravalent, atque ex republica maxima accipiunt commoda, omnia tributa in miſeros opifices & aratores rejiciunt. Nam omnium perſonarum in publicis functionibus, æqua inſpectio eſſe debet, ne dum aliorum compendia ſublevantur, aliorum rationibus incommodetur Guil. Forner. 1. *ſelect. c.* 20. Imo locupletiores plurimum, tenuiores minimum, gravari debent. Quo temperamento nonnunquam uſa eſt potentiſſima Belgii reſpublica, ut ſcilicet in collectis extraordinariis ab iis, quorum patrimonium ad mediocrem pecuniæ ſummam perveniebat, nihil exigeretur, teſte Klock. *c. 16. contr. u.* 92.

LXXVII. Injuria quippe (ut ex facta delineatione ſupra apparet) in tributis exigendis maxime vitari debet. Iniquus enim exigendi modus facit, ut iniquum videatur ipſum tributum, Boxh. *l. 1. c.* 10. Tacitus hoc reſpectu Britannos omnia tolerare, ſi injuriæ abſint, inquit *in Agric.* Nihil æque dolet populo, quam ſi debeant partem bonorum contribuere publico, quod per peculatum, prodigalitatem, & alias illicitas profuſiones eſt evacuatum. Et ampliſſimus Dominus Præſes in publica lectione contra ipſum jus naturæ eſſe exiſtimabat, ſi Princeps multa tributa prodigalitatis cauſa exigat. Unum aliquem diffluere divitiis, & voluptate gementibus undique & lamentantibus, aliis, hoc non regni eſt, ſed carceris eſſe cuſtodem. *Mor. Utop. l.* 1. Non inepte hac de re Klock. *in d. t. de contr. c. 6. n.* 76. inquit, honeſtam recreationem Principi in videndam non eſſe, ſed omnem pecuniam ad neceſſarios & publicos uſus deſtinatam, in rebus ludicris, in hominibus ignavis, ſcurris, peregrinis, mimis, lenonibus, ſcortis & ejusmodi virtutum dehoneſtamentis temere ſaginandis, inque explenda libidine conſumere, ignominioſum & turpe cenſeri.

LXXVIII. Imprimis hic ſeponenda eſt affectatio externæ exiſtimationis, magnitudinem deſtruens internam. Et ſic Alexander Severus urbem, provinciam & aulam ſuam purgavit hominibus non neceſſariis: malum pupillum eſſe dicens Imperatorem, qui ex viſceribus provincialium homines non neceſſarios, nec reipublicæ utiles aleret. Nefas etiam eſſe dixit, ut publicus diſpenſator in delectationes ſuas converteret, quod provinciales dediſſent. *Lamprid. in ejus vita.* Ideo ſalaria, quæ otioſos vel inutiles accipere videmus, ſunt ſubtrahenda. Nihil quippe ſordidius imo crudelius eſt, quam ſi ſemper illi rempublicam arrodant, qui nihil in eam ſuo labore contulerunt; quod olim dixit Antoninus Pius Imperator teſte Capitolino. Boleslaus I. Polonorum Princeps dictitare ſolitus fuit, malle ſe gallina veſcentem ſalutem & tranquillitatem ſuorum tueri, quam deliciis indulgentem pati, ut quisque injuria opprimeretur.

LXIX. Quid ſane in novis collectis imperandis noceat Principis luxus, id experimento didicit Carolus VI. Lutetiæ Pariſiorum. De quo ſic Gaguinus *lib. 9. rerum gall. humilis*, inquit, *ex Pariſianis plebecula novis quaſi furiis acta querebatur ſe vectigalium magnitudine premi. Itaque præpoſitum mercatorum aggrediens, ad concionem hominem venire cogit. Ubi unus e plebe audentior, vice multitudinis petit preſſiones & vectigalia tolli, quod quandoquidem olim poſtulaſſent, nec fuiſſent auditi adeſſe jam tempus, cum factum eſſe oporteat. Concitatæ multitudini plerique ſobrie obſiſtere cupientes, ſi in craſtinum res differretur, compeſci furorem poſſe, in poſterum diem negotium remittebant. Quod intelligens quidam veteramentarius ſutor, temere exſurgens, Pompa, inquit, aulicorum & faſtus in humeros populi recidunt, & quæ ab illis in luxum profunduntur, damna noſtra & calamitates ſunt. Qua commotione factum eſt, ut Regis mandato domum abire juſſis, vectigalia tollerentur.* Vid. etiam Beſold. *de ær. c. 4. n.* 3.

Google

LXXX. Quamobrem prudens Princeps ſobrie & circumſpecte in his verſabitur, & privatorum bonis citra juſtam cauſam abſtinebit: ſuam ſecuritatem in ſubditorum magis amore ac benevolentia, quam timore & odio collocabit, ne aſperitas negotii effectu irrito ſolas arceſſat offenſas. Rerum omnium, nec aptius quicquam ad opes tuendas, quam diligi, nec alienius, quam timeri. Præclare Ennius:

Quem metuunt, oderunt.

Quem quisque odit, periiſſe expetit. Cic. l. 2. off.

Quamvis enim pauci tacitum dolorem continent, execrationes tamen in Regem, vincente odio metum, exaudiuntur. Livius *l. 40. c. 3.* Servientibus enim animis cum omnia metu tenentur, gemitus tamen populi liber eſt *Cic. l. c.* Quod igitur non ad incolumitatem ſolum, ſed ad opes & potentiam valet plurimum, id (monente Cicerone) amplectamur ut metus, & quod ſequitur odium abſit, caritas retineatur.

LXXXI. Præprimis Regium dictum inclyti & potentiſſimi quondam Herois Jacobi I. Angliæ, Scotiæ & Hyberniæ Regis Principum aures, ſubinde vellicet. *Ante alia*, inquit Rex *l. 2. inſt.* ad Henrirum filium primogenitum, *Noli te locupletare nova & gravia tributa imponendo, ſed tuorum opes ac facultates certiſſimas tuas divitias puta.* Ampliſſimus Dominus Præſes *in diſp. de ær. §. 42.* Ac recte Cyrus Perſarum Rex apud Xenephontem dicebat, opera Regum & paſtorum maximam habere affinitatem, ſicut enim ad paſtorem pertinet curare, ut pecora habeat læta & ſucculenta, ita convenire Regi cives & ſubditos facere felices & opulentos, non quotidianis exactionibus infortunatos, & inopes reddere, præſertim ſi loci ingenio tenues ſunt. Præſtans ſane Alexandri M. reſponſum fuit, qui, dum admonitus longe plus vectigalium aufferri poſſe, *& olitorem*, inquit, *odi, qui radicitus olera exſcindat:* ſubinnuens regnum horti, populares vero arborum & plantarum inſtar eſſe: & quidem quamdiu radix vivit, colligi fructus poſſe, exſecta vero planta areſcere. Modus itaque tenendus, & ne in nimium tributa aggraventur proſpiciendum. Nam ſi ſine ratione, & modo tributa ad libidinem dominantis exigantur; nulla capitalior peſtis regi, nulla ſors populis acerbior, & ſi quis rempublicam exſcindere, regna convellere decreviſſet, non aliis conſiliis, ac validioribus machinis impellere ad pernitiem poſſet. Ubi enim gentium tam violenta, tam tetra rapinis, conſilia lætos exitus habuere? Unde ſeditionum furiæ? unde furentium rebelliones? unde convulſiones regnorum, niſi ex hoc fonte ſunt? *Cauſin de regno Dei diſſertat. 4. 6.*

LXXXII. Frequenter ſane videmus, odium ſubditorum oriri ex tributis, & nimiam in exigendo tributo ſeveritatem movere ſubditos ad ſeditionem *Tacit. l. 4. ann.* Cui aſſentitur Clapmar. *l. 3. de arcan. dom. c. 25.* inquiens: ubi nimiis vectigalibus aliisque penſionibus onerantur cives, ibi conjurationes in caput Principis oriri oportere. Sic Ægyptii Ptolomeum regno pepulerunt, quod conquiſita undique pecunia romanam ſocietatem admercari laboraret. Dn. Arniſæus *de republica.* Hoc modo Athenienſes quoque deſtituerunt ſocii ad Lacedæmoniorum partes tranſeuntes *Thucyd. l. 1.* Cum Rehabeam tributi remiſſionem flagitanti populo reſponderet: Pater meus flagellis vos cecidit, ego vero ſcorpiones adjiciam: decem tribus a ſceptro Juda ſe avulſerunt. Imo bona pars Hiſpaniæ, Galliæ, vel ad Gothos, vel ad alios ubique dominantes Barbaros transmigravit iniquitate transactionum compulſa, ut late diſſerit Salv. *l. 5. d. gubern. Dei*, & Dn. Arniſæus *l. 7. de republica c. 3. ſect. 8.* Galli in Ludovicum XI. bellum excitarunt ob avertendas exactiones, cui boni publici nomen prætexuerunt in medio Regni curſu, quod exhauſto per longa bella ærario ad nova vectigalia & tributa cogeretur confugere.

LXXXIII. Anno ſalutis 1375. tumultus gravis ſeceſſione plebis a patribus Lubecæ exortus eſt. Multas & magnas fecerat ſenatus impenſas & crebris expeditionibus contra Danos per mare, per terras, ſuſcipiendo item Imperatore Carolo IV. æs contraxerat alienum non mediocre. Inſtituerat ergo, ut præter annuam collectam, per ſingula civium capita ſolveretur una marca Lubecenſis, & ut futuro tempori proſpiceretur, aucta eſt menſura, quam molentes publicis uſibus ſervituram, detrahunt in molendinis. Eam rem acerbiſſimis animis accepere plebeji: eviſcerari ſe queruntur, ſanguinem prius quam pecuniam daturos. Concurritur in ædem Divæ Catharinæ, fratrum minorum eccleſiam. Itaque Senatus civium voluntati conceſſit. Crantzius *l. 9.* Vandal. *c. n.* Caſp. Klock. *c. 18. d. contr. n. 3. 17.* Idem contigit anno 1408. dum Lubecenſis populus, propter novi tributi inſtitutionem itidem contra ſenatum inſurrexerat, rationem expenſarum ab illo petens. Senatus maxima pars urbe exceſſit, Crantz. *l. 10.* Vandal. *c. 14. d. ſeq.*

LXXXIV. Modum itaque metiatur Politicus moderamine prudentiæ civilis, & ſedulo in id incumbat, ut tam ſubditi velint, quam poſſint, contribuere efficiatur. Optima cautela videtur, & quæ actiones quam maxime reddit gratas, ſi appareat prius collatam pecuniam ad deſtinatos uſus inſumptam fuiſſe, ſi & exactam pecuniam Magiſtratus cum artifitioſa quadam parſimoniæ oſtentatione eroget. Tantum vero abeſt, ut principis autoritati ac dignitati aliquid detrahere poſſit, ſi Princeps vel de pecunia exacta ordinibus quadam tenus rationem reddat, vel eam ab ordinium deputatis ad miniſtrari permittat, ut potius ad candorem & ingenuitatem ſuam teſtandam & ſubditorum ſuorum amorem erga ſe excitandum quam maxime facere videatur. Ideoque in ariſtocratiis non nunquam ex plebe quidam ſenatui adjunguntur, ut videant quos in uſus collectæ inſumantur. Quod inſtitutum probat ampliſſ. Dn. Præſes *in diſput. d. vect. §. 25.* multa ad tributorum invidiam minuendam facere exiſtimans, ſi quatum fieri poteſt, nonnulli ex

populo ad inſpectionem ærarii aliqua tenus ſaltem admitantur: qui videant nimirum, non eam per luxum aut ignaviam prodigi.

LXXXV. Incumbit quoque magiſtratus prudentiæ, ut omni ratione proſpiciant, ne miniſtri, officiales, & qui curæ ærarii ac vectigalium ſunt præpoſiti, poteſtate, quæ illis ad munera obeunda conceſſa, ad quæſtum abutantur; neve ſubita opum affluentia & morum ſuperbia civibus male de imperio ſperandi occaſionem præbeant, ut qui ante in privata & ſua re egeni in publica atque aliena opulentiſſimi fiant. Puras innocentesque manus habeant neceſſe eſt: ſecus enim ſi fiat, inquit ampl. Dn. Præſ. nulla tributa ſufficient ſemperque ærarium laborabit.

LXXXVI. Cum præterea exactio odioſa minus ſit quam exactor *Beſold. d. ær. c.* 4. omni modeſtia & lenitate ſive manſuetudine ſive flagitiis ſine noxa ſine fraude, ſine crudelitate & injuria exactores collectam cogant: & non acerbos nec contumelioſos ſe præbeant, ſed moderatos & cum efficacia benignos & cum inſtantia humanos uti de creditore loquitur Ulpianus *l. ſi bene.* 33. *ff. d. uſur.*

LXXXVII. Mollia porro nomina ex neceſſitate in imponendis indicendisque tributis debent uſurpari. Ideoque Lipſius 4. *pol. c.* 10. Principes ad Themiſtoclem remittit, iisdemque in hoc negotii genere divam illam ſuadam tantopere commendat, ne ſubditi nimiis & in ſolitis exactionibus inviti, onerati penuria & impotentia magis quam obſequii patientia inducti, pacem exuant. Quo circa in conventibus quoque provincialibus, cum ſtatibus & ſubditis, ut collectas certo interſtitio pendant, ſolet benigne tractari, ac blandis vocabulis ſubſidii, auxilii, adjutorii, adoſæ relerii (Nos *Steuern* vulgo loquimur) impetrari, non durioribus iſtis vectigalium tributorum, impoſitionum, exactionum &c. imperari videmus Gail. *d. Arreſt. Imp. c.* 10. Sicque in Gallia Carolus V. ſubventionis quam tributi aut indictionis vocabulo uti maluit.

LXXXVIII. Abſit itaque omnis violentia & ſuaſio adſit. Camelus blanditiis, non verberibus provocatur, ut ultra poſſe laboret. Qui enim ſupplex eſt melius & facilius miſericordiam recipit, quam qui cum magnitudine animi agit, & qui petit cum ratione facilius quam ſine ratione impetrat. Maxima autem ratio rerum neceſſitas, quæ hoc habere putatur impoſſibilia, ut perſuadeat plerumque. Hæc apud multos, imprimis Romanos, graviſſimas exactiones tolerabiles reddidit.

LXXXIX. Hac vero ceſſante, ſcilicet neceſſitate, tributa etiam ſunt remittenda. Deficiente quippe onere deficit præſtatio, quæ fit reſpectu oneris, & quando cauſa reducitur ad non cauſam perinde eſt ac ſi a principio ſine cauſa collecta fuiſſet impoſita *l.* 1. *in fin. ff. de cond. ſine cauſa.* Sic enim dicit Juſtinianus *l.* 1. *c. d. caduc. toll. ead.* quod belli calamitas introduxerat hoc debere paucis lenitatem ſopire & *l.* 1. *§. optamus c. d. offic. præf. prat. Affer.* lumine libertatis reddito Afros a violentia tributorum reſpirare omnem avaritiam ceſſare, & juſtitiam ac veritatem circa omnes tributarios reſervari jubet. Hinc Romanis tributum remiſſum eſt, quam primum L. Æmilius Paulus Macedonicus opibus Rege Perſeo devicto ærarium ſatiavit, teſte Valer, Max. l. 4. c, 3. Ita Julius Cæſar victo Pompejo, cunctis Aſiam incolentibus remiſit tertiam contributionis partem. Sic Henricus Galliæ Rex pace cum Hiſpano firmata vectigalia extraordinaria ſubditis remiſit *Beſold. d. arar. c.* 4. Et Imperator Leo in orientali provincia & quibusdam aliis civitatibus, quæ cum propter frequentes exercitus nimium gravatæ eſſent ab eis talia gravamina tolli & amputari ipſe decrevit *in l. Curſum* 22. *C. d. curſ. publ.* Quapropter ex monito Claudiani,

Impia continui ceſſent augmenta tributi,
Nec tua privatis creſcant æraria damnis.

XC. Laudabile quippe æquitatisque plenum & ad favorem populi conciliandum principi mirifice conducit, ſi Tiberii Pertinacis, Hadriani, Mithridatis aliorumque Imperatorum & Regum exemplo, ob repentinas clades vel ob merita ſubditorum, onera ordinaria, maxime ubi ceſſat cauſa ob quam introducta ſunt ad certum tempus aut in totum remittat *Pet. Greg. l.* 3. *d. rep. c.* 9. *C. Klock d. contrib. c.* 7. *n.* 121.

XCI. Jam vero a cauſa formali ad finalem remota omni ambage veloci pede tranſimus. Si vero omnis actio propter bonum aliquod inſtituitur, ſecundum Ariſtotelem *l.* 1. *Ethic.* 1. neceſſe eſt finem tributorum bonum ſeu commodum aliquod eſſe. Id vero non tantum eſt principis. Non enim ſat eſt ærarium Principis abundare, niſi & domus privatæ ſint opulentæ, ſcrinia civium plena. Neque tantum ſubditorum ſed juxta legem 10. *c. d. annon & trib. & l.* 8. *c. d. ex act. trib.* commune communis boni cauſa a ſubditis dari tributa dicit *Grot. l.* 1. *c. n.* 5. *d. j. b. & p.* Ideoque contributio ob cauſam levem & minimam non eſt inſtituenda, multo minus eo dirigenda, ut ſaltem faciat ad ſuperbiæ tumorem, & quo in ex plebili avaritiæ ſiti ſatis fiat, aut ut eo melius effrenatæ libidini indulgeri poſſit. Quo enim gratior eſt finis eo & onus quod propter eum ferendum facilius fertur.

XCI. Quare ad publicum & deſtinatum uſum omnia ſunt referenda. Nam vehementer populum irritat, quando tributa non in publicam ſalutem ſed privatorum commodum vertuntur: adeo ut publicum ærarium prodigalitate exhauſtum per ſcelera ſupplendum ſit. Finis ergo hac in re probe eſt ſpectandus, qui eſt ſalus & neceſſitas reipublicæ, cui per ea, quæ principi ad id deputata conceſſaque ſunt non poſſit ſufficienter ſubveniri. Ideoque juris Romani interpretes dicunt, quod neque ſupremi Principes neque inferiores imponere poſſint, ſubditis ſuis collectas niſi duo concurrant: primum eſt quod cauſa ſit neceſſaria & juſta; alterum quod Dominus ſalva dignitate atque ſtatu ſuo nequeat ex proprio illi ſuccurrere neceſſitati. Si enim ulla alia ratio pe-

cuniæ

cuniæ conficiendæ haberi poteſt, nihil extra ordinem eſt exigendum *Beſol. d. ær.* Quod Dn. Klockius *c. 2. n. 121. d. contrib.* his verbis exprimit: *Si ſtatus quiſpiam collectis Imperii, poteſtate collectandi non facta jure regalium ſive magiſtratus, aut ejus poteſtatis conceſſa virtute ſubditos ſuos gravare velit, utroque tamen caſu & in omnibus collectis id facere nequit, niſi ex reditibus ſuis, vel ſine notabili deminutione rerum ſuarum eas exſolvere non poſſit, ſed ante omnia marſupium ſuum excutere debet, & ſi ſic facere non poſſit, tum moderate petere, neque a ſubditis ſupra ſummam matricula imperii deſignatam quicquam exigere debet.* Capitolinus de M. Philoſopho ſcribit: *Cum adhuc bellum ærarium omne exhauſiſſet, neque in animum induceret ſuum, ut extra ordinem provincialibus aliquid imponeretur, in foro Divi Trajani auctionem ornamentorum imperialium fecit* Dn. Arniſæus *l. 2. polit. c. 5.* Sic etiam Ezechias valvas templi Domini confregit, & laminas auri Regi Aſſyriorum dedit 4. *Reg. 18. v. 15.* ne cives gravioribus oneribus premerentur.

XCII. Cavendum quippe, ne Princeps ſupremus ita poteſtatis plenitudine abutatur, ut inde exiſtat plenitudo iniquitatis & tempeſtatis. Omnia (ut ſupra dictum) in tempore neceſſitatis dicuntur Principis, id eſt rectoris & diſpenſatoris, ac patris reipublicæ, quæ eſt domina propriorum non vero quilibet Princeps, & quæ pro ſuis, non Principis privatis negotiis, ſupra morem conſuetum contribuere dicitur: miniſter autem & diſpenſator ſolum in ea cauſa eſt Princeps, Ariſtot. *5. polit. 11. Vid. Nov. 14. G. c. 2.* ubi Imperator non minus pie quam regie dicit. *Quæ ab illis* (ſc. ſubditis) *contribuuntur, partim in ipſos, partim propter ipſos inſumantur, & impendantur. Nobis autem prorſus, nihil inde præter iſtarum rerum curas habere contingit.* Ideoque ſi Princeps male diſpenſat, & in non neceſſaria erogat, reus fere eſt peculatus, & obnoxius rationibus reddendis.

XCIII. Non etiam hic contributionum ſcopus eſſe debet, ut potentiores plebem vel plebs optimates medullitus exugant, ut penes plebem, vel optimates maneat autoritas: id quod: ut male arcanis annumerat, Clapm. *l. 2. c. 3. in fin.* cum quo facit Machiavellus dicens: *Remedium praſtantiſſimum ſibi videri & ad publicam libertatem in republica conſervandam plurimum intereſſe, ne cives opibus admodum augeantur.* Egregie vero reſcripſit Imperator Juſtinianus *in l. §. 14. C. d. caduc. toll.* Noſtrum, ait, eſſe proprium ſubjectorum commodum, imperialiter exiſtimante. Ideo enim collecta, tributa, aliaque onera Principibus penduntur, quod ſint, & eſſe debeant eccleſiarum nutrices *Eſa 49. v. 23.* Patres patriæ, paſtores populi, *2. Sam. 5. v. 2.* Tutores ſubditorum & utriusque tabulæ cuſtodes & executores, ſalutis denique publicæ procuratores & miniſtri.

XCIV. Quare pecunia omnis a ſubditis, quæ exigitur ad uſus publicos eſt convertenda. Hac de cauſa Principes & Dominos collectas ad alium finem, quam ad quem deputatæ fuerint abutentes graviter adverſus Deum peccare reſpondet, Colerus *conſ. n. 241.* Klock. *in d. l. c. 7. num. 88.* Ideoque receſſus imperii de anno 1526. *vvir ſeind auch,* & anno 1594. *und vvie vvohl zuverſehen iſt,* diſerte innuunt: *daſs die bevvilligte Hülffe allein zu Beſchützung der Chriſtlichen Wolfahrt, und zu keinem andern Ende und Nutzen gebraucht, ſondern daſs aller dinge treulich und aufrichtig damit umgegangen vverden ſoll.* Sicuti etiam ordines in receſſu de anno §. *und da ein* admonentur, ne ſubſidia circuli in aliam rem, ſed quo deſtinata ſunt, convertant.

XCV. Hujus rei egregium exemplum præbet Turcarum Imperator, qui ex hortis aulam ſuſtentat, indictiones vero extraordinariæ, quas Haran agamini cani vocat, id eſt, prohibitum ſudorem ſubditorum non niſi ad belli neceſſarios uſus inſumuntur, Beſold. *c. 4. d. ær. n. 6. d.* Rovenſt. *im rechtlichen Bedencken vom Contribut.* Veſpaſianus etſi a populi fortunis, prædas ſubtili auferret ingenio, in luxum tamen & voluptates male partas pecunias minime profudit, ſed in publicos & neceſſarios uſus. Ludovicus XI. Galliæ Rex, in eo Veſpaſiani mores fere imitabatur. Cum enim a populo ingentia tributa, imo triplo majora, quam ſuperiores Reges ſoliti eſſent, exigeret, ea tamen non in libidines aut delicias conſumebat, ſed in regni ac reipublicæ neceſſitates.

XCVI. Sicuti enim monetarii & aurifices plumbum non immerito vocant cæterorum metallorum regem, quia ſeſe (quod quam maxime regium eſt) impendit, & conſumit pro utilitate ac decoratione omnium metallorum: ſic Principes meminiſſe debent, ſe ideo Dei præpotentis beneficio ſubditis præfici, ut eosdem æquis legibus ac rationibus regant, ab omni injuria & vi publica defendant, ac tueantur. Quod ſi vero loco defenſionis & electionis in id incumbant, ut vehementiori emunctione ſanguinem populi eliciant ad inanes pompas & luxum ſuperfluum, collectis prætextu neceſſitatis publicæ ab indigentibus ſubditis imperatis abuti velint, illico, pii boni & clementis Principis perſona depoſita, crudelis hominis naturam induunt, & vix fœdiſſimi tyranni notam interdum effugiunt.

XCVII. Sane omnes maledictiones perveniunt ad eos, quæ S. S. literis pronunciatæ ſunt iis, qui carnem populi edunt. Hic non alienum videtur obſervare, quibus ſacra ſcriptura iniquos exactores ſignarit epithetis, quæ Principes terrere ac reprimere merito debent, ut interquieſcant a vexationibus populorum, deglubi ſe non tonderi quiritantium. *Ecce 1. Sam. 2. v. 12.* filii Belial *Eſai. 1. v. 23.* ſocii furum, *Ezech. 19. v. 2, c. 22. v. 27. Nahum. 2. v. 11. & 12. Habac. 1. v. 8. Sophon. 3. v. 3. Zachar. 11. v. 13. Prov. 28. v. 1. 15.* Leones rugientes, urſi eſurientes, lupi rapientes prædam *Ezech. 29. v. 3. Pſalm. 74. v. 13. & 14.* Cetæ Dracones *Jer. 5. v. 6.* Pardi vigilantes *Amos 4. v. 1. vacia* pingues! *Eſai. 14. v. 9. Zach. 10. v. 3.* Hirci appellantur. His itaque fœdiſſimis nominibus conterriti a tam immani vexatione deſiſtere, & boni paſtoris inſtar tondere populum non deglubere Principes diſcant.

XCVIII. Alexandri M. exemplum non ſolum ad intuendum, ſed etiam imitandum populi rectores in adminiſtranda republica ſibi proponere debent, qui divitiarum ac pecuniæ optimum

fructum non putavit profuſionem eſſe: Sed potius aurum & argentum raro cuiquam niſi militi diviſiſſe legimus. Nefas eſſe dicebat, ut diſpenſator publicus in delectationes ſuas ſuorumque converteret id, quod provinciales dediſſent. Qua ratione & Imperator *in l. non privatam C. de priv. dom. augſt. l. 11.* gloriatur, ſe reditus patrimonii ſui neceſſitatibus publicis frequentiſſime deputare. Eberhardum ſeniorem ſive primum Ducem Wurtenbergicum anno ætatis 51. morti jam vicinum paulo ante obitum haſce preces pio Zelo effudiſſe ſcribit Hortleder l. 3. *von Urſachen des teutſchen Krieges* c. 1. *Gott Schœpffer Himmels und der Erden, ich bitte dich barmhertziglich, du vvolleſt mir zu erkennen geben, vvann ich einmahl meinen Unterthanen vvieder Recht gethan, und überläſſig bin gevveſen, daſs ſolches ihnen von meinen Haab und Gütern vviederum erleget vverde, oder vvann ſolches auch nicht gnug iſt, ſo bitte ich, barmhertziger Gott, daſs du meiner armen Seelen nicht entgelten laſſen vvolleſt, ſondern mich hie zeitlich ſtraffen.* Digna precatiuncula, ut in ſcrinia Imperatorum adeoque, omnium cenſente Klocki, ore ponatur.

XCIX. Quoniam ergo neceſſitas & utilitas publica unica baſis & fiſci curandi regula, hæc ſola contributionum cauſa impulſiva & finalis eſt, quæ qualitatem (ut Klockius ait) ſubſtantialem inducit: ad quam ſolummodo reſpectus habendus: quove omnes, qui ad clavum Imperii ſedent, rerum gubernacula tractant, vel alii magiſtratus munere funguntur, & juſti regiminis gloriam ſectantur, omnes vigilias, curas, & cogitationes in reipublicæ ſalute defigere & tenuiſſimam, quamvis proprii commodi ſuſpicionem a ſe removere pecuniam publicam non tam in ſuam libidinem, quam ad publicas neceſſitates ſublevandas impendere, debent. Cum Trajano cogitantes, ita ſe rempublicam geſturos, ut ſciant populi rem eſſe non ſuam.

HERMANNI CONRINGII
DISSERTATIO POLITICA
DE ÆRARIO BONI PRINCIPIS RECTE CONSTITUENDO AUGENDO ET CONSERVANDO.

Menſe Auguſto MDCLXIII. habita.

RESPONDENTE

JOHAN CASPAR KOCH, Cheruſco.

Theſis I.

Optimo Principi optima imperandi ratio merito placet, quemadmodum peſſima peſſimo. Utraque vero non niſi ex duobus vere dignoſcitur, ipſo autore noſtro Ariſtotele *lib. 7. polit. c. 13. ex fine ſcilicet, & mediis ad illum directis.* Sicuti igitur illa publicam bonis juſtisque, ita hæc privatam mali etiam & iniquis artibus intendit & quærit utilitatem. Hæc libidinis ſuæ explendæ illa tranquillitatis cauſa quælibet ſuadet cogitque peragi. Hæc in præfixa meta conſequenda divini numinis, fidei, pudoris vel honeſtatis, & denique juſtitiæ aut omnino nullam, aut ſaltim umbratilem gerit curam; illa e contrario his, ceu regula Lesbia, omnia & ſingula metitur media ad ſcopum ſuum ducentia. Indeque confieri plerumque aſſolet, ut hæc ſervilem parentium timorem vel contemptum, illa filialem pariat reverentiam: hæc graviſſima odia, illa in credibilem conciliet amorem ac bene volentiam; hæc ferinas alat diſcordias, illa humanas ſerat concordias; hæc ſeditiones foveat & bella, illa ſedationes foveat & pacem; hæc mole tandem ruat ſua, illa ſupra dictis firmis principiis ſubnixa, immoto conſiſtere queat talo. Qualis etenim cauſa, talis producitur effectus.

II. Hinc in propatulo eſt, qualem nos principem in ſcenam noſtram productum velimus, nimirum, qui juſte imperium ſibi paraverit, idque non in beluas & ſervos, ſed in homines & liberos habere ſibi perſuadeat; qui denique pii plane parentis ſeu patris familias, non auſteri domini partes agere, ſuorum potius quam proprii commodi ergo, amet; ſimulque poſſit.

III. Duo itaque in bono Principe requirimus, & voluntatem & facultatem bene imperandi: alterutro quippe deficiente, regimen ipſius mancum mutilumque eſt, ipſisque ſæpe nummero civibus εὐκαταφρόνητος aut contemptibilis judicatur. Plurimum vero iſthuc conferunt tria illa, quorum Ariſtotelis 7. *polit. c.* 13. fit mentio: φύσις, ἦθος, λόγος, hoc eſt, *natura, aſſuefactio, & doctrina.* Quæ, quo melius in principe ſe habuerint; eo melius & antiquius ipſius erit imperium. Rectiſſime autem erunt in eo compoſita, ſi illorum beneficio pace belloque idonea velit, ac poſſit conſilia invenire, aut ab aliis inventa exacte dijudicare, idque expenſis eorum rationibus. Hinc etiam Tyranno conſilia ſtatus ſui ſtabiliendi ſuppeditans Philoſophus, prudenter monet, ut ad regios ſe componat mores, maximeque politicæ ſit deditus, & in civium animos hujuſcemodi de ſe opinionem inſerat. vid. *pol. l. 5. c. 11.* Optime ſiquidem Cicer. *Philip.* 8. *Quam magnum eſt*, ait, *perſonam in republica tueri principis, quæ non animis ſolum debet, ſed etiam oculis ſervire civium!*

IV. Ad facultatem porro accedat oportet, ut præſuppoſito populi genio & ingenio ſtatui

tali

tali ſuccollando natura apto omnis regiminis poteſtas, ſecluſo aliorum arbitrio, penes unicum reſideat Principem. Cornelius Nepos enim inquit: *non poſſe rempublicam bene geri multorum imperiis.* Quod ut in militia, ita omni magnarum rerum adminiſtratione ſaluberrimum eſt, teſte Livio. Pulchre item hanc noſtram mentem Seneca profatur; *nec regna ſocium ferre, nec tædæ ſciunt.* Nam *ſane ea eſt magnorum, cetera ſummis virtutibus excellentium hominum natura, iique ingenium, ut cupiditatibus ſuis & ambitioni maxime, quæ ſapientibus quoque noviſſima exuitur, modum ſtatuerre vix unquam ſciant, & ideo aliena debeant inhiberi poteſtate, qui exceſſerunt ſuam.* Forſt. *ad Tacit. an.* Et certe in republica romana, unde omnium rerum magnarum exempla merito petuntur, quid factiones & in medio foro primum armorum civilium tentamenta, mox introduxit aperta inter cives bella, & antiqui moris corruptionem & denique libertatem evertit, niſi paucorum nimia potentia? qui cum continuatis imperiis populi inconſultum favorem acquiſiviſſent, tandem illo in ipſum patriæ exitium uſi ſunt. Hinc neque Cæſar ſuperiores, nec Pompejus parem ferre potuiſſe dicitur.

V. Abſit tamen, ut Principem noſtrum fidis ac prudentibus carere adminiſtris poſſe, unquam adſtruamus, quin potius cum Cominæo dicamus, nullum majus indicium bonæ mentis Principem oſtendere poſſe, quam ſi adjungat ſibi viros virtute & fama celebres, utatur iis familiariter, deque gravioribus negotiis cauta cum ipſis ineat conſilia. Quemadmodum namque non infirmior manus eſt, quod ſit in digitos diſſecta, ſed eſt ad peragendum agilior: ita neq; imminuitur ſumma poteſtas a pluribus explicata, & negotia multis in republica communicata facilius conficiuntur. Petr. Gregor. Tholoſ. *lib. 1. de republ. c. 1.* Non enim committitur ſumma poteſtas, nec adminiſtratio hoc pacto a reipublicæ ſtatu plane ſe jungitur: ut non ſeparantur digiti a manu, nec manus a brachio, nec brachium a corpore, aut corpus a capite. Sed quemadmodum virtus animæ per totum corpus & membra diffuſa, ſua per inſtrumenta exſequitur mandata, ſic ſumma poteſtas per miniſtri præfectorum & magiſtratuum ſuam exercet autoritatem. Hinc Theodoſ. & Valentin. Impp. de miniſtris ſuis præclare in 8. C. de LL. *Bene cognoſcimus, quod cum veſtro conſilio fuerit ordinatum, id ad beatitudinem noſtri imperii, & ad noſtram gloriam redundare.* Et Plinius libr. 3. epiſt. *Sunt quidem*, ait, *cuncta ſub unius arbitrio, qui pro utilitate communi ſolus omnium curas laboresque ſuſcepit: quidam tamen ſalubri quodam temperamento ad nos quoque, veluti vivi ex illo benigniſſimo ſonte, decurrunt, quos & haurire ipſi, & abſentibus amicis, quaſi adminiſtrare poſſumus.* Illi autem pro prudentibus Principis conſiliariis vere reputandi ſunt, qui non ſolum inſtructi prudentia univerſali, ſed etiam particulari, & ſuæ cumprimis reipublicæ exactam habent notitiam. Cicero enim *lib. 2. de orat.* recte dicit: *Ad conſilium de republica dandum caput eſt, rempublicam noſſe.* At quibus & quot modis prudentia miniſtri fere poſſit explorari, edocet nos ampliſſimus Dn Præſes in *animadv. polit. ad Mach. Princ. c. 22.* Nec prudentia ſolum, ſed & fide præſtantes oportet eſſe viros, quos diximus. Hi vero pernoſci exinde queunt, ſi amicorum ad inſtar & proſperam & adverſam Principis fortunam ad ſe pertinere arbitrantur.

VI. Porro jam conſiderandum venit, ſumma illa imperii vis ac poteſtas Principis, quibus abſolvatur numeris. Poſthabitis autem iis, quæ nonnulli ſcriptores politici moderni tradiderunt, Ariſtotelem potius audiamus. *Omnium*, inquit ille, *lib. 4. polit. 14. rerumpublicarum tres particulæ ſunt, quorum quid cuique expediat, prudentem legum ſcripterem accurate expendere oportet: his enim particulis bene affectis, rempublicam bene affectam eſſe, &, pro uniuscujusque harum partium differentia, reipublicæ adminiſtrandæ formas inter ſe differre eſt neceſſe: partium autem harum una quædam eſt, quæ de republica conſuleat; altera, quæ in magiſtratibus verſatur, inque iis ſpectat hæc duo: primo quales eſſe, & deinde qua poteſtate, quoque pacto eligere & creare eos oporteat. Tertia in judiciis cernitur.*

VII. Prima pars, quæ Ariſtoteli 1. *rhet. c. 4.* *Senatus* vocatur, maximi momenti negotia, quæ quavis in republica in deliberationem veniunt, quarumque, eodem teſte, ut omni periculo careat civitas, neceſſaria Imperantibus eſt intelligentia, complectitur. Enarrantur autem pleraque a philoſopho partim in politicis, 4. *polit. c. 4.* partim in rhetoricis, *c. 4.* quæ dividi queunt in ea, quæ extra civilem ſocietatem ad finitimos vel exteros reſpiciunt, & ea, quæ civilem intra ſocietatem terminantur. Prioris generis ſunt bellum, cuſtodia regionis, importanda & exportanda, fœdera, & jus legationum. Et hæc omnia vel belli, vel commercii cauſa plerumque fiunt. Poſterioris ſunt legumlatio, & deliberatio de reditibus publicis, deque tributis colligendis, ſive ut uno comprehendam verbo, de ærario. De ultimo jam noſtra hæc erit diſſertatio.

VIII. Oſtenſuri vero ſumus, quemadmodum Princeps, utpote Senatus iſtius caput, circa ærarium, tanquam non enervis civilis ſui corporis nervum, feliciter conſtituendum, augendum & conſervandum ſe habeat gerere, ut hoc in negotio patris patriæ nomen apud ſubditos eluceat. Non abs re autem facturi videmur, ſi ante, in ipſa quam ærarii abdita & adyta nos inferamus, Philoſophum noſtrum *lib. 1. poſt analyt, c. 1.* porro ſequamur ducem, & a nominis expoſitione ordiamur. Sic etenim ipſam ærarii naturam eo penitius quimus intueri, cum verba ſint notæ & ſigna rerum atque conceptuum. Primo igitur omnium inveſtigandum erit, unde vox ærarii appellationem ſuam ſortita ſit, quot modis ſupponatur, quam definitionem, quamque diviſionem recipere apta ſit.

IX. Ærarii etymon quod attinet, nemini id ignotum eſſe arbitramur. Qui tamen volunt, conſulant de eo Caſp. Klok. *lib. 1. c. 2. de. ærar.* qui multa de hoc verba inibi facit, inciditque occaſione illa in quæſtionem, quam & noſtra ventilatione condignam judicamus: quonam ſcilicet conſi-

conſilio inductæ fuerint Summæ poteſtatis, ut, cum antea ære uterentur, tempeſtate ſubſequente, æreis repudiatis, argenteos & aureos nummos cudi fecerint? Complures vero rationes colligit Klockius, *cit. loc.* quibus alii præclariſſimi quoque viri aſſenſum præbere non verentur. Quantum autem videre eſt, omnes ad materiæ bonitatem intrinſecam ſive naturalem, mentis ſuæ oculos potiſſimum intendunt, in que illa fundamentum hujus rei ſitum eſſe opinantur. Sed nos in diverſum plane trahimur, nullam metallorum bonitatem naturalem agnoſcentes, aliasque & maxime quidem politicas rationes ſubeſſe nobis perſuadentes. Primo ex Ariſtotelis *lib. 5. eth. c. 1. & 1. polit. cap. 6.* præſupponimus, *omne nummi pretium ſummæ poteſtatis civilis arbitrio deberi.* Ex quo dein conſectario fluit, quod exellentiſſimus Dominus Præſes diſp. de re nummaria, ceu veram hypotheſin ediſſerit: oportere ſcilicet nummum in poteſtate eſſe ſummæ poteſtatis civilis, hoc eſt, ſummam majeſtatem omnia circa rem nummariam debere, poſſe, conſtituere & dirigere, idque uti omnis nummorum fraus & corruptela prohibeatur. Vix autem, & ne vix quidem, aut certe non æque facile, numero in nummeris æruſcatorum aucupiis poterit occurri, ſi ex materia vili & omnibus ob via monetæ conficiantur, præ primis in republica, cui cum externis populis multum eſt commertii. In quo plurium enim deveniunt manus, eo plures ipſis inſidias ſtruere contendunt falſarii. Requiruntur igitur ad rem nummariam metalla rariora, atque magis in adminiſtratione libera ſummæ cujusque poteſtatis ſita. Ære autem rarius eſſe argentum & aurum, nemini niſi ære nec dum lavando, aut æs ab argento & auro diſcernere neſcio, non innoteſcit. Deinde, quo quid rarius, commue juxta diverbium, eo quoque carius eſſe ſolet. Hinc ſummæ poteſtates argento quam rectiſſime validius impoſuere pretium, quam æri, & aurum argento prætulerunt. Unde nova emergit ratio, quod videlicet argentei & aurei nummi commerciis longe aptiores & commodiores; cum primis, ex quo invaluit locuplētiorum commerciorum agitatio. Nummi ſi quidem uſus & ſcopus unicus eſt publica commerciorum utilitas. Nimium vero pondus contrahentes prægravat, dum majores nummi longe difficilius minoribus circum feruntur: id quod commerciis non poteſt non incommodare. Quæ proinde cum ita ſint, firmiter ſtatuimus poteſtatibus metallorum raritatem, qua nimirum autoritati ſuæ ingens accreſceret robur, humanæque non minus conſuleretur indigentiæ, æneæ in argenteam & auream commutandæ monetæ principem præbuiſſe cauſam. Verum hæc obiter.

X. Conſequitur jam, ut dicamus, quotupliciter & olim & hodienum uſurpari ſoleat vox ærarii. Primo Romanis per ærarium indigitabatur locus vel ædificium, in quo theſauri recondebantur publici. Deinde ipſam quoque pecuniam publicam per ærarium *κατὰ μετωνυμίαν* denotatam oſtendit, Cicero *Tuſc. 3.* his verbis: *Et quid C. Gracchus? Cum largitiones feciſſet maximas, & effudiſſet ærarium, verbis tamen defendebat ærarium.* Hoc vero fiſco recte contradiſtingui in eo, quod illud fuerit reipublicæ, hoc vero Principis, vere contra Paulum Buſium *aphoriſmorum politicorum ſect. 11. aphoriſm. 14.* evincit Arniſæus *l. 1. de jure majeſt. c. 7. n. 10.* Confundi tertio hæc invicem legimus in noſtris digeſtorum & Cod. voluminibus, & quidem inprimis *l. 13. ff. de jur. fiſc. & l. 2. C. de quadrien. præſcript.* Ne tamen propterea ſupinæ cujusdam incuriæ JCtus Trebonianus inſimuletur, quo crimine ab Hotomanno, viro alias incomparabili & a quo præſidium ſibi potius habuiſſet polliceri, hîc illum impeti notat Vinnius *in comm. ad inſtit.* cauſam iſtius rei indagare eſt collibitum. Arceſſamus igitur hanc ad rem breviter & ſummatim reip. Romanæ initia. Ubi Dionyſ. Halicar. l. 2. hiſt. refert Romulum, inſtitutorem orbis romani primum, univerſos agros in tres diviſiſſe partes, primamque earum cultui divino conſecraſſe; alteram reipubl. aſſignaſſe dominio; tertiam inter cives diſtribuiſſe. Hæc a Romulo profecta agrogrumdiviſio in uſum bonumque ceſſit publicnm ærariique & fiſci differentiam non introduxit. Valuit tamen ante imperii & principatus conſtitutionem, cum ærarium ex populi authoritate augeretur & diſpenſaretur, imo multo etiam poſt cumin Principis veniſſet ditionem, omnemque ſuam in ipſum popnlus tranſtuliſſet poteſtatem. Auguſtus etenim, teſte Strabone *lib. ult. geograph.* & Zonara in Auguſto, provincias partitus eſt Romanorum in prætorias, quæ populo erant vectigales: & præſidiales, quæ Cæſaris fiſco certum æs pendebant. Unde dicta tributoria & ſtipendiaria prædia. Quo non incommode referri poteſt illud Sueton. in Aug. c. ult. in f. *Quantum militum ſub ſignis ubique eſſet, quantum pecunia in ærario, in fiſcis & vectigalium reſiduis.* Adhæc Trajano Imp. diſcrimen bocce nondnm ſublatum eſſe, Plinii junioris Panegyricus ad Trajan. luculenter innuit. *At fortaſſe*, inquit, *non eadem ſeveritate fiſcum, qua ærarium cohibes; imo tanto majore, quanto tibi plus licere de tuo, quam de publico credis.* Et paulo poſt: *Que præcipua tua gloria eſt, ſæpius vincitur fiſcus, cujus mala cauſa eſt nunquam, niſi ſub bono Principe.* Procedente tamen tempore, Græcis Imperatoribus magis magisque dominatum affectantibus, diſtinctio illa ærarii & fiſci evanuit, ac utraque voce promiſcue uſi ſunt. Id quod non ſolum ex ſup. cit. texx. ſed etiam ex *l. ult. C. de quadr. præſcript.* ſatis ſuperque videtur elucere. Dicitur enim ibi: *Quæ differentia, cum omnia Principis eſſe intelligantur, ſive ex ſua ſubſtantia, ſive ex fiſcali fuerit aliquid alienatum?* Inter res tamen fiſcales & patrimoniales hoc diſcrepabat, quod, etſi utræque Principis, ſive reipublicæ moderatoris erant, illæ dicerentur ipſius, qua talis, & ideo publicæ; hæ vero propriæ Zenonis, Juſtiniani, & ideo privatæ. Unde & his rebus præeſſe juſſi, peculiaria ſortiti ſunt nomina. Alter namque Comes ſacrarum largitionum & theſaurorum appellatus, cui nimirum fiſcalia erant demandata; alter vero Comes rerum privatarum, ad quem ſcilicet harum rerum cura pertinebat, *tot. tit. C. de com. rer. priv.* cujus loco procurator patrimonii antea erat conſtitutus, *l. 39. §. ult. ff. de legat. 1.* Denique plane latius ærarii vocabulo uſi ſunt, dum etiam ad res Principis privatas fuit exten-

extenſum, uti liquet ex reſcripto Grat. Valent. & Theodoſii, quod habetur *in l. un. C. de quaſt. & magiſt. offic.* Hiſce jam viri nomen ab Hotomanni injuria abunde aſſertum eſſe judicamus. Hodie vero plerisque in principatibus nomine tenus, (ante quoque, ſubdubitamus) diſtinguuntur *die Cammer- und der Landſchafft Güter*, ita ut per fiſcum illa, per ærarium hæc communiter denotentur. Videatur hîc generoſus Dn. Seckendorf. in tractatu *teutſcher Fürſten Staat. part. 3. c. 1. 2. 3.*

XI. Cæterum ex his vocabuli ſignificatis generalius nobis prævalebit: cum, uti jam oſtenſum, ejusmodi uſu ſit receptum, & noſtro diſſerendi inſtituto, quam maxime conveniens & accommodum. Conſideramus enim hoc loco ærarium, non quatenus in quavis reipublicæ forma ſpectari poteſt (cum hujus argumenti dignitas diſputationem non unam, ſed ingens volumen aliquod jure meritoque expoſcat,) verum, prout autoritate boni & abſoluti Principis unice ſuſtineatur; ut ſupra dictum. Comprehendimus idcirco ærarii voce, tam, quæ a republica Principi obveniunt percipienda & diſtribuenda bona, quæque Princeps, veluti dotalia, in auguratione ſui Principatus, quaſi per deſponſationem ſibi conjuncti, obtinet, quam quæ non ſunt reipublicæ, ſed a majoribus ipſi relicta; qualia patrimonialium nomine venire aſſolent. Tholoſanus *lib. 3. c. 2. de republica*, recenſitis duobus etiam tertium bonorum genus aſſociat, quod nimirum ex illis naſcitur, vel quod Principatus ratione, ad Principem redit, inque fiſcalem defertur theſaurum, & ad communem reipublicæ, & ſuam utilitatem ab ipſo confertur. Hoc vero, niſi prioribus jam tum incluſum, adventitium appellitamus, & ſub ærarii voce non minus contineri profitemur.

XII. Progrediamur nunc ordine ad ærarii noſtri definitionem; quam diverſimode tradunt diverſi. Nos vero *ærarium* definimus *pecuniam, qua publice, qua privatim, autoritate Principis, legitime collectam & acquiſitam.*

XIII. Generis vicem ſubit hîc *pecunia*, qua ſcilicet omne id complexum volumus, quod nummus metiri valet: quemadmodum audit etiam apud JCtos *l. 178. & 222. de V. S.* Dicimus deinde *pecuniam publice collectam;* nimirum & materiæ & finis ratione. Priori modo, quatenus communiter ex ſubditorum & fiſcalibus profluxit bonis; poſteriori, quatenus ad uſus deſtinata publicos, hoc eſt, tam parentium, quam imperantis. Adjungimus inſimul *privatim acquiſitam*, qua ſpectamus eam, quæ ex Principis reditibus καθ' ἐξοχὴν patrimonialibus provenit, & in ipſius utilitatem unice vertitur. Notanter autem vocamus hæc bona καθ' ἐξοχὴν patrimonialia, quod videlicet in Principis patrimonio magis eſſe videntur, quam fiſcalia. Transmittuntur enim illa ad heredes, licet in imperio non ſuccedant: id quod ſecus in fiſcalibus contingit. *Büntng. de jur. fiſc. §. 3.* Porro *Principis* inquimus, *autoritate colligi pecuniam*, hoc eſt, ſuperioritatis jure, quod Principi competit, ad ærarii populi nimirum, vel optimatium, vel alius ſtatus differentiam; imo etiam ad diſcrimen arcæ, aut burſæ communis, qualem pleræque civitates mere provinciales, univerſitates & collegia inſtruere ac fovere conſueſcunt, juxt. *l. 1. §. 1. ff. quod cujusque univerſ. nom.* At *Principem* quomodo conſideramus, ſupra commonitum eſt. Qui nimirum monarcha eſt, ſeque ſuosque ita moderatur, ut eorum neminem timeat, nec a quoquam, niſi ab improbo, unice timeatur, ſed omni amore ac reverentia, quæ bina imperii non infirma molimina ſunt, ſe cuivis exhibeat condignum. Denique ſubjecimus vocab. *legitime*, hoc eſt, naturæ legibus, cujusvis ſubditorum facultatibus, & belli pacisque tempori convenienter.

XIV. Definitionem porro excipiat diviſio. Diſpeſcimus autem ærarium pro redituum uſusque varietate in publicum & privatum. Utrumque quid ſit, ex theſi antecedente nemini poterit abunde non pateſcere, ut adeo ejusdem crambes recoctione hîc merito ſuperſedeamus. Publicum vero pro uſus diverſitate ſubdividi poteſt in ſacrum & profanum; & hoc iterum in civile & militare, ut nimirum hoc ſit, quod ſagato tempore bellicis, illud, quod civilibus; ſacrum vero, quod ſacris rebus gerendis deſerviat.

XV. Hactenus quid ærarii vocabulo velimus intellectum, quæque ejus vera & adæquata definitio, itemque congrua diviſio, ſufficienter indicatum eſſe, arbitramur. Ante vero, quam ipſam tractationem aggrediamur, paucula, quibus: ceu hypotheſibus, eam ſuperſtruamus, præmittenda ſunt, ne ipſorum imprudentia greſſus noſtros perturbet, ſed pede prorſus inoffenſo, quo inſtituimus, provehamur.

XVI. Principio igitur tenendum; quæcunque ad ærarii ſpectant rationem, noſtræque conſiderationis ſunt, non niſi actus exiſtere civiles. Quævis enim, quæ in diſquiſitionem veniunt politicam, ut natura ſua reſpiciunt actus, & propter actus ſunt, ita deſiderantur cognoſci præcipue actuum illorum gratia. *Ampliſ. D. Præſ. c. 10. de civil. prud.* Actiones vero civiles vocamus illas, quæ circa civium negotia inter ſeſe occupantur, reliquis etiam civium actionibus ab hoc ſenſu ſegregatis. Jam quid aliud eſt ærarii conſtitutio, coagmentatio, & conſervatio? De quibus omnibus & ſingulis agendi erit locus.

XVII. Deinde præſupponendum ex iis, quæ *Ampliſſ. Dn. Præſes tit. loc. late* diſputavit, omnium omnio cum actuum, tum aliorum civilium operum, non ſecus ac in naturalibus, quatuor obſervari cauſas, finalem, materialem, formalem, & efficientem, inque accurata harum cognitione, ſi ſcilicet ſecundum eas ſinguli actus & res civiles probe examinentur, plenam & perfectam illorum conſiſtere notitiam: argumenta etiam, certi quid de actibus & rebus iſtis demonſtrare idonea, ex ordine ſive omnium, ſive aliquarum illarum cauſarum, potiſſimum petenda eſſe. Quo circa, cum hæc omnibus civilibus actibus juxtim, ac rebus ſint communia, ſponte ſua ſequitur, eadem ad ærarii negotia pertinere: adeoque non minus hîc, quam in alio argumento

to politico ad illas quatuor cauſarum claſſes eſſe advertendum iis, qui non plebejam & ambiguam, ſed ſolidam & certam ærarii peritiam ſatagunt ſibi comparare.

XVIII. Hiſce univerſim præmiſſis, ſingulos circa ærarium occupatos actus civiles nunc perpendamus. Quandoquidem vero illorum quandam conſtitutionem fecimus, duplex hîc oriri poteſt conſideratio, vel ſcilicet ærarii conſtituendi, vel conſtituti. Jam & naturæ pariter & melioris intelligentiæ ratio efflagitat, ut definiamus ante, quid in conſtituendo eo oporteat obſervari, quam quemadmodum verſari circa conſtitutum conveniat. Natura enim prius eſt, ærarium conſtituere: quam conſtitutum augere & conſervare. Idcirco exordium de conſtitutione facientibus, acturum ſeſe offert expedienda hæc quæſtio: utrum Principi conducat aut neceſſaria ſit ærarii conſtitutio?

XIX. Et vero inutilem imo noxiam illam eſſe, nonniſi male falſi & perfrictæ frontis politici evincere contendunt. Quin ratiuncularum faſciculum, quo ὑπέλιδεν ejusmodi id adſtruere & confirmare audent, ſæpius laudatus Caſparus Klockius *libro ſuo de ærar.* convaſavit, ac imbellibus pugnare illos periculis, oppidoque ſententia ſua fruſtrari, quam veriſſimum inibi fecit indicium. Et certe, ſi intimius eas introſpicias, pleraque de pecuniæ abuſu loquì invenias, id quod vitium tamen non eſt ærarii, ſed hominum; haut ſecus, ac operis alicujus labes non arti, ſed artifici eſt imputanda. Cæteræ ſunt inanes technæ ſophiſticæ, quibus non facile quenquam, niſi rectæ rationis lumine caſſum, aut harum rerum imprudentem poſſis ſupplantare.

XX. Verum enim vero, ut, quod res eſt, dicamus, quævis reipublicæ facies certum præfixum habet ſcopum, vitæ nempe civilis beatitudinem: ad quam pertendere non ſuſtinet, niſi per actiones civiles, illius conſequendæ proprias. Jam, acerrimo rerumpublicarum cenſore Ariſtotele *lib. 1. c. c. & l. 7. c. 14. polit.* teſte, omnis vita civilis, tum in pace, tum in bello occupatur, ut & ab externa vi tuta eſſe & civium inter ſe concordia ſe conſtare poſſit. Duo autem decertandi genera ſtatuit Cicero *lib. 1. off.* unum per diſceptationem, alterum per vim. Poſita igitur juſta bellandi cauſa, alteroque remedio invalido, arripiendum eſt alterum. Huic egregie ſuffragatur Grot. *de jure belli & pacis, lib. 1. cap. 2. n. 1. Inter prima naturæ nihil eſſe*, inquit, *quod bello repugnet, imo omnia potius ei favent. Nam & finis belli vitæ membrorumque conſervatio, & rerum ad vitam utilium aut retentio aut acquiſitio illis primis naturæ maxime convenit, & vi, ad eam rem ſi opus ſit, uti nihil habet a primis naturæ diſſentaneum, cum animantibus ſingulis vires ideo ſint a natura attributæ, ut ſibi tuendis juvandisque ſufficiant.* Hæc ergo vis injuriam non debet inferre, ſed tantummodo propulſare. Nec vero bella gerimus ob noſtri noſtrorumque ſolum defenſionem, ſed etiam, ut amicorum ſeu fœderatorum vicinorum res in tuto collocentur. Etenim non minus vere, quam prudenter Philoſophus: *Δεῖ τοὺς ἀδικουμένους ὑπὲρ ἑαυτῶν πολεμεῖν, ἢ ὑπὲρ συγγενῶν, ἢ ὑπὲρ εὐεργετῶν, ἢ συμμάχοις ἀδικουμένοις βοηθεῖν.* Oportet injuriam paſſos pro ſeipſis arma capere ſive pro cognatis, & beneficis; itemque ſociis injuria affectis auxiliari. Ubi tamen probe iterum notanda ſunt, quæ Ariſtoteles *7. polit. c. 14.* præſcribit; *In re militari*, inquit, *exercendos eſſe cives non nego, ſed hoc fine nego, ut in ſervitutem redigantur, qui ea ſunt indigni. Tres autem fines poſſunt eſſe laudabiles: ut primum ne ſerviamus aliis, deinde, ut imperium obtineamus, non quo more herili cunctos moderemur, ſed quo civibus prodeſſe valeamus: denique, ut natura factis ad ſervitutem imperemus. Legum vero conditori ſpectandum potius, ut militarem diſciplinam, & cetera ad ocium & pacem, quam ad bellum referat & flectat.* Omnino igitur prudenti moderatori, reipubl. ſuæ quam optime conſulturo, in id ſumma incumbendum eſt cura, ut omnia utriusque temporis momenta probe obſervet, neque ullum prætermittat illius juvandi & levandi locum.

XXI. Qui autem hoc fieri poterit, ſi præſidia utrique tempori accommodanda deficiant? *Absque iis* enim, *quæ ſunt neceſſaria, nec vivi, ne dicam bene & quemadmodum oportet poſſe vivi*, recte judicat Ariſtoteles *lib. 1. polit. c. 3.* Turbulenta igitur reipublicæ tempeſtate, fortitudinem & prudentiam juxta militarem nihil apparatu bellico magis eſt neceſſarium, nihilque utilius. Requiruntur enim hîc non tantum conſilia, ſed etiam corpora virorum, armorum robora, valida locorum munimenta, & pabuli frumentique commeatus. Hæc vero omnia & ſingula non niſi immenſa opum vi comparari, nedum conſervari & contineri poſſunt. Et ne cumprimis argenti poſſideas pondera, ſi non milite lecto & domeſtico, ſed conductitio & peregrino uti habeas neceſſe. Hujus quippe manus oculatæ ſunt, credunt, quod vident; illique raro ineſt boni intellectus malique cura, ut adeo, ſi furtis, rapinis, aut denique fuga ſit prohibendus, ſtipendia ei ſtato ſemper tempore oportet perſolvantur. *Moroſa enim merces ſeditionis mater eſt; ſeditio progreſſum omnem militiæ impedit, quia ante omnia diſciplinam ſolvit, ſubvertit victoriam, & e milite hoſtem facit.* Eryc. Putean. *de ſtip. mil. c. 15. in fin.* & Scip. Amirat. *lib. 1. diſcurſ. polit. in Tac. c. 11.* Præclare alias Thucydides cenſet: *Eam rempublicam facile vinci poſſe, cujus vires ſunt mercenariæ & non vernaculæ.* Utiliſſimum itaque eſt, ut hæc obiter moneamus, ſi adverſus externi hoſtis inſultus conductitio milite opus fuerit: ut vel totus exercitus, vel major ejus pars ex iis colligatur, qui periculo ſunt proximi. Hic enim pro ſua ſuorumque vita & pro aris ac focis fortiter dimicant, nec ſemper tantis alendi ſunt ſumptibus, quantis forte remotiores.

XXII. Deinde, ut in reliquis artibus, quibus certum opus eſt propoſitum, nihil tam deſideratur, quam certa quædam inſtrumenta, quibus efficiantur ſingula, ita quoque milites ſine his officio ſuo recte perſungi nequeunt. Ars vero militaris duplex eſt, vel navalis, vel terreſtris. Inſtrumentorum igitur vicem ſubeunt principem navigia & arma, quæ varii ſunt generis, quorumque ſufficientia vel ad defendendum vel invadendum, ut tempeſtive armamentarium & portus inſtruan-

inſtruantur, immane quantum reipublicæ præſtantis intereſt. Hoſtis namque externus, hujus rei gnarus, bellum alicui ad utrumque parato inferre ſæpenumero reformidat, conſiliumque ſuum immutat. Rectiſſime enim ſentire videtur Lampridius in Alexandro: *Nemo provocare audet, aut facere injuriam ei regno aut populo, quem intelligit expeditum atque promtum ad vindicandum.* Eundem quoque in modum vide ſis philoſophantem Ariſtotelem *l. 7. polit. c. 11. ſub fin.* Nec vero roſtratæ naves & armamenta ſolum neceſſaria ſunt, ſed quæ iſthuc etiam pertinent, & ſine quibus iſta nec parari, nec eſſe uſui valent. Ad primum cenſum referimus præſtantes artifices, qui ejusmodi conficiunt, & extruunt: quales fabricenſes vel balliſtarii, artisque navium & condendarum & regendarum periti viri. Nam in bene conſtituta republica, & quæ ſalo vicina, omne artificiorum ad bellum terra marique idoneorum genus in promptu eſſe debet. Talia ſiquidem jam elaborata, nec coemi ſemper poſſunt ab aliis; & licet poſſint, minus tamen apta experiundo reperias, quam ſi artificibus certis ſingulariter efficienda injungantur. Ad ſecundum ſpectant pulvis nitratus ſive bombardicus, glandes ferrei & plumbei, ellychnia, funes, currus, quadrigæ & id genus alia. His enim ſine, tormenta bellica & machinæ fulminales emolumento ſaltim iſti, cui paratæ ſunt, haud eſſe queunt. Oportunam autem horum omnium congeſtionem omnino expoſcere pecunias, ecquis unquam negare auſit?

XXIII. Tertio, quanquam in munimentis plusne periculi ſit, an ſecuritatis, contrariis civilis ſcientiæ doctorum diſſertationibus ventiletur. Vid. Mach. *l. 2. diſp. 24. ad Liv. & lib. de prin. c. 10. & 20.* Bodinus *lib. 5. c. 5.* Ariſtoteles tamen recte pro munitionum neceſſitate militans, adverſarios nimis aniliter ſentire ſtatuit. Et profecto ſatis firmis nititur rationibus: *Quamvis enim, ait lib. 7. polit. c. 11. videatur indecorum, neque magno dignum eſſe animo, adverſus ſimiles paucasque* (poteſt enim fieri interdum, ut de hoſte, ejusque numero ac copiis exacte nobis conſtet) *murorum munimentis ſe tueri velle: tamen, quia ſæpe multitudinis, cum qua futura nobis res eſt, accurate iniri nequit ratio, tantusque eorum poteſt eſſe numerus, ut a paucis*, qui, licet maximi ſint animi, nihil tamen ſunt, quam homines, *ſuſtineri impetus eorum nequeat, haut vulgare, belli tempore, in murorum munimentis ponendum arbitror præſidium, niſi quis & de ſalute in dubium venire, & ludibrium debere hoſti malit, hac præſertim tempeſtate, qua tot tela, tot machinæ ad obſidendas atque oppugnandas civitates ſolertiſſime excogitatæ ſunt. Quare qui ætate noſtra mœnibus murisque civitatem cingi, haut decere pertinaciter contendunt, nihil mihi agere videntur aliud, ac ſi hoſti adventanti locum maxime oportunum, in condenda urbe eligendum eſſe dixerint: aut editiora, cujus generis montana loca, quibus a natura civitates quædam ſunt munitæ, evertenda ac tollenda: domos denique privatas, nec tectis, neque parietibus cingendas eſſe: ne ignavi,* (ſi Diis placet,) *atque imbelles ea ratione efficiantur cives. Ut omittam, nihil officere virtuti muros poſſe. Nam qui muro cinctas habent civitates, uti aut non uti illis, in ipſorum ſitum eſt arbitrio, prout expedire aut intereſſe ſua arbitrantur.* Hactenus Philoſophus. Quæ proinde cum ita ſint, extra controverſiam verum eſt, cum hoſtes in expugnandis ejusmodi munitis locis plurimum deſudent, in firmandis illis, regionis præſertim limitaneis, aptisque ad id, ut accurate muniri poſſint, non minus operæ bono collocandum eſſe Principi. Talium autem ædificationum ſtructuræ, quod herculei plane labores quæſtusque inſumantur, vix quisquam eſt, qui non vel experimento, vel ratione perdidicerit.

XXIV. Quarto ad bellicas res gerendas quanta commeatus & annonæ ſit neceſſitudo, iſtius pleni complures extant libri, plenæ ſapientum voces, plena exemplorum vetuſtas. Sic, ut aliqua ex iis ſaltim libemus, quando univerſus Iſrael congregatus eſt, pro vindicanda injuria, facta uxori Levitæ, contra Benjamin, cauſa probata, ut juſta belli: Decem viri, inquit *Judic. 20. v. 10.* eligantur e centum ex omnibus tribubus Iſrael, & centum e mille, & mille ex decem millibus, ut comportent exercitui cibaria, quo poſſimus pugnare contra Gabaa Benjamin. Quin & Helvetii Julii Cæſaris tempore, bellandi cupidi, anguſtos ſe fines habere arbitrati, pro hominum multitudine, & pro gloria belli atque fortitudinis, cum conjuraſſent de occupanda Gallia, prius compararunt ea, quæ ad proficiſcendum pertinerent, jumentorum & carrorum quam maximum coëmerunt numerum, ſementes quam maximas fecerunt, ut in itinere copia frumenti ſuppeteret, cum proximis civitatibus pacem & amicitiam confirmarunt, ad easque res conficiendas biennium ſibi ſatis eſſe duxerunt: proficiſcentes demum ſingulos trium menſium molita cibaria ſibi afferre juſſerunt. Jul. Cæſ. *lib. 1. de bell. Gall.* Et certe uterque populos ſe hac in parte prudenter geſſit, cum contra ſæpius magis victus penuria, quam effrænata pugnæ ferocia exercitum conſumpſerit, ferroque ſævior fuerit fames. Hæc enim intrinſecus pugnat, nullaque poteſt vi repelli. Optume hinc Vegetius *lib. 3. cap. 26. Qui frumentum neceſſariumque commeatum non præparat, vincitur ſine ferro. Et reliquis quidem caſibus ſubveniri quandoque poteſt; pabulatio & annona in neceſſitate nulla habent remedia, niſi ante condantur.* Idem Veget. *l. 3. c. 3.* Ubi enim jejunus eſt miles, diſciplina ibi militaris commode ſervari nequit. Quin potius ad deſperationem defectu illo perducitur, ex agmine & caſtris transfugit ad hoſtes, auſuque nefaſto in proprios ac provinciales, ducibus ſuis proditis, omne vertere diſcrimen non dubitat. Unde Xenophon brevi ejus Ducis imperium periturum eſſe dicit, cujus culpa exercitus caret rebus neceſſariis & commeatu. Addimus etiam præterea, quod annonæ pauperiem conſequatur ſubinde peſtilens morbus, ob res in neceſſitate comeſtas victui alias apprime noxias: cujus impetu ſi invaduntur copiæ, majorem non raro perſentiunt ſtragem, quam ex prælio commiſſo ſperari potuiſſet. Quo graviorem itaque harum rerum neglectus Principi inferre poterit noxam, eo diligentior in his colligendis ipſi cura erit reponenda. Hæc vero conſiſtere videtur in eo, ut vel domi agriculturæ ſtudium omnibus procuretur viribus,

vel foris magnis ſumtibus egeſtati illi remedium quæratur. De hinc igitur in proclivi eſt concludere, non ſecus hic, quam in prædictis ſedulam ærarii conſtituendi accurationem uſus ad bellicos omnino Principi ſumme eſſe utilem ac neceſſariam.

XXV. Nec ſane minorem ipſius utilitatem ac neceſſitatem pacis tempore deprehendes. Etenim cum magnos deceant magna, aliquando ſplendidius inſtruenda aut reſtauranda ſunt loca, in quibus domicilium collocat Princeps. Imo ipſius palatium ſit auguſte ac præ cæteris magnifice fabrefactum oportet. Adhæc ſacrarum ac profanarum, publicis uſibus deſtinatarum, ædium ſolers cura Principis autoritatem quam maxime condecorat. Haut vero exiguas hæc jure ſuo poſtulant impenſas. In Principe quandoquidem quaſi lumen aliquod, extinctis aliis, elucere debet magnificentia. At *magnificus*, juxta Ariſtotelem *l. 4. eth. cap. 2. non in ſuum, ſed publicum decus, adeoque in ea opera, quæ diutius durant, & vel ad Dei, vel reipublicæ gloriam ſpectant, qualia ſunt templa ac publica ædificia, eſt ſumptuoſus.* Egregie huic adſtipulatur Cicero 1. *off. In ædificando*, inquit, *adhibenda & dignitatis commoditatiſque diligentia, & ornanda dignitas domo, non ex domo dignitas tota quærenda; nec domo dominus, ſed domino domus honeſtanda eſt. Et ut in cæteris habenda ratio non ſui ſolum, ſed etiam aliorum, ſic in domo clari hominis, in quam & hoſpites multi recipiendi, adhibenda eſt cura laxitatis.* Dignitatem vero ſeu decorum, tum recte in his obſervari dicit Philoſophus, *ſupra c. l.* ſi & perſonæ, & facultatum, & operis habeatur ratio: ut ſcilicet opus ſumptibus, & ſumptus operi, & utrumque perſonæ in dignitate correſpondeant. Huc omnino pertinent robuſti pontes, ingentes aquarum fluctibus oppoſitæ moles, manufacti portus, publicæ viæ & itinera: quæ omnia ad ſui conſervationem validiſſimo indigent ærario.

XXVI. Porro ſi Principis familiæ ſuſtentationem; ſi aulæ procerum ſalaria; ſi ſtipendia miniſtrorum tam ſacrorum quam civilium, magiſtratuum & judicum, juventutis item magiſtrorum ac ephororum circumſpectes, quorum fere omnium uberrimam, in principatu quamvis non nimium diffuſo, (utpote qui nobis optimus cenſetur) merito licet metere meſſem, præſentario certe opus eſt argento. Adhæc ſi conſideres ſanctam legum cuſtodiam, *cui* ut Tacit. 13. ann. c. 26. inquit, *tribuendum eſt aliquod telum, quod ſperni nequeat*, non minus pecuniam, *quæ armorum ſubſidium* Ciceroni dicitur *in orat. pro Luc. Manil.* requiras. Denique cum bonum legislatorem non tantum criminibus pœnas definire, ſed & bene merita præmiis mactare oporteat, hiſque duobus in hominum animis valentius nihil ſit, omnino etiam Principi non ſolum juſtitiæ, ſed liberalitatis etiam ac magnificentiæ ſtudium in his conveniet. Etenim *ut diſſipando*, dicit Forſtner. *in annot. ad lib. 16. annal. c. 1. Principatus nervos prodigentia incidit; ita ſordities ac avaritia attinendo conſtringit: utrum majore Principis damno, haut facile dixerim. Alia privata domus, alia republica adminiſtranda ratio eſt. Semper virtute, quam pecunia, Princeps melius ſtat. Nunquam igitur nummis parcendum, cum nummis res poſſunt confici? quorum parſimonia nimia plerumque publicæ obfuit rei.* Ludovicum XII. Galliæ Regem paucos nummos ſervandi ſtudio maximarum ſæpe rerum occaſiones amiſiſſe, Guicciardinus tradit *lib. 4. hiſt.* cujus etiam ſocietatem avaritia offenſus Maximilianus Cæſar exuit: ut idem teſtatur *lib. 10. hiſt.* Nemo enim natura fidus naſcitur, ſed fidos oportet ſibi quiſque faciat: quorum comparatio nullatenus vi fit, ſed potius munificentia. Egregium autem Principi & omnino neceſſarium eſt ſuppetias ferre miſeris, optime de republ. meritos probe remunerari, & excellentiſſimum quemque in ſua arte donativo aliquo colere. Hæc enim quam maxime augent famæ ſplendorem. Ad largiendum vero ſuppetere debent copiæ; ſiquidem hæ liberalitatis & magnificentiæ verum & adæquatum conſtituunt objectum, uti conſtat ex Ethic. Nicom. Ex cujus principiis etiam infra fortean deprometur, quo tandem Principis largitiones conſtare debeant modo. Sufficit jam per quam tranſennam quaſi vidiſſe, numero innumeræ & ad hos & ad alios uſus Principis ſint expenſæ: quibus ferendis ne ipſius reditus exiſtant impares, prudens ac ſedula cautio Principi erit adhibenda. Non leve namque indicium male conſtitutæ reipublicæ, ubi expenſa anniverſaria accepti rationes æquat, imo ſuperat. Interim ex his abunde cuivis liquebit, quando ſit ærarii in Principatu vis, quantus uſus quanta neceſſitas, ut proinde Ariſtoteles Principis ærarium ſtomacho haut perperam comparaſſe videatur. Quemadmodum enim, inquit, a ſtomacho cibi recepti in omnia corporis membra diffunduntur, eaque ab interitu conſervant; ita Principis ærarium ſufficientibus pecuniis inſtructum in omnes imperii partes extenditur, idque a variis cladibus & ruinis protegit, & tuetur.

XXVII. Quo ſimili Philoſophus verum ærarii conſtituendi finem ſimul includit: ad quam nunc definiendam, poſita ulteriori ambage, ſtatim accingamur, utpote cum hæc ſemper intentione quidem, ut loqui amant, omnium cauſarum ſit ordine prima. Haud vero difficilis eſt definitu: quippe nemo non videt, bonum Principem, uti in cæteris negotiis publicis, ita etiam in civitate liberorum hominum propoſitum ſibi habere debere commune ſocietatis ſuæ bonum, ſive, quod idem eſt, utilitatem publicam. Quo gnavius itaque huic promovendæ inſtiterit, eo erit melior, cum boni ſit illa natura, ut quo in plures diffundatur, eo ſit præſtabilius, quemadmodum & 3. *Top.* & 1. *Nicom.* edocet Ariſtoteles. Et Cicero 1. off. *Omnino*, ait, *qui reip. præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneant: unum, ut civium utilitatem ſic tueantur, ut, quicquid agunt, ad eam referant, obliti commodorum ſuorum: alterum, ut totum reipubl. corpus curent, ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant. Ut enim tutela, ſic procuratio reipubl. ad utilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa, gerenda eſt. Qui autem parti civium conſulunt, partem negligunt, rem pernitioſiſſimam in civitatem inducunt, ſeditionem atque diſcordiam.* Cavendum igitur Principi, ne ſingulorum injuriæ utilitate publica rependantur, ut Tacitus 1. *Annal.* loquitur, ſed utilitas

illa

Google

illa & honeſtas ſemper ſunt combinanda, & communi quaſi vinculo copulanda. *Nihil* vero *honeſtum eſſe poteſt, quod vacat juſtitia*, optimus dicendi opifex optime rerum prædicat 1. *off.* Ubi tamen omnino obſervandum eſt, quod ampliſſimus Dn. Præſ. præclare innuit *in Animadverſ. Polit. ad Mach. Princ.* Nonnulla ad omnem reip. adminiſtrationem non utilia duntaxat, ſed neceſſaria etiam eſſe, quæ tamen in vulgus, imo etiam a quibuſdam doctrinæ nomine eminentibus exiſtimantur ab honeſto abire, cum reapſe tamen nequaquam ſint talia. Habet ſcil. in civilibus actibus cum primis locum illud, quod *lib. 3. de off.* non minus eleganter docet Cicero: *quod nimirum multa videantur inhoneſta, quæ inhoneſta non ſunt: quod item multa, quæ videntur inhoneſta, temporibus fiant honeſta: quod denique tempore etiam fiat, ut quod plerumque turpe haberi ſolet, inveniatur non eſſe turpe.* Ita enim in hoc vitæ theatro comparatum eſt, propter improbitatem partim, partim & imperitiam ingeniorum, quibuscum confligendum eſt, ut nonnunquam vi & dolis uti habeamus neceſſe. Sed cum vis alia juſta, alia injuſta, doli itidem alii boni, alii mali juxta Grot. *l. 3. n. 7. & 8. de j. b. & p.* in imperiorum juſte partorum conſervationem ad vim injuſtam & dolos malos haut opus eſt, ut unquam confugiatur. Quæ proinde cum ita ſint, & prudentis ſemper habitum ſit, non modo quæ ante pedes ſunt videre, ſed etiam futura proſpicere, bono quoque Principi prorſus conveniet, hoc in negotio non ſolum, quid in præſentiarum Principatui ſuo expediat, obſervare, ſed in longitudinem quoque ipſi conſulere,

XXVIII. Tantum de ærarii fine dixiſſe ſufficiat. Nunc, cum ærarium alias, ſi vacuum, inſtar campanæ ſit ſine piſtillo, adeoque omnino refertum eſſe bonis oporteat; expediamus, ex quibus demum illud conſtitui fas & jura ſinant. Bona autem dicuntur alia divini, alia humani juris: quorum illa JCtis dicuntur nullius, ſive quæ hominum juri poteſtati, ac commercio ſimpliciter ſunt exemta. *Vid. §. 7. Inſtit. & l. 1. 6. §. 2. l. 9. §. ult. ff. de R. D. l. 21. C. de SS. Eccl.* Hæc iterum vel mediate ſeu indirecte, vel immediate ſeu directo cultui divino ſubſerviunt. Qualia prioris generis ſunt cœnobiorum villæ, prædia, ſylvæ, agri, prata, vineta, horti, primitiæ, decimæ, omnesque alii eccleſiaſtici proventus. Poſterioris vero ſunt templa, ſacella, cœnobitarum domicilia, ſacri libri, baptiſteria, altaria cum calicibus patinisque, cetera ſacrorum ſuppellectile. Eſtque notatu dignum, quod, quanto majori opum externarum & latifundiorum, ut loquitur Plinius, copia circumfluere occœperunt eccleſiæ, tanto magis in religionis ac honeſtatis ignota diverticula ſint delapſæ: quando quidem veriſſime exclamavit jam olim S. Bernh. *Religio peperit divitias, & filia devoravit matrem.*

XXIX. Cum vero in bonis duo veniant conſideranda, & res ipſæ, & earum uſus, teſte Philoſopho 2. *polit. c. 3.* quæritur jam: an & quando hæc divini juris bona ærarii tam civilis, quam militaris materiem præbere, inque uſus profanos converti religione queant ſalva? Et ſane, quanquam alias facile unaquæque res ad primam ſuam naturam revertitur, tamen in rebus ſacris & Deo ſemel dicatis, atque initiatis ſecus eſt, ut non facile ad profanam conditionem, in qua aliquandiu fuerunt, redeant. *Rittershus. part. 1. c. 8. Novell. expoſ.* Ingenue igitur profitemur, quæcunque divinæ Majeſtati, qua publice, qua privatim, vel donata, vel legata ſunt, primario ipſius divini nominis gloriam, ſecundario etiam proximi in his terris ſpectare debent ſalutem. Hic etenim vitæ actionumque humanarum omnium ſupremus finis eſto, cujusque gratia majores noſtri venerati Deum Opt. ter. max. de ſua, ut Biblia S. *Prov. c. 3.* loquuntur, ſubſtantia; & de primitiis fructuum ſuorum largiti ſunt egenis; propter mandatum aſſumpſerunt pauperes, theſaurosque ſuos in altiſſimi præceptis poſuerunt, diras una fruges conſumere natis fucis dolorumque quorumvis cruciatus & tormenta imprecati. Quæ idcirco cum ita ſint, qua jam fronte Chriſtianorum quispiam domus religioſas & monaſteria temere diruet, aut in formam ſecularem adornabit? quo vultu bona illa eccleſiaſtica diripiet, inque uſus aulicos & privata pervertet commoda? Quin Gentibus ſive Ethnicis loca & res ſacras violare maximam fuiſſe religionem, ab autoribus celebratæ paſſim cum Romuli, tum XII. Tabularum leges planiſſime demonſtrant. Nimirum celeberrimis illis gentis ſuæ conditoribus Trojanis pietate olim religioſa nihil prius eſſe meminerant Quirites. At quibus jam manibus attrectabunt, Harpyarumque ad inſtar fœdabunt Deo dicata, qui religionem profitentur ſinceriorem?

XXX. Porro ſi jus juſtinianeum percurras, extat in cod. lib. 4. tit. 51. titulus de rebus alienis non alienandis, ubi, cum per l. 4. C. *mandati*, *quilibet in re ſua moderator & arbiter ſit*, Impp. communem ICti Pomponii regulam: *id quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt*, modis omnibus confirmant, *ff. lib. 43. tit. 16. lib. 47. tit. 8. Et C. lib. 8. t. 4. & lib. 9. t. 33.* Extant item interdicta *unde vi & de vi bonorum raptorum.* Bona vero eccleſiaſtica, ceu antea dictum, non in noſtris ſed Dei in bonis ſunt Quo quis igitur jure in ea involabit, Deoque invito ad ſe illa transferet? Ad hæc quemadmodum rerum ſacrarum cupidini ſacrilegorumque auſibus obicem opponentes Impp. bonorum eccleſiaſticorum quicquam, ſub quocunque prætextu, ad perſonam quamcunque alienando transferri ſevere prohibent, *l 4. 14. Et Auth. Hoc 19. porrectum. C. De ſacroſ. Eccl. item Nov. 7. & 2. Feud. 58 §. 2.* ita quoque Conciliorum veterum a Pontificibus deinceps approbati, bonaque ex parte Gratiani decreto cum ceterorum Patrum dictis inſerti Canones eccleſiæ jura intacta venerabiliter cuſtodiri, illæſaque jugiter ſervari volunt *c. 12. q. 1 can. 2. 5. 6. 8. 9. 12. &c.* Neque minus Comitiorum imperialium, auguſtanorum inprimis, anni 1530 Receſſus §. 6. cum his concordant. Quare ut jam omittamus ſeveras quondam Cæſarum comminationes, pœnasque ſacrarum rerum expilationi & direptioni ſtatutas, eæ receuſitis deprehenſu cuivis obvium eſt, divino juxtim ac humano juri eccleſiaſticorum bonorum temeratores inſigniter adverſari.

XXXI. Cæterum his ſimpliciter ita pronuntiatis, inficias ſimul ire erubeſcimus, quod, quantumvis & Canonico *c. quanquam 4. de ceaſ. & exact. c. adverſas 7. de immunit. eccl. in 6. clem. præſenti 3. de cenſib.* & Civili jure *l. 5. auth. caſſa & irrito C. de SS. Eccl. auth. item nulla communitas C. de Epiſcop. & Cler.* privilegio immunitatis a vectigalium onere gaudeant Clerici, ſecus tamen ſit de jure divino; ex quo ſcil. contrarium ipſius Servatoris & Apoſtolorum exemplis luculenter probatur Epiſt. Pauli ad Rom. c. 13. v. 7. Matth. 17, v. 27. & 22. v. 21. Nec obſtat Geneſ. c. 47, v. 22. Eſræ c. 7. v. 24 ad quæ reſpondet Golnizius *in Gymnaſm. de regol. vectigal. jur. c. 3. n. 29. 30.* Ratio accedit politica, quod, quemadmodum æqualibus debeantur æqualia, ita quoque æquales debeant æqualia. Atqui Clericis æque ſecuritas debetur & præſtatur, ac aliis. Ergo illi viciſſim cum ſui conſimilibus præſtanda præſtare non recuſent. In univerſum vero quandocunque cum utilitas, tum neceſſitas publica id evidenter exigant & efflagitent, Princeps bona iſta citra cauteriatæ conſcientiæ formidinem quam juſtiſſime & vectigalia efficere, & uſus ad profanos uſurpare poteſt. Neceſſitatis quippe nullum effugium aliud, quam velle, quod ipſa cogat. Pulchre enim eloquentiæ ſcaturigo Cic. *in ep. ad fam. 13. l. 2. In navigando tempeſtati obſequi artis eſt, etiamſi portum tenere non queas; quum vero id poſſis mutata velificatione aſſequi, ſtultum eſt, eum tenere cum periculo curſum, quem ceperis, potius, quam eo commutato, quo velis tandem pervenire.* Ad hæc ſecundum Imperatorem Juſtinianum *d. Nov. 7. c. 2. nihil eſt,* in ſalutis publicæ favorem ſcilicet, *adeo ſtabile inter homines aut immutabile, ut nullam pati poſſit mutationem, cum omnis noſter ſtatus perpetuo ſub motu conſiſtat.* Legi vero atque expendi hic meretur Grotius *lib. de J. B. & P. 3. c. 5. n. 6. & 7.* Quin imo ſancta juris tam civilis, quam canonici volumina ſacrorum alienationem, urgente pietatis & neceſſitatis cauſa omnino admittunt, nimirum ſi eccleſia nimio ære alieno ſit gravata; Vid. *Inſt. §. 8. de R. D. l. 21. C. de SS. eccleſ. Nov. 7. c. 2. & 8. & Nov. 120. c. 9.* cujus rei cauſam Cicero *lib. 2. off.* ſuggerere videtur, inquiens: *Nec ulla res vehementius rempublicam continet, quam fides: quæ eſſe nulla poteſt, niſi erit neceſſaria ſolutio rerum creditarum.* Sinunt dein pro captivorum redemptione, pro pauperum alimentis, extremæque famis tempeſtate. Rationem ſubjiciunt hanc, quod videlicet haud abſurdum ſit, animas hominum quibuscunque inanimatis vaſis ac veſtimentis præferri, juxta illud D. Ambroſii: *Aurum eccleſia habet, non ut ſervet, ſed ut eroget, & ſubveniat in neceſſitatibus c. 12. q. 2. c. 69.* Præterea, ſi poſſeſſiones eccleſiæ ſint minus utiles, ſi agri infructuoſi & ſteriles, ſi ædificia collapſa, aut quæcunque tandem alia neceſſitatis & utilitatis ratio appareat, illorum alienationem recte fieri, libentiſſime largiuntur, *c. 12. q. 2. can. 51. & Nov. 120. c. 7.* Ut vero alienatio viribus ſuis ſubſiſtat, accedat oportet, jure quidem canonico vulgari, præter cauſæ cognitionem & capituli conſenſum, epiſcopi autoritas, qua ſine facta infecta reddi potis eſt. Conf. Tit. decret. *de rebus eccleſ. non alien.* Jam talis epiſcopi ſpartam non minus noſtrum ſuſtinere Principem, adeoque bona, tam eccleſiaſtica, quam ſecularia ejus ſubeſſe imperio, ſuperius dictum eſt. Quo circa optime concludi poſſe autumamus, quod, etiamſi legibus iſtis civilibus, ex ipſis juſtitiæ univerſalis fontibus quaſi profluxis, adſtringi nolit Princeps, Deum tamen devotus reſpicere habeat, divinique juris bona ſacrum in ærarium ſollicite comportare, civile vero & militare his nunquam inſtruere, niſi vel pietas, vel publicæ rei commodum, vel neceſſitas id quam maxime expoſcere videantur. Perluſtrari hoc loco meretur Speidelius *tract. ſing. de privil. & coſib. neceſſitatis.*

XXXII. Nec ſusque deque habendum erit, quidnam bonorum illorum prius profanes, ſed cum divino cultui mediate ſubjacentia bona Dei non ſunt adeo propria, quam quæ immediate talia exiſtunt, uſibus profanis illa his longe aptius accommodantur, niſi horum ſuperflua & minus neceſſaria ſuppetat copia. Ex ſacro autem ærario miniſteria, eccleſiæ, ſcholæ, eleemoſynæ, hoſpitalia conſtitui ac ſuſtentari debent: quemadmodum etiam in noſtro imperio germanico receſſ. 1555. §. 21. optime eſt ſancitum. Notandum vero cumprimis eſt, bona ſacra, alia vere talia eſſe, hoc eſt, uſibus ſacris cedere, alia ita dici duntaxat; quandoquidem a clericis aut ſacratis perſonis poſſidentur, quæ reapſe profana ſunt. Ad hoc alia bona ſacris conceſſa eſſe a privatæ ſortis hominibus, eoque publicis oneribus non ſubducta, alia plane immunia reddita. Illa profana, quamvis ſacratis poſſeſſa, utique nihil vetat oneribus ſubjicere publicis, ut & illa a prioribus donata. Imo ſalus reipublicæ exigit, ne illa immunitate onerum honorentur, & oneribus reipublicæ ſubducantur. Qua de re videantur diſſertata ampliſſimo Domino Præſide *lib. de Pace p. 11. 12. 13. Animadverſiones item in bullam Innocentii, p. 159. 172. 177. usque ad* 187.

XXXIII. Indignationem exinde non levem promereri videntur illi, penes quos illimitatum ſacrorum jus reſidet, dum pietatis depoſita in tot profanis monachorum abdominibus & Bachi amphoris abſcondi ſinunt. Quot etenim cœnobitarum e numero reperire hodie poſſis, in quibus priſca illa ſuperiorum temporum radiet ſanctimonia, priſca in omni ſcibili juventutem inſtituendi ferveat induſtria; priſca poſteritati conſignandorum monumentorum, aut inſignium bibliothecarum inſtruendarum propullulet libido? Næ teſtis eſt experientia, (nil vero abſimile loquimur,) priſcarum virtutum vice externam quandam perquammultos inceſſiſſe ſuperſtitionem, officioſum autem formandæ juventutis ardorem jamdudum in plerisque deferbuiſſe, ſecutasque demum eſſe literarum linguarumque inſcitiam varias, non modo eruditæ doctrinæ & diſciplinarum liberalium, ſed & religionis chriſtianæ corruptelas. Propalam inſuper notum eſt, quod pingues illi & nitidi Epicuri de grege porci in cute curanda gnaviter operentur, varii generis exquiſita bellaria ſtrenue deglutiant, officiorum ſuorum longa potent oblivia, noctes atque dies utramvis in aurem ſtertant, cæterisve, quæ brutorum fert libido, voluptatibus libere fruiſcantur. Et quod graviſſ. eſt, inani hac perſuaſione dementati ac faſcinati ſunt miſelli, quod in proclivi ipſis ſit tan-

tanta, ac tot deſignata crimina unica expiare Miſſa, Deique gratiam reconciliare etiam flagitioſorum funeribus in cinerem redactis. Quod ſi nobilis olim JCti Henrici Cornelii Agrippæ a Nettesheim *de incertitud. & vanitate ſcientiarum* declamationem perluſtres, vah, quanta Monachorum narrat facinora! Lubet hîc nonnulla, quæ nil niſi elegantiam & veritatem redolent, ex libro, quem *de vanitate ſcientiarum* ſcripſit Agrippa, quamvis non ſatis bonæ & notæ & famæ autor, mutuari, & his ſubnectere. *Sunt adhuc in eccleſia*, ait *c. 26. d. de clam. diverſarum ſectarum populi, monachi & fratres, & anachoritæ, quibus vetus lex omnino caruit, caruit etiam eccleſia eo tempore, quo fuit optima, nec tot ceremoniarum ritibus implicata, qui hodie religioſorum nomen ſibi ſoli vendicant, ſanctiſſimorum nomina Baſilii, Benedicti, Bernhardi, Auguſtini, Franciſci, & ſimilium præ ſe ferentes.* Et paulo poſt: *Sed hodie pauci inter eos boni, ingens autem malorum turba: ſiquidem huc tanquam in malorum omnium aſylum confluunt, quoscunque ſcelerum conſcientia terret, qui ob legum vindictam nusquam alibi tuti ſunt.* Et poſtea: *Tot cucullata monſtra, barbigeri, funigeri, roſtiferi, ſaccogeruli, loripedes, lignipedes, nudipedes, atrati, nigritæ, griſones, albichlamydes, verſicolores, multipelles, linoſtolii, retiarii, palliati, chlamydati, pullati, paludati, præcincti, brachati, ac id genus aliorum turba hiſtrionum.* Et *c. 65. de mendicitate: Fratres mendicantes atque Beguandi, ut vocant, proſtrata profeſſionum ſuarum ſanctimonia, quæſtum cum pietate commutarunt, ac ſi non in aliud religionem profeſſi ſint, quam ut ſub paupertatis titulo liceat illis impudenti mendicitate quocunque pervolare, & perfricta fronte importuna hypocryſi undique pecunias corradere, nullius quæſtus pudere, ac inſigni ſycophantia in choro, in foro, in templis, in ſcholis, in aulis, in palatiis, in publicis & privatis colloquiis, in confeſſionibus, in diſputationibus, in concionibus, e ſubſelliis, e cathedris, e pulpitis, e ſuggeſtis impudentia artes ſpargere in vulgus, indulgentiarum merces vendere, ſua benefacta emetiri ceremoniis; & a mercatoribus uſurariis & a nobilibus prædonibus male partorum prædam extorquere, & a craſſis civibus ac indocta plebecula ſuperſtitioſisque aniculis emungere nummos, ac ſerpentis exemplo ſtultas mulierculas primum allicere, & per illas aditum ſibi parare ad fallendos viros; qui cum affectata veſtium vilitate oſtendant paupertatem, & vociferando prædicent ſpernendam pecuniam, fugiendam ambitionem, ipſi nihil magis curant, quam ut plurimum pecuniæ poſſideant: atque ob id cauſa mare & aridam circumeunt, omnium domos & tabernas penetrant, ne ſacra niſi pro mercede miniſtrant, eleemoſynasque tyrannice tanquam tributum poſtulant, omnium negotiis ſe miſcent, compingunt matrimonia male cohærentia, intervertunt teſtamenta, componunt lites, reformant ſacras virgines, ſed omnia hæc non niſi ſuo compendio. Hæ ſunt artes fratricæ.*

XXXIV. Ecquis vero hoc pacto bonorum eccleſiaſticorum religionem ſartam tectamque manere aſſerat? Imo, ſi ulla alia, hæc vere audit vana ſacrorum profanatio, quam nec neceſſitudo, nec incolumitas publica ſuadent, ſed potius ceu ſcopulos in mari jubent devitare. Quantum enim reſpublica hiſpanica detrimenti capiat ex futilium monachorum confluge, quam veluti in ſinu fovet, ac profuſis cotidie ſumptibus alit, oſtendit libellus Madriti anno. 1626. editus a Petro Ferdinando Navareta, R. M. Secretario, dum incolarum propter infrequentiam tantæ regni amplitudini oppido conſultum cenſet rectius, ſi ſolitariorum iſtorum ſentina magis exhauriretur, quam ſine delectu gliſci ulterius permitteretur. Verum ne diutius extra oleas forte vagemur, dicta ſint hæc hactenus; pace tamen cœnobitarum illorum, quibus & naturæ & doctrinæ cultus ſaniorem conceſſit mentem, quique adeo melius edocti atque educti melioribus ſeſe offerunt, Deum religioſe devenerantes, morumque ac literarum barbariem penitus averſantes ac deteſtantes. Tales quippe veros inter eccleſiæ alumnos nomen ſuum digne profitentur: ab horum vero veſtigiis qui recedunt, prædictæ ſcilicet farinæ ſocii, putidorum membrorum ad inſtar ſunt exſcindendi. Hæc de divini juris bonis diſſerere habuimus.

XXXV. Humani juris bona nexibus humanis illigari poſſunt, utpote quæ hominum juri ac poteſtati ſubſunt, ſeu æſtimationem recipiunt, *arg. l. 1. ff. de* D. R. Hæc rurſum vel publica, vel privata. Illa hic dicuntur, quæ ſimpliciter in bonis alicujus privati non ſunt, ſed vel ad publicæ rei patrimonium pertinent, vel proprietate ſunt publica, uſu vero privatorum utilitatibus inſerviunt. Specialiter autem determinari vix poterunt, cum pro rerumpublicarum diverſitate diverſo pene ſeſe habeant modo. Nihil enim de his certi ſive naturæ, ſive gentium, ſive perpetuo aliquo civili jure eſt conſtitutum, ſed quævis horum ex cujusque reipublicæ vel legibus vel moribus dependent, Sic quæ Longobardis & poſtmodum etiam noſtris Impp. fuerunt publica, cognoſci potiſſimum queunt ex 2. *Feud.* 56. & jam ſuperius laudati Generoſi Domini Seckendorffs *Teutſchen Fürſten Staats parte* 3. Congeſſit item multa de his Toloſanus *l. 3 c. 2. de republica* Qualiacunque vero ſint, ſive allodialia, ſive feudalia, proprietate tamen & ſimul uſu quæ ſunt publica, oneribus reipublicæ ſublevandis magis comparata eſſe reputantur. Privata bona cum Excell. Dn. Hahnio appellitamus ea, quæ ſingulis acquiſita ſunt aliquo eorum modorum, qui ad transferendum dominium habiles. Excludimus igitur hic, quæ non ex accedente facto humano vel lege, ſed ex mera natura hominibus competunt: de quibus Hugo Grotius *lib. de j. b. & p. 2. c. 17. n. 2.* Includimus vero illis, tam quæ Principis patrimonialium nomine veniunt; de quibus ſup. egimus, quam quæ privatorum ſunt.

XXXVI. Quæſtio nunc exſurgit duplex; an nimirum, & quæ privatorum bona honeſte poſſint cedere ærario publico? Primam quod attinet, argumentari facile quis poſſit, ſi, quemadmodum ex prioribus conſtat, divini juris bona publicum ingrediuntur ærarium, multo magis illud de his verum erit; cum nulla hic extet prohibitio. Sed quamvis hæc ita ſint, ne tamen a nobis temere quicquam aſſertum deprehendi queat, paucis in hoc illuſtrando libet defungi. Prætereamus igitur divini oracula verbi, utpote cujus in locis paulo ante citatis ſic ſatis clare res decidi videtur.

detur. Tantum enim abeſt, ut inibi vetitum ſit, quod quærimus, ut eo potius quam arctiſſime adſtringamur & compellamur. Miſſum itidem faciamus *Novellæ* 149. c. 2. licet non minus lucem quandam huc afferre potuerit. Præſupponamus ſaltim id, quod Romulidum diſertiſſimus Cicero off. 2. profitetur: *Hanc ob cauſam maxime, ut ſua tuerentur, reſp. civitateſque conſtitutas eſſe. Nam etſi, duce natura, congregabantur homines, tamen ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum urbium præſidia quærebant.* Sine quocunque igitur privatorum bona compluribus expoſita ſunt periculis, injuriis & violentiis, iſtud a bene conſtituta republica citra illius interitum abeſſe non debet. Jam ſine improborum & incontinentium coërcitatione, (quam Ariſtot. 2. Eth. c. 3. & I. Rhetor. c. 14. *reipublicæ medicinam* vocat,) hoſtiumque ſine depulſione fieri non poteſt, ut privatorum res ſint ſalvæ. Etenim Philoſopho teſte, 1. Rhetor. c. 10. *improbitas & incontinentia duo ſunt quaſi ſtimuli & incentiva, ut homines lædendi & malefaciendi adverſus legem capiant conſilium.* Hac vero lue infectorum libidinem refrenaturus, hoſtiumque vim repreſſurus & fracturus abſque opibus, nihil aliud aget, quam ſi cum recta ratione inſaniat. Scite ad hanc rem Tacitus hiſtor. 4. *Neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* Et Cic. ſcribit ad Q. Frat. *Cum imperium ſine vectigalibus nullo modo retineri poſſit, æquo animo cives parte aliqua ſuorum fructuum pacem ſibi ſempiternam atque otium redimere debent.* Concludimus proinde, quod, ſi publica bona ad ſumtus tam ordinarios quam extraordinarios ferendos non ſufficiant, privatorum bona, ſalutis communis cauſa, utpote tam pro adminiſtranda juſtitia per leges & legiones, quam pro ſuſtentatione dignitatis & honoris Principis, vigore ſuperioritatis territorialis, quam rectiſſime in ærarium publicum colligantur. *Bonus* quippe *Princeps reditus ſuos publicos communibus deputare prius debet neceſſitatibus, quam ſubditos gravare l. ult. C. de privileg. Dom. Auguſt.* & Bocer. *de jure collectarum. c. 2. n. 10.* Hinc ante Friderici III. Cæſaris tempora haut reperias, tributum aliquod pecuniarum temere fuiſſe exactum: cujus rei ampliſſimus Dominus Præſes *in prælect. ſuis ad Lampad.* duas retulit cauſas; quarum altera hæc eſt, quod olim ea fiſci atque ærarii extiterit ubertas, ut tributo indicto ad neceſſarios imperii uſus non indiguerint. Hæc circa primam monuiſſe ſat eſt.

XXXVII. Accedimus ad alteram, ubi ſaltim ἐν πλάτει & in genere quæſitum fuit, quænam privatorum bona publici ærarii materiem quam commodiſſime induere poſſint? Ad hanc pariliter enodandam, diſtinguimus bona illa in neceſſaria, utilia & voluptuaria, per hæc denotantes ea, ſine quibus nec jucunde, nec delicate vivi integrum eſt; per illa, quibus ſine non poteſt bene aut feliciter vivi; per iſta denique, ſine quibus plane non, aut ægerrime vivitur: quæ tamen omnia, pro diverſis vitæ generibus & qualitate perſonarum diverſa, probe erunt dignoſcenda. Quod ſi igitur Princeps ſubditum temere privat neceſſariis, idem facit occidenti, cum hæc ſint vera ipſius anima; ſi utilibus, privata tollit, & perimit beneficentiæ, ſeu liberalitatis officia, præcipue quæ in largiendo occupantur Quatenus enim deficit virtutis objectum, quod hic ſunt τὰ χρήματα, eatenus ceſſat virtus ipſa. *Homines* autem *hominum cauſa generatos eſſe*, inquit Cicero 1. off. *ut ipſi inter ſe alii aliis prodeſſent. Inque hoc naturam debemus ducem ſequi, & communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines ſocietatem.* Ubi ergo exulat liberalitas, concordia ibi rara non poteſt non eſſe avis, & ubi hæc deeſt, ibi omnia ſeſe perperam habent. Appoſite namque Ciceronis Lælius: *Quod ſi exemeris ex natura rerum benevolentiæ conjunctionem, nec domus ulla, nec urbs ſtare poterit, ne agri quidem cultus permanebit. Id ſi minus intelligitur, quanta vis amicitiæ concordiæque ſit, ex diſſenſionibus atque ex diſcordiis percipi poteſt: quæ enim domus tam ſtabilis, quæ tam firma civitas, quæ non odiis atque diſſidiis funditus poſſit everti?* Quo nomine Ariſtoteles *lib. 2. cap. 3. polit.* quam optime reipublicæ conſultum eſſe autumat, in qua, cæteris tamen paribus, Legiſlatores bonis legibus ad concordiam & beneficentiam cives manuducunt. Habemus etenim a natura ſemina quædam & quoſdam quaſi ſurculos harum virtutum, qui bonis inſtitutis & moribus facile augeſcunt, & incrementa ſumunt. Ariſtot. *l. 2. c. 4. ethic. ſub fin.* Porro ſi voluptuaria ſpectes bona, ſunt hæc itidem, prout animus poſſidentis: *qui recte iis utitur, bonus eſt, eique ſunt bona; qui non recte uti ſcit, malus eſt, illique ſunt mala.* Qui itaque bonus cluit horum poſſeſſor, vix etiam iſtis commode egere poſſe videtur. Non omnis ſiquidem voluptas illicita eſt, ſed quædam homini etiam neceſſaria, non quidem propter ſeſe, ſed propter aliud, nimirum propter ſanitatem & bonum corporis habitum. Jam qui tali percellitur voluptate, tantum abeſt, ut increpandus ſit, ut Ariſtoteli *eth. 3. c. 11.* temperantis potius nomen æſtimetur.

XXXVIII. Verum enim vero, ne ærario publico ex privatorum bonis nihil attributuri videamur, primo dicimus, quæcunque ex recenſitis ſunt ſuperflua, quibuſque non indigent privati, nec ad animi perfectionem, neque ad corporis conſervationem, illa omnia & ſingula, ubi opus fuerit, quam commodiſſime ærarii publici ſubeunt vicem: Solent enim alias non quidem ex ſe, ſed ex hominum vitio, nocumento hæc ipſis magis, quam emolumento eſſe. Præcipue autem id obſervare eſt de voluptuariis, quæ nimiam ſæpe patiuntur ſtultitiam. Prudenter hinc non minus, quam vere, ait Cicero. 1. off. *Ludendi etiam eſt quidam modus retinendus, ne nimis omnia profundamus, elatique voluptate in aliquam turpitudinem delabamur.* Et paulo poſt: *Pertinet ad omnem officii quæſtionem ſemper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus reliquiſque beſtiis antecedat. Illæ enim nihil ſentiunt, niſi voluptatem, ad eamque feruntur omni impetu: hominis autem mens diſcendo alitur, & cogitando ſemper aliquid aut inquirit, aut agit, videndique & audiendi delectatione ducitur; quin etiam, ſi quis eſt paulo ad voluptates propenſior, modo ne ſit ex pecudum genere, (ſunt enim quidam homines non re, ſed nomine,) ſed ſi quis eſt paulo erectior, quamvis voluptate capiatur, occultat & diſſimulat appe-*

appetitum voluptatis propter verecundiam. Ex quo intelligitur, corporis voluptatem non ſatis eſſe dignam hominis præſtantia, eamque contemni & rejici oportere: ſin ſit quiſpiam, qui aliquid tribuat voluptati, diligenter ei tenendum eſſe modum ejus fruendæ. Itaque victus cultusque corporis ad valetudinem referantur, & ad vires, non ad voluptatem. Atque etiamſi conſiderare volumus, quæ ſit in natura excellentia & dignitas, intelligemus, quam ſit turpe diffluere luxuria & delicate ac molliter vivere: quamque honeſtum parce, continenter, ſevere, ſobrieque. Aurea certe hæc ſunt verba, & cedro parioque marmore digniſſima: ex quibus apparet, longe ſatius eſſe, quod bona ſuperflua in uſus cedant publicos, quam cum reipublicæ ipſorumque poſſeſſorum intertrimento & diſcrimine inutiliter conſumantur, ac perdantur. Intereſt enim plurimum reipublicæ, ne quis re ſua male utatur.

XXXIX. Deinde, ex quorum privato retentionis commodo publicum erumpere incommodum, ex erogationis vero damno ingens reipublicæ emergere & accreſcere poteſt lucrum, illa quoque juſtam ærarii publici exhibent materiam. Bono namque viro itemque civi bono publica ſalus ſemper antiſtare debet privatæ. Conſulamus iterum hac de re optime ſentientem, optimeque loquentem Tullium noſtrum: „Bonum, *ille inquit*, virum decet, de cæterorum commodis æque laborare ac de ſuis; bonum vero civem ſua omnia poſteriora habere, patriæ commoda prima & maxima ducere; a quibus neque dolore, neque ulla omnino humana „avelli perturbatione debemus. *Et 1. off.* Magna illa communitas eſt, quæ conficitur ex beneficiis „ultro citroque datis, acceptiſque: quæ mutua & grata dum ſunt, inter quos ea ſunt, firma devinciuntur ſocietate; ſed cum omnia ratione animoque luſtraveris, omnium ſocietatum nulla „eſt gratior, nulla carior, quam ea, quæ cum republica eſt unicuique noſtrum. Cari ſunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares: ſed omnes omnium caritates patria una complexa eſt. Pro „qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus? Quo eſt deteſtabilior iſtorum immanitas, qui lacerarunt omni ſcelere patriam, & in ea funditus delenda occupati & ſunt, & fuerunt. Sed ſi contentio quædam & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum ſit officii; „principes ſunt patria, & parentes, quorum beneficiis maxime obligati ſumus. *Item 2. de legibus:* „Neceſſe eſt patriæ charitatem præſtare, pro qua mori, & cui nos dedere, & in qua noſtra omnia „ponere, & quaſi conſecrare debemus.“ Egregie etiam cum hiſce congruit Plato in S. de Legibus: „Patria, *inquit*, magis amanda eſt, quam mater, quia eſt quiddam divinum. Hæc enim „omnia patriæ appellatione continentur, quæ vere ſunt res divinæ, videlicet religiones, leges, propagatio civium, artes, judicia, diſciplina, contractus &c.“ Et Levinus Conſul apud Livium ait lib. 26. *Reſpublica incolumis & privatas res facile ſalvas præſtat, publica perdendo, tua nequicquam ſerves.* Unde liquido videtur conſtare, quod publica ſalus ſit etiam ſalus privatorum ſeu ſingulorum, quodque omnibus non modo animi & corporis, ſed quam maxime opum quoque viribus anniti debeamus, ne iſta labefactetur, aut plane peſſum eat. Melius enim eſt, ſi non optimam, aliquam tamen habere rempublicam, quam omnino nullam. Cum igitur uſu veniat, ut reipublicæ parietinæ, niſi privatorum facultatibus ſuffulciantur, ruinam minitentur, pro incommodi vel commodi imminentis varietate non tantum voluptuaria & utilia, ſed etiam neceſſaria in ærarium publicum juſte comportantur.

XL. Quin imo cives vel ſubditi, ſponte niſi velint a jure ſuo diſcedere, privataſque res in uſum deſtinare publicum, *duabus potentiſſimis deabus*, quibus comitatum venire ſe dixit Themiſtocles ad Andrios miſſus legatus, SUASIONE vel VIOLENTIA a Principe omnino queunt compelli; idque, ni duæ aliæ potentiores Deæ PAUPERTAS & IMPOSSIBILITAS reſiſtant, in ſolius reipublicæ favorem haud injuria videtur ipſi indultum. Sane enim verum illud Taciti *lib. 4. annal. Principibus ſummum rerum judicium Dii dederunt, ſubditis obſequii gloria relicta eſt.* At ceſſante exactionis cauſa, communis nempe ſalutis neceſſitate, iſtius quoque fieri debet remiſſio: Æquum enim eſt, *ait Juſtin. l. un. in pr. de Cad. tol.* ut, quod belli calamitas introduxit, hoc pacis lenitas ſopiat. Unde, quod perverſe nonnulli adſtruere non dubitant, licere Principi abſque ulla cauſa publica res ſuas cuivis eripere, Clapmarius *de arcan. rerumpubl. lib. 4. c. 16 ad dominationis flagitia* quam rectiſſime refert. *Quæ ſcientia*, inquit, *non ex alio fonte promanavit, quam aſſentationis & emerendæ gratiæ, quo nihil turpius de juſtitiæ ſacerdote dici poteſt.* Philo quippe *lib. περὶ Φυτεργίας* ait: *Reges cum ſint domini omnium, quæ in ipſorum ſunt ditione, etiam eorum, quæ a privatis poſſidentur, tamen videntur ea tantum habere, quæ procuratoribus & rationalibus ſuis diſpenſanda committunt, a quibus annuos recipiunt proventus.* Et Seneca *lib. 7. de benefic. c. 5. Omnia Rex poſſidet, non tamen dominio, ſed imperio*, id eſt protectionis, non dominii & proprietatis ratione. Hinc *contra naturæ rationem inhumanitate iſta*, acerbiſſimis videlicet tributorum exactionibus *peccari* pronuntiat Forſtnerus *not. polit. ad Tac. annal. 4. Principatus*, pergit, *conditos ſcimus, ut vi ſublata, quæ omnia ad potentiores trahebat, ex natura & rationis imperio agerentur res humanæ. Quid autem ad naturam magis accedit, quam ut quiſque, partis induſtria ſua aut amicorum liberalitate, opibus fruatur? Quid rationi civili commodius, quam ut intelligamus, quid noſtrum, quidve apud nos fiſci ſit?* Præterea ſicuti leones, urſi, aliaque morſu & unguibus nocentia animalia deponunt inſitam feritatem erga paſcentem, parent imperanti, blandiuntur: ita nulla re manſveſcunt homines meliore fide, quam ſi opibus per induſtriam acquiſitis Principis beneficio frui poſſint. Ex adverſo per rerum privatarum ablationes, puta temerarias, propria in regione conſcribi hoſtes, & exinde conjurationes proficiſci, teſtis eſt Philoſophus *polit. 5. c. 3. & 6.* Etenim *non tam omnibus fortunis nudari quis poteſt, ut non ad vindictam ei cultellus remaneat. Prius necis paternæ, quam ablati patrimonii obliviſcuntur homines*, Machiavell. 3, *diſput. 6.* Conſpirationes autem hujuſmodi diſcutere aut repri-

mere verbis, hoc opus, hic labor eſt. Pauci, qnos æqua redamavit ſuada, id potuere. Nec ſatis firma cives in officio continendi vincula ſunt vis & metus: quæ enim ubi removeris, qui timere deſierunt, incipient odiſſe. Et Comici ſententia *errat longe, qui imperium credat gravius eſſe, aut ſtabilius, uti quod ſit, quam illud, quod amicitia adjungitur. Malo namque coactus, qui ſuum officium facit, dum id reſcitum iri credit, tantiſper cavet, ſi ſperat fore clam, rurſum ad ingenium redit.* Conf. Plutarchus *in Cat. Major.* & Tac. *in Agric. c.* 32. Dehinc, quemadmodum in abdito cohibita flamma, data porta, in incendium tandem erumpit, ſic quoque clandeſtinæ conjurationes, quæ ex deſperatione, ultimis conſiliorum præcipitiis, quibus aut petit, aut perdit, animum aperiente proveniunt, rerumpublicarum non raro everſiones exiſtunt. Experti id ſunt male ſano conſilio & infelici exitu Carthaginenſes. Hi enim ſuperbe & avariter Africanis imperitabant, mediam fructuum partem auferentes, tributa duplicantes, & ſolos probantes miniſtros & præfectos, non qui clementer benigneque populos tractaſſent, ſed qui grandem ærario pecuniam per fas nefasque corraſam intuliſſent. Quibus rebus factum eſt, ut pleræque civitates ſoditioſis militibus poſtea accederent. Polyb. *lib.* 1. *c.* 72. Et cur Belgæ Philippi Hiſpaniarum Regis imperium exuere? Ob nullam magis aliam cauſam, quam duram Albani Ducis dominationem. Cum enim eos potentia valde auctos & nimis divites eſſe vidiſſet, decimam rerum venalium mobilium, viceſimam immobilium, & centeſimam de univerſis bonis tam mobilibus quam immobilibus, per Carolum Emericum, Berlaimontium & Noercarmium, promiſſis & minis ab illis extorſit. Meteran. *lib.* 4. *annal. belgic. in princ.* & Jacob. Aug. Thuan. *lib.* 50. *hiſt.* Ut vero initia ſe habuerunt, ita cætera quoque ſecuta ſunt. Hinc idem Thuan. *lib.* 51. *Dura hac Albani dominatione & intolerabili jugo oppreſſa in Belgio civitates, odium capitale contra Hiſpanos conceperunt, & ex deſperatione ad defectionem ſpectarunt, mortemque præ ſervitute illa optarunt.*

XLI. Adhæc, etiamſi omnis ſe ulciſcendi & vindicandi via civibus præciſa ſit, propter intolerabilem tamen tributorum exaſperationem regiones ſuas deſerere, & alio confugere ſæpenumero adiguntur. Aſt peſſime agitur cum illa republica, quæ incolarum laborat penuria; quia tantum abeſt, ut adeo ſecura queat eſſe, quam quæ hujus vitii expers eſt, ut potius ad ſui inclinet interitum. Id quod in Hiſpania recte obſervatum eſt a Petro Ferdinando Navareta Regis Secretario, & peculiari libello, quem ſupra jam memoravimus, evidenter ſatis oſtenſum. Graviſſimam quoque Ducis Albæ in excoriandis Belgis ſeveritatem emolliturus JCt. Viglius Zuichemus, rationibusque peremptoriis futuram & nunc præſentem belgicarum provincialium cladem præſagiens, prudenter ſubmonuit; ejusmodi tributis commercia non mediocriter labefactari, imo omnino intermitti, libertatem negotiantium impediri, & mercium caritate inde exorta, fore, ut opificia ceſſent, & artifices atque negotiatores alio migrent; quod ſi accidat, Belgii florentiſſimas toto orbe ac frequentiſſimas & opulentiſſimas provincias ad ſummam ſolitudinem & inopiam brevi redactum iri. Thuan. *d. lib.* 50. *hiſtor.* & Meteran. *d. l.* 4. *annal. belgic.* Quantum contra emolumenti ex civium & ſubditorum multitudine percipere poſſint respublicæ, polite non minus, quam politice tradit Herman. Lather. *l.* 3. *c.* 3. *de cenſu.*

XLII. Quamobrem prudens Princeps ſobrie & circumſpecte his verſabitur, & a privatorum bonis, tanquam alienis, citra juſtam cauſam abſtinebit, ſuam ſecuritatem in ſubditorum magis amore ac benevolentia, quam timore & odio collocabit figetque, ne ad pernicioſos, quos monſtravimus, ſcopulos impingens, ſalutis ſuæ faciat naufragium. Præprimis regium dictum inclyti & potentiſſimi quondam herois Jacobi I. Angliæ, Scotiæ, & Hyberniæ Regis Principum aures ſubinde vellicet. *Ante alia*, inquit Rex *lib.* 2. *inſtit.* ad Henricum filium primogenitum, *noli te locupletare, nova & gravia tributa imponendo: ſed tuorum opes ac facultates certiſſimas tuas divitias exiſtimato.* Qua voce ſapientiſſimus Princeps expreſſit id, quod contra Machiavellum *l.* 3. *diſput. de republica cap.* 16. & 25. omnibus retro ſeculis a prudentiſſimis quibusque viris aſſertum fuit, theſauros & ſecuritatem Principum non in ſubditorum egeſtate, ſed in opulentis ipſorum loculis quam optime ſita & recondita eſſe. Eleganter etenim Conſtantinus Imp. Conſtantini M. filius ſolitus eſt dicere, referente Polydoro Virgilio *l.* 1. *hiſtor. Angl. & Europ. l.* 10. *c.* 1. „Melius opes a privatis „poſſideri, quod apud illos fructus redderent; in arcis vero Principum clauſæ, ſteriles eſſent & „infructuoſæ. Quod ſi inops egensque ſit regnum, & veluti abſtracta pelle nudum, nec lanam „dabit, qua ſe Princeps veſtiat, nec cætera largietur, quibus urgentem depellat neceſſitatem. „Cum puteus plenus eſt, facile hauritur aqua, imo & exhauritur: at ſi venæ & occulti meatus, per „quos humor influit, exſiccentur, & fons, ex quo dimanat, exareſcat, nulla arte aut induſtria re„ſtituetur.“ De Alexandro quoque commemoratur, quod homine levi & aſſentatore novis tributis gravandum populum ipſi ſuadente, egregiam taliqne Principe digniſſimam hanc protulerit ſententiam: *Olitorem odi, qui radicitus herbas exſcindit.* Quibus verbis ſignificavit, regnum ſicut hortum eſſe, populares vero arborum & plantarum inſtar, & quamdiu radix vivit, colligi fructus poſſe, exſecta autem mox plantam areſcere. Haud ſecus notari meretur, quod apud Herodotum extat: cum ſcilicet Darius Hyſtaſpes primos præfectos conſtituiſſet, ut in ſingulis provinciis tributa exigerent, Cyrus ex ſuis quærit, quantum adhuc pecuniæ ſuperſit, eaque præter opinionem majori comperta, Crœſum interrogat, num melius ſit pecuniam commendare amicis, quam ſervis? Reſpondet ille, amicis potius. *Ergo*, inquit Cyrus, *relinquamus amicis; nam ſi ſervi acciperent, ſtatim diſtraherent.* Quo facto Cyrum patrem, Cambyſen herum ſeu dominum, Darium quæſtorem ſubditi nuncuparunt. Quanto itaque majore dulcedine aures noſtras perſonat patris nomen, quam domini, aut quæſtoris, tanto quoque præſtabilius erit Cyri veſtigia premere, quam Camby-

ſis

ſis aut Darii. Et quicunque hoc in animum induxerit Princeps, effeceritque ſimul, ut omnes ipſius ditionis partes divitiis abundent, ſintque quam plurimæ locupletes & opulentæ domus, nullos certiores habebit quæſtores ærarios, quam ſubditos, nec qui pecunias ei liberalius, quoties neceſſe erit, ſuppeditent. Boter. *l. 7. de Ill. ſtat. c. 2.*

XLIII. Cæterum, ut ab excurſu in viam revertamur, egimus de privatis ac ſubditis hactenus in genere, quatenus illi opibus ſuis rempublicam juvare teneantur. Ut ne autem intentatum quid relinquamus, quod prope hoc obſervatu digniſſimum videtur, paucis explanemus, an ſubditorum nonnulli in publicum non modo nihil debeant conferre, ſed ex illo etiam juſte aliquid poſſint auferre? Et ſicuti omnium in univerſum ſalus reipublicæ incolumitate continetur; ita, ubi opus fuerit, ſingulorum quoque eſſe, ad hujus conſervationem omnia ſua contribuere, ex ante diſſertatis nemini eſt obſcurum. Quemadmodum enim in navi, tempeſtate exorta & imminente naufragio, vitæ periculo expoſiti ſunt ſinguli; ita cunctis quoque in navem receptis incumbet, vel in anchoris eam firmiter tenere, vel remis veliſque agere, omnemque rudentem movere, quo portum aliquem pertingant, & turbulenti pelagi fluctibus ſæviſque procellis ſe cum nave ſimul eripiant. Quod ſi etiam ſocias jungere manus, & mutuas tradere operas nonnulli forteаn renuant, quibusvis cogendi ſunt modis, ut vices ſuas debitas ad navis conſervationem præſtent. Idem in republica obtingere palam eſt. In univerſum vero reſpublica ſublevatur, & conſervatur tripliciter: vel animi, vel corporis, vel fortunæ bonis: de quibus conſuli poteſt Ariſtoteles *rhetor. 1. cap. 5.* Sunt jam, qui omnibus tribus; Sunt, qui duobus; ſunt, qui uno duntaxat eidem opitulari ſuſtinent. Ingruente ergo neceſſitatis tempore, Tros Tyriusque nullo diſcrimine merito agetur, ſed quo bonorum genere polluerit, illud reipublicæ unice debebit; neceſſitate vero evaneſcente, æquabilis inſtituenda eſt diſtributio, quo quemlibet genere ipſi ſubvenire oporteat. Quocirca, qui animi bonis, utpote cura, conſilio, prudentia & ſapientia reipublicæ præſunt, hos a fortunæ corporiſque bonorum collatione immunes eſſe debere, cum meritorum, quibus rempublicam ornant, magnitudo: tum honeſtas jubet ac neceſſitas. Quicunque enim illi tandem ſint, ſive ſenatores, magiſtratus & judices, ſive ſacerdotes & juventutis *ἐργοδιῶκται*, dum quanti quanti, poſtbabito ut plurimum rei privatæ & familiaris commodo, publicis unice invigilare tenentur negotiis, operam divitiis conquirendis eos nullatenus navare poſſe, in aprico eſt. Eaque propter a Principe annuis jure meritoque donentur ſtipendiis potius, quam in ærarium quicquam de ſuo amplius comportare jubeantur. Æquum enim eſt, ait Caſſiodorus *lib. 2. ep. 33. ut unicuique proficiat labor ſuus, & ſicut expendendo cognoſcit incommoda: ita rebus perfectis conſequatur augmenta.* Quo argumento etiam contra ſenatum romanum pro ſtipendiis advocatorum diſputabant Suilius & Coſſutianus apud Tacit. 11. *annal. c.* 7. Eloquentiam ſcilicet gratuito non contingere: omitti curas familiares, ut quis ſe alienis negotiis intendat: ſublatis vero ſtudiorum pretiis, etiam ſtudia peritura.

XLIV. Quin ab hoc immunitatis privilegio neutiquam removenda eſt proles mavortia, quæ videlicet pro patriæ ſalute gerit arma, vitæque prodiga ipſam oppetere mortem haut dubitat. Quibus vero domi, reipublicæ laboribus procul, in tranquillo deſidere, reſque ſuas quavis legitima ratione adminiſtrare & augere licet, quorumque incolumitas tot togatis, tot ſagatis, cum vitæ etiam diſpendio curæ cordique eſt, hos tam corporis, quam fortunæ bonis, & publicæ rei & tutoribus ejus ſuppetias ferre jus faſque eſt. Cum enim partis & totius vicem inter ſe obtineant reſpublicæ, & cum Principe ſubditi, recte infert Ariſtoteles 1. *politic. cap. 4. idem & parti & toti expedire.*

XLV. Supereſt hic, peregrinos ſeu extraneos adjungamus: de quibus non minus quæri poterit, an in alienæ reipublicæ ærarium opum ſuarum particulam ipſos inferre, æquitati non ſit contrarium? Quæſtionis hujus affirmativam cum Hugone Grotio *lib. de jure belli & pacis 2. cap. 2. n. 13. 14. & c. 3. n. 14.* recte tuemur; cum & a ſalute publica & exterorum lucro prorſus dependeat: Etenim *ſecundum naturam eſt, commoda cujusque rei eum ſequi, quem ſequuntur incommoda.* Ut habetur *in l. 10. ff. de R. I.* Deinde, quicunque quærunt lucrum, eos oportet prius facere ſumptus; ſive æquum eſt, onera eorum hæreant oſſibus, qui perſentiunt commoda. Præſupponamus jam, quod commercia naturalis ſocietatis deſiderio inter nationes intercedant, dum aliorum copia inopiæ aliorum mutuo ſuccurrit: & quod homines abſque libero terræ mariſque uſu naturalem iſtum ſocietatis ſuæ finem indipiſci haut poſſint: quod denique hæc libertas variis ſceleratorum hominum malitiis & injuriis præpediatur. Ad reipublicæ igitur clavum qui aſſident, obſtantia hæc clauſtra rumpere, vias publicas & littora in ſuis territoriis ſarta tecta conſervare, inque iis iter facientibus ſecuritatem præſtare omnino tenentur. Optime hinc conſtitutus eſt receſſus imperii auguſtanus *de anno* 1548. §. 94. & *anno* 1555. §. 54. At quam difficile & impenſe latronum & piratarum prohibetur improbitas? quantus latrunculatorum ad pacanda & exploranda itinera requiritur numerus? quantos porro viarum publicarum, pontium ac littorum exſtructio & refectio, nocturnorum luminum porrectio, & inſidioſorum navibus brevium poſitio expoſcunt ſumptus? Imo ſi hæc, uti par eſt, præſtita non fuerint, damnum, quod peregrinantes & mercimonia vehentes exinde perpeſſi ſunt, ab iſtius territorii Principe reſarciri ſibi jure petere poſſunt. Gail. 2. *obſervat. 64. n. 2. & ſeqq.* Sixtin. *de regal. lib. 2. c. 2. n. 35.* Quamobrem Princeps, qui tot difficultates & onera exterorum ſalutis cauſa ſuffert, ab iis precium aliquod in onerum compenſationem juſte recipit, potius, quam officii ſui pertæſus, utiliſſimam & maxime neceſſariam commerciorum propaginem exſtirpari ſinat.

XLVI. Deinceps quoque ejuſmodi ſumptuum ſua gratia expenſorum refuſionem nequaquam detrectare poſſunt, aut certe non debent extranei. Cum enim a Principe ipſis commerciorum attributa eſt licentia, cujus beneficio ingentem faciunt & percipiunt quæſtum, haud iniquum videtur eſſe, ſi viciſſim inde quid compendii decerpatur. Et ſi, quemadmodum paſtor ex ovium fructibus, Princeps ex civium emolumento poteſt ſuſtentari; quidni conveniat ipſi lucrum participare peregrinorum, quibus civium fruiſci licentia, rerumque inſuper complurium tuta evectione principatum quaſi ſpoliare, ſuamque rempublicam locupletare concedit? Quando proinde magis adſtrictus eſt civium providere commodis, & nec hos quibusvis onerum præſtationibus levare poterit, tanto majori devotione exteri Principis agnoſcere habent beneficentiam, dum jure cum civibus æquali gaudere ipſis non negatur. His jam argumentis propoſiti quæſiti aſſertionem beneniti poſſe, tamdiu nobis perſuademus, donec contrarium ab aliis evincatur.

XLVII. Nec facile quisquam extraneorum a talibus præſtationibus immunis eſſe debet: ſubditorum quippe ſaluti hoc remedio adeo conſulitur, quam quo omnium maxime. Hodiernis inde moribus præter nobilitatem & ſuperiorem & inferiorem, item Principum legatos & conſiliarios, nemo fere immunis eſt: inque eo ſtatus dignitate permoti unanimiter quaſi conſenſerunt Principes. Quorum enim vectigalia eſt conſtituere, eorundem quoque eſt tollere. Neque ſtudioſa minus cohors & perſonæ eccleſiaſticæ, pietatis ſcilicet & doctrinæ ſtudii propagandi favore, aliqua ab his fruuntur immunitate; qua nimirum ſunt tales, non qua commercia aut mercaturam exercent: alias enim privilegio hoc inducti, turpi lucro inhiando a divinis cogitationibus averterentur. Gutierez. *de gabell. q.* 93. *n.* 35. Quod vero iſtud eccleſiaſticorum beneficium juſte nonnunquam a Summis Poteſtatibus reſtringatur, imo penitus ceſſare jubeatur, licet favores ampliandos & odia reſtringenda eſſe, jurisprudentiæ Doctorum præcipiat ſchola, a nobis ſuperius eſt demonſtratum.

XLVIII. Hujusmodi ærarii conſtituendi materies uno nomine exprimitur *per vectigalia ſpecialiter ita dicta*: cum quibus affinitatem quandam ſynonymicam habere videntur Gabellæ, Datia, Licentiæ, Pontivegia, Paſſagia, Taliæ, Portoria, Pedagia, Portaria, Guidagia (a Gallico *guider* ducere, quæ ſcilicet dantur alicui, ut tutum conducat per loca alterius, *das Gelaid*, ſive *Gelaids Zoll*, Golniz *de jur. vectigal. c.* 2. *n.* 23.) item Telonia, quæ vox in jur. canon. reperitur *c. ſi quis Romipetas* 24 *qu.* 3. *Germ. Toll*, *Zoll*, *Mauth*, *Ziſe*, acciſe, *Ungeld*, *Weggeld*. Pleraque vero recenſita vocabula ſunt peregrina atque barbara, & ab interpretibus e ſermonis italici trivio collecta. *Calvin. in lex. jurid. voc. Gabella.* Nobis definiuntur *vectigalia*, quod ſint Principis ærarii reditus ob ſecurum terræ marisque uſum mercium vecturæ nudove tranſitui impoſiti. Vnde fluit ſumma vectigalium diviſio in *terreſtria & navalia*. Hæc ſubdividuntur in *marina*, ob maris trajectum in portu dependenda: *in fluviatilia*, navigantibus per flumina perſolvenda: & in *ripatica*, pro fluminum de ripa ad ripam tranſitu præſtanda. *Germ. Fahrichgelder*: de quibus videatur Beſoldi *theſ. pract. ſub. L. E. Terreſtria* rurſus diſpeſcuntur in *pedagia*, quæ pedites & equites numerant; in *vectoria*, quæ accipiuntur vel a domino, pro mercibus currui impoſitis, vel ab auriga, pro rhedis, curribus, & jumentis: qualia frequentia ſunt in Italia & Belgio; ut adeo hic nemini curru vehere liceat, niſi qui pro hac licentia magiſtratui certum vectigal annuatim exſolvat, vulgo *Kutſchen Zoll. Vectoria* iterum ſunt vel *in ſpecie ſic dicta*, ex rebus, ſolo quæ vehuntur, provenientia? vel *pontivegia*, quæ ab iis exiguntur, qui pontes permeant.

XLIX. Diſtinguuntur JCtis *vectigalia* hæc rectiſſime a *tributis*, tum perſonarum, quibus illorum penſio incumbit, tum rerum ratione, propter quas ea ſuſtineri debet. *Tributa* a ſolis perſolvuntur ſubditis ob tutam rerum & mobilium & immobilium poſſeſſionem. At *vectigalia* non a ſubditis modo, ſed peregrinis etiam præſtantur, ſolarum mobilium rerum evectionis gratia, quatenus nimirum illæ in emptionis venditionis, aut permutationis veniunt contractum.

L. Deinde JCti diſtinctionem inter *annonas* & *tributa*, a ſubditis pendenda, faciunt; ita ut *annonæ* in ſpeciebus conſiſtant, veluti frumento, vino, oleo, pane, carne, ſale, melle, &c. *tributa* autem in corporibus, veluti fundis, auro, argento, ære, equis, veſtibus, &c. quam quoque noſtro poſthac uſui reſervamus. Cum enim utraque tam ſpecies, quam corpora illa ærarii materiam recte ingredi poſſe anterius ſit comprobatum, & non nihil reſtet dicere de modis, quibus ærarium ex enarratis materiebus conſtitui & augeri oporteat, haud diſconvenienter ſingula ſeorſim pertractari videntur. In quam conſiderationem citra ulteriorem moram pleno nunc incedamus gradu, deque tributis exordium faciamus.

LI. Præmittenda vero quædam adhuc ſunt; quibus quaſi adjuti eo felicius poſſimus progredi. *Rebus*, inquit Cicero 1. off. quæ tractantur in vita, *modum quendam adhibentes & ordinem, honeſtatem & decus conſervabimus.* Quemadmodum enim in fidicinum collegio, *ſic vivendum eſt in vita, ne forte quid diſcrepet: vel multo etiam magis, quo melior actionum* civilium, *quam ſonorum concentus eſt.* Mentem in eandem loquens videatur Ariſtoteles *Pol. l.* 3. *c.* 9. Tullius quoque *libro eodem* 1. *off.* alio ſimili id ipſum eleganter illuſtrat. Ita vero infit: *Vt pulcritudo corporis apta compoſitione membrorum movet oculos, & delectat hoc ipſo, quod inter ſe omnes partes cum quodam lepore conſentiunt; ſic decorum, quod elucet in vita, movet approbationem eorum, quibus cum vivitur, obſervato ordine, & conſtantia, moderatione dictorum omnium atque factorum. Adhibenda eſt igitur quadam reverentia adverſus homines, & optimi cujuſque & reliquorum: nam negligere, quid de ſe quisque ſentiat, non ſolum arrogantis eſt, ſed etiam omnino diſſoluti.* Hanc autem reverentiam ex juſtitia vel æquitate & verecundia conſtare cenſet; iſtiusque partes eſſe, non violare homines, ſed ſuum cuique tribuere;

hujus

hujus vero non offendere. Quam decori vim, ſi in ullo alio civili negotio, certe in hoc noſtro perſpici, & a bono Principe attendi debere judicamus.

LII. Quod ſi proinde tributorum indictionem ad ærarium conſtituendum ſuadeat vel utilitas vel neceſſitas publica: cujusmodi caſus in Secretis politicis Georgii Obrechti ICti *tit.* 3. & in Fauſti ab *Aſchaffenburg conſ. pro ærar. claſ.* 20. *ord.* 829. reperias, collectio illa ſecundum æquitatis normam oportet inſtituatur; æquitas ex bonorum proportione ponderetur & æſtimetur, proportio ſingulas civium facultates probe diſpiciendo & examinando inveſtigetur. Ariſtoteles dehinc *rhet.* 1. *c.* 4. vere pronuntiat: *Eum, qui de tributis dicturus eſt ſententiam; primum quidem noſſe decet, quantum ex quaquo re civitas capiat, ut ſi quid prætermittitur, addatur: ſi quo minus, quam par eſt, ex re aliqua percipitur, augeatur.*

LIII. Plurimum huc adminiculi conferet *Cenſus*, qui nimirum ſubditorum concernit divitias. Duplex quippe olim extitit; alter ad morum emendationem adinventus fuit: de quo Lipſius *lib.* 4. *polit. c.* 11. alter in numeri, ætatis, ordinis, conditionis, dignitatum, poſſeſſionum aut fortunarum civium æſtimatione & deſcriptione conſtitit; cujus forma deſcribitur ab Ulpiano *l.* 4. *ff. de Cenſib.* Primus hujus cenſus autor apud Romanos fuit Servius Tullius: ita enim loquens introducitur a Dionyſio Halicarnaſſæo *Antiq. rom. lib.* 4. *Vt autem & tributa, quæ in ærarium conferuntur, ob quæ pauperes gravantur, & coguntur fænore pecunias ſumere, levius impoſterum feratis, volo omnium bona cenſeri, & unumquemque pro cenſu facultatum ſuarum ſuam portionem conferre, quemadmodum in maximis optimeque inſtitutis civitatibus fieri audio. Iuſtum autem & reipublicæ utile hoc ipſum exiſtimo, ut qui multa poſſideut, multa conferant; qui vero tenuibus ſunt facultatibus, pauca.* Unde Livio *lib.* 1. *decad.* 1. *res ſaluberrima* dicitur *tanto futuro imperio: ex quo belli pacisque munia non viritim, ut ante, ſed pro habitu pecuniarum fierent.* Claudio imp. vocatur *opus arduum. Quod opus*, ait, *quam arduum ſit nobis cum maxime, quamvis nihil ultra, quam ut publice notæ ſint facultates noſtræ, nimis magno experimento cognoſcimus.* Clapmarius *lib.* 4. *c.* 16. *de rerumpublicarum arcan.* appellat eum *magnarum rerumpublicarum animam.* Vtut vero hæc ſint, quoniam de utilitate agitur publica, nullum certe tributorum colligendorum modum hoc conducibiliorem ſtatuimus, ubi ſcil. æqualiter, per æs & libram, pro bonorum & obventionum rata, pro viribus ſingulorum tributa imponuntur ac diſtribuuntur. Sic enim eo facilius ex ipſa æqualitate publicis officiis paretur. Subſcribunt nobis præter Impp. Dioclet. & Maximin. *in l.* 3. *C. de annon. & trib.* Imperii noſtri Receſſus, & præcipue quidem trevirenſis & colon. *de anno* 1512. §. 2. ſpirenſis *de anno* 1544. §. 26, auguſtanus *de anno* 1584. §§. 76. 78. *& de anno* 1555. §§. 115. *item de anno* 1566. §§. 142. ratisbonenſis *de anno* 1594. §§. 112 *& de anno* 1603. §§. 57.

LIV. Cæterum de modi hujus forma ſi quid amplius ſubjicere attinet, probamus illam, quæ hodierno uſu plerisque in civitatibus obtinet, dum nimirum ſinguli cives profiteri tenentur, quantum in bonis habeant, eamque profeſſionem juramenti religione confirmare. Vbi tamen ſufficere poterit, ſi quis rei ſuæ commune ſtatuat pretium, etiamſi illam propter nimium affectum ſuum pro tantillo argento nemini alias ſit conceſſurus, *juxta l.* 63. *ff. ad L. Falcid.* Rectiſſime quoque pœna decernetur iis, qui mala fide bona ſua æſtimant, vel omnino non profitentur: id quod etiam docent verba Receſſ. Imperii ſpirenſis *de anno* 1544. §. 61. Dolus quippe malus nulli prodeſſe debet. Quin Servius Tullius graviſſimis fraudulentos hoſce coërcuit ſuppliciis: vel enim vinculorum & mortis pœnas luerunt, (teſte Livio) vel (ſecundum Dionyſ. Halicarnaſſæum) publicatis bonis, verberibus probe cæſi, ſunt divenditi. De jure ſaxonico contra reticentes bona, publicis collectis obnoxia, exercetur actio commiſſi. At ſi quis profitetur quidem rem, in fraudem minoris æſtimat, id tantum, quod æſtimationem excedit, non tota res, incidit in commiſſum. Videantur plura hac de re in Beſoldi *diſc. pol. de ærar. publ. c.* 5. *n. ult.* At hic tenendum quoq; eſt, quod pecunia ſubditorum otioſa, catenæ & annuli aurei, lapides pretioſi & alia ornamenta, tum virilia, tum muliebria cenſui exempta reputentur; quemadmodum etiam in noſtro Imperio per receſſ. ſpirenſem *de an.* 1542. §§. 55. *& de an.* 1544. §. 43. conſtitutum eſt. Ubicunque igitur hæ conſtitutiones imperiales vigorem obtinent, ibi recenſita æſtimari non debent. Superflua autem horum abundantia, ornatum decorum ſeu congruentem cuivis ſtatui excedens, recte ſub cenſum cadit, nec citra pœnæ formidinem reticenda, aut juſto minoris æſtimanda eſt. Cui ſententiæ noſtræ dicti Receſſus non repugnant, ſed eodem collimantes, tacite reſtrictionem hancce ſuppeditant. Permagni quippe intereſt, luxum omnium malorum fomitem e republica exulare. Quæ vero pœna incenſis iſtis irrogari, quantaque ſubditorum facultatum portio cedi ærario debeat, æquo cujuſque Summæ poteſtatis civilis arbitrio relinquamus. Utrumque tamen publicæ rei utilitatis ac neceſſitatis modulo erit metiendum.

LV. Damnamus ex adverſo Tarquinii Superbi *Capitationem*, qua viritim, ſingulis perſonarum capitibus, nulla rerum nec æquitatis ratione habita, proportione arithmetica non geometrica ſervata, tributa indicuntur. Qualis tributi ſpecies hodienum Turcis familiaris eſſe dicitur, dum Chriſtiani domino ſuo turcico pro ſingulis capitibus aureum quotannis ungaricum tenentur numerare. Quot igitur paterfamilias capita in ſua domo aluerit, tot ungaricos aureos pendere neceſſum habet. Philipp. Cominæus *lib.* 3. *de bell. neapolit.* Quæ profecto duriſſima ſervitus, ſummaque cum injuria eſt conjuncta, ut ii, qui minus habent, tantundem ac qui locupletiores exiſtunt, perſolvant. Pone enim pauperem, multa familia abundantem, & divitem cœlibem aut orbum, numne juſtum foret, pauperem capitatione hac gravari & divitem degravari? Cicero inde *lib.* 4. *epiſt.* 7. *ad Appium Pulchrum*, *capitis & oſtiorum tributum exactionem* vocat *acerbiſſimam.* Concinnum *de capitatione* libellum conſcripſit Johannes Baptiſta Vice-Comes,

JCtus ex collegio Mediolani: qno *duas* recenſet *capitationis ſpecies*; *alteram*, quæ procedit per viam cenſendi ſeu æſtimandi capitis, & hanc capitationem *juſtam* appellat; *alteram*, quæ numerandi, *vel* pro pecunia in uſum pnblicum colligenda, & hanc appellat capitationem *voluntariam*, vel pro tributo Principi perſolvendo, & erit capitatio *imperata*. Prior illa conſiderat caput, uti quid æſtimabile; cujusmodi ſunt ager, vinea, ſervi, equi, & alia hujusmodi bona. Poſteriores tantummodo numerant capita, id eſt homines, & a ſingulis certum quid exigunt. In prima illa non omnia capita cenſentur; in his omnia indiſtincte, forte tamen ex ætate numerantur. Sic, quod primam attinet, a Servio cives romani in certas diſtribuebantur claſſes, ut qui paribus ferme divitiis eſſent, in eadem ponerentur claſſe, ceu Livius & Halicarnaſſæus *citatis locis* teſtantur. Qui vero nihil vel minimum in bonis habebant, ſicuti extra cenſum, ita quoque extra claſſem conſtituebantur. Sequentibus deinde temporibus horum etiam cenſus & claſſes duæ fieri cœptæ ſunt: quidam enim *Proletarii* vocabantur, neque amplius quam mille quinque centum æris in cenſnm deferebant; quidam vero *Capitecenſi* appellati, plane nullo, aut perquam parvo ære cenſebantur. Vide Gell. *noct. att. lib.* 16. *cap.* 10. De hac capitatione juſta, id eſt, ſecundum juſtitiam diſtributivam locutus eſt Ulpian. *l.* 3. *ff. de cenſib.* Secus Conſtantinus Imp. *in l. unic. C. de capitat. civ. cenſ. exim.* qui de ſecunda ſpecie ſentiens, id eſt, de capitatione imperata, de qua nos hic loquimur, voluit plebem urbanam in civitatibus Lyciæ & Pamphyliæ a capitationis vectigali immunem eſſe, id eſt, ipſorum capita non numerari cum reliquis provincialibus, eum ad finem, ut civitates majore populi numero replerentur. Male vero hanc Conſtantini legem de plebe romana intellectam a plerisque & cumprimis ab Accurſio, pluribus oſtendit ſupra memoratus JCtus *cit. de capit libell.*

LVI. Sed miſſis hiſce, illam demum capitationem approbamus, quæ æquitate ſuperſtructa eſt. Hanc vero prudentia politica recte moderabitur, ſi ſubditorum tributariorum facultates ne transgrediatur, ſedulo caveat. Poſſunt igitur, tolerabili tamen modo, ne ſcil. bonis artibus & induſtriæ bellum indicatur, non tantum filii filiæque familias pro capite redimi, verum etiam ſervi, miniſtri, ancillæ, itam bajuli *Taglohner*, opifices *Handwercks-Geſellen*, qui fere nihil in bonis poſſident, ſed quotidie victum manu quæritant. Sic capitatio, a Maximiliano I. in Comitiis Wormatiæ habitis inſtituta, utpote cum juſtitiæ & prudentiæ moderamine injuncta ſit, neceſſitatis tempore, nec a ratione naturali, nec civili videtur aliena. Exemplum pariter temperatæ hujusmodi capitationis habetur *Exod. cap.* 30. *v.* 11. *&* 2. *Reg. cap.* 15. *v.* 20. De Athenienſibus denique, qui Potideam inhabitarent, pecunia ad bellum indigentibus, refert Camerarius *lib.* 2. *œconom.* quod juſſerint profiteri cunctos cenſum bonorum, non ſimul univerſorum in tribu ſua ſingulos, ſed ita, ut quoque loco quicquam poſſideretur, ut pauperes æſtimationem ſubjicere poſſent. Si quis vero prorſus nihil poſſideret, ejus capitis æſtimatio erat minarum duarum. Hinc tributum, quod exigebatur a ſingulis, integrum conferebatur.

LVII. Præterea circa tributorum indictiones provinciarum ſitus diverſitatem accurate tenere, Principis operæ pretium erit. Prudenter enim Forſtnerus *in not. polit. ad l.* 4. *annal. Tac. p.* 451. obſervavit: *Veteres limitanea regnorum loca non tam gravibus tributis atque ea, quæ in meditullio regni ſita ſunt, oneraſſe; metu nimirum defectionis.* Cujus rei exempla tum propria, tum aliena experientia collegit, collectaque citato loco combinavit. Similiter & æquum & publice utile erit, ut quæ loca bellum aliæque calamitates afflixerunt & exulcerarunt, tributorum aliarumque rerum immunitatibus ad tempus juventur, ne in perpetuum jaceant, ſed amiſſas & diſſipatas vires recuperent. Hinc Byzantiis, magnitudine onerum urgente, finem aut modum orantibus, annitente principe Claudio, qui bello recens feſſos juvandosque retulit, tributa in quinquennium a Romanis ſunt remiſſa. Vid. Tac. *ann.* 12. *c.* 63. *v.* 4.

LVIII. Denique in principatu novo, cumprimis eo, quem ſibi Princeps vel viribus acquiſivit propriis, vel alienis, dum ſcilicet collatores ſunt potentiores ipſo, aut iis, quorum opibus ac fortuna unice ſubnititur, extraordinarias anteceſſoris ſui tributorum indictiones, quantum commode fieri poterit, vel amoliri, vel magnam partem diminuere debet, quo mitius imperium ſperetur, & ſubditorum animi præſentis ſtatus reddantur amantiores. Etenim hujusmodi principatus retentu per ſunt difficiles, eoque magis, quo remotius abfuerit Princeps: ſicuti luculentiſſime declarat ampliſſimus Dominus Præſes *in animadverſ. ad Machiavell. Princip. c.* 6. *&* 7. Solum autem metum ſolamque vim inſida ad diuturnam poſſeſſionem remedia eſſe, & ſupra oſtendimus, & Cicero 2. *off.* confirmat his verbis: *Quod latiſſime patet, neque ad incolumitatem ſolum, ſed etiam ad opes & potentiam valet plurimum, id amplectamur, ut metus abſit, caritas retineatur. Ita facillime, quæ volumus, & privatis in rebus, & in republica conſequemur: etenim qui ſe metui volent, a quibus metuuntur, eosdem metuant ipſi neceſſe eſt.* Difficultates igitur iſtius generis principatibus affines vix & ne vix quidem facilius ſuperabit Princeps, quam ſi nocendi voluntatem ſubditis adimat, *hoc eſt*, effuſa clementia eorum benevolentiam ſibi conciliet; quæ Ciceroni ibidem *fidelis diuturnitatis cuſtos* audit. Iſta vero parari non poteſt, niſi iis rebus, quæ vel honeſtæ ſunt, vel amicis futuris aut jucundæ, ant utiles. At nulla unquam utilior jucunditas aut jucundior utilitas ſubditis poterit objici, quam ſi de rebus ſuis nihil ant parum detrahatur, ſed liberrimi ipſi moderatores earum maneant ac arbitri. Stolide ſe hac in parte geſſit Rex Roboamus, qui ineunte imperio, ſpretis ſalutaribus prudentum ſeniorum conſiliis, pernicioſiſſima juniorum approbans, non modo querulis ſubditorum precibus de duriſſimo ſervitutis jugo ſublevando non acquievit, verum etiam digitorum ſnorum minutiſſimam defuncti patris lumbis majorem fore, propalam minatus eſt. Ex quo decem tribnum Iſraëlis ſecuta defectio, novique Principis Jeroboami cooptatio, uti 1. *Reg. c.* 12. memoriæ

moriæ proditum eſt. Etiamſi vero juxta effatum Taciti 4. *hiſtor. cap* 63. *clementiæ fama novum imperium inchoantibus valde utilis ſit*, omnia tamen etiam ordinaria tributa temere abolere, haud erit conſilium. Sic cum Nero, populo placere ſtudens, cuncta vectigalia omitti juberet, impetum ejus, multum prius laudata magnitudine animi, attinuere Senatores, diſſolutionem imperii docendo, ſi fructus, quibus reſpublica ſuſtineretur, deminuerentur. Tacit 13. *annal. cap.* 50. Quapropter omnis in eo Principis novi ſita erit prudentia, ut ſub ipſo citra incommodum publicum melius ſibi eſſe intelligant ſubditi, quam ſub priori. Tantum de ærarii ex tributis conſtituendi forma.

LIX. Jam de ſubditorum annona videamus, quonam ſcil. pacto Principis ærarium ex hac inſtrui ac conſtitui debeat. Ubi advertendum prius eſt, quod Ariſtoteles 1. *rhetor. c.* 4. ſubjicit, *quanta nimirum illius copia, & cujus generis civitati ſufficiat: & quæ illic naſcatur, quæque aliunde importetur.* Forſtnerus enim *ad lib.* 12. *&* 13. *annal. Taciti: Omne*, inquit, *Principis erga ſubjectos ſibi populos officium expletur pacis cura, juſtitiæ incorrupta adminiſtratione & annonæ abundantia.* Conſentit Italorum adagium, quo dicunt, panem in foro, juſtitiam in tribunali, ſecuritatem ubique, boni imperii ſigna eſſe. Coſmus ſuperior Medices, cum Joannem Annibalis F. Bentivolum ad bononienſem Principatum capeſſendum dimitteret, inter cætera reipublicæ gerendæ præcepta tria hæc præcipua dediſſe fertur: annonæ curam ſedulo ageret, omnibus nullo diſcrimine jus diceret, ab alienis uxoribus abſtineret. *Joh. Baptiſt. Pigna VII. hiſtor. Ateſtin.* Cæterum, quantum interſit, pacis bellique tempore paſcere plebem, quamque impingant, qui ab expilatione & inopia ſubditorum Principum ſalutem dependere exiſtimant, ſupra attigimus. *Fames*, quippe *& mora bilem in naſum conciunt*, ut vetus eſt adagium in Comici amphitruone: *act.* 4. *ſcen.* 3. Dicimus proinde, hoc ærarii conſtituendi ſubſidium non minus & æquitate & publica ſalute oportere trutinari: id quod primum rectius fieri haut poterit, quam ſi, ut tributi, ita annonæ moderata inſtituatur exactio, pro viribus nempe ſubditorum, & pro copia atque inopia rerum. Sic quod gravis annorum ſterilium raritas ærario forte ſubtraxerit, ſuperveniens fertilium ubertas quam optime compenſabit. Deinde, cum non omnis ferat omnia tellus, Principatus ſui indigentiam exterorum abundantia mature Princeps corrigat oportet, illique cumprimis tempori ſerviat, quo in non procul diſſitis regionibus quam viliſſimo pretio neceſſaria iſta parare, & vel tutis propriarum, aut vectigalium immunitate allectarum peregrinarum navium appulſibus, vel vicinorum ſubditorum curribus quam commodiſſime invehere liceat. Tertio non legibus tantum, ſed pœnis quoque coërcendum eſt peſtilentiſſimum curculionum genus, dardanarii, pantapolæ, panto metaboli & ſeplaſiarii, qui iniquiſſimis fraudibus attentant, onerant, flagellant, & per intempeſtivam ad exteros deportationem vaſtant annonam. Horum dolos accurata diligentia recenſet Nicol. Montandus *lib.* 3. *ſpeculi gallici*, & ſub pœna confiſcationis atque exilii vetat imperii noſtri receſſus trevirenſ. & colonienſis de anno 1512. §. 16. idque non injuria, cum alias iſtorum ſceleribus civilis ſocietatis vinculum facile diſſilire poſſit. Annonæ inſuper certi exiſtere curatores debent, & apta conditoria.

LX. Succedit, ut ad modum ex vectigalibus ærarium recte conſtituendi deveniamus. Hic æque ac cæteri conſiſtere videtur in quantitate, politicæ prudentiæ ductu temperanda & dimetienda, inprimis ex æquitate & utilitate publica, adhibitis rerum, perſonarum, regionis, & temporis circumſtantiis. Per res intelligimus hic merces, quæ vel importantur vel exportantur; vel victus & amictus neceſſitatem, ut ſunt edulia, potulenta, ligna, carbones, tela communis &c. vel luxum & voluptatum illecebras ſpectant: de quibus *in theſi ſequenti.* Quemadmodum vero Hippolyt. a collibus *de increment. urbium cap.* 20. prudentiſſime cenſet, Principi unice cavendum eſſe, ne iis rebus tributa imponantur, quibus pauperes vitam neceſſario ſuſtinent, & quibus carere nequeunt, ita non minus hic egenorum ratio quam maxime habenda erit. Dicimus igitur, quod ſi hujusmodi res neceſſarias ab exteris recipiunt ſubditi, eas vel pro temporum injuria omnino non, vel modice & intra modum vectigalibus onerandas eſſe? tum ne miſera plebecula aut ad incitas & reſtim adigatur, aut ferales cieat turbas; tum etiam, ne tam indigenæ, quam alienigenæ ab iſtarum invectione abſtrahantur. Ex quores hæ, proprii ſcilicet uſus non quæſtus gratia a ſubditis coëmptæ, de jure civili romano a gabellæ ſolutione prorſus immunes fuere; ceu Imp. Conſtantinus *in l.* 5. *C. de vectigal. & commiſſ.* conſtituit. Hinc quoque Veneti in bello antehac contra Bajazetem geſto, portoriorum vini, panis & carnis augmenta noluiſſe prædicantur. Notandum tamen, ſi quibusdam forte, quæ ad victum pertinent, divites frequentius, quam pauperes utantur, ut in ducatibus noſtris vino, hæc vectigalibus in ſe recipiendis apta eſſe.

LXI. Cæteris vero peregrinis mercibus invectis, quo non ſunt vitæ, ſed delitiarum & luxuriæ fomenta, quorum uſus divitum peculiaris exiſtit, vectigalium impoſitioni juſtus relinquitur locus. Quemadmodum de jure civili aromata, pelles, unguenta, fucos, ſericas veſtes, & id genus alia inanium mercium vectigali gravata fuiſſe, teſtatum facit JCtus Marcianus *in l. ult.* §. 7. *ff. de publ. & vectigal.* Et propterea optime Bodinus *lib.* 6. *cap.* 2. *Quod ſi quis*, ait, *eſt, qui de me ſcire velit, quodnam genus vectigalium immortali Deo gratiſſimum, civitatibus pulcerrimum, Principibus honeſtiſſimum, & plebi utiliſſimum videatur, illud eſt, quod iis rebus imponitur, quæ ad corrumpendos civium mores, quæ ad delicias, quæ ad luxum, quæ ad libidinem, quæ ad pompam ſpectant: aurea*, inquam, *& argentea ſuppellex, odores, pigmenta, innumerabilia veſtium ornamenta, colores pretioſiſſimi, gemmæ, margaritæ, cupediæ, cæteraque ejusdem generis.* Cum quo conſentit Nicolaus Bieſius, qui *in id* dicit, *incumbendum, ut ex tributis & vectigalibus artificioſe poſitis vitiorum occaſiones inhibeantur: ut ex ſuperfluo cibo*

Digitized by Google

bo & potu, ſericis veſtibus, & aliis ejusmodi rebus non neceſſariis reſpublica locupletetur. Etenim non ſufficere maleficiis certas eſſe conſtitutas pœnas, ſed curandum eſſe politico, ne homines peccent, ad peccandumve adigantur, ſapienter *in Utopia ſua* monet Mororum ille ſapientiſſimus. Unde vectigalia quis improbet, quæ chartis luſoriis & teſſeris imponuntur? Sic, vectigal, quod chartæ luſoriæ ſolvunt in regno neapolitano, viginti millibus aureorum locari ſcribit autor *theſ. pol. in relat. de regn. neapol.* E ſingulis quoque chartis luſoriis, quæ foris in Hiſpaniam invehuntur, Rex dimidium realem percipit. Præterea maxime pium & fructuoſum erit, ſumptuarias ferre leges, quæ juſtam & temperantem privatorum vitam efficiant. Siquidem, juxta Dionyſ. Halicarnaſſ. *lib. 2. rom. antiquit. civitas tunc floret, quum privatorum res florent.* Cujus generis extant in receſſibus imperii *& quidem auguſt. de anno* 1500. *tit.* 22. *& de anno* 1530. §. 98. *item Caroli V. reform. politic. auguſt. de anno* 1530. *tit.* 8. 9. 17. 23. *& de anno* 1548. *ibid. tit.* 8. 9. *item receſſ. francofurt. de anno* 1577. *tit.* 8. 9. 10. & 15. Cum vero leges ſine moribus nihil proficiant, earum contemptoribus æquæ irrogari debent mulctæ; quæ hac ratione cum vectigalibus Principis ærarium recte adjuvabunt.

LXII. Civitatibus porro utiliſſimum cenſet Bodinus *lib. 6. c. 2. de republica*, portoria earum rerum, quæ evehuntur, augeri, invectarum vero minui, ſi ſcilicet ſubditi iis commode carere nequeunt. Gliſcentium namque vectigalium diſpendio negotiatores deterriti, a mercium illarum exportatione non ſine maximo ſubditorum incremento abſtinebunt. Contra, quo minora invectarum fuerint vectigalia, eo ſubditorum indigentiæ melius conſuletur. Præcipue autem hic advertendum eſt, quod nativa principatus bona, iſtiusque ſoli propria, ingenti quorum deſiderio flagrant peregrini, uberrimam vero propter copiam haud ægre carent ſubditi, vectigalibus quam commodiſſime etiam prægravari poſſunt. At in iis, quæ cum oppido multis ipſi ſunt communia, res ſe habere ſecus videtur ob præſentiſſimum commerciorum abalienationis periculum. Quin potius bonorum illorum communium vectigalia vel omnino tollat, vel prudenter temperet Princeps, quo non ſolum iſtud, ſed cum hoc ſimul aliud commercii genus in principatum ſuum derivetur, omniumque rerum *αὐτάρκεια* ei hac ratione procuretur.

LXIII. Subjicit *ibidem Bodinus;* ſabrilia, lanificia ſericea, ac omnis generis opificia, quæ aliunde advehuntur, maximo vectigali oneranda eſſe, quo ſubditi ipſi eadem fabricare & conficere addiſcant. Imo hac affulgente lucri ſpe exotici opifices ineſcati, in noſtrum principatum facile pertrahentur, quorum certe beneficio urbes dein populoſiores & ditiores evadunt. Nam ſecundum præfationem Boteri *lib. 7. de illuſt. ſtat. c.* 10. & 11. *cui multus eſt populus, is omnibus quoque abundat, quæ humana induſtria & intelligentia complectitur. Subditorum nempe multitudinem magna etiam opum poſſeſſio comitatur.* Cujus rei teſtis eſt Genevenſium civitas, quæ nunquam tantis rerum omnium affluentibus copiis ditata conſpiceretur, niſi tot paſſim Gallia atque Italia ob religionem ejectis hoſpitium & receptaculum præbuiſſet. Teſtes quoque Venetiæ & Florentia ſunt, item Galliæ ciſalpinæ metropolis Mediolanum, quæ ingenioſiſſimorum opificum frequentia omnes exiſtunt admirabiles, ſuoque exemplo comprobant, id quod Plutarchus *in vita Periclis, athenienſis reipublicæ Principis*, affirmat: *Artificem magni pretii eſſe hominem.* Atque hinc Plinius Secundus *lib. 7. epiſt.* 22. inquit: *Cupio patriam noſtram omnibus quidem rebus augeri, maxime tamen civium numero: id enim oppidis firmiſſimum ornamentum.*

LXIV. Addit præterea Bodinus *cit. loc.* etiam hanc cautionem, quod ab informi & rudi materia, quæ extrinſecus advenit, aut amovendum, aut, quoad ejus fieri poterit, minuendum ſit portorium. Subditorum quippe commoda alienis potiora ſunt habenda. Subditi autem ex rudi materia, in opificia conformata, longe ampliorem conſequentur fructum, quam qui materiam obtulerunt venalem: ſiquidem quæ duce arte inveniuntur, majoris plerumque ſolent eſſe pretii & valoris, quam quæ natura peperit. Summe ex adverſo pernicioſum eſt reipublicæ, rudem & ſimplicis naturæ materiem ſuis e regionibus ad exteros evehere, adeoque vectigalium augmentatione in nativo ſuo loco utiliter ea detinetur: ſi inſignes ſimul opifices præſto ſint curentur, qui illam affabre elaborent ac expoliant. Ubi enim materiarum & artificum abundantia, ibi haut minimum lucelli Principis ærario quotannis acquiri poteſt. Idque ex Bodino recte etiam colligitur; qui Blæſas ad conventus gallicos accepta legatione profectus, querelas mercatorum ſe audiſſe refert, crepantium, exportationem lanarum vetitam quidem fuiſſe, nihilominus tamen Italum quendam ab rege prece vel pretio obtinuiſſe, ut lege ſolveretur. Qua quidem ratione cum unus homo vili pretio lanarum vim infinitam in Italiam exportaſſet, ex materia pannos a Florentinorum opificibus confectos in Galliam revehi curavit; inde quantum pecuniarum coëgerit, ex eo percipi poteſt, quod materiam partibus quindecim confectum opus ſuperaret. Unde aſſerere non dubitamus, lanarum, quas oves noſtrates ſuggerunt, extractionem Principatibus noſtris minime ſalutarem exiſtere; longe ſatius magisque proficuum fore, ſi ad exterorum exemplar opificia inſtrueremus præparatoria, quibus ipſi potius exinde pannos texeremus, quam ab adventitiis contextos ad nos reportari, immenſumque aucto pretio nobis venundari pateremur.

LXV. Sed cum tantæ artibus inſint divitiæ, non de nihilo fortean erit, hac occaſione paucula de artibus in rempublicam introducendis ſubnectere. Primum igitur, ſi in principatu artificum deprehenditur penuria, e peregrinis nationibus viros præclaros ſuperius oſtenſa lucri ſpe alliciat, vel promiſſis quibuſdam præmiis ac immunitatibus accerſat Princeps, accerſitos commoda ſede, aliisque neceſſariis promoveat. Hunc ad modum Selimus I. Turca vacuam Conſtantinopolin & incolis & opibus amplificaturus, aliquot mille mechanicarum artium

omnium

omninm peritiſſimos artifices ex duabus illis famoſiſſimis urbibus Belgrado & Cairo accerſivit, Poloni item Henricum Ducem andegavenſem Regem cooptantes, maximo orarunt opere, ut eentum opificum familias in Poloniam ſecum adduceret. Deinde ſolertia ingenia ſuſpiciat Princeps, præclare inventa & excogitata magni æſtimet, ac optimum quemque honorario & certa prærogativa quandoque donet. Tandem Chinenſium inſtituta imitetur, in quorum regno commercia artesque fere omnes omnium optime florere perhibentur: idqne multis de cauſis, quarum tamen hæ apprime ſunt notandæ. More apud ipſos receptum eſt, ut filii artes eaſdem, quas patres, perdiſcant & profiteantur. Hinc quaſi cum lacte materno paternas artes & commercia imbibunt: non eſt, quod parens eos celet aut diſſimulet, quin paternus amor inſtruit, format, nulli neque diligentiæ, neq; labori parcens. *Nullus* enim *affectus vincit paternum. l. fin. in princ.* C. *de Curat. furioſ. & prodig.* Ex quo omnes artes artiumque opera tantam aſſequuntur perfectionem, ut nihil, quod in iis deſideretur, invenire liceat. Probant hoc artefacta, quæ e China in inſulas Philippinas, & hinc Mexicum, tandem vero Seviliam advehuntur, *Boter. lib. 2. de orig. urb. cap.* 8.

LXVI. Porro Ariſtoteles 2. *Polit. cap.* 7. inquit: *Ut Domus ſunt duæ partes, vir & uxor, ita civitatis quoque, quæ domorum eſt multitudo. Debet erga legislator & feminarum pariter ac virorum in legibus ferendis earumque moribus formandis rationem habere. Sin aliter faciat, & ſolos viros inſtituat, dimidia civitatis pars ægrotabit.* Recte igitur Vitejus Chinenſium Rex lege ſancita etiam femellas ad laborum tolerantiam & artium paternarum exercitium, aut ſaltim tam nobiles, quam ignobiles, colo, & acui adſtrinxit. Melius enim eſt. homines laboribus reipublicæ utilibus aſſueſci & exerceri, quam ut otio marceſcant, orbemque circumcurſitent, importunis paſſim precibus ſtipem extorquentes. Unde juxta eundem Boterum *lib. 3. da illuſt. ſtat. & politia c.* 2. in China reſpubl. optime eſt conſtituta, panem oſtiatim quærere licet nemini, omnes ibi pro viribus laborare coguntur. Cœci, ubi deeſt, de quo vivant, molis truſatilibus veſandis addicnntur. Qui affecto corpore ſunt, negotiis, quibus pro corporis affectione defungi poſſunt, deſtinantur. Soli illi prochotrophæi beneficio gaudent, qui ad ſuſtinendos labores plane ſunt inepti. Idque omnino laudabiliter inſtitutum eſt, cum Princeps communis parentis exemplum ſequi debeat, qui benignitatis ſuæ fores clauſas eſſe ſinit nemini, ſed cunctos pro ſua quemque conditione ſuſtentat. Idem itaque Boterus *d. l. 2. de orig. urb. cap.* 11. affirmare non veretur, in toto terrarum orbe regnum (puta partibns ſuis continuum & conjunctum) capacius, populoſius, opulentius, potentius, durabilius, quam ampliſſimum illud & laudatiſſimum Chinenſium regnum, non extare. Nec ſane noſtri Impp. hujus rei imprudentes, ſalutarem *egeſtatis & inertiæ, quæ duæ rerumpublicarum antiquiſſimæ peſtes ſunt* medicinam eonſtitutionibus ſuis præſcripſere. Vid. Bodin. *lib. 6. de republica c. 2. p. m.* 1049. Evolvatur *Imperii receſſ. Auguſtan. de anno* 1500. *tit.* 26. & *reformat. polit. auguſtan. de anno* 1530. *tit.* 34. & *de anno* 1548. *tit.* 26. *item ordinat. polit, francofurt. de anno* 1577. *tit.* 27. Ceterum omnibus hiſce & ſingulis probe obſervatis, certo nobis perſuademus, fore, ut artificum & opificum examina in urbibus certatim convolitent, incredibili publicæ rei incremento. Quam maxime vero ibi ſit & id agat Princeps, ut tractandæ iſtius materiæ, qua regio ſua abundat, exteræque indigent, viros recipat aptos, & ceteris populis iſthoc opificii genere præcellentes. Ad ſummam ergo attica illa ſententia concludimus: *Ut quisque plurimas in republica artes exerceri ſatagit, ita utiliſſimus quoque exiſtimatur.*

LXVII. Redimus nunc ad illa, unde paululum digreſſi ſumus, a peregrinorum & incolarum rebus ad perſonas nos convertentes; circa quas quid obſervari hic expediat, breviter item delineemus. Principis itaque curarum invectigalibus imperandis haud poſtremam judicamus, ut, quotieſcunque res tempuſque ſiverint, ſubditi ſociis mitius, & utriſque peregrini gravius tractentur, ne ſcilicet iſti vanam ſuſpicionis anſam inde arripiant, quod extraneorum ſalutis unice augendæ maximus fautor & adjutor ſit Princeps, ſuorum vero commoda deſpicatui habeat floccique pendat. Unde plerumque diffidentia & diſcordia gignuntur, multorum ſubinde malorum irritamenta. Ex quo Turcarum Imp. e peregrinis portu ſolventibus rerum exportandarum decimas, at a ſubditis viceſimas percipit. De mercibus quoqne Alexandrinis alienigenæ decem, indigenæ vero quinque dependunt. Et in Anglia quadruplo amplius exteri, quam ſubditi, olim ſolverunt. Neque minor ſociorum ratio quædam eſt habenda, præſertim ſi cum ſubditis commerciorum legibus ac æquo fœdere conjuncti ſunt: quæ temere diſturbari probibet religio.

LXVIII. Ad hæc regionis & temporis circumſtantias in vectigalium impoſitione graviter attendi oportere, diximus. Quod regionem attinet, ſpectamus illam, quatenus relatione ad vicinam vel æquali vel pejori gaudeat ſitus oportunitate. Ubicunqne igitur vicina æque ac noſtra navigiis & commerciis idonea fuerit, vel cum iſtius Principe commerciorum pacta erunt incunda, de reſidentia & privilegiis iſthuc transferendis, vel omnia cautius gerenda, ne externæ merces a nobis magis quam vicinis onerentur, ſed potius pro rerum qualitate, & reipublicæ noſtræ commodo exonerentur. Hoc enim pacto obtingere poterit, ut & vicinorum & longius remotorum popnlorum commercia ad nos attrahantur. Quod ſi vero negotiatores noſtram regionem & faciliori & breviori itineris curſu poſſunt pertingere, cautione tali vix erit opus. Deinde vectigalibus imperandis & augendis pacis tempora ſemper oportuniora bellicis exiſtunt. Bello enim viarum & littorum ſecuritas difficillime præſtatur; ex quo commercia plerumque obſtruuntur, & non raro etiam deſtruuntur. Id quod Brugis, Flandriæ emporio olim florentiſſimo, *anno* 1488. contigiſſe refert David Chytræus *lib.* 23. *de Saxonia.* Unde commercia receſſerunt Antwerpiam; quæ licet quam maxime etiam hic inclaruerit, non minus poſtmodum bellis ſublata ſecuritate

portusque oportunitate, priſtinum amiſit ſplendorem, & Amſtelodamum iſthoc beavit. Eandem fortunam experta eſt Novogardia, ampliſſima olim & potentiſſima totius Ruſſiæ urbs, circiter trecentos annos ab Hanſæ teutonicæ mercatoribus freqnentata. Merces item ruſſicæ, cera præcipue in omnia Europæ templa, inde evectæ ſunt; cum viciſſim Ruſſi in Livoniæ urbibus Revaliæ, Derpati & Rigæ libere cum exteris negotiarentur, & templa propria Græci ritus haberent. Bello autem ſeptennali a Iohanne Moſcoviæ Duce, Baſilii patre, Iohannis Tyranni ſuperiore ſeculo teterrimi avo, vexata, & tandem capta, labefactari mercatorum libertas cœpit. Anno demum 1494 prorſus extincta eſt. Hæc etiam ad ærarii ex vectigalibus conſtitutionem ſufficiant.

LXIX. Tranſitum nunc faciamus ad Principis ærarii conſtituti AUCTIONEM, & aucti CONSERVATIONEM: quæ quoad finem & materiam cum conſtitutione prorſus coincidunt. De utriusque igitur forma diſſerere noſtri nunc erit inſtituti. Hæc conſiſtit in eo, ut duce prudentia, in conſilium adhibita æquitate ac honeſtate, & quam maxime fieri poterit absque ſubditorum onere aut moleſtia, ærarii materies in uſum publicum augeſcat, auctaque conſervetur. Dilucidior autem omnis res fieri poterit ex modis formæ iſti applicatis: quorum nonnullos ſaltim, & primum quidem ad ærarium augendum, qui faciant, hic recenſebimus. Nimis enim ſcrupuloſe hos undique conquirere, cum nec numerum fere, nec ſcientiam illi habeant, & e re nata pro cujusque prudenti ingenio facilius excogitentur, temporis noſtri anguſtia excluſi ſuperſedebimus.

LXX. Modos hoſce diſpeſcimus in licitos & illicitos: quorum utrorumque exempla in medium adducere juvat, cum ex contrariis contraria magis eluceſcant. Ad licita ærarii augendi remedia, non tamen niſi in meliorum defectu, primo iterum loco referimus tributa, & quidem extraordinaria ſeu ſuperindicta, quæ, licet non ſine ſubditorum onere, tamen citra ipſorum moleſtiam ut exigantur, omnibus prudentiæ nervis eſt contendendum. Id quod recte fieri putamus, ſi præter ea, quæ ſupra ad tributorum, indictionisque conſtitutionem ſubmonuimus, graviſſimum Ciceronis *lib. 2. offic.* ſuppeditatum conſilium ſequamur, cujus oratio hæc eſt: *Danda eſt opera, ne propter ærarii tenuitatem, aſſiduitatemque bellorum tributum ſit conferendum, idque ne eveniat, multo ante erit providendum. Sin qua neceſſitas hujus muneris alicui reipublicæ obvenerit, danda erit opera, ut omnes intelligant, ſi ſalvi eſſe velint, neceſſitati eſſe parendum.* Etenim *juſtiſſimum eſt, quod neceſſorium, & pia illa tributa ſunt, ſine quibus respublica funditus eſt interitura:* ut olim Livius de bello affirmavit. Hinc Symmach, *lib.* 10. *epiſt.* 27. recte ſentit: *Cum a ſubditis pecunia emulgetur, cauto tunc opus eſt, ne aſperitas negotii effectu irrito ſolas arceſſat offenſas: quæ nulli magis, quam Principi, ſunt vitandæ. Publica vero neceſſitas hoc habere putatur, impoſſibilia ut perſuadeat plerumque.* Ad oculum igitur oſtenſa iſthac ſive pacis, ſive belli neceſſitate legis neſcia, non male forſitan Eduardi IV. Britanniæ olim Regis exemplum imitabitur Princeps, qui cum amicis egit, ut ſponte ad ſumptus belli pecuniam corrogarent, ipſis perſuadens, ex ea re ſingulorum benevolentiam ſe menſurum eſſe: quod tributi genus BENEVOLENTIAM poſtea vocavit. Sic & veteres Germani ſponte ſua ſoliti ſunt conferre, quicquid penſitarunt. Tacit. *de mor. german.* Deinde cum unum & commune periculum, omnibusq; una ſalus fuerit, nemo privilegiatus hic excuſatus abire debet; inque eo ad exemplum receſſus imperii ſpirenſis *de anno* 1542. §. 49. juſte ſe componat Princeps. Haud ſecus tamen ipſius menti firmiter inhæreat D. Waremundi ab Ereberg. præceptum *lib. de ſubſid. regn. c. 8. n. 11. Ea, quæ neceſſitatis & utilitatis cauſa inducuntur, non diutius durant, quam utilitas & neceſſitas durant.* Poſtremo beneficiorum, a ſubditis hac in parte perceptorum, memoria in Principe non debet ſeneſcere, quo temporibus inſequentibus ad publica ſufferenda onera eo prolixiores & promptiores evadant. *Grtaus enim, etſi a ſervo ſuo beneficium accepit, non tamen a quo, ſed quid acceperit, æſtimat*, ut auctor eſt Seneca. Abunde vero gratiam ſibi relatam putabunt ſubditi, ſi quod ſupra diximus, non illorum tantum animis, verum oculis etiam ſervire Princeps didicerit.

LXXI. Secundo licitum emolumentum Principis ærario per ſocios & fœderatos accreſcere poteſt: quod vel a ſociorum potentiorum liberalitate ac benevolentia, vel a confœderatorum pactis urgente neceſſitate mutui auxilii cauſa initis dependet. Hujus rei exemplum præbent Status & Circuli Imperii, qui ex convento in Comitiis vel Circulorum congreſſibus pacto ad expeditionem turcicam contribuunt, uti expreſſe cautum eſt in capitul. Ferd. III. *artic.* 14. Ita domus auſtriaca & ſaxonica mutuo pacto ad ſubſidia gerenda bello & hoſte imminente obligantur, atteſtante Bornitio, 3. *de ærario cap. ult.* Quin fœdus Regum nonnullorum cum Helvetiis de mittendis auxiliaribus copiis ad regnorum ſuorum tutelam, prætoriisque cohortibus ad corporis obſequium & cuſtodiam ictum, Helvetiorum opibus augendis utiliſſimum eſt. Præter ordinarias enim penſiones, extraordinarias illorum magiſtratibus, ducibus, & privatis tantas largiuntur Reges, ut hæ dicantur iſtas longe ſuperare. Nec hiſtoriæ ſacræ monumentis hanc ad rem deſtituimur. Aſſyriæ namque Regi Puli, Judeam invadenti, mille argenti talenta obtulit Menachem, ut ſibi regnum hujus ope ſtabiliret, ſicuti 2. *Reg.* 15. *v.* 19. eſt conſignatum. Plurimum item augmenti conferent pacta gentilitia de confraternitate & reciproca in provincias ditionesque ſucceſſione, quibus præſertim in Germania, Gallia & Italia firmum eſſe robur, contra juris civilis prohibitionem *l. 6. 15. & fin. C. de pactis* contentam, late & recte firmat Andr. Gail. *lib. 2. obſ.* 127. His ſiquidem pactis non ſolum illuſtres proſapiæ, ſed etiam pax & tranquillitas in imperiis conſervatur, dum, quia ſucceſſor in incerto non eſt, pravæ aliorum ſpes cohibentur. Adhæc, quod ad ſociorum liberalitatem pertinet, Principi inopia laboranti probro dari non debet, ſi a potentioribus quid dono auferat. Homo quippe non ſibi ſoli, ſed hominibus natus eſt, adeoque qui plus habet, minus

habenti & alienæ opis indigo naturaliter tenetur ſubvenire, atque hic ab illo non minus recte accipit. Unde ſi quos ſocios habuerit Princeps, quorum adjumento & præſidio ſatis feliciter vixerit, iſtorum ſceptra, imperia, provincias, opes, citra tamen verum tertii præjudicium, teſtamento ſibi relicta haud indecore aſſumet, quo ſe ſuosque fortunæ benigniori ſubmittat, ſibique potentiam hoſtibus externis tremendam adſtruat. Sic Ptolomæus Cyrenenſium, Attalus Aſiæ, Eumenes Pergami, Nicomedes Bithyniæ Reges populum romanum ſplendidis & amplis regnorum ſuorum legatis ita refocillarunt & corroborarunt, ut non tantum in principibus eſſe, ſed altius etiam evolare pertentarint.

LXXII. Tertium genus licite augendarum ærarii opum, conſtituent nobis Italorum montes pietatis, uti vocant, quibus tenuium egeſtas & inopia quam maxime ſublevatur. Exemplo potiſſimum queunt eſſe Lucenſium, Senenſium & Florentinorum civitatum inſtituta bina utiliſſima: quorum alterum, ut, cui civium filia naſcitur, in ærarium pecuniam dotalem, quamcunque voluerit, eodem inferat momento, nec repetere antea poſſit, quam puella XVIII. ætatis annum egreſſa, in matrimonium cui locetur: quod ſi contingerit non ſimplam, ſed decuplam pecuniæ ſummam puellæ dotis nomine ab ærarii quæſtoribus recipit maritus; ſin vero diem ſuum prius obeat puella, quam viro matura pleniſque nubilis annis exiſtat, qualis poſt excurſum XVIII. annum inibi cenſetur, pecunia illata cum uſufructu cedit ærario, altera niſi agnata ſit patri, quæ prioris jure fruiſcatur. Utilitas vero iſtius inſtituti ſubditorum ratione conſiſtit in eo, quod a parentibus filiabus impuberibus apud magiſtratum theſaurus quaſi repoſitus ſit, ut ſi lapſis facultatibus boniſque cedentes dotem conſtituere nequeant, puellaſque nubere velint, a quæſtoribus depoſitum una cum uſuris repetendo, viros ipſis facilius inveniant parentes. *Mulier ſiquidem dotem adfere, ut maritus matrimonii onera commodius ſuſtineat*, prout Ulp. reſpondit *l. 20. §. 2. ff. fam. hercisc.* Nec forſitan male huic Italorum invento quædam addi poterit correctio, ut ſcilicet ſimul caveatur, ne ſi filiæ nuptum dentur peregrinis, amplam hanc cum uxoribus captatam prædam in ſuas reportaturis reſpublicas, horum conditio ſubditorum ſit conſimilis: quandoquidem nummis hoc pacto in terras, alio ſole calentes, evectis ærarium potius debilitatur, inter ſubditos vero diſtributis non item. Ubi igitur ſubditis decuplam dotem auferre licuerit, extraneos quintuplam tantum accipere non iniquum & ſalutare arbitramur. Teſte enim Botero, pecuniæ in ditione aliqua retentæ per cenſus, tributa, & vectigalia, ad fiſcum vel ærarium redire ſolent: quod lucrum una cum nummis alias amittitur.

LXXIII. Alterum Italorum ærarii augendi inſtitutum hoc eſt: Pecunia iſta dotalis, vel etiam alicunde collecta, ne otioſa ſit, tenuibus detur mutua, hac lege, ut triennibus uſuris, id eſt, quinque pro centum, quæ non minus in *ord. pol. francof. de an.* 1577. æquiſſimæ judicantur, & pignoribus ærario caveant, ſe creditam pecuniam ſtata die reddituros; qua ſi ſolvendo non fuerint, pignus publice divendatur, quod perſoluto debito reliquum eſt, debitori reſtituatur. Hinc optime cavetur, ne, quibus res anguſta domi, juſto gravioribus uſuris a peſtilenti fœneratorum grege lacerentur, aut ſuppellectilis diſtractionem alieniſſimo tempore ac loco indigne patiantur. Laudabilius ſe geſſit Antoninus Pius Imp. auctore Jul. Capitolin. *in vita ejus cap. 2. tom. 1. hiſtor. auguſt.* qui, ut natura clementiſſimus, nihil temporibus ſuis aſperum fecit, ita & privatorum conſuluit inopiæ & civitatis cavit ærario, cum pecuniæ publicæ maximam partem ſine trientibus uſuris committeret uſui eorum, qui prædibus ac prædiis ſatisdarent reipublicæ, ſe ipſi poſcenti cum uſuris ſortem recte renumeraturos. Cujus exemplo Alexander Severus ærarium dirutum in integrum reſtituit, atque uſuras fœneratorum ad trientes penſiones contraxit. Æl. Lamprid. *in eodem c. 26. tom. 1. hiſt. aug.*

LXXIV. Quartam ærarii accumulandi rationem conficere poteſt mutuum vel a ſociis, vel a ſubditis ſine uſuris acceptum, idque cumprimis neceſſitatis tempore. Ita Henricus II. Galliæ Rex, exercitum ſuum a cæſarianis fuſum redintegraturus, convocatis tribus regni ſui provincialibus, per Cardinalem Lotharingiæ edixit, ut quiſque e ſua provincia mille viros ſeligeret, quorum ſinguli mille coronatos abſque uſura regi crederent; id quod facile ab illis obtinuit. Atque hoc modo ter millies auri coegit, belloque reſtaurato res præclaras non ſine magna ſui laude confecit. Boter. *lib. 7. de Polit. illuſt. cap. 5.* Deinde etiam a ſubditis expeti poteſt mutuum ſub moderatis uſuris, & gravioribus idem externis Principibus & mercatoribus non ſubditis præſtita pignorum vel prædiorum cautione utiliter fœnerari. Omnino autem *fundamentum perpetuæ commendationis & famæ juſtitiam* fidemque penſi habeat Princeps, ac pecuniam vel ſine vel cum uſuris mutuatam præſtituto tempore reddat. *Fraudandi enim ſpe ſublata, ſolvendi neceſſitas conſecuta eſt*, inquit Cic. *2. off.* Porro etiam vel a ſociis vel a ſubditis commode poteſt magnam argenti vim mutuari Princeps, ſi vel ipſorum defectiones, vel conjurationes proſpicit. Extremis namque periculis extrema quæruntur remedia, ſeu ut Tacit. 11. *annal. cap. 26. v. 1. imminentium periculorum remedium, ipſa pericula cenſentur.* Ita primum hoc conſilio Carolus V. Imp. adverſus Genuenſes uſus eſt. Cum enim ille, Andrea Auria intercedente, arcem urbi imponere, hoc eſt, jugum civibus non poſſet; (*Carol. Sigon. 2. de vita Andr. Aur.*) Genuenſium pecuniam, qua fere illorum opes conſtant, mutuo ſumpſit, eamque gravi fœnore pavit: ſicque hominum quæſtus dulcedine illectorum opes ſenſim ad ſe contraxit; & urbem in ære ſuo, hoc eſt civium ſtudia in poteſtate habuit. *Thuan. lib. 61.* Ubi tamen notari meretur, conſilium iſtud prorſus fore irritum, inque contrarium verti poſſe, ſi prædibus vel prædiis creditoribus ſatisdatum fuerit. In quo hodie ab Hiſpaniarum rege graviter peccatur. Etenim dum pignori velut nexam habet Genuenſium fidem, eorumque tenet animos,

pignori regnorum ſuorum reditus ipſis mancipat, tribus aut quatuor annis ante quam ipſe eos percepit. Ad hæc nulla hodie, nec politica, nec œconomica ratio Hiſpanum præcipit, ut Genuenſibus ſtipulantibus tam enormes uſuras promittat.

LXXV. Quinto permultum acceſſionis ad Principis veniet ærarium per mercaturam, præcipue ſi regio natura commerciis exercendis fuerit idonea, aquis navigalibus ſic ſatis bene inſtructa, & quam plurima habuerit exportanda. Quæſtio autem, an Principes & magnates dedecoret, eorumque ſplendori tenebras offundat mercatura, politicorum concentum nonnihil dividit. Affirmantium partes qui ſuſtinent, ſordidam artem eſſe eam adſtruunt, & plebejorum fæce unice condignam: ea enim propter, Cæſares nobilioribus viris & virtute ac dignitate conſpicuis interdixiſſe, ne ſe commerciis negotiationum immiſcerent; *l. 3. C. de commerc. & mercat.* Præterea adducunt teſtem Imp. Theodoſium, uxorem ſuam his verbis objurgantem: *Cum me Deus Imperatorem deſignarit, mercatorem facere contendis. Scito autem, mercaturam privatis hominibus eſſe conceſſam, ut ea, toleranda vitæ modos habeant. Quod ſi nos, præter Imperii opes, etiam mercaturæ emolumenta interceperimus, undenam ſubditi victum comparabunt?* Zonar. *tom. 3.* Aſt negantium caſtra ſequitur Boterus *de polit. illuſt. lib. 8. cap. 14.* ubi multis clarum certumque reddit exemplis, Principes complures maximis & olim & hodienum commerciis eſſe implicitos, cum incredibili ſubditorum & ſua ſalute. Calculum ſuum adjiciunt. Hyppol. de Coll. *in princip. palatin. c. 34.* Bodin. *de republica lib. 6. c. 2.* Tholoſan. *de republ. lib. 3. c. 6. & l. 4. c. 7.*

LXXVI. Triplicem vero Ariſtoteles 1. *polit. c. 7.* mercaturam facit; una *dicitur nautica*, quæ navibus merces importandas & exportandas curat; altera *oneraria*, quæ plauſtris & jumentis id præſtat; tertia *ſtataria vel cauponia*, quæ nihil invehit, nec evehit, ſed domi merces ſuas in foro venales exponit. Priores duas ſpecies Principi cuivis decoras, imo neceſſarias pacisque tempore perutiles reputamus, & quidem adeo, ut a reipublicæ corpore abeſſe haud poſſint. Noſtris a partibus ſtat Cicero 1. *off.* *Mercatura ſi tenuis*, ait, *ſordida putanda eſt; ad quam ſpectant, qui mercantur a mercatoribus, quod ſtatim vendant: nihil enim proficiunt, niſi admodum mentiantur. Sin vero magna & copioſa, multa undique apportans, multisque ſine vanitate impertiens, non eſt admodum vituperanda.* Sententiæ item noſtræ favet Tholoſanus *d. l. 4. c. 7.* *Mercatores*, aſſerens, *in reipublicæ corpore eſſe veluti miniſtros, bajulos, pedes, qui transferunt reliquis neceſſaria.* Negotiatione enim ſuppletur id, quod naturæ deeſt, quo commode omnibus ſufficiat. Vide mare *lib. ſ. diſſertat. de jur. quod Batav. compet. ad commerc. c. 8.* Cumprimis autem pacis tempeſtate utilitatem adferet ingentem: quandoquidem, bellorum dum diſpendia odio habet, pacis deſiderium ingenerat, cujus beneficio floret vigetque. Cauſa, cur Imperatorum conſtitutionibus nobilitas a mercimoniis quondam excluderetur, hæc erat; quia potentiam nobiliorum obſtituram commerciorum libertati eſſe præſumebant: id quod urbibus valde foret perniciosum. *Noſtris autem perſuaſum eſt*, inquit Forſtner. *ad Tac. annal. 3. vile atque nobili generoſitate indignum iſtud eſſe exercitium. Quæ opinio, non tam quod omnino vera ſit, quam quod ea Principum arte primum ſeminata, nunc etiam alatur, invaluit. Cum enim illi magnitudinem ſuam atque ſecuritatem in armis conſiſtere ſciant; nec ignorent, nobilitatem, ſemel deguſtata lucri ex mercimoniis provenientis dulcedine, abjectis armis negotia mercalia ſectaturam: neceſſarium fuit, eam illis ſententiam paradoxo proximam infundere, quæ acquirere ſibi emendo, vendendoque vile & abjectum, aliis latrocinari glorioſum eſſe crederent.* Denique Imp. Theodoſii ſermo, de illo ſolum mercimonii genere intelligendus eſt, quod ſubditis obeſt; quale etiam nobis merito improbatur. Sed hæc mercatorum vitia, nullum mercaturæ laudibus afferre poſſunt præjudicium.

LXXVII. Quare cum Principes mercimonia exercent hoc conſilio, ne tam frequentibus tributis onerare cogantur ſubditos, ſed ut ſuſtentent iis familiam, pauperes, rempublicam, moderatum quoque pro periculis accipiunt lucrum, ſine mendacio & perjurio, ſine impoſtura & injuria; tantum abeſt, ut mercatura tum ignominiæ maculam inurat, ut potius ſumme ipſis honorifica ſit & glorioſa. Seorſim vero ſequentes cautiones ſibi etiam atque etiam commendatas habeant Principes: (1.) Ne inde commercii emendique & vendendi commoditas difficilior reddatur, ſed potius ſubditi a mercatorum impoſturis liberentur. (2.) Nonniſi ei mercaturæ ſe immiſcere debet Princeps, quæ peregrinis potius mercatoribus, quam incolis emolumentum adfert. Haut quippe iniquum eſſe videtur, ſi potius publicæ Principis res, quam exteri ejusmodi percipiant utilitatem. (3.) Totum reipublicæ corpus eam honeſtiſſime exercet mercaturam, quam ſingula membra non poſſunt. Bornit. *lib. 2. c. 1. & 2. de ærar.* Sic de Salomone dicitur 1. *Reg.* 10. *v.* 22. & 2. *Paralip.* 8. *v.* 18. quod cum Rege Hiram maritimæ mercaturæ operam dederit; cujus nempe ſumptus ſubditi tolerare non potuiſſent. Quæ ratio etiam Xenophonti *tract. de redit.* placet; ubi ſuadet, ut reſpublica undique ſumptibus collatis, mercaturam navigationesque inſtituat longinquas. At conſultius eſſe putat Fauſt. ab Aſchaffenburg. *claſſ. 5. ord. 495. conſil. pro ærar.* ſi ad juvandam patriam neceſſariis rebus externis, Principes pecunias contribuant induſtriis mercatoribus: ut ita ſuam cum publica augeant utilitatem: quemadmodum inter Venetos, Luſitanos, & Genuenſes factitatum ſcribit Tholoſanus *de republ. lib. 3. c. 6.* Mercatura enim totum exigit hominem, & plerumque Principes ab inſtitoribus decipiuntur. (4.) Annonas & ſimiles neceſſarias res, quæ a peregrinis exportantur, ſi æſtimentur vilius, coëmere Princeps poteſt; ut ab ipſo poſtea tolerabili iterum pretio ſubditis, cum iis indigent, revenire queant. Hac honeſtiſſima negotiationis ſpecie cum laudabili providentia conjuncta, olim Joſephus Pharaonis fiſcum mire ditavit, omnemque ei terram ſubjecit.

LXXVIII.

LXXVIII. Sexto, cum natura aquas navigabiles nou ſuppeditat, maximus ad Principis ærarium accedet cumulus, ſi humana induſtria eas arte poterit adaptare. Idque fieri debet, vel canales & tractus ad minora navigia effodiendo, uti in Hollandia videre eſt; vel flumina minus apta reddendo navigabilia, ſicuti Brentæ exemplo prope Patavium aliisque conſtat, cujus aqua coarctatur interſtitiis & receptaculis quibusdam, vulgo *Schleuſſen*; vel hinc inde derivando, hoc eſt, aliorſum ab alveo priſtino dimota, flumiuibus vicinis, aut etiam paululum remotis uniendo: quale quid L. Veterem cogitaſſe, refert Tacitus 13. *annal. c. 53. Vetus*, inquit, *ne pace ſegnem attineret militem, Moſellam atque Ararim, facta inter utrumque foſſa, connectere parabat, ut copiæ per mare, dein Rhodano & Arare ſubvecta, per eam foſſam, mox fluvio Moſella in Rhenum, ex in Oceanum decurrerent; ſublatisque itinerum difficultatibus, navigobilia inter ſe occidentis ſeptentrionisque littora fierent. Invidit autem operi Ælius Gracilis, Belgicæ Legatus, Veteremque ab iſtius perfectione deterruit, formidoloſum id Imperatori dictitans; quæ plerumq; conatus honeſti prohibentur.* Hujusmodi inſuper operum quid in propria provincia hodieqne ſtruitur a ſereniſſimo & potentiſſimo Electore Brandeburgico, dum Oderæ partem diducere in Spream, & exinde in Havelam præſidiario transferre milite intendit, quo uterque fluvius majoribus navigiis evadat aptior. Qui labor improbus niſi incaſſum abit, Elector certe & commerciis & vectigalibus ærario ſuo non leve acquiret incrementum. Sed hic vel maxime attendenda Muciani acris & apta oratio, apud Tacitum *lib. 2. hiſtor. Omnes, qui magnarum rerum conſilia ſuſcipiunt, æſtimare debent: an quod inchoatur, reipublicæ utile, ipſis glorioſum, aut promptum effectu, aut certe non arduum ſit. Nam qui tentat per artem, quod eſt a natura negatum, is pecunia illudet; quod non tantum ridiculum, verum etiam publico cum damno conjunctum.* Idem etiam *lib. 1. annal. c. 79. Optime rebus mortalium conſuluiſſe naturam*, dicit, *quæ ſua ora fluminibus, ſuos curſus, utque originem, ita fines dederit.* Quem locum Forſtnerus ſic illuſtravit; *Fluviorum derivationes vix unquam bene ſucceſſiſſe, perpetua obſervatione notatum eſt: nec enim ſibi vim inferri natura patitur.* Præterea, qui irritorum ejusmodi conatuum exempla ſciſcitari non refugerit, adeat ſaltim Guicciardini *l. 6. & 15. hiſt.* & Richteri *axiomat. polit. c. 306.*

LXXIX. Septimo uberrimam pecuniæ meſſem ex publicorum prædiorum venditione metere licet Principi. Exemplo ſuo id comprobat Hiſpaniæ Rex, qui, dum publica regni neapolitani prædia pecunioſis Italiæ Nobilibus, cumprimis vero Genuenſibus venundat, fructum hoc ipſo carpit triplicem: (1) maximam inde pecuniæ cogit vim: (2) opulentos accipit ſubditos, quorum abundantia indigentiæ ſuæ poterit mederi. (3) Genuenſes eo arctiori vinculo ſibi tenet obſtrictos. Cavendum autem hic omniuo erit: ne, quæ publica ſunt, absque urgente cauſa & cum omni reipublicæ uſufructu, abalienentur. Res enim publica *in leg. 3. C. de jur. reip*, recte aſſimilatur pupillæ, cujus in rerum diſtractione favor maximus eſt. Primum ergo accurate exploret Princeps, an ex ærario citra iſtam alienationem neceſſitati poſſit ſuccurri. Ubi conſulte aget, ſi theſaurarios ſuos & quæſtores publicos rationes edere jubeat, reique publicæ bona & proventus annuos ordinarios ab adminiſtratoribus cum eorundem ſynopſi repoſcat. Deinde, ſi collata cum reditibus neceſſitate, requiratur diſtractio, expendat Princeps, num ſatius ſit obligare, quam vendere. Quod ſi enim pecuniæ ſub obligatione a ſubditis vel etiam peregrinis, citra tamen uſuras, aut nou magnas, inveniri poſſunt mutuo, pignoratarum rerum proventus debiti ſortem intra ſibi extenuare valent. Tertio, ſi commode obligari uequeant prædia, & eorum venditio neceſſe ſit, deliberet Princeps, quænam reipublicæ minus ſint proficua. Sic infructifera, deſerta & inculta, citra retrovenditionem, cum onerum immunitate ad tempus conceſſa, frugaliter divenduntur: quod Byzantios recte obſervaſſe, tradit Ariſtot. 2. *Oeconomicor.* Quarto ſi magis utilia & fructifera promercalia facienda eſſe contingant, ſine immunitate aliqua, uec in majori quantitate, quam respublica opus habeat, uec in perpetuum diſtrahantur. Quinto Principatus noviter quæſiti potius quam veteris prædia vendantur, quo ſimul emptorum benevolentiam mercatus Princeps, imperium ſibi conjunctius reddat & ſtabilius. Sexto nobilibus & exteris, præcipue qui de republica nihil promeriti ſuut, absque tributorum & vectigalium ouere veteris Principatus prædia non tradantur. His cautionibus probe obſervatis, publicorum prædiorum venditionem inſtitui demum oportere uobis perſuademus.

LXXX. Octavo ingens ærario additamentum confieri poteſt ex publicorum prædiorum elocatione: in qua cum reipublicæ minus ſit perculi, quam in eorum venditione, minori etiam cautione opus erit. Hoc ſaltim Principi tenendum eſt, quod ex prædiorum qualitate mercedis quantitas definienda ſit, ne conductor defraudetur, & ejus famam digne queat ſugillare. Contra conductori incumbet prædiis uti, non vero abuti, hoc eſt, non debet ea defrugare. Adhæc non iniquum videtur, ſi cum tali onere ſubditis utenda fruenda concedantur, ut, ſi absque liberis conductor ex hac vita migret, pro anno, quo ex humanis rebus decedit, duplicem cenſum & reditum ſolvant ipſius heredes, hac tamen lege, ut, deductis omnibus debitis & neceſſariis expenſis, nihilominus ex hereditate ipſius ſuperſit, quod in lucro habeant deputare. Cum enim bonorum publicorum adminiſtratio ad quemlibet Principem, tanquam ad reipublicæ moderatorem ac diſpenſatorem ſpectet, multo tutius publicis bonis onera poteſt imponere, quam rebus privatorum: ſiquidem in his, quæ publici juris, vel reipublicæ ſunt, ſuo quodammodo jure Princeps uti videtur, non ſecus ac privati ſuis bonis; maxime vero quando publicis bonis pro communi reipublicæ cauſa utitur. Tholoſan. *lib. 3. de republica c. 4.* Ex quo Cicero *in orat. contra Rull. Agrum publicum fundum pulcherrimum populi romani, & fundamentum vectigalium* apellat. Hinc Amurathes I. agros & prædia culta, cum colonis & cenſitis ea lege utenda fruenda Timariotis de-

dit; ut ingruente bello, cum equorum certo numero armati adeſſent, ac ut fructuarii ſeu Timariotæ occaſu fructus in ærarium cogerentur, quo Principis beneficio alius ſuccederet.

LXXXI. Nono ſumma ex ſcholarum tum claſſicarum, tum regiarum fundationibus ad univerſos & ſingulos promanat utilitas. Præterquam enim, quod ſint officinæ & ſeminaria rerumpublicarum & eccleſiarum, non homines ſolum privati, ſed ipſummet etiam reipublicæ corpus & ærarium ex ipſis poſſunt diteſcere: propterea quod vectigalia & publici reditus omnes hoc modo adaugentur. Vere namque D. Hippolyt. de Coll. *libell. de increm. urb. c.* 11. *Ut magnetis montes, etſi plerisque incogniti ſint, chalybis aciem magnete fricatam ad ſuas vertunt partes: ſic academiæ & ſcholæ, ob docentium eruditionem, ex quacunque orbis parte, quamplurimos ad ſe ex præcipuis, quamvis terrarum ſpatio longe lateque diſſitos, pertrahunt.* Omni autem cura & diligentia provideat, nullisque ſumptibus parcat Princeps, quo viris fama & virtute celebribus hæc juventutis Lycæa affatim ſint referta. His quippe aucupibus ſtudioſa cohors ſcientiarum optimarum cupida unice ineſcatur. Hoc fundamento limpidiſſimi iſti ſapientiæ fontes maxime conſiſtunt.

LXXXII. Decimo per media naturalia, de quibus Ariſtoteles 1. *polit. c.* 5. agit, immenſi ad ærarium pervenire queunt fructus. Hæc vero pleraque Varro ſub agriculturæ nomine comprehendit, ut adeo non tantum per eam denotet culturam agrorum, ſed etiam hortorum, nemorum, vinearum, boum, ovium, equorum, apum aliarumque rerum, quæ ex terra producuntur. De hac agricultura 1. *off.* teſtatur Tullius*; omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil ea melius eſſe, nil uberius, nil dulcius, nil libero homine dignius.* Severis itaque & frequentibus mandatis ad agriculturæ hujus diligens ſtudium ſubditos adhortentur Principes; cumprimis autem, ut partim agri ad communem hominum uſum meliores reddantur, partim etiam, ne otio torpeſcant. Plurimum inſuper ruricolas, & hoc ipſo non minus ærarium ſuum juvabunt, ſi viliſſimo pretio coemptam aut ex moderatis ſubditorum illationibus comportatam annonam indigentibus dent mutuo, quæ proximo meſſis tempore cum aliquo ſœnore, mitiori tamen, quam ſi a curculionibus accipiant reſtituatur. Binos vero annonæ hujus præfectos conſtitui, non abs re fore putamus: ita quidem, ut rationibus iisdem ducendis alter, qui vocari poteſt *Gegenſchreiber*, alterum, quem appellamus *Proviantverwaltern*, obſervet, ne quis eorum fraudes nectat, miſerisque ruſticis vel ipſi Principi imponat. Plura de annonæ cura & remediis vide apud Forſtn. *com. ad Tac. an.* 12. *c.* 43. Ad ſummam ergo princeps omnes territorii ſui partes bene expiſcetur & exploret, exploratas eo deducat, ut terra largiatur & effundat ea, quæ tam in ſuperficie comprehendit, quam quæ intra viſcera ſua tenet abſcondita: qualia ſunt theſauri, metalla, & mineralia. Nam *ſicut cœlum Diis, ita terras generi mortalium datas*, ait Tacit. 13. *annal. cap.* 55.

LXXXIII. Undecimo, ut non ſolum pacis, ſed etiam belli tempori conſulamus, hoſtem ſubtili ingenio circumvenire, eoque Principis ærario prodeſſe licet: id quod Gratian. Valentinian. & Theodoſius Cæſares *in l. 2. C. de commerc. & mercat.* non obſcure innuerunt. Sic Heraclienſes ad belli apparatum pecunia egentes, omnia, quæ in foro venibant, oleum, vinum, frumentum emerunt, poſito ad pretium numerandum temporis interſtitio. Deinceps ipſas res emptas, ante præfiniti temporis decurſum onerariis navibus impoſitas, hoſtibus divendendas miſſicularunt. Hoc pacto pecuniam ante belli exordium acceperunt ab iis, adverſus quos his adminiculis poſtea ſunt adjuti. Subtilius ſtratagema refertur ab Haytone Armeno *in hiſtoria de Chingis Chane.* Is enim, ſi quando civitatem invadere decreviſſet, antequam detegeret conſilium, ad aurum, argentum, & res civitatis captandas ſubiiciebat mercatores, quos pretioſis pellibus aliisque rebus inſtructos, in illam amandabat, vili pretio ea venalia offerre jubens, quo facilius cives compararent: haut multo poſt mercatoribus cum pretio reverſis, civitates oppugnabat, ſuasque pelles repetebat, compertum habens, nummos in obſidione infodi & celari poſſe, pelles vero non item. Hac igitur verſutia pecuniam latro extorquebat: quod tamen factum in theſi, non in hypotheſi approbamus. Tantum etiam de modis ærarii Principis augendi licitis.

LXXXIV. Illiciti, vel æquitatis vel honeſtatis cancellos tranſgrediuntur. Ad illorum claſſem referimus (1) impia & iniqua tributa. quibus potentiores ſubjectam plebem medullitus exſugunt & abſorbent. Nulla enim tributa legitima ſunt, niſi quanta neceſſitas erogationum requirit: nulla erogatio juſta, niſi quam quæſtuum, redituum, tributorumque modus permittit. (2) Principum penſiones, quæ proditionis cauſa capiuntur. Sic in Comit. Imp. Wormat. *anno* 1552. Princeps, neſcio quis, palam queſtus eſt de alterius Principis perfidia, qui aureos bis mille penſionis annuæ pactus, omnia imperii ac patriæ ſuæ arcana delaturum ſe, ac modis omnibus pro largitoris dignitate & imperio adverſus patriam propugnaturum ſpopondit. (3) Flagitioſa commenta, quibus ſanctiſſimum nomen imponitur, pietatis ſpecie quæſita: quale de Hieronymo Laſco Polono recenſet Bodin. *de republica lib.* 6. *cap.* 2. (4) mutuum hoc fine ab aliis acceptum, ut qui mutuo dederunt, contra firmatam fidem temere de ſorte veniant in dubium. (5) Mutuum aliis datum, ut immenſum recipiatur ſœnus. *Ars* etenim *fœneratoria* juxta Ariſtot. 1. *polit. c.* 7. & Cic. 1. *off. juſte in odia hominum incurrit, quia nummo utitur tanquam merce & ex eo, quod natura non fructificat, fructum capit. At communitationis cauſa factus eſt nummus: maxime igitur præter naturam eſt, nummum fieri mercem.* Hinc Cato in 1. *de re ruſtica: Majores noſtri ſic habuere, & ita in legibus poſuere, furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli. Quanto pejorem exiſtimarint fœneratorem, quam furem, hinc licet æſtimare.* (6) Monopolia, quæ ſubditis gravia ſunt: cujus generis illud eſt, quod teſte *Comin.* 2. *de bell. neapol.* Alphonſus Neapolit. Rex inſtituit, dum olei & frumenti, quidquid in Apulia creviſſet, viliſſimo pretio emebat, ut ſumma annonæ egeſtate ac inopia

arbi-

arbitrio ſuo addiceret, non permittens dominis ſuum vendere triticum & oleum, donec ipſe diſtraxiſſet. Fere ſimilis ratio eſt, ſi Princeps ſubditis mandet, ne ab aliis, quam a ſe, cereviſiam emant, & ne alibi molant, aut panem coquant, quam in ſuo molendino aut furno: vel ſimile quid jubeat, quod voluntati & juſto arbitrio merito relictum eſſe debet. (7) Fluminis diſtorſio ex nativo ſuo alveo cum ingenti alterius detrimento (8) bonorum & jurium;, tuendæ atque conſervandæ reipublicæ deſtinatorum, alienatio. Item ruſticæ gentis & civitatum paſcua, ex quibus miſeri victum quæritant, ſub haſta perniciosiſſimo exemplo veneunt. Ab honeſtate abit honorum ac dignitatum nundinatio: de qua Plato *l. 8. de LL.* docet: argumentum reipublicæ male conſtitutæ eſſe, ubi magiſtratus ſint venales: efficit enim, ut cives pecuniam primum, & virtutem poſt nummos quærant. Pluribus ærarii augendi modis, turpitudinem redolentibus, qui delectantur, conveniant Latherum, *lib. 1. c. 5. de Cenſu.*

LXXXV. Tandem ad ærarii Principis conſervandi remedia noſter dirigitur calamus. Ridicula enim congerendi ſollicitudo eſt, inque reipublicæ & ſingulorum civium haut exiguum vergere quit detrimentum, niſi bene importata bene itidem conſerventur: hocque nihil eſſe aliud, quam perforatum in dolium aquam infundere, ſapienter judicat Xenophon *in Oecenom. ſ. lib. 5. memorabil.* Ad duo igitur potiſſimum mentis ſuæ oculos intendat Princeps, ſubditorum onera & ſugillationes detrectans: quorum alterum, ut quæ ad reipublicæ patrimonium præſertim antiquum pertinent, ipſique per ſe utiliſſima ſunt, temere ne alienentur, alienata autem legitimis quam primum modis revocentur. Iſthac quippe via principatus mire deformantur & infirmantur, ut judice Symmacho, *lib. 10. ep. 50. juſtus inde metus ſit, ne ceſſantibus ſubſidiis neceſſaria deſerantur.* Quocirca optimo jure hujuſmodi abalienationem, abſque urgentiſſima cauſa initam, *ad dominationis flagitia* refert Clapmar. *lib. 5. c. 12. de arcan. rerumpublicarum, resque imperii non magis, quam privatorum patrimonia, exaniri aut eviſcerari oportere*, ibidem affirmat. Bona namque reipublicæ, uti ſupra diximus, Principi data ſunt quaſi dotis loco pro oneribus imperii ferendis. Exemplo proinde rerum dotalium, ceu reipublicæ ſponſus aut maritus, bona ejus diſtrahere prohibetur, vel populo aſſenſum præbente, niſi ſufficientiſſime ipſi cautum fuerit. Marito enim dotalia immobilia & non æſtimata, uxore etiam vice duplice & amplius conſentiente, irrevocabiliter alienare de jure civili non licet, niſi ex mariti rebus aliis uxori lucrum ſub cautela poſitum ſit; idque, *ne muliebris ſexus fragilitas in perniciem ſubſtantiæ earum convertatur, recte eſt ſancitum in princ. l. quib. alien. lic. vel non. junct. l. 4. ff. de fund. dot. & nov.* 16. Et quamvis, matrimonio conſtante, dotis dominium civile dicatur penes maritum eſſe, juxta *l. 7. §. 3. ff. de jur. dot. l. 9. C. de R. V.* ipſius tamen naturale, propter ſpem futuræ, poſt matrimonium vel divortio, vel morte maritali interruptum, repetitionis, eſt in uxore radicatum per *l. 30. C. de jur. dot. & l. 11. C. ſolut. matrim.* Eodem prorſus modo dotales reipublicæ res in naturali ejuſdem permanere debent dominio, & poſt Principis abitum vel obitum a ſucceſſore ad remp. juſte rurſus devolvi. Hinc in Imperio noſtro illuſtres nonnullæ domus per familiæ pacta malo iſti recte ſunt medicatæ. Feuda quoque aperta in reipublicæ ſalutem retineantur, nec facile quiſquam illis noviter inveſtiatur; ceu Imperii noſtri capitulationibus ſalutariter eſt proviſum. Immenſas item indignis oblatas largitiones Principum, ad antiquum pariſienſis, & novum ſtocholmenſis curiæ exemplar, revocari & aboleri, ipſa ſuadet æquitas. Denique cautis catiſque conſiliis inſtructus, nitatur, faciat, experiatur Princeps: ut ſi qua imperii ſui membrum ſubdole & injuria corpori ſit ſubtractum, vel evanida meliorum exſpectatione ſeductum, auſu & exemplo peſſimo alius fidei ſe tutandum tradiderit, vel peculiari jure ac more vivere contumaciter inſtituerit, recuperetur, inque obſequium priſtinum commode retrahatur. Sic & Principis autoritati & potentiæ, quæ domi foriſque validiſſima regentium ſtabilimenta exiſtunt, quam maxime conſuletur.

LXXXVI. Alterum ærarii conſervandi præſidium in recta ejus diſpenſatione collocamus. Vere enim Bocerus *in deſcript. regn. Franciæ: Principum*, ait, *divitiæ non æſtimari debent a magnitudine redituum, ſed a bono regimine;* idque Ludovici XI, Franciſci I, Henrici II, Caroli IX, & Ludovici XII. Galliæ Regum exemplis demonſtrat. In hac autem ærarii adminiſtratione frugalitati præſertim ac diligenti parſimoniæ prudenter erit litandum. Cicero enim 2. *off. Res familiaris*, inquit, *quæri debet iis rebus!, a quibus abeſt turpitudo: conſervari autem diligentia & parſimonia.* Ariſtoteles adhæc *lib. 1. rhet. cap. 4. Opulentiores fieri*, aſſerit, *non eos modo, qui ad opes aliquid addunt, ſed eas quoque, qui de ſumptibus detrahunt.* Contra *lib. 5. polit. Fieri in republica mutationes* teſtatur, *cum homines ſua conſumunt, prodige viventes. Optant enim res novas hujuſmodi homines, tyrannidemque vel ſibi ipſis, vel alteri affectant.* Idcirco impenſæ ſupervacuæ *cum pulviſculo*, ut Plautus loquitur, *debent aufferri*: ne in neceſſitatis improviſæ uſum, multo minus ad leviſſimam quamvis occaſionem, aut ſubditos tributis, aut rempublicam nominibus opus ſit gravare. Etenim Forſtnerus *in com. ad* 1. *annal. Tac. Melius eſt*, inquit, *comparcere, quod neceſſariis corporibus expendas, quam expendere, quod nova injuria a ſubjectis populis repetas.* Deinde quam acerbe degant multo ære alieno obſtricti, elucet præclare ex aureo Plutarchi libello, qui *de vitanda uſura* inſcribitur, & a quovis patrefamilias iterum iterumque legi, expendi, inque ſuccum & ſanguinem converti meretur. Unde, licet joco, vere tamen Germani noſtrates dixerunt: *Viel borgen und leyhen iſt eine Vergifftung deines Erbtheils; und hat eine Stieffmutter, die heiſſet. verkauff deine Güter: die gebieret dir eine Tochter, die heiſſet, gib ſie vvolfeil; dieſelbe Tochter hat einen Bruder, der heiſſet, zum Thor hinaus.* Anton. Hering. *de fidejuſſ. c. 15. n. 13.*

LXXXVII. Prima igitur œconomiæ aulicæ cura erit, ne extra modum ſumptu & magnificentia

centia prodeatur. Miniſtrantium exercitus non in aula ſolum, ſed in toto etiam principatu ad modum oportet revocentur: ita quidem, ut pro Principis dignitate, proque aulæ & regionis magnitudine, neceſſariæ perſonæ, veluti cooperarii in publicæ ſolicitudinis partem adſciti, omnino tolerentur, & dignis laborum præmiis alantur. Neque enim, minuendi ærarii formidine, officia nimium contrahat Princeps, ne idem fere uſu ipſi veniat, quod ægris hominibus, qui cum æſtu febrique jactantur, ſi aquam hauſerint gelidam, primo relevari videntur, deinde gravius & vehementius multo afflictantur. Adulationem & blanditias, quæ, Tacito *hiſtor.* 1. *cap.* 15. teſte, *peſſimum veri affectus venenum*, ita fugiat Princeps, ſicuti quis, ut ne a ſentibus aut tribulis pungatur, refugere ſolet. Principum quippe arriſores pecuniarum plerumque arroſores exiſtere contingit. Otioſa etiam Sybaritarum, ſaliatorum & hiſtrionum turba ejicienda & profliganda eſt. Dignum præterea eſt providere, ut eluvies, & gurgites prærupti conviviorum, epulares triumphi, & culinarum ſolicitiores curæ circumcidantur. Interibi tamen optime nobis convenit cum Cicerone *off.* 2. *valde decorum eſſe*, ſentiente, *patere domos hominum illuſtrium illuſtribus hoſpitibus. Idque etiam reipublicæ eſt ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe noſtra non egere. Eſt etiam vehementer utile iis, qui honeſte poſſe multa volunt, per hoſpites apud externos populos valere opibus & gratia.* Uſus inſuper abundantis ſerici, quod margaritæ & gemmæ adimplent, artium textilium, aurearum & argentearum veſtium, ſi non tollendus, tamen minuendus eſt. Adhæc animis ambitioſis ornatarum domorum ſpaciis eſt abſtinendum; nec ædificata temere diruenda, aut quadrata rotundis mutanda ſunt. Porro numeroſus & inutilis ſaltantium equorum, canum & ſimilium apparatus eſt coërcendus. Reditus item Principum inter digitos veluti dilabuntur longinqua per itinera, difficiles expeditiones, gravesque comitatus; adeoque in his temperamentum adhibere prorſus conveniet.

LXXXVIII. Ludendi quoque modus eſt retinendus, & immodicæ largitionis ambitio reſecanda, ne (ut Taciti verbis utar, 2. *an. c.* 38. *n.* 3.) *iſta exhauſtum ærarium per ſcelera iterum ſupplendum ſit.* Forſtnero namque ad Tac. 13. *an. c.* 1. *com. haud abſonum videtur dicere, avaritiam & prodigentiam ſimul ſtabulari.* Etſi vero larga Principis manus non omnibus patere debet, adeo tamen neutiquam occluſa ſit, quo minus eam benignitas reſerare queat. Egregie ſiquidem Cicero 2. *Off. Habenda eſt ratio rei familiaris*, inquit, *quam dilabi ſine re, flagitioſum eſt, ſed ita, ut illiberalitatis & avaritiæ abſit ſuſpicio. Poſſe enim liberalitate uti, non ſpoliantem ſe patrimonio, eſt pecuniæ fructus maximus.* At prudentia & judicio opus eſt, quid, quo tempore, cui tribuas. Forſtner. *in com. ad* 14. *ann. Tac.* Captatis novorum meritorum occaſionibus, ſpargenda ſunt ſenſim munera, quæ recipientibus non meſſis loco habeantur, ſed ſeminum in uberiorem olim ſegetem proventurorum. Ubi inprimis vitandum erit Principi, ne beneficiis ſuis *aliena* novi principatus *potentiæ autor, ſeipſum perdat, & ne aut contemnatur aut odio habeatur: ad quorum utrumque liberalitas*, profuſio potius, *illum facile impellit.* Machiav. *Princ. c.* 3. *ſub fin. & cap.* 6. Contemptus enim naſcitur ex ſubſequente egeſtate; odium ex alienorum raptu, ad quem pauperiei fuga adigitur.

LXXXIX. Denique aureæ togæ ferrea arma cedant oportet, neque unquam profunda & inexplebilis dominandi aut divitiarum libido Principem eo corripiat, ut nullis belli juſti cauſis adinventis, ſpecioſas propheſes ementiatur. Bella enim maximis & indefinitis geruntur ſumptibus, ærariique & ſubditorum opes ſæpenumero abliguriunt; ut nefanda quæque opera innoxias cædes, ſtupra, ſacrilegia nunc taceam, quæ ſecum trahunt, nullaque ducis prudentia aut ſeveritas præcavere potis eſt. Veriſſime etenim Forſtnerus *com. ad* 1. *annal. Tac. Nemo*, ait, *Martem ita in poteſtate habet, ut nunquam exorbitet.* Prudens igitur Princeps, Cæſare Auguſto duce, imperium intra terminos potius coërceat, ne cum cane æſopico, carnem per fluvium ferente, iſtiusque ſimulachri aviditate decepto, Phœdri cantilenam audire cogatur: *Amittit merito proprium, qui alienum appetit.* Belli namque & fortunæ alea, teſte experientia, tam anceps eſt, ut vel unius horæ ſpatio parta multorum annorum evertat, vel certe cum dedecore pedem referre compellat. Omnis vero deliberatio in bello tribus capitibus inniti debet: (1.) *cauſa æquitate*, (2) *vincendi facilitate*, (3) *victoriæ fructu.* Joan. Boter. *in mund. imper. de Magn. Moſcov. Duce. Damnoſum* quippe *bellum eſt cum iis, qui non habent, quod perdant.* Guicciard. 5. *hiſt.*

XC. Reliquum eſt de cauſa ærarii efficiente, tam principali, quam inſtrumentali, ut paucula attexamus. Princeps ergo publicis commodis in tranquillitate deſerviat, honore ſimul & juſtitia ornatus, non ſit bonorum extortor, legumque contortor; ſed bene partis contentus, ſubditorum rem familiarem digne tueatur. *Sic* enim juxta Ciceronis 2. *off. par eſt agere cum civibus, ut ne haſta in foro ponatur, & bona civium voci præconis ſubjiciantur. Eaque eſt ratio & ſapientia ſummi civis, commoda civium defendere, non divellere, atque omnes æquitate eadem continere.* Quo plurimum conferet, ſi ad Auguſti exemplum Breviarium conficiat Princeps, in quo omnes publicos reditus, neceſſitates ac largitiones annuas perſcriptas contineat, quodque diurna, & nocturna verſet manu, ne ſupra ærarii vires conſiant ſumptus. Adhæc virtutum juſte diteſcendi introductione omnia, ad paupertatem quæ perducunt, vitia optimis legibus mature præcidat. Difficile namque iis medetur, cum in mores abierint. Nec, uti *Novell.* 161. loquitur, decenter tantum leges ferre ſummo bono eſt, ſed etiam ſancita accurate cuſtodire, & ad effectum deducere, transgreſſoresque competentibus pœnis ſubjicere. Ariſtoteles enim *Rhetor.* 1. *cap.* 15. prudenter inquit: *Nihil intereſſe, non condantur leges, an non obſerventur.* At ſecundum Velleji Paterculi effatum, *in lib.* 2. *hiſt. recte facere cives ſuos Princeps optimus faciendo docet, cumque ſit imperio maximus, exemplo major eſt.* Ad ſummam juxta Cic. 2. *off. talis actionum ordo* Principi *adhibendus eſt, ut, quemadmodum in oratione conſtanti, ſic in*

ejus

ejus vita omnia ſint apta & inter ſe convenientia. Neque minis Præfecti magiſtratus ærarii, utpote quæſtores, aliique ejusdem cuſtodes aut procuratores, prudenti induſtria, continentia, fide & juſtitia ſint inſtructi. *Ut enim*, inquit Forſtn. *in com. ad 2. annal. Tacit. ad corporis ſanitatem non capitis tantum habitudo, ſed & cæterorum membrorum pertinet: ita non ſatis eſt, Principem, quæ ſuarum ſunt partium, facere, niſi miniſtrorum quoque fides & ſedulitas reſpondeat.* Imperitæ ergo & deſidi plebi cura iſta committi non debet: cum hæc plerumque vexare & quæſtui rempublicam habere conſueſcat: nec forſitan juvenibus, niſi in quibus aliquid ſenile reperias. Vulturii togati, viri ambitioſi, piceasque habentes manus, & omne id hirudinum genus procul eſt arcendum: quandoquidem alias perpetuas inter actiones & tributorum invidiam ſemper Princeps egens erit. Nec rarum eſt, pecunias in militum ſtipendia vertendas per luxum & aleam a tribunis & centurionibus prodigi. Iterum alia fraudis ratio eſt, qua legiones, cohortes, atque vexilla non eo, quo debebant, numero explentur, ipſi pro integro num. ſtipendia percipiunt. Præoptandum ſane foret, ut Deus cum inventis & inceptis ſuis omnes funditus perderet, qui nihil comminiſcuntur aliud, quam ut ſuo compendio ærarique & Principis opprobrio miſeram plebeculam exhauriant totam & evacuent. Omnino autem ad laudabile Regis Galliæ inſtitutum ſanguiſugas iſtas ſpongias exprimere non minus juſtum erit, quam ſalutare. In univerſum rivos noſtros jam clauſuri, tam Principi, quam miniſtris ejus circa hoc reipublicæ negotium autores ſumus, ut auream genuini ſocratici pulli, Xenophontis dictum nunquam non memori recurrant mente: *Quæ res numine propitio ſuſcipiuntur, eas ſemper reipublicæ melius ac felicius ceſſuras conſentaneum eſt.*

JOANNIS BODINI

RESPONSIO AD PARADOXA MALESTRETTI

DE CARITATE RERUM EJUSQUE REMEDIIS.

Accedunt propter affinitatem, ejusdem J. BODINI diſſertationes de ÆRARIO ET RE NUMMARIA, ex opere de Republica excerptæ;

Ut & quæ JOACH. HOPPERUS libro de Vera Juriſprudentia VII. & VIII. docuit, DE BONORUM CÆSAREORUM SECUNDUM LEGES JUSTINIANEAS CURATIONE,

HERMANNUS CONRINGIUS

omnia recenſuit, atque uſui reddidit commodiora.

MDCLXXI.

VIRO PERILLUSTRI ATQUE EXCELLENTISSIMO

D. PETRO GRIFFENFELD,

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO DANIÆ ET NORWEGIÆ REGI A CONSILIIS STATUS ET CANCELLARIÆ SANCTIORIBUS, A SECRETIS CAMERÆ POTISSIMIS MAXIMEQUE ARCANIS, NEC NON SUPREMI JUDICII ASSESSORI &c.

Salutem plurimam dicit

HERM. CONRINGIUS.

Perilluſtris atque Excellentiſſime Vir,

Ea in univerſum vitæ illius, quam hiſce in terris mortales degimus, ratio eſt, ut non quidem illa propterea, quod fortaſſe peramplis fuerit opibus, cenſenda beata, omnibus tamen numeris neutiquam ſit felix, niſi a rebus ejusmodi abunde inſtructa. Enimvero non omnino quidem ſunt miſeri, qui virtute locupletes iis, quæ fortunæ vocantur, bonis pauperes ſunt: vere tamen beatos, pro hujus quidem vitæ modulo, haud illos prædicaveris. Nec enim ipſamet ſacra fœderis utriusque doctrina, hactenus quidem Peripateticam moralem ſcholam improbat: tantum abeſt, ut cynicæ aut ſtoicæ philoſophiæ accedat, etſi cœleſti propoſito æterno præmio jubeat fortiter, quicquid eſt opum, contemnere, in quantum illæ aut impediant, aut remorentur ſerium pietatis ſtudium. Longe tamen ea quoque parte præcellentior eſt Peripato. Etſi enim etiam hic præcipiat mortem ipſam pro patria aut honeſto oppetere: cæleſtium tamen futurorum omnium rudis id cum faciat, generoſam magis ſtultitiam eo ipſo committit, quam ut re-

ctæ rationi conſentanea doceat. Quandoquidem autem felicior quævis vita mortalium indiget in ſui perfectionem opibus, multo maxime illas expoſcit, quæ in civili inſtituitur ſocietate. Utpote quum omnis illa ſocietas primario quidem inſtituta ſit terrenæ felicitatis obtinendæ cauſſa. Eapropter ſane, ipſummet ſapientiſſimum Numen illi a ſeſe omni ſine exemplo conditæ Iſraelitarum reipublicæ, quantumvis pius quiſque non dubitaret maxima omnium ſibi parata demum *bona in terra viventium*, diſertis quidem verbis, non alia, quam quæ hanc vitam bonis terræ aut beatam faciunt, aut miſeram, in geſtæ rei præmium pænamve propoſuit. Quemadmodum vero ſocietas omnis conſtat communi quodam corpore pariter & ſingularibus ſuis membris: ita ad felicitatem civilem exigitur, ut & communitati ſimul & civibus ſingulis de bonorum omnium ſufficiente ſit copia proſpectum. Non enim ſatis eſt, ſi una earum partium ſit locuples. Etſi identidem ſoleant civitates nunc publice nunc privatim minus recte eſſe inſtructæ, ſed cum magno ſuæ perfectionis diſpendio. Quæ ſane reſpublicæ in populi præcipue commoda compoſitæ ſunt, (ejusmodi autem ſunt omnes, quæ vere merentur ſocietatum civilium cognomentum) menſuram appellationis ſuæ implent denique, quum populi privatæ etiam res juſta florent abundantia. Fieri autem illud haud poteſt, niſi & publicarum pacis bellique negotiis neceſſariarum opum adſit affatim. Ab iſthoc civitatum genere multum fateor ſunt diverſæ illæ, quæ herili imperio gubernantur, (quales Aſiæ quidem ab omni retro memoria ſunt frequentes, hodie in Europa etiam invaleſcunt:) neque enim populi ea, quæ in aliis habetur hîc ratio, aut ejus primario ſalus hîc quæritur, ac proinde non eſt in his neceſſum, ut ſubditi ad proprios quidem uſus in lauta ſint re, quin ſæpenumero id dominatui officit. Quod ſi tamen populus egeat, primum non vacat illud periculo; turbulenta enim eſt imo in ſeditionem prona pauperum multitudo: domini ipſi ſecundo ad præclaras agendas res inepti fiunt præ pecuniæ, quæ ab egenis ſubditis conferri non poteſt, penuria ac defectu. Eapropter ſane etiam in herilibus rebuspublicis, ſaltim in tantum ſubditi populi habenda eſt cura, ne ille laboret egeſtate: imo, ut ille in ea ſit abundantia, quo poſſit domini neceſſitatibus & uſui de ſuo ſuperfluo inſervire. Et vero domeſticæ etiam cujuslibet ſocietatis intereſt, ut ſervis hactenus abunde ſit proſpectum: ne ſcilicet præ egeſtate ad furta, officii neglectum, & herorum odium compellantur. Quorum nihil non domui cuivis detrimentoſum eſt. Cæterum multo maxime ad felicitatem cujuslibet reipublicæ id requiritur, ut commune illius corpus, vel in univerſum ſumma regendæ reipublicæ poteſtas, ad pacis & belli negocia omnia ſufficiente rerum quarumvis copia ſit inſtructa. Nec vero non infelix eſt reſpublica illa, cujus cives quidem opulenti, publice autem ſi ipſa laboret egeſtate: aut quæ habeat quidem ad pacis tempora, quantum eſt ſatis, careat autem illis, quæ bellum poſtulat. Cum porro omnibus numeris illa demum ſit beata reſpublica, cui nihil deſit etiam eorum, quæ ad juſtum ſplendorem faciunt, (tale enim quid etiam privati cujusque, ut nunc ſunt mores, vita exigit) ultra neceſſaria, imo & ultra vere utilia, exporrigitur felicioris reipublicæ indigentia. Quandoquidem autem hunc in modum habeat ſeſe ratio reipublicæ, utique in officio eſt eorum, quibus regendæ illius incumbit munus, atque adeo ipſiusmet ſummæ poteſtatis, etiam atque etiam hoc agere, ut & privatim pariter & publice civitas quæque felicitati ſufficiat. Male profecto conſulunt reipublicæ, & negligunt ſpartam, a Deo rerumpublicarum ſummo rectore commiſſam, qui horum aliquid agunt oſcitanter. Quod ſi tamen ad ea, quæ paſſim terrarum geruntur, flectas oculos, haut leviter, ut in aliis, ita & in hiſce, compluribus in locis, peccari animadvertere fuerit. Populi certe rariſſime haberi illa ratio ſolet, ut ab ipſis ſummis poteſtatibus ejus copiæ rerum conſulatur: ſed privatim quemque proſpicere ſibi oportere, multis videtur perſuaſum: privatam ſcilicet illam rem eſſe, ac proinde ſingulis privatim curandam. Quaſi vero non publici etiam quam maxime interſit, quemadmodum privatim omnia ſint compoſita: quaſique item publica non ſuſpenſa ſint a felicitate & miſeria privatorum civium, & omnia judicia aliave quammulta privatorum negotiis non vacent unice. Ærarii & fiſci rebus major ſolet paſſim intendi cura: juſtam, quæ nempe ad omnes belli pacisque neceſſitates explendas ſit directa, ubivis inſtitui, haud temere dixeris. Quamvis porro hæc alicubi agi ſoleant, in quammultis tamen etiam illis civitatibus videas peccari graviter diverſa parte; quod videlicet parandæ τῆς αὐταρκείας idonea inſtrumenta & artes non veniant in uſum. Id quod plærumque ſit ex ignorantia eorum, quibus iſthæc curare officium eſt. Nec enim induſtriam in illis deſideraveris, nec fidem: & tamen vel nihil, vel parum præſtant commodi, præ ejus, quod jure agendum erat, inſcitia. Et ſane ita pene vulgo perſuaſum eſt, ejusmodi quid expedire, non eſſe alicujus ſingularis artis, ſed tantum nativæ δεινότητος opus. Quod in vulgus exiſtimari non fortaſſis mirum eſſe debeat, quum hactenus hujus argumenti via aliqua non ſit literis tradita, in tanta licet ſcribentium multitudine. Verum enimvero complura hactenus non ſunt in artem redacta, multo minus artes quælibet ſcripto ſunt comprehenſæ; & tamen nequaquam hinc colligere fas fuerit, ſoli nativæ dexteritati in iis locum eſſe. Conſtant ſcilicet artes in univerſum omnes, non arbitrariis hominum inſtitutis, ſed iis, quæ reapſe fieri ſolent ſtudioſe & ſolerter relatis in communia præcepta. Atque adeo etiam heîc locum habet, quod de Oratoria monuit Ariſtoteles. Quum nimirum dixiſſet, accuſare ac defendere ſimiliaque agere omnes ſolere, prudenter addit: τῶν μὲν ἂν πολλῶν οἱ μὲν εἰκῇ ταῦτα δρῶσιν, οἱ δὲ διὰ συνήθειαν ἀπὸ ἕξεως. ἐπεὶ δὲ ἀμφοτέρως ἐνδέχεται, δῆλον ὅτι εἴη ἂν αὐτὰ καὶ ὁδοποιεῖν. δι' ὃ γὰρ ἐπιτυγχάνουσιν οἵ τε διὰ συνήθειαν, καὶ οἱ ὑπὸ ταυτομάτου, τὴν αἰτίαν θεωρεῖν ἐνδέχεται. τὸ δὲ τοιοῦτον ἤδη πάντες ὁμολογήσειεν τέχνης ἔργον εἶναι. Non vertam hæc græca in latinum, ne peccem in te Illuſtris atque Excellentiſſime Domine: qui ut aliarum & græcæ linguæ

longe

longe es peritiſſimus, nec proinde eges interpretatione. Hoc autem duntaxat volo. Parant quammulti, quantum ſatis eſt rerum, ſive uſu aliquo edocti, ſive ingenii calliditate, & poſſunt ejus, qui iſtud fiat, cauſſæ in communes regulas cogi, poteſt itaque & ars certa de iis conſtitui: quæ fuit Ariſtotelis argumentatio. Et vero hæc eſt illa ars, quam idem Ariſtoteles in politico opere χρηματιστικῆς appellatione laudavit, non minus in civilem, quam domeſticum uſum. Quamvis autem nec ego diffitear, illam artem hactenus in juſtam aliquam integramque methodum redactam non eſſe, per partes tamen multa ejus jam pridem cum in veteris, tum in noſtri ævi ſcriptis, ſparſim ſunt conſignata: quæ & in unum colligi poſſunt & apodictica prudentia plene expoliri. Non eſt autem fortaſſis dignum dubitatione, an reipublicæ expediat, omne hoc de paranda rerum ſufficientia opus fortuitæ cuidam dexteritati duntaxat in civitate committere, ceu fere hactenus ſolet fieri, an potius certa atque integra in id methodo inſtructis. Indubie igitur etiam ex bono publico fuerit, tandem aliquando artem illam ſuis præceptis perfectam conſtituere. Ego ſane, cum exiſtimem magno id futurum reipublicæ commodo, fortaſſis aliquando, ſi illi, qui uſu & judicio pollent rerum, Tu nempe Tuique ſimiles, me ad id perficiendum exſtimulaverint, periculum faciam, num deſiderio queam ſatisfacere. Interea id dabo operam, ut quæ ab aliis huc facientia jam tum conſcripta ſunt in medium protrahantur. Ita ſane & parari poterunt animi ad accuratiorem aliquam hujus argumenti tractationem, & ſimul ipſemet evitare potero omnem plagii ſuſpicionem, ubi forte meum aliquid cum aliorum inventis convenerit. Nunc adeo, illo fini, edidi Joannis Bodini librum, Maleſtretto oppoſitum, iiſque adjunxi excerpta quædam ex ejusdem Bodini de Republica opere, quibus de Ærario & Re Nummaria diſputavit; ut & nonnulla ſummi viri Joachimi Hopperi, quibus ille ea, quæ in Corpore Juſtinianeo de curatione bonorum Cæſareorum ſancita ſunt, unam in epitomen coëgit. Laborat quidem iſte Bodini liber iis vitiis, quibus omnia viri illius ſunt affecta: confuſæ ſcilicet & indigeſtæ tractationis, alienorum perquam multorum intempeſtivæ miſtionis, frequentis eorundem repetitionis, adeoque multæ obſcuritatis: elegans tamen eſt & aureolus, ſi ſingulas ejus partes, præcipue illam, qua de Re Nummaria agit, imo etiam illas, quæ non ſunt illius loci, ſpectes. Quid? quod & variis, Galliæ cumprimis, aliarumque omnium gentium hiſtoriis commemoratis mereatur aliquam admirationem. Par eſt conditio eorum, quæ ex Politico opere de Ærario & Re Nummaria excerpſimus. Fuit nimirum Bodinus vaſti ingenii, diffuſiſſimæ lectionis, peritiæ civilium omnis ævi rerum inuſitatæ, memoriæ ſemper promptiſſimæ, magnæ in ſentiendo pariter & eloquendo libertatis; utinam non in ſuis Rerum ſublimium Arcanis ad ſummam usque impietatem effrenis! Talem ſane præbet ſeſe Bodinus cum in aliis, tum etiam in hiſce, quæ edidimus. Libellus Maleſtretto oppoſitus, pridem manibus excidit literati orbis: & ſeptuaginta pene anni ſunt, quum typographi ultima vice opus de Republica ediderunt: ac proinde vel hoc nomine juſtum fuit, oculis Politica æmulantium & tractantium rempublicam præclara hæc opuſcula denuo exhibere. Nos tamen, ceu jam tum dixi, curam hanc nunc ſuſcipere nihil fecit aliud, quam ſtudium publicæ rei: idque quandoquidem illa paſſim graviter circa τὴν αὐτάρκειαν civilis vitæ laborat, & remedia tantis malis rara ſuggeruntur. Neutiquam tamen ex Bodinianis illis exſpectare eſt plenam integramque morborum ejusmodi medicationem. Imo ipſimet mihi illa ſeſe, omni quidem ex parte, haud probant, idque alias ſuis rationibus ingenue docebimus. Quædam nihilominus haud leve commodum præbere ſunt idonea, & vel ideo exiſtimationem pretiumque commerentur. Niſi fallor ſane, hæc probe expenſa excitabunt prudentiores quammultos ad hujus argumenti majorem ſolito culturam, & perfectam illius, laudatæ in uſum vitæ non tam domeſticæ, quam civilis, hactenus tamen pene neglectæ, αὐταρκείας artis elaborationem. Multum diverſa quidem eſt ratio eorum, quæ ex Hopperiano opere adjunximus: etiam illa tamen, dum docent, quemadmodum Cæſarea ſint bona curata, præclaro quodam exemplo manuducunt ad rectam talium adminiſtrationem. Enimvero nusquam terarum publicum jus illud, quod in Juſtinianeo eſt Corpore, vim habet legis, adeoque hactenus a nobis ſecure poteſt negligi, etiam illud omne, quod de bonorum illorum Tamiacorum curatione ibi ſancitum fuit: quandoquidem tamen a viris prudentibus in commodum Reipublicæ omnium maximæ hæc ita ſunt conſtituta, juvare nos auctoritate & exemplo apta ſunt. Quemadmodum ſane ad prudentem νομοθεσίαν plurimum conducit, *Multorum mores populorum noſcere & urbes*, ita & Romana inſtituta haud perfunctorie perluſtraſſe, ex re utique eſt civilis ſapientiæ. Sed & turpe quodammodo fuerit, in gentium minorum mores ac leges cum cura inquirere, & negligere Romana, quamvis non ſemper optima. Nec tamen, fateor, etiam omnia illa in Hopperianis hiſce reperire fuerit; imo vero in iis fere nihil invenias, quod priſcam paratitlorum conditionem excedit: ideoque manuductionis tantum vice iſthæc ſunt ad plenam juſtamque ex Juſtiniano ipſo petendam eorum ſcientiam. Hoc autem cumprimis in Hopperianis hiſce eſt laude dignum, quod ea, quæ ſparſim & nullo ordine Tribonianus propoſuit, ſuntque adeo indigeſta & intellectu perobſcura, illa hic juſto ordine, & quaſi in clariſſima luce omnium oculis elegantiſſima quadam via ac ratione exhibeantur. Non ſane quisquam publicum quidem Juſtinianeum jus omne pari dexteritate, methodo, & judicio digeſſit, atque fecit Hopperus. Fortaſſis etiam non alius temere idem potuit: quoniam hic præ quamplurimis fuerit celſo in republica gerenda loco & auctoritate, ac proinde veteris etiam Romani Imperii univerſum regimen promptius aliis potuerit & intimius perſpicere. Hiſce autem omnibus ea, qua vales, prudentia expenſis, neque tu, Excellentiſſime Griffenfeldi, meum in iis recenſendis, (quod cum cura a me eſſe factum, ſine jactantia poſſum pro-

fieri) edendisque impenſam operam, quantum arbitror aſpernaberis. Quod ſi ſane vel Tu unus conſilium meum de arte illa ſufficientiæ rerum parandæ approbabis, magnum mihi ad id conandum calcar datum exiſtimavero. Quantumvis enim nequaquam ætate aliquâ gravi jam tum valeas, omnium tamen, qui Te norunt, ſuffragiis, longe vincis annos tuos exquiſita rerum civilium ſapientia, ut & ſingulari graviſſimorum quorumque negotiorum tractandorum promptitudine. Et vero utroque nomine cum antehac feliciſſimæ memoriæ FRIDERICO Regi perquam fuiſti acceptus, tum flores jam ſumma gratia Regis CHRISTIANI: qui juſtiſſima virtutis atque induſtriæ inſtituta æſtimatione, nuper adeo Illuſtribus nominibus inſeruit Te, ſimulque opibus & dignitate non una exornatum ad ſublime evexit faſtigium. Quod ipſum quoniam nec me fugit, (& vero hoc nomine Tibi plurimum ego gratulor) non equidem dubito ad Tuum præcipue tribunal nunc provocare; quocunque tandem inſtitutum meum, quod ſignificavi, calculo dignatus fueris. Vale Illuſtris atque Excellentiſſime Domine in commodum publicum, & mihi, quod facis, fave. Helmſtadii in Acad. Julia 16. Sept. anno 1671.

Jacobus Auguſtus Thuanus

Libro CXVII. in Hiſtoria rerum Anni 1596.

Poſt eum commemorandus venit IOHANNES BODINUS, in Andibus natus, & puer (ut quidam certo affirmarunt) in Carmelitarum cœnobio vitam religioſam profeſſus, dein voto immatura ætate facto ſolutus, gnaviter literis operam dedit: linguarumque non vulgari peritia ſibi comparata, omnium artium circularem ambitum animo ingenti complexus eſt. Cumque initio in foro Pariſienſi patronum egiſſet, contentioſæ illius militiæ pertæſus, ſcriptioni ſe totum addixit; periculoque in *Oppiani Cynegeticis* ingenii facto (quæ & eleganter latine ac ſcite vertit & doctiſſimo commentario interpretatus eſt, egregio documento per illa, quantum in literis humanioribus valeret, edito) mox animum ad majora appulit. Et poſt *Methodum Hiſtoricam & de Re Monetaria* accuratas contra Maleſtretum diſſertationes, opus magnum *de republica* gallice publicavit. In quo, ut omni ſcientiarum genere, non tincti, ſed imbuti ingenii fidem fecit; ſic nonnullis, qui recte judicant, non omnino ab oſtentationis innato genti vitio vacuum ſe probavit. Poſtea & *Dæmonomaniam* gallice itidem ſcripſit; in qua, dum materiam ab aliis tantopere agitatam adverſus Johannis Wieri plerumque ſententiam enucleatius retractat, Magicæ rei ac vetitarum iſtiusmodi artium crimen minime effugit. Dum hæc ſcriberet, ab Henrico III. Rege (qui literatis diſceptionibus per otium oblectabatur) ad familiare ſecretum cum plerisque aliis viris doctis ſæpius eſt admiſſus, magnamque laudem ex iis reportavit, quippe qui ingenium in numerato haberet, & paratam ad omnia, quæ proponerentur, pulcherrimarum rerum copiam, qua pollebat, acri memoria effunderet. Æmulatione dein quorundam, qui in aula plus poterant, cum ſe gratiæ loco motum videret, in Franciſci Andium Ducis, Regis fratris (qui poſtea belgicarum provinciarum Ordinibus deferentibus principatum inivit) familia, ob raram eruditionem & non vulgarem rerum externarum cognitionem, honorificum locum tenuit, eumque in Angliam & Belgium aliquot annis ſecutus eſt. Poſtea eo mortuo, Laoduni Clavati prætura donatus eſt, quam ad annum usque 1588. geſſit. Quo turbatis ubique rebus, cum ab initio Proteſtantium doctrinæ addictus crederetur, neque tunc ab ea multum alienus putaretur, Henoticæ factioni cum aliis nomen dedit, & multa de Rege legitimoque ejus ſucceſſore haut ſatis digne pronunciavit, quæ magno factioſorum plauſu ubique evulgata ſunt. Sed eum errorem admirabili de inſperata iſtorum motuum clauſula præſagio ſtatim emendavit: annumque & menſem, quo pax, cum minus putabatur, coitura eſſet, prædixit, eventusque ejus judicium comprobavit. Demum hoc anno, ineunte Majo, ſeptuagenario major peſtifera lue correptus, publicato prius *Naturæ Theatro* (quo rerum cauſas & effectiones, ad principia ſua repetitas, exſequitur) quaſi cygnea cantione vitam variis ſtudiis & fortuna agitatam Laoduni clauſit.

HERMANN. CONRINGIUS

Libro de Civili Prudentia cap. XIV.

Inter Gallos duo excellunt in primis, vaſtis uterque voluminibus, uterque ſimul & Romani juris peritia clarus; quod rariſſimum. Alter eſt Petrus Gregorius Tholoſanus, alter Joannes Bodinus. Ille vero potiſſimum occupatus eſt in iis, quæ ad *νομοθεσίαν* faciunt, non omnium tamen reipublicæ ſpecierum, ceu fieri par erat, ſed vel optimæ vel Regiæ: reliqua vix leviter attingit, etſi momenti ſint ad rempublicam gerendam maximi. Diſputat etiam plerumque, ſuffultus magis auctoritate Legum Romanarum & noſtri ævi juris doctorum, quam veris ſolidisque Politicæ prudentiæ principiis. Et tamen auctoritas illa Legum ac doctorum juris, demonſtrationem Politicam ſuppeditare nequit, ſed duntaxat Dialecticam veriſimilitudinem. Nihilominus ſi Legislationem ſpectemus, eo majore fuerit in pretio habendus Gregorius, quo pauciores ſunt in Politicis noſtri ævi qui in hac Civilis Philoſophiæ parte quidquam operæ collocaverunt.

Per alia quæque ſeſe magis quidem diffudit JOANNES BODINUS, nec tamen, quæ ad Leges attinent plane neglexit. In utroque tanto felicius Tholoſano, quanto major fuit ingenii capacitate, & hi-

& hiſtoriarum omnis generis inuſitata peritia. Et vero Princeps hic, omnium pene & ſui & veteris ævi rerumpublicarum cognitionem, ad culturam civilis hujus Philoſophiæ, rariſſimo poſt Ariſtotelem exemplo, attulit. Illa certe inſignis peritia paſſim claret & in Methodo hiſtorica pariter & in illo de republica opere: in aliorum ſcriptis politicis per eſt infrequens. Attamen debuiſſent illæ Hiſtoriæ non ea prolixitate ipſi doctrinæ politicæ commiſceri, ſed tradi ſeorſim: ceu prudenter factum ab Ariſtotele, & faciendum eſſe, jam demonſtravimus. Turbant certe lectores plurimum illæ frequentiſſimæ digreſſiones hiſtoricæ, ſæpe ad rem parum aut nihil facientes. Solet vero Bodinus & alia quammulta plane aliena doctrinæ ſuæ omni miſcere, ac tumultuaria iſthac ſcriptione lectori quaſi crucem figere: a quo vitio Ariſtoteles ſibi ſtudioſe cavit, Nimis porro manifeſtum eſt, nec univerſum argumentum politicum a Bodino vel levi brachio eſſe attactum, nec quidquam pene juſto ordine, aut ex ſolidis principiis ἀποδεικτικῶς eſſe traditum. Ne nunc dicam, quam Bodinus, dum eſt novitatum juſto ſtudioſior, ſæpe paſſim ſoleat vapulare. Ut conſentiam igitur quidem Naudæo, *cæteros* recentiores quoſque ab illo memoratos, *uni Bodino tantum concedere, quantum lenta ſolent viburna cupreſſis*: in univerſum tamen omnes, *quicunque unquam de republica libros edidere*, atque adeo & ipſummet Ariſtotelem, a Bodino victos, a veritate quam longiſſime recedit. Proindeque nemo etiam temere πεπαιδευμένος τὰ πολιτικὰ fatebitur, quod *fatendum* eſſe Naudæus ſcripſit: rempublicam Bodini, *opus eſſe elaboratum ingenio, expolitum induſtria, perfectum judicio, & ita numeris omnibus abſolutum, ut, qui ab ipſo diſceſſerit, haud diſſimilis videri poſſit nautis illis antiquioribus, qui neglecta vel ignorata cynoſuræ præſtantia, navigationis ſuæ curſum ad avicularum quarundam placitum dirigebant, ſæpiusque per cautes & ſaxa præcipites ferebantur.* Mihi Politicus magnus eſt Bodinus, (nec enim probatur illud Cujacii ἀναγραμματιστικὸν σκῶμμα *Andius ſine bono*) major futurus, ſi ipſe voluiſſet eſſe minor, & vaſtum ingenium ac diffuſam lectionem freno apodicticæ artis coërcuiſſet intra modum, & in magis ſolido collocaſſet. Quod Thuanus refert Bodinum, de *Henoticorum motuum clauſula*, *admirando præſagio*, *annum & menſem, quo pax*, *cum minus putabatur*, *coitura eſſet prædixiſſe*, *eventu indicium comprobante*, id vereor, ne non tam civilium rerum prudentiæ, quam illi, cujus Bodinum ſua jam *Dæmonomania* ſuſpectum haut immerito fecerat, malæ arti ſit tribuendum. Cum præſertim a religioſo veri Numinis cultu alienum hominis animum, opus impium Arcanorum plusquam manifeſtum reddiderit.

AD DOMINUM PREVOST, DOMINUM DE MORSAN, *R*EGIUM PRÆSIDEM IN CURIA PARLAMENTI.

Nota eſt tibi, Domine Præſes, vulgaris querela caritatis rerum omnium: noti conventus, qui ad occurrendum ei rei paſſim in hac civitate habiti ſunt: notum denique, quantum laboris inſumtum ſit inveſtigandæ cauſæ, unde caritas iſta proveniret. Huic Domini de Menil, & de Faur, Advocati regii, quos natura bono publico conſecraſſe videtur, conati ſunt mederi. Tandem vero Dominus de Maleſtroict, (cui negotium hoc juſſu Regis mandatum erat) libellum Paradoxorum publicavit: in quo, contra omnium opinionem defendit, intra trecentos annos nullius rei precio quicquam acceſſiſſe. De quo multis fidem fecit. Verum ſuperioribus diebus, lecto ipſius tractatu, operæ pretium duxi, ut uno verbo ei reſponderem; pro declaratione & meliori intellectu hujus quæſtionis, quæ & publicam omnium & privatam ſingulorum utilitatem reſpicit. Ea conditione, ſi tibi non diſplicet, ut tu honorarius ſis arbiter: in quem mihi perſuadeo etiam Dominum de Maleſtroict conſenſurum eſſe. Etenim ad recte dijudicandum Paradoxum, ſeu opinionem communi contrariam, opus eſt judice tali, qualis tu es; cui natura ingenium tam perſpicax & judicium integrum largita eſt, ut inter quamplurimos difficile ſit parem invenire. Quod non inter laudes tuas reputo, cum ſit naturæ donum: ſed illud potius, quod præditus ſis eleganti & liberali doctrina, & tanta publicarum rerum experientia: quæ usque adeo tibi curæ ſunt, ut notum ſit omnibus, jamdudum te proprias oblivioni dediſſe. Quamquam erratum in hoc a me ſit: cum non poſſit privatarum rerum obliviſci, qui tam ſapienter adminiſtrat publicas. Quemadmodum in gubernatione reipublicæ, & præcipue Provinciæ demonſtraſti: quæ perpetuum teſtimonium præbet incredibilis prudentiæ & dexteritatis, qua uſus es in regendo populo illo, periculoſo tempore: mixta ſeveritate cum humanitate: ut merearis non provinciam gubernare, ſed regnum. Quamobrem certus ſum, in cauſa propoſita non ſolum te judicium de hac quæſtione certum eſſe daturum, ſed & inventurum facile modos, quibus caritati annonæ, quam experimur, occurratur: quantum humano ingenio poſſibile erit, prudenter conſulere, mature aggredi, & feliciter exſequi.

RESPONSIO JOANNIS BODINI

ad Paradoxa de Maleſtroict: quoad caritatem rerum omnium, & modum, quo ei conſuli poſſit.

§. I.

Primo breviter proponam rationes Maleſtretti. *Nemo*, inquit, *conqueri poteſt*, *ullius rei pretium majus nunc eſſe, quam fuerit ante annos trecentos*: *niſi in emptione ejusdem oporteat hoc tempore plus auri argentive exponere*, *quam tunc*. *Atque non ſolvitur hodie in emptione rerum omnium plus auri vel argenti*, *quam tunc ſolvebatur*. *Pretia itaque rerum ab eo tempore non occreverunt in Galliis.* Hæc eſt ipſius concluſio: & quidem neceſſaria, ſi minor propoſitio ei concedatur. Ad quam probandam: *Ulna holoſerici*, inquit, *tempore Regis Philippi Valeſii emebatur quatuor coronatis*, *aqualibus vel etiam melioribus pondere & valore noſtris coronatis ſolaribus*: *& quisque coronatus valebat ſaltim viginti ſolidis moneta argentea*. *At nunc quoniam coronatus quinquaginta ſolidis valet*, *decem libras pro ſingulis ulnis ſolvere oportet*, *qua tamen non plus valent*, *quam dicti quatuor coronati*. *Itaque ulna holoſerici hodie non pluris emitur*, *quam olim*. progreditur etiam ad omnes merces cæteras, adeoque ad vina & frumenta: ſed auctoritate deſtituitur.

II. Quantum ad holoſericum, Dominus Maleſtrettus in eo fallitur, quod affirmat, ulnam conſtitiſſe tantum quatuor coronatis, tempore Philippi Pulchri. Nam inprimis opus eſſet probare, quod tunc temporis holoſericum in Gallia fuerit: quandoquidem opinio eorum, qui hoc ex Juſtiniano demonſtrare voluerunt, qui de holoberis & holoburis loquitur, non recepta eſt.

III. Etenim Ordinatio Philippi Pulchri publicata anno 1294 & relata in camera rationum & non impreſſa, quam Dominus de Maleſtroict, Magiſter rationum, legere potuit in libro, cui titulus: *Ordinationes Sancti Ludovici pro tranquillo ſtatu Regni*, folio quadrageſimo quarto, diſerte & plus, quam quinquaginta articulis præſcribit formam veſtimentorum, quibus unusquisque uti debeat a perſona Principum usque ad infimum ſervum: & nihilominus, nulla proſus illic mentio eſt ſerici, neque holoſerici, neque hemiſerici, neque damaſcenæ alteriusve ejusdem generis telæ. Quanquam permittat Ordinatio quibusdam aurum tam in catenis, quam zonis, geſtare: absque ulla prohibitione geſtandi ſerici viris vel fœminis, Principibus vel mercatoribus, dominis vel famulis. Quod utique non præteriiſſet: cum primus articulus a tali prohibitione incipiat: *Neque oppidana ferat torquem*. Secundus item: *Ne quis oppidanus vel oppidana geſtet aurum*, *vel gemmas vel zonos aureas vel coronas aureos vel argenteos*, *neque pelliculas virides*, *aut leucophæas*, *aut variegatas*. Quod non eſt interdictum Nobilibus. Perperam itaque adfertur exemplum holoſerici, quod tunc temporis nec in Gallia, nec fortaſſis in ullo mundi loco fuit; quoniam adferebantur aromata ab Indis, unde ſericum venit, & Arabia fœlici, quæ longius abeſt, quam Pruſa, ubi holoſericum inventum fuit.

IV. Tametſi vero exemplum holoſerici ei concederem, tamen non recte conſequentia inde ad cæterarum rerum precia ſumeretur. Quia neceſſe erat tunc temporis ex omnibus Orientis mercibus holoſericum maximi precii fuiſſe, cum non eſſent fere civitates aliæ, quam Damaſcus in Syria & Burſa in Aſia minore, (quam veteres appellabant Pruſam) ubi holoſericæ & damaſcenæ telæ texebantur. Pedetentim Græcia & Italia idem uſitarunt. Et vix centum anni præterlapſi ſunt, quod priſtina ſerica, quæ a Genuenſibus accepimus, in Gallia eſſent incognita. Hodie Turonenſis, Lugdunenſis, Auenionenſis, Tholoſana & aliæ civitates hujus regni plenæ ſunt talium mercium. Quamvis etiam nunc quisque eas ferat, licet olim ſecus fuerit: tamen in tanta copia optimi holoſerici ulna vix uno coronato æſtimanda foret; habito reſpectu illius temporis, prout mox dicam. Sufficit jam demonſtraſſe, non eſſe holoſericum pro exemplo omnium mercium latinarum, & multo minus omnium rerum proponenda.

V. Quod ad VINA & FRUMENTA attinet, certum eſt, vigeſies carius nunc ea vendi, quam abhinc annis centum. Quod me vidiſſe affirmo in cataſtris Tholoſæ, ubi ſextarius frumeni (qui propemodum medietatem noſtri conficit) æſtimabatur quinque ſolidis, qui hodie emitur ſexaginta ſolidis communiori precio, quod vigeſies modo, quam tunc, carius eſt. Et ne longius petatur exemplum, reperimus in regeſtis Caſtelleti civitatis hujus, modium frumenti menſuræ pariſienſis centum viginti libris emptum fuiſſe anno 1524: quamvis biennio ante ſegetes frigore aduſtæ fuiſſent: in qua æſtimatione judicia Caſtelleti fundabantur. Anno 1530 precium excrevit ad centum quadraginta & quatuor libras: & decreto Curiæ anno 1531 contractus quidam minore precio initus reſciſſus fuit. Hodie, precio ordinario plus tertia parte aucto, contractus juxta decretum anni 1531 habiti declararentur eſſe uſurarii: niſi debitori præſtaretur electio, ſolvendæ pecuniæ loco frumenti ad rationem unius denarii in duodecim. Non loquor de anno 1565, quo modius frumenti communiter emebatur ducentis ſexaginta libris, in pura emptione, menſe Majo: ſed de vulgaribus annis loquor, intra quadraginta annos tantum; quibus videmus frumentum redituum, quod æſtimabatur quinquaginta coronatis ſolaribus, (ne de libris loquamur amplius) hodie duplo carius conſtare: ita, ut optimum frumentum in mera emptione & venditione, precio ordinario æſtimetur centum viginti libris, quo pretio conſtabat in reditu ante annos quadraginta. Ideoque Maleſtrettus non debuit frumenta exempli loco adferre.

VI. Sed quo melius probetur, quod dico, relinquamus fruges & inſpiciamus PRECIA AGRO-

GRORUM, qui neque creſcere, neque diminui, neque a naturali bonitate mutari poſſunt, dummodo non ludibrio habeantur, ut dici ſolet, ſed colantur. Sicuti factitatum eſt, poſtquam Ceres fœmina ſicula uſum ejus commonſtravit. Etenim non eſt veriſimile, terram vetuſtate amittere vigorem ſuum, quemadmodum multi exiſtimant; etiamſi Deus, juſta vindicta, ab aliquot annis ſterilitatem immiſerit.

VII. Cum enim Deus Galliam, inter Hiſpaniam, Italiam, Angliam & Germaniam, mediam collocarit, conſtituit quoque eandem nutricem, cornu copiæ in ſinu ferentem, quod nec fuit, nec erit unquam vacuum. Agnoſcentibus id & confitentibus Aſiæ atque Africæ populis. Sicut videre eſt in omnibus eorundem ſcriptis, & præcipue in Oratione Regis Agrippæ, Judæos rebelles ad obedientiam Romanorum exhortantis. *Videte*, inquit, *Galliam, quæ trecentos quindecim populos complectitur, Alpibus, Rheno, Oceano & Pyrenæis montibus circumcluſos, quæ fere univerſum terrarum orbem inexhauſto omnium bonorum fonte irrigat: nihilominus bellicoſi iſti populi ſub poteſtatem hujus imperii ſe ſubmiſerunt, poſtquam octoginta annis contra reſtitiſſent: felicitate magis & fortitudine Romanorum perterriti, quam debilitati viribus: quoniam non habet in præſidiis plures, quam mille ducentos milites: ut vix numerus militum numerum civitatum æquet.* Inde videmus, Galliam non fuiſſe ſteriliorem, quam jam ſit. Monſtremus etiam, eandem hodie non minus fertilem eſſe. Cicero de fertilitate Siciliæ loquens, quam Romani horreum ſuum appellabant, dicit, *uberrimam terram fructum tantum duodecuplum tuliſſe, licet a Diis fortunata eſſet.* Hodie ad Ligerim, in Santonibus, Limania, Arvernia, Aquitania, & Inſula Franciæ, omnium ruſticorum judicio, meliores agros habemus. Et videmus nihilominus, intra annos quinquaginta, pretia agrorum non ad duplum, ſed ad triplum accreviſſe: ut jugerum terræ arabilis & feracioris, quod olim decem aut duodecim coronatis emebatur, vineti triginta; hodie duplo vendatur, imo triplo, & quidem coronatis, qui decima parte minus ponderant, quam ante annos trecentos. Quod Maleſtrettus mihi conceſſurus eſt, ſi regeſta noſtra nonnihil perſcrutari velit.

VIII. Et ne opus ſit privatorum contractus perquirere, qui paſſim ſunt obvii: te teſtem appello Domine, qui decreta Cameræ contractusque omnes archivi Galliæ ſæpiſſime verſaſti, annon BARONATUS, COMITATUS, DUCATUS, vel alienati a Corona vel ad eandem revocati, tantundem in annuo reditu valeant, quantum olim in univerſum venditi fuerint. Omnibus notum eſt, Comitatum venoyſenſem & avenionenſem duplo plus in reditu præſtare, quam quo oppignoratus fuerat. Carolus Sapiens emit comitatum auxerrenſem a Comite triginta & uno millibus Francorum aureorum, ſeu totidem coronatorum vel circiter. Didici ex Domino Faucheto conſiliario, quem pro fideli pulchrarum antiquitatum commentario habeo: Herpinum, ut comitaretur Godofredum Bullionenſem, vendidiſſe Ducatum bituricenſem Regi Philippo Primo anno 1500. ſexaginta millibus ſolidis aureis. Ita legitur in noſtris Annalibus. Sicut & videre eſt in multis legibus Longobardorum, Saxonum, Francorum, Ripuariorum: in quibus omnes mulctæ taxantur per ſolidos. Veluti cum dicitur; qui occiderit hominem liberum, ſolvat ſolidos centum; qui vinxerit, decem ſolidos. Quod obiter dico, quia vidi proceſſum veterum ſtatutorum civitatis Ambianæ, ubi Patres præter rem ſolidos pro vulgaribus aſſibus interpretabantur. Certum eſt etiam primos ſolidos argenteos, ducentis demum poſt annis cuſos per Sanctum Ludovicum.

IX. Ponamus, illos ſolidos aureos ejuſdem ponderis & valoris fuiſſe, cujus fuit ſolidus aureus Juſtiniani (nam leges horum populorum eodem fere tempore latæ ſunt) non erit ad ſummum plus quam ſexaginta millia Angelottorum vel ſexaginta millia Regalium aureorum, ut mox dicam. Solidus enim argenteus non fuit tanti ponderis. Veriſimile etiam eſt, ſolidum aureum eodem pondere fuiſſe conflatum: adſentior tamen, quod ſolidum Juſtiniani pondere æquarit.

X. Reperio quoque in Antiquitatibus Italiæ, Imperatorem Rudolphum, Lucam vendidiſſe civibus duodecim millibus coronatorum, Florentiam ſex millibus, quemadmodum ſcribit Blondus *lib.* 8. *decadis ſecundæ.* Hodie Florentiæ ædes ſunt centum, quæ triplo amplius valent, quam civitas vendita fuit. Invenimus etiam in Conſtitutionibus Philippi Longi, de jure civium anno 1328. ſtatutum: ut is, qui cuperet gaudere jure civitatis alio regni loco, teneretur emere domum ſexaginta ſolidis pariſienſibus.

XI. His antiquitatibus ſi Maleſtretto non erit ſatisfactum, videamus vetera ſtatuta cameræ: item conſvetudines Galliæ, & præſertim patriæ meæ Andegavenſis. Invenimus articulum 499. qui habet hæc verba: *Vehes frumenti 25. ſolidis turonenſibus: vehes ſecalis 22. ſolidis & 6. denariis: vehes hordei 15. ſolidis. Caro hædina tribus ſolidis & quatuor denariis: Capo 12. denariis: Gallina 8. denariis: Vervex pinguis 7. ſolidis & 6. denariis: Opera diurna boum tempore hyemis* 10. *den.* Quæ conſuetudo anno 1508. approbata & confirmata eſt. Sed invenio, in Arvernia viliori pretio æſtimationem factam fuiſſe: nam vervex cum lana ſolum æſtimatur 5. ſolidis, hædus 18. denariis, gallina 6. denariis, vitulus 5. ſolidis, porcellus 10. denariis, pavo 2. ſolidis, phaſianus 20. denariis: pipio 1. denar. Plauſtrum fœni quinque quintalium, 15. ſolidis: Opera manuarii diurna in æſtate 6. denariis, hyeme 4. denariis: Vectura boum hyeme 12. denariis. In borbonenſi ducatu plauſtrum fœni duodecim quintalium æſtimatur, in conſvetudinibus 10. tantum ſolidis articulo 555. pratenſe 5. ſolidis in conſvetudinibus Marchiæ receptis anno 1521. Caro vervecina integra abſque lana æſtimatur 2. ſolidis, 6. denariis: Plauſtrum fœni quindecim quintalium 12. ſolidis: Plauſtrum ligni 12. denariis, vitulus 18. denariis: Anſer 12. denariis. In conſvetudinibus urbis Trecarum Campaniæ ſextarius tritici optimi menſuræ trecenſis æſtimatur 20. ſolidis turonenſibus;

bus: ſecale 10. ſolidis: hordeum 7. ſolidis: avena 5. ſolidis: opera viri diurna 12. denariis: fœminæ 6. denariis.

XII. Hic Maleſtrettus non poteſt negare, quin ab annis ſexaginta rerum omnium precia decuplo accreverint, ut minimum: & de quavis moneta loquor, de qua intelligi velit, ſicut monſtrabo ſtatim. Nam ſi ager una cum jurisdictione vendi ad ſummum non poteſt carius, quam ad rationem unius denarii in 25. vel 30. conſequenter precium agrorum decuplo majus eſt, quam ante annos ſexaginta: quod, comparato antiquo precio, per carum videbitur ei, qui vetera ſtatuta & monimenta perſcrutabitur. Omitto infinita exempla alia: nec attingo, quæ uniuscujusque oculis obvia ſunt: & ſufficit demonſtraſſe nunc, caritatem ducatuum, civitatum, & comitatuum, & agrorum, qui vetuſtate non deteriorantur. Quod clarius intelligetur, ſi cauſſa & origo caritatis cognoſcatur.

XIII. CARITATIS, quam experimur, CAUSSAS invenio quatuor vel quinque. *Præcipua* & pene ſola, quam nemo hactenus animadvertit, eſt abundantia auri & argenti, quæ hodie in hoc regno major eſt, quam ante annos quadringentos. Ulterius non progredior, quia regeſta curiæ & cameræ quadringentos annos non excedunt: reliqua ex hiſtoriis veteribus, licet non ſatis certo colligenda ſunt. *Secunda* occaſio caritatis fere ex monopoliis procedit. *Tertia* eſt penuria, quæ proficiſcitur tam ex evectione, quam corruptione. *Quarta* eſt voluptas Regum & Principum, augens precia rerum, quas amant. *Quinta* oritur propter precium monetarum, quod de antiqua æſtimatione imminutum. Hæc membra breviter attingam.

XIV. I. *Præcipua cauſſa*, quæ auget rerum omnium precia in quocunque loco, eſt abundantia ejus, quo æſtimantur res & appretiantur. Plutarchus & Plinius atteſtantur, ſubacto Macedoniæ regno, Paulum Æmylium belli ducem, tantum auri & argenti Romam attuliſſe, ut populus a ſolutione tributorum liberaretur, & precia agrorum in Romania duabus tertiis ſtatim augerentur. Svetonius quoque refert, Auguſtum Imperatorem, tantum divitiarum ex Ægypto apportaſſe, ut uſuræ minuerentur, & precia agrorum longe majora fierent, quam fuiſſent ante. Non itaque propter penuriam agrorum, qui neque creſcunt, neque diminuuntur: nec propter monopolium, cui tali caſu locus eſſe non poteſt: ſed propter abundantiam auri & argenti, quæ contemptum ejusdem efficit: exorta eſt caritas rerum æſtimatarum. Sicuti accidit, cum Regina Candaces, quam ſcriptura appellat Reginam Sabæ, in urbem Hieroſolymam adveniſſet: quo tantam vim gemmarum attulit, ut pedibus conculcarentur. Et cum Hiſpani novas terras ſubegiſſent, ſecures & cultri carius venditi fuerunt, quam margaritæ & lapilli precioſi; quoniam illic non alii, quam lignei & lapidei cultri erant, & magna gemmarum copia. Abundantia itaque vilitatem parit. Qua in re Tiberius Imperator longe aberravit, qui capite truncari juſſit eum, qui vitrum molle & ductile effecerat; metuens, ut Plinius ait, ne, ſi res evulgaretur, auctoritas auri periret; nam abundantia vitrorum, quæ fere ex omnibus lapidibus & herbis conficiuntur, ſemper vilitatem induxiſſet. Idem in cæteris quoque rebus accidit.

XV. Oſtendendum itaque eſt, auri argentique in hoc regno non fuiſſe tantum ante annos trecentos (de quo tempore Maleſtrettus loquitur) quantum ſit hodie. Quemadmodum manifeſte apparet. Nam ſi quid ineſt regionibus pecuniarum, non tam abſcondi diligenter poteſt, quin a Principibus tempore neceſſitatis inveniatur. At vero Joannes Rex non potuit unquam invenire mutuo ſexaginta mille Francos (ponamus fuiſſe coronatos) in extrema neceſſitate: & poſt pictavienſem pugnam, cum annis octo captivus ab Anglis detineretur, neque liberi ipſius, neque amici, neque ſubditi, neque ipſemet adveniens, pretium redemptionis ſuæ potuit corradere, ſed coactus fuit redire in Angliam, donec pecunia colligeretur. Scotorum quoque Regis, qui duodecim annis poſt captus fuit, redemptio ad mille nobiles aureos æſtimata, inveniri ab eodem Scotiæ Rege non potuit: ſed Carolus V. Rex ſe illam ſoluturum promiſit, inito fœdere cum Roberto Scotiæ Rege anno 1371. ut ex tractatu apparet.

XVI. Sanctus Ludovicus eandem difficultatem expertus eſt, cum in Ægypto captivus eſſet. Non eſt veriſimile, populum Francorum, naturali inclinatione Reges ſuos amantem, & maxime id temporis, ac præcipue talem Regem, qui nec habuit fortaſſis, nec habiturus eſt unquam ſimilem: paſſurum fuiſſe, ut ſervus eſſet Mahometanorum, quos tunc ſummopere execrabantur: & tamen Saladinus neceſſe habuit eum dimittere ad conquirendum redemptionis pretium, accepta pignori hoſtia, quam ſecum portabat: quæ utique, ceſſante optimi Regis devotione, in commiſſum cecidiſſet. Reperio, qui dicunt, quæſtionem fuiſſe de ducentis millibus byzantiis aureis: quæ Dominus de Jonville æſtimat librarum quingentis millibus, aitque Reginam precium in arca habuiſſe. Quod in medium relinquo. Legimus etiam in antiquis noſtris hiſtoriis, quod præ inopia pecuniarum facta fuerit moneta ex corio cum clavo argenteo: quæ res demonſtrat ſummam egeſtatem auri & argenti tunc temporis in Gallia.

XVII. Quod ſi ad noſtram ætatem veniamus: deprehendemus, ſemeſtri ſpatio Regem inveniſſe in urbe pariſienſi absq; ulteriori perquiſitione, plus, quam tres milliones & quadringentas libras, exceptis numis officiorum Pariſiis quoque inventorum, & præter auxiliares & domanii pecunias; quanquam neceſſitas Principem noſtrum impelleret, ut pacis lumen nobis redderetur.

XVIII. Invenimus quoque Philippum III. Carolo, qui poſtea Comes Valeſius factus eſt, aſſignaſſe reditum 10. mille librarum feudi nomine. Et in tractatu pacis inter Philippum Pulchrum & Eduardum Reges, Iſabella Franciæ deſponſata & poſtea nuptum collocata fuit filio Regis Angliæ, dote 18. mille libr. turon. data, & nihil amplius: item filio ſuo Philippo Longo reditum

tum feudalem 20. mill. libr. turon. attribuit, anno 1321. Et ex Conſtitutione Regis Caroli V. reditus feudalis Infantium Franciæ eſt 12. mille libr. turon. vel centum & viginti millia ſemel ſolvenda: itemque filiarum Franciæ 60. millia ſemel. Videmus autem fuiſſe tunc plus argenti, quam Philippi Pulchri temporibus: nam Philipp. Valeſius Regis Caroli V avus in aſſignatione Joanni filio ſuo facta, conſtituit, ut ſi filias ſolum ſuſcipiat, prima habeat 3. mille libr. reditus ſoli: ſecunda, duo millia ejusdem reditus, & 50. millia ſemel ſolvenda; tertia mille & 40. millia ſemel ſolvenda. Aſſignatio facta fuit anno 1331.

XIX. Sumamus ætatem Caroli VII. qui primus ſtipem ſeu ſolidum populo impoſuit, & plurimos a ſubditis tumultus ſuſtinuit. Quamvis fugaſſet Anglos, & tantum decennio recuperaſſet, quantum majores ipſius ducentis annis perdiderant: tamen non plus, quam unum millionem & ſeptingenta millia Francorum ex omnibus exactionibus corradere potuit: ut Philippus Cominæus ſcribit. Et pater ejus Carolus VI. tantum 40. mille libr. exigebat: de quo Status, Pariſiis anno 1444. habiti, graviter conquerebantur. Nihilominus Carol. IX. anno 1572. quatuordecim milliones exegit. Ludovicus XI. reducto ad Coronam Ducatu Burgundiæ & Andegavenſi & Comitatu provinciæ, & multis bonis confiſcatis, profligavit tres milliones amplius, quam pater ipſius: qua in re populus tantam ſenſit oppreſſionem, ut ſuccedente Carolo VIII. filio requirentibus & inſtantibus ordinibus, conſtitutum ſit medietatem onerum imminuendam eſſe. Poſtea auri atque argenti abundantia effecit, ut caritate rerum & vilitate argenti exiſtente, onera facta ſint majora: & filiæ Henrici II. Regis majori natu 40. coronatorum millia in dote data ſint: nec reliquis minus. Ita, ut quadruplum conſequerentur ejus, quod Renata Franciæ, filia Franciſci, in dotem acceperat, videlicet centum millia coronatorum. Si quæratur, ubi aurum & argentum fuerit? deprehendetur, Italiam propter magnitudinem nagotiationum, & ſecuritatem inter Principes, omne aurum Europæ attraxiſſe.

XX. Inveniturque, eodem tempore conſtitutum fuiſſe a Carolo V, ut filiabus Franciæ ſexaginta millia librarum ſemel ſolvenda nomine matrimonii darentur. Galeaceus vero Vice-Comes Mediolani ducenta millia coronatorum filiæ ſuæ, quæ Leonetto Angliæ Regis filio nupſit, in dotem dedit: & frater illius Barnabas, qui mediam Vicecomitatus Mediolani partem tenebat, duos milliones auri pro dotibus novem filiarum legitimarum & duarum illegitimarum dedit, quamvis haberet quinque liberos maſculos legitimos, & duos ſpurios: ſicut legimus in hiſtoria mediolanenſi. Hujus nepos Galeaceus I. Dux Mediolani, filiam ſuam Valentinam Ludovico Franciæ, Duci aurelianenſi, uxorem eique quatuor millia florenorum aureorum ſexcenta ſexaginta ſeptem marcas argenti in dotem dedit, absque jocalibus & comitatu aſtenſi: addita promiſſione, quod Ducatus mediolanenſis deficientibus maſculis ad Valentinam ejusque heredes pervenire deberet. Ludovicus Sforcia, cognomento Niger, gubernator mediolanenſis, neptem ſuam Blancam Sforciam Imperatori Maximiliano nuptam collocavit, eique quadraginta millia coronatorum & ſexaginta millia ducatorum in dotem attribuit anno 1494. præter quadraginta millia coronatorum, quæ poſtea pro inveſtitura Mediolani dedit.

XXI. Si Dominus de Maleſtroict ſcrutetur regeſta cameræ, adſtipulabitur mihi, plus auri argentique in Francia ad Regis & reipublicæ neceſſarium uſum, ab anno 1515. usque ad annum 68. inventum fuiſſe, quam olim ducentis annis inveniri potuerit.

XXII. Quod ſi quis dicat, non abundare nunc magis aurum & argentum, quam antea, ſed a paucis annis hanc caritatem nobis ab Italis introductam eſſe: contrarium demonſtrari poterit. Certum enim eſt, quod omnibus temporibus banniti ex ea regione hic fuerint, qui præter immunditiem, quam in hoc regnum invexerunt, ſemper Deo & miſero populo bellum intulerunt, omni conamine enitentes, ut naturalem bonitatem e cordibus Regum noſtrorum evellerent. Qua de cauſſa ex Francia ejecti fuerunt, & bona ipſorum confiſcata tempore Philippi Longi. Et poſtea majores noſtri ſemper in duplum taxarunt litteras, quas vocant Lombardicas in cancellaria. Invenimus quoque Philippum Valeſium primum impoſuiſſe gabellam ſali: quo acceſſerunt quatuor denarii in ſingulas libras, ad quadraginta quinque libras in modium & amplius. Facile itaque argentum inveniſſent, ſi tantum exſtitiſſet, quantum hodie: nam Philippus Longus nulla religione movebatur, quin a populo poſtularet quintam redituum uniuscujusque partem.

XXII. Sed, dicet aliquis, unde tantum auri & argenti ab eo tempore provenit? Invenio I. mercatores & opifices, qui aurum & argentum accerſunt, tunc temporis ceſſaſſe. Nam Franci, fertiliſſimam mundi regionem obtinentes, agriculturæ & pecuariæ operam dabant, & eo ſe vitæ genere, quod in Francia præcipuum eſt, exercebant. Ita, ut negotiatio Orientis quieſceret metu Barbarorum, qui littora Africæ tenent, & Alarborum, quos majores noſtri Sarracenos appellabant, qui univerſum mare mediterraneum ſubegerant, & chriſtianos, quos capiebant, catenis ſervorum inſtar vinciebant. Et quantum ad negotiationes Occidentis, eæ prorſus erant incognitæ, antequam Hiſpani mare indicum navigaſſent. Præterea Angli, portus Aquitaniæ & Normandiæ tenentes, commeatum in Hiſpaniam & inſulas nobis intercluſerant. Denique ab altera parte controverſia familiæ andegavenſis cum arragonica portus Italiæ nobis claudebant.

XXIV. Sed ab annis centum quinquaginta majores noſtri Anglos expulerunt; & Portugalli altum mare circumnavigantes, ſinum perſicum & maris rubri partem occuparunt; & ita naves ſuas divitiis Indorum & Arabiæ felicis impleverunt. Fruſtrantes Venetos & Genuenſes: qui merces ex Ægypto & Syria, quo per Alarbos & Perſas devehebantur, adferebant, ut nobis easdem minutatim & ad auri pondus venderent.

XXV. Eodem tempore Caſtellani ſubegerunt terras novas, auro & argento plenas, quæ in Hiſpaniam intulerunt, & viam monſtrarunt naucleris noſtris inſtituendæ navigationis Africæ, maximo noſtrorum emolumento. Incredibile eſt, ſed verum tamen, ab anno 1533. quo per Pizarros ſubacta fuit Peruvia provincia, plus quam centum milliones auri, & bis tantundem argenti inde allatum eſſe. Precium redemptionis Regis Atabalibæ fuit 1326000. bezanorum aureorum. Emebantur tunc in Peruana caligæ panneæ trecentis ducatis, chlamis mille ducatis, equus quatuor vel quinque millibus, menſura ſeu pocale vini ducentis ducatis: ut teſtatur hiſtoria indica. Et nihilominus Auguſtinus Zaratius, catholici Regis rationum magiſter, deprehendit, officiales Regis catholici in Peruana manſiſſe debitores, rationibus ſubductis, 1800. millium bezanorum aureorum, & 600. millium librarum argenti.

XXVI. Ut omittam negotiationem & incredibile emolumentum, quod Rex Portugalliæ ex Moluccis percipit; ubi cariophylla, cynnamomum, & alia aromata precioſa creſcunt: quas ab Imperatore Carolo V. ex antichreſi pro 350000. ducatis accepit, cum Bononiam ad coronam imperialem ſuſcipiendam proficiſceretur: quas Itali, refuſo in parata pecunia precio, repignerare voluerunt, ſed Imperator recuſavit propter utriusque familiæ fœdera.

XXVII. Itaque Hiſpani, qui vitam ex Francia ſuſtentant, inevitabili neceſſitate coacti, frumenta, linum, pannos, glaſtum, papyrum, libros, adeoque opificia & operas mechanicas, hinc comparare, currunt ad extrema mundi, ut aurum & argentum, & aromata nobis quærant. At altera parte Angli, Scoti, & omnes populi Norvegiæ, Sveciæ, Daniæ, & littoris Balthici, qui fodinas metallicas quamplurimas habent, ex centro terræ metalla effodiunt, ut emant noſtra vina, crocum, pruna paſſa, glaſtum, & inprimis ſal, quod eſt manna, ſpeciali Dei benignitate ſine magno labore nobis datum. Nam calore ſeptentrionalibus ultra quadrageſimum gradum deficiente, ſal ibi fieri nequit: & infra quadrageſimum ſecundum calor nimis ardens efficit ſal corroſivum. Eſt autem multo magis tale, ſal ſalinarum hiſpanicarum, neapolitanarum & polonicarum; quo ſæpiſſime homines & ſalituræ corrumpuntur: ita ut ſalinæ comitatus Burgundiæ, & ſal hiſpanicum & ungaricum longe abſit a bonitate noſtri. Hinc fit, quod Angli, Belgæ, & Scoti, qui ſaliendis piſcibus magnam mercaturam exercent, ſæpe aliarum mercium inopia navibus ſaburra onuſtis ad nos veniant, ut pecuniario precio ſal emant.

XXVIII. II. Altera occaſio tot commodorum, quæ ab annis centum viginti vel quadraginta nobis acceſſerunt, eſt infinita populi multitudo, quæ, ſopitis inter aurelianenſem & burgundicam familiam civilibus bellis, in hoc regno multiplicata eſt. Unde dulcedinem pacis ſenſimus, ejusdemque fructuum diuturno tempore & usque ad religionis tumultus potiti ſumus. Nam extraneum bellum, quod interim incidit, nihil aliud, quam malorum humorum expurgatio fuit, omni reipublicæ corpori neceſſaria. Antea campeſtria loca, & fere etiam civitates, propter civilium bellorum deprædationes, deſertæ erant; cum & Angli oppida deſtruerent, pagos comburerent, magnam populi gallici partem ſpoliarent, occiderent, & reſiduum ad medullam usque deroderent. Qua de cauſa ceſſabant agriculturæ, negotiationes, & omnes artes mechanicæ. Sed ab annis centum infinitis locis ſuccisæ ſunt ſylvæ, ædificati pagi, civitates repletæ. Ita, ut præcipua Hiſpaniæ utilitas, quæ alioqui deſerta eſt, proveniat ex colonis Gallorum, qui turmatim in Hiſpaniam abeunt, præſertim arverni & lemovicenſes. Adeo, ut in Navarra & Arragonia fere omnes vinitores, aratores, carpentarii, murarii, opifices, lapicidæ, tornarii, carrucarii, aurigæ, plauſtrarii, reſtiarii, ſellularii, helciarii, ſint Galli. Nam Hiſpani mirum in modum ſunt ignavi, excepta armorum & mercaturæ tractatione: & ob id amant Gallos laboribus & ſervitiis promptos. Quemadmodum apparuit in negotio prioris Capuani Valenciæ: ubi inventi ſunt decem mille ſervi & opifices Galli; qui inquietabantur, quaſi participes fuiſſent conjurationis, contra Maximilianum tunc generalem locum tenentem in Hiſpaniis factæ: ſed Domini & incolæ valencienſes pro omnibus expromiſerunt. Magnus quoque eorum numerus in Italia eſt.

XXIX. III. Alia quoque divitiarum Franciæ occaſio eſt, videlicet negotiatio Orientis. Quæ aperta nobis fuit, contracta amicitia inter familiam francicam & othomannicam tempore Regis Franciſci I. Ita, ut ab eo tempore mercatores galli habuerint tabernas Alexandriæ, Cayri, Beryti, Tripoli, non minus atque Veneti & Genuenſes. Nec minus fide & gratia valent Feſſæ & Marocci, quam Hiſpani: prout apparuit, poſteaquam Judæi, a Ferdinando ex Hiſpaniis ejecti, in inferiorem Galliam narbonenſem ſe contuliſſent, & Gallis negotiationem in Barbaria oſtendiſſent.

XXX. IV. Alia cauſa abundantiæ auri & argenti provenit ex banco, ſeu menſa argentaria Lugduni. Ut verum dicamus, a Franciſco Rege inſtituta: qui cœpit pecuniam mutuo ſumere ad octo, & ipſius ſucceſſor ad decem, poſtea ad ſedecim, & usque ad viginti in centenos, urgente neceſſitate. Statim enim Florentini, Lucenſes, Genuenſes, Helvetii, Germani, dulcedine uſurarum illecti, infinitam auri & argenti vim in Franciam apportarunt: & multi etiam hîc habitare cœperunt, tam propter aëris temperiem & ſuavitatem, quam propter naturalem populi bonitatem & ubertatem regionis. Eadem ratione reditus in urbem pariſienſem conſtituti, (qui ad tres milliones trecentas, & quinquaginta mille libras quotannis ſe extendunt,) allexerunt extraneos, ut pecunias ſuas lucri cauſſa huc transferrent, tandemque domicilium hic collocarent: quæ res valde locupletavit hanc civitatem. Quanquam artes mechanicæ & mercatura felicius, meo quidem judicio, ſuccederent, non imminutæ per talem argenti negotiationem. Et locupletior multo civitas foret, ſi idem fieret, quod Genuæ, ubi domus Sancti Georgii recipit pecunias eorum,

qui

qui adferuntur, ad rationem unius denarii in viginti, & rurſus negociandi cauſſa mercatoribus elocat ad rationem unius denarii in duodecim vel quindecim: quæ ratio magnitudinis & divitiarum ejusdem civitatis cauſſa exſtitit, & quam tum publice, tum privatim valde opinor expedire. Etiamſi duorum magnorum Imperatorum prudentiam & bonitatem præferam, Antonini Pii & Alexandri Severi; qui nummos ærarii, ad rationem quatuor in centenos, hoc eſt unius denarii in viginti quinque, privatis dabant. Quin etiam Auguſtus absque uſuris tribuebat illis, qui cautionem præberent, ſi ad conſtitutam diem ſoluta pecunia non eſſet ſe duplum reſtituturos: ut Svetonius refert: Et hac ratione, ablata quæſtoribus peculandi publici occaſione, pauperes ſubditi negotiabantur & lucrabantur plurimum, & Princeps non habebat neceſſe mutuari aut vendere ſuum domanium neque excoriare populum. Sed potius hoc modo evenit, ut optimus Alexander vectigalia & exactiones triginta partibus imminueret, ita, ut qui triginta & unum coronatos tributi & ſubſidii ſub Heliogabulo (naturæ monſtro) ſolviſſet, unicum tantum ſub Alexandro daret.

XXXI. Hæ ſunt, Domine, rationes, quæ ab annis ducentis aurum & argentum nobis in copia apportarunt. Quæ major eſt in Hiſpania & Italia, quam in Francia, propterea, quod ipſi quoque nobiles in Italia negotientur, nec aliud populi Hiſpaniæ agant. Ideoque cariora ſunt omnia in Hiſpania & Italia, quam in Francia; & magis in Hiſpania, quam Italia; maxime ſervitia & operæ manuales. Quo fit, quod noſtri Arverni & Lemovices in Hiſpaniam proficiſcantur: ſicut ex ipſis intellexi, quia triplo plus illic, quam in Francia, lucrantur. Hiſpani enim divites ſuperbi & ignavi admodum care labores ſuos vendunt, Clenardo teſte: qui in epiſtolis ſuis, capite expenſarum, in uno articulo ponit quindecim ducatos quotannis ad tondendam barbam in Portugallia. Abundantia itaque auri & argenti ex parte cauſſa eſt caritatis rerum.

XXXII. Præteribo ALTERAM caritatis occaſionem, propterea, quod non perinde in conſiderationem veniat hoc caſu; monopolia videlicet mercatorum, artificum & operariorum: quando conveniunt ad conſtituendum certum precium mercium, & ad augendas mercedes operarum & laborum. Et quia ejusmodi conventicula prætextu religionis plerumque velantur, ſapienter arbitratus fuit Cancellarius Pojetus, tollendas & reſcindendas eſſe confraternitates. Quod poſtea confirmatum eſt ad inſtantiam Ordinum Aureliani. Ut bonis legibus non carere videamur.

XXXIII. TERTIA caritatis cauſa eſt penuria. Quæ duobus modis accidit: *primo*, propter nimiam avectionem ex hoc regno, & propter impedimenta, ne res neceſſariæ adferantur: *ſecundo*, propter diſſipationem ſeu abſumptionem. Quantum ad avectionem: certum eſt, vinum & frumenta nos vilius emere, durante bello inter Hiſpanos & Belgas, quam poſt bellum, cum jam avectio permittitur. Etenim villici fere coguntur nummos conquirere: mercatores non audent naves onerare: domini non poſſunt diu aſſervare, quod eſt periturum: & per conſequens, neceſſario populus vilitatem annonæ ſentit. Nam majores noſtri vetus adagium nos docuerunt: *Franciam fame nunquam enectam eſſe*; hoc eſt, habere opulenter, quo populum nutriat, quæcunque anni incidat ſterilitas, dummodo extranei horrea noſtra non evacuent. Certum autem eſt, vix frumentum ſpicari poſſe vel excuti, quin ab Hiſpanis aſportetur: quoniam Hiſpania, (excepta Arragonia & Granata) admodum ſterilis eſt, accedente naturali ignavia, ut dixi. Ideoque in Portugallia mercatores frumentarii magnis privilegiis gaudent: & inter cætera prohibitum eſt, ne quis captivus ducatur, qui triticum venale attulent: alioquin ſcilicet plebs lictorem obrueret, ſi modo, qui frumentum apportavit, clara voce dicat: *trabo dridigo*, hoc eſt triticum adfero. Et quamvis ſub gravi pœna prohibitum ſit aurum & argentum ex Hiſpaniis avehere, tamen permiſſum eſt propter frumentum ſolummodo. Hinc fit, quod Hiſpani magnam frumenti copiam conſequantur.

XXXIV. Sed & narbonenſis Gallia & Provincia frumenta Hetruriæ & Barbariæ ſuppeditat: unde abundantia argenti & caritas frumenti oritur. Nam ex Hiſpaniis non alias fere merces accipimus, quam oleum & aromata: licet meliora aromata nobis ex Barbaria & Oriente adferantur. Ex Italia accipimus alumen & pauculos pannos & ſericum. Quanquam inferior regio narbonenſis & Provincia plus olei ferat, quam in noſtros uſus ſit neceſſarium: & ejusdem generis ac bonitatis panni & ſericum in hoc regno conficiantur, artificum judicio, atque Florentiæ vel Genuæ: ex quo mercatores norunt emolumentum ſuum quærere, nomen quodlibet illis imponentes.

XXXV. Quantum ad alumen; ſi venas pyrenæorum montium velimus incidere, certum eſt, nos inventuros ſcatebras non ſolum aluminis, ſed etiam auri & argenti. Quoniam multi Germani bonam ſpem fecerunt: & magiſter Dominicus Bertinus in ipſis locis mihi demonſtravit, & experimentum exhibuit Henrico Regi, omnium metallorum, cum magna copia chalcanthi aluminis & marcaſitæ. Inter cætera deprehenſum eſt, plus aluminis ibi eſſe, quam tota Francia opus habeat: licet quotannis plus, quam pro integro millione, ex Italia adferatur: ſicut affirmabat.

XXXVI. Huic debemus marmora nigra, candida, variegata, jaspidea, anguinea: quæ ex montibus pyrenæis Pariſios miſit. Mihique adſeveravit, ſi fides ei adhiberetur, non amplius nos alumine Italico opus habituros. Quo pacto Itali præter affanias, adulterinas gemmas, & fumigationes, nihil habituri eſſent, quo argentum ex hoc regno extraherent. Hanc viam excogitarunt, deſtituti mercibus, quas cum noſtris permutent: ut vendant nobis ſuffitus, tanto precio, ut ſuffi-

tor quidam italus, a quodam Domino in hoc regno (qui notus eſt tibi) ex venditione chirothecarum acceperit quadringentos coronatos, quæ vix in unius anni uſum ſufficiebant. Si meis votis locus eſſet, optarem, Principes non pluris ea facere, quam fecit Veſpaſianus Imperator: & certo mihi perſvadeo, ſufficienter Aquitaniam ſublaturam eſſe caritatem Italicorum.

XXXVII. QUARTA caritatis cauſa ex Principum voluptatibus provenit, qui precia rebus attribuunt. Eſt enim in materia ſtatus politici & reipublicæ regula generalis, quam Plato primus animadvertit: Reges nonſolum leges ſubditis dare, ſed & mores ac vivendi conſvetudinem ſuo arbitrio mutare, tam in vitiis, quam in virtutibus & rebus differentibus. Non utar alio, quam Regis Franciſci I. exemplo: qui ad ſanandum vulnus, quod in capite habebat, tonderi ſe fecerat, ſtatim aulici, & poſtea univerſus populus tonſus fuit. Ut hodie ludibrio habeatur promiſſa cæſaries, quæ olim ſignum erat pulchritudinis & libertatis: ſicut & a veteribus flavum capillitium, habita fuit pulchritudo ſeptentrionalium populorum. Adeo ut primi Reges noſtri interdixerint ſubditis, qui non eſſent genuini Francones, alere cæſariem in ſignum ſervitutis: quæ conſvetudo usque ad tempora Petri Lombardi Epiſcopi, pariſienſis, perduravit; qui illa autoritate interdictum ſuſtulit, qua tunc Epiſcopi in Reges utebantur. Quod obiter ſufficit ad demonſtrandum, quod ſubditi ſemper ad voluntatem Principis ſe conforment, & conſequenter magni faciant, & æſtiment ea, quæ Principes amant, licet per ſe indigna ſint. Quemadmodum Caracalla Imperator inæſtimabilem fecit ſuccini flavi caritatem, teſtante hiſtoria, propterea quod is color capillis amicæ reſponderet.

XXXVIII. Vidimus eadem ætate tres magnos Principes certatim operam dare, lapillis precioſis, viris doctis, & politis artificibus: nempe Regem Franciſcum Magnum, Paulum Tertium Pontificem, Henricum Angliæ Regem. Adeo, ut Rex Franciſcus nunquam voluerit Angliæ Regi dominum Budæum concedere, quamvis valde inſtanti: malueritque ſeptuaginta duobus coronatorum millibus adamantem emere, quam ut eundem Angliæ Rex conſequeretur. Mox nobilitas & populus omnis animum ſtudiis ſcientiarum adjecit: cæperuntque lapillos precioſos emere quovis precio. Ita, ut Itali, animadverſis deſideriis noſtris, plures vicennio adulteraverint, quam India unquam genuinas produxerit. Quod ipſimet celare non potuerunt, appellantes Gallos ſtupidos, ut Cardanus ſcribit, qui imponi ſibi paterentur.

XXXIX. Poſtquam autem Henricus Rex lapillos contemſit, mira illorum ſecuta eſt vilitas. Eſt igitur voluptas Principum, quæ gemmarum precia conſtituit, non penuria: cum hujusmodi lapilli neque diminui, neque perire poſſint, excepto ſmaragdo, qui fragilior eſt, & margarita, quæ nigredinem contrahit, & tempore putreſcit. Sed Principes, videntes ſubditos rebus illis, quas amant, abundare, eas incipiunt faſtidire. Accedente abundantia, quæ contemptum inducit.

XL. Quemadmodum videmus in margaritis: quæ admodum viles ſunt propter abundantiam ex terris novis exortam. Invenitur enim in hiſtoriis Indorum, quintam margaritarum Imperatori allatam effeciſſe 160. libras una vice ſola. Nihilominus tamen antiquitus omnium gemmarum erat precioſiſſima, ſicut dicit Plinius. Communi quoque proverbio de homine illuſtri, vel re pulchra loquentes per excellentiam dicimus, *c' eſt une perle*, hoc eſt, eſt margarita: & Magnus Negus, quem nos Presbyterum Johannem appellamus, quinquaginta provinciarum dominus, in titulo ſuo uſurpat *Johan Belul*, quod ſignificat margaritam precioſam.

XLI. Margarita itaque olim omnium rerum in mundo erat cariſſima: quemadmodum alibi Plinius ſcribit: tam propter raritatem, quam propterea, quod a Principibus in maxima & pene incredibili æſtimatione haberetur. Utut ſit, invenimus Cleopatram Reginam duas habuiſſe unciam ponderantes, quingentis millibus coronatis æſtimatas. Quarum unam liquefactam ex ſponſione abſorpſit: altera ab Auguſto, pro potiſſima victoriæ præda, ablata fuit, qui illam diſſecari fecit & auribus appendi. Vidimus intra annos octo, magaritam pondere paulo minus ſemiuncialem, quinque magnis lapillis precioſis exornatam: & tamen univerſum munus æſtimatum fuit mille trecentis coronatis tantum, quod gemmariorum judicio carum videbatur. Ut appareat, abundantiam margaritarum peperiſſe contemptum, & ex contemptu exortam eſſe vilitatem.

XLII. Idem de pictura dicere poſſumus, quam Principes Orientis & imprimis Alexander Magnus in tantam æſtimationem perduxerunt, ut tabula Veneris emergentis ex aquis, quam Apelles pinxerat, empta fuerit ſexaginta millibus coronatorum. Alexander ei de ſuo donabat ducenta talenta, quæ valent centum viginti millibus coronatorum. Aliorum pictorum tabulæ non tantidem pretii erant; etiam viliores tamen magno conſtabant. Apelles pecuniæ magnitudine non deterrebatur, quin tabulam quandam Protogenis quinquaginta millibus coronatorum redimeret. Habemus picturas Michaëlis Angeli, Raphaëlis Urbini, Dureri, & ne longius eamus, quandam Domini de Claygni in palatio Fontisbellaquenſi, admirabilis artificii opus, quam nonnulli tabulis Apellis comparare non dubitarunt. Sunt & multæ aliæ inſignis artificii, verum longe ab antiquorum excellentia abſunt: quoniam Principes non magni eas faciunt, & quia omnis Orientis & Barbariæ populi usque ad Perſas, univerſas rerum, quas natura profert, abominantur picturas, metuentes ne in præceptum committant, quo dicitur, *Non facies tibi ſculptile*. Ita, ut pictores, ſtatuarii, fuſores, ſculptores, illuminatores, in illis regionibus non magis locum habeant, quam eorum opera. Itaque voluptas Principum ex parte caritatis rerum cauſa eſt.

XLIII. ALIA & V. caritatis cauſſa eſt abſumptio ſeu corruptio rerum, quibus ad uſum noſtrum indigemus. Sericum vilis precii eſſe oportebat: quandoquidem tam copioſe in hoc regno conficitur, & præterea ex Italia adfertur. Caritas ex abſumptione provenit: quia non ſolum flagrio-

nes

nes & curſores eo veſtiuntur, verum etiam ita diſſecatur, ut durare vel uſui eſſe pluribus, quam uni, nequeat. Quod a Turcis, ut intellexi, nobis merito exprobratur: qui inſanos & furioſos in eorrumpendo nos appellant, quaſi in contemptum Dei fiat, qui ea bona nobis dedit. Illi longe magis eo abundant, quam nos: ſed nemini ſub pœna licet diſſecare. Idem nobis in pannis evenit: & præcipue in caligis conficiendis: quibus triplo plus adhibemus, quam opus eſt, idque cum tot inciſuris & diſſectionibus, ut pauperioribus uſui eſſe nequeant, poſteaquam dominus eas faſtidire cœpit: & præterea tria paria pro unis geſtantur: & ut caligis femoralibus palla reſpondeat, integram ulnam ei addunt ultra ſolitum. Edicta quidem de ea re facta ſunt: ſed fruſtra: quoniam donec in curia, quod prohibitum eſt, geſtatur, paſſim quoque geſtabitur: cum apparitores ab his ſibi meniant, & ab illis corrumpantur. Sed & in veſtitu ſemper ineptus & ſtolidus habebitur, qui uſitato modo ſe non accommodet, qui ex Hiſpaniis provenit. Sicut cycladem ſeu vertugallam a mauritanis fœminis accepimus; tanta acceſſione, ut januæ nimis ad tranſeundum anguſtæ ſint. Quod longe recedit a majorum noſtrorum modeſtia antiqua, qui veſtibus, ut Cæſar refert, anguſtis aſtrictiſque corpori, ut proportionem & pulchritudinem repræſentarent, uſi ſunt: cum Germani contra laxis uterentur. Unde incredibilis abſumptio oritur: ex abſumptione provenit inopia. Caritas veſtimentorum ex parte procedit propter manupreciun ſeu facturam, quæ precium materiæ ſæpe excedit: dum acu pinguntur, mæandris ſegmentis, fimbriis, virgis, ſciſſuris, opere phrygio, aliiſque novis indies excogitatis modis exornantur. Nam poſt prohibitam auratarum argentarumque parangandarum geſtationem, repertæ ſunt fœminæ, quæ ſtolas Mediolani, pretio quingentorum coronatorum, non computato auro, vel gemmis, vel materia, factas induerunt.

XLIV. Et ex hac luxuria perventum eſt ad ſuppellectilia ædium, ad toralia lectorum deaurata & phrygiana, ad abacos deauratos & argentatos. Et ut omnia invicem reſpondeant, magnificas ædes exſtruunt, ſupellectilem ædibus quadrantem comparant, genere vivendi veſtimentis convenienti utuntur. Quin & menſas pluribus ferculis onerant: quoniam Galli, propter naturam regionis, Hiſpania & Italia frigidiorem, non poſſunt paſſerinis vivere, ſicut Itali. Hinc procedit immoderata in omni ciborum genere ſuperfluitas, & delitiæ majoribus noſtris incognitæ: quæ ita hoc regnum invaſerunt, ut famuli quoque inſtitorum in laudatiſſimis popinis coronato, & domi binis coronatis ſinguli prandere velint. Quæ perniciosiſſima eſt urbis pariſienſis peſtis.

XLV. Attamen hæc luxuria non eſt graviſſima omnium, quoniam in remiſſione proceſſus quæſtorum repertum fuit, unum ex illis, Lutetia Pariſiorum duos faſciculos induſiorum, dealbandi cauſa, in Flandriam miſiſſe, conſtituto Teſtuni pretio in ſingula, nec minori pro acticulis dato. Verum non impune tulit: nam carnifex ſtrangulatum veſtibus usque ad induſium ſpoliavit.

XLVI. Hæc inter cæteras cauſſa fuit, cur Cancellarius Pratus hoſtili odio ejusmodi furunculos proſecutus ſit, qui ſimplicitatem populi pervertunt, & rerum omnium pretia data opera augent. Qua in re hoc video eſſe peſſimum, quod Principis & populi expenſis fiat.

XLVII. Dico itaque, ab hujusmodi corruptionibus & ſuperfluitatibus caritatem annonæ, quam videmus, ex parte provenire. Omitto, hanc eſſe cauſam omnium vitiorum & calamitatum reipublicæ. Nam complures ludendo, mutuando, vendendo, & omni voluptatum genere luxuriando, tandem creditoribus ſuis, aut ceſſione bonorum aut decoctione ſatisfaciunt. Sed ſi antiquæ Romanorum, Græcorum, Hebræorum, Ægyptiorum leges, eundem in Francia, quem apud Indos & in Æthiopia, locum haberent: videlicet, ut debitor, qui ſolvendo non eſt, creditori adjudicetur ad ſerviendum vel diſtrahendum: non tot latrones, ceſſionarios, & decoctores haberemus: neque caritatem rerum experiremur tantam, quæ ex luxu orta eſt.

XLVIII. Hic objiciet aliquis. Si res omnes partim propter abſumptionem, partim propter abundantiam auri & argenti, cariores efficerentur, nemo propter magnitudinem pretii vivere poſſet. Verum quidem eſt: ſed bella & calamitates, quæ reipubl. accidunt, præcipitem annonæ curſum ſiſtunt. Quemadmodum videmus Romanos valde parce, & ut ita dicam in magna paupertate, fere quingentos annos vixiſſe: cum gravem tantum monetam æream librali pondere haberent, & non ſignatam usque ad Servii Regis tempora. Sicuti nec argenteam monetam percuſſerunt ante quadringenteſimum quintum annum ab urbe condita, ut in Faſtis videre eſt. Sexaginta duobus annis poſt aurea moneta uti cæperunt.

XLIX. Conſideremus itaque pretia rerum illius temporis. Inveniemus, vervecem æſtimatum fuiſſe tantum aſſibus æreis, quos doctiſſimus Budæus pro tribus ſolidis & dimidio ſui temporis accipit, & ad ſummum pro quatuor noſtris: bovem centum aſſibus, quos coronato ſolari æſtimat, quod pretium lege Ateria Tarpeja conſtitutum erat ducentis octoginta annis poſt urbem conditam. Quo tempore ſtipendium peditis, teſte Polybio, duorum obulorum erat, centurionis quatuor, equitis denarii, qui tribus ſolidis & dimidio valebat monetæ quatuor denariorum & duodecim granorum in liga. Legimus in Plutarcho, pretium vervecis tempore Solonis fuiſſe unius drachmæ, quod eſt ſeptima parte minus, quam Romanæ ducentis annis poſtea.

L. Quod ad reliquæ annonæ pretia pertinet, eorum æſtimatio ex lege Fannia iniri poteſt. Quæ quingenteſimo nonageſimo ſecundo anno ab urbe condita ſumptum imminuit; cum expreſſa prohibitione, ne quis plus, quam centum aſſes, hoc eſt coronatum ſolarem, inſumeret in convivus majorum ludorum: cæteris diebus decem aſſes: idque ſine volatilibus præter gallinam

domeſticam. Quod edictum rogante Didio Tribuno plebis per univerſam Italiam publicatum fuit. Sexaginta quatuor annis poſtea Craſſus dives, Cenſor, caritatem annonæ paulatim ingraveſcere animadvertens, legem tulit, qua unicuique liceret centum aſſes inſumere diebus nundinarum, Calendarum, Nonarum, & Iduum: & in nuptiis ducentos aſſes, qui efficiunt duos coronatos, tres libras carnis ſiccæ, unam ſalitæ, & fructuum quantum liberet: aliis diebus triginta, qui Teſtunum efficiunt.

LI. Viginti & ſeptem annis poſt, cum urbs ſpoliis Græciæ & Aſiæ ditata eſſet, populus refrenari non potuit; accedente propter abundantiam auri & argenti omnium rerum caritate. Sylla Dictator vetera ſtatuta obſoleſcere videns, quantum potuit, ſumptum imminuit; & tamen permiſit, ut duabus tertiis major eſſet, quam Craſſus conſtituiſſet, licet æſtimationem quoque annonæ & cibariorum levaſſet.

LII. Triginta ſex annis poſtea Cæſar, temperantiſſimus omnium Princeps, animadvertens, omnem populum immoderatis conviviis luxuriari, edictum fecit, quo prohibuit, ne plus, quam viginti quinque coronati, conſumerentur in nuptiis, & reliquis diebus feſtis & nundinarum ſeptem coronati & dimidius: quod decuplo plus erat, quam Sylla permiſerat. Et hæc ipſa tamen edicta adeo negligebantur, ut pro eorundem executione, ipſemet ſecreto in forum ire cogeretur. Nec poſtea quiſquam ea de re edictum fecit. Quin & Caligula, inſigne prodigalitatis exemplum ſubditis edere volens, viginti & duos milliones auri, quos Tiberius comparſerat, uno anno abligurivit.

LIII. Sed videamus, quemadmodum abundantia auri & argenti, itemque abſumptiones auxerint pretia rerum a temporibus Syllæ usque ad Caligulam, ſpacio non plene centum annorum.

LIV. Reperimus delicatiores piſces, in quo numero ſunt Mugil, Rhombus, Aurata, Dentex, Acipenſer, Muræna, emptos fuiſſe ad pondus argenti, ut Galenus ſcribit. Fuit quidam liguritor, indignus qui nominetur, qui ducentis coronatis emit Mugilem marinum bilibris ponderis: quæ emptio fuit auro contra. Capiuntur in Oceano noſtro, & quandoque in Ligeri, quo ſe effundunt, trium vel quatuor librarum, & veneunt quindecim vel viginti ſolidis: quoniam nobiliores & vulgus carnibus magis delectantur.

LV. Ex his exemplis judicare poſſumus de caritate cæterarum rerum omnium. Nam pavo temporibus Varronis conſtabat quinquaginta denariis argenteis, qui efficiunt coronatos triginta: par pipionum vendebatur viginti quinque coronatis. Poſt quæ tempora, precia rerum omnium accreverunt decuplo, ut ſupra demonſtravimus. Plinius progreditur ulterius. Scribit enim, quendam Hirrium nomine ſex millia murænarum mutuo dediſſe (quæ lampetris noſtris præter longitudinem nihil ſimile habent) ad pondus & numerum; ſcilicet ut totidem ei redderentur: nec voluit auro argentove eas vendere, qui parvi Romæ fiebant propter abundantiam. Neque enim penuria rerum obſtabat, cum ab omni terrarum parte, quaſi ad mercatum, Romam deferrentur.

LVI. Quanquam luxus ad flagellandam annonam plurimum adjuvabat. Quia nonnulli ditiſſimorum non poterant interdum viam invenire, qua bona ſua diſſiparent. Ut Æſopo Tragædo accidit. Qui excitandi appetitus gratia ferculum ſibi apponi juſſit quindecim millibus coronatorum æſtimatum, plenum luſciniis, ſturnis, merulis, & aliis aviculis oſcinibus: cum tamen ejusmodi aves inſipidæ ſint, & inſuaves: ſed magnitudo precii ſaporem eis conciliabat. Et Athenæus narrat, cum in Sclavoniam comedendorum cancrorum gratia, qui magni ibi ſunt, appuliſſet: antequam navem egrederetur, dictum ei fuiſſe, longe meliores & ſuaviores in oris Africæ inveniri: quo intellecto eandem ob cauſam in Africam navigaſſe. Filius autem, veritus, ne patrem ignominia afficeret, margaritas inæſtimabilis precii liquefactas abſorpſit. Nec eſt, quod quis miretur, Tragædum tot coronatos habuiſſe: quoniam mimi & hiſtriones tanto in precio erant, ut Roſcius triginta ſex millia coronatorum quotannis compareret; duodecies morionem agendo coram populo: præter emolumenta ludorum particularium, quæ centuplo plus valebant.

LVII. Sed ut abundantia auri & argenti ad oculum demonſtretur, commodius exemplum inveniri nequit, quam Apicii magiſtri helluonum; qui cum tres milliones coronatorum abliguriiſſet & trecenta quinquaginta millia adhuc reſidua haberet: metuens, ne fame periret, veneno ſe necavit: ſicut plurimi hiſtorici teſtantur.

LVIII. Quapropter verum eſſe credo, quod de Cicerone fertur, quod pro unius cauſæ peroratione domum quinquaginta millibus coronatorum æſtimatam acceperit. Quoniam ſi ſcurræ tanto in pretio fuerunt, non eſt mirandum, tali advocato tam ſplendidum ſalarium collatum fuiſſe

LIX. Porro aurum argentumque omne Romanis intra centum viginti annos obvenit, ex univerſi orbis deprædationibus & ſpoliis, quæ Romam apportarunt Scipiones, Paulus Æmylius, Marius, Sylla, Lucullus, Pompejus, Cæſar, & maxime duo iſti poſtremi. Nam Pompejus tot regiones ſubegit, ut reditum Imperii ad octo milliones & quinquaginta millia coronatorum augeret; quod duplo & $\frac{2}{3}$ plus erat, quam antea. Cæſar in ærarium intulit quadraginta milliones coronatorum, præter prodigalitatem, qua utebatur. Nam Paulo Conſuli, ut taceret, nongenta millia coronatorum una vice dedit: & Curioni Tribuno, ut partes ſuas ſequeretur, quindecies centena millia. Marcus Antonius magis modum exceſſit, ſi verum eſt, quod Plutarchus & Appianus

pianus ſcribunt. Exercitui enim ſuo propter ſtrenuam novatam operam ducenta millia talentorum dedit: quod ad centum viginti milliones coronatorum redit. Eſtque credibile: cum Imperator Adrianus, qui ſapiens paterfamilias fuit, ut apud legiones, quæ numero erant quadraginta, gratiam ſibi conciliaret, dederit decem milliones coronatorum.

LX. Non eſt igitur mirum, pretia rerum maxima fuiſſe propter auri & argenti copiam, quæ Romæ erat. Verum hic luxus & magnificentia non perpetuo durarunt. Nam intra trecentos annos, Parthi, Gothi, Heruli, Hungari & aliæ crudeles nationes Imperium & præcipue Italiam invaſerunt, oppreſſerunt Romanos, incenderunt urbem, & ſpolia eorum diviſerunt. Ita accidit omnibus rebuspublicis. Naſcuntur, & creſcunt paulatim: florent deinde divitiis & potentia: tandem ſeneſcunt & peſſum eunt, donec omnino evertantur. Ut oſtendi in tractatione de ſtatu rerumpublicarum in Methodo hiſtorica.

LXI. PERSECUTI ſumus rationes caritatis rerum. Supereſt, ut monſtremus, Maleſtrettum etiam in titulo monetarum, intra trecentos annos in hoc regno conflatarum, aberraſſe. Dicit enim, Sanctum Ludovicum primos ſolidos duodecim denariorum feciſſe, eorumque tantum ſexaginta & quatuor fuiſſe in marca. Addit, tempore Philippi Valeſii coronatum aureum cum floribus lilii, in numero, pondere & liga meliorem noſtro, valuiſſe tantum viginti ſolidis: poſtea Joannem Regem ſignaſſe Francos pedites & equites ex auro puro, valuiſſeque viginti ſolidis: præterea ſolidum argenteum illius temporis valuiſſe quinis noſtris. Non adjicit, cujus tituli, ponderis & ligæ monetæ fuerint.

LXII. Quantum ad poſtremum hoc membrum, ſibi ipſi contradicit. Quia concedit, veterem coronatum, tribus denariis ad libellam ponderantem, valere tantum ſexaginta ſolidis noſtris, juſſu Franciſci Primi Regis conflatis: ita, ut ſolidus antiquus argenti puri tribus tantum valeret: & nihilominus Franci pedites & equites quatuor granis minus ponderant, quam coronati veteres, & non ſunt melioris ligæ, quoniam in utriſque quarta pars ceratus detrimento cedit. Quare & ordinatione anni 1561. coronatus antiquus æſtimatur ſexaginta ſolidis, & francus pedes vel eques quinquaginta quinque ſolidis.

LXIII. *Itaque* propemodum media parte aberrat, quantum ad proportionem veterum & noſtrorum. Nam ſi verum diceret, ſolidum antiquum argenti puri quintuplo plus valuiſſe noſtro: ſequeretur, coronatum veterem valere centum ſolidis, & francum peditem vel equitem quatuor libris & decem ſolidis.

LXIV. *Secundo* Dominus de Maleſtroict fallitur, omittendo inter Sanctum Ludovicum & Philippum Valeſium, centum viginti tres annos. In quo temporis ſpacio Philippus Pulcher, Sancti Ludovici nepos, anno 1300. monetam argenteam ita attenuavit, ut ſolidus antiquæ monetæ valeret tribus novis. Ut legimus in regeſtis, & maxime in annalibus & hiſtoria Antonini: de qua vir omni ſcientiarum genere conſummatiſſimus, Dominus de Liures, certiorem me fecit. Et quanquam, ad ſedandum populi tumultum, moneta ad antiquum valorem reduceretur, tamen decennio poſt usque adeo diminuta fuit, ut ſolidus haberet tantum tres denarios & dimidium argenti; & duæ quartæ & dimidia eſſent cupri. Quæ eſt maxime omnium debilis moneta, quæ noſtris temporibus viſa ſit. Nam ſolidi anno 1551. juſſu Regis Henrici II. formati tres denarios & dimidium argenti continent.

LXV. Concludendum itaque eſt. Quoniam ſolidus ante trecentos annos, ejusdem tituli, pedis, ligæ, ejusdemque miſturæ fuit, quo eſt hodie; demonſtrationem Maleſtretti, ejusque exempla locum habere non poſſe. Nam etſi Carolus Pulcher anno 1322. veterem titulum ſolidis ad duodecim denarios regios reſtituiſſet, tamen ſex menſibus poſtea eosdem media parte iterum debilitavit.

LXVI. Præterea reperimus in regeſtis noſtris, anno 1422. titulum ſolidorum ita debilem fuiſſe, ut marca argenti valeret octoginta libris turonenſibus, hoc eſt 1600. ſolidis in marca operis: ut ſolidus Henrici II. hac ratione quinis illorum ſolidorum valeat. Quod eſt contrarium ſententiæ a Maleſtretto propoſitæ, videlicet antiquum ſolidum valuiſſe quinis noſtris: quoniam ante annos centum quinquaginta quini ſolidi valebant tantum, quantum ſinguli noſtri. Oportet itaque, ut hoc verbum, *antiquos*, ad certos ſolummodo annos referat, & non ad omnes, ut facit, inde a trecentis annis.

LXVII. Breviter, qui voluerit librum Nigrum, qui eſt in Camera Procuratoris regii Caſtelleti pariſienſis, evolvere, inveniet anno 1420. cum Angli urbem pariſienſem tenerent, coronatum æſtimatum fuiſſe ſexaginta ſolidis, Vellus quadraginta, Nobilem ſeptem libris: quod eſt pretium & valor temporis Henrici II. Verum eſt, Carolum VII. anno 1422. menſe Novembri conflaſſe novam monetam duodecim denariorum, ita ut marca argenti octoginta librarum reducta fuerit ad octo libras & quindecim ſolidos turonenſes. Sed anno 1453. percuſſi ſunt ſolidi quinque denariorum in liga forti; moneta plus media parte imminuta.

LXVIII. Eſt itaque paralogismus argumentandi, ſumere quando moneta fortior fuit ad æſtimandas res, & relinquere annos, quibus debilior fuit: qui frequentiores ſunt reſpectu bonorum annorum. Quemadmodum ſi quis in ſimili caſu ad aliarum rerum conſequentiam trahere velit vilitatem ſulphuratorum, quæ eſt Pariſiis.

LXIX. Supra demonſtravi pretium rerum approbatis & confirmatis conſvetudinibus hujus regni, inde a quinquaginta vel ſexaginta annis taxatum, decuplo minus fuiſſe, quam nunc ſit. Attamen certum eſt, Status & Deputatos, ut conſvetudines conciliarent, nec minimum, nec

maxi-

maximum pretium ſecutos eſſe, ſed communiorem æſtimationem, quæ tum erat: ſicut leges noſtræ docent. Et nihilominus Capo tantum duodecim denariis turonenſibus, omnibus conſvetudinibus Andegavorum, Pictavorum & Marchiæ Campaniæ, Borbonenſium & aliorum æſtimatus eſt: Gallina ſex denariis: perdix 15. denariis: vervex pinguis cum lana ſeptem ſolidis: porcellus decem denariis: vervex communis & vitulus quinque ſolidis: hædus tribus ſolidis: vehes frumenti triginta ſolidis: plauſtrum fœni quindecim quintalium, decem ſolidis: hoc eſt decem faſciculis decem librarum, ſingulos pro uno ſolido, quæ eſt conſuetudo Arverniæ. Apud Borbonenſes duodecim quintales æſtimabantur decem ſolidis: vas vini triginta ſolidis: vas mellis triginta quinque ſolidis: jugerum ſylvæ cæduæ duobus ſolidis & ſex denariis: jugerum vineti triginta ſolidis in reditu: libra butyri quatuor denariis: olei nucei tantidem: item ſævi. Nimirum temporibus Ludovici XII. quemadmodum ſupra dixi, cum ſolidi eſſent quatuor denariorum & 12. granorum in liga. Ita ſolidus tempore Ludovici XII. ad ſummum non valeret, niſi quadrante amplius, quam ſolidus regnante Henrico II. & quatuor ſolidi non valerent quinis noſtris. Unde ſequitur, vitulum & vervecem cum lana æſtimandum eſſe tantum ſex ſolidis & tribus denariis monetæ noſtræ currentis: quandoquidem ante ſexaginta annos in tota Francia quinque ſolidis tantum æſtimatus fuit. Quod & de aliis rebus dici poteſt. Sed videmus, communi æſtimatione utrumque valere quatuor libris, aut centum ſolidis, imo ſex libris Lutetiæ: quod eſt vicies vel tricies carius, quam tunc.

LXX. Si itaque fructus terræ, pecudes, volatilia, decies, duodecies aut vicies minus conſtabant, quam hodie; reditus terrarum & dominiorum tanto minus æſtimabantur, & emphyteuſes erant vilioris precii. Et conſequenter agri decuplo minus valebant: quia optima terra cenſualis ſeu emphyteutica æſtimatur ad rationem denarii in viginti vel viginti quinque, feudalis triginta, domus bene materiata ad quadraginta vel quinquaginta. Ita, ut ager valens mille coronatis in reditu ante annos ſexaginta, venderetur tantum argenti quinq; vel ad ſummum triginta millibus coronatis. Si itaque reditus ad quinque vel ſex millia coronatorum excrevit: ager vendetur centum quinquaginta millibus coronatorum, qui tunc tantum triginta millibus valebat.

LXXI. Quantum ad operas diurnas manuariorum, videmus antiquitus taxatas fere fuiſſe ad denarium argenteum, qui paulo plus valebat, quam regalis hiſpanicus: & ſtipendium antiquum equitis fuiſſe denarium tantum, ut Polybius dicit. Tandem pediti denarius in diem datus fuit, idque etiam temporibus Auguſti, ut Tacitus ſcribit. Quanquam donativa in exercitum, propter bene navatam operam collata, vicies valerent plus, quam ſtipendium. Hinc natum eſt, ut credo, noſtrate vocabulum, *gaignedenico*; quo ſignificantur ii, qui operas ſuas in diem locant. Et in evangelio quoque, Dominus quibusdam vinitoribus, propter liberalitatem ſuam adverſus alios murmurantibus, reſpondit: *Nonne accepiſtis denarium*, quem pro opera diurna promiſeram? Quæ in Græcia erat drachma pro opera vinitoris & militis. Tamen in noſtris conſuetudinibus, approbatis, ut dixi, & correctis, intra annos ſexaginta vel circiter, opera hominis in æſtate æſtimatur 8. denariis, hyeme 4. denariis, & una cum vehiculo & bobus duodecim denariis.

LXXII. Moneta nigra, a ſexaginta annis vel ante, fuit pede diminuta, neque aucta. Et tamen videmus, vinitores, manuarios, operarios, milites loco ſex denariorum ne quidem quinque ſolidis contentos eſſe, præſertim in hac regione. Octonos enim, aut denos expoſcunt, conquerentes, aliter ſe vivere non poſſe.

LXXIII. Quantum ad operas boum, eæ vicenis ſolidis minimum æſtimantur, hoc eſt vicies plus, quam ante annos ſexaginta, æſtimabantur, de quacunque moneta loquamur. Qua de cauſſa judices, qui flectendi & corrumpendi conſuetudines poteſtatem habent, quoties incidit quæſtio habitudinis locorum, redituum, fructuum, aliarumve rerum ſimilium æſtimandarum, non amplius conſuetudines ſervant: ſed quoad æſtimationem fructuum, ſequuntur ordinationem juncto communi valore, vel jubent partes convenire de arbitris, qui res æſtiment.

LXXIV. Diximus de moneta argentea, loquamur etiam de *aurea*: ut aperte dijudicari poſſit, caritatem annonæ ex alteratione monetarum non proveniſſe. Reperio puriſſimam monetam auream, intra trecentos annos ubicunque locorum conflatam, non eſſe fortiorem viginti tribus & ¾ ceratiis. Ut ſunt Nobiles, veteres Ducati, Veneti, Florentini, Senenſes, Portugallici, Seraphinus Turcicus, Medinus Barbariæ, numiſmata antiqua Romanorum, duplices Ducati veteres, Salutii, Franci pedites & equites, Angelotti veteres. Quibus nummi aurei coronati ſolares meliores ſunt. Deinde Henrici & duplices Henrici, Regales aurei, Piſtoleti, & duplices Ducati Portugallici debiliores ſunt. Quantum ad reliquas monetas, in quibus minus eſt viginti duobus ceratiis, hoc eſt, in quibus plus, quam duodecima pars, ineſt miſturæ, ſive cupri, ſive argenti, & minus decem partibus auri, eæ aurum non ſunt, præterquam in opere. Quemadmodum argentum, quod eſt infra decem denarios, ſeu ut melius dicam, quod plus quam ſextam partem miſturæ habet cupri, & minus quinque partibus argenti, hoc in materia monetarum non eſt argentum, ſed (ut Galli loquuntur) *Billon*. Et hanc ob cauſſam veteres appellabant electrum, aurum, in quo pars quinta eſſet argenti.

LXXV. Fingamus itaque, coronatum veterem & Francum peditem & equitem (quibus monetis Dominus de Maleſtroict utitur) eſſe viginti quatuor ceratiorum cum detrimento ſive remedio unius ceratii: coronatos ſolares viginti trium cum ⅝ remedii, juxta ordinationem anni 1540, vel viginti trium ceratiorum, & ¾ ceratii remedii; ut ſunt coronati juſſu Regis Henrici II. percuſſi. Differentia erit tantum unius ceratii in veteribus. Et quantum ad pondus, coronati

ſola-

ſolares anni 1540. ponderant duos denarios ſedecim grana ad libellam, & ſeptuaginta duo marcam efficiunt: quod Juſtinianus quoque Imperator in libra numerat. Quæ res Carolo Molinæo, honori jurisconſultorum, occaſionem dedit, ſolidum Juſtiniani cum noſtro ad eundem pedem exæquandi. Sed tantum intereſt, quantum inter 2. & 3. Nam ſicuti marca octo habet uncias, & libra Juſtiniani duodecim: ita etiam nummus aureus juſſu ipſius conflatus, quem ſolidum appellat, tertia parte plus ponderat noſtro, fere inſtar Angelotti. Poſtea juſſu Regis Henrici II. conflati ſunt ad duos denarios & quindecim, deinde quatuordecim grana. Atqui vero Francus aureus quatuor granis minus ponderat; quam coronatus vetus, & quatuor granis plus, quam coronatus ſolaris anno 1540. percuſſus.

LXXVI. Si itaque pedem unius ad alterum conferamus, inveniemus coronatum veterem tantum $\frac{1}{8}$ plus valere, quam coronatum ſolarem: & Francum aureum $\frac{1}{8}$ plus, quam hunc ipſum coronatum. Qui in uncia ſunt octo coronati veteres novem ſolares, vulgares coronati decem & unus denarius & viginti grana amplius. Item Franci aurei non integre novem, ſed tamen plus, quam octo. Ideoque ordinatione Henrici II. Regis vetus coronatus æſtimatus fuit ſexaginta, francus quinquaginta quinque, coronatus ſolaris quinquaginta duobus, & coronatus vulgaris quinquaginta ſolidis.

LXXVII. Concludendum itaque eſt. Si domus aliqua ante annos centum viginti vendita fuit ducentis coronatis veteribus, illa hodie venditur octingentis coronatis ſolaribus, qui valent bis mille libris turonenſibus monetæ currentis ſeu billoni; ablata $\frac{1}{8}$ qua coronatus vetus coronatum ſolarem valore ſuperat, remanent 673. coronati ſolares. Qui temporibus Henrici II. Regis valebant 1750. libris, vel 35000. ſolidis noſtræ monetæ. Et ſi fingamus Francos aureos fuiſſe, ac detrahenda eſſet $\frac{1}{8}$: reſtarent 780. coronati ſolares, quibus eadem domus venderetur: quod eſt triplo plus, quam tunc temporis conſtiterit. Quod minutatim enumerare volui, propterea, quod Dominus de Maleſtroict non indicavit, qualis proportio inter coronatos fuerit, ut ad contractus noſtros accommodare poſſit.

LXXVIII. HÆC DE CARITATE RERUM GENERALITER dicta ſint. Ne particulares mutationes attingamus, quæ ordinaria rerum pretia adaugent: veluti cibariorum tempore famis, armorum belli tempore, lignorum hyeme, aquarum in deſertis Lybiæ. Ubi in planitie Azoa invenitur monumentum, literis inſculptis teſtimonium ferens, mercatorem quendam ab auriga poculum aquæ decem millibus ducatis emiſſe, & nihilominus tam emptorem, quam venditorem ſiti periiſſe, ut Leo Africanus ſcribit. Item operarum manuariarum & frivolariarum, in locis ubi non uſitantur: quæ plerumque vilioris pretii ſunt in civitatibus plenis artificum, veluti Lemovicibus, Mediolani, Noribergæ, Genuæ, Pariſiis, Rothomagi, Damaſci, Venetiis. Vel propter abundantiam populi & argenti; quæ in uno loco major eſt, quam in altero, veluti Conſtantinopoli, Romæ, Pariſiis, Lugduni, Venetiis, Florentiæ, Antwerpiæ, Seviliæ, Londini, quo curiæ Regum & magnorum Principum, vel mercatorum multitudo, alliciunt populum & argentum, & ob id cibaria carius emuntur. Sicut frequenter accidit Romæ, ubi propter abundantiam auri & argenti, & populorum ex omnibus mundi partibus eo concurrentium, ſæpe fames olim dominabatur. Ita ut Auguſtus cogeretur ex urbe expellere ergaſtula ſervorum & gladiatorum, & omnes peregrinos, exceptis præceptoribus juventutis, & medicis, præter viginti & octo colonias, quas Roma deduxit, & per univerſam Italiam diſtribuit. Interdum quoque mutatio incidit propter novum aliquod. Sicut evenit Romæ, ubi pretia ædium ſubito media parte augebantur propter edictum Trajani, quo conſtitutum erat, ut qui muneribus & officiis dignitatum fungi vellent, tertiam partem patrimonii in emptionem prædiorum Romæ vel in continenti converterent. Omnes hæ res particulares in caſu propoſito, qui generalis eſt, non veniunt in conſiderationem.

LXXIX. IGITUR POSTEAQUAM cognovimus, pretia rerum adaucta eſſe, & cauſas caritatis inveſtigavimus, (quæ duo ſunt principalia membra, quæ nobis adverſus Maleſtrettum probanda fuerunt) ſupereſt, ut quam minimo fieri poſſit, incommodo, REMEDIUM huic rei inveniamus. Quam partem Maleſtrettus omnino non attigit, pro certo habens, nullius rei pretio quicquam acceſſiſſe.

LXXX. I. Principio *abundantia auri & argenti*, quæ regionis cujusque divitiæ ſunt, caritatem rerum pro parte excuſat. Nam ſi tanta nummorum penuria eſſet, quanta præteritis temporibus, omnes certe res tanto minoris æſtimarentur & emerentur, quanto aurum & argentum majori in pretio eſſet.

LXXXI. Quantum II. *ad monopolia & corruptiones, quæ fiunt*, attinet: ſupra expoſui, quid mihi videretur. Sed fruſtra fiunt bonæ conſtitutiones de monopoliis, de luxu ſumptuum & veſtimentorum, ſi non ad effectum perducantur. Et non perducentur tamen unquam, niſi Rex pro clementia ſua easdem ab aulicis ſervari jubeat. Quia reliqua pars populi in pompis & luxu aulicorum exemplum ſequitur. Nec fuit uſpiam respublica, in qua ſanitas vel ægritudo non a capite in reliqua membra derivaretur.

LXXXII. III. De *avectione mercium*, quæ ex hoc regno efferuntur, multi eximii viri conati ſunt, atque etiam num adnituntur, dictis, & ſcriptis eam prorſus abolere, ſi poſſibile illis eſſet: exiſtimantes, nos felicius & viliori mercatu vivere poſſe, ſi neque demus aliquid extraneis, neque ab iis recipiamus. Sed falluntur, meo judicio. Quandoquidem extraneis opus habemus, nec carere iis poſſumus. Confiteor, nos illis mittere frumenta, vina, ſal, crocum, glaſtum, pruna paſſa, papyrum, pannos, & craſſiores telas. Sed viciſſim ab illis ex permutatione accipimus,

mus, primo omnia metalla, excepto ferro: deinde aurum, argentum, ſtannum, cuprum, plumbum, chalybem, argentum vivum, alumen, ſulphur, chalcanthum, oleum, ceram, mel, picem, breſilium, hebenum, guajacum, ebur, alutas, byſſum, colorem, conchyliatum, coccinum, vermiculatum, pharmaca omnis generis, aromata, ſaccharum, equos, ſalmones ſalitos, cheas ſcombros, moluas, & denique infinitos bonos libros, & excellentia opera manu facta.

LXXXIII. Et quamvis ejusmodi mercibus carere poſſemus, (quod omnino eſt impoſſibile) ſed etiamſi illis abundaremus, tamen ſemper deberemus negociari, vendere, emere, permutare, mutuari, imo donare potius partem bonorum noſtrorum extraneis & maxime vicinis; licet communicandi tantum gratia fieret, conſervandique invicem amicitiam.

LXXXIV. Plus dico. Etiamſi pleni eſſemus donorum Dei, & omnium, quæ vel armis vel legibus donari hominibus poſſunt, ita ut neque metuendum, neque ſperandum nobis eſſet quicquam tamen naturali obligatione hanc illis charitatem deberemus communicandi dona Dei nobis data, docendi & inſtruendi eos in omni honore & virtute. Qua in re Romani indignos ſe imperio reddiderunt. Nam quo tempore potentia ipſorum attingebat cœlum, & ab Occidente ſole usque ad Orientem imperium ſuum extenderant: nationes quædam, miſſa legatione, poteſtati eorum ſe ſubmittere & ultro obtemperare cupiverunt: at Romani, cum nihil inde lucri acceſſurum viderent, oblatum recuſarunt: ut Appianus ſcribit. Quod ignaviſſimum factum fuit, & turpiſſima omnium Deo illata injuria. Quaſi imperandi majeſtas & juſtitiam adminiſtrandi, præſertim miſeris & male inſtructis populis, non eſſet maximum Dei donum, & ſummus honos, qui in hoc mundo cadere in hominem poſſit. Tantum aberrarunt a debita illis bonorum & divitiarum ſuarum communicatione.

LXXXV. Sed dicet aliquis; Plato & Lycurgus negotiationem cum extraneis prohibuerunt, metuentes, ne ſubditi inde corrumperentur & perverterentur. Verum eſt quidem, ſed alter ſomniavit, quod ſummo labore niſus non potuit perficere: alter perfecit, quod nemo unquam auſus fuit ſperare. Et nihilominus uterque feciſſet melius, niſi valde vallor, ſi negociationem permiſiſſent. Ut ſapienter fecit Moyſes, qui ſatis demonſtravit, ſe duobus illis prudentiorem fuiſſe. Quippe lumen veritatis adeo clarum eſt, ut non ſolum tenebras fuget vitioſorum, ſed etiam ut quanto magis communicatur, tanto luceat amplius. Attamen non usque adeo virtutibus noſtris prævalemus, quin habeant extranei, quo paria nobis faciant.

LXXXVI. Rurſus objicitur: non eſſe bona noſtra gratis donanda extraneis, & præſertim inimicis noſtris. Quanquam hoc diligenter præcaveamus: attamen, ſi affluentes copia id faceremus: magis utique amicitiam conciliaremus eorum, quam bellum inferendo: quandoquidem Deus, cui juravimus & bellum absque inducüs facimus, exemplum nobis immenſa liberalitate monſtrat.

LXXXVII. Sed quoniam hoc non capit eorum animus, qui nihil præter lucrum, licet ſordidum & inhoneſtum, quæritant: Deus admirabili prudentia huic rei modum dedit: quippe ita diſpertitus eſt dona ſua, ut nulla mundi pars adeo felicitate abundet, quin plurimis rebus indigeat. Quod videtur feciſſe Deus, ad conſervandam ſubditorum reipublicæ ſuæ inter ſe amicitiam: vel ad impediendam ſaltem belli diuturnitatem, cum ſemper invicem opus habeant.

LXXXVIII. EGO hujus ſententiæ eſſem, (ſi ſententia mea haberet locum) ut interdiceretur cum Italis negociatio mitrarum, ſuffituum, plumbi, membranæ, adulterinarum gemmarum, venenorum: & intercluderetur aditus omnibus decoctoribus & ex patria ſua bannitis; niſi forte propter virtutis excellentiam proſcripti eſſent, ut Athenis & Epheſi uſitabatur, aut niſi fidem de hoc extranei facerent atteſtatione Principis, vel reipublicæ, vel virorum bonorum & fide dignorum. Ea res exemplum aliis populis imitandi daret, & terrorem incuteret improbis, qui in nullo mundi loco tuti forent. Sed quantum video, Turcæ nobis viam præeunt. Legimus enim, Mehemetum, cognomento Magnum, Imperatorem Turcarum, pulchrum exemplum edidiſſe in perſona cujusdam homicidæ Florentini, qui cum Julianum de Medicis in pleno templo interfeciſſet, Conſtantinopolim, ubi ſedes eſt imperii, ſe contulerat. Quem magnus ille Princeps manibus pedibusque ligatum ad ſupplicium de eo ſumendum Florentiam remiſit. Sed quamdiu feneſtram bannitis patefacimus, impurus aer & peſtis ſemper intrabunt. Et nunquam deerunt daciarii, qui exſorbeant ſanguinem, & oſſa rodant, & exugant medullam Principis & populi: qui etiam publicis ſcriptis execranda vitia, de quibus majores noſtri nunquam cogitarunt, laudent, atque pro virtutibus defendant. Et nihilominus hujusmodi homines ubique benigne & blande excipiuntur.

LXXXIX. Quantum ad cæteros extraneos, optarem eos non ſolum humaniter & amice tractari, ſed etiam injuriam illis factam graviſſime vindicari; ſicut lex Dei præcipit. Imo ut jus caducarium ipſis remittatur, ea conditione, ut heres ſit incola regni. Quandoquidem videmus nihil aliud inde Franciæ provenire, quam ignominiam, commodum vero ſanguiſugis Curiæ. Præſertim cum commerciorum quoque, quæ libera eſſe debent, curſum impediat: qui divitias & magnitudinem regni amplificeat,

XC. RESTAT unum argumentum, cui breviter reſpondendum eſt. Quando Avectio permittitur, inquiunt, res omnes in regno cariores efficiuntur. Hoc autem ego nego. Nam quod ſuccedit in locum earum rerum, quæ exportantur, vilitatem efficit ejus, quod nobis deerat. Præterea videntur ita loqui, quaſi merces ſuas gratis mercatores traderent: aut quaſi opes Indorum & Arabiæ felicis in noſtris agris creſcerent.

XCI. So-

XCI. Solum frumentum excipio: cujus avectioni prudentius, quam ſit, modus dandus eſt. Quo non ſervato, caritatem annonæ & famem intolerabilem ſæpe ſecutam videmus: ita ut Francia, quæ totius Occidentis horreum eſſe debebat, plenis navibus accipiat vile frumentum nigrum, quod magno noſtro dedecore ex littore balthico adfertur.

XCII. Modus providendi eſſet, ſi in uoaquaque civitate conſtitueretur horreum publicum: ut olim in civitatibus bene conſtitutis & in hoc regno factum fuit, ante contentiones familiæ aurelianenſis & Burgundicæ: & quotannis vetus frumentum renovaretur. Quo facto, nunquam annonæ caritas exiſteret tanta, quantam videmus. Nam præter ſubſidium & proviſionem in annos ſteriles, reſecarentur monopolia mercatorum, qui omne frumentum coacervant & ſæpe in herba emunt, ut pretium ſuo arbitratu conſtituant.

XCIII. Hæc eſt ratio, qua Ioſeph Præfectus Prætorio Ægypti, fame per univerſum prope mundum dominante ſeptem annis, & qua eadem Trajanus uno anno, Ægyptum a fame conſervarunt: licet Ægyptus totius Orientis nutrix ſit.

XCIV. IV. Ad opinionem eorum, qui *vineas eradicari*, earumque loco paſſim frumenta conſeri, aut ſaltem in futurum plantationem vitium prohiberi volunt, quod attinet: reperio Domitianum Imperatorem edicto caviſſe, ne quis impoſterum vites plantet: præcepiſſeque in omnibus imperii Provinciis extra Italiam dimidiam partem vinearum evelli: ſed nunquam fuit executioni mandatum. Quin & M. Varro exiſtimat, eam omnium patrimonii precioſiſſimam partem eſſe. Et agricolæ non immerito talia edicta derident. Et Deus benignitate ſua ſapienter diſpoſuit, ne omnia vitibus, neve frumento complerentur. Nam aptiſſima vineto terra frumento inutilis eſt: quoniam alterum gandet agro plano & pingui, alterum petroſos colles amat. Præterea vites ultra quadrageſimnm nonum gradum, propter frigiditatem, creſcere nequeunt. Ut populi ſeptentrionales omnes fere non alia vina, quam francica & rhenana habeant, & tamen usque adeo iis delectantur, ut cupiditate bibendi ſeſe obruant. Itaque eradicatis vitibus, una ex præcipuis Galliæ divitiis e medio tolleretur.

XCV. Verum V. alia via eſt, quam ſi magiſtri & inſtitores vectigalium in medium proponerent, populus admirabiliter ſublevaretur, regnumque locupletaretur. Videlicet, ſi pars onerum ordinariorum imponatur exportationi frumenti, vini, ſalis, glaſti, lini, & pannorum; & præcipue vini, ſalis & frumenti, a quibus tribus elementis dependet, poſt Deum, vita extraneorum, & quæ nunquam poſſunt deficere. Fodinæ Septentrionis & Indiarum exiguo tempore exhauriuntur: & aurum ſemel exemptum non renaſcitur intra mille annos, ut metallarii dicunt: ſed vivæ ſcaturigines noſtræ, frumenti, vini & ſalis, ſunt inexhauſtæ.

XCVI. Si itaque pars onerum ſeu tributorum ordinariorum imponeretur exportationi extraneorum, plurimum levamenti in regno ſentiremus. Nam extranei parcius emerent, & emerent ad pondus argenti, magno hujus regni emolumento, quia carere iis nequeunt. Et vero non obſtantibus prohibitionibus in Flandria factis, ne ſale francico utantur, nihilominus Status illius regionis ſemper conqueſti ſunt, ſalſamenta corrumpi ſale hiſpanico & burgundico. Et ſi quando accidit, marinas ſalſugines & ſalinas francicas propter imbres vel frigora ſale deſtitui, non tamen deſinunt extranei triplo vel quantovis pretio emere, dummodo illud nanciſcantur.

XCVII. At vero ſal vilioris pretii eſt in Anglia, Scotia, & Flandria, quam in Francia, excepta Aquitania. Quod in ſtatu & adminiſtratione politica admodum incongruum eſt. Idem in vino & glaſto evenit, quibus ingens vectigal Principes extranei imponunt. Quod Regis & regni emolumento cederet, ſi pars onerum ordinariorum exportationibus imponeretur. Si dicatur, extraneos juſtam conquerendi habituros occaſionem, cum obſtent tractatus commerciorum: facilis eſt reſponſio. Scilicet, quod non obſtantibus tractatibus ipſi non deſinant ſuis mercibus vectigalia imponere. Quin etiam ſtatuta Angliæ & Poloniæ, prohibent ullas inde exportari pelles: ita, ut exhauſtis Angliæ fodinis, nihil eis reſiduum ſit, præter lanas, pannos & ſalſamenta. Præterea ſevere & ſub magna pœna interdixerunt, ne vel lana ovium exportetur. Sicut etiam in hoc regno factum eſt: ut pauperes ſubditi ex lanificio victum quærere poſſint, & emolumentum manuarium in regno maneat. Sed nulla edicta ſervantur, quia data pecunia ſumma impetratur evehendi licentia. Ut in hoc regno accidit, ex quo Itali, prætextu obtentorum diplomatum, infinitam lanarum quantitatem exportant. Unde incredibile damnum toti regno infertur. Nam merces exportari prohibitæ, in extraneis regionibus caræ efficiuntur, & remanent in manibus poſſeſſorum & mercatorum regni, niſi viliſſimo vendant iis, qui licentiam exportandi habent; & opifices ac miſera plebs fame moritur.

XCVIII. Hæc via mihi notatu digna eſt viſa, ad medendum caritati rerum neceſſariarum, & ſine quibus extranei non poſſunt vivere.

XCIX. Proponam VI. & aliam caritati annonæ occurrendi viam, quæ plurimis nova videri poterit: ſed quam opinor Maleſtrettum, utpote amantem paradoxorum, non eſſe improbaturum. Nempe, ut uſus piſcium in antiquum honorem reponatur. Certum enim eſt, pauperem plebem longe viliori mercatu comparaturam eſſe carnes bubulas, ſuillas, ovillas, & ſalituras: & volatilia quoque tolerabilioris pretii fore.

C. Porro facillimum factu nobis eſſet, quia Francia inter Oceanum & mediterraneum mare collocata eſt: quod commodum omnibus terrarum orbis populis, præterquam Hiſpanis, deeſt. Sed Hiſpaniam, quæ paucas aquas & ſæpe areſcentes habet, antecedimus infinita multitudine fontium, rivorum, fluminum, lacuum, ſtagnorum, & vivariorum, piſcibus abundantium.

Et tamen nonniſi inviti illis veſcimur, & cum uſus carnis eſt interdictus: adeo, ut plurimi lardo rancido, quam turſione, in die Paſchatis veſci malint. Ex quo fit, ut piſces vileſcant, & creſcat pretium carnis: quia piſcatores, operam & ſumptum non ſunt impenſuri, videntes piſces contemni. Qui, quoniam ab hominibus faſtidiuntur, ſe invicem devorant; & nos, ut opinor, ex civitatibus expellerent, ſi in terra vivere poſſent. Sicut incolis Inſularum Majoricæ & Minoricæ accidit: qui ita a cuniculis, quos faſtidiebant, obſeſſi fuerunt, ut, quemadmodum Strabo ſcribit, legatos ad Auguſtum mittere cogerentur, ad impetrandum auxilium integræ legionis adverſus ejusmodi hoſtes, qui omnes campos ſuffodiebant & civitates funditus evertebant.

CI. Attamen exiſtunt Medici quidam, quos lepidus Ariſtophanes appellat ſcorophagos, qui culpam ſuam miſeris piſcibus improperant, eosque ſtricte interdicunt; vel ad conciliandam opicifio ſuo auctoritatem, videntes ſe in pretio non eſſe, niſi tyrannidem in appetitus hominum exerceant. Nihil de ſcientia ipſorum intelligo, nec poſſum judicare, an ita inſalubres ſint piſces, ut ipſi dicunt. Sed refero me ad optimum Sylvium: qui graviter eos reprehendebat, & interdicta de non comedendis piſcibus tollebat, demonſtratis ad oculum ipſorum erroribus. Quamquam varietatem ferculorum improbaret, & piſces ſalſos; ſuaderetque piſces ſine ſale, ſi fieri poſſet, condiendos eſſe. Galenus duobus locis in ſuis ſcriptis plus dicit: non eſſe nutrimentum ullum melius & facilius, quam piſces ſaxatiles, quorum ingens eſt copia; eosque præfert pavonibus & phaſianis. Quod valde veriſimile eſt, præter experientiam unicuique vulgo obviam: quandoquidem piſces natura ita ſani ſunt, ut nulli ſint morbo obnoxii. Nunquam enim lepra laborant, ut porci & lepores: neque ſcabie, ut verveces: neque putore, ut hirci: neque hydropoſi, ut oves: neque apoſtematibus, ut boves: neque morbo caduco, ut coturnices & galli indici: neque inflammationibus & pituitis, ut gallinæ & capones: neque pediculis, ut pipiones. Sicut in lege Dei videmus porcos & lepores, (qui fere omnes leproſi ſen grandinoſi ſunt in regionibus meridionalibus) item animalia ungulas ſolidas habentes aut fiſſas, ſed non ruminantia, prohibita eſſe, tanquam infecta & male ſana. Cum tamen omnes piſces permittantur, exceptis piſcibus mollibus & viſcoſis. Nec eſt veriſimile, Deum quadringenta piſcium genera, qui ſine ſumptu paſcuntur, & uſui hominum accommodatiſſima, creaſſe, ſi inſalubres eſſent: cum vix quadraginta terreſtrium animalium & volatilium ſpecies ſint ad veſcendum idoneæ. Licet fatear, nihil pernicioſius eſſe ſtomacho, quam carne & piſcibus permiſtim veſci: ſed poſſumus illis ſeparatim uti.

CII. Utut ſit: Apicius magiſter helluonum omnium, qui in mundo fuerunt, delicatiſſimus, & Athenæus in convivio ſapientum, teſtantur, Græcos & Latinos, ubi de deliciis ageretur, ſolos piſces magnifeciſſe, quos nos ex pœnitentia comedimus. Ita, ut magni viri honoris cauſa ſeſe nominarint Auratas, Murænas, Lucios. Nec opipara convivia præterquam ex piſcibus parabant: ut documento eſt illud Caligulæ, quod ſex menſibus duravit, & cui inſtituendo univerſum mare mediterraneum expiſcatum. Interdum varietatis gratia interponebant pavonem, phaſianum, turdum, ficedulam, lepuſculum, vel ingentem aprum omni volatilium genere refertum: attamen ſemper piſces honore antecellebant, & nonnunquam ad pondus argenti vendebantur, ut ſupra dixi, & cum magna pompa in menſam ferebantur. Cato quoque jam ſuo tempore conqueſtus fuit, carius piſcem vendi, quam bovem, ut Plutarchus dicit.

CIII. At vero piſces maris noſtri Oceani longe majores, pinguiores, & ſapidiores ſunt, quam piſces maris mediterranei. Sicut Rondeletius nos monet in libro de piſcibus: & illi poſſunt judicare, qui in eadem menſa utriusque maris piſces guſtarunt. Ut fit Tholoſæ; quo piſces duorum marium adferuntur, videlicet ex urbe Agatha, & Bayona. Et porro nullum eſt littus maris, quod varietatem piſcium non habeat. Littus Picardiæ, ubi mare arenoſum eſt, fert piſces latos: littus Normandiæ & Aquitaniæ, quod petroſum eſt, fert piſces ſaxatiles: littus Britanniæ, quod eſt limoſum, fert piſces rotundos, ut Lampretas, Congros, Aſellos. Et fere quodque tempus ſuos producit piſces; modo haleces recentes, modo Scombros, modo Lampretas, & ſimiles. Ita, ut homines ignorent, unde ſubito una vice tam infinita halecum multitudo ad littus Franciæ & Angliæ perveniat: Trichidum in Gallicia, Thunnorum in freto conſtantinopolitano, Sardinarum in littore Provinciæ. Balænarum in inſulis Orcadibus, Aloſarum in Barbaria, Ichthyocollarum in Terris Novis, Murænarum in mari Siciliæ. Attamen fateri oportet, magnum mundi Proviſorem hos piſces nonniſi ad neceſſitatem noſtram creaſſe. Omitto piſces aquarum dulcium, qui ubique reperiuntur.

CIV. Quod ſi igitur piſces in eo, quo olim eſſent pretio, infinita piſcatorum & cetariorum exiſteret multitudo, & piſcinæ vivariaque diligentius propagarentur. Veſceremur piſcibus marinis a menſe Septembri usque ad Martium, quo tempore ſunt meliores, non exſpectata quadrageſima, cum piſces incipiunt ova fundere, & ſaporem amittere. Ita fieret, ut vulgus, ruſtici, & artifices, vilitate carnis gauderent, & conſequenter volatilia tanti non æſtimarentur.

CV. Recordor optimæ & politicæ rationis Doctoris Picardi: qua defuncto Regi Henrico oſtendit, quod ſi in quadrageſima uſum ovorum permitteret, futurum, ut poſt feſtum Paſchatis neque gallinæ, neque pullaſtri invenirentur. Nunc etiam in Anglia, quæ gregibus & volatilibus abundat, licet diſcrimen ciborum ſublatum ſit, nihilominus tamen interdicta, certis diebus in ſeptimana non comedendi carnes, obſervare coguntur, videntes carnem cariorem reddi. Quanquam cum Regina & Magnates adverſus ſua interdicta faciant, populus quoque ea, uti decebat, non obſervet.

CVI. Sed mihi videtur, alium eſſe modum commodiorem absque ulla prohibitione. Nam

homini

homini nihil tam gratum & acceptum eſt, quam illud, quod prohibitum eſt, quando ipſe Legislator prohibitioni ſuæ non obtemperat. Hinc fit, maximæ populi parti ſaporem carnium, tam ſuavem, & piſcium tam injucundum videri: quoniam illi, qui carnes prohibent, non alio cibo utuntur. Teſtimonio ſit Epiſcopus ille Hiſpanus, qui die, qua carnibus abſtinendum erat, recitatis quibusdam verbis caponem in piſcem transſubſtantiaverat, remanente nihilominus forma accidentali & ſapore caponis: quemadmodum refert Poggius Florentinus. E contra, ſi Princeps tollat prohibitionem, & interim tamen ipſe veſcatur piſcibus, Magnates & aulici ipſum ſequentur, & poſtea univerſa plebs. Et hæc eſt ſola ratio priſtini honoris piſcibus reſtituendi.

CVII. Non utar alio exemplo, pro confirmatione ejus, quod dico, quam Adriani, natione Belgæ; qui ex paupere ſcholari, areſactis aſellis nutrito, creatus fuit Pontifex, opera Caroli V. Imperatoris diſcipuli ſui. Is cum admodum amaret & ſine cauſa laudaret aſellos ſalitos, accidit, ut omnes ejus aulici & conſiſtoriales, illis invito palato veſcerentur, ſanctitati ejus gratificandi cauſa: & ſtatim quoque illorum cupido plebem cepit, ſicut Paulus Jovius ſcribit in libro de piſcibus: ita, ut Romæ aſellis ſalitis nihil eſſet carius. Nam verſuti aulici ſemper imitantur Principes, & quidem in rebus etiam maxime ridiculis. Quemadmodum contigit Ferdinando Regi neapolitano, qui natura erat collo obtorto: cui ut complacerent aulici, collum, ſicut ipſe, invertebant. Maxima enim pars plebis, imo ſtulti & imperiti, opinionibus magnatum lactantur, eosque imitantur.

CVIII. Ecce paradoxum, quod in hoc argumento ciborum conſiderandum puto, ad ſublevandam annonæ caritatem.

CIX. Quantum ad ultimum articulum, qui merces aliquatenus in pari pretio poſſit ſervare, is eſt æqualitas monetæ. Si enim moneta, quæ rebus omnibus pretia conſtituere debet, eſt mutabilis & incerta: nemo erit, qui veram ejus, quod in bonis habet, rationem inire poſſit: contractus erunt incerti: tributa, taxationes, ſtipendia, penſiones, & vacationes incertæ erunt; pœnæ quoque pecuniariæ & mulctæ conſuetudinibus & conſtitutionibus limitatæ, mutabiles erunt atque incertæ: denique univerſus ærarii ſtatus & aliorum quamplurium publicorum privatorumque negotiorum, in ſuſpenſo erit. Quod maxime metuendum eſt, ſi a Principibus, qui ſubditis ſuis auctores & debitores juſtitiæ ſunt, monetæ falſentur. Nam Princeps monetæ pedem, in præjudicium ſubditorum, & multo minus extraneorum, qui cum ipſo contrahunt, & cum ſuis negotiantur, (quoniam juri gentium ſubjectus eſt) alterare non poteſt, quin incidat infamiam falſatoris monetæ. Quemadmodum Rex Philippus Pulcher a poëta Dante appellatus fuit *Falſificatore di moneta*, hoc eſt, adulterator monetæ: quia primus monetam argenteam in hoc regno dimidia parte ligæ debilitavit. Quod ſubditis occaſionem magnorum tumultuum dedit, & Principibus extraneis pernicioſiſſimum exemplum: cujus ipſum ſero pœnituit, ut filio ſuo Ludovico Hutino teſtamento injungeret, caveret a debilitatione monetarum. Et eandem ob cauſam Petrus IV. Rex Arragonum, ditionem Regis Majoricæ & Minoricæ, quem vaſallum ſuum eſſe aſſerebat, fiſco addixit, quod monetam debilitaſſet. Quinquam Reges ipſi Arragonum in eo peccarint, adeo, ut Innocentius III. Pontifex ipſis, tanquam vaſallis ſuis, interdiceret, ne amplius iſta uterentur: *cap. de jurejur.* Propter quæ interdicta, Reges Arragonum ad coronam venientes, proteſtabantur, ſe nec curſum, nec pedem monetæ approbatæ mutaturos. *Pet. Bellug. in ſpecu. Prin. anno* 1245. *&* 1337. Sed non eſt ſatis hoc modo proteſtari; niſi liga & monetæ pondus, convenienti regula adminiſtretur: ut neque Princeps, neque ſubditi, cum libuerit, eam falſare poſſint: quod alioqui ſemper data occaſione facient, etiamſi ferro & igni cremandi eſſent. Fundamentum autem omnium, qui monetas adulterant, tingunt, radunt, fingunt, miſcent, tondent, non eſt aliud, quam metallorum mixtura. Nemo enim poterit metallum ullum purum & ſimplex pro alio ſubjicere: obſtante colore, pondere, corpore, ſono, & natura uniuscujusque ab aliis differente. Sicut oſtendi, cum ab ordinibus, civitatibus, præfecturisque Veromanduorum deputatus eſſem legatus ad ordines Franciæ.

CX. Oportet itaque, ut recitatis a me incommodis occuratur, in omni republica conſtituere, ut moneta ſit ex metallo ſimplici; & promulgare edictum Taciti Imperatoris romani (*Vopiſcus in Tacito*) continens prohibitionem ſub pœna publicationis corporis & bonorum, ne miſceatur aurum cum argento, vel argentum cum ære, vel æs cum ſtanno aut plumbo.

CXI. Verum quidem ab hac ordinatione excipi poſſet mixtura cupri cum ſtanno. Unde æs & metallum ſonans efficitur: quod tunc temporis in tali uſu, quo nunc eſt, non erat. Et miſtura ſtanni cum ære, ad fundendum tormenta bellica. Neque enim neceſſe eſt, vigeſimam partem plumbi miſcere cum ſtanno puro, ut reddatur malleo tractabilius: quia fundi & fabrefieri poteſt abſque ejusmodi miſtura, quæ & bonitatem ſtanni corrumpit, & nunquam a plumbo ſeparari poteſt. Inſuper, ut edicti prohibitio dirigatur, tam reſpectu monetæ, quam operum aurifabrorum & ductorum auri. Ubi falſationes frequentiores ſunt, quam in moneta: propterea, quod probatio ejus ibi difficilior eſt; & quia artificium ſæpe precium materiæ æquat.

CXII. In quo deceptus fuit Archimedes, experiri volens, quantum aurifaber ex magna corona aurea Hieronis Regis ſuffuratus eſſet: idque ita ne forma coronæ periret. Cum enim illis temporibus uſum lydii lapidis ignorarent: duas maſſas, alteram auri, alteram argenti ſumpſit, ut videret, quantum hæc & illa aquæ ex vaſe ejiceret plus minusve, quam corona: & ex proportione aquæ judicabat de volumine utriusque metalli, & quod aurifaber quintam partem ſubripuiſſet. Sed indicium ejus incertum erat: quia præſumebat miſturam tantum ex argento eſſe. Licet aurifabri ad conciliandam operi venuſtatem & firmitatem, idque quam minimis ſumpti-

bus,

bus, miſturam ſeu additamentum ex cupro puro, cum poſſunt, faciant, quod eſt levius argento. Quo color auri pallidus & dilutus efficitur, cum cuprum colorem ejus ſervet magis vividum. Et conſequenter cuprum corpore & volumine majus eſt, quam argentum in pondere æqnali, quantum eſt inter 13. & 11. Quod ſi miſtura ex cupro & argento ſit, impoſſibile eſt vere de eo judicare, niſi quantum utriusque ſit, ſciri poſſit. Et quamvis cognoſcatur, tamen latens error, qui in metiendis aquarum guttis committitur, magnus eſt, propter diſcrimen voluminis metallorum. Nec ullus eſt tam ſubtilis artifex vel aurifaber, qui per lydium lapidem explorare poſſit, quantum argenti & cupri ſit in auro, ſi mixtura facta eſt ex utroque.

CXIII. Et quoniam aurifices & gemmarii ſemper conqueruntur, quod non poſſint ſine detrimento opus facere ex auro, & viginti dno ceratia absqne remedio, vel ex auro puro ad $\frac{3}{4}$ remedii, juxta ordinationem Regis Franciſci anni 1540. & qnia poſthabitis omnibus conſtitutionibus opus faciunt ad 20. & ſæpe ad 19. ceratia, ita, ut inviginti quatuor marcis inſint qninque marcæ cupri vel argenti: unde ſucceſſu temporis moneta debilis conflatur a falſariis, qui lucrari volunt: Iccirco plusquam neceſſarium eſt interdicere, ne ullum opus ex auro fiat, quod non ſit conforme ordinationi: ſub eadem confiſcationis vitæ & bonorum pœna. Vt hac ratione uſus auri in ſuppellectile & deauraturis purus maneat.

CXIV. Et quoniam impoſſibile eſt, ut aurifices dicunt, aurum excoquere ad vigeſimum quartum ceratium, quin aliquantulum alterius metalli ſubſit: neque argentum ad duodecimum denarium, quin aliqua admiſtura remaneat: imo nec repurgationem auri ſecundum ordinationem ad 23. & $\frac{3}{4}$ cerat. cum $\frac{1}{8}$ remedii: & argenti ad 11. denarios, 2. grana, & $\frac{3}{4}$, qualis in regalibus hiſpanicis deprehenditur, aut ad 11. denar. 18. grana, qualis eſt Pariſienſium: quin ſubſit intertrimentum & magnus ſumptus, præter difficultatem & prolixitatem temporis: hinc conſtitui poteſt, ut aurum in opere, & in moneta ſit viginti trium ceratiorum, & argentum undecim denariorum & duodecim granorum, pure & utrumque absque remedio. Qno facto, æqualis erit auri argentique proportio, & in utroque par erit detrimentum. Videlicet, in viginti quatuor libris argenti ad 11. denar. 12. grana, & in 23. ceratiis auri inerit una libra alterins metalli, quod non ſit aurum, & una libra metalli in argento, quod non ſit argentum, ſed vel cuprum, vel aliud metallum. Et tale argentum in hoc regno appellatur argentum regium, in quo vigeſima quarta pars eſt cuprum. Qua ipſa ratione moneta aurea & argentea fortior erit & durabilior: ſimul etiam in opere multis impenſis parcetur: & vitabitur interitura uſus & fragilitas.

CXV. Ac ut juſta anri argentique proportio, quæ in univerſa Europa & vicinis regionibus fere duodecupla eſt, etiam in monetarum ponderibus ſervetur: oportet, monetas argenteas & aureas conflare eodem pondere; qnarum ſedecim & 32. & 64. marcam efficiant.

CXVI. Nec pondere gravior percutienda eſt, neque etiam debilior: ut evitetur tam difficultas cudendi, & fragilitas monetæ aureæ & argenteæ puræ, quæ levior eſſet uno denario ponderis: quam facilitas adulterandi ntramque monetam propter craſſitudinem earum. Ut in portugallenſibus aureis, & daleris argenteis, qui unciam ponderis & plus habent. Qnalis etiam erat moneta aurea ponderans tribus marcis & dimidia, quam Imperator Heliogabalus cudi juſſit. Et quæ Conſtantinopoli pondere unius marcæ aurea conflata fuit; quarum quinquaginta Imperator Tiberius Regi noſtro Childerico donavit.

CXVII. Qno facto, neque nummularii, neque mercatores, neque anrifices, ullo modo decipere imperitam plebem poterunt, vel eos, qui ligam & pondus non intelligunt. Quippe ſemper neceſſe erit duodecim nummos argenteos tradere pro uno nummo aureo; & quilibet nummus argenteus tantundem ponderabit, quantum nummus aureus ejusdem notæ ſeu characteris. Ut videre eſt in ſimplicibus regalibus hiſpanicis; qui pondere æquant coronatos ſolares, habentes pondus conforme ordinationi anni 1540, videlicet 2. denar. 16. gran. Quorum regalium ſimplicium duodecim præciſe coronatum valent.

CXVIII. Et ne in permutatione eorundem nummorum, tam aureorum, quam argenteorum aberretur, neve ſimplices accipiantur pro duplicibus, ut frequenter accidit in regalibus hiſpanicis: oportet characteres eſſe diverſos, & non ſimiles, ut in nummis hiſpanicis. Et nihilominus quantum ad argenteos, nt certi teneantur tituli ſolidorum, denariorum, & librarum. Prout continetur edicto Henrici II. anno 1551. promulgatum.

CXIX. Propter ſolutionem cenſnum, mulctarum, & canonum dominicorum, juxta conſvetudines & conſtitutiones: ſolidum convenit eſſe trium denariorum ponderis argenti regii, ſicut diximus, quorum 64. marcarum & 4. libram vulgarem efficiunt: quod eſt juſtiſſimum precium, quod dari poſſit. Et quilibet rurſus dividi poterit in tres: nt ſinguli ponderent denarium, & ſint quatuor parvorum denariorum currentium, appellabiturque denarius communis. Ut ſolidus ſemper valeat duodecim denariis: & querimoniæ dominorum, ratione ſolutionis jurium dominicorum, quæ olim in forti moneta alba perſolvebantur, ceſſent: reſtituta conflatura ſolidorum talium, qnales fuerunt temporibus ſancti Ludovici, hoc eſt, 64. in marca argenti regii.

CXX. Cæteræ quoque penſiones emphyteuticæ & hypothecariæ in pecunia conſtitutæ, ſolvantur eo valore, quo æſtimatus fuit ſolidus tempore celebrati contractus. Qui valor fuit tantum quatuor denariorum in liga, ad ſummum, intra centum annos: quæ eſt tantum tertia pars ſolidi antiqui, qualem oportet in uſum reducere.

CXXI. Talis erat drachma argentea per univerſam Græciam uſitata, nempe octava pars unciæ,

unciæ, quem nos groſſum appellamus. Ejusdem ponderis, quo ſolidi a S. Ludovico percuſſi, qui appellabantur groſſi turonenſes, & ſolidi turonenſes. Quibus ſolidis turonenſibus determinantur omnes antiqui contractus, ſtatuta, & multi contractus non ſolum hujus regni, ſed etiam extraneorum. Ut in tractatu inter Bernenſes & tres Minores pagos habito, ſtipendium militis uno ſolido turonenſi æſtimatur: quod & in hoc regno æquale fuit: & hanc ob cauſam ſolda appellatur. Sicut idem quoque ſtipendium Romanorum fuit, ut Tacitus dicit, & Græcorum, ut in Polluce legimus. Quippe drachma ejusdem ponderis, eſt cujus ſolidus turonenſis. Veneti antiquos ſunt ſecuti, & unciam fecerunt octo groſſorum ſeu drachmarum: & drachmam 24. denariorum: & denarium duorum obolorum ſeu 24. granorum. Ut & in Francia fit & in Hiſpania & in Africa. A qua regula non eſt recedendum, utpote antiquiſſima, in univerſa Græcia & regionibus orientalibus.

CXXII. Tametſi Romani veteres, unciam Græcis æqualem habentes, (ſcilicet 576. granorum) eam dividerent in ſeptem denarios ſuæ monetæ: & denarius valeret drachmam Atticam, & $\frac{1}{7}$ amplius. Qua in re Budæus erravit, dicens in uncia eſſe octo denarios & denarium romanum eſſe drachmæ atticæ æqualem, & libram romanam æqualem atticæ minæ. Cum tamen certum ſit, libram romanam habuiſſe tantum duodecim uncias, & minam græcam 16. uncias, ſicuti libra mercatorum in hoc regno. Quod Georgius Agricola optime demonſtravit per calculum Plinii, Appiani, Suetonii, & Celſi.

CXXIII. Si itaque monetæ aureæ & argenteæ conſlentur eodem pondere, eodem nomine, & eadem liga: hoc eſt, ut non plus miſturæ in auro, quam in argento, inſit: numquam poterit æſtimatio earundem augeri vel imminui. Vt alias ſæpe accidit, fere ſingulis menſibus: pro libidine eorum, qui autoritatem apud Principes habent. Qui mutuantur & coacervant monetas fortes & deinde easdem augent pretio. Adeo ut exſtiterit quidam, qui centum coronatorum millibus mutuo ſumptis, ſubito æſtimationem ſingulorum quinque ſolidis augeri effecit, & lucrifecit viginti quinque millia Francorum. Quidam alius curſum monetarum imminui curavit menſe Martio, & menſe Aprili rurſus auxit, quarta parte lucrifacta.

CXXIV. Submovebuntur quoque omnes adulterationes monetarum: & imperiti atque ignorantes cognoſcent bonitatem utriusque monetæ, adſpectu, ſono, pondere, absque igni, cælo vel lydio lapide. Poſtquam enim omnes populi, ab annis bis mille & amplius, fere ſemper ſervarunt & etiamnum ſervant æqualem rationem auri ad argentum, impoſſibile erit & populo & Principi, augere, minuere, vel mutare precium monetæ aureæ & argenteæ; ſi miſtura metallorum, quam billon vocant, ex republica ejecta fuerit, & aurum ad viginti tria ceratia redigatur.

CXXV. Et nihilominus, ut plebi ſuccurratur, neceſſe eſt etiam, tertiam ſpeciem monetæ ex puro cupro cudi, absque cadmia aut alia miſtura metalli; quemadmodum fieri cæptum eſt in Hiſpania, & in Italia fit. Aut potius marcam argenti in mille quingentas & triginta ſex partes dividere, quamlibet partem novem granorum. Etenim Regina Angliæ, ſublatis in univerſum ærosis numismatibus, ſeu (ut vocant) billonis, reduxit omnem monetam ad duas tantum ſpecies. Ut minima moneta argentea, quam *Pfenning* indigitant, valeat octo denariis vel circiter. Quo fit, ut viliores merces minori precio emi nequeant; & quod pejus eſt, non poteſt minor eleemoſyna quam ejusmodi nummus pauperibus erogari: quod multos impedit, ne quicquam largiantur.

CXXVI. Sed longe magis expediret, non alia quam aurea & argentea moneta uti, ſi poſſibile eſſet minorem monetam, quam talem nummum cudi, & ſi marca argenti tam minutatim divideretur, ſicut in Lotharingia. Ubi in octo mille nummulos, quos Andegavenſes nominant, diſtribuitur: quorum ducenti regalem & quadraginta ſolidum currentem noſtræ monetæ efficiunt, ſuntque ex argento ſatis puro. Quod ſi dimidia parte pauciores percuterentur, ſolidiores forent, & de liga, ut dixi: poſſentque eodem momento feriri & ſtylo acuto ſignari. Cupri enim pretium, quoniam ſingulis locis atque temporibus variat, minus idoneum eſt monetæ faciendæ: quæ quantum fieri poteſt, conſtans & immutabilis precio conſervari debet. Et prætera nullum metallum æque ſubjectum eſt rubigini, quæ notam & materiam exedit.

CXXVII. Et quantum ad precium, legimus, temporibus belli punici, libram argenti valuiſſe 840. libris cupri ſeu æris puri; libra 12. unciarum. Eodemque tempore denarius argenteus purus, qui ſeptima pars unciæ erat, de decem libris cupri, quibus valebat, auctus fuit ad 16. libras, ut Plinius refert. Qua ratione, ad 896. libras cupri ſeu æris pro una libra argenti redit; libra 12. unciarum exiſtente. Poſtea infima moneta, quæ erat libra æris, media parte fuit imminuta per legem papiriam, remanente eodem valore. Et cum major argenti copia ſuccederet, ad quartam partem reducta fuit, eadem æſtimatione manente: quæ eſt ratio 224. librarum cupri pro libra argenti. Quæ eſt propemodum æſtimatio cupri in hoc regno; ubi centum libræ, ſingulæ 16. unciarum, valent tantum 18. Francis. Et in Germania vilioris etiam precii eſt, licet ſupellex & ipſa templa multis in locis cupro ſint tecta. Sed in Italia carius eſt, & magis etiam in Hiſpania & in Africa, ubi longe minor ejus eſt copia. Quod per longe abeſt ab æſtimatione, quam fecit Imperator Arcadius. Qui libram auri centum libris æris æſtimavit. Quod fieri nequit, niſi per modum proviſionis: quoniam abundantia hujus metalli, reſpectu ad argentum habito, deminuetur.

CXXVIII. Dicet aliquis, copiam argenti etiam imminutionem precii ejus adferre. Sicuti re ipſa legimus in T. Livio, quod in fœdere inter Ætolos & Romanos inito comprehenſum fuerit, ut Ætoli pro decem libris argenti ſolverent unam libram auri. Et nihilominus conſtitutione

Arca-

Arcadii (l. ult. de argen. pret. c) libra auri æſtimatur 14. & $\frac{2}{5}$ libris argenti, libra ſolvi: & conſtituit 72. ſolidos aureos in libra: (l. quotiescunque, de ſuſceptor. C.) ita, ut quinque ſolidi ſint præciſe decima quarta pars libræ & $\frac{2}{5}$ amplius. Et hodie precium eſt paulo minus duodecim pro uno.

CXXIX. Verum antehac quidem marca auri puri æſtimata fuit 185. libris: & marca argenti 15. libris: & 15. ſolidis turonenſibus. Ita, ut pro marca auri puri infecti ſolvere oporteret undecim marcas, quinque uncias, 23. denar. & 5. grana argenti regii infecti. In regionibus ſeptentrionalibus (ubi plurimæ ſunt fodinæ argenti & pauciſſimæ auri,) aurum eſt carius. Adeoque æſtimatione in camera papali facta, marca auri æſtimatur argenti marcis 12. & $\frac{4}{5}$. Quæ propemodum pretii auri ad argentum proportio fuit ante annos bis mille quingentos. Legimus enim in Herodoto, libram auri valuiſſe 13. libris argenti. Et Hebræi in ſuis pandectis denarii aurei pretium faciunt viginti quinque argenteorum: quippe monetis aureis ad argenteas dupli rationem habentibus. Unde 12. & $\frac{1}{2}$ argentei ſingulis aureis valerent. Præterea legimus, temporibus Perſarum, & cum reſpublicæ Græciæ florerent, unciam auri æſtimatam fuiſſe libra argenti. Quoniam ſtater Daricus, pondere unius unciæ, valebat libra argenti, ut dicit Julius Pollux. Ex quu licet judicare, duo iſta metalla antiquum precii pedem habere.

CXXX. Sed æſtimatio auri ſub poſterioribus Imperatoribus accrevit, propter abuſum auri in deaurationibus omnium rerum. Sicuti Nero magnum ſuum palatium, ambulatoria mille paſſuum continens, totum deauravit. Et poſt ipſum Veſpaſianus, inaurando Capitolio, ſummam ſeptem millionum & ducentorum millionum coronatorum impendit. Quin & Agrippa univerſum tectum templi Panthei inauravit, ut cuprum a rubigine ſervaretur. Sicut etiam ferrum ſolet inaurari, ut contra rubiginem præſervetur. Imo & argentum ſæpe deauratur, licet nunquam rubiginem contrahat. Quod ſi Principes non interdicant in aurationibus, omnino neceſſe erit precium auri augeſcere. Quia argentum non æque tenax eſt, & vix aut parum adhibetur inargentationibus. Et præterea fodinæ Septentrionis plurimum argenti, auri vix quicqnam, producunt. Ut & quæ in terris novis ſunt, plus argenti, quam auri proferunt.

CXXXI. Nihilominus mutatio precii, quæ tractu temporis fit, inſenſibilis eſt. Nec impedire illa poteſt, quo minus liga monetarum ex duobus hiſce metallis percuſſarum, æqualis ſit in omnibus rebuspublicis; miſtura metallorum, ſive (ut vocant) billone expulſo. Cum præterea negotiatio in univerſo terrarum orbe communior nunc, quam unqnam antea, non poſſit inſignem aliquam varietatem precii auri & argenti ferre, niſi communi omnium populorum conſenſu. Nam & Auguſti tempore, proportio auri & argenti in India Orientali & in Occidente ſimilis & æqualis erat. Quod cum Rex quidam Indorum intellexiſſet, Romanorum juſtitiam laudavit, ſicut refert Plinius. Sed impoſſibile eſt, precia rerum certa ſervare, retento bellone. Qui ubique differens eſt & inæqualis. Quemadmodum enim precia rerum decreſcunt, imminuto valore monetæ, ut lex dicit, ita etiam creſcunt, aucta monetarum æſtimatione.

CXXXII. Et vero neceſſe eſt, ut augeatur & diminuatur: cum nullus ſit Princeps, qui æqualem metallorum miſturam, (ſeu legem billonis) cum aliis rebuspublicis ſervet. Imo nec in ſua ipſius. Quia lex ſeu liga ſolidi diverſa eſt a liga teſtonum, & parvorum denariorum duplorum, liardorum, & aliorum: qui non diu in eodem ſtatu permanent.

CXXXIII. Prima feneſtra in hoc regno, ad debilitandum argentum moneta formatum, & immiſcendum vigeſimam quartam cupri partem, aperta fuit, ut daretur anſa mercatoribus apportandi argentum in hoc regnum, cui argentum deeſt. Quo facto, vigeſima quarta pars argenti extraneis dabatur: quoniam tantumdem in Francia valebant undecim denarii & dimidius argenti, quantum duodecim denarii in aliis regionibus. Sed nibil opus fuit: propter divitias Franciæ, quas ſemper venient quæſitum afferentes aurum & argentum undique.

CXXXIV. Hoc malum magis invaluit tempore Philippi Pulchri, qui monetam argenteam media parte debilitavit anno 1300. tantundem argenti & cupri commiſcens. Paulo poſt usque ad tertiam partem imminuebatur: ita ut novi ſolidi valerent tantum tertia parte antiquorum. Et anno 1422. liga ſolidorum tam debilis fuit, ut marca argenti valeret octoginta libris turonenſibus, haberetque 1600. nummulos in marca operis. Quanquam eodem anno Carolus VII. recuperata corona, quam amiſerat, ſtabiliendæ auctoritatis ſuæ gratia, juſſerit cudi, menſe Novembri monetam novam fortem & bonam, ut marca argenti ad octo libras redigeretur. Sed tandem conflavit ſolidos quinque denariorum in liga anno 1453. Et poſtea paulatim ſemper imminuti fuerunt. Ita, ut Rex Franciſcus I. anno 1540. cuderet ad 3. denar. 16. gran. in liga: & Rex Henricus ad 3. denar. 12. gran. adeo, ut antiquus ſolidus argenti regii, valeret ferme quatuor, remanente ſemper eadem æſtimatione.

CXXXV. Nec ab aliis Principibus minus peccatum eſt. Nam crucigeri Germaniæ, qui antiquitus fuerunt ex argento 11. denar. 4. gran. hodie ſunt 4. denar. 16. gran. Solidi wirtenbergenſes, & groſſi imperiales 6. denar. hoc eſt tantundem cupri, quantum argenti continent. Solidi rappini denarii argentinenſes 4. denar. 12. gran. Nummi, quos Rappenfenning vocant, 4. denar. 3. gran. Et floreni argentei 11. denar. 4. gran. quales ſunt etiam nummi quinque & decem crucigerorum. Solidi Flandriæ ſeu ſtuferi, quorum 20. valent 24. noſtrorum, ſunt tantum 3. denar. 18. gran. in liga, & plusquam duæ tertiæ ſunt cupri. Nummus quatuor ſtuferorum eſt 7. denar. Decem gran. liga, & tertia pars eſt cupri. Ante hac ſolidi ſeu groſſi Angliæ fuerunt 6. denar. 22. gran. Nec unquam omne hoc billonis genus plus, quam viginti aut triginta annis, in eadem liga vel eodem pondere permanſit.

CXXXVI.

CXXXVI. Atque hinc exorta eſt differentia libræ turonenſium; groſſorum parvorum & mediocrium, libræ Normandiæ: libræ Britanniæ; & libræ Pariſienſis. Quæ omnes inter ſe differunt. Ut etiamnum videre eſt in taxationibus Cameræ Pontificis. Et in Hiſpaniis, libra Barcinonenſis, Toletana, Majoricana. In Anglia libra ſterlingiorum valet octonis noſtris. Et in Scotia duæ ſunt libræ admodum diverſæ, altera Sterlingica & altera vulgaris. Et in Italia nullus eſt Princeps, qui non peculiarem habeat monetæ libram ab aliis differentem.

CXXXVII. Quemadmodum in ſimili, marca ubique continet octo uncias. Sed uncia inferioris Germaniæ debilior eſt, quam noſtra ſex granis, Agrippinenſis novem granis, Norbergenſis ſex granis. Et e contra pariſienſis fortior eſt 1. uncia. Marca neapolitana habet novem groſſos, Salernitana decem: & vix eſt civitas Italiæ, quin habeat marcam ab aliis diſtinctam.

CXXXVIII. Qua ex re pes billonis difficilior redditur, pondere & liga, ita inter ſe variantibus: unde miſera plebs graviter affligitur, & in mutandis pecuniis plurimum perdit. Et generaliter omnes, qui non intelligunt paria, ut trapezitæ loquuntur, hoc eſt valorem monetarum in mutando, ratione diverſorum locorum. Quamob rem de homine in negotiis rerum verſatiſſimo dicimus, eum intelligere paria, quaſi rem admodum difficilem. Etenim monetarum negotium per billones & miſturas ita obſcuratum, ut maxima pars populi nihil prorſus de eo intelligat.

CXXXIX Quemadmodum nempe artifices, mercatores & quilibet in ſua arte, ſæpiſſime rem & opus involvunt: (Ut plerique Medicorum, qui loquuntur Latine coram fœminis & uſurpant characteres Græcos & verba Arabica; & notas Latinas abbreviant, & quandoque ſcripturam ſuam intricant, ut legi non poſſit, metuentes, ne detectis eorum medicamentis, in minori precio deinceps habeantur.) Ita etiam monetarii, omiſſa clariori locutione ſcilicet, maſſam auri ex duodecim partibus habere duas partes cupri vel alterius metalli, dicunt eſſe aurum viginti ceratiorum. Item pro eo, quod apertius efferetur, nummum trium blancorum continere mediam partem cupri, dicunt eſſe argentum ſex denariorum in puritate, duorum denariorum in pondere, & quindecim denariorum in curſu. Eſſentiam, qualitatem & quantitatem denariis & ceratiis contra naturam attribuentes. Et pro eo, quod dicimus marcam continere ſexaginta nummos, ipſi loquuntur de quinque ſolidis ſectionis. Deinde aliam monetam ſtabilem conſtituunt, aliam inſtabilem, & tertiam imaginativam: cum tamen nulla moneta ſtabilis & variatio & imaginatio provenerit ex debilitatione ponderis, & permiſſione puritatis auri & argenti.

CXL. Nam ducatus currens Venetiis, Romæ, Neapoli, Panormi, & Meſſanæ, quæ eſt moneta imaginativa, olim fuit vera moneta aurea pondere Angelotti, vel Medini *Barbarici*, & 4. denar. amplius; qui eſt plane imperialis Flandriæ; ejusdem ponderis & ligæ, cujus erat antiquus ducatus, valens decem carolinis argentis, & carolinus decem ſolidis ejus loci: ut quadraginta ſex efficerent marcam auri, & ſex unciam. Quam dividunt in triginta taros, & tarum in viginti grana, unde exiſtit groſſus in uncia plus, quam in uncia communi, quæ octo tantum groſſos continet.

CXLI. Hujusmodi monetam auream lex appellat *Solidum*: qualis eſt Angelotus, quorum quadraginta octo marcam conſtituunt, ſeptuaginta duo libram romanam 12. unciarum. Qui diu in uſu fuit, comprehenſus in legibus Græcorum, Germanorum, Anglorum, Francorum, Burgundionum. Et nihil eſt aliud, quam coronatus ſolaris Franciæ, hoc eſt ſolidus. Quem monetarii, vocabulum ſolidi non recte intelligentes, ab annis quinquaginta ſignarunt figura ſolis: populo nihilominus, qui magiſter vocabulorum eſt, antiquitatem retinente, atque etiam num eſcuſol, hoc eſt coronatum ſolidum appellante. Qui olim ponderabat quatuor denarios, ſicuti Angelotus; ſed poſtea Principes paulatim, & gradatim per grana eum reduxerunt ad tres denarios, qui eſt coronatus vetus.

CXLII. Et tempore Regis Joannis, coronato veteri paulatim imminuto, ſicut coronatus antiquus, tribus granis: conflati fuerunt coronati ad duos denarios, & viginti grana ponderis, ejusdem ligæ, qua antiqui erant. Appellatique ſunt Franci pedites & equites, (nam quos hodie, Francois, tunc Franos, ſive Francos nominabant. Quemadmodum adhuc in univerſo oriente populos occidentis appellant Francos.) Quo tempore etiam percuſſus fuit coronatus Burgundicus, quem Ridæum vocant, eodem pondere & liga. Ac duraverunt usque ad tempora Caroli VIII, quando coronatus Franciæ imminutus fuit ſex granis ponderis, & $\frac{3}{4}$ ceratii puritatis: nam antiqui erant $23\frac{3}{4}$. cerat. & coronati vulgares 23. cerat. Poſtea Rex Franciſcus I. corrigens nonnihil coronatum vulgarem, conflari juſſit coronatos ſolares 2. denar. 16. gran. & ejusdem ligæ, cujus erat coronatus vulgaris, excepta $\frac{1}{8}$. remedii. Quod permanſit usque ad Regem Henricum, qui quatuor granis ponderis fortiorem fecit: & Carolum IX. qui quinque grana detraxit anno 1661.

CXLIII. Sed coronati veteres, ſeu ducati Veneti, Genuenſes, Florentini, Senenſes, Caſtellani, Portugallici, & Hungarici legem ſeu ligam $23\frac{3}{4}$. cerat. & 2. denar. 18. gran. ponderis retinuerunt, usque ad annum 1546. Quo Imperator Carolus V. ligam coronatorum Hiſpanicorum uno ceratio & tribus quartis, ac tribus granis ponderis debilitavit; conflans coronatos Caſtellæ, Valentiæ, & Arragoniæ, qui Piſtoleti nominantur, ad 22. cerat. 2. denar. 15. gran. ponderis: peſſimum præbens exemplum aliis Principibus idem faciendi. Sicut fecerunt Principes Italiæ: qui percuſſerunt ad 22. cerat. & infra 2. denar. 15. gran. ponderis: quales ſunt coronati Romani, Lucenſes, Bononienſes, Salutiani, Genuenſes, Senenſes, Siculi, Mediolanenſes, Anconitani, Mantuani, Ferrarienſes, Florentini, & novi coronati Veneti. Sed & Paulus III. Pontifex cœpit ſuo nomine ferire coronatos $21\frac{1}{2}$. cerat. & 2. denar. 14. gran. ponderis. Et eodem tempore Avenione, nomine

ne Alexandri Farneſii Legati & Nepotis Papæ, percuſſi ſunt multo debiliores in liga & quinque denar. pondere inferiores.

CXLIV. Quæ res incredibile adfert damnum ſubditis & lucrum adulteratoribus ſictoribusque monetarum & mercatoribus, qui conquirunt fortes monetas, ut ex illis alibi debiliores fieri curent. Quod frequentius etiam accidit in moneta argentea altæ ligæ, & quæ eſt ſupra undecim denarios puritatis: ut ſunt regales Hiſpanici, qui omnes continent 11. denar. 3. grana.

CXLV. Ex quibus alii Principes antehac magnum lucrum fecerunt. Nam ſi vel in Teſtones Francicos convertantur, ex centum millibus librarum capi poterit emolumentum ſex millium quingentarum librarum, non debilitata liga Teſtonis Francici, qui continet decem denarios, 17. granor. puritatis.

CXLVI. Eodem modo Helvetii, qui Teſtones Francicos, in Teſtones Solidurenſes, Lucernenſes & Underwaldenſes commutarunt, in qualibet marca lucrifecerunt 41. ſolid. 11. denar. & $\frac{2}{25}$ turonenſis. Nam hi ipſi ſunt tantum 9. denar. & 18. granorum, hoc eſt, 23. gran. puritatis inferiores ſunt Francicis in qualibet marca, quorum æſtimatio erat 25. ſolid. turon. Et quantum ad pondus, 25$\frac{5}{8}$. Teſtones Francici marcam conſtituunt: cum marca teſtonum ſolidurenſium $\frac{1}{8}$ debilior ſit pondere. Quæ æſtimatio eſt 4. ſolid & 3. denar. turonenſium. Et quoniam dicti teſtones non niſi pro argento inferioris ligæ, quod billonem vocamus, haberi poſſunt, (cum ſint infra 10. denar. puritatis, æſtimatione facta 14. librarum, 17. ſolid. 4. denar. turonenſium in marca argenti puri) teſtones autem Francici, cum ſint ſupra decem denar. puritatis, cenſentur pro argento altæ ligæ. Qui valor eadem proportione redit ad 15. libras 13. ſolid. turonenſes in marca argenti puri. Et propter differentiam argenti altæ vel inferioris ligæ, iidem teſtones minus, quam francici valent. 12. ſolidis, 8. denar. turonenſ. in marca teſtonum. Itaque teſtones ſolidurenſes francicis æſtimatione ſunt inferiores 41. ſolid. 11. denar. in marca. Ita, ut ſingulis dictorum teſtonum decedat 1. ſolid. 11$\frac{2}{30}$. denar. turonenſ. Bernenſes vero, qui ſunt 9. denar. turonenſ. plus valent, quam ſolidurenſes.

CXLVII. Porro, ſi in ſingulas marcas deni ſolidi lucrifiant, emolumentum eſt ſatis amplum. Belgæ idem faciunt, teſtones Franciæ in regales belgicos convertentes.

CXLVIII. Conſtitutionibus Principum pene omnium diligenter proſpectum eſt, ne aurum & argentum ad extraneos exportetur, ſub graviſſimis pœnis. Sed impoſſibile eſt ea ita cuſtodiri, quin tam mari, quam terra plurimum evehatur. Tamen ſubditis non deerit occaſio miſcendi, fingendi, deformandi, alterandi & fundendi monetas argenteas & aureas, quamdiu diverſitas ligæ manebit: ſive id faciant vigore permiſſionum, quibusdam aurifabris conceſſarum, ſive directo contra prohibitiones. Quia defectum ligæ, qui in opere ipſorum invenitur, lucrifaciunt tam ratione remediorum, quæ illis permiſſa ſunt, quam incruſtationum & ferruminationum, quibus utantur. Facientes opus ex optimis numiſmatibus, & deridentes leges & ordinationes, quæ precium marcæ auri & argenti conſtituunt, cum mercedi & formæ operis, quantam velint pretium imponant. Adeo, ut ſemper carius vendatur aurifabris, quam ordinationibus ſit conſtitutum: argentum 40. vel 50. ſolidis, aurum 12. vel 13. libris in ſingulas marcas. Quo fit, ut aurum & argentum carius emant aurifices & mercatores, quam monetarii, qui ordinationem Regis transgredi non poſſunt, neque propter materiarum emptiones, neque propter conflaturam. Statim autem, atque materia converſa eſt in monetam, pondere vel liga fortiorem, quam ſit Principum vicinorum, funditur, & coacervatur ab aurificibus, ut in opus convertant; vel ab extraneis, ut monetam inde ſuo pede percutiant. Cui rei velut miniſtri ſubſerviunt nummularii, ſub prætextu commodandi populo mutationem monetarum, contrahentes cum aurifabris & mercatoribus extraneis. Certum enim eſt, & depræhenſum ab annis 25. eum parvi ſolidi reprobati eſſent, conflatos fuiſſe ejusdem generis in hoc regno ad ſummam viginti quinque millionum librarum & amplius, præter nummos trium & ſex blancorum, quorum nulli jam inveniuntur, quia aurifices emolumentum in iis animadverterunt. Quo fit, ut qui magnam habent auri & argenti ſuppellectilem, non poſſint ea gaudere: quia quam impenſo pretio ab aurifabris emerunt, nolunt cum tanto detrimento vendere.

CXLIX. Ac quidem Carolus IX. Rex plurimum perdidit, vaſis ſuis in monetam conflatis. Cum antea liga monetarum ſemper æqualis fuerit ligæ ſeu legi aurifabrorum: ita, ut in vaſis nihil perderetur, præter opus. Ex quo commune remanſit proverbium: *Sunt argentea vaſa, nihil illic perit præter opus.*

CL. Itaque, ut omnibus iſtis incommodis occurratur, oportet legem monetarum & operum auri & argenti eſſe æqualem, videlicet viginti trium ceratiorum absque remedio, in auro: & undecim denariorum, & 12. granorum in argento. Inventa autem fuerat via abuſibus quadantenus occurrendi, locato reditu monetarum, confiſcationum & mulctarum ex maleficiis provenientinm. Et vectigal anno 1564. ſumma quinquaginta millium librarum annuarum addictum fuit: ſed hoc iterum abolitum eſt Molini anno 1566; & monetæ attributæ illis, qui maximam auri & argenti quantitatem ſe conflaturos offerrent, Quæ ratio ramuſculos nonnullos & frondes præcidit: verum manente abuſuum radice, nunquam erit fraudum finis.

CLI. Radix autem abuſuum eſt confuſio trium metallorum, auri, argenti & cupri. Qua ceſſante, neque ſubditi, neque extranei quicquam fraudis machinari poterunt, quin ſubito detegatur, Nam quemadmodum moneta pure cuprea vel ærea non habuit in hoc regno locum, propterea quod talis non cuderetur: ſic etiam æroſa numiſmata, ſeu billones, ſi reprobentur, & inter-

interdicto publico non cudantur amplius, billones extraneorum prorſus tollentur. Nec ſperandum eſt, extraneos & ſubditos, deſituros billoni privatim operam dare, & omnes monetas extraneas recipere, quamdiu Princeps & reſpublica billonem conflari curabunt.

CLII. Quanquam & alia, tam publica, quam privata, ex eo redundet & utilitas, ſi prohibeatur, ut dixi, mixtura metallorum. Videlicet, ut vitetur impoſterum detrimentum argenti, quod pro nihilo computatur in auro quatuordecim ceratiorum vel ſupra, & perit propter ſumptus excoctionis, quæ inſtituitur per cæmentum regale, vel per aquam chryſulcan. Nam ſexaginta minimum ſolidis opus eſt ad ſeparationem marcæ unius: & nihilominus damnum permagnum eſt inſigni quantitate. Sicuti omnes floreni germanici ſunt tantum ſedecim ceratiorum, vel 16½ ad ſummum: unde in centum mille marcis exiſtit damnum triginta trium millium marcarum: & ad 14. ceratia 40000. marc. & amplius.

CLIII. Præter hæc, quæ dixi, abuſus monetariorum ceſſabunt, reſpectu imminuti ponderis, & debilitationis: ex quibus mercedes monetariorum redigebantur. Quæ ut reprimeret Henricus II. Rex Franciæ, conſtituerat, ut illis ſolveretur ab exactoribus locorum. Quæ conſtitutio etſi ſancta fuit, tamen per Carolum IX, ſuaſu Cameræ rationum Pariſienſis, (quæ demonſtravit, Regem loco percipiendi ex monetis ſuis lucri, quotannis plus, quam decem millia librarum, perdere) ſublata eſt: quia officiales mercedem pene faciendo accipiebant.

CLIV. Sed vera ratio medendi eſt ſupprimere omnes officiales monetarum, exceptis iis, qui in una aliqua civitate erunt ad percudendum omnes monetas, & mercedem illis ſolvere per exactorem ſeu quæſtorem loci: manente jure dominico. Quod veteribus tamen fuit incognitum, nec ullatenus in monetis deducebatur, imo ne quidem jus conflaturæ: quod valde neceſſarium foret. Aut potius, ut imponatur ſubditis tributum ad conflationem monetarum: ut aboleatur jus dominicum & conflatorium: ſicuti olim in Normannia factitatum eſt, & etiam num fit in Polonia. Ut incredibili damno ac detrimento, quod ſubditi ſuſtinent, occurratur.

CLV. Eademque ratione ceſſabit varietas pretii marcæ auri & argenti, quæ infinitos abuſus procreavit.

CLVI. Et monetæ extraneæ non recipientur, niſi ad fuſionem tantum, nihilque computabitur pro jure dominico, neque pro conflatione: non attentis diplomatibus, a Principibus vicinis impetratis, ut alieno incommodo monetæ ipſorum tali pretio, quo in ſuo territorio, exponuntur.

CLVII. Ac ut omnis falſandi, adulterandi & mutandi receptam monetarum aurearum & argentearum legem, occaſio amputetur: neceſſe erit, omnes monetas in unica tantum urbe conflari, in qua judices monetales reſidebunt: & reliquas officinas ſupprimi, (niſi monarchia vel reſpublica tam late pateat, ut plures inſtitui debeant:) quo in loco omnes aurifices opus faciant, interdicto ſub pœna vitæ facto, ne alio in loco faciant, quia ab iſtis maximi præcipuique abuſus proficiſcuntur. Dabiturque cognitio judicibus ordinariis per præventionem puniendi abuſus, qui committentur.

CLVIII. Satis enim notum eſt, quantum abuſus in conflatione monetarum in hoc regno & in ſententiis fuerit, propter paucitatem Judicum, quibus cognitio privative attributa fuerat, & maxime poſt ſuppreſſionem generalium ſubſidiariorum. Neceſſarium itaque eſt, exemplum veterum Romanorum ſequi, qui omnibus Italiæ ſubditis ſolum habebant templum Junonis, ubi tria monetarum genera formabantur pura & ſimplicia, videlicet auri, argenti & æris: & triumviros monetales, qui formabant & conflabant monetas publice & in conſpectu omnium. Et ne quis in pretio monetarum deciperetur, certum locum conſtituerunt, in quo moneta probaretur Marii Gratidiani rogatione.

CLIX. Sicut legimus, in hoc quoque regno conſtitutione Caroli Magni prohibitum fuiſſe, ne alibi, quam in palatio moneta cuderetur. Sed poſteaquam Philippus Pulcher, Carolus ejus filius, & Johannes Reges, plures monetas ſeu officinas in hoc regno erexerunt, & in ſingulis monetis diverſos magiſtros, cuſtodes, præfectos, alioſque officiales conſtituerunt, abuſus quoque fuerunt multiplicati.

CLX. Hic fortaſſis objiciet mihi aliquis: Perſas, Græcos, & Romanos monetas plures conflaſſe aureas, argenteas & æreas, altiſſimæ ſeu perfectiſſimæ ligæ, qua fieri poſſit: & non defuiſſe tamen adulteratores. Sicuti legimus apud Demoſthenem in oratione contra Democratem.

CLXI. Reſpondeo, difficile quidem eſſe iis rempublicam prorſus expurgari: attamen ex mille, qui nunc ſunt, vix invenientur decem, obſtante difficultate rei, cum lex ſeu liga auri & argenti unicuique nota futura ſit, ea ratione, quam ſupra deduxi. Quod ſi exiſtat inconſideratus aliquis Princeps, qui mutari bonitatem monetarum lucri cauſa velit, (ſicuti Marcus Antonius monetam argenteam inferioris ligæ cudi fecit,) ſtatim ea ejicietur: & ipſe ignominiam apud omnes incurret, præter periculum rebellionis ſubditorum, quæ ingens fuit tempore, quo Philippus Pulcher legem monetarum debilitavit. Utut ſit: certum eſt, nunquam pauciores adulteratores monetarum fuiſſe, quam temporibus Romanorum, quorum omnis moneta aurea & argentea erat altæ ligæ ſeu legis. Nam & Livius Druſus Tribunus reprehenſus fuit, quod rogationem tuliſſet, ut in moneta argentea pars octava æris immiſceretur; velut

nos loquimur, ut fabricaretur ad 10. denar. 12. gran. puritatis. Quo clarum ſit, ne ab eo quidem tempore voluiſſe eos confuſionem auri & argenti permittere: argentumque altiſſimæ legis fuiſſe, ut & aurum. Quod & videre eſt in numismatibus aureis, quæ ſunt $23\frac{3}{4}$ ceratior; & inveniuntur nonnullæ Veſpaſiani Imperatoris, quibus tantum $\frac{1}{32}$ cerat. deeſt. Quin aurum ſit 24. ceratiorum, quod aurum eſt omnium puriſſimum.

CLXII. Sed propter eas, quas recitavi cauſſas, ſufficit, aurum eſſe 23. ceratiorum, & argentum undecim denariorum & duodecim granorum. Ne relinquatur etiam excuſandi occaſio, ignibus imperari non poſſe: & $\frac{1}{4}$ vel $\frac{1}{8}$ remedii poſtuletur, unde multi abuſus oriuntur. Remiſſis tamen duobus ſcripulis remedii, in marca monetæ percuſſione formatæ.

CLXIII. Rurſus dici poteſt, expedire ſaltem duplos & denarios inferioris ligæ fabricare, ut evitetur gravitas monetæ æreæ. Reſpondeo. Si conflatio billonis in minimo permittatur, raptum iri in conſequentiam liardorum ac ſolidorum, & ſemper rediri ad principia. Et licet præter duplos & denarios nihil percuteretur, tamen aperiretur feneſtra adulteratoribus monetarum, decipiendi plebeculam, in cujus uſum iſta moneta cuditur, & quæ nihil ejus rei recipit propter exiguum valorem, quo æſtimatur, nec inquirit de bonitate vel intrinſeco valore ejusdem.

CLXIV. Epiſtolam babeo Jacobi Pinutelli ad Regem Henricum II, in qua hæc verba continentur: *Domine, notum tibi facio, intra menſes ſex in quadam monetarum tuarum conflatos eſſe ſolidos debiles, in qualibet marca, in pondere viginti ſolidis, & in liga quatuor ſolidis. Cum placebit majeſtati tuæ, opus tibi oſtendam: & demonſtrabo, quantum damnum inde ad te & populum tuum perveniat, quod longe gravius erit, niſi ſeveriſſime huic rei majeſtas tua providerit.* Eodem tempore idem conflabat nummos ſex blancorum mandato regis, 4. denar. in liga, & 2. gran. remed. & 4. denar. 14. gran. ponderis. Quod genus miſturæ ſeu billonis tunc optimum erat in Francia: adeo, ut ſtatim refuſum fuerit, & vix appareat amplius. Manifeſtum eſt autem cuivis, damnum 24. ſolidorum in marca, ad Regem & populum redundans, efficere plus, quam 25. in centum. Et nihilominus idem Pinutellus, a camera generalium monetarum ſubreptitie impetrata commiſſione, anno 1552. conflavit duplos, & denarios, Villanovæ ditionis avenionenſis, & Villæfrancæ ditionis ruergienſis: qui æſtimati fuerunt tantum 12. ſolidis in marca. Et compertum eſt, ipſum hoc modo paulo minus quadringentis millibus librarum pure & ſimpliciter depeculatum eſſe: & gratiam ſibi redemiſſe, quinquaginta millibus libris, quas cuidam fœminæ donavit: quæ tamen magis ſupplicium differri, quam veniam ei dari effecit.

CLXV. Quare dico, miſturam metallorum ſeu billonem nullo modo ferendum eſſe illi, qui rempublicam falſis monetis expurgare volverit. Ita etiam ceſſabit damnum, quod miſer populus reprobatione monetarum, aut pretii earum, poſtquam debilitatæ ſunt, deminutione perpeti ſolet. Nec apud Principes locum habebunt ii, qui ipſis utilitatem proponunt, quam ex monetis ſuis percipere poſſint. Quemadmodum officialis quidam monetarum in conſilio diviſorum propoſuit, & ad Regem Carolum IX. perſcripſit, magnum emolumentum ex monetis ad ſolatium populi conquiri poſſe. Et calculo illius ſubducto, reperiebatur, ex qualibet marca auri puri in opus collati, Regem percepturum eſſe octo libras turonenſes, cum antea tantum 25. ſolid. & $4\frac{16}{23}$ denar. reciperet: & ex marca argenti regii in opus collati quadraginta ſolidos turonenſes, cum antea 16. denar. tantum ex conflatione Teſtonum Rex perciperet. Suadebat, percutiendum eſſe ex argento regio 12. ſolid. turonenſ. in curſu, & 30. nummorum in marca, pondere 6. denar. 9. granorum & ſemiſſes & quadrantes eadem proportione: & monetam ex auro 24. cerat. & 1. cerat. remedii, & 30. nummorum in marca ejusdem ponderis, quo argenti, valore ſex librarum turonenſium. Et nihilominus volebat, fabricari quoque minutum billonem trium denariorum in liga & 320. nummulorum in marca, & trium denariorum in curſu, & omne reliquum billonis genus infra 10. denar. puritatis: marcam conſtituens 14. librarum turonenſium. Hæc illius opinio fuit, ut merebatur, rejecta. Et perridiculum eſt cogitare, Regem tantum emolumentum ex monetis ſuis cum ſolatio populi corradere poſſe: ſi verum eſt, quod Plato inquit, neminem unquam quicquam lucrari, quin alter perdat: cum inevitabili neceſſitate damnum in ſubditos recaſurum ſit, quoniam extranei nihil ejus ſentiunt.

CLXVI. Sed utique per opus eſt, magnum aliquem Principem miſſa legatione hoc ipſum apud cæteros efficere, ut Principes omnes communi conſenſu conflationem billonis ſeu æroſi numismatis inpoſterum prohibeant: conſtituendo legem monetarum aurearum & argentearum, prout ſupra deductum eſt: & utendo marca octo groſſorum ſeu drachmarum, & 570. granorum in uncia, quæ eſt communiſſima. Quod difficile non foret: quandoquidem Rex Catholicus, & Regina Angliæ jam pridem omnem billonem ſuſtulerunt, & quoniam omnes monetæ aureæ hiſpanicæ, exceptis Piſtolettis & moneta portugallica, altioris ligæ ſunt, quam dixerim, & omnis moneta argentea undecim denariorum, trium granorum.

CLXVII. Et utile eſſet, monetam fieri in forma proplaſtica, ſicut faciebant veteres Græci, Latini, Hebræi, Perſæ, Ægyptii: nam ſumptus minores erunt & facilitas major, rotunditasque perfectior ad impediendum raſores. Nec flexioni aut rupturæ obnoxia erit. Atque etiam perpetuo remanebit forma ſeu imago. Vitabitur quoque moleſtia percuſſionis malleorum. Nec opus erit circumciſore. Nec detrimentum ullum ex limitatura, aut remedium in ponde-

pondere exiſtet. Sicut neceſſarium eſt, duo ſcripula minimum tribui in marcam monetæ, percuſſione formatæ. Quin & major numerus uno die conflabitur, quam alioqui fiat toto anno. Et auferretur præterea occaſio adulteratoribus monetarum tam facile miſcendi metalla; uti faciunt in prælis & incudibus, ubi moneta late diſtenditur ad tegendam craſſitudinem. Item protoplaſtice efficit omnia numismata ejusdem metalli æqualia craſſitie, pondere, latitudine & forma. Adeo, ut, ſi falſarius monetæ velit miſcere æs cum auro, præter vel ſupra ligam 23. ceratiorum, volumen cupri ſeu æris, quod in pondere æquali duplo, & $\frac{1}{3}$ quam aurum in maſſa æquali: efficeret numisma longe craſſius, & falſitatem detegeret.

CLXVIII. Certum enim eſt, ſi maſſa anri, æqualis maſſæ cupri, ponderet 1551. ſcripula, quod maſſa cupri ponderet tantum 729: quæ eſt ratio propemodum 17. ad 8. in graviori pondere. Sicut didici ex Domino Franciſco Foxio, magno ætatis noſtræ Archimede: qui primus veram metallorum in pondere & volumine proportionem oſtendit.

CLXIX. Idem judicium erit de argento: quod volumen auro majus in pondere æquali habet: ſive quo argento aurum gravius eſt in maſſa æquali ſemel & $\frac{4}{5}$. Quæ ratio eſt velut 1551. ad 1366. vel 9. ad 5. Et cupri ad argentum, ſicut 11. ad 13. vel præciſe ſicut 1229. ad 866.

CLXX. Quæ duo metalla propius pondere & volumine invicem accedunt, quam cætera, excepto plumbo, quod argento gravius eſt, quantum diſtant 15. a 14. vel præciſius 866. a 929. Sed non poſſunt eo uti ad falſandum, quia ab omnibus metallis, præterquam a ſtanno ſe ſeparat. Minus etiam uti poſſunt ſtanno, quod eſt omnium metallorum venenum: nec pro argento fundi poteſt: quoniam levius eſt, quantum diſtant 9. a 14. vel præciſe 600. a 929. Et multo minus pro auro ſubjici poteſt, quod gravius eſt ſtanno in maſſa æquali; ſive minus corpore in pondere æquali, quantum intereſt inter 18. & 7. vel præciſe inter 1551. & 600. hoc eſt $2\frac{4}{5}$ gravius.

CLXXI. Quod ad ferrum attinet: non poſſunt falſarii eo abuti in fuſione: quia neque auri neque argenti miſturam recipit: & connexio laminarum in ferro haud difficulter cognoſci poteſt. Plinius ferruminationem appellat, qua adulteratores monetarum ſua ætate utebantur. Et certe Dominus de Villemor, commiſſarius belli, nummum ejusmodi ferreum argento coopertum mihi oſtendit. Sed pondus & volumen detegit falſitatem, ſi propius inſpiciatur. Nam eſt gravius ferro in maſſa æquali, quantum diſtant 4. a 3. vel accurate 866. a 634. Et quoad aurum, impoſſibile eſt ferruminationem adulteratoribus uſui eſſe poſſe: quoniam aurum eſt minus corpore, quam ferrum in pondere æquali, ſeu gravius in maſſa æquali, quantum intereſt inter 6. & 9. vel 1556. & 634.

CLXXII. Pari modo metuendum non eſt, ne argentum vivum uſui eſſe queat ad falſandum duo iſta metalla: licet ad pondus auri tam prope accedat, quantum 7. ad 8. vel 1558. & 1551. quia nondum ita retinere potuerunt, quin in fumum evolaret.

CLXXIII. Hæc de forma monetarum dicta ſint deque utilitate, quæ ex proplaſtica earundem fuſione proveniret. Quemadmodum olim formatæ fuerunt: donec cæptum eſt auri argentique inopia laborari, exhauſtis undique fodinis: & duobus iſtis metallis uſu conſumptis, deperditis, occultatis, aut diſſipatis: Qua de cauſa neceſſitas coegit monetam adeo tenuem fabricari, ut ad ſignandam malleus ſufficeret: ex quo multi abuſus orti ſunt. Sed quemadmodum antiquiſſimi homines, qui non multum auri & argenti habebant, id ipſum malleo ſignarunt: ac deinceps majorem ejus copiam conſecuti cœperunt proplaſticen exercere: ita ad eandem proplaſticen hodie redeundum eſt.

CLXXIV. Tentata fuit etiam fabricatio in mola, compertumque eſt, ſignum non ſatis commode illic imprimi, & in centum marcis materiæ ſemper triginta marcis deciſuræ exiſtere, cum incude una ſint vel duæ: & ipſum ſonitum a monetis incude percuſſis differre. Quin etiam deprehenſum eſt, ſingulos nummos non eſſe ejusdem ponderis; quoniam laminæ uno in loco tenuiores fiebant, quam in altero.

CLXXV. Porro ejus, quod dixi, marcam auri & argenti dividendam eſſe in partes ſeu nummos, pondere æquales, absque fractione nummorum in marca, vel denariorum in nummis, vel granorum in denariis: utilitas eſt evidentiſſima, tam ratione permutationis marcarum & nummorum, quam etiam propter æſtimationem, pondus, & curſum indubitabilem. Ita namque veteres uſitarunt. Nummus aureus & argenteus ponderans 4. groſſos vel drachmas, quæ eſt dimidia pars unciæ æqualis, erit Stateri attico, & philippeo antiquo, & nobilibus Roſatis, & nummis aureis veterum Romanorum, quos Lex appellat aureos. Et nummus unius groſſi vel ſolidi turonenſ. ſeu drachmæ, ad 64. in marca, æqualis erit drachmæ atticæ, & Zuzæ Hebræorum. Quæ fuit merces diurna manuariorum in Græcia & univerſo Oriente, quanquam denarius argenteus romanus eſſet $\frac{1}{8}$ fortior pondere. Quod etiam fuit diurnum ſtipendium militis romani, temporibus Auguſti: paulo plusquam ſimplex regalis hiſpanicus.

CLXXVI. Quod ſi mutationes & viciſſitudines ſubitæ noceant, & ſint pernicioſæ, poterit pedetentim procedi, fabricando monetas ad eum modum, quem dixi: ut detur unicuique ſpatium temporis, quam minimo diſpendio expendendi billonis ſeu ærosi numiſmatis.

CLXXVII. Super his difficultatibus, cum Blæſis eſſem deputatus a Provincia Veromanduorum: vocatus fui una cum primo Præſidente, & tribus Generalibus monetarum, & Marcello Præfecto ærarii, ut abuſibus monetarum mederemur. Ubi tandem fuit concluſum, omnia iſta ſupra ſcripta, quæ ſummatim deduxeram, eſſe quidem neceſſaria, ſed difficultatem & morbos rei-

publicæ incurabiles non poſſe ea ferre. Quod idem eſt, ac ſi diceretur; præſtare ægrotum languore emori, quam ſalutarem medicinam ſumere, quæ palato diſpliceat.

CLXXVIII. Fateor, argentum in billone vix ad medietatem rediturum, ſi purificetur ad 11. denar. & 12. grana. Sed e contra perpetuum erit commodum, ſi ſemel lex ſeu liga ſtabilis ſervetur, ut dixi. Et niſi fiat, impoſſibile eſt, ruinam reipublicæ evitare. Ac licet ſtatim eodem momento omnia ærosa numiſmata tollantur: dummodo mediam damni partem Rex, mediam populus ferat: tamen majus inde emolumentum ad populum redundabit, quam ſi feriatur moneta debilis, & poſteaquam aliquantisper in uſu fuerit rurſus reprobetur. Sicuti frequenter videmus, ſingulis annis, imo ſingulis menſibus, ſingulis diebus, ſingulisque momentis, augeri curſum ſeu valorem monetarum; earumque tot eſſe pretia, quot provincias, quot civitates, quot pagos.

CLXXIX. Non exiſtimo, quenquam fore recto judicio præditum, qui neget, expedire potius, talem ſanguinis miſſionem ad evacuandos pravos humores, quam perpetua febri conflictari, quæ toties paroxiſmos multiplicet. Videmus enim ab anno 1538. (ne ulterius progrediamur) quo reprobata fuerunt numiſmata, quæ Vaccæ appellabantur, & decennio poſt, quo omnes billones raſi ſublati ſunt: percuſſos fuiſſe ſolidos tempore Henrici II. ad 3. denar. 12. grana in liga, & tempore Caroli IX. ad 3. denar. argenti: qui minus valent, quam billones raſi veteres & reprobata illa numiſmata. Et nihilominus mox augetur prenium billonis, non aucta liga. Ut exhilaretur populus, quemadmodum cum propinatur frigida ægroto. Quia admodum care conſtat, quando rurſus fit reductio aut reprobatio,

CLXXX. Summa itaque & barbara injuſtitia eſt, & inevitabile regionis detrimentum, ſi Princeps ſuo arbitrio pretium auri & argenti mutet, augendo vel deminuendo pedem monetarium, ex duobus iſtis metallis fabricatorum in eodem gradu bonitatis: nec inventurus eſſet ullum Principem aut populum vicinum, qui commercia cum ipſo tractare velit, præterquam in ſpeciebus.

CLXXXI. Atque demonſtratio ejus, quod tria illa metalla, ita conflata, ut dixi, habitura ſint naturalem & convenientem proportionem, apparet ex eo, quod tantundem interſit inter aurum viginti trium ceratiorum reſpectu auri puri, quantum inter argentum undecim denariorum & duodecim granorum, reſpectu argenti puri duodecim denariorum.

CLXXXII. Et hac ratione, obſervato curſu & titulo monetarum, de quibus dixi, ceſſabunt infiniti proceſſus & lites, quas excitari videmus propter ſolutionem redituum & debitorum, in forti vel in debili moneta, in auro vel in argento, in novis vel in veteribus coronatis.

CLXXXIII. Ad eundem modum, reditus & facultates uniuscujusque certiores erunt; æſtimatio rerum melius conſtituetur: incertæ monetarum mutationi occurreretur: contractus & commercia facilius expedientur: Principes & magiſtratus authoritatem ſuam obtinebunt: uſurariorum & impoſtorum fraudes præcludentur: adulteratores monetarum exulabunt: & miſera plebs incredibili ſolatio perfruetur.

CLXXXIV. HÆ SUNT, DOMINE, RATIONES, MEO QUIDEM JUDICIO, NECESSARIÆ, AUT SALTEM apparentes, quoad caritatem rerum omnium, & viam, qua ei ſit occurrendum. Sed ut certo cognoſcatur, an ſubſiſtere poſſint, necne, haud opus eſt exploratore vel indice alio, quam politiſſimo & integerrimo judicio tuo: quod longe rectius de illis ſtatuet, quam lydius lapis, vel ignis ullus de auri puritate. Quæ me cauſa potiſſimum permovit, ut hæc in publicam lucem & in conſpectum omnium emitterem: cum neminem arbitrer auſurum eſſe reprobare id, quod ſemel a te eſt approbatum.

CLXXXV. Nec tamen opinor, mihi in omnibus creditum iri. Id enim nimis ſoret ridiculum cogitare. Minus etiam volui cuiquam contradicere: ſed tantum invitare eos, qui melius negotia & ſtatus publicarum rerum intelligunt, ut diligentius de illis curam ſuſcipiant, quam alioqui ſolet fieri. Et maxime incitare volui Dominum de Maleſtroict & eos, qui bono publico ſe quadamtenus devoverunt, ut in tam præclaro propoſito pergant. Quo facto, Summi Principes, penes quos eſt poteſtas condendæ legis, nec non ii, qui eisdem ſunt a conſiliis, facilius, ut puto, ſtatuere poterunt, quid ad honorem & incrementum reipublicæ ſit conſtituendum: ubi a multis intellexerint juſtiſſimas miſeræ plebis querelas, in quam dolor & damnum hujus mali redundat. Cum major pars hominum non poſſit dijudicare, unde procedat: & iis, qui aliquo ejus rei judicio ſunt præditi, non præbeantur aures: nec alia via relinquatur, præterquam perſcripta, indicandi morbum iis, qui facile remedium poſſunt adhibere.

JOAN-

JOANNIS BODINI
DE REPUBLICA LIBRI SEXTI
CAPUT II.
DE ÆRARIO.

ÆRARII civitatis conficiendi & conſervandi quam neceſſaria ſit diſciplina, ex eo percipi ac intelligi poteſt, quod vetere proverbio dicitur; *Reipublicæ nervos in pecuniis conſiſtere.*

Ut igitur hoc, quicquid eſt, quod de civitatis ærario diſputamus, ordine percipiatur; *principio* omnem honeſtam ærarii conficiendi rationem explicabimus; *deinde* ut publicæ opes utilitati ac dignitati inſerviant; *poſtremo* ut caveatur ne publicis largitionibus exhauſto ærario, repentina calamitate reſpublica deſeratur. Hæc igitur tria diſputationis capita ordine quæque ſuo perſequemur.

PARS PRIMA.

§. I. ÆRARII CONFICIENDI magiſtros habemus ubique quamplurimos, qui civium opes exhaurire, ac Principes ad inuſitata vectigalium genera urgere conſueverunt: eorum vero qui tam artificioſe iſta conſectantur, qui dignitatis & honeſtatis in eo genere rationem haberet, video neminem. His igitur prætermiſſis, conquiramus eos; qui cum prudenter ærarii publici ſummam curam habent, tum vero illud efficiunt, ut honeſtis rationibus publicæ opes augeantur; ne civitas inops a pecunia deſeratur, aut turpiſſimis rationibus privatorum opes ac ſanguinem exſugere Principes cogantur, Ut Lacedæmoniis olim contigiſſe legimus: qui cum ex agrorum ſuorum finibus excedere, ac imperium longius proferre concupiviſſent, Lycurgi diſciplinarum ac præceptorum obliti ſunt: Polyb. *l. 6. De militari ac domeſtica Rom. diſciplina.* Qui propterea ſuis civibus auri & argenti uſum omnino ademerat, ac numiſmata ferrea ſignari juſſerat, ne & peregrinos imperii Lacedæmoniorum, & Lacedæmonios imperii peregrinorum ulla cupiditas invaderet; ita futurum exiſtimabat, ut ſui cives non modo ab injuriis, ſed etiam a vitiis peregrinorum liberi eſſent. Attamen primum in alienas poſſeſſiones ac imperia oculos injecerunt. Qui tamen, cum nec ullam alendis exercitibus pecuniam, nullum ærarium haberent, mox ad Reges Perſarum, ut Lyſander & Callicratides, mox etiam ad Reges Ægyptiorum, ut Ageſilaus & Cleomenes, proficiſci, ac pecuniam mutuam accipere cogebantur. Plutarch. *in Lyſandro, Ageſilao, & Cleomene.* Antea quidem Lacedæmonii devicta Græcia, cum magnam ſpoliorum ac pecuniarum vim undique coacervaſſent, decreverunt, ut omnis ea pecunia in ærarium publicum cogeretur, quæ non niſi publicis ac neceſſariis reipublicæ negotiis inſerviret; uſus tamen privatis interdictus. Sed ærario brevi exhauſto, quod perpetuis quibusdam fontibus ſuppleri decuerat, Reges exteros rogationibus fatigare non deſtituerunt, qnoad Rege Cleomene deſerta reſpublica cecidiſſet. Omnibus igitur modis operam dare & conniti oportet, ut ærarii opes certiſſimis fundamentis, quæque labefactari non facile poſſint, innitantur.

II. Sunt autem omnino ſeptem genera conficiendæ publicæ pecuniæ, quibus cætera continentur. *Primum* ex agris publicis; *ſecundum* ex hoſtium ſpoliis; *tertium* ex amicorum largitionibus; *quartum* ex ſociorum vectigalibus ac tributis; *quintum* ex mercatura; *ſextum* ex earum rerum vectigalibus, quæ aut evehuntur aut invehuntur; *ſeptimum* ex ſubditorum tributis.

III. PRIMO *genere* nullum certius aut honeſtius eſſe videtur. Itaque Principes ac populi, qui novas civitates fundare ac ſtabilire, coloniasve deducere, olim propoſuerant, præter agros privatorum, & loca civitatibus, templis theatrisque conſtituendis idonea, poſſeſſiones quasdam tuendæ & conſervandæ reipublicæ cauſa, præter paſcua publica omnium civium æqne communia, aſſignabant; quæ privatis locari conſueverant, ut ex eorum fructibus pecuniæ in ærarium publicum cogerentur. *l. qu. De verb. ſign.* Ita Romulus agrum romanum in tres æquas partes diviſit *Dionyſ. l. 1.* quarum unam ſacris faciendis; ſecundam reipublicæ oneribus ſubeundis, tertiam civibus aſſignavit. Et cum tria milla civium cenſa fuiſſent, ſingulis duo jugera data ſunt. *Dionyſ. Halica. eodem.* Ex quo intelligi poteſt, octodecim millia jugerum agri romani fuiſſe. Plutarchus *in Romulo* tamen numerum civium duplo majorem exſtitiſſe ſcribit, ac duo cuique jugera tribnta: qua ratione non octodecim millia, ſed numerum duplo majorem fuiſſe innuit: Nec Romulum agrum romanum ullis finibus terminare voluiſſe, ne, quantum finitimis eripuiſſet, intelligeretur: Numam vero Pompilium tertiam agri Romani partem, quæ publica erat, civibus egentibus diſtribuiſſe. Verior tamen eſt ſuperior ſententia; cum duorum jugerum in cives ſingulos diviſio diutiſſime permanſerit. Sic enim Plinius; *Aranti ſua duo jugera Cincinnato viator inquit: vela corpus & audi mandata Senatus.* Quinetiam Pompejus Feſtus centuriatum agrum dici ſcribit, quia in ducena jugera diviſus eſſet, cum Romulus centenis civibus ducena jugera dederit; & M. Varro. *Antiquus noſter cenſus*, inquit, *ante bellum punicum pendebat bina jugera*, *quod a Romulo primum diviſa dicebantur viritim: quæ quod heredem ſequerentur*, *heredium appellarunt.* Poſtea prolatis finibus lege licinia, ſeptem jugera cuique civi aſſignata legimus. *Poſt exactos Reges*, inquit Columella, *liciniana illa ſeptem jugera*, *quæ plebis Tribunus viritim diviſerat*, *majores quæſtus antiquis retulere*, *quam nunc nobis præbent ampliſſima vervacta.* Nota concio eſt M. Curii: pernitioſum civem intelligi, cui ſeptem jugera non eſſent ſatis.

IV. Nec

IV. Nec Romani tantum, ſed etiam Ægyptii multis ante ſeculis, agros civitatum ſic diviſerant, ut prima quidem pars ſacris & ſacerdotibus cederet, ſecunda reipublicæ, tertia Calaſyris, qui pro tuendis civibus arma caperent; cæteri cives aut coloni erant aut ſervi. Diodorus *lib.* 1. Quamobrem Ezechiel vates *cap.* 45. in conformando ſuæ civitatis ſtatu ab ea Romuli ratione non procul diſceſſit; cum vellet ſacris faciendis agros aſſignari; & paſcuales agros communes armentis & gregibus alendis; præter regalia prædia, quibus Principes ſe familiamque ſuam commodius ſuſtentarent*; ne*, inquit, *populum meum vectigalibus ac tributis deinceps exhauriant.* Quanquam in ipſius Iſraelitarum regni ortu regalia quædam prædia fuiſſe ex eo planum ſit, quod Zicelegum oppidum una cum agro Davidi dono datum ab achio rege, in perpetuo Regum nexu ac mancipio permanſerit. *Sam. lib.* 2. *cap.* 27.

V. Regalium autem prædiorum quædam publica ſunt, quædam privata. Hæc quidem Principum arbitrio abalienari poſſe, omnes confitentur; illa nunquam, ut ſit in civitatibus firmamentum aliquod ac veluti fundamentum, quo publica res innitatur. Bart. *in l. prohibere* §. *plane quod vi. Ang. Peruſin. in l. ex præſtatione de vectigal. C. Bal. in proœmio feud.* Quamobrem hujus regni Principes cum prædia publica privatorum fraudibus poſſeſſa revocant, illud obteſtantur, ſe juratos ineunte imperio, publica prædia nunquam diſtrahi paſſuros, aut ſi jure diſtracta fuerint reipublicæ ab interitu vindicandæ cauſa, perpetuam tamen redimendi auctoritatem fore, ac ne centeſimo quidem annorum curriculo, quo cætera omnia jure uſucapiuntur, præſcribi poſſe. *l. hoc jure* §. *ductus aquæ, de aqua quot.* Atque hæc quidem rebus ſæpe judicatis confirmata fuere: *an.* 1440. *&* 1505. *&* 1536. *in Curia Pariſ.* nec ſolum adverſus privatos, ſed etiam adverſus Regum propinquos. Contra Regem Siciliæ pro Comitatu Pictonum anno 1283. & pro Comitatu droſenſi anno 1551. 26. Iunii. Nec tantum noſtris, verum etiam Hiſpanorum, Polonorum, Codice hiſpan. *parte* 5. *tit.* 5. *& lege comitiali*, *anno* 1560. *In Ordinat. Pol.* Anglorum, in charta magna Anglorum. Hungarorum, legibus ac inſtitutis. Vid. Bonfinius *in hiſtoria Hungariæ.* Etenim Andreas Rex Hungariæ ab Honorio III. Pontifice Max. vocatus eſt in jus propterea, quod prædiorum publicorum partem diſtraxiſſet, anno MCCXXI.

VI. Nec Reges tantum, ſed etiam ii, qui populares & optimatum ſtatus habent, a præſcriptione ſeculari publica prædia vindicare ſolent. Veneti *in ſtatutis Venet. l.* 2. inquam, Helvetii, cæterique populi. Cum enim Henricus II. Rex Francorum a Lucernatibus per Legatos peteret, ut pro ſe fidejuberent, Hngo Prætor maximus legato reſpondit: Senatum populumque Lucernatem ipſosque magiſtratus juratos eſſe, publicas poſſeſſiones ſe, nec diſtracturos, nec pignori obligaturos. Quid Athenienſes? quid Romani? Certe quidem utriusque civitatis principes, Themiſtocles inquam & Cato major, fundos reipublicæ ſecularibus curriculis poſſeſſos a præſcriptione privatorum vindicaverunt; cum dicerent, nec mortales contra Deum immortalem, nec privatos contra rempublicam præſcribere poſſe. Plutarch. *in Themiſtoc. & Catone Cenſ.* Nec ita pridem, cum Nogareti poſteris Curia adjudicaſſet vindicias prædiorum publicorum, quæ Nogaretus Felix a Philippo Bello præmiorum ac virtutis nomine dono acceperat; Procurator fiſci, propoſita civili rogatione, *ἀνάκρισιν* fieri poſtulavit. Quo judicio Curia rem ad conſilium detulit: tametſi prædia ducentos & ſexaginta amplius annos bona fide poſſeſſa fuiſſent. Quin etiam eo fœdere, qnod Pontifex Maximus una cum cæteris Italiæ Principibus ac populis, prc Franciſci Regis Francorum dignitate tuenda, inierunt, anno 1527. adverſus Carolum V. Imperatorem, Henricus Rex Anglorum uno capite caveri voluit, ne quid de prædiis publicis Francorum, ſi pacem cum Carolo ſanciri oporteт, diſtraheretur. Ob id enim Madricenſe fœdus ruptum erat, quod contra jus omnium gentium commune, contraque leges hujus imperii, Carolus Burgundiæ ac Belgiæ dominatu regem ſine ſenatus ac populi Gallici conſenſu cedere coëgiſſet. Edictum de dominio factum a Carolo IX. 1506.

VII. Nec alii alio jure utuntur. Alexander enim, Poloniæ Rex, eandem legem ſanctius renovari juſſit, anno 1503. ne ſcilicet prædia publica ſine ſenatus populique conſenſione diſtraherentur; quemadmodum jure communi cautum videmus. *l. ult. de jure civitatum c. l. XI.*

VIII. Neque id ſatis eſſe majores noſtri putaverunt, niſi publicorum prædiorum venditio fieret, cum in fines imperii hoſtes invaſiſſent, & eadem in ſubbaſtatione, quæ in bonis pupillaribus cautio adhiberetur: cum ſit eodem respublica jure, quo pupilli, *l. rempublicam de jure reipublicæ C.* ac ſi quid negligentius fuerit in eo genere prætermiſſum, omnia ſint eodem momento caſſura, ipſique reipublicæ vindicatio ſine pretii reſtitutione competitura. *l. ſi ſecundum de jure reipublicæ C.*

IX. Nec vero Principibus eorum, quæ publica ſunt, quicquam ſibi arrogare fas eſt; non magis, quam marito dotem uxoris. Ac minus, quam marito juris eſt in dotem; quoniam maritus dotis fructibus abuti ſuo jure poteſt, Principi vero publicæ dotis fructibus uti quidem licet, abuti non licet. *l. in reb. de jure dot. C.* Ut ſociæ civitates Athenienſium querebantur, publicas pecunias in ærarium Apollinis deponendas eſſe, non ab Athenienſibus abſumendas.

X. Dominium autem rerumpublicarum Principis non eſſe, Reges noſtri agnoſcunt & confitentur. Nam Carolus VII. Rex, prædiorum publicorum oppignorationem fieri noluit, niſi ſenatus id, procuratore fiſci rogante, decreviſſet; ut in actis Curiæ Pariſiorum videmus. Et cum Ludovicus VIII. Rex, multa pupillis ac tenuibns viduis teſtamento legaſſet, ſupellectilem omnem ſub haſta vendi juſſit, unde legata ſolverentur; ne quid, quod publicum eſſet, a republica abalienaretur.

XI. Quam-

by Google

XI. Quamobrem Pertinax, Imperator Romanorum, ſuum nomen, prædiis publicis inſcriptum, eradi juſſit, cum ad ſe pertinere negaret. At etiam Antoninus Pius, nihil de fructibus prædiorum publicorum ac vectigalium in privatos uſus convertit. Quem Ludovicus XII. Rex, patriæ parens appellatus, imitari viſus eſt, cum poſſeſſiones avorum ac privatos agros, Blæſas inquam, Cuſſiacum, Montfortium, a publicis rationibus ſemper diviſiſſet: tametſi publica privatis magno errore nonnulli confuderunt.

XII. In popularibus quidem & optimatum imperiis nihil, quod ad civitatem pertineat, privatum dici poteſt: in Monarchia vero & agri dominici a publicis & fiſcus ab ærario publico differt. Aſconius Pedianus & *l. 2. §. hoc interdictum, ne quid in loco publico. l. cum ſervus. §. conſtat. de legat* 1. Poſteri tamen Imperatores Græcorum, utraque confuderunt. *In l. bene a Zenone de quadriennii præſcript. C.* Nec defuerunt, qui Principes ad prædiorum publicorum venditionem impellerent, quaſi quæſtum uberiorem facturi. Quæ ſententia tyrannidem ac reipublicæ perniciem molitur. Etenim reipublicæ opes omnes, ac prædia, in iis poſita ſunt, quæ olim Duces, Marchiones, Comites, Barones poſſidebant. Quæ vel ſucceſſorio, vel dotali jure, vel publicatione bonorum fiſco quæſita ſunt. Aut jura prædiatoria ſeudorum ac jurisdictionum quæſtuoſiſſima: quæ in venditionibus perpetuam alienationem non continentibus viliſſimo pretio addici conſueverunt: id eſt, æſtimatione facta decem annorum annui reditus, edicto *Franciſci I. anno* 1544. cum tamen in privatis ac perpetuis venditionibus ſæpiſſime triginta, ſæpe quadraginta, interdum etiam quinquaginta annorum ratio habeatur. Ita fit, ut qui publica prædia ſibi coëmerunt, eodem anno majores ex ipſa jurisdictione fructus percipiant, quam ſit pretium fiſco ſolutum. Quamquam illa, quæ ſuperioribus annis fiebat decem annorum annui reditus æſtimatio, ex publicis tabulis ac rationibus quæſtorum expreſſa erat, quæ vix dimidiam æſtimationis partem continerent. Ex locatione vero publicorum prædiorum fructus ad rempublicam perventuri ſunt multo uberiores ac majores; nec mancipes ipſi ac publicani a vectigalibus & tributis immunes futuri, uti ſunt emptores prædiorum, qui nobilitatis ſpecie immunitate fruuntur.

XIII. Hoc vero iniquius, quod, quas pecunias ex venditionibus imperiti Principes cogunt, non fœnerantur utilitatis publicæ cauſa, ſed fœdiſſimis ac turpiſſimis hominibus fere largiuntur. Ad extremum prædiis reipublicæ abalienatis, & exhauſto ærario, paſcua quoque civitatum ac ruſticorum, quibus tenues ſuſtentantur, ſub haſta pernicioſiſſimo exemplo veneunt. Poſſeſſiones quidem ampliſſimas agrorum incultorum, quas conducere nemo velit, & ex quibus nihil utilitatis reſpublica accipit, vendere commodius eſt: ut & pecunia in ærarium cogatur, & ex agrorum cultura cives ipſi cum reipublicæ commodo diteſcant: ſed ſi conductorem reperiant, vendere non licet. Tametſi Ariſtoteles, Byzantinorum factum laudat, quod prædia publica vectigalibus impoſitis vendidiſſent, ut ærarium augerent. Sed ea laus inanis eſt; cum ſatis unicuique compertum ſit, eos, a quibus pretii pars extorquetur, maximam partem reditus diminuere. Itaque ne id fieret apud nos, edicto Caroli IX. anno 1566. art. 12. & 17. prohibetur.

XIV. Ac tametſi aliquanto poſt, deſerta & inculta reipublicæ prædia, publice res addici mandavit, (quod eorum, qui publica diripiunt, factum eſt ſuaſu) nihilominus Curia Pariſiorum in edicti promulgatione vetuit, ab iis vectigales ejusmodi agros emerent ea lege, ut reditus annuos in ærarium publicum inferrent, redimi vectigal, neve ullam pretii partem ſolverent: ne ſcilicet vectigal ulla ex parte minueretur. Cum tamen urgerent earum rerum curatores, ut pretium ab emtoribus accipere liceret; idque Rex iterum atque iterum juſſiſſet anno 1566. 12. Julii. curia Pariſiorum coactis omnibus decuriis amplius tertia parte pretii ab emtoribus ſolvi prohibuit: idque pretium, a quæſtoribus cogi voluit, ut ex iis pecuniis, diſtracta reipublicæ prædia, redimerentur: indicta quadrupli pœna tam in quæſtores ipſos, quam in eos, quibus ea pecunia Principis conceſſu, quacunque ex cauſſa ſolveretur. Et quidem Franciſcus II. Rex, ineunte imperio, anno 1559. magiſtratibus ac procuratoribus ſuis mandavit, ut publica prædia a poſſeſſoribus privatis vindicarentur. Quo edicto graviter queſtus eſt, publicas opes ſic afflictas eſſe, ut quæ prædia publica juraque prædiatoria reſtarent, vix oneribus prædiorum ſubeundis ſufficerent: ſed his temporibus querendi cauſſam habent poſteri multo, quam ille graviorem, cum nihil amplius, quod diſtrahi poſſit, reſtare videatur. Jam anno MDLXXII. Quæſtores dominii nihil fere in rationes accepti contulerunt: cum tamen ſub occaſum Franciſci II, eo capite, quo ſumma totius pecuniæ, quæ ex dominio publico coacta eſt, triginta ſex aureorum noſtrorum millia contineret. Summa vero eorum, quæ ex dominio publico privatis vendita fuerunt, centies major eſt. (Trecenta ſexaginta millia ſeſtertia majora excedit; id eſt, noſtro more, quatuordecim milliones nongenta ſexaginta millia octoginta ſeptem libellæ turonenſis.) Præter immenſam pecuniam, quæ ex Aquitanis coacta eſt, ut ab Rege Henrico II. redimerent ſalarium vectigal. (Ea ſumma fere confecit quater centies ſeſtertium ſive quingenta quiquaginta millia aureorum anglorum annua vectigalia.) Quarum rerum pretia quadruplo majora fuiſſent; ſi juſte venirent, ac ſiquidem ea, quæ privati minimo pretio poſſident, publice locarentur: cum antiquis vectigalibus Principis reipublicæ oneribus ſubeundis abunde ſufficerent.

XV. Certe quidem Anglorum Regina, incredibili magnificentia regnum tuetur, & immenſas opes in ærarium cogit, & ſeſtertiorum millibus XCVI, quæ ab agrorum publicorum & antiquorum vectigalium reditu quotannis in ærarium inferuntur. Ac tantum abeſt, ut indictionibus ſubditos urgeat, ut etiam temeraria tributa, quæ tertio quoque anno exigi conſveverant, ſuſtulerit. Nam cum illuc legationis cauſa profecti fuiſſemus, populi conventus ſumma cum volu-

ptate ſpectavimus, tributi nomine quingenties ſeſtertium pro ſumptibus reipublicæ neceſſariis oblatum a populo fuiſſe; Reginam tamen dimidiam pecuniæ ſummam recuſaſſe, ac populo gratias egiſſe.

XVI. Illud autem, quod ad prædia publica pertinet, animadverſione dignum eſt: quod in iis conſervandis diligentia in monarchia, quam in optimatum aut populari ſtatu, major adhibetur. In his enim publica quisque ſua ducit. Quo fit, ut magiſtratus in ſuam aut privatorum gratiam, populo conſentiente, aut certe non diſſentiente, Optimatibus etiam ſæpe diſſimulantibus, prædiorum ſempiternas locationes exigui vectigalis ſpecie faciant. Tandem etiam vectigalium immunitatem adipiſcuntur. A populo vero facile omnia extorquentur: ſi quis modo popularis fuerit, & aliquid frumenti pecuniæque plebi aut agros de publico largiatur. Ut quidem Cæſar in conſulatu fecit; qui agrum campanum plebi diviſit, ac publicanos tertia parte auctionum publicarum ſublevavit: quod ſine magna mercede non fecit. Decimo poſt anno Q. Metellus Italiæ portus omnes, lege lata, vectigalibus liberavit, ut ea ratione popularem gratiam, publico detrimento collectam, aucuparetur. Ita quoque Pericles Athenienſibus publicas pecunias viritim diviſit. At in monarchia, in qua Principi ſubditos onerare tributis, niſi populi conſenſu aut urgente neceſſitate, non licet, publica prædia difficilius a privatis occupantur. Cætera, quæ de agris domininicis, deque publico dominio dici poſſunt, quod accurate ſint ab aliis diſputata, & Edicto Caroli IX. Regis Francorum comprehenſa, prætermitto.

XVII. *SECUNDUM genus conficiendæ pecuniæ & ærarii augendi, ab hoſtium ſpoliis & pecuniis ducitur:* ut quæ bellis exhauſta ſunt, ſarciantur. Tametſi enim Romanis hoſtium urbes vi captas diripere fas erat: publicæ tamen pecuniæ in romanum ærarium inferebantur. At cum urbes dederentur, aut pactione ſponſioneve facta pecunia promitteretur, nihil miles, præter ſtipendium, ferebat: niſi tanta pecuniæ vis eſſet, ut ſtipendium ob egregiam militum virtutem duplicandum videretur; cætera ærario publico cedebant. Sic enim Livius; *Omne æs* inquit *lib. 9. argentumque in ærarium conditum. Æris gravis CCCXC. millia pondo in ærarium intulit Carvilius Conſul*, Idem *lib. 31. Fulvius argenti CXLII. millia pondo, auri CXXVII. ex Hiſpania in ærarium intulit. Furius* vero *Camillus Gallis trans Alpes devictis, CLXX. millia argenti pondo, æris CCCXX. millia retulit.* Item *libr. 34. Flamininus ex Græcia argenti infecti pondo decem & octo millia, CCLXX. facti vaſa multa: ſignati LXXIV. millia tetradrachmorum atticorum, trium fere denariorum pondus in ſingulis; auri pondo tria millia DCCXIV., & clypeum unum ex auro totum: Philippei numi CXLV. millia: & centum XIV. aureæ coronæ dona civitatum.* Item *lib. 45. Macedonia devicta ſeſtertium millies & ducenties in ærarium Paulo Æmilio illatum;* A Cæſare vero ſubacta Gallia quater millies ſeſtertium, ut ex appiano colligimus. Tarento capta, Fabius Maximus LXXXIII. millia auri pondo, præter argentum, Romam in ærarium invexit Livius *lib. 37.* Ac tametſi Imperatores magnam vim pecuniarum ſibi reſervarent, aut exercitui largirentur: id tamen ab antiquis parcius fiebat, ne aut repetundarum poſtularentur, aut triumpho carerent. Etenim Scipio Aſiaticus, Africani Majoris frater, repetundarum damnatus eſt, tametſi Antiocho victo aureas coronas CCXXXIII. argenti pondo CXLVII. millia: aureorum Philippeorum CXL. millia auri pondo MXXIV. intuliſſet ærario Livius *l. 36. 38. 39* Ipſe quoque Africanus eodem judicio damnatus, graviter in Senatu queſtus eſt: *Bis millies*, inquit, *in ærarium intuli, & quadragies a me repoſcitur.* Quo dicto librum rationum in Senatu concerpſit: & uterque in exſilium profectus eſt, cum maximam privatarum opum jacturam feciſſent. Ac tametſi L. Lucullus romanorum Imperatorum primus, hoſtium ſpoliis ac direptionibus civitatum privatas opes auxiſſe dicitur; plura tamen in ærarium, quam ſuperiores, excepto Cæſare, invexit Plutarch. *in Lucullo.*

XVIII. Ex quibus intelligi poteſt, quanta fuerit Romanis veteribus ærarii publici cura, quantæ opes publicæ. His vero temporibus nihil unquam ex hoſtium ſpoliis ac pecuniis in ærarium publicum cogitur: quin etiam ſæpe urbium direptio Principum conceſſu ante permittitur, quam expugnatæ, quam obſeſſæ fuerint. Nec tamen Romani contenti ſpoliis, populos victos ſeptima parte agri fere mulctabant. Plutarch. *in Romulo.*

XIX. Durius Odoacer Herulorum regulus; qui, ſubacta Italia, victos de agri tertia parte decedere coegit. Nec multo poſt Hortarius, Rex Longobardorum, dimidiam fructuum partem victis in ſingulos annos imperavit. Paulus Diaconus & Rhegino. Ut Romani Boiis olim a Scipione Naſica devictis, præter aureos torques mille CCCCLXX. auri pondo CCXLV. argenti bis mille CCCXL. quæ de hoſtibus relata ſunt. Livius *lib. 26.* Ac Guilielmus Auguſtus, Anglia ſubacta, non modo publicas, ſed etiam privatarum opes ac fortunas, ipſaque prædia, ſua eſſe ac jure belli quæſita declaravit.

XX. Romani tamen in eo genere civitatum moderandarum diſciplina populos omnes ac Principes ſuperarunt. Nam victis populis & agri parte mulctatis, colonias egentium ac tenuium civium mittere conſueverant, & eam agri partem illis aſſignare. Ex quo incredibilis tum utilitas, tum gloria imperio nominique romano accedebat. Plebs enim tenuiorum, quæ urbem onerabat exhauriebatur; ſtirpes civium propagabantur; veteranis agri aſſignabantur. Jam vero materia ſeditionum ex urbe ſublata, coloniarum translatione etiam victi populi Romanorum moribus, legibus, imperiis aſſueſcere, deinde connubiis ac propinquitatibus contractis cum Romanis ſenſim coaleſcere neceſſe habebant; aut ſi res novas molirentur; aderat colonia romana, veluti ſpecula quædam, quæ hoſtes præoccupare ac præpedire, aut romanos exercitus arceſſere ſolebat. *C. Gracchus*, inquit Livius, *continuato in alterum annum tribunatu, legibus agrariis latis effecit, ut*

complures coloniæ in Italia deducerentur, & una in ſolo dirutæ Carthaginis. Iidem Coloniam latinam in agrum thurinum deduxerunt: tria millia peditum jere: trecenti equites. Numerus exiguus pro copia agri. Nam Aſconius colonias amplius LIII. in Italiam deductas a Romanis fuiſſe ſcribit: extra Italiam Plinius multo plures deductas enumerat.

XXI. Cæteri fere Principes victis urbibus præſidia perpetua imponunt; quo nihil intolerabilius eſt. Quia tantum abeſt, ut victi vincentium imperiis aſſueſcere condiſcant, ut non prius a novandis rebus conquieſcant, quam ant præſidia interemerint, aut arces ceperint, aut finitimos Principes ac populos ad bellum acceſſierint. Si Reges noſtri, capta Ludovico XII. Rege Inſubria, colonias eo miſiſſent, ut quondam Celtarum Reges feciſſe dicuntur, Inſubria a Francorum ditione ac poteſtate non tam facile defeciſſet. Nec vero Hiſpani præſidiis militaribus, nulla colonia deducta, perpetuum ejus regionis imperium tuebuntur; ſed ab imperio ſubditi arrepta occaſione deſciſcant oportet. Non aliter, quam Belgæ, quos jam pridem coloniis Hiſpanorum ad imperium retinendum conjungi neceſſe fuiſſet; quoniam nec ulla vis diuturna eſſe poteſt, & peſſimus diuturnitatis cuſtos eſt metus.

XXII. Muhamedes quidem alter Imperator, prolatis Imperii finibus, Chriſtianorum, quos in ſervitutem redegerat, colonias deduxit, ac jugera quindecim cuique attribuit, duosque bubalos ac ſementem, duodecimo poſt anno dimidiam fructuum partem perpetui vectigalis nomine indixit. Mitius cum Timariotis egit Amarates I. Quoniam agros ac prædia culta, cum colonis ac cenſitis, ea lege utenda fruenda dedit, ut ingruente bello cum equorum certo numero armati adeſſent; ac fructuarii ſeu Timariotæ occaſu fructus in ærarium cogerentur, quoad Principis beneficio alius ſuccederet: omnium autem hereditatum decimam imperavit. Hæc quidem ſummo jure belli victis populis data lex eſt. Ex quo fit, ut Turcarum opes maxime in caducis vectigalibus poſitæ ſint, bellum vero nullis fere præterquam Prætorianorum ſtipendiis geratur

XXIII. Carolus V. Imperator, debellatis peruanæ regionis gentibus eadem, qua Turcarum Rex in agris aſſignandis, ratione uſus eſt. Eos enim ducibus ac militibus hiſpanis ea lege attribuit, ut tantum uti frui poſſent, ac mortuis fructuariis beneficio Principis, quaſi veteres militiæ, ex caſu tribuerentur, fructibus ante conceſſionem fiſco vindicandis. Unionum autem & fodinarum quintam partem poſſeſſoribus imperavit. Quo fit, ut amplius millies ſeſtertium in ærarium quotannis inferatur. Æquum eſt autem, ut victis populis & auctis ærarii opibus tributa ſubditorum aut tollantur aut minuantur. Nam Romani, debellato perſeo Rege Macedonum a tributis immunes eſſe cæperunt. Plutarch. in Æmilio.

XXIV. *TERTIUM genus conficiendarum pecuniarum, in amicorum ac ſociorum largitionibus ac legatis verſatur.* Id autem breviter explicari poteſt; tum quod nihil incertius aut rarius fit, tum etiam quod quæ Principibus Principes Populive magnifice largiuntur, vix in rationem accepti veniant; cum nemo, qui dignitati reipublicæ conſulit, alterius debitor eſſe velit: niſi tenues a potentibus & locupletibus accipiant. Contra vero, quæ Princeps a pecunia inops potentiori donat, aut tributi nomine aut metu donare videtur: & qui accipit, quaſi de tributo gloriatur. Etenim Turcarum Rex ſociarum civitatum, quibuscum fœdere conjunctus eſt, dona ex alto ac ſublimi loco omnibus ſpectantibus explicari jubet, quaſi tributa ſubditorum. Idem omnium Principum legatos ſuſtentare conſuevit; nec ullos Principes, præterquam ineunte imperio, nec tamen omnes, legatione dignatur.

XXV. At veteres alium largiendi morem habuiſſe videmus, quam noſtros. Nos enim potentibus ac rebus proſperis donare ſolemus; illi rebus afflictis ſuccurrebant. Cum enim Romanos triplici trium exercituum clade Annibal oppreſſiſſet, ac totam pene Italiam ſub imperium punicum ſubjeciſſet, Rex Ægypti mille pondo auri, viginti millia argenti, Romanis dono dedit: qui cum gratiarum actione omnia recuſarunt. Livius *lib.* 37. Nec aliter Ambraciotarum ac fœderatorum populorum dona omnia eodem tempore repudiarunt: præter auream Hieronis Syracuſarum Regis coronam; quaſi proſperum Princeps amiciſſimus omen allaturus eſſet. Cætera, quæ in eos immenſa largitione Rex effuderat, ſcilicet auream coronam pondo CCCXX. tritici modiorum CCC. millia, hordei CC. millia, magnifice remiſerunt; tametſi belli offenſionibus & calamitatibus acceptis ærarium pene exhauſtum eſſet. Livius *lib.* 36. Erat igitur inter Romanos ac cæteros Principes honoris ac dignitatis certamen: nec facile dici poterat utrorum magnificentia major, eorum, qui largirentur, an eorum, qui recuſarent.

XXVI. Certe quidem Romani rebus afflictis popnlos omnes animi invicti fortitudine ſuperaſſe videntur. Nam cæteri non modo rebus adverſis oblata non repudiarunt, ſed inverecunde plerique ac blanditiis ac precibus ab invitis efflagitarunt. Cum enim Rhodiorum coloſſus ingens ſui ponderis gravitate ac terræ motu concidiſſet, naves etiam aliquot (erat enim LXX. cubitorum altitudinis) ſuo caſu contriviſſet, Rhodii legatos ad Reges & Principes miſerunt, ut ſibi pecunias ad inſtaurandum coloſſum erogarent. Polyb. *l.* 5. Hiero centum auri talenta dono dedit: Rex Ægypti non modo ad coloſſum reficiendum auri tria millia talentorum, ſed etiam ad gymnaſium exſtruendum argenti CCC. talenta, frumenti modiorum amplius decies centena millia, materiam præterea infinitam ad naves parandas, centum architectos, opifices CCC. & ad victum annuum auri talenta XIV. ad ſacrificia vero modiorum tria millia largitus eſt. Non puduit Rhodios, inopes a pecuniis, ex unius veteris ſtatuæ ruina occaſionem arripere, qua exteri Principes ſuis opibus ærarium ac remp. cumulate exornarent. Id erat Ægypti Regibus pene uſitatum, ut de largitionibus adverſus exteros gloriarentur jam inde a Ptolomæo Philadelpho, qui ſacros libros de

hebraicis græcos fieri juſſit. Is enim, ut centum amplius millia ſervorum judaicæ gentis ab emtoribus in libertatem vindicaret, auri talenta CCCLX. i. e. 176000. coronatorum, ad victimas autem & ſacra facienda centum talenta, phialas aureas XX. argenteas XXX. crateras quinque, & menſam auream Judæis magnifice largitus eſt: præter ea dona, quibus divinarum legum interpretes LXXII. abunde cumulavit

XXVII. Sed ut civitatibus inopia laborantibus probro dari non debet, ſi a potentiſſimis Principibus quid accipiant: ita Romam, orbis terrarum clariſſimam civitatem, oblatas a Principibus pecunias accipere indecorum, petere turpe fuiſſet. Sed Regum ac Principum, quos ſacros habuiſſent, & quorum ope ac præſidio beate vixiſſent, ſceptra, imperia, provincias, opes, cum orbi morerentur, teſtamento ſibi relicta non indecore acceperunt. Nam Ptolomæus Cyrenenſium, Attalus Aſiæ, Eumenes Pergami, Nicomedes Bithyniæ, Coctius Alpium, Polemo Ponti reges, Populum romanum heredem fecerunt, ampliſſimaque regna nulla vi quæſita legarunt, Flor. epit. Aurum vero coronarium & veteres Romani moderate, nec niſi parta de hoſtibus victoria gratificandi animo accipiebant: poſteri quaſi ordinarium tributum exegerunt, tametſi oblationes appellarent. *l. 4. de auro coronario. C.* Flaminius, victo Philippo Rege, ac liberata metu ſervitutis Græcia, CXIV. coronas aureas, dona civitatum, Romam miſit. Philippus autem pacis conditionibus, quas decem legati Romanorum dixerant, acceptis, coronam centum auri pondo Capitolio impoſuit. Rhodii, ne quid acerbius in eos decerneretur a Senatu, coronam auream pondo CC. Romam miſerunt. Poſteà aurum coronarium a decurionibus civitatum, & a Judæorum collegiis quaſi tributum ordinarium exigi cœpit. *l. penult. de Judæis C. l. 4. de auro coronario C. Theodoſ.*

XXVIII. Ita ſæpe fit, ut quæ initio Principibus dono data ſunt, ut honeſtius beatiuſque familiam tuerentur, neceſſaria temporum decurſu evaſerint. Ut ea dona, quæ ſuperiori ætate regibus Francorum oblata ſunt a populo, quæque ab Hiſpanis Servitia vocantur, hic & illic quaſi tributa neceſſaria nunc extorquentur. Et quidem Reges Perſarum nihil a ſubditis exigere, nihil excutere conſueverant, ſed ea tantum capere, quæ ſponte donarentur. Herodot. in Euterpe. Darius vero Hyſtaſpis, qui hinnitu equi regnum adeptus eſt, primus omnium tributa, nec rerum ſpecies, ut Marcianus loquitur, ſed numos quæſtoribus ad id creatis, imperavit. Quibus temporibus, cum imperium ab extremis Indorum finibus ad Helleſpontum per CXXVII. provincias pateret, vectigalia annua, quæ tum imperata fuerunt, ſummam efficiebant quatuordecim millium CCCCCLX. talentorum euboicorum, Rex Æthiopum (qui Negus appellatur, quique majorum noſtrorum memoria, præter quinquaginta provincias, quæ ſui imperii finibus continentur, etiam Indiæ orientalis ampliſſima regna tamdiu tenuit, quoad legionibus Tartarorum fractus de India decedere cogeretur, ſpecies pro vectigalibus accipere etiamnum conſuevit. Franciſc. Alvareſius *in æthiopica hiſtoria* Nihil autem imperatur, ſed omnia ſponte oblata: quod tanti Principis majeſtati quicquam a ſubditis petere indecorum videatur.

XXIX. Porro, qui Principibus teſtamento legare velint, pauci nunc reperiuntur; cum tamen Imperatorum fiſcus legatis & hereditatibus teſtamento relictis redundaret. Etenim Auguſtus populo romano legavit quadringenties, tribubus tricies quinquies H. S. præterea, quæ Prætorianis & Legionariis relinquerat: nec plus perventurum ad heredes ſuos, quam millies & quingenties profeſſus: quamvis XX. proximis annis quaterdecies millies ex teſtamentis amicorum percepiſſet; quod pene cum duobus paternis patrimoniis cæteriſque hereditatibus in rem publicam abſumſiſſet. Tranquil. *in Auguſto cap. ult.* Ex quo intelligitur immanem pecuniarum ſummam ex teſtamentis cepiſſe: Summa noſtro more loquendi conficit 35000000. coronatorum: ac decies majorem capere potuiſſe, quam quaterdecies millies LLS, cum hereditates, ad ſe teſtamento delatas, liberis teſtatorum reddi juberet; nec ab ignotis quidquam acciperet, ſed ab iis tantum, qui orbi mortui eſſent, quoſque bene cognitos haberet. Tranquill. *ibid.* Cæteri Principes, quibus dignitas minus curæ eſſet, ab omnibus omnia legata capere; tyranni etiam extorquere, & ex imperfectis teſtamentis hereditates rapere, non erubuerunt. Argumento ſit lex ex imperfecto *de teſtamentis C. & de leg. 3.* Objecit enim M. Tullius Antonio, quod ab ignotis hominibus hereditates accepiſſet: tum de ſe ipſe, *quadringenties*, inquit, *Philip. 2. LLS. acceptum hereditatibus retuli; nemo tamen me, niſi amicus, heredem ſcripſit.* Atque hæc quidem de donationibus ac legatis.

XXX. *Sequitur QUARTUM genus augendarum ærarii opum; cum annua penſio a ſociis civitatibus ex fœdere percipitur*; ut ſi bellum ab hoſtibus inferatur, militem ſociis imperare liceat. Cum enim pacis fruendæ cauſa pecunia quotannis Civitati Principive imperatur, non penſio, ſed tributum aut ſtipendium appellatur. Vt victo Annibale ſtipendium Carthaginenſibus imperatum eſt in ſingulos annos. Livius *lib 31.* item Philippo II. Regi Macedonum ac Regibus Illyriorum, ſalva cujuſque imperii majeſtate. Sic quoque Reges Idumæorum & Ammonitarum Davidi annua ſtipendia ſolvere cogebantur *Sam. lib. 1. cap. 1.* ut Reges Judææ Regibus Aſſyriorum. At Helvetiorum & Rhætorum civitatibus penſio a Regibus noſtris annua mille aureorum ex fœdere dependi conſuevit: ea lege, ut Reges noſtri exercitus imperare, & auxiliaribus eorum copiis uti ad imperii ſui tutelam, Prætoriaſque cohortes ad corporis obſequium & cuſtodiam inde conſcribere poſſint. Neque ſtipendiarius eſt, qui hoſtium duces mercede locat, aut corrumpit: ut Periclem ferunt erga Lacedæmoniorum duces feciſſe: non quia pacem precari, ut Theophraſtus ſcribit, ſed quia differri bellum cupiebat. Nullum autem Helvetiorum civitatibus fœdus eo, quo dixi Francorum, honeſtius unquam aut utilius contingere potuit, ob ea, quæ ſuperius attuli, argumen-

ta.

Digitized by Google

ta. Certe quidem ad opes augendas utiliſſimum fuiſſe, ex eo planum eſt: quod præter ordinarias penſiones, etiam extraordinariæ, quas magiſtratibus ac ducibus Helvetiorum, quasque privatis Reges largiuntur, ordinarias longe ſuperarunt. Ego ex rationibus publicis a Quæſtoribus expenſa video fuiſſe in utrasque penſiones ac legationes CCXVIII. millia libellarum turonenſium anno MDLXXIII. Summa eſt 218312. ll. 12. ſolid. Quæ vero germanis ducibus penſiones ſolutæ ſunt eodem anno, conficiunt CXXXII. millia libellarum, præter ſtipendia militaria.

XXXI. Neceſſariæ quidem ſunt magnis Principibus largitiones ad hoſtium conſilia, copias, opes avertendas: nec poteſt ullum magnum imperium ſpeculatoribus carere; ac ſæpius hoſtes corruptis ducibus ac magiſtratibus, quam fuſis legionibus vincuntur. Nec vero arx ulla tanta eſt, tantisque præſidiis ac propugnaculis obſirmata ac munita, quæ non facile poſſit expugnari, ſi jumentum aureis numis onuſtum eo penetrarit; ut Philippum I. Macedoniæ Regem dixiſſe ferunt; qui largitionibus ac donis Græciam pene totam ſub imperium ſubegit. Nec aliis adjumentis Perſarum Reges Græcos ab Aſia, quam corruptis ducibus, depulerunt. Plutarchus *in Lyſandro & Ageſilao*. Quis enim a Principe domum accepit, qui non aliquid in ejus gratiam, ſi potuit, effecit? Nam obligatus tenetur, vel pudore cogitur, vel majoris beneficii adipiſcendi ſpe vel metu; ne idem ſit accuſator qui corrupit. Vix enim Princeps ullus ampliſſimus penſiones largitur, niſi juratus ſit in Principem, qui accipit. Quem plerique interpretantur patriam ipſam proditurum. Vt Wormatiæ anno 1552. in Comitiis imperialibus Germanorum Princeps, neſcio quis, palam queſtus eſt: nihil enim præter auditum habeo. Nec illum opinio fefellit. Fuit enim eo tempore Princeps aliquis, cujus nomen prætereo, qui aureos bis mille penſionis annuæ pactus, omnia imperii ac patriæ ſuæ arcana delaturum ſe, ac modis omnibus pro largitoris dignitate & imperio adverſus patriam propugnaturum ſpoſpondit.

XXXII. Ab hoc hominnum genere cavendum eſt, potiſſimum in populari ſtatu; in quo facilius eſt privatis rempublicam prodere, quam in monarchia, in qua Princeps omnia, quæ publica ſunt, ſua ducit, ac perinde ut ſuarum rerum curam gerit. Sed largitiones & corruptelæ ejusmodi corruptoribus utiles eſſe nequeunt, niſi lateant: latere autem non poſſunt, ſi plures ſint, quibus donatur.

XXXIII. Reges Perſarum ac Macedonum pauciſſimis quibusdam Oratoribus ac belli ducibus, qui plus auctoritate poterant, largiri ſolebant, ut popularia & optimatum imperia ad ſe traducerent. Item Ptolomæus Philopator, Rex Ægypti, Achæorum imperium ſuis quodammodo imperiis ac legibus ſubjecerat, cum uni Arato annua decem talenta dono daret. Plutarch. *in Arato*. Quippe intelligebat, plus Aratum, quam cæteros omnes in ea republica poſſe ac potuiſſe ſemper.

XXXIV. Itaque mirum mihi viſum eſt, quamobrem noſtri Reges, præter ordinarias Helvetiorum penſiones, extra ordinem duobus circiter Helvetiorum millibus, qui cæteris dignitate præſtabant, Rex Henricus II. tam multa largiretur. Id quidem video patris inſtituto factum fuiſſe. Quæ non obſcure aut occulte, ſed ita palam fiebant, nt Quæſtor Helvetiorum apochas rationibus accepto ferre neceſſe haberet. Quas ego rationes cum expenderem, comperi, extraordinarias penſiones, anno MDL. ſummam XVI. aureorum millium & CCCCXXXIII. exceſſiſſe; Summa fuit libellarum 49299. Præſtabilius, opinor, fuerat ſex aureorum millia pauciſſimis quibusdam ac ſummæ auctoritatis hominibus, & quidem remotis arbitris & apocha, donare. Sunt enim, qui ampliſſimis Principum muneribus carere, quam apocham acceptæ pecuniæ ſibi extorqueri patiantur. Vt Anglus ille Haſtingarum dominus, cui Ludovicus XI. Rex annuæ penſionis nomine duo aureorum millia dono mittere conſueverat: cum apocham nuntius peteret, ut ſolutæ pecuniæ fidem Regi faceret, pertinaciter recuſavit; ne ullum acceptæ pecuniæ teſtimonium exſtaret. Nihil autem Regi gratius fuiſſet, quam illum in ſuſpicionem proditæ patriæ, ſi quando poſſet, vocare.

XXXV. Eſt etiam cum largitiones turpiſſimarum rerum cauſa fiunt; tametſi plerisq; nihil, quod patriæ commodè fiat, turpe factum videtur. Ego vero non minus turpiter facere puto, qui parricidas Principum domeſticos mercede conducunt, ut ex inſidiis dominos interficiant, aut quos armis non poſſunt, vincant venenis, quam qui turpitudinis ſuæ mercedem accipiunt. Quamobrem cum Pericles ſedecim talenta rationibus expenſa tuliſſet, quæ ſine mandato ac ſine apocha ſolviſſe dicebat, ob eam cauſam, quam pervulgari nollet; Athenienſes accepto tulerunt; cum hominis fidem & in republica gerenda curam ac prudentiam exploratam haberent. Apocha vero acceptæ pecuniæ teſtimonium facit, quo minus, qui patriam prodere velit, quicquam corruptoris gratia facere poſſit.

XXXVI. Hoc etiam pernitioſius, quod cum largitiones publice fiunt, ſi quibusdam, nec tamen omnibus donatur, ſuſpiciones, odia, querelæ exiſtunt, ac potiſſimum in ſtatu populari. Ut ſæpiſſime apud Helvetios contigiſſe accepimus: ubi eo usque certatum eſt, ut rogatione ad Henricum Regem lata, penſiones ſingulorum univerſis communicari petierint. Negavit Henricus, ac prius de ſua erga privatos munificentia tantundem detractum iri declaravit. Diximus ſuperius, qua fraude Athenienſes, quibus artibus Romani ſociarum civitatum pecuniis ac ſtipendiis ærarium, urbem, mœnia, portus, claſſes locupletaverint & auxerint.

XXXVII. Sequitur *QUINTUM genus conficiendarum pecuniarum; mercatura inquam abundans & quæſtuoſa, quam Princeps ſuo vel alieno nomine exercet.* Quod genus rarius eſt ac Principe minime dignum. Noſtris quidem æque ac Britannorum & Germanorum legibus nobilitati mer-

 catu-

caturam exercere non licet; aut ſi merctaor eſſe volet, inter ærarios ac plebejos cenſebitur. Neque id novum: cum ab V. C. anno 530. lege claudia Senator romanus navem onerariam habere prohiberetur: *Quæſtus omnis*, inquit Livius *lib.* 2. *Patribus indecorus viſus eſt.* Poſtea Imperatorum legibus *l. nobiliores de commerciis C. l. milites locati C. l. ult. de reſcindenda. C. l. 5. §. pupillus de auctoritate tutor. ff.* omnino vetitum nobilioribus ac militibus, æque ac jure pontificio *can. clerici* 14. *q.* 5. ſacerdotibus, mercaturæ ſtudia ſequi. Quod ſi mercatura nobiles minime deceat, quanto minus Reges? Darium ſubditi contumelioſe mercatorem appellarunt, quod quæ prius gratuita eſſent vectigalia, ad ſolvendi neceſſitatem traxiſſet.

XXXVIII. Cur ergo (dicet aliquis) ullum tu decus in eo genere cogendarum pecuniarum poſuiſti? Ego vero, ſi ſtantuendum mihi ſit, Principem mercatorem nolo: ſin optio detur, mercatorem malo, quam tyrannum; & patricios viros negotiari, quam prædari. Quis eſt enim, qui neſciat, Luſitaniæ Reges, cum anguſtiſſimis regni finibus coercerentur, nec jura ſuæ majeſtatis ſatis commode tueri, nec ſubditos rodere vellent, mercaturam abundantiſſimam & quæſtuoſiſſimam jam annos centum ſine contumelia & maxime reipublicæ commodo exercuiſſe? Cum enim anno MCCCCLXXV. Orientis opes & intimos Indiæ receſſus portusque omnes maritimos navigantibus aperuiſſent, populorum hiſtorias ad veritatem admirabiles, & opes incredibiles in Luſitaniam advexerunt, poſt etiam univerſam Europam ſpecierum infinita varietate compleverunt. Hoc vero magnificentius, quod in Sinu perſico, & in ipſo Regis Perſarum conſpectu, arcem muniſſimam fundaverunt; qua navigantibus, nec commeare, nec remeare, niſi ſoluto vectigali non licet. Quin etiam quatuor Indorum Reges ſuis imperiis ac ſtipendiis ſubegerunt; præter Africæ portus ac littora, quibus longe lateque dominantur. Qua quidem navigatione Turcarum ac Perſarum Principibus, Regibusque Ægyptiorum mercaturæ quæſtus uberrimos de manibus excuſſerunt. Quantæ utilitates ex ea mercatura ad rempublicam pervenerint, ex eo intelligitur; quod cum Luſitani Molucarum inſulas (unde pretioſiſſimæ ſpecies aſportantur) nudaſſent, ac CCC aureorum millia numeraſſent Carolo V. Imperatori (cui Molucarum inſulæ judicio finium regundorum Alexandri VI. Pontificis maximi ſententia obvenerant) genuenſes ac florentini mercatores pecuniam Carolo numeratam, luſitanis Regibus reſtituere, & amplius quinquaginta aureorum millia Carolo dependere non dubitarunt, ut ſibi aditus ad eas inſulas pateret; quod renitente luſitano Rege obtineri non potuit. Et quidem Venetis de omnibus calamitatibus, quas Ludovico VIII. Rege Francorum pertulerunt, nulla gravior viſa eſt, quam quod luſitani Reges mercaturæ orientalis quæſtum illis eripuiſſent. Vid. Guicciardin.

XXXIX. Nec vero Italis abundans & quæſtuoſa mercatura nobilitati labem aut dedecus ullum inferre videtur. Nec Tullius ipſe uberem mercaturam improbat, ſed eos, qui ab aliis emunt, quod carius vendant, ſordidos appellat. *l.* 3. *offic.* Id autem in Principe minime ferendum eſt, ut ſubditos exportare frumenta reſque venales prohibeat, quibus ipſe quæſtum faciat. Turpius etiam ac fœdius, ullo pretio mercari a ſubditis, ut eoſdem carius res emtas emere cogat. Ea res enim Alphonſum Regem Neapoleos ſuis æque ac exteris odioſiſſimum fecit. Greges enim porcorum ſubditos alere, & in demortuorum locum alios ſubſtituere cogebat: olei ac frumenti quicquid in Apulia concreviſſet, viliſſimo pretio emebat, ut ſumma egeſtate ac inopia annonæ arbitrio ſuo addiceret.

XL. Omnium tamen ſordidorum mercaturæ generum, quæ multa ac varia ſunt, nullum ſordidius, nullum turpius, nullum deteſtabilius magiſtratuum & honorum mercatura. Quæ nunquam tolerabilis eſſe poteſt, niſi extremis temporibus, ut ſaluti reipublicæ conſulatur. Quo Venetos reipublicæ calamitates adegerunt, ut honores & imperia proſcriberent, Ludovico Rege Francorum graviſſimis bellis civitatem premente. Nam totos ſeptem annos publicis rationibus paulo minus quater millies, id eſt, quinque millones ducatorum, expenſum tulerunt: cujus ſummæ decimam fere partem ex honorum mercatura quæſierunt. Vigeſimo poſt anno, nimirum 1527. Franciſcus major Rex Francorum Præturas urbanas hujus imperii bifariam diviſit, & utraſque proſcripſt; ac ſenſim cætera quoque venalia fuerunt. Turpius etiam Adrianus Pontifex Max. qui non modo magiſtratus & imperia, ſed etiam ſacerdotia paucos ante annos ſub haſta venire paſſus erat: ac jam quaterdecies LLS. i. e. viginti millia ducatorum, a Pontifice cremonenſi acceperat, cum bellum ſacrum excuſaret; decreverat etiam in ſingulas familias eccleſiæ romanæ aurei nummi dimidium imperare, cujus vectigalis ſumma fere centies quinquagies LLS. id eſt, 220000. ducatorum, conficiebat. Sed quoniam tam fœda, tamque pernicioſa eſt ea mercatura, ut nulla turpior cogitari poſſit, quæque, ut ſemel cœperit, nullum habitura finem: cætera omnia tentanda prius ſunt, quam ut eo delabi cogamur. Guicciardin.

XLI. Pergamus ad ea, quæ reſtant conficiendæ pecuniæ genera: quorum illud antiquiſſimum & uſitatiſſimum eſt, ſcilicet VECTIGAL *earum rerum, quæ evehuntur & invehuntur.* Quod quidem vectigalium genus latini *Portoria* vocabant. Cicer. *pro lege Manilia, & in pratura urbana*; ut vectigal prædiorum publicorum *decimas*, paſcuorum vero *ſcripturam*.

XLII. Portorium autem vectigal unius generis erat apud veteres; nobis triplex eſt. Ac tametſi Henricus II. Rex ad unum genus referre juſſiſſet lege de portorio lata anno 1551. poſtea tamen legem abrogari placuit, anno 1556. quia confuſio vectigalium deterius aliquid allatura videbatur. Nam Caroli V. Regis edicto portorium vectigal, quod noſtri Domanium forenſe appellant, dimidia ſui parte diminutum fuerat; poſtea tamen reſtitui placuit. Eſt autem vigeſima

pars

pars pretii, quæ fuit eadem Romanis veteribus uſitata; ſed tandem Imperatores poſteri octavam exegerunt; unde Octavarium vectigal appellarunt. *l. ex præſtatione, & toto titulo de vectigalibus C.* Ut noſtri quoque vectigal illud beſſale, i. e. octo aſſes ex centum, fecerunt, ac duodecimam pretii partem exigere conſueverunt. Turcarum Princeps a peregrinis portu ſolventibus rerum exportandarum decimas, a ſubditis vigeſimas capit. At noſtri Reges minimum quiddam ac pene nihil peregrinis pro ſalario vectigali, ſubditis vero graviſſimum imperant.

XLIII. Et cum in ipſa Gallia, ſalinæ totius Europæ uberrimæ ſint ac præſtantiſſimæ, unde Belgæ, Britanni, Dani ſal petere conſueverunt; nobis tamen multo carius emitur quam illis: imo ab illis ad nos (latenter tamen) in fines hujus imperii revehitur: quo nihil abſurdius eſſe poteſt. Noſtra ætate anno 1540. in ſalinis Pictonum modius ſalis, qui duobus aureis emi ſolebat Pariſiorum menſura, nunc viginti aureis emitur; vectigal tamen ſubditis duplo gravius, quam ſalis pretium, imperatur. Quo fit, ut qui longius a ſalinis abſunt, in Galliæ finibus ſalis modium centum amplius aureis ſibi emere cogantur. Aquitani tamen vectigal tantum ae tam grave ingenti mercede redemerunt ab Henrico II. Rege, cujus pater, ut marcatores peregrinos in Galliam quaſi quibusdam illecebris arceſſeret, a ſalario vectigali prope immunes eſſe voluit; ne ab Hiſpanis ſal acciperent. Sed exploratum, & quidem experientia diuturna compertum eſt; nec Belgas, nec Britannos, nec Danos ſale gallico vacare poſſe. Et cum antea Carolus V. Imperator, Belgas non tantum ab Hiſpanis ſal accipere cogeret, verum etiam gallico ſale uti prohiberet; civitates ac populi, qui ab Hiſpanis ſal aſportaverant, animadverterunt merces piſcarias, quarum uberrimus & copioſiſſimus eſt in Belgio quæſtus, hiſpanico ſale prope extabuiſſe, propter acrem nimis & arrodentem ſalis hiſpanici vim ac naturam: importunis rogationibus obtinuerunt, ut gallicis ſalibus, qui vegetiores ac ſuaviores ſunt, uti liceret. Et quoniam aqua marina, citra quadrageſimum ſeptimum ab Æquatore gradum, propter radiorum ſolis trajectionem hebeſcentem & caloris inopiam, in ſalis naturam concreſcere non poteſt; procul dubio, ſi ſalarium vectigal a peregrinis vel duplo minus, quam a noſtris exigeretur, infinita pecuniæ vis in ærarium cogi poſſet. Videmus enim, & quidem ſæpiſſime, navium peregrinarum claſſes ad littus celticum appellere ad ſales exportandos: & quia frumento, vino, oleo, cæterisque rebus ad vitam beatius commodiusque degendam neceſſariis abundat Gallia, quibus rebus Aquiloniæ regiones vacant, naves arena ſæpe aut lapidibus onerant, ut emere liceat, cum rarius permutare poſſint. Nam metalla, cæteraque ad humanum victum minus neceſſaria, cum in intimis terræ viſceribus latent, tum ſemel eruta vix unquam renaſcuntur. Frumenti vero, ſalis, vini ac olei fontes, & quidem perennes, in Gallia ſcaturiunt, qui nullis ætatibus exhanriuntur.

XLIV. Quarum rerum evectionem & mercaturam, ſic moderari Principem oportet, ut ſubditorum inopiæ & ærario inprimis proſpiciatur. Quod aliter fieri non poteſt, quam portoriis & vectigalibus auctis. Quæ, quo majora fuerint, eo parcius a peregrinis exportabuntur; aut uberior annona, aut ærarii opes majores futuræ ſunt; quanquam res ad victum hominum neceſſariæ, quocunque fuerint, conquiruntur. Gallia vero, magnam Europæ partem, incredibili frugum ubertate & nunc & antea ſemper ſuſtentavit. Ut etiam tum Rex Judæorum Agrippa, oratione, quam habuit ad populum, confitetur. Scio, nonneminem futurum, qui mihi opponat civitatum inter ipſas & cum Regibus Francorum icta fœdera, quibus augere portoria nefas eſſe putant. Ego leges commerciorum ac fœdera, ſi qua ſunt, diſturbari nolo; ſed nego, tantam vim earum legum eſſe aut fuiſſe, ut ab iis diſcedere nunquam liceret. Quin etiam cæteros Principes nutu arbitratuque ſuo portoria regere, eaque ſæpe augere videmus. Vt non ita pridem in Anglia tactum memini. Nec ſuperioribus annis fœdera commerciorum prohibuerunt Carolum V. Imperatorem, aut Philippum filium Angliæ Regem, quo minus in ſingula vini dolia majora, Gallorum mercatoribus in portum ingreſſis nummum aurenm, ſubditis vero novem imperarent.

XLV. Incredibile autem videri poſſit, cum verum tamen ſit, quantum vini Gallia in Angliam & Belgium effundat. Cujus rei argumentum majus habeo nullum, quam quod unus Lauda mercator cameracenſis anno MDLXXVIII. triginta tria millia modiorum vini, terreſtri vectura, in Belgium exportari curaverit, tametſi aditus arduos ac multis locis ab hoſtibus intercluſos ſibi videret. Pretium in ſingulos modios, ut minimum fuit quatuor coronatorum. Ex quo intelligi poteſt, quanto plura navibus deducuntur. Cæteras merces omitto.

XLVI. Sed illud omitti non debet, quod anno MDLVI. Angliæ Regina, portorium incredibiliter auxit: ac duos coronatos, in ſingulos pannos, qui ex Anglia exportarentur, imperavit. At centum millia, non amplius, trimeſtri curriculo ex Anglia Antwerpiam aſportata fuiſſe anno MDLXV. a mercatoribus didicimus. Pannum autem definiunt tribus Carizæis ac totidem Frizæis.

XLVII. Et ut civitatibus utiliſſimum eſt, portoria rerum earum, quæ evehuntur, quibusque carere non poſſumus, augere: ita minuere neceſſe eſt vectigal rerum invectarum, ſiquidem cives, iis commode carere non poſſint. Augendum quoque vectigal fabrilium, lanificiorum, ſericeorum, ac omnium opificiorum, quæ aliunde advehuntur; ut cives ipſi eadem facere condiſcant & conſveſcant.

XLVIII. Sed ab informi ac rudi materia, quæ a peregrinis ad nos advehitur, amovendum, aut quo, ad ejus fieri potuit, minuendum eſt portorium: quoniam eivium utilitatibus & commodis, prius eſt quam alienis, proſpiciendum. Cives autem ex rudi materia, in opificia conformata utilitatem capiunt ſæpe majorem quam qui materiam vendiderunt: quia materiam ſæpiſ-

ſima

ſime ſuperat opus. Nec ferendum eſt, materiam rudem e civitatibus exportari, ſi opifices eam tractare commode poſſint: ut edicto Henrici II. Regis Francorum anno 1553. cavetur. Quod edictum decennio poſt in Anglia, deinde in Belgio promulgatum eſt, anno 1563. ut Philippus Hiſpaniarum Rex, par pari referret.

XLIX. Ex opere civium, quantæ utilitates ad rempublicam perventuræ ſint, vel ex eo intelligitur; quod Blæſas ad conventus gallicos, accepta legatione, profectus, mercatorum querelas audiebam, cum dicerent lanarum exportationem vetitam quidem fuiſſe, nihilominus tamen Italum quendam ab Rege prece vel pretio obtinuiſſe, ut lege ſolveretur. Qua quidem ratione, cum unus homo, vili pretio lanarum vim infinitam in Italiam exportaviſſet, ex materia pannos a Florentinorum opificibus confectos in Galliam revehi curavit. Unde, quantum pecuniarum coegerit, ex eo percipi poteſt, quod materiam partibus quindecim confectum opus ſuperaret. Quid igitur abſurdius a Principe fieri poteſt, quam peregrinos mercatores legibus ſolvere, qui tam grave detrimentum civibus collaturi ſint?

L. His igitur ſex generibus conficiendarum pecuniarum & ærarii honeſte muniendi, ſine ullo civium intertrimento, expoſitis, ad POSTREMUM pergamus, *quod ſubditorum proprium eſt, & quidem totum.* Sed eo nunquam perveniendum, niſi cætera omnia deſint; ac ne deſint, prudentis eſt Principis ante providere. Si tamen civitatem undique circumſeſſam hoſtes ſic teneant, ut ſuperioribus, quæ dixi, generibus uti frui non liceat; aut ſi qua alia vis major inopinato rempublicam oppreſſerit, tunc demum cives ipſos ærario ſuccurrere oportet. Id enim juſtiſſimum eſt, quod neceſſarium; & pia illa, quæ civibus imperantur tributa, ſine quibus civitas ipſa funditus ſit interitura.

LI. Sed quoniam tributa, quæ ſubditis difficillimo belli tempore imperantur, confecto bello continuari ſæpe videmus (eſt enim illud inter arcana veterum tyrannorum nimis contritum, belli occaſiones conquirere, ut tributis ſubditos etiam bello confecto ſemper urgeant) commodius erat mutuas a ſubditis pecunias accipere, quam illos onerare tributis. Quæ ratio cum difficultates, quæ in cogendis tributis eſſe ſolent, expedit, tum etiam facilius reddit mutuum eorum, qui & fœnus & ſortem ſibi & gratiam a republica reddi ſperant. Nam cum Annibal Italiam quateret, urbemque ipſam obſideret, Senatus diruto ærario nova tributa ſubditis aut ſociis imperari noluit: nihil enim prementibus hoſtibus tam periculoſum; ſed Patres in Senatu ſic diſſeruerunt: *Omne aurum, argentum, æs ſignatum ad triumviros menſarios deferamus, nullo ante Senatus conſulto facto, ut voluntaria oblatio, & certamen adjuvandæ reipublicæ excitet ad æmulandum animos primum equeſtris ordinis ac deinde reliquæ plebis.* Hæc Livius *lib.* 26. Idem paulo poſt; *Senatores pro ſe quisque aurum argentum æs in publicum conferunt, tanto certamine injecto cum prima inter primos nomina ſua vellent in publicis tabulis eſſe, ut nec triumviri menſarii accipiendo, nec ſcribæ referendo ſufficerent.* Parta victoria & fractis Carthaginenſibus, Senatus mutuam pecuniam ſingulis bona fide reddi oportere decrevit. Qua de re ſic Livius; *Privati frequentes*, inquit, *quibus ex pecunia, quam M. Valerio & Claudio Conſſ. mutuam dederant, tertia penſio deberetur, adierunt Senatum, &c.* Et paulo poſt. *Cum privati æquum poſtularent, nec eſſet respublica ſolvendo, quod medium inter æquum & utile decreverunt: ut quoniam magna pars eorum agros venales diceret, & ſibi emtis opus eſſe, agri publici copia iis fieret: Conſules agrum æſtimaturos & in jugera aſſer vectigales; teſtandi cauſa publicum agrum eſſe, impoſituros; ut ſi quis cum ſolvere poſſet pecuniam habere quam agrum mallet, reſtitueret agrum populo. Læti privati eam conditionem accepere.* Hæc ille *lib.* 23. quæ propterea ad verbum deſcripſi, quod ea ratio conficiendæ pecuniæ ac fidei liberandæ omnium utiliſſima viſa mihi eſt.

LII. *Illud* quoque non incommodum videtur; ſcilicet prementibus hoſtibus ſtrenuiſſimos quosque armis ac ſtipendiis eorum, qui bello gerendo inutiles ſint, fovere ac ſuſtentare; id quod Romanos etiam tum feciſſe videmus. Livius *lib.* 26, Ita fit, ut alii aliorum opibus & auxiliis communem civium ſalutem tueantur. Hoc autem tributi genus temerarium eſt, & extra ordinem imperatur. Hinc tributa originem traxerunt; & ordinaria fieri cœperunt, quæ antea extraordinaria dicebantur.

LIII. *Tertium* genus *Caducum*, utriusque naturæ quodammodo particeps eſt, noſtri caſuale appellant.

LIV. His autem tribus omnino generibus continentur, quæcunque civibus imperantur; vel pœnæ nomine, ſi quid in leges peccatur; vel eorum prædiorum pecuniarumve, quas quisque poſſidet; vel etiam quæ in capita ſingula indicuntur, quod genus tributi Capitationem Latini vocant; vel eorum, quæ extrajectu percipiuntur; quod propria ſignificatione, portorium vectigal dicitur; vel quacunque, etiam ſordida cauſa exigitur. Quæſtus enim ſordidiſſimos amant, eorumque ſvaviſſimos odores ſentiunt tyranni. Cujusmodi eſt illud tributum, quod ab iis, qui artes meretricias profitentur, exigi Romæ conſuevit. Quodque ex urinarum effuſione Veſpaſianus imperaverat; ac filio quidem indigne ferenti, pater pecuniam ex prima penſione naribus admovit, ſciſcitans, num odore offenderetur: & illo negante: Atqui, inquit, e lotio eſt. Idem a mulione, quod adeuntibus Principem ſpacium præbens, ad calceandas mulas ſæpius deſiliiſſet, nec ſine mercede id faceret, pactus eſt lucri partem. *Non enim*, inquit Tranquillus, *contentus eſt omiſſa ſub Galba vectigalia revocaſſe, nova & gravia addidit*, & *auxit tributa provinciis nonnullis, & duplicavit: negotiationes quoque vel privato pudendas propalam exercuit, coemendo quadam tantum, ut pluris poſtea diſtraheret: nec candidatis quidem honores, reisve tam innoxiis, quam noxiis abſolutiones, venditare cunctatus. Creditur etiam procuratorem rapaciſſimum quemque ad ampliora officia ex induſtria ſolitus promo-*

promovere, quo locupletiores mox condemnaret: quibus quidem vulgo pro ſpongiis dicebatur uti, quod quaſi ſiccos madefaceret, deinde exprimeret humentes. Idem paulo poſt: *Sunt, qui opinantur, ad manubias & rapinas compulſum ſumma ærarii fiſcique inopia: de qua teſtificatus ſit initio ſtatim Principatus; profeſſus quadringenties millies*, i. e. *decies centum milliones coronatorum, opus eſſe, ut reſpublica ſtare poſſet.* Hæc ille: Quod ſi ad hæc tam fœda, tamque turpia dictu publica ærarii inopia coegit Principem in cæteris prudentiſſimum, quid tyrannos, quos inopia premit, facturos aut non facturos ſperamus?

LV. Magiſter quidem, Præſes curiæ Pariſiorum, negavit ante D. Ludovici tempora ullum tributi genus Gallis imperatum; ſed illud omiſit, quod quæ belli neceſſitate coactus exegerat Ludovicus, confecto bello ſuſtulerit. Exſtat in archivis publicis ejus ad Philippum filium cohortatio gravis & efficax, quam teſtamento inſeri mandavit in hæc verba: *Fili, religioſus inprimis erga Deum eſto; benignus ac liberalis adverſus egentes; legum ac morum hujus imperii cuſtos ac vindex acerrimus; a vectigalibus & tributis abſtineto, niſi te ſumma vis neceſſitatis ac utilitatis publicæ juſtiſſima cauſa ad hoc impellat: ſin minus, tyrannum te potius, quam Regem futurum putato. &c.*

LVI. Hîc dicet aliquis, Clotarium tertiam fructuum partem eccleſiæ prædiorum exegiſſe, Chilpericum octavam ejus vini, quod de prædiis quisque collegerat, expreſſiſſe. Gregor. Turonenſ. *l.* 9 *cap.* 30. Aymo *l.* 2. ut jam inde vectigal vinarium, quod etiamnum cauponibus imperatur, originem duxiſſe videatur. Item Ludovicum juniorem vigeſimam fructuum reditus cujusque totos quatuor annos indixiſſe. Demus id quidem; ſed non niſi publicis neceſſariisque bellis coactos id feciſſe videmus, ut temerarium tributum Carolo VI. Rege indictum. Itaque Philippo Valeſio conventus gallicos habente anno MCCCXXXVIII, populi rogatione decretum eſt, ne ullum tributi aut vectigalis genus, niſi conſentientibus ordinibus, imperaretur. Ac tametſi Ludovicum XI. Regem graviſſima difficillimaque bella eo impuliſſent, ut præter vectigal prædiorum publicorum ac dominii, fere octingenties LLS. id eſt, tres milliones & quadringenta millia libellarum turonenſ. tributi nomine extremo imperii ſui anno exigeret; nihilominus tamen Carolo VIII. regnum ineunte, coactis apud Turones populi comitiis, annua illa, quæ ordinaria evaſerant, tributa ſublata ſunt, ſed eandem oblationem, quam Carolo VII. dono dederant, in ærarium ac ſeptuagies LLS. id eſt, trecenta millia libellarum, donationis nomine inferri: quam ſummam ſemel tantum ab univerſis ordinibus exigi placuit, ne in poſterum imperaretur. Et quidem Philippus Cominius, qui tunc publici conſilii particeps erat, negavit in commentariis, principibus tributa imperare licere; Nec jus illud præſcribi poteſt a principe *canon. nullus* 1. *q.* 1. ſed ea tantum capere poſſe, quæ conſentientibus ſubditis dono darentur. Eoque jure Hiſpanos, Britannos, Germanos etiamnum uti videmus. Exſtant formulæ apud nos vectigalium ac tributorum exigendorum, quibus Princeps ingenue profitetur, ſe omnia tributa, cum primum licuerit, ſublaturum. Quamobrem Philippus Rex, is qui Longus uſurpatur, cum exiguum ſalis vectigal, id eſt, paulo minus centeſimo numo, id eſt, ſextam partem aſſis, imperaſſet, propalam teſtatus eſt, id ſe ſublaturum. Eadem teſtificatione uſus eſt Philippus Valeſius, anno 1328. cum graviſſimo bello coactus vectigal illud ſalarium duplicaſſet: nec paſſus eſt dominii legibus ac tabulis comprehendi.

LVII. Ac tametſi nullum vectigal ſalario levius eſſe videtur; id tamen cum Livio & Claudio Cenſoribus indictum eſſet, premente bello Punico, contumelioſe Livius Salinator eſt appellatus, ac pace Carthaginenſibus data ſublatum eſt; vel quia nihil ſale utilius aut humano victui magis neceſſarium videretur, vel quod injuſſu populi id factum eſſet.

LVIII. Et quoniam leviſſima quæque tributorum ac vectigalium genera tenuibus graviſſima putantur; nec tamen ſenatus Romanorum ærarium tueri ſe poſſe ſine novis vectigalibus intelligeret; quippe lege valeria Regibus exactis, plebs a portoriis & tributis præſtandis libera fuiſſet: Livius *l.* 2. Dionyſ. *l.* 5. C. Manlius conſul ex auctoritate ſenatus legem tulit in caſtris ad Sutrium ut ii, qui manumitterentur, fortunarum ſuarum viceſimam ærario ſolverent: ac tametſi eo vectigali cives non premerentur, nihilominus tribuni plebis, re intellecta, capite ſanxerunt, ne ab V. C. 390. ne deinceps quisquam populum ſevocaret. Livius *l.* 7. Item lex julia ab Auguſto ad populum lata eſt, ut quæ hereditates, legata, donationesve mortis cauſa ad alios pervenirent, earum pars viceſima ad fiſcum pertineret. Dio. *l.* 38. Paul. *l.* 4. *ſent.* Utriusque viceſimæ vectigal & reipublicæ utiliſſimum, & cuique gratiſſimum fuit: his quidem, quod alienas acciperent hereditates, illis vero, quod libertatem adipiſcerentur. Sed quoniam poſteri Principes viceſimam omnium hereditatum ac legatorum imperabant, Trajanus legem juliam de viceſima abrogavit. Plin. *in Panegyrico*, quam tamen revocare mutatis nominibus nonnulli ſtuduerunt. *l.* 2. *de imponenda lucrativis deſcript. C.*

LIX. Sed præ illis intoleranda ſunt, quæ videmus. Cum enim Samuel Princeps Iſraëlitarum concionem haberet ad populum, qui Regem ſibi petierat, minas acerbiſſimi vectigalis adjecit: *Ergo*, inquit, *regem habituri eſtis, qui decimas fructuum vobis imperaturus eſt, &c.* Nec Cypſelus Corinthiorum tyrannus aliud, quam decimas fructuum, a ſubditis exegit. Ariſtotel. *in polit.* Capitationem, portoria, cæteraque innumerabilia tributorum genera nunc uſitatiſſima, neſcierunt.

LX. Eorum tamen auctores miſerando caſu periiſſe videmus: ut Philiſtum Dionyſii tyranni paraſitum, qui de arce tyrannidis tractus ac trucidatus eſt a plebe ſyracuſana: Procletem Theodeberti Francorum Regis ſectorem; qui a treverenſi plebe lapidatus eſt, cum ad tributa imperanda Regem impuliſſet; nec ita pridem Georgium Preſchonem, Henrici Suecorum regis aſſentatorem, qui plebis, in palatium irrumpentis, impetu omnibus tormentorum generibus cruciatus

eſt, quod Regem, quem de imperii ſedibus plebs ipſa diſturbavit, ad rapinas invitaret. Quid Achæus Lydorum Rex? nonne conſimili furore plebis correptus eſt, ac pedibus ſurſum, capite deorſum, aquam Tantali modo, nec quicquam ligurientis, ſuſpenſus, propter inexplebilem iſtam accumulandarum opum aviditatem, quam incertum erat copia, an inopia magis inflammaret? Nonne Theodoricus Rex Francorum, quod populum tributis premeret, de regno dejectus eſt? Unde porro Belgarum ab Hiſpanis rebellantium orta ſeditio, niſi ob id, quod Dux Albanus decimam rerum venalium illis imperaſſet? Qua quidem ratione infinitam vim pecuniarum, vel potius omnes omnium prope civium opes coëgiſſet, cum reipſa compertum eſſet rem eandem paulo momento decies vendi conſueſſe: quin etiam unius & ejuſdem diei intervallo res promercales, quæ venierant, fere quingenties ſeſtertium, id eſt, ſeptingenta ducatorum millia, æſtimatas eſſe, ut Hiſpanus quidam ſcripſit.

LXI. Sed quemadmodum Principi proſpiciendum eſt, ut quæ bello urgente indicta ſunt tributa, parta pace tollantur: ita ferendum non eſt, ut ſublatis omnibus tributis ac vectigalibus, ærarii opes diruantur. Ut Neroni, cum opes imperii profudiſſet, in mentem venerat, cui gratias egit ſenatus, factum tamen diſſuaſit, ne reſpublica ære diruta momento collaberetur. Plerique ſeditioſi ac novandarum rerum cupidi cives, vectigalium ac tributorum immunitatem plebi noſtræ ſuperioribus annis pollicebantur; ſed neque id præſtare licuit, nec ſi licuiſſet, feciſſent; nec ſi factum eſſet, rempublicam ullam haberemus, cum eo veluti firmamento reſpublica nitatur. Quid enim reſtaret, quo Princeps imperium tueri poſſit, ſublatis portoriis ac tributis? Superius docuimus, omnia fere prædia publica, agroſve dominicos abalienatos eſſe, militias ex caſu ac prædia militaria, quæ nobilitati belli gerendi cauſa aſſignata quondam fuerunt, plebeiorum hominum aut etiam collegiorum nexu teneri. Non ſunt igitur tributa tollenda, ſed infinitæ donationes ac largitiones immanium pecuniarum indigniſſimis hominibus factæ, revocandæ, judiciaque peculatus ac repetundarum conſtituenda.

LXII. Ac plerique in eo vehementer labuntur, quod putant eo tributa redigi oportere, quo Ludovico XII. Rege fuerunt: nec intelligunt, pretia rerum omnium decuplo majora eſſe, quam tunc fuerint, propter auri argentique copiam, quæ ab India Occidentali in Europam aſportata viliorem utriusque metalli æſtimationem fecit. Quarum enim rerum major eſt affluentia, eo vilius æſtimari neceſſe eſt, ut libro ſingulari adverſus Paradoxa Malaſtreti docuimus. Idque ex publicis tabulis ac legibus noſtris municipalibus facile intelligi poteſt, ubi agitur de pretio rerum. Exſtat in tabulis publicarum rationum, quæ D. Ludovici imperio redditæ ſunt, Francorum Cancellario diurni viatici nomine ſeptem ſolidos Pariſienſes ſolutos, quibus non modo ſeipſum, ſed etiam equos, pueros, cæteroſque comites iter facienti neceſſarios ſuſtentaret. Docuimus, Carolum V. Regem non amplius, quam aureorum millia XXXI. pro Antiſiodori oppido agrove Comiti emtionis nomine ſolviſſe: cujus pretium nunc tricies majus eſſe poſſit. Item Philippum I. Biturigum urbem ampliſſimam agrumve Biturigenſem ab Herpino Duce ſexaginta millibus aureorum emiſſe. Cætera, quæ copioſe ſunt a nobis eo libro diſputata, nunc omitto. Quibus enim locis abundat auri & argenti vis, illic prædia carius emi neceſſe eſt. Cum enim Paulus Æmilius, ſubacta Macedonia, auri & argenti vim infinitam advexiſſet, momento agrorum pretia triplo, quam antea, carius æſtimari cœperunt. Plutarch, *in Æmilio.* Et cum centeſimo poſt anno Cæſar Ægypti opes Romam importaſſet, fœnus diminui, & agrorum pretia momento augeri cœperunt. Tranquil. *in Cæſare.* At cum Franciſcus Pizarra Peruanum regnum ſubegiſſet anno 1536. tanta auri & argenti abundantia exſtitiſſe dicitur, ut vini cadus trecentis aureis hiſpanicis, pallium hiſpanicum mille, equus ſex millibus æſtimaretur. Id quidem propter immenſas opes ejus regionis. Quæ incredibiles videri poſſent, niſi & ex Indorum hiſtoria, & ex publicis rationibus exſtarent argumenta: quibus conſtat, amplius decies millies ſeſtertium, id eſt, 43750000. libellarum turonenſium, ab Rege Atabalipa expreſſum, præter opes decuplo majores, quas privati, quas duces, quas milites, quas ipſi quæſtores diripuerunt, ut Auguſtinus Zarata Logiſtes Hiſpani Regis ex publicis rationibus expreſſit. Ab Hiſpania vero in Galliam auri & argenti copia ingens advehitur, cum hinc in Hiſpaniam frumenti omniſque generis opificiorum ac rerum venalium maxima vis aſſidue exportari ſoleat. Ita neceſſe fuit, Galliam auro & argento affluere, precia rerum augeri, mercedem ac ſalarium cujusque majus eſſe, ſtipendia magiſtratibus ac militibus majora decerni; qui enim ex fructibus prædiorum aureos centum in cenſum retulerat, ex iiſdem fructibus mille accepto ferret.

LXIII. Inde errores non modo vulgi, ſed etiam eorum, qui annonam, qui rem frumentariam, qui familiæ victum veteribus inſtitutis ac pretiis metiuntur. Nam illud centies ſeſtertium, id eſt, noſtro more 437500. libellarum turon. an. 1449. Carolo VI. Rege ex fructibus prædiorum publicorum, & ex vectigalibus ac tributis illatum, haut multo minus eſt, quam ter millies, id eſt noſtro more 13125000. libellarum turon. quod Carolo IX. Rege ex omni publica pecunia coactum eſt anno MDLXXIV. ſi pretia rerum utriusque temporis exigantur: tametſi ſumma hæc tricies complectitur illam. At utroque tempore populus ſe tributorum gravitate premi queſtus eſt. Cum item D. Ludovicus ab Ægypti Sultano captus eſt ante trecentos paulo minus annos, pretium capiti regio dictum eſt centies & quater decies i. e. 500000. libellarum turonenſ. auctor Ioinvillanus: Johanni Regi ab Anglis capto fere bis millies: Franciſco I. Regi octingenties: huic quidem minus, quam illi; quippe Caroli V. Imperatoris ſororem domum duxit, ac imperio Belgarum ceſſit. Sex annos Gallia laboravit, ut immanis illa pecunia, cujus ſumma erat inopia, pro Jo-

hannis

hannis libertate cogeretur: at Franciſcus eodem anno,quo pacem iniit,libertatis pretium in Hiſpaniam miſit. Idem judicandum nobis relinquitur de annua penſione, quæ Carolo bello Philippi Regis filio dicta eſt, ſcilicet ducenta quinque ſeſtertia i. e. 5000. libellarum turonenſium, quæ non minor videri debet, quam quæ Henrico primum, deinde Franciſco Andium Ducibus a Carolo IX. fratre conſtituta eſt; ſcilicet bis mille & quinquaginta novem ſeſtertia, Id eſt, centum milla libellarum turonenſ. tum propter pretia rerum; tum quia fere quadruplo major fuit libella turonenſis, quæ fuit Philippo Rege, quam quæ Caroli IX. principatu. Ac multo magnificentius Philippo Rege vivi potuit illa, quam dixi, penſione, quam ea, quæ a Carolo IX. fratribus ſoluta eſt; quam propterea augeri quodammodo neceſſe fuit. Cum enim Franciſci Andium ac Belgarum Ducis, libellorum Magiſter rationes accepti ſubducerem, comperi centies quadragies LLS. Id eſt 612000. libellarum ſeu 204000. aureorum noſtrorum, a Quæſtoribus ex iis, quæ Regis beneficentia accepit, coactum eſſe anno MDLXXXII. Dos vero dicta Caroli IX. ſororibus, cujus ſumma fuit in ſingulas CCCC. millia aureorum noſtrorum, minor eſt, quam dotes filiarum Caroli V. Regis, aureorum ſexaginta millium in ſingulas: tum quia temporis illius aurei noſtris aliquanto meliores, tum etiam, quod rerum pretia decuplo viliora fuerunt Carolo V. Rege, quam quæ eſſet Carolo IX. imperante.

LXIV. Aliarum civitatum eadem fere ratio, idem judicium futurum eſt, ſi vetera cum noſtris comparemus. Oriens olim opibus abundavit, & ab Aſia opes Occaſum verſus advectas eſſe legimus, quæ nunc ab Occaſu ad Orientem exportantur. Nam Ptolomæus Auletes Rex Ægyptiorum, ejus familiæ poſtremus, pecuniam Atticorum talentorum MDXII. Id eſt 12825000. libellarum turon. earum, quas Budæus ſupputavit, imperabat. Sulimannus non amplius MCLXVI. talentis ex eadem Ægypti regione coegit anno MDXX. (Gritius Venetorum Legatus ita retulit.) Vix enim eo tempore Turcarum principum cenſus annuus publicæ pecuniæ talentorum atticorum ſex millia DCLXVI. id eſt 6300000. libellarum aut aureorum 4000000. ſuperavit. Quinquageſimo poſt anno prolatis imperii finibus talentorum 10. millia, ſive LLS majorum CCXL millia exegerunt: nunc etiam multo plura imperant propter auri & argenti copiam, quæ ad Orientem aſſidue aſportatur. Quæ tamen ſumma exigua videri poſſit, cum Aſiæ minori, quæ vix ſexta pars eſt imperii Turcarum, Cornelius Sulla Dictator XX. millia talentorum imperarit. Plutarch. *in Sylla.*

LXV. Interdum agri bonitas, interdum etiam mercatura, ſæpiſſime Principum inexplebiles accumulandarum opum aviditates, efficiunt, ut aliarum aliæ ſint opes majores. Quis eſt enim, qui neſciat, Carolum V. Imp. ex Inſubria plus vectigalium ac tributorum coegiſſe, quam Franciſcus major ex hoc tantis opibus affluente regno delibarat? Quis item non videt plura Belgis imperaſſe, quam iiſdem temporibus Angliæ cenſus annuus æſtimaretur? Hoc vero pernicioſius, quod nonnemo ſuperioribus annis, ut Carolum IX. ad augenda tributa incenderet, auſus eſt in Senatu dicere: anno 1570. Florentinorum Principem amplius millies & quater centies, id eſt 6900000. libellarum turonenſ. auguſtiſſimis finibus imperii quotannis in fiſcum inferre. Quanquam id falſum eſt: vix enim ex ſenenſi ditione ſeptuagies LLS, ex Florentinorum ditione quater centies: tametſi nullum tributorum aut vectigalium genus prætermittit.

LXVI. Prudentiſſimi tamen Principis eſt, ineunte imperio extraordinaria ſuperioris Principis tributa aut tollere, aut certe magna ſui parte minuere: ac potiſſimum populo rogante, imo ne rogante quidem: nec Roboami deſipientis factum imitari, qui juniorum pernicioſiſſima conſulta ſecutus, non modo ſubditorum rogationibus non acquievit, verum etiam crudeliorem ſe futurum propalam minatus eſt, quam pater antea fuiſſet. Ex quo decem tribuum orta defectio eſt, ac novi Regis creatio. Illud autem in converſionibus imperiorum fere accidit, ac potiſſimum ſi tyrannis in popularem ſtatum abeat, ut omnia vectigalia ac tribnta tollantur. Quod lege valeria factum diximus: quam immunitatem Helvetii ac Lindavii pulſa nobilitate promulgarunt; deinde ſuis quemque ſtipendiis militare oportet; poſtea tributum iis indicere, qui a militia immunitatem quærunt.

LXVII. Sed hoc cæteri quidem populi a nobis differunt; quod illi tributa nobilitati ac locupletibus imperant, tenues proletarios excuſant. Noſtris vero moribus aratores ac tenues tributorum pondere premuntur; nobiles ac locupletiſſimi quique a tributis aut immunes ſunt, aut immunitatem honorum ſpecie adipiſcuntur. Neque id tantum, ſed locupletiores quaſque urbes a munerum vacatione excuſant, ut aratores, pecuarios & opifices tributis onerent. Sic enim Athenienſes adverſus ſocios ſe geſſerunt; & cum ex fœdere ſexaginta talenta ſociis omnibus ex æquo indicta fuiſſent. Athenienſes, auctis vectigalibus ac tributis, mille ac ducenta auri talenta, id eſt 720000, coronati, ſociis quaſi ſummo jure majeſtatis imperaverunt. Et quidem Themiſtocles dux Athenienſium cum ab Andriis ſociis tributum exigeret, deos potentiſſimos Vim & Amorem ſe afferre teſtatus, ab Andriis reſponſum tulit, duobus his potentiores ſe habere deos, Inopiam inquam & Neceſſitatem. Plutarch. *in Themiſto.* Babylonis civitas omnium quæ uſquam terrarum fuerunt, maxima, & opum omnis generis abundantiſſima, a tributis & vectigalibus immunitatem ſibi pepererat, Herodot. *in Euterpe.* Vt nunc optima quæque oppida, & locupletiſſimus civis quiſque, aſſentientibus Principibus immunis eſt, ne potentes ac beati cives vectigalium legibus intercedant.

LXVIII. Sed quemadmodum valentiſſima quæque corporis humani membra putres ac defluentes humores ad imbecilliora rejiciunt, & cum eo pervenerint, apoſtema aut exanthema ingenti cum totius corporis dolore erumpere neceſſe eſt: idem nobis contigiſſe videmus. Vt, cum

ſacer ac patricius ordo fortunis & opibus locuples, miſeros aratores & opifices omni tributorum genere urgeri & opprimi pateretur, quouſque plebs oneribus aſſiduis gravata ſuccumberet: tunc in urbes, antea ſemper immunes, atque in nobilium & ſacrum ordinem onus rejici oportuit: ac ſacerdotes quidem decimas pendere, nobiles vero ſuis ſtipendiis militare, & in modum equi æſopici, qui partem oneris ferre cum recuſaret aſino, ſuccumbente ac pereunte illo, onus integrum perferre coactus eſt.

LXIX. Quod non ita pridem Dani experti ſunt, apud quos ſacer ac patricius ordo tributorum maximam partem ærario inferre neceſſe habuerunt. Semper quidem Britanniæ nobilitas æque ac ordo ſacer, tributa pro cujusque opibus ac fortunis Græcorum ac Romanorum, imo populorum omnium moribus & inſtitutis, pendere conſuevit. Lucas Penna *in l. ult. de fundis limitor. C. l. indictiones de annonis C. l.* 1. *de indiction. C. l. reſcripto.* §. *ult. de mun. l.* 1. *de mun.* C.

LXX. Excipio noſtros homines, id eſt, Gallos; apud quos *nihil eſt*, ut rectiſſime Cæſar ſcripſit *l.* 6. *Commentar. plebe contemptius.* Superius diximus, in Septimania & Provincia vectigales agros ab oneribus non eximi; ſive a ſacerdotibus, ſive a patriciis poſſideantur. At ne feuda quidem eximenda fuerunt, niſi poſſeſſores militare, aut militibus ſtipendia ſolvere cogantur. Quid enim abſurdius, quam apud nos tria genera hominum, ſacerdotes inquam, nobiles ac magiſtratus fere omnes, omnia tributa in miſeros opifices & aratores rejicere?

LXXI. Sunt igitur ea vectigalia, ſi modo neceſſaria, probanda, quæ in omnes ordines pro ſingulorum facultatibus exæquantur; ut ſalarium ac vinarium vectigal, & quæ ſunt generis ejusdem. Earum vero rerum, quæ minutim veneunt, vectigalia prohiberi oportet, ne mancipes plebem ad ſeditiones incendere poſſint, ut Carolo V. ac VI. Regibus ſæpiſſime contigit. Itaque neceſſe fuit auxiliare vectigal illud, ſeu viceſimam rerum venalium, quæ nobis primum indicta fuit pro libertate Joannis Regis, ad certam ſummam redigi, quam *æquipollentem* appellant: ut in Septimania, & ſalarium vectigal in Arvernia. Ob eam quoque rem manubias rerum venalium plerisque in civitatibus ſublatas videmus, propter ſeditioſas agreſtium ac plebejorum hominum querelas. Ac tametſi manubiæ hoſtibus accepto feruntur, ſæpiſſime tamen pro manipulo accipiuntur, quam noſtri *Javellum*, Itali *Gabellam* vocant. Gellius *l.* 13. *c.* 23.

LXXII. Quod ſi quis eſt, qui ſcire de me velit, quodnam genus vectigalium immortali Deo gratiſſimum, civitatibus pulcerrimum, Principibus honeſtiſſimum, plebi utiliſſimum videatur; illud eſt, quod iis rebus imponitur, quæ ad corrumpendos civium mores, quæ ad delicias, quæ ad luxum, quæ ad libidinem ſpectant; aurea inquam & argentea ſupellex, odores, pigmenta, innumerabilia veſtium ornamenta, colores pretioſiſſimi, gemmæ, margaritæ, cupediæ, cæteraque generis ejusdem; quæ prohibenda non ſunt, nec ſi velis poſſis. Ut Platoni viſum eſt capite quingenteſimo quinto legum ſuarum. Cum ea ſit hominibus inſita vis ac natura, ut nihil avidius expetant, quam quæ ſanctiſſime vetantur. Quamobrem Principes, qui aquiloniis regionibus imperant, nullum vectigal majus habent, quam ex vino; quo ſubditi, ut carere poſſint, nolint tamen, ſed aſſidue locis omnibus ſeſe ingurgitabunt ſemper. Conſimili prudentia Cato Cenſor, ut civitatem luxu perituram, quam diutiſſime poſſet, ab interitu retardaret, ornamenta omnia, veſtem muliebrem, ac vehicula, quæ pluris, quam XV. millium æris eſſent, in cenſum referre viatores juſſit, item mancipia minora annis XX, quæ poſt proximum luſtrum minoris, quam decem millibus æris, aut eo pluris veniſſent; uti ea quoque decem tanto pluris æſtimarentur, quam quanti eſſent, & his omnibus terni in millia æris attribuerentur.

LXXIII. Melius etiam Auguſtus, qui ut effuſas utrinsque ſexus libidines coerceret, leges de maritandis ordinibus tulit: Gellius *l.* 2. *c.* 15. *l. ſi is, qui hæres, de vulgari.* Tertull. *in lib. de monogam.* Ulpian. *tit.* 14. *l.* 1. *unde vir. l.* 44 *de ritu nupt.* Dion. *l.* 56. Quibus eos, qui poſt annum quintum & viceſimum uxorem non duxiſſent, aut duxiſſent quidem, ſed liberos non procreaſſent, hereditatum, quas creviſſent, & legatorum, quæ ſibi relicta eſſent, partem caducam in fiſcum inferre cogebat: eos vero, qui liberos plures cæteris haberent, ab oneribus quibusdam immunes, & in honoribus capeſſendis dignitate ſuperiores eſſe juſſit. Quibus legibus Auguſtus ſummam ſapientiſſimi Principis laudem aſſecutus mihi videtur; tum quod vagos concubitus & impuras libidines incredibiliter repreſſit, tum etiam, quod ſpuriis, quantum quidem licuit, de rep. ſublatis, juſtos liberos, juſtas uxores, ſine ulla judiciorum aut pœnarum acerbitate quærere quemque coegit. Etenim cum nihil de præſentibus bonis cujusquam detraheretur, ſed earum tantum hereditatum, quæ fere ab amicis inopinato provenirent, decima pars delibaretur, ærarium pecuniis, rempublicam civibus, cives virtutibus, abundanter cumulavit.

LXXIV. Quas leges caducarias, Juliam inquam, Papiam Poppæam, Conſtantinus primum, *l.* 1. *de infirmandis pœnis cœlibatus* C. deinde Juſtinianus Imperator, *l. unica de caducis tollendis* C. pernitioſiſſimo exemplo aut ſuſtulerunt, aut maxima ex parte iis derogarunt: cum tamen Papius ac Poppæus Conſules legi juliæ varia capita, pœnaſque orbis graviores, ac præmia prolem numeroſam habentibus majora, quam lege julia irrogarentur, incredibili legis juliæ utilitate explorata, decreviſſent. Dion. *l.* 56. Niceph. *l.* 7. Sozomen. *l.* 1. *cap.* 9. Tacit. *l.* 3. Ulpian. *in inſtit. cap.* 20. Tranquill. *in Auguſto. Juriſc. in tit. de ritu nupt.* Deterius etiam, quod ab Honorio & Theodoſio Imperatoribus *jura liberorum omnibus tributa ſunt*, *l.* 1. *de jure trium liberorum* C. vel ut verius ac melius loquamur, *omnibus erepta.* Ex quo tum adulteriorum veneriſque nefandæ turpiſſima fœdiſſimaque flagitia, tum etiam civium ſterilitas conſecuta eſt: ut immanis illa Gothorum ac barbariſſimorum hominum colluvies provincias imperii romani prope deſertas occuparit.

LXXV. Hæc

LXXV. Hæc igitur tributorum ac vectigalium genera, quæ ad coercenda ſcelera imperantur, omnibus non modo juſtiſſima debent, verum etiam utiliſſima, videri. Antea quidem Caroli IX. Regis noſtri edicto vectigal judiciarium imperatum erat, ad cohibendam litigatorum hominum indomitam atque effrænatam licentiam: ſed judieum ac magiſtratuum, quibus tantundem de quæſtu litium detrahebatur, aſſiduis querelis ſublatum eſt. Vix ullum tamen afflictis ærarii opibus utilius, & huic imperio litium innumerabili multitudine oppreſſo ſplendidius cogitari poterat. Vix enim in omnibus Europæ regionibns, & imperiis tot lites, quam in hoc uno imperio, concreverunt. Quæ potiſſimum Caroli VI. regis temporibus accumulari cœperunt. Is enim inveteratum morem, quo qui judicio ſuperior fuiſſet, nullas expenſas ferebat, edicto perpetuo abrogavit. Id autem a majoribus noſtris inſtitutum fuiſſe opinor, ut ſubditi quodammodo ab inſita litigandi cnpiditate revocarentur. Ac tametſi Romani in libera republica difficillime vectigalia ac tributa imperari ſibi paterentur, vectigalia tamen judiciaria patienter tulerunt: & quidem infinitis partibus graviora, quam quæ Caroli IX. edicto imperabantur. Quo quidem duos ad ſummum coronatos publice deponere cogebaturis, qui alteri litem intenderat: eoſdem ab eo, quem judicio ſuperaſſet, recuperaturus; aut ſuæ temeritatis, ſi vinceretur, juſtam pœnam laturus. At Romani decimam partem ejus rei, quæ in controverſiam veniret, in privatis; aut quintam in publicis judiciis imperabant: ut quidem Feſtus Pompejus ſcribit. Quamquam M. Varro *in libres de lingua latina*, quingentos aſſes ab utroque reo, (quæ pœna eadem prope Caroli noſtri edicto comprehenſa eſt,) ea lege depoſitos ſcribit, ut qui ſuperior fuiſſet, ſuum recuperaret. At fieri potuit, ut poſt Varronem aucta ſit pœna. Hoc item amplius, quod ſponſiones fieri ſolebant, quas qui judicio viciſſet, præter rei judicatæ ntilitatem laturus erat, niſi adverſarius ante judicium acquieviſſet: ut modis omnibus lites a ſtirpe amputarent, Valer. Max. Certe quidem Hebræi in pandectis litigioſum hominum genus gravius, quam Latini, puniebant: quia duplum rependere cogebatur, qui debitum ſcienter denegaret. Rabi Maymon. *lib. 3. more Hanevochim.* Turpiter tamen Caligula, qui quadrageſimam rerum earum, quæ judicio peterentur, extorſit; ſive juſta, ſive injuſta fuiſſet petendi cauſa.

LXXVI. Rerum autem venalium, quæ ad luxum, quæ ad libidinem, quæ ad pompam comparantur, ſemper utiliſſima ſunt & honeſtiſſima vectigalia. Sed cum Franciſci I. Regis edicto merces ac ſpecies vili pretio, tum vero ea genera, quæ ad corruptelam civium invehuntur, multo vilius, quam decuit, æſtimantur. Nam ſuccini ſive ambari pondo, ſpecies omnium, quæ edicto continentur pretioſiſſima, paulo minus tribus ſeſterniis cenſetur, id eſt, 120. libellis turonenſ. tria ſeſtertia 131. ll. & 5. aſſib. æſtimantur, at ſeſtertia decem, id eſt, l. 437. 437. 10. aſſes, pendere oportuit, ut vectigal majus in fiſcum cogeretur. Rerum vero civibus utilium, aut nulla, aut leviſſima pretia eſſe debuerunt; ut vectigal facilius diſſolveretur, & peregrini mercatores ad eas res majore copia advehendas allicerentur. Etenim romanis legibus vectigalia nulla indicta ſunt earum rerum, quæ ad vitam commodius honeſtiusque degendam aſportantur: ſed tantum aromatum, quas noſtri, latinos ſecuti, ſpecies appellant, quæ ab Ulpiano numerantur, *in l. interdum §. ſpecies de publicanis*; & pellium aut capillorum indicorum, fucorum, ferarum, eunuchorum, ſericearum veſtium, & id genus aliarum mercium inanium: pecoribus autem, aut jumentis, aut rebus ad victum & cultum neceſſariis, nullum vectigal impoſuerunt.

LXXVII. *Capitationem* quoque a tyrannis invectam ſuſtulerat Servius Rex Romanorum; ſed Tarquinius Superbus renovavit, & pro capite cujusque decem denarios exegit, Dionyſ. Halicar. Conſtantinus omnino ſuſtulit. *l. 1. de capitatione civium cenſib. D. l. 1. de colonis fugit.* Eſt autem tributum, qnod pater quisque familias pro ſingulis capitibus, etiamſi nihil in bonis habeant, fiſco dependere cogitur, nobis inuſitata. Fuit etiam capitatio annonaria poſſeſſoribus agrorum pro jugerum & capitum, quibus coluntur & arantur, numero indicta. *l. 1. de imponenda lucritiv. in* C. Theod. *l. 9. de acti emti. C. Novel.* 17.

LXXVIII. Qui vero ſua induſtria ſibi opes ac pecuniarum vim maximam coegerunt, a tributis immunes eſſe non oportet: dum adverſus tenues id fiat modice, vel etiam intra modum, ne bonis artibus ac induſtriæ bellum indici videatur. Potiſſimum vero cum aratoribus, qui alienos agros colere, non ſuos, conſueverunt, mitius agi debet.

LXXIX. Nec audiendi ſunt impoſtores, qui omnia ſtudia, curam, ſolicitudinem in imponendis excogitandisque tributis ac vectigalibus conferunt, & ad ea Principes exacuere modis omnibus conantur. Ut quadruplator ille, quem honoris cauſa prætereo, qui annis ſuperioribus cum Blœſis Galliæ conventus haberentur, profeſſus eſt, amplius ſepties millies ſeſtertium, id eſt, libellarum turonenſ. ſummam 30625000. ſublatis cæteris omnibus tributis ac vectigalibus, facillime ac ſine cujusquam incommodo in ærarium cogi poſſe. Rex hominem in comitium ad nos miſit, nt illud cœleſte ac Dei munere conceſſum beneficium explicaret. Ac tametſi noſtiæ legationis ſocios & comites acutiſſimos haberemus, pleroſque tamen homo improbus erroris opinione deceperat, niſi fucum aperuiſſemus. Poſuit enim, Galliam univerſam ſexcentis miliaribus Id eſt, ducentis leucis gallicis, patere a Bononia Belgarum Maſſiliam usque: & eodem intervallo a monte Sancti Bernardi Iura usque ad Lnzum oppidum Pyrenæorum, ac propterea geometrica ratione ſuperficiem Galliæ CXX. millibus miliariorum, id eſt, laucarum 4000. vel, quod idem eſt, quadraginta leucarum millibus, ſi Orontii definitionem ſequamur. Is enim leucam gallicam tria miliaria complecti, ſcribit in regeſtis Caſtileti: tametſi Pariſienſes in actis publicis leucam duobus miliaribus definiunt. Leucam vero decem millia jugerum complecti putabat. Quæ ſumma con-

ficit decies centena millia jugerum : ex qua dimidium, propter aquarum, viarum & agrorum deſerta & inculta loca, detrahebat : reliquum vectigale faciebat, ea lege, ut in ſingulos actus, id eſt, in bina jugera, ſolidus gallicus exigeretur: quæ ſumma fere conficit millies ac ducenties LLS. vel, ut loquimur, quinque miliones libellarum turonenſium. Idem ſibi fingebat oppidorum & pagorum ſexcenta millia, quibus bis millies centena millia familiarum contineri putabat; & ſingulis patribus familiarum ſolidos quinque imperari volebat, ut millies ac ducenties LLS. vel planius, quinque milliones libellarum turonenſium cogerentur. Præterea mercaturam gallicam fere quater millies, id eſt 15000000. libellarum æſtimabat in annos ſingulos: ex quibus ſingulos ſolidos in ſingula millia exprimi cupiebat. Poſtremo ſingulis urbibus ac pagis univerſitatis nomine ſolidos nummos undecim imperabat: quæ omnia fere ter millies efficiunt. At ipſe ſepties millies non aliter conficere poterat, quam conjunctis decimis, antiquis portoriis, vectigalibus ac tributis; contra quam initio propoſitum fuerat. Sed præterea tam multa peccabat, ut quid maxime non facile dici poſſet. Galliam enim quadratam efficiebat, cum ſit figura rhombo ſimilis, minor quadrato. Deinde dimidiam agrorum cultorum partem exæquavit deſertis agris; cum tamen peræquatoribus noſtris exploratum ſit, deſerta & inculta loca, ſi aquas & vias adjungamus, duos Galliæ trientes auferre. Deinde præter decimas, quæ ab Ordine ſacro in ærarium inferuntur, vectigales etiam agros ejus Ordinis efficiebat. Illud vero temere & impudenter, quod ſexcenta millia oppidorum ac pagorum in Gallia conſtituebat; cum ex rationibus publicis, Maximinus Præſes nummerum parœciarum & curionum expreſſum ad conventus attuliſſet: quod minus erat XXVIII. millibus, ſi pagos urbibus æquare voles. Id Henrico II. Rege plane intellectum eſt: cum anno MDLIV. tributum XXXI. libellæ turonenſis in ſingulas parœcias indixiſſet, numerus paroeciarum exſtitit XXIV. MDCCCXXVII. præter Burgundiones ac Pictones.

LXXX. Hieronymus Laſcus Polonus, Palatini Siradenſis pater, ærarii opes hac ratione muniendas ſibi putavit, ſi tres *pietatis montes* (ſic enim appellabat triplex vectigal a ſe excogitatum) inſtituerentur: primo vectigalis genere dimidiam fructuum partem ſemel tantum; ſecundo vigeſimam, tertio octavam rerum venalium in perpetuum exigi volebat. Sed illum nemini, ac ne ſibi ipſi quidem perſuaſiſſe opinor. Quid enim pernicioſius? quid ad inflammandos ad ſeditionem plebis animos accommodatius, quam tot ſimul ac tanta vectigalia, potiſſimum liberis & bellicoſiſſimis, ac ferociſſimis gentibus imperari? At ſanctiſſimum nomen flagitioſo commento impoſuit, pietatis ſpecie quæſita.

LXXXI. Itali quidem *montes pietatis* ubique fere ad tenuium egeſtatem & ad inopiam ſublevandam inſtituerunt, potiſſimum vero in civitatibus Lucenſium Senenſium, ac Florentinorum, his ſcilicet legibus, ut cui filia naſcitur, in ærarium pietatis pecuniam dotalem, quam volet, eodem inferat momento, nec repetere poſſit, ſed cum puella annum XVIII. attigerit, decuplam pecuniam maritus puellæ dotis nomine ab ærarii Quæſtoribus accipiat, ſi centum aureos intulerit, mille ab ærario laturus, ſin puella prius moriatur, quam nubere potuerit, (quod ei non licet ante XVIII annum) illata pecunia ærario cedit, niſi patri altera agnata ſit, quæ prioris jure fruatur. Alterum pietatis ærarium eſt, unde tenuibus pecunia detur decem ad ſummum aureorum, ea lege, ut trientibus uſuris, id eſt, quinque pro centum, quæ omnium leviſſimæ judicantur, & pignoribus ærario caveant, ſe creditam pecuniam ſtato die reddituros, ſi ſolvendo non fuerint, pignus publice venditur, quod ſoluta pecunia reliquum eſt, debitori reſtituitur. Ita cavetur, ne tenues gravioribus uſuris urgeantur, aut ſupellectilis diſtractionem alieniſſimo tempore ac loco patiantur.

LXXXII. Melius tamen Antoninus Pius Imperator & privatorum inopiæ & ærario civitatis cavit, cum pecuniæ publicæ maximam partem ſub trientibus uſuris daret iis, qui prædibus ac prædiis reipublicæ caverent, ſe & ſortem & uſuras, cum peterentur, reddituros. Spartianus. Cujus exemplo Alexander Severus ærarium dirutum reſtituit. Auguſtus tamen, referto pecuniis ærario, partem ſine uſuris dabat iis, qui prædibus ac prædiis caverent, ſe duplum reddituros, niſi ſtato die petitam pecuniam in ærarium inferrent. Tranquill. *in Auguſto.* Iſta quidem ratione pecunia publica nec erat otioſa, nec Principum largitionibus effuſa, nec rapinis exhauſta, ſed ad ſingulos & ad univerſos ſumma utilitas redundabat.

LXXXIII. Hic mihi occurret aliquis; tametſi Auguſtus pecuniam publicam minime fœneraretur, pœnam tamen dupli, niſi ſtato die ſolveretur, quovis fœnore fuiſſe graviorem, ac propterea legibus improbatam. *l. pecuniæ fœnebris. de uſuris l. Julianus §. Idem Pomponius de actio. em.* Ego vero pœnam illam tum improbari legibus video, cum in fraudem & ultra uſurarum legitimarum modum quid ſtipulamur. *d. l. pecuniæ:* ſed, qui pecuniam publicam accipit, nec ſtato die reddit, peculatum admittit: eſt igitur peculatus pœna, non uſurarum. Prudentius tamen Principes illi, Antoninus inquam & Alexander, qui & reipublicæ neceſſitati & privatorum utilitatibus inſerviebant.

LXXXIV. Qui vero pecuniam ſub uſuris reipublicæ nomine accipiunt, næ illi ærarii ac civitatis everſionem moliuntur. Venetos, qui cæteris frugaliores videntur, ut ærarium augerent, pecuniam a privatis ſub trientibus uſuris accepiſſe video ſine ulla ſpe recuperandæ ſortis; quod jure communi licebat, & ubique fere in Italia licet; aut ſub uſuris centeſima gravioribus, ſcilicet ſextante, id eſt, quatuordecim procentum, quamdiu vixerit, qui dedit: eo tamen moriente, ſors ærario cedit. Sed pauci ſunt, qui ea conditione civitatibus fœnerari velint. At collegium georgianum apud Genuenſes, quas trientibus aut ad ſummum ſemiſſibus uſuris pecunias accipit, eaſdem Principibus ac mercatoribus graviſſimis uſuris fœneratur. Unde tanta vis

pecu-

pecuniarum coacta eſt, ut inſulam Corſicam ac prædia publica omnino redemta ſint. Privati quincunces uſuras ſine ullo periculo ſortis Georgiano collegio credere malunt, quam a privatis, qui ſæpiſſime foro cedunt, vel fortunarum jacturam patiuntur, uſuram accipere graviorem; nam collegium illud bona fide uſuras ſua quaque die ſine mora diſſolvit. Venetos vero non eadem fide uſuras privatis debitas ſolviſſe videmus, ſed vetuſtate ſenſim uſuras in ſortem imputaſſe eis, qui olim beſſes ſtipulati fuerant.

LXXXV. At Reges noſtros rariſſime accepiſſe, rarius etiam dediſſe fœnori pecunias legimus. Primus opinor, Cardinalis Turnonius Italorum ope conſiliove Franciſco I. Regi anno 1640. perſuaſit, ut pecunias moderato fœnore acciperet, ac Lugduni ſtatis nundinarum temporibus uſuras ſolveret; ita futurum, ut Italorum ac Germanorum opes brevi cogeret, hoſtibus eriperet. Hoc etiam agebatur, ut Cardinalis aureorum centum millia tutiſſime fœnori daret, ac ſortem quoties vellet, repeteret, cæteri non item. Accurrunt itali ac germani mercatores, Gallorum etiam quamplurimi; ita paucos poſt annos, quam mortuus eſt Franciſcus, ſors D. aureorum millia ſuperabat: quæ ex ærario pecuniis refertiſſimo diſſolvere potuiſſet; noluit tamen, etſi nec pecuniis reſpublica egeret, & cum omnibus Principibus aut fœdus, aut pacem iniviſſet. Secuta eſt calamitoſiſſima dominatio Henrici filii, qui brevi exhauſto patris ærario uſuras centeſimas, poſt etiam anno 1554. ſeſquicenteſimas, tandem ducenteſimas pactus eſt. Cum vero pecunia fœnori ſolvendo non ſufficeret, uſurarum uſuras creditoribus promiſit. Carolus V. Imperator Henrici exemplo, tunc primum bellis urgentibus, ſub fœnore centeſimo pecunias accepit. Antea quoque Henricus VIII. Rex Anglorum a germanis mercatoribus maritimarum civitatum centum aureorum millia acceperat ſub uſuris centeſimis. Ut opes ac pecunias, uſurarum illecebris ad ſe quisque pertraheret.

LXXXVI. At Henricus II. Rex Francorum opinionis errore deceptus eſt: cum enim graviores cæteris uſuras creditoribus ſolveret, majorem vim pecuniarum ſe coacturum ſperabat. Sed prudentiſſimus quisque futurum proſpiciebat, ut, cum brevi pecunia Regem, tam gravi fœnore obæratum, poſt etiam fides defeciſſet; creditores una cum uſuris ſortem amitterent. Carolus vero Imperator creditoribus ſatis ſe facturum judicabat, cum civitates quaſi prædes creditoribus daret. Mortuo Henrico Rege, creditores querelis omnia compleverunt: ac plerique non de uſuris, ſed de ſorte recuperanda laborarunt; cum alius ſortis ſemiſſem, alius trientem emtoribus ſuo periculo cedere cogeretur. Nec ſolum Germani, Helvetii, Itali, Franci, verum etiam Turcarum nonnulli, pecunias mercatorum nomine Regi crediſdiſſent. Etenim Roſtanus Baſſa, quo minus Turcarum auxiliares copiæ Regi Henrico II. mitterentur, cum in Italia Guiſio duce bellum renovatum eſſet, interceſſit; tametſi Vinea legatus aureorum decem millia Regis Henrici nomine numeraſſet, quoniam quatuor millia fœnoris ac ſortem ſibi deberi querebatur.

LXXXVII. Hac enim lege fœnerantur, ut ſortem cum uſuris repetere liceat; ut etiam Itali publicani, qui, quod fœnora in Gallia probiberi vident, verſutiſſime hac fraude debitores circumveniunt. Mutuam enim dant pecuniam acceptis prædibus ac prædiis, ac uſuras interdum centeſimas, ſæpe graviores ſtipulantur; nihil tamen fœnoris nomine ſcripto continetur. Stato die ſine teſtibus & apocha fœnus accipiunt: quod quidem, niſi ſolutum ſit, ſortem diſtracta ſupellectile debitorum ſibi reddi per viatorem cogunt, aut etiam carceribus debitores includunt.

LXXXVIII. Qua fraude fœneratores Italos in annalibus noſtris antea quoque uſos eſſe, legimus: Ac propterea anno 1254. divo Ludovico rege primum, deinde anno 1300. Philippo bello Ludovici nepote, hujus imperii finibus bonis publicatis exactos, debitores fœnore liberatos ſortis reliquias in fiſcum intuliſſe. Sed non ita coërceri potuit illa fœneratorum peſtis, quin anno 1347. Philippo Valeſio Rege, rurſus de iis quæreretur. Qua quidem quæſtione decreta intellectum eſt, quinquagies ſeſtertium, id eſt, 238750. libellarum, ab Italis publicanis advectum, paucis annis quinquies millies, id eſt, 21875000. libellarum, fœnoris peperiſſe. Ac tametſi ex hoc regno exterminati ſæpe fuerint, nusquam tamen ullis temporibus exſtitit copia major; nec quamdiu Principes fœnori accipient, defuturi ſunt.

LXXXIX. Sed cum inopia ærarii fœneratores terruiſſet, Reges noſtri pecunias a civitatibus fere ſingulis mutuas acceperunt, civitates a privatis, quibus uſuras beſſes ex vectigalibus ac tributis quoad ſortem reciperent, promitti neceſſe fuit: quibus tamen ſatisfieri non poteſt. Hæc quidem tolerabilia viderentur, ſi, quod Regibus perſuaſum erat, civitates obſequio ac fide majore acceptis mutuo pecuniis devincire potuiſſent: ſed nullis temporibus graviores in Gallia tumultus aut plures civitatum defectiones exſtiterunt. Ærarii vero tanta fuit inopia, ut Henricus moriens plura deberet, quam ſui majores annis quadraginta a ſubditis exegiſſent. Idque æs alienum annis XII. quibus imperavit, fere totum uſuris contractum eſt: præterquam, quod quatercenties quadragies quinquies LLS, id eſt, 2312610. ll. turonenſ. mutui nomine ſine uſuris debuit: ſors vero pecuniarum, quarum nomine uſuræ debebantur, fuit ter millies quatercenties & undecies LLS, uſurarum vero, quarum dies venerat anno MDLX, Franciſco II. Rege, ſumma fuit centies ſeptuagies ſexies LLS, id eſt, 775979. ll. præter ea, quæ Duci ferrarienſi, quæq; contractis Principum nuptiis Henrico moriente debebantur, cujus pecuniæ ſumma fuit paulo minus bis millies LLS. Summa fuit 8914592. ll. Cætera debita fere quatercenties ſexagies LLS. (ſumma fuit 1564737. ll.) æquant, quæ omnia debita ſimul coacta fere decies millies efficiunt. Summa fuit 41185375. ll. turonenſ. Quæ ſumma etiam decimarum vectigalium ac prædiorum publicorum jura civitatibus & corporibus oppignorata complectitur.

XC. Quan-

XC. Quanquam Carolus V. Imperator ejusque filius Philippus debita multo graviora uſurarum vitio contraxerunt. Nam ex rationibus publicis Hiſpanorum, anno MDLXVI. fere undecies millies, (ſumma fuiſſe dicitur hiſpanicorum aureorum 15432000.) privatis debitum fuiſſe accepimus, eoque nomine prædia publica vectigaliaque Neapoleos ac mediolanenſis agri, jampridem a Genuenſium mercatoribus oppignorata teneri.

XCI. Sed riſu digna res eſt, quod non modo Genuenſibus, verum etiam ipſi Philippo Hiſpaniarum Regi ob id ſacris interdictum fuerit: quod hic quidem acciperet, illi vero darent fœnori pecuniam: & quæſtio Romæ habita de Genuenſium fœneratoribus, qua quidem compertum eſt, pleroſque ducenteſimum ac trecenteſimum fœnus a Philippo accepiſſe. Nec inanis fuit illa quæſtio & interdictio; cum inde Philippus occaſione accepta, ne fidem fallere videretur, creditores decem annorum uſura fraudarit.

XCII. Eadem interdictio Regibus noſtris peropportuna fuiſſet ad publicanos & mancipes Italos, qui omnia vectigalia, portoria, prædia publica, ſalinas mercede conducunt, contra morem majorum contraque leges, hujus imperii finibus arcendos. Nec mirum, ſi tot ac tantas ærarii opes hinc in Italiam exportant impune, cum in auctionibus præferantur ſubditis etiam carius conducentibus. Sed illud magis intolerandum, quod non ita pridem omnibus ſpectantibus una diminutione mercedis, aureorum viginti millia, cum ſempiterna Gallorum contumelia, ex portorio Lugdunenſi lucrifecerunt, ac magiſtratibus quæſtiones peculatus ademerunt, ut a Principe judicarentur, ac impune prædari liceret.

XCIII. Harum omnium calamitatum origo eſt a Franciſco Rege petita, qui cum opibus ac pecuniis parta pace abundaret, fœnori accipere non dnbitavit. Quo nihil in rempublicam perniciosius cogitari potuit: quoniam alterutrum neceſſe eſt, aut ærarium diruere ac publicas opes evertere, ſi uſuræ diſſolvantur; aut turpiter fidem fallere, ac privatorum bona diripere. Etenim Principum inopiam ac egeſtatem ſequuntur rapinæ, ſectiones, pro ſcriptiones, ac innocentium hominum crudeliſſimæ ſtrages.

XCIV. Tum enim Principi commodnm erit ac neceſſarium, mutuam a ſociis & a ſubditis pecuniam ſub uſuris accipere, cum defectiones a ſe & potentium conjurationes proſpicit: nam extremis periculis extrema remedia quæruntur. Ut Eumenem feciſſe legimns, qui a conjuratis & ab iis, quos a ſe defecturos intellexerat, pecunias ſub graviſſimis uſuris accepit. Nec aliter Agrippa Rex Judæorum regnum, unde expulſus erat, recuperaturus videbatur, niſi nomina feciſſet ac debita graviſſima contraxiſſet Creditores enim, ut in regnum reſtitueretur, omni ſtudio ac ſolicitudine curaverunt. Quod item accidit Eduardo IV, Regi Anglorum, cum de regno dejectus fuiſſet. Illud tamen conſilium inutile futurum eſt, ſi creditoribus cautum ſit prædibus vel prædiis.

PARS SECUNDA.

§. I.

Quibus igitur rationibus ærarii publici opes curari debeant, ſatis opinor expoſitum videtur: quod primum hujus diſputationis caput erat.

II. SECUNDUM eſt, ut civitas coactis opibus pro ſalute proque dignitate pnblica utatur. Quo de genere, cum de præmiis diſſeruimus, multa dixiſſe videmur. Cætera, quæ ſunt intermiſſa, perſequamur.

III. Majores noſtri in rationibus diſtrahendis *primum* caput expenſarum, erogationibus a Rege factis in tenues & egentes tribuere ſolebant; *ſecundum* regiæ domui; *tertium* ſartis tectis. Nunc vero converſa ratio eſt. Certe quidem religionis ac ſapientiæ Principes illi veteres Hebræi, hanc diſciplinam a ſanctiſſimis Prophetis acceptam poſteritati tradiderunt, in libris פירקי אבות, cum dicerent divitiarum munimentum omnium firmiſſimum ac maximum eſſe eleemoſynam ac benignitatem adverſus egentes, ejus autem benignitatis ac largitionis modum decima parte bonorum definierunt. Ac mihi quidem res humanas propius intuenti: nullæ familiæ, nulli Principes, nulla imperia opibus ac victoriis ita floruiſſe videntur, quam quæ maximam egentium ac tenuium curam habuerunt.

IV. Atque in eo qnidem Regum noſtrorum præ cæteris, quantum qnidem colligere potui, benignitas in egentes clariſſima ſemper exſtitit; maxime tamen Roberti Regis Capeti filii, a quo cæteri deinceps caritatis exempla didicerunt. Is enim mille pauperes humaniſſime ſemper fovit; eiſque jumenta præbuit, ut ſe, quocunque iret, conſequerentur, ac pro ſe vota facerent. Ac tametſi novi Regis filius regnum maximum adeptus eſſet, nemo tamen diutius aut felicitate aut tranquillitate majore, quam hic, imperavit. Illud autem de Regibus noſtris prædicare poſſumus, cæteros omnes omnium gentium Reges ac Principes imperandi facilitate, diuturnitate, ac ſecuritate ſuperaſſe. Quod cum bona venia dictum ſit eorum, qui non modo Chriſtianorum, verum etiam Turcarum, Perſarum, Tartarorum, Æthiopum, Indorum imperia tenent. Quem enim ex illis omnibus cum divo Ludovico Rege conferemus? Is enim 28. rerum divinarum & humanarum collegia ſuis opibus fundavit; tametſi 120. pauperes, qui ſe conſequebantur, hnmaniſſime & eodem victu, quo ſeipſum, quotidie ſuſtentaret: at etiam diebus quadrageſimæ numerum duplicabat. Itaque mirum videri non debet, ſi annos 44. ſumma cum ſui nominis gloria imperant; & ita imperarit, ut hoſtibus quidem formidoloſus, carus amicis, Deus ſubditis, ſanctus omnibus haberetur. Hoc amplius, quod in ſummæ felicitatis parte Reges ponere conſueverunt, omitti

non

non debet: quod quinque filios, quatuor filias ſe moriente ſpirantes, ac regnum armis ac legibus florentiſſimum reliquit; extrema vero cohortatione filium regni ſucceſſorem ſtudioſiſſime admonuit, ut Deum inprimis veneraretur, deinde egentes ac tenues quam maxima poſſet benignitate cumularet.

V. Nec omittendus eſt Jacobus V. Rex Scotorum, is qui Rex egentium uſurpatur; qui cum omnes ſui temporis Principes benignitate vinceret, majores tamen ſuos opum magnitudine longe ſuperavit.

VI. Illuſtres vero familias, imperia, civitates cum Principibus in exitium ruere, aut graviſſimis calamitatibus & egeſtate conflictari videmus, quæ tenuium bona diripuerunt, aut quaſi prædam militibus ac latrociniis publicanorum objecerunt. Etenim Henricus II. Rex Francorum noſtra ætate anno 1545. tributum temerarium imperarat, quod vulgus *talionum* appellavit; teſtatus ſe id militum ſtipendio daturum, nc cum cæteris vectigalibus conturbaretur, ut plebs ab injuriis ac direptionibus militum tuta eſſet. Vt antea tributum, quod alendis X. legionibus indictum erat, civitatibus quo ab incurſionibus ac direptionibus militum tutæ ſint. Quod tamen tributum agricolis etiam communicatum eſt. Ex quo ſecuta eſt crudeliſſima expilatio agricolarum. Qui tametſi indigniſſime a militibus diriperentur, nihilominus tamen novis tributis ac vectigalium innumerabilium multitudine quotidie prægravarentur; cum tot ac tantis calamitatibus præclare ſecum agi putarent, ſi alimenta militibus Quæſtorum ac præfectorum annonæ militaris leviſſimo pretio pararent; ut aliquot annos ſactum vidimus.

VII. Quid igitur ſperandum eſt ab iis civitatibus, in quibus cum tanta impunitate ac licentia milites latrocinantur, & in cives gravius, quam in hoſtes graſſantur? Latrociniorum vero culpam in Principes regerunt, quod ſine ſtipendiis militare cogantur. Quamquam nec inviti militare coguntur, nec ſtipendia, ſi Rex velit, ſibi dari cupiant, ut liberius prædari liceat. Vna igitur eſt tuendæ civitatis ac diſciplinæ militaris (quam nullam habemus) reſtituendæ, tum etiam latrociniorum coercendorum ratio, ſi militibus certa ſtipendia dentur. *Neque enim diſciplinam*, inquit Caſſiodor. *ſervare poteſt jejunus exercitus, dum, quod deeſt, ſemper præſumat armatus.* Id autem fieri nequit, niſi ſumma ærarii cura habeatur. At ſæpiſſime videmus, Principes a ſœnore vel mutuo bellum auſpicari: quo nihil pernitioſius fieri poteſt.

VIII. Placet igitur, ut *prima* Principis ejusque familiæ cura habeatur, *deinde* ſtipendiorum militarium; *poſtea* magiſtratuum, qui ſtipendiorum inopia fœdius interdum, quam milites, latrocinantur, *tum* eorum, quibus præmia re bene geſta debentur; *poſtremo* tenuium ſubditorum, non tantum propter eam, quæ nobis cum illis communis eſt, humanitatis conjunctionem, verum etiam ne inopia ſubditorum reſpublica perturbari poſſit, ut antea diximus.

IX. His ita conſtitutis, ſarta tecta curanda ſunt, arces præſidiis firmiſſimis ſtabiliendæ, mœnia inſtauranda, pontes erigendi, viæ ſternendæ, portus muniendi, naves exſtruendæ, templa exornanda, ædes publicæ reficiendæ, vetera ædificia, quæ ad utilitatem quæque ad ſplendorem civitatis pertinent, ſarcienda, aut veteribus caducis nova ſunt ædificanda. Nam præter eam, quæ neceſſario Principi proſpicienda eſt, propugnaculorum & mœnium curam, ſumma etiam ex operibus publicis ad univerſos & ad ſingulos utilitas manare conſvevit: quia egeſtati ſimul & ignaviæ occurritur, inertia e civitate expellitur, opificia condiſcuntur, tenues ſublevantur, otioſi exercentur, urbes exornantur, morbi arcentur: denique invidiæ erga Principes, quæ ſæpiſſime ſubditos ad defectionem exacuit, nullus nec ſeditioni locus relinquitur, cum quæ tributa ſubditis imperantur, parta pace non modo in univerſorum, ſed etiam in ſingulorum utilitatem redundant. Quamobrem Alexander Severus Imperator pleraque portoria tributave civitatibus relinqui voluit, ut ea, quæ modo dixi, melius commodiusque curarentur. Quod cum in omni republica utile, tum maxime in ariſtocratia neceſſarium eſt: propterea, quod difficilius ſubditorum innumerabilis multitudo a paucis Principibus coerceri poteſt, niſi plebs operibus publicis ac opificiis intenta quæſtum ſaciat.

X. Hac etiam ratione proſpicitur, ne populus frumenti ac pecuniarum largitioni conſveſcat. Ut in popularibus civitatibus quondam fieri ſolebat: ac potiſſimum Tarenti. Ariſtotel. *in politic.* Quæ res exitium attulit non tantum ærarii opibus, ſed etiam civitati. Itaque probro Pericli datum eſt, quod primus populum Athenienſem, ut ejus gratiam promereretur, congiariis aſſvefecerit. Plutarch *in Pericle.* Idem tamen cum in ea republica quodammodo regnare cœpiſſet, publicas opes in opera publica effudit: nec ſolum urbem propugnaculis munitiſſimam, verum etiam ædificiorum magnificentia ſuperbam, & opificum ingenioſiſſimorum multitudine admirabilem reliquit. Nec prius tamen id auſus eſt, quam pacata republica & ærario pecuniis referto. Tunc enim centum millia talentorum Atticorum in ærario fuiſſe feruntur, ſi Demoſtheni in Olynthiacis credimus. Quæ pecunia cum immanis ſit, non dubium eſt errorem irrepſiſſe, ac *centum talenta* legi oportere: cum antea docuerimus, nunquam Athenienſes a ſociis, cum vectigalia ac tributa graviſſima imperarent, plus quam duo talentorum millia extremis temporibus exegiſſe: Periclis vero ætate vix mille talenta extorſiſſe. Et quoniam apud ſocios invidia, apud cives etiam malevolentia flagrabat, quod ærarii opes in templa, mœnia, portus profudiſſet, palam auſus eſt in concione populi dicere, ſi populus ea improbaret, ſe pecunias operum publicorum in ærarium allaturum, ea lege, ut publicis operibus ſuum nomen incideretur, ſuaque unius impenſa facta fuiſſe poſteritati teſtatum eſſet; Plutarch. *in Pericle.* Populus conditionem reſpuit, & impenſas accepto tulit, cum intelligeret eas opes ad univerſorum & ſingulorum decus & utilitatem effuſas. Quod

plærique mercatores in materia ſuppeditanda, vectores & navicularii in vehenda, opifices in polienda, ac in ſuo quiſque genere uberrimum quæſtum faceret; operum vero ſplendor ac magnificentia incomparabilem ſeculis omnibus gloriam populo Athenienſi pepererunt.

XI. Sed præter eas, quas dixi, utilitates, una eſt omnium maxima, quod ſcilicet duæ rerum omnium publicarum antiquiſſimæ peſtes, egeſtas inquam & inertia, de civitate depellerentur. Quo nihil in popularibus & optimatum imperiis commodius fieri poteſt: & in iis potiſſimum regionibus, quibus homines ob ingeniorum præſtantiam difficilius a rebus novandis prohiberi poſſunt. Quales fuiſſe diximus Athenienſes: quales item Ægyptios, qui ſuorum inertiam capitalibus pœnis coercebant. Plutarch. *in Solone.* Herodot. Cæſar *lib. 2. de bello civili.* Hinc illæ pyramides, quæ a Regibus Ægyptiorum, ne plebs otio & ignavia langueret, exſtructæ feruntur.

XII. Et quidem Auguſtus parta pace, ut populum in officio contineret, locupletiſſimos quoſque ad ædium conſtruendarum æmulationem invitabat, eoſque opibus ac honoribus cumulabat, qui urbem ædificiorum magnificentia exornarent. Ipſe ſacras ædes vetuſtate collapſas, aut incendio abſumtas refecit, & in ſacellum Jovis Capitolini XVI. millia pondo auri contulit: ac merito gloriabatur, *ſe urbem, quam lateritiam acceperat, marmoream reliquiſſe.* Quid Claudius Imperator? nulla re poſteritati magis, quam operum publicorum incredibili magnificentia commendatus eſt. Fucini lacus, per tria paſſuum millia partim effoſſis, partim exciſis montibus, canalem abſolvit poſt undecim annos, continuis XXX. hominum millibus ſine ulla intermiſſione, inquit Tranquillus in Claud. operantibus. Quid Veſpaſianus? non modo Capitolium, ſed urbis regiones XII. incendio Neronis abſumtas, civibus certatim operi manus admoventibus, paucis annis reſtituit; & cum architectus aliquis grandes columnas exigua expenſa in capitolium perducturum ſe polliceretur, præmium obtulit, operam remiſit, præfatus, *fineret ſe plebeculam paſcere.* Tranquill. in Veſpaſiano. Quid Veneti? quatuor circiter hominum millia operibus publicis aſſidue exercent ac fovent. Quo nihil aut plebi utilius, aut civitati commodius, aut univerſis jucundius fieri poteſt; quod præter opera publica civitati neceſſaria, etiam publicas opes tenuibus alendis ſumma benignitate largiuntur.

XIII. Hæc tamen ſplendida ac magnifica, non niſi civitatem ſuperbam ac magnum principem decent; quibus ſcilicet tantæ ſunt opes, ut parta pace, ac præmiis ſtipendiiſque omnibus, quæ cuique juſta debeantur, diſtributis, ea, quæ dixi, opera publica moliantur. Sed, qui vectigalium ac tributorum multitudine plebem opprimit, ut inanium ædificiorum ſubſtructionibus gloriam conquirat, ac majorum opera collabi patiatur: Is profecto ſuæ tyrannidis indelebiles notas, & teſtimonia poſteritati ſempiterna relinquit, ſe civium ſanguine ſua cœmenta madefeciſſe. Ac ſere fit, ut ſuperbas tyrannorum molitiones poſteri ob id tantum evertant, ne ullum tyrannidis in civitate veſtigium exſtare poſſit. Domus aurea Neronis urbem ſere ambitu complectebatur: at conſequentium Imperatorum, qui in ea domo propter Neronis flagitioſam memoriam habitare vellet, inventus eſt nemo: ſed paulo momento collapſa eſt; quippe quæ innocentium civium ſanguine exſtructa fuiſſet.

XIV. Quanquam inanes operum ac ſuperbæ molitiones, quas tyranni meditantur, tolerabiliores ſunt, quam in homines indigniſſimos effuſæ largitiones: quia Principem prodigum & alieni largitorem egeſtas ſequitur, egeſtatem extrema tyrannis. Quis enim Nerone & Caligula prodigalior? quis utroque crudelior? Alter enim vicies millies immanibus largitionibus effudit: alter amplius tricies millies primo ſui principatus anno abſumpſit. Eoque inopia Caligulam adegit, ut ſtipem mendicare cogeretur: deinde ad proſcriptiones converſus, poſteaquam publicas opes conſumſiſſet, privatas expilare, & crudeliſſimis ſectionibus omnia miſcere cæpit.

XV. Interdum tamen Principes minime malos rerum ab ſe geſtarum oblivio tanta capit, ut quibus quantumque pecuniarum, & quam ob cauſam largiantur, quid ærario deſit, quidve ſuperſit, penitus ignorent. Itaque perſapienter Franciſcus major Rex Francorum, ſingulos provinciarum Quæſtores generales duo breviaria publicarum cujuſque provinciæ pecuniarum pridie calendarum Ianuarii ad Ærarii ſanctioris Præfectum mittere juſſit; alterum quidem verum anni proxime antecedentis, alterum conjecturale anni ſequentis. Vt Præfectus Ærarii ex omnibus breviariis duo conficiat breviſſimis capitibus ſummam accepti & expenſi rationem complectentia; ut Principi Senatuique plane exploratum ſit, quantæ facultates, quantaque ærarii ſit inopia, ut commodius reipublicæ caveatur, ac donationibus immenſis occurratur.

XVI. Cujus rei quanta ſit utilitas, argumento eſſe poteſt, quod anno MDLXXII. ex breviario conjecturali, quod ad ærarii tribunos allatum eſt, æſtimatio fiebat partium caducarum ſummam fore quater centies LLS, id eſt, 1750000. librarum turonenſ. At ſequenti anno Calendis Januariis intellectum eſt, quingenties ſexagies, id eſt, 2450000. rationibus publicis accepto latum fuiſſe, cujus ſummæ vix ſexta pars publicis utilitatibus ceſſerat. Sed ea calamitas tum accidit, cum puerorum ac fœminarum dominatu omnia tenerentur. Cum hoc breviario ſi largitores illi ſuarum donationum breve compendium haberent, ut quibus quantumque donatum ſit, quibus etiam, quid dari oporteat, contueri poſſent, fortaſſe parcius donarent, publicæque utilitati melius proſpicerent.

XVII. Illud etiam non minus neceſſarium fuerit Principi, non modo publicarum actionum, quæ geruntur, inſtrumentum, ſed etiam ſubditorum, quos habet, virtutibus artibuſque illuſtrium nomina breviſſimis tabulis comprehenſa ſæpius intueri: cum nullius tanta ſit tamque

tenax

tenax memoria, ut non ſæpiſſime in infinita negotiorum multitudine offendat. Quis enim Ludovico XI. Rege Francorum in rebus agendis prudentior exſtitit? At ſciens, prudens in Caroli Burgundionum Comitis retia ſeipſum conjecit, oblitus, ſe legatos Leodium ad bellum Carolo inferendum miſiſſe. Quare intellecta Carolus Regem captivum Peronæ, quo illum inviſere non dubitarat, obſervari juſſit. Si anteacti temporis ac rerum geſtarum inſtrumentum habuiſſet, nunquam ita temere fuiſſet lapſus.

XVIII. Sed hic aſſentator aulicus objicit, inſtrumentum illud imperii nimis amplum fore, nec Principem his ſtudiis intentum diutius victurum. Cur ergo Principes illi, qui terrarum orbem ſuis imperiis ac legibus tanta cura, ſtudio, ſolicitudine, labore, induſtria moderati ſunt, tamdiu vixerunt? Auguſtus, inquam, Tiberius, Veſpaſianus, Trajanus, Adrianus, uterque Antonius? At inſtrumentum imperii ab aliis conſcriptum non habuerunt, ſed ipſi ſibi, Auguſti prudentiſſimi Principis exemplar ſecuti, conſcripſerunt. Quin etiam Auguſtus tria volumina imperii ſucceſſoribus reliquit; uno mandata de funere ſuo complexus eſt; altero indicem rerum a ſe geſtarum; tertio breviarium totius Imperii, quantum militum ſub ſignis ubique, quantæ pecuniæ in ærario & fiſcis & vectigaliorum reſiduis eſſent. Adjecit etiam eorum nomina, a quibus ratio exigi poſſet. Nec tamen a jure dicendo abſtinuit unquam, & optimos quosque de republica libros diligentiſſime legit. Demetrii Phaleræi!, diſciplinæ memor: cum Ptolomæo Regi ſvaderet eos libros aſſidue ſibi legendos eſſe, a quibus intelligerent ea Reges, quæ audire a nemine poſſint. O magnum & immortali gloria dignum Principem! An igitur tanto imperio, tantis negotiis, tantis rebus implicatus, parum vixit, qui annum 74. ſuperavit? Veſpaſianus item *inſtrumentum imperii pulcherrimum*, inquit Tranquillus, *confecit*, annos tamen ſeptuaginta vixit. Latius etiam Perſarum, quam Romanorum imperia, ab extremis ſcilicet Indiæ oris usque ad Helleſpontum Libyæque deſerta, centum XXVII. provinciis, patebant; ſemper tamen Perſarum imperatores inſtrumentum imperii ac largitionum ſuarum præ ſe diu noctuque ferebant. Argumento ſit, quod Darius is, qui Longimanus uſurpatur, cum manus impias conjuratorum Mardochæi familiaris ac domeſtici beneficio admonitus evaſiſſet, cui tamen egenti nulla præmia decreviſſet; aliquanto poſt, cum noctem inſomnem duceret, inſtrumentum imperii ad ſe deferri juſſit, in quo ſcriptum erat, Mardochæum conjuratos in Principem detexiſſe, nec tamen ullum præmium tuliſſe, hominem acciri mandavit, eumque ampliſſimis honoribus cumulavit. Omnibus tamen omnium ſeu Perſarum, ſeu Græcorum, ſeu Romanorum imperiis, majus eſt hac quidem ætate imperium hiſpanicum: at non modo tanti imperii inſtrumentum Rex Hiſpanus aſſidue contuetur, ſed etiam librum omnium literarum, quas ad Legatos & Præſides Provinciarum ſcribit, compendioſiſſime ſingula complectentem, volvit ac revolvit. Ob id enim Carolus Sapiens Rex Francorum, ſenatus ſcribam primus creavit; non quidem litibus notandis, ſed iis tantum negotiis, quæ ad rempublicam pertinerent, breviter deſcribendis.

XIX. Omnium tamen maxime Principi neceſſarium eſt inſtrumentum largitionum; propterea, quod nulla re gravius, quam in eo genere peccatur. Superius monui, Philip. Valeſii lege cautum fuiſſe, *ut dona Principis irrita eſſent, niſi is, cui quid datum dono fuerit a Principe, donationum tabulis antecedentes majoribusque ſuis factas largitiones complectatur.* Diximus etiam, Carolum VIII. Regem ſanxiſſe, *ne largitio ulla vim haberet a Principe facta, quæ vel duo ſeſtertia, id eſt,* 87, *ll. coſ. usque ad* 100. *ſuperaret, niſi apud acta rationalis Curiæ inſinuaretur.* Vid. Ordin. Caroli VII. & Franciſci I.

XX. Tertia lex eſt, *ne quid rationibus expenſi accepto feratur ſine mandato & apocha.* Quæ leges cum jam pridem obſoleverint, non aliter aulicorum hominum rapinis occurri poteſt, quam eo, quo dixi donationum principalium inſtrumento. Poſtrema lex erat Franciſci majoris, *qua cautum erat, ut ærarii ſanctioris quatuor claves fabricarentur; ut unam penes ſe Rex haberet; cæteras ii, quos ærario præfeciſſet.* Subrogatum etiam huic legi, *ne ex arca numi, niſi præſente ærarii præfecto & ſcriba, moverentur.* Poſtea tamen Henrici II. edicto anno 1556. præfecti ærarii lege ſoluti ſunt, ne rationum diſtrahendarum actione tenerentur. Tum vero lata lex eſt, cum una largitione centum aureorum millia in unum ex ærarii cuſtodibus effuſa fuiſſent. Inde fundi noſtri calamitas; ex quo enim parſimonia Franciſco Rege conſtitui cœpit, omnes ærarii opes potentium & adulatorum direptioni patuerunt.

XXI. Nec tamen Henrici edictum obſtare debuit, quo minus ærarii expilatores repetundarum quæſtionibus ſubjicerentur, & infinitarum pecuniarum donationes revocarentur, ut quidem populi rogatione in Comitiis aureliorum ac blæſenſium decretum erat. Etenim Galba Imperator, donationes a Nerone factas revocavit, præter decimam, quam donatario cuique fruendam reliquit Tranquillus *in Galba*. Rem quidem periculi plenam, ut ſuperius diximus; interdum tamen adverſus publicos prædones ac depeculatores valde neceſſariam. At Carolus VII. pecuniarum ſummam, qua Regibus uti & abuti arbitratu ſuo liceret, lege definierat, quæ ſumma perquam exigua, illa tamen ætate maxima videbatur.

XXII. Nihil autem Principibus tam utile, nihil civitatibus tam neceſſarium, quam largitiones, quæ a Principibus fiunt, rationum publicarum ponderibus examinari. Quoniam iſta ratione & dignitati Principum, qui omnia omnibus magnifice largiuntur, & ærario ſuccurri facillime poteſt, data repetitione Quæſtoribus ab iis, qui pecuniam importunis rogationibus expreſſiſſent. At quam pauci futuri ſunt, qui a Principibus petere, aut ultro ſibi oblata capere velint, ſi aut revocari poſſe putent, aut rationes reddere cogantur! Vix enim Franciſcus major annos 32.

quibus imperavit, tantum largitus eſt, quantum illo mortuo Henricus filius duobus annis effudit. Nondum juſta parenti fecerat, cum hirudo quædam palatina pecuniæ vim infinitam, quam officiarii accepta confirmatione Regibus initiatis fiſco dependere ſolent, uno abſorbuit & eodem hauſtu. Ac tametſi Franciſcus pater multa Germanis, Anglis, Italis, Hiſpanis dono daret; vix tamen, ac ne vix quidem, tricies ſeſtertium, id eſt, 131250. ll. turonenſ. ſingulis annis rationibus expenſum ferebat, quantum quidem ex actis publicarum rationum collegi. Dona vero in ſubditos collata, vix centies ſeſtertium, id eſt, 437500. ll. turonenſ. quotannis æquarunt: tametſi Principes, duces, rectores provinciarum, judices, procuratores, legatos, domeſticos, ſcholaſticos, opifices ingenioſiſſimos, præter legitima ſtipendia donationibus cumularet. O generoſum Principem, qui & perſonarum illuſtrium, quibus donaret, delectum habere, & largitionibus modum imponere didiciſſet!

PARS TERTIA.

§. I.

Duo capita hujnsce diſputationis abſolvimus; qua ſcilicet ratione ærarium confici & augeri, quoque modo civitatis opes explicari deberent: reſtat POSTREMUM CAPUT, quid quantumque pecuniarum uſibus publicis urgente neceſſitate recondi ac veluti penuario conſervari oporteat.

II. Quam quidem ad rem Romani ſummam prudentiam adhibuerunt; quibus tametſi nullum fere tempus bello vacuum fuerit ab urbe condita usq; ad actiacam victoriam, poſtquam Auguſtus, Marci Antonii opibus fractis, Janum clauſit; non prius tamen ſanctius ærarium, in quo vectigal manumiſſorum ſervabatur, attigerunt, quam Annibal imperium ad extremam inopiam adegiſſet; tunc quater centies ſeſtertium, id eſt 1750000. ll. turonenſ. ex ærario expreſſerunt; unde ſalus imperio quæſita. Turcarum quoque Principes ſanctius ærarium habent, præter id, quod ex vectigalibus ac tributis ordinariis conflatur, ut ſit aliquod extremis temporibus munimentum.

III. Majores noſtri urgente bello, ſi pecunia ærario defuiſſet, regia nemora cædere ſolebant, in quibus grandium & excelſarum arborum innumerabilis multitudo ad omnes oportunitates concreſcebat: at bellis civilibus, quibus omnia ſubverti cœperunt, omnia fere nemora acciſa, aut certe ita circumciſa ſunt, ut nihil fere præter ſylvas cæduas reſtare videatur. Ex quo quidem respublica incredibile detrimentum accepit, majus etiam latura deinceps, niſi mature proſpiciatur. Jam enim grandium arborum tanta eſt inopia, ut ad navium & ædificiorum fabricam ex peregrinis regionibus trabes conquirendæ ſint: & cum arbores fructiferæ ante cædantur, quam fructum pecoribus utilem proferre poſſint, rei annonariæ inopia ſequatur neceſſe eſt.

IV. Cum autem publicarum pecuniarum cuſtodia ſupra modum difficilis ſemper viſa ſit; Reges Perſarum perinde ac Romani, ut a rapina ſanctius ærarium vindicarent, aurum in graviorum laterculorum figuram conflabant. Illud etiam memoriæ proditum eſt, Carolum V. Regem Francorum cervum ſolidum ex auro publico conflare decreviſſe, ejus magnitudinis ac figuræ, quæ in palatio Pariſiorum adhuc exſtat. Celtæ veteres pecunias in lacus Diti ſacros deponebant; Græci in templis Deorum, puta Apollinis; ut Romani ad Opis & Saturni; Hebræi modo in templis, modo in ſepulchris. Hyrcanus enim Rex idem & Pontifex Hebræorum Maximus ingentes pecunias e ſepulchro Davidis expreſſiſſe dicitur. Ioſeph, in Antiquit.

V. Sed cum nulla ſepulchra tam religioſa, nulla tam ſacra ſint fana, quæ fures non perfodiant, Mauritaniæ Reges auri globum ingentem veru transfixum in altiſſimi pinnaculi loco ætate ſuperiori conſtituerant. Leo Afer. At veteres Ægypti, quo minus exteros Principes ad ſe invadendum invitarent, omnem fere pecuniam publicam in pyramidum ac urbium ſubſtructionibus, aut in fluminibus deducendis, aut in Nili aggeribus reficiendis conſumere ſolebant. Ezechias vero imprudenter; qui, cum Legatis Aſſyriorum opes ac theſauros oſtentaſſet, talibus illecebris Regem Aſſyrorum ad Judæam diripiendam accerſivet. Eſa 39. Certæ quidem divina lex auri vim maximam Reges coacervare vetuit, ne vel Principes ad plebem diripiendam, vel hoſtes ad cives invadendos invitarentur, & ut benignitatis fontes tenuibus ac egentibus paterent; nihil tamen vetat in eo quoque modum adhibere. Quis enim probaret in explebilem avaritiam Joannis XXII. Pontificis Romani, qui moriens octies paulo minus millies in loculis dicitur habuiſſe? aut Sardanapali, qui decies millies? aut Cyri, qui duodecies & millies? aut Tiberii Cæſaris, qui vicies ac ſepties millies; quod Caligula non toto vertente anno abſumſit? aut quadragies millies, quod Darius Perſarum Rex Alexandro diripiendum reliquit?

VI. Quamquam David Rex Judæor. ſuperiores opibus ſuperaſſe videtur, quippe qui fertur auri talenta centum millia, argenti vero mille talentorum millia coegiſſe. *l.* 1. *Paralip. c.* 22. Quæ ſumma, ſi talentis atticis, tametſi minima ſunt, expendatur, immanis videri poſſit. Noſtri tamen Bibliorum interpretes falſo talenta putant attica fuiſſe. Ego vero in ſacris literis bifariam accipi video *ſiclum*, quem Græci ſtaterem, Latini talentum vertunt: uno modo pondus ſex unciarum, ut lib. 1. Paralip. c. 21. altero modo unciæ dimidium, ut lib. 1. Sam. c. 24. Si Davidis theſaurus ad ſiclum ſeu talentum ſemunciarium, non magna ſumma videatur: Si ad ſex uncias referatur, quinquaginta millia auri pondo ac decies tantundem argenti complectetur: Si ad talentum atticum, nullæ romanæ opes tantæ fuerunt. Nam Trajano Principe, cujus temporibus impe-

imperium latiſſime patebat, pecunia omnis in ærario Ægypti recondita LXXIV. millia talentorum atticorum ſummam non exceſſit. Appian *in Libyco.* Niſi aliud ærarium Romæ ſuerit. Vt fuiſſe credibile eſt; cum ducenta millia peditum, quadraginta millia equitum in provinciis diſperſa publico ſtipendio alerentur; ac trecenti præterea elephantes bello gerendo aſſueti; currus militares bis mille; arma ac inſtrumenta bellica quantum trecentis millibus armanda ſufficerent; triremes & quinqueremes mille & quingentæ; aliarum navium ſupra duo millia, & inſtrumenta navalia quatuor millibus navium armandis neceſſaria, præter LXXX. maximas naves omni apparatu regali inſtructiſſimas. Conf. Sextus Rufinus.

VII. At Reges noſtros nihil in eo genere contra leges divinas, quibus tantarum opum coacervatio prohibetur, hactenus feciſſe videmus, ac multo minus poſthac interdicta divina violaturos. Nec vero Princeps a doctrina bene informatus, unquam torquebitur aut opum augendarum cupiditate, aut amittendarum metu, nec tamen aſpernandas aut rejiciendas putabit, ſed habendas, ut benignitatis ac liberalitatis adminiſtras. Pro quibus adipiſcendis & accumulandis inſaniunt plerique, & adeptas ne amittant, ſemper reformidant. Nam qui literis prodiderunt, Carolum V. Regem Francorum amplius quinquies millies LLS in ærario reliquiſſe, non intelligunt, Regem afflictas opes regni & ærarium vacuum offendiſſe, reipublicæ debita exſolviſſe, prædia publica redemiſſe, bella maxima geſſiſſe, Anglos e regno exterminaſſe, antiſſiodorenſem provinciam & eboracenſem coemiſſe, Reges Caſtiliæ ac Scotiæ imperio ſpoliatos ſuis opibus reſtituiſſe, nec tamen plus quam annos ſeptemdecim imperaſſe: quibus temporibus vix ac ne vix quidem centies LLS id eſt 437500. ll. turonenſ. ex omni pecunia publica quotannis ærario illatum ex rationibus publicis videmus. Carolus VI. quadrageſimo poſt anno quadrageſies LLS amplius, quam pater, accepto tulit. Carolus VII. cum graviſſimis reipublicæ caſibus conflictaretur, ac tributa ordinaria feciſſet, quater centies LLS id eſt 1750000. ll. turonenſ. quo anno mortuus eſt, in ærarium coegit. Ludovicus XI. Caroli filius, vigeſimo poſt anno millies ac fere centies, id eſt 4712000 ll. Sed Carolo VIII. imperium ineunte, vectigalium ac tributorum dimidia parte plebem in comitiis turonenſibus omnium Ordinum rogatione ſublevari placuit. Eadem rogatio in Comitiis Aureliorum, Carolo IX. regnum adepto, lata eſt: ſed tanta erat ærarii inopia, tantum æs alienum publice contractum, ut vectigalia augeri quam minui magis neceſſarium videretur. Si tamen reſpublica ſub eo Principe ab armis civilibus conquieviſſet, non modo ſatis creditoribus fieri, verum etiam ærarii inopia ſarciri, tributorumque magnitudine populus liberari potuiſſet. Primum enim uſuras publicas triente definiri, omnibusque officiariis ſtipendiorum eo anno partem dimidiam detrahi placuit, ne a Principe novas tabulas accipere cogerentur. Qua ratione ſeptingenties LLS. ærario accrevit; ac paucis annis reſpublica in priſtinum ſplendorem reſtitui poſſe videbatur, ſine ulla domeſticorum Principis diminutione. Erant autem ſexcenti circiter familiares ac domeſtici Principes, præter eos, qui venationibus & aucupiis inſerviebant. Neque enim parſimonia publica in eo verſatur, ut ſervi domeſtici Regibus eripiantur; quod ſine majeſtatis ipſius contemtu fieri non poteſt; ea res enim peregrinos ad Principem aſpernandum, & ſubditos ad deficiendum excitare conſuevit.

VIII. Quod quidem Luovico XI. Regi Francorum contigiſſe videmus; qui cum a familia & famulatu patricios ac nobiles exegiſſet, ſartore pro feciali, tonſore pro legato, medico pro Cancellario utebatur. Ut quondam Antiochum Regem Syriæ ferunt Senatus Principem feciſſe Apollophanem Medicum. *Polyb lib. 5.* At etiam Ludovicus hic noſter, ut aliorum Principum magnificentiam proculcaret, cultu ac veſtitu ſordidiſſimo utebatur; pileo præpingui imagunculis & cochleis ſqualenti, veſte lanea viliſſimi pretii ac tetrici coloris. Exſtant enim in publicis rationibus duo capita; quorum altero viginti aſſes expenſi feruntur, ut thoraci regio brachialia nova conſuerentur; altero denarii XV. ut axungia ocrea regalia inungerentur. Quæ a parſimonia profecta non ſunt: cum vectigalia ac tributa quadruplo graviora, quam pater, imperarit, ac prædia publica totiusque ærarii opes profuderit.

IX. Officiarios quidem ac magiſtratus in comitiis Aureliorum, ad Ludovici XII. tempora exigi oportere, populi rogatione decretum eſt: ut innumerabilis officiariorum multitudo, quæ prope in infinitum excreverat, ad modum revocaretur, & quadam ex parte circumcideretur. Sed Quæſtores ac publicani ſumma contentione interceſſerunt, cum iſta ratione publicis utilitatibus & ærario detrahi dicerent: ac tantum profecerunt, ut etiam magiſtratuum numerus non multo poſt duplicaretur, acciſis tamen eorum fortunis & opibus, qui ex edicto priore intercederant. At etiam Baleus rationum publicarum Præſes, eum magiſtratuum, qui novis legibus creati fuerant, abrogationem imperio æque ac ærario perniciosam eſſe ſuaderet anno 1560. 10. Maii. eo potiſſimum argumento utebatur, quod triplici magiſtratuum incremento centies quadragies LLS. ærario pauciſſimis annis acceſſiſſet. Illud tamen, quod omitti ſine flagitio non debuit, omiſit; ſcilicet earum pecuniarum, quæ a magiſtratuum mercatoribus ſolverentur, uſuras centeſimas a Principe dependi. Cui idem fere uſuvenit, quod ægris hominibus, qui æſtu febrique jactantur; ſi aquam gelidam biberint, primo relevari videntur, deinde multo gravius vehementiusque afflictantur. Quamobrem cum id Regi Franciſco II reipublicæ perniciosum videretur, alternos magiſtratus edicto ſuſtulit. Prætermiſit etiam Logiſtarum publicorum ſtipendia ordinaria, quæ maxima ſunt; jura lignaria, veſtiaria, piſcaria, roſaria, ſtabularia, parentalia, pocularia, ſalinaria; & cætera, quæ pro charta, pergameno, calculis, crumena, candelis piceis, cera purpurea, gladiolo, acu diſcriminali, radulæ, funiculis, cæteriſque id genus a Principe aſtus rationum ma-

 giſtris

giſtris dependi conſveverant; quæ nunc tandem aliquando ſublata ſunt. Omiſſum etiam illud eſt; majores ex iis magiſtratibus decerpi fructus, quam ſtipendia æſtimari poſſint. Reticentia quoque prætermiſſum, quod cum antea imperio Gallorum longe lateque patenti una Logiſtarum Curia ſufficeret, nunc ſeptem Curias habeamus, & cum antea Philippi IV. Regis edicto quinque viri in rationali Curia Pariſiorum cenſerentur, nunc ducentos conſcriptos videamus.

X. Mirabile tamen videri debet, publicæ pecuniæ fures ac depeculatores impune, rationum magiſtris otioſe ſpectantibus, magno cum reipublicæ dedecore ac detrimento graſſari; & Quæſtores quamplurimos ubique vagari, qui rationes reddere recuſant. Qui vero reſidua debent, aſſentatores aulicos ſubornare, qui a Principe donum accipiant, & cum furibus publicis furti dimidium paciſcantur. Quo fit, ut judices extra ordinem non ſine magna mercede Princeps ipſe dare cogatur, ut logiſtarum inertiam ac negligentiam ſarciant capitalem.

XI. Demus tamen, rationes a Quæſtoribus reddi, ac reliquum ærario inferri: tantus eſt tamen Quæſtorum ac publicanorum numerus, tanta logiſtarum multitudo, ut dimidia pars tributorum ac vectigalium ſtipendiis ac ſalariis accepto feratur, ut in privatis Septimaniæ Provinciæ Comitiis, quibus affui, ſæpe compertum memini. Quamobrem Martinum Durandum Provinciæ actorem ac Syndicum ad Regem mitti placuit cum mandatis, quibus graves plebis querelas exponeret, ac rogationem de Quæſtoribus abrogandis ad Principem ferret, ut ne quid pro tributorum ac vectigalium exactione aut evictione Principis ærario decederet. Qua quidem ratione Principem in Septimaniæ Provincia tributorum ac vectigalium trientem lucriſacturum argumentis neceſſariis demonſtrabat, triens autem fere quinquagies LLS, id eſt, 218750. ll. turon. æquabat. Vigeſimo poſt anno cum Blœſis Galliæ conventus haberentur, Maximinus Luperius Pariſienſium mercatorum Præfectus & rationum publicarum Præſes, palam in Comitio dixit, vix ac ne vix quidem pecuniæ publicæ ex aſſe in ærarium Principis inferri quadrantem. Incredibile id quidem videri; verum tamen eſſe homo rationum publicarum peritiſſimus contendebat. Sed, ut ad Syndicum Septimaniæ redeamus, ejus rogatio non Henrico Regi Principi optimo, ſed aulicis aſſentatoribus ac tribunis ærarii diſplicuit, quod intelligerent ſine Quæſtoribus & publicanis vectigalia fruſtra imperari, quæ imperata exigi non poſſent, & in arbitrio populi futurum, tributa penderet, necne.

XII. Cum igitur Quæſtores ac publicani neceſſarium ſit malum, ut Alexander Severus dicere ſolebat; quo pauciores erunt, eo melius reipublicæ conſuletur. Jampridem anno 1412. queſtus eſt populus apud Carolum VI. Regem, quod quinque ærarii tribunos creaſſet, cum antea duobus tantum Gallia contenta fuiſſet. Quid? vectigalium tres omnino judices & Quæſtorem unum generalem anno 1372. exſtitiſſe, ex actis publicis conſtat; his vero temporibus, quibus imperium magna ſui parte acciſum eſt, trecenti fere numerantur, Quæſtores vero XXXIV. Romani quidem ſingulos Quæſtores in ſingulis provinciis habuerunt, qui a publicanis & mancipibus pecuniam publicam acciperent. Quæſtura vero primus erat ad honores adipiſcendos gradus. Quem magiſtratum nobiliſſimus quiſque ambire ſolebat: non ad opes cogendas, ut fere fit, ſed ad fidem & ſedulitatem populo probandam. Qui enim repetundarum judicio damnatus eſſet, præter bonorum ac famæ jacturam ſempiternam, ab omnibus deinceps honoribus arcebatur.

XIII. De rebus autem omnibus abſurdiſſimis nulla mihi abſurdior viſa eſt, quam tot ærarii tribunos, tot Quæſtores, quot in Gallia videmus, tantis pecuniis Quæſturas a Principe mereari. Itaque non debet mirum videri, ſi nuſquam plura repetundarum ac peculatus judicia conſtituantur.

XIV. Longe aliter Turcarum Principes: qui cum magiſtratuum omnium mercaturam exerceantur, tum vero rariſſimos pro tanto imperio Quæſtores habent. Vectigalia ac tributa Subarchi a Protogeris accipiunt; Sangiachi provinciarum quodammodo Præſides a Subarchis; Bellerbæi a Sangiachis; Quæſtores duo Aſiæ & Europæ a Bellerbæis; Scriba generalis a Quæſtoribus; poſtremo Caſmandarus ærarii Præfectus numeratam ſibi pecuniam in ærarium recondit. Illud autem animadverſione dignum, quod Quæſtores ac Præfecti ærario nulli ſunt, niſi virilibus omnino exſectis: more Perſarum ac veterum Græcorum. Plutarch. *in Demetrio*. Prudenter id quidem, nam qui, nec liberos habent, nec ullis blandiſſimarum dominarum illecebris capi poſſunt, minime verendum eſt, ut publicas opes capitis ac famæ periculo diripiant. Præter eos, quos dixi, unus etiam Quæſtor eſt pecuniis omnibus extra ordinem numerandis, & rationibus publicis exigendis viginti quinque viri.

XV. Francorum quidem ſummos Quæſtores viros inprimis illuſtres creari oportet, ut majores noſtros feciſſe videmus. Tum propter eam, quam dixi, cauſam, tum propter Henrici II. Regis legem de Quæſtoribus Francorum latam; quæ uno capite Præfectos regiæ domus, & Curiarum ſuperiorum Conſiliarios extra collegium dignitate poſteriores facit, Quæſtores vero præire voluit. Lex item Caroli IX. Regis vaſallos Principis, quantæcunque dignitatis fuerint, Quæſtoribus regio nomine fidem ſupplices præſtare jubet. Quod ſi tales quæſturæ mercatoribus magiſtratuum & extremæ conditionis hominibus tribuantur, nec Duces, nec Comites, ac ne Barones quidem ſine contumelia ſupplices ad genua turpiſſimorum hominum advolvi poterunt: nec ſi poſſint, velint.

XVI. ATQUE hæc de ærario diſputata ſint. Et quoniam rei nummariæ cognitio proxime ſequitur ærarii cauſam, conſequens eſt, ut de ea quoque diſſeramus.

JOANNIS BODINI

DE REPUBLICA LIBRI SEXTI

CAPUT III.

DE RE NUMMARIA.

Quibusque legibus nummorum depravationi facile occurratur.

§ I.

Mihi firmiſſima quæque rerumpublicarum munimenta contemplanti, REI NUMMARIÆ curatio non tantum utilis, ſed etiam civitatibus tantopere neceſſaria videtur, ut ſine ea commode conſiſtere non poſſint. Et quo major neceſſitas eſt, eo magis nummorum depravationi proſpiciendum: cum ea res incredibile adferat univerſis ac ſingulis detrimentum.

II. At non modo corrumpi moneta, ſed ne mutari quidem poteſt ſine incommodo civitatis; quoniam mutatio pretii ac materiæ numiſmatum, cenſus etiam ac bonorum cujusque dubitationem affert. Quo ſit, ut nemo, quantum in bonis habeat, conſtituere poſſit. Incerta ſunt pacta, conventa, quæ verſantur in ſocietatibus, tutelis, fiduciis, mandatis, rebus emtis, venditis, conductis, locatis, quibus vitæ ſocietas continetur; Incerti reditus, vectigalia, tributa. Denique pœnæ ipſæ ac præmia, quæ a legibus & judicibus irrogantur, incerta ſunt futura. Poſtremo ærarii opes, ac multa tum in publicis, tum in privatis rebus rationibusque dubia ac ſuſpenſa fore neceſſe eſt.

III. Argumento ſit illius Gratidiani tribuni plebis edictum, qui cum de collegarum ſententia victoriati pretium certum indicta pœna Romæ conſtituiſſet, tantum ſibi ac poſteritati gloriæ peperit, ut ei vicis omnibus ſtatuæ dicarentur, & ad eas thus ac cerei accenderentur. Certe quidem M. Tullius ait, *neminem unquam multitudini propter id unum fuiſſe cariorem.*

VI. Ex quo intelligitur, nummis a Principe ipſo lege & auctoritate publica corruptis, quanta pernicies ad rempublicam perventura ſit. Quanquam Principi non magis licet improba numiſmata cudere, quam occidere, quam graſſari: nec a jure gentium, quo quidem auri & argenti pretium conſtitutum eſt, diſcedere; niſi Regis nomen ac ſplendorem amittere, ac falſæ monetæ fabricator, quam Princeps, appellari malit. Quod a Dante poeta Philippo bello Regi Francorum probro datum eſt; quod primus inter Principes noſtros, quantum quidem intelligo, numiſmata corrupiſſet, ac dimidiam æris partem argento miſcuiſſet; unde frequentes in tota Gallia tumultus. Cujus facti cum Regem ſero pœnituiſſet, ac nummos priſtinæ bonitati reſtituiſſet, Ludovicum filium admonuit, ne deinceps adulterari numiſmata pateretur. Neque vero Petrus IV. Rex Arragonum ullam diripiendi Regis Balearum probabilem cauſam arripuiſſe dicitur, quam quod numiſmatum pretia mutaſſet, ac deteriora feciſſet. Tametſi Reges ipſi arragonenſes eodem vitio laboraſſe feruntur; cum Innocentii III. Pontificis Max. interdictis numiſmata legitimo pondere leviora facere probibeantur, in cap. quanto de jurejurando. Hinc Reges Arragonum more a majoribus accepto, cum imperii ſacris initiantur, jurant, ſe antiquæ monetæ leges minime violaturos. Petrus Belluga *in ſpeculo Princip anno* 1245. & 1336.

V. At non ſatis eſt his verbis jusjurandum concipi, niſi prius nummorum pretium, ac pondus legitime ſit conſtitutum, & ita conſtitutum, ut nec Principes nec ſubditi nummos depravare, ſi velint, poſſint. Improbis autem voluntas nunquam defutura eſt, quamdiu metalla, ex quibus nummos conflari oportet, miſcebuntur. Nam ex ea metallorum confuſione pecuniarum corruptoribus depravandorum numiſmatum materia ſempiterna datur. Etenim natura ipſa ferre non poteſt, ut metallum ſimplex alterius loco ſubſtituatur; propter metallorum naturas, colore, ſonitu, volumine, pondere plurimum inter ſe diſcrepantes. Quamobrem Taciti Auguſti legem renovari neceſſe eſt; qua omnem omnino metallorum confuſionem prohibuit, indicta capitali pœna. Vopiſcus *in Tacito.*

VI. Id autem æque in argento facto atque infecto caveri oportet. Sed a metallis excipienda eſt æris & utriusque plumbi miſtura: unde campanæ, tintinnabula ac tormenta bellica veteribus inuſitata conflantur. In ceteris omnibus interdicto locum eſſe oportet, non tantum in nummis cudendis, verum etiam in omni argentea aureaque ſupellectile. In qua tam multa peccantur, ut quid maxime non facile dici poſſit, & quia materiam ſæpe ſuperat opus ipſum, probatio difficillime fieri poteſt.

VII. In quo Archimedes ipſe ingenioſiſſimus homo ſua ſpe & commento fraudatus eſt, (neque enim Heraclii lapidis uſus plane cognitus erat) cum ejus aurificis, qui coronam auream Hieronis Regis conflaverat, furtum deprehendere ſine operis detrimento juberetur. Unam auri maſſam, alteram argenti ejusdem ponderis, in vas aqua plenum viciſſim immerſit, & ex aqua effuſa utriusque maſſæ voluminis auri & argenti proportione utcumque intellecta, vas rurſum aqua replevit, & in eo coronam immerſit, unde minus aquæ quam ex argentea maſſa & plus quam ex aurea effuſum eſt Ex quo judicare ſeſe poſſe putavit, quantum auri ex ipſa corona detractum

eſſet,

eſſet, quintam ſcilicet partem. Sed judicium illud fallax erat: quia poſuit, miſturam ex argento puram fuiſſe, cum tamen æris & argenti miſtura ſimul cum auro ſæpiſſime, etiam invitis artificibus, fieri ſoleat. Æs enim non ſolum utilius eſt auro miſcere; verum etiam colorem auri magis reddit vividum ac ſplendore clariorem argentum vero auri colorem efficit pallidiorem. Eſt autem voluminis auri & argenti tantum diſcrimen, quantum diſtat XIII. ab XI. ita fit, ut duabus partibus argenti maſſa ejusdem ponderis minus aquæ effundat, quam æris. Quod ſi coronæ miſtura fuit ex ære & argento, certe judicari nullo modo potuit, quantum auri ab opifice detractum eſſet; niſi plane intelligeretur, quantum utriusque metalli auro admiſtum fuiſſet. Ac tametſi penitus id perceptum eſſet, errore tamen peccari neceſſe eſt in aquæ menſura, ut ponderis ac voluminis metallorum proportio eliciatur. Certe quidem Heraclio lapide ſubtilius argentarii ac nummularii utuntur, quam veteres; nemo tamen eſt, qui quantum æris aut argenti auro admiſceatur ex Heraclio lapide pecipere poſſit.

VIII. At improbe aurifices queri ſolent, & antea ſæpe queſti ſunt, aurea vaſa ſine jactura conflari non poſſe ex auro, cui ad ſummam bonitatem duo tantum ceratia deſint, etiamſi ceratii quarta pars lege Franciſci I. anno 1540. Francorum Regis detrimento tribuatur. At legibus neglectis auro ſextam, interdum quintam æris argentive partem admiſcent. Quo fit, ut quæ vulgo putatur aurea ſupellex, ei ceratia quinque deſint, quæ in maſſa librarum XXIV. quinque libras æris cum auro confuſi efficiunt. Decurſu vero temporis nummi ex ejusmodi auro conflantur adulterini. Quamobrem neceſſe eſt, eandem in auro facto & infecto, æque ac in nummis, auri proportionem & admiſtionem ſeveriſſimis legibus ſervari.

IX. Aurum autem argentumve ita expurgari & excoqui, ut ſimplex ſit & ab omni ſorde ac miſtura purum, negant aurifices plerique: (quanquam adhuc ſub judice lis eſt) & ut puriſſimum reddatur ſine gravi tamen diſpendio non poteſt. Quin etiam auri optimi puritas noſtris æque ac Hiſpanorum legibus definitur ceratiorum XXIII. & dodrantis ceratii, cum detrimento partis octavæ ceratii unius: id eſt, aurum ejusmodi, cujus maſſæ, ſi fuerit CXCII. partium tres partes auri deſint. Argenti vero Pariſienſis bonitas omnium laudatiſſima putatur, quippe quadrageſima ſexta pars tantum æris admiſta eſt; argento Hiſpanico optimo fere trigeſima ſexta.

X. Ut igitur certa ſit ac perpetua auri & argenti proportio ſine jactura, neceſſe eſt legibus caveri, ut utriusque metalli miſtura æquabilis ſit, tum in nummis, tum in ſupellectile, partis ſcilicet vigeſima quarta. Qua ratione auri & argenti materia, tum ad nummos, tum ad vaſa conflanda ſatis ſolida futura eſt. Quæ ſi purior ſit, aut quatitur, aut ſenſim uſu deteritur.

XI. Cum autem auri ad argentum ratio toto fere terrarum orbe duodecupla ſit, utiliſſimum erit utriusque metalli nummos ejusdem ponderis cudere, modo ne libra in pauciores XXIV. nummos dividatur. Vnciales enim aurei, quales in Luſitania, & argentei, quales in Germania feriuntur, facile corrumpi poſſunt. Nec depravatio ſectione aut Heraclio lapide percipitur; quoniam circularis portio exterior, qua bonitatis periculum fit, ex auro argentove puro eſſe poteſt, interiora vero corrupta; ut ſæpiſſime deprehenſum eſt. Facilius etiam depravantur bilibres nummi, aut aurei Heliogabali, & quos Imperator Græcorum Tiberius beſſales cudi juſſit, quales quinquaginta Childerico Francorum regi dono dedit.

XII. Licebit igitur libram utriusque metalli primum in nummos XXIV. deinde in XXXVI tum in XLIIX. poſt etiam in LXXII. poſtremo in XCVI. aut etiam ſubtilius dividere: ac duodecim argenteos aureo nummo ejusdem ponderis ac figuræ commutare. Ut regalis argenteus Hiſpanorum, qui fere drachmalis eſt, aureum nummum Francorum æquat pondere: ac propterea duodecim argentei aureo nummo commutantur.

XIII. Quid, malum, obſtat, quo minus omnes argentei nummi aureis pondere ſint æquales? Cur item ejusdem ponderis utriusque metalli eadem, diverſi ponderis diſſimili charactere non ferientur? cur non erit eadem utriusque metalli analogia? Hoc ſi fiat, (quod & facile eſt, & aliquando ſpero, futurum) omnis depravandorum nummorum omnibus occaſio præripietur.

XIV. Diſſimilium autem ponderum nummos diſſimili charactere ſignari oportet: ne imperiti ac ruſtici in commutatione nummorum, qui pondere ac pretio non multum differunt, falli poſſint. Ut in regalibus Hiſpanorum, & in argenteis nummis Henrici III. Francorum Regis ejusdem characteris, imperiti ſæpe labuntur.

XV. Quod ſi libram in XCVI. nummos dividamus, argenti quidem drachma ſingulorum exſiſtet. Qualis fuit Atticorum, & Mezuza Hebræorum, qui proxime ad Regalem Hiſpanicum accedit, denario Romano tribus ſcrupulis minor: quia ſeptem denarii Romanorum, perinde ut octo drachmæ Atticæ, Unciam conſtituunt; nos *groſſum* appellamus. Qualis fuit majorum noſtrorum ætate groſſus turonenſis argenti optimi regalis, id eſt, cui tantum vigeſima quarta pars ad puriſſimi argenti bonitatem deeſſet. Et quoniam nullus erat ea ætate nummus argenteus materiæ bonitate noſtra drachma ſeu groſſo turonenſi ſuperior, etiam populi finitimi in fœderibus & ration. contrahendis eo nummorum genere utebantur. Ut in eo fœdere, quod Bernates cum minoribus pagis Helvetiorum percuſſerunt, groſſo turonenſi ſtipendium peditis diurnum æſtimatur. Cujusmodi Attica drachma græcis, ut eſt apud Pollucem, vel denarius Romanis, ut eſt apud Tacitum, diurnum fuit peditis ſtipendium, etiam Auguſti Principatu. Ac fere opificum & ruſticorum operæ diurnæ tanti æſtimantur in ſacris literis. Matth. 20. Jam enim pridem error Budæi deprehenſus eſt, (tametſi non ſine Græcorum ac Latinorum autoritate lapſus eſſet,) qui minam libræ, drachmæ denarium æqualem eſſe putavit. Tametſi enim uncia ubique æqualis eſſet, fuit tamen

drach-

drachma unciæ pars octava, denarius vero ſeptima: & cum libra caperet denarios LXXXIV. mina tamen centum drachmas. Georg. Agricola Plinii, Appiani, Celſi, ac Tranquilli teſtimonio comprobavit.

XVI. His vero temporibus incredibilis apud omnes populos libræ & unciæ varietas exſiſtit. Imo vero in eodem imperio infinita ſunt prope genera librarum. Ut enim pauca de multis: Centum libræ Pariſienſes efficiunt Lugduni CXVI. libras, Rotomagi 96½, Toloſæ 121, Maſſiliæ 123, Genevæ 89, Venetiis 165½, Genuæ 155, Baſileæ 98, Londini 109½: Pariſienſibus cum Argentinenſibus & Veſuntinis convenit; item Bernatibus, Baſilienſibus, Nuremburgenſibus ac Francofurdienſibus inter ſe: rurſum Toloſatibus, Monſpelienſibus & Avenionenſibus congruunt eadem pondera. At etiam turonenſis provincia libram habet Pariſienſibus leviorem: nam quindecim unciæ Pariſienſes ſexdecim efficiunt turonenſes.

XVII. In Oriente & Africa non minor & certe major eſt ponderum diſſimilitudo. Centum enim rotuli theſſalonicenſes efficiunt 91. libras Pariſienſes. Totidem rotuli Damaſceni libras Pariſienſes conſtituunt 420. Centum rotuli Syriaci libras Pariſienſes 503, & 14. uncias pendunt. Centum libræ in Archipelago libras Pariſienſes conſtituunt 91. In oris Africæ 116. pondo complectuntur centum Pariſienſes. In Aſia minore centum rotuli Pariſienſes libras 123. & uncias quatuor conſtituunt. Leviſſima libra eſt Neopolitana; quoniam centum libræ Neopolitanæ quatuor tantum ac ſeptuaginta Pariſienſes pendunt. At quibusdam in oppidis duo triave, interdum quatuor pondera, pro rerum, quæ veniunt, varietate, conſtituuntur. Oranum Africæ oppidum quatuor habet pondera varietate diſcrepantia. Quorum graviſſimum eſt, quo æs appenditur? quippe centum pondo efficiunt, 118½ Pariſienſ. Id vero, quo ſpecies & aromata veneunt, aliquanto levius eſt: centum enim pondo conſtituunt libras Pariſienſes 152½. Tertium, quo triticum & cera pendi ſolet; cujus ponderis centum efficiunt Pariſienſes libras 121. Leviſſimum denique, quo Xylum appenditur; cujus ponderis centum libræ conſtituunt 182. libras Pariſienſes.

XVIII. Sed omnis illa varietas ac diſcrepantia ponderum conciliari facile poteſt in nummis, ſi eodem pondere & charactere aurei & argentei, eadem miſturæ proportione feriantur; cum ubique fere terrarum duodecupla ſit auri ad argentum proportio, ut ſuperius diximus.

XIX. Huic gentium juri derogari non debet; nec Princeps ſine ſumma ſui nominis ac famæ jactura jus illud populorum omnium commune perrumpere poteſt. Privati vero ac publici nummorum corruptores, ſublata, quam dixi, metallorum confuſione, ſimul concidant neceſſe eſt; quia nemo tam ſtupidus futurus ſit, qui fraudem oculis, auribus, tactu denique ipſe non facile percipiat, & quidem ſine Heraclio lapide, ſine fornace, ſine ſtylo, ſine ſectione.

XX. Et quoniam argenti pars minima quæque pretioſa eſt, ad plebis utilitates & commoda tertium nummorum genus ex ære puro aut fabricari oportet, aut certe argenti unciam non modo in duas ſemuncias dividere neceſſe erit, ſed etiam in quatuor, tres duellos, ſicilicos 6, ſextulas, 8. dractimas, 18. tremiſſes, 24. ſcrupula, 48. obolos, 96. ſemiobolos, 144. ſiliquas, 576. grana: ut tenues utiliſſima quæque frivola facilius coemere ſibi poſſint. Cum enim Angliæ Regina non ita pridem æroſa numiſmata ſuſtuliſſet, ex argento ſatis puro nummos cudi juſſit. Sed cum libram in ſcripula ac ſemiſcripula non ſatis ſubtiliter diviſiſſet, tenuibus ademtum eſt commercium rerum viliorum: nec egentibus tanta benignitate ac facilitate ſuccurri poteſt, quam ſi ſubtiliores nummos cudi juſſiſſet. At Renatus, Ardium ac Lotharingorum Dux unciam argenti in mille nummos diviſit, quos Andegavenſes appellant; ne cuiquam deeſſet aut mercandi, aut egentibus largiendi facultas. Quod etſi laborioſum monetalibus videtur, utilius tamen eſt, quam ex ære nummos ferire; tum quia nullum metalli genus citius ære rubiginem contrahit, tum etiam, quod æris ubique eſt, ac ſemper fuit pretium incertum.

XXI. Debet autem ratio nummaria ſibi conſtare, nec ulla temporum aut locorum varietate mutari: idque maxime propter jura commerciorum, populis omnibus inter ſe communia. Nam Punico bello argenti ratio ac æſtimatio fuit pondo unius ad 840. æris. At ſenatus decreto, ut inopiæ civitatis conſuleretur, pretium æris magna ſui parte deminutum eſt. Et cum denarius argenteus antea decem aſſibus æreis, qui tum librales erant, æſtimaretur, momento ſexdecim aſſibus ejusdem ponderis æſtimari cœpit. Plin. *lib. 35. cap. 3.* Poſtea librale pondus aſſis, dimidia ponderis parte imminutum eſt Lege Papiria, ut pretium æris duplo majus fuerit, quam ante legem Papiriam exſtitiſſet. Feſtus l. 17. *in verbo ſeſtertius.* Poſt etiam æs illud ſemilibrale rurſus dimidia ponderis parte minui placuit, ac denarium argenteum decem aſſibus ejus ponderis æſtimari; qua ratione argenti pondo 210. æris æquabat. Quale nunc pretium noſtra ætate in Gallia fere uſurpare videmus. At in Germania, quæ metallis omnibus, præterquam auro, abundat, vilius æſtimatur. Neque enim tantum ſupellex magna ſui parte ærea fabricatur, verum etiam templa ipſa multis locis ære teguntur. In Hiſpania rarius eſt; in Africa vero rariſſimum; ac propterea multo, quam in Europa, carius æſtimatur. Facit igitur tanta illa pretii varietas, quo minus æris materia rei nummariæ idonea videatur.

XXII. Hic occurret aliquis, argentum etiam, quibus locis abundat, vilius æſtimari. Nam eo fœdere, quod ictum eſt cum Ætolis, uno capite auri libra decem argenti libris æſtimatur: at lege Conſtantini auri libra exæquatur argenti libris 14½, quia legislator ſolidos quinque aureos, quales ſeptuaginta duos habuit libra romana, argenti pondo æſtimavit: Livius *l. ult. de argenti pretio Cod.* Nunc vero duodecupla fere eſt ubique ratio. Nec auri ad Aquilones inopia, nec argenti

copia facit, ut hoc multo vilius, aut illud multo carius æſtimetur. Pontifex quidem Romanus, auri, quam argenti, cupidior, in Camera Pontificali auri libram æſtimavit argenti libris $12\frac{4}{5}$. Ut argentarü ac nummularii aurum potius, quam argentum ſpe lucri Romam inferre curent. Quanquam bis mille & quingenti anni labuntur; cum eadem fere eſſet, quæ his temporibus. Scribit enim Herodotus, auri pondo argenti libris tredecim æquatum fuiſſe. Et in Pandectis Hebræorum auri nummus argenteis 25. æſtimatur. In Misna, & tract. *de angul. c. 8. paragr.* ה & ד. Quo fit, ut cum Hebræis aurea numismata argenteis duplo graviora fuerint, auri ad argentum ea ratio fuerit, quæ eſt unius ad $12\frac{1}{2}$. Perſarum item legibus auri ad argentum ratio plane fuit duodecupla: nam ſtater, Daricus aureus uncialis, argenti pondo æſtimabatur, ut eſt apud Pollucem. Quin etiam Auguſti temporibus Rex Indorum eandem habuit auri ad argentum æſtimationem, quæ tunc Romæ ferebatur; ac propterea Romanorum juſtitiam laudavit, ut eſt apud Plinium. Ex quibus efficitur, eandem fere nunc eſſe, quæ ſemper antea fuerit, auri & argenti æſtimationem.

XXIII. Aurum quidem pretioſius haberi cœpit Conſtantino M. Imperatore; cum Principum ſuperiorum luxu omnia auro ſplenderent, ut etiam Martialis Baſſum irriſerit auro cacantem. Quid Nero? cui non ſatis erat auream habere ſupellectilem, niſi auream quoque domum haberet ambulatoriis mille paſſuum diſtinctam. Quid Veſpaſianus? Qui amplius bis millies in extruendo atque inſtaurando Capitolio inſumſit. Agrippa vero, comes Auguſti Pantheum ære, æs item auro texit, quod adhæc usque tempora mille ac ſexcentos amplius annos æs quidem a rubigine, templum vero ab injuria cœli & a ruina ſervavit. Ac niſi æs inauratum fuiſſet, tandem rubigine exeſum, imbres admiſiſſet.

XXIV. Certe quidem ſacram ſupellectilem auream eſſe, ut lex divina jubet, ferendum eſt: ſed aurea vaſa, periſtromata, cubilia, libros etiam & ephippia inaurata ubique videri, hominum furioſorum inſaniam coarguit. Quam niſi Principes ſeveriſſimis legibus coërceant, auri non modo raritatem, ſed inopiam ubique ſummam fore neceſſe eſt: cum in rebus inaurandis aſſidua, & quidem perpetua fiat auri jactura. Qua de re populus noſter apud Principem in comitiis Blœſenſium graviter queſtus eſt.

XXV. Ac tametſi argenti copia, tum in Europa, tum in Africa, tum in Occidentis regionibus maxima ſit, nec magni fiat argenti jactura; nihilominus æſtimatio, quam dixi, ubique fere ſibi conſtat. Quamobrem, ſi miſtura quoque utriusque metalli ſit eadem, nummique aurei ejusdem ponderis ac figuræ cum argenteis; exceptis minutiſſimis argenti nummis ad tenuium ſublevandam inopiam, quod in auro neceſſe non erit, nemini dubium eſſe poteſt, quin perpetua ac ſtabilis ratio nummaria futura ſit, & ab omni depravatione tuta. Quod minime ſperandum eſt, quamdiu ærosa numismata auri & argenti feremus.

XXVI. Quanquam miſturam nummorum omnium inæquabilem ubique videmus, præterquam in Hiſpania; quæ leges nummarias accuratiſſime tuetur. In hoc quidem imperio auri & argenti numiſmata usque ad Philippi belli ætatem puriſſima fuerunt. Primus hic dimidiam æris partem miſcuit argento anno 1300. ac tametſi poſt aliquanto priſtinæ bonitati reſtituta fuiſſet, centeſimo tamen ac vigeſimo poſt anno argentei nummi vix tertiam argenti partem habuerunt. Carolus VII. Rex ineunte imperio, tametſi rebus afflictis, numiſmata argenti optimi, ut populi gratiam iniret, cudi juſſit anno 1430. Sed extremis fere imperii temporibus argenteos nummos labefactavit, cum deteriores, quam Philippus bellus, juſſiſſet. Deinceps enim argentea numiſmata minui cœperunt, non tantum materiæ bonitate, ſed etiam pondere ipſo. Quos enim ſolidos Franciſcus I. Rex cudi mandavit anno 1540. non tantum ſuperioribus leviores, verum etiam multo deteriores fuiſſe videmus; quippe qui duas amplius partes æris haberent, tertia pars non tota ex argento conſtabat. Deteriorem tamen ſolidum cudit Henricus filius; deterrimum Carolus IX, ſcilicet dimidia fere parte leviorem, quam avus; admiſtis enim duabus æris partibus, ut argenti tantum tertia pars reſtaret.

XXVII. Id quidem finitimorum Principum exemplo, quaſi neceſſitate quadam coactos, Reges noſtros feciſſe videmus: præſertim Helvetiorum, Germanorum, & Belgarum: qui cum argentea numiſmata noſtris deteriora ſemper feriant, noſtros homines ac civitates nummis argenteis ſpoliabant, ut ex iis ſuos conflarent, & ad nos ſua numiſmata commerciorum neceſſitate traducerent. Inde populorum graves ac frequentes querelæ, quod in nummorum permutatione & commerciis ineundis tanta detrimenta ferant, atque ii potiſſimum, qui rem nummariam, propter metallorum confuſionem ad intelligendum difficilem, capere non poſſunt.

XXVIII. Fraudis origo inde manat, quod ſuam quisque artem, quo vendibilior ſit, obſcuriorem efficere conatur. Ut medici: qui leviſſima quæque medicamenta literis obſcuriſſimis Gothorum, verbis quibusdam Arabum, cujusmodi eſt *Ana*, ponderibus ac nodis Græcorum, tradunt imperitiæ plebi, ne ſcilicet arcana pateant Medicorum. Ita monetales præfecti ac magiſtratus nova ratione loquendi rem per ſeſe clariſſimam tenebris plusquam cimmeriis obſcurarunt. Nam cum facile dici potuiſſet, maſſam auream librarum XXVI. cui duæ libræ æris argentive admiſtæ ſint: aut brevius, aurum, cujus duodecima pars ærea aut argentea ſit, aurum XXII. ceratiorum dicere maluerunt. Cum item argenteos nummos media ſui parte æreos dicere liceret, argentum appellarunt ſex denariorum: pondere duorum triumve denariorum, æſtimatione quindecim denariorum. Ut eodem verbo materiæ vim, pondus ac pretium, repugnante rerum natura, ſignificarent. Cum autem perſpicue dici potuiſſet, argenti libram in nummos octoginta dividi; nummos ſex ſolidorum dicere maluerunt. Rurſus monetarum genus ſic dividunt, ut

quod-

quoddam ſtabile ſit, quoddam varium ac mobile, tertium fictum atque imaginarium; cum tamen nihil in re nummaria ſtabile dici poſſit, & ab illa, quam dixi, metallorum confuſione labes omnis proficiſcatur.

XXIX. Nummus enim Italorum omnium ac Siculorum communis, quem Ducatum *monetam imaginariam* appellant, veriſſimus erat aureus Conſtantini ſolidus, ejuſdem ponderis ac pretii cum Angelico Anglorum, & Medino Africano aut Imperiali Belgarum: cujus ponderis ſex uncia capit, libra vero duos & ſeptuaginta. *l. quotieſcunque de argenti pretio.* Hujus ſolidi plenæ ſunt leges Græcorum, Alemannorum Ripuariorum, Anglorum, Francorum, Saliorum, Burgundionum. Quem majores noſtri *aureum ſolidum* appellabant, noſtri ad *aureum ſolarem* ridicule detorſerunt. In his tamen legibus, quos modo dixi, multiplex eſt ac varia ſolidorum ſignificatio, ac pretia diverſa. Ineptiſſimi vero noſtri monetales, qui non ita pridem aureis noſtris ſolidis characterem ſolis impreſſerunt, quaſi ſolidus a ſole diceretur. *Solidum* autem lex appellat, quia ex auro puriſſimo conflaretur. Nihil eſt enim in univerſa rerum natura quidquam auro ſolidius, aut magis compactum; cum cætera omnia corpora vacuitates quaſdam habeant inanes. Et quemadmodum aureus nummus Auguſti principatu, eodem pondere, quo ſtater Atticus, quo Philippeus, quo Roſeus Anglicus (omnes didrachmi) ſub occaſum Imperii Romani paulatim imminui cœpit monetalium capitali fraude, quouſque temporibus Conſtantini tertia ponderis parte antiquo levior eſſet. Sic aureus Conſtantini ſolidus, qualis eſt Anglorum Angelicus, majoribus noſtris uſitatiſſimus, paulatim pondere minutus eſt; ac ſemper minuitur præfectorum monetalium furtis ac rapinis. Quem enim *aureum veterem* appellamus, drachmam pendit: idem Carolo V. Rege duobus ſcripulis minutus eſt: ejus enim ponderis ſunt Franci aurei, tum Equites, tum Pedites; eadem tamen bonitate, qua veteres ejuſdem ponderis, cuſi ſunt Ridæi Burgundiones. Hinc ad Caroli VIII. Regis imperium aureus tribus ſcripulis antiquo levior, & ceratii dodrante deterior paulatim cuſus eſt. Ac tametſi Franciſcus Major pondere ac bonitate meliores ſignare voluiſſet, nunc tamen leviores ſcripulo & ceratii ſemiſſe deteriores feriuntur.

XXX. Ceteræ civitates, Venetorum inquam, Genuenſium, Florentinorum, Senenſium, aureos nummos, quos *ducatos* appellant, & Hiſpani ipſi, una & eadem lege ponderis ac bonitatis, quarta inquam ceratii parte ab auro puriſſimo, tribuſque ſcripulis a drachmali pondere percuſſerunt, uſque ad Carolum V. Imperatorem. Is enim anno MDXL. aureos Hiſpanos duobus fere ceratiis deteriores, & quatuor ſiliquis leviores cudi mandavit: ex quo duodecima pars libræ, ſive quod idem eſt, uncia æris argentive auro publica lege miſceri cœpit. Extemplo civitates omnes ac Principes Italiæ eadem lege nummos, ſiliqua tamen graviores, cudi juſſerunt. Pontifex ipſe Romanus Paulus III. perniciosum omnibus præbuit exemplum. Is enim aureum Romanum omnium deterrimum ac leviſſimum ſub Farneſiorum ſtemmate ſignavit; quippe duobus ceratiis ac ſemiſſe ab auro puriſſimo diſtantem, ac duobus ſcripulis ſolito pondere leviorem. Deinde Farneſius Cardinalis, cum Avenione Pontificis Legatus eſſet, deterius in eo ſe geſſit, quam avus ipſe: quippe aureos cudit avo deteriores ac leviores. Quo factum eſt, ut publici corruptores ac monetales præfecti, finitimarum civitatum proba numiſmata undique coacta corrumperent, ac deterrima quæque ferirent.

XXXI. Et quoniam acutius auri quam argenti pretium intuemur, & argentum quam aurum depravere facilius, fraus etiam obſcurior; ſæpiſſime fit, ut argentei nummi, quo ſunt puriores, eo rarius reperiantur: propterea quod ex optimis deterrimos conflare publica finitimarum civitatum lege licet. Regales Hiſpani, argenteorum numiſmatum optimi, undique conquiruntur a Belgis & Germanis, ut unciales ac ſemunciales nummos publica autoritate feriant: quos a Regalibus duodecima fere bonitatis parte abeſſe conſtat. Sic Lucernates, Solaturii, Undervaldenſes, ex noſtris Capitonibus ſuos conflare ſolent, æris fere duodecima parte admiſta: leviores etiam ſunt Capitonibus Francorum. Etenim bonitatis ac ponderis rationibus ſubductis, Francorum Capitonibus deteriores ſunt duobus fere aſſibus. Quæ, quod ſubtilius a nobis libro ſingulari *in paradoxo adverſus Maleſtrettum* diſputata ſunt, omitto.

XXXII. Principum quidem fere omnium legibus ſeveriſſime cavetur, ne aurum & argentum extra fines imperii cujusque evehatur. Sed nunquam obtineri poterit, ut legibus pareatur, quamdiu commercia cum finitimis populis, uti neceſſe eſt, intercedant. Capitales etiam ab aurificibus fraudes manare ſolent; quas omnes ſi perſequar, infinitus ſum: nec tamen ullis legibus caveri poſſunt, niſi ea, quam dixi, ratione ſemel in rep. conſtituta. Ut ſcilicet omnia auri & argenti numiſmata æquabili proportione ac pondere feriantur, & a puriſſimis quarta & vigeſima tantum diſtent: nec aurificibus ab ea lege diſcedere liceat. Ita fiet, ut argentea ſupellex argenteis, aurea aureis æquo pondere coemantur ac permutentur, nec quidquam venditori pereat præter opus. Si enim vetere majorum noſtrorum proverbio dici ſolebat: *in argentea ſupellectile nihil venditori perire præter opus*, cum aurifici venderetur. Cur non idem, quod ante trecentos annos in Gallia factum eſt, quod etiamnum in Hiſpania fieri videmus, conſimili exemplo faciemus? At noſtri aurifices ſub operis ſpecie fraudem emptoribus faciunt: ac viliſſimo pretio emunt, quod multo carius diſtrahere poſſunt. Sublata vero auri, æris & argenti confuſione, fraudes a ſtirpe convelli neceſſe eſt.

XXXIII. Vectigal etiam monetale, quod Principes gravi ſubditorum incommodo de nummorum pretio detrahunt, tolli, ac potius eo nomine vectigal novum, tum etiam ad monetalium mercedem, imperari æquius eſt. Ut olim Normanni Principes & non ita pridem Poloniæ

Reges ſanxerunt: ut nummorum vis ac poteſtas ubique ſit eadem ſine ullo permutationis nummorum detrimento.

XXXIV. Et quoniam ab iis, qui auro, argento, æri flando, feriundo præficiuntur, peſtis præcipue manat, eoque latiſſime per omnes imperii provincias graſſatur, unam tantum nummorum officinam in eodem imperio conſtitui neceſſe eſt; & in urbe omnium maxima, ut publice ſpectantibus magiſtratibus nummi percutiantur. Novum id, opinor, præfectis monetalibus videri poſſit, præſertim noſtris, qui monetarum officinas habent fere viginti. At mirum videri debet nemini, qui modo intellexerint, Romanos in tanto imperio unam tantum monetarum officinam habuiſſe; ſcilicet Iunonis templum, in quo Tresviri monetales trium metallorum, auri, argenti, æris, nummos ſine ulla miſtura ſignabant. Præterea Marii Gratidiani tribuni plebis rogatione ſcholam conſtitui placuit, in qua nummi probarentur. Late quoque patebat imperium Francorum Carolo M. Rege: omnes tamen monetarum officinas in palatium ille coegit; quo ſeverius & accuratius nummi fabricarentur ac probarentur. Poſtea vero, quam officinas plures habere, & procul a Principe metalla miſcere licuit, ratio quoque nummaria depravari cœpit.

XXXV. Hic dicit aliquis: Perſas, Græcos, Romanos ſimplicia numiſmata æris, argenti, auri fabricaſſe; nec tamen adulterinos nummos defuiſſe, ut videre eſt apud Demoſthenem. *Contra Timocratem & in titulo de falſa.* Demus id quidem; ſed tanta fuit eorum raritas, ut id valde novum videretur: quoniam facillime quisque metallorum ſimplicium naturam, vim ac pondus tenebat. Nec tamen prius nummi corrumpi cœperunt, quam metallorum confuſionem principes civitatum invexiſſent. Ut Marco Antonio in Triumviratu probro datum eſt; quod ab adverſariis profectum opinor; cum adhuc inopia laborantibus Romanis Livii Druſi Tribuni plebis rogatio non ſine contumelia rejecta fuiſſet, cum octavam æris partem argento miſceri vellet. Ex quo intelligitur, argenteos nummos etiam illis temporibus a ſumma puritate nihil aut parum admodum abfuiſſe. Aurum quoque puriſſimum exſtitiſſe, demonſtrant etiamnum aurea numiſmata veterum Græcorum ac Romanorum, in quibus nihil eſt admiſtum æris aut argenti, præter centeſimam partem, quæ ſine diuturno labore ac detrimento percoqui non poteſt. At etiam Veſpaſianus nummos aureos conflari juſſit, quibus tantum defuit pars auri ſeptingenteſima octogeſima octava; ut Pariſiorum aurificibus ac monetalium præſidi Turetano compertum eſt. Mihi tamen ſufficere videtur, ſi pars argenti & auri vigeſima quarta deſit: ne querantur monetales operis diuturnitatem & jacturam, aut ignibus imperari non poſſe.

XXXVI. Nollem, ſi fieri poſſet, (quanquam fieri poſſe docui) æreos nummos ſignari. Si tamen aliter Principibus videtur, puros ac ſimplices conflari oportet. Id quidem perfacile eſt. Ac tametſi antea nummi noſtri partes aſſium minutiſſimæ decimam duodecimamve partem argenti caperent, nihilominus tamen fraudes in iis quamplurimæ fieri ſolent; quæ minus a plebecula, cui potiſſimum ejusmodi numismata cuduntur, percipi ſolent.

XXXVII. Exſtat apud me Jacobi Pinatelli rei nummariæ præfecti ad Henricum II. Regem epiſtola, populari ſermone ſcripta, qua graviter queritur de publica calamitate, ac monetales Pariſienſes accuſat, quod aſſes juſto pondere leviores materiaque deteriores accuderent: detrimentum vero publicum triginta ſex aſſium in ſingulas libras ejus monetæ fuiſſe, demonſtrat. Ex quo intelligitur, in infinita multitudine talium nummorum, quanta fabricatur, peculatus incredibiles fuiſſe. Idem tamen Pinatellus a curia monetalium accepta poteſtate anno 1572. cudendorum denariorum ac duplorum, ad officinas hujus imperii remotiſſimas ſe recepit, procul a Principe, procul a luce: ac tantam vim talium numiſmatum ſignavit, ut rationibus omnibus ſubductis a judicibus quæſtionum centies fere ſeſtertium depeculatus eſſe comperiatur: nec dubitavit ſeſtert. pellici regiæ numerare, quæ flagitioſiſſimi hominis ſupplicium quidem diſtulit, non ſuſtulit tamen.

XXXVIII. Hæc igitur mea concluſio eſt, ne in minutis quidem nummis metalla miſceri oportere. Sed ea, quæ diximus, cum in Aſia & Africa, cum item in Hiſpania & Anglia rectiſſime fiant, quid obeſt, quo minus idem in cæteris quoque civitatibus & imperiis fieri poſſit? Non dubito, ſi Principes inter ſe conſpirent, omnia faciliora futura.

XXXIX. Et quemadmodum veteres a nummorum percuſſione ad proplaſticen & fuſionem delapſi ſunt, idem nunc quoque nobis faciendum opinor. Nam quo nummi ſolidiores fuerint, eo melius figuram tuentur, quæ in nummis percuſſis vetuſtate perit. Circularis vero & æquabilis figura circumcidi non poterit, quin facile cuique appareat. Nec item ullum erit ex cæmentis nummorum detrimentum. Nec iterum atque iterum cæmenta conflare oportebit. Nec tot opificibus opus erit. Nec tantum temporis inaniter conterendum in moleſtiſſima percuſſione: ſed eodem momento vis infinita nummorum, forma cujusque loco & ordine conſtituta, exſiſtet. Poſtremo nummos adulterinos efformare nemo poterit, cum metallorum ea ſit natura, ut corporis capacitate ac volumine plurimum inter ſe diſtent. Quod quidem volumen in nummis percuſſis latet; quia percutientis arbitrio diſtendi aut cogi poſſunt; forma vero, in quam liquata injiciuntur metalla, nec diſtendi, nec minui poteſt.

XL. Quamobrem, ſi quis aureos nummos ære admiſto corrumpere volet, formæ capacitas non patietur, quia corpus æris duplo capacius eſt, & ratio ad aurum eadem, quæ unius ad 2. & $\frac{1}{8}$, ſive octo ad ſeptendecim, ſiquidem utriusque maſſa capiatur ejusdem ponderis: contra vero, ſi corpus utriusque metalli ejusdem amplitudinis ſumatur, auri corpus ære duplo gravius & $\frac{1}{8}$. Vel, ut ſubtilioribus ponderibus ac numeris utamur, eadem eſt æris ad aurum ratio, quæ 1551. ad 729. Ut quidem me ſpectante demonſtravit Fr. Fuxæus magnus ſeculi noſtri Archimedes.

XLI. Au-

XLI. Auri vero ad argentum ratio ea eſt, quæ 1551. ad 929. aut fere 9. ad 5. Id eſt, argentum corporis volumine duplo fere majus eſt auro, ſi ejusdem ponderis maſſam conſtituamus: vel aurum fere duplo gravius erit argento, ſi ejusdem voluminis maſſam utriusque metalli comparemus.

XLII. Æris item ad argentum ratio, quæ XI. aut ad XIII, aut exactiſſima ratione, ut 729. ac 929. Nam hæc duo metalla corpore ac pondere ſibi proxima ſunt, colore vero diſſimillima.

XLIII. Propius tamen argentum plumbo accedit, tum pondere, tum etiam amplitudine. Id eſt, plumbum ejusdem magnitudinis, quam argentum, tanto gravius erit argento, quanto numerus XV. major eſt XIV; vel accuratiſſime, ut 998. ad 929. aut hujus volumen tanto majus erit volumine plumbi, ſi utriusque maſſa ejusdem ponderis inter ſe conferantur. Sed plumbum corruptoribus nummorum inutile eſt, propterea, quod diffluit, & ab omnibus metallis facile ſejungitur.

XLIV. Stannum quoque admiſta cætera metalla quaſi lethiferum venenum perdit ac plane corrumpit. Ac tametſi argento colore quam ſimillimum videatur, corporis tamen amplitudine ac pondere diſſimillimum eſt: nam utriusque eadem fere eſt ratio, quæ 9. ad XIII; aut ſubtilius 600. ad 929. Aurum vero ad ſtannum metallorum omnium leviſſimum & corpore capaciſſimum, fere triplam habet rationem: id eſt, quam 18. ad 7, vel ſubtilius 1551. ad 600.

XLV. Ferrum item corporis amplitudine & pondere ad argentum cæteris propius accedit: eſt enim fere utriusque ea ratio, quæ 3. ad 4, vel accuratiſſime 634. ad 929. Sed aliorum miſturam ferre nullo modo poteſt. Quin etiam æris drachma, ſi in ferream fornacem injiciatur, obſtat, quo minus ferri materia liquari ullo modo poſſit, ac totam aduri neceſſe eſt. Queritur tamen Plinius, corruptores numiſmatum argentea lamina ferreum nummum ſic texiſſe, ut argenteus putaretur, idque appellabat *ferruminationem*; qualem me Lutetiæ nummum memini vidiſſe. Pondus tamen aut corporis capacitas fucum obductum facile detegit. Aurum vero ferruminationem illam momento demonſtrat, cum ferro tanto gravius ſit, quanto ſenarius a novenario ſuperatur: aut exactiſſima ratione 1551. ad 634.

XLVI. Poſtremum eſt argentum vivum, qnod pondere ac volumine proxime ad aurum accedit, levius tamen eſt & capacius auro: eamque fere inter ſe rationem habent, quam 3. ad 4, vel accuratiſſime 1158. ad 1551. Sed omnium celerrime igni carpitur, nec ulla vi retineri poteſt, quo minus evolet ignibus admotum.

XLVII. Auri vero & argenti, opinor, ſumma inopia fecit, ut majores noſtri proplaſticen in re nummaria deſerere cogerentur. Vel, quod verius eſt, monetales ipſi nummos ferire maluerunt, quo fraudes eorum minus perciperentur. Noſtra quidem ætate nummi ſolertiſſima ratione, & quidem noſtrorum hominum ingenioſiſſimo artificio, ſimul ac ſemel orbiculari figura ſecari ac ſignari, & quidem promtiſſime cæperunt: ſed ea ratio deſerta jacet, quod uſu perceptum eſt, nummos nec ejusdem ponderis eſſe, nec formam diu tueri, & in cæmentorum multitudine ac iteratis fuſionibus magnum eſſe detrimentum.

XLVIII. Quod autem diximus, libram nummorum, tum graviorum, tum leviorum integris numeris dividi oportere ſine ulla fractione numerorum, habet ea res incredibilem utilitatem; tum ad commerciorum facilitatem, tum ad nummorum permutationem. Si videlicet auri & argenti, atque adeo, ſi placet, æris libra unciarum 12. in nummos 24, 36. 48, 72, 96, 144, 192, 576: non tamen æris vel auri libram in numiſmata 576. dividere neceſſe eſt, ſed argenti duntaxat. Omnium vero libræ partitionum utiliſſima eſt drachmalis, ſcilicet in nummos 96.

XLIX. Et quoniam repentinæ legum mutationes ac rei nummariæ converſiones grave civitatibus detrimentum, ſæpe quoque rebellandi occaſionem afferunt; id ſenſim fiat oportet, quo levius incommoda ferantur. Cum enim legatione ſuſcepta ad Conventus Gallorum Blœſas profectus eſſem, juſſus ſum a Principe, cum monetalibus præfectis ac Marcello ærarii Tribuno de re nummaria, qua tunc graviſſime reſpublica conflictabatur, conſilium capere; ubi breviter ea, quæ ſuperius ſcripſimus, quæque populari ſermone jam pridem a nobis pervulgata fuerant, diſſeruimus. Summa tamen fuit: nihil utilius fieri poſſe, ſed tam gravi morbo nummario rempublicam urgeri, nt eam medicinam, quantumvis ſalutarem, difficillime latura videretur. At nullæ medicinæ tam ſunt ſalutares, quam quæ faciunt dolorem. Et quoniam pocula cataplasmata ſectiones nihil proficiunt membris putribus, ignes & canteria admovere neceſſe eſt. At paulo poſt intellexi, peculatores publicos interceſſiſſe, quo minus ea, quæ dixi, publica lege ſancirentur. Quin etiam argentea numiſmata deteriora, quam antea ſignarunt, & ex eo centies fere LLS corraſerunt. Neque tamen dubito, ſi ærosa numiſmata lege prohibeantur, ac juſto pretio nummulariis dentur, ſubditos jacturam non levem facturos, quam Princeps quisque quadam ex parte ſarciat oportet.

Sed illud incommodum pro tantis utilitatibus leviſſimum optimo cuique debet videri.

EXCERPTA

EX

JOACHIMI HOPPERI

DE VERA JURISPRUDENTIA

LIBRO VII. & VIII.

De bonorum cæſareorum curatione ſecundum leges juſtinianeas.

Libri VII.

DE VERA JURISPRUDENTIA

TITULUS XXIX.

De comitibus ſacrarum largitionum & rei privatæ.

G Reliquum eſt de iis ut reddas, qui rem pecuniariam in aula tractant. T. Ita eſt. Et quidem cum res pecuniaria omnis, vel in iis conſiſtat, quæ ex largitate populi proficiſcuntur, vel ex iis, quæ Auguſto vel Auguſtæ pro certo perpetuoque reditu imperii privatim ſunt deſtinata, qui illis præeſt, Comes ſacrarum largitionum, remunerationumque S. theſaurorum dicitur: qui his, Comes rei privatæ, ad quem & eorum, quæ in fiſcum rediguntur, cura pertinet. Et ſi quid apud Principem tractatur ad has res pertinens, id, quemadmodum Quæſtoris, ita Comitis etiam rerum privatarum annotationem habere debet. Quibus de rebus ſunt tituli codicis: *de officio Comitis ſacrarum largitionum*: *de officio comitis rerum privatarum*, ultra quos eſt alius titulus, *de officio Comitis ſacri patrimonii*, ad quem earum rerum cura pertinet, quæ non cauſa imperii, ut ſuperiora, ſed ex proprio patrimonio Principi competunt. G. Recte. T. Utrique autem, tam largitionum, quam rei privatæ Comiti hoc commune eſt, ut publica populi acclamatione ſalutentur, quemadmodum quæſtores & magiſtri officiorum: & in judiciis, tam civilibus, quam criminalibus, pari utuntur privilegio, ut demonſtrat titulus codicis: *Ubi ſenatores vel clariſſimi civiliter, ubi criminaliter conveniantur.* Cui hoc accedit, quod Palatinos ſuos habent & officiales, quorum ſcholæ ambæ iiſdem fruuntur privilegiis, ut videre licet ſub rubrica Codicis: *de palatinis ſacrarum largitionum*, *& rerum privatarum.* G. Probe. T. Porro habent autem ambo ſcholas ſuas, in quibus militant Rationarii, Scriniarii, Numerarii, Notarii, Exceptores, de quibus ſupra dictum eſt, Theſaurenſes, qui pecunias recondunt, Mittendarii, qui ad pecunias colligendas mittuntur; & eorum adjutores & ſimiles, cum ſuis primiceriis, & primatibus, centenariiſque, & ducenariis, qui primis, ſecundis, tertiis, quartis formis diſtinguuntur, quorum opera in colligendis pecuniis, a debitoribus fiſci exigendis, aliiſque ſimilibus utuntur. Unde fit, quod res aliquas ejuſmodi conductas habere prohibentur. G. Intelligo. T. Adde, quod ſinguli iſti Comites certos habent, ſub diſpenſatione ſua conſtitutos. G. Comes Rei privatæ quos habet? T. Rationales ſacri ærarii, baſtagam privatam eorum, qui rebus deportandis ſerviunt, præpoſitos gregum & ſtabulorum, procuratores ſaltuum, agricolas, paſtores, venatores ad domum Principis pertinentes. G. Quoſnam autem Comes Largitionum? T. Primum Comites diverſorum generum, nempe horreorum, ubi ſpecies reconduntur: theſaurorum, ubi pecuniæ: largitionum per omnes provincias, qui largitionibus præeſt: metallorum cum ſuis procuratoribus & metallariis: & commerciorum, ſub quo ſunt negociatores ad domum Principis pertinentes, ut veſtiarii, linteones, purpurarii, parthearii, metararii, & alii id genus mercatores, qui a mercibus, in quibus negociantur, nomen habent. G. Intelligo. T. Tum Præpoſitos diverſos, ut theſaurorum, qui theſauros cujuſque provinciæ curant; baſtagarum, qui rebus importandis & exportandis præſunt; & barbaricariorum, de quibus ſupra eſt expoſitum. G. Teneo. T. Ad hæc Procuratores varios, ut gynæciorum, ubi veſtimenta muliebria ſervantur; monetarum, ubi pecunia cuditur; textrinarum, ubi veſtes texuntur, baphorum, ubi tinguntur: murilegulorum, quo circa conchas, unde purpura fit, legendas verſantur. De quibus ſunt tituli Codicis: *De Murilegulis & baſtagariis: De veſtibus oloberis & auratis: & de intinctione ſacri muricis.* G. Recte. T. Poſt Scriniarios diverſos, ut canonum, hoc eſt, ordinariorum tributorum, auri maſſæ, quod infectum eſt: auri ad reſponſum, quod reſponſalibus Principis deſtinatum eſt; milliacenſis, quod militibus: auri veſtiarii ſacri, quod veſtibus; argenti, qui argentum cuſtodiunt: a pecuniis, qui pecuniam: G. Probe. T. Denique artifices varii generis, qui ſuæ conditioni ac fortunæ tanquam ſervi ſunt addicti, de quibus ſpeciatim nos dicturos diximus.

TITULUS XXX.

De artificibus palatinis.

G Hi igitur quinam ſunt? T. De quibus tractant tituli Codicis: *De naviculariis ſeu naucleris publicas ſpecies tranſportantibus: Et de tollenda luſtralis auri collatione*: *De prædiis & omnibus rebus naviculariorum*: *De navibus non excuſandis*: *Ne quid oneri publico imponatur*: *De metallariis & pro-*

& procuratoribus metallorum: de claſſicis. Pertinetque huc in genere Novella; *Edictum de formula artificum.* Ac ſunt quidem, aurifices ſpecierum, aurifices ſolidorum, ſculptores, officiales ſacrarum veſtium, argentarii, barbari carii, fabricenſes, navicularii, claſſici, metallarii & eorum procuratores, & monetarii, qui monetæ cudendæ præſunt. G. Intelligo. T. Quæ quidem moneta omnis, vel in ære conſiſtit, vel in argento, vel in auro. Sic ut una auri libra, quatuordecim libris argenti & quinque unciis æſtimetur: æris vero mille quadraginta quatuor libris: ut oſtendunt Rubricæ Codicis: *De Collatione æris: De argenti pretio, quod theſauris inferatur: De veteris numiſmatis poteſtate.* G. Recte. T. Ac cum una auri libra in duodecim uncias dividatur, ſingulæ unciæ rurſum dividuntur in ſenos ſolidos ſive aureos. G. Probe. T. Qui ſolidus primum dividitur in quatuordecim ſcrupulos; qui ſcrupuli faciunt ſinguli obolos binos; & oboli rurſum ceratia duo, ſiliquas tres, & ſemiceratia quatuor; ex quibus ſiliquæ ſextam ſcrupuli, ſolidi octogeſimam partem conſtituunt. G. Pulchre. T. Deinde in ſemiſſem, hoc eſt, dimidiam partem ſolidi; tremiſſem, tertiam; denarium duodecimam; & quinarium viceſimam quartam. Ex quibus denarius libellas decem continet, quinarius quinque. Ac continet quidem libella ſembellas duas, teruncios quatuor; faciuntque libella & ſembella ſeſtertium nummum; qui dupondios continet duos, aſſes autem quindecim. G. Optime. T. Præter hæc, fit etiam mentio in jure noſtro miliarenſium, ovoque & cyatho ſignatorum, & quadrangulorum, quæ minutiſſima æra fuiſſe conſtat.

Libri VIII.

DE VERA JURISPRUDENTIA

TITULUS XXIII.

De re Tomiaco.

G. Dixiſti de civil. magiſtratibus, dixiſti de militaribus: quid? an aliud reſtat, quam de Tamiacis uti nunc tractes? T. Non aliud certe. Et quidem uti res civil. ad juſtitiam in remp. inducendam pertinet, militaris ad libertatem ejus defendendam: ita hæc Tamiaca in rebus ad vitam neceſſariis conſiſtit, unde & nomen ipſum deductum eſt. G. Bene dicis. T. Ac quamquam quidem omnis pecunia publica (in qua nervum imperii Juriſconſulti eſſe ajunt) partim populi ſit, cujus proprie dicitur ærarium, partim Principis, cujus eſt Fiſcus (quæ tamen nomina ſubinde confunduntur) nos de Re Principis, qui caput eſt univerſæ reipublicæ, duntaxat agemus. Atque univerſam quidem tractationem ita diſtribuemus; ut unum caput Rei privatæ, in quo fiſci nomen proprie ponitur, conſtituamus: Alterum vero ſacrarum Largitionum ſive theſaurorum. Nam hanc ſummam totius Rei Tamiacæ diviſionem eſſe, ſupra demonſtratum eſt. Ac de ſingulis quidem quidnam ſint, quomodo adminiſtrentur, & quos magiſtratus habeant, explicabimus.

TITULUS XXIV.

De Re Privata

G. Igitur Rem privatam quam vocas? T. quæ propria eſt Principis & Auguſtæ. Unde & Patrimonium Principis, & Fiſci, & Res Canonve patrimonialis, & Cæſaris, & Dominica, & divinæ auguſtæque domus vocatur. Inter quæ quidem, tametſi tenues quædam ſint differentiæ, omnes tamen ad unam ſummam redeunt. Ad quæ omnia generaliter pertinent Tituli Digeſtorum & Codicis, *de jure fiſci, de privilegiis fiſci.* G. In quibus autem conſiſtunt Res privatæ T. partim in ſuperficiebus: cujuſmodi ſunt domus, ergaſteria, palatia: partim in iis, quæ ſoli ſunt, ut terra, fundi, paludes, alluviones, paſcua; & partim in animalibus, cujuſmodi ſunt greges equique dominici. De quibus omnibus & eorum jure ac privilegiis ſunt Tituli Codicis: *De privilegiis divinæ domus auguſtæ, vel rei privatæ: & quarum collationum excuſationem habent: De palatiis & domibus dominicis: De paſcuis publ. & privatis: De fundis patrimonialibus & ſaltuenſibus & emphyteuticis & eorum conductoribus: De collatione fundorum patrimonialium & emphyteuticorum: De fundis rei privatæ, & ſaltibus divinæ domus: De fundis & ſaltibus rei tamiacæ: De collatione fundorum fiſcalium, vel rei privatæ, vel dominicæ, vel civitatum, vel templorum: De cupreſſis ex luco daphnenſi vel Perſeis per Ægyptum non excidendis vel vendendis: De grege dominico.* G. Probe. T. Et quidem qui iſtis agris colendis præſunt, vel liberi ſunt, qui agricolæ & conductores fiſcales appellantur, & tributarii a tributo quod pendunt: vel ſervi & mancipia fiſcalia, quæ alia cenſibus adſcripta ſunt, alia non ſunt: vel medio quodam modo inter utrumque genus, qui coloni proprie vel coloni patrimoniales vocantur. Quos quidem nonnullos videas originarios, qui ita nati ortique ſunt; nonnullos vero colonarios, qui per contractum, qui ob id colonarius dicitur, in eam ſe conditionem dederunt: alios autem adſcriptitios, qui una cum gleba in cenſum relati, vel tanquam cenſibiles annotati ſunt, unde & cenſiti nominantur, ſive illi agri colendi cauſa ibi ſunt, ſive ut ratiociniis fundi præſint. Ac elocantur quidem fundi patrimoniales, vel per ſimplicem contractum locationis & conductionis; vel per emphyteuſin ſive perpetuarium contractum (nam parum aut nihil inter utrumque intereſt) vel cum jure privato penitus transferuntur. Quod fit vel ſalvo canone annno, qui facit ut tributarius fundus dicatur; vel ſine canone cum nihil aliud quam agnitio directi dominii debetur. De quibus omnibus & eorum jure ac privilegiis ſunt Tituli Codicis: *De agricolis & cenſitis & colonis: de quibus cauſis coloni & cenſiti dominos accuſare poſſunt: de colonis palæſtinis: de colonis throcenſ. De colonis illyricanis: ut nemo ad ſuum patrocinium ſuſcipiat ruſticanos vel vicinos eorum: Ne ruſticani ad ullum obſequium evocentur: Non licere habitatoribus metrocomiæ loca ſua ad extra-*

neum transferre: Ut nullus ex vicaneis pro alienis vicaneorum debitis teneatur: De fundis Patrimonialibus & ſaltuenſibus & emphyteuticis, & eorum conductoribus: De mancipiis & colonis patrimonialium & ſaltuenſium & emphyteuticorum fundorum: De fugitivis colonis & patrimonialibus ſaltuenſibus & emphyteuticis: De agricolis & mancipiis dominicis & fiſcalibus reipublicæ vel privatæ. De prædiis tamiacis & his, qui ex colonis tamiacis aliisque liberæ conditionis procreantur: De locatione prædiorum civilium, vel fiſcalium, ſive templorum, ſive rei privatæ vel dominicæ: Quibus ad conductionem prædiorum fiſcalium accedere non licet. Pertinentque huc Novellæ: *Ut nullus mutuans agricolæ teneat ejus terram, & nullum credentem agricolæ tenere ejus terram, & quantum debeat uſurarum dare: Conſtitutionem, quæ ex adſcriptitio & libera natos liberos eſſe vult, non iis, qui ante conſtitutionem nati ſunt, ſed qui poſt conſtitutionem, prodeſſe: & ut ne venerabiles domus commutationes faciant ad invicem immobilium rerum eccleſiaſticarum, decreto prius interpoſito, excepta hac majori eccleſia.* G. Recte. T. Iam ea, quæ a colonis aliisque præſtantur in diverſis conſiſtunt functionibus ſive præſtationibus. Ex quibus una eſt capitum, quæ animalis vocatur, & præbitione conſtat pecorum; altera frugum quæ ob id frumentaria dicitur, & terrena: & tertia pecuniæ, quæ auraria appellata eſt. G. Intelligo. T. Porro & illud ſcitu dignum eſt, nomina, quæ rebus hiſce privatis imponuntur, ab uſu fere duci, cui deſtinatæ ſunt. Nam limitrophi fundi ſunt, ex quibus limitanei milites aluntur: Tamiaci, qui ad ærarium Principis pertinent: Agonothetici qui ſacris certaminibus ſunt deſtinati: Templorum, qui rei divinæ ſunt addicti: Caſtrorum, ex quibus caſtellanis militibus neceſſaria adminiſtrantur. Et ſi quæ ſunt alia his ſimilia: ut oſtendunt Tituli Codicis: *De fundis limitrophis, & terris & paludibus, & paſcuis, & limitaneis caſtellorum: De diverſis prædiis urbanis & ruſticis templorum & civitatum, & omni reditu civili*, cum aliquot præcedentibus.

TITULUS XXV.

De Adminiſtratione Rei privatæ.

Nunc I. adminiſtratio Rei privatæ in quonam conſiſtit? T. in Acquirendo, Conſervando, & Amittendo. G. de *Acquiſitione* quid ais? T. Acquiritur aliquid Principi vel jure communi per emptionem, ſucceſſionem & aliis modis: vel jure ſingulari per confiſcationem bonorum. Quæ ſane ex multis cauſis contingit: cujusmodi ſunt tacitum fideicommiſſum, ſi indigno quid relictum ſit, ſi heres mortem defuncti non vindicet, ſi theſaurus inventus, ſi res majoris pretii minoris ex fiſco comparata ſit, ſi per prævaricationem fiſcus victus eſt, ſi ab accuſatione quis deſtiterit, ſi res litigioſa venundata, ſi pœna ex contractu privato fiſco debeatur, ſi quis in capitali crimine diſceſſerit, ſi poſt mortem reus factus eſt, ſi domus diruta, ſi adverſus leges commiſſum factum eſt, ſi bona vacantia referantur, & his ſimilia. Quo pertinent tituli Digeſtorum & Codicis; *De jure fiſci, de Privilegiis fiſci, De theſauris*, cum aliis non tam ad jus publicum, quam privatum pertinentibus. G. Recte. T. Ac ratio quidem, qua ea, quæ fiſco delata ſunt, illi applicantur, quam *incorporationem* Leges noſtræ vocant, fere eſt hujusmodi. Si quæ bona ad ærarium delata perhibentur, primum certi mittuntur Palatini electi jurati ad provinciam, ubi bona ſunt. Ad horum poſtulationes Præſes provinciæ, præſente fiſci Patrono, inquirit de bonis illis, quænam ſint & quanta; data unicuique contradicendi poteſtate. Eo facto, ſi nullus apparet adverſarius, & tam relatu Præſidis, quam ex publicis monumentis conſtet locum ærario eſſe factum, refertur ea de re ad Imperatorem: qui tum ea curat apprehendi. Apprehenſa Comes rerum privatarum, rite & ſolenniter in inventarium rerum privatarum, ubi bona Cæſaris deſcripta ſunt, redigit. Quod & Rationalis Provinciæ, ubi bona ſunt ſita, diligenti ſtilo facere jubetur. Quibus omnibus peractis rebus, ultimum eſt, ut tituli regii his bonis appendantur. Quare ſubſtantiæ Cæſaris quaſi conſecrantur: & ob id non propria uſurpatione, ſed publica teſtificatione fieri debet. Ad quæ omnia pertinent tituli Codicis: *De bonis vacantibus, & de incorporatione: De delatoribus: De petitionibus bonorum ſublatis: De his, qui ſe deferunt: Bonis fiſcalibus creditores præferri; De ſententiis adverſus fiſcum latis retractandis: Si liberalitatis imperialis ſocius ſine herede deceſſerit: Ut nemo privatus titulos prædiis ſuis, vel alicujus imponat, vel vela regia ſuſpendat.* Nunc II. de conſervatione quæ ais? T. *Conſervatio* bonorum fiſcalium in hoc non minima ex parte conſiſtit, ut debitores fiſcales diligenter exigantur, & privilegia fiſci ea in re etiam atque etiam cuſtodiantur, & ſi forte debitores ipſi ſolvendo non ſint ad fide uſſores eorum, vel actores, aut nominatores, aut denique magiſtratus eatur. Potiſſima autem pars exactionis eſt, cum bona ejus, qui fiſco condemnatus eſt, nec ultro ſatis facit, haſtæ ſubjiciuntur. Cujus forma & ratio eſt hæc. Prima ejus pars eſt proſcriptio bonorum, quæ venum exponuntur, poſt quam ſequitur ſolennitas haſtarum & decurſus. Et eſt ſolennitas haſtarum, cum haſta publice defigitur, ad res proſcriptas vendendas. Decurſus certa præfinitio temporum, intra quæ licitare & majus pretium offerre cuique permiſſum eſt. His peractis ſequitur addictio per procuratorem fiſci. Quæ eſt duplex: una, ultra quam licitare adhuc licet, & amplius pretium offerre; altera, quæ finem imponit ſolemnitati & decurſui haſtarum, quæ retractari non poteſt, niſi forte vel ſolennitas aliqua omiſſa fuerit, vel nimis exiguum pretium eſt, quo res ſit vendita. Quibus de rebus ſunt tituli Codicis: *de jure fiſci & conveniendis fiſci debitoribus: ubi cauſæ fiſcales & divinæ domus hominumque ejus agantur: De fide inſtrumentorum & jure haſtæ fiſcalis, & de addictionibus: De his qui ex publicis rationibus mutuam acceperunt pecuniam: De fiſcalibus uſuris: De ſententiis adverſum fiſcum latis retractandis.* G. Reſtat III. de *Amiſſione* ut dicas. T. Amittuntur bona Cæſaris, cum alienantur majoris utilitatis cauſa. Quanquam hoc Procuratori Cæſaris vel Rationali prohibitum eſt; cui non alienare rem Cæſaris, ſed diligenter gerere, præcipitur. Qua de re

ſunt

ſunt tituli Digeſtorum & Codicis: *De officio Procuratoris Cæſaris, vel Rationalis: De venditione rerum fiſcalium cum privatis communium: Ne fiſcus rem, quam vendidit evincat.*

TITULUS XXVI.

De magiſtratibus & officiis rei privatæ.

Deinceps magiſtratus I. & officiales rei privatæ quinam ſunt? T. Plane ſummus magiſtratus hic eſt *Comes* rei privatæ, de quo ex rubricis Codicis, *de officio Comitis rerum privatarum, & de officio Comitis ſacri patrimonii* ſupra diximus. Qui & Comes ſive præfectus ærarii privati appellatur, & jus ea de re dicit. G. Audio. T. Poſt eum ſequuntur II. *Procuratores* Cæſaris ſive Principis aut Imperatoris, per ſingulas provincias. De quibus eſt titulus Pandectarum: *De officio procuratoris Cæſaris & rationalis.* Qui & procuratores dicuntur Cæſaris, & Rationales & Procutores rei dominicæ vel fiſci, propterea, quod de rebus fiſcalibus jus dicunt. His non male addideris advocatos ſive *Patronos fiſci*, qui res Cæſaris non in judicio modo tuentur, ſed & cum fiſcalia negocia a Comite ſacri ærarii vel rationali tractantur, adeſſe debent, adeo, ut niſi adſint, nihil valeat, quod actum ſit: quod ſecus eſt in cognitione Principis. Eſtque hoc illi ſpeciale, ut ſub titulo Codicis *de advocatis diverſorum judicum* traditur, quod quacunque parte anni moriatur, ſolatia totius anni ad heredes ejus pertineant. G. Intelligo. T. Ac quantum III. ad *officiales rei privatæ* attinet, primi eorum ſunt palatini ſeu cæſariani aut catholiciani, de quibus ſupra traditum eſt. Poſt eos ſunt tabularii civitatum; qui cujusque civitatis, in qua degunt, rationes tradunt, & cautiones nomine Principis ſubnotant, inſtrumenta conditionalia, quæ ſuper contractibus fiunt, conficiunt, unde & conditionales nonnunquam appellantur. De hinc ſequuntur IV. actores & exactores rei privatæ. Ex quibus actores ſunt, qui juſſu palatinorum aut tabulariorum, quoquo modo rem fiſci agunt, eoque nomine tenentur: Exactores, qui exigunt ea, quæ debentur. Ultimi ſunt ſuſceptores & arcarii. Ac ſunt quidem ſuſceptores, qui ſpecies rei privatæ debitas recipiunt & condunt, quos procuratores rei dominicæ ſuo periculo creant. Arcarii, qui arcæ, in quam pecuniæ rei privatæ recipiuntur, præſunt.

TITULUS XXVII.

De ſacris largitionibus.

G. Audivimus de re privata: dehinc de *ſacris largitionibus* volo, ut dicas. T. Sacræ ſive privatæ largitiones ſunt, quas Princeps non ex corpore patrimonii ſui, ſed ex populi largitate ſive collatione percipit: Unde & *devotiones*, & *ſanctiones*, & *penſitationes* appellantur. G. Quomodo autem dividuntur? T. Enimvero ſumma largitionalium tit. in duo capita deducitur. Nam vel ſunt ordinarii vel extraordinarii, qui & ipſi ſubinde longo uſu fiunt ordinarii, unde & indictio canonica nomen habet. G. Qui ſunt I. *Ordinarii?* T. Qui ex ordine præſtantur: Unde Canon largitionalium titulorum dicitur, & præſtatio. Prout demonſtrat titulus Codicis, *de canone largitionalium titulorum;* ſive perſonarum ea ſit, ſive rerum, ſive utriusque generis. G. Quæ ſunt *perſonarum*. T. Perſonarum ſunt capitatio, ſive cenſus capitales, quem omnes etiam coloni Principis pendunt, niſi qui ſpeciatim excepti ſunt, ut cives Lycaoniæ, Pamphyliæ, Theſſalonicæ: ut oſtendit titulus Codicis *de capitatione civium cenſibus eximenda:* Item opus angariarum & parangariarum, quod in geſtatione ordinaria vel extraordinaria conſiſtere ſupra diximus: veredorum & paraveredorum, quod in rhedis & equis præbendis ac ducendis: Cura conficiendi pollinis: excoctio panis aut calcis: officium piſtrini: præbitio lignorum aut carbonum: neceſſitas temonis aut capituli, cum ſcilicet certa capita animalium ad plauſtra trahenda dantur: neceſſitas venalitii, cum certo pretio quid Principi vendere quis cogitur: cum aliis ſimilibus, quæ perſonalia, ſordida, corporalia & deportatoria munera ſive obſequia vocantur. Poteſtque huc etiam referri præbitio tyronum, quos ad bellum Princeps emittit, de qua eſt titulus Codicis, *de præſtatione Tyronum.* G. Quæ ſunt *rerum?* T. Hæc vel ad *vectigalia* pertinent rerum mobilium, vel ad tabularias functiones rerum ſoli. Prioris generis ſunt, quæ pro his, quæ per vias, portus, flumina, pontes aliaque ejusmodi loca transferuntur, aut traduntur, vectigalis nomine pendi ſolent. Quod quidem vectigal non niſi per ipſum Principem inſtitui poteſt, & ut plurimum octavam rei partem continet. Cujus duæ partes Principi, tertia proximæ civitati, aut municipio ad neceſſitates ſuas cedit. Pertinentque ad hoc quoque genus, vectigalia, quæ ex iis, quæ e terra effodiuntur eruunturve, præſtari ſolent, cujusmodi ſunt metalla, ſalinæ, cretifodinæ, cotoria, & alia id genus. De quibus omnibus ſunt tituli Digeſtorum: *de publicanis & vectigalibus & commiſſis; Vectigalia nova inſtitui non poſſe.* Ad *tributarias* functiones rerum ſoli pertinent, quæ dicuntur cenſus annui ſive tributa nonnunquam. Ad cujus quidem juſtam rationem æſtimationemque ineundam duo potiſſimum ſpectantur, Jugatio & Capitatio, Jugatio, cum pro modo jugerum & eorum, quæ in fundo creſcunt, annuus ejus cenſus conſtituitur, unde functio terrena dicitur. Capitatio, cum capitum ſive animalium, quæ in fundo ſunt ratio habetur. Quæ autem cenſus ſive tributi nomine præſtantur, vel in pecunia conſiſtunt, & vocantur ſpeciali nomine tributa, vel in ſpeciebus, quæ annonæ, ſive annonariæ functiones dicuntur. Ac conſiſtunt quidem in pecunia, ubi certa quantitas auri, argenti, æris penditur: in ſpeciebus, ubi frumentum, laridum, veſtis præbetur. Ad quæ omnia & eorum privilegia pertinent tituli Digeſtorum & Codicis: *de cenſibus: de canone largitionalium titulorum: de annonis & tributis: ſi propter penſitationes publicas venditio celebrata fuerit: ſine cenſu vel reliquis fundum comparari non poſſe.* G. Quæ ſunt utriusque generis? T. Qui ad perſonas pariter & res tituli pertinent. Suntque tituli auri coronarii & luſtralis. Ac eſt quidem aurum coronarium, quod a Principis corona nomen habet, & ob victoriam, & res bene geſtas præſtari ſolet: nec ab

aliis exigitur, quam qui id dare conſueverunt. De qua re eſt titulus Codicis: *de auro coronario.* Aurum autem luſtrale a luſtro dicitur, propterea, quod in ſingula quinquennia ab iis, qui publica conducerent, & a mercatoribus dari ſolet. Sed hodie ſublatum eſt, ut demonſtrat titulus Codicis, *de naviculariis & de tollenda luſtralis auri collatione.* G. Qui ſunt II. *tituli extraordinarii?* T. Cum non perpetuo, ſed ad tempus propter aliquam neceſſitatem repentinam quid præſtatur. Ac ſunt quidem hujus generis, quæ vocantur indicta ſive indictiones temporariæ; quibus inde nomen eſt, quod a Principe indicuntur ſive imperantur juſſionibus miſſis, primum e Palatio ad Præfectos Prætoriorum, & inde ad Præſides provinciarum: ut oſtendit rubrica Codicis, *de indictionibus.* Cum quibus non male numeres ſuperindicta: quæ ſunt, quando indictioni præcedenti aut canoni ordinario temporale aliquod imponitur incrementum: ut videre licet ſub titulo Codicis, *de ſuperindicto.* Præter indictiones ſunt & oblationes, quas ineunte novo anno aut natali die Principis offerre mos eſt: qua de re eſt titulus Codicis *de oblatione votorum.*

TITULUS XXVIII.

De adminiſtratione ſacrarum largitionum.

G. Jam adminiſtratio ſacrarum largitionum quibusnam rebus I. continetur? T. Tribus omnino, profeſſione bonorum, exactione & transmiſſione. G. *Profeſſio* quid eſt? T. Cum quis bona ſua indicat, ac profitetur; merces quidem apud publicanum ad vectigal ſolvendum, nam absque eo in commiſſum caderent: homines vero liberos apud Magiſtrum cenſus ad capitationem præſtandam & opus exhibendum, ita ut maſculis binis aut ternis, fœminis autem quaternis unius capitis tributum imponatur: cætera vero bona tam immobilia, & ea, quæ in iis naſcuntur, quam capita ſive ſervorum, ſive animalium, quæ ibi reperiuntur, apud eundem Magiſtrum cenſus eduntur ad tributa edictaque ſolvenda. Quod & in cenſum referri dicitur, & in publicis libris cenſus civitatum vel encanteriis provinciarum deſcribitur, qui, ſi quid exoriatur difficultatis, adiri debent. G. Recte. T. Formam cenſualem deſcribit Ulpianus hoc modo: *Forma cenſuali cavetur, ut agri ſic in cenſum referantur. Nomen fundi cujusque, & in qua civitate, & in quo pago ſit, & quos duos vicinos proximos habeat: & id arvum, quod in decem annos proximos ſectum erat, quot jugerum ſit; vinea, quot vites habeat; oliva, quot jugerum; paſcua, quot jugerum eſſe videantur: item ſylva cadua. Omnia ipſe, qui defert, æſtimet. Illam æquitatem debet admittere cenſitor; & officio ejus convenit relevari eum, qui in publicis tabulis delato modo frui certis ex cauſis non poſſit. Quare & ſi agri portio chaſmate perierit, debebit per cenſitorem relevari. Si vites mortuæ ſint, vel arbores aruerint, iniquum eum numerum inſeri cenſui. Quod ſi exciderit arbores vel vites, nihilominus eum numerum profiteri jubebit, qui fuit cenſus tempore, niſi cauſam excidendi cenſitor probabit. Is vero, qui agrum in alia civitate habet, in eadem civitate profiteri debet, in qua ager eſt: agri enim tributum in ea civitate debet levare, in cujus territorio poſſidetur. Quanquam in quibusdam beneficia perſonis data immunitatis cum perſona extinguantur, tamen cum generaliter locis aut perſonis datur immunitas, ſic data videtur, ut ad poſteros transmittatur. Si cum ego fundum poſſiderem, profeſſus ſum, petitor autem meus non fuerit profeſſus, actionem illi manere placet. In ſervis deferendis obſervandum eſt, ut & nationes eorum & ætates & officia & artificia ſpecialtier deferantur. Lacus quoque piſcatorios & portus in cenſum dominus debet deferre. Salinæ, ſi quæ ſunt in prædiis, & ipſæ in cenſum deferendæ ſunt. Si quis inquilinum vel colonum non fuerit profeſſus, vinculis cenſualibus tenetur. Quæ poſt cenſum editum nata, aut poſtea quæſita ſunt, intra finem operis conſummati profeſſionibus edi poſſunt. Si quis veniam petierit, ut cenſum ſibi emendare permittatur, deinde poſt hoc impetratum cognoverit, ſe non debuiſſe hoc petere, quia res emendationem non deſiderabat, nullum ejus præjudicium ex eo, quod petiit, ut cenſum emendaret, fore ſæpiſſime reſcriptum eſt.* Hactenus Ulpianus. G. Probe. T. Jam ut hæc profeſſio cenſusque deſcriptio recte fiat, & tam ad ordinarias, quam extraordinarias functiones accommodetur, hæc fere ſolent intervenire: Inſpectio, diſcuſſio, opinio, & peræquatio. *Inſpectio* eſt, cum quantitatis & qualitatis agri ratio initur. *Diſcuſſio* cum ejus juſta fit æſtimatio, quantum in univerſum valeat, vel ſingulis annis reddat, cum jugationis, tum capitationis ratione, ut ſupra oſtendimus, unde & moderatio appellatur. *Opinio* eſt, deſignatio ejus, quod pro modo agri ejusque valore in tributis publicis pendere quis tenebitur. *Peræquatio*, qua reſpicitur, ut in ſupradictis faciendis æqualitas, & proportio quædam agrorum & profeſſionum ſervetur, nec unus magis, quam alius gravetur, quod eſt odioſum & injuſtum. His ita conſtitutis rebus, ſiquidem ordinaria aliqua functio præſtanda eſt, aut extra ordinem quid imperandum; primum fiunt delegationes in curia, quibus quid quæve provincia in univerſum præſtare debeat, deſcribitur. Quæ delegationes tum ad Præfectos Prætoriorum mittuntur, ſiquidem de ſpeciebus agatur, quæ militibus diſtribui debeant; tum ad Præſides & rationales provinciarum, cum pecunia pendenda eſt. Horum rurſum officium eſt, non quidem remittere, aut intendere has delegationes, ſed ſecundum earum inſcriptionem procurare: ut quid ſinguli pro modo rerum ſuarum præſtare debeant, ratio ineatur. Ad quam rem tabulariis civitatum mandant, ut brevia quædam ea de re conficiant, quæ ad ſingulos mitti & fere quadrimeſtria eſſe ſolent. Hæc de profeſſione. Ad quæ pertinent tituli Digeſtorum & Codicis: *De publicanis vectigalibus & commiſſis: de cenſibus: de cenſibus, & cenſitoribus, & peræquatoribus, & inſpectoribus: de omni agro deſerto, & quando ſteriles fertilibus imponantur*, & alii, de quibus poſt dicetur. G. Nunc II. de *exactione* quid ais? T. Sane, quæ ad exactionem largitionalium rerum pertinent, partim profligatione conſtant, partim ſusceptione. G. Quid eſt *profligatio*? T. Judicialis perſecutio ejus, quod Principi tributorum nomine debetur. Ubi & delegatorias ſuas literas, & brevia exhibere debet Exactor ſive Compulſor (nam

hoc

hoc nomine appellatur,) ut tam de autoritate ipſius conſtet, quam de ſumma debita. Nam eam excedere, & ſupra, quam debetur, exigere, graviſſime prohibitum eſt, condemnatione facta. Si quidem moram facit debitor in ſolvendo, tametſi ipſe eo nomine comprehendi non poſſit, per captionem tamen pignorum compellitur ad ſolvendum. Ac obſervatur quidem fere in ſolutione, ut in ſacro ſanctis ea fiat eccleſiis, quo res quam pacatiſſime procedat, & ſi ſpecies debeantur a primordio cujuscunque indictionis: Si vero pecuniæ, certis anni temporibus ſolvantur. Cui accedit, ut juſtis ponderibus & menſuris ſolutio fiat, necnon juſta proportione auri, argenti, æris. Ad quam rem cautum eſt, ut modii ænei vel lapidei cum ſextariis & ponderibus publice adſerventur, & pro ſingulis libris argenti quini ſolidi inferantur. De quibus omnibus ſunt tituli Codicis & Novellarum: *Ubi de ratiocinus tam publicis, quam privatis agi oportet: De capiendis & diſtrahendis pignoribus tributorum cauſa: de collatione æris: de argenti pretio, quod theſauris infertur: de publicis tributis expediendis & ſolvendis: de ponderatoribus & auri illatione: de auri publici perſecutoribus.* G. Quid eſt *ſuſceptio?* T. Receptio eorum, quæ ratione tituli largitionalis debentur. De qua quidem re præcipitur, ne is, qui ſuſcipit, durum ſe ac difficilem præſtet, eoque modo rei differendæ occaſionem præbeat. Cujus & hoc munus eſt, ut omnia, quæ ſuſceperit, diligenter annotet, nec ullo modo rebus ſuſceptis ſe immiſceat, inve uſus ſuos eas convertat. Quin & hoc curæ habere debet, ut ſuſcepta diligenter condantur, ſpecies quidem in horreis publicis, pecuniæ autem in arcis cujusque provinciæ, ſiquidem habeat: ſin minus ejus, quæ proxima eſt. Nam hæc ſunt, in quibus theſauri provinciarum exſiſtunt, ut demonſtrant tituli Codicis: *De conditis in publicis horreis, & his, quæ ex publica collatione inlata ſunt, non uſurpandis*, cum aliis, de quibus poſt dicetur. G. Reſtat III de *transmittendis* iis, quæ exacta ſunt, ut exponas, nam id in adminiſtratione ſacrarum largitionum tertium eſſe diximus. T. Verum. Et hæc quidem transmiſſio, tum quidem ſacra embola, tum autem publicarum ſpecierum transvectio vocatur. Et vero undenam hæc transmiſſio fiat, ſatis, ut reor, ex antedictis intelligi poteſt, quippe ex iis, quos diximus, theſauris: quo autem mittantur, & quo pacto, id vero videndum eſt. G. Quo autem mittuntur? T. Communiter ad ſacrum Principis Comitatum & Comitem largitionum; qui & condita ea habere jubetur, & per diverſa ſcrinia diſponere. Sed & ad Præfectos Prætoriorum, ut inde militibus ſatisfiat. Subinde vel ad ipſos milites mitti ſolent. Et ſi ſpecies ſint ad arma fabricanda, vel monetam cudendam, aut ad veſtes aliave ornamenta facienda idonea, ad fabricenſes ipſos, monetarios, murilegulos, gynæciarios recta via deſtinantur. G. Quomodo autem fit transvectio? T. Fit vel terra, vel mari per navicularios ſervilis prope conditionis homines, qui ei rei addicti ſunt. Nec poteſt quis in publica transvectione naves ſuas ab hac re excuſare. Adde, quod quæ per mare transportantur, ſpecies publicæ vocantur, ad differentiam earum, quæ terra vehuntur. Ac cum olim pro ſumtibus transvectionis quædam a collatoribus præſtari ſoleant, quæ ab ea ipſa re paropompica vocarentur, placuit Juſtiniano, ut hoc onere ipſi levarentur. Plane in tota hac transvectione illud obſervatur, ut pro ratione & commoditate cujusqne loci ipſa imperetur, ne nimirum collatores graventur. Pertinentque huc tituli Codicis & Novellarum: *De naviculariis ſeu naucleris publicas ſpecies tranſportantibus: & de tollenda luſtralis auri collatione: de prædiis & omnibus rebus naviculariorum: de navibus non excuſandis: ne quid oneri publico imponatur: de naufragiis: de publicis tributis expediendis & ſolvendis.*

TITULUS XXIX.

De magiſtratibus & officiis ſacrarum largitionum.

Magiſtratus & officiales, qui ſacris largitionibus præſunt ac ſerviunt, quosnam enumeras? T. Princeps omnium eſt Comes ſacrarum largitionum, qui & ſacrorum theſaurorum præfectus appellatur. De quo eſt titulus Codicis: *De officio Comitis ſacrarum largitionum.* Poſt eum ſunt Procuratores Cæſaris ſeu rationales per omnes provincias; ad quem pertinet titulus Digeſtorum: *De officio Procuratoris Cæſaris vel rationalis.* Inde ſequuntur, quæ ad cenſum pertinent agendum, exigendum, ſuſcipiendum, & transvehendum, necnon ad vectigalia, ac ſordida munera. G. *Ad agendum* cenſum quinam I. pertinent? T. Sane qui cenſui agendo præſunt ac ſerviunt, ſunt Magiſter Cenſus, de quo ſupra expoſitum eſt; Cenſuales ſcribæ, quibus ille utitur; Cenſitores, qui operam ipſi hac in re præſtant; & Inſpectores, qui loca in cenſum redigenda inſpiciunt; Discuſſores, qui quid quidque valeat, excutiunt; Opinatores, qui quantum pendendum eſt ſtatuunt; Peræquatores, qui, ut æqua proportio his in rebus ſervetur, curæ habent; Tabularii, qui rationibus præſunt, cujusmodi duo in quaque provincia eſſe debent; cum quibus & numerarii putantur, qui numeros harum rerum tractant, De quibus ſunt tituli Codicis: *De cenſibus & cenſitoriubs & peræquatoribus & inſpectoribus: De diſcuſſoribus: De tabulariis, ſcribis, logographis cenſualibus: De numerariis, actuariis, chartulariis & adjutoribus ſive ſcriniariis & exceptoribus ſedis excelſæ, cæterorumque judicum tam militarium, quam civilium.* G. Ad *exigendum* autem II? T. Qui ad exigenda debita pertinent, ſunt, qui generali nomine Actores vel Exactores & Canonicarii appellantur. Ac ſpecialiter quidem ſunt Palatini ſeu principales; & Mittendarii, qui Cæſariani quoque & Catholiciani vocantur, ut jam ſæpe diximus: Item Admonitores, qui admonent debitores: Petitores præcepti, qui petunt, quod imperatum eſt; Summarii, qui certas ſummas exigunt: & Sexagenarii, Centenarii, Decennarii: Item Opinatores, qui militarem fere annonam percipiunt: Vindices, qui tributa publica vindicant: & Expilatores, qui res ipſas ab his, qui in mora ſunt, auferunt, quorum tamen nomen, ut odioſum, poſt ceſſare juſſum eſt. Officium autem horum Exactorum eſt, ut ubi in provinciam veniunt, tabellarium adeant civitatis, ab eoque diſcant, quantum quisque debeat: quos ubi admonuerint, ſiquidem non pareant, adeunt Præſidem provinciæ alioſve

judices, ut eos faciant condemnatos, & ſi opus eſt, per eorum Officiales exſequantur. Qua quidem cauſa fit, ut in hoc negotio tributorum frequens occurrat mentio Præſidum & aliorum judicum provincialium, item Defenſorum & Patrum, Frumentatorumque civitatum, nec non Decurionum, Curialium, Cohortalium, Irenarcharum, & Apparitorum. Qui quidem omnes vel judicandis vel exſequendis cauſis tributariis operam præſtant. Quin & illud ſciendum eſt: quemadmodum Exactorum officinm eſt; ad condemnationem debitorum rem perducere, ita pro rei judicatæ exſecutione perſequenda ſuccedere alios, qui Compulſores proprio nomine appellantur. Quanquam dubium non eſt, quin & Palatini id ipſum, ſi velint, facere poſſint. Pertinentque huc & ad formam exigendi, Tituli Codicis & Novellarum: *De exſecutoribus & Exactoribus: De Ponderatoribus, & auri illatione: De auri publici perſecutoribus: De publicis tributis expediendis & ſolvendis: De capiendis & diſtrahendis pignoribus tributorum cauſa: De apochis publicis & deſcriptionibus Curialium, & de diſtributionibus civilibus.* G. Ad *ſuſcipiendum* vero III? T. Hi ſunt Suſceptores, ſive ærarii, ſive alii. (Nam duo in quaque debent eſſe Provincia) item Ponderatores ſive Idioſtatici, Menſores, Præpoſiti horreorum, unde & ſpecies horreaticæ vocantur: & denique Arcarii, qui & Præpoſiti dicuntur Theſaurorum. Quorum quidem officia quæ ſint, manifeſtum eſt ex iis, quæ de adminiſtratione rerum largitionalium modo diſſeruimus. Suntque Tituli Codicis de illis: *De ponderatoribus & auri illatione: De Suſceptoribus, Præpoſitis & Arcariis*, & alii ſupra relati. G. Ad *Transmittendum* denique IV? T. Qui ad transmittenda tributa pertinent officiales, ſunt primo loco Palatini ſacrarum largitionum ex Agentibus in rebus, quos conſtat evectionibus præeſſe, & cum his Curioſos, & Stationarios, qui per provincias ſunt diſpoſiti, & tum harum, tum aliarum rerum curam gerunt. Poſt hæc ſunt Navicularii, qui ſpecies ipſas & theſauros transvehunt, de quibus ſupra diximus. Quibus ultimo loco ſuccedunt alii, quibus ſpecies transvectæ traduntur, qui ſunt Comes Sacrarum largitionum, Præfecti militum, Artifices Palatini, & alii: de quibus & ipſis ſupra docuimus. G. Recte. T. Ac quoniam quidem ſupradictis omnibus peragendis varii ac diverſi *Scribæ* interveniunt, horum fere nomina ſunt, quæ ſequuntur: Tabularii, Numerarii, Cenſuales, de quibus idoneo loco diximus. Item Logographi, qui rationes ſcribunt: Chartularii, qui chartas tractant: Boeti, adjutores numerariorum: Logiſtæ, qui ut curatores reipublicæ nomine ipſius rationibus audiendis operam præſtant: Medigrammatiæ, qui ut ſcribæ officium ſuum faciant, procurant: Diaſtolæ, qui examinandis ac diſpungendis rationibus præſunt: Exceptores, qui & dictata excipiunt, & ex uno libro rationum ad alium transferunt: Tractatores, qui chartas & pecunias tractant: Scriniarii, qui in ſcriniis degunt: & Conditionales, qui contractus initos conſcribunt. De quibus omnibus variis locis tractatur, ut poſt tangetur. G. Præter hos V. quid? Anne & alii ſunt, qui ad ſacras largitiones pertinent? T. Sunt vero; nempe qui ad vectigalia & ſordida munera pertinent. G. Hi autem quinam ſunt? T. Publicani, Mancipes, Stationarii & Familiares vectigalium; de quibus ſupradicti tituli, *De publicanis & vectigalibus* tractant. Item Capitularii & Turmarii, qui ſunt ſordidorum munerum. Ac ſunt quidem *publicani*, qui publica vectigalia conducta habent, ſive potius, qui publico fruuntur. Nam ſive conductum vectigal habent, ſive alias adminiſtrant, publicani omnes dicuntur, habent enim nomen a publico fruendo. Ac ſunt quidem publica vectigalia, ex quibus vectigal fiſcus capit. Quale eſt vectigal rerum venalium, ſalinarum, metallorum, piſcariarum, & ſimilium. *Mancipes* ſunt, qui quæ ipſi habent generaliter conducta vectigalia, aliis minutatim elocant; unde & principes habentur publicanorum, & habent ſuas ſocietates. Ac quanquam quidem conducere vectigalia nemo teneatur, qui tamen maximos fructus ex redemtione vectigalium conſequuntur, ſi poſtea tanti locari non poſſunt, ipſi ea prioribus penſionibus ſuſcipere compelluntur. *Stationarii* ſunt, qui ad vectigal percipiendum certis ſtationibus a publicanis collocantur. Nam fere fit, ut idem vectigal plures habeat ſtationes. *Familiares* ſunt, qui de familia ſunt publicani, eique in publico fruendo miniſtrant, ſive liberi ſint, ſive ſervi: *Capitularii* ſunt, qui capitibus, h. e. rebus ad jumenta neceſſariis, ut fœno aliisque conquirendis, præſunt: *Turmarii*, qui tyronum turmas producunt.

TITULUS XXX.

De Poſſeſſoribus & Collatoribus largitionalibus.

G. Quid? an amplius quid habes, quod ad ſacras largitionales pertineat? T. Habeo vero: nempe ut de iis, a quibus largitiones proficiſcuntur, nonnihil dicamus. G. Recte. T. Hi autem ſunt, qui *Poſſeſſores* vocantur, nimirum, qui immobilia poſſident, ex quibus tributa penduntur; Et *Collatores*,, ab eo, quod annonas & tributa conferunt. Atque hæc quidem ex rebus ſuis præſtant, niſi immunes forte ſint vel relevati. *Immunes* ſunt, veluti ſi cui civitati aut provinciæ Jus italicum datum ſit cum plena ſoli immunitate, ut ſupra docuimus. *Relevati*, ſi quæ ſit provincia, quæ multis contributionibus exhauſta ſit, vel cui quid gravioris damni, bello, tempeſtate, chasmate, ant quo alio modo acciderit. Nam ob has cauſas fieri nonnunquam ſolet, ut in præteritum vel futurum nonnihil relevetur. Quod quidem non modo in integris provinciis obſervatur, ſed & in ſingulis fundis & poſſeſſionibus. Quibus ab ea ipſa re nomen eſt, ut vel *donati* vocentur, ſi fortaſſis libertate donati ſint: vel *relevati*, ſi qua parte tributorum levati: vel *translati*, ſi ab uno genere oneris ad aliud translati ſunt: vel *adærati*, ſi pro omnibus oneribus certa ſumma annua æſtimati. Ex qua quæ generalis eſt regula, ut quemadmodum Collatores operis gravari non debent, ut docet Titulus Codicis: *Ne operæ a collatoribus exigantur*: ita nec immunitas illis concedatur. De qua re ſunt Tituli Codicis: *De immunitate nemini concedenda, & ut nemini liceat in emptione*

ptione ſpecierum ſe excuſare; & De Munere Sitocomiæ: niſi fortaſſe ſpecialis aliqua cauſa ſubſit, ut in præteritum vel futurum quid indulgeatur. Quo pertinet rubrica Codicis: *De collatione donatorum vel relevatorum; aut translatorum ſeu adæratorum.* Item Novellæ, *Ut ea, quæ præfectis aut largitionibus, aut rebus privatis, aut ſacro patrimonio debentur inquacunque ſpecie usque ad præteritam ſeptimam Indictionem, ut ipſum indulgeatur: De indulgentia tributariorum reliquorum: De relevatione tributorum: De collatoribus & aliis capitulis: De publicis tributis expediendis & ſolvendis, nec non aliis capitulis: De prole partienda inter ruſticos adſcriptitios: De ruſticis, qui in alienis prædiis nuptias contrahunt: De relevatione tributorum publicorum.*

HERMANNI CONRINGII
DISSERTATIO POLITICA
DE COMMERCIIS ET MERCATURA.

Menſe Octobri MDCLXVI. habita.

RESPONDENTE

HENRICO *von Ulenbrock.*

Theſis I.

Non tantum ex lumine rectæ rationis, verum etiam ex revelatione ſacri codicis, notum eſt, mundum, & omnia, quibus mundus conſtat, quæque ille ex ſeſe generat, quadamtenus in gratiam hominum eſſe producta, eorumque cauſa cuncta eſſe facta (Ariſt. 1. Polit. 5.) quo illi, in imaginem Dei creati, præ reliquis animalibus, omnes tam inanimatas, quam animatas res, ad ſuum uſum & illum finem, ad quem productæ ſunt, dirigant. Conceſſit enim DEUS TER OPT. MAX. in benedictione ſua hominibus univerſale dominium in omnes res creatas, quas quidem illi ad ſuum commodum convertere poſſent. Dum, inquit, (Gen. 1. & Gen. 9.) *Replete terram & ſubjicite eam: dominamini univerſis animalibus: & omnes piſces maris manui veſtræ traditæ ſunt: terror veſter & tremor ſit ſuper cuncta animalia.*

II. Vi itaque univerſalis illius dominii, ab incunabulis orbis, homines omnia habuere indiviſa & hactenus communia, inque univerſum omnes & ſinguli æquale jus; ita, ut ſingulis, ex rebus creatis & productis, eas, quæ ipſis placuerint, ad ſuum uſum transferre licuerit. Nemo prorſus hominum potuit dicere, ſibi præ aliis majus jus eſſe in rebus illis utendi fruendi; quoniam æqualis fuerunt ſortis & conditionis. Quare recte Juſtinus (*Hiſt. lib. 43. cap. 1.*) dicit; *Erant Saturni ævo omnia communia & indiviſa omnibus, veluti unum cunctis patrimonium eſſet.* Et optimus Rom. Poet. Horatius.

> *Nam propriæ telluris herum natura nec illum,*
> *Nec me, nec quenquam ſtatuit.*

Quibus omnibus ſuffragatur Excel. D. Præſes, hoſpes & patronus meus æternum colendus, in elegantiſſ. diſp. ſua (*de re nummar. th. 2.*) inquiens: *Sciendum, res omnes a primordiis fuiſſe communes.* It. (*in eadem diſſert.*) *Ea initio homines vixere bonitate & ſimplicitate, ut contenti eſſent promiſcuo rerum uſu.* Inde *Seneca* (*in octav.*) *pervium cunctis iter, communis uſus omnium rerum fuit.*

III. Viderunt autem mortales, ſimulatque præſertim a primæva vivendi ſimplicitate & morum integritate eſt diſceſſum, illam communionem multa ſecum ferre incommoda, ſeque æquali illo jure commode uti non poſſe; quoniam plerumque communia communiter negliguntur aut ſaltim negligentius tractantur, rejiciente curam alio in alium; ſic itaque noxium fore, ſi diutius in communione illa viverent. Quippe non amplius contenti fuerunt ſponte natis veſci, antra habitare; arborum ramis vel ſtrue lignorum contegi, aut corpore nudo agere, aut corticibus arborum pecorumque pellibus veſtiri, ſed commodius & exquiſitius vitæ genus expetiverunt.

IV. Hinc ſane manuducente quaſi natura, a communione rerum diſceſſerunt, & gentes unanimi conſenſu in rerum diviſionem conſenſerunt; (nam ante introductam diviſionem nemo quicquam poterat ſibi quid proprium aſſerere, & ab eo alios excludere) ita, ut quantum quilibet induſtria, labore atque peritia ſua occupare, corporeque ſuo inſiſtere poſſet, tantum ejus reddatur proprium. Et ſic acquiri cœpit dominium particulare.

V. Diſtinctis vero ita rerum dominiis, gentibusque per univerſum terrarum orbem diſperſis, naturalis quædam indigentia inter homines exorta eſt. Quia ſcilicet nemo hominum tantæ ſolertiæ repertus, neceſſaria ſibi ſoli ſubminiſtrare, & a petulantiſſimorum hominum injuriis ſe tueri poſſit. Inſtinctu igitur naturæ in unum coiverunt, ut ope mutua, dando, accipiendo, commutandoque, alii aliis, quod ſatis eſt, ſuppeditarent, naturalemque indigentiam explerent. Hinc etiam factum eſt, ut plures familiæ ſe in unum cœtum conferrent. Unde vici, ex vicorum conjunctione pagi; ex pagorum continuatione progreſſu temporis denique oppida orta.

VI. Congregatis autem ita in unum multis familiis, quo mutuis auxiliis indigentiam ſuam explerent, ſeque ab ingruentibus hoſtibus defenderent, & ita civilem felicitatem adipiſcerentur: accidit, ut alius harum rerum affatim poſſideret, quibus alter carere cogeretur, alius vero illis re-

bus abundaret, ſine quibus alter in ſocietate, ſi non vivere, attamen non commode vivere poſſit. Quod enim huic ſuperfluum fuit, alieri defuit, & vice verſa.

VII. Quapropter ne ſub egeſtate periclitaretur humana ſocietas, jure gentium introductum eſt, ut mediantibus commerciis ſuccurratur humanæ indigentiæ. *Nempe non omnis fert omnia tellus. Virgilius* 1. *Georg.*

> *Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ,*
> *Arborei fœtus alibi atque injuſſa vireſcunt*
> *Gramina. Nonne vides, croceos, ut Tmolus odores,*

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi? Quum tantus itaque uſus ſit commerciorum in vita humana, non abs re facturi procul dubio ſumus, ſi in ejus naturam & rationem civilem nonnihil accuratius inquiramus.

VIII. Antequam vero ad rem ipſam progrediamur, præmittemus breviter nonnihil de vocabuli commercii ſignificatione. De etymologia tamen non erimus magnopere ſolliciti, cum perſpicuum ſit, hanc vocem originem trahere a con & merces. Proprie autem loquendo commercium eſt, ubi aliquid ſimul cum alio geritur, ut Plautus in Aulularia: *Quid tibi mecum eſt commercii ſenex*? Hic vero ſumitur commercium, pro commutatione mercium. Dicitur alias mercatura, negotiatio, &c. Germ. *Kauffmanſchafft*, *Handel und Wandel.* Quod definiri poſſet: *univerſale quoddam humanæ inopiæ ſublevandæ medium, jure gentium introductum, per quod cum in ipſa civitate aliqua alter alterius indigentia ſua forte abundantia explet, tum quæ abundant ex civitate alia, aut quæ deſunt, aliunde in civitatem transferuntur.*

IX. Finis igitur potiſſimus commerciorum eſt ſuppletio defectus humani, quo mortales civilem felicitatem, ob quam convenerunt, obtinere poſſint. Siquidem contingit, ut multis abundemus, quæ utilioribus permutare cupimus, multis iterum egeamus, quæ aliunde comparare neceſſe habemus. Nulla namque unquam reſpublica, nec pacis, nec belli tempore, abſque ſufficienti rerum copia conſiſtere poteſt. Ideoque cuivis reipublicæ neceſſarium aliquid emi, & aliquid vendi. Imo pene ſemper neceſſum eſt, ut quo ea, quibus abundamus, exportentur, & aliunde, quæ nobis neceſſaria ſunt, importentur.

X. Ac primo quidem res cum rebus permutari inceperunt; & ſic alter alterius inopiam ſua abundantia & viceverſa ſuam indigentiam alterius copia ſupplevit. Quo facit inſignis Ariſtotelis locus (lib. 1. polit. c. 6.) *Ubi*, inquit: *permutatio eſt in omnibus rebus, cœpta quidem ex eo, quod ſecundum eſt naturam: quia homines alia quidem plura, alia vero pauciora, quam ſatis ſit, habeant.* It. (in eod. c.) *Quæ permutandi ratio non eſt naturæ contraria. Eſt enim ad expletionem ejus, quod naturæ ſatis.* Aſt non ſimpliciter res cum rebus, ſuperflua cum neceſſariis, neceſſaria cum ſuperfluis permutabant; ſed ex proportione, habita ſcilicet ratione, tum rei, tum laboris, tum ſumptuum, quos unusquisque permutantium ſuo operi & rei permutandæ impendit.

XI. Verum enim vero regiones terrarum orbis multum ſeparatæ ſunt, resque permutandæ difficulter, aut ſane haud commode, in remota loca transportari poſſunt: præterea vicini non ſemper habent, quod alii deſiderant, nec alii deſiderent, quod vicini habent; adhoc alia loca, teſte etiam ſummo viro Grotio, aliis rebus aliisque artibus clara ſunt. DEUS, verba ſunt Grotii Maris liberi cap. 1. *ea cuncta, quibus vita indiget, omnibus locis ſuppeditare non vult; artibus etiam aliis alias dat excellere gentes.* Et vero plurimum piper fert Calecutia ac Java, Zeilan cinnomomum præſtantiſſimum, ſal generatur in Cypro, Saccharum in Madera, optima lana in Hiſpania & Anglia, optimum ferrum & cuprum in Svecia, & alia alibi. *Quo iſta? Niſi quod voluit mutua egeſtate, & copia humanas foveri amicitias;* ne ſinguli ſe putantes ſibi ipſis ſufficere, hoc ipſo reddantur inſociabiles.

XII. Quo vero a rerum tam neceſſariarum uſu, quibus vita humana indiget, non plane arceremus, atque ita multis egere, multis contra abundare cogamur; homines coacti faciliorem atque meliorem rationem invenire. Qua ſcilicet mediante (uti Plinius dicit in Paneg.) *quod gentium eſſet uſpiam, apud omnes gentes natum videretur,* cuncta, quæ vellent, permutari poſſent. Hinc gentium quaſi pacto introductus eſt nummus. Qui eſt medium generale, quo res permutandas per ſe & ſua natura inæquales metimur, eique debitam æqualitatem impartimur. Prout Excell. D. D. Meier. (in diſſertatione ſua de re nummaria) eum definit. Cauſam quoque inventi nummi Paulus JCtus adducit in l, 1. pr. ff. de contrah. empt. *Origo emendi vendendique a permutationibus cœpit. Olim enim non ita erat nummus; neque aliud merx, aliud pretium vocabatur; ſed unusquisque, ſecundum neceſſitatem temporum ac rerum, utilibus inutilia permutabat. Quando plerumque evenit, ut quod alteri ſupereſt, alteri deſit. Sed quia non ſemper nec facile concurrebat, ut cum tu haberes, quod ego deſiderarem, invicem haberem, quod tu accipere velles, electa materia eſt, cujus publica & perpetua æſtimatio, difficultatibus permutantium, æqualitate quantitatis ſubveniret. Eaque materia, forma publica percuſſa, uſum dominiumque non tam ex ſubſtantia præbet, quam ex quantitate.* Inventor hic nummi optime de nobis eſt meritus: Siquidem extra uſum nummorum nulla ferme reſpublica poſſit bene conſiſtere.

XIII. Perſpectis vero ita nummi inventi cauſis, progrediemur ad valorem ejus inquirendum. De quo diverſæ diverſorum ſunt ſententiæ. Nonnulli nempe ſibi imaginantur, nummum non eſſe juſtum, niſi bonitas intrinſeca pretium nummi exæquet, perſvadentes ſibi, auro & argento ineſſe pretium naturale, queis æſtimentur. Verum valor eorum æque ac nummi pretium dependet ab opinione & impoſitione hominum. Propterea ſane hæc in uſum nummorum ceſſerunt,

runt, quandoquidem argentei & aurei nummi commerciis aptiores, atque commodiores ſunt, quam æꝛei. Et vero videre eſt in Svecia, quantum majoris ponderis æreus nummus contrahentes prægravet; dum majores nummi longe difficilius minoribus circumferuntur, id quod commerciis non poteſt non incommodare.

XIV. Firmiter proinde ſtatuimus cum Ariſtotel. (*l. 5. eth. c. 5. & l. 1. polit. c. 6.*) nummi valorem non bonitati intrinſecæ, ſed ſummæ poteſtatis arbitrio & impoſitioni tribuendum. Adeoque ſummæ majeſtati competere circa rem nummariam conſtituere id, quod expedit reipublicæ: ex conſequente, tempore neceſſitatis nummum cartaceum & coreaceum introducere, ipſi licere, quorum pretium longe materiam ſuperat. Poſterius ſcilicet factum etiam ſuperiori ſeculo Lugduni Batavorum, durante obſidione hiſpanica: prout excell. D. Præſes refert (*in eleganti ſſ. diſput. ſua de re nummaria th. 13.*)

XV. Introducto vero jam nummo, cum homines ſentire cœperunt, quantum lucri ſibi ex commerciis accederet, magis magisque animum ad commercia applicarunt. Per maria nimirum, per horrentes ſcopulos, & montes altiſſimos quæſiverunt, quibus vitam commode ſuſtentarent. Quod utique facile fieri poteſt, quum florente mercatura, florent in rep. omnia, deficiente, deficiunt omnia; Mercatura ſane eſt quaſi ſanguis aliquis reipublicæ, qui vividum, vegetumque corpus reddit, deficiens vitales quoque ſpiritus aggreditur, & convellit, ut tandem moriatur. Hinc itaque Propheta Ezechiel. cap. 27. v. 32. & ſeq. commerciorum privationem & interitum inter inſignes calamitates & pœnas divinas poſuit, dum urbis Tyri excidium ſic deplorat: *Præcedentibus nundinationibus tuis e maribus ſatiabas populos multos, amplitudine opum tuarum & commerciorum tuorum ditabas Reges terræ. Quo tempore confracta es a maribus, in profundiſſimis aquis, commercium tuum & tota congregatio tua, in medio tui ceciderunt. Omnes habitatores inſularum obſtupeſcunt de te, & Reges illorum horreſcunt horrore, percelluntur vultu. Negotiatores in populis ſibilant de te: terrore ſummo es, quod nulla ſis usque in ſeculum.*

XVI. Ne itaque mortales tam neceſſario tamque utili explendæ indigentiæ ſubſidio egere cogantur, verum potius inopia conjuncta civium opera ſublevetur & expleatur, gubernatores cujusvis reipublicæ modos acquirendi faciliores atque frequentiores reddere, commercia promovere, & mercatoribus varia adminicula ſuggerere tenentur. Quo ſcilicet in urbibus lucra creſcant, novæ artes introducantur, inventarum utilitates augeantur, negotiatoribus privilegia concedantur, nundinæ denique & mercatus inſtituantur, eoq; ſit major rerum copia. Ubi ſane magna rerum copia, ibi multa importantur & exportantur: ubi vero multa importantur & exportantur, ibi augetur ærarium e vectigalibus mercium evectarum & invectarum & populus diteſcit. Quod optime norunt Batavi, qui intra anguſtos ſuarum provinciarum terminos ſolis commerciis ad immanes illas divitias pervenerunt. Galli quoque nec auri nec argenti fodinas habent, mercimoniis tamen, artibus, rebusque ingenioſe excogitatis & confectis ingentes divitias congerunt. Ut taceam reſpublicas Florentinorum, Genuenſium, Hamburgenſium, aliorumque.

XVII. Hinc ſane etiam in Svecia quam ſaluberrime conſtitutum eſt Collegium commerciorum, cui Collegio præfecti ſunt Præſes & Aſſeſſores, quorum curæ demandata ſunt commercia. Quæ nempe in regno ſint recipienda, & a quibus exercenda; ne cuivis nimium permittatur pro lubitu quibusvis mercibus negotiari, ſed alius alia vendat. E. g. qui linteum vendit, non vendat pannum, & qui aromata, non ſal: Quarum etiam rerum illa eſſe debeant, quæ importantur & exportantur: & hujuscemodi alia. Uno verbo, omnia, quæ in augmentum commerciorum vergunt, promovere, & quæ in detrimentum, præcavere, in officio illius inclyti eſt collegii.

XVIII. Veruntamen, nonnulli ſe offerunt, qui nimia conſcientiæ ſcrupuloſitate omnia fere commercia formidant, quoniam difficile ſit inter ementes vendentesque non intervenire peccatum. Nam plerumque mercatores per fas & nefas, mendaciis, perjuriis aliisque iniquitatibus & fraudibus divitias congerere, inquientes cum Cicerone (3. *offic.*) *Quid ſtultius? quam venditorem vitia rei, quam vendit, narrare, & quaſi per præconem dicere: domum peſtilentem vendo.* Reperiri præterea negotiatores in nonnullis locis, ubi nomen Chriſtianorum, ut in Japonia, inviſum eſt, qui quæſtus cauſa chriſtianiſmi profeſſionem abnegent. Ut merito cum Virgil. (3. *Æneid.*) exclamari poſſit.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Et vero tales mercatores Salvator noſter e templo ejecit, menſas nummulariorum & cathedras vendentium columbas evertens &c. *Matth. 21. Num. 12.* His ſane rationibus permoti nonnulli, commercia illicita pronunciant, nemineque poſſe illæſa conſcientia illa exercere.

XIX. Quamvis autem hæc ſatis ſpecioſa videantur, attamen relictis eorum emendicatis ſuffragiis, non videmus, cur commercia ſint illicita. Quia utique omnia permiſſa ſunt per legem, quæ non inveniuntur prohibita, ut recte dicitur (*l. 28. ff. ex quibus cauſ. min. 25. ann.*) Non quidem negamus, nonnullos inſatiabiles mercatores propter ſolum lucrum & ad cumulandas divitias negotiari, idque absque læſione conſcientiæ vix fieri poſſe. Veruntamen culpa non eſt in mercatura, ſed in mercatore. Si enim quis ob finem neceſſarium & honeſtum, puta ad ſuſtentationem familiæ vel propter utilitatem publicam negotietur, & pro ratione laboris periculique ſui, cui ſe expoſuit, transferendo rem de loco ad locum, lucrum faciat, non peccat. Dignus enim operarius mercede ſua.

XX. Argumentamur itaque ſic: Quodcunque per ſe & ſua natura non eſt malum, ſed

potius

potius ad conſervandam ſocietatem humanam eſt neceſſarium, illud non eſt illicitum. Atqui mercatura per ſe & ſua natura non eſt mala, ſed potius ad conſervationem ſocietatis humanæ neceſſaria. E. Minorem probo. Eſt enim indifferens: ſi bene utaris, bona, ſi male, mala. Diximus etiam ad conſervationem ſocietatis humanæ; quoniam poſt lapſum commercia ad ſocietatis civilis conſervationem adeo neceſſaria fuerunt, ut ſine illis ſocietas humana conſiſtere non poſſit, Perinde enim uti vita humana absque neceſſario nutrimento ſalva eſſe non poteſt, ita etiam respublica felix absque ſufficienti rerum copia

XXI. Poſtquam vero jam ſufficienter probavimus, commercia eſſe licita, ſi propter ſuſtentationem familiæ vel alium bonum finem ſuſcipiantur. Jam videamus, quibus ſint prohibita. Quidam volunt, cunctis jure gentium commercia eſſe permiſſa, & pro fundanda ſententia adducunt (§. 2 *inſtit. ſed jus, de I. N. G. & Civil.*) *Jus autem Gentium omni humano generi commune eſt.* Sed reſpondemus ad majorem, limitando. Quæ ſunt juris gentium, & non a ſuprema poteſtate, vel quoad res, vel quoad perſonas, vel quoad modum ſunt reſtricta, illa omnibus ſunt permiſſa. Jam commercia, nec non venatio &c. ſunt juris gentium, ſed hodie multum reſtricta, nec quod olim licuit, quemvis hodie facere poſſe: adeoque commercia jam a civitatibus occupata, civiumque propria ſunt. Advertendum præterea eſt, juris gentium a quam multis cenſeri, quæ partim æterni ſunt juris, partim poſitivi: alia item eorum, quæ juris gentium ſunt, non niſi permiſſive talia eſſe, alia vi mandati. Jus civile itaque poteſt pro uſu civitatis mutare, quæ ſunt poſitivi juris gentium, cumprimis ea, quæ non niſi permiſſa ſunt. Jam vero emptio & venditio juris gentium eſt poſitivi & non niſi permiſſa fuit. Accedit, quod non omnis emptio & venditio ſit ſpecies mercaturæ, etſi mercatura emptione & venditione conſtet.

XXII. Quia igitur commercia quam maxime conveniunt illis, qui in oppidis verſantur, civesque κατ᾽ ἐξοχὴν audiunt, merito ab iis alii abſtineant, qui ex proventibus, ex prædiis & bonis ſuis ſat habent, unde vivant. Hac ſane de cauſa prudenter diſtincti ſunt in civili ſocietate ordines; quibus ſingulis ſua diſtincta munia ſunt adſignata, juxta vulgatum verſiculum

Tu ſupplex ora; tu protege; tuque labora.

Primo itaque omnium Clericis interdicenda eſt negotiatio: ideo, ne a ſpiritualibus officiis avocentur & animum illi curis ſecularibus nimis implicent, quo non poſſunt non negotia ſacra plurimum impediri. Ne tamen & illos excludamus ab omni emptione ac venditione, diſtinguimus inter mercaturam œconomicam & lucrativam. Oeconomica eſt, quando quis ad ſuſtentandum ſe & domum ſuam, prout neceſſitas poſtulat, emit ea, quæ neceſſaria ſunt; contra ea, quæ ex prædiis vel aliis proventibus veniunt, & quibus non indiget, vendit. Lucrativa eſt, quando quis rem, quam emit, nullo ſingulari artificio adhibito, nullaque addita inſigni melioratione, carius vendit. Ex quibus negotiationis ſpeciebus clericis lucrativa ſola eſt prohibita. Si ſane proventus ex prædiis eccleſiaſticis vel patrimonialibus rebus, quibus non indigent, vendere haud permitteretur, neceſſario fame perire cogerentur. Quod autem de clericis dictum, idem etiam obtinet in ruſticis. Videtur autem intereſſe reipublicæ, cujus partem oppida conſtituunt, ut quæ in agro naſcuntur, & vendenda veniunt, non peregrinis proxime, ſed oppidanis vendantur. Sic enim conſulitur ſimul oppidanorum ſaluti, qua multis in locis bonam partem conſtat fortuna reipublicæ, ſaltim ærarii publici. Cæterum hactenus de clericis & ruſticis. Jam ad nobiles.

XXIII. Communiter ſane jura multorum populorum hodie ſtatuunt, exercitium mercaturæ officere nobilitatis ſplendori, & ſolam artem militarem & exercitia armorum ipſis competere. Non quidem, quod mercatura ſit ignobilis, ſed quo facilius inter negotiatores & plebejos ſit emendi vendendique commercium, & ne nobiliores & potentes quique opibus ſuis totam utilitatem ad ſe trahant, & ita plebei & infirmiores negotiatores in civitatibus opprimantur. (*l. 3. c. de Commer.*) Ea utique de cauſa & sereniſſimus Elector ſaxonicus, Joh. Georgius II. in reſolutionibus gravaminum, a Statibus ſibi propoſitarum, hoc modo reſcripſit. (In Erledigung der übrigen Gebrechen, &c. ſub tit. Juſtitien-Sachen. Grav. 118. §. 66. & ſeqq. Und aber unſer in Gott ruhende hochlöbliche Vorfahren gantz reifflich und weiſslich erwogen, auch ihre Ordnungen mehrentheils dahin gerichtet, daſs ein Stand bey den andern hinkommen kan, und weiln Handthierungen, Kauffmannſchafften und Handwercke zu treiben &c. eigentlich den Bürgern in den Stadten, aus ſonderbahren erheblichen Urſachen geeignet, und derſelben Weſen und Wohlſtand darauf gewidmet und gegründet, die Prälaten, Graffen, Herrn und vom Adel, ſowol unſere Aemter und andere Gerichts-Herrn, Bauren und Dorffſchaften ſich ſolcher Bürgerlichen Handthierung enthalten, und zum Verderb unſerer Städte nicht Urſach geben: Dahero Standes- und Adeliche Perſohnen ihrer Ritter, Solden und Güter, und die Bauren ihres Pfluges und Ackerwercks warten; damit unter Standes-Perſohnen, Adel, Bürgern und Bauren ein Unterſcheid ſey, &c.

XXIV. Videtur vero jam & olim nonnullis placuiſſe, quod in liceat dignitate conſtitutos haud mercatura uti. Teſtatus id Theophilus Imperator apud Zon. (*tom. 2.*) videns enim advehi ingentem navem plenam mercimoniis, eamque admiratus cujus eſſet? cum Auguſtæ ſuæ conjugis eam eſſe intellexiſſet, navem illico concremari juſſit, hac objurgatione uxorem increpans. *Cum me DEUS Imperatorem deſignavit, tu me mercatorem facere contendis. Scito autem, mercaturam privatis hominibus eſſe conceſſam, ut eum toleranda vitæ modum habeant. Quod ſi nos præter imperii opes, etiam mercaturæ emolumentum interceperimus, unde nam fortunæ & ſortis tenuioris homines victum comparabunt?*

XXV. Me-

XXV. Metuendum porro etiam hoc, ne nobilitas, deguſtata lucri ex mercimoniis provenientis dulcedine, arma abjiceat, & negotia mercimonialia ſectetur. Hinc Sigismundus Rex Poloniæ, nonnullis nobilibus jus negotiandi petentibus, dedit reſponſum: (*Keckermann. 1. pol. 14.*) *Oportet me in regno habere triplex genus hominum; nempe ruſticos, qui agrum colant: Et denique nobiles, qui me & patriam defendant. Quæ defenſio patriæ, cum per ſe ardua ſit, & cum aucupio lucri & quæſtus vix conſiſtere poſſit, nolim generoſa pectora patriæ defendendæ nata, mercatorum negotiis implicari: aut ſi hoc cupiant, permittant mercatores in ſuum locum ſuccedere & patriæ defendendæ curam ſuſcipere.* Eadem de cauſa videmus & plærosque Germaniæ nobiles vitam in agro agere, atque ex eo ſibi victum quærere; quaſi hic modus acquirendi ſit maxime naturalis. Quod Tullius teſtatur (l. 1. officiorum) dum inquit: *Omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil agricultura melius, nil uberius, nil dulcius, nil libero homini dignius.* In Svecia quoque lege Guſtavi I. (*de illicitis commerciis*) ſancitum eſt, ne nobiles, præfecti, prætores, opifices, &c. aliique R. M. miniſtri ullas merces emant, quas non mutata forma revendant; ſi quis autem mercatura & civili victum quærendi genere uti velit, quia opes claritudini generis non ſufficiant, & dignitas ſecundum qualitatem perſonarum conſervari nequeat, tum oppidanorum modo publica ferat.

XXVI. Verum enimvero, ne nobiles plane a mercatura arceamus, præterquam, quod absque controverſia ſit, illos, ut patresfamilias, poſſe emere atque vendere, conſiderandus primo eſt mos regionis & conſvetudo loci. Quamvis enim alibi nobiles armis duntaxat vacare debeant, nihil vetat tamen, quo minus alibi & alio modo vitam inſtituant. Sic in Italia hodie Venetiis & Genuæ, omnes, ſive nobiles, ſive plebei; ſive divites, ſive pauperes, ſive magiſtratum gerentes, ſive privatam vitam agentes, ſive in dignitate conſtituti, ut Doctores, ſive alius quisque, ita, ut ad mulieres usque res pervenerit, adeo negotiis cambiorum & mercium incumbunt, ut unusquisque pecunias ſuas, quantæcunque fuerint illæ, ne momento quidem temporis patiatur otioſas remanere, ſed omnes indifferentes pro viribus & facultatibus negotia vel cambiorum, vel mercium præ manibus ſemper habeant frequentiſſima: ita ut valeat conſequentia, eſt genuenſis, ergo mercator. Olim quoque nobiliſſimos Romanorum fuiſſe uſurarios notiſſimum eſt: videtur autem vilius, eſſe fœneratorem, quam mercatorem. Diſtinguendum præterea cum Cicerone (5. officiorum) inter mercaturam tenuem, & ob vile lucrum, & inter amplam & copioſam: ſi enim tenuis ſordida putanda, ſi magna nihil nobilitati derogabit. Et hoc eſt, quod dicit Latherus *de cenſu lib. 3. cap. 13. n. 52. 53. & ſeqq. Citra ullum vituperium & nobilitatis detrimentum, nobiles apud Venetos, Genuenſes, cæterosque Italiæ populos mercaturam exercent. Nec enim Italis abundans, & quæſtuoſa mercatura nobilitatis labem & dedecus ullum infert: nec Tullius ipſe uberem mercaturam improbat, ſed eos, qui ab aliis emunt, quod carius vendant, quos ſordidos appellat.*

XXVII. Poſtquam porro jam manifeſtum eſt, quibus mercaturam exercere liceat, denique conſiderandum venit, quæ genera commerciorum ſint licita. Præſupponamus autem, licita eſſe illa, quæ non contra legum & magiſtratuum præſcripta, adeoque jure prohibentur. Prohibentur autem, quibus respublica carere nequit. Si enim illa, quæ ad victum neceſſaria infelicius proveniunt, ne exportentur, vetari debent; ne aliis miniſtremus, domi vero rerum omnium egeni, non habeamus, unde vivamus. Quod etiam apud nos Rigæ tempore caritatis factum. Præterea prohibentur exportari, quibus armantur hoſtes, ceu etiam fit l. 1. & 2. C. *quæ res exportari non poſſunt*, ut ferrum, frumentum, ſal & omnis generis arma &c. quæ vulgo vocantur Contrabande, de quibus non ſumus ſolliciti, quia jam alius illum laborem de importandis & exportandis ſuſcepit.

XXVIII. Cæterum, cum nihil reipublicæ pernicioſius, nihilque majus detrimentum communi plebeculæ adferat, quam ſi unus tantum, reliquis omnibus excluſis, ſolus vendendi quidquam poteſtatem ſibi vendicet, aut ſi mercatores privati inter ſe conveniant, de non emenda & vendenda merce, niſi conſtituto, & quidem injuſto pretio, per quod via comparandarum ad vitam neceſſariarum rerum aliis intercluditur, & rerum caritas introducitur, & mirum in modum egeni gravantur, ita, ut velint, nolint, quo pretio monopolis libuerit, quo emere neceſſum habent, redimendum ſit. Cum *natura autem æquum ſit, neminem locupletari cum alterius jactura* (*l. 14. ff. de condict. ind.*) hinc merito orthodoxæ religionis reſtaurator beatus Lutherus in hæc verba erumpit, *in tract.* von Kauffhandlung und Wucher; Solche Kauff-Leute thun gerad, als weren die Creaturen und Güter Gottes allein für ſie geſchaffen und gegeben, und als möchten ſie dieſelben den andern nehmen, und ſetzen nach ihren Muthwillen.

XXIX, Laudabiliter etiam tam antiquiores, quam noſtri legislatores, nequitiam monopoliorum ſeveriſſimis legibus & pragmaticis conſtitutionibus reprobarunt. Ita enim Imperator Zeno conſtituit, (*in l. unic. C. de monopol.*) *Jubemus, ne quis cujuscunque veſtis vel piſcis, vel pectinum, aut echini, aut cujuslibet alterius ad victum, vel ad quemcunque uſum pertinentis ſpeciei, vel cujuslibet materiæ, pro ſua autoritate, vel ſacro jam elicito, aut in poſterum eliciendo reſcripto, aut pragmatica ſanctione, monopolium audeat exercere, neve quis illicitis habitis conventibus conjuret aut paciſcatur, ut ſpecies diverſorum corporum negotiationis, non minoris, quam inter ſe ſtatuerint, venundentur.* Pœnam etiam monopoliorum *in ead. leg. verſ. ſi quis &c.*) conſtituit. *Si quis autem monopolium auſus fuerit exercere, bonis propriis ſpoliatus, perpetuitate damnetur exilii. &c.*

XXX. Sæpenumero quoque publicis imperii conſtitutionibus ſub graviſſimis pœnis monopolia reprobata ſunt. Ita enim in reform. polit. Auguſtæ de anno 1548. (*Tit.* die *Monopolien* und ſchadliche Fürkäuffer belangende *p.* 419.) Saluberrime cautum eſt. Cujus verba, etſi prolixiora,

lixiora, operæ tamen pretium eſt, illa adducere. Wiewol die *Monopolia*, betrüglicbe, gefährliche und ungebührliche Fürkauff, nicht allein in gemeinen beſchriebenen Rechten, ſondern auch in gemachten und publicirten Reichs-Abſcheiden, bey groſſen Peenen und Straffen, als Verluſt aller Haab und Guter, und Verweiſung des Landes verboten. So iſt doch ſolchen Satzungen, Abſcheiden und Verbot, bis anhero mit gebührlicher und ſchuldiger Vollziehung gar nicht nachkommen, noch gelebet worden, ſondern ſeyn in kurtzen Jahren, etwa viel groſſe Geſellſchaffi in Kauffmanns-Geſchafften, auch etliche ſonderbahre Perſohnen, Handthierer und Kauff-Leute im Reich aufgeſtanden, die allerley Waaren und Kauffmanns-Güter, auch Wein, Korn, und anders dergleichen, von den höchſten biſs auf den geringſten (in welchen ſie dan in den Landen hin und wieder gute Kundſchaft und Verwahrung haben, ſonderlich wann die Waaren verderben, oder ſonſt in Auffſchlag kommen, und ehe die andern Kauff-Leute ſolches gewahr werden,) in ihre Hand und Gewalt allein zu bringen, unterſtehen, Fürkauff damit zu treiben, und denſelben Waaren einen Wehrt nach ihren Willen und Gefallen zu ſetzen, oder dem Käuffer oder Verkauffer, ſolche Waaren niemands denn ihnen zu kauffen, zu geben, oder zu behalten, oder daſs er, der Käuffer, ſie nicht näher oder anders geben wolle, denn wie mit ihnen überkommen, fügen damit dem Heil. Reich und allen Ständen deſſelben mercklichen Schaden zu, wieder die obvenneldte gemeine beſchriebene Rechte und alle Erbarkeit. Hierauf haben wir zur Forderung gemeines Nutzens und der Nohtdurft nach verordnet, und thun das hiemit ernſtlich, und wollen, daſs ſolche ſchädliche Handthierung, Fürkauff, und deshalben gemachte Geding, Vereinigung und Pacta, hinfüro verboten und abſeyn, und ſie niemand weder durch ſich ſelbſt, noch andere treiben und üben ſollen.

XXXI. Hactenus vidimus, quid de jure communi, ut & Receſſibus Imperii de monopoliis ſtatutum & decretum fuerit. Nunc porro inquirendum erit, quousque ſeſe illæ prohibitiones extendant, & an non interdum in republica concedenda, & quibus ex cauſis exerceri poſſint. Notum ſane, Regem Galliæ monopolium ſalis exercere. Ærario quoque Electoris Bavariæ quotannis magnum emolumentum ex monopolio ſalis accedit. In plerisque præterea Germaniæ emporiis monopolia nonnullorum tolerari reperimus

XXXII. Quare Ariſt. (*lib. 5. Ethic. ad Nicom cap. 7.*) jura atque leges apprime comparat menſuris. Sicut enim illæ non ſunt ſemper & ubique ſimiles, ſed in illis locis, ubi emitur, quod ibi natum, ut alio exportetur, majores, apud illos autem, ubi revenditur, minores: ita quoque leges civiles, non ſimiles eædem ubique & ſemper eſſe poſſunt, ſed pro neceſſitate & utilitate reipublicæ ſunt conſtituendæ, limitandæ, corrigendæ, mutandæ.

XXXIII. Quamobrem cum Ahaſ. Fritſchio V. Cl. tres ponimus cauſas, ob quas aliquando exercitium monopolii in republica tolerari poſſit. (1) Eſt *Neceſſitas*: urgente enim neceſſitate, *cum reſp.* uti ait Ampliſſ. Forſtnerus (*Hypomn. Polit. 71. p. 235.*) *in tantas anguſtias inciderit, ut aut violatis legibus, reſpublica ſalva, aut ſalvis legibus, interitura ſit reſpublica, tum poſthabitis legibus neceſſitati parendum: dormiant hodie leges dicemus.* Salus enim Populi ſuprema lex eſto. Si itaque tanta ærarii publici fuerit inopia, ut aliunde ſublevari & ſaluti reipublicæ commodiori medela ſuccurri non poſſit; tum Rex in regno ſuo ſalva conſcientia aliquibus mercatoribus, pro certa pecuniæ ſumma ſolis venditionem concedere poteſt; præſertim earum rerum, quæ ad luxum magis, quam ad neceſſitatem ſpectant, ex quibus peregrini potius, quam ſubditi emolumentum percipiunt.

XXXIV. Altera cauſa eſt, *utilitas* reipublicæ, quando ex gratia tanta abundantia eſt frumenti, rerumque neceſſartarum, ut poſt cujusque eorum defectus ſuppletionem magna illorum fructuum adhuc ſuperſit copia; nihil prohibet ſc. tunc Rex uni vel aliquibus concedat, quo fructus ſuperabundantes coemant. Hac ſane ratione Joſephus totius Ægypti inopiæ & fami, quæ poſt lapſos ſeptem ubertartis annos ſupevenit, utiliter ſuccurrit, vendendo tum illud, quod ſolus Rex annis fertilitatis collegerat, Gen. 41. num. 47. & ſeqq.

XXXV. Poſtulat etiam; interdum *æquitas*, ut Magiſtratus inventori novi alicujus rei concedat monopolium illius ſaltem ad certum tempus. Hoc fit, quando etiam Typographis vel Bibliopolis ſolet indulgeri, ut intra certum conſtitutum tempus libros, quos excuderunt, vel ſuis ſumtibus imprimi curarunt, excluſis reliquis, jus diſtrahendi habeant. Concludamus itaque tandem cum ſummo viro H. Grotio *lib. 2. de I. B. & P. Cap. XIII. §. 16. Illa monopolia cum jure naturæ non pugnare, quæ a ſumma poteſtate, juſta de cauſa & pretio conſtituto, permittuntur; tum etiam, quæ a privatis æquo duntaxat compendio inſtituuntur.*

XXXVI. Semper ſalvo hoc adhibitio moderamine, monopolia nonnunquam permitti debent, ne facile & non urgente neceſſitate ad ejusmodi odioſa remedia deſcendat Princeps, ſi minus oneroſum ſubditis & expeditius inopiæ ærarii ſublevandæ ſuppetat remedium. Enim vero imitari debet peritum Medicum, qui non prius medicamentis fortibus utitur, niſi ſalus ægrotantis hoc poſtulet, aut alia morbo idonea remedia haud ſuppetant. Pari ſane ratione & Princeps ejusmodi odioſa populoque oneroſa ærarii locupletandi media caute inſtituere debet.

XXXVII. Prout porro Medicus ejusmodi extraordinariis remediis non utitur perpetuo, ſed, reſtituta corporis valetudine, a periculoſis iſtis & hujus morbi curandi gratia tantum introductis pharmacis abſtinet, nec amplius ægrotum gravat: ita & Princeps, poſtquam ærarii indigentiam explevent, neceſſitatique reipublicæ ſuccurrerit, merito ab ejusmodi in publicum noxiis atque violentis abſtinebit remediis.

XXXVIII.

XXXVIII. Hæc fuere, quæ de Commerciis & mercatura pro inſtituti ratione, ingeniique modulo in medium proferre libuit. Non diffitemur quidem, cuncta pro materiæ dignitate prolixius, quam a nobis præſtitum eſt, exequi potuiſſe: ſed nobis hæc, hac vice ſufficiant.

HERMANNI CONRINGII
DISSERTATIO POLITICA
DE MARITIMIS COMMERCIIS.

Die 27. Menſis Martii MDCLXXX. habita.

RESPONDENTE

JOHANNE WERLHOFIO, Lübecenſi.

HERMANNUS CONRINGIUS

Eximio juveni

JOANNI WERLHOFIO.

S. P. D.

Placet inſtitutum tuum, Eximie Werlhofi, quod præ aliis variæ doctrinæ ſtudiis tibi, quamvis adhuc perquam juveni, addiſcenda ſelegeris, quæ aliquando poſſint commodo eſſe inclytæ tuæ patriæ urbi: utpote quæ olim inter omnes Germaniæ urbes commerciis maritimis quam maxime floruit, nec ad priſtinam felicitatem poterit quaſi poſtliminio adſpirare, niſi per redintegratam ſenſim commerciorum iſtorum frequentiam. Arguit ſane hoc ipſum pium erga patriam animum. Neque dubito, illum probaturos, quotquot vere ſapiunt, ac proinde & prudentiſſimo Patriæ Senatui præprimis fore acceptum: exemplo etiam tuo meliores aliquot juvenes excitatum iri, ut magiſtris ſuis quisque eorum dicat, quod ille olim apud Euripidem: *μή μοι τὰ κόμψ' ἀλλ' ὧν πόλει δεῖ.* Sicut autem inſtitutum illud tuum lande dignum eſt, ita induſtria in id hactenus a te impenſa, quoniam excedit tuæ ætatis mores, plurimam commeretur. Nec enim illecebris voluptatum aut otii te capi es paſſus: ſed totus noctes diesque bonis artibus incubuiſti: quæ unica eſt ad ſolidam eruditionem conſequendam ratio. Si præſertim juſtæ adſint ingenii ac judicii nativæ dotes: quibus, ultra ſortem vulgi, es inſtructiſſimus. Et vero ita potuiſti jam tum hac immatura ætate conficere libellum hunc: qualem ſoli multum adulti & longo rerum uſu exercitati nec niſi raro, exhibuerint; cujusmodi certe, quantum equidem novi, hactenus inter academica exercitia nunquam comparuit. Et vero iſthac tua opera, fateor, meam quoque exſpectationem, quantumvis de te ſemper fuerit inſignis, longe ſuperaſti. Ut proinde in palæſtram Diſputatoriam te producturus ſim velut idæam propemodum diligentis & ultra annos ſapientis. Utinam valetudo & vita diuturna præcocitati tuæ porro faveat! Quo poſſis; ſive in patria, ſive in republica quadam alia, quæ commerciis floret, ferre aliquando condigna præmia. Hoc ex animo opto & Deum veneror. Helmeſtadii 18. Martii Anno M. DC. LXXX.

De maritimis commerciis diſſerere in animo eſt, primum, quia ipſius materiæ ea nobilitas eſt, ut uberiori disquiſitione quam digniſſima videatur; dein, quia & me ipſum oriundum ex illa civitate, quæ ab exiguis profecta initiis maritima mercatura maxime inclaruit, juvabit pro virili parte operam accuratiori eorundem notitiæ impendiſſe. Ea, quæ vel ab Ariſtotele, vel ab aliis dudum multis expoſita ſunt, cotem ſibi complures ſeligunt, qua de civilis Philoſophiæ præceptis diſputaturi acumen ingenii ſui exerceant. Quo ab illis res unaquæque explanata eſt fuſius, eo recentiorum ſcriptorum labos magis in proclivi, fructus exilior eſt. De maritima mercatura, qui ad civilis prudentiæ inſtituta univerſim atque copioſius diſſeruerit, vidi hactenus vix quenquam. Neque ab vulgatis Politicorum compendiis quidquam admodum hujus materiæ exſpectaveris, quorum plerisque ſaltem quæ traduntur, præter Ariſtotelica pauca numero, pondere exigua, vel excutere ſolum non niſi auguſti ingenii, infructuoſæ induſtriæ eſt. Res eſt ergo præterea & majoris nonnihil operis, ut quam, niſi ab auctoribus admodum variis, inſtitutis rerumpublicarum nobilium, & quæ omnis exempli documenta in illuſtri poſita ſuggerit, hiſtoriarum inprimis luce peti ſere non liceat. Quo facilius auctori dabitur venia, inprimis juveni, ſi quæ, non qua par erat, curatura ſolidioris ingenii examinata poſcere viſa fuerint & majorem doctrinæ copiam, & exactius maturioris ætatis judicium.

Theſis I.

Quum vero omnis, quæ ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debeat a definitione proficiſci, ut intelligatur, quid ſit id, de quo diſputetur, placet, quoniam omnis diſputatio de maritimis commerciis futura eſt, ante definire, quid eorum nomine intelligamus,

quod quidem eo erit factu proclivius, quo inter omnes propemodum gentes res ipſa eſt notior. Quamvis enim plures vocis COMMERCII reperire nonnunquam ſignificationes liceat, quales in de Commerc. & Camb. *qu.* 1. §. 1. *n.* 3. adduxit Sigiſm. Scaccias, JCtus Rom. facile tamen patet, quomodo impræſentiarum illa uſurus ſim. Idem enim, quod *Mercaturam*, *Commercia* dico. Cujus, quoniam in emendis diſtrahendisque mercibus maxime occupata eſt, plura genera ſubnaſcuntur, quorum in *Ariſtophanis* Plutum ad primam quincti actus ſcenam quinque potiſſimum recenſet *græcus* facetiſſimi ejus Comici *Scholiaſtes*: *Πέντε δὲ εἰσὶν αἱ διαφοραὶ τῶν πωλέντων, αὐτοπώλης κάπηλος. ἔμπορος. παλιγκάπηλος. μεταβολεύς. καὶ ἔςιν αὐτοπώλης μὲν ὁ ἐν τῇ ἰδίᾳ χώρᾳ πωλῶν τὴν ἑαυτῦ πρόσοδον. κάπηλος δὲ, ὁ ἀγοράζων ἀπὸ τῦ αὐτοπώλυ, καὶ πωλῶν ἐν τῇ χώρᾳ, ἐν ᾗ ἠγόρασεν. Ἔμπορος, ὁ ἀγοράζων, καὶ ἐπὶ ξένης, πωλῶν ἢ ἀπὸ τῦ αὐτοπώλυ, ἢ ἀπὸ τῦ καπήλυ. Παλιγκάπηλος, ὁ ἀπὸ τῦ ἐμπόρυ ἀγοράζων καὶ πωλῶν. μεταβολεὺς, ὁ κατὰ τὴν κοτύλην πωλῶν, ὥσπερ οἱ νῦν λεγόμενοι κάπηλοι. εἴρηται δὲ παρὰ τὸ συνεχὲς μεταβάλλειν. καὶ αὗται μὲν εἰσιν αἱ σημασίαι κυρίως τῶν πωλέντων. καταχρηςικῶς δὲ πᾶς πωλῶν κάπηλος λέγεται*: quo ultimo modo uſum *καπηλείας* voce arbitror *Ariſtotelem* 1. Polit. VI. Edit. Heinſ. pro omni omnino mercatura, cujus in comparandis opibus finis maxime poſitus ſit. Laudat illam diſtinctionem Græci Scholiaſtis, vir doctiſſimus, *Æmilius Portus* in ſuis ad Suidam obſervationibus p. 1369. voce *κάπηλος*, quanquam tria duntaxat commemorata ab illo mercatorum genera, *Ἐμπόρυς, Καπήλυς καὶ Μεταβολεῖς*, in Onomaſtico exhibuerit Julius Pollux. Vide inprimis Cl. Salmaſ. *de Uſur. cap.* 12. Verum hæc & his ſimilia, utcunque animadverſa aut exiſtimata fuerint, haud in magno equidem ponam diſcrimine. Parum enim intereſt, utrum plura, an pauciora commerciorum genera exſiſtant, dum de illo nobis conſtiterit, cujus cauſſa omnis hæc inſtitutio eſt ſuſcepta, cujus generis eam eſſe mercaturam duco, quam ab Ariſtophanis Scholiaſte *Ἐμπορίαν* dici modo expoſui, ſpeciem vero *Ἐμπορίας* illam, quam *Ναυκληρίας* nomine 1. Pol. VII. proſecutus eſt Ariſtoteles. Quamvis enim nautas potius *Ἐμπόρυς* appellandos contendat Suidas, non tamen ambigo, quin & ipſis mercatoribus nomen illud, nec incommode, poſſit tribui. Verba Suidæ ſubjunxi: *Ἔμπορος. ὁ πραγματευτικὸς ἄνθρωπος, κυρίως δὲ, ὁ πλέων θάλασσαν.* paucisque interjectis: *Ἔμπορος, ὁ ναύλυ ἕνεκα πλέων ἐπ᾽ ἀλλοτρίας νεώς. Mercator homo negotioſus, maxime vero, qui mare navigat. & Mercator, qui pretii nautici cauſſa aliena navi vehitur.* Ariſtotelica vero diviſio 1. Pol. VII. ita habet: *Τῆς δὲ μεταβλητικῆς μέγιςον μὲν ἐμπορία, καὶ ταύτης μέρη τρία, ναυκληρία, φορτηγία, παράςασις. Διαφέρει δὲ τύτων ἕτερα ἑτέρων, τῷ τὰ μὲν ἀσφαλέςερα εἶναι, τὰ δὲ πλείω πορίζειν τὴν ἐπικαρπίαν. In permutando vero poſitæ* (Giphaniana verſio eſt) *nimirum χρηματιςικῆς, pars maxima quidem mercatura: & hujus tres partes, navigatio, vectura, inſtitoria. Hæ autem ab aliis differunt, quod hæ quidem ſint tutiores, illæ vero majorem adferant fructum.* Quamobrem, ſi maritima commercia ea mercaturæ ſpecies ſunt, quæ in navigatione poſita *Ναυκληρία* audit Ariſtoteli, *Ἐμπορία* vero, ſive ipſa adeo mercatura, in diſtrahendis mercibus maxime cernitur, erunt negotiationes a mercatoribus ad exteras regiones, & ab illis viciſſim ad noſtram civitatem per maria inſtitutæ, occupatæ in vendendis coëmendisque mercibus, quæſtus liciti cauſſa. Sed hæc hactenus, quibus, quod ſupremo loco adpoſui, quæſtus liciti gratia, convenienti loco explanandum erit.

II. Quoniam autem omnis de maritimis commerciis duplex potiſſimum quæſtio eſt, una, an expediant reipublicæ? altera, quibus modis promoveri commode poſſint? quam ob cauſam maxime expetantur, primum erit definiendum. Fruſtra enim prius, quam de fine ipſo conſtiterit, quænam adipiſcendo illi conſervandove media maxime congruant, inquiſiverim. Igitur paulo altius ducto principio, quoniam omnis actio vitæque propoſitum, tum omnis ſocietas bonum aliquod appetit, conſtituamus, quidnam ſit, quod maritimis obtinere commerciis ſocietas civilis deſideret. Sunt enim commercia in agendarum rerum numero. Unde illud perſpicuum eſt, tendere eadem debere ad ſupremum illum rerum gerendarum finem, in quo oportet conſiſtere, & ultra quem non poſſumus progredi, qualis eſt civilis ſocietatis finis, quo in civitate ſunt omnia bene vivendi recteque faciendi conſilia referenda. Quod ſi ita eſt, danda erit opera, ut adumbremus id ipſum, in quod, ſicut in propoſitum ſignum oculis ſagittarii ſolent, ita mentis directa acie, quonam collineare in civili ſocietate Commercia debeant, inveſtigemus, nam exacte illud deſcribere eſt alius operæ ac inſtituti. Eſt igitur civilis Felicitas, qua ſecundum virtutem non impeditam vivitur, qualem eam demum exiſtimo, quæ cum perfecto virtutis uſu ſufficienti ad illum rerum copia fruitur, & quamvis ſummus equidem ſocietatis civilis finis in virtute conſiſtat, quum tamen exerceri illa ſine aliqua ſaltem externorum bonorum affluentia nequeat, Vid. Ariſt. 1. *Eth. VIII. II. MM. VIII. VII. Pol. VIII.* Cic. *L. I. Acad. Qu.* Thom. Aq. 1. 2. *q.* 4. *a.* 7. *Fr. Picc.* Ph. Mor. *Gr.* 8. *c.* 9. haud ſane debitaverim ipſam quodammodo *αὐτάρκειαν τέλος καὶ βέλτιςον* cum Ariſtotele dicere. *ὐ γὰρ οἷον τε πολιτείαν γενέσθαι τὴν ἀρίςην ἄνευ συμμέτρυ χορηγίας*, neque enim optima fieri poteſt reſpublica ſine convenienti rerum copia, ut in VII. Polit. IV. docet Philoſophus. Quid, quod eo majorem externorum bonorum abundantiam, quam ſingulorum hominum, Civitatis beatitudo deſideret, quo ea major eſſe & perfectior debet? *ἀγαπητὸν* 1. Nic. 1. *μὲν γὰρ (τἀγαθὸν) ἑνὶ μόνῳ· κάλλιον δὲ καὶ θειότερον ἔθνει καὶ πόλεσιν.* Proinde ſi reipublicæ moderatori beata civium vita propoſita eſt, (eſſe autem merito debet) ſumma ope niti eum decebit, ut non ſolum honeſtam virtute, & amplam gloria (quamvis ſint quidem ad virtutem cætera dirigenda) ſed & firmam opibus, magnam potentia, copiisque locupletem illam efficiat. Abeo tamen nunc quodammodo ad vulgus, nam illius reipublicæ, quæ eſt omnium optima, alia fortaſſis conditio eſt, de quo infra videbimus.

III. Jam

III. Jam his ita in præſens conſtitutis, quomodo ad alterutrum ſocietatis civilis finem faciat mercatura maritima, explanabo. Igitur hoc inprimis intelligendum eſt, non haberi poſſe *αὐτάρκειαν*, ſaltem illam, quam quærimus, niſi adſit & rerum ad victum cultumque corporis pertinentium tanta copia, quanta ad vitam commode traducendam ſufficiat, & pecuniæ, quantum ad uſus cum civiles tum militares ſatis ſit. Et quoniam omnis omnino ſocietas tanquam communi aliquo conſtat corpore, corpus vero ſanum facile nemo dixerit, niſi & membra valeant ſingula, patebit ſane, ut reliquis, ita nec reipublicæ corpori perfectam ex omni parte beatitudinem conſtitutam, niſi ſingulis juxta civibus atque ipſi communitati proviſum fuerit, quamvis tamen pro diverſis fortaſſe rerumpublicarum conditionibus illud aliquatenus differat.

IV. Quod ad victum cultumq; corporis attinet, conſtat, ipſam naturam, parentem optimam, terra pariter ac mari affatim abundanti copia rerum omnium humano generi proſpexiſſe, dum, *quodcunque per terram, perque Oceanum fuſum eſt, hoc univerſum ad mira quædam & ſingularia hominum commoda fabricatum eſt*, ut in edicto ad Orientalis Imperii provinciales apud Euſebium de vita Conſt. l. IV. C. LVII. loquitur Conſtantinus. Sed oportet nihilominus adjumentum humanæ artis accedere, quæ naturæ uſu proventibus eorum, quæ in diverſiſſimis terræ tractibus producuntur, copiam affluentem reddat in ſingulis. Quamvis enim, ceu dixi, ea rerum omnium affluentia terram pariter & Oceanum atque ipſum etiam aerem creatoris benignitas abunde inſtruxerit, quæ univerſo mortalium generi *εἰς χρῆσιν τε καὶ ἀπόλαυσιν*, ut inquit Philo de mundi opif. longe ſufficientiſſima ſit, tamen ſingulæ civitates citra opem commercii frui illis omnigenis & uberrimis naturæ proventibus nequeunt, quum non cunctis fructibus una affluat regio, ſed in aliis terræ partibus alia produci conſueverint.

V. Poteſt equidem fieri, ut cum fructus plantasque exoticas, tum & animalia, noſtræ civitatis ſolum bene cultum non reſpuat, quod vel unius Germaniæ exemplo ad liquidum citra difficultatem perducitur. In Italiæ principibus Franciſcum I. Magnum Ducem Hetruriæ ab inſigni hujus generis culturæ ſtudio commendat Laurent. Jacomineus Tebalduccus Maleſpinus, nelle Proſe Fiorent. part. 1. Oraz. v. quod *conduſſe molte piante peregrine, introduſſe la ſemenza de riſi, tentò quella delle canne indiane producitrici del liquore, che avanza la dolcezza del mele, con legge fece di gelſi la Toſcana più feconda.* De iisdem leucomoris Orientalis primum Syriæ fructibus, poſt diverſas transvectiones & in Galliam transportatis, copioſe Jac. Aug. Thuanus hiſtor. lib. CXXIX. Quanta ubertate veteris orbis animalia propagarit America, ex Antonio Herrera, vid. Viln. Uſſeling. Argonaut. Guſtav. p. 12. et Joſepho Acoſta. hiſtor. nat. occid. ind. l. IV. c. 33. affatim conſtat, quibus plura documenta adjicere, duco ſupervacaneum. Cæterum, uti diſſimulandum illud non cenſeo, quod experientia ſatis conſtitit, poſſe peregrini ſoli proventus vel in remotiſſimis regionibus, ſuccedente cultura, ſæpenumero enutriri, (quamvis forte ne ſic quidem citra maritimorum commerciorum beneficium transportari eos primum licuerit) ita ignorari non poteſt, ex eorum id numero eſſe, quæ quum in quibusdam, aut quodammodo accidant, exquiſitiorem quamvis cultionem atque induſtriam fruſtrantur in plurimis. Quid ſi enim vel adverſa cœli temperies, vel ipſius terræ conditio, & quæ illis ſimilia, fructus aliis gentibus velut proprios aut omnino defugiat, aut non ea, quæ externis reſpondeat, bonitate abundantiave illa producat, quæ ad incolarum explendam indigentiam ſatis ſit? De leucomoris, quorum jam memini, eundem auctorem habeo Thuanum, quum in Provincia, Allobrogibus, qua meridiem ſpectat, Cavaribus & vicina Septimania ſeri cœperint, *idem circa Lutetiam tentatum non æque felici ſucceſſu, quippe cœlo adverſo.* Ita *alia loca appoſita ad fœnum, alia ad frumentum, alia ad vinum, alia ad oleum* pridem docuit Varro *l. 1. de re ruſt. cap. 23.* & in de amandi arte L. *IV. p.* 759. obſervavit Ovidius. Inprimis huc faciunt, quæ in I. Georg. v. 54. & in ſequentibus, tum in II. Georg. 109. 116. quique illos excipiunt, venuſtiſſimis verſibus & præclare & copioſe proſecutus eſt poetarum princeps Virgilius. Manifeſtior enim res eſt, quam ut omnibus iſtis pluribusve aliorum adductis ſententiis hic oſtendi illam probarive neceſſum ſit. Quam & in animalium quoque diverſorum in diverſis terrarum tractibus generatione admirabundus exclamat Plinius *l. 10. Nat. hiſt. cap. 29. Quid eſt, illud unius generis ſaluti adverſum, quæve iſta naturæ invidia?*

VI. Sed ne in iis quidem, quæ humano labore, & artificiis perpolita variis humani generis inſerviunt uſibus, multum ab naturæ proventibus diverſa conditio eſt. Partim enim rudis ejus maſſæ inopia, ex qua tamen conflari oportebat opus politius, quum niſi in pauciorum civitatum poſſeſſione non ſit, partim artificii alicujus ratio quædam arcanior, quæve illis ſunt gemina, eſſe poſſunt obſtaculo, quo minus arte faciendorum omnium copiam ab domeſticis artificibus elaboratam una civitas habeat.

VII. Cæterum, quam naturæ invidiam vocat Plinius, eam divinæ potius providentiæ locupletem rivulum duxerim. Quoniam enim intererat humani generis, conſervari inter mortales amicitiam cognationemque, quam natura inter illos conſtituit, voluit auctor naturæ Deus, non indulgens omnia omnibus terræ partibus, ſed per diverſiſſimos ejus tractus diſtributa munerum copia, alios opis aliorum indigos ad ſocietatis cujusdam cultum incendere. Poterat ſane omnigenos unicuique terræ fructus largiri, ſed ſublata tunc fuiſſet omnis pene inter gentes communio, ſi non amplius aliarum ſubſidio quæque regio indiguiſſet. Cujus argumenti vim perſpectam cerno divino Poetæ IV. Ecloga, qua de aureo Pollionis ævo adpoſite canit:

Cedet & ipſe mari vector, nec nautica pinus
Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.

Ubi ſcita ratione ſubjuncta, quoniam omnis omnia tellus erat latura, nullis amplius opus fore commerciis haud obſcure ſubinnuit, ut quæ illo tanquam fundamento ſuo ſuffulta, quod nulla cujusque generis fruges alat regio, ſimul conſervandæ humani generis ſocietati opportunum medium ſuggerant. Vidit illud inprimis L. Ann. Seneca ep. LXXXVII. qua laudatis Virgilianis, quorum fontem e II. Georg. libro ſupra adduxi, addit. *Iſta in regiones deſcripta ſunt, ut neceſſarium mortalibus eſſet inter ipſos commercium, ſi invicem alius ab alio aliquid peteret.* Igitur mare navigari κατὰ τὰς ἀντιδόσεις, ὧν ἀλλήλαις ἀγαθῶν ἀντεκτίνουσιν αἱ χῶραι κοινωνίας ἱμέρῳ τὰ μὲν ἐνδέοντα λαμβάνουσαι, ὧν δὲ ἄγουσι περιουσίαν, ἀντιπέμπουσαι, in legatione ad Cajum Cæſarem ſcribit Philo, & ſublatis piratica Cilicum commerciis fœdus humani generis ab iisdem ruptum non incommode affirmat Florus. *l. 3. cap. 4.* Eleganter apud Hugonem Grotium (neque enim ipſum auctorem inſpicere licuit) *l. 2. c. 11. 13.* de jure belli & pacis ſophiſta Libanius, ut chriſtianæ religioni infeſtus admodum, ita orator gravis ac vehemens, ὁ μὲν, inquit, τοῖς πάνταγε πᾶσιν ἔνειμε μέρεσιν, (ὁ Θεὸς,) ἀλλὰ διῄρει τὰ δῶρα κατὰ τοὺς χώρους εἰς κοινωνίαν τοὺς ἀνθρώπους ἄγων τῇ παρ' ἀλλήλων χρείᾳ, καὶ ΦΑΙΝΕΙ δὴ τὰς ἐμπορίας, ὅπως τῶν παρ' ἐνίοις φυομένων κοινὴν εἰς ἅπαντας ἐνέγκῃ τὴν ἀπόλαυσιν. quæ ita Latine vertit Grotius: *(Deus) non omnia omnibus terræ partibus conceſſit, ſed per regiones dona ſua diſtribuit, quo homines alii aliorum indigentes ope ſocietatem colerent. Itaque mercaturam EXCITAVIT, ut quæ usquam nata ſunt, iis communiter frui omnes poſſent.* Quanquam vero dubitem, num per excitare commode ſatis latine reddi poſſit græcum vocabulum φαίνειν, convenientiusve per *oſtendere* efferri græcæ vocis ſignificatio, illud ſaltem affatim conſtat, eandem fuiſſe ſummo JCto ſententiam, quam & ego probavi, & ipſe pluribus aſſeruit primo capite Maris Liberi. Add. Jo. Bodin. reſponſ. ad parad. Maleſtr. 43.

VIII. Quamobrem, ſi eſt civitatis uniuscujusque ea, quam dixi, conditio, utendum erit commerciis, tanquam medio ab natura ipſa oſtenſo, quo ad illam rerum omnium affluentiam, quam ab civitate deſiderari ſuperius docui, perveniri commode poſſit. Recteque Ariſtoteles 7. *polit.* 6. Ὅσα τ' ἂν μὴ τυγχάνῃ, παρ' αὐτοῖς ὄντα δέξασθαι ταῦτα, καὶ τὰ πλεονάζοντα τῶν γιγνομένων ἐκπέμψασθαι τῶν ἀναγκαίων ἐστίν. *Quæcunque non ſunt apud eos, accipere hæc, quæque ſuperſunt illic naſcentium, alio mittere eſt profecto una rerum neceſſariarum.* Et. l. 2. D. de nund. ſummæ prudentiæ atque auctoritatis apud Græcos Plato, quum inſtitueret, quemadmodum civitas bene beateque haberi poſſit, inprimis negotiatores neceſſarios duxit l. 11. de leg. p. 427. ed. Lugd. 1590. Πλειόνων δὴ, inquit, γεωργῶν τε καὶ τῶν ἄλλων δημιουργῶν δεῖ ἡμῖν τῇ πόλει. πλειόνων γάρ. καὶ δὴ καὶ τῶν ἄλλων διακόνων που, τῶν τε εἰσαξόντων, καὶ ἐξαξόντων ἕκαστα. οὗτοι δέ εἰσιν ἔμποροι. ἦ γάρ; ναί. καὶ ἐμπόρων δεησόμεθα. *Pluribus agricolis aliisque artificibus opus in civitate habemus. pluribus certe. & aliis quoque miniſtris, qui importent, & exportent ſingula. Illi. autem ſunt mercatores. certe. mercatoribus igitur indigebimus.* Quæ veteris academiæ principis tanti fecit JCtus Calliſtratus, ut ex illo Romani juris contextui l. 2. ff. de nund. inſerta ſint. Cæterum, quomodo ad illum propoſitum ſocietatis civilis finem, quem in ſufficienti quadam rerum copia conſtitui, mercatura maritima faciat, ſatis, ut opinor, e dictis perſpicuum eſt.

IX. Videamus nunc porro, quænam afferri queant commerciorum utilitati contraria, ne inani quadam ſpecie bonitatis abrepti utile reipublicæ arbitremur, quod ſi excuſſum fuerit accuratius, detrimentoſum deprehenſuri ſimus. Τυφλώττει γὰρ ὁ ἀνθρώπινος νοῦς πρὸς τὴν τοῦ συμφέροντος ὄντως αἴσθησιν εἰκασμῷ καὶ στοχασμῷ μᾶλλον, ἢ ἐπιστήμῃ χρῆσθαι δυνάμενος, ut in ſua ad Cajum Cæſarem legatione ait Philo. Et forte ſimile quidpiam & nobis inpræſentiarum accidere aliquis dixerit, qui ad civilem beatitudinem obtinendam opportunum medium maris commercia arbitremur, quippe luxurioſa videri queat affluens illa copia rerum omnium, quam maritima mercatura conciliet; qua utcunque civitas careat, poſſit nihilominus ea rerum abundantia perfrui, quæ ad veram equidem felicitatem ſufficiat. Certe quantum cibos reſpicis, non

-- refert quidquam, quo victu corpus alatur,
Dummodo, quod capias, concoctum didere poſſis,
Artubus & ſtomachi humectum ſervare tenorem.

Paucis, inquit Boeth. de conſol. philoſ. l. 2. pr. 5. *minimisque natura contenta eſt, cujus ſatietatem ſi ſuperfluis urgere velis, aut injucundum, quod infuderis, fiet, aut noxium. Deſcivit a natura luxuria: quæ quotidie ſe ipſam incitat, & tot ſeculis creſcit, & ingenio adjuvat vitia. Primo ſupervacua cœpit concupiſcere, inde contraria; noviſſime corpori animum addixit & illius deſervire libidini juſſit.* Hinc illa Claudiani l. 2. in Ruff. v. 216. ad Senec. Conſol. ad Helv. c. 9. & 10.

Vivitur exiguo melius, natura beatis
Omnibus eſſe dedit, ſi quis cognoverit uti.
Hæc, ſi nota forent, frueremur ſimplice cultu:
Claſſica non fremerent: non ſtridula fraxinus iret:
Non ventus quateret puppes.

Ita illo ſeculo, quod aureum perhibetur, primos mortalium pauciſſimis contentos citra navigationem, citra commercia, quam beatiſſime degiſſe antiquitas tradidit. Ex Poetis Tibullus l. 1. (add. Heſiod. Op. v. 110. & ſſ. Virg. 1. Georg. v. 125. Ovid. l. 1. Metam. Fab. 2. & 4. Senec. Hippol. v. 529. Med. v. 331. Boëth. l. 11. Met. v.)

QUAM BENE Saturno vivebant rege, priusquam
Tellus in longas eſt patefacta vias.

Non-

Nondum cæruleas pinus contemſerat undas,
Effuſum ventis præbueratque ſinum.
Nec vagus ignotis repetens compendia terris
Preſſerat externa navita merce ratem.

Ex philoſophis Seneca ep. XC. *Statum generis humani non alium quisquam ſuſpexerit magis: nec ſi cui permittat Deus terrena formare, & dare gentibus mores, aliud probaverit, quam quod apud illos fuiſſe memoratur.* Ad. Plat in Politico p. 175. & ſ. Dicæarchus Peripateticus apud Porphyrium. Inſecutis deinceps temporibus, ubi cum luxuria habendi libido invalit, ut omnis maritimæ rei, ita & mercaturæ occœpit ſtudium. Atque dicuntur fortaſſis iſta, ſic ſatis probabiliter.

X. Verum enimvero, quamvis non repugnaverim, parvo eſſe contentam intra recti fines coërcitam cupiditatem; neque vel in optima reipublicæ forma omnimodam rerum omnium affluentiam expetendam, (quum æque poſſint convenienter virtuti vivere, quos vel tenuiſſimus victus cultusque delectet, & *qui accipenſerem menæ non anteponant, quam quibus vinum diffuſum eſt e pleno œnophoro,* (*ut ait Lucilius*) tamen neque omni omnino mercatura degere deſtitutam civitatem quamlibet poſſe, neque, ut fomentum luxuriæ quædam genera mercium præbitura ſint, ita illico de republica noſtra exterminanda illa eſſe auſim aſſerere. Quibus demonſtrandis illud mihi tantisper concedi velim, donec oſtenſum fuerit manifeſtius, duo eſſe mercium genera, unum maxime neceſſarium earum rerum, quibus carere civitas nequeat, earum alterum, quæ ad ſuavius tranſigendam vitam idonea etiam voluptatibus & externo ſplendori potius, quam naturali deſiderio explendo inſerviant. Quo conceſſo primum de neceſſariis videamus.

XI. De quibus ſubdubitare quispiam, nec immerito, poſſit, quousque tandem extendenda rerum ad victum cultumque corporis pertinentium indigenua fuerit. Et habebit fortaſſe ſatis eorundem civitas, quoniam parvo, ceu dixi, natura contenta eſt, ubi eam victus potusque copiam habebunt ſinguli, quæ ad famem propellendam ſublevandamque ſitim ſufficiens eſt & veſtimentorum, quantum corporibus tegendis fuerit ſatis. Quod ſi huic aſſertioni ſua conſtitura eſt veritas, eſcarum equidem potionumque vices vel modicum panis & aquæ ſuſtinuerit. Quæ Syracidis videtur ſententia C. XXIX. 28. & Lucani Pharſalicor. IV.

Diſcite, quam parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat, non erigit agros
Nobilis ignoto diffuſus conſule Bacchus.
Non auro murrhaque bibunt, ſed gurgite puro
Vita redit, ſatis eſt populis fluviusque Ceresque.

Et Ἐπίκουρος ὁ Γαργήττιος ἔλεγεν, ᾧ ὀλίγον οὐχ ἱκανὸν, ἀλλὰ τούτῳ γε οὐδὲν ἱκανόν. ὁ αὐτὸς ἔλεγεν ἑτοίμως ἔχειν, καὶ τῷ Διὶ περὶ εὐδαιμονίας διαγωνίζεσθαι μάζαν ἔχων καὶ ὕδωρ, ut eſt apud Ælianum in Variis l. 4. c. 13. Latine eadem fere expreſſit admirator Epicuri Seneca ep. XXV, *Nihil ex his, quæ habemus, neceſſarium eſt. Ad legem naturæ revertamur: divitiæ paratæ ſunt. Aut gratuitum eſt, quo egemus, aut vile. Panem & aquam natura deſiderat, nemo adhæc pauper eſt: Intra quæ quisquis deſiderium ſuum cluſit, cum ipſo Jove de felicitate contendet, ut ait Epicurus.* & ep. CX. *Habeamus aquam, habeamus polentam, Jovi ipſi de felicitate controverſiam faciamus.* Quibus jungi poſſunt, quæ in περὶ Φιλοπλουτίας affert Plutarchus. p. 523. ed. Francof. 1620. Cæterum & frigus intolerabile eſt corpori nudo. Quid ergo? numquid non pelles ferarum & aliorum animalium a frigore ſatis abundeque defendere queunt? non arborum corticibus multæ gentes texere corpora? Opus eſt tamen calorem ſolis æſtivi umbra craſſiore propellere. Quid ergo? non vetuſtas multa abdidit loca, quæ vel injuria temporis, vel alio quolibet caſu excavata in ſpecum receſſerunt? quæ quidem & his ſimilia, quum in omnis telluris tractu incolis ſuppetant, haud ſane eſſet, ubi nihil amplius ad αὐτάρκειαν ſuam civitas deſideraret, cur maritimorum commerciorum uſus in republica admodum expeteretur.

XII. De medicamentis, quibus, ut ad vitam ſuſtentandam cibo ac potu, ita ad ſanitatem conſervandam aut reſtituendam homines indigent, inter medicæ rei peritos haud indigna disquiſitione non ita pridem agitata eſt quæſtio, utrum aliunde illorum etiam petenda ſit copia, an idonea ſatis probe percurandis indigenarum morbis medicamina unaquæque producat regio? Aſſeruerunt ſuam ſingulis regionibus ſufficientem domeſticorum medicamentorum copiam doctiſſimi viri. alter gente Batavus, medicus & ſenator Dordrechtanus, Johannes Beverovicius, haud ineleganti libello patria lingua conſcripto, cui titulus, *Inleydinge tot de Hollantſche genees-middelen*; alter Thomas Bartholinus decem diſſertationibus editis *de Medicina Danorum domeſtica.* Quamvis enim in Bataviæ ſuæ Beverovicius, & in Daniæ medicamentis Bartholinus maximam partem ſubſtiterint, tamen & de cæteris terræ tractibus ſimilis utrique ſtetit ſententia. Ac ne medicaminum quidem, quod ſatis eſſet, ſuæ Daniæ aſſeruiſſe contentus ad victum ſubinde ac potum diſputatione translata, neque illos aliunde petendos Daniæ VI. & VII. diſſertationibus Bartholinus probare aggreſſus eſt.

XIII. Et certe, ne quid omnino diffitear, ſi non omnimodis prorſus, ſaltem quodammodo ſufficientibus copiis multas regiones natura inſtruxit. Quod usque eo credidit Beverovicius, ut affirmare non dubitaverit c. 1. §. 11. ea copia quamlibet regionem divina benignitate ſuperfuſam eſſe, quæ ſi non ad abundantiam, ſaltem ſuſtentandæ vitæ ſufficiens ſit. (*dat den goeden Godt alle Landen genoeg geſegent heeft, is 't met tot overvloet, teen minſten, dat tot onderhout van het leven van noeden was.*) Ita Palæſtinam olim & agrorum fertilitate opimam, & inſigni fructuum ubertate con-

te conſpicuam peregrinis multum eguiſſe proventibus nemo facile aſſeruerit. De Ægypto Lucanus l. 8. Pharſal.

Terra ſuis contenta bonis, non indiga mercis.

Ipſi noſtræ Germaniæ, idem fere tribuit Severinus de Monzambano c. 7. §. 2. *In tam vaſta regione,* inquit, *ſi Alpium juga excipias, pauca ſunt loca, quæ nihil producant ad vitæ humanæ cultum facientia, is porro rerum ad vitam neceſſariarum proventus, ut eadem extraneorum rebus haud quaquam indigeat, niſi ad luxum & ſuperfluas voluptates.* Quid de Dania Bartholinus adſtruxerit, modo memini. Quamobrem, ſi qua regioni cuipiam hujuscemodi ubertas contigerit, poterit quidem illa multo commodius, uti cæteris, ita & maritimis carere commerciis, præſertim, ubi ſimplices incolarum mores acceſſerint, & in his, quæ ipſa producit regio, melioribus reddendis cura; quæ de veteribus Germaniæ incolis C. Julius l. 4. de bel. Gal. tradidit, *mercatoribus fuiſſe ad eos aditum, eo magis, ut quæ bello cepiſſent, quibus venderent, habituri fuiſſent, quam quo ullam rem importari ad ſe deſideraſſent. Quin etiam jumentis, quibus maxime Gallia delectata ſit, quæque impenſo paraverit pretio, Germanos importatis non fuiſſe uſos, ſed quæ fuerint apud eos nata, prava atque deformia, hac quotidiana exercitatione, ſummi ut fuerint laboris, effeciſſe.* Ergo iſta quidem, ut dixi, concedantur.

XIV. Verum, utut vivi quodammodo citra commercia, & in civili nonnunquam ſocietate aliqua poſſit, commode omnino vivi fere non poteſt. Meminiſſe enim debemus, quod ſuperius docui §. 11. quoniam bona aliarum ſocietatum omnium una civitas complexa eſt. Ariſt. 1. *polit.* 3. γινομένη μὲν τοῦ ζῆν ἕνεκεν, οὖσα δὲ τοῦ εὖ ζῆν, adeſſe eidem oportere, πάσης πέρας τῆς αὐταρκείας. Ariſtot. 7. *polit.* 8. ἡ γὰρ πόλις πλῆθός ἐστιν οὐ τὸ τυχὸν, ἀλλὰ πρὸς ζωὴν αὔταρκες. Igitur longe equidem latius extendenda civitatis indigentia fuerit, quam ut malva & aſphodelo, magni adeo æſtimatis ab Heſiodo Ἔργ. v. 41. bonis, queat illa expleri. Quamobrem & in ea civitate, cujus omnia eſſe debeant conſtituta, quam poſſit, optime, παντόφορον agrum requirit Ariſtoteles, 7. *pol.* 5. τὸ πάντα ὑπάρχειν, καὶ δεῖσθαι μηδενὸς vere demum αὔταρκες arbitratus & σχεδὸν οὐδενὸς ἐπιδεῖν Plato l. 11. de Legg. Quam inſignem adeo ubertatem, quoniam plerumque in votis potius habere licet, quam ab una, fœcundiſſima quamvis, exſpectare provincia, exterorum quidem commerciis ſoli compenſandam penuriam, liquet affatim.

XV. Et vero tanta in aliquibus terræ tractibus nonnullorum egeſtas eſt, ut ne vivi quidem citra invectionem eorum poſſit; quum nec frumenti copiam illam aliquæ regiones producant, quæ quidem ad alendos incolas ſatis ſit. Quod & fertiliſſimis quandoque provinciis poteſt obtingere, quando aut belli calamitas infeſta agricolis ingruit, aut adverſa cæli temperie aliasve ob cauſas incumbit penuria, ceu ipſi nonnunquam Ægyptiaco regno, Chananæorumque provinciis, quorum ubertatem paulo ante adduxi, univerſæque Daniæ, cujus inſignem αὐτάρκειαν tantopere Bartholinus propugnare anniſus eſt, Olavo, V. inpr. Saxo L. XII. Suenonis filio, IV. rege, cui ab ingenti calamitate Famelico cognomen factum, accidiſſe hiſtoriarum monumenta abunde teſtantur. Igitur danda opera eſt reipublicæ moderatoribus, non modo, ut in præſentem uſum ſufficientem frumenti cæterorumque neceſſariorum copiam habeat civitas, verum ut & illa affluentia eorundem inſtructa ſit, qua, ubi ſingularis neceſſitas calamitasve emerſerit, ſuſtinere illius impetum valeat. Ita ſalis proventibus plures paſſim provinciæ deſtitutæ ſunt, quod in iis, quibus humana vita indigeat, idem ponit Syracides, c. XL. 31. quem ad panem & aquam victui ac potui neceſſaria reſtringere ſupra monui, ut qui plura omnino, ſumtis late vocabulis, complecteretur. Sed neque illa, quæ ad commodiorem veſtitus rationem pertinent, quo in genere linum, cannabis, goſſypium, lana, corium, & his ſimilia ſunt, ea vel bonitate, vel copia unaquæque producit regio, quæ aut veſtiendæ multitudini incolarum ſufficiat, aut ſaltem commodius veſtiendæ ſatis idonea ſit. Ipſius metalli, ut auri, argenti, cupri, ſtanni, plumbi, ferri & chalybis, aliorumque, quæ ſub terra naſcuntur, ut ſulphuris, nitri, cæterorumque illis geminorum, pluribus locis ſolum minime ferax eſt, quibus tamen (omnibus ſaltem) carere civitas neutiquam poteſt, ſive ad nummos cudendos, ſive ad armorum uſum, quæ ad propulſandos hoſtium impetus nunquam nequit expetere, ſive denique inſtrumenta ſpectes, aut ſi quæ alia eſſe queant civilis vitæ adminicula. Sed contineo me ab exemplis, ne in re non amplius dubia utar illis non neceſſariis. Et vero nullam propemodum reperire gentem licebit, quam expertem omnis prorſus commercii vere dixeris.

XVI. Quod ad primorum hominum vitam attinet, plurimis ſumma auctoritate philoſophis mirum quantum approbatam, tanquam horridam nimis, fœdamque inſcitia ipſam illam alii rejecerunt, Ita T. Lucretius Carus l. V.

Nec commune bonum poterant ſpectare, neque ullis
Moribus inter ſe ſcibant, nec legibus uſi.

Neque multis adeo interjectis

Tum penuria deinde cibi languentia letho
Membra dabat.

& Cicero L. 1. de invent: *Fuit quoddam tempus, cum in agris homines paſſim beſtiarum more vagabantur & ſibi victu ferino vitam propagabant.* Propius tamen vero duxerim, quæ de vita primorum mortalium fabuloſa antiquitas tradidit, eam quodammodo adumbrare, quam in paradiſo conſtituti primi generis humani parentes egere, quoniam res vetuſtate nimia obſcuras, veluti, quæ magno ex intervallo loci vix cernebantur, ab majoribus ſuis veteres traditione quadam acceperant. Quare alienum quidem illud exemplum fuerit, quo & citra commercia beatiſſime degi poſſe, queat

queat oſtendi. Siquidem ſumma quadam omnis affluentiæ copia Paradiſum Deus inſtruxerat, qua ut primis parentibus perfrui, nondum late diffuſo hominum genere, licuit, neque præterea corporis tegumentorum floreſcente innocentia indigis, neque domicilia, quibus aut frigorum vis pelleretur, aut calorum ſedarentur moleſtiæ, in ſuaviſſima aeris temperie, aut ad bellicos uſus quidpiam in ſumma pace deſiderantibus, nullis utique opus fuit commerciis.

XVII. Sed longiores hic ſumus, quam neceſſe eſt. Quis enim eſt, cui non perſpicua ſint illa ſaltem optabiliorem eſſe eam vitam, qua in eorum, quæ ad varios vitæ uſus pertineant, affluentiori, citra tamen luxuriem, copia vivitur, quam quæ domeſticis contenta opibus ſit, ſufficientibus illis quidem quodammodo vitæ ſuſtentandæ, ſed jucunditatis oblectationisque afferentibus parum? Quare concedatur neceſſe eſt, utut citra invectionem eorum, quibus ad *αὐτάρκειαν* ſuam quæque regio indiget, queat aliquatenus in civili ſocietate conſiſti, tamen perfectiorem omnino civitati, importatis illis, modo luxus abfuerit ſtudium, obventuram fore beatitudinem.

XVIII. QUUM igitur hic locus nihil forte amplius habeat dubitationis, ea nunc porro mercimoniorum genera proſequamur, quibus non tantum carere commode civitas poteſt, verum etiam prona ad luxuriam præbetur occaſio, qua vix eſſe poteſt publicæ rei peſtis pernicioſior. Sunt igitur in his, quæ ad victus ſpectant dulcedinem, peregrinæ cupediæ, quales ab Romanis olim peti ſolitas vel ex remotiſſimis gentibus, memorat T. Petronius Arbiter.

Ales Phaſiacis petita Colchis.
Atque Afræ volucres placent palato.
Quod non ſunt faciles: at albus anſer
Et pictis anas enovata pennis
Plebejum ſapit: ultimis ab oris
Attractus ſcarus atque arata Syrtis,
Si quid naufragio dedit, probatur.
Mullus jam gravis eſt.

Add. quæ p. 15. edit Amſt. an. 1670. ap. eundem auctorem habentur. & quæ affert Seneca in conſol. ad Helv. c. IX. Omnino carere Germani aromatibus peregrinis, carere garis & conditis citra incommodum poſſumus. Uſum olei butyrum, ſacchari mella, alia aliorum neceſſitatem ſupplerent, modi majori cultu noſtri homines illa proſequerentur. Haud illepida ſunt, quæ in libro de Guajaco C. XX. affert Ulricus Huttenus, eques Francus, de luxurioſo transmarinorum appetitu, quo laboret Germania, quem ego locum communicatum mihi quondam ab avunculo meo, quemque in parentis veneror ſemper loco, Henrico Meibomio, ne quid forte diſſimulem, ingenue fateor: *Vetus Catonis condimentum eſt pultem miſcere caſeo & ovo. Illis autem vere Germanis olim, ut adhuc hodie multis, pultem ex avena cibum fuiſſe Plinius refert. At nos transmarina cœnamus, tanta neceſſitatis opinione, ut decretum omnibus paſſim patribusfam. ſit, quæ hic proveniunt, vendere, ut illa emantur. Quæ res una locupletavit Fucheros,* (De Fuggerorum divitiis addi poteſt Lud. Guicciard Belg. p. 93. edit. Amſtelod. an. 1646.) *qui donec nos ſic curamus corpora, ſoli pecunias habent in Germania, ſoli magnificas ædes ac ſpecioſa ædificia: quippe in tantum creverunt illi voluptatis noſtræ miniſtri, ut eorum opes ante cujuslibet ex his principibus cenſum habeantur. Adeo extra nos peregrinamur, adeo non intelligimus, quæ modo decoquat Germania.* In eundem fere ſenſum Sam. Pufendorfius Severini de Monzambano velatus nomine C. VII. de Statu Imp. Ger. *Germania omnia fere producit, quæ ad neceſſitatem aut delicias vitæ humanæ faciunt, ut non incolis ſolum ſufficiant, ſed & exteris communicari poſſint. Et quibus aliunde importatis utitur, vel eorum, quæ exportantur, copiam non excedunt, vel talia ſunt ut facile iis carere poſſint Germani, ſi luxuriam compeſcere, aut ſocordiam ineptiamque noſſent exuere. Quam facile enim erat contentis vino & cerevifia ſua, aut ſi hæc ad ebrietatem nondum ſufficiebant, adjunctis vini aduſti tartareis ardoribus ignorare Hiſpanica aut Gallica vina?* & paulo poſt: *Denique aromatibus, ſaccharo, aliisque ex utraque* India *petitis longe parcius poſſet uti Germania, ſi luxuriæ frena ponere poſſet.* Quanta certe etiam in exotica vina fiat profuſio, inter omnes conſtat. Falerna & Maſſica, Alicantinum & Petroximenianum, ſpuriam generoſi rhenani propaginem, in Germaniam transportata abſumimus, quibus profecto carere civitas poteſt citra ullum incommodum. Generaliter Lucretius L. V.

— Ceres fertur fruges, Liberque liquoris
Vitigeni laticem mortalibus inſtituiſſe,
Cum tamen his poſſit ſine rebus vita manere,
Ut fama'ſt aliquas etiam nunc vivere gentes.

Ita veteres Germani omnio vinum ad ſe importari non permiſerunt, quod ea re ad laborem ferendum remolleſcere homines atque effœminari arbitrabantur. Cæſ. l. IV. de bel. Gal. Eademque Nervios opinio tenuit: ad quos nullum aditum mercatoribus patuiſſe accepimus, neque vini neq; reliquarum rerum ad luxuriam pertinentium quidpiam paſſos invehi, ut quibus relangueſcere animos & remitti virtutem exiſtimarent. Romæ C. Fannio, M. Valerio Meſſala Coſſ. Senatus decretum factum, quo civitatis principes, qui, ludis Megalenſibus, antiquis ritibus mutua agitarent convivia, præter alia etiam illud jurare juſſi, vino ſe non alienigena, ſed patrio uſuros, memorat Attejus Capito in Conjectaneis. conf. Gell. L. 3. C. XXIV. Aque extranei quidem vini uſum etiam hodienum Genevenſium mores repudiant. Quid, quod omnem cereviſiam omni vino, deteriorem equidem deteriori, optimam optimo ſalubriorem eſſe, ubi continuus utriusque uſus ſpectetur, ſint in eruditorum numero, qui exiſtiment? quas & materno avo meo Jo.

Henr. Meibomio in de cereviſiis libello fuit ſententia, ubi, de noxiis vinorum quorundam qualitatibus, Galeni, Hippocratis & Dioſcoridis teſtimoniis, aliisque ſubinde argumentis idem illud adſtruxit, capite laudati opuſculi ultimo, cui V. CL. Adriani Turnebi de vino libellum, ut mole parvum, ita eruditione gravem, ſubjunxit, iniquiorem illum equidem vino, ſed in publicam utilitatem conſcriptum. Verum nolim tamen in repudiando vinorum uſu videri nimius, qui ut nullam eſſe vini expertem commode poſſe vitam mortalium quidam rentur, ita certe pro inſigni creatoris munere agnoſcendum illud exiſtimem, ne de eo quid addam, quod ad ſacramenti alterius uſum prorſus vino indigere nequeat civitas, quæ quidem Chriſtianæ religioni addicta ſit. Solum illud nunc aſſero, ſatis ingentem anſam dari luxuriæ, ubi domeſticorum copia ſuppetente, in extraneis vinis advehendis multum occupentur commercia.

XIX. Atque magis etiam improbanda aliquis arbitretur ea mercium genera, quorum cum ad veſtimentorum pompam, tum ad magnificentiam ædium uſus eſt. De Germanis idem, quem memini, Monzambanius: *Quam facile erat veſtiri pannis ex propria lana confectis, ſuosque relinquere Hiſpanis, Anglis & Batavis? Neque vero ſerico noſtro* (Itali perſonam induit) *carere Germanis grave erat.* Nec male Seneca ep. XC. *poſſe nos habitare ſine marmorario fabro, poſſe nos veſtitos eſſe ſine commercio Serum*, quum ad corpora contegenda lineæ fortaſſis laneæque veſtes ſufficiant. De ipſo ſerico Solinus cap. 63. *Hoc illud eſt ſericum, in uſum publicum damno ſeveritatis admiſſum, & quo oſtendere potius corpora, quam veſtire, primo fœminis, nunc etiam viris, perſuaſit luxuriæ libido.* & Anic. Manl. Severus Torquatus Boëthius L. II. de conſol. Philoſ. met. v.

Felix nimium prior ætas *Contenta fidelibus arvis,*
Nec inerti perdita luxu — *Nec bacchica munera norat*
Liquido confundere melle. *Nec lucida vellera Serum*
Tyrio miſcere veneno.

Quantum in ſuccinis quondam Romanorum luxuries fuerit, quæ a Balthici usque maris littoribus Æſthiorum provincia *nuribus miſit geſtanda latinis*, L. XXXVII. c. 3. tradit Plinius. Eademque margaritarum, gemmarum, adamantum & aliorum pretioſorum lapidum artificioſeque & ornate fabrefactorum ab extraneis artificibus, quæ ſerici aut purpuræ, ratio eſt. Quantum porro in urbibus ædibusque ſtatuarum, quantum columnarum eſt nihil ſuſtinentium, ſed in ſolum ornamentum poſitarum? vid. Senec. ep. LXXXVI. quarum ſtructuræ, quæ inſerviant, vel ex remotiſſimis regionibus apportanda ſunt.

XX. QUID ergo? exterminabitne de republica ſua omne illud commercium, quod in illis invehendis eſt poſitum, quibus ad luxuriam ſuppeditatur occaſio, an admitti & illa conſultum cenſebit commodis civium optime proſpectura majeſtas? Ego vero abſtineri illis ſatis commode poſſe exiſtimem, eo reipublicæ genere, cujus in virtute unica abſolute finis eſt poſitus. Quod inprimis quoque Platoni placuit l. VIII. de Legg. p. 650. ubi thus & reliqua libamenta Deorum peregrina, purpuramque, & ſi quos alios colores cretenſis regio non producat, peregrina denique omnia, niſi in neceſſariorum fuerint numero, aliunde adportari prohibuit. Ipſamque Hebræam rempublicam, quam divinis etiam legibus optime temperatam fuiſſe inter omnes conſtat, maritimis commerciis abſtinuiſſe, gravis auctor, Joſephus l. 1. cont. Apionem memoriæ prodidit: ἡμεῖς οὔτε χώραν οἰκοῦμεν παράλιον, οὔτ' ἐμπορίαις χαίρομεν, οὐδὲ ταῖς πρὸς ἄλλους διὰ τούτων ἐπιμιξίαις. *Nos* (Hebræi) *neque rempublicam maritimam habitamus, neque negotiationibus gaudemus, neque illorum gratia aliorum commerciis.*

XXI. Igitur eſſet quidem in votis, ut imitati quodammodo gentis Iſraëliticæ inſtituta non uteremur ſaltem iis commerciis, quæ majorem fortaſſis afferunt copiam, quam vel optime conſtituta civitas appetat, quum invehere in illam abundantes voluptates deſiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendique omnia quam facillime poſſint. Velut ex inſigni rerum omnium affluentia Capuæ eam natam eſſe luxuriem ſcribit Cicero de leg. agrar. cont. Rull. quæ & Annibalem, armis invictum, voluptate infregerit. De eadem Campanæ urbis luxuria T. Livius l. 23. *Prona ſemper civitas in luxuriam non ingeniorum modo vitio, ſed affluenti copia voluptatum & illecebris omnis amœnitatis maritimæ terreſtrisque.* Accedit, quæ compluſculis mercatoribus velut propria eſt, ingens in omnigenas ſvavitates propenſio; idque ipſi Soloni, quem in ſapientibus ferunt, ex mercatoria vita hæſiſſe ſcribit Plutarchus vit. Solon. quod & mollior paulo & profuſior fuerit; quum permultis gravibusque periculis vita illa implicita lautiorem ſubinde cultum deliciasque deſideret. Quos vulgatos adeo mercatorum mores pervenuſte in belgis adumbrat Grotius l. 1. annal. juncta in illis mercaturæ quærendæque pecuniæ ſtudio convivandi una prodigendique libidine. *Plebi omne ſtudium circa mercaturam & convivia erat, ut quærerent pecuniam prodigerentque.*

XXII. Cæterum, etſi non omnino illud negaverim, tum compluribus mercimoniis abundantiorique eorum copia, tum vel ipſa quandoque mercatoriæ vitæ conſuetudine, multam, occaſione commercii, anſam ſubminiſtrari luxuriæ, tamen haud beata perinde dici civitas ſtatim non debet, ſi qua amplis uſa commerciis, uberiori omnis generis mercium abundantia affluat. Nam, ut nihil illa parumve ad virtutis munia probius exercenda civibus conferat, (quæ haberi debebat finis civitatis primarius, quoque & ipſa αὐτάρκεια ſuo modo collineat) rejici tamen illico, ut virtutis impedimentum, poſſe illam non arbitror. Neque enim illud verum eſt, quod videri maxime congruum vero poſſit, ſicut anſam præbere queat luxuriæ affluentior illa omnium rerum abundantia, ita omnino luxurioſos ſemper eos efficere, quos participes ſui reddiderit. Non in varietate cibi potusve, quam commercia adferunt, ſed in abuſu ejusdem, vitium cernitur. Quum

enim

enim luxuria quædam *ſupro modum profuſio* ſit, unde & a luxo, id eſt, vulſo dictam ſcribit Nonius Marcellus, vid. p.339. & 55. edit. Sedan. 1614. *quia a recta vivendi via ſit excluſa & ejecta*, neceſſe erit in eo illam conſiſtere, quod eſt nimium. Jam vero dicit Macr. l. 7. Satur. c. 5. *modum ſervat, qui ſui poteus eſt, & iu menſa Sicula vel Aſiana: excedit impatiens, etiamſi ſolis olivis aut olere veſcatur. Nam ſicut in mori gubernatores veuto ſuo, etiamſi nimius ſit, coutraheudo iu minorem modum vela prætervolant, & flatum, cum major eſt, coercent: ita & appetentia cum titillatur & creſcit, rationis temperari gubernaculo poteſt.* Igitur & ſanitatis eſt compos, cui copia cibi ſuppetit, ubi moderationem tenuerit, *coutra iuſanus ſit ille, cui merus ſal cibus eſt, ſi hoc ipſum voraciter invaſerit.* Optime Auguſtinus lib. 3 de doctr. Chriſt. c. 12. *Fieri poteſt, ut ſine aliquo vitio cupidinis vel voracitatis pretioſiſſimo cibo ſapieus utatur, inſipiens autem fœdiſſima gulæ flamma iu viliſſimum ardeſcat. -- Nam in omnibus hujuscemodi rebus, non ex earum rerum uatura, quibus utimur, ſed ex cauſa utendi & modo appetendi vel probaudum eſt, vel improbaudum, quod facimus.* Quod, ſi qui luxurioſis appetitibus ducti ultra, quam patrimonii vires permittant, (qui eſt alter per luxuriam excedendi modus) nimiam peregrinarum mercium abundantiam conſectentur, &

> *- velut exhauſta redivivus pullulet arca*
> *Nummus & e pleno ſemper tollatur acervo,*
> *Non unquam reputant, quanti ſibi gaudia conſtent,*

hi Juvenalem audiant Sat. XI.

> -- -- -- -- *buccæ*
> *Noſceuda eſt meuſura tuæ, ſpectandaque rebus*
> *Iu ſummis minimisque; etiam, cum piſcis emetur.*
> *Nec mullum cupias, cum ſit tibi gobio tantum*
> *Iu loculis, quis enim te, deficiente crumena*
> *Et creſcente gula manet exitus?*

Quid quod & legum ſeveritate poni modus profuſioni pro cujusque facultatibus atque refrænari poſſit luxuries? De quo nobis infra videndum erit convenientius.

XXIII. Gemina & in veſtimentorum pompa, magnificoque ſplendore ædium atque reliquo apparatu ratio eſt. Neque enimvero abſurdum illud exiſtimem, ſi qui, tum florente publicæ rei ſtatu, tum ipſi in re lauta conſtituti, majorem in iſtis elegantiam ſectentur præ aliis, quos divitiarum cumulo ſuperant. Quod intuitus in romana quondam republica L. Valerius, quum ex Punicis illa tumultibus emerſiſſet incolumis, quorum tempeſtas legem Oppiam coërcendo fœminarum luxui deſideraverat, catonianæ ſeveritati ſeſe opponere, & muliebrem mundum matronis annisus aſſerere, ne purpura quidem aurove, immutato in melius reipublicæ ſtatu, abſtinendum cenſebat: *Omnes*, inquit ap. T. Liv. l XXXIV. *alii ordines, omues homines mutationem in meliorem ſtatum reipublicæ ſentient: ad conjuges tantum noſtras pacis & tranquillitatis publicæ fructus non perveuiet?* nec ita multo poſt: *in purpura, quæ teritur, abſumitur, injuſtam quidem, ſed aliquam tamen cauſſam tenacitatis video, in auro vero, in quo præter manus pretium nihil iutertrimenti ſit, quæ molignitas eſt? præſidium potius iu eo eſt & ad publicos & ad privotos uſus, ſicut experti eſtis.* Et Octavio Auguſto Principe, quum in ſenatu multa in luxum civitatis dicta eſſent a Qu. Haterio Conſulari, modumque argento, ſuppellectili, familiæ Octavius Fronto poſtulaſſet, contra Gallus Aſinius ſic diſſeruit apud Tacitum l. II ann. cap. 33. *Auctu imperii adoleviſſe etiam privotas opes; & cuncta ad rempublicam referri. Qua tenui auguſtas civium domos: poſtquam eo magnificentiæ venerit, gliſcere ſingulos, neque in familia & argento, quæque ad uſum parentur, nimium aliquid aut modicum, niſi ex fortuna poſſidentis: diſtinctos ſenatus & equitum cenſus, uou, quia diverſi natura, ſed, ut locis, ordinibus, dignationibus antiſtent, taleſque ad requiem animi aut ſolubritatem corporum parentur: niſi forte clariſſimo cuique plures curas, majora pericula ſubeunda; delinimentis curarum & periculorum carendum eſſe.*

XXIV. Forte quispiam dixerit, ut ipſius profundentis, quæ ſua ſunt, ratione habita, nimia cenſeri profuſio nequeat, ubi pro facultatibus fiat patrimonii uniuscujusque, ita publicæ rei reſpectu judicandam eſſe omnino immodicam, dum in merces extraneas, pretio ſumtuoſiſſimas, ſupervacaneas uſu, ingens vis domeſticarum opum profunditur. Quæ Tiberii querela apud Tacitum eſt l. III. annal. cap. 53. *lapidum cauſſa* Romanorum *pecunias ad externas aut hoſtiles gentes trousferri.* Fuſiusque idem proſecutus eſt Dio Chryſoſtomus Orat. LXXIX. „Numquid animadvertitis, quod hi omnes (dico autem Celtas & Indos, atque Iberos ac Arabes, Babyloniosque) „tributa a vobis accipiunt, non pro regione, neque pro pecoribus, ſed pro cupiditate veſtra atque „dementia? Non enim, ſi qui armis facti ſuperiores cogunt victos ſibi argentum dependere, id ſo„lum dicitur tributum: neque hominum eſt admodum felicium, neque fortium tributa præſtare „aliis: ſi autem quidam nemine invadente militibus, neque cogente, ob fatuitatem & delicias ar„gentum, quod plurimi æſtimant præ omnibus, ſponte mittant per magna viæ atque maris inter„valla aliis, nonne plane pejus eſt turpiusque factum? Atque hoc magis, quod illi parvos infir„mosque lapillos atque hercle etiam beſtiarum oſſa dantes accipiunt argentum & aurum pro uti„libus inutilia permutantes.“ Neque de Romanis ſaltem iſta negaverim; quibus geminum quidpiam & in Germanorum moribus deprehendi jam tum ſupra ſubinnui. Cæterum quum non ſolum copioſiorem affluentiam civitati conciliet mercatura maritima, ſed & opulentiæ illi comparet affatim, eo equidem magis, quo ad plura genera mercimoniorum diffunditur, compenſabitur ſane damnum, quod ex profuſa conſumtione peregrinarum mercium, quarum uſus ſuperfluus eſt, naſci poterat, ea utilitate, quæ ex commercii amplitudine promanat ad publicum; dummodo, ut

importatorum abundantia adfluit, ita ab illis, quæ cum extraneis viciſſim exportata permutet, ſatis inſtructa ſit civitas, (talem enim maxime volumus;) neque vel auri argentive nimiam in ſuperfluos illos uſus copiam eroget, vel, quæ apud alias gentes multo carius, publicæve rei utilius, permutari quiviſſent, optimas quasque merces permutationibus deſtinet non neceſſariis. Neque enim, dum non penitus improbo importationem earum rerum, quarum dulcedine facile ad luxuriem proritari poſſint ingenia civium, luxum non ejiciendum, quoad fieri ejus poſſit, e republica arbitror. Quare nec ipſi, quem ſupra audivimus, Gallo Aſinio omnino aſſenſerim, quamvis facilem ei aſſenſum ſub nominibus honeſtis confeſſio vitiorum & ſimilitudo audientium illa tempeſtate dederit, qua nec vitia ſua Romani, nec remedia pati poterant. Solum ipſas effectrices exquiſitioris copiæ merces, utut non afferri illas magis e republica futurum ſit, ubi nihil admodum præter virtutem ſpectetur, ita ſemper de civitate exterminandas videri neutiquam, hactenus oſtenſum eſſe ſufficiat.

XXV. Forſan vero, ut nunc ſunt tempora, etiam omnibus numeris beata cenſeri nequit reſpublica iis deſtituta, quæ externam illi etiam magnificentiam ſplendoremque concilient. Videanturque & privati cujusque mores flagitare ſimile quidpiam. Quare omnino & opus fuerit iis commerciis, quibus, quæ ſplendori illi conſequendo inſerviant, comparentur. Quem & in ipſa Hebræorum republica commerciorum ope expetitum quandoque ſaltem ab ſupremo illius principe parum ambigo. Quamvis enim, quoad penes Deum ſumma optime inſtitutæ civitatis poteſtas permanſit, nulla fere ab Hebræo populo miſta cum externis gentibus commercia fuerint, tamen immutata cum tempore publicæ rei forma, ſupremoque imperio ad reges devoluto, Salomonis auſpiciis regnum Iſraeliticum maritimis ſubvectionibus ſic ſatis inclaruit, poſtquam ægyptiaci ſinus ora maritima ſubjugata, claſſem inſtruxerat Ezeongaberæ, quæ ex Ophira auri copiam adportaret; navigiaque & in Tharſico mari ab Salomone conſtituta Joſephus L. VIII. Ant. Jud. c. 11. memorat, quæ delatis ad procul diſſitas gentes mercibus aurum, argentum, ebur, ſimias atque alia genera mercimoniorum revexerint. Nolo illis calamum occupari, quæ de ſtupendis operibus magni principis, eorumque ſplendore, fuſe in divinis ſcriptis expoſita ſunt, ut quæ cunctis in promtu ſint. Igitur patet ſane, neque ipſi Deo improbatam fuiſſe eam rempublicam, quæ virtutis quidem pietatisque ſtudio dedita, ſed & affluentioris cupida abundantiæ, quam quæ ad optimam rempublicam requirebatur, pluribus, quibus carere, utique citra vel leviſſimum incommodum poterat, mercimonia maritimæ ſibi mercaturæ beneficio curavit inferri. Quis enim peregrinum illud ebur, & ignota Palæſtinæ animalia, minus quidem apta humanis uſibus, neceſſaria arbitretur, quibus invehendis indigeret reſpublica? aut non in eorum potius ducat numero, quæ ad magnificam pompam abundantioresque voluptates pertineant? Neque tamen ignoro id, quod objici forte poſſit, ab Salomonis illa conſilio, non ab divino inſtituto profecta eſſe; neque enim ego id urgeo. Qui, ut citra difficultatem largior, uni forte Salomonis inſtinctui, quicquid ejus tempore genti iſraeliticæ cum externis populis interceſſit commercii, tribuendum: ita viciſſim illud mihi concedi velim, utut ſumma apud Hebræos poteſtas penes principes fuerit, minime tamen conditorem civitatis Deum receſſiſſe ab omni publicæ ejus rei cura, quam in gente iſraelitica ſumma ope promovendam ſibi delegerat. Quare ſi qua divinæ voluntati contraria ſive ab ipſo rege, ſive a populo patrabantur, prophetarum illos monitis increpare non deſtitit: quum, quo Salomonis tempore utebatur, ſtatum civitatis iſraeliticæ, tanquam optimum atque florentiſſimum, ſacræ literæ celebrent. Igitur hoc ſane concedamus, non modo improbandam abſolute non eſſe uberem illam rerum omnium affluentiam, quam maritima commercia pariant, ſed nec frui facile expertem eorum rempublicam ea felicitate poſſe, quam quidem hodierni mores deſiderent.

XXVI. VIDEAMUS deinceps, num & ad alteram illam *αὐταρκείας* partem, quam in amplis opibus, divitiisque conſtitui, multum adferre poſſint commercia? Ac de ſingulis equidem mercatoribus nemo forte ſubdubitet, quin, ſi copioſa commercia fuerint, maximam inde opulentiam poſſint conſequi, dum coemtas minori pretio merces venumdent carius. At enim, dicat aliquis, privatorum ea hominum ſuo duntaxat lucro inhiantium utilitas, non reipublicæ eſt. Sed meminiſſe debemus, quod eſt ſupra a nobis poſitum, non perfectam eſſe beatitudinem reipublicæ poſſe, niſi & bene habeant ſinguli. Quorum felicitatem ſi qui remotam ab ſalute reipublicæ arbitrentur, næ illi vehementer errant; quum ne in herili quidem imperio, quamvis eſſe fortaſſis in illo etiam debeat populi conditio durior, omnis illum copiæ egenum degere, imperantis ratio patiatur. Quæ quum ita ſint, ignorari porro non debet, ita comparatas eſſe divitias, quæ commerciorum ope acquiri ſoleant, ut quantumvis maxime quidem illæ ipſis adfluant mercatoribus, & in privatorum locupletandis familiis plurimum habeant ponderis, tamen privata eadem & ad privatorum quam plurimos, & ad ipſum directo publicum redundet utilitas

XXVII. Quod ad privatorum commoda attinet, quæ ex amplitudine mercaturæ maritimæ conſequantur, ita illa in promtu ſunt, ut negari non poſſint. Nam & nautarum, & piſcatorum, & agricolarum, & artificum, & inſtitorum, & cæterorum incolarum civitatis complurium, præter ipſos adeo mercatores primarios, eo ſuſtentari poteſt commodius vis numeroſior, quo maritima domeſticarum mercium exportatio & extranearum invectio, inelaboratarum præſertim, futura eſt amplior, ut quorum aut mercibus aut opera ad commercia ſua commode proſequenda mercatores indigeant. Hinc nervoſe, ut omnia, in Annalibus L. 11. Grotius: *Negotiationes arteſque connexæ, prima populi alimenta.* &. L. V. *Mercatura inferiorum artium nutrix.* Quantus in Hollandia mortalium numerus ex commerciis victum ſuum amictumque percipiat, indagatum

ſolli-

ſollicite ab auctore libelli, ejus titulus, *Intereſſe von Holland*, legere licet nono illius capite. Et negari certe non poteſt, quum neque citra inſignem hominum copiam exerceri mercatura maritima, (uti locis ſuis reddetur liquidum;) neque citra commercia amplus civium numerus ſuſtentari commode poſſit, quo inprimis etiam illi opus eſt civitati, quæ potentiæ amplioris eſt appetens, vix cariturum fore mercaturæ utilitatibus ullum vitæ civilis genus; quod in copioſiſſimo hominum numero, cui citra commerciorum alimenta non liceret æque conſiſtere, haud perinde difficilem quæſtus modum ipſa unicuique inſignis frequentia populi atq; etiam, præter ipſos adeo cives, peregrinorum hominum copia ſuggerat. Quo circa præclare iterum in V. annal. Hugo Grotius: *Certiſſimum vectigal apertum mare.* Inde ampliſſimæ illæ Tyriorum, Athenienſium, Karthaginienſium, Venetorum, Belgarum, Anglorum, & maritimarum hanſici fœderis civitatum divitiæ partim illuſtres apud antiquos, partim etiam noſtris temporibus celeberrimæ, quas maritimi expertes commercii neutiquam habuiſſent. De Venetis in epiſtola ad Dominicum Molinum Balthaſar Bonifacius: *univerſas opes & omnem potentiam Italiæ principis populi e mari hauſtam fuiſſe.* & Colinius apud Thuanum L. LI. *unico per Orientem commercio Venetorum opes ſuſtentari.* Quantum Indiarum commercia ponderis Hiſpanienſi potentiæ adjecerint, inter omnes conſtat, *florentis Hiſpaniæ regni unicum columen, regis & populi reditus*, velut Luſitanis audiunt apud Grotium L. XI. Hiſt. Ita Wilhelmus Uſſelinx: Argon. Guſtav. p. 29. *Der Indianiſche Reichtuhm iſt ſeine (des Kænigs in Spanien) Hauptſeule.* Igitur in Philippi Hiſpani monitis ap. Meter. L. XIX. ad Philippum III. F. ſecundum civilem regni adminiſtrationem conſervandis Hiſpaniis Indicorum commerciorum neceſſitatem ab ſapientiſſimo patre ſaluberrime gnato inculcatam reperio, ut quibus robur imperii inniteretur. De iisdem commerciis apud Grotium in Batavorum libellis eſt, quos pro libertate commercii aut quæſtus aut patriæ amor expreſſerat: *Pauperis quondam regni dominos Indiæ Americæque debere illud fortunæ faſtigium, quibus & nunc reges deſpiciant.* Belgii fœderati divitiæ qui per mercaturam excreverint, apud Wilhelmum Uſſelingem videri pretium operæ eſt & in Argonauticis Guſtavianis p. 19. & in Mercurio Germaniæ p. 28. Scite Grotius L. IX. Hiſt. *Conſtat ſatis, omnes Batavorum opes ex mari eſſe & mercatura.* Neque aliter Thuanus Lib. C. agens de fœderatæ Belgicæ viribus, *Opulentiam*, inquit, *tantam his regionibus conciliat commercium frequens.* Idem L. XLVI. *negotiatione una opes belgicæ conſtant.* & Lib. L. affert querelas provincialium hiſpanienſis Belgicæ, *ſi artifices atque negotiatores alio emigrent, Belgii florentiſſimas toto orbe ac frequentiſſimas & opulentiſſimas provincias ad ſummam ſolitudinem & inopiam brevi redactum iri.* Inprimis hic legi meretur indicæ Societatis demonſtratio, quæ de immenſo Belgicæ fœderatæ damno ex jactura commercii indici promanaturo edita ſub initium hujus ſeculi, exſtat apud Eman. Meteranum L. XXIIX Bel. Belg. Reperi ſane in ſcriptore quodam batavico, creditum, vel e ſolo caſeo & butyro exportato cogi quotannis a Batavis ad decies centena millia Carolæorum. De Anglorum quidem cum Belgio commerciis refert ex rationum tabulis Guilielm. Camdenus in annal. Eliſ. ad an. 1564. ſuperaſſe illud in annos ſingulos ad centies vicies centena millia: ſolos Anglicos pannos transportatos Antverpiam quinquies centenis millibus aureorum æſtimatos fuiſſe.

XXVIII. Facit ergo locupletem opibus civitatem mercatura maritima. Quæ quum, ſuppeditatis affatim alimentis, conferendorum tributorum facultates una ſuggerat populo, inprimis auget etiam civitatem illis proventibus, qui ex invehendarum & aſportandarum mercium vectigalibus ac portoriis capiuntur. Ferunt unum Amſtelodamum, Batavorum emporium, ad triginta quandoque millia aureorum in dies ſingulos habere ex vectigalibus, quamvis tamen graviora aliquanto apud Hollandos mercium onera ſint. Quod de Luſitanis itidem memorat Hieronymus Coneſtaggius, quorum uberes ex vectigalibus reditus in de conjunctione Caſtiliæ Portugalliæque regnorum primo libro proſequitur. *Multi* præterea *repentini caſus* quandoque *incidunt, in quibus mercatorum opibus ſæpenumero non levia pericula propulſantur.* Hippol. a Collib. princ. c. XXX. Cujus generis eſt, quod Anglorum regina Eliſabetha adfert apud Thuanum: L. XLVI. *id juris principibus eſſe, neceſſitate urgente, ut pecunia mercatorum libere utantur, proinde decreviſſe pecuniam, quam a prædonum violentia defenderit, in uſus præſentes mutuo ſumere.* Quocirca ſæpiuſcule quidem nec mediocria reipublicæ munera ſuſtineri ab mercatoribus ſolent. Navali vero potentiæ, peritiæque belli maritimi nullus prope opportunior fomes commerciis eſt. Teſtes Angli & Batavi, teſtis præter Hanſeaticas civitates nonnullas maritimæ rei gloria maxime quondam celebres, domina maris Adriatici reſpublica Veneta.

XXIX. Fateor vero, quanquam opportunum ſatis ad parandas divitias augendamque una potentiam medium mercatura maritima præbeat, tamen abſtinendum videri quodammodo his commerciis, quibus lucrum unice eſt propoſitum, ubi nihil præter virtutem ſpectet reſpublica tum, quod ad perfectum virtutis uſum modicæ ſufficiant copiæ, tum, quod nimio partim externorum commercio, partim ipſius adeo quæſtus ſtudio plurimorum in civitate copioſior mercatura, quæque in acquirendis pecuniis tota eſt, eſſe ſoleat genitrix, quibus neceſſe eſt careat civitas optime conſtituta. Quæ ſententia placuit etiam Ariſtoteli VII. Polit. C. VI. plurimique ſumma auctoritate philoſophi detrimentoſum ea de cauſa maris commercium civitatibus arbitrati ſunt. Maxime fugiendum reipublicæ conditoribus mare, tanquam πονηροδιδάσκαλον docuit Plato L. IV. de Leg. Conf. Strabo L. VII. Quo introductus ab eo hoſpes Athenienſis laudat civitatem illam cretenſis agri, quam LXXX. ſtadiis remotam a mari Philoſophus finxerat: neque enim ad virtutis ſtudia minus illam accommodatam eſſe; quæ ſi mari propinquior ſit atq; portu inſtructa commodo plurimarum mercium indiga, opus fore divinis legum latoribus, ne diverſis praviſque moribus

 cor-

corrumpatur. Addit deinceps: Πρόσοικος θάλαττα χώρᾳ τὸ μὲν παρ᾽ ἑκάστην ἡμέραν ἡδὺ, μάλαγε μὲν ὄντως ἁλμυρὸν καὶ πικρὸν γειτόνημα. Ἐμπορίας γὰρ καὶ χρηματισμȣ̃ διὰ καπηλείας ἐμπιπλᾶσα ἑαυτὴν, ἤδη παλίμβολα καὶ ἄπιστα ταῖς ψυχαῖς ἐντίκτουσα, αὐτήν τε πρὸς αὐτὴν τὴν πόλιν ἄπιστον καὶ ἄφιλον ποιεῖ, καὶ πρὸς τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους ὡσαύτως. quæ ſe ita latine habent, Marſilio Ficino interprete: *Mare civitati proximum quotidiana quadam jucunditate eam adficit. Veruntamen vicinitas ea nimium revera falſa eſt atque amara. Nam cum mercibus & pecuniis cauponando civitas repleatur, doloſi animi inſtabiles & infidos mores parit. Unde parum & ipſa ad ſe ipſam, & ad gentes alias fidem & amicitiam colit.* Ita ſinceros primum ac ſimplices ipſorum adeo Nomadum mores maritima mercatura corrupit. Καὶ ἐπιπλεκόμενοι πολλοῖς, ut inquit Strabo lib. VII. μεταλαμβάνουσι τῆς ἐκείνων πολυτελείας καὶ καπηλείας. ἃ δοκεῖ μὲν εἰς ἡμερότητα συντείνειν, διαφθείρει δὲ τὰ ἤθη καὶ ποικιλίαν ἀντὶ τῆς ἁπλότητος τῆς ἄρτι λεχθείσης εἰσάγει. De Karthaginienſibus Cicero in orat. de L. Agrar. contra Rull. *Karthaginienſes fraudulenti & mendaces, non genere, ſed natura loci, quod, propter portus ſuos, multis & variis mercatorum & advenarum ſermonibus ad ſtudium fallendi ſtudio quæſtus vocabantur.* Iidemque viciſſim Pœni, ut in III. de republica apud Non. Marcellum p. 431. rurſus auctor eſt Cicero, mercatura & mercibus ſuis avaritiam, & magnificentiam, & inexplebiles cupiditates omnium rerum in Græciam ſupportarunt.

XXX. Cæterum & iſraeliticum populum, quem maritimi expertem degiſſe commercii ſupra vidimus, ipſa divina lege V. T. ab mercatura abſtentum fuiſſe videtur Bodino l. III. de rep. c. 8. n. 359. & in eccleſia veteri, ceu fœnore, ita commerciis quoque Chriſtianos quondam abſtinuiſſe refert in de uſuris Salmaſius. Tendunt huc illa Tertulliani lib. de patient. c. 7. tom. 1. p. 385. edit. Pariſ. Caroli Moreau: *Gentilium eſt omnibus detrimentis impatientiam adhibere, qui rem pecuniariam fortaſſe animo antepoitant. Nam faciunt, cum lucri cupiditatibus quæſtuoſa pericula mercimoniorum exercent.* & c. XI. de idololatr. poſtquam cupiditatem damnaverat. *Negotiatio*, inquit, *ſervo Dei aptata eſt? Cæterum ſi cupiditas abſcedat, quæ eſt cauſa adquirendi, ceſſante cauſa adquirendi, non erit neceſſitas negotiandi.* Ita L. Cœlius Lactantius v. de juſtit. cap. 17. *Cur naviget, aut quid petat ex aliena terra, cui ſufficit ſua? -- Scilicet peregrinis mercibus delectabitur, qui nec lucrum ſciat appetere. -- Lucro nunquam ſapiens ſtudet; quia bona hæc terrena contemnit: nec quemquam falli patitur, quia boni viri officinm eſt, errores hominum corrigere, eosque in viam reducere.* Add. inprimis Ambroſ. lib. de Elia & jejun. c. 18. In Philoſophis graviter mercatorum avaritiam ac infauſtum vivendi genus apud Philoſtratum l. IV. cap. 10. Apollonius Thyanæus perſtringit, & in Satyrarum ſcriptoribus ſalſe ridet, princeps omnium, Juvenalis Sat. XIV. quibus ex cæteris poetis addere licet Propertium L. III. eleg. 5.

XXXI. Verum enim vero, quamvis haud abnuerim, optandum eſſe quadamtenus, poſſit *e vita in totum abdicari aurum, ſacra fames, proſciſſum convitiis ab optimis quibusque & ad perniciem vitæ repertum*, ceu XXXIII. libri primo capite audit Plinio: tamen, quum in unaquaque republica ſaltem aliqua pecuniarum copia opus ſit, tum ad civiles, ut dixi, uſus, tum etiam ad militares, omnino carere iſto rerum gerendarum nervo certe nec optima quidem civitas poteſt; egebitq; eo amplioribus quæque divitiis, quo aut affluentiorem copiam rerum omnium expetit, aut ad majorem adſpirat potentiam. Quare & opus habebit illis maxime mediis, honeſtis tamen, quibus locuples opibus queat effici. Quod ſi eſt tale quidpiam mercatura, eſſe vero oſtendimus, erit eidem & in republica, ſi non optima, ſaltem bene conſtituta locus quam maxime, quo ad opes illa comparandas commerciis non ut principalem omnino finem, verum potius ὥσπερ ὄργανον gerendarum rerum deſideret, etſi, ne quid certe diffitear, difficultate ſua illud non careat, quum ad infinitum plerumque opes appetat mercatura, quæ a quæſtus dulcedine proficiſcitur. ὥσπερ γὰρ ἡ ἰατρικὴ τȣ̃ ὑγιαίνειν εἰς ἄπειρόν ἐστι, καὶ ἑκάστη τῶν τεχνῶν τȣ̃ τέλους πέρας, τέλος δὲ ὁ τοιȣ̃τος πλȣ̃τος καὶ χρημάτων κτῆσις, ut in 1. polit. 6. recte monuit Ariſtoteles. Add. eccleſiaſt. V. 9. Plutarch. περὶ Φιλοπλȣτ. p. 524. nam, ceu lepide apud Ariſtophanem inquit Chremylus:

-- ἢν τάλαντά τις λάβῃ τρισκαίδεκα,
Πολὺ μᾶλλον ἐπιθυμεῖ λαβεῖν ἑκκαίδεκα.
Κἂν ταῦτ᾽ ἀνύσῃ τετταράκοντα βȣ́λεται,
Ἤ φησιν, οὐκ εἶναι βιωτὸν αὐτῷ τὸν βίον.
-- *Si quis* (friſchliniana verſio eſt) *accipiat talenta tredecim,*
Avidius contendit parare ſedecim,
Si & hæc confecerit, quadraginta appetit:
Aut vitam ſibi poſt eſſe vitalem negat.

Hinc Ovidius 1. triſt el. 11.

Non ego divitias avidus ſine fine parando
Latum mutandis mercibus æquor aro.

Atque etiam illud verum eſt, ubi quæſtus animos occupaverit, parum amplius ad virtutis munia promtos, in vitia flecti cereos fore, neque vel ab mendaciis ſibi facile, vel a perjuriis ſæpiuſcule temperaturos, quos lucri dulcedo jubet omnia experiri, quibus carum ſuis mercimoniis pretium ab emtoribus conſequantur. quare & os perjurum idem, quem modo laudavi, Ovidius mercatori affinxit L. 2. amor. eleg. 10.

Quærat avarus opes, &, quæ laſſarit arando
Æquora, perjuro naufragus ore bibat.

Et

Et Perſius Sat. V.

ſaperdas advehe Ponto,
Caſtoreum, ſtupas, hebenum, thus, lubrica Coa,
Tolle recens primus piper e ſitiente camelo:
Verte aliquid, jura. Sed Jupiter audiet: eheu!
Varo, reguſtatum digito terebrare Falernum
Contentus perages, ſi vivere cum Jove tendis.

XXXII. Sed utcunque difficultate ſua non careat, convenienter ſatis virtuti vivi, ubi maritimæ mercaturæ ingens fuerit ſtudium, rejici tamen prorſus, ut virtuti contrarium publicæque rei detrimentoſum non debet, tum quia ad divitias, ut oſtendi, valet plurimum, tum quia ſatis illud eſt liquidum, non ipſius adeo mercaturæ vitio, ſed perverſa humanæ indolis pravitate contingere, ſi qua peregrino commercio corrupta civitas mores una induat peregrinos; ſi qua præ divitiis ſpernat humana omnia, neque locum eſſe virtuti putet, niſi ubi effuſe opes affluant, delicateve, quod ante memini, vivat ac molliter. Enimvero, ſi ut noxia, damnamus commercia, quod facillime illis flecti poſſint in vitia, quorum opera exercentur, non, quod natura ſuapte habeant aliquid turpitudinis, (neque enim quisquam id dixerit) „eo *equidem* modo, dicit Quintilian. inſtit. „Orator. L. II. c. 16. nec duces erunt utiles, nec magiſtratus, nec medicina, nec ipſa denique ſa„pientia. Nam & dux Flaminius, & Gracchi, Saturnini, Glauciæ magiſtratus, & in medicis ve„nena, & in iis, qui Philoſophorum nomine male utuntur, graviſſima nonnunquam flagitia de„prehenſa ſunt. Cibos aſpernemur, attulerunt ſæpe valetudinis cauſſas. Nunquam tecta ſub„eamus, ſuper habitantes aliquando procumbunt. Non fabricetur militi gladius, poteſt uti eo„dem ferro latro.“ Adpoſite Auguſtinus lib. 1. cont. Creſcon. c. 23. „Multa quamvis bona ſint, „& ad utile aliquid inſtituta, non omnibus tamen hominibus ſunt utilia, ſed tantummodo bene „utentibus. Nam cum eadem luce & ſani oculi perfunduntur & ſaucii, iſtis adjumentum eſt, il„lis tormentum. Idem cibus, alias valetudines alit, alias lædit. Idem medicamentum hos cu„rat, illos debilitat. Eadem arma alios muniunt, alios impediunt. Eadem veſtis aliis tegumento „eſt, aliis implicamento; & baptiſmus aliis valet ad regnum, aliis ad judicium, quibus addi poſſunt, quæ de abuſu artium adfert Plato in Gorgia p. 285.

XXXIII. Quod de interdicta iſraelitico populo mercatura adfert Bodinus, utcunque conceſſerim, nos perinde non ſtringit; quoniam ſingulari aliqua ſanctimonia populum ſelectum a cæteris voluit forſan Deus obſtringere, *ne quid emere liceret, quod carius Iſraelitæ ervi divenderetur.* Nam ulterius quidem neque ipſe Bodinus legem videtur extendere, qui quum nec illud abnuat, etiam *impoſtorem* hebræa voce illa ſignificari, quam ad mercatorem trahendam propria ſignificatione mavult credere, an vel ipſos adeo cives Iſraelitas inter, cæterum licitus, mercaturæ quæſtus lege fuerit vetitus, ſaltem ſatis liquidum exiſtimari non poteſt. Et nec illud ample nimis de omni commercio amplectendum exiſtimem, quod ab Joſepho traditum ante memini, procul ab iſraelitica gente ſtudium mercaturæ maritimæ fuiſſe. Salomonis quidem exemplum huc perinde referre nolim, quoniam ſplendidioris magnificentiæ, quam lucroſi quæſtus iſtis forſan commerciis cura potior habebatur. De Iſaſcharis tribu exſtat inſignis locus XXXIII. Deut 33. ex quo copioſa ejus commercia non obſcure intelligas, ſiquidem LXX. interpretes ſequi libeat, nam in aliis verſionibus mercaturæ manifeſta non æque mentio eſt. Sunt autem Moyſis verba benedicentis populo, quum ad Iſaſcharem perveniſſet: *ὅτι πλοῦτος θαλάσσης θηλάσει σε, καὶ ἐμπόρια παράλιον κατοικούντων.* Manifeſtior res eſt ex XXVII. Ezechiel. 17. ubi iſraeliticorum mercatorum aperta mentio, quos in tyriis nundinis merces ſuas ad famoſum Tyri emporium attuliſſe Propheta auctor eſt; Ἰούδας verſio LXX. *καὶ οἱ υἱοὶ τοῦ Ἰσραὴλ, οὗτοι ἔμποροί σου,* (Tyrum divinus vates alloquitur,) *ἐν πράσει σίτου καὶ μύρων, καὶ κασσίας, καὶ πρῶτον μέλι, καὶ ἔλαιον, καὶ ῥητίνην ἔδωκαν εἰς τὸν σύμμικτόν σου.* Non aliter fere Vulgata; *Iuda & terra Iſrael ipſi inſtitores tui in frumento primo, balſamum & mel & oleum, & reſinam propoſuerunt in nundinis tuis. & Lutheri: Iuda und das Land Iſrael haben auch mit dir gehandelt, und haben dir Weitzen von Minnith und Balſam, und Honig, und oehle, und Maſtich auff deine Marckte bracht.* Neque vero abſolute ſaltem ab omnibus in eccleſia veteri damnata fuiſſe commercia propius veritati eſt. Ipſe Tertullianus, quem in contrariam partem paulo ante produxi, minime diffitetur, aliquam negotiationem de juſtitia ſatis ſecuram (quod & commentator ejus obſervavit Pamelius. p. 179. Edit. Pamel. Col.) Addit enim illis, quæ ſupra attuli C. XI. de idololat. *Sit nunc aliqua juſtitia quæſtus ſecura de cupiditatis & mendacii obſervatione.* Quare nec prorſus verum eſt, mercatura, ut re illicita, veteres Chriſtianos abſtinuiſſe, Sane in ejusdem Ambroſii, cujus cæteroqui vehemens contra maritimam mercaturam diſſertatio exſtat C. XIX. libelli de Elia & jejunio, atque ipſius adeo ſincerioris fidei longe ſtudioſiſſimis ſectatoribus mercatores fuiſſe reperio in epiſtola ſancti viri ad Marcellinam ſororem, quæ eſt XVII. Edit. Colon. Quod ſi nonnulli veterum Chriſtianorum mercaturæ ſtudia procul habenda exiſtimarunt, repugnare nobis illud non poteſt, quoniam in antiquiori eccleſia ad ſeverioris propoſiti ſanctimoniam eniſi complures & conſiliorum hortamina potius, quam præcepti obligationem ſecuti etiam illis abſtinendum ſibi quodammodo arbitrati ſunt, quibus ad peccandum aut ad præſentis vitæ libidinem majores ineſſe illecebræ credebantur. Inde frequens ſtudium virginitatis, inde monachorum vita ab humano cœtu remotior, & quæ alia fervidior iſtis temporibus erga religionem ardor, ne divino quidem præcepta Jure, amplexus eſt. Cæteroqui non male antiquioris eccleſiæ Patrum ſententiis reſpondit Thomas 11. 2. Qu. LXXVII. art. IV. ſummæ inter Scholaſticos auctoritatis,

ritatis, cujus de propoſito mercatoribus fine, quem initio diſſertationis quæſtum licitum ſtatui, ſcite philoſophantis ſubjunxi verba: *Negotiatio ſecundum ſe conſiderata, quandam turpitudinem habet, in quantum non importat de ſui ratione finem honeſtum vel neceſſarium. Lucrum tamen, quod eſt negotiationis finis, etſi in ſua ratione non importet aliquid vel honeſtum, vel neceſſarium, nihil tamen importat in ſui ratione vitioſum, vel virtuti contrarium. Unde nihil prohibet lucrum ordinari ad probum aliquem finem neceſſarium, vel etiam honeſtum, & ſic negotiatio licita reddetur. Sicut cum aliquis lucrum moderatum, quod negotiando quærit, ordinat ad domus ſuæ ſuſtentationem, vel etiam ad ſubveniendum indigentibus, vel etiam cum quis negotiationi intendit propter publicam utilitatem, ne ſcilicet res neceſſariæ ad vitam patriæ deſint, & lucrum expetit non quaſi finem, ſed quaſi ſtipendium laboris.*

XXXIV. QUIBUS ita hactenus conſtitutis, quoniam opportunum præbet medium mercatura tum ad conſequendam civitati αὐτάρκειαν affluentemque copiam rerum omnium, tum ad comparandas divitias augendamque una potentiam, amplectendum erit quodlibet ejus genus eo impenſius, quo ad conſequendum finem propoſitum magis erit idoneum. Tale autem ante omnia maris eſſe commercium, nemo facile pernegaverit. Nam ut illud prolixe non memorem, inſulas undiquaque Oceano circumfuſas, quarum plurimæ proferunt, quæ in continenti telluris tractu reperias nuſpiam, ne adiri quidem terreſtri itinere poſſe, illud facile manifeſtum eſt, & multo fructuoſius parvis ſumptibus vel per diverſiſſimos ambitus terræ diffundi & minori longe temporis ſpacio abſolvi maritima commercia poſſe, quam quæ mediterranea ſunt. Vid. Plin. L. XIX. in proœm.

XXXV. Atqui periculoſa nimis navigatio videatur, quum in crebra vitæ diſcrimina bonorumque mercatores præcipitet tempeſtatum iniquitas, quæque alia navigantibus plurima eſſe infeſta ſolent. Qua de cauſa impietatis partim, partim temeritatis arguunt mercatores, ut qui ſummis vitam periculis auſint exponere,

Cum ſit cauſa mali tanti & diſcriminis hujus
Conciſum argentum in titulos facieſque minutas.

Obvia paſſim Poetarum ludibria Horatii L. 1. Car. Od. III. Juvenalis, Sat. XII. & XIV. Propertii L. III. El. X. Statii Lib. III. Sylv. in propemt. ad Metell. Celer, a quo *culpati* per mare L. I. Achil. *itineris* nomine navigatio traducitur, ſicut *malas* per illud *vias* incuſarat Ovidius Lib. II. Amor. El. XI. Ex Philoſophis de eadem Plinius in proœm. Lib. XIX. *Audax vita: ſcelerum plena:— tot modis provocari mortem.— injuria naturæ ac ſumma audacia.— Præterea, ut ſciamus fuiſſe pœnas, nihil gignitur facilius* (lino, ex quo vela conficiantur:) *ut ſentiamus, nolente id fieri natura, urit agrum, deterioremque terram facit.* In eccleſiæ purioris doctoribus inprimis maritimæ mercaturæ inimicus fuit Ambroſius, Lib. de Elia & jejunio cap. XIX. Exſtat. in t. I. p. 258. Edit. Col. cujus quamvis prolixiora nonnihil, quo eſt gravior ſancti viri auctoritas, verba hic ſubjungimus: *Mare non ad navigandum fecit Deus, ſed propter elementi pulchritudinem. Latius pelagi fudit æquora, certe ut freto includeret terras, ne longius tu vagus & exul errares. Sed tempeſtate jactatur mare. Temere ergo non uſurpare debetis. Elementum innocens nihil deliquit: temeritas humana ſibi eſt ipſa diſcrimini. Denique qui non navigat, neſcit timere naufragium. — Ad eſcam tibi mare datum, non ad periculum: ad cibum, non ad mercatum utere. Cur tibi periculum generas de voluptate? Cur ſeparatioris elementi profunda rimaris? Cur inquietas mundi altiera ſecreta? Cur poſtremo ſæpius ſulcare atque exarare fluctus impatiens nauta contendis? Cur tentas frequenter innoxia æquora, irritas procellas? O inexplebilis avaritia mercatorum! Cedit tibi pelagus & mare inquietudinem tuam ferre non poteſt toties recurrentibus mercatoribus exaratum.* Erubeſce Sidon Eſai XXIII. *dixit mare. Tanquam fatigati elementi vox iſta dicentis eſt:* Erubeſce Sidon, *hoc eſt, meos fluctus negotiator arguis, cum ſis ipſe fluctibus inquietior; & erubeſce vel pudore, quoniam periculo non moveris.*

XXXVI. Sed ut facile illud largior, plurimis vitæ pariter bonorumque periculis navitas eſſe obnoxios, tamen ant omni propterea maris abſtinendum eſſe commercio, aut maritimis eam mercaturam anteponendam, quæ terreſtri itinere exerceri ſolet, ſatis inde probatum dari non poteſt. Neque ſane quod a Plinio falſo creditum fuit, & Ambroſio haud perinde, ſaltem non admodum, diſplicuit, Dei naturæve injuria navigationem repertam eſſe opinari auſim, ut qui ipſum Oceanum non abſciſſum a terræ commercio, quin potius circumfuſis paſſim aquis eam ambiendo cum ad alios uſus, tum ad navigationem a prudentiſſimo creatore conſtitutum malim credere, quo mortalium vitam feram cæteroqui & commerciorum expertem, hoc elementum ſociaret atque perficeret, ſupplens quod deſit, ope mutua, & permutationibus variis ſocietatem amicitiamque concilians. Ita ex Andrea Cæſarienſi Arethas in Apocalypſ. (Calixti fide auctorem laudo:) *Τις χρεία θαλάσσης, μὴ δεομένων ἀνθρώπων τοῦ πλέειν αὐτὴν, ἢ δι' αὐτῆς πορίζεσθαι τὰ ἐν ταῖς μακρὰν κειμένοις χώραις γεοργέμενα ἀγώγιμα; Quid opus erit mari, quando eo non egebunt homines ad navigandum, aut ad comparanda & advehenda, quæ in regionibus procul diſſitis proveniunt?* non male, ut opinor, quamvis, ceu dixi, non abnuerim, etiam aliis humani generis uſibus deſtinari ab ſapientiſſimo creatore immenſam illam aquarum molem potuiſſe. Cujus generis piſcium marinorum captura eſt, quam adducit Ambroſius, expiſcatioque illius, quod *conſpicuum pulcrumque ex æquore toto eſt.* Quamvis lapides equidem pretioſiores extremorum potius littorum opes vocare liceat, quoniam nec *medios tenues conchas, pictoſve lapilles.*

Pontus habet, bibuli littoris illa mora eſt.

Igitur cum piſcium captura ſolum junxit navigandi uſum Plutarchus in de capienda ex hoſtibus utilitate: T. 2. p. 86. *τῆς θαλάττης τὸ ὕδωρ ἰχθῦς τρέφει καὶ πόμπιμόν ἐστι πάντῃ καὶ πορεύσιμον ὄχημα*

ὄχημα τοῖς κομιζομένοις, *aqua marina piſces alit, hominibusque in diverſiſſimas regiones proficiſcentibus loco vehiculi eſt.* Sane ducti, ut credo, inſigni illa, quam ad navigationes inprimis opportunitatem præbent humano generi maria, in ἀμφιβίων animalium numerum hominem e veteribus quidam referunt. Philonis Judæi eſt ex libello de mundi opificio p. 25. (ὁ ἄνθρωπος) ᾗ μὲν οἰκεῖ καὶ βέβηκεν ἐπὶ γῆς χερσαῖον ζῶόν ἐστιν. ᾗ δὲ πλεῖ πολλάκις, ἔνυδρον. ἔμποροι καὶ ναύκληροι τοῦ λεχθέντος εἰσὶ σαφεστάτη πίστις. (Homo) *quatenus habitat & ingreditur in terra, terreſtre eſt animal: quatenus -- ſæpe navigat, aquaticum, cujus rei teſtes ſunt naucleri & negotiatores.* & Strabonis l. 1. Geogr. Ἀμφίβιοι τρόπον τινὰ ἐσμὲν καὶ οὐ μᾶλλον χερσαῖοι ἢ θαλάττιοι: *Vivimus fere duobus in elementis, neque terreſtres magis ſumus, quam marini.* Sed teneat oratio modum & redeat unde deflexit.

XXXVII. Igitur multo ſane, quam illi, qnibus, ut impietate deteſtabilis, ita periculoſa temeritate viſa navigatio fuit, rectius docuere, qui in bonis humanæ gentis communibus poſuerunt navigationes commerciaque maritima. Quæ ſententia in ſupplicibus V. 205. apud Euripidem placet Theſeo. Ubi laudibus Deum adficit, qui cum alia mortalium generi commoda impertierit, tum

> Πόντου τε ναυστολήμαθ᾽, ὡς διαλλαγὰς
> Ἔχοιμεν ἀλλήλοισιν, ὧν πένοιτο γῆ,
> *Et maris navigationem, ut commercia*
> *Haberemus inter nos rerum, quibus indiget terra.*

In Philoſophis Cicero l. 2. de Nat. Deor. §. 152. *Magnos uſus affert* (natura) *ad navigia facienda. Quorum curſibus ſuppeditantur omnes undique ad vitam copiæ, quasque res violentiſſimas natura genuit, earum moderationem nos ſoli habemus, maris atque ventorum propter nauticarum rerum ſcientiam: plurimisque rebus maritimis fruimur atque utimur.* Et Seneca l. 4. de benefic. c 28. *Commune bonum erat patere commercium maris & regnum humani generis relaxari.* In eccleſiæ doctoribus L. Cœlius, cui Lactantio vulgatius nomen eſt, quum dixiſſet omnia, quibus mundus conſtet, ad utilitatem ſolius hominis accommodata eſſe, poſt pauca addit & maris ad commercia uſum: uti c. 13. de ira Dei: *hominem mori ad commercia & copias ex longinquis regionibus ferendas. Sed &* (*aſtra*) inquit, *navigiis, quo minus errabundo curſu per immenſum vagentur, regimen præbent, cum ea rite gubernator obſervans ad portum deſtinati littoris provehatur.* Ad. Philo de mundi opif. Inprimis Joannes Conſtantinopolitanus antiſtes, quem Chryſoſtomum vocant, in ſermone ad Stelechium, qui in tomo VI. editionis ſavilianæ exſtat numero 13. p. 157. *Quomodo ſatis digne quis explicet* (Latina damus ex Grotio annot. ad §. 13. c. 2. L. 2. de jure belli & pacis,) *facilitatem ad mutua commercia nobis datam? Ne enim itineris longitudo impedimentum aliorum ad alios commeatibus adferret, breviorem viam, mare ſcilicet, ubique terrarum diſpoſuit Deus, ut mundum tanquam unam domum communiter inhabitantes crebro nos invicem viſeremus, & apud ſe nata quisque alteri communicans viciſſim commode acciperet res apud illum abundantes, ac ſic exiguam tenens terræ partem, ita tanquam, ſi teneret univerſam, frueretur ejus, quæ ubivis ſunt, bonis. Licet itaque nunc tanquam in communi menſa convivarum unicuique ea, quæ ſibi appoſita, dare alteri longius accumbenti, ac contra, quæ apud ipſum ſunt, accipere, manu tantum extenta.* Quibus plura addere foret ſupervacaneum.

XXXVIII. Sane ipſa V. T. ſcriptura ſatis congrue voluntati divinæ navigari Oceanum XIV. Sapient. V. manifeſto inculcat, quanquam canonis tamen auctoritate is libellus non polleat: ad. Pſal. CIV. 26. Θέλεις (Deum alloquitur) μὴ ἀργὰ εἶναι τὰ τῆς σοφίας σου ἔργα, διὰ τοῦτο καὶ ἐλαχίστῳ ξύλῳ πιστεύουσιν ἄνθρωποι ψυχὰς καὶ διελθόντες κλύδωνα σχεδίᾳ διεσώθησαν. Ac vel inde id maxime poteſt perſpici, quod humani generis poſt diluvium patri Noë auctor fabricandi navigii Deus ipſe exſtiterit, primi quidem, cujus & in ſacris exſtet memoria & in ſcriptoribus antiquiſſimis Beroſus Chaldæus, Hieronymus Ægyptius, qui Phœnicum antiquitates memoriæ prodidit, Mnaſeasque & Nicolaus Damaſcenus meminerint. Novo fœdere Pauli celebris navigatio eſt, ut ipſius commercii gratia ab Salomone & Joſaphato inſtitutas navigationes veteris Teſtamenti hiſtoria memorat, culpatas neutiquam, manifeſto indicio, non invito creatore naturæve injuria maria navigari. Quodſi ergo res ſunt licita & honeſta commercia, quin, ut per terras & flumina, ita & maritimis eadem itineribus exercere liceat, caret dubio.

XXXIX. Sed nec mediterraneam mercaturam ob crebriores a tempeſtatibus imminentes navigantibus calamitates tanquam tutiorem præferendam eſſe maritimæ, ſatis eſt liquidum. Nam & plura profecto damna viarum adfert longinquitas illis, qui per terram proſequuntur commercia, & ſi qua majora nonnunquam diſcrimina imminent navigantibus, partim poſſunt humana induſtria declinari, uti ſuo loco videbimus, partim brevitate itineris & exiguitate ſumtuum, indeque ad plurimos promanantibus quæſtus multum uberioris proventibus compenſantur.

XL.

Sequitur ALTERUM DISSERTATIONIS NOSTRÆ CAPUT, quibus modis maxime in republica promoveri mercatura maritima & ad eam amplitudinem poſſit perduci, ex qua plurimum, tum ad ſingulos cives, tum ad ipſam rempublicam utilitatis redundet. Et ſane quum, ut hominum urbiumque, ita commerciorum fortuna nunc floreat, nunc ſeneſcat, nunc intereat, dari equidem certas ejus, tum incrementi & amplitudinis, tum ruinæ atque interitus cauſſas neceſſe eſt. Qnare & danda erit opera reipublicæ curatoribus, ne qui caſus in culpam tranſeant, neu ſi quid adverſi accidat, merito accidiſſe videatur. Verum num a civili prudentia maxime ea ipſa, quæ dixi, proficiſcantur, & qui in illa committnntur, erroribus, nondum ſatis perſpicuum eſt. Explicemus atque excutiamus intelligentiam noſtram, ut videamus, quibus hanc in partem plu-

rima vis poſſit attribui. Cadit ergo in vim civilis prudentiæ, utut tam naturæ adminiculis, quam benigniori fortunæ afflatu deſtitutam, ad egregiam illam amplitudinem, quam in præſentia expetimus, promovere maris commercia? Ego vero non arbitrur.

XLI. Ac de fortuna quidem res eſt manifeſtior fere, quam ut poſſit explodi, ſæpius ei in civilibus negotiis locum dari. Etenim magnam in illa vim eſſe in utramque partem, vel ad ſecundas res vel adverſas, quis ignorat? nam &, quum proſpero ejus flatu utimur, ad optatos exitus provehimur, & quum reflavit, adfligimur. Quare probare non poſſumus hanc in partem elegantiſſimos cæteroqui verſus aureæ Satyræ 10. apud Juvenal.

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia: ſed te
Nos facimus fortunæ deam, cæloque locamus.

Certe ſi quis ad examinanda humana negotia aciem mentis ſuæ intenderit, confiteatur neceſſe eſt, quoniam extra ordinem fluant ſæpius, ab ſuperiori quadam cauſſa ea quodammodo dirigi, ſive caſu aliquid permittenteve ſaltem contingat numine, ſive vis aliqua occulta diſpoſitionis divinæ præter aciem humanæ prudentiæ & ingenii operetur. Atque de caſu quidem ac fortuna exſtat non inelegans diſſertatio apud Ariſtotelem in II. Phyſicæ acroaſeos c. 4. & ſeq. In his, quæ divino numine permittente eveniunt, eſſe poſſunt nonnunquam, quæ prævidere humana prudentia nequiit ſuis adverſatura conſiliis, qualia in civilibus rebus contingunt plurima, ut ex eventu judicare ſemper non liceat. Interim tamen, quum præter prudentiſſimorum ingeniorum ſatis ſalutaria conſilia ſæpius hoc illove modo, tanquam occulto quodam motu agitatas fluere res humanas experientia documento ſit, eſſe aliquam ſuperiorem inſuper cauſſam earundem moderatricem neceſſe eſt, eandemque Deum Opt. Max. Chriſtiani omnes agnoſcimus. Quod in gentilibus jam tum plurimis fuit perſuaſum, quanquam Ariſtotelem ejus opinionis fuiſſe non auſim adſerere. Hanc igitur ipſam vim directionis divinæ, quam per humana omnia fuſam & in morbis agnovit, quodammodo magnus Hippocrates lib. 1. Prognoſt. vid. Jordan. I. de eo, quod in morb. divin. eſt. Quin & in commerciis promovendis, ſummo reipublicæ commodo, animadvertere liceat ſæpiuſcule, & ad labefactanda illa concurrat compluries, nullus equidem dubitaverim. Quibus inſigne documentum præbet in Tyriis caput Ezechielis XXVII, quo ruinam denuncians celeberrimo emporio ſanctus Vates, maritimis quoque Tyriorum commerciis minitabundus exitium, poſtquam ingentem eorum numerum recenſuerat, qui ingenti omnis generis mercium abundantia nobiliſſimam civitatem repleverant. „Repleta es, *inquit Vulgata c. 27. v. 25. & ſeqq.* „& glorificata nimis in corde maris. In aquis multis adduxerunt te remiges tui, ventus auſter con- „trivit te in corde maris. Divitiæ tuæ & theſauri tui, & multiplex inſtrumentum tuum, nautæ „tui, & gubernatores tui -- cadent in corde maris, in die ruinæ tuæ. A ſonitu clamoris guberna- „torum tuorum conturbabuntur claſſes: & deſcendent de navibus ſuis omnes, qui tenebant re- „mum: nautæ & univerſi gubernatores maris in terra ſtabunt: & ejulabunt ſuper te -- & plan- „gent te: Quæ eſt, ut Tyrus, quæ obmutuit in medio maris? quæ in exitu negotiationum tuarum „de mari implevisti populos multos: in multitudine divitiarum tuarum & populorum tuorum „ditaſti reges terræ. Nunc contrita es a mari, in profundis aquarum opes tuæ & omnis multitu- „do tua, quæ erat in medio tui, ceciderunt. Univerſi habitatores inſularum obſtupuerunt ſuper „te: & reges earum omnes tempeſtate perculſi mutaverunt vultus. Negotiatores populorum „ſibilaverunt ſuper te: ad nihilum deducta es & non eris usque in perpetuum." Ita Ninivæ urbi minitatur Propheta Nahum c. 3. v. 16. *Plures feciſti negotiationes tuas, quam ſtellæ ſint cæli: bruchus expanſus eſt & avolavit.* In Lutheri verſione eſt. *Du haſt mehr Händeler, denn Sterne am Himmel ſind, aber nun werden ſie ſich ausbreiten wie Käfer, und davon fliegen.* Quod ſi ergo ſalutaribus circa mercaturam conſiliis, divini quidpiam interveniat, fruſtra erit acumen civilis prudentiæ. Atque ſolent ſane, ubi fatale aliquid incubiturum eſt, etiam callidiſſima perſæpe conſilia vi divinæ potentiæ elidi. Quin & ita propemodum comparata eſt humanarum rerum natura omnium, ut initio quamvis primove progreſſu optime conſtituta ſint, tamen ſublabi ſueta cum tempore ad interitum denique eant velut præcipites. Idque & in maritimis nobiliorum rerumpublicarum commerciis licuit obſervari.

XLII. Porro ipſa terræ cujusvis indoles plurimum ad maritimam mercaturam adfert ponderis. Quid enim? ſi nec mari adfuſa aliqua regio neque inſtructa fluminibus ſit, per quæ in Oceanum naves commode perducantur? maritimisne illam floreſcentem commerciis reipublicæ gubernatoris etiam cordatiſſimi effectura induſtria eſt? Ita majori exportandarum mercium copia alias præ aliis regiones natura inſtruxit, cæterumve ſimiles opportunitates commerciis impari liberalitate indulſit. De Hollandiæ opportuno ad mercaturam ſitu, legi præter alios poteſt libellus intereſſe *von Holland* VI. capite. Quid quod ipſæ opportunitates ejusmodi, quæ naturæ impertit bonitas, poſſint ſuas quæque provincias cum inſigni detrimento commercii deſtituere, quod in halecum famoſo piſcatu ſatis eluceſcit, qui quum Scaniæ primum incolis eſſet velut domeſticus, in Britannici maris littora ſubſecutis temporibus averſus eſt, quod tamen num arcanæ cuidam numinis voluntati, naturalibusve duntaxat cauſſis attribuendum ſit, haud parum ambigo.

XLIII. Quamvis vero & exſiſtere circa commercia & accidere circa eadem poſſint, quæ civilem fruſtratura prudentiam penitus videantur, concedatur tamen oportet, plurimum profecto elucere in illis amplificandis poſſe accuratam ſedulitatem circumſpecti viri politici. Et enim neque ſuprema divini numinis moderatio tollit vim civilis prudentiæ, quam quandoque ſufflaminat, neque in cæteris, quibus divini perinde nihil admixtum eſt, multa ſolertioris ingenii perſpi-

cacia

cacia nequeunt declinari, aut qua opportuniores commoditates commerciis largiendo natura defecerit, ejusdem, quam dixi, prudentiæ ſupplemento plurima fere corrigi.

XLIV. QUOD ſi ita eſt, ecquid tandem ad maritimam mercaturam afferre poſſit civilis prudentia? porro definiamus. Atque erit fortaſſe illud perſpicuum, ubi partitione quadam adhibita conſtituamus tanquam ſumma quædam eorum capita, ſine quibus & florere commercia maritima nequeant, & quo reliqua, quæ ad amplitudinem eorundem augendam faciunt maxime, quam id fieri queat commodiſſime, referantur. Igitur quum in duplici fere differentia illa poſita ſint, (alia enim cum mediterraneis commerciis magis communia ſunt, alia maritimæ mercaturæ maxime propria) primum ea perſequamur, quæ cum mediterraneis commerciis magnam partem communia habet mercatura marinma. Quæ quum omni quidem commercio promovendo idonea ſint, eo tamen in maritimo eſſe ampliora debent, quo per vaſta Oceani latius genus illud copioſioris mercaturæ diffunditur. Igitur in his, quantum animo complector, TRIA maxime reperio, quæ ad illam amplitudinem commerciis conciliandam idonea ſint, qua florere in præſenti maritima volumus, unum convenientem multitudinem mercatorum, ſive jam indigenæ illi ſint, ſive exteri, ſive in importandis mercibus, ſive in evehendis illis collocent operam, dum indigenis ſaltem mercatoribus tantum adſit pecuniæ, quantum maritimæ amplioriſque mercaturæ uſus popoſcerit; alterum, optimarum mercium abundantem copiam: tertium, expeditam lucroſamque earum diſtractionem. Enim vero, ſi commercia nihil ſane ſunt aliud, quam negotiationes mercatorum, occupatæ in vendendis coemendiſque mercibus, facile illud intelligitur, peſſime eadem habitura, ubi vel defuturi ſint, qui exerceant, vel quibus illa rebus exerceri debet, civitas deſtituta ſit, vel denique difficulter ac minus expedite peragatur id, in quo ipſa forma commercii maxime cernitur, & quo expeditum finem debeat conſequi. Qui enim ſua commerciis permanebit integritas, ubi eorum quidpiam defuturum eſt, quæ eſſentiam illis maxime largiantur? Quod ſi igitur ita eſt, habebunt viciſſim eo præclarius, quo ampliora adfutura ſunt iſta, quæ attuli. Quamobrem quum propoſita ſint tria, quæ ad amplitudinem mercaturæ accommodata ſint, quantum ad unumquodque eorum conferre poſſit civilis prudentia, quantumque conferri ab illa oporteat, ordine videamus.

XLV. Ac de NVMERO quidem MERCATORUM ſatis illud, ut opinor, perſpicuum eſt, eo opportuniorem fore maritimis commerciis, quo futurus ſit amplior, ſeque vel ad omne propemodum, quoad fieri ejus liceat, vel ad maxime ſaltem neceſſaria ac lucroſa publicæ rei genera mercium latius ingens illa mercatorum multitudo diffuderit. Nam in ſingulis forſan mercibus magnam mercatorum copiam occupari minus congruum fini mercaturæ propoſito quis exiſtimet. Poſſit enim ſubmetui, neque illud injuria, ne, ubi in eodem mercium genere plurimorum negotiatio tota ſit, minus inde expedita fiat diſtractio, lucrumve ſibi ſubinde præripiant invicem, quod, quum paucioribus longe maximum potuiſſet accreſcere, multa ſui parte imminutum percipiendum a pluribus eſt. Ex quo fonte inprimis, tum ne ditiores Bergenſis emporii commercia auguſtioris fortunæ hominibus interverterent, inductus mihi videtur Bergis in Norvegia ludus aquaticus quo Bergenſi commercio initiandi (*die ſich in der Bergfahrer Compagni begeben wollen*) virgis cædi miſerrime projective in lutum fumo denique excitato in corbe ſuſpendi ſolin. *Gantenſpill* eos ludos Norvegi vocant, quorum tamen ſævitiam mitigavit nonnihil recentioris ſeculi manſuetudo. Quid ergo? præſtabitne eorum numerum circumſcribi, qui in eodem genere mercimonii occupentur, ne, nbi nimium is excreverit, alterius lucrum alter intercipiat prorſus aut imminuat? An vero non eventurum illud facile aliquis arbitretur ei commercio, de quo omnis noſtra eſt oratio inſtituta? quippe quum maritimum illud ſit, poſſitque non ſolum ut ex alto in portum, ſic ex portu in agros poſſeſſioneſque vicinas, ſed & in remotiores multo provincias longe lateque diffundi, queat ſane, utcunque tandem mercibus diſtrahendis promtior opportunitas ob nimiam illis commercantium multitudinem uno loco defuerit, aliis illud regionibus ſæpiuſcule compenſari. Quid? quod univerſorum civium potius, quam ſingulorum mercatorum ſalus ſpectanda ſit. Atqui univerſorum maxime intereſt, mediocria eſſe mercibus pretia conſtituta. Plurimum vero illa adaugebuntur, ubi in paucorum mercatorum arbitrium merces devenient, metuendumque erit, nequod in velabro olearii ſoleat, de compacto id acturi ſint, ut res ſupra pretium, quod in communi cæterum pretio ſummum exſtiterit, venumdentur, plurimis inſuper, quibus cæteroqui ſatis itidem commode victus inde quiviſſet quæri, male coarctatæ ſocietatis legibus cum amplioris commercii damno excluſis. Quæ dijudicanda ſunt, non enim, ut quæreremus, propoſuimus, ſed ut explicaremus. Intelligendum eſt igitur, quoniam eo quidem ampliori commercio utetur civitas, quo majori adfluet mercatorum copia, omnino dandam operam eſſe reipublicæ, ne quo copioſo eorum numero civitas deſtituta ſit, ita tamen, uti gemina pariter mercatorum multitudini emtorum copia diſtrahendique merces facilitas reſpondeat. Quod ſi ergo ea certi commercii futura conditio eſt, ut ex uno illo complures commode ſuſtentari non poſſint, verendumque, ne in nimio eodem mercium genere negotiantium numero, ſive illi indigenæ ſint, ſive extranei, totum iſtud commercium quodammodo labefactetur, poteſt pro conditione diſtrahendarum mercium mercatorum numerus quam rectiſſime circumſcribi.

XLVI. Alias placet ſane, niſi vel inſignis neceſſitas reipublicæ poſtulet, vel utilitas evidens ſuadeat, concedendum privato cuipiam paucioribuſve certi generis mercium monopolium non eſſe, ne ad paucos devolutis commercii commodis ſplendor ejus omnis intereat. Et qua ratione induci ſummam poteſtatem oporteat, uti copiam paucis faciat cum aliorum pernicie corra-

dendi opes immodicas? Maxime vero in illiciti monopolii exercitio ſunt, ſi qui aſtu prohibeant, ne quis reliquorum civium ex iisdem, quibus ipſi, locis, evehant mercimonia, aut ne in idem forum geminæ ab aliis merces apportentur, coemtisve ejusdem generis mercibus pacti inter ſe clanculum, ne quis infra conventum pretium venum illas exponat, inique illud adaugeant, aut ſi qui denique ullo alio modo injuſto ſolis ſibi certi genus commercii vendicent. Cujuscemodi peſtes, ne quæ adfligant commercia, legum pœnarumque ſeveritate erit ſedulo providendum. Quam in partem ſatis laudabiles paſſim ſanctiones in romani germanicique Iuris ocurrunt corporibus, concludique is locus a nobis poteſt, quod ab aliis pertractatus eſt fuſius, poſtquam illud addidero: ſi qua in commerciorum damna ab ſupremis poteſtatibus privilegia impetrata ſint, poſſe illa, ceu per obreptionem extorta invitis, jure optimo ab iisdem reſcindi. Quæ ſententia fuit Eliſabethæ Anglorum reginæ, cui quum pro coercitis monopolis gratias per octoginta de legatos ageret conſeſſus inferior, *Præcipuam*, inquit, *tandem gratiamque vobis debeo ob propenſiſſimam veſtram in me benevolentiam, non opinione tacita, ſed perſpicua declaratione expreſſam, qua me ex ignoratione, non voluntate, errantem revocaſtis. Hæc mihi, cui nihil civium ſalute & amore antiquius eſt, in infamiam immerito vertiſſent, niſi per vos ejusmodi Harpyjæ & hyrudines innotuiſſent. Mente autem & manu mulitari malim, quam hujusmodi monopoliorum privilegiis, quæ civibus ſint fraudi vel mentem vel manum apponere.* Licebit & reliqua legi apud Camdenum in Eliſabethæ annalibus ad an. 1601.

XLVII. Sed nec ipſa reſpublica ſupremive Principes, niſi ſingularis quædam neceſſitas illud ipſum exegerit, monopolio quopiam, minus certe decoro principibus atque in viſo admodum acquirendarum opum modo, a commerciis, proprio privatorum ad quæſtum medio, arcebunt ſubditos, ſaltem in illis rerumpublicarum generibus, in quibus unius paucorumve ſaluti univerſorum civium felicitas non poſtponitur. Quare nec oportet vano prætextu aliquo interſerto abuti falſo neceſſitatis publicive commodi nomine. Habet enim aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod licet contra ſingulos utilitate publica rependatur, ne qua tamen ejus generis incumbat neceſſitas, quantumcunque fieri poterit, ſedulo præcavendum eſt. Ubi vero ingruerit, non confugiendum eſt ad damnoſum adeo ſubditis acquirendæ pecuniæ genus, niſi prorſus uti non liceat expeditiori. Sane medici quoque leviores morbos levioribus curare ſolent remediis, gravioribus demum morbis ancipitia medicamenta adhibere coguntur. Quod ſi utendum eſt aliquo publico monopolio, quoniam alius ſublevandæ publicæ egeſtatis modus non ſuppetat, enitendum eſt ſedulo, ut vel in hoc ipſo neceſſarii monopolii genere multum moderationis eluceat, neque denique committendum, ut, quo minus alioqui commodo comparandarum opum medio in magna publicæ rei neceſſitate vel utilitate maxima uti licuerit, in perpetuum quendam ærarii locupletandi modum cum inſigni commerciorum ruina degeneret.

XLVIII. Cæterum poteſt ſane contingere, ut vel uni paucisve quibuspiam, vel communi alicui conflato ex certis mercatoribus ſocietatis corpori ſolis ex aliquibus locis quædam mercium genera apportandi copiam fieri, ipſa commerciorum quandoque ratio atque æquitas poſtulet. Ut ſi propter ingentes admodum ſumtus, quibus egent commercia, quæ in procul diſſitas terras ſolent inſtitui, ſaltem dum ad firmam ſtabilitatem perveniant, magno numero profundendos & eventus ancipites, quibus illa commercia eſſe ſolent obnoxia, proſpiciendum eſt merito primis commerciorum auctoribus; ne quod ab ipſis magna pecuniarum jactura & periculis ægre quodammodo conſtitutum eſt, plurium in eosdem tractus, ad quos illorum prima pervenerit, negotiatio gratis intercipiat. Quod in Anglia conceſſum reperio ſocietati Moſcoviticæ, & in Gallia vid. Thuanus lib. 132. (modo huc referre id liceat) Petro Guæ Montio, oriundo e nobilitate Santonica, qui quum novam Franciam fibris, caſtoreis, lutris nigrisque vulpibus abundare non ignoraret, unde pretioſarum pellium copia poſſet conflari, ne gravis eſſet ærario in navigationum impenſas, conſecutus eſt ab Henrico IV. Rege, ne cuipiam, niſi ſuo permiſſu, pellium inde advectarum negotiationem facere liceret, quod quum paulo poſtea revocatum eſſet ad inſtantiam Vaſconum, denuo tandem impetratum paſſimque per ditionis regiæ portus idem publice promulgatum. In Hollandia certum monopolii tempus novarum terrarum inveſtigatoribus definitum eſt anno hujus ſeculi XIV. Meter. ſuppl. lib. 31.

XLIX. Intelligendum eſt autem, quum ſint duo fere genera monopolii, quæ ab ſumma reipublicæ poteſtate privatis hominibus concedantur, unum, quod unius duntaxat paucorumve citra ſocietatem cedit commodo, alterum, quo ſocietas integra & communio commercantium fruitur, magis commerciorum amplitudini inſervire id, quod univerſæ & legitime conſtitutæ ſocietati tribuitur. Enimvero quum ſublatum eamus de republica monopolia, quod majori numero mercatorum excluſo amplitudini commerciorum officiant, quod ad ſocietates attinet, & adſumi in illam mercatorum multitudo numeroſior ſatis commode utplurimum poteſt, & admitti etiam expedit, quum erogandis in ampliora commercia ſumptibus eo magis profutura ſocietas ſit, quo compluribus illa membris, ſuam quoque pecuniolam ſufficiente, conſtiterit. Quare & uberiorem plerumque mercium copiam liquet ſocietatum hujuscemodi beneficio adportari, & citra ullos (majores ſaltem) ſumtus ærarii, vel in remotiſſimos terræ tractus diffundi poſſe commercia, maxime, quum ad ſecuritatem quoque maritimorum itinerum, accreſcente per plurimorum in unum collatas divitias ipſa etiam navali potentia, multum ab amplioribus ſocietatibus rite ordinatis queat conferri. Quibus ſi qua haud perinde ex voto proſpera negotiatio quandoque obtigerit, minus utique detrimentum eſt, quod a pluribus ſuſtinetur, quam quod extra ſocietatis vinculum derivatum fuiſſet ad ſingulos. Quod agnovit Conſiliarius Status Gallicus c. 42. *Car encoreſque,*

coreſque, verba auctoris adfero, *negotiant a part le gain ſoit plus grand, quand l' entrepriſe reüſſit heureuſement: auſſi faut conſiderer, que la perte, qui peut ſurvenir, ruinera entierement celuy, qui entreprend ſeul: & ſi bien en faiſant companie le gain eſt moindre, il eſt auſſi plus aſſeuré & la perte eſtant ſupportée par pluſieurs, elle eſt moindre à chacun des intereſſez.* Quæ & paulo prolixius proſecutus eſt mercatoria prudentia inſtructiſſimus Wilhelmus Uſſelinx in Argonaut: Guſtav. pag. 24. & ſeqq. & Mercurio Germaniæ p. 8. Sarciendorum inprimis damnorum, ſive id juris fiat ratione legitima, ſive alio qualicunque modo, multum omnino per ſocietatem, quam per ſingulos facilior ratio eſt. Quam cauſſam præſertim præ ſe tulit ſocietas Antverpiæ conſtituta anno MCDLXXXIV, cujus integram ordinationem lib. 1. hiſtor. bell. Belg. adfert Emanuel Meteranus. Occidentalis indicæ ſocietatis inſtituendæ rationem in concedendi eisdem privilegii exemplo tradunt, daſs von den Unterthanen der Vereinigten-Niederlanden und andern gemeldte Schiffart und Handel auf Indien, Braſilien und Africa könne und möge getrieben werden fürſichtiger Weiſs, und anders nicht, dann mit gemeiner Macht der Kauff-Leute und Ingeſeſſenen der Niederlanden. Atque recte ſane & illud Uſſelinx. Wann man ein Corpus iſt, ſtehet man ein ander getreulicher bey, als wann unterſchiedene Rechnungen ſeyn, da ein jeder ſuchet ſein eigenes Capital zu erhalten, obs gleich ſey zu des andern Nachtheil, weil einem jeden das Hemd naher iſt als der Rock. Neque enimvero de tot fraudibus atque compendiis ſolliciti eſſe debebunt, quorum lucrum ex communi ærario ad proportionum æqualitatem depromitur, quam ubi ſinguli ſigillatim amplo numero negotiabundi cum aliorum damno ſuum quæſtum ſatagunt aucupari, ne qua ad nimiam emtorum frequentiam cum inſigni ipſius commercii detrimento rerum pretia accendendi deſit illis occaſio, apud quos commercium inſtituitur. Quæ res anſam præbuit, præter cætera, celeberrimæ Hollandorum ſocietati, quæ in orientales Indias anno ſeculi noſtri altero cum ingenti fructu Bataviæ coiit, *quod experimento conſtitiſſet, aromatum pretia ab inſulanis ob frequentiam emtorum augeri, & cum alii alio prævertere & lucrum ad ſe aliorum damno derivare ſatagerent, ubi concordia maxime eſt opus, æmulationum & diſſidii ſemina ſpargi*, ut eſt apud Thuanum lib. 130. Nervoſe idem, ut omnia, in hiſtoriis belgicis Grotius lib. 12. *Hactenus multa mercatorum collegia Indiam frequentabant, quorum æmulationes, quum illic rerum pretia accenderent, hic contra imminuerent, fœderati Patres e multis corporibus unam ſocietatem fecere.* Ad. Meter. lib. 23. Geminum ad ſocietatem auſtralem regni Suedici conſtituendam invitamentum in cæteris proponit Wilhelmus Uſſelinx: Wann auch unterſchiedene Companyen oder Particular-Perſonen an bemeldten Oertern (Africa, Aſia, America und Magellanica) alſo ohne Unterſcheid zu handeln Freyheit und Macht haben ſolten, ſo würden die Kauffmanns-Waaren, die man aus unſern Landen dazu bedürffte, ſehr geſteigert, und hinwiederum in den Ländern, dahin die Company ihren Handel hätte, die Marckte verdorben werden, ſo wol in Verteurung desjenigen, ſo wir daſelbſten kauffen müſten, als auch deſſelben, wenn es hernachmahls zu uns gebracht ſeyn würde, Verringerung.

L. Quid quod & opibus ſuis, ſi qua publicæ rei incumbat neceſſitas, & proclivius, & felicius multo ſuccurrere queant florentiſſimæ privilegiis ſocietates, quam ſinguli? quod famoſæ ejus, quam dixi, Societatis orientalis indicæ apud Hollandos confirmatur exemplo. Sane ex illo tempore, ex quo fundamentum ejus eſt poſitum. „Velut, *inquit Grotius lib. 12. hiſtor.* novo „bello per orientem exorto, ſocietas indicana magna pars reipublicæ cœpit haberi, „cum non modo pars prædarum ad ærarium perveniret, ſed privato civium ſum„tu hoſtis publicus per rapinas & impendia exhauriretur.“ Interim ne quid ab inſigni illa privatorum potentia reipublicæ ſuboriri queat periculi, ſi qui ab iisdem milites habeantur, maxime conſentaneum eſt, ipſi iſtos ante omnia reipublicæ ſacramento obſtringi. Quod in Hollandia quoque non ſocietatum ſolis procuratoribus, ſed & generalibus fœderatæ belgicæ ordinibus ſupremoque Imperatori militiæ exhibent. Quanquam neque illud prætereundum exiſtimem, caute admodum in ſuſcipiendis perſequendisque bellis verſandum eſſe illis ſocietatibus, ut quæ commerciorum gratia inſtitutæ merito averſari debebunt bellicarum tempeſtatum diſpendia. Quocirca de occidentali indica ſocietate, quam rectiſſime ſuo tempore judicabat Wilhelmus Uſſelinx, daſs ſothane Company in Anſehung ihres geringen Capitals gar zu ſchvvere Kriege auf ſich nahme, desſvvegen auch mehr Schaden als Frommen bringen mögte. quod exponit Auctor des Intereſſe von Holland c. 18. Das Ubel oder den Abbruch, den vvir dem Könige in Spanien in Weſt-Indien zugefüget haben, iſt uns vviederum zu Hauſe kommen, daſs vvir alſo keine Lob-Geſänge über die Compagnyen, die der Particulier-Perſonen Hände geſchloſſen, und an ſtat zu negotiren den Krieg geführet haben, ſingen dürfen. Im Gegentheil hat man dadurch gar viel gute Invvohner arm gemacht, und Urſach zu dieſem Reimlein geben:

Twee mael viif is tien,
Ick ſet nul en how ien,
I voer de Quanten,
En o voor de Participanten.

De ipſa orientalis Indiæ ſocietate idem, quem dixi, Uſſelinx Argon. Guſtav. p. 38. In Oſt-Indien iſts geſchehen, daſs die Holländer den Frantzoſen und Engelländern Schaden zugefüget, allein vvie es ihnen bekommen, iſt der Beutel der Oſt-Indiſchen Company vvol gevvahr vvorden. Quare multum, in illo quidem, rectins inſtitutum Suedicæ ſocietati propoſitum, cui & eo minori ſumtuum copia opus fore laudatus toties auctor. Argonauticorum Guſtavianorum innuit

nuit pag. 4. Die Summa darff auch ſo gar übrig groſs nicht ſeyn, vveil vvir einen Handel und keinen Krieg anfangen.

LI. Cæterum quum & utiles reipublicæ ſint ſocietates, commerciorum gratia inſtitutæ & ipſius commercii amplitudini eo magis accommodatæ, quo a monopoliorum natura magis deflexerint, id eſt, quo in eas copioſior mercatorum numerus aſſumatur, certe ne extraneos quidem mercatores prorſus ab ſocietatibus excludendos exiſtimem, ubi junctæ quamvis plurium indigenarum opes amplæ ſocietatis & commercii magnitudini non ſufficiant, metuendumve ſit cæteroqui, ne eodem, quo nos, inſtitutis commerciis noſtræ ſocietatis utilitates peregrini mercatores nimis carpturi ſint. Quamvis, ut in reliquis, ita & circa commercia indigenarum cura ſemper eſſe debeat maxima. Quare & apud Hiſpanos navigationis indicæ copiam eſſe nemini, niſi aut Hiſpanus aut Genuas ſit, & apud Hollandos, niſi indigenam, curatoris officio fungi non poſſe, auctor eſt Uſſelinx. Multum, ut cætera, ita etiam hanc in partem benignius ampliſſimum privilegium Guſtavi regis auſtrali ſocietati apud Sueones ordinandæ indultum peregrinis conſuluit. *num.* 8. Et profecto majoribus impenſis opus erat tantæ ſocietati, quantam ad Uſſelingis conſilia mente ſua Suedi conceperant, quam ut unius Suediæ opulentia ſatis ſuſtinendis illis ſuppeditare quiviſſet virium.

LII. Quod ſi vero ita comparata ſocietas ſit, ut non parum habeat monopolii, placet in privilegiis indulgendis parciorem omnino principem remve publicam eſſe, definirique inprimis tempora, intra quæ privilegiorum & monopolii vis omnis exſtincta ſit, quamvis neque alias id inutile quis exiſtimet; quoniam poſſet fortaſſis contingere, ne ex uſu amplius reipublicæ ſocietates futuræ eſſent, aut ſaltem finito conſtituti temporis ſpatio pro ulterius extendendis ſocietatum privilegiis amplas pecuniarum ſummas ſtipulari queat reſpublica redhoſtimenti loco. Sic in Hollandia, poſtquam orientalis Indiæ ſocietatem viſum erat inſtitui, ſancito die, intra quem nomina ſua, qui onerum obventionumque participes eſſe vellent, profiterentur, ita, ut decennio demum exacto nova fieret profeſſio, collataque pecunia ad ſexagies centena milia, ne quis ſeorſum xx. *intra annos* ultra promontorium bonæ ſpei aut Magellani fretum navigaret, lege adjectum eſt. vid. Grot. lib. 12. hiſtor. Occidentalis Indiæ ſocietati in XXXVI. annos monopolii facta copia. Grot. lib. 16. hiſtor. Neque apud Anglos capiendorum ab illis, qui ad reperta ab ſocietatibus anno MDCVII. conſtitutis loca præter ſocios commerciorum cauſſa acceſſuri eſſent, vectigalium privilegium ultra XX. & I. annos extenſum eſt. Meter. lib. 27. Arctior adhuc temporis intervallum in Sueonia auſtralis ſocietatis monopolio datus terminus, anni non amplius XII. num. 1. privileg.

LIII. Univerſim illud tenendum, ſi quæ ſocietates inſtituantur maritimorum commerciorum gratia, enitendum eſſe, quantumcunque licebit maxime, uti conſtitutis curatoribus (*Bevvindbebbers* Hollandi vocant) optimis viris, ſuum ſingulis ſocietatis membris citra fraudem dolumve malum tribuatur. Neque enim fieri profecto non poteſt, ubi male ſocietatis geritur adminiſtratio, ut quæ in utilitatem complurium redundare debent commercia, intercepto a paucioribus commodo in cæterorum vertant perniciem. Quam ſuo tempore pervulgatam ſociorum Commercii indici apud Hollandos querelam fuiſſe meminit Uſſelinx. Verum ſit ita, intervertatur lucri quam plurimum. Eorum culpa eſt, quæ extrinſecus ſunt, non ipſius autem ſocietatis. Nam aut privilegium ſecus, atque oportuerat, conſtitutum erit, aut indultum nimium curatoribus, quorum juſto tempore rationes neceſſe eſt exigi; aut accreſcens fortaſſis potentia urbanorum magiſtratuum, (qui ſe rebus hiſce jam tum apud Batavos equidem immiſcuerant,) reliquos ſocietatis participes pedetentim ſuppreſſit, adeoque in commiſſis erroribus emendandis majori difficultate ſuborta res nonnihil ivere perditum. Cujus generis ne quid in hujuſmodi ſocietatibus obveniat, ante erit proſpiciendum enitendumque ſummis rerumpublicarum moderatoribus, ut & ſalutaribus inſtitutis, & accuratiſſima optimorum curatorum induſtria cunctis inde pullulaſcentibus damnis occaſio omnis præſcindatur.

LIV. Atque etiam illud ad ſtabiliendas conſervandaſque firmiter ſocietates requiritur, ut quod inter ſocios mercatores pro pecuniæ ſuffectæ ſumma diſtribuendum eſt, lucri partem ad res Societatis confirmandas curatores ſeponant. In quo deprehendi licuit inſignem errorem curatorum ſocietatis occidentalis indicæ apud Hollandos, quod in ſocietatis participes nimia pecuniarum ſumma primo ſtatim initio diſtributa ipſius ſocietatis rebus non ſatis proſpexerint. Inde memorat Uſſelinx, *das die Hollænder* 128. *Tonnen Goldes neben ihrem* Capital *noch auff* Intereſſe *nehmen müſſen.* Cæterum commode ordinandis ſocietatum rebus præter ordinarios earundem conventus, quos *Cameras* vocant, etiam extraordinariis conventibus Hollandi utuntur in majoris momenti negotiis. Qualis in ſocietate orientali indica *Septemdecim virale Collegium eſt*, *de Vergaderinge van Seventhien*, ad quem certus ab ordinario quovis conventu pro ratione illatæ pecuniæ legatorum numerus mittitur; & in occidentali indica *Commerciorum collegium*, *de Vergaderinge van de Negotien.* Sed de monopoliis quidem, quænam in maritimi commercii ſtudioſa republica citra mercaturæ damnum concedere liceat, quandoque & quomodo, tum inprimis de ſocietatibus dixi hactenus.

LV. NUNC quoniam promovet mercaturæ maritimæ amplitudinem mercatorum numerus copioſior, & ad multifaria genera mercium cum uberrimo lucroſæ diſtractionis fructu diffuſus, quibus porro mediis abundantem illam commercantium multitudinem civitas ſibi poſſit acquirere, nobis in ſequentibus explicandum eſt. Igitur primum omnium illud velim intelligi,

ubi

ubi ea reipublicæ tuæ conditio ſit, ut illuſtris maxime mercatura poſſit effici, multum enitendum eſſe ejus moderatoribus, ut, quoad fieri ejus poſſit, amor aliquis & exiſtimatio mercaturæ excitetur in civibus: quo & filios ſuos illi ad commerciorum ſtudia ducant a teneris, neque diverſis facile inſtitutis illos adſveſcere patiantur. Decet enim iis quemque artibus maxime inſtrui, quæ ſint reipublicæ utiliſſimæ & recte Juvenalis:

Gratum eſt, quod patriæ civem populoque dediſti
Si facis, ut patriæ ſit idoneus.
Plurimum enim intererit, quibus artibus & quibus hunc tu
Moribus inſtituas.

Atque hinc errare apparet eos, qui in civitate maritima conſtituti, cujus e commerciis maxime amplitudo quæritur, agriculturæ, ſolo nimium ſterili, aliisve rebus ampliori, quam par erat, numero occupantur, quibus tamen multo minus opulentiæ, quam ex mercatura, acquiri poteſt. Quod ſi inutiliora aliqua ſtudia impedimento erunt commerciis, quo ad expetitum ſplendorem amplitudinemque minus illa perveniant, poterunt etiam, publica auctoritate nonnunquam adhibita, in opportuniora rei maritimæ & commerciorum exercitia ſummo reipublicæ commodo prudentiſſime transmutari. In quo admirari licet inſigne facinus regis Angliæ Henrici VII. qui quum locupletum uſuris, otioſe degentium, premi pauperes & exſugi cerneret, populum rerum inopem agrorum culturæ magno ſtudio exili fructu intentum eſſe bona, agrorum parte multavit agricolas, parte, iis præſertim locis, quorum ſterilius ſolum erat, incenſa: pecuniam uſurariam ab divitibus redimi, fabricandisque navibus & inſtituendis commerciis impendi juſſit, pauperes nautas fieri; quorum exemplum inſecuti ſubinde & alii, poſtquam uberiorem ex mari quæſtum, quam ex agris ſperare occœperant, ſponte ſua agreſti vitæ nauticam prætulerunt. Hollandorum in mercaturam ſtudium laudat Uſſelinx, Mercur. Germ. p. 28. & ſ. *daſs ſo gute ordnunge jederzeit angeſtellet und fleiſs insgemein angevvendet, auch allerley Stander-Perſonen mit fleiſs dahin allzeit getrachtet, daſs bey ihnen gantz kein Geld müſſig und unfruchtbar liegen möchte; Dannenhero bey ihnen Adel und Unadel, Bürger und Bauer, ja Dienſtboten, Knechte und Mägde, ihr Geldlein, ſo ſie immer erübrigen moegen, in Handel Companien und Schiff auſſrüſtungen oder uytredingen, wie ſie es nennen, zu ſammen tragen und alſo ein gevverbe damit treiben.* De Venetorum in mercaturam ſtudio Caſper Contarenus L. V. de republica Ven. *Univerſa*, inquit, *civitas in ſtudia rei maritimæ converſa eſt, atque juventutem legibus inſtituit ac totius vitæ conſuetudine firmavit. Hic enim mos inſtituendi patritios homines ſemper fuit, ut a teneris annis usque ad pubertatem ſub pædagogi diſciplina degerent, ac latinis literis imbuerentur pro cujusque captu: ab ea ætate præter paucos quosdam, qui litterarum ſtudiis ſe manciparant, genio naturaque ducti omnes fere rei maritimæ ac familiari operam darent.* Satis quidem iſta præclara, quæ in plurimis civitatibus haud perinde reperias: in quibus paſſim, ſi quos paululum uberiori copia familiaris rei fortuna inſtruxit, quales ad maritimam mercaturam maxime requiruntur, nolunt mercaturæ liberos ſuos dare operam, verum illis omnes artibus innutriri, ingeniorum delectu non habito, quibus ad majoris fortunæ cultum excitentur. Ex quo illud efficitur, ut quum bonis & utiliſſimis mercatoribus abundare quiviſſet civitas, malis illa ſæpiuſcule nec utilibus literatoribus repleatur. Quæ res in aliquibus civitatibus ſæpius nulla adeo alia ex cauſa promanat, quam quod in illiberalium numero mercaturam eſſe pervulgata perſuaſio ſit. Trahimur vero omnes honorum cupiditatibus, neque facile iis ſtudiis ducitur, quo eſt quisque exiſtimationis appetentior, quæ habentur pro ſordidis. Quod inprimis inculcat auctor ſupra laudatus *des plus generales conſiderations ſervants au maniment des affaires publiques* C. XLII. *Il y a*, inquit, *un autre poinct, le quel diminue grandement le commerce, qui eſt le mespris que lon fait en pluſieurs eſtats de ceux, qui ſ' en meslent, eſtimant que cette vacation eſt vile & ſordide. De ſacon, que ceux, qui ont tant ſoit peu acquis de bien, ſ' en retirent auſſitoſt, pour prendre une vacation, à laquelle le peuple porte plus d' honneur qu' à celle - là.* Quæ quum ita ſe habeant, ea quidem civitate, quæ maritimæ mercaturæ amplitudinem expetit & haberi illam in rebus honoratiſſimis volumus, & neque (paribus tamen cæteris) vel ab functionibus magiſtratuum, vel ab aliis muneribus publicis, quibus recte gerendis minime inidonei ſint, ad ipſius ſubinde commercii exiſtimationem promanante quadam labecula, velut minus dignos amplis honoribus negotiantes excludi. Cui illud porro eſt conſequens, (quod apud alios accuratius diſputatum prolixe non perſequor) ne patritiis quidem viris, gentilitiæve nobilitatis ſplendore conſpicuis ſemper pro indecoro habendum eſſe exercitium copioſioris commercii, quale maritimum eſt, multa undique apportans, multisque ſine vanitate impertiens. Ac ne ipſos equidem Principes, remve publicam prorſus ab eodem illo excluſerim, dummodo ita negotiationes ſuas inſtituant, ne qua citra ſonticam cauſſam plebeiorum illis hominum emolumenta ſufflaminent. Nam ſi in iis commerciis occupari velint, quibus ſatis ampliter proſequendis privatorum hominum numerus pariter utque familiaris rei copia pares ſint, audiant dignam Principe vocem Conſtantinopolitani Imperatoris Theophili apud Zonaram tom. III. *Scito mercaturam privatis hominibus eſſe attributam, ut eam tolerandæ vitæ occaſionem habeant, quod ſi nos præter imperii opes etiam mercaturæ emolumenta interceperimus, undenam fortunæ tenuioris homines victum comparabunt?*

LVI. Cæterum etiam exteros, qui in civitatem noſtram ſe conferunt commercandi cauſſa, & foveri omnino volumus comiter, & honoribus ſubinde exhibitis tanquam ad hoſpitii neceſſitudinem advocari. Quod Athenienſium reip. ſuaſit Xenophon, cujus verba, quoniam prolixiora ſunt paululum, ſemel tantum, id eſt, latine ponam περὶ πόρων: *Eſſet etiam tum utile, tum honeſtum, mercatores & naucleros loco magis honorato in conſeſſibus ornari; atque illos etiam ad hoſpitii neceſſitudinem invitari, qui navibus ac mercibus egregiis civitati prodeſſe viderentur. Hoc enim honore adfecti, non*

eam

ter labefactari, imo omnino intermitti, libertatem negotiantium impediri, & mercium caritate inde exorta fore, ut opificia ceſſent, & artifices atque negotiatores alio emigrent: ut eſt apud Jac. Aug. Thuanum *lib.* 50. Eadem in annalibus *lib.* 3. Hugo Grotius: *Facile intellectum hoc vectigali negotiationes arteſque connexas perverti prima populi alimenta. Nam mercimonia multis ſolita miniſteriis diſtrahi, ſi tantum onus in pretii partem accreſceret, non erant inventura emtorem, cum poſſent alibi vilius conſtare.* Quibus merentur adjici, quæ in IV. hiſtoriarum libro iſtis gemina attulit Meteranus. Premunt itaque libertatem commercii vectigalia, neque ulla fere in re magis reipublicæ favor in commercia cernitur, quam ſi in vectigalibus modum mercatori definiat minime gravem. Neque vero eſt, cur de promanaturo ex imminutione horum proventuum, qui ex mercimoniis capiuntur, in rempublicam detrimento admodum ſollicitus ſis. Nam & multitudine vectigalium, ſi quod magnitudini eorundem detractum eſt, ſarcietur, & quæ publico ærario intercepta apparere utilitas poterat, per commercii amplitudinem cum privatis hominibus communicata in univerſam ſubinde redundat rempublicam. Eſt ergo danda commerciis, quoad fieri ejus expedit, ab exactionibus vectigalium libertas.

LIX. Ita lib 8. de Legg. ſanxit etiam Plato: *Τέλος ἐν τῇ πόλει μηδένα μηδὲν τελεῖν μήτε ἐξαγομένων χρημάτων μήτε εἰσαγομένων. Vectigal importandarum exportandarumque rerum nullum penitus ſit:* quamvis tamen ad ſolam & neceſſariorum invectionem & aſportationem eorum, quibus carere poterat civitas, amplam illam & generalem immunitatem reſtrinxerit. Cætera minus neceſſaria exportari prorſus prohibuit. Paulo aliter Romani, quorum legibus determinatas ſpecies vectigali obnoxias non reperias fere, niſi illa exotica, quorum uſus citra incommodum civitatem poſſit deficere. *vid. l. ult. ff. de publ.* §. 7 Non male profecto. Quod ſi enim aliqui mercato res ad nos deferant inſtrumenta luxuriæ, qualia prima parte diſſertationis recenſui, intereſt reipublicæ non modo non donari illos immunitatibus, ſed & graviora iſtis portoria jure optimo poſſunt imponi. Qua in re errorem Franciſci I. regis Galliæ auſus eſt ingenue confiteri Bodinus, *lib. 6. de republ. c.* 2. cujus id inprimis, quod dixi, conſilium eſt. Multo enim, quam decuerit, vilius ea invehendarum mercium genera edicto Principis æſtimata fuiſſe, quæ ad corruptelam civium pertinuerint: ſuccini pondo ſpeciem omnium, quæ edicto contenta, pretioſiſſimam paulo minus tribus ſeſtertiis cenſitam, quum vel decem ſeſtertia pendi oportuiſſet, quo majus in fiſcum vectigal quiviſſet redigi. Enimvero poſſent equidem merces, quibus in luxuriem proponuntur illecebræ, prorſus ad Platonis, quam dixi, ſententiam ab commercio civitatis arceri. Verum valde vereor, ne, quam maxime nunc expetimus, amplitudo mercaturæ maritimæ nimis eo labefactanda ſit, ubi non niſi in illis mercibus occupari illa amplius debeat, quarum aut neceſſitas gravior aut inſignior futura utilitas eſt. Atque incidunt ſane tempora, quibus ipſa invehendarum mercium hujuſcemodi prohibitio, quæ ad uſus vitæ ſupervacaneos ſunt, minime forſan ex ſententia ſupremorum magiſtratuum ſucceſſura ſit, ubi proni jam tum in luxuriam animi, totique abundantioribus copiis voluptatibuſque immerſi ſalubriorem quamvis medicinam repudient, ut expediat omittere potius prævalida & adulta vitia, quam hoc adſequi, ut palam fiat, quibus flagitiis leges impares ſint. Succenſere ſolitum fuiſſe accepimus Ciceronem Catoni, quod quum corruptiſſimo ſeculo vixerit, in ſententiis dicendis adeo ſeverum ac rigidum ſe præbuerit, ac ſi in Platonis republica fuiſſet verſatus. Et in legibus quidem id præcipue advertendum, ut quomodo pedi calceus, ſic tempora & iis, quorum gratia fiunt, quadrent & conveniant. Cæteroqui præclaris in ſpeciem inſtitutis idem uſu veniet, quod illis a Demetrio tanta arte fabricatis navigiis, quæ cunctos in ſui admirationem rapiebant, adſpectu quidem pulcris, ſed ad navigandum idoneis minime. Quod ego Bodini conſilium potius, quam aut Platonis, aut Lycurgi amplector, ut & ſua commercii amplitudo permaneat, & quodcunque inde damnum emerſerit, publicæ rei commodo compenſetur, quamvis ipſum adeo *luxum*, dicit Grot. lib. 5. annal. *ærario quidem vectigalem, at moribus pernitioſum*, minime adprobem, ut ex illis eſt liquidum, quæ in prima diſſertationis parte diſputavi prolixius.

LX. Cæterum geminam fere invectioni earum rerum, quibus ad luxuriam proritari poſſunt ingenia, aſportationem illam exiſtimo, quæ cum noxa itidem aliqua reipublicæ queat eſſe conjuncta. Poteſt enim quandoque contingere, ut avectione eorum nimia, quorum uberiori affluentia civitas deſtituta eſſe non debeat, exhauriatur ad ultimum illa copia, qua, niſi exportata, frui quiviſſet civitas atque major illarum mercium apud cives, quam apud exteros caritas inducatur, quum tamen apud illos pretium longe vilius abundantior ubertas domeſticorum proventuum conciliare merito debuiſſet. Quare in illis equidem mercibus nullam adeo facile mercatorum multitudinem reſpublica expetet, aut propoſitis eam provocabit immunitatibus. Quam in partem exſtat laudabile edictum Theoderici regis Oſtrogothi apud Caſſiodorum lib. 1. Var. epiſt. 34. quo quum impleri *frumento naves peregrinas ad aliena littora tranſituras* prius vetuiſſet, *quam expenſæ publicæ ad optatam posſint copiam pervenire. Copia*, inſit, *frumentorum provinciæ debet primum prodeſſe, cui naſcitur: quia juſtitia eſt, ut incolis propria fœcunditas ſerviat, quam peregrinis commerciis ſtudioſæ cupiditates exhauriant. Alienis ſiquidem partibus debet impendi, quod ſupereſt: & tunc de exteris cogitandum, cum ſe ratio propriæ neceſſitatis expleverit.*

LXI. Armorum vero tormentorumque avehendorum commercio, & quæ illis ſimilia ſunt in apparatibus bellicis, ne qua detur immunitas, ſed vel omnino etiam interdici quandoque poſſit rectiſſime, alia præterea ratio eſt, quam in l. 2. C. quæ res export. non deb. Imp. Marcianus inſeruit. Quum enim illud ſanxiſſet, ne quis *alienigenis barbaris cujuſcunque gentis loricas ſcuta & ar-*

cus, ſagittas & ſpathas & gladios vel alterius cujuscunque generis arma audeat venundare; nulla prorſus iisdem tela, nihil penitus ferri vel facti jam vel infecti ab aliquo diſtrahatur: addit: *pernicioſum namque romano imperio & proditioni proximum eſſe Barbaros, quos indigere conveniat, telis, ut validiores reddantur, inſtruere.* Quamvis maxime quidem inter eos ſanciendum aliquid hujuscemodi videri poſſit, qui hoſtili ab ſe invicem odio diſſideant, quam quibus nihil mutuæ inimicitiæ intercedat. At Romanorum ſaltem ſatis juſta ratio legis exſtitit, ut quibus nusquam non circumfuſi illo tempore Barbari merito omnes habebantur ſuſpecti. Quare & *hoſtes* rubrica vocat, quos *barbaros alienigenas* lex appellat; & in geminum fere ſenſum Paulus JCtus in pr. l. 11. ff. de publ. & vectig. *Cotem ferro ſubigendo neceſſariam* hoſtibus *quoque venundari, ut ferrum & frumentum & ſales non ſine periculo capitis licet.* quanquam legem *Nemo alienigenis barbaris* capiendam de ſolis hoſtibus non inducar ad credendum, quum de quibuscunque *Barbaris alienigenis cujuscunque gentis* universim loquatur, & de Romanorum præterea circumſpecta ſollicitudine in Barbarorum invaſionibus præcavendis etiam alias affatim conſtet; quippe qui ne vini quidem, oleive aut liquaminis ad Barbaricum transvehendi copiam mercatoribus fecerant, vid. l. 1. c. quæ res export. non deb. ne illorum ſuavitate fortaſſis illecti in romanas provincias ſe infunderent, velut olim importato in Galliam vino per Aruntem Cluſinum, cum illius tum frugum dulcedine, nova voluptate captam gentem Alpes tranſiiſſe auctor eſt T. Livius lib. 5. hiſtor. In aliis gentibus, apud quas etiam privatis hominibus citra fere diſcrimen ea fabricare eſt licitum, quæ apud Romanos nonniſi ab illis inſtruebantur, qui deputati erant in fabricenſibus, ut videre eſt ex Novella LXXXV, quidni commercari iisdem liceat, atque ſibi id lucri vindicare, quod ab aliis populi mercatoribus alioqui captatum forſitan fuiſſet. Ego quidem perinde non video, dum tamen & pluribus ejus generis artificibus abundante republica nunquam ei deficere queant bellici apparatus, & inferendi ab illis belli, ad quos merces hujuscemodi transferuntur, aut ab infeſtis in illas populis detrimentoſæ inimicitiæ inde metus non ſit. Nam verſandum equidem eſſe in iſto genere commercii paululum circumſpectius, omnino pernegari non poteſt, ut nec opus ad mercatorum copiam exportandis illis invitandam amplioribus privilegiis aut immunitatibus futurum ſit.

LXII. Idque & generatim in illis obſervari licebit citra damnum commercii, quorum ingens apud exteros deſiderium eſt, quum aliunde haberi æque non poſſint. Etenim quo in illis vehementior appetitus eſt, eo minus ab cupitæ rei commercio quispiam avocabitur.

LXIII. Quanquam tamen intelligendum ſit, quæ de non indulgendis immunitatibus augendisve vectigalibus dici queant, tum denique locum habitura, quando & nullum ante exteris mercatoribus jus quæſitum eſt, & reipublicæ nihil inde gravioris damni promanaturum ſit. Nam de eo quidem non eſt dubium, ubi vel indultis antea privilegiis, vel pactionibus interpoſitis jure ſuo ſe quodammodo abdicaverint, penes quos τὸ κύριον eſt reipublicæ & novorum vectigalium imponendorum & adaugendorum veterum facultatem ademtam eſſe, quoniam violari pacta ejusmodi revocarive privilegia illa ſaltem temere nequeant. Quod in ſubditorum etiam privilegiis verum eſt, cum exceptione tamen tum pœnæ, tum illius dominii, quod in illos eminens ſummis poteſtatibus competit. Cujus quum ſe ad gentes exteras vis non æque diffundat, eo in illarum immunitatibus atque pactionibus cum iisdem initis arctius obligatur reſpublica. Quod ſi pactiones aliquæ hujuscemodi irrogatave exteris mercatoribus privilegia vergere non ad damnum modo incipiant, ſed ad perniciem adeo publicam, ut a primo pacti initio conceſſæve immunitatis in extenſione ad illum caſum cenſenda fuiſſent injuſta atque illicita, non tam revocari pactio atque privilegia poſſunt, quam declarantur ea non ultro obligare, quaſi facta ſub conditione, ſine qua fieri juſte non poterant. Sin vero nulla vis major neceſſitatis publicive boni exegerit, & pactionibus cum externis mercatoribus, & collatis in illos privilegiis ſtandum eſt maxime, adſtringique iisdem liquet, tum a quibus primo profecta ſunt, tum qui in ſupremæ poteſtatis jura ſuccedant, civitate interpoſita, ἐμμέσως obligari.

LXIV. Magis congrua eſt operis propoſiti regulæ, quam ſecundo loco cautionem propoſui, ne quod vectigalium impoſitio vel adauctio detrimentum inferat reipublicæ quod vel maxime circa ipſa evenire ſolet commercia. Quæ ſi plurima tuo populo cum externis gentibus interceſſerint, & carere illorum tu æque atque illæ tuis commerciis nequeant, multum certe ex utraque parte damnum capiet mercatura, ubi vectigalibus utrinque adauctis premi ſeſe mercator ſenſerit. Metuendum eſt enim, ne, quod citra injuriam facere poterint, in tuos viciſſim ſubditos gemino vectigalium augendorum jure utantur alii. Quod Hiſpanis accidit anno hujus ſeculi tertio. Qui quum impoſuiſſent vectigal ingens, ut præter vetera onerum, mercium pretii paulo minus, quam tertia, in centenos ſcilicet XXX nummi, fiſco cederent, paria illis primum onera Rex Henricus impoſuit: vid. Grot. XII. Hiſt. Meter. L. XXIV. mox, quum non ſatis id ultionis videretur, Gallis omnibus negotiationem hiſpanicam, manente Philippi edicto, interdixit, propoſito bonorum damno deinde & capitis. Quod ſi etiam aliunde merces illas advehere, quæ ex tuis antea regionibus apportari conſueverant, nihil prorſus parumve admodum prohibuerit, ſive non multum tua remotiores etiam aliæ earundem feraces mercium provinciæ ſint, ſive in his vectigalium major immunitas lucroſiorem, quam in tuis ditionibus, quæſtum ſpondeat, pertimeſcendum profecto, ne vel penitus alio derivata ab nobis commercia, magnum aſt inſtabile commodum, ob ingentia onera vectigalium transferantur. Quibus vel unius Codani Sinus commerciorum jactura ſatis uberi documento eſt.

LXV.

LXV. PRÆTER immunitates a vectigalibus atque portoriis, quarum hactenus facta mentio, quicquid denique in privilegiorum atque jurium mercatoribus ſingularium numero eſt, ad allic iendam mercatorum multitudinem fructu ſuo non caret, ſive ipſas mercatorum perſonas popularibus cæteroqui illud exſolvat oneribus, ſive ad quæſtuoſam promtioremque diſtractionem mercium aliquid conferat, ſive quocunque tandem modo ſingulare ac gratum quidpiam donet mercatoribus, Inde Xonophon de redit: *Εἰ δὲ καὶ τῇ ἐμπορίᾳ ἀρχῇ ἆθλα προτιθείη τις, ὅστις δικαιότατα καὶ τάχιστα διαιροίη τὰ ἀμφίλογα, ὡς μὴ ἀποκωλύεσθαι ἀποπλεῖν τὸν βουλόμενον, πολὺ ἂν καὶ διὰ ταῦτα πλείους τε καὶ ἥδιον ἐμπορεύοιντο.* *Quod ſi quis mercaturæ præfecto præmia proponat, ei ſcilicet, qui æquiſſime celerrimeque dijudicet ea, de quibus controvertitur, ut impediri non neceſſe ſit illos, qui navigiis diſcedere volunt, etiam has ob cauſſas longe plures & quidem libentius hic negotiarentur* Ita fœderatæ belgicæ ordines, quum Germania propter controverſias cum hanſeaticis Angli juſſi excedere urbes belgicas ſtationi legendæ circumirent, oblatis etiam ab ipſis urbibus certatim præmiis, non ſolum quæ ad vectigalia, verum etiam ad judicia pertinebant, petentium deſideriis aptavere. Vid. Grot. L. 7. Hiſt. Atque dabit ſane operam Legislator, cui amplitudo commercii, ſalutaris fons publicæ privatæque utilitatis, cordi eſt, ne vel in ipſis legibus mercaturæ ſalus neglecta ſit. Quam in partem actum eſſet fortaſſe nobiſcum aliquanto præclarius, ſi & Tyriorum, & Karthaginienſium, aliorumque, quos maritimo præſertim commercio unquam inclaruiſſe accepimus, ſingula circa mercaturam commode inſtituta una cuſtodia fidelis memoria literæ transmiſiſſent ad poſteros. Nam in romani juris theſauris, quos in plurimis ſummi facimus, vix eſt, uti multum hujus materiæ exſpectaveris. Recentioribus ſeculis Venetorum Belgarumque reſpp. ut ipſius mercaturæ maritimæ principatum tenuere, ita in ſalutem commercii ordinarunt quam plurima. Multa & in hanſeaticis conſtitutionibus præclare ſancita. Maxime ad Codanum Sinum, aut me amor ſuaviſſimæ patriæ fallit, aut, quod ipſas publicæ rei leges attinet, nulla æque fortaſſis civitas opportuno ad commercia jure, quam ampliſſimi Princeps fœderis, Lubeca inclaruit. Cujus rei ingens documentum eſt, quod & megapolitanus ducatus & citerior Pomerania, ulterioris vero urbes pleræque, multæ itidem Holſatiæ Livoniæque & Boruſſiæ civitates nonnullæ, omnes fere ſtudioſæ commercii, lubecenſis reipublicæ donari legibus in gratiſſimis habuerint. Sane ipſo legum prooemio conditores illarum iſtud adferunt: *Wie dan auch an ſich ſelbſt vvahr und richtig, vvan die Urſachen dieſer geſchvvinden ſtatuten beleuchtet und ervvogen vverden, ſo ſind deroſelben Rationes vornehmlich daher genommen, vveil dieſe Stadt Lübeck auff Handel und Wandel gevvidmet iſt.* Ad quæ magnificus Regii Suedici tribunalis Viſmariæ quondam præſes David Mævius Qu. prælim. n. §. 58. 59. 60. *Duobus*, inquit, *præſertim Conditores Juris* (Lubecenſis) *invigilaſſe deprehendet, qui curatius diſpiciet: Fidei nempe firmandæ & delictis coercendis. Fides juſtitiæ firmamentum eſt, qua cum urbs Lubeca ſemper floruerit & laudabili conamine excellere ſtuderet poſthabitis ſingulorum præſertim liberorum & fœminarum, commodis, ea edidit ſtatuta, quibus fides nutriretur & commercia ſecurius colerentur.* Quamvis ego quidem illa minime nunc diſcutiam. Et vero, cum quæ in ſingularibus mercatorum eſſe juribus queant, tum de ipſis adeo legibus, quaſnam ferre in commercii opportunitates oporteat, fuſius hic exponere alienum eſt ab noſtra opera, quarum aliquas tamen adferam ſuis locis commodius. Ipſa ſingularia mercatorum atque commercii jura ſatis noto inter JCtos opere erudite pariter copioſeque perſecutus eſt Jo. Marquardus noſtras, eques D. Marci & reipublicæ lubecenſis conſul.

LXVI. PLACET vero, quum utrique mercatorum generi juxta immunitatibus atque privilegiis, tum ad facilitatem commercii accommodatis legibus conſulendum ſit, peregrinis pariter & indigenis, ita ſemper faveri exteris mercaturæ gratia, ut indigenarum cura potior habeatur; contra ipſis viciſſim civibus ita proſpici, ne cum majori damno commercii exterorum mercaturam ſufflamines. Primum ſubditis, poſt deinde ſociis providendum eſt, poſtremo peregrinis, niſi aliud commodum reipublicæ flagitet. Atque incidunt ſane caſus, quibus utram tu partem immunitatibus potius proſequaris, cives an peregrinos? ſubdubitari poſſit quodammodo non injuria. Etenim locupletari equidem exterorum divitiis civitatem admodum conſentaneum eſt, quo perceptis illorum vectigalibus, in exactionibus tributorum civium hinc pecuniis parci aliquantillum queat; neque caret æquitate, qui ſe lucri in civitate participes fecerint, ferre etiam onera exteros. Sed & viciſſim copioſiori peregrinorum mercatorum adventu valde civium opes plerumque increſcere, caret dubio. Exſtat nobile exemplum, quod in II. capite ſexti de republica libri proponit Bodinus: quum uberrimis univerſæ Europæ ſalinis Gallia adfluat, Regem Galliæ Franciſcum I. ut peregrinos mercatores tanquam illecebris quibusdam advocaret, a ſalario vectigali fere immunes eos feciſſe, ne ab Hiſpanis ſal acciperent: inde affluxiſſe Belgas, Britannos, Danos: ſolis Gallis patriæ ſuæ proventus carius emtos: imo ab illis ad Gallos, latenter tamen, ſal in fines regni revectum: quo abſurdius eſſe nihil poſſe: ſua ætate (an MDXL) in ſalinis Pictonum modium ſalis duobus aureis Pariſiorum menſura emi ſolitum, 20. aureis emtum; vectigal tamen ſubditis duplo gravius, quam ſalis pretium imperatum: itaque factum, ut qui longius a ſalinis abfuerint in Galliæ finibus, ſalis modium C. amplius aureis ſibi emere coacti ſint. Summe improbat rem Bodinus. Neque ſecus multum ſenſiſſe quis credat Jac. Aug. Thuanum, qui, quum aquitanicis ſalinis vectigal regio juſſu impoſitum memorat V. libro, factum ſcribit, *premente publicanorum malitia & hominum hujusmodi, quorum ad perniciem publicam ingenioſa induſtria* fuerit. Sed de ſolis vectigalibus tamen, quibus ſubditi premebantur, non de exterorum itidem immunitatibus loquitur, quas cum indigenarum præſertim damnis tantas eſſe ſtomachatur Bodinus. A quo

in diverſum abit ſententia, ſummi viri & cujus in præſenti diſſertatione utor præſidio, *Hermanni Conringii* in de vectigalibus diſpntatione §. 24. Quid ergo? onerandosne magis vectigalibus cives credimus, dum in noſtris civitatibus floreat peregrini mercatoris commercium? Nolim illud aſſerere, quoad exerceri commercia ab indigenis cum uberioribus publicæ rei fructibus poſſint. Sed quum maxime etiam per externa, ut dixi, commercia multum manet ad cives commodi, exiſtimari ſemper non poteſt minus ſubditorum ſaluti proſpectum eſſe, ſi quis in immunitatibus largiendis remittendisve oneribus mercium aut æqualis aut propenſior in externos favor, quam in domeſticos, mercatores eniteat. Neque enim eo reipublicæ utilitates metimur, quod eſt velut ante ocnlos poſitum, ſed quod accuratiori ponderatum judicio, utut inutilius prima ſpecie appareat, vere fructuoſius reipublicæ deprehenditur.

LXVII. Itaque compenſatur illud damnum, quod ex majori quandoque onere vectigalium cives ſentiunt, ea utilitate, quæ ex amplitudine peregrini commercii proficiſcitur. Quod omnino tamen danda una eſt opera, quoad fieri ejus liceat, ut in ſubditorum maxime commoda derivetur. Quo ego magis promovendis per peregrina commercia civium utilitatibus accommodatam amplector Lubecenſium conſuetudinem, quæ in L. 3. Juris noſtri, Tit. 6. Artic. 7. conſtituta eſt. *Advena ſeu peregrinus bona mercesve ſuas in urbem translatas nemini niſi civibus vendere debet. Quod ſi vero eas deponere libuerit, non tamen extraneis divendere integrum erit, ſed cum his in civitate commercari ſolis civibus liceae. Qui ſecus fecerit, convictus ane deprehenſus pro qualitate delicti arbitrarie punitor.* Neque vero minus illam conſonam æquitati exiſtimem. Nam ut ad neceſſaria æquo pretio comparanda jus ſit omnibus hominibus, niſi aliud aliquid intervenerit, ad ſua vendenda jus æquale non competit, quum, quid acquirere velit aut non, in cujusque populi ſit arbitrio. Quod ſi ergo certis mercibus negotiari omnino citra injuriam eſſe in prohibitis licet, quidni etiam circumſcribere in emporiis liceat peregrinorum negotiatorum commercium? qui, ſi minus lucroſa erit venditio, poſſint alio apportatas merces transvehere, ubi exſtitura illa ſit quæſtuoſior. Nam ut Venum dent apportata inviti, cogere quidem nequit civitas, niſi vel annonæ ingens neceſſitas in frumento illud faciat licitum, vel jus forum ſiſtendi idem ſibi emporium acquiſiverit. Quod ſi libeat (id quod jure oſtendi licitum) a peregrinorum commercio prohibere in emporiis peregrinos, quo in cives major redundet utilitas; una quidem illud eſt liquidum, caſtigandos quam acerrime eſſe, ſi qui civium ſua nomina peregrinis in fraudem legis mutuaturi ſint: quod in iis locis ſæpiuſcule obſervatum eſt Mævio, quibus paulo ante laudata ſanctio aut eidem geminum quidpiam obtinuerit.

LXVIII. Cæterum, quod ad ipſos exteros attinet, in his eorum privilegia ampliora reliquis velim, quibuscum plurima noſtris civibus mutua intercedunt commercia, quo majoribus hi viciſſim apud illos privilegiis gaudeant, tum, ſi qui copioſiori mercium apportatione abundantiorem adfluentiam civitati noſtræ cum inſigni fructu concilient. Quo in genere, celebriora inprimis emporia, & quibuscunque ingens mercaturæ ſtudium populi ſunt. Is præcipuus quondam fons maximarum immunitatum ſocietatis hanſicæ fuit, quam ut *fide & utilitate in publicum* apud Anglos auctor eſt Grotius *lib. 7. hiſtor.* ita & alibi paſſim gentium conſtat inclaruiſſe. Quare & in privilegiis plurimum illas celebratas videre licet, ut in ſegebergenſi regis Daniæ Chriſtiani I: *Et quando regnum noſtrum Norvegiæ frumentis, granis, farina, hordeo, panno & cerevisia a germanico mercatore (ſecundum delineationem aliquot privilegiorum a nobis & noſtris majoribus regibus pluribus Norvegiæ liberaliter conceſſorum) repletum & conſtaneer in vigore conſervatum fuerit, velut mercatores illi nobis in antecedentibus temporibus in his ingentia præſtiterunt officia & pro regni noſtri corona curam benevolam propter frumentorum talium cotidianam largitionem in ſe ſuſceperunt & realiter demonſtrarunt.* Et in privilegio hafnienſi Friderici I, quo ad confirmanda Lubecenſium Hanſeaticarumque civitatum privilegia ſe ex ſingulari favore obſtrictum agnoſcit ſereniſſimus Rex *propter prudentiſſimorum Lubecenſium & reliquarum civitatum multiplicia ſibi & regnis Daniæ atque Norvegiæ lubentiſſime præſtita officia.* Alias etiam in illos, paribus tamen cæteris, pronior eſſe, quam in reliquos, favor debet, qui ab ſuis quæque provinciis primi fere adferunt venditores, ante, quam per ſecundam tertiamve diſtractionem auctum fuerit pretium. Qualis fuit conſtitutio Curiæ Anglicæ anno MDCLX, ſolas ex Hiſpania Hiſpanas merces ab Hiſpanis, ſolas e Gallia Gallicas a Gallis, ſolas e Norvegia merces Norvegicas ab Norvegis advehendas eſſe. Cui anſam gentes quædam peregrinæ præbuerant, quæ remotioribus locis emtas merces vili pretio, eodem nimis adaucto Anglis poſt deinde venum exhibere conſueverant.

LXIX. Ante omnia vero illud maxime caveatur, ubi peregrini cujusdam populi perfrequenti commercio multum civitati tuæ accreſcat commodi, ne id facile ortis illam inter peregrinumque populum ſimultaiibus alio avertatur. In quo animadvertere licet inſignem errorem tum, qui Albano prælusit, Granvellani apud Camdenum in Eliſabethæ annalibus in anno 1564. tum Albani præſertim Ducis. Qui, quum ob detentas ab Anglis naves, quod de neceſſitate factum, evulgato etiam ſcripto, Eliſabetha cauſſabatur, ſupra modum irritatus, non conſultis ordinibus neque negotiationis interrumpendæ periculo ſecum perpenſo, injiciendas in Anglos mercatores manus bonaque eorundem ſub haſta publice divendenda edixiſſet, Angli pannis Hamburgum miſſis commercium Belgicæ hactenus utiliſſimum, mutato foro, in Germaniam transtulerunt. Thuan. lib. 46. Camden. anno 1568. & 1569. Quo quidem tempore ſerius error agnitus. Quem legationibus miſſis emendare anniſus Alvarezius nihil ab Regina obtinuit. Qua de cauſſa re infecta, reverſis legatis, etiam acerbiora contra Anglos decreta promulgavit, magno publicæ negotiationis,

tionis, ſed præcipue commercii belgici incommodo ac detrimento. Cujus equidem generis, ne quid noſtra culpa eveniat, ſedulo, velut monui, caveatur; naveturque etiam illud opera, ne vel bellicis tempeſtatibus labefactari prorſus contingat commercia, quæ ab hoſtili populo ſatis commode continuari nobiscum queant in illis mercibus, quarum ad gerendum bellum uſus non eſt, neu ad alios populos belli occaſione maximum atque inſtabile commodum transferatur. Igitur circumſpecte Philippus: de quo auctor eſt Grotius, etiam in Hiſpaniam a Batavis belli tempore frequentata commercia prudentiſſimi *regis diſſimulatione & metu, ne propinquis abſtentos in ulteriora verteret*, id eſt, ne ab Hiſpanorum excluſi commercio, verſis usque in Indiæ remotiſſima oavigationibus, ipſa opulentiſſima Indiarum commercia ab Hiſpanis hactenus propiori itinere peti ſolita in Hollandiam ab Hiſpanis averterent. *Providus ſenex*, in de Induciis belli belgici ſecundo libro inquit Baudius, *quem ætas & uſus ad leniorem mentem inflexerat, ſatis perſpiciebat, quantum in eo ſitum eſſet, ne latentes iſtæ terrarum oræ commerciis exterarum gentium aperirentur, &, ſi ex eventu judicandum eſt, non admodum utile conſilium dederunt ſucceſſori, qui fuerunt authores in auſpicio principatus, ut naves Batavorum fiſco & corpora pœnis ac ſervituti addicerentur. Hæc enim ſævitia præbuit occaſionem belgicis mercatoribus, quorum aviditati nihil eſt inacceſſum, ut ad extremos Garamantas & Indos penetrarent, ne quid inexpertum ſine lucro morituri relinquerent.* Inde poſtmodum querimoniæ: *quanto*, dicit Grotius lib. 12 hiſtor. *patrem* (Philippum II.) *ſapientius illa gentium inter ſe conſuetudine* (commercio) *attinuiſſe ſpem pacis? ſi præſentibus futurisque malis remedium quæreretur, demendam Batavo neceſſitatem, quæ ſola ipſi ſuas vires oſtenderet.* Atque hactenus quidem de augendo conſervandoque incolumi mercatorum numero, ſive illi indigenæ ſint, ſive exteri, ſatis, ut opinor, explicitum eſt.

LXX. CONSEQUENS erit & de facultatibus videamus, quibus eſſe inſtructos volui, qui ad mercaturam maritimam animum ſuum adplicare cuperent. Nam & ad naves fabricandas alendamque nauticæ turbæ multitudinem maximis ſumtibus opus eſt, & ad coemendam mercium abundantiorem copiam mercatura illos deſiderat. Quare nequit ſane mari ab ſingulis exerceri, niſi admodum iidivites ſint. Igitur opulentiorum opes ut in uſum commercii convertantur, ſunt qui præcipiant, legibus providendum, ne quas niſi ab mercatoribus fœnerari illis uſuras liceat: quo exſuſcitatum iri egenorum induſtriam poſtquam inſtrumentis ſe deſtitui intellecturi eſſent, quibus cæteroqui ad ſuperfluos ac inutiles ſumtus fuiſſent abuſi; quod & Plutarchus diſputat *περὶ τοῦ μὴ δανείζεσθαι*; opulentiores vero, ſi divitias ſuas infrugiferas nollent, aut ipſos mercaturæ animum adjecturos, aut ſaltem mercatoribus eas, de quo paulo poſtea fuſius, cum inſigni fructu commercii locaturos. Quale fuit fere inſtitutum Anglorum Regis ſupra commemoratum. Atque etiam illud jam tum liquidum eſt quodammodo, ubi multis domi obſtiterit res anguſtior, quam quæ ad amplioris commercii exercitium ſatis ſit, aut ſi nolint uni navigio, locupletiores quantumvis, nimiam pecuniarum ſummam ſinguli credere, poſſe illos ſocietate aliqua inſtituta, (ſive illa ſit amplior, quales ſupra ſocietates deſcripſimus, ſ. inter certarum duntaxat conductarum ab navarcho (*dem Schiffsherrn*) navium onera ſuſtinenda capiendasque ex iisdem utilitates conſiſtat eadem (*wan viele Reder zuſammen ein Schiff befrachten und ein jedweder ſein eigen Schiffspart hat*) collatisque in unum pecuniis, pro ſuarum quemlibet facultatum modulo, (aut voluntate) quæ ad juſtam aliquam amplitudinem ſinguli exercere non poterant aut nolebant, junctim univerſos commercia proſequi, ſaltem, donec continuatis illis diutius abundantior unicuique cumulus divitiarum accreverit, ut, quos primum ſuſtinere nequiverant, iis ſeſe poſtmodum pares ſumtibus pauperiores olim ſentiant ſinguli. Nam ut ultra quidem facultatum ſuarum vires mercaturam aliquis, præſertim maritimam, proſequatur, nolim auctor fieri. Quod, nec imprudenter, prohibitum eſt legibus ſuedicis cap. 33. §. 9. de jure mercandi, uti refert Loccenius. Quocirca & ab nobilibus, quin ab ipſa republica ſupremisque principibus per exercitores ampliorem illam mercaturam inſtitui quam rectiſſime poſſe, cujus ſumtibus plebejorum privatorumve hominum peculiolæ non ſufficiant, itidem jam ex ante dictis perſpicuum eſt. Poſſunt etiam tum ad cæterorum inſtar, quæ publica ſunt, navibus onerariis in mercatorum uſus locatis, quod Athenienſium reipublicæ ſuaſit Xenophon in de redit. tum ſuppeditatis majoribus pecuniarum ſummis ope publica ſublevari maris commercia, ut in Hollandia non ſolum XVI. navibus bellicis, quatuorque celocibus (*Jachten*) verum & cc. inſuper aureorum CIↃ ſuccurrendum ſocietati occidentali indicæ in exemplo conferendi in illam ſocietatem privilegii, qui id proponebant, auctores facti ordinibus.

LXXI. Inprimis, quum & facultates ampliſſimas poſtulet mercatura maritima & paratam plerumque pecuniam, quæ nec opulentioribus forſan mercatoribus ſemper ex domeſtica copia ad commerciorum amplos uſus in promtu eſt, opitulari poſſunt huic inopiæ, qui pollentes divitiis promtas ex arcis ſuis opes ad maritimi commercii amplitudinem ſuggerunt mercatoribus, quamvis citra quidem uſuras illud fieri, neque mores humani ingenii, neque plerorumque conditio, patiatur. Ipſum fœnoris equidem exercitium claris veteris teſtamenti legibus interdictum genti iſraeliticæ e XXII. Exod. 25. XIX. Levit. 14. XXV. 37. XXIII. Deuter. 19. liquet affatim, quas in ſexto de N. & G. jure fuſius perſecutus eſt Jo. Seldenus: neque minor fere novi forſitan fœderis ſanctimonia eſt aut naſcentis primum fuit eccleſiæ. Verum ſecus habet fœnoris trapezitici ratio, quod ab nummulariis aut quibuscunque tandem opulentioribus in commercii amplitudinem inſtituitur. Etenim quum, ut uberioris lucri inſtrumenta, pecuniæ ſumi ſoleant a mercatoribus, quæ iisdem mutuo concreduntur, cur gratuitus eſſe quæſtus mutuo capientis pecunias debeat, oſtendi

 non

non poteſt. Quin haud parum æquitati abſonum videatur, cujus pecuniarum ſubſidio opes ſuas negotiator amplificet, omni prorſus lucri parte excludi: arcetur præterea a quæſtu creditor, quem in geminos diverſosve uſus, ſuos tamen, verſa pecunia potuiſſet conſequi. Igitur recte Grotius lib. 2. de jure belli & pacis c. 12. n. 22. *Leges*, inquit, *humanæ, quæ concedunt aliquid ſtipulari pro uſu pecuniæ, ut apud Hollandos jam pridem conceſſum eſt, aliis quidem octo nummos in centum, mercatoribus autem duodecim pro uſu annali exigere, ſi quidem vere ſtant intra compenſationem ejus, quod abeſt, aut abeſſe poteſt, non pugnant cum naturali aut divino jure: ſin eum modum excedunt, impunitatem præſtare poſſunt, jus dare non poſſunt.* Quod ſi ergo neque ab naturali jure neque ab divinis legibus abſonæ ſunt uſuræ, quæ pro creditis in commerciorum neceſſarios uſus pecuniis in compenſationem beneficii exiguntur, non modo admittendos in republica noſtra argentarios placet, honeſtos viros, minimeque tales, quales daniſtas adſert Plautus in Moſtellaria aut Antiphanes in Miſoponero; ſed & providendum omnino commerciis, ne deficiatur nummulariis illis civitas, quos deinde cum alias, tum inprimis proxenetarum opera (qui *Mecklers* Germanis audiunt) ipſis conciliari licet mercatoribus, dummodo illud una caveatur, ne quis gravis negotiatoribus uſurarum modus premat commercia. Quam in partem mores hollandicos laudat auctor libri, qui de eo conſcriptus eſt, quod expediat Hollandiæ, ſexto capite, quo in illis explicandis intentus, quæ ad opportunitates mercaturæ hollandicæ faciant, moderatum fœnoris uſum poſuit quarto loco: Zum vierten iſt für die Holländiſche Kauffmannſchafft ein ſehr groſſer Vortheil, daſs die Gelder allda gegen vierthalb, ja wol gar gegen drey von hundert des Jahrs, ohn einig Pfand, auch den Kauffleuten gegeben werden, und indem in andern Ländern, von ſolchen Geldern dafür dannoch liegende Güter verbunden und verpfändet ſeyn, ein merckliches mehr gegeben wird, ſo entſtehet hieraus, daſs, weil die Holländer überall mit bahrem Geld einkauffen, und auff Borg verkauffen, (welches von keiner andern Nation nachgethan werden kan) ſolches eine der meiſten Urſachen iſt, durch welche die Holländer mehrentheils alle Kauffmannſchaff[t] andern entzogen haben. Quanquam quod ad modum adeo fœnoris attinet, quum pro lucri ratione conſtituendus ſit maxime, certum eum fixumque legibus definiri vix licuerit. Cujus rei etiam exemplum eſt id, quod attuli, ſemitrientes duntaxat quadrantesve uſuras paſſim in Hollandia exigi, quum vel integrum uſurarium aſſem exerceri in mercatores ibidem leges permiſerint. Sufficit ergo fortaſſis, dari quidem aliquem, quod fieri ejus liceat, modum fœnori trapezitico, immutandum tamen eundem ipſis relinqui maxime contrahentibus; etſi illud ante omnia providendum, ne exhauſti nimio uſurarum onere mercatores prorſus fiant exercendis commerciis inidonei, quorum ample inſtituendorum cauſſa uſurariam ab menſariis pecuniam ſumſerint.

LXXII. Ne quo autem ſalutari argentariorum ſubſidio civitas deſtituta ſit, ita quam facillime conſequemur, ubi de certa ſolutione debiti legum inſtituta ſalubria creditores reddent quam ſecuriſſimos. Deſuturos enim illos non arbitror, quoad crediti tum ſortem ipſam, tum uſuras etiam ſalvas ſibi futuras ſperaverint. Quæſtum namque & ſecuritatem crediti reſpiciunt maxime. Proinde ne credituros quidem facile inopi opulentos, obſervavit Plutarchus περὶ τοῦ μὴ δανείζ. verum illis potius locaturos pecuniam, qui parare ſibi copiam quandam cupiant, ſponſoremve aut teſtem daturi ſint, ſe eos fore, quibus tuto concedi mutuum queat: & apud Romanos Appius Claudius, obniſurus M. Valerio ad condonanda plebi debita cohortato, omne eo abruptum iri commercium arbitratus eſt, quod ad nullos amplius uſus ſuffecturi eſſent pecuniam opulenti inopibus, ſi fraudandos illa ſe ſenſuri forent, etiamſi, inquit Dionyſ. Halic. l. 5. c. 75. *ii, qui creditis fraudentur, nihil plane indigeantur, ſed leniter & indulgenter damna ſua perferant, ne ſic quidem honeſtum fore aut tutum patribus, ita gratificari inopibus, ut e vita tollantur contractus & commercia, pro quibus ſuccedat inhumanitas & rerum neceſſariarum, ſine quibus incoli urbes nequeunt, penuria, dum nec coloni in agris ſerant & plantent, nec nautæ mare navigent, aut negotiatores transmarinos commeatus ſubvehant, nec alii juſtis laboribus vacent pauperes: in omnia enim hæc, quoties opus fuerit, neminem divitum impenſurum ſuas pecunias.* Igitur danda eſt opera, ne exſtincta creditores inter ac debitores fide, minus expedita reddatur credendi ratio, neu deficientibus, qui maritimi commercii exercitio impenſas ſuppeditent, curſus ipſe commercii interrumpatur. Eſſe autem fides non poteſt, niſi erit neceſſaria ſolutio rerum creditarum. Quare opus arbitror maxime ſalutari legum acrimonia, quæ & ad ſolutionis neceſſitatem debitores conſtringat; & quum foro (culpa ſane ſua dolove) ceſſerint, coerceat graviter; quo ſpe fraudandorum creditorum ſublata & ſolvendi neceſſitas, & frugaliter vivendi ratio conſequatur. Ita veteres Romanos cum in aliis negotiorum contractibus, tum in pecuniæ mutuaticæ uſu atque commercio fidem maxime ſanxiſſe refert apud A. Gellium l. 20. c. 1. Sextus Cæcilius. Pluraque paſſim hanc in partem apud alias gentes itidem inſtituta exſtant egregie. Quorum geminam obſervantiam & in Gallia ſua deſideravit Bodinus in reſponſ. ad parad. Maleſtr. p. 28. ſancitam, ſevera quidem, at in publicum ſalutari lege, ab Henrico IV. anno hujus ſeculi IX. quam in XVI. Comment. affert Rod. Botoreus lectu digniſſimam. Nec abſimilem in Hollandia legum acerbitatem ſuaſit auctor libri de eo, quod Hollandiæ interſit, conſcripti c. 25. *In allem Fall ſolten boſshafftige* debitores *mit Weib und mündigen Kindern durch gemeine* Autoritet *ergriffen und in ein gemeines Werck-Hauſs gethan und angehalten werden, alda ihre Koſt zu verdienen. Ia wan ſelber des Principalen* Debitoris *Boſsheit alſo beſchaffen wäre, ſolte man denſelbigen nicht weniger als einen Hauſsbrechigen Dieb an einen Galgen hencken und keinerley wege zulaſſen, daſs dieſelbige Banquerottirer alhie Hauſshæbig bleiben und auff andere Namen ihre Kauffmanſchafft treiben und continuiren.* Ita hanſiatico ſane jure petulans decoctor aut defraudator fugiti-

Digitized by Google

fugitivus per aliquot horas in loco publico delinquentium conſtrictus æneis vinculis ſiſtendus ſpectaculo eſt per rec. an. 491. pœna affligendus ſuſpendii, ſi ad liquidum dolus queat perduci, ex receſſ. anno 1545. Cæterum ipſa varia diverſarum gentium inſtituta circa foro cedentium fraudatorum pœnas, quos *Ruptores Bancæ* vulgus conſuevit dicere, in de jure commerc. ſingul lib. 4. cap. 10. fuſe perſecutus eſt Joan. Marquardus: cui jungi poſſunt, quæ ad 1. artic. Tit 3. lib 1. jur. Lubec. attulit David Mævius. Danda vero non ſolum eſt opera, ut ſalubri commerciis acerbitate pœnarum in frandatores legum ratio conſulat, ſed enitendum erit potiſſimum, ut & vim ſuam teneant, ſi quæ legibus inſtituta ſint ſalutariter. Quid enim intereſt, utrum ſancitas præclare leges non habeas, an egregie conſtitutas illas vis omnis auctoritasque deficiat? Quare placent, quæ in dicto capite his, quæ modo produxi, annectit auctor libelli, qui ſalutis hollandicæ fundamenta examinat, prolixiora tamen, quam ut integra hic tranſcribam. Maximeque velim & cum vicinis civitatibus pactis illud conſtitui, ne quod apud iſtas fugitivis debitoribus receptaculum præbeatur: ut in commerciorum fœdere londinenſi Anglos inter gentemque burgundicam cautum eſt anno ſeculi XV. nonageſimo quincto, fœderis capite 7. & 20.

LXXIII. Neque eſt, cur atrociores pœnas illas quispiam arbitretur, quibus, quidquid ſuper in bonis eſt fraudatorum, publice in creditorum uſum divenditur, corporave ſervituti aut vinculis, imo ipſi quandoque ſupplicio fiunt obnoxia. Nam de illis, ut liquet, ſermo eſt, qui vel ipſo fraudandi animo uſurariam ſumſere pecuniam, vel ſaltem ſua ſibi culpa pepererunt exitium, quales apud Romanos ſcite adumbravit Juvenalis 1. Sat. XI.

Hi plerumque gradus: conducta pecunia Romæ,
Et coram dominis conſumitur: inde ubi paulum
Neſcio quid ſupereſt & pallet fœnoris auctor,
Qui vertere ſolum, Bajas & ad Oſtia currunt.
Cedere namque foro jam non tibi deterius, quam
Esquilias a ferventi migrare Suburra.
Sanguinis in facie non hæret gutta: morantur
Pauci ridiculum & fugientem ex urbe pudorem.

Quos ne plures invehat reipublicæ frequens adeo in emporiis & cum quærendi ſtudio juncta fere prodigendi facilitas, poteſt etiam latis legibus ſumtuariis, delectisque cenſoribus, viris optimis, modus profundendæ pecuniæ pro cujusque facultatibus definiri. Quod Corinthi factum, præclariſſimo inſtituto, auctor eſt Diphilus in Mercatore. Vid. Athen. Diphnoſ. lib. 6.

Τοῦτο νόμιμον ἐςὶ βέλτιςʼ ἐνθάδε
Κορινθίοις, ἵνʼ ἐάν τιν᾽ ὀψωνοῦντʼ ἀεὶ
Λαμπρῶς ὁρῶμεν, τοῦτον ἀνακρίνειν, πόθεν
Ζῇ, καὶ τί ποιῶν. κἂν μὲν οὐσίαν ἔχῃ
Ἧς αἱ πρόσοδοι λύουσι τ᾽ ἀναλώματα
Ἐᾶν ἀπολαύειν ἤδη τοῦτον τὸν βίον.
Ἐὰν δ᾽ ὑπὲρ τὴν οὐσίαν δαπανῶν τύχῃ,
Ἀπεῖπον αὐτῷ τοῦτο μὴ ποιεῖν ἔτι.
Ὃς ἂν δὲ μὴ πείθητ᾽, ἐπέβαλον ζημίαν.
Ἐὰν δὲ μηδ᾽ ὁτιοῦν ἔχων ζῇ πολυτελῶς,
Τῷ δημίῳ παρέδωκαν αὐτόν.

Talis iſtic lex eſt, ô vir optime,
Corinthiis: ſi quem obſonantem ſemper
Splendidius adſpexerint, illum ut interrogent,
Unde vivat, quidnam agat: quod ſi facultates illi ſint,
Quarum ad eum ſumtum reditus ſufficiat,
Eo vitæ luxu permittunt frui:
Sin amplius impendat, quam pro re ſua,
Ne id porro faciat, interdicitur.
Si non pareat, multa quidem plectitur.
Si ſumtuoſe vivit, qui nihil prorſus habet,
Traditur puniendus carnifici.

Sic Athenis duos tresve ſenatorii ordinis viros magna auctoritate conſpicuos opſoniorum diſpenſatores creari ſolitos refert Sophilus in Androcle. Apud Venetos hodienum *Li Signori ſopra le pompe* immoderato veſtium, epularum ac domeſticæ ſuppellectilis ſumtui coërcendo præfecti ſunt. Jo. Cotov. ſynopſ. reipublicæ Ven. cap. 14. Amelot. Houſſay p. 365. dans l' hiſtoire du gouvernem. de Veniſe. Verum, ne quid diſſimulem, ſaltem in amplioribus civitatibus, multum hæc res habet difficultatis, ut, quod ſupra monui, præſtet interdum omittere prævalida & adulta vitia, quam, ut latæ optimo inſtituto leges mox oblivione, aut, quod flagitioſius eſt, contemtu abolitæ ſecuriorem luxum faciant. Nam ſi velis, quod nondum vetitum eſt, timeas, ne vetere: at ſi prohibita impune tranſcenderis, neque metus ultra neque pudor eſt. Quo ſalubriorem profecto hactenus inculcatam in aſotos illos nepotes non ſuarum duntaxat, ſed & alienarum imprimis opum improbos decoctores vindicem pœnæ ſeveritatem fore perſpicuum eſt, optimum reprimendæ profuſionis atque inducendæ frugalitatis medium. Quippe ne corporis quidem morbos veteres & diu auctos, niſi per dura & aſpera coërceas: corruptus ſimul & corruptor,

æger

æger & flagrans animus haud levioribus remediis reſtinguendus eſt, quam libidinibus ardeſcit.

LXXIV. Interim quum eorum, qui maritimæ mercaturæ navant operam, anceps illa conditio ſit, ut fortunæ adverſitatibus ad pauperiem quam facilime queant redigi, aliam rationem eſſe illorum velim, quos in egeſtatis miſerias fors adverſa provolvit. Quamvis enim, quoad fieri ejus liceat, certe ne in iis quidem creditorum ſecuritati non ſit maximopere providendum, erit tamen cum ad favorem commercii, tum ad chriſtianæ caritatis regulam multo ſane præclarius interpoſitis pactionibus mitigare ſummi juris aſperitatem, neque omnibus prorſus bonis eos expellere, quos jam magna ſatis illorum parte iniquioris fortunæ ſpoliavit acerbitas. Quare apud Venetos *Li Sopraconſoli*, quibus de mercatorum creditoribus forove cedentium cauſſis demandata cognitio eſt, procurandis creditorum inter ſe invicem nexorumque præſunt transactionibus. Conf. Jo. Cotov. Synopſ. reipubl. Ven. cap. 14. Apud fœderatos Belgas crebra obæratis ſuffugia Culenburgum, Viana, Bura, Lerdamum, Iſelſtadium atque Amelandia inſula præbent, aſylorum donata jure: verum eo magis ancipite privilegio, quod non dignis ſolum, ſed & peſſima perfidorum quandoque transfugarum colluvie repleantur. Melius in majoribus civitatibus, quo neque nummulariis beneficium ſuum fraudi ſit, neque mercatores adverſæ ſortis preſſos calamitatibus ad extrema prorſus præcipitet, quod in utilitatem commercii factum eſt, munera illa, quæ nec inhoneſta, nec infrugifera ab largitione magiſtratuum pendere ſolent, (*Verlehnungen* Germani vocant) miſeris illis atque dignis miſericordia mercatoribus, quibus præter ſuam adeo culpam foro cedendi neceſſitatem fortuna impoſuit, bonis inter creditores diſtributis, magiſtratuum ſalutari beneficio concederentur.

LXXV. Faceret etiam ad ſecuritatem crediti, modo minori lucro eſſe contenti mallent privati homines, exilibus uſuris ipſi reipublicæ concredi pecunias, & ab ea denique mercatoribus elocari uſuris gravioribus. Cujus generis menſa illa argentaria Genuenſium eſt; quæ in domo S. Georgii conſtituta recipit adferentium pecunias trientibus aut ad ſummum ſemiſſibus uſuris, easdemque ad rationem unius denarii in XII. vel XV. cum principibus, tum vero & mercatoribus fœneratur. Quam quidem rationem & magnitudinis & opulentiæ ejus civitatis putat Bodinus in reſponſione ad Maleſtrettum p. 20. & lib. 6. c. 2. de republ. plurimumque illam tum publice tum privatim allaturam utilitatis. Et certe apud Genuenſes, citra ullum ſortis periculum quincunces uſuras georgiano collegio privati maluerunt credere, quam privatis itidem hominibus aliis, qui vel foro cederent ſæpius, vel fortunæ adverſitatibus preſſi graviorem opum jacturam pati poſſent; compenſante uſurarum tenuitatem fide publica, neque dilata in longum ſolutione. Unum illud carpſerim, nimium forſan graves ab negotiatoribus uſuras publica auctoritate exactas, ut quæ vel ad XV. in centenos exegerit.

LXXVI. Ad ipſorum vero negotiantium tum ſecuritatem, inprimisque ut monetæ etiam ſua ratio conſtet, neve, illius vi pro cujusque arbitrio variata, incerta pecuniarum evadat conditio, tum & commoditatem, quod ad qualescunque commerciorum uſus parata inſtructi eſſe pecunia debeant, multum intereſt, dari locum auctoritate publica, magiſtratu fidejuſſore, munitum, in quo graviores pecuniarum ſummas depoſitas, ubi commerciorum uſus id flagitet, citra ullam moram recipere, aliove & vel in remotiſſimas regiones etiam publici collybi beneficio transfundere, aut, ubi invectarum ab aliis mercium copiam coemi collibuerit, tantum per ſcribas publicos, qui in illud modicis impenſis alantur, liceat exiemplo in venditores transſcribere. Quod in Italia inprimis Venetiis, in Hollandia Amſtelodami, in Zelandia Middelburgi, in Germania Hamburgi cum inſigni fructu commercii ſaluberrime obtinet, conſtituto publico depoſitarum pecuniarum receptaculo, cui *Banco* vulgatum nomen eſt, curatoribus viris graviſſimis, quos ex ſenatorio lectos ordine *Commiſſariſſen van de Wiſſelbanck* Amſtelodamenſes nuncupant. Certe collocata in principalibus commercii hollandici conſervandi mediis menſa illa argentaria eſt, cujus ope per univerſum terrarum orbem collybos ſuos (*cambia* vulgus vocat) Amſtelodamum diſtribuit, præter illos, qui in privatorum hominum numero ex collybis quæſtum habent. Sed de ipſorum mercatorum & numero & facultatibus, tum de facilime eas in promtu habendi modo, ſatis hactenus dictum eſt.

LXXVII. VENIO NUNC AD alterum, quod ad commerciorum amplitudinem requiſitum in convenienti mercium optimarum poſui adfluentia. Neque enim vero quavis mercium abundantia ea amplitudo conciliari poteſt commerciis, quam ad copioſiſſimam illam mercaturam maritimam nunc requirimus, verum illa duntaxat, quæ & ipſa adfluentiſſima eſt, & earum inprimis mercium, quæ facilime expetuntur, id eſt, quarum exquiſita eſt bonitas. Ex quo illud efficitur, ut cum ad invitandam multitudinem mercatorum, tum ad quæſtuoſiorem promptioremque diſtractionem, quam quidem unicam juſtæ mercium abundantiæ menſuram conſtituo, ipſa illa non quarumvis, verum optimarum mercium copia, conferat longe plurimum. Nam neque importandis iisdem exportandisve deerunt facile mercatores, ut quorum lucroſam ſibi diſtractionem ſpe certiori quadam promiſerint, neque etiam non quæſtuoſior eſſe reapſe poteſt eorum diſtractio, quæ emtorum majorem numerum inſigniori quadam bonitate ſua alliciant. Quare danda ſane eſt opera, ut & copioſa mercium abundantia civitas adfluat, & earum mercium abundantia, quæ lucroſam pariter atque expeditam diſtractionem concilient. Quæ quum univerſim duplicis fere generis ſint, (nam aut naturæ eas producit fœcunditas, aut ab humana induſtria accipiunt plurimum) de utriſque videamus.

LXXVIII. IN HIS, quæ ab naturali fœcunditate gignuntur, ſive ſint in fructuum numero, ſive animalia ſint, aut ex animalibus capi queant, ſive in metallis atque lapidibus, & quæ illis ſimilia, liberalior ubertas quædam eniteat, ſuam certe cujusque regionis naturam poſſe plurimum & jam antea innui & res ipſa proloquitur: igitur neque illud in dubio, multo ab his regionibus quæſtuoſius proſequendi commercia ab natura ipſa copiam ſuggeri. Erit vero ad commercii amplitudinem eo naturalis illa abundantia opportunior, quo vel ſola magis aliqua regio, vel præſtantia excellentiori, quam in aliis quidem terræ tractibus fiat, certi generis mercimonia ſingulari quadam felicitate progeneret. Quæ ſi civitati cuidam contigerit, illud ante omnia intelligendum eſt, neutiquam, quæ ſunt ejus generis, negligenda eſſe, quum nec ager, quamvis fertilis, ſine cultura eſſe poſſit fructuoſus, ſed humanam nihilo ſecius curaturam atque fomentum ita debere accedere, ut ipſius naturæ illis adjnta fertilitas proventus proferat eo copioſiores. Quamobrem, quod ad agrorum culturam attinet, ſive reſtibiles illi ſint, ſive compaſcui; ſive item ψιλὴ agricultura ſit, ſive *πεφυτευμένη*, ſi quidem uberiorem aliquam copiam utiliorum mercium & inſignem adeo opportunitatem commerciis augens naturalem fœcunditatem induſtria humana ſpoponderit, juvabit ſane, ut reliquorum, qui ad mercaturæ faciunt amplitudinem, ita & agricolarum illam induſtriam, cæterorumque, quorum in terræ proventibus adaugendis opera naturæ benignitati poſſit ſuccurrere, excitari etiam privilegiis, ſeduloque eniti, ne quid eorundem penuria detrimenti mercium exquiſitæ abundantiæ adferatur. Haud propenſior facile alibi, quam in Fœderata Belgica, in agricolas favor; ubi nec ſervitutem aliquam debent terrarum dominis, neque quidpiam iisdem acquirunt, opum ſuarum poſſeſſores ſecuri, quas laboribus ac induſtria nacti ſunt, ut reperire in illis liceat, qui agrorum ſuorum numero aliarum provinciarum etiam nobiles ſuperent, filiasque dotent viris gentilitia nobilitate conſpicuis. In Friſia univerſa ut & Omlandia neque a publicis comitiis arceri ſolent, dummodo, quantum legibus definitum eſt, agrorum poſſideant. In cæteris provinciis aſſeſſores judicii agrarii ſunt atque judicum (*Scabinorum* vulgo) gaudent nomine. Magnus agricolarum & apud Suedos honor. Quamvis geminæ quidem paſſim dignationis eſſe id genus hominum minime forſan opus ſit, utut ſuis privilegiis illos frui non videri nequeat conſentaneum. Quibus neque vel piſcatores, quorum itidem juſtæ copiæ expers eſſe civitas nequit, quæ in mercimoniis ſuis etiam maris proventibus utitur, vel metalli foſſores, aut quicunque tandem ab natura prolatas opes humanis exponunt uſibus, carendum prorſus exiſtimem. Quod ſi certis mercibus, ab natura proficiſcentibus, ſola quædam civitas abundaverit, uti poteſt earum monopolio velut ab natura ipſa conceſſo. Cujus generis fuit, quod ab Liparæis quondam exercitum in alumine auctor eſt Diodorus L. V. c. X. quippe, quum id nullibi terrarum tunc provenerit, uſu tamen ejus ſatis deſiderato, non ab re ſibi monopolium Liparæos ſumſiſſe, adauctoque inſigniter pretio quæſtus inde incredibiles percepiſſe. Ita halecum, quorum a Scarborouch usque ad Thameſis oſtium captura uberrima eſt, Angli fortaſſis vendicare ſibi potuiſſent aliquod monopolium: niſi, honore piſcandi ſibi reſervato, utilitatem Hollandis quaſi per deſidiam reſignaſſent, quorum ex ſalitis illis ſumigatisque nunc uberrimus quæſtus eſt.

LXXIX. Impeditior aliquanto commerciorum ratio eſt, ubi in largiendo opportunam mercium copiam minus facilem ſe natura præbet. Tamen Ovid. de Ponto L. 4. El. 4.

Nec ſterilis locus ullus ita eſt, ut non ſit in illo
Miſta fere duris utilis herba rubis,

ut, quo deſtitutum eſt, unum genus mercium abunde alterius adfluentia compenſetur. Atque poſſunt etiam plurima exquiſitiori cultura corrigi: ut in Hollandia exſiccatis molendinorum ope locis paluſtribus multum malignitati naturæ ſuccurſum eſt. Imo nec de fœcunditate ſterilitateve regionis cujuspiam recte aliquis ſæpius judicaverit, niſi cultura prius adhibita: quæ inſignem eam ſterili quondam Ruſſiæ frumentorum copiam, Hollandis auctoribus, peperit, quam frequenti eorundem commercio exportandam hodie ſuggerit Pluribus id locis experientia conſtitit, quæ quum infœcunda paſſim fuerant credita, poſtquam cura acceſſit, ſatis ubertatis habuiſſe compertum fuit. Ne jam pluribus illud tangam, etiam ad uberrimam illam abundantiam provenire nonnunquam in externis regionibus poſſe, quæ domeſtica aliis quondam populis fuerint, ut inſignem etiam copiam exportandarum mercium ſuppeditare queant. Quod in America factum conſtat copioſiſſimis illis, quorum ſupra memini, animalium europæorum proventibus, ut in celeberrimis Americæ coriorum commercium ſit, auctoremque habeam Joſephum Acoſtam hiſtor. natur. occid. Ind. lib. 4. cap. 38. uno anno octogeſimo ſeptimo præteriti ſeculi e Dominici inſula 35440, ex nova Hiſpania 64350. bovinarum pellium in Hiſpaniam transvecta; quippe, quum in ſumma bovium abundantia haud perinde ad victus copiam, quam ad commerciorum quæſtus illi mactentur. Quid quod in compluribus mercimoniis ipſa bonitatis earum ratio diverſimode differat, diverſaque in diverſis terris, ſatis tamen commendatrici, qualitate conſpicuæ ſint? qualem in vinis differentiam obſervavit Virgilius in Georgicis lib. 2. v. 91 & ſeqq. ut, quam aliis terræ partibus ubertatem invideat, cauſſam noſtra civitas vix habuerit. Quod ſi regionem aliquam naturalis illa fœcunditas usque eo defecerit, ut neque diligentiori quavis cultura emendari ſterilitatem ſuam in compluribus patiatur, tenebit tamen eum commerciorum curſum, quem poterit, iis mercimoniis, quibus adfluit maxime.

LXXX. Tum vero & ſuccurri huic egeſtati volumus, quæ vel ab naturæ aliqua inclementia, vel a minori ſaltem proventu mercium proficiſcitur, quam quæ ad commerciorum amplitu-

dinem ſatis ſit, ea aliunde apportandarum mercium abundantia, quæ non tuæ ſolum civitatis expleat deſiderium, ſed & amplius communicari queat cum exteris; ut, quæ apud alios producuntur, ſibi quodammodo vendicans aliena fertilitate ſui ſoli ſterilitatem abunde reſarciat. Quod quum ex ipſius commercii ratione procedat potiſſimum, (poteſt enim etiam citra mercaturam, connivente permittenteve populo quodam extero, quædam copia mercimoniorum acquiri, velut quæ ex captura provenit maris exteri piſcium) eo quidem erit in maritima mercatura factu illud proclivius, quo per illam facilior ex compluribus & vel remotiſſimis terræ tractibus optimas quasque merces advehendi patet occaſio. Cujus rei locupletiſſimum documentum vel in unis Batavis eſt, quorum longe lateque diffuſas navigationes ſplendide quarto hiſtoriarum libro perſtrinxit Grotius, ex quo illa adferre libuit: *Ipſis non frumenti, non ullius rei magna copia. Vectura tantum in quæſtu, quæque artificum manibus laborantur. Poſtquam manifeſto Dei beneficio aperta magnetis efficacia rexit pelagi curſus, & librorum monumenta docuere veteribus cognita requirere, nova non deſperare, nihil jam humanæ experientiæ intentatum. Extima Africæ & Aſiæ Luſitanus: trans Oceanum littara ac vere alterum Orbem Caſtellanus invenit. Gallorum minus validi conatus, poſt tentatam infeliciter Braſiliam, ac terram novam, piſcoſum littus, nec ultra ferax, adhæſere. Viſum & fretum & terræ, quas ultimus auſter premit, primo omnium Magellano: ſecuti mox Angli, quibus ſeptemtrionales fluctus in partem patuerunt. Poſt omnes Batavi, quos non dubie hactenus Principum iniquitas oppreſſerat, ut qui fortem nec oblitum libertatis ſuæ populum trepide mari immitterent, jam invidi hoſtibus, ſociorum æmuli, animum audentiamque ceperunt, ut repertis in medium uterentur, ſuosque viciſſim labores humano generi contribuerent & rerum naturæ, quæ noſcendam ſe in hæc ſecula ſervavit.* Scite adfluentiſſimam exterorum proventuum abundantiam apud inopes domeſticarum opum Hollandos adumbrant elegantiſſimi verſus Joſephi Scaligeri ad Janum Douſam de admirandis Bataviæ, quos ab Daniele Heinſio pari felicitate expreſſos etiam germanica lingua venuſtiſſimos exhibet in variorum epigrammatum florilegio Martinus Opitius:

Ignorata tuæ referam miracula terræ,
Douſa, peregrinis non habitura fidem.
Omnia lanitium hic laſſat, textrina Minervæ;
Lanigeros tamen hinc ſcimus abeſſe greges.
Non capiunt operas fabriles oppida veſtra;
Nulla fabris tamen hæc ligna miniſtrat humus.
Horrea triticeæ rumpunt hic frugis acervi;
Paſcuus hic tamen eſt, non Cerealis ager.
Hic numeroſa meri ſtipantur dolia cellis;
Quæ vineta colat, nulla putator habet.
Hic nulla aut certe ſeges eſt rariſſima lini;
Linifici tamen eſt copia major ubi?
Hic mediis habitatur aquis; quis credere poſſit?
Et tamen hic nullæ, Douſa, bibuntur aquæ.

De opimis aromatum in Moluccis inſulis proventibus, Genuenſium quondam & inprimis Venetæ gentis, inde Ulyſſiponenſium & Luſitaniæ, Batavorum ad ultimum velut propriis poſſeſſione commercii redditis, legi pretium operæ eſt, quæ in XV. hiſtor. attulit magnus Grotius. Add. Jo. Boter. de orig. urb. lib. 2. c. 8. Sed contineo me ab exemplis, ne illis utar in re manifeſta non neceſſariis. Quare poteſt ſane, utut congruam commerciorum amplitudini mercium optimarum copiam noſtra regio non producat, nihilominus importatione maritima (quamvis neque mediterraneam hic excluſerim) ea mercimoniorum adfluentia obtineri, quæ ad copioſioris commercii amplitudinem exportanda requiritur.

LXXXI. Forte tamen & in iſtis multum ſitus locorumque naturalis opportunitas valet. Quid ſi enim propiori ab opimis regionibus intervallo tuas, quam ab aliis populis habitatas terras, arctiori ſpatio interfuſum mare ſejunxerit aut minoribus navigandi ſaltem difficultatibus illud expoſitum ſit? nonne difficiliorem conſequendi ab externis nationibus noſtræ indigentiæ ſubſidii eam rationem arbitremur, qua longiori multum itinere ac majoribus inde difficultatibus peti mercimoniorum copia abundantior debeat? Nam & eo minori impendio confici poterit navigatio, quo futura illa eſt brevior, & celeriori itinere in regiones procul perinde non diſſitas ipſum commercium efficietur frequentius. Sed & merces quandoque longiori intervallo itineris corrumpi unum illud exemplo ſit, quod ab cive quodam amſtelodamenſi eodemque expertiſſimo Chemico, & qui mercaturam in Indiam exercuerit, relatum ſibi in de infido experimentorum ſucceſſu memorat Robertus Boyleus p. 58. maximam cinnamomi & cariophyllorum partem, quæ ad occidentales plagas deferrentur, vi ſubtiliori aromaticorum ſpirituum ante orbari in India, quam in Europam transmittantur. Eſtne igitur tenus eo ab humanis remota viribus ſitus ea locorumque ab natura matre profluens opportunitas, ut inveſtigari illa compararive ullis artibus nequeat? Non omnino abnuerim, poſſe quandoque fieri. Verum in eorum numero eſt, quæ quum niſi immenſa opera queant perfici aut ingentibus circumſepta plerumque difficultatibus ſint, ſolent quam ſæpiſſime arduis operoſioris induſtriæ conatibus etiam cum ingenti jactura pecuniarum illudere. Quænam Holſatorum Ducis intentio fuerit, ante annos circiter L. orientale commercium per vaſta Ruſſiæ ad Holſatos ſuos transferre conati, ampla illa argumento fuit legatio, quam in Perſidem deſtinavit maximis ſumtibus, ſed qui fruſtra profuſi una

cum

cum præclaris conatibus ſereniſſimi Principis ceciderunt ad irritum. Maxime res in celeberrimis illis navigationibus patuit, quibus ſuperiori ſeculo maritimarum artium principes Batavi ſeptemtrionem ſuum fruſtra adgreſſi ſunt. Spes enim proceres ac mercatores inceſſerat, poſſe ditiſſimum Cathajæ regnum & Sinas, longiusque Moluccas & Indiam, propiore multo, quam ab Hiſpanis itinere inviſi, poſtquam jam tum antea circumdato orbe navigabili poſt Hiſpanos & Luſitanos Angli per Hugonem Villougbeum & Ricardum Chancelorum iter plus bis mille milliaribus brevius repererant. Neque fauſtior fuit navigationis eventus, quæ ex altero Aquilonis latere Anglos maxime illuſtravit, curſu ad Americæ littora atque novæ Franciæ terras occidentem verſus directo, viam reperturos, qua a tergo in Sinarum locupletiſſima regna Moluccasque inſulas pervenirent, Ex quibus illud ſaltem ignorari non poteſt, ſi quam forte opportuniorem viam commerciis navigationum labor ſpoponderit, illud ante omnia æſtimandum, quibus ille difficultatibus ſit obnoxius. Nam profuſis nequicquam ſumtibus illud periclitari, quod humanam omnem induſtriam ſuperet, deſperatæ temeritatis eſt. Quod in illos porro conatus transferri debet, quibus ob eandem, quam dixi, cauſſam terræ anguſtiores tractus mari fluminibusve conterminos placiturum ſit perfodi, derivandosve fluvios propiori in vicinos amnes atque ipſum Oceanum via, quorum infra pluribus fiet mentio.

LXXXII. Si qua autem deſtituta opportunitatibus illis civitas, quas nec ipſius terræ ſitus impertiat, neque ſupplere queat correctura naturales defectus accedens induſtria, minus forſitan commode eam exterarum mercium abundantiam conſequatur, quam ad mercaturæ amplitudinem nunc requirimus, rurſus itidem in commerciis teneat curſum illum, quem poterit. Et vero, uti promtior illis in fœcundiores provincias pateat navigatio, quos arctiori intervallo interfuſum mare diſcreverit; quum tamen niſi pactis intervenientibus aut uberioribus privilegiis monopolium ſibi in extrancis mercibus ampliora ve in iisdem exportandis jura vendicare nequeat populus, quantumvis vicinior, quæ cum remotioribus æque conſtitui impertirive eis æque ac finitimis queunt, quo minus easdem merces exoticas populi etiam longius diſſiti, quamvis longinquiorum navigationum circuitu, petant, ſuæ ſaltem aut vicinioribus illi terris poſtmodum invehendas, quid repugnet prorſus, non video; dummodo & maritimis illi opibus polleant atque plebis in colonias emittendæ, ubi res exegerit, copia, tum peritia ipſius commercii, quod in remotiores terras placet inſtitui, &, quibuscum commercia agitari collibuerit, populorum benevolentia ipſum illud commercium ſtabiliverint.

LXXXIII. Verum de navali quidem potentia atque copioſa itidem populi multitudine, qua carere nequeat civitas maritimi ſtudioſa commercii, infra dabitur opportunior differendi locus. Quibus quum & navigationis & in exteras terras inſtituendi commercii conjungendam eſſe peritiam dixerim, velim etiam præmiorum invitamentis allici, qui arcana peregrini ejus commercii, cujus uſum expetimus, patefacta nobiſcum communicent. In quo ſuperiori ſeculo laboratum fuit ab negotiatoribus amſtelodamenſibus, quum probatum olim fide ſua luſitanis mercatoribus Batavum quendam virum, Petrum Hautmanuum, gnarum admodum commercii indici, magno pretio perſoluto, captivitate ſolverunt, ad arcana leges & commoda Hiſpanienſium in Indiam navigationum detegenda cum conſenſu ordinum adſtrictum. Alio prorſus modo Angli anno præteriti ſeculi octogeſimo ſeptimo rationem in orientali orbe negotiandi edocti ſunt, interceptis una cum navibus, Draci expeditione, mercatorum luſitanorum indicibus, ut eſt apud Camdenum in Eliſabethæ annalibus.

LXXXIV. Ignorari autem non debet, quum & vires maritimas & inſignem aliquam populi abundantiam ad inſtituenda recte illa commercia requiſiverim, quæ in terras procul diſſitas dirigantur, ſi qua civitati cuipiam populove minus eadem ſuppetant, præſtare omnino in propinquioribus occupari, quam remota nimis quærendo etiam ea perditum ire, quæ in propinquo ſunt. Nec male Uſſelinx: *Companyen* (loquitur autem de ampliſſimis illis ſocietatibus, quæ in remotiſſimis terris exercendi cauſſa commercii ordinentur) *auffzurichten, hat viel Beſchwer, Beſorglichkeiten und Auffhaltungen: Es muſs ein groſſes Capital da ſeyn: Es gehöret darzu lange Zeit, gute Anweiſung und Anführung. -- Darnach aber zu warten, iſt eben ſo wenig zu rahten, wo man nicht etwa mit dem Æſopiſchen Hunde nach dem Schatten ſchnappen und das Fleiſch verlieren wolte.* Et de quarundam gentium ad longinqua nonnunquam cum damno ſuſceptis navigationibus, *Insgemein*, inquit Mercur. Germ. p. 17. *und kurtz zu ſagen, ſo haben ſie alle weiter fliegen wollen, als ihnen die Flügel dazu gewachſen; das iſt: Sie haben mit allzu einem kleinem Capital gar zu groſſe Sachen anfangen wollen.* Cæterum num is ipſe Uſſelinx, quem de maximis ampliorum ſocietatum & in longinqua navigationum difficultatibus ſcite adeo philoſophantem nunc audivimus, ſatis omnes illas excuſſerit, quando auctor factus fuit Sueonibus auſtralis ſocietatis, magno conatu, ſucceſſu non compari, haud immerito dubites; niſi forſan exhauſtum opibus hominem & ad ſummam pauperiem continuatis per triginta & amplius annos circa commercia ſpeculationibus redactum ea meditari coëgit neceſſitas, quorum eventus ancipites ignorare ipſe non poterat.

LXXXV. Præſtat igitur, quorum ad longinqua vires haud perinde ſufficiant, intra propinquiora claudere una cum quæſtus ſtudio mercaturæ etiam exercitium, quoad, inſtitutis ad viciniores populos, quibus omnis generis mercium facta eſt e remotioribus copia, emporiaque inprimis finitima navigationibus, amplam nihilominus rerum omnium abundantiam liceat conſequi. Quare nec omnino probare auſim factum civium & negotiatorum Suediæ, quo, ſuperio-

ris ſeculi anno quinquageſimo, quum Lubecenſes urgerent privilegium retrahendi ad ſe & urbes ad mare balthicum Sueonum merces ac navigationem, non vero in regna & urbes ad mare occidentale ſitas, inter illos hoc indigne ferentes convenit in nundinis ſtregnenſibus, navigando non adire Lubecam & reliquas maris balthici civitates: Vid. Jo. Loccen l. 4. ſed, quum Guſtavus cum exoticis regnis pacem & fœdus commerciorum iniſſet, navigationem & negotiationem cum majori commodo divertere in Hiſpaniam, Galliam, Indiam, Belgium, Ruſſiam, & alias remotiores terras; quanquam alias ratio ſatis conſentanea, ut a prima illic manu emtis mercibus, quas Lubecæ & in vicinis urbibus a tertia vel quarta manu mercari neceſſe habuerant, non exiguam rem & quæſtum facerent.

LXXXVI. CÆTERUM etiam per extraneos mercatores cum alias, tum inprimis eo civitatis tuæ, quem dixi, ſtatu, acquirendæ uberis rerum copiæ modus ſatis accommodatus eſt, ubi privilegiorum illos dulcedine magno numero ad commercia tuæ civitatis frequentanda pellexeris. Quibus, quum jam ſupra expoſita ſint, non eſt, ut nunc pluribus immorer, poſtquam illud addidero, multum per externa illa commercia noſtris acceſſurum eſſe utilitatis, ubi, præter alia, facultatem peregrinas merces in foro ſiſtendi prius, quam ulterius provehantur, noſtra ſibi civitas acquiſierit. *Stapulæ juri* pervulgatum nomen eſt, quo coguntur nautæ, uti merces ſuas in portum delatas civibus venales exhibeant; neque prius illas aſportent, quam ad emendum eas iſtis obtulerint, niſi damnoſam prorſus diſtractionem cauſſatus venditor vel lucroſiorem futuram alibi ſubodoratus malit recurrere, unde venerat & ubi domicilio utitur, quod nec perſoluto portorio licitum eſt: quodſi coemtas ibidem merces alio tranſportare libeat, haud in alias temere, quam in populares naves mercimonia recondi jus civitatis permittit. Poteſt autem illud acquiri, ubi maris ejus dominio, quod emporiis portubusque ſuis adfunditur, gaudeat civitas: niſi inde malis illud deducere, quod, quum frequens commeatio peregrinorum noxia civitati quandoque aut ſuſpecta ſaltem haberi queat, nihil fere impedimento ſit, quo minus noſtri cives id lucrum vendicent, quod a tranſeuntibus peregrinis perceptum cæteroqui fuiſſet. Quam ſententiam placuiſſe video ſummo viro Samueli Puſendorffio de J. N. & G. cap. 3. 6. Quæ, utcunque ſe habeant (neq; enim ego nunc iſta diſcutio) illud conſtat, utile ſaltem exoticarum mercium, ſi non monopolium, at propolium tamen aliquod tuis mercatoribus celebri illo ſiſtendarum in foro mercium jure, antequam ulterius illæ provehantur, cum ingenti fructu commercii comparari; quoniam ſeligendi in illis optimas quasque merces ad emendum civibus datur copia.

LXXXVII. AMICITIA quadam atque benevolentia in extraneis illis populis, quorum mercibus maxime utimur, ideo opus eſt, ut in exhibitione illarum mercium noſtris illi mercatoribus faveant potius, quam his, qui easdem aſportandi cauſa aliunde adveniant. Qua in re erratum puto a Luſitanis ſuperiori ſeculo, qui quum cariophylli dominos claſſis beneficio ſe feciſſent de poſſeſſione moluccenſis commercii jam ſatis ſecuris pariter cum opibus & in barbaros reges injuriæ creverunt. Verſa palam in dominationem ſocietas, quam cum barbaris pacti erant, &, quæ olim fidei vincula, denique fallendi artes fuerunt. Ita cœptum in Luſitanos odium, data poſtmodum occaſione, erupit, poſtquam alienatis ab Hiſpano animis, Batavi Indos invenere. Qui quum navali potentia ſic ſatis inſtructi eam armorum vim intulere Moluccis, quæ æquare poterat Luſitanorum potentiam, tanto in batavas partes animo barbarorum Rex Zaida deſcendit, ut non Hiſpanos tantum hoſtes, ſed & Anglos commercia orantes contemneret, Batavos vere ſocios ac ſuos marisque liberatores vocans. V. Grot. l. 15. Hiſt. Igitur fervens in Luſitanos Inſulanorum odium & in Batavos benevolentia eam moluccenſis commercii amplitudinem Batavis peperere, qua præ omnibus illi aliis, concultato luſitanæ gentis commercio, floruerunt. Neque aliud fere gallicis Orientem verſus commerciis fuit ſubſidium, quam contracta Franciſci I. regis temporibus amicitia inter francicam turcicamque familias. Qua firmata, ad exemplum Venetorum & Genuenſium, ſuis etiam gallica natio Alexandriæ, Cayri, Berythi & Trypoli tabernis uti occœpit. Bodin. de carit. rer. pag. 19.

LXXXVIII. Conciliabitur autem benevolentia illa, quam a nationibus exteris exoptamus mercaturæ gratia, tum quibuslibet beneficiis, quorum in illas amplitudine gentes alias ſuperare contendimus, tum advectione earum mercium, quarum illæ maximo deſiderio flagraturæ ſint, itaque inprimis, ſi ab aliis obtinere easdem facile nequeant. Quare foveatur ſane omnis generis beneficiis atque conceſſis etiam viciſſim, ubi ita res exigit, privilegiis exterarum gentium ſalutaris ad commercia amicitia, quippe conſtant illa, tanquam communi aliquo vinculo, benevolentia quadam mutua. Quam ſi forte bellicæ tempeſtates abruperint, debet inſtaurandæ pacis conditionibus, quoad poteſt, maxime reſarciri. Eſtque etiam illud pretium operæ, haberi nonnunquam apud Principes & reſpp. exteras, quarum quidem commerciis cum inſignibus utilitatibus fruimur, oratores quosdam, prudentiſſimos viros, qui commerciorum apud eos ſaluti invigilent atque peregrinam amicitiam artibus quibuscunque ſuffulciant. Quam ſe in Moſchorum Principis benevolentia ruſſicæ mercaturæ gratia, ne ab Anglis eam commotioris animi Princeps Ruſſus unquam averterit, callidam exhibuerit prudentiſſima Anglorum Regina Eliſabetha, legi poteſt apud Camdenum in Annalibus. Neque prætereundum eſt ſtudium conſervandæ anglicæ amicitiæ in Ordinibus fœderatæ Belgicæ, qui quum regis Britanniæ beneficio halecum piſcaturam in littoribus anglicis obtinuerint, ne quis piſcatorum ſuorum ſubditis regiis in piſcatu quidpiam inferret moleſtiæ, ſeveriſſime interdixerunt, quale interdictum prodiit anno ſeculi hujus quarto & viceſimo. Sed & maxime occaſionum captanda eſt opportunitas, quibus ampliora tuo populo privilegia poſſis conſequi; ut ſi forte is populus, in quem pronior antea fa-

vor

vor exſtitit, excidat ejus gentis benevolentia, a qua tuis civibus privilegia adſequi diſcupis, quæque illis ſimilia ſunt.

LXXXIX. ANTE omnia danda opera eſt, ut & pactis de commercio initis firmum idem atque ſtabile ſanciatur. Quod jam tum ab Ariſtotele monitum reperio in Rhetoricis l. 1. c. 4. agitandum eſſe in illis conſiliis, quæ præcipua reipublicæ ſint, *τίνων τ' ἐξαγωγῆς δέονται, καὶ τίνων εἰσαγωγῆς, ἵνα πρὸς τούτους καὶ συνθῆκαι καὶ συμβολαὶ γίνωνται.* Quamvis enim ad invectionem ille eorum, quæ futura ſint neceſſaria, conventiones eas pactionesque reſtrinxerit, nobis tamen, quum ad locupletandam quoque rempublicam & ad quæſtum exerceri commercia voluerimus, placet utique & ad eam mercium adfluentiam comparandam extendi, quæ non ſolum ad *αὐτάρκειαν* noſtræ civitati, verum etiam ad uberiorem quæſtum conſequendum idonea ſit. Quare etiam eas maxime pactiones probaverim, quibus non libertatem duntaxat ampliorem aliquam proſequendi commercii, ſed & certi proventus generis ſoli ſibi ab externo aliquo populo commerciorum & per illa quæſtus appetens civitas paciſcatur. Eſtque is juſtus conſequendi in externis mercibus monopolii modus, modo paratus ſit emtor populus aliis venumdare æquo pretio. Quod ſi enim licet genti cuipiam uti earum mercium monopolio, quarum apud ſolam illam naturalis proventus eſt, tanquam ab natura ipſa conceſſo, quidni etiam liceat, jure, quo citra injuriam ipſe uſurus fuiſſet, alii cuidam populo cedere? Neque vero aliarum gentium intereſt, a quo emant, quod ad deſideria naturæ attinet. Lucrum autem alter alteri prævertere licite poteſt; conceſſumq; ſibi ut quisq; malit quod ad vitæ uſum & copiam pertinet, quam alteri acquiri, non repugnante natura. Quare licitum erit ſane ejus generis monopolium, cujus modo deſcripſi, itaq; maxime, ubi cauſa quædam acceſſerit inſuper, propter quam in monopolium externi populi, quæ id ante poſſedit, certi generis merces transferat civitas. Qualem adfert Hugo Grotius, ſi, qui id ſtipulatus eſt, populus, alterum populum in ſuam tutelam receperit, ſumtusque eo nomine faciendos babeat. Quod in orientali India factum cerno a Batavis. Qui, quum victores in urbe Bantamo, quam ultimo diſcrimini exemerant, feſtis plauſibus excepti eſſent, inſulæ, in qua nucis odoratæ optimus proventus eſt, ſuſcepta tutela, fœdus iniere cum populis, ne aromata aliis gentibus venderent. Sed & cum Achemi rege, facile principis urbium Sumatræ, pacta ſuper emtione aromatum inita idem Grotius auctor eſt V. L. 11. Hiſt. Nec abſimilis in propolio comparando eſt ratio: ceu in pipere & zinzibere ab Calecuthi rege pactos id quondam Luſitanos in de ſub Emanuele geſtis refert Oſorius.

XC. Atque poteſt etiam obtineri confirmarive citra injuriam monopolium, excluſo ab maris cujusdam navigatione alio aliquo populo extero, ubi ſe jure ſuo, quod in exteris ei terris circa libertatem commercii competat, aut quiviſſet forſan competere, ſive bello coactus, ſive alia quacunque de cauſſa abdicaverit. Quod Romanos inter & Karthaginienſes percuſſo fœdere cautum ſcribit Polybius lib. 3, ne ultra ſacrum promontorium Romani Romanorumve ſocii navigarent, niſi tempeſtatum aut hoſtium vis eos abripuiſſet: ſi quis vi delatus foret, emendi accipiendive quidpiam præter navibus reparandis faciendisve ſacris neceſſaria jus non eſſet: intra quintum diem qui adplicuiſſent, vela verterent, & in alterius quoque fœderis capitibus idem fere inſertum; in Sardinia quidem atque Africa exercendi commercii copia Romanis adempta eſt. Non abſimili prorſus modo, quo Karthaginienſium, Luſitanorum commerciis in moluccas inſulas proſpectum fuit præterito ſeculo, quo ab Imperatore Carolo V. omne Hiſpanienſium jus in moluccas inſulas oppignoratum accepit rex Luſitaniæ, fruſtra, quantum repignorando juri ſatis erat, offerentibus Italis, quod ob utriusque familiæ fœdera Imperator abnueret. Vid. Bodin. in reſp. ad Maleſt. p. 17. 18. it. lib. 6. de rep. c. 11. Ejusdem ſeculi anno Camden. Annal. ſeptuageſimo primo inito Luſitanos inter & Anglos fœdere ad gratificandum Sebaſtiano ſe Eliſabetha adſtrinxit ſubditis probibendis, ne in maria & ditiones Portugalliæ acquiſitas (*Portugiſiſche Conqueſten*) navigationem inſtituerent, neque ſecus idem de hiſpanienſibus terris extra Europæ limites poſtmodum fœderati Belgæ pollicebantur: quamvis ab illis equidem arcere Belgas etiam citra pacta Hiſpano licuiſſet.

XCI. ID quemadmodum conciliando conſervandove exoticarum mercium monopolio ſatis expedit, ita naturæne ac Gentium juri æque congruat, non injuria poteſt ambigi, quando, nullis pactionibus antegreſſis, cum externa gente ſepoſita exercendi commercii libertate interdicit externo alii populo, qui navigandi ab illo maris ſibi imperium vendicat. Quo referri poteſt edictum Hiſpani regis V. Eid. April. anno quarto præſentis ſeculi promulgatum, prohibens, addita gravi pœna, ne quis ſine expreſſo regis juſſu ultra Caſſiteridas Fortunatasve inſulas navigaret aut in utraque India locisve omnibus, quæ vel olim Luſitanus invenerat, vel inveniret inpoſterum, inſtitoriam faceret: tum ne Luſitanorum quispiam ullius alienigenæ vel opera vel navi conducta uteretur: utque omnes, qui Luſitani in Hiſpania omnino non eſſent, tamque in Braſilia, quam in orientali India domicilium haberent, illi quidem primo quoque tempore, hi, qui citra & ultra Bonæ ſpei promontorium habitarent, intra anni ſpatium domum reverterentur, revocata omni peregrinis conceſſa iis in locis negotiandi libertate. Quæ res *maris liberi* conſcribendi anſam poſtea præbuit Grotio adhuc juveni. Suntque eadem & ab aliis diſputata prolixius: quare nunc equidem omittantur.

XCII. ILLUD hic ignorari non debet, longe difficilimam conſervandi monopolii rationem eſſe, niſi intervenientibus pactis eandem ſtabilem firmatamque effeceris, ſiquidem validis maritimarum opum potentia pluribus populis exteris ad easdem provincias navigationes ſuas

nunquam non citra impedimentum inſtituendi futura ſit copia. Quam in retinendo indicarum mercium monopolio difficultatem in ad Philippum filium ultimis monitis agnoſcebat Hiſpanus: *in navigatione Indiarum id animadvertendum. Franciæ & Angliæ potentiam non tam arctis contineri limitibus poſſe, ut ab ea omnino excludantur. Utrumque regnum opibus & navigio optimo abundare; & latius Oceanum patere, quam ut certa cuſtodia arceatur: mercaturam copioſiorem his in terris eſſe, quam ut hæc moderatio ab iis ſperari poſſit.* Inde conſilium gnato ſuggerit, *ad impediendas Anglorum navigiis præpotentium excurſiones (nam Gallos ab ea re minus inſtructos nec niſi cum Anglis conjunctos multum formidabiles eſſe) maxime profuturam Belgarum junctam cum Hiſpanis potentiam: quam etſi fere ſint ſectarii pertinaces, his tamen ad ſociandas vires conditionibus invitari debere, ut res ſuas libere in Italia & Hiſpania diſtrahant, regia jura minime defraudent, navigaturi autem in Indias orientales & occidentales commeatum cum rege accipiant, caveantque vadibus datis & jurejurando adacti, merces, quas ex Indiis advehent, in Hiſpania ſe bona fide exoneraturos: qui ſecus fecerint, corporis pœna teneantur. Ita Indiarum opes in Hiſpania manſuras & Indias cum belgica negotiatione conjunctas fore, Anglosque ac Gallos ſuis ſumtibus ſine prædæ ſpe navigantes brevi ſenſuros laborem in damno eſſe & ab eo deſtituros.* Ejusdem Philippi conſilium de avertendis ab commercio indico Belgis, Hiſpaniarum Italiæque propinquiori commercio etiam belli permiſſo tempore, jam tum ante expoſui. Apud Hollandos maxime admirari licet facinus ſocietatis orientalis indicæ. Quæ quum ab aliis quoque nonnullis nationibus indicas navigationes frequentari cognoſſet, diſtributa in ſocios (die Participanten von der Compagni) pecuniarum loco ea mercium, quales exteri apportaverant, copia, quæ inſignem earum vilitatem paſſim induceret, ſuo intertrimento peregrina collabefactare commercia, quam uberiori in præſens ad ſpeciem quæſtu opimioris commercii amplitudinem labi ſubinde paulatim in præceps maluit. Etiam alios monopolia conſervandi modos ab Hollandis adhibitos, ſunt, qui memorant, minime probandos illos quidem, at ſervandis perutiles monopoliis. Quales in Japponia, Amboyna & Banda uſurpatos narrat auctor libelli in batavicæ religionis probrum conſcripti, confutatus ab ſacerdote noviomagenſi, Jo. Bruno *dans l' Apologie pour la religion des Eſtats Generaux des Provinces Unies* pag. 263. & ſeq. Quorum neutrum nunc aut probare aut refellere in animo eſt. Illud patet, quæ ſunt ejus generis monopolii conſervandi artes, ſicut ad illius reipublicæ ſcopum præclare collineant, cujus in divitiarum adfluentia unice felicitas quæritur, ita in civitate naturalis juſtitiæ chriſtianæque præſertim virtutis ſtudioſa admittendas illas non eſſe.

XCIII. An caſtella ſtabiliendis in externo ſolo commerciis ſtrui expediat? anceps quæſtio eſt. Nam & contineri illorum ope quam commodiſſime in officio ſuo poſſe diſſitum procul populum, ne quam ſuarum mercium etiam aliis gentibus faciat copiam, ſecuramque ita haberi licere poſſeſſionem commercii ſatis liquidum eſt, ſaltem multo commodius, quam ubi jure utendum precario ſit: & viciſſim immenſitas ſumtuum, qui in conſervandis arcibus impenduntur, neceſſe eſt, nimiopere pretioſa reddat commercia. Probe inſignem arcium ſervandarum difficultatem inter Luſitanos ſuperioris ſeculi initio animadverterat Franciſcus Almeida. *Cui maris*, inquit Hieronym. Oſor. de reb. geſt. ſub Eman. Port. R. lib. 7. *erat antiquiſſima cura & dum unam tutiſſimam ſtationem navibus haberet, reliqua omnia contemnebat. Fieri enim non poſſe exiſtimabat, ut tantum militum & ſupplementorum e Luſitania ſingulis annis mitteretur, ut firmis præſidiis arces multas munire liceret.* Contra ſenſit Alfonſus Albuquercius; ipſum mare minime tutum ratus iis, qui terra ſimul opes ſuas nequaquam ſtabilirent: quamvis neſciam, an non ſatius idem ipſe Almeidæ duxiſſet conſilium, ubi unam utilitatem commercii habuiſſet pro ſcopo. Verum *non, ut piperis magnus numerus annis ſingulis in Luſitaniam importaretur, ſed ut imperii fundamenta jacerentur, excogitandum cenſebat* Albuquercius. Atque ingens fuit profecto ſtudium luſitanæ genti arcium ſtruendarum, fructu ſane non compari, maxime, poſtquam imbellis initio Indus prodiit cum tempore bellicoſior & ab Europæorum armis inſtructior odio Portugallos incœpit proſequi. Quin & ipſa anſam odiis caſtellorum ſuggerebat exſtructio. Uſſel. Argon. Guſt. p. 10. Unde & cæteris mercatoribus Luſitanos criminandi ſumta fuit occaſio, ut quum Malaccenſium regi inimicam gentem tollendam de medio Nahodabeguea Cambajenſis & Utetimutaraja Jaovenſis auctores fierent, inculcatum in aliis: *arcium ædificationem eo pertinere, ut libertate primum omnes, qui eos admittebant, ſpoliarent, deinde bonis omnibus per ſummum ſcelus everterent*, Oſor. lib. 6. Auctorem habeo Hieronymum Coneſtaggium de conjunct. regn. Portug. & Caſt lib. 1. ejus tempore ad decies centena millia (*eine Million*) claſſibus & præſidiis indicis impenſa in annos ſingulos. Qui, quum antea ſcripſerit, quam in amplam partem indicani commercii, (cujus monopolium ſibi, corruptis navibus, ſi quæ ab Arabum aut Perſarum oris venirent, omnique in Ægyptum præcluſo itinere, quo Aleppum antea per camelos ac dromadas advehi cariophyllon ſolitum, Luſitani olim pepererant) potens armis venit Hollandus, nimium quantum ſane ſubſecutis temporibus graviori ſumtuum mole laborari cœptum, conjectatu proclive eſt. Neque vero multum admodum ad commercia ponderis attuliſſe magnam eam caſtellorum frequentiam, inde liquidum eſt, quod in pleriſque ſaltem Aſiæ atque orientalis Indiæ locis impedita inde aliis populis exteris navigatio & libertas commercii fuerit minime. Quod in Argonauticis Guſtavianis monet etiam Uſſelinx: *Die Spanier und Niederländer haben zwar etzliche Veſtungen daſelbſt. Allein die können doch wenig geachtet werden in Anſehung der groſſen, reichen und mächtigen Landen, ſo noch übrig. Denn in Arabia, Perſia, Coromandel, Setane, Siam, wie auch in den Inſuln Sumatra, Java, Zeilon &c. ſeind alle Kauff-Leute, ſi ſeyn wer ſie wollen, willkommen.* Inde prudens conſilium Anglici ab Jacobo legati ad Magnum Mogolem, nullis arcibus indicum confirmandum eſſe commercium, quibus etiam ſupra cenſum ſumtus Batavi Luſitanique impenderent.

Et

Et ſane videas usque ad illam amplitudinem locupletiſſimi commercii in remotioribus orbis partibus gentem Anglicam perveniſſe citra arcium munimenta, ut vel ipſis Batavis palmam auſit facere dubiam: quamvis maxime tamen illorum ſocietati orientalis Indiæ mercatura frugifera impenſarum quam ſæpiſſime gravitatem lucri uberioris compenſet fructibus. Quare quod ad arces commerciorum cauſſa ſtruendas attinet, nolim ſane multum adeo illis opum abſumi, niſi opimiorem omnino quæſtum haud retinendum aliis artibus monopolium ampliorve exercendi libertas commercii pollicitura ſint; quod alioqui cauſſa non ſuppetat, ubi citra difficultatem fultam ſola exteri populi amicitia firmatamve pactionibus mercaturam liceat proſequi, magnis eam mercaturæ copiam ſumtibus in caſtrorum conſervationem magno numero profundendis minus reddere quæſtuoſam.

XCIV. Danda tamen eſt opera ordinandis per externa regna commerciis, ut & domicilia, velut in Norvegia *Gartas* ſuas Hanſeatici & in Anglia *Stilhardum* (*den Staalhoff*) obtinent, & curatores commercii atque certos etiam magiſtratus mercaturæ præpoſitos Principum atque rerumpublicarum privilegiis conſequantur: ceu in Hanſicos mercatores Conſul & Seniores, (*Aldermanni*) apud Venetos *Baili* juriſdictionem habere ſoliti. Sic & principes mercatoriæ rei fœderati Belgæ ordinarios conſules atque judices ſuos procurandis rite commerciis Hiſpali, Conſtantinopoli, Venetiis, Genuæ ac in reliquis celebrioribus emporiis *reſidentes* habent perpetuo, quos quum impenſarum aliquam copiam ordinanda ab conſulibus mercatura requireret, anno ſeculi hujus tertio & triceſimo, tum ut quæque naves loca iſta adeuntes magnitudinis reſpectu habito certum quidpiam vectigalis perſolverent, quod *Laſtgeld* vocant, conſtituto, tum pro transportandis in Belgium mercimoniis quinquageſimam, compenſandorum ſumtuum uſos medio reperi. Cæterum legi merentur, quæ de nimio Conſulum belgicorum orientalis mercaturæ directorum dominatu & reditibus adfert Auctor *der Polit. maximen der* Rep. *Holl.* P. I. C. XXIV. In his, quæ in noſtra ditione ſunt, terris, quamvis longius diſſitis, quo liberior cuncta agendi copia, eo recte ordinandi commercia facultas facilior eſt, quam in partem non incommode apud Indos Batavi, ne qua per commercii curatores dolo malo committi queant, conſtitutis etiam cenſoribus navant operam; qui ſi deſignatum ab illis quidpiam intellexerint, annotatum id ipſum ſupremo Bataviæ gubernatori & ſenatui ſingulis trium menſium ſpatiis tranſcribunt. Inde ab his ad ſocietatem, in quo rerum articulo res commercii ſint, relatione transmiſſa, cuncta illico ſocietati in exploratis ſunt.

XCV. SEQUITUR alterum genus mercium, quod in illis conſtitui, quæ humana induſtria atque artificiis fieri ſoleant. Atque pertinet huc præter adfluentiſſimam & omnigenam artium multitudinem etiam ea pars humanæ induſtriæ, qua naturæ bonitate producta apta longius ſeſe diffundentibus redduntur commerciis. Qualis halecum fere ſalſura apud Batavos eſt, cujus in butyro itidem condiendo uſu multum utilitatis ad commercia illi adferunt. Opportuniorem vero etiam eo ad commercia adfluentem artefactorum copiam, quam naturæ proventus uberes, auſim dicere, quo futura illorum eſt ſæpiuſcule, quam ab ubertate naturæ productorum diſtractio quæſtuoſior. Auget enim in illis pretium artificii labos, nobiliori forma inducta iis, quæ non polita ſatis idoneaque humanis uſibus prima parens natura effinxerat, quippe natura habet ſe ad artificem, ut ad naturam prima informisque materia. Quam quum varie perpoliendam artifici natura ſuppeditet, eandemque poſſit accedens opera in humanis aptas uſibus formas modis transfigurare innumeris, nunquam facile deerit optimarum mercium abundantia, quoad præter ſufficientem copiam rudioris materiæ incolarum ſolers induſtria adfutura eſt civitati. Legi poteſt Jo. Boter. l. 8. de Polit. illuſt. c. 3. Voco autem rudem informemque materiam, ut lapillos, metalla, ſericum, lanam, linum, corium, & quæcunque, antequam opificum labor acceſſerit, vel omnino informia, vel, quum ad minimum formis melioribus queant imbui humano artificio pertractata majori atque ipſam materiam multum admodum excedente pretio veniunt. Quæ quum a natura primo gignatur, eadem acquirendæ illius ratio eſt, quam in cæteris naturæ proventibus paulo ante explicui. Nam aut ipſa illius naturali abundantia civitas adfluit, aut aliorum terræ tractuum ubertate ſuæ regionis vel indigentiam ſublevat, vel fœcunditatem accumulat.

XCVI. Quod ſi naturalis benignitas, accedente etiam diligentiori cultura, ſatis largos rudis maſſæ proventus civitati impertiit, neutiquam permittendum, ut in exterorum illi manus artificiumque deveniant, verum ſedulo danda opera, ut in elaborandis illis ſtudia civium & ingenium eorundem adſveſcat. Nec enim noſtræ nobis utilitates omittendæ ſunt, aliisque tradendæ, cum his ipſi egeamus: ſed ſuæ cuique utilitati, quod ſine alterius injuria fiat, ſerviendum eſt. Igitur quum a reliquis mercimoniis, ſaltem plurimis, amovenda eſſe vectigalium onera ſuo loco oſtenderim, placet non modo non imminui, quæ informi & ad opificia oportunæ materiæ onera ſunt impoſita, ſed ne exportari quidem illam noſtris civitatibus volumus, quod ab recentioris ævi Politicis & graviſſimis viris recte monitum reperi. Cautum idem Henrici II. Galliarum regis edicto ſcribit Bodinus L. VI. de Rep. C. II. it. Boter. anno ſuperioris ſeculi LII, cui gemina interjecto decennio apud Anglos & in Belgio anno LXIII. ab Hiſpano rege Philippo promulgata eundem habeo auctorem. Sic a Belgicæ fœderatæ ordinibus edicto ſancitum eſt, ne quis ſurculos rubiæ, (*Kiemen ofte Pe van de Meede*) cujus in Zelandia atque inſula ejus Schouvia proventus uberrimi ſunt, Belgica fœderata exportet, quo illorum ſubſidio non ad alios negotiationis una opportunitas transferatur. Geminum inſtitutum apud Sileſios in *de rerum ſufficientia* memorat Jac. Bor-

nitius,

nitius. Non tamen ſatis edictorum prudentia commerciorum utilitati proſpectum, quod inſignis complurium hominum avaritia conhiberi inſtitutis ſalubribus non potuerit, quin in egentem nihiloſecius mercium vetitarum evehi copiam aſportarint ad peregrinos, cognitum ſibi quempiam, qui quum lintea ſuo charactere notata Belgis vendiderit, multum illa Belgarum induſtria expolita nitidius triplo deinceps carius primo venditori venumdata, ut adhibita illis peregrinorum culturæ ſimilis politura domeſtica lucrum ultra dimidium ſuum facere potuiſſet. Adhuc gravior apud Gallos culpa fuit, quam in VI. de republica perſtringit Bodinus. Ad Blæſenſia comitia ablegato mercatorum querelis res innotuit, etſi lanæ evectio interdicto regio vetita fuerit, unum tamen Italum quendam ſolutum lege fuiſſe, inde, poſtquam vili pretio magnam copiam lanæ in Italiam aſportaſſet, pannos Florentinorum arte confectos revexiſſe in Gallias, quindecies adhibitæ operæ pretio materiam ſuperante. Quare providendum quidem omnino, ne quod paſſim fieri & in aliis cernimus, ſanctiones in publicum ſaluberrimæ noxia in earum violatores facilitate & clementia enerventur.

XCVII. Quibus poſitis conſequens eſt adſerere, inſtitutis uti oportere contrariis, ubi noſtræ civitati copia rudis ejus materiæ apportanda aliunde ſit. Quo transferri velim, quæ de concedendis immunitatibus privilegiorumque invitamentis ante diſſerui. Aque poſſunt ſane eo vectigalia harum mercium penitus tolli imminuive ſaltem ſalubrius, quo in tuos cives major ex elaboratis illis poſtmodum per commercia utilitatum cumulus promanabit, quoniam ſæpe plus eſt vel in ſolo manuspretio quam in re, quæ ab extero mercatore tuis civibus, transformanda ab illis, venumdatur, neque in ſubſtantia æque harum mercium æſtimatio, quam in arte eſt poſita.

XCVIII. Quod ſi illis jam opibus abundaverit, dabit porro operam civitas, ut & convenienti artificum adfluat multitudine, quorum in elaborandis illis opera atque ſtudium occupetur. Quam vis ipſam etiam gentis alicujus naturalem propenſionem poſſe in eam partem plurimum, quis exiſtimet non injuria. Idque in aliis etiam ab eruditiſſimo Cæſenate Philoſopho, Scipione Claramontio, obſervatum video inſigni opere *de conjectandis cujusque moribus* l. 6. c. 2. quippe quum in mores vareos diverſarum gentium adumbrandos incidiſſet, Hiſpanos (quibus Hibernos quoque non immerito junxeris Barclai. in icon. animor.) non admodum artibus deditos, contra promtos in illis Gallos, Germanos, Anglos prædicat. Atque etiam ſoli natura incolarum induſtriam excitari quandoque aut imminui lib. 2. c. 3. idem auctor diſputat, non male, ut opinor. Sic enim fieri fere ſolet, ut in artificia proſequenda, niſi alias ob cauſas ab iisdem mores abhorreant, magis incumbant illi, quorum ſterelis regio aliunde victum atque divitias ægre pollicetur, quam quos adfluentia rerum omnium ſuperfudit, quum per illam facile incolarum animis ſe infundat ignavia. Quod in Anglis ſuis non diſſimulavit Barclajus in icon. animor. c. 4. naturali apud illos felicitate rudiora artificia effici, fortunamque laſcivientem, labori haut aliter, quam per ludum intentam, plebis ſolertiam ad exactam artium curam non extollere. Secus illud in Batavis eſt, quibus ſterile ſolum aut paludibus obſitum; ad induſtriam vero, etiam viliorum artium æque idoneos non facile profecto reperias. Imo jam in vetuſtioribus legum latoribus anſa fuit Soloni ſoli Attici infœcunditas, cives traducendi ad artificia, ut videre eſt in illius vita apud Plutarchum.

XCIX. Cæterum, quæ vel uberioris ſoli occaſione, vel ob alias, naturales præſertim, cauſſas ſubnaſci poteſt facilis in deſidiam ingeniorum propenſio, crebra ad induſtriam adſuetudine poteſt ſæpius corrigi. Atque opus eſt ſane, ut vel legibus opportunis, quod in Sinis accepimus fieri & ab Solone etiam Athenis factum refert Plutarchus, tracta ad Areopagum publica artium cura, vel gratioribus privilegiorum invitamentis ſimilibusve modis ad culturam artium ſubditi excitentur. Sic in Gallias ingens artificiorum numerus inſtitutis paſſim officinis prudentiſſime introductus eſt. Quibus conſtituendis Henrici inprimis IV. ſagax ſolertia enituit, de ſupplendis regni divitiis, quas tempeſtas bellorum civilum valde exhauſerat, ſoliciti. Eo quidem auctore ſerici officinæ Lutetiæ, aulæorum texendorum in S. Marcelli ſuburbio linificium Medontæ ad Sequanam inſtituta. Vid. Thuanus. Vaſis figulinis albis pariter ac verſicoloribus Lutetiæ, Novioduni Æquorum, Briſſamburgi in Santonibus & vitrariæ Henrici II, temporibus ad Germani fanum Venotorum æmulatione olim celebres officinæ & poſtea aliquamdiu intermiſſæ, Novioduni itidem & majori impendio Lutetiæ inſtauratæ. De cultura ſerici etiam libellus juſſu regis vernaculo ſermone perſcriptus, ut per vulgi manus volitans artem ſerici ipſos adeo ruſticos edoceret. Maxime noſtro ſeculo celebris apud Gallos artificiorum cura in academiis atque multifariarum artium publicis officinis enitet. Neque vero eſt dubium, quin & ſubditi Principum auctoritate commoniti, ubi promovendarum artium ſtudioſos adeo illos intellexerint, plures animos artificiis adplicaturi ſint. Quare in primis meminerimus id, quod ad mercaturum ſupra a nobis accommodatum latius patet, ut cujusque rei prœmium in civitate exſtiterit, ita ſemper maximis illam auctibus creſcere, curemusque multifariis privilegiis, uti quam ampliſſima optimorum artificum mulitudo civitati noſtræ concilietur.

C. Forte etiam illud quærendum ſit, quod in Gallia Turonenſes inter ac Lugdunenſes de ſericis pannis diſputatum video, anno ſuperioris ſeculi ultimo, an, ut utilioribus artificiis adſuefiant indigenæ, mercatoribus interdici arte in externis regionibus cofectorum importatione poſſit utiliter Vid. Pet. Matth. Hiſt. Henr. IV. lib, II. Nar, II §. XV. Quæ quum anceps quodammodo diſquiſiuo videatur, nolim interdictis ejusmodi dari copiam, niſi abunde illud ante conſtiterit, & materiam, ex qua mercium genus invehi civitati noſtræ aliunde antea ſolitum coſtari

opor-

oporteat, affatim ſuppetituram, & elaborari eandem cum ſcite ſatis, tum copioſe ab indigenis poſſe, dum accedat induſtria. Igitur in Hollandia quidem Anglis, niſi mixti coloris, pannos inferre prohibitum, quod in cæteris colorandis bene ſatis Batavorum ipſorum labor procederet. Quod ſi peregrinæ gentis commercio multum admodum tum ad celebriora emporia, quod in Gallus Lugdunenſes urgebant, tum ad ipſam inde rempublicam emolumenti promanet, conſiderari omnino expedit accuratius, quænam ſit utilitas pondus maximum habitura, illane, quæ a peregrinæ gentis commercio, an, quæ ab majori illa tui populi artificio confectarum mercium abundantia proficiſcatur; cavendumque, ne dum artibus promovendis incumbitur, mercaturæ amplitudini cum majori publicæ rei damno officiatur, quam juvari artificiis volumus.

CI. Placet autem, quoniam eo futura eſt arte faciendarum mercium abundantia copioſior, quo elaborantium illas numerus adfuturus eſt amplior, non indigenarum duntaxat ſtudia ad colendas utiles reipublicæ & commercio artes allici, ſed ab exteris quoque gentibus utiliſſimi cujusque artificii inſtructos peritia præmiorum atque lucri dulcedine invitari; idque eo præſertim magis, quo vel ipſi indigenæ minus artificiis proſequendis exſtituri idonei ſint, vel quacunque alia de cauſa artificum in illis univerſave civium multitudo defecerit. Bene conſiliarius Status gallici: *Pour les (ouvriers) avoir tels (bons) il les faut rechercher: & ſi ne les avons parmy nous, nous pourrons attirer les eſtrangers par privileges, en dannant meſmes à aucuns, ſelon leur induſtrie quelque honneſte apointement.* Laudat Jacobum I. Regem Scotiæ Buchananus lib. 10. rer. Scotic. p. 341. Edit. Francof. quod opifices omnis generis e Flandria præmiis atque immunitatibus in Scotiam pellexerit & propemodum vacuas regni urbes iſthoc genere incolarum repleverit. Eademque Belgicæ regio etiam regi Galliæ Henrico IV. ad aulæorum texendorum officinas in S. Marcelli ſuburbium evocandos operarios præbuit. Quem qui in regno præceſſerat, Henricum III. ducem primo Andegavenſem quum in regem ſuum elegiſſent Poloni, efflagitaverant, ut ad centum familias opificum in Poloniam ſecum abduceret. Neque minor fuit prudentia, quamvis barbari principis, Selimi Turcæ, quem ad amplificandam Conſtantinopolin mille aliquot peritiſſimorum artificum ex Belgrado Pannoniæ & Cayro Ægypti urbibus Conſtantinopolin advocaſſe in *de Statu illuſtrium* reperi apud Johannem Boterum. Ne jam illud commemorem, quod vel omnibus, nollem cum damno, notum balthici maris accolis ſub Chriſtinæ inprimis reginæ temporibus apud Sueones accidit. Quamvis tamen magis forſan ad regnorum ſuorum ſufficientem copiam, quam ad commercii amplitudinem, advocata peregrinorum illa artificum multitudine, quos adduxi, reſpexerint. Belgarum exempla eo libentius adfero, quo majori mercaturæ maritimæ ſtudio omnes iſti populos antevertunt. Laudat illos Petrus Matthæus, Gallus auctor, eo usque artium & commerciorum ſtudiis deditos, ut reperire non liceat artificium, quod in Belgica non exerceatur: neque dari fere excellentem artificem, quem non privilegiis attrahant atque omni libertate permittant vivere, ut nec injuria Belgium, modo pace paululum focillatum, Europæorum quandam Peruviam poſſis dicere. Quamvis tamen libertatem quidem illam opificum inſecutis forſan temporibus, circumſcripto per tribus numero, ſufflaminatam parum per cap. xvi. primæ partis perducens ad liquidum, *daſs die befreyete Compagnien und Zunfften vor Holland ſehr ſchädlich ſeyn*, auctor *der Anweiſungen der Politiſchen Maximen der Republiquen Holland und Weſt-Frieſsland* videatur innuere. (Quem ego librum nomine *des Intereſſe von Holland* laudavi ſupra jam aliquoties, quod in manus meas non devenerat multis acceſſionibus locupletata eadem diſſertatio & ab auctore ipſo denique edita; nunc facta mihi verſionis germanicæ anno 1671. typis excuſæ, copia, alio inſignitum produxi titulo.) De iisdem Belgis Thuanus lib. C. *His regionibus* (Belgicæ fœderatæ) *opulentiam conciliat commercium frequens ob provincialium toto orbe celebratum lanificium, telarum, lini, ſerici textrinam, phrygioniæ artis induſtriam.*

CII. Fatendum eſt autem, quum ad commercii amplitudinem multum faciat arte confectorum abundantia adfluentior, tamen & viciſſim eo fere majorem numerum adfuturum eſſe artificum, quo & cætera ſe ad vigorem commercii habitura ſint opportunius. Etenim indigent artificia & commercia ope aliqua mutua. Quare manifeſtum eſt, quoniam citra diſtractionem illorum, quæ labore producta artificum ſunt, nequit ſalva ratio artificiorum conſiſtere, quo frequentiorem illam redditura commercia ſint, eo copioſiorem quoque artificum lucro invitatorum adfore multitudinem.

CIII. Eſto igitur civitas, qualem nunc inſtituimus, ejus admodum generis, in quo Ægyptum naturali pariter rerum omnium adfluentia, atque arte confectorum copia divitem in epiſtola ad Servianum conſulem apud Phlegontem celebrat Imperator Hadrianus apud Fl. Vopiſc. in Saturn. c. 8. *Civitas opulenta, dives, fœcunda, in qua nemo vivat otioſus. Alii vitrum conflant, ab aliis charta conficitur: alii linyphiones ſunt: omnes certe cujuscunque artis & videntur & habentur. Podagroſi, quod agant, habent: habent cœci, quod faciant: ne chiragrici quidem apud eos otioſi vivunt.* aut, qualem Mediolanenſium civitatem c. XV. de increm. urb. memorat Hippolytus a Collibus prædicatam proverbio, *qui Italiam reficere totam velit, ab eo Mediolanum debere deſtrui*; quo nimirum tot opificum collegia per univerſam Italiam diſpergerentur. Etenim quia ad maritimi commercii amplitudinem collineare debet ea, quam inpræſentiarum expetimus, multitudo artificum, poſſet vero in eadem civitate fortaſſis, ut quæ amplo hominum numero per commercia adfluat, magna arte factorum copia diſtrahi & conſumi, adfluentiam eorundem non expetimus quamlibet, verum eam demum, quam, quum tuæ primum civitati ſuffecerit, & ad exteras civitates maris ommercio exportare liceat.

CIV. Atque hinc etiam illud liquet, non in artificiis quibuscunque, verum illis demum & ab iis artificibus laborandum, quorum opera adaugendæ commerciorum frequentiæ vigorique inſerviant optime. Cujus generis eſſe jam ex ante dictis perſpicuum eſt, quæ facilius & lucroſius diſtrahuntur. Quare florebit equidem artificiis civitas ad commercia opportunis quam maxime, ubi ab nullo fere alio populo aut non ſimili bonitate eædem artes tractentur. Nequit autem ab externo aliquo populo idem genus mercium confici, quando omnino deſtitutus eſt rudi illa materia, ex qua fieri illud ipſum oportet. Cujus monopolium quum iisdem rationibus conſequamur, quibus reliquarum mercium, quæ natura producit, nolo quidpiam iis addere, quæ de illis ſupra explicui. Quod ſi habeant quidem etiam alii populi vicinioresque inprimis, quibuscum facilior commerciorum ratio intercedit, copiam quandam rudis ejus materiæ, non tamen eam, abundantiave illa elaboratam, quæ abunde ipſorum civitati ſufficiat, ut in Gallia qnondam ſerici, (vid. Bodin. de carit. rer. p. 26. Thuan. lib. 129.) proximam hinc in illis artificiis operam collocari velim, quæ in ejus generis materia expolienda verſentur. Univerſim vero illud teneatur, quod ab Conſiliario Status gallico ſcite dictum eſt: *Le nombre des ouvriers donne l' abondance: mais les bons donnent credit a la marchandiſe. Le grand nombre ſeroit non ſeulement inutile, mais auſſi dommageable, s' ils n' eſtoient bons.*

CV. Poteſt vero, ut in certo genere artificii civitas aliqua excellat, & a naturalibus cauſis effici, velut aquis iſtam in partem momenti quiddam l. 2. de orig. urb. c. 8. tribuit Jo. Boterus. Neque negari poteſt, etiam rudem illam materiam, quo ſubtilior ea meliorve proveniat, eo expoliri poſſe perfectius. Inde, ſuperiori præſertim ſeculo, ampliſſimo lanificii commercio una fere omnium regionum Anglia floruit, ut auctorem habeam Bodin. l. 6. de rep. c. 2. ann. ejus ſec. LXV. centum millia pannorum non amplius trimeſtri ſpatio inde Antverpiam eſſe transvecta. Sunt enim præter uberes glaſti proventus ad colorandos pannos optime idonei etiam lanæ in ovibus ſuis ſubtilitate Angli perquam celebres. Quos nec infeliciter Belgæ cum tempore imitati ſunt, habito lanarum delectu & hiſpanienſi inprimis multum cæteris ſubtiliori adhibita, unde & pannis hiſpanienſibus nomen. (*Spaniſch Lacken.*) Quod ſi ergo præſtantioris materiæ copiam artificibus tuis nolint fieri, apud quos inſigniori illa bonitate progignitur, neque ipſa eadem inſtructa ſit civitas, vix eſt, ut in ejus generis artificio, cui quidem illa inſerviat, multum admodum gentes alias antecellas. Sed & naturalis illa ſolertia & propenſio, qua præ aliis nationibus alias artibus aut accommodatas aut deditas ſupra innui, ad perfectionem arte poliendarum mercium conferunt plurimum. Neque enim multum fortaſſis artibus excelluerint, quorum ab iisdem per naturam animus alienior eſt, vel ingenii acumen obtuſius.

CVI. Igitur, quum a pluribus quidem cauſſis proficiſci poſſit illa perfectio, quam in mercibus arte factis exigimus, eam fere omnium eſſe credo potiſſimam, quæ in exquiſitiori cultura ſingulorum artificiorum conſiſtit; quod futurum ſit eo fere genus unumquodque artificio confectorum perfectius, quo in expolitionem ejus accuratior artificum incubuerit induſtria. In quo nævos anglicæ gentis memorat Animorum Iconis ſcriptor Jo. Barclajus, quarto capite: *Artem aliquam profeſſuri*, inquit, *ſeptem annis, ut plurimum, tyrocinia deponunt: ubi vero peractis rudimentis in collegium artificum adoptantur, quaſi laboribus exemti, ſub ſe alios tyrones adſciſcunt; edoctosque breviter in officinis proſtituunt. Tunc ipſi non ſolemnes modo dies, ſed & feſtos, (quis credat?) ſi ſudum eſt: vario ludo in proximis campis exercent; nubilos in diverſoriis oblectant: prorſus ut artificia impolitius habeant, quippe diſcipulorum peritiæ credita & eorum redemtores contumaciis urgeantur ad pretium, quo & tyronum labor & deſidia magiſtri ali poſſit. Diligens tamen nonnullorum operarum induſtria, exactis artificiis eminens pretiumque per orbem merentibus, ſatis prodit, in ea regione ejusmodi ſtudia non ſtipatis cœli vitio animis, ſed nimia felicitate laborare.* Gemina forte Sileſiorum culpa, cujus ex Bornitio ante memini. Ex quibus illud perſpicuum eſt, ſedulo dandam operam civitati, ut in edocendis tyronibus magiſtrorum artificum diligentia aliqua accuratior impendatur, excitarique eadem poteſt etiam per collegiorum ſtatuta ſatis commode. Quantum apud Gallos academiæ illæ, quarum antea memini, (*Maiſons publiques de toutes ſortes de manuſactures*) ad perfectionem faciant artium, manifeſtum eſt. Inter alia aliarum gentium inſtituta placent mores Sinenſium, quibus iisdem, quas parentes coluerunt, artibus imbuunt etiam filios, ut vel cum lacte nutricis artes patrias & commercia imbibant. Neque enim eſt, quod cariſſima pignora parens celet, quin paterno adfectu potius illos inſtruat, neque ullis aut laboribus aut induſtriæ parcat. Certe eam potiſſimam cauſam obſervatam video, qua apud cordatiſſimam illam gentem artificia adeo excellenter floreant, tranſportatis ad Europæos etiam ſcite factis operibus, quæ in inſulas primum Philippinas, inde Mexicum, tandem Hiſpalim advehantur. Et vero quum ſit ea fere cujuscunque artis conditio, ut eodem tempore inchoari illa pariter & abſolvi nequeat, ſed experientia denique diuturniori ad perfectionis culmen aliquod provehatur, dari fere opportunior perficiendi artes modus non poteſt, quam quo propagatis per parentes aut idoneos ſaltem atque diligentiores magiſtros, quæ a ſingulis obſervata ſunt, auctior ſubinde & perfectior artificii excolendi ratio vel ad liberos, vel ad cæteros transmittatur tyrones. Quod ſi enim artificum liberi in diverſam aliquam a patrita artem magis naturali quadam proclivitate propendeant, quo natura inclinat, duci ſatius eſt. Bene admodum conſvetudo Utopæ gentis apud Thomam Morum *lib. 2. Maxima ex parte quisque in patriis artibus educatur: nam eo plerique natuoa feruntur. Quod ſi quem animus alio trahat, in ejus opificii, cujus capitur ſtudio, familiam quampiam adoptione traducitur.*

Digitized by Google

CVII. Sed & illud intelligendum eſt, quod ab Ariſtotele monitum in politicis, tanto unumquodque inſtrumentum fore præſtantius, quanto paucioribus uſibus deſtinatum ſit, tanto minus excellere, quanto pluribus inſerviat, poſſe etiam ad artifices accommodari: quos, in ſuo quemlibet artificio, eo plus perfectionis conſecuturos eſſe caret dubio, quo in unum aliquod genus artium magis incubituri ſint. *Singuli enim ſingula*, ut ait Plato lib. 3. de republ. *recte conficere poſſunt, plura vero minime: quod ſi quis plura tractare aggrediatur, in ſingulis ita deficit, ut in nullo evadat egregius.* Quod in Sueonum arte factis olim obſervavit Wilhelmus Uſſelinx. Argon. Guſtav. p. 20. Enimvero cum Eleo quidem Hippia gloriari quempiam, nihil eſſe ulla in arte rerum omnium, quæ neſciat, nimis fuerit infrunitum. Atque eam ipſam ob cauſſam excellentiora paſſim artificiorum opera in magnis, quam in parvis civitatibus reperiri, recte animadvertit Xenophon *Κύρȣ παιδείας* lib. 8. nam minoribus quidem in oppidis ab eiſdem ſpondam, januam, aratrum, menſam fabricari: ſæpius eundem etiam domui exſtruendæ intentum bene ſecum agi putare, ſi modo aliquos nanciſcatur, quibus locata opera victum ſibi poſſit acquirere. magnis urbibus, ubi multi ſingulis indigeant, unum artificium unicuique ad alendum ſufficere: ſæpe ne unum quidem utrosque, viriles unum, alterum muliebres calceos conficere; ſolis conſuendis calceis alios ſeſe alere, alios ſcindendis duntaxat illis occupari, geminamque & in tunicis ſcindendis atque conſarciendis artificiï diſtinctionem eſſe, ut neceſſe ſit, illum, qui occupetur opere minime longo, etiam id quam optime cogi perficere. *Ἀδύνατον ἐν πολλὰ τεχνώμενον ἄνθρωπον πάντα καλῶς ποιεῖν.* Quod ſi ita eſt, danda ſane eſt opera, ut in illis, quæ quidem exquiſitiori paulo induſtria egeant, artibus ſingulis ſinguli occupentur artifices, ne in plures cura diſtracta rudius artes utiliores commerciis excolantur. Ordinari autem illa iiſdemque ſimilia tum per ſingulorum artificiorum, quæ dixi, ſtatuta poſſunt, tum quocunque denique opportuniori modo perfectionem aliquam conſequi in utilioribus artificiis civitati proclive erit.

CVIII. Qualem ante alios fere duxerim, ubi ſingulis artificiorum collegiis certi inſpectores magiſtratuum cura præponantur, operam navaturi, ut quæcunque artificiis elaborentur, citra fraudem fucumque, leges juxta, perficiantur. Inprimiſque deferendos etiam per ejusmodi inſpectores magiſtratibus placet, quorum ſingularis opera emicuerit, quo majoribus illi acceptis præmiis ad ſimilia cæteris artificibus addant ſtimulum, quippe non minori dignum laude eum putaverim, qui perfectionis aliquid jam inventis adjecerit, quam qui primus auctor cujusdam fuerit artificii. Inſpectores ſane, ſive mavis cenſores dicere, certis artificiïs in quibusdam Hollandiæ locis conſtitutos reperias, vulgo *Keurmeeſters* & *Proefmeeſters*, quorum artis illi rationem quam maxime, hi materiæ bonitatem examinant. Quin & legibus ſaluberrime in quibuſpiam artificiis gemina apud eosdem cauta ſunt, ut in ſericorum filamentorum tinctura. Quæ quum ſit in Belgica perfrequens, jurejurando adſtringuntur tinctores ex decreto ordinum ann. 1598, ne quo illa pondere vitient. Ita auri argentive falſum colorem æri aut cupro inducere, ne cuipiam coloratio illa fraudi ſit, itidem ſanctione ordinum in prohibitis eſt. Apud Venetos *delli Signori di panni d' oro*, ne qua in texendis ſericis aut byſſinis auro argentove intertextis, fraudulenti committatur, officium eſt. Mechanicarum vero artium opifices, ne quem in artificiis ſuis dolum adhibeant, *dalli Signori alla mercantia* proſpicitur.

CIX. Atque eadem, quæ in arte confectis cura eſt, etiam ad reliqua extendi debet, quæ ab humana induſtria ac labore proveniunt. Quo quum præter alia piſcium ſalitura pertineat, bene Hollandi, quod per leges id caverint, ne elapſo nondum decem dierum ſpatio ſalis conditura haleces eximantur, neu vitiatis condantur vaſis. Quare jam tum ab anno 1588. in quavis urbe, unde piſcatorii lembi ſolvunt, cenſores inſtituti habentur, qui ad omnia, in quibus peccatum, accurate curam intendant. Etiam illud perutiliter cautum, ut in navibus ſale conditi primum, ſimul ac redierint, unde ſolverunt, de integro ſale condiantur, quod *verpacken* vocant, idque in loco publico, quem adire cuivis liceat. Ibique ut a viatoribus vaſa minus utilia illico ſolent projici, ita ab his, qui *Packers* vulgo audiunt, attendentibus ad idem cenſoribus, *harengi* omnes quocunque modo corrupti diſcernendi ab reliquis ſunt, *onſuiveren*, *vvracken*, *kuitſiecken*, *vvanſouten*, *melckſiecken*, *Harinck*.

CX. Ut vero ipſorum inprimis magiſtrorum peritia, qui tyrones deinde ſuos optime inſtruant, reddi poſſit aliquantillum accuratior, utiles artificiis eſſe etiam poſſunt quandoque peregrinationes artificum juvenum. Quamvis adhiberi iiſdem nolim, niſi quos capacioris ingenii præclarior indoles multum operæ pretium facturos ſpoponderit, ut qui exterarum artium perſcrutati arcana noſtris inferant ditionibus. Quod conſilium commendat inprimis auctor libelli, non ita pridem editi, cui titulus: *Ein aus Luſt gemahltes Vorbild des Landes Braunſch. Lüneb.* illis regionibus opportunum quam maxime, quibus ob non admiſſam religionum diverſitatem extraneorum artificum minor exſpectanda ſit copia. Ita Melchiore ſuo Louichio, cælatore, ſculptore & pictore eximio jactat ſeſe Flensburgum, qui & Græciam, & Italiam, & Galliam, & Belgium, ut in arte ſua excelleret, quos hinc inde præſtantes illa deprehenſurus eſſet bene imitabundus, peragraverit: cujus apud Joann. Iſ. Pontanum in Chorogr. deſcript. Daniæ locuples mentio p. 686. eſt.

CXI. Cæterum ante omnia illis artificiis præmia proponantur, quæ abſtruſioris ſcientiæ & ſolertioris induſtriæ aliquid continent, modo quæſtuoſa eadem & commerciis ſint. Quo pannorum fortaſſis glaſto colorandorum artificium quis retulerit; quippe in glaſto (cujus tinctu apud Anglos nihil fere frequentius, ſive cæruleum illi pannis colorem velint inducere, ſive ad colorem

viridem atque ſubfuſcos alios minus evanidos præparare illos deſiderent) rite decoquendo certos adeo quoſdam articulos temporum atque alias circumſtantias advertendas proditum reperi, Boyle de inſid. exper. ſucc. p. 101. ut, errore in illis commiſſo, ſæpius cum jactura expectatio eludatur artificum. Itaque imperitiores quidem tinctores, quo incommoda hæc effugiant, glaſti uſu neglecto, etſi copioſiori ejus proventu Anglia adfluat, Indico uti colore malunt; quamvis ille majori pretio ab Hiſpania atque inſulis Barbados, ſæpe etiam usque ab Orientali India advehendus ſit. Ita & in coccineorum tinctu illud inter alia memoratu dignum ab magiſtro quodam artis illius ſibi compertum annot. 6. ad experim. 48. & Exper. 50. de coloribus narrat Boyleus, quod produci nequeat ab tinctoribus ille color, quem *Bomdyen* Angli vocent, niſi, quæ ad tinctum requirantur, materiæ in vaſis ex ſtanno confectis vel eodem metallo incruſtatis contineantur, etſi omnia reliqua probe obſervata fuerint. Habent igitur iſtæ artes, de quibus nunc ſermo eſt, modo artifices probe id ipſum calleant, in quo ſecretioris ſcientiæ aliquid reconditum eſt, inſtar aliquod monopolii, quum ab aliis illud gentibus, indagari, nobis quidem invitis, nequeat, quod in illis abſtruſius aut ad imitandum ſaltem eſt difficilius, niſi vel inſigni quadam induſtria, vel ingenioſa ſolertia. Quare concedendum ſane Venetis fuit, ut in admirando illo vitra cryſtallina conflandi artificio, qua inſignem expolitionem, qua ſplendidum nitorem, qua varietatem denique operum uni omnium maxime excelluerint. Quorum eo usque in Murana officina proceſſit ſolers induſtria, ut, quod ex metallis aliæ gentes, ipſi vitreum elaborent. Quæ ingenioſa Venetorum ſolertia omnem & Gallorum & Hollandorum ſatis diu fruſtrata induſtriam eſt, donec melius tandem res ſucceſſit apud Hollandos quidem Amſtelodami Roterodamique præſertim. Neque felicius arcaniorem modum illum, per quem vaſa Porcellanorum nomine vulgo nota ab Chinenſibus effingi ſolita, magnum temporis ſpatium imitari anniſi ſunt Batavi: quanquam & in iſtis multum denique præſtitum ſit, apud Roterodamenſes inprimis atque Goudæ floreſcente figulina. Quocirca, quoad fieri ejus licet, detur opera, ſiquidem artes aliquas hujus generis ſubditi tui calleant, ne ad alios illæ per eosdem divulgatæ promanent. In quo juſtam Ruſſorum ſagacitatem non immerito laudes: ut qui ne beneolentis quidem atque ſplendidius rubentis corii ſui præparandi artificium ad promiſſam pecuniarum ſummam haud omnino exiguam peregrinis patefacere ſuſtinuerint.

CXII. Sed & illud caveri velim, ſi qua civitati tuæ contigerit certi generis arte confectorum poſſeſſio, ne eatenus uni illi artificio incumbendum cenſeat, ut illius gratia, quidquid aliarum artium fuerit, penitus fere negligatur. Poteſt ſane accidere, ut quamdiu floreſcente fruaris mercium certi artificii monopolio, ſatis inde ad commercia confluat amplitudinis. Ut in una Cameracenſi urbe anno ſuperioris ſeculi octogeſimo octavo, ratione diligenter inita, compertum fuit, ſolo texendarum telarum artificio ad ſexaginta millia telarum quotannis confecta, quæ, æquato pretio, ſingulæ quadraginta florenis æſtimatæ ad viceſies quater centena millia florenorum excurrunt, Vid. Thuan. L. 89. & de Anglico pannorum commercio ſupra vidimus. Verum quoniam inconcuſſa poſſeſſionis ejus ſecuritas admodum in incerto eſt, ut in ipſo Anglico pannorum tingendorum & conficiendorum artibus, ſerico item ad Hiſpanicum Italicumve colorando morem, præparatione corii Cordubenſis, telis ſubtiliſſime pertexendis atque aliis ejus generis liquet affatim, circumſpecta opus eſt providentia, ne unius paucorumve artificiorum uſu labefactato omnis una commerciorum ratio concidat. Sitque civitas, qualem de ſeipſa ita gloriabundam Antverpiam finxit Jul. Cæſ. Scaliger:

Omnigenæ merces, artes priſcæque novæque
Quorum inſunt aliis ſingula, cuncta mihi.

CXIII. QUIBUS ita expoſitis, dicendum eſt tandem, quonam modo abundante jam mercatorum numero, neque minus adfluente copia, optimarum imprimis, mercium, promta conciliari mercatoribus poſſit & parata mercimoniorum diſtractio. Qua ſi deſtituta fuerit civitas, non tenere curſum ſuum poterit mercatura. Quippe quum faciundi quæſtus gratia ad vendendum adferat civitati vel exportet ex illa merces negotiator, fruſtrabitur eum fine ſuo aut ſaltem importune detinebit diutius vendendarum mercium difficultas & pro mercibus pretii minime quæſtuoſa aut protracta nimis & procraſtinata ſolutio. Itaque quum propoſita a nobis ſint tria, quæ ad omnis commercii amplitudinem requirantur, quorum duo modo expoſui, quantum quidem animo complector, maxime fere eſt in illis neceſſarium, quod poſtremo loco poſuimus, quum & ipſam formam commercii ſola mercium diſtractio exhauriat, & per illam, quamvis non qualemcunque, verum eam demum, quæ lucroſa eſt, expetitum finem mercatores obtineant. Quibus explanandis quum fere eo fortaſſis longiori diſputatione opus eſſe videatur, quod in eis præcipua pars diſputationis noſtræ ſit poſita, tamen eo nobis eſſe licebit brevioribus, quo jam plura antea disquiſivimus ad promtiorem mercimonia diſtrahendi modum idonea, quod ad eum collineandum erat etiam cæteris.

CXIV. INTELLIGENDUM eſt igitur, quo ſit expeditior mercium civitati noſtræ importandarum diſtractio (nam de iis primum, poſt de exportandis videamus) duo maxime effici oportere, tum, ut copioſo emtorum numero adfluat civitas, tum, ut emtionis venditionis contractu perfecto juſtum venditoribus pretium citra moram illico exhibeatur. Atque primum quidem ſatis illud perſpicuum eſt, quo majori hominum copia civitas abundaverit, ſive ipſi illam inhabitent, ſive ab vicinis atque diſſitis etiam longius terræ tractibus adfluant advenæ, eo copioſiorem omnino expetitum iri mercium cujuscunque generis abundantiam, tum ad uſus vitæ neceſſarios,

tum

tum ad perfruendas etiam voluptates. Cui illud eſt conſequens, ut facillime ſuis mercibus emtorem nanciſcatur mercator, dum in ampla hominum multitudine, quibus alii haud perinde forſan indigeant aut emendis ſuppari opum facultate minus inſtructi ſint, advectarum mercium deſiderio alii opulentioresve tangentur. Quod ſi ita eſt, danda ſane eſt opera, ne convenienti emtorum numero civitas deſtituta non ad eam amplitudinem mercaturæ maritimæ poſſit emergere, ad quam illi adfluentiſſimo mercatorum numero atque abundanti mercium omnis generis copia contendendum eſſe docuimus.

CXV. VT ampliſſimo incolarum numero civitas augeatur, & allicere privilegiis peregrinos ad illius conſortium, & allectos iisdem artibus retineri opus eſt maxime. In quo Romanorum exemplum commendat Tullius Orat. pro Cor. Balbo, quamvis haud perinde amplificandam civium multitudine mercaturam, quam potentiam virium illi forſan ſpectaverint: *Illud ſine ulla dubitatione maxime noſtrum fundavit imperium & populi Rom. nomen auxit, quod princeps ille creator hujus urbis Romulus fœdere Sabino docuit, etiam hoſtibus recipiendis augeri hanc civitatem oportere. Cujus auctoritate & exemplo nunquam eſt intermiſſa a majoribus noſtris largitio & communicatio civitatis.* Compari fere ſtudio apud græcos Theſeus amplificandæ athenienſium civitati, Plutarch. in Theſeo. *ἐκάλει πάντας ἐπὶ τοὺς ἴσους, καὶ τὸ Δεῦρ' ἴτε πάντες λεῴ, κήρυγμα Θησέως γενέσθαι φασὶ, πανδημίαν τινὰ καθιστάντες.* Neque laude ſua fraudari volumus inſtitutum Byzantinorum, qui quum lege in civitatis incrementum iniquiori uterentur, ne quis, niſi utroque parente cive genitus, civitatis juribus frueretur, immutata ejus auſteritate, ſanxerunt, quicunque ſolvendo eſſet libras triginta, civitate excludendum non eſſe. Ludovicum XI. & Franciſcum I. Galliarum reges memorat Joan. Bodinus s. l. c. 6. de republica, quorum alter jura civium Burdigalenſium, quamvis maxima, peregrinis omnibus, præter Anglos tamen, indulſerit, modo ſedes in civitate fixiſſent; alter Gratiæ Portus ad Sequanam conditor tributorum immunitate allectis, qui urbem incolerent, civibus eam effecerit longe adfluentiſſimam. Quæ res auxit etiam Londinenſis populi amplitudinem; cujus itidem peregrinis omnibus privilegia, dum per decem annos urbem inhabitaſſent, Rex Richardus conceſſerat. Nuſpiam vero facile benignius in advenas ſtudium ampliorave privilegia, quam in Belgica deprehendas, obſervatumque reperio, magis eas fœderatæ Belgicæ civitates floreſcere, quæ exiguo civitatis jura concedunt pretio, quam quæ majori demum pecuniarum ſumma accepta advenis illa offerunt. Verum contineo me ab exemplis, ne iis pluribus utar in re non obſcura minime neceſſariis.

CXVI. ILLUD haud abſurdum videtur operis propoſiti regulæ, quoniam auget civium multitudinem &, quod illi eſt conſequens, reddit copioſum una emtorum numerum facilis peregrinorum ſuſceptio, jamque in communionem civium receptorum tractatio liberalior, paulo perſequi fuſius, an eorum compar ratio exiſtimanda ſit, quorum animos religioni noſtræ minus equidem congruens circa ſacra opinio adſtrictos teneat? Quam quæſtionem jam tum ſupra aliquoties tetigi, quod complures utilitates adferat ad commercii amplitudinem libere ſuam cuique religionem exercendi conceſſa copia. Quare, quoniam facilius rei cujusque in unum contracta ſpecies, quam diviſa intervallis, atque accuratius dijudicari poſſe videtur, ſingulis opportunitatibus, quibus ad augmenta commercii religionum libertas iſta inſerviat, in artum contractis, allatisque poſt deinde in medium, quænam ex adverſa parte ipſam illam diſſuadeant, diſpiciemus.

CXVII. ESSE autem eam in præcipuis ſaltem mediis, quibus ad commercii amplitudinem civium numerus evaſurus ſit amplior, dubitari certe in immani illa, qua terrarum orbis laborat, religionum diſcrepantia nequit. Sunt ſane ſtimuli religionis acerrimi, quos, ubi altius animis hæſerint, ſæpiuſcule ne pœnarum quidem atrocitas evulſerit, quamvis alios ſimplicitas rudior, alios ſubtilior quædam divina ſcrutandi ratio, omnes fere ſemel conceptis opinionibus aut adfectibus perturbatum judicium a purioris veritatis notitia arceat. Quod in legatione ad Cajum Cæſarem dixit Philo: *religionem plerumque non ratione, ſed adfectu dijudicari.* Cujus ſiquidem tanta, ut dixi, vis eſt, citra difficultatem inde ad liquidum id perducitur, non induci ſe paſſurum quempiam fore, quo quidem religioni ſuæ addictior ſit, ut in ea civitate domicilium capiat, aut, ſi ſemel fixerit, firme teneat, in qua illa libertate ſe excluſum perſpexerit, quam ipſius conſcientia flagitet. Quare juſto arctius exiſtimaverim privilegium illud, quo, præter alia, frequentiorem incolis Hiſpaniam reddere anniſus eſt anno ſeculi hujus tertio & triceſimo rex Philippus, ut, qui agriculturæ artibusve mechanicis ad viginti ab Oceano leucas operam impenſuri forent, libertate perpetua frui ſinerentur, quod ad ſolos eos illud reſtrinxerit, qui Romanæ eccleſiæ dogmatibus adhæreſcerent. Quæ niſi cautio adderetur, forte magna vis exſulum, Judæique inprimis, quorum in Hiſpaniam mirus amor eſt, habitatas quondam exoptatasque ſibi ſedes repeterent. Quanto ad augendam populi ſui multitudinem accommodatius Batavi! quorum in ſuæ unicuique religioni libertate concedenda facilitatem (quamvis non omnino ſemper ſervatam) ſecunda inprimis tertiaque epiſtola ante paucos annos pluribus expoſuit militum quidam tribunus Galliæ regi militans, ſive is Stupa ſit, ſive Stupam juverit in ſcribendo Piervillius, ſive alius denique fuerit, auctor libelli: *La religion des Hollandois.* Qui licet iniquum ſatis in Hollandos ſeſe forſan præbuerit, tamen ad commerciorum rationem comparandasque divitias opportunam admodum religionum eſſe libertatem illam confiteri coacto verba iſta expreſſit veritas: *On peut dire avec raiſon, que cet Eſtat, ſuivant ces principes, eſt & doit eſtre de toutes les Religions.* Neque male auctor laudati toties libelli de eo, quod

Xxxxx 3 Hol-

Hollandiæ intereſt, in præcipuis conſervandæ numeroſæ frequentiæ populi apud Hollandos mediis eandem religionum collocat tolerantiam cap. 13. & 17. vid. in edit. ab auctore recognita part. 1. c. 14. haud enim late reformatorum nomen diffundi; vix centeſimam partem hominum ejus religionis eſſe, forſan nec vigeſimum Europæorum: Hollandorum vero partem vix dimidiam eo cultu imbutam, ut neceſſe ſit excludi mortalium reliquos, ſiquidem nemini in Hollandia degere, niſi reformato, licuerit.

CXVIII. Quocirca tam late patebit uſus libertatis illius, quæ circa ſacrorum cultum conceditur, quam ample uniuſcujusque incitamenti utilitas diffunditur, quo ad noſtræ civitatis conſortionem amplectendam peregrini, retinendamve eandem cives invitantur. Poſſe autem, ut nec citra commercia commode ampliorem hominum numerum, ita neque citra inſignem eorundem multitudinem, copioſiora ſaltem, commercia conſiſtere, jam ex illis eſt liquidum, quæ & in prima diſſertationis parte admonui, & in ſequentibus de diverſis vitæ generibus ad commercia neceſſariis paſſim fuit propoſitum. Igitur non ſolum expeditiorem quæſtuoſioremque mercimoniorum diſtractionem efficiet permittenda pluribus præter unam aliquam religionibus conſcientiisque libertas, copioſiori reddito emtorum numero, ſed in his ipſis augebit forte pluribus etiam cæteris illis incolis civitatem, quorum ad diverſos uſus commercii multitudine quam ampliſſima opus eſt. In quo genere, præter ipſos adeo mercatores, agricolæ, piſcatores, artifices, inſtitores, nummularii, nautæ & claſſiarii ſunt. Quorum complures fortaſſis ab extraneis regionibus domicilium ſuum ad noſtram civitatem translaturos abſtinere potuiſſet religionem ſuam libere profitendi denegata libertas. Quamvis plurimum in his ipſa temporum opportunitas valeat, ceu in Britanniam belgica tempeſtate tanta vis confluxit opificum, ut etiam urbes aliquot infrequentes & fere deſolatas, Norvicam præcipue, Colcheſtram, Maiſtonum, Sandvicam & alias inſtaurarint. Meter. l. 3. Camden. annot. an. 1563. Thuan. Quantum Emda inde, nobiliſſimum Friſiorum emporium, hauſerit incrementi, l. 4. Hiſtor. memorat H. Grotius. Maxime Batavi alienis undique malis fruebantur, ad quos Luſitania profugi, pars Judæorum eo in regno reliquiæ, ne patriæ religionis interrogarentur, pars ob ſpem lucri majorem urbis Amſtelodami magnitudinem præferebant. Grot. l. 7. Hiſtor. Ipſam (ne propiora reticeam; nam neque Saxonia prorſus expers piæ humanitatis in exſules fuit) opulentiſſimam Hamburgenſium civitatem quantum Reformatorum Belgarum divitiæ juverint, ſatis notum eſt: quos ut cunque ſacrorum commercio prorſus non cohærentes, urbe ſua excludere neſas ducebat in commercii amplitudinem nata civitas, & quæ bene etiam in religione diſſidentibus faciendum eſſe ex divinis Apoſtoli monitis VI. ad Galat. 10. norat. Quibus ut in urbe commodum receptaculum, ita in vicino admodum oppido Altena liber religionis uſus fuit. Cæterum ipſos etiam ſacris diſcordes advenas multum apud nos ſubſtituros eſſe libentius & commercio fruituros facilius, ſatis rationi eſt conſentaneum, ubi minime ſe ob diverſam religionem inviſos perſpexerint, facta maxime inſuper cultum ſuis ritibus proſequendi certis in locis copia.

CXIX. Nolim equidem contendere, ut perutile promovendis commerciis medium religionum libertatem illam conſtitui, ita citra eandem ſalvam amplitudinem mercaturæ intelligi omnino non poſſe, quippe quod contrariis nonnullarum gentium inſtitutis poſſet forſan redargui, quas unius religionis fervidiori addictas ſtudio nihilominus magnitudo commercii ſic ſatis illuſtres reddiderit. Quamvis nec de his id adeo quæram, an non floridiorem forſitan amplitudinem conciliare ſæpius potuiſſet civitatum illarum commerciis, cum religione diſſidentibus, communicatio civitatis, tractatioque veterum civium nova magno numero amplexorum benignior. Verum incidunt ſane tempora, quibus non expediat ſolum incrementis commercii certæ religionis, quæ cum receptiori non congruat, plena & impunis prorſus libertas, verum etiam ne floreſcere quidem citra illam poſſe commercia, jure aliquis arbitretur. Quid ſi enim usque eo illa radices egerit, ut exſtingui citra jacturam maximæ multitudinis perſecutionemve non poſſit? aut ſi nimiæ incolarum penuriæ nequeat ſane mediis opportunioribus conſuli? De Hiſpania quidem inter omnes conſtat, ita exhauſtam fuiſſe longe utiliſſimis incolis, Ferdinandi principis imprudentia pulſis inde Judæis ac Mahumedanis, ut ad ſummam in ea hominum egeſtatem perventum ſit. *Plerique ſcriptores centum & ſeptuaginta familiarum millia abiiſſe confirmant, quidam ad octingenta millia capita perveniſſe ait. Ingens numerus ac vix fidem facturus, unde* (nec ipſo diſſimulante Mariana l. 25. c. 1.) *multis occaſio exſtitit hoc decretum accuſandi: gentem copioſam & quæ omnes vias pecuniæ noverat, amovere, a prudentia Ferdinandi alienum exiſtimantibus, magno utique compendio fructuque earum provinciarum, ad quas copiarum Hiſpaniæ magnam partem aurum, argentum, gemmas, veſtemque pretioſam ſecum detulere.* Nihilo ſecius gemini in Maranos conſilii, magnæ gentis reliquias in Granada Andaluſiaque ſuperſtites, inclyti ſanctimonia patres, noſtro ſeculo, regi Philippo III. auctores facti, eo ſucceſſu, ut edictis etiam laboranti regno ſuccurrere parentisque culpam corrigere niſus fuerit filius. Belgarum vero hiſpanienſi iidem imperio ſubjectorum commercia quænam præter religione diſcordantibus denegatam conſcientiarum libertatem cauſſa æque labefactaverit, neſcio. Quorum ruinam primo ſtatim initio turbidi ejus temporis, quo in religionis immutatæ ſuſpectos inquiſitione & edictis atrocibus apud Belgas animadverti cœptum, Antverpienſium civitas, quam egregie cum obſequio temperata libertas ad ſummas opes evexerat, valde ſubverita conqueri auſa fuit, Germanos ac Britannos, bonam commercii ſui partem inviſa ſeveritate fugari. Sleidanus & Grotius lib. 1. annal. De eadem urbe Thuanus lib. 40. *Intercedebant & civitates, atque Antverpia inprimis, quæ inquiſitione commercium ac libertatem, quæ fere celebri-*

tas

Digitized by Google

tas illius maximi toto orbe emporii conſtat, cum omnino impediri provideret, in Hiſpaniam delegatos miſit. Inde Lamoralli quærimoniæ: *plebem per urbes, oppida, pagos de commercio impedito queri, malis non aliud remedium quæri poſſe, quam ſi edicta ac placita de religione revocarentur.* Atque Angli ſane inquiſitionis metum ſaltem cauſſati Emdam Orientalis Friſiæ Comitum emporium paulatim avertere commercia. Quin & opificibus, quibus ſupra cunctas orbis provincias Belgium abundabat, illico ob atrocitatem edictorum dilapſis, ingens ubique vaſtitas, mœſtaque rerum facies apparuit: etiam purgandæ inficiendæque lanæ ſolocis uſu, cujus apud Belgas hactenus monopolium ſteterat, ad Anglos translato. Quid ad balthicum ſinum & in Ingermannia ſuedicæ mercaturæ acciderit, græcæ religionis cultu Ruſſis negato, notum eſt.

CXX. QUOCIRCA quum non tolerantiam ſolum pluribus præter unam religionibus, ſed & pleniorem aliquam libertatem dari quandoque ſuadeat ſalutaris illa utilitas, quæ ex amplitudine commerciorum percipitur, ea porro, uti placuit, perſequamur, quæ in partem diſputari ſolent contrariam. Atque induit ſane ſæpius, quod revera damnoſum eſt, blandientis cujusdam utilitatis ſpeciem, neque beatæ illico reipublicæ approbatur, quod quacunque ratione prodeſt in publicum. Igitur *ſicut ſæpe ſumenda ſunt & amara ſalubria, ita ſemper vitanda eſt pernicioſa dulcedo.* Auguſtin. de doctr. Chriſt. l. 4. c. 5. Quamvis non ad eam quidem reipublicæ beatitudinem diſputationem nunc accommodem, quæ in votis habetur potius, quam ut exhiberi illa reapſe poſſit. Neque enim inſtitutum noſtrum id finit. Quare nec opus erit, illis omnino mediis abſtineri, quæ reſpueret forſitan Cretenſis illa academici Platonis reſpublica, in qua omnia mediocria præter virtutem. Nam & majorem aliquam adfluentiam & ſplendorem quendam externum divitiasque una appetit noſtra civitas, etſi excellentiorem virtutem admodum quidem ipſa illa deſideret & in antiquiſſimis habeat. Cui illud eſt conſequens, omnino utendum videri omnibus illis mediis, quæ ad aliquem horum finium conſequendum idonea ſint, niſi illa aut inhoneſta ſint, aut periculoſa etiam cæteroqui reipublicæ.

CXXI. PERMITTETNE igitur mercaturæ gratia prudens reipublicæ gubernator pluribus præter unam eandemque optimam religionibus eam libertatem, qua non in civium ſolum numero illi habeantur, quorum ab receptiori veriorique ſententia diſcrepat, ſed & impune ſuis quemlibet moribus ſacrum divinitatis cultum publice privatimve ſaltem liceat proſequi? An vero ſubabſurdum aliquis putet non immerito, dum floreſcant commercia, mutuo inter ſe civium de religione diſſidio turbis atque periculis civitatem exponere. Nam carere eis forſan haud poterit, ubi arctiſſimam illud animorum vinculum unius religionis tollatur ſocietas. Poſſunt huc referri quodammodo, quæ de inſigni difficultate peregrinos ſub easdem in civitate leges redigendi Plato lib. 4. de Legg. ac de ſeditionum periculo ex peregrinorum in civitatem receptione promanaturo diſputat Ariſtoteles in politicis lib. 5. c. 3. Neque caret profecto veritate ſententia magni ejus philoſophi: *Ἔοικε πᾶσα διαφορὰ ποιεῖν διάστασιν.* Cui geminam, in comitiis aurelianenſibus ſuperioris ſeculi anno LX. in Gallia habitis, de hoc ipſo, quo de nunc agimus, religionum diſſidio pervenuſte apud Thuanum lib. 27. expromit, ſummus vir, Michael Hoſpitalius: *negari non poſſe, quin potentiſſimum in animis vel falſa religio telum ſit, adfectus cunctos & caritates ſuperaret; & arctiori nodo, quam cætera humanæ ſocietatis vincula, mentes conſtringat: in confeſſo eſſe, regna religione, non limitibus dividi: proinde quotidie uſu venire, ut, qui religionis opinione ducantur, principem, patriam, uxores, liberos atque hujusmodi neceſſitudines parvi faciant, atque inde rebelliones, diſſenſiones ac defectiones oriri.* Adeo igitur vis religionis diſſentientis impatiens eſt, quumque molliendis fœderandisque animis valere deberet, facta eſt humanæ imbecillitatis vitio acerbiſſima odiorum materia.

CXXII. Verum enimvero, ut neque ob evitandas diſcordias civium excludendos a civitatis communione peregrinos auſim adſerere, (in quo Græcorum quorundam errores quam rectiſſime in II. antiquit. roman. halicarnaſſenſis Dionyſius & in XI. annalium Taciti Princeps Claudius ſugillant;) ita neque incertioris metu periculi, quod ab religionum in republica diverſitate promanaturum ſit, fas habendum eſt, certius reipublicæ emolumentum interverti. Quippe nulla adeo res eſt, quæ, quum utilitatis quidpiam præbitura ſit, omnibus careat incommodis, latiusque profecto patet dictum Petronii: *ubicunque dulce ſit, ibi & acidum inveniri.* Auguſti Cæſaris eſt apud Dionem lib. 56. *nullum nos bonum habere, cui non aliquid acerbi admixtum ſit; tum plurimis & optimis bonis adnata eſſe plurima etiam ac maxime triſtia, quæ ſi declinare velimus, ne bona quidem appetenda nobis eſſe.* Hinc de ſimili fere negotio, Judæorum in Luſitaniam receptione, ſcite admodum Hieronymus Coneſtaggius: de conjunct. regn. Portug. & Caſtil. lib. 1. *Quamvis in recipiendis novis hiſce velut coloniis in præcepta politica peccatum fuiſſe videri queat, eo, quod hæc gens, tum origine, tum religione, vehementer ab incolis reliquis diſcreparet, &, cum jam ante numeroſa eſſet, temporis progreſſu creſcere & ingens diſſidium facile excitare poſſet; tamen hæc res fiſcum regium non mediocriter auxit.* Cæterum, ut in paucas definitiones res contrahatur, quæ ab aliis peti fortaſſis poteſt aliquanto prolixius, quamvis alio fere inſtituto, explicita, concuti religionum diſſidiis rempublicam cæterа bene conſtitutam ex eorum numero eſt, quæ interdum fiunt, non ſemper. Quod ſi turbamentum adfert aliquod reipublicæ, quæ in religionibus intercedit diverſitas, ſane aut ipſa certæ religioni denegata libertas, & quæ propter illam adverſa iis inferuntur, quorum diſcrepat ab communi ſententia, ſtimulant animos ad diſcordiam, aut doctrinis quibuspiam ſcatet ipſa quædam religio minime ſobriis tolerandisve in publicum. Ut ſi obſequium denegans magiſtratibus cuncta reipublicæ fundamenta concutiat, quæ præterito ſeculo anabaptiſtarum quorundam fuit inſania;

nia; neque meliora mulio minime cordatorum (neque enim de omnibus adfirmare iſta ſuſtineam) Pontificiorum quorundam nonnulla, quæ vel ſupremos Principes, imo quidquid eſt hominum, ſaltem, quos ab roman. eccleſiæ dogmatis aut obſequio alienatos hæreticorum inviſo ſtatim traducunt nomine, unius romani antiſtitis ſubduni arbitrio, quorum inſignem fructum hodienum in Anglia cernere licet. Igitur ne ob ipſam adeo religionum diverſitatem diſcordiarum motibus agitetur reſpublica, ita præcaveri poterit commodiſſime, ubi & libere & impune profiteri licebit ſuam religionem unicuique, ut aliorum quidem ſententiis perinde non congruam, ita minime tamen noxiam illam alias reipublicæ tum injuriæ & convitia, quæque ejus ſunt generis, putidorum adfectuum, quam ſinceræ pietatis, certiora indicia prohibebuntur. Qualia Lignizienſis Principis & Sigismundi Brandenburgici Electoris edicto memorat auctor ſupplementorum Meterani lib. 31. referrique eodem poteſt geminum fere in brandenburgenſi Marchia inſtitutum, prodita aliquot abhinc annis reformatos inter & evangelicos concordiæ formula. Optima conſtitutio Utopi apud Thomam Morum lib. 2. *quam cuique religionem libeat ſequi, liceat; ut vero alios quoque in ſuam traducot, hactenus niti poſſit, uti placide ac modeſte ſuam rationibus adſtruat, non ut acerbe cæteras deſtruot, ſi ſuadendo non perſuadeat, neque vim ullam adhibeat & convitiis temperet, petulanterque hac de re contendentem exſilio aut ſervitute multent.* Quod ſi tamen vel acceptum Deo obſequium ita ſeſe præbituros rati, vel affectibus præpediti nimium nolint illum errorem ſuum poſt veritatem, obſtinationem poſt reipublicæ commoda ducere, quorum in divinis dogmatibus explanandis populoque religionibus imbuendo labor eſt, enimvero tum defuturum facile diſcordiarum fomitem affirmare non auſim, pronis flecti in quævis vulgi animis, ubi vana ſuperſtitione ducuntur. Jam ſi ſubcontrarium aliquid naturalis aut civilis honeſtatis præceptis atque noxium reipublicæ quædam hæreſes doceant, poſſe etiam illis deditos citra magnam adeo difficultatem admitti, nolim ire inficias, modo ea religionis ſuæ capita abnegent, quæ vel naturali morum honeſtati, vel ipſius reipublicæ fundamentis ſalutique adverſa ſunt. Quin & cæteroqui cur tolerari non poſſint quodammodo, ubi plurimorum admodum animos fœda hujuscemodi peſtis quædam invaſerit, quoad civilem tranquillitatem violare non audeant, haud video, ut ſub primis Imperatoribus chriſtianæ addictis fidei tolerati ſunt etiam idololatræ, quorum religionem vel ipſius naturæ adverſam lumini reſpuit omnis bene conſtituta reſpublica. Uſum publicum religionis concedi illis, ſaltem citra neceſſitatem, diſputandive pro ſuis ſententiis apud vulgus fieri copiam prodeſt minime. Adeo univerſim verum eſt, quod ab eodem, quem ſupra laudavi, illuſtri viro Michaele Hoſpitalio, Galliarum regis Caroli IX. Cancellario, (cujus verbis eo utor libentius, quo excellentior viri in republica integerrime verſati fuit prudentia:) quum diverſam a priori ſententia reipublicæ commoda flagitarent, poſt biennio in conventu ad S. Germani aſſertum reperi apud Thuanum lib. 79. *Multi cives eſſe poſſunt, qui minime ſunt Chriſtiani, & qui ab eccleſiæ gremio remotus eſt, non deſinit eſſe civis; & pacate vivere poſſumus cum iis, qui nobiſcum eadem ſacra non colunt: in iisque exemplum hoc uſurpare debemus, in quo dicitur, uxorum vitia tollenda aut toleranda eſſe.*

CXXIII. ACRIOR nobis omnino, eaque inprimis ardua diſputatio cum illis futura eſt, qui civilis prudentiæ illud medium, quod ad promovenda commercia eſſe docui utiliſſimum, juxta Chriſtianæ pietatis philoſophiam diſcutiunt. Qua carere profecto civitas paulo melius conſtituta vix poteſt. Quamvis enim ſatis congruenter virtuti (vero illi felicitatis civilis ſcopo) vivere videatur civitas, ubi civium animus corpori & ratio vitiis laudabiliter imperant, *ſi tamen*, dicit Auguſt. lib. 19 de Civ. D. c. 25. *Deo animus & ratio ipſa non ſervit, ſicut ſibi ſerviendum eſſe Deus ipſe præcepit, nullo modo corpori vitiisque recte imperant. Nam qualis corporum atque vitiorum poteſt eſſe mens domina, veri Dei neſcia, nec ejus imperio ſubjugata, ſed vitioſiſſimis dæmonibus corrumpentibus proſtituta? Proinde virtutes, quas ſibi habere videtur, per quas imperat corpori & vitiis ad quodlibet adipiſcendum vel tenendum, ut ſi ad Deum retulerit, etiam ipſa vitia ſunt potius, quam virtutes. Igitur in hoc reges, ſicut eis divinitus præcipitur, Deo ſerviunt, in quantum reges ſunt, ſi in ſuo regno bona jubeant, mala prohibeant, non ſolum, quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam, quæ pertinent ad divinam religionem;* docente Auguſtino contra Creſcon. lib. 3 c. 51. Inde Auguſt. ep. L. ad Bonifac. *omnes reges, qui populo Dei non prohibuerunt nec everterunt, quæ contra Dei præcepta fuerant inſtituta, culpantur: qui prohibuerunt & everterunt, ſuper aliorum merita laudantur.* Atque idololatricum quidem cultum apud Hebræos, etiam in Noachidis, capitis punitum ſupplicio & altaria, delubra, lucos atque cætera idolorum devota cultui aboleri aut præcepta, V. Ex. XXXIV. 13. Deut. VII. 5. XII. 2. 3. XIII. 12. & ſſ. XVII. & ſqq. aut ſolita; fuſe demonſtratum dedit Jo. Seldenus inſignis operis de N. & G. jure lib. 2. c. 1. & 2. Sed nec ſegniores multum, ſaltem in deſtruendis idolis, exſtirpandoque omni illorum cultu nefario & obſcœna impietate, tum in purganda ab hæreticorum inquinamentis Catholicæ fidei ſinceritate, acriterque illis puniendis, poſtquam, patefacto jam dudum novi Fœderis verbo, ad cultores illius principes Rom. Imperii potentatus pervenit, optimos quosque & piiſſimos Cæſares V. T. Hebræis regibus deprehendas. Quo referri inprimis poteſt integer Theodoſiani Codicis titulus de hæreticis, legereque eſt operæ pretium, quæ ad Procopii Cæſareenſis Ἀνέκδοτα (Arcanam hiſtoriam male vertit Nicolaus Alemannus) docte commentatus eſt ſummus vir Jo. Eichelius.

CXXIV. Quod ſi verum eſt, eum finem ſummis poteſtatibus eſſe debere propoſitum, ut non ſolum hujus vitæ beatitudinis cives ſuos reddant participes, verum etiam ad æternæ felicitatis fruitionem veræ religionis cultu in hac ipſa mortali vita illos debeant ducere, concedendum

fortaſ-

fortaſſis, abſtinendum videri omnibus illis mediis, quæ utcunque civitati ſatis ſalutaria cæteroqui futura ſint, tamen abſolute adverſentur ſummo ſocietatis civilis fini, qui in virtute non qualicunque, ſed chriſtiana conſiſtat. Igitur tantum abeſt fortaſſis, ut, præter unum atque ſincerum Dei opt. max. cultum, ad augendas civitatis ſuæ divitias & amplificanda commercia pluribus religionibus libertatem ſumma civitatis poteſtas recte indulgeat, ut contrario penitus inſtituto etiam civium & inquilinorum arcere debeat numero, quorum animos falſarum in divinis opinationum præjudicia tenent conſtrictos. Saltem enim in hæreſi ſua confirmabuntur amplioris cujusdam libertatis fiducia, ſi quos civium jam tum antea talis quædam hæreſis occupaverit. Sin ignota hactenus civitati hæreſis fuerit, cujus uſus conceditur, primo peccare videtur in eo reipublicæ moderator, quod inductis in civitatem novis iisdemque pernicioſis doctrinis ex religioſa faciat non religioſam, dein, quoniam, ſemel facta falſam religionem libere profitendi copia, nunquam forſitan deerunt, ad quos novæ religionis labes ſeſe diffundat. Igitur gentem iſraeliticam, ſancte quamvis in alio negotio, hortabatur divinus Moyſes ab Joſeph. in Antiq. Judaic. l. 4. cap 8. *δεῖν μηδὲν εἶναι τοιοῦτον συγκεχωρημένον, ἐξ οὗ κατὰ μίμησιν παρατροπή τις τῶν κατὰ τὴν πολιτείαν ἔσοιτο; cavendum eſſe magnopere, ne quid ejusmodi permittatur, ex cujus imitatione mores publici depravari poſſint.* Atque carpit quidem Judæos obtrectator gentis iſraeliticæ Apollonius Molo ap. Joſeph. L. 1. L. cont. Apion. *ὅτι μὴ παρεδέχοντο τοὺς ἄλλοις προκατειλημμένους δόξαις περὶ θεοῦ. non admitti ab eis aliis de Deo opinionibus præoccupatos.* Cujus generis plura ab auctoribus memorata adfert Grotius L. 2. de J. B. & P. c. 15. §. 9. Imo neque Noachidis quidpiam apud Hebræos permiſſum monet Seldenus lib. 2. c. 2. & 5. quod ex civili & ſingulari Iſraelitis jure ideo vetitum, ne forte idololatriæ animis in eam pronioribus occaſionem præberet. Ceu & commercii genus omne, quod ſuſpicionem promovendæ ſuſtinendæve idololatriæ quiviſſet injicere, in prohibitis ſibi babuerint. Geminam ab hæreticorum commercio abſtinendi obſervantiam Novi Fœderis ſanctimonia videtur inducere 1. ad Corinth. V. 2. 2. ad Theſſ. III. 6. 14. 1. ad Timoth. IV. 5. 2. ad Timoth. III. 6. 2. ad Tit. X. 11. Joan. 10. Neque caret exemplis evitati cum hæreticis conſortii eccleſia vetus, quale eſt ipſius Joannis apud Euſepium Lib. 3 hiſt. Eccl. c. 4. cujus meminit etiam Theodoretus Lib. 2. Hæret. fab. in Cerintho, quamvis de Ebione referat Epiphanius, & Samoſatenſium apud eundem Theodoretum in hiſtoria eccleſiaſtica Lib. 4. c. 14. & 15. Quod ſi ne convictu quidem aliove hæreticorum commercio pios commaculari volunt divinarum legum oracula, peccabit omnino Princeps, ſiquidem, advocatis in civitatem vani quæſtus & commercii gratia novæ religionis cultoribus, uberem anſam contra divina monita delinquendi ſubditis præbiturus ſit. Quam erga diſcrepantium ab ſe invicem religionum indulgentiam commerciorum cauſſa in Hollandis ſalſe perſtringit auctor religionis Hollandicæ quarta ad Bernatem Theologiæ Profeſſorem epiſtola: *Ie ne croy pas, que vous approuviez cette eſtrange maxime des Politiques, qui accommodent la Religion aux interet de l' Eſtat. & in ſequenti: On peut dire avec raiſon, que cet Eſtat, ſuivant ſes principes, eſt & doit eſtre de toutes les religions. Il eſt vray, qu' il y en a une, qui eſt fort commune à la plus part des gens du pais, aſcavoir l' avarice, que l' eſcriture apelle idolatrie. Mammon a grand nombre de devôts en ce pais.*

CXXV. Neque carent, ſaltem aliqua, probabilitate, qui hæc ita diſputant. Quibus illud equidem non invitus largior, tum, curandum eſſe ſedulo reipublicæ unicuique, ne quid ipſius culpa detrimenti capiat Chriſtiana & Catholica fides, tum, quo melior forma ipſius reipublicæ ſit, eo etiam fore illi convenientius, vera atque pluriſſima pietate omnium civium animos eſſe inſtructos. Sed ne purimorum quidem, nedum omnium, hominum conditio id fert, ut ad veram perfectamque beatitudinem ab ſupremis poteſtatibus poſſint perduci. Quocirca neque præciſe obligatur majeſtas, ut ad ſupremam illam atque ſinceriſſimam felicitatem, abſolute ſaltem, cives ſuos compellat, quin permittet iisdem ſæpius, quæ ab veræ virtutis ſtudio longius aliena ſunt, ubi vel ipſorum civium illud ipſum conditio, vel alius publici boni utilitas evitandive mali neceſſitas ſuaſerit. Idque ab ipſo Deo factum videas in republica iſraelitica. Enim vero, ne de aliis nunc dicam, in eadem illa & ipſius adeo dilecti populi medio tulit aliquamdiu Chananæos Jebuſæos & quidquid idololatrarum contra voluntatem illius gens iſraelitica non expulerat. Joſ. xv. 63. xvi. 10. xvii. 12. 13 Jud. 1. 27. Pſ. cvi. Quod in Apologetico, contra Stupam & Piervillium, non male urget Jo. Brunus.

CXXVI. Ac ne illud quidem eſt liquidum, quatenus ſeſe munus iſtud Chriſtianæ majeſtatis diffundat, *quo poteſtatem ſuam ad Dei cultum maxime dilatandum famulam illa conſtituit.* Auguſt. lib. 5. de civ. Dei c. 24. De quo, quum ſint multa ab aliis erudite copioſeque diſputata, non iam copia mihi illis expediendis, quam modus quærendus eſt. Ex veteribus quidem priſcæ eccleſiæ doctoribus Auguſtini, Donatiſtarum, ut videtur, improbitate in ſeveriorem denique traducti ſententiam, de coercendis hæreticis, etiam modica quadam vi adhibita, exſtat elegans diſputatio in 48. ad Vincentium & in ad Bonifacium quinquageſima. Quibus jungi ex epiſtolis poſſunt 60. 61. 127. 158. 159. 160. 167. tum ex aliis ſancti viri operibus 50. 3. cont. Creſcon. 100. 50. & 51. L. 2. cont. 2. epiſt. Gaudent. c. 26. de unit. eccleſ. cont. Petil. c. 17. Tutior tamen fortaſſis, eaque, uti S. Scripturæ divinis fontibus valde conveniens, ita plurimorum primæ eccleſiæ patrum doctrinis magis conſona, quam in *de Majeſtatis circa ſacra jure* annis abhinc 35. habita diſſertatione ſummus vir, cujus nunc præſidio uti placuit, Hermannus Conringius ſolide, id eſt, more ſuo expoſuit. Quæ quum ultra amoliendas ab illis injurias, qui puriori doctrina vel alios imbuunt, vel ipſi imbuuntur, ultra ſedulam civium in catholica fide inſtitutionem, ultra extraordinariorum denique præmiorum invitamenta nihil admodum ab ſupremis poteſtatibus exigat, ego quidem non

video, ſiquidem ultra ſeſe vis illa non porrigit, quidnam adeo ſit, quo in civitate fidei chriſtianæ pietate imbuta non utendum iſthoc, quod adduxi medium promovendi commercia, evinci queat.

CXXVII. Quæ ab Hebræorum moribus argumenta ducuntur, parum in præſenti negotio momenti habent, quum de idololatris puniendis eorumve cultu tollendo ſacræ leges loquantur, quem & alias coërcere poteſt majeſtas, quoniam naturalis quidem religio, ſine cujus maxima ſaltem parte, ne conſiſtere quidem ſatis commode bona civitas poteſt, & cui idololatria repugnat, poteſt etiam ex naturæ & rationis lumine citra magnam plerumque difficultatem fere ab omnibus percipi, quod in Chriſtianæ religionis myſteriis valde ſecus eſt. Sane enim *omnium bonorum adfectuum atque operum & omnium ſtudiorum omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum*, cum Romano Pontifice Cœleſtino in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, confitemur *auctorem & non dubitamus ab ipſius gratia omnia hominis merita præveniri. Manſuetus* vero *eſt Salvator*, uti ſanctus loquitur Athanaſius in epiſtola ad Solitarios, *ſi quis, inquit, velis me ſequi & eſſe diſcipulus meus: docetque ſe, cum ad quempiam venit, non vi inſtare, ſed potius pulſare ac dicere Cantic. V, 2. Aperi mihi ſoror, mea ſponſa, quod ſi aperiant, intrat; ſin graventur aut nolint aperire, abſcedit. Non enim gladiis aut jaculis aut militari manu veritas prædicatur, ſed SUADENDO & CONSULENDO.*

CXXVIII. Neque obſtant, quæ purioris licet eccleſiæ Imperatorum exemplis firmantur. Non inficias quidem iverim, poſtquam ad Chriſtianos principes devolutum imperium eſt, plurimis legibus & in paganos, & in hæreticos maxime interdum animadverſum. Sicut pio propoſito, ita, an æquo jure id factum ſit, nunc non admodum urgeo. Eſt tamen valde congruum veritati, eandem, quæ, quamdiu ſub cruce eccleſia fuerat, nullam fere vim in hæreticos unquam probaviſſe legitur, ubi caput ſub catholicæ religionis principibus cœpit extollere, more gentis humanæ altiores paulatim cepiſſe ſpiritus, quam qui chriſtianorum veteri illi & genuinæ manſuetudini congruerint propius. Sed nec negari poteſt, utut latis quandoque legibus, (quibus forſitan vel antiſtitum importuniores impulſus, vel ipſorum Principum pietatis iſthoc pacto exercendæ perſuaſio, ſæpe etiam hæreticorum ſcelerata malitia occaſiones fuerunt,) liberum religionis copiam illis; qui a catholica fide diſſentiebant, etiam probioribus illis ſeculis, chriſtiani Imperatores ademerint; tamen conceſſam fuiſſe illam ab aliis, iisdemque inclytis pietate Principibus, (quod a ſanctiſſimis illorum temporum patribus atque illis ſic ſatis alias ſeveris nuſpiam fere culpatum reperias:) pleroſque conditis licet edictis, ad eorum negligentiam conniviſſe. Judæis, quod mireris, religionis ſuæ uſus vetitus nunquam fuit, dum a contemtu chriſtianæ legis & traducendis ad ſuam ſectam chriſtianis abſtinerent. Quid quod eadem jura Judæorum archiſynagogis, quæ chriſtianorum epiſcopis, Conſtantinus, Conſtantius, Valentinianus, Valens & poſt illos Honorius & Arcadius Imperatores indulſerint? Pertinet huc novella juſtinianæa CXLVI. atque integer theodoſiani codicis titulus de judæis. Ex celebrioribus epiſcopis ipſe magnus Gregorius crebro pro judæis reſcripſit, nullum iis negotium faceſſendum a Chriſtianis, ſed benignitate potius ac beneficentia alliciendos ad fidem: adeo, ut panormitano Epiſcopo, qui ſynagogam judæorum vi abreptam in eccleſiam conſecraverat, pretium ejus perſolvere juſſerit, aliam, in quam vi intulerant crucem & imaginem beatæ virginis, auferri inde iſta præcepto, reddi voluerit liberam. Varia, quæ huc ſpectant, ex epiſtolis ejus loca, in unum collecta videas apud Baronium quarto annalium eccleſiaſticorum tomo an. 588. n. 91. Cur autem majoribus privilegiis Judæorum genti fruendum quiſpiam arbitretur, quam aut Mahumedanis aut qui ex hæreticorum civilem felicitatem non turbantium numero ſint? ego quidem non video. Sane *loca perfidiæ, impietatis domos, amentiæ receptacula* ſuo tempore Judæorum ſynagogas dixit Ambroſius (quamvis paululum concitatior) in epiſtola ad Theodoſium eſt in Colon. Edit. XVII. cui ad ſeq. XVIII. ad Marcellinam: quo quid adeo gravius in hæreticorum templa queat proferri? Tulit tamen illas, ut dixi, citra impietatis notam ſub egregiæ pietatis Cæſaribus eccleſia purior. SED de Hæreticis & Schiſmaticis videamus. Quorum conventus quanquam legibus ſibi oppugnandos ſumſiſſet primus Chriſtianorum Cæſarum Conſtantinus, tamen Majorini ſectatores ſchiſmaticos, quibus Donatiſtis poſtmodum nomen factum, quo inſignem eorum contumaciam paulo ante multaverat, exſilio exſolvit rurſum, furoremque eorum Deo permiſit vindici, dato ea de re ad Valerium (Verinum legendum cenſet Baronius an. 321. n. 2.) Vicarium reſcripto, cujus meminit Auguſtinus poſt Collationem L. 1. c. 33. Neque Junioris Conſtantini Conſtantisve temporibus quidpiam in eosdem tentatum ante reperio, quam circumcellionum immanis malitia auctoritatem Cæſarum flagitaret. Tempeſtatem Conſtantis, Ariani principis, nihil moror, cujus inſolitam in religione diſſidentes ſæviriam quam liberrime redarguit illo ævo Hillarius pictavienſis Epiſcopus libro contra Auxentium. Ejus, qui Juliano gentili ſucceſſit, Jovian. Chriſtianæ fidei ſub Juliano confeſſoris, Catholicæque fidei addictiſſimi aurea vox eſt apud Socratem lib. 3. c. 21. *ſe nemini quidem qualemcunque fidem amplexanti moleſtiam exhibiturum; ſed eos præter cæteros benevolentia & honore proſecuturum, qui eccleſiæ ad concordiam adducendæ auctores ſe oſtenderent.* Quam piiſſimi Principis benignitatem oratione, cui *conſularis* titulus factus, elegantiſſime celebravit Themiſtius, gentilis philoſophus, ſed qui ob virtutis & ſapientiæ ſtudia ipſis etiam Chriſtianis carus habebatur. Gemina ſub Valentiniano itidem CHRISTI olim confeſſore libertas fuit Soc. lib. 4. c. 1. Soz. lib. 6. Amm. Marcell. lib. 30. quum in altera Imperii parte exſiliis religione diſcordes terrens Arianæ hæreſeos ſtudioſus valens divinam fidem terre-

nis

nis commendaret ſuffragiis, inopemque virtutis ſuæ argueret CHRISTUM omnipotentem. Non aliter Gratianus, quamvis primo vehementior fuerat, etiam lege ſancivit, *ut quæque ſecta (ſolis Eunomianis, Photinianis & Manichæis exceptis) libere & audacter, nullo habito diſcrimine, in eccleſiis conventus ageret*; quod eſt apud & Socratem L. 5. cap. 2. & Sozomenum L. 7. c. 1. Quam libertatem etſi ſubſecutæ ejusdem Principis atque magni inprimis Theodoſii leges valde ſublatum iverint, tamen auctor eſt Socrates L. 5. c. 20. ipſum Theodoſium hæreticorum neminem exagitaſſe præter Eunomium; *quem, quoniam Conſtantinopoli domi ſuæ conventus egerat, libros ab ſe editos palam oſtenderat, multos denique ſuæ doctrinæ labe infecerat, in exſilium mitti juſſit. Reliquis neque moleſtia quidquam exhibuit, neque ſecum communicare coegit: ſed ſingulis copiam fecit in locis ſeparatis conventus agendi, & ita de religione chriſtiana ſentiendi, ut quisque de ea opinionem conceperat. Atque ut omnibus aliis ſectis poteſtatem permiſit, eccleſias ſibi extra civitates conſtruendi, ſic Novatianis, utpote in fide Conſubſtantialis cum eo conſentientibus, dedit mandatum, ut eccleſias ſuas intra urbes audacter & libere retinerent.* Non ignoro equidem, impugnari iſta ab Cardinali Baronio in annalibus an. 388. LX. 391. XV. auctoritate, quem memini, theodoſiani Codicis. Verum uti neutiquam fidem legibus abrogare auſim, ita, quod & antea monui, fruitos pluribus locis nihilo ſecius religionis ſuæ libertate hæreticos ex hiſtoria ejus temporis ſatis manifeſtum arbitror. Certe ne Valentinianos quidem ad ipſam gentilium ſuperſtitionem propius declinantes religionis ſuæ uſu, Theodoſio imperante, ubique excluſos fuiſſe, uberi argumento eſt Ambroſii jam tum ante laudata ad eundem Theodoſium Auguſtum epiſtola, quæ in colonienſi editione exſtat numero XVII. Toleratos ſaltem citra ullas injurias hæreticorum illa tempeſtate quamplurimos, locuples auctor eſt Hieronymus in epiſtola LXII, quam ex Palæſtina ſcripſit ad Theophilum, Alexandriæ Patriarcham: *Sunt & hic Judæi, ſunt variorum dogmatum hæretici, & maxime impuriſſimi Manichæi: cur eorum ne verbo quidem quemquam audent lædere, nos ſolos*, (qui Origenis impugnamus errores) *expellere cupiunt?* Donatiſtarum quidem libertas tanta exſtitit eo tempore, ut Conciliis quoque ampliſſimis uterentur. Qualia præter karthaginienſe & cebarſuſenſe Maximianiſtarum, de quibus legi poteſt Auguſtinus L. IV. cont. Creſcon. c. 6. & in Pſal. XXXVI. Primianiſtarum inprimis nobile fuit bagajenſe Concilium CCCX. Epiſcoporum: qui quum amplo illo conventu Maximiani ſectatores damnaſſent, etiam Proconſulum contra eosdem imploratum fuit auxilium, quo eccleſiis ſuis illi velut ſchismatici pellerentur. Quæ prolixius perſecutus eſt Auguſtinus l. 3. cont. Creſcon. c. 53. & ſeqq. & l. 1. cont. Gaudent. c. 39. Arcadii Imperatoris temporibus Arianos, quod ſub Theodoſio fecerant, extra urbanos conventus ſuos citra inhibitionem continuaſſe liquidum eſt ex hiſtoria Socratis l. 6. c. 3. & Sozomeni l. 8. c. 8. quibus contra Catholicos tumultuatis nihil adeo, quam ne hymnos in publico canerent, interdictum ab Cæſare eſt. Nam quod Conſtantinopoli pulſos hæreticos Joannis Chryſoſtomi conſilio, refert Metaphraſtis in vita Chryſoſthomi fide Cæſar Baronius anno 400. LXXXIX. neſcio, an cum eccleſiaſtica hiſtoria congruat. Novatianos urbanis delubris Alexandriæ ab Cyrillo, Romæ a Cœleſtino, Conſtantinopoli, jam ad juniorem Theodoſium dudum devoluto imperio, Neſtorii inſolentia ſpoliatos, tanquam novum quidpiam annotat Socrates l. 7. c. 7. 11. 29. Macedonianos quoque religionis uſu ante Neſtorium non omnino prohibitos, documento eſt auctoris ejusdem l. 7. c. 31. Nam & Conſtantinopoli extra vetera urbis mœnia, & Cyzici, & in agris Helleſponti complures eccleſias tenuerant, quibus Neſtorio, peſſimo Conſtantinopolis patriarcha, auctore ejecti ſunt; cujus in hæreticos inſolentem ſeveritatem fruſtra excuſare conatur Baronius t. V. annal. anno 428. XXII. Procli contra manſuetudinem in hæreticos ipſi etiam Imperatori longe religioſiſſimo Theodoſio approbatam laudans nuspiam. De quo conſtantinopolitano itidem Epiſcopo Socrates l. 2. c. 2. & 5. *Proclus*, inquit, *omnibus* (hæreticis) *ſe manſuetum & facilem præbuit. -- Nam nullam ſectam vexare inſtituit: ſed illuſtre manſuetudinis decus, quod eccleſiæ convenit, integrum ſervavit, eique reddidit. -- Porro autem Theodoſius Imp. Proclum ob hanc cauſſam multum probavit.*

CXXIX. QUIBUS ita hactenus explanatis, ſatis jam perſpicuum arbitror, quidnam illis regeri queat, qui ad morem eccleſiæ veteris cuncta hæreticorum conciliabula prohibenda acri legum ſeveritate exiſtimant; fervore temerario fortaſſis abrepti potius, quam laudabili ſinceroque ducti, quum non toleratos in illa ſolum hæreticos, ſed & plurimis eorundem ſæpiuscule liberum prorſus religionis uſum conceſſum fuiſſe, hiſtoriarum incorrupta fide oſtenſum ſit. Ut injurioſos proinde ſummis poteſtatibus jure dixeris, ſi qui licitum ipſis negent, pluribus præter unam veram catholicamque religionibus uſum publice privatimve concedere, publicæ utilitatis gratia. Quibus tamen ne injurius ipſe videar, ſolum illud nunc accommodo, quod de Arianis, quamvis in re diverſa, dixit Salvianus: *Errant, ſed bono animo errant.* Cæteroqui ne ſequioribus quidem ſeculis, quibus magis magisque pedetentim lapſi mores eccleſiæ denique iverunt præcipites, de hæreticis tolerandis priſcam exiſtimationem aſperior conſuetudo illorum temporum prorſus exſtinxit. Illuſtrisque inprimis ſententia eſt Gothorum regis Theodahati in epiſtola XXVI. L. X. Variarum Caſſiodori, qua ad Juſtinianum Imperatorem, ſatis acrem hæreticorum perſecutorem, ſexto poſt natum CHRISTUM ſeculo in cauſſa Veranildæ perſcripta reſponſionem hanc noſtram ad primævæ eccleſiæ objectum morem, paulo longius evagatam, nunc denique claudimus: *Earum rerum judicium non præſumimus, unde mandatum ſpecialiter non habemus. Nam cum divinitas patiatur multas religiones eſſe, nos unam non audemus imponere. Retinemus enim legiſſe, voluntarie ſacrificandum eſſe Domino non cujusquam cogentis imperio. Quod qui aliter facere tentaverit, EVIDENTER cæleſtibus juſſionibus obviavit. Merito ergo pietas veſtra invitat nos ad talia*, (permittendam Ve-

ranildæ religionis libertatem) *quæ nobis præcipiunt divina mandata.* Quæ ſi Ferdinando Alvarezio perſuaſa fuiſſent, forſitan neque incolis ſuis hiſpanienſe Belgium, neque commerciorum veteri amplitudine mercatores Belgas privaſſet.

CXXIX. Verum ut de illis mihi concedat quiſpiam, poſſe eis liberam religionis ſuæ copiam indulgeri, quorum jam tum antea bona pars civium aut inquilinorum numerum occuparit, maxime, ubi ad complures venenum aliquod hujuſcemodi perfidiæ ſeſe diffuderit; quidnam de iis ſentiendum videatur, qui, quum ſimili quapiam hæreſeos labe infecti noſtræ civitatis non dum participes ſint, poſſunt illa citra ullam adeo vim injuriamve excludi, haud perinde perductum ad liquidum poſſet forſitan exiſtimari. Voco autem hæreticarum morbidarumve circa divina opinionum præjudiciis conſtrictos, ut Arianos, Macedonianos, Photinianos, quibus hic etiam illos addo, qui quum naturalis equidem religionis veritatem amplectantur, Evangelii tamen ſacroſanctam doctrinam repudiant, ut Judæi & Mahumedani. De quibus omnibus illud ego nunc quæro, poſſitne etiam illis civitatis communio, tum, ſi aliter minus facile apud nos ſubſtituri ſint, etiam aliquatenus liberum religionis hujuſcemodi morbidæ exercitium, publico quodam loco privatimve ſaltem paulo deterioris & cujus uſus liberior recte ſentientibus eſſe nimiæ offenſioni queat, uti civitatem noſtram utiliſſimorum civium numero ad commerciorum augeant amplitudinem, juſte liciteque concedi? Atque mihi quidem videntur, quæ in contrariam partem ſupra adducta ſunt, tanti non eſſe, ut propterea negligendam civitatis utilitatem prudens reipublicæ moderator exiſtimet; ſiquidem (quod de hæreticis tamen, pleriſque ſaltem, hodie non facile dixerim) valde amplum atque utilem civitati hominum horum numerum permittenda ipſis religionum libertas ſpondeat. Neque enim civitatem ſuam veræ religionis ſtudio ante deditam ea parte hæreticorum immutat ſuſceptio, qua Catholicæ illa fidei exſtitit amantiſſima, utut civium vere Chriſtianorum numero ſequiorum addat dogmatum ſectatores in Deum impios, Divino puniendos judicio ſuo tempore. Quod ſi ea civitas eſſet, quæ præter unicum ſincerioris virtutis finem omnia haberet contemtui inferioaraque illa duceret, pie fortaſſis iſto medio abſtineret reipublicæ gubernator. Verum quum & copioſiores, ut ſupra monui, opes appetat civitas, cujus in commerciis multum adeo ſtudii ponitur, patet ſane, ita conſulendum eſſe civium recte ſentientium fidei, ne in reliquis ſalus reipublicæ negligatur, amplectendumque, ſi quid in iſto mediorum genere non optimum, tolerabile tamen cenſeri poſſit.

CXXX. Atqui tolerabile forſitan haud videtur, libero religionis uſu iis conceſſo, qui eodem antea non ſint fruiti, amplam morbidas ſuas opiniones diffundendi portam eo patefacere. Verum enim vero non id agit majeſtas, dum concedit pluribus religionibus cultus ſui exercitium, exſpectabunda deinceps, *μήποτε δῷ αὐτοῖς ὁ Θεὸς μετάνοιαν εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας*, 2. ad Timoth. II. 25. uti falſam illam religionem, cui libertatem indulget, cum Catholicæ fidei intertrimento (abſit nefas facto!) in civitate ſua ſtabiliat, ſinceramque pietatem peſſumdet. Quod ſi præter, imo contra, ipſius voluntatem evenerit, nonniſi *κατὰ συμβεβηκὸς* eveniſſe cenſeri poteſt. Quamvis dubitem ſane, an ſit eventurum facile aliquid hujuſcemodi in ea civitate, quæ commerciis admodum dedita eſt. Quod de fœderata Belgica, *ubi credendi & non credendi, quæcunque placuerit, ſumma licentia*, memorat Severinus de Monzambano, quæſtui negotiiſque ſuis ibi quemque intentum de alterius religione parum eſſe ſolicitum. Quare non eſt ſummæ poteſtatis culpæ, verum lubrico ipſorummet judicio atque inconſtanti animo tribuendum, ſi qui, quum habuerint iter rectum, devios ſequantur anfractus, planum deſerant, ut per præcipitium labantur, lucem relinquant, ut in tenebris cæci ac debiles jaceant, non tam de novis religionibus bene meriti, quam de ſe male; dum tamen circumſpecta ſolicitudine, ne id evenire facile quiverit, ſedulo Majeſtas ante proſpexerit. Optime autem providebit, ſiquidem illud ſedulo curatura ſit, ut in vera pietate cives, quoad fieri poteſt, accuratiſſime inſtituantur, opiniones contrariæ argumentis longe validiſſimis refutentur, citra tamen acerbitatem & *ἐν πρᾳότητι* II. ad Tim. II. 25. tum quam religioſiſſime & caſtiſſime ſanctus veri numinis cultus peragatur. Sed & præmiis quibuſdam extraordinariis ad purioris religionis conſortium invitare perperam ſentientes, conſonum erit, ut dixi, admodum piæ illi prudentiæ, quam in majeſtate exigimus. Quibus probe obſervatis, haud equidem video, quidnam ſit, quod tantopere religionum illa libertate, quam diximus, vero periclitandum cultui prudens aliquis pertimeſcat. Quin & lucrabitur forſan plures Deo & eccleſiæ animas pia atque vere chriſtiana *τοῦ κυρίου* ſagacitas eopſe medio, quod in fœdam perniciem ſincerioris fidei redundare potuiſſet. Quæ fiducia (credo equidem) tenuit Athanaſium ſanctum virum & cui in clariſſimis ſacroſanctæ fidei propugnatoribus paucos admodum pares tulit vetus eccleſia, Soc. l. 3. c. 19. Soc. l. 2. c. 18. qui quum ab eo peteret Imperator Conſtantius, ut ex multis illis eccleſiis, quæ ipſius diœceſi ſubjectæ erant, Arianis unam permitteret, neutiquam repugnavit, modo idem Antiochiæ recte ſentientibus Imperator concederet. *Maxime*, inquit, (id concedam tibi) *o Imperator, quandoquidem æquum, imo vero neceſſe eſt, tuis mandatis obtemperare.* Secus animati erant Ariani, ſatis perſuaſi, *ſuam opinionem propter Athanaſium nullam omnino apud Alexandrinos progreſſionem facturam, præſertim, quum ille non ſolum ad ſuæ doctrinæ fautores in eadem firmo continendos, verum etiam ad pelliciendos ſatis haberet virium & facultatis.* De Judæis, in Luſitaniam olim admiſſis, addo verba Oſorii ex hiſtoria temporum Emanuelis: *Inter Chriſtianos multi ex illis Chriſtianorum familiaritate & exemplo atque diſciplina allecti ſeſe ad Chriſti nomen adjungebant: quod inter homines, Mahumedana ſuperſtitione contaminatos, fieri haudquaquam poterat.* ATQVE etiam eo accuratius fidei ſincerioris domatibus ab fidelibus veræ religionis doctoribus ſe ac ſuos imbui

bui

Digitized by Google

bui curaturam arbitror recte in eccleſia ſentientium quemlibet, quo majori quidem pietatis ducatur ſtudio, ea civitate, in qua pluribus præter unam religionibus datur copia. *Saleem multa ad fidem catholicam pertinentia, dum hæreticorum calida inquietudine agitantur, ut adverſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentius; & intelliguntur clarius, & inſtantius prædicantur: & ab adverſario mota quæſtio diſcendi exſiſtit occaſio*, uti loquitur Auguſtinus L. 16. de Civ. Dei c. 2. atque *adeo etiam hæretici veris illis Catholicis membris CHRISTI malo ſuo proſunt, dum Deus utitur & malis bene, & diligentibus eum omnia cooperantur in bonum*, de quo itidem exſtat elegans Auguſtini locus L. XVIII. laudati operis C. LI.

CXXXI. Providam Hebræorum curam, quam in exteris idololatris non recipiendis fugiendoque omni illo, ex quo cultus idololatrici vel leviſſima induci quiviſſet occaſio, caute admodum adhibuerint, uti jam tum liquidum eſt, objici nobis perinde non poſſe, ita caruit veritate, quod ab Apollonio Molone & ab aliis itidem genti iſraeliticæ verſum fuit opprobrio. Sane enim præteriri omnino non debet, etiam in hac ipſa Hebræorum divinitus inſtituta republica, etſi nulla fere utilitas ſuberat, (quippe quæ neque uberiorem aliquam mercium adfluentiam, neque majores opes in votis habebat) domicilii factam fuiſſe copiam illis omnibus, qui naturalis juris VII. præcepta, quæ univerſo ſancta humano generi Noe filiis data ferunt Thalmudici, amplectebantur. Quos neque circumciſione, neque baptiſmate initiatos *Proſelytos Domicilii* atque *inhabitantes* vocabant, ignis, aquæ, alimenti & reliquorum, quibus opus erat, eo quidem tempore, quo adhuc juris ſui Ebræorum ſtatus florebat, factos participes. Plura de his commentatus eſt Jo. Seldenus eo opere, quo Noachidarum VII. illa præcepta juxta Hebræorum diſciplinam fuſe eruditeque explicuit l. 2. c. 3. & 5. Neque dubitem ſatis vel in unico iſraëliticæ civitatis exemplo documenti eſſe, ne præter unam veram, ſaltem abſolute optimam, plures in civitate ſua religiones admittat, veteris equidem teſtamenti fœdere reipublicæ, quantumvis egregiæ, moderatorem non obſtringi.

CXXXIII. Quod de familiaritate & convictu cum hæreticis apoſtolica auctoritate prohibitis affertur, placet non inelegans reſponſio Reginaldi belnenſis, bituricenſis epiſcopi, in colloquio ſurenenſi apud Thuanum l. 106. *idem & de manifeſte vitioſis & in peccato perſeverantibus præceptum eſſe, eorumque colloquia interdicta eſſe, ne per ea boni corrumpantur & offenſionis cauſſam præbeant; id vero ſevere primis eccleſiæ temporibus ſervatum, cum Chriſtiani exiguo numero eſſent, ne ſe aliqua contaminatione pollueront, religioſe ſervantes; ſed quum nunc chriſtiana fides ubique propagata ſit, qui præceptum illud ſervari poſſe? alioqui neceſſitatem juxta Apoſtoli dictum* 1 Corinth. V. 10. *impoſitam videri e mundo exeundi: proinde licere, ubi complures eodem vitio laborent, libere & citra conſcientiæ morſum cum iis verſari. CHRISTUM cum fæneratoribus & mulieribus impudicis verſatum, ut eos ad bonam frugem reduceret. Idem & nobis licere, ſed ea lege, ab Apoſtolo præſcripta, ut videlicet ita picem attingamus, ne ab ea inquinemur.* Sane ſi eſt gemina, quoad civilem converſationem attinet, conditioni illorum, qui ſe gravioribus peccatis in communione eccleſiæ conſtituti contaminant, uti nihil admodum dubito, hæreticorum ratio, quin, cautione, quam dixi, adhibita, citra conſcientiæ ſuæ maculam conflictari etiam cum hæreticarum opinionum ſectatoribus illis recte ſentiens queat VI. ad Galat. 10. ἐργαζόμενος τὸ ἀγαθὸν πρὸς πάντας, μάλιϛα δὲ πρὸς τὲς οἰκείες τῆς πίϛεως, ſatis quidem, ut opinor, perſpicuum eſt; quum de peccatoribus quidem conſtet, quamvis ſic ſatis gravibus, poſſe cum illis vel in ipſius nonnunquam eccleſiæ conſortione vivi ſine labecula. *Nam* Cyprian. ep. 51. *etſi videntur in eccleſia eſſe zizania, non tamen impediri debet aut fides, aut caritas noſtra, ut quoniam zizania eſſe in eccleſia cernimus, ipſi de eccleſia recedamus. Nobis tantummodo laborandum eſt, ut frumentum eſſe poſſimus, ut, cum cœperit frumentum dominicis horreis condi, fructum pro opere noſtro & labore capiamus.* Scite idem, ex quo iſta hauſi, Cyprianus in epiſtola lib. 51. ad Antonianum: *Quantus arrogantiæ tumor eſt, quanta humilitatis & lenitatis oblivio, arrogantiæ ſuæ quanta jactatio, ut quis aut audeat, aut facere ſe poſſe credat, quod ne Apoſtolis conceſſit Dominus, ut zizania a frumento putet ſe poſſe diſcrenere, aut, quaſi ipſi paleam ferre & aream purgare conceſſum ſit, paleas conetur a tritico ſeparare? Cumque Apoſtolus dicat:* In domo autem magna non ſolum vaſa aurea ſunt & argentea, ſed & lignea & fictilia; *aurea & argentea vaſa videatur eligere, lignea vero & fictilia contemnere, abjicere, damnare; quando non niſi die Domini vaſa lignea divini ardoris incendio concrementur & fictilia ab eo, cui data eſt ferrea virga, frangantur.* *Neque* Auguſt. lib. 4. cont. Creſcon. c. 26. *vero boni communicant peccatis alienis, quibus utique faciendis non conſentiunt, quamvis cum ipſis, qui ea faciunt, donec de area dominica, ſicut palea ventilabro ultimo ſeparentur, non eorum peccata, ſed Dei ſacramenta communicent: & intra eandem ſagenam velut piſces boni cum malis usque ad ſeparationem, quæ in littore, hoc eſt, in fine ſeculi, tanquam in fine maris, futura eſt, non ab eis corporum ſegregatione, ſed vitæ ac morum diverſitate disjuncti ſint.* De qua capi velim inſignem locum II. ad Corinth. VI. 14. & ſſ. Igitur abſit etiam arbitremur, omne penitus cum hæretica labe infectis commercium interrumpi voluiſſe apoſtolicæ auctoritatis canonem. Quam placide, quam moderate in 2. ad Theſſal. III. 15. divinus Paulus prohibens hominis improbioris conſortium! ϰαὶ μὴ ὡς ἐχθρὸν ἡγεῖϑε, ἀλλὰ νϑετεῖτε ὡς ἀδελφόν. Quod in ſcholiis ſuis explicat Auctor commentariorum in paulinas epiſtolas, quæ Ambroſio vulgus tribuit, *ut patienter declinetur ab eo, ita tamen, ut ſi res tulerit loqui cum eo, monendum illum, ut patiatur ſe corrigi, familiaritatem quoque cum eo non habere, quamdiu obaudiens fiat. Nam ſi ad iracundiam contumeliis laceſſeretur, pejorem futurum.* Non aliter Theodoretus Cyri Epiſcopus in eundem locum: *Eos,* Gentiano Herveto interprete utor, *quibus ſunt eccleſiarum credita gubernacula, hanc regulam oportet attendere. Corporalem enim eorum, qui peccant,* (adde & hæreticorum) *ſubventionem non prohibuit divi-*

nus Apoſtolus: eos autem ſpirituali libertate privavit. Sed vult utriusque ob eis curam geri. Ii enim laborantium membrorum locum obtinent. Iis enim, qui ſunt ejusmodi, ſolemus convenientem medelam adhibere. Quod ſi is quidem finis Θεοπνεύςῳ Apoſtolo fuit propoſitus declinandi improborum pariter & hæreticorum conſortii, ut pudore confuſus is, cujus omne commercium pii averſarentur, mentem ſobriam denique reciperet, haud perinde video, ut in veteri eccleſia copioſo nondum hæreticorum numero fieri quiviſſe largiar, poſſeve hodienum etiam in illis contingere, quorum hæreſis adeo late non ſerpat, qui nanciſci fructum eundem poſſit ab hominibus hujuscemodi in civili ſocietate aliqua ſeparatio, ubi amplus admodum hæreſi infectorum numerus eſt. Annon ſubabſurdum potius quis exiſtimet, cujus conſortionem recte equidem declinaſſes, ubi ſpes fuiſſet, quiviſſe illum iſthoc, ceu ſalubri aliquo medio, ad bonam frugem perduci, omni ejus familiaritate vitata, convertendi forſan una omnem occaſionem præcidere, exaſperato ſubinde animo imprudenti auſteritate, pii maxime zeli velata nomine. Certe metuendum valde exiſtimem, ne in majori hæreticorum copia, ubi latius ſe illorum diffundat numerus, minime defuturis, qui libenter eos recipiant, etiam magis ab eccleſia, pio fortaſſis, minime tamen tempeſtivo illo, ſervore abalienentur, quos chriſtiana potius humanitate atque omnis generis beneficiis ad eccleſiæ revocari gremium licuiſſet. In quo ſanctum Proclum, conſtantinopolitanum Epiſcopum valde commendat Socrates l. 7. c. 40. Igitur ita demum id, quod CHRISTO inimicum eſt, in hæreticarum opinionum tenacibus perſequamur, *ut in omnibus*, Auguſtin. l. 3. cont. Creſcon. c. 51. *teneatur modus aptus humanitati, congruus caritati, ut nec totum, quod poteſtatis eſt exſeratur, & in eo, quod exſeritur, manſuetudo monſtretur, ubi vero nulla ex divinis humanisve legibus poteſtas conceditur, nihil improbe atque imprudenter audeatur.* Sed neque, illuſtre quamvis, exemplum divini Joannis commode ſatis ad præſentis negotii inſtitutum referri poteſt. Erat illi cum hæreſiarcha negotium; quem quum juſto ſupplicio puniendum divinitus præſagiret, noluit ſane, exſecratus pariter ſceleſtiſſimi hominis communionem, ſuos diſcipulos gemino exitio ire perditum. Nobis non de illis jam hæreticis ſermo eſt, qui quum pravorum auctores dogmatum vere notam expleant ſui nominis, pauciores utique reperiuntur, quam ut ex illorum acceſſione quidquam utilitatis perceptura commercia ſint; verum de iis, qui, velut cum lacte nutricis hauſtis una hæreticarum opinionum præjudiciis, cum divino Paulo peccant ex ignorantia, adſtricti fere antea, quam, quid optimum ſit, judicare poſſunt. Erga quos gemina ſeveritate uti, tum ab chriſtiana, ut monui, manſuetudine, tum ab uſu eccleſiæ veteris alienum eſt. Certe nec gentiles aut idololatras vel ab ſummis in republica muneribus etiam ſub piiſſimis, in Eccleſia pubeſcente, Imperatoribus excluſos fuiſſe hiſtoriarum fide ſatis in comperto eſt. Samoſatæ urbis ſervorem neque omni ex parte probaverim, neque ea parte, qua approbo, repugnare noſtris aſſertionibus arbitror. Quod ſi enim illud quidem verum eſt, quod ab Euſebio Epiſcopo dictum narrat Theodoretus, merſuros in aquam fuiſſe Samoſatenſes miniſtrum, qui de ſancti ejus antiſtitis exſilio literas ab Imperatore attulerat, næ illud facinus haud decorum chriſtiana manſuetudine exſtitiſſet, clarum vehementioris animi indicium & iracundi. Fuit tamen ob exſilium iniquiſſimum optime in doctrina ſentientis Epiſcopi ira juſtior, ut quo pulſo Arianum dare illis antiſtitem, qui ſinceræ in ipſis fidei fundamenta ſubverteret, Imperator decreverat, cui nihil geminum habet novæ religionis libertas, quæ eſt citra injuriam veteris.

CXXXIV. QUIBUS ita definitis, neque illud eſſe obſcurum amplius poteſt, quidnam ſit de iis ſtatuendum, qui ab eccleſiæ catholicæ corpore ſeparati degunt, magis fœdi ac diuturni ſchismatis vitio, quam ob atrocioris labem hæreſeos. Quales in eccleſia veteri Donatiſtas forſitan haud incongrue dixeris. Noſtra tempeſtate, qua nefando eodemque triplici ab ſe invicem ſchiſmate divulſus Occidens, primæ ſedis maxime nimio illo faſtu, unius communionem eccleſiæ vehementiori deſiderio ſuſpirat, quam fiducia certiori exſpectat, Pontificios, quique in Proteſtantibus Bezæ aut Calvini ſequuntur doctrinam, ſi quis in ſchismaticorum potius, quam hæreticorum habeat numero, haud in magno, nunc equidem, ponam diſcrimine, ut quorum, quum in ad ſalutaris fidei regulam adnatis quæſtionibus, tum in eccleſiaſticis ritibus plurimum intercedat diſſidii, &, quod maxime optimus quisque luget, circa divinorum quoque Sacramentorum myſteria, tamen in ſummis fidei ſacroſanctæ & ſalutaris capitibus, *ultra* Tertullian. de præſcript. adverſ. hæret. c, 14. *quam nihil ſcire omne ſcire eſt, dum cedat curioſitas fidei*, una forſitan omnium conſenſio eſt Quo minori equidem pietatis neglectæ metu ſuſcipi illos poſſe, paribus cæteris, ſi commerciorum ratio flagitet, ad credendum inducor. Ipſe religionis hollandicæ, quem jam aliquoties memini, exagitator, poſtquam valde nimiam religionum apud Hollandos licentiam condemnaverat, *S'ils ne ſuffroient*, inquit, *dans leur Eſtat, qu' une ons deux Religions, qui n' euſſent, que des ſentimens peu differens de la noſtre & ce en des poincts moins principaux & importans, on n' auroit pos ſujet de s' en etonner. On pourroit dire, que la prudence & la charité les obligent d' avoir quelque ſupport pour des Chretiens, qui au fond retiennent le fondement de la foy, bien qu' ils n' ayent pas receu de Dieu les lumeres pour la creance de tous nos miſteres.* Evangelicos & Arminianos deſignari a Stupa putat Jo. Brunus. Atque facerent etiam huc, quæ more ſuo, id eſt, graviter diſputat Grotius quarto capite Apologetici, *an mutuo ſe ferre in controverſiis de prædeſtinatione diſſidentes fas fuerit, fierine id ipſum potuerit & an ex uſu fuerit*: tum quæ de reformata religione adfert Severinus de Monzambano elegantiſſimi operis ſui capite ultimo. Verum iſta quidem iisdemque ſimilia, neque amplecti in præſentia, neque improbare in animo eſt, ut quæ accuratiorem etiam graviſſimorum Theologorum diſquiſitionem efflagitent. Nobis quidem, intra civilis ſocietatis conſortium hæreticarum

opinio-

opinionum ſchiſmatisve labe infectos ab ſupremis poteſtatibus citra conſcientiæ ſuæ labem tolerari in favorem commercii poſſe, ſatis fuſe hactenus demonſtratum ſufficiat.

CXXXV. UNDE porro etiam illud liquet, quæ ex reliqua morum diverſitate difficultas naſcitur, tantam quidem non eſſe ut a civitatis noſtræ communione peregrinorum excludat quempiam, niſi, quod de religionibus itidem monui, prorſus illi omne virtutum ſtudium civilemve concordiam eant perditum.

CXXXVI. INPRIMIS vero auget civium multitudinem, quæ nonnullis gentibus magis propria eſt, ipſa naturalis quædam fœcunditas, velut Septemtrionalibus quidem populis vim uberiorem gignendi, quam, quibus acrior ſolis ardor imminet, crebra experientia tribuit. Quare forſan haud male conſulunt hanc in partem, qui adductis in ſteriliores provincias fœcundioribus colonis miſcere utrinque præcipiunt matrimonia, ceu Septemtrionalium virorum connubia fœminis Hiſpanienſibus ſuaſit Thomas Campanella.

CXXXVII. MAXIME illa omnia (per utiliter conſultura civium multitudini) prohibebit Majeſtas, quæ conjugiis, optimo civium augendorum medio eorumque principali fini repugnant; ſive abſolute illi contraria ſint, quo in genere cœlibatus eſt, ſive per conſequentiam. De Romanis Auguſtus apud Dionem lib. 56. in oratione ad maritatos equites: *Patriam tribus impletis. Qui enim veſtro more vivunt, multos poſteritati Romanos relinquent. Ita ab initio, quum Romanorum eſſet perquam exiguus numerus, nuptiis ſtudentes liberosque procreantes non virtute modo, ſed etiam multitudine hominum omnes mortales ſuperavimus.* Atque fuit ſane matrimonia promovendi frequens paſſim apud populos ſtudium. De quo plurimarum gentium inſtituta in unum collecta citra laborem legere licet apud Alexandrum ab Alexandro L. 4. genial. dier. c. 3. & qui fontes adduxit in commentario, ipſum famoſæ fœcunditatis Tiraquellum. Apud Romanos etiam dotes viris adferendas ab mulieribus, plurimis quondam gentibus ignoratas, ex eodem derivat ſtudio JCt. Pomponius l. 1. ff. ſolut. matrim. add. l. 2. ff. de jur. dot. l. 18. ff de reb auct. jud. poſſ. quamvis de illarum utilitatibus anceps forſitan quæſtiu ſit. Saltem in eo falli JCt. quod *dotatas fœminas eſſe ad ſobolem procreandam, replendamque liberis civitatem maxime neceſſarium* arbitretur, facile mihi perſuaſerim. In Hebræa quidem republica divino inſtituto Vid. Lev. XXII. 18 dotem non uxor marito, ſed uxori maritus attuliſſe videtur, quum abundantiſſimo civium numero ipſa illa quam copioſiſſime adfluxerit civitas. Neque aliud Vid. Tacitus de mor. German. ſane apud majores noſtros, priſcos illos Germanos, gentes omnium numeroſiſſimas obſervare licuit. Maxime, ubi dotium jura obtinent, naſci ſolent eæ conjunctiones, quas ut ἀώρους καὶ ἀχαρίτας Plutarchus in Solon. ἐπιπλοκάς, καὶ μηδὲν ἔργον γαμήλιον ἐχούσας μηδὲ τέλος in Athenienſi republica, quam rectiſſime damnabat Solon, quando opimioris dotis ineſcati illecebris malunt ſenem edentulam ſoboli procreandæ ineptam juvenes, quam egenam virgunculam, honeſtam licet, probam, fœcundam ducere. Quocirca non male Rex Philippus, incolis abundantiorem redditurus Hiſpaniam, inter alia certam ſummam pecuniæ in dotem adſignandam puellis pauperibus conſtituit, quod in optime de republica meritorum filias apud Romanos olim & Athenis quandoque factum liquet ex Valerii Maximi L. 4. c. 4. Plutarchoque & Nepote Cornelio in vita Ariſtidis. Spectant etiam huc *pietatis*, Bodin. de republica L. VI. c. II. quos vocant, *Montes*, Italum inſtitutum, quibus quum dotalem pecuniam nata ſibi filiola pater inferat, non repetere eam prius poteſt, quam octavum decimum annum nubilis jam puella attigerit, quo eandem decuplam recipit a quæſtoribus dotis nomine. Mortua illa, eo, quod interceſſit, tempore, ærario cedit pecunia, niſi adnata patri ſit altera, quæ prioris jure fruatur. QUÆ de orborum, neque cœlibum tamen, pœnis fœcundorumque proemiis feruntur leges, partem maximam fundamento carent, quoniam, quorum gratia ſanciuntur, naturalis plerumque potentiæ, non voluntatis, ſunt. MELIUS Plato ad connubia impulſum iri viros animadvertit, ſi in ipſos directo ultra juſtam ætatem cœlibes leges ferrentur. SED occurritur hic nobis ab iis, qui, quod ſanctioris vitæ admiratores, juxta Chriſtianæ pietatis conſilia, cœlibatum præferunt matrimonio, male interdictis interpoſitis prohiberi credunt, quæ ad excellentiorem ſanctimoniam ſtimuli ſint. Quæ res impulit ſane in primæva eccleſia Conſtantin. L. I. C. de infirm. pœn. cœl. vid. Euſeb de vit. Conſtant. l. iv. c. 26. Sozom. l. i c. 9. ut quam ſenior Auguſtus poſt julias rogationes incitandis cœlibum pœnis ſanxerat, Papiam Poppæam tolleret, ea quidem parte, qua infeſta fuerat cœlibatui Vid. Baron. annal. T. III. an. 321. V. & ſqq. Verum, uti vitæ divinioris ſanctius inſtitutum nentiquam condemnandum exiſtimem ita tamen, quum uxoris expertem vivere nuſpiam abſolute Deus quidem præceperit, quidni in ſalutem reipublicæ libertatem virginalis vitæ liceat ab ſupremis poteſtatibus circumſcribi, ego certe non video. De quo bene Auguſtus iterum apud Dionem L. 56. *Reipublica cujus cauſſa et am multa contra animi ſententiam nobis ſunt facienda, qui non ſit & utile, & neceſſarium, multitudinem eſſe hominum, quæ pacis tempore terram colat, quæ navigationes exerceat, quæ artes & opera tractet?* Quæ e dubitare vix auſim, iis quidem rebuspublicis, in quibus cum Romanæ Eccleſiæ dogmatis vita floret monaſtica, multum ad augenda commercia acceſſurum eſſe utilitatis, ſi, amplificato per illorum conjugia civium numero, plurimi illis artibus citra dubium eſſent animos ſuos applicaturi, quas ad commerciorum amplitudinem eſſe diximus neceſſarias. Vidit illud Conſiliarius Status Gallici partis ſecundæ cap. xxi. in quo tangens ipſam illam materiam, qua de nunc agimus, *Bien eſt-il vray*, inquit, *que le celibat indifferemment permis a toutes ſortes des gens eſt ſouvent cauſe de la diminution du peuple en un Eſtat, Car outre, qu'il ne faut pas permettre, que les gens de bien abandonnent l'Eſtat, c'eſt un moyen en faiſant profeſſion du celibat & en perdre la race. Il ſemble, qui ſeroit neceſ-*

ſaire

ſaire, de retrencher ou au moins empeſcher a l' avenir ce nombre effrené, qui depouille l' Eſtat de gens, qui ſeroient propres ailleurs, quibus jungere licet & reliqua. Idemque animadverſum etiam fuit Petro Joanni Navarettæ, Hiſpaniarum regi ab ſecretis, dum in conſilio ſuo de augendo incolis hiſpanienſi regno, præter alia, auctor principi ſuo fuit, ne qua nova apud Hiſpanos monaſteria ſtrui ſineret; forſan adhuc melius conſulturus, ſi & tollenda quædam vetera monachisque incontinentibus ad conjugia ineunda compulſis, reditus eorundem vel in pauperes puellas, vel in liberaliter educandos inopum liberos ſimilesve reipublicæ & eccleſiæ utiles pios uſus convertendos ſuaſiſſet. Veneti Cancellarii confeſſio eſt apud Hub. Thomam Leodium l. 7. *Nos hic etiam profecto opus haberemus uno Luthero, qui repurgaret noſtram urbem ab innumera & ſuperflua cleri multitudine.* QUOD Ambroſius tradit tertio de virginibus libro ad Marcellinam, neutiquam virginum conſecratione minui genus humanum, ſed ubi paucæ virgines, ibi etiam pauciores homines, ampliorem hominum numerum, ubi crebra virginitatis ſtudia, reperiri, ſi ad monachos idem transferas, piam forte potius atque ſimplicem ſanctimoniam, quam civilis experimenta prudentiæ ſpiret, niſi divino aliquo numine contigiſſe tale quidpiam illis quis temporibus malit credere, quibus ſanctius in monaſticis cœtibus vivebatur, quod, labente paulatim pietate, ſequioribus ſeculis mutavit plurimum. Quamvis ne puriori quidem ætate una omnium ſanctimonia fuerit, aut per naturalis incitamenta libidinis unam omnium eſſe ſemper licuerit caſtimoniam. Ipſum Nazianzenum quidem Gregorium monachorum illum ſanctiſſimum, Paulino potius monito obſecutum uxorem duxiſſe ſatius aliquis arbitretur, quam, declinante jam prorſus ætate, ſtimulis agitatum fuiſſe libidinis, quibus miſere ſe adflictum neque ipſe diffeſſus eſt carmin. adverſ. carn. de calamitat. animæ ſuæ, de rebus ſuis & ep. 96. vid. Baron. t. 4. ann. anno 389. XIII. & ſeq.

CXXXVIII. Quæ per conſequentiam matrimoniorum frequentiæ adverſantur, ſunt, quibus extra legitimi thori conſortium ſe obſcœna libido exſatians ſanctioris vinculi voluptatem æque non expetit, aut pubertate ſaltem minus licito pariter ac immodico uſu veneris exhauſta effœtum denique corpus tradit conjugio. Quo puniri ipſa illa ſeverius expedit forſitan reipublicæ, quæ ad ſummam commerciorum amplitudinem incolarum expetit numerum longe copioſiſſimum. Quamvis tamen magis in votis ſit, quam ut facile illud adſequatur civitas, omnis generis incolarum abundanti numero adfluens, labe hujuscemodi delictorum aut criminum prorſus vacuos cives eſſe, illis præſertim temporibus, quibus corrumpere & corrumpi vocatur ſeculum. Sed ad reliqua pergamus.

CXXXIX. IGITUR forſitan illud etiam quærendum ſit, quum & augendam quibuscunque artibus civitatem incolarum numero & benigne integra privilegiorum conſervatione retinendos eſſe docuerim, quid de illis ſtatuendum ſit, ſi qui nihilo ſecius certis cauſſis adducti alio malint concedere? Ciceronis quidem opinio eſt in orat. Pro Cor. Balbo, neutiquam detinendos invitos, cujus de priſco Romanorum jure ſubjunxi ſententiam: *O jura præclara atque divinitus jam inde a principio Romani nominis a majoribus noſtris comparata, ne quis invitus civitate mutetur: neve in civitate maneat invitus! Hæc ſunt enim fundamenta firmiſſima noſtræ libertatis, ſui quemque juris retinendi & dimittendi eſſe dominum.* Neque dubitaverim tamen, quin & licite & in publicum utiliter circumſcribi nonnihil etiam illa queat libertas, certa aliqua, quod in pluribus locis conſuevit fieri, bonorum parte ab iis exacta, quos in aliam civitatem domicilii transferendi amor invaſerit. Nam præciſe (quod in Hiſpania regio edicto ſancitum eſt) alio commigrandi libertatem interdicere civibus, neſcio an ſit ei civitati ſatis conveniens, quæ omnigenæ libertatis dulcedine in communionem ſui & allicere peregrinos & retinere allaborat incolas veteres. In qua metuendum etiam facile non erit, ut quem novi domicilii in externis civitatibus tangat aliquod deſiderium.

CXL. CÆTERUM neque bellorum cladibus populum exhauriat civitas, neque coloniarum frequentia, de qua miror, quid abſurdi in mentem venerit Joanni Botero l. 2. de Orig. Urb. c. 2. ATQUE inprimis, quoad fieri ejus licuerit, etiam illud danda opera eſt, ne qua lues peſtifera aut contagio civitatem invadat. Quod quum eo facilius poſſit fieri, quo in urbem commerciorum frequentia celebrem major undecunque confluit multitudo mercantium, ne qua forte a contaminati aëris corruptisve contagione locis civitati noſtræ quidpiam inferatur peſtiferum, maxime eſt illius ſtudio præcavendum. Apud Venetos, quibus nullam fere gentem hanc in partem æque circumſpectam conferre poſſis, ut vel nuperrime etiam patuit, celebris admodum magiſtratus eſt triumvirorum, quos *Signori alla ſanità* vocant. *Ces trois Seigneurs*, infit recentiſſimus ſcriptor reipublicæ Venetæ Amelotus Huſſæus, *ont le ſoin d' empêcher, qu'il n' entre rien de contagieux dans la Ville, & qu'il ne ſe vende point de danrées puantes ni gâtees; c' eſt à eux, d' envoier hors de Veniſe ceux, qui ont des maladies peſtilentieuſes, de n'y laiſſer aborder aucun navire, ni decharger aucunes marchandiſes, ſans ſcavoir auparavant, d' ou elles viennent, ni ſans que le Patron du vaiſſeau montre un Certificat de ſanté en bonne forme ſigné des Magiſtrats du lieu, ou il a pris ſa charge. Autrement de l' envoier faire la Quarantaine au Lazaret, lieu à trois mille de Veniſe deſtiné à cet uſage.* Quibus jungi licet, quæ de iisdem ſanitati præfectis apud Venetos memorat Jo. Cotovicus c. XIV. in Synopſi reipublicæ Venetæ. Quod ſi aliqua incolarum copia major quædam ingruens civitati neceſſitas eam ſpoliaverit, erit eo enixiori ſtudio laborandum, ut, quas diximus, artibus ample, qui defecerat, incolarum numero reſarcito, quidquid inde ad commercia detrimenti profluxerit, optimi reipublicæ gubernatoris induſtria compenſetur. Ac de abundanti quidem civium numero, quantum inſtituti exegit ratio, ſatis forſitan dictum eſt.

CXLI. QUOS, quum eſſe utiles reipublicæ diſſeruerim, tum ad faciliorem diſtractionem

mer-

mercium, tum & ſimili modo in reliquis, quæ commerciorum inſerviant amplitudini, ignorari quidem illud non debet, haud eodem modo ad diſtractionem mercium, quæ maritimo commercio apportantur, facere civitatis incolas. Et vero, quum non niſi magna aliqua allatarum mercium copia negotiari plerumque ſoleant, (*ins Groſs handeln* germanice dixeris) qui commercia ſua maritima longe lateque diſpergunt, emtorum vero plerique plus importatarum mercium non deſiderent, quam quo ſuam quisque ſuorumve expleat indigentiam, dari ex illorum numero quosdam commerciorum valde expedit amplitudini, qui coëmtas illico abundantiori numero a primariis illis mercatoribus (*die ins Groſs handeln*) merces cæteris poſtmodum civitatis incolis ad minores particulas & ad ſingulorum indigentiam venumdent. Græce παλιγκαπήλυς forſitan aut μεταβολεῖς ex ſententia græci ſcholiaſtis, quem in Ariſtophanem commentatum in initio diſſertationis memini, diceres non incommode. Ariſtoteli genus iſtud mercaturæ παράστασις eſt. Quam fovebit etiam ſuo modo civitas, neque, ceu tenuius illo altero atque copioſo genere mercaturæ, prorſus negliget, velut ſordidum, etſi gemina exiſtimatione ambas uti civitas proſequatur, nolim equidem auctor eſſe.

CXLII. Ut & hoſpitum advenarumque multa conſumentium amplo numero promtior mercimoniorum fiat diſtractio, primo ratio ipſius commercii efficit; quum non invitare nequeat numeroſiorem hoſpitum multitudinem rerum omnium exoptata quædam ubertas, qualem alibi haud perinde reperiunt, modo ſitus etiam ſaltem aliqua opportunitas accedat, atque exquiſita inprimis humanitate cujuscunque generis proſequatur advenas civitas. Quo φιλανθρωπα illa ψηφίσματα pertinent, quorum ſupra memini laudatorum a Xenophonte, & quæcunque in commoditatem, recreationem & ſecuritatem denique peregrinorum queunt conſtitui. Maxime præter alia ſuavibus atque longe commodiſſimis diverſoriis providendum extraneis eſt, univerſimque ſedulo danda opera, ut, quibuscunque adeo poſſit, amœnitatibus hoſpites vel detineantur diutius, vel facilius alliciantur. Quo in cæteris operoſa illa ſpectacula, quibus Venetorum inclaruit civitas, imitatrice nuper parte in aliqua Hamburgo urbe, talium amator quis retulerit. Memorandæ & nundinæ, quibus omnimoda libertate advenis quibuscunque permiſſa, copioſiorisque rerum omnium adfluentiæ, quam alias fieri quidem ſolitum, una vice in civitatem allatæ uberi invitamento replere illam longe adfluentiſſima hoſpitum, quamvis temporaria tamen, copia poteris. Neque cariturum fore arbitror utilitatibus, ſi & præter celebriores illas copioſioresque nundinas, certos ſingulis quidem vel hebdomadis dies aliquos nundinales conſtituas, qualibus fere Anglos uti in Belgica, *Toondagen* apud Belgas appellatis, in pannorum conſtat diſtractionibus. Quin & certa atque opportuna eadem mercatoribus loca, in quæ commerciorum tractandorum gratia ſingulis ſe diebus mercabundi conferant, in celebrioribus emporiis, perfrequenti mercatura, quo in magno confluxu hominum ſuisquisque emtorem mercibus eo nanciſcatur facilius, poſſint forſan conſtitui non incommode. Qualibus quotidiani commercii cauſſa conſtitutis *Burſſis* (*Borſſe*) paſſim pervulgatum admodum nomen eſt.

CXLIII. CÆTERUM quum omnino eſſe poſſit advectarum mercium adfluentia atque eſſe etiam debeat copioſior, quam ut noſtræ quidem civitatis commercio omnis iſta queat abſumi, adjiciendum erit omnino, abſolutam omni ex parte invectarum hujuscemodi mercium eſſe diſtractionem non poſſe, niſi & bene habeat exportatio, quæ commercio mediterraneo peragitur. Φορτηγία Ariſtoteli eſt. Cui præter primariorum mercatorum inſtitores atque exercitores miniſtros maxime ipſi illi inſerviunt, quos παλιγκαπήλυς dixit Ariſtophanis Scholiaſtes, etiam nobis paulo antea memoratos. Qui quum abundantiori copia merces a primariis coemant mercatoribus, poſſunt eadem vel per amnium opportuniorum ſubvectiones, in quo Hollandiæ ingens ad commercia opportunitas eſt, vel per terrena itinera ſaltem in viciniores terras provehere. In quo plurimum tamen ſitus ratio quædam opportunior & commoditas valet. Quamvis adjuvari ea nonnunquam & ab humana queat induſtria. Ut ſi flumina aptiora reddat navigationibus accedens labor, quale quidpiam in fine ſuperioris ſeculi factum in Nicro amne, refert Thuanus, L. 121. aut ſi itinera tum humanis opportuniora commeatibus, tum, quam poteſt maxime, & in reliquis commoda & ſecura efficiat. Ex quo inſignem gloriam conſecutos videas Sinarum reges, quos immenſo ſumtu regni ſui vias ſtruxiſſe lapidibus, amnes quosque diffuſiores pontium mole junxiſſe, perfregiſſe prærupta montium ſaxorumque obſtacula, & planitiem ſtructura lapidum itineribus accommodatam effeciſſe L. II de Orig. Urb. VIII. capite auctor eſt Jo. Boterus, ſugillans hanc in partem culpam quorundam Italiæ Principum, quorum vias adeo inæquales atque minime pervias, ut cœnorum illuvies impeditas ſæpiuscule una cum equis rhedas fere abſorbeat, inde mercimonia eo transvehi difficillime: viatores intra triduum minus viæ ſpatium abſolvere, quam unius diei intervallo alibi confecturi ſint. Idemque apud Gallos alicubi, ut ad Auguſtoritum Pictonum, in Santonibus, Belſiis & Burgundionibus fieri. Pertinent huc immenſi illi labores, quibus in viarum paſſim procuranda planitie veterum ſeſe Romanorum gloria mirum quantum extulit. Quæ & illis ſimilia uti ſuis auctoribus parant gloriam immortalem, ita, licet alias ſæpe ob cauſſas cœpta, ad faciliorem modum commercii multum adferunt opportunitatis. Plura de terrenis commerciis nunc non addo, quod, quæ promovendis illis inſerviunt, ſatis eſſe ex his manifeſta poſſunt, quæ de mercaturæ maritimæ amplitudine copioſe a nobis & in ſuperioribus diſputata ſunt, & in ſubſequentibus proſequemur prolixius.

CXLIV. ILLUD inpræſentia paululum copioſius explicetur, quibus maxime modis juſtum venditori pretium pro invectis mercibus citra moram procurare civitas poſſit. Voco autem

juſtum pretium, quod & venditori lucroſum eſt, & emtori, quoniam providebit utriusque utilitatibus civitas, non eſt nimium.

CXLV. MODUS mercimonia diſtrahendi duplex potiſſimum eſt. Unus, quum pro merce aliud genus quodpiam traditur mercimonii, cui nomen eſt *Permutatio*, alter *Emtio Venditio*, qua pro mercimoniis pretium nummorum perſolvitur. Utilior ad ſpeciem reipublicæ Permutatio eſt. Quippe dum pro mercibus ſuis viciſſim merces accipit negotiator peregrinus, pecuniarum vi civitatem noſtram perinde non ſpoliat. Unde auri argentique evectio paſſim in prohibitis poſita, ut in *de commercii ſingulari jure* pluribus Marquardus noſter explicuit. Verum ignorari non debet, quod ab Conſiliario Status gallico recte monitum: *La permutation ne ſe peut faire ſans apporter quelque prix certain aux marchandiſes & l'on ne peut pas negocier avec toutes ſortes de gens par eſchange mais eſt beſoin de ſe ſervir de la monnoye.* Eſtque illud jam tum & ab ipſo Politicorum anteſignano Ariſtotele ſic ſatis oſtenſum V. Eth. ad Nicom. V. citra nummos probe geri non poſſe commercia & a Paulo ICto in principio l. 1. D. de contrah. emt. Quæ, quum nummorum quidem ad commercia, emtionisque venditionis neceſſitatem abunde evincant, ad abſurda eos prolabi neceſſum eſt, ſi qui ſolis permutationibus uti cum extraneis velint mercatores indigenas. Sed ne contingere quidem facile illud arbitror, ceu & antea monui, quod ſubmetuendum illi exiſtimant, ne pecuniis civitatem noſtram emungant nimium peregrini. Quippe, quoniam omnis generis mercimoniis illa adfluit, fieri fere non poteſt, ne, qua ſuas merces civibus mercatoribus vendidit, eandem pecuniam aliis noſtræ viciſſim civitatis mercibus coemendis impendat advena negotiator hisque domum onuſtus potius quam ſaburra ac inutili pondere oneratus ſpeque uberioris lucri vacuus redeat. Quod ſi uti tamen permutatione collibuerit certis inter ſe mercatoribus, accommodari illi licebit citra difficultatem, quæ de juſto emtionis venditionis pretio exponenda ſunt.

CXLVI. IGITUR ut legitima pro allatis mercimoniis pretii quantitas perſolvatur, plurimum ſane illud proderit, quod jam ante propoſui, ne id vectigalium oneribus accendas nimiis. Neque enim fieri illud nequit, ſi committitur aliquid hujuscemodi, quin ex eo magna diſtrahendarum mercium difficultas promanet. Demus enim id fieri. Aut certe mercimoniis ſuis illud pretii apponet mercator, quod in vectigali fuerit nimium (*wird den Zoll auff die Wahr ſchlagen*) unde ſuboriri fere non poteſt minus promta diſtractio, quum facilius quisque mercibus graviori pretio comparandis abſtineat, quo quidem minus illæ ſint neceſſariæ, aut ſi impeditiorem eo allatarum mercium diſtractionem ſubveritus communi easdem pretio venumdet, minus ipſi lucroſa efficietur diſtractio. Sed prolixius, quæ ad vectigalia pertinebant, ſupra explicui. Quod ſi æquo illa moderamine diſpenſaverit civitas, providere eadem poterit ſane citra difficultatem, ne qua mercimoniorum pretia nimiopere intendantur, neu injuſta inæqualitate diſtractionis officiant facilitati, conſtitutis quoque in illud, ubi opus fuerit, magiſtratibus. Per quos dari poteſt ſubinde etiam opera, ut, quemadmodum juſto pretio, ita & menſura pariter & ponderibus haud injuſtis mercimonia veneant, quo ex Lubecenſium Jure pertinet Lib. 4. tit. 12. artic. 1. Apud Venetos *alli Signori della Giuſtitia Vecchia* illud eſt muneris, dare operam, ne qua rerum venalium, niſi juſto pondere & menſura veneant. Poteſt etiam initis cum externo populo pactionibus id conſtitui, ne quid mercium juſto pondere deſtitutum noſtris regionibus importetur, ut in commerciorum fœdere Londinenſi obſervatum reperio, cui *Intercurſus mercium* vulgatius nomen eſt, anno 1495. inito. Maxime idem & in ipſa qualitate mercium obſervari velim, ne qua nobis corrupta facile apportentur: quod inprimis cautum Lubecenſi jure lib. 4. tit. 12. art. 3. Si quid vero præter mercatorum culpam vitioſi invectum ſit, debebunt ſane eo minori pretio contenti eſſe.

CXLVII. MAJOR fere eademq; ingens admodum difficultas eſt, quæ in bene ordinanda re monetaria deprehenditur. Cujus commode conſtitutæ nequit expers eſſe respublica, quæ ad amplam aliquam magnitudinem promovere commercia ſatagit. Optime autem ſeſe habebit, ſiquidem illis nummis adfluet civitas, qui & ab externis nationibus admittantur, & perpetua neque temere immutanda æſtimatione permutationum difficultatibus æqualitate quantitatis ſubveniant. Neque male Conſiliarius Status Gallici: *Il faut, que le prix & eſtimation d'icelle* (de la monnoye) *ſoit certain & ſtable, autrement l'on introduiroit la confuſion parmy le commerce.* Igitur, quum omnino ſtabilem eſſe pretii æſtimationem oporteat, oppido quidem illud perſpicuum eſt, ipſam nummi materiam eſſe ejus generis oportere, quod ſervari poſſit quam diutiſſime. Quare metallorum adeo uſum placuiſſe, recte monet Salmaſius cap. 12. de uſuris. In quibus quum majoris paſſim pretii habeantur aurum atque argentum, quod ad uſum peregrini ſpectat commercii, una fere excluſis reliquis horum commoditas eſt, niſi miſtionem fortaſſis aliquam certæ peregrinæ gentes non reſpuant. Uti publica etiam nummi æſtimatio conſtet, tum ad facilitatem quoque commercii, ne ponderare eum neceſſe ſit, charactere inſigniri neceſſe eſt. In quo ſigno ac nomini illius, cujus auctoritate imprimitur, locum etiam, tempus, quin & rei monetariæ pro tempore præfecti nomen in vaſtioribus regnis addenda, fraudum evitandarum gratia, ſunt qui ſuadeant. Quare & figuram certam lege volunt conſtitui, quo facilius deprehendi queat circumciſio. Magnitudinem, uti variam commercia expetunt, ita paulo majoribus locupletiora carere nequeunt commode. Cujus apud Ruſſos exemplum eſt moneta gravioris pretii prorſus defectos, quum minutioribus contra nummis egeat Anglia. Craſſities quævis, modo frangi per tenuitatem nequeant laminæ, ſufficit. Copiam eo abundantiorem requirimus, quo improbioris monetæ invectio metuenda eſt vehementius crebro peregrinorum importandæ commercio. Maxime, ne qui exteri deteriores nummi in civitatem tuam ſeſe propagent, optime forſan conſules, ubi de illorum pretio, quod in ſua civitate obtinent, multum ſatis detraxeris. Melioris notæ nummo-

rum

rum quo adulterari difficilius poſſit probitas, neque in complures nummos cudendi poteſtate diffuſa nimiam monetarum varietatem facile inducet majeſtas, neque etiam monetarios adhibebit, niſi honeſtos homines minimeque ſuſpectos, tum adactos inſuper ſacramento, ne quo in moneta depravanda crimine ſe commaculent. Apud Venetos rei monetariæ curatores triumviri ſunt, quos *Proveditori della Zeccha* appellant, dantes operam, ne argentum aurumve imperfectius aut impurius cudatur, tum ne pondere ſuo legis normam nummi non impleant. Maximeque utiles hanc in partem metallorum exploratores illi videntur, *Wardeyen* Germani vocant) quales in pluribus civitatibus jurejurando obſtrictos haberi ſuaſit utilitas publica. Quod ſi deprehendere aliquos liceat, quorum in radendis, circumcidendis, tingendisve nummis avaritia occupetur, juvabit illorum ſcelera convenienti legum acrimonia cohiberi. Fuſius explicare iſta minime nunc in animo eſt, quod de re nummaria quidem commode in republica ordinanda multa alii docte copioſeque commentati ſunt.

CXLVIII. SOLUM illud ſupereſt inquirendum, qui commerciorum conſulendum ſit amplitudini, quando jam tum aliqua vel improbioris monetæ copia in civitatem irrepſerit, vel cæteroqui moneta juſtam æſtimationem ſuam exceſſerit. Quod in Gallia contigiſſe videbatur primis fere temporibus noſtri ſeculi, quibus exterorum moneta pluris paſſim æſtimari cœperat, quam in ipſis exteris regionibus, quibus illa domeſtica habebatur. Atque mihi quidem videtur, quum vel noſtræ civitatis illa moneta ſit, vel profecta a peregrinis, qua corrupta infici ſolet civitas, aut majoris, quam par erat, æſtimata utitur, exterminari ex illa peregrinam quidem pecuniam ſatis commode poſſe, æſtimationemve ejus imminui, certo, intra quod cives illa ſe liberent, tempore præſtituto, dum vereri modo non liceat, ne, occaſione inde exteris data, alio ſua illi commercia transferant, ubi majoris nummos ſibi domeſticos æſtimari animadverterint. Enimvero apud Gallos, certo temporis ſpatio ab Henrico IV. rege præfixo, quo peregrinæ pecuniæ uſum ſubditis removendum edixerat, magna regni pernicie Genevam ab Lugdunenſibus exterorum averſa fuiſſe commercia locuples auctor eſt in Henrici IV. hiſtoria Petrus Matthæus, cujus verba ſubjungo: *Hoc mandatum quidem rationi conſentaneum, magnum vero incommodum populo importavit. Nam valore monetæ deminuto exteri in commercio mutuo ceſſant atque facili & æque animo ea re carent, qua eos minime carere poſſe putabamus. Qui Lugdunum ire ſolebant, Genevam eunt, quod hic ducatis apud nos deminutis pretio plurimum acceſſit.* Quocirca præſtabit ſane, eo rerum articulo, aut omnino emendandæ monetariæ rei remedia melioribus reſervare temporibus, aut non niſi per ſummos gradus, &, quam maxime poteſt, pedetentim monetarum corruptelam corrigere, ne nec opinanti ſibi una vice intercepti lucri indignatione perculſa natio peregrina alio derivatis commerciis ſumme nobis detrimentoſum efficiat, quod ſalubris utilitatis illecebris gratum prima ſpecie habebatur. Si domeſtici nummi fuerint, itidem longiori paulo temporis mora nec niſi ſenſim corruptela eorum civitatem liberari, eſſe credo conſultius.

CXLIX. JAM ut citra diuturniorem moram emtor ſolvat pretium mercatoribus, duo maxime requiruntur, unum, ut parata pecunia emtori in promtu ſit, alterum, uti legum quoque ſalutaribus inſtitutis & ſubſidio magiſtratuum pretii perſolvendi ratio reddatur facilior. Quibus artibus amplior pecuniarum ſumma eam cupientibus ſuggeratur, ſupra jam a nobis expoſitum eſt. Cæterum, quum non ſolum illam diſtractionem mercium promovere civitas debeat, qua majori illæ numero (*ins Groſſ*) coemuntur, ſed eorum quoque diſtractioni conſulendum ſit, quæ ab inſtitoribus per παράστασιν & πρὸς κοτύλην venduntur, patet, ita de parata ſumma pecuniæ proſpiciendum eſſe emtoribus, ut ne illos quidem oporteat negligi, quibus domi res eſt aliquantillum anguſtior. Ex quibus paulo opulentiorum conditio, etſi uſuraria, nummulariorum ſubſidia prorſus forte non reſpuat, melius tamen illis forſitan conſules, tum *Pietatis*, quos dicunt, *Montibus*, apud Italos perfrequentibus, tum argentariis illis publiceque conſtitutis menſis, quibus latinum vulgo nomen *Lombardiis*, germanice *Lummards* eſt, ſive ab auctore gemini nominis, ſive ab Lombardis illud profluxerit. Nam utrumque traditur. *Pietatis montium* leges fere potiſſimæ ſunt, ut ad tres ſcutatos citra quidem uſuram vel pignora ſuppeditetur inopibus; ubi amplior ſumma deſideretur, datis pignoribus, modicum quid in menſes ſingulos uſurarum ſolvatur. Si intra annum pignus non reluatur, auctioni ſubjicitur, quodque ultra debitum eſt, reſtituitur domino. Prolixius, quæ ad montes illos ſpectant, in de commerc. & camb. perſecutus eſt Sigism. Scaccias §. 1. qu. 1. n. 441. p. 75. & ſeqq. Non abſimilis multum *Lombardiarum* ratio eſt, niſi quod in illis citra quidem pignora nihil detur. Eas poſt multas denique diſceptationes, ut rem utilem reipublicæ mores belgici admiſerunt, conſtitutis etiam ab magiſtratu curatoribus, qui *Commiſſariſſen van de Banck van Leeninge* vulgo audiunt, & neque a presbyterorum functionibus excluſis, qui Lombardias exercent, etſi in eccleſia veteri omni fœnore clericis, ex his, quos circumferunt Apoſtolicorum nomine, quadrageſimus quartus, nicænæ Synodi XVII. Synodi in Trullo ſextæ, quæ œcumenica audit, decimus canones interdixerint. Hamburgenſis Lombardiæ utiliſſimam conſtitutionem exhibet Jo. Marquardus l. 4. c. 4. n. 33.

CL. QUOD ſi adeo facilem nummos in promtu habendi modum commoda reipublicæ inſtituta emtoribus ſuggerant, licebit deinde eo acriori legum ſeveritate ad ſolvendum illos adigere. Inprimisque opus legibus reor ad dijudicandas quam celerrime quaslibet mercatorum controverſias neceſſariis, ut ſi de emendis vendendis mercibus ſatis commercantes inter convenerit & in mora exſtiterit protrahens ſolutionem emtor, (quamvis tamen viciſſim contra & venditoris culpam ſuccurratur emtori velim) indeque remora negotiationibus injiciatur, quod neceſſe eſt ac-

cidat & in reliquis, peregrino mercatori præſertim, ſi hærere in externa civitate ſubortarum controverſiarum cauſſa cogatur, in qua citra moram omnibus expeditis, coëmtas ibidem merces fuerat alio multo citius translaturus. Igitur in alliciendis mercatoribus advenis recte, mea quidem ſententia, etiam illud cenſet Xenophon, uti præmiis commereiorum præfecto propoſitis, quam celeberrime lites commereantium ſopiantur. Cujus quidem integrum locum jam tum ante adduximus. Atque erit ſane ex utilitate commercii, quo ſit & legum obſervantia diligentior, & vis expeditior, certos etiam magiſtratus conſtitui, qui citiſſime lites commereantium dijudicent, ſive ad promtam pretii perſolutionem illæ pertineant, ſive alias quoque, ut maritimæ rei inprimis, ob cauſſas ortæ promtam expeditionem commercii modo quodam ſufflaminent. Quare in Athenienſi republica *Ναυτοδίκαι* iisdemque ſimiles alii decidendis commercantium litibus præerant, ad majora tribunalia non niſi gravioribus controverſiis adductis, quos, in reipublicæ athenienſis deſcriptione, memorat Ubbo Emmius. Apud Venetos, ubi *lis de mercimoniis inciderit*, verba ſunt Contareni, *& ad mercaturam ſpectet, ſubſellia judicum adeuntur, qui ex ea re judices ſeu Conſules mercatorum nominantur. hi majori quodam compendio judicant, quam alii forenſes magiſtratus; ne longioribus litibus impedimentum morave fieret negotiis mercatorum, quæ aſſiduam quandam operam exigunt.* In fœderata Belgica controverſias omnes rei maritimæ, inter nautas mercatoresve exortas, *maritima* decidunt *Collegia*, a quorum ſententia locus appellationi non datur, niſi ſexcentos florenos cauſſa excedat. Inque his ſola ſecunda replicatio (*duplicam* forenſes vocant) partibus litigantibus permiſſa eſt.

CLI. UNIVERSIM fidei conſervationi ſtudeat civitas, cujus in commerciis ſtudium eſt; quippe qua everſa omnis commerciorum ratio labefactetur, neceſſe eſt. Igitur in hoc lubecenſis juris prudentiam ſupra laudavimus non immerito. Inprimisque huc etiam illa pertinent, quæ de fraudatorum pœnis, ut quorum unius culpa non argentariorum duntaxat, verum plurimorum plerumque mercatorum una ſubverſis opibus, & in ruinæ tractis velut conſortium, labaſcit fides debitorumque ſufflaminatur ſolutio, prolixe ſatis expoſui jam ſuperius. Quibus omnibus probe obſervatis, tum & reliquis, ut dixi, quæ commerciorum gratia incidunt, controverſiis, citra ullam diuturniorem moram, ſublatis & promtiſſima erit pretii pro invectis mercibus perſolutio, & expeditiſſimum mercatoribus, illis venditis, ad commercia de integro proſequenda iter.

CLII. QUÆ AD alios mereimonia evehuntur, ſive noſtræ civitatis proventus ſint, ſive ab externis aliis regionibus copioſiori adfluentia apportatæ, quam quæ in noſtra civitate abſumi queat, citra difficultatem cito pariter ac lucroſe poterunt diſtrahi, modo & ipſarum inprimis mercium ea qualitas ſit, ut ab exteris illæ nationibus expetantur, & ad illas quamplurimas liber commercandi gratia aditus pateat.

CLIII. UT conveniens faciliori diſtractioni ipſa mercium qualitas ſit, duo maxime exiguntur, tum ut propria bonitate eniteant, tum ut exteris grata etiam nationibus ſint. Quibus ad lucroſiorem quæſtum addi poteſt inſuper tertium, ſi id liceat adipiſci, uti ſola poſſeſſionem certi generis mercium noſtra habeat civitas, quod prolixe antea explanatum eſt. Atque de reliqua etiam bonitate mercium ſatis diximus, quum de ipſis mercibus noſtra ageret diſſertatio. Quam ſi mercimoniis ſuis civitas conſecuta eſt, illud porro dabit etiam operam, ut & exteris illa nationibus innoteſcat. Quare caveatur equidem, ne ad illos vitiatum aliquid facile exportetur. Prodeſt enim exiſtimatio mercaturæ, futurumque omnino, ut facilius etiam eo merces noſtras coëmturi ſint exteri. Igitur prudenter fœderatæ Belgicæ ordinum decreto prohibebatur anno ſeculi hujus XVII. orientalis Indiæ Societas, tum omnes aromatarii, pulverem aromaticum, velut piperis, macis aut cariophyllorum ipſis aromatibus admiſcere; indeque ſocietas indica, Luſitanos imitata, quidquid deprehenſum eſt pulveris, in Oceanum conſvevit projicere. Lupulus item, cujus opimi quidem uberes apud Belgas proventus ſunt, tum herbæ ipſius foliis, tum aliis ſordibus adfuſis corrumpi vetitus decreto anni 1622. & quæ illis ſimilia. Quomodo id in artificiis obſervari debeat, ne quid illis male elaboratum exportetur, liquet ex his, quæ de mercium arte confectarum juſta bonitate ſupra diſſerui.

CLIV. QUÆ ab ſingulis nationibus maxime expetantur, ipſis ante omnia exploratum eſſe mercatoribus debet, quoniam non eandem ubique gentium exiſtimationem merces recipiunt, utut vera aliqua atque naturali bonitate conſpicuæ. *Diſtat* enim, dicit Auguſt. de Civ. Dei *L.* 11. *c.* 16. *plurimum* omnino *libertate judicandi ratio conſiderandi a neceſſitate indigentis ſeu voluptate capientis, cum iſta, quid per ſeipſum in rerum gradibus pendat, neceſſitas autem, quid propter quid expetat, cogitet.* Igitur expetuntur quidem illæ merces quam maxime, quarum deſiderium alicui populo ipſa indigentia ſuggerit, ſive, quod carere illis aut omnino nequeat, ut frumentis Hiſpani & Itali, aut ſaltem commode ſatis, uti vino Angli & his, quæ ad ſplendorem faciunt, opulentiores reſpp. aut ad certos denique uſus aliis nationibus haud perinde uſitatos, velut ad nummos cudendos æris uberiori copia Hiſpani itidem: ſive, accedente ſingulari quadam cupiditate, certi generis exoticis mercibus vehementius quidam populus delectetur, ut Poloni cinnamomo & pipere. Atque in his ſane *hominum voluntas*, verba ſunt Grot. l. 2. de jure Bel. & Pac. c. 12. §. 19. *quæ rerum domina eſt, multas res magis deſiderat, quam quæ ſunt neceſſariæ*, ut quaſi perſuaſione aliqua gentium ſua certis quandoque mercibus æſtimatio conſtet, quod in margaritis olim apud Romanos & in corallio apud Indos agnoſcit Plinius. Quæ ſi populum aliquem indigentia teneat, ſive reapſe indigentia ſit, ſive in his, quorum ſaltem copioſiori abundantia ſatis commode deſtituta eſſe civitas poterat, (neque enim in magno id nunc ponam diſcrimine) fingat illam indigentiæ quædam opinio, fieri profecto non poteſt, ne inſignis iſtiusmodi mercium copia ab eodem populo abſumatur.

tur. Animadverti illud affatim licet in ampliſſimo indicæ ſocietatis commercio aromatico. Quod quum longe lateque diffuſum ſit, nullibi fere vel majori amplitudine, vel uberiori quæſtu, quam in Polonia exercetur, quoniam haud perinde grata apud alias gentes exteras in cinnamomo & pipere gulæ ſapientia eſt. De copioſa ſerici apud Gallos abſumtione ſuperiori ſeculo addam verba Bodini hauſta ex reſponſione ejus ad Maleſtrettum de caritate rerum earumque remediis: *Sericum vilis pretii eſſe oportebat, quandoquidem tam copioſe in hoc regno conficitur, & præterea ex Italia adfertur. Caritas ex abſumtione provenit: quia non ſolum flagriones & curſores eo veſtiuntur, verum etiam ita diſſecatur, ut durare vel uſui eſſe pluribus, quam uni, nequeat. -- Idem nobis in pannis evenit: & præcipue in caligis conficiendis: quibus triplo plus adhibemus, quam opus eſt, idque cum tot inciſuris & diſſectionibus, ut pauperioribus uſui eſſe nequeant, poſteaquam dominus eas faſtidire cœpit: & præterea tria paria præ unis geſtantur: & ut caligis femoralibus palla reſpondeat, integram ei ulnam addunt ultra ſolitum. -- Unde incredibilis abſumtio oritur: ex abſumtione provenit inopia.* Apud eosdem, quos dixi, Polonos ea quondam pannis pretioſioribus, aureis maxime & ſericis, ſplendorem aucupandi fuit ambitio, ut vel ſexaginta quandoque magni pretii veſtimentis pompam eos exercuiſſe repererim. Quare illud quidem peropportunum præter Italos Anglis etiam atque, Orientali populo, Perſis accidit, quod unius populi mercimonia minime ſatiare poterant tantum cupiditatem, neque etiam pretii ulla ratio habebatur. *Etenim* (Cicero in Verr. IV.) *qui modus eſt in his rebus cupiditatis, idem fere eſt æſtimationis. -- Difficile eſt enim finem facere pretio, niſi libidini feceris.*

CLV. Quod inprimis ſolet etiam contingere, ubi temporaria quædam cupiditas certi mercimoniorum generis vel integrum aliquem populum, vel pleroſq; gentis cujuſpiam, aliquosve ſaltem, locupletiores tamen, invaſerit. Quale quidpiam in his fieri conſuevit potiſſimum, qui vel Principes ſunt, vel inſigni aliqua auctoritate conſpicui, ad complures ſubinde promanante exemplo. Elegans ejus rei apud Gallos documentum in Franciſci I. regis temporibus. Quem quum ex lapillis pretioſioribus eam voluptatem percepiſſe acceperim, ut LXXII. CIↃ. coronatorum unum aliquando adamantem voluerit emere, quam ut Angliæ rex Henricus VIII. quem libido inceſſerat non diſſimilis, ejus potiretur, gemina populum pariter atque nobilitatem lapillorum deſiderio exarſiſſe reperi. Inde anſa præſtita Italis, ut Gallorum intellecta libidine plures fere per vicennium gemmas adulteratas ab illis tradat Bodinus, quam vel India genuinas unquam produxerit. Quamvis illud quidem laudare nolim, quod pro germanis ſpurias Gallis gemmas obtruſerint. Hoc enim adulterandi mercimonia genus quale ſit & quorum hominum quis non videt? Solum in eo imitandam Italorum ſagacitatem propono, quod oblatam ſibi peregrinæ gentis libidinem lapillorum commercio quæſtum ſuum proſequendi adeo acriter arreptam e manibus non dimiſerint. Quid in Hollandia contigerit noſtro ſeculo, floris thracici, quem Tulipam dicimus, veſana libidine, notum eſt. De qua exſtat carmen Caſparis Barlæi, libro tertio Elegiarum, *in barbari floris, quem Tulipam vocant variam fortunam.* Quamvis tamen eſſe in his cautiorem aliquanto commercandi rationem velim, quoniam facile immutari temporaria iſta rerum æſtimatio poteſt. Cæterum & in illis mercibus, quibus indigere penitus nequit civitas, evenire aliquid poteſt hujuscemodi, ut ad tempus apportari illa etiam ab externo mercatore deſideret; ſi nimirum laborare illis occœperit, quorum alias ſufficientem habuit copiam, ut ſi vel aeris aliqua intemperies, vel ob exhauſtos belli morborumve tempeſtate agricolas, ſegnior agrorum cultura, quæque illis ſunt gemina, ſegetis fructuumve caritatem inducant. Quare ſunt quidem hæc & illis ſimilia in temporibus ſita, quorum momenta ab ipſis tamen potiſſimum mercatoribus obſervanda ſunt, quum alioqui vix ſit, ut in iſtiusmodi mercimoniis diſtrahendis uberem æque quæſtum apud eundem populum, temporaria duntaxat libidine nunc adfectum, aut majori etiam aliqua indigentia, liceat exſpectari.

CLVI. Sunt ergo omnia illa ſedulo attendenda, quænam expetat mercimonia populus unusquisque, quicum promta intercedere queat mercaturæ ratio, tum & quando, & quantopere, quantaque eorundem copia diſtrahi apud quosque citra difficultatem poſſit. Quæ quum ipſis equidem mercatoribus eſſe debeant cognita accuratius, prodeſt tamen eorundem, ſaltem aliquam, intelligentiam & incuratoribus reipublicæ eſſe. Quorum cognitioni ſi perfectiorem quandam notitiam eorum adjecerint, quæ ex civitatis ſuæ proventibus aſportari liceat, illud porro danda ipſis eſt opera, ut eorum, quæ permagni apud quoslibet æſtimantur, libere cum iisdem exercere poſſint commercia; cavendumque, ne alius peregrinæ gentis mercatoribus potius, quam qui ipſis ſint ſubditi, certum apud illos populos forum aut majora privilegia acquirantur.

CLVII. Atque caret ſane illud difficultate in ejusmodi quidem mercibus, quales ſupra deſcripſi, quibus maxime abundare civitas illa debeat, quæ ad maritimorum commerciorum amplitudinem convenienti mercimoniorum non ſolum copia, ſed & qualitate, collineet. Etenim quum illarum fere aut monopolium, aut, quod ad monopolii accedit ſimilitudinem, ſingularem aliquam bonitatem in iisdem adepta ſit, in his mercimoniis, quorum pleno fruimur monopolio, ne acquiri quidem forum aliquod ab externis mercatoribus poteſt, niſi ab noſtris civibus facta illis eorundem ſit copia, & in illis, quorum excellentior bonitas eſt, quam eorum, quæ ab aliis apportantur, magis, quam illorum, noſtra citra dubium expetent mercimonia, ad quos ea deferimus. Unde erit etiam, paribus quidem cæteris, pronior fere in noſtrates, quam in alios exteros mercatores, favor, qui ejusdem generis mercimonia allaturi ſint; aut, utcunque æqualibus privilegiis cum externis aliis mercatoribus noſtri mercatores uſuri ſint, tamen ob inſigniorem conditionem ipſarum mercium promtius illas juxta atque carius venumdabunt.

CLVIII. Cæterum quid ſi aliæ gentes itidem & iisdem mercibus adfluant, & æqualis ad-

 mo-

modum earundem conditio ſit? Atque mihi quidem videtur, faciliorem tunc diſtrahendarum mercium rationem ejus ſere populi fore, cujus merces viliori pretio, quam alius populi exteri merces, queant venumdari, quo majorem illæ emtorum invitent numerum. Nam ut minimo quovis pretio ſibi comparare malit ea, quæ expetit, naturale eſt ingenio uniuscujusque. Pot< runt autem ab noſtratibus mercatoribus infra pretium, quod externæ gentes aliæ exigent, merces vendi, ſi vel copia earundem apud nos adfluentior, vel indulta evehendis illis a portoriorum onere major, quam alibi, immunitas domi pretium vilius, quam in aliis regionibus, effecerint, vel minores etiam ſumtus exegerit brevior maritimi itineris ad externos, quibus merces vendantur, populos via: vel a vectigalibus denique & in exteris regionibus ampliores immunitates aliis nationibus haud perinde atque noſtræ genti conceſſæ ſint. Quæ quum omnia jam tum antea pluribus explanaverim, nolo amplius nunc deducere, modo illud addidero, ſiquidem vel in exigendis portoriis, vel in deneganda libertate commerciis reddendove etiam mercatoribus noſtris jure prorſus iniquiores ſeſe præbeant gentes exteræ, neque ullis amicitiæ beneficiis demulceri poſſe amplius videantur, licere ſane & armorum in easdem potentia, ubi vires cauſæ reſpondeant, commerciorum amplitudini quam juſtiſſime conſuli. Quin & ob alias cauſas exorto bello, in finiendi illius conditionibus, maxime a victore populo, inter alia & commerciorum privilegiis proſpici ſalutariter poteſt. Cujus generis plena fuit illa ab vectigalibus in oreſundico freto immunitas mercatoribus Suedicis ab Danorum rege indulta pacis Bromſebroenſis capite 1. & ſeqq. Hafnienſisque capite tertio.

CLIX. Poteſt porro etiam contingere, ut, quemadmodum peregrinorum in iisdem nobiscum locis commercia agitantium multitudo numeroſior, ita ipſorum civium mercatorum in eodem genere mercium mercaturam exercentium juſto copioſior numerus (*polypolium* forſitan illud dixeris) promtiori quæſtuoſiorique diſtractioni officiat, etſi bene ſatis habeant reliqua. Quod incommodum ſocietatibus quidem bene ordinatis (*durch Compagnyen*) atque reipublicæ auctoritate firmatis, quæ neque minori mercatorum numero maritimorum commerciorum ſplendorem obruant, neque nimia eorundem multitudine nimiam vilitatem inducant pretio, tolli optime, ſupra, quum de ſocietatibus agerem, ſatis jam perduxi ad liquidum.

CLX. Obſervandum tandem & illud, quoniam eo diſtrahi poteſt abundantior mercimoniorum copia, quo ad plures illa populos devehuntur, committendum citra ſonticam ſane cauſſam non eſſe, ne, bellorum aliqua tempeſtate interruptis commerciis, arctioribus ſubinde anguſtiis diſtractionis mercium amplitudo claudatur. Quare, ſi qua belli neceſſitas cum externo aliquo populo ingruat, a quo magna noſtrarum mercium copia vendi atque abſumi ſolita, certe ne eo quidem tempore abſtineri prorſus ab ejusdem velim commercio. Et vero quidni illo ſaltem mercium genere perſequi mercaturam & cum hoſtibus liceat, quorum ad quævis alia, quam ad bellum uſus accommodatior eſt? Itaque non immerito carpas imprudentiam Comitis Liceſtrii, Belgicæ fœderatæ præfecti, memoratam ab Hugone Grotio in annalibus L. V. ex quo illa ſubjungo; *Offendit ſtatim plurimos edicto, quo non modo cum ſubactis Belgarum gentibus & Hiſpanis negotiationem reſcindebat, quæ, niſi ob certas temporum occaſiones, hactenus tolerabatur, ſed ne in Galliam quidem aut maritima Germaniæ transferri merces volebat, quod obtenderet, rerum penuria debellari hoſtem poſſe, ſi nec ex Britannia, nec ex Belgica ullis copiis juvaretur: incogitato, merces eſſe multas, nec hoſti neceſſarias, & Batavis ſuperfluentes. -- Ergo cum aliæ gentes, ad quas bellum non pertinebat, arceri Oceano & hoſtium commerciis non poſſent, compendio duntaxat a Batavis averſo, quo uno res hactenus ſteterat, magna mercatorum multitudo patriis urbibus emigrabant. -- Vetitam evectionem viciſſim eorum, quæ peregre ſolita peti, penuria ſequebatur.* Inde *ita temperatum edictum, ut in pacatas gentes cuncta, præter quæ bello idonea, ad hoſtiles Belgas locaque his finitima, excepto ſuper hæc frumento, cætera exportarentur.* Atque hactenus de his, quæ ad omnis mercaturæ aliquatenus faciunt amplitudinem.

CLXI. Maxime propria mercaturæ maritimæ nunc conſtituo, cum opportunum ad mare navibus earumq; & appulſibus & ſtationibus ſitum, tum ipſius navigationis libertatem ſecuritatemq; omnigenam. Erit igitur opportuna exercendis commerciis civitas, ubi & vicina mari fuerit admodum, (ut vel ipſa eodem aut, quæ in propinquo ſunt, loca alluantur, vel fluminibus ſaltem adfuſa commodis, per quæ duci in Oceanum naves poſſint) & inſtructa portubus optimis. Agnovit eam vicini maris ad commercia commoditatem etiam Ariſtoteles, VII. Polit. 6. *βέλτιον πρὸς ἐμπορίαν τῶν ἀναγκαίων μετέχειν τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν τῆς θαλάττης, ἐκ ἄδηλον* arbitratus. Quare & Romam urbem apud T. Livium L. V. Laudat Camillus, *Deos hominesque eum urbi condendæ locum elegiſſe, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi commeatus accipiantur, mare vicinum ad commoditates, ad incrementum urbis natum unice locum.* Et Athenarum urbem in medio Græciæ ita collocatam fuiſſe memorat Xenophon *περὶ πόρων*, ut, quotquot ab extremis Græciæ finibus ad itidem extremos proficiſci voluerint, tanquam circuli umbilicum, Athenas præter navigare debuerint, in quo quantum ad commercia momenti fuerit, jam ex ante dictis perſpicuum eſt. De hiſpanienſium Belgarum opportunitate apud Grotium eſt l 4. hiſt. *quod illorum in finibus cuncti amnes exirent & flumina retro in caput, Oceanus ſine termino navigaretur, hinc illam advenarum multitudinem, oraque exigua totas inſeri gentes.* De Hollandia legi licet Auctor libri de eo, quod Hollandiæ intereſt part. 1. c. 7. Plura ipſe non addo in re manifeſta.

CLXII. Sed ad illud potius diſputationem transfero, quomodo conciliare civitati opportunitatem illam viri politici poſſit interdum prudentia? Atque diſſimulari quidem non poteſt, ab natura, quam quærimus, commoditatem eſſe. Quid ergo? ſi ſit continens, non adfuſa Ocea-

no

no aut fluminibus regio, cujus quidem commerciis debet conſuli? reddemusne ad maritima commercia accommodatam, quæ ne mari quidem alluitur? Et nec illud ſane ita remotum quis ab humana arte exiſtimet, ut omnino factu impoſſibile credi debeat. Enim vero, & fluviis hinc inde derivatis, poſſe illud quandoque fieri, fecit liquidum experientia, & canalibus interdum atque certis terræ effoſſis tractibus. Sic Medoacum & Eridanum, inclytos Italiæ amnes, admiranda prorſus induſtria aliorſum verſos, auctor eſt ſcriptor reipublicæ venetæ Contarenus, lib. 5. Et laborioſum quidem Medoaci ductum, in ad Donatum Jannotium notis, Nicolaus Craſſus p. 296. expoſuit. Galliarum regem Henricum IV. Ararim Moſæ, Ligerim Sequanæ & Matronæ conjungere annisum fuiſſe accepimus, ut a Maſſilienſi & Tyrrheno mari ad Burdigalenſem Oceanum iretur, & a Rhodano usque ad portum Iccium & Septemtrionis ultima latera. Navigationis per Ligerim cum Sequana conjungendum conatus ſatis quidem felices in CXXXII. hiſtor. libro memorat Jac. Aug. Thuanus. Ex Romana hiſtoria maxime, celebris conatus eſt L. Veteris, quem Moſellam & Ararim, facta inter utrumque foſſa, voluiſſe connectere, ut per mare copiæ, dein Rhodano & Arari ſubvectæ per eam foſſam, mox fluvio Moſella in Rhenum, ex in Oceanum decurrere quiviſſent, ſublatisque itinerum difficultatibus, navigabilia inter ſe Occidentis Septemtrionisque littora evaſiſſent, in annalium XIII. Tacitus memoriæ prodidit. Ælii Gracilis invidia impedimento fuit laudando niſui. Neque felicior admodum plerorumque idem tentantium auſis eventus reſpondit. Inde narrans geminum Franciſci Galli in altero Ticini fluminis cornu in Gravallonium traducendo eluſum conſilium, prudens ſcriptor, Guicciardinus l. 15. addit hiſtoriæ monitum, ita fieri plerumque ſolere, ut, quantumvis ad menſuram talia demonſtrentur, experientia deprehendantur fallacia. Itaque, quum *ſua ora* (dicit Tacit. l. 1. annal. c. 79.) *fluminibus, ſuos curſus, utque originem, ita fines natura dederit*, nihil temere tentandum eſt, neque profuſis nequicquam opibus, decet nimis incertum commodum damno quam certiſſimo aucupari.

CLXIII. Sed nec ſola maris vicinia ſufficit, ut omnino maritimis opportunus commerciis civitatis ſitus habeatur. Nam & portuoſa eſſe regio debet, quoniam intereſt maxime mercatoribus, commodis ad Oceani littora, fluviorumque oſtia ſtationibus uti, ad quas naves appellere ſine periculo & allatas merces exponere importareve inde navibus queant commode. Igitur & in ceteris, quæ ad exercenda commercia inſtructiſſimam Athenarum urbem quondam effecerint, portus ſecuritatem ponit Xenophon de redit. *ὡς γε μὴν ἐμπορεύεσθαι ἡδίστη τε καὶ κερδαλεωτάτη ἡ πόλις, νῦν ταῦτα λέξω. πρῶτον μὲν γὰρ δή που ναῦς καλλίστας καὶ ἀσφαλεστάτας ὑποδοχὰς ἔχει, ὅπου γ' ἔστιν εἰσορμισθέντας ἡδέως ἕνεκα χειμῶνος ἀναπαύεσθαι.* De Goa Hieron. Oſorius l. 7. *Portus ſecuritas multos mercatores invitabat, ut libenter in ea domicilium collocarent*. & in cauſſis perfrequentis commercii apud Belgas refert etiam *portuum opportunitatem* Thuanus lib. 100. Quodſi minus id intelligitur, quanta ad commerciorum commoditatem portuum neceſſitas ſit, ex ingentibus illud in importuoſa appellentium periculis perſpici maxime poteſt. Quæ ne commerciorum amplitudini impedimento ſint, laborandum eſt, ut & importuoſa littora emendatrice induſtria apta ſtationibus navium efficiantur; in quo laudat conatus Cæſaris Plutarchus. Commodum vero commerciorum uſibus portum induſtria reddet, ſi & aditu appulſuque facilem, & profundum, & ſecurum, nec expoſitum procellarum faciet tempeſtatibus. Quanquam multum admodum & in iſtis natura valeat. Cujus in conſtituendo Ithacæ portu opportunitatem in Odyſſeor. XIII. Homerus celebrat & ad imitationem illius in portu Lybiæ, quo Trojani ſe receperant, multum Homero divinior Virgilius primo libro Æneidos v. 164. Quodſi ipſa locorum natura expetitam ſitus opportunitatem non ſuggerat, quidquid deeſt, congrua atque accurata architectorum induſtria ſuppleatur. *Ἀλλ' ἴσως ταῦτα μὲν ἀφετέον τὸ νῦν. ἐξακριβοῦν γὰρ ὑπὲρ αὐτῶν ἄλλης ἂν εἴη φιλοσοφίας οἰκειότερον.* Vid. Vitruv, l. 5. c. 12. de architect.

CLXIV. QUÆ immunem a damnis navigationem efficiant, copioſius explanandum eſt. Cujus uſibus, una cum ingenti nautarum numero, convenienti navium multitudine abundare civitas debet. Quare & firmiſſimarum trabium aſſerumve & reliquorum fabricandis navibus inſervientium juſta copia adfluet, & eorum, qui in ædificandis navibus ponant operam, magno numero. In Hollandia quidem, quamvis aliunde importatis uti aſſeribus ob domeſticam egeſtatem debeat, etiam integros & pagos, & oppida funibus contexendis, ſtruendisque navibus atque reliquo apparatui nautico conficiendo intentos eſſe memorat, præter alios, Eman. Meteranus l. 16. Apud Venetos in ampliſſimo navali, laudabili inſtituto, quod quidem hujus generis hominum, quibus navigatio indiget, numero adaugendo inſerviat, quorum vel in fabricandis triremibus, vel in ſimili reipublicæ utili munere, floreſcente ætate, induſtria viguit, poſtquam minus eos ad labores idoneos fecit ſenium, aliudve incommodum, ſuſtentari ſolent ſtipendio publico, neque illo admodum mediocri. Quin & in contractibus emtionis venditionis pretioſarum mercium, contrahentium alteruter aut venditor ſolvunt pro ſumma mercium certi quidpiam, quod pauperibus nautis, qui officio propter ætatem, functionibus tamen illis conſumtam, non amplius pares ſunt, impertitur. Atque velim ſane tum ſtipendiorum promta ſolutione, tum & alias, conſtitutis in illos præmiis, navitarum inprimis numerum longe copioſiſſimum effici, quod carere illo prorſus nequeat civitas, quæ commerciorum expetit amplitudinem. Quoniam magnam turbæ nauticæ multitudinem ſæpiuscule pelagus, magnam vis morborum, atque ſimiles illis aliæ calamitates abſumunt, ut vel unam illam ob cauſſam amplo hominum numero opus ſit civitati, quæ commerciorum ſtudiis dedita eſt Igitur Hiſpanorum equidem atque adjacentium illis Luſitanorum vires maritimas admodum fecit debiles hominum nauticæque ſubinde plebis penuria, qua & ve-

netem

netam laborare rempublicam, annotatum eſt Ameloto Huſſæo, qui quum navium attuliſſet numerum; quæ a Venetis haberentur, addit: *Il luy ſeroit aiſé d'en mettre deux fois davantage en mer, ſi elle avoit des forcats, des matelots & des ſoldats à ſa diſpoſition, comme elle a toutes les autres choſes dans ſon Arſenal.* Secus iſta in Batavis, gente numeroſiſſima, cui longe adfluentiſſimam plebis nauticæ multitudinem ipſa illa numeroſæ gentis in arctiſſimo terræ tractu adfluens copia incolarum conciliat. Quod præclare, ut cætera, in Hiſtoriarum quarto expreſſit Grotius: *Quæ littora illos ſatient, qui hominum ſeptuaginta perpetuo millia in mari habent? Magnarum navium multitudine, nulli regionum cedit exigua regio & tam adductis finibus incluſa, cujus adeo vis omnis extra ipſam eſt.*

CLXV SUNT vero, quæ in mari merces vehentibus damna imminent, duorum præſertim generum. Nam vel ab naturalibus illa cauſis manant, vel inferri ab hominibus ſolent. A principiis naturalibus oriuntur, quando vel tempeſtatum impetus navigantes infeſtat, vel locorum difficilium eos urget periculoſa conditio. Quibus profecto ne commercia adfligantur, provideri poſſe ab civili prudentia ſubabſurdum creditu quis exiſtimet. Occupatam tamen & in illo partem fuiſſe aliquam curæ veterum conſtat. Qui, quum ipſos adeo tempeſtatum impetus importunitatemque Oceani prohibere non poterant, quod ſuperſtes medium videbatur, fixum tempus conſtituerunt navigationibus. Quippe haud perpetuam fere maris illam acerbitatem eſſe, aliquos tantum menſes intractabiles claſſibus, quoſdam dubios, cæteros ſic ſatis opportunos navigationibus animadverterant. Inde Heſiodi monitum ad Perſam fratrem in Ἔργοις, cujus verſus ita in Latinum tranſtulimus?

Luces quinquaginta inverſa a tramite ſolis,
Ad finem prelapſo operoſi temporis æſtu,
Tempeſtiva homini eſt puppis, neque tute carinam
Fregeris, infeſtum inde *viros neque ſorpſerit æquor.*
Ni magno quaſſator humi Saturnius auſu
Aut Divus ſuperum rector ſubvertere tendant.
Tunc vero & faciles auræ, & ſine cladibus æquor
Mite. citam hinc puppim ventis ſubnixe ſecundis
Propelle in pontum:

Geminus fere ſenſus veteris Poetæ Græci in 1. Anthologiæ de Majo menſe:

Panditur Oceanus modo, adornanturque carinæ:
Nunc portu placido ſolvere tempus erit.

ac de verno itidem tempore aliud;

Nunc late effuſos decurrit navita fluctus
Innocuis Zephyri flabris ſua carbaſa pandens.

Vid. Philo in legat ad Caj. & Philoſtr. l. 4. in 5. Apoll. Ex latinis nota eſt Oda IV. Lib. 1. Carm. Horatii: nota & *Clauſi Apertique maris* vulgata nomina. Clare rem explicuit Plinius L. II. c. XLVII Add. l. 3. Cod. de naufrag. *Ver aperit navigantibus maria: cujus in principio Favonii hibernum molliunt cœlum, Sole Aquarii XXV. obtinente partem. Is dies ſextus eſt ante Februarias Idus*, & inprimis Fl. Vegetius Renatus l. 5. c. 9. in aliis Edit. eſt l. 4. c. 39. de re militari: *A die VI Kal. Jun. usque ad Arcturi ortum, id eſt, in diem XVIII. Kal. Octobr. ut ſecura navigatio creditur, quia æſtatis beneficio ventorum acerbitas mitigatur: ita poſt hoc tempus usque in III. Id. Novembr. incerta navigatio eſt & diſcrimini propior: propterea, quia poſt Id. VIIb. oritur Arcturus, vehementiſſimum ſidus. Et VII. Kal. Octob. æquinoctialis evenit acerba tempeſtas. Circa Non. vero Octob. Hædi pluviales, V Id. ejuſdem Taurus. A Novembri autem menſe crebris tempeſtatibus navigia conturbat Vergiliarum hyemalis occaſus. Ex acie igitur III Id. Novemb. usque in diem VI Id. Mart. maria clauduntur. Nam lux minima, noxque prolixa; nubium denſitas; aeris obſcuritas; ventorum imbri vel nivibus geminata ſævitia, non ſolum claſſes a pelago, ſed etiam commeantes a terreſtri itinere deturbat.* Imo & ſolemni certamine publicoque ſpectaculo multarum gentium natalem navigationis celebratum idem auctor memoriæ prodidit Quamvis vero in conſtituto navigationi termino prorſus forſitan non convenerint, gemini tamen & in pluribus populis ab commercio maris certo tempore abſtinendi mores tenuere. Cæterum, ne quid ſane diſſimulem, haud paſſuros facile arbitror hodiernos præſertim mores priſcæ conſuetudinis obſervantiam. Quam ſi revocare in uſum ſtaret genti cuipiam, præriperetur illi ab externis aliis mercatoribus lucrum, qui, neglecto hiberni temporis autumnive ſeverioris diſcrimine, mercaturam navigationibus perſequerentur. Crebriores fere per hyemem tempeſtates eſſe, non abnuo: verum ex eorum numero eſt, quæ eveniunt ſæpiuſcule, non perpetuo. Igitur etiam ipſum adeo Romanorum inſtitutum non ad mercatorias æque naves, quam ad claſſes pertinuit. Enim vero nec ſua ætate, periculoſo quamvis adhuc ſatis Oceano, mercatorum ceſſaſſe induſtriam refert Vegetius, *nec ſævitiam tempeſtatum mare* penitus *concluſiſſe* multum illo antiquior Plinius confitetur: *piratas primum coegiſſe mortis periculo in mortem ruere & hyberna experiri maria;* poſt *idem hoc avaritiam coegiſſe.* Geminaque hodie apud Anglos, Venetos, Belgas, Danos & Hanſeaticos obtinent. Vid. Marquard. L. 1. c. 4.

CLXVI. MELIUS avertendis ab mercatoribus damnis, quæ a tempeſtatum calamitatibus imminent, medium duco providi gubernatoris peritiam. *Qua in parte* inquit Veget L. 5. c. 8. *naturalis philoſophia tota eſt adhibenda ſolertia, qua ventorum tempeſtatumque, cœleſti ratione, natura colligitur, ſiquidem difficile naufragium pertulit is, cujus in ventorum ratione exploranda accurata fuit induſtria.* Extant plurima paſſim apud veteres tempeſtatum prognoſtica. Verum, ut in cæteris,

ita

Digitized by Google

Ita in his, quæ ad navigandi artem pertinent, mirum quantum veteres, qui ne pyxidis quidem nauticæ uſum habebant, recens experientia ſuperet. Ipſam navigandi peritiam & officia nauclerorum, traditis ſubinde præceptis, tanquam in artis modum aliqui redegere. Atque maxime quidem e republica arbitror, certos in maritimis civitatibus rei nauticæ etiam doctores inſtitui, qui deſtinatam navigationibus juventutem illis, cum naturalis philoſophiæ, tum Matheſeos partibus atque omnibus iis imbuant, quorum ad rem nauticam uſus eſt. Apud Batavos, unde pleraque rei & mercatoriæ,& maritimæ fluit prudentia,commendari merentur maxime publica illa collegia, quibus venacula lingua ab ejusmodi diſciplinarum doctoribus explorari nauclerorum ſolet peritia; eademque & ipſa ſubinde crebro navigationum uſu atque experientia auctior, quum proponere publice liceat,quidquid obſervatum navigantibus fuerit,ſolvendumq; poſcere, ſi quid dubitationum emerſerit,amplam proficiendi materiam cum naucleris,tum vel ipſis adeo harum rerum profeſſoribus ſuggerit. Recens apud Gallos rei maritimæ & in condendis illi academiis ſtudium, gentem exquiſitiſſimam, & quæ ad maritimarum ſubinde virium etiam potentatum adſpiret. Certe quantum ad navalis rei exquiſitiorem notitiam iſta adferant, eſſe nequit non quam maxime manifeſtum. Igitur & Geographiam inprimis & Hydrographiam & Limenographiam, quibus cum telluris certa quædam notitia, tum Oceani traditur, edoceri nancleros velim, quo vitari ab navigantibus cuncta illa poſſint incommoda, quibus ob locorum difficultates periclitari queant. Quamvis enim etiam ſignis illa nota reddi navigantibus debeant, tum &, lucernis in excelſioribus turribus propinquitatem portuum illis patefieri, operæ pretium ſit, tamen ipſorum inprimis *nauctorum gubernatorumque ſolertia eſt*, infit quinto libro c. 13. (lib. 4. c. 43.) Vegetius, *loca, in quibus navigatur, portusque cognoſcere: ut infeſta prominentibus vel latentibus ſcopulis vadoſa ac ſicca vitentur.* Itaque M, Manil. IV. Aſtron. *noverit orbem* (nauclerus)

Fluminaque & portus mundi ventosque neceſſe eſt;
Jamque huc atque illuc caligine vertere clavum,
Et frenare ratem.

CLXVII. Quibus commode ordinatis,quamvis plurimis ſane calamitatibus ſæpiuscule navigantes queat eripere providi gubernatoris cura, tamen vi majori fortunæ tempeſtatumque oppreſſa eadem ſuccumbit ſæpius. Quo utilius arbitror inſtitutum in Hollandia perfrequens, quod *ſecuritatis ſubſidium* latine dixerim; Barbare *adſecurationem* diceres, paulo forſitan ad vulgatam vocem accommodatius. Quippe *Aſſeurantie* vulgo vocant; qua conſcriptis in fidem contractus inſtrumentis, (quæ *Police* mercatoribus audiunt) omnium plurimarumve aut ſolum quarundam quandoque mercium certæ navis periculum, in ancipiti exſpectatione, in ſe transferunt, quibus illud collibuit, pro diverſa conditione periculi denos aut duodenos etiam pro centum florenos pacti. Si incolumis navis redeat, jam tum antea perſolutis prœmiis, inſtrumenta delentur. Sin adverſi quidpiam navi atque mercimoniis acciderit, ſive ab mari, ſive a tempeſtatibus, igni, injectionibus manuum, (*arreſtationes* vulgo vocant) poteſtate hoſtili, dolo aliorum aliisve ab cauſis id profectum ſit, damnum pro rata ſecuritatis parte fidejuſſores (*de Aſſeuradeurs*) mercatori reſarciunt. quibus tabulis, cæterisque navigii aut ipſorum mercimoniorum reliquiis, ut viciſſim cedat, navis dominus obſtringitur. Quin & certis magiſtratibus, ob frequentiores in contractu iſthoc controverſias citra difficultatem tollendas, curam *ſecuritatis ſubſidiorum* apud Hollandos delegatam videas. Ita Amſtelodami quidem penes triumviros Senatorii ordinis illud muneris eſſe reperi, tum qui ab ſecretis iisdem ſit, tum & ſcriba peculiari adjunctis.

CLXVII. Ante omnia dari operam volumus, ut, ſi forte naufragium naves mercatorum incucurrerint, quidquid mercium per urinatores littorumve accolas receptum fuerit, ſuis dominis, mercede, prœmiove accepto, reſtituatur, nec jus habeat fiſcus in aliena calamitate,ut de re tam luctuoſa ſectetur compendium. Quare debent & legum conſtitutionibus plena hujuscemodi pietate edicta ſanciri, ut in romano juris corpore exſtant l. 1. Cod. de naufrag. & authentica Navigia ad l. 18. Cod. de furt. & ſerv. corrupt. quibus jungi poteſt aureus profecto articulus CCXVIII. Conſtitutionis carolinæ. Margarethæ Danorum Principis illuſtriſſimæ edictum Viburgi propoſitum l. 9. rer. Dan. hiſtor. refert Jo. If. Pontanus, quo indigenæ ſeptemtrionalis Cimbricæ Cherſoneſi ſuppetias ferre jubentur nantis atque vicinarum provinciarum mercatoribus naufragis, resque illorum, tum ipſos naufragos e diſcrimine pro virili parte eripere: ipſi mercedem pro ſervatis rebus ſecundum privilegia acciperent. Certe quæ de retinendis a vicini littoris domino naufragorum mercibus conſuetudo invaluit, ut iniqua prorſus commerciis, ita omni juſtitiæ fundamento deficitur, digna, quæ ab ſummis poteſtatibus, ſaltem in favorem commercii, tolleretur. Quamvis, dum in ſuis quæque littoribus uſum ejus admittit, geminam in ſuos mercatores naufragiorum calamitatibus miſere preſſos adhibendi licentiam non permittere nequeat. Quare, & mutuis illam pactis abrogari, eſſet quidem ſupremis rerumpublicarum gubernatoribus digniſſimum facinus. Cujuscemodi factum aliquid Danos inter & Sueones anno ſuperioris ſeculi XXXIV. l. 6. hiſtor. Sued. memorat Jo. Loccenius. maximeque commendari merentur hanc in partem c. 24. & 26. commerciorum fœderis inter Anglos gentemque Burgundicam initi anno MCDXCV, quod Intercurſum Mercium vocavere.

CLXVIII. POSTQUAM ea explicui, quæ ab naturalibus cauſſis detrimenta exſpectanda ſint navigantibus, tum quomodo effugi iſta queant quam commodiſſime, transferat ſe ad illa diſputatio, quæ humana vi navigantibus evenire infeſta ſolent. Sunt vero illa rurſum in duplici fere differentia. Nam aut ab ſupremis poteſtatibus inferuntur, aut a privatorum hominum, quo-

rum in piratica ſtudium eſt, proficiſcuntur malitia. Quamvis enim mixtum aliquid habere videantur ex utroque, quæ, quum a privatis fiant, illis permittentibus atque etiam inſtigantibus committuntur, quorum ſumma quædam poteſtas eſt, facile tamen ad illorum alterutrum patet revocari eadem ſatis commode poſſe.

CLXIX. QUI ſupremi alicujus imperii jure gaudent, ſi quam gentis exteræ mercatoribus navigationem minus tutam efficiant, belli maxime tempore accidit; quando aut ipſi inter ſe populi liberi diſſidentes, alter alterius, turbant mari commercia, aut intervenientis tertiæ civitatis naves belligerantium alteruter populus intercipit. Cujus generis ne quid eveniat, erit ſummo ſtudio providendum. Neque vero interrumpi commercia nequeunt, ubi, bello gliſcente, piratica navigatio perturbatur. Quod de Gallorum occidentem verſus commercio tradit Bodinus, quoad Angli Aquitaniæ Normanniæque portus tenuerint, in Hiſpaniam & in inſulas commeatus illis interclusos fuiſſe, ab altera parte diſſidia familiæ andegavenſis cum Arragonica ab Italiæ portubus eos abſtinuiſſe.

CLXX. Igitur prima cautio eſt, ne qua facile bellum alii civitati civitas inferat, quæ ſecuritati mercaturæ maritimæ conſultum velit; ſed in eo maxime elaboret, ut vel honeſta & perpetua pace frui liceat, vel, ſi gravior quædam belli neceſſitas aliquando incubuerit, quacunque illud celeritate poſſit, finiatur. Gentis Batavæ commercia, populi in mercatura facile principis, magis olim gravi ac diuturno cum Hiſpanis bello adaucta, quam collabefactata, diffiteri non poſſum. Sed bene Grotius: *Unam gentium hanc arbitror, quæ bello, etiam magis, quam pace, commerciis profecerit.* Cauſſas ipſas profectuum nunc non examino. Quas quum ab aliis tamen civitatibus exſpectare facile cæteroqui non liceat, non eſt, ut his, quæ de pacis ſtudio attuli, Hollandorum exemplum aliquis officere opinetur. Pertinent igitur huc, quæ *Le Conſeiller d' Eſtat* affert primæ partis capite LV. quo *Les Conſiderations pour un Prince, qui veut vivre en bonne intelligence avec ſes voiſins*, complectitur. Atque erit etiam eo facilius, ipſum adeo pacis ſtudium, quo proclivior in commercia civitatis exſiſtet propenſio, pronis ſcilicet ſponte ſua in pacem gentibus, quas illorum & exinde captandi quæſtus dulcedo ſemel imbuit. Quare & bellum, niſi graviori quadam injuria laceſſitæ, nimiarumve virium in illis metu, qui nocere illorum queant commerciis, quæ commercia amet, civitatis incolæ vix deſiderent. De Belgis ſuis Grotius primo annal. *Belgæ attenti ſane, & quæſtus ſtudio laborum tolerantes, PACEM ideo & COMMERCIA expetunt, non tamen, ut injurias ferant.*

CLXXI. Neque ſane, dum pacis ſtudioſam eſſe eam civitatem volumus, in qua ampla eſſe debeant maris commercia, prorſus deſides efficiendos civium animos arbitramur. Noceat quidem illa nemini, ne quam propulſandæ injuriæ anſam aliis gentibus præbeat; aſt, ſi ipſa bello aut injuriis laceſſatur, fortiter, & a finibus ſuis, & a mercatura maritima, damnum omne propulſet. *Suſcipienda* enim *bella ſunt ob eam cauſſam, ut ſine injuria in pace vivatur.* Cui commerciorum gratiæ conſervandæ longe arbitror utiliſſimum, ſi navali inprimis maritimaque potentia civitas polleat, quæ & ab infeſtandis mari mercatoribus hoſtilem avertere impetum, & inſignis amplitudinis ſuæ formidine ab injuriis inferendis deterrere alios poſſit. Nam, ut recte docet Vegetius, *nemo bello laceſſere aut facere injurias audet ei regno vel populo, quem expeditum & promtum ad reſiſtendum vindicandumque cognoſcit.* Præclareque Chryſoſtomus Dio in prima de regno, *ὅτι τοῖς κάλλιςα πολεμεῖν παρεσκευασμένοις, τούτοις μάλιςα ἔξεςιν εἰρήνην ἄγειν.* Quo & Epaminondæ tendit monitum ad Athenienſes: *Qui pace diutina volunt frui, bello exercitati eſſe debent.* Quamobrem firmanda reſpublica eſt & armis adverſus hoſtes, & pacis artibus bonis, cavendumque, ne, dum in favorem commercii omnia diriguntur, quod plerumque ſolet contingere, torpeſcentes pacis negotiis & commercio cives, neque ultra quæſtum erecti, prorſus imbelles fiant. Ariſtotelis eſt 7. Polit. 6. *οὐ μόνον αὑτοῖς, ἀλλὰ καὶ τῶν πλησίων τισὶ δεῖ καὶ φοβεροὺς εἶναι, καὶ δύνασθαι βοηθεῖν, ὥσπερ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν.* Addit de navalis potentiæ amplitudine: *περὶ δὲ πλῆθος ἤδη καὶ μέγεθος τῆς δυνάμεως ταύτης πρὸς τὸν βίον ἀποσκεπτέον τῆς πόλεως, Εἰ μὲν γὰρ ἡγεμονικὸν καὶ πολιτικὸν ζήσεται βίον, ἀναγκαῖον καὶ ταύτην τὴν δύναμιν ὑπάρχειν πρὸς τὰς πράξεις σύμμετρον. De modo autem & magnitudine harum opum pro vita civitatis videndum eſt. Nam ſiquidem principem ac politicam vitam vivet, neceſſe erit, has quoque opes rebus gerendis reſpondere.* Quodſi pro civitatis ſtatu mari eſſe ejus potentia amplior aut anguſtior debet, ſufficientem denique vim maritimam noſtra habebit civitas eam, quæ ad commerciorum amplitudinem eſt idonea. Erit autem illi accommodata, quæ & terrere exteras civitates poſſit, ne quid detrimenti mercatoribus & commerciis inferant, &, ſi tale quidpiam moliantur, ad arcendas illas ſatis instructa ſit. Qualem eſſe profecto liquet maximam.

CLXXII. IGITUR ut maritimarum virium amplitudine excellat reſpublica præter & immenſam claſſiariorum atque nauticæ plebis copiam, tum inſignem optimarum navium & in belli uſus factarum commode apparatuque omni cum navalium bellico adfluentium numerum, & ingentes divitias, quas facilius mercatura indeque etiam opibus floridæ civitati ipſa ſuppeditabunt commercia, ſumtibus ſuſtinendis maxime neceſſarias, illud porro antea omnia operam navabit Majeſtas, ut, quemadmodum omnis rei maritimæ, ita navalis præſertim belli peritia cives ſuos reddat quam inſtructiſſimos. Eodemque etiam ipſa ratio mercaturæ maritimæ navigatioque maris perpetua, & maritimarum rerum doctrina in collegiis publicis faciet plurimum. Non male Venetæ gentis inſtituta hanc in partem, quanquam ad patritios viros, ut illius ſcilicet reipublicæ ratio poſtulabat, reſpiciat maxime, memorata ab Contareno in de republica Veneta, cujus verba,

ba, utut prolixiora paulo, ſubjungam. *Univerſa civitas ad ſtudia rei maritimæ converſa eſt, atque juventutem legibus inſtituit, ac totius vitæ conſuetudine firmavit. Hic enim mos inſtituendi patritios homines ſemper fuit, ut, — præter paucos quosdam, qui literarum ſtudiis ſe manciparant, genio naturaque ducti omnes fere rei maritimæ operam darent. Plurimi conſcendebant triremes armatas, atque a teneris annis & corpus laboribus firmabant, & animum exercebant rei maritimæ diſciplina, nec non navalis belli peritia; quibus artibus ſemper Veneti excelluere. Quin lege cautum fuit, quæ ad usque noſtra tempora pervenit, ut in unaquaque triremi armata ſtipendium ex ære publico non exiguum daretur duobus adoleſcentibus patricii ordinis: quorum officium nihil aliud eſſet, præterquam imbui diſciplina rei maritimæ: ac, ut id facilius aſſequerentur, exigua quædam munera eis incumbunt, in quorum functione exercitantur ac proficiunt, ſicque idonei fiunt ad majora capeſſenda. In gravibus vero triremibus, ſeu ad claſſem & rem bellicam inſtructæ fuerint, ſive privatim civibus locatæ ad mercaturam, octo juvenes patritii quandoque deſtinati ſunt, nec mediocre eis ſtipendium conſtitutum, vel ex pecunia publica, vel ex ære privato. Quin etiam privatorum navibus hoc onus legibus impoſitum eſt ad publicam utilitatem, ut ex ære domini privati hominis uni, ſeu duobus, ſi navis major fuerit, patritiis ſtipendium ſolvatur, quorum aliud nullum officium ſit, præterquam exerceri muniis nauticis,* Hactenus Contarenus l. 5. de republica Veneta, cui addere licet Amelotum Huſſaium p. 116. & ſeqq. Cæterum, ne quid diſſimulem, quod de crebris ſtipendiis quondam apud Venetos inductum memini, obſervari perinde & in aliis civitatibus facile poſſe non arbitror, ubi copioſum hominum numerum invitari illis ad rem maritimam neceſſum ſit. Quare & in ipſa republica Veneta non diffeſſus eſt Contarenus increſcente civium numero & ingruentibus bellis, longe plures effectos pauperes eſſe, quam ut ſatis conſuli illis quiverit dictæ legis beneficio. Saltem in eo tamen Venetæ civitatis laudamus prudentiam, quod ad maritimæ rei ſtudia, navaliſque belli peritiam ſumma opera inducendos cives cenſuerit, quanquam ſane cum lapſu temporis plerique adoleſcentes, ut eſt apud Contarenum, ambitione aut luxu poſt amplificatum imperium corrupti patrias inſtitutiones neglexerint.

CLXXII. Quod ſi ab navali potentia ſatis civitas inſtructa ſit, placet, cum ad exquiſitiorem peritiam rei maritimæ, tum ad acriter propugnandam libertatem commercii, certum bellicarum navium numerum etiam publica auctoritate conſtitui, quæ & mercatorum onerariis, ubi opus ſit, opem ferendo, in promtu ſint, unde *Convoyers* navibus illis vulgatum nomen eſt, & crebrioribus, ubi res exigat, in vicina maria diſcurſionibus (*Cruyſzen* Hollandi vocant) navigationem tutam efficiant aut ad maritimos denique exitus hoſtibus obſtruendos in ſtatione ſint, quod *Wachten* appellant. Ita ſingulis annis, quamvis nulla neceſſitas urgeat, ſaltem piratarum inſultibus reprimendis, triremes quasdam inſtructas haberi ab Venetis referunt Contarenus l. 5. de republica Ven. & Amelotus Huſſæus p. 124. Etiam apud Hamburgenſes, ne Germanos prætercam, Auguſtus & Auguſta, id namque navibus illis nomen eſt, in excubiis ſunt. In Hollandis, qua cum gente nulla fere natio de navalis rei gloria hactenus admodum auſit contendere, marium navigationumque libertati etiam integra maritimæ rei præfecta (Admiralitatis vulgo vocant) collegia, paratis ſemper illos in uſus navibus, conſulunt.

CLXXIII. SED neque illud prætereundum ſilentio eſt, haud parum ſecuritatis pariter atque commoditatis acceſſurum eſſe commerciis, ubi ſaltem in vicina parte Oceani civitatis noſtræ dominium ſit, eoque magis, quo in propioribus maris illius partibus crebrius civitatis noſtræ commercia aut utilius occupentur. Quæ alias ab maris imperio manent commoda, copioſius perſecutus eſt Xenophon eo libro, qui *de Athenienſium republica* inſcribitur. Verum iſta nunc quidem omittantur, quoniam noſtro inſtituto haud perinde accommodata ſunt omnia. Vulgo ipſa piſcatus, portuum, vectigalium, navigationis reſtringendæ atque gemina iſtis jura Maris Domino tribuunt, quorum quanta ad commercii amplitudinem capiendasve ex illis utilitates opportunitas ſit, ubi civitati cuipiam adfuerint, quamque detrimentoſum, ſi in aliorum manus devenerint, ignorari non poteſt. Almeidæ Luſitani imperatoris prudens conſilium de commercio indico memorat Hier. Oſorius, decretum ei fuiſſe, mare tenere, quod ſtatuerit, eum, qui maris imperium poſſideret, univerſæ Indiæ poteſtatem habiturum. Acquiretur autem maris dominium, tum ſi cedat eodem ſponte ſua prior dominus, qui fortaſſe comparandi ejus imperii modus rarior eſt, tum, qui omnium frequentiſſimus eſt, virium maritimarum potentatu & occupatione. Recte enim Xenophon: *Ἡ θάλαττα ἐν τῷ μέσῳ, οἱ δὲ κρατοῦντες θαλασσοκράτορές εἰσιν. Eſt in medio mare, quique rerum potiuntur, etiam maris imperium obtinent.* Neque vero uti comparando maris imperio, ita conſervando eidem minus vi navalis potentiæ opus eſſe exiſtimaverim. Caveat tamen maris dominus, ne qua laxiori jurium ſuorum interpretatione abuſus gentium in ſe aliarum inimicitias cum inſigni commerciorum damno proritet. Quin & legum maritimarum æquitate atque juſtitia & in gentes exteras atque mercatores benevolentia maris ſibi potentatum ſtabiliat. Quod ab Rhodiis optime obſervatum reperio apud Strabonem, cujus verba ſubjungo: *Θαυμαστὴ δὲ καὶ ἡ εὐνομία καὶ ἡ ἐπιμέλεια πρός τε τὴν ἄλλην πολιτείαν, καὶ τὰ ναυτικά, ἀφ' ἧς ἐθαλασσοκράτησε (ἡ τῶν Ῥοδίων πόλις) πολὺν χρόνον, καὶ τὰ ληστήρια καθεῖλε, καὶ Ῥωμαίοις ἐγένετο φίλη καὶ τῶν βασιλέων τοῖς φιλορωμαίοις τε, καὶ φιλέλλησιν.* Celebrat egregiam in Rhodiis diſciplinam navalem & gloriam Tullius in Orat. pro L. Manil. atque ipſi inclyti legum ferendarum prudentia Romani tanta admiratione Rhodiæ reipublicæ leges proſecuti ſunt, ut nonnullas ex iisdem victores ab victis receperint. Cæteroqui celebris maritimarum legum præſtantia inſula gallica Olero & in balthici maris ſinu Visbuenſium civitas fuit; poſt quam etiam hanſeaticarum civitatum ſolertia in condendo jure maritimo haud ſpernenda enituit.

CLXXIV. QUID ſi vero ne navali quidem illa potentia polleat civitas, quæ ad præſtandam ſecuritatem navibus ſuis ab infeſto hoſtium impetu ſatis ſit? Patet ſane, enitendum eſſe quam maxime, ut, quod virium deficit imbecillitas, illud externorum principum rerumpublicarumque amicitiæ atque fœdera ſuppleant. Maximeque eorum benevolentiæ dari operam velim, quorum aut potentia amplior aut in noſtris commerciis apprime idoneum mare, partemve ejus potens imperium eſt, quod ab illis facilius noſtra perturbari queant commercia. Unde Xenophon, Εἴ τις, inquit, *πόλις πλουτεῖ ξύλοις ναυπηγησίμοις, ποῖ διαθήσεται, ἐὰν μὴ πείσῃ τὸν ἄρχοντα τῆς θαλάσσης; εἰ δέ τις σιδήρῳ, ἢ χαλκῷ, ἢ λίνῳ πλουτεῖ πόλις, ποῖ διαθήσεται ἐὰν μὴ πείσῃ τὸν ἄρχοντα τῆς θαλάττης; ſi qua civitas lignis abundat ad naves fabricandas, ubinam ea vendet, ſi non eum, qui maris obtinet imperium, prius ſibi conciliaverit? Rurſum, ſi qua civitas ferri, vel æris, vel lini copiam habeat, ubinam ea vendet, ſi non prius eum, qui mari potitur, ſibi conciliaverit?* Enim vero facile eventurum, credo equidem, arbitratur, ubi inter maris dominum, atque eos, qui commerciorum gratia mari illo utantur, inimicitiæ exarſerint, uti omni prorſus maris ejus commercio, cujus ille tenet imperium, imbecilles viribus mercatores arceantur.

CLXXV. Atque incidunt ſane tempora, quibus paſſim obtinet illud Athenienſium ad Melios apud Thucydidem l. 5. *δυνατὰ δὲ οἱ δυνατοὶ πράσσουσι, καὶ οἱ ἀσθενεῖς συγχωροῦσι; quæ fieri poſſunt, ea validiores faciunt, imbecilli ſuſtinent.* Quippe, quod a Sannazario ſcite dictum eſt in Arcadia, eccleſ. 9. ad Syracid. VIII. 1. *La capra col leon non puo far guerra.* Igitur quibus mediis uti debeant pro ſecuritate commercii illi, quibus a potentioribus maritimi itineris libertate interdicitur, porro diſpiciamus. Atque videantur ſane utiliſſima hanc in partem imbecillioribus illis rebuspublicis ea fœdera, quæ pro libertate commercii cum externis aliis civitatibus ineuntur, ſive cum validioribus placeat illa conſtitui, ſive cum æqualibus; ſive denique etiam cum infirmioribus fiant. Sufficit enim tantas ſociatarum civitatum opes fœdere fieri, quantæ ad commercii navigationumque libertatem defendendam, junctis viribus, ſatis ſint. Cujus generis longe celeberrimum fœdus hanſicum, nonniſi ob maritimi commercii in externis præſertim regnis libertatem, ſeculo circiter quarto decimo chriſtianæ æræ, inter plurimas civitates, præſertim germanicas, cum uberrimo germanici imperii fructu coiit. Cui geminum fere annis ſeculi hujus XIII. & XVI. (cur enim aut vetera, aut aliena proferamus potius, quam & noſtra & recentia?) Belgicæ fœderatæ Patres iniverunt cum Lubecenſibus: quamvis diutiſſime ſteterit hanſeaticum fœdus: Belgicum ultra quindecim annos nec ipſius fœderis conditione protenſum. Vid. continuat. Thuani, inprimisque ſupplem. Meterani lib. 33. in quo exſtat exemplar fœderis. Danda vero inprimis opera, ubi jungi fœderum iſtiusmodi nexu libeat, ne qua illis alia itidem capita inſerantur, unde damni aliquid mercaturæ poſſit emergere, ut ſi in alios etiam eventus mutua auxilia promittantur. Pertimeſcendum etenim cæteroquin foret, ne aliorum gratia turbis minime neceſſariis ipſi illi implicarentur, qui commerciorum ſuorum libertati atque ſaluti proviſum cuperent maxime. Cujus generis ne quid accidat, expendendum erit paululum diligentius, quorum uti auxiliis e republica videatur, ne cum aliis intercedentes illis diſcordiæ invidia onerent etiam ſocios, neu in bella invitos præcipitent, quorum declinandorum gratia fœdera ipſa percuſſa ſunt, quo funeſtius nihil eſſe mercaturæ maritimæ, feci liquidum.

CLXXVI. Quod ſi plures civitates uno fœdere jungi placeat, proſpiciendum eo eſt accuratius, ne quæ inter illos ſimultates aut diſſidia facile ſubnaſcantur, quo plerumque arctius eſſe inter paucos ſolet, quam, quod pluribus intercedit, amicitiæ fœdus, dum in ſua quilibet commoda prono maxime animo eſt. Quare approbandos admodum arbitror frequentiores illos conventus, quibus hanſeaticas civitates uſas quondam reperio, de communi amplæ ſocietatis ſtatu agitaturas conſilia. Lubecam plerumque, tum ob ſitus commodi opportunitatem, tum ob ampliora præ cæteris, omnibus fere, privilegia Cæſarum, caput fœderis, indici ſoliti. Eidemque Urbi & *Syndicum Hanſæ teutonicæ* conſtituendi atque in ſupremo judicio imperii advocatum fovendi hanſicæ ſocietatis nomine facta copia; quippe ad quam ab emporiis reliquis, præſertim oſterlingicis, de commerciorum oneribus querimoniæ deferebantur. Neque tamen, etſi legum quoque utiliſſimas ſanctiones ſaluberrime ſancto fœderi addiderunt, inconcuſſa perſtitit hanſicæ ſocietatis conjunctio, quum incertum ſubinde fœderatarum urbium numerum, potentiam exilem, nimia forſan in quibusdam urbibus propriæ utilitatis libido, & ex fœdere percipiendarum utilitatum ſpes exigua, in compluribus libertate dubia, viribus imbecillis, ſuſpecta apud principes dominos ampli fœderis formidoloſa potentia fecerint. De quo apponere libuit judicium Jo. Iſ. Pontani ex VIII. libro hiſtoriæ danicæ: *Hæc ſane potens admodum id temporis* (ſeculo XIV.) *fœderatio non tantum ſufficerit ad jura ſua ac privilegia retinenda, ſed ipſis quoque regibus principibusque formidabilis veluti officina fuerit ad extorquendum ab iis, quodcunque collibitum foret. Hodie internis partim diſcordiis, partim principum vicinorum armis fracta interruptaque eas, quas olim, vires haudquaquam habet. Neceſſe diuturna ac concors inter plures concordia poteſt, præſertim, cum non omnes eodem reſpiciant, ſed ſibi quisque ſtudeat.* Scripſit integram hanſicarum rerumpublicarum hiſtoriam Jo. Angelius Werdenhagius, ſed qui neque eruditionis copiam, neque judicii gravitatem ad ſcribendum attulerit, prono magis in alios obtrectandos calamo, ut e vulgo prognatum noſcas, quam in ſummis rerum capitibus accurate examinandis occupato. Sed ad reliqua pergamus.

CLXXVII. Igitur ſuppetit etiam alius maria belli tempore citra infeſtationem navigandi modus, quando aliarum gentium nomina navigaturi in illis locis, in quibus major hoſtium potentatus eſt, aut cum ipſis adeo hoſtibus tecto nomine commixturi commercia noſtri mercatores uſurpant. Quod hiſpanici belli tempore fœderatæ Belgicæ navibus ab Galliarum rege conceſſum

video,

Digitized by Google

video, ut auſpicia Gallici nominis tuta Batavis eſſent. Quamvis vel ipſorum navigantium frequens ea, at periculoſior fere, ſagacitas ſit.

CLXXVIII. IN HIS, quæ a privatorum hominum, navigandi libertatem turbantium, ſcelere damna mercatoribus imminent, propulſandis eadem, quæ in hoſtium refrenando impetu, ratio eſt. Quippe quum cuivis populo ad commercia libera maris eſſe debeat navigatio, tanquam communes hoſtes gentium nationumque omnium exterminandos de illo patet, quos injuſti lucri cupiditas ad ſpolianda mercatorum navigia, turbandamque commerciorum tranquillitatem induxerit. Quanquam rarior fere peſtis illa navigantium eſſe ſoleat. Seculo tamen XIV, jam ad finem pene devoluto, in ipſius Balthici maris ſinum vim ingentem maritimorum prædonum, quibus *Vitalianis fratribus* pervulgatum nomen fuit, in Alberti Sueonis opem, facta primum in ſolos Danos invadendi paronibus copia, Megapolitanorum imprudentia invexerat. Vid. Pontan. lib. 9. Meurſ. t. II. lib. 5. Krantz. Vandal. l. 9. c. 22. 25. Loccen. l. 4. quam, conjunctis deinceps viribus, cunctis citra diſcrimen infeſtam Lubecenſium. Pruthenorumque inprimis virtus perdomuit. Quare poterit ſane, ubi unius equidem civitatis vires coërcendæ piratarum emergenti malitiæ non ſuffecerint, junctis illa plurium civitatum opibus refrænari, aut, ſi nimis radices egerit, ut evelli penitus citra majorem virium amplitudinem nequeat, quæ Barbariæ piratarum potentia, vel inſtructis bellico apparatu ipſis mercatorum navibus, vel adjunctis comitibus, quæ auxilio eſſe queant, bellicis, &, quæ mare percurrendo tutum efficiant, navibus, ita ſecuritati navigantium conſuli, ut ab improbo ſceleſtorum hominum impetu defendantur.

HERMANNI CONRINGII
DISSERTATIO POLITICA
DE VECTIGALIBUS.

Die 31. Menſis Maji MDCLXV. habita.

RESPONDENTE

TITO THOMÆ, Rensburgo-Holſato.

Theſis I.

Quam neceſſaria ſit diſciplina ærarii reipublicæ conficiendi conſervandique, ex eo percipi poteſt, quod veteri proverbio dicitur: pecuniam nervos reipublicæ eſſe, Cicer. *pro lege Manil.* & ex eo Bodin. *lib.* 6. *c.* 2. nam, ut non minus vere, quam prudenter pater civilis prudentiæ nunquam tacendus Tacitus *lib.* 4 *hiſtor. c.* 74. dicit; Neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt. Æquum etiam & utile eſſe tributa exigere, prolixe oſtendit Cicer. *ep.* 1. *lib.* 1. *ad Q. fratrem*, quando de Græcis ita ſcribit: *ſimul illud Aſia cogites nullam a ſe neque belli externi, neque diſcordiarum domeſticarum calamitatem abfuturam fuiſſe, ſi hoc imperio non teneatur:* Id autem imperium cum retineri ſine vectigalibus nullo modo poſſit, æquo animo parte aliqua ſuorum fructuum pacem ſibi ſempiternam redimat atque otium. Quam vero e contra periculoſum, & cum magno conjunctum detrimento, reipublicæ curam negligere, teſtes nobis eſſe poſſunt, non ſolum Athenienſes, qui tempore Themiſtoclis ærario carentes ad belli ſumtus comparandos violento uti remedio coacti ſunt, *cap.* 4. *th.* 1. Sed & Lacedæmonii, qui bello petiti & deſtituti neceſſariis ſumtibus, pecuniam mutuo accipere coacti ſunt, inque extrema pervenere diſcrimina, uti hoc Ariſtot. 2. *polit. c.* 7. *in fin.* & Bodinus *de republ. l.* 6. *c.* 6. innuunt, quin imo, uti Imperator in *Novell.* 149. *c.* 2. recte ait: Impoſſibile eſt, ut, ſacris tributis non illatis, alioqui reſpublica conſervetur: militares namque copiæ, ſalario percepto ſibi aſſignato, hoſtibus reſiſtunt & collatores a Barbarorum incurſionibus & truculentia vindicant. Denique agros & civitates a latronum, alioque modo incompoſitam vitam ſectantium, vi & irruptionibus, agendis excubiis defendunt: ex illis etiam muri atque civitates inſtaurantur. Ex hiſce allatis ſatis apparet, quod, qui pecuniam nervos reipublicæ cum Cicer. *alleg. antea loc.* vitalemque ejus ſpiritum cum Lipſio doct. *civ. l.* 5. *c.* 6. *n.* 6. dixere, rem acu tetigiſſe videantur; quærenda itaque & exigenda pecunia eſt, utpote ſola Imperiorum compages. Septem autem Bodinus *loc. cit.* conſtituit, ærarii conſtituendi genera, inter quæ etiam vectigalia tanquam maximum reipublicæ nutrimentum, ponit vid. Tholoſ. *lib.* 3. *de republ. c.* 3. *n.* 3. Et horum materiam quidem pro viribus diſcutere in animo eſt.

Tu vero o Cæleſte Numen.
Huc ades & noſtris clemens allabere cœptis.

II. De vectigalibus diſputationem conſcripturi, recte nominis notationem præmittimus. Vocabula enim (quæ *διακριτικὰ τῆς οὐσίας* Græci, feliciſſimi vocum architecti, nominant) rerum notæ ac ſigna ſunt, & in ipſius rei cognitionem nos deducunt, quare ipſius vocis originem eruere placet, antequam ad rem ipſam feſtinemus explicandam. Dicitur autem vectigal a vectura ſeu vehendo. Rennemann *de Jurisprud. Rem. Germ. memb.* 1. *diſp.* 31. *Th.* 24. Brautl. *epit. Iurispr. publ. univ. l.* 6. *c.* 3. *n.* 2. præſtatur enim de rebus evehendis *Gl. ſub rubr. C. de vect.* Brant. *in paratit.* 1. *n.* 2. Gölnitz *de reg. vect. Jur. c.* 2. *n.* 19. propter uſum viæ publicæ *L.* 21. *D.*

de donat. inter vir. & uxor: quam, quoniam cum magnis ſumtibus magnaque cura reſpublica tutam ac planam commeantibus præſtare debet, æquum etiam eſt in auctoramentum & compenſationem eorum ſumtuum a vehentibus & viatoribus retribui, Beſold. *lib. 1. pol. c. 14. th. 19. v. 2.* Superioribus Germanis dicitur *Zoll*, nobis *Toll* a Græco τέλος unde & vulgo τελώνια dicuntur, quod non a tollendo, ut Bertachinus perperam ſentit, ſed a τέλος & ὠνέομαι deſcendit, hinc etiam ὁ τελων & τελώνης ein Tollner.

III. Poſt Etymologiam ſynonymia viam parat ad pleniorem intelligentiam. Dicitur enim modo octava pars ejus, quod vehitur, quæ pars fiſco præſtatur nomine vectigalis *L. 5. 7. 8. C. de vectig. & commiſ. Gl. in L. 1. §. 1. D. h. t.* AZo. *in ſumma de vectigal. Gl. in L. eum qui vectigal. 16. D. d. V. S.* Duæ inde partes ſpectant ad fiſcum, tertia ad civitatem *L. 13. Cod. de vectig.* auxit hoc Caligula ex gerulorum diurnis quæſtibus, ex capturis proſtitutarum, quantum quæque una concubitu mereret, ut videre eſt ap. Suet. *ſub Imp. Caligula c. 40.* Modo penſio fundi *per L. 31. D. de pignor. & ibid. Gl. L. 16. §. 2. D. de pignor. action.* Modo Gabella, voce ab Italis mutuata: vid. Ioh. Bertachinus *de Gabellis & vectigal.* Modo Archimandia, Bald. c. 1. in *pr. quæ ſunt regal.* Modo portorium, Tacitus *Lib. 13. ann. c. ſuper quibusdam extr. d. V. S.* Modo Pedagium *vid. c. quanquam 4. de cenſibus in 6.* & Bald. *in uſibus feud.* Modo Guidagium, vide *Waremund ab Erenberg.* modo Telonium, vid. Ludovic. Molin. *tom. 3. diſp. 662. de I. & I.* Modo Datium, Pontivegium, paſſagium, Guidagium, licentiæ, Taliæ, Germ. Zoll, Mauth, Wege-Geld, Brücken-Geld, UnGeld, Accis, licenten. vid. P. Frid. Mindan. *de mandat. Judic. lib. 2. c. 42. n. 2. & 3.* cui addi poſſunt Golnitz *d. l. n. 21.* & Calvin. in *Lex. Juris voc. Gabella.*

IV. Abſoluta nunc ſynonymia, homonymia vocabuli vectigalium merito examinanda ſumitur. Nam nomine vectigalis comprehenditur & tributum, licet admodum improprie, ut per Gl. Dd. & Angel. *de Periglis in L. Imperatores 7. D. h. t.* dicitur. Proprie enim tributum eſt, quod vel fiſco vel Principi ſolvitur, pro bonis immobilibus *L. 2. §. ſi quid 16. D. de hæred. vel act. vend. c. ſi tributum 27. cauſ. 2. q. 1. Gloſſ. in rubr. Cod. de annon.* & a ſolis ſubditis, ut habet magn. Dn. Præſ. *in diſp. ſua de ærario th. 49.* Dicitur & ager vectigalis & prædium vectigale, quia præſtat vectigal fiſco, per *L. 1. D. de condict. trit. L. etiam 13. cum Gl. Cod. de præd. min. t. t. D. ſi ager vectigalis L. 32. D. de pignor.* modo ſumitur pro ſtipendio, quod fuit vel portorium, vel ſcriptura, vel decuma *vid. th. 5. diſput. de vectig. a magn. Dn. Præſ. an. 63. habitam* & Demſterum *in antiq. Rom.* Specialiter vectigal dicitur, quod ſolvitur pro bonis mobilibus, vel pro his, quæ vehuntur *L. 17. D. de V. S. L. 5. de vectig.* & non modo a ſubditis ſed & peregrinis præſtatur in compenſationem dati ſalvi conductus.

V. Hucusque de etymologia, ſynonymia & homonymia dictum. Expedita igitur nunc illa ὀνοματολογία, ad πραγματολογίαν accedimus & ita definimus: quod ſint vectigalia principis ærarii reditus, ob ſecurum terræ marisque uſum, mercium vecturæ nudove tranſitui impoſiti Treutler *vol. 2. diſp. 18. th. 9.* definit hoc modo: vectigal eſt, quod fiſco penditur de rebus, quæ veneunt. Sed cum hæc anguſtior ſit ſuo definito, eam hic non agnoſcimus, ſed cum Bachovio *th. lit. b.* improbamus. Eſt & definitio quædam ap. Schönbornerum *lib. 4. pol. cap. 25.* quæ etiam a Tholoſano, cui Schonbornerus plurima debet *lib. 3 de republica c. 5. n. 16.* adducta, ad quos lectorem avidum brevitatis cauſſa remittimus.

VI. Ex noſtra definitione ſuperius allata fluit ſumma illa diviſio vectigalium, qua dividuntur in terreſtria & navalia. Navalia ſunt vel marina, quæ ſolvuntur in portu, qui eſt locus concluſus. Jac. de Comite *Comm. Juris mun. c. 36. n. 5.* vel fluviatilia, quæ ab iter facientibus in fluminibus capiuntur, vel ripatica, quæ pro tranſitu fluminum de ripa ad ripam præſtantur, de quibus vid. Beſold. *in theſaur. pract.* poteſt & addi Golnitz *d. l. n. 13.* Terreſtria autem ſubdividuntur vel in pedagia, quæ pro tranſitu ſolvuntur, vel in vectoria, quæ iterum diſpeſcuntur: vel in ſpecie ſic dicta Germ. *Land-Zoll*, vel in pontivegia, German. *Brücken-Zoll. vid. th. 48. d. diſp. de ærar.*

VII. Cauſſa efficiens horum vectigalium eſt ipſa Majeſtas, eſt enim jus illud de maximo Imperio, & regalibus majeſtatis recte annumeratur. Unde & Bodinus *de republica L. 1. c. 10, jus*, ait, *vectigalia ac tributa imperandi, perinde Majeſtatis proprium eſt, ac ipſa lex.* vid. Sixtin. *de regal. l. 1. c. 2. n. 40.* Bocer. *p. 1. c. 2. n. 183. & c. 3.* Math. Steph. *de jurisdict. lib. 2. p. 1. c. 1. memb. 2. n. 93.*

VIII. Olim poteſtas inſtituendi vectigalia erat in Imperio rom. penes Imperatorem ſolum, cui, ut domino orbis *per L. 2. D. ad L. Rhod. de jact. L. bene a Zenone 4. C. de quadrien. præſcript.* hoc jus imponendi ſeu exigendi vectigal competebat vid. Nicol. Vigel *in Meth. J. C. p. 1. lib. 3. c. 15. n. 2.* quo tendit & *lex 10. D. de publ. & vectig. & commiſſ.* Ubi hæc habentur verba: *vectigalia ſine Imperatorum præcepto, neque præſidi, neque Curatori, neque curiæ conſtituere, nec præcedentia reformare & his vel addere vel minuere licet.*

IX. Non autem hæc lex Imperatoris de vectigalibus non inſtituendis eo extendenda eſt, ut etiam deroget illud jus Regibus, ut Bertachinus *d. c. p. 18.* perperam ſentit. Ubi dicit, hoc ſolum in Rege Romanorum obtinere, non vero in aliis Regibus. Quod aſſertum ineptum eſſe non dubitamus: niſi hanc reſtrictionem velis adhibere, quod Reges Imperio Romano ſubjecti, quoad feudum illud non poſſint absque Imperatoris conſenſu jure illo uti.

X. Rex enim aſſimilatur Imperatori ſecundum Bald. *in c. 1. §. Valvaſores de pac. jur. firm. t. 53. lib. 2. F.* Old. *conſil. 250.* quin imo dicitur etiam Rex in ſuo regno Imperator, ut habet Baldus *in L. Nec exemplo 7. Cod. de probat.* Rex etiam poteſt aliis concedere hæc jura vectigalium *c. ſuper 26. verſ. præterea ext. de V. S.* Bertachin. *part. 1. n. 13.*

XI. Nemini autem præter ſummos ejusmodi permittendum eſt exactione vel plurium vel

vel omnium augere rem privatam, ſiquidem id ab utilitate publica alienum eſt, nec etiam conducit reipublicæ. vid. Lancellot. *in templ. omn. Jud. l. 1. c. 1.* §. 4. *verbo collectas & Gabellas imponit.* Vid. Ariſtot. *lib. 5. polit. c. 3.* & ibid. *Chiphan. Borthaum Camer. P. Victorium Scherbium* & alios.

XII. Hodie Imperator ad inſtituenda nova vectigalia procerum conſenſum debet habere, nec ſine illorum conſenſu hanc poteſtatem habet: *Reichs-Abſchied de anno* 1576. *§. weiters ſeynd wir auch cum §. ſeqq. Capitul. Imp. ap. Sleid. l. 1. Anton. Coler. de jure imper. germ. concl.* 31. *art.* 18. Paurmeiſter. *de jurisd. emper. rom. l. 1. c. 4. n. 26.* Reinck. *lib. 1. claſſ. 2. c. 2. n.* 18. Et hæc pecunia ita exacta non in fiſcum Imperatoris, ſed in urbes delectas ab ordinibus infertur, ita, ut Imperatori nummum publico loco movere fas non ſit. Bodin. *d. l. 2. c. 6.* cui adſtipulatur ipſa imperii conſtitutio, *Reichs-Abſchied zu Speyer de anno* 1542. *§. Es ſolte auch in einen jeden.* Reinck. *d. l. n.* 19.

XIII. Cave vero exiſtimes, eam ob cauſam plane imminutam eſſe Imperatorum hodiernorum majeſtatem, nam & hodie Imperator, non Status, indicit vectigalia. Mynſing. 5. *obſerv.* 29. Vultej. 1. *F. 5. n. 7. verb. vectigalia.* licet non niſi cum conſenſu Principum. Inde & de peculiaribus reſervatis Principis hæc poteſtas dicitur eſſe. *Reichs-Abſchied zu Regensburg de onno* 1576. *§. dadurch danu, ubi: weil auch das alles zu unſer Kayſerl. beſondern* (nota particulam excluſivam) *Freyheit und reſervaten &c.* Reinck. *c. l. n.* 146. 147. vid. etiam Sixtinum *de regal. l. c. 2. n. 43. ſeq.* Paurmeiſt. *tractat. de jurisd. c. 4. n. 26. ſeq.* Nec enim & ipſi Status in ſuis ditionibus nova vectigalia ſine Imperatoris conſenſu & conceſſione imponere poſſunt. Quin imo hoc jus neque Reges Galliæ, Bodin. *l. 6. de republ. c.* 2. neque Angliæ, Heig. *p. 1. q. 18. n.* 7. Bodin. *d. c.* 2. neque Hiſpaniæ, Parlad. 1. *rer. quot. c.* 3. nec Hungariæ, Daniæ, Poloniæ, Heig. *d. n.* 7. nec Siciliæ, Joh. Bologn. *conſ. 1. n. 11. & ſeqq.* ſibi arrogare & ſine procerum ordinumque approbatione nova tributa imponere poſſunt, Dan. Otto *de jur. publ. c.* 11. Res enim hæc magni eſt ponderis, quippe non ſubditi ſolum, ſed & forenſes hac vectigalium exactione premuntur. Vaſq. *de ſucceſſ. progreſſ. in præfat. l. 1. n.* 115. Ut ita merito difficulter concedi, & inter ardua negotia referri debeat, arg. *auth. quæ res C. commun. de legat.* ardua autem cum procerum & magnatum conſilio ſunt expedienda. Jaſon. *in L. placet. n.* 10. *C. de S. S. eccleſ.* Vaſqu. *ill. controv. 2. n.* 20. Indignumque Principe Chriſtiano abſoluta poteſtate operari velle. Covarr. 3. *var. reſol. c. 6. n.* 8. A. Fab. *jurispr. rom. tit. 2. pr. 8. confut.* 8. Imo vocati ſunt *A. B. c. 2. de elect. Regis rom. & t. 12. de congreg. Elect.* ut non ſine everſione legum imperialium inconſulti præteriri poſſint.

XIV. Nec hoc etiam ſtringit & majeſtati imperatoriæ multum præjudicat, quod in *præced. th.* 12. potitum & a Bodino *d. l. 2. c. 6.* pro falſa ſua ſententia ſtabilienda allatum, quod pecunia non in fiſcum Imperatoris, ſed in urbes delectas, ut puta Auguſtam, Argentinam, Lubecam, ab ordinibus interatur, nec illam de loco movere Imperator jus habeat, facilis hic reſponſio eſt, & ratio hujus ſatis idonea redditur in *alleg. conſtit. zu Speyer de anno* 1542. *§. damit nun dieſer chriſtliche Anſchlag*; Videlicet ad evitandam ſuſpicionem, ibi: *und des auffrichtigen Einnehmens, Verwahrens und Ausgebens deſto weniger Argwahn erwachſen*, &c. Eo enim modo ſecuriorem vult reddere eam, & omnem ſiniſtræ ſuſpicionis cogitationem animis ſubditorum evellere. vid. Reinck. *c. l. n.* 146. 147. 148. 149. 150.

XV. Ut autem ex conceſſione Imperatoris nova inſtituuntur vectigalia, ſic & præſcriptione tanti temporis, cujus initii memoria non extat, acquiruntur. Mynſ *cent. 1. obſervat. 29. n. 8. & ſq.* vide Waremund ab Erenberg *de regni ſubſidiis & oneribus ſubditorum c. 5. n. 23. cum ſeqq.*

XVI. Quibus vero imperatoria majeſtas ejusmodi regalia conceſſit, iis ſarta tecta debent manere, quod non ſolum indubitati juris ex anterioribus imperii conſtitutionibus, ſed etiam in inſtrumento pacis de anno 1648. clare deciſum eſt *leg. VIII. in pr. p.* 46. verba hæc ſunt: „Ut autem „proviſum ſit, ne poſt hac in ſtatu politico controverſiæ ſuboriantur, omnes & ſinguli Electores, „Principes & Status romani in antiquis ſuis juribus, prærogativis, libertate, privilegiis, libero ter„ritoriali, tam in eccleſiaſticis, quam in politicis exercitio, ditionibus, regalibus, horumque „omnium poſſeſſione, vigore hujus transactionis ita ſtabiliti firmatique ſunto, ut a nullo unquam „ſub quocunque prætextu de facto turbari poſſint, vel debeant, & pag. 47. tam in univerſalibus „quam in particularibus diætis liberis imperii civitatibus non minus, quam cæteris Statibus impe„rii competat votum deciſivum, iisque rata ac intacta maneant regalia, vectigalia, reditus an„nuus &c. & paulo poſt p. 48. de cætero omnes laudabiles conſuetudines, & ſacri romani Imperii „conſtitutiones & leges fundamentales in poſterum religioſe ſerventur, ſublatis omnibus, quæ „bellicorum temporum injuria irrepſerant, confuſionibus, & L. 9. p. 48. & 49. Et quia publice „intereſt, ut facta pace commercia viciſſim reflorescant, ideo conventum, ut quæ eorum præjudi„cio & contra utilitatem publicam, hinc inde per imperium belli occaſione noviter propria auto„ritate, contra jura, privilegia, & ſine conſenſu Imperatoris atque Electorum imperii invecta „ſunt, vectigalia & telonia &c. penitus tollantur, & provinciis, fluminibus, quibuscunque ſua „priſtina ſecuritas, jurisdictio & uſus, prout ante hos motus bellicos a pluribus retro annis fuit, re„ſtituantur & inviolabiliter conſerventur.

XVII Solvere tenentur vectigal; emtor, mercatores ad nundinas proficiſcentes, minor, imo dominus pro famulis tenetur ſolvere pedagium *L. uſurpationem 9. & ib. Bart. Salic. C. de vectig.* Præter hæc tenetur etiam dominus pro famulo, projiciente turpitudinem (puta χύβαλα) ex feneſtra *l. 1. D. de his, qui dejec. vel effud.* cum hac tamen exceptione, quæ eſt in *l. 31. dig. ad L. Aquil.* Etiam ille, qui habet a Principe privilegium, ſolvere tenetur Gabellas, *l. 12. C. h. t. & l. 6. d. l. ubi Dd. Bald. Salic.*

XVIII.

XVIII. Eximuntur tamen a Gabellis, nec præſtant vectigalia, Auguſta, fiſcus, officiales, Legati, Clerici, Doctores, Magiſtri, Scholares ſive Studioſi, item perſonæ miſerabiles, ut pupilli, viduæ & infirmi &c. Miles quidem tenetur ſolvere vectigal; ſi tamen non ſolvat, res ejus non incidit in commiſſum *l. omnibus 3. & ibid. Bald. Salic. C. h. t.*

XIX. Quanquam hactenus memorati vectigalis immunitatem habeant, adſtricti tamen omnes ſunt ad profeſſionem mercium: ut ſcil. res, quascunque vehunt, in tranſitu publicanis indicent, illarumque per documenta publica, ſi deſideretur, fidem faciant. Bocer. *cl. 4. diſp. 3. th. 23. 38.* & ſchedulam immunitatis a publicano petere tenentur, quæ vulgo vocatur *ein Paſs-Brieff, Zoll und Geleits-Zettul.* Rennem. *th.* 32. Ubi ſimul & hoc notandum immunibus, ne illicitas vel alienas res rebus ſuis immiſceant, ne forte incidant in periculum commiſſi, vid. *Liebenthal. de. priv. ſtud. th. 8. lit. d.*

XX. Poteſt civitas, vel baro, qui jus habet Gabellarum ſive vectigalium, in aliquem dictum hoc jus ad certum tempus peralienare *l. fin. cod. de vectig.* ſub hac tamen cautione, ne reipublicæ vel fiſci debitoribus *per l. 9. §. 3. d. t.* nec reliquatoribus, *per d. l. §. 2.* eadem concedant. Quod etiam conſueverunt facere Reges & Principes certo quodam prætio. Vivum exemplum adhuc habuimus in ſereniſſimo ac potentiſſimo Daniæ Rege, qui certa pecuniæ ſumma portorium maris Balthici confœderatis Belgii Statibus ad certum tempus locaverat.

XXI. Locantur autem de jure communi ad triennium & non ad minus tempus, *l. penes 4. cod. de vectig. & ibid. Bald. ac Dd.* quo peracto tempore licitationum jura conductionumque recreari oportet, & ſimili modo aliis collocari *d. l. 4. & l. 9. §. 1. D. eod.*

XXII. Hoc vero obſervandum, quod nemo invitus poſſit compelli ad conducendum vectig. *L. 9. pr. D. h. t. L. 3. §. 6. D. de jure fiſc.* niſi maximos præcedenti anno ex redemtione vectigalium conſecutus ſit fructus & poſtea tanto locari non poſſint: tunc ipſe id prioribus ſuſcipere penſionibus compellitur *L. Cotem. 11. §. 5. D. de publ. vect.*

XXIII. Poſſunt autem omnes regulariter vectigalia conducere, niſi qui reperiuntur jure prohibiti arg. *L. præcipimus 22. §. 6. C. de appellat. L. ſancimus 22. C. de teſtam.* plures etiam ſimul ſocii poſſunt corpus facere in tali ſocietate & vectigal conducere *Gl. in L. 1. pr. D. quod cus univers. num. & L. adeo 59. D. pro ſocio.*

XXIV. Excluduntur vel Clerus, qui non poteſt conducere vectigal, nec poteſt fidejubere pro Laicis, Gabellas conducentibus per *Nov. 123. c. 6.* Clerici enim non poſſunt negotiari *l. fin. & ibid. Dd. de vit. & bon. Cler. c. 1. cauſ. 14. q. 1.* quin imo, ſi contra facit, privilegia clericalia perdit. *c. quanquam 4. de cenſibus in ſ. & in clement. lib. 3. tit. 13. ib. Dd. &* poteſt conveniri coram conſulibus mercatorum, & judicibus laicis, ſecundum Baldum in c. *Joh. 7. extra de cler. conſ.* & Franciſcus Lucani *in tractat. de Epiſcopo lib. 1. n. 4.* An & hoc hodie? proh dolor obſervamus & in propatulo eſt, clericos cum laicis coram judicio non ſolum de reditibus, ſundis, uſuris, ſed etiam, quod maximum eſt, de anatociſmis acerrime diſputare, præſertim, quando Bancoruptoribus crediderint pecuniam, ut non ſolum ſemiſſes, ſed & centeſimas lucrarentur uſuras. De Clero Chriſti hoc factum, nos legiſſe, non meminimus. Aliud autem eſt, ſi Clerus ſit inops, ita ut vivere non poſſit, niſi negotietur, quo caſu licet ei artem excercere & negotiari, *C. l. Ne cler l. monach. ſec. neg. 2.* Judæus vid. Bertach. *p. 2. n. 11.*

XXV. Cauſam materialem quod attinet, eſt illa vel animalium, rerum animatarum, vel inanimatarum. De animalibus, ut puta magnis, quæ ducuntur, ut boves, equi, aſini, muli, & ſimilia, non de minoribus, quæ feruntur, ut anſeres, gallinæ etc. pendendum eſt vectigal. Bertachin. *p. 8. membr. 1. n. 3.* Idem quod in bobus, etiam in porcis, ſed non in ovibus & capris obtinet per. *L. 1. §. 1. vers. cæterum & L. oves 3. De de Abig.* Armentum enim intelligitur de animalibus magnis ſeu groſſis *d. l. 1. §. 2.* Grex autem de minutis ut ſunt pecudes, oves *§. 1. & ibid. Dd. 1. de leg. Aquil. L. 2. D. eod.* Plin. *nat. hiſt. lib. 8. c. 5.* Notandum autem, quod prædictum ſtatutum non inveniat locum in hominibus, quia appellatione animalium homines non continentur, ſecundum Flor. in *L. 2. §. 2. D. ad L. Rhod. de jact. &* hoc propter odium *L. obligatione generalis 6. cum 7. & 8. D. de pignor. L. pen. D. de privil. credit*, ſecus ſi dicitur de qualibet re.

XXVI. Et hæc de animalibus ſeu rebus animatis dicta ſufficiant; ſequuntur jam ordine res inanimatæ, quarum longum pertexit catalogum Martianus libro ſingulari *de delatoribus L. 16 §. 7. D. h. t.* quamvis non omnes ſpecies enumeret, ad quem brevitatis cauſa lectorem avidum remitto, poteſt etiam evolvi Gœddæus *ad L. inter publ. 17. D. V. S a §. 8. usque ad §. 14.*

XXVII. Obſervandum autem hic eſt, ne nimio vectigali graventur res præſertim illæ, quæ ab exteris deſiderantur, & aliunde æque commode peti queunt, ne commercia aliunde transferantur, cujus rei vivum adhuc habemus exemplum, & in omnium ferme ore. Cum enim Rex Poloniæ vectigal graviſſimum in portubus danticanis & pillavianis vellet pro frumento exportando exigere, Batavi ei ſtatim objecere, idem hoc ex Moſcovia peti poſſe, quo audito magno ſuorum ſubditorum bono ab incepto deſtitit. vid. *th. 23. diſp. de vectig. Magn. Praſ.*

XXVIII. Æque etiam periculoſum eſt, ſi de rebus ad victum neceſſariis nimia tributa exigantur, facillime enim poteſt ſeditionem movere vid. Hipp. a Collibus *de increment. urb. c. 20.* unde etiam *per L. 5. C. de vect. & commiſ.* cautum olim & conſtitutum eſt, quod nemo teneatur vectigal præſtare de rebus, quas quis uſus proprii cauſa emit. Exemplum extat ap. Sueton. *in vita Caligulæ.* Ille enim, cum de edulis contributionem exigeret, in omnium incurrit odium. Habuimus etiam noſtris temporibus tale exemplum in regno neapolitano, ubi hujusmodi tributa tan-

tas

tas excitarunt turbas, quantas vix verbis exprimere poſſumus. Nil tamen prohibet modicum hisce imponere aliquod vectigal, præſertim, ſi efflagitet reipublicæ neceſſitas, quod & in uſu eſſe in omnibus pene & Europæ & Aſiæ rebuspublicis notum eſt, vid. *th. 28. d. diſp. de vectig.*

XXIX. Cæteris vero peregrinis mercibus invectis, quæ non ſunt vitæ, ſed luxus, libidinis & deliciarum fomenta, quorum uſus ditioribus ſolum relictus, non modo vectigalia imponi juſtum eſt, ſed etiam reipublicæ utile. His enim divites onerantur, pauperes ſublevantur, delitiæ ſupprimuntur, & exinde fructus ingentes ad rempublicam redeunt. Unde & Bodinus *lib. 6. c. 2* optime diſſerit hunc in modum. *Quodſi quis eſt, qui de me ſcire velit, quod nam genus vectigalium immortali Deo gratiſſimum, civitatibus pulcherrimum, Principibus honeſtiſſimum & plebi utiliſſimum videatur, illud eſt, quod iis rebus imponitur, quæ ad corrumpendos civium mores, quæ ad delicias, quæ ad luxum, quæ ad libidinem, quæ ad pompam ſpectant, aurea & argentea ſuppellex, odores, pigmenta, innumerabilia veſtium ornamenta, colores pretioſiſſimi, gemma, margarita, cupedia, cæteraque ejusdem generis.* Conſentit cum illo Nicolaus Bieſius, qui, *in id*, dicit, *incumbendum, ut ex tributis & vectigalibus artificioſe poſitis vitiorum occaſiones inhibeantur, ut ex ſuperfluo cibo ac potu, ſericis veſtibus, & aliis ejusmodi rebus non neceſſariis reſpublica locupletetur.* Sic non inique vectigal imponi ſolet herbæ, quæ Tabacum vulgo appellatur ab Anglis & Batavis, quoniam plerique in ſuam perniciem illa abutuntur. Sic chartæ luſoriæ ſolvunt in regno neapolitano non leve vectigal: ſcribit enim auctor *Theſaur. Polit. in relat. de regn. Neapol.* illud locari viginti millibus aureorum. E ſingulis quoque chartis, quæ foris in Hiſpaniam invehuntur, Rex dimidium realem percipit, ſic ſumitur etiam pro carrucarum uſu haud exiguum vectigal in Italia & Belgio vid. *th. 29. d. diſp. de vectig. & th. 61. d. diſp. de ærario.*

XXX. Civitatibus etiam utiliſſimum eſſe cenſet Bodinus *l. 6. c. 2. de republica*, ſi portoria invectarum rerum, quibus minime poſſunt carere ſubditi, minuantur, ne negotiatores diſpendio gliſcentium vectigalium deterriti, a mercium illarum exportatione maximo cum detrimento ſubditorum abſtineant. Illarum vero rerum, quæ evehuntur, vectigalia augeri debent, ut puto, (referente Bodino *l. c.*) fabrilia, lanificia, ſericea, ac omnis generis opificia, quo ſubditi ipſi eadem fabricare ac conficere aſſueſcant. Ob hoc enim lucrum non ſolum urbes ditiores, ſed & populoſiores ſolent evadere. Exteri quippe & peregrini, ſpe illius adipiſcendi eo ſolent commigrare; cui autem multus eſt populus, is omnibus quoque abundat, quæ humana induſtria ac intelligentia complectitur. Subditorum nempe multitudinem magna etiam opum poſſeſſio comitatur. Vid. Boter. *lib. 7. de illuſtr. Stat. c. 10. & 11.* Exemplo nobis poſſunt eſſe Venetiæ, Florentia, Mediolanum & plurimæ aliæ civitates, imprimis vero Geneva. Hæc enim, cum homines ob religionem ex Italia & Gallia paſſim ejectos in civium ſuorum numerum adoptaſſet, adeo crevit & dilatata eſt, ut, etiamſi non aliis cæteroquin maximis urbibus ſuperior, ſane par divitiis poſſit exiſtere. Hinc Plinius Secundus *lib. 7. epiſt. 22.* in hanc ſententiam erupit: Cupio patriam noſtram omnibus quidem rebus augeri, maxime tamen civium numero, id enim firmiſſimum oppidis ornamentum. Artifex enim magni prætii homo, affirmante hoc Plutarcho in vita Periclis Athenienſium Principis.

XXXI. Nec etiam vectigalia exigenda ſunt de rebus, quas quis defert cauſa ſui, ut eſt de veſtibus, quas quis portat in dorſo. Si autem ſunt prætioſæ & pulchræ, ut & annulorum, alia eſt res, vid. Bart. & Bald. *in l. 2. D. ad l. Rhod. de jact. & in l. ſed & ipſi 4. D. Nauta Caupon. ſtab. & ibid. Bart.* Eximuntur etiam res vi tempeſtatis vel propter incurſus hoſtium vel Piratarum portui illatæ, *l. 16. §. 8. D. h. t. & ib. Djan. & Dd. l. Caſor. 15. deciſ. D. eod. vel 2. & ibid. Bart. C. de naut. fœnor. n. 9. 10. & ſeqq.* Item res, quæ in exercitum portantur per *l. 9. §. Res exercitui 7. D. h. t. & ib. Dd.*

XXXII. Nullum etiam temere præſtari debet vectigal de rebus emtis in nundinis, Bald. *in l. 1. C. de Nund.* Et ibi eſt caſus notabilis, quod nundinæ ſint ſecuræ pro debitis ante geſtis, non ibi geſtis. At hoc jus nundinarum perditur decennio, *l. 2. de Nund.* & Bart. *in l. fin. D. de conſtit. Princ.* Sed tempore nundinarum nemo poteſt capi pro repreſſaliis. Bald. Salicet. *in l. 1. Cod. de Nund.* De rebus etiam ad agriculturam neceſſariis pendere vectigal iniquum eſt, per *l. univerſis. C. h. t. & ib. Dd.*

XXXIII. Vectigalia & Tributa ob res turpes & viliſſimas impoſita, merito etiam improbantur, facile enim poteſt aliquid dignitati, gloriæ Principis ex tali vectigali detrahi. Sic legimus apud Suetonium *in vita Veſpaſ.* Quod cum Imperator ex urina tributum exegiſſet, ipſius dignitas ad omnem poſteritatem deformata ſit. Quam ægre etiam id tulit filius ipſius Titus *ex citat. autore* legi poteſt. Nec melioris farinæ fuit Peſcennius Niger, qui, uti Spartianus refert, ex aere pecuniam collegit. Sumitur & hodiernis temporibus vectigal ex lenociniis & meritricio. Uti Romæ Papa, & Venetiis Senatus, quod & olim fecit Calligula, uti Sueton. *in ejus vita* teſtatur. Vid. plura apud Waremund. ab Erenberg *in veriſim. c. 4. & ſeqq.* & quæ de illicitis vectigalibus diſputant Roſenthal *de regal. c. 5. concl. 44.* Clapmar. (quem Waremund ab Erenberg manifeſti plagii arguit. *in dict. tractatu c. 4. n. 4.*) *de arcan. rerumpublicarum l. 4. c. 14.* Vincentius Caſtellanus *lib. 3. de offic. regn. 10.* Alexand. ab Alexand. *l. 4. gen. dier. c. 10.* Illud etiam adhuc oppono, quo Hybreas Antonium, præter morem tributa bis in anno exigentem, pupugit. Si potes uno anno bis tributum exigere, duas etiam æſtates & duos autumnos efficere poteris. Plutarch. *in Anton.*

XXXIV. Forma itaque vectigalium conſiſtit in legitimo & debito modo, ne in populi obtrectationem & odium incurratur. Quod fieri poteſt, ſi nullus ſubditorum, niſi lege eximatur ab impoſitione vectigalium, immunis ſit. Cave autem, ne quid temere contra conſuetudinem facias. In omnibus enim vectigalibus conſuetudo ſpectari ſolet, *l. 4. §. 2. D. h. t. l. 23. §. 1. C. de agri-*

cul. & conſit. vide Waremund ab Erenbach *p.* 91. 92. 93. *de tract.* Sic legimus, in Gallia hos tres Status immunes eſſe, ſacerdotes nimirum, nobiles ac magiſtratus. Cum tamen hi divitiis maxime prævaleant, atque e republica maxima accipiant commoda; conqueritur quidem de hac abſurda conſuetudine Bodinus *lib.* 6. *c.* 2. ſed ad removendum majus malum, ferendum minus; illa enim immunitatis ſublatio, toti regno poſſet minitari exitium.

XXXV. Ratione curæ hoc etiam obſervandum prudenti Principi, ut præponat ærario ſanctiſſimos homines, qui non picatas, ſed puras innocentesque manus habeant, ne ærarium ſemper laboret Principesque egeant. Quod quidam fieri poſſe putant, ſi illi homines in celibatu vivant. Hac moti ratione, quod nullos habeant poſteros, quibus hoc acquirant. Sed quam calva hæc ſit ratio, quisque perſpicere poteſt. Imo ipſa experientia quotidiana teſtatur, hos homines familiæ ſuæ locupletandæ ad inſaniam usque eſſe deditos.

XXXVI. Olim quidem publicanorum nomen competebat apud Romanos Equeſtri ordini, qui Principem apud eos locum obtinebant, & quorum ordine flos equitum Romanorum continebatur. Cicer. *orat. pro Planc.* Alex. ab Alex. *gen. dier. l.* 2. *c.* 29. Omnibus tamen fere populis publicani fuere inviſi. Quod & multis teſtimoniis oſtendi poteſt, ſed ob brevitatem pauca tantum in medium adducam. Suidas Διαβέβλητο δὲ παρὰ τοῖς παλαιοῖς, καὶ τὸ τοῦ τελώνου ὄνομα. Zonaras in can. apoſt. 20. vectigalium redemtionem vetus malum appellat ἀρχαία κακία τὸ τελωνεῖν. Et apud Stobæum *ſerm.* 44. ſuperſtites adhuc extant Apollodori verſus, quibus inter varia hominum flagitia recenſetur hoc quoque h. m. ψεύδει, ἐπιορκεῖ, μαρτυρεῖ δικοῤῥαφεῖ.

Fuit vero odii communis cauſa, quod avidiores ad rem & acerbiores in exigendis vectigalibus miſeros provinciales ultra modum plerumque vexarent, ac ſeveriſſimis legibus in eos uterentur. Vid. Diog. Laert. *in Bion Suida.* eos deſcripſit his verbis: πεπαῤῥησιασμένη βία ἀνεπιτίμητος, ἁρπαγὴ ἀναίσχυντος πλεονεξίας πραγματεία λόγον μὴ ἔχουσα ἀνειμένης ἐμπορία aperta violentia, impunita rapina, impudens avaritia, negotiatio nulla ratione conſtans, inverecunda mercatura. Sufficiat nobis unicum exemplum M. Poſthumii Publicani a Livio *l.* 25. relatum, ex quibus ſatis perſpici poteſt, quantæ audaciæ, quantæque temeritatis fuerint olim publicanorum factiones. Exploratiſſimum ſane eſt, exactores illo partem tributorum ſæpe avertiſſe, aut falſis rationibus, aut nomine impenſarum. Quod & in regno Scotiæ eveniſſe notat Buchanan. *l.* 16. Waremund ab Erenb. *de oner. ſubd.*

XXXVII. Hinc etiam non immerito Imperator Juſtinianus in *novel.* 123. *c.* 6. vetuit Epiſcopos, in quibus major vitæ integritas & ſanctimonia requiritur, vectigalia conducere ac ſordidis publicanorum muneribus inquinari. Sed breviter, publicanorum nomen omni ævo fuit & Romanis odioſum & Athenienſibus inviſum vid. *Ariſtophanis interpretem* & Judæis infame vid. *c.* 18. *v.* 17. *Math.* ibi ἔστω σοι ὥσπερ καὶ τελώνης, & ipſis olim Chriſtianis probroſum. Hodie integræ ſunt exiſtimationis, & honeſtus omnino cenſetur publicanorum ordo, Alciat in *Lib.* 1. *n.* 19. *C. de eden.* & nudum tantum præſtant miniſterium in collectione vectigalium, quæ a republica vel dominis conducunt: quanquam hodie raro elocentur Klock. concl. 46.

XXXVIII. Pœna non exactam omnium redituum rationem reddentium hodie ſolet eſſe capitalis, plerumque in terrorem aliorum. Nonnulli ſolent etiam pecuniam illam publicam, quam tanquam ſpongias imbibere, exprimere: uti hoc novit optime hodiernus Rex Galliæ Ludovicus XIV. & exempla in propatulo ſunt, vid. plur. apud Juſtum Mejer. *in coll. argent. h. t.* quo plura deſiderantem ob brevitatem remittere placet.

XXXIX Finis adhuc, qui reſtat vectigalium, eſt publica utilitas & urgens neceſſitas. vid. *Nov.* 149. *c.* 1. & 7. & 161. *c.* 2. Quoties olim fuerit vectigal in anno exactum, & quo tempore vid. *Nov.* 128. & ibid. Cujac. Warem. ab Erenb. *p.* 68. *d. l.* 2. Wilhelmus Forner. *lib.* 1. *ſelect. cap.* 25. Utile eſſe vectigal in republica, ſatis conſtat ex Demoſthene in Olynthiaca, δεῖ χρημάτων καὶ ἄνευ τούτων οὐδὲν ἐστι γενέσθαι τῶν δεόντων. Hinc & Conſtantius dixit: in pecunia antiquos omne robur patrimoniorum poſuiſſe. *l.* 21. §. Huic accedit *C. de adminiſtr. tut.* Non igitur facile patientur Principes, abrogari vectigalium functiones, quod ea ſint ad neceſſitatem introducta. Honorius & Arcadius Impp. *in lib.* 10. *C. h. t.* Vectigalia, inquiunt, quæcunque qualibet civitates ſibi ac ſuis curiis ad anguſtiarum ſuarum ſolatia quæſierunt, ſive illa functionibus Curialium omnium præfutura ſint, ſive quibuscunque earundem civitatum uſibus deſignantur: firma his, atque ad habendum perpetua manere præcipimus, neque ullam contrariam ſupplicantium ſuper his moleſtiam formidari, vid. Tholoſ. *lib.* 3. *de republica cap.* 1. & *ſeqq.* & hic eſto cum Deo, cui ſine fine honor & gloria, finis.

HER-

HERMANNI CONRINGII
DISSERTATIO POLITICA
DE VECTIGALIBUS.

Menſe Aprili MDCLXIII. habita.

RESPONDENTE

LAURENT. ZIMMERMAN. Livono.

Theſis I.

Notitiam perfectam ſingularis alicujus reipublicæ, etſi multi arbitrentur poſſe percipi ex ſola cognitione juris publici & legibus alicujus civitatis, facile tamen cuivis obvium eſt, quantus in eo error committatur, attendenti modo, quam multa in republica ſint etiam magni momenti negotia, quæ legibus ſive publicis ſive privatis nequeunt accipi. Prout ab ampliſſimo Dn. Præſide *præfat. ad Tacit. de moribus germ.* & non adeo pridem in Propoliticis pariter & libro de civili prudentia alibique latius eſt oſtenſum. Dein, etſi ex legibus diſcere poſſis, quemadmodum in multis ſeſe reſpublica habere debeat, neutiquam tamen certus eris eadem ratione rempublicam adminiſtrari, cum ſæpenumero leges minime obſerventur, & ipſamet ſecundum leges forma regiminis multum differat. Ariſtoteles *lib. 4. polit. c. 5.*

II. At vero longe rectius abſolvi illam notitiam, docet ampliſſimus Dn. Præſes *lib. de civili prudentia c. 14.* ſi attendatur ad omnia illa, quæ quatuor cauſſarum reipublicæ cujusvis claſſe comprehenduntur, vel ſaltim ad quinque illa, quæ Ariſtoteles *lib. 1. rhet. cap. 4.* in omni republica in deliberationem venire annotavit; ſi reſpicias *primo* ad vectigalia & reditus publicos, quantum ex quaque re capiat, & quos ſumptus faciat civitas: *ſecundo*, ad bellum & pacem: *tertio*, ad cuſtodiam regionis: *quarto*, ad ea, quæ exportantur & importantur: *quinto*, ad leges, quæ in civitate obtineant, aut olim obtinuerint, idque an cum noxa, an cum ſalute civitatis.

III. Jam vero cum uberioribus argumentis ampliſſ. Dn. Præſes manifeſtum reddat, maximam partem notitiæ civitatis conſiſtere in cognitione ſupra enarratarum ſpecierum deliberationis, operæ pretium me facturum duxi, ſi inſtituturus exercitium aliquod academicum eligerem unam ſaltem ſpeciem ex his, & quidem eam, quæ non minimum in civili vita uſum habere videtur. Præ reliquis autem nulla mihi placuit majoris momenti, quam de vectigalibus doctrina, Præſertim cum quævis reſpublica bonam partem in tantum & bello & pace valeat, quantum ærario valet. Quare etiam appoſite ad hanc rem Tacitus *hiſt. lib. 4. Neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt.*

IV. Cum autem proprietatem rei oſtendat fere verbi etymologia, multumque momenti in pura ac ſimplici verborum explicatione poſitum ſit, turpe inſuper diſſerenti proprios terminos ignorare, prius quam de termines rem ipſam, terminos percipere oportet. Igitur ne in æquivoca dilabamur, unde vox vectigal dicatur, paucis prius indagabimus. Extra omnem autem controverſiam poſitum eſt, vectigal a vectura deſcendere: ut adeo, ſi proprietas vocabuli attendi debeat, nihil aliud ſit, quam ea pecunia, quæ pro evehendis mercibus ſolvitur.

V. Cæterum vectigalis vocabulum ambiguum eſt, & in latiori ſignificatu denotat canonem emphyteuticum: unde ager vectigalis dicitur & vectigale prædium, *ff. LL. 1. de Condict. tritic.* & quicquid fiſco vel reipublicæ imperii nomine præſtatur. Eoque ſenſu etiam ſtipendium, quod in pecunia numerata pendebatur, dicitur vectigal. Erantque olim apud Romanos vectigalium tria genera: *Decumarum*, quod populus Romanus a Latini nominis ſociis, qui in Italia vel extra, publicum agrum colebant, ex frumento, vino, oleo, frugibus minutis exigebat; *Scripturæ* quod ex ſylvis & paſcuis publicis; *portorii*, quod ex mercibus exportandis & importandis recipiebatur. Videatur Ampl. Dn. Hahnius *in obſerv. ad tit. de publ. vect. & commiſſ.*

VI. Strictius vero atque proprie, procul a tributo ſeparatur, denotatque reditus publicos qui vel portus vel venditionis vel evectionis nomine exiguntur. Hinc Gloſſa. *ad LL. 1. ff. de publ. & vect. & commiſſis*, vectigal ita a tributis deſtinguit: *vectigal eſt, quod præſtatur ex rebus, quæ vehuntur & inde nomen aſſumpſit &c.* Tributum vero Varroni ea pecunia dicitur, quæ tributim a ſingulis proportione cenſus exigitur. Interim tamen vectigal idem denotat, quod tributum, ſicui & hæ voces promiſcue uſurpantur. Hac autem ſignificatione vocabulum vectigalis accipere noſtri jam eſt propoſiti. Inquiſituri autem ſumus, cui jus vectigalium indicendorum competat, quibus rebus imponendum, qua ratione exigendum, & denique quemadmodum reſpublica quævis circa vectigalia inſtructa eſſe debeat.

VII. Antequam vero ulterius progrediamur, obſervandum, hodie non una appellatione vectigalia venire, ſed pro diverſitate locorum, rerum, cauſarum, ob quas imponuntur diverſa ac particularia nata eſſe nomina multivariamque diviſionem. Sic pro vectigalibus portorii vox ſæpiſſime in uſu eſt. Deſcendit autem *Portorium* a portando, idemque ac vectigal denotat. Quamvis ſane alii portorium dicant eſſe illud vectigal, quod pro ſtatione navium ad portum ſolvitur, tamen generaliter Portorii vocem etiam olim pro vectigalibus acceptam fuiſſe, patet ex inſigni loco

Taciti lib. 13. annal. Ubi ſenatus Neroni, cuncta vectigalia abdicaturo, ſuadet contrarium, diſſolutionem fore imperii docendo, ſi fructus, quibus reſpublica ſuſtinetur, diminuerentur. Quippe ſublatis portoriis ſequens, ut tributorum abolitio, expoſtularetur.

VIII. Similiter non infrequenter vocabulum *Telonii* in uſu eſſe conſtat, quod origine Græcum eſt, & derivatur a *τέλος* i. e. vectigal. Cui & originem ſuam debere docet Arniſæus *tract. de jure maj.* Saxonicum nomen *Toll*, Germanorum vero ſuperiorum *Zoll.* Telonium autem eſſe proprie menſam, expoſitam, ut vectigal in ea ſolvatur, ratioque illius exigatur, innuit Ludovicus Molina *tom. 3. diſput. 662. de I. & I.* Sic & *Gabellæ* vox italica, Gallis dicta *Javellum*, hodie quoque apud nos recepta; ac promiſcue etiam pro vectigali quolibet ſumitur. Præterea etiam *Pedagia Quidagia*, *Paſſagia*, *Acciſiæ*, quæ nomine plane barbara videntur, in eodem ſignificatu leguntur. Sic Pedagia dicuntur, quæ dantur a tranſeuntibus in locum conſtitutum a Principe. Et capiens pedagium tenetur territorium ejus ſecurum præſtare: adeo, ut ſi quis ſpolietur, tenetur dominus terræ, rapinam reſarcire, ſecundum Bald. in *Uſib. feud. Acciſiæ* vulgo illa vectigalia eſſe creduntur, quæ rebus ad cibum & potum ſpectantibus impoſitæ, exigi ſolent.

IX. Quamvis vero plura de variis Vectigalium ſpeciebus addi poſſent, interim tamen, quoniam exactam harum notitiam tradere noſtri præcipue non eſt inſtituti, in eaque fortaſſis non multum adeo momenti ſitum ſit, ideoque hoc labore ſuperſedentes, ad alia utiliora tranſibimus. Primo autem omnium inveſtiganda erit quæſtio non ignobilis, utrum exactio vectigalium ſive tributorum ſit jure naturæ licita? Enim vero, ſi naturæ jus haud permiſerit, in nulla bona & virtutis ſtudioſa republica fuerint vectigalia inſtituenda. Exigit ſane ratio omnis bonæ reipublicæ ut ita quæratur id, quod eſt utile, ne juri naturæ ſimul quidquam adverſi ſtatuatur; etſi in aliis rebuspublicis non perinde hoc attendi ſoleat. Cæterum in hac quæſtione nos affirmativam ſtatuimus, fundamenti autem loco ſubjicimus hoc principium. Quicquid facit ad conſervationem bonæ reipublicæ, ita ut ſine eo ſalva eſſe non poſſit, illud jure naturæ eſt licitum. Atqui vectigalia, ceu nervus rerum gerendarum, faciunt ad conſervationem reipublicæ quamvis bonæ, ita ut conſiſtere ſine iis nequeat: Ergo vectigalia ſunt jure naturæ licita. Majorem noſtram probamus hac ratione: ſi jure naturæ licita eſt reipublicæ bonæ conſtitutio, omnino & licita ejus conſervatio, atque adeo omne illud, ſine quo ſalva eſſe non poteſt. Minor nititur cum uſu quotidiano, tum teſtimoniis hinc petitis, tam S. ſcripturæ; quam doctorum virorum. Diſerte ſane in ſacris jubemur vectigalia conſtituta ſolvere, idque non tantum magiſtratui in ſignum ſubjectionis, ſed etiam, quia finis eorum primarius eſt reipublicæ ſalus, ut nimirum tam pacis quam belli tempore res & perſonæ civium in tuto eſſe poſſint. Exemplo ſane ea in re præivit ipſemet Salvator: & Apoſtolus Paulus ad Rom. xiii. 6. 7. docet, tributum ſolvere honeſtum eſſe atque præceptum conſcientiam obligans: tributorum enim finem eſſe, ut poteſtates publ. habeant, unde ſumptum faciant ad bonos tuendos & malos coercendos. In eandem ſententiam Juſtinianus Imperator *Nov.* 149. ait, impoſſibile eſſe, ut ſacris tributis non illatis alioqui reſpublica conſervetur. Militares namque copias aſſignato inde ſalario hoſtibus reſiſtere &c. & porro: Ex iiſdem muri & civitates reſtituuntur, aliaque commoda civitati procurantur, ut, quæ a ſubditis contribuuntur, partim in ipſos, partim propter ipſos impendantur.

X. Illud igitur quidem extra controverſiam quaſi eſto poſitum. Supereſt vero, ut, quandonam jure naturæ & gentium vectigal mercibus imponere licitum ſit, cognoſcamus. Hugo Grotius in opere ſuo de jure *B. & P. lib. 2. c. 2.* in ea eſt ſententia, cum merces tranſportentur aut per mare, aut per flumina, aut per terram, quod ſi in certis portionibus maris portus ſint facti, ignes nocturni navigantibus erecti, aut mare tutum reſervatum a piratis, ſi terreſtri itinere pontes & viæ emendatæ, pro hoc onere juſte vectigal aliquod a tranſeuntibus exigi poſſe; illuſtrans illud exemplis aliquot, inter quæ refert vectigal Romanum Erythræum, ob ſumptus in exercitum maritimum adverſus excurſiones piraticas perſolutos. Atque Grotii quidem illa ſententia ſatis recta eſt. Videtur autem non una illa a Grotio adducta cauſſa eſſe vectigalis imponendi juſtifica, ſed ſimpliciter quandocunque juſtum eſt, ſive a civibus, ſive peregrinis reipublicæ noſtræ bonis fruentibus vectigal poſcere, licere videtur, mercibus vectigal imponere, idque quoniam merces commodam præbent occaſionem vectigal extorquendi. Id ſane moribus gentium receptum paſſim eſt: eoque paſſim terrarum longe ſuperant vectigalia ſumptus illos publicos a Grotio enumeratos.

XI. Cæterum de juſtitia poſcendorum vectigalium cum conſtet: proximum jam fuerit, non nihil intimius in vectigalium omnem naturam inquirere. Quandoquidem autem, ut naturalium ita & civilium rerum quarumcunque quatuor ſunt cauſſarum genera, facile apparet totidem & circa vectigalia reperiri, horumque accurata cognitione plenam vectigalium notitiam abſolvi. Etiam nos igitur hoc obſervabimus, facto ſtatim initio de cauſſa efficiente (quandoquidem non nihil jam adumbravimus, quæ ad eſſentiam ſive formam, & finem pertinent) ſive ad quemnam jus vectigalium indicendorum pertineat. Videtur autem, omni carere dubitatione hanc quidem quæſtionem. In univerſo enim terrarum orbe & hodie & ab omnibus ſeculis, creditum fuit jus vectigalium indicendorum eſſe partem *τῦ κυρίυ* ſive ſummæ poteſtatis, in qualibet republica. Et quidem usque adeo, ut prout hoc jus alibi atque alibi ſeſe habet, ita forma ipſa reipublicæ aliter atque aliter ſit compoſita. Hinc recte *jus vectigalia ac tributa imperandi perinde Majeſtatis proprium eſſe, ut legem ipſam*, ait Bodinus *de republica lib. 1. cap. 8.* Ipſis longobardicis feudorum uſibus itidem vectigalia in numero regalium comprehendi ſolent: eaque de cauſa etiamnum in Ger-

mania

Digitized by Google

mania reſervatis Imperatoris accenſeri teſtatur. Mynſingerus *cent.5. obſervat.* 29. *in principio.* Quod tamen, quo ſit accipiendum ſenſu, paulo poſt patebit apertius.

XII. Olim ſcilicet poteſtas inſtituendi vectigalia ſolius in imperio romano Imperatoris erat. *Vectigalia enim ſine Imperatorum conſenſu & præcepto neque Præſidi neque Curatori neque curiæ conſtituere neque præcedentia reformare & his vel addere vel deminuere licet:* ceu diſerte præcipitur *L.L.* 10. *ff, de publ. & vect. & commiſſ.* Cæterum talem illimitatam poteſtatem nullæ gentes germanicæ, atque adeo nec in Italia Longobardi, ſuis Regibus conceſſerunt. Verum hoc jus ſemper & ubivis terrarum in germanicis populis ex parte fuit etiam penes Ordines cujuslibet regni. Hinc etiam, poſtquam Imperatoria dignitas ad Francorum atque adeo & Germaniæ Reges pervenit, retenta ubique eſt Germanica conſuetudo, & Germanici Imperatores coacti ſunt moribus & inſtitutis non Romanis, ſed germanicis rempublicam regere. Ne quis error ſane oriatur, ſæpius hoc in Germania eſt lege cautum, ita, ut Imperatori hodieque fas non ſit, absque conſenſu Statuum, etiam urgente neceſſitate, vectigalia aut tributa nova imponere vel vetera augere. Vide ſis duntaxat *Conſtitut. ratisbonenſem de anno* 1576. Diſerte item per leges capitulares, qui admittitur in Cæſarem & Germaniæ Regem, is adigitur promitere, quod ipſe in conſultis & diſſentientibus ſaltim Electoribus nova vectigalia non erigere, antiqua non augere, nec aliis etiam tale quid velit permittere, & ſi quidem tale quid petierint, quod nolit eos ad Principes Electores remittere, vel dare eis literas, ut loquimur, promotoriales vel interceſſionales.

XIII. Non diffitemur reſtrictione hac derogari haut parum monarchicæ Imperatorum dignitati. At vero nec naturale nec divinum jus vel Regibus omnibus vel Imperatoribus infinitam monarchicam poteſtatem attribuit. Civilia autem inſtituta (quibus quam maxime ſummæ cujusque poteſtatis ſingularis jura ſunt æſtimanda.) Regibus aut Imperatoribus germanicis ſemper, ab omni ævo, hactenus talem poteſtatem denegarunt. Itaque immerito quis credat, per injuriam Cæſaribus noſtri temporis aliquid detractum eſſe. Perinde ac iniquiſſime & imperitiſſime nonnulli exiſtimant, Regio audito nomine ſemper infinitæ poteſtatis monarcham intelligendum eſſe: aut divina lege veteris vel novi fœderis Regum omnium poteſtatem definitam eſſe. Quaſi ſcilicet Rex omnis jure divino habeat poteſtatem, qualem Regi iſraelitico Veteris, vel Imperatori romano novi fœderis codex attribuit. Certe talia in regnis legitimis & iis, quæ mixta dicimus, admitti nequeunt. Utque ad ſolum vectigalium jus nunc attendamus, non profecto injuſtum eſt, ſed omnino in populo liberiore æquiſſimum, ut de bonis civium Princeps nihil facile ſtatuat, niſi de communi conſenſu eorum, quorum intereſt. Tutiſſimum ſane in tali populo eſt, ut Princeps convocatis Proceribus cauſam pecuniarum exigendarum proponat, & concordibus comitiorum ſuffragiis rei pecuniariæ incumbat.

XIV. Quemadmodum vero non ſine juſta & urgentiſſima cauſa capitulatione ita proviſum imperio eſt, ita nec ſine maturo conſilio idem in Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Poloniæ, Sueciæ, Daniæ, aliisque regnis obſervari, docuit ampliſſimus Dn. Præſes in collegio de diverſis mundi rebuspublicis. Non eſt autem, quod quis dubitet, verum eſſe, quod diximus, in omnibus omnino germanicis populis, qui utique pene univerſam Europam occuparunt, ita reſtrictum eſſe jus vectigalium indicendorum. Obtinet ſcilicet hic mos hodieque, tantum non in omnibus Europæ regnis, quæ a germanicis populis ſint conſtituta: niſi quod in gallico Francorum regno, ut alia pene omnia nunc ſunt monarchica, ita & hoc jus hodie unius ſit regii arbitrii. Et vero etiam in Gallia longe aliter olim obtinuit ſub francicis regibus. Sic Philippo Valeſio conventus gallicos habente, populi rogatione decretum eſt, ne ullum tributi aut vectigalis genus, niſi conſentientibus ordinibus imperaretur. Bodinus *lib. 6. de republica c.* 2. Et cum Ludovicus XI. in exigendis impoſitionibus acerrimum ſe præberet, adeo ut dicere ſoleret, *ſua potiſſimum opera regnum gallicanum quaſi de tutela ad plenam pubertatem redactum eſſe.* Smit. *de republica angl. cap. 7. l.* 1. tamen Carolo VIII. filio Ludovici regnum ineunte, quæ jam perpetuari de anno in annum cœperant, collationes, communi decreto extinctæ ſunt, dicentibus regni proceribus, pro neceſſitate permiſſa eatenus intelligi permiſſa, quatenus neceſſitas inſtat & urget, quod recte monet Arniſæus *de jure majeſt. cap.* 7. Hiſpanus Rex etiamnum ab ea humanitate commendatur, quod nulla tributa ſine populi approbatione imperet; ſine qua ſane cum aliquando lanarum vectigal impoſuiſſet, mox illud in comitiis abrogavit. In Suecia, Dania, Anglia, & Scotia, mos vetus germanicus etiamnum eſt integer. Idem obſervatur ad exemplum germanicorum populorum in polonica Sarmatia, & Hungaria: quamvis antehac ſatis ſerviliter pro aſiatico more a Regibus ſuis Hungari habiti fuerint. In Italia tamen paſſim, ut libertas populi fere periit, ita & vectigalia tantum non heriliter imperantur hodie. Nonnullibi tamen manet hodieque veſtigium priſci moris. Hinc regni neapolitani ordines, quamvis duriſſimis Regi ſuo adſtricti ſint conditionibus, nihilominus nonniſi illis convocatis in monaſterio D. Laurentii, ſubſidia extraordinaria, ad omnem violentiæ ſuſpicionem tollendam, decernt ſolent.

XV. Fortaſſis autem haud ſine cauſa dubitaveris, num conducat, ſemper in vectigalium indictione ordinum conſenſum advocare? Quid enim, ſi reipublicæ neceſſitas flagitaverit, tamen ordines nolint conſentire? Sunt, qui arbitrantur, in tali neceſſitate fas eſſe Regi cuicunque ex plenitudine poteſtatis regiæ vectigalia jubere; ne quid ſcilicet detrimenti capiat respublica. Cæterum hæc dubitatio univerſalior eſt, quam uti ad noſtrum duntaxat inſtitutum pertineat. Reſolvitur ſcil. hæc dubitatio in illam magis generalem: utrum conducat, ut ſumma poteſtas ſit non penes unum eundemque duntaxat, ſed ex parte poſſint eam ordines populi habere. Quicquid ſa-

ne dixeris, etiam de jure vectigalium indicendorum verum eſt. Interdum ſcilicet prodeſt, interdum obeſt, pro vario & Regis & populi ingenio: perpetuum hic nihil eſt, ut in aliis reipublicæ negotiis.

XVI. Verum tamen ſunt nonnulli, qui contendunt, populo autoritatem illam nunquam eſſe concedendam, idq; ideo, quod ita numquam liceat hoſtem imparatum invadere. Dum populus ſcil. rogandus eſt, hoſti proditur reip. arcanum conſilium. At vero hoc argumento dixeris, nullam aliam reip. formam, quam ſolam monarchiam, convenire. In omnibus enim aliis rebusp. cum pluribus communicanda ſunt arcaniſſima quæque reipublicæ conſilia. Et tamen uſus docet, citra reipublicæ noxam fieri id poſſe. Ad hoc neminem fugit, quæ in conſiliis ſecretioribus aguntur, non omnibus ſemper pateſieri; nec ſingulorum promiſcue conſenſum requiri. Et vero in mixtis regnis ſola plærumque Statuum regni approbatio ſufficit, aut parlamentorum, quæ vocantur, quibus non niſi nobiliora & meliora reipublicæ membra per delegatos interveniunt. Hiſce vero omnibus ſilentium prima ſapientiæ gloria eſt.

XVII. Priusquam autem, ex quibus rebus ditari ærarium reipublicæ, quibusque rebus & quantum vectigal imponi debeat, diſſeramus, cum jam de vectigalium indicendorum jure conſtet; ſupereſt, quoniam pecunia anima veluti ſubditorum eſt, & ipſo pene ſanguine illis carior, idque quia plærumque multo eſt ſudore parta & labore, ut loquitur Piccartus in *commentario ad Polit. Ariſtot. l. 5. c. 9.* quemadmodum circa ejus exactionem Princeps aut civitas quæque ſe gerere debeat, heic præmittere.

XVIII. De defectu quidem vectigalium & tributorum multa dicere nihil attinet, cum ille perquam raro imo vix usquam appareat. Exceſſus autem (qui paſſim obvius) quo pacto vitandus & laudabilis tenenda ſit mediocritas, pluribus præceptis inculcari omnino neceſſum eſt. Quemadmodum enim (ut erudite Bodinus *lib. 6. de rep.* loquitur) *illud vectigalium genus immortali Deo gratiſſimum, civitatibus pulcerrimum, Principibus honeſtiſſimum, plebi utiliſſimum, quod iis rebus imponitur, quæ ad corrumpendos civium mores, quæ ad delicias, quæ ad libidinem ſpectant:* ita graviſſime Deum offendi iniquis exactionibus, adeo clarum eſt ut nulla egeat demonſtratione. De Eduardo ſane Angliæ Rege Polydorus Virgilius in Hiſtoria anglicana refert, cum ingentem auri vim ex tributis redactam ad ſe afferri juſſiſſet, vidiſſe malum dæmonem fœdiſſima ſpecie pecuniis inſidentem.

XIX. Cæterum ſunt nonnulli in ea ſententia, quaſi ſalus reipublicæ in pauperato populo conſiſtat. Nempe ut is eo facilius in officio contineatur, neceſſum eſſe, ut continuis exactionibus prematur, variisque tributorum generibus emungatur. Solet autem deteſtanda horum ſententia hoc præprimis pernitioſo fundamento niti: quod, quemadmodum circumſpectus medicus, ſi ſuperabundantiam ſanguinis nocivi animadvertit, venam ſecet & peccanti copiæ occurrat: ita Princeps populi medicus indictionum ſcalpello privatorum luxuriantes fortunas, quas in perniciem ſui ſuccreſcere videt, prudenter circumcidat; ut ita populus emunctus, feritate & ſuperbia depoſita, ſpiritus reipublicæ commodiores ſumat, nec nociva reipublicæ conſilia meditari poſſit.

XX. Verum falli hos, qui egeſtatem civium Dominantis ſecuritatem eſſe exiſtimant, præclare demonſtrat Forſtnerus in Notis ad *lib. 4. annal. Tac. paupertas quippe*, inquit, *& egeſtatis faſtidium non abjectos homines facit & injuriarum patientes, ſed quia afflicta eorum fides in pace, & unica ſpes in turbatis rebus, novarum rerum extreme cupidos: ut nihil tam difficile, tamque anceps, quod illi non audeant. Semper compertum eſt, egentiſſimum quemque eſſe audaciſſimum; & non raro in deſperationem abire paupertatem.* Quod dein pluribus, imprimis perquam notabili Friſiorum exemplo corroborat. Cum ſcilicet Gotricus Daniæ Rex, oppreſſa eorum libertate, opibus cunctis ablatis, eos in turpem miſeramque fortunam adegiſſet, tributum quoq; annuum injunxiſſet, ædificium, cujus longitudo arat 240. pedum, duodecim paribus ſpaciis maceria diremtis diſtinctam ſtruxit, ad cujus caput quæſtor, cum tributum pendendum erat, conſidere juſſus eſt. Ad finem vero clypeus concavus ex ære locatus, in quem ſinguli Friſiorum tributum ſoluturi nummum conjiciebant, cujus cadentis ſonum ſi quæſtor ex longo intervallo audiret, in ſolutum cedebat: Sin minus, regio quidem fiſco accreſcebat, ſed qui jecerat, alium atque alium majoris ponderis eodem conjicere cogebatur, donec tinnitus quæſtoris aures feriret. Quibus præterea machinis ad infringendos generoſos bellicoſæ hujus gentis ſpiritus uſus ſit, hic loci prolixius memorare parum conveniens videtur. Teſtatur vero Ubbo Emmius *l. 5. hiſto. Friſ.* Friſios, erectis immani hac rapina & intolerabilibus injuriis ad libertatem animis, armis undiquaque correptis Danorum præſidia penitus oppreſſiſſe atque finibus ſuis ejeciſſe. Et quis non dixerit, dura Albani Ducis dominatione & intolerabili jugo oppreſſas in Belgio civitates, odium capitale contra Hiſpanos concepiſſe, ut ex deſperatione ad defectionem ſpectarint, mortemque præ ſervitute illa optarint? Non video itaque, quo atrociſſimum hoc furti genus obtegere poterunt velamine, qui Politicum præceptum tradunt: premendos ferocientes & regnantibus periculoſos civium ſpiritus, alimenta ea ad quæ ſi reſpexerint ſuperbia & opum fiducia obſequium excutere poſſint.

XXI. Et ſane non immerito inter alia, caput ſeu fontem motuum ac mutationum earum, quibus respublicæ laborant, cenſet Ariſtoteles imperantium avaritiam, Hinc etiam Cicero: *nullum*, inquit, *vitium tetrius eſt avaritia, præſertim in Principibus & rempublicam gubernantibus: habere enim quæſtui rempublicam, non modo turpe eſt, ſed ſceleratum etiam atque nefarium.* Conſpicitur autem ejusmodi avaritia in acerbiſſimis & ſæpius iteratis exactionibus, non ex neceſſitate reipublicæ,

cæ, ſed pro libidine atque commodis regentium imperatis, Recte itaque iterum flumen illud eloquentiæ *lib. 2. de efficiis. Ut ſalva maneat reſpublica, operam dandam eſſe, ne tributum ſit conferendum: idque ne eveniat, multe ante eſſe providendum; ſin autem qua neceſſitas hujus muneris alicui reipublicæ obvenerit, dandam eſſe operam, ut omnes intelligant parendum eſſe neceſſitati.* Eodem reſpiciebat & Tiberius, oves ſuas tondendas quidem affirmans, non autem deglubendas. Et Annibalem Livius *lib. 30.* dixiſſe refert: *Ex publicis malis tantum ſentimus, quantum ad privatas res pertinet, nec in iis quicquam acrius, quam pecuniæ damnum, ſtimulat.*

XXII. Contra vero, gratiam populi, illique collata beneficia, arctiſſimum vinculum eſſe, quo & ferociſſima ingenia in officio contineri poſſint, tot ſeculorum hiſtoriæ loquuntur. Hinc egregie Forſtnerus *in not. ad lib. 4. annal. Tac. Romani*, inquit, *quo Gallos recens domitos quietos tenerent, non efficacius ullum exiſtimabant remedium, quam omnes diteſcendi præbere eis occaſiones.* Quæ res tam feliciter illis ceſſit, ut de populis illis, qui bellicoſi olim fuerant, Tacitus in Agricola veluti de re, in qua præter famam nihil duraverit, *Gallos quoque olim in bellis floruiſſe*, dicat. Et de Guilielmo Auraico narratur, quærentibus qua ſpe contra potentiſſimum Hiſpaniarum Regem ipſe omnium rerum egens, patria extorris, bellum cieret, reſpondiſſe illum: Hiſpanorum avaritiam & crudelitatem duas fore ſibi portas, aditum daturas in Belgium.

XXIII. Hiſce præmiſſis accedimus ad genus CAUSÆ MATERIALIS. Cum autem omne vectigal vel importandis, vel exportandis, vel in ipſa provincia natis ibique conſumendis, mercibus imponitur, igitur quarum rerum nomine vectigal exigi debeat, nunc diſpiciendum. Ante omnia autem hic obſervandum; nativa reipublicæ bona, quæ ab exteris deſiderantur, nec aliunde peti queunt, vectigalibus commode onerari poſſe; in illis autem, quæ aliunde petere aut nihil aut parum prohibet, ne commercia alio transferantur, cautius omnia gerenda eſſe. Quod & a rep. Poloniæ obſervatum eſſe, non puto multos latere. Cum ſane ante aliquot annos frumentum, quod in Dantiſcanos & Pillavianos portus venerat, Rex Poloniæ majori vectigali onerare decreviſſet, eique a Batavis objiceretur, idem ex Moſcovia peti poſſe, ſicque Poloniæ & Dantiſcanorum commercia facile inverti poſſe, ab incepto Rex, magno ſubditorum ſuorum bono, deſtitit. Quotusquisque item eſt, qui non videat graviſſimam, ex eodem fonte natam, commerciorum maris Baltici urbium jacturam? Dum ſcilicet omnes fere portus nimio vectigali gravantur, hinc fit, ut commercia inde in Moſcoviam transferantur; ita ut non dubitent Batavi aliique, merces olim hiſce quaſi proprias, declinandi vectigalium oneris cauſa, jam ex urbe Ruſſorum Archangelo, quamvis longiore & incommodiore via, advehi curare.

XXIV. Quod ſi porro quædam bona divina benignitas variis aliis populis regionibusque largita fuerit, tantum abeſt iis exportandis gravius aliquod vectigal eſſe imponendum, ut potius opera ſit danda, quo conceſſa vectigalium immunitate hoc genus commercii ad ſe quam maxime attrahatur, quove plurima exportentur. Hac ſane ratione ab iis, qui exportant, ſolent multa invehi: quo ipſo creſcunt divitiæ civium, qui deinde aptiſſimi ſunt variis aliis tributorum generibus publicam egeſtatem neceſſitatemque ſublevare, Quapropter hac parte regno Galliæ optime, ſaltem olim, conſultum eſſe merito dixeris: cui ſcilicet cum ſint ſalinæ totius Europæ uberrimæ & præſtantiſſimæ, unde Belgæ, Britanni aliique ſal petere conſueverunt, minimum quid tamen, immo pene nihil, pro ſalario vectigali peregrinis, ſubditis vero graviſſimum imperat. Et vero, teſtatur Bodinus, Aquitanos, ſubditos Regis Galliæ, grave hoc vectigal ingenti mercede ab Henrico II Rege redemiſſe, hujus patrem Franciscum I. ut mercatores peregrinos in Galliam quaſi quibusdam illecebris acceſſeret, a ſalario vectigali immunes eſſe voluiſſe, ne ab Hiſpanis ſal acciperent. Cæterum objicere mihi quis poſſet; graviſſimum quidem hic errorem committi in rebuspubl. in quibus civium commodum potiſſimum quæritur, aliam vero rationem eſſe, ſi in republica aliqua non omnium exæquo, ſed primario dominantis ſalus quæratur: præſertim quando prædia publica agrique regii abalienati ſunt, atque a nobilitate, aut plebeiorum hominum collegiis (ceu in Gallia fieri teſtatur Bodinus) teneantur; tum nimirum ſublato hoc vectigalium firmamento, fore, ut reſpublica ſubdito collabaſcat, nihilque ſuperſit, quo Princeps ſtatum ſuum tueri poſſit. Verum enim vero etiam dominantium intereſt, ut vectigalia ejusmodi ſint mitiora. Quantumvis enim hoc modo minus heic accipiant domini, dum tamen diteſcunt ſubditi, & propter commerciorum frequentiam populi multitudo augetur, alia multa ſubſidia a ſubditis poſſunt accipi: quæ illorum vectigalium leviorem jacturam alibi plurimis modis apta ſunt non æquiparare, ſed longe vincere.

XXV. Porro, ſi invectis rebus reſpublica carere nequeat, laborandum, qua fieri poteſt, ut earum rerum vectigal minuatur. Augendum vero vectigal fabrilium, lanificiorum, ſericeorum ac omnium opificiorum, quæ aliunde advehuntur, ut videlicet cives ipſi eadem facere conſueſcant, & opifices, qui ea commode tractare poſſunt, alliceantur. Ab informi vero & rudi materia, quæ a peregrinis advehitur, amoveatur, aut quantum fieri poteſt, minuatur portorium. Idque quoniam cives ex rudi materia arte formata plerumque majorem multo capiunt utilitatem, quam illi, qui materiam iſtam vendiderunt. Econtra augeri vectigal poterit rudis materiæ, ſi domi etiam talis inveniatur, aut ſi deſint, qui illam elaborent. Hac ſane de cauſa Henricus II. Galliæ Rex, ne rudis materia regno exiret, publico edicto vetuit; quod inſtitutum paulo poſt Anglia & Hollandia imitatæ fuerunt.

XXVI. Earum porro etiam rerum, quæ ad vitam beatius commodiusque degendam neceſſariæ requiruntur (inter quas frumentum, ſal, vinum, alia) harum inquam evectionem &

mer-

mercaturam ſic moderari Principem oportet, ne qua hinc domi naſcatur penuria, atque vel in egeſtatem, vel ſui numeri decrementum ſubditi incurrant. In univerſum nimirum certum eſt: divitias & multitudinem civium maximum eſſe ærarii omnis ſubſidium ac fomentum. Si tale igitur periculum metuendum ſit, ex re fuerit, illarum rerum vectigalia in tantum augere quo commercia penitus tollantur, & tamen illa, quæ diximus, incommoda evitentur. Quo majora ſcilicet fuerint vectigalia, eo parcius a peregrinis frumenta exportabuntur; qua ratione fiet, ut & uberior annona & ærario opes majores futuræ ſint.

XXVII. Cæterum cum omne vectigal, licet tenue, per ſe odioſum ſit, prudentis Principis fuerit, videre ut ea ita rebus accommodentur, ne ſentiat multum populus ſibi quid detrahi. Hinc adeo præprimis qui hac parte reipublicæ feliciter conſulere deſiderat, illi commodum erit haſce artes ab Italis & Batavis, & quidem ab his potiſſimum, addiſcere. Ex omni enim populorum genere, quod & Klockius *de contrib.* teſtatur, *nulli Italis & Batavis in inventione collectarum prævalent.* Quos tamen dum alii in omnibus imitari ſtudent, rebuſpublicis ſuis ſæpe nocent, diverſitatem terrarum non obſervantes. Ab Auguſto *Dio lib.* 28. refert, lege Julia lata cautum fuiſſe, ut quæ hæreditates, legata, donationesve mortis cauſa ad alios pervenirent, earum pars viceſima ad fiſcum pertineret. Fuit autem hoc Viceſimæ vectigal & reipublicæ utiliſſimum & cuique privato heredi haud ingratum: hiſce quidem quod alienas acciperent hereditates, illis quod libertatem talia donandi, quibus vellent, adipiſcerentur. Non poſſum non hic loci & alios nonnullos ingenioſos acquirendi modos referre. In Italia alicubi cui filia naſcitur, dotalem ille infert in ærarium pecuniam, hac lege, ut mortua infra 18. annos nihil repetere poſſit, quod ſi vero 18. ann. attigerit, decuplum a republica recipiat, teſte Bodino *l. 6. c. 2.* Hollandi parvum & magnum ſigillum invenerunt: cui tributum impoſuerunt, ſancientes, ne contractus inſtrumenta aut quicquid in judicium deducitur, valeat, niſi ejuſmodi foliis papyraceis ſigillo ſive majori ſive minori munitis deſcriptum fuerit. Hac ratione cum nemo aperte adeo gravetur, incredibile tamen dictu eſt, quantum inde pecuniæ ad rempublicam redundet.

XXVIII. Omnium autem maxime odioſum plebi eſt, quod rebus ad victum pertinentibus imponitur vectigal. Quare quod quis uſus proprii cauſa emit, de eo vectigal præſtare ne teneretur, olim cautum & conſtitutum eſt *l. 5. C. de vect. & commiſſ.* Hinc pro frumento, quod ad molendinum defertur, vectigal non eſſe præſtandum, cum ea, quæ noſtra ſunt, iterum emere non debeamus, cenſet Arniſæus *lib. 3. de jur. Majeſt. cap. 7.* Nihil tamen prohibet, ſi urgeat reipublicæ neceſſitas, etiam hiſce vectigal aliquod imponere, ſed modicum. Graviora certe hiſce impoſita vectigalia plurimum nocent; ut quæ maxime premant plebem egentiorem: quam potius ſublevare oportet, etiam in republica dominantium uſum quærente, ob rationem jam ante adductam. Fuit utique hoc nomine in odio omnium Caligula: quod de edulis contributiones exigere non erubuerit, teſtante Suetonio in *vita Calig.* Antiqua pene monumenta multas ex hoc tributi genere exortas ſeditiones numerant. Quantas & quam ferales ejuſmodi vectigal noſtra memoria regno neapolitano turbas dederit, credo ego univerſo Orbi non ſine horrore conſtare. Modica tamen harum quoque rerum vectigalia paſſim in uſu eſſe, notiſſimum eſt, idque in omnibus pene, non Europæ duntaxat, ſed Aſiæ etiam, rebuſpublicis. Quamvis in nonnullis locis hac parte in exceſſu peccari, idque ſummo ipſius ærarii damno, non difficile probatu fuerit.

XXIX. Ex omni porro tributorum ac vectigalium genere illa quæ ad luxum libidinem & ſcelera coercenda imperantur, omnibus non modo juſtiſſima debent verum etiam utiliſſima videri. Quippe cum iis divites onerentur, pauperes vero ſubleventur, delitiæ ſupprimantur, & ex quorundam inevitabili dementia fructus ad rempublicam redeant. Quare etiam in Imperio Romano veteri non earum rerum, quæ ad vitam commodius honeſtiusque degendam, ſed barbarorum ac peregrinorum mercium, quæ potius ad luxum quam neceſſitatem faciebant, vectigal *L. Lib. ff. de publ. & vect. & commiſſ.* definitum eſt. Simili prudentia jam olim Cato Cenſor, ut civitatem luxu perituram, quam diutiſſime poſſet, ab interitu retardaret, ornamenta omnia, veſtem muliebrem, ac vehicula, quæ plus quam 15. æris eſſent, in cenſum referre viatores juſſit. Nec credo, quemquam temere improbaturum vectigal illud, quod herbæ, quam Tabacum appellamus, qua nunc multi adeo in ſuam perniciem abutuntur, imponi in Batavis & Anglia ſolet. Et quis non Neopolitani inſtituti prudentiam laudet, quod pro ſingulis chartis luſoriis, quæ Neapoli in Hiſpaniam vehuntur, non leve vectigal pendi curatur? In Italia & Belgio pro carrucarum uſu, qui in luxum paſſim abit, itidem haud imprudenter vectigal conceditur. Fortaſſis quoque haud abs re fuerit, tributum imponi aliquod pecuniæ otioſæ, rebuſque pretioſis illis, quales ſunt catenæ, annuli aurei, aliaque ornamenta tam virilia, quam muliebria: nullum vectigal, quamvis conſtitutionibus imperialibus illis ſit conſtitutum. Ex re enim eſt reipublicæ, ne pecunia temere otietur, ſed in commercio poſita lucrum faciat: utque luxui, qui alitur illis ornamentis, frenum injiciatur. Quo ſpectavit paulo ante laudatum Catonis inſtitutum.

XXX. Supereſt, ut ſaltim unicum hic addamus: e re Principis & reipublicæ cujuslibet eſſe, cavere, ne turpitudine aliqua vectigalium ipſorum dignitas imperantium deformetur. Tale ſane fuit illud vectigal, quod ex urina, teſtante Suetonio, Veſpaſianus imperaverat. Etſi enim filio Tito indigne id ferenti pater occurrens, pecunia naribus admota, ſciſcitans, num odore offenderetur, & illo negante, *atqui*, inquit, *ex lotio eſt.* Reapſe tamen haud parum Veſpaſiani gloriæ urinario hoc vectigali ad omnem poſteritatem eſt detractum. Similiter haud leviter ſe commaculant, qui ex aere (quod de Imperatore Peſcennio Nigro Spartianus refert) pecuniam corradunt.

At

Digitized by Google

At haud talis eſt notæ vectigal in regno Anglicano ſingulis caminis impoſitum: revera enim illud tangit locupletiores quosque, quibus ſcilicet ſolent eſſe domus ſplendidæ & multis caminis inſtructæ. Contra avaritiæ probro non poſſunt non conſpurcari, qui ex lenociniis & meretricio quæſtu locupletant ærarium; quod, teſte Suetonio, Caligula olim fecit, & hodie Romæ Papa ipſe exercet, imo & Venetiis ſenatus. Plura his addi poſſunt, quibusnam ſcilicet rebus aut vectigalia imponenda, aut immunitates ſint concedendæ; cum vero infiniti fere fuerit laboris, ſaltim omnia, alibi quæ obtinent, in medium adducere, miſſis hiſce, ad alia nobis transeundum erit.

XXXI. Conſequens vero jam eſt, ut de CAUSA FORMALI nonnihil dicamus, quæ in eo potiſſimum occupatur, ut vectigalium impoſitio ita fiat, quo obtrectatio & populi odium evitari poſſit. Ad leniendum autem hoc odium multum faciet, ſi omnes cives ex æquo vectigalium onus perferant. Et vero cum ad omnes fructus reipublicæ redeant, juſtum quoque eſt atque æquum, neminem ſubditorum, niſi lege eximatur, (de quo vid. *tit. Cod. de vectig. & commiſſ. ut & ordinat. camer. imper. part.* 1. *tit.* 49.) a vectigalibus immunem eſſe. Non immerito ſane Bodinus *lib.* 6. *cap.* 2. de abſurda Galliæ conſuetudine conqueritur: in qua tria hominum genera, ſacerdotes, nobiles, magiſtratus, atque adeo fere omnes, qui divitiis prævalent, atque ex republica maxima accipiunt commoda, omnia tributa in miſeros opifices & aratores rejiciunt. Cæterum ſunt nonnulli, inter quos præcipue Pontificii, quorum res agitur, qui contendunt, ſacrum clericorum ordinem a vectigalium exactionibus ipſo jure divino & naturali eſſe exemptum. Verum cum vectigal ſignum ſubjectionis ſit, omnes autem fideles, ac proinde etiam clerici, terrenæ poteſtati ſubjecti ſint, abſurdum fuerit pro membro reipublicæ ſe venditare in favorabilibus, in iis autem, quæ ad conſervandam rempublicam contribui debent, extranei locum velle ſubire; nec ferendum eſt, ut, qui lucrum amplectitur, onus ſubire recuſet. Accedit, quod Servator noſter Chriſtus ipſe drachmam perſolverit, *Matth. XVII. verſ. ult.* Interim tamen, prout ex diſſertatione ampliſſimi Dn. Præſidis ad Lampadium percepimus, diſtinguendum eſt, inter bona clericorum vere ſacra, & quæ nomine tantum ſacra ſunt. Vere ſacra autem ſunt, ſine quibus ſacra obiri nequeunt. Præter illa longe plurima in poſſeſſione Cleri ſunt, eaque talia, ſine quibus commodiſſime eccleſiæ ſacra obiri poſſunt. Vere ſacra bona eximenda ab oneribus eſſe, non difficile probatu eſt. At vero ſuperflua illa reliqua cur non jure ſuſtineant onera, (præſertim cum in plurimis regnis maxima pars bonorum ſit in poſſeſſione Cleri) non perſpicimus.

XXXII. Obſervandum porro, ratione ſitus provinciarum, diverſimodam circa vectigalium impoſitionem requiri prudentiam. Limitanea ſcilicet loca, non tam gravibus vectigalibus atque ea, quæ in meditullio ſita, ſunt oneranda, idque metu defectionis. Egregie ſane *Forſtnerus in notis ad l.* 4. *annal. Tac.* obſervat, eadem de cauſa, Darium noluiſſe tributarios Æthiopes & Colchos eſſe, quia limitares erant. Similiter Venetos hodie mitius tractare Bergomates, Brixienſes, Cremenſes, Mediolanenſium olim ditionis oppida. Neapolitanos quoque acerbius ab Hiſpanis haberi, quam Mediolanenſes; quod hi vicini Gallis & Venetis, cum iis conſilia Hiſpanis perniciosiſſima inire poſſint, ſi nimis oneribus fuerint irritati.

XXXIII. Eſt præterea prudentis Principis, ineunte imperio vel nova occupata ditione, ſuperioris Principis indicta populo vectigalia, aut tollere aut bonam partem levare. *Non ſane Roboami deſipientis factum imitari; qui juniorum pernicioſiſſima conſilia ſecutus, non modo ſubditorum rogationibus non acquievit, verum etiam crudeliorem ſe futurum propalam minatus eſt, quam pater antea fuiſſet; Ex quo decem tribuum orta defectio eſt, & novi Principis creatio*, ut recte docuit Bodinus *lib.* 6. *cap.* 2. Sic, non exiguam clementiæ ſingularis laudem ſibi conciliavit Rex Galliæ, nuperrime ab Anglis acceptæ urbi Dunkerkanæ, non tantum multas immunitates concedendo, verum etiam vectigalia ibi multum minuendo. Et tamen, ſi rem ipſam ſpectemus, nihil hoc ipſo vectigalibus detractum, ſed additum eſt. Ubi namque Dunkerka commerciis floruerit, quod immunitatibus effecturum ſe Rex ſperat, creſcet ex portorio aliisque modis plurimum fiſcus regius.

XXXIV. Bello præterea aliisque calamitatibus attritis civitatibus, multæ immunitates tribuendæ, & quoad fieri poteſt, earum vectigalia attenuanda. Hac ſane ratione vires iis ſuccreſcunt: & commercia, quibus nulla ad ingentem pecuniæ copiam ærario inferendam via eſt commodior, reflorescere poſſunt: ſimulque favor ſubditorum erga imperantes augetur. Nec minus illa, quæ exhauſto ærario aliaque neceſſitate flagitante, recepta ſunt vectigalia, ceſſante neceſſitate, ſunt tollenda. Quod de Ludovico Galliæ Rege teſtatur Bodinus; illum, quæ belli neceſſitate coactus exegerat vectigalia, confecto bello ſuſtuliſſe.

XXXV. Multum quoque tributorum ac vectigalium invidiam minuere aptum eſt: ſi exactam pecuniam cum artificioſa quadam parſimoniæ oſtentatione magiſtratus erogat. Si item quantum fieri poteſt, (ceu docuit ampliſſimus Dn. Præſes *in prælectionibus Lampadianis*) nonnulli ex populo ad inſpectionem ærarii aliquatenus ſaltim admittantur: qui videant nimirum, non eam per luxum aut ignaviam prodigi. Hinc ſane jam tum Ariſtoteles *polit. lib.* 5. *cap.* 11. docuit, ut Tyrannus quoque, ſi plebem irritare nolit, modeſte ſe gerat in pecunia publica: tanquam diſpenſator & adminiſtrator non tanquam prodigus dominus. Id quod magno ſuo cum damno parum caviſſe, refert Piccartus, Demetrium Poliorcetem Macedoniæ Regem apud Plutarchum. De quo ille in vita ſic loquitur: *multis admiſſis id temporis delictis illud momordit, ut fertur, Athenienſes potiſſimum, quod cum* 250. *talenta ipſis præpropere imperata a Demetrio eſſent, præciataque exactio & acerbe exercita, ubi coactum argentum vidit, ſtatim Lamiæ meretrici id juſſit dari, cæterisque ſcortis, quæ circa regem erant, in ſmegma; pupugitque cives pudor magis, quam jactura, &*

verba, quibus eſt uſus in exigendo, quam ipſa exactio. Rationem dein ſubjungit Piccartus, quare Tyrannus ita ſeſe gerere debeat: nempe, *ut ſubditi eum pro bono patrefamilias habeant, adeoque minus infenſi ei ſint. Dein, ut Tyrannus tandem conſequatur: id quod vult. Colligendo enim tributa, exſugit ſubditos, conſervando, vires habet defendendi ſui, ſi ſit opus.*

XXXVI. Curæ adhoc ærariiatque vectigalium præponendi ſunt homines ſanctiſſimi, qui puras innocentesque manus habeant. Secus ſi fiat, nulla vectigalia ſufficient, ſemperque ærarium laborabit, Princeps ſemper egebit, ut de Eryſichtonis fame narratur. Hinc non inepta quorundam cautio fuit, ærarii & redituum curam ſacris hominibus mandare, ſi illi ſunt cælibes, idque lege quidem ſacra; quale quid obtinet hodie in clero romanenſe. Præſumuntur nimirum hi non divitiarum conquiſitioni operam dare, aut cæteris mortalium curis occupari; ſed pro domo, pro familia, pro poſteris cœlum habere. Neutiquam tamen etiam hoc omne ex parte eſſe tutum, docet uſus quotidianus: avariſſime ſcilicet populum haberi plærumque a cælibibus illis, ut & ab ipſis papis romanis, familiæ ſuæ locupletandæ ad inſaniam usque deditis. A præfectis denique ærario atque vectigalibus, & publicanis, neceſſum eſt, ut exacta omnium redituum ratio exigatur. Si illos vero tanquam ſpongias pecuniam publicam imbibiſſe, inventum fuerit; capitali pœna in terrorem aliorum animadvertere in illos oportet: vel ſaltim ſpongias illas iterum exprimere: plane quomodo hodie ſuos tractat Rex Galliæ.

XXXVII. De CAUSA FINALI, prolixius agere non opus eſt, quandoquidem jam ſupra theſi nona vectigalium finem expoſuerimus. Unicum ſaltem hoc monuiſſe ſufficiat. Cum finis juſtarum exactionum non is ſit, quem ſibi Carthaginenſium quidam in republica illa principes habuere propoſitum, ut Livius *lib.* 33. *cap.* 32. teſtatur, quibus, more nec noſtris temporibus incognito, *publica vectigalia præda ac diviſui fuerunt*: nec is, quem Suetonius tribuit Neroni, qui *divitiarum ac pecuniæ non alium fructum putavit, quam profuſionem.* Sed verus finis ſit utilitas reipublicæ. Hinc quorum curæ commiſſa eſt respublica, operam dent etiam atque etiam, ut pecuniæ publicæ non niſi in uſum publicum impendantur. Tollantur non neceſſarii ſumtus. Fugiendæ prodigæ liberalitates. Omittantur ſybaritica convivia, clangoſi ſymphoniaci, ignes artificioſe ſalientes, ſcurræ, hiſtriones & ſimilia, quibus pecunia publica dilapidatur. Obſervandum potius prudentiſſimi Boleslai I. Polonorum Principis exemplum, qui dictitaſſe ſolitus fertur: *malle ſe gallina veſcentem ſalutem populi tueri, quam per delicias illum injuria opprimere.*

HERMANNI CONRINGII
DISSERTATIO POLITICA
DE DOMINIO MARIS.

Menſe Septembri MDCLXXVI. habita.

RESPONDENTE

BENEDICTO *von Lutzen*, Holſato.

Theſis I.

Cum nullum fere jus ſit, præſertim, quod ſibi ſeparatim imperantes in rebuspublicis vendicant, quod non ſuos in utramque partem invenerit aſſertores; hinc non mirum, hanc nobiliſſimam de Dominio Maris materiam ſuos reperiſſe defenſores, ſuos item oppugnatores, & quidem tales, qui applauſum totius orbis eruditione ſua ſibi compararunt. Quare ego merito temeritatis ſim accuſandus, quod hoc thema ventilare, illudque defendere auſus fuerim; niſi ſolum exercitii gratia Spartam hanc in me ſuſcepiſſem. Sed, quia induſtria mea voto tuo, benevole Lector, minime reſpondebit, hinc rogo, ut hanc meam tenuitatem tuo ſublevare favore, & in quibus ex juvenili ætate erraverim, benevolentia tua contegere velis. Quandoquidem autem nefas eſſet ob hanc tam nobilem materiam, quæque non ſolum calamo, ſed & gladio a multis Principibus & rebuspublicis fuit agitata, de tuo dubitare applauſu, hac libertate utar, ut quicquid ex probatiſſimis autoribus collegerim, animoque conceperim, promere non reformidem. Deum autem ter Opt. Max. ſupplex precor, ut divino ſuo ſubſidio hiſce meis cœptis adſiſtat, illisque feliciter colophonem imponere clemens permittat.

II. QUONIAM vero in omni ventilanda materia primo in verba inquirendum, deinde in res; præſertim cum levis vocabulorum aberratio in ipſis rebus & negotiis errorem haud ægre inducere poſſit, ceu poſt innumeros præclaros Doctores teſtatur etiam Jurisconſultiſſimus Calvinus *in præfatione lexici ſui juridici*: hinc quoque merito inſpiciendum ante, quid per DOMINIUM MARIS intelligatur, & unde nomen acceperit, quam cui competat, ſcrutemur. Dictum igitur eſt, *Dominium*, prout recte tradit Connanus *in comment. juris civilis lib.* 10. *cap.* 5. *n.* 7. a domo, ſive quia plærisque olim non amplius latiusque fuit dominium, quam quod domus habitationisque ſuæ finibus contineretur, ſive quod propria & noſtra uſitate a domo appellentur domeſtica, ut & apud Græcos οἰκεῖα. Weſembec. *paratitla ad tit. ff. de acquir. rer. Dom.* Hinc & ab Ulpiano in *l.* 195. *ff. de V. S.* is paterfamilias dicitur, qui in domo dominium habet, hoc eſt præeminentiam, ut

inquit

inquit ad hanc legem Alciatus *in comment. ſuo ad digeſta.* Quando igitur apud antiquos ſcriptores dominii fit mentio, tum ſemper ad domus dominum refertur. Calv. *in lex. jur. p.* 301. Verum cum paſſim jus illud imperandi & proprietatis non in ſola domo acquieſceret, ſed ſe amplius extenderet, vocabulo retento res aucta eſt, ita, ut inſecutis temporibus dictum ſit dominium, illud jus, quo rem facimus noſtram nobisque propriam. Ex quibus patet, dominium primo pro imperio, poſtmodum pro proprietate ſumtum. Tandem vero diſtinctam in jure romano forenſi accepit naturam; ita, ut juris compilatores ejusque interpretes differentiam conſtituerint inter dominium, imperium & proprietatem, quam infra videbimus. Germanice dicitur *Eigenthum, eigenthümliche Gerechtigkeit*, Wehnerus *in obſervat. pract. in voce Eigen*, Struv. *in ſyntagm. juris civ. exerc.* 11. §. 3.

III. Multis autem modis vocabulum dominii accipitur. Sic dominia ab antiquis dicta ſunt convivia domi celebrata, & dominus is erat, qui convivium exhibebat, Connanus *loc. cit. lib.* 10. *c.* 5. *n.* 7. Sumitur quoque a nonnullis (quod ex abuſu imperandi ortum) dominium pro nimia potentia, pro duro & abſoluto imperio, & quidem tali, ubi imperans primario ſuam, ſecundario ſubditorum ſalutem reſpicit. Et in hac acceptione ſumtum idem denotat cum dominatu in Politicis, qui tertia ſpecies Monarchiæ, diverſa a regno & tyrannide ſtatuitur a Philoſopho 3. *Polit. cap.* 10. ibique vocatur regnum barbaricum. Vid. plur. reverendus Dominus Mejerus Hoſpes, Præceptor ac Affinis venerandus *in Analyſi ad Polit. Ariſtotelis ibidem.* Porro dominium latiſſime ſumtum, denotat quamcunque legitimam poteſtatem ſive facultatem ad aliquid. Sic Imperator dicitur Mundi Dominus *l.* 9. *ff. ad L. Rhod. de jactu.* Et hac ratione omne jus in perſonas & res dicitur dominium, ita ut & imperium complectatur. Hahnius *ad Weſenb. comm. in tit. ff. de acquir. rer. dom. num.* 3. & ſic non ſolum liberam in re corporali diſponendi facultatem, ſed & propter iſtam, imperandi poteſtatem, quodcunque libuerit & jure licuerit, exprimit, ita ut tum & dominium & proprietatem complectatur. Et hoc dominium indigitatur per vocabula Meum, Tuum, Suum, item nomine patrimonii *l.* 1. §. 7. *ff. de offic Præf. urb.* Hac ratione dominium & imperium ſunt ejusdem acceptionis, prout & in hac materia idem ſignificant. Tandem accipitur in ſpecialiſſima ſignificatione pro jure in re, diverſo a reliquis juribus realibus, & deſcribitur: quod ſit jus de re corporali perfecte diſponendi aut vindicandi, niſi lex vel conventio obſiſtat. Mynſingerus *ad rubr. Inſt. de* R. D. Gœddeus *in comm. ad l.* 49. *de V. S. n.* 7. Struv. *l. c. exercit.* 11. §. 4. Et ſic diſtinguitur ab imperio, proprietate & poſſeſſione, quas differentias ad meliorem dominii cognitionem paucis notabimus.

IV. I. Differt dominium ab imperio, quia dominium eſt in res & bona, imperium vero in perſonas. Sic pater imperat liberis & dominus ſervis *l.* 4. *ff. de R. J.* rerum autem acquiſitio vocatur dominium, hinc *totus titulus ff. d. acqu. rerum dom.* in quo nulla mentio fit imperii. Deinde imperans in republica omnia imperio poſſidet, ſingula vero a privatis dominio poſſidentur. Seneca *lib. de beneficiis* 7. *cap.* 4. Plures differentias vide apud Heigium *in quæſt. p.* 2 *qu.* 40. Gothofred. *in comm. ad Nov,* 105. *c.* 2. *in fine*, & Hottom. *in quæſt. illuſtr. quæſt.* 1. II. Differt dominium a proprietate non in ſe, ſed ſubtilitate juris. Nam proprietas & dominium, qua jus ſignificant, & ſi in propria acceptione ſumuntur, recte dicuntur ſynonima. Ut contra Riemerum oſtendit JCtiſſimus Hahnius *in animadv. ſuis ad diſſer. Sutholti anim.* 4. Idem quoque exiſtimat Duarenus *in diſp. anniverſ. lib.* 1. *cap.* 17. proprietas enim eſt formalis ratio omnis dominii §. 7. *C. de quæſt.* Quoad poſſeſſionem autem aliqua inter dominium & proprietatem a JCtis notatur differentia. Nimirum jus illud, quo plene & perfecte res mea eſt, proprietas abſolute dicitur, cum vero & uſus rei una cum illo jure poſſidetur, tum dicitur dominium. Robertus *lib.* 3. *ſent. cap.* 18. Hinc orta eſt diſtinctio inter dominium plenum & nudam proprietatem. Sic qui una cum proprietate etiam uſufructu gaudet, dicitur Dominus plenus; contra cui ſola competit proprietas, uſus autem alii vel lege vel pacto eſt conceſſus, dicitur proprietarius, item Dominus directus, qualis eſt Dominus feudi, emphyteuſios &c. Struvius *loc. cit.* §. 55. Plura videantur penes Parlador: *rerum quotid. lib.* 1. *cap.* 4. III. Differt dominium a poſſeſſione, in eo ſc, quod poſſeſſio ſolum conſiſtat in detentione & occupatione rei, dominium vero in jure de illa diſponendi. Porro dominium eſt juris, poſſeſſio autem magis facti: Connanus *d. lib.* 3. *c.* 3. *n.* 1. ubi & hanc rationem affert: quod dominia, ſi ex jure N. & G. acquirantur, a poſſeſſione incipiant, non vero vice verſa. Sic e. g. nemo prius naturaliter dominio rei potiri poteſt, quam illam poſſideat, contra vero ſæpe res a quodam poſſidetur, qui tamen non eſt Dominus rei. E. g. res invito Domino alienata poſſidetur interim vel a bonæ vel a malæ fidei poſſeſſore; attamen dominium manet penes priſtinum dominum niſi juſto temporis ſpatio præſcribatur. Adducit & Ulpianus *l.* 17. §. 1. *ff. de acquir. l. amitt. poſſeſſ.* aliam differentiam, ſcilicet: Dominia quandoque invitis remanere, poſſeſſionem vero ſtatim, cum id conſtituimus, recedere. Videatur pluribus Cujacius *in obſerv. l.* 7. *obſ.* 38. Diviſiones dominiorum in plena & minus plena, directa & utilia, quod attinet, cum ſint mere juridicæ, ad caſtra eorum, qui forenſem diſciplinam exercent, merito relego; utpote cum hanc materiam iſthoc modo tractare mihi haud propoſuerim. Pergam itaque ad vocabulum maris, illoque explicato ſtatim ipſam aggrediar maris naturam, & an in Dominium redigi poſſit, inveſtigabo.

V. MARE quaſi amarum, derivatur ab Hebræo מר amarum eſſe, quia omnis aqua marina eſt quodammodo ſalſedine ſua amara. Hinc Iſidorus *lib.* 13. *Orig. cap.* 14. ait: *Mare eſt generalis aquarum collectio. Omnis enim congregatio aquarum, ſive ſalſæ ſint ſive dulces, abuſive maria nuncupantur; proprie autem mare appellatum eſt eo, quod aquæ ejus amaræ ſint.* Hanc vocem plurimæ gentes reti-

retinuerunt, ſic Itali dicunt *Mare*, Hiſpani *Mar*, Galli *Mer*, Germani *Meer*, dicitur & Germanis *See*; quod cui forte poſſit videri eſſe a Græco ζέω ferveo, etſi nos nihil definiamus. Appellatur & Fretum quaſi a fremendo. Graswinckel *in Vindic. maris liberi proleg. pag.* 7. Danis nuncupatur *Haff*, unde forſan Germanicum *Hafe*, portus, ortum ſuum traxit, Hebræis vocatur ים quaſi ab אים terribilis, quia mare eſt vaſtum quid & terribile, Martinius *in lexico ſuo philolog. p.* 1840. Græcis indigitatur θάλασσα vel a θάλλω vireo; quia ſcilicet vi aquarum omnis fit viror & generatio, vel quaſi ἅλασσα a ſalſedine, ὁ ἅλς enim denotat ſalem. Schrevelius *in lex. man. græc. lat. p.* 370. Verum etymologias iſtas hic ſive defendere ſive refellere non eſt noſtri inſtituti: tantum indicaſſe & hac in re aliorum ſententias, hic ſufficit. Eſt autem mare, generalis collectio aquarum. Quæ deſcriptio licet Graswinckelio *loc. cit.* videatur nimis lata, ut pote cum omnia flumina hanc ſibi vindicare poſſint; ſciendum tamen, quod Maris voce heic cumprimis intelligamus illas aquas, quibus tota terra eſt circumflua. Id mare autem vocatur alias Oceanus, & plerumque a diverſis terrarum partibus, quas alluit, diverſa ſortitur nomina. Sic mare britannicum a Britannis, mare liguſticum a Liguribus antiquis Italiæ populis, mare jonicum ab Jonibus Aſiæ minoris incolis, mare norwegicum a regno Norwegiæ denominantur.

VI. Jam ad ipſum DOMINIUM MARIS. Hoc ab aliis appellatur *Imperium maris*, ut a JCtiſſimo Domino Strauchio *in diſſert, de Imperio maris;* ab aliis *mare clauſum*, ut a Seldeno; non ac ſi mare uſui hominum ſit occluſum, prout Ciceroni *in orat. pro L. manilia* mare clauſum dicitur, quando navigationes ceſſant per tempeſtatum acerbitatem hyberno anni tempore, & in qua acceptione ſumitur in *l. quoties* 3. *C. de naufragiis*. Sed mare clauſum Seldeno nihil aliud eſt, quam dominium maris, & deſcribitur ab eo *in præfatione tractatus de mari clauſo*, quod ſit mare privatim poſſeſſum, ſive, *tam jure, quam occupatione ita ſecluſum, ut commune eſſe definat, id eſt jure mancipii vindicatum.* Quoniam autem mare hodie eadem ratione, qua venationes, piſcationes & hujus generis alia inter jura majeſtatis refertur, (quæ vulgo regalium, quamvis minus convenienti, nomine veniunt, prout cenſet Mejerus *in analyſi ad politicam Ariſtot. lib.* 3. *c.* 4. *p.* 230.) hinc illud a nullo privato occupari poteſt, ſed ſola ejus occupatio ſpectat ad majeſtatem. Cacheranus *deciſ.* 155. *n.* 81. Ferrar. Montanus *de feudis lib.* 5. *c.* 7. Mynſing. *reſponſ.* 1. *n.* 162. *Dec.* u.

VII. HISCE jam præſuppoſitis, ipſam dominii maris naturam ſcrutabimur, innexa prius definitione, illaque poſtmodum per partes explicata. *Eſt igitur* dominium maris *jus majeſtati competens partem aliquam maris, tam quoad proprietatem, quam quoad imperium ſibi vindicandi, omnesque alios ab ejus occupatione arcendi, jure naturali aut gentium acquiſitum.*

VIII. Dicitur, quod ſit jus, id eſt, poteſtas diſponendi & faciendi, quodcunque libuerit, & jure licuerit, Majeſtati competens; ubi ſciendum, majeſtati hoc jus non ideo competere, quod privati jure N. ab occupatione maris ſint excluſi, ſed, quod Principes ſibi ſolis hanc vendicarint lege aliqua vel ſcripta, vel non ſcripta, vel etiam præſcriptione. Weſembecius *ad tit. ff. de acquirendo rerum dominio.* Nam conceditur quidem, res illas in libero ſtatu permanſiſſe, & proinde cedere occupanti, attamen cum communis utilitas merito præferatur utilitati privatorum, hinc nihil prohibet, quo minus res, quæ communi occupationi relictæ, poteſtati civili propter communem utilitatem, ob quam fiſcus habetur, cedant. Struvius *in ſyntagm. juris feud. cap.* 6. §. 7. Hoc confirmat Grotius *lib.* 2. *cap.* 2. *de jure belli ac pac.* ubi dicit: *Quanquam lex civilis nihil præcipere poteſt, quod jus naturæ prohibet, & prohibere, quod præcipit; poteſt tamen libertatem naturalem circumſcribere, & vetare, quod naturaliter licebat.* Plura argumenta ad hujus probationem facientia videri poſſunt apud Fachinæum *lib.* 1. *controv. jur. controv.* 1. Ungepaur. *exer.* 5. *qu.* 4. Quæ ſuperſunt explicanda circa hanc definitionem, cum paucis abſolvi nequeant, infra ſuo loco & ordine tractabimus.

IX. Omne autem dominium primam ſuam originem donationi divinæ debet. *Gen.* 1. *v.* 26. Deus enim dedit Adamo omnes omnino res, quæ in terra & mari erant, *v.* 28. Hinc proprietas totius terrarum orbis nemini competiit, niſi ſoli Adamo; qui adhuc in vivis conceſſit liberis ſuis (ut more romano loquar) peculia, quod patet ex *Gen. IV. v.* 2. ubi Cain vocatur agricola, Abel vero paſtor, & hæc fuit prima bonorum diſtinctio inter poſteros Adæ conſenſu ejus facta. Poſt mortem vero Adami, quemadmodum alia, ita & hereditas hujus inter liberos eſt diviſa. Cum autem ob raritatem hominum omnia poſſidere impoſſibile eſſet, multa fuerunt pro derelicto habita, & inter illa ob uſus ignorantiam ipſum quoque mare: quæ deinde, aucto hominum numero, primo ceſſerunt occupanti. Hinc patet, dominium non ab occupatione & diviſione cœpiſſe, ſed has illud inſecutas fuiſſe. Struv. *exerc.* 41. §. 2. Quod autem res quædam vacuæ remanſerint, hoc non aufert dominium univerſale, ſed tantum ſingulare; hæ enim res ex cauſa derelicti tales ſunt factæ, prout ſcilicet fundus derelictus tamdiu dicitur nullius & vacuus, usque dum quis illum occupaverit. Sic quoque mare ob rariſſimum a majoribus uſum potuit dici liberum, donec deinde propter frequentiorem uſum iterum in dominium redierit. His præſuppoſitis, facile corruit ſententia adverſariorum, communionem primævam omnium rerum ſtatuentium. Sed, ut eo clarius pateſcat, ſententias eorum rimabimur. Probant eas ex poetis & hiſtoricis, principio ſcilicet omnia fuiſſe communia aſſerentibus. Hinc citant Virgil. 1. *Georg.* canentem:

> *Nec ſignare quidem aut partiri limite campum*
> *Fas erat, in medium quærebant.*

Item Senec. trag. in *Octavia.*

> *Pervium cunctis iter,*
> *Communis uſus omnium rerum fuit.*

Porro

Porro ex hiſtoricis Juſtin. *lib.* 43. *Erant Saturni ævo omnia communia & diviſa omnibus, veluti unum cunctis patrimonium eſſet.* Et denique Cicero 1. *offic. privata nulla natura.* Verum cum hi omnes gentiles, & ſic nec cognitionem ſacrarum literarum habuerint, ac lumine naturæ, utpote gentiliſſimo ſuo excœcati, maximam partem deſtituti fuerint, proinde eorum teſtimonia nihil probant.

X. Videbimus autem, quale commune hoc loco a Doctoribus adverſæ partis intelligatur. Eſt commune quid duobus modis; vel, ut proprietas indiviſim ſit communis, uſus vero ſingulis pateat; vel, ut uſus omnibus ſit communis, res autem omnis proprietatis expers ſit. Jam poſteriorem acceptionem potiſſimum intelligere communionem ſtatuentes inde patet, quod illam opponant proprietati. Caſtrenſ. *ad l. 5. ff. de I. & I.* Hinc Grotius *cap. 5. de lib. mari* expreſſe aſſerit: *commune tunc non aliud fuit, quam quod ſimpliciter proprio opponitur.* Verum, quod venia illius præclariſſimi fiat viri, huic ſententiæ aſtipulari non poſſum. Deus enim Adamo id jus in res creatas conceſſit, quale voluit, ut ab hominibus exerceatur, *Gen. I. v. 26. & 28.* Jam aut proprietas illarum rerum fuit ex donatione divina penes Adamum, aut non fuit; Si prius, erroris merito convinci poteſt Grotius. Si poſterius, tum ſane poſteri ſibi hoc jus absque injuſtitiæ ſtigmate nullo arrogare potuiſſent modo, nec Deus hoc illis unquam conceſſiſſet, utpote qui mortalibus proprietate rerum interdixiſſet. Quoniam autem expreſſe ex *Gen.* I. *v.* 26. & *Gen.* IX. colligitur, quod Deus Adamo non uſum, ſed ipſam rerum proprietatem cum imperio conjunctam, hoc eſt, perfectum dominium conceſſerit, hinc primam hanc Doctorum de communione aſſertionem ſubſiſtere haud poſſe facile patet. Jam inquirendum, an talis fuerit communio, qua res indiviſim fuit propria, uſus autem ſingulis competiit. Quam opinionem defendunt Moraliſtæ quidam, ut Mich. de Luna & Arell. *tr. de dom. rat. c.* 3. Molina *tom.* 1. *tr.* 2. *diſſert.* 20. & Joh. de Lugo *diſp.* 6. *ſect.* 1. At expreſſe ex S. literis patet: Adamo fuiſſe conceſſum dominium omnium rerum, jam autem heic nulla potuit eſſe communio, cum Adamus tum temporis ſolus adhuc extiterit, & deinde, multiplicato quamvis genere humano, tamen remanſerit familiæ ſuæ caput, & per conſequens retinuerit proprio jure dominium totius terrarum orbis, licet non ſingulare, attamen univerſale.

XI. Ex his jam perſpicuum eſt, nullam unquam fuiſſe univerſalem bonorum omnium communionem; Quare per ſe ipſam corruit *l. 5. ff. de I. & I.* ubi dicitur, quod ex jure gentium introducta ſint dominia diſtincta. Hæc enim, ut ex ſupra dictis conſtat, ex jure divino ortum ſumſerunt. Quare & inter decem præcepta moralia expreſſe ob diſtinctionem dominiorum additum eſt VII. IX. & X. præcepta, *Exod. XX. v. 15. & 17. 2. ad Corinth. VIII. v. 14. Prov. V. v. 16.* Deinde naturali quoque nituntur ratione; Præceptum enim naturæ eſt, ut ſuum cuique tribuatur, Molina *de I. & I. tom. 1. tr. 1. diſp.* 20. Ex ſupra autem dicta *l. 5. ff. d. I. & I.* Grotius *lib. 2. c. 3. §. 3. de jure belli ac pac.* colligere geſtit, quod illæ res, in quas neque expreſſa pactio per diviſionem ſcilicet, neque tacita per occupationem cadat, ad noſtram adhuc ætatem communes eſſe perſeverent, inter quas etiam recenſet mare, & ex hac ſua hypotheſi argumentatur, illud omnis adhuc proprietatis expers eſſe. Verum cum in hoc argumento uſus maxime attendendus, qui primævo tempore vel nullus, vel rariſſimus reſpectu maris fuit, hinc ipſa quoque occupatio fuit rariſſima. Hodie vero ob frequentiorem uſum, & quia unica fere rerumpublicarum maritimarum ſalus inde dependet, ceſſat ratio Grotii. Ideoque merito libertas mari adimi poteſt in tantum, in quantum commodi & noxæ reipublicæ inde impendet. Proptereaqne nihil vetat, quin mare longiſſime diſſitum, & nullis adhuc roſtris vel exiguis ſecatum, liberum hodienum appellari mereatur, utpote adhuc pro derelicto habitum; verum libertas ejus tamdiu manet integra, usque dum utilitas alicujus reipnblicæ occupationem illius efflagitaverit.

XII. HISCE jam notatis conſequens eſt, ut probemus, mare in dominium redigi poſſe. Quod nulla ratione potius fieri poteſt, ac, ſi adverſæ ſententiæ abſurditatem ad oculum prius commonſtrando, noſtram deinde adjungamus aſſertionem. Incipiunt autem adverſarii ab hoc argumento: *Omnia primis temporibus fuiſſe communia:* hiſce autem, cum in præcedentibus jam ſatis ſuperque ſit ſatisfactum, non immorabimur. Porro, cum *omnia ſint fluxa & labantur, nihilque ſit ſtabile in hac rerum humanarum viciſſitudine*, colligunt, *nullius rei & ſic nec maris poſſe eſſe dominium.* Aſt hæc inſtabilitas quid impediret dominium, cum hoc a DEO, ita ordinatum ſit, ut aſſimilaretur naturæ hominis? Si enim homo brevi temporis ſpatio vitali fruitur aura, ſane nulla neceſſaria eſt dominiorum ſtabilitas, utpote quæ morte hominis mutentur, neceſſe eſt. Rerum quoque dominia tam a DEO, quam Natura conſtituta eſſe, ſupra patuit: Decem enim præcepta decalogi, ut jura naturæ a nobis merito æſtimantur; ex his autem dominiorum diſtinctionem colligi poſſe, nemo hominum inficias ibit, duo ultima ſaltim conſiderans præcepta. Porro dicunt: *mare fluere & refluere*, ſed, quid hoc ad tollendum dominium? Flumina ſane ſunt multo magis fluxilia, hæc autem proprii juris fieri poſſe ex *l. 4. §. 1. ff. de R. D.* colligere eſt. Ibi enim flumina dicuntur eſſe publica, Publica autem in jure romano deſcribuntur, quod ſint, quorum proprietas ad certum populum, gentem vel rempublicam ſpectat, ita, ut uſus eorum naturæ vel gentium jure communis, (modo non ſit noxius reipublicæ) omnibus concedatur hominibus. Struv. *l. c. exercit.* 3. §. 76. Vasqu. *illuſtr. quæſt. p. 1. l. 2. c. 89. n.* 3. Hinc etiam in imperio noſtro flumina, quoad uſum, ſunt publica, quoad proprietatem vero, referuntur inter jura fiſcalia. Roſenth. *de jure feud. c. 5. concl. 23. & 24.* Sixt. *de regal. l. 2. cap.* 3. Ita quoque Ulpianus in *l. 1. §. 4. ff. de flum.* mentionem facit fluminis privati. Jam eodem modo ipſum mare poſt occupationem poteſt dici publicum, ita, ut ratione uſus omnibus ſit commune, ratione vero proprietatis certam agnoſcat rempublicam. Accedit, quod mare in ſua natura, ratione ſcilicet fluoris, nihil aliud ſit, quam flumen aliquod ob magni-

magnitudinem tantum alio nomine inſignitum. Eodem enim modo ortum ſuum nanciſcitur, eodem incrementum, eodem & decrementum.

XIII. Ulterius vero progrediuntur adverſarii, dicentes: *Mare ità vaſtum eſſe, ut uſus ejus omnibus ſufficiat animalibus, nullumque maris ob vaſtitatem terminum figi, & propterea nec limitem aliquem in mari callocari poſſe, qui dominium hujus reipublicæ ab imperio illius diſcernat.* Verum hæc quoque licet veroſimilia nullum ſcrupulum injicere debent. Nam, etiamſi uſus maris ob vaſtitatem omnibus hominibus ſit ſufficiens, uſus tamen ille nullo modo proprietati adverſatur, ſed potius inde contrarium colligi poteſt. Si enim mare tantæ vaſtitatis eſt, ut omnibus uſui eſſe queat, quid impedit, ne per partes abſque injuria alterius occupetur? Semper etenim vigore amplitudinis tantum remanet maris ſpatium, quantum aliis ad uſum & occupationem eſt neceſſum. Et cum ſit propria communionis retinendæ ratio, eam ſcilicet tum demum locum habere, cum res diviſa nulli ſociorum ſit ſufficiens, facile videri poteſt, hanc rationem heic plane nullum reperire locum: cum quælibet reſpublica teneatur, etiam de jure naturæ, non majorem maris occupare partem, quam, quæ correſpondeat ſuo territorio, & quæ abſque læſione & injuria vicinarum rerumpublicarum occupari poteſt. Vid. Magnif. Dn. Præſes, Patronus ac Præceptor multis nominibus venerandus *libro ſecundo de fin. imp. germ. c. ult.*

XIV. Porro nullum maris ob vaſtitatem terminum figi poſſe, ex littoribus aliter pateſcit. Quid enim littora aliud ſunt ac termini maris? *§. 3. I. de R. D.* dicitur: quod *littus ſit, quatenus hibernus fluctus maximus excurrit*, ſc. in tantum ſe extendat, in quantum fluctus, qui hyberuo & autumnali tempore maximus eſſe ſolet, terram attingere valet: quare videlicet ille verus maris terminus erit, ubi maximus fluctus ſe ſiſtere cogitur. Et quamvis Stypmannus *in tr. de jur. mar.* ingerat: littora non eſſe maris terminum, ſed tantum extrema maris finire, attamen nec hoc probat. Finis enim extremorum & terminus pari paſſu ambulant: cum hic nihil aliud ſit, quam ubi rei alicui meta præfigitur, ne ulterius ſe extendat; hæc autem meta præfixa quid aliud, niſi finis extremorum? Ex ſacris quoque monumentis terminum mari poſitum eſſe conſtat, ſi ſolum inſpiciamus *caput Job. 38. v. 8.* ubi dicit ipſe Deus, *Quis concluſit oſtiis mare*, (niſi ego) & *v. 10. Circumdedi illud terminis meis & poſui vectem & oſtia.* Item *Prov. 8. v. 29.* dicitur: *Quando circumdabat* (dominus) *mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos.* Tandem nec vaſtitas maris impedit; quo minus illud a diverſis populis occupari poſſit. Ipſa enim natura multis mare inſtruxit limitibus, utpote cum ſcopuli & multæ ſparſæ in mari reperiantur inſulæ, qui idoneæ ſatis ſuut ad jurisdictionem alicujus reipublicæ in mari terminandam. Huic quoque maximo adjumento eſſe poſſunt inventiones egregiæ nauticæ pyxidis & graduum cœleſtium ſive longitudinis ſive latitudinis, atque ex his triangulorum auxilium.

XV. Ulterius vero inſtant: *Mare ſcilicet nunquam fuiſſe occupatum, ſed ſemper in libero ſuo remanſiſſe ſtatu.* At poſito hoc, ſed non conceſſo, nec id tamen theſin noſtram infringit. Nam a non eſſe ad non poſſe eſſe non valet conſequentia. E. g. hic homo non eſt doctus, E. non poteſt eſſe doctus. Quæ inde abſurditas oriretur! Eodem modo, mare non eſt occupatum; E. non poteſt occupari, nulla hic eſt conſequentia. Quod namque olim nulla vel rara occupatio fuerit, id factum ex imperitia rei nauticæ & impotentia quarundam gentium, qui id occupare non potuerunt, quod tamen ipſis jure permiſſum erat. Imo ipſum mare tam antiquis, quam hiſce temporibus, a multis populis occupatum, maximaque inde bella orta fuiſſe, ex hiſtoriis ad nauſeam usque perſpici poteſt. Nos propterea infra ſuo loco quædam proferemus exempla illorum, qui mare occuparunt, dominiumque illius obtinuerunt.

XVI. Vehementer quoque ingerunt: *Occupatianem maris omnem tollere commerciorum libertatem, amnem liberum impedire tranſitum, & peregrinationibus maximo eſſe abſtaculo, hujus autem peregrinationis, commerciorum tranſitusque ita naturalem eſſe libertatem, ut, ſi impediatur, omne tollatur jus, omnis æquitas, hinc quoque inter juſtiſſimas belli cauſas referri, ſi hæc libertas populo denegetur.* Verum quid hoc ad rhombum? Quemadmodum enim ab introitu & uſu urbis arcere peregrinos inhumanum eſt, teſte Cic. *lib. 3. offic.* & omnis per viam publicam tranſitus cuique jure ſocietatis humanæ æquiſſimo patere debet, niſi in proprium cedat detrimentum. *Grot. de J. B. ac P. l. 2 c. 2. §. 13.* nec tamen inde ullo probabitur modo, urbes proprietatis expertes eſſe, vias item publicas tam quoad dominium, quam quoad uſum, in illorum numerum eſſe referendas, quæ utique naturæ jure omnibus ſunt communia & in privatam poſſeſſionem redigi non poſſunt. Harum vero ut & urbium dominium probare, idem eſſet, ac facem ſoli præferre; ipſa quippe quotidiana experientia ſufficientis probationis loco eſt. Eadem quoque heic ratio militat in mari. Humanitati quidem conſentaneum eſt, ut peregrini ſuſcipiantur, utque innoxius concedatur tranſitus, ſed hoc nihil impedit, quo minus dominium maris maneat integrum. Sicut enim ſervitutes prædiales, actus ſcilicet, via, iter & aliæ, non tollunt dominium prædii ruſtici, ſed tantum huic prædio vel lege aliqua, vel pacto, vel conceſſione ſervitus eſt impoſita, ita quoque mari a natura ſua & divino præcepto, quod injungit ſcilicet dilectionem proximi, ſervitus quædam quaſi eſt injuncta, vigore cujus nemini liber maris tranſitus interdicitur, niſi vergat in præſentiſſimum damnum illius reipublicæ, quæ ſibi dominium in mari illo acquiſivit; hoc namque ſi contingat, tunc eadem ratione, qua hoſtis ab ingreſſu alicujus territorii vel urbis arcetur, dominus maris illos, a quibus damnum metuitur, a tranſitu maris arcere poteſt. Hinc Albericus Gentilis *lib. 1. c. 19. de jure belli* inquit: *teneo cum Auguſtino* (qui humanitatis eſſe dixit, neminem ab uſu maris prohiberi) *ſi nec timendum ſit, ne noceatur, & certum ſit, noceri non poſſe.* Quare etiam reſpublicæ & quidem non

imme-

immerito vicinis ſuis, præſertim ſuſpectis, per certas transactiones imponunt certum numerum navium, quibus liber tranſitus & appulſus ad littora concedatur: qualis transactio facta inter Hiſpaniæ Regem & Ordines fœderati Belgii anno 1609. Aperte quoque Ariſt. *l.7. c. 7. Pol.* ſtatuit: Legibus cavendum eſſe, quibuscum civibus communicare oporteat, & cum quibus non oporteat. Quemadmodum porro concedere uſum aquæ, item ut candela accendatur, cuilibet homini ita a natura eſt injunctum, ut ſi hoc non faceret, ipſi repugnaret naturæ & divino juri, hæc tamen conceſſio alteri non ſtatim jus aliquod acquirit, ſed tantum ex mutuo charitatis officio proficiſcitur. Ita quoque conceſſio innoxii tranſitus per mare, utpote per viam publicam, nullum jus efficere valet, ſed ſolummodo ortum ex charitatis fonte haurit.

XVII. Licet autem interdum bella ob negationem liberi tranſitus ſuſcepta ſint, nec hoc tamen nobis adverſatur. Diſtinguendum quippe; an utilitas reipublicæ efflagitaverit illam liberi tranſitus prohibitionem, an vero nullo urgente reipublicæ commodo hoc factum. Si poſterius, merito & ſummo jure bella ſuſcipi poſſe concedo; utpote cum hoc caſu Dominus maris contra omnem a natura proximo debitam peccaverit charitatem, ipſique adeo mandato divino & Juri naturæ repugnaverit. Nam ſi hæc inter juſtas belli refertur cauſas, quando alicui liber tranſitus per territorium alicujus, qui tamen non cum ulla læſione reipublicæ eſt conjunctus, denegatur, quare non & eadem hæc ratio locum obtineret in libero maris tranſitu? Prius autem nos ipſæ ſacræ paginæ docent expreſſe, aſſerentes, quod Iſraelitæ contra Amorrhæos innoxium tranſitum denegantes juſta geſſerint bella *Num.* 20. & Auguſtinus *lib. 4. qu. 44. ſuper hunc locum.* Si autem prius, cum nempe tranſitus abſque detrimento reipublicæ concedi nequivit, injuſtiſſima fuiſſe bella, niſi alia ſubfuerit cauſa, nemo ſanæ mentis facile inficias ibit. Quilibet enim eſt rerum ſuarum dominus, & de illis pro lubitu diſponere poteſt, cumprimis, ſi utilitas rei ſuæ id poſtulet. Et licet quilibet res ſuas ita teneatur adminiſtrare, ut non vergat in damnum tertii alicujus innocentis; tamen ſciendum, quod utilitas reipublicæ præponi debeat, ac jure poſſit, utilitati omnium aliorum, quicunque demum ſint. Omne enim utile boni cauſa eſt, & quo magis quid utile, eo majus præſupponit bonum: jam vero utilitas publica eſt major utilitas & proinde quoque majus bonum atque utilitas privatorum, hinc quoque ad illam tanquam ad normam omnes actiones hominum (in ſocietate hominum civili degentium) dirigi debent. Quare utilitas publica recte dicitur ſcopus, ad quem omnes aliæ privatorum utilitates collimant. Mejerus *in anal. ad Polit. Ariſtot. l.1 c.1.* Ex hoc quoque fundamento Molina *tr. 2. diſp. 145.* aſſerit: *Nullam gentem ſeu rempublicam teneri cum periculo ſuo, etiam exiguo, commercia aut hoſpites exteros admittere, niſi gravi imminente neceſſitate*; quæ ſcilicet conjuncta eſt cum majori reipublicæ ſuæ periculo; tum enim ex duobus malis minimum eligendum. Tandem & Dominium maris non ſolum non impedit vel plane tollit commerciorum libertatem, ſed potius illam auget, dum ſcilicet dominus mare ſuum a piratis purgare illudque ſecurum reddere tenetur; & propterea in compenſationem expenſarum vectigalia imponere jure poteſt, eadem ratione, qua Princeps ad reſarciendas & tuendas vias publicas vectigal aliquod a peregrinantibus expoſcit.

XVIII. Cæterum ulterius quoque progrediuntur adverſæ ſententiæ addicti, audentes videlicet illam ſtabilire oraculis ex ſacris monumentis petitis. Sic *Pſ. 95. v. 5.* regius Propheta canit: *Suum* (ſc. Domini) *eſt mare, & ille fecit.* Inde nimirum colligunt, DEUM ſibi ſoli dominium maris reſervaſſe, illudque occupationi hominum occluſiſſe. Verum quænam hæc eſt abſurditas? Videatur modo verſiculus præcedens dicti pſalmi. Ibi ſane quoque dicitur: *In manu domini eſt quicquid e terra provenit, & cacumina montium quoque ſunt domini.* Jam ſi illorum argumentum firmo niteretur talo, & terra & montes eſſent juris communis, inque nullius dominio; & hoc modo omne dominium, & per conſequens omnia commercia collaberentur, imo omnis peſſum iret hominum ſocietas. Quando autem mare dicitur eſſe domini, tum heic ſermonem eſſe de dominio Dei excellenti in omnia, quæ in cœlo & in terra ſunt, facile patet. Quemadmodum autem non repugnat dominio privatorum in propria bona, quod ipſa majeſtas civilis quoque imperium quoddam ſummum in eadem bona exerceat, quod nomine dominii eminentis inſignitur, ita quoque nec dominium univerſale Creatoris aufert creaturis rationalibus dominium ſingulare in bona ſibi ipſis primum ex divina beneficentia conceſſa.

XIX. Poetarum teſtimonia, libertatem maris aſſerentia, multa quoque in medium proferunt nonnulli, quibus brevitatis ergo ſuperſedemus, notatis ſolummodo paucis iisque gravioribus. Sic ex *lib. 6. Metamorph.* Ovidii in ſcenam producunt Latonam efflagitantem hauſtum aquæ ad ſedandam ſitim. Ita autem ruſticos Lyciæ alloquitur.

Quid prohibetis aquas? uſus communis aquarum.
Nec ſolem proprium natura nec aera fecit.
Nec tenues undas. In publica munera veni.

Sed videbimus, an hæc ſint valida ad tollendam maris proprietatem. Merito autem id negatur. Naturæ quidem conveniens eſt, id alteri concedere, quod absq; detrimento fieri poterit; hinc dicit Latona *uſus communis aquarum eſt;* nimirum, hoc eſſe contra omnem humaniatem, imo contra omne inſtitutum divinum & naturæ negare alteri aquam ad potandum, & repellere alterum ab uſu ejus rei, quem ipſa charitas & mutuum hominum officium per naturam efflagitat. Attamen latona ipſum lacum non dicit communem; privatam quippe ipſius poſſeſſionem jam tum gentes quædam ſibi vendicarant, ſed tantum uſum aquæ communem probat ex præcepto morum & charitatis. Hinc quoq; dicit: *in publica munera veni*, ſcil. talia, quæ homo homini a natura debet. Subjungit propterea

ſtatim:

ſtatim: *Quæ tamen, ut detis ſupplex peto.* Quemadmodum enim quilibet obſtrictus eſt, ut permittat ignem ab igne capere, lumen de lumine accendere, nec tamen inde ſequitur, quod lumen vicini non ſit ejus proprium, ſed commune. Sic quoque maria & flumina manent propria, licet Domini eorum uſum ex officio charitatis alteri teneantur concedere. Heic enim diſtinctio obtinet inter rem alicui ita propriam, ut ab uſu ejus reliqui arceantur, & inter rem quoad dominium quidem propriam, quoad uſum vero omnibus hominibus communem; qui uſus vel jure naturæ, vel gentium, vel interdum etiam civili rei illi propriæ tanquam ſervitus quædam eſt impoſitus. Et tales res, ut ex antedictis videre eſt, in jure romano vocantur respublicæ; ad quas etiam referuntur maria & flumina; differuntque a rebus privatis, quarum ſcilicet proprietas una cum uſu eſt in alicujus privati ſpeciali dominio. Hiſce porro jam allatis rationibus etiam occurri poteſt illo Plauti dicto *in rudente act.* 2. ubi Ampeliſca Sceparnionem ſervum aquam negantem, ita increpat: *Cur tu aquam gravare amabo, quam hoſtis hoſti commodat?* Quia videlicet hæc communicatio aquæ absque gravamine & detrimento fieri poteſt, nec quicquam totius fluminis proprietati derogat; hinc merito illam ex officio humanitatis alteri debito unusquisque concedere debet. Seldenus *lib.* 1. *de mari clauſo c.* 27.

XX. Tandem ad corpus quoque juris civilis, tanquam ad ſacram anchoram, adverſæ ſententiæ propugnatores refugiunt, inque eo ultimam ſuam ſalutem quærentes, opinionem, quam firmis defendere nequeunt rationibus, ex verbis & ſententiis legum confirmare volunt. Verum & hiſce, quantum in nobis erit, occurremus, tandemque noſtræ theſis probationem adjungemus. Igitur, hoc quidem inficias iri nequit, JCtos veteres pene omnes dominium maris quadamtenus negaſſe, inque ſcriptis ſuis ſtatuiſſe, quod a primis temporibus ad Juſtinianum usque juris gentium fuerit, ne mare a populis, etiam quoad piſcationem, occuparetur. Hinc ait Marcianus *l.* 2. *§.* 1. *ff. de rer. div. Et quidem naturali jure omnium communia ſunt, aer, aqua profluens, mare & per hoc littus maris*, quæ eadem verba §. 1. *I. de R. D.* leguntur. Et Ulpianus *lib.* 13. *ff. comm. præd. t. urb. q. ruſt. Mari, quod natura omnibus patet, privata lege ſervitus imponi nequit.* Item Celſus *lib.* 3. *ff. ne quid in loco publico. Maris communis uſus eſt omnibus hominibus, ut aeris.* Vid. Vinnius *in comment. ad inſtituta*, & quidem *ad §.* 1. *de rer. div*, qui quoque libertatem maris, ſed levibus argumentis adſtruere conatur. Aſt obſervandum; ea, quæ juris gentium ſunt, per jus aliquod civile immutari poſſe. Jam autem poſito, Romanos reliquiſſe jus gentium, quoad occupationem maris in nudo ſuo ſtatu, hoc tamen fuit factum ob rariorem maris uſum & imperitiam rei nauticæ. Quoniam autem hodie uſus maris frequentior, hinc jus illud gentium contrario jure civili vel ſcripto vel non ſcripto, merito potuit immutari. Hic quippe diſtinctio obtinet inter illud, quod jure naturæ & gentium præceptum, & illud, quod hoc jure in libera alicujus voluntate eſt relictum. Et ſane libertas maris eodem modo, ac libertas terrarum orbis, neque jure naturæ neque gentium eſt præcepta, hinc jure civili adimi poteſt. Eadem enim ratio hîc militat, quæ in venationibus ac piſcationibus. Hæ ſcilicet itidem olim quibuslibet competebant, hodie autem nemini, niſi cui fuerint ab ipſa majeſtate conceſſæ. Illa quippe antiqua libertas multis ab hinc ſeculis more receptiſſimo ſublata eſt. Struvius *Synt. J. Feud. p.* 185. Sebaſt. Medices *intr. de venationibus*, Gailius *lib.* 2. *obſ.* 67. Matth. Stephani *de jurisdictione lib.* 2. *part.* 1. *c.* 7. *p.* 432.

XXI. Verum ne videamur, acſi hiſce generalibus (licet ſufficiant) ſpeciales JCtorum ſententias legibus prolatis expreſſas, velimus deſtruere, ipſas leges rimabimur, ut abſurditas contrariæ ſententiæ eo major illuceſcat. Quod igitur *l.* 2. *§.* 1. *ff. de rer. div.* attinet, ubi mare naturali jure dicitur commune, primo ſciendum, ipſum Grotium ab hac opinione diſcedere. In ſuo enim *de jure B. & P. l.* 2. *c.* 3. *§.* 10. dicit: *hoc provenire ex inſtituto, non ex naturali ratione, quod mare nondum ſit occupatum.* At nec id ullo modo poteſt approbari. Nam ſi eſt ex inſtituto, aut eſt ex inſtituto divino aut ex humano. Non autem ex divino; nullibi enim legitur in ſacris monumentis. Ergo ex humano. Jam ſi hoc, tum contrario inſtituto humano poteſt tolli, prout factum. Videamus porro ipſam *l.* 2. In hac lege mare appellatur commune, quemadmodum aer & aqua profluens. At vero commune hic dicitur, cujus uſus & occupatio omnibus conceditur hominibus. Struvius *ſynt. juris civ. exerc.* 3. §. 75. Sicuti igitur aer, ſi occupatur, fit proprius: & aqua profluens quam primum occupata eſt, ita fit occupanti propria, ut ipſo invito a nemine alio iterum niſi per vim & injuriam in communitatem redigi poſſit: beſtiæ quoque & piſces poſt occupationem in proprium dominium tranſeunt; ſic etiam mare ante occupationem poteſt indigitari nomine rei communis. Tum enim omnium gentium tacito quaſi conſenſu, & ſic jure quaſi gentium pro derelicto fuit habitum, ita ut primo cedat occupanti; quod hodie, ex ſingulari ratione, quæ ex ſuperioribus patet, ad majeſtatem eſt reſtrictum. Poſt occupationem vero, in propriam alicujus poſſeſſionem eadem, ac reliquæ res communes, via redigitur; & tum ex re communi fit res publica, ita ut proprietas quidem remaneat penes occupantem, uſus vero, (niſi noxius ſit reipublicæ) mandante id præcepto charitatis humanæ, omnibus gentibus pateat. Bayerus *in Juſtin. controverſo & reconciliato ad §.* 1. *I. de R. D.*

XXII. In *l.* 13. *ff. comm. præd. t. urb. q. ruſt*, diſtinguendum quoque eſt inter dominium & uſum. Uſus maris, ſaltim in quam multis, utpote publicæ rei, omnibus hominibus merito patet; hinc ab illo nemo, niſi hoſtis vel apertus vel occultus reipublicæ, arceri debet. Qui ſi hoc loco ab Ulpiano intelligitur, bene ſe res habet, & lex hæc potius pro nobis facit, quam adverſatur. Si vero de dominio ſermo eſt, tum recurrendum ad hodiernos mores, utpote qui multa ex jure civili Romano immutarunt. Quando autem dicitur: *quod privata lege ſervitus mari imponi nequeat,*

Digitized by Google

queat, hunc habet ſenſum: nimirum, neminem privatum ex pacto convento ſibi ſoli poſſe vindicare uſum maris, ita ut ab ejus uſu reliquos excludat. Hinc ſcilicet dicitur: *privata lege*, quia jure divino & naturæ ſervitus quædam mari eſt impoſita, ita ut dominus maris ex illo jure teneatur uſum omnibus quodammodo concedere hominibus.

XXIII. Quod Celſus ait *l.3.ff.ne quid in loco publico*(*maris* ſcilicet) *communem uſum eſſe omnibus, hominibus ut aeris*, id ſi de ſolo quoad plurima uſu accipiatur, facillime concedi poteſt, utpote cum omnium publicarum rerum, in quantum ſunt publicæ, uſus communis eſſe quandamtenus debeat & ſic quoque maris. Si vero per uſum ipſam etiam intelligat proprietatem, tum lex hæc, tanquam reipublicæ noſtræ ſtatui præſenti contraria, ſummo jure rejicitur; quia nempe ſtatus hodiernarum rerumpublicarum longe diverſus eſt a ſtatu antiqui Romanorum Imperii. Moribus etenim & ſtatutis populorum hujus ævi multa ſunt recepta, quæ non ex fonte juris romani ſunt petita, maximo tamen nituntur jure & æquitate; utpote cum ratio civilis præſentium rerumpublicarum talia efflagitet, quæ ſtatui antiqui romani regiminis forte fuiſſent noxia. Quemadmodum & apud eos multa conſtituta, quæ ſi hodie obtinerent, in præſentiſſimum vergerent reipublicæ noſtræ damnum. Ex gr. jura ſervitutis & poſtliminii quoad perſonas nullius vel exigui hodie apud nos ſunt uſus, ſed potius contrarium obtinet, niſi quod aliqua ejus adhuc remaneat obſervatio, qnando bellum cum Turcis geritur. Boerius *Deciſ.* 178. Quod autem jus romanum in Germania aliqua ex parte obtineat, id factum eſt tacito Imperatoris & Statuum conſenſu, per quem illud ex ſcholis in forum translatum eſt. Videatur Magnificus dominus Præſes Patronus ac Præceptor veneratiſſimus *in tract. de origine juris Germ. cap.* 32. Poſtmodum vero acceſſit expreſſus conſenſus per Maximilianum Imperatorem *in ordinatione judicii cameralis anno* 1495. *inſtituti*. Lehm. *in Chron. Spir. lib.* 4. *c.* 21. *p.* 337. item *in ordin. Camer. anno* 1500. & 1512. item *in edicto Norimberg. anno* 1521. *p.* 1. *t.* 13. & *p.* 2. *t.* 3. §. *fin.* & paſſim *in conſtit. Elector. p.* 2. *cap.* 26. Jus igitur illud civile romanum Germanos nos obligat, non quod Juſtinianus illud præceperit, ſed quod & in quantum æquitati & utilitati noſtræ reipublicæ correſpondeat. Ubi igitur hæc ratio (ut in hac propoſita de dominio maris materia) deficit, ibi etiam leges ab Imperatoribus antiquis injunctæ ad nos non ſpectant, nullamque habent vim obligandi. Struvius *exerc.* 2. §. 35. Hinc quoque de Gallia. Carolus Molinæus *comm. in Pariſ. Conſuet. tit.* 1. *gl.* 1. *n.* no. ita ſcribit: *E jure romano mutuamur, quod & æquitati conſonum, & negotio, de quo agitur, aptum congruumque invenitur. Non quod unquam fuerimus ſubditi Juſtiniano magno, aut ſucceſſoribus ejus; ſed quia jus illo autore a ſapientiſſimis viris ordinatum tam æquum, rationabile & undequaque abſolutum eſt, ut omnium uſu & approbatione commune ſit effectum.* Idem quoque recte de Germania noſtra aſſeritur. Struv. *l. c.* §. 36.

XXIV. Ultimo tandem loco ab adverſariis nobis objicitur *l.9.ff.ad L.Rhod.de jactu*, quam in ſuam ſententiam contorquere cupiunt; cum tamen potius ad deſtruendam quam conſtruendam & defendendam illorum opinionem ſit efficax. Videbimus proinde primo verba & deinde ſenſum illius legis, & tum facile huic occurremus. Conqueritur ibi Eudæmon, ſe in naufragio conſtitutum perdidiſſe res ſuas, illasque direptas eſſe a publicanis. Huic reſpondet Antoninus Imperator: *Ego quidem mundi Dominus, lex autem maris; lege id rhodia, quæ de rebus nauticis perſcripta eſt, judicetur.* Inde jam colligunt, ipſum Antoninum, utpote tum temporis ſupremum imperantem confeſſum fuiſſe, quod mare in nullius ſit dominio. Verum perſcrutemur ſenſum illius legis genuinum. Dicit Imperator: *Se quidem eſſe mundi dominum*, ſcilicet ſe quidem pro imperio in totum terrarum orbem ſibi competente, eſſe Dominum mundi, id eſt, non ſolum terræ, ſed & maris, proinde quoque leges mari dare poſſe. *Legem autem maris:* nimirum non opus eſſe leges novas de mari conſtituere, quoniam lex Rhodiorum, tanquam æquiſſima, jam lata ſit & in promtu, quæ tum jure quaſi Gentium in toto mari mediterraneo propter æquitatem ſuam vigebat, teſte Strabone *libro geogr.* 14. & Floro *lib.* 2. *c.* 7. Vult proinde, ut ſecundum illas leges judicium debeat inſtitui, Rhodii quippe, utpote rei nauticæ longe peritiſſimi, non præſumebantur injuſtas condidiſſe leges. Hinc Seldeno, Rivio, & ambobus Gothofredis hæc lectio placet: *Ego quidem mundi dominus, lex autem maris: lege Rhodiorum nautica judicetur*, ſcilicet ſe quidem leges marinas ferre poſſe, (omnis enim lex præſupponit majeſtatem legislatorem, proinde etiam lex maris,) verum ſe velle, ut lex, id eſt, jus vel mos, qui obſervari debeat in mari, petatur ex lege Rhodiorum nautica, propter æquitatem celebri & omnium legum nauticarum antiquiſſima. Huic autem expreſſe addit Imperator hæc verba: *quatenus nulla ei noſtrarum legum adverſatur.* Unde facile colligi poteſt, Imperatorem illum leges mari imponere potuiſſe. Sic etiam in Leunclavio *tom.* 2. *juris græco romani p.* 265. fragmentum extat, quo Tiberius, Hadrianus, Pertinax, Lucius, Septimius Severus, omnes Augusti, jus navale Rhodiorum confirmarunt. Struv. *ſynt. juriſpr. exerc.* 26. §. 20. Igitur ex illius quidem legis verbis nequaqnam poteſt colligi vera communitas, vel illius maris, de quo ibi ſermo eſt, hoc eſt maris mediterranei. Ad reliqua ſcilicet Maria Cæſar non reſpexit. Si licet tamen quoque fateri id, quod res eſt, ab ἀκυϱολογίᾳ lex illa defendi non poteſt. Nec enim vere prudens quis juris, ita temere locutus unquam eſt; ut nempe dominium mundi Imperator ſibi vindicet, de mari autem loquatur, quaſi iſtuc ad Imperatorem non pertineat, ſed huic aliquid aliud dominetur.

XXV. Cæterum hæc ad refutandas leges contrarias haud dubie ſufficiunt. Quin poſſint illa cui juſto prolixiora videri; niſi extendere hæc coegiſſet magnus JCtorum numerus, qui hodienum libertatem maris defendere illamque ex legibus probare ſolent. Inter neotericos JCtos autem maxime eminent Hugo Grotius libello *de mari libero, conſcripto contra Luſitanos, dominium maris*

ris indici ſibi vindicantes, & Ferdinandus Vaſquius *controv. illuſtr. lib. 2. c. 89.* § 30. Grotium autem quodattinet, omnia ejus argumenta recenſere nimis longum foret, quia jam tum plæraque eorum adducta & confutata ſunt. Generalis tamen omnium illorum ſenſus in eo eſt occupatus, ut probet, quod & jure naturæ & gentium mare ſit commune, & quod ab orbe usque condito fuerit commune. Cum autem nulla unquam naturalis & univerſalis rerum communio fuerit, ut ex antedictis patet, hinc nec mare ita ex jure naturæ poteſt dici commune, ut communio illa per occupationem non poſſit adimi. Cui accedit, quod libertas maris a jure naturæ non fuerit præcepta, ſed tantum permiſſa. Cum nimirum poſt tempora Adami mare ob nullum ejus uſum pro derelicto fuit habitum, illud tamdiu in libero ſuo permanſit ſtatu, donec ob frequentiorem uſum iterum fuerit libertate iſthac privatum. Eadem quoque ratio hic militat, quando majore jure gentium dicitur commune. Nam olim gentes in communionem maris tacite conſenſerunt ob imperitiam maximi commodi ex re nautica provenientis; quod quia inſecutis temporibus majori ſtudio quæſitum, ex eo prius illud jus gentium per poſteriorem multarum gentium tam tacitum quam expreſſum conſenſum fuit abolitum, ita, ut, hodie ipſum dominium maris jure gentium obtinere, dici mereatur. Multæ quippe gentes ſive tacite, ſive expreſſe in id jam conſentiunt, hanc partem oceani, aut alterius alicujus maris imperio hujus reipublicæ, alteram alterius dominio ſubjectam eſſe. Hiſce autem poſitis facile altera theſis Grotii, mare ſcilicet nunquam fuiſſe proprium, ſed ab orbe usque condito in communione permanſiſſe, collabitur. Quid, quod etiam experientia, tam aliena ex hiſtoriis priorum ſeculorum, quam propria ex moribus hodierni ævi petita, dictis Grotii adverſatur; Ex hac nimirum patet, non ſolum ante, verum etiam poſt Domini incarnationem, multas fuiſſe reſpublicas, & hodienum eſſe, quæ dominium maris ſibi vindicent. Harum quasdam recenſebo, modo prius pauciſſimis & Vasquii opinionem ſcrutatus fuerim.

XXVI. Dicit autem Vaſquius: *eſſe contra ipſum jus naturæ & gentium primævum, quod mutari non poſſit, maria & æquora fuiſſe propria.* Verum huic §. jam eſt in præcedentibus ſatisfactum. Sibi autem ipſi magnus ille Jurisconſultus quodammodo contradicit, addens; *non ſolum maria eo jure fuiſſe communia, ſed & omnes reliquas res immobiles.* Jam ſi hoc verum, tum & rerum immobilium proprietas (utpote contra ipſum jus N. quod mutare nefas) acquiri non potuiſſet, quod tamen expreſſe fatetur, cum ait: *& licet ab eo jure poſtea receſſum fuerit ex parte, puta quoad dominium & proprietatem terrarum.* Ubi aperta contradictio eſt. Supra quippe aſſeruerat, dominium rerum immobilium eſſe contra jus naturæ & gentium, & quidem tale, quod mutari non poſſit; hic autem fatetur; ab eo jure fuiſſe ex parte receſſum. Si porro receſſum eſt ab eo jure quoad proprietatem terrarum, quidni quoque ab eo recedi poſſet quoad proprietatem maris? eadem enim hic ratio locum habet, quoniam utrumque eſt occupabile, & in quantum occupari, in tantum etiam ſub dominium redigi poteſt. Subnectit quidem deinde Vaſquius: *diverſum tamen fuit & eſt in dominio maris; quod ab origine mundi ad hodiernum usque diem eſt fuitque ſemper in communi, nulla ex parte immutatum, ut eſt notum.* At quæ hæc probatio? Dicit diverſum eſſe dominium terrarum a dominio maris; nec tamen probat, niſi eo quod ſit notum, mare ſemper commune fuiſſe. At vero cum probatum fuerit, mare a gentilibus fuiſſe occupatum; utique hæc ſententia Vaſquii per ſe corruit; & *notum* illud, quo gloriatur, in maximum convertetur ignotum. Igitur conſulemus jam veteris ævi hiſtorias, & in theatrum producemus reſpublicas quasdam dominium maris ſibi vindicantes.

XXVII Thucidides *lib. 1. hiſt.* ut & Suidas, Cedrenus aliique Minoi ampliſſimum dominium maris adſcripſere. Sic & Lydi maris fuere domini, teſt. Euſebio *chron. l. 1.* Item Pelasgi, Thraces, Rhodii, Phryges, Cyprii, Phænices, Ægyptii, & plures alii imperio ſucceſſivo mare tenuiſſe narrantur. De quibus omnibus videatur Euſebius *loc. cit.* Lacedæmonii porro quoque & Athenienſes de imperio maris contenderunt. Corn. Nepos *in Tymatheo.* Agathocles Siculorum Rex, devictis Carthaginienſibus, imperio maris potitus eſt. Diod. Siculus *lib. hiſt.* 20. Item Polycrates ſuperatis Lesbiis & Mileſiis dominium maris maxime affectatus ſcribitur ab Herodoto *in Thalia.* Sic de Tyro urbe Q. Curtius *lib.* 4. ait: *illam non ſolum vicinum mare ſed quodcunque claſſes adierint, ditionis ſuæ feciſſe.* Demortuo Agathocle, Carthaginienſes dominium maris recuperarunt. Polybius *lib. 1. hiſt.* Hoc autem Romani poſtmodum controverſum fecerunt, & tandem, deleta Carthagine, jure belli ſui juris fecerunt. Florus *lib. 2 c. 6.* Hoc jure deinde uſi ſunt Romani, & exteris Regibus præſcripſere leges in uſu maris obſervandas. Sic Livius *lib* 8 *decad* 4. refert leges devicto Antiocho, cui claſſem ſtratagemate ademerant, præſcriptas Tranſigentes ſcilicet cum illo, ut dimidiam claſſis partem traderet, omnes naves diſſecuiſſe. Ex hoc præterea dominii jure Auguſtus claſſem Myſeni & alteram Ravennæ, in tutelam ſuperi & inferi maris, collocavit. Sueton *in Auguſto cap* 49.

XXVIII. Porro & hodie multi populi Imperium marinum ſibi attribuunt. Sic Veneti poſſeſſionem maris adriatici ad ſe pertinere contendunt, cujus hanc rationem affert Franc. de Ingenuis *de Jurisdict. Venet. in mari Adriatico*: Olim ob varias populorum migrationes, imprimis millenario ſecundo factas, tam mare, quam integras regiones fuiſſe derelictas, quæ deinde ceſſerunt primo occupanti. Jam Venetos ex vicinis Italiæ territoriis ab Attila pulſos ſecuritatis ergo locum diſſitum ſibi elegiſſe, ibi urbem condidiſſe, & mare tum temporis vacuum occupaſſe. vid. Fr. de Ingen. *loc. cit. p* 34. Hinc Dux eorum quotannis maxima pompa annulum in mare projicit, illudque ſibi quaſi matrimonio copulat. Porro & Rex Angliæ vindicat ſibi dominium maris britannici; quem defendere maximo ſtudio conatus Seldenus *in tractat. de mari clauſo*, juſtos tamen fines nimis egreditur, totum Oceanum, non partem ejus quandam, anglicano dominio ſubjectum,

Digitized by Google

ctum, aſſerens. Rex quoque Hiſpaniæ Oceani portionem, ejusdem & Rex Luſitaniæ aliquid ſibi vindicat; Rex Galliæ partem maris Britannici, Rex Daniæ maris Baltici & Norwegici ſeu hyperborei, imperio poſſident. Hinc quondam inter duos fratres regnum Daniæ ita diviſum legitur, ut alter mare obtineret. Saxo Grammat. *in hiſt. Dan. lib. 7.* Turcarum Imperator dominium ſibi attribuit in omne ditiones ſuas alluens mare, atque hinc ſe nuncupat dominum maris tam albi, quam nigri. Coriol. Cippicus *de bello aſiat. lib. 2.* Rex Abyſſinorum ſeu Æthiopiæ ſe vocat in literis ad Emanuelem Luſitaniæ Regem, Imperatorem maris rubri. Damian. a Goes *lib. de moribus Æthiopum.* Genuenſes denique ſibi tribuunt imperium in mari liguſtico, Thuſci in mari Tyrrheno. Quare non eſt, ut ulterius ſimus ſolliciti circa probationem dominii maris, cum tot gentium mores injuſtitiæ accuſare, illasque juri naturæ & gentium contrarias aſſerere, & iniquum eſſet & imprudens facinus.

XXIX. Verumtamen etiam hoc non obſtante Grotius conatur. *l. 2. c. 3. §. 15. de jure belli ac pacis*, argumenta hæc ex hiſtoriis petita, tanquam minoris momenti, rejicere: regerens, ejusmodi exempla non docere occupationem maris aut juris navigandi. *Poſſunt enim*, ait, *ut ſinguli, ita & populi pactis, non tantum de jure, quod proprie ſibi competit, ſed & de eo, quod cum omnibus hominibus commune habent, in gratiam ejus, cujus id intereſt, diſcedere.* Verum hic talia pacta rariſſima, imo nulla intercedunt, ſed abſolutum dominium maris gentes ſibi vindicarunt; ut ex hiſtoriis etiam veterum Romanorum multisque aliis patet. Qui populi omnes Mare in dominium redigi poſſe, imo & redactum eſſe, confitentur. Cæterum, quoniam ipſum quoque jus juſtinianeum & conſtitutiones imperiales huic rei aſtipulantur, hinc ad meliorem dilucidationem pauca etiam horum illorumque, in medium proferre, forte officii noſtri fuerit.

XXX. Hiſtoricorum igitur ſententias, quod attinet, ſupra eas abunde collegimus, quasdam tamen adhuc addemus. Sic Themiſtius de Imperatore Theodoſio inquit: *Quid de eo diceres, qui Imperator ſeu Rex eſt fere univerſæ telluris ac maris?* Vid. & Ariſtides *in encomio Romæ orat. 5.* Et Philo Iudæus vir utique eximius ait: *gloriari non debere Principes ob devictas multas gentes, aut quod omnia flumina & maria numero & multitudine diffuſiſſima in ſuam poteſtatem redegerint.* Item Xerxes apud Herodotum *lib. 7. hiſt.* Helleſpontum, cui verbera inflixerat, ita alloquitur. *Dominus tibi hanc pœnam irrogat.* & Dionyſius Halycarnaſſæus *lib. 1. de orig. roman.* dicit: *Univerſi maris domina eſt*, (Roma) *non ſolum illius, quod intra columnas Herculis habetur, verum & ipſius Oceani, quacunque eſt navigabilis.* Hyperbole quidem eſt, attamen ſaltim ampliſſimi dominii marini luculentiſſimum teſtimonium. Porro poetarum princeps Virgilius *lib. 1. Georg.* ita de Auguſto Imperatore canit:

An Deus immenſi venias maris, ac tua nautæ
Numina ſola colant. Tibi ſerviat ultima Thyle;
Teque ſibi generum Tethis emat omnibus undis.

& *Æneid. 1.* Venus Jovem de futuro Romanorum imperio tali modo alloquitur.

Certe hinc Romanos olim volventibus annis,
Hinc fore ductores, revocato a ſanguine Teucri,
Qui mare, qui terras omni ditione tenerent,
Sollicitus: quæ te, Genitor, ſententia vertit?

Item Claudianus *in præfatione libri 3. de laudibus Stiliconis:*

Ergo ſeu patriis primævus manibus ultor
Subderet Hiſpanum legibus Oceanum.

Ultimo tandem loco dominium maris maxime ſtabiliunt teſtimonia ex ipſo jure romano deprompta. Sic *l. unica C. de offic. Com. ſac. patrim.* fit mentio officii Helleſponti conſularis, & in *præf. nov. 20.* Præfecturæ ſuper Helleſpontum, & pontum polemoniacum conjunguntur, inq; unam combinantur præfecturam. Imo Leo Imperator in *Nov. 56.* videtur omnem de communione maris opinionem ſuſtuliſſe, dum imperium maris ad ſe pertinere ſtatuit. Idem fecit Carolus V. in quadam *conſtit. art. 218.* Vid. Goldaſt. *tom. 1. conſt. imper. fol. 559.* Huc quoque facit conſtitutio Friderici II. *5. feud. §. 9.* & *auth. ejusd. C. de furtis.*

XXXI. Et hæc hactenus tam ad refutandas, eorum, qui dominium maris impugnarunt, opiniones, quam ſtabiliendam noſtram ſententiam, ſufficiant. Quemadmodum autem plerumque fieri amat, ut illi, qui vitant, fugiuntque unum extremorum, in alterum facile prolabantur: ita quoque reperti ſunt autores, qui uni alicui reipublicæ dominium totius Oceani attribuere non erubuerunt. Inter hos primus fuit Albericus Gentilis, homo italus in Anglia degens, qui *lib. 1. advoc. hiſpan. cap. 8.* univerſum oceanum anglicano ſceptro obnoxium aſſeruit. Cujus illam theſin defendere auſus fuit Joh. Seldenus doctiſſimus alias vir, integro *de mari clauſo libro ſecundo.* Verum hæc ſane opera inanis fuit. Et vero quilibet ſummam hanc abſurditatem facillimo negotio perſpicere poterit. Idem utique hoc eſt, atque hodiernæ uni alicui reipublicæ, vel uni Principi, dominium totius terrarum orbis attribuere: quod eſt vel cogitatu abſurdiſſimum. Soli nimirum Adamo ex donatione divina competiit hujus univerſi orbis dominium; poſt illum autem nemini. Sic quoque ſolus Adamus imperio totius maris gaviſus fuit, poſt eum autem hoc uni competere, haud fuit poſſibile ob multitudinem hominum, poſt orbis diviſionem respublicas inter ſe conſtituentium. Huic accedit, quod mare plane fuerit derelictum. Et quamvis Seldenus totius oceani dominium Regi Angliæ adſcribere conatus fuerit, ipſa tamen Eliſabetha Angliæ quondam Regina aliter, & quidem rectius judicavit, prout patet ex Cambdeni *hiſt. Angl. ad annum*

1580. Sic etiam Jacobus primus Magnæ Britanniæ Rex limites regni ſui marinos publico edicto ab omnibus vicinis rebuspublicis diſtinxit. Vid. Dominus Præſes operis *de fin. imper. cap. ult.*

XXXII. Ipſe vero quoque Grotius, licet multum contra dominium maris diſputaverit, tandem tamen receptis populorum moribus & multorum ſcriptorum teſtimoniis victus, quaſi dans manus, *lib. 2. c. 8. §. 13. de jure belli ac pacis*, ita ſcribit: *Terra & flumina*, & (quod diligenter notandum) *ſi qua pars maris in proprietatem alicujus populi venit, patere debet his, qui tranſitu opus habent ad juſtas cauſas.* Et *c. 3. §. 8.* expreſſius loquitur hoc modo: *Ad hoc exemplum videtur, & mare occupari potuiſſe ab eo, qui terras ad latus utrumque poſſidet, dummodo non ita magna ſit pars maris, ut non, cum terris comparata, portio earum videri poſſit. Et quod uni populo aut Regi licet, idem licere videtur & duobus, & tribus, ſi pariter mare interſitum occupare voluerint.* Ex hiſce autem colligere eſt, Grotium ipſum in tantum proprietatem maris ſtatuiſſe, in quantum terras hujus vel illius reipublicæ alluit. Verum hæc cum nondum ſufficiunt, ut ex antedictis videre eſt, mediam inter duo iſta Seldeni & Vasquii extrema viam merito ſequimur: in qua me omnes eos, qui affectibus non indulgent, prout Seldenus fecit nimius miniſter ſui Regis Angliæ, comites habere certus ſum. Omnis enim occupatio ita debet eſſe conſtituta, ut non vergat in præſentiſſimam injuriam, & inevitabile damnum alterius alicujus innocentis: qui alias, ſi citra iſtam occupationem eſſet, eodem jure ac titulo circa hanc rem gauderet. Hinc una aliqua reſpublica totum & vaſtum Oceanum ſibi ſoli cum excluſione omnium aliarum vindicare jure nequit, utpote cum hæc occupatio cederet in maximum detrimentum reliquarum, ac præſertim maritimarum rerumpublicarum, quarum ſcilicet ſalus in libero maris uſu conſiſtit. Magnam autem maris partem, quæ tamen aliqualem reſpectum ad territorium habet, occupare reſpublica quædam de jure poteſt, ſi modo reliquis occupandum quid relinquit, Struv. *ſynt. juris feud. p. 184.*

XXXIII. IN OMNI præterea dominio tam terrarum quam maris duo conſideranda; I. quænam res nobis acquiri vel noſtræ fieri poſſint. II. per quos modos dominium illarum rerum acquiratur. Sutholt. *diſſert. ad Inſt. 4. §. 3.* Quod primum attinet, dominium maris acquiri poſſe, pluribus hactenus diſſeruimus; hinc reſtat, ut modos dominii maris acquirendi videamus. Sunt autem in univerſum modi acquirendi dominii vel naturales vel civiles. Hi, quoniam hic ſermo eſt de acquiſitione dominii ab integris rebuspublicis, non vero privatis hominibus, & nihil ex diſpoſitione juris alicujus civilis eſt additum, huc non quadrant. Naturales igitur dominii acquirendi modos conſiderabimus: qui in triplici regulariter differentia ſunt. Primus modus vocatur diviſio. Sic inter poſteros Noachi orbis, i. e. ambitus totius terræ & maris, dicitur diviſus & Japeto potiſſima maris inſularumque pars ceſſit. Ab hac diviſione Poetæ gentiles hiſtoriam ſuam de Saturno & orbis inter liberos ejus diviſione conflarunt, per Saturnum Noachum, & per Neptunum, cui mare omnesque inſulas adjacentes attribuerunt, ipſum Japetum intelligentes, prout docti tantum non unanimi conſenſu arbitrantur.

XXXIV. Secundus modus acquirendi dominii eſt occupatio, quæ vel ſimplex vel bellica. Simplex eſt occupatio rei, quæ nullius alterius dominio eſt ſubjecta, per naturam tamen ſuam cedit occupanti. Et talis fuit prima maris occupatio; quod poſtquam a dominis ſuis derelictum, nullius fuit, donec iterum in proprietatem occupando ceſſerit. Hoc nomine Minos imperium maris cretici acquiſivit. Strabo *lib. 10. Geog.* Hoc quoque jure poſſident Veneti mare Adriaticum, Fr. de ingen. *de jure Venet. in mare Adriat. p. 34.* Occupatio bellica eſt, quando res devicti cedit victori. Hac ratione habita, quemadmodum olim, ita & hodie victor dominium alicujus maris obtinet, quamdiu claſſe victrici illud ſecat, & potentiam habet impediendi adverſarium a recuperatione ſui olim in illud mare competentis juris. Eodem ſane modo, quo victor devicti bona & regiones occupans ſibi illa vindicat, ita & maris dominium, ab altero ob impotentiam derelictum, victor ſibi jure armorum ſuorum acquirere poteſt. Hoc nomine Romani, devictis Carthaginienſibus, facti ſunt domini maris. Florus *lib. 2. hiſt. c. 6.*

XXXV. Tertius modus acquirendi dominii eſt Acceſſio. Sic inſula in mari nata ad eum ſpectat, penes quem eſt imperium illius partis maritimæ, quod plerumque ex vicinitate æſtimatur; ſcilicet quod dominus vicini territorii ratione illius imperium in mare alluens exerceat. Hæc autem vicinitas ab Autoribus varie extenditur. Bartolus *in comm. ad l. 6. ff. de aqua pluv.* id dicit vicinum, unde vox clamantis exaudiri poteſt, idque probat ex *l. 1. §. 27. ff. de SCto Syll.* Leo Imperator in *Nov. 71.* id ſtatuit vicinum, in quantum telum ab arcu mitti poteſt. Verum de tali vicinitate hic non eſt ſermo. Pleriſque porro per vicinitatem intelligitur longitudo 100. milliarium a littore computanda. P. Caſtr. *in l. 9. de judiciis.* Struv. *Synt. jur. feud. c. 6. §. 7.* Quidam vero tantum 60. milliaria adſcribunt. Bodinus *l. 1. de rep. c. 10. n. 170.* Cæterum hac in re certum quid definiri nequit, utpote quæ unice dependet ex moribus & inſtitutis receptis ſingulorum populorum. Dominus Præſes *operis de finib. Imp. cap. ult.*

XXXVI. Poteſt vero dominium maris & aliis modis acquiri, cum ſcilicet per voluntatem prioris domini transfertur. E. g. permutatione, adjudicatione, donatione, inveſtitura. At cum hi modi acquirendi ſint rariſſimi: hinc illis haud immorabimur. Per præſcriptionem autem mare ut ſemper acquiratur, & quidem ſecundum regulas juris romani, non eſt neceſſe: ſola namque occupatio ſufficit. Occupata autem maris pars, quæ alias alterius dominio eſt ſubjecta, ſi una cum territorio præſcribatur, X. vel XX. ſi ſine territorio, XXX. vel XL. anni a doctoribus requiruntur, Balb. *tr. de præſcript. p. 2. pr. quæſt. 1. 2. 3.* Verum cum jura omnium provinciarum non ſatis apte ſubjiciantur regulis juris romani civilis, certum proinde temporis ſpacium definiri

finiri

finiri non poteſt: ſed ſufficit tanti temporis ſilentium in domino, quanti ſatis eſt aliū non negligenti ad repetendum jus ſuum: alias nimirum cenſendus ac ſi jure ſuo renunciaſſet & mare in priſtinum ſuum collocaſſet ſtatum, quod tanquam derelictum, cuilibet tum cedit occupanti. Strauch, *in diſſert. de Imp. mar. c.* 4. §. 5. Videat. & Dn. Præſid. *operis de finib. Imperii caput* 19.

XXXVII. PERSPECTIS porro jam modis acquirendi maris dominii, conſequens eſt, ut & ſcrutemur, quibus modis illud retineri poſſit. Nam ſi acquiſitum dominium conſervari nequit, non dominium, ſed potius umbra quædam dominii appellari meretur. Cum autem omne dominium poſſeſſione maxime nitatur, hinc nulla firmiore quidem & contra omnem quoque turbationem aptiore via dominium maris retinetur, niſi claſſe aliqua ad id inſtructa, ut exteros ab occupatione maris arceat, & detrectantes jurisdictionem reipublicæ in mari agnoſcere, ad id cogat. Nam in quantum quis claſſe prævalet, in tantum dominium ſuum in mari non ſolum conſervare, ſed & tempore belli extendere valet. Cum igitur mare per claſſem detinetur, detentio hæc merito pro poſſeſſione habenda, ita ut nulla tum currat præſcriptio. Cæpolla. *lib.* 2. *de ſerv. ruſt. c.* 26 *n.* 9. Gryphiander *tr. de Inſulis c.* 14. *num.* 61. Retinetur porro maris dominium per varios in claſſibus & portis conſtitutos Præfectos. Quorum præcipui ſunt Præfectus maris alias Ammiralius dictus, Vice Ammiralius, & præfectus Vigilum, germ. *Schultz bey Nacht.* Horum officium eſt Jurisdictionem reipublicæ in mari integram ſervare illamque per actus ex dominio profluentes exercere. Hoc autem quatuor modis fieri ſolet, vel jubendo, vel vetando, vel permittendo, vel puniendo. Hos igitur actus pauciſſimis per potiores ſuas partes (ſingulas enim recenſere nimis prolixum foret) conſiderabimus.

XXXVIII. Ad primum Imperii actum nempe ad *τὸ* jubere, refertur I. demiſſio velorum *das Seegel-ſtreichen*; quæ non novum eſt inventum, ſed jam antiquitus obtinuit, Appiano teſte *lib.* 6. *civil.* Hæc demiſſio velorum duobus modis fit, vel enim tantum ſuperior pars mali, *die Oberſteflagge am Mittelmaſt*, demittitur, & hæc tantum fit ſalutandi gratia, nec ullum arguit imperium; vel majus velum *das Topſeegel* demittitur, & tamdiu retinetur demiſſum, donec navis, caſtrum aliquod vel naves a domino maris ad tuendum dominium impoſitas præternavigans, exceſſerit diſtantiam illam, ad quam ictus bombardæ poteſt pertingere. Hoc nempe ſi neglectum fuerit, per contumaciam, tota navis una cum omnibus mercibus cedit fiſco domini illius maris; ſi per ignorantiam aut negligentiam, dolo tamen vel lata culpa deſtitutam, cogitur nauta pro quolibet ictu bombardæ (*Canonenſchus*) pœnam quatuor thalerorum luere. Stypman. *de jure marit. & naut. part.* 5. *c.* 1. *num.* 21. Hanc autoritatem ſibi omnes dominio maris gaudentes in recognitionem dominii ſumunt, & quidem jure: idem enim eſt ac continuum dominii exercitium; & quamdiu hac auctoritate quis utitur, nulla adverſus proprietatem ejus maritimam currere poteſt præſcriptio.

XXXIX. II. Ad hunc imperii actum ſpectat jus portus: vigore nempe cujus dominus maris portum, i. e. locum concluſum, quo exportantur & importantur merces, conſtruere poteſt. Dictus autem portus a portando, quod ibi merces exportentur & importentur. *l.* 59. *ff. de V. S.* Hoc jus inter regalia recenſetur *lib.* 2. *t.* 56. *feud.* Vid. Bocerus *de regal. c.* 3. *num.* 131. Propterea majeſtas pro præſtita navibus in portu ſuo ſecuritate certum vectigal petere, & quid vehant, unde veniant, quo tendant, & ad quem merces ſpectent, inquirere poteſt. Ex hoc præterea fluit III. jus imponendi vectigalis. Quod inter regalia locum itidem invenit, adeoque ſolummodo ad respublicas, quæ majeſtate fulgent, vel hisce æmulas ſpectat. Carpzov. *in capit. Caeſ. c.* 8. *num.* 9. Everh. *conſil. lib.* 1. *conſ.* 20. Eſt autem vectigal in genere, quod pro rebus importandis & exportandis publico ſolvitur. Hoc loco autem eſt: quod a majeſtate imperatur navigantibus, ut tam quoad perſonam, quam merces ſuas pro ſecuritate tranſitus & onere tuendæ navigationis, certum ſolvant portorium. Calvinus in *lex. jurid. p.* 930. Germanis dicitur *Weeg-geld*, item *Fahrzoll.* Quod ab antiquis usque Romanorum temporibus in uſu fuit, & per ipſos Francorum Reges ac ſuccedentes Imperatores continuatum. Lehman. *in Chron. Spir. lib.* 2. *cap.* 44. *fol.* 190. Jure autem vectigal aliquod exigi poteſt. Eſt enim penes Imperantem, an velit tranſitum & ſtationem in portu permittere nec ne. Hinc ab illius præſtatione nemo eſt excluſus, exceptis iis, qui ſingulari immunitate gaudent, quales ſunt Principes & illuſtres perſonæ *l.* 6. *pr. C. de vect.* Bidenbach. *quaeſt. nobil.* 18. Boc. *de regal. c.* 2. *n.* 197. Studioſi ad Academiam proficiſcentes vel inde abeuntes, ut & omnes ſcholaſtici *Auth. hab. C. ne filius pro patre.* Beſold. *de jure acad. c.* 5. *fol.* 215. Speckhan. *cent.* 2. *deciſ. d.* 1. *q.* 11. Clerici *c.* 4. *X. de Cenſ. in* 6. Chriſtinæus *deciſ. vol.* 2. *dec.* 17. & navicularii *l.* 6. *C. de vect. & comm.*

XL. IV. Ad hunc imperii actum recenſetur & jus Angariarum. Dicuntur autem Angariæ ab *ἀγγαρίζειν* cogere, ſunt enim ſervitutes coactæ. Hæc vox autem Angarus ortum ſuum, ceu multis placet, Perſico idiomati debet, apud quos idem eſt ac Nuncius: quod Græci ſcilicet extenderunt, ita ut omnes bajulos & operarios, imprimis coactos, *ἀγγάρους* nominarint. Hoc loco autem per Angariam indigitatur jus majeſtati competens, vigore cujus a provincialibus exiguntur naves, cumprimis expeditionis tempore, ad transvehendum domini comitatum & annonam publicam. Illud jus autem ſimiliter in Regalium numero cenſetur *lib.* 2. *feud. tit.* 56. & tantæ eſt exellentiæ, ut ab hoc onere nemo excludatur, & habeatur pro patrimoniali *l.* 1. & 2. *C. de nav. non excuſ.* & Brunneman. *ad hunc locum p.* 628. Quod ita ampliatur, ut nec eccleſiæ nec perſonæ in dignitate conſtitutæ ſint immunes *l.* 2. *C. de nav. l.* 11. *C. de SS. eccl.* Bocerus *de regal. cap.* 3. *n.* 248. V. Etiam jus Stapulæ vigore hujus actus imperii competit domino maris. Dicitur autem Stapula

ab an-

ab antiqua voce teutonica *Stapel*, quod forum denotavit. Salmaſ. *in obſerv. ad jus att. cap.* 5. & eſt majeſtati competens, quo coguntur nautæ merces ſuas in portum delatas venales exponere illasque non prius avehere, quam oblatæ ſunt civibus ad vendendum. Hoc proinde jus etiam regalium numerum adauget. Sixt. *de reg. cap. 5. num.* 229. Beſold. *in theſ. pract.* & Speid. *notab. vocabulo Staffel-Gerechtigkeit.* item Guicciard. *in deſcript. belgii p.*181. Multis autem civitatibus Germaniæ noſtræ ab Imperatoribus, conſenſu ordinum imperii, jus illud conceſſum legitur. Quo proinde etiam adhuc gaudent Lubeca, Hamburgum, Stada, Colonia Agrippina, Brema & aliæ, præſertim ad Rhenum. De quibus videatur Lehm. *in Chron. Spir. lib. 4. c.* 22.

XLI. Secundus imperii actus exercetur vetando. Vigore igitur hujus Dominus maris I. ipſam etiam navigationem ad certa loca prohibere poteſt: ſi ſcilicet utilitas reipublicæ, vel ob metum, vel ob aliam juſtam cauſam id efflagitet. Sic ſane jam olim Carthaginienſes Romanis interdixerunt, ne in Africam appellerent. Item hodie Rex Hiſpaniæ prohibet navigationem in Americam, Rex Norwegiæ in Islandiam; jure omnes, an injuria, meum non eſt diſputare. Appulſus quidem, ſi minetur everſionem regiminis, eodem jure ac ingreſſus territorii prohiberi poteſt, navigatio autem, ſi abſque damno reipublicæ fieri poteſt, ut & ipſe appulſus, impediri nequit, proinde quoque, hoc ſi fit, juſtiſſimam bellandi præbet cauſam. II. Etiam jus piſcationis vigore hujus imperii Dominus maris ſibi vindicare, aliosque ab ejus exercitio repellere poteſt. Dicitur quidem §. 12. *I. de rer. diviſ.* animalia in mari nata ſtatim fieri capientis, ut & feras beſtias: verum quemadmodum Dominus territorii aliquem ab ingreſſu ejus arcere poteſt, ita & Dominus maris reliquis aditum ejus, ſi ſcilicet hoc malo animo fiat, merito interdicere poteſt. Accedit, quod majeſtas plærumque ſibi hoc jus hodie reſervarit, illudque inter regalia recenſeatur. Haud immerito autem fieri ex ante dictis ſufficienter pateſcit; dum probavi jura gentium a jure civili immutari poſſe, & in hoc loco mutata eſſe. Olim quoque ipſam piſcationem aliquantulum reſtrictam fuiſſe, ex Juvenalis *ſatyr.* 4. colligere eſt. In hac enim poeta perſtringit Domitianum, quod piſcationem rhombi ſibi ſoli attribuerit. Magnus Grotius hoc jus piſcandi *p.34. de mar. lib.* ita reſtringit: Majeſtatem quidem poſſe ſubditis, non autem peregrinis, piſcationem interdicere: ſed hanc ſuam ſententiam ipſe erroneam eſſe agnoſcens, in *lib. 2. de jure belli ac pacis c. 2. n.* 5. refutavit, addendo hanc rationem, ut & ii, qui territorium aliquod intrant, lege teneantur ſe reddere conformes inſtitutis ejus populi,

XLII. Ad tertium imperii actum ſpectat conceſſio immunitatum a vectigalibus; item quando majeſtas mercatoribus quibusdam certa concedit privilegia, ut liberum habeant abſque injunctione onerum tranſitum, & libere commercia inſtituere poſſint; privilegium porro piſcandi, & conceſſio juris ſtapularum; denique permiſſio appellendi, ut ſcilicet hujus reipubl. navibus alterius littora appellere, inque ejus emporiis ædificia ad exponendas merces venales, germanice *Pack-Häuſer*, extruere liceat.

XLIII. Ad quartum imperii actum pertinet I, omnium criminum, quæ a privatis aliisque in mari committuntur, vindicatio, nec non procuratio, ut illa crimina meritis luantur ſuppliciis. Et vero is, qui reipublicæ præeſt, curare debet, ut malis hominibus reſpublica purgetur. *l. 3. ff. de offic. Præſ.* ac proinde etiam mare a piratis aliisque incurſionibus liberum & ſecurum reddere tenetur. Hanc ſane ob cauſam, ſaltim præcipue, vectigalia percipit, ut tutum & innoxium navigantibus præſtet tranſitum: ſi autem mare a piratis infeſtetur, tranſitus ille ſecurus eſſe nequit. Quare officium regentis, qui & mari imperat, in hoc maxime eſt ſitum, ut naves omni bellico apparatu habeat inſtructas & piratas omni ſtudio & cura inſectetur. Proinde olim in imperio romano certi hiſce inveſtigandis fuere præpoſiti. Sic Suetonius de Auguſto refert, illum poſt bella civilia non tantum in Italia, ſed etiam in omnibus reliquis marinis provinciis, certos milites aluiſſe, qui dicti ſunt Stationarii, quorum officium fuit perſequi piratas & prædones, illosque magiſtratui ad merita ſupplicia tradere. De quorum officio totus in ff. reperitur titulus *de curoſ. & ſtation.* Erant ſcilicet illi apparitores diſperſi per provincias, ut magiſtratibus denunciarent crimina, quæ perpetrabantur. *l. 1. §. 12. ff. de off. præf. urb.* Calv. *lex. jurid. p.* 867. Publica vero etiam præmia illis, qui latrones apprehenſuri ſunt, prudenter ſunt proponenda. Pertinet proinde omnino inveſtigatio piratarum ad dominum maris; adeoque, niſi hic diligentiam in inveſtigandis illis adhibuerit, eorumque crudelibus cœptis, quantum in ſe, vires ſuas non oppoſuerit, teneatur fortaſſis ad reſarciendum damnum. Videatur Grotius *lib. 2. de jure belli ac pacis c.*21. II. Vigore hujus porro imperii poteſt dominus maris illis, qui hoſtem navibus aliisque rebus ab bellum prolongandum facientibus, inſtruunt, licet ſint ſociorum ſubditi, naves una cum talibus mercibus in navibus repertis adimere.

XLIV. III. Hoc imperium, tribuit Domino maris poteſtatem inquirendi in illos, qui ex naufragio lucrum captant. Et quidem jure veteri Romanorum illis quadrupli pœna conſtituta fuit, *l. 1. pr. ff. de incendiis.* Et ſane injuria eſt damnum damno addere; nec afflictio addenda eſt afflicto. Quapropter etiam conſuetudo illa quibusdam in locis recepta, qua res naufragorum ſpectant, ad dominum territorii illius, quod adpellunt, videtur irrationabilis: adeoque licet in Gallia ſit recepta, merito tamen ut iniqua rejicitur etiam a Bodino *lib. 1. de republ. cap.* 10. *n.* 171. & a Petro Rebuffo *in LL. Reg. gl. 5. n.* 74. Et vero naturali motos æquitate mutuæ amicitiæ, Imperator Conſtantinus in *l* 1. *C. de naufragiis* expreſſe olim ſancivit: *quod, ſi quando naufragio navis appulſa fuerit ad littus, vel ſi quando aliquam terram attigerit, illa ad priſcos Dominos pertineat, nec fiſcus ſe interponat:* addens hanc rationem, quaſi interrogando, *quod jus habeat fiſcus in aliena calamitate,*

ut

Digitized by Google

de re tam luctuoſa compendium ſectetur? Item Fridericus II. Imperator in *auth. navigia ad l.* 18. *C. de furt. & ſerv. corr.* publica lege conſuetudinem hanc, ut irrationalem, condemnavit, & ſub pœna publicationis bonorum, imo & ſupplicii, prohibuit. Ex qua authentica ſimul colligi poteſt, contra hanc legem non poſſe induci conſuetudinem, utpote cum per eam conſuetudo expreſſe ſit prohibita, Vasqu. *parte* 2. *controv. l.* 1. *c.* 3. Carolus quoque V. conſtituit, ut ſublata omni hac conſuetudine tam navigia, quam bona navigantium Dominis ſuis integra ſerventur. Vid. *art.* 218. *conſtit. criminal.* Alia exempla conſtitutionum, conſuetudinem hanc prohibentium, habentur in *auth. caſſa C. de SS. eccleſ.* & *auth. omnes peregrini C. comm. de ſucc.* item *in rec. imp. de anno* 1548. *tit. von Handwercks-Söhnen.* Plura præterea videri poſſunt de hac irrationali conſuetudine apud Brunnem. *in comm. ad l* 18. *C. de furt. & l.* 1. *C. de naufrag.* Gail. *lib.* 1. *obſerv.* & Pruckm. *conſ.* 2. *n.* 185. *vol.* 1. Denique IV. poteſt & Dominus maris inquirere, an merces prohibitæ in navibus reperiantur, quæ ſi adſint, tota navis fiſco ſolet in pœnam cedere, & omnia bona ſunt caduca. *l.* 2. *C. quæ res export. non deb.* Ubi tamen notanda diſtinctio, an ſciente Domino, vel ignorante hæ merces navi ſint impoſitæ. Si prius, navis omnino a fiſco vindicatur, ſin poſterius, bona illa quidem ſunt caduca, ſalva tamen Domino ſuo remanente navi. *l.* 11. §. 2. *ff. de publ. & vectigalibus.*

XLV. Cæterum hæc nunc quidem ſufficiant ad probandum dominium maris. Merito nempe concludimus: partem quandam maris nondum ab alio occupatam in dominium redigi poſſe, ita tamen, ut illa correſpondeat territorio, utque abſque damno & præſenſiſſima alterius injuria fiat; totum autem mare ab uno occupari impoſſibile eſſe. Nihil ergo nunc quidem reſtat, niſi, ut veniam efflagitem, ſi forſan quædam a me propoſita non omni parte ab erroribus ſint immunia. Niſi fallor autem, & mea juvenalis ætas, & argumenti dignitas difficultasque, & denique diſſentientium multitudo, indulgentiam aliquam, ſuo quodam merito, ſibi queunt poſtulare.

HERMANNI CONRINGII
DISSERTATIO POLITICA
DE IMPORTANDIS ET EXPORTANDIS.

Menſe Auguſto MDCLXV. habita.

RESPONDENTE

GERARDO *Iben*, Emda-Friſio.

Theſis I.

Hominem ad bene feliciterque vivendum multis egere rebus ad vitam neceſſariis, vel ordo hujus univerſi, vel miſera hominis conditio ſatis ſuperque oſtendunt, ut non ſine cauſa Ariſtot. *lib.* 7. *polit.* dixerit: *multis inſtrumentis egere vitam.*

II. Quod ſi enim ſapientiſſimi numinis in ordinandis hiſce rebus terrenis providentiam intueamur, non eſt, quod dubitemus amplius. Terra enim plantarum, arborum, aliarumque rerum gratia eſt, & illa rurſus belluis, belluæ hominibus cibaria ſubminiſtrant. Verbo: ut omnes in univerſum res ſolius hominis gratia videantur productæ. Id quod clare Moyſes *Geneſ. cap.* 1. *verſ.* 2. *& ſeqq.* teſtatur: *benedixitque Deus illis, & ait: Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & univerſis animalibus, quæ moventur ſuper terram, dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & univerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, ut ſint vobis in eſcam.* His addi poteſt David *Pſ.* VIII. *v.* 7. Quibus gemina ſunt, quæ habet Ariſtoteles *lib.* 1. *c.* 5. *polit.* quæ merentur profecto hic legi. *Quapropter*, inquit, *ſimiliter planum nos putare debemus, quæ oriuntur e terra animalium cauſa eſſe & cæteras animantes hominum gratia. Manſuetas enim & propter uſum & propter cibum. Feras, & ſi non omnes, plurimas tamen, cibi & aliorum adminiculorum inde capiendorum gratia: ut & veſtis & alia inſtrumenta conficiantur ex ipſis. Si igitur natura, neque imperfectum, neque fruſtra facit, neceſſe eſt hominum cauſa cuncta ipſa feciſſe naturam.* Adde Ciceronem *lib.* 2. *p.* 327. *edit. Gothofred. anni.* 1617. *de natura Deorum*; ubi copioſe de hac eadem materia diſſerit. Nec tamen hæc ita intellecta volumus, quaſi tantum hominis gratia omnia ſint condita, vere enim condita omnia ſunt in univerſi complementum, ſed, ut homo omni ex parte ſit perfectus, nihil non ejus arbitrio, & uſui obnoxium eſſe oportere.

III. Et vero, ſi ipſam naturæ noſtræ conditionem contemplemur accuratius, quibus non opus eſt. (1.) Ut divinæ hominis partis, animæ inquam, cultura recte ſeſe habeat, ſine qua nobiliſſimum illud Dei opus bruto conferre non veritus fuit Ariſtoteles: imo, qui juvenem recte educaveris, omnibus ad inſtitutionem ſubſidiis deſtitutus? (2.) quis denique hominum vel ad breve tempus ſine victu & amictu vitam ſuſtentaverit? Natura ſane benigna rerum omnium mater infanti recens in lucem edito, in mammis etiam maternis de cibo proſpexit, ſine quo vivere illi non licet, ut rurſus loquitur Ariſtoteles *lib.* 1. *polit. c.* 5. Nec amictu carere, innatus hinc

ab

ab Adami lapſu pudor *Geneſ. III. v. 7.* nec cœli finit inclementia, qua ubique terrarum urgemur; adeo, ut fruſtra barbaros Indiæ populos exceperis, quos nudos jam pridem inceſſiſſe, & etiamnum ſine veſtibus vagari, Hiſpanorum, Batavorum navigationes docent. Sed feros illos, nec hominum converſationi adſuetos eædem teſtantur; adeo, ut innata quaſi videatur omnis cum cultoribus gentibus commercii fuga. Ex hiſce autem perſpicuum eſt; ſive ſapientiſſimum ſapientiſſimi numinis ordinem intueamur, ſive miſeram naturæ noſtræ conditionem penitius contemplemur, quodnam ad hominis vitam, & ad bene vivendi rationem requirat natura.

IV. Sed cum non omnis fert omnia tellus, ſed

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.

ad ſublevandum ſcilicet mutuo indigentiam: ſic etiam Gallia vino abundat, qua caret Anglia, quæ lana affluit, quam ſibi magno ſane pretio emptam volunt Galli: verbo, nulla unquam tam felix regio exſtitit, (ſolum paradiſum ante Adami lapſum excipio,) quæ non aliqua ex parte aliarum gentium copia ſuam ſublevatam voluit inopiam. Ægyptus ſane, regio licet omni frumenti copia abundatiſſima, ut nunquam prudens ſibi perſuaſiſſet, fore aliquando, ut annonæ caritate premeretur; adeo, ut etiam Auguſtus hanc provinciam ſibi ſoli regendam ſumſerit, quo ſi Romæ fames ingrueret, haberet, unde egenos poſſet juvare; quam providam Auguſti curam inter arcanas dominandi artes retulit Tacitus. Id tamen novimus contigiſſe, ut omnes omnino Ægypti incolæ periiſſent, niſi provida Joſephi cura divinitus revelatam futuræ annonæ caritatem ſublevaſſet, congeſta undique fertiliſſimis annis ingenti frumenti copia. Sed & idem quotidiana rerum experientia abunde docet, & inter diverſas etiam gentes inſtituta commercia: quæ ſolius lucri cauſa cœpta nunquam vere dixeris. Ex hiſce vero ratio etiam non obſcure patet, quare difficile, imo, moraliter loquendo, fere impoſſibile ſit, rempublicam ex voto quidem optimam ut quis alicubi introducat. Quis enim terræ locus ita rebus ad bene feliciterque vitam degendam inſtructus cenſeri poteſt, ut vicinarum gentium commercia non ſolum non ambire; ſed & ſpernere tuto audeat? ſed hoc obiter. Cum igitur tanta ſit hominum indigentia, ut nec vivere minus bene poſſit ſine neceſſariis vitæ inſtrumentis, nec quævis regio, ampla licet ſit, ſuis incolis omni ex parte ſufficiat alendis, multo minus ſecuritatem debitam præſtare poſſit; clarum eſt, res illas nobis comparandas ab aliis, quibus egemus, niſi ex parte felicitatem civilem velimus imperfectam.

V. Verum de hiſce rebus ex cujuslibet reip. utilitate decernere, non exigua ſane civilis prudentiæ pars eſt. Quod & Ariſtoteles fatetur l. 1. Rhetor. c. 4. referens de importandis & exportandis doctrinam inter maxima & præcipua eorum, quæ in conſiliis agitari ſolent. Sunt nimirum quædam res, quæ cum domi haud naſcantur, aliunde invehi e re reipublicæ eſt: Sunt quædam, quibus noſtra regio ita abundat; ut aliorum ſubvenire inopiæ magno reipublicæ commodo poſſimus. Nec hac de re bene quiſquam ſtatuerit, non probe attenta cujuslibet reipublicæ forma & ſcopo. Aliis ſcilicet rebus inſtructa debet eſſe civitas ſimpliciter optima; aliis aberrans aliqua: aliis, quæ magnam dominandi potentiam intendit: aliis, quæ divitiis affluere ſtudet: aliis, quæ in voluptatibus ſummum bonum quærit. Deinde quod formam reipublicæ attinet, vel hæc jura pertinebunt ad unum vel plures vel omnes, vel partim ad unum, partim ad plures; adeo ut ſi promiſcue huic vel illi hanc demandare curam & eadem omnibus rebuspublicis eſſe utilia credideris, non poteris non ſolum errare graviter, ſed & maximum afferre detrimentum reipublicæ. Quare eximia viri prudentis & hæc virtus eſt, illa habere perſpecta, quæ ſuo ſtatui ſunt convenientiſſima. Et denique harum rerum non habita accurata ratione, dum in magnum diſcrimen pervenerit tua civitas, quomodo huic malo occurri poſſit, non parum argueret alicujus prudentiam, ſi quis hac in parte patriam laborantem ſuis conſiliis juvaret. Hanc igitur utiliſſimam materiam, humeris meis licet haud æquam, tractandam tamen propoſui: ut tamen magis ſit diligentiæ indicium, quam eruditionis oſtentatio.

VI. Sed prius quam rem ipſam aggrediar, de ipſa permutationis origine & natura præmittenda quædam videntur; quandoquidem quæ deinceps ſequentur, ſine his commode intelligi nequeant. Omnem igitur omnino primitus permutationem ab indigentia rerum ſuam traxiſſe originem, ex ſuperioribus clarum eſt. Quo tanquam principio in tota hujus materiæ tractatione utemur. Statim nimirum ac multiplicati ſunt homines, & in diverſas regiones ierunt habitatum Hæ autem cum omni rerum ſufficientia non eſſent inſtructæ; ut ſibi omni ex parte ſufficerent, indigentia impellente, cum vicinis res permutarunt cum rebus, quibus ipſi abundabant. Equidem hic permutandi modus videtur omnium maxime naturalis: inſervit enim ſimpliciter & proxime fini, ſupplendæ ſc. indigentiæ, cujus gratia omnis omnino primitus inſtituta fuit permutatio. Sed cum aliqui rebus quibusdam abundarent, quibus alter non egebat, haberet tamen ipſe tales res, quas illi magnopere expeterent, neceſſario tertium aliquod inveniendum fuit; quod & illorum indigentiam & hujus res metiri & æſtimare poſſet, quo ſi non rem aliam, tamen aliquod æquivalens rei ſeu pretium acciperet. Atque hoc pretium vocatus fuit nummus. Pulchre hic Ariſtoteles, & alias addit rationes, quibus moti cauſis homines rerum omnium menſuram voluerint nummum. *Veruntamen*, inquit lib. 1. c. 6. Polit. *ex hac prodiit illa ratione, cum longinquius commodum, quod hinc capitur, factum eſſet importandis rebus*, quibus & egebant, & exportandis, quibus & abundabant, neceſſario uſus nummi comparatus eſt. Non enim facile importantur alio cunctæ res, quæ ſunt natura vitæ neceſſaria. Quapropter ad permutationes ejusmodi quod-

dam

by Google

dam pepigerunt inter ſe dare & accipere. Quod unum ipſum eſſet eorum, quæ utilia ſunt, continebat in ſe uſum facilem ad vitam, cujusmodi eſt ferrum & argentum, aut ſi quid hujusmodi eſt aliud. Ex hiſce vero palam eſt, in quem uſum priſci nummum excogitarint; ut ſc. ſit rerum emendarum vendendarumque æſtimator & menſura. Unde manifeſtum eſt, quam longe a primo nummi inſtituto recedant, qui in eo ſuas divitias collocatas autumant, & in id incumbunt ſedulo, quo nummo nummum non ſolum quærere, ſed in immenſum augere queant. In quos eſt illud Horatii, quo mores ſui ævi perſtringit perquam eleganter:

O cives, cives! quærenda pecunia primum:
Virtus poſt nummos.

VII. Atque hæc de ipſa permutationis origine & natura ſimulque abuſu dixiſſe ſufficiat. Nunc rem ipſam aggredior. Hic autem ſtatim in limine quæri poteſt, & non ſine cauſa: quid nobis vocabula importandi & exportandi ſignificent. Socrates ſane in colloquio, quod cum Glaucone inſtituit nimis temere rempublicam affectante, omnique ejus cognitione deſtituto, ſolum frumentum memorat inter res importandas & exportandas: quam bene, judicavit Ampliſſimus Dn. Præſes libro de civili prudentia c. 12. p. 250. *ultimus*, inquiens, *xenophonteus locus pertinet ad exportanda & importanda, quæ tamen multo longius patent, quam uti poſſint ad ſolum frumentum reſtringi.* Latiori ſignificatu utitur hiſce Cicero lib. 2. offic. in princip. verba ejus hæc ſunt: *jam vero & earum rerum, quibus abundaremus exportatio, & earum quibus egeremus invectio certe nulla eſſet, niſi muneribus homines fungerentur*, id eſt, niſi homo res ad debitum ſuum finem dirigeret: Qui ſane hujus loci conſideret illa quæ antecedunt, facile animadvertet, quibus præter frumentum homo opus habeat. In verbis autem ante laudatis & hoc notandum duximus, invehere, Ciceroni eſſe quod nobis importare. Cæterum nos nomine importandorum & exportandorum comprehendimus omne id, quod & vitæ ſuſtentandæ inſervit, & quo ſecuri reddimur adverſus vicinorum & hoſtium potentiam, verbo, omnia vitæ inſtrumenta, quæ uſum habent, in republica.

VIII. Ut igitur initium faciamus noſtræ diſſertationis, a rebus, quæ importari, quæ exportari poſſint, ordimur: nam primo ſunt conſiderandæ res ipſæ, quæ & quales ſint. Cum igitur ex ſuperioribus conſtet, omnes omnino res eſſe hominum gratia, paulo diligentius in illas inquirere jam noſtri eſt propoſiti.

IX. Omnes igitur res, quibus eget aliqua civitas, ad conſequendam ſuam felicitatem, eſſe, quas vel natura producit, vel quæ ab arte proficiſcuntur: non quod ars res producat, ut natura, ſed quod jam re producta ita utatur, ut commodius hominum uſui inſervire poſſit v. gr. ferrum quidem natura producit, ars vero formam quaſi vel uſum rei magis atque magis oſtendit, ut ita res videantur quaſi ex poliri ab arte: atque hoc ita verum eſt & neceſſarium, ut ne homo ſine ingenioſa artificum manu vivere minus commode poſſit.

X. Res naturales, quas vocamus, Cicero lib. 2. offic. in princ. eleganti ſane modo, rerum ſecutus ordinem, enarrat. *Quæ ergo*, inquit, *ad hominum vitam tuendam pertinent, partim ſunt inanima, ut aurum, argentum, ut ea, quæ gignuntur e terra, & alia generis ejusdem, partim animalia, quæ habent ſuos impetus & rerum appetitus: eorum autem alia rationis expertia ſunt, alia ratione utentia. Expertes rationis equi, boves, reliquæ pecudes, apes, quarum opere efficitur aliquid ad hominis uſum atque vitam.*

XI. Explicemus igitur hanc rerum naturalium diviſionem, quam Cicero, & ante illum Ariſtoteles & hodie omnes ſequuntur Philoſophi: Sed tamen hoc notandum eſt in hac Ciceronis diviſione rerum, quod illa, quæ gignuntur e terra, retulerit inter res inanimatas. Res ſcilicet vere inanimatæ ſunt, quæ etiam anima vegetativa carent, & dictæ ita a privatione animæ, quaſi non animatæ, non habentes animam; eodem modo, quo bruta irrationalia dicuntur. Quales multiplices; & vel oriuntur ex corporibus etiam animatis, ut lac vel alias corpora ſunt inanimata, ceu lapis, metallum aut medium minerale. At vero etiam plantæ naſcuntur terra & vegetandi facultate non deſtituuntur. Dicuntur tamen & ipſæ inanimatæ vulgari loquendi more: quem ut Stoici inter veteres Philoſophos & poſt, Galeno duce, Medici quoque ſecuti ſunt. Nos tamen Peripateticorum morem ſervabimus, & animatis rebus plantas poſt annumerabimus.

XII. Cæterum inter inanimata lapides diverſi ſunt generis; alius enim præ alio magis minusve homini uſum præſtat; alii neceſſarii magis, alii minus. Magis neceſſarii ſunt, qui in lapidicinis exſcinduntur, & vel domibus ædificandis, vel muris ſtruendis, vel aliis magnificis operibus inſerviunt. Minus neceſſarii ſunt gemmæ, aliique lapides pretioſi, qui tamen uſu omni non carent, ſed vel elegantiæ vel Pompæ inſerviunt magnorum, præſertim Principum. Quem uſum navigantibus præbeat ſolus lapis magneticus, non ſatis deprædicari poteſt: utpote cujus inuſitata & occulta vis, quod una aliqua ſui parte ſemper ſeptentrionem verſus ſe vergat; priſcis ſeculis ignorata, tandem poſt natum Chriſtum initio ſeculi 14. patefacta creditur a Flavio quodam Amelfitano Italo; ſed perperam, utpote, quia illum autorem jam etiam decimo tertio ſeculo memoravit Albertus Magnus ex antiquis Arabum ſcriptis. Sane in tota rerum natura nihil eſſe admirabilius magnete eſſeque ejus uſum plane divinum, audacter aſſerit Bodinus *cap. 7. meth. hiſt.* Cui ſuffragatur Cardanus *lib.* 14. de artibus & artificioſis rebus: *Inter cætera*, inquit, *inventa, primam admirationem deberi pyxidi nauticæ; quippe qua tot ſulcantur maria, veteribus nec navigata nec tota; & cui tot hominum ſalus tantæ varietates mercium, tanta pecuniæ vis creditur, ipſorum Principum & Regum vita committitur, vaſculo tam parvo, virgulæve, imo acui modicæ, nec ſolum ſufficeret hæc credidiſſe, niſi ea nos regat & doceat, lapisque ſenſus expers, tot viris ſapientiſſimis oculatis atque auritis*

praſter. Hæc ille: Quam autem vere dixerit, teſtantur hodie Hollandorum aliarumque gentium vel polum articum vel antarticum verſus navigationes; imo totus novus orbis, qui dicitur, & India orientalis, & tam vaſtæ Inſulæ, ampliſſimæ ſane & ditiſſimæ regiones hujus acus beneficio detectæ, ceſſere primum Hiſpanorum atque Luſitanorum dominatui: Unde ingentes, imo immenſæ regno Hiſpaniæ & toti proinde Europæ acceſſere opes.

XIII. Metalla varia ſunt nec homini, minus toti alicui civitati ſine illis bene eſſe poteſt. Quæ enim regio, quæ civitas, auro, argento, ære, ferro, plumbo, argento vivo & ſtanno omni ex parte caruerit? Quod ſi aliqua horum ſpecie non indigeas & carere poſſis, tamen omnem omnino uſum denegare, hominis non eſſet rerum humanarum admodum periti. Dubitaverit quispiam tamen, an etiam ſimpliciter civitas ſine illis felix eſſe poſſit. Enim vero, prout hodie ſunt mores mortalium, & mortaliter loquendo, in felix foret civitas, quæ hiſce omni ex parte caruerit. Qui ſane ſecurus a vicinis tuæ potentiæ æmulis fueris hodie, omni ferro, plumbo & auro deſtitutus? Præda profecto eris illorum libidini. Imo tua resp. ab alieno quaſi erit ſuſpenſa arbitrio, & proinde multum perdiderit priſtinæ felicitatis; cum etiam in eo poſita ſit beatitudo civilis, ſi alterum timere non habeas neceſſe:

XIV. Infima porro ſpecies rerum inanimatarum a Philoſophis vulgo medium minerale dicitur; eo quod medium quid ſit inter lapidem & metallum, quaſique de utriusque natura ſuam participet eſſentiam, ſi non omni, magna tamen ex parte. Hujus autem quatuor ſunt potiſſime ſpecies: Sal, alumen, bitumem, & vitriolum. Quarum rerum utilitatem in rebus civilibus ſatis etiam quotidiana experientia oſtendit. Cumprimis ſane vitæ proſpiciendum venit de ſale, cum ſine ſale perfecte felix nullus hominum eſſe poſſit, adeoque nec ſocietas civilis. Referri porro huc poſſunt quoque gypſum, creta, argilla & ſimilia alia, quæ ſuum ipſum habent in republica. Omnia ſane hæc enarrare, forte nimis longum eſſet. Satis autem liquet, nihil non horum ad curam reipublicæ pertinere, ſiquidem illa feliciter geri debeat: etſi alias poſſint videri vilia, & vulgo a quam multis ſoleant negligi. Id quod ſaltem unico exemplo illuſtrare, facto ſane non abs re fuerit. *Sed, quod amiſſum addere libeat, Naſſovium Covardi annonam inferre agitantem, agreſtis ſpernendi ortus acceſſit, monuitque, molares lapides, qui in arce eſſent, longinquo tempore attritos, nec diu uſui habiles fore. Neque autoris quamvis levis indicium ſpretum Naſſovio, ſaxaque duo devehi juſſit. Unde conjectare promptum, cujus & quam variæ curæ ſit, urbibus adverſus longam obſidionem providere. Etenim absque lapidibus iis inanis erat reliquus omnis labor, milesque in ſumma omnium copia eguiſſet.* Hæc Rheydanus *lib.* 10. *annalium p.* 259. *ex interpret. Voſſ.*

XV. Atque hæc hactenus de inanimatis. Res animatæ triplicis ſunt generis: vel rationales, vel ſenſitivæ, vel vegetativæ. Primo loco omnino & homines cenſendi ſunt eas inter res, quæ importari & exportari debeant. Et vero etſi conſuetudine meliore mancipiorum venalium uſus ſit obſoletus, non tamen ſimpliciter juri naturæ adverſatur. Eſt vero opus ſæpe & peregrinorum ſaltem miniſterio: qui proinde etſi non emi, tamen conduci poſſunt, & viciſſim elocari. Certe talibus miniſtris vita carere non poteſt. Ceteroquin fatemur, qua ratione etiam Ariſtoteli ſervitus naturalis quædam eſt conſtituta, id minus eſſe veritati conſentaneum. Res porro vegetativæ creſcunt & augentur, non ſentiunt, minus ratiocinantur: Suntque vel arbores, vel frutices, vel ſuffrutices, ut Gaza appellavit, vel herbæ, quæ omnes profecto ſuum ingentem uſum habent, seu omnibus eſt notum.

XVI. Sunt quædam res animatæ, quæ non ſolum vivunt & augentur, ſed & inſuper anima ſenſitiva gaudent; & hæ inter reliquas creaturas proxime ad hominem accedunt. Rurſus autem etiam hæ diſtingui poſſunt ratione uſus, quem præbent in vita civili. Aliæ enim victui inſerviunt, aliæ amictui, aliæ pacis, aliæ belli, utrisque aliæ temporibus nobis proſunt. Heringus ex. gr. parvus piſciculus, quot hominum millibus omnibus temporibus eſui eſt? Bombyx vermis minutus ingentem illam, imo immenſam ſerici copiam mirabili artificio contexit. Equus & belli & pacis temporibus natus videtur: Strenuus enim præſentia mortis pericula domini juſſu ſecurus adit: laborioſus & jugum patitur, & aratro jungitur.

XVII. Atqui hæ ſunt res, quas natura producit. Res artificiales illæ ſunt, quæ ex naturalibus conficiuntur, ut eo melius homini inſervire poſſint. Fiunt autem primo ratione amictus, ſecundo ratione victus, & tertio ratione ſecuritatis, ne ſcilicet alios timere cogamur, & denique multis aliis de cauſis, quas enumerare nimis longum foret. Quam late igitur hic rurſum campus ſeſe aperiat, facile intelligit is, qui nomina diverſarum artium mechanicarum ſaltem noverit.

XVIII. Primum ſane quod attinet: quibus non opus eſt rebus, ut corpus contra cœli injuriam tueamur? Rurſus enim hoc diverſimode contingit: Primo ratione veſtium, ſecundo ratione ædium. Et hoc rurſus variat pro ratione diverſitatis locorum & regionum & morum etiam hominum. Aliis enim veſtibus & domibus utuntur, qui polo proximiores; aliis, quos Zona torrida urit; aliis, quibus temperatior cœli plaga obtigit. Et variat artificium etiam hic. Pro moribus enim vel corruptis, vel ſic ſatis bonis, diverſæ etiam ſunt artes in ædibus exſtruendis & veſtibus ſarciendis. Huc autem referri debent omnia illa inſtrumenta, quæ neceſſe habent artifices.

XIX. Etiam victus ratio, quod artem attinet, diverſiſſima eſt, prout homines vel luxurioſi, vel temperantes magis minusve ſunt. Et hoc iterum pro diverſitate reipublicæ finis, loci, rerum abundantiæ vel inopiæ, & denique morum, vel corruptorum, vel bonorum. Huc referri poteſt, & illud, quod ſumma majeſtas in republica ad voluptatem civium & animi recreationem

aliquan-

Digitized by Google

aliquando ſoleat inſtituere, ut comœdiæ olim & publica ſpectacula &c. Quod & hodie in magnis Principum quorundam aulis obtinet: Ubi ingenioſus artificum labor ſuo non deſtituitur fructu.

XX. Quod ſecuritatem publicam attinet & privatam, profecto dici nequit, quantum ars poterit. Quis in bello uſus ſit rerum artificialium, ſatis ubique terrarum experientia teſtatur. Rurſus ſane hic oritur magna dicendi copia, ſi accuratius in rerum illarum naturam vellem inquirere: ſed relinquenda cura illis, qui harum rerum ſunt peritiſſimi. Quibus volupe eſt, luſtret nobiliſſima hujus temporis armamentaria, & mirabitur illarum rerum multitudinem: quæ tamen omnes ſuo debito fini ſunt deſtinatæ. Nolo alia nunc tangere, quia pene ſunt infinita numero, & longe harum theſium conditionem excedentia. Hæ igitur fere ſunt in univerſum omnes res tam naturales, quam artificiales, quæ exportari & importari poſſint & debeant, ſi vel illis egeas vel abundes.

XXI. Conſideratis autem rebus, quæ exportari, quæ importari poſſint, conſequens eſt, ut videamus, qui in republica curam harum debeant gerere. Cæterum omnem rempublicam imperantibus conſtare & parentibus, in confeſſo eſt: Imperantes autem illos eſſe, penes quos eſt *τὸ κύριον* aut ſumma majeſtas in republica. Jam notum eſt ex Ariſtotele, ſummam in republica majeſtatem eſſe non abſimilem animæ rationali in homine. Quemadmodum ſcilicet anima imperium obtinet in omnia corporis membra, & cui organa illa prompte ſemper obediunt, ita & ſumma majeſtas parentibus illa, quæ videntur, utilia præſcribit; cui etiam juſſui morem gerere tenentur ſubditi. Et quemadmodum anima totius corporis bonum quærit, quando non ſe patiatur ab affectibus vinci; ita etiam ſumma majeſtas ſemper intendit ſubditorum ſalutem, niſi in tyrannidem & herile imperium declinet. Ex quibus patet, ſummam aliquam in republica majeſtatem id agere debere, ut ſubditis ſit bene: At vero illa felicitas non poteſt obtineri, niſi ſummæ majeſtati cura rerum importandarum & exportandarum committatur. Nam cum magna naturæ ſit indigentia, ut illa ſuppleatur, non poteſt hoc concedi privatis; illi enim, quid ſibi ſit utile magis ſtudent, quam quid omnibus. Quapropter & Ariſtoteles hanc curam *lib. 1. rhetor. cap. 4.* inter maxima ſenatus negotia retulit. Hoc igitur clarum eſt, ſummæ majeſtati in aliqua republica competere hanc curam.

XXII. Sed cum ſumma majeſtas in diverſis rebuspublicis diverſimode ſe habeat, videamus diverſas rerumpublicarum ſpecies. Summa autem illarum diviſio illa eſt; quod aliæ ſint rectæ, aliæ aberrantes, & rectæ vel ſimpliciter tales, vel ſecundum quid. Reſpublica recta ſimpliciter dicitur optima vel ex voto optima: Rectæ reſpublicæ ſecundum quid dicuntur illæ, quæ pro conditione populi, quantum rerum ſtatus patitur, & pro fine, quem ſibi ſumma majeſtas habet propoſitum, dicuntur rectæ. Et illæ reſpublicæ poſſunt obtineri vel in regno, vel in ariſtocratia, vel in politia, vel mixta etiam republica. Aberrantes ſunt, quæ a ſcopo, quem ſibi deberent proponere, declinant non leviter. Quemadmodum enim, qui viam regiam non ſequitur, eundo in devia magis prolabitur, ita qui aberrantium rerumpublicarum habenas moderantur, quo magis frena ſuæ dominandi libidini laxant, recedunt eo longius a rectis: rectæ enim reſpublicæ ſubditorum magis ſalutem ſibi proponere aſſolent, quam illi, qui aberrantibus præſunt: ex imperantis utilitate ſubditorum æſtimantes commoda. Atqui hæc ſummatim de diverſis rerumpublicarum formis, in quibus omnibus ſummæ majeſtati hæc cura attribui debet, in Monarchia ſcilicet Regi, in ariſtocratia ariſtocraticis, in Politia illis, quibus tunc competit adminiſtratio reipublicæ, in tyrannide tyranno, in oligarchia oligarchicis, in democratia democraticis. Sed in mixta rep. poſſet hæc res videri intricatior. Ponamus rempublicam ex monarchia & ariſtocratia temperatam, ita ut rerum importandarum & exportandarum cura ſit communis, non profecto altera pars poteſt totam hanc curam ſine magno periculo aut injuria alteri concedere; imo ſi altera pars vel vi vel clanculum hanc ſenatus partem ad ſe ſolam rapiat, non poteſt non facile mutatio oriri reipublicæ, præſertim ſi reſpublica mercaturæ quam maxime ſtudeat. Sic v. gr. ſi Duci Genuenſi, aut Veneto, imo Imperatori noſtro ſoli concedatur hæc poteſtas, nimium quantum illorum vires augerentur. Quapropter quam accuratiſſime hoc præcavendum eſt. Sed quæri poſſet: num & optima reſpublica curam debeat gerere etiam rerum importandarum & exportandarum? ut verbo me expediam, ſtatuendum videtur cum Ampliſſ. Dn. Præſide, quod ſcilicet haud opus ſit, rerum præſertim importandarum in optima republica habere rationem, nam optima reſpublica omni rerum ſufficientia debet eſſe inſtructiſſima, at non eſt, ſi aliunde quædam invehantur habeat neceſſe: Qua in parte Ariſtotelis optima reſpublica non obſcure laborat, ſtatuens illius civitatis ad mare ſitum & eſſe opportuniſſimum & commodiſſimum, & præcipue ob rerum neceſſariarum copiam, quæ aliunde & commodius poſſunt invehi, quo mari magis vicina eſt civitas. Certe pleræque urbes maritimæ ſæpe majori rerum abundantia affluunt, quam mediterraneæ; quod vel hodie exemplo omnium fere ad mare ſitarum urbium demonſtrare, non adeo eſſet difficile. Quæ Ariſtotelis ſententia, quam longe a veritate abeat, ſatis ſuperque demonſtravit Ampliſſimus Dn. Præſes diſſert. publ. ad Ariſtotelis doctrinam de optima rep. ſane illa ipſa Ariſtotelis ratio nihil minus, quam commodum optimæ reipublicæ ſitum probare videtur. Nam profecto illa dici non poteſt optima reſpublica, quæ ſibi domi non ſufficit. Imo ipſe Ariſtoteles vult optimam rempublicam virtute conſtare copiisque inſtructam l. 4. c. 2. Qui igitur hanc civitatem beatam æſtimare poteris, cui domi non ſuppetit, quo egeat, ſed a vicinis importandum venit? Et ſecundo rerum importatio ab indigentia ſuam traxit originem; aſt vero omni rerum ſuffi-

ſufficientia domi ſuæ debet eſſe inſtructa illa, quæ omnibus numeris abſoluta eſt civitas. Ex hiſce autem patet, civitatem & quidem ex voto optimam rebus importandis carere debere, certe poſſe; adeoque fruſtra in optimæ reipublicæ cive hanc curam quæſiveris. Num quædam exportari e republica optima debeant & poſſint, facile ex rerum abundantia, vicinorumque indigentia æſtimari poteſt; ita tamen, ut ſi quæ exportentur, & aliorum ſubveniatur inopiæ, liberalitatis ſit magis ſpecimen, quo vicini eo arctius devinciantur, quam ſordidi lucri acquirendi indicium. Atqui hæc de optima rep.

XXIII. Vidimus vero hactenus quidem, cui mera cura illa rerum importandarum & exportandarum competat; ſummæ ſc. majeſtati in republica: & cum illa diverſimode ſeſe habeat, pro diverſis rerump. formis, vidimus etiam, quomodo hac in parte ſeſe gerere debeat ſumma majeſtas. Supra quoque a nobis dictum eſt, rerum permutationem ab indigentia traxiſſe ſuam originem, ex quibus ſequitur, res illas nobis comparandas eſſe ab aliis, quibus egemus. Dictum autem ſupra etiam eſt, hanc vel illam regionem his vel illis rebus ita abundare, ut aliorum inopiam ſua copia poſſit ſublevare. Ex quibus ſequitur, ſi indigentiam noſtram velimus ſupplere res nobis eſſe comparandas ab illis, qui rebus illis abundant. At vero non facile aliqua civitas permittit, ut vel ſeſe invita, vel inſcia, nobis res illas comparemus, quibus illa abundat: hinc jam cum illis civitatibus in eunda fœdera veniunt, quæ ut recte ineantur magna profecto requiritur prudentia, imo ab illis ſalus aliquando reipublicæ dependet. Vide elegantiſſime differentem autorem *von Holland* Intereſſe cap. 33. 34. 35. 36. & 37. Ut igitur fœdera illa & amicitiæ, quas in eunt diverſarum rerumpublicarum moderatores inter ſe de rebus exportandis & importandis, recte ſeſe habeant,, hæc paucula accuratiſſime ſunt notanda. Primo ſcopus tuæ reipublicæ tibi debet eſſe notiſſimus; accurate etiam ſciveris oportet, qua in parte egeſtate prematur tua reſpublica. Deinde quo in loco illarum rerum ſit abundantia, quo illi ſint animo in tuam rempublicam, quo pretio res illas tibi emere, quibus mediis, & inſtrumentis res illas poteris importare. Quæ omnia niſi accurate obſervaveris, non poteris non magnum afferre detrimentum tuæ reipublicæ. Exemplis quibusdam illud illuſtrare in promtu quidem eſſet, & diverſas reſpublicas ad capita illa examinare, quomodo hic ſeſe gerant, res profecto eſſet utiliſſimi operis; ſed quia brevitati ſtudendum, lectorem volumus inſpiciat diverſas hodie & præcipue europæas reſpublicas in quibus tanquam in ſpeculo videre fuerit, qua in parte reſpublicæ illæ vel bene vel ſecus ſeſe habeant.

XXIV. Diximus porro ſupra, diverſas eſſe rerumpublicarum formas; videndum paucis etiam eſt, quomodo ratione finis, quem reſpublica quæque ſibi propoſitum habet, ratio importandorum & exportandorum ſe habere debeat. Omnes ſane in univerſum hominum actiones tendere ad certum aliquem finem, recte jam monuit Ariſtoteles *lib.* 1. *Ethic. cap.* 1. Cum autem finis ſit illud ultimum, cujus gratia omnis omnino actio inſtituitur, & quo obtento nulla eſt amplius operatio, igitur omnes omnino actiones ita debent inſtitui, ut quam commodiſſime finis ille poſſit obtineri. Non unus vero & idem finis ſemper omnibus eſt propoſitus. Alii enim appetunt illud tanquam finem, quod videtur illis ſic ſatis bonum, cum revera non ſit; quidam rectum finem appetunt quidem, ſed malis utuntur mediis ad illum obtinendum, & ita finem ſuum non conſequuntur. Quod igitur in ſingulis actionibus, hominum uſu venit, id etiam in republica. Nam, quod alibi Ariſtoteles dixit, ſi ſingulis hominibus in civitate ſit bene, tum etiam eſſe impoſſibile, ut omnibus ſit bene. Hoc igitur perſpicuum eſt, civitati etiam integræ æque certum & rectum debere finem eſſe propoſitum, quam cuivis alii homini.

XXV. Hoc igitur præſuppoſito, videbimus primo, verum finem, quem ſibi debet omnis reſp. proponere. Deinde videbimus fines illos apparenter bonos, cum tamen revera non ſint ita. Verus autem finis, quem debet appetere civitas, eſt operatio ſecundum virtutem cum rerum ſufficientia conjuncta, uti ſatis in ethicis demonſtravit Ariſtoteles. Ad illum ergo finem obtinendum omnes omnino actiones debent dirigi, & proinde etiam ratio debet haberi rerum importandarum & exportandarum.

XXVI. Finis alicujus reipublicæ, qui apparet tantum rectus, diverſus eſt. Alii enim in longe lateque dominandi potentia collocant; alii divitiis affluere ſtudent; alii in voluptatibus ſummum bonum quærunt, aut ut in tranquillitate vivant & otio. De ſingulis paucula delibabimus, & videbimus, quomodo ratio rerum importandarum & exportandarum ratione ſcopi eſſe debeat.

XXVII. Qui longe lateque dominandi potentiam intendunt, (quales olim Macedones ſub Philippo & Alexandro, Regibus, poſtea Romani, & hodie domus ottomannica: quibus priori ſeculo potuit annumerari Hiſpania poſt Caroli V. tempora ſub Philippo præſertim II. ejus filio.) Illi profecto hoc agant oportet, ut illis rebus ſint inſtructiſſimi, quibus illa potentia poteſt parari; quæ res plerumque arma ſunt. Hinc armis profecto non carere; illa autem ſibi comparare, quæ belli temporibus maxime ſunt neceſſaria, debet, cum vero bellum ſit terreſtre vel maritimum, utroque oportet eſſe inſtructum. Si ſcilicet patiatur regionis ſitus. Qua in re olim ab Hiſpanis peccatum, & etiamnum a Turca, magno totius Europæ bono. Ille ſane, ſi majori ſtudio res ad bellum navale neceſſarias ſibi comparaſſet, forte tam potentes Belgæ nunquam evaſiſſent: Non tamen inficias imus, & alias fuiſſe cauſas infeliciter geſti belli, multumque ſane ſingulari Dei providentiæ tribuendum eſſe. Quod ſi Turca itidem rei maritimæ magis ſtuduiſſet, majorem forſan Europæ partem ad ſe jam rapuiſſet. Cautiores ſane fuere olim Romani, qui mox poſt primum bel-

lum

Digitized by Google

lum punicum majori ſtudio in rem nauticam incubuerunt, rati, non faciliorem viam ad obtinendum terrarum dominium eſſe, quam mari dominari.

XXVIII. Sunt porro quædam respublicæ, quæ divitias appetunt, quales olim Tyrii fuere, (de quibus videri poteſt Eſaias cap. 23. Et Ezechiel cap. 26. 27. 28) & hodie Batavi. Quibus illæ respublicæ mediis uti debeant, exempla præbent duæ illæ florentiſſimæ Tyriorum & Batavorum respublicæ: quæ non niſi commerciis floruere, & hoc egerunt unice, ut ſolæ quaſi eſſent, quæ mercaturam exercerent, adeo, ut reliquæ regiones cogerentur ab illis emere res illas, quibus egebant, ſic ſatis care, & res ſuas, quibus abundabant, illis rurſus vendere. Qua commutatione, dici non poteſt, quantum divitiæ augeri poſſint; præſertim hoc ſeculo, quo vitæ voluptuoſæ ita ſe dedunt homines, ut luxuria pene diffluant, & nil præter res exoticas ſibi exoptent. Qui igitur illarum rerum monopolium aliquod ſibi poſſit acquirere, dubium non eſt, quin magnas imo ingentes ſibi divitias poſſit comparare. Nobiliora vero etiam artificia multum ad finem illum conſequendum juvant. Qua de re videri poteſt elegans Borniti ICti liber de rerum ſufficientia.

XXIX. Alii præterea in voluptatibus ſummum bonum quærunt. Quod de Perſis nonnulli affirmant, patet autem manifeſto in Heliogabalo aliisque nonnullis monarchis: nam in rebuspublicis præter monarchiam aliis, rarius hoc uſu venit. Ad illum autem finem obtinendum utique aliis rebus abundare debet respublica, quam ſi rei militari ſtudeat, voluptas autem illa vel eſt in victu, vel amictu. Quas vero jam hic gula non excogitat delicias in cibo & potu? quam varia eſt veſtis? quam magnificæ ædes? & quæ ſunt hujusmodi. Verbo autem ut complectamur etiam pro diverſitate finium aliter atque aliter ſeſe ratio importandarum & exportandarum habet. Quare provide conſiliarii munus eſt, finem ſuæ reipublicæ accurate cognoſcere, eoque cognito, media invenire ad ſcopum illum perveniendum.

XXX. Cæterum hiſce jam in medium adductis, reſtat ſaltem, ut videamus, quomodo reipublicæ malis, quæ oriuntur ex rebus importandis & exportandis, occurri poſſit. Igitur res illæ, quæ rempublicam noſtram affligunt, vel in ſolo noſtro ſunt, vel aliunde importantur. Si prius, tum videndum, quibus mediis illarum rerum abuſus tolli poſſit. Hoc autem fit triplici modo. Vel enim res illæ exportantur, ne quis iis poſſit abuti vel prohibentur cives rebus illis abuti; & hoc fit, vel vi vel quibusdam occultis artibus, vel vero etiam ita inſtituuntur ſubditi, ut nolint rebus illis abuti. Si in ſolo igitur tuo quarundam rerum magna ſit abundantia, quibus vel ad luxum vel ad otium abutuntur ſubditi, illæ res quantum fieri poteſt exportandæ ſunt ad vicinas gentes. Hoc ipſum autem fieri poteſt, ut duplicem inde capias utilitatem: primo enim ſubditi non corrumpuntur amplius, & ſecundo care aliquando venebuntur eædem res iis, ad quos deferuntur, ut proinde tu non exiguum ſentire poſſis lucrum. Quod ſi hoc obtineri nequeat, quandoquidem deſtitueris quibusdam inſtrumentis, quibus res illæ evehi poſſunt, vel quia ſubditorum adeo corrupti ſint mores, ut nolint illis carere, tum vi rerum illarum abuſus interdicendus fuerit. Quod hodie in Gallia prudenter obtinet: ubi de plebe homines auro, & argento, & veſtibus ſericis, uti prohibentur; Idem vero in urbibus quibusdam imperialibus, præſertim ubi oligarchicus ſtatus viget, uſu receptum eſt, dum tenuioris fortunæ hominibus pretioſarum veſtium uſus & lautiora convivia interdicuntur. Verum num illi hoc proprie intendant, ut ſubditi a fœda voluptate abſtrahantur, fortaſſis merito dubites. Primo ſane poſſit videri, arcana eſſe illius ſtatus, quo ſuum dominatum oligarchici ſtabiliunt; ſoli ſcilicet præ aliis dum ſtudent eminere, ſibi ſolis & opiparos cibos & pretioſas veſtes deberi opinantur: quæ, ut ſive æmulatione & non magno pretio obtineant, aliis iſthæc prohibentur. Accedat, quod ſæpenumero iſtis interdictis ſpectatur potiſſimum, ut cives ſint prompti ad tributa ferenda: atque ita illorum parſimonia dominantibus ſit quæſtui. Cæterum, ut in viam redeamus, ſi nec hoc obtinere poteſt, a teneris aſſuefaciendi ſunt ſubditi, ne luxuriei ſe dedant. Qua in re multum præſtare poterunt illi, quibus juventus erudienda traditur: Sed, ut nunc ſunt mores, ab eis paſſim ſperaveris hoc forſan, vix ac ne vix impetraveris; ſi ſane ab aliquibus, non tamen a cunctis. Quod ſi præterea neque poſſis res illas exportare, neque prohibere, & inſuper dediti ſint voluptatibus cives, occultis quibusdam artibus ſenſim a luxuria debent abſtrahi. Elegans in hunc uſum exemplum præbet nobis Rheydanus, vir rerum belgicarum ſui temporis peritiſſimus. Verba ejus ex hiſtoria anni ſuperioris ſeculi nonageſimo octavo referam, ſed prout ex batavicis latinitate donata ſunt a Dionyſio Voſſio. *Sed*, inquit, *cum fortunis ſimul & faſtus & luxus in veſte & ſuppellectile, inque commeſſationibus crevit. Memorare ſingula cum ſupervacuum ſit, exemplum, unde cætera conjectentur, unum alterumve proponam. Wormeræ, qui Hollandiæ pagus eſt, mulieres amylo parando quæſtum facientes, quot hebdomadis tricenas-tritici vehes conſumebant. Amſtelodami unus eandem exercens artem pari ſpacio ternas vehes. Equidem ante paucos etiam annos non niſi furfures panem pinſentibus inutiles, eam ad rem uſurpabantur. Nunc poſtquam multum in longitudinem promittere collaria & ſinuare, poſtquam plagulis revincire caput, & reticula uciculis nectere luxus docuit, amylo parando flos ipſe tritici tam profuſe impendebatur, ut ſuſtentandis magnis urbibus ſufficeret. Hollandiæ proceres cum nullum malo remedium viderent, novum tributum, quo ſaltim reipublicæ ex hac luxuria fructus aliquis eſſet, amylo impoſuerunt, videlicet ſeſtertium in ſingulas libras; quod quamvis partem fere quintam totius pretii æquaret, leve tamen erat, quando ſolis opulentioribus id oneris incumberet.* Prudenter hæc Reidanus. Eodem autem fine, quam olim Lycurgi lege Lacedæmon coquos nullos admittebat. Quin & eodem pertinet antiqua quoque Athenienſium lex, qua odium ſuum erga decoctores teſtata

 eſt,

eſt, dum illos infames eſſe voluit; ut videre eſt apud Samuelem Petitum *lib. 5. tit. 2. leg. 2. de legibus atticis.*

XXXI. Atqui fere hi ſunt modi, quibus obviam iri poteſt, ſi in ſolo noſtro res illæ ſint, quibus abutuntur. Sequuntur jam res illæ, quæ aliunde invehuntur. His rurſus poteſt occurri varie. Primo enim vel exteri, qui res illas invehunt, prohibentur res ſuas ad nos deferre; vel ita vectigalibus poſſunt premi, ut vel abſtineant noſtri ſubditi ab illis tam care emendis, vel deterreantur ipſi, ut ſuo damno divendant. Et vero vel ita imbuuntur ſubditi, ut abſtineant ab illis emendis, & ad voluptatem abutendis: vel aliis quibusdam occultis artibus.

XXXII. Unum reſtat quaſi coronidis loco addendum. Lex *ſc. 16. ff. de publicanis & vectigalibus*, ubi enumerantur ſpecies ad vectigal pertinentes. Quæ profecto res, ſi non omnes, plurimæ tamen luxui magis inſerviunt, quam neceſſitati humanæ, præſertim ſi tanta illarum copia rerum adſit, ut non exiguo vectigali onerari poſſint. De hac autem lege quæri poteſt, & inſtitui aliqua quæſtio politica, an ſcilicet reipublicæ romanæ expediverit illam tuliſſe. Non poteſt autem hæc quæſtio commode expediri, niſi ante fuerit certo conſtitutum, quem finem ſibi respublica romana habuerit, quo tempore lata lex eſt. Quod ſi ſane juſtum & bono reipublicæ aptum ſcopum propoſitum ſibi habuit, haud omnino illam probaveris. Si vero propoſitum dominantibus fuit Imperatoribus populum luxu imbellem reddere, (quod vero ſimilius) quam potius quis illum laudaverit. Sed non eſt hujus inſtituti hiſce & ſimilibus amplius immorari.

HERMANNI CONRINGII
DISSERTATIO POLITICA
DE FŒDERIBUS.

Ad diem 5. Novembri MDCLIX. habita.

RESPONDENTE

ENGELBERTO *Corbmacher.*

Theſis I.

Cum proprietatem rei oſtendat verbi etymologia, multumque momenti in pura ac ſimplici verborum explicatione poſitum ſit, turpe inſuper differenti proprios terminos ignorare, & prius determinare rem ipſam, quam terminos percipere oporteat, ne in æquivoca dilabamur, ſed ſignificata recte diſtinguamus, unde fœdus dicatur, paucis indagabimus. Et quidem nonnulli nomen hoc manaſſe putant a fide, quod illa interponitur in fœdere. Unde & feciales dicti ſacerdotes, per quos fiebant fœdera. Alii deducunt ab adverbio fœde & cædendo, quia apud Romanos ad fœdera facienda utrinque feciales adhibebantur, qui firmato fœdere porcum cædebant ſilice, ejusmodi exitium imprecantes capiti illius, qui prior fœdus violaſſet. Livius *lib.* 1. Hic tamen modus pangendi fœdus non fuit unus idemque ſemper, ſive varios populos alios, ſive ipſum unum Romanum ſpectemus; alibi ſane alium ritum fuiſſe adhibitum, conſtat. Nimirum apud Romanos ſimulatque de fœdere inter partes convenerat, fecialis ſumto in manibus lapide, dicebat: *Si ſine dolo malo hoc fœdus facio: Dii mihi cuncta felicia pretia præſtent, ſin aliter aut ago, aut cogito, cæteris ſalvis ſolus ego peream, ut hic lapis de manibus meis decidet:* & mox lapidem dejiciebat. Scytæ vero hoc modo ſanciebant: infuſo in grandem calicem vino, commiſcebant eorum ſanguinem, qui ferirent fœdus, percutientes cultello, aut incidentes gladio aliquantulum corporis, deinde in calice tingebant ſagittas, ſecurim, jaculum: hæc ſimulatque feciſſent, ſeſe diris devoventes, poculum evacuare, non modo ii, qui fœdus faciebant, ſed etiam comites illi, qui erant maximæ dignitatis. Alii populi, ut Arabes, Barcoei, alium morem adhibuere, teſte Polydoro Vergilio *de invent. rer. lib. 2. c. 15.*

II. Significatio quoque nominis diverſa eſt, cum vocabulum ſit πολύσημον. Primo enim pacem denotat, quæ feritur inter dimicantes: & hanc eſſe propriam & genuinam hujus vocabuli ſignificationem, exiſtimant nonnulli Lexicographi. Secundo pro neceſſitudinis alicujus vinculo etiam accipitur: unde fœdera amicitiæ dicimus pro neceſſitudine illa, quæ eſt inter amicos. Ovidius *l. 3. Triſt. Eleg. 6.*

Fœdus amicitiæ non vis chariſſime noſtræ,
Nec ſi forte velis, diſſimulare potes.

Tertio fœdera lecti pro conjugali copula, ut Ovid. 2. Metamorph. teſtatur.

Illibata thori da tantum fœdera priſci.

Quarto quandoque etiam pro lege ſumitur, ut apud Virgilium lib. 1. Æneid.

Regemque dedit, qui fœdere certo
Et premere, & laxas ſciret dare juſſus habenas.

Quinto, pro contractu publico publicæ amicitiæ, mutui auxilii, commerciorum, aliorumque, quorum inter respublicas poſſit uſus eſſe gratia, a diverſis civitatibus inito. Et hæc poſterior ſignificatio eſt hujus loci.

III. Eſt

III. Eſt autem tale fœdus, conventio publica, a perſonis ſumma poteſtate præditis inita, communis commodi ergo, ut ſancte ſervetur, & ſi minus ſtetur dictis, non ſolum contrahentes, verum etiam ipſi populi, quorum autoritate fœdus eſt initum, aut qui pars quaſi ſunt contrahentium, iræ divinæ obligentur.

IV. Fœdus autem dicitur *conventio publica*: ut hac nota differat non tantum a contractibus privatorum, ſed & a contractibus Regum circa negotia privata, conventiones hæ enim niſi jure imperii majoris & minoris fieri nequeunt. *Hugo Grot. D. J. B. & Pac. lib. 2. c. 15. §. 1.* Refertur enim jus ineundi fœdera ad jura majeſtatis. *Ariſtot. 4. pol. 14.* & hac qui præditi ſunt, de iis non dubitatur, quin rite fœdera jungere poſſint. *Clariſſ. Dn. Beſold. l. 1. c. 4. n. 28. & l. 2. pol c. 6. n. 8. Daniel Otto in diſſert. de jur. publ. c. 11.* Neque vero ab hoc abit illud, quod & urbes liberæ Imperii Germanici, quæ appellantur, fœderum pangendorum jus aliquod habeant. Participant nimirum & illæ quodammodo ſummam poteſtatem, atque hactenus fœdera poſſunt inire. Quoniam vero totius imperii reipublicæ & Cæſari ſunt ex parte obnoxiæ, hinc coguntur in fœderum legibus ſemper excipere, nihil factum iri, quod imperii conventionibus adverſetur.

V. Additur porro, *ut ſancte ſervetur.* Enim vero antequam contrahatur fœdus, ſumma opus eſt prudentia, ut ingenia eorum quibus cum icimus fœdera nobis ſint explorata, ne circumveniamur: cum familiaris multorum contrahentium ars eſſe ſoleat, allicere animos ſpecie amicitiæ, ac poſtmodum fallere. *Barclajus Arg. lib. 1. p. m. 60.* Paſſim ſane Tacitus haſce artes fraudulentas narrat. Et diſerte *Annal. 2. cap. 3.* Artavasdem Armeniæ Regem ſpecie amicitiæ inlectum, dein catenis oneratum, & ab Antonio interfectum refert. Ut autem prudenter fœdera ſunt ineunda, ita ſemel contracta inviliolabiliter ſunt ſervanda. *Vid. Inſtit. Vir. publ. privat. aulic. part. 7. Concluſ. 2.*

VI. In fœderibus autem publice contractis ut plurimum hoc evenire ſolet, quod alias in genere in quam multis hominum contractibus videmus evenire, imo vero in omnibus etiam privatorum conventionibus contingeret, niſi auctoritate & vi imperantium in officio privati continerentur, nimirum quod fœdera raro matureſcant, ſed in ipſa veluti herba deficiant. Reges ſane (ſicut quidem inquit Polybius lib. 2. eſt autem commune omnibus pene ſummis poteſtatibus) natura neminem vel amicum vel hoſtem ducere ſolent, ſed ex ſuis ſemper utilitatibus amicitias æſtimant. Nec privatorum more amicitiæ ex affectu vel morum concordia eliguntur, ſed pro ratione commodi regnorum ſuorum, nunc indignos & exoſos per arctiſſima fœdera ſibi conjungunt, nunc omnium nexuum jura omniſque ſanguinis charitatem, in humana neceſſitate coacti negligunt. Chariſſimus quippe illis eſſe ſolet, qui utilitate præcipua potentiam illorum alit, & affinitates pulcherrimæ cenſentur, quæcunque regnum ſtabiliunt. Imo Regibus ſæpe filias aut ſorores, ſcio, ſpargi in eos, quos fallere amicitiæ ſpecie volunt, vel ad tempus placare, nihilque deinde ſui ſanguinis pignoribus, nihil nominum, quæ mutuo inierunt, reverentia motos, pacem & bella ex temporum & fortunæ æſtimare ingenio. Sicuti loquitur Joannes Barclajus l. 3 Argenid.

VII. Parum vero intereſſe cenſeo, an jurato, an vero nuda ſtipulatione fœdera contracta ſint, cum tantum valere debeat ad fidem Principum omniumque ſummarum poteſtatum verbum, quantum privatorum jusjurandum, quod etiam pronunciaſſe dicitur Alphonſus Neapolitanorum Rex. Amavit vero idem & fortiſſimus Cæſarum germanicorum Fridericus Barbaroſſa apud Guntherum Ligurini lib. 3. ubi ita loquitur,

Jus & reverentia verbo
Regis ineſſe ſolet quovis juramine major.
Sancta & plena ſuo ſint regia pondere verba:
Non decet in labiis verſari lubrica Regis,
Non decet ore ſacro mendacia cudere Regem.
Dicta ſemel nullum patiuntur jure recurſum.
Ergo quid inſtigas jurando jura paciſci?
Pone metum curæ, vel non juratus habebo.

Hinc & laudatiſſimus Rex Conradus tertius ſymboli loco habuit: *Non decere verbum regium immutari*: quod refert Lehmannus lib. 5. cap. 50. Sunt autem pacta conventa rigide adeo a ſummis quoque poteſtatibus ſervanda, quia & illis opus eſt fide mutua, non minus atque univerſo humano generi. Nec vero ſi fidem fallere ſueverint ab aliis tuto illis creditur, nec ipſæ aliis audent credere. Quo nihil in vita poteſt magis eſſe noxium; præſertim ſi poteſtates illæ indigeant aliorum amicitia vel auxiliis; quod fit plerumque. Accedit, quod violatione fœderum ipſa Principum autoritas violetur. Quamvis enim ſcilicet deforme ſit in homine privato reſcindere pacta, nec ſtare promiſſis, multo magis verius eſt in Principe, & quidem quanto hic ille præſtet: Quippe

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur

Atqui vero ad ſalutem imperantium ſumme neceſſaria eſt autoritas, & ſaltem in opinione eſſe virtutis apud omnes, etſi exactæ virtutis habitui nonnihil deſit.

VIII. Fœdera ſane jurejurando confirmata quam ſanctiſſime ſervari debent, idque etiam ob divinam perjurii vindictam. Licet enim ad tempus perjuria interdum celentur, nec Deus illico ex merito ſæviat in ejusmodi impie perjuros, ſed diu interdum ſe lædi patiatur, nunquam tamen inultum id aufferri ſolet, quinimo vindictæ tarditates gravitate pœnæ tandem compenſantur.

Sera

Sera licet ſint tela Jovi, nec protinus omne
Ad ſcelus armato turbet ſua ſydera nymbo:
At vigili ſtat mente memor, pœnasque merentum
Annumerat Nemeſi juſta Themis ardua cura.

IX. Cæterum, id quod diximus, non contrahentes duntaxat, ſed etiam populos illos, qui actu non contraxerunt, violatione fœderum ad pœnam obligari, videtur legibus tam divinis, quam humanis contrariare. Notum enim ex ſacro codice, quod anima delinquens morietur. Deut. 24. v. 16. Sed & jure civili romano certiſſimum eſt, ex alterius contractu neminem obligari *l. pen. C. ne ux. pro marit.* Pactaque inter alios acta iis debere prodeſſe & nocere, cum quibus inita ſunt, *l. ſi unus 27. §. pacta 4. v. ante omnia ff. d. pactis.* Ei ſane, cui factum eſt pactum, quæritur actio, cum alteri ſtipulari vel paciſci nemo poſſint. §. *alteri inſt. d. inutil. ſtipulat.* Et peccata ſuos teneant autores *argum. l. 22. C. de poen. l. 26. ff. eod. tit.* Unde & Guntherus in Ligurino recte ait:

Inſontes culpa nocentum
Non trahat, ex propriis juſto ſub judice factis
Præmia ſeu pœnas meritorum quisque reportet.

At vero animadvertendum eſt, perſonarum alias quidem quaſi ſimplicia, alias quaſi compoſita eſſe corpora. Hoc dicimus, quæ homines alios comprehendunt, ſuntque iis velut caput membris, aut anima corpori. Actiones porro humanæ aliæ peraguntur tanquam a privatis, aliæ vero tanquam a publicis perſonis; idque ſive expreſſo, ſive tacito conſenſu publica autoritas illis conceſſa fuerit. Sunt autem ſummæ poteſtates in fœderibus pangendis non privatæ; ſed publicæ perſonæ; inque iis negotiis agunt etiam populorum ſuorum civiumque cauſam, perinde ut capita membrorum, aut ſimpliciter animæ corporum. Eoque ſummæ poteſtates non tantum tanquam privati homines per fœdera obligantur, ſed tanquam publicæ: Atque adeo & peccata, quæ circa fidem ab iis committuntur, non injuria ad pœnam quoque cives populosque ſubditos obſtringunt. Et vero capiti tanquam principali membra ſubalternantur. *l. cum in diverſis ff. de relig. & ſumpt. funer. faciend.* & membra ſequuntur caput. *Panorm. cap. cum non liceat. 10. d. præſcript.* Et regulariter idem juris ſtatuitur de membris, quod de capite. Borcholt. *in comment. ad conſuet. feud. cap. 6. num. 35.*

X. Fœdera omnia non ſunt ejusdem indolis. Et quidem apud Romanos vulgo olim numerabantur tria eorum genera. Unum, cum bello victis dabantur leges a victore, ipſiusque jus & arbitrium erat, ex iis, quæ dedita fuiſſent, habere, quæ vellet, & mulctare. Alterum, cum bello pares æquo fœdere in pacem & amicitiam veniebant: tunc enim fas erat, repeti res, reddique ac componi eas, per quas poſſeſſio turbata foret. Tertium, cum, qui hoſtes nunquam fuerant, ad amicitiam ſociali fœdere inter ſe jungendam coibant: tum vero ii, neque dare, neque accipere leges debebant, id quod aut victoris, aut victi eſſe conſtat. Verum cum hæc diviſio magis ex temporum illorum uſu, quam ad rigidas artis leges facta ſit, judice etiam Hugone Grotio, & fortaſſis rectius fuerit, ſi nos conventiones hasce publicas, in æquales ſeu plenas, & inæquales diſtinguamus. Æquales autem ſunt, quæ utrinque eodem modo ſe habeut. Quo illud pertinet Æneæ apud Virgilium:

Nec mihi regna peto, paribus ſed legibus ambas
Invictas gentes æterna in fœdera mittam.

Tale quid fit, quando aliquod regnum, aut aliquis liber populus cum alio regno, aut alio populo in unam rempublicam pari jure & conditione coaleſcit. Tale fœdus præſtat maris & fœminæ conjunctio ſive matrimonium, quandoquidem illud naturæ legibus conformiter initur. Speciem quodammodo ejus habet confœderatio aliorum populorum, quando unus alteri ſeſe ſubjicit, aut quaſi dat in ſervitutem. Cujusmodi quid fuit pactum inter Iſraelitas & Gibeonitas, apud Joſ. cap. 9. Inæqualis ſeu non plena confœderatio eſt, qua diverſæ provinciæ vel regna, ſalvo ſingulis ſuo majeſtatis jure, quoad auxilia mutua contra hoſtes ferenda, vel quoad fidem præſtandam, vel ad pacem inter ſe & amicitiam colendam, vel quoad communes amicos & hoſtes communi ſumptu habendos ultro citroque icto fœdere, ſeu pacto inito, ad tempus certum vel incertum ſe obligant.

XI. Fœdera autem & pacta hæc, quibus tales confœderati devinciuntur inter ſe & conjunguntur, conſtant certis legibus, pactis & conditionibus, ſecundum quas explicantur, & vim ſuam ſortiuntur, *arg. l. 7. juris gentium §. idcirco ff. de pact.* Eaque ſtipulata manu, ſcripturis, ſigillis, & quandoque juramentis confœderatorum confirmantur. Ex illis vero pactorum tabulis, facta accurata interpretatione, controverſiæ omnes fœderum ſunt definiendæ: non vero temere præſumendum eſt de fœderum legibus ex aliorum conſtitutis. Quoniam enim omnes ejusmodi conventiones ſunt meræ facultatis, atque adeo ex liberrimo arbitratu contrahentium proveniunt, arbitria autem hominum poſſunt eſſe, & re ipſa ſunt, infinitis modis diverſa; liquet utique, ſingulorum fœderum conditiones non niſi ex ſingulorum pactis conventis æſtimandas eſſe. Qua in re graviter & illi peccant, qui leges omnium Regum volunt eſſe easdem: ut & qui omnibus Regibus attribuunt jus illud, quod Samuel Regibus iſraeliticis competitum iri prædixerat, aut quod Cæſaribus tribuit Sanctus Apoſtolus Paulus.

XII. Quoniam porro in omnibus fœderibus ſumma opus eſt prudentia, cum noſtro præprimis ſeculo, (proh dolor!) noxæ integritas, contumeliæ pudor, ludibrio fides, litigio omnis contractus commutatur; hoc quoque cavendum ſedulo, ne facile fœdera cum quibusvis populis ineantur

eantur

Google

cantur perpetua, utpote cum hoc quidem valde ſit pernicioſum, ceu recte cenſet Bodinus *lib. 5. cap. 6 de republ.* Multa ſiquidem intervenire poſſunt, quæ animum mutare merito queant contrahentium. Tum vero multi hodie ſunt, qui cum Julio II. Pontifice, ex ſua libidine & propriis commodis omnia contra æquitatem moderantes & dimetientes, omnia rata irrita habent, nec aliam ob cauſam ſe fœdera, niſi fallendi gratia, iniiſſe ultro jactant: certæ utilitatis gratia, fraudes ac perfidiam admittunt, prudentiæ loco ponentes, pro moribus temporum alios decipere. Quales utique fuere Wenceslaus Meroſchuva ac Octavianus Fregoſus. Illum ſane Hippolitus a Lapide d. rat. ſtat. part. 1. Sect. 4. dicere ſolitum memorat: *Totus mundus fuco utitur; cum vulpibus vulpinandum eſt: pueri nucibus, viri juramentis fallendi ſunt. Nec infame eſt violaſſe jurisjurandi religionem Fecerunt hoc noſtri Principes: Nos cariores habebunt, ſi non modo præ eis patiamur & belligeremus, ſed etiam peieremus. Dum crepundia vendunt inſtitores, ſimulant, mentiuntur, pro aſſe peierant. Et nos id non faciemus pro regnis & arcibus? Faciemus & quidem libenter.* Hujus mentionem Lehmannus in Chron. Spirenſ. lib. 5. cap. 60. injicit: Objurgatum aliquando a Leone Pontifice Maximo; cum quo ipſi fœdus erat, quod contra datam fidem Regi Galliæ ſuppetias tuliſſet, hujus argumenti literas ipſi ad eluendum crimen transmiſiſſe: *Grave quidem mihi futurum, me hominibus rationis ſtatus rudibus purgare, quod promiſſis non ſteterim; Aſt quoniam mihi cum prudenti ac præpotenti homine, Papa Romano, res eſt, quemque non latet, Principi vitio ac injuſtitiæ non dandum, ſi qua dilatandi regni, aut evidentiſſimæ utilitatis gratia pacta non ſervet; nullus dubito, quin me facile excuſatum ſis habiturus.* Hujusmodi autem homines fraudulenti cum primo aſpectu noſci nequeant, ſed ſæpenumero videantur quantivis precii, dum, ut loquitur Comicus: *Creta ac veſtitu occultant ſeſe ac ſedent quaſi ſine frugi:* etiam hac de cauſa ſpecialem annorum declarationem in fœderibus plerisque ineundis, ad præſcindendas fallacias, ac ut illis detectis ac cognitis reſilire poſſis, exigit prudentia.

XIII. Quanquam non diſſimulaverimus, cum fœdera ſint contractus bonæ fidei alterutrius partis doli mali patuerint, jure meritiſſimo, quamvis perpetua fœdera, illico reddi irrita. Quod usque adeo eſt verum, ut ſi quæ pars contrahens ſentiat ſeſe circumventam, aut ex fœdere ſupra modum læſam, poſſit illa merito a fœdere reſilire & ſemetipſam quaſi in integrum reſtituere. Reſtitutio ſane in integrum ex naturali jure competit quoque ipſis ſummis poteſtatibus, non vero ſolis privatis civibus ex jure prætorio romano; ceu ampliſſimus Dn. Præſes demonſtrat, *c. 19. de finibus imper. germ. p. 370.*

XIV. Non poſſumus hoc loco ſilentio prætegire nobilem quæſtionem, num ſcilicet conducat reipublicæ, fœdere inito externis auxiliis & armis res ſuas munire? Et vero nonnulli prudentum id omnino improbant. Quo pertinet etiam ille Apologus, quem Horatius *lib. 1. epiſt. 10.* ſic decantat:

> *Cervus equum pugna melior communibus herbis*
> *Pellebat, donec minor in certamine longo*
> *Imploravit opes hominis, frenumque recepit.*
> *Sed poſtquam victor violens deceſſit ab hoſte*
> *Non equitem dorſo, non frenum depulit ore.*

Etiam ipſum Machiavellum improbaſſe ſimpliciter militiam auxiliariam, liquet ex Principis cap. 13. Ex adverſo tamen uſus quotidianus a plurimis usque ſeculis docuit, magno commodo arma auxiliaria cedere. Igitur non profecto ſimpliciter illa repudianda ſunt. Nec ſimpliciter tamen etiam ſemper iis utendum eſſe dixerim. Prudens itaque diſtinctio in illorum uſu eſt adhibenda. Quam tamen non meis, ſed ampliſſimi potius Præſidis verbis nunc proponam, repetitis ex manuſcriptis animadverſionibus ad 13. illud Machiavelli cap. & quidem illa Machiavelli dicta, quibus citra diſcrimen auxiliarem militiam damnat: „Hæc in univerſum (*inquit Dn. Præſes*) de militibus auxiliaribus dicta vero conſentanea non ſunt. Ipſi utique Romani ſociorum armis fere „nunquam non pugnaverunt, & quidem quam ſummo cum fructu. Similia exempla plurima ex „omni veteri ævo poſſent adduci, ſi ſit opus; ſed ne opus ſit, efficit perpetuus noſtri etiam tempo„ris uſus. Sic igitur res ſeſe habet. De auxiliari militia duo ſemper jure metuenda veniunt. Al„terum horum eſt, ne illa incommodo loco & tempore te deſerat; Alterum, ne temetipſum oppri„mat. Nec vero id, quod hoc loco Machiavellus monet, quod ſcilicet fracta illa auxiliari militia „etiam tua respublica corruat, ſemper locum habet, ſed tum demum, quando tota vis reipublicæ „eſt in auxiliis collocata. Non proprium etiam hoc eſt auxiliaris militiæ, ſed in univerſum com„mune eſt: militia omni illa ſcilicet fracta, nunquam non respublica cedit poteſtati victoris. Cæ„terum illorum duorum, quæ nos metuenda diximus, infinita ſunt exempla. Solet autem prius „tum maxime contingere; quando major aliqua utilitas ex deſertione poſſit a ſocio ſperari, quam „ex fideli auxilio. Sunt nimirum fœdera pleraque nihil aliud, quam utiles quædam amicitiæ; „Et rariſſimum eſt, ut utilitatis ratione mutata, robur fœderis maneat firmum. Poſterius evenit „potiſſimum, quando omnis, vel potiſſima reipublicæ vis in auxiliis poſita, propria autem militia „eſt vel nulla, vel perexigua ac proinde contempta. Unde manifeſtum eſt, pernicioſum eſſe, „vel certe admodum periculoſum, ſi propriis viribus non ſatis inſtructus potentibus exterorum „auxiliis ſalutem reipublicæ concredas. Igitur ita utendum auxiliis, ut maneant auxilia, hoc eſt, „ut vires exercitus potiſſimæ tibi ſint propriæ; Exteri vero non niſi membrum ejus faciant. Sive „ut cum Livio lib. 25. cap. 33. loquamur: id cavendum ſemper ducibus, exemplaque pro docu„mentis habenda, ne ita exteris credant auxiliis: ut non plus ſui roboris ſuarumque proprie vi„rium in caſtris habeant. Hac plane unica ratione Romani, aliique in rem ſuam ſecure ac felici-

„ter ſociorum armis uſi ſunt. Porro de fide auxiliorum non major aut certior exſpectatio facien-
„da eſt, quam facere certo illam jubeat utilitas ſociorum: quoniam etſi interdum ulterius ſeſe et-
„iam extendat, cum rariſſime tamen hoc fiat, ex eo, quod plærumque fit, prudentis eſt conſilium
„capere. Poſtremo, quo magis minusve in arbitrio auxiliantium poſita ſunt auxilia, eo magis
„minusve licet illis credere. Hinc ſane fit, ut auxilia omnium certiſſima illa ſint, quæ ſocii minus
„potentes coguntur præſtare potentioribus: utpote quæ negari nequeant, ſine ſummo periculo
„a potentiore expectando. Qnalia olim erant auxilia, quæ ſocii romano populo præſtare ex fœ-
„dere tenebantur: debiliores ſcilicet per quam potentibus.

XV. Ut porro nonnihil etiam adjungamus, quibuscum fas ſit fœdera inire, illud duntaxat videbimus: Licitene cum infidelibus ſive iis, qui a vera religione alieni ſunt, fœdera ineantur. Atque in jure naturæ quidem id dubitationem non habet, nam id jus ita omnibus hominibus commune eſt, ut religionis diſcrimen non admittat, a naturaque ſuggeri videtur, ut quocunque modo vitam tueamur. Sed de jure divino quæritur, ex quo hanc quæſtionem prolixe tractant non Theologi tantum, ſed & JCtorum nonnulli. Cæterum jure divino veteri quidem, fœdus cum diverſis a religione hominibus contrahere ante Moſis legem licuit. Hoc enim utique exemplo ſuo nos docet Jacob, cum Labane fœdus iniens *Gen.* 31. Nec id Lex per Moſeu mutavit: Eoque populus iſraeliticus cum omnibus vicinis populis, ſolis exceptis ſeptem cananiticis, juſſus eſt amicitiam colere & regnum etiam ſanctiſſimi quique cum vicinis populis fœdera ſuper commerciis, ſuper pace & bello, imo ſuper auxiliaribus armis, niſi ſingulatim a Deo vetaretur, inierunt: ceu ex codice veteris Teſtamenti luculentiſſime notum eſt. Nihil etiam reperitur, quod obſtat in lege evangelica. Imo vero hæc maxime favet ejusmodi fœderibus, quibus hi etiam, qui a religione alieni ſunt, in cauſſa juſta ſublevantur: quia beneficentiam in quosvis homines data occaſione, non liberam modo reliquit & laudabilem, ſed & ſub præcepto poſuit. Nam Dei exemplo, qui ſolem oriri facit bonis & malis, & pluvia utrosque humectat, jubemur nullum genus hominum a beneficiis excludere, ſalva duntaxat aliqua gradus differentia. Quin hoc exemplo ipſius Salvatoris probatur, a Samariti de fœmina aquam accipientis, cum tamen exemplo ſuo voluerit præire ad bonos mores. Nobis certe germanici imperii civibus jubet neceſſitas ejusmodi fœdera & inire, & inita ſanctiſſime ſervare. Qui enim alias ſtare poſſit pax religionis, publica conſtitutione inter Pontificios & auguſtanæ confeſſioni addictos facta? Palladium certe illa eſt hodie Imperii, idque non duntaxat concordiæ civilis, ſed etiam avertendi externi hoſtis cauſſa. Qua enim mente, quibus viribus, quo conſenſu contra Mahometem conjunctim pugnabimus absque illo fœdere? Huc reſpiciunt verba Seldii Cancellarii Imper. ad Ferdinandum I. ſcripta: *Ob ſchon Eure Majeſt. mit allen andern Ständen, ſo die Päbſtliche heiligkeit für Ketzer hält, ſondere Bündnis hätte, und ohne daſſ die Vergleichnis des gemeinen Friedens, mit allen Standendes Reichs: Dieweil Eure Majeſt nicht gemeinet, jemand dadurch in ſeinem Irthum zu ſtærcken und zu erhalten, ſondern was des halbent auffgericht, das iſt allein auff die Erhaltung des gemeinen Friedens, und dann den Wiederſtand gegen den grauſamen Erbfeind Chriſtliches Namens und Glaubens, den Türcken angeſehen, ſo ſag ich gut runt, daſſ ſelche Bündniſſ nicht gar undienlich, ſondern zulæſſig, löblich und ehrlich wæhre.* Sed hac de re meretur legi Rumelinus *ad A. B. diſſert.* 4. *c.* 15. *additam.* 35. Hæc usque adeo ſunt clara, ut non difficile ſit, ea quæ contra adferuntur, convellere. Et vero fatemur, ſi quos Reges aut populos, extra eos, qui in Lege expreſſi erant, exoſos ſibi & damnatos per prophetas Deus ſignificarat, eorum tutelam ſuſcipere aut cum iis arma ſociare nefas fuiſſe. Huc ſane illud pertinet prophetæ ad Joſaphatum de Rege Iſraelis; *Te ne improbo opitulari & eos diligere, qui Deum oderunt? & ob hoc ipſum in te exarſit ira Dei.* Minime vero hinc conſequens eſt, omnium infidelium populorum & Regum parem fuiſſe apud Deum condemnationem. Sed & in hoc fortaſſis quam maxime peccavit Joſaphatus, quod divino auxilio, quod ipſi tamen abunde ſuppetebat, diffiſus fuerit atque ex illa diffidentia ad auxilia infidelium ſe converterit. Ac proinde fœdus illud improbatum fuit non tam propter adverſæ contrahentis partis *ἀπιστίαν*, quam propter qualitatem illam pravam, quæ Joſaphatum ad fœdus ineundum permoverat. Sicuti nimirum improbum non eſt medicos conſulere, improbum tamen fiduciam ſuam in iis ponere, non in Deo; ita quoque fœderatis fidere quaſi Deo, malum eſt. Ut multa non illicita vitiat animus, non res ipſa.

XVI. Solet & hoc diſceptari, an Principi Chriſtiano pro ſui ſuorumve defenſione, cum Principe infideli, veluti ipſo Turca, contra Principem & quidem Chriſtianum fœdus inire liceat, vel ſi ab aliquo Principe Chriſtiano prematur, auxilium petere? Ægerrime ſane tulit Carolus V. Imperator, cum intellexiſſet, Franciſcum primum Galliæ Regem cum Turciæ Imperatore fœdus contraxiſſe, proindeque illum non minus quam Turcam ipſum pro communi Chriſtianorum hoſte habendum conſtituit *in receſſ. ſpirenſ. de anno* 1544. §. *und demnach.* verſic. *und dieweil* & §. *So achten wir.* Contrahendo ſane amicitiam cum inimicis, præſumitur & ipſe inimicus factus l. liberi 28. in illis verbis: vel inimicis ſuis ſuas amicitias copulavit. *C. de inoffic. teſt.* Paria etiam videntur eſſe inimicum & amicum inimici, propterea quod ſimilis quis præſumitur illis, cum quibus illi ſuæ potius utilitati, & ſaluti inſerviant, quam alienæ; ac premente hoſtium metu, aut victoriæ laudem prædamque ſibi tribuant, aut fugæ latebras quærant. Sunt porro ejusmodi fœdera quoque admodum periculoſa, cum occaſionem mutandæ religionis præbeant, raroque apud infideles fides inveniatur. Cæterum de defenſivo fœdere cum illis ob mutua auxilia aut de pace colenda, de finibus tuendis, contracto, pro affirmativa citra controverſiam reſponderi poteſt. Non tamen & offenſivum contra Principem chriſtianum videtur omni ex parte iniquum: ſi nimirum

Princi-

Principi Chriſtiano illa vis inferatur, ut niſi externis iſtis accitis auxiliis infidelium, adverſus vim injuſtam tueri ſeſe nequeat. Non ſane Chriſtiani Cæſares ab ejusmodi fœderibus abſtinuerunt, quotiescunque neceſſitas viſa eſt flagitare: ut ex hiſtoriis quam multis liquidum eſt. Nec proinde & Fridericus II. Imperator noſter dubitavit Sarracenorum armis adverſus vim Paparum ſeſe defendere: fruſtra illis ringentibus.

XVII. In controverſiam præterea vocatur & illud: Num cum potentioribus fœdus contrahendum? Eſt autem diſtincte reſpondendum, ratione habita diverſorum fœderum, & eorum potentum quibuscum contrahendum. Nec enim de fœdere amicitiæ & commerciorum videtur poſſe multum dubitari. De fœdere autem auxiliari bellico quid ſtatuendum ſit, jam tum liquet ex illis, quæ ſupra diſputavimus. Talia certe non vacare periculo ultro fatemur. Nec tamen ſemper inutilia ſunt, præſertim ſi potentior ideo auxilium ferat, ne ego impotentior ab alio potentiore opprimar. In univerſum tamen (quantum fieri id licet) ita exteris credendum, ut plus noſtri roboris domi habeamus. Neque temere tradantur clauſtra imperii fœderatis, ne acrius beneficiis quam armis vincamur.

XVIII. Qui ob domeſticum luxum ſunt imbecilles, & ad pugnam & res magnas gerendas inepti, ac potentia minores, eos non ſine periculo fœdere in auxilium nobis jungere poſſumus. Siquidem ſane etiam ipſimet nos non multum ſimus validi. Quod ſi enim per nos ipſos jam ſumus tuti, nihil vetat illos adſciſcere, ſaltem in oſtentationem aliquam apud rude vulgus, vel vero ut etiam illorum quamvis exiguæ vires cedant tanquam in ſuperpondium. At ſi aliter ſeſe res noſtræ habeant, audiendus erit Lipſius, qui lib. 4. pol. c. 9. inquit: *infirmis aut miſeris quid te jungas? quærunt cum qua gente cadant; Tu, ſi lapis, fatis accede Diisque & cole felices, tuamque fortunam prius in conſiliis habeto, antequam de aliena deliberes. In caducum parietem ne inclina, niſi tamen quiſpiam talis, cujus ruina te quoque tractura ſit, tunc enim te junge, aut juva ſed occulte.* Melius ſane eſt in alieno reſtinguere, quam in ſuo experiri incendium. Et imitandi ſunt legati Campanorum, Senatum romanum in hunc modum teſte Livio alloquentes: *Pugnabamus verbo pro Sidicinis, re pro nobis; cum videremus finitimum populum nefario latrocinio Samnitium peti, & ubi conflagraſſent Sidicini ad nos trajectum iri.* Hippolitus a Lapide de Rat. Stat. part. 3. cap. 2. Sect. 3. Eberhardus a Weih. in meditam. *de fœd. lib. 1. p. m.* 188. Nec tamen & miſeris deneganda auxilia, ſi id ferant res tuæ: aut ſi periculum ſit, ne illis oppreſſis hoſtis tuus potentia te multum exſuperet. Quinimo etiam interdum fœdus commode cum ipſis iniri poteſt, ſi quando Principes eorum ſummæ ſunt prudentiæ. Idque quoniam prudentia in confœderatis plus quam opes ac potentia æſtimanda plerumque eſt. Regulariter tamen validiora ſunt fœdera, quæ ineuntur cum paribus, ſicut amicitiæ durabiliores eſſe ſolent, quæ inter pares intercedunt.

XIX. Cum iis præterea, qui procul diſſiti ac tarde opem ferre poſſunt, quibusque certi ſucceſſores non ſunt, caute ineunda ſunt fœdera; Quia juxta Eraſmum in adagiis: *Amici non ſunt amici, qui habitant procul.* Et vero licet amicitiam haud dirimat ſejunctio locorum, officia tamen interrumpit: ut Ariſtoteli etiam eſt obſervatum 8. Ethic. Ex diſtantibus terrarum ſpaciis, conſilia poſt res adferuntur: Tacitus *hiſt. 3. cap. 9.* Videndum igitur, ut fœdus cum iis præcipue ineamus, quorum auxilia in promtu nobis eſſe poſſunt; ne ſcilicet, dum in longinquis locis parantur auxilia, interim provincia noſtra domi pereat.

XX. Nonnullis porro Politicorum firmiter perſuaſum eſt, inter quos præprimis Waremundus ab Ehrenberg. *tract. d. fœd. l. 1. c. 2.* idemque, ſed nomine haud ficto, Eberhardus a Weihe *in meditam. de fœder. lib. 1. p. m.* 229. Speidelius in *Notab. Jurid. Hiſt. Polit.* ut & Machiavellus in *Principe cap.* 21. neutralitatem principi omnino fugiendam, illumque non poſſe non alteri belligerantium vicinorum parti ſe jungere; quod mediam in hujusmodi rebus viam monſtrans nullam monſtret, in quam pedem [illegible]re liceat. Ita quippe illi diſputant. Qui vult quieſcere & abſtinere armis, eventum exſpec[illegible], qui ſtultorum magiſter cenſetur, cum conſiliis & conſiliariis peribit. Periculum quippe quod declinare volunt neutrales, plerumque incurrunt. Se enim tutos exiſtimantes, & utrarumque partium duces evitantes, ut plurimum ſine gratia & dignitate certiſſima tandem præda victoribus fiunt. Sicuti enim mediam partem domus inhabitantes ab infimis fumo, a ſuperioribus urina moleſtantur; ita etiam bello durante, diuturnitate ejus veluti granum inter duos lapides molares atteruntur, aut certe ab altero victoriam obtinente omni benevolentia exuti tandem opprimuntur. Neutralitas enim neque amicos parit, neque inimicos tollit. Dum vero utraque pars auxilium Neutraliſtæ fruſtra exſpectat, & vane ſucceſſus ſpe lactatur uterque, tandem belligerantes illi quaſi conjunctis viribus Neutraliſtam opprimunt, partim quod non tulerit opem alterutri, partim invidia, quod hactenus fuerit incolumis.

XXI. Quamvis vero his aliisque rationibus, etiam ipſe verſutiſſimus Machiavellus fuerit motus (uti liquet vel ex iis, quæ differit cap. 21. ſui Principis) non poſſumus tamen non potius accedere iis, quæ Ampliſſimus dominus Præſes de nobiliſſima hac controverſia in ſuis ad Machiavellum Animadverſionibus diſputavit. Quæ proinde hoc loco in medium adferre operæ fuerit precium, quantumvis nonnihil prolixiora videri queant. Sunt autem verba diſputationis illius hæc: *Utrum expediat inter partes belligerantes ſemper medium ſeſe gerere, & neutri accedere, an non; aut ſi non ſemper, quandonam expediat, & quando non, docere non pertinet ad tractationem de Principe. Eſt enim hoc commune omnibus rebuspublicis, adeoque pars eſt generalioris doctrinæ politicæ, illius quæ de bello & pace, & quæ de fœderibus agit. Non temere autem perſuaſerit Machiavellus, intereſſe exiſtimationis, ut ſemper alterutri pugnantium parti Princeps auxilium ferat. Utique hoc ne quidem Romanis fuit perſuaſum,*

qui tamen bellicæ gloriæ captandæ præ aliis populis ſtuduerunt. Ad hoc non videtur id ſemper expedire, ſed interdum magis utile eſſe neutri parti accedere. Quod autem noxium eſt publice, id profecto non eſt idoneum parere Principi exiſtimationem. Nec vero ea, quæ hic a Machiavello afferuntur, argumenta id evincunt. Primo *enim tantum id tangit, quid agendum, ſi duo potentes vicini inter ſe armis confligant. At vero confligere etiam poſſunt, qui non ſunt potentes, & quidem vel ut tua nihil referat, quæ pars vincat, vel ut certa ſit exſpectatio, ſore ut mutuo ſeſe atterant. Tunc vero videtur potius conſultum neutri parti accedere, & ſpectare illa prælia cunctando, ſine periculo; præſertim ſi attriti utrinque pugnantes, præda fiant potentiæ tuæ. Nec tamen diſſimulabo Romanos aliosque etiam impotentioribus inter ſeſe certantibus, in alterutrius partis ſocietatem concedentes ſenſim potitos eſſe pene univerſi orbis.* Secundo *potentes etiam inter ſe confligere ita poſſunt, ut quoniam paribus viribus concurrunt, neutrius partis victoria queat promitti, ſed potius quaſi certum ſit mutuis illos ſeſe viribus attrituros; cujus tertii caſus belligerantium a Machiavello perperam hic præterita eſt memoria. Sed & videtur tum conſultius neutram partem juvare, nulla certe eſt neceſſitas opem alterutri ferre: ſi vero quieſcas, neutrius partis inimicitia ſubeunda venit, quam vitare non potes alterutram, ſi juveris. Sine certi autem commodi ſpe vicinum aliquem potentem inimicum reddere, hoc vero eſt in diſcrimen rempublicam conjicere. Quod ſi porro tuis auxiliis altera pars vincat, eo ipſo augebis potentiam vicini; quod non vacat periculo, cum interſit potius vicinos habere non potentes, aut vero multos pari potentia, ut mutua æmulatione illarum, tu ſis ſecurus. Et ſi enim victor ille potens, id quod cauſatur Machiavellus, tibi forte initio acturus ſit gratias pro latis auxiliis, illius tamen beneficii memoria raro diuturna eſſe ſolet, longius ſuperſtite illa tuis auxiliis aucta vicini potentia, atque adeo & periculo, quod ab eminenti aliqua vicini potentia ſolet imminere.* Tertio, *ne id quidem ſemper verum, quod circa primum caſum quaſi perpetuum & certum habet Machiavellus: nempe quotieſcunque potens aliquis fuerit victor, tum etiam te ſemper prædam victoris futuram. Tunc ſcilicet demum id certo metuendum venit, quando potentes illi unice ſunt intenti, quovis juris prætextu amplum ſibi imperium vi parare. Quo ſane animo fuere quondam & Romani pariter & Antiochus Syriæ Rex, atque adeo ab utroque victore Achæis, ſi medii eſſe velint, malum iſtud fuit exſpectandum: quam hiſtoriam hic tangit Machiavellus. At vero non omnium potentium victorum, hic animus eſt. Quamvis etiam ab omnibus victoribus potentibus aliquid metuendum ſit, ſatius tamen eſt, habere illos minus fidos amicos, quam profeſſos hoſtes: utpote cum illorum, etſi non firma benevolentia parari, inimicitia tamen aut odium communi obſequio aliisque modis poſſit evitari.* Quarto, *interdum adeo ambigua eſt amicitia utriusque partis belligerantis, ut non poſſis non hærere, quænam earum tuis auxiliis juvanda ſit. Saltem igitur tum præſtabit medium ſeſe inter partes illas gerere.* Quinto *denique utraque pars nonnunquam potens quidem eſt, altera tamen in tantum prævalet, ut pene certo plenam victoriam huic queas polliceri. Jam vero non eſſe juvandum illum, jam tum prævalentem, facile apparet; cum hac ratione illius potentia adhuc majus ſit augmentum acceptura, idque tuo ſummo cum diſcrimine. Tuæ porro vires interdum non ſunt tantæ, ut quamvis junctæ illi minus valido prævalentem iſtum æquent aut ſuperent. Tum igitur jungens te parti minus validæ nihil benigni potes ab auxiliis tuis exſpectare: contra vero ab irato illo prævalido non tibi minus, qui auxiliaris, quam illi, cui opitularis, pene certum imminet exitium. Etiam tum igitur conſultius eſt, a partibus abſtinere. Certe valde inane eſt illud ſolatium, quod victo tibi affert Machiavellus; nempe quod etſi ſuccumbas, in amore tamen ſis futurus illius partis, quæ tecum eſt victa: quippe cum amor ille nulli poſſit eſſe commodo, & in eo, qui in miſeriam redactus, ſatis habet domi, quod agat, facile refrigeſcat. Ex quibus omnibus palam eſt, neceſſitatem quidem reipublicæ non exigere, ut ſemper partibus belligerantibus accedas, ſed ex adverſo tum demum, quando vel Certum, vel per eſt veriſimile, alteram partem plena victoria fruituram, ab eaque nova potentia tibi quoque ingens damnum imminere, tu vero iis polleas viribus, ut tua ope ab hoſtis injuria is, a quo nihil temere metuis defendi poſſit. Nonnunquam tamen, etiam non exigente neceſſitate, utile eſſe ferre alteri auxilium, idqu[illegible]cipue tum, quando ex victoria alterutrius partis, etiam tu certum fructum poſſis ſperare, haud nega[illegible].* Hæc ille.

XXII. Poſtremo violatione alterutrius partis fœdus omne merito diſſolvitur, cum frangenti fidem fides eidem ſine injuria frangi poſſit, & ſecundum Thucydidem: *Soluti fœderis culpam ſuſtineant ii, non qui deſerti ad alios ſe conferunt, ſed qui quam jurati promiſerant fidem ac opem re non præſtant.* Cauſa autem juſtifica hujus eſt: quoniam fœdus omne non niſi ex contractu obligat, cujus conditiones niſi ſerventur, jure rumpitur contractus. Hoc tamen ita demum verum eſt, ni aliter convenerit. Caveri enim interdum ſolet, ne ob quasvis offenſas a fœdere diſcedere liceat: item ut de controverſiis obortis ante omnia conſtituti arbitri debeant judicare, cui judicato quæ pars ſtare renuit, fœdifraga demum haberi debeat. Id quod inſtitutum pariter per eſt ſalutare conſervandis fœderibus, & æquitati maxime conſentaneum.

Μόνῳ τῷ Θεῷ ἡ δόξα.

HER-

HERMANNI CONRINGII
DISSERTATIO POLITICA
DE BELLO ET PACE.

Menſe Aprili MDCLXIII. habita.

RESPONDENTE

JOHANNE *Dreiling*, Livono.

Theſis I.

Permulta ſane ſunt, de quibus ſumma in qualibet republica poteſtas, & Viri Politici, inque actu rerum verſantes, deliberare ſolent, quo pacto nimirum omnia inſtituenda ſint, ut respublica feliciter adminiſtretur, omnique ex parte bene ſe habeat. Philoſophorum Sol Ariſtoteles noſter *lib.* 4. *Polit. c.* 14. conſultare dicit ſenatum in qualibet republica cumprimis de bello & pace, de ſocietatibus bellicis ineundis & dirimendis, de legibus ferendis, corrigendis, abrogandis, de morte, exilio, publicatione bonorum, de rationibus denique a magiſtratibus exigendis. Idem Philoſophus *lib.* 1. *Rhetor. c.* 4. *n.* 10. obſervat, quinque fere numero eſſe eorum, circa quæ deliberationes civiles inſtitui ſoleant, quæ ſcilicet (1) pertinent ad vectigalia & reditus publicos, (2) ad bellum & pacem, (3) ad cuſtodiam regionis, (4) ad ea, quæ importantur & exportantur, & denique (5) ad leges. Qua de re vid. ampliſſimus Dn. Præſes *in lib. de civil. Prudent. c.* 9. *p.* 178. *& c.* 12 *p.* 242.

II. Quoniam vero ſpecimen aliquod induſtriæ Academicæ edere animus eſt, ex omnibus modo dictis præ reliquis mihi placuit nobiliſſima pariter & utiliſſima materia de bello & pace, ex qua igitur, quantum per ingenii tenuitatem licebit, nonnulla ſeligere, diſputationi Politicæ includere, & eruditorum placido examini, publici exercitii gratia, ſubjicere conabimur. Quod ut fiat feliciter, Tu annue benigne DEUS.

III. Initium itaque de bello facientes, ante omnia, unde originem ſuam belli vox arceſſat, inquirere non abs re eſſe arbitramur. Hic vero in diverſas admodum diverſos Philologos abire ſententias deprehendimus. Alii enim bellum a beluis deducunt, quod beluarum ſit, non hominum, ſævire ita in mutuum exitium, alii vero a Belo, primo, ut volunt, gladii fabrifactore. Sunt qui ex eo appellatum velint bellum, quod ſit bellum, i. e. bonum, ſiquidem ob finem bonum, obtinendam nempe pacem comparatum ſit. Porro & alia etymologia adducitur, bellum ſcilicet per antiphraſin dictum eſſe, quod minime bellum i. e. bonum, pulchrum & elegans, ſit. Denique bellum multi derivant a duello, ita dicto a duobus, qui unitate rupta pugnant. Verum quisque, quod volet, eligat, nobis, ut fateamur, ultimum etymon ad palatum. Apud Lucretium enim eſt duellica proles, pro bellica, Duellona, pro bellona apud Varronem, ut obſervavit Chriſtianus Becmannus *lib. de origin. latin. ling. pag.* 283.

IV. Æquivocationem vocabuli ſcientes prætermus, valde enim improprie bellum accipitur pro civilibus diſſidiis & tumultibus, aut pro quavis contentione & quibusvis litibus, inter perſonas ſive publicas, ſive privatas, intercedentibus. Nec minus improprie bellum aut militia in jure noſtro Advocatis tribuitur. *l.* 14. *Cod. de Advoc. diverſ. judicior.*

V. Quare miſſis hiſce minus propriis belli ſignificationibus, tranſimus ad propriam illius acceptionem, quæ ex ejus definitione clara fiet. Definitur autem bellum a variis varie, Ciceroni *certatio per vim dicitur.* Lipſius 5. *polit.* 3. illud deſcribit per *vim & arma in principem aut populum alienum.* Grotius *lib.* 1. *de jur. belli & pac. c.* 1. *ſtatum eſſe*, ait, *per vim certantium, qua tales ſunt.* Meliorem fortaſſis aut pleniorem hiſce Althuſius, Autor alias non magnopere laudandus, propter dogmata nonnulla, quibus utitur ceu principiis ſua pernicioſiſſima, & toti terrarum orbi evertendo nata, judice ampliſſ. Dn. Præſide *lib. de civil. Prudent. c. ult.* belli definitionem nobis ſuppeditat, illud *c.* 29. *Polit.* definiens *actionem hoſtilem ad injuriam propulſandam vel vindicandam, a magiſtratu vi armisque contra hoſtes, pacis retinendæ vel conſequendæ cauſa, legitime ſuſceptam & adminiſtratam.*

VI. Hic autem ſtatim quæſtio quædam haud ignobilis ſeſe offert, an nimirum Chriſtianis bellum gerere liceat? Et quidem negativam quæſtionis hujus homines minime inſulſi amplexi ſunt, inter quos numerantur cumprimis Tertullianus, Origenes, & Lactantius; profitentur idem Manichæi, Weigeliani, Anabaptiſtarum nonnulli, pars enim eorum rabioſe in bella fertur, Sociniani, & alii ſomniatores complures. Verum enim vero, ſi quis in horum omnium fundamenta inquirat, ea omnia lubrica & prorſus ficulnea eſſe, non poterit non manifeſto deprehendere. Quapropter affirmativam potius tueri nulli dubitamus, quippe cum & ipſum jus naturæ nobis ſuffragari in propatulo ſit. *Hæc* enim, inquit diſertiſſimus Romuli nepotum, *Orat. pro T. Ann. Mil. non ſcripta, ſed nata lex eſt, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus, ut ſi vita noſtra in inſidias, in vim, in tela inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expedienda ſalutis.* Et paulo poſt: *Hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, ut omnem ſemper vim,* qua-

quacunque ope poſſent, a corpore, a capite, a vita ſua propulſarent. Idem porro *lib.* 1 *offic. omni animantium generi* dicit *a natura eſſe diſtributum, ut ſe vitam corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur.* Quam injurii ergo in ipſam naturam eſſemus, ſi quod illa nobis implantavit, defenſionem nempe, negligeremus! vid. Georg. Schönborn *Polit. l.* 6. *c.* 1. Mores porro & leges omnium omnino gentium bella comprobare, nemo temere inficias ibit, niſi

Vervecum in patria, craſſoque ſub aëre natus.

Præterea jura quoque divina, ſive ea ſpectes ante latum evangelium, ſive poſt illud, bella permittere certiſſimum eſt, ipſe enim Deus Ter Optimus Maximus Sanctorum in veteri Teſtamento, Moſis, Joſuæ, Gedeonis & aliorum gravia, & cruenta admodum bella non tantum toleravit, verum etiam movere diſertis verbis juſſit. Neque in novo Teſtamento Johannes Baptiſta milites militiam deſerere jubet, ſed abſtinere tantum concuſſionibus calumniisque, & ſtipendiis eſſe contentos. A Servatore porro ipſo & Apoſtolis nusquam ullo verbulo prohibitus eſt armorum uſus verbis quidem haud controverſæ interpretationis. Et tamen *in iis, quæ aperte in ſcriptura poſita ſunt, ea omnia, quæ ad fidem & mores pertinent, continentur*, ut recte dixit S. Auguſtinus. Denique tam jure civili romano, quam canonico bella omnino licita ſunt, ceu latius, ſi opus eſſet, & inſtituti ratio pateretur, probare poſſemus. Quid multis? impoſſibile eſſe, ut respublica in hoc mundo poſſit eſſe ſalva, niſi ipſi jus eſſet bello injuriam ſibi illatam defendere, peregregie nuper docuit ampliſſ. Dn. Præſes *in prælect. publ. ad Lampad. de rep. rom. german.*

VII. Ipſos vero Anabaptiſtas bona ex parte verbis ſolum, non vero factis bellum omne improbare, docent tumultus & ſeditiones illæ ſceleſtiſſimæ, tum quas in Anglia aliquamdiu nuper excitaverunt, & ciere non deſinunt Quackerorum titulo ibi clari, cum quæ ſuperiori ſeculo in urbe Monaſterienſi in Weſtphalia ab ipſis ſunt motæ. Quamvis autem illæ neminem, ut opinor, qui aliquali ſaltem hiſtoriarum pollet cognitione, latere poſſint, attamen, cum notabilis ſit hiſtoria, ſaltem quæ de illa habet Carolus Caraffa in commentariis *de Germania ſacra reſtaurata* falſo titulo dictis *p. m.* 20. adſcribam: „In Belgio, *inquit*, Anabaptiſtæ e Germania ſuperiori profligati ad ur-
„bem Monaſterienſem Weſtphaliæ, ſub diverſa ſpecie congregabantur, aſylum ſibi ſtatuentes, &
„technas fatales adornantes, quas tandem ſub initio ſequentis anni prompta audacia detexerunt.
„Mota enim ſeditione forum occuparunt, ſenatum loco moverunt, deinde bonis omnibus exſpo-
„liatos urbe exegerunt. Idem poſtea exilium omnibus civibus & Lutheranis, & Catholicis, niſi
„ipſorum ſectam agnoſcerent, imperarunt, Regem ſibi tandem, Johannem Leidenſem ſartorem
„præferunt, eique publicum thronum in foro collocarunt, futilemque religionem ſancientes, ſuos
„Apoſtolos Coſfeldiam, Suſatum, Oſnabrugam & Warendorpium collegarunt. At urbem Epi-
„ſcopus obſedit, & obtinuit, dignaque pœna putativum Regem & Apoſtolos caſtigavit.
Hæc ille.

VIII. His ita pertractatis conferimus nos ad diviſiones belli. Primo autem dividitur bellum in externum & civile. Externum eſſe poteſt, quod inter diverſa imperia aut diverſas respublicas geritur. Civile vero ſecundum Bocerum *de bello & duello cap.* 2. *num. ult.* eſt, quod populus eidem imperio ſubjectus inter ſe gerit. Cum vero bellum hoc, ut ſupra jam attigimus, proprie bellum eſſe non videatur, ſed potius civilis quædam diſſenſio, uti vocatur *l.* 21. *§. ult. ff. de captiv. & poſtlim. revers.* adeoque de illo jam non dicemus. Unicum tamen hoc loco monendum eſt, cum in civilibus bellis teſte Cicerone *lib.* 4. *Epiſt. fam. Epiſt.* 9. omnia ſint miſera, & respublica, quicunque etiam belli hujus eventus fuerit, ſemper multa & ornamenta dignitatis, & præſidia ſtabilitatis ſuæ perdere ſoleat, ut idem loquitur *Orat. pro M. Marcello* ſumma opera danda eſt, ne diſſidia & contentiones, principum præſertim in republica virorum, vel fiant ullæ, vel ortæ ut confeſtim componantur; inque herba quaſi enecentur, quam maxime vero, ne contentionibus hiſce ſeſe alii miſceant, inque ſocietatem ſceleris ab autoribus aſciſcantur. *Vide Ariſtotelem lib.* 5. *Polit cap.* 8. *illiusque doctiſſimum Commentatorem Piccartum in d. l.*

IX. Deinde bellum quoque dividitur in juſtum & injuſtum, publicum & privatum. Quanquam vero delicatiora ingenia diviſionem belli in juſtum & injuſtum nauſeant, bellum injuſtum nihil aliud eſſe dicentes; quam magnum latrocinium & rapinam, adeoque belli appellatione non niſi juſtum bellum intelligi debere. *Avenar. Coll. Pol. diſp.* 4. Solet autem apud antiquos ſcriptores in alio ſenſu dici bellum juſtum, quod geritur ſcilicet a libera & ſui juris civitate adverſus liberam civitatem magna ſatis vi armorum. Qua acceptione non attenditur ulla moralis juſtitia: ſed illa, qua ſolet dici exercitus juſtus, juſta ætas, juſta magnitudo. Nos tamen nunc juſtum bellum cum admodum reverendo Dn. Cellario *lib.* 2. *Polit. cap.* 11. *n.* 8. definimus, quod ſit, *quod a perſonis legitimis, de cauſis legitimis, intentione & modo legitimo geritur.* Juſtum porro bellum ſive moraliter ſive alio ſenſu, rurſus vel eſt Defenſorium, vel Invaſorium aut Vindicatorium. Defenſorium autem, quin licite contra iniquum invaſorem ſuſcipi poſſit, cum non ſit dubitandum, ideoque infra de invaſorio ſeu vindicatorio nobis ſermo erit. Injuſtum vero bellum eſt, *quod vel a perſonis non legitimis, vel ob cauſas non legitimas, vel intentione & modo non legitimo, geritur.* Publicum porro bellum eſt: *quod ab illo, penes quem aut ſumma poteſtas, aut certe illa ſummæ poteſtatis pars eſt, ſuſcipitur.* Privatum contra, *quod ab illo, qui majeſtatem aut eam majeſtatis partem non habet, ſuſcipitur.* Inconſulta nempe ſumma poteſtate, inferiori alicui magiſtratui bellum gerere, pauciſſimis caſibus exceptis, non licitum eſt, nec eſſe debet. Sic Plato lege ſanxit: *Si quis privatim ſine publico ſcito, pacem bellumve fecerit, capitale eſto, lib.* 12. *de legibus*, citante Lipſio *lib.* 5. *Polit. c.* 4. *n.* 3. Expreſſe quoque in jure Romano, bellum a magiſtratu quodam inferiori motum latrocinium &

præ-

prædario appellatur. *l. 24. ff. de captiv. & poſtlim. revers. l. 118. ff. de verbor. ſignif.* Et incidit talis belli motor in crimen læſæ majeſtatis. *l. 3. ff. de leg. Iul. majeſt.*

X. Verum miſſum faciamus bellum injuſtum & privatum, & ad juſtj & publici conſiderationem deſcendamus. Perſonarum igitur ratione juſtum & legitimum bellum eſt, quod in Monarchiis Monarcharum: in rebuspublicis ariſtocraticis & oligarchicis Optimatum, divitum vel nobilium: in poliriis, totius populi: in mixtis denique rebuspublicis, illius, penes quem illa pars ſummæ poteſtatis eſt: juſſu & auſpiciis ſuſcipitur.

XI. Cæterum quamvis (ut luculente ſatis, fortaſſis, ſupra evicimus) belligerare Chriſtianis, neque divino, neque humano jure ſit prohibitum, quamvis etiam illi, qui in præcedenti theſi ſunt dicti, liberam belligerandi poteſtatem ſemper habeant, cum tamen nulla ſalus bello ſit, incertusque exitus, & anceps ejus fortuna, non ita temere ad arma proſiliendum eſt, ſed potius omnia prius tentanda ſunt, antequam ad arma deveniatur, & omnia *verbis prius* (ut recte monet ille apud Terentium, quamvis minus laudati animi) *quam armis experiri decet.* Quoties igitur judicio quispiam ſe ſiſtit, arma ſiſtenda ſunt. Contra ſane illum, qui jure agere & ſatisfacere velit, bellum movere, nefas eſſe putamus. Cumprimis autem ſumma & circumſpecta prudentia opus eſt, ſi reipublicæ cum hoſte, potentia, pecunia, rerum gerendarum nervo, ſociis, aut milite forti, longe præſtantiore, res ſit. Tum enim injuriæ illatæ potius diſſimulandæ ſunt, vel earum vindicatio in magis opportunum tempus rejiciendæ. Multa nimirum interdum licent, ſed non expediunt: adeoque hactenus ſunt perinde atque ſi non liceant.

XII. Præterea nec ex quavis cauſa arma corripienda ſunt. Enimvero

Cauſa jubet ſuperos melior ſperare ſecundos.

Ut eleganter canit Lucanus. Juſta vero belli cauſa non eſt ſola infidelitas, vel diverſitas religionis. Fides enim ſuadenda magis eſt, non imperanda. Eoque præclare Maximilianus II. Imperator dixiſſe fertur: *nullam majorem eſſe tyrannidem, quam conſcientus imperare velle.*

Si tamen infideles vel hæretici quiete & pacate non vivant, ſed Chriſtianos & orthodoxos offendant & perſequantur, licite bello in ordinem redigi poſſe, conceditur. Bocer. *de bell. & duell. cap. 4. n. 18.* Plura hac de re vide apud Matth. Bernegg. *in Obſervat. Hiſtor. Polit. obſerv.* 16. & Grotium *l. 2. de jure* B. *& P. cap.* 1.

XIII. Nec belli cauſæ ambitio, aut libido dominandi, & avaritia inſatiabilis eſſe debent. *Plerisque* tamen *Regibus una & ea vetus bellandi cauſa eſt, profunda cupido imperii & divitiarum*, inquit Saluſtius *in fragment.* Præprimis ſane has ob cauſas bella movere ſoliti olim ſunt, & adhuc ſolent, omnes vaſtum imperium & latam potentiam pro ſcopo ſuo habentes. Ita Romani olim Cretam inſulam, ut ipſe Florus *lib. 3. Hiſt. Rom. cap.* 7. fatetur, ſola vincendi nobilem inſulam cupiditate, & Cyprum tantum, quod ingentibus divitiis abundaret, occuparunt. *Id. ibid. cap.* 9. Tales respublicæ adhuc hodieque non deſunt; quamvis in numerum hunc referri nolint. Scilicet

Bellorum exuviæ, truncis affixa trophæis,
Lorica, & fracta de caſſide buccula pendens,
Humanis majora bonis creduntur.

Quæ Juvenalis ſunt verba *Sat.* 10.

XIV. Nequaquam etiam forte ferendum eſt, quod nonnulli tradiderunt, arma recte ſumi ſemper poſſe ad imminuendam potentiam vicini aut alterius creſcentem, quæ nimium aucta facile nocere poſſet. Alb. Gentil. *l. 1. de jur. bell. c.* 14. Quamvis enim non diffitendum ſit, in conſultationem de bello & hoc venire debere, non tamen fieri ſemper id poteſt ſub ratione juſti, ſed utilis; ut nimirum, ſi ex alia juſtum ſit bellum, ex hac cauſa prudenter ſuſceptum judicari debeat. Juſtum tamen interdum metus a potente vicino juſtum facit bellum; ut nempe prius arma movere poſſis, ne prior opprimaris. Melius enim eſt (ſecundum illud vulgare,) prævenire, quam præveniri. Et Nicephorus *lib.* 5. „Oportet igitur, *inquit*, qui citra periculum velint vivere, eos „occurrere impendentibus malis & antevertere: nec eſſe cunctandum, aut exſpectandum, ut ac„ceptam injuriam cum periculo ulciſcaris. Si in præſentia creſcentis plantæ radicem præcidere „poſſis, & adverſarii male cogitantis conatus opprimere.“ Eſt autem juſtus metus, ſi motaliter certo conſtet, potentia aucta quem abuſurum ad tuam injuriam & oppreſſionem. Moraliter autem certo ſcitur, tale quid facturos plerosque potentes, modo poſſint: raros autem eſſe, qui id poſſint, & tamen non faciant. Cæterum non ſemper talis metus ſubeſt, eoque nec ſemper alterius fortuna dat juſtam bellandi cauſam.

XV. Hiſce injuſtis bellorum cauſis adnumerantur & aliæ multæ, quas brevitatis ſtudioſi adducere ſuperſedemus. Poſſunt autem legi apud D. Micrælium *lib. 4. Politic. cap.* 3. ut & Bocerum. *cap.* 4.

XVI. Juſta tandem belli concitandi cauſa quam maxime eſt gravis & atrox injuria: ad quam vindicandam bellum ſuſcipi poſſe, nemo ſanus dubitavit unquam: ita tamen, ut debita ſatisfactio a lædente prius, ſed fruſtra, petita fuerit, adeoque nulla alia remedii ſpes, quam in armis affulgeat. Injuria autem infertur, aut imminet, vel reipublicæ propriæ, vel ſociis: quos ut juvemus, ipſa fides & religio pactorum ſuadet. Quin imo alios etiam, præprimis cognationis & amicitiæ nexu nobis devinctos inique oppreſſos, ſi absque inſigni reipublicæ incommodo fieri poſſit, defendere poſſumus & debemus. Tum enim tua res agitur, paries cum proximus ardet. *Et qui non defendit, nec obſiſtit, ſi poteſt, injuriæ, tam eſt in vitio, quam ſi parentes, aut patriam, aut ſocios*

deſe-

deſerat. Cicer. *l.* 1. *off.* Idem *ib. l.* 2. *maxime*, inquit, *& gloria paritur & gratia defenſionibus, eoque major, ſi quando accidit, ut ei ſubveniatur, qui potentis alicujus opibus circumveniri urgerique videatur.*

XVII. Variis autem modis injuriæ inferuntur. Inter alia, ſi res noſtræ vel noſtrorum a peregrino populo per violentiam detinentur, quamvis illas per repreſſalias dictas recuperare poſſimus. Habent enim quidem & repreſſaliæ bellicum quid, eoque in republica, quæ undique bene eſt inſtituta & legibus regitur, non tolerandæ ſunt, quo nomine & jure civili romano ſunt improbatæ, *l. unic. Cod. ut nulli ex Vican. pro deb. al. l.* 4. *Cod. de Exec. & Exact. Nov. ut non fiant pignorat* 32. *prooem. & c.* 1. (ibi enim Imperator Juſtinianus eas inhoneſtas vocat pignorationes & odibiles exactiones) attamen nihil injuſti habent in republica, quæ legibus minus obtemperat, & a bello proprie dicto plurimum abeſt, mitiorque multo eſt ſua recuperandi ratio, quam quæ gladio fit & effuſo ſanguine. Vide Gudelinum *de jur. noviſſ. l.* 3. *c.* 11. Infertur porro etiam injuria, quando Legati contumelioſe tractautur. Hanc ſane ob cauſam Corinthum urbem opulentiſſimam Romanos deleviſſe, & ipſum ſanctiſſimum Davidem Ammonitarum populum pene item excidiſſe, legimus. Et vero hæc eſt illa cauſa, quæ Galliæ Regem arma adverſus Papam facit hodie corripere. Porro & ſi tranſitus innoxius, ut & commeatus denegatur, & infiniis aliis modis, quos omnes adducere impoſſibile eſt, juſta datur bellandi cauſa.

XVIII. Cæterum de juſtificis cauſis belli agere ſi velimus, neceſſum fuerit diffundere ſermonem per omne genus injuriarum, & juris: ceu a Grotio factnm eſt. At vero illud nimis eſt alienum a noſtro inſtituto, itaque ſepoſitis illis id nunc agitabimus, an belli indictio aperta & ſolemnis ſemper ſit neceſſaria ad juſtitiam moralem. Et ſane ſi Romanorum mores antiquos videamus, ab illis nullum bellum, teſte Cicerone 1. *offic.* juſtum habitum fuit, niſi quod de rebus repetitis denunciatum eſſet ante & indictum. Priusquam autem illi bellum indicerent iis, a quibus injurias factas ſciebant, Feciales, quibus Germani noſtri ab excrcituum amore ac benevolentia peculiare nomen, *Heerbold*, impoſuerunt, res repetitum mittebant. Formulam refert Livius *lib.* 1. Nimirum, Legatus ubi ad fines hoſtium venit, unde res repetebantur, capite velato, „Audi Jupi-„ter, *inquit*, audite fines (*cujuscunque gentis erant nominabat*) audiat fas. Ego ſum publicus nun-„cius populi romani, juſte pieque legatus venio, verbisque meis fides ſit.“ Peragebat deinde poſtulata. Inde Jovem teſtem facit; „ſi ego injuſte impieque illos homines, illasque res dedier „nuncio populi romani mihi expoſco, tunc patriæ compotem me nunquam ſinas eſſe.“ Eadem peragebat, cum fines attingeret, cum obvius quispiam fieret, ſub portis, in foro. Si non dederentur, quos expoſcebat, diebus tribus & triginta (nam bi ſolennes erant) peractis bellum ita indicebat: „Audi Jupiter, & tu Juno, Quirine, Diique omnes cœleſtes, vosque terreſtres, vosque inferi „audite. Ego vos teſtor, populum illum (*quicumque erat, nominabatur*) injuſtum eſſe, neque „jus perſolvere: ſed de iſtis rebus in patria majores natu conſulemus, quo pacto jus noſtrum adi-„piſcamur.“ Quod ſi Senatus populusque romanus bellum decerneret, Fecialis ſeu Pater patratus haſtam ferream aut ſanguineam præuſtam ferebat, & non minus tribus puberibus præſentibus ita dicebat: „Quod populi priſcorum latinorum hominesque priſci latini adverſus popu-„lum romanum Quiritium fecerunt, deliquerunt; quod populus romanus Quiritium bellum „cum priſcis latinis juſſit eſſe, Senatusque populi romani Quiritium cenſuit, conſenſit, conſcivit, ut „bellum cum priſcis Latinis fieret, ob eam rem Ego Populusque Romanus populis priſcorum Lati-„norum, hominibusque priſcis Latinis, bellum indico facioque.“ Id ubi dixiſſet, haſtam vel telum in fines eorum emittebat. Ita Latinis tum bellum indictum; moremque hunc poſteri quoque acceperunt. Hoc demum modo denunciatum bellum pium & juſtum dicebatur.

XIX. Quin igitur Romani ita cenſuerint, caret dubio. At vero & politici ſcriptores fere omnes uno quaſi ore itidem ſtatuunt, ad juſtum bellum inchoandum neceſſario requiri Indicationem ſeu denunciationem. Hinc dividunt bellum in ſolenne & minus ſolenne. Solenne inter alia requirere ritus quosdam, nempe ut indicetur ſeu denuncietur. Minus vero ſolenne iſtis ritibus carere. Hinc ſecundum Baldum qui bellum gerit, diffidatione aut clarigatione, ut vocant, omiſſa, proditor eſt.

XX. Cæterum etſi ita vulgo ſtatuatur, attamen in fundamentum omne illius ſententiæ ſi inquiras, patet, illud non eſſe aliud, quam illum morem romanum veterem: nec ab aliis ita ſtatui, quam qui romana quævis inſtituta juris eſſe naturæ arbitrantur, inter id quod poſitivum eſt & quod ab æterno valet, non ſatis aſſueti diſtinguere. Quamvis vero & nos diximus, quod ſatisfactionem debitam pars læſa a lædente petere debeat, priusquam bello decertet, attamen hac non obtenta, indictione ſolenni ſemper opus eſſe, cum Ampliſſimo Dn. Præſide *in prælect. publ. ad Lamp. de rep. Germ.* omnino nego: maxime, ſi quando adverſæ parti notum fuerit, ſe ita alteram partem læſiſſe, ut ipſi jus bellandi contra ſe jam competat. Et vero hoc ipſum non ſemel obſervavit potentiſſima Sueciæ corona, jam aliquoties bello citra denuntiationem ſuſcepto, quandocunque alteram partem, lædentem ſcil. latere neutiquam poſſet, ſe, ut bello peteretur, jam promeritam eſſe.

XXI. Sequitur, ut perſonas bellum conſtituentes nonnihil conſideremus. Inter has autem primæ merito deferuntur ipſis ducibus militaribus ſive imperatoribus bellicis. Hic vero ſtatim occurrit dubitatio, an in Principatibus ipſos Principes pugnæ intereſſe oporteant? Et vero Princeps præſens militibus ſuis animum addit, & ad quæcunque audenda non parum accendit. ſecundum enim Poetarum principem

urget præſentia Turni.

Verum

Verum enim vero limitationem hic neceſſario adhibendam eſſe cenſemus. Pugnæ ſcilicet ipſum Principem inter eſſe debere, ſi talis illa ſit, unde totius fortunæ eventus dependeat, adeoque qua tantum non de univerſo Principatu contenditur. Si porro deſit dux alius, qui apud militem juſta valeat autoritate, quique peritia bellandi ſit ſatis inſtructus. In minoribus vero prælis, præſertim ſi princeps militaris artis non ſatis ſit gnarus aut felix, melius eſſe, ut præliorum dubiis exemtus ſe ſummæ rerum & imperii reſervet; ut loquitur maximæ in civili ſcientia notæ ſcriptor Tacitus *hiſtor.* 2. In milite namque unius ſors eſt, in Imperatore vero univerſorum periculum. Et quam male nonnunquam Principes ſibi ſuisque conſulant, ancipiti bellorum fortunæ ſe exponendo, infelicibus ſuis exemplis, Sebaſtianus Luſitaniæ Rex in Africa occiſus, & Franciſcus I. Gallus in pugna ticinenſi captus, ut alios taceam, docent. Plura vide apud Jae. Zevecot. *in obſervat. Polit. ad Sueton. Jul. Cæſar. p.* 147.

XXII. Quod vero attinet ducem militarem, magiſtratus munere fungentem, præterquam, quod domino vel reipublicæ ſuæ fidelis eſſe, nec donis corrumpi ſe ab hoſtibus pati debet, varia ejus requiſita ſunt. Primario autem artis militaris quam maxime ſit peritus. Peritia vero hæc non tam crebra librorum artem militarem quamvis egregie tradentium lectione, quam diuturna & propria experientia comparatur. Acies enim ſecundum Guicciaridinum ſchola eſt, exercitus diſcipuli, arma pennæ, quæ tinctæ hoſtili ſanguine hiſtorias ſcribunt in carne. Præprimis peritiam hanc Imperator bellicus addidicerit, ſi omnes inferiores militiæ gradus emenſus ad dignitatem hanc aſcenderit. Vix enim unquam quis bene imperabit, qui parere nunquam didicit; certe recte ait Ariſtot, 3. *Polit.* 3. Deinde requiritur etiam in duce militari, ut autoritate polleat. Autoritas autem naſci ſolet cum ex felicitate, tum etiam temperata quadam ſeveritate. Nimis ſcilicet faciles contemnuntur a militibus; illorumque juſſa potius interpretantur, quam exſequuntur milites; ſeverorum vero dictis promtiſſime obtemperant, & per omnia obediunt. Requiritur denique quam maxime, ut ſit bellicoſus & fortis. Melior enim eſt exercitus cervorum, duce leone, quam leonum duce cervo: & fortes redduntur milites, quando Ducem ſuum fortem vident. Explodendus itaque fuit Petrus Carrera Hiſpanus; qui nec pulveris tormentarii odorem ferre, nec fulmina diſploſarum machinarum tolerare potuit, verum ſubterraneis ſe teſtudinibus & concameratis locis abſcondit. Atque adeo hinc illi Gulettam, locum munitiſſimum in Africa, ipſius fidei a Philippo II. Rege Hiſpaniæ commiſſum, facillimo negotio hoſtis Sinan Baſſa extorſit. vid. Zevecot. *obſerv. Pol. ad Sueton. I. Cæſ. p.* 10.

XXIII. Munia porro boni Imperatoris reveta innumera ſunt. Potiſſimum autem contemptus hoſtis & arrogans victoriæ præſumtio ipſi fugienda eſt. Contemptus hoſtis enim apud contemnentes ſocordiam gignit, & hinc interitum. Haud raro quoque parva manus magnam multitudinem hoſtium, qui contemtim & imparati certamen inierant, profligavit. Thucydid. *lib.* 2. Et Liv. *lib.* 21. ſæpe, ait, contemtus hoſtis cruentum certamen edidit, & inclyti populi Regesque perlevi momento victi ſunt. Exemplum habemus in Romanorum duce M. Antonio; cum enim hic Cretam inſulam invaderet cum ingenti victoriæ ſpe atque fiducia, adeo ut plures catenas in navibus, quam arma portaret, dedit vecordiæ ſuæ pœnas, & a Cretenſibus victus atque profligatus eſt. Flor. *lib.* 3. *c.* 5. Conf. Piccart. *obſerv. hiſtor. Polit. decad.* 3. *cap.* 8. Quemadmodum etiam omnia bellica conſilia omnimodo occulta eſſe debent, ita res & conſilia hoſtis ad unguem, quod ajunt, dux militaris cognita ſibi habeat, nullisque ad hoc conſequendum parcat ſumtibus, atque hac demum ratione ſecundiores ſucceſſus ſibi polliceatur.

XXIV. Non ultima porro ipſi cura ſit, ut terrorem, præſertim in primo belli limite, inſperato aliquo facinore hoſtibus incutiat: inſperata enim hoſtes turbare illorumque animos dejicere ſolent. Vid. hac de re viri ſummi Chriſt. Forſtneri *Hypomn.* 46. *&* 47. *item* Piccart. *obſervat. hiſtor. Polit. decad.* 6. *c.* 9. Prælium vero propter incertos exitus nunquam temere committat: niſi optata occaſione oblata, & ſpe inſignis alicujus emolumenti ſe oſtendente. Tum vero prius milites ſuos cohortetur, ut hac ratione alacritatem animi illis magis firmet & roboret. Ita *Cæſar*, ut ipſe lib. 1. de bell. Gall. ſcribit, *ad cohortandos milites decurrit, non longiore autem oratione milites eſt cohortatus, quam uti ſuæ priſtinæ virtutis memoriam retinerent, neu perturbarentur animo, hoſtiumque impetum fortiter ſuſtinerent.* Similiter Alexander M. apud Curtium Macedones ſuos inveteratæ virtutis admonuit. Vid. *animadverſ. hiſtor. polit. Philippi Caroli, animadverſ.* 13. Stratagematibus Imperator bellicus licite uti poterit. Imo utilius videtur aſtu & calliditate hoſtem debellare, quam acie aperta, ubi multum humani ſanguinis profunditur. Caveat tamen, ne fidei ſanctum & inviolabile numen a ſe, aut ſuis lædatur. Fides enim etiam hoſti data maxime ſervari debet. Improbandum ſane eſt Mariæ Scotiæ Reginæ dicterium: Regem eatenus fidem hoſti datam ſervare debere, quatenus ſuis commodis proſit. Buchanan. *hiſt. Scot. c.* 18.

XXV. Non permittat denique militibus ſuis Dux luxuriam. Franguntur enim hac ipſa, & emolliuntur militum animi. Neque feras luxum in caſtris; apparatus namque ſplendidus & cultus minus virilis ſpem prædæ hoſtibus potius inflant, quam terrorem incutiunt. Plura Imperatoris bellici munia collegit Joh. Th. Spreng. *in Tacit. Axiomat. p.* 337.

XXVI. Cæterum hic obſervandum; non raro hos Duces militares, maxime perpetuos, in rebuspublicis cumprimis, quæ pluribus uno reguntur, poteſtate ſibi conceſſa elatos ad regium faſtigium aſpirare, & conciliato ſibi militum favore totam rempublicam immutare ſolere: quod ſexcentis exemplis facillimo negotio demonſtrari poteſt. Ita ſane Gelon, Hiero, Dionyſius, & Agathocles Syracuſas: Phalaris Agrigentum: Evagoras Cyprum: Polycrates Samum: Cypſelus

Corinthum, Romam Cæſar: Veronam Scaligeri: Bononiam Bentivoglii: Piſam Carrarii: Mediolanum Sfortiæ: Florentiam Medicæi, alii alias reſpublicas ſibi ſubjugarunt. Ita noſtro tempore parum abfuit, quin principes arauſionenſes, perpetui Imperatores bellici, & ſimul Gubernatores quoque multarum provinciarum, reſpublicas fœderatarum provinciarum Belgii prorſus ad ſe traxiſſent. Certe affectaſſe illos Principatum hereditarium, ex variis inſolitis, ultimorum præſertim, conatibus luce meridiana clarius eſt. Imo forte Wilhelmus ultimus, niſi juvenis inopinata morte diem ſuum obiiſſet, voti ſui compos factus fuiſſet: uti pluribus oſtendit ampliſſ. Dn. Præſes *in diſſertat. priv. de rebuspubl. fœder. belg.* Huic rei medendæ Athenienſes olim Oſtracismo, Syracuſani petalismo; quamvis nimis quandoque intempeſtive, uſi ſunt. Aliud vero remedium ſuppeditat Machiavellus *l. 1. diſp. 2.* talem nimicum Ducem militarem ſpecie honoris ab exercitibus & militia ad honoratiſſima quæque officia, omni tamen poteſtate carentia, domum revocandum eſſe. Prudenter quoque Veneti hîcſe gerunt, dum ſummam rei bellicæ non temere uni ex popularibus ſuis, ſed potius peregrino committunt: huic vero nonnullos Venetos prudentia & autoritate valentes adjungunt, qui peregrini illius actiones & conſilia omnia curioſe obſervent, & reipublicæ ſuæ indicent: Si autem claſſi aliquem ex ſuis præficiant, non juvenes, ſed ſenes ab ambitione alienos præficiunt.

XXVII. Poſt Ducem militarem etiam aliorum officiariorum ratio habenda eſt, ut ſunt Vicarius Ducis, ſupremus rei armamentariæ præfectus, ſupremus excubiarum præfectus, ſupremus Metator, ſupremus Commiſſarius, ſupremus Quæſtor, ſupremus annonæ præfectus, ſupremus denique rerum capitalium præfectus. De quibus omnibus, ut & aliis, quorum officium certam concernit exercitus partem, videatur Georg. Schönborn. *Polit. lib. 6. cap. 15.*

XXVIII. Hos omnes ſequuntur ipſi milites gregarii. Hi autem vel ſunt nautici, quorum uſus eſt in mari; vel terreſtres; qui rurſus vel ſunt vel equites vel pedites. Equites in regionibus planis & campeſtribus tantum adhiberi poſſunt; Peditibus vero montana & abrupta ſervantur; iſthuc enim equites pervenire nequeunt. An vero pedites in bello equitibus præſtent, ceu Vegetius *lib. 2. cap. 1. &* Lipſius 5. *Polit. cap. 7.* contendunt, latiſſime argumentis pro & contra in medium allatis pertractavit Clariſſimus Piccartus *in comment. ad Ariſt. Polit. lib. 4. cap. 13.* Concludit autem, accurate inter tempora, loca, bella, & pugnas diſcernendum eſſe.

XXIX. Diſpeſcuntur etiam milites in lectos & conductitios: domeſticos item & peregrinos. Horum & commoda & incommoda, quam optime enarrat Ampliſſimus Dn. Præſes *in Animadverſ. Polit. ad Machiav. lib. de Principe cap. 12.* Quare ne actum agere videar, hac de re nihil plane dicam. In univerſum tamen lecti & domeſtici multiplices ob rationes conductitiis & peregrinis præferendi ſunt.

XXX. In colligendis vero aut conſcribendis militibus, accurata ætatis, corporis, animi, & vitæ generis habenda eſt ratio. Ætas nempe illorum ſit mediocris; non nimis ſenilis, nec nimis juvenilis. Corpora militum ſint ſana, laborisque ferentia. Animo porro ſint acri & præſenti, habeantque militarem confidentiam. Vitæ genus denique quod attinet, omnes, qui aliquid tractaſſe videbuntur ad gynecæa pertinens, longe a caſtris repellendos eſſe, ſuadet præclarus rei militaris ſcriptor Vegetius *lib. 1. cap. 7.* Ariſtoteli *lib. 6. cap. 4. Polit.* maxime idonei videntur paſtores & Agricolæ, quod nimirum laboribus perpetuis corpora illorum indurata ſint, & ſub dio vitam degere absque ulla moleſtia poſſint. His etiam omnino addi debent Venatores; venatio enim eſt quaſi perpetuum exercitium militare. Excellentiſſ. Dn. Præſes *in Colleg. priv. de rep. Helvet.*

XXXI. Hi omnes, quo arma perite tractare addiſcant, quotidianis exercitiis aſſuefaciendi ſunt. Præmiis deinde etiam illos excitare opus eſt. Sic Romani ob inſigne quoddam factum peculiaria præmia militibus ſuis ſtatuebant, ut fuere coronæ civicæ, vallares, murales &c. at poſt victoriam omnibus præmia data ſunt. Sed & pœnis, illas promeriti, pro delicti qualitate & circumſtantiarum ratione, afficiendi ſunt.

XXXII. Ante autem, quam hinc diſcedamus, ſilentio neutiquam prætereundi ſunt Socii. Quamvis vero non ſit negandum, hos inſigni non raro reipublicæ utilitati eſſe, ad propulſandam vim hoſtilem maximum afferre momentum, attamen a potentioribus ſæpenumero ſummum imminet periculum. Hi enim ſpecioſo ſocietatis prætextu pedem promovere, & illos, quibus opitulari debent, ſub poteſtatem ſuam redigere ſolent. Hoc ſane crimine infames ipſimet veteres olim Romani fuerunt; ut qui, fatente ipſo Cicerone, ſociis defendendis terrarum omnium potiti ſunt. Hoc idem quoque patria mea Livonia anno ſuperioris ſeculi 61. experta eſt. Cum enim magiſter Ordinis Livoniæ, Archi Epiſcopus Rigenſis, & nobilitas illis ſubjecta, cum Rege Poloniæ Sigismundo Auguſto fœdus aliquod de defenſione contra Moſchos pepigiſſent, Rex vero *diſtractiones* (loquor cum Salomone Neugebauero in Hiſtor. rer. Polonic. pag. 603.) *Livoniæ inteſtinas varias ac multiplices, & Revaliam tota cum vicinia Sueco ſe ſubjeciſſe, aliquot etiam provincias a Magno Holſatiæ Duce teneri videret; non amplius teneri prioribus pactis cum ordinis magiſtro & Archi-Epiſcopo initis, multo minus ſpeciem defenſionis alicujus adverſus Moſchos oſtendere voluit, niſi Archi-Epiſcopus & magiſter ordinis, cum omnibus ſubditis ſuis ſe Polonia & Lithuoniæ penitus ſubderent, & ſolenni ſubjectionis juramento obligarent. Cum igitur Archi-Epiſcopus & ordinis Magiſter ab Imperio romano, cujus auxilium & opem aſſiduis legationibus ſupplices imploraverant, ſe plane deſertos animadverterent, & ingentia Livoniæ jam magna ex parte a Moſcho & aliis occupatæ ac vaſtatæ vulnera remedium præſens flagitarent: extrema coacti neceſſitate, ut reliquas adhuc Livoniæ provincias, ne in Moſchi poteſta-*

tem

Google

rem pervenirent, nomini & religioni Chriſtianæ conſervarent, conditionem ſubjectionis a Rege Poloniæ flagitatam ſubire coacti ſunt.

XXXIII. Hiſce ita explicatis, reſtat, ut intentionem ſive finem belli paucis contemplemur. Ille autem eſt minus principalis & principalis. Minus principalis eſt victoria. Hic autem prudentiſſimi quique rerum bellicarum ſcriptores notari jubent: ante certam & exploratam victoriam in ipſa pugna hoſtem minime eſſe ſpoliandum. Nimia ſcilicet prædæ rapiendæ aviditate multos ſæpe jam victores adverſa denique fortuna uſos eſſe. Hoſtem quoque ad deſperationem non temere eſſe adigendum: quin potius ipſi fugienti, ſecundum Italorum proverbium, argenteum pontem faciendum. A trophæis denique niſi raro abſtinendum eſſe; idque quandoquidem trophæa & triumphalis pompa, plus doloris victis afferre ſoleant, quam ipſa victoria, & incitamenta ſint ad res collapſas reſtituendas. Quod ſi tamen nihil tale fuerit metuendum, nihil refert romanam magnitudinem iſthac in re æmulari.

XXXIV. Principalis vero belli finis eſt, vel certe eſſe debet Pax

Optima rerum
Quas homini noviſſe datum eſt. Pax una triumphis
Innumeris potior. Pax cuſtodire ſalutem
Et cives æquare potens.

Ut canit Silius Italicus. De qua ut jam nonnihil itidem agamus, monet inſtitutum.

XXXV. Dicitur igitur Pax a pactione, ita enim Ulpianus *l. 1. §. 1. ff. de pactis*: Pactum a pactione dicitur, inde etiam pacis nomen appellatum. Etymologiam hanc logicam Grammatici a pace pactum & pactionem derivantes invertunt. Quoniam autem multiplices Pacis notationes, & variæ quoque diviſiones tradi ſolent, ante omnia monendum eſt, nobis, omiſſis iſtis omnibus, de pace tantum externa & quidem publica ſermonem eſſe.

XXXVI. Illa definitur ab Alber. Gentili *lib. 3. de jure bell.* quod ſit *compoſitio belli ordinata* item ab Avenario *Colleg. Polit. diſp. 14. th. 28. conventio publica perpetuo ab armis ceſſandi*, Quoniam vero nonnunquam pax ſine pactis, prævia compoſitione, hoſtibus ſcilicet omnino debellatis & ſub poteſtatem redactis, reipublicæ obtingere poteſt, hinc definitiones modo adductæ firmo talo ſtare nequeunt. Definitur ergo a Nicol. *Schufhauſen, diſcurſ. Academ. de pace pag.* 7. quod ſit *ab inimica armorum colliſione & cunctis hoſtilibus actionibus ordinata & perpetua quies.*

XXXVII. Poteſtas porro pacem conſtituendi eſt penes illum, cui jus belligerandi competit. Hinc Ariſtoteles *lib. 4. Polit. cap. 14.* poteſtatem belligerandi & pacem ineundi conjungit.

XXXVIII. His ita præmiſſis attingendi jam veniunt, per quos negotia pacis expediri ſoleant. Occurrunt vero primo loco Mediatores. Prudenter namque hodie fieri amat, ut, quando inter duos Principes, bello diſſidentes, pax eſt conſtituenda, uterque autem Principum forte animoſior eſt, quam ut alter ab altero pacem petat, tertius interveniat, cujus medio illa duo extrema quaſi nolentia volentia jungantur. His accedunt quoque Legati ab utraque parte, qui, cum ardua & maximi momenti pacis negotia ſint, præ illis diuturno rerum uſu, prudentia, eloquentia, & dexeritate, non vulgari inſtructi eſſe debent.

XXXIX. In principatibus vero ipſi Principes diligentiſſime caveant, ne ad fœdus pacis feriendum perſonam ſuam ita facile hoſti concredant. Licet enim nonnullis feliciter hoc ſucceſſiſſe non ignoremus; attamen longe pluribus damnoſum imo & exitioſum fuiſſe, hiſtoriæ ſatis ſuperque teſtantur. Imitentur igitur Ludovicum Sfortiam, Ducem mediolanenſem, cum Galliæ Rege congredi nolentem, niſi in fluminis cujusdam medio, ubi pons aut navibus aut alia ex materia exſtructus eſſet, ut inter utrumque firmum & robuſtum ex lignis vallum intercederet, ceu ex Guicciardino refert Forſtnerus *Hypomn.* 28.

XL. Quisquis tandem ſit, qui procuret pacem, ſummo laboret opere, ut conſtituatur pax honeſta. Turpi ſane paci mors antehabenda eſt: & potius cum dignitate cadendum, quam cum ignominia ſerviendum, cenſet Cicero *Philip.* 3. Sit item Pax tuta & ſecura. Tutius namque, dicente Tacito, bellum eſt apertum, quam ſuſpecta pax. Suſpecta autem pax merito habenda eſt, quæ eſt inſidiis obnoxia, & certiſſimo diſcrimini deſtinata, eoque directa, ut pars altera funditus deleatur. Geilfuſ. *Polit. exercit. 6. p.* 204.

XLI. Tali vero impetrata pace, Gubernatores reipublicæ omnem moveant lapidem, ut juſtitia virtutum omnium domina & regina debito modo adminiſtretur: ſolidique juſtitiæ nervi, judicia, quam optime ſeſe habeant: cuique jus ſuum promtiſſime tribuatur; neque concedatur, ut per tædia & moras noxii impetum publicæ animadverſionis eludant. Nec minor literarum, quæ laudum altrices, educatrices gloriæ, famæ nutrices, partorum in bello conſervatrices, pacis denique & tranquillitatis cuſtodes appellantur, habeatur ratio, & ad illas feliciter addiſcendas ſcholæ publicæ erigantur. Hæ enim merito apud eruditos rerumpublicarum plantaria, eccleſiarum ſeminaria, & optima pulcherrimaque cujusvis reipublicæ armamentaria audiunt. Floreſcat tandem in pace univerſale illud humanæ inopiæ levamentum, Mercatura; neque immanibus vectigalibus, ut paſſim fieri ſolet, impediatur. Florente namque illa, quævis fere reſpublicæ florent: deficiente vero, ſaltem pleræque deficiunt.

XLII. Neque tamen omnis omnino in pace belli cura rejicienda. Quin potius, cum nulla reſpublica perpetuam ſibi pacem ſpondere poſſit, in pace ſemper de bello cogitandum eſt. Sedulo proinde providendum de ſufficienti pecuniæ & expenſarum ſumma; (pleraſque enim

belli res confici vi pecuniarum recte ait Thucydides *lib.* 2.) & de annona reque frumentaria, (quem in finem granaria publica exſtruenda;) & de armis ductilibus machinisque bellicis, quibus armamentaria publica repleri debent. Caſtella quoque exſtruenda muri & portæ firmandæ: & denique cives militiæ armorumque tractationi ſemper aſſuefaciendi ſunt.

XLIII. Unum nimirum incommodum longiſſima pax ſecum trahere videtur: quod quemvis populum bellicoſiſſimum hactenus, effœminatum imbellemque reddere ſoleat. Prudens huic rei remedium excogitarunt Helvetii, permiſſa popularibus ſuis pacis temporibus exteris Regibus militandi libertate. His tamen cautionibus adhibitis: ut ſinguli pagi ex ſuorum numero Præfectum conſtituant, qui ſui pagi milites regat, utque milites omnes jurare cogantur, ſeſe ſimul in patriam revocabuntur, confeſtim redituros. Hoc ipſo ſane fit, ut quilibet pagus etiam in altiſſima pace militem exercitatiſſimum in promtu habeat. Non caret quidem hoc remedium ſuis incommodis: ad hoc tamen, ut cives ſemper bellicoſi permaneant, apprime utile eſt. Uti pluribus nuperrime diſſeruit ampliſſ. Dn. Præſes *diſſert. de republ. Helvet.*

XLIV. Denique, quoniam pace nil eximium magis eſſe poteſt, & nomen pacis dulce, res vero ipſa jucunda & ſalutaris eſt, nihil autem e contrario bello, malorum omnium compendio, funeſtius excogitari poteſt: ſemel condita pax inviolabiliter cuſtodiri, nec niſi graviſſimis ex cauſis, quas numerat incomparabilis vir Hugo Grotius *lib.* 3 *de jur. bell. & pac. c.* 20. iterum rumpi debet. Sed ſubſiſtimus hic, & Deum Ter Optimum Maximum animitus precamur, ut pacem, clementiſſime nobis conceſſam, perpetuo ſtabilem & firmam conſervare velit.

HERMANNI CONRINGII
DISSERTATIO POLITICA
DE JURE BELLI.

Menſe Augusto MDCLXIX. habita.

RESPONDENTE

CHRISTIANO FRIDERICO STILLEN.

Soltquellenſi - Marchiaco.

Theſis I.

Duo ſunt quaſi genera negotiorum, quæ in republica quavis veniunt expedienda, negotia aut pacis aut belli. Ab his, ſi omni ex parte reſpublica aliqua bene fuerit inſtructa, non poſſumus non eam felicem & beatam prædicare.

II. Cum vero in humanis rebus nihil omni numero perfectum nobis conſequi liceat, accidit, uti quidem rempublicam ad negotia belli ſic ſatis bene compoſitam eſſe videamus, ſecus autem ad pacis, quæ tamen belli negotiis præferenda dixerim. Summus Philoſophus Ariſtoteles *lib.* 7. *Polit.* egregie obſervat, quod Lacedæmoniorum reſpublica ad belli negotia rectius fuerit inſtituta, quam ad pacis. Idem obſervare eſt in republica romana, quæ quemadmodum ad pacis negotia ſeſe habuerit, eventus docuit. Batavorum autem reſpublica ad negotia pacis rectius videtur compoſita, licet feliciſſima geſſerit bella contra Hiſpanum, toti orbi formidabilem.

III. Quandoquidem igitur quævis reſpublica circa hæc utraque negotia bene debeat eſſe inſtituta, nec quicquam ſit ſpernendum, unde ei vel bene vel male eſſe poſſit, facile apparet, nos operæ pretium eſſe facturos, ſi aliquot theſibus doctrinam de jure belli incluſerimus. Antequam autem id, quod recipimus, præſtemus, ea, qua fieri poterit, brevitate, & vocum originem, & earum definitionem pariter præmittemus.

IV. Bellum, *πόλεμος*, deſcendit a voce veteri duello, quia fuit bellum ab initio duellum a duobus. Nam licet multi ſint milites, duæ tamen partes ſunt, & inter duos tantum primum bellum fuit. Hac ratione dictum etiam fuit olim duidens pro bidens, duellona pro bellona. Et notat Giſanius *in collect. Lucret. p.* 333. fuiſſe duellum olim biſyllabum, ſicut duo monoſyllabum. Hodie duellum nonniſi duorum concertationem & dimicationem appellamus, cum revera nihil aliud, quam bellum in genere ſignificet. Etenim ſicut antiquiſſimi non bonus, ſed duonus, ita non bellum, ſed duellum dicebant. Horat. *l.* 1. *epiſt.* 2. *v.* 7. inquit:

Græcia Barbariæ lento commiſſa duello.

loquitur vero Horatius de trojano bello, quo Græcia Phrygiaque, quam barbariam vocat, ardebat.

V. Commode autem bellum nos ita cum Hug. Grotio definiri poſſe putamus, videlicet, *quod ſit ſtatus per vim decertantium, qua tales.* Hæc generalitas omnia bellorum genera comprehendit. Neque enim privatum hic excluſum volumus, quod reipſa prius eſt publico, & haud dubie cum publico communem habet naturam. Grotius *l.* 1. §. 2. *de jure bell. & pac.*

VI. Equidem videri poſſit, quod generis loco in definitione ponenda ſit actio. Verum enim vero hac ratione non differret bellum a prælio, quæ tamen maxime a ſe invicem ſunt diſtinguenda. Bellum enim etiam ſine prælio eſt, cum indicitur; prælium eſt ipſa pugna. Nonius Marcellus: *Bellum & prælium hoc differunt, quod prælia partes ſint belli, i. e. in bello congreſſiones.*

Lucil.

Lucil. *l.* 26. *Ut populus romanus victus vi, & ſuperatus eſt præliis ſæpe multis, bello vero nunquam, in quo ſunt omnia.*

VII. Jus a juſſu ſeu jubendo dictum videtur. Rudol. Agric. *de Invent. l.* 1. nam & Feſtus ait, antiquos jura dixiſſe juſſa. Cum autem varia jubeantur, varie quoque hoc nomen uſurpari, conſentaneum eſt, *l. pen. & l. fin. ff. de I. & I.* Sed trifariam nonnunquam accipi ſolet, (1) pro jure naturali, quod nobiſcum naſcitur, *l.* 2. *de LL. & l. pen. ff. de I. & I.* (2) pro qualicunque jure poſitivo ſive civili, *l.* 1. *de LL. l. omnes* 9. *§.* 1. *Inſt. de jure natur. gent. & civil.* (3) pro jure romano §. 2. *Inſt. de I. & I. §. Sed jus. Inſt. de jure natur. gent. & civ.*

VIII. Nobis jus hic nihil aliud denotat, quam quod eſt juſtum; idque negante magis ſenſu, quam ajente, ut jus ſit, quod injuſtum non eſt. Sic ſi alieni ſui commodi cauſa aliquid detrahere liceret, tum ſocietatem hominum everti, neceſſe eſſet. Hominem homini inſidiari nefas eſſe, evincit Florentinus, *quia cognationem quandam inter nos conſtituit natura, l.* 3. *ff. de I. & I.* Seneca inquit, *ut omnia membra inter ſe conſentiunt, quia ſingula ſervari totius intereſt, ita homines ſingulis parent, quia ad cœtum geniti ſumus.* Salva enim eſſe ſocietas non poteſt, niſi amore & cuſtodia partium.

IX. Tradita vocum definitione & origine, proximum eſt, uti rem ipſam aggrediamur, examinaturi bellorum genera ſecundum jura, quæ non ſunt unius generis.

X. Dubitare enim quis poſſit in univerſum, num fas ſit armis uti, atque adeo num liceat rempublicam ad negotia belli componere? Fatendum ſane eſt, non reperiri hodie ullum populum, nec eſſe repertum, qui dubitaverit, ſibi eſſe jus bellum gerendi, interim tamen non defuerunt, nec deſunt privati quidam, qui putant, non eſſe fas bellum ſuſcipere. Verum in quantum liceat bellum gerere, apparebit ex iis, quæ ſequentur.

XI. Principio autem obſervandum eſt, duplex eſſe bellum, aliud defenſivum, aliud offenſivum. De utroque poteſt dubitari. Multos tamen videas, qui ſtatuant bellum defenſivum licere gerere, etſi forte non offenſivum. Idque ideo, quoniam defenſio non tantum eſt naturalis, accedente nimirum recta ratione, quæ temperat defendendi modum. Quid ſane magis rectæ rationi poteſt videri conſonum, quam ut quis adverſus injuſtam offenſionem ſeſe tueatur ac defendat, omnemque vim, quacunque ope poteſt, propulſet. Eleganter Cicero *in orat.* 38. *pro tit. Annio Milone* inquit: Eſt hæc nata lex, non ſcripta: quam non didicimus, hauſimus & expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti; ut ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, ſi in tela, aut latronum, aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis.

XII. De bello offenſivo vero major eſt dubitatio, nam videri poteſt, bellum hoc cum injuſtitia eſſe conjunctum, nec poſſe excuſari.

XIII. Cæterum, quin bellum hoc utrumque jure quidem civili cujusvis reipublicæ liceat gerere, nullum eſt dubium; quoniam nullus populus repertus fuit, qui non aſſeruerit, & bellum defenſivum & offenſivum eſſe juſtum. Sed & quoniam hæc bella approbant omnes gentes, in aprico eſt, jure gentium ea quoque approbari. Verum hoc non ſufficit, ad probandam veram juſtitiam illorum bellorum; bella enim hæc poſſint forte eſſe vetita jure naturæ, imo licet hoc jure non ſint vetita, tamen jure divino poſſint eſſe prohibita. Veriſſimum enim eſt, quod aliquid jure quidem naturæ poſſit eſſe permiſſum, tamen jure divino vetitum.

XIV. Diſcrimen porro non leve eſt inter ea, quæ jure naturæ ſimpliciter mandata & vetita ſunt, & inter ea, quæ jure hoc tantum ſunt permiſſa. Quæ jure enim naturæ ſimpliciter ſunt vetita aut mandata, illa non poſſunt mutari: quæ vero jure naturæ tantum ſunt permiſſa, illa non tantum jure divino, ſed & legibus poſitivis humanis poſſunt mutari. Hoc ipſum recte obſervatum eſt a Caſparo Zieglero, JCto & Profeſſore academiæ wittebergenſis celeberrimo, in notis doctiſſimis *ad c.* 2. *libri grotiani de J. B. & P. Quæ indeterminata*, inquit, *ſunt lege naturæ, ea voluntas ſive divina, ſive humana, pro lubitu flectere huc & illuc poteſt, nec idcirco contra naturam ea agere dici debet.* Pinguius itaque & minus accurate loquitur Imperator, §. 2. *Inſt. de jure natur. gent. & civ.* ubi ſervitutes naturali juri contrarias eſſe, contendit. Neque enim natura ſcivit, ut bello juſto capti non ſerviant, ſicut neque decrevit, ut ſerviant, ſed utrumque humano arbitratui commiſit. Præterea Deus Opt. Max. poteſt nos ad aliquid lege divina quadam obſtringere, ad quod jure naturæ non ſumus obſtricti.

XV. Priusquam vero bellum defenſivum & offenſivum examinemus, unicam adhuc bellorum adjiciemus diſtinctionem, cujus recte meminit Grotius in incomparabili opere *de jure belli & pac.*

XVI. Bellum nempe aliud eſt privatum, aliud publicum, aliud denique mixtum. Bellum privatum eſt, quod geritur inter eos, qui alterius ſubſunt imperio, ſi ſcilicet duo cives inter ſe contendant. Tale bellum vulgo dici ſolet duellum. Publicum bellum eſt illud, quod geritur ab integro populo, aut ab iis, qui ſunt plane ſui juris. Mixtum vero illud dici poſſe videtur, quod inter eos geritur, qui non omni ex parte ſunt liberi, ſed aliqua ex parte alium ſuperiorem agnoſcere coguntur.

XVII. Merito autem forte dubitemus, an mixtum bellum ſit proprie dictum bellum. Et vero omnino exiſtimamus, illud proprie quidem ſic ex uſu Romani populi veteris dicti belli nomen non mereri, quoniam partes non pari autoritate congrediuntur. Proprie enim bellum dicebatur olim illud, quod geritur inter ſummo imperio & majeſtate pollentes. Neque vero in uſu

armorum tantum & externa vi conſiſtit bellum, ſed etiam & potiſſimum quidem in jure. Jus belli ergo quibus non competit, cum illis etiam non geritur bellum. Uti nec legatos proprie dictos mittere poteſt, qui non tenet ſummum imperium. Et hinc ex reipublicæ ſuæ uſu optime hoſtes definivit. Ulpianus *l. 24. ff. de captiv. & poſtlim.* conſentiente Paulo. *l. 19. §. 2. ff. eod. Ille hoſtis eſt*, uti diſſerit Cicero Philipp. 4. *qui habet rempublicam curiam, ærarium, conſenſum & concordiam civium & rationem aliquam, ſi res ita tulerit: reliqui, etiamſi exercitus habeant, & milites atque Imperatores ſe ferant, non pro hoſtibus, ſed pro latronibus & Spartacis ſunt habendi.*

XVIII. Apud Romanos quoque quædam bella dicta fuere juſta, quædam injuſta. Multi exiſtimant, vocabulo illo juſti Romanis veniſſe juſtum, quod eſt moraliter tale: verum illi errant. Nam apud Romanos non dicebatur bellum juſtum, quod erat moraliter tale, ſed quod erat ſolenne, & opponebatur latrocinio.

XIX. Ut autem bellum ſolenne ſeu juſtum eſſet, ex jure gentium duo requirebantur. (1) ut gereretur utrinque autore eo, qui ſummam poteſtatem habebat in civitate. (2) ut eſſet bellum indictum. Et vero denunciatio belli ad ipſum jus & opinionem juſti pertinere videtur. Imo vero hoc juſtum videtur, ne quid clam aut dolo agatur in hoſtem, eadem pene ratione, qua in jus vocaturus alterum ad album Prætoris olim ducebat, & ei actionem edebat. Nec vero crediderimus, gentem aliquam moratiorem fuiſſe, quæ non id ſemper egerit unice, ut bellandi cauſas habere ſe juſtiſſimas non modo crederet ipſa, ſed exteris quoque omnibus, adeoque ipſis etiam, ſi fieri poſſit, hoſtibus perſuaderet. Hinc ſane apud Romanos potiſſimum requiſita fuit clarigatio, ut appellatur; eamque illi retulerunt ad jus fœciale, quod certis conſtabat ritibus. Hodie apud nonnullos clarigatio in uſu eſſe definit. Num autem bono an malo reipublicæ illa antiquetur, aliis conſiderandum relinquimus; nos interim malo reipublicæ id fieri omnino putamus. Videtur autem clarigatio ideo eſſe introducta, ut ultimum de ſatisfactione ſuper injuriis monerentur hoſtes, quam ſi non præſtarent, bellum certiſſime exſpectarent.

XX. Si vero aliquod gereretur bellum, non adhibitis iſtis ſolennitatibus, tum habebatur olim latrocinium; bellum ſolenne autem habebat ſuos effectus civiles. Qui enim bello ſolenni erat captus, ille jure ſervire credebatur. Contra ſi quis eſſet captus in bello minus ſolenni, ille non jure ſerviebat: itaque poterat ab iis, qui ſanguinis vinculo illi erant juncti, pecuniam petere in ſui redemtionem. Apud Romanos poſt introductum fuit jus poſtliminii, conditum in ſolatium eorum, qui in bello juſto fuerant capti. Hoc autem jus non fuit neceſſarium iis, qui in bello non ſolenni erant capti. Sic Romani bellum juſtum appellarunt bellum punicum ſecundum & redimere noluerunt aliquot millia civium, ſed maluerunt aut eos ad unum omnes trucidari, aut ſervire. Hi fuerunt olim effectus civiles ſolennis belli.

XXI. Albericus Gentilis L. *de juſtitia armorum Romanorum* quidem nobis perſuadere conatur, Romanos geſſiſſe ſemper bella moraliter etiam juſta, ſed nobis hoc nunquam perſuaſerit. Bellum ſane, quod Romani geſſerunt contra Cypri Regem opulentum, fuit iniquiſſimum. Etſi, quod mireris, bellum hoc geſtum fuerit ductu & auſpiciis Catonis uticenſis, viri juſtitiæ nomine alias conſpicui. Fuit nimirum is Catonibus animus, qui Ariſtidi olim Athenienſi: juſtum nempe eſſe quodvis, quod reipublicæ utile. Talia autem bella geſſerunt Romani quam plurima; fueruntque Romani ſæpenumero non niſi immanes prædones, ſolennes tamen. Cicero ſane ipſe fatetur, non ſemper Romanorum arma fuiſſe æqua. Carneades quoque de republica attica Romam miſſus, cum in corona aliquot elegantium Romanorum pro ſua, qua pollebat, facundia & laudaſſet & vituperaſſet juſtitiam, non dubitavit publice profiteri, Romanis injuſtitiam multum attuliſſe utilitatis; & quod ſi reddenda eſſent omnia inique capta, Romanis ad caſas redeundum eſſe paſtoritias.

XXII. Sed jam ad bellum defenſivum tranſitum faciamus, idque ſub examen vocemus. Quæritur ergo primum, an legibus civilibus humanis bellum defenſivum ſit vetitum? Quoniam autem in his legibus tantum agi ſolet de civibus, ideoque quæritur, num bellum privatum defenſivum ſit jure poſitivo etiam Romano civili permiſſum?

XXIII. Nonnulli illo bellum hoc jure civili licitum eſſe affirmant, nonnulli vero negant. Nos exiſtimamus, bellum hoc privatum, non ſimpliciter ulla lege eſſe vetitum, ſed potius eſſe, ex parte ſaltim, permiſſum. Etenim lex civilis Romana aperte permittit inculpatam tutelam armatam; usque adeo, ut niſi excedantur limites hujus tutelæ, permittat quoque occiſionem adverſarii. Quid? quod ex ipſa lege hebræa, quam Deus ſancivit in uſum populi iſraelitici, manifeſtum ſit, quod Deus illam armatam defenſionem permiſerit. Grotius ſane in id recte adducit verba *Exod. 22. v. 2. Si in effoſſione deprehenſus fur, ita percutiatur ut moriatur, nec reus cædis eſto percuſſor, ni jam dies illuxerit, tunc enim reus cædis erit.* Hæc utique lex non ſolum impunitatem inducit, ſed etiam jus naturæ explicat; neque fundatur in peculiari aliquo mandato divino, ſed communi æquitate. Unde & aliæ gentes hoc quoque ſequutæ ſunt. Sic ſane inſons omnium, quos novimus, populorum legibus judicatur, qui adverſus aggreſſores armis vitam periclitantem defendit. Præterea nulla lex & conſuetudo poterit afferri, qua prohibita ſimpliciter ſit hæc defenſio. Interim vero etiam nulla lex reperire eſt, quæ omnem omnino defenſionem permiſerit, ſed omnes moratiores populi eam tum demum admiſerunt, quando lis non potuit componi in judicio. Pertinet huc integra materia de neceſſaria & legitima defenſione, item totus titulus *C. quando licet unicuique ſe defendere. Similiter l. 3. §. 9. l. 17. ff. de vi l. 1. C. de vi. l. 3. C. de pignor.*

XXIV. Hic vero notandum eſt, poſſe judicium duplici modo ceſſare; vel momentanee vel conti-

continue. Si quis nempe a latrone in urbe vel in medio foro infeſtis armis petatur, ille non poteſt ad judicem recurrere, niſi velit defenſionem omittere, & certum vitæ periculum ſubire, quod tamen ipſa natura averſatur, & tum ceſſare dicitur momentanee judicium; atque adeo illi quidem licet uti inculpata tutela. Ut autem defenſio hæc ad alterius impetitionem juſta ſit, requiritur, ut fiat in continenti, *l. 3. §. 9. ff. de vi & vi arm. l. 16. ad SCt. Macedon. l. fin. §. fin. ff. quod vi aut clam.* Et vero vis, quæ ex intervallo infertur, non ad defenſionem, ſed ad vindictam ſpectat *l. 12. §. 1. ff. quod metus cauſa.*

XXV. Continue porro judicio non eſt locus, vel jure vel facto. Jure, cum quis verſatur in locis nondum occupatis, mari, inſula, aliisve in quibus nulla eſt civitas. Facto, cum ſubditi ſunt ea improbitate, uti non audiant judicem. Et ſane ſi quis certus eſt, adverſarium judici non eſſe pariturum; tum perinde eſt, ac ſi eum quis aggreſſus ſit in ſolitudine. Similiter fieri poteſt, uti judex nolit judicare. Tum vero defenſio ut in reliquis caſibus, ita & in hoc habet locum.

XXVI. Hinc vero apparet, quid ſit ſentiendum de illis legibus civilibus, quibus duella vetantur. Veriſſimum nempe omnino eſt, quod tales leges conſentaneæ ſint omnium gentium moratiorum legibus, modo obſervetur, quod defenſio inculpatæ tutelæ his legibus non ſit prohibita. Nam multum abſunt ab inculpata tutela duella. Quin ſane illa legibus poſſint vetari, nullum eſt dubium, idque quandoquidem non fiunt ex improviſo, & judicio locus eſſe poteſt. Nec vero qui hactenus hoc in dubium vocaverit, viſus eſt quisquam; paucis exceptis Jeſuitis gallicanis, qui tales de duellis leges iniquitates accuſare non dubitarunt. Quum nimirum in Gallia, regnante hujus Regis parente, autore Cardinale Richelio pœna capitalis duellantibus eſſet lege poſita, tamen Jeſuitæ nonnulli acriter pro juſtitia duellorum pugnaverunt. Videatur de doctrina hac Jeſuitarum opus epiſtolicum Montaltii.

XXVII. Videtur autem pro duellis hoc potiſſimum facere poſſe; quod ignominia ſit computanda inter maxima mala, ignominia autem nequeat averti citra duellum, cum primis, ſi duella ſint recepta. Hinc ſane argumentari quis poſſit. Sine quo fama non poteſt eſſe ſalva, illud non eſt omittendum. At ſine duello fama ſervari non poteſt. E. Verum enim vero, ut Majorem nunc concedamus minorem tamen negamus, & quidem hanc ob rationem, quod per graves animadverſiones, deſtinatas illis, qui famæ noſtræ aliquam maculam aſpergere forte fuerint conati, noſtræ famæ ſic ſatis conſuli poſſit. Ubi vero per judicia ſatis famæ noſtræ conſulitur, ibi non eſt opus, uti lites per duella finiamus.

XXVIII. Hic quidem nobis latiſſimus campus pateret de judiciis, quæ eleganter Ariſtoteles *5. Ethic. Nicom.* 6. & 1. *Polit.* 2. legitimum præſidium & jurispublici tutelam vocat, diſſerendi. Verum noſtri inſtituti ratio id non patitur. Quomodo autem pro diverſitate rerumpublicarum ſint inſtituenda atque informanda judicia, traditum eſt a Magnif. Dn. Præſide Patrono ac Hoſpite ætatem devenerando, in elegantiſſimis ſuis de judiciis diſſertationibus.

XXIX. Quemadmodum vero in vita privata nobis fama nihil antiquius eſſe debet, ſic multo magis quodammodo ſe quoque res habet in vita publica. Famam ſane ſi Rex quamvis autoritatemque perdiderit, omnibus erit contemtui. Id quod ſummo eſt reipubl. cum diſcrimine conjunctum. Jam vero ſæpenumero læſa ab extero reipublicæ autoritate, nulla ſit ignominiæ illatæ ſatisfactio. Tum ergo omnino licet bello publico injuriam vindicare. Id quod recte fieri, exemplo poteſt eſſe ſanctiſſimus Regum ipſe David. Cum ſane Ammonitarum Rex legatos ejus ignominioſe habuiſſet; neutiquam ignominiam hanc ferendam David judicavit, ſed eam acerrimo ultus eſt bello. In univerſum ſane regula eſt politica, quod autoritate regnantium conſtet ſalus reipublicæ, & quod ſaluti reipublicæ maxime adverſetur contemtus. Simulac nempe respublica in contemtum inciderit, non poterit non ea ſimul omnium injuriis exponi.

XXX. Poſſet quis opponere, quod veteres tamen omniumque ſanctiſſimi Chriſtiani, æquo animo paſſi ſint injuriam. Verum reſpondemus, quod illi hoc fecerint, non quod ἁπλῶς id juſtum eſſet, ſed ob majus bonum. Satius ſcil. eſt jure tuo cedere, quam majore bono carere. Imo vero naturalis eſt juris, oportere iniquum interdum ferre majoris mali evitandi cauſſa. Chriſtianismus nempe prædicatione Evangelii erat propagandus; licet ergo numerus eorum, qui religioni chriſtianæ dederant nomen, jam eſſet major, quam paganorum, tamen illi noluerunt arma corripere adverſus paganos, ne terreſtria quærere viderentur. Conſultum itaque fuit per hanc patientiam honori religionis chriſtianæ. Quin ſane alias interdum liceat armis defendere religionem chriſtianam, nulli dubitamus; modo nempe abſit metus iſtius calumniæ.

XXXI. Pergendum vero nobis eſt ad jus naturæ, & dicendum; in quantum hoc jure liceat bellum defenſivum gerere. Animadvertendum autem primo eſt, quod jure naturæ bellum hoc nunquam ſit mandatum. Quamobrem nec pati injuriam eſt peccatum. Salvator ſane noſter in N. T. nobis mandavit patientiam, quam non commendaſſet, ſi eſſet peccatum. Deinde jure illo naturæ non eſt vetita omnis omnino defenſio; quoniam nulla ratione oſtendi poteſt, quod ejusmodi lex a natura ſit lata. Tertio denique, quædam defenſio armata jure naturæ eſt permiſſa.

XXXII. Hinc vero concludimus, quoddam bellum defenſivum jure naturæ eſſe licitum, quoddam vero non. Si nimirum Defenſio majore nos privet bono, quam poſſit exſpectari ex defenſione, tum bellum defenſivum ipſo eſt naturali jure illicitum. Fieri ſcilicet poteſt, ut Te aliquis aggrediatur, cujus violentiæ Tu plane es impar, atque ſi Tu, Te adverſus eum velis defendere,

dere, tum neceſſe fuerit, te in majus periculum conjicere. Hoc caſu natura non videtur permittere, ut te defendas. Nonnulli putant, hoc non eſſe virtutis, ſed ſatius eſſe mortem oppetere. At non eſt virtutis propter damnum aliquod leve vitam in periculum adducere, ſed potius temeritatis.

XXXIII. Doctores porro nonnulli contendunt, defenſionem atque adeo bellum defenſivum jure naturali non tantum eſſe licitam, ſed etiam præceptam, atque hinc ne a Principe quidem, nedum ſtatuto aut conſuetudine, tolli eam poſſe. Vid. Berlich. *part.* 4. *conc.* 12. *n.* 9. 10. 11. *Petrum Anton. de Petra de poteſt. Princ. c.* 26. Idque ab iis extenditur adeo, ut ſi quis ſe, cum defendere poſſit, occidi permittit, damnari queat, non aliter, ac ſi ipſummet ſe occidiſſet. Berlich. *d. l. n.* 13. Et vero hinc disquiri poſſet, num etiam Deus jure poſitivo tollere ejusmodi defenſionem queat. Quod quidem ex poſita ſententia iſthac negandum eſſet.

XXXIV. Nos vero defenſionem cum Zieglero præſtantiſſimo JCto, dicimus eſſe juris naturalis permiſſivi, non præceptivi: adeoque non placet ſupra adducta JCtorum illorum ſententia, ſi quidem abſolute pronuncietur nulla addita limitatione.

XXXV. Quæritur autem porro, quid jure divino ſit conſtitutum de bello defenſivo? Sunt vero jura divina, quæ reperiuntur in ſacro codice, non unius generis. Etenim alia ſunt condita quaſi arbitrarie in meliorem uſum civilem populi iſraelitici, alia vero ex æterno naturæ jure profluxerunt.

XXXVI. Deus nimirum Opt. Max. rempublicam mundanam conditurus, (hujus ſane ipſe Deus initio Rex fuit, & qui poſtea conſtituti fuere Reges pene nonniſi Vice-reges fuerunt) per Moſen leges civiles ſancit, uti per has leges eam perfectionem, quæ in civili ſocietate pro ingenio populi illius obtineri poterat, conſequeretur. Legum enim omnium ea eſt natura, ut præter id, quod exigit jus naturæ, aliquid vel ſanciant, vel ſæpe etiam permittant impune. Quod igitur attinet legem moſaicam illam civilem, dicimus, hac lege licitum ſaltim plerumque fuiſſe bellum defenſivum.

XXXVII. Verum quid dicendum de reliquis legibus divinis, ad quas cumprimis reſpiciendum eſt? Exactior ſane requiritur cura, uti tu abſolvaris coram Deo, quam coram homine. Phariſæi quidem putabant, ſufficere obſervationem legis moſaicæ ad vitam æternam conſequendam; ſed error erat peſtilens, obſervatio enim hujus legis, potiſſima ſaltim ex parte, tantum directa erat ad civilem vitam.

XXXVIII. Quid itaque obtinet his legibus circa bellum defenſivum? Si videamus verba Chriſti, quæ habentur *Matt.* V. 39. *&* *Rom.* XII. 19. tum dicendum eſſe poſſit videri, omnem defenſionem, quæ quidem manu fit, eſſe vetitam. Anabaptiſtæ in Batavia ſimpliciter inhærent literæ, & omnem reſpuunt licentiam defenſionis, quæ manu fit. Hoc autem vehementer antehac nocuit Batavis. Cum enim bona pars navium friſicarum ab illis hominibus exerceretur, incredibile dictu eſt, quantum prædæ acceperint dunkerkiani prædones, donec tandem lege cautum fuit, ne amplius ejusmodi hominibus naves inſtruerentur. Sociniani in Polonia in eadem ſunt ſententia. In primitiva Eccleſia item nonnulli fuere, qui hanc ſententiam foverunt.

XXXIX. Verum nos horum verborum interpretationem minus recte ſeſe habere putamus, tamen illorum hominum ſententiam, quatenus a pietate quadam profecta eſt, & literam habet faventem, nolimus facile anathematis ſacro fulmine peti. Verius autem omnino eſt, quod talis patientia, quam Chriſtus a nobis exigit, non fere ſit ultra naturalis juris obligationem extenſa. Jubemur nempe in Evangelio proximum amare juxta nos ipſos, non præ nobis ipſis; imo ubi par malum imminet, non vetamur nobis potius quam aliis conſulere.

XL. Dicat forte aliquis, etiamſi meum bonum præferre poſſim bono proximi, hoc tamen locum non habere in bonis æqualibus: quare vitam mihi potius deſerendam, quam ut permittam, invaſorem incidere in perpetuam damnationem. Sed reſpondemus, quod ſæpe etiam is, qui impetitur, opus habeat tempore ad pœnitentiam, & ipſi quoque aggreſſori ante mortem ſpatium ſupereſſe poſſit ad pœnitentiam. Deinde ſi quis ex mera nequitia vitæ meæ inſidiatur, & nequiter nolens deſiſtere in periculum animæ ſe conjiciat, non teneor ego nequitiæ illi vitam meam exponere, ſed poſſum per moderamen inculpatæ tutelæ aggreſſorem repellere.

XLI. Certe Apoſtolorum aliqui ad ultimum usque tempus, Chriſto vidente & ſciente, iter fecerunt armati gladio, quod & alii Galilæi e patria urbem Hieroſolymam verſus properantes, ob infeſtas latronibus vias factitarunt. Idem Eſſenos innocentiſſimos homines feciſſe, prodit Joſephus. Studebant autem Eſſeni, ut vitæ puritate, religione, jurisque tum divini tum humani obſervatione ſe conſpicuos redderent. Vid. Joſephus *l.* 2 *de bell. jud. c.* 7. Mart. Zuer. Boxhorn. *hiſtor. univ. p.* 32. *&* 79. Selden. de Synedr. *l.* 1. *c.* 7. Nicol. Fuller. *l.* 1. *miſcell. c.* 3. Cicero recte dicit, *gladios habere certe non liceret, ſi illis uti nullo pacto liceret.*

XLII. Illud vero, *ne reſiſtite injuriam facienti*, non magis univerſale eſt, quam illud, *date omni petenti*, quod tamen exceptionem admittit, dum ne nimium nos prægravemur. Ad exemplum Chriſti, qui pro inimicis mortuus eſt, *Rom. V.* 10. reſpondemus cum Grotio, quod Chriſti quidem facta omnia plena ſint virtutis, & quoad fieri poteſt imitari laudabile ſit, non tamen omnia ejusmodi ſint, ut aut ex lege veniant, aut legem faciant. Nam quod Chriſtus pro inimicis atque impiis eſt mortuus, id non fecit ex lege quadam ſuperiore cogente, ſed & ſpeciali quaſi pacto & fœdere inito in concilio Trinitatis, qui ſi id faceret, non modo cum ſumma ei gloria, ſed & gens in æternum duratura promiſſa eſt, *Eſa, LIII.* 10.

XLIII. Ex

XLIII. Ex his dictis jam ſit conſtitutum, quod neutiquam omne omnino bellum defenſivum ſit prohibitum hiſce legibus divinis. Rectiſſime vero obſervat Zieglerus, quod defenſio quidem ſit licita, non propterea tamen ultio aut vindicta. Vide Petrum Perremon. *l. 7. animad.* 18. Cujac. *lib. 5. obſ.* 18. Secus atque putavit fortaſſis Ariſtoteles & Cicero, qui ultionis exactionem in virtutis parte videntur ponere, ille *lib. 4. ad Nicomach. c. 2.* hic *l. 2. de Invent.*

CAPUT II.

XLIV.

Cognita autem belli defenſivi natura, pergendum nobis eſt ad bellum offenſivum. Hoc vero nihil aliud eſt, quam ſpontanea illatio damni armata. Eſt autem & hoc belli genus aliud privatum, aliud publicum, ac proinde ſeorſim, in utriusque jura eſt inquirendum. Igitur primo privatum bellum offenſivum an vetitum ſit, ſive permiſſum, an vero & mandatum ſit, merito quæſieris. Cæterum jure naturæ mandatum non eſſe, videtur omnibus pene gentibus moratioribus placuiſſe, utpote quæ in ſuis rebuspublicis per leges civiles bella ejusmodi prohibuerint. Moratiores inquam gentes prohibuerunt: omnes enim idem feciſſe falſum eſt. Re autem ipſa item hinc patet, quoniam ſocietas civilis ſibi non poteſt conſtare bello illo privato promiſcue admiſſo. Societas autem civilis eſt ex naturæ inſtinctu ſaltim hypothetice. Obſervatum hoc ipſum eſt accurate in lege civili romana. Etiamſi enim inculpatæ tutelæ moderatio fuerit licita, offenſio tamen nunquam jure illo civili fuit permiſſa. Inculpatæ ſane tutelæ moderatio, in his potiſſimum conſiſtit, ut repercuſſio fiat 1. non ulciſcendi, ſed propulſandi injuriam cauſa *l. 5. ad l. Aquiliam.* 2. in continenti laborante adhuc maleficio *l. 1. C. quando liceat unicuique ſine Jud. l. 3. §. eum igitur ff. de vi & vi arm. l. 2. & 3. C. ad l. Corn. de Sicariis.* & 3. denique ſimilibus, ſi armis fiat, *d. l. 5. ad L. Aquiliam & l. 3. §. eum igitur.* Eam tamen armorum ſimilitudinem & paritatem geometrica potius, quam arithmetica proportione æſtimamus, habito diligenti omnium circumſtantiarum reſpectu, quas JCtus enumerat *in l. aut facta de pœnis.* Quod ſi quis vero inculpatæ tutelæ moderationem excedat, illi jure civili romano pœna eſt dicta, etſi non pœna homicidii vel vulneris ordinaria.

XLV. Cæterum de bello offenſivo publico reſpiciendæ non tam leges aliquæ civil. ſunt, quam jura gentium. Si autem reſpiciamos gentium leges, tum omnino fatendum fuerit, quod hoc jure bellum offenſivum ſaltem liceat gerere Ubi notandum, ævo veteri Romanor. creditum fuiſſe, jure gentium omne bellum publicum licitum, modo eſſet ſolenne. Hac ſane de cauſa etiam Romanis ipſis conſtitutum fuit, ut quis ſolenni bello captus jure ſerviret, & quod non poſſit in integrum reſtitui, niſi jure poſtliminii: etiam *tit. de I. & I.* dicitur, quod bella juſta ſint jure gentium. Horum vero bellorum ſtatim poſt conditum mundum cumprimis a diluvio ingens fuit numerus, idque quod gentes talibus bellis in ſe mutuo ſævirent recepto quaſi more. Hac ſane conſuetudine nituntur hodieq; omnes ii, qui hæc bella ſimpliciter defendunt, & bello ejusmodi capta jure ſe credunt tenere etiam ipſiusmet naturæ. Qua tamen in re vehementer falluntur. Multa enim gentium moribus tantum non omnium olim inoleverunt, quæ juri naturæ aut divino neutiquam ſunt conſentanea. Itaque & bella quam plurima neutiquam probaveris examinata ad limam naturalis juris, etſi gentium conſenſu illa haud poſſis improbare. Adeoque nec coram Deo excuſationem invenerit unusquisque ſuis per arma publica acceptis: etſi hominum vulgari conſuetudine ſpectata non teneantur ad reſtitutionem.

XLVI. Quandoquidem vero ii, qui paulo ſunt probiores, non temere allegare velint jus iſtud gentium, hinc orbi exponi curare ſolent cauſas juſtificas. Secundum quas nos quoque bella offenſiva examinabimus. Usque vero adeo diſcrimen illud juris gentium & naturalis circa bella publica clariſſimum eſt, ut propterea & olim Romani jus ſuum fœciale inſtituerint, & hodieque quotquot ſunt paulo probiores ſoleant publicis tabulis juſtificas belli ſui cauſas orbi manifeſtas reddere. Nos igitur etiam non ex conſuetudine hominum, ſed ex ipſis naturalis juris principiis in belli hujus offenſivi publici juſtitiam inquiremus. Prius vero hoc quam agamus, obſervandum eſt obiter, cum vox principii ſit πολύσημος, & interdum quidem denotet idem, quod alias cauſam dicimus, interdum autem occaſionem duntaxat aut initium, quæ a cauſa ipſa plurimum differt, in diſceptatione utuntur de juſtificis belli alicujus cauſis, non ad quævis principia reſpiciendum eſſe, ſed ad illa demum, quæ etſi ſæpe in vulgus lateant, reapſe tamen homines ad bella offenſive gerenda ſolent permovere. Et ſane videas nonnullos captare quaſi occaſiones bellandi aut ex πλεονεξίᾳ, aut cupidine dominandi, vel rapiendi aliena. Quem ſuum animum ſolent tamen in ſuis, quæ vocant, manifeſtis diſſimulare, & fuco virtutis tegere.

XLVII. Horum porro publicorum offenſivorum bellorum alia ſuſcipiuntur vindicandi injuriam ergo, alia autem potentiæ & divitiarum augendarum cauſa. Quæ profecto plurimum differunt, ac proinde de his & illis ſeorſim agendum fuerit. Nos vero primum de poſterioris belli genere tractabimus.

XLVIII. Et hominum mores quidem ſpectantes merito dixerimus, bella plæraque ſaltim illorum, qui armis magnum ſibi imperium acquiſiverunt, vel potentiæ vel opum cauſa geri ſolere. De ipſorum Romanorum bellis jam olim tales ſane fuerunt querelæ. Hinc Mitridates: *Romanis cum nationibus populis Regibus cunctis una & vetus bellandi cauſa eſt, cupido profunda imperii & divitiarum.* Galgacus apud Tacitum appellat Romanos: *raptores orbis, qui poſtquam cuncta vaſtan-*

tibus defecere terræ, & mare ſectantur. Si locuples eſt hoſtis, avari, ſi pauper, ambitioſi, quos non oriens non occidens ſatiaverit. Fatetur hoc ipſum Petronius homo romanus, inquiens:

Si quis ſinus abditus ultra
Si qua foret tellus, quæ fulvum mittere taurum
Hoſtis erat; fatisque in triſtia bella paratis
Quærebantur opes.

Nec aliis moribus hodie plerumque geruntur bella, quantumvis ſanctiora alia prætexantur. Id quod infinitis exemplis docere promtum fuerit, ſi opus ſit.

XLIX. Primum igitur venit in quæſtionem, num captatio divitiarum & ampliatio imperii & gloriæ, vere juſtam bellandi præbeant cauſam. Exiſtimamus autem omnino, gloriam, captationem divitiarum & ampliationem imperii non eſſe cauſas vere juſtificas gerendi bellum offenſivum; idque quoniam ſimpliciter natura eſt vetitum alteri ſuum eripere, quod tamen omni illi eſt propoſitum, qui non niſi ampliare ſui imperii limites, aut divitias corradere ſatagit. Par vero eſt ratio illorum bellorum, quæ propter gloriam geruntur. Nec enim gloria per ſe morale aliquod bonum eſt, nec vera gloria parari poteſt quibusvis armis, ſed iis duntaxat, quæ innituntur aliis vere juſtis rationibus.

L. Quantumvis igitur nimium freqnenter Reges, Principes populique talia bella gerant, tamen illi graviſſime peccant. Recte ſane prædo ille, Alexandro Magno prædonem punire volenti, dixit, neſcire ſe, quo jure poſſit pœnas de ſe ſumere, cum ipſe ſit prædonum maximus. Nec injuria, quoniam bellum illud, quod movit Alexander Magnus adverſus Perſas multiplici laboravit iniquitate: non minus atque illud Julii Cæſaris bellum omne civile, & potiſſima ſaltim ex parte gallicum.

LI. Fortaſſis tamen pro illorum bellorum juſtitia adſtruenda poſſit facere illa, qua ejusmodi bella frequentiſſime proſequitur ipſe Deus, felicitas. Et vero illa felicitas ſæpenumero ordinarium modum longe excedit, & miraculi plurimnm habet, ut non poſſis illam vi humanæ aut prudentiæ aut virtuti aut viribus etiam attribuere. Talia fuerunt certe Alexandri Magni bella, quæ nonniſi gloriæ inanis & ſolius imperii ergo eſſe inſtituta, & tamen inuſitata felicitate fluxiſſe negari, non poteſt. Agnoſcimus ſane & virtutem generoſam Alexandri & militarem prudentiam, permulta tamen ab eo ſunt perquam imprudenter geſta nihilominus feliciſſimo ſucceſſu. Nec vero Plutarchus temere rerum Alexandri gnaro perſuaſerit contrarium, etſi elegans ſit ejus libellus de fortuna Alexandri. Si ſane quis legat Curtium, non poterit ſatis mirari, frequentiſſimæ temeritati & imprudentiæ Alexandri perpetuam tamen fortunam comitem quaſi inceſſiſſe. Omnis autem illa felicitas non forte fortuna evenit (quæ enim talia ſunt, raro accidunt) ſed vere ſecundante omnia ſummo numine: id quod ipſe ἄθεος Machiavellus coactus fuit ſateri. Et vero divinam providentiam in Alexandri rebus etiam ex ipſis prophetis, quæ manifeſto omnia aliquot ſeculis ante prædixere, liquido eſt cognoſcere. Quæ in Alexandri vero bellis, eadem licet etiam in aliis bellis, cæteroquin iniquis, infinitis, perſpicere, ſi modo animum attenderis. Suffecerit utique ſaltim Tamerlanis res geſtas bellicas examinare. Poſſit ergo forte quis dicere, quoniam Deus hæc bella tam felici beat ſucceſſu, illa etiam Deo probari, atque adeo & juſta eſſe.

LII. Verum enim vero hoc argumentum eſt nullius ponderis. Fatendum enim quidem eſt, Deum O. M. ſolere ſæpenumero talia bella inuſitata felicitate proſequi, & aliqua ex parte probare, ſed neutiquam hinc ſequitur, illa ſimpliciter probari Deo & juſta cenſeri. Utitur ſcilicet illis armis Deus in juſtam aliorum animadverſionem, idque arcana aliqua ratione. A qua divina intentione ſcopus bellantium infinitus modis diverſus eſt. Perinde atque plerumque divina conſilia ipſos fugiunt, Deo nemine illa revelante: ſecus atque factum fuit in bellis Iſraelitarum adverſus cananiticos populos. Juſta igitur reſpectu intentionis divinæ ſunt, at reſpectu proprii bellantium finis ſunt ſæpe iniquiſſima. Nec vero buc torquendum illud, quod dicitur in ſacris literis: *nullum eſt malum in civitate, niſi a Deo;* hoc enim intelligendum eſt de malo pœnæ, non culpæ. Hinc illi, qui inferunt malum pœnæ, non ſemper vacant culpa. Nebucatnezar ex. gr. bella geſſit iniquiſſima, ſi proprium ipſius animum ſpectemus, in ſacra ſcriptura tamen audit *ſervus Dei*, quod ſcilicet occulto ipſe conſilio divino adhiberetur ad Judæos aliosque populos plectendos. Ut proinde immerito & providentiam divinam Pompejus a Cæſare victus accuſaverit, dixeritque Lucanus:

Cauſa Diis victrix placuit, ſed vita Catoni.

Et vero ſolet Deus in ipſos illos ſervos ſuos graviſſime tandem animadvertere. Quod ipſum liquido perſpicere eſt cumprimis ex ſacris propheticis voluminibus. Ut proinde bellorum iſtorum divina felicitate eorundem vera juſtitia non poſſit aut debeat æſtimari.

LIII. Solet vero in argumentum juſtitiæ talium bellorum quoque adſerri, quod illi, qui propter gloriam certant, magna ſint præditi virtute, hæc autem apud gentes per excellentiam audiat virtus Ariſtot. 1 *Polit.* 3. hoc argumentum adducit, & olim quidem in frequentiſſimo fuit ore. Hoc ſane eſt, quod dixerunt Cimbri populi e Juria oriundi: *Omnia ſunt virorum fortium.* Verum neque hoc argumentnm eſt ullius momenti, non enim hæc eſt vera virtus. Et quanquam ita locuti ſint gentiles, tamen ne tum quidem temporis prudentiores in id conſenſerunt. Præter hæc duo autem non videmus quicquam, vel in ſpeciem afferri poſſe pro talibus bellis.

LIV. Jam ad reliqua bella, quæ inferuntur ob injuriam vindicandam. Hæc vero iterum

ſunt

ſunt diverſi generis: alia enim geruntur ob propriam injuriam, alia ob alienam. Propria injuria eſt, quæ ipſi reipublicæ noſtræ infertur; Aliena iterum poteſt eſſe varia, alia nempe infertur amicis aut ſociis, alia eſt, quæ infertur Deo & generi humano. Injuria Deo infertur & generi humano, quando populus aliquis eſt plane efferus, & contemtor Dei ac naturalis juris. Et vero ſunt gentes integræ, ſunt & Reges aut Principes nonnulli tam efferis moribus. De his igitur bellis itidem agendum eſt: Et primo quidem agemus de bello, quod ſuſcipitur ad vindicandam injuriam Deo vel naturali juri illatam.

LV. Sciendum igitur eſt, Regibus, & qui par Regibus jus obtinent, (ſi in auxilium ab aliis vocati fuerint) jus eſſe pœnas poſcendi non tantum ob injurias in ſe aut ſubditos, aut ſocios amicosque commiſſas, ſed & ob eas, per quas genus humanum immaniter violatur. Etenim tanto honeſtius videtur eſſe alienas injurias vindicare quanto in propriis magis metuendum eſt, ne quis doloris ſui ſenſu aut modum excedat, aut certe animum afficiat. Hoc nomine ſane Herculem conſpicuum apud antiquos fuiſſe, dicit Grotius: quod ſcilicet tyrannis liberarit multas terras, quas (ut Seneca de eo loquitur) *tranſiit non concupiſcendo, ſed vindicando.* Fortaſſis tamen hoc adductum exemplum plus falſi, quam veri habet.

LVI. Non eſt vero, quod dubitemus, quin quodammodo juſta ſint bella in eos, qui in ipſos ſuos parentes ſunt impii, quales Sogdiani erant, antequam Alexander eos hanc feritatem dedocuerat. Plutarch. *de fort. Alex.* Idem dicendum eſt de iis, qui humanam carnem epulantur. A quo more Gallos quondam deſiſtere coegit Hercules, narrante Diodoro. De talibus ſane barbaris & feris magis, quam hominibus recte dici poteſt, quod olim dixit Ariſtoteles de Perſis, naturale eſſe in eos bellum, & quod Iſocrates Panathenaico dixit: *juſtiſſimum eſſe bellum in belluas, proximum in homines belluis ſimiles.* Vid. Grotii *l. 2. c. 20. de J. B. ac P.*

LVII. Tales fuiſſe quondam Americanos, atque adeo hac de cauſſa juſte eos fuiſſe ab Hiſpanis debellatos, voluere nonnulli orbi perſuaſum. Cumprimis ut color aliquis inveniretur immani illi crudelitati, qua in miſeros Americanos fuit ſævitum. Quam deſcriptam a Bartholomeo de la Caſa ſingulari libello operæ fuerit pretium legere. Tantum abeſt vero, Hiſpanicam illam crudelitatem ulla ratione poſſe excuſari, ut inter ipſos Hiſpanos pii quique & docti eam deteſtati, idque publice coram ipſo Rege & regio Senatu: quos inter laudem cumprimis merentur Dominicus Sotus, Franciſcus Victoria, & Joſephus Acoſta. Sed & Americanos in univerſum omnes idololatras quidem fuiſſe, & quidem perquam ſuperſtitioſos, victimis humanis Dæmonem colentes: moribus tamen neutiquam fuiſſe efferis, ſed eos inter cum Peruvianos tum Mexicanos reſpublicas magnas prudenter ſatis inſtituiſſe, luculente patet ex iis, quæ Joſephus Acoſta libris quatuor ultimis americanæ hiſtoriæ perdocte diſſerit. Æque ſane fit injuria priſcis Americanis barbariei & feritatis nota illis inuſta, atque olim a Græcis facta eſt Perſis, qui itidem nihilo fuere Perſis meliores. Ac proinde neque Græcorum in Perſas neque Hiſpanorum in Americanos bella, ab iſthoc quidem prætextu, juſtitiæ laudem potuerunt conſequi. Quod tamen in vere barbaras gentes jure bellum ſuſcipi poſſit, jam tum dictum eſt. Cujus ratio eſt, quoniam homines efferi nolunt rectæ rationi obedire, niſi armis domiti. Ut recte de Creonte Poeta quondam dixit:

Ferro cogendus & armis
In mores hominesque Creon.

Quantumvis autem in efferos homines haud injuſtum ſit bellum, non ſequitur tamen: illos omnemque eorum poſteritatem hac de cauſa in ſervitutem poſſe redigi. Sufficit ſane, ſi in gyrum rationis fuerint per arma reducti. Utque hactenus fuerint quaſi natura ſervi, tamen accepta animi cultura deſinit illa ſervitus naturalis, multo minus & poſteri omnes luere debent parentum ſuorum priſtinam feritatem.

LVIII. Ordo nos perducit ad injurias, quæ in Deum committuntur. Ad quas vindicandas num bellum jure ſuſcipi poſſit, quæritur? Romani quidem Pontifices ab aliquot ſeculis perſuaſere hominibus, in hæreticos, aut idololatras, aut Mahumetis ſectatores juſtum eſſe bellum ob injurias, quæ Deo ab id genus hominibus inferuntur. Et vero infinita bella hoc prætextu geſta ſunt, invitantibus Romanis Pontificibus. Nos vero neutiquam poſſumus illis aſſentiri; idque quoniam nulla ratione illa juſtitia ſive argumento aliquo ex natura notis deducto, ſive divino vet. aut novi Teſtamenti dicto probari poteſt. Contra eos, qui plane ſunt athei, bellum juſte ſuſcipi poſſe, fatemur cum Hugone Grotio, qui rem hanc omnem exacte propoſuit. Longe autem diverſa eſt ratio idololatrarum, Mahumedanorum, & eorum, qui inter Chriſtianos hæreticum aliquid ſapiunt. Nequaquam porro huc trahi debet bellum, quod Iſraelitæ geſſerunt contra ſeptem populos cananiticos: illud enim ſingulari mandato Dei, qui Dominus eſt omnium, geſtum eſt. Non eſt autem nobis hominibus fas, omne illud vindicare aut punire, quod Deo placet.

LIX. Sunt qui negant, bella hæc eſſe injuſta, quoniam Deus ipſe ſufficiat vindicandis, quæ in ſe committuntur, injuriis. Ceu quondam dicebat Tiberius: *Deorum injurias Diis curæ eſſe:* & alius *perjurum ultorem Deum* ſatis habere. Aſt vero idem & de aliis delictis dici poſſet, Nam illis puniendis Deus haud dubie quoque ſufficit, & tamen ea ab hominibus recte puniuntur, nemine diſſentiente. Æque futile eſt, quod nonnulli cauſantur, delicta puniri ab hominibus, quia homines alii inde læduntur, aut periclitantur. Enim vero ab hominibus puniri ſolent delicta, non ea ſolum, quæ directe alios lædunt, ſed & quæ per conſequentiam: qualia ſunt ſui occiſio, concubitus cum beſtiis & alia quædam. Grotius *l. 2. c. 20. de J. B. & P.*

LX. Obiter hic notandum eſt: hodie in bellis, quantumvis impiis, ſæpenumero *Deum religionem & pietatem ſolere prætendi.* Nec tamen id novum eſſe. Ita ſane initio belli Peloponeſiaci, Athenienſium ſacrilegii ſe Lacedæmonii ultores profeſſi ſunt, *Thucyd.* .1 & Philippus Macedoniæ Rex, *Juvenalis Sat.* 12. dum velut e ſpecula libertati civitatum Græciæ inſidiaretur, avide arripuit Phocenſium ſacrilegium, & expeditionis contra illos a civitatibus cæteris ſibi datum ſummum imperium, non tam ultionem ſceleris expetens, quam quærens occaſionem, qua victos victoresque pariter ditioni ſuæ adjiceret, quod & obtinuit facile, *Juſtin.* 8. Duo alia exempla videantur *apud Guicciardinum* 5. *& 8. Hiſtoriarum*, prius de Ferdinando Caſtiliæ, poſterius de Ludovico XII. Galliæ Rege & Maximil. I. Roman. Imp. Etiamſi autem tale quid prætendere in profanis Ethnicorum Regibus prudentiæ poſſit nomen mereri: Chriſtianos tamen Principes ea decet ſententia, timorem & amorem Dei feliciſſimam eſſe gubernandi populos artem; neque ſine extremo ſcelere nomine divino abuti fas eſſe ad tegendas ambitionis & avaritiæ iniquiſſimas artes, *Forſtnerus in Hypomnematibus Politicis.*

LXI. Reſtat, uti agamus de injuriis, quæ aut noſtræ reipublicæ aut amicis vel ſociis inferuntur. Hæ autem iterum ſunt variæ. Aliæ quippe ſunt parvæ, aliæ mediocres, aliæ graves. Ut bellum vero offenſivum poſſit moraliter juſtum eſſe, attendendæ omnino ſunt hæ differentiæ injuriarum. Gravis igitur injuria eſt, quæ totius reipublicæ ſalutem tangit, idque ſive immediate ſive mediate etiam per læſos ſocios. Mediocris injuria eſt, quæ tangit ſalutem reipublicæ non niſi aliqua ratione. Parva eſt, quæ non ſalutem reipublicæ, ſed tantum aliquo modo res noſtras attingit, ita tamen, ut poſſimus ſic ſatis eſſe ſalvi. Primum videbimus injurias ſociis illatas, deinde eas, quæ reipublicæ propriæ illatæ ſunt.

LXII. Profitemur igitur, injurias ſociis illatas interdum juſtam cauſam bellandi eſſe. Tum nempe, quando per ſociorum injurias noſtræ reipublicæ ſalus petitur. Id quod fieri ſolet, ſi certum ſit periculum ſociis debellatis nobis exitium imminere: quando item ſocii quaſi conceſſerunt in noſtram tutelam, in eamque ſunt recepti: quando denique cum ſociis initum eſt fœdus bellicum defenſivum. Gravis ſane tum eſt injuria omnis ſociorum læſio. Itaque vindicare talem injuriam, juſtiſſimum eſt. Quod ſi vero levior injuria fuerit, tum ea non videtur juſtam cauſam bellandi dare. Idque propterea, quandoquidem bellum eſt remedium ipſa leviore injuria longe majus: atque adeo excedit multum ipſam injuriam. Inter pœnam autem & delictum juſta debet eſſe proportio

LXIII. Operæ pretium fuerit hic obiter notare: quod in fœderum conventionibus communis defenſio ſoleat quaſi proponi, ſed quia tamen fœderatorum quisque proprium ſpectat commodum, hinc raro fœdera illa omnium fide bona ſolere ſervari, niſi forte brevi tempore, quamdiu periculum omnibus ex æquo imminet. Inde Guicciardinus 2. *Hiſtor.* recte inquit: *fœdera inter multos inita ea firmitate non eſſe, ut ſperari non poſſit, unum fœderatorum aut remiſſiorem fore, aut ab aliis diſjunctum iri.* Simulatque primi impetus diferbuerunt, varietate ſententiarum inter ſocios exorta, fides ipſa debilitatur. Plæraque ſane fœdera, vel quod non ea, quæ ſperabatur, inde redundet utilitas, vel quod turpis lucri cupiditas iſta detegatur, facile diſſolvuntur. Exemplum eſt apud Thuanum de fœdere illo inter Pontificem M. Hiſpaniarum Regem & rempublicam Venetam adverſus Turcas inito. A quo primo omnium Veneti, quod Hiſpanum ſua tantum commoda ſectari ſuſpicarentur, receſſerunt. Hoc facto autem ingens illa victoria ad Naupactum nihil omnino Chriſtianæ rei profuit. Plena autem eſt talibus exemplis etiam tota Franciſci Guicciardini, qui recondita principum conſilia ſagaciſſime pervidit, aliorumque Hiſtoria.

LXIV. Obſervandum porro: ſolere interdum potentes cum impotentioribus ſocietatem inire mutuæ defenſionis, & quidem æternam. Romani ſane olim talia fœdera æterna mutuæ defenſionis omnibus modis appetierunt. Reapſe vero plerumque fœdera ejusmodi cedunt in ſociorum imbecilliorum ſummum detrimentum imo ſervitutem. Cicero ipſe fatetur, Romanos ſociis defendendis, h. e. prætextu illo, ad ſuam perveniſſe potentiam. Ineſcati ſcilicet primum imbecilliores & allecti in Romanorum ſocietatem, quoniam hi perpetuo bellum gerebant, imbecilliores iſti in uſum Romanorum coacti fuere militare Romanis ſpecioſo ſocietatis prætextu: nulla ad imbecilliores illos redundante hinc fructu. Qua ratione cum geri ſecum ſentirent Italiæ populi Latini, recipi ſeſe in jura Romanæ civitatis voluerunt, negantibus vero id ipſum Romanis bellum ortum eſt Sociale dictum: infeliciter quidem ſociis cedens, non iniquum tamen, quantum nos arbitramur. Verum hæc obiter.

LXV. Pergamus ad injurias proprias. Harum vero aliæ inferuntur toti reip. aliæ tantum ejus alicui membro. Fieri ſane poteſt, uti injuriæ, quæ membro inferuntur parum attingant corpus, interdum tamen totum reip. corpus in membro aliquo poteſt graviſſime lædi. Prius ſi fiat, non eſt juſta bellandi cauſa. Ideoque & Caroli Burgundi contra Helvetios omnes ſuſceptum bellum, non dubitamus pronunciare injuſtiſſimum; etſi forte vectigal aliquod non fuiſſet ſolutum ab aliquibus helveticis aurigis. Verum ſi gravis injuria membris reipublicæ ſit illata, tum ante omnia quælibet resp. querelas ſuorum ſubditorum debet audire, eorumque cauſam agere apud externam rempubl. quantum fieri poteſt. Si illa vero reſpublica deneget juſtitiam, & quaſi injuriis illatis applaudat, videtur juſtam quodammodo dare cauſam bellandi. Huic ſane fundamento innititur jus repreſſaliarum, quæ appellantur, ſuntque aliquot leve genus bellandi. Etenim & illæ non ſunt iniquæ, ſi intra limites ſeſe contineant, reſpectu habito commiſſæ culpæ.

LXVI.

LXVI. Alia eſt ratio injuriarum illarum, quæ inferuntur toti reip. Et vero ſi gravior aut graviſſima aliqua ſit illata injuria, ea omnino poteſt bello vindicari. Ut autem jam tum definimus, illa injuria eſt graviſſima, quæ ipſi civili felicitati infertur. Quoniam vero felicitas illa variis conſtat partibus, hinc & pro varietate illa aliæ quoque & aliæ ſunt injuriarum ejusmodi differentiæ. Non debet autem injuriarum reipublicæ alicujus levitas ac gravitas judicari ex injuriis, quæ inferuntur privatis. Duo ſane cum patiuntur idem, non eſt idem. Enim vero eadem injuria ipſi reipublicæ illata major eſt, quam quæ infertur privato cuidam: quandoquidem primo & improbitas major hic eſt, & damnum quoque majus, quia respublica quævis conſtat pulrimis civibus, qui omnes ſunt læſi. Sed & privatorum etiam injuriæ graviores ſunt pro perſonarum, quibus fit injuria, dignitate. Quo reſpectu Deus O. M. omne maledictum jactum in magiſtratum & parentes capitali juſſit ſupplicio affici. Licere vero injurias reipublicæ illatas armis vindicare, præclare docet bellum Davidis, quo graviſſime ultus eſt injuriam, Legatis ſuis illatam ab Hanone Ammonitanorum Rege. Quo de agitur *l. 2. Samuelis cap.* 10. *v.* 12.

LXVII. Quod porro concernit materiam ipſam injuriæ, vulgo injuriæ diſpeſci ſolent in perſonales & reales. Reales injuriæ ſunt, quæ inferuntur bonis reipublicæ, quorum alia ſunt mobilia, alia immobilia. Ad perſonales vero merito retuleris omnes illas injurias, quæ regentium præcipue perſonis inferuntur. Harum antem aliæ inferuntur illorum corpori, aliæ famæ & auctoritati. Quomodo vero gravitas harum injuriarum aut levitas expendenda ſit fortaſſis, haud facile adeo eſt expeditu. Notum vero eſt, quasdam injurias etiam privatas mereri varias pœnas, & quidem nunc non niſi pecuniariam, nunc corporalem aliquam, nunc etiam pœnam capitalem. In univerſum licet igitur affirmare: Omnes injurias, quæ privatis illatæ, capitales eſſe, illas, ſi fuerint reipublicæ illatæ, mereri bellum. Fere idem haud injuria dixeris de iis, quæ exilio aut fuſtigatione poſſunt puniri: etſi haud perinde grave bellum mereantur. Quæ vero injuria reapſe eſt levis, illam bello vindicare videtur eſſe nefas. Idque quoniam bellum tantum non omne in ſe & ſua natura eſt fere pœna quædam capitalis.

LXVIII. Quandoquidem vero non eſt cujusvis gravitatem & levitatem injuriarum definire, & bellum ſit plærumque pœna capitalis, facile apparet, præſertim ſi ipſi ſimus injuria affecti, bellum vero magnum adeo malorum vim accerſat, ne qua injuria cuiquam armis inferatur, bellum non eſſe temere ſuſcipiendum. Et vero rectiſſimum eſt, quod ille in Comædia ait.

Omnia prius verbis experiri, quam armis, ſapientem decet.

Habetque omnino hic locum illud Poetæ;

Nulla adeo de morte hominis cunctatio longa eſt.

Eoque laudem meretur ille quorundam in eo Regum, qui prius, quam bellum moveant, Theologos ſolent conſulere & homines compertæ pietatis. Quod ipſum in Hiſpania aliquandiu fieri conſuevit. Spectavit huc jus omne fœciale Romanorum veterum: quod ex Livio cumprimis etiamnum poteſt peti, & præclare quoque cum ab aliis, tum a Barnaba Briſſonio eſt traditum.

LXIX. Differunt ultimo injuriæ etiam ratione temporis. Quod aliæ ſcilicet ſint præteritæ, aliæ futuræ, aliæ præſentes. Injuriæ præteritæ porro aliæ ſunt valde veteres, aliæ recentiores, aliæ recentiſſimæ. Quæſtio vero maxime eſt, utrum liceat injurias admodum veteres bello vindicare. Sunt ſane nonnulli in ea ſententia ſaltem in reales injurias, etiam quæ commiſſæ ſunt ante aliquot ſecula, licere nunquam non armis animadvertere. Nituntur, id qui ſtatuunt, hoc fundamento: quoniam naturali jure non poteſt præſcribi ulli gentium juri adeoque nec armatæ vindicationi. Omnem quippe præſcriptionem a legibus romanis poſitivis eſſe inſtitutam, quibus tamen legibus nulla gens libera obſtringitur. Et vero jam olim Rex Ammonæorum terras ante 300 annos ab iſraeliticis populis occupatas armis repetiit, ceu liquet ex libro ſacro Judicum *cap.* 11. *v.* 13. *c.* 26. Verum de hoc argumento jam tum egit Magnif. Dn. Præſes *l. de finibus imperii c.* 19. *pag.* 160. oſtendens, jure quoque naturæ in his præſcriptionem habere locum. Quam ſententiam approbavit *in doctiſſimis Notis Zieglerus.* Cui omnino & nos rationibus convicti accedentes aſſerimus merito, antiquiſſimas rerumpublicarum injurias non eſſe fas armis vindicare. Sicut etiam amplectimur ea, quæ *l. c. a. Magnif. Dn. Præſide* ſunt diſputata de tempore juſto naturali uſucapionis rerum civitatis alicujus publicatum. De injuriis præſentibus, quæ adhuc durant, minus eſt dubii: ſi ſint graves, bello omnino eas ulciſci licere. Juſtiſſima videtur de injuriis futuris dubitatio: liceatne in illas armis animadvertere. Et vero obſtare dixeris, primo quod futuræ injuriæ ſint non entia, in non entia autem nullam eſſe animadverſionem. Secundo quia futura ſunt incerta; ut contingentium omnium nulla eſt determinata veritas: iniquum autem eſt certis armis id, quod incertum eſt, punire. Non ſunt tamen hæ rationes ſatis firmæ. Obſervandum enim eſt, futurorum magnam eſſe diverſitatem. Alia enim remota admodum, alia in propinqua magis magisque eſſe potentia. Alia porro non ſimpliciter eſſe vere contingentia, ſed neceſſitate quadam niti, & quidem nunc hac, nunc illa. Injurias igitur illas, quæ in valde remota ſunt potentia neque nos dixerimus armis petere fas eſſe. At earum, quæ proxime abſunt, longe alia eſt ratio. De voluntate & facultate eorum, qui poſſunt inferre injuriam, ſi conſtat vel omnino vel morali quadam veriſimilitudine, fas eſt arcere injuriam futuram bello. Si non conſtat, vel non niſi, veriſimiliter; negamus & nos, bellum juſtum eſſe. Multo minus id fas fuerit, ſi veriſimiliter conſtet, aut voluntatem aut facultatem injuriandi abeſſe. Hoc obſervato diſcrimine, etiam illud jam credimus carere magna dubitatione. Hæc de jure belli nunc quidem dicta ſufficiant. Non enim negaverimus, plura de hac materia potuiſſe afferri: ſed cum brevitatis ſtudium nobis fuerit propoſitum, diſſertationi huic finem imponimus.

HERMANNI CONRINGII
DISSERTATIO POLITICA
DE LEGATIONE.

Menſe Junio MDCLXVIII. habita.

RESPONDENTE

GEORGIO CONRADO *Rinck*, Helmſtadienſi.

Theſis I.

Acturo de legatis & legationibus, antequam rem ipſam aggrediatur, verbi vis & origo inprimis ſcitu neceſſaria eſt. Ut enim conturbatus nominum rerumque uſus ipſarum quoque rerum cognitionem turbat; ſic viciſſim principium omnis doctrinæ ac eruditionis, ut eleganter alicubi loquitur Epictetus, eſt nominis inveſtigatio. Cujus ortum dum vides, citius vim intelligis ejus rei, quam cupis introſpicere. Itaque & nos, quo facilius veritatem venando comprehendamus, ab eo tanquam veriſſimo aliquo principio merito nunc auſpicamur.

II. Et legatum quidem a legando; ſeu, ut placet optimo latinæ linguæ cenſori, a legendo id eſt eligendo dictum eſſe, exiſtimamus.

III. Ubi tamen initio obſervandum ſeduloque legenti diſpiciendum venit, nobis hoc in loco nihil eſſe negotii cum legato, re ſc. a defuncto relicta, & ab ipſo præſtanda hærede, (hoc enim eſſet falcem in alienam immittere meſſem;) ſed de eo præcipue, quia principe vel republica ſuperiorem non recognoſcente, ad publicum aliquod negotium ſeu munus expediendum ſolenniter mittitur.

IV. Cujus nominis varias paſſim apud diverſos rei politicæ Scriptores reperire licet ſignificationes. Quas tamen vel in vulgus notas hic annotare omnes & ſingulas, præſentis non fert temporis ratio. Sufficiat interim nobis pro inſtuto noſtro vel tribus duntaxat verbis indicaſſe id, quod ab omnibus non æque animadvertitur: nimirum inter legatum proprie ſic dictum, quo referimus etiam commiſſarium ſeu deputatum & ablegatum, non levem intercedere differentiam. Id quod præter Arumæum diſc. 21. 1. P. pag. (m.) 630. §. 4. & ſq. Speidel. in Notabil. pag. 409. in voce *Geſandte* & *Abgeſandte*. Nolden. de nobilitate pag. 400. n. 145. Beſold. theſaur. pract. lit. G. diligentiſſime annotavit etiam Kirchner. in docto illo, quem de legatis conſcripſit, libro pag. (m) 4. n. 6. quando inter cætera ſe in comitiis obſervaſſe ſcribit, ut quod in deſignationibus hoſpitiorum Legato regis Hiſpaniæ inſcriptum in foribus fuerit. *Kœniglicher Würde aus Spanien Geſandte:* aliis vero principibus ordinibusque imperii *Chur-Fürſtliche*, *Fürſtliche*, &c. *Abgeſandte*.

V. Neque crediderim ego, temere hoc ipſum fuiſſe factum, ſiquidem non magni quid eo ipſo indicare voluiſſent: alias ſane quin idem obtineat hodie, non ſatis conſtat, neque noſtrum nunc eſt, curioſius hic inveſtigare.

VI. Progredimur itaque ad ipſam potius definitionem, ſeu qualemcunque ejus deſcriptionem, qua nimirum ita deſcribitur, quod ſit mandatarius publico negotio conficiendo ad ſanitem reipublicæ ſolenniter miſſus, ab eo, qui ſupremam legandi habet facultatem.

VII. Hic, quando generis loco poſuimus, quod ſit mandatarius &c. Statim excludimus nuntios, privatæ potius, quam publicæ rei deſtinatos: Siquidem ab iis non minus, quam oratoribus, Commiſſariis, Deputatis, Legato item Cæſaris & Proconſulis &c. noſtrum differre, luce clarius ſit meridiana. Ad id vero, ut publice ſolenniterque quis miſſus dicatur, non privata quicquam auctoritas operatur, ſed publica & independens. Quæ magna cum ſit, illuſtrior tamen magis magisque redditur, quo ſplendoris externi acceſſione, tum jure quoque ipſo eſt roborata. Hinc ſtatim addimus ſequentia verba.

VIII. Solenniter miſſus &c. Illa enim, præterquam quod differentiam in ſe contineant omnem, ſimul duas includunt qualitates, quarum altera in ipſa forma, in accedentibus altera conſiſtit. Illa habetur in L. 1. C. de Mandat. Princ. ibi: ſi quis adſerat, cum mandatis noſtris ſecretis ſe veniſſe, omnes ſciant, nemini quicquam, niſi quod ſcriptis probaverit eſſe credendum. Conf. Gloſſ. *Landrecht* lib. 3 art. 63. in verbis *mit ſeinen Brieffen &c.* cum in jur. in fin. extra de offic. de leg. Beſold. Theſ. Pract. in voce *Credentz-Brieff* lit. C. n. 40. &c. Legationis ſiquidem eſſentialis nota ac quaſi character eſt ipſum mandatum, Quo deficiente, etiamſi omnia alia adſint regniſita, ipſam tamen deficere legationem, neceſſe eſt. Hinc Cicero 3. de legibus nihil turpius haberi, inquit, quam ſine procuratione ſenatorem, & ſine mandato legatum exiſtere. Enimvero quemadmodum huic, ſine mandato venienti, nullus de jure aditus patet; ita nec legato noſtro, qui hac in parte nonnihil cum eo convenit. Id quod non nulli tamen doctores reſtringi volunt in Pontificum quorundam legatis, iis præſertim, qui vulgo *a latere* audiunt. Sed argumenta ipſorum, cum ferme nullius ſint ponderis & momenti, imo jam tum a Magnifico Dn. Præſide in libello, cui titulum fecit. Fundament. Fid. Pontific. concuſſio axiom. 11. pag. (m.) 14. ſatis docte refutata, eo quidem nunc lectorem remittimus benevolum.

IX. De

IX. De cætero, de mandato quando hic ingeſſimus mentionem, non immerito quæri poſſet, an ex cauſſa nova, quæ committentem latebat, quandoque legati principum, ex tempore pro re nata limites ejusdem excedere poſſint? Sunt non pauci, qui re ſemel ſtatuta & deliberata ab eo, cujus negotium id eſſet, nulla putaverint ratione contra dictum ejus eſſe faciendum; etiamſi repentinus aliquis caſus rem omnem commodius agi poſſe, polliceretur: tenere enim legatum expendere, mittentem ampliori pollere notitia rerum, & plena agendi libertate, negata ſibi per ſemitam præſcriptam ad ſcopum contendendum, ne ſecus agens, ſe ipſum exitio & principem anguſtus vix explicandis involveret. Proinde Cæſar *lib 2. belli civil.* Silanum legatum recte & prudenter feciſſe ſcribit, quod manus cum hoſte non conſeruiſſet, tametſi victoriam certam relaturus videretur: quia nihil debuit, inquit, contra juſſum imperatoris tentare. Sic P. Craſſus Mutianus juſte *ἀρχιτέκτονα* ſuum, detractis veſtimentis, virgis excepit, quod non obſequio debito, ſed conſilio non deſiderato reſponderit. A. Gell. lib.1. Noct. Attic. cap. 13. Alii contra exiſtimant, incommoda prius, quæ metuenda eſſent, ſi res geſta aliter foret, quam impetratum eſt, cum emolumento ſpei eſſe penſitanda. Et, ſi ea leviora minoraque, utilitas autem gravior & amplior, ſpe quantum poteſt firma oſtenderetur: tum poſſe adverſum mandata fieri, ne oblata divinitus rei bene gerendæ occaſio amitteretur. *Gail.* l. de P.P. c. 4. n. 30. imo 31. tutius eſſe inquit, ſi tempus & occaſio ferant, ſuper nova & incidenti cauſa committentem conſulere. Nos vero miſſis aliorum opinionibus, ut breviter, quæ noſtra ſit ſententia, proferamus, caute, circumſpecte & conſiderate omnia peragenda eſſe, cenſemus, eoque magis, ſi de republica de fœderibus, de pacis actionibus, de finibus imperii, de principis dignitate &c. agitur, in quibus explicandis mandatum egredi non periculoſum ſolum, ſed etiam capitale. Interdum etiam legatorum mandatis hæc clauſula ſubjici ſolet: *ſi quid amplius fieri oporteat, pro locorum, temporum ac perſonarum varietate curabit legatus:* vel ea, quæ eſt apud Æſchinem pro ſua legatione: *ut legati pro ſua prudentia, quæ e republica eſſe judicabunt, exſequantur.* Non pertinent autem ad ea, quæ non aliter, quam ſingulari mandato debent explicari, hoc eſt, ad fœdera concipienda vel convellenda: ſed ad ea tantum, quæ his leviora videbuntur. Nam ſi quid eſt largiendum hoſtibus, aut ſociis, quo imperium eorum cum reipublicæ incommodo proferatur, id legatis ſine ſingulari mandato non licet; Ac, tametſi privatis in rebus mandato recte paruiſſe interpretamur eos, qui uberins ac melius, quam juſſi fuerant, negotium geſſerunt: in publicis tamen non eadem utimur interpretatione. Miles enim, qui hoſtem invaſit, aut magiſter equitum, qui prælium conſeruit, tametſi uterque victor ſpolia ampla de hoſtibus retulerit, capitali tamen pœna obligantur, ſi vetante imperatore id fecerint. Hinc Fabium recte capitis poſtulatum eſſe, ajunt, dum vetante Papirio Dictatore hoſtem invaſerat, licet viginti millia hoſtium, centum tamen civibus amiſſis, internecioni dederit. Bodin. lib.3. de republ. c. 2. Et Manlius filio non pepercit præter mandata pugnanti, victori licet.

X. Præſtat ergo nihil omnino agere, & re infecta domum reverti, quam aliud agere ac præſcripti ratio exigebat. Kirchn. L. de Legat c. 6. n. 44. Hoc enim, ut jam ante dictum, cum periculo non caret, tum ſane legato, inprimis tamen iis, quibus intereſt, maximo eſſe ſolet damno & detrimento. Qua de re nos infra pluribus agemus, ſi prius variam ac multiplicem legati expoſuerimus diviſionem.

CAPUT II.

Theſ. I.

Confertur publicum legationis nomen & publicæ privatæque rei cauſa, priorque legatio vel in nomine manet generis ſui, & publica etiam nominatur. Poſterior libera nuncupatur. Eſt vero illa aut negotii, aut officii, aut temporis. Altera, quia libera eſt, nulli certæ rei adſtringitur.

II. Eſtque ſecundum Alberic. Gentil. c. 8. hic: quando publico legati nomine quis commendatus ornatusque re ipſa ob privatam exiit occaſionem. Inprimis voti cauſa ſolvendi, hereditatis adeundæ, debitorum exigendorum cauſa. Cujacius *liberam legationem inde dictam vult, quod nullo ſit finita tempore, ſed redire & abire ei, qui impetraverit, quandocunque liceat.* Et Budæus in poſter. annot. in Pandect. tit de leg. *Legationes liberæ*, inquit, *olim ornamenta ſecundum cauſam a ſenatu impetrabantur, quemadmodum honorarii magiſtratus a principibus honeſtamenti cauſa conceduntur tituloque tenus obeuntur & geruntur. Hæ ab iis ſenatoribus impetrabantur, quibus negotia futura erant in Provinciis, ut qui hereditates perſequi, aut legata, aut qui nomina exigere volebant in Provinciis, legatorum perſonis acceptis, commendabiliores controverſias haberent atque favorabiliores, quamobrem lege XII Tabularum id vetitum erat his verbis. Rei ſuæ ne quis legatus eſto. Quæ verba Cicero lib. LL. exponit.* Hæc Budæus: cauſam finalem potius Legationis, quam quidditatem ipſam & eſſentiam deſcribens, ut paulo infra demonſtrabimus. Quamvis illius dicta confirmari poſſint teſtimoniis Ciceronis, qui in Orat. contra Rullum ſcribit; *legatos veſtros auctoritate tenui, qui rerum privatarum cauſa legationes liberas obeant, tamen exteræ nationes ferre vix poſſunt.* Et in Epiſt. famil. *Negotiorum ſuorum cauſa legatus eſt in Africam legatione libera.* Et in oratione pro Flacco inquit: *liberas legationes multos ſæpe bonos viros ſumſiſſe cauſa nomina exigendi.* Et rurſus in Orat. contra Rullum: *hereditatum obeundarum cauſa, quibus vos legationem dediſtis.* Idem tertio de LL. *Legatione hereditatis, aut ſyngraphas perſequantur.* Legationis liberæ etiam, qua quis ſui commodi, non reipublicæ cauſa abeſt, ſit

fit mentio ab Ulpian. *in l. qui liberaſſ. de leg.* Hotomannus ſcribit: tribus de cauſis liberas legationes poſtulari ſolitas, quarum prima jam dicta, & a Budæo annotata: ſecunda periculi vitandi gratia, de qua Plutarchus in *Grach.* inquiens: ſenatum Scipioni Naſicæ liberam legationem in Aſiam decreviſſe, cum ob mortem Tiberii Gracchi, cujus ille auctor fuerat, viderat plebem adverſus eundem male animatam & jam de vindicta cogitantem; tertia voti ſolvendi cauſa: cujus meminit: *Cicero lib. 2. & 3. Epiſt. ad Attic.* Verum & hic vir alias doctiſſimus & ipſe tantum cauſam finalem non formalem & quidditativam affert. Præterea, quam *Votivam* Cicero appellat, non voti ſolvendi cauſa ita dictam, omnes conſentiunt; quin imo votivam legationem alii potius tradunt, ita appellatam a Cicerone, quod ad votum poſtulantis concederetur: quamvis ego Hotomanno hac in re potius aſſentiendum putem, cum in eisdem epiſtolis ad Attic. legatur: *legatio libera cauſa voti:* Et alibi *votiva ne quidem tibi placebat, etenim erat abſurdum, quæ ſi ſtetiſſet reſpublica voviſſem ea me everſa illa vota diſſolvere.* Quamobrem nos eſſentiam legationis liberæ fuiſſe exiſtimamus & ob id liberas eſſe nuncupatas, quod certum ſeu præfinitum tempus non haberent, ſed ad beneplacitum illius, cui concepta fuerat, perduraret. Quam libertatem tanquam nimiam Cicero in ſuo conſulatu repreſſit, annuas faciens; poſtea lex julia quinquennales indulſit. Ita Cicero ad Attic. lib. 5. epiſt. 6. *Habent, inquit, ut opinor, liberæ legationes definitum tempus lege julia, nec facile addi poteſt: itaque adeo genus legationis, ut cum velis introire, exire liceat; quod nunc mihi additum eſt: bella autem hujus juris quinquennarii licentia.* Legationis liberæ meminit etiam Brutas lib. 2. epiſt. famil. ep. 1. per hæc verba: *cum in his anguſtiis verſarer placitum eſt mihi, ut poſtularem liberam legationem, mihi reliquisque noſtris, ut aliqua honeſta cauſa proficiſcendi quæreretur.* Quæ ultima epiſtolæ verba ideo bene notanda ſunt, quod cauſam aliquam profectionis illius liberæ in ſe contineant.

III. De cetero larvatum illud, ut ſic loquar, genus legationis, an tum temporis ex uſu fuerit Romanæ magnitudinis, non eſt noſtrum hic temere inveſtigare. Certe ipſiusmet ſapientiſſimi conſulis longe alia fuit ſententia, quando nil magis indecorum, quam ſui commodi non reipublicæ cauſa quenquam legari. *Legatos noſtros*, inquit, *homines auctoritate tenui, qui rerum privatarum cauſa legationes obeunt, tamen exteræ nationes ferre vix poſſunt.* Et alibi: *Hi enim non maximis opibus, neque ſumma auctoritate præditi; tamen auditis profecto quam graves eorum adventus ſociis veſtris eſſe ſoleant.* Aliisque in locis quam plurimis, eos, ſicuti deſtitutos procuratione & mandatis & ſine ullo reipublicæ munere, deprimit. Et recte quidem. Nam rei ſuæ ergo ne quis legatus ſit, non hodie demum, ſed priſca jam dudum lege cautum eſt; ut proinde, ſi vel nulla alia veterum ſcriptorum ſupereſſent monumenta, in aliis equidem nunc rite quis ſubſiſtat.

IV. Et ſic cum ex illis, quæ de legatione diximus libera, ſatis conſtet, finem illius non publicam, ſed privatam ac propriam reſpexiſſe ſalutem: Rei vero publicæ intereſſe, ne præpoſtera illius habeatur ratio: hinc porro fluit, non ſalutare ſed peſtilens potius & perniciosum reipublicæ fuiſſe medicamen. Enim vero ubi dominationi libertas, exitio ſalus reipublicæ, & iniquiſſimæ proditioni ſpecioſum legationis nomen prætexitur, ubi obtentu hereditatis & debiti exigendi legatus ſive clam ſive palam alienis inhiat: ubi denique conditio inſidioſa veniæ illecebra eſt potentiæ: ibi ſapiens quivis exitio certo, ſalutem incertam, dominatui jurato ſervitutem præfert injuratam, legationi fucatæ non immerito præfert veram & infucatam, imo tanquam iniquam & ſociis ſemper gravem, cane pejus & angue vitat.

V. Deinde ratione ſubjecti quod, ſive objecti, legatio alia eſt pacis, alia belli. Hanc qui antiquitus obibant, quod fœdera facerent ſeu ferirent, communi fecialis nomine, Græcis caduceatores audiebant. Romani enim, inquit Varro *l. 2. de vit. pop. Rom bella & tarde & nulla licentia ſuſcipiebant, & quod bellum nullum pium putabant geri oportere, priusquam indicerent iis, a quibus inimicitias factas ſciebant, feciales legatos res repetitum mittebant: qui ſi poſtulata impetraſſent, fœdus cum iis feriebant, ſin minus, re deliberata bellum indicebant:* (idque ob hanc fortaſſis rationem, ut nimirum & hoſtes, & quicunque alii, qui, quod factum fuerat, cognoſcerent, a quo ſtet juſtitia quicunque recti fines tranſilierit, intelligerent.) Quod ipſum tamen, qua ratione factum ſit, pluribus verbis commemorant Dionyſius Halicarnaſſæus, Plutarchus & alii. Dionyſii, quod totam rem quaſi in tabula exhibeant, adſcribemus. Is ergo Fecialium inſtitutionem & munera exponens, ita verba facit: *Fecialium*, inquit, *quando apud aliquam civitatem caduceatorum funguntur munere, hos ritus a majoribus accepimus. Unusquispiam illorum electus a collegio, veſte auguſtiore, ſuisque inſignibus ferendus ad infeſtorum hominum agrum profectus, cum primum fines eorum attigit, Jovem cæterosque Deos invocans, teſtatur a Romanis ſe venire, jusque ſuum petere. Deinde juratus, ire ſe ad injuſtam civitatem, & ſi quid mentiretur, ſeque ſuosque cives execratus, intra fines ingreditur, & quem primum obviam nactus eſt, eum teſtatur, ſive is urbanus ſit, ſive ruſticus, & repetitis, iisdem precibus atque execrationibus, ad urbem pergit. Quam priusquam ingrediatur, vel portæ cuſtodem, vel primum quemque in porta obvium ſimiliter teſtatus ad forum procedit: ibique ſtans magiſtratibus adventus ſui cauſam indicat, ſemper jusjurandum & imprecationes adjiciens. Tum ſi ad damnandos auctores injuriæ deditosque acceperit, abducens eos amicus ipſe ab amicis diſcedit. Quodſi tempus ad deliberandum peterent, poſt decem dies revertebatur idque aliquando tertio*, (tot ſolemnes olim erant: hodie ſufficiunt tres dies naturales ex A. B. tit. von Wiederſagen,) *elapſis autem triginta diebus, ſi non impetrarent jus ſuum, obteſtatus ſuperos atque inferos diſcedebat, hoc tantum præfatus, ſuper ea re populum romanum per otium deliberaturum. Deinde aſſumtis cæteris Fecialibus ſenatui renuntiabat, omnia ſe rite executum, & ſi vellent bellum decernere, licere id illis per Deos. Alioquin ſi quid horum omiſſum eſſet, neque ſenatus fas erat decernere bellum, neque populo.* Hactenus Dionyſius cui jungi poſſunt: *Liv. lib. 1. dec. 1. Plutarch. in Numa Non. Gell. N. A. lib. 16.*

A. lib. 16. c. 4. & l. 10. c. 27. Servius ſup. Virgil. lib. 9. Corn. Tac. l. 5. hiſtor. Alexand. ab Alexand. lib. 5. gen. dier. c. 3. Curtius l. 2. hiſtor. Veget. l. 1. Althuſ. c. 35. pol. n. 90. Volaterran. Philolog. c. 30. de more antiquæ militia, & noviſſime Alberic. Gentil. l. 10. de jure belli c. 12. Ajala de off. bell. c. 1. l. 1. Carol. Paſchal. in legat. c. 56. p. (m.) 343. Sueton. in Caligul. Ammian. Marcell. l. 19. &c.

VI. Neque eſt, quod putes, ejusmodi membra dividentia non oppoſita eſſe, ſed ſubordinata, ut prior videlicet pacis, quamcunque alia contineat, logicorum illud effatum: quia ſi non re ſaltim ratione, hoc eſt, negative oppoſita eſſe ſufficit: Pacificatoriam enim dicimus, quæ non eſt bellica, & bellicam, quæ non eſt pacificatoria. Qua in re non aſſentior illis, qui alios eſſe pacis legatos, alios belli, non ferunt, ſed omnem legatum pacis virum eſſe contendunt. Hoc enim ſi verum eſſet, ſequeretur exinde, etiam non dari belli tempus; quod tamen, quam ſit certo certius, triſtis clamitat experientia.

VII. Vulgo caduceatorum ab auctoribus tres conſtituuntur claſſes ſeu gradus: ita ut primi generis ſint, ὅτις τῶν μυστικῶν, qui ſacris operantur, aut de ſacris potius judicant. (Pollux l. 8. 319.) Altero loco ſunt ii, quorum munus occupatur circa pompas; id eſt, ad hos ſpectabat olim cura ordinandæ publicæ & ſolennis alicujus pompæ. Tertii generis numerantur illi, qui in foro venalia proclamabant, hosque vocabant ἀστυβοώτας, urbanos ac vulgares præcones; cujusmodi eſt Mediolanenſis ille apud M. Tull. in orat. ad Piſon. 38. 205.

VIII. Hodie imago duntaxat & caduceatorum & fecialium in Heraldo ſive rege armorum conſpicua eſt, qui paludamentum principis ſui inſignibus pictum geſtat, & veſte, & colore ipſo, cujus ſit imperii, indicat, ejusque dignitatem exhibet.

IX. His accedunt tubicines, æneatores, tympaniſtæ, tabellarii, aliique militares nuncii & libelliones, quos jura belli non minus ac caduceatores, vel ipſa inter hoſtium agmina, tutos & inviolabiles præſtant. Horum miniſterio hinc inde mittuntur literæ, teſſeræ dicta quoque arcana & occulta, quandoque publica & ſolemnia, ſæpe ita tecta & obſcura, ut illi uni, quos inter commeant, quid iis denotetur, ſciant, non etiam illi, quorum aut ori aut manibus creduntur. Inſigne ejus rei exemplum apud Herodot. lib. 5. extat.

X. Illa, ut ſupra indicavimus, in varias rurſus conſumitur ſpecies: quædam enim officii gratia ſuſcipitur, ut eſt illa, quæ propter honorificam ſuſcipitur præſentiam; quo pertinent gratulationes ob res feliciter geſtas &c. quædam honoris ergo, qualis eſt, quæ de victoriis, de novis nuptiis, de inaugurationibus, novis conjugum puerperiis, deque aliis melioris fortunæ eventibus mittitur. Quæ olim & hodienum frequentiſſima. Quædam legatio eſt temporaria, quæ ad tempus non quidem continuum, ſed expediti negotii termino præfinito ſuſcipitur: ut ſi intra ſpatium ſemeſtre, aut ulterius res illæ, quarum gratia miſſio facta, exactæ fuerint, illico reditio fiat. Quædam denique perpetua & indeterminata, quæ proprie loquendo non ex certo tempore, ſed voluntate & arbitrio principis judicanda & æſtimanda videtur. Et hoc genus legationis qui ſubeunt, vocantur vulgo Reſidentes vel Agentes, quibus nihil certi & in ſpecie mandatur, ſed certo loco & tempore ſubſiſtere, attentoque animo, oculisque perſpicacibus ſingula obſervare, obſervata Principali referre, nec quicquam, quod e re mittentis ſit, fieri, pati jubentur.

XI. Reliquas tam legatorum, quam ipſarum legationum varias ſpecies hic, partim quod ab uſu receſſerunt, partim quia notiſſimæ & ab aliis jam tum oſtenſæ, conſulto prætermittimus: remitto tamen lectorem ad eruditiſſimum Paſchalii lib. 1. de legat. ubi de omnibus, quæ huc ſpectant, plenius pertractat.

CAPUT III.

Th. I.

Poteſtatem legatos mittendi ſubjectum adæquatum habere ipſam reipublicæ animam, ſeu majeſtatem, adeoque huic primo & per ſeſe competere, non vero cuivis magiſtratui eſſe propriam, notum vulgo eſt, nec prolixa id indiget demonſtratione. Quandoquidem ſcilicet circa pacis bellique arbitrium bona pars conſiſtit Regiminis, univerſum autem reſpectu præſertim ad alios habito, primo & per ſeſe ineſt τῷ κυρίῳ: neceſſe eſt, ei competat maxime, qui dignitate & auctoritate cunctos alios antecedit, & cui etiamnum in hac extrema ferri, & luti commixtione, (uti loquitur Arniſæus tr. de majeſtat. 1. c. 2. n. 9.) primus inter omnes reges locus ubique terrarum absque controverſia conceditur. Talis ex voluntate & arbitrio omnium ordinum imperii, adeoque Regum ac Principum, cum ſit Imperator, hactenus equidem nihil obſtat, quo minus in ſolidum hoc ipſi competere dicamus: cum poſita majeſtate, ponatur quoque affectio ejus, videl. Jus majeſtatis, quippe quæ ita ſeſe invicem reſpiciunt, ut neutrum, ſine alio eſſe, nedum ſubſiſtere poſſit. Atqui Imperatori noſtro competit majeſtas; per Ordinat. Camer. part. 1. tit. 1. 3. 4. & ſqq. quia plenitudine poteſtatis utitur, A. B. Carol. IV. in præfat. circa fin. & tit. 2. in pr. it. tit. 8. tit. 13. in fin. & tit. 16. Maximil. I. *in der Handlung des Friedens zu Worms* anno Chriſti 1495. *aufgerichtet*, tit. *von Sachen, ſo ſich von dieſen Land-Frieden begeben haben. R. A.* de anno 1544. §. *Als wir aber*, ibi: *aus unſer Käyſerlichen Macht und Vollkommenheit:* cujus effectus eſt, omnia jura in ſolidum poſſidere.

II. Minorem (major enim pro certo nunc aſſumitur) in dubium vocare videtur Joh. Bodinus, quando *in Methodo* hiſtor. c. 6. & de republica lib. 2. c. 6. & Lib. 4. c. 5. præter alia, *quod jura majeſtatis*, (quæ & Regalia appellantur, & Imperatori competere jam ante diximus,) *ſint penes impe-*

rii Principes inferiores, & civitatum legatos, iique non ſolum ſingulis Principibus ac civitatibus, ſed ipſi Imperatori leges ferendi, de pace & bello decernendi, ac judices imperialis curiæ, qui de capite, fama ac fortunis omnibus Imperatoris, Principum ac civitatum ſtatuere poſſint, conſtituendi jus habeant, & a reliquis, tanquam ſummam poteſtatem habentibus, Principes, Duces, Marchiones creentur, Imperator vero a Ducibus & Principibus creari ſoleat, & huic provincias obeunti, principes pro ſua quisque dignitate quaſi peregrino principi occurrant; item quod optimatibus ac populo parere, eorumque imperio ac juſſibus acquieſcere debeat, nec magiſtratus creet, neque etiam in Camera aliquid præcipui habeat, & ſit quidem penes eum dignitas, & aliquid ex vectigalibus & portoriis præterea nihil, Ducique Venetorum vix par dici poſſit &c. Sed ad omnia illa, quæ tam audacter, pace ſummi viri dixerim, in deſpectum Imperatoris, & ei competentium Regalium, qua majorum, qua minorum, ut nihil nunc vel breviter ſaltem reſpondeam, præſertim cum ab aliis jamdudum id ſit præſtitum: videtur tamen vel hoc maxime a vera abeſſe ſententia illa, quod, ut alia ad Imperatoris majeſtatem ſummamque poteſtatem, iisque annexa regalia pertinentia emittuntur omnibus Regibus aliisque Principibus, quantumvis ſuperiorem non recognoſcentibus, hodie etiam majeſtate ac dignitate præfulgeat, & non ſolum nobiles, Barones & Comites, ſed & Duces, Marchiones, Landgravios & alios Principes, imo etiam Reges aliquos creandi, & regalibus feudis inveſtiendi, quaſi ex plenitudine poteſtatis, citra alterius Principis aut ordinum conſenſum, liberam facultatem habeat: omnesque Status imperii, & inter eos etiam Principes Imperatorem ſuperiorem agnoſcant, juramentoque ei obſtricti ſint, inque ſubſcriptionibus ſuarum literarum & ſupplicationum, quæ ei exhibentur, ſe ſubjectiſſimos nominent, & quæ ſunt ejus generis multa alia, de quibus præter alios videri ac conſuli poteſt Theodor. Reinking. de Regimin. ſecular. & Eccleſiaſt. lib. 1. claſſ. 5. cap. 6. n. 121. & ſeqq. p. (m.) 309.

III. Proximus ab Imperatore eſt *Rex romanus*. Cui etiam pene non minus quam Imperatori majeſtatis jura ac regalia competere, eo minus dubium videtur, quod poſt electionem etiam, tametſi approbatio & coronatio nec dum facta ſit, Rex appelletur Romanorum, & in nonnullis ſe tanquam Imperatorem gerat, regalia etiam aliaque jura ac privilegia per eum conceſſa, & quælibet alia ab eo geſta, ſi Imperator ſit definitus, perinde veniant, eoque habeantur loco, ac ſi ab ipſo Imperatore conceſſa ac geſta eſſent: qui unum & idem cum Imperatore habet tribunal & conſiſtorium, nihilque ab eo differt, niſi ambitu minoris circuli, ſicuti Scapha differt a navi, ut de ipſo loquitur Arumæ diſc. 1. p. (m.) 2. Proinde etiam cum in conventu Legatorum Caroli V. Imperatoris & Galliæ Regis Franciſci I. ann. 1521. Calen habito, Regis legati præcedere vellent, & Carolum V. electum quidem, ſed nondum confirmatum tum temporis fuiſſe, obtenderent, merito hujus legati primas ſibi deberi contenderunt, quod ex electione, perinde ac ſi confirmatus eſſet, plenam ac liberam haberet poteſtatem, nec confirmatione opus eſſet. Vid. Chaſſan. in Catal. Glor. mund. part. 6. conſid. 29.

IV. De utroque tam de Imperatore, quam Rege romano, major tandem dubitatio ſupereſſe videtur, quod Electores, quorum hodie octo recenſentur, eadem illa facultate ac poteſtate polleant. Nam licet, quod de Lyrorum Rege olim Juſtinus dicebat: *eum ſi non regiam, regiæ tamen dignitati proximam egiſſe vitam*, in illos apposite quadrare quis dixerit: præcedunt tamen in omnibus ad ipſam curiam imperii ſpectantibus, omnes Reges & Principes, cujuscunque ſtatus, dignitatis ac conditionis illi ſint; idque per expreſſum A. B. textum c. 6. in verbis: *Daſs kein ander Fürſt, welcherley Weſen, Würdigkeit oder Ehren der wäre, ihnen mit nichten ſoll fürgeſetzet werden.* In tantum ſane eorum crevit auctoritas, ut merito dubites, an illam hodie addi multum par ſit. Quis igitur ipſis hanc legatos mittendi facultatem denegabit? Præſertim cum ſpeciali Imperatoris, totiusque imperii conſenſu conceſſum ac confirmatum jus illud ſibi habeant: præ aliis etiam imperii ordinibus quam plurimas habeant inſignes prærogativas, ut de regalibus & aliis apparet ex A. B. Caroli IV. & de iis in ſpecie oſtendit Heigius qu. 4 part. 1.

V. Ceterum quod reliquos principes ſeu ſtatus attinet, equidem non facile de his formari poteſt judicium. Notiſſima quidem communis Doctorum regula: *quemvis ſcil. ſtatum imperii tantundem poſſe in ſuo territorio, quantum Imperator in corpore ſeu imperio toto.* Sed quemadmodum quidem illa ipſa regula ſuis limitationibus & reſtrictionibus non deſtituitur, (qua de videri poſſunt Reinking l. 1. claſſ. 5. c. 6 n. 157. & ſqq de Regim. ſecul. & Eccleſiaſt. Limnæ. l. 4. de jure publ. c. 8. a 6. usque n. 11. incluſive. Gail. lib. 1. c. 6 n. 16. de PP. Regner. Sixtin. tr. de Regal. c. 5. n. 121. p. (m) 148. Chingius de ſuperiorit. territor. th. 54. Autor de jur. Princ. concl. 87. &c.) ita ſane multum dubii facit, quod ſtatus & principes imperii noſtri, quotquot illorum ſunt numero, non abſolute ſummam, ſed dependentem, imperfectam & ſubordinatam in territoriis ſuis poteſtatem exerceant. Quicquid tamen ſit, crediderim ego pleroſque eorum, præſertim jus ſuperioritatis habentes, vel ex conceſſione Imperatoris, vel ex præſcriptione, vel ex conſuetudine, recte legatos mittere poſſe. Idque in principibus Germaniæ, (quo refero etiam Comites, Barones &c.) cumprimis obtinere, non obſcure demonſtrat. Johan. Wurmſer. exercitat. jur. publ. 4. §. 4. p. (m) 141. cui calculum adjicit, vir magnæ in Germania auctoritatis Benedict. Carpzov. cap. 2. ſect. 13. quando ex conſuetudine potius, quam jure hoc ipſis competere, diſerte demonſtrat.

VI. Neque aſſertio noſtra infirmis nititur rationibus, ſi quidem ex tabulis comitiorum imperii, ubi miſſi ad locum comitiis deſtinatum, a ſtatibus ſub nomine & qualitate legatorum frequentiſſima veniunt R. J. de ann. 1529. §. *Und wir Churfürſten R. J. de ann.* 1557. §. *und darauf*,

juncto

Juncto §. ſqq. *daſs wir demnach R. J. de anno* 1566. *§. wie wohl wir nur auch ſolches alles*, ac paſſim. Quamvis ſi accurate loqui velimus, legatorum & andiendorum poteſtas prædicta denominatio analogica potius ſit, quam propria, notante Wurmſero d. exercitat. 4. q. 4.

VII. Idem quod dictum a nobis fuit de principibus ſuperiorem recognoſcentibus, multo magis de urbibus imperialibus, utpote quarum præ reliquis melior eſt conditio (teſte nobiliſſ. Dn. Conringio in annot. ad Jacob Lampadii Libell. part. 3. §. 29.) affirmare licet. Nam etiamſi illæ utplurimum, falſo tamen, ab aliis vocentur reſpublicæ, tales utique proprie & ſtricte loquendo non ſunt, ex eo nimirum, quod reſpiciunt non minus caput aliquod, videl. Cæſarem, quam aliæ: adminiſtratio tamen earum nihilominus fere coincidit cum rebuspublicis proprie ſic dictis, eique valde ſimilis habetur, quandoquidem in plurimis ſaltim libere agunt & diſponunt, quando leges certas & ſtatuta condunt. imo longiore tempore jus illud fuiſſe uſurpatum a collegiis, quæ in imperio publica pactione ſeu fœdere ſecundum auream bullam tit. *von den Verbündniſſen*, coiere, diligentiſſimis rerum germanicarum indagatoribus notatum & dubio procul veriſſimum. Primum enim illud conſtat, etſi nulla ſpecialis hac ſuper re Imperatoris extet conſtitutio, qua collegia illa & civitates, præſertim anſeaticæ a jure iſto arceantur: tamen quia triplex ille reſpectus, qui alias in omni conſuetudine attendi amat, hic intercedit, mirum non eſt, ſi nunc tacito conſenſu eorum, quorum intereſt, certam ac juſtam vim legis accepeint. Tum etiam veritas iſtius juris poteſt oſtendi, quod nunquam ab Imperatoribus improbatum legatur, quin ſummo potius favore illud proſecuti, proque illius ſalute & incolumitate nunquam non ſoliciti fuerint. Cujus evidentiſſimum rei exemplum in Rudolpho II. auguſtiſſimæ memoriæ & nonnullis aliis reperire licet.

VIII. Neque vero putandum, propterea iis hoc denegandum, quod privatorum inſtar ſint ac reputentur loco, quibus jura publica & per conſequens etiam jus legationis, quod publicum vel ipſum audit, competat: ſiquidem hæc non abſolute & ſimpliciter, ſed ſaltim ſecundum quid intelligenda eſſe, vel puero notum. Nam ut Petri Heigii q. 23. n. 30. lib. 1. verbis utar. *ubi poſt diviſum imperium Caroli M. auſpiciis pax italiæ, & ceteris occidentalibus gentibus reddita eſſet ibi, ut aliarum rerum omnium, itaque quoque juris dicundi nova apparuit facies. Etenim quæ antea in nullius patrimonio & commercio erat privatorum, nec tantum civitatum eſſe cœpit &c. Et quæ ante Carolum ſolius Imperatoris erant, ſtatu imperii mutato, non ad principes ſolos, exemplo ſint Regalia, ſed etiam ad civitates (addo & collegia) devenerunt. Quo nomine vel ipſis Principibus aſſimilari, perſpicuum evadit, inepte igitur ad privatorum conditionem ablegantur.* Hactenus ille deinde poſito, quod ratio iſthæc in medium allata, valeret, ac firmo omnino niteretur fundamento, nobis tamen nequaquam adverſatur, dummodo conſideraverimus, collegiis ex jure & natura collegiorum hoc nunquam accommodari, ſed quatenus ex ea ratione & modo, quem ſupra §. 5. adduximus, conſecutum videtur; videlicet ex conceſſione vel præſcriptione Principis. Quod in caſu noſtro fere omnes ſaniores Politici concludunt & plenius eandem hanc pertractat rem Beſold. hic §. 4. c. 3. diſſ. de legat.

IX. Denique & liberis imperii nobilibus (*der freyen Ritterſchafft zu Francken, Schwaben und ReinLand*) cum exteris per legatos agendi jus eſſe præter alios doctiſſimus tradit Kirchn. de legat. lib. 1. c. 3. n. 56. Et recte quidem. Nam quicquid Imperatori in ſignum ſpecialis præeminentiæ & regalis Majeſtatis reſervatum non eſt, id ordini equeſtri immediate ſubdito libere competit. Jam vero quod ſoli Imperatori legatio ad exteros principes reſervata ſit nusquam legimus; ut adeo hinc perperam contrarium oſtendere alii laborent.

X. Hic tamen obſerves cautio eſt, non ſingulis quidem, ſed conjunctim conſideratis & quatenus ex variis partibus unum aliquod conficiunt corpus, competere. Singuli enim, præter inane libertatis nomen parum habent reliquum, conjuncti vero multa poſſunt, multum valent.

XI. Quod ipſum de perſonis dixiſſe ſufficiat. Nunc ad alteram illam claſſem ſine mora progredimur, ubi oſtenſuri ſumus, inter quos proprie commeet legatio.

CAPUT IV.

Th. I.

Diximus autem ſuperius, legatum eſſe mandatarium publico negotio conficiendo &c. ſubintellige peregre miſſum. Hunc miſſum Græci vocabant *ἔξεσίαν ἀπὸ τῦ τὸν πρεσβεύοντα πῦ ἐξιέναι.* Eo quod qui legebatur, quopiam exibat. Et priſci Græci legationem ipſam vocarunt *ἐκδημὸν πολιτείαν peregrinam reipublica adminiſtrationem* Pollux lib. 4. c. 3. 142.

II. Ire autem peregre legatio dicitur, ſi commeat inter eos, qui, quod ſummæ rei præſident, pares & cenſentur & judicantur.

III. Neque vero paritatem hanc, magnitudine opum modove finium æſtimamus: ſed Reginimis qualitate & poteſtatis magnitudine, prout egregie Natta *conſ.* 608. *n.* 7. tradit. Nempe hi illi ſunt, quibus eſt illa, quæ Platoni eſt *ἀντεπιτακτική* dignitas, & Ariſtoteli *τὸ κύριον* ſeu ſumma in republica Majeſtas, illa videlicet, quæ ab ſe & per ſe imperat, quæque nullo cujusquam, ſed ſuo proprio nutu & auſpicio arma ſumit ponitque, leges condit & abrogat magiſtratus, creat & eligit jus habet vitæ & necis in ſingulos exc. certe, qui ad id faſtigii evecti ſunt, quamvis opibus diſpares, fortuna, loco, excellentia pares omnino judico & aſſevero.

IV. Illa paritas & ſimilitudo, ut conſtet, primo omnium prudenti politico videndum, an

is, ad quem mittitur legatio, jura majeſtatis habeat, & ſi habet, quæ nam? Nam non omnium eadem eſt ratio, idem quoq; Status & conditio, præſertim in Europa, ubi multi quidem ſummam ſe fortunam adeptos jactitant, eo ipſo dum leges condunt, edicta promulgant, tributa imperant, pecuniam cudunt, jus concedunt natalium, & quæ ſunt alia ejus generis. Cum tamen ſi dicere, quod res eſt, licet, non niſi conceſſu alterius, puta ſuperioris cujusdam, omnia hæc poſſideant & uſurpent, adeo ut non male quispiam hæc cum hodierna inveſtitura comparaverit. Deinde, quo numero, loco & exiſtimatione ſint in republica apud ſuos, & apud exteros: ſiquidem hi longe rectius de fama, vita & actionibus judicant hominum, quam amici, ſocii & inquilini. Unde ex miſſo de prudentia & auctoritate principis, de integritate conſiliariorum, de diſpoſitione ſenatus, & aulæ judicium apud illos oritur. Ut adeo hinc multum quoque interſit, inter quos legationes commeent. Interim obiter Dd. monent, ne ſuperſtite reipublicæ gubernatore ac principe ad alium, quam ad ipſum, decernatur legatio, ſiquidem hac in parte & olim & hodienum graviter erratum fuiſſe a nonnullis, æterna literarum docent monumenta; Nec minus clare Alarici illius apud Zoſim. l. 5. legatos mittens ad Stiliconem quaſi ad Principem, cum mitti debuiſſent ad Honorium, docet exemplum.

V. Quamvis ex adverſo non negem, miſſas quandoque fuiſſe legationes non ad ſimiles & omnino pares, ut plurimum tamen apud exteras præſertim gentes ac nationes uſitatas fuiſſe, utut diverſum hodie obtineat, experientia omnium rerum magiſtra ſatis evincit.

VI. Sic quos ad ſubditos ſibique ſubjectos Princeps, aut vice verſa ſubditi ad Principem mittunt legationes, proprie & ſtricte loquendo tales ſunt & habentur, quippe cum nulla hic intercedat proportio, aut ſimilitudo, niſi forſan illum excipere velis caſum, quo publica & univerſorum vertitur ſalus. Tum enim non tam ii, qui agunt, quam quod agunt, & quo nomine inſpiciendum venit: Et tunc quando agunt cauſam publicam publicaque auctoritate Principis ſui, quin legatos dixeris, nihil impedit, dummodo tamen ſemper ad ſuperiores reſpectum habueris. Et tantum quoque de illa capitis parte, ubi juſto ordine ſumus perſecuti, a quibus, ad quos legationes mittantur, nempe ad ſimiles poteſtate & dignitate. Nunc tertio conſideremus ordo poſtulat, ex qua tandem claſſe & ordine talis educi debeat, an ex togatis, an ex militibus, an ex illis, qui amiciuntur curta, quod dici ſolet, toga? Verum cum vix reſponderi, niſi offendendo, falſum, niſi erubeſcendo, quod utrumque tamen a me alieniſſimum, poſſit, optarem equidem, ut pro ea ſaltim parte omnibus facere poſſem ſatis: ſed omnibus arridere cum ſit difficile, imo fere *ἀδύνατον*, eorum ſaltim mihi ſpondeo benevolentiam, qui rem ex vero æſtimant, & reapſe judicant.

CAPUT V.

Th. I.

Affectu igitur omni ſepoſito, quid de illa quæſtionis parte ſtatuendum, Dd. inter ſe nondum conveniunt. Quidam enim moti cumprimis exemplo Romanorum, legationi obeundæ jurisconſultos præficiendos dictitant. Nonnulli, præterquam quod lumen ſanguinis apud aulicos magnum habeat intuitum, ut novus homo Arpinas fatetur, nobilitati omnes ſavere videantur, quia ipſa ſit blanda conciliatricula, ut *Cicer. in orat. pro P. Sextio ait*, eam provinciam nobilibus eunt attributam. Aliqui demum Eccleſiaſticorum ingenia, utpote a turbis hujus mundi ſegregata, magis apta credunt eſſe ad ſtudium pacis, quam eorum, qui ſe violentis affectibus abripi patiantur, & nil niſi reſpectus & deſpectus obtendere poſſent. Neque credibile eſſe, ajunt, ipſos ab intentione bona hamatis donis, quibus alii non raro cum maximo detrimento ac damno ſuorum principalium ineſcantur, in ſequiorem partem abituros. Unde D. ille Bernardus *ad Eugenium ſuum* lib. 4. ab illis ſummopere requirit: *miſſi poſt aurum non eant, ait, ſed Chriſtum ſequantur, nec quæſtum legationem æſtiment, nec requirant datum &c.* Et paulo poſt; *qui redeant fatigati quidem, ſed non ſuffarcinati, ſimul & gloriantes, quod non curioſa ſeu pretioſa quaque terrarum attulerint, ſed quod reliquerint pacem regnis, legem barbaris, quietem monaſteriis, eccleſiis ordinem, clericis diſciplinam, Deo populum acceptabilem, ſectatorem aperum &c.* Quin (2) dicunt illis propter opinionem religionis, quia vel maxime animos diſſidentium in ſui complacentiam captivare ſoleant, majore cum efficacia & ſucceſſu pleniore ſeſe, quam ſeculares & homines mundanos, exhibere poſſe: nam etſi duo idem dicant, faciant, non tamen eodem modo, eodem ſenſu, eodem affectu accipi ſolere. Unde Bernardus eundem monet: *ut legatos in negotia præſertim religionis eos mittat, quorum ſermo ædificatio, quorum vita juſtitia, quorum præſentia grata, quique ſe amabiles præbent non verbo, ſed opere reverendos exhibeant, ſedactis, non faſtu. &c.*

II. Quamvis, ſi præteriti temporis geſta actaque, unde in futurum conſilia a prudentibus peti ſolent, evolvamus, inveniemus ſane in negotio pacis mittendorum ingenia, non ordinem aut perſonas, prudentiam magis quam, eloquentiam, idoneitatem magis, quam dignitatem conſideratam fuiſſe. Et ab Eccleſiaſticis ſæpe longinquas & difficiles legationes luſcepias fuiſſe, plurima evincunt exempla. Sic Bernardus, qui ob vitæ ſanctimoniam ſanctus appellari meruit, Moguntiam venit, ut diſſidentes Lotharium Cæſarem & Conradum Imperatorem conciliaret. Cum Ludovicus Bavarus & Fridericus Auſtriacus contrariis Electorum votis ac ſuffragiis ambo Imperatores electi eſſent, diſſidiumque in bellum Auſtriaco exitiale exarſiſſet, id duo Carthuſiani componere anniſi ſunt. Et cum Carolus VIII. Rex Galliæ cum Henrico VII. Anglorum Rege bellum gereret, pro tractanda pace Robertus Gaguinus Generalis ordinis Trinitatis ſe operoſum præbuit, uti ipſus in vita Caroli atteſtatur.

III. Quic-

Digitized by Google

III. Quicquid tamen ejus ſit, equidem non alium præcipuis honoribus ditari velim, quam qui in inveſtigatione rerum ſit induſtrius & ingenioſus, in negotiis Ulyſſes, in bello Achilles, pietate Numa, in judiciis Ariſtides, ſemper & ubique homo actuoſus. His dotibus præditus, quacunque tandem in ſtatione poſitus fuerit, is utilem ſe reipublicæ civem ac patrem patriæ præſtabit ſemper.

IV. Hinc facile datur intelligi, quam non novitio ac tyroni tale munus aptandum: Canonher *lib. 2. diſc. in Tac.* niſi ſit officioſa legatio. Alberic. Gentil. 3. *de leg.* 14. ſed quam ſollicite ſit quærendus idoneus multisque prætentatus exercitiis, is denique, qui laudes induſtriæ fideique magnis experimentis ſæpe non ſemel ſociaverit. Quippe ſenex vulpes miras novit eludendi artes, nec facile laqueo capitur; quod ex Laertio refert Tiraquell. *de jur. primog. in pr. n.* 92. Juvenis autem, quod nunquam vel raro circumventus truncum ſæpe eſſe dixeris potius, quam hominem, propterea quod inter pravum & vitioſum quid interſit, dijudicare nequeat.

V. Qua fini ut legatus rite & recte munus exequatur ſuum, cum legatio debeatur viris virtute præſtantibus, conſtat, virtutem regiam & eminentem in eo inveniri debere: cum ſe habeat ad Principem, ut cor in animali, anima in homine, & Deus quodammodo in univerſo.

VI. Inprimis vero legato prudentia ineſſe debet & fortitudo, tum ut proſpiciantur peragenda & vitanda, tum ut obviantia vi adhibita repellantur. Et ſiquidem prudentia Legato, velut oculus opem præſtans; fortitudo, ut manus, ſine qua oculus velut cæcus redderetur, & ſine hac impotens; prudentia conſilium miniſtrat, fortitudo vires, illa jubet, hæc juſta perficit, illa difficultates proſpicit, hæc illas frangit. Et quia prudentia ſine ceteris virtutibus moralibus ſtare non poteſt, cum in ea ut in medio ipſæ connectantur, ideo aliæ virtutes ab ea disjungi minime valent.

VII. Alia ſiquidem virtus requiritur in nauta & architecto, alia in inferiori miniſtro. Sic præclarior virtus in Legato, quam in eorundem comitibus, exigitur. Et ut nauta proprium non evitat periculum ut communi ſaluti in navi extantium proſpiciat: pari ratione Legatus, & qui vicem hujus ſupplet, ut regnum, principatus & cives ſalvi exiſtant, omni arte, ingenio, viribus, induſtria ac diligentia uti debet, ut eos belli tempore ad ſecurum tranquillitatis deducat portum, quæ absque inſigni aliqua virtute peragere nemo valebit. Quo ſit, ut virtus Legati ut ſui ipſius gratia & reipublicæ ſumme ſit neceſſaria: Sui quidem cauſa; duorum eſt enim, ut virtute emineat, qui & dignitate micat. Unde Cyrus apud Xenophont. *lib. 8. Pædia Cyri*, non cenſebat cuiquam convenire imperium, qui non melior eſſet iis, quibus imperaret. In omni enim vita, ut recte monet Magnificus Dn. Præſes in elegantiſſimo *lib. de civil. prudent. c. 2.* nihil eſt utilius, quam in opinione virtutis eſſe, & Ariſtoteles idem cenſet *lib. 7. Polit. c.* 10. cum & omnia dicta & facta legati rumor excipiat, nec magis ei quam ſoli latere contingat. Reipublicæ quoque cauſa virtus eminens Legato ineſſe debet; cum non ſibi tantum, ſed & patriæ operam ſuam, conſilium vel maxime deſtinet, deſtinare profecto debeat gratus patriæ civis.

VIII. Quod ipſum tamen non intelligendum ex parte ipſius virtutis, quæ quum conſiſtat in medio, non recipiat majus & minus: ſed ex parte ſubjecti, quorum unus eſt aptior alio ad medium attingendum, vel ob majorem aſſuetudinem, meliorem diſpoſitionem, natum vel perſpicacius rationis judicium, vel majus gratiæ donum: ut inquit Thom. *l. 2. q. 66. art.* 1. cum & dentur aliquæ etiam virtutes morales, exemplares, politicæ etc. ut idem dicit *l. 2, q. 65. art.* 5. & etiam dentur virtutes heroicæ, vel in ſummo, quæ apud Theologos bona Spiritus Sancti dicuntur. Hæc vero eminentia virtutis in legato abſoluta eſſe debet, ita ut in omnibus virtutibus mediocritas terminum excedat; vel ſaltim in aliquibus earum eminens, maxime quæ magis legatum decent.

IX. Prudentia igitur & fortitudo, virtutum gemellæ, legato ad res agendas ſumme ſunt neceſſariæ: hæc quidem, ut ſtrenue officium facias tuum, illa vero, ne in auctoritatem mittentis offendas. Quicunque enim ſine dono prudentiæ negotiatur, operarium artis expertum agit, qui inſtrumentorum uſum ignorat, adeo ut materiam corrumpat, cui debitam neſcit dare formam. Sic imprudens miniſter, & reipublicæ & particularium res evertit; ſi curam earum ſuſcipiat, nihil promovet. Nam prudentia & cogitata & verba ducit, motus ad normam exigi: & modum rebus agendis præſcribit, certum adeo, ut ſine illa nullum unquam proſperum ſperare liceat ſucceſſum. Hinc Ariſtoteli etiam vocatur virtus gubernatorum, non quod privatis minus conveniat, ſed quod adeo ſit neceſſaria Regibus & ſummis miniſtris, ut minus inveniantur capaces reipublicæ regendæ, quam nauclerus ad navigandum ſine temone & magnetica ſpecula.

X. Quam ipſam tamen oſtendet Legatus: ſi ante providebit ea, quæ aliter poſſunt evenire; ſi de iis omnibus recte deliberabit: ſi in omni conſilio ea ſibi proponet, quæ honeſta & utilia ſuo Principi futura: ſi nunquam movebitur aliqua cupiditate, ſi nihil amori tribuerit aut odio in aliquem, ſed publicæ tantum utilitati operam dederit. Quod ſi fecerit, comites prudentiæ ipſi ſidum quoque auxilium præſtabunt, ut ſunt diligentia, ſolertia, judicium, memoria & commoditas quædam ingenii, quæ δεξιότης Græcis appellatur.

XI. Hinc ſagax miniſter ſæpius ſeceſſum quærit, ubi omnem libertatem adipiſcatur trutinandi propoſita, meditatione non interrupta, quæ ex Periandri ſententia, quidvis ſuperat. Neque ignorat ad conſulta præcipitem, antequam examen ſuſtinuerit, ſimilem eſſe guloni, qui ſuffarcinando ſtomacho, per cibos imprudenter ingeſtos dolet a menſa recedens.

XII. Et cum prævideat quævis incommoda ex propoſitionibus oritura, hypotheſin ſub-

 jicit

jicii theſi & negotia particularia regulis generalibus; experientiam rerum ſuperiorum ſumit magiſtram, media exigit ad finem, diligenter attendit, an conceſſa res aliqua hoſtis commodet inſtituto; examinat ſecuritatem ſuam, quæ in legatione occurrit cum omnibus circumſtantiis: ipſus denique ad omnes impoſturas obfirmatus nequit circumveniri, ſed quicquid deſiderat in pactis aufert. vid. Miniſter. Mazarin. & Richel. cui hoc obſervatum.

XIII. Deinde tota hominis virtus, cum in duabus maxime cognoſcatur rebus, in dicendo videlicet & in faciendo; quid mirum, ſi legati munus, quod non niſi in dicendo, perinde ut ducis partes in faciendo, conſiſtere dicamus? Idque eo magis, quo præ cæteris plurima teneatur populo perſuadere & magnatibus, quibuscum eſt agendum. Unde Oratorum romanorum antiquiſſimus ait: *per ſermonis uſum, ab homine beſtiam ſuperari*: (addiderim ego eloquentiam, qua præpolleat in rebus agendis) Hac enim deſtitutum, obſecro quid hominis eſſe dicas? annon eadem putes dici oratorem, ut priſci loquebantur, *ἄγλωττον*? Cujusmodi eſt Euripidæus ille:

Τέκτων γὰρ ὢν ἔπρατες οὐ ξυλεργικά.
Λέγειν ἀπείθαυος ὢν ἐπρέσβευε.
Fabrum diſſimulas fabrilis callidus artis.
Infans rem populi legatus & ardua tractas.

Neque tamen arculas omnes rhetorum ei revolutas volumus cum Alberico Gentili 3. *de legat.* 6. tantum quoque abeſt, ut perfectum omnibusque numeris abſolutum Oratorem exigamus: ſed ſufficiunt in noſtro legato ea, quæ in advocato Lancellottus *in tr. de advocat. c.* 11 requirit, ut ea, quæ dicenda ſunt aperte, ſi non ornate, diſtincte, ſi non copioſe, caſte & ſimpliciter, ſi non elate ac floride, oppidane, ſi non urbane (vid. Sturm. in ſchol. lib. 2. de imit.) proponat.

XIV. Eloquentiam excipiat multarum linguarum cognitio, maxime eorum populorum, ad quos legatus noſter proficiſcitur. Harum enim notitia ingenium excitat, judicium illuſtrat, & animum ad res magnas capeſſendas accendit, in tantum quidem, ut olim quot linguas quis tenebat, totidem corda habere crederetur, ut de Ennio traditum. Hinc Turcæ majeſtatem imperii ſui in eo oſtentant, ut non alia lingua quam ſua, vel legatos exterorum principum audiant, vel iisdem reſpondeant. Idemque Romanos feciſſe Valer. Maxim. teſtatur *lib.* 2. *c.* 2. Ne multis nunc dicam, quam ſæpe eximia claritudine hominibus ſaluti fuerit hæc ſollertia loquendi pluribus linguis; ut Themiſtocli apud Perſas, Alcibiadi apud Pharnabazum, Annibali agenti in Italia, & magno illi pontico Regi in bellis. Nam hic quatuor & viginti gentium ore locutus eſt. Contra vero, qui interpretum uſi opera, exitio & ludibrio fuerit. Plutarchus in Catone teſtis eſt, quando *ſæpius deceptos eos* ait, *qui vicaria alterius confiſi opera*, vid. Joh. Stephani Menochii inſtitut. polit. l. 3. c. 3. p. m. 634. qui rationem ejus rei inveſtigat.

XV. Sed ante omnia animum in fronte, & candorem geſtet in pectore, noritque fide in ipſo nihil eſſe divinius, magisque memoriæ hominum ſempiternæ commendatum. *Fides* ſiquidem juxta vetus illud, *obligat fidem*: omniumque contractuum, fœderum, pactorum, omnis denique ſocietatis & amicitiæ vinculum eſt arctiſſimum, *ipſius juſtitiæ*, ut dicit Cicero 1. & 3. *offic. fundamentum firmiſſimum ſanctiſſimumque humani pectoris bonum.* Senec. *epiſt.* 89. Quam ſuo Principi debitam non modo omnibus modis probabit; ſed & operam dabit ſedulo, ne apud eum quoque Principem, ad quem miſſus eſt, in ſuſpicionem aliquam ſiniſtræ fidei aut levitatis incurrat; ne publica Principis negotia negligendo, aut etiam prodendo, privata ſua compendia conſectetur. A *παραπρεσβείᾳ* vero & falſa legatione ſummopere abhorreat: utpote quæ cum perfidia ut plurimum conjuncta eſt: qua nulla Alecto nec furia infernalis pernicioſior: quæque perfido non tantum dedecus, ſed perniciem quoque affert.

XVI. Ea re ſobrius ſit, nec vino, quo redditur Horatii verbis *arcani fides prodiga*, *pellucidior vitro*, ſe invitet aliquantum dapſilius. Hoc enim in aulis hodie uſu venire videmus ſæpiſſime, ut legatis tot vel tot adjungantur, qui eos inebrient, ita ut plane illis animus abſit, modo quo ſecretiora conſilia expiſcari & electare valeant. Et multi in aulis Principum inveniuntur, qui ad iſtam artem eruditi, legatorum ædes frequentant, ac, cum loquantur ad voluntatem omnia, nihil ad veritatem, coram gratiam aucupatos eſſe opinantur. Ab his igitur maximopere ſibi caveat legatus, ne quicqnam committat, quo poſtea ſobrius erubeſcat.

XVII. Interim humanus ſit in quemvis, ita tamen, ut humanitas illa cum gravitate quadam commixta ſit: qua efficiet, ut eum diligere & magni facere omnes cogantur: incredibile enim eſt dictu, quantopere conciliet animos hominum comitas affabilitasque ſermonis.

XVIII. Quæ conſiſtit partim in forma corporis dignitati congruente: quæ apta membrorum compoſitione movet oculos, & vel hoc ipſo delectat, quod omnes partes cum quodam lepore inter ſe conſentiant: partim in generis nobilitate; cui tamen æquiparandi, qui virtute præſtant: partim denique in matura ætate, in qua ſeniores præferendi junioribus, eamque ob cauſſam non modo a conſiliis & legationibus, ſed omnino a republica ſunt arcendi.

XIX. Quemadmodum autem hic ſenes intelligi nolumus repueraſcentes & deliros, de quibus tritum illud: *δὶς παῖδες οἱ γέροντες*: ita nec omnino a legationibus, ut nec a magiſtratibus prohibendos cenſemus ætate juvenes, qui animo ſunt ſenes.

XX. Demum ita vivat, ut ſapientiſſimi Principis mores repræſentet; ita ſe gerat, ut præclariſſimam in perſona ſua gentem oſtendat. Paucis: ſit pius, conſtans & magnanimus, ſumptaque ex meritis fiducia, intrepido prorſus animo ad legationis accedat munus. Sed hæc hactenus.

XXI. Reliquum nunc eſſet monere, ut Imperatores, Reges ac Principes, quoties publice expo-

Digitized by Google

expoſcat neceſſitas, de Principatus ſui negotiis ad alienum imperium tales ſemper vice ſua ablegent, qui iis animi & corporis dotibus inſtructi ſint, qui & ei peragendæ pares, & in ſua mittentis perſonam ad vivum usque exprimere queant: ex miſſo ſiquidem, ut jam ante dictum, de prudentia & autoritate Principum, de integritate conſiliariorum, de diſpoſitione ſenatus & aulæ judicium apud exteros oritur. *Anton. Guevarra lib. 1. cap. 43 n 194. in Horolog. Princip.* Sed cum hæc alienæ potius ſint conſiderationis, nemo credo vitio mihi vertet, ſi ea, quæ odioſa alias ſunt, intacta relinquam. Pergo igitur ad reliqua, & aggredior.

CAPUT VI.

Th. I.

Quomodo legatus ab aula vel republica diſceſſurus ad exteros mittendus ſit, jam tum verbo a nobis traditum in definitione, ubi, ni valde fallor, dicebatur, quod fieri debeat ſolemniter: apertius quomodo id intelligendum ſit, declaratione noſtra jam expoſituri.

II. Solemniter itaque legatum mittere auguror, qui virum gravem ac ſapientem, quem legationem obire ac locum ſuum ſuſtinere vult, mandato inſtruit, docetque, ubi. apud quem, & quid loqui debeat, tum litteris, quo legati non vituperium aut ſuſpicionem falſi, ſed ejus, ad quem venit, aſſenſum & fidem mereatur oratio. Ubi paululum nobis ſubſiſtendum.

III. Hic, quando mandati fecimus mentionem, probe obſervandum: mandata alia eſſe ſtricta ac definita, alia libera & abſoluta: alia item manifeſta, occulta alia.

IV. Definita & ſtricta vocamus, quibus certa ac definita negotia ſecundum datam poteſtatem conficienda præcipiuntur. Quorum tamen ea vis, natura atque indoles, ut ſi vel minimum inde abeat, ſtatim deflectat ad vitium & pœnam legatus incurrat graviſſimam. Neque vero tam amplum continent ſpatium, ut & fieri laudabiliter, & ſine turpitudine omitti poſſint, quæ præcepta ſunt; quin potius accipientem ad diligentem earundem obſervationem ita adſtringunt, ut periculoſum ſit mutare quicquam in iis vel corrigere, tametſi forte uſus id ipſum poſtulet: imo præciſe tenetur ad illarum obſervantiam. Quod ſecus tamen evenit in iis præſertim mandatis, quibus adjecta illa clauſula: *Cetera prudentiæ ac fidei tuæ committimus:* quæ principaliter ac primario non reſpicit ipſum mandatum, ſed hoc tantum operatur, ut cum omnes rei agendæ modi & occaſiones præſcribi nequeant, imo nec poſſint, integrum ſit legato, ſi commodior ac facilior ſe via aperiat, eam ſequi, qua præſcriptorum metam aſſequatur. Quem ſenſum eleganter exprimunt Frideric. Marſelaer. *l. 2. diſſ.* 4 & Dn. Kirchner. *l. 1. c. 7. leg. n.* 31.

V. Paulo aliter hanc explicant Jure conſulti, quando idem eo denotari affirmant, quod clauſula cum libera, quæ ſpeciali æquiparetur mandato. Quod autem in caſibus requirentibus ſpeciale mandatum, ſufficiat mandatum cum libera, tradit Socinus junior *lib.* 1. ideoque putarunt Georg. Schönborn. *lib. 3. polit cap.* 29. & Otto Melander *cent. 1. jocor. ac ſer. c.* 187. poſſe legatum virtute hujus clauſulæ limites mandati pro re nata tranſilire. Ex adverſo autem, quando limitata commiſſio limitatum quoque producat effectum, & fines mandati diligenter cuſtodiendi ſint: hujus clauſulæ tantam vim non eſſe, ut licentiam transgrediendi permittere poſſit, recte docet Herman. Kirchner. *de legat. lib. 2. cap. 6. n. 31. & ſeqq.*

VI. Libera & abſoluta, ſeu ut Kirchnerus loquitur, indefinita vocamus mandata, quæ liberam poteſtatem negotii expediendi legati prudentiæ & fidei committunt, maxime in illis rebus, quarum conſilium & moderatio certa haberi nequit. Arum. *de J. P. diſſ. 29 vol. 1. concl. 9. p. (m)* 270. Quod genus tamen legationum Græci vocant *αὐτοκράτορα*, *ſummæ poteſtatis;* eosque legatos, quibus dantur tam libera mandata: *αὐτοκράτορας, τοῦτ᾽ ἐστι, κυρίους πάντων*, h. e, *omnium* potentes; quales fere mittuntur re ſumma in ſummum diſcrimen adducta; danturque ad longinqua negotia, quorum procuratio poſita eſt in providentia legati, & in celeritate omnis.

VII. Atque hæc quidem mandata, quantumlibet laxa, hominem pudentem arctius adſtringunt, acrem vehementius invitant, prudentem acrius expergefaciunt, ſtrenuum etiam acuunt, atque adeo multo magis, quam ſi ſingula ordine ei præſcripta ſint. Quippe hi ſunt ei ſtatuti termini, ingenium Principis, cui ſatisfacere inprimis arduum eſt. Legato enim ad regiæ publicæve voluntatis interpretationem dirigenda ſua ſententia eſt. Adeſt & ſalus publica, credita ſuæ virtuti & fidei. Poſtremo, quod omnium maximum eſt, ſua fama & exiſtimatio, præ qua ſapientibus omnia ſunt vilia. Carol. Paſchal. *de legat. p. (m* 131.

VIII. Occulta demum mandata nobis appellantur illa, quibus arcanum legationis quod contineatur, legatus nulli mortali oculo ſubjicit, niſi ſuis. Harum multa exempla pete ex Paſchalii loco citato: latius tamen differentem vide Dn. Kirchnerum *lib. 1. c.* 7.

IX. In ipſa legatione, hæc legatus ſibi diligenter habeat commendata (1) ne ultra præſcriptum quicquam Principis agat, niſi ejus prudentiæ & circumſpectioni res permiſſa fuerit, ne quid agat, quod minus honorificum ei ſit, qui legavit (2) quam primum locum attigit legatus ad eum, ad quem miſſus eſt, nomen ſuum & propoſitum reponat; principis ſui ſcriptum mandatum exhibeat. In exhibitione literarum & propria peroratione coram Principe, eas præſenti fortunæ & ſtatui tradat. Caveat ſibi ab illo exemplo Athenienſium legatorum, qui miſſi ad Lucium Syllam, orationem a Theſſ. laudibus exorſi, res ab Athenienſibus præclare fortiterque geſtas contra Medos & alios, ſtulte inſolenterque ſunt perſecuti. Neque imitetur illud, ubi quis legatus inter alia ridicula & inepta, diverſoria quoque ſua, quibus in itinere erat uſus, ad faſtidium usque inculcavit. *Melch. jun. 1. orat. Argentin. orat. funebr. Pauli Hochfelderi p. 1220. & ſeq.* (3) debet legatus Principis, ad quem miſſus eſt, qualitates omnes & ſingulas probe expiſcari: inprimis

vero

joris momenti, hodieque in aulis & rebuspublicis frequentius, quam de Legatis. Si nunc ergo alacriori niſu huic rei inſiſtam, non inanem operam me locaturum æquus arbiter exiſtimabit. Utilitatem ejus phaleratis verbis planam reddere non neceſſe; ſed experientia, omnium doctiſſima magiſtra, ſuculentiſſime demonſtratam puto.

II. Rem ipſam itaque aggredientes, primo omnium, ne homonymia aliqua fallamur, & aditus ad ulteriora occludatur, nobis incumbit πολυσημασίαν vocabuli diligenter indagare. Sine diſtinctione enim vocis ambiguæ velle ad rei conſiderationem venire, nihil aliud eſt, quam tempus perdere. Ante omnia autem plane nobis nihil negotii hac vice eſt cum Legatis, re ſcil. a defuncto relicta & legatario ab hærede præſtanda; materia ab hoc noſtro inſtituto plane diverſa, de qua & aliquot libri digeſtorum vel codicis ſatis referti. Sed nobis ſermo erit de talibus legatis, qui ſunt a Principe ſeu republica ad alium aliamve negotii expediendi cauſſa miſſi.

III. Nec minus vero & in hac ſignificatione admodum ambigue & improprie vocabulum Legatus ſumitur, & quidem ſignificatu tali, a quo proprie ſumtum quam maxime diſtat. Generali enim & lata ſignificatione ſumitur pro quovis Nuncio, tam cœleſti & a Deo miſſo, ut ſunt Angeli, Apoſtoli & Prophetæ, qui & legati divini vocantur: quam qui ab hominibus legantur, cum tamen in rei veritate, vocabulum Nuncius a proprie dicto legato multum abeat. Nuncius nempe non tantum publice a magiſtratum gerente, ſed & a quolibet privato absque omni ſolennitate & pompa mittitur, quod legato eſſet ignominioſum.

IV. Propius paulo Legatis proprie dictis accedunt oratores, ut & Commiſſarii atque Deputati; revera autem etiam inter hos omnes & proprie dictos Legatos adhuc non levis eſt differentia. Oratores namque non tantum de publicis, ſed & privatis rebus diſſerere ſolent: Legatus contra non niſi de publicis agit. Fatemur nihilominus, hodie Oratorum vocabulo etiam legatos paſſim ſignificari; ſecus quam olim tulit loquendi conſuetudo. Commiſſarii & deputati præterea, licet a multis, etiam in ipſis imperii receſſibus, confundantur, etiam a judicibus inferioribus poſſunt mitti: & quanquam aliqui deputatorum & commiſſariorum ablegentur a tali, qui ſumma gaudeat poteſtate; hæc tamen ablegatio non aliam ob cauſam inſtituitur, quam ob negotia privata & actiones forenſes, nihilque tales Legati in publicis agunt.

V. Legati porro nomine etiam inſigniri olim ſolebat apud Romanos magiſtratus munere fungens, is cui data erat, quam primum modo provinciam ſuam ingrediebatur, juriſdictio: & cum plerumque hic eſſet perſona militaris, jungebantur ei adſeſſores juris peritiſſimi. Hujusmodi Legati erant: Legatus Cæſaris, Legatus Proconſulis. Legatus vero proprie dictus juriſdictionis expers eſt. Sumitur denique & pro Legato delegatus, cui tamen non niſi ex cognitione ſuperioris juriſdictio ſeu poteſtas cognoſcendi cauſas privatorum demandata eſt.

VI. Obſervandum porro, Legatos proprie dictos hodie non uno modo, ſed pro ſtatu ac dignitate mittentis aliter atque aliter vocari. Ambaſſadores enim vocantur illi, qui miſſi ſunt, a tali, qui ſummam habet poteſtatem. Recentiſſimo autem uſu non omnes, a ſupremis poteſtatibus publicorum negotiorum cauſa miſſi, Ambaſſadores audiunt, ſed ſoli illi, qui majoris cenſentur dignitatis. Alii ſcilicet hodie Ablegati duntaxat, alii Reſidentes, alii vero Agentes audiunt. Principum Legati dicuntur germanico vocabulo *Abgeſandten*. Legati Pontificis, ſi non ſunt cardinalitiæ dignitatis, dicuntur Nuncii apoſtolici: Si ſunt Cardinales jam creati, vocantur Legati a latere: Si vero nondum quidem ſint Cardinales, proxime tamen ſpem habeant, adeoque quaſi in proxima ſint potentia, dicuntur Nuncii cum poteſtate Legati a latere.

VII. Cognato etiam gradu cum Legatis habentur Obſides. Quorum olim miſera & periculoſa erat conditio: captivis enim non multum erant diſſimiles, nec ipſis competebat teſtamenti factio. Hodie vero mitior & multo melior eorum eſt ſtatus, nam corpora eorum æque ac Legatorum ſacro ſancta habentur, cæterisque Legatorum privilegiis gaudent. In hoc duntaxat a Legatis maxime differunt, quod eorum poteſtas veniendi, abeundi, agendi & vivendi ſit magis reſtricta limitibusque incluſa, quam Legatorum proprie dictorum.

VIII. Nominis autem derivationem quod attinet, vocabulum Legatus nonnulli derivare volunt, a legatione & verbo legare: Alii a legendo, cum nonniſi lectis & ſelectis ſplendidum non minus & periculoſum hocce munus imponi debeat. Utriusque autem derivatio non videtur eſſe abſona.

IX. Quum autem fundamentum diſputationis ſitum in definitione, Legatum ſic definire placet: Quod ſit perſona publica, electa, & ad negotium aliquod publicum expediendum ſolenniter miſſa, ab eo, qui poteſtatem mittendi habet.

X. Legationes quando ortæ ſint, quæque prima earum fuerit: certo definire impoſſibile eſt: cum tot annorum hiſtorici non extent. Hoc vero probabiliter ratione optima poteſt colligi: primis mundi annis in tanta hominum paucitate eas non fuiſſe, cum cuilibet ſua ipſummet expedire eſſet facillimum: Poſtea vero creſcente hominum multitudine, ſocietatibus initis, bonorum & prædiorum diviſione facta, regnis item & dominatibus inſtitutis ratio dictitat, inter privatos primum ſimplices miſſiones, forſan commerciorum, poſtea & inter dominantes reipublicæ & ditionum ſuarum gratia legationes, ab uno ad alterum factas. Unanimi ergo & tacito quaſi conſenſu ortæ ſunt legationes, ut & earum multa jura: Jure autem civili cujusque populi roborata & adaucta.

XI. Non frivola itaque de cauſa, ſed urgente neceſſitate, tam privatorum, quam in publico viventium, primum miſſiones, deinde & legationes originem traxiſſe videmus. Reipu-

blicæ nimirum maxime intereſt, ut cum eo, quo cum vel ipſe non vis, vel non potes agere, per alium agatur: idque multis cauſis impulſivis & irritantibus. Quæ cauſæ cum ſint infinitæ, de plerisque omiſſis nos unam duntaxat alteramve adducemus.

XII. E leviſſimis autem unam eſſe non puto, quod raro conducibile ſit reipublicæ & ſtatui communi, Magnates & Principes ipſosmet eſſe diu coram, & in familiari converſatione: indeque quia facillime levi etiam de cauſa aut novum odium poteſt exoriri, aut acceptum vulnus recrudeſcere, vel unus alterve nimis familiariter ſeſe gerens alteri contemtui eſſe. Uti ſtatuit & clariſſimus Dom. Præſes diſput. de majeſt. imperantium.

XIII. Non parum quoque adjuvat movetque: quod reipublicæ interſit, ne vires ſubditorum enerventur, aut inanibus ſumptibus Principum ærarium exhauriatur: fieret autem talis profuſio, ſi Principes ipſi ſemper in conventibus coram ſeſe ſiſterent, præſertim hiſce temporibus, ubi nemo alteri luxu & pompa vult cedere. Legatus ſane ſæpe & plura poteſt ex voto expedire, & multo minore cum ſumtu, quam ſi ipſe dominus adeſſet, domini mittentis exiſtimatione nihilominus manente ſalva.

XIV. Interim tamen arbitramur, virorum Principum conventum improbandum eſſe. Imo fatemur, iis interdum longe plus, quam legationibus, poſſe effici. Tantum hic nobis ſermo eſt, de frequente diuturna & nimium familiari converſatione, utpote quæ raro ſine alterius inſigni & ſæpe prodiga jactura fieri ſoleat. Nec vero alias negemus, id quod & ex hiſtoriis patet, ſæpe unico belligerantium ducum colloquio, milite ab utraque parte jam tum in procinctu & acie ſtante, pacem fuiſſe initam: quod per ſolos miniſtros & legatos pluribus annis fieri non potuiſſet. Etiam tamen in talibus mutuis Principum collocutionibus, Conſiliarios fideles, prudentes ac circumſpectos ſemper adhibendos eſſe, cenſemus.

XV. Perſpecta legatorum utilitate, ſciendum ulterius erit, quis demum poſſit, cuive liceat veros & proprie dictos legatos mittere: & ad quem tales legationes fieri poſſint & debeant: quæ porro perſonæ adhibendæ: & denique, quæ jura in compenſationem laboris ipſis ſint conceſſa.

XVI. Quod primum attinet, recepta eſt omnium Doctorum & Politicorum ſententia; Legationes proprie dictas, (de provincialium enim miſſionibus, de quibus & in digeſtis ſæpiſſime fit mentio, jam nobis non eſt ſermo) a nemine poſſe inſtitui, niſi ſumma gaudeat poteſtate. Tales nunc ſunt in ſtatu monarchico Princeps, mas ſit ſive fœmina, modo clavum imperii teneat: in ariſtocratia proceres: in democratico ſtatu populus, vel ſi is convenire non poſſit, plebis tribuni magiſtratusve, in hoc populi vices gerentes. An vero & hodie ſolis hiſce, & non etiam aliis hæc mittendi poteſtas ſit acquiſita, dubium eſt mihi. Et vero potius contrarium experientia doceri videtur.

XVII. Privatis perſonis hanc poteſtatem non competere, eſt indubium. Nec vero quenquam fore arbitror, qui hoc, niſi vocabulum *Legatus* in latiſſima ſignificatione accipere velit, ſit negaturus. De eo tamen merito eſt quæſtio: an illuſtribus imperii noſtri Principibus, civitatibus imperialibus, & collegiis privilegiatis: qui Imperatorem, ut caput & dominum ſuum, agnoſcunt; hoc jus competat.

XVIII. Electores quod attinet, licet hi ſibi & imperio Imperatorem tanquam caput & dominum eligant, jus tamen mittendi Legatos ſibi competere, conſtanter aſſerunt. Nec eorum adſertio multum infirmis nititur fundamentis. Cum enim ſtatus imperii hodiernus ſit mixtus, & totius Imperii regendi abſoluta poteſtas non amplius penes unum, ſed cum aliis communicata, illos inter quam maxime Principum Electorum dignitas & eminentia hodie crevit. Et quidem crevit intantum, ut nec Regibus exteris in comitiis noſtri imperii ſolennibus cedere velint. Quis igitur ipſis hanc poteſtatem denegabit? Præſertim cum etiam Imperatoris totiusque imperii conſenſu conceſſam & confirmatam ſibi illam habeant. Ut haud obſcure etiam videre eſt paſſim in aurea bulla.

XIX. Major difficultas videtur eſſe, ſi quæſtio inſtituatur de cæteris Principibus: quia hi gradu & dignitate inferiores ſunt Electoribus. Cæterum & omnibus his jus illud æque competere, haud injuria contendunt: quoniam ipſi quoque ſint Conſiliarii Imperatoris, & reipublicæ imperii membra ſplendidiſſima, habeant inſuper ampliſſimas ditiones jure hereditario ſibi acquiſitas, in quibus ipſis major ſæpe majeſtas, (ſecundum Maximiliani Imperat. dictum) & liberior poteſtas agendi eſt, quam Imperatori in imperio. Obſervandum autem eſt, etiam Principes multum inter ſeſe dignitate ac potentia differre, nec omnes jus hoc ſibi ſumere, ſed tantummodo paucos, exiſtimo. Utrum vero & hiſce jure debeatur facultas legatos mittendi nec ne, ex conſuetudine cum primis judicandum eſt, aut diuturna præſcriptione temporis.

XX. Reſtant adhuc civitates: collegia ſive corpora: item *die freye Ritterſchafft der Schwaben und Francken.* Cæterum his omnibus optimo jure videtur denegandam eſſe hanc licentiam: quia & civitates, & illa collegia ſeu corpora, inſtar ſint privatorum & dominis ſuis ſubditæ. Ex adverſo urbes imperiales præ cæteris municipalibus eminent, & tertiam claſſem imperii ordinum faciunt: eoque hactenus & ipſæ participant regendi imperii jura, non minore quam principatus eſt autoritate. Verum & hic conſuetudo ante omnia eſt conſulenda. In neutram enim partem certa argumenta ſuppetunt.

XXI. De urbibus ſociatis fœdere, quod hanſicum appellant, major dubitandi eſt ratio, idque quoniam ſocietas illa potiſſimum conſtet urbibus municipalibus, & quæ omni carent regendi

Digitized by Google

gendi imperii jure. Certum tamen eſt, quod a quam multis Regibus externis eorum ablegatis jamdudnm is honor fuerit habitus, qui concedi ſolet liberorum populorum legatis. Itaque ſaltem apud illos jus legationis poſſunt ſibi petere: etſi jure ab aliis id poſſit fortaſſe denegari.

XXII. Dum porro legatio tam ſplendidum ſit munus, nec etiam pericnlo, præſertim in civilibus bellis, vacet, mittentium vero maxime interſit, ut commiſſa negotia prudenter & ex voto expediantur, non cuivis ergo ambienti & obvio debet imponi, ſed eligenda erit perſona, ad tale munus ſubeundum apta, quæ prudentia & dexteritate ſua ſe jam tum commendaverit. Electio autem iſta debet fieri a mittentibus. Qui rurſus in ſtatu monarchico eſt Princeps: cui ſi perſonæ mittendæ conditio haud ſatis cognita, is primario ſuo miniſtro ſelectionem illam debet committere. In ariſtocratiis & cæteris rebuspublicis eligunt proceres illique, quibus a populo hæc poteſtas conceſſa eſt.

XXIII. Experientia autem teſtatur eſtque rationi conſentaneum: in ſtatibus illis popularibus, nullam fieri deciſionem, niſi prius collecta ſint vota. Cum votorum vero interdum maxima poſſit eſſe contrarietas, in caſu tali reſpublica periculo non vacat. Si enim vota imparia, res ſalva eſt, & pluralitate votorum ſit concluſum. Si vero ſint paria, & utraque pars jure ſuo pertinaciter ſe fundet, perſonæ quoque propoſitæ æque ſint idoneæ, ne tumultus interni oriantur, quibus tota ſæpe reſpubl. turbari poſſit, ſorti rem committendam cenſeo.

XXIV. Nec obſtat, quod judicinm ſortis ſit periculoſum & fortunæ, non rationi ſubjectum, ideoque non trahendum in conſequentiam: & ſorti nihil eſſe committendum, niſi in caſibus jure expreſſis, præſertim ſi de præjudicio alicujus tertii agatur: ſed controverſias per judicem eſſe terminandas. Hæc omnia enim non habent locum in his & ſimilibus caſibus dubiis, ubi & judex haberi poteſt, & lites quam breviſſime majoris mali evitandi cauſa abbreviandæ. Utique & in locum Judæ Iſchariotæ electus eſt in Apoſtolum Matthias, ex parte quidem ſuffragio, ex parte tamen etiam ſorte: ceu conſtat ex ſacris Apoſtolorum actibus.

XXV. Non abſonum porro quoque videtur eſſe judicium illud ſortis. Sed in cauſis dnbiis & neceſſitatis tempore, uti remedium & quaſi condimentum adhiberi poſſe, etiam alias jure divino & civili patet. Concedimus quidem, neminem facile ad ſortis judicium cogendum eſſe. Si vero aut uterque litigantium conſenſerit, aut ſalus reipublicæ id exigat, tum firmiter ſtare ſorte quilibet tenetur, ut nec appellationi, nec reſtitutioni locus ſit, modo aliquis ſit litium finis, & reipublicæ negotia promoveantur.

XXVI. Quis mittere poſſit legatos, jam oſtenſum eſt. Inquirendum proxime erit, ad quem talis legatio fieri poſſit. Atque olim quidem legatio proprie dicta, ut & in præcedentibus demonſtratum, a nemine potuit inſtitui, niſi ſumma gauderet poteſtate: nec ad quenquam, niſi ſui ſimilem, neminem itidem ſuperiorem recognoſcentem. Hodiernis tamen, nec ad ſubditos, nec a ſubditis ad ſuum ſuperiorem proprie dicta ſit legatio. Qui ſane ſorte mittuntur, vel ad ſalutandum, vel negotii cauſſa, vel ad gratulandum, non legati, ſed potius ablegati, *Abgeſandten, Abgeordnete* dicendi ſunt.

XXVII. Subditorum vero cum magna differentia reperiatur, adeo, ut quidam aliqua ex parte & ratione, certi alicujus diſtrictus ſint ſubjecti, ratione cæterorum bonorum ſint liberrimi: quidam etiam viribus ſuis diffidentes propriis, patronum ſibi elegerint Principem vicinum certa ſumma, & quidem annua ipſi promiſſa. Ad hos cum nec vere domini, nec vere ſubditi ſint, in quantum ſunt ſui juris, optime legationes mitti poſſe puto.

XXVIII. In civilibus tumultibus dubia eſt deciſio: an recte ab nna parte ad alteram poſſit legatio inſtitui. Periculoſum quoque quam maxime eſt, tale munus ſubire, cum nulla pars velit videri injuſtam fovere cauſam, & rebellis nomine poſtea inſigniri. Et vero ad rebellem nullo jnre poteſt mitti legatio: Secundum Ciceronis ſententiam de Antonio, *ad hoſtes, non ad cives Legatos eſſe mittendos.* Quod ſi tamen tale oriatur bellum, ut quælibet pars videatur cauſam publicam agere, & jure belli jam utrique parti ſit acquiſita fere ſumma poteſtas, licite utrinque Legati poſſunt mitti, quoniam id uti fiat, publice intereſt. Id quod in omnibus civilibus negotiis unice ſpectandum.

XXIX. Idem quoque dicendum puto de piratis, latronibus & proſcriptis. Nec enim cum his ulla debet eſſe juris ſocietas, ſed ſumma disjunctio & diſſolutio: & per conſequens nobis cum illis nihil negotii debet eſſe, ut aliqua legatio ab una parte ad alteram fieri poſſit. Si tamen earum cauſa alia, & quidem publica ſit facta, jura juſtorum & legitimorum hoſtium tandem hi etiam homines conſequuntur. Et ſic æque ad illos, quam ad alios hoſtes, amicos ſeu confœderatos legationes mitti poſſunt.

XXX. Quæſtio aliqua adhuc eſt reſidua: quid de infidelibus dicendum, cum quibus nulla nobis debet eſſe communio. Sed cum ſatis ſit oſtenſum, fœdera cum ipſis in ſalutem reipublicæ poſſe licite iniri: magis & hoc licebit, cum legatio etiam ſit juris gentium. Nec vero religio poteſt tollere jura gentium.

XXX. Nulla porro poteſt inſtitui legatio, nec ullum mandatum expediri, niſi accedat tertius, cui munus illud imponatur. Videndum itaque nunc, quænam & qualis iſta perſona eſſe debeat, quæ eligenda & legationi obeundæ apta ſit habenda. Nec vero hoc ſemper in arbitrio & voluntate ſuſcipientis ſitum eſſe debet, velitne ſubire, nec ne. Perinde atque nec alia quævis a republica vacatio civi cuivis in bene conſtituta republica permitti poteſt. Hinc etiam pœnis, ſi opus eſt, ad munus ſuſcipiendum & officium hoc patriæ & reipublicæ legationis præſtandum co-

gi quis poteſt: ceu recte ſtatuitur etiam *per L. ſciendum* §. 5. *ff. de Legatis*. Niſi ſane expreſſe muneri ſe imparem doceat. Maxime omnium autem eligendus eſt mas, non fœmina. Fere ſecundum effatum illud D. Pauli Apoſtoli 1. Corinth. 14. v. 34. *taceat mulier in eccleſia*, & alterum JCti Pauli *l. 12. pr. ff. de judiciis: Taceat mulier in foro.* Et vero cum recte etiam per *l. 1.* §. 5. *ff. de poſtulando* removeantur a judiciis mulieres ob ſexus imbecillitatem, multo minus ipſis aditus temere permittendus erit in publicis cauſis peragendis.

XXXII. Non temere inquam. Ea enim interdum eſt neceſſitas, ut ſicut reip. munus, ita & legatio debeat fœminæ committi. Ea quoque eſt nonnunquam fœminini ingenii virtus, ut tuto mulieri talia credi poſſint. Raro tamen: quia & neceſſitas pariter & virtus illa rara eſt.

XXXIII. Eſt vero & in viri electione, cui munus legationis imponendum, magna prudentia adhibenda. Conſiderandæ nempe erunt ipſius mittendi, ingenii, corporis, fortunæque dotes quam diligentiſſime. An nimirum valeat recto judicio & memoria. Ne nimium ergo ſit igneus & acutus, quia acuta, ut facile ſcindunt, ita & facile hebeſcunt. Nec quoque ſit ſtupidus, aut deſes, aut ſocors.

XXXIV. Præcipua autem & primaria requiſita in legato ſunt, ut Domino ſuo ſit fidelis, nec donis ſe corrumpi patiatur: Suſceptum ſemel officium ne deſerat, niſi urgentiſſimæ adſint cauſæ: ſit prudens valeatque judicare, quænam ſalutaria ſint ac neceſſaria ad finem ſui principalis obtinendum, & quænam non ſint: ut poſſit intelligere adverſæ partis aliorumque conſilia & actus, quonam tendant: non ſit turbulentus, nec etiam imbellis, ſed fortis & conſtantis animi; adverſa ſi quæ obveniant, forti excipere pectore ſit paratus, magnis Legatorum juribus privilegiisque tuto fidens: Venere porro & Baccho ſit abſtinens: his enim Legatos in ſummas redactos anguſtias & mortis pericula, multaque arcana ſæpe propalata, hiſtoriæ teſtantur. Uno verbo: is debet eſſe, qui & poſſit, & velit fungi mandato munere. Ad facultatem certe & voluntatem omnia Legati requiſita commode referuntur.

XXXV. Nobilitatis quoq; rationem aliquam, præſertim in legationibus officioſis, habendam eſſe cenſemus. Certe ne mittantur homines viles, & propter obſcuros natales contemti, multo magis, ne perſonæ infames mittantur, exigit utilitas reipublicæ, non ſimpliciter quidem, ex opinione tamen recepta hominum, cujus in republica magnum eſt momentum. Et vero ſaltim infames perſonæ & mittenti, & ad quem mittuntur, ſummo ſunt opprobrio. Eaque juſta poſſit eſſe cauſa, ſi ejusmodi Legati, (quod alias eſt etiam juris gentium) haud admittantur. Vilitas autem & æſtimatio perſonæ accipi debet, tam reſpectu mittentis, quam ejus, ad quem mittitur. Conjuncta vero eſſe debet cum illa generis nobilitate & inſignis eruditio, politices & hiſtoriarum, præſertim ad ſcopum collimantium, cognitio, & ſuavis denique eloquentia. Verbo: junctæ ſint oportet, quas paulo ante memoravimus dotes. Si ſane hiſce neceſſariis requiſitis haud ſit præditus, licet genere ſit nobilis, alius ignobilis virtute & arte excellens ipſi merito præferendus.

XXXVI. Corporis bona quod attinet: Legatus debet eſſe valido & ſano corpore, nec morbo ſæpe laborans: præſertim ſi Legatio ſubeunda ſit ad loca diſſita. Ad iter enim aliosque labores perferendos corpus morboſum ineptum eſt. Legato quoque ſit recta membrorum conformatio. Deformes enim, niſi excellens eruditio & dexteritas obumbret corporis vitium, ſemper ludibrio habitos & irriſos, hiſtoriæ teſtantur. Quo pertinet illud etiam de Legatis quibusdam romanis ſcomma: eos nec caput, nec pedes, nec cor habuiſſe.

XXXVII. Ætatis porro a mittente non levis debet inſtitui examinatio, an nimirum ſit juſta & vivida. Tyronibus ſane, ceu rerum gerendarum ex defectu eruditionis & experientiæ imperitis, non temere Legatio committenda eſt. Imberbis namque ætas ſæpe agit, quod recte fieri canities negaret. Non tamen & decrepiti jam ſenes ad legationem ſunt cogendi, tum propter jam præſtita reipublicæ officia, tum quod ad injuriam aëris itinerisque tolerandam, (cum Senectus ipſa ſit morbus) inepti fere ſint, & ſic a muneribus excuſandi. Id quod etiam cautum eſt *l. 2.* §. 8. *ff. de decurionibus*.

XXXVIII. Cum vero Senectus ſit venerabilis, & (ceu in proverbio eſt) umbra ſenis aut conſilium aliquando præſtent juvenum gladiis & haſtis, exiſtimaverim, nec ſenes, niſi ſint admodum decrepitæ ætatis, nec juvenes plane rejiciendos a legationibus; præſertim ſi legatio officioſa ſit futura, ad quam expediendam juvenis ſæpe habilior eſſe poteſt, quam ſenex. In arduis tamen cauſis legatos juſtæ ætatis mittendos, hisque juvenes adjungendos dixerim. Annorum taxatio juſta mittentis arbitrio & judicio merito eſt relicta.

XXXIX. Bonorum præterea fortunæ non exigua eſt habenda ratio: ne nimirum Legatus ſit pauper & ære alieno, præſertim reipublicæ, nimium obſtrictus. Licet enim divitiæ nihil faciant ad eſſentiam Legati, nec ſit de genere malorum paupertas, nec mentem crimine aliquo inquinet, vel conſcientiam liget: ut nunc tamen ſunt hominum mores, facit paupertas hominem contemptum, & deridendum. Juxta illud Juvenalis Satyr. 3.

Nil habet infelix paupertas durius in ſe,
Quam quod ridiculos homines facit.

Legatum porro paupertas etiam nonnihil ſuſpectum ſolet reddere: quoniam inops præſumitur nihil neglecturus, quo ab inopia ſublevetur. Secundum Horatii illud

Magnum pauperies opprobrium; jubet.
Quidvis & facere & pati.

Nec duntaxat pauperem revera eſſe, ſed & pro paupere haberi, res eſt præjudicii haud expers.

Utpo-

Utpote quod facile quis præſumatur corrumpi pecunia poſſe ob egeſtatem, ceu obſervatum etiam eſt Gloſſatori *in l. 3. pr. ff. de teſtibus*. Si tamen de fide & conſtantia alicujus ſatis conſtet, etſi jam admotus officio bonis labatur, ob id ab officio legationis non removendum cenſeo. Afflictis ſane non eſt addenda afflictio, niſi ſumma exigente reipublicæ neceſſitate, quæ merito ſuprema lex eſt.

XL. Quot porro genera, ſeu magis ſpecies, legationum ſint, vix deſcribi poteſt. Cum nimirum varient pro ratione cauſarum legationem expoſcentium, & arbitrio quoque mittentium. Aliquæ ſane ſunt negotioſæ: vel ad bellum, vel ad fœdera, vel ad ſponſalia, & alia pacta ineunda. Aliæ dicuntur officioſæ. Aliæ item honorificæ. Utræque fiunt, vel ad gratulandum, vel dolorem conteſtandum. In hoc porro differunt, quod hæ voluntatis, illæ quodammodo neceſſitatis ſint. Aliæ ſunt liberæ, aliæ non. Aliæ ad certum tempus & certam cauſam, aliæ vero quaſi perpetuæ. Sed ceu ante diximus, omnes illæ differentiæ ſpeciatim recenſeri vix poſſunt. Eoque etſi de ſingulis agere non fuerit fortaſſis inutile, nos tamen non niſi quædam & quaſi obiter perſtringemus.

XLI. Maximum igitur diſcrimen inter Legatos proprie dictos ratione certarum circumſtantiarum eſſe, jam dictum. Non levem vero differentiam facit etiam mandatum mittentis. Quidam ſcilicet mandata habent adeo ſpecialia, ut non poſſint agere, utque quod ab iis actum eſt, non valeat, niſi mandatis ſit comprehenſum. Quidam contra (qui & Plenipotentiarii inſigniri ſolent,) mittuntur cum libera poteſtate gerendi negotium, pro ſua prudentia & ratione temporis, quod Domini illorum acta velint ratihabere. Priorem modum legandi, & mittenti, & Legato, nec minus & illi, ad quem mittuntur, (quanquam ſecundum Grotium *l. 2 c. 11.* Legatus contra arcana mandata Principem ſuum obligare poſſit,) ſaluberrimum omnium & tutiſſimum, poſteriorem ſæpe noxium & periculi plenum eſſe arbitror.

XLII. Liberi alias Legati & illi dicuntur, qui non reipublicæ cauſa, & ob publica negotia expedienda ablegantur, ſed qui cum propria ſua negotia expedire cupiant, & bene antehac de republica ſint meriti, legationis titulo ornati tantum ſunt, ut ipſis tutum ſit iter, ac ſplendidior, quam alias, acceſſus. Verum hi proprie dicti Legati non ſunt, eoque nec noſtri argumenti.

XLIII. Legatorum porro differentia aliqua etiam in hoc eſt, quod aliqui ad certum aliquod negotium expediendum, & ad certum tempus mittantur, quo confecto ſeu effluxo, ſtatim redeant, dominoque referant. Aliqui vero ſunt quaſi perpetui, miſſi potius, ut aliorum, ad quos ſunt miſſi, actiones obſervent, caveantque, ne quod præjudicium dominis ſuis creetur alicubi, quam ut quicquam agant. Non deſunt quidam, qui his titulum veri Legati ademptum velint, præſertim quia non admittuntur, niſi præceſſerit pactum reciprocum. Cæterum pactum illud non infirmandi, ſed confirmandi majorisve ſecuritatis gratia potius fit, & uſus vulgaris etiam illos Legatorum nominibus cohoneſtat.

XLIV. Facto autem decreto, quod legatio ſit inſtituenda, ſi perſona quoque electa jam ſit, nihil prius Domino mittenti faciendum reſtat, quam ut curet, conferri ſumtus in legationem neceſſarios, utque juſtus apparatus fiat. Atque apparatus quidem apud priſcos multis conſtabat ſolennibus, quæ hodie plurima ex parte obſoleta: ut ſolent ritus & ceremoniæ, quia non niſi more & ſola hominum opinione nituntur, facile mutari. Ne vero neceſſarii fiant ſumtus, mutari nunquam poterit. Legatus enim in conventibus, ſeſſionibus & omnibus actionibus Domini perſonam repræſentat, ejusque vices gerit: quod ſine ſumtibus magnis fieri nequit. Nec etiam Legatus cogi jure poterit, ut ſuis propriis ſumtibus (quamvis experientia aliquando aliter doceat,) alibi vivat, & Domini ſui exiſtimationem ac dignitatem ſuſtentet.

XLV. Porro perſonæ illi, quæ hoc arduum munus in ſe ſuſcipit, aut cui etiam invito imponitur, (nam publica a privatis haud facile declinari poſſunt, ut ante diximus,) nihil magis conſultum erit, quam ut curet, mandata ſibi reddi de omnibus ſpecialiſſima, quæ omnia, quantum poſſibile, expedienda & proponenda comprebendat, & quidem in ſcripto. Etſi enim Plenipotentiariis non poſſint, aut debeant agenda omnia præſcribi, illa tamen libera agendi poteſtas, neceſſum eſt, ſcripto etiam ſit commiſſa.

XLVI. Quod mandatum vero eſt, ejus limites non profecto licebit egredi Legato: ſive committendo, ſive omittendo; ceu recte eſt conſtitutum etiam *l. 6. ff. mandati*. Eoque nec temere a mandato recedendum ipſi fuerit, quamvis ipſe videat aliter rebus ſui Domini expedire.

XLVII. Diſſentire tamen in hoc multos non ignoramus. Licere nempe Procuratori & mandatario optimo jure fines etiam mandati transgredi, ſi tantum bono fiat fine, & intentio mandantis expediatur, ejusque cauſa melior reddatur: cum conceſſo conſequenti, & antecedentia neceſſaria, & omnia media conceſſa intelliguntur, ceu dicitur *l. ad rem mobilem 56. & l. Legatam 62. ff. de procuratoribus*: Hæc enim omnia poſſunt quidem concedi in cauſis quibusdam privatorum: at vero, cum illa libertas ne quidem in omnibus privatis negotiis, ſi illa ſint paulo majoris momenti, ſit temere cuiquam mandatario concedenda, facile apparet, in reipublicæ arduis negotiis multo minus permittendam illam eſſe.

XLVIII. Si vero interdum cauſa ita ſit comparata, & modus tractandi adeo incertus, ut Legato nullum & certum mandatum poſſit tradi, tum mittendus eſt Legatus cum ampliſſima agendi poteſtate, quid ſibi e re futurum viſum fuerit, adeoque cum charta nuda ſigillo duntaxat obſignata. Aliis mandatum quidem dandum, non tamen ſpeciale, plurima vero prudentiæ Legati committenda. Prioris generis tamen legationes omnium ſunt periculoſiſſimæ tam mittenti,

quam miſſo, Legatos certe interdum in extrema præcipitant. Poſterioris vero generis meliore quidem ſunt conditione, non item tamen periculi expertes. Semper vero tutiſſimum eſt, ſi quoad fieri licet, Legatus de ſingulis caſibus & emergentibus cauſis, fideliter renunciet mittentibus, & ab ipſis inſtrui ſeſe petat, præſertim ſi negotium ſit arduum & periculoſum.

XLIX. Priusquam porro itineri ſeſe det Legatus, ante omnia det operam, ut literis fiduciariis vel teſtimoniis probe inſtruatur. Impoſſibile enim eſt, ut ſine iis fidem alibi inveniat ad negotia pertractanda. Et vero hæc neceſſitas credentialium literarum aut teſtimoniorum non ex arbitrario jure hominum provenit, ſed & ex ipſo naturæ æterno & immutabili inſtituto. Quod ipſum ampliſſ. Dn. Præſes in concuſſione fundamentorum fidei pontificiæ : & cum alias, tum prolixe reſponſione altera ad Valerianum Magnum Capuccinum cap. 17. demonſtravit. Qui proinde recte ait, nec Legatum a Deo miſſum ſine certis ejusmodi documentis credi poſſe: qui autem ſine documentis talibus profitetur ſeſe Legatum, illum neutiquam ferendum : & per conſequens, cum unusquisque Papa romanus iis careat, & tamen velit baberi Vice-Deus, omnes Papas execrationem jure mereri.

L. Legatus præterea a Domino jam miſſus & creditivis, uti vocantur, aut literis fiduciariis, quantum fieri potuit, ſufficienter inſtructus, ubi appulit, quo miſſus eſt, primum omnium exhibeat ſuas illas literas illi, ad quem miſſus eſt. Nec enim hoc intermiſſo quidquam poterit agere. Deinceps vero omnem impendat operam, ut nomine ſui principalis, & pro dignitate ejusdem honeſte accipiatur, honeſte jam acceptus nihil magis ſtudeat, quam ut ad exponenda ſibi a Domino ſuo commiſſa admittatur. Admiſſus denique non inani methaphorico, & thraſonico utatur ſermone, ſed præmiſſis, quæ appellant, curialibus, oratione non nimis louga, nec obſcura neceſſaria ad rem facientia proponat aperte & diſtincte, vel vero petat locum & tempus ſibi decerni, & certos commiſſarios coram quibus, & cum quibus poſſit accuratius & ulterius negotia ſua agitare.

LI. Circa linguam, qua propoſitio inſtituenda, loci cum ſui unde miſſus, tum ejus, quo miſſus, conſuetudo recepta maxime erit obſervanda. Tametſi enim reapſe parum interſit, qua lingua utatur: quum vero hodiernis moribus ſubmiſſionem aliquam videatur ſignificare, ſi propoſitio in alterius Principis vel partis lingua fiat, quilibet Legatus, præſertim apud eos, ubi illa opinio invaluit, Domini ſui lingua & interprete deinde utatur, qui transferat in linguam ejus, ad quem miſſus eſt. In noſtro imperio germanico alias & latina lingua, tanquam communis, ſi cum exteris res ſit Cæſari & imperii proceribus, quam uſitatiſſima eſt, non perpetuo tamen.

LII. Cum porro de loci prærogativa maxima ſit inter magnates altercatio (a qua nec Germania noſtra aliena eſt, in cujus conventibus publicis non quidem ſecundum dictum Cancellarii polonici nihil aliud fere agitur; quam ut de ſeſſionibus digladietur, plurimum tamen ſemper dat turbarum,) licet poſſet videri, eſſe de re levi & nullius momenti, quoniam tamen & reipublicæ interſit, (ut erudite ſtatuit clariſſ. Dn. Præſes *in ſua aſſert. juris Mogunt. principio,*) *ut cuique præſertim maximis Principibus, ſuum jus ſuaque dignitas ſervetur, & injuriæ tali modo illatæ maxime noceant exemplo*: Legatus quoque accurate animadvertat, ne Domini ſui dignitas & prærogativa in ſeſſionibus imminuatur, ſed ipſe, ubi quidem mos ille obtinet, Principis ſui locum occupet & defendat, ut cujus perſonam repræſentet, adeoque & dignitate illius ſit reputandus. Certe & in legato non niſi cum graviſſima mittentis injuria læditur honor.

LIII. Diximus ante, locum Principi debitum a Legato occupandum, illa tamen addita clauſula: *ubi ille mos obtinuit.* Ubi enim non obtinet, quoniam hoc quidem omne eſt juris arbitrarii humani, atque adeo in hoc negotio voluntas pro jure eſt, mos cujusque regionis eſt ſervandus. Sic vetitum eſt imperii germanici legibus Legatis Electorum Principum miſſis, ad imperii comitia ad Electorum abſentium, qui miſerunt, menſam ſedere, aut locum ejus occupare: ſed menſa nuda quidem illa derelinquitur certa, loco vero aliis Electoribus præſentibus cedere Legatus tenetur. Cujus exempla plura habentur in politicis imperialibus Goldaſti: eſt autem & expreſſe cautum *in aurea bulla tit. 24. in fine for.*

LIV. Admiſſione præterea & propoſitione jam ex voto facta, Legatus omnem moveat lapidem, ut quam primum negotium commiſſum expediat, & illo feliciter expedito, ſaltem cum recredentialibus, quæ appellantur, literis remittatur. Si autem Legatus præter morem diu detineatur, illud domino ſuo renunciet, eumque conſulat, an ipſi ſit diſcedendum, an ulterius expectandum. Quoniam enim iſta juſto longior detentio & remoratio eſt nonnihil cum mittentis injuria conjuncta, etiam atque etiam cavendum Legato eſt, ne quam injuriam patiatur ipſi domino fieri, domino ignorante. Nec tamen ſine cauſa gravi querelas deferat, ac det turbas iniquis ſuis querelis, & ſua importunitate: præſertim ſi propoſitum ſit Principi, fovere pacem & amicitiam, idque ipſum reipublicæ expediat.

LV. Ad hoc cum reſponſa æque ac mandata & propoſitiones ſint facti, quæ quomodo ſe habuerint, non tam præſumenda, quam probanda ſunt, *Menoch. 7. præſumt. cap.* 15. & licet Principis ſit nuncius, non tamen credatur ei ſine literis, ceu recte docetur etiam *l. 1. Cod. de mandat. princ. & l. prohibitum Cod. de jure fiſci.* & quidem probandum originali: Omni modo ergo Legatus ſtudeat, ut & ipſi eodem modo, quo ipſe mandata in ſcriptis expoſuit, etiam in ſcriptis reddantur reſponſa: ſi ſane nihil ſit, quod multum obſtet.

LVI. Reſponſo autem accepto, ac ſcopo, cur miſſus erat, jam obtento, aut vero, quod ſi, omnia licet nondum ſint expedita, a Domino domum Legatus revocetur: ne ulterius inutiles

pro-

profundantur ſumtus, ad diſceſſum ſe rurſus paret, & debito modo placidam dimiſſionem a Principe, ad quem miſſus fuit, petat. Quæ ipſi quoque, niſi indebite & inſolenter ſe geſſerit, jure gentium denegari non poterit. In dimiſſione autem rurſus Legatus eodem modo, atque in admiſſione Domini ſui autoritatem ac eminentiam ſedulo cuſtodiat, ac obſervet.

LVII. Dimiſſione porro jam impetrata, ſi Legatio iſta fuerit Domino ad quem grata, ad ſignificandam benevolentiam ſolent Principes Legatos admodum lautis interdum honorare donis. De eo autem jam quæritur: Legati an ſuo Domino illa acquirant? Diſtinguendum autem videtur: & primo quidem videndum, an legibus & ſtatuto hoc de caſu ſit cautum, & ſi cautum, tum illo erit ſtandum; deinde videndum, cujus reſpectu data ſint dona, quod ex pretii quantitate æſtimandum videtur.

LVIII. Domum denique reverſo, ne frivola ſit tota Legatio illaque negotiatio, Legato incumbet Dominum mittentem totius factæ expeditionis certiorem reddere, ac illi recenſere etiam fere minima ad negotium illud facientia (quomodo nimirum acceptus, habitus atque dimiſſus ſit,) & omnia relatu digna revelare. Quoniam vero hoc præſtare nemo poſſit, niſi omnia, quæ eveniunt diligenter ſcripto annotarit: hinc manifeſtum eſt Legato competere, ut durante legatione *ἐφημερίδας* conficiat, inque iis ſtudioſe comprehendat, quæcunque indies ad rem non nihil facientia ſolent evenire.

LIX. Cæterum de Legatorum officio hæc fortaſſe ſufficiunt, paucis addendum, quid privilegii, & quæ jura Legatis in ſolamen & compenſationem laborum reipublicæ cauſa ſuſceptorum data ſint. Nec vero honor, qui iis ab aliis conferri ſolet in mittentium reſpectum, aut ſplendor comitatus tanti videtur eſſe.

LX. Sunt autem Legatorum recepta paſſim jura varia. Quædam enim concernunt Legati perſonam, quædam ejus bona & actiones. Ea vero ſunt quidem & jure civili romano conſtituta; verum quoniam illud jus non obligat liberos populos ultra, quam ipſis lubet, proſequemur tantnm ea, quæ Legatis jure partim divino & naturali, partim gentium moratiorum longa conſuetudine competunt.

LXI. Ad quatuor igitur potiſſimum præſtanda Princeps omnis ille, ad quem miſſio ſit, obligatus eſt: *Primo*, ut admittat. Æque ſane ad admiſſionem jure gentium tenetur, (niſi urgentiſſimæ adſint cauſæ, & Legati notorie ſint ſcelerati, & a ſceleratis ad nocendum miſſi: ſic enim optimo jure rejiciuntur.) *Secundo*, ut curet, ne violentur, idque quoniam publica fide Legati adveniunt: *Tertio*, ut Legatos curet audiri, & cum iis agi: *Quarto*, ut tuto & honeſte faciat dimitti.

LXII. De Legatis aſſiduis, ſeu ut hodie vocantur, Reſidentibus, tamen poſſit quæ incidere quæſtio: an jure gentium, aut naturali Princeps quoq; obligetur eos admittere vel pati inter ſuos ſecure verſari. Quod primum attinet, videtur, Principem jure gentium haud teneri, continue obſervatorem actionum ſuarum in aula ſua tolerare, præſertim quum ſoleant illi in arcana quævis negotia inquirere, & dominis revelare. Si tamen aliorum Principum Reſidentes jam tum ibi degant, & jam uſu receptum ſit, Reſidentem quemvis non recuſare, merito hoſtilis animi ſignum poteſt haberi Reſidentis recuſatio, modo ille vir ſit bonus. Admiſſus vero talis Reſidens ſeu Legatus aſſiduus, ratione pacti & juris gentium, & ſecuritate, & aliis privilegiis Legatorum debet frui.

LXIII. Legati porro perſonam quod attinet, non tantum ipſi, ſed etiam (ut modo dictum eſt,) reſpectu mittentis Domini juſtus honor, plena ſecuritas immunitasque concedenda. Sancti enim & inviolabiles Legati ſunt habendi, cum ſecundum dictum Herodis, etiam inter medios hoſtes, ad quos miſſio facta, ſola legatio pacis ſequeſtra eſſe debeat. Ideoque non tantum ipſi Legati, ſed & eorum comites, ut & ſuppellex omnis, ab omni periculo debent eſſe tuta, adeo, ut nec alias licitis repreſſaliis poſſint detineri. Secus ſane ſi fiat, ipſe principalis eorum ſuper injuriis, & poteſt agere, & poſtulare, ſibi dedi juris illius gentium violatores, niſi debita pœna jam affecti fuerint: utpote quum magis ad ipſum, quam ad Legatos injuria illata ſpectet. Quod ſi tamen Legatus clancularie, & quaſi furtim atque extra viam proficiſcatur: Si item Princeps mittens ſit fidei admodum dubiæ: miſſionemque ipſam ad ſuſpectum Principem fieri notorium ſit, neutiquam ſecuritas illa & tutela Legato ejusque comitibus vel naturali vel gentium jure convenit. Et vero plurimis exemplis monſtrari poteſt, ab optimis & maxime moratis gentibus olim ita obſervatum eſſe.

LIV. Alia autem inde emergit quæſtio. An nempe violetur etiam jus gentium, ſi non præſtetur ſecuritas Legatis tranſeuntibus fines alicujus tertii, ad quem miſſi non ſint: Videatur autem cui dicendum: non videri, cum inter hos & illos nulla legationis jura intercedant. Verum enim vero ſecuritas eundi non tantum ex jure illo gentium, quod Legatis competit, verum etiam ex illo communi eſt: quod nimirum innoxius tranſitus unicuivis extero, cum quo nulla intercedit hoſtilitas, aut a quo inimicum nihil agitatum iri certum eſt, jure gentium imo & naturæ debeatur. Si itaque in hunc modum etiam Legati ſeſe habeant, violatio illorum & naturæ, & gentium juri repugnaverit. Si vero certum ſit, illos machinaturos quicquam reipublicæ adverſum, aut vero ab hoſte ſint miſſi, ratio longe eſt alia.

LXV. Si inquam certum ſit. Imo vero, ſi id ipſum fuerit multum probabile, poſſunt merito illi domum remitti ad ſuos. In rebus enim civilibus, juſta ſuſpicio futuri damni dat jus ab amicitiæ legibus non nihil abeundi. Contra mandatum vero ſi tranſire moliantur Legati,

etiam

etiam pœnis affici poſſunt. Legatione ſane inhibita aut omiſſa, non eſt, cur amplius præſtetur ſecuritas.

LXVI. Non inepte autem hic jam etiam id quæritur, quomodo ſecuritas Legatis jure gentium conceſſa poſſit amitti. Nec vero de ea una eſt omnium ſententia. Qnidam eam amitti volunt vel facto mittentis, vel facto ipſius Legati. Facto mittentis, ſi ipſe nimirum Legatos violaverit: & ſic jure talionis jus Legatorum non violari, ſed reddi. At vero Grotius vir ſummus recte, cum jura illa ſecuritatis non tantum ob mittentis, ſed & ob miſſos ſint introducta, ideo ob mittentis culpam non committendum a Principe id, quod ipſe in aliis reprehendit. Idem vero dicendum videtur, ſi Legatus delinquat: quoniam jus ſecuritatis præcipue competit mittenti, eoque culpa miſſi non poteſt amitti. Mittentis vero fuerit punire miſſum, ne videatur approbaſſe.

LXVII. Quod ſi uterque, & mittens ſcilicet & Legatus, jus gentium violet, aut aliquia prætextu falſæ legationis fallere cupiat, vel exploratorem agat, aut diutius juſſo voluptatis & privata de cauſſa emanſerit, quin talis Legatus pro ratione delicti puniri poſſit, ut tamen ſimul publicæ pacis habeatur ratio: non videtur dubitandum. Certe talis Legatus, ſi jam aperta fuerit culpa, non admittendus, aut admiſſus ſtatim rurſus dimittendus videtur. Cum ſane verum Legatum non agat, nec veri Legati jure poſſit frui: ceu recte ſignificatur etiam *leg.* 4. *Cod. de commerciis.*

LXVIII. Ob delictum autem privatum commiſſum a vero Legato, in quo foro reſpondere merito teneatur, alia adhuc eſt controverſia. Diſtinguendum autem ante omnia eſt inter delicta, quæ ante legationem, & quæ dnrante legatione ſunt commiſſa. Primi generis, puniri ab eo, qui vel admiſit Legatum, vel tranſitum liberum ipſi permiſit, non poſſunt. Si enim poſſent, tolleretur Legatio. Cum porro ab utraque Legatus ille ſit exceptus, tanquam perſona præſentans mittentem Principem, atque adeo ſecuritas ipſi conceſſa, non ut privato, ſed perſonæ publicæ, violaretur, & data Principi mittenti & ſimul ejus autoritas. Major eſt difficultas de delictis durante legatione commiſſis. Etenim naturalis etiam juris eſt, neminem abuti debere privilegio ſuo, & qui committit in privilegia, ſe horum indignum facere. Et quidem grandia crimina ſecuritatem tollere, non eſt abſurdum.

LXIX. At obſtat, quod ſecuritas illa potius pertineat ad jus mittentis, qua, ceu ante diximus privari non poteſt ob culpam alienam. Optimum factu videtur, ſi mittenti Principi indicantur Legati delicta, & petatur illum a legatione removeri, ac juſta pœna affici. Quod ſi renuerit mittens, poteſt juberi abire. Nec enim jure gentium legatus haberi poteſt, qui injuriam non dubitat in locis peregrinis facere aliis. Poterit etiam puniri eo loco, ubi deliquit, quoniam Princeps quoque tenetur ſuos ante omnia ab injuria præſtare tutos. Olim petebatur deditio, quam & hodie peti poſſe exiſtimo.

LXX. Cum porro Legati ſæpe inviti cogantur ſubire onus legationis, quidam etiam id aliquando faciant proprio ſumtu, ſalarium præterea ipſorum ſit vel nullum, vel parvum, iniquum profecto fuerit, ſi ipſis alia aliqua in re pro meritis nulla gratia tribuatur. Maxime probandus videtur moa vetus, quo tales Legati in remunerationem habuerunt vacationem munerum & aliorum onerum, non tantum tempore legationis, ſed & biennio poſt.

LXXI. Ratione rerum & bonorum Legatis quoque gentium jure ſua ſunt privilegia. Et quidem in conſervandis & amittendis rebus ita ipſis proviſum, ut omnia iis tempore Legationis ſarta tecta maneant, damnum autem paſſis reſtitutio in integrum concedatur. Quod cautum quoque eſt *l.* 9 *ff. de Legat. l.* 1, *ex quibus cauſis majores.* Sunt autem hæc æquiſſima eoque merito obſervanda.

LXXII. In contractibus quoque privatis Legati jure ſuo fruuntur. Nec enim tenetur usquam locorum, (niſi Reſidentes fortaſſe erint excipiendi,) de contractibus ante legationem initis judicio ſeſe ſiſtere, nec Procuratorem relinquere, niſi prius finita fuerit legatio. Contractus tamen in legatione, tam reſpectu ſui Domini, quam ſui ipſius initos, non tantum tenetur ſervare, ſed & de iis coram judice loci reſpondere; ſalvo tamen ſemper jure & autoritate mittentis, & ne illa lite ipſius legationis negotia impediantur.

LXXIII. Legatione poſtremo tota expedita, relatione quoque de omnibus debito modo facta, ſi res ex voto ceſſerit, Legatus honorario non vili merito afficiendus: ſumtus etiam ſi forſan de ſuis fecerit, niſi liberam in ſe ſuſceperit legationem, ipſi refundendi. Intereſt enim reipubl. ut qui bene rem geſſerit, afficiatur præmio: quo & alii ad officia reipubl. ſolerti cura impoſterum præſtanda excitentur. Tenetur tamen etiam Legatus de accepta pecunia rationem reddere. Et forſan accuſatus negligenter vel malitioſe fines mandati obſervaſſe, exacte reſpondere tenetur. Convictus ſupplicio quoque jure poterit affici. Quoniam & hoc reipublicæ intereſt, puniri acriter quicquid in rempublicam eſt commiſſum: quo alii territi cautius rem gerant.

Verum de Legatis hæc nunc ſufficiant.

A01 1467964

Digitized by Google

Digitized by Google